John Adams Library.



IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.



SHELF No
ADAMS
62.8

CORNELII
VAN
BYNKERSHOEK
OPERA OMNIA.
TOMUS PRIMUS.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI,

SENATUS SUPREMI HOLLANDIÆ, ZELANDIÆ ET FRISIÆ PRÆSIDIS,

OPERA OMNIA,

TOMUS PRIMUS.

Continens { OBSERVATIONUM JURIS ROMANI LIBROS VIII. / OPUSCULA VARII ARGUMENTI.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM ET JOANNEM LUCHTMANS, 1767.
Academiæ Typographos.
Cum Privilegio Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ.

ADAMS 62.8

BIBLIOPOLÆ LECTORI
S.

Noſtrum non eſt, erudite Lector, in laudes Viri Ampliſſimi CORNELII VAN BYNKERSHOEK, *JCti celeberrimi, ac Senatus Supremi Hollandiæ, Zelandiæ & Friſiæ olim Præſidis, prolixa oratione excurrere, aut præſtantiſſima ejus opera multis commendare; ſiquidem Clariſſimi hujus Viri in Rempublicam Litterariam merita longe lateque pateant.*

Itaque paucis tantum monebimus, quæ cauſſa nos impulerit novam Operum BYNKERSHOEKII *Editionem procurandi, & quid in ea præſtiterimus. Scilicet quum pleraque Ampliſſimi Præſidis opera deſiderarentur, conſilium cepimus omnia* CORNELII VAN BYNKERSHOEK *opera edita prelo de novo committendi duobus Voluminibus in Folio.*

Omnem operam dedimus, ut hæc Editio quam ornatiſſime atque accuratiſſime prodiret, ac ſecuti ſumus illas Editiones, quæ ſub auſpiciis ipſius Auctoris lucem viderunt.

Adjecimus huic Editioni duas Præfationes elegantiſſimas, alteram Clariſſimi JO. GOTTL. HEINECCII, *quam* BYNKERSHOEKII IV. prioribus libris juris Romani, *Lipſiæ anno* MDCCXXIII. *editis, præmiſerat: alteram Celeberrimi* FRANC. CAROLI CONRADI, quam BYNKERSHOEKII Opuſculis varii Argumenti, *Halæ anno* MDCCXXIX. *editis, præmiſerat.*

Accedunt inſuper varii Indices copioſi & exacti,

I. *Rerum & Verborum.*

II. *Auctorum, qui ab Ampliſſimo Præſide laudantur, illuſtrantur, vel emendantur.*

III. *Legum, aliorumque veteris Jurisprudentiæ locorum, quæ in his operibus aut explicantur aut emendantur.*

His ſubjiciuntur tres Indices; nempe I. Edictorum, II. Decretorum *Ordinum cum Generalium tum ſingularum Regionum, nec non* III. Pactorum, *quæ Tomo* II. *allegantur & explicantur.*

Non ergo jactantiæ notam ſubibimus, ſi dicamus, hanc Editionem prioribus multum præſtare, maxime quum minori pretio parari poſſit, quam Editio operum in forma (ut vocatur) quarta.

Hæc ſunt, benevole Lector, quæ ſcire tua intererat. Cæterum Tu BYNKERSHOEKII *Operibus utare, &, ſi quid ornamenti huic Editioni noſtra cura acceſſerit, hoc præmium poſtulamus, ut famam ac virtutem* BYNKERSHOEKII *ames. Vale, ac conatibus noſtris fave!*

P R I V I L E G I E.

De STATEN van HOLLAND en WESTVRIESLAND doen te weten, alzo Ons te kennen is gegeeven by *Samuel* en *Johannes Luchtmans*, Burgers en Boekverkopers binnen de Stad Leyden, hoe zy Supplianten door Inkoop magtig waren geworden *Corneli van Bynkershoek Præſidis, Obſervationes Juris 2 vol. Opuſcula Varii Argumenti, Opera minora, Quæſtiones Juris Publici, & Quæſtiones Juris Privati*, uitmakende deszelfs *Opera omnia*, 6 voll. in *Quarto*, waar op door Ons gunſtig Octroy verleent was geweeſt aan *Johannes van Kerckhem*, Burger en Boekverkoper binnen gemelde Stad, in den Jaare 1744. den 3. Juny, voor vyftien agter een volgende Jaaren, om alleen te mogen drukken de voorſz. Werken van den Præſident *Bynkershoek*, welk Privilegie geëxpireert zynde, zo waaren de Supplianten met reden bedugt, dat baatzoekende menſchen de voorſz. Werken van den Præſident *Bynkershoek* mogten komen na te drukken, of in 't geheel, of ten deele, ofte eenige van dien in 't byzonder, in 't groot of in 't klein, in andere taal of taalen, onder een andere naam of titul elders nagedrukt, of onder prætext, van vermeerdering in deze Landen in te voeren, verkopen of verruilen tot merkelyke ſchade van de Supplianten. ZOO keerden zy Supplianten zig zeer onderdaniglyk tot Ons met ootmoedig verzoek, dat Wy geliefden aan hun Supplianten te vergunnen verlenging van het voorſz. Privilegie, voor den tyd van vyftien agter een volgende Jaaren, zo voor hun zelfs, als voor die hun regt en actie in dezen mogten verkrygen, omme de voorſz. Werken van den Præſident *Bynkershoek* alleen te mogen drukken, doen drukken, uitgeeven, verkopen, verhandelen, en te debiteeren in 't groot of in 't klein, in 't geheel of ten deele, zoo als zy Supplianten zoude te raden werden, en dat niemand dezelve zoude vermogen na te drukken, in 't geheel of ten deele, ofte ook onder wat prætext van vermeerdering of verandering van formaten en taalen (uitzonderende alleen in 't Nederduits de Verhandelingen over de Staatszaken, en over de Burgerlyke Regtszaken, welke reeds in 't Nederduits in deze Provintie gedrukt waren) het zoude mogen weezen, of elders nagedrukt zynde, niet zoude mogen in deze Landen inbrengen, verhandelen, of verkopen, telkens op de verbeurte van alle de gedrukte, nagedrukte, verhandelde, of verkogte exemplaren, zo dikwyls en menigmaal als dezelve zouden werden agterhaalt, en dat Wy geliefden te ſtellen een pœne van drie duizent guldens tegen de Contraventeurs. ZOO is 't dat Wy de zaake ende het voorſz. verzoek overgemerkt hebbende, ende genegen wezende ter bede van den Supplianten uit onze regte wetenſchap, ſouveraine magt, ende authoriteit dezelve Supplianten geconſenteert, geaccordeert, en geoctroyeert hebben, conſenteeren, accordeeren, en octroyeeren hen by dezen, dat zy gedurende den tyd van nog vyftien eerſt agter een volgende Jaaren, de voorſz. Werken in dier voegen als zulks by de Supplianten is verzogt, en hier voren uitgedrukt ſtaat, binnen den voorſz. onzen Lande alleen zullen mogen drukken, doen drukken, uitgeeven, ende verkopen, verbiedende daaromme allen, ende een eigelyken dezelve Werken in 't geheel of ten deelen te drukken, na te drukken, te doen nadrukken, te verhandelen, of te verkopen, of elders nagedrukt binnen den zelven Onzen Lande te brengen, uit te geeven, ofte te verhandelen en verkopen, op verbeurte van alle de nagedrukte, ingebragte, verhandelde, of verkogte Exemplaren, en een boete van drie duizent guldens, daar en boven te verbeuren, te appliceeren een derde part voor den Officier, die de calange doen zal, een derde part voor den Armen der plaatſe, daar het caſus voorvallen zal, ende het reſteerende derde part voor den Supplianten, en dit telkens zo menigmaal als de zelven zullen werden agterhaalt; alles in dien verſtande, dat wy den Supplianten met dezen onzen Octroye alleen willende gratificeeren tot verhoeding van hare ſchade door het nadrukken van de voorſz. Werken daar door in genigen deele verſtaan den inhoude van dien te authoriſeeren of te advouëren, en veel min dezelve onder onze protectie en beſcherming eenige meerder credit, aanzien of reputatie te geeven, nemaar de Supplianten in cas daar inne iets onbehoorlyks zoude influeeren, alle het zelve tot haren laſte zullen gehouden wezen te verantwoorden, ten dien einde wel expreſſelyk begeerende, dat, by aldien zy dezen Onzen Octroye voor de zelve Werken zullen willen ſtellen, daar van geene geabrevieerde ofte gecontraheerde mentie zullen mogen maken, nemaar gehouden wezen het zelve Octroy in 't geheel en zonder eenige omiſſie daar voor te drukken ofte te doen drukken, en dat zy gehouden zullen zyn een exemplaar van de voorſz. Werken op groot papier, gebonden en wel geconditioneert te brengen in de Bibliotheecq van Onze Univerſiteit te Leyden binnen den tyd van zes weeken, na dat zy Supplianten dezelve Werken zullen hebben beginnen uit te geeven, op een boete van zes hondert guldens na expiratie der voorſz. zes weeken, by de Supplianten te verbeuren ten behoeve van de Nederduitſche Armen der plaatſe alwaar de Supplianten woonen, en voorts op poene van metter daad verſteken te zyn van het effect van dezen Octroye; dat ook de Supplianten, ſchoon by het ingaan van dit Octroy een exemplaar gelevert hebbende aan de voorſz. onze Bibliotheecq by zo verre zy gedurende den tyd van dit Octroy de zelve Werken zoude willen herdrukken met eenige Obſervatien, Noten, Vermeerderingen, Veranderingen, Correctien of anders hoe genaamt, of ook in een ander Formaat, gehouden zullen zyn wederom een ander Exemplaar van de zelve Werken, geconditioneert als voren, te brengen in de voorſz. Bibliotheecq binnen denzelven tyd, en op de boeten en pœnaliteit als voorſz. en ten einde den Supplianten dezen Onzen Conſente, en Octroye mogen genieten als na behoren; laſten wy allen en eenen iegelyken dien het aangaan mag, dat zy de Supplianten van den inhoude van dezen doen, laten en gedogen, ruſtelyk, vredelyk en volkomentlyk genieten en gebruiken, ceſſeerende alle belet ter contraire. Gegeeven in den Hage, onder onzen groten zegele, hier aan doen hangen, op den vier en twintigſte July in 't Jaar Onzes Heeren en Zaligmakers Duizent Sevenhondert en Zeſtig.

P. STEYN.

Ter ordonnantien van de Staten

ARIS van der MIEDEN.

Aan de Supplianten zyn nevens dit Octroy ter hand geſtelt by extract autenthicq, haar Ed: Gr: Mog. reſolutien van den 28. Juny 1715. en 30. April 1728. ten einde om zig daar na te reguleeren.

ARIS van der MIEDEN.

CORN.



P. van Dyk Pinx 1733 *S. & J. Luchtmans Excudebant L.B.*

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

OBSERVATIONUM JURIS ROMANI

LIBRI QUATUOR.

IN QUIBUS PLURIMA

JURIS CIVILIS

Aliorumque Auctorum loca explicantur & emendantur.

AMPLISSIMIS GRAVISSIMISQUE

V I R I S,

HUBERTO ROSENBOOM,

DOMINO IN 'S GREVELSREGT, CURATORI ACADEMIÆ LEYDENSIS,

PRÆSIDI,

WILELMO VANDEN BROECK,

DOMINO IN VRYHOEVEN,

SIMONI ADMIRAAL,

RUTGERO VERBRUGGE,

FELTRUM DE VRIES,

WILELMO SLUYSKEN,

REINERO SCHAEP,

NICOLAO KEETLAER,

POMPEJO DE ROOVERE,

SENATORIBUS CURIÆ SUPREMÆ, QUÆ HOLLANDIÆ, ZELANDIÆ, FRISIÆQUE NOMINE HAGÆ BATAVORUM EST,

COLLEGIS SUIS,

UT ET

JOANNI VANDER HAER,

EJUSDEM CURIÆ PRIMO GRAPHIARIO,

S. D.

CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK.

VOBIS, Ampliſſimi Graviſſimique Viri, *has Obſervationes*, ex formula antiqua, do, dico, addico. Et quibus potius, quam Vobis? poſtulat id ejusdem, quod mihi Vobiſcum eſt, Collegii neceſſitudo, atque ea inde vitæ ſocietas, qua major eſſe non poſſit inter eos easve, quos quasve ex perpetua & individua conſuetudine *vitæ Socios Sociasque* appellamus. Magnam partem ſolidi diei una tranſigimus, invicem adſidemus, idem ſaxum volvimus. Sed parum eſſet ita conjungi, ſi Nos disjungerent partium ſtudia, &, quæ ſæpe inter Pares ſunt, ſimultates, jurgia, rixæ. Utque hæc infamia ab omnibus Judicibus abeſſe debet, ita certe ab his, qui vice ſacra judicant; ita Vos cenſetis, ita ego quoque cenſeo. Quare ipſa amicitiæ ratio mihi imperavit, ut Vos hic adirem, & hoc qualicunque amicitiæ officio fungerer. Bona fide adfirmem, me, ex quo Collegio veſtro ſum additus,

Vobiſcum vixiſſe ſine fraude, ſine jurgio, vixiſſe nemini, quod ſciam, gravem, ſed & neminem mihi: abeſt a Nobis, et abeſſe debet, moroſum & difficile ingenium, quod conſilia, ſententias, & amicitiam turbare poſſit. Et, quamvis diſſentiamus, in eo conſentimus omnes, ut Jus ſuum cuique tribuatur; libertatem ſententiæ dicendæ ferimus quisque, & amamus, & ſervamus; gnari, Juri apud Nos dicundo Ordines Decemviros conſtituiſſe, & voluiſſe, ut ex plurium ſententia valeret, quod agitur; gnari, periculoſæ plenum opus aleæ eſſe, ſi penes unum ſit ſumma judicandi poteſtas, vel, pluribus in eam rem conſtitutis, unus tamen ſit inſtar omnium; gnari denique, vel prudentiſſimum, & ſapientiſſimum quemque nonnunquam falli, nec inter Nos eſſe, qui non aliquando ſe lapſum meminerit: utque adeo nemo tantum ſibi tribuat, ut, quod ſibi ſoli placet, id demum verum & rectum eſſe exiſtimet. Expedit bono publico, ad Rempublicam non adhiberi eos homines, qui aliorum ſententias, ubi a ſua diſcrepant, continuo inſectantur opprobriis, contumeliis, conviciis, non alia cauſa irritati, quam quod alius alia mente ſit, perpetui ſcilicet Dictatores in Republica Eruditorum. Hoc nomine ſemper habita fuit infamis natio Grammaticorum, ab humanitate alieni, dum *humanitatis ſtudia* tractant; ſed non magis id miremur, quam hac parte Grammaticis non cedere, qui pietatem, charitatem, animi manſuetudinem, & reliqua Viri boni officia, in vulgus profitentur. Niſi ſtatim hic pedibus eas in ſuam cujusque ſententiam, ſtultitiæ, vel malevolentiæ notam non evadas. JCtorum, utique Veterum, ſemper præcipua laus fuit, *modeſtia:* illi quidem, quod ſibi videtur, ex animi ſui ſententia reſpondent, ſed meliora docti audiunt, & ſi minus ante ſapuerunt, reſipiſcunt. Labeo noſter, in Senatus lectione, ſententiæ ſuæ libertatem adverſus ipſum Auguſtum magno animo defendebat, hoc ſuperdicto: *ſuum quemque judicium habere:* & ſic oportebat. Papinianum noſtrum mente ſolida non dejecit vultus & gladius inſtantis Tyranni; nec tamen minus eum, aliter quondam opinatum in contrarium vocaſſe legimus veriorem Sabini ſententiam. & ſic quoque oportebat.

Hanc Veterum gloriam, quam eſtis fide & integritate in Jure dicundo, Vos æmulari impenſe gratulor Jurisprudentiæ & Curiæ, gratulor Civium noſtrorum vitæ, fortunæ, exiſtimationi. Et Vos, qua potero, ſequar, quamvis non paſſibus æquis: ſola diligentia me vinci non patiar. Si vel in his ipſis, quæ nunc edo, a Vobis aliquando diſſenſerim, feretis me æquo animo, id eſt, eo, quo, ut dixi, & alias diſſentientem ferre ſoletis. Non recuſo Vos Judices & arbitros *harum Obſervationum*, quin potius eligo, & vel ideo Vobis commendo. Scio, quam Vobis cordi & curæ ſit Jurisprudentia Romana, & quod de his rebus, quas hic ago, etiam de plano poſſitis pronuntiare. Si id ſcirent, vel animo adverterent, quos ſua vel Parentum vota ad cauſas agendas deſtinant, non tam cruda ſtudia in forum propellerent, erubeſcerent potius verba facere ad Senatum, cujus continuo eſſet ſupplere, quæ deſunt Advocatis partium. Et quid ni ſciant & animo advertant, qui didicerunt ex Papiniano noſtro, ut hunc iterum ad partes vocem, facti quidem quæſtionem in arbitrio eſſe judicantis, ſed reliqua auctoritati Legis reſervari? Et Legum in primis religio eſt, quæ Vos tenet, paratos Jus non ferre, ſed dicere; & unde niſi ex Legibus? & quibus, niſi Romanis aut Patriis? eam vero Juris Patrii anguſtiam eſſe, ut, niſi decurri poſſet ad Jus Romanum, qua fontem publici privatique Juris, pede incerto ſusque deque vagaremur, Vos, Ampliſſimi Graviſſimique Viri, ipſo uſu obſervaſtis, certi etiam, nequidem Leges Patrias recte intelligi, niſi ex Romanis. Quomodocunque alii Judices in animum inducant ſuum, veſtra ea laus eſt, ex formula Jurisjurandi, quod præſtitiſtis, Leges ſervare, Legibus poteſtatem veſtram circumſcribere, &, ubi illæ præſto ſunt, procul habere lubricum & dominans illud Judicis arbitrium, belluam illam multorum capitum. Quumque id præſtari & obtineri ne-

nequeat, niſi ex prudentia Juris Romani, ſemper exiſtimavi, non tralatitiam, ut vulgo, ei Juri dandam eſſe operam, ſed magis ſubactam & ſolidam, quæque abſolvere poſſet ab objurgatione Quinti Mucii, turpe videlicet eſſe, cauſas non oranti, ſed, quod magis eſt, judicanti, Jus, in quo verſaretur, ignorare.

Quid ea in re præſtiterim *his Obſervationibus*, veſtrum erit judicare, ſed benigno, ut ſoletis, animo. Certum eſt, me non aliter ſcripſiſſe, quam ſolent occupatiſſimi; Vos enim, ut qui optime, noviſtis, quid Vobis, quid mihi oneris incumbat quotidiani. Semper mihi primo loco fuerunt, ut eſſe debent, occupationes Curiæ, ab his reverſus, & mihi, ut ita dicam, redditus, in his deliciis Juris Romani verſatus ſum utili & dulci otio. Si Vobis & paucis aliis placuero, operæ pretium me tuliſſe putabo. Valete Viri Ampliſſimi Graviſſimique, & bono publico diu vivite ſuperſtites. ſic volo, ſic fiat! Hagæ Batavorum X. Calend. Auguſti MDCCIX.

AD LECTOREM.

Juris Romani ſapientia, quamvis a Viris laudatis non toties totiesque eſſet laudata, & vindicata ab injuriis iniquſſimorum hominum, hoc ipſo ſatis ſe oſtenderet, quod ſponte ſe his Legibus ſubmiſerit, hodieque ſubmittat, quicquid moratiorum ubique Gentium eſt. Si putes, ſuperbe dixiſſe Craſſum apud Ciceronem *de Oratore*, *Libro primo*; *incredibile eſſe*, *quam ſit omne Jus Civile*, *præter hoc noſtrum*, *inconditum ac pene ridiculum*, memineris tamen, dixiſſe, quod res eſt, etiam præſagio futuri ſæculi. Igitur, poſtquam depulſa barbarie, in mores hominesque tranſiit poſterior Ætas, hoc Jus Civitate ſua certatim quique Principes donarunt, & in Rebus judicandis obſervari juſſerunt. In Hollandia veterem eſſe Juris Romani obſervationem vulgo percrebuit; & vel ab Antonino Pio, vel ab Juſtiniano, vel certe ab Wilelmo, Hollandiæ Principe, video Hollandos arceſſere, ſed nulla plane auctoritate. Ego vix putem, aliquam in Hollandia ejus Juris fuiſſe auctoritatem ante Carolum Audacem; *Juris ſcripti* ſervandi meminit §. 42. *Formæ*, quam ipſe Curiæ præſcripſit 4. Sept. 1462. nec ante, quod ſciam, ulla ejus Juris mentio in monumentis, quæ ad Jus pertinent. Antiquiores Hollandorum Comitum Conſtitutiones, ubi de Jure dicundo agitur, non niſi de *Privilegiis & Conſuetudinibus* loquuntur: quin ſunt, quæ Judices duntaxat judicare jubent ex Jure Hollandico, eoque deficiente, ex arbitrio ſuo, ſive, ut loqui tunc amabant, *ſecundum quinque ſenſus ſuos*. Nunc autem Jus Romanum, ut Jus commune, eſſe receptum, multæ poſteriorum Principum, Caroli in primis V. & Philippi II. multæ item Ordinum Hollandiæ Leges ſignificant, palam enim, deficientibus Legibus propriis, remittunt ad *Jus ſcriptum* vel *commune*, quo utroque Romanum Civile intelligi certum eſt. Atque ita, ni fallor, ſervat utraque Curia, niſi vel manifeſta Reipublicæ ratio, vel perpetuæ conſuetudinis auctoritas obſtet.

Leges autem propriæ quam in plurimis deficiant, ipſi ſciunt & fatentur, qui vel maxime Juris Patrii Conſulti cluent. Excute Comitum & Ordinum Edicta, Decreta, Reſcripta, excute Privilegia, Statuta locorum, Conſuetudines, & oberrabis ſæpe incertior, quam dudum. Quotusquisque caſus eſt, quem in his fruſtra quæras, quemque non definias, niſi adhibitis regulis Juris Romani. Et quam vagum, incertum, obſcurum eſt, quicquid fere eſt Juris Patrii? quam patet prolixis diſputationibus? idem ſi ajas de Jure Romano, factum puta vitio eorum, qui abutuntur arte pulcherrima: male utentibus, etiam utiliſſima Generi humano elementa, ignis & unda nocent. Ubi vero ſilent Leges Patriæ; cedo mihi, quid ſuccedat, niſi Romanæ? at vetat ignorantia Juris optimi. Paucis exceptis, quos æquus amavit Jupiter, ita nunc fere in forum prodeunt togati Patres, ut Jurisprudentiam Romanam non didiciſſe, ſed in ejus perniciem conſpiraſſe credas. Quo fit, ut adhibiti ſubſelliis Judicum, non niſi de *æquitate* pronuntient, omiſſa ea, quam ſcriptam habemus in Jure Civili, ignari vel immemores, Judices ſe eſſe, non Legiſlatores, & nunquam magis periclitari opes hominum, quam ſi Jurisprudentia cerebrina occupaverit judicia, ſi non ex Jure, ſed ex arbitrio, lubrico illo & incerto, manus conſeratur. De *æquitate* ſi omnibus una mens eſſet, fruſtra fuiſſet Leges ſcribere, ſed quia Mævio æquum videtur, quod Titio iniquum, diſſentientibus ſupervenit Legis auctoritas: absque ea ſi ſit, tunc demum arbitrii partes erunt, tunc prudentiæ, argumentis Legum uti, & vel minimum ſibi tribuere. Sed quid Leges ſequantur, quas ignorant? vel ſibi & arbitrio ſuo blandientes negligunt? ſic fere ſolent, qui Jurisdictioni præſunt. Qui autem cauſas agunt, morbo jactantur eodem; Rabulæ magnam partem, non JCti, ſatis ſe ſuo officio functos rati, ſi Judiciorum formulas usquequaque obſervent, & ſapiant ex auctoritate ſemicrudi alicujus Doctoris, addita

forte,

forte, quæ male convenit, regula Juris. Illi, ſi ipſos fontes, limpidiſſimos, ſaluberrimos, non deſeruiſſent, preſſius ſaperent, & ſaperent ſuo ingenio, neglectis iis, quorum auctoritas ſine auctoritate Legis nulla eſt.

Ego ſemper exiſtimavi, Jurisprudentiam Romanam, maſculam illam & ſolidam, in quovis foro præſtare certiſſimas Juris dicendi regulas, nec, uſu edoctus, adhuc muto ſententiam. Tanti revera hæc eſt, & tanti habetur a viris egregie cordatis, ut in cauſis orandis judicandisve eam polluere religioni ducant. Ut autem maſcula & ſolida ſit, ne putemus ſufficere, ſumma Legum capita noviſſe, niſi ex aſſe ſimus JCti, & omnes boni Interpretis partes expleamus. Priſca Gens Doctorum, ſi verum amamus, in eruendis, pertinaci ſtudio, Legum ſenſibus plus præſtitit, quam noſtri, vel præteriti ſæculi homines. Liquet id ex Accurſio, & qui Accurſio antiquiores ſunt, liquet ex Bartolo, Baldo, utroque Fulgoſio, Jaſone, Caſtrenſe, & qui porro Sancti Patres in Jurisprudentia habentur. Quæ in his damnamus & ridemus, fere ſæculi vitia ſunt. Cæterum antiquos illos Magiſtros habeamus ſuo loco & pretio, & ſciamus, novos, etiam præcipuæ dignationis, ſæpe docere, quæ ab iis didicerunt. Adderem exempla, niſi invidiæ eſſent, & plura occupaſſet Albericus Gentilis *Dialogo de Juris Interpretibus*, in *Antipatro*. Poſterior ætas attulit elegantiores literas, hiſtoriam Juris, fata Jurisprudentiæ Romanæ & Græcæ, Fragmenta veteris Ævi, Baſilica, Theophilum, Harmenopulum, Inſcriptiones Legum, Subſcriptiones item in Codice, Lectionum varietates, &, ut uno verbo abſolvam, *Criticam* attulit, ſine qua non eſt, qui perfecte ſapiat in ulla arte. Criticam quam latiſſime patere, nec eam ſolam eſſe, quæ Auctores emendet, quamvis non diceret Joſephus Scaliger L. IV. *Epiſt.* 451. ſatis probaret Criticorum opera, prolixe ſemper in ſtudio Sapientiæ collocata. Neque tamen inficior, eam Critices partem, quæ in emendandis auctoribus verſatur, longe nobiliſſimam, & difficillimam eſſe, nam, cum emendationis ſit, *adjicere*, *detrahere*, *mutare*, ut Quintilianus eſſe dixit L. X. *Inſtit.* C. 4. quis recte eo accedat, niſi qui ſubacti ſit ingenii & judicii, qui res ipſas, de quibus agitur, probe noverit, ad ſingula quæque attentus, quique iis artis ſuæ ſubſidiis ſit inſtructus, ſine quibus de emendatione pronunciare temerarium eſſet.

Ea quum ſit Critices magnitudo & difficultas, pauciſſimos omni ævo vere Criticos fuiſſe, vel etiamnum eſſe, non magis miror, quam quod Cicero ait, ob magnitudinem & difficultatem artis paucos ſemper Oratores exſtitiſſe. Sed &, quod pauci eo adſurgant, inviſa forte plurimis Critica, &, quod ignota, ſuſpecta ſtatim quævis emendandi ratio. Non eſt tamen, ut apud Viros doctos verba faciam de neceſſitate & utilitate artis pulcherrimæ, ne indocti quidem eam, quæ in emendandis Auctoribus occupatur, bona fide negaturi ſunt, niſi vel in Veterum monumentis loca corrupta ſupereſſe negent, vel hæc, quomodocunque ſint, ſervanda putent. Ipſi Auctores non ita ſemper ſcribendo operi erant intenti, quin calamus aliquando aberraverit, non magis olim, quam nunc, remoti a vitio fragilitatis humanæ. Et quam larga mendorum materies a Librariis, vel dictantibus, vel ſcribentibus? quicquid enim ex Antiquitate ſupereſt, manu fuiſſe ſcriptum, atque ita per aliquot ſæcula propagatum, non eſt, qui neſcit, ullus. Quumque vel diligentiſſimi quique labantur in deſcribendo ſuo vel aliorum opere, hos homines erraſſe non putabis, qui ei rei operas mercenarias, vel voce, vel calamo locabant? qui eſurientes feſtinabant, ut pretio operæ ſuæ potirentur? qui, vel gnari ſe erraſſe, errorem non mutabant, ne ob deformitatem operis pretio quid decederet? qui denique omnium rerum fere imperiti erant, nedum harum, quas ſcribendas excipiebant? ſane hos, ſi erraſſe neges, Deos facis, non homines. Quam autem noceant errores, non emendati, inde ſcire licet, quod de ſententia non conſtet, niſi ex verbis, neque adeo, verbis male habitis, de Auctoris mente tuto decernamus. Rem dixit Franciſcus Robortellus Libello, quem ſcripſit *de Arte, ſive ratione corrigendi Antiquorum Libros: Magnam*, inquit, *utilitatem afferunt hominibus, qui Veterum Libros emendant; cum enim res verbis ſignificentur, rem ſæpe ignores neceſſe eſt, ſi verba corrupta ſunt, ignoratio autem rei quantum damni attulerit, quis eſt, qui non videat, in maximis præſertim Diſciplinis.* Sed quum, ut mox ait, non cujusvis ſit præſtare emendationes, ſed in eam rem deſiderentur, quæ facile abſunt ab his, qui etiam nomen aliquod in literis adepti ſunt, hinc fere comtemptus artis utiliſſimæ.

Ut vero commune eſt id Scribarum vitium, omnes omnino Libros, etiam ſacros, infeciſſe omnino largiendum eſt. Certe in Jure Civili deſcribendo plus ſemel manu

pec-

peccatum eſſe, teſtem habeo ipſum illum, optimæ notæ, Codicem Florentinum, plura enim ibi eſſe, quæ manifeſte corrupta ſunt, & quorum vel nulla plane ſententia eſt, vel non idonea, argumento eſſe poterit vel una *l.* 7. §. 1. *ff. de Capt. & poſtlim. rev.* alias adderem, niſi nemo dubitaret. Quin majus eſſe mendorum fatum in Auctoribus noſtris, quam aliis, ex promiſcuo uſu licet colligere: quo plus enim frequentabantur Libri Juris, eo plus deſcribebantur, & ex continua deſcriptione vitiorum major numerus. Quamvis autem opera, quæ aliis Auctoribus navatur, purgandis ſcripturæ vitiis, oppido ſit laudanda, laudanda tamen magis eſt, quæ navatur Juri Civili: in aliis Auctoribus corruptis perditur ſententiæ & fere ſolus nitor, hic ſæpe perditur res & fortuna hominis; aliud quippe Juris eſſe poterit, ſi hoc, quam ſi illo modo fuerit ſcriptum.

Sed quia vix perſuaſerint rationes, quæ non pertinent πρὸς τὰ ἄλφιτα, neve in poſterum exiſtimemus, hanc quantacunque eſt, emendandi artem Scholis exercendis ſufficere, cætera inutilem eſſe, ecce ejus uſum, quem in medio foro expertus ſum. Sempronius, cujus ex juſta cauſa intererat, contra Mævium ad exhibendum agit apud Senatum: Mævius excipit, Sempronium non *dicere argumenta rei, de qua agitur*, idque oportere ex Ulpiano defendit *l.* 3. *pr. ff. Ad Exhib.* Ad hæc Sempronius: multas quidem eſſe cauſas ad exhibendum agendi *l.* 3. §. 1. *ff. eod. Tit.* maxime tamen *propter vindicationes* hanc actionem eſſe inductam, quo rei, de qua acturi ſumus, poteſtas & copia fiat *l.* 1. & 2. *ff. eod. Tit.* Atque hac etiam, non alia fine ſe ad exhibendum agere, deſignaturus tunc rem, ubi, poſt exhibitionem, vindicaturus eſt *l.* 6. *ff. de Rei Vindic.* ut nunc deſignet, deſcribat, & dicat argumenta rei, fruſtra exigi, nam, ut id fieri poſſit, ideo vero ad exhibendum agi. Senatus 7. Febr. 1705. ſecundum Sempronium litem dedit; & omnino recte. Sed tamen obſtabat auctoritas *d. l.* 3. *pr. In hac actione*, inquit Ulpianus, *actor omnia noſſe debet, & dicere argumenta rei, de qua agitur.* Ego, rogatus ſententiam, reſpondebam, multa ab Interpretibus ne quicquam adferri ad *d. l.* 1. *pr.* ſed locum omnino mendoſum videri; una autem litera facile reſtitui, ſi pro *dicere* legamus *diſcere.* Quo Ulpianus ſignificet, ejus actionis hanc cauſam eſſe, ut actor *omnia noſſe debeat, &* DISCERE *argumenta rei, de qua agitur.* In Rei vindicatione *dicere* debet argumenta rei, hic, *diſcere*, ut ibi dicat. Ni moroſi ſimus, ſequemur, quod res poſtulat. Atque ita *d. l.* 3. *pr.* dudum emendaveram in *Adverſariis*, ignarus tunc, eſſe libros, qui ita exhibeant. Poſtquam vero id notatum vidi in margine Editionis apud Sennetonios, Lugduni 1549. amplius de ea Lectione dubitandum non credidi. Vides interim, quam utilitatem, etiam præſentem, habeat cura emendandi, & quanto in cauſis agendis & judicandis ſubſidio eſſe queat. Habeat igitur laudem, ut cætera, quæ panem habent.

Quamvis autem a me tanti fiat Critica, quæ Auctores emendat, quanti a quovis alio; negare tamen nolim, ipſos Criticos, ſua arte turpiter abuſos, plura forte vulnera & cicatrices bonis Auctoribus intuliſſe, quam ſuſtuliſſe. Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis ſint Criticorum cruentatæ ſæpe manus, nemo eſt, qui neſciat: quo plus audent, eo plus audere pergunt, ſcindentes, urentes, ſecantes, quicquid cerebello ſuo non placet. Hinc odium artis, quod hominum eſſe debebat. De exteris ut nihil dicam, quam in Auctoribus noſtris ſæpe nulla religione verſatus eſt vel unus Antonius Faber, falce critica in optimos quoſque graſſatus, ſusque deque omnia vertens. Quod ſi licuerit, vide, quam periclitentur opes hominum; Leges figere atque refigere ſi in manu ſit Critici, continuo ejus erit, de Rhetore facere Conſulem, & rurſus de Conſule Rhetorem. Quare nullius ego emendationis unquam auctor ſim, niſi de *neceſſitate*, & de *modeſtia* conſtet. Neceſſitatem appello, quum, ut recepta eſt lectio, plane nequeat defendi: ſive luxatis & corruptis verbis, quorum nulla, vel non idonea eſt ſententia, vel quæ manifeſte obſtat reliquis capitibus Juris. Et in his magna cautione opus eſt, ne temere ſcilicet, quæ ſana ſunt, male ſana eſſe credamus: quin potius ſumma ope nitendum, ut invidiam emendationis apta interpretatione fugiamus, gnari, magnam rationem eſſe, quæ facit pro recepta Lectione: τὸ ἀκίνητον ἄμεινον. Sin autem, omnibus probe recte excuſſis, ad emendationem neceſſario decurrendum ſit, in primis *modeſtiam* deſidero: nec, ſi me audias, modeſta erit, niſi, utraque lectione collata, probabile & proclive vitium doceat Criticus. Qua fronte alioquin ſibi tantum arroget? quem colorem dicat rei inviſæ? ſi dicat una litera peccatum, ſi duabus, adhuc non intercedo, ſi interpunctione, ſi trajectione verborum, ſi geminatione, & de neceſſitate conſtet, me judicem habebit æquum. Sed brutam criſin, ut qui maxime, deteſtor.

Par-

Particulam, quam *ſalutarem* vocant, addere, demere, totos verſiculos ejicere, alios reſcribere, quas libet notas fingere, Gloſſemata continuo increpare, quavis denique ratione ferro medicinam quærere, id demum mihi videtur exemplo grave eſſe. Nunquam ego hos Criticos ſequar via tam lubrica, ut qui ſciam, ab una *particula ſalutari* pendere quandoque ſalutem hominis, & ea addita Titio deberi, quod nunc, ſi Legem ſequamur, deberetur Mævio. Audio tamen vim majorem excuſari, quia aliter magnas difficultates expedire non licet; ſed cur ſe iis objiciant, ſcire velim, qui remediis pares non ſunt. Præſtat utique ignorantiam fateri, & felicioribus poſthac ingeniis cedere, quam promiſcue, & nulla religione, in quasvis Leges irruere. Quicquid aliis videatur, mihi ſemper placuit, quod apud Ant. Auguſtinum lego *L. I. Emend. C.* 3. *in fin. Hic ipſe*, inquit, *noſtrarum opinionum amor, quam Græci φιλαυτίαν appellant, has tantas diſcordias & varietates creavit: cum ea, quæ nos fateri pudet ignorare, mendoſa eſſe exiſtimamus.* Ut verbo dicam, non eſt pronuntiandum de emendationibus, niſi ſero demum, & caute. Ubi par aut potior eſt cauſa receptæ Lectionis, ea ſemper vincet, ubi nulla ejus tuendæ ratio ſupereſt, etiam tunc abſtinere velim Criticos, niſi ſola modeſtia ſe commendent, & de rebus graviſſimis non decernant, niſi prudenter, & pronis in errores vocibus. Qui aliter inſtituunt, certum eſt, Jurisprudentiæ magis obeſſe, quam prodeſſe, & artem, cum neceſſariam, tum utilem exponere ludibrio publico.

Ex his, puto, intelliges, duo eſſe hominum genera, a quibus peræque cavendum eſt. Alterum eſt truculentum illud, & audax, & noxium, de quo proxime dixi, alterum nimis verecundum, &, pæne dixerim, ſuperſtitioſum, quod omnem Criticam, & quicquid eſt emendationum, infenſiſſime perſequitur, & gravi ſupercilio damnat, quod mavult aliena & abſurda quæque comminiſci, quin vel manifeſtos errores mordicus tueri, quam vel tantillum mutare, & leviſſima manu premere veſtigia veteris Scripturæ. Mihi ſedet luxuriantia ingenia comprimere, & ſimul inaneis ſcrupulos eximere animis hominum. Falleris tamen, ſi hic a me exſpectes regulas emendandi, non eſt unius hominis has præſcribere in quavis arte; tam late patet eruditio, tam diſtincti ſunt eruditionis cujusque fines, ut arrogantiæ ſit, docere artis, quam non didiceris, reconditam ſapientiam. Facile equidem eſt de omne genus Criticis Leges quasdam proponere, ut eleganter & acute propoſuit Juſtus Lipſius, *Satyra Menippæa*, in *SCto*, quod *de Criticis* perſcripſit, nemine intercedente; ſed difficile, hæc ſacra tractare in reconditioribus cujusque Diſciplinæ. Ne quidem id auſim præſtare in ipſa Jurisprudentia, quam ſolam profiteor; ſcio enim, quam lubrica ſit Legum Criticarum definitio, quam prudentiſſimos quosque fallat, & quam ſæpe ipſi illi fallantur, qui has, quaſi ex tripode, dictant. Artem emendandi regulis & præceptis comprehendere difficillimum eſt, ſed his ſolis, quæ præſcribas, regere & coërcere felicia ingenia, temerarium, at vero impium, has Leges criticas, ſine ullo Populi ſuffragio, ceu certas & indubitatas proponere, & ex iis Jus dicere. Incerta hic ſunt omnia; de ipſa regula ſæpe licet dubitare, & ſemper licet, an ea regula conveniat loco, quo de agitur. Nemo ea, quæ in emendandis Legibus præſtitit, vera eſſe dixerit, & modeſtus erit; ſufficit, ſi ſint ſimilia veri; conjecturis hic agitur, neque Mathematicis, quas vocant, demonſtrationibus locus ullus eſt; qui melius conjecerit, optimus vates eſt: an corruptus Auctor hoc vel illo modo ſcripſerit, utique facti quæſtio eſt, quam quis arbiter tuto definiverit? Addo in re Critica quandam eſſe quaſi ingeniorum felicitatem, quæ, etiam Legibus ſoluta, emergit, dum alii, etiam profunde eruditi, quique non emendant niſi ex formula, magnis tamen excidunt auſis.

Quod non eo dictum velim, ut promiſcue accingamur ad emendationes. Franc. Robortellus, quique alii artem Criticam docuerunt, recte monuiſſe videntur, ne quis de emendationibus, aut emendandi Legibus decernat, niſi Auctorum, quos emendare conſtituit, Libros antiquiſſimos, manu vel typis deſcriptos, diligenter conſuluerit, & viderit, an non ope & auctoritate potius alicujus Libri, quam ex ingenio mendoſa reſtituat. Illa ratio certior & tutior eſt, hæc magis lubrica, *præſertim*, ut recte dixit Lipſius *d. Satyr. Menipp. quum in eam audaces & temerarii adoleſcentes inciderint, aut adoleſcentium ſimiles ſenes.* In Jure noſtro præſertim ea de Libris antiquis cautio neceſſaria eſt: nam ſi quis ibi cum fructu quid conari velit in re Critica, oportet ei ad manum ſint Codices MSS. aut certe veterum Editionum, in primis ante Florentinam, copia, quæ haberi poteſt, maxima. Sine his nemini poterit conſtare ſolida emendandi ratio, quia verum eſt, iis auxiliis ſæpe reſtitui, quæ nunc apud ipſum Taurellium corrupta leguntur; quin hæc ſæpe Lectiones ſuggerunt, quas, velut emendationes ſuas, nobis obtrudit Criticorum natio, vel ſubdola, vel ignava. In ipſo Cujacio id ſæpiſſime depre-

hendi, & dabo exempla *his Obſervationibus.* Ab aliis in hanc partem largius peccatum eſt, compoſitis Libellis Criticis, qui, quicquid boni habent, id vero variarum Lectionum eſt. At audio, imprudentiæ hæc vitia eſſe, non mali animi, excidiſſe ea, non inſpectis Libris antiquis, quin nec ſibi eorum copiam eſſe; ſed quis ferat, in Jure noſtro ad rem Criticam animum appellere, qui Artis ſuæ ſubſidiis deſtitutus eſt? vel id ſibi negotii dari non putat, ut conſultis demum Libris ferat ſententiam? ut nihil quicquam ſtatuat, niſi Baſilicis quoque ſententiam rogatis, & adhibito Jurisprudentiæ Græcæ reliquo apparatu? Niſi ita ſapiamus, ſolide non ſapimus.

Hæc præfari placuit, ut ſcias, Lector, quo animo acceſſerim ad has, quas edo *Obſervationes Juris Romani.* Expoſui ſupra, ſtudium, quo feror erga Jus Romanum, poſtulare a me ipſam muneris mei rationem; ſed me non invitum trahit ducitve: dudum eſt, ex quo animum meum occupavit & rapuit Juris elegantia, gravitas, majeſtas; & tantum abeſt, ut me in medio foro deſeruerit, ut contra potius tunc demum mihi videar res ſerias & ſolidas agere, quum fragmenta veterum JCtorum verſo, tunc otio recte uti & frui, quum in hæc amœniora diverto, tunc animum, forenſi opera feſſum, oblectare & reficere, quum his blanditiis murmura fori commuto. De Poëtis dixit Tullius, *ſuppeditare nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures convicio defeſſæ acquieſcant*, & de his ipſis Fabius, *velut attrita quotidiano actu forenſi ingenia, optime rerum talium blanditia reparari.* Idemque mihi de JCtis noſtris dicere liceat; certe ſi de me adfirmavero, dixero, quod res eſt.

Habes cauſam hujus Operis. De argumento nihil fere eſt, quod dicam; eſt id, ut eſſe ſolet Obſervationum, quæ ad Jus Romanum pertinent. Interpretatus ſum varias Leges, quæ videbantur interprete egere, varias Leges defendi ab injuriis petulantium Criticorum, varias ipſe emendavi, cum alia remedia non ſuppeterent. Nunc difficiliora, nunc amœniora ſelegi, grata varietate. Solent aliquando Interpretes frequentem Senatum habere ad eas Leges, quæ vix egent interprete, & rurſus ſolent facili, imo nullo negotio transmittere cruces & dignos vindice nodos: plurima ſane, ab aliis transmiſſa, explicanda vel emendanda cenſui. In emendationibus nihil, quod ſciam, eſt, quod antiquis Libris aut variis Lectionibus debetur; ſi quid ejus rei eſt, mihi non tribuo, ſed moneo Lectorem: bonam fidem ſemper agnoſces. Et potui facilius monere, quia certum eſt, in vetuſtiſſimis, præter Codicem MS. Editionibus comparandis me ſatis diligentem & beatum fuiſſe; neque etiam, niſi ſingulis excuſſis, de emendationibus ſoleo pronunciare. Flores & elegantiores literas non ita aſperſi, quin ſemper potiorem habuerim Jurisprudentiæ cauſam, priſcos in eo Magiſtros æmulatus. Quæ Critica ſunt, cavi, ne ſterilia eſſent: niſi enim alia accedant, per ſe ſterilis eſt omnis Critica. Auctores parcius laudavi, quia non amo, qui gregatim paſcuntur, ac ipſi nihil quicquam bonæ frugis præſtant. Potuiſſem plurima addere ex Obſervationibus fori, ſed, ex veteri præcepto, Titulum relegens abſtinui, ratus quoque, ejus conſilii diſtinctos eſſe fines.

Cur *Obſervationum* materies magis placuerit, quam perpetui Operis, inde ſcies, quod alia me ſemper alio vocaverint. Occupatis hominibus ea cura eſt, ut paucis ſingula abſolvant, & ad alia novi redeant. Quod ajunt, arduæ in primis & difficilis operæ eſſe *Obſervationes* ſcribere, nunquam mihi perſuaderi potuit; nemo unus eſt, qui literis nomen dedit, quin legat & obſervet quotidie. Nec quisquam, paulo accuratior, legerit Jus Civile, quin plura ſit obſervaturus, quæ aliorum fugerunt induſtriam: hæc ſcribit, ſi tanti ſint, & ſi præcipua eſſe ſciverit, alia, de quibus adhuc non liquet, facile eſt tranſire. Sic ex tumultuaria induſtria ſpiſſa tamen creſcunt Adverſaria, quæ excutere, & optima quæque ſeligere, vix operæ eſſe videtur. Ita ſane mihi natæ ſunt *hæ Obſervationes*, habes enim eas, ut ex Adverſariis excerpſi, interpolatas tamen curis ſecundis, quo magis decore prodeant in publicum: pleraque tamen ſunt priſtinæ, non crudæ diligentiæ, preſſa, quod ille monet, in annum nonum, & quod excedit. Ordinem fere non alium ſecutus ſum, quam quo ſingulæ *Obſervationes* in Adverſariis erant digeſtæ: perinde enim eſt in hoc genus Opere, quo quæque loco dicantur, cum ſingula per ſe ſubſiſtant. Capitibus non præſcripſi prolixa & ambitioſa argumenta, nam ex more Veterum τὸ ἁπλούστερον, σαφέστερον: neque etiam id erat opus, cum Index ſatis accurate exponat, quid quoque loco agatur.

Sic juſſiſſem te valere, Lector, niſi repetendum videretur, quod & aliis Opuſculis, quæ publico dedi, profeſſus ſum, nihil me data opera ſcripſiſſe, quod ante me occupavit

alius

alius. Data, inquam, opera; caſu enim, conſpirantibus ingeniis, id fieri nemini fraudi eſſe debet. At quis hæc, inquies, dignoſcat? dicam, ex Auctore, qui ſcripſit. Obſervavi aliquoties, alios Cujacium præveniſſe, etiam in illis, quæ vulgo ei, ut primo Auctori, ut nova ſingularia, tribuuntur; attamen in Cujacio hæc ferre oportet æquo animo, & ne furti quidem ſuſpicionem movere. Cujacii nihil intererat, unam forte aut alteram Obſervationem perire, tantum illi cornu erat copiæ. Sed ea furti ſuſpicio non ceſſaverit in his, qui non ſolent ſapere, niſi ex alieno ingenio, qui volunt videri docti, & non ſunt, qui denique mediocritatis ſuæ ſibi non conſcii, ſuperbius ſe efferunt, & quamvis rationem, qua ſe oſtendant, honeſtam ducunt. Cæteroquin & erudititiſſimus quisque rem, quæ facti eſt, facile ignoret. Sin ajas, primo legendum, deinde ſcribendum eſſe, excutiendos eſſe Auctores improbo labore, pertinaci ſtudio, recte ais, ſed qui ante nos noſtra dixerunt, obſcuri ſæpe latent, vix nomine noti, &, ſi vel hilarioris famæ ſint, dixerunt ſæpe loco alieno & fugitivo; ut ne diligentiam quidem ejus accuſare poſſis, qui ſuo quæque loco quærit: & tunc parata venia eſt. Sed quod apud Auctores tralatitii uſus, quod ſuo loco occurrit, id vero ignorare non licet, neque adeo, vel bona fide, edere, tanquam ex Obſervatione propria; culpa hæc lata eſt, dolo proxima, nec quisquam te abſolvat. Ita tamen vivitur aliquando, ita ſcribitur, & in his vibia varam ſequitur. Quamvis autem in illis omnibus hanc mihi legem dixerim, ut culpam leviſſimam præſtare velim, tamen non negem, me ſæpius, tanquam ex penu mea obſervaſſe & emendaſſe, quæ vel in antiquis Editionibus vel apud alios Auctores deinde reperi. Quin & hujusmodi quædam his ipſis *Obſervationibus* deſtinaveram & paraveram. Sed continuo ea delevi, etiam tunc, cum alia Lectionis vel Obſervationis argumenta ſuppeterent, tanti non eſſe ratus, rationes adferre rei, quæ ipſa mihi intercidit. Si quæ tamen adhuc offendas in his *Obſervationibus*, ab aliis alibi ſcripta, mox pro non ſcriptis haberi velim, &, ſi per te liceat, Lector, duntaxat abſolvi a fide mala. Duo irrepſerunt, de quibus malo monere, quam moneri; primum, quod obſervaverim *L.* III. *C.* 7. pro *Mæcilio* in *l.* 15. §. 1. *ff. de Quæſt.* reſcribendum eſſe *Cæcilio*, quum id jam obſervaverit Menagius *Amœnit. Jur. Civ. C.* XXII. Alterum, quod *L.* IV. *C.* 11. apud Hieronym. in *Chron. Euſeb.* pro *volutante* legerim *voluntate*, quum tamen *voluntate* exhibeat ipſa Scaligeri Editio, Amſterd. 1658. Utriusque cauſam habe: uſus ſum Menagii Edit. Pariſ. 1664. in qua id de *Mæcilio* & *Cæcilio* obſervatum non erat, acceſſit enim, ut nunc video, curis ſecundis Edit. Pariſ. 1677. Illud autem *volutante* apud Hieronym. in *Chron. Euſeb.* erat in Editione, qua ſola uſus ſum, Baſilienſi 1579. Omnes omnium Librorum Editiones habere & excutere nemini datum eſt: niſi quod, ut ſupra dicebam, ea cura fere JCtis danda ſit, priusquam de Libris Juris pronuncient. Ita, Lector, vale.



JO. GOTTL. HEINECCII
PRÆFATIO,

Quam Juris Romani obſervationum Libris IV prioribus, Lipſiæ editis, anno MDCCXXIII. præmiſerat.

LECTORI BENEVOLO.

S. P.

Ex quo ego cum elegantioribus litteris, in quibus me a puero non inficior mediocriter eſſe verſatum, Jurisprudentiam interiorem conjungere ſtudui: Statim mirifice adamare, ac veluti in oculis ferre cœpi Jureconſultorum humaniorum volumina, meaque intereſſe exiſtimavi, ut ea diurna nocturnaque verſarem manu. In primis autem exoſculatus ſum illuſtre, quod ætate noſtra illuxit, ingenium Cornelii van Bynkershoek, *JCti, & ſupremæ Hollandiæ, Zeelandiæ, & Weſtfriſiæ curiæ ampliſſimi Senatoris, cujus ego lucubrationes tam avide ſemper pervolutavi, ac ſi diuturnam veluti ſitim explere cuperem. Quamvis enim non ignorarem, alium eſſe eorum guſtum, quibus nihil, niſi quod Bartoli aut Baldi lucernam olet, ad palatum eſſe ſolet: ego tamen, meum ſequutus genium, alias mihi quæſivi delicias, easque in* Bynkershoekii *ſimiliumque ſcriptis abunde reperi, admiratus præcipue viri eruditiſſimi judicium acre, ingenium ſolers, juris ſcientiam inuſitatam, ac denique incredibilem, quo omnia ſua condire ſolet, cultum orationis. Nihil ſane ejus in operibus mihi ſe umquam obtulit, niſi exquiſitum, elegans, & cum cura penſitatum, nihil, quod jam ab aliis ſæpius dictum obſervatumque fuerit, nihil, unde non doctiores recedere poſſint meditationibus ſeverioribus adſueti. Equidem quod ad me attinet, tantum ex eorum lectione fructum cepi, quantum neſcio, an ex libellis pauciſſimis.*

Quum vero mea omnia cum auditoribus, quibus me dudum conſecravi, communicare ſoleam: facere non potui, quin doctiſſimi viri opuſcula atque obſervationes ſubinde collaudarem, commendaremque iis quam maxime. Sed doluerunt illi vicem ſuam, quod obſervationes iſtas exquiſitiſſimas ſæpe in tabernis fruſtra quærerent, aut repertas aliquanto majore pretio comparare tenerentur. Unde eo majorem ab omnibus accuratioribus jurisprudentiæ ſtudioſis gratiam initurum exiſtimo virum honeſtiſſimum, Ernest. Gottl. Krugium, *qui obſervationes iſtas ſuo ſumtu prælo reddidit, quo plures illas adhuc fruſtra quæſiviſſe novi. Mihi ſane perplacet conſilium, neque ei vetus illud:* σοφῶς, καλῶς, ἀγαθῶς *adclamare dubito. Quando quidem vero aliquid præfari juſſus ſum æterno operi: memor veteris adagii, quod vino vendibili hedera non opus eſſe dicit, nihil addam de celeberrimi auctoris ſingulari doctrina, ſed de inſigni artis criticæ in Jurisprudentia noſtra utilitate nonnulla, quæ mihi in mentem veniunt, lectoris cauſſa, commentabor.*

Duo ſcilicet ſunt hominum genera, jurisprudentiæ æque periculoſa; Alterum ὑπερκριτικῶν, *uti vocare ſoleo, qui veteres juris libros non aliter ac reliquos auctores tractant, & de Jurisprudentiæ nexu & uſu parum ſolliciti, nihil per omnem vitam agunt, quam ut urant, ſecent, legesque ſuo arbitrio fingant refingantve, jam ſyllabam nihil tale meritam expungentes, jam aliam temere admittentes in textum, quam tamquam peregrinam in loco non ſuo errare, unusquisque dejeraret. Alterum eorum, quibus omnis critica ſordet, quive, ſi quis vel litterulam in corpore iſto* Justinianeo *ſollicitet, ſtatim Quiritium fidem inclamant, & Hannibalem ante portas vagari, fremunt. Utrumque hominum genus dici non poteſt, quantum detrimenti adferat ſolidiori jurisprudentiæ. Si enim ita liceret falcem criticam in leges immittere, nihil ut ab illa relinquatur intactum, utque variantium lectionum farragines in immenſum accumulentur: quid quæſo certum in legibus noſtris ſuperfuturum putas? Quod forum non temerabit ille ingeniorum pruritus? Finge reum ſe lege tueri, eamque ipſis ſolis radiis ſcriptam eſſe. Quid tunc actor? Sane ſi hic in Cauſſidicum inciderit paullo ingenioſiorem, ſtatim textum illum in mendo cubare clamabit, & modo illum male interpunctum queretur, modo gloſſema in textum irrepſiſſe adſeverabit. Mutabit ergo verba pro lubitu, provocabit ad Codices neſcio quos, forſan & Cujacio, Charondæ, Haloandro, Taurello denunciabit teſtimonium, tantum ut legem illam clariſſimam actori eripiat. Quo vero demum Criticum iſtud bellum evadet, niſi ut litigantes ære emuncti, ex incertis fiant incertiores, & Judices, ſibi nondum liquere, identidem jurantes, demum ad authenticam principis interpretationem, tamquam ad oraculum confugiant? & hoc forſan in animo fuit* Justiniano *Auguſto, dum & ſiglis ſcribi corpus Juris, & Commentarios in illud fieri vetuit,* L. 2. §. 21. 22. *&* L. 3. §. 21, 22. C. de vet. jure enucl.

enucl. *Non enim omnes interpretationes, ſed παρερμηνευτικοὺς iſtos Commentarios præcipue prohibuiſſe Imperatorem, vel inde patet, quod paraphraſin ſatis liberam paullo poſt molitus eſt ille ipſe* THEOPHILUS, *quem concinnando corpori juris adhibitum a* JUSTINIANO *fuiſſe conſtat.*

At vero nec rectius conſuleretur jurisprudentiæ, ſi artem Criticam ex illa plane proſcribendam, & in ſolas grammaticorum umbras relegandam exiſtimaremus. Scire Leges, non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem, *inquit* CELSUS L. 17. D. de Legibus. *Hanc autem legum vim ac poteſtatem quis rite teneat, ſi ipſa earum verba numeris Platonicis obſcuriora ſint, & ſæpe certum ſenſum non fundant? Ejusmodi vero tenebris non poſſunt non veteres juris libri eſſe involuti. Pandectarum editiones omnes, quæ circumferuntur, ex Florentino illo canæ vetuſtatis codice manaſſe jam ab* ANTONIO AUGUSTINO Emendat. Libr. I. Cap. I. & FR. TAURELLO *in* præfat. pandect. Florent. *ipſoque* BYNKERSHOEKIO *in præfatione obſervationum demonſtratum eſt. Et tamen quot menda in ipſo illo codice deprehenduntur? quot locis a Florentina diſcedunt Editiones univerſæ? Inciderunt Juris noſtri libri in manus ſcribarum indoctiſſimorum, quibus, quod ſcriberent, non magis notum fuit, quam doctis aviculis, quod canunt. Inciderunt in manus gloſſatorum, qui nullis linguarum litterarumque præſidiis inſtructi, codices depravatiſſimos nec accurate emendabant, nec interpungebant ſcite. Inciderunt in manus typographorum parum diligentium, qui codices male ſcriptos, pejus exprimebant litteris plerumque minutiſſimis, & quæ emiſſitios correctorum oculos facile fugerent. Niſi ergo mera ſomniare prodigia velis, fatendum profecto erit, fieri non potuiſſe, quin multa in Jure noſtro ſint corrupta, disjecta ac pæne deſperata. Quid quæſo hic futurum, niſi ars critica pararet medicinam corruptaque integritati; disjecta loco ſuo, deſperata ſanitati priſtinæ reſtitueret? Neque exiſtimandum profecto otium poſteris feciſſe* ALCIATOS, AUGUSTINOS, CUJACIOS, CONTIOS, BUDÆOS, FABROS, VIGLIOS, *aliaque Jurisprudentiæ lumina. Majus eſt iſtud Augiæ ſtabulum, quam ut illi repurgando illorum induſtria ſuffecerit. Multa reliquerunt intacta, multa emendarunt parum feliciter, & ſæpe doctiſſimis iſtis hominibus accidit, quod medicis etiam peritis, qui nimia cura ex ægris faciunt valetudinarios. Similiter illi nimio emendandi vel ſtudio, vel pruritu, aliquando eo rem redegerunt, ut ipſe* JUSTINIANUS, *ſi redeat vix opus ſuum agniturus ſit, modo ne prorſus, uti alienum, repudiet, ſeu jam ſuo tempore conqueſtus eſt*, FRANC. HOTOMANUS *in Antitriboniano Cap.* XV. *opus ergo hodienum critica manu, quæ ulcera, his medicis intacta, ſanet, opus & altera, quæ male ſanata reſtituat in integrum. Utraque opera non magis carere poteſt Jurisprudentia, quam pharo, qui in tenebris navigant.*

Quum ergo utrobique ſubſit alea, ſive criticis ingeniis in jure omnia permittas, ſive nationem hanc omnem finibus artis exterminandam, diisque ſuis relinquendam iratis cenſeas: operæ ſane pretium fuerit, quibus legibus coërcenda ſit κρίσις illa, ne luxuriet, paullo adcuratius disquirere.

Primo itaque conceſſum mihi iri ſpero, tribus potiſſimum capitibus abſolvi omnem criticæ ambitum. Aut enim interpretatur obſcura, aut emendat vitioſa, aut genuina a ſuppoſititiis atque adulterinis ſejungit. Interpretationem ſibi olim ſoli vindicabant gloſſatores, nullis, uti diximus ſapientiæ veteris, nullis linguarum, litterarum, antiquitatumque præſidiis inſtructi, nec Reipublicæ Romanæ, cujus legibus lucem adfundere conabantur, vel umbram quamdam animo circumferentes. Tam tenebricoſa ergo ingenia quot monſtra interpretationum parturire oportuerit, facile eſt ad exiſtimandum. Et tamen eorum opiniones, ſæpe perridiculas, tantum non conſecratas a poſteris eſſe, animadvertimus, adeo ut pæne ſacrilegium quibusdam videretur, cum Accurſio vel Baldo errare nolle. Poſteaquam deinde melius illuxit ſæculum, haud pauca, antiquioribus obſcura, in clariſſima luce collocata ſunt a viris doctiſſimis: plura tamen etiamnum involuta ſunt tenebris, neque poſteris deërit bene de juris interpretatione merendi occaſio, ſi intendere nervos voluerint. Hic ergo quænam critici accuratioris partes ſint, facile patet. Ingrediendum ipſi erit totius antiquitatis iter, contemplandus rei Romanæ ſtatus, derivandæ inde Legum rationes, quin & Sectarum tum philoſophicarum, tum Juridicarum, principia diligentius rimanda. Inprimis huc pertinet ſingularum Legum accuratior χρονόταξις, auctores, origo cauſſæ, mutationes, fragmenta hinc inde obvia, horumque, uti JAC. GOTHOFREDUS, *vocare ſolet coaſſatio, præclarum interioris criticæ myſterium. His quantum lumen accendatur Jurisprudentiæ noſtræ, vel his, quem modo laudavi,* JAC. GOTHOFREDUS, *luculentiſſimis Commentariis tum in leges duodecim tabularum, Papiam Poppeam, regulas Sabinianas, tum ipſum Codicem Theodoſianum, tamquam ſpecimine numeris omnibus abſoluto edocuit. In his ergo rebus quicumque aliquid videt, quod aliorum fugit ſollertiam, næ is omnium bonorum merebitur ſuffragia. Neque enim ita omnem fundum occuparunt majores noſtri, ut illico poſteris nunciandum ſit novum opus, ſi contra priſtinam formam aliquid moliantur. Nova quotidie in lucem prodeunt antiquitatis monimenta, majoribus numquam viſa, e quibus eruere licet quam plurima, quæ illis ne in mentem quidem venerunt, ſeu ipſe ampliſſimus* BYNKERS-

HOEK *egregio ſpecimine oſtendit in opuſculo elegantiſſimo de Religione peregrina, ubi S. C. Marcianum de bacchanalibus, e tabula ærea editum a* JAC. GRONOVIO, RAPH. FABRETTO *&* JO. CLERICO, *luculento commentario illuſtravit.*

Alterum critici munus in emendando conſiſtit. Hic vero primo nolim is veluti jus vitæ & necis ſibi arroget, & ipſum textum juris, qualem a gloſſatoribus per manus traditum accepimus, ſuis emendationibus pro arbitrio refingat. Auctoritate publica opus eſſet illi, qui ſuſpiciones ſuas Criticas ipſi corpori juris inſertas vellet. Hanc vero poteſtatem nulli Jureconſulto, quantumvis doctiſſimo lege quadam curiata umquam datam eſſe novimus. Juris Romani auctoritas, quam in foro obtinuit, a receptione dependet. In forum vero recepimus Editionem vulgatam, in quam gloſſas confecerat Accurſius: *id quod innuere ſolent pragmatici regula ſua:* Quem textum non adgnoſcit gloſſa, eum nec forum adgnoſcit. *Multis hæc vulgata editio ſcatet erroribus, fateor; ſæpe etiam vix ſenſum fundit idoneum, nec id nego: ſed ſola tamen recepta eſt. Is honor neque* Haloandri *neque* Taurelli *laboribus contigit, nec forſan continget editioni alii, quantumvis emaculatæ, qualem a* Brenkmanno *diligentiſſimo avide præſtolamur. Quæ cum ita ſint, licebit quidem eruditis ſuſpicari, conferre codices, nevos & gloſſemata tollere, interpungere, & quidquid critica ars jubet, tentare, ſed ea lege, ut ne conjecturas ſuas, licet ingenioſiſſimas in textum ſtatim admittant, niſi forte integrum Codicem celebriorem typis expreſſum ſiſtere decreverint, quod fecit* Haloander *&* Taurellus, *quorum luminibus laudatiſſimus* Brenkmannus *procul dubio prope diem officiet. Satius ergo erit, has ſuſpiciones criticas libris faſciculisque integris obſervationum, conjectaneorum, probabilium, membranarum, ſemeſtrium, animadverſionum complecti, uti exemplo præiverunt* Cujacius, Merillius, Petr. Faber, Ræverdus, Cironius, Ant. Auguſtinus, Noodius, Van de Water, Auliſius, Gundlingius *noſtras, & ipſe ὁ πάνυ* Bynkershoekius. *Sic enim uſus earum erit expeditiſſimus, nec Criticus eam incurret reprehenſionem, quam bonis omnibus mereri viſi ſunt* Sigism. Gelenius, Dav. Paræus, *& ipſe* Joſ. Scaliger, *quos ubivis pro Plinii, Arnobii, Ammiani Marcellini, Plauti & Manilii verbis conjecturas ſuas obtruſiſſe,* Jo. Clericus *docet in arte Critica* Part. III. Sect. I. Cap. XVIII. §. 44.

Deinde nec eorum criſin multum laudis mereri puto, qui medicinam parant, ubi non opus eſt, id eſt ubi ſenſum ſatis commodum admittant leges. Si quando paulo rarius occurrit vocabulum ſtructura verborum non ubivis obvia, hiſtoria vel ſpecies obſcurior, non ſane extemplo eſt ad falcem criticam recurrendum, quamdiu res exemplo non caret. Neque enim Criticorum eſt, facere, ut elegantius loquantur leges noſtræ, ſed ut emendatiores legantur. Hinc ſi textus ſeſe offerat deſperatus, & qui ſenſum non fundat, ſive verba plane Latina non ſint, ſive eorum ſtructura linguæ genio prorſus repugnet: Tunc vero arti criticæ erit locus, nec quisquam huic ſeveritati cenſoriæ intercedet. Exemplis, quæ ſe mihi ſponte nunc offerunt, res erit clarior. Lex 10. D. de vacat. mun. *ita legitur in Exemplaribus vulgatis:* Auctis poſt adpellationem medio tempore facultatibus, paupertatis obtentu non excuſantur: Rittershuſius *deprehenſa ſtructura paullo incommodiore pro* auctis, *una abjecta littera, reſcribit* aucti. *Et ſane ita elegantius loqueretur Paullus. Sed exemplo non caret hæc anomalia, ſiquidem &* Hirtius *de* bello Afric. Cap. XXV. *ita loquitur:* Dum hæc ita fierent, rex Juba, cognitis Cæſaris difficultatibus, copiarumque paucitate, non eſt viſum, dari ſpatium convaleſcendi. *Accedit, quod ipſe Paullus ſæpe ſolet, quod ad caſus nominum attinet, minus accurate loqui, ceu vel ex* L. 17. D. de in jus voc. *patet. Tales conjecturas parum neceſſarias, innumeras adcumularunt, qui emendandis juris noſtri libris inſudarunt, & exemplis id oſtendit ipſe* Bynkershoekius *noſter* obſerv. Lib. III. Cap. IV. & XXV. Lib. IV. Cap. II. & XIX. *& in primis in Prætermiſſis* ad L. 2. D. de orig. jur. *ubi loco non uno docuit, nimia Criticorum diligentia effectum eſſe, ut medicis ſæpe adverſus ipſam medicinam hodie opus videatur. Melius ergo illi merentur de republica litteraria, & in primis Jurisprudentia noſtra, qui loca vel nullius vel incommodi ſenſus integritati ſuæ reſtituere conantur. Sic ſane nemo intellexiſſet* L. 19. §. 2. D. de judic. Nam ubi ſic venit, ut confeſtim diſcedat, quaſi a viatore emtis, vel eo qui transvehebatur, vel eo qui præternavigat, emit. *niſi* Haloander *abjeciſſet* τὸ emtis *quamvis & paucis mutatis legi poſſet* eunte, *ut opponatur* præternaviganti *vel* transvecto. *Et quis quæſo ſenſus eſt* Ulpiani *in* L. 13. §. fin. D. de pign. act. Venit autem in hac actione & dolus & culpa, ut in commodato: venit & cuſtodia: vis major non venit. *Quis quæſo æqua Themide dixerit, creditorem pignoris periculum idem ſuſtinere, ac commodatarium commodati, quum alia omnia diſcamus ex ſequente* L. 14. D. eod. *cum* L. 18. *pr.* D. commodati vel contra *collata? Sed ingenioſiſſimus hic fuit, quem honoris cauſſa nomino,* Gerardus Noodt *Probabil.* Lib. I. Cap. IV. *qui textum deſperatum, mutata interpunctione & unica Littera, ita reſtituendum monet:* Venit autem in hac actione dolus & culpa: at in commodato venit & cuſtodia, vis major non venit. *Unusquisque hanc emendationem & neceſſariam dicet, & rectam ſpondebit, vel ideo, quia neceſſaria eſt.*

Plura

Plura hujus generis exempla ipſæ ſuppeditabunt ampliſſimi Bynkershoekii *obſervationes* L. I. Cap. VII. X. XV. Lib. II. Cap. X. XI. XV. Lib. III. Cap. V. VIII. IX. XI. Lib. IV. Cap. VIII. & X.

Addo tertiam cautionem, quæ emendationes legum non atroces eſſe jubet, ſed tales, ut veroſimile fiat, ejusmodi textus depravationem contingere potuiſſe. Sic quum Codices antiquiſſimi ſine interpunctione ſcripti ſint, idque de ipſo Florentino non modo doceat Angelus Politianus *Lib. X. Epiſt. IV. ſed & confirmet ſpecimen æri inciſum a* Jo. Mabillonio *de re dipl.* p. 356. *non poſſunt non illæ emendationes quam maxime eſſe probabiles, quæ loca alias obſcura levi interpunctione ſanant. Porro quum in florentino codice litteræ quædam ſibi ſint ſatis ſimiles, e. g. N & R, T & I: quis quæſo interceſſerit iis, qui litteræ cujusdam mutatione legem reſtituunt, antea Sphingis ænigmate obſcuriorem, maxime ſi ſcribas indoctos manum deſcribendis codicibus adpuliſſe cogitet? Egregia hujus generis ſpecimina & plane ingenioſa dedit* Bynkershoekius *Ampliſſimus. Sic quum verbi cauſſa in* §. fin. inſtitut. de nupt. *nullo ſenſu legatur:* Quod & aliis liberis qui ex eodem matrimonio fuerint procreati, ſimiliter noſtra conſtitutio præbuit; (*ſi quidem de libererum ex matrimonio natorum legitimitate nulla fuit dubitandi ratio;*) *unica mutata litterula ita locum ſanat:* Quod *ut* aliis liberis qui ex eodem matrimonio fuerant procreati, ſimiliter noſtra conſtitutio præbuit. *Quis non dejerarit virum Celeberrimum rem acu tetigiſſe? quis non ſtatim deprehendat, facillime ex UT fieri potuiſſe ET? Non [illegible] vir ingenioſus, nec urit & tamen locum reſtituit integritati, quem nec* Hotomanus *nec* M. Antonius Muretus *ſeveriore licet adhibita falce, ſanare potuerunt. Ita & notum est, quanta contentione de ſenſu* L. 23. D. de teſt. *diſputarint* Cujacius obſerv. Lib. II. Cap. XXIII. *Guill. Forner.* Select. Lib. II. Cap. X. *Paul. Buſ.* Subtil. Jurid. Lib. I. Cap. XVI. Duarenus *& alii. Verba ſunt:* Produci teſtis is non poteſt, qui ante in eum *reum* teſtimonium dixit. *Sed quam ingenioſe nodum ſolvit* Gundlingius *noſter, dum pro* in *eum reum legit* in eam rem? *Videantur* Gundlingiana *Part. IX. Cap. II. p.* 361. *Omitto hujus generis plura, paſſim apud Criticos recentiores obvia. Veteres enim paullo truculentiores fuiſſe, ſatis notum eſt.*

Non eſt quarto, quod moneamus, ſequendos eſſe codices MSC. optimæ notæ. Ipſa enim ars critica jam pridem hanc cautionem unice commendavit. Quod ad pandectas attinet, reliquis omnibus antiquiorem eſſe codicem Florentinum, nemo ignorat. Sunt tamen & alii Libri MSC. non contemnendi, quales ſunt illi Bynkershoekiani *& Campienſis, quos a viro Celeberrimo ſubinde laudatos animadverto. Et ſane ſi ex ungue leonem judicare licet, ex adlatis ab eo ſpeciminibus, illos Codices ſatis probos eſſe, judico. Codicum vice aliquando funguntur editiones veteres, ſub artis typotheticæ incunabula ex ipſis codicibus MSC. expreſſæ. Etiam tales ſæpe in Conſilium adhibuit laudatiſſimus* Bynkershoek: *ſed neſcio tamen, an non in mundo ſint antiquiores. Mihi ſane vetuſtiſſimum, uti exiſtimo, exemplar impreſſum ſeſe obtulit in Bibliotheca publica Mariana Halenſi, quamvis illud non niſi* Juſtiniani *novellas cum tribus poſtremis Libris codicis complectatur. Totum impreſſum eſt membranis candidiſſimis majoris formæ. Litteræ ſunt Germanicis noſtris, quam Latinis, ſimiliores; majuſculæ autem ſub initium verſuum variis coloribus Calamo adpictæ. Ad calcem venerandi operis, (nam nec titulum nec præfationem tum ſolebant præmittere,) hæc leguntur:* Anno incarnationis dominicæ MCCCCLXXVII. XII. Kalendis Septembriis, Sanctiſſimo in Xto patre ac Dno, Sixto Pp. IIII. pontifice maximo, nobiliſſime domus auſtriæ Dno. Dno. Friderico, Romanorum Imperatore invictiſſimo, monarchie Xtiane Dnis, reverendiſſimo Deoque amabili in Xto patre ac Dno, Dno Diethero, archipreſule Maguntino, in Civitate Maguncia, impreſſorie artis inventrice atque elimatrice prima X. collacionum triumque Librorum codicis opus egregium Petrus Schoiffer de Hernsheim, glorioſo favente Deo, ſuis conſignando ſcutis, (*impreſſa ſunt duo Scuta gentilitia*) feliciter finivit. *Ejusmodi codices impreſſos antiquiores ſi quis paullo diligentius conferat, uti & me facere memini, non poteſt non ipſi naſci occaſio, loca quam plurima ſine violenta curatione ſanandi.*

Neque tamen ideo improbarim eorum ſollertiam, qui ingenio quoque non nihil confidunt, &, quod ipſa res ſuadet, reſtituunt, quamvis nullo ſuffulti codicum ſuffragio: dummodo hanc ſibi legem dicant, ut nihil mutent, niſi quod ipſa analogia juris mutari emendarique ſuadeat. Sic ſupra laudatæ emendationi legis 13. §. fin. D. de pign. act *a* Ger. Noodt *tentatæ, manifeſto adſiſtit analogia juris, quæ non patitur creditorem in cuſtodiendo pignore ad eamdem adſtringi diligentiam, ad quam adſtrictus eſt commodatarius, cujus ſolius in utilitatem contractus hic vergit. Simile Exemplum ipſe celeberrimus* Bynkershoek *attulit in præfatione obſervationum ex* L. 3. pr. D. ad exhib. *ubi, niſi hanc legem analogiæ juris & tot aliis textibus obſtare dicere malis, manifeſto, una adjecta littera pro* dicere *legendum eſt* diſcere, *hoc modo:* In hac actione actor omnia noſſe debet, & Diſcere argumenta rei, de qua agitur.

Deni-

Denique nec id prætermittendum, quod in emendandis legibus etiam attendendum ſit ad verſiones & metaphraſes veteres Græcas. Quum enim verſiones ſuas vel κατὰ πόδα, vel εἰς πλάτος adornarent Theophilus Thalelæus, & alii, quumque Baſilius & Leo, Imperatores, novum ex pandectis & codice corpus βασιλικῶν conflarent: nemo dubitaverit, quin adhuc codices hodiernis incorruptiores extiterint. Ex his ergo libris facile plerumque conſtare poterit, qualis tum probata fuerit lectio, & quæ verba genuina ſint, maxime ſi tunc adhuc obtinuiſſe memineris ſanctionem Juſtiniani, quæ libros juris ſiglis & notis conſcribi vetuit. Hæc obſervatio, dici non poteſt, quot recentiorum emendationes, licet ingenioſiſſimas falſi convincat. Ipſe ὁ πάνυ Bynkershoek dum in Prætermiſſis ad L. 2. D. de orig. jur. p. 65. in paragrapho 3 proœm. Inſtit. pro antiquis fabulis, a quibus olim jurisprudentiam auſpicati dicuntur tirones, legendum conjicit antiquis tabulis ingenioſe profecto conjicit: ſed ipſe huic ſuæ conjecturæ non multum fidit auctor ampliſſimus: & recte. Theophilus enim (quem ipſis Juſtiniani temporibus vixiſſe & inſtitutiones una cum Triboniano & Dorotheo conſcripſiſſe demonſtravit Gundlingius in Gundlingian. Part. I.) vulgarem lectionem confirmat, addita paraphraſi: Nam qui ea legunt, quæ olim obtinebant & nunc ab uſu rejecta ſunt, ſimiles videntur iis, qui in fabulas incidere. Contra ea magnum emendationi L. 31. §. 1. D. de reb. auct. jud. poſſ. inde accedit pondus, quod uti celeberrimus Bynkershoek Lib. I. Obſerv. Cap. XXV. pro ſuſpectum commendare legit ſuſpectum condemnare: ita auctores βασιλικῶν Lib. IX. Tit. VII. lege XXX. id eodem modo exprimunt ὕποπτος δὲ κρίνεται ὁ ἐπίτροπος ἐκ δολερᾶς διαγωγῆς. Omitto alia, quia uno alterove exemplo regulas declarari ſufficit.

Reliquum eſt, ut & tertium critici officium, quod in dijudicando, ſecernendisque ſpuriis verſatur, tangamus. Et profecto exiſtimare quis poſſet, ferias hic nobis indici, quia & pauci Jureconſulti veteres in ætatem noſtram delati ſunt, quorum de γνησιότητι liceat dubitare, & ſi qua fragmenta à Contio aliisque eruta & Corpori Juris addita ſunt, ea nullam unquam in foro adepta ſunt auctoritatem. Sed tamen & hæc artis criticæ pars in Jurisprudentia noſtra non extra uſum eſt. Plura ſunt Triboniani emblemata, quæ nota eſſe, jurisprudentiæ noſtræ intereſt. Quamvis enim is jure ſuo uſus ſit, neque ideo tantam cenſuram meruerit, quantam vulgo patitur: non tamen utilitate caret ſtudium hoc, antiqua & ſincera a novis & a Triboniano invectis ſejungendi. Et ſane magno labore id præſtiterunt Ant. Faber, Pardulphus Prateius & Jo. Jac. Wiſſenbachius. Sed multa, quæ huc pertinent, omiſſa ab iis eſſe conſtat. Aliquando etiam viris doctiſſimis accidit, quod ſolet juſto meticuloſioribus, qui ſpectra veriti, ubique ſpectra vident, & tutiſſima quævis reformidant. Sæpe inquam emblemata & Tribonianismos clamant, ubi omnia recta ſanaque ſunt. Exemplis rem oſtendit Ger. Noodt, Probab. Lib. II. Cap. XII. Lib. III. Cap. III. de fœnore & uſur. Lib. II. Cap. V. & Cap. XIV. Lib. III. Cap. XV. Jul. Paull. Cap. V. obſerv. Lib. I. Cap. XV. Lib. II. Cap. IX. & Bynkershoek, de legat. pœnæ nomine Cap. IV. p. 378. nec non in obſerv. Lib. II. Cap. XV. Lib. III. Cap. XII. XIX. XXI. Lib. IV. Cap. VI. quo poſtremo loco in iſtos emblematum venatores graviter invectus vir celeberrimus: Ubi, inquit, hærent interpretes, male ſe habet cauſſa Triboniani. Nam quum alia ratio non ſuccurrit, in eum quaquaverſum fit impetus, obtruſa continuo alia jurisprudentia, quam ipſe ſcilicet interpolatione ſua interverterat. Id quam verum ſit, vel inde patet, quod non defuerunt, qui ſequuti Hotomanum in antitriboniano, celeberrimam legem, 2. D. de orig. jur. & omn. magiſtr. Pomponio abjudicare, eaque non niſi Triboniani, (in quem impoſtorem omne virus evomunt) fabulas & deliria contineri, adſeverare non dubitent. Cur vero? niſi quod aqua quandoque hæret interpretibus, & hiſtorias quasdam aliis auctorum veterum teſtimoniis conciliare non ſtatim poſſunt. Id quod tamen tam præclare præſtitit laudatiſſimus Bynkershoekius, cauſſa ut videatur perorata, nec quisquam temere futurus in poſterum ſit tam perfrictæ frontis homo, qui dicam hic Triboniano ſcribere auſit. Quis ergo neget & JCto perneceſſariam eſſe genuina a ſpuriis ſecernendi ſollertiam.

Et hactenus quidem, quam egregie Bynkershoekius ampliſſimus omnes critici accuratioris partes impleverit, ſatis ſuperque mihi videor demonſtraſſe. Neque tamen id in eam partem accipias velim, ac ſi te illius ſententiis ubique, tamquam claudum pilæ inhærere jubeam. Diſſentit vir Celeberrimus a pluribus: & ipſe ab eo nonnumquam diſſentio. Hanc libertatem dant ſumuntve invicem boni viri, a præjudicatis opinionibus liberi. Sane eſſent, quæ hic adverſus ejus ſententiam de legatis pœnæ nomine pro Gundlingio; & de expoſitione & cæde infantum pro Ger. Noodtio diſputarem, niſi charta moneret, reſpiciendum eſſe portum. Sed uti ideo nihil decedit admirationi, qua æterna viri opuſcula proſequimur: ita omnia, tibi Lector Benevole, mirificam adferent utilitatem, voluptatemque incredibilem, ut ſit, quod bene preceris Krugio noſtro, has tibi dapes nunc primum in Germania adponenti. Tu illis fruere, & ſi qua irrepſerunt menda, ea non mihi, cujus nullæ in emendatione partes fuerunt, ſed aliis, quos vir huic curæ præfecit, tribue, meisque Muſis fave, Halæ Magdeburgicæ 4. Id. April. MDCCXXIII.

CORNELII

CORNELII VAN BYNKERSHOEK

OBSERVATIONUM JURIS ROMANI

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Pœna capitis, & debitorum ſectione ex XII. *Tabulis.*

De nexu debitorum apud Romanos, etiam ante XII. Tabulas, multi multa recte dixerunt, ſed quid iisdem Tabulis fuerit ſancitum de debitoribus, qui judicatum facere non poterant, neſcio an Viri docti ſatis ſint adſecuti. Vulgo ajunt, decemviris placuisſe, ut, ſi debitor ob inopiam creditoribus pluribus addictus non ſolvat, in partes ſecari poſſit, attributa ſic cuique cadaveris parte. Duram equidem legem! ſed tamen ita ſcriptam eſſe vix eſt ut negari videatur poſſe, quum ex Antiquis graves Auctores, memorata, quin exprobrata ſæpe crudelitate, ejus meminerint. Et, ne dubites, ipſa verba habes apud A. Gellium *Noct. Att. L.* XX. *C.* I. ÆRIS CONFESSI, REBUSVE JURE JUDICATIS, TRIGINTA DIES JUSTI SUNTO. POST DEINDE MANUS INJECTIO ESTO, IN JUS DUCITO, NI JUDICATUM FACIT, AUT QUI ENDO EO IN JURE VINDICIT, SECUM DUCITO, VINCITO, AUT NERVO AUT COMPEDIBUS QUINDECIM PONDO, NE MINORE, AUT, SI VOLET, MAJORE VINCITO. SI VOLET, SUO VIVITO. NI SUO VIVIT, QUI EM VINCTUM HABEBIT, LIBRAS FARRIS IN DIES DATO. SI VOLET, PLUS DATO. Hæc eſt prima pars de uno creditore, ſequitur mox altera de pluribus creditoribus. TERTIIS NUNDINIS PARTIS SECANTO, SI PLUS MINUSVE SECUERINT, SE FRAUDE ESTO. In prima parte illud *æris confeſſi* vix ſenſum habet: ſunt libri, qui habent, *æris confeſſo*, ſed forte vitium ſcripturæ eſt, ſic reſtituendum: *reis confeſſis rebusve jure judicatis*, reis ſcilicet confeſſis, atque adeo ſua ſententia condemnatis, ſive jure & probationibus convictis, xxx. dies juſti ſunto. Si vitium in transpoſitione ſit, antiquiſſimum ſit oportet, cum & in ipſa diſputatione apud Gellium legatur. Vides interim ſæviſſima Decemvirorum verba, & de verbis eandem Favorini & Cæcilii Sententiam, eandem quoque Fabii *Inſt. L.* III. *C.* 6. & Tertulliani *Apolog. C.* IV. Difficile eſt auctoritates adeo magnas defugere, præſertim quum Cæcilius & Tertullianus, quorundam judicio JCti ambo, Legum vetuſtarum cum verba, tum Sententiam ignoraſſe non ſint credendi

Altius tamen inſidet exiſtimatio, legumque Romanarum reverentia, quam ut tale quippiam, tam crudele, tam ineptum, in *ſapientiſſimo Juris Romani fonte*, ut inquit Livius, conſtitutum fuiſſe mihi perſuadeam, maxime quum manifeſtiſſima ſit continuo ejus ab utroque latere inepta crudelitas. Decemviros quippe ſi ſpectes, pejusne excogitari quicquam poteſt, quam ſi atrociſſimum, & ultra quod neque hoſtis capta graſſetur in urbe, remedium præſcripſerint non *ſecandæ litis*, (quod laudat Flaccus) ſed ejus, unde petitur, miſerrimæ cervicis? atque hæc omnia ne requiſita quidem creditoris petitione. Ab altera vicisſim parte, nihil quicquam creditoribus, quorum ſola res agitur, proderit illa ſævitia, quin oberit potius: quid enim utile, ad præſtationem ejus, quod debetur, hominem occidere; imo quid æque inutile, quam ſuum perſequentibus ſi etiam illud pereat, quod jam conſequuti ſunt? qui addictum poſſidet debitorem ſuum, ſi non totum debitum, certe partem aliquam ex ejus opera poterit conficere, quod utique æquius melius eſt, quam totum perdere. Atque hæc eſt juſtisſima addictionis ratio, & ratio, propter quam uni etiam creditori *hac L.* conceditur facultas debitoris trans Tiberim venundandi, ut ita ex venditionis pretio, quatenus fieri poteſt, ipſi ſatisfiat: & tamen pluribus duntaxat creditoribus conceſſa, imo imperata legitur ſectio apud Gellium *d. L.* XX. *C.* I. Diceres, quod jus in uno, idem & in pluribus ſervari poſtulat eadem, ſi non major ratio; plurium enim creditorum majus præſumitur creditum, atque id vel ad partem exſolvi juſtius. Et hoc puto verum; ſed tamen ſecundum hanc XII. Tabb. Jurisprudentiam (ſi, ut vulgo, accipias) creditores, ubi partem potuiſſent nanciſci, perdunt totum, quum homo in ſe, ſalvo ſuo pretio, dividuus non ſit, ut res docet & *l.* 85. §. 4. *ff. de Verb. Oblig. l.* 9. §. I. *ff. de Solut.* longe minus quam naves, quas tamen nec recte dividi Caſcellius dixit apud Macrobium *L.* II. *Saturn. c.* 6. *Navim*, reſpondet mercatori, quemadmodum cum ſocio navim divideret, interroganti, *ſi dividis, nec tu, nec ſocius habebitis.* Idem procul dubio reſponſurus, ſi de dividendo homine fuiſſet conſultus. Sin autem debitor pluribus addictus aut in ſervitute teneretur, aut venderetur, commode pro parte ſatisfiebat omnibus, cum nihil facilius dividatur quam opera, præſtanda pro modo æris alieni, vel etiam pecunia, quippe res, ſine corporum diſcrimine, in ſola quantitate conſiſtens. Nunc trucidabitur debitor, nulla, nulla ſane cujus-

quam utilitate, niſi exiſtimes mactatum, ut ejus ſanguine paſcerentur creditores, vel in uſum rei culinariæ inde ſibi fercula apponi curaſſent. At nunquam memini me legere, Romanos vel ἀνθρωποφάγους fuiſſe, vel ſanguinem debitorum ſitiiſſe. Obtinuit tamen Xviros ita, ut dixi, ineptiſſime conſtituiſſe, & ea erit *utilitas* ob quam Craſſus, Legum Decemviralium non ignarus, has apud Ciceronem *L.* I. *de Orat.* C. 195. omnibus Philoſophorum Bibliothecis anteponere non dubitavit? quæ frons Tacito *Ann. L.* III. *C.* 27. ſummam *æquitatem* LL. XII. Tabb. tantopere extollenti? quæ denique Livio, Tullio, Gellio, aliis, Leges duodecim in tantum prædicantibus, ſi in illis talia conſtituantur? omnino enim nihil a Legislatione profectum dicas unquam, ne Draconis quidem, vel Platonis, quod pari feritate vel ineptia quaquavorſum ſe oſtendat.

Fremant omnes licet, inquit de his Tabulis alia occaſione Craſſus apud Tullium, *dicam quod ſentio*, credere non poſſum, hanc eſſe ſententiam Xvirorum ac Legum, de quibus tam præclare opinata fuit antiquitas, quæque dignæ haberi poſſint, ut ex politiſſimarum Gentium inſtitutis electæ dicantur; rigidam in his ſeveritatem fero, crudelitatem & ſtultitiam non æque. Imo aliud voluiſſe ſapientiſſimos Legislatores an ex ipſorum verbis intelligi poſſit, videamus. Dixerunt autem, ut apud Gellium *Att. Noct. L.* XX. *C.* 1. relatum eſt, de debitore judicato & condemnato, ut, ni intra *triginta dies juſtos* ſolvat, in nervo aut compedibus haberi poſſit, quo interea jus paciſcendi eſſet, & *tertiis Nundinis*, ſi pactus non ſit, CAPITIS POENAS *daret*, & quæ ſequuntur. Sed quo hæc pertineant, primum dicamus, nam durities, quæ hic prima fronte apparet, alia quoque perperam explicandi occaſionem præbuit. Illius vero ſanctionis hanc puto eſſe ſententiam: ſi, qui turbavit, debitor triginta diebus juſtis jam elapſis, nec ſolvat judicatum, nec paciſcatur, tertiis Nundinis teneri in USURAS SORTIS, in quam damnatus eſt. Tempus illud xxx. dierum reis confeſſis aut convictis, atque hinc condemnatis, indulgebant XII. Tabulæ, quod deinde in duos menſes adauctum eſt, ut refert *l. un. C. Tb. de Uſur. rei jud.* ac poſtremum in IV. menſes a Juſtiniano in *l.* 2. *C. de Uſur. rei jud.* in qua L. ſecundum jus recentius hoc ipſum (ſi diverſitatem temporis excipias) tradi videtur, quod hic in L. XII. Tabb. Quemadmodum enim ibi IV. menſium conceditur dilatio, quo intervallo debitor condemnatus pecuniam, in quam damnatus eſt, conficere poſſit ſine uſurarum metu, & poſt eos elapſos tenetur in uſuras, ſi ultra moratus fuerit, ita quoque hic Xviri ſtatuiſſe videntur; illa enim verba, CAPITIS POENAS DATO, ea interpretatione accipienda arbitror, tanquam dixiſſent, reum teneri in *uſuras pecuniæ*, in quam condemnatus erat, per moram non ſolutæ. *Caput* apud Latinos appellari ſolere *ſortem*, notius eſt, quam ut explicari debeat: paſſim apud Auctores id verbum ea ſignificatione occurrit, & in plurimarum Gentium linguas vernaculas hodieque tranſivit, mutata duntaxat flexione. *Pœnæ* quoque vocabulo *uſuras* ſignificari, quæ ob moram ſolvuntur, atque ita puniendæ moræ infliguntur, non minus conſtat; *pœnæ nomine* pro *uſurarum nomine* ſimpliciter dixit Paulus in *l.* 40. *ff. de Reb. cred.* & plura in hanc rem obſervavi *Lib. Sing. ad d. l.* 40. *C.* IV. quæ non deſcribo.

Hac prima legis parte ita explicata non difficile erit intelligere ſequentia, ex quibus alii colligunt diſſectionem corporis debitoris, eadem, ut credo, judicii ſeveritate, qua ex prima parte comminiſcuntur extremum ſupplicium h. e. mortem eſſe reo infligendam, nam hæc verba *capitis pœnas dato* de mactando debitore, ut victima Juſtitiæ, accipiunt Cæcilius, Favorinus, Gellius, alii. Ajunt autem porro Xviri: ſi creditor, qui vicit adverſarium ſuum, poſt xxx. juſtos dies uſuris contentus non ſit, aut forte minus ſecurus, debitorem ei eſſe in ſervitutem addicendum, quo, quod pecunia non potuit, manibus ſolvat, idque donec tantum ex opere ſit præſtitum, quantum debebat; tunc enim dimiſſus reſtituebatur priſtinæ ingenuitati, ut hæc diſcimus ex Fabio *L.* VII. *C.* 3. plane ut olim nonnullis Hollandorum Legibus cautum eſſe memini me legere. Sin vero debitum fuerit adeo grande, ut opera expungi nequeat, neque commodum eſſet, ut debitorem haberet in ſervitute creditor, trans Tiberim debitoris venundandi concedebatur ei facultas, nam hoc eſt, quod dicitur, *capitis pœnas dabant aut trans Tiberim peregre venum ibant.* Et quidem de uno creditore hactenus; ei quippe Lex concedit, ut vendat tanti, quanti poteſt: & ſane, quum ipſe ſolus debitorem habeat addictum, conſequens eſt, ut & ſolus de eo ſtatuat, & vendat pro arbitrio. Sin autem plures eſſent creditores, quemadmodum abſque diſcordia, & ſalvo cujusque jure, res eſſet peraganda, porro erat explicandum. Atque ea de re ita edixere Xviri: Si plures ſint, quibus reus ſit addictus, *tertiis nundinis partes ſecanto; ſi plus minusve ſecuerint, ſine fraude eſto.* Hæc ſunt verba horrendi carminis, ex quibus colligunt, permitti, ſi non juberi, ut in fruſta diſſecarentur membra & artus inopis debitoris *breviſſimo*, vel, ut apud Gellium legendum ſuſpicor, *ſæviſſimo laniatu.*

Verum ego exiſtimo nihil minus his verbis contineri, quam adeo ſtultam, ſi verum amamus, feritatem; quin potius ſic ea interpretor. Si plures creditores vicerint debitorem communem, præterierintque dies juſti, nec tamen ſolvat debitor, non uni ex creditoribus, aut quibusdam permitti, ut addictum debitorem ſibi retineant, vel pro lubitu, clam forte, & privati privatis vendant, ſed, ut quantum fieri poteſt publica æſtimatione ſatisfiat omnibus, eum eſſe vendendum in auctione publica, ipſis Nundinis: namque ita neminem ſuo defraudatum iri, nec quemquam alteri imputaturum, juſto minoris debitorem veniſſe. Atque hoc ſibi volunt poſtrema Xvirorum verba, *ſi plus minusve ſecuerint, ſine fraude eſto*, id eſt, nulli imputator, non ſuo pretio venditum eſſe debitorem, publice enim quum res acta ſit, nemini hoc eſt fraudi, ut contra fraudi & damno eſſe poterat, ſi quis debitorem, quum carius vendi potuiſſet, ſibi mallet retinere, neque venditioni publicæ ſubjicere.

Hæc ita explicare placuit, quia *ſecare* non duntaxat ſignificat in fruſta aut aliter ſcindere, τέμνειν, verum etiam in auctione vendere; unde *ſectio* idem quod *auctio*, etiam apud Varronem de *RR. L.* II. *C.* 10. quin Feſtus, velut in rem præſentem, *ſectionem* finivit *perſecutionem Juris.* Inde etiam ſimili fere translatione dicimus *diſtrahere* pro *vendere*, quia per venditionem fieri ſolet diviſio in plures, vel rerum, quæ ante apud unum erant conſtitutæ, vel pretii, ſi homo veneat obæratus: creditores quippe ita ferunt portiones, & non corpus debitoris occiſi, ſed pretium venditi pro rata æris crediti partiuntur. Ad eundem modum ſectio pignorum, quæ capiebantur ab Senatoribus, qui ſine cauſa a ſenatu ab-

abeſſent, nihil erat aliud quam eorundem diſtractio atque venditio, hoc enim eſt *cædere* apud Ciceronem in *princ. tertii de Orat.* ut recte obſervavit Zamoſci, vel quisque alius ſcripſit *de Sen. Rom. L.* II. *p. m.* 117. notato etiam recte Connano, qui pignora illa capi ſolita arbitratur, ut frangerentur & conciderentur. Ita diſputat *Comment. Jur. Civ. L.* I. *C.* 14. omnino contra pignorum naturam, quæ capi conſtat, ut ex eorum venditione redacta pecunia, multa aliudve debitum ſolvatur; reliqua in hanc rem dixit Zamoſci, deriſa lepide illa pignorum conſciſſione & inſulſa & inutili; ſed quis dubitet plus riſiſſe, quum homines audiit ſecari & occidi, quo creditoribus ſatisfiat, & Connano & aliis id prolixe probari?

At vero alia, ut diximus, eſſe videtur Legis Decemviralis Sententia, certe alia, ne ſæviamus, eſſe debet. Ut nos eam ſumus interpretati, rigida equidem adhuc eſt ac ſevera (& ita nunc ferebat ætas Populi Romani) juſta tamen, nec abſurda. Etiam clementius explicare & ab atrocitate abſolvere nobiliſſimum fragmen aggreſſi ſunt Deſiderius Heraldus *de Auctor. rer. jud. L.* II. *C* 25. & Annæus Robertus *Rer. Judic. L.* II. *C* 6. ſed neuter dixit ſcivitque, quid in Tabulis eſſet, *pœnas capitis dare*, ſine quo tamen non aliam, utique benigniorem, ſententiam recipit ſequens *ſectio*; imo nec quid ſit illa *ſectio*, videntur eſſe adſecuti. Heraldus ait, ſervum, atque adeo debitorem addictum ſecari & in partes dividi, ubi pro debiti portione unicuique ſervit, & operas ſolvit pro pecunia, adductis, quæ tamen nihil ejusmodi probant, *l.* 5. §. 1. *de Legat.* I. & *l.* 2. §. 1. *ff. de Verb. Oblig.* De illa diviſione operarum in debitore addicto, & hanc *ſectionis* nomine venire, non ſcio quicquam eſſe proditum: non obſtaret quidem ratio, ut ſupra diximus, ſed obſtat locutio, & auctoritate deſtituimur. Alia adderem, ni prolixe occupaſſet Claudius Salmaſius *Obſervat. ad Jus Att. & Rom. C.* XI. qui tamen & ipſe carnificinam debitorum defendit, & ob id in Heraldum aliquanto iniquius decernit. Cum rogat Heraldus, *ſi communem debitorem plures in partes ſecare poterant, quidni poterat ſuum quisque debitorem trucidare?* cum, inquam, hoc rogat, non cenſendus eſt agnoviſſe, ſingulis creditoribus ſingulos debitores necare jus & fas fuiſſe; imo vero hac ipſa ratione obviam it truculentæ ſectioni, & eâ quoque ratione moveor, ne in ſævitiam illam ſim credulus. Etenim ſi *ſecare* apud Xviros ſit *occidere*, cur pluribus duntaxat creditoribus id permiſſum, uni non æque? de uno certe nihil uſpiam habemus cautum, & quis ſine lege occidat? ſin autem *ſecare* ſit *vendere*, jam pluribus dabitur in ſecundo L. capitulo, quod uni datum erat in primo, facultas nempe debitoris trans Tiberim tertiis Nundinis venundandi, atque ita plures illi venient in partes. *De venditione verba audio, rem non video*, inquit Heraldus, mera imprudentia, ob quam quia ſatis pœnarum dedit Salmaſio, verbum non amplius addam.

Annæus Robertus veterem illam ſectionem ad immanem *ἀνθρωποθυσίαν* pertinere quoque non ratus, ad *ſectionem bonorum* retulit, ut *partes ſecare* ſit idem, quod *partiri res debitoris, portionem ferre, in portionem vocari*, quibus formulis Auctores cum noſtri, tum alii de dividundis debitoris obærati bonis paſſim utuntur. Quin & eo forte reſpexit Joſephus Scaliger, cum in *Scalig.* I. ait, *ſectio civis c'eſt vendre le bien d'un homme condamné*. Sed eam eſſe Xvirorum ſententiam vix eſt, ut mihi perſuadeam: toti quippe ſunt in conſtituendo jure, quod creditori competit non in bona (de quibus nihil omnino) at in ipſum debitorem condemnatum. Hunc, ni judicatum faciat, permittunt duci, trahi, vinciri nervo aut compedibus, in comitium produci, trans Tiberim venundari, &, ſi pluribus addictus ſit, *in partes ſecari*, hoc eſt, illum ipſum vendi & pretium invicem dividi. De bonis quum nihil edixerint Xviri, totaque eorum oratio ad ipſos debitores, nexos jam & vinctos, pertineat, ſatis commoda non eſt Roberti interpretatio.

Magis placet, quod idem attulit pro refutanda auctoritate Veterum, qui illam, in qua verſamur, Legis antiquæ particulam de debitoribus dilacerandis quoque exaudierunt. Ipſe Heraldus adhuc ſubſiſtit propter auctoritatem Quintiliani & Tertulliani, Gellium interea nihil moratus. Sed veriſſime Robertus dixit, ipſis Veteribus cum verba, tum ſententiam XII. Tabb. aliquando minus explorata, quin vel omnino non intellecta fuiſſe; adeo caſcum olebant. De obſcuritate ſermonis priſci in *Duodecim* jam ſub Auguſto Auctores expoſtularunt, & magis adhuc, qui ſecuti ſunt. Teſtimonia alios denunciaſſe video; ego Gellium non egrediar. Suaviſſime apud illum *L.* XVI. *C.* 10. JCtus quidam ſe XII. Tabulas interpretaturum dixit, *ſi jus Faunorum & Aboriginum didiciſſet: ſtudium*, inquit, *ſcientiamque ego præſtare debeo Juris & legum, vocumque earum, quibus utimur.* Imo in ipſa illa Diſputatione Favorini & Cæcilii, quæ nobis ſectionem illam debitorum apud Gellium ex XII. Tabb. repræſentat, ille equidem Legum Decemviralium obſcuritatem accuſat, hic autem excuſaturus agnoſcit, ſed verbis moribusque antiquis acceptam fert. Belliſſime ita uterque & opportune, ni fallor, eſt præfatus, quum neuter mihi videatur adſecutus, quid ſit ſectio debitorum apud Xviros; tu Favorine increpas diritatem ſacræ Legis, tuque Cæcili defendis, & uterque mihi videmini verba perdere, & quis colorem dicet rei immaniſſimæ? ſed ita eſt, ut dicitis, obſcurius quædam ibi ſunt perſcripta, atque ideo, ut exemplo veſtro probaſtis, minus intellecta. Aliud audi ejusdem Cæcilii ex eadem Diſputatione; ait ipſe, quantumvis JCtus, XXX. dies, qui reis condemnatis dabantur conquirendæ pecuniæ ergo, XII. Tabulas appellaſſe JUSTOS, *velut quoddam juſtitium, id eſt, juris inter eos quaſi interſtitionem quandam & ceſſationem.* Sed neſcio, an id acumen etymologicum præſtet Iſidori nugis in *C.* 10. X. *de V. S.* paulum enim advertenti liquet, *dies juſtos* dici, quod a Jure ſint conſtituti, unde & *dies conſtituti* audiunt in *l.* 7. *ff. de Re jud.* ſic *juſta hæreditas* eſt, quæ a jure defertur, & ita in aliis; ſed nota res eſt. Utque adeo ob antiquitatem dubia, quin & perverſa ſæpe fuerit LL. XII. Tabb. explicatio apud ipſos Veteres, etiam JCtos, neque in illo, quam in hoc articulo me magis moveat Cæcilii ex profeſſo de his Legibus diſputatio & auctoritas. Atque hoc ipſum eſt, cur me in contrarium non vocet Quintiliani & Tertulliani ſententia: nam alia, ni digrediar, iis refutandis nunc equidem non conquiram.

Id vero nolim omitti, ipſius Cæcilii teſtimonio *diſſectum eſſe antiquitus neminem*, in quo & Quintilianus & Tertullianus conſentiunt. Si in veteri memoria diſſecti debitoris exemplum exſtaret, fere eſt, ut fruſtra ſimus; nunc, cum non exſtet, ut illi ipſi tradidere, ſatis videbatur eſſe conjecturæ, nunquam Legem eo ſenſu acceptam, quo accipi voluerunt illi Veteres, & nunc paſſim Recentiores. At crudelitas diſplicuit,

cuit. recte; ſed nunquam repertus erit creditor, qui turpiter deluſus debitoris perfidia, uſus fuiſſet lege dura, at tamen ita ſcripta? an dicemus, rem hanc non fuiſſe dignam memoria poſteritatis? Salmaſius non ſatis hæc extricat. Quicquid ſit, taciturnitas Auctorum de occiſis debitoribus magis mihi videtur refutare, quam probare ſententiam de crudelitate Legis, ut natæ, ſic mortuæ.

CAPUT II.

Ad L. 2. C. De Exact. Tribut.

Ad hanc L. videamus, nunquid notari poſſit, quod aliorum fugit induſtriam. Verba ſic habent: *Nemo carcerem plumbatarumque verbera aut pondera, aliaque ab inſolentia Judicum reperta ſupplicia, in debitorum ſolutionibus, vel a perverſis, vel ab iratis judicibus expaveſcat. Carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum eſt, & officialium, & cum denotatione eorum Judicum, quorum de officio certiores eſſe debebunt, qui contra hanc legem admiſerint. Securi juxta Præſidem tranſeant ſolutores. Vel certe, ſi quis tam alienus ab humano ſenſu eſt, ut hac indulgentia ad contumaciam abutatur, contineatur aperta & libera & in uſum hominum inſtituta cuſtodia militari. Si quis in obdurata nequitia permanebit, ad res ejus omnemque ſubſtantiam exactor accedat: ſolutionis obſequio cum ſubſtantiæ proprietate ſuſcepto. Qua facultate præbita omnes fore credimus proniores ad ſolvenda ea, quæ ad noſtri uſum exercitus pro communi ſalute poſcuntur.* Conſtat hanc declamationem Conſtantinum ad Populum edixiſſe ad coërcendam ſævitiam tributa exigentium: ſæpe enim in hanc partem peccatum eſt, hodieque inter leges prolixe peccatur. Illuſtre ejus rei exemplum olim annotavit Philo Judæus in Libr. *de Legibus ſpecialibus ad* 3. 4. *&* 5. *Præc. p. m.* 673. de eo quippe longum narrat, qui tributorum debitores, totaſque eo nomine cognationes & vicos inſigni crudelitate afflixit. Neque adeo contumax malum hac Conſtitutione repreſſit Conſtantinus, quin continuo ejus filii opus habuerint nova in hanc rem Conſtitutione, quæ exſtat in *l.* 7. *C. Th. de Exaction.* Et vel ſic vicit nequitia ſæculi & improbitas: nam ipſe Juſtinianus Rhinotmetus pecuniæ publicæ præficiebat viros crudeliſſimos, qui fœde ſæviebant in obvium quemque, etiam Imperatoris matrem, ut Suidas ſcribit in Ἰουστινιανὸς ὁ Ῥινότμητος. Sed revertamur *ad l.* 2. nam locos communes contra Publicanos ubique videas collectos & exſcriptos.

Ait, *plumbatarumque verbera.* De plumbatis nihil dicam, cum ſatis dixerint Cujacius & Amaya *hic*, Jac. Gothofredus ad *l.* 2. *C. Th. de Quæſt.* Joſeph. Scaliger *Epiſt. L.* II. *Epiſt.* 146. G. Pancirollus *Var. Lect. L.* I. *C.* 41. *p.* 68. Vidi & hodie hujuſmodi plumbatas, & tuſa illis corpora.

Ait, *Carcer pœnalium, carcer hominum noxiorum eſt.* Recta eſt hæc ſcriptura, quamvis in aliis libris variet. *Pœnalium*, id eſt, eorum, qui pœnam meruerunt. Ita fere & alii loquuti ſunt, *pœnale eſt occulte auferre* dixit Auguſtinus in *C.* 13. *C.* XIV. *Q.* V. *Pœnalis ferri* meminit Ammianus Marcell. *L.* XXVIII. *p. m.* 644. *Noxium* quoque pro *nocente* dici in Codice obtinuit, idque ſimpliciter, ſed hic eſt *hominum noxiorum*, ut apud Senecam *de Brevit. Vitæ C.* XIII.

Ait, *& Officialium, & cum denotatione eorum Judicum, quorum de officio certiores eſſe debebunt, qui contra hanc legem admiſerint.* Verba ſunt implicita & contorta, imo &, ſi Cujacium audis, *depravata*: dicit ſe ſæpius fruſtra tentaſſe, ſi qua ratione poſſet reſtituere. Alia eſt lectio in Codice Theod. ita enim ibi ſcribitur hic verſiculus in *l.* 3. *de Exact. quorum de officio coherciti citatiores eſſe debebunt, qui &c.* Contra Amayam, qui Codicem Juſtinianeum in eo præfert, moroſe hanc ſcripturam defendit Jac. Gothofredus in *Comm.* ad *d. l.* 3. ſed pace ejus dixiſſe liceat, etiam minus eam intelligo in Theodoſiano, quam Juſtinianeo. Nec multum profeceris, ſi pro *coherciti*, ut ipſe, legas *coërcere* mala emendatione & pejori interpretatione. Sed non placet his immorari, aliaſve aliorum lectiones, vel de Vulgata ſententias refutare; ſatis ſincere mihi ſe habere videtur hic locus. Vult carcerem, potius eſſe Officialium, & cum pœna ſeu infamia hujuſmodi Judicum, qui officio ſuo non functi contra hanc L. admiſerint: perinde hic eſt, *officio non fungi*, & *de officio debere certiorem eſſe.* Igitur nihil deeſt, quam loquendi accuratio, & quis eam in Legibus Conſtantini quæſierit? Theodoſii lectio multis nominibus pejor eſt, quum tamen & Gutherius *de Offic. dom. Aug. L.* III. 17. eam probaſſet, Amayæ, quas debuit, pœnas dedit. Eſtque ipſius Amayæ hic elegans & juſta indignatio: *nec ferre*, inquit, *poſſum iſtos Criticos, qui pluris faciunt Theodoſiani Codicis lectionem, quam Juſtinianei, & plerumque alicujus libri, & in eis & pulvere extracti, auctoritas plus valet apud eos, quam qui quotidie in manibus verſatur.* Atque ita fere, ut altius videantur ſapere. ſed pergo. De Officialibus autem hic edicit Conſtantinus, quia, ſi in his, quæ ſpecialiter vetita ſunt, Præſidum imperio obſequantur, recte puniri conſtat §. 9. *Inſt. de Publ. jud. l.* 33. *C. de Decur. l. un. C. de Crim. pecul. Auth. Sed hodie C. de Offic. div. jud. Auth. Hodie C. de Cuſt. reor.* Quoniam vero ipſi Judices gravius delinquunt, jubet eos eſſe carceris inquilinos *cum denotatione;* alii, ut notat Accurſius, *cum condemnatione*, quod tamen forte expoſitionis duntaxat loco adpoſitum eſt. *Denotare* ſequiori ævo uſitatum pro *damnare*, *punire*, *reprehendere*, *corripere*, & eo ſenſu quamplurimis apud Tertullianum locis, ut Beatus Rhenanus *ad Pallium in princ.* & plenius adnotavit Cl. Salmaſius *C.* I. *p.* 93. & *C.* II. *p.* 173. Poſtremis quoque ſæculis in eandem ſententiam ea vox accepta fuit, ita enim uſus videtur Imp. Fridericus in *Auth. Statuimus*, poſt *l.* 19. *C de Epiſc. aud.* quanquam *denotati* ibi ſimpliciter eſſe poſſint *notati cum infamia;* ita ſane eſt *denotare* apud Pomponium in *l.* 54. *ff. de Leg.* I. Quare probo, quod Jac. Gothofredus ait, *denotationem* hic eſſe pro *ignominia*, pro *nota exiſtimationis;* locus Firmici, quem ipſe attulit, & etiam Salmaſius indicavit, apprime eſt in eam rem. Alioquin generaliter dicendum, *denotare* eſſe pro *valde notare*, cum *de* augeat ſignificationem, quemadmodum in verbo *deprecandi* aliiſque obſervavi *C.* II. *Libr. ſing. ad l.* 9. *ff. de L. Rhod. de jactu.*

Ait, *juxta Præſidem.* In Codicibus Theodoſ. ante Gothofredum legitur, *juxta eam*, puta *legem*,

gem, idque præfert Cujacius. Gothofredus edidit, *juxta eum*, puta ***carcerem***, & ineptiæ arguit lectionem Cod. Juſt. Mihi tamen placet illud, *juxta Præſidem*, nec ineptiam video; Præſidum enim eſt tributorum exactioni incumbere, ut ipſe Cujacius docuit ad *l.* 11. *C. de Ann. & trib.* antea hic dixit, ***Judices***, nam Præſides per eminentiam ſimpliciter appellantur ***Judices***: ad eum modum D. Hieronymum intelligo in *C.* 41. *C.* VII. *Q.* I. cum ait: ***In apibus Princeps unus eſt, grues unam ſequuntur ordine literario, Imperator unus***, Judex unus Provinciæ. Et Theophilus *Inſt. L.* I. *T.* VIII. §. 2 nunc ἐπαρχίας ἄρχοντα dixit, nunc δικαστὴν. Præſides quoque intelligendum eſt in §. 9. *Inſt. de Pub. jud.* nomine ***Judicum***, quos Theophilus ibidem tranſtulit ἄρχοντας: etenim mirari ſatis nequeo, eſſe interpretes magni nominis, quibus monſtri ſimile videtur, Judices in *d.* §. 9. circa pecuniam publicam verſari, quum, ut dixi, Præſides frequentiſſimi ita appellentur, & ad eos omnis in Provincia pecuniæ publicæ poteſtas pertineat.

Ait, *bac indulgentia.* Eaque Cujacio videtur *ſumma*, Jac. Gothofredo *ſingularis*, quia, inquiunt, ob debita privata carcerem patimur; ſed magis eſt, ut nihil ſit præter magnifice inflatam verborum impoſturam Conſtantino perquam oppido familiarem: nam carcerem non patimur, niſi bonis diſtractis *l.* 15. §. 2. *& ſeqq. ff. de Re jud.* & patet bonis cedendi facultas. Quin ſi ante diſtractionem bonorum tributarii coërceantur cuſtodia militari, & non ſolventium bona, ut ait Cujacius, ſecundum hanc Legem cum onere tributi aliis addicantur, non eſt ſane, cur de ea ſibi magnopere gratulentur. Quod ad mores equidem utilis eſſe potuit hæc Lex, contra plumbatas nempe, & pondera, aliaſque illius temporis ſævitias, ſed quod ad jus attinet, nihil hic in debitoribus Fiſci video præcipuum, nihil benignum.

Ait, *aperta & libera & in uſum hominum inſtituta cuſtodia militari.* Sunt hic nonnullæ tricæ lectionum, at quæ notentur, indignæ. De cuſtodia militari, & qui a carcere differat, dixit Lipſius in *Excurſ. ad Tacit. L.* III. *Annal. l. B.* Exemplis militaris cuſtodiæ quæ ipſe ibidem recenſuit, velim addi ex eodem Tacito *L.* IV. *Hiſt. C.* 11. & ex *actis Apoſt. C.* XXVIII. §. 16. & porro ex *b. L.* diſci contra Lipſium, cuſtodiam illam fuiſſe aliquando *& apertam & liberam*, nec, ut ille putabat, captivos ſemper catenis ligatos.

Ait, *ad res ejus omnemque ſubſtantiam exactor accedat.* In Theodoſiano eſt, ***cives ejus accedant***, quod Cujacius & Gothofredus præferunt; ego tamen ***exactoris*** potius, quam ***civium*** eſſe exiſtimem pignora capere & mox diſtrahere, hoc enim agitur. Accurſius ita hæc verba accipit, ac ſi toto patrimonio excideret, qui tributum non ſolvit, quod valde crudele, novum, ac injuſtum eſſe videtur: convenit tamen ei, quod Cujacius, hæc interpretaturus, ait: *& **bona ejus addicuntur cum onere illationum debitarum.*** Sed ***omnem*** non intelligimus aliter ac ***quamcunque***, & univerſam non aliter, quam ſi tributorum, quæ debentur, quantitas eo excurrat.

Ait, *ſolutionis obſequio cum ſubſtantiæ proprietate ſuſcepto.* Hoc favet addictioni, qua de Cujacius, ſed ea quem uſum habuiſſet, non animadverto. Tributorum cauſa pignus capi, & inde Fiſco ſatisfieri, tralatitium eſt; qui ignorat, id docent *Tit.* & *l.* 1. & 2. *C. de Capiendis & diſtrabendis pignoribus tributorum cauſa.* Sed nihil ibi de Cujacii addictione, eaque non niſi mera fabula eſt. Quis extraneus alterius patrimonium, ut tributis ſatisfiat, ſuſcipiet, quod neque Dominus ea conditione velit retinere? nihil huc facit *l.* 8. *C. b. T.* nam etiamſi hoc diceret, diceret de tributo reali, quo non ſoluto poteſt res, qua de agitur, in commiſſum cadere videri. Sed neque id probatum eſt, nam *l.* 5. §. 2. *ff. de Cenſ.* non agit de prædio, quod in commiſſum cecidit, ſed de eo jure pignoris diſtrahendo ***pro pecunia tributi, quod ſua die non eſt redditum***, neque etiam negat fundi diſtractionem impediri oblatione debiti tributi, ſed cautionis moratoriæ. Aliud dicemus, ſi denunciatum fuerit, fundum, ni ſolvatur, commiſſum iri, quod raro equidem, ſed tamen factum fuit, & fieri potuit. At nihil penitus hæc omnia de patrimonii addictione, nihil de civibus, quibus ea fieret. His igitur miſſis, non aliam hic intelligimus tributi exactionem, quam vulgarem illam, quæ fit per pignorum capionem diſtractionemque; & ***proprietatem ſuſceptam*** non aliter accipimus, quam ad usque tributi debitum, ſive ea proprietas fuerit ſuſcepta a Fiſco, ſive, quod magis eſt, diſtracta eo usque patrimonii pars, vel, ſi res ita tulerit, totum. Accurata verborum proprietas ſi nonnihil obſtet, memento Legem hanc Conſtantini eſſe, neque adeo quicquam muto. Cæteroquin mallem, ſcriptum eſſet, ***ſolutionis obſequio cum ſubſtantia pro portione ſuſcepto***, hoc eſt, curandum, ut tributis ſatisfiat, capta eam in rem, pignoris jure, bonorum parte, unde ſatisfieri poſſit.

Græci *Lib.* LVI. *Tit.* VIII. *C.* 6. Βασιλικ. particulam finalem *b. L.* ſic habent, Ἐὰν ἐπιμείνῃ ἀγνωμονῶν, τότε καὶ εἰς νομὴν τῆς ὐσίας αὐτῦ πεμπέσθω τὸ δημόσιον. ***Si contumax eſſe perſeveraverit, tunc in poſſeſſionem bonorum ipſius Fiſcus mittitor.*** Quæ tranſlatio ad lectionem Codicis Juſtiniani & noſtram de ea ſententiam notanda eſt, nihil enim ibi de civibus, quibus bona eſſent addicenda, neque etiam de publicanda eorum proprietate, ſed de capienda a publico poſſeſſione bonorum, quæ pignori futura eſſent pro exſequendis tributis.

C A P U T III.

De furto rei minimæ.

Quoniam non duntaxat res magni momenti in privatorum eſſe ſolent patrimonio, verum & minimi, harum quoque furtum fieri credendum eſt, cum omnis rei alienæ eſſe queat furtum. Quod adeo verum eſt, ut non modo qui alienam gallinam ſubtraxerit, fur ſit §. 16. *I. de R. D.* ſed & qui ex aliena ciſterna aquam hauſerit *l.* 21. §. 5. *ff. de Furt.* quam furti ſpeciem noſtra memoria exercitam, & magnas de ea turbas vidi. Quum vero, ob infamiæ notam, gravior ſit furti condemnatio, quam ut ob rem minimam obtinere videatur poſſe, furti actionem eo nomine dandam non exiſtimem. Plato equidem in ***Legibus ſuis*** eandem rei cum maximæ, tum minimæ pœnam ſtatuit *Dial.* IX. *p. m.* 1016. & XII. *p.* 1136. ſed bene eſt, quod Leges Platonis, ut ſummum ſtultitiæ exemplum, propoſuerit Divum pater atque hominum Rex apud Lu-

Lucianum in *Icaromenipp. p. m.* 689. Ad rem Flaccus:

—— —— *tantumdem ut peccet idemque,*
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Divum ſacra legerit?

quin potius:

—— —— —— —— *adſit*
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas.

Æquas ſcilicet pro ratione peccati, ſive, ut in Scholis balbutiunt, *geometrice:* peccata enim invicem paria eſſe, quod Philoſophis quibusdam placuit, Auctoribus noſtris nunquam eſt creditum. Valde incivile eſt, ut quis ob gallinam ſurreptam aut aquam manu forte hauſtam actione furti damnetur, & famam, vita contra charam, perdat. Nec, ut hoc evites, licebit dicere, dandam equidem furti actionem, ſed pecuniariam duntaxat, non etiam infamem, quemadmodum in tutelæ judicio viſum fuit nonnullis, & in depoſito Franciſco Connano *Comment. Jur. Civ. L.* VII. *C.* 4. nam, quominus id procedat, facit furti damnatio legitima, ob quam non adhibito, qui id molliat, judicis arbitrio, furti damnatum ſequitur infamia, ut diſerte ſcripſit Macer in *l.* 63. *ff. de Furt.* imo contra rationem juris, in aliis receptam, infamia non remittetur, ſi de fure iniquius ſtatuerit Judex, puta ſi nec manifeſtum in quadruplum damnavit *l.* 13. §. 7. *ff. de His qui not. inf.*

Quamvis igitur largiamur, furtum etiam minimorum eſſe, & pro eo recte diſputaſſe D. Hieronymum in *C.* 4. *C.* XIV. *Q.* 6. non tamen continuo largimur, ob ea, quæ minimi ſunt, actionem furti dandam: quin, cum nuſpiam id ſcriptum exſtet, denegamus potius; ut & Zaſius denegavit in *Parat. de Dol. mal. n.* 19. & 20. & *ſingul. Reſp. L.* II. *C.* 26. Si Zaſius, quod dixit, recte probaſſet, nec ab aliis deinceps longo molimine eſſet impetitus, ſuperſediſſem huic operæ. Fortiſſimum autem ejus ſententiæ argumentum eſt in actione de dolo, quæ, commiſſo licet dolo, non tamen paſſim indulgetur, nec in primis, *ſi modica ſumma ſit l.* 9. §. *ult. l.* 10. & *l.* 11. *pr. ff. de Dol. mal.* non quod hæc actio ſit ſubſidiaria & extra ordinem detur cauſa cognita, eaque, ut ipſe Prætor ait, *juſta*, quomodo Cæſar Coſta *Var. Ambiguit. Jur. L.* I. *C.* 9. & nunc vulgo perhibent, vel quod dolus furto minor ſit, quomodo idem Cæſar addit, ſed quod doli actio ſit famoſa, ut reliquum *d. legis* 11. & ad eam Baſilici ſatis indicant. Nec eſt, ut temere projiciamus exiſtimationes hominum, non prodita, ut diximus, ullibi ob furtum minimorum actione furti: neque enim præciſe licet colligere, fur eſt, ergo furti tenetur, cum teneantur quoque furti, qui fures non ſunt, & contra. Qui ſpicas vellunt, ſi ex agris juxta viam, aut per quos iter eſt, fures non ſunt, ſi animi gratia vellant, ut fere eſt prætereuntium conditio, ſed ſi lucri gratia, fures ſunt, quamvis furti non teneantur. In vellicationem equidem conſenſiſſe videntur, qui ad viam ſerunt, at ille conſenſus vellicantem, ſi lucri cauſa vellat, non a furto abſolvit, ſed ab actione furti arg. *l.* 46. §. 8. *ff. de Furt.* Qui ex agro non ad viam, lucri ergo, vellunt, fures ſunt, nec civiliter eſſe definunt, quamvis ob famem vellant. Quod autem generaliter abſolvantur in *C.* 26. *de Conſecr. Diſtinct.* V. ex Jurisprudentia Judaïca eſt, ut Moſes docuit *Libro* V. *C.* XXIII. §. 25. niſi dicas abſolvi, quatenus ſabbatum non violarint, ut hæc ſuggerunt Euangelia, & *C.* 4. X. *de R. J.*

In Jure noſtro maritus uxori, uxor marito furtum facit, nec tamen furti actionem dari palam eſt; & ita etiam alias. Filius patri, ſervus domino furtum faciunt, furti vero actio contra eos prodita non eſt § 12. *Inſt. de Oblig. quæ ex del. naſc.* dabitur igitur patri utilis actio *l.* 52. § 5. *ff. de Furt.* quemadmodum & filio adverſus patrem, temperata ſic verbis actione, ut in factum competat & bonæ fidei fiat mentio *l.* 11. §. 1. *ff. de Dol. mal.* Rurſus: qui partem acervi tollit, totius fur eſt, quia parte apprehenſa totius quæritur poſſeſſio, ut crediderunt Ofilius & Trebatius in *l.* 21. *pr. ff. de Furt.* nec, ut vulgo Interpretum placet, id negavit Ulpianus *Verſ. ſed verum;* loquitur enim de re longe diverſa, ſcilicet de actione furti: utque adeo non neget, totius acervi furem eſſe, verum totius nomine cum eo furti agendum. Dicerem etiam de his, qui fures non ſunt, & tamen furti tenentur, ſed non usque adeo id pertinet ad noſtram ſpeciem, & eſt vulgare ex §. 11. *Inſt. de Obligat. quæ del. naſc.* & qui in ejus interpretatione occupantur.

Non movet, quod ajunt, etiam levem injuriam infamare, nam id verum non eſt, utique mihi eſſe non videtur arg. *l* 40. *ff. de Injur.* etſi ita in *Capit. Carol. M. L.* VII. *C.* 270. forte ex *C.* 23. X. *de Sent. & re jud.* Magis movere videri poſſet, quod etiam rerum non magni momenti, columbarum videlicet, actio furti competere dicatur in *l.* 8. §. 1. *ff. Fam. erciſc.* Sed dici poterit, ob illas gravius agi, quod res ſint, quæ cuſtodia contineri nequeant; aut eſſe, quæ non minimi ſint, ut teſtis in ea re eſt Marcus Terentius Varro *de R. R. L.* III. *C.* 7. Addo, per *furti actionem* aliquando intelligi *actionem in factum*, non legitimam furti, ex furtiva contrectatione natam & competentem: neque eſt, ut id inſolentius videatur in *d. l.* 8. §. 1. quam eſt in *l.* 52. § 6. *ff. de Furt.* Et ratio Ulpiani in *d.* §. 1. id non magis excludit, quam ejusdem in §. 6. *d. l.* 52. in quo tamen utilem in factum intelligendam probat §. 4. & 5. *ejusdem l.* 52. negat id equidem Antonius Faber Libro *de Error. Pragmat. Dec.* LXXXII. *Err.* 6. 7. & 8. ſed ejus eo loco contra *d.* §. 5. & 6. longa eſt injuria, longæ ambages. Neque etiam dici poteſt, veram legitimamque furti actionem intelligi in *d.* §. 6. quod pater utique fur ſit, quod homo turpis & nequam, nam & tunc pater eſt, nec ideo, ſi quid judico, unquam a filio actione famoſa laceſſendus ob auctoritatem, quam diximus, Juris, & rationem *l.* 9. *ff. de Obſeq. par. & patr. praſt. & Novell.* XII. *C.* 2.

Atque hæc, ut probem ob furtum minimorum non aliam actionem videri dandam, quam quæ in factum eſt. Si de ſummo ſtrictoque jure quæritur, quod actoris eſt, fortean dici poſſet, & veram furti competere: ſed hæc ſit indulgenda, ut inde ſequatur famoſa condemnatio, an vero in factum danda, judicis cognitionem, quemadmodum illa de dolo, deſiderat, ut voluntas legis ſervetur, non verba duntaxat: ſervata ſic ratione *l.* 29. & 30. *ff. de LL.* Neque enim Lex antiqua ſi dixit, *qui clepſit, duplione luito, & inteſtabilis eſto,* illud etiam voluit, ut, qui pilum clepſit, & ſi quid pilo minus eſt, eadem pœna teneatur; ſed coërcere voluit improbam rerum alienarum contrectationem, in damnum Civitatis redundaturam. Si quis contra interpretetur, non tantum Legis conſultus, ſed vel Judex calumniæ nota non carebit, ut nec cenſura, quam in ſui temporis JCtos edixit Tullius in *Muræn. C.* 27. *Legum verba ſervari, æquitatem amitti.* Neque eſt, ut id poteſtatem leges interpretantium excelliſſe videatur, cum ipſi veteres Con-

ſul-

fulti, magna æquitate ſuggerente, cjusmodi exceptiones adhibuerint *l.* 1. *ff. Rer. amot. d. l.* 52. §. 5. *ff. de Furt.* quales &, qui jurisdictioni præſint, adhibere jubet *l.* 12. *ff. de L.L.* Nec etiam in hoc ipſo argumento deſtituimur ſimili obſervatione: criminaliter enim extra ordinem furti nomine agi poſſe ſimpliciter eſt perſcriptum in *l.* 3. *ff. de Priv. delict. l. ult. ff. de Furt.* ſed id, quantumvis de furto conſtaret, non usquequaque tamen recipiebat Judex, nihil amplius quandoque jubens, quam rem furtivam reſtituere *l.* 56. §. 1. *ff. Eod.* Quæ alii de furto rei minimæ ſcripſerunt, facile tranſeo.

CAPUT IV.

Ad L. 3. ff. de L. Pompej. de parricid.

Ait ibi Marcianus: *Sed ſciendum eſt Lege Pompeja de conſobrino comprehendi, ſed non etiam eos pariter complecti, qui pari propriove gradu ſunt. Sed & novercæ & ſponſæ perſonæ omiſſæ ſunt, ſententia tamen legis continentur.* Sic eſt Florentiæ. Haloander poſt Stephanum pro *comprehendi* exhibuit *comprehenſum eſſe*; ſed in his, quæ eadem ſunt, facile patior vincere auctoritatem Libri Medicei. Minus forte illa obtinebit in *propriove*, pro quo Holoander & alii, reſtituta, quæ excidit, ſyllaba, *propioreve*. Alii Codices, & editio R. Stephani, habent *prioreve*, & ita Liber Florentinus in *l.* 4. *ff. de Teſt.* Idemque in *l.* 56. *ff. de Acq. rer. dom. inſula fundo prior*, ut monuit Taurellius in *Notis* ante Pandectas ſuas, *prior* pro *proximior*, *propior*: nam non erat, cur ibi Taurellius, & qui præter eum Pandectas Florentinas ſe repræſentare jactitant, inducto *prior*, ſubſtituerint *propior*; *priorem* quippe pro *propiorem* dixit Proculus, ut alii, quos diximus, in aliis. Temere fere hæc omnia ſollicitavit Petrus Faber *L.* 1. *Semeſtr. C.* 10.

Ceterum recte ſe habet illa *l.* 3. neque enim auferenda eſt ei negans vocula, ut nonnullis placet, neque cum Fr. Hotomano *L.* V. *Obſerv. C.* 31. applaudentibus etiam aliis, tollenda hæc omnia, *comprehendi*, *ſed non*, apage vim majorem. Non negat, conſobrino pares vel propiores ad Legem Pompejam pertinere, ſed negat, nominatim de iis cautum eſſe. Ait, *Lege Pompeja de conſobrino* COMPREHENDI h. e. diſerte & in ipſa formula Legis Pompejæ de conſobrino exprimi: & hoc verum eſt. Idem Marcianus, eodem *Libro* XIV. *Inſtit.* in *l.* 1. *ff. de L. Pomp. de parr.* docuit nos, nominatim illa Lege de conſobrino fuiſſe cautum; idemque hic repetit. Addit autem, adverſanti vocula, *ſed non etiam eos* PARITER *complecti, qui pari propioreve gradu ſunt. Pariter* eſt *eodem modo*, videlicet *nominatim*, & dicit, non ut conſobrini, ſic & alii, qui pari propioreve gradu ſunt, ipſis Legis Pompejæ verbis continentur. Priusquam autem pronunciet, an ſententia Legis contineantur, exemplum, quod rationis inſtar eſt, præmittit. *Sed*, inquit, *& novercæ & ſponſæ perſonæ omiſſæ ſunt* h. e. ſed etiam noverca & ſponſa in Lege nominatim enumeratæ non ſunt; hoc enim ibi eſſe *omitti*, atque adeo, ut ſupra dixerat, *non complecti*, palam eſt ex his: *ſententia tamen legis continentur.* Duo propoſuerat, & ad utrumque reſpondet Marcianus, nempe eos, quos dixerat, quamvis expreſſe non memorentur, nihilominus ad Legis ſententiam pertinere. Et de ſponſis & novercis, de quibus magis dubitari poterat, rationem addit idem Marcianus in proxima *l.* 4. *Eod.* quoniam & ſponſo ſocer ſunt & ſocrus pater materque ſponſæ, etſi nondum conſequutis nuptiis: quemadmodum & gener deſponſatus generi appellatione continetur. Hoc ait *d. l.* 4. quæ ab aliis etiam inepte rumpitur.

CAPUT V.

De Cenotaphio, & ad L. 44. pr. ff. de Religioſis & ſumpt. fun.

Pace tua, Jacobe Gothofrede, liceat & mihi aliquid de Cenotaphio dixiſſe. Apud Suidam finitur: Κενοτάφια. τινὰ ἦσαν ἑλισσόμενα ὡς τύπος νεκροῦ μὴ ἔχοντα νεκρόν. Ita legitur, vertitur, & exſcribitur hic locus, ſed valde dubitem, an recte: quemadmodum enim ſepulchrum, non eſt vera effigies, figura, typus defuncti, ita neque Cenotaphium quaſi effigies, ὡς τύπος. Puto Suidam ſcripſiſſe non τύπος, ſed τόπος aut τάφος; κενοτάφια. . . ὡς τόπος νεκροῦ, *Cenotaphia. . . ad inſtar loci, quo mortuus conditus eſt*, vel ὡς τάφος νεκροῦ, μὴ ἔχοντα νεκρόν, *ad inſtar ſepulchri, cui illatus nemo eſt*, κυρίως γὰρ τάφος οὐκ ἔστιν, inquiunt recte Baſilici ad *l.* 6. §. 1. *ff. de Religioſ.* Forte & dici poſſet, τύπον eſſe *ſignum*, atque adeo τύπος νεκροῦ *inſigne mortui* ſive *monumentum*, æque enim ea vox Cenotaphiis, ac ſepulchris convenit, ut Florentinus docuit in *l.* 42. *ff. de Relig.* & Scholiaſtes, qui Porphyrion dicitur, ad Horat. *L.* I. *Od.* 2. *Verſ.* 15. in emendationem tamen quod proclivior ſum, non una eſt ratio. Cæterum de Cenotaphiis ex re Grammatica ab aliis abunde ſcriptum eſt & transſcriptum.

Ex eo autem, quod Ælius Gallus JCtus apud Feſtum in *religioſus* ait, *ſatis conſtare*, (id eſt, in id conſentire omnes JCtos) *ſepulchrum eſſe religioſum, ubi mortuus ſepultus aut humatus ſit*, ex eo inquam, non obſcure colligas, de Cenotaphio dubitatum & diſſenſum fuiſſe. Et quidem id eſſe religioſum, adducto Virgilii teſtimonio, Marcianus credidit in *l.* 6. §. *ult. ff. de R. D.* ſed mox ejus ſententia refutatur auctoritate reſcripti Divorum Fratrum in *l.* 7. *eod.* Utque adeo ille §. *ult.* non magis lex ſit, quam E. G. Labeonis ſententia in *l.* 42. *ff. de Act. empt.* relata & deinde rejecta, ut & alia ejusdem in *l.* 60. §. 1. *& l.* 61. *ff. pro Soc.* & Nervæ in *l.* 1. §. *ult. & l.* 2. *ff. de Acq. vel amitt. poſſeſſ.* & Pauli in *l.* 1. §. *ult. & l.* 2. *ff. Si quid in fraud. patr.* & aliorum ſine fine modoque. Unde hic ſimpliciter Baſilici, omiſſa Marciani ſententia, τὸ κενοτάφιον μνημεῖον οὐκ ἔστιν. & recte, ſi τὸ μνημεῖον, ut intelligendum, de ſepulchro intelligas.

Inepti igitur valde ſunt, qui de religione cenotaphii, ceu antinomia Juris Civilis, altum hic vociferantur: opima earum ſeges foret, ſi, quoties JCti committuntur, toties ſibi crederetur contradicere Jus Civile, adpoſita maxime & ul-

ultimum recitata, quæ obtinuit, ſententia. Quare nihil hic ſupereſt, quam illa inſpectio, cur, quum Divi Fratres contrarium conſtituerint, tamen aliud Marciano placuerit. Si de Marciano & Ulpiano, qui id reſcriptum retulit in *d. l.* 7. duntaxat ſermo eſſet, facile crederem, hunc negaſſe, illum adfirmaſſe, cenotaphium eſſe locum Manium Deorum, & cuique ſententiæ ſuæ rationem conſtitiſſe: ſed itane Marcianus contra Jus conſtitutum? contra reſcripta Principum? Non licet dicere, quod Connanus *Comment. Jur. Civ. L.* III. *C.* 1. eſſe forte Marciani reſponſum in *d. l.* 6. §. *ult.* ex aliquo ejus libro, quem edidiſſet ante reſcriptum Divorum Fratrum, nam eſt ex *Libro* III. *Inſtitutionum*, quem ſcripſit Fratribus Antonino & Vero jam Divis, ut ipſe refert in eadem *l.* 6. §. 1. Quamvis enim Divi etiam Conſules eſſe poſſe videantur ex ſubſcriptione Legis, neſcio cujus, *Divo Joviano Coſ.* promulgatæ in Codice, tamen non reſcribunt amplius. Hæc velim addi iis, quæ Jacobus Gothofredus *Diatriba de Cenotaphio* adnotavit contra ἀνιστορησίαν eorum, qui *vitas JCtorum* ſcripſere, velim & alia addi, quæ refutandis nonnullorum ſententiis heic recte expedivit. Neque tamen propterea auctor ſim, ut Gothofredi conjecturam ſecuti credamus, id, quod Marcianus ait MAGIS *placere*, exaudiendum eſſe de *peritis Artis Magicæ.* Quaſi vero eorum decreta Auctores noſtri recitaſſent, quos, ut omnia dicam, vivos exuri ſcribunt, etiam Marciani ævo.

Non video peccari, ſi dicamus Marcianum forte non reſciviſſe reſcriptum DD. Fratrum de Cenotaphio. Id quaſi turpe in Viro Juris periſſimo non ferunt Bertrandus & Gothofredus; ſed mihi non videtur JCtis fuiſſe fraudi vel culpæ, unum aliquod reſcriptum ex tot forte millibus ignoraſſe. Ea fere ætate, ut Tertulliani verbis utar, *totam illam veterem & ſqualentem ſilvam legum novis Principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus truncabant & cædebant.* Infinita igitur Reſcriptorum multitudo, & ad privatos ſæpe in cauſis privatis, quæ quis ſciverit omnia? eorum ignorantiam veteribus Conſultis & Cujacium objeciſſe video & laudem meruiſſe: Ulpiano objicit in *l.* 1. §. *ult.* & *l.* 36. *ff. de Pign. act.* ad Paulum *L.* V. *Sentent.* 25. §. 4. ſed quo ibi jure, nunc non diſputo. Rectius forte Paulo in *l.* 58. §. 1. *ff. Mand.* in *Comment ad l.* 10. *pr. D. de Pact.* ratus cum quoddam *D. Pii reſcriptum vel ignoraſſe, vel non adverſiſſe, & ex Juris diſciplina, quod ſibi videbatur, ſcripſiſſe, ex juris ratione, non ex reſcripto.* hoc ſuperdicto: *cum Juris rationibus reſcripta plerumque pugnant.* Sed hoc jam non agimus. Quidni autem de Marciano hic idem dicere liceat, quod ille de Paulo? immo, quidni magis, cum ipſe, quod neſcio an alii fecerint, nonnunquam relatum ſcribat de hac illave Principis Conſtitutione, quam cæteroquin ignoraſſe eſt credendus? *refertur conſtitutum*, ita bis ipſe in *l.* 2. *ff. de Offic. Adſeſſ.* & *l.* 18. §. 9. *ff. de Jur. Fiſc.* Quin ſi reſcriptum DD. FF. reſciverit Marcianus, tamen de ejus interpretatione potuit cum aliis diſſenſiſſe, ut in explicandis Edictis & Reſcriptis ſæpe videas inter JCtos non convenire. Exiſtimavit forte Marcianus, quia ratio id ſuggerebat, ab Divis Fratribus non eſſe præciſe reſcriptum contra religionem Cenotaphii, alii vero contra, quorum ſententia obtinuit *d. l.* 7. *l.* 6 §. 1. *ff. de Religioſ.* Sed quum verba Reſcripti interciderint, non licet de eo quid certi definire; ut nec de alio atque alio cenotaphii genere diſſentientes Ulpianum & Marcianum intelligere, de eodem quippe intellexere, qui Pandectis componendis præfuerunt. Sane Marcianum de Jure, contra Conſtitutionem reſpondiſſe, nemo mihi perſuadebit unquam.

Quia igitur ſatis conſtat, auctoritate Juris, Cenotaphium non eſſe religioſum, ſed eum demum locum, cui mortuus eſt illatus, dubitari poſſet, quid juris, ſi non omnia oſſa, aut totum corpus, verum pars tantum illata fuerit, & quæ pars religioſum faciat. Et quidem prima inſpectio eſt, an, qui per partes pluribus locis ſepultus eſt, plura habeat ſepulchra, an nullum. De Rufino lacerato belliſſime quidem Claudianus *Libr.* II.

—— —— *Jacet, en, qui poſſidet orbem,*
Exiguæ telluris inops, & pulvere raro
Per partes tegitur, NUSQUAM TOTIESQUE SEPULTUS.

Sed JCti noſtri preſſius ſapiunt; ita hanc rem enarrat Paulus in *l.* 44. §. 1. *ff. de Religioſ. Cum*, inquit, *in diverſis locis ſepultum eſt* (ſeu caſu id fiat, ſeu de induſtria, quemadmodum in illis, contra quos declamat Pontifex Bonifacius in *C.* 1. *Extrav. de Sepultur.*) *uterque quidem locus religioſus non fit*, & additur ratio, *quia una ſepultura plura ſepulchra efficere non poteſt.* Id eſt, quum unus homo conditur, quamvis per partes, unum, neque amplius, ſepulchrum eſt. Gregorius Haloander & Hugo a Porta legunt, *unius ſepultura*, verbis quidem clarioribus, re non melius. *Sepultura* interpretationem fert *cadaveris*, quaſi res ſepelienda, *una ſepultura*, unius λείψανα. Sic *humatio* in *l.* 22. §. 4. *ff. Quod vi aut clam.* pro reliquiis, quæ humantur; *furtum* pro re furtiva in *l.* 36. *ff. de Condict. indeb. Puerperium* pro eo, quod paritur in *C.* 2. *Cauſ.* XXXII. *Q.* 2. *Exilia* pro locis exilii apud Curtium *L.* VI. *C.* 4. & apud Senecam *Epiſt.* 95. *conditura* pro re condita. Pergit Paulus: *mihi autem videtur, illum religioſum eſſe, ubi, quod eſt principale, conditum eſt, id eſt, caput, cujus imago fit, inde cognoſcimur.* Hæc eſt Libri Florentini lectio, ſed in poſterioribus vitioſa, quicquid ei tuendæ dixerit Cujacius *L.* XXI. *Obſerv. C.* 4. & ad *L.* III. *Quæſt. Paul.* in *h. l.* 44. Nemo ſic loquitur, *caput, cujus imago fit, inde cognoſcimur*, utique, ſi loquatur, nemo ſic intelligitur. Haloander ita hæc interpolat, *unde qualis cujusque imago ſit, cognoſcitur.* Alii alias cicatrices inducunt. Mihi placet lectio, quam exhibent Hugo a Porta, Robertus Stephanus, Ludovicus Blaublommius, & ex antiquis Editores alii: *cujus imago ſit, unde cognoſcimur.* Forte & trajecta eſt vocula, *unde*, atque ita reſtituenda: *unde, cujus imago ſit, cognoſcimur*, vel forte *cognoſcitur*, ſenſu plano plenoque. Caput nempe eſt pars præcipua, quippe quod imaginem contineat i. e. habet faciem, vultum, unde cognoſcimur, vel ex quo cognoſcimus, cujus ſit imago & vultus. Atque hinc potiſſima pars hominis, quæ ut a reliquo trunco magnitudine vincitur, ſic dignitate vincit. Elegans in hanc rem eſt Achillis Tatii locus ex *lib.* V. *de Amor. Clitoph. & Leucipp. p. m.* 116. *B.* ubi Clitophon Leucippes, ut putabat truncum corpus ſepulturus, ita quiritatur: Τὸ μὲν λείψανον ἔχω σου τοῦ σώματος, ἀπολώλεκα δὲ σέ. οὐκ ἴση τῆς θαλάττης πρὸς τὴν γῆν ἡ νομή. μικρὸν μοί σου μέρος καταλέλειπται ἐν ὄψει τοῦ μείζονος, αὕτη δὲ ὀλίγῳ τὸ πᾶν σου κρατεῖ. Sic verto, *Ego quidem reliquias corporis tui habeo, te vero perdidi. Non eſt maris poſſeſſio eadem, quæ terræ: exigua pars tui mihi reliqua eſt ſub ſpecie majoris, ipſum vero* (mare) *ſub minima te totam habet.* Erat autem illius amentiæ ratio, quod ſibi per-

perſuaderet Clitophon, a Piratis Leucippes caput eſſe humeris avulſum, inque mare projectum, atque adeo ſe ejus reliqua ſepelire; *ſine nomine corpus*, inquit Virgilius, & ex Virgilio Latinus Pacatus de Maximi trunco.

Hoc nolim omitti, verum eſſe, quod definit *d. l.* 44. §. 1. ſi, ut ait, in diverſis locis ſepultum eſt, alioquin ſi uno loco qualiscunque pars corporis, etſi non caput, rite ſit condita, locus religioſus eſſe videtur, idque *b. l.* 44. §. 1. indicat, & fortaſſe etiam *l.* 42. *ff. eod.* quamvis & ibi *reliquiarum* appellatione cineres poſſes intelligere.

CAPUT VI.

Judicii & Indicii *voces ſæpe commutatas eſſe*, *reſtitutis hac ope aliquot locis*, *qui male habent*, *& in primis* L. 6. §. ult. *ff.* de His qui not. infam.

Quum iisdem fere ductibus conſtent literæ U. & N. altera in alterius locum facillime migravit. Indicabo aliquot locos, quibus id accidiſſe reor, nec alia cauſa nunc lectores offendunt. In *l.* 6. §. *ult. ff. de His qui not. inf.* ſic creditur Ulpianus ſcripſiſſe: *Contrario Judicio damnatus non erit infamis, nec immerito: nam in contrariis non de perfidia agitur, ſed de calculo, qui fere judicio ſolet dirimi.* Sic, inquam, creditur Ulpianus ſcripſiſſe, nam Liber Florentinus, & quotquot vidi præter Florentinum, in *extremo* § conſtanter exhibent, *judicio*, vel *in judicio ſolet dirimi.* Nec aliter legit Scholiaſtes Baſilicorum ad *L.* XXI. *T.* 2. *C.* 6. §. 5. *lit. K.* ait enim, in contrariis judiciis non de perfidia quæri, ἀλλὰ περὶ ψήφου, ἥτις σχεδὸν ἐν δικαστηρίῳ διακρίνεται. Sin autem ſerves *judicio*, ſi potes, velim quoque ſerves Ulpiani ſententiam: nam quæ hæc erit? in contrariis, inquit, judiciis non de perfidia agitur, ſed de calculo; hoc intelligo, ſignificat enim, contrarii judicii eam rationem eſſe, ut non, quemadmodum in directo, agatur de fide rupta, ſed de his duntaxat, quæ ad calculum pertinent, atque adeo erroris, non perfidiæ appellatione continentur; neque igitur, ut dixerat, infames erunt, qui judiciis contrariis damnantur. Sed non intelligo, cur de calculo dicat, *eum fere judicio ſolere dirimi*, cum verum ſit, æque *judicio* dirimi cauſam perfidiæ in judiciis directis, nec ex contractibus, vel delictis infamiam irrogari, niſi per ſententiam judicis, excepto forte lenocinio *l.* 4. §. 2. 3. 4. & 5. *ff. de His qui not. infam.* Gloſſa τὸ *fere* explicat *vix*, tanquam ſi dixerit, *calculum vix etiam per judicem expediri*, neque adeo de infamia quæri poſſe, ſi ipſæ partes ſola computatione cauſam componant. Sed quis, Latine locutus, *fere* dixit, & *vix* intellexit? Quod ſciam, nemo, nam alia eſt ejus verbi, & fere oppoſita ſignificatio; *fere* eſt *tantum non ſemper*, *vulgo*, *plerumque*, & *ex communi regula*, cui contrarium eſt *vix*, *raro*, & quæ ſunt ſimilia. Igitur mala eſt Gloſſæ interpretatio, nec aliam alibi reperi, adeo ſecure hæc Ulpiani verba transmiſerunt Interpretes. Niſi tamen Antonium Fabrum commemorem, qui *Ration. ad b. L.* nodum ſecat potius, quam ſolvit, legit enim, *qui fere ſine judicio ſolet dirimi;* quæ mera vis eſt. Vidi etiam, qui ita explicat, in contrariis judiciis agitur de *calculo*, id eſt, *pecunia*, *qui judicio ſolet dirimi*, id eſt, *quæ adverſario propter ſuſceptum judicium abeſt*, quod eſt nugari: quare Auctori parco. Sed quæ tandem eſt hæc ratio, in contrariis ceſſare infamiam, quod judicio fere ſoleant dirimi? Olim tentavi, an *judicii* vox hic proprie poſſet accipi, & referri ad Judices Pedaneos, qui de cauſis cognoſcunt, ſed non pronunciant, niſi Magiſtratus confirmaverit. Apud Auctores noſtros paſſim opponuntur, quæ fiunt in judicio, & quæ in Jure. Ut dixerit Ulpianus, contraria judicia fere ejus conditionis eſſe, ut ad Magiſtratum, qui judicem dedit, non referantur, quo is ſententiam, ſine qua nulla infamia eſt, in Jure pronunciet confirmetve, ſed fere apud ipſum Judicem penitus finiri ac abſolvi. Et hoc veriſſimum eſt in cauſis & litibus, quæ ex calculo oriuntur, quæque non alia fere continent, quam quæ ſunt facti, quemadmodum an impenſum ſit, an vera ſit computatio, an vitioſa, & quo pacto corrigenda. In probatione ea res conſiſtit, probatio fit apud judicem, ſolo igitur judicio abſolvuntur & dirimuntur, quæcunque ad calculum pertinent. Calculi autem appellatione comprehenditur omnis cauſa pecuniaria, in qua de delicto non quæritur, nec de infamia, ſed de eo, quod cuique, ob rem alterius, a patrimonio abeſt *l.* 29. *ff. de Dol. mal.* Sic olim diſputavi pro recepta lectione, plurimis, quæ non adſcribo, in hanc ſententiam additis. Subtilius forte, quam verius. Nunc magis placet, inverſa una litera, pro *Judicio* reſcribere *Indicio.* Varia *Indicii* ſignificatio eſt, accipitur enim non duntaxat pro *ſigno indicante*, ſed & ſimpliciter pro *indicatione.* Unde in Gloſſis Philoxeni μήνυσις redditur *indicatio*, *indicium;* quo ſenſu ea voce uſus eſt Pomponius in *l.* 2. §. 24. *de O. J.* Paulus in *l.* 39. *ff. ad L. Falcid.* Papinianus, ſi, ut oportet, legatur in *l.* 8. *ff. ad L. Jul. Majeſt.* Salluſtius in *Catilin. C.* 46. & 48. Quomodo ſi *Indicii* verbum accipias heic apud Ulpianum, ſignificabit, in calculo ita rem eſſe comparatam, ut fere ſola indicatione poſſit profligari, quicquid eſt erroris: demonſtrato enim eo, quod in rationes perperam irrepſit, tota de calculo controverſia dirimitur. Et recte Ulpianus hæc oppoſuit dolo, inſidiis, perfidiæ, quæ ſolent verſari in judiciis directis, manifeſta ſic diſtinctione, cur directis damnati fiant infames, contrariis non æque. Ait autem de contrariis, *ſolere* dirimi indicio calculi, & *fere*, quo ſciamus, alienum hinc eſſe caſum, calumnioſæ ac ſceleratæ actionis, tunc enim, quamvis contraria ſit, infamia ſequetur, ut de mandati quadam ſpecie ante dixerat Ulpianus in *b. l.* 6. §. 5.

Cæterum ut facilis, ita creberrimus eſt error mutati n. & u. atque in his ipſis, ne alia nunc addam, *Judicii* & *Indicii* vocibus. Papinianus in ea, cujus modo memini, *l.* 8. *ff. ad L. Jul. Maj.* retulit Juliam, ſeu potius Fulviam, Catilinæ conjurationem detexiſſe, &, ſi Libros vulgatos ſequamur, *Marcum Tullium Conſulem judicium ejus* ſeu *in judicium ejus inſtruxiſſe.* Sed prava eſt ea lectio, quamvis & ita tranſcripta in Jus Pontificium *C.* 3. *Cauſ.* XV. *Quæſt.* III. & ſervata, ut videtur, a Græcis, exhibent enim Scholia ad *b. l* Μάρκον Τύλλιον δικάζοντα τούτῳ τῷ ἐγκλήματι. Prava, inquam nihilominus eſt ea lectio, quum Fulviæ *indicium*, non *judicium* Tullium inſtruxerit, narravit quippe ipſa, quæ ex Curio de Conjuratione reſciverat, nec aliud quicquam

quam Fulviæ tribuit Salluſtius in *Catilin. C.* 23. Et Florus in *Epitom. L.* IV. *C.* 1. *Tanti ſceleris* INDICIUM *per Fulvium emerſit.* quo verbo, ut modo obſervavimus, etiam hac in re uſus eſt Salluſtius. Sed, ne quid dubites, ipſe Liber Tuſcus in *d. l.* 8. habet *Indicium ejus*, & Haloander *Indicio ſuo*, quorum prius & alii quidam deinde in Editionibus ſuis ſequuti ſunt, aliis adhuc perperam Vulgatam ſequentibus. Atque ipſe ille Liber optimus in *l.* 1. *ff. ad L. Cornel. de Sicar.* ait Cornelia teneri, qui, cum Magiſtratus eſſet, operam dediſſet, *quo quis falſum* INDICIUM *profiteretur*, *ut quis innocens conveniretur, condemnaretur.* Ubi rurſus Vulgata, & noviſſimi quique Editores: JUDICIUM *profiteretur.* Omnino perperam, & nullo ſenſu. Damnavit id jam Budæus in *Annot. ad d. l.* 1. ſubſtituto *indicio.* Eſt autem cum noſtris, tum exteris Auctoribus ſolemnis locutio; *indicium profiteri*, de qua cum Budæus, & præter Budæum alii recte dixerint, ego abſtineo. Suffecerit indicaſſe commutationem utriusque vocis. Jacobus Cujacius ad *Novell.* XXII. etiam id egit, ſed loca, quæ modo attuli, ipſe prætermiſit. Dedit in hanc rem tria male variantis ſcripturæ exempla, ſatis, ni fallor, apta; ſed quartum ex *l.* 7. *C. de Repud.* ideo diſplicet, quod non vidi Librum, qui ibi *judicium* legat, ſed *indicium* omnes, quos audivi, quodque procul dubio rectum eſt. Variat quoque lectio in *l.* 5. *ff. de Jure Codicill.* atſervanda eſt ea, quæ exhibet *indicio*, inepte *judicio*; judicium alioquin eſſet ipſum teſtamentum. His omnibus addo locum Ciceronis ex *Orat.* IV. *in Catilin. C.* 5. qui in Libris, quos ego conſului, ſic exſtat: *Hæc omnia* (quæ ſcilicet de Catilina præmiſerat) *indices detulerunt; rei confeſſi ſunt*, *vos multis jam judiciis judicaſtis.* Sed aut fallor, aut legendum eſt *indiciis*, quæ enim mox ſubjungit *indicia* ſunt, ex quibus efficit, *ut ii*, *qui in cuſtodiam nominatim dati ſunt*, *ſine ulla dubitatione damnati eſſe videantur.* Confirmat hanc emendationem, quod vetus Scholiaſtes, quem ante aliquot annos Vir Cl. Jacobus Gronovius extulit, Scholio ad hunc locum præſcribat hæc verba: *Vos jam multis indiciis*, ut forte ſic ipſe legerit. Atque ita ſatis conſtat, commutata ſæpe eſſe, calami vitio *Judicii* & *Indicii* verba, nec alia ratione reſtituendam videri *l.* 6. §. *ult. ff. de His qui not. infam.* quæ alioquin male habet.

CAPUT VII.

Emendatur L. 22. C. de Negot. geſt.

Non equidem invideo, miror magis Latinorum Græcorumque acumen, ſi, ut ſibi videntur, tam liquido intelligant, quod vulgo ſcribitur in *l.* 22. *C. de Negot. geſt.* Verba hæc ſunt: *Negotium gerentes alienum*, *non interveniente ſpeciali pacto*, *caſum fortuitum præſtare non compelluntur.* Ipſe autem neſcio, quare conſtare videatur, non niſi abſentis vel ignorantis negotia geri, ſi etiam pactioni ſit locus: ea namque ſi intercedat, qui ſuſcipit & agit rem alienam, non amplius eſt negotiorum geſtor, ſed procurator, qui ex pacto mandatum curat; & tamen de ejusmodi procuratore *h. l.* 22. intelligere nec Titulus, nec verba Legis ſinunt. Palam loquitur de geſtore, neque, ut procurator de geſtore, ſic etiam geſtor de procuratore recte poteſt intelligi, procuratoris enim vox eſt generalis *l.* 17. *pr. ff. de In rem verſ. l.* 51. §. 1. *ff. de Ædil. Edict.* geſtoris non æque, ut recte hæc obſervavit Cujacius *ad African. Tract.* VIII. in *d. l.* 17. & 51. Uſque adeo Gloſſa fallat, cum ait, de procuratore oportere accipi *h. l.* 22. neque minus fallat, cum etiam de ſpecie exaudit, qua, *cum viderem*, *te velle gerere negotia mea*, *dixi*, *ſi contingat te gerere &c.* nam, quamvis dixero, *ſi geras*, *caſum præſtato*, adhuc erit mandatum, non, ut ille putabat, negotiorum geſtio, mandatum quippe & conditionem recipit *l.* 1. §. 3. *D. Mand.* quin etiam, qui patitur, mandat *l.* 6. §. 2. *Eod.* & ubi mandatum, ibi non eſt negotiorum geſtio, hoc eſt, negotiorum geſtorum actio non competit, licet negotia fuerint geſta *d. l.* 6. §. 1. etiam abſentis *l.* 5. *pr. ff. de O. & A.* Nec ſupereſt quoque, ut fingamus, *h. l.* 22. accipiendam non de eo, qui aliena negotia gerit aut geſturus eſt, verum de eo, qui olim geſſit, ac deinde cum domino de præſtando caſu paciſcitur, nam, ut nihil dicam de ſtultitia ejus pacti, refutat illam ſpeciem lex, cum ait: *negotium gerentes alienum*, & quæ ſequuntur. Immo id pactum, utpote ab negotiorum geſtione alienum & remotum, geſtorem obligare negat ratio, & auctoritas *l.* 72. *ff. de Contr. empt.* & *l.* 7. §. 6. *ff. de Pact.* ſi, inquam, pactum ſit duntaxat, ut proponit *h. l.* 22. non etiam ſtipulatio.

Igitur, quamvis apud Græcos quoque *Lib.* XVII. Βασιλικῶν *Tit.* II. *C.* 22. hæc ejus legis particula legatur, εἰ μὴ ἰδικὸν περὶ τούτων γένηται σύμφωνον, nihilominus exiſtimarem, in mendo cubare hæc verba, *interveniente ſpeciali pacto*, legique oportere, *interveniente ſpeciali facto.* Nempe; quemadmodum nemo caſum præſtare cogitur *l.* 23. *ff. de R. J.* ita neque negotiorum geſtor *l.* 22. *ff. de Negot. geſt.* niſi ſpeciale aliquid fecit, geſſit, quod dominus ipſe facere, gerere non ſolebat, ex eo enim quodcunque damnum ſecutum fuerit, in geſtorem redundabit, atque adeo caſum ea in ſpecie præſtabit, ut hæc docet & binis exemplis illuſtrat Pomponius in *l.* 11. *ff. de Negot. geſt.* quod ipſum docebit *h. l.* 22. ſi, ut oportet, legatur.

Atque hanc emendationem & neceſſitas, & præter eam ſola, opinor, modeſtia commendabit; nam F. & P., in Libris antiquis ſæpe commutari conſtat, & ita quoque, ne nunc alia ad partes vocem, in *l.* 4. §. 1. *C. de Advoc. diverſ. Judicum*, pro *puncti ſolatia*, quod varie expoſitum, varie emendatum, nec tamen intellectum eſt, dudum reſtitui *functi ſolatia*; *functi* ſcilicet pro *functionis*; ſed dum eo probando occupor, incido in Editionem, quæ Pariſiis prodiit apud Claudium Chevallon anno 1521. ubi, cum & *functi* ſit, me defunctum arbitror.

CAPUT VIII.

Non eſſe contrarias L. 5. ff. ad L. Jul. pecul. *&* L. 16. §. 4. ff. de Pœnis.

Quum, ut hodie nonnunquam, ita olim, ſecuritatis ergo, res privatorum in templis deponerentur, antiqua fuit controverſia, Græcorum Latinorumque etiam declamationibus agitata, illis ex templo ſubreptis ſacrilegium eſſet, an duntaxat ſimplex furtum. De Græcis fidem facit Sopater in *Declamatione*, quæ dicitur, ὁ ἀντονομάζων, & de Latinis Fabius Quintilianus *Inſtit. L.* IV. bis *C.* 2. rurſus *C.* 4. & *L.* V. *C.* 10. bis iterum *L.* VII. *C.* 3. Et quidem poſt DD. Severi & Antonini reſcriptum non niſi furtum committi conſtat ex *l.* 5. *ff. ad L. Jul. pecul.* Conſtare hoc quoque potuiſſet ex ipſa Lege Julia, quippe qua duntaxat ſancita eſt ſacrilegii pœna in eum, *qui ſacra* tulerit, ut eſt in *l.* 1. *ff. Eod.* non autem dubitatur, depoſitam in templis privatorum pecuniam manere profanam; ut vel hac ratione qui privatam rem ex ſacro ſurripuit, prorſus ſit extra Legem Juliam de ſacrilegio. Idemque confirmant alia JCtorum loca, quæ utique, ut ſacrilegium ſit, ſacrum quid ablatum requirunt, ut *l.* 4. *pr.* & *l.* 9. §. 1. & 2. *Eod.* Unde & in Βασιλικῷ *L.* LX. *T.* 45. *C.* 11. & Harmenopulo *L.* VI. *T.* 5. & in ipſa *l.* 11. §. 1. *b. T.* præciſe additum τῶν ἐν θυσιαστηρίῳ ἢ ἐκ τοῦ ἄλλου ναοῦ ἱερῶν τὶ ἀφελόμενος, *qui ſacri quid ex ſacrario vel reliquo templo ſurripit*, ne quis ſurrepti ex templo nomine & privata eo loco poſita intelligeret. Idque ſupplendum eſt in *l.* 6. *pr. b. T.* ubi ſimpliciter: *ſi quis aliquid de templo tulit*, ſeu illud *aliquid* referendum eſt ad ea, quæ hic dixerat, *dona Dei*, hoc eſt, *donata Deo*, ut Marcianus id effert in *l.* 4. §. 1. *Eod.* In eandem ſententiam *dona Deorum* memorat Paulus *L.* IV. *Sentent. T.* 3 § 3. & *dona Deum* Livius *L.* V. *C.* 22. Atque hæc de Jure, etiam citra reſcriptum in *d. l.* 5. nam explicandæ magis, quam mutandæ Legi Juliæ Conſtitutionem illam acceſſiſſe omnino eſt dicendum.

Nunc de *l.* 16. §. 4. *ff. de Pœn.* videndum eſt; ait ibi Saturninus: *Locus facit, ut idem vel furtum vel ſacrilegium ſit, & capite luendum, vel minore ſupplicio.* Cujus hæc eſt ſententia, ob locum ſubreptionis eſſe furtum aut ſacrilegium, ut qui rem ſacram, furtum facturus, ex domo locove privato abſtulit, in quo forte inveniebatur, fur ſit duntaxat, quia non ſimpliciter, qui quid ſacri abſtulit, Lege Julia tenetur, verum is demum, qui dolo malo *l.* 1. *ff. ad L. Jul. b. T.* hoc eſt, gnarus rem, quam ſurripiebat, eſſe ſacram: quod in eo, qui ex loco non ſacro abſtulit, præſumi nequit, quum eo furandi animo, non legendi ſacra veniatur. Igitur furti tenebitur duntaxat *d.* §. 4. Nec aliter de peculatu Auctor Librorum ad Herennium *L.* I. *C.* 22. *Si quis peculatus accuſatur, quod vaſa argentea publica de loco privato dicatur ſuſtuliſſe, poſſet dicere, cum definitione ſit uſus, quid ſit furtum, quid peculatus, ſecum furti agi, non peculatus oportere.* Sin vero eandem rem ſacram ex loco ſacro ſurripuiſſet, quia & ſacra erat, & ſciri debuit, in loco ſacro eſſe ſolere ſacra, utique ſacrilegus eſt *d. l.* 16. §. 4. Atque ita componenda Conſtitutio & JCti ſententia, quas contrarias eſſe, etiam Cujacio viſum eſt *L.* XIII. *Obſerv. C.* 19. Sed non eſt, ut quæ ipſe aliique ea de re dixerunt, ſequamur; quin potius, ut dixi, ſic habendum: qui rem privatam amovet, quocunque ex loco, etiam ſacro, tamen, quia ſacra non legit, ſacrilegus non eſt *d. l.* 5. qui rem ſacram ex loco privato, quia inde non amovetur, ut ſacra, fur eſt, neque amplius *d. l.* 16. §. 4. Utque ita dicamus, ratio reliqui juris imperat, nec quicquam prohibent verba utriusque Legis.

Cæterum, hæc cum ita ſint, perperam Gratianus *d.* §. 4. retulit in *C.* 19. *Cauſſ.* XXXIII. *Q.* III. *de Pœnit. Diſt.* I. nam ex Conſtitutione Pontificis Joannis VIII. in *C.* 21. *Cauſſ.* XVII. *Q.* IV. §. 1. diſplicuit illa *l.* 5. *ff. ad L. Jul. pecul.* & locus furtum a ſacrilegio non diſtinguit ea, qua nos explicavimus, ratione *l.* 16. §. 4. *ff. de Pœn.* Sic enim Pontifex in *d. C.* 21. *Sacrilegium committitur auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, ſive ſacrum de non ſacro,* & ex Pontifice Carolus V. in *Conſtit. crimin.* §. 171. Quare, ut Juri Pontificio conveniat *d.* §. 4. eo, ut nunc eſt, translatus, omnino eſt accipiendus de rebus privatorum, ex loco ſeu ſacro, ſeu profano ablatis: absque eo enim ſi ſit, locus nequicquam diſtinguit Jure Canonum.

CAPUT IX.

In mutuo aliam pro alia pecuniam reddi poſſe, ut aurum pro argento, & contra; defenſa Libri Florentini lectione in L. 99. ff. de Solution.

Quid ſit mutuum recte dixit Cujacius *L.* XI. *Obſerv. C.* 37. Et conſtat, ad eum contractum ejusmodi res requiri, quæ dari, conſumi, & quoque reſtitui poſſunt: quæ cum non cadant in ea, quæ in ſpecie conſiſtere dicuntur, apparet, hæc ad mutuum non pertinere, verum ea tantum, quæ ſine reſpectu hujus illusve corporis pondere, numero, ac menſura valent, utpote in quibus non eadem ſpecies, ſed genus attenditur. Unde Heſiodus de mutuo, quod menſura conſtat, & magis pertinebat ad ejus Ἔργα καὶ Ἡμέρας *Verſ.* 349. & 350.

> Εὖ μὲν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὖ δ' ἀποδοῦναι
> Αὐτῷ τῷ μέτρῳ. —— —— —— —— ——

Juris loca in hanc rem protrita ſunt. Illis conſentit Gajus *L.* III. *Fragment. T.* 2. §. 1. cum ait: *Re contrahitur* (obligatio) *quoties aliqua cuicunque mutuo dantur, quæ in his rebus*, & reliqua; locus enim longiuſculus eſt, &, ne neſcias, quantus quantus eſt, peſſime habitus ab Salmaſio in *Diſquiſ. de Mutuo p. m.* 152. Nihil omnino eſt mutandum, niſi forte in verbis, quæ modo retuli, pro *aliqua cuicunque* placeret legere *alicui quæcunque*, quod, licet non usquequaque neceſſarium, magis tamen placet, quam Salmaſii contractum *aliquacunque.* Cætera ejus loci defenderem, ſed tædet minutias perſequi. Quod autem Gajus ait in *d.* §. 1. & cum Gajo omnis Jurisprudentia Pandectarum, mutuo datum reddi debere ſimili pondere, numero, ac menſura, accipiendum eſt & interpretandum ex ipſius rei natura, quæ in creditum ivit, ut ſi pecunia data fue-

fuerit, ejus numerum ex quantitate, non ex corporibus æſtimemus: etenim cum pecunia res ſit incorporalis, & in quantitate pretii ſola conſiſtat, multitudo corporum nequicquàm ſpectatur. Quare debitor pecuniam eodem numero reddit, ſi reddat eadem quantitate & vel aurum pro argento, argentumve pro auro: nam alterum, ut pecuniam, accepit, alterum, ut pecuniam, reddit: & dummodo quantitas quantitatem æquet, totidem nummorum corpora, & ejusdem monetæ, non eſt, cur præciſe reſtituat. Contra pecuniæ naturam ex *d.* §. 1. Gaji negavit id Salmaſius in *D. ſquiſ. de Mut. p.* 112. *d. p.* 152. & *p.* 153. quin & contra liquida juris decreta, quæ, niſi aliud actum eſt, in pecunia quantitatem, non corpora æſtimari jubent, ut optime diſputavit Franc. Hotomanus *Ill. Quæſt.* XV. Perperam autem, ut hæc eluderet, Salmaſius *quantitatem* in *l.* 94 *ff. Depoſ.* & *l.* 94. §. 1 *ff. de Solut.* intelligebat de *numero*, non de *poteſtate* ac *æſtimatione* nummorum, utique perperam, ſi, ut facit, numerum ab æſtimatione diſtinguat: quantitas enim in nummis non eſt aliud, quam *publica ac perpetua æſtimatio*, ut Paulus definivit in *l.* 1 *ff. de Contr. empt.* Sin vero, in hoc argumento, homines fori potius ſui audiviſſet Salmaſius, etiam iis teſtimonium indixit Hotomanus *d. Quæſt.* XV.

Sed ut neque ex Gaji loco, neque ex aliis quæ Salmaſius attulit, id quod ait, probatur, ita tamen hoc ipſum aperte confirmari videbatur Pauli reſponſo in *l.* 99. *ff. de Solut* ubi Vulgata & Haloander: *Creditorem non eſſe cogendum in aliam formam nummos accipere, ſi ex ea re damnum aliquod paſſurus ſit.* In Florentino eſt *debitorem*, at aliam lectionem, vincere fere jam obtinuit, ubi, poſt auctoritatem Baſilicorum, ita viſum eſt Cujacio in *Comm.* ad *l.* 59. *ff. de V. O.* & ad *Pauli Reſponſ. L.* IV. *in h. l.* 99. & Hotomano *d. Q.* XV. Quin nec alias in Jure noſtro ſine exemplo eſſe creditur, *creditorum* & *debitorum* nomina confundi; ſed hoc non agimus. Cæterum, quamvis *creditorem* legas, tamen illa *l.* 99. Hotomanum nihil moratur, quominus dicere pergat, etiam in aliam formam, quam creditum eſt, recte ſolvi; hoc enim cum dicit, ſemper exaudit, dummodo ne creditori eo inferatur iniquior conditio. Non recte, nam ſi demus, defungi debitorem, ſi pecuniam quantitate eandem refundat, non animadverto, quid ad illum creditoris damna? jure ſuo utitur, & publica pecuniæ æſtimatione. Imo vix damnum putem, ubi ſola lucri cauſa deeſt, ubi commodum creditoris vertitur duntaxat, nam facilior pretii ſolutio nequicquam præſtat, niſi meliorem cauſam *l* 4. §. 6. *ff. de In diem addict.* Unde iis non aſſentior, qui vulgatam lectionem, atque adeo *creditoris* vocem, revocandam cenſuere in *d. l.* 99. Quin mendoſam eſſe, etiam mutui natura probaverit, hæc enim cum ſtricta ſit, & ex jure cenſenda, ſusque deque habet creditorum commoda & incommoda, modo res eo loci, quo accipiuntur & redduntur, in genere ſuo recipiant functionem *l.* 2. §. 1. *ff. de R. C.* ut certe functionem recipit pecunia & pecunia, aurea, argentea, ærea, ſuo quæque pretio; abſit dummodo malitia, cui non indulget Jus Civile, ut ſi quis ære minutulo vellet expungere grande debitum. Atque hæc, niſi quid ſecus pactum proponatur, ut fere fieri ſolet, cum meliorem pecuniæ ſpeciem mutuo damus: quo facto ex lege conventionis eandem repetemus actione in factum, nam ſola mutui actio, ſpeciem petendo, non ſufficit: ſiquidem notiſſimos id condictionis terminos excedat, aliaque, quicquid convenerit, ſervandi ſuppetat ratio, ut videmur recte probaſſe in *Diſſert. de Pact. jur. ſtrict. contract. in contin. adj.* C. V.

Igitur Accurſianorum ſcriptura ne quidem jure ſubſiſtit, multo minus inducenda erit contra lectionem Hetruſcam, quæ non tantum vincit in pari cauſa, ſed, cum defendi poſſit, etiam contra plurium Librorum & hominum auctoritates. Negari autem nequit, bonam eſſe veramque Pauli ſententiam, cum *debitorem* non cogendum eſſe dixerit, damno ſuo, in aliam formam nummos accipere. Ipſe Cujacius ad *Paulum*, quamvis in emendationem proclivior, agnoſcit tamen, in debitore ſpeciem poni poſſe, *ſtipulatione præcedente mutuum*, ut in *l.* 6. *in fin. ff. de Novat.* qua, ſi convenerit de certa nummorum forma, in aliam accipere cogendus non erit. Quinimo ſine prævia ſtipulatione aut conventione de hac illave pecuniæ ſpecie, ſatis expeditam eſſe reor *h. l.* 99. nam ecce ſi debitor, qui ſimpliciter ſignificavit fœneratori, ſe mutuo indigere aliquot millibus, oblatam ab eo pecuniam, utpote ſibi damnoſam, repudiaverit, non puto cogendum accipere, ut ſi ei ſpecies pecuniæ utilis non ſit, puta, quod eam exponere, quod alio locorum mittere nequeat, aut ſi quid his eſt ſimile. Utque ita hoc, *in aliam formam*, non duntaxat eſſe poſſit ex Cujacii ſententia, *in aliam*, quam convenit, ſed & *in aliam*, quam debitori eſt utile, aut quam habet opus, ſive enim legas *creditorem* ſive *debitorem*, ſemper oportet aliquid ſuppleas, quo ſuſtineatur illud, *in aliam formam.* Licet autem fœnerator pecuniam comparaverit, & credendam obtulerit, attamen debitor obligatus nondum fuit, quippe re nondum data, qua demum conſtituitur mutuum *l.* 2. §. 3. *l.* 9. §. 4. *ff. de R. C.* *Debitorem* autem Paulus dixit pro *debiturum*, qui vult debere, ſeu pecuniam mutuam ſumere; ejusmodi locutiones in Jure occurrunt multæ, de quibus commentatores ad *Rubr. ff. Solut. matrim.* At vero ſi ex pecunia alterius formæ, quam vellet, nihil omnino detrimenti paſſurus ſit debitor, ut ſi ex ſola contumacia accipere detrectet, non equidem adhuc cogetur in creditum ire, & accipere pecuniam, quam obtulit fœnerator, ſed tamen impune non feret, ſi de pecuniæ ſpecie non monuerit. Imo magis eſt, ut damnetur in id, quod fœneratoris intereſt nummos corrogatos, nec tamen erogatos eſſe; ſed alia eſt quæſtio de mutuo, alia de eo, quod intereſt. Cæterum moneo, aliam quoque ab hac diſputationem eſſe de mutato monetæ pretio, & perperam a nonnullis hæc confundi.

CAPUT X.

Nihil, ut vulgo, ſed tamen aliud, mutandum videri in L. 2. §. 1. ff. de Reb. Cred.

Quæ *proximo Capite* ad Paulum diximus, idem Paulus ex natura mutui enarrat in *l* 2. § 1. *ff. de R. C* ſed quum is etiam locus varie a variis affligatur, tuebimur, quia in eo ſumus, ejus quoque lectionem Tuſcam; non equidem per omnia, ſed quantum ejus fieri poterit. Eſt autem hæc: *Mutui datio conſiſtit in his rebus, quæ pondere, numero, menſura conſiſtunt: quo-*

quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire; *quia in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie.* Tuebimur, inquam, hanc lectionem, niſi quod pro *quia* ex fide aliorum Codicum reſcribamus *quæ*, & unam porro vocem, loco, ut videtur, motam reſtituamus ordini, quem ſenſus poſtulat, ſed id mox intelliges. Ait, *quoniam eorum*, & recte, nam id ad ſequentia referendum eſt, *eorum quæ in genere ſuo*, &c. Perperam Editorum alii *earum*, tanquam ad τὸ *rebus* pertineret, quod præceſſit; alii, repetita & expreſſa vocula, *earum rerum*, ſed nihil in eo mutandum. Si, ut monui, *quæ* pro *quia* legeris, jam ſenſus erit commodiſſimus, & una tantum Pauli ratio, non, ut alias, duæ, quarum prima oppido inepta eſſet: probaturo enim mutuum in his rebus conſiſtere, quæ pondere, numero, menſura conſiſtunt, ineptum eſt hanc rationem dediſſe, quia earum datione in creditum imus, hoc eſt, mutuum in hiſce rebus conſiſtit, quia conſiſtit. Gloſſa, ut illud evitet, ſubaudit *tantum*, ſed neque tum erit ratio non inepta, & hæc ſcilicet: in illis conſtat mutuum, quia duntaxat in illis mutuum contrahimus. Igitur hoc non placet, quamvis placuerit etiam Donello in *Comm.* ad *h. l.* 2. §. 1. *n.* 3. Rationis hæc eſt natura, ut ad probandum, quod proponitur, quid adferat, non ut dicat idem: ſin autem Paulus rationem unam abſolviſſet in verbis, *quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire*, idem duntaxat in ratione eſſet, quod erat in propoſitione; ut ita non tam rationem dediſſet, quam repetiiſſet id, quod ratione erat probandum. Atque hoc eſt, quod noſtri dicunt, bis de eodem idem dicere, quod ut fit aliquando, nunquam tamen obtinet, ubi, quod præceſſit, eſſet idem cum appoſita ratione.

Quare omnino conſtituendum eſt, non duas hic, ſed unam eſſe Pauli rationem, uno ſpiritu ita legendam: *quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire, quæ in genere ſuo functionem recipiunt &c.*. Hoc eſt, quia mutui natura poſtulat, ut his tantum rebus peragatur, quarum altera alterius ope & vice fungi poteſt. Leviſſima mutatio eſt τοῦ *quia* in *quæ*, nec tamen eam noſtro Marte defendimus, ſed ex lectione, quam inter varias habet margo Editionis apud Sennetonios Lugd. 1549. Quin & Haloandrum ita legere retulit Viglius Zuichem. in *Comm.* ad *h. l.* 2. §. 1. *n.* 50. ſed hoc ejus fide eſſe jubeo, nam in Editione Baſilienſi anno 1541. legitur, ut vulgo, *quia*; in variis tamen Lectionibus, ad finem ejus Editionis collectis, reperi *quæ*, & hæc, ut dixi, ſcriptura bene ſe habet.

Cæterum valde ſeditioſe agunt Interpretes de verbo *functionis*, & quid ſit *functionem recipere per ſolutionem*, & denique de integra Pauli ſententia, turbatoque verborum ordine, *quæ in genere ſuo functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie.* De *functionis* vocabulo, quemadmodum tumultuentur, videre licet apud Goeddæum in *Comm. de V. S. ad l.* 4. *n.* 26. *& ſeqq.* & etiam Viglium *d. loc. n.* 55. *& ſeqq.* Imo & ad vim armatam ſunt, qui properant. Salmaſius *ſuffectionem* ſubſtituit in *Diſquiſ. de Mutuo. p.* 116. & *de Uſur. p.* 9. 10. 218. & *ad Jus Att. C.* VI. *p.* 183. 189. Etiam neſcio quis *fictionem*. Duarenus *Lib.* I. *Diſp. Anniv. C.* 14. poſt alias *functionem* a *ſolutione* non ſeparat, ſed illa *per ſolutionem* κατὰ παρένθεσιν legenda cenſet, ἐξηγητικῶς puto; alii aliter, ut ſe expediant. Ego ſervo *functionem*, ſed non illo loco: neque enim puto recte dici, *quæ functionem recipiunt per ſolutionem*, cum ſolutio nihil quicquam conferat ad functionem, non res, dum ſolvuntur, ſed quæ ſolvuntur, eædem videlicet genere. Quapropter per μετάθεσιν lego: *quæ in genere ſuo ſolutionem recipiunt per functionem, quam ſpecie*, hoc eſt, ut mox latius dicam, quæ tam in genere, quam ſpecie recte ſolvuntur, dum, ſi in genere, funguntur & vicem ſubeunt eorum, quæ data ſunt. *Functio* enim & *fungi* in hanc ſententiam qui & ubi dicatur, late expoſuit Jacobus Gothofredus Diſſert. *de Functione & æqualitate in mutuo* ad *h. l.* 2.

Reliqua ejus §. opinor ſe recte habere, quamvis propter verba, quæ obſcuriora ſunt, prolixe videas velitari Interpretes. Memini alias me dicere, & verum eſt, ſæpe accidere in Auctoribus, etiam qui accuratiſſime loquuntur, ut eorum mentem perfecte, non æque verba, intelligamus. Quid hic ſibi velit Paulus, nemo neſcit unus, verba intricatiora ſunt, ſed tamen ſibi conſtant. Obtinuit fere, ea ſic eſſe accipienda, ut poſt Antiquiores nonnullos accepit Hugo Donellus in *Comm.* ad *h.* §. *n.* 5. puta, mutuum ideo conſiſtere in rebus, quæ pondere, numero, menſura conſtant, quia illæ magis in genere ſuo ſolutionem recipiunt per functionem, quam in ſpecie. Quin ſunt Editores, qui exprimunt τὸ *magis*, vel etiam *potius*, adduntque illud *in*, *in ſpecie*, quemadmodum & id utrumque eſt in MS. meo. Sed non opus eſt addere, quod licet tuto ſubaudire, τὸ *in* facile repetitur ex τῷ *in genere ſuo*. Quæ etiam ratio eſt, cur neceſſe non ſit ſequi Libros, qui habent *ſpeciem*, per functionem magis, quam ſpeciem, vel, ut rurſus alii, *per ſpeciem*, ſatis alioquin ſpecioſe. Commoda etiam Pauli ſententia erit, ſubintellecto *tam*, quod ſubintelligere licet; diceret enim, mutuum duntaxat in fungibilibus conſiſtere, quia ea, dum ſolvuntur, tam in genere ſatisfaciunt (cum alterum alterius vice fungatur) quam ſi in ſpecie redderentur. Et ſane ante voculam *quam* τὸ *tam* non expreſſum ſæpius intelligi, non erat negandum Zuichemo ad *h.* §. ejuſmodi locutionum exempla alii jam ſatis notarunt, & ita etiam Tacitus *Annal. L.* II. *C.* 12. & *Lib.* IV. *C.* 61. Sin autem minus placeant peregrina, etiam in Jure noſtro novum non eſt, illud *tam* aliquando omitti, ubi ſequitur *quam*, ut in *l.* 20. *pr. ff. de Acq. vel omitt. hær.* & non expreſſum etiam intelligi poteſt in *l.* 12. *de Offic. Præſid.* male enim ei Legi *tam* inſerunt, vel ſimpliciter, ut Hugo Grotius in *Flor. Sparſ.* ad *d. L.* vel per ἀναδίπλωσιν, ut J. Gothofredus *C.* XI. ad *l.* 9. *ff. de L. Rhod. d. jact.* etſi id etiam habuerint Haloander, & antiquior editio R. Stephani Pariſ. 1527. hic addito, ille omiſſo *tamen*. Quod ſi adhuc inſolentius, quam eſt, eſſe videatur ante *quam* ſupprimi *magis*, vel *tam*, in Auctoribus noſtris plus exemplorum obſervavit Auguſtinus *L.* IV. *Emend. C.* 8. & in exteris Stewechius de *Partic. Ling. Lat. p. m.* 398. & 399.

Utram vero ex his voculis ſubintelligas, ſemper erit veriſſimum, mutuum & *magis*, & *tam* in genere reddi, quam ſpecie; *magis* redditur in genere, ſi uſum attendas, cum vix ſine alienatione vel conſumptione res creditæ poſſint eſſe utiles; & tamen conſtat, non minus recte ſpeciem reddi, quam genus, hoc eſt, creditori æque fieri ſatis, ſi idem corpus, ac ſi in genere idem reſtituatur, ut recte Donellus exſequitur in *Comm.* ad *h.* §. minus tamen recte idem *n* 5. τὸ *magis* refert ad genus, quia ſpecies tempore corrumpi poteſt, vinum aceſcere, fru-

frumentum corrodi, & ita in reliquis. Sed, ut dixi, non usque adeo recte, nam ſpeciem cum dicimus, eandem intelligimus, eadem bonitate, non corruptam, centum modii V. G. tritici Africi optimi, qui ſi dati ſint, ea ipſa ſpecie ſemper queunt reddi, hoc eſt, bonitate eadem, corrupto namque frumento, etiam ſpecies corrumpitur, atque adeo ea reddi nequit, *proprie enim dicitur res non reddita, quæ deterior redditur l.* 3. §. 1. *ff. Commod.* Igitur ea ratione non licet dicere, fungibilia magis in genere, quam ſpecie ſolutionem recipere, ſed illud *magis* eſt ex uſu & contrahentium animo.

Atque ex his opinor conſtare, Jacobum Gothofredum Libr. *de Funct. & æqual. in mut.* ad *h. l.* 2. §. 1. *p.* 28. *& ſeqq.* pro *quam ſpecie* perperam legere *æquam ſpecie*, ſive *æqua ſpecie;* ac ſi dixiſſet Paulus, rem mutuo datam in genere eſſe reddendam & *æqua ſpecie* i. e. æque bona. Ejus viri eruditionem ſuſpicio & ſtupeo, ſed in ea parte Critices, quæ in emendandis Auctoribus, cum noſtris, tum aliis, abſolvitur, fere eſt, ut infeliciſſime verſatum auſim dicere.

CAPUT XI.

Ad L. 15. §. ult. L. 16. & L. 17. pr. ff. de Uſufr.

Difficile &, ut videtur, corruptum ac turbatum eſt, quicquid legitur in *l.* 15. §. 7. *l.* 16. & *l.* 17. *pr. ff. de Uſufr.* Ait Ulpianus *Libro* XVIII. *ad Sabinum* in *pr.* §. 7. proprietarium ſervitutem amittere non poſſe, quod verum eſt, ſi *amittendi* vocabulo intelligamus *adimere*, *tollere*, quemadmodum in *l.* 6. *&* 7. *pr. ff. de Capit. min.* alioquin amittere poſſe conſtat, & dicit hic idem §. Porro ait Ulpianus, quod res eſt, vel potius non eſt: *Proprietatis dominus nequidem conſentiente fructuario ſervitutem imponere poteſt*, & mox Paulus in *l.* 16. *Niſi qua deterior fructuarii conditio non fiat; veluti ſi talem ſervitutem vicino conceſſerit, jus ſibi non eſſe altius tollere;* rurſus Ulpianus, *eodem Libro ad Sabinum*, in *l.* 17. *Locum autem religioſum facere poteſt conſentiente Uſufructuario, & hoc verum eſt favore religionis. Sed interdum & ſolus proprietatis dominus locum religioſum facere poteſt; finge enim, eum teſtatorem inferre, cum non eſſet tam opportune, ubi ſepeliretur.* Quod ait, proprietatis dominum, vel conſentiente fructuario, ſervitutem imponere non poſſe, tam cum omni ratione pugnat, quam quod maxime, & palam nihili ſunt, quæ tanta diligentia tam exiliter multi huic paradoxo defendendo conquæſiverunt. Cur non uterque jus ſuum recte remittat? utriusque cauſa agitur, neque alterius cujusquam. Sane recte, ſi conſentiant, jus ſuum remittere diſcimus ex ſervis, quos, utroque conſentiente, manumitti poſſe conſtat ex *l.* 2. *ff. de Manum. vind.* & *l.* 1. *C. Comm. de manumiſſ.* Similiter uterque jus ſuum in fundo remittunt, minuunt, aliisque cedunt, quod aquæductus exemplo demonſtrat Paulus in *l.* 9. §. 2. *D. de Aq. & aq. pluv.* itemque Ulpianus in *l.* 8. *Eod.* nec ambigitur, quin jus aquæ ducendæ, ſervitutem, qua de ibi agitur, recte aliis conſtituant, ſibique adeo demant & dominus, & cui ſervitus aquæ debebatur: ſed hoc ait Ulpianus in *d. l.* 8. & Paulus in *d. l.* 9. omnium quorum utilitas verſatur, conſenſum deſiderari, atque ita ejus, ad quem uſusfructus ſervitusve pertinet, & ſimul ejus, ad quem jus ſolidum recidere poteſt, id eſt, domini. Et hoc rationem habet, probatam, ut videtur, etiam Paulo in *h. l.* 16. namque ibi permittit domino imponere ſervitutem, modo non inferatur fructuario iniquior conditio. Atqui verum eſt, nunquam hanc inferri conſentiente fructuario, *nullam enim poteſt videri injuriam accipere, qui ſemel voluit*, ut in hoc ipſo argumento dixit idem Paulus in *d. l.* 9. §. 1. *de Aq. & aq. pluv.* Quocirca exceptio *h l.* 16. ſubvertet regulam *l.* 15. *in fin* dum hæc negat, illa ait, conſentiente fructuario recte ſervitutem imponi. Rurſus tamen regulam confirmat, quæ una ſerie additur, *l.* 17. *pr. Eod.* nam τὸ *autem*, quod ibi eſt, ſignificare putes, quæ ſequuntur, adverſari iis, quæ præceſſerant, & ait hoc in ea ſpecie extorſiſſe *favorem religionis*, præcipuum igitur illud eſt contra alia Juris decreta in aliis.

Vidi plures interpretationes earum *LL.* plures item emendationes, ſed quarum nulla erat bona, alia alia pejor. Quicquid autem dixeris, non extricaveris cauſam, niſi velis ſollicitare lectionem, quam alioquin, fateor, exceptis minutulis quibusdam, in omnibus Libris conſtantem reperi, & confirmatam a Baſilicis. Næ hic mihi valde placet emendatio Viri clariſſimi Cornelii van Eck, Præceptoris olim mei in *Diſputatione*, quam Ultrajecti habuit anno 1697. pro *nequidem* in *d. l.* 15. §. *ult.* legentis *equidem;* placet etiam, exceptionem Pauli in *d. l.* 16. exaudiendam eſſe de conſenſu fructuarii, hoc modo: proprietatis dominus ſervitutem imponere poteſt, ſed conſentiente fructuario, niſi qua deterior ejus conditio non fiat, tunc enim vel diſſentiente fructuario ſervitutem recte imponit. Sed tamen, quia ſervato verborum ordine, qui nunc eſt, exceptio *d. l.* 16. magis pertinet ad impoſitionem ſervitutis, quæ proxime præceſſit, quam ad conſenſum fructuarii, qui longius abeſt, ego pace Viri Clariſſimi, trajectis nonnihil vocabulis, ita legerem: *Proprietatis dominus ſervitutem imponere poteſt: equidem conſentiente fructuario, niſi qua* &c. Sic bene cohæret exceptio, quam cæteroquin, ſi, ut par eſt, ad conſenſum fructuarii referas, valde oportebit torquere & durius attollere.

Deinde in *d. l.* 17. pro *autem* lego *item*. & ita tranſpono: *Locum item religioſum facere poteſt, conſentiente uſufructuario. Sed interdum & ſolus proprietatis dominus locum religioſum facere poteſt; & hoc verum eſt favore religionis: finge enim &c.* Poſſes etiam ſervare voculam *autem*, quia non adverſando ſemper ſervit, ſed & ſimpliciter tranſeundo, ut memini Grammaticos obſervare; alioquin facillima eſt mutatio τοῦ *autem* in *item*. Ea præter nihil muto, niſi rurſus verborum ordinem, turbatum antea, nec qui ex Jure defendi poſſit: nam ſi conſentiat uſusfructuarius, nihil quicquam huc pertinet favor religionis; at ſi diſſentiat, jam ea ratio poterit obtinere. Atque has, non dico literarum, ſed etiam vocum & ſententiarum trajectiones in Pandectis Florentinis eſſe frequentiſſimas totiens dixit Antonius Auguſtinus, ut in hunc locum excurrere nunc equidem non vacet. Ita malumus, quam correctiones, non ſatis commodas, obtrudere *d. l.* 15. vel etiam *d. l.* 17. & ita quoque ſubſiſtet Jurisprudentia utriusque capitis,

& exceptio in *d. l.* 16. & univerſa diſputationis ſeries, quam heic habemus ex arte Triboniani, qua uſus eſt in dirigendis fragmentis veterum JCtorum.

CAPUT XII.

Suſpicio critica ad L. 4. pr. C. de Hæret. & Manich.

Quod ſcriptum eſt in *l.* 4. *pr. C. de Hæret. Manichæos ſeu Manichæas vel Donatiſtas meritiſſima ſeveritate perſequimur*, neſcio, an bene habeat: cui enim bono *Manichææ* ſequuntur, ubi *Manichæi* præcedunt? Igitur, niſi quis rationem doceat, cur *Manichæorum* nomine etiam mulieres non contineantur, ut Arrianorum, Macedonianorum, & cæterorum in *l.* 5. *C. Eod.* & ut vulgo nomine maſculo fæmininum comprehendi conſtat *l.* 1. *& l.* 195. *pr. ff. de V. S.* non alienus eſſem a ſuſpicione, pro *Manichæas* ſcribendum eſſe *Mannichæos*. Narrant Hæreticographi, & vel Auguſtinus in Libro *de Hæreſibus* §. 46. Manichæos a quodam Perſa eſſe ortos, qui vocabatur *Manin*, & ante *Urbicus.* Additque Auguſtinus: *Sed in Græcia Diſcipuli ejus, vitantes nomen inſaniæ, quaſi doctiores & eo ipſo mendaciores, geminata N litera, Mannichæum, quaſi manna fundentem, pro Manichæo, id eſt, inſano appellaverunt.* Orthodoxi igitur id genus hæreticos vocabant *Manichæos*, ipſi ſe, ne ἀπὸ τῆς μανίας appellati viderentur, *Mannichæos*; atqui ita, ſi non inſaniam, inſaniæ tamen nomen vitabant ſtultiſſimi mortalium. Ex hac autem duplici appellatione nata videri poteſt hæc ſcriptura: *Manichæos ſeu Mannichæos, vel Donatiſtas*, &c. Imperitus harum rerum ſcriba, bis eosdem dici ratus, facile *Manichæas Manichæis* ſuppoſuit, cum non differat ſcriptura, ſi O. in A. mutes, nam *Mannichæos* ſcribimus *Mañichæos*, vel *MaNichæos.* Et confirmat, quæ ſuſpicati ſumus, vocula *ſeu*, *Manichæos ſeu Mannichæos*, ex varia ſcilicet appellatione, cum alioquin, ſi de Manichæis fæminis ſermo eſſet, commodior, ne dicam, neceſſaria eſſet conjungendi vocula. His addo, etiam a Codice Theodoſiano in *l.* 40. *de Hæret.* abeſſe illud *Manichæas*, ut multa ibi abſunt, & contra, quæ hic reperiuntur. Baſilicos tamen ſequiorem ſexum hic expreſſiſſe non negem, ut ita mendum, ſi mendum, antiquiſſimum ſit.

CAPUT XIII.

De ſecundo Capitulo Legis Aquiliæ.

Quum non commemorata Juris ſanctione ſimpliciter Juſtinianus in §. 12. *Inſt. ad L. Aquil.* & Ulpianus in *l.* 27. §. 4. *ff. Eod.* ſignificent, ſecundum Capitulum Legis Aquiliæ in deſuetudinem abiiſſe, Viris eruditis id ſalivam movit, in eo indagando ut induſtriam ſuam excitarent. Neſcio tamen, an adſecuti ſint. Cujacius in *Parat. ff. & C. ad L. Aquil.* ſecundo Capite cautum exiſtimat de damno, cujus primum & tertium Caput non meminerat, ut ſi quis non occiderit, non uſſerit, fregerit, ruperit, ſed alia ratione nocuerit injuria, forte ſi utilitatem nobis interceperit: cujus rei exemplum attulit ex Plinio *L.* IX. *C.* 59. de piſce Anthia, qui, dum greges piſcium capiendos adducit, ipſe injuria capitur ab improbo piſcatore, quo nomine ait Plinius piſcatori ſocio *editam eſſe dati damni formulam.* Laudat hanc conjecturam Mornacius ad *l.* 27. §. 4. *ff. ad L. Aquil.* & ipſe & alii gregatim ſequuntur. Ego ea ſententia uti non poſſum: id enim damnum, ſi modo damnum dici queat, piſces non capi propter captum Anthiam, ſatis Capite tertio vindicatum fuiſſe, ipſa ejus verba oſtendunt in *l.* 27. §. 5. *Eod.* quin & Capite primo, ut obſervare licet ex *l.* 21. §. *ult.* & *l.* 22. *pr. Eod.* Imo forte in ea ſpecie ipſius duntaxat Anthiæ, non piſcium, qui ideo capti non ſunt, facta eſt æſtimatio; nec contradicit eo loco Plinius. Sane damnum interceptæ utilitatis, ob piſces non captos, Aquiliam non vindicaſſe auctor eſt Labeo in *l.* 29. §. 3. *ff. ad L. Aquil.* retium ille, quæ inciſa ſunt, non piſcium, avium, ferarum, quæ captæ non ſunt, æſtimationem fieri ſcribit. Ut porro taceam de ejusmodi damno, de quo hic cenſet Cujacius, etiam extra Legem Aquiliam, nihil uſpiam cautum videri, imo contra potius in *l.* 21. §. 3. *ff. de Action. empt.* Neque etiam ait Plinius, vel Anthiæ damnum, vel piſcium non captorum fuiſſe vindicatum ſecunda parte L. Aquiliæ, ſed ſimpliciter *damni formulam fuiſſe editam*, quod, ut dixi, de piſce ipſo, quin & de eo, quod intereſt, recte referas ad ſimilitudinem *C. I.* aut ad ipſum *C. III.*

Sunt, qui de *ſervo corrupto* illud *C. II.* egiſſe ſibi perſuadent; quam ſententiam *Libro ſingulari* exſequutus eſt Cladius Chifletius, & habet ſane, quæ in hanc rem dici mereantur. Largior, ut tota Lege Aquilia, ſic Capitulo II. de damno fuiſſe cautum, largior id damnum non deſiiſſe damnum eſſe, ſed alio deinceps & lautiori modo ei proſpectum videri, quo ita Aquilia in hoc articulo ceſſaverit, at vero damnum ſervi corrupti eo Capite fuiſſe coërcitum ex iis, quæ ipſe ait, non intelligo. Comparantur, inquit, Legis Aquiliæ & ſervi corrupti actio in *l.* 5. §. 2. *ff. de Serv. corrupt.* eſto; ſed quia utraque damnum perſequitur, non quia hæc illi, ex ſecundo Capitulo, ſucceſſit: utique inde hoc non liquet. Deinde ſi ſervi corrupti actio ex Lege Aquilia olim fuit, oportet durius eſſe transſcriptam in Edictum Prætoris, nam ſecundum ea, quæ proponuntur in *d. l.* 5. §. 2. non tam conveniunt, quam differunt; quæ de ſervo corrupto eſt, adverſus fatentem eſt in duplum, quamvis Aquilia inficiantem duntaxat coërceat: & durius illam in Edictum transſcriptam eſſe quum non liqueat quoque, obeſt magis, quam prodeſt illa *l.* 5. §. 2. Mox tamen ex eo Chifletius, quaſi re jam bene geſta, varias leges mutilatas eſſe fingit, & quaſi ex tripode reſtaurat. Sed ei injuriæ occurrere longum eſſet, & alienum ab eo, quod agimus. Magis movet, quod mox ipſe ait, & verum eſt, actionem ſervi corrupti, cum prætoria ſit, tamen perpetuam eſſe *l.* 13. *pr. ff. de Serv. corr.* cujus rei alia ratio videtur reddi non poſſe, niſi quod ad exem-

plum

plum actionis civilis, Legis nempe Aquiliæ, introducta ſit, alioquin annuam fuiſſe oportet, cum ſit pœnalis *d. l.* 13. ſcriptum enim eſt, actiones honorarias non eſſe perpetuas, niſi quæ rei perſequutionem habeant *l.* 35. *ff. de O. & A.* quæ hanc habent, & poſt annum, & in hæredem dantur *d. l.* 35. §. 1. *Inſt. de Perp. & tempor. act.* Sed opportune hic ſuccurrit, ſervi corrupti actionem etiam habere rei perſequutionem, nam Paulus in *l.* 14. §. 5. *ff. de Serv. corrupt.* ſic ait: *in hac actione non extra rem duplum eſt, id enim, quod damni datum eſt, duplatur.* Igitur non quia ex Lege Aquilia eſt hæc actio, ſed quia etiam rei perſecutoria, non finietur anno, quamvis ex delicto ſit *d. LL.* non aliter ac Paulus reſpondet de actione rerum amotarum in *l.* 21. §. 4. *ff. de Action. rer. amot.* Quod autem actionem ſervi corrupti ſimpliciter pœnalem dixit Ulpianus in *d. l.* 13. *pr. de Serv. corr.* difficultatem habet; ſed ne hæc contraria ſit *d. l.* 14. §. 5. *Eod.* ne non conſtet, quare ſit perpetua, quare in hæredem non detur, quatenus rem perſequitur, neve his nominibus in poſterum Interpretes turbet, in *d. l.* 13. *pr.* ita lego: *in hæredem non dabitur*, QUA *pœnalis eſt; qua* pro *quia*, & ſalva in omnibus res eſt. Tandem Chifletius ex Plauto ſententiæ ſuæ arcanum ſibi viſus eſt revelare, ſed nihil ibi eſt de Lege Aquilia, multo minus de ſecundo ejus Capitulo: & ſane indignor, viros, qui docti cluunt, tam obtorto ſæpe collo priſci ævi Comœdias in Jus trahere, & vel eo nomine ſibi doctiores videri. Nihil igitur Chifletius probavit.

Ut contra probem, non laboro, neque adeo diſputo, Lege Aquilia de ſervo corrupto ſi uſpiam actum fuerit, an non ad Caput id tertium pertinuerit. Negat id equidem Chifletius, ſed ait Scholiaſtes Baſilicorum ad *Lib.* LX. *T.* III. *C* 27. §. 5. ſi alterutri credendrm eſt, Scholiaſtes vincet. Quin etiam ſervi corrupti actio Prætoria antiquiſſima fuit; certe Alpheni Vari temporibus jam obtinuit, ut diſcimus ex Inſcriptione *l.* 16. *ff. de Serv. corrupt.* neque tamen quiſquam auſit dicere Capitulum II. Legis Aquiliæ vel eo ævo frequentatum non fuiſſe; nec tamen dixero frequentatum, nam res incerta eſt.

Ego conjicio id Capitulum egiſſe *de dejectis & Effuſis*, ſed ob quæſtionum luxuriam Prætores id deinde Edicto fuiſſe complexos. Non argumenti, non utriusque Tituli affinitas me movent, quamvis & moveant, ſed præcipue Mucii auctoritas in *l.* 31. *ff. ad L. Aquil.* qui de dejectis actionem ex Lege Aquilia eſſe dixit, utique ſi, ut credere dignum eſt, ille locus in Titulum de Aquilia recte ſit relatus. Mucius autem, ſive Publium, ſive Quintum, & utrum ex Quintis intelligas, inter JCtorum antiquiſſimos fuit, certe ante Labeonem, qui in *l.* 6. §. 1. *ff. de His qui effud. vel dej.* Edicti Prætorii de dejectis & effuſis meminit. Utque adeo illius ævo Caput II. Aquiliæ obtinuiſſe dici poſſit, non vero hujus, quo jam Edictum ſucceſſerat; ſecta quippe noſtra non patitur, ut emblematum prodigi in *d. l.* 6. §. 1. manum Triboniani agnoſcamus, cujusmodi Obſervationes aliis in more ſunt & deliciis.

Deinde, ſi conjecturam noſtram audias, conſtabit ratio ſcripturæ, cæteroquin, ut videtur, vitioſæ in *l.* 5. §. 4. *ff. de His qui eff. vel dej. Cum autem*, inquit Ulpianus, *Legis Aquiliæ actione propter hoc quis condemnatus eſt, merito ei, qui ob hoc quod hoſpes vel quis alius de cœnaculo dejecit, in factum dandam eſſe Labeo dicit adverſus dejectorem.* Quid mentio Aquiliæ in argumento de dejectis & effuſis? vel, ut preſſius dicam, cur de his actio audit *actio Legis Aquiliæ*? hæret Baſilicorum Scholiaſtes ad *h. L.* neque quicquam definit Cujacius in *Not.* ad §. 1. *Inſt. de Oblig. quæ quaſi ex del. naſ.* delet τὸ *Legis Aquiliæ*, & ſubſtituit *hac;* idem Antonius Faber, idem deinde alii, vel Ulpiano vel Librario adſcripta culpa. Librarii aures hic adhuc tinniviſſe forte quis dicat, repetita totiens, quæ proximo Titulo præceſſerat, Legis Aquiliæ ſcriptura. Ego neutrum peccaſſe puto; Ulpianum vero, quia in Veterum Commentariis de dejectis & effuſis actionem Legi Aquiliæ ex II. Capite viderat adſcriptam, id ſervaſſe.

Tandem, quæ de ſervo corrupto minus valebat ratio, heic, ni fallor, plus valebit; conſtat enim actionem, quæ de dejectis & effuſis competit, perpetuam eſſe *l.* 5. §. 5. *ff. de His qui eff. vel dej.* & conſtat, quanta quanta eſt, fere pœnalem eſſe, ut, ſi quis excuſſerit, ſingulæ ejus ſpecies probabunt, ac de una palam adfirmat *d.* §. 5. ut & de periculoſe poſitis *l.* 5. §. *ult. Eod.* Cum autem hæc ſit ejus actionis natura contra communem Juris Prætorii regulam, qua annuam eſſe oportebat, non alia mihi ejus rei ſuccurrit ratio, quam quod de dejectis & effuſis actio ex Lege Aquilia quondam fuerit, idque Prætor ſervaverit in Edicto, quod ad exemplum Aquiliæ, Legis nempe civilis, atque adeo perpetuæ, propoſuit. Non abſimili ratione, qua furti manifeſti actionem, quamvis Prætoriam, tamen placuit eſſe perpetuam *pr. Inſt. de Perp. & temp. act.* Ita conjicio, ſed conjicio tantum.

Fere omiſeram, e re Chifletii eſſe, quod ab Aniano annotatum legi ad *Paul. Sentent. L.* I. *T.* XIII. §. 11. & 12. ubi ait, *ſecundum Legem Aquiliam ſimilem pœnam habere*, quod Paulus dixerat de corrupto, etiam quod ad animum, ſervo, & de corrupta virgine immatura; ſed non magis Aniano ea in re crediderim, quam cum ipſe ait ad *Paul. L.* I. *T.* XIX. §. 1. actiones judicati, depoſiti, legati per damnationem, damni injuria dati, & falſi in modo agri renunciando *ſecundum Legem Aquiliam duplicari.* Nec ſane eſt, cur Aniani ætate magis, quam noſtra illud Capitulum II. innotuiſſe credamus.

CAPUT XIV.

Defenditur & explicatur Lectio Florentina in L. 6. §. 5. ff. de Offic. Præſid.

Sunt obſcuri quidam homines, qui neque *unicum lumen* ferre poſſunt in *l.* 6. §. 5. *ff. de Offic. Præſ.* ſed *lumen* malunt, cui impingant: legunt itaque *limine unico*, non *lumine unico.* Atque ita Catellianus Cotta in *Collect. litt. L. verb limen;* cui ſucceſſit Jacobus Gallus in *Apicib. Legum p.* 37. qui eodem, ut ipſe ait, modo emendat, cum tamen perpetuus ſit aliorum, & præcipue Franciſci Zoannetti exſcriptor. Sane hic non modo ante eum Cotta, ſed & ipſe Zoannettus, tanquam ex Codice ſuo, reſcripſit *limen*, *Reſtitut. C.* XXI. ubi & aliis idem placuiſſe refert, & verum eſt, cum *limine* jam ediderit R. Stephanus Pariſ. 1527. & antiqui, quos vidi, Editores omnes id ipſum non modo margini adſcripſerint, ſed & laudarint.

Mihi

Mihi laudandi, utique præ Florentina probandi nulla conſtat ratio; plane enim quum ibi *lumine* legatur, ut legatur, nihil omnino eſt, cur in *limine* mutes. Eſt hic, ſive *lumen*, ſive *limen* legas, elocutio translata, neque, ſi proprietatem ames, hæc commodior, quam illa, utraque tamen ſatis commoda; ut ita *lumen* extinctum nolim, vincente in pari cauſa Libro Mediceo. Accurſius equidem non ſatis recte ſe expedivit, ut nec ille, qui ad *l.* 11. §. 5. *ff. de Pignor. act. lumine unico* exponit de habitatione, quæ unam duntaxat feneſtram habet, cui ſcilicet furioſi includuntur; mirum, ſi non eam ſibi commentus. Translata, ut dixi, locutio eſt, & ejusmodi translationibus delectati ſunt, qui lapſa Latinitate eloquentiæ gloriam affectarunt: in primis vero illis plenas eſſe Ulpiani *Opiniones* dudum obſervatum memini, & eſt quoque hæc [illegible] ex earum numero.

[illegible] *luminis* nomine pauperem apparatum ſignificavit, quod uno lumine uti ſoleant [illegible], ubi ditiores pluribus. Quintilianus [illegible] C. 3. *lumen unum* muſeo tribuit, ut [illegible], qui in familia pluribus utebantur, & [illegible] loqui de beatioribus. Atque hoc [illegible] etiam, ſub noctem, Juvenalis [illegible] III. *Verſ.* 285. & 286. diviti adſcribit [illegible], & pauperi *breve lumen candelæ.* Poſſes illud *breve* ex vulgari ſignificatione accipere de face non longa, cum longis duntaxat ditiores uſi fuerint, vel etiam de tenui, exigua, paupertina, quo ſenſu Ulpianus heic mox dicit *brevem ſupellectilem*, & rurſus Juvenalis *breves focos Satyr.* XI. *Verſ.* 79. Ad paupertinum quoque apparatum, in re familiari, referrem illud *modicum lumen* apud Tacitum *Lib.* XIV. *Annal. C.* 8. Contra vero in omni Cleopatræ pompa nihil luminibus erat magnificentius, nam Plutarchus in *Vita Anton.* ait, in toto ejus ſplendidiſſimo apparatu Antonium maxime obſtupuiſſe ad luminum multitudinem.

Forte & Ulpianus hic translationem ſumſit a navibus, quarum minimæ uno, majores pluribus luminibus utuntur: quid enim eſt, unde non μετωφέρων? Scipio apud Livium edixit *Libr.* XXIX. *C.* 25. *Lumina in navibus ſingula roſtratæ, bina onerariæ haberent, in prætoria nave inſigne nocturnum trium luminum fore.*

Quomodocunque autem illud de *lumine* translatum dicas, minus adhuc translationis inerit, quam in *limine unico*; id enim ſepoſita emendatione, primo erit traducendum ad domunculam, quæ unum duntaxat habet aditum, & inde ad rem anguſtam domi. Ubi figuratæ Orationes invaluerunt, occidit Romani ſermonis ſimplicitas, ſimul ac majeſtas.

CAPUT XV.

Emendata L. 1. ff. de Decret. ab ordin. faciend.

Succedat alius locus ex *Opinionibus* Ulpiani: [illegible] is in *l.* 1. *ff. de Decret. ab ord. fac.* ita relatus: *Medicorum intra numerum præfinitum conſtituendorum arbitrium non Præſidi Provinciæ commiſſum eſt, ſed Ordini, & Poſſeſſoribus cujusque Civitatis: ut certi de probitate morum & peritia artis eligant ipſi; quibus ſe liberosque ſuos in ægritudine corporum committant.* Non intelligo, qui ibi ſint *Poſſeſſores Civitatum*, nec quemquam reperi, qui dixit. De Duumviris forte illud quis exaudiat, quia Decurionibus junguntur, & alius forte de Curatoribus Reipublicæ, quorum officium Ulpianus *Libro ſingulari* exſequutus eſt. Sed quare & quam recte illi *Civitatum Poſſeſſores* dicerentur, non aſſequor. Scio & Dictatores Municipiorum fuiſſe, etiam ſub Imperatoribus, ſcio hos & dignitates contuliſſe, verum non memini in Libris noſtris eorum memoriam exſtare, vel ibi alibive *Poſſeſſores Civitatum* dici, quin vel dici poſſe. Nulli, ſi verum amamus, illa ætate Civitatum Poſſeſſores, quam Principes, & vel tunc locutio erit inſolens, nec apta huic loco. Quapropter ſcripturam, ut ut conſtantem in Libris omnibus, nonnihil ſollicito, & pro *Poſſeſſores* repono *Profeſſores*, hac ſententia: Medicos conſtituendi arbitrium eſſe Decurionum & Profeſſorum; Profeſſorum nempe, ut conſtet de peritia ejus, qui in ordinem cooptandus erit, non enim ex ſola ſtudiorum fiducia hic res agitur, ut olim in his, qui de Jure reſpondebant, ſed ex peritia artis & prudentia, quibus ſolis æſtimari par eſt illos vitæ necisque arbitros. Probare igitur debent, ſe dignos eſſe & idoneos; & quibus potius, quam Profeſſoribus? De archiatris ita reſcriptum eſt in *l.* 10. *C. de Profeſſ. & Medic.* & ſecundum hæc Symmachus de promotione Medici *L.* X. *Epiſt.* 40. *Sed quia lege & more cogentibus, ſummates ejusdem profeſſionis par fuit in examen acciri, adhibitum eſt judicio collegium omne medicorum.* Et probat, quæ dixi, Ulpiani ratio, puta his hominibus commiſſum eſſe conſtituendi medicos arbitrium, ut certi ſint, *de probitate morum* (id pertinet ad Decuriones, quorum eſt hoc noviſſe) & *peritia artis.* Atque id poſtremum refero ad *Profeſſores*, quos hic reſtituo, hi enim, non Decuriones, non, quoscunque demum fingere placet, Profeſſores Civitatum de peritia artis recte judicaverint.

CAPUT XVI.

Annotatio ad Legem Solonis de ſodalitiis, Gajo memoratam in L. 4. ff. de Colleg. & Corpor. *Locus Aniani ad Paulum reſtitutus.*

Ut ſolent Græca in Libris Latinis, varie legitur, varie etiam corrigitur lex Solonis in *l.* 4. *ff. de Colleg. & Corpor.* In Libro Florentino ita exſtat: ΕΑΝ ΔΕ ΔΗΜΟΣ, Η ΦΡΑΤΟΡΕΣ, Η ΙΕΡΩΝ ΟΡΓΙΩΝ, Η ΝΑΥΤΑΙ, Η ΣΥΝΣΙΤΟΙ, Η ΟΜΟΤΑΦΟΙ, Η ΘΙΑΣΩΤΑΙ, Η ΕΠΙ ΛΙΑΝ ΟΙΧΟΜΕΝΟΙ, Η ΕΙΣ ΕΜΠΟΡΙΑΝ, Ο, ΤΙ ΑΝ ΤΟΥΤΩΝ ΔΙΑΘΩΝΤΑΙ ΗΡΟΣ ΑΛΛΗΛΟΥΣ, ΚΥΡΙΟΝ ΕΙΝΑΙ, ΕΑΝ ΜΗ ΑΠΑΓΟΡΕΥΣΗ ΔΗΜΟΣΙΑ ΓΡΑΜΜΑΤΑ. Vetus interpres ita vertit: *Si autem plebs, vel fratres, vel ſacrorum ſacramentales, vel nautæ, vel confrumentales, vel qui in eodem ſepulchro ſepeliuntur, vel ſodales, qui & multum ſimul habitantes ſunt; enimvero ad negotiationem, aut quid aliud: quicquid hi diſponent ad invicem, fir-*

firmum ſit, niſi hoc publicæ Leges prohibuerint. Exſtat etiam Græce, ſed diverſa nonnihil, in Scholio ad Baſil. *L.* LX. *T.* 32. *C.* 14. Utrobique, ἐὰν δὲ δῆμος; neſcio, cur vetus Interpres, cur item Cujacius δῆμον tranſtulerit, *plebem*, cum Populi ſeu Reipublicæ ſocietas utique omnium ſit prima, & reliquæ ejus duntaxat partes & ſimulachra: etenim πάσας κοινωνίας εἶναι μόρια τῆς πολιτικῆς, bis recte dixit Ariſtoteles L. VIII. ἠθικ. Νικομ. C. 11. Ait, &, ut videtur, ſeparatim, ἢ ἱερῶν ὀργίων; ſed hæc non conſiſtunt. Poſt antiquiores Alciatus *Lib.* II. *Diſpunct. C.* 14. & Haloander, & Boudoza: ἢ ἱερεῖς ὀργίων. Scholiaſtes Baſilicorum expuncto, quod ſequitur, ἢ ναῦται, habet ἢ ἱερῶν ὀργίων μηνυταὶ, probante, ut videtur, & hanc & reliquam Scholii lectionem Cujacio *L.* VII. *Obſerv. C.* 30. Grotius etiam in *Flor. ſp.* expunctis nautis, reſcribit συμμύσαι, & ſimpliciter μύσαι. Heraldus *Obſerv. C.* 42. utrumque Scholio pejus eſt. At malim ſervari ἢ ναῦται, nam ſodalitia nautarum (κοινωνίαι συμπλοϊκοὶ) non tantum olim celebrata fuerunt, ut diſcimus ex Ariſtotele *d. C.* 11. & *C.* 14. *ejusdem Lib.* ſed & hodie cum maxime frequentantur, adeo ut in lingua Belgarum vernacula nautæ a ſodalitiis nomen ſortiantur. Poſſes igitur legere, ut Haloander, & alii: ἢ ἱερεῖς ὀργίων, vel abſque τῷ ἢ & interpunctione φράτορες ἱερῶν ὀργίων, *Fratres ſacrorum orgiorum*; in quod omnino proclivior ſum. Quamvis enim illud ἢ ſæpius hic repetendum erat, facile tamen ex iterata ſcriptione importune irrepſerit. Ait ἢ ἐπὶ λίαν vel λείαν οἰχόμενοι, *aut ad prædam exeuntes*; forte & ibi abundat ἢ & legendum θιασῶται ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, *ſodales ad prædam exeuntes*, nam præceſſerant σύσσιτοι, quos non male *ſodales* dixeris; ſed recte etiam, licet non conjungas, modo recte vertas, θιασῶται enim plerumque ſunt ejusmodi ſodales, quos alloquitur Horatius, cum ait:

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus, & reliqua

Vetus Interpres ſimpliciter verterat *ſodales*, quod ferri poterat, ſed idem peſſime τοὺς ἐπὶ λίαν οἰχομένους tranſtulit, *qui multum ſimul habitantes ſunt*, legerat videlicet, ut eſt in Libro Mediceo, λίαν, ex quo ipſe *multum*, cum λία & λεία ſit *præda*; veteres Editores pro οἰχόμενοι fere habent etiam ἱκόμενοι, *venientes*, unde rurſus vetus Interpres, *habitantes*. Sed eorum, qui prædatum eunt, proprie eſt οἴχεσθαι, ut recte eſt Florentiæ, quicquid contradicat Salmaſius *Obſerv. ad Jus Att. & Rom. C.* IV. non ἵκεσθαι, vel, quod idem eſt ἔρχεσθαι. Utque ita nec probem ἐρχόμενοι, quod eſt in nonnullis Libris, ut & in Scholio Baſilicorum, quamvis id probaverit Grotius, &, ut videtur, Cujacius. Nec tamen inde ſalus Græciæ.

Ille, cujus ſic memini, Claudius Salmaſius eo *Cap.* IV. varie interpolat Legem Solonis, ſed longa ibi ejus eſt injuria. Singulis non occurram; in primis non fert illud ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, pro quo ipſe καπηλειῶν κοινωνοὶ, indigno facinore. Quamvis enim καπηλεία ſimpliciter occurreret pro quavis negotiatione, tamen minus commode hic intruderetur, quia continuo ſequitur, ἢ εἰς ἐμπορίαν quæ in hac breviſſima ἑταιρειῶν enumeratione minus ſcita eſſet repetitio. Baſilicorum quoque Scholiaſtes ſervavit λείαν, & recte, nihil enim vetat ἑταιρείαν ἔχειν εἰς λείαν, ſodalitium habere ad deprædandos hoſtes, & invicem de præda paciſci. Etiam adverſus non hoſtes id licere, & de ea ſpecie intelligendas ἑταιρείας εἰς λείαν Grotius ſcripſit *de Jure B. & P. L.* II. *C.* 15. §. 5. Ego in primis de hoſtibus accipio, & faceſſere jubeo Salmaſium, qui etiam contra ejusmodi ἑταιρείας moroſe diſputat, & quod Solon exempli forte cauſa dixit, collegio in hanc rem Athenis haberi ſolito probari vult imprudens. Nulla Gens eſt, quæ hoc non permiſerit, ſane, cum nihil etiam hodie ſit frequentius, miror Salmaſium de eo tantopere miratum. In Zelandia, unde mihi origo eſt, tempore belli hujusmodi ſodalitia ad prædas mari agendas ineuntur cottidie, & is quæſtus ibi longe eſt uberrimus. Sed tamen videri poſſet id non convenire publicæ olim Romanorum diſciplinæ, quæ, qui miles non erat Populi Romani, jure hoſtem Populi Romani cædere negabat, ſi recte Cato in Epiſtola ad filium, Tullio memorata *L.* I. *de Offic. C.* 36. *&* 37. vel potius ſi recte, quod ex ea obſervaſſe ſibi viſus eſt Plutarchus *Quæſtion. Roman. C.* XXXIX. & Ayala *de Jure Offic. Bell L.* III. *C.* 5. Sed alia eſt ratio liciti, alia decori; qui militiæ ſacramento non obligatus hoſtem occidit, latrocinio, quam bello juſto operari videbatur, nec ad eum quicquam præmia militiæ & honores. Voluit Cato, ut filius, qua miles, non qua privatus, hoſtem cæderet, nec ea præter voluit quicquam. Imo ſodalitia, quæ ad prædas agendas inſtituuntur, quamvis privata ſint, auctoritate tamen publica defendi conſtat, ita apud nos, ita alibi locorum.

Quum igitur ſodalitia illa ſint licita, licitum quoque iis eſt *pactionem, quam velint, ſibi ferre*, ut Gajus & deinde Solon in *d. l.* 4. Unde & Baſilici ſententiam *h. l.* 4. breviſſime ita repræſentant: Ταῖς θεμιταῖς ἑταιρείαις θεμιτὰ συμφωνεῖν ἔξεστιν *Licitis ſodalitiis licita paciſci licet.* Et tamen quod valde mirum eſt, Pauli interpres, Anianus, ad *L.* I. *Sent. T.* I. §. 4. illicitum eſſe ſcripſit, *ſi de bonis inventis aliqui paciſcantur.* Magisque id offendit, quia res, quæ proprie inveniri dicuntur, ſtatim fiunt occupantium *l.* 1. *ff. Pro derel.* Sed non puto dubitandum, apud Anianum non *de bonis* INVENTIS, ſed *de bonis* VIVENTIS legendum eſſe, de hæreditate quippe viventis pacta non valere Jure cautum eſt *l. ult. ff. de Suis & legit. hæred. l.* 2. §. 2. *ff. de Vulg. & pupill. ſubſt. C.* 2. X. *de Pact. in* VI.

Satis dixi ad *d. l.* 4. neque enim conſtitui in omnibus purgare veterem translationem, quæ, ut nunc eſt, ne quidem integram ſententiam continet. Potius adſcribam interpretationem ex mea mente: *Si populus, vel Fratres ſacrorum Orgiorum, vel nautæ, vel ſodales, quive uno ſepulchro uti velint, vel compotatores, vel qui ad prædam exeunt, vel ad mercaturam, aliquid de quacunque re inter ſe ſtatuerunt, ratum eſſe, niſi obſtent Decreta publica.* Tranſtulit quoque hanc L. Samuël Petitus *LL. Attic. L.* V. *Tit.* VII. ſed ex varia emendatione, quam ipſe adhibuit *Comment.* ad *d. L.* V. *T.* VII. Si noſtra placebunt, ſatis illa diſplicebunt, nec animus nunc eſt, vel otium, Petiti culpas annotare.

CAPUT XVII.

Species & Sententia L. 4. ff. de Carbon. Edict.

Facillima eſt *l.* 4. *ff. de Edict. Carbon.* nec quam oporteat tanto impetu mutari & perverti. Non vacat Juliani verba deſcribere, ſed qui viderit, & adhibuerit *l.* 3. §. 14. 15. & 16. *ff. Eod.* ſatis, ni fallor, intelliget. Nempe quandoque uno anno utraque, & vulgaris, & Carboniana bonorum poſſeſſio perimitur, ut puta, ſi & tunc, cum currere cœpit annus vulgaris poſſeſſionis, confeſtim ſtatus controverſia mota fuerit, elapſo enim anno hoc caſu neutra petetur. Quod ſi ſerius ſtatus controverſia moveatur, etiam diutius durabit Carbonianæ petitio, quam duraſſet vulgaris: utraque enim diſtinctos habet terminos, qui tunc demum iidem ſunt, quum in idem tempus incidat agendi initium. Utraque poſſeſſio intra annum datur *d. l.* 3. §. 14. *ff. de Edict. Carb.* ſed utriusque tempora ſeparatim currunt *d. l.* 3. §. 16. ordinariæ, ex quo filius patrem ſuum deceſſiſſe ſcit, & facultatem bonorum poſſeſſionis petendæ habuit, Carbonianæ vero ex eo tempore, ex quo controverſiam ſibi fieri cognovit. Unde non petita vulgari, recte Julianus ait, quandoque Carbonianam competere, quandoque non competere. Id qui verum ſit, binis exemplis ediſſerit; altero, cum is, quo de agitur, neutram petiit, altero, cum vulgarem tantum. Si neutram, & tamen a morte patris ſtatim moveatur quæſtio ſtatus, anno utramque excludi recte ait, cum eadem ſit utriusque præſcriptio, idem agendi initium, atque adeo obtinendi finis. Si vulgarem tantum, agit, quanto diutius, quam vulgarem petiiſſet, Carbonianam petat: hanc enim qui petit, vulgarem oportet agnoſcat *l.* 3. §. 15. *ff. Eod.* Quapropter *acceperat* in *d. l.* 4. non eſt *accipere poterat*, ut perperam interpretatus eſt Accurſius. Nec minus perperam aliis placuit τὸ *non* delere in *pr. b. L.* Annotavit Ant. Auguſtinus *L.* I. *Emend. C.* 3. eſſe, qui ibi negationem auferant, & aufert ſane Franc. Zoannettus *Reſtit. Libr. Sing. C.* III. idque ex conjectura ſua. Male Auguſtinum acceperunt Ruſſardus & Boudoza, in Editionibus ſuis, ad *b. l.* 4. nam ajunt, tanquam ex Auguſtino, ac ſi Libri eſſent, qui ita legant. Pejus ille, qui notas perpetuas dedit ad Jus Civile, fingit enim hic, etiam Auguſtinum ita legere, quum Auguſtinus id referat inter locos, ab aliis corruptos aut male lectos, contra quam eſt in Libro Florentino aut Norico: Poſt Zoannettum Jacobus Gallus in *Apicib. LL. p.* 183. τὸ *non* quoque, ex ſua ſcilicet emendatione, ſcripſit eſſe delendum; ſed jam alias monui, Gallum illum facile implumem fore, ſi ſua reddat Zoannetto. Cæterum miror, & Cujacium *Comment.* ad *Jul. digeſt. L.* XXIV. in *b. l.* 4. tacito Zoannetti nomine, negationem tollere, & magis miror, eum hac in re conſentientes laudare Græcos, quod ſane non debuit. Græci quidem *L.* XL. *Baſil. Tit.* V. *C.* 4. ſententiam retulerunt hujus *l.* 4. ſed non etiam eam Juliani propoſitionem, quæ eſt in *princ.* ut ſolent, dum faciunt compendium.

Ait, *ex prima parte Edicti.* Recte hoc explicavit Cujacius ad Julianum, ſed omiſſa ratione, cur id ita dici placuerit. Nempe ſingulas partes Edicti perpetui, univerſi Edicta vocabant, quia erant quoque Edicta, & *partes*, reſpectu corporis Edictorum, quale erat Edictum perpetuum. Unde, quæ hic Juliano *prima pars Edicti*, Papiniano eſt *primum Edictum* in *l.* 12. *D. Eod.* promiſcue ob rationem, quam dixi.

Ait, *poſſeſſoriis actionibus.* Et ita Zoannettus ex eo, quod antea legebatur *poſſeſſor iis.* Sic ipſe ait, ſed R. Stephani Editio Pariſienſis 1527. & 1528. habet quoque *poſſeſſoriis*, ut Edd. nunc vulgo. Sed probo magis *poſſeſſor iis*, aut *bis*, ut Haloander & ante eum alii, etſi verum ſit, & *poſſeſſoriis* retineri poſſe. Græci eo, quem dixi, loco ſimpliciter habent τοῖς ἀγωγαῖς.

CAPUT XVIII.

Duæ Leges leviter emendatæ; altera L. 14. *pr.* ff. ad SC. Trebell. *altera* L. 12. pr. ff. de Duob. reis conſt.

Poteſt filiusfam. qui Magiſtratum gerit, patrem, in cujus poteſtate eſt, cogere, ut hereditatem, quam ſuſpectam dicit, adeat & reſtituat; hoc ait *l.* 13. §. *ult. ff. ad SC. Trebell.* ratio additur ex Hermogeniano in *l.* 14. *pr. Eod. Nam quod ad Jus publicum attinet, non ſequitur jus poteſtatis.* Quum me nonnihil offenderet, illud *non ſequitur*, tentavi aliquando, an non una voce, & mutata litera, legi poſſet: *conſequitur jus poteſtatis.* Hac ſententia, filiumfam. quamvis ſub manu patris ſit, tamen, quod ad Jus publicum, nanciſci legitimam facultatem ex Magiſtratu ſuo, eaque uti poſſe in iis, quæ ad explicandam jurisdictionem pertinent. Ut *poteſtas* ſit, quæ ex Magiſtratu competit, vel ipſe Magiſtratus, quomodo ea vox occurrit in *l.* 1. *pr. ff. Si quis jus dic. non obtemp.* & apud Tullium *de Invent. L.* II. *C.* 30. & ita quoque intelligo Junii Gracchani Librum *de Poteſtatibus*, cujus meminit *l. un. pr. ff. de Offic. Quæſt.* Sic, ut dixi, aliquando tentavi; ſed nunc placet *poteſtatem patriam* intelligere, ſervata, vel levius emendata ſcriptura. Hoc ſenſu: Jus patriæ poteſtatis in iis, quæ ad Jus publicum attinent, non prodeſt, non ſuccedit, non obtinet, ut in ſpecie, quam expoſuerat Ulpianus in *d. l.* 13. §. *ult.* Sed an hanc ſententiam præſtare queat τὸ *non ſequitur*, eſt cur dubites: durior certe loquutio erit, nec forte ex uſu JCtorum. Ego malim: *non ſequimur*, uſitata formula, pro non obſervamus, non attendimus ad patriam poteſtatem. Et ſane ita ſe res habet: filiumfam. in cauſis publicis, veluti ſi Magiſtratum gerat, cenſeri loco patrisfam. Pomponius quoque ſcripſit in *l.* 9 *ff. de bis qui ſunt ſui vel alien. jur.* nec filio, qui in poteſtate publica eſt, obeſſe poteſtatem patriam, adeo ubique eſt traditum, ut per exempla probare nolim. Quam digne filius, contra Fabium patrem, Conſulem egerit, alii obſervarunt ex Valerio *L.* II. *C.* 2. *n.* 4. cui par eſt, quod lego apud Philonem Judæum *de Legat. ad Caj. p. m.* 837. patres ſcilicet privatos filiis Magiſtrati-

bus cedere. Sed omnium elegantiſſima ea de re eſt Tauri diſputatio atque diſtinctio apud Gellium *L.* II. *Noct. Att. C.* 2. *In publicis*, inquit, *locis, atque muneribus, atque actionibus patrum jura cum filiorum, qui in Magiſtratu ſunt, poteſtatibus collata interquieſcere paululum, & connivere. Sed quum extra Rempublicam in domeſtica re atque vita ſedeatur, ambuletur, in convivio quoque familiari diſcumbatur, tum inter filium Magiſtratum & patrem privatum publicos honores ceſſare, naturales & genuinos exoriri.* in quam ſententiam nemo non iverit pedibus. Attulit quoque ibi Gellius ex Claudii Quadrigarii *Annalibus* hiſtoriam Fabii Conſulis, quæ in Valerio eſt.

Succedat alter locus, qui haud dubie male habet, in *l.* 12. *pr. ff. de Duob. reis conſt.* eſt is ex Venuleji *Libro* II. *Stipulat onum*, in hæc verba: *Si ex duobus, qui promiſſuri ſunt, hodie alter, alter poſtera die reſponderit (prolutus) non eſſe duos reos, ac ne obligatum quidem intelligi eum, qui poſtera die reſponderat, cum actor ad alia negotia diſceſſerit, vel promiſſor, licet peractis illis rebus, reſponderit.* Ita Legem edidit Franciſcus Taurellius, appoſita, ut vides, loci ſuſpecti nota; & ſane pellucet mendum in *prolutus*, pro quo alii, cum legunt, tum emendant, *probatur*, *promitto*, *prolocutus*, *prolatus*; quorum nihil probo, cum nimium recedant a Libro Florentino. Ego malo optimi Codicis veſtigia premere, & mutata una litera, & altera tranſpoſita, legere, *Proculus*, nempe *ait*, *ſcribit*, hæc enim, aut quæ ſimilis vox eſt, ſubauditur etiam in *l.* 27. *pr. ff. de Pact l.* 43. §. 6. *l.* 45. *ff. de Procurat. l.* 11. *ff. de Negot. geſt. l.* 24. *ff. de Serv. P. R. L.* 116. *ff. de V. S.* aliiſque plurimis. Ita ego cenſeo, & ita quoque cenſet Vir doctiſſimus, & cui juriſprudentia multum debendi ſpem habet, Alexander Cunningham, Scotus; nam inter ſermones, quos cum eo aliquando habeo de Jure Romano, quum mentio incidiſſet *d. l.* 12. *pr.* meamque illi conjecturam expoſuiſſem, non duntaxat placere ſibi, ſed & eandem ſe jam olim ad marginem Libri ſui notaſſe adfirmabat. Videbatur tamen præferre *protinus*, vel vocem *prolutus* Librarii vitio abundare. Tu lector, ſtatue, cui credere æquius melius eſt. Sic ſoleo Doctos.

CAPUT XIX.

Quid ſit dulci officio fungi *in* L. 1. C. de his qui ſibi adſcr. in teſtam.

Dulce eſt vita decedentibus memoriam, &, ut ita dicam, perpetuitatem ſuam in liberos propagare, eoſque ſui loco in bona ſua ſubſtituiſſe, quaſi ſuccedaneos ſui. Atque ea res adeo parentum exoptata votis, ut in jurisjurandi formulam abiverit, *ita mihi contingat hærede filio mori*, ut hæc eſt apud Quintilianum *L.* IX. *Inſt. C.* 2. nec Leges duntaxat, ſed & parentum vota filiis hæreditates deſtinare Marcus Antoninus dixit apud Julianum in *Cæſarib.* παισί τε, εἶπε νόμιμον ἐπιτρέπειν τὰς διαδοχὰς, καὶ τοῦτο ἅπαντες εὔχονται. Hinc eſt, quod alius deinde Antoninus in *l.* 1. *C. de His qui ſibi adſcrib. in teſt.* patrem, qui manu ſua filium ſibi ſcripſit hæredem, *dulci officio functum* eſſe dixerit. Miror hæc perperam explicari, ſed magis miror, quin & indignor perperam ſollicitari. Cujacius ad Africanum *Tract.* III. in *l.* 6. *ff. ad L. Cornel. de falſ.* legendum cenſet, *lucis officio functus* pro *mortuus*, atque ita etiam, ſuppreſſo Cujacii nomine, Jacobus Gothofredus ad *l.* 1. *C. Th. de Hæred. petit.* nam quod ibi dicitur de eo, qui *munere lucis exceſſit*, Jac. Gothofredus in *Not.* ad eum transfert, qui *lucis officio functus eſt*; ita, inquit, *alias*, reſpiciens, ni fallor, ad *h. l.* 1. Poſt Cujacium & Gothofredum etiam vulgus inſultat *dulci officio*, & *lucem* quærunt vel ſubſtituunt tenebriones, peſſime. *Lucis officio fungi* pro *mori* nemo dixit unquam, quin magis id eſt *vivere*; nec quicquam huc pertinet *d. l.* 1. *C Th.* quamvis & ea Cujacius utatur; aliud hic eſt *munus*, aliud *officium*, aliud *munere excedere*, aliud, &, pæne dixerim, contrarium, *officio fungi.* Baſilica tamen, ſi fides Cujacio, pro *dulci officio functus*, habent hoc unum, τελευτῶν, ſed id non reperiri *L.* LX. *Tit.* XLI. *C* 60. ubi reperiri debebat, neque in ipſo Capite, neque in Gloſſis, neque in ipſius Cujacii verſione Latina. Imo ſi eſſet, non continuo τελευτῶν explicarem *mortuus*, ſed *abſolvens*, quod decreverat, vel, ut ipſis Antonini verbis utar, *functus officio.*

Sed non eſt vexanda lectio in omnibus, quos vidi, Libris ſibi conſtans; eleganter enim, ut dicere cœpi, *dulce officium* appellatur, quod agitur ex communi parentum voto *l.* 15. *pr. ff. de Inoff. teſt. l.* 7. §. 1. *D. Si tab. teſt. null. exſt.* uti contra parentum, qui liberis ſuccedunt, hæreditas ſimpliciter *luctuoſa* dicitur in *l. ult. C de Inſt. & Subſtit.* Quemadmodum & apud Marculphum *Form.* LXXIV. *luctuoſa hæreditas* eſt, quæcunque aſcendit, non deſcendit: quaſi ſcilicet non euntibus ordine Fatis, vel, ut noſtri alibi loquuntur, *turbato mortalitatis ordine.* Unde & Libanius *Orat. pro Templ. p.* 23. donatariis ædium ſacrarum ſub Conſtantio, ex Deorum vindicta eveniſſe ait, quod deceſſerint ἄπαιδες καὶ πρὸ διαθηκῶν, *improles atque inteſtati*, procul ſcilicet ab hoc dulci officio. Et quod hic *dulce officium*, Marciano eſt *officium pietatis* in *l.* 2. *ff. de Inoff. teſt.* quod jam Azo mihi viſus eſt obſervaſſe in *Comment.* ad *h. l.* 1. Paſſim quoque in re teſtamentaria liberi utriuſque ſexus audiunt *dulces* & *dulciſſimi*, ut aliis dudum eſt animadverſum. Quinimo id verbum fuiſſe ſolemne colligo ex tribus formulis apud Magnonem in *Notis Juris*: TIBI DULCI FILIO. TIBI DULCI FILIO MEO. TIBI DULCI FILIO MEO ADOPTIVO. Unde filium, patri ſucceſſurum, *dulcem hæredem* dixit Juvenalis *Satyr.* VI. *Verſ.* 38. & 39.

> ——— ——— ——— ——— *tollere dulcem*
> *Cogitat hæredem, cariturus turture magno.*

& quod ait *Satyr.* V. *Verſ.* 137. & *ſeqq.*

> ——— ——— ——— *Dominus tamen, & domini Rex*
> *Si tu vis fieri, nullus tibi parvulus aula*
> *Luſerit Æneas, nec filia dulcior illo.*

quod, inquam, ibi ait, ad hæreditatem quoque refero, nam utrobique agitur de captatoribus hæreditatum. Adeo autem dulce habitum, filium patri ſuperſtitem eſſe, ut Lucanus finxerit *Pharſal. L.* III. *Verſ.* 726 - 751. Argi parentem, cum Argum morientem videret, fatum ſuum properaſſe, ut filius vel momento ſupereſſet; ita ipſe ad filium *Verſ.* 745. & *ſeqq.*

> *Nondum deſtituit calidus tua vulnera ſanguis,*
> *Semianimiſque jaces, & adhuc potes eſſe ſuperſtes.*
> *Sic fatus, quamvis capulum per viſcera miſſi*

Pol-

Polluerat gladii, tamen alta ſub æquora tendit
Præcipiti ſaltu: letbum præcedere gnati,
Feſtinantem animam morti nŏn credidit uni.

Exiſtimatum ſcilicet fuit grande mortalitatis ſolatium, hæredem ſibi ſuum, hoc eſt, partem ſui vivam relinquere, atque adeo non totum mori. Utque trunco emortuo propago, novæ arboris fœtus, ſufficitur, ita ſui hæredes ſuccedunt, *ſola adjecta nota, per quam diſtinguitur genitor ab eo, qui genitus eſt.* ut de ſuis hæredibus argute Paulus noſter dixit in *l.* 11. *ff. de Lib. & poſt.* Imo & ipſa *ſui hæredis* appellatio hinc deſcendit, quia, dum patrem repræſentant, quaſi ſui ipſius ipſi hæredes ſunt *l.* 7. *ff. de Bon. damnat.* Hinc apud Ennodium *Declam.* IX. pater, qui filium procreaverat, in proſapia ſua reparatus dicitur; verba adſcribam, quia corrupta reor: *Omen putavit cogitare de ſubſtantia, cui exiſtebat natus incolumis ad gelidam caniciem boc putans ſufficere, quod reparatus in proſapiæ viridioribus annis non merebit.* Finalia ſic lego; *quod reparatus in proſapia viridioribus annis non metebat*, vel retenta *proſapiæ* voce, caſu ſecundo, ipſe filius erit *proſapiæ viridiores anni*, ſed melius *in proſapia*, & *metebat* pro *merebat*; hac ſententia: pater juvenis ex filio meſſem non habuit, ſed eam ſervavit ad ſenectutem, nam ante dixerat, patrem HORREA *ſua in pignoris alacritate poſuiſſe*, & eſt Declamatio *in eum, qui* SENI *patri cibos ſubtraxit.*

Cum vero reparatio ſui in hæredibus potiſſimum cernatur, eleganter hæc ad diem, dum alius alium excipit, Tertullianus transfert *de Reſurrect. Carn. C.* 12. *Dies*, inquit, *moritur in noctem, & tenebris usquequaque ſepelitur . . . . . & tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum ſole, eadem & integra & tota univerſo orbi reviviſcit . . . . .* HÆRES SIBIMET EXISTENS &c. Et quia Phœnix ex reliquiis ſuis reviviſcere creditur, hic Lactantius, vel quisquis eſt auctor Carminis *de Phœnice, prope finem*:

Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus hæres.

Utque parentes liberis, ſic liberos parentibus ineſſe credi D. Paulus dixit in *Epiſt. ad Hebræos C.* VII. §. 10. Neque fere aliunde filius cum parente idem cenſetur, quod JCti noſtri paſſim ajunt. Et ſecundum hæc Chriſtianum illud Divinæ Trinitatis myſterium, tot hæreticorum furoribus impie agitatum, explicat Lactantius *L.* IV. *Divin. Inſt. C.* 29. probaturus quippe, Patrem & Filium alia atque alia contemplatione unum & diverſos dici, inter alia ſic infit: *Cum quis babet filium, quem unice diligit, qui tamen ſit in domo & manu Patris, licet ei nomen domini poteſtatemque concedat, civili tamen jure & domus una, & unus dominus nominatur*, & reliqua. Poſſem multa in hanc rem addere, ſed quum nihil pertineat ad Edictum Prætoris, non placet, hoc equidem loco, de eo prolixius diſputare; & jam nimium digreſſi ſumus.

C A P U T XX.

Explicata L. 12. pr. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.

Quum intelligi videtur non poſſe *l.* 12. *pr. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* medicina ferro quæſita eſt, quod factum non oportuit. Ait Tryphoninus: *in Bello poſtliminium eſt, in Pace autem his qui bello capti erant, de quibus nihil in pactis erat comprebenſum &c.* Nempe in bello quidem & pace poſtliminium eſt *l.* 5. *l.* 19 *pr. ff. b. T.* at tamen in pace non usquequaque id verum eſt; nam ecce in pace ſi quis hoſtium poteſtatem evaſerit, ſui ipſius fur eſt, & poſtliminium non habebit, niſi vel redemptus ſit *l.* 12. §. 11. *Eod.* vel in pacis conditionibus de reddendis captivis convenerit *l* 20 *pr. l.* 28. *Eod.* Quid igitur eſt, quod Tryphoninus ait, iis poſtliminium eſſe, *de quibus* NIHIL *in pactis eſt comprebenſum*? quum dicendum videretur, iis duntaxat dari, qui ex pacto Publico rediiſſent. Petrus Faber *L.* I. *Semeſtr. C* 7 pro *nihil* ſubſtituit *id*, ſed ea ſententia non utimur, quamvis ei ter applauſerit Cujacius, ſemel in *Comm.* ad *l.* 5 *ff de Pact.* iterum *L.* XIX. *Obſerv. C* 7 tertium ejusdem Operis *L.* XXIV *C.* 31. bis item Grotius *de Jure B. & P. Libr.* III. *C.* 9. *n.* 4. & *L.* III. *C.* 20. *n.* 12. &, ut fit, minorum Gentium Interpretes alii. At vero absque auctoritate Librorum ſi ſit, ut hic eſt, nunquam mihi probabitur emendatio, niſi modeſtior. Etiam Cujacii applauſus nonnihil videtur deferbuiſſe in *Obſervationibus*, cum iis, quos dixi, locis in ἐλλείψει ſit proclivior, expleta oratione nunc, ut ait, præciſa his verbis, *non eſt poſtliminium.* Et hoc, quia Cujacii eſt, laudatores invenit. Claudius Salmaſius *Obſerv. ad Jus Att. & Rom. C.* XXVI. *p.* 575. vel ſequi Fabrum ſe profitetur, vel negationem, quam Cujacius intelligebat, ipſe addit, hoc modo, *in pace autem* NON *bis, qui bello capti erant* &c. ſed apage vim majorem.

Ego puto Viris doctis accidiſſe, a quo cavendum eſſe Celſus monuit in *l.* 24. *ff. de LL.* hæc enim particula, *in pace poſtliminium bis eſſe, de quibus in pactis nihil convenit*, omnino turbabit, ſi a reliquis avellas, non turbabit, cum his ſi conferas; qua mente igitur id dicatur, videamus. Ait, poſtliminium eſſe & in bello, & in pace, modo nihil pactis ea de re fuerit cautum. Utrumque in ſequentibus porro exſequitur; & quidem in bello cur poſtliminii jus ſit, Servii adducta ratio declarat, *quia ſpem revertendi civibus in virtute bellica magis, quam in pace, Romani eſſe voluerunt.* Deinde, quemadmodum in pace poſtliminio locus ſit, hisce enarrat: *Verum in pace qui pervenerunt ad alteros, ſi bellum ſubito exarſiſſet, eorum ſervi efficiuntur, apud quos jam boſtes ſuo facto deprebenduntur, quibus jus poſtliminii eſt, tam in bello, quam in pace*: NISI FOEDERE CAUTUM FUERAT, NE ESSET HIS JUS POSTLIMINII. Quare iis tribuit jus poſtliminii, etiam in pace, qui exorto bello apud hoſtes deprehenduntur, modo in pace pangenda non placuerit, illis non eſſe poſtliminium, vel, ut ſupra dixerat, & perinde eſt, modo *nihil* de his pactis ſit comprehenſum, nam ſi, ut redderentur, convenit, de poſtliminio nemo dubitaverit. Sed ſufficit, ut huic locus ſit, nihil pactis caveri, cum, qui nihil cavet, utique non contra caveat. Si enim contra, hoc eſt, poſtliminium illis non fore, quocunque modo reverſi fuerint, jus poſtliminii non habebunt *b. l.* & arg. *l.* 4. *Eod.* hi autem, de quibus in pace nihil convenit, ſi redierint, ut puta redempti *l.* 20. §. 2. *b. T.* ſive manumiſſi *l.* 5. §. 3. *Eod.* habebunt jus poſtliminii; redemptio quippe & manumiſſio redeundi facultatem cum poſtliminii jure conjunctam præſtat *d. LL.*

Cæterum vero ſi, ut illi putabant, pro *nibil* legamus *id*, haud conveniet iis, quæ proxime

vel præcedunt vel ſequuntur in *h. pr.* illi etenim, qui ex pacis pactione redeunt, magis in bello, quam pace, rediiſſe ſunt cenſendi; quia non oportet attendere factum redeundi, ſed jus, quod pactio dedit, & tempus, quo datum eſt: neque enim in cauſſa poſtliminii ad rem pertinet, an de facto res in priſtinum ſtatum redierit, ſed an in jure recuperationis fuerit *l.* 30. *ff. h. T.* Unde conſequens eſt, ut, quem reddi in pace pactum eſt, in bello nihilominus redditus intelligatur, cum ex natura conditionis ea res præceſſerit ipſam pacem: nam conditio, quam dixi, de reddendis captivis conditio pacis eſt; pax autem eſſe nequit, niſi & conditio, ſine qua pax non placebat, fuerit impleta. Adde, ſi tanti, Duarenum in *Comment.* ad *Tit. de Condit. Inſtit. C.* III.

Atque ita ſatis, opinor, conſtat, perperam principium *h. L.* accipi de omnibus omnino, qui bello capti ſunt, cum duntaxat accipiendum ſit de his, qui bello ſubito exorto apud hoſtes deprehenduntur. Conſtat quoque, quid Haloandrum moverit, ut pro *autem* reſtituerit *etiam*, *in pace etiam his* &c. nam quos hic intelligit, & mox exprimit, tam in bello, quam in pace poſtliminium habere verum eſt, & ipſe Tryphoninus aperte dicit in extremo *princ.* Et tandem conſtat, Accurſium *hic*, quamvis non pleno ore dixerit, quod dicendum erat, ſatis tamen defendi poſſe, atque adeo male refutatum Cujacio *d. L.* XXIV. *Obſerv. C.* 31.

CAPUT XXI.

Ad L. 7. ff. de Pœnis.

Pœnarum genera enumerantur ex Ulpiano in *l.* 6. §. *ult. ff. de Poen.* inter quæ cum ſint, quæ corporis coërcitionem contineant, harum ſpecies ex Calliſtrato in *l.* 7. ſubjiciuntur in hæc verba: *Veluti fuſtium admonitio, flagellorum caſtigatio, vinculorum verberatio.* Baſilici *L.* LX. *T.* LI. *C.* 7. ſimpliciter hic exprimunt πληγὰς ἢ δεσμά. Videamus. Ait, *admonitio.* Non lene verbum ob lenem pœnam, ut quidam dixit *L.* III. *Select. Antiq. C.* 9. ſeductis etiam aliis, ſed quod in rebus gravioribus leniori quandoque vocabulo uterentur Romani. Sic Tullius *de Offic. Libr.* I. *C.* 37. hoſtem vocari dixit, qui proprio nomine perduellis eſſet, *lenitate verbi triſtitiam rei mitigante*, pro quo eſt, qui haud ita pridem edidit *mitigatam*, nullo ſenſu, ut conſtat, qui legerit; ſed bene eſt, quod ante ipſum ita & alii, quod forte nollet, ſi proba eſſet lectio. Cæterum *admonere* & *admonitio* non ſimpliciter eſt *verberare* & *verberatio*, ut Nonius ait in *admonere*, & alii perperam ſequuti ſunt, abuſi *Verſ.* 586. ex Virgilii *Æneid. L.* X. nam ibi eſt *telo admonere*, & ſine verbo nuſpiam; paſſim autem *monere* vel *admonere flagris*, *flagellis*, *verbere*, *verberibus*, quales locutiones in Auctoribus alii obſervarunt, omiſſo Senecæ loco *Epiſt.* XLVII. *Rectiſſime ergo te facere judico, quod timeri a ſervis tuis non vis, quod verborum caſtigatione uteris; verberibus multa admonentur*, vel potius *muta*, ut recte, ſi quid judico, ibi legit Lipſius, niſi præferamus *bruta;* cæteroquin, cum *verba* & *verbera* in MSS. ſæpe confundantur, commodum legeretur, *verbis multa admonentur.* Etiam *objurgare* in hanc ſententiam uſurpant cum alii, aliis dicti, tum Seneca *de Ira L.* III. *C.* 12. *verberibus objurgare*, & Petronius *Satyr. C.* XXXIV. *colaphis objurgare*, & Perſius *Satyr* V. *Verſ.* 169.

—— —— *Solea, puer, objurgabere rubra.*

Sequitur, *vinculorum verberatio.* Eſt hoc explicatu obſcuriuſculum. Novi, qui legat, *virgarum verberatio*, ſed hoc non placet, vel ob brutam Criſin. Aeque diſplicet, quod Leoninus *L.* IV. *Emend. C.* 18. *n.* 1. auſu temerario, nulla quippe auctoritate, illud *verberatio* expungit; nam quod apud Græcos ſimpliciter legatur δεσμά, inde eſſe conſtat, quod illi Pandectarum fecerint compendium. Et tamen ea quoque ratione doctiſſimus Cunningham, ut coram mihi ſignificavit, ultima Calliſtrati diſtinguit, & ita legit *vincula*, *verberatio*, errore, ut putat, nato ex geminatis, qui præceſſerant, caſibus ſecundis. Sed, ut non favent Baſilici, non caſuum magna, etiam in aliis, mutatio, ſcire velim, cur poſt memoratas verberationes fuſtium & flagellorum ſimpliciter iterum ſuccedat *verberatio*? Audio, Ciceronem in recitandis pœnarum generibus *vincula* & *verbera*, ceu diſtincta, aliquoties efferre: ſed quis negat? verbera ſive verberatio genus eſt, omnes verberandi ſpecies complectens; ita apud Tullium, non vero hic apud Calliſtratum, licet id verbum a ſuperioribus divellas. Idem ille Cunningham & aliud tentabat ex notiſſima Lege Critica, ſcilicet *vinculorum Verberatio*, pro *vinculorumve*, *verberatio*, quo illud *vinculorum* pertineret quoque ad τὸ *caſtigatio*, quod præcedit, ſed ita rurſus ſola ſequetur *verberatio*, ſic ſatis abrupte. Deinde *vinculorum caſtigatio* an aptius dicatur, quam *vinculorum verberatio*, mihi nondum conſtat. Quare nec largiar Gronovio *L.* IV. *Obſerv. C.* 13. transpoſitione hic eſſe peccatum, & fuiſſe olim, *fuſtium admonitio*, *vinculorum caſtigatio*, *flagellorum verberatio.* Neque etiam aptius, quod & ipſe vellet, *vinculorum admonitio*, *fuſtium caſtigatio*, *flagellorum verberatio.* Grotius in *Flor. Spar.* etiam ſeparatim legit, *vinculorum, verberatio*, & ad illud *vinculorum* ſubaudit *pœna*, ex ſuperioribus. Atque hanc aut ſimilem vocem oportet Leoninus ſubaudiverit, qui rejicit τὸ *verberatio*, vacillabit alioquin illud *vinculorum.* Sed huic ſuſtentando tam longe vocem arceſſere, ex alterius puta JCti Lege præcedenti, ratio recti ſermonis non patitur; & denique poſt *fuſtes* & *flagella* quid rurſus erit nuda *verberatio*? Eſt alius, qui *vincula* exponit *habenas*, quod etiam ſequi non poſſum, nam habenæ caſtigatio dici videtur, quia lora habent ſimilitudinem habenæ, hæ enim & ex loro fiunt, ſed inde rurſus μεταφέρειν difficile eſt. Præferrem, ſi *vincula* ſimpliciter *lora* dixiſſet, ut dixit Salmaſius *ad Lamprid. in Alexandr. C.* 51. Tandem hic Accurſius, qui primo erat vocandus ad partes, *vinculorum verberationem* ex eo dictam putat, *quia vinculati verberantur fuſtibus;* non uſque adeo male, ut mox dicam.

Primo videndum, an *vincula* ſolvi poſſint, non rumpi, vel ſecari. Et conſtat, vinculum Latinis dici omne ligamen, omnem nodum, & æque conſtat, inter graviſſima verberandi genera fuiſſe nodum & nodi uſum, ſive contortis in nodum loris (*loramenta* vocant) ſive funibus e flagello ſuſpenſis intertextis quandoque e plumbo nodis. *Plumbatarum verbera* dicuntur in Codice, & explicantur Jac. Gothofredo *ad l.* 2. *C. Th. de Quæſtion.* Quumque illa verberatio fuerit

rit ſæviſſima, ut omnis *nodoſa*, ex Iſidori teſtimonio *L. V. Orig. C.* 27. a mitiori ad gravius recte hic aſcenderet Calliſtrati oratio, nec quicquam niſi ſumma verberationum genera expediret. Neque etiam Græcorum δεσμὰ impedirent, cum Viris Græce eruditis probatum ſit, δεσμὸν ex proprietate verbi cum maxime etiam lorum & funem ſignificare. Sin autem *vincula* & δεσμὰ omnino heic de carcere exaudire placeat, *vinculorum verberatio* eſſe poterit verberatio eorum, qui ſunt in vinculis. Rhetorica & uſus tuetur hujusmodi locutiones, *Cuſtodiæ* paſſim pro his, qui cuſtodiuntur, & Tertullianus *Apologet. C.* XXVI. eadem loquendi figura meminit *rebellantium ergaſtulorum, ſive carcerum, vel metallorum.* Deinde etiam nihil vetat, quominus *verberatio vinculorum* accipiatur pro *verberatio in vinculis*, in lautumiis forte, in quibus noxios ſæpe verberatos legimus; late enim patere *vinculorum* appellationem, quin & ad lautumias pertinere ipſe noſter Calliſtratus ſcripſit in *l.* 9. *ff. Ex quib. cauſ. major.* & ait Iſidorus *d. L.* V. *Orig. C.* 27. *Eſt Lautumna* (lego hic & in ſeqq. *Lautumia*) *ſupplicii genus ad verberandum aptum.* Imo & alias ſolemne, noxios in vincula conjici, dein verberari: exemplum præbet Locrenſium Oratio de injuriis Pleminii apud Livium *L.* XXIX. *C.* 17. ſic ibi de Pleminio: *Recreatus deinde Legatus ex vulneribus, tribunos militum in vincula conjectos, dein verberatos, ſervilibusque omnibus ſuppliciis cruciatos occidit.* Nec eſt, quod hic offendat locutio *vinculorum verberatio* pro *in vinculis*, nam illa caſus ſecundi uſurpatio in Jure noſtro inſolens non eſt: ſic *inſulæ deportatio* in *l.* 3. §. 5. *ff. ad L. Corn. de ſic.* pro *deportatio in inſulam*, ſic *oblatio Dei* in *l.* 5. §. 12. *ff. de Donat. inter V. & U.* & *dona Dei* in *l.* 6. *pr. ff. ad L. Jul. pecul* pro oblationibus & donis, quæ fiunt Deo. Nec fere aliter *libertatis proclamatio* in *l.* 1. §. 1. *ff. Quibus ad libert. proclam non lic.* immo ipſa *fuſtium admonitio* non alia eſt, quam quæ fit fuſtibus.

Cæterum ſi *vincula* pro *catenis* accipias, poſſet ambigi, an, ut nunc Belgæ dicunt, ſic olim Latini dixerint, *in vincula verberare* pro *includere vinculis.* Sane, ut Torrentius recte animadvertet, gemina huic loquutio eſt apud Tranquillum in *Calig. C.* 27. eſt ibi quis *catenis verberatus* & poſt *occiſus.* Nec Tranquilli locus forte felicius ſollicitatus eſt ab Viris doctis, quam hic Calliſtrati. Poſſes forte & *vinculorum verberationem* intelligere de Bojarum pœna, quam alioquin inter eas, quæ corporis coërcitionem habent, Calliſtratum omiſiſſe, liceret mirari.

Hæc pro recepta lectione. Quam ſi mutare pertinaciter ſederet, legerem, *vinctorum verberatio*, & intelligerem non pœnam, quæ more Majorum infligebatur virgis & ſecuri (nam hæc ſolemnis non fuit ævo JCtorum) ſed eam, qua *vinctos* vel ſimpliciter verberari placuit, vel, ad exemplum forte veteris ævi, ſecuta poſt morte. Gajus ejus rei meminit in *l.* 9. *ff. de Incend. ruin. naufr.* cum ait: *Qui ædes acervumve frumenti juxta domum poſitum combuſſerit*, VINCTUS VERBERATUS, *igni necari jubetur*, neque enim, quum *vinctus* ibi tueatur Librorum auctoritas, mutari convenit, multo minus in *victum* vel *ictum*, ut video nugari Criticos, non Criticos. Et de victorum verberatione exaudio, quod Macer dixit in *l.* 10. *pr. b. T. Ex quibus cauſis liber fuſtibus cæſus in opus publicum damnatur, ex his ſervum* SUB POENA VINCULORUM, *ad ejus temporis ſpatium, flagellis cæſum domino reddi.* Verum non una ratione, ut dixi, hanc ſententiam quoque præſtat vulgata lectio, in quam adeoque eſſem pronior; idque ſeu *verberatio vinculorum* ſit pro verberatione, quæ fit in vinculis, ſeu pro verberatione eorum, qui in vinculis ſunt: ut ut enim aliquando differant vinctum eſſe, & eſſe in vinculis, ſæpe tamen nullo hæc diſcrimine habentur, certe nullo ubi *verberandi* aut aliud ejusdem ſignificationis verbum additur.

Atque ita explicita Calliſtrati verba commodum intelligentur, utrovis enim ex his, quos diximus, modo accipias *vinculorum verberationem*, apparet, in eo ſemper aliud & majus quid eſſe, quam in fuſtigatione, aut flagellatione, quæ præceſſerant, & qua utraque omnem caſtigationem apud Veteres indicari planeque abſolvi vulgo placet. Sed nihil vetat, ut tertiam ſpeciem, addere *vincula* pro loramentis, vel denique *vinctorum* ſive fuſtigationem ſive flagellationem, utraque enim fuit gravior animadverſio.

De virgis ambigi & diſputari video inter Proceres rei literariæ, ad fuſtigationem, an ad flagellationem referendæ ſint? ad alterutram referendas nemo, quod ſciam, dubitat. Neque id alia cauſa moneo, quam ne credamus, poſt fuſtes & flagella hic virgis locum eſſe, hasque vel palam exprimendas, vel intelligendas ſub vocabulo *verberationis*, ut ſolent fere, quos recitavi, Emendatores.

CAPUT XXII.

Nomina, quibus JCti utuntur exemplis ſuſtentandis, ſæpe confundi, defenſa ſic ſcriptura, quam variis locis ſollicitarunt alii.

Cujusque Diſciplinæ Auctores, priſci, novi, ex medio fere uſu habent nomina, quæ exemplis ſerviunt. Solemnia dixerunt Alciatus *L.* I. *Parerg.* C. 26. & Cujacius *L.* II. *Obſerv. C.* 11. ubi recte ex Plutarcho ἐν τοῖς Ῥωμαϊκοῖς *Q.* XXX. JCtos, exempli loco, adferre Cajos Sejos, Lucios Titios, ut Philoſophi Diones vel Theones: recte, inquam, ad interpretationem formulæ, ὅπου σὺ Κάϊος, ἐγὼ Καΐα, non recte hoc alii ad alia. Quod ait de Philoſophorum Dione vel Theone, veriſſimum eſt, & Philo confirmat *de Aeternit. Mundi p. m.* 795. *& ſeq.* nec tamen minus verum, etiam JCtis Diones memorari, ut Scævolæ in *l.* 33. §. *ult. ff. de Uſu & uſufr. leg.* & Juliano in *l.* 13. §. 1. *ff. de Reb. dub.* Ut autem Cujacius ad κοινὰ ὀνόματα Plutarchi attulit Tertulliani locum de Cajo Sejo, ſic de Caja notari velim, quod contra JCtos Cicero attulit, ſeu, ut dicam quod res eſt, finxit potius *Orat. pro Muraen. C.* 27. *Quia*, inquit, *in alicujus libris, exempli cauſa, id nomen invenerant, putarunt omneis mulieres, quæ coëmptionem facerent*, CAJAS *vocari.* De Lucio Titio ſatis dixi in *Libr. ſingul.* ad *l.* 40. *ff. de R. C. Cap.* III. & eſſe inter ſuppoſita nomina, etiam Feſtus ſignificat in *Magiſtrare*, & Scholiaſtes, qui dicitur Servius, ad Virgilii *Æneid. L.* IV. *Verſ.* 65. Adde, ſi tanti, ſed vix tanti, Jacobum Curtium Εἰκαστῶν *Lib.* I. *C* 29.

Quamvis autem alia fuerit nominum ratio in capitibus liberis, alia in ſervis, etiam, ut Græcorum verbo utar, ἐν τοῖς τεχνικοῖς, quemadmodum

dum Alciato probatum eſt *d. Lib.* I. *Parerg. C.* 26. & *L.* VI. *C* 9. & *Parad. L.* V. *C* 5. tamen non ita id perpetuum fuiſſe deprchendi, quin Auctores Juris, rebus magis, quam nominibus intenti, aliquando hæc promiſcue uſurparint, & ita Titii nomen, ſervo datum in *l.* 40. *ff. de Hæred. inſtit.* nec aliter Imperator Alexander Caji, qua ſervi, meminit, in *l.* 9. *C. de Oper. libert.* neque enim eſt, ut Cajum illum, tanquam ſubrepticium ſervum, familia ejiciamus, vel integram Legem, piſce licet ſaniorem, ea cauſa ſuppoſitæ fraudis inſimulemus cum Alciato *d. L.* VI. *Parerg.* C. 9. Etiam Lucii nomen ſervo adſcriptum videas in *l.* 32. §. *ult ff. de Teſtam tut* imo ibi, *Lucius Eros*, duplici nomine, quod de ſervis rurſus negabat Alciatus, & probabat Auguſtinus *L.* III. *Emend.* C. 8. Atque ita forte contra Auguſtinum, eo loco, defendi poſſet Theophili de Popilio Rufo, qua ſervo, paraphraſis ad §. 1. *Inſt de eo cui lib. cauſ. bon. add.*

Sic eſt, ut diximus. Auctores Juris rebus ipſis occupati hoc toti agebant, parum aliquando ſolliciti de accuratione nominum, quæ ad exemplum fingebant. Hinc ſæpe perverſa nomina, quæ, ut dixi, παραδειγματικῶς proponebant: nam etſi judicio Joſephi Scaligeri *L.* I. *Epiſt.* 17. ineptiſſimus foret JCtus, qui de prædio *Mævii* verba facturus, mox de *Lucii Titii* fundo tractat, in Jure tamen noſtro id adeo inſolens non eſt; imo vero, quia hæc exemplorum loco ſunt duntaxat, ſine ineptia ſæpe confunduntur. Proinde nolim, ubi ea nominum mutatio eſt, a poſteris Leges turbatas credi, atque adeo reſtituendas: quin potius ab Veteribus hæc dicamus profecta, ac in eorum monumentis feramus æquo animo. Ita non erit, ut Cruſii ad *l* 40. *ff. de Hæred. Inſtit. C.* VIII. everriculo egeamus, quo pro *Sejo* ſubſtituto *Sempronio*, vel contra, purgetur ſcilicet *l.* 3. *ff. de Adim. vel transfer. leg.* Sed bene eſt, quod non, ut imprudens jactat, hæc primus tentaverit, ita jam ſapuit Grotius in *Flor. Sparſ.* ad illam *L.* & ita ante Grotium etiam Editores. Sed quum id genus Obſervationibus facem prætulerit Jacobus Curtius *L.* I. Εἰκαστῶν C 29. ad *l. ult ff. de Inſtit. act* & Jacobus Cujacius *L.* II. *Obſerv. C* 11. ad *l.* 122. § 1 *D de V. O.* omittenda Criticis emendatio, & nobis opera eam rem pluribus enarrandi. Tantum indicabo, Hotomanum, eo neglecto, *L* V. *Obſerv. C.* 13. perperam quoque aggreſſum eſſe *l. ult.* §. *ult. ff. de Condict. ind.* & *l.* 39. *ff. de Pignor act* & ipſum Cujacium, ejus rei immemorem, ultima *Legis* 59 *ff de Hæred. inſtit.* nullo jure mutaſſe in *Comm. ad a. l.* §. *ult.* Secundum hæc, quæ de commutatis nominibus dixi, forte etiam intelligendum eſt *principium l.* 36. *D. ad Municip.* ſed, dum amplius delibero, nam digna res eſt, manum de tabula, vel potius ad tabulas, quas ſic interpretor.

CAPUT XXIII.

Varie tentata L. 1. §. 1. ff. de Bonor. poſſeſſ. ſecund. tab.

Lex 1. §. 1. *ff de Bonor, poſſeſſ ſecund. tab.* inter eas eſt, de quarum ſententia perfecte conſtat, de verbis non æque. Ulpianus, quid ſint tabulæ ſupremæ, definiturus, ſic ibi ait. *Non autem omnes tabulas Prætor ſequitur hac parte Edicti, ſed ſupremas, hoc eſt, eas, quæ noviſſimæ ita factæ ſunt, poſt quas nullæ factæ ſunt. Supremæ enim hæ ſunt, non quæ ſub ipſo mortis tempore factæ ſunt, ſed poſt quas nullæ factæ ſunt, licet hæ veteres ſint* Ita eſt in Libro Florentino, ſed offendunt hæc: *quæ noviſſimæ ita factæ ſunt, poſt quas nullæ factæ ſunt*, videtur enim bis idem dicere, abrupta plane & conciſa oratione. Hinc Haloander, & qui præfuit Editioni apud Sennetonios, ita legunt: *quæ noviſſimæ ita factæ ſunt, ut poſt eas nullæ factæ ſint.* Sed vereor, ne hæc ex ingenio ſuo aliorumve, non ex auctoritate Manuſcriptorum: nam ſæpe evenit, maxime poſt Budæum, Alciatum, & Zoannettum, Editores ea, quæ turbata ſunt, repræſentare ex illorum conjectura, vel etiam ſua, ſi quid ſapiant, neque hæc diſtinguere a fide Librorum, ſi quando hos ſequuti ſint, magna poſteritatis injuria! Ego, quicquid ejus rei ſit, tantum hic a Florentina non recedam; neque tamen dicam, quod dixit Cruſius ad *l.* 40. *ff. de Hæred. inſtit. C.* IX. τὸ *ita* coaluiſſe ex I. TA. & id, per notas ſcriptum, ſignificare *primas tabulas*; deinde præponendum A, ut ſit, *noviſſime a primis tabulis.* Dignus auctor tanto acumine: nam quæ hæc esſet ſententia, ſupremæ tabulæ ſunt, quæ a primis factæ ſunt noviſſime? utique enim ſi vel ſolæ ſint, tamen, quod ad Edictum Prætoris, habentur ſupremæ, ut ratio vult, & Paulus confirmat in *l.* 163. *pr. ff. de V. S.* neque etiam dubitari poterit, Ulpianum hic interpretari omnes tabulas, ſecundum quas, ut ſupremas, Prætor largitur bonorum poſſeſſionem, atque adeo nihil referre, ſive ſolæ ſint, ſive plures: abſit quippe, ut Cruſius exiſtimaverit, ſecundum tabulas non competere, ſi modo unas condiderit teſtator. Atque ea ratione, optima, peſſima, tolleret duntaxat duritiem in *ita*, relinqueret in his, *poſt quas nullæ factæ ſunt*, quæ prorſus idem dicerent, quod proxima ſententia, nec etiam ſine copula commodum ſequerentur. Et de notis quid dicam? ſæpe iis interpretandis peccatum eſſe ab Veteribus, ſed magis peccatum a nobis, & peccari cum maxime. Ut ut enim in re Critica magno hæc præſidio eſſe non negem, tamen mirari aliquando ſubit, Viros doctiſſimos, & quibus lubens adſurgo, ſæpe tam prolixe abuſos arte pulcherrima, & ſibi ipſis notas fingere, & pro captu quemque ſuo interpretari. Agnoſco ſigla, compendia ſcribendi, quin Notas Juris, ſed legitimas & ſolemnes, quales nobis dederunt Magno & Valerius Probus, non agnoſco figmenta Notarum, quibus luxuriantur otioſæ mentes, ubi nihil eſt legitimum, nihil uſpiam ſolemne. Si ex prima litera cujusque vocis in lapidibus, marmoribus, quin & vulgari ſcriptura, aliam vocem liceat fingere, nihil amplius tutum aut certum erit, at cito omnia ſuſque deque pervertentur, nam ecce a *Deo* facile quis ita effecerit *Diabolum.* Sed ne longius abeat indignatio, quis hanc ſcripturam dixerit fuiſſe ſolemnem A. I. TA. & ea ſignificatum *a primis tabulis*? quin illud TA. nihil eſt, quum TAB. ſcriberetur, ſi *tabulæ* compendio ſcribendum esſet, ut auctor eſt Magno. Unde nec adſentiendum Jacobo Gothofredo, qui Cruſio hac ratione præivit *Lib.* V. *ad LL.* XII. *Tab. p.* 184. exiſtimat quippe ibi, in *l.* 11. §. 6. *ff. ad L. Falcid.* notas I. TA. quæ, ut ipſe ait, *primas tabulas* denotant, ſummo *d.* §. 6. incommodo migraſſe in *ita.* Verius eſt, *atque ita ſi*, eo loco pro

atque

atque ſi ita vel habendum vel legendum eſſe. Cæterum quod dixi de ſolemnitate Notarum, noverat ipſe Cruſius, alia occaſione, Cujacio objicere, *eod. Libello C. VII.* Igitur & illi Flaccus dixit, *Cum tua pervideas*, & reliqua.

At vero quæ tandem medicina Ulpiano in *h. l.* 1. § 1.? quid ſi non egeat? Haud ſemel, ut etiam alias obſervavi, in Auctoribus, etiam noſtris, occurrunt locutiones implicitæ, & tantum non contortæ, quæ parum advertentibus exciderunt, nec tamen propterea, ubi de ſenſu conſtiterit, mutandæ ſunt. Varie autem, quæ implicita ſunt, hic poſſunt explicari, verbis equidem diverſis, ſenſu ſemper eodem. Dixerit: ita noviſſime vel noviſſimas factas intelligi, ut poſt eas non ſint aliæ quemadmodum Halloander accepit. Dixerit *ita* pro *tunc*; noviſſimas tunc factas intelligi, cum nullæ poſt extiterint. In hanc ſententiam *ita* eſt apud Alphenum, terſiſſimæ Latinitatis auctorem, in *l.* 20 *ff. de O. & A.* etiam apud Plautum & Ovidium, ut notavit Stewechius *de partic. Ling. Lat. p. m* 363 & 364. Nec aliter *ſic* accipio in illo Virgilii *L.* VI. *Æneid.*

Sic *demum lucos Stygios, regna invia vivis*
Aſpicies.

& ita forte in *l.* 34. §. 4. *ff. de Jurejur.* & *l.* 1. *pr. ff. Si tab. teſt. null. ext.* niſi potius dicamus, utrobique τὸ *ſic* abundare, ut fere in his, *res ſic ſatis bona, faceta, pulchra*, & his ſimilia. Atque ea ratione in *l.* 1. §. 14. *ff. de Agnoſc. & al. lib.* hæc Libri Florentini verba, *cæterum* si *eſſe ſatis injurioſum ait*, quæ in aliis Codicibus tam varie, tam mendoſe leguntur, ſic facile reſtituo: *cæterum* sic *eſſe ſatis injurioſum ait* &c. Utque τὸ *ſic* aliquotiens abundat, ad eundem modum ejuſdem fere ſignificationis vocula *ita*, & fortaſſe etiam hoc Ulpiani loco; abundat certe in *l.* 28. *ff. Depoſ.* & in formula, *unde de plano recte ita legi poſſit*, qua de Cujacius *L.* XII. *Obſerv. C. ult.* Quod ſi & hic dicamus παρέλκειν, ſenſus erit, ſupremas tabulas dici, quæ noviſſimæ factæ ſunt, & *poſt quas nullæ ſunt*, vel *poſtquam nullæ factæ ſunt*, id enim, ut minus durum, forte quis præferat τῷ *poſt quas*, & docuit Magno, *poſtquam* ita ſcribi PQ, unde facile emerſerit *poſt quas*; ſed res eodem redit.

Qui hæc non audiunt, & faciles ſunt in agnoſcendis Gloſſematis, ut fere ſunt faciles nimium Viri docti, hi, inquam, quovis pignore contendent, gloſſema eſſe vel in his, *quæ noviſſimæ ita factæ ſunt*, vel in illis, *poſt quas nullæ factæ ſunt*, alterutrum quippe ſufficere. Addent, verba ſequentia gloſſemati cauſam dediſſe, illic enim, noviſſimas tabulas definiri, quæ ultimæ ſunt, ſive *poſt quas nullæ factæ ſunt*. Hinc illud interpretationis loco additum eſſe τῷ *noviſſimæ*, denique notam eſſe adventitiæ ſententiæ, quod non cohæreat continenti ſtylo, utpote a margine Libri, non ab auctore Legis profecta, & tandem ea ratione vitari & τὸ ταυτόλογον & τὸ ἀσύστατον. Sed vero hoc genus Criticæ, dum aliud ſupereſt, nunquam mihi placet, conſtat enim peſſimi exempli eſſe, & ſoleo, ut qui maxime, religioſe verſari in Libris noſtris. Quare vel iis, quos dixi, modis nihil peccatum eſſe reor, vel peccatum interpunctione ſola; ſic enim forte interpungendum: *Non autem omnes tabulas Prætor ſequitur hac parte Edicti, ſed ſupremas, hoc eſt, eas, quæ noviſſimæ: ita factæ ſunt, poſt quas nullæ factæ ſunt, ita*, nempe *noviſſime*. Tantum eſt, & forte nimium conjecturarum in re incerta, ut tamen fere eſt omnis Critica.

CAPUT XXIV.

Salvium Julianum non videri Auctorem Interdicti, quod Salvianum dicitur.

Poſtquam etiam Cujacius *Parat. ad Tit. ff. de Salviano Interdicto*, ſe ſuſpicari ſcripſerat, ejus Interdicti auctorem eſſe Salvium Julianum, Edicto Perpetuo nobilem, facile hoc arripuerunt alii, etiam Menagius *Amoenit. Jur. Civil. C* XXIV. & non dubitandum eſſe video, qui de plano pronuncient. Si rationem quæras, non aliam habebis, quam Salvii Juliani nomen. Sed hæc ratio non eſt, nam plures Salvios dedit Gens Salvia, & præter Julianum in veteri memoria etiam alii Salvii, JCti, celebrantur. Quod eo dictum velim, ne, quia Salvianum vocatur, continuo Julianum Interdicti auctorem credamus. Nunc accipe rationes, quæ me in contrarium vocant. Et quidem Juliano antiquius eſſe id Interdictum, & Interdicti nomen, inde mihi videor recte colligere, quod illud, eo nomine, interpretati ſint Paulus & Ulpianus in Commentariis ad Edictum, hic Libro LXX. ille Libro LXIII. ut conſtat ex *l.* 2. §. 3. *ff. de Interd.* & *l.* 2. *ff h. T.* quod ſic ſatis præbet argumenti, & Interdicti illius meminiſſe Edictum, & *Salvianum* ibi audiviſſe, cum aliud nomen nuſpiam occurrat, nedum in Pauli & Ulpiani Libris, quos diximus. Sin ajas, Julianum in componendo Edicto ſua quædam emblemata addidiſſe, ut argumento eſſe videtur *l.* 3. *ff. de Conjung. cum emanc. lib.* eſto; ſed cui fiet veriſimile, Julianum, in quo alibi pellucent modeſtiæ argumenta, tam arrogantis ingenii fuiſſe, ut, non contentus reperiſſe Interdictum, & nomen illi ſuum impoſuiſſet, & ita Edicto voluiſſet inſertum. Sed, quod magis eſt, ne Julianum Interdicti, quo de agimus, auctorem credam, ipſe me movet Julianus in *l.* 1. *ff. h. Tit.* nam Libro XLIX. *Digeſtorum*, interpretaturus id Interdictum, tanquam noto & antiquo nomine *Salvianum* vocat, idque ſimpliciter, abſque ulla nota, qua ſe auctorem prodat. Fac igitur in Edicto omiſſum fuiſſe *Salviani* nomen, hic certe ipſe ſuo nomine ſe efferret: quod abſit, ſi vel eam appellationem tunc uſu fuiſſe receptam cuiquam fiat probabile. Diceret, Interdictum, quod me Prætore propoſitum eſt, vel quod a me nomen habet, vel ſi quid his eſt ſimile. Accedit, & id ſumma rei eſt, quod ipſe ille Julianus in *d. l.* 1. maxime occupetur in enumerandis cauſis, quibus reddi oporteat Interdictum, vel directum, vel utile, atque adeo directum ab utili diſtinguat ſecundum ea, quæ ibi proponuntur. Hæc vero mihi non videntur convenire Juliano auctori; ſi enim ipſe Interdicti fuiſſet auctor, utile quoque feciſſet directum, quia ejuſmodi diſtinctiones non oriuntur niſi ex interpretatione, quæ ab aliis equidem JCtis, non tamen ab Juliano exſpectanda erat, ne Interdictum anguſte nimis concepiſſe videretur, etiam ex ſua ipſius ſententia. Sed his forte reponens auctoritatem Baſilicorum, qui *L.* LX. *T.* 17. *C.* 28. Ulpiano, non Juliano, adſcribunt *d. l.* 1. verum ibi ſcripturæ vitium eſſe, & non Οὐλπ. vel Οὐλ. ſed, addita litera, Ἰουλ. legendum eſſe perſuaſiſſimus ſum, non tantum quod in Libris Latinis con-

conſtanter ea lex tribuatur Juliano, ſed quod id palam arguat adjecti Operis titulus, Julianus enim, non Ulpianus ſcripſit *Digeſtorum Libros*. Liquet & illud ex *C.* 29. quod in Baſilicis proxime ſequitur, namque & illi præſcriptum eſt Ulpiani nomen, quod utique omiſſum foret, ſi idem ejus Capitis, qui præcedentis, fuiſſet auctor, tunc enim notari ſolet Ὁ αὐτὸς vel τοῦ αὐτοῦ.

CAPUT XXV.

Defenſa Latinitas Pandectarum, variis locis.

Qui anno 1576. JCtorum Latinitatem contra Laurentium Vallam defendit, dignitati Jurisprudentiæ Romanæ egregie conſultum ivit. Video illam Defenſionem ab his Nicolao Vallæ, ab illis Jacobo Capello tribui, ſed quisquis fuerit, nam latere voluit Auctor, bonum factum! vellem tamen, ne ipſe ille, poſt refutatum Vallam, pro veritate ſcilicet, & boni Viri officio, cauſam mutaſſet, Jurisque noſtri Conſultos notaſſet prolixo Capite, cujus hæc eſt inſcriptio: *Verba non ſatis probatæ Latinitatis, aut non ex recepta ſignificatione, vel contra Grammaticorum regulas a Jureconſultis uſurpata.* Nam ecce eo nomine alia rurſus defenſione opus, quæ forte nec ipſa in pleriſque deeſt, ſi rem putemus. Quæ hodie obſervavi probæ Latinitatis eſſe, & ab ipſo notari, ut improbæ neque receptæ, hæc ſunt.

In *l. ult. ff. de Offic. Præſ.* Paulus *devirginatam ancillam* dixit pro *corrupta*, *ſtuprata*, *vitiata*. Perperam, inquit ille *Pag.* 50. *A.* cum Nonius ſcribat, *devirginari dicebantur, qui ex ephebis exceſſerant.* Sed vero nulla alia ejus verbi ſignificatio magis propria eſt, quam de fæmellis ſi accipiatur. Nec eam ſubvertit Nonius in *Virgines*, quamvis verum eſſet, etiam de pueris uſurpari; id enim ſi fiat, non niſi per translationem fieri vocabuli proprietas oſtendit. Ea translatio eſt, quod *devirginari* dicerentur, qui ſtatum omnimodæ virginitatis amittunt, idque verum eſſet non de mulieribus duntaxat, ſed & viris: etſi virorum virginitas vix nomen acceperit, quin & de ipſa dubitare videatur velle Achilles Tatius *de Amor. Clitoph. & Leucipp. p. m.* 132. Eſt etiam, quur dubites de ſententia Nonii, quum locus Varronis, quem attulit, ut nunc eſt *Fragm. p.* 134. id omnino non probet. Nonium equidem ſecutus eſt Cujacius *L.* VI. *Obſerv. C.* 16. ſed Leges, quas eo adduxit, eſſe inutiles ſatis eſt manifeſtum. Et quicquid ſit, Nonius, ut diximus, vel apud Nonium Varro non obſtat. *Devirginari* autem, ut hic Paulus, etiam optimus Latinitatis arbiter dixit Petronius *C.* XXV. & alii aliis, ut video, laudati. Utque ita recte Gloſſar. Petron. in *devirginare*; DEVIRGINARE *depudicare*, *virginitatem eripere*, & in *virum pati*; VIRUM PATI *dicitur virgo, cum devirginatur.*

Idem ille Anonymus *P.* 51. *B* ait, *arbitrari* ſemper eſſe deponens, nunquam paſſivum (Grammatice loquor in re Grammatica) paſſive tamen, id eſt, præter conſuetudinem ita uſurpari in *l* 27. §. 4. *ff. de Recept. arbitr. l.* 13. § 1. *ff. de Uſufr.* & *l.* 12. §. 5. *ff. de Relig. & ſumpt fun.* Sed *arbitrabunt* Plautus in *Sticho* dixit, & Nonius Marcellus in ea voce annotavit *p. m.* 496. & Seneca *Præf. L.* III. *Controverſ. Hoc ita ſemper arbitratum eſt, Scholam quaſi ludum eſſe, forum barenam.* Sane & in aliis aliquando activa, paſſiva, deponentia promiſcue ſumi, ex Auctoribus noſtris ipſe Defenſor probaverit, hic & *P.* 48. *B.* & 49 *A.* & paſſim, ex aliis Nonius toto Capite, *de contrariis generibus Verborum.*

Iterum *P.* 53. *B.* Gajum notat, quod in *l.* 18. *pr. ff. de Ædil. Ed. curracem* dixerit & *vigilacem*, mox tamen analogia defendit, cum *emacem* & *vendacem* dixerit Cato. Sed *currax* & *curracium* eſt & in MS. Pithoei apud Symmachum *L.* IV. *Epiſt.* 60. ut monuit Juretus in *Notis* ad *Symmach. L.* IX. *Epiſt.* 23. improbat & eam vocem, quaſi parum Latinam, Jacobus Lectius ad *d. Epiſt.* 60. ſed inepte id in Symmacho, & ſufficit, utique Lectio JCto ſufficere debuit auctoritas, quam Gajus hic præbet. Aliunde tamen & alii probarunt *currax*, & ex optimis Auctoribus *vigilax*.

Pag 56. *A.* manifeſtum eſſe ſolœciſmum ait in hiſce Pauli *l.* 78. § 1. *ff. de Legat.* III. *Argentum omne, & ſupellectilem, quodcunque habeo, tibi dono*; dicendum enim fuiſſe *quamcunque*, & Haloandrum parentheſi interpoſita hæc excuſare conatum, hoc modo: *ſuppellectilem (quodcunque habeo) tibi dono.* Sed rectiſſime habet *quodcunque*, ſine ambagibus, id quippe per σύλληψιν, quam vocant, ad utrumque præcedens pertinet. Pudet hæc probare, nam pueri norunt.

Vocem *peculiarius* pro *peculiaris* etiam inter improbæ Latinitatis numerat *P.* 57. *B.* & 58. *A.* eſt ea in *l.* 4. §. 5. *ff. de Pecul.* & *l.* 4. §. 34. *ff. de dol. mal. & met. except.* neque alibi me videre memini. Origo, ni fallor, ejus rei eſt ex Græcia, quum enim Romæ, ut eſt in Satyra, *omnia Græce*, forte etiam illæ terminationes IS in IUS mutari cæperunt aliquando, ſicuti ipſi Græci Latinorum voces ita efferebant, cum ajunt Ἰουβενάλιος, Μαρτιάλιος &c. Cæterum ſimilia ſunt *ſingularius* apud Gellium *L.* XVII. *C.* 9. *intercalarius* apud Aſconium *argum. Milon. p. m.* 186. *pupillarius* apud antiquum Scholiaſt. ad Perſium *Satyr.* II. *verſ.* 19. Contraria ratione poſſes in *l.* 5. *ff. de Offic. Adjeſſ. Conſiliarem*, quod eſt in Florentino, accipere pro *Conſiliario*, ac ita aliis lectionibus tuto parcere.

Commendare, inquit *P.* 59. *A.* cum in bonam ſemper partem uſurpetur, in malam accepit Ulpianus in *l.* 31. § 1. *ff. de Reb. auct. Jud. poſſ. Siquidem tutorem non facultates, ſed fraudulenta in rebus pupillaribus, ſed callida converſatio ſuſpectum commendet*, pro *ſuſpectum faciat*, *ſuſpectum arguat.* Video id excuſari, ac ſi *commendare* κατ᾽ ἀντίφρασιν ſit pro *notare*, atque ita jam Gloſſa. Sed id non placet; ego, quamvis in omnibus Libris invenerim *commendet*, non dubitem ſervatis, at trajectis nonnihil litteris, reſcribere *condemnet.* Quocum convenit Græcorum κρίνεται, nam ita id exprimunt in Baſilicis *L.* IX. *T.* 7. *C.* 30. Ὕποπτος δὲ κρίνεται ὁ ἐπίτροπος ἐκ δολερᾶς διαγωγῆς.

Ait *l.* 13. § 4. *ff. de Acceptil. tolliſſeque totam obligationem.* Vulgata, Roberti Stephani Pariſienſis 1528. & Haloandri Editiones, *tuliſſeque.* Utrumque, ait Ruſſardus ad *d.* §. 4. eſt pro *ſuſtuliſſe*, & hinc in *tuliſſe* proclivior eſt Auctor *Defenſionis P* 60. *B. tolliſſe* enim, ut nimis antiquum, ut ſine exemplo, ei non probatur. Sed *tuliſſe* in hac ſpecie etiam eſſet duriuſculum, certe etiam antiquum; ſi tamen ita legeretur, ferri poſſe non negem, video enim & alibi frequentatum

tum pro *ſuſtuliſſe*, & forte etiam in *l.* 15. §. 2. *ff. Locat. cond.* alia exempla habet Theodorus Marcilius, *interpretamento* ad *C.* XII. *L.* XII. *Tabb.* Imo *& ipſum ſuſtuliſſe* forte quis reponet, ratus, primam ſyllabam facile librariis excidiſſe ob ſimilem fere ſonum ultimæ ſyllabæ vocabuli præcedentis, *egiſſe*. Malo autem *tolliſſe*, ac ſi diceretur, *tollo*, *tolli*, ἀρχαϊκῶς; & ne credas id caſcum eſſe nimis, multa ſunt non diſſimilia Conjugationum exempla in Pandectis; quin & alibi, quæ nec ipſa ubique occurrunt. Sed tamen occurrit *tollerunt*, nam in gloſſis Iſidori eſt, *tollerunt*, *genuerunt*, recte; & male Grævius jubet legi, *tulerunt*, eſt enim *tollerunt* pro *ſuſtulerunt*; quemadmodum *tolliſſe*, ut dixi, pro *ſuſtuliſſe in d.* §. 4. Perſius etiam *tollit* pro *ſuſtulit* mihi dixiſſe videtur *Satyr.* IV. *princ.*

Rem populi tractas? barbatum hæc crede magiſtrum
Dicere, ſorbito TOLLIT *quem dira cicutæ.*

absque eo ſi ſit, difficulter ſententia conſtabit, loquitur enim de Socrate, per ſorbitionem cicutæ ſublato ac defuncto.

Proxima, quæ ſequitur, nota eſt in *idonior*; Noſtri enim *idoniorem* dixerunt pro *magis idoneo* in *l.* 2. *ff. de Popul. act. l.* 18. *ff. de Teſtam. tut.* & *l.* 5. §. 11. *ff. de Jure immunit.* inuſitate, inquit, neſcio an Latine, nam ſi Grammaticos ſequamur, a genitivo *idonei* formandum eſſet *idoneior*, & ſic habent quidam Codices in *d. l.* 2. Sed etiam ſatis uſitata eſt hæc forma, *idonior*, nam præter JCtos bis occurrit apud Tertullianum iis locis, quos Salmaſius indicavit *ad Pallium p.* 223.

P. 61. *A.* Scævolam notat, quod in *l.* 29. §. 15. *ff. de Lib. & poſt. hær inſt* dixerit, *ille caſus in difficili eſt*, ſed idem eſt, quod dixit Ulpianus in *l.* 4. §. 1. *ff. de Hæred. inſtit.* & geminum, quod Tertullianus *de Cultu fœmin. C.* IX. *Hæ pompæ*, inquit, *quam de proximo curent luxuriæ negotium, & obſtrepant pudicitiæ diſciplinis, dignoſcere in facili eſt.*

Quod apud eundem Scævolam legitur *ex redactu fructuum* in *l.* 58. §. 1. *ff. de Uſufr & quemadm. quis ut. fr.* idem eadem *Pag* nequit concoquere; *redactum* enim eſſe ibi quaſi redactionem & pecuniam redactam, quod nemo alius ſic uſurpaverit. Et ſane ea ratio eſt, quod multæ Editiones habeant *reditu*, & una *redditu*; ſed *redactu*, ait Defenſor, verior eſt lectio: & hoc probo, rationemque, quam ipſe non habet, addo ex *l.* 88. *ff. de Solution.* nam ibi idem Scævola *redactum* dixit eadem ſententia, niſi tamen eo loco ſit ex ſecunda Declinatione, quemadmodum *ex redacto* apud Julianum in *l. ult. ff. de Curat. bon. dand.* Sed quod ad *redactum*, quartæ Declinationis, accepi ab Gronovio, qui varias lectiones ad Palladium notavit *L.* I. *Obſerv. C.* 20. bis in MSS. Palladii *redactum* legi, ubi vulgo, ut in *d. l.* 58. §. 1. ſubſtitutus eſt *reditus*. Alter locus eſt *L.* I. *de Agricult. C.* 19. ubi ita MS. *vimineis vaſculis, in quæ redactus tenues colligemus.* Alter *L.* VIII. *C.* 7. ubi rurſus MS. *quæ matura eſſe ad mellis redactum ſignis quamplurimis inſtruemur.* Sed in ſecundo loco *redactus* ſecundæ, an quartæ Declinationis ſit, non eſt, unde ſciri poſſit; at id collegeris ex altero loco, qui præceſſit: plane ut dicimus de utroque Scævolæ. Quod autem *mellis reditum* vulgo ibi legant pro *redactum*, ſic ſatis eſt abſurdum. Cæterum in *h. l.* 58. §. 1. etiam editum vidi, *redactis fructuum*, quod ſi eſſet ex aliquo Codice, interpretaremur *redactis fructibus*; quod genus locutionis, ex Græcia præcipue oriundum, longe & late annotavit Salmaſius ad *Pallium Tertulliani p.* 154. & 155. niſi quod locus Arnobii *Lib.* V. huc non videatur pertinere, ut Voſſius obſervavit *ad Catullum. p.* 164. & 165. Addo potius ex eodem Tertulliano *de Idololatria C* XI. *Si cetera delictorum recogitemus*, & ex medio Latio.

—— —— —— *Superis Deorum*
Gratus, & imis.

apud Flaccum in *fin. Od.* 10. *Lib.* I. pro *Diis ſuperis inferiſque*, & in hunc modum ſæpiſſime Cornelius Tacitus.

Gutturoſum pro eo, cui guttur prominet, Ulpianus dixit in *l.* 12 §. 2 *ff. de Ædil. Ed.* Et hanc vocem, ceu ab aliis non uſurpatam, notat JCtorum Defenſor idemque Cenſor *P* 63 *B.* eſt tamen in Gloſſis, *gutturoſus* λαιμαργος, & vetus Scholiaſtes ad *Juven. Satyr* XIII. *Verſ.* 163. *tanquam ſi in Alpibus gutturoſos homines admireris.*

Ead Pag. negat apud Ulpianum in *l.* 43 §. 9. *ff. de R N.* recte dici *quæſtuarias* pro muliercuлis, quæ de corio ſuo ludunt, quæſtus gratia. Sed fallitur; Senecæ teſtimonium ex *L.* VI. *de Benef C.* 32 alius recte advocavit, ego Tertulliani addo ex *C* XII. *de Cultu fœmin. Thamar*, inquit, *idcirco Judæ ſuſpicioni viſa eſt quæſtui ſedere. . . . . . habitus qualitate* QUÆSTUARIAM *mentiente, & fecit ut* QUÆSTUARIAM, *& voluit & compellavit, & pactus eſt.* Junius legit, *& fecit ut quæſtuaria: nam & voluit* &c. perperam, τὸ *fecit* ſit pro *accepit*, ut ſæpe alias, & quo bonum eſt *nam* intrudere? & hæc hactenus.

FINIS LIBRI PRIMI.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK
OBSERVATIONUM JURIS ROMANI
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De origine Succeſſionis in cauſa inteſtati.

De origine Juris, quo apud omnes Gentes receptum eſt, ut liberi cognatique defunctis ſuccedant, video quæri; & omnes probant repetendam a conjectura voluntatis, ut, cujus nulla eſt expreſſa teſtatio, obtineat præſumta, qua bona intelligantur illum ſequi, cujus ea eſſe voluiſſe defunctum maxime erat probabile. Ita poſt alios Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 7. §. 3. dubito, an recte; utique ſi, ut par eſt, Leges attendamus, quæ in cauſa inteſtati hæreditates deferunt, tunc enim eam ſententiam vel ſola uxor a ſucceſſione excluſa refutabit, in hanc quippe, quam in quemque alium cognatum, amoris impetum majorem eſſe Moſes dixit *L.* I. *C.* 2. §. 24. & eſt veriſſimum. Si major impetus & ἔρως, major, quam pro reliquis, voluntatis conjectura. Ne dicam de languida ſæpe Parentum Liberorumque, & rara Fratrum gratia, quin & de Cognatorum magis. Ubi inter alios frigufculum, inter hos incipit odium, *quæque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infenſos ſunt,* ut vere Tacitus *L.* I. *Annal. C.* 55. unde & *acerrima proximorum odia eſſe* idem recte dixit *L.* IV. *Hiſtor. C.* 70.

Igitur alia ſucceſſionis ratio quærenda eſt, & forte alia & melior peti poterit ex conditione cognatorum. Familiæ univerſitas quædam eſt, ab Ariſtotele, & aliis, Reipublicæ comparata. Parens, dum vivit, hujus univerſitatis caput eſt, ſive, ut Gajus ait, *princeps familiæ l.* 196. *pr. de V. S.* omnes & omnia exercitio habens & poteſtate. Liberi non ſecus atque acceſſiones conſiderantur, partes tamen univerſi corporis; unde quæ ad corpus pertinent, etiam vivo patre, ipſorum eſſe creduntur, tam dominio *l.* 11. *ff. de Lib. & poſt. hæred. inſt.* quam poſſeſſione *l.* 2. §. 2. *ff. pro Hæred.* ita tamen, ut parens, cujus omnis eſt poteſtas, etiam in ipſos liberos, ex ratione meri juris cenſeatur quoque acquirere, quod liberorum eſt *l.* 79. *ff. de Acq. vel omitt. hæred.* Sed alia, ut dixi, ratio eſt in transferendis hæreditatibus, tunc enim liberi putantur fuiſſe συνδεσπόται, & jure ſui ſuccedere ex proximo, quod habebant, dominio & poſſeſſione, nunc plene nacti, quod ante contemplatione juris. Sed plura in hanc rem obſervavimus *L.* I *C.* 19. Ut autem liberi proxime, ſic poſt liberos alii, dummodo ejuſdem familiæ, poſſidere, &, ut quique ſunt in proxima poſſeſſione, hæredes eſſe intelliguntur; eleganter hoc Tacitus expreſſit *de Morib. German. C* 20. *Hæredes*, inquit, *ſucceſſoresque ſui cuique liberi: & nullum teſtamentum. Si liberi non ſunt proximus gradus* IN POSSESSIONE, *fratres, patrui, avunculi.* Habet ſane univerſitas familiæ, & ex ea ſuccedendi jus, neſcio quid ſimile cum eo, quod conſtituit *l.* 1. 2. 3. 4. & 5. *C. de Hæreditat. Decur.* ibi enim placuit, extincta ſocietate cognationis inteſtati, reliquos ejuſdem, cujus fuerat defunctus, Collegii participes ſuccedere. Utque liberi parentibus, ſic Rege defuncto (cujus, ſi Senecam audimus *Lib.* VII. *de Benefic. C.* 4. in omnia poteſtas erat) accipit populus & jus ſui, & integram poteſtatem ſuarum rerum, quarum ante non niſi σύγκτησιν quandam habuit, quæ a rege moriente deſtituta tranſiit ad populum, qui ita cæteros excludit, quia re ipſa poſſidebat proxime. Et quemadmodum ſervus, qui directam libertatem nanciſcitur, defuncto domino, eam habet ſuo jure, ut neque aliquo facto ſit opus, ita & filii filiæque familias poſt mortem patris ſtatim & vi ſua accipiunt dominium & poſſeſſionem eorum, quæ quidem & ante habebant, ſed vivo patre non libera: ideoque neque ullo facto parentibus ſuccedunt, at jure ſuo, quaſi & olim domini, ut belle docet *l.* 11. *ff. de Liber. & poſt. hær. inſt.* & *l.* 7. *ff. de Bon. damnat.*

Similitudine autem a liberis ſumpta, Jus Romanum, quo de agimus, proximos agnatos, mox gentiles ad defunctorum hæreditates vocare cæpit, ex eadem nempe ratione, etſi in facto non æque manifeſta: nam & fratres erant συγκτήτορες, omniſque agnatorum & gentilium ordo eundem patrem habebat communem, cui, & inde iis, qui ex eo orti ſunt, quique ita tanquam partes ejus habentur, pari ratione ſuccedunt. Ex his nemo eſt, qui non ad familiam pertineat, & videatur etiam poſſidere, quæ ejus ſunt, ſed alius alio prior. Cognati, quia familiæ, ut ſic dicam, participes non ſunt, nec una poſſident, nec ad hæreditatem Lex vocat. Loquor de Lege Xvirorum, primo fonte Juris Romani, unde ſucceſſionis ratio petenda, & ſine qua ſi eſſet, non ita palam conſtaret de illa, quam nos probamus, ſuccedendi cauſa & origine. Ajunt Decemviri: SI INTESTATO MORITUR, CUI SUUS HÆRES NEC ESCIT, AGNATUS PROXIMUS FAMILIAM HABETO, SI AGNATUS NEC ESCIT, GENTILIS FAMILIAM HÆRES NASCITOR, ut Ulpianus hæc retulit apud Collatorem LL. Moſaic. & Roman. *Tit. ult loc.* 4. & præter Ulpianum alii. Vocant ſcilicet XII. Tabb. agnatos, & deinde gentiles excluſis cognatis, niſi ſint inter gentiles. Cur vero, niſi quod cognati, licet orti ex eo, de cujus hæreditate quæritur, nihil tamen συνδεσποτείαν habere credantur, quum eorum parentes ex familia defuncti exierint? utique nihil, cum agnatis ſi comparentur. Admittitur ſane

ne mulier, dum in familia eſt, ſed ubi laribus egreſſa paternis ſe marito dederit, tranſit in aliam familiam, & expers jam omnis συνοικοποτιίας, neque ipſa, neque liberi ejus, utpote cognati & tantum non alieni, admittuntur. Finitur enim in ipſa muliere familia, hujusque ut caput, ſic finis dicitur *l.* 195. §. *ult. ff. de V. S.* nubit liberorum, ſed alibi, ut inquit ille, procreandorum cauſa. Unde nec matri olim ſuccedebant: quin nec invicem. Atque hæc ſola, quam dixi, ſuccedendi ratio probaverit, non conjectura voluntatis, hæc enim cognatos non arceret: στοργὴ naturalis erga mares & fœmellas eadem eſt, nec patitur ſimplicitas naturæ, ut in ea προσωποληψίαν arguamus.

Quod autem agnatorum deinde & cognatorum differentia ſublata ſit, non mutat originem & cauſam ſuccedendi, ſed declarat duntaxat, cognatos nunc quoque ad familiam pertinere; eoque jure ſuccedere, cum ante non pertinerent, neque adeo ſuccederent.

CAPUT II.

De origine Succeſſionis in cauſa teſtati, explicata L. 39. §. 1. ff. de Legat. III.

Teſtamenta, atque ex his ſucceſſiones, Juris gentium eſſe ſcio vulgo placere. Sed habet ea res difficultatem; ut enim eo Jure dominium quæritur poſſeſſione, ſic ea remiſſa remittitur, quemadmodum ſatis videmur probaſſe *Diſſert. de Dominio maris* C. I. Vis & poteſtas dominorum eo Jure in ſola erat poſſeſſione, quæ cum fato mortalitatis extincta ſit, nullum amplius defunctorum eſſe videbatur jus & arbitrium in bonis, olim ſuis; ne vivi quidem, niſi poſſiderent, rerum ſuarum ſecuri ex ratione meri Gentium Juris, quid igitur poſt mortem? Sane ſi poſt hanc aliqua poteſtas, conſtat non dominorum eſſe, ſed aliunde haberi, & unde niſi a Lege? natura vel ratio nequidem ad vitam dominium conceſſit, ſed, ut occupanti eſt largita, ſic alii, denuo occupanti largitur, ubi amiſſa poſſeſſio, atque ita redacta res eſt in cauſam priſtinam. Priſtina autem cauſa communis erat, nec propria niſi jure apprehenſionis, ille enim, ſi verum amamus, neque alius eſt quærendi dominii modus ex regula Juris Gentium. Itaque abſit, ut vel natura vel ratio dominium, ex ſola voluntate defuncti, voluerit eſſe æternum, & propagandum in hæredes hæredumque hæredes. Non hujus duntaxat ævi, ſed & qui deinceps naſcentur, hominibus Terrarum Orbis deſtinatus eſt, ſingulisque relicta induſtriæ præmia. Quare uno defuncto, qui eum proxime, ut unda undam, ſupervenit, in vacuam poſſeſſionem veniſſe cenſendus eſt, & jure Gentium quæſiviſſe dominium, ſupervenit autem proxime, qui, quod vivus habuit, aut ſimul poſſedit aut occupavit prius. Conſequuntur hæc ex iis, quæ illa *Diſſertatione* probare nos diximus.

Sed quia ea ratio ſuccedendi, ſeu occupandi potius, in Civitate ingentes turbas daret, uſu obtineri non potuit; ſucceſſit igitur Legis auxilium, quæ, ut Civitati expedire eſt viſum, ea de re ſtatuit. Hinc lege hæreditates deferri cæperunt, vocatis fere, ut apud Romanos, familia proximis: & ſane opus fuit communi Civitatis ſponſione, ut ſucceſſionum jura, natura rationeve vel incerta, vel nulla, utique minus tuta, conſtituerentur. Lex igitur præſcripſit ſuccedendi formulam, &, quæ ejus poteſtas eſt, etiam teſtamenti factionem permiſit, ſed haud aliter, quam Lege quoque, ut ſic Lex in cauſa inteſtati abrogaretur alia Lege in cauſa teſtati. Quare ad excludendos proximos, qui Lege vocabantur, Romæ teſtamenta, ut Leges quælibet, apud Populum Romanum, calatis Comitiis, condebantur; ſin aliter, inter vivos per aes & libram familia transferenda erat, ita tamen, ut dominus, quamdiu viveret, ſibi eam retineret. Deinde in locum Populi & Mancipationis, uſu ſic exigente, ſucceſſerunt ſeptem teſtes, imago populi Romani; non alia, opinor, ratione, quam ut pro agnatis & gentilibus legitime facta Lex tolleretur quoque legitime: per ſe enim quur tantum argumenti? alioquin & facile obtineret, ut teſtamenta, dummodo de iis conſtet, valerent: nam abſolvitur in hoc uno morientium voluntas, *ille hæres eſto*. Si quis igitur Romæ teſtamentum condere vellet, & non haberet, quibus lex hæreditatem daret in cauſa inteſtati, non animadverto, cur, utique ex ratione Juris Civilis, condere non potuiſſet citra ſolemnitatem & eas ambages, quas cæteroquin præſcribit Jus Civile, ceſſat enim ita ejus ratio: teſtetur modo ita, ut nunc fere ſunt Gentium mores, qui teſtamenta probarunt, hoc eſt, ita ut de iis conſtet.

Quæ ſententia etiam ideo vera videri poſſet, quia Scævola, ex facto conſultus, ſecundum hanc reſpondiſſe videtur in *l.* 39. §. 1. *ff. de Legat.* III. ſic enim ait: *Propoſitum eſt, non habentem liberos, nec cognatos, in diſcrimine vitæ conſtitutum per infirmitatem, arceſſitis amicis, Gajo Sejo contubernali dixiſſe*, QUOD VELLET EI RELINQUERE PRÆDIA, QUÆ NOMINASSET, *eaque dicta in teſtationem Gajum Sejum redegiſſe, etiam ipſo teſtatore interrogato, an ea dixiſſet, & reſponſo ejus tali* μάλιστα, *id eſt*, maxime *inſerto. Quæſitum eſt, an prædia, quæ deſtinata eſſent, ex cauſa fideicommiſſi ad Gajum Sejum pertinerent? Reſpondit, ſuper hoc nec dubitandum eſſe, quin fideicommiſſum valeat.* Dubitatur tamen cum maxime, & vix perſuadetur, fideicommiſſum valere, quod is, qui neque liberos, neque cognatos habebat, præſentibus amicis dedit, absque alia ſolemnitate; *amicis* ſcilicet: ex quibus duntaxat conſtet, quid voluiſſet teſtator. Nec quicquam ultra eſt in ea ſpecie, quod pro fideicommiſſo adducas, licet & alia ſollicite conquiſiverint Jaſon ad *l. Servi ff. de Leg.* I. & Cujacius *Conſultat.* XXXVI. interque ea, quod de teſtamento militis intelligendus eſſet Scævola, ut & antiqui Doctores intellexerunt, narrante Gloſſa ad *h.* §. ſed nullo, niſi quod nullum eſt, argumento, fideicommiſſarium puta vocari hic *contubernalem*, ejusmodi hæc ſunt, quæ refutatione non egeant. Etiam Alciatus *L.* III. *Parerg. C.* 23 nihil extricat, imo potius nugas agit. Charondas *Not. Margin.* per *amicos* intelligit *teſtes*, adducto Donati loco, quem reperi ad *Terent. Phormion Act.* II. *Sc.* I. *Verſ. pen.* & id rurſus ſequi videtur Cujacius *L* IX. *Obſervat. C.* 37. nec etiam ambigo, quin *amici* in *l.* 11. *C. Qui potior. in pign.* ſint *teſtes*, ut etiam poſt appellat. Sed in proponenda quæſtione, de qua nihil tunc erat, cur dubitari poſſet, quis locutionis interpretationem admittat, quæ, bona, mala, utique rem obſcuriſſime exprimeret, & ſimul definiret. Ne dicam, ita abundare τὰ *non habentem libe-*

liberos, *nec cognatos*, quæ tamen ſola mihi videntur rationem occaſionemque quæſtionis continere: ut mirer Cujacium hæc neglexiſſe *d. Conſult.* XXXVI. & cætera *d.* §. tam exiliter captaſſe. Nec eſt, ut dicas, Scævolæ reſponſa, non duntaxat quæ ad rem pertinent, ſed & quæque aliena & inutilia continere, nam aliud eſt Scævolæ, aliud Conſultoris verba audire. Ubi repræſentantur facti ſpecies, ut concepit balbutiens Conſultor & imperitus, neceſſe eſt, inutilia addi & quæ non πρὸς ἔπος. Hic autem Scævola, ſuis ipſe verbis, enarrare videtur ſpeciem ſibi propoſitam, nam, inquit, *Propoſitum eſt*, & continuo dicit, quod res eſt, utique nobis eſſe videtur. Alioquin illud, *arceſſitis amicis in diſcrimine vitæ* &c. non multum differret ab illo Juliani in *l.* 47. §. *ult. ff. de Fideicomm. libert. in extrema valetudine boneſtis viris præſentibus compluribus*, nec tamen forte & ibi hæc otiantur. Fere omiſeram, eſſe etiam, qui in *d.* §. 1. per *amicos* ſignificari velint *legatarios*, quo an quicquam dici poſſit ineptius, nondum conſtitui.

Dubitandi decidendique ratio ex iis, ni fallor, petenda eſt, quæ præmiſi, & hic non repeto. Non habebat teſtator liberos, nec cognatos, rata igitur fuit ejus voluntas, quocunque modo ſignificata. Lex inteſtati quia abroganda non erat, non opus fuit Lege contraria, quæ teſtamenti ſolemnitatem jubet. Et ſane multæ ſunt Juris inſpectiones, quæ huc pertinent. Huc certe refero, quod traditum eſt in *l.* 2. *ff. de Injuſt. rupt. & irr. fact. teſt. l.* 12. §. 1. *ff. de Bonor. poſſ. contr. tab.* & *l.* 21. §. 3 *C. de Teſtam.* imperfecto poſteriore, quo cognati proximi hæredes ſcripti ſunt, prius teſtamentum, quo extranei, rumpi, quia jus, quod alicujus fuit, facilius reviviſcit, quam novum incipit, quaſi ſic concurrente jure duplici, & voluntatis ultimæ, & Legis, quæ cognatos vocat: ad hanc enim tollendam ut deſideratur alia Lex, Lex videlicet teſtamenti, apud Populum ſimiliter rogata, aut ſaltem imago Legis, ſeptem teſtes, ita nihil horum neceſſe eſt, ubi non ſunt proximi, qui excludantur, aut ubi proximi ipſo teſtamento vocati ſunt.

Huc etiam pertinet, quod qualemcunque voluntatem patris inter liberos, etiam ex teſtamento ſuccedentes, valere receptum eſt *l.* 16. *l.* 21. & *l.* 26. *C. Famil. erciſc.* magis quippe inter vivos, quam poſt mortem hæc fieri intelliguntur, quia patri ſui hæredes ſunt, eoque vivo utcunque etiam domini & poſſeſſores: quare poſt mortem patris, præter liberum de his rebus arbitrium, nihil fere conſequuntur, ut hæc *proximo Cap.* latius ſumus exſecuti. Idem ad matrem porrectum eſt *l.* 21. §. 1. *C. de Teſtam.* ſed contra diſciplinam Juris antiqui, quo liberi pro extraneis erant matri. At vero paulatim Parentum conditio habita pari loco, ac imago poteſtatis patriæ ad matres tranſlata, quam & nunc apud plurimas Gentes, peſſimo exemplo, ſed tamen exercent.

CAPUT III.

De origine Juris Accreſcendi in hæreditatibus ac legatis, & quemadmodum in his illisve obtineat.

Argumentum, quod de jure accreſcendi eſt, vix niſi integris Libris pertractari videtur poſſe, adeo prolixum eſt & obſcurum, præcipue ſi Interpretum Commentaria addas: neſcio, an quiſquam rem ipſam dixerit, ſic igitur habe breviter & aperte, non quidem de toto, qua patet, jure accreſcendi, ſed de ejus cauſa ac origine: eaque indagata, forte erit facilius reliqua ejus juris diſcere. Succeſſio triplex eſt, jus accreſcendi triplex, & triplex ejus ratio. Inter legitimos eſt jus accreſcendi, quia proximo agnato Lex XII. Tabb. familiam addixit, ergo pars bonorum apud alium, quam proximum, eſſe non potuit, quia *familiam* dicendo totam dixit. Inter hæredes, qui teſtamento conſtituuntur, jus accreſcendi eſt, quia nemo ſimul teſtatus & inteſtatus recte moriebatur Romæ. Eſt hæc ratio proxima, ſed quæ evidentior erit, ſi ſciamus & aliam, quæ remotior eſt; nempe ut ad agnatos tota familia pertinet in inteſtati ſucceſſione, ita & in teſtati, quia obtinuit familiæ emptori, jure teſtamenti, mancipari *familiam*, hoc eſt, univerſam, non rem ſingularem. Atque hæc ratio, non niſi origine diverſa ab ea, quæ in legitimis hæreditatibus verſatur, locum dedit regulæ, quæ negat, ſimul quem teſtatum ac inteſtatum mori, nam ſi nulla eſſet mancipatio, inteſtati cauſa vertebatur, ſi mancipatio, familiæ, & quidem totius, erat. Quare non recte negatur, ut negatum eſt Viro magno, definitionem *l.* 7. *ff. de R. J.* regulam præbuiſſe & rationem juri accreſcendi; aperte contra *l.* 6. *ff. de Teſtam. milit.* dicit enim hæc militem, partim teſtatum, partim inteſtatum decedere poſſe, & ideo jus accreſcendi in ejus teſtamento locum non habere: ergo ubi eſt jus accreſcendi, ibi ea regula ejus ratio eſt, niſi perperam diſputetur.

Hæreditatibus Lex XII. Tabb. etiam legata adjecit, nam uti paterfamilias ſuper familia pecuniave ſua legaſſit, ita jus erat. Inter legatarios igitur & jus accreſcendi eſt, & ejus origo ex mente & verbis teſtantium. Mens autem illa ex eorum, qui vocantur, conjunctione intelligitur, & hæc rurſus ex verbis, quæ conjungunt. Unde *ex ſermonis unione* jus accreſcendi eſſe dixit *l. un.* §. 10. *C. de Caduc. toll.* Ubi itaque verborum eſt conjunctio, ibi etiam jus accreſcendi; atque adeo etiam inter verbis conjunctos tantum, omnimodo obtinebit, ſi, ut mox dicam, jure vindicationis legatum fuerit, & hoc ait *l.* 89. *verſ. Si vero ff. de Legat.* III. eſt enim illa Lex de jure accreſcendi, non de ejus inter legatarios protopraxia; ipſa hoc indicat, ſi nihil affingas, quod ibi non eſt, & mox, tota Lege perſpecta, apparebit clarius.

Quod ſi autem, in eodem genere legati, legatarii duntaxat re fuerint conjuncti, hoc eſt, re vera disjuncti, quemadmodum & appellantur ab Ulpiano *Tit.* XXIV. *Fragm.* §. 12. & 13. & Gajo *L.* II. *Inſtit. Tit.* VII. §. 4. & 5. & his auctoribus a Juſtiniano in *Inſtitutionibus*, ſi, inquam, re duntaxat fuerint conjuncti, jus accreſcendi non habebunt, quia mens teſtamenti ex ſcripturæ ordine æſtimata, id videbatur excludere; nam ſi dixit teſtator, *Titio fundum lego*, deinde, *eundem Mævio lego*, poſteriori legato prius ademiſſe videri poterat, ſed tamen ob ſcripturæ vicinitatem id quoque præſumere grave erat; igitur in hac incertitudine, quia neutri recte ſolidum addici videba-

debatur poſſe, dividi placuit, ſicut & in ſpecie *l.* 40. *ff. de Hæred. inſt.* Ita ſinguli habebunt dimidium duntaxat, nec inter eos erit jus accreſcendi: hoc dicit Paulus in *l.* 89. *verſ. Quod ſi re ff. de Legat.* III. dicit etiam Ulpianus in *Fragm. d. Tit.* XXIV. §. 12. quia ait, differentiam eſſe inter legatarios re conjunctos, verbis ſeparatos, & inter re & verbis conjunctos, hos enim habere jus accreſcendi; ergo re tantum conjuncti jus accreſcendi non habent, ſed aliis ſive concurrentibus, ſive deficientibus, ſemper & ubique *ſingulis partes debentur*, ut, reſtituente Cujacio, ſimpliciter præmiſerat Ulpianus. Eademque eſt ſententia *l.* 80. *ff. de Legat.* III. & Gaji *Fragm. L.* II. *T.* VII. §. 4. qui tunc dicunt legatariis pluribus, ſi una res legata ſit, ſolidam eſſe legatam, ſi conjunctim ſit legatum, hoc eſt, *Titio & Sejo fundum lego;* ergo non ſi disjunctim, hoc eſt, *Titio fundum lego, Sejo fundum lego*, id enim eſt, quod *conjunctionem* & *disjunctionem* JCti vocant, ut ex Ulpiano, & item Gajo conſtat. Ratio autem, quur, ſi ita legetur, *Titio & Sejo lego*, juri accreſcendi ſit locus, ſin vero ita, *Titio lego, Sejo lego*, non etiam, hæc eſt, quia in hoc legato, *Titio & Sejo lego*, uno ſpiritu utrique ſolidum legatur, ut nulla voluntatis mutatio præſumi poſſit, in altero legato, ut dictum eſt, contra.

Cæterum, quod modo indicabam, verbis tantum conjunctos habere etiam jus accreſcendi, ideo verum eſt, quia & tunc uno ſpiritu utrique totum datur, quod non fit, ſi re tantum ſint juncti. *Junctos* appello, ut vulgo, quamvis nullo modo ſint, neque enim vel verbis junguntur, vel etiam re, cum hæc iis, ut ait *l.* 89. *de Legat.* III. *ſeparatim legatur*, niſi quis etiam inſtitutum & ſubſtitutum in *l.* 40. *ff. de Hæred. inſt.* conjunctos dixiſſe velit, quia unius hæreditatis partem quisque ibi nanciſcitur. Quod vero in verbis conjunctis additur, *æquis partibus*, non hoc vult, quaſi cuique dimidium duntaxat eſſet legatum, ſed aliud, quod mox extrico. Sane ab initio utrique dimidium duntaxat his verbis legari, non patitur oratio, quæ proxime præcedit, & ita ambos conjungit, *Titio & Sejo do, lego*, ſic enim utrique ſolidum addictum eſt. Neque placuit hæc verba, *æquis partibus*, accipi pro mutatione voluntatis, ob nimiam vicinitatem, neque pro interpretatione, quæ præcedentium ſententiam everteret, quia omnia tamdiu, ut ſunt, rata habentur, quamdiu ea, quæ ſubſequuntur, aliter intelligi nequeunt, niſi mutata eorum, quæ præcedunt, ſignificatione; hoc autem in ea ſpecie non eſt, ergo adhuc jure conjunctorum utuntur, habentque jus accreſcendi. Obeſſe quidem videri posſent illa, *æquis partibus*, ſed non ſunt, quia duas habent ſignificationes, quarum altera eorum, quæ præcedunt, ſententiam mutat, altera, non mutat: mutat, ſi dicas, his verbis duntaxat cuique legatario partem datam eſſe, & conjunctionem, ab initio factam, reſtringi: quod, ſi aliter fieri poſſit, non admittimus. Poteſt autem aliter, ſi nempe dicamus, hæc verba, *æquis partibus*, continere præcedentium explicationem, qua ſignificatur, utrumque legatarium, ſi concurrant ſcilicet, non habiturum ſolidum, ſed rei legatæ quemque partem dimidiam, ita conſulitur menti ſimul ac verbis defuncti. Neque eſt, ut datis ſic partibus illud jus conjunctionis exſtinctum putes, quia, ut ait *d. l.* 89. omnes legatarii, quos inter jus accreſcendi eſt, ſi concurrant, ſemper habent partes. Atque ita, ſalvis proximis ex idonea interpretatione, inter verbis conjunctos, qui re ſeparati videbantur, obtinebit jus accreſcendi, non ſecus ac ſi re duobus conjunctim legata utrique mox viriles partes aſſignentur, nam & hi jure accreſcendi utuntur.

Hæc de vindicationis legato; de eo enim genere legati commentatus eſt Paulus in illa *l.* 89. ut juris accreſcendi in ea mentio, & verba *do, lego*, declarant. In damnationis legato jus accreſcendi locum non habet, quia hoc modo legatum manet in hæreditate, utque ita proximior in cauſa caduci ſit hæres. Si tamen disjunctim legatum ſit, omnibus debebitur ſolidum, alteri res, alteri æſtimatio, ut auctor eſt Ulpianus *d. Tit.* XXIV. §. 13. & Gajus *d. L.* II. *T.* VII. §. 5. quia utrique ſolidum teſtator legavit, neque hic eſt mutatæ voluntatis juſta præſumtio, quum res aliter poſſit habere exitum, ſecus atque in vindicationis legato, cujus dominium, hæreditati exemptum, ad legatarium ſtatim transit. Quod ſi autem conjunctim legetur damnandi modo, aut alio ſimili, ſingulis pars debebitur duntaxat, quia ſingulis ſolidum dari voluiſſe ex verbis teſtatoris colligi nequit; ergo deficientium partes hæredi cedunt, utpote proximiori, quum hoc legatum, ut modo dicebam, in hæreditate manſerit, Ulpianus *Fragm. d. Tit.* XXIV. §. 13.

Sic dixi compendio, circa quæ pede incerto fere ſolent vagari Interpretes; & dixi ex Jurisprudentia antiqua, quæ unice hanc rem illuſtraverit. Si paradoxum, ut eſt, eſſe dicas, memineris illius apud Tullium: *nihil eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile.* Et, ſi minus verum, veriſimile tamen mihi videor adſecutus.

C A P U T IV.

De Jure Theſauri ab Mercenario inventi.

Diſcutiamus tædium ſalebroſæ diſputationis amœniore argumento. Belle quæritur, ad quem pertineat theſaurus, quem, dum foderet, ædificaret, invenit mercenarius, ad fodiendum, ædificandum, conductus? Et quidem mercenarium nihil in eo juris habere multis perſuaſum eſt, poſtquam ea ſententia præivit Angelus ad §. *Theſauros* 39. *Inſt. de R. D.* &, ut hunc etiam addam, Petrus Gregorius Tholoſanus *Syntagm. L.* III. *C.* XI. *n.* 5. ea ſcilicet ratione, quod, qui operas ad fodiendum, ædificandum locavit, præter mercedem nihil eſt, quod exigat, cætera ſint ejus, qui conduxit, commodo & incommodo. Sed neſcio, an quidquam poſſit dici levius, præſertim advocata quoque in hanc rem *l.* 46. §. 4. *ff. de Procurat.* plus enim quam manifeſtum eſt, theſaurum caſu inveniri, & mercenarium non intelligi mercenarium, niſi contemplatione rei, ad quam conductus eſt, conductus autem eſt ad fodiendum, ædificandum, vel ſi quid his eſt ſimile, ad theſaurum inveniendum conductus non eſt. Neque igitur reſpectu theſauri mercenarius eſt vel foſſor vel ædificator, neque ex eo, quod nullum eſt, quidquam juris conductori non fortunæ, ſed operæ. Scio, qui conductus eſt, conductorem referre, & quod ipſe

facit, perinde eſſe, atque ſi conductor feciſſet *l. 6. ff. de Donat.* ſed in eo, ad quod conductus eſt; ad quod non eſt, cujusvis extranei loco habendus, etiam in eo, quod occaſione locatæ operæ obvenit. Et poterat conſtare, ſatis hinc alienam eſſe *l.* 46. §. 4. *ff. de Procurat.* neque enim ut procurator ad litem perſequendam conſtitui, ita & foſſor mercenarius ad theſauros inveniendos conduci ſolet.

Proinde tantum juris ei tribuimus, quantum qui alieno loco invenit, &, ut ratio ejus rei conſtet, recte adhibetur *l.* 63. §. 4. *ff. de Acquir. rer. dom.* cujus argumento diſcimus, jure inventoris, non jure mercenarii ad partem vocari. Satis quoque indicat *l.* 67. *D. de R. V.* fabrum, qui utique mercenarius eſſe ſolet, non excludi, ſi in reficienda domo invenerit pecuniam, quæ habenda ſit jure theſauri. Sed manifeſta res eſt exemplo fructuarii, cujus ſervus theſaurum invenit: ut enim ad conductorem ejus, qui mercede conductus eſt, operæ pertinent, & operarum utilitas, ſic & ad uſufructuarium ſervi in uſumfructum dati, & tamen is ſervus, ſi, dum terram fodit, theſaurum invenit, conſtat non ad fructuarium, ſed ad dominum proprietatis pertinere, quemadmodum ſi nihil agens, ambulans forte, inveniſſet *l.* 63. § 3. *ff. de Acq. rer. dom. quia*, inquit eleganter Tryphoninus, *nemo ſervorum opera theſaurum quærit: nec ea propter tunc terram fodiebat, ſed alii rei operam inſumebat, & fortuna aliud dedit.* Igitur caſu & fortunæ dono, non ex operis ſervi quæſitus eſt theſaurus, ut nec quæri intelligitur ex operis mercenarii, quicum de theſauro inveniendo nihil erat pactum.

In Hollandia cum anno 1636. res ex facto incidiſſet, dominum cum mercenario tranſegiſſe reperi. Franequeræ autem Friſiorum plane excluſus fuit mercenarius anno 1685. & Hagæ Batavorum anno 1697. ſed eo, opinor, jure, quod Prætor reddere dicitur, etiam cum inique decernit.

CAPUT V.

Adnotatio critica ad Ulpiani locum Tit. I. §. 11. Collat. Leg. Moſaicar. & Roman. *partem deſcriptum in* l. 4. §. 1. ff. ad L. Cornel. de ſicar. *partem in* l. 5. §. ult. ff. de Pœnis.

Inter reliquias veteris Jurisprudentiæ nihil eſt, quod comparetur libello, qui inſcribitur, *Collatio Legum Moſaicarum & Romanarum*, ſed nihil æque mendis undequaque fœdum. Opus eſt prudenti medico, nam unus Pithœus non ſuffecerit. Probabit id locus Ulpiani ex *Libr.* VII. *de Officio Proconſulis*, qui *Tit.* I. §. 11. tanquam ex MS. Pithœi, Lugduni Batavorum 1672. ſic editus eſt: *Cum quidam per laſciviam cauſam mortis præbuiſſet, comprobatum eſt factum Taurini Egnat I Proc. Bæticæ a Divo Hadriano, quod eum in quinquennium relegaſſet. Verba Conſultationis & Reſcripti ita ſe habent.* * *em.* * *Inter Clodium, optime Imperator, & Evariſtum cognovit, quod Clodius Lupi filius in convivio, dum ſago jactatur, culpa Marii Evariſti ita male acceptus fuerit, ut poſt diem quintum moreretur. Ad quæ apparebat nulla inimicitia cum Evariſti fuiſſet, nec cupiditatis culpam coërcendum credidit, ut cæteri ejusdem ætatis juvenes emendarentur. Ideoque Mario Evariſto Urbe Italia Provinciæ Bæticæ in quinquennium interdixit; decrevit, ut impendii cauſa duo millia patri ejus perſolveret Evariſtus, quod manifeſta ejus fuerat paupertas, vel res. Verba Reſcripti: Pœnam MarI Evariſti recte Egn. Taurine moderatus es ad modum culpæ; refert enim in majoribus delictis conſulto aliquid admittatur, an caſu. Et ſane in omnibus criminibus diſtinctio hæc pœnam aut juſtitiam provocare debet, aut temperamentum admittere.* Elegantia loci mihi tædium ſcriptionis excuſſit, & ſimul Viros doctos movit, ut de ejus mendis accuratius decernerent.

Verba Conſultationis. Editio Lugdunenſis anni 1593. quæ etiam MS. Pithœi præfert, habet *conſulationis*, ſed ipſe Pithœus in *Notis*, *conſolationis*, atque ita quidam Libri in *C.* 6. §. 1. X. *de Donat. inter V. & U. Conſulatio*, inquit Salmaſius ad Tertulliani *Pall. p.* 208. a *conſulare* pro *conſulere*, & ſane crebræ ſunt tertiæ Conjugationis in primam mutationes.

Em. Aperte corruptum; varia medicina. Pithœus dubitat, an *emiſſa* conſultatio ſignificetur, nec abludit Briſſonius *de Formulis Lib.* III. *p.m.* 307. ratus, *epiſtolam miſſam* intelligi, ſed abutitur Magnone. Cujacius *Comm. Poſt.* ad Scævolæ *Reſponſ. L.* III. in *l.* 31. *ff. de Liberat. legat.* legit *en*, ac ſi diceret, ecce verba conſultoris. Rurſus *L.* XVII. *Obſerv. C.* 28. & *Comment. Poſt.* ad *Tit. C. de Emancip. liber.* ſervat *em*, & id ipſum dici putat pro *en* vel *ecce*, demonſtrandi gratia, advocatis etiam auctoritatibus. Sed hæc omnia nihili ſunt. In Libro Bibliothecæ Dionyſianæ eſt *vellem*, ut retulit Charondas in *Epiſtola*, quam Corporis ſui editioni præmiſit, ad Senatum Pariſienſem, & obſervat deeſſe aliquid, nempe *reſcribas*, aut aliud ſimile. Sed etiam hoc eſt nihili. Multa licet fingere, nihil tuto definire. An pro *em* reſcribemus *Im*, id eſt, Imperatori. An dicemus corruptum ex *egn.* quod eſſet Taurini Egnatii nomen, qui hic inter Clodium & Evariſtum cognovit? & ſane deeſt alioquin, quod ſuſtentet *cognovit*, *credidit*, quæ verba mox ſequuntur, niſi legamus, *cognovi*, *credidi*, ut eſt in aliis, qui præferunt Pithœi Librum, & in MS. Bibliothecæ Dionyſianæ. An potius *em* male repetitum erit ex præcedenti ſyllaba *ent*? Dicat, inquit ille, qui habet Sphingem.

Culpa Marii Evariſti. In Libro Pithœi erat *culpa manu Evariſti*, ex quo conjicit *culpante manu Evariſti*, valde perperam, præfert tamen excuſam. Mihi lectio MS. magis probatur, maxime cum & Charondas ex alio MS. exhibeat, *culpa manu Marii Evariſti*; & eam ſcripturam ſequitur Guido Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 130. *Culpa, manu* eſt *culpa manus*, ut alias ſexcenties. Dicit, a Mario temere ſago jactatum eſſe, & cauſam morti præbitam.

Ait, *ad quæ apparebat nulla inimicitia cum Evariſti fuiſſet, nec cupiditatis culpam coërcendum credidit &c.* Sunt hæc valde turbata. Pithœus deſperat. Alii aliter legunt & interpungunt. Pro *ad quæ* vulgo editur *adque*. Charondas ex MS. Biblioth. Dionyſ. hunc locum ita repræſentat: *atque apparebat nullam inimicitiam cum Evariſto fuiſſe, nec cupiditatis culpam; coërcendum credidi, ut cæteri*, & quæ ſequuntur. Mox notat, for-

forte legendum, *cupiditatem culpæ*, ſatis male, nam præſtat alia lectio. Cujacius *L.* XIV. *Obſervat. C.* 4. ita exhibet: *& quamvis apparebat nullam inimicitiam cum Evariſto fuiſſe, nec cupiditatis culpam, coërcendum credidi* &c. auctoritate, ni fallor, ſua, non alicujus Libri; quod nunquam ſequar, ſi, ut eſſe conſtat, vis major eſt. Pancirolus eo, quem dixi, loco ita reſtituit, *atque apparebat nullam inimicitiam cum Evariſto fuiſſe. Hanc cupiditatis culpam coërcendam eſſe credidi* &c. Sed & hæc vis major eſt. Poſſet defendi lectio & interpunctio, ut Charondas dedit ex Biblioth. Dionyſ. malo tamen: *ad quæ apparebat, nullam inimicitiam cum Evariſto fuiſſe.* SED *cupiditatis culpam coërcendum credidi* vel *credidit*, *ut cæteri ejusdem ætatis juvenes emendarentur.* Etiam alias in Libris commutata videas *nec* & *ſed*, eſtque ita optima ratio ſententiæ, quam Proconſul dixit. Coërcendam, inquit, ratus ſum *cupiditatis* culpam, hoc eſt, temeritatis, laſciviæ, luxuriæ; idque ipſum Tullius expreſſit *L.* I. *de Orat C.* 194. cum ait, doceri nos, *auctoritate nutuque Legum, domitas habere libidines, coërcere omnes* CUPIDITATES, *noſtra tueri, ab alienis menteis, oculos, manus abſtinere.*

Ait, *Urbe Italia Provinciæ Bæticæ.* Oiſelus, probante Pithœo, legit *Urbe Italica Provinciæ Bæticæ*, ſatis argute. Præfero tamen ex Charondæ Libro, *Urbe, Italia, Provincia Bætica.* par eſt lectio Cujacii *d. L.* XIV. *Obſerv. C.* 4. & Panciroli *d. L.* II. *Var. Lect. C.* 130. & eam aperte confirmat *l.* 1. §. *ult. ff. de Effract. & expil.*

Ait, *vel res.* Eſt hoc mendoſum. Pithœus conjicit ſcriptum VEL. RES. & his notis contineri formulam, *velim reſcribas*, quin & Codex apud Charondam habet, *velis reſcribere*, atque ita Cujacius & Pancirolus legunt locis, quos dixi. Charondas certe hoc ferre non debuit, quia eandem formulam Conſultationi præmiſſam cenſuit, & ineptum eſſet, bis idem repeti. Briſſonius exhibet *vellet*, quod vitioſiſſimum eſt. Non erraverit forte, qui delendum putet *vel res*, utpote corruptum & male repetitum ex eo, quod ſequitur, *ver. reſ.* id eſt, *verba Reſcripti.*

Ait, *diſtinctio hæc pœnam aut juſtitiam provocare debet, aut temperamentum admittere.* Charondæ Liber, *diſtinctio hæc pœnarum* &c. Sunt, qui hanc, ſunt, qui illam ſcripturam ſequuntur; in *l.* 5. §. *ult. ff. de Pœn.* ita hæc deſcripta ſunt: *diſtinctio hæc pœnam aut juſtam eligere debet, aut temperamentum admittere.* Vides, quo diſcrimine. Mutat illum §. Charondas & Pancirolus ex hoc loco, quem rurſus ex *d.* §. Pithœus; rectius illi, tanquam ex fonte. Sed nihil mutandum, utraque ſcriptura bene habet; offendit tamen non nihil τὸ *eligere* in *d. l.* 5. §. *ult.* Unde Burgius *L.* I. *Elect. C.* 15. reſtituit *exigere* vel *elicere*, at vero *eligere* optimum eſt, ex variis enim pœnis diſtinctio *eligere* dicitur, prout res eſt, nempe vel juſtam, vel temperamentum admittere. Cæteroquin nec abſurdum, nec temerarium erit, ſi commutemus locum τῶν *eligere* & *admittere*, aut pœnam juſtam admittere, aut temperamentum eligere.

C A P U T VI.

Explicata l. 7. pr. ff. de Offic. Proconſ.

Si, inquit ibi Ulpianus, *in aliam quam celebrem Civitatem, vel Provinciæ caput advenerit,* (loquitur de Proconſule) *pati debet commendari ſibi Civitatem, laudesque ſuas non gravate audire, cum honori ſuo Provinciales id vindicent; & ferias ſecundum mores & conſuetudines, quæ retro obtinent, dare.* Pro in *aliam quam* malim *in aliquam*, ut a multis quoque eſt editum, ſed hoc leve eſt. De re ipſa, quam, ceu ex Proconſulis officio, Ulpianus hic enarrat, video aliquos ſtrenue nugari; quod ne fiat in poſterum, legi velim Dionyſii Halicarnaſſei Libellum, qui in *Rhetoricis* inſcribitur Μέθοδος προσφωνηματικῶν, nam in eo cum dixerat, moris eſſe, ut Proconſules Præſidesve, adventus ſui tempore, compellentur nomine publico, porro edocet, quemadmodum compellandi ſint; & ait primo laudandum Principem, qui talem Provinciæ beandæ Virum miſit; deinde ipſum Proconſulem Præſidemve a natalibus, rerum gerendarum aptitudine, eruditione, rebus præclare geſtis &c. Deinde Civitatem a conditione, magnitudine, reverentia erga Principem, & ſi quid amplius eſt, unde commendetur. De Germanico narrat Tacitus *L.* II. *Annal. C.* 53. poſtquam Athenas appuliſſet: *Excepere Græci quæſitiſſimis honoribus, vetera ſuorum facta dictaque præferentes, quo plus dignationis adulatio haberet.* Vides & ex eo, qui omnia vidit, cur ſe ſuaque extulerit Civitas, quo ſcilicet plus dignationis haberet adulatio. Proconſulis Præſidisve laudandi morem etiam Plutarchus indicat in Libello *de Laude ſui*, hos enim ait & ſe laudare, ubi reverſi laudes recitant, quas ſibi dixerint Provinciales.

Male igitur prudentes ſunt, qui, quod de commendanda Civitate Ulpianus ſcripſit, mutatum cuperent. Nec prudentior ille, qui Latinitatem JCtorum anno 1576. contra L. Vallam defendit; ipſe enim *Pag.* 50. Proconſulem laudari non patitur, & *reciprocum*, quod ajunt, pro *relativo* accipit, *laudesque ſuas* pro *laudesque ejus*, nam, inquit, loquitur de laudibus Civitatis non Proconſulis. Imo vero loquitur de laudibus utriusque, ut præcipit Dionyſius, & attuli exempla: ab utroque latere peccatur ignorantia veteris ævi. Cæterum ut Principem, & qui ab eo mittuntur, laudandos eſſe auctor eſt Dionyſius, ita fere hodie obtinet in ſalutandis Gentium quarumcunque Legatis. Plus utilitatis, quin & dignationis habere creditur adulatio, quam vera animi magnitudo; & paſcimur ejusmodi ludibriis publicis.

De feriis quod addit Ulpianus, intelligendum eſt de extraordinariis, quas ſtatuit Proconſul adventus ſui celebrandi ergo, ex more aliorum Proconſulum; de ſtatis feriis hic agere ineptum eſt.

CAPUT VII.

De Chryſanthiano certamine ad l. pen. ff. de Ann. legat.

Quæſitum eſt de Chryſanthiano certamine, cujus meminit *l. pen. ff. de Ann. legat.* & ſic habet: *Cum erat certa pecunia, id eſt, centum, Reipublicæ Sardianorum relicta per quadriennium certaminis Chryſanthiani, Divus Severus & Antoninus reſcripſerunt, videri perpetuam penſitationem reliquiſſe teſtatorem per quadriennium, non in primum quadriennium.* Cujacius *L.* XXIII. *Obſerv. C.* 7. quaſi a Chryſanthio Philoſopho id certamen inſtitutum dictumve accipit, ſatis perperam; ſed ei tunc non ſuccurrit, quod Eunapius, quem adducit, de Chryſanthio ſcripſerit. Pancirolo autem, qui *Variar. Lect. L.* II. *C.* 83. idem dixit, exſcripta quoque Chryſanthii vita, ignoſci non poteſt. Conſtat enim Chryſanthium floruiſſe tempore Juliani Imperatoris, & obiiſſe octuagenarium, & tamen in *h. l.* 24. de certamine Chryſanthiano reſcribunt D. Severus & Antoninus; eo igitur jam tempore, vel certe ante id tempus, oportet vixerit Chryſanthius, hujus certaminis auctor, quod Chryſanthio Eunapii, utpote octuagenario tantum, non convenit, quin vel nulli ex Luciani vel Tralliani μακροβίοις. De alia origine certaminis Chryſanthiani multa licet fingere, & video quoque fingi, ſed qui minimum dixerit, minimum erraverit, adeo res eſt incerta. Hoc puto certius, cum hoc Chryſanthiano certamine idem fuiſſe, quod *Chryſanthinum* audit in numiſmate quodam Caracallæ, itemque alio Tranquillinæ apud Sponium *Itinerario Græc. p. m.* 445. æque enim id Chryſanthinum Sardianis tribuitur in iis nummis, ac Chryſanthianum in *h. l.* 24. Unde forte quis contendat, vel hic reſcribendum eſſe *Chryſanthinum*, vel ibi *Chryſanthianum*; ſed facile patior utramque terminationem, nec quicquam muto.

Ait, *certa pecunia, id eſt, centum.* Haloander τὸ *id eſt, centum*, expunxit, ratus, opinor, eſſe ex gloſſa Interpretis. Sane alterutrum ſufficiebat, ſervo tamen utrumque, quia omnes, præter Haloandrum, Libri ſervant, ſed neſcio, an Marcianus ſcripſerit eo ordine, videri enim poterat perverſus. Ita melius: *centum, id eſt, certa pecunia.* Non abſurde dicitur, *decem, ſive alia quælibet certa quantitas*, contra vero, non æque. Et tamen non intercedam, ſi cui tantum religionis ſit, ut receptam lectionem tueri pertinaciter ſedeat.

Ait, *per quadriennium.* Hoc accipi nequit niſi de perpetuo per ſingula quadriennia, utique ſi verum eſt, certamen Chryſanthianum fuiſſe quadriennale, quale eſt, quod inſtituitur in *l.* 10. *ff. de Pollicit.* & de Chryſanthiano indicat *h. l.* quin & vulgare tempus celebrandorum in Civitatibus certaminum triennium fuit quadrienniumve. Id tempus ſi hic ſolemne non eſſet, ſemel duntaxat centum videbantur deberi, ſolvenda intra annos quatuor, non ut idem ſingulis quadrienniis repeteretur, per quadriennium enim quid eſt aliud, quam per annos quatuor? &, niſi alia concurrant, duræ quoque videri poſſent *l.* 20. §. *ult.* & *l.* 23. *ff. h. T.* concurrit autem mos celebrandi diei natalis in *d. l.* 23. & nundinarum in *d. l.* 20. §. *ult.* Utque nundinæ ibi ſunt ab Attia conſtitutæ, ſic forte cautum aliquid in *d. l.* 23. de die natali teſtatoris quotannis colendo, utique ſi non palam, tacite tamen cautum præſumitur.

CAPUT VIII.

Interpretatio, & alia, quam vulgo, interpunctio l. 56. §. 1. ff. de Furt.

Poſtquam Jus Civile interpungi cœpit, interpunctionibus ſæpe peccatum eſt, & denſi hinc errores. Antonius Auguſtinus hoc aliquotiens obſervavit, & probavit ſine fraude eſſe, inde medicinam quærere. Etiam hæc, ſi quid judico, adhibenda erit Juliano in *l.* 56. §. 1 *ff. de Furt.* Sic enim nunc loquitur: *Qui furem deducit ad Præfectum Vigilibus, vel ad Præſidem, exiſtimandus eſt elegiſſe viam, qua rem perſequeretur: & ſi negotium ibi terminatum, & damnato fure recepta eſt pecunia ſublata, in ſimplum videtur furti quæſtio ſublata; maxime ſi non ſolum rem furtivam fur reſtituere juſſus fuerit, ſed amplius aliquid in eum judex conſtituerit. Sed etſi nihil amplius, quam furtivam rem, reſtituere juſſus fuerit, nec amplius aliquid in eum judex conſtituerit, ipſo quod in periculum majoris pœnæ deductus eſt fur, intelligendum eſt quæſtionem furti ſublatam eſſe.* Sed meretur locus, qui totus explicetur. Fuit olim actio furti civilis tantum, nec manifeſti ſcilicet in duplum ex XII. Tabb. & manifeſti in quadruplum ex Edicto Prætoris. Hæ autem quum non viderentur ſufficere ad improbitatem furum coërcendam, extra ordinem quoque criminaliter agi placuit *l.* 92. *ff. de Furt.* de hac extraordinaria furis perſecutione Julianus dixit in *h. l.* 56 §. 1.

Qui furem, inquit, *deduxit ad Præfectum Vigilibus, vel ad Præſidem.* Multi Libri habent, *Præfectum Vigilum*, quod perinde eſt. Sed laxius dixiſſet, *ad Præfectum Urbis*, ad eum enim deduci ſolebant plus quam civiliter coërcendi *l.* 2 *ff. de Suſp. tutor* & omnia omnino crimina Præfectura Urbis ſibi vindicavit *l* 1 *ff de Offic. Præf. Urb.* Et plane in *h.* §. 1. ita ſcribi oportere non inepte quis exiſtimaverit, quum ex antiqua ſcriptura *V.* etiam vocalis ſit, atque adeo *P. V.* non differat a *P. U.* Cæteroquin ex *P. U.* facilis eſſet lapſus in *P. V.* quorum hoc Vigilum, illud Urbis Præfectum denotat: & utrumque notis ſcribi ſolere auctor eſt Magno & Valerius Probus, neque his duntaxat, quas illi in hanc rem extulerunt, at ſimpliciter quoque P. V. vel P. U. ut ſcio alios obſervaſſe. Sed vero quia Græci hic νυκτέπαρχον memorant, & Latini Libri, conſtanter omnes, *Præfectum Vigilum* vel *Vigilibus*, non ſat cauſæ eſt, cur lectio mutetur, præſertim quum & hunc de furibus cognoviſſe conſtet ex *l.* 3. §. 1. *ff. de Offic. Præf. Vig.* & *l.* 15. *ff. de Condict. cauſ. dat.* attamen non, ut opinor, de furibus quibuscunque, nam atrociores ad Præfectum Urbis remittit *d. l.* 3. §. 1. ſed vel de nocturnis, vel de his, qui interdiu quietem publicam turbant; huic enim tuendæ, & compeſcendis turbis Præfectus Vigilum conſtitutus eſt *d. l.* 3. *pr.* Animadvertit

&

& in ſervos fures, etiam capitaliter *d. l.* 15. forte & in quoſcunque viliores, omnesve, qui in facinore deprehenſi ſunt, nam, ut hoc dicamus, argumentum præbet *d. l.* 15. *ff. de Cond. cauſ. dat.* niſi tamen & ibi vitium ſcripturæ ſit, & *Urbis*, non *Vigilum Præfectus* oporteat legi, ut video legere Virum Clar. Gerardum Noodt, Anteceſſorem Juris in Academia vicina *Probab. Jur. Civ. L.* II. *C.* 5. Sed dabit hoc amicitiæ noſtræ, ut mihi liceat exiſtimare, fuiſſe quasdam furti ſpecies, quæ etiam ad Præfectos Vigilum pertinuerint. Extra has autem, quas dixi, non puto iis quicquam licuiſſe in fures; quid enim ad Præfectos Vigilum, ſi furentur citra turbationem quietis publicæ, clanculum forte & nec manifeſte; imo & ab atrocioribus repelluntur, ut de officio Præfecti Vigilum, tanquam ex codicillis, Paulus ſcripſit in *d. l.* 3. §. 1 ad Præfectos Urbi eos ablegans, cujus de hoc, ut de omnibus criminibus, erat jurisdictio. Igitur Julianus hic, ni emendetur, accipiendus erit de ſpecie, qua Præfectus Vigilum in fures recte animadvertebat.

Ait, *exiſtimandus eſt elegiſſe viam, qua rem perſequeretur.* Quid hoc rei eſt? an dominus, qui furem deducit ad Præfectum vel Urbis vel Vigilum, vel in Provincia ad Præſidem, credendus eſt viam elegiſſe, qua rem perſequeretur? ſi hoc ſederet, utique magis erat commodum condictione furtiva experiri, eaque ſola & jure ordinario rem repetere, quam extra ordinem adire Magiſtratus majores, ſubſcribere in crimen, & reliquas ambages judicii, quaſi publici, expedire *l.* 3. *ff. de Privat. del. l. ult. ff. de Furt.* Parum igitur abeſt, quin legendum cenſeam, *exiſtimandus eſt elegiſſe viam qua* REUM *perſequeretur*, hoc eſt, viam, qua hoc egit, ut in furem potius gravius decernatur, quam ut lucri & commodi ſui habeatur ratio. Hæc, non alia, via patet ei, qui *reum* perſequendum exiſtimat, is enim tunc adeundus, qui ſupra Prætorem erat, & cui jus fas in facinoroſos homines animadvertere. Si *res* perſequenda, alia utique ſuppetit via, minus impedita, magis commoda. Sed vero qui furem eo modo ducit, rapit, id operam dare, ut *reum* perſequatur, pœnasque eum corpore dare velit, res eſt oppido manifeſta. Scholiaſtes Baſilicorum id ipſum perquam opportune expreſſit ad *h. l.* Δοκεῖ τὴν τιμωρίαν τοῦ σώματος ἀντὶ τοῦ διπλοῦ ἢ τοῦ τετραπλοῦ αἱρεῖσθαι, καὶ οὐκ ἀπαιτεῖν τὰ ταῦτα. δοκεῖ γὰρ ὡς ὑπὲρ τοῦ οἰκείου κέρδους τὴν τοῦ κλέψαντος κόλασιν ἀνταμείψασθαι. Sic verto (nam in Cujacii verſione lacuna eſt): *Videtur pœnam corporis vice dupli vel quadrupli eligere, & illa non petere, furis enim ſupplicium ſuo quodammodo lucro permutare videtur.* Et ita res ſe habet; qui contra furem agit criminaliter, id agit, ut ſe ſupplicio furis paſcat, adeoque recepta pecunia, ſive amplius aliquid, ſive nihil amplius in eum Judex conſtituerit, ſublata eſt furti quæſtio, hoc ipſo puta, quod fur eſt deductus in periculum majoris pœnæ, ut mox ſequitur. Quare, ut dixi, legendum videbatur, qui furem ita deduxit, viam elegiſſe, qua *reum* perſequeretur: niſi forte verum ſit, Juliani verba accipi poſſe cum hac emphaſi, eum, qui ita agit, viam elegiſſe videri, qua duntaxat rem repeteret, ſolam ſcilicet rem furtivam, non etiam pœnam pecuniariam, quia ejus loco eſt judicium extraordinarium, & vindicta contra furem exercita. Atque adeo ea deductione dominum rei furtivæ renunciaſſe videri duplo vel quadruplo, quia, cum ad pœnam corporalem egit, rurſus agere ad pœnam pecuniariam incivile eſt; de ea enim transactum videri poteſt eo ipſo, quod furem in periculum majoris pœnæ deduxerit. Denique ut pactum ipſo jure tollit actionem furti *l.* 17. §. 1. *ff. de Pact.* hic pactum eſſe videri tacitum, ut inſtituta actione criminali, civilis remittatur, atque id pactum ineſſe illi deductioni, quæ fit ad præfectum V. Præſidemve. Aliud eſt, ſi non ad pœnam fuerit actum ſed ſola condictione vel vindicatione ad rem recuperandam; ſalvam enim tunc eſſe furti actionem æque claret, ac ejus rei ratio ex *l.* 54. § 3. *ff. de Furt.*

Ait, *& ſi negotium ibi terminatum, & damnato fure recepta eſt pecunia ſublata, in ſimplum videtur furti quæſtio ſublata.* Ita vulgo hæc interpunguntur, ſed, ni fallor, peſſime; neque enim, ſi extra ordinem fuerit actum, in ſimplum actio furti ſublata eſt, ſed in duplum, & in quadruplum, ut recte dixit Baſilicorum Scholiaſtes, & recte hic ſimpliciter ipſi Baſilici, ἀναιρεῖται ἡ περὶ κλοπῆς ἀγωγή. Non condictio, nec vindicatio, ſed reliqua furti quæſtio ſublata eſt & perempta. Et hoc eſt, quod ipſe Julianus mox ait, *etſi nihil amplius, quam furtivam rem* fur *reſtituere juſſus fuerit. . . intelligendum eſt, quæſtionem furti ſublatam eſſe.* Simpliciter videlicet, non in ſimplum, nam de eo jam dixerat. Quare res poſtulat, ut verba, quæ male interpuncta diximus, ita diſtinguamus, *& ſi negotium ibi terminatum, & damnato fure recepta eſt pecunia ſublata in ſimplum, videtur furti quæſtio ſublata.* Hoc eſt, ſi Præfectus Vigilum vel Præſes furem damnaverit, levius, gravius, nihil refert, reſtituto eo, quod furto ablatum erat, quamvis ſimplum, ut ſit illa condemnatione, tamen de duplo vel quadruplo omnis quæſtio erit perempta. Res mihi videtur liquida.

CAPUT IX.

Trajicienda fortaſſe eſſe quædam in l. 36. pr. ff. Ad Municip. *quæ porro explicatur.*

Non eſt ad manum, qui recte expoſuerit reſponſum Modeſtini in *l.* 36. *pr. ff. ad Municip.* & vereor, ne, ut nunc legitur, intelligi poſſit, legitur autem ita Florentiæ: *Titio, cum eſſet Romæ ſtudiorum gratia, epiſtola miſſa eſt a Magiſtratibus patriæ ſuæ, ut porrigeret Imperatori decretum ejusdem Civitatis, quod erat cum ipſa epiſtola miſſum. Is autem qui ſuſcepiſſet literas reſtituendas, colluſione facta, dedit Lucio Titio, qui & ipſe Romæ morabatur ſuæ rei gratia. Sublato Titii nomine, cui erat decretum miſſum, uti per ipſum daretur, ſuum nomen ſcripſit, & ſic Imperatori decretum ſecundum mandata Reipublicæ dedit. Quæro, qui viaticum petere ab ea potuiſſet, & quid commiſiſſe videtur is, qui non reſtituit literas ei, cui reſtituere mandatum ſuſceperat, & is, qui ſublato alieno nomine, inſcriptoque ſuo, quaſi ipſe juſſus a patria, decretum Imperatori porrexit? Herennius Modeſtinus reſpondit, Titium quidem viaticum petere non poſſe, ſed eum, qui nomen incidiſſet.* Conſtat proponi duo nomina, ut exemplo ſint, alterum Titii, alterum Lucii Titii. Cum res, qua de agitur, accidiſſet, Titius dicitur *Romæ* moratus, *ſtudiorum gratia.* Sane, quum præſtantiſſima Docentium ingenia in Urbem Romanam evocarentur, atque inde Roma,

ma, ut ſtudiorum nutricula, in exemplum memoretur in *l.* 18. §. 1. *ff. de Judic.* non eſt, ut ejus mentio hic aliena videri poſſit; Romæ etiam, qua bonæ mentis officinæ, Ulpianus meminit in *l.* 17. *ff. de Reb. cred.* peregrina non addo. Illi autem Titio a Magiſtratibus Patriæ ſuæ miſſa erat epiſtola cum decreto ejus Civitatis, quod Principi porrigeret. Sed *is, qui ſuſcepiſſet literas reſtituendas, colluſione facta, dedit Lucio Titio. Titio* abeſt a multis Libris, at, cum Florentinus habeat, ſervamus: nec quicquam Cujacius in contrarium obtinuit; ut reſpondeam, rationes ejus vix tanti ſunt, quin nec res ipſa. Sufficit, & Scævolam in *l.* 85 *ff. de Hæred. inſt.* cum duos fratres in exemplum commemorare vellet, alterum *Lucium Titium*, alterum *Titium* ſimpliciter dixiſſe. Plus vero ſcire attinet, qui hic ſint, quorum colluſio memoratur; Lucii Titii ſine dubio ex parte una, ſed ex altera, cujus? ejus, inquit Modeſtinus, *qui literas reſtituendas ſuſceperat*, & poſt de eodem, *quid commiſiſſe videtur is, qui non reſtituit literas ei, cui reſtitue re mandatum ſuſceperat.* Idne intelligemus de Titio ſtudioſo, qui literas cum decreto Principi offerendas ſuſcepiſſet? an ſimpliciter de eo, qui literas Titio reſtituendas? tabellario forte? & hoc, præeunte Gloſſa, placuit Cujacio *Comm.* ad *l.* II. *Reſponſ. Modeſt.* in *h l.* quaſi ignorante Titio ſtudioſo res geſta eſſet inter Lucium Titium & tabellarium, ut qualecunque lucellum, Titio cum literis interceptum, ad Lucium Titium perveniret. Sed niſi Titius ſtudioſus literas cum mandato ſuſcepiſſet, non animadverto, qui quæri poſſet, nunquid ei ad viaticum competat actio; ſtulta utique eſſet conſultatio, &, ut Celſi noſtri verbo utar, plusquam ridicula, quærere, an mandati, vel qua alia actio, competat ei, qui mandatum non modo non ſuſcepit, ſed ignoravit. Alia ratio eſt ejus, qui ſuſcepit, at alteri mandavit, tunc enim commodum quæritur, uter petere queat viaticum, qui obtulit decretum, an qui offerre ſuſceperat? & de literis reſtituendis quod ait, etiam de Titio ſtudioſo intelligi poteſt, quia fraus inciſi nominis argumento eſt, etiam has Principi reddendas fuiſſe. Malim igitur inter utrumque Titium rem geſtam credere, ut ita primus decretum cum literis tradiderit ſecundo, quo is Principi porrigeret. Et dicitur porrexiſſe ſecundum mandata Reipublicæ, ſublato prius Titii nomine, ſuoque literis inſcripto; *ſuum nomen ſcripſit*, eſt in florentino, & ferri poteſt, *inſcripſit* alii Libri, & rectius eſt. Potuit librarius Codicis Florentini omiſiſſe *in*, & erraſſe ob easdem fere literas voculæ præcedentis; ſed nihil definio, nec tanti eſt.

Quæro, ait, *qui viaticum ab ea petere potuiſſet.* Recte ita legitur, non recte *ab eo*, non recte etiam aliæ lectionum tricæ, quas præter Taurellium Editores fere reliqui hic habent; de Republica loquitur, non de eo, qui literas tulit, & quo nomine is ad viaticum teneretur? Cæterum in his, & quæ ſequuntur, verbis proponuntur tres quæſtiones, ſed ad unam duntaxat Herennii Modeſtini reſponſio. *Qui e diviſione tripartita duas partes abſolverit, huic neceſſe eſt reſtare tertiam*, ut Tullius dixit *de Offic. L.* III. ſic & qui unam abſolvit, duas reſtare certum eſt, ſed in Fragmentis JCtorum ſæpe res ſe habet aliter; variæ ejus rei rationes ſunt, quas nunc non enarro. De *viatico* magis eſt, ut ſimus ſolliciti, quid enim ejus mentio hoc loco? & profecto aliena videri poſſet, ſi ea vox ſumptus itineris, *auxilium viæ*, ut inquit Poëta, duntaxat complecteretur, ſed alia & latior ejus ſignificatio eſt. Pertinet eo locus Q. Claudii Quadrigarii ex *L.* I. *Annal.* laudatus Gellio *L.* XVII. *C.* 2. *Simul forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia pariter præcellebat, ut facile intelligeretur, magnum* VIATICUM *ex ſe atque in ſe ad Rempublicam evertendam habere.* Et notat Gellius: *magnum viaticum pro magna facultate & paratu magno nove poſitum eſt, videturque Græcos ſequutus, qui ἐφόδιον a ſumptu viæ ad aliarum quoque rerum apparatus traducunt.* De ἐφοδίῳ Græcorum res nota eſt, & in hanc ſententiam quoque Diogenes Laërtius de diſcipulis Euclidis in ejus vita: τοὺς δὲ, καὶ τοῖς ἐφοδίοις ἐπιλείποντας, καὶ τὸ χωρίον ὕστερον καταπλήσαντας, ἀπελθεῖν. Idem de iisdem ait Heſychius Illuſtrius in *Alexino*, ubi & Heſychii interpres Junius *viaticum* reddidit, quod improbat Henricus Stephanus in *Annotationibus*, ſed recte ſecundum latitudinem ejus verbi, *viaticum* dixit pro *commeatu*, ob cujus inopiam Alexinum Magiſtrum diſcipuli deſerebant, & diſcedebant Olympia. Utque ἐφόδια Græci, ſic Modeſtinus, cui Græcia familiaris, *viatici* vocabulo ea omnia intellexiſſe potuit, quæ ad rem, qua de agitur, explicandam pertinent. Sane ita olim Q. ille Claudius Quadrigarius, genere quodam translationis; & forte Modeſtini ævo *viatici* vox ea ſignificatione vulgo uſurpata fuit, nam τὸ *nove* apud Gellium intelligi poteſt de more, non inuſitato, at recenti. Sed video etiam aliis prolixe notatam ejus verbi latitudinem, pro pecunia, in ſumptus ſtudiorum deſtinata, occurrit in *l.* 18 §. 1. *ff. de Judic.* & *l.* 17. *ff. de Reb. cred.* & ita hic quoque accipit Pius Antonius Bartolinus in *Auctario*, quod vocat, *Legum emendatarum.* Utque id verum ſit, fingit, Rempublicam Titio ſtudioſo hujusmodi viaticum conſtituiſſe eo decreto, quod is Principi offerret. Addit Gallus, peritus etiam fingendi magiſter, *Apicib. Jur. p.* 91. *& ſeq.* eos ſtudiorum ſumptus intelligi, quos Magiſtratus decrevit, Imperator, debitor Reipublicæ, daret ei, cui id decretum offerendum miſerat. Sed ita præſtaret fingere, intelligendas eſſe expenſas, quas de viatico ſuo erogavit Titius Luciusve. Neque tamen id placet, at potius *viatici* nomine ea omnia venire, quorum, occaſione oblati decreti, adverſus Rempublicam actio petitioque eſt. Si Imperator Roma abfuiſſet, proprie ea vox poſſet accipi de ſumptibus, in eo peregre adeundo erogatis, ſed indicatur Romæ fuiſſe, & ibi decretum oblatum ab eo, qui Romæ quoque morabatur ſuæ rei gratia. Sunt qui per *viaticum* mercedem operæ intelligant, in porrigendo decreto præſtitæ, ſed quominus his accedam, facit regula Juris Romani, quæ mercedem negat peti actione mandati, vel negotiorum geſtorum, & tamen alterutra heic agendum eſſet. Quapropter expenſas intelligimus, & neceſſarias, & utiles, & quicquid decreti offerendi gratia abeſt, atque id venit in utramque, quam dixi, actionem. Fac, ſportularum nomine, aliquid datum eſſe, quo aditus pateret ad Principem, vel Officio admiſſionis, vel aliis; fac ejus rei cauſa diutius Romæ moratum, qui decretum offerret; nam & tunc in petitionem venient, unde ſe eo tempore exhibuit, puta victus impendia, liceret addere ejusmodi ſexcenta. Quid autem ſibi voluerit Cujacius ad *C.* 10. X. *de Vit. honeſt. & Cleric.* non intelligo; ait, viaticum in *h. L.* non tantum ſignificare τῆς ὁδοῦ δαπάνημα, *ſumptum itinerarium*, *ſed* τῆς ὁδοῦ μισθόν, *ut ibi*, inquit, *Baſilica habent, id eſt, ſuſcepti pro Republica ſua itineris præmium.* Aliena, ut dixi, hic ſunt δαπανήματα τῆς ὁδοῦ, nullum quippe iter publico nomine ſuſceptum erat, aliena quoque itineris

præ-

præmia, utique ſi hæc ſint μνήσια τῆς ὁδοῦ, facile enim largior, mihi non conſtare, an & quid Græce ſit μνῆμον. Nec tamen auſim reponere μνημόσυνον, ut ut mihi perſuadeam, apud Cujacium mendoſe legi μνῆμον. Baſilica, ut Fabrotus edidit, non ferunt hic ſuppetias, deeſt enim locus, ut ibi deſunt plures, quibus uſus eſt Cujacius ex Baſilico magis integro.

Herennius Modeſtinus reſpondit, Titium quidem viaticum petere non poſſe, ſed eum, qui nomen incidiſſet. Editio R. Stephani 1528. & apud Sennetonios 1549. *reſpondi*, non *reſpondit*. utraque locutio apud JCtos occurrit in Libris Reſponſorum; crediderim tamen, literam T, quæ duplicanda erat ex ſequenti vocabulo, parum accurate omiſſam. Deinde & illæ, imo omnes Editiones præter Florentinam, & ad eam quæ expreſſæ ſunt, habent *indidiſſet*. Vincet tamen Florentina, *indere nomen* equidem Latine dicitur, ſed pro *dare*, *imponere nomen*, quod huic loco non convenit, hic enim, qui ſuum nomen inſcripſit, Titii *ſuſtulit*, ut eſt in verſ. *ſublato*, & verſ. *is qui ſublato*. Atque *incidiſſet*, quod hic habet Tuſcus Liber, eſt pro *ſuſtuliſſet*, *deleviſſet*, quemadmodum & in *l*. 4. *ff. de His quæ in teſt. del.* & alibi locorum. *Intercidere* quoque eo ſenſu dixit Ulpianus in *l*. 4 §. 1. *ff. ad L. Corn. de falſ.* & Baſilici [illegible].

Supereſt cardo rei, Modeſtini ſcilicet Jurisprudentia, qua ſecundum ea, quæ proponuntur, reſpondit, *Titium quidem viaticum petere non poſſe, ſed eum, qui nomen incidiſſet.* Halcedonia hic ſunt Cujacio; Titius, inquit, a Republica viaticum non petet, quia pro ea nihil egit ipſe, ſed Lucius Titius, qui Reipublicæ negotium bene & utiliter geſſit, etſi ultro, & ſine mandato, & collusione facta. Dubito an recte; quia utique mandatarius, qui alteri mandat, mandati agit cum ſuo mandatore; quemadmodum rurſus cum eo mandatarius ſecundus *l*. 8. §. 3. *ff Mandati* Reſpublica mandavit Titio, Titius Lucio, Lucius, quod expendit, a Titio repetet, Titius a Republica, uterque actione mandati, quam utique Lucius contra Rempublicam non habebit, utpote cui ab ea mandatum non eſt, nec enim mandati competit, cum non interceſſerit mandatum *l*. 20. *ff. Eod.* Franc. Zoannettus *Libr. Sing. Reſtit. C.* XI. neutri actionem largitur, non Titio, quia mandatum non præſtitit, non Lucio, quia fraudis & colluſionis cum nuntio (ut & ille putat) fuit particeps, legitque adeo, *Titium quidem viaticum petere non poſſe, neque eum, qui nomen indidiſſet.* Valde perperam, cum ita nequidem ſenſus ſatis ſibi conſtet: & verum eſt, quod dixi, utrumque recte agere, ſed contra Rempublicam, de qua quæritur, Titium duntaxat. Neque obſtat colluſio, quominus detur ad viaticum actio: ea enim parte quid peccatum ſit, alia & diſtincta eſt apud Modeſtinum quæſtio. Hac ipſa tamen ratione viaticum Lucio negat Jacobus Gallus in *Apicib. Jur. p.* 94. Titio id tribuens, colluſionis, ut ipſe ait, ignaro. Emendat igitur, prolixe ante nugatus: *Titium quidem viaticum petere poſſe, non eum qui nomen indidiſſet.* Non mihi emendationem perſuaſerit illa ratio, quod Lucio non competat actio, ſed quod non competat adverſus Rempublicam, & hoc erat, ut Rhetores ajunt, τὸ κρινόμενον.

Quum autem Titio, ut dixi, non Lucio, qui nomen incidit, adverſus Rempublicam competere videatur actio, de remedio cogitavi, quo ſecundum hæc expediretur reſponſum Modeſtini. Et quidem primum mihi videbatur res tranſigi poſſe ſine emendatione, ſi per *Titium* in hoc *verſic.* intelligeremus ſecundum mandatarium, quem ante *Lucium Titium* vocavit, minus accurate diſtinctis perſonis, quæ exemplorum vicem ſuſtinent, ut in JCtorum Libris ſæpe factum diximus *L*. I. *C.* 22. etiam Prætor, cum duos diſtinctos dicere vellet, utrumque *Lucium Titium* dixit in *l*. 3. *pr. ff. de Liber. exhib.* Sed & ita oporteret per *eum, qui nomen incidiſſet*, primum mandatarium intelligere, *Titium* ſcilicet ſimpliciter, quod duriuſculum eſt, cum major ſit imprudentia, quam quæ in ſola nominum commutatione conſiſtat. Malim igitur ordinis vitio peccatum eſſe, quemadmodum & alias is in Pandectis turbatus eſt, cum in literis, tum in verbis. Obſervavimus jam id aliquoties, & ante nos alii in aliis. Placuerat primum verba trajicere & legere hoc ordine: *eum quidem, qui nomen incidiſſet, viaticum petere non poſſe, ſed Titium.* Sed mox id diſplicuit, cum minori motu res poſſit ita extricari: *Titium quidem viaticum petere poſſe, ſed non eum, qui nomen incidiſſet.* Nihil tranſpono, niſi voculam *non*, quam & Gallus, hoc uno nomine mihi probatus tranſpoſuerat, at cur ipſi perierit vocula *ſed*, haud animadverto.

Atque hæc ita, cum defendi mihi videatur non poſſe recepta lectio; tuetur tamen eam Joannes Robertus *L*. I. *Recept. Lect. C.* 20. diſputans in primis contra Zoannetti reſtitutionem, quam nec ipſe probo. Cæterum tamen ipſe exiſtimat, ut & Cujacius ad Modeſtinum innuit, Lucio Titio, ſi non mandati, utique negotiorum geſtorum competere. Sed non competit, ut mox dicam, & quamvis competeret, nihil id explicaret *h. l.* 36. quia ait, Titium, primum mandatarium, *petere non poſſe*, quod verum non eſt *l*. 8. §. 3. *ff. Mandat.* Cui ut ſuccurratur, ab Roberto & Cujacio urgenda erat ἔμφασις in his verbis, *uti per ipſum daretur*: ut dixerit, *per ipſum*, puta Titium, non per alium, tunc enim mandare non potuit *C.* 43 X. *de Offic. & poteſt. jud. deleg.* &, ſi mandavit, quia contra mandatum alii mandavit, neque mandati, neque alia actione aget. At vero ita neque Lucius Titius negotiorum geſtorum habebit, quia nolentis negotium geſſit, per Titium quippe, non alium porrigi decretum voluiſſet Reſpublica *l* 6. §. 2. *ff. Mandat. l*. 14. §. 13. *ff. de Relig. & ſumpt. fun. l. ult. C. de Negot. geſt.* Denique actio negotiorum geſtorum non datur, niſi ei, qui abſentis vel ignorantis negotia geſſit §. 1. *Inſt. de Oblig. quæ quaſi ex contr. naſc.* neque video abſentem dici poſſe Rempublicam, quæ procuratorem habebat præſentem, Titium puta, eam in rem, ſciente etiam Lucio, unice conſtitutum.

C A P U T X.

Tentatur aliquid emendationis in l. 52. §. 3. ff. Pro Socio.

Non poteſt non morari Lectorem illa Ulpiani definitio, qua in *l*. 52. §. 3. *ff. pro Soc.* ita ait: *Damna, quæ imprudentibus accidunt, hoc eſt, damna fatalia ſocii non cogentur præſtare.* Quis ita deſcripſerit damna fatalia, *quæ imprudentibus accidunt*? imo quæ *imprudentibus* accidunt, ſi, ut par eſt, cum JCtis loquamur, accidunt culpa, & hanc præſtat ſocius *l*. 72. *ff. h. T.*

T. Mucius in *l.* 31. *ff. ad L. Aquil.* definivit, *culpam eſſe, quod, cum a diligente provideri poterit, non eſſet proviſum*, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, culpam eſſe, quod imprudentibus accidit. Sunt, qui pro *imprudentibus* legunt *prudentibus*, advocata etiam Codicum MSS. auctoritate; & ſunt, qui *imprudentibus* ſervant, & exponunt *valde prudentibus*, ad exemplum, ut ajunt, Virgilii, qui *L.* I. *Georgic. Verſ.* 373. *& ſeq.* dixit.

——— *nunquam imprudentibus imber*
Obfuit. ——— ——— ——— ——— ———

Sed *imprudentem* pro *valde prudente* non eſt, qui dixerit: utque ita recte id ibi improbaverit Servius. De Codicibus MSS. ſubſiſto, cum, qui hoc adfirmat, auctor mihi vix videatur idoneus; ſane nemo eorum unus, qui varias lectiones ex MSS. repræſentarunt, & mihi ſunt ad manum, edidit *prudentibus*, at *imprudentibus* omnes Baſilici ſimpliciter, τὰ τυχηρὰ ὁ κοινωνὸς οὐκ ἐπιγινώσκει. ex quo de Latinorum lectione nihil licet conſtituere.

Pro lectione recepta ſatis argute diſputat Joannes Robertus *L.* II. *Rec. Lect. C.* 31. Opinatur ille, præeunte tamen Gloſſa, quod erat monendum, *imprudentibus* heic eſſe pro *iis qui non providerint*, ut Tullius *pro Sextio* Pompejum dixit *imprudentem imprudentium malorum*, quomodo & Virgilium accipit, *nunquam imbrem non ante proviſum obfuiſſe*, idque ex auctoritate Servii, de qua mox dicam. Alia etiam addit, ſed minus ad rem, niſi ſi quid Imp. Alexander, in *l.* 6. *C. de Pigner. act. Quæ fortuitis*, inquit, *caſibus accidunt*, CUM PRÆVIDERI NON POTUERINT ——— *nullo bonæ fidei judicio præſtantur.* Potuiſſet addere ſexcenta loca, in quibus *imprudens* ſimpliciter eſt pro *inſciens*, ut aliquoties in Terentio, quin & alibi; & magis forte hæc opportuna dixeris, quam locus Virgilii, de quo dubitem, an recte Servius, ſi Servius. Nunquam imbrem, non ante proviſum, obfuiſſe vel quivis ruſticus facile negaverit. Itaque ſi vera Servii interpretatio, Virgilium emendo, & lego,

—— —— *nunquam imprudentibus imber*
Adfuit ——— ——— ——— ———

Hoc eſt, non pluit, quin prævideris, nam, ut mox ait,

Tum cornix plena pluviam vocat improba voce.

Poſtquam ſcilicet, ut inquit Poëta alter a Virgilio,

Horrida tempeſtas cælum contraxit & imbres.

Obfuit non poteſt eſſe ex mente Virgilii, cum ſigna recitet duntaxat, quibus ſciamus, venturum imbrem, noxium, an innoxium, perinde eſt. Si ſemper noceret, imber, ſervarem *obfuit*, nunc, quia prodeſt magis, quam obeſt, reſcribo *adfuit*, & intelligo quemcunque imbrem.

Quamvis autem non negem, *imprudentis* vocabulum ea ſignificatione quodammodo *in h. L.* accipi poſſe, tamen, quia damna fatalia etiam ea ſunt, quæ, licet prævideantur, iis tamen reſiſti nequit, malim apud Ulpianum levi manu: *Damna, quæ* IN PRUDENTIBUS *accidunt, hoc eſt, damna fatalia ſocii non coguntur præſtare.* Et magis moveor, quia ea *imprudentis* ſignificatio, de qua dixi ex Auctoribus peregrinis, fruſtra quæritur in Libris JCtorum: ſemper ibi culpam, & negligentiam, & hominis ſupini vitium notat: nec ab ea notione unus Ulpianus uno loco receſſiſſe putandus eſt, & eo præſertim loco, quo a §. 2. ad §. 5. quaſi ſede propria, edocet, quid ſocium ſocio ob caſum, dolum, & culpam præſtare oporteat. Neque quicquam erat facilius, quam *in prudentibus*, ſcripturæ vitio, primum coaleſcere in *inprudentibus*, & mox id mutari in *imprudentibus.* Confirmat me Codicis mei MS. fides, in quo perſpicue ſcribitur *inprudentibus*, tanquam una & continua voce. Hæc vero ſi ſepares, ut mihi ſeparanda videntur, plana erit & ſententia & locutio. Damna fatalia ita definit Ulpianus, quæ etiam *in prudentibus* accidunt, hoc eſt, quæ nulla prudentia poſſunt evitari, atque adeo in prudentiſſimos quosque cadunt: idque proviſa ſint, nec ne. Idem ille Ulpianus *in l.* 2. §. 7. *ff. de Adminiſtr. rer. ad Civit. pert. Fortuitos*, inquit, *caſus nullum humanum conſilium* PROVIDERE *poteſt;* hoc eſt, ſi quid judico, *vitare*, *cavere*, ita enim *providere* aliquoties occurrit, ut Grammatici obſervarunt, &, ut omnia dicam, Donatus ad Terentii *Andr. Act.* I. *Sc.* III. *verſ.* 3. Nolim quoque duriorem, quam eſt, videri locutionem, *accidere in prudentibus*, in Pandectis ſunt geminæ, & *accidit in te*, Terentius dixit *Andr. Act.* V. *Sc.* III. *vſ.* 14.

CAPUT XI.

Leve mendum in Inſtitutionibus.

Ad finem *Tituli de Nuptiis* recenſentur ſpecies, quibus liberi in poteſtatem Parentum rediguntur, qui ante non erant; de ejusmodi liberis etiam hæc ſpecies eſt: *Nec non is, qui a muliere libera procreatus, cujus matrimonium minime legibus interdictum fuerat, ſed ad quam pater conſuetudinem habuerat, poſtea ex noſtra Conſtitutione dotalibus inſtrumentis compoſitis, in poteſtate patris efficitur.* Et additur: *quod & aliis liberis, qui ex eodem matrimonio fuerint procreati, ſimiliter noſtra Conſtitutio præbuit.* Hæc poſtrema ſunt in mendo, & video alios quoque non dubitare. Adeo ſtipes non erat Juſtinianus, ut, quod nemo negat, vel negavit unquam, ſua Conſtitutione definiret; legitimos enim eſſe, ex juſtis nuptiis qui nati ſunt, omnis ævi Jurisprudentia ſancivit. Sed nec id definivit ille in *l.* 10. *C. de Natur. liber.*

Sunt, qui tanquam ex veteribus Libris, ita legunt: *quod ſi alii liberi ex eodem matrimonio* &c. Sed nihil extricat ea lectio, nam adhuc dicit, ſe ſua Conſtitutione effeciſſe, ut liberi, ex juſtis Nuptiis editi, ſint legitimi. Hotomanus ita: *quod etſi nulli alii liberi ex eodem matrimonio* &c. ut reſpexerit Imp. ad *l.* 11. *C. de Natur. liber.* bruta Criſis! Antonius Muretus *Obſervat. Jur. Libr. Singul. C.* XI. una litera medicinam quæſivit, & ita mutat: *quod ei aliis liberis* &c. ut dixerit, *quod ei*, *ſimiliter aliis*, Græco dicendi more, pro *ex æquo cum aliis*, quemadmodum & alios Auctores locutos probat, ſed ſunt hæc difficiles nugæ. Ego, unam quoque literulam mutare contentus, ſic lego, ſenſu rotundo: *quod, ut aliis liberis, qui ex eodem matrimonio fuerint procreati, ſimiliter noſtra Conſtitutio præbuit.* Muto *&* in *ut*, proclivi, ut vides, vitio. Ait autem, ſe liberis ante matrimonium natis idem præbuiſſe ſua Conſtitutione, quod liberis poſt na-

natis; & ſane hoc eſt, quod præbuit in *d. l.* 10. *C. de Natur. liber.* his verbis: *Quapropter ſancimus in hujusmodi caſibus omnes liberos, ſive ante dotalia inſtrumenta editi ſint, ſive poſtea, una eademque lance trutinari*, & quæ ſequuntur. Res mihi videtur adeo liquida, ut imber, quando pluit.

CAPUT XII.

Querela inofficioſi teſtamenti unde ſit!

De origine querelæ inofficioſi obſcura eſt dubitatio. Franciſco Duareno ad *Tit. de Inoffic. teſtam.* C II. ex Principum Conſtitutionibus introducta videtur, quod aliis etiam eſt veroſimile. Sed tamen verum non eſſe ſatis eſt certum, antequam enim ulli Romæ Principes, inofficioſi querelam fuiſſe conſtat ex Valerio *L.* VII. C. 7. §. 2. conſtat & aliunde. Jacobus Cujacius *L.* II. *Obſerv. C.* 21. conjicit, ex Lege Glicia eſſe introductam, hac ratione, & unica quidem, quod in Pand. Florent. *l.* 4. *ff. de Inoff. teſtam.* ſic inſcripta tanquam ex Gaji *Libro ſingulari ad Legem Gliciam.* Quodque Cujacius ut conjecturam, alii ut rem certam poſuere; nimis ſane imprudenter, cum Cujacii qualiſcunque ratio vix ad conjecturam ſufficiat. Nego liquere, ullane unquam fuerit Lex Glicia, non iis rationibus, quas ſibi refutandas ſumpſit Cujacius *d. L.* II. *C.* 21. quamquam & illæ juvent, ſed quod de Lege Glicia nihil ſciamus quicquam, niſi ex inſcriptione *d. l.* 4. & ea inſcriptio in Libris antiquis adeo ſit incerta & varia, ut nihil tuto definiri poſſit. In Baſilicis deeſt nomen Gaji, cum alias JCti nomen adſcribatur Legibus; alii Legem tribuunt Gallo, alii Maximo. Rurſus ſunt Libri, qui habent *ad L. Liciam*, alii *ad L. Lenticam* vel *Leuticam.* Editiones Haloandri, Hugonis a Porta, Vintimillii, & quæ apud Sennetonios prodiit, conſtanter omnes: *Maximus ad l. Falcidiam*. Maximus ſcilicet ille, cujus ex eodem opere etiam alibi exſtat locus. Et præter Florentinum non eſt Codex, qui *l.* 4. adſcribat *Gajo, Libro ſingulari ad L. Gliciam.* Quumque adeo ſuſpecta ſit inſcriptio, non eſt, ut cum Pancirolo *Variar. Lect. L.* II. *C.* 23. inquiramus in Glytios, qui *Legis Glytiæ* auctores eſſe poſſint, vel in Gajum, qui ad hanc ſcripſerit *Librum ſingularem.* Imo, ſi vel fuerit aliqua Lex Glicia, non continuo ſequi, inde eſſe de inofficioſo actionem, recte dixit Bertrandus in *Maximo.*

Eſt autem probabile, querelam inofficioſi neque ex L. Glicia, ſi fuerit, nec ex alia qua ortam eſſe; non tantum, quod querela inofficioſi ab Juris Civilis auxilio videatur diſtingui in *l.* 8. *pr. ff. de Bon. poſſ. contra tab.* quod & Duareno obſervatum eſt, ſed quod noſtri Auctores nunquam e Lege natam, ex eave inſtituendam prodant, at vero, ubi hoc dicendum erat, & hoc dicere ſuffeciſſet, aliud tamen ſuggerunt εὕρημα, quo de mox dicam. Neque etiam dubito, ſi ex Lege eſſet, quin ea finiiſſet quoque, quibus competat, ut ſolet fieri in aliis, & tamen id Jure veteri finitum non eſſe, nec uſquequaque certum, innuit *l.* 1. & *l.* 5 *pr. ff. de Inoffic. teſtam.* Opinor igitur, inofficioſi querelam moribus Populi Romani fuiſſe introductam, receptam, & Prudentum auctoritate probatam, argumento Juris Civilis, quo furioſis negatur teſtamenti factio. Placuit enim hoc colore de inofficioſo agi, & rem apud judicem defendi, quaſi non ſanæ mentis fuerit teſtator, ut prolixe id explicant *l.* 2. & *l.* 5. *ff. Eod.* Unde *quaſi furioſi judicium damnatur*, ait Paulus in *l.* 19. *h. Tit.* & Aſinius Pollio apud Fabium *L.* IX. *Inſt. C.* 2. *Audiſne? furioſum, non inofficioſum teſtamentum reprehendimus.* Hujusque coloris, ſæpe adhibiti, exempla Grotius recenſuit in *Fl. Sparſ.* ad *d. l.* 2. & exſcripſerunt turpiter alii. Non ægre autem, quaſi ſecundum Jus Civile, obtinuit, reſcindi teſtamentum ejus, qui quaſi furioſus habebatur, & hoc eſt, quod ait *l.* 17. §. 1. *ff. de Inoff. teſt. Cum contra teſtamentum, ut inofficioſum judicatur, teſtamenti factionem habuiſſe defunctus non creditur;* ex commento ſcilicet furoris. Plane, ſi ex Lege daretur querela, illa fictio non tantum non eſſet neceſſaria, ſed & ſic ſatis injurioſa, tunc enim laudaretur Lex, non argueretur mentis error. Quapropter & hodie, cum ex Juſtiniani *Novella* CXV. C. 3. definita ſit querela, non adhibebitur amplius ille color, ſed his, qui contra pietatem excluſi ſunt, ſuccurretur ex Lege, ut vulgo recte ſcribunt, non recte diſſentiente Viglio Zuichemio ad *pr. Inſt. de Inoff. teſtam.* Eſt nunc Lex, quæ huic rei formam dedit, & infinitam, quæ olim fuit, teſtandi libertatem repreſſit: utque adeo nunc inutilis ſit color inſaniæ, olim unice comparatus ad eludendam Legem antiquam, quæ teſtamenti libertatem dabat, utcunque voluiſſet teſtator.

Tota res ita videtur conſtituenda. Quum ex L. XII. Tabb. ita jus eſſet, uti Paterfamilias legaſſet rei ſuæ, incognita tunc fuit inofficioſi actio; latiſſima quippe poteſtas his verbis dabatur, quemadmodum id explicant cum alii, tum Pomponius in *l.* 120. *ff. de V. S. ſed*, inquit, *id interpretatione coanguſtatum eſt vel Legum, vel auctoritate Jura conſtituentium* Et commodum ſane in cauſa iniquæ exhæredationis præteritioniſve: bene meritos enim excludi æquitas non patiebatur. Quia tamen obſtabat teſtandi libertas, ſimpliciter & indefinite a Xviris conceſſa, excogitatus fuit inſaniæ color, & receptus *auctoritate Jura conſtituentium*, hoc eſt, ſi recte judico, Reſponſis Prudentum & Rebus perpetuo judicatis; in his enim & Jus conſiſtit, ut Tullius dixit *Topic. C.* XXVIII. Sic nata eſt Conſuetudo, quæ Legis inſtar obtinet, ſic moribus conſtituta querela, ex ſolo bono & æquo, non ex interpretatione Legis: nam ſi verba, *uti legaſſit, ita jus eſto*, accepta eſſent tanquam regula, quæ exceptionem in cauſa iniquæ exhæredationis præteritioniſve admitteret, fruſtra ageretur de colore veſaniæ, cum ita non eſſet Lex, quæ obſtaret. Atque illa Conſuetudo maxime videtur ſubſtitiſſe per Legem Æbutiam, ex qua Conſuetudines, contra L. XII. Tabb. creduntur eſſe confirmatæ; prætextus tamen adhuc idem color, quem Conſuetudo, æquitatis ratione, induxerat.

CAPUT XIII.

Ad l. 15. §. 5. ff. Locat. conduct.

Ait ibi Ulpianus: *Cum quidam de fructuum exiguitate quereretur, non eſſe rationem ejus habendam, reſcripto Divi Antonini continetur. Item alio reſcripto ita continetur: novam rem deſideras, ut propter vetuſtatem vinearum remiſſio tibi detur.* Aperta videtur utriusque Reſcripti ſententia, ſed non æque aperta eſt ratio, cur ita reſcribi placuerit; non vidi certe, qui dixerit, quod res eſt. Quum ob ſterilitatem detur mercedis remiſſio, ratio Conſtitutionis videbatur in promptu, neque enim fructuum parvitas, quæ colonum queri coëgit, ſterilitas eſt; multoque minus, ſi parvitas multitudine fuerit compenſata, ut compenſatur unius anni ſterilitas cum alterius ubertate §. 4. *h. L.* Sed hoc ita, ſi *exiguitatem* hic intelligas de fructuum *parvitate;* quod tamen mihi veroſimile non eſt. Dixerat jam Ulpianus §. 2. *h. L.* damno coloni eſſe, *ſi qua vitia ex re ipſa oriantur*, & parvitas fructuum ex arbore vel fundo eſt. Neque etiam fructuum parvitatem recte dixeris ſterilitatem, niſi & fertilitatem dicas ſolam fructuum magnitudinem, nullo licet numero, forte ſi unum alterumve pomum creverit, aut inſignis formæ ariſta. Mediocris ubertas cenſetur vel numero fructuum, vel magnitudine, vel alterutrius exceſſu, defectum alterius ſupplente: parvitas reparatur majori numero, & rurſus minor numerus magnitudine. Quod ſi fiat, non puto quemquam colonorum adeo ruſticum, ut ſpe remiſſionis impetrandæ Imperatorem adeat, vel, ſi adierit unquam, Ulpianum hæc proditurum memoriæ. Ne quidem, ſi parvitas numero non compenſetur, ob ea, quæ dixerat Ulpianus in *d.* §. 2. & in *h.* §. 5. fruſtra repeteret.

Igitur per *exiguitatem*, de qua queſtus eſt colonus in *h.* §. 5. non intelligo fructuum *parvitatem*, vel *inopiam*, ſed *vilitatem*, per quam colono non licuit pretium, quod ſperaverat, ex fructibus natis redigere, ideoque, remiſſionis obtinendæ ergo, Antoninum adiit. Non placuit tamen illi eam cauſam recipere; quamvis enim ob vilitatem fructuum, æque ac ob ſterilitatem, coloni, ſpe ſua deſtituti, queant deficere, tamen ipſis non ſuccurritur, niſi ex cauſa, quæ præter opinionem, &, ut alibi dicitur, ϑεοῦ βίᾳ accidit: pretia autem fructuum ſolent in dies creſcere & decreſcere, quinimo in horas mutari; ut larga ſcilicet inde enaſceretur remiſſionum ſeges. Ipſa ſterilitas, ut remiſſioni cauſam præberet, jure ſingulari obtinuit; utemur igitur Jurisprudentia *l.* 14. *ff. de LL.*

Exiguitatem ſic interpretor *vilitatem*, recte, ni fallor, & Latine; niſi enim ita quoque accipias, ſenſum non habent verba Spartiani in *Severo C.* XIX. *Tam exiguis*, inquit, *veſtibus uſus eſt, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet.* Ipſe Horatius, ne de Latinitate Spartiani ſimus ſolliciti, eo verbo in hanc ſententiam mihi uſus videtur *L.* III. *Od.* 6.

Jam bis Monæſes, & Pacori manus
Non auſpicatos contudit impetus
Noſtros, & adjeciſſe prædam
Torquibus EXIGUIS *renidet.*

Significat enim Parthos antea viles & paupertinos torques ex dite præda Romanorum locupletaſſe. Et ſic intelligo illud ejusdem *L.* I. *Od.* 28.

Te maris & terræ, numeroque carentis arenæ
Menſorem cohibent, Archyta,
Pulveris EXIGUI *prope littus parva Matinum*
Munera.

Exigui, id eſt, vilis & abjecti pulveris, nam ingratior erit ſenſus, ſi dicamus, *parva munera parvi pulveris*, neque etiam magnitudo recte pulveri tribuitur. Ipſe ille Ulpianus, de cujus ſermone agimus, in *l.* 75. *ff. de Legat* III. *nummos exiguiores* dixit pro *viliores*, & ex Papiniano *exiguius* pro *vilius* in *l* 14. §. 1. *ff de Legat.* I. ut argumento eſt ejusdem *l.* 39. §. 6. *ff. Eod.* ſi *exiguos* pro *parvis* accipias in *d. l.* 75. non conveniet *d. l* 14. §. 1 nec *d. l.* 39. §. 6. quum non magnitudo, ſed materia nummis addat pretium. Solet quoque *nummi* vox κατ' ἐξοχὴν tribui minoris pretii nummis, ut ſeſtertiis, quibus, eo ſenſu, *immenſa numismata* opponit Serenus Sammonicus *de Medicina C* 538. Etiam Paulus in *l.* 42. *ff. de Act. empt. exiguum modum ſilvæ* dixit, & intellexit modum vilem & minoris pretii. Sed hæc de prima parte § 5.

Sequitur pars ſecunda, & aliud reſcriptum; ait autem: *Novam rem deſideras, ut propter vetuſtatem vinearum remiſſio tibi detur. Novam rem* dixit, ut *novum jus* dicitur, ſive quod iniquum injuſtumque eſt, ſive quod neque receptum, neque etiam recipiendum; vide, quæ de appellatione *juris novi* in hanc ſententiam prolixe ſolent commentari ad *Tit. D. Quod quisque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur.* Sed cur vinearum vetuſtas ad remiſſionem non proſit, ut ſciatur, digna res eſt. Quia, inquit Menagius *Amœnit Jur. C.* IX. vinearum diuturnior eſt vita, & annos tolerant. Verum hæc ratio non eſt; quamvis enim longævæ ſint maxime, earum tamen provectior ætas ſolet colonis ſterilitatem afferre: quod eodem acumine erat negandum; at nemo id negare auſit præſentibus vinitoribus. Seneca non tam ex Philoſophia, quam, ut ipſe ait, *artificio ſuo* ita ſcribit *Epiſt.* CXII. *Non quælibet inſitionem vitis patitur. Si* VETUS ET EXESA EST, *ſi infirma gracilisque, aut non recipiet ſurculum, aut non alet, nec applicabit ſibi, nec in qualitatem ejus naturamque tranſibit.* Vetuſtas etiam vinearum eſt, ob quam de Reipublicæ ſuæ miſeriis conqueruntur Flavienſes in *Panegyr. ad Conſtantin. Aug. Ipſæ*, inquiunt, *vineæ, quas mirantur ignari, ita* VETUSTATE *ſenuerunt, ut culturam jam pene non ſentiant: radices enim vitium, quarum jam neſcimus ætatem, millies replicando congeſtæ*, & quæ ſequuntur. Igitur alia ratio quærenda eſt, cur colonum de vinearum vetuſtate queſtum non audiverit Imperator, & aliam quoque dixit Menagius illo *C.* IX. Menagioque prior Mornacius in *Obſerv. ad ff. h. l.* 15. §. 5. & ante utramque Gloſſa ad *h. L.* debuiſſe nempe colonum nova propaginum ſatione vineæ vetuſtatem reparare, quod ſi neglexerit, damnum, quod inde ſentit, ſua culpa ſenſiſſe videri. Sed nec illa ratio mihi probatur, quia vinitoris non magis eſt novas vites ſerere, quam cujusque coloni cæterarum arborum novas plantare; quod a conductore nemo exegerit magis, quam collapſum ædificium reſtituere: præſertim quum Menagius ſibi propoſuerit vites, ut longævas, ſic bonas. Ne dicam, per *vetuſtatem vinearum* in *h.* §. 5. qua-

qualemcunque intelligi, ac eam quandoque eſſe veteris vineæ rationem, ut nec alendæ propagini ſufficiat, ut Seneca teſtatur, & Flavienſes experti ſunt. Plane enim veterem effodere, novamque ſerere vineam, nemo unus dixerit onus coloni eſſe ex jure conductionis. Ejus eſt ſegetem ſerere, quia annua eſt, eamque ſibi quiſque ſerit, non in fundo permanſuram, aliiſque adeo ceſſuram, ut permanerent, & fere aliis cederent vineæ cæteræque arbores, a colono plantatæ.

Ego puto, vetuſtatem vinearum remiſſioni obtinendæ non facere, quia hæc datur duntaxat ob caſum, poſtea accidentem, non autem, ſi vota coloni decollent ob cauſam, quæ, cum fundum conduxit, jam exſtabat *l.* 15. §. 2. *l.* 25. §. 6. *ff. h. T.* Et ſic eſt in hac ſpecie; neque enim heri aut nuper adeo eam vetuſtatem contrahere, aut fortuito ſeneſcere potuit vinea: quare conductoris fuit, dum conducebat, perſpicere cauſam ejus damni, & huic, ex officio prudentis coloni, proſpicere; potuit enim, ſive ad unum, ſive ad plures annos conduxerit. Neque alia ratione ædium, quamvis ruinoſæ ſint, conductoribus damni infecti cautionem negat ex Sabino idem Ulpianus in *l.* 13. §. 6. *ff. de Damn. infect.* nam *habent*, inquit, *quod ſibi imputent.* Idemque juris eſſe comperi in aliis Juris noſtri articulis, quos nunc non recenſeo.

Cæterum quod Menagius illo C. IX. vineas nunc μακροβίους faciat, nunc βραχυβίους, & auctoritates in utramque ſententiam addat, de eo ſic eſt habendum: vineæ per ſe ſunt βραχύβιοι, quia enim infirmæ, cito ſeneſcunt. De longiori vita quod alii dixerunt, non tribuerim culturæ, nec ſiccitati fundi, quamvis & hæc juvant, ſed cauſæ magis æternæ. Et ſunt, qui hanc metiuntur nova propaginum ſatione; at verum eſt, ita perpetuari omnes plantas, nec quicquam in eo præcipuum habere vites. Audiamus Theophraſtum, ubi earum μακροβιότητος meminit *Lib.* IV. *Hiſtor. Plant.* C. 14. Verba Theophraſti hæc ſunt: Τινὲς φασὶ τὰς ἀμπέλους μακροβιωτάτους εἶναι, τῷ μὴ φύειν ἑτέρας, ἀλλ᾽ ἐξ αὐτῶν ἀεὶ συναναπληροῦσθαι. Ex quo didici, vitium æternitatem cenſeri, non nova ſatione, ſed depreſſione propaginum non ſeparatarum, ita namque credebatur ſemper eadem arbor, & nunquam tota nova, non ſecus atque navis toties refecta, ut nulla tabula eadem permanſerit, nihilominus exiſtimatur eadem navis *l.* 76. *ff. de Judic.* Eſt autem tralatitium, ita deprimi & defodi vitium propagines, ac, ſi tempeſtive fiat, in arbores reſurgere. Idem tamen de vite vetula ait Feſtus in *Propages. Propagines*, inquit, *a propagando, ut faciunt ruſtici, cum vitem vetulam ſupprimunt, ut ex ea una plures faciant.* Seneca etiam *Epiſt.* LXXXVI. *in fin.* docet nos, vel, ſi mavis, ruſticos, qui *annoſa vitis ex corpore radiceſcat.* Aliud eſt, ſi jam ætate intabuerit, ut exempla feruntur & auctoritates, *hoc* quoque *Capite.*

CAPUT XIV.

Nonnihil reſtitutum & explicatum in l. 1. §. 3. ff. Nautæ, caupones, ſtabularii, ut recept. reſt.

Ulpianus interpretaturus Edictum, *Nautæ, caupones, ſtabularii*, in *l.* 1. §. 2. explicat, quis, quod ad Edictum, per nautam intelligatur. Et ait in primis intelligi & ex Edicto teneri exercitorem, & magiſtrum navis; teneri etiam exercitorem, ſi cui alii committi juſſerit. Additque in §. 3. eſſe quoque in navibus, qui iis cuſtodiæ gratia præponuntur, ut ναυφύλακες & dietarii. *Si quis igitur*, inquit, *ex his receperit, puto in exercitorem dandam actionem, quia is, qui eos hujusmodi officio præponit, committi eis permittit, quanquam ipſe navicularius vel magiſter id faciat, quod* χειρέμβολον, *id eſt*, MANUS IMMISSIONEM *appellant; ſed & ſi hoc non exſtet, tamen de recepto navicularius tenebitur.* Primo velim ſcire, quid ſit χειρέμβολον, quod hic eſt, & apud Baſilicos; deinde, quis hic ſit ordo verborum, nam de ſententia conſtat. Χειρέμβολον, transfertur hic *manus immiſſio.* ex ſola, putem, verbi proprietate, ſed quid in re navicularia *manus immiſſio* ſit apud Latinos non magis forte liquet, quam quid χειρέμβολον apud Græcos. Alciatus *Parerg. Jur. L.* I. *C.* 44. χειρέμβολον dici putat *ſignum, quod magiſter in prora reſidens manu dat, cum nautis imperat, ut aliquid faciant, ſeu aliquem recipiant, vel non recipiant.* Idque Ant. Faber in *Ration.* ad *h. L.* & alii ſequuntur. Sed quum ἐμβάλλειν non ſit *ſignum præbere*, ſed *injicere*, & nulla ejus ſignificationis adferatur auctoritas, admitti non poteſt ſola fictio. Duarenus *Comm. ad h. L.* χειρέμβολον de homine exaudit, quaſi χειρέμβολος is ſit, qui manu res apprehendit; ſed nullo etiam auctore, & contra Ulpiani ſententiam, qui eo verbo non hominem, ſed miniſterium, actumve aliquem ſignificat, qui χειρεμβόλῳ abſolvatur. Cujacius *Lib.* XXVII. *Obſerv. C.* 31. exercitorem vel magiſtrum tunc facere χειρέμβολον exiſtimat, *cum traditam ſibi rem aut mercem ſtatim dederit in manum cuſtodis aut dietarii, quaſi avertens a ſe cuſtodiæ periculum.* Et hoc ſuperdicit: *vulgaris nauticorum vox eſt* χειρέμβολον, *ſicut meſſorum* χειρόβολον, *id eſt*, δράγμα, *teſte Moſchopulo* περὶ σχεδῶν. Sed apud Moſchopulum χειρόβολον invenio, χειρέμβολον fruſtra quæro, neque adeo adhuc ſcio, quid ejus rei ſit. Plane nihil quoque ad hunc locum pertinet, quod Dionyſius Gothofredus notavit, ſeu, ut verius dicam, ex Budæo, non laudato, deſcripſit de celeusmate, ſive ſigno & hortamento, quod remigibus, ad concitandos vel inhibendos remos, dari ſolebat. Potius ex eodem Budæo addidiſſet, quod ille ait de celeusmate, quod facere ſolent nautæ, quum onera funibus moliuntur, quanquam nec hoc idem ſit, quod χειρέμβολον. Kuhnius ad Polluc. *L.* II. *C.* 4. *n.* 152 χειρέμβολον hic eſſe putat *ſymbolum, quod navicularius conficit, & vel ipſe in manum dat ei, a quo merces in navem recipit, vel alius, quem huic officio præpoſuit;* ſed rurſus ſine populi ſuffragio, ex ſola ſcilicet conjectura, quam etiam vix aſſequor. Sane ex eo, quod Ulpianus græca voce utatur, & rem, quam indicat, ita appellatam ajat, veriſſimum videtur, quod Cujacius dixit, χειρέμβολον vulgarem nauticorum vocem fuiſſe. At quamvis vulgaris fuerit, oportet tamen me fateri, apud Græcos Auctores & Magiſtros, veteres, novos, fruſtra mihi fuiſſe quæſitam. Nec auſim tamen ſollicitare verbum, quod κατ᾽ ἀναλογίαν Græci ſermonis utique eſt optimum, & ad ſignificandam operam, quæ recipiendis mercibus & ſarcinis impenditur, vi ſua & ope compoſitionis in primis ido-

idoneum. Sexcenta occurrunt apud Veteres ἅπαξ λεγόμενα, quæ fruſtra quis, ut ſuſpecta, rejiciat; & quamvis verbum χειρέμβολον in re nautica videatur fuiſſe vulgare, tamen poteſt vel antiquitate, quæ ſupereſt, cum tot aliis excidiſſe, vel meam in quærendo effugiſſe diligentiam. Gloſſa *χειρέμβολον facere* ſimpliciter explicat *recipere*, quod ſatis rectum eſſe videtur, nam, quamquam auctore certo deſtituamur, tamen ſententia loci omnino poſtulat, ut per χειρέμβολον intelligamus miniſterium actumve ejus, qui vectorum ſarcinas merceſve excipit, & in navi deponit. De verbo igitur utcunque non liqueat, & deliberandum ſit amplius, de re liquet & conſtitutum eſt. Hoc enim dicit Ulpianus continuo ſermone a §. 2. ad §. 4. Tenetur de recepto ipſe nauta; nautam hic accipimus, qui navim exercet, quamvis alioquin ea vox latius porrigatur, non igitur de recepto obligatur per remigem vel meſonautam, ſed per ſe, vel etiam per navis magiſtrum, aliud tamen, ſi cui ex his committi juſſerit. Sunt præterea in navibus, qui ναυφύλακες audiunt & dietarii, hi cum cuſtodiendis navibus, & navium dietis præſint, recte recipiunt, ita ut actio in exercitorem detur, ex ipſa ſcilicet præpoſitione, & officii natura, quæ hæc eſt, ut, permittente quaſi exercitore, videatur iis committi. Non ſecus igitur, ſi quis ex his receperit, competet actio, quam ſi ipſe navicularius vel magiſter receperit, id eſt, fecerit χειρέμβολον. Sed etſi magiſter non exſtet, nondum forte navi præpoſitus, tamen tenebitur navicularius, id eſt, exercitor, hunc enim proprie *navicularium* dicimus, quemadmodum ad *h. L.* prolixe obſervavit Budæus.

Diximus de ſententia Ulpiani; nunc de verbis videamus. Et ait, *quanquam ipſe navicularius vel magiſter &c.* Illud *quanquam*, conſtans licet in omnibus Libris ſit lectio, huic loco non convenit, quid enim hoc eſſet? tenetur exercitor, ſi quis ex navium cuſtodibus aut dietariis receperit, *quanquam* ipſe receperit, vel, ut alii interpretantur, *quanquam* ipſe receptioni adſit, de quo quis etiam dubitet? nec commodior erit ſenſus, quæcunque tandem χειρέμβολου fuerit ſignificatio. Eſt, qui negationem addit, & legit, *quanquam ipſe navicularius vel magiſter id* NON *faciat &c.* Hac ſententia, ex recepto cuſtodum vel dietariorum obligatur exercitor, quanquam ipſe non receperit; ſed id non probo ob vim majorem. Plana autem erunt omnia, ſi pro *quanquam*, ut legendum puto, legamus *tanquam*, facillima mutatione. Atque ita dicet, Edicto locum eſſe, ſi receperit, quem nauta rebus recipiendis præpoſuit, eodem modo, ac ſi ipſe recepiſſet, cum factum ſuorum hominum præſtare oporteat: modo ne iis committatur, qui alteri negotio præſunt, ut mox diſputat Ulpianus in §. 5. Non inconcinna eſſet & hæc lectio & tranſpoſitio: *Si quis igitur ex his receperit, puto in exercitorem dandam actionem, tanquam ipſe navicularius vel magiſter id faciat: quia is, qui eos hujusmodi officio præponit, quod χειρέμβολον appellant, committi eis permittit.* Sæpe in Pandectis hujusmodi luxationes & trajectiones verborum apparent, & melius ita (ut Accurſii verbo utar) *deſcenderet* oratio, ſed tamen, quum & alias recte ſubſiſtat, mutationem non urgeo.

Sequitur in *fin. h.* §. 3. *Sed etſi hoc non exſtet, tamen de recepto navicularius tenebitur.* Veteres Edd. fere habent: *ſed etſi hoc non exercet.* Eguinarius Baro in *Comm. ad h. L.* ait, ſe Librum habere, in quo legatur, *ſed etſi hoc non eſt.* Quæcunque autem lectio placuerit, habebit ea difficultatem, nam ait, ſi χειρέμβολον non extet, non exerceatur, vel non ſit, tamen navicularium teneri. Quod non intelligo, ſi χειρέμβολον ſit actus vel miniſterium ejus, qui merces ſarcinasve recipit, neque enim tunc poteſt eſſe receptio, niſi ſit χειρέμβολον. Si fingere licet χειρέμβολον ſpeciale fuiſſe miniſterium ναυφύλακος, alteriusve e nautis, jam intelligerem, quid ſibi vellet Ulpianus. Scilicet, quamvis recipiendi miniſterium ſpecialiter demandatum non ſit ναυφύλακι, alterive e nautis, tamen Edicto locum fore, quia tunc cunctorum eſt illo officio fungi, atque adeo & exercitorem de recepto teneri, quia, quod ad hoc, eorum quoque opera uſus eſt. Sed vero, quia non liquet adhuc χειρέμβολον fuiſſe demandatum alicui ſpecialiter miniſterium, malim id, ut ſupra dixi, generaliter exaudire de actu recipiendi, & pro *hoc*, quod nunc eſt, reſcribere *hic*, ut non ad χειρέμβολον, ſed ad magiſtrum navis referatur. Proxime dixerat, ſi quis ex cuſtodibus vel dietariis recepiſſet, perinde eſſe, atque ſi navicularius vel magiſter id feciſſet, nunc addit, ſed etſi *hic* non exſtet, nempe magiſter, de quo ſic erat locutus, tamen exercitorem teneri, ea ſententia, quam jam explicui. Ita quoque perinde eſt, quomodocunque ſequentia legas, cum alioquin τὸ *exercet*, ſi *hoc* legas, non habeat, ad quod referatur. Sed quod in Florentino ſit *exſtet*, utique ſervamus.

CAPUT XV.

Ulpianus in l. 3. §. 7. ff. de Adim. vel transf. legat. *cum Ulpiano compoſitus in* l. 10. in fin. pr. ff. de Reb. Dub. *ope interpunctionis.*

Non vidi, qui Ulpianum recte ſibi concilient in his *LL.* Si uni ſit legatum, & concurrant paribus rationibus duo, inutile eſſe legatum conſtat; nec enim dividi poteſt, quia ſic præſtaretur contra voluntatem defuncti, qui non utrique dimidium, ſed ſolidum uni dari voluit. In hæreditate tamen una ſpecies eſt, qua diviſio placuit, ex ſingulari ratione, forte & ex privilegio Imperatoris *l.* 40. & 41 *ff. de Hæred. inſt.* & §. *ult. Inſt. de Vulg. ſubſtit.* nam ibi as contra mentem teſtatoris dividitur, qui utique vel inſtituto, vel ſubſtituto totum dari voluit. Sed id, ut dixi, in certa ſpecie & ex privilegio. Rurſus utrique ſolidum videtur deberi in cauſa Legis caſtrenſis, quam Antiqui poſuerunt ad *h. l.* 10. *ff. de Reb. dub.* & de qua dixit Alciatus *L.* IX. *Parerg. C.* 10. puta ſi Lex præmium conſtituat, qui primum murum aſcendit, & duo ſimul aſcenderint; tunc enim ratio utilitatis publicæ non permittit, Legislatorem præſumi, unum duntaxat in pari cauſa, vel neutrum, ſi concurrant, ad bonum publicum præmio voluisſe excitare. Hinc de Curſoribus Silius Italicus *Libr.* XVI.

—— Æquatur curſus, pariterque ruebant;
Et forſan gemina meruiſſent præmia palma,
Pervecti ſimul ad metas —— —— ——

Vide & quid de hac ſpecie Chryſippus dixerit apud Plutarchum *de Repugn. Stoic.*

Sed quamvis in cauſa publica, ad excitandam vir-

virtutem id concedamus, & non difficulter etiam obtineatur argumento *l.* 10. *ff. de Jure Fiſc.* in privata tamen cauſa longe alia & ſtrictior eſt ratio. Semel & uni tantum legatum voluit teſtator, qui unus ſi ignoretur, propter ἀπορίαν inutile eſt legatum. Atque hæc ipſa ratio, quæ in datione, etiam in ademptione legati, tantundem efficit; ſi enim duobus Titiis recte fuerit legatum, Lucio Titio & Gajo Titio, deinde ſimpliciter adimatur Titio, neque an de Lucio, an Gajo ſenſerit teſtator conſtet, ademptio inutilis eſt, & utrique debetur. Palam quippe eſt ex poſteriori ſcriptura, uni duntaxat eſſe ademptum, qui unus cum ſciri nequeat, neutri ademptum exiſtimandum eſt.

Rationem hæc habent, nec minus Juris auctoritatem. Ulpianus certe in *l.* 3. §. 7. *ff. de Adim. vel transf. leg.* ita ſcribit: *Si duobus Titiis ſeparatim legaverit, & uni ademerit, nec appareat, cui ademptum ſit, utrique legatum debetur. Quemadmodum & in dando, ſi non appareat, cui datum ſit, dicemus neutri legatum.* Ait *ſeparatim.* h. e. ut propoſui, *diſtinctim*, ita ut alter ab altero diſcernatur, Lucio nempe Titio, & Gajo Titio, vel etiam conjunctim, duobus ſcilicet Titiis, cum modo ſciri poſſit, quos deſtinaverit teſtator, tunc enim nihil refert, ut mox dicam latius. Ait *utrique*, & ita recte Florentiæ, non recte alii Libri, *utique*, multo minus *neutri*, manifeſto vitio; quia uni tantum ademptum eſt; unde non poſſet non circumveniri mens teſtatoris, ſi negaretur utrique. Potius, quia incerta ademptio inutilis eſt, ambobus debebitur, ne id, de quo non conſtet, infringat id, quod certum, & jure optimo legatum eſt: quo ita locus ſit regulæ *C.* 37. X. *de R. J. in* VI.

In eodem argumento idem Ulpianus occupatur *l.* 10. *pr. ff. de Reb. dub.* Recenſet ibi plures ſpecies legati, per incertitudinem inutilis, iisque miſcet exemplum de ademptione incerta, his verbis: *Sed & ſi duobus hominibus ejusdem nominis fuerit legatum, puta Semproniis; mox Sempronio ademptum ſit, nec appareat, cui ademptum ſit: utrum datio in utriusque perſona infringitur, an ademptio nulla eſt, quæri poteſt.* Ait *Semproniis*, neque diſtinguit conjunctim, an ſeparatim, neque etiam opus erat diſtinguere, cum nemo dixerit, quod ad rationem Juris, quicquam intereſſe, disjunctim, an conjunctim Semproniis legetur, dummodo, ſi conjunctim, duo duntaxat ſint, de quibus cogitaſſe potuit teſtator: alioquin ex mille Semproniis, quos deſtinaverit teſtator, non facile dignoſcas. Si igitur in conjunctione vel duo ſint tantum Sempronii, vel quid aliud accedat, ut fere accedit ſemper, unde ex tot aliis Semproniis diſcernantur, perinde eſt, atque ſi utrique ſeparatim legetur, ea, quam dixi, ratione ad *d. l.* 3. §. 7. *ff. de Adim. vel transf. leg.* Separatio enim non alia fine fit, quam ut diſtinguantur, & inde ſciatur, quos Sempronios intellexerit teſtator, & quid ad rem, utrum addito nomine, quod ſeparet, an aliunde dignoſcantur? nihil profecto.

Ait, *quæri poteſt.* In diſputationibus Ulpiani, unde *b. L.* eſt, ſolemne eſt *quærendi* verbum, & ita quoque in *l.* 6 *ff. de Cond. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* quæ ex eodem Ulpiani opere eſt. Sic ut mirer, hanc formulam, quaſi Triboniani, notatam eſſe ab Ant. Fabro in *Ration. ad d. l.* 6 cum etiam Paulus utatur in *l.* 83. *ff. pro Soc.* & tamen a quoquam veterum Prudentum eam formulam uſurpatam negat Faber, ſed mera in Tribonianum calumnia.

Porro ait, *Et verius eſt, in his omnibus etiam legata & libertates impediri, ademptionem autem in utrumque valere.* Quod dicit *de his omnibus*, intelligendum eſt de ſpeciebus, quas propoſuit ad usque Verſ. *Sed & ſi.* quæque verſantur circa dationem legatorum, ad quam etiam pertinet Verſ. intermedius, *item ſi ex pluribus ſervis ejusdem nominis uni vel quibusdam libertas relicta eſt.* Quod autem dicit de ademptione, referendum eſt ad exemplum legati, duobus Semproniis relicti, & uni mox incerto adempti; referri quoque poſſet ad exemplum *libertatis quibusdam ejusdem nominis ſervis relictæ*, ſi ex Verſiculo proximo ἀπὸ κοινοῦ repetas, & *mox uni ademptæ.* Sed duo, an unum ademptionis exemplum proponatur, parum refert. In eo omnis difficultas eſt, quod Ulpianus ad ſecundam propoſitæ Quæſtionis partem reſpondeat, *ademptionem in utrumque valere*, cum in neutrum valeat, atque adeo, ut ipſe ait in *d. l.* 3. §. 7. *ff. de Adim vel transf. leg.* utrique legatum in hac ſpecie debeatur. Sibi ſcilicet ita contrarius? & contrarius rationi, quæ æque nihili eſſe vult incertam ademptionem, quam incertam dationem? Non licet ita expedire, ut dicamus, in *d. l.* 3. §. 7. legendum, ut Editores quidam legunt, *neutri*; vitioſiſſima enim ea lectio eſt, ut ſupra monui: nam utrique ademptum eſſe non potuit, quia non Semproniis duobus, quibus legavit, ademit, ſed *Sempronio* i. e. uni duntaxat, utrique ſi adimere voluiſſet, *Semproniis* dicturus. Neque ullum oblivionis proderit velamentum, quum datio, ut in *h. l.* 10. proponitur, facta fuerit continua oratione, & *mox* ſecuta ademptio. Petrus Faber ad *l.* 66. *ff. de R. J.* negationem addit, ademptionem ſcilicet in utrumque *non* valere. ſed hoc eſt nodum ſecare, non ſolvere. Plures Interpretes, ſed quos recenſere nihil attinet, diſtinguunt, *ſeparatim* legetur, ut in *d. l.* 3. §. 7. an *conjunctim*, ut in *d. l.* 10. *pr.* ſi prius, ademptionem inutilem eſſe, ſi poſterius, in utrumque valere: ut quos teſtator in legando disjunxerat, in adimendo quoque disjunxiſſe videatur, & quos legando conjunxerat, in adimendo quoque conjunxiſſe. Verba audio, & præterea nihil. Quis dicat in *d. l.* 10. *pr.* Semproniis conjunctim legatum, & non ſeparatim? utique nihil ejus rei ibi dicitur; nec oportuit captare vocem *ſeparatim* in *d. l.* 3. §. 7. quia additur ex eo, quod fit ἐπὶ τὸ πλεῖστον, dignoſcendi gratia. Quamvis enim conjunctim, duobus hominibus ejusdem nominis, fuerit legatum, ponendum eſt, ut quæſtioni locus ſit, duo eſſe legata, quæ ſingula in utriusque perſona ſubſiſtunt, alioquin de ademptione unius fruſtra eſſet ſermo. Et puto perperam dici, teſtatorem, quos legando conjunxit, adimendo quoque conjunxiſſe videri, cum aperte uni adimat tantum, atque adeo de voluntate ejus nos dubitare non patiantur verba teſtamenti. Sed & ſupra docui, quod ad rationem Juris, in hoc argumento nihil intereſſe, conjunctim, an disjunctim legetur, & quid, ut id verum ſit, utraque locutio hic ſignificet. Nihil igitur hactenus extricamus. Quidam Codices hic habent, *ademptione autem in utrumque valere*, quam ſcripturam, poſthabita Florentina, ſequitur Hugo Donellus *Comment Jur. Civ. Lib.* VIII. in *h. L.* Hoc ſenſu: legata, per ejusmodi ademptionem, in utrumque Sempronium valere, non ſcilicet ademptionem valere, ſed legata per eam ademptionem, hoc eſt, ut opinor, non obſtante ea ademptione, nihilominus deberi; quod ex quovis potius elicias, quam ex ſimplici *ademptione.* Ut taceam, legata utique non ademptione, & quia adempta ſunt, valere, ſed datione, & quia recte data, non recte adempta ſunt.

Quare cum hæc omnia probare non poſſim, alia aggrediendum eſt via. Ego putarem, hunc locum ita eſſe interpungendum, vel intelligendum, atque ſi ita interpunctus eſſet: *ademptionem autem in utrumque, valere.* Hac ſententia: ſi, ut proponitur, duobus Semproniis recte ſit legatum, tunc demum utilem eſſe ademptionem, ſi in utrumque Sempronium ſit concepta, non ſi in unum, tunc enim non valere jubet ratio, & auctoritas *d. l.* 3. §. 7. *ff. de Adim. vel transf. leg.* Quærebatur in *h. l.* 10. *pr.* an ademptio, uni facta, valeret? & reſpondet Ulpianus, ademptionem in utrumque, duntaxat valere. Vocula *duntaxat* ſæpe in Pandectis non expreſſa, intellectu ſupplenda eſt, ut in *h. L.* & ita ſimiliter, ne de aliis nunc dicam, ipſe ille Ulpianus in *l.* 7. §. 1. *ff. de Bonor. poſſeſſ.*

CAPUT XVI.

Ad l. 7. §. 3. ff. de Bonis damnat.

Quamvis olim obtinuerit, capitali judicio damnatorum bona, & cuncta quidem, publicari, ex humanitate tamen placuit, partem damnatorum liberis concedere, quo de Pauli fuit Liber ſingularis *de portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur*, ut habet inſcriptio *h. l.* 7. quod deinceps mutatum varie, mitigata ſcilicet damnandi ſeveritate; dimidiam quidem bonorum partem conceſſerunt Theodoſ. & Valent. in *l.* 10. *C. de Bon. proſcript.* univerſa autem Juſtinianus *Novell.* 134. *C. ult.* benignius, atque olim D. Hadrianus, qui duodecimam duntaxat conceſſerat, ea Conſtitutione, quam memorat Ælius Spartianus in *ejus vita*, *C.* 18. ſed prolixius publicationis hiſtoriam circa liberos, enarravit Cujacius *Obſervat. L.* VI. *C.* 23. De Hadriano, illo Libro ſingulari Paulus dixit in *l.* 7. §. 3. *ff. de Bon. damnat. Si plures filios damnatus habeat, feruntur exempla, per quæ pluribus liberis omnia bona damnati conceſſa ſunt. Sed & Divus Hadrianus in hac ſententia reſcripſit.* FAVORABILEM APUD ME CAUSAM LIBERORUM ALBINI FILIORUM NUMERUS FACIT: CUM AMPLIARI IMPERIUM HOMINUM ADJECTIONE POTIUS, QUAM PECUNIARUM COPIA MALIM. IDEOQUE ILLIS PATERNA SUA CONCEDI VOLO, QUÆ MANIFESTABUNT TOT POSSESSORES, ETIAMSI ACCEPERINT UNIVERSA. Scilicet in criminibus Parentum puniendis quandoque liberorum multitudinis habetur ratio, quemadmodum eſt in hac cauſa, Hadriani Reſcripto complexa, & alia, quam Marcianus retulit in *l.* 57. §. 1. *ff. de R. N.* Neque tamen propterea, quod de pluribus liberis damnatorum hic dicitur, nullo populi ſuffragio recte adſcribas Legi Papiæ, ut adſcripſit Lipſius in *Excurſ. ad Tacit. L.* III. *Annal. C.* 25. Neque etiam propterea probes, quod Cujacius ad *l.* 2. *ff. de Excuſat.* & Lipſius *eo loco*, & deinde alii minorum Gentium, ut regulam proponunt ex *h.* §. 3. prærogativam nempe liberorum ordinariam eſſe, ut, ſi multi fuerint, habeant univerſum damnatorum patrimonium, cæteroquin, ſi pauci fuerint, habituri duntaxat partem. Perſonale enim duntaxat eſt, cujus meminit *d.* §. 3. Divi Hadriani privilegium: quod & verba Reſcripti, & evidentiſſime Paulus in *princ. d.* §. 3. ſignificat, cum ait, *exempla feruntur &c.* non ergo ad alia protrahendum eſt *l.* 1. §. 2. *ff. de Conſt Princ* ideoque, quod perſonas non egrediatur id Reſcriptum, forſan Græcis prætermiſſum fuit *Lib.* LX. Βασιλικ. *Tit.* 52. quamvis aliis ejusdem Tituli contra *Novel.* 134. repetitis. Id tamen, & alia, quæ in Pandectis exſtant, liberalitatis Imperatoriæ erga liberos argumenta, exemplum præbent Principibus futuræ, ſi impetretur, benevolentiæ: ut enim in cauſa filiorum Albini Hadrianum movit, ſic bonos Principes in quavis cauſa movere poteſt elegans Hadriani ratio, ſatius videlicet eſſe, *imperium hominum adjectione ampliari, quam pecuniarum copia.* Alioquin ut pars duntaxat liberis cederet, fuit ordinarium, & quidem illo Hadriani ævo, ut dixi, duodecima. Quamvis autem in *Novellis* id mutatum ſit, & cuncta paterna liberis conceſſa, ratio tamen fuit, cur exciperetur Majeſtatis cauſa, ſed nulla ratio, cur jure Pontificum, inſigni truculentia, ei æquata fuerit diſpar hæreſis cauſa *C.* 10. §. 1. X. *de Hæretic.*

Cæterum me, &, puto, alios ſuſpendit lectio *in fin. d.* §. 3. ubi Hadrianus inquit: *quæ manifeſtabunt tot poſſeſſores, etiamſi acceperint univerſa.* Neſcio, an *manifeſtare* vox ſit audita unquam Latinis auribus, eo, quo hic accipitur, ſenſu; quanquam, quo ſenſu accipiatur, dicere etiam ſit in difficili. *Manifeſtare* pro *manifeſtum facere* apud Auctores noſtros ſæpius, apud exteros parcius uſurpatur, ſed vix eſt, ut ea ſignificatio huic loco conveniat. Conſtans tamen hic eſt lectio omnium Librorum. Cum juvenis Pandectas legerem, ſine ullo literarum detrimento, ſed ſola tranſpoſitione, ita emendabam, QUÆNAM INFESTABUNT *tot poſſeſſores, etiamſi acceperint univerſa?* metus fere, ne damnatione Parentum irritati liberi, bonis quoque adjuti, ſecius quid adverſus Rempublicam moliantur, publicationem induxit, quemadmodum & in Majeſtatis crimine id palam eſt ex *l.* 5. §. 1. *C. ad L. Jul. Majeſt.* diviſis autem in tot poſſeſſores facultatibus, tantopere inde metuendum non eſt, *quænam* enim *infeſtabunt* tot poſſeſſores, etiamſi acceperint univerſa: At vero nunc illa Pauli loquutio nec ſatis apta mihi videtur, nec commodum proxima excipere ob defectum copulæ. Si quid igitur mutandum eſſet, mallem, *quæ* MANIFESTE DABUNT *tot poſſeſſores, etiamſi acceperint univerſa*, ut ita duæ hæ voces coaluerint in *manifeſtabunt*, facili ſcripturæ vitio. Licet enim omnia paterna liberis concedantur, certum tamen eſt, ea dare tot poſſeſſores, quot ſunt liberi, neque adeo, diviſo patrimonio tantum ab his metum eſſe, quam ab uno, ſi ſolus cuncta ferat. Forte & *manifeſtandi* vocabulum ita recte intellexeris, atque ſi ſcriptum eſſet, quæ *manifeſte facient tot poſſeſſores*, alioquin, ſenſu vulgari, eſſet, quæ *manifeſtos facient tot poſſeſſores*, quod utique ſenſum non habet. Niſi obſtaret Librorum auctoritas, in emendationem eſſem procli vior, & tamen adhuc ſum.

CAPUT XVII.

L. 4. ff. de Teſtam. tut. *non pugnare cum* l. 4. C. Eod. *ſervata utriusque lectione vulgata.*

Matrem non niſi inſtitutis liberis tutorem dare, atque hoc, non niſi prævia inquiſitione, Modeſtinus ſcripſit in *l. 4. ff. de Teſtam. tut.* & addit rationem, *quaſi in rem potius, quam in perſonam dare videatur.* Igitur, ſi liberos inſtituit mater, *decreto Prætoris vel Proconſulis ex inquiſitione tutor confirmabitur l. 2. pr. ff. de Confirm. tut. vel curat.* Sed quid ſi non inſtituerit? utique tunc non eſſe confirmandum, videbatur liquidum, & uno ore ſic pronunciant Interpretes. Sed audiamus Imperatorem in *l. 4. C. de Teſtam. tut. Mater*, inquit, *teſtamento filiis tutores dare non poteſt, niſi eos hæredes inſtituerit. Quando autem eos hæredes non inſtituerit, ſolet ex voluntate defunctæ datus tutor a Præſidibus confirmari. Nullo vero ex his interveniente, ſi res pupillares, qui dati ſunt, adminiſtraverint, pro tutelæ actione tenentur.* Quod ait, tutorem ſolere confirmari, licet mater filios non ſcripſerit hæredes, adeo videtur adverſari *d. l. 4. ff. Eod.* ut Gloſſa non dubitaverit affirmare, abrogatam eſſe illam *l. 4. ff.* per hanc *l. 4. C. de Teſtam. tut.* quod omnino probabile non eſt, etiam ideo, quod *l. 4. C.* ſit Alexandri, *l. 4. ff.* Modeſtini. Alias Veterum hallucinationes omitto, cum referre non ſit tanti. Cujacius *Notis prioribus ad Tit. Inſt. de Tutel.* & *ad L. XIX. Quæſt. Papiniani, in l. 69. §. 2. ff. de Leg. II.* tollit negationem ex *d. l. 4. C.* & legit, *quando autem eos hæredes inſtituerit, ſolet ex voluntate defunctæ datus tutor a Præſidibus confirmari*, & ita eſt in MS. Ruſſardi, cæteroquin omnes, quos conſului, Editores conſtanter exhibent, *non inſtituerit.* Poſtquam vero Cujacio placuit auferre negationem, non miror, reliquos poſt eum Interpretes tantæ auctoritati aſſurgere. Sic Alexander Chaſſaneus, *Commentario ad Reſcripta Alexandri Severi*, in *h. l.* ſic & alii beatioris famæ catervatim.

Ego, ſi legeretur, ut Cujacius legit, forte non mutarem, nunc, quia contra eſt, non muto. Ait *d. l. 4. ff.* & *l. 4. §. 4. ff. Qui pet. tutor.* tutores a matre datos filiis, licet hæredibus inſtitutis, cum inquiſitione eſſe confirmandos; quod non negat Alexander in *d. l. 4. C.* imo ſatis ait in *princ.* matrem recte tutorem dare, ſed inſtitutis liberis, & de confirmatione, poſt habitam inquiſitionem, idem ipſe reſcribit in *l. 1. C. de Confirm. tut.* Nec turbat, quod ſubjicit in *d. l. 4. C.* ſolere nempe Præſides tutorem a matre filio, etiam non inſtituto, datum confirmare, nam aperte dicit, ita *ſolere* præſides, non autem ita *debere.* Alioquin, ſi inſtituat mater, ſi præceſſerit inquiſitio, & tutor ſit idoneus, jam non ſolet, ſed debet Magiſtratus confirmare, de Jure enim, non de more loquuntur *d. l. 4. ff.* & *d. l. 2. ff. de Confirm. tut.* Semper, cum mater tutorem dat, adhibenda eſt prævia inquiſitio, quia de tutoribus judicare & æſtimare *virilis animi eſt*, inquit *d. l. 4. §. 4. ff. Qui pet. tut.* additque propterea, matris judicium ad eligendos tutores non ſufficere, ſed inquiſitionem faciendam, *etiamſi maxime in bona propria liberis ſuis teſtamento tutores dederit.* Sin vero non dederit in bona propria, non ait, neque ulla Lex ait, prohiberi Prætores Præſidesve eos confirmare, quos mater elegit, ſed ut tunc poſſunt & ſolent, ita debent confirmare, ſi inſtitutio accedat, & tutores frugi ſint. Gloſſa ad verbum *ſolet*, quod eſt in *d. l. 4. C.* recte videtur admonuiſſe, *non dicere, quod ſit neceſſe, ſed ſolere, ſi expediat pupillo*, recte etiam eo adducta *l. 28. §. ult. ff. de Teſtam. tut.* at minus recte ſupponit, quod in præcedentibus dixerat, id, utpote novi Juris, Pandectarum temporibus non convenire; & minus quoque recte, illud *ſolet* de ſola tutoris aptitudine exaudit, in quam, omiſſa inſtitutione, diligentior fieret inquiſitio, quæque, ut perperam ait, non fieret, ſi accedat inſtitutio.

Plus dicam; ſi, quod illi volunt, dempta negatione legamus, Præſides *ſolere* confirmare, quos mater liberis *inſtitutis* tutores dedit, mox erit, qui inde efficiet, confirmationem utique, inſtitutis liberis, non eſſe neceſſariam, ut tamen eſt, per ea quæ diſputavimus, tutor modo ſit idoneus. Sin aliter exiſtimes, illud *ſolet* cum Gloſſa duntaxat eſſet referendum ad aptitudinem tutoris, ut ſcilicet is confirmetur, ſi fuerit aptus, ut ſolent plerique tutelis agendis ſufficere. Sed vero, quum de perſona tutoris non ſit ſermo, potius id retulerim ad caſum, qui præceſſit, *ſolere* videlicet Præſides confirmare, quando mater filios hæredes *non* ſcripſit, ſuppoſita ſic tutoris aptitudine, quemadmodum & hanc ſupponimus, ubi confirmationem dicimus eſſe neceſſariam. Igitur, ſi me audias, hoc dixit Imperator: quamvis mater filios non inſtituerit, tamen, quia mater eſt, & liberis creditur ex pietate recte proſpexiſſe, ſolent Præſides datos tutores confirmare, & quidni? cur removerent, qui rebus agendis apti ſunt? an quia mater dedit? an ſi ex officio prudentis matronæ? non eſt ratio. Recte igitur atque ordine faciunt, ſi, cæteris paribus, judicium matris ſequantur, & honori tutorum conſulant, aliis non ſubſtitutis; atque hoc eſt, quod ait, Præſides facere *ſolere.* Cæterum & alias matris judicium in tutelis valere, nec usquequaque negligi, argumento eſt, quod tutor eſſe non poſſit, quem mater eſſe prohibuerit *l. 21. §. 2. ff. de Tut. & curat. dat. ab his qui jus dand. hab. l. un. C. Si contra matris voluntatem tutor datus ſit.* Inſtitutionem vincere cenſetur στοργὴ naturalis, & quamvis filii non inſtituti, filii tamen ſunt.

CAPUT XVIII.

Explicata & emendata l. 8. ff. de Auro arg. leg.

Eſt, quam eſſe videtur, difficilior *l. 8. ff. de Aur. arg. leg.* Verba hæc ſunt: *Plautius: mulier ita legavit*, QUISQUIS MIHI HÆRES ERIT, TITIÆ VESTEM MEAM, MUNDUM, ORNAMENTAQUE MULIEBRIA DAMNAS ESTO DARE. *Caſſius ait, ſi non appareret, quid ſenſiſſet, omnem veſtem ſecundum verba teſtamenti legatam videri. Paulus: idem Javolenus ſcribit, quia veriſimile eſt, inquit, teſtatricem tantum ornamentorum univerſitati derogaſſe, quibus ſignificationem* MULIE-

LIEBRIUM *accommodaſſet. Accedere eo, quod illa demonſtratio*, MULIEBRIA, *neque veſti, neque mundo applicari, ſalva ratione recti ſermonis poteſt.* Recte legitur; Plautius, *mulier ita legavit*, non recte aliquot antiquæ Edd. *Plautius mulieri ita legavit.* Eſt enim hæc Lex Pauli ex *Libro* IX. *ad Plautium*, & in eos Libros Paulus ex Plautio retulit veterum auctorum, cum ejusdem, tum diverſæ Sectæ opiniones, & ſuum fere de his judicium. Proponit ſpeciem, auctoritates JCtorum, & ubi diſcrepant, rationes in utramque partem, & qua tandem ipſe ſententia utatur. Argumento ſunt omnes Leges ex Libris Pauli ad Plautium, & vel maxime *l.* 49. *ff. ad L. Falcid.* Ejusmodi Libros, ſed diſpari ingenio, ex longis ajentium & negantium ordinibus, ad nauſeam ſcripſerunt JCti ſequioris ævi, ex quo ſcilicet, ut inquit ille, cœperunt imitari *aves*, vel, ut alius, *ovillos*, ſed mittamus hæc.

Refert autem Plautius, & ex eo Paulus in *h. l.* 8. Baſſium exiſtimaſſe, ſi mulier ita legasſet, *veſtem meam, mundum ornamentaque muliebria hæres damnas eſto dare*, omnem veſtem deberi, nec tantum muliebrem. Deinde id probat ex Javoleno, & addit rationes duas, vel utrasque Javoleni, vel primam certe, alteram Pauli. Videamus. Ait mulier, *veſtem* MEAM &c. Et quidem *ſui* appellatione, ſi vim & proprietatem verbi ſpectes, illud omne continetur, quod in cujus eſt dominio *l.* 49. §. 1. *ff. de R. V.* etiam in teſtamentis *l.* 71. 72. & 73. *ff. de Legat.* III. inque hoc ipſo argumento de auro argento legato *l.* 27. §. 2. *l.* 34. *pr. ff. h. Tit.* Sed tamen illud cum hoc temperamento accipiendum eſt, ut, ſi agatur de rebus, ex quibus teſtator quasdam duntaxat in uſu ſuo habuerit, habereve commodum potuerit, illæ intelligantur ſolæ, non etiam cæteræ, quamvis in dominio ſint æque; cæteræ enim in communi ſermone, ex quo interpretationem recipere ultimas voluntates diſputat Marcellus in *l.* 69. *ff. de Legat.* III. *ſuorum* appellatione comprehendi non ſolent, ſed eximuntur ob uſum teſtatoris, reſtricta ſic ſignificatione vocis, quæ alioquin generalis eſt.

Exemplum ejus rei eſt in *l.* 73. §. 4. *ff. de Legat.* III. &, quæ ejusdem Pauli eſt, *l.* 32. §. 4. *ff. h. T.* Sed ne abeamus a ſpecie veſtis legatæ, non puto quemquam virorum eſſe aut mulierum, qui diverſi ſexus veſtimenta habens, & *ſuas* veſtes legans, etiam eas ſignificare voluerit, quæ diverſo ſexui parata ſunt, niſi aut veſtimenta ſint communia, & uſus promiſcui, ut illa, de quibus Ulpianus in *l.* 23. §. 2. *h. T.* & calcei, de quibus Varro *de L. L. L.* VIII. *p. m.* 109. vel de fœminis agatur, quæ utuntur veſtimentis virilibus, & contra quas eſt *C.* 6. *Diſtinct.* XXX. vel de viris, qui uti ſolerent veſtimentis muliebribus, quemadmodum ille Senator, quem ſe noviſſe ait Quintus Mucius in *l.* 33. *ff. h. T.* & de quibus conqueritur Tiberius apud Tacitum *L.* III. *Annal. C.* 53. Illi, ſi veſtimenta *ſua* legarent, etiam ea deberentur, quibus ipſi abutebantur, ſive muliebria ſint, ſive virilia; de his enim ſenſiſſe viderentur ex uſu ſuo: nam, ut dixi, ex ſolo uſu ea de re conſtituendum erit. Atque id eſt, quod Pomponium indicaſſe opinor in prima parte *d. l.* 33. *ff. h. T.* ſed de tota L. nam digna res eſt, dicam *Cap. proximo.*

Cæterum ſi teſtator veſtibus, ſexui ſuo propriis, utatur duntaxat, & leget *veſtem ſuam*, nemo, ſi mas ſit, ex communi & loquentis uſu, veſtem etiam muliebrem deberi dixerit, vel, ſi fœmina, veſtem virilem. Præter ea, quæ diximus, aperte id ſignificat Ulpianus in *l.* 25. §. 6. *ff. h. T.* *Si quis*, inquit, *addiderit* VESTEM SUAM, *apparet de ea eum ſenſiſſe, quam ipſe in uſus ſuos habuit.* Quare ſi mulier hæc proferat, intelligemus veſtem muliebrem, vel quæ promiſcui uſus ſit, non ſane virilem, neque adeo *omnem veſtem*, ut tamen in *h. l.* 8. Caſſium, & ejusdem Sectæ auctorem Javolenum, itemque Paulum uno ore videas adfirmare. Quid ergo? Non eſt, inquit Charondas *Not. marg.* diſputatio, an mulier legaverit omnem veſtem, ſed an omnem, ad ſuos uſus pertinentem. Stulti, qui dubitarent, & magno ingenio reſponderent de jure aperto; quin conſtat, indiſtincte quæri, an *omnis veſtis* debeatur. Notat idem Charondas, eſſe, qui deleant voculam *meam*, ut ſimpliciter de veſte dixerit teſtatrix, & delet Cujacius *L.* X. *Obſervat. C.* 17. irrepſiſſe ratus ex *l.* 7. Cujacium, ut fit, alii ſequuntur. Sed ante Cujacium ita jam ediderat Haloander, ediderat & Jacobus Vintimillius Pariſiis 1548. Vereor autem, ne id asſenſum mereri poſſit, non tantum quod obſtet lectio Florentina, ſed quod ne tunc quidem ſententia ejus loci videatur conſtare; ſi quis enim ita legaverit: *veſtem, mundum, ornamenta muliebria do, lego*, omnia quidem illa debebuntur, ſed duntaxat *muliebria*, cum ſatis ſit certiſſimum, illam adjectionem ex uſu loquentium ad omnia, quæ præcedunt, pertinere, iisque recte applicari. Negaret id equidem Pauli, vel potius Javoleni ratio in fine *h. L.* cum ait, id fieri non poſſe *ſalva ratione recti ſermonis*; at non animadverto, qui recte negari poſſit, ſi legas, quemadmodum Haloander & Vintimillius exhibuerunt, & Cujacius legendum cenſet. Etenim ſcire velim, cur, ſi conjunctim dicas, *veſtem, mundum, ornamenta muliebria*, illud *muliebria* ſalva ratione recti ſermonis neque veſti; neque mundo applicari poſſit. An Javolenum moviſſet, quod *muliebria* dicantur numero plurium, & genere neutro, *veſtis* autem & *mundus* numero unius, atque alterum genere virili, alterum fœminino, utque ita putaſſet Grammaticam obſtare, ut ſunt, qui hic putant, tenebriones. Sed vero, ſi ita ſenſerit Javolenus, non modo crediderim, eum fuiſſe *dubiæ ſanitatis*, ut Plinius ſcripſit in *Epiſtolis*, ſed plane deploratæ. Neque enim reor quemquam fore, qui dicat, illud, verbi cauſa, Terentianum,

Locus, tempus conſtitutum eſt,

ita eſſe accipiendum, atque ſi *tempus* tantum conſtitutum eſſet, *locus* non etiam, quia ſcilicet illud *conſtitutum* ſalva ratione Latini ſermonis *loco* applicari non poſſet. Nec quisquam negabit, recte Tacitum dixiſſe, *Parentes, liberos, fratres vilia habere*, ſexcenta ejusmodi ſunt apud Auctores exteros. Apud JCtos nemo in his aliam literaturam vel reconditum loquendi genus quærat, nam, cum Ulpianus ait in extrema *l.* 1. *ff. de Cadaver. punit. Oſſa & cineres collecta ſepulturæ tradi*, cedo, qui negaturus eſt, etiam cineres colligi poſſe. Et ita quoque Auctores noſtri teſtamenta interpretantur, quin vel ita interpretatur ipſe ille Javolenus, ne eum aliter ſapuiſſe exiſtimes: ſic enim ſcribit in *l.* 100. §. 2. *ff. de Legat.* III. UXORI MEÆ VESTEM, MUNDUM MULIEBREM, ORNAMENTA OMNIA, AURUM, ARGENTUM, QUOD EJUS CAUSA FACTUM PARATUMQUE ESSET, OMNE DO, LEGO. *Trebatius hæc verba*, QUOD EJUS CAUSA FACTUM PARATUM-

QUE

QUE ESSET; *ad aurum & argentum duntaxat referri putat; Proculus ad omnia; quod & verum eſt.* Ecce qui Javolenus verba, *quod ejus cauſa factum paratumque eſſet*, per figuram, quam Grammatici ζεῦγμα vocant, ad omnia, quæ uxori vir legaverat, referenda putet, ſequutus etiam in eo Proculum, hominem Sectæ alioquin ſibi contrariæ, & damnata ſententia Trebatii, JCti Scholæ ſuæ. Nec deerat in ea ſcriptura teſtamenti, quod Trebatium moveret, cum disjuncta videretur oratio, dixit enim, *quod ejus cauſa*, non, *quæ ejus cauſa facta parataque eſſent*; & tamen hoc apud Javolenum obtinuit.

Pertinent hæc eo, ut ſciamus, abſit, adſit illud *meum*, Jurisprudentiam Plautii, Caſſii, Javoleni, Pauli non conſtare. Igitur ne Rogerio, ne Bartolo, ne aliis, qui hic late nugantur, latius reſpondeam, omnino mihi ſuſpecta eſt ejus loci ſcriptura, quam adeoque mutata interpunctione, & una litera, ſic reſtituto: *Quisquis mihi hæres erit, Titiæ* VESTEM, MEUM *mundum, ornamentaque muliebria damnas eſto dare.* Et tunc putem ex illis teſtamenti verbis verum eſſe, quod JCti hic definiunt, ſcilicet *omnem veſtem* deberi, nam veſtem qui legat ſimpliciter, tam virilem, quam muliebrem legat, cum utraque *veſtis* appellatione contineatur *l.* 127. *ff. de V. S.* Quare id legatum complectitur omnia veſtimenta *l.* 6. *ff. de Leg.* II. Paulus *L.* III. *Sentent. C.* VI. §. 84. veſtis enim & veſtimenta non differunt, veſtis & veſtimentum differunt, ut recte notavit Feſtus in *veſtis.* Nec aliter JCti in *l.* 1. *pr. l.* 23. & *l* 33. *ff. h. T.* Veſtis generaliter dicitur, & eſt veſtimentorum tota univerſitas vel ſyntheſis, veſtimentum eſt pars aliqua ex ea univerſitate vel ſyntheſi, ut pallium, tunica, penula, & differt, ut ſpecies a genere. Ubi igitur *veſtis* legatur, idque enunciatur ſimpliciter, debebitur omnis veſtis, ſive vir ſit, ſive mulier, qui enunciet. Sic autem eſt in verbis teſtamenti apud Paulum, ſi ex noſtra conjectura reſtituas, generaliter quippe veſtem legat mulier, neque addit quicquam, ex quo id reſtringas: imo ex eo, quod addit, apparet, indefinitum eſſe veſtis legatum, ait enim *veſtem, meum mundum, ornamentaque muliebria*, diſtincta ſic veſte a *ſuo* mundo, ornamentisque *muliebribus*, quæ adjectiones in hac ſpecie non poſſunt non eſſe alienæ ac remotæ a veſtis legato.

Atque hoc eſt, quod ajunt additæ rationes, veriſimile nempe eſſe, teſtatricem, ſecundum illa verba teſtamenti, tantum ornamentorum univerſitati derogaſſe, quibus ſignificationem *muliebrium* accommodaſſet, nec pati rationem recti ſermonis, ut illa poſtrema adjectio vel *veſti* vel *mundo* applicari poſſit. Non *mundo*, quia id verbum habet, unde ſciri poſſit, quis mundus intelligatur: nam τὸ *meum*, a muliere prolatum, *muliebre* ſignificat. Non *veſti*, quia non eſt hic conjunctio locutiove cumulata, ex qua illud *muliebria*, ad omnia, quæ præcedunt, referri oportet, id enim obtinet duntaxat in ſermone conjungente, non in eo, qui diviſus, ac plane diſtinctus eſt. Et ſane cum emphaſi diſtincta eſt hæc oratio, *veſtem, meum mundum, ornamentaque muliebria, do, lego*; ſequentia enim a primo legato diſtinxit additis, ut loquuntur, epithetis. Omiſit *meum* in legato veſtis, addidit legato mundi, & quamobrem, niſi ut ſignificaret, ſe veſtem legatam eo ſenſu nolle. Etiam *muliebria* reliquis abſtraxit, & ſolis ornamentis accommodavit, cum τὸ *meum* intercedat, atque ita in cauſa ſit, quominus illa demonſtratio neque veſti; neque mundo applicari recte poſſit. Quocirca veſtis legatum per ſe ſubſiſtit, & conſtituit ſententiam, cui nihil deeſt, eſtque adeo veſtis legatum generale; neque ad id pertinent reliqua epitheta, quæ reſtringunt, quandoquidem unum qui negat, alterum tacendo conceſſit: ut recte dixit D. Gregorius in *C.* 5. X. *de Præſumpt.*

CAPUT XIX.

Qui intelligi & defendi poſſit ſcriptura l. 33. ff. de Auro, argent. leg.

Contra eas veſtes, quibus promiſcue viri & fœminæ induuntur, prolixæ ſunt Veterum querelæ & indignationes; aliquas diximus *Capite proximo*, & tædet plures referre, quamvis ſint ad manum, *nihil hoc*, ut ille dicebat, *ad Edictum Prætoris* Ille autem veſtium promiſcuus quandoque uſus JCtis diſputandi cauſam præbuit, ecqua veſtis deberetur, ſi, qui alterius quoque ſexus veſte utitur, veſtem leget, & *virilem* vel *muliebrem* addat. Pomponius eam ſpeciem tractavit *Libr.* IV. ad Quintum Mucium in *l.* 33. *h Tit Inter veſtem*, inquit, *virilem & veſtimenta virilia nihil intereſt, ſed difficultatem facit mens legantis, ſi & ipſe ſolitus fuerit uti quadam veſte; quæ etiam mulieribus conveniens eſt. Itaque ante omnia dicendum eſt, eam legatam eſſe, de qua ſenſerit teſtator, non quæ revera aut muliebris aut virilis ſit: nam & Quintus Titius ait, ſcire ſe quendam Senatorem, muliebribus cœnatoriis uti ſolitum; qui, ſi legaret muliebrem veſtem, non videretur de ea ſenſiſſe, qua ipſe quaſi virili utebatur.* Puto ſic recte legi in Libro Tuſco, nec eſſe, quod mutemus, niſi *Quintum Titium* in *Quintum Mucium*, vitio ſcripturæ manifeſto. Neque tamen erat, cur id, quaſi ex ſua penu, obſervaret Menagius *Amœnit. Jur. Civ. C.* XXXI. cum ante Menagium jam obſervarint Balduinus in *Jurisprudentia Muciana*, Connanus, & alii. Sed vellem, ne quisquam obſervaſſet, ut a ſe emendatum, quia Editiones antiquæ, & ante Florentinam fere omnes, habent *Quintus Mucius*, quod ſuffecerat indicaſſe. Ita ſane Pariſienſis Stephani 1527. & Blaublommii 1532. & Lugdunenſis apud Sennetonios 1556. & Hugonis a Porta 1551. turpe eſt, inconſultis Libris antiquis, de emendationibus pronunciare. Recte autem Florentiæ, *cœnatoriis*, & ita ubique reperi, niſi quod Blaublommius ediderit *ſenatoriis*, & ejusmodi Libro quoque uſus videtur Vivianus, cum ait, Senatorem illum uti ſolitum veſtibus, *quibus uxor ſua utebatur, quæ erat quaſi Senatrix.* Omnino perperam, *ſenatoria* enim quid erunt? *veſtes ſenatoriæ*? & ſi veſtes, quis ferat has muliebres indui Senatorem? eane fuerunt Reipublicæ liberæ tempora, ut, quibus uxor Senatoris procedebat veſtibus, his etiam Senator proceſſerit, & in Senatu dixerit ſententiam? Caligulam fero, ſocco muliebri prodeuntem publice, ſed Senatorem, qui temporibus Mucii ſenatoriis muliebribus uteretur, non fero, nec tulit liberæ Reipublicæ ſevera ratio. Per me licet tunc uſus fuerit muliebribus *cœnatoriis*, domi ſcilicet, & ad cœnam accinctus, vel po-

tius diſcinctus. Sed vero cum alii de *cœnatoriis* abunde dixerint, ego poſſum tacere.

Succedat res ipſa. Et quidem Pomponius ex Jurisprudentia ſive ſua, ſive Muciana, nihil intereſſe ait, veſtis, an veſtimenta legentur, ſed ſi quis teſtator veſte fuerit uſus, quæ etiam mulieribus conveniat, difficultatem eſſe, at in ſola mente legantis, hanc enim ſequendam, ut quæ utramque in teſtamento facit paginam. Igitur, neglecta etiam verborum proprietate, ea veſtis debebitur, de qua ſenſit teſtator, *non quæ revera aut muliebris aut virilis ſit.* Exemplum eſto in Senatore, quem novit Q. Mucius, & utebatur *muliebribus cœnatoriis;* is, ſi leget veſtem muliebrem, quæſtionis eſt, an *muliebria cœnatoria* debeantur? & negatur deberi, quia de his non videretur ſenſiſſe, utpote quibus ipſe utebatur quaſi virilibus. Solus teſtatoris uſus, vel abuſus, rem definit, mentem quippe ejus æque colligas, & diſcas ex abuſu, quam ex uſu. Habuit *cœnatoria muliebria* pro virilibus, hoc eſt, in uſum duntaxat ſuum, neque adeo continebantur ſub veſte muliebri, quamvis revera muliebria ſint. Optime hæc ſibi conſtant ſecundum ea, quæ *Capite proximo* diximus, & quæ hic præmiſit Pomponius. Movet tamen contra hæc difficiles, fere dixerim, nugas Franciſcus Hotomanus *Lib.* III. *Obſerv. Cap.* 13. in partes adverſas etiam vocata, quod caput rei eſt, *l.* 110. §. 1. *ff. de V.* O. Et cum hæc ſit ejusdem Pomponii, ex eodem *Libro* IV. ad Q. Mucium, ne Pomponius Pomponio videatur contrarius, imperitiam ſcribæ accuſat in *h. l.* 33. pro his, *ſi legaret* MULIEBREM *veſtem*, reſtituens, *ſi legaret* VIRILEM *veſtem*, contra mentem Pomponii & totius Jurisprudentiæ. Plane enim ſic otioſa eſſet Pomponii de conjectura voluntatis diſputatio: & quis dixerit, ſi teſtator virilem veſtem leget, de ea non ſenſiſſe, qua ut virili utebatur? unus Hotomanus. Sed videor jam ſatis eo argumento defunctus, ni occurrendum eſſet *d. l.* 110. §. 1. *ff. de V.* O. ſic autem ibi Pomponius: *Si ſtipulatus fuero de te,* VESTEM TUAM, QUÆCUNQUE MULIEBRIS EST, DARE SPONDES? *magis ad mentem ſtipulantis, quam ad mentem promittentis id referri debet: ut quid in re ſit, æſtimari debeat, non quid ſenſerit promiſſor. Itaque ſi ſolitus fuerat promiſſor muliebri quadam veſte uti, nihilominus debetur.* Stipulatur quis veſtem muliebrem, & *quamcunque* muliebrem, quæritur, an promiſſor, uſus veſte muliebri, hanc quoque debeat? & debere recte dixit Pomponius, ſtipulatus eſt enim *quamcunque* muliebrem, & muliebris eſt, quæ matrisfamilias cauſa vulgo comparatur; quave hæc vulgo induitur; nec potuit ſtipulator non ad eam reſpexiſſe, cum cenſeatur rem putaſſe ex uſu & ſermone vulgari. Non eſt ipſius inquirere in uſum abuſumve promiſſoris, adque ea attendere, quæ vir non facit ſine vituperatione *l.* 23. §. 2. *ff. h. T.* ſin autem faciat, ſcire debuit, partium ſuarum eſſe, de eo excipere, & ſtipulationis verba reſtringere: alioquin ſimpliciter promittens, ſimpliciter tenebitur. Aliud eſt in teſtamentis, ubi ſuprema lex eſt ſola defuncti voluntas, & ubi voluntatem etiam ex abuſu licet diſcere. Accurſius id jam monuit, & Duarenus, Connanus, Donnellus, alii, tam prolixe id egerunt, ut his, vel reliquis Hotomani minuciis verbum non amplius addam.

CAPUT XX.

De Procuratore Cæſaris, explicata l. 3. pr. ff. de Offic. Proc. Cæſar. vel Ration.

Qui ſimpliciter Procurator Cæſaris erat, merum Imperium non habuit; quin extra cauſas Fiſcales jurisdictionem habuiſſe me legere non memini. Unde inter privatos Jus dixiſſe, & vel Judicem dediſſe negat *l.* 23. §. 1. *ff. de Appellat. & l.* 1. *C. de Jurisd. omn. jud.* Igitur *cauſæ Fiſcales pecuniariæ* ad eum pertinuerunt *l.* 9. *pr. ff. de Offic. Proconſ. & Leg.* utputa res Fiſci adminiſtrare, & debita exigere *l.* 47. §. 1. *l.* 50. *ff. de Jur. Fiſc.* & hoc vere eſt *Rationalem* eſſe. Cæterum cum hinc remota ſint judicia publica, non recte ea exercebit Procurator *l.* 2. *C. de Pœn. l.* 3. *C. Ubi cauſ. Fiſc. l.* 4. *C. ad L. Fab. de Plagiar.* Ulpianus *Lib.* IX. *de Offic. Proconſ.* apud *Collatorem LL. Rom. & Moſaic. Tit.* XIV. Niſi tamen is Procurator ſimul fungatur vice Præſidis, quæ exceptio eſt omnibus his locis, &, quod ad jurisdictionem civilem, extra cauſas Fiſcales, in *d. l.* 23. §. 1. *ff. de Appellat.* absque eo ſi ſit, ne multæ quidem indicendæ jus habet *l.* 2. *C. de modo mult.* Quare, quod in ſolis Procuratoribus, qui cum Præſidiali poteſtate fuerunt, obtinuit, ad omnes ſimpliciter Procuratores Cæſaris transferre non debuerat Joſephus Scaliger *Epiſt. Lib.* 1. *Epiſt.* 12.

Videamus, nunquid cum his conveniat Calliſtratus in *l.* 3. *ff. de Offic. Procur. Cæſar. vel Ration. Curatores*, inquit, *Cæſaris jus deportandi non habent, quia hujus pœnæ conſtituendæ jus non habent.* Ait, *Curatores*, hoc eſt, *Procuratores, Rationales Cæſaris*, promiſcue enim illæ voces accipiuntur, & ita Florentiæ in eandem ſententiam eſt *Curator Cæſaris* in *l.* 5. *ff. de Jure Fiſc.* & ſimpliciter *Curator* pro *Procurator Cæſaris* in *l.* 10. *pr.* & *l.* 11. §. 1. *ff. de Public. & vectig.* utque ita cum Leunclavio in *Adnotat.* ad *d. l.* 10. *pr.* pro *Curatori* non ſit neceſſe reponere *Procuratori*, vel cum Lipſio in *Excurſ.* ad Tacit. *Ann. L.* XII. *B.* & Bachovio ad πρῶτα *ff.* in *Rubr. hujus Tit.* notare Xylandrum, quod ἐπιτρόπους apud Dionem verterit *Curatores*, non *Procuratores.* Rurſus, ſi per *Procuratores* in *l.* 23. §. 2. *in fin. ff. de Hæred. inſt.* intelligamus, ut ſane intelligendi ſunt, *Curatores*, tuto carebimus ſpongia Ant. Fabri *Conjectur. Jur. Civ. L.* V. *C.* 18. Et de Curatoribus hæreditatum accipi poteſt, quæ inſcribitur *Procuratoribus hæreditatum*, *l.* 1. *C. de Uſur. rei jud.* niſi de Procuratoribus Cæſaris accipias, circa vigeſimam hæreditatum. Illudque, *per Procuratores veſtros*, in *l.* 1. *C. ſi Tut. vel curat. interv.* ſi de *Curatoribus* explices, ut licet ex promiſcua harum vocum ſignificatione, non erit opus ut ita præciſe legas, ut, fide quorundam Codicum, legit Cujacius in *Comm.* ad *l.* 25. §. 1. *ff. de Minor.* Ne dicam, *Procuratores* eo ſenſu ibi dici poſſe, quo dicimus *Protutores.*

Sed rem ipſam propius excutiamus. Ait Calliſtratus, jus deportandi non habere Procuratores Cæſaris, quod convenit cum his, quæ diximus, ſed non æque convenire videtur, quod ſequitur: *quia hujus pœnæ conſtituendæ jus non habent.* Hæc enim prima fronte hanc habent ſententiam, Procuratores, quamvis merum Imperium habeant, deportare tamen non poſſe, adem-

adempta ſcilicet iis poteſtate *hujus* pœnæ conſtituendæ. Nam, qui unum negat, alterum tacendo concedit, ex ratione, quin & regula Juris Pontificii in *C.* 5 §. 1. X. *de Præſumpt.* atque ita, qui negat *hanc*, quæ deportationis eſt, pœnam Procuratores conſtituere poſſe, de reliquis videtur conſentire, & tamen neque *hujus*, neque *ullius* pœnæ jus habent, ut ſupra diximus. Hæc eo pertinent, ut abundare videatur τὸ *hujus*; etiam ideo, quia ſervata ea vocula, ratio Calliſtrati non eſt alia, quam ipſa propoſitio, videretur enim dicere, Procuratores Cæſaris deportare non poſſunt, quia non poſſunt. Movit id Joannem Longovallium ad *l* 3. *ff. de Juriſd. pag. m.* 34. ut deleret pronomen *hujus*, & deleviſſet audacius, ſi ſciviſſet, abeſſe illud a quibusdam Libris, ut notatum eſt Ruſſardo; & pariter fere abeſſe Bachovius ad Πρῶτα in *h. l.* 3. Video quidem id Ruſſardo improbari, quia mox in §. 1. Procuratori datur poteſtas pœnæ conſtituendæ, ſed ne ſis credulus illi, aliud eſt tumultuoſos prohibere, quominus ad prædia Cæſaris accedant, aliud habere gladii alteriusve pœnæ poteſtatem. Et ſupra vicimus, hanc non habuiſſe Procuratores.

Igitur tuto carebimus τῷ *hujus*, hac ſententia, deportare non poteſt Procurator, quia nequit pœnam infligere; at vero cum ea vox ſit in Libro Hetruſco, dubitavi, an non ſatius eſſet duas ex ea literas ſervare, quam totam perire. Atque ita legi poſſet, *quia* HI *pœnæ conſtituendæ jus non habent.* Dubitavi quoque, an non pro *hujus*, facili mutatione, reſcribi poſſet *alicujus*, hac ratione; nequeunt Procuratores deportare, quia non habent jus alicujus pœnæ conſtituendæ. Literam A per ἀναδίπλωσιν potes repetere ab vocula, quæ præcedit, proxima, & H cum LI facilis eſt permutatio: & ſic addo unam literam C. Cæterum quamvis non pœniteat me hujus dubitationis, auſim tamen nunc defendere, ſalva ratione, & reliquis capitibus Juris Civilis, ſtare poſſe Florentinam lectionem in *d. l.* 3. *pr.* Sic autem conſtituo: quæ excedunt adminiſtrationem patrimonii Sacri, Procuratoribus Cæſaris non competunt, niſi ſpecialiter fuerint conceſſa, ut eſt cognitio ex L. Fabia de plagiariis, & ex L. Julia de adulteriis, quæ ex Conſtitutione D. Antonini data eſt Procuratori illi, cujus Ulpianus meminit *Lib.* IX. *de Offic. Proc.* apud Collatorem LL. Moſaic. & Rom. *Tit.* XIV. *loc.* 2 Igitur ſic capi poterit Florentina lectio, ac ſi dixiſſet JCtus, jus deportandi Procuratoribus non competere, quia id iis ſpecialiter datum non eſt, quia *non habent*, vel ex Lege, vel ex Conſtitutione, quæ tamen in hanc rem eſſet neceſſaria, cum longe & late id excedat officium, quod curandis Cæſaris negotiis abſolvitur. Quinimo ſi verum eſſet, ut non eſt, Procuratores Cæſaris ſimpliciter & ſuo jure habuiſſe gladii poteſtatem, tamen recte ſe haberet Calliſtratus, ut nunc legitur, exciperet enim, manifeſta ratione Juris, jus deportandi a reliquo exercitio meri Imperii. Tunc diceret, ideo jus deportandi non habere Procuratores, quia id nemini in Provinciis, etſi merum Imperium habeat, competit, niſi ſpecialiter fuerit delatum, quemadmodum ipſius Præſidis exemplo id comprobat Ulpianus in *l.* 6. §. 1. *ff. de Interd. & releg.* Et video ita fere Bachovium in Πρῶτ. ad *h. L.* interpretari Calliſtratum, ſed perperam exaudita ejus ſententia de procuratoribus, qui jus habent vel uſurpant animadvertendi in facinoroſos, omiſſa quoque ratione, quur deportationem, etiam in mero Imperio, excipere placuerit, ut Juris id eſſe diximus.

Cæterum Ulpiani, quem attuli, locus ex *L.* IX. *de Offic. Proconſ.* apud Collat. LL. Moſ. & Rom. ita legitur, ſed, ut videbis, omnino corrupte: *Plane poſt ſententiam de Fabia latam Procuratoris partes ſuccedunt : bujus certe attamen Procuratori, qui illam Provinciam regit, licet de capitalibus cauſis cognoſcere nec ſoleat, tamen ut de Lege Fabia poſſit cognoſcere, Imp. Antoninus conſtituit. Idem Legis Juliæ de adulteriis cognoſcendis, Conſtitutione Imperatoris Antonini, quæſtionem accepit.* Illud *bujus certe* corruptiſſimum eſt, nec de eo, niſi nugas, agit Pithœus. Dudum eſt, ex quo ita annotavi: *Plane poſt bujus ſententiam de Fabia latam Procuratoris partes ſuccedunt : Cretæ attamen Procuratori*, & reliqua. *Hujus*, ſcilicet Præſidis, de quo dixerat. Sed ſero nimis illud de *Creta* annotavi, cum jam occupaverit Cujacius *L.* XIX. *Obſerv. C.* 13. & *L.* I. *Mercat. C.* 21. qui pro *bujus certe* reponit *Inſulæ Cretæ;* at ego malim vocem *bujus* tranſponere, & ad præcedentia referre, quam tantum mutare.

CAPUT XXI.

Rurſus de Procuratoribus Cæſaris, ſed his, qui fuerunt vice Præſidum, nominatim de Pontio Pilato.

Supra dixi, ab Procuratoribus, qui merum Imperium non habent, neque, extra cauſam Fiſci, Jurisdictionem civilem, excipiendos eſſe, qui vice Præſidum funguntur: quæ exceptio eſt iis locis, quos ibi attuli, nec hic repeto; & patior addi *l.* 1. *C. de Judic. pedan.* Loquor autem de his Procuratoribus, non qui uſurpatione id ſibi Juris arrogant, in quam partem eos ſæpius peccaſſe auctor eſt Ulpianus *Lib.* IX. *de Offic. Proconſ.* apud Collat. LL. Moſaic. & Roman. ſed qui cum ea poteſtate ſpecialiter miſſi ſunt. Abſit enim, ut tot Leges interpretemur de Procuratoribus, qui, quod ſibi non debetur, uſurpant, idque, cum officium & poteſtas eorum deſcribuntur. Perperam ita Bachovius accepit, quam modo explicui, *l.* 3. *pr. ff. de Offic. Procur. Cæſar.* & perperam ei facem prætulit Cujacius *L.* XIX. *Obſerv. C.* 13. & Lipſius in *Excurſ.* ad *Tacit Ann. L.* XII. *B.* Nemo unus unquam vel olim fuit, vel hodie eſt Magiſtratus, Judex, Præfectus, qui non Jurisdictionis ſuæ pomœria ultra, quam par eſt, extendit, ſed quis dixerit, Legibus id doceri, probari, & inde jus dici?

Igitur, cum ſermo eſt de Procuratoribus, qui vice Præſidis funguntur, eos intelligimus, quos Princeps miſit, in minores fere Provincias, ut ex Codicillis, eam in rem datis, non tantum agant rationes Cæſaris, ſed & generaliter Jurisdictioni, criminali, civili, præſint. Hujusmodi aliquot Procuratores recenſuit Cujacius & Lipſius *d. locis*, & rurſus Cujacius in *Mercat. L.* I. *C.* 21. & Bachovius ad Πρῶτα in *Rubr. ff. de Procurat. Cæſar.* nec, quæ illi dixerunt, a me audies. Addo ſententiam meam de Pontio Pilato, nam hæc res non ſatis ab his, nec opinor, ab aliis

liis expedita eſt. Cujacius Pontium Pilatum Procuratorem Cæſaris fuiſſe ſcribit in Syria *d. Lib.* XIX. *Obſerv. C.* 13. ſed cum præſidali poteſtate; Joannes Robertus, fuiſſe ipſius Syriæ Præſidem; hinc illæ inter eos turbæ *Animadv. Jur. Civ. L.* I. *C.* 21. *Mercat. L.* I. *C.* 21. & *Not. ad Not. Mercat. L.* I. *C.* 21. Sed, me arbitro, vincit Cujacius, Pontium Pilatum non Præſidem, ſed Procuratorem fuiſſe, diſerte enim Tacitus *L.* XV. *Annal* retulit, Chriſtum *per procuratorem Pontium* ſupplicio affectum eſſe, & diſerte Tertullianus *Apolog. C.* XXI. eum fuiſſe oblatum Pontio Pilato, *Syriam tunc ex parte Romana procuranti*; nec aliter Joſephus Ἀρχαιολογ. *L* XVIII. *C.* 4. & 5. Ἁλώσ. *L.* II. *C.* 8. & Euſebius *Hiſt. Eccl. L.* I. *C.* 11. Qui Pilatum in Judæa fuiſſe ſcribunt ἐπίτροπον, ejus ſcilicet poteſtatis, qualis fuit Coponius, cui, poſt alios, ſucceſſit, quique, ut idem Joſephus eſt auctor *L.* XVIII. Ἀρχαιολογ. *C.* I. Judææ præfuit τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ. Non igitur ſimplex Procurator, at vero, quemadmodum ſæpe Joſepho vocatur, τῆς Ἰουδαίας ἡγεμὼν, ſive Procurator cum Præſidali poteſtate; & ἡγεμὼν; & ἡγεμονεύοντος, vocabulis quoque uſi ſunt Matthæus & Lucas in ſuis *Euangeliis*. Simpliciter id *ſi Præſidem* vertas, recte feceris, non equidem ex arte Juris, de qua nunc quærimus, ſed ex uſu, quo ita obtinuit *l.* 1. *ff. de Offic. Præſid.* Et plus quam ſimplicem Cæſaris Procuratorem fuiſſe Pontium, liquet ex ſententia de capite Chriſti dicta, aliiſque, quæ de rebus, in Procuratione geſtis, narravit Joſephus *d. L.* XVIII. C. 4. & 5.

Quod autem Cujacius univerſæ Syriæ eum Procuratorem dixit, dixit fide Tertulliani, nam Tacitus ſimpliciter *Procuratoris* meminit, & Joſephus, & Euſebius ad ſolam Judæam id Pontii munus videntur referre. Quin ad ſolam Judæam duntaxat referendum eſſe, argumento eſſe poteſt, quod eo tempore, quo Pilatus Judææ præfuit, Syriæ fuerit Præſes vel Silanus, vel Vitellius, quemadmodum id memoriæ prodidit ipſe ille Joſephus eodem *Libr.* XVIII. *C* 3 & 5. Quare Tertulliano fidem abrogat Deſiderius Heraldus in *Comm.* ad *Apolog. d. C.* XXI. quod factum non oportuit; abſit enim, ut credamus, Tertullianum, hominem eruditum, in re non ignota, eo præſertim tempore, nobis impoſuiſſe. Ego exiſtimem, Pontium ſolius Judææ fuiſſe ἐπίτροπον καὶ ἡγεμόνα, in ea ſola Procuratorem fuiſſe cum Præſidali poteſtate, cæterum non in univerſa Syria. Hanc tamen *procuraſſe*, ut ait Tertullianus, id eſt, negotia fiſcalia ibi adminiſtraſſe, ſimpliciter ſcilicet, neque vice Præſidis. Non audio Cujacium, qui toti Syriæ eum præfuiſſe vult vice Præſidis, cum id nemo dixerit: imo contra Joſephus de Coponio (cui reliqui, & Pilatus ſucceſſerunt) *d. Lib.* XVIII. *C.* I. memorat, eum a Cæſare cum omni poteſtate eſſe miſſum in Judæam, quemadmodum hoc ipſo tempore Cyrenius Præſes mittebatur in Syriam: nec mutat orationem in reliquis Coponii Succeſſoribus, & vel minime in Pontio Pilato. Quamvis autem hic in Judæa tantum poteſtatis habuerit, non continuo in tota Syria idem ei licuit, cum illa Præſidem habuerit, cui paruit, quanta quanta fuit. Et licet Judæa tunc facta fuerit προσθήκη τῆς Συρίας, *acceſſio Syriæ*, ut loquitur Joſephus eo *C.* 1. tamen non una ratio eſſe potuit, quur Procurator per univerſam Syriam, ſoli Judææ etiam præfuerit loco Præſidis: non ſic adempta Præſidi Syriæ poteſtate in Judæos (aliud quippe apparet ex Joſepho *d. L.* XVIII. *variis locis*) ſed utrique data, quo major eſſet Principis Romani cura in adminiſtratione aſſidue tumultuantis Populi. Quas turbas dederint Judæi, alia aliam ſeditionem excipiente, nemo eſt qui ignoret, & affatim de hoc ipſo Pilati ævo perhibet Joſephus *d. C.* 4. & 5. Quibus ſi addas magnitudinem Judææ, non multo poſt inter duos, qui ei præeſſent, diviſæ, ut auctor eſt Tacitus *Lib.* XII. *Annal. C.* 54. ac deinde in tres quoque Provincias & Præſides partitæ, ut diſcimus ex *Notitia Imperii Orientis*, non erit, cur miremur ſollicitudinem Romanam, quæ plures præfecit, a quibus plurimum metuebat.

Ne quem vero turbet, quod Pontium Cæſaris Rationalem diximus per Judæam, & totam Syriam, at ſoli Judææ præfuiſſe loco Præſidis, cum aliunde ſciamus, unum Cæſaris Procuratorem quandoque in pluribus Provinciis eo officio fuiſſe functum. Atque ita Cærulus, cui Conſtantinus reſcribit in *l.* 11. *C. Comm. utr. Judic. Rationalis* fuit *trium Provinciarum*, ut indicat inſcriptio *d. l.* 11. trium item Procurator Eufraxius, cui idem reſcribit in *l.* 1. *C. de Ponder. & aur. illat.* ut contra fuerunt Procuratores, quibus rerum unius Provinciæ, quamvis non omnium, procuratio mandata fuit *l.* 35. §. 2. *ff. Ex quib. cauſ. maj. in integr. reſt.* conſtitutis ſic in una Provincia pluribus Procuratoribus, ſed diverſarum rerum; quemadmodum id & Briſſonio animadverſarum eſt *Sel. Antiq. L.* III. *C* 18. Atque ita in Sicilia ſub uno Prætore duos Quæſtores fuiſſe Aſconius ſcripſit *Comment.* in *Verr. de Præt. Urb. p. m.* 96 & de *Juriſprud. Sicil. p. m.* 114. ita ſcilicet viſum eſt e re Siciliæ.

CAPUT XXII.

Ad l. 2. C. de Veter. numiſm. poteſt.

Valentinianus & Valens in *l.* 2. *C. de Veter. numiſm. poteſt.* ad Julianum P. P. ita ſcribunt: *Pro imminutione, quæ in æſtimatione ſolidi forte tractatur, omnium quoque pretia ſpecierum decreſcere oportet.* Non alia cauſa hanc Legem accuſare licet, quam quod pluribus modis intelligi poſſit: quod enim pluriſariam intelligi poteſt, hoc ipſo obſcurum eſt. Scripſit ad eam Libellum ſingularem Jacobus Gothofredus, *de Mutatione & augmento Monetæ aureæ*, idque ea, qua ſolet, diligentia, id eſt, fere nimia. Multorum interpretationes improbat, quæ, dummodo non pervertas, & rem ipſam ſpectes, cum ipſius eædem ſunt. Originem & cauſam Legis longius arceſſit, ſed multum ſudabit, ut perſuadeat, agi de imminutione libræ, non de imminutione ſolidi, imo de augmento ſolidi, quo reliquæ ſpecies decreſcerent. Mihi certe non perſuaſerit in tanta verborum luce.

Miſſis autem omnibus facile eſt interpretari Legem, quæ, ſine ambagibus, non aliud dicit, quam *minuto ſolido etiam ſpecies minui.* Bifariam nempe tributa pendebantur; vel in pecunia, quæ ad ſolidum exigebatur, vel in ſpeciebus, frumento, fœno &c. Ita, cum ait, minuto ſolido etiam ſpecies minui, ait, ſi iis, qui ſolidos præſtant, remiſſio fiat, tantundem, qui ſpecies inferunt, remittendum. Præſtat vicus frumenti

mo-

modios tot, vel per adærationem ſolidos tot, de ſolidis ſingulis remittitur V. G. uncia, etiam remittetur duodecima pars frumenti, atque adeo liberabitur vicus, ſi tantundem minus præſtet. Vel ita Lex accipi poteſt: minuto ſolido etiam ejus partes minui. Solidus eſt integrum quid, & quodammodo genus, ſemiſſes, quadrantes, minoresve ſolidi partes, *ſpecies* iſtius generis dici poſſunt, ut etiam vulgo dicuntur apud Belgas in Vernacula, hac ipſa voce. Cum igitur de minuendo ſolido ageretur, mandatum eſt Præfecto Prætorio, apud quem, utputa generalem totius Imperii Præfectum, monetæ cauſa agitata eſt, curaret, quanto ſolidi minuuntur, tanto minuerentur & ejus partes. Propone: cuſus eſt nummus 63. ſeſtertiorum, cuſi & ejusdem nummi trientes, ſextantes, & ſic porro. Ipſe nummus eſt 63. triens 21. ſextans 10½. Deinde Monetariorum fraude comperta, qualia exempla non duntaxat ſufficit hiſtoria Romana, in primis ſub Aureliano, ut Suidas auctor eſt in *Μονητάριοι*, ſed Anglica, Belgica, & fere omnium Gentium, comperta, inquam, Monetariorum fraude, placet, ejus nummi æſtimationem minui, & valere duntaxat ſexaginta; eandem conditionem etiam trientes & ſextantes ſequi vult *b. L.* & valere 20. & 10. non ut ante, cum ſolidus valeret 63. ſeſtertios, 12. & 10. Forte aliquid ad inſtar ejus dixit Hotomanus *Quæſt.* XV. *in fin.* ſed non ſatis plane, ego certe ejus ſententiam vix aſſequor. Multa hic de libris ſolidisve diſputare extra rem eſt, mutare autem inſcriptionem *b. l.* 2. & adfingere *Conſules*, ut Jacobus Gothofredus eo Libello facit, inutilis eſt operæ, nec minus temerariæ. Si ſingula Gothofredi, ejus exemplo, placeret perſequi, Librum ſcriberem de re, quæ una Obſervatione facile poteſt tranſigi.

C A P U T XXIII.

Correctio l. 57. ff. de Judic.

Recte Ulpianus dixit in *l.* 57. *ff. de Judic.* in filiumfamilias tam ex contractibus, quam delictis actionem dari, eo autem mortuo poſt litis conteſtationem, transferri judicium in patrem, ſed quatenus eſt in peculio, aut in rem patris verſum. Mox addit: *Certe ſi quaſi procurator alicujus filiusfamilias judicium acceperit, mortuo eo, in eum, quem defenderit, tranſactio vel judicati datur.* Nemo hæc poſtrema intellexerit. Si legeretur *judicatum*, ea tunc ſententia forte poſſet effici, dominum, qui mandavit, mortuo filiofamilias, qui procurator judicium acceperat, vel tranſigere oportere, vel, ni tranſigat, in eum dandam eſſe ſententiam. Nolim tamen ita mutare, nam quis eo ſenſu dixit, *tranſactionem in aliquem dare*, & Latine locutus eſt? Igitur, quamvis in Libro Florentino eſt *tranſactio*, tamen extra rem eſt, & procul dubio vitioſum. Unde ex vetuſtis, ante Florentinam, Editionibus nullam vidi, quæ habet, *tranſactio vel judicati datur*, niſi ſolam Roberti Stephani anni 1527. Reliquæ fere omnes, etiam Haloandrina, ſic habent: *judici translatio datur*, vel, quod propius ad Florentinam accedit, *translatio judicii datur*, vel, ut eſt in MS. meo, *translatio datur judicii*, quo ita agatur de ſpecie duntaxat, qua, ut ſic dixerat de filiofamilias, judicium inceptum, non etiam finitum erat: nam finito judicio, daretur judicati. Patitur tamen Ulpiani loquutio, ut de utraque ſpecie accipiamus hæc, *judicium acceperit*, non enim dicit *occeperit*; & *accipere judicium* pro *litem ſententia finitam babere*, ubique etiam eſt obvium. Ex ſententia autem Vulgatæ *acceperit* eſt pro *occeperit*; quod uſu quoque licet defendere, ut ſcilicet ad litis conteſtationem referatur. Alioquin *acceperit* pro *occeperit*, mendoſe legi, atque ita emendari oportere in *l.* 137. *pr. ff. de V.* O. facile adſentior Donello in *Comm.* ad *l.* 1. § 1. *ff. Eod. Tit.* Quamvis autem ſubſiſteret Vulgata lectio, non tamen auſim tantum a Florentina recedere, neque etiam id auſi ſunt, qui emendationes, Florentinæ ſcripturæ accommodatas, quæſiverunt. Eam vero non probo, quam ab Hugone a Porta margini Editionis ſuæ adſcriptam video, quæque ita habet: *translatio potius, quam tranſactio datur*, quod plane nihili eſt. Ex ea tamen, & vulgata lectione, nata eſſe poterit Ruſſardi nota critica ad *b. L.* legentis ſcilicet, *translatio vel judicati datur*, proxime ad lectionem Tuſcam. Sed quid eſt *translatio*? translatio nempe judicii; ea quippe locutio, quamvis horrida, exemplis probatur. Duo attulit Petrus Faber *L.* I. *Semeſtr. C.* 12. tertium addo ex *l.* 15. *ff. de Noxal. action.* Ipſe autem Faber eo loco id non probat, ſed pro *tranſactio* reſcribit *transfertur actio*, nato, ut putat, vitio ex nota Librarii perperam intellecta, ſibique & Ulpiano de hac emendatione impenſe gratulatur. Et Fabrum ea in re Faber ſequitur, Petrum puta Antonius in *Ration. ad b. L.* Sed præterquam quod eo emendandi genere parcius utamur, & novam rurſus hic ſibi notam fingant, utique minor mutatio erit, ſi pro *tranſactio* legamus *tranſit actio*; ut quoque Ant. Fabro video obſervatum in *Ration. d. loc.* Movit, ni fallor, Fabrum ſoni vicinitas, & minimum duarum literarum incrementum, me autem, etiam non inſpecto Fabro, movit præſertim Baſilicorum auctoritas, qui ita exhibent, *μεταβαίνει ἡ δίκη*, & quæ ſequuntur; quod non aliud eſt, quam *tranſit actio* vel *judicium.* Cæteroquin nec inconcinne legeretur *translata actio* pro *tranſactio*, parvo item molimine; ut Librario *τὸ late* exciderit, vel dictantis, vel ſcribentis vitio. Ante dixerat Ulpianus, *transferri judicium*, mortuo filiofamilias, nunc diceret, *translatam actionem* dari, mortuo procuratore. Competet autem translata actio, ſi lis nondum ſit finita; judicati, ſi fuerit, ut id latius explicat Petrus Faber *d. L.* I. *Semeſtr. C.* 13. Et ita quoque evitabimus *κατάχρησιν*, quæ alioquin erit in *τῷ translatio*, ſi id verbi ſimpliciter reponamus, neque etiam illud minori motu reponitur, quam noſtrum *translata actio.* Multis ſic modis recte difficultas tollitur; elige, quod placet.

CAPUT XXIV.

Defenſa lectio l. *ult. ff.* de Uſu & uſufr. legat.

Semper exiſtimavi, probe recte ſe habere lectionem Codicis Hetruſci in *l. ult. ff. de Uſu & uſufr. leg.* nec adhuc muto ſententiam. Habet autem ita: *Nihil intereſt, utrum* BONORUM *quis, an* RERUM *tertiæ partis uſumfructum legaverit. Nam ſi bonorum uſusfructus legabitur, etiam æs alienum ex bonis deducetur, & quod in actionibus erit, computabitur. At ſi certarum rerum uſusfructus legatus erit, non idem obſervabitur.* Tres ſpecies tractat Venulejus: an *bonorum*? an *rerum*? an *certarum rerum* uſusfructus legetur? quemadmodum & Bachovius recte notavit ad *Treutler. Vol.* II. *Diſp.* XIII. *th.* 4. *lit. H.* & in duabus prioribus idem Juris ait eſſe obſervandum, in poſtrema non item. Ut dixerit, & in *bonorum* & in *rerum* partis uſufructu legato deduci æs alienum, & computari, quod in actionibus eſt; ſed neutrum fieri in uſufructu *certarum rerum* legato. Et vero id Juris eſt omninò: ſive enim legem uſumfructum tertiæ partis *bonorum*, ſive legem uſumfructum tertiæ partis *rerum*, univerſitatem lego; atque ea univerſitas neque intelligi, neque computari poteſt, niſi decedat, quod defunctus debet aliis, & rurſus accedat, quod defuncto alii debent, ſeu, quod idem eſt, niſi deducatur æs alienum, & computetur, quod in actionibus eſt. *Bona*, & *res* promiſcue ſumi apud Auctores cum noſtros, tum exteros, puderet probare; adeo ubique id eſt obvium. Recte igitur Venulejus dixit, nihil intereſſe inter legatum uſumfructum *bonorum* vel *rerum*. Probat id addita ratione, *nam ſi* BONORUM, inquit, ETIAM *æs alienum deducetur.* Cum ait, *etiam*, ſignificat idem Juris eſſe in legato *rerum*, & adhuc tractare ſe ſpecies ſimillimas. Æs alienum deduci, legato *bonorum* uſufructu, ratio Juris docet, & confirmat auctoritas in *l.* 69. *ff. ad L. Falcid.* De legato uſufructu *rerum* idem eſto judicium, cum poſt SC. quo de uſufructu legato cautum eſt, nulla amplius res ſit, quæ non cadat in uſumfructum legatum, & inde fiat, ut *ex omnibus rebus* deducatur æs alienum *d. l.* 69. Igitur perinde eſt, utrum dixerit Venulejus, *ſi bonorum*, an, *ſi rerum*, nam quod non expreſſit, ſubauditur in voce *etiam*. Sin ajas, eſſe, cur de legato *rerum* magis dubitetur, dicere debuiſſet, *nam ſi rerum, etiam æs alienum deducetur*, quo ſignificaſſet, id in legato *bonorum* utique eſſe liquidum: ea enim ſolent exprimi, de quibus magis poteſt dubitari. Sed, ut dixi, in utraque locutione res æque eſt liquida, æque certa.

Pergit Venulejus: *& quod in actionibus erit, computabitur.* Habes ſecundam rationem, cur uſusfructus *bonorum* non differat ab uſufructu *rerum*, nam utroque caſu computabitur, quod in actionibus erit. Ut enim actiones ſunt in *bonis l.* 49. *in fin ff de V. S.* ita ſunt in *rebus*, quum hæc, hac in parte, paria ſint. Apparet autem, Venulejum continua oratione hæc proſequi, *nam ſi bonorum uſusfructus legabitur, etiam æs alienum ex bonis deducetur, & quod in actionibus erit, computabitur*, & ſimul apparet, τὸ *etiam* pertinere quoque ad id, quod de actionibus ait. Scilicet æque in legato uſufructu *rerum* actiones computari, quam in uſufructu *bonorum* legato: de *bonis* quippe propoſuerat Venulejus in prima ratione, [illegible] pergit in ſecunda, hic ſubaudita, illic expreſſa vocula *etiam*, quo utrobique de *rebus* idem obſervandum eſſe ſignificet. Et quum in utraque ſpecie idem Juris ſit, neſcio, cur orationem mutaſſet Venulejus, & ſcripſiſſet, *&, ſi* RERUM, *quod in actionibus erit, computabitur.* Non infero hæc, *ſi rerum*, quaſi excidiſſent: imo potius, ſi exſtarent, delerem, cum, his adjectis, ex ratione recti ſermonis in legato *bonorum* non videretur idem ſervandum. Tunc enim diceret: *ſi bonorum uſusfructus legabitur*, ETIAM *æs alienum deduceretur*, & SI RERUM, *quod in actionibus erit, computabitur;* quaſi id, quod de actionibus ait, præcipuum eſſet in legato *rerum*, quod non eſt. Nam, cum ſic intercedat nova de *rebus* ſententia, duriuſculum eſſet voculam *etiam* ex præcedentibus hic mutuari; præſertim, cum, ſi idem Juris ſit, potuiſſet Venulejus eadem oratione decurrere, ut nunc eum feciſſe autumamus. Non movet, quod de *rebus*, quaſi de ſpecie magis dubia propoſuiſſet; præterquam enim quod mihi non liqueat, cur de *rebus* magis dubitari poſſit, quam de *bonis*, utique illa major dubitatio etiam pertinuiſſet ad caſum, quem abſolvit, de deductione æris alieni, & tamen ibi de *bonis* orditur orationem, non de *rebus*. Quod cum ſit, præſtaret ab initio pro *nam ſi bonorum*, reponere, *nam ſi rerum;* ſed, ut dixi, præſtat nihil mutare.

Sequitur tertia ſpecies apud Venulejum. *At ſi certarum rerum uſusfructus legatus erit, non idem obſervabitur.* Quod eſt veriſſimum; neque enim, quod ad hunc legatarium, æris alieni habebitur ratio, neque etiam actionum, quas reliquit teſtator. Habet ille certas res, & præter eas nihil habet. Et id liquidi Juris eſt.

Ex his apparet, non recte legi in vulgata, *multum intereſt*, vel apud Haloandrum, *nonnihil intereſt*, quia, ut diximus, nihil quicquam intereſt, *bonorum*, an *rerum* uſusfructus legetur, idque palam oſtendit utraque Venuleji ratio, & addita, quo idem Juris ſit, vocula *etiam*, & mox adverſativum *at*, in ſpecie ſcilicet tertia, & ab aliis, quas dixerat, diverſa. Rurſus apparet, non recte legi, quomodo legendum cenſet Ant. Faber *L.* I. *Conject. Jur. Civ. C* 14. *Multum intereſt, utrum bonorum quis, an rerum certarum uſumfructum legaverit*, nam ſic in ſequentibus non conſiſteret loci ſententia, quæ utroque caſu æs alienum deduci ſignificat, niſi placeret quoque auferre τὸ *etiam.* Reliquæ rationes Fabri jam occupatæ ſunt, niſi quod ferre etiam non poſſit, hanc locutionem, *utrum bonorum quis, an rerum* TERTIÆ PARTIS *uſumfructum legaverit*, ac ſi videlicet aliud probandum ſit, ſi rerum quartæ aut quintæ partis uſusfructus legatus ſit. Idque & Heraldum offendit, qui *Rer. Judic. L.* II. *C.* 3. *n.* 14. legit, *an rerum certæ partis* &c. probante Grotio in *Flor. ſparſ.* ad *h. L.* probabilius ſane, quam ſi legas, *certarum rerum*, quod omnino non admittit τὸ *etiam*, cum ita caſus, qui præcedunt, non eſſent ſimiles. Attamen neque illud probandum eſt, & inanem ſcrupulum recte exemit Vir Clar. Gerardus Noodt, qui *Obſerv. L.* II. *C.* 12. uſum legati uſusfructus *tertiæ partis bonorum* frequentem fuiſſe oſtendit; quod & Cujacio animadverſum eſt *L.* X. *Obſerv. C.* 17. & *L.* XVIII. *Obſerv. C.* 16. Utque ita apud Venulejum potuerit ventilari facti quæſtio, quales JCti noſtri non in *Reſponſorum* tantum, ſed & aliis Libris ſolent tractare. Potuit & Ve-

Venulejus de *parte tertia* dixiſſe exempli loco, ut alias in *l.* 53 *ff. de Pact. l.* 2. *ff. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſec. l.* 70. *ff. de Cond. & demonſtr.* & paſſim, in re præſertim teſtamentaria. Exemplum legati, quale hic occurrit, eſt & in *l.* 32. §. 8. *&* 9. *ff. h. Tit.*

CAPUT XXV.

In Pandectis componendis non ſemper ſervatum fuiſſe Edicti perpetui ordinem.

Etiam antiquis Juris Interpretibus obſervatum video, Pandectas, quod ad ordinem, ad inſtar Edicti Perpetui fuiſſe compoſitas. Id deinde confirmarunt, qui literas ad Juriſprudentiam attulerunt, Alciatus, Viglius, alii. Imo, poſtquam id ex profeſſo egit Franciſcus Duarenus *L.* I. *Diſputat. Anniv. C.* 55. adeo ea de re amplius dubitatum non eſt, ut Jacobus Gothofredus eo Libello, quo ſeriem Pandectarum exſequutus eſt, cum ordinem, qui artis ſit, ignoret, putaverit ſe defungi, ſi ita & in Edicto fuiſſe, nullo quamvis auctore, adfirmet. Quaſi nempe præſtaret Triboniano parcere, quam Juliano.

Ego vero, quamvis non negem in Pandectis ſæpe eundem, qui in Edicto fuit, ſervatum fuiſſe ordinem, ita quominus credam, id ſemper & ubique eſſe factum, non una ratio eſt. Rem altius repeto, & excutio Triboniani codicillos, quibus Pandectas componere juſſus eſt. Hi exſtant in *prima Præfatione ff.* quæ eſt ad Tribonianum, ſeu in *l.* 1. *C. de Vet. Jur enucl.* ubi § 5. Imperator Triboniano reliquisque Compoſitoribus mandat, *in Libros quinquaginta & certos Titulos totum Jus digerere*, *tam*, inquit, *ſecundum noſtri Conſtitutionem Codicis*, *quam Edicti perpetui imitationem*, *prout hoc vobis commodius eſſe patuerit*, vel, ut alii, *potuerit.* Habes mandatum, non præciſe ſequendi ordinem Edicti, quemadmodum Duarenus proponit *d. C.* 55. ſed & ordinem Codicis veteris, pro re nata, & arbitrio Compoſitorum. Neque eſt, ut dicas, in Codice veteri Edicti quoque ordinem ſervatum, nam id ſi eſſet, fruſtra alterutrius ſequendi, prout commodum erat, daretur facultas & electio.

Nunc, qui ordo ſervatus ſit, videamus. Et quidem ſi, ut par eſt, credamus, quod Juſtinianus, Pandectas confirmaturus, dixit in *Præfatione* II. §. 1 eas nempe eſſe compoſitas *ſecundum mandata*, *quæ ab initio ad Tribonianum fecerat*, ſive, ut in *Præfat.* III. §. 9 loquitur, τῇ παρ' ἡμῶν κελεύσει, inde licet colligere, & Edicti, & Codicis antiqui ordinem, ut res poſtulabat, eſſe ſervatum; niſi fruſtra auguremur, Edicti ordinem ſemper fuiſſe magis commodum; ſed ita non eſt, ut mox obſervabimus.

Interea liquet, Compoſitores, ut potuerunt & debuerunt ex mandato, Edictum Juliani ſæpe fuiſſe ſequutos. Et præter alia, quæ ab aliis in hanc rem dicta ſunt, huc refero, quod Ulpianus *L.* XXXV. *ad Edict.* in *l.* 1. *pr. ff. de Suſp. tutor.* ita infit: *Hæc* CLAUSULA *& frequens & perquam neceſſaria eſt. Cottidie enim ſuſpecti tutores poſtulantur.* Quid enim hic eſt *clauſula*, qua Tribonianus ex Ulpiano Titulum *de ſuſpectis tutoribus & curatoribus* non claudit, ſed orditur? Veroſimile ſcilicet eſt, Prætorem in Edicto, quum *de tutelis* abſolviſſet, in fine addidiſſe, *de ſuſpectis tutoribus & curatoribus Judicem ſe daturum*, ideoque Ulpianum hanc Edicti partem appellaſſe *clauſulam*. Ut ita in hoc tractatu, qui & in *ff.* ultimo loco occurrit, idem fuerit Pandectarum, qui Edicti, ordo.

Præſtemus porro, eum ordinem quandoque fuiſſe longe diverſum, & forte ad exemplum Codicis antiqui. Id, ni fallor, aperte liquet ex *d Præfat.* II. *ff.* ſive *l.* 2. §. 5. *C. de Veter Jur enucl.* Ait ibi Imperator, ſe curaſſe, ut de Ædilitio Edicto, redhibitoria actione, evictione, & duplæ ſtipulatione in Pandectis ageretur non procul ab affini argumento, quod de emptione venditione eſt, & addit: *quia hæc omnia Titulis emptionum & venditionum conſentanea ſunt*, *& prædictæ actiones*, *quaſi pediſſequæ earum*, *ab initio proceſſerunt*, IN VETUSTIORIS QUIDEM EDICTI ORDINATIONE IN LOCA DEVIA, ET MULTO DISTANTIA DEVAGANTES, PER NOSTRAM AUTEM PROVIDENTIAM HIS CONGREGATÆ: *cum oporteat ea*, *quæ de eodem pene loquuntur*, *in confinio ponere* Liquet & diverſitas utriusque ordinis eo ipſo argumento, quo Duarenus *d. L.* I. *Diſp. Ann. C.* 55. eundem Pandectarum & Edicti ordinem efficere ſibi viſus eſt. Jubet Inſcriptiones Legum conſuli, Auctorum ſcilicet, qui ad Edictum perpetuum ſunt commentati, & ex numero Librorum, qui ſingulis Capitibus adſcriptus eſt, conſtare putat, primis V. G. Pandectarum Libris ea contineri, quæ illi primis Libris ad Edictum commentati ſunt. At vero, quod pace Duareni dixerim, longe aliquando ſecus eſt. Exemplo ſint Paulus & Ulpianus, Principes JCtorum, qui ad Edictum ſcripſerunt. Paulus *Lib.* I. *ad Edictum*, potiſſimum tractavit *de damno infecto*, ut Cujacius recte notavit *L.* VII. *Obſerv. C* 15. unde & ex *L.* I. *Pauli ad Edict.* eſt *l* 5. *ff. de Damn. infect.* alio ſane, quam in Pandectis loco. Et Ulpianus, cum ita forte in Edicto fuerit, *Libro* quoque I. *ad Edict.* id argumentum exſequutus eſt, ut oſtendunt *l.* 1. *&* 4. *ff. eod. Tit.* Alia etiam uterque tractavit *Libro primo ad Edictum*, ſed quæ legas etiam ad finem Pandectarum, ſub Titulis *de Popularibus actionibus*, *& ad Municipalem.* Rurſus quæ illi exhibuerunt Libris extremis ad Edictum, non in tranſitu, ſed hoc agentes, ſæpe videas in principio Pandectarum proponi, & ex profeſſo doceri. Adferrem exempla, ni in os incurrerent ex Commentariis ad Edictum. De *Condictione furtiva* & *Pignoribus* tractatus ſunt habiti alio atque alio loco, & ita paſſim in aliis.

Sed ne dubites, ecce Hermogenianum, qui in *Libris Epitomarum Juris* ordinem Edicti perpetui ſe ſequutum eſſe ipſe profitetur in *l.* 2 *ff de Statu homin.* egit autem *Libro* I. *Epitomarum* de *Jure Municipali*, ut liquet ex *l.* 16 *& l.* 23. *ff ad Municip.* de *Decurionibus l.* 8 *ff. de Decur.* de *Muneribus & honoribus l.* 1. *&* 17. *ff. de Mun. & hon. l.* 11. *ff de Vacat. & excuſ. muner.* quæ omnia Tribonianus rejecit in Librum ultimum Pandectarum, contra ordinem Edicti, ubi de re Municipali in principio erat actum, quemadmodum præter Hermogenianum ex Paulo quoque & Ulpiano diſcimus, conſultis Inſcriptionibus *l.* 1. *l.* 25. *l* 26. *l.* 27. *& l* 28. *ff ad Municip.* Igitur ordo Pandectarum quandoque alius fuit, atque ordo Edicti perpetui: idque prolixius potuiſſet conſtare, ſi Gulielmus Ranchinus *ſeriem Edicti perpetui*, quam promiſit, edidiſſet. Promiſit in *Præfat. ad Edict. perpet.* nec ſcio, cum præſtitiſſe.

FINIS LIBRI SECUNDI.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK
OBSERVATIONUM JURIS ROMANI
LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Explicatio & emendatio l. 101. §. 2. ff. de Verb. ſignif.

Nolite, Medici, interdicto agere, nam Edictum interpretor. Quod enim Ædiles edixerunt in *l.* 1. §. 1. *ff. de Ædil. Edict.* vendita mancipia ob VITIUM MORBUMVE redhiberi poſſe, de utriusque differentia diſputandi JCtis cauſam præbuit, quemadmodum id & Gellius memorat *Noct. Att. L. IV. C.* 2. Conſtat autem, quosdam verba Edicti diſtinctim accepiſſe, & aliud eſſe morbum, aliud vitium, definitione & exemplis docuiſſe; ita de Sabino refert Ulpianus in *l.* 1. §. 7. *ff. de Ædil. Edict.* & de Labeone Gellius *d. loc.* Sed id aliis diſplicuit, certe Catonem non probaſſe, ex *l.* 10. §. 1. *ff. eod. Tit.* apparere poteſt; ut neque Ofilium ex *l.* 8. *& l.* 10. *pr.* neque Gajum ex *l.* 13. neque Paulum ex *l.* 7. neque Ulpianum ex *d. l* 1. §. 7. *eod. Tit.* Plane qui digito caret, qui lingua, qui teſtibus, quive claudicat, ſanum eſſe negari recte non poteſt, quum id valetudinem ſanam non auferat? igitur quum illi morboſi dicantur, ut *morboſos* dicunt Cato, Ofilius, Gajus, Paulus, dicuntur quod ad Edictum Ædilitium, atque idem eſt, ac ſi dixiſſent, eos redhiberi poſſe. Sabinus quidem ait, cœcum proprie morboſum eſſe, in eo etiam Labeoni, adverſario alioquin ſuo, conſentiens *d. l.* 1. §. 7. Gellius *dict loc.* ſed non eſt morboſus, niſi quod ad Edictum. Itaque obtinere non potuit ea diſtinctio, quam definitione ſua complexi ſunt Labeo & Sabinus, neque in Sectis utriusque video propagatam; contra potius, Ædiles bis de eodem idem dixiſſe *d. l.* 1. §. 7. *in fin.* vel, quum de *morbo* edixiſſent, ne quid forte, quod redhibitioni locum daret, ea voce non contineretur, aliud, quod generale erat, verbum addidiſſe; *vitii* enim vox generalis eſt *l.* 5. *ff. eod. Tit.*

Cæterum tamen non omnes omnem diſtinctionem neglexerunt, ſed alia, quam Labeo & Sabinus, uſi ſunt. Gellius *d. l.* IV. *C.* 2. refert, *idquoque in Libris veterum Juriſperitorum ſcriptum eſſe*, MORBUM *&* VITIUM *diſtare, quod vitium perpetuum, morbus cum acceſſu diſceſſuque ſit.* Et ſane hoc eſt, quod Modeſtinus in *Libr.* VI. *Differentiarum* retulit, & exſtat in *l.* 101. §. 2. *ff. de V. S.* in hæc verba: *Verum eſt*, MORBUM *eſſe temporalem corporis imbecillitatem*, VITIUM *vero perpetuum corporis impedimentum: veluti ſi talum excuſſit, nam & luſcus utique vitioſus eſt.* de quo videamus. Ait verum eſſe, morbum temporalem eſſe corporis imbecillitatem, cum non minus verum eſſe conſtet, morbos dari perpetuos, quique non prius, quam vitia, deſinunt, nempe morte *l.* 6. *pr. ff. de Ædil. Ed.* § 4. *Inſt. de Curat.* Quod autem hic Goeddæus & alii excipiunt, id fieri ex accidenti, non ipſo morbo, nihil extricat, cum utique morbi quidam ſint per ſe æterni; neque vel μαρασμὸν, natura ſua, eſſe ſanabilem quisquam dixerit. De Podagra idem Veteres credidiſſe, ubique relatum eſt, etiam apud Medicorum filios. Serenus Samonicus *verſ.* 786. *& ſeqq.*

Quædam ſunt rabidæ medicamina digna podagræ,
Cui ter tricenas ſpecies Epidaurius ipſe
Dixit ineſſe Deus, requiem tamen indere morbo
Fas erit, & triſtem ſaltem mulcere dolorem.

Ne hic ſibi adverſetur, video etiam legi, *quædam haud ſunt rabidæ*, ſed malim, per interrogandi modum, *quænam ſunt rabidæ* &c. quo ita interrogatio neget. Pueri quoque ex Ovidio decantant, *Tollere nodoſam* &c. Nec alius de ea teſtimonium perhibet Medicus in Luciani *Ocypo.* Hodie equidem tolli poſſe jactant quidam Medici, ſed idem olim, quibus, ut reſipiſcerent, lapidoſa illa Dea apud Lucianum in *Tragopodagr.* tortores ſuos indignabunda immiſit, & reſipuerunt.

Quid autem in *h.* §. 2. voluerit Modeſtinus, non tam obſcurum eſt, ut ab Interpretibus omitti debuerit. Scilicet morbum eſſe malam corporis conſtitutionem, quæ *temporalis* ſit, id eſt, tempore mutetur, ſeu accreſcat, ſeu decreſcat: non enim eſt morbus, quatenus a vitio diſtinguitur, qui ſit maneatque idem, neque minuatur, vel procedat, & aggraveſcat. Atque hoc velle Modeſtinum, ex definitione *vitii*, morbo oppoſiti, apparet; *impedimentum* id ait eſſe *corporis* PERPETUUM, hoc eſt, non quidem *æternum*, (nam non omnia vitia ſunt æterna, & etiam quidam morbi æterni, unde differentia in tempore nequit collocari) ſed *conſtans & absque mutatione perſeverans.* Eſt enim hic *perpetuum*, quod non ceſſat, ſive nunquam, quamdiu durat, interruptum eſt, quo ſenſu *perpetua palus* pro *non interrupta* aliquotiens apud J. Cæſarem in *Comm. de Bell. Gall.* & *perpetua pax*, *perpetuum bellum* apud alios. *Vitii* definitio apud Gellium loco, quem dixi, eadem eſt, *morbi* clarior; nam cum eſſe dicat, *cum acceſſu diſceſſuque*, idem dicit, quod nos de mutatione morbi accreſcentis vel decreſcentis, vocula enim *que* apud Gellium non conjungit, ſed disjungit, quemadmodum & alias, etiam in Jure *l.* 53. *ff. de V. S.* Atque is acceſſus vel diſceſſus non eſt in vitio.

Tandem hoc loco *vitii* exemplum proponit Modeſtinus, & ait: *veluti ſi talum excuſſit, nam & luſcus utique vitioſus eſt* Non eſt verum, quod Fornerius hic exiſtimat, utriuſque definitionis exemplum proponi, *morbi* in talo excuſſo, *vitii* in luſco: palam enim eſt, de vitio duntaxat proponi. Sed ipſa oratio, ni fallor, vitioſa eſt;

neque

neque enim ex eo, quod, cui aliquid abeſt, vitioſus ſit, omnino ſequitur, vitioſum quoque eſſe, qui aliqua parte corporis minus recte utitur. Minus apta igitur Modeſtini ratio, *nam & luſcus utique vitioſus eſt*, & quid talus excuſſus cum luſco? Alibi autem, quæ fere loci minus ſani nota eſt, aliter legitur hic locus: nunc, *veluti ſi luſcus ſit, nam & luſcus uti que vitioſus eſt*, nunc, *ſi luſcitioſus*, nunc, ut Florentiæ, *ſi talum excuſſit*, quas lectiones jam ipſa Gloſſa obſervavit, nunc iterum, *veluti ſi talum excuſſit. Ita luſcus utique vitioſus eſt*. Et pro *utique* multi quoque legunt *itaque*. Franc. Hotomanus, ne minus ad rem de *luſco* agatur, pro talo, qui præceſſit, & ipſe excutit, cruda Chirurgia *oculum* reponit, *veluti ſi oculum excuſſit, nam & luſcus vitioſus eſt*. In variis Lectionibus, quæ Editioni Haloandrinæ ſolent addi, notatum video, *veluti ſi talum excuſſit, luſcus ſit; nam & luſcus utique vitioſus eſt*. Quæ lectio ut plane inculta, ita integerrima videtur, nulloſque Correctores experta. Si, quod incultum eſt, nitori ſuo reſtituamus, ita commodum legetur: *ſi talum excuſſi, & luxus ſit, nam luxus utique vitioſus eſt* Pro *luſcus*, tranſpoſita litera, erit *lucſus*, ſeu, quod perinde eſt, *luxus*. Pravus literarum ordo, & præpoſtera trajectio, frequens eſt in Pandectis Florentinis, ut Ant. Auguſtinus obſervavit *L.* IV. *Emend.* *C.* 2. CS. autem pro X. non difficulter ſcribi ſoni declarat affinitas, & in veteribus Libris, MSS. præſertim, id verum eſſe a Grammaticis video notatum, & ab aliis nullo jure negatum. Sono & olim hæc paria fuiſſe Varro docuerit de *LL.* *Lib.* VIII. *p m.* 109. & *L.* IX. *p. m.* 138.

Atque ita primum diceret Modeſtinus, *ſi talum excuſſit* Ait quidem Plinius *Hiſt. Nat. L* XI. *C* 46. facile fuiſſe convictos, qui homini talos ineſſe exiſtimarunt, quod contra hanc lectionem video proferri, quomodo & proferri poſſet, quod negat Ariſtoteles ἀλλ' ἀδάκτυλα ἔχειν ἀστραγάλους *Lib.* IV. *de Part. anim.* *C.* 10. *in fin.* ſed tamen verum eſt, etiam quum accurate loquimur, in homine infirmam cruris partem, calcaneo innixam, *talum* appellari, non tantum apud rerum minus forte gnaros, quales Horatius, Martialis, Seneca, aliique, haberi poſſent, verum & Medicos: ita ſane Cornelius Celſus *de Re Medica Lib.* VIII. *C.* 1. *in fin.* & *C* 11. & toto, quod *de Talo* eſt, *C.* 22. Addo & hæc, & alia, quam mox dicam, cauſa, Apuleji locum *Libr.* II. *Florid. Peniſſime*, inquit, *eodem die in Palæſtra adeo vehementer* TALUM *inverti, ut minimum abfuerim, quin articulum etiam a crure fregerim. Tamen articulus loco conceſſit, exque eo* LUXU *adbuc fluxus eſt.*

Deinde diceret, *& luxus ſit.* Non ita recte, ſi hæc abeſſent; nam qui talum excuſſit, ſi probe repoſitus ſit, non utique vitioſus eſt *l.* 16. *ff. de Ædil. Ed.* ſi autem excuſſit, & needum convulſio ſit ſanata, morboſus eſt; ergo addit, & excuſſo talo, luxus manſit. Si cui vero hæc inferenda non videantur, quia in omnibus Libris non inveniuntur, ut neque in Florentino, cujus ſumma nobis eſt, ut eſſe debet, religio, per me licet non expreſſa intelligantur, quod etiam in quacunque lectione *b.* §. 2. faciendum eſt. Nam & qui oculum excuſſit, non utique vitioſus eſt, ſed quamdiu pendet, morboſus; perpetuo enim in eodem ſtatu, quæ eſt vitii proprietas, ita pendulum oculum habere nemo poterit: ſi autem recte reponatur, neque vitium eſt, neque morbus *d. l.* 16. Si reponatur perperam, & luſcus manſit, tunc demum vere vitioſus erit. Atque ita, ſi cum Hotomano, *talo* excuſſo, *oculum* repoſueris in *b. L.* apparet, de alio oculo agi non poſſe, quam qui probe reſtitutus non eſt, perinde ac de talo. Quod autem, ſervato *talo*, non difficulter adeo admiſerim, *& luxus ſit*, ideo factum puta, quia ſubaudiendus alioquin eſt caſus ἐκ τοῦ λόγου, cum tali excuſſi ἐπὶ τὸ πλεῖστον reſtituantur, reſtitutionis modum cum alii, tum Corn. Celſus docuit *d. L.* VIII. *C.* 22. Quod cum ſit, nemo, ut dixi, *vitioſum* appellaverit, cui talus excuſſus, ſed recte repoſitus eſt. Et Darius, quod aliquando talum excuſſiſſe memoretur apud Herodotum *Libr.* III. *p. m.* 208 facta a Democede reſtitutione, vitium ex eo retinuiſſe, quod ſciam, non legitur. Igitur, ut quis inde vitioſus ſit, addendum, vel ſubaudiendum eſt, excuſſionem non plane fuiſſe reparatam, atque adeo manſiſſe eum, quo de agitur, luxatum, claudum; is namque *vitioſus* eſt, ut conſtat ex definitione Modeſtini in *b.* §. & aliorum ex Gellio *d l* IV. *C.* 2. Et claudicationem inter vitia & deformitates referendam eſſe etiam Socrates & Hippias conſentiunt apud Platonem in *Hipp. min. p. m.* 788. Neque obſtat, claudum non *vitioſum*, ſed *morboſum* dici Gajo in *l.* 13. *ff. de Ædil. Ed.* nam quamobrem id fiat, ſupra diximus.

Quum autem *luxum* lego in *b.* §. 2. *luxatum* intelligo, eliſis, puta, brevitatis ergo literis A. & T. Ut cum dicimus *citus* pro *citatus*, *incitus* pro *incitatus*, apud Feſtum in *Incita*. *Canta* pro *cantata*, apud eundem in *Canta*. *Apta* pro *aptata* in definitione Fati apud Gellium *Noct. Att.* *L.* VI. *C.* 2 neque aliter *præſtita* pro *præſtituta* in lectione Florentina *l.* 32. *ff. de Judic.* Sed ne ſola analogia videar vincere, quod etiam uſus recepit, ecce Feſtus in *Luxa membra*, definit *luxa membra, e ſuis locis mota & ſoluta*. Et Nonius in *Luxum*: *Luxum, id eſt, vulſum, & loco motum, quod nunc luxari* (vide, an *luxati*, vel *luxatum* malis reponere) *ignari Latine dicimus*. Ignari ſcilicet, etiam *luxum* recte dici. Apud Catonem quoque de *R. R. C.* 160. *luxus* eſt pro *re luxata* & *luxatione*, quemadmodum & apud Apulejum in *Florid.* loco, quem ſupra repræſentavi. Hinc Gloſſæ Græco Latinæ, quæ Philoxeno tribuuntur, στρέμμα exponunt *luxum*, *luxationem*. Rurſus Gloſſæ Latino-Græcæ: *Luxum* στρέμμα, ἢ ἀνγισμὸς, ἢ ἀσωτία. Στρέμμα eſt luxatio, ἢ ἄρθρου παράτασις, res luxata ſeu diſtorta: ſed quid ſit ἀνγισμὸς, quod ibi additur, non intelligo, ita tamen ediderunt Vulcanius & Labbæus, quamvis Scaliger ad Feſtum in *Luxa*, *p. m.* 81. exhibeat λυγισμὸς, quod intelligo, & eſt membrorum luxatio. Qua fide ita exhibuerit Scaliger, ipſe neſcio; ſi nulla, ego dubitarem, an non legendum eſſet ἀγυισμὸς, tranſpoſita una litera, ἄγυιοι enim dici poſſunt luxati, aliique, qui membra ita infirma habent, ut uſui, quem natura dedit, nequeant ſufficere. Eorum vitium eſt ἀγυισμὸς, deſtituuntur enim recto uſu τῶν γυίων, id eſt, *membrorum*, ſed præcipue *pedum* ſive *crurum*. Atque ita de morbo vitioque, circa morbum vitiumque *l.* 101. §. 2. *de V. S.* dicendum videtur.

C A-

CAPUT II.

De ſpecie adjecta.

Utilis, etiam in foro, eſt obſervatio de ſpecie generi adjecta. Ea de re ſic eſt habendum: ſi generali enunciationi ſpecialis ſubjiciatur, prima perit, aut potius coërcetur ſecunda. Taxationem habet ſpecialis oratio, generali addita, & taxationis id proprium eſt, ut reſtringat præcedentia. *Non ambigitur*, inquit Papinianus in *l.* 41. *ff. de Pœn. in omni Jure ſpeciem generi derogare.* & ſic ipſe ille totidem fere verbis in *l.* 80. *ff. de R. J.* Exempla ejus rei, ſi quæras, innumera ſunt. In emptione venditione ejusmodi ſpecies eſt in *l.* 39. §. 1. *ff. de Contrah. empt.* & in formula antiqua, *macte vino inferio eſto*, recte Trebatius exiſtimavit apud Arnobium *L.* VII. *adverſ. Gent.* illud *inferio* eſſe additum, *ne vinum omne, quod in cellis atque apothecis eſt conditum, eſſe ſacrum incipiat, ſed ſolum, quod inferetur.* Ita quoque, qui ſimpliciter *habere licere* ſpopondit, per omnes *habere licere* generali locutione ſignificat *l.* 38. *pr.* & §. 2. *ff. de V. O.* ſin autem, *per ſe hæredemque ſuum*, non niſi *de ſe hæredeque ſuo* teneri Ulpianus diſputat in *l.* 11. §. 18. *ff. de Act. empt.* generali enim ſtipulationi derogatum eſſe per eam adjectionem, contra Julianum obtinuit *d.* §. 18.

Atque ea taxativi vis eſt, quam & uſus loquendi probat. Sed vero, quum nonnunquam exempli loco, aut per imprudentiam generi accedat expreſſa ſpecies, temperanda ea res erit. Temperavit certe ipſe, quem modo dicebam, Papinianus *Libr.* VII. *Reſp.* in *l.* 2. *pr. ff. de Supell. leg. Legata*, inquit, *ſupellectili, cum ſpecies* EX ABUNDANTI PER IMPERITIAM *enumerentur, generali legato non derogatur: ſi tamen ſpecies certi numeri demonſtratæ fuerint, modus generi datus in his ſpeciebus intelligitur. Idem ſervabitur inſtructo prædio legato, ſi quædam ſpecies numerum certum acceperint.* Intereſt igitur, an expreſſæ ſint ſpecies per imperitiam, quas, ſi nocituras ſciviſſet, non expreſſiſſet teſtator, an vero facta fuerit demonſtratio, quo generi daretur modus & limitatio. Idem dicit, quamvis contrarium dicere videatur, Paulus in *l.* 18. §. 11. *ff. de Inſtr. vel inſtrum. leg. Cui*, inquit, *fundum inſtructum legaverat, nominatim mancipia legavit. Quæſitum eſt, an reliqua mancipia, quæ non nominaſſet, inſtrumento cederent? Caſſius ait, reſponſum eſſe, tametſi mancipia inſtructi fundi ſint, tamen videri eos ſolos legatos, qui nominati eſſent: quod appareret non intellexiſſe patremfamilias, inſtrumento quoque ſervos adnumeratos eſſe.* Minuitur hic generale legatum enumerata ſpecie, non imperitia patrisfamilias, ex abundanti hæc adjicientis, ſed nominatim diſtinguentis ſervos, quos legatos vellet. Apparet enim ex legato ſervorum *nominatim* facto, intellexiſſe patremfamilias, nomine inſtructi fundi, ſervos non eſſe legatos, ideoque verum eſt, generalem fundi inſtructionem deberi, ſervos non nominatos non deberi, modo generi dato in his ſpeciebus. Aliud eſt, ſi non certi numeri ſpecies demonſtratæ ſint, ſed ſimpliciter legetur fundus inſtructus, & deinde addatur, cum mancipiis, vel ſupellectili, vel alia re, quæ *nominatim* expreſſa non eſt, tunc enim adjiciendo ſpeciem, non minui legatum, ſed potius ex abundanti adjectum videri Papinianus reſpondit, & ex eo Ulpianus refert in *l.* 12. §. 46. *ff. de Inſtr. vel. inſtr. leg.* eſſe enim illum §. 46. ex Papiniani *Reſponſis*, & quidem ex eo, quem ſupra dixi, *Libr.* VII. ſatis argumenti præbet §. 45. & 47. *d. l.* 12. ut & inſcriptio *d. l.* 9. *ff. de Supell. leg.* Unde & ex *d.* §. 46. interpretationem accipiunt finalia Papiniani in *pr. d. l.* 9. *Idem ſervabitur inſtructo prædio legato, ſi quædam ſpecies numerum certum acceperint.* Qui ſcilicet fundum inſtructum dat legat, & mox adjicit, cum mancipiis & ſupellectile, primo fundum inſtructum legavit, deinde ſpeciem adjecit, quæ nominatim expreſſa non eſt, ſed per imperitiam forte, vel exempli loco duntaxat. Quare legatum generale non minuit, ſed eo continetur, &, quamvis non commemorata fuerit illa ſpecies, tacite tamen comprehenditur. Hoc ait *d.* §. 46. ex quo peſſime negationem demi fere non eſt, ut admoneatur, neceſſe; quamvis ita Hotomanus *L.* III. *Obſerv. C.* 2. & 30. Secundum hæc neque ſupellectilis legatum, neque mancipiorum, neque alterius rei, non nominatim expreſſæ, generale inſtructi legatum minuit, ſed per errorem bis idem legatum eſt, primo in genere, deinde in ſpecie repetitum. Quin nec Stichi vel Erotis legatum cæteram fundi inſtructionem minuit, at ſervorum duntaxat, quia ejus ſpeciei nominatim facta eſt expreſſio & limitatio *d. l.* 18. §. 11. *ff. de Inſt. vel inſtr. leg.*

Atque hæc ita, ubi duo ſunt legata, ut in *d. l.* 18. §. 11. & *d. l.* 12. §. 46. *qui* §§. loquuntur de ſpecie legata poſt genus legatum. Sed ait *d. l.* 9. *pr. de Supell. leg. Si tamen ſpecies certi numeri demonſtratæ fuerint, modus generi datus in his ſpeciebus intelligitur.* Hoc eſt, ſi V. G. ſervi legati ſint, quod generale legatum eſt *l.* 81. *ff. de Leg.* III. deinde legatæ tres ancillæ, non omnes ancillæ debebuntur, quæ cæteroquin deberentur ex generali legato *d. l.* 81. ſed tres duntaxat, cum in expreſſa ſpecie ancillarum generi modus impoſitus ſit *h. l.* 9. quæ & ſpecies & ratio eſt *d. l.* 18. §. 11. *de Inſtr. vel inſtr. leg.* nec, cum ita ſe res habet, de voluntate teſtatoris licet ambigere, numerum enim expreſſit. Liquet jam, quantum differat, in duplici legato, generis, & ſpeciei, utrum ſpecies nominatim expreſſa ſit, nec ne. Nam fac, ut rem exemplo illuſtrem, ſupellectilem eſſe legatam, & deinde craterem argenteum, lectos argenteos, candelabra argentea, quæ poſterior ætas ſupellectili cedere voluit *l.* 3. §. 5. *l* 9. §. 1. *ff. de Supell. legat.* non duntaxat debebuntur, quæ enumerata ſunt, ſed & genus, univerſa ſcilicet ſupellex, reliqua cenſebuntur quaſi ex abundanti addita, quæ nocere non ſolent *l.* 81. & *l.* 94. *ff. de R. J.* At vero ſi ſupellectile legata teſtator deinde nominatim exprimat candelabra argentea, hujus vel illius formæ, vel ponderis, vel numeri, quæ legata velit, reliqua candelabra argentea generali ſupellectilis legato non continebuntur, palam enim, facta demonſtratione, candelabra argentea diſtinxit ab ſupellectile, ſecundum uſum priſci ævi. Igitur, quæ non nominavit, legato generis non cedent, ex ratione *d. l.* 9. *pr.* & *d. l.* 18. §. 11.

Alia res eſt, ſi non duplex legatum ſit, ſed unum duntaxat. Si duplex, legato prius inſtructo, & deinde, cum mancipiis, ſupellectile &c. poſterius, quod ſpecies recenſet, habetur, ut dixi, ſupervacuum. Sin unum, ut ſi quis fundum leget,

get, ut eſt inſtructus inſtrumento ruſtico, pecore, villicis &c. legato non cedent, niſi quæ enumerata ſunt, nam *τὸ inſtructus*, quod incontinenti apponitur inſtrumento ruſtico, pecori, & villicis, ex hiſce explicationem recipit, & quum ſimplex ſit legatum, qualem inſtructionem intellexerit teſtator, aperte declarat. Atque ea eſt ſententia *l.* 20. *pr. & l.* 18. §. 13. *ff. de Inſtruct. vel inſtr. leg.* ſed digna eſt utraque Lex, de qua porro videamus.

CAPUT III.

Rurſus de ſpecie generi adjecta, ad l. 20. pr. & l. 18. §. 13. ff. de Inſtr. vel inſtr. leg.

In *l.* 20. *pr. ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* Scævola hæc refert: *Sejæ, ex parte hæredi inſtitutæ, ſi hæres erit, fundos per præceptionem dederat inſtructos cum ſuis villicis & reliquis colonorum. Et codicillis ita ſcripſit:* POSTEA MIHI VENIT IN MENTEM, SEJÆ FUNDOS, QUOS RELIQUI, ITA UT SUNT INSTRUCTI RUSTICO INSTRUMENTO, SUPELLECTILE, PECORE ET VILLICIS, CUM RELIQUIS COLONORUM, ET APOTHECA HABERE VOLO. *Quæſitum eſt, an etiam ea, quæ patrisfamilias uſus cottidiani cauſa in fundis fuerunt, legato continerentur. Reſpondit, teſtamento quidem, ut proponeretur, Sejæ inſuper fundum legatum, verum non amplius deberi, quam in codicillis, quos ſane poſt oblivionem teſtamentariæ ſcripturæ feciſſet*, INSTRUCTI *appellatione contineri velle ſe, manifeſte oſtendiſſet.* Proponit Scævola, Sejæ teſtamento fundos eſſe legatos inſtructos cum ſuis villicis, & reliquis colonorum, hoc eſt, duntaxat fundos fuiſſe legatos, & villicos, cum reliquis colonorum; quoniam, qualem inſtructionem teſtator intelligeret, ea adjectione palam ſignificavit, dixit enim non ſeparatim, ſed uno legato, una & continenti oratione, *inſtructos cum ſuis villicis* &c. Atque ita ſpecialiter expreſſit, quæ legato cederent, ut ex Scævola quoque Paulus notat in ſpecie, huic ſimillima, in *l.* 18 §. 13. *ff. h. Tit.* de qua mox plenius dicam. Deinde proponitur, eidem Sejæ eosdem fundos condicillis fuiſſe legatos, ſed addito majoris inſtructionis apparatu. Ex qua enumeratione, Codicillis facta, naſcitur quæſtio, utrum & ea omnia legato contineantur, quæ paterfamilias uſus quotidiani cauſa in fundis habuiſſet? Scævola duo capita ſibi proponit, alterum de fundo bis legato, alterum de interpretatione legati poſterioris; & de ambobus reſpondit, de primo non præcipue, quia de eo quæſtio non erat, nempe Sejæ fundum eſſe legatum codicillis, & inſuper teſtamento, ſed de ſecundo, quid nempe Sejæ ex codicillis debeatur.

Ait, *teſtamento quidem, ut proponeretur, Sejæ inſuper fundum legatum. Inſuper* hic eſt *præterea*, ſenſu vulgari; ut dixerit, teſtamento quoque, ut in codicillis factum eſt, fundum fuiſſe legatum, & ſic eſt in ſpecie propoſita. Jacobus Cujacius *L.* I. *Obſerv. C.* 27. pro *inſuper* voluit legi *inſtructum*, & ita quoque Ant. Faber *L.* I. *Conject. C.* 7. quod ſequendum non arbitror; etiam ideo, quia verum non videtur, teſtamento *inſtructum fundum* eſſe legatum, nam manifeſte in *princ. Legis* perſcriptum eſt, fundos eſſe legatos *inſtructos cum ſuis villicis & reliquis colonorum*, non ſimpliciter *inſtructos*, quæ valde differunt: hoc enim caſu omnis inſtructio debetur, quia generaliter legatus eſt *inſtructus*, illo, duntaxat quod expreſſum eſt, ut ſupra monui, & ipſe Scævola in codicillo interpretando mox reſpondet. Plane teſtamenti legatum, ut hic occurrit, anguſtius eſt, quam codicilli, & tamen, ſi audis Cujacium, Scævola reſpondiſſet, atque ſi ex teſtamento quidem omnis inſtructio deberetur, at ex codicillis, poſtea factis, non niſi enumeratæ inſtructionis ſpecies; quod de teſtamento verum non eſt. Cur autem *teſtamenti* meminerit Scævola, cum de ſententia codicilli quæratur, hæc ratio eſt, quod *τὸ κρινόμενον*, ut Græci Magiſtri appellant, de iis conſtituatur, quæ uſus quotidiani cauſa paterfam. habuerit in fundis, an debeantur ſcilicet, nec ne, ſecundum ea, quæ proponebantur? proponebatur autem & teſtamentum, & codicillus. Utque efficeret Scævola, quæ uſus quotidiani cauſa in fundo erant, non deberi, explicat, quæ ſola debeantur: idque ex codicillis ſtatuit, quemadmodum deinceps declarat. Inſuper quidem eſſe teſtamento legatum, ſed de eo fruſtra quæri, cum codicillis ſit anguſtius, atque iis etiam poſtea mutatum. Igitur ex ſolis codicillis rem eſſe æſtimandam, & ex his non amplius deberi, quam teſtator *inſtructi* nomine ſignificare voluit. Is ordo eſt verborum, certe ſententiæ, qua uſus eſt Scævola.

Ait, *verum non amplius deberi, quam in codicillis, quos ſane poſt oblivionem teſtamentariæ ſcripturæ feciſſet*, INSTRUCTI *appellatione contineri velle ſe, manifeſte oſtendiſſet. Scripturam* dicit, ut & in *l.* 97. *ff. de Leg.* III. & *l.* 26. *ff. de Condit. & demonſtr.* Sed quid ſit, *poſt oblivionem teſtamentariæ ſcripturæ*, non æque expeditum eſt. Cujacius *Lib.* I. *Obſerv. d. C.* 27. ita id explicare videtur, ac ſi Scævola voluiſſet, teſtatorem in teſtamento per oblivionem præteriiſſe eam inſtructionem, quam deinde codicillis appoſuit. At illud non ferunt verba, nam ait ipſos codicillos eſſe factos *poſt oblivionem* teſtamenti, quod, ni fallor, perinde eſt, atque ſi ſcriptum eſſet, *in oblivione*, ſeu, *poſtquam oblitus erat teſtamenti.* Sed quid? codicilli in oblivione teſtamenti facti? imo ita orditur, *Sejæ fundos, quos* RELIQUI. Ubi vero, niſi in teſtamento? nec proderit, ſi cum Haloandro legas, *Sejam fundos, quos reliqui. . . habere volo*, nam *τὸ reliqui* non poteſt pertinere niſi ad teſtamentum. Ratio Latini ſermonis apud Haloandrum videtur aptior, ut exprimat, quem quamve voluerit habere fundos, ſed tamen & recte id intelligitur, ſi *Sejæ* ſerves, ut eſt Florentiæ. Ellipſis hæc frequens eſt. Puto igitur, oblivionem, qua de egit, eſſe referendam ad inſtructionem, quam teſtamento fundis adſcripſerat, plane contraria, quam Cujacius exiſtimat, ſententia. Ut ſic oblivio ad ipſum teſtamentum non pertineat, ſed ad ea, quæ teſtamento de inſtructione caverat; implicita nonnihil locutione, ſenſu tamen claro. Legaverat in teſtamento fundos inſtructos cum ſuis villicis, & reliquis colonorum. Meminit deinde quidem fundi legati, ut initio codicillorum declarat, ſed non meminit adjectæ inſtructionis; quare hanc, ut nunc placebat, codicillis deſcribit, & jubet conſtare *ruſtico inſtrumento, ſupellectile, pecore, & villicis cum reliquis colonorum, & apotheca.* Duas tan-

tantum ſpecies inſtructionis teſtamento complexus erat, nunc ſex complectitur codicillis. Et præter has ſex Scævola reſpondet nihil deberi, quia illa adjectione manifeſte oſtendit teſtator, quid voluerit *inſtructi* appellatione contineri. Non igitur eo legato continebuntur, quæ uſus quotidiani cauſa in fundis habuit paterfam. quæ ſane continerentur, ſi ſimpliciter fundi inſtructi meminiſſet, etiam veſtes & libri *l.* 12. §. 28. § 34. *&* 35. *ff. h Tit.* quæ alioquin ad ſuppellectilem nominatim legatam non pertinent *l.* 2. §. 2. *ff. de Supell. leg.* Atque ita inſtructo legato, non adjecta ulla ſpecie, omnis & plena inſtructio debetur, non ea tantum, quæ eſt inſtrumenti ruſtici, cæterorumque, quæ nominatim enumeravit. Enumeravit autem & *apothecam*, quæ eſt quarumque rerum in fundis promptuarium. Bibliotheca a librorum apotheca diſtinguitur, etiam Jure *d. l.* 12. §. 34. *ff. de Inſtr. vel inſtr. leg.* ut hæc ſit receptaculum librorum, qui commercii aut alterius rei gratia habentur, non uſus. Illa vero, quæ uſus ergo eſt, quæque præcipuo nomine *Bibliotheca* appellatur. Uſum cum dico, etiam prætextum intelligo, ut eſt ejus apud Lucianum in Libro πρὸς ἀπαίδευτον.

Sic itaque apparet, illam adjectionem ſpecierum *inſtructi* hoc efficere, ne ſimpliciter habeatur legatum inſtructum, uti haberetur, non additis illis, *ruſtico inſtrumento* &c. Atque ita, ex Scævola, Paulus quoque refert in *l.* 18. § 13. *ff. eod. Tit. Quidam*, inquit, *cum ita legaſſet*: VILLAM MEAM, ITA UT IPSE POSSEDI CUM SUPELLECTILE, MENSIS, MANCIPIIS, QUÆ IBI DEPUTABUNTUR, URBANIS ET RUSTICIS VINIS, QUÆ IN DIEM MORTIS MEÆ IBI ERUNT, ET DECEM AUREIS; *& quæreretur, cum in diem mortis ibi libros, & vitreamina, & veſticulam habuerit, an eadem omnia legato cederent, quoniam quædam enumeraſſet. Scævola reſpondit, ſpecialiter expreſſa, quæ legato cederent.* Neſcio, an alibi *veſticulæ* vox occurrat; varie igitur hic legitur & emendatur, ſed absque ſenſu idoneo. Miſſis autem iis, quæ adhuc minus intelligimus, *veſticula* forte erit veſtiarium, vel συγκτῆσις veſtium, quæ generali *inſtructi* nomine veniunt *d. l.* 12. §. 23. *ff. h. Tit.* ſed non veniunt, poſt enumerata alia, quia ad ſupellectilem non pertinent, quemadmodum id ſupra monui. Eſt autem eadem cauſa & ratio *d. l.* 18. §. 13. quæ eſt *d. l.* 20. *pr. ff. de Inſtr. vel inſtr. leg.* Et perperam in contrarium abit Ant. Faber *L.* I. *Conject. C.* 7. quaſi nempe aliud eſſet, *ut poſſedi*, aliud, *ut inſtructus eſt*, ex *l.* 20. §. *ult. ff. de Inſtr. vel inſtr. leg.* ſed, quod ſpondeo, ipſa L. hoc non dicit. Imo Papinianus in *l.* 91 §. 1. *ff. de Leg.* III. ait *convenire*, id eſt, *omnibus placere*, domum *inſtructam* deberi, ſi quis legaverit, *ut eam poſſedit*, & ipſe ille Scævola in *l.* 27. §. 4. *ff. h. Tit.* etiam ad *inſtructum* pertinere verba *ſicut eſt.* Quod vel iis tacentibus ipſa ratio, & ſignificatio verborum evincunt.

Liquet nunc, opinor, quantum differat *L.* 12. §. 46. ab *l.* 18. §. 13. *& l.* 20. *pr. h. Tit.* in illo duplex legatum eſt, nam poſt legatum fundum, *ita ut inſtructus eſt*, ſequitur, *& adjecit*, quæ adjectio, ſeu poſterius legatum cenſetur ſupervacuum; in hisce autem τὸ *inſtructus*, adpoſitum ſpeciebus, mox enumeratis, ex iis reſtringitur, unumque legatum eſt ejus inſtructionis, quæ incontinenti adjicitur, ipſique adeo legato ineſt. Prolixius hæc tractavi, cum ob uſum frequentem ejusmodi legatorum, tum quod magna in his rite diſcernendis prudentia ſit opus; neque etiam video placere poſſe, quæ alii ea de re commentati ſunt. Niſi ex iis, quæ dixi, reliqua ſponte caderent, litem cum omnibus conteſtarer.

CAPUT IV.

Defenſa & explicata l. 102. pr. ff. de Solution. & liberat.

SErvidius Scævola *Lib.* V. *Reſponſ.* has ſpecies tractat: *Creditor oblatam a debitore pecuniam, ut alia die accepturus, diſtulit; mox pecunia, qua illa Reſpublica utebatur, quaſi æroſa juſſu Præſidis ſublata eſt. Item pupillaris pecunia, ut poſſit idoneis nominibus credi, ſervata, ita interempta eſt. Quæſitum eſt, cujus detrimentum eſſet?* & reſpondit: *ſecundum ea, quæ proponerentur, nec creditoris, nec tutoris detrimentum eſſe.* Eſt, qui pro *juſſu Præſidis* legi jubet *juſſu Principis*, quia, ut ſolius Principis eſt pecuniam flare *l.* 2. *C. de Falſ. monet.* ſic & eſſe videtur flatam receptamque tollere. Sed quod de *Præſide* dicit, multis modis recte ſe habet; nam, quamvis ſolus Princeps recte tolleret pecuniam, uſu receptam, nihil tamen vetat Præſidi adſcribere, quod Præſes, juſſu Principis, in ſua Provincia fieri mandat. Quin & Præſides non modo omnem omnium in Urbe Magiſtratuum poteſtatem exercuere, ſed & quædam, quæ Romæ Imperatores; exemplum eſt in *l.* 24. *pr. ff. de Damn. infect.* & paſſim in Hiſtoria Romana. Ita nunc in quoque fere Præſidatu jura Principum exercent Præſides, ſive ſoli, ſive cum Concilio, idque vel ſuo ſolo, vel ſolius Principis, vel utriusque nomine: exempla ſunt Neapolis, Sicilia, Belgium, Indiæ omnes. Recte igitur juſſu *Præſidis*, & ita quoque Baſilici.

Ait a Præſide ſublatam eſſe pecuniam, quaſi *æroſam.* De hac voce valde tumultuantur Interpretes. Accurſius, ex variis quoque lectionibus, varias interpretationes adfert, ſed quarum nulla bona, alia alia pejor eſt. Quod autem & *heroſam* legat, & *dominabilem* exponat, ſine riſu tranſigi nequit. Ferrem, ſi *æroſam* dixiſſet *damnabilem* pro *reproba*, verbo illis temporibus ſatis apto, quin & ab antiquioribus uſurpato, ſed vetant ſequentia Accurſii, ne ita ejus Gloſſam emendem. Alciatus *L.* II. *Diſpunct. C.* 25. pro *æroſa* Græce legit ἔρανος, & intelligit collationem pecuniæ, per modum tributi indictæ. Alciati emendatio, ut ſæpe aliæ ejusdem, in varias Editiones poſtea irrepſit; quod non miror, ſed indignor, cum ſit peſſima. De Eranis res nota eſt, etiam ex Platone de *LL. Dial.* XI. & Plinio *Lib.* X. *Epiſt.* 97. *&* 98. Sed profecto neque ſententiæ, neque verbis *d. l.* 102. convenit ea lectio. Quis enim ſanus disputet, cujus detrimento ſiet pecunia, in uſum Reipublicæ collata? damnum eſſe nequit, niſi deperdita pecunia, & deperdita non eſt, quæ probe recte erogatur. Deinde pecunia, *qua illa Reſpublica utebatur*, quaſi ἔρανος ſublata eſſet. Ita vero? omnem ejus Civitatis pecuniam, (omni enim utebatur) Præſes occupavit, ceſſuram publico? non Præſes, ſed prædo? abſit. Et qui pecuniam dixit ἔρανον, nemo eſt, quod ſciam. Forcatulus *Necyomant. Dial.* VI. pro *æroſa* reſcribit *eraſa*, ut quæ raſa ſit

ſit in circulo, nec adeo juſti ponderis. Sed, ſi ita velit, *eraſam* dixiſſet potius, non *raſam in circulo*, ſeu *circumciſam*, quod alienum eſſet a vocis ſignificatione, at detritam vetuſtate, uſuque diuturno, eraſa ſic effigie, quam nummi ante præ ſe ferebant. Huc pertinet, quod in *l.* 1. *C. de vet numiſm. poteſt.* jubeantur valere Solidi, *veterum Principum veneratione formati*, & quæ ſequuntur. Quamdiu enim nummi, ut ut antiqui, priſtinam effigiem, & vultum Principis repræſentant, reprobari non ſolent. Huc quoque refero locum Plinii *Lib.* VI. *Hiſt. Natur.* C. 22. quem ita lego: *Mirum in modum in auditis juſtitiam ille ſuſpexit, quod pares pondere denarii eſſent in* AVITA *pecunia, cum diverſæ imagines indicarent a pluribus factos.* *Avitam* lego, non *captivam* pecuniam, quod nihili eſt. Mirabatur quippe Barbarus ille, quod anteriorum Principum nummi ſub ſequentibus Imperatoribus valerent, cum ſecus eſſet in ſua ditione. Sed emendationem, ut certam, non urgeo; imo potius meliorem exſpecto. Certe, ut nunc legitur, ſtare nequit locus Plinii.

Si quid autem mutandum eſſet in *h. l.* 102. ego mallem minima, an nulla mutatione, *eroſa*. *Eroſa* autem dici poteſt pecunia, quæ dolo malo eſt excavata: qua arte utuntur, qui nummorum margini infixo terebello, eos, præſertim ſi craſſiores ſint, erodendo excavant, excavatumque foramen viliori replent materia, addita tamen ſuperficie ejusdem materiæ, cujus eſt ipſe nummus. Quod utique eſt ſpecies falſi nummarii; unde & ſolidus, ut probus ſit, debet eſſe *ſpeciei probæ d. l.* 1. *C. de Veter. numiſm. poteſt.* totus ſcilicet, neque adeo ex parte improbus.

Sed vero nihil mutandum eſſe in lectione Florentina *d. l.* 102. *pr.* non ignota docet vocis ſignificatio. Joannes Coraſius *L.* I. *Miſcell. C.* 9. & Jacobus Cujacius ad *Africanum Tract.* VIII. in *l.* 39 *ff. de Solution. æroſam pecuniam* expoſuerunt, cui multum æris eſt admixtum. Idque ſecuti ſunt Henricus Salmuth ad Panciroli *Memorab. L.* I. *C.* 51. & Jacobus Curtius Εἰκαστῶν *L.* II. *Cap.* 8. & alii catervatim: probantque Cyprum, quin & lapidem, aurum, ferrum, ea ratione *æroſa* dici, quod verum eſt. Argentum quoque, quod *tenue venæque ſecundæ* Juvenalis appellat *Satyr.* IX. *Verſ.* 31. antiquus Scholiaſtes interpretatur *æroſum*. Atque ita non intercedo, quominus hic pecuniam, ob mixturam æris, ſublatam dicas. Alioquin magis placeret, ſi *æroſam pecuniam* poſſes explicare *quamcunque reprobam, qualicunque de cauſa.* Ut Græcis dicitur ὑπόχαλκον νόμισμα apud Pollucem, nullo ſic diſcrimine, æroſum ſit, an inauratum, an inargentatum. Non diſſimiliter ὑπόξυλον, de quo Voſſius ad *Catullum p.* 308.

Cæterum quod Scævola ait, pecuniam creditori oblatam, nec acceptam, ſi poſtea pereat, creditoris periculo perire, non videtur convenire Marcello in *l.* 72. *pr. ff. de Solut.* Vidi varias conciliationes, ſed nullam, quæ magis placeat, quam Jacobi Curtii *d. L.* II. *C.* 8. & in qua, adhuc quidem, acquieſco.

CAPUT V.

Duæ verborum transpoſitiones in duabus Legibus; puta L. 2. pr. ff. Si quis caution. in jud. ſiſt. cauſ. fact. non obtemp. & L. 35. §. ult. ff. de V. O.

Librarios, qui Leges ſcribendas exceperunt, ſæpe videas turbaſſe non literarum duntaxat, ſed & verborum ordinem. In jure noſtro aliquoties id accidit, & non animadverſum Interpretibus crucem fixit. Duo nunc loci ſuccurrunt, in quibus id manifeſtum reor. Primus eſt in *l.* 2. *pr. ff. Si quis caut. in jud ſiſt. cauſ. fact. non obtemper. Non exigimus*, inquit Ulpianus, *reum judicio ſiſti, ſi negotium, propter quod judicio ſiſti promiſit, fuerit transactum: ſed hoc ita ſi non prius id negotium transactum ſit, quam ſiſti oporteret; cæterum ſi poſtea transactum eſt, exceptio doli opponi debet.* Qui in jus vocatus eſt, dimittendum eſſe, ſi de re transactum fuerit, res loquitur, & dubitare non ſinit *l.* 22. §. 1. *ff. de In jus voc.* id ipſum ait Ulpianus in *d. l.* 2. *pr.* ſed excipit, *ſi non prius transactum ſit, quam ſiſti oporteret.* Quod valde eſt abſurdum, nam, quia transactio præcedit, reus dimittitur, non dimittendus, ſi, cum ſiſti oporteret, nondum fuerit transactum. Id enim cum poſtea accidit, doli mali exceptionem, neque aliud, ſuggerit Ulpianus hoc ipſo loco. Vitioſam eſſe ſcripturam Libri Florentini in *d. l.* 2. *pr.* liquido conſtat. Cujacius *Comment.* ad *l.* 113. *ff. de V. O.* negationem tollit, legitque, *ſed hoc ita, ſi prius id negotium transactum ſit.* Per me potuiſſet defungi, ſi indicaſſet, ita legi, ut revera legitur, in Editione Rob. Stephani, Pariſ. 1527. aliiſque antiquis, quemadmodum & in MS. meo. Haloander edidit, *ſi* MODO *prius transactum ſit*, in eo ſecutus Editiones, ſua etiam vetuſtiores: quod monuiſſe potuerant Fr. Hotomanus *L.* IV. *Obſerv. C.* 9. & Petr. Faber *L.* I. *Semeſtr. C.* 14. & ſimul tacuiſſe de emendatione ſua. ſed ita fit. Utrovis autem modo legas, non intercedo, quin recta ſit Ulpiani ſententia; at prohibet ſacra auctoritas Libri Medicei. Salva hæc erit, ſi verba ita transponamus: *ſed hoc ita, ſi non prius ſiſti oporteret, quam id negotium transactum ſit.* Ut exceptio ſit a regula, quam ſimpliciter propoſuerat Ulpianus, non exigi ſcilicet, ut reus ſe ſiſtat judicio, ſi fuerit transactum.

Alter locus eſt in *l.* 35. §. *ult. ff de V. O.* & ſic habet: *Si in locando, conducendo, vendendo, emendendo, ad interrogationem quis non reſponderit; ſi tamen conſentitur in id, quod reſponſum eſt, valet, quod actum eſt, quia hi contractus non tam verbis, quam conſenſu confirmantur.* Illud, *quod reſponſum eſt*, non habet hic ſenſum, utique non eum, quem oportet, nam dicere voluit, ſi conſentiatur in id, quod *propoſitum* eſt, valere, quod agitur, licet reſponſio minus ſit congrua. Nolim tamen pro *reſponſum* legere *propoſitum*, vel *præpoſitum*, ut eſt id verbum in *l.* 140. *pr. ff. h. Tit.* quia non amo truculentam Criſin. Si, *quod reſponſum eſt*, interpretemur, *quia reſponſum eſt*, quamvis ſcilicet non continuo, nec congrue, ſubſiſtet forte ſententia, ſed oppido contorta: quare nec id probarim. Franciſcus Zoannettus *Reſtit. Jur. Libr. ſing. C.* XIV. addita negatione legit, *quod reſponſum non eſt.* Hunc, more ſuo, ſequitur Jacobus Gallus *Apic. LL. p.* 110-112. non laudato rurſus Auctore. Non patitur hanc vim majorem Joan. Robertus *L.* I. *Recept. Lect. C.* 4. ratus, juriſprudentiam Pauli conſiſtere, retenta quam-

quamvis lectione recepta. Hugo quoque Donellus *Comment. ad h. L.* ita eam explicat, atque ſi nihil obeſſet. In eo res vertitur, an verba, *ſi tamen conſentitur*; ad conſenſum ſtipulatoris, an promiſſoris referenda ſint? ad promiſſoris, dixit Zoannettus, & recte dixit, quia proxime de eo egit, qui ad interrogationem non reſpondit. Sed ita non convenit τὸ *reſponſum eſt*, neque etiam conveniet, ſi, ut ipſe, legas, *reſponſum non eſt*. Miſſis omnibus ſic tranſpono & interpungo; *Si tamen conſentitur in id, quod actum eſt, valet quod reſponſum eſt, quia hi contractus non tam verbis, quam conſenſu confirmantur.* Hoc eſt, in contractibus, qui ſolo conſenſu abſolvuntur, non usquequaque exiguntur ſtipulationis ſolemnia, adeoque, licet ejusmodi contractus per ſtipulationem celebrentur, nec præciſe ad interrogationem reſpondeatur, valebunt tamen, dummodo conſentiatur in id, quod actum eſt. Plana ſic res & verba erunt, & reliquas interpretationes tuto jubebimus faceſſere.

CAPUT VI.

Ad L. 28. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.

Antiſtius Labeo in Libris Πιθανῶν generales Juris regulas propoſuit, veriſimiles illas quidem, ut Operis inſcriptio indicat, ſed quæ tamen aliquando, in hac illave ſpecie, fallebant. Ne quis igitur imprudens peccaret, Julius Paulus hos Libros, in compendium redactos, annotavit, & exceptiones addidit; *fallentias* dixit barbara Ætas. Et hoc ſibi vult τὸ IMO, in fragmentis, quæ ex eo Opere ſuperſunt; ut ſcilicet Paulus hac formula ſignificaverit, regulam Labeonis non obtinere in ſpecie, quam mox ipſe ſubjungit. Vulgo quidem exiſtimatur, Paulum his Scholiis Labeonem notare, & in contrarium ire, ſed nunquam potui a me impetrare, ut crederem, Paulum fuiſſe hominem tam fatuæ, pene dixerim, malevolentiæ, ut ſua exceptione voluerit everſum ire generalem Antiſtii regulam. Imo aliud nobis ſuggerunt reliquiæ ejus epitomes, & Pauli notæ tantum non omnes: illuſtre ejus rei exemplum eſt in *l.* 31. *ff. de Leg.* III.

Neque aliter capienda eſt *h. l.* 28. ubi ex Labeone hanc habemus regulam: *Si quid bello captum eſt, in præda eſt, non poſtliminio redit.* Sic Florentina, & reliquæ fere Editiones; non tamen apte, nec ex uſu probæ Latinitatis. Jacobus Vintimillius Pariſiis 1548. edidit, *ſi quid bello captum in præda eſt, nec poſtliminio rediit*, & ita ante Vintimillium quoque Haloander. Sed ne ſic quidem conſtat ſententia; conſtaret autem, ſi legeretur, *ſi quid bello captum in præda eſt, non poſtliminio redit:* ſublato nempe primo *eſt*; ſed præſtat, una litera mutata, Florentinam retinere, & ſic interpungere: *ſi*, QUOD *bello captum eſt, in præda eſt, non poſtliminio redit.* Hoc eſt, ſi id, quod bello ablatum erat, rurſus captum & in præda recuperatum ſit, poſtliminio non erit locus. Regula eſt de iis, quæ in præda capiuntur, in præda autem cum non capiantur proprie, niſi res mobiles hoſtium, iis negat Labeo jus poſtliminii eſſe, & recte negat, de rebus ſoli enim id jus perſcriptum eſt *l.* 20. §. 1. *ff. h. Tit.* & ita Grotius *de Jure B. & P. L.* III. *C.* 9. *n.* 13. & 14. habemus regulam Labeonis.

Sequitur exceptio Pauli: *Imo ſi in bello captus, pace facta, demum refugit, deinde renovato bello capitur, poſtliminio redit ad eum, a quo priore bello captus erat, ſi modo non convenerit in pace, ut captivi redderentur.* Pro *demum refugit*, quod Taurellius edidit ex Codice optimo, plerique Libri habent, *domum refugit*, vel *domum fugit*, vel *domum rediit.* Illud autem *domum refugit* verbis parum, ſententia nihil differt a ſcriptura Florentina: quare huic ſtabimus in his, quæ paria ſunt, licet alioquin pronus & facilis ſit error ſcribentis *demum* pro *domum.* Exceptio Pauli, quam apponit, cum ſit de regula, apparet, eum loqui de iis, qui ſunt mobilium numero, de ſe moventibus videlicet. Nam *moventium & mobilium appellatione idem ſignificari* Celſus dixit in *l.* 93. *ff. de V. S.* NISI *tamen*, inquit, *apparet, defunctum animalia duntaxat, quia ſe ipſa moverent, moventia vocaſſe.* Pro *ſi*, quod Florentiæ eo loco legitur, ex Græcis eſſe reſtituendum *niſi*, dudum animadverſum eſt, & frequens, etiam alias, eſt harum vocum commutatio. Liquet autem, Pauli exceptionem eſſe de homine, qui bello captus, ſed pace reverſus, renovato bello iterum capitur. Hunc ait, quamvis in præda ſit, poſtliminio tamen redire ad eum, a quo priore bello captus erat. Et ſane ita eſt, quia placuit hominibus, cujuscunque conditionis ſint, poſtliminium eſſe, nec referre, liberi, an ſervi ſint *l.* 19. §. *ult. ff. h. Tit.* adeoque, cum cætera mobilia recuperantibus cedant, homines vel ſibi vel priſtinis dominis reſtituuntur *l.* 12. *C. de Poſtlim. reverſ.* & hanc exceptionem, quod ad ſervum, probat quoque *l.* 27. *ff. h. Tit.* Cæterum Baſilici *Lib.* XXXIV. *Tit.* I. *C.* 28. & Harmenopulus Προχείρῳ *Lib.* II. *Tit.* VII. §. 5. omnino mihi videntur perperam reddidiſſe ſententiam hujus Legis, dum, quod de exceptione dixit Paulus, ad regulam transferunt, ajunt quippe, τὸ ἐν πολέμῳ λαμβανόμενον ἀνδράποδον ἐν πραίδᾳ ἐστὶν, οὐ μὴν τῷ δικαίῳ τῆς ὑποστροφῆς ἐπανέρχεται. Atque ſi mancipium, quod in præda eſt, jus poſtliminii non haberet: nimia brevitate ſic pervertentes mentem Labeonis & Pauli. Additur poſtremum in *h. l.* 28. ſi ea lex pacis ſit, ut captivi reddantur, poſtliminium his, quos dixerat, captis, reverſis, & iterum captis non eſſe; manifeſta ratione, quum ea lege antiquum, quod ex captivitate erat, jus tollatur, eoque ſublato de poſtliminio inanis ſit quæſtio.

CAPUT VII.

De Nominibus aliquot propriis in Pandectis & Codice.

Nominum reſtituendorum fere inanem laborem eſſe recte dixit Cujacius *Obſerv. L.* XII. *Cap.* 18. adeo enim hanc qualemcunque operam ſola conjectura niti videas, ut ſane de pauciſſimis tuto liceat decernere. Sunt, & aliquot retro ſæculis fuerunt in Republica Eruditorum, qui nomina propria, non alia ratione, quam quod ſibi non lecta ſint alibi, ex Veterum Libris de-

delent, ſubſtitutis aliis, ſibi ſcilicet notioribus. Atque ſi ex antiquitate, quæ adhuc ſupereſt, omnia Veterum nomina liceret diſcere, & hanc, quanta quanta eſt, ſubegiſſent illi Magiſtri. Tanta & priſco Ævo fuit, & noſtro eſt nominum inſolentia & varietas, tam fortuita, & ignota ſæpe origo, ut, quod de nominibus agitur, modeſte ſit agendum.

L. 21. §. 1. *ff. de Statulib.* ſenſum non habebit, ſi *Pactumejus* ſcindas in *pactum ejus*: ſic tamen plurimi Libri, probante etiam Pithœo. Sed quur probaret, ratio non fuit; paſſim quippe in Jure noſtro memorantur Pactumeji, ut in *l.* 92. *ff. de Hæred. inſt. Inſcripp. l.* 15 *C. de Pact.* & *l.* 7. *C Si cert. pet.* & ita forte, nam præter conjecturam nihil polliceor, in *Inſcript. l.* 20. *C. Famil. ercisc.* pro *Pactuelæ* reſcribendum *Pactumejæ*, nam & *Pactumejas* refert *d. l.* 92. *ff. de Hæred. inſt.* Apud Auctores exteros Pactumeji & Pactumejæ quoque nomina occurrunt. De Horatio, ſi recte legatur, monuit Cujacius *d. L.* XII. *Obſerv. C.* 18. locus eſt *Epod.* XVII. 50. cui addo Inſcriptiones apud Gruterum *p.* CCCCXXX. & DCCCXVI. & denique Lampridium in *Commod. C.* VII. ibi enim *Pactumejum Magnum* eſſe legendum pro *Pactulejo Magno* Caſaubonus notavit, & dubitare non patitur *d. l* 92. *ff. de Hær. inſt.*

Variant Codices in nomine fœminæ, cui inſcripta eſt *l.* 1. *C. Quando mul. tut. offic. fung. pot.* ſed præferendos eſſe, qui *Otaciliæ* exhibent, docere poterit, eidem Otaciliæ inſcripta, *l.* 6. *C. Qui pet. tut.* quæ eſt & ejusdem Imperatoris, & ejusdem anni. Apud Gruterum multi ſunt Otacilii.

Meminit *Sancti Caſſii Prætoris l. ult. ff. de Acq vel omitt. hæred.* Sunt homines profani, qui nequidem ipſi *Sancto* parcunt, ejusque loco neſcio quid aliud ſubſtituunt. Varie Varii interpolant, etiam Cujacius in *Comm. ad Rubr. ff. de Dol. mal.* quod factum non oportuit. *Sancti* nomen in Republica Romana ſatis fuit frequentatum, quamvis Roma hodie plures Sanctos habeat. *Tib. Caſſius Sanctus* memoratur in *Inſcript. Gruteri p.* XXI. & aliis *Sanctus p.* CCCLIII. *Atteji Sancti* Oratoris mentio eſt apud Lampridium in *Commodo C.* I. & *Sanct. Sabini* apud Symmachum *Lib.* V. *Epiſt* 39. & a *Sancto* forte *Sanctianus*, quod nomen habent quidam Libri in *Inſcript. l.* 2. *C ad L. Falcid.* Retinenda igitur Florentina ſcriptura, aut, ſi mutanda, non, ut alii, mutem, ſed pro *Sancto* reponam *Scantio*. *Scantii* nomen uſitatiſſimum eſt, & ſexcenties occurrit apud Gruterum: memorat quoque Varro apud Nonium in *Hornum*; & inde *Scantinius*, & *Lex Scantinia*. Literas autem in nominibus propriis magis, quam communibus, tranſponi dudum obſervatum eſt.

D. Pius in *l.* 15. § 1. *ff. de Quæſt.* dicitur reſcripſiſſe *Mæcilio*, quæſtionem non eſſe habendam de minore XIV. annis. Pro *Mæcilio* veteres Editores fere habent *Metilio*: & ſane vitium eſt in eo nomine; at omnino reſtituendum ex *l.* 10. *pr. ff. eod. Tit.* ubi idem ea de re Reſcriptum adducitur, ſed ad *Cæcilium Jubentianum*. Quare pro *Mæcilio* reſcribe *Cæcilio* in *d. l.* 15. §. 1. & bene feceris.

Si in laudandis Auctoribus JCti noſtri rationem temporis habuerint, ut video vulgo placere, *Publicius* ille, quem Modeſtinus adducit in *l.* 51. §. 1. *ff. de C. & D.* & Ulpianus in *l.* 2. §. 8. *ff. ad SC. Tertull.* non poteſt fuiſſe idem cum Publicio Gellio, Servii diſcipulo, cujus meminit Pomponius in *l.* 2. §. 44. *ff. de O. J.* nam in *d. l.* 2. §. 8. Africano poſtponitur; & Africanum, ratione temporis, conferri non poſſe cum Auditoribus Servii, non eſt, qui negabit. Bertrandus tamen hunc atque illum Publicium eundem eſſe credidit, atque ita quoque alii. Ego diverſos fuiſſe putem; & ſane plures fuerunt *Publicii*, etiam Africano æquales. Certe *Publicio* reſcripſit Antoninus in *l.* 1. *C. Quomodo & quando Jud.* qui idem fuerit cum Publicio Modeſtini & Ulpiani, quemadmodum non affirmavero, ita neque negavero.

Diocletianus & Maximianus in *l.* 4 *C. Commun. de ſucceſſ.* reſcribunt *Aſterio*, & iidem *Haſterio* in *l.* 8. *C. de Petit. hæred. Haſterio* forte eidem, nam Aſterium, an Haſterium dicas perinde eſt, ut dicimus Adrianum & Hadrianum. Aſterio quoque reſcribitur in *l.* 4. *C. de Aquæduct.* Et *Aſterius Scapula* vocatur alter Conſulum, ſub quibus factum eſt SC. de adſignandis libertis, in §. *ult. Inſt. de Adſign. libert.* qui ipſe tamen in *l.* 1. *pr. ff. eod. Tit.* dicitur fuiſſe *Oſterius Scapula.* Utrumque perperam: *Oſtorius* homini nomen fuit, & ita inter ſuffectos eum recenſent. Onuphrius & Pighius in *Annalib.* Theophilus quoque *Oſtorium* appellat, & Tacitus variis locis. Cæterum cum *Aſterii* nomen ſatis alias fuerit uſitatum, & Impp. Diocl. & Maxim. bis Aſterio reſcripſerint iis, quos dixi, locis, forte eorundem Reſcriptum in *l.* 27. *C. de Liber. cauſ.* ad quendam *Aſterium* fuit, non ad *Auſterium*, ut nunc legitur. Attamen video Gordianum *Auſtero* reſcripſiſſe in *l.* 3. *C. Depoſit.* quod an mutandum ſit in *Auſterium*, an *Auſterium* in *Auſterum*, an utrumque in *Aſterium*, qui certo dicat, nullus erat.

In eo, eave, cui reſcriptum eſt in *l.* 2. *C. Si maj fact. rat. hab.* mirum variant Codices, ſed recte videntur exhibere, qui *Soteri* exhibent. *Soteri* quoque reſcriptum memoratur in *l.* 12. *ff. de Acquir. vel omitt. hæred.* & in Marmoribus & Lapidibus id nomen aliquoties eſt obvium.

Paconius, ut Florentiæ legitur, legendum eſt in *l.* 3. *ff. Si a par. quis manum.* occurrit id nomen & in inſcriptione *l.* 6. *C. de Admin. tut.* ſed idem, an alius fuerit, non definiverim. Plures fuerunt *Paconii*; memoratur *Paconius* apud Diomedem *L.* III. *C. de Pedibus Metricis*, utique ſi recte Putſchius edidit ex MSS. & iterum apud Suetonium in *Tiber. C.* 61. & alios.

Trophimas nomen proprium eſt in *l.* 26. §. 2. *ff. Depoſit* id quum neſcirent Viri docti, varias lectiones & interpretationes commenti ſunt. Alii eas recenſuerunt, ſed, qui damnarunt, damnaſſe contenti, non probarunt, etiam alibi id nomen reperiri. Eſt autem Trophimi mentio in *l.* 27. *ff. de Fideicomm. libert.* & Trophimæ in *l.* 34. *pr. ff. de Uſu & uſufr. leg.* Trophimæ quoque inſcribitur *l.* 6. *C. de Pigner. act.* Et *l.* 1. *C. de In jus voc.* quæ nunc *Trophinio* inſcribitur, inſcribenda forte eſt *Trophimo*. In ſacris etiam & profanis literis id nomen offendi, ſed loca non adſcribo; de Jure conſtat.

Aithales in *l* 24. *ff. ad L. Corn. de falſ.* genuinum eſt & gentile nomen. Αἰθαλέων meminit Stephanus in Αἰθάλη & in *Notis* Lucas Holſtenius. Qui ipſe recte obſervat, Nicolaum Heinſium pro *Italis*, quod eſt apud Ovidium *de Pont. L.* II. *Eleg.* 3. optime reſtituiſſe *Aethalis*; pari prorſus ratione, qua in *l.* 9. *ff. de L. Rhod. de Jact.* pro *Italia* reſcribi poſſe *Aethalia* in Libello ad *d. L.* ipſi obſervavimus, non aliorum obſervationi ſubſcripſimus.

In *l.* 86. *ff. de Acquir. vel omitt. hær.* non ma-

male *Pantonius Avitus* quondam legebatur, nec opus erat id mutare in *Pannonium Avitum*, vel *Pomponium*, vel, ut Alciatus *L.* VII. *Par. Jur. C.* 16. & poſt eum Muretus *L.* II. *Epiſt.* 6. in *P. Antonium*. Pantonii nomen fuiſſe uſitatum liquet ex inſcriptione *l.* 2. *C. pro Soc.* & Pantonia etiam eſt apud Gruterum *p.* DCCXVIII. niſi & utrobique mendum eſſe fingas.

Claudii Hieroniani nomen apud Ulpianum in *l.* 12. §. 40. *ff. de Inſtr. vel inſtr. leg.* varie mutatum eſt. Haloander legit, *Claudius Hieronymianus*: quo nomine Veteres eſſe uſos non memini. Alii Editores *Hermonianus*, & Cujacius *L.* I. *Obſerv. C.* 28. *Herminianus*. Ego non dixerim in *Hieroniani* nomine quicquam eſſe mutandum, at ſi mutandum eſſet, non incommodum legeretur *Herennianus*; in Faſtis memoratur *Herennianus Conſul* ſub M. Antonino, & *Herenniano* reſcripſiſſe leguntur Divi Fratres apud eundem Ulpianum in *l.* 6. §. 1. *ff. de Muner. & bonor.* qui Herennianus in antiquis Editionibus quoque vocatur *Claudius*

Florentiæ in *l.* 26. *ff. de Oper. libert.* ita legitur: *Medicus libertus, quod putaret, ſi liberti ſui medicinam non facerent, multo plures imperantes ſibi habiturum, poſtulabat, ut ſequerentur ſe, neque opus facerent*, & quæ ſequuntur. Abſurda eſt oratio de Medico liberto, qui libertos Medicos habet: quæ ratio eſt, quod in Vulgatis Libris legatur non *Medicus libertus*, ſed *Medicus patronus*, quod tantum abit a Libro Florentino, ut, ſervato *Medico*, mallem *libertum* exſcindere, quam ita legere vel edere, idque ex ſola, ni fallor, conjectura. Si *libertos* reſcribamus pro *libertus*, ſubſiſtet quidem ſententia, ſed quia mox ſequitur *liberti ſui*, inconcinna & ingrata erit hæc repetitio, utique indigna auctore ſuo, Alpheno Varo. Cæterum, quia *Liberii* nomen apud Romanos uſurpatum legi, fere adducor, ut credam, pro *Medicus Libertus* ſcribendum eſſe *Medicus Liberius*, *T.* ſic mutato in *I.* proclivi vitio. Simili ratione, ſed oppoſita emendatione, *Publicium Fortunatum Liberium*, quod nomen eſt in Inſcriptione apud Gruterum *pag.* CCLVIII. Marquardus Gudius, nupera Editione, mutat in *Publicium Fortunatum Libertum*; nec repugnarim, ſi de neceſſitate mutandæ lectionis mihi conſtaret, quemadmodum nunc non conſtat. Eſt & aliud in verbis *d. l.* 26. quæ repræſentavi, quod male habet Interpretes, ſed cur male haberet, ratio non fuit. At quia illud ad nomina propria non pertinet, tantum non digrediar.

CAPUT VIII.

L. 3. ff. Si pars hæred. pet. *varie emendata & explicata.*

Cum agitur de jure ventris conſervando, quæri ſolet de numero puerperii. Et ait Paulus in *d. l.* 3. eam rem non eſſe, quæ facile poſſit definiri; poſt alia autem ſic infit: *Ubi eodem gradu ſunt cæteri, quo & venter, tunc quæ portio in ſuſpenſo eſſe debeat, quæſierunt; ideo quia non poterant ſcire, quot naſci poſſunt: ideo nam multa de hujuſmodi re tam varia & incredibilia creduntur, ut fabulis adnumerentur.* Hæc verba, tanquam ſine ſcrupulo, ab Interpretibus fere video tranſmitti, ſed Latinas aures offendit illud duplex *ideo*, neſcio etiam quo ſenſu, & cumulata hæc locutio *ideo nam*, quid proprie ſibi velit, etiam non intelligo. Sunt, qui legunt, *ideo quod*, ſed nec ita defungimur difficultate. Haloander: *& quia non poterant ſcire. . . . ideo multa de hujuſmodi re &c.* optima ſententia, & omnino probanda, ſi non a Libro Florentino nimium recederet. Magis accedet, ſi, quod dudum fecimus, & dum hæc ſcribo, video quoque feciſſe Deſiderium Heraldum *Obſerv. & Emendat. Cap.* XXXIX. pro *ideo*, quod poſtremum occurrit, reſcribamus *adeo*, ſenſu liquido. Sin autem non feras, τὸ *nam* poſtponi τῷ *adeo*, per me licet legas *namque*, vel *nam* præponas, ut ſæpe voces commutatæ ſunt: neque enim *tam*, quod hic Heraldus reponit, mihi probabitur unquam, cumulatis ſic duabus vocibus ejuſdem plane poteſtatis. Illud *incredibilia creduntur* eſt quoque duriuſculum. Haloander: *incredibilia tradiderunt*. Heraldus, *traduntur*; pro *creduntur* utique facilius legeretur *feruntur*, ſed malo ſervare, quam mutare duram locutionem: non eadem ſemper in Scriptoribus eſt ſtyli accuratio.

Pergit Paulus: *Nam traditum eſt, & quatuor pariter puellas a matrefamilias natas eſſe. Alioquin tradidere non leves Auctores, quinquies quaternos enixam Peloponeſi, multas Ægypti uno utero ſeptenos.* Quia ad hanc L. ſpicilegium damus, non Commentarium, ad hæc verba legi poſſunt, quæ ſcripſit Guido Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 27. Carolus Annibal Fabrotus *Diſſertatione, de Numero puerperii*, qui pro *quinquies quaternos* ſubſtituendum eſſe *quinos quater* ex Plinio *L.* VII. *C.* 3. aliiſque non ineleganter monuit, ſed monitus forte ante a Pamelio & Junio ad *Tertullianum de Anim. C.* VI. qui & ipſi ita legunt.

Sequitur apud Paulum *ſed & tergeminos Senatores cinctos vidimus Horatios.* Valde conſpiratum eſt in necem horum verborum. Et quamvis decantatum in Hiſtoria Romana ſit exemplum Horatiorum Curiatiorumque, tamen non patitur hic *Horatios* ipſe Cujacius. Igitur tanquam Gloſſema delet, pro *cinctos* reponens *Cincios*, quia ſcilicet Paulus tergeminos Horatios per ætatem videre non potuit, quos tamen ſe vel ſuæ ætatis homines vidiſſe adfirmat, hoc enim ſignificare credidit illud *vidimus*. Cujacium, ut fit, alii gregatim ſequuti ſunt. Atque ea ipſa ratione Salmaſius *Obſerv. ad Jus Att. & Rom. C.* XV. ejectis *Horatiis*, *cinctos* mutat in *Quintilios*, & Menagius *Amœnit. Jur. Civ. C.* XXXI. *cinctos* in *Quintos*: alios ſic, ſine ullo auctore, tergeminos patrantes. Heraldus, eo, quem dixi, loco *Horatios* ſervat, ſed mavult eſſe *Servatores*, rei Romanæ videlicet, quam *Senatores*, mavultque Paulum eos vidiſſe *pictos*, quam *cinctos*, quo nomine eum eleganter Salmaſius deriſit. Præfert tamen Heraldus hanc emendationem: *cuncti vidimus*, pro *omnes novimus*, *omnes ſcimus*, & in hanc rem advocaſſe poterat Libros, qui *cunctos* exhibent, quemadmodum & MS. meus. Quod autem Heraldus integram hanc de Horatiis ſententiam loco hic movet, & ad finem Legis transfert, adeo ſine ratione eſt, ut refutare ſit indignum. Budæus quoque ad *h. L.* ne obſtet temporis ratio, Paulum exiſtimat vidiſſe alios quosdam Horatios tergeminos, quam ſunt, quorum ſub Tullio Hoſtilio meminerunt Livius, Plinius, alii. Atque ea ipſa forte ratione pro *Horatiis*, *Oratores* Editores quidam ex conjectura ſubſtituerunt.

Sane non potui ſatis mirari, Viros undiquaque

que doctiſſimos non alia ſere cauſa in Horatios inſurgere, quam quod illud *vidimus* ſit referendum ad Pauli ἀυτοψίαν, quum ſit veriſſimum, recte illud explicari, ut explicavit Pancirolus *d. L.* II. *Variar. Lect. C* 27. videlicet, ut ait ille, *auctores legendo*; atque ita *vidimus*, hoc eſt, obſervavimus in Hiſtoria, reperimus in Annalibus tergeminos Horatios &c. Vellem, quod Pancirolus dixit, probaſſet quoque, tunc enim ea opera potuiſſem ſuperſedere; & ſane dignum eſt probare, quum id non animadverterint Viri, qui alioquin Latine noverunt, ut qui optime. Pomponius in *l.* 123. *ff. V. S.* ita verba quandoque efferri oſtendit, ut quæ de præſenti prolata credas, præteritum tamen tempus ſignificent. Atque ita Juſtinianus in *l.* 1. *pr. C. de Offic. Præf. Præt. Afric.* Vandalorum in Africa furores memorans, VIDIMUS, inquit, *venerabiles viros, qui abſciſſis radicitus linguis ſuas pœnas miſerabiliter loquebantur.* Et Tertullianus *de Pallio*: HABES SPECTARE, *quod Cæcina Severus graviter Senatui impreſſit, matrona ſine ſtola in publico.* Nam, ſi quis tricari & hic vellet, quod longe erat præteritum, amplius ſpectari non poterat, ſed vero, quod oculis uſurpare non licebat, licebat fide hiſtorica. Neque adeo Joſephus Scaliger ex eo, quod Auctor Tragœdiæ, quæ *Octavia* inſcribitur, *verſ.* 231. & 232. ita ajat:

——— *Vidimus cælo jubar*
Ardens, Cometam pandere infeſtam facem.

non, inquam, ex eo ad *hunc loc.* tuto collegerit, Auctorem illius Tragœdiæ illud ſidus vidiſſe. Apud Veteres plura loca obſervavi, ubi *videndi* vox non ſemper oculis tribuitur, ſed & auribus, & narrationibus; ita Tacitus in *vita Agric. C.* XLV. & paſſim alii.

Deinde non ferunt Horatios *Senatores*, quare eos Senatu movent, ſuffectis aliis, atque his etiam, de quibus non magis conſtat, Senatores fuiſſe, quam de Horatiis. Sed cur Paulo, id adfirmanti, non credimus? maxime cum Horatiorum gens fuerit Patricia, & ſoli Patricii olim in Senatum lecti. Addo, ex Livio etiam, & Faſtis conſtare, ex Horatia gente plurimos primis Reipublicæ temporibus, Conſulatu quoque fuiſſe functos. Quid igitur obeſt, quominus hos Horatios & Senatores fuiſſe credamus? Et quid etiam obeſt, cur non illos Senatores Paulus recte dixerit *cinctos*, vulgari verbo, pro *armatis*, & *in hoſtem ire paratis*? Exprimit rem novam, Senatores ſcilicet, homines tantæ dignationis, cum Curiatiis congreſſos, pro ſalute Populi Romani, idque exprimit una voce, ſed militari, ſed apta, & quæ ſufficit ſignificandæ rei, quam dicere voluit. Poſſumus ſic retinere antiquam lectionem, & Florentinam, reliquas tuto omittere, & ſimul parcere emendationibus, cum Heraldi, tum aliis.

Porro Paulus: *Sed & Lælius ſcribit, ſe vidiſſe in Palatio mulierem liberam, quæ ab Alexandria perducta eſt, ut Hadriano oſtenderetur cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa, inquit, dicebatur, quintum poſt diem quadrageſimum.* De ſuperfœtatione non agam, ne, quod abominor, cum Medicis nobis res ſit; ex hominibus noſtri fori de ea egit Budæus in *Annot.* ad *h. L.* Cæterum Criticis prolixa hic rurſus calumniandi materies eſt, ſed recte ſe habent omnia. *Lælius*, ut legitur Florentiæ, legendum eſt, nec ulla ratio, cur *Lælius* mutetur in *Ælius*, vel in *Gajus*, quamquam verum ſit, Gajum quoque hanc mulierem videre potuiſſe, nam ſua ætate ad Hadrianum perductam eſſe ipſe memorat in *l.* 7. *pr. ff. de Reb. dub.* In Ægypto & hunc partum ſibi narratum ſcribit Julianus in *l.* 36. *ff. de Solut.* & alii quoque Auctores eam rem literis & poſteritati mandarunt. Quum autem hæc mulier Romam perducta fuerit, quo Hadriano oſtenderetur fœcunda mater, præter Hadrianum plures eam vidiſſe certum eſt, & cur non Lælius, qui id ſcribit? potuit & is vidiſſe, potuit & Gajus, quamquam ſe vidiſſe Gajus non præciſe adfirmet in *d. l.* 7. *pr. ff. de Reb. dub.* Lælii auctoritatem idem Paulus advocat in *l.* 43. *ff. de Hæred. petit.* Pancirolus eo, quem dixi, loco hunc Lælium perperam videtur confundere cum Lælio Felice, qui ad Q. Mucium ſcripſit, & cujus meminit Gellius *Noct. Attic. L.* XV. *C.* 27. Cæterum quod Capitolinus in *Antonino Pio C.* IX. ſcripſit, *ejus temporibus uno partu mulieris quinque pueros editos eſſe*, ad hanc ipſam hiſtoriam referunt Viri docti, ad partum ſcilicet mulieris Alexandrinæ, cui *Serapias* nomen fuiſſe dixit Gajus in *d. l.* 7. *ff. de Reb. dub.* & ſimul accuſant anachroniſmum Capitolini, qui de Antonino dixit, quod de Hadriano dicere debuiſſet. Ita Caſaubonus ad *d. C.* IX. & Fabrotus *Exercit.* II. *de Numero puerperii.* Sed Capitolinus, ſi quid judico, facile abſolvi poterit. Non conſtat, eum loqui de eodem partu mulieris Alexandrinæ, potuit fuiſſe alius, quemadmodum & plura feruntur exempla mulierum, quæ quinque liberos uno partu enixæ ſunt. Sin autem vel maxime conſtaret, ad eandem fœminam reſpexiſſe Capitolinum, non dicit, ad Antoninum eam fuiſſe perductam, quod de Hadriano dicunt alii, ſed *ejus temporibus* hunc partum accidiſſe, quod verum eſſe poteſt, & ſimul verum, hanc ipſam mulierem Hadriano fuiſſe oſtenſam. Utque adeo non ſit neceſſe heic commentari de commutatis aliquando apud Veteres Hadriani & Antonini nominibus, vel cum Samuele Petito *Obſerv. L.* II. *C.* 3. ſubſiſtere, & nihil quicquam definire.

CAPUT IX.

Leviſſima emendatio L. 52. §. 2. ff. pro Socio.

Ulpianus ex Celſo docet in *l.* 52. §. 2. *ff. pro Soc.* ſubſiſtere quoque ſocietatem, ſi ſociorum alter rem, alter ſolam artem & operam conferat, *velut*, inquit, *cum pecus in commune paſcendum, aut agrum politori damus in commune quærendis fructibus.* In Vulgatis Libris eſt *pollicitatori*, apud Haloandrum *pollicitori*, eadem ſententia, ſed peſſima & parum Latina. Taurellius Florentiæ *politori*, & ſic quoque Vintimillius Pariſis 1548. præter has lectiones non eſt alia in Libris meis. Budæus, uſus Libro vulgato, pro *pollicitatori*, quod ibi eſt, & recte rejicit, non recte ſubſtituit, *colendum licitatori*, id eſt, colono partiario, plurimo omnium licitanti. Exiſtimat ſcilicet, compendio ſcriptum fuiſſe *col. licitatori*, & inde natum *pollicitatori*; ſed hac ſententia non utimur. Antonius Auguſtinus lectionem Florentinam defendit *L.* IV. *Emend. C.* 9. & politores eſſe ſcribit, qui agros excolere atque polire conſueverunt, advocato Nonio Marcello, qui *Politiones* eſſe dixit *agrorum cultus diligentes, ut polita omnia dicimus*

excul-

exculta & ad nitorem deducta, advocatis præterea auctoritatibus, quas & Nonius adduxit, ut *politi* & *poliendi* verbum ad agros quoque translatum probet. Deinde & Catonem *de Re ruſtica* laudat Auguſtinus, qui cum agricolam dicere vellet, *politorem* dixiſſet. Neque tamen minus ipſe ille Auguſtinus tandem de vera lectione videtur ſubſiſtere, cum ait, *illud ſine dubio eſſe, non emendandum* LICITATOREM, *neque* POLLICITOREM, notato ſic Budæo & Haloandro. Auguſtinum, pro ſcriptura Florentina ſtantem, ſequitur Duarenus *Comm.* ad *Tit. ff. pro Soc. C.* IV. Ruſſardus *Not. ad h. L.* Salmaſius ad *Solinum p. m* 365. Turnebus *Advers. L.* XXX. *C.* 6. & alii, quos non recenſeo.

Ego vero dubitem, an recte legatur *politori*, utcunque verum ſit, *politiones*, teſte Nonio, ſignificare *diligentiores agrorum cultus*; translatio enim hæc eſt, non propria & una ejus vocis ſignificatio, nam Feſtus auctor eſt in *Depolitum*, *omnes perfectiones Antiquos appellaſſe* POLITIONES; & ad veſtimenta etiam quam maxime *politionis* verbum pertinet, ut de veſtimentis uſurpavit idem Feſtus in *Polimenta*. Sane ut *poliendi* & *politi* vox cum de veſtibus, tum de armis ſumitur, ſic non negem de agris quoque ſumi poſſe: *poliuntur* enim, cum coluntur, & domantur; & *politi* ſunt, cum, ut ait ille,

Aratro domefacta nitet tellus.

Sed vero *politorem* pro *agricola* uſpiam me legere non memini. Locus Catonis, quem Auguſtinus adducit, eſt de *R. R. C.* 136. ubi ſic habent verba in Edit. apud Gryphium 1537. *Si communiter piſunt, quæ ex parte pollintori pars eſt, eam partem in piſtrinum pollintor ordeum V. fabam quinta modio dividat.* Agit igitur de *pollintore*, non de *politore*, quod nihili eſt. In vetuſtiſſima quidem Editione, quæ Regii prodiit 1496. ſcribitur *pollitori pars eſt*, ſed lucrifacta vel omiſſa litera N. pro *pollintore*: nam in ea ipſa Editione mox eſt, *pollintor ordeum V. fabam quinta modio dividat.* Et ſane apud Catonem eo loco nec legendum, nec emendandum eſſe *politori*, qui agricolam ſignificet, ſatis argumenti eſt, quod *eo Capite* agat de *pollintione*, & quemadmodum hanc dari oporteat. *Pollintor* autem eſt Curator piſtrini, qui pollinem purgat, ut Georgius Alexandrinus in *Enarratione priſcarum vocum apud Catonem*, & alii paſſim obſervarunt. Atque eo ipſo loco *pinſendi* & *piſtrini* vocibus utitur Cato, quæ pollintori, non agricolæ conveniunt. Et ſic perperam Turnebus *L.* XV. *Adverſ. C.* 15. & *d. L.* XXX. *C.* 6. ita Catonem exhibet, ac ſi *politio*, & *politor*, non *pollintio*, & *pollintor* legeretur. Quapropter non liquet, *politorem agri*, & multo minus ſimpliciter *politorem* pro *agricola* dici, & ſi *politiones* ad agros quoque transferantur, id factum puta, quod omnes perfectiones ita dicerentur, & quidem apud *Antiquos*, ut Feſtus adnotavit; neque Ulpianus noſter, in explicanda arte populari, cenſendus eſt tam caſcum olere. Quin ſi vel adhuc Ulpiani ævo *politio* dicta fuerit in eam ſententiam, non id continuo *politorem* probaret, ſine ullo Populi ſuffragio.

Ut igitur, quod mihi videatur, libere dicam, illud *politori*, quod nunc apud Ulpianum eſt, mendoſum reor; proque eo, ſi me præeuntem ſequaris, reſcribes *olitori*. Olitor, vulgari verbo, eſt, qui olera & quaſcunque herbas ſerit, colligit, vendit. Dico, *vendit*, cum olitor etiam ea ſignificatione occurrat, & Latinis quandoque idem ſit, qui Græcis λαχανοπώλης. Simpliciter autem pro agricola ſexcenties uſurpatur, ut fruſtra ſit in hanc rem Auctores laudare. Atque ita opportunum erit, quod ait JCtus, ſocietatem recte etiam contrahi, ſi, quo fructus communes ſint, alter agrum conferat, alter agri curam ſuſcipiat, & ea faciat, quæ olitoris ſunt. Baſilici vertunt, ſi ager datus fuerit εἰς ἐργάται: recte, nam in eo fere abſolvuntur partes agricolæ. Emendationis invidiam amolietur jactura unius literæ.

CAPUT X.

Solus animus quemadmodum æſtimetur in criminibus.

Non eſt verum, Jure Romano crimina ſolo animo cenſeri ac puniri. Contra dixerim, eo Jure animi propoſitum, effectu deſtitutum, non coërceri, niſi in quibuſdam delictis, in quibus ſpecialiter id recepit publica utilitas. Regula eſt Juris Civilis, *cogitationis pœnam non eſſe l.* 18 *ff. de Pœn.* recepta & Jure Pontificum *C.* 14. & 20. *de Pœnitentia Diſtinct.* I. nec patitur ejus regulæ latitudo, nec locus de criminibus, quem mox exponam, ut eam reſtringamus ad Edictum, QUOD QUISQUE JURIS, quemadmodum reſtrinxit Cujacius *L.* VIII. *Obſerv. C.* 22. Cato quoque, Rhodienſes defenſurus, in Oratione apud Gellium *L.* VII. *Noct. Attic. C.* 3. bellum eos Populo Romano non feciſſe, etſi maxime voluiſſe, oſtendit, & Legum argumento tuetur, neminem pœnas dare, *quod arguatur male facere voluiſſe.* Quod autem Servius annotavit ad hunc verſiculum Virgilii *L.* VI. *Æneid.*

Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.

id nempe dici *ſecundum Romanum ritum, in quo non tantum exitus punitur, ſed & voluntas*, neſcio an Cujacius *d. L.* VIII. *C.* 22. recte fuerit interpretatus. Poteſt accipi, ac ſi dixiſſet, ritu Romano ſolum eventum non puniri, puta ſi caſu mero nocitum ſit, ſed ſi adfuerit nocendi animus ac voluntas, quomodo id reſcribit Antoninus in *l.* 1. *C. ad L. Corn. de ſicar.* Vel ita: eam demum voluntatem puniri ritu Romano, quam exitus ſequutus eſt, ubi, ut DD. loquuntur, adeſt *corpus delicti*, ea plane ſententia, quam hic defendimus; atque id, quia Virgilius dixit, *auſi auſoque potiti.* Sed quid tandem ejus rei ſit, non me moverint auctoritates exteræ, cum Jure res definita eſt; ex eo igitur manus conſeramus.

Claudius Saturninus in *l.* 16. *pr. ff. de Pœn.* ait, aut facta puniri, aut dicta, aut ſcripta, aut conſilia. De conſiliis, atque adeo de ſolo animo, exempla proponit hæc: *ut conjurationes, & latronum conſcientia, quoſque alios ſuadendo juviſſe ſceleris inſtar eſt.* Non promiſcue, ut vides, loquitur de omnibus delictis, ſed de *conjurationibus*, & verum eſt in crimine Majeſtatis etiam hoc ſingulare eſſe, ut ſola voluntas puniatur *l.* 5. *pr. C. ad L. Jul. Majeſt.* ſed de *latronibus*, & verum eſt, Lege Cornelia de ſicariis & veneficiis teneri, non tantum qui occidit, vel vulneravit, ut occidat, ſed & qui cum telo ambulavit hominis occidendi cauſa, quique venenum confecerit vel dederit, quo homo pereat, licet non perierit *l.* 1. §. 1. & 3. *ff.*

ad

ad L. Cornel. de ſicar. Quod utrumque recte & ex uſu Jurisprudentiæ Seneca exſequutus eſt in Libello, quo docuit, *in Sapientem non cadere injuriam* C. VII. *Aliquis mihi venenum dedit, ſed vim ſuam remixtum cibo perdidit, venenum illud dando ſcelere ſe obligavit, etiamſi non nocuit. Non minus latro eſt, cujus telum oppoſita veſte elatum eſt.* Recte, inquam, & ex uſu Jurisprudentiæ, quia in ſicariis & veneficiis id placuit, & Lege Cornelia receptum eſt, nam in ea dolum pro facto accipi notavit Paulus in *l.* 7. *ff. ad L. Corn. de ſicar.* IN LEGE CORNELIA, inquit, *dolus pro facto accipitur*: non in quibuscunque criminibus, at in Lege Cornelia. Quod æque ſingulare eſt, atque alterum, quod mox addit, *nec* IN HAC LEGE *culpa lata pro dolo accipitur*, quo ſic alias Leges videatur excludere. Non tamen recte Seneca *d.* C. VII. poſt duo exempla, quæ ad L. Corneliam pertinent, hoc ſuperdicit: *omnia ſcelera etiam ante effectum operis, quantum culpæ ſatis eſt, perfecta ſunt.* Ita forte Philoſophus, non ita JCtus, cujus partes nunc agimus. Tandem Saturninus in *d. l.* 16. *pr.* conſilia ait puniri, quæ, alios ſuadendo juviſſe, ſceleris inſtar ſunt; ſed id pertinet non ad cogitata, nec perpetrata crimina, verum ad conſilia, quæ aliis damus in damnum vel necem alterius. Egregius eſt locus, quem ex Sabino noſtro in hanc rem Gellius adduxit *L.* XI. *Noct. Att.* C. 18. *in fin.* furtum ſcilicet ſine ulla quoque contrectatione fieri, SOI A MENTE ATQUE ANIMO, UT FURTUM FIAT, ANNITENTE. *Quocirca ne id quidem Sabinum dubitare, quin dominus furti ſit condemnandus, qui ſervo ſuo, uti furtum faceret, imperavit.*

Et quemadmodum Saturninus in *princ. d. l.* 16. ſpecialiter excepit, quæ conſilia puniantur, ſic ipſe ille in §. 8. generaliter tradidit, in criminibus *eventum ſpectari*, quæ, ut diximus, regula eſt; non igitur placuit ſpectari ſolam animi deſtinationem, niſi præciſe id fuerit Lege cautum. Quapropter & ab hac regula in *d.* §. 8. excipit Legem Corneliam, ut ſupra de latronibus dixerat, *quanquam*, inquit, *lex non minus eum, qui occidendi hominis cauſa cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, puniat.* Et ſane plures ſunt exceptiones ab hac regula, nam præter Legem Juliam Majeſtatis & Corneliam de ſicariis & veneficiis etiam aliæ Leges ſunt, quæ voluntate ſola crimina metiuntur ac plectunt: Parricidii *l.* 1. *in fin. ff. ad L. Pompej. de parricid.* Quintilianus *Declam.* CCLXXXI. Ambitus *l.* 1. *C. Theod. de Ambit.* Raptus virginis ſacræ vel invitæ *l.* 2. *C. Theodoſ. de Raptu vel matrimon. ſanctim. virgin. l.* 5. *C. Juſt. de Epiſc. & Cler.* in quibus omnibus ordinariæ pœnæ locus eſt. Neque fuiſſet opus his Legibus ſpecialiter id complecti, ſi generaliter & ubique id obtinere verum eſſet. Audiamus potius Tryphoninum in *l.* 225. *ff. de V. S.* FUREM, ADULTERUM, ALEATOREM, *quamquam aliqua ſignificatione & animi propoſitione cujusque ſola quis dicere poſſet, ut etiam is, qui nunquam alienam rem invito domino ſubtraxerit, nunquam alienam matremfam. corruperit, ſi modo ejus mentis ſit, ut occaſione data id commiſſurus ſit, tamen oportere eadem hæc crimina* ASSUMPTO ACTU *intelligi.* quod deinde ad *fugitivum* transfert. Hinc eſt, quod ſollicitatores alienarum nuptiarum non puniantur, niſi extra ordinem *l.* 1. *pr. ff. de Extraord. crimin.* & qui perfecto flagitio capite puniuntur, imperfecto in inſulam deportantur *d. l.* 1. §. 2. dummodo meminerimus, *imperfectum* hic dici, quum aſſumpto licet actu, tamen adhuc ſuperſit, quod agatur. Atque hinc, qui furti faciendi cauſa conclave intravit, nondum fur eſt, quamvis furandi cauſa intravit, ſed de vi accuſabitur, ſi per vim intravit, alioquin ſimpliciter injuriarum tenebitur *l.* 21. §. 7. *ff. de Furt.* Addo, ne longum faciam *l.* 6. *pr. ff. ad L. Cornel. de falſ. l.* 22. §. 4. *eod. Tit. l.* 3. *ff. de His qui not. infam. l.* 1. §. *ult. ff. Quod quisque jur. in alter. ſtat. ut ipſe eod. jur. ut.* quæ omnes, in ſpecie non una, probant, voluntatem ſine effectu plane non puniri.

Quid ergo eſt, quod generaliter D. Hadrianus reſcripſit: IN MALEFICIIS VOLUNTAS SPECTATUR, NON EXITUS *l.* 14. *ff. ad L. Corn. de ſicar.* Sane hæc definitio Interpretes adegit, quo crederent, generalem hanc eſſe Juris Romani regulam; loquitur enim non de homicidio, ſed generaliter de maleficiis, ait Cujacius *L.* XIX. *Obſerv. C* 10. Sed ego non dubito, quin ea *Lex* 14. ſit intelligenda, non de quocunque maleficio, at de *maleficio*, quod ita per eminentiam dicitur, & quod damnatur in *Tit. C. Theod. & Juſtin. de Malefic. & Mathem.* Quumque hujus maleficii ſpecies ſit *hominem veneno extinguere l.* 1. *C. Juſt. eod. Tit.* haud vana fide quis credat, pertinuiſſe id crimen ad Legem Corneliam, quæ non duntaxat ſtatuit de ſicariis, ſed & de *veneficiis*. Argumento etiam fiet, quod hæc *l.* 14. ad eum relata ſit Titulum, in quo & voluntatem ſine exitu ſpectari novimus, & quod Paulus *Sentent. L.* V. *Tit.* XXIII. & Baſilici *L.* LX. *T.* 39. una Rubrica complectantur crimen homicidii & maleficii. Quin in Codice Theodoſiano paſſim conjunguntur *venefici* & *malefici l.* 1. *Quor. appell. non recip. l.* 8. *de Indulgent. crimin.* & una oratione in *l.* 6. *eod. Tit. qui noxiis quæſita graminibus, & diris immurmurata ſecretis, mentis & corporis venena compoſuit.* Et Modeſtinus in *l.* 13. *ff. ad L. Corn. de ſicar.* quæ proxime præcedit, pœna Legis Corneliæ damnari ſcribit, *qui mala ſacrificia fecerit, habuerit*: quod certe maleficorum eſt. Unde in continenti ſequitur *h. l.* 14. *in maleficiis voluntatem ſpectari, non exitum*; in ejusmodi ſcilicet maleficiis, de quibus proxime actum erat, ſive in maleficiis κατ' ἐξοχὴν ſic dictis. Idque habet evidentem rationem, cum exitus in hiſce fere ſit nullus, & totum crimen tantum non abſolvatur ventilationibus, ſuſurris, carminibus, atque adeo ſolo conatu. Ea ſignificatione ſi *maleficii* vocem accipiamus, intelligemus quoque, quod alioquin obſcurum eſt, C. 20. *de Pœnit. Diſtinct.* I. *in medio: Diſcernuntur a maleficiis ea, quæ de Jure effectum deſiderant: in his enim non niſi animi judicium conſideratur.* Hoc eſt, in maleficiis, quæ proprie ſic dicuntur, ſolus animus ad pœnam ſufficit, cum alia fere crimina effectum deſiderent. Atque ita etiam non καθόλου, ſed κατά τι (ut Græci ajunt) intelligo Apulejum *Florid. L.* IV. *In maleficiis*, inquit, *etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc, vindicantur, cruenta mente, pura manu.*

Ideo autem hæc diſputata ſunt, ne, ut vulgo, credamus, juris Romani regulam eſſe, in omnibus criminibus animum pro facto accipi, neve etiam conſtituamus, id utique obtinere in gravioribus, non in levioribus, quemadmodum conſtituit Cujacius *L.* XV. *Obſerv. C.* 25. & poſt eum plurima pars Interpretum; namque illo errante difficile erat viam rectam tenere. Nolim, inquam, ita conſtitui, cum lubrica ſit definitio, ecquod crimen ſit habendum pro atrociori, ecquod

pro leviori; quis enim arbiter id dixerit: nec ita Leges loquuntur. Sic potius eſt habendum: voluntas in criminibus, quæcunque tandem illa ſint, non punitur, niſi ſi qua lege id ſpecialiter placuerit; atque id opinor me jam viciſſe. Et tamen non negem, in voluntate punienda Leges fere rationem habuiſſe atrociorum criminum, Majeſtatis, Parricidii, Homicidii, Veneficii &c. quod non eo pertinet, ut de omnibus atrocioribus idem dicamus: ſit enim vel atrociſſimum crimen, absque Lege expreſſa ſolam voluntatem nolim puniri. Excute omnia, quæ Cujacius attulit *d. C* 25. quæ item alii, & videbis non generalem definitionem de puniendo animo, ſed loca, quæ ad Leges ſpeciales pertinent, & quæ jam ſupra occupavi.

Cæterum quod de ſola voluntate, absque exitu, punienda, Leges præſcribunt, conſtat non eſſe accipiendum de eo, qui ſcelus in ſeſe tacitum modo cogitat, ſeu de ea voluntate, quæ, ut loquitur *d. C.* 20. *de Pœnit. Diſtinct.* I. *ſuis terminis contenta eſt.* Neque adeo Lege Cornelia tenebitur, qui duntaxat apud animum ſuum propoſuerit hominem occidere, quamvis propoſuiſſe probetur, ſed neceſſe eſt, ut ultra pergat. Pragmatici prolixe diſputant, quousque progredi & voluntatem exerere oporteat, antequam pœnæ ordinariæ ſit locus, ſed variis diſtinctionibus incertiores nos faciunt, quam dudum. Non erraverit, qui in eas ſpecies voluntatis animadvertet, quas Lex expreſſit. Propone, ut exemplum L. Corn. de ſicar. & venef. ſervemus, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulaverit, ſive, ut loquitur Seneca *de Benefic. L.* V. *C.* 14 *qui ad occidendum jam armatus eſt.* Item qui hominis necandi cauſa venenum confecerit, dederit, vendiderit, habuerit, paraverit, quæ ſpecies ſunt in *l.* I. *pr.* & §. 2. *l.* 3. *pr. ff. ad L. Corn. de ſicar.* & apud Paulum *Sentent. L.* V. *T.* 23. §. I. In aliis criminibus videndæ ſunt ſpecies voluntatis, quas ibi Lex expreſſit: & magna cautione opus eſt, ne hæc temere extendamus. Ne quidem auſim dicere, prudentiæ eſſe, ſpecies ſimiles punire, fallunt enim in primis argumenta voluntatis, cum facile alio referantur.

CAPUT XI.

Sententia L. 20. ff. de Evíction. *& Juſta ſuſpicio de levi mendo.*

Lex 20. *ff. de Evict.* ita nunc legitur: *Fundum meum obligavi, deinde alienavi tibi,* UT *eo nomine non obligaberis. Si eum poſtea abs te emam, & ſatis pro evictione mihi des, excipiendum cautione, quod pro me obligatus ſit: quia, etiam non excepto eo, agendo eo nomine contra te, doli mali exceptione poſſim ſummoveri.* Legi autem, ni fallor, debet: *Fundum meum obligavi, deinde alienavi tibi,* TU *eo nomine non obligaberis. Si eum poſtea abs te emam, & ſatis pro evictione mihi des, excipiendum cautione, quod pro me obligatus ſit.* Vel ita, mutata interpunctione: *Ut eo nomine non obligareris* (vel *obligeris*) *ſi eum poſtea abs te emam, & ſatis pro evictione mihi des, excipiendum eſt cautione, quod pro me obligatus ſit,* &c. Ut, quid velit Pomponius, recte intelligamus conſtituenda eſt ſpecies. Sempronio fundum meum hypothecæ dedi, eundem poſt hypothecam tibi vendo, ego, non tu obligaberis ejus hypothecæ nomine: atque adeo ſi illum fundum abs te rurſus emero, eo per Sempronium evicto, nulla mihi adverſus te actio erit, quamvis de evictione mihi caveris; excipies enim, me, non te Sempronio, propter hypothecam, teneri, nec cautionem de evictione, a te auctore interpoſitam, huc pertinere, quia per me ipſum ſtetit, quominus fundum habere liceat. Quin ſi hoc cautioni non ineſſet, me agentem exceptione doli mali poſſis repellere. Hæc eſt ſententia Pomponii, de verbis videamus.

Ait, ut eſt Florentiæ, *ut eo nomine non obligaveris,* pro *obligaberis,* ex more Librarii Florentini, qui literas B. & V. paſſim commutat. Sed ita verba video, ſententiam non æque, quid enim hoc eſt, *fundum, quem obligaveram, tibi alienavi, ut eo nomine non obligaberis?* Nequeunt hæc conſiſtere ſine reliquorum, quæ ſequuntur, mutatione: & tamen *ut* legitur in omnibus omnino Libris: in Vulgatis quidem & apud Haloandrum *obligaveris* pro *obligaberis,* ſed id nihil prodeſt. Quamobrem, trajectis literis, pro *ut* reſtituerim *tu,* proba, ut vides, ſententia, & ea ipſa locutione, quam hic ſervat Pomponius, paſſim enim in *h. L. tibi, te, me* &c. Vel ſublata punctione, quæ lectorem ſiſtit, continua oratione legerim: *ut eo nomine non obligareris, ſi eum poſtea abs te emam, & ſatis pro evictione mihi des, excipiendum cautione, quod pro me obligatus ſit.* Franciſcus Hotomanus *L.* III. *Obſerv. C.* 2. ita proponit, atque ſi fundus venditus eſſet ea lege, ut emptor hypothecæ nomine non obligaretur, nihil vitii ſic ſubeſſe ratus verbis prioribus, ſed, ut tunc procedat Pomponii diſputatio, ſequentibus negationem addit, NON *eſt excipiendum cautione* &c. Hoc eſt, cautione, quam de evictione præſtat venditor, idemque antea emptor, non nominatim exprimendum eſſe, pro me, qui fundum illum redimo, eſſe obligatum, cum integrum ei ſit, ex lege primæ venditionis, me, de evictione agentem, exceptione doli mali ſummovere. Si ita ſcriptum eſſet, non intercederem, nunc vim fieri veto. De cautione mox dicam. Sin ajas, lege venditionis placuiſſe, ne hypotheca teneretur emptor; quis tam fatuum credat, qui redemit, ut contra eum, qua venditorem, ejus hypothecæ nomine de evictione agat, & quis credat, ſollicitum fore Pomponium de genere exceptionis, ſi pacto expreſſo ita convenerit? Venditus, opinor, fundus fuerat ſine mentione hypothecæ, redemptus ab emptore exacta de evictione cautione. Mox creditor fundum evincit, cum auctore ſecundo primus, qui hypothecam celaverat, de evictione agit, quo fundum habere liceat; impio forte εὑρήματι, ſed minus utili.

Ait Pomponius, *excipiendum cautione, quod pro me obligatus ſit.* Libri Vulgati & Haloander, *excipiendum a cautione,* ſed præſtat Codex Florentinus. Hoc autem dicit, compendio locutionis: cautionem, quæ de evictione interponitur, non pertinere niſi ad eas cauſas, ex quibus exceptio naſcitur ex mea perſona, non ex tua, quemadmodum idem Pomponius in iisdem *ad Sabinum Libris* id explicat in *l.* 27. *ff. de Evict.* Adeoque ſi ego, fundi mei redemptor, adverſus te de evictione agam, quod fundus obligatus ſit, reſpondes, *pro me obligatum eſſe,* eaque exceptione me es repulſurus. Aliud eſſet, ſi emptor ipſe ἐπ' ἐξοχὴν fundi obligaſſet, & ex hac

hac vel aliis cauſis, quæ primam venditionem apud ipſum emptorem ſequutæ ſunt, conveniretur fundus, argumento *l.* 46. *ff. de Ædil. Edict.* Hic autem fundus obligatus erat ante primam venditionem, quod mihi agenti obſtat ex natura cautionis, quæ de evictione præſtatur. In Manuſcripto meo legitur, *quod pro me obligatus ſis*, non *ſit*, utrumque ſenſu recto.

Sequitur; *quia, etiam non excepto eo, agendo eo nomine contra te, doli mali exceptione poſſim ſummoveri.* Τὸ *non* abeſt a MS. meo, & quamvis ea lectio forte defendi poſſit, rectius tamen adeſt. Mallem autem pro *quia* ſcriptum fuiſſet *quin*, hoc ſenſu: licet ex ipſa cautione de evictione non poſſet excipi, ut tamen poteſt, ſupereſſe nihilominus doli mali exceptionem, cum emptioni, quæ bonæ fidei eſt, doli mali præſtatio inſit. Alia lectio, ut ut ferri, non tamen laudari poteſt.

CAPUT XII.

Ad L. 10. ff. de Lege Rhod. de jact. *adnotatio & emendatio.*

SI vector conduxit navitæ operam navimque, etſi vectio, ut credebatur, non fiat, modo citra nautæ culpam, nihilominus vector ex locato conducto obligatus eſt. Secus ſi ipſe navita res transvehendas conduxit, quo caſu, niſi utique ſit transvectum, vector non tenebitur *l.* 15. §. 6. *ff. Locat.* & ſecundum hæc Labeonis & Pauli ſcriptura intelligenda eſt in *princ. l.* 10. *ff. de Leg. Rhod. de jact.*

Pergit Labeo in §. 1. Quamvis conduxerit vector, atque adeo eventus navigationis ejus ſit periculo, tamen navicularium, niſi fidem contractus impleat, ex dolo culpaque teneri, ut *ſi merces tuas, nulla neceſſitate coactus, in navem deteriorem, cum id ſciret te fieri nolle, tranſtulit, & merces tuæ cum ea nave perierunt:, in qua noviſſime vectæ ſunt.* Ad quæ Paulus notavit: *Imo contra, ſi modo ea navigatione utraque navis periit, cum id ſine dolo & culpa nautarum factum eſſet.* Dixi ſupra *h. L.* III. C. 6. Labeonis πιθανὰ, unde eſt *h. l.* 10. propoſuiſſe regulas, ex quibus πιθανῶς definiri poſſet res, qua de agitur, non utique ſemper, exceptiones enim habent fere omnes Regulæ *l.* 202. *ff. de R. J.* hasque exceptiones cum alibi, tum hic Paulus adnotavit vulgari formula Imo. Excipit igitur Paulus caſum, quo vectori adverſus navitam actio non erit, quum nempe utraque navis ea navigatione, ſine culpa nautarum, perierit, neque enim hoc caſu id, quod intererat, peti poteſt, quia nihil intereſt, mercibus priori navi æque perituris. Sin vero utraque navis dolo culpave perierit, utique tenebitur nauta, quin vel ſi prior duntaxat, quamvis ſecunda caſu fuerit ſubmerſa. Atque ita non tam ob fidem conventionis ruptam, quam damnum perfidia acceptum, datur Jure Civili actio *l.* 5. §. 4. *ff. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſec.*

Sequitur alia Pauli exceptio: *Idem juris eſt, ſi prior nauta publice retentus, navigare cum tuis mercibus prohibitus fuerit.* ſic enim per eum non ſtetit: quod apertum eſt.

Tertia exceptio hæc eſt: *Idem Juris eſt, cum ea conditione a te conduxiſſet, ut certam pœnam tibi præſtaret, niſi ante conſtitutum diem merces tuas eo loci expoſuiſſet, in quem devehendas eas merces locaſſet, nec per eum ſtaret, quominus remiſſa ſibi ea pœna ſpectaret.* Agit de nauta, qui merces transvehendas conduxit, utque ita, ſi nauta conduxit, vector locarit: & tamen illud *locaſſet* ad nautam referri dixeris. Hunc locum propterea ſuſpectum habuit Franc. Connanus *Comment. Jur. Civ. L* VII. *C* XI. *n.* 1. & Jac. Cujacius *Obſerv. L.* III. *C* 2. *locaſſet* mutandum cenſuit in *locaſſes*, quo ad vectorem referatur, probante id Ant. Fabro in *Rational.* ad *h. L.* & applaudentibus prolixe aliis. Sane non eſt hæc emendatio, ſed lectio apud Haloandrum, quod admonuiſſe ſuffecerat, & ne quidem ejusmodi lectio, quæ neceſſario obtineat contra auctoritatem Libri Florentini, quamquam ſi *locaſſes* legeretur, legeretur non male, nunc autem contra. Miror non fuiſſe, qui *locaſſet* interpretati ſunt pro *conduxiſſet*, tanquam ſecundum *l.* 20. *ff. de Action empt.* ſed hoc non placet. Ita potius dicamus: nauta, qui merces transferendas conducit, ſimul locat navem operamque ſuam, nam promittit, merces cum navi, tum opera ſua devectum, & loco, quo convenit, expoſitum iri. Unde variis locis JCti *hoc Tit.* nautæ locationem tribuunt, & ſic hic quoque recte *locaſſet.*

Ait, *nec per eum ſtaret, quominus remiſſa ſibi ea pœna ſpectaret.* De ſententia ejus loci conſtat, de verbis non æque; hoc vult: nauta, qui merces navi ſua portandas conduxit, addita pœna, niſi eas ante certum diem expoſuiſſet loco conſtituto, hic, inquam, nauta neſcio quo fato, certe ſine culpa ſua impeditus navigare non potuit. Pœnam igitur remiſſam cupit, tu negas; quid faciat? metuens ſcilicet, ne pœna committatur, aliam navem conducit, ſed deteriorem, cum æque bonam non poſſet. Merces tuæ, in hanc translatæ, ea navigatione perierunt; id nautæ fraudi non eſſe, hac exceptione Paulus notavit, & habet rationem. Sed de verbis laboratur, & hæc quidem in Libris antiquis varie leguntur, quod fere loci corrupti indicium eſt. Robertus Stephanus 1527. ita edidit: *nec per eum ſtaret, quominus merces tuas eo loci expoſuiſſet, in quem ducendas eas merces locaviſſes, remiſſam ſibi eam pœnam* SPERARET, quæ mera balbuties eſt; & hæc, *merces tuas eo loci expoſuiſſet, in quem ducendas eas merces locaviſſes*, quæ & in MS. meo ſunt, bene obſervavit Blaublommius ad marginem Editionis ſuæ, in ſcriptis Libris utique plurimis, non reperiri, & videri gloſſema eſſe. Apud Sennetonios 1549. *nec per eum ſtaret, quominus id faceret, remiſſam ſibi eam pœnam* SPERARET. Et ita etiam in aliis; *ſperaret* autem pro *ſpectaret* plerique Veteres exhibuerunt, ſed perperam omnino, nauta enim in aliam navem merces tranſtulit, non quia ſperabat pœnam remiſſum, ſed quia metuebat commiſſum iri. Ipſe, quem dixi, Blaublommius Pariſiis 1523. ſic edidit: *nec per eum ſtaret, quominus remiſſam ſibi eam pœnam* SPECTARET, ſequutus, ut in margine notavit, *Exemplaria & ſenſum ipſiſſimum.* Atque hæc ipſa eſt, quam ſibi vindicat, Cujacii emendatio *L.* III. *Obſerv. C.* 2. Hoc ſenſu; nec per eum ſtaret, quominus munere vehendi perfungeretur, atque ita ea ſe pœna exſolutum

ſpectaret. Lectio, an emendatio ſit, perinde nunc habeo, at cedo mihi e Veteribus aliquem, qui in ſimili ſpecie ita locutus eſt Latine, *ſpectare remiſſam pœnam.* Ant. Faber in **Ration** ad *h. L.* improbat quoque hanc, ut putabat, Cujacii emendationem, ſed quia ſcripturam Florentinam defendit, *ſpectaret* dictum exiſtimat pro *exſpectaret*, ut *penſare* pro *compenſare*; quo forte & Accurſius reſpexit, dum *ſpectaret* explicat *differret.* Neque tamen hoc ſuccedit, cum *ſpectare* pro *exſpectare* nemo, quod ſciam, uſpiam dixerit, *penſare* pro *compenſare* dixerunt multi: & vel ita ſenſus videtur hiare. In Manuſcripto meo pro *ſpectaret* eſt *aſportaret*, ſenſu, quem mox dicam, bono. Sed ego non auſim tantum recedere a lectione Florentina, quæ & apud Haloandrum eſt, & Hugonem a Porta; ideoque pro *ſpectaret*, quod mendoſe hactenus lectum eſſe opinor, leviori motu reponerem *vectaret*, pro *veheret*, quod uſitatiſſimum eſt. Ita dixiſſet Paulus, per nautam non ſtetiſſe, quominus ſua navi, quam locaverat, ſine pœna merces *aſportaret*, ſeu deferret in locum conſtitutum; transferendas igitur fuiſſe in navem aliam quo exponerentur ſuo die, nec committeretur pœna, quæ conventione placuerat. Poſſes & τὸ *ea*, quod Haloander non habet, nec in omnibus Libris eo loco, quo in Florentino legitur, mutare in *eo*, & ita transponere, *quominus remiſſa ſibi pœna eo vectaret.* id eſt, ad eum locum, ut ante quoque dixerat in *h.* §. ſed id usquequaque neceſſarium non eſt.

Sequitur rurſus alia exceptio Pauli: *Idem Juris in eodem genere cogitationis obſervabimus, ſi probatum fuerit; nautam morbo impeditum navigare non potuiſſe.* In exceptione difficultas nulla eſt, ſed major in verbo *cogitationis*; dixit autem *cogitationem* pro *rem* vel *ſpeciem cogitatam*: ſunt enim *cogitationes*, quas hic vocat, fictiones, caſus, exempla, ſpecies, & ejusmodi alia, quæ Græci θέματα appellant: *inſpectiones* Tryphoninus dixit in *l.* 31. §. 1. *ff. Depoſ.* & *inſpectiones* idem in *l.* 12. §. 9. *ff. de Capt. & poſtlim. rev.* non enim eſt, quur ibi mutetur quicquam, licet Tryphoninus alibi *inſpectionem* dixerit. Eadem ſignificatione *viſiones* occurrunt in *l.* 25. §. 3. *ff. de Probat.* & ſæpe alias in Pandectis, & apud Tertullianum de *Anim. C.* IX. relatione ſcilicet ad mentem facta. Ἐννοίας Græci vocant. Nec perſuaſerit Cujacius *L.* XXI. *Obſerv. C.* 26. ubicunque in Pandectis *viſionis* vox reperitur, eſſe eam a manu Triboniani, quamquam & Ant. Faber id ipſum large inculcaverit *variis locis.* Indignor ſæpe, etiam majorum Gentium Interpretes, ſi quando in Pandectis verba offendant, alibi ſibi non lecta, continuo hæc ut ſpuria damnare, vel Triboniano interpolanti adſcribere: indigno facinore, cum quæ verba JCtorum ætate obtinuerint, non niſi ex eorum reliquiis cognoſci queat, nulli enim fere ejus temporis ſcriptores exſtant, pauciores etiam de illis rebus tractarunt, de quibus ipſi. Certum quoque eſt, cujusque artis Profeſſoribus eſſe quædam ſua verba, & ita JCtis: nec quiſquam, opinor, eo procedat, ut, quia *exhibere* pro *alere*, *averſione emere*, *locare*, *ſolo contineri* (quod proprium JCtorum verbum eſſe Seneca annotat *Natur. Quæſt. L.* II. *C.* 1.) apud alios, quam JCtos, non legerit, ideo hæc minus genuina eſſe credat, vel loca, ubi ea leguntur, interpolata. Atque ita magis eſt, in *h.* §. 1. *cogitationis* vocem retineri oportere; non ſubſtitui *cognitionis*, ut Cujacius *L.* III. *Obſerv. C.* 11. vel *conditionis*, ut Ant. Faber *Ration.* ad *h. L.* Quamquam, ut hoc iterum moneam, non ea ſit Cujacii emendatio, ſed conſtans lectio in omnibus, quos vidi, antiquis, præter Florentinum, Libris. Cum autem *cognitionis* vox, ut hic occurrit, non minus ſit inſoliti uſus, quam *cogitationis*, adhuc minor ratio eſt, cur a Florentino recedamus.

Ultima Pauli exceptio eſt in his verbis: *Idem dicemus, ſi navis ejus vitium fecerit ſine dolo malo & culpa ejus.* Ut nautam excuſat morbus, ſic vitium navis; locavit enim & navim, & operas ſuas.

In §. 2. rurſus Labeo orditur novam ſpeciem: *Si conduxiſti*, inquit, *navem amphorarum duo millium, & ibi amphoras portaſti, pro duobus millibus amphorarum pretium debes.* Pauli nota: *Imo ſi averſione navis conducta eſt, pro duobus millibus debetur merces: ſi pro numero impoſitarum amphorarum merces conſtituta eſt, contra ſe habet; nam pro tot amphoris pretium debes, quot portaſti.* De exceptione Pauli nec Labeo, nec quiſquam alius dubitaverit: nam ſi merces conſtituta ſit ad numerum amphorarum, quæ impoſitæ eſſent, non niſi pro impoſitis debebitur, licet navis capiat duo millia amphorarum. Aliud eſt, ſi averſione conducta fuerit, de qua ſpecie duntaxat egit Labeo, tunc enim pro integra navi merces debebitur, quamvis non duo millia amphorarum, ſed quasdam tantum importaſti. Pro *duo*, quod apud Labeonem eſt, ſunt Editores, qui exhibent *duorum*; forte per ἀναδίπλωσιν ſcripſit *duo Millium*, id eſt, *duum millium*, pro *duorum*, ut ſæpe alias. Sed & alterum bene eſt, & ex uſu Latinitatis. Ait *& ibi amphoras portaſti.* Librarium hic accuſat G. Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 34. deceptum ſcilicet in deſcribendis notis, pro *ibi* enim reſtituendum fuiſſe IΔI. quæ nota eſt mille quingentorum; vana profecto & inutili conjectura. Bene ſe habet recepta lectio, & *ibi*, id eſt, in navem amphoras portaſti, quotquot demum ſint, licet non utique duo millia. Ut autem nunc doliorum, ita apud Veteres amphorarum numero navium magnitudo conſebatur, & ſic apud Tullium *Libr.* XII. *Epiſt* 15. naves ſimiliter ut hic, *duum millium amphorarum*, ſeu *amphorum.* Sed & ex modiorum numero capacitas navium apud Veteres æſtimata fuit, qua de re eſt *l.* 3. *ff. de Vacat & excuſ. muner* pluresque aliæ. Latius id expedivit Iſaacus Voſſius in *Obſerv.* ad *Pompon. Melam L.* III. *C.* 7. *n.* 61.

CAPUT XIII.

De adjecto contradictorio.

Qui tutorem dicit, & falſum adjicit, contradicit in adjecto. Et tamen Paulus reſpondit in *l.* 221. *ff. de V. S falſum tutorem* VERE *dici, qui tutor non eſt, ſive habenti tutor datus eſt, ſive non; ſicut falſum teſtamentum, quod teſtamentum non eſt, & modius iniquus, qui modius non eſt.* Dixit *vere* pro *recte*, ut *verum* pro *recto* in illo Horatii:

Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt.

Sed Priſcianus id jam docuit, & exemplorum, etiam alias, abunde eſt. Cæteroquin non intercederem, ſi leviſſima transpoſitione ita legeretur:

tur: *falſum tutorem dici, qui* VERE *tutor non eſt.* Sic falſum vero opponeretur, & prorſus genuina eſſet oratio. De ejusmodi autem adjectione, de qua hic Paulus, eleganter Seneca *de Benefic.* *L.* V. C 13 *Quædam* inquit, *etiamſi vera non ſint, propter ſimilitudinem eodem vocabulo comprebenſa ſunt. Sic pyxidem & argenteam & auream dicimus. Sic illiteratum non ex toto rudem, ſed ad litteras altiores non perductum. Sic qui male veſtitum & pannoſum videt, nudum ſe vidiſſe dicit.* Proprie *pyxis*, ſi vim verbi ſpectes, non eſt niſi lignea, quamvis & contradicente adjecto a metallis nomen habeat, *argenteam* & *auream* dici habes teſtem Senecam; & ſane *auream* Suetonius dixit in *Neron.* C. XII. *ferream* Plinius *Libr.* XVIII. C 11 & *cujuscunque materiæ* esſe pyxides Quintilianus ſcripſit *L.* VIII. *Inſt Orat* C 6 ſed, ut vere ipſe ait, non niſi per κατάχρησιν; datum id eſt conſuetudini, *propter ſimilitudinem*, quemadmodum Seneca id expreſſit. Sic Homerus, quum Σ[illegible] appellat χο[illegible], quum [illegible] ἀργέων, id fieri contradicente adjecto, per eandem κατάχρησιν, obſervavit Plutarchus in Libro *de Homero.* Sed ut ad Paulum revertamur, falſum tutorem dici, qui vere tutor non eſt, Auctores noſtri paſſim tradiderunt, ſicut & falſum teſtamentum, quod teſtamentum non eſt. Attamen Servius & Ofilius apud Ciceronem *Epiſt. Fam.* *L.* VII. *Ep.* 21 negarunt, *tabulas teſtamenti eſſe, quas inſtituiſſet is, qui factionem teſtamenti non habuerit.* & recte negarunt, ſi quæratur de jure teſtamenti; ſed falſum teſtamentum, quum teſtamentum dicitur, dicitur ad ſimilitudinem & exemplum veri juſtique teſtamenti, non ad ſignificandum effectum Juris, quo reliqua teſtamenta cenſentur. Idem eſt, cum modium iniquum dicimus, cum falſum procuratorem, emptorem, & reliqua, quæ Alciatus in *Comm.* ad *h. l.* 221. diligenter congeſſit. Similiter quoque, niſi calumniemur, accipienda eſt Doctorum *ſemiplena probatio*, quum enim eſſe nequeat probatio, niſi perfecta, qui imperfectam, & *ſemiplenam* dicit, contradicit in adjecto. Sed & ita JCti noſtri his, quos diximus, locis: & quidni liceat eorum exemplo loqui? ſane mihi eſſe non videtur, cur tam petulanter hæc rideant alii, alii tam moroſe incuſent.

CAPUT XIV.

Quid ſit MANUS MILITARIS *&* OFFICIUM JUDICIS *in* L. 68. ff. de Rei vindic.

Antonius Faber vix Librum ſcripſit, in quo non prolixe declamavit contra *l* 68. *ff de Rei vind.* totam, quanta quanta eſt, Triboniani eſſe fingens. Mihi non ſedet purgare has ſordes, ſordes quippe ſunt, & Ulpiano vindicare, quod Faber vindicat contra: etiam alii ex parte feliciter ſunt verſati in hoc argumento, ſed nodum omnem non ſolverunt. In primis vero Fabrum *Conject. L.* XVI. *C* 17 irritavit, quod *manum Militarem*, alienam a judiciis, ad transferendam poſſeſſionem imperaverit, ſeu permiſerit JCtus. Verba hæc ſunt: *Qui reſtituere juſſus judici non paret, contendens non poſſe reſtituere, ſi quidem habeat rem, manu militari, officio Judicis ab eo poſſeſſio transfertur.* Quamvis ſenſus ſic ſatis ſubſiſtat, commodum tamen geminaretur ultima ſyllaba in POSSE, hoc modo, *contendens non poſſe ſe reſtituere*; ita, absque ulla mutatione, concinnior & mollior erit locutio. Sed de *manu militari* quid audimus? Faber in judiciis vim fieri vetat, & vetant Imperatores in *l* 1 *C. de Offic judic. milit.* *Numquam omnino* inquiunt, *in negotiis privatorum vel tuitio militaris vel executio tribuatur.* Quid enim hoc eſt, niſi milites arcere a judiciis, etiam in executione? Atque ita eſt, ubi duntaxat privatorum cauſa agitur in lite privata: ſi cauſa publica vertatur, milites adhibitos fuiſſe, eoque pertinere varia loca Juris Civilis, quæ perperam de cauſis privatis alii acceperunt, optime expedivit Jacobus Gothofredus ad *l. un. C. Theod. de Offic. jud milit.* qui ipſe recte monuit, *manum militarem* in *h. l* 68 non eſſe militum, qui ſacramento merent, ſed miniſtrorum, & ipſius judicis civilem cohortem, armatam tamen, quo ea, quæ judex juſſit, prompte exſequantur. Apparitores judicis, & exſequutores litium non male dixeris: nam cum *per judicem transferenda eſt poſſeſſio*, quemadmodum id uſu venire auctor eſt Furius Anthianus in *l. ult. ff. de Rei vind* omnino id fiet apparitorum opera, non ipſius judicis, in rem præſentem euntis.

Sed vero hanc apparitorum cohortem ſimpliciter appellari *manum militarem*, exemplo grave eſt: de militibus, qui in hoſtem eunt, ſolemnis hæc eſt locutio, de aliis non temere, & forte nuſpiam, uſurpata. Quare in *h. l* 68 poſt *manum militarem* puto interpretationis loco addi, *officio judicis*, hoc eſt, *Officialibus judicis*. ejusmodi puta *manu militari*, quæ conſtat apparitoribus ſeu officialibus judicis. Sunt hæ adjectiones ἑρμηνευτικαὶ apud JCtos non infrequentes, & aliis alias obſervatæ. *Officia* autem pro *officialibus* dici certum eſt ex *l.* 6. § 5. *ff. de Offic. Præſid* *l.* 7 § *ult. ff. Qui ſatisd. cog.* *l.* 3. *C. Quando Fiſc vel priv. debit ſui debit. conv poſſ.* *l.* 14 *C. de Offic. Rect. Prov.* Quin *officia ſeu apparitores* conjunctim & ἑρμηνευτικῶς proponuntur in *Rubr. C de Lucris advocatorum, & concuſſionibus* OFFICIORUM *ſeu* APPARITORUM. Et in *l* 2 *C de Sent ex peric recit.* illuſtribus judicibus tribuitur *officium*, addita hac interpretatione, *per officium ſuum & eos qui miniſterium ſuum eis accommodant.* Unde & *officium* pro toto comitatu judicis in *l.* 72 *ff. de Furt.* *l* 16 *C ad L. Jul de adult.* & apud Plinium *L.* I. *Epiſt.* 5. & Ammianum Marcell. *L* XXVIII. *p. m* 663. Atque ita, ut dicebam, *officia* pro *officialibus*; quemadmodum idem Ammianus *L* XXV. *p m.* 548. *principiis militum* dixit pro *principibus* niſi mendum ſit, emendandum in *principibus*, vel *præcipuis*. Terentium quoque *diſciplinam* forte pro *diſcipulis* poſuiſſe obſervavit Donatus ad *Eunuch. Act.* II. *Sc* 2. *vers* 32 nec aliter *Symphonia* Florentiæ in *l* 15 §. 1 *ff. de Uſufr.* pro *Symphoniaco*; ſervi Symphoniaci noti ſunt, etiam ex *l.* 22. §. 1. *ff ad L. Aquil* *Servitus* pro *ſervis* in *l ult C. de Vind. libert.* Atque ita *ſervitutium*, quod Florentiæ eſt in *l* 195. §. 3. *ff de V. S.* ſi, quod licet, accipiamus pro *ſervorum*, non erit opus legere, ut alii legunt, *ſervientium*. ſed exemplorum abunde eſt. Igitur *manus militaris*, quæ conſtat ejusmodi officialibus, eadem erit, quæ *manus miniſtrorum* vocatur in *l* 1 §. 2. *ff Si ventr. nom. mul.* & *civilis apparitio* in *l.* 10 *C de Epiſc & Cler* *apparitionis* enim pro *apparitoris* ibi legendum eſſe Codex Theodoſianus & ſententia loci poſtulat. Non auſim tamen dicere, eundem, qui Legis no-

ſtræ auctor eſt, Ulpianum, in eodem Opere *ad Edictum*, per *manum militarem* in *l.* 3. *pr. ff. Ne vis fiat ei, qui in poſſ.* intellexiſſe hoc apparitorum corpus, cum ajat, eum, qui miſſus eſt in poſſeſſionem, ſed non admiſſus, inducendum eſſe *poteſtate ejus, qui miſit*, alioquin & extra ordinem id decretum exequi poſſe, *nonnumquam etiam per manum militarem.* Videri poteſt diſtinguere inter apparitores, qui *poteſtate judicis*, via ordinaria, in poſſeſſionem inducunt, & militare præſidium, quod extra ordinem concedi ſolet, ſi apparitio civilis non ſufficiat. Audi, quem ordinem ſervet ipſe ille Ulpianus in *l.* 5. §. 27. *ff. Ut in poſſeſſ. legat. Miſſus*, inquit, *in poſſeſſionem, ſi non admittatur, habet interdictum propoſitum, aut per viatorem, aut per officialem Præfecti, aut per Magiſtratus introducendus eſt in poſſeſſionem.* Viatores & officiales ſi non ſufficiant, a Magiſtratu quocunque modo erit inducendus, quod ſine manu militari non eſt, ut commodum fieri poſſit. Neque enim ea utimur ſententia, quæ tamen vulgo placet ex *d. l.* 1. *C. de Offic. judic. milit.* nullum omnino militis eſſe uſum, quocunque res procedat, in cauſis civilibus & privatis: nam quid ſi damnatus contumacem ſe præbeat, &, collecta etiam manu, contumaciorem, quam ut per apparitores coërceri poſſit? adhuc negabimus milites adhibendos? ego non negem, vel ſimul affirmem, cuncta judicia ſola contumacia poſſe eludi, ejusque contumaciæ præmium eſſe, rem, reſtituere juſſam, non reſtituere. Vergit tunc ea res ad vigorem Diſciplinæ publicæ, neque tam privata amplius cauſa eſt, quam publica; & de privata duntaxat eſt *d. l.* 1. militibus interdicens, quod apparitorum eſt, ut turbæ evitentur, ordo exſequutionis ſervetur, judiciorum denique auctoritas non pervertatur, ſed confirmetur. Cæterum *militare auxilium* ſucceſſiſſe, ubi *apparitio civilis* non ſufficiebat, illuſtri exemplo probat *d. l.* 10. *C. de Epiſc. & Cler.*

Sed ea non proponitur non obtemperantis contumacia in *h. l.* 68. ut militibus coërcenda ſit; igitur apparitorum & officialium erit, poſſeſſionem transferre, & ſic eſt, ſi recte interpretatus ſim verba JCti. Eadem quoque Ulpiani ſententia erit, ſi ita legas vel interpungas: *manu, militari officio judicis.* Vel ita: *manu militaris officii judicis.* Mutata punctione dixiſſet, non ſufficere juſſum, ut res reſtituatur, ſed ob contumaciam rem eſſe auferendam *manu*, id eſt, re ipſa & facto, & ſic *manu* occurrit in *l.* 2. §. 1. *ff. de O. J.* & apud Caſſiodorum *L.* IV. *Epiſt.* 10. Pro apparitoribus autem dixiſſet *militare officium judicis*, quemadmodum hos ipſos Alexander, Ulpiani æqualis, *militare officium* vocat in *l.* 2. *C. Si manc. ita ven. ne proſt.* Ait autem *militari*, vel quia, cum res fert, armis inſtructi ſunt, vel quia apud Prætorem militant; alicui enim præſto eſſe, id quoque *militare* eſt. Atque ita res auferenda erit, non privata auctoritate, ſed publica, per judicem *l.* 80. *h. T.* ex ratione *l.* 176. *ff. de R. J.* ſunt enim hæc τὰ τῶν Ἀρχόντων, ut Græci appellant, quæ tamen per officiales ſuos expedire ſolet Magiſtratus. Ut autem *poſſit* in *d. l.* 176. eſt pro *debeat*, ſic & in *h. l.* 68. *poſſe* pro *debere*. alia exempla ubique ſunt obvia. Cæterum, quum interpretatio, quam dedi, ſufficiat, nolim cuiquam mutationis, vel tantillæ, eſſe auctor.

CAPUT XV.

Sententia L. 40. princ. ff. de Contrah. empt.

Quum qui ad manum ſunt, non recte videantur explicaſſe Pauli locum ex Alpheno in *l.* 40. *princ. ff. de Contr. empt.* videamus, an rectius ejus ſententia poſſit conſtitui. Sic autem infit: *Qui fundum vendebat, in lege ita dixerat*, UT EMPTOR IN DIEBUS TRIGINTA PROXIMIS FUNDUM METIRETUR, ET DE MODO RENUNTIARET, ET SI ANTE EAM DIEM NON RENUNTIASSET, UT VENDITORIS FIDES SOLUTA ESSET. Ait *in diebus* XXX. Id eſt antequam XXX. dies tranſierint, ita ut ultimo die minorem modum dixiſſe ſufficiat, neutiquam vero poſt diem trigeſimum, ut mox ſequitur. Atque ita *in annos decem*, quod eſt in *l.* 49. *ff. de Cond. & demonſtr.* interpretor de quocunque tempore decennii, ſic ut noviſſimo die legatum præſtari poſſit. Quomodo & Scævola libertatis dilatæ meminit *in annos octo l.* 41. §. 15. *ff. de Fideic. libert.* utrobique *in annos* dicitur pro *in annis decem vel octo.* Neque enim, ob mutationem, placet, quod Haloander in *d. l.* 49. pro *in* legat *intra*, nam *intra dies centum* dicas, an *in diebus centum*, nihil intereſſe ſcripſit Ulpianus in *l.* 1. §. 9. *ff. de Succeſſ. Edict.* unde mox ipſe in §. 10. *d. l.* 1. dixit *in diebus ſtatutis* pro *intra dies ſtatutos.* Recte etiam ſe ita habet Jurisprudentia Celſi in *d. l.* 49. quia *in annos decem* liber eſſe juſſus, licet quocunque decennii tempore ex voluntate hæredis liber eſſe poſſit, noviſſimo tamen decennii die liber eſſe debet, & hoc eſt, quod Celſus ait, *noviſſimo die legatum deberi, & libertatem obtingere.* Contra diſputat Cujacius ad *Tit. Inſt. de V.* O. ex *l.* 41. §. 2. *ff. de Manum. teſtam.* ſed perperam; cum libertas ibi fuerit pura, & data a teſtatore præſens, at in *d. l.* 49. ab voluntate hæredis ſuſpenſa: qua ſpecie, ut primo die ſervus liber eſſe poteſt, ſic, ut eſſe debeat, hæres cogi nequit.

Sed ad rem. Prudentes ſcilicet rerum venditores ita paciſci ſolebant, quemadmodum hic proponit ex Alpheno Paulus; ejusmodi pactio eſt & apud Catonem *de R. R. Cap.* 148. & ſic conveniſſe videri poteſt in ſpecie, quam Pomponius & Ulpianus tractant in *l* 5. *pr. ff. Si menſ. falſ. mod. dix.* Hoc pacto: placuerat, venditorem intra certum tempus fundi modum adſignaturum, adſignavit menſorem, qui fundum emptori admetiretur, emptor compellat menſorem, ille non metitur, nec modum renuntiat intra illud tempus; quod effluit interea: ex pacto convento *liberatus eſt* venditor. Ergo ad menſorem decurrit emptor, qui dolo traxit renuntiationem, & agit de dolo; non ex Edicto, quia id propoſitum eſt de eo, qui falſum modum renuntiavit, non de eo, qui plane non renuntiavit. Fecit ille, ut venditor *liberetur*, quia menſorem emptori adſignavit, ipſe enim per ſe menſurus non erat. Hac ratione defendi poſſet Florentina lectio *d. l.* 5. quamquam ſi pro *liberetur* legeretur *læderetur*, ut legit poſt Zoannettum Cujacius *L.* VII. *Obſerv. C.* 35. legeretur non male, nec temere; cum, etiam notante Charonda, Libri MSS. ſint, in quibus eſt *læderetur.*

Poſt legem venditionis proponit *h. l.* 40. emptorem intra diem menſuræ renuntiaſſe modum, quo minorem eſſe credidit, proque eo pecuniam a

a venditore recepiſſe, ſed deinde, fundo rurſus vendito, cum ipſe emptori ſuo admetiretur, inveniſſe modum agri multo adhuc minorem, quam ante crediderat ac renuntiaverat, & quærit, an primus emptor, idemque venditor a ſuo venditore poſſit conſequi, quod minoris eſſet? accipe Reſponſum: *Reſpondit, intereſſe, quemadmodum lex diceretur; nam ſi ita dictum eſſet;* UT EMPTOR DIEBUS TRIGINTA PROXIMIS FUNDUM METIATUR, ET DOMINO RENUNTIET, QUANTO MODUS AGRI MINOR SIT; *quo poſt diem trigeſimum renuntiaſſet, nihil ei profuturum. Sed ſi ita pactum eſſet,* UT EMPTOR IN DIEBUS PROXIMIS FUNDUM METIATUR, ET DE MODO AGRI RENUNTIET, *& ſi in diebus triginta renuntiaſſet, minorem modum agri eſſe, quamvis multis poſt annis, poſſe eum, quo minor is modus agri fuiſſet, repetere.* De ſententia Reſponſi dicam primo, de verbis mox dicturus. Prioris autem pacti hæc, opinor, ſententia eſt: ſi fundi venditi certus modus fuerit dictus, verbi gratia, centum eſſe jugerum, verum ab emptore intra XXX. dies proximos metiendum, tunc ſi menſus non fuerit, venditum cenſeri, tanquam ſi eſſet C. jugerum, ſolvendumque pro quoque jugere tantum, quantum convenit. Si, inquam, emptor eo caſu intra menſem non fuerit metitus fundum, neque adeo modum minorem eſſe renuntiaverit, elapſo menſe actionem non habebit, licet poſtea metitus pauciora jugera repererit; ſibi enim & ſuæ culpæ imputet, quod pacto non parens damnum ſenſerit. Et hoc de prima ſpecie dixit Alphenus, ſive Paulus Epitomator, nam de eo conſtare non videtur. De altera aliud dicit: nempe, ſi ſimpliciter convenerit, ut intra XXX. dies proximos fundum metiretur emptor, & pro quoque jugere ſolveret, verbi gratia viginti, & hanc ejus pacti vim eſſe, ut menſura intra id tempus renunciata, tantum ſolvatur, quantum poſcit numerus renunciatorum tunc jugerum, ſed tamen emptorem, fundo poſtea minoris deprehenſo, quanto is minor eſt, ex empto agere poſſe ad errorem calculi corrigendum. Et recte, quia in hoc pacto non placuit, ut emptor, non menſo fundo intra dies XXX. cum qualemcunque certo pretio emptum haberet, ſicut in pacto priori; in eo namque fundi modum fuiſſe dictum, certumque jugerum numerum palam nuncupatum, inde liquet, quod JCtus ibi ajat conveniſſe, ut renuntiaret emptor, *quanto modus agri minor ſit*, quam, puta, dixerat eſſe venditor. Ideo igitur, ea ſpecie, tot jugerum erat emptio, quot eſſe dixerat venditor, quia emptor, qui receperat dicturum minorem modum, intra id tempus vel metiri neglexit, vel vitioſe menſus eſt, utrumque ſuo periculo liberata fide venditoris. Contra vero in ſecundo pacto, cum ibi plus emptum eſſe non potuerit, quam revera fundus erat, venditor quippe jugerum quantitatem non expreſſit, qua eſſet venditus, ſi non metiretur, aut prave metiretur emptor, ſed ſimpliciter dixit, metiendum ab emptore intra menſem fundum, pretiumque pro reperta tunc quantitate jugerum ſolvendum eſſe. Quod autem tam in primo, quam ſecundo pacto reperi poteſt, *ut venditoris fides ſoluta eſſet*, in ſecundo forte eam capiet interpretationem, ut menſura ineatur ab emptore, ſuo ipſius, non venditoris periculo, cum alioquin venditor, ſi plura renunciarentur jugera, quam fundus haberet, dupli actione teneretur, ut eſt apud Paulum *L.* II. *Sent.* *T.* XVII. §. 4. Sed quia illa dupli actio competit duntaxat, ſi venditor de modo mentitus ſit, poſſumus ſecundum pactum ita exaudire, ut venditor quodammodo ἐν πλάτει ſignificaverit modum fundi, non vero præciſe affirmaverit, & hunc qualemcunque ſua fide eſſe voluerit. Qui avita prædia poſſident, a parentibus ſæpe acceperunt qualemqualem eorum modum, ſed non ita, ut eum ſpondere poſſint absque metu dupli. Igitur venditor ſignificat modum, ut poteſt, non, ut in priori pacto, ut eo modo fundus ſit venditus, ni intra menſem emptor renuntiet minorem, ſed ut emptor, non obſtante illa qualicunque ſignificatione, fundum metiatur intra diem XXX. & ſolvat pretium ex eo modo, qui revera repertus erit, quemadmodum in ſpecie §. 2. *h. l.* 40. Metitur emptor fundum, & renuntiat modum intra id tempus, ſed minorem, quam oportebat; error poſtea detectus ei non nocebit, paruit enim conditioni.

Atque hæc de interpretatione duplicis pacti in *d. l.* 40 *pr* Verum illa oratio, *& ſi in diebus triginta renuntiaſſet, minorem modum agri eſſe* &c. bifariam videtur vitioſa. Quid enim, inquies, ad ſententiam pacti conferet, utrum intra menſem metitus fuerit emptor, cum & poſtea poſſit metiri & alium modum renuntiare. Deinde, quid eſt, quod ait, in ſecundo pacto renuntiatum fuiſſe modum *minorem*? minorem ſcilicet, quam dictum erat: atqui nullus dictus erat, ideoque minor eſſe nequit, qui poſtea renuntiatur; & tamen, ut vides, comparativa eſt hæc loquutio. Gregorius Haloander, quo prius vitium tollatur, negationem addidit *& ſi in diebus* XXX. NON *renuntiaſſet;* & ſunt Interpretes, qui eum tacite ſequuntur. Sed notat Antonius Auguſtinus *L.* IV. *Emend. C.* 17. negationem ab omnibus Codicibus abeſſe; & magis eſt, abeſſe oportere, quia etiam ex pacto ſecundo renuntiandum erat intra dies proximos: renuntiatum autem eſt, licet perperam. Atque illa renunciatio emptori non oberit, errore poſtea deprehenſo: apparet enim, hoc ſolummodo placuiſſe pacto ſecundo, ut modus ab emptore renuncietur, & deinde tantum pretii ſolvatur, quantum verus, non falſus, modus exigit. Difficultas de modo *minori* nulla erit, ſi meminerimus, venditorem qualemcunque modum ſignificaſſe, ſed minorem ab emptore eſſe renunciatum intra dies XXX. & poſtea rurſus minorem eo, quem dixerat, intra illos XXX. dies. Si nullus omnino fuerit ſignificatus, illa *& ſi in diebus triginta renuntiaſſet*, erunt referenda & trajicienda ad pactum prius, hoc modo, *& ſi in diebus* XXX. *renuntiaſſet, minorem modum agri eſſe, quo poſt diem trigeſimum renuntiaſſet, nihil ei profuturum.* Abſque ulla ſignificatione modi ſi eſſet, illud *minorem* cum pacto ſecundo non convenit, ſi *majorem* legeretur, conveniret ſic ſatis; diceret enim, ſi emptor intra menſem modum dixerit, ſed majorem, quam revera fundus erat, poſſe eum, quo poſtea minor deprehenditur, calculum emendare. Sed non placet mutatio vel trajectio, utique non tanta, cum alio modo ſervari poſſit ſcriptura, ut poteſt.

Expoſui ſententiam meam de Lege obſcura, & ideo, ut videtur, obſcura, quia Epitomator Paulus ex Alpheno non omnia retulit. Supereſſet, ut Joannis apud Accurſium, ipſius Accurſii, Bartoli, Baldi, Budaei, Antonii Fabri *Rationat.* ad *h. L.* Panciroli *L.* II. *Variar. Lection. C.* 37. aliasque aliorum ſententias de diſtinctione & oratione Alpheni & Pauli excuterem, & probarem, ex his nullam eſſe, quæ ſubſiſtat, ſed ita mihi naſceretur non Obſervatio, ſed juſtus Commentarius, cui ſcribendo, nunc equidem, ſuperſedere conſtitui.

C A-

CAPUT XVI.

De pœna furti Jure antiquo, & unde ſit.

Pœnam dupli, quæ furto nec manifeſto ſtatuta fuit, ex XII. Tabulis, non ex Edicto deſcendere contra magnas auctoritates palam evicit Antonius Contius *L.* I. *Subſec. Lect. C.* 2. nec patitur dubitare Gellius *Noct. Att. L.* XI. *C.* 18. & tamen hunc errorem, præter eos, quos Contius adducit, erravit quoque Franciſcus Duarenus ad *Tit. ff. de Furt. C.* VI. Illam autem dupli pœnam, quam Athenis Solon, auctore Gellio, quibuscunque furtis decreverat, Decemviri in ſolis nec manifeſtis receperunt. Ex Jure Græco igitur translata fuit; quæ ratio eſt, quod & Ariſtoteles de ea loquatur, tanquam de re nota, *Problem. Sect.* XXIX. *Quæſt.* 14. diſputans ſcilicet, cur pœna capitis ei ſtatuatur, qui ex loco publico furatus eſt, & *pœna dupli*, qui ex loco privato? & Plato quoque ſimpliciter dupli pœnam in ſua Republica obtinere voluit *L.* IX. *de LL. p. m.* 1016. Sed Decemviris, ut dixi, hæc placuit duntaxat in furto nec manifeſto; alia apud eos fuit furti manifeſti pœna. Audi Gellium eo loco: *furem*, inquit, *qui manifeſto furto prehenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt, ſi aut cum faceret furtum, nox eſſet, aut interdiu ſe telo, cum deprehenderetur, defenderet: Ex cæteris autem manifeſtis furibus liberos verberari, addicique juſſerunt ei, cui furtum factum eſſet, ſi modo id luci feciſſent, neque ſe telo defendiſſent, ſervos item manifeſti furti deprehenſos, verberibus affici, & e ſaxo præcipitari, ſed pueros impuberes Prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam ſarciri.* Habes genera pœnarum in furibus manifeſtis pro ratione delicti, conditionis, & ætatis; qui autem ſimpliciter fures manifeſti fuerant, vides verberatos & addictos iis, quibus furtum factum eſſet. Atque hæc eſt, ni fallor, κεφαλικὴ τιμωρία, quam Theophilus ad *princ. Inſt. de Perp. & temp. act.* de furto memorat ex XII. Tabb. & *capitale crimen*, de quo antiquus Virgilii Scholiaſtes ſcripſit ad *Æneid. L.* VIII. *p. m.* 516 *F.* cum inquit: *Furtum capitale crimen apud Majores fuit ante pœnam quadrupli.* Quod & iisdem verbis Iſidorus extulit *L.* V. *Orig. C.* 26. & ſane capitale crimen fuiſſe, etiam ex verberatione liquet, hac enim pœnæ capitis præludebatur apud Romanos. Poſt verbera, ait Gellius, furem addictum ei, cui furtum factum eſſet, hoc eſt in ſervitutem fuiſſe addictum ei, qui furtum paſſus erat, factosque ita fures, amiſſo capite, ſervos eorum, quibus addicebantur; nam quod Quintilianus *L.* VII. *Inſt. Orat. C.* 3. diſputat, an *addictus fiat ſervus*, conſtat de eo addicto eſſe, qui ob debitum civile ſervitutem ſervit, & de quo dixi ſupra *L.* I. *C.* 1. ſed addictos ob delictum, proprie & per omnia fuiſſe ſervos non eſt dubitandum; ceſſat quippe in his ratio, quæ valet in addictis ob æs alienum, & quæ, ut Fabius ait, non longius ſervire jubet, quam donec ſolverint, quod debebant. Ad hanc Decemvirorum Legem de furto manifeſto Euſebium quoque reſpexiſſe opinor *de Præpar. Euang. L.* VI. *C.* 8. cum ait, apud Romanos fures cædi vulneribus, omiſſa ſic addictione; ſed minus integre locutum eſſe conſtat, ut ſæpe ſolent, qui JCti non ſunt, in laudandis Legibus minus eſſe accurati. Moſes quoque fures aliquando in ſervitutem eſſe dandos ſcripſit *L.* II. *C.* 22. §. 3.

Atque hæc Romanorum in furto manifeſto pœna capitalis ex Græcia quoque eſſe videtur. Draco furem quemcunque ſupplicio capitis puniendum cenſuit ſanxitque, auctore Gellio *d. L.* XI. *C.* 18. Sed hæc Lex juxta cum aliis Draconis, quæ ſeverius & durius ſtatuebant, tacito illiteratoque conſenſu abolita fuit, quemadmodum eo loco narrat Gellius. Nec dubito, quin ea Lex poſtea duntaxat pertinuerit ad fures manifeſtos. De ejusmodi certe furto intelligo Ariſtotelem *Problem. Sect.* XXIX. *Q.* 16. cum quærit, διὰ τί ἐπὶ μὲν κλοπῇ θάνατος ἡ ζημία, *cur ſuper furto mortis pœna ſit*, ſuper contumelia autem alia atque alia pœna, ſed levior? id enim ſi accipias de quocunque furto, contradicet ei, quod de pœna dupli dixerat ipſe ille Ariſtoteles *d. Sect.* XXIX. *Q.* 14 Aut igitur intellige de furto manifeſto, quia contumeliæ, delicto manifeſto, confert, aut de eo, quod fit in loco publico, balneo forte, palæſtra, aut foro, nam id quoque capitale fuiſſe ante dixerat *d. Quæſt.* 14. Simili prorſus ratione, qua & apud Romanos, qui e caſtris furabantur, fuſtibus fuiſſe percuſſos legimus apud Polybium *L.* VI. *C.* 35. loco ſic, pro facilitate delicti, pœnam augente. Et quum Plato, ut ante obſervavi, cuicunque furto ſimpliciter pœnam dupli ſtatuiſſet, civi tamen, in ipſo furto, aut aliter quomodocunque deprehenſo, capitalem eſſe voluit *L.* XII. *de LL. p. m.* 1136. ut ita forte de furto manifeſto ſenſiſſe videatur: De Lyciis memorat Nicolaus Damaſcenus: Ὃς δ' ἂν ἐλεύθερος ἁλῷ κλέπτων, δοῦλος γίνεται, *ſi quis liber in furto deprehendatur, ſervus fit.* Quod interpres forte male vertit & exaudit de eo, qui furti convictus eſt, puto enim reſpicere ad furtum manifeſtum, ſimili fere pœna, ac in XII. Tabb.

Sed conſtat hanc furti manifeſti pœnam exoleviſſe, & ſucceſſiſſe Prætoriam in quadruplum, ſervata Juris antiqui pœna in furibus nec manifeſtis: ita tamen, ut furti quoque criminaliter agi potuerit, & ſuo tempore *plerumque* actum fuiſſe Ulpianus adfirmet in *l. ult. ff. de Furt.* Quo refero, quod Oroſius *Hiſtor. L.* IV. *C.* 13. narrato facinore Fabii Cenſorii, qui filium, furti inſimulatum, interfecerat, hoc ſuperdicit: *dignum ſcilicet facinus, quod pater vel parricidio plectendum duceret, quod ne leges quidem, niſi multa pecuniæ aut ad ſummum exilii, circa quemlibet hominum cenſuerunt.* Utriusque furti pœnam arbitrariam eſſe voluit Juſtinianus *Novell.* CXXXIV. *C. ult.* Imperator Fredericus, durior in fures, quid conſtituerit, notum eſt ex *L.* II. *Feud. Tit.* XXVII. §. *ult.* cujus conſtitutionis verba, piſce eſſe ſaniora dubitandum non eſt? qui ea ſollicitant, imperiti ſunt Latinitatis, & moris ejus ſæculi. Sed hoc non agimus; id unum monere liceat, ſi quis pro *tundatur* cum Hotomano pertinaciter legere decreverit, *tondeatur*, ei me auctorem eſſe, ut pro *forcipe* reſtituat quoque *forfice; ſcopis excorietur & forfice tondeatur.* Forcipe tonderi non minus durum eſt, quam inauditum.

CAPUT XVII.

De odonibus in L. 25. §. 4. ff. de Auro argent. legat. *quæ porro explicatur.*

Si faſciæ crurales, peduleſque, & impilia ideo veſtis loco ſunt, *quia partem corporis veſtiunt*, ut ait Ulpianus in *l.* 25. §. 4. *ff. de Aur. arg. leg.* ſane mirum videri poterit, quamobrem idem addat, aliam eſſe cauſam *odonum*, ſive, ut Haloander legit, *udonum*, hac ſcilicet ratione, *quia uſum calceamentorum præſtant.* Atquin conſtare videbatur, calceis partem corporis veſtiri, & inde eſſe, quod Lucilius dixerit *Satyr. L.* III. apud Nonium in *Cernuus* :

Cernuus extemplo plantas CONVESTIT *boneſtas.*

Utique ſi verum eſt, quod ex Feſto Paulus ſcripſit in *Cernuus*; *Cernuum eſſe calceamenti genus.* Et tamen negat Ulpianus *d.* §. 4. tam odones, quam calceos veſtium nomine venire. Videamus. Sunt autem quædam, quæ partem corporis quidem tegunt, ac tuentur, non tamen veſtiunt, & ſi veſtire dicantur, non niſi καταχρηστικῶς dici verum eſt. Ejusmodi ſunt ocreæ, loricæ, aliaque, ad defendendum potius, quam ad veſtiendum parata: quæque idcirco veſtium nomine non continebuntur. Similiter calceamenta, & per id odones, ut ait *d.* §. 4. Quod eo magis verum eſt, quia calceamenta apud Romanos non cenſebantur vulgari uſu, illi enim ſoleis, aut minus accurati crepidis utebantur, calceos non induti, niſi in armis, aut alias ad certamen inſtructi. Unde Paulus in *l.* 3. §. 3. *ff. de Offic. Præf. Vigil. calceatum* ſimpliciter dixit pro eo, qui ad vim paratus, inſtructus, & expeditus eſt. Nec niſi improprie Martialis *L.* XII. *Epigr.* 87. Cottam appellavit *excalceatum*, quod ſoleis non uteretur. Igitur calcei a veſtimentis recte diſtincti ſunt *d. l.* 25. §. 4. quemadmodum & *calciarium* a *veſtiario* in *l.* 8. §. 12. & 14. *ff. de Transact.* & *l.* 21. *ff. de Alim. leg.* & *calceatus* a *veſtitu* apud Suetonium in *Calig* C. 52. Quæ ratio eſt, quod tanquam ſingulare quid notet Lampridius in *Alexandro* C. 40. eum inter *veſtimenta militaria* etiam donaſſe *calceamenta.* Atque ille loquendi & diſtinguendi uſus per plura ſæcula videtur propagatus, duravit certe ad usque Concilium Agathenſe, cujus *Canone* XX. de Clericis ita cautum eſt: *Veſtimenta vel calceamenta eis, niſi quæ religionem deceant, uti aut habere non liceat.* retulit id & Gratianus *Diſtinct.* XXIII. *C* 22. Et in *Addit.* I. *ad Capit. Car. M. & Lud. Pii C.* 53. jubetur, *ut, quoties expoſcit neceſſitas, veſtimenta & calceamenta, & omnia neceſſaria fratribus dentur.* utrobique ſic *veſtimentis* a *calceamentis* diſtinctis. Sicut autem multa alia, quæ moribus debentur, iis mutatis continuo quoque abrogantur *l.* 7. §. 1. & 2. *ff. de Supell. leg.* ita *h.* §. uſu exoleviſſe, atque adeo pro exoleto habendum nullus dubitem. Legata intelliguntur ſecundum voluntatem defuncti *d. l.* 7. *ff. de Supell. legat.* defunctus creditur loquutus ex recepta verborum ſignificatione *l.* 69. *pr. ff. de Legat.* III. reliquum igitur eſt, ob uſum calceorum hodie perpetuum, ut veſtibus legatis cedant, una cum tibuliis, aliiſve, ad uſum calceorum accommodatis.

Atque hæc de *d.* §. 4. cujus lectio, quod ad verſ. *Alia cauſa*, cum ubique ſit conſtans, turbari & perverti nolim addita negatione, ut legatur: *Nec alia cauſa eſt odonum*, nam ſane alia eſt cauſa odonum, quia alia calceamentorum, quod ipſe, qui mutat, ignoravit. Guido Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 99. ideo veſtis nomine odones contineri negat, quia non ſerviunt niſi ornamento calceorum, nam ex Damaſo in *vita Sylveſtri pontif.* odones accipit pro candido linteamine, ornatus gratia calceis addito. Sed longe & late fallitur, liquet enim ex Ulpiano, odones, de quibus ipſe agit, *præſtitiſſe uſum calceamentorum.* Nec etiam Pancirolus rationem expedivit, ob quam ipſa calceamenta non veniant appellatione veſtis, quod tamen, ut certum quid, Ulpianus, inde argumentaturus, aſſumpſit.

Ut autem legitur *odonum* vel *udonum* (promiſcue enim hæc ſcribuntur) ita quoque legendum eſt, nec placet reſcribere cum Cotta *undonum*, vel cum Bayſio *œdorum*, vel cum Turnebo *cudonum*, cujus tamen lectionis Turnebum poſtea pœnituit *L.* I. *adverſ. C.* 13. prælata lectione Vulgata, quam & ſequitur Cujacius *L.* X. *Obſerv. C.* 17. Inter omnes tamen non convenit de his *odonibus* vel *udonibus*; Accurſius inde *Camelos* effecit, & alii alia portenta. Ipſos principes Grammaticorum id verbum exercuit, & totus in eo explicando eſt Salmaſius ad *Lampridium* in *vita Alexandr. C.* 40. qui, niſi obſtaret hic §. 4. faſcias pedules, impilia & udones ſynonyma eſſe diceret; ut antea Joſephus Scaliger ad *Heſiodi* Ἔργ. *verſ.* 542. udones a JCtis ἐμπίλια appellari dixerat, quum tamen hic Ulpianus & verbo, & re tam aperte diſtinxerit, nec quisquam alius JCtorum alibi, quod ſciam, confuderit. De Etymo ejus vocis diſputant quoque Salmaſius *d. loc.* & Iſaacus Voſſius in *Epiſtola* ad Græ, vium in *Addend. ad Heſiod p.* 69. *verſ.* 17. erudite magis, quam veroſimiliter. Si adverſus *udum* comparati, forte ex re nomen *udonis*; ſane ſi fuerint calceamenta texta ex pilis hircinis, ut colligebat Turnebus *d. loc.* vel etiam ex pilis caprinis, exiſtimare licet, contra humorem uſurpaſſe Veteres, non ſecus atque *Cilicia*, ex iisdem pilis conſtructa: hæc enim in caſtris & navibus ei uſui ſerviiſſe obſervavit Aſconius ad *Verrin.* III. & nuper adhuc Perſas ejusmodi pedum involucris ex pilis caprinis uſos auctor eſt Tabernarius *Perſicorum L.* V. *C* 14. Sed, ſi verum amamus, non conſtat ſatis, quales & ex quo facti fuerint udones vel odones, ne quidem ex Sylveſtri Actis, quæ in *C. Conſtantinus* 14. *Diſtinct.* XCVI. aut alibi reperiuntur.

CAPUT XVIII.

Ad L. 1. pr. ff. de Lege Cornel. de falſ.

Lex Cornelia, de falſo teſtamenti lata *l.* 1. *ff. de Publ. jud.* adeo videtur SCtis & interpretatione producta, ut ea omnis generis falſum, quod judicio publico vindicatur, accuſari po-

potuerit. Unde & in Pandectis, & in Codicibus Theodoſiano & Juſtinianeo ea Lex Cornelia ſimpliciter *de Falſis* inſcribitur. Paulus quidem *Sentent. L.* V. *T. ad L. Corn. Teſt.* XXV. §. 7. & apud *Collat. LL. Moſ. & Rom. T.* VIII. *loc.* 5. generaliter falſum definit, *quicquid in veritate non eſt, ſed pro vero aſſeveratur*; ſed non tam ut de eo falſo falſi crimen ex Lege Cornelia conſtitueretur, quam ut in genere primum, quid falſum eſſet, definitione ſua complecteretur; plane quemadmodum in tractatu *de Injuriis* idem Paulus inſtituit in *ead. Collatione Tit.* II. *loc.* 4. Quodcunque autem falſum, quod in jus publicum incidit, quamvis & in aliam legem, Lege Cornelia videtur poſſe vindicari, & inde eſſe quod in Apulejo *L.* VIII. *Metamorph. p. m.* 154. ita legitur: *Prudens crimen Corneliæ legis incurram, ſi civem Romanum pro ſervo tibi vendidero*; non enim Legem Corneliam video, de qua hoc intelligi poſſit, niſi hanc de falſis, quamquam diſtinctum crimen ex Lege Fabia de eo ſit conſtitutum *l.* 1. & 6. §. 2. *ff. de L. Fab. de plagiar.*

De Lege autem Cornelia ex SCtis, aut Conſtitutionibus ad eam factis, Marcianus in *l.* 1. *pr. ff. de L. Corn. de falſ.* ſic orditur: *Pœna legis Corneliæ irrogatur ei, qui falſas teſtationes faciendas, teſtimoniave falſa inſpicienda dolo malo cojecerit.* Ita eſt Florentiæ. Ait, *teſtationes.* Quid interſit inter *teſtationes* & *teſtimonia* explicuiſſe ſibi videtur Heraldus *de Auctor. Rer. judic. L.* I. *C.* 6. ſed intercedit Salmaſius *Obſerv. ad Jus Att. & Rom. C.* XXX. *p. m.* 790. *& ſeqq.* Ego nolim tricari; *teſtationis* vox cum latius, tum anguſtius accipitur, quodcunque rei, qua de agitur, teſtandæ ergo componitur, *teſtatio* eſt, & ita vocatur in *l.* 9. §. 5. *ff. de Pœn.* aliquando & pro teſtimonio eſt, eo ſcilicet, quod teſtes dare ſolent; ſed, ni fallor, alia hic ſunt *teſtimonia*, quorum Marcianus meminit, ut mox dicam.

Ait, *teſtimoniave falſa inſpicienda.* ita Florentiæ, & in antiquiſſima Edit. apud Chevallonium Pariſ. 1524. Quid vero ſit, *teſtimonia falſa inſpicere*, & quemadmodum id Legi Corneliæ conveniat, video quæri, ſed non expediri. Mox adeſt Budæus, qui *Annot. ad Pand.* in *h. L.* de mendo queſtus, pro *inſpicienda* ſubſtituit *invicem dicenda*; ideo veriſimilius, quia, inquit, Ulpianus in *l.* 9. §. 3. *ff. h. Tit.* eandem ſententiam SCti referens, ita ſcribit: *Item ſi falſas teſtationes faciendas, teſtimoniave falſa* INVICEM DICENDA *dolo malo coïerint*: Et ipſe ille Ulpianus apud *Coll. LL. Moſ. & Rom. T.* VIII. *loc.* 6. de eodem SCto (nam inde liquet, ex SCto hæc eſſe): *Item qui falſas teſtationes faciendas, teſtamentave falſa* INVICEM DICENDA *aut conſignanda dolo malo curaverit.* Vides rurſus, *invicem dicenda.* Poſtquam autem id annotavit Budæus, ex collatione Ulpiani in *d. l.* 9. §. 3. continuo id migravit in Editiones, ut fere reliquæ Budæi emendationes, magna Juriſprudentiæ injuria; & ex eo ita editum eſt ab Haloandro, & ante Haloandrum aliis. Probat eam lectionem P. Pithœus in *Not. ad Coll. LL. Moſ. & Rom. d. Tit.* VIII. *loc.* 6. & Salmaſius *Obſerv. ad Jus Att. & Rom. d. C.* XXX. *p.* 801. niſi quod ipſe adhuc præferat *depeciſcenda* pro *inſpicienda*, vel *in necem dicenda*, *p.* 806. quod utrumque valde eſt nihili. Verum ut cum Budæo tantum mutemus, non admittit ſcripturæ differentia in Florentino Libro, nec auctoritas Βασιλικῶν, qui *l.* LX. *T.* XLI. *C.* 1. pro *inſpicienda* exhibent ὑποβαλὼν εἰς ἀνάγνωσιν, quod nihil differt a Latina lectione Codicis optimi. Nec movet, bis apud Ulpianum legi, *invicem dicenda*, cum nihil ſit, quod perſuadeat, Marcianum ex eodem, quo Ulpianus, SCto hæc verba deprompſiſſe, quin ſi ex eodem, non ſententiam potius, quam verba recitaſſe, & ſi ſententiam, quis tuto dixerit, hanc unam fuiſſe, & non plures, & varia capita? Heraldus *d. L.* I. *C.* 6. pro *teſtimonia* legit *teſtamenta*, & pro ea lectione adducit Baſilicos, qui aperte hic habent διαθήκας, itemque Ulpianum loco, quem dixi, apud *Coll. LL. Moſ. & Rom.* ubi eſt quoque, *teſtamenta falſa* &c. Conſtabit etiam, ſi *teſtamenta* legas, quid apud Marcianum ſit, *teſtamenta falſa inſpicienda*, atque ita legenda ſubjicere; ecquod vero crimen ſit, *teſtimonia falſa inſpicere*, vel curare, *ut inſpiciantur*, non facile quis dixerit. Ego tamen nihil quicquam muto, ratus, recte legi *teſtimonia*, ſed perperam intelligi. Non aliud autem, ſi quid judico, hic ſunt *teſtimonia*, quam ipſa *teſtamenta*; quumque ea vox illa ſignificatione & alibi occurrat, non eſt opus, ea inducta, aliam reponere. In Gloſſis Juris ita eſt: *Antea una libertas erat, vindicta, teſtimonio, vel cenſu.* Ubi *teſtimonium* eſſe pro *teſtamentum*, vel ex Ciceronis *Topicorum C.* X. liquet, & ex interpretatione Græca, ἐκ προσαγωγῆς, ἢ κατ' διαθήκην, ἢ ἐν ἀπογραφαῖς. Atque ita pro *teſtamento* in *l.* 12. §. 2. *ff. ad Exhib.* quidam Libri habent *teſtimonio*, idque tribuerim conſuetudini, quæ has voces commutavit, non vitio, ex compendio ſcripturæ nato, ut video placere Petro Fabro *L.* I. *Semeſtr. C.* 14. Contra Ulpianus eo loco, quem exhibui, ex *Coll. LL. Moſ. & Rom.* *teſtamenta* dixit, & intellexit *teſtimonia*, nam teſtamentis non convenit, quod ſequitur, *invicem dicenda.* Niſi tamen ille locus hac ratione, eoque ordine ſit legendus: *Qui falſas teſtatio es invicem dicendas, teſtamentave falſa facienda aut conſignanda dolo malo curaverit.* Prorſus enim non eſt neceſſe, ut eadem verba hic ſint apud Ulpianum, quæ ſunt in *d. l.* 9. §. 3. *ff. de Leg. Corn. de falſ.* cum quod uterque Ulpiani locus ſit ex alio Libro, tum ob alias rationes, quas Salmaſius dixit *d. C.* XXX. *p.* 800. & 801. Sed ne longius hic hæream, facit Græcorum auctoritas, qui *teſtimonia*, ut Heraldus quoque notavit, palam transferunt διαθήκας. Nec obeſt noſtræ interpretationi, quod Heraldi lectioni obeſſe credidit Salmaſius, ideo videlicet de teſtamentis non recte exaudiri Marcianum, quia ipſa Lex Cornelia de omne genus falſo teſtamentario abunde cavit, quemadmodum has ſpecies enarrat Paulus *L.* V. *Sentent. T.* XXV. *pr.* atque adeo non opus fuiſſe SCto, ex quo ſua habet Marcianus, quicquam in hanc partem addere. Quaſi vero Senatus, uſu exigente, non potuiſſet repetere vel confirmare, quæ Lex Cornelia ante ſanciverat. Quin, per me licet, addituum dicas, quod deinde Senatus cenſuit *de inſpectione falſi teſtamenti*, nam inter varias ſpecies falſi teſtamentarii, quas Paulus ex L. Cornelia retulit *d. L.* V. *T.* XXV. *pr.* eam, quæ de inſpectione eſt, fruſtra quæras.

Ait, *dolo malo.* Opinor id quoque eſſe ex SCto, ut ſane ex SCto eſt locus ſimilis apud Ulpianum *Coll. LL. Moſ. & Rom d. T.* VIII. videturque id SCto aut certe interpretatione & uſu, ad L. Corneliam fuiſſe additum: ipſa namque L. Cornelia ſine diſcrimine compoſitores ſignatoresque falſi teſtamenti, quamvis dolus malus abfuiſſet, ſupplicio capitali affeciſſe videri poteſt. Certe ejus rei argumentum eſt, quod de Juriſdictione Auguſti legimus apud Suetonium *L.* II. *C.* 33. ille enim Auguſti lenitatem in Jure dicundo commen-

mendans, ait facultatem dediſſe judicibus, eos falſi teſtamenti ſignatores abſolvendi, ſeu ignoſcendi potius, *quos fraude ad ſignandum, vel errore inductos conſtitiſſet*, cum, ut ante dixerat, *omnes Lege Cornelia tenerentur.* Perperam ſcilicet apud Juris Interpretes, argumento *l.* 7. *ff. ad L. Corn. de ſicar.* invaluit, Jure Civili, non niſi ob dolum, capitalem pœnam irrogari. Sed hoc, nunc equidem, tranſeo, quia in eam rem opus eſſet juſta diſputatione.

Ait, *cojecerit.* Ita Florentiæ; credo, pro *conjecerit*, ut habent quoque antiquiſſimi Editores, idque explicant eo ſenſu, quo *lis conjici* dicitur; quod non placet. Accurſius uſus eſt Libro, in quo erat *coierit*, quemadmodum poſtea & Budæus ſibi emendare viſus eſt ex *l.* 9. §. 3. *ff. h. Tit.* ex quo deinde ea lectio fuit Vulgata, & ab Haloandro etiam recepta. Parum Latine, inquit Salmaſius contra Heraldum, qui eam quoque ſequitur, cum nemo dixerit, *coire teſtationes faciendas vel teſtimonia inſpicienda.* Sed prævenit jam Budæus, qui addit particulam *in*, ut dixerit, pœnam L. Corn. irrogari ei, *qui in teſtationes falſas faciendas, teſtimoniave falſa inſpicienda dolo malo coierit;* & ita quoque vulgo editum eſt. Quod Latinum eſſe negari nequit, geminæ locutiones ubique proſtant, & ipſa hæc verba, ſi quid valeat, Sulpicius Severus extulit *L.* I. *Hiſt. Sacr. C.* 31. *Coitiones*, inquit, *in teſtimonium falſum, aut in quacunque malitia, non eſſe faciendas.* Neque tamen vel illam lectionem probo, quum a Florentina recedat nimium: nec etiam pro ea quicquam argumenti eſt in *d. l.* 9. §. 3. quia ſupra probavi, nihil eſſe, unde ſciri poſſit, eadem præciſe verba hic a Marciano adferri, quæ illic Ulpianus adtulit. Adhuc minus probo quod Salmaſius *d. C.* XXX. *p.* 797. 798. & 805. ἀρχαικῶς ſcriptum fuiſſe putet *coeraverit* pro *curaverit*, quia id verbum apud Ulpianum eſt in *Coll. LL. Moſ. & Rom. d. loc.* id enim nihil probare, alias contra Heraldum dixit ipſe Salmaſius; & major eſt ea mutatio, quam ut, conceſſo etiam ἀρχαϊσμῷ, recipi debeat. Itaque magis eſt, ut pro *cojecerit* vel *conjecerit*, unius literæ mutatione, legamus *confecerit; qui falſas teſtationes faciendas, teſtimoniave falſa inſpicienda dolo malo confecerit.* Quod eſt apertum, cum *conficere* apud Latinos idem quoque ſit, quod *confingere.* Unde Suetonius, vel quisquis auctor eſt *vitæ Lucani*, ejus Poëmata dixit non *prælegi* modo, ſed & *confici ac venalia proponi.* Tantum eſt ad *pr. l.* 1. *ff. de L. Corn. de falſ.*

C A P U T XIX.

Ad L. 1. §. 1. ff. de Lege Cornel. de falſ.

Succedat § 1. *ejusdem l.* 1. habet autem ita in Libro Florentino: *Item ob inſtruendam advocationem, teſtimoniave, pecuniam acceperit, pactusve fuerit, ſocietatem coierit ad obligationem innocentium, ex Senatusconſulto coërcetur.* Non eſt hic locus integer, principio enim excidit vocula *qui*, *item qui ob inſtruendam* &c. quam idcirco recte addiderunt veteres Editores, quos vidi, omnes, ſua auctoritate, an Librorum fide, haud facile dixerim. Deinde poſt *teſtimoniave* additum eſt *falſa* in Editione Ludovici Blaublommii 1524. quam tamen voculam in ſcriptis Libris non reperiri margo notat, ut nec reperitur, quod ſciam, in qua alia Editione, nec in gemino Ulpiani loco, qui apud *Collatorem LL. Moſ. & Rom. T.* VIII. ita legitur: *Item qui ob ſtruendam advocationem teſtimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit, ſocietatem coierit, aut aliquam delationem interpoſuerit. Item ſi quis coierit ad occiſionem innocentium, SCto, quod Cotta & Meſſala factum eſt, coërcentur.* Suſpicor autem, illud *falſa* in ea Editione ideo additum fuiſſe, ne quæri poſſet, cur crimini datum fuerit, pecuniam accipere vel paciſci ob inſtruendam advocationem vel teſtimonia? idque ſimpliciter, nec quoquam addito, unde dolus, vel mala fides poſſet argui? videbatur enim id etiam fieri poſſe jure licito. Quidni enim amici mei cauſam vel litem inſtruam advocatione vel teſtibus, accepta etiam in hanc rem pecunia, vel pro opera, quam præſto, vel pro expenſis, quas fero? & tamen id SCto coërceri uterque JCtus ſcripſit, tam Marcianus, quam Ulpianus, & quidem *pœna falſi*, ut auctor eſt Hermogenianus in *l.* 20. *ff. h. T.* Non licet hæc ita interpretari, ut interpretatus eſt Heraldus *de Auctor. Rer. Judic. L.* I. *C* 6. & tacito nomine ſequutus Grotius *Flor. ſparſ. ad h. L.* nam, ſi quid video, ejus ſententiam recte profligavit Salmaſius *Obſervat. ad Jus Att. & Rom. C.* XXX. *p.* 843. & *ſeqq.* nec placet ea hic deſcribere. Ipſe Salmaſius, quod Marcianus, Ulpianus, & Hermogenianus dixerunt, tentat accipere de ipſis Advocatis, qui, priusquam linguas & verba locant, honoraria præcipiunt, deve iis paciſcuntur, *malo more*, inquit ex *l.* 1. §. 12. *ff. de Extraord. cognit.* Sed non eſt, ut de eo Jure ſibi tantum polliceatur Salmaſius, & ſi eſſet, quis ex eo Advocatum falſi pœna condemnet? quod autem ipſe *ſocietatem Advocatorum* in hanc rem olim initam fuiſſe fingit ex loco Ulpiani, quem Tribonianus, quia id abrogatum erat, omiſiſſet in Pandectis, auſim præſtare, valde fatuum eſſe, niſi Salmaſius dixiſſet. Sane ejusmodi hæc ſunt, quæ refutatione non egent, & hoc minus, quod ipſe Salmaſius *d. C.* XXX. *p.* 855. ab eo commento deſiſtat, ratus, ſi de Advocatis ſermo eſſet, non apte dici, eos *inſtruere*, ſed *ſuſcipere* vel *præbere advocationem.* Igitur eo redit, ut de aliis, quam Advocatis, hæc exaudiat, de his nempe, ut ante dixerat, qui conductis Advocatis ſubornatisque, & coëmptis teſtibus, Viris bonis ſolent negotium facesſere. Utque id obtineat, apud Marcianum hic, & apud Hermogenianum in *d. l.* 20. *h. T.* pro *inſtruendam*, ex Ulpiniani fragmento, quod exhibui, reſtituit *ſtruendam*, quia ea vox habet ἔμφασιν doli mali, atque ita *ſtruere advocationem vel teſtimonia*, vel *ſtruere litem advocatione vel teſtibus*, ea eſſet machinatio, qua alius alium lite pulſare & circumvenire conſtituit, cum alias, inquit, lis poſſit *inſtrui advocatione & teſtibus*, citra dolum & fraudem. Quod autem *inſtruendam* nunc legatur pro *ſtruendam*, ex interpolatione Triboniani eſſe dixit. Sed quæ fuisſet ratio interpolandi me latet, & latuit, opinor, Salmaſium, nam *ſtruendi* vox ſi apta fuerit, cur minus aptam ſubſtituiſſet Tribonianus? præſtaret utique Librario hoc tribuere, qui non intellecta voce minus nota, magis notam repoſuiſſet: quemadmodum illi homines in deſcribendis Libris ſæpe manu damnum dederunt, de quo reſarciendo dudum laborarunt, & adhuc laborant Viri eruditi. Ego quidem non negavero,

ro, *ſtruendi* verbum, ſi apud Marcianum & Hermogenianum legeretur, ſatis fore commodum, ſed quum non legatur, nolim reſcribere. Nec obeſt varietas lectionis apud Marcianum & Ulpianum, quum *proximo Cap.* monuerim, etiam hunc in referendo alio quodam SCto non iisdem verbis fuiſſe uſum, quibus uſus fuit Marcianus. Et hoc ipſum SCtum, quod Cotta & Meſſala Conſ. factum eſt, pluribus verbis & ſententiis exponit Ulpianus, quam Marcianus, non quod Tribonianus propterea Marcianum mutilaverit, & *falſi crimen commiſerit*, ut ſine ratione ſic ſatis impie exiſtimat Salmaſius, ſed quod alius atque alius JCtus, cum hic, tum alibi, nunc largius, nunc brevius enarret Legum capita. Cæterum non ſum ſollicitus de eo, qui bona fide & jure licito *advocationem & teſtimonia inſtruxit*, quia ex SCto non coërcebitur, niſi qui *dolo malo* inſtruxerit, ut modo dixerat Marcianus in *pr. d. l.* 1. nec opus erat hic repetere. Salva quoque res erit, ſi hæc, *qui ob inſtruendam advocationem teſtimoniave pecuniam acceperit, pactusve fuerit*, non intelligamus, quaſi per ſe ſubſiſtant, & ſufficiant ad pœnam, at ut pertineant & referantur ad *obligationem innocentium*, quod continuo ſequitur. Hac ſententia: SCto coërceri, qui ad obligationem innocentium pecuniam acceperit ob inſtruendam advocationem teſtimoniave, vel pactus fuerit, vel denique ſocietatem coïerit. Atque ita plane exhibent ſententiam *b* §. Baſilici *L.* LX. *T.* XLI. *C.* 1. §. 1. quo pacto ſenſus non differet ab eo, quem Salmaſius per *ſtruendi* vocem, ſimpliciter poſitam, expreſſit. Συνθεῖναι habent Baſilici *d. loc.* quod, cum ſit *componere*, æque *inſtruendi* ac *ſtruendi* vocabulo conveniet.

Porro dicit, *ſocietatem coïerit ad obligationem innocentium.* Quamvis conſtanter ubique ita legatur, tamen varie ſollicitata eſt hæc lectio. Heraldus *d. L.* I. *C.* 6. putat, Baſilicos legiſſe *obloquutionem*, non *obligationem*, quod rurſus, ſuppreſſo nomine, ſequitur Grotius *Flor. ſparſ. ad h. l.* ipſi nihilominus incerti, nihil definiunt. Sed quod de Baſilicis ajunt, minus profecto verum eſt, cum illi ſimpliciter verterint, κατὰ τῶν ἀνευθύνων, *adverſus innocentes*; quomodo autem præcedentia in Baſilicis, quæ alio pertinent, Heraldum fefellerint, optime expoſuit Salmaſius *d. C.* XXX. *p.* 860. *& ſeqq.* quod magis mihi perſuadet, Grotium magis hæc ſcripſiſſe, quam ipſos Græcos inſpexiſſe. Nec etiam commoda eſſet *oblocutionis* vox, ut bene notavit Salmaſius, nec ea mihi videtur commodior lecto Senecæ loco, quem Grotius adduxit, ut ἀπροσδιόνυσον eſſe oſtenderet. P. Pithœus ad *Coll. LL. Moſ. & Rom. T.* VIII. *loc.* 6. pro *ad obligationem* mavult *in accuſationem*, ex *l. ult. ff. de Concuſſ.* ubi Macer hoc ipſum SCtum referens, ait pœna L. Corneliæ teneri, *qui in accuſationem innocentium coierint.* Sed puto Macrum perinde atque Marcianum ſententiam, non verba SCti retuliſſe, & ſententia SCti eos plectebat, qui, ut ante Macer uno verbo dixerat, *crimen minati pecuniam accipiunt.* Nolim igitur verba verbis commutari, cum uterque locus, ut mox dicam, ſe habeat recte. Utique magis placere debet *ad obligationem*, quam *occiſionem*, quæ vox eſt apud *Collat. LL. Moſ. & Rom. d. loc.* Hanc tamen ſi ſervem, non interpreter, ut Salmaſius interpretandam cenſuit, de ſocietate, quam duntaxat ſicarii coïerint ad mortem innocentibus inferendam, ſed ſimpliciter, quam quicunque etiam alii, *in necem innocentium*, hoc eſt, in damnum & præjudicium, quo innocentibus noceatur, ea plane ſententia, quam *de obligatione innocentium* mox exponam. Apud JCtos vulgare eſt, *in necem alicujus quid fieri*, non vulgare, *ad occiſionem*, ſed tamen & alia æquo animo toleramus, quæ vulgo recepta non ſunt. In primis autem probo, quod Salmaſius *d. C.* XXX. *p.* 865. tueatur Marciani locutionem, *ad obligationem innocentium*, & genuinam eſſe probet ex ſignificatione verbi *obligare* & *obligatio.* Nolim, quæ ipſe attulit, hic adferre, ſed potius inde efficere, *ad obligandos innocentes* tunc coiri, cum id agitur, ut innocentes vel crimine implicentur, inſtituta accuſatione, vel cum remora ſtruitur, quæ impedimento eſſet, quominus ſe expediant accuſati. Non abſimili locutione Seneca *de Benef. L.* VI. *C.* 27. poſtquam de ſubmiſſo accuſatore dixerat, ita infit: *ſi aliqua illum lite* IMPLICARES, *quam ſubinde diſcuteres, nemo de tuo ſcelere dubitaret.* Et Horatius *de Arte Poët. prope finem.*

—— —— —— *eripere atris*
Litibus IMPLICITUM.

implicare & *obligare* liti non differunt, niſi nominis ſono. Et magis adhuc proprie idem Marcianus in *l.* 3. §. 3. *ff. de Bon. eor. qui ante ſent. mort. ſib. conſciv.* dixit *crimine nexum* pro *accuſato*, nec ſi vim verbi ſpectes, *nectere* & *obligare* differunt quicquam. Inde eſt quoque, quod Paulus quidam, inſignis calumniator tempore Conſtantii, dictus fuerit CATENA, ut auctor eſt Amm. Marcellinus *L.* XIV. *p. m.* 19. *& L.* XV. *p. m.* 65. quod, inquit priori loco, *crimina multa conſarcinando, in* COMPLICANDIS *negotiis dirus artifex erat*, & poſteriori, *quod in* COMPLICANDIS *calumniarum nexibus erat indiſſolubilis, tetra venena ferens, varieque diſperdens.* Pro *diſperdens* legerim *diſpergens*, quod magis eſt appoſitum. Igitur, ut uno verbo abſolvam, *ad obligationem innocentium* hic erit ad irretiendos falſa criminatione innocentes, quemadmodum & Hermogenianus in *l.* 20. *ff. h. T.* cum idem, ut credibile eſt, dicere voluiſſet, eodem *obligationis* verbo uſus eſt. Sed contra *d. l.* 20. ſeu potius contra Tribonianum, qui hanc, ſi credas, ſubtracta *innocentium* voce, mutaſſet, prolixe declamavit Salmaſius. Verum non eſt, ut hoc jam agamus.

Ait, *ex Senatus conſulto coërcetur.* Non *Voluſiano* ſcilicet, ut Accurſius exiſtimabat, quo de agitur in *l.* 6. *ff. ad L. Jul. de vi priv.* nam hoc aliud erat; ſed ex SCto, quod memorat Ulpianus *Coll. LL. Moſ. & Rom. d. loc.* quodque factum eſt Cotta & Meſſala Conſſ. Quod autem *ex SCto coërceri* dicantur ejusmodi calumniatores, conſtat inde eſſe, quod SCtum iis pœnam ſtatuerit, ut ipſa Lex dicitur *delictorum coërcitio* in *l.* 1. *ff. de Legib.* quod, quo genio impulſi, corrumpant nonnulli, plane non perſpicio.

C A-

CAPUT XX.

Ad L. 1. §. 2. ff. de Lege Corn. de falſ.

Pergo in explicando Marciano, cujus §. 2. *d. l.* 1. in Tuſco Libro ita legitur: *Sed & ſi quis ob renuntiandum remittendumve teſtimonium, dicendum vel non dicendum, pecuniam acceperit, pœna Legis Corneliæ adficitur.* Etiam ex hoc loco conſtare poterat, dictionem *ſed &* non ſemper augere & intendere orationem, at ſæpe minuere & remittere; multo gravius eſt delictum, de quo dixerat §. 1. levius autem, de quo *b.* §. 2. incipit tamen, *ſed &*. Hoc & alia exempla, quæ ad manum ſunt, debuerant monere Cujacium & Fabros, Antonium & Petrum, ne, ut ſcilicet oratio creſceret, ubi ea dictio occurrit, plurima loca Juris Civilis inverterent. Sed agamus, quod res eſt.

Ait Cornelia teneri, qui pecuniam acceperit *ob renuntiandum remittendumve teſtimonium, dicendum vel non dicendum.* Pro *renuntiandum* omnes fere Editiones, excepta Florentina & antiquiſſima apud Chevallonium, habent *denuntiandum.* Probat tamen *renuntiandum* Heraldus *de Auct. Rer. Judic. L.* I. *C.* 6. *Renuntiare*, inquit, *teſtimonium eſt dicere, remittere contra non dicere: ergo ob renuntiandum remittendumve teſtimonium, eſt, ob teſtimonium perbibendum vel non perbibendum.* Atque ita exiſtimat, ad teſtes hoc pertinere, quemadmodum & quod ſequitur, *dicendum vel non dicendum*, ſed quia tunc bis idem diceret, hæc ultima putat eſſe e Gloſſemate, quo quis *renuntiandum remittendumve* interpretatus eſt. Idem Heraldus eadem ratione in *l. ult. ff. de Concuſſ.* pro *denuntiandum vel non denuntiandum teſtimonium*, mavult legere, *renuntiandum vel non renuntiandum teſtimonium.* Sed merito hæc diſplicent Salmaſio *Obſerv. ad Jus Att. & Rom. C.* XXX. *p. m.* 866. *& ſeqq.* prælata ſcriptura, quæ *denuntiandum* exhibet, quamque ego lubens præfero. Negat Salmaſius *renuntiare* vel *remittere teſtimonium* eo ſenſu, quo ille putabat, Latine dici, nam *remittere teſtimonium* non eſſe aliud quam gratiam facere dicendi teſtimonii, cui contrarium eſt non *renuntiare teſtimonium*, quod eo ſenſu nemo dixit unquam, ſed *denuntiare teſtimonium*, hoc eſt, auctoritate Judicis vel Legis teſtimonium a volente vel invito exigere. Utque ea *denuntiatio* quandoque facta fuit ab his, qui Magiſtratu, Poteſtate, vel quo alio munere fungebantur, quosque, ſi ob denuntiandum vel non denuntiandum pecuniam accepiſſent, coërcebat Lex Julia Repetundarum *l.* 6. *pr. ff. de L. Jul Repet.* ita quoque fiebat a privatis, & præſertim ab accuſatore, ut teſtimoniis cauſam accuſationis poſſet inſtruere; hique privati, ſi ob denuntiandum vel non denuntiandum accepiſſent, L. Cornelia de falſis tenebantur, ut hic retulit Marcianus. De ejusmodi denuntiationibus, ab accuſatore factis, quædam notavit Salmaſius, & alia alibi occurrunt. Inde olim Lege finitum, quot teſtibus licuerit denunciare, Valer. Maxim. *L.* VIII. *C.* 1. *n.* 10. *l.* 1. §. 2. *ff de Teſtib* & quibus *l.* 4. *& ult ff. de Teſt.* Aſcon. Pedian. *in Verr. de Præt. Sicil. p. m.* 116. Ut autem verum eſt, accuſatorem præcipue teſtimonia denuntiaſſe, ita non deſunt exempla, id ipſum feciſſe reos, quo innocentiam ſuam probarent, imo & patronos, qui vel pro accuſatore vel pro reo dicebant, exploraturi ſic, inſtante judicio, quemadmodum accuſatio vel defenſio eſſet peragenda. Formam ejus rei, in cauſa Milonis, luculenter expoſuit idem, quem modo laudabam, Aſconius in *Argum. ad Tullii Orat. pro Milone.* Vetantur igitur *hac L.* accuſatores, vetantur patroni, corrupti pecunia, ſive a Provincialibus, frequenti malo, ſive etiam aliis, quicquam fraudis admittere in producendis teſtibus, quin nec in omittendis, corrupti forte a reis, ipſisve teſtibus.

Atque ita res ipſa poſtulat, in *b.* §. 2. legi oportere, *denuntiandum*, non *renuntiandum*, poſtulat & *l. ult. ff. de Concuſſ.* quæ idem dicit. Poſt Heraldum quidem & Grotius *Flor. ſparſ.* ad *d. l. ult.* juſſit legere, *renuntiandum vel non renuntiandum*; ſed illis parendum non eſt, cum ob plurium Librorum contrariam fidem, etiam a Gratiano transſcriptam in *C.* 128. *Quæſt* I. *Cauſſ.* 1. tum quod plane neſciatur, quid hac in re ſit *teſtimonium renuntiare*, utique ſi diſtinctum ſit, ut eſſe debet, a *teſtimonium dicere*, quod incontinenti additur. Imo, ait Grotius *d. loc. Renuntiare* idem eſt, quod *negare teſtimonium*; nova, opinor, Latinitate, adducta tamen, ut id probet, *b. l.* 1. §. 2. ſed valde perperam: nam ſi hic ſerves *renuntiandum*, fere eſt, ut contra probet, utpote quum diſtincta mox ſanctione agat de iis, qui corrupti teſtimonium negant, in verſ. *dicendum vel non dicendum.* Niſi & ipſe, ſequutus Heraldum, emendationis auctorem, in his poſtremis Gloſſema agnoſceret, de quo tamen videas altum ſilere. Et ſane, conceſſis facile Gloſſematibus, non alia via eſt, qua promptius eatur in perniciem Jurisprudentiæ, quaque ego non facile incedam, ſi vel oberrem pede incerto. Denique ſi, auctore Grotio, *renuntiare* hic ſit *negare teſtimonium*, velim ſcire, quid eo auctore eſſet, *teſtimonium remittere*? Sed, ut dixi, omnino legi debet, *denuntiandum*, quomodo & Pithœus apud *Coll. LL. Moſ. & Rom. T.* VIII. *loc.* 6. *verſ. ſed &* recte repoſuiſſe videtur pro *denudandum*, non autem recte addidiſſe, *denunciare accuſatorem reo, ut eos teſtes producat, quibus ſuam ipſe accuſationem confirmare velle ſe dicit, ut*, inquit, *ex Apuleji priore Apolog. conſtat.* Id, inquam, non recte, nam aliud eſſe *teſtimonium denuntiare*, conſtare opinor ex iis, quæ ſupra dicebamus. Neque a reo etiam exigi poterit, ut contra ſe teſtes producat, ut Juris eſt certi ex *l.* 7. *C. de Teſtib.* Sed alia eſt denunciatio, cujus Apulejus meminit, ea nempe, qua domino, in quibusdam criminibus, indicebatur ſervorum exhibitio, ut de iis haberetur quæſtio, & ſic Apulejo, Magiæ reo, exhibitio indicta *Apolog. p. m* 280. & 282 Idem in judicio *de Vi* obtinuiſſe ex eo probabile eſt, quod idem Apulejus *d. p.* 282 ſic ajat: *De quindecim ſervis denuntiaſti; quod ſi* DE VI *accuſares, quot tandem ſervos poſtulares*? & Milonem de Vi reum, exhibere familiam coactum aliquoties memorat Aſconius in *Argumento Milonianæ.* Atque ex his forte ſupplenda eſt *l.* 1. *ff.* & *l.* 1. *C. de Quæſtion.*

Hactenus Marcianus dixerat de iis, qui ob pecuniam teſtimonium indicunt vel remittunt, de ipſis teſtibus cautum eſt his verbis: *dicendum vel non dicendum* Sic abſolvit omnes ſpecies falſi, quæ in teſtimonia cadunt. Paulus

L. V. *Sent. T.* XXV. §. 2. hunc locum de teſtibus ita extulit: *qui ob falſum teſtimonium perhibendum, vel verum non perhibendum, pecuniam acceperit* &c. quæ ſententia tranſlata eſt in *Coll. LL. Moſ. & Rom. T.* VIII. *loc.* 4. omiſſis his, *vel verum non perbibendum*, ut dubites, an apud Collatorem utriusque Legis exciderint, an vero Paulo ſint addita. Quidquid ſit, ſecundum hæc non ſufficit, ut pecunia detur ob teſtimonium, ſed quo falſum perhibeatur, vel verum non perhibeatur. Quæ verba tantum abeſt, ut Heraldo concedam, Paulo eſſe adjecta a mala manu, ut contra cenſeam, ipſum Marcianum hic ea amplitudine accipiendum videri: ſi enim, ob pecuniam, falſum non dixerint teſtes, nec vero abſtinuerint, Legi Corneliæ de falſis locum non dederim, ſed forte Edicto de Calumniatoribus *l.* 1. *pr. &* §. 2. *l.* 7. *ff. de Calumniat.* Atque hæc de teſtibus, una teſtimonii *venundandi* voce expreſſit SCtum, quod duobus Geminis Conſſ. in hanc rem factum eſſe memorat *Coll. LL. Moſ. & Rom. T.* VIII. *loc. ult.*

Ait, *pecuniam.* Pro quocunque dato *pecuniam* dixiſſe non eſt dubium *l.* 178. *pr. ff. de V. S. l.* 1. §. 4. *ff. de Calumn.* qua de re & Pauli ſententia eſſe videtur *eod. T.* VIII. *Coll. LL. Moſ. & Rom. loc.* 2. *Hi*, inquit, *qui falſum vel* * ALIQUA *teſtimonia dixerunt* . . . . . . *aut in exilium aguntur* &c. Exhibetur lacuna ante τὸ *aliqua*, quæ forte ſupplenda eſt vocula *ob*, aut quæ ſimilis eſt notionis; *hi, qui falſum, vel ob aliqua teſtimonia dixerunt* &c. *ob aliqua*, nempe data. Alioquin ſi pro *aliqua* legas *alia*, ſatis, ſi non verbis, certe ſenſu, conveniet locus eidem, unde deſumptus eſt, Paulo *L.* V. *Sent. T.* XV. §. *Qui falſo.* ut & *l.* 16. *ff. de Teſtib.* quæ ipſa hanc Pauli ſententiam repræſentat. Ita diceret, exilio & reliquis pœnis coërceri, qui dixerit teſtimonium *falſum vel alia*, quæ nempe ſimilia ſunt. Quod autem Pithœus pro *aliqua* ſubſtituit *obliqua*, nequeo probare, cum me lateat, quæ ſint *teſtimonia obliqua.* Mallem pro *aliqua* reſcribere *varia*, quæ ipſa vox eſt apud Paulum in *Fragm. Sentent.* & in *d. l.* 16. quam verbum, adeo, ni fallor, a teſtimonis alienum Paulo obtrudere; ſed tamen neque illud probo ob vim majorem.

Ita vero Senatus cenſuit, ſi ob pecuniam teſtimonium dicatur, vel non dicatur. Quid igitur, ſi ob inimicitias, aut gratiam? ita enim frequenter fieri Lycurgus ait *Orat. contra Leocratem.* Sed pecuniæ dationem SCtum exigit, nec ab eo auſim recedere, & tamen dicere, SCto locum eſſe. Quod porro ſequitur in *h.* §. 2. *& qui judicem corruperit, corrumpendumve curaverit*, tranſeo, quia difficultatem non habet; ut tranſeo quoque alias, quas vidi, *hujus* §. 2. interpretationes, nam ignobilis opera eſſet, quæ iis refutandis daretur.

CAPUT XXI.

Ad L. 1. §. 3. & 4. ff. de Lege Cornel. de falſ.

Nondum dimitto Marcianum, adeo me trahit dulcedo argumenti. Pergit recenſere, qui obligentur Legi Corneliæ, & in §. 3. ita ait, *Sed & ſi judex Conſtitutiones Principum neglexerit, punitur.* Hæc interprete non egent, nec etiam retuliſſem, niſi monendum eſſet, Salmaſium *Obſerv. ad Jus Att. & Rom. C.* XXX. *p.* 881. & 882. inſigni audacia *hunc* §. adſcripſiſſe Triboniano interpolanti, pro quo Marcianus dixiſſet, *ſed & ipſe judex punitur*, ſimpliciter & reliquis omiſſis; nempe judex, qui ſe corrumpi paſſus eſt, nam ante dixerat de iis, qui judicem corrumpunt, corrumpendumve curant. Quumque de ipſo judice corrupto nihil quoque ſit apud Paulum *Sentent. L.* V. *T.* XXV. §. 2. & hunc, æque ac Marcianum, interpolatum credidit Salmaſius. Inſigni utrumque audacia; atque ſi ſcilicet iis locis neceſſario & de judice corrupto dicendum fuiſſet, & rurſus, quod ad Marcianum, atque ſi verum non eſſet, ejus ætate judices falſi fuiſſe reos, ſi Conſtitutiones Principum neglexerint, cum tamen id ipſum & Paulus, Marciani æqualis, aperte adfirmet *Sent. L.* V. *T.* XXV. §. 3. Et cedo mihi Jus novum, ex quo hæc interpolata eſſent; quin potius illa Juris priſci ſeveritas in puniendis judicibus, qui neglectis Legibus pronuntiant, poſtea exolevit. Alexander Paulinum repulit in *l.* 1. *C. ad L. Jul. Maj.* quod judicem, qui adverſus Conſtitutionem ſuam judicaſſet, Majeſtatis accuſare conſtituerat: nec ſcio, ejusmodi judices unquam Majeſtatis fuiſſe poſtulatos, contra quam tamen Salmaſio viſum eſt. Sed quod Majeſtatis crimen non fuit temporibus Alexandri, potuit fuiſſe Legis Corneliæ de falſis, idque Marciano & Paulo, idoneis auctoribus, facile largior. Tandem ejus juris nihil quicquam obſervatum eſt; unde factum opinor, ut & Baſilici *hunc* §. 3. omiſerint. Et quis cuſtodiat ipſum cuſtodem? judices judicibus facile ejus delicti gratiam fecerunt. Mavult quisque ex arbitrio, quam ſecundum Leges jus dicere, ſordidum ratus, poteſtatem ſuam Lege contineri. Rigorem Juris veteris reductum iri magis optandum, quam ſperandum eſt.

Sequitur §. 4. *Qui in rationibus, tabulis, cereïsve, vel alia qua re ſine conſignatione, falſum fecerint, vel rem amoverint, perinde ex his cauſis, atque ſi erant falſarii, puniuntur. Sic & Divus Severus Lege Cornelia de falſis damnavit Præfectum Ægypti, quod inſtrumentis ſuis, cum præerat Provinciæ, falſum fecit.* Quid ſint *cereæ* in Pandectis Flor. & apud Haloandrum, non conſtat. Scholiaſtes Græcus ad *Baſil. L.* LX. *T.* XLI. *C.* 1. §. 4. *lit. D.* legiſſe videtur, *tabulis cereis*, vertit enim πινακιδίοις κηρὸν ἔχουσι, *tabellis ceram habentibus*, mutatione non difficili, quaſi τῷ *ve* repetito ex ſequenti vocula *vel*: nec deſunt, qui in eam ſcripturam proclives eſſent. Sed ei & Latinorum Codicum auctoritas obſtat, & ipſe uſus; quo enim illa adjectio, tabulis *cereis*? an ut duntaxat de *ceratis* tabulis ageretur? Imo potius ſimpliciter exprimi oporteat, *tabulis*, quo generaliter omnes intelligerentur, ut in *l.* 1. *D. de Bonor. poſſ. ſecund. tab.* Non licet etiam pro *cereis* legere *cæteris*, ut legit infelix quidam Criticus, quia ſequitur, *vel alia qua re*: quæ inepta repetitio eſſet. Atque adeo quia *cereas tabulas* non recte dixeris, neque *cereas* a *tabulis* recte diſtinxeris, malo ſequi antiquiſſimam Editionem Blaublommii, quæ Pariſiis prodiit 1524. quæque pro *cereis* habet *ceris.* Hanc ſequutus eſt Robertus Stephanus 1528. & deinde Editores alii. Optime, ſi quid judico, nam ex antiquis formulis ea locutio obtinuit. In nuncupatione teſtamenti apud Ulpianum *Fragm. T.* XX. §. 9. ita legitur: HÆC UTI HIS TABULIS CERISVE SCRIPTA SUNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR. ITAQUE VOS QUIRITES TESTIMONIUM

PRÆ-

PRÆBITOTE. Non eſt, ut hoc in tranſitu moneam, cur illud *præbitote* mutetur in *perbibitote*, ut mutavit Cujacius *Obſerv* *L.* VI. *C.* 37. & ad *Paulum Sentent. L.* III. *T.* IV. §. 4. Veteres enim dixerunt cum *dare*, tum *præbere teſtimonium*, & ita Cicero *Orat. pro Flacco C.* 10. & Scholiaſtes Juven. ad *Satyr.* XVI. *verſ.* 31. interim de *tabulis ceriſve* liquet. Exſtat quoque ea geminatio in Fœdere Albano apud Livium *L.* I. *C.* XXIV. AUDI JUPITER . . . . . UT ILLA PALAM PRIMA POSTREMA EX ILLIS TABULIS CERAVE RECITATA SUNT SINE DOLO MALO &c. Metuenda ſcilicet erat captio, ſi ſimpliciter *tabulis* dixiſſent, quia tabulis erat inſcriptum nihil, verum ceræ, tabulis inductæ. Similia ſunt cavillationum exempla, quæ Cicero notavit & riſit in *Orat. pro Muræna.*

Ait deinde Marcianus: *vel alia qua re ſine conſignatione.* Quaſi dixiſſet, vel alia qua re *non ſignata*, & ita Baſilici, *πιναξὶ τοῖς ἀσφραγίστοις.* Interpres tamen ita hæc transfert in *Scholiis*, ac ſi de re ageretur, quæ obſignata eſſet: ut legiſſe videatur, non *ſine*, ut Florentinæ, verum *ſive conſignatione*, quæ & antiqua lectio eſt, etiam cum Haloandro expreſſa. Utraque poteſt ferri, & [illegible] expedieri. Florentinam defendit & ex [illegible] Ruſſardus in *Not.* & pro ea ſtabit Paulus in *l.* 16 §. 2. *h. Tit.* ubi plane ſimilis eſt locutio, niſi & ibi ſequaris Libros Vulgatos & Haloandrum. Sane negari non poteſt, ſententiam minus tortam, magis commodam eſſe, ſi utrobique præferas ſcripturam antiquam & Noricam, ſed ita, opinor, uterque locus poſtulat, ut verba quoque hac ratione transponas: *ſive conſignatione, vel alia qua re.* Quicquid placuerit, [illegible] judicem habebis æquum. *Conſignatio* autem opponitur ei, quod ſine ſcriptio fit *l.* 5. *ff. de Fid. inſtrum.* & accipitur pro omni eo, quod probationis ergo in ſcripturam redigitur. Unde Fabius *Inſt. L.* XII. *C.* 8. *Promittit litigator omnia, teſtem, populum, paratiſſimas* CONSIGNATIONES, *ipſum denique adverſarium quædam non negaturum.* Et Seneca *Controv. L.* IV. *C.* 8. hoc thema proponit: *Bello civili patronus victus & proſcriptus ad libertum confugit. Receptus eſt ab eo, & rogatus, ut operas remitteret. Remiſit.* CONSIGNATIO *facta eſt. Reſtitutus exigit operas. Contradicitur.* Quam hic dicit *conſignationem*, poſt vocat *tabulas crudeliores tabula Syllanæ [illegible]ptionis.* Controverſiam vero, quam eo themate propoſuit Seneca, Pomponii ſententia definit in *l.* 9. §. 1. *ff Quod met. cauſ.* Utque ita neganda videretur reſtitutio, quia, te liberando, *operæ meæ mercedem accepiſſe videor*; in quam ſententiam eſt quoque *l.* 34 §. 1. *ff. de Donation.* Sed tamen in liberto contradixerim, cum is non recte petat mercedem operæ, quam ipſe debet.

Sed pergamus. Ait, *vel rem amoverint.* Eſt id obſcurum, & ſpecies furti potius, quam falſi. Tentabam aliquando, an non conjunctim legi poſſit, *removerint*, rationes ſcilicet, tabulas, & ceras, de quibus dixerat, nec adhuc diſplicet. Baſilici ajunt: *ἢ ἀπαλείψας*, *aut deleverit*, ſed *delendi* verbum ſatis continetur in *τῷ πλαστὸν ποιήσας*, in *falſo faciendo*, quod præceſſerat; *removere* autem & *intervertere* rationes, tabulas, ceras, poterat videri alia ſpecies, quam idcirco & Scholiaſtes Baſilicorum ſervat, & ſic effert, *ἢ πρᾶγμα ἀφέληται.* In hanc ſpeciem incidunt, qui, *ut verum non appareat, quid celaverunt, ſubripuerunt, ſubjecerunt, reſignaverunt*, quemadmodum Paulus reſpondet in *l.* 16. §. 2. *h. T.* quæque hic interpretationis loco eſſe poſſunt, cum idem plane argumentum tractet. Accurſius *rem* exponit *veritatem*, ſatis perperam. Alii interpretantur, *rem, ut erat*, amoverint, mutarint, corruperint; quod huic loco inutile eſt ſupplementum. Poſſumus, ſi ita videatur, lectionem, ubique conſtantem, retinere, & *rem* intelligere, de qua proxime locutus erat, ut hic ſermo ſit de amotis vel interverſis rationibus, tabulis, cerisve. Solemne eſt Veteribus, præſertim JCtis, de quibuscunque rebus agant, ea voce, velut formula, uti. Atque ita uſus eſt Ulpianus in *l.* 5. *ff. Qui pot. in pign. Si navis fuit obligata, & ad armandam eam rem vel reficiendam ego credidero.* Perperam enim ibi Haloander *τὸ rem* expunxit. Utuntur etiam, quum de rebus pluribus agant, etiamſi plurium numero fuerint propoſitæ; ut in *h.* §. 4. & in formula interdictionis bonorum apud Paulum *L.* III. *Sentent. T.* IV. §. *moribus*, quæ ita habet: *Quando tua bona paterna avitaque nequitia tua diſperdis, liberosque tuos ad egeſtatem perducis, ob eam rem tibi* EA RE *commercioque interdico.* Et in ſtipulatione emptioneque ovium apud Varronem de *R. R. L.* II. *C.* 2. *Illaſce oves, qua de re agitur, ſanas recte eſſe.* Id autem ſatis conſtat, de *amotione* quod Marcianus dicit, de ea intelligendum eſſe, quæ fit veritatis intervertendæ ergo, nam lucri cauſa ſi fiat, furti competere Ulpianus ſcripſit in *l.* 27. §. 1. *ff. de Furt.*

Ait, *quod inſtrumentis ſuis . . . falſum fecit.* Dubito, an ſatis Latine dicatur, *falſum facere inſtrumentis.* Nihil erit periculi; ſi *τὸ in*, ex uſu antiquo, geminemus, hoc modo: *quod in inſtrumentis ſuis . . . falſum fecit.* Inſtrumenta ſunt vel *literæ publicæ*, de quibus *l.* 16. §. 2. *h. Tit.* vel *dyplomata*, de quibus *l.* 27. §. 2. *eod. T.* & Plinius *L.* X. *Epiſt.* 46. & 47. vel alia, his ſimilia.

C A P U T XXII.

De Quæſtione Dotis Licinniæ.

Poſtquam Javolenus, Servii auctoritate, adfirmaſſet, in his rebus, quas præter numeratam pecuniam doti vir habuit, dolum malum & culpam eum præſtare oportere, ita porro infit in *l.* 66. *pr. D. Solut. matr. Ea ſententia Publii Mucii eſt, nam is in Licinnia, Gracchi uxore, ſtatuit, quod res dotales in ea ſeditione, qua Gracchus occiſus erat, periiſſent: ait, quia Gracchi culpa ea ſeditio facta eſſet, Licinniæ præſtari oportere.* Contorta eſt ſententia in poſterioribus; unde factum opinor, ut illud *ait* plurimæ ex antiquis Editiones omiſerint, ſervari tamen poterit, ut eſt in Florentina, ſi ordinem duorum vocabulorum mutes, & pro *ait, quia* legas, *quia, ait.* Alioquin, cum jam dixerat, *ſtatuit*, abundat *τὸ ait*, niſi interjectæ rationi applices. Quomodo & in *l.* 3. *ff. Si pars hæred. pet.* poſt *τὸ ſcribit, ſed & Lælius ſcribit*, mox additur, quod tamen abeſſe poterat, *inquit.* De re ipſa videamus. Recte obſervatum eſt a Franciſco Balduino in *Juriſpr. Mucian. p. m.* 38. & Guidone Pancirolo *L.* II. *Var. Lect. C.* 53. agi heic de Cajo Graccho non Tiberio, quia Caji uxor fuit Licinnia. Ejus Licinniæ dotem, quia in ſeditione

ne perierat culpa mariti, illi præſtandam eſſe, reſpondit Publius Mucius, ſed a quo, & quemadmodum id Hiſtoriæ conveniat, meretur deſpici. Pancirolus *d. loc.* ita videtur Mucium exaudire, atque ſi Licinniæ dos periiſſet publicatione, publicatam quippe conſtat ex Plutarcho in *C Graccho p. m.* 252. ſed fuiſſet reſtituta ſententia Mucii, magna ſcilicet æquitate judicantis. Quod manifeſte refutat *b. l.* 66. quæ ait, res dotales periiſſe *in ſeditione*, & quis perdita reſtituat? de pretio igitur loquitur dotis deperditæ, & cujus id damno eſſe debeat. Non certe populi, quem Gracchus concitarat, at ipſius Gracchi, cujus culpa orta ſeditio, & per ſeditionem dos deperdita. Sic innuit Mucius; ſed nullus tunc Gracchus erat, nam in tumultu & ipſe perierat. Imo nulli hæredes, nam bona ejus publicata eſſe Plutarchus auctor eſt *d. loc.* utque ita nec hæredes de debitis ejus conveniri potuerint *l* 2. & 3. *ff. de Sent paſſ. & reſtit.* Quid igitur? an ærarium a Licinnia conveniendum erat? ita diceres ex *d. l.* 2. & 3. ſed in ærarium redacta fuit & ipſa Licinniæ dos, nec unquam remiſſa. Remiſſam utique nullibi legimus, quod tamen commemoraſſet Plutarchus in *C. Graccho*, commemorare certe debuiſſet. Dicemus igitur, non obtinuiſſe Mucii ſententiam de præſtanda Licinniæ dote? & nullo jure fuiſſe publicatam? Puto rem ita commodum poſſe explicari. Perierunt res dotales Licinniæ vel in ipſa direptione domus Gracchanæ (nam domum ejus direptam memorat Appianus *Bell. Civil. L* I. *p. m.* 37.) vel alias in ſeditione; periit Gracchus, bona ejus publicata ſunt. Si, antequam publicarentur, Mucius fuiſſet conſultus, quod fieri potuit, ab hæredibus Gracchi dotem repetendam dixiſſet; ſi poſt publicationem, ab ærario, ut a Graccho potuiſſet repeti, ſalva enim Licinniæ dos ſua eſſe debuit, quamvis mariti bonis publicatis, ob crimen, quod ipſe, non uxor commiſiſſe legitur. Incertum vero, ecquo tempore conſultus fuerit Mucius, nam ſimpliciter reſpondet, *res dotales Licinniæ præſtari oportere*, nec ait, a quo, ut ſic inde tempus Reſponſi nequeat dignoſci.

Sed quid ſi poſt publicationem? eam æſtimationem rerum dotalium præſtabit Fiſcus? nec ob publicationem dotis agentem Licinniam repellet? repellet ſine dubio. Eccur igitur pro dote reſpondet Publius Mucius? Franciſcus Balduinus in *Jurispr Muc.* ad *b. L.* varia comminiſcitur, quo ſe extricet. Nunc Plutarcho, de publicatione dotis teſtimonium perhibenti, fidem abrogat; nunc ſugillat integritatem P. Mucii, atque ſi parum candide reſpondiſſet in cauſa Licinniæ, quæ ejus ex fratre neptis erat; vel diſſimulaſſet, Licinniam cum marito conſilia communicaſſe de concitanda plebe, & hinc forte dote eſſet mulctata; nunc de favorabili cauſa dotis, nunc de aliis tricatur. Sed nemo hæc probaverit; ego nondum potui diſcere, quo auctore Balduinus ſcribat, Licinniam fuiſſe P. Mucii ex fratre neptim, nec, ſi fuerit, mihi unquam perſuadebitur, Mucium gratiæ vel ſordibus dediſſe locum. Scio & in Scævola id argui in *l.* 14. *ff. de Tranſact* gentilitio forte vitio, ſi Mucius hic præceſſerit, &, ut Cujacius exiſtimabat, ex Muciorum Gente fuerit Cervidius Scævola; ſed horreſco referens. Omnino eſt ſequendum, quod ipſe Balduinus non obſcure etiam ſignificat, Mucium reſpondiſſe, cum Licinnia nondum rea eſſet, vel, ut preſſius dicam, reſpondiſſe ante publicationem dotis, tunc enim verum erat, vel ab hæredibus Gracchi, vel a Fiſco dotem Licinniæ præſtari oportere, poſt publicationem, nulla Licinniæ actio; & ſane plusquam ſtultum eſſet, bonis meis publicatis, reſpondere, mihi jus faſque eſſe ea denuo a Fiſco repetere.

Nec dubitandum eſt, quin fuerit, cur publicaretur dos Licinniæ. Balduinus, ſi Plutarcho, id narranti crederet, inde fuiſſe exiſtimaret, quod & ipſa Licinnia alicujus criminis fuerit convicta, aut alias marito, Rempublicam turbanti, adfuerit, ſed, quod ſciam, nemo eſt ullus, qui id memoriæ prodidit. Crediderim potius, Licinniæ, ob luctum mariti, ademptam dotem; placuit ſcilicet, Majeſtatis damnatum non lugeri *l.* 35. *ff. de Relig. & ſumpt. fun.* nec hoſtem *l.* 11 §. 2. *ff. de His qui not inf* nec quemvis capite damnatum ex interdicto Tiberii apud Suetonium in *ejus Vita C.* 61. & vero hoſtem luget, quæ luget maritum, ob concitatum populum, tumultu interemptum. Interdictum quoque fuiſſe, ne C. Gracchus a muliere lugeretur, Plutarchus retulit *d. loc.* interdicto luctus mox addens publicationem dotis, uno quaſi ſpiritu. Et paulo ante Plutarchus quoque dixerat, Licinniam, exeuntem maritum proſequutam, quiritaſſe, neque mariti ſui luctum ſibi relinqui, neque cauſam ſuam cum his parem eſſe, quæ maritos ad bellum profecturos, & glorioſe defuncturos, honeſte deflent. Neque, præter hoc, aliud Licinniæ crimen video referri. Sane id crimini fuiſſe datum, etiam inde liquet, quod, ut Coriolanum lugere liceret, ſpecialiter impetrandum fuerit, ut idem Plutarchus auctor eſt in *Coriolano p. m.* 422.

CAPUT XXIII.

Explicata & ex Veteribus Libris reſtituta L. 12. §. ult. ff. de Ædil. Edict.

Quærit Ulpianus in *l.* 12. §. *ult. ff. de Ædil. Edict.* an, cui os oleat, ſanus ſit, & ait Trebatium reſpondiſſe, *non eſſe morboſum, alicui os olere, veluti bircoſum, ſtrabonem, boc enim ex illuvie oris accedere ſolere.* Quum *bircoſus* ſit, qui hircum olet, & hircus ſit alarum, non oris fœtor, dixeris, neque ſanam hic eſſe videri Ulpiani ſcripturam; maxime, quum & in exemplum *ſtrabonem* addat, qui utique bene olere poteſt, diſtortis quamvis oculis. Gulielmus Budæus legendum cenſuit, *veluti bircos vel tragon*, vel, *bircoſum tragonta*. Sed ita bis idem diceret, ſemel Latine, ſemel Græce, quemadmodum & ſi cum Lindenbrogio ad *Cenſorinum de Die Natali C* XIV. legas *bircoſum graſonem*, quia ſecundum Gloſſas Philoxeni *bircoſus* eſt γρασων; ita tamen & Cujacius, Lindenbrogio non laudatus, tentaverat *L.* XI. *Obſerv. C.* 10. quamvis ipſe proclivior ſit in *bircoſum, ſcabronem*, ut ſcabro ſit, qui dentes aut gingivas alluvie ſcabras & ſpurcas habet. Sed non puto, quemquam Latinorum ea voce fuiſſe uſum, nec, ſi fuiſſet uſus, animadverto, qui tunc ſcabro differat ab hircoſo, largiendum enim eſt Cujacio, hircum etiam oris eſſe vitium; & id largiri poſtulat quoque Cenſorini locus *d. C.* XIV. qui τραγίζειν ad os & vocem retulit. Joſephus Scaliger *Conject. ad Varron. de L. L. Libr.* VI. *p. m.* 132. legit

lur-

hircoſum raponem, & mox *ingluvie* pro *illuvie*, ſed quæ omnia, tacito nomine, recte refutavit Cujacius *d. L.* XI. *Obſerv. C.* 10. cujus ſententiam hac parte, omnino probo, quamvis *raponem* quoque exhibeat M. S. Ruſſardi, ut ipſe ad *h. L.* notavit. Cæterum absque ulla emendatione hæc verba Ulpiani ſatis mihi videntur ſubſiſtere, ſi vel *hircoſi* & *ſtrabones* ſignificatione vulgari accipiantur; ita enim dixiſſet, eum cui os olet, morboſum non eſſe, uti neque hircoſus, neque ſtrabo morboſus eſt, æque ſcilicet ſanos eſſe, quibus os male olet, ac quibus alæ. Difficilius eſt, quod de ſtrabone ſequitur, ſed quum id vitium non ſit vitium, quod ad Ædilitium Edictum, recte etiam hoc exemplo utitur, his ita, quamvis ſtrabones non fœteant, recte comparatis. Sic licet interpretari Ulpianum, vel potius Trebatium, & ſimul abſtinere plurimis, atque his incertis emendationibus.

Magis exiſtimarem, aliquid mendi latere in ſequentibus Ulpiani, quæ ſic habent; *Si tamen ex corporis vitio id accidit, veluti quod jecur, vel pulmo, aut aliquid ſimiliter* DOLET, *morboſus eſt.* Quid verba velint, in aperto eſt, ſed non bene habet τὸ *dolet*, quod miror animadverſum non eſſe ab iis, qui in *h.* §. interpretando & emendando verſati ſunt. Legendum eſt omnino, *ſimiliter* OLET, de fœtore quippe, non de dolore loqui debuit; quum τὸ *ſimiliter* ad os referatur, quod in *princ. h.* §. non *dolebat*, ſed *olebat*: niſi dicamus τὸ *dolet* idem eſſe, quod *morboſum* eſt, quod tamen ſignificatio verbi non patitur, neque etiam ejus loci ſententia, quia negaverat, os fœtidum cenſeri morboſum. Quare, ſi ulla ratione τὸ *dolet* poterit defendi, non *ſimiliter* legendum eſt, ut nunc Florentiæ legitur, ſed ut in MS. meo, & veteribus quibusdam Libris, *aut aliud quid ſimile*, quo *ſimile* referatur ad *jecur* vel *pulmonem*, non ad *dolet*. Sed vero vel ita erit inſolens ſignificatio τοῦ *dolet*, cum omnis dolor non arguat morbum. Igitur ſequenda eſt emendatio, vel ſi mavis, genuina lectio ex veteribus Libris. Poſtquam enim nactus ſum varias Editiones, Florentina antiquiores, magna pars Emendationum, quas pridem annotaveram, mihi periit, interque eas & hæc eſt, de qua nunc moneo. Nam & in antiquiſſima Editione apud Chevallonium, Pariſiis 1523. & apud Robertum Stephanum, ibidem 1527. non *dolet* vel *doleat*, ſed *olet* vel *oleat* aperte ſcribitur, quam ſcripturam in ſua quoque Editione ſequutus eſt Petrus ab Area Boudoza, Lugduni 1593.

CAPUT XXIV.

Quemadmodum pubertas fuerit æſtimata apud Veteres, emendatis leviter Inſtitutionibus.

Quum de contrahendis nuptiis, definienda tutela, & aliis, quæ pubertatem deſiderant, in Jure ſermo eſt, quæſitum olim fuit, quo argumento cenſenda eſſet pubertas. Narrant *Inſtitutiones, pr. Quib. mod. tut. fin.* Veteres quidem pubertatem in maſculis æſtimaſſe *non ſolum ex annis, ſed etiam ex habitu corporis*, hoc eſt, per *inſpectionem habitudinis corporis*, ut mox id eſ[illegible]unt *Inſtitutiones*, ſive, ut ipſe ille loquitur Juſt[illegible]us in *l. ult. C. Quando tut. vel curat.* [illegible] *deſin.* per *indecoram obſervationem*, & mox, per *indagationem corporis inhoneſtam*. Quod cum & olim, ut ipſe ait, diſplicuerit in fœminis, etiam in maribus abrogat, pubertatem ſimpliciter finiens anno quarto decimo. Sunt, qui exiſtimant, Tribonianum in enarranda hiſtoria veteris ævi Principi & lectori ſuo fucum feciſſe, ad commendationem ſcilicet Juris novi, illamque adeo marium inſpectionem, tanquam lepidam fabellam, irrident & explodunt. Alii non tam crude, ſed quod de inſpecto *habitu corporis* dicitur, de externa corporis ſpecie, de geſticulatione, vultu, barba, non de inſpecta pube & lanugine prima intelligunt. Ab utriſque autem peræque cavendum puto: nam, ut de poſteriori ſententia prius dicam, quis credat, Veteres ex vultu conjeciſſe facultatem virilem? fuerunt illi Prudentes Juris, non artis Phyſiognomicæ: nec vel probe aruſpex id facile præſtiterit. Et quid tunc ſuberat probri, vel inverecundiæ, vel indagationis, de quibus tamen totiens Tribonianus? mendacii eum accuſare, ut accuſant quoque, qui quicquid ejus inſpectionis eſt negant, indignum & illiberale facinus eſt: præſertim, cum omnis in contrarium abeſt auctoritas; ut certe hic abeſt. At ſi non credimus Triboniano, credamus utique Ulpiano, qui *Fragm. T.* XI. §. *ult.* ita ſcribit: *Puberem autem Caſſiani quidem eum eſſe dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id eſt, qui generare poteſt. Proculeji autem eum, qui quatuordecim annos explevit. Verum Priſcus eum puberem eſſe, in quem utrumque concurrit, & habitus corporis, & numerus annorum.* Vides tres ſententias Veterum: prima eſt Caſſianorum, qui pubertatem maris æſtimabant ex habitu corporis, ſecunda Proculejanorum, qui ex anno quarto decimo, tertia Priſci Javoleni, qui ex utroque. Caſſiani igitur rem cernebant κατὰ τὴν φύσιν, naturaliter quippe pubes eſt, qui generare poteſt: eamque definitionem putabant eſſe certiſſimam, haud concedentes Scholæ contrariæ, ex numero annorum hanc rem recte definiri, utpote cum in alio natura ocyus, in alio ſerius exſurgat. Quid autem, ſi pubertas fuerit incerta? Caſſianorum ſententiæ conſequens eſt, ut eundum fuerit in rem præſentem, nudandæ corporis partes, unde viri ſumus, nec forte nudandæ ſolum, ſed ea quoque peragenda, ex quibus conſtet de argumento viri. Verecundia prohibet, hæc latius exſequi. Sane absque eo vix ſuffecerit ſola inſpectio τῶν αἰδοίων, & tantum non lubrica fuerit ejus rei definitio. Sed Proculejanis diſplicuit, Prætorem forte ventrem maris inſpicere, & mox tentare pubertatem: quin potius omnem de pubertate quæſtionem ſolis annis dirimebant, ſervato eo, quod ſit ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Inter has ſententias media fuit Priſci Javoleni, qui pubertatem non cenſebat ante annum XIV. imo nec poſt annum XIV. niſi ex habitu quoque corporis ea de re conſtaret. Hæc Veterum controverſia cauſæ fuerit, quur Quintilianus *L.* IV. *Inſt. Orat. C.* 2. non conſtare dixerit, *annis, an habitu* æſtimanda ſit pubertas. Hinc etiam ejus diſſenſionis veſtigia apud Auctores exteros, Jano a Coſta *ad Inſt.* & aliis laudatos. Javoleni tamen ſententiam plurimum valuiſſe, colligo ex loco Servii ad *Virgil. Eclog.* VIII. *verſ.* 39. & 40. nam ad illa,

Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus,
Jam fragiles poteram a terra contingere ramos.

ita notat: *Id eſt, tertius decimus.* ALTER *enim de duobus dicimus. Et vult ſignificare jam ſe vici-*

cinum fuiſſe pubertati, quod de duodecimo anno procedere non poteſt. Bene cum annis jungit habitum corporis: NAM ET IN JURE PUBERTAS EX UTROQUE COLLIGITUR. Quumque ea Javoleni ſententia videatur fuiſſe frequentata, id forte cauſæ fuerit, cur hanc ſolam Tribonianus propoſuerit in *princ. Inſt. Quib. mod. tut. fin. Pubertatem*, inquit, *Veteres quidem non ſolum ex annis, ſed etiam ex habitu corporis in maſculis æſtimari volebant.* Non fuit hæc ſententia Caſſii, non Proculi, at ſola Javoleni, quosque ille deinceps habuit ſectatores. An igitur hos poſtremos intelligemus nomine *Veterum*? ſic dicendum videbatur, ſed obſtat nimia κατάχρησις: neque enim, cum Caſſiani & Proculejani de re, qua de agitur, diſſenſerint, appellatione *Veterum* ſimpliciter intelligere licet Javolenum, quique ejus ſingulari ſententia uſi ſunt. Mallem igitur, niſi magna auctoritas intercederet, in *d. princ. Inſt.* leviſſimo motu pro *Veteres quidem* reſcribere *Veteres quidam*, quo ſignificet, non omnes ſimpliciter Veteres, ſed quosdam ex his, ſequutos eam, quam memorat, ſententiam; Javolenum puta, cæterosque ejus ſectatores. Plane quemadmodum Feſtus in Voc. *pubes*, Proculejanorum ſententiam recitat his verbis: *Pubes & puber, qui generare poteſt* (non improbo hanc Scaligeri emendationem, niſi malis, quod magis accedit ad lectionem vulgatam, *pubes eſt, qui pube generare poteſt*) & pergit: *Is incipit eſſe a quatuordecim annis, fœmina a duodecim viripotens, ſive patiens, ut* QUIDAM *putant.* Ait, *quidam*, quia de omnibus verum non eſt: & hac ratione potes quoque reſtringere Inſtitutionum verba, alioquin generalia. Etiam alias in Libris antiquis *quidem* & *quidam*, proclivi vitio, commutari obſervavit Ritterſhuſius ad *Pauli Sentent. L.* V. *T.* IV. §. 15. ſed an idoneis exemplis probaverit, ſubſiſto: de hoc certe tacet. Quamvis autem Caſſiani in æſtimanda pubertate naturam ſequerentur, facile tamen adſentior iis, qui exiſtimant, non promiſcue in quæſtionibus pubertatis partes neceſſarias fuiſſe exploratas: nam cui id bono in finienda tutela, in condendo teſtamento, & reliquis, quæ virtute maſcula non peraguntur? non oportet hominum graviſſimorum ſententiam deridiculo exponere. In nuptiis alia ratio eſt, non enim in his ſufficit pubertas, ut ita dicam, civilis: qui virum ſe præſtare debet, nec vir eſt, a nuptiis abſtinere jubet ratio, jubet Caſſianorum & Javoleni auctoritas. Sola tamen Proculejanorum ſententia, a Juſtiniano poſt probata, in Pandectas relata fuit, neque ulla ibi, quocunque demum caſu, de inſpiciendis maribus mentio. Niſi veſtigium eſſe dicas in *l.* 32. *ff. de Minor.* quod tunc verum eſt, ſi *aſpectum corporis* cum Cujacio ad *d. l.* 32. interpreteris non de de partibus externis, ſed de ipſa inſpectione τῶν αἰδοίων de quo tamen eſt, cur dubites.

Hæc de maribus. De fœminis conſtans opinio eſt, earum pubertatem ſemper fuiſſe æſtimatam ex anno duodecimo: qui tamen id probet, hactenus vidi neminem. Cujacius *Comm.* ad *l.* 2. *ff. de Excuſat.* provocat equidem ad *d. princ. Inſt. Quib. mod. tut. fin.* at ibi nihil reperio, quam fœminas olim non fuiſſe inſpectas, quod ipſum ſatis quoque indicat Ulpiani locus *Fragm. a. T.* XI. §. *ult.* loquitur enim de ſolis maſculis. Sed differunt hæc, virgines inſpectas non fuiſſe, & viripotentes cenſeri ex anno XII. Caſſiani, qui eam rem tractabant φυσικῶς, mihi non videntur in hoc articulo fœmellas a maſculis diſtinxiſſe, cum alioquin defeciſſet ratio, quam illi in adoleſcentibus urgebant a ſola maturitate & naturæ potentia. Et ſi quid rurſus credimus Servio ad illud Virgilii, *Jam matura viro* &c. Poëta ibi locutus eſt (& loquitur de ſexu ſequiori) *ſecundum Jus*, in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis ætas probatur. Neque opinor, Servium eo loco falli, quemadmodum opinatur Cujacius ad *d. l.* 2. ſed potius Caſſianos, etiam in virgine, ex ſtatu corporis æſtimaſſe, nunquid valeret munia comparis æquare, ac tauri ruentis in Venerem tolerare pondus. Hoc tamen non impedit, quominus credamus, mulieres olim inſpectas non fuiſſe, non tam prohibente verecundia, quid namque in eo eſt inverecundi, ſi mulierculæ inſpiciant & tractent virgines (neque enim neceſſe erat viris hanc provinciam demandare) non, inquam, illa ratione, ſed quod pubertas fœminarum facilius & tutius exploretur purgatione menſtrua. Nihil hic proficeret obſtetricum vel decies repetita inſpectio, nihil præter inſpectionem alia εὑρήματα, niſi incerta, probroſa, & quæ nec ipſe Priapus probaverit. Bene igitur vel ipſi Caſſiani, quod mulieres inſpici noluerint, quum id, ſecus atque in maribus, nihil quicquam præſtare poſſit, niſi ea adhibueris, quæ virginem perderent: & bene vel ideo, quod alia ſuperfuit ratio, certior & honeſtior, qua licebat expedire quæſtiones de pubertate fœminarum, videlicet, ut dixi, per τὰ καταμήνια: quicquid enim ejus rei eſt, ſola menſium obſervatio abſolvit. Annum tamen duodecimum in cauſis mere civilibus fuiſſe ſervatum nullus dubitaverim, quemadmodum, quod ad mares, ſuſpicatus ſum de anno XIV. Simpliciter quidem, etiam in cauſa nuptiarum, anni duodecimi meminit *l.* 4. *ff. de R. N* ſed hæc, ſi explicanda non ſit de ſola Proculejanorum ſententia, commode explicabitur de iis, quæ non ἐκ τοῦ σπανίου, ἀλλ' ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, nam poſt annum XII. de pubertate fœmellarum nulla fere incidebat quæſtio, & minus de ea, quæ, ut ait *d. l.* 4. jam ante annum XII. nupta fuerat. Unde, abſque ulla mentione inſpectionis, fœminas anno XII. nuptiis aptas cenſuiſſe Romanos, Plutarchus dixit in *Numa p. m.* 135. quamvis Lycurgus, ut ipſe ibi refert, maturitatem corporis magis ſpectaverit, quam annorum numerum, plane ad inſtar Caſſianorum. Simpliciter tamen ex Proculejanorum ſententia, & τοῖς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, Auguſtus apud Dionem, vel potius ipſe Dio *L.* LIV. Δώδεκα ταῖς κόραις, ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη νομίζεται. Et ſic paſſim auctores alii, noſtri & exteri. Atque hæc in tenebris antiqui Juris mihi videntur probabilia de æſtimata pubertate in utroque ſexu: non reperi, qui hanc rem recte expoſuiſſe videatur. Oratione uſus ſum, quam potui, caſta; ſi offendaris, fungus es.

CAPUT XXV.

Defenditur recepta lectio l. 2. §. 4. ff. Si quis caut. in jud. ſiſt. cauſ. fact. non obtemper.

Jubet Lex XII. Tabul. judicii diem diffindi, ſi judex, vel alteruter ex litigatoribus morbo ſontico impediatur; hoc dixit Ulpianus in *l.* 2. §. 3 *ff. Si quis caut. in jud. ſiſt. cauſ. fact. non obtemp. Diffindere diem* quid ſit, nunc non eſt, qui ignorat: quicquid ad eam rem pertinet, abſolvit Cujacius *L.* XII. *Obſerv. C.* 18. *Morbus* autem *ſonticus* definitur in *l* 113. *ff. de V. S. qui cuique rei nocet*, niſi tamen legendum ſit, *quicunque rei nocet*, & iterum in *l.* 60. *ff de Re jud. qui cujusque rei agendæ impedimento eſt*, niſi & ibi malis, *quicunque rei agendæ impedimento eſt.* ſed nihil certi ſtatuo. Hoc ſane conſtat ex *d l.* 60. ob morbum ſonticum diem judicii fuiſſe diffiſſum *ipſo jure*, etiam invito judice, ut ante Cujacium *d. loc.* etiam recte obſervavit Raphaël Fulgoſius *Conſil.* XVI. Unde & Carolus Audax in §. 39. *Formæ*, quam Curiæ Hollandicæ dedit 4. Sept. 1462. non aliter abſentes eremodicii damnandos jubet, quam ſub conditione, niſi ſi qua cauſa ſontica impediverit. Quod miror in reliquas utriusque Curiæ formas non eſſe tranſcriptum: nam utique id præſtat, quam continuo mutare ſententias de eremodicio latas, ut nunc uſus fori ſervat. Quum vero illa diffiſſio & dilatio fiat ipſo jure, ex verbis XII. Tabb. ut Ulpianus memorat *d.* §. 3. quæſitum eſt, an & quemadmodum mulier cum gravida, tum puerpera ea Lege uti poſſit? an in utraque, vel alterutra cenſendus ſit morbus ſonticus, vel valetudo, quæ prohibeat? Ulpianus id mox exponit §. 4. ***Si***, inquit, ***non propter valetudinem mulier non ſteterit judicio, ſed quod gravida erat, exceptionem ei dandam Labeo ait: ſi tamen poſt partum decubuerit, probandum erit, quaſi valetudine impeditam.*** Conſtans hæc eſt omnium Librorum lectio, etiam a Baſilicis in eandem ſententiam expreſſa, ſed quæ tamen non placuit Cujacio *d. L.* XII. *Obſerv. C.* 18. Ipſe putat, mulierem tam pleno, quam vacuo utero judicio ſiſti oportere, nec, quod gravida ſit, exceptione tutam eſſe; legendum igitur videri: *exceptionem ei* NON *dandam Labeo ait.* Quo commodum ſic ſequatur oppoſitio: *ſi tamen poſt partum decubuerit* &c. Non amo id genus emendationum, ob audaciam facinoris, ita enim ex JCtis repente prodibimus Legiſlatores, non ſuum cuique tribuentes, ſed auferentes pro lubitu. Mulieri gravidæ exceptionem tribuit ex Labeone Ulpianus, Cujacius nullo auctore negavit: ego Ulpianum ſequor, & ſic porro interpretor. Si mulier, quæ uterum gerit, judicio non adſit, ipſa Lege XII. Tabb. tuta non erit, hæc enim morbum ſonticum deſiderat, qui non eſt in gravida. Quid igitur? exceptione, inquit Labeo, ſe defendet. Aliud eſt, ſi poſt partum decumbat, tunc enim non exceptione, ſed ipſo jure, ex verbis XII. Tabb. tuta erit, *quaſi* ſcilicet *valetudine impedita.* Frequens eſt oppoſitio ejus, quod ex ipſa Lege deſcendit, quodque ex interpretatione, ſuggerente æquitate, eſt additum. Ipſa Lex XII. Tabb. gravidam non excuſabat, quin vel ægrum morbo aut ætate, jumento imponi, atque ex domo ſua ad Prætorem in Comitium efferri juſſit, ut Favorinus retulit apud Gellium *Noct. Att. L.* XX. *C.* 1. adeo non curabat leviores morbos, ſed vere ſonticos. Succeſſit mollior, erga molliorem ſexum, interpretatio; atque hæc exceptionem dedit, non omni forte mulieri gravidæ, ſed quæ, *quod gravida erat, non ſteterit judicio*, quod forte licet interpretari, quæ propter uterum *judicio ſtare non potuerit.* ſunt & alibi loquutiones geminæ.

Nolim objici, mulierem prægnantem utique ſanam eſſe, idque *inter omnes convenire;* eundem Ulpianum teſtari in *l.* 14. §. 1. *ff. de Ædil. Edict.* hoc elogio: *maximum enim ac præcipuum munus fœminarum eſt, accipere, ac tueri conceptum;* imo vero unicum munus, ait ille apud Lucianum in *Amor. p. m.* 220. nolim, inquam, id objici, nam quamvis prægnans mulier ſit ſana, atque adeo, ut hic dicit Ulpianus, *propter valetudinem* & morbum ſonticum non prohibeatur ſe ſiſtere judicio, nemo tamen negaverit, ea ſæpe eſſe uteri, quem gerit, pericula, dolores, & neſcio quæ alia, ut nulli plane rei, nedum itineri, ſufficiat. Si trajicienda flumina ſunt, difficilius trajiciuntur *navi plena*, ut illa dixit; ſi vehiculo utendum, neque id expedit turgidulo ventri; & quis tam rei uxoriæ peritus eſt, ut omnia dixerit? Sed nemo mirabitur, mulierem prægnantem apud Ædiles ſanam audire, quum & puerpera, quod ad Edictum, ſana audiat in *d. l.* 14. §. 2. puerpera ſcilicet, quæ *h. l. quaſi valetudine impedita*, juvatur ipſa Lege XII. Tabb. At vero in Edicto Ædilium morbus eſt vitium rei venditæ, ſeu, ut Labeo definivit apud Gellium *L.* IV. *C.* 2. *habitus cujusque corporis contra naturam, qui uſum ejus facit deteriorem;* hic autem, ubi de vitandis vadimonii deſerti pœnis agimus, morbus eſt, aut morbi inſtar habetur, quicquid juſto impedimento eſt, quominus quis in jus ire poſſit. Puerperium non eſt habitus contra naturam, imo vel maxime ſecundum naturam; neque adeo etiam morbus eſt ex Labeonis definitione. Atque eo ſenſu dolores partus, morbi eſſe negavit Donatus ad Terentii *Hecyr. Act.* III. *Sc.* II. *verſ.* 14. Quia tamen ex puerperio mulieres ſolent decumbere, puerperium non male dicitur νόσημα apud Euripidem in *Electr. verſ.* 656. vulgo enim decumbunt mulieres, non illæ quidem in Illyrico, de quibus narrat Varro de *R. R. L.* II. *C.* 10. ut puerum inveniſſe, non peperiſſe putes, ſed tamen ut plurimum omnes, quod & Ulpianus indicat *h. loc.* Cæterum ſive morbum dixeris, conſtare opinor, eam rem impedimento eſſe, quominus mulier judicio ſe ſiſtat. *Vadimonium promittimus*, inquit Seneca *de Benefic. L.* IV. *C.* 39. *tamen deſeritur; non in omnes datur actio, deſerentem vis major excuſat.* Atque ita malui Ulpianum explicare, quam cum Cujacio negationem infarcire: ſtudendum eſt auctoritati & integritati Juris Romani, & inprimis cavendum, ne magna nomina id ſubvertant.

FINIS LIBRI TERTII.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK
OBSERVATIONUM JURIS ROMANI
LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

De Novellis Leonis.

Temporibus Leonis non dubito, quin in Oriente ejus Novellæ habuerint auctoritatem Juris; in Occidente quod non habuerint, non alia videtur eſſe ratio, quam quod Latine non fuerint redditæ, ut fuerunt Juſtiniani. Imo ipſius Juſtiniani Leges Græcæ, quarum non fuit translatio Latina, non modo neglectæ fuerunt, ſed & quandoque iis abrogata fides; certe Azo hac ratione aliquotiens iis auctoritatem negavit. Quod autem Jacobus Cujacius *L.* XVII. *Obſerv. C.* 31. aliique, qui ejus Obſervationibus ſuas farciunt, ſcripſerunt, Novellas Leonis nunquam obtinuisſe, ne Leonis quidem ætate, veroſimile mihi non videtur. Non alia mente Imperator has Novellas compoſuit, quam Juris condendi ergo, quod ad vim Legis ſufficit: nam quod Gratianus dixit ad *C.* 3. *Diſtinct.* IV. Leges demum eſſe, ***cum moribus utentium approbentur, & cum approbatæ non ſint, aliter agentes transgreſſionis reos non arguere***, verum eſt de iis, quas ſcribunt, qui imperio deſtituuntur, aut cum poſtea Leges exoleſcant, quaſi tacita Legislatoris voluntate, aut de receptis alterius Populi Legibus, quemadmodum de Romanis apud plerasque Gentes, auctoritatem enim illæ fere debent *moribus utentium*. Cæteroquin hæc non regula, ſed commentum eſt, neque adeo debuit in foro etiam turbas dare, ut tamen dedit: ſed parum advertenti & minus naſuto non difficile fuit ſubrepere *Obſerv.* I. *Rer. Judic. Supr. Sen.* Igitur ſufficit, quo Legum auctoritate cenſeantur hæ Novellæ, a Principe non alio fine eſſe editas, quam ut, in vim Juris, valerent: atque ita editas eſſe, Leonis *Prœmium* variis locis prolixe oſtendit. Sed nolim vincere hoc ſolo argumento, præſtemus potius, Novellas illas ipſo uſu fuiſſe probatas, & ab Imperatoribus poſt Leonem, & a JCtis Græcis, ceu Leges, laudatas, & auctoritate Juris habitas fuiſſe. Ita ſane eas laudat Alexius Comnenus *Novell.* II. περὶ μνηστείας. & *Novell.* III. περὶ διαλύσεως μνηστείας, non uno loco has ipſas Novellas appellans παλαιτέρας νομοθεσίας, quemadmodum id apparet ex Conſtitutionibus Græcorum Imperatorum, quas edidit Joannes Leunclavius anno 1575. Etiam Baſilicorum Annotatores frequentiſſime Novellas Leonis adducunt, non ſecus atque alias Leges, imo ut quæ alias abrogant: Scholia in hanc rem ſunt ad *Lib.* LX. Βασιλ. *T.* XXIII. *C.* 3. *lit. P. & Q.* & *L.* LX. *T.* XLI. *C.* 56. *lit. F.* Unde & ſecundum id, quod præcipit *Nov. Leonis* XCIII. Romanus Scholiaſtes ex facto reſpondet *Schol.* ad Βασιλ. LX. *T.* XXXVII. *C.* 85. *lit. I.* & tanquam de manifeſto Jure Patricius, ut ejus ſententiam Harmenopulus retulit in Προχείρῳ Νόμων *L.* IV. *T.* XII. §. 10. Quin & paſſim in hoc Πρόχειρον conjectæ ſunt Leonis Novellæ, ut Leges inter alias Leges, nec minoris, quam illæ, ponderis. Exempla ſunt *d. T.* XII. §. 4. & 6. ex *Nov. Leon.* XXXI. & XXXIII. Πρόχ. *L.* I. *T.* IX. §. 12. ex *Nov. L.* LXXII. & *L.* V. *T.* I. §. 11. 12. 30. & 34. ex variis Novellis. alia non addo.

Recte igitur Viglius Zuichemus, qui Novellas Leonis nondum editas ſervabat, ut ipſe auctor eſt ad *pr. Inſt. Quib. mod. teſtam. infirm.* recte, inquam, ille in *Præfat.* ad *Inſtit.* dixit, eas Novellas, ut ut nunc non habeant, apud Græcos tamen habuiſſe Juris auctoritatem. Si, quod dixit, probaſſet, ego potuiſſem ea cura abſtinere, nec forte Interpretes tam large tunc iviſſent in ſententiam Cujacii. Adfert quidem Cujacius Scholium Græci Interpretis, neſcio cujus, adfert & locum Michaëlis Attaliotæ, utrumque quo probet, generaliter non obtinuiſſe Novellas Leonis, niſi eas tantum, quæ conſtituebant de his rebus, de quibus nihil ante erat cautum, vel quæ jus vetus ſupplebant explicabantve. Sed vero ex iis, quæ ſupra dixi, puto palam conſtare, utrumque locum apud Cujacium eſſe intelligendum non de ætate Leonis, quod Cujacius exiſtimabat, ſed de inſequutis poſt temporibus; conſtare etiam id poterat ex altero eorum loco, ubi Scholiaſtes meminit Novellarum, quas, præter Leonem, ἐξέθεντο καὶ ἄλλοι πολλοὶ Βασιλεῖς; Principes intelligo, Leonem ſecutos, & quorum adhuc plurimæ Novellæ exſtant. Quod igitur Cujacius, tanquam illis Auctoribus dixit, illi non dixerunt.

Nec ſane mirum eſt, poſterioribus temporibus Novellas Leonis aliquatenus uſu obſoleviſſe, quum aliud Corpus Juris fuerit compoſitum, Βασιλικὸν nempe, in quo non relatæ ſunt illæ Novellæ, at ſæpe Leges iis contrariæ: atque hæc Σωματοποιΐα obſervari juſſa eſt. Neque ipſe credo, quod vulgo video placere, Novellas Leonis poſt Baſilica fuiſſe editas, idque colligi poſſe ex *Novell. L.* LXXI. nam quis tuto affirmaverit, Baſilica ibi intelligi, & non Πρόχειρον Baſilii Patris? imo ante Baſilica extitiſſe Novellas Leonis, certe aliquas, obtineri videtur poſſe argumento *Novell. L.* XXXII. junct. Βασιλικ. *Libr.* LX. *T.* XXXVII. *C.* 73. Forte non erraverit, qui pendente Baſilico Leonis Novellas, utique partem, prodiiſſe putet, eoque referat verſ. ***& quas, Proœm. Novell. Leon.*** Plane de eo dubitari nequit, quod Novellæ Leonis præceſſerint τὴν ἀνακάθαρσιν Βασιλικῶν, quam inſtituit Conſtantinus Porphyrogeneta, atque adeo præceſſerint hos Libros Baſilicorum, quibus hodie utimur. Sed & omiſſis ibi Novellis Leonis, vileſcere cœpit, etiam in oriente, earum auctoritas. Non tamen ita eviluerunt, quin ſæpe adhuc pro Lege valuerint, ubi contraria non erat illa ἀνακάθαρσις, atque ita ab Imperatoribus & JCtis adductæ, ut puto me jam eviciſſe. Superſunt etiam, quæ hodierna Græcia ex iis obſervat; exempla ſuggerit Angelus

de

de Statu Eccleſiæ Græcæ pag. 112. addita Leonis *Novell.* III. & *p.* 115. & 116. additis *Novellis* LXXXV. & CX. In Tribunalibus Europæ etiam ſunt, quæ ſequamur: non modo præter, ſed & contra Jus Civile, id autem exſequi longum eſſet, & πάρεργον ἔργου μεῖζον.

CAPUT II.

Defenſa ſcriptura L. 5. ff. de Tranſact.

Quia ſtipulationis Aquilianæ verba generaliter concipiuntur *l.* 18. §. 1. *ff. de Acceptil.* ea interpoſita, quodcunque etiam debitum remiſſum videbatur. Sed quum ex verbis valeat acceptilatio, verbis autem expreſſum non videatur, quo de quis loquens non cogitavit *l.* 7. §. 2. *ff. de Supell. leg.* debitum quoque, de quo cogitatum non eſt, non cenſebitur remiſſum, quemadmodum Ulpianus dixit in *l.* 6. *ff. de Acceptil.* & exemplo docemur in *l.* 6. *C. de Solut.* In aliis etiam Juris articulis obtinet, ne extra mentem verba rapiantur *l.* 9. §. 1. & 2. *ff.* & *l.* 3. & 31. *C. de Transact.* & ſic quoque eſt in *l.* 67. §. 3. *ff. de Condict. indeb.* Nec enim Prudentium interpretatio aliter ſolet verba æſtimare, quam ex ſententia loquentis *d. l.* 7. §. 2. Atque hoc ipſum eſt, quod eleganter Papinianus definit in *l.* 5. *ff. de Transact.* *Cum*, inquit, *Aquiliana ſtipulatio interponitur, quæ ex conſenſu redditur, lites, de quibus non eſt cogitatum, in ſuo ſtatu retinentur:* LIBERALITATEM ENIM CAPTIOSAM INTERPRETATIO PRUDENTIUM FREGIT. ſic habent omnes Libri. *Liberalitatem captioſam* dixit, quæ contra conſenſum loquentis induceretur, neque enim voluit remittere, de quo non cogitavit. Dixit *fregiſſe*, id eſt, quæ verbis expreſſa videbantur, & non ſententia loquentis, ſuſtuliſſe. Nec aliter hoc verbo uſus eſt Catullus ad Manlium, Carmine, *Quod mihi fortuna*, *verſ.* 23.

Tu mea, tu moriens fregiſti commoda frater:
Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.

Cum eo autem, quod ait, *Prudentes* fregiſſe captioſam liberalitatem, convenit, quod idem Papinianus, eodem opere *Definitionum*, ex quo eſt *h. l.* 5. ita ſcribit in *l.* 36. *ff. de Statulib. in tabulis ſecundis filio ſervum data libertate ſubſtitutum jure ſtatuliberi* PRUDENTES *munierunt*, & quæ ſequuntur. *Prudentibus*, ut hic, adſcripto eo, de quo agitur.

Sublata igitur eſt, interpretatione Prudentium, liberalitas, quatenus captioſa eſſet & contra mentem promittentis. Corruptio eſt, non emendatio *d. l.* 5. quam Heraldus *Obſerv. & Emend.* C. XXX. proponit, pro *liberalitatem* ſubſtituendum ratus *liberationem*, & pro *fregit*, *fugit.* Plurima Heraldi Grotio placuiſſe ſcio, miror tamen, & illud placere potuiſſe in *Flor. ſparſ.* ad *d. l.* 5. Primam autem conjecturam Heraldus a Gloſſa forte didicit, aut certe occaſione Gloſſæ, quæ ait, ſtipulationem Aquilianam hic dici *liberalitatem quia* LIBERAT *a primis.* Salmaſius lepide Heraldum, ita emendantem, ridet *Obſerv. ad Jus Att. & Rom. C.* 24. *p.* 520. ſed ipſe nihilo minus ridendus, qui legit, *litteralitatem captioſam*, id eſt, captionem litterarum & verborum. Et ſic ſcilicet Latine loqueretur Papinianus? Veteres Interpretes ad *h. l.* 5. ſuaviſſimas quoque ſententias adferunt; ſed apage interpretationum & emendationum portenta, dixi, quod res eſt. Nec quicquam, quod mutandum ſit, Cujacius etiam videtur offendiſſe in *Comm.* ad *Papin L.* I. *Defin.* in *h. l.* 5. non videas enim eum verba morari.

CAPUT III.

Peculatus teneri, qui pecuniam Civitati ſubtraxit, compoſitis L. 4. §. ult. ff. ad L. Jul. pecul. & L. 81. ff. de Furt.

An, qui pecuniam Civitati ſubtraxit, teneatur peculatus, an ſimpliciter furti, quæſitum video: ſed de Jure cum agitur, vix eſt, ut quæri debuerit. Aſconius Pedianus *Proœm. in Verr.* peculatorem definit, *qui furtum facit pecuniæ publicæ*, & Ulpianus ex ipſa Lege Julia in *l.* 1. *ff. ad L. Jul. pecul.* ea Lege caveri, *ne quis ex pecunia ſacra, religioſa*, PUBLICAVE *auferat, neve intercipiat &c.* & ea quoque Labeonis definitio eſt, quam Paulus recitat in *l.* 9. §. 2. *eod. Tit.* Unde & in Gloſſis *depeculatio* exponitur ὑπόθεσις δημοσίων χρημάτων. *Publici* autem appellatione continetur etiam, quod Civitatium eſt, licet non μητροπόλεως, Urbisque dominatricis. Quamobrem cum Seneca *Epiſt.* LXXIX. dixiſſet, JCtos negare, *quicquam publicum uſucapi*, id ipſum de rebus Civitatium adfirmavit Gajus *l.* 9. *ff. de Uſucap.* bifariam proponens publica, cum Populi Romani, tum Civitatium. Utque *publicorum* nomine veniunt τὰ Civitatium in *l.* 53. *ff. Locat.* & *l.* 21. §. *ult. ff. ad Municip.* ita Civitas opponitur privato in *l.* 15. *ff. ad SC. Maced.* Et aperte Ulpianus inter *publica* recenſet bona Civitatium in *l.* 17. *ff. de V. S.* quod ipſe ille non negat in *l.* 15. *eod. Tit.* ſed habita ratione ad Majeſtatem Populi Romani ſignificat, Civitates non minus ac quemvis privatum victori Romano parere, atque ita has *privatorum loco haberi*, ut Gajus proxime dixerat in *l.* 16. *ff. eo ipſo Tit.* Atque ita Civitates quoque, ſi ἀκριβῶς loquamur, a Rebuspublicis diſtinguuntur *l.* 26. §. 9. *ff. Ex quib. cauſ. maj. in integr. reſt.* Sed id tamen non impedit, quominus Civitates, ſalva Majeſtate Populi Romani, etiam apud JCtos, paſſim *Rerumpublicarum* nomine occurrant, earumque jure utantur, quod indicat illa ipſa *l.* 26. §. 9. & *d. l.* 9. *ff. de Uſuc.* & exempla, quæ ſunt in *d. l.* 17. *ff. de V. S.* & alia, quæ non conquiro. Id autem velim notari, Ulpianum in *d. l.* 15 *ff. de V. S.* cum *ſola* publica eſſe dicit, quæ Populi Romani ſunt, proprie videlicet & κατ᾽ ἐξοχὴν, de Republica Romana loqui, cujus jura tractabat, cæterum alias Reſpublicas, æque liberas & ſui juris, ab ea definitione non excludere, ut perperam videbatur Argentræo ad *Conſuet. Britann. Art.* 266. *C.* 23. Igitur, ut compendio dicam, peculator eſt, qui publicum furatur, & quæ ad Civitates pertinent, publica quoque ſunt.

Sed quid opus eſt rationibus & argumentis obtinere, quod Jure certo conſtitutum eſt; ecce enim Marcianus in *l.* 4. §. *ult. ff. ad L. Jul. pecul.* ita ſcribit: *Sed & ſi de re Civitatis aliquid ſubripiatur*, (vel *ſubripiat*, ut eſt Florentiæ) *Conſtitutionibus Principum Divorum Trajani & Hadriani cavetur, peculatus crimen committi: & hoc Jure utimur.* Salva res eſſet, ſi non magna auctoritas turbaret, Papinianus enim in *l.* 81. *ff.* de

de Furt. ita reſpondet: *Ob pecuniam Civitati ſubtractam, actione furti, non crimine peculatus tenetur.* Inter utrumque locum varie tentata eſt concordia. Scholia ad *Baſilic* *L.* LX. *T.* XII. *C.* 81. *lit.* O & ad *L.* LX. *T.* XLV. *C.* 5. *lit. E.* diſtinguunt ex *l.* 9. §. 2. *ff. ad L. Jul. pecul.* utrum cuſtos, cujus periculo fuit pecunia Civitatis, eam ſurripuerit, an extraneus; prima ſpecie, qua de Papinianus egiſſet in *d. l.* 81. non niſi furtum, altera, qua de Marcianus in *d. l.* 4. §. *ult* peculatum committi. Sed in neutra Lege quicquam eſt, quod diſtinctionem illam ſuggerat, utraque ſimpliciter, & ſine ambagibus concepta eſt, nec licet nobis ita θεματίσαι, ut ſibi licere putavit Scholiaſtes ad *d. l.* 81. *lit.* O. Charondas *Not. marg.* ad *d. l.* 81. eadem prorſus ratione utrumque locum conciliat; ex Græcis, ut vides, quamquam addat, neſcio, quam vere, *Græcos aliter conciliare.* Gloſſæ Latinæ ad *d. l.* 81. & *d. l.* 4 § *ult.* diſtinguunt inter Civitatem Romanam, de qua ageretur in *d. l.* 4. §. *ult.* & Civitates cæteras, de quibus in *d. l.* 81. Sed hoc ſequendum non eſt, nam in *d. l.* 4. §. *ult.* Marcianus ſimpliciter *Civitatis* meminit, quemadmodum & ſimpliciter Papinianus in *d. l.* 81. non *Urbis*; dixit Marcianus, quo Urbem Romanam denotaret, ſed *Civitatis*, quo quamcunque aliam. Quinimo a dubia ſanitate non abſolverim, quos tamen ſanos fuiſſe conſtat, Imperatores Trajanum & Hadrianum, ſi caviſſent Conſtitutionibus, quod ipſa Lege Julia abunde erat cautum, peculatorem nempe eſſe, qui res Populi Romani ſubtraxiſſet. Et Marcianum quoque in *d. l.* 4. §. *ult.* vix ſanum putaverim, qui ſuperdixiſſet, *& hoc jure utimur*, nam dubitare, an peculatus ſit ſurripere, quæ Civitatis Romanæ ſunt, nemo in animum induxerat unquam. Alia Gloſſa ad *d. l.* 81. ſic expedit: qui Civitati furtum facit, non tenetur peculatus, ſcilicet ipſo jure, ex Lege Julia peculatus, qua de Papinianus reſpondiſſet in *d. l.* 81. ſed aliud eſſe ex Conſtitutionibus Principum, quæ ad L. Juliam acceſſerunt, quibusque id cautum fuiſſe Marcianus ſcripſit in *d. l.* 4. §. *ult.* Separandum igitur eſſe Jus a Conſtitutionibus, ut hæc etiam alias ſeparantur, nec ita pugnare JCtos, qui alia atque alia Legislatione nituntur. Avide hæc ſententia arrepta eſt; & plurimi eam docuerunt, tanquam ſi Gloſſa non docuiſſet; atque ita ſuppreſſa, certe præterita ejus mentione, Franciscus Duarenus *L.* II. *Disput. Anniverſ. C.* 26. Jacobus Cujacius ad *Papin. L.* I. *Resp.* in *d. l.* 81. & forte an quoque Antonius Auguſtinus *L.* I. *Emend. C.* 3. dum ſimpliciter ait, duas Leges, quas nunc interpretor, *diverſa*, non *contraria* dicere. Neque enim opinor, Auguſtinum ea mente *diverſa* dixiſſe, qua dixerunt Petrus Faber *L.* I. *Semeſtr. C.* 22. & Jacobus Rævardus *L.* II. *Varior. C.* 19. puta Papinianum in *d. l.* 81. agere de *pecunia*, Marcianum in *d. l.* 4. §. *ult.* de *re Civitatis*, namque id adeo eſt frivolum, ut referre ſufficiat, refellere pudeat. Quod autem ad illam ſententiam attinet; quam Gloſſa, ut dixi, extulit, & alii ſequuti ſunt, ne quidem hæc mihi probari poteſt: quamvis enim Jus antiquum a Conſtitutionibus Principum non uno loco diſtinguatur, quin & hæc quandoque invicem opponantur, non eſt tamen, unde conſtare queat, Papinianum in *d. l.* 81. reſpexiſſe potius ad ipſam Legem Juliam, quam ad Conſtitutiones Trajani & Hadriani. Ne nunc repetam, quod ſupra dixi, veroſimile eſſe, ea ipſa Lege Julia vindicatum videri furtum, quod Civitati factum eſſe dicetur, ſiquidem, ut id modo exſequutus ſum, pecunia Civitatium non minus ſit publica, quam pecunia Populi Romani. Sed ne in poſterum neceſſe eſſet, rationibus & argumentis id evincere, tanquam ſecundum L. Juliam, recte Imperatores eam rem palam definiverunt, & Conſtitutionibus ſuis complexi ſunt: neque etiam poſt eas quisquam de eo amplius dubitaverit. Unde igitur eſt, quod Papinianus, qui poſt Trajanum & Hadrianum vixit & ſcripſit, contra reſpondeat in *d. l.* 81.? Ignoraviſſe dicemus has Conſtitutiones, quem nihil latuit? difficile dictu eſt. Et ſic conſultori conſulet? nam ex *L.* I. *Reſponſor.* eſt ea *l.* 81. non putem; aliud eſſe poterat, ſi non ex facto reſpondendum, ſed ex ratione Juris diſputandum eſſet: quare non utor hac ſententia. Andreas Alciatus *L.* I. *Dispunct. C.* 3. quo uterque locus diceret, quod dicere debet, nempe peculatum quoque eſſe, ſi Civitati furtum fiat, negationem negationi addit in *d. l.* 81. hoc modo: *ob pecuniam Civitati ſubtractam actione furti*, NEC *non crimine peculatus tenetur*, & ſic exhibet, tanquam *ex antiquo exemplari;* probatque hanc lectionem Hugo Grotius in *Flor. ſparſ.* ad *l* 15. *ff. de V. S.* Alii improbant, quia inquiunt, ne ſic quidem efficeretur recta ſententia, perperam ſcilicet concurrentibus actione furti & judicio peculatus; quod plane nihili eſt, ut infra dicam. Mihi non alia ratione improbatur ea lectio, quam quod peſſimi exempli res ſit, bruta Criſi negationes Legibus addere vel demere, nam de Libro antiquo quod monuit Alciatus, non usquequaque mihi perſuadetur, qui ſciam, de Alciati bona fide amplius eſſe deliberandum: certe in antiquis Libris, qui mihi ſunt ad manum, ea lectio fruſtra quæritur. Aliæ aliorum reſponſiones, quæ ad me pervenerunt, ut Joannis Roberti *L.* II. *Recept. Lect. C.* 2. Joannis Gœddæi ad *l.* 17. *ff. de V. S. n.* 17. Antonii Matthæi ad *Tit. ff. ad L. Jul. Pecul. n.* 5. & ſimilium e plebe JCtorum, adeo ſunt peſſimæ, ut iis refutandis nolim bonas horas perdere; & jam refutationum ſatietas me cepit.

Videamus, an ſic poſſit intelligi Papinianus in *d. l.* 81. ut dixerit, ob pecuniam Civitati ſubtractam, qui ſubtraxit, & furti & peculatus teneri. Et ea erit ejus loci ſententia, ſi *non* accipiamus pro *non tantum;* qui pecuniam Civitati ſubtraxit, furti quoque tenebitur, non tantum crimine peculatus ex Conſtitutionibus D. Principum in *d. l.* 4. §. *ult.* Uſu ſermonis Latini receptum eſt, *non* aliquando ſimpliciter poni pro *non tantum:* in Jure noſtro adferuntur exempla ex *l.* 5. §. 2. *ff. de Injur. l. un.* §. 4. *ff. Furti adverſ. naut. caup. ſtabul. l.* 1. §. *ult. ff. de Rer. permut. l.* 1. *ff. de Term. mot. l.* 5. *ff. de S. P. U. l.* 65. §. 1. *ff. de Ædil. Edict. l.* 6. *pr. ff. de Contr. E. & V.* Advocantur & in hanc rem Auctores exteri, quos non addo. Negari autem nequit, eſſe inter ea loca, quæ id probent, quamvis omnia non æque liquido. Sic poſſemus defungi, ni Joannes Robertus *L.* II. *Recept. Lect. C* 2. Alciato objeciſſet, quod nobis quoque objici poterat, peculatu commiſſo, duntaxat agi poſſe ex Lege Julia, non etiam furti, adductis eo *l.* 5. *ff. ad L. Jul. pecul. l.* 7. § 1. *ff. de Injur.* & loco quodam Auctoris ad Herennium *L.* I. *C.* 22. Sed quam prolixe fallatur, oſtenderit tota *l. un. C Quando civil. act. crim præjudic.* ubi inter cætera, actio furti & judicium Legis Fabiæ concurrunt, oſtenderint & tot aliæ Leges, quas occuparunt & enarrarunt, quicunque verſati ſunt in argumento, quod eſt *de concurſu Actionum.* Ne nunc dicam, in *l.* 31.

§. 1.

§. 1. *ff. de Furt.* aperte perſcribi, qui res Civitatium interverterit, utique furti teneri, & de Lege Julia aliunde conſtat. Quin ſimpliciter quicunque peculatores ſexcenties *fures* vocantur, & ita vocat Vopiſcus in *Aureliano Cap.* XXXIX. pluresque alii in *Hiſtoria Auguſta*; & exemplum peculatoris, *furti* accuſati, eſt in Cornelio Gallo apud Ammianum Marcellinum *L.* XVII. *p. m.* 166. nihil enim vetat, cur non Ammiani verba proprie accipiamus.

Si hæc concordiæ via non placeat, alia adgrediamur. Quemadmodum autem conſtat, tranſpoſitione verborum, quæ dictabantur, ſæpius a Librariis peccatum eſſe, ut Antonius Auguſtinus aliquoties, & nos aliquando obſervavimus, ſic non auſim præſtare, haud trajecta eſſe Papiniani verba in d. *l.* 81. & ita forte reſtituenda: *Ob pecuniam Civitati ſubtractam crimine peculatus, non actione furti tenetur.* Sic ait, furtum Civitati factum, peculatum eſſe, quod verum eſt; ſed quod ejuſmodi peculatorem neget actione furti teneri, pugnare dices cum iis, quæ modo diſputavimus de concurſu actionis furti & judicii peculatus. Sed vero non pugnabit, ſi meminerimus, *non* etiam tunc intelligi poſſe pro *non tantum*, & orationem ita melius, quam ante, deſcendere: tenebitur, ſic inquiet, peculator non tantum actione furti, quod minus eſt, & de quo vel furti definitio nos dubitare non ſinit, ſed etiam crimine peculatus, argumento ipſius Legis Juliæ, & expreſſa Conſtitutione Divorum Trajani & Hadriani. Poſſes & ita dicere, Papinianum ad propoſitam quæſtionem, utrum ſubtracta Civitati pecunia peculatus committatur, an furtum ſimplex, reſpondiſſe, peculatum committi, non vero furtum ſimplex; non quod neget, poſſe Civitatem, ſi velit, furti agere, quo de nemo dubitavit unquam, ſed quod alterum negando, alterum magis conceſſerit; & recte, ut dixi, negavit, ſi cum de ſimplici actione furti, ex duobus propoſitis, exaudias. Trajectioni, quam tentavi, favet, quod Charondas notavit, illam *l.* 81. *ff. de Furt.* varie legi in Libris MSS.

CAPUT IV.

Περὶ Αὐτοχειρίας.

Auſim præſtare, totum, qua patet, Jus Civile Romanorum nihil aliud coërcere quam injuriam, aliorum corpori, bonis, & exiſtimationi illatam, nec cuiquam invidiæ, nedum pœnæ fuiſſe, ſe & ſua, modo alterius injuria abſit, profligare, perdere. Neque adeo dubitari videbatur poſſe, quin eo Jure licita quoque fuerit naturalis libertas ſe ipſum occidendi, hac una cautione, ſi citra alterius injuriam fiat. Si enim ſervis liceat *naturaliter* in ſuum corpus ſævire, ut licere dixit Ulpianus in *l.* 9. §. 7. *ff. de Pecul.* cur liberis hominibus ea libertas negabitur? dixit autem *naturaliter*, ex præceptis Stoicorum, nam ut in aliis, ita & in hoc articulo JCti noſtri Stoice fuerunt eruditi, enarrante id Cujacio *L.* XXVI. *Obſerv. C.* 40. Et, ne quis ſubſiſtat, ecce Juris Civilis Decretum: *mori licet, cui vivere non placet, niſi quis mori, quam damnari maluerit ob conſcientiam criminis*; qua de re prolixa eſt diſputatio Marciani in tota *l.* 3. *ff. de Bon. eor. qui ante ſent. mort. ſibi conſc.* & varia Principum, quæ laudat, Reſcripta. Puniendum tamen videri vult §. 6. *d. l.* 3. qui manus ſibi intulit, nec perpetravit, ſi nulla cauſa id fecerit, ſed addit, ſatis cauſæ eſſe, ſi *tædio vitæ* ita de ſe ſtatuerit, quæ cauſa fere perpetua eſt, niſi fiat *jactationis ergo*, ut quidam Philoſophi, ſed & hæc cauſa ſufficit Ulpiano in *l.* 6. §. 7. *ff. de Injuſt. rupt. irr. fact. teſtam.* vel *pudore æris alieni*, ſed & hoc ſufficit Paulo in *l.* 45. §. 2. *ff. de Jure Fiſc.* quanquam & ea ratione tædere quem poſſit vitæ ſuæ. Quin ille §. 6. unice poſſet accipi de præſumptione, quæ contra accuſatum naſcitur ex eo, quod ſibi tentaverit infeſtas manus inferre, pro confeſſo enim habendum, qui id fecerit ſine ulla cauſa. Cæteroquin una exceptio eſt, ne quis ob metum criminis ſe occidat, jus enim ea in ſpecie Fiſco quæſitum, citra ejus injuriam auferendum non eſt, manet quippe bonorum publicatio, & ita *l.* 1. & 2. *C. de Bon. eor. qui mort. ſibi conſciv.* *l.* 11. §. 3. *ff. de His qui not. infam.* *l.* 1. §. 23. *ff. de SC. Silan.* *l.* 2. *C. Qui teſt. fac. poſſ.* *l.* 28. §. 1. *ff. de Bon. libert.* *l.* 2. *C. Ubi cauſ. fiſcal. agant.* & *l.* 32. §. 7. *ff. de Donat. inter V. & U.* Extra eam exceptionem non reperi, Jure Romano in hominibus ſui juris *αὐτοχειρίαν* vel punitam quoquo modo, vel improbatam. Quin in Hiſtoria Romana, & vel in uno Cornelio Tacito, tot exempla ſunt eorum, qui impune mortem occuparunt, imo quorum vel hoc ipſo poſtuma gloria narratur, ut, ſi non aliud, certe experientia convincere potuiſſet, qui diſſentiunt. Diſſentire tamen placuit non tantum minorum Gentium magiſtellis, ſed & Viris primæ auctoritatis. Videamus, quod ad jus Civile, quam recte diſſentiant.

Adferunt *l.* 6. §. 7. *ff. de Re milit.* & *l.* 38. §. *ult. ff. de Pœn.* ubi miles, qui ſe vulneravit, ſibive manus intulit, nec factum peregit, capite plecti jubetur, niſi id fecerit impatientia doloris, aut tædio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore, aut luctu, quibus caſibus cum ignominia mittitur. Sed quod Juris eſt in milite, ex diſciplina militari, non continuo licet transferre ad non milites: & ratio ejus rei manifeſta eſt. Miles ſe locavit, & vitam pro ſalute Principis vendidit, injuſte igitur facit, quum id, quod alteri obligavit, extra eam cauſam voluit perdere. Semper, inquam, injuſte, at injuſtius, ſi nulla ſit ratio, quæ eum ad conſilium propriæ necis adegit, niſi ut militiam deſereret, tunc enim capitale eſt. Sin autem alia ſit ratio, ut fere ſemper eſt alia, unaque ex his, quas recitavimus, adhuc peccat miles, quia fortior eſt ratio, quæ pro Republica facit; attamen tunc ſola miſſio ignominioſa ſufficere viſa eſt. Et, ſi jam mortem ſibi comparaverit, teſtamentum quoque ejus valebit ex Reſcripto Hadriani in *l.* 6. §. 7. *ff. de Injuſt. rupt. irr. fact. teſt.* & *l.* 34. *pr. ff. de Teſtam. milit.* Verſatur igitur hic cauſa Reipublicæ, citra cujus injuriam militi non licet de vita ſua ſtatuere. Atque ita, non diſſimili exemplo, memorat Plinius *L.* XXXVI. *Hiſtor. Natur. C.* 15. Tarquinium Priſcum, cum Quirites ſibi mortem conſciſcerent non alia de cauſa, quam ut operas, quas juſſerat, evitarent, & ſe Reipublicæ ſubtraherent, *omnium ita defunctorum fixiſſe crucibus corpora, ſpectanda Civibus, ſimul & feris volucribusque laceranda.* Et in mi-

milite hoc amplius ſacramentum eſt, quo Reipublicæ obligatur, quodque ille αὐτοφονίᾳ polluit.

Sed audio, etiam a Cujacio *Comm.* ad *l. Si quis filio* §. *ejus ff. de Inj. rupt. irr. fact. teſt.* cædem ſui ipſius appellare *facti ſceleritatem* in *l.* 3. *pr. ff. de Bon. eor. qui ante ſent. mort. ſibi conſc.* eoque verbo ſignificari ingentem fœditatem animi ejus, qui ſibi manus infert. Verba hæc ſunt: *Qui rei poſtulati, vel qui in ſcelere deprehenſi, metu criminis imminentis mortem ſibi conſtituerunt, hæredem non habent. Papinianus tamen* (illud *tamen* in multis Libris rectius abeſt) *Libro* XVI. *Reſponſorum ita ſcripſit, ut, qui rei criminis non poſtulati manus ſibi intulerint, bona eorum fiſco non vindicentur; non enim* FACTI SCELERITATEM *eſſe obnoxiam, ſed conſcientiæ metum in reo, velut confeſſo, teneri placuit. Ergo aut poſtulati eſſe debent, aut in* SCELERE *deprehenſi, ut, ſi ſe interfecerint, bona eorum confiſcentur.* Ne *ſceleritas* dicatur, quod impunitum eſſe totiens ſignificat hæc ipſa *l.* 3. neve obſtaret vocis inſolentia, hinc, ni fallor, Grotius *Flor. ſparſ.* ad *h. L.* pro *facti ſceleritatem* Papinianum ſcripſiſſe exiſtimat *fati celeritatem*; non teneri ſcilicet, qui fatum properavit, morte in ſe feſtinata. Non eſt autem hæc emendatio, ſed varia lectio ex Libris antiquis, *facti celeritatem* Haloander, & ante eum varii Editores exhibent, &, plane ut Grotius, *fati celeritatem* Robertus Stephanus 1528. Editio apud Sennetonios 1550. & Boudoza 1593. Et poteſt ea lectio defendi, eſt enim commoda & Latina, abſolvit ſcilicet homicidas ſui, ſi non ob crimen accedat metus conſcientiæ. Non usquequaque tamen Florentinam damno, vocem quidem *ſceleritatis* non memini me unquam legere, nam in Auguſtino *de Bono Conjug. C.* 15. ubi ea legitur, manifeſto vitio legitur, pro *ſterilitate*, uxoris non *ſceleritas*, ſed *ſterilitas* eſt liberos non procreare, & *ſterilitate* quoque habent alii Libri, & ſic repræſentat *C.* 27. *Cauſ.* XXXII. *Q.* VIII. Sed quamvis nuſpiam occurrat *ſceleritatis* vox, non ideo tamen mox delenda eſt; vix decimam partem eorum, qui Latine ſcripſerunt, habemus reliquam, & quis auſit adfirmare, ſe legiſſe, quæcunque ſunt reliqua? Ad hæc non eſt fere Auctor Latinus, qui non aliquando utitur verbis, quæ alibi fruſtra quæras; in ipſo Cicerone ejusmodi aliquot ſingularia notavit Andreas Schottus *de Nodis Ciceronis Lib.* III. *C.* 17. & in Jure noſtro aliquoties offendas verba & locutiones, quæ non offendas alibi. Singularia hæc ſunt JCtorum, ab aliis partem obſervata, partem omiſſa, ſed hoc jam non agimus. Per me licet igitur *ſceleritas* ſit *ſcelus*, & ſcelus non una morte piandum, at mihi vix quisquam perſuaſerit, Papinianum ea voce deſignaſſe αὐτοχειρίαν, ut Cujacio perſuaſum fuit. Ait *d. l.* 3. *pr.* non omnium, qui conſcientia criminis mortem occupant, bona publicari, ſed eorum demum, qui *rei poſtulati vel in ſcelere deprehenſi ſunt*; unde ex Papiniano efficit Marcianus, in fiſcum non cogi eorum bona, qui rei criminis poſtulati non ſunt, addita ratione: *non enim facti ſceleritatem eſſe obnoxiam, ſed conſcientiæ metum in reo, velut confeſſo, teneri.* Hoc eſt, ſi recte judico, non crimen commiſſum, qualecunque ſit, poſt αὐτοχειρίαν puniri, utpote morte extinctum, *ſed metum conſcientiæ teneri*, & hunc metum præſumi non in quovis facinoroſo, ſed in eo, qui in ſcelere deprehenſus, aut jam reus poſtulatus eſt; namque eum haberi pro confeſſo, non alium quemvis ex ſola facti ſceleritate. Hanc Papiniano mentem eſſe, ſequentia probant: *ergo*, inquit, *aut poſtulati eſſe debent, aut in ſcelere deprehenſi, ut, ſi ſe interfecerint, bona eorum confiſcentur.* Quamobrem *facti ſceleritas* non eſt hic αὐτοχειρία, & cum id dixit Cujacius, dixeris forte loquutum de peccato, quod *morale* vocant: nam ex Jure Civili aliter eum ſapuiſſe ſatis aliunde conſtat. Sed neſcio etiam, an JCtorum Philoſophia patiatur, ut apud eos αὐτοχειρίαν credamus, *morale peccatum* eſſe; certe non opus eſt, ut credamus, explicito, ut explicavi, Papiniano.

Advocant quoque in partes Ulpianum in *l.* 23. §. 3. *ff. de Ædil. Edict.* quem & Ulpiano opponunt in *d. l.* 9. §. 7. *ff. de Pecul.* omnino perperam; dixit Ulpianus in *d. l.* 23. §. 3. *malum eſſe creditum ſervum, qui aliquid fecit quo magis ſe rebus humanis extraheret, ut puta laqueum torſit, ſive medicamentum pro veneno bibit, præcipitemve ſe ex alto miſit* &c. & hoc recte dixit; quod enim ſervo licet *naturaliter*, non continuo *civiliter* licebit, utique non citra domini injuriam: neque malus tantum, ſed peſſimus eſt ſervus, qui mortem contemnit, quia emptori non magis poteſt eſſe utilis, quam Lacedæmonium illud mancipium, quod maluit illiſum parieti caput rumpere, quam operas domino præſtare, ut Seneca auctor eſt *Epiſt.* LXXVII. Quare Ulpianus in *Comm.* ad *Edictum Ædilium Curulium*, ex quo eſt *d. l.* 23. recte ſervum, qua malum, excepit, qui mortis conſciſcendæ cauſa quid fecerit: & hoc tamen cum temperamento, ut Paulus notat in *l.* 43. §. 4. *ff. eod. Tit.* In eo autem §. 3. puto duo verba eſſe trajicienda, & pro *medicamentum pro veneno bibit*, legendum, *venenum pro medicamento bibit.* Quod miror, obſervatum non eſſe, utique me obſervatum non vidiſſe, in re tam liquida.

Tantum de Jure Civili, ut ſciamus Romanis Legibus, ſi vivere diſpliceret, mori licuiſſe. Dignum quoque argumentum, quod ex Jure Divino enarretur; ſed placet eo abſtinere, etiam ideo, quia, ut inquiebat Cujacius, de rebus Theologicis rogatus ſententiam, *nil hoc ad Edictum Prætoris.* Exempla αὐτοχείρων, apud Græcos præſertim & Romanos, non adfero; ut nec mores Gentium, nec auctoritates veteres, novas, in utramque partem, ſic enim Librum ſcriberem de re, quam una Obſervatione conſtitui transmittere. De ratione quoque non diſputo, probanda ſit, an damnanda αὐτοχειρία, nam ejus rei varia eſt inſpectio. Tullii ſententia Catonem defendit, quod cum dedecore & pudore Reipublicæ ſupereſſe noluerit, Bruti notat, quod cui prodeſſe poterat, Rempublicam deſeruerit. Sane ut ſui ipſius cædes, quæ fit conſulta ratione, animi magnitudini deputatur, ſic non minor pellucet animi virtus in ferendis conſtanter quibusque adverſis; ut dubitare poſſis, major ſit Stoicus, qui ad ea fugienda conſtituit abire, unde negant redire quemquam, an vero qui pectore bene præparato quamlibet ſortem irridet, & in adverſus obdurato animo perſtat.

CAPUT V.

Grammaticalia ad L. 16. §. 7. ff. de Publ. & vectig.

Etiam nobis periclitandum eſt ad *l.* 16. §. 7. *ff. de Public. & vectig.* Puto autem ibi enumeratas eſſe merces, quæ ex ſolo Barbarico in Imperium Romanum invectæ, vectigal ſolvunt; quæ enim alias vectigalia ſunt, plura ſunt, quam hic enumerantur. Omnes, inquam, merces vectigales ex ſolo Barbarico, neque enim exempli loco hæc in §. 7. referri dixerim, ob ingentem numerum, qui omnium ſollicitam & accuratam recenſionem indicat. Sunt vero multa ex his obſcuriſſima, ſi non penitus vetuſtate obruta: de quibusdam videamus.

Inter ſpecies, ad vectigal pertinentes, recte opinor recenſeri *folium pentaſpharum*: nam ſic legitur Florentiæ: alias lectiones, præter Florentinam, in hoc mercium catalogo vix adferam, portenta enim pleraque ſunt, quæ lectorem terrere poſſent. *Pentaſpharum*, ut debuit, explicavit Iſaacus Voſſius ad *Pomp. Mel. L.* III. *C.* 7. *verſ.* 8 non recte correxit Salmaſius ad *Solinum p. m.* 755 vel Grotius *Flor. ſparſ. ad h. L.*

Ait, *folium Barbaricum*; forte illud, quod ſimpliciter *folium* appellatur, quemadmodum & ea vox ſimpliciter, & ſine epitheto, hic legitur in Libris antiquis, ut & apud Vindicianum, vel quisquis alius fuerit, *Carmine, de Re medica verſ.* 48.

Thus, coſtum, FOLIUM, *myrrham, ſtyracem,*
crocomagma.

a quo *folio* vel *folio Barbarico* aleniſſima eſſe *folia*, de quibus *l.* 12. §. 1. *ff. de Uſu & habit.* non obſcurum; etſi quibusdam perperam hæc comparata ſint.

Ait, *Caſſia Turiana.* Poſtrema adjectio locum, unde ea Caſſia, indicare videtur. Salmaſius ad *Solinum p. m* 743 perperam legit *Caſſia Surinx*; nec quicquam etiam eſt *Thymiama* in Libris vulgatis. Non recte quoque Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 110. explicat illud *Turiana*, quod in Pandectis Flor. eſt. *Turiana* forte a *Tyro*, niſi malis *Suriana* vel *Syriana*, vel *Syriaca*, a *Suria* vel *Syria*, promiſcue enim ſcribitur, ut *Aſſuria* & *Aſſyria*. eſtque hæc extra imperium *l.* 1. §. 6. & *l.* 122. §. 1. *ff de V.* O.

Ait, *malabathrum.* De hoc *malabathro* mihi videtur doctius & melius ſcripſiſſe Voſſius *d. loc.* quam Salmaſius ad *Solinum d. p.* 755. vel Alciatus *Prætermiſſ. L.* I. verb. *ſpecies*, vel Pius Antonius Bartolinus *Auctar.* C. 20. vel Pancirolus *d. loc.* vel alii, quos vidi.

Ait, *pelles Babylonicæ.* De pretioſis ejusmodi pellibus retulit Busbequius *Epiſt. L.* III. *Legat. Turc. p. m.* 156. In *l.* 25. §. 3. *ff. de Aur. arg. leg.* ſimpliciter *Babylonica* dicuntur, quæ equis inſterni ſolent. De *pellibus Parthicis*, quæ mox ſequuntur, optime dixit Iſaac. Voſſius ad *Catullum Epithalam. Thetid. & Pel. p.* 190.

Ait, *ferrum Indicum.* Non recte Guido Pancirolus Libro *de Veteribus deperditis*, *Azzalum Indicum* videtur referre inter ea, quæ olim quidem fuerunt, nunc autem amplius non ſunt: nam quod ipſe *Azzalum Indicum*, & Marcianus hic *ferrum Indicum* appellat, puto adhuc uſu frequentari, eſſe enim illam ferri ſpeciem, ſeu chalybem, quæ & hodie pretioſiſſima habetur, & ex India in proximas Aſiæ Regiones defertur, de quo Joannes Baptiſta Tabernarius *Perſicorum L.* V. *C* 12.

Ait, *lapis univerſus.* Ut *lapilli*, ſic *lapides* per eminentiam pro pretioſis. Solinus Polyh. C. LII. *Indicorum lapidum in adamantibus agnitis prima.* & D. Auguſtinus *Dulciloq. l.* III. *C* 3. *non de auro, de argento, de* LAPIDIBUS, *aut decoris veſtibus &c.*

Legitur deinde, *hopia Indica.* Varie id a variis relegitur, & neſcio quo non trahitur. Accurſium ad hunc locum ſomniare non eſt mirum, in *opio* quippe verſatur, & multo quidem, nam numero plurium *opia Indica* eſſe dicit, *quæ faciunt homines dormire.* Si nugari liceat, ſtrenue nugemur, & cum in quibusdam Libris ſit *chopia*, transpoſita aſpiratione legamus *cophia*, & intelligamus fabas illas, quas toſtas & calda mixtas nunc large potamus, præſertim poſt heſternam crapulam. Quamvis autem illæ fabæ in India non proveniant, *Indicas* tamen dici non magis abs re eſt quam varias merces nomen ſortiri ab Regionibus, quarum non ſolo naſcuntur, ſed ſolis navibus advehuntur: & ita paſſim Scriptores. Sin dicas, ut dicit Tabernarius *Indicorum L.* II. *C.* 12. uſum ejus caldæ in ipſo Oriente non fuiſſe ante ſesquiſæculum, & quod excurrit, adfirmabis, quod negant alii, utique quod eſt incertiſſimum. Sed mittamus nugas, & credamus potius, in Vulgatis Libris recte legi *opera Indica*, & intelligi ea, quæ manu artifice fiant, ut mox quædam enumerantur. Plane quemadmodum poſt *lapidem univerſum*, Marcianus deinde ſpecies quasdam recenſuit, & generi adjecit. Non potes cum Haloandro legere *omnia Indica*, quia tunc fruſtra erat tot ſpecies Indicarum mercium præmiſiſſe, & poſtea adhuc adjeciſſe. Salmaſius *Exercit. Plin. p. m.* 837. ex *hopia* facit *Æthiopia*, quod nihili eſt.

Poſt *hopia* vel *opera Indica* proxime ſequitur *vel adſerta*, pro quo plurimi Codices ſubſtituunt *vela Sarmatica*, quod nimis abit a Libro Florentino. Pancirolus *adſerta* explicat, quæ *adſeruntur* eſſe Indica, licet revera non ſint, adulterina ſcilicet & fucata: idque quodammodo poteſt ferri, laudari autem non poteſt. Quid ſi nos *hopia* per ſe, & absque adjectione ſervemus, & dicamus non liquere, quid ſit, ut, ſi verum amamus, non liquet etiam de multis aliis, quæ hic recenſentur, & deinde τὸ *Indica* nectamus ad vocem ſequentem, ita emendatam: *Indica vela, ſerica* &c. Mox quidem adjicit de *veſte ſerica, ſubſerica, vel attincta*, ſed *ſericum* ſimpliciter appellando intellexiſſe potuit αὐτοφυὲς, ut de lana Ulpianus in *l.* 70. *pr. ff. de Leg.* III. de velis Indicis & purpureis alii dixerunt. Sic quoque poſſumus retinere *vel attincta*, quod mox ſequitur, & intelligere de *veſte*, quæ præceſſit: alioquin non deſunt Libri, qui pro *vel attincta* exhibent *vela tincta.* Sed hæ ſunt meræ conjecturæ, quibus quisque tribuat, quantum velit, ego certe multum iis non tribuo.

Ait, *ſpadones.* Pro eunuchis hic *ſpadones* dixit, ut ſæpe alias; cæteroquin ſcimus, qui differant. Vides hic, ut ſupra dicebam, enumerari, quæ ex ſolo Barbarico invehuntur, nam in Imperio Romano Lex Cornelia caſtrationem vetuit, quod deinde ab Imperatoribus porrectum & ſeverius punitum fuit, ita tamen, ut Barbaræ Gentis eunuchos invehere in Orbem Romanum, ibique emere & vendere, nemo unquam prohibuerit, quo

de eſt *l.* 1. & 2. *C de Eunuch.* Pancirolus *d. l.* 2. non recte intellexit, ſed pergamus.

Ait, *Item marocorum lana, fucus, capilli Indici.* Quæ ſit illa *marocorum lana*, difficile eſt dictu. Hinc *marocorum* vox omiſſa Haloandro, & apud Stephanum aliosque Editores, *fuco* quoque mutato, ita lecta: *item a pecorum lana ſuccus.* Atque ex ea lectione apud Alciatum *L.* I. *Prœterm.* in verbo *ſpecies*, prognatum eſt *lana ſuccida*, quod emendationi ſuæ adſcribit Pius Antonius Bartolinus *Auctar. C.* 28. alto apud utrumque de *marocoris* ſilentio. Guido Pancirolus emendat *arborum lanam*, aut *Æthiopum* vel *Arabum*, & oſtendit, eſſe ibi ejusmodi lanigeras arbores. Si hæc medicina placeat, non eſt locus adeo inſanus, quem non mox ſanem: præſtat ignorantiam fateri, quam nulla adeo religione verſari in ſcriptis Veterum. Si *marocorum* vox gloſſema eſſet, ut Haloandro fuiſſe videtur, inde natum credi poſſet, quod ſciolus aliquis eam *lanæ* adſcripſiſſet, quia in Mauritania, eo Regno, quod ab Urbe cognomine, hodie *Maroccum* dicitur, ovium & caprarum inſignis ſit proventus. Sed adhuc magis eſt, ut ignorantiam fateamur, quam ut ejusmodi annotationes in τὸ κείμενον irrepſiſſe ſuſpicemur, eſt enim res magni exempli. Vellem Marcianus ſcripſiſſet, *ombricorum lana*, ὀμβρίκια ſunt oves peregrinæ; de his egit Scaliger ad *Varronem de L. L. p. m.* 18. & Voſſius ad *Pomp. Mel. L.* I. *C.* 8. *verſ.* 1. & de *Umbris*, qui ex musmone & ovibus naſcuntur, Plinius *L.* VIII. *C.* 49. Pro non intellecta *ombricorum* voce ſcribi potuiſſet, *omrocorum*, & duabus prioribus literis transpoſitis *morocorum* vel *marocorum:* non eſt facilior lapſus, quam in deſcriptione peregrinarum mercium, harum enim cum nihil quicquam intelligerent Librarii vel dictantes, vel ſcribentes, voce vel calamo facile erratum fuit. Vel ita cenſeo, vel *Marocorum* verbo intelligi Populum vel Regionem, cujus memoria excidit.

Sequuntur tandem *capilli Indici.* Evulſis his *capillis*, Pancirolus ſubſtituit *lapillos.* Quod ſi admittas, *lapis univerſus*, qui præceſſit, non etiam de *lapillis* intelligendus eſt, ut tamen intellexit Pancirolus, ſed duntaxat de marmoribus, magnetibus, cotibus, aliisque non pretioſiſſimis; alioquin bis idem dixiſſet Marcianus. Sed ne ſic quidem admittenda eſt emendatio, quia ſupra *lapillos* per ſpecies enumeravit. Olim pro *capillis Indicis* reſcribebam *bacillos Indicos*, & intelligebam ejusmodi bacillos, quorum magna copia etiamnum ex India adfertur, quique deambulationibus vulgo inſerviunt. Sed non opus eſt quicquam mutare, per *capillos* enim non putem hic ſignificari *pilos capitis*, at quoscunque alios, nam pili capitis, iique Indici, neſcio cui uſui fuiſſent apud Veteres: quod audio, ad ornandas mulierculas, oppido ridiculum eſt, quis eas unquam legit *capillis Indicis* ornatas? & quod hoc genus eſſet ornamenti? pilos, quos ferunt Indorum capita, nemo pili fecerit. Cum autem *capillos* ſimpliciter *pilos* interpretor, intelligo pilos quorumcunque animalium, etiam ombricorum, quorum quædam lanam, quædam pilos ferre Plinius memorat *d. loc.* De *lana* ante dixerat Marcianus, *pilos* hic adjicit, ut vulgo hæc conjunguntur, etiam in *l.* 28. *pr. ff. de Uſur.* Nec dubitandum eſt, *capillorum* voce ſimpliciter *pilos* contineri, tam in oratione ſoluta, quam verſa: Joſephus Scaliger & alii id aliquotiens probarunt, ego nihil addam.

Quemadmodum vero Haloander hunc §. 7. conjungit præcedenti §. 6. inſerta exempli nota, hoc modo, *ne decipiat profiteri volentem ſpecies pertinentes ad vectigal, puta cinnamomum.* ita & hic in fine, abſoluto mercium catalogo, adjicit, *& cætera*, quod & Alciatus habet *Prætermiſſ. Libr.* I. verb. *ſpecies.* Sed id probare non poſſum, tantæ enim multitudinis recenſio poſtulat, ne, ut ſupra monui, ea exempli loco duntaxat enumerata eſſe dicamus, maxime & propter τὸ *item* in *fin. d.* §. 7. quod perfectam formam videtur indicare.

CAPUT VI.

Paulus emendatus L. III. Sentent. T. VI. §. Supellectile 67. *ut ſibi conſtet in* L. 3. §. 2. ff. de Supell. legat.

Quæri ſolet, quid ſupellectilis legato contineatur? de eo Paulus *Fragm. L.* III. *T.* VI. §. *ſupellectile* 67. in hunc modum dixiſſe fertur: *Supellectile legata, capſæ, armaria, non ſolum librorum, aut quæ veſtis ponendæ gratia parata ſunt, debentur, ſed & byſſina, & cryſtallina, & argentea, & vitrea vaſa, tam eſcaria, quam pocularia, & veſtes ſtratoriæ legato cedunt.* Quod ait, ſupellectile legata, etiam bibliothecam legato cedere, neutiquam convenire dixeris cum uſu, ex quo tamen voluntatis elicitur interpretatio *l.* 7. §. 1. & 2. *ff. de Supell. leg. l.* 69. *ff. de Legat.* III. ubi enim bibliotheca ad uſum œconomicum? argumentum quidem præbere videbatur, quod bibliothecam *inſtructo* cedere ait *l.* 12. §. 34. *ff. de Inſtr. vel inſtr. leg.* & Paulus *Sentent. L.* III. *T.* VI. §. *inſtructo fundo* 51. cui cedit & ſuppellex *d. l.* 12. §. 28. Paulus *d. L.* III. *T.* VI. §. *inſtructa domo* 56. ſed ſunt hæc plane diverſa; bibliotheca & ſupellex cedunt *inſtructo fundo*, ob amplitudinem vocis, aſt ideo verum non eſt, alterum alterius legato contineri. Quinimo expreſſe, quod ait *d.* §. *ſupellectile* 67. addita ratione improbat idem Paulus in *l.* 3. §. 2. *ff. de Supell. leg.* nam enumeratis quibusdam, quæ ſupellectile legata contineantur, ita porro infit: *Præterea capſæ, armaria. Sed ſunt, qui recte putant, capſas & armaria, ſi librorum, aut veſtium, aut armamentorum* (rectius Haloander, *armorum*, ut apud Baſilicos quoque ὅπλων) *gratia parata ſint, non eſſe in ſuppellectili: quia ne hæ quidem ipſæ res, quibus adtributæ eſſent, ſuppellectilis inſtrumento cederent.* Rationem, quam addit, veram eſſe, quod ad pugillares & codices, ipſe ille Paulus ex Alpheno docet in *l.* 6. §. 1. *ff. de Supell. leg.* &, quod ad veſtem, Pomponius in *l.* 1. *ff. eod. Tit.* & Celſus ex Tuberone in *l.* 7. §. 1. *D. eod.* rurſus *Tit.* Sed ita Paulus in *d. l.* 3. §. 2. Paulo erit oppoſitus in *d.* §. *ſupellectile* 67. Cujacius *ad Paulum*, præfert ejus Jurisprudentiam in *d.* §. *ſupellectile* 67. ratus, in *d. l.* 3. §. 2. referri diſſentientium opinionem, & τὸ *recte*, quod tunc Paulo non conveniret, eſſe a manu Triboniani. Ubi hærent Interpretes, male ſe habet cauſa Triboniani, nam, cum alia ratio non ſuccurrit, in eum quaquaverſum ſit impetus, obtruſa continuo alia Jurisprudentia, quam ipſe ſcilicet interpolatione ſua interverterat. Quemadmodum vero ſemper fui profeſſus, me his Magi-

giſtris, in eo genere diſciplinæ non uti, ita ſane ea ratio ad rem præſentem prorſus eſt inutilis. Quid enim? interpolavit Tribonianus? unde vero? cedo Jus novum. Quin amove, ſi ita videatur, τὸ *recte*, & quid audies? tunc, inquit Cujacius, Paulus retuliſſet ſententiam diſſentientium. Recte, ſed & fulſiſſet addita ratione, & nihil quicquam reſpondiſſet, & lectorem dimiſiſſet incertiorem, quam dudum. Nolim ita exiſtimare, ſed potius, veriſſimam eſſe Pauli Jurisprudentiam in *d. l.* 3. §. 2. nec tamen a ſe diſſentire in *d.* §. *ſupellectile* 67. Illum enim §. 67. perperam eſſe conceptum ipſa ſignificat oratio, hians fere, quocunque latere accepta; videtur autem mala vocum disjectione laborare, ac illud præpoſterum *quæ* ita ſuo loco reſtituendum: *Supellectile legata, capſæ, armaria (non quæ ſolum librorum, aut veſtis ponendæ gratia parata ſunt) debentur, ſed & byſſina &c.* Nihil muto, niſi locum τῦ *quæ*; atque ita Paulus, quaſi per interjectionem, ea armaria excipiet, quæ duntaxat habentur librorum aut veſtis gratia, cæteris, quæ ſunt uſus communis, ſuppellectili ceſſuris. Plane quemadmodum de iis Paulus ſcripſit in *d. l.* 3. §. 2. & Græci *L.* XLIV. *Baſilic. T.* XIII. *C* 3. Κάψαι καὶ ἀρμάρια, τὰ μὴ ἕνεκεν βίβλων, ἢ ἐσθῆτος, ἢ ὅπλων ἐυτρεπισθέντα. Poſſemus & ita emendare *d.* §. 67. ſola verborum tranſpoſitione: *Supellectile legata, capſæ, armaria, quæ ſolum librorum, aut veſtis ponendæ gratia parata ſunt, non debentur.* Sed tunc non cohæreret conjungendi vocula, quæ mox ſequitur in hiſce, *ſed & byſſina*, quæ cum delenda eſſet, majori undiquaque mutatione, priori reſtitutioni videtur eſſe acquieſcendum.

Magis ſe hæc commendabunt, ſi de re ipſa contra Cujacium conſtiterit. Nempe conſentiunt JCti, id ſupellectilis nomine cenſeri, quod paterfamilias habet uſus communis & œconomici ergo *l.* 6. *pr. ff. de Supell. leg.* quem *domeſtici* nomine exprimit Pomponius in *l.* 1. *ff. eod. Tit.* & *quotidiani* Tubero in *l.* 7. §. 1. *eod.* rurſus *Tit.* Si igitur ſpeciali alicui uſui armaria ſint deputata, ut librorum veſtiumque, quæ ſupellectilis appellatione non continentur, ejus quoque legato non continebuntur, quod & ait *d. l.* 3. §. 2. *ff. h. Tit.* plane quemadmodum & vaſa, quæ uſus communis non ſunt, ſupellectili non cedere, idem Paulus ſcripſit in præcedenti §. 1. & Javolenus ex Labeone & Trebatio in *l.* 11. *ff. eod. Tit.* Atque idem de bibliotheca dicet *d.* §. *ſupellectile* 67. ita, ut reſtitui, reſtitutus: ſcilicet capſas & armaria rerum, quæ ſupellectilis ergo habentur, ſupellectili cedere; quæ non ſupellectilis, ut librorum veſtiumque, non cedere

Cæterum adhuc alia parte vitioſus eſt *d.* §. *ſupellectile* 67. mox enim ſequitur, *ſed & byſſina* & cætera *vaſa* legato ſupellectilis contineri, quod valde obſcurum eſt. Si enim hactenus notum, quid ſit *byſſum* in *l.* 16. §. 7. *ff. de Public. & vectig.* quid item alibi, ex byſſo vaſa non fiunt. Verum *byſſina* vel *buſſina* videntur eſſe, quæ Græcis dicuntur πύξινα, quod enim Latini *buxum*, Græci πύξον appellant, & duplex S. non raro uſurpatur pro X. nam non minus *Ulyſſes* dicitur, quam *Ulyxes*. Itaque *buſſinorum* ſeu *buxinorum* nomine intelligimus quæque *lignea*: *buxum* quippe lignum eſt, & ſic conjungit Paulus vaſa lignea, cryſtallina, argentea, & vitrea. Nec quicquam obeſt, recenſeri *buxina* vaſa cum *argenteis*, quum buxina ſint pyxides, & pyxides quoque dicantur argenteæ, non ligneæ duntaxat, id enim ſi fiat, fieri contradicente adjecto, ſupra obſervari *L.* III. *C.* 13. quod autem Cujacius ad *Paul. Sentent. L.* III. *T.* VI. *d.* §. *Supellectile* 67. & Salmaſius *Obſerv. ad Jus Att. & Rom. C.* XXIII. *p. m.* 480. quia ex byſſo vaſa fieri nequeunt, *byſſina* apud Paulum mutant in *myrrina*, ob duritiem ſequendum non videtur. De cæteris, quæ habet *d.* §. 67. agitur quoque in *l.* 3. §. 2. 3. 4. & 5. *l.* 8. & *l.* 11. *ff. de Supell. legat.*

CAPUT VII.

Quin interſit inter iter, actum, & viam.

Definire hæc & diſtinguere docuit Ulpianus in *l.* 1. *pr. ff. de Servit. Præd. ruſtic. Iter*, inquit, *eſt jus eundi, ambulandi homini, non etiam jumentum agendi. Actus eſt jus agendi vel jumentum vel vehiculum. Itaque qui iter habet, actum non habet: qui actum habet, & iter habet, etiam ſine jumento. Via eſt jus eundi & agendi & ambulandi: nam & iter, & actum & ſe via continet.* Procul dubio alii recte ediderunt *in ſe*, ut eſt in MS. meo, & in *Inſtitutionibus*, in quas *L.* II. *T.* III. illa Ulpiani, paucis additis, Tribonianus tranſcripſit. Non dicam, niſi de difficilioribus, quæ ab aliis non recte expedita reor. Satis autem inde conſtat, ut & ex *l.* 7. *pr.* & *l.* 12. *ff. eod. Tit.* iter abſolvi ſola facultate eundi, ambulandi, ſed plus eſſe in actu, hunc enim qui habet, poſſe *agere vel jumentum vel vehiculum*, ſive, ut Paulus dixit in *d. l.* 7. *pr. plauſtrum ducere & jumenta agere*, ſive, ut Modeſtinus in *d. l.* 12. *armenta trajicere & vehiculum ducere.* Sin autem ea loci ſit anguſtia, ut jumentum duntaxat duci poſſit, non vehiculum, adhuc actus erit, quum alterutrum ſufficiat *l.* 13. *ff. de Servit.* & ſane iter eſſe nequit, cum jumenti ductio notiſſimos itineris terminos excedat, ut verum eſt ex definitione, & *d. l.* 7. *pr.* Ita diſcimus iter diſtinguere ab actu, & qua re fiat, ut actui iter per conſequentias inſit. Sed de via quid dicemus; valde turbat ejus definitio, ſi enim nihil ſit aliud, quam *jus eundi, & agendi, & ambulandi*, non video, quid via habeat præcipuum præter iter & actum: eundi & ambulandi facultas eſt ex itinere, agendi ex actu. Utrumque habet, qui actum habet, nec, ut videtur, quicquam amplius, qui habet viam. Unde Franc. Connanus *Comment. Jur. Civ. L.* IV. *C.* 11. eo fere devenit, ut actum a via non diſtinguendum exiſtimaverit, certe ita in definitione non eſt, quod diſtinguat. Igitur ipſe ille Connanus, in definitione viæ, pro *eundi* legendum putabat *vehundi*, ex veſtigio, inquit, veteris Libri, quod ſequitur Donellus *Comm. Jur. Civ. L.* XI. *C.* 6. *in fin.* &, neutro laudato, Grotius in *Flor. ſparſ.* ad *pr. Inſt. de Servit. præd.* quodque ego omnino probo, quia *viæ* proprium eſt *vehere*, nec viam eſſe exiſtimamus, qua vehiculum ire non poteſt *l.* 23. *pr. ff. de Serv. præd. ruſt.* Sed ita necdum defungimur difficultate; quia, utcunque jus vehendi contineatur via, id ipſum tamen & actu contineri dixeris, quia, qui hunc habet, utique poteſt *agere vehiculum*, non vacuum, opinor, ſed lapidibus, trabibus, aliiſve onuſtum, quo nec *trahere* eſſe

videatur præcipuum viæ, ut tamen Paulum dixiſſe putes in *l.* 7. *pr. ff. de Servit. præd. ruſt.* Cujacius *L.* XXII. *Obſerv. C.* 35. ſcrupulum, quem injicit definitio, non exemit. Exemit quidem Hotomanus, Menagio *Amœnit. Jur. Civ. C.* XXXVI. aliisque laudatus, ſed truculenta criſi, qua Ulpianus actum definiviſſet, *jus agendi jumentum, non etiam vehiculum*, & viam, *jus eundi, agendi & avehendi;* qua emendatione etiam ideo non utimur, quod & alibi paſſim vehiculum actui tribuatur. Ant. Faber *Conject. Jur. Civ. L.* I. *C.* 20. & Janus a Coſta ad *princ. Inſt. de Servit. præd.* ſolam *ambulationem* viæ κυρίτηριον eſſe volunt, eoque in definitione ab actu diſtingui, ſed quum actui inſit iter, atque adeo ambulatio, apparet, hæc fruſtra dici: quanquam & ita fere Duarenus *Diſput. Anniv. L.* I. *C.* 31. Succedat tandem Ægidius Menagius; is autem prolixo *Cap.* XXXVI. *Amœnit. Jur. Civ.* in quo totus eſt in hoc argumento, nihil, quod ſciam, præſtitit; nunc Theophilum exſcripſit, nunc Baſilicos, nec tamen quicquam inde attulit in rem ſuam. Hotomani emendationem nunc damnat, nunc defendit: ſane Ulpianum in *d. l.* 1. *ff. de Servit. præd. ruſt.* aliquid ad inſtar ejus emendationis ſcripſiſſe adfirmare non dubitat; quum autem alii JCti vehiculum actui adſcribant, ſimul reſpondet, Auctores noſtros ſibi hac in re non conſtitiſſe, aliis ſequutis verborum proprietatem, aliis loquendi conſuetudinem, & Tribonianum id, qua erat imprudentia, ſusque deque habuiſſe. Indignum facinus! ita vero JCti noſtri in re trita & quotidiana? tam varie, tam vere Protei? & cedo, ubi diſcrepent. Omnes uno ore: *actum eſſe jus agendi vel jumentum vel vehiculum*, nec, in eo qui diſſentiat, ſcio ullum.

Semper tamen exiſtimavi, viam latius patere, quam actum, actum, quam iter, & Ulpianum id definitionibus ſuis, ubi id agendum erat, ſatis eſſe complexum. Quod cum obtinere non potuerint Interpretes, a me ſententiam rogati, videamus, an non in definitione actus, *agendi* verbum lucem adferat, & difficultatem plane extricet. Quum Lex ait, *actum eſſe jus* AGENDI *vel jumentum vel vehiculum*, utique eadem ſignificatione eam vocem ad *vehiculum* refert, atque ad *jumemtum. Agit* autem *jumenta* bubulcus, cum ante ſe propellit, ipſe pone ſequens, ut ex Virgilio aliisque paſſim hic Interpretes adnotarunt. Igitur, ſi eadem notione id verbum referas ad *vehiculum*, de eo vehiculo ſermo erit, quod poterit agi, propelli, protrudi, *currum truſatilem* vulgo vocant. Æque commoda eſt vox *ducendi*, qua utuntur quoque JCti, cum, in deſcribendo actu, id genus vehiculi exprimunt *l.* 7. *pr.* & *l.* 13. *ff. de Serv. præd. ruſtic.* nam *ducere vehiculum*, ex proprietate verbi, nihil eſt aliud, quam manu trahere, ſeu attrahere & adducere: quod rurſus *currum manualem*, ſive *trabam* notat. Neque præter duas illas voces, in definitione actus, aliam reperio; neque vel ſimpliciter *vehendi* verbum, vel *jus vehendi*, vel aliud quid, quo ſignificaretur plena vectio, & ea etiam, quæ fit bigis quadrigisve: quod viæ proprium eſſe opinor. Ita enim ſentio: qui habet iter, poteſt ire, ambulare, eques, pedes, nihil intereſt. Idem poteſt, qui habet actum, ſed & præterea agere armenta, & uti vehiculis manualibus. Qui viam habet, præter hæc, poteſt curribus adhibere equos, boves, &, ut libuerit, uti omnigena vectione.

Niſi ita diſtinguas, aut fallor, aut in definitione alia diſtinctio non eſt. Confirmant hæc veteres Grammatici, ubi, quid ſit iter, actus, & via exponunt; loca non recitabo, quia ab Interpretibus noſtris promiſcue recitata ſunt, ſed, quod ſpondere auſim, in rem noſtram potius, quam ſuam. Unde addo, quod illi omiſerunt, nempe *vehiculum*, quo verbo potiſſimum Auctores noſtri utuntur in definitione actus, ſecundum Varronem non eſſe, niſi *minorem veham*, qualem & nos, qui actui conveniat, deſcripſimus. Sed quia fallunt ſæpe argumenta, quæ ab etymis ducuntur, dabo aliam rationem, quam res ipſa ſuggerit. Viæ latitudo, ex XII. Tabb. octo pedum eſt in porrectum, ſedecim in anfractum *l.* 8. *ff. de Serv. præd. ruſt.* atque hæc ſervatur, niſi aliud convenerit *l.* 13. §. 2. *eod. Tit.* Actus latitudo non quidem definita eſt Jure civili, nam, ſi nihil dictum ſit, arbitri partes erunt *d. l.* 13. §. 2. attamen olim definitam fuiſſe dubitare non patitur Varro *de L. L. Libr.* IV. *Actus*, inquit, *finis minimus conſtitutus in latitudinem pedes quatuor.* Quocum convenit Paulus apud Feſtum in verb. *Actus*, quem definit, *iter inter vicinos quatuor pedum latum*, & *Iſidorus L* XVI. *Orig. C. ult.* qui viam ait *capere duos actus*. Quatuor pedibus quidem ſucceſſit boni Viri arbitratus, ſed is ſolet ſtatuere ſecundum ea, quæ fiunt ἐπὶ τὸ πλεῖστον; quin olim, ubi latitudo legitima fuit IV. pedum, actus non minus fuit *jus agendi vehiculum*, quam poſt, ubi latitudo fuit arbitraria. Nunc ſcire velim, qui vehiculum, ab equis bobusve tractum, potuerit agitari ſpatio quatuor pedum; nemo id dixerit. Quare ſupereſt, ut Auctores noſtros intelligamus de eo vehiculo, quod ejusmodi ſpatio agitari potuit, de minori ſcilicet, & manuali, quod propelli adducique ſolet. Etiam alias in conſtituenda ſervitute de genere vehiculi fuiſſe actum, palam eſt ex *l.* 4. §. 1. *ff. de Servit.* & *l.* 11. *pr. ff. Quemadm. ſervit. amitt.* ut ita diſtinctio vehiculi ei rei ſæpe formam dederit ac modum.

De Græcis dicam uno verbo, neque enim lubet deſcribere. Theophilus *viam* definit δίκαιον τοῦ ἐμὲ πορεύεσθαι, καὶ ἔχειν, καὶ ὑποζύγιον. Vocem aliquam excidiſſe arguit, inquit Menagius *d. C.* XXXVI. illud poſtremum καὶ. Ille igitur legit, καὶ ἐλαύνειν ὄχημα, καὶ ὑποζύγιον, vel καὶ ἄγειν ὄχημα, καὶ ὑποζύγιον. Quod non probo, niſi quod ἔχειν mutet in ἄγειν, id enim omnino ſequor. Cæteroquin ſi poſtrema conjunctim legas, ſublata diſtinctione, integer ſenſus erit, hac ratione: *Via eſt jus eundi, & agendi quoque jumentum.* Sed quum ita fatear abeſſe κυριώτερον viæ, ut abeſt etiam in Latina definitone, niſi *eundi* mutes in *vehundi*, ego quoque malim apud Theophilum, non verba aliquot infarcire, ſed levi mutatione ita legere: καὶ ἄγειν, καὶ ὑποζυγεῖν. Sic tria dicit; πορεύεσθαι, quod itineri; ἄγειν, quod actui, ὑποζυγεῖν, quod viæ proprium eſt: nam apud Græcos ὑποζυγεῖν eſt currui jungere equos, boves, mulos, qua re, ut ſupra dicebamus, via ab actu diſtincta eſt. Perperam etiam Menagius *actus* definitionem mutavit in Baſilicis, quamvis enim de *vehiculo* non dixerint, propterea id addendum non erat, de vehiculo non dixit quoque Iſidorus *L.* XVI. *Orig. C. ult.* nec Pauli interpres *L.* I. *Sent. T.* XVII. nec plures alii, quum de actu loquuntur: non alia de cauſa, quam quod, ut actus ſit, alterutrum ſufficiat, vel jumentum agere, vel vehiculum. Unde rurſus Græci, omiſſa *jumenti* mentione, actum dixerunt ἁμαξικὴν ὁδὸν, quod etiam non erat, ut reprehenderetur; certe hæc mutare & interpolare inſanum eſt.

Conſtat autem, quæ hic diſputavi, eſſe de differentiis, quæ ex definitionibus poſſunt haberi;

ri; an aliunde aliæ conſtitui poſſint, & quemadmodum hæc conſiſtant cum reliquis Juris noſtri capitibus, alia & longioris operæ quæſtio eſt.

CAPUT VIII.

Non uno loco emendata L. 2. ff. de Diverſ. tempor. præſcript.

Si dixero, *l.* 2. *ff. de Diverſ. tempor. præſcr.* ut nunc legitur, mendoſam eſſe, dixero quod res eſt. Legitur autem ita: *In tempore conſtituto judicatis, an intercalaris dies proficere judicato, nec ne, debeat, quæritur? Item de tempore, quo lis perit? Sic ſine dubio exiſtimandum eſt, ut auctum litis tempus intercalari die exiſtimetur: veluti ſi de uſucapione ſit quæſtio, quæ tempore conſtituto expleri ſolet, aut de actionibus, quæ certo tempore finiuntur, ut Ædilitiæ pleræque actiones & ſi quis fundum ea lege vendiderit*, UT NISI IN DIEBUS TRIGINTA PRETIUM ESSET SOLUTUM, INEMPTUS ESSET FUNDUS, *dies intercalaris proficiet tempori; mihi contra videtur.* Eleganter ſcilicet quærit Marcellus, hodieque, nam res uſum habet, quæri poteſt, an dies intercalaris augeat dierum numerum? Et quidem, ſi naturam temporis ſpectes, dies intercalaris æque dies eſt, ac cæteri; ſed tamen, propter intercalationem pro die non habetur, ſeu potius biduum, quod in Biſſexto eſt, cenſetur pro uno die, quemadmodum Celſus id docuit in *l.* 98. *ff. de V. S.* Quapropter in nundinis, menſibus, annis, quorum tempus civile & a Populo eſt, dies intercalaris numerum dierum non augebit, nec actio, cui annus Jure Civili præſcriptus eſt, eo anno, quo intercalatur, exſtincta erit pridie Kalend. Jan. verum ipſis Kalendis. Civiliter itaque dies intercalaris numerum non auget, naturaliter, ut intercedit, ita auget: unde ſi quis dicat, *intra dies decem, viginti, triginta*, & ſic porro, in numerum quoque intercalaris computabitur, quoniam verum eſt, qui ita dixit, reſpexiſſe ad computationem dierum naturalem, non civilem.

Secundum hæc videamus de Marcello in *h. l.* 2. Quærit, an dies intercalaris proficiat in his duobus, *in tempore conſtituto judicatis?* & *in tempore, quo lis perit?* ita tamen, ut ad alterum & proximum duntaxat reſpondeat. Sæpe ſolent JCti non ad omnia, quæ proponuntur, reſpondere, ſed ad unum aut alterum duntaxat, omiſſis reliquis: exemplum in ipſo Marcello eſt in *l.* 10. *ff. de Servit. præd. urb.* & plura alibi; quo non animadverſo Interpretes in Auctores noſtros quandoque immane ſæviunt; ſed hoc jam non agimus. Quia autem de poſteriori affirmat Marcellus, diem intercalarem proficere, de priori quid dicendum videatur, quæſtionis eſt? Et fere ſubſiſto, ſi ſermo eſſet de tempore judicati faciendi, quod olim fuit ex XII. Tabulis, iis quippe Decemviros judicatis ſtatuiſſe XXX. dies juſtos auctor eſt Gellius *Noct. Attic. L.* XX. *C.* 1. Si enim per XXX. dies intelligamus menſem, ut in Jure intelligimus *l.* 40. *ff. de Reb. cred. l.* 28. junct. *l.* 38. *pr. ff. de Ædil. Edict.* dici poterat, ſignificari tempus legitimum, atque adeo diem intercalarem non numerari. Alioquin & defendi poſſet, inter XXX. dies juſtos ex XII. Tabb. intercalarem quoque numerandum videri, quia XXX. dies conſtitui ſunt, non tam ut tempus civile, quam naturale, quo interim condemnatus pecuniam extricaret, quod æque fit intercalari, ac quovis alio die. Cæterum poſtquam tempus judicati faciendi ex Conſtitutionibus eſſe cœpit duorum menſium, & quatuor ex Juſtiniani *l.* 2. & 3. *C. de Uſur. rei judic.* dubitari nequit, quin hoc curſu temporis legitimi dies intercalaris non computetur. Tempore Marcelli ecquod tempus judicati faciendi fuerit legitimum, non facile dixerim, certe Ulpiani & Calliſtrati ævo fere arbitrarium fuiſſe indicant *l.* 2. & *l.* 31. *ff. de Re judic.* ſervata tamen mentione *temporis ſtatuti* in *d. l.* 2. & *duorum menſium* in *d. l.* 31. alio quidem, quod de duobus menſibus dicitur, Cujacius detorquet *L.* III. *Obſerv. C.* 49. ſed ne nos caligemus in tanta luce.

Poſtquam Marcellus dixerat, ſic exiſtimandum eſſe, ut dies intercalaris tempus litis augeat, non perimat, exemplum ejus rei adfert in uſucapione & præſcriptione: *veluti*, inquit, *ſi de uſucapione ſit quæſtio, quæ tempore conſtituto expleri ſolet, aut de actionibus, quæ certo tempore finiuntur, ut Ædilitiæ pleræque actiones.* In his omnibus diem intercalarem non numerari apertum eſt, ſed non æque apertum, cur de actionibus temporalibus dicturus, *Ædilitias pleraſque* memoret, cum omnes ſint temporales, nulla, quod ſciam, excepta. Conveniret id quidem Prætoriis actionibus, quarum *pleræque* annales, quædam, ut illa de furto manifeſto, perpetuæ ſunt, ſed quis per *Ædilitias* intellexerit *Prætorias?* Imo, ſi vel Ædilitia daretur, quæ perpetua eſſet, minus apte Marcellus ex Juris Honorarii parte viliori exemplum daret, cum pars potior in hanc rem ſufficiat. Sed, ut dixi, vix crediderim, vel unam actionem Ædilitiam fuiſſe perpetuam, & ſane cum de nulla id perhibeatur, ſequemur argumentum *pr. Inſt. de Perp. & temp. act.* Quinimo Edicta Ædilium fuiſſe pauciſſima conſtare poterit ex ratione, quam habet Ulpianus *l.* 63. *ff. de Ædil. Edict.* In Jure noſtro ipſe plura non offendi, quam tria; quorum primum eſt de eo, qui puerum caſtraverit in *l.* 27. §. 28. *ff. ad L. Aquil.* & apud Græcos *Baſil. L.* LX. *T.* III. *C.* 27. §. 28. Secundum de vitiis venalium *l.* 1. §. & *l.* 38. *pr. ff. de Ædil. Edict.* Ultimum de beſtia noxia, juxta viam habita, in *l.* 40. §. 1. *l.* 41. & 42. *ff. eod. Tit.* Quod ad actiones ex Edicto de vitiis venalium, has ad ſummum ultra annum non extendi liquet ex *l.* 19. §. *ult.* & *d. l.* 38. *pr. eod. Tit.* Actionem ex Edicto, quod poſtremum dixi, perpetuam eſſe, non abſurde quidem dici poterat argumento ejus, quam Prætor de dejectis & effuſis propoſuit in *l.* 5. §. 5. *ff. de His qui effud. vel dejec.* quemadmodum & actionem ex Edicto de caſtratione, ad exemplum Legis Aquiliæ introductam, ſed quia utrobique deſtituimur expreſſa auctoritate, id nobis dicere non licet. Igitur ſic omnino habendum eſt, omnes actiones Ædilitias, utpote a Magiſtratu temporali profectas, eſſe temporales, & id perſuaſerit ratio & auctoritas *d. princ. Inſt. de Perp. & temp. act.* *Omnes*, inquam, Ædilitiæ actiones, non *pleræque*: quum tamen id verbum apud Marcellum ſit, in mendo eſſe nullus ego dubitem. Fuit, cum juvenis & audacior legerim, *ut Ædilitiæ Prætoriæque actiones*, quaſi *prætoriæque*, compendio ſcriptum, migraſſet in *pleræque.* Quod nunc non placet, ſed ita potius, ut pro *pleræque*, eliſa litera, reſcribam *peræque*, quo

quo ſignificet Marcellus, omnes Ædilitias certo tempore finiri: quod verum eſt.

Sequitur apud Marcellum: *Et ſi quis fundum ea lege vendiderit*, UT NISI IN DIEBUS XXX. PRETIUM ESSET SOLUTUM, INEMPTUS ESSET FUNDUS; *dies intercalaris proficiet tempori, mihi contra videtur.* Pro *tempori*, quod Florentiæ eſt trajectis literis, plerique Libri exhibent *emptori*, quod clarius & mollius eſt; ſi Florentinam ſcripturam tuearis, duriſſima erit loquutio, nec minus obſcura. Hic autem verſiculus, ut nunc legitur, videtur repræſentare ſententiam non Marcelli, ſed alterius cujusdam, exiſtimantis, in lege Commiſſoria diem intercalarem emptori proficere, quamque ſententiam mox improbat Marcellus. At vero cohæret hic verſiculus præcedentibus, quæ Marcelli ſunt, nullo, qui interveniat, laudato; quo fit, ut ipſe ajat, quod mox negat. Ego conjecerim, ea verba perperam legi & diſtingui, & leviſſima, an nulla, mutatione ſic poſſe reſtitui: SED *ſi quis fundum ea lege vendiderit*, UT NISI IN DIEBUS XXX. PRETIUM ESSET SOLUTUM, INEMPTUS ESSET FUNDUS, *dies intercalaris proficiet emptori? mihi contra videtur.* Nihil muto, quam *&* in *ſed*, vel *ſet*, quod perinde eſt, vel, ſi hoc mavis, in *at*, appoſita, pro arbitraria ratione interpunctionis, interrogandi nota. Præferendum vero eſt *ſet*, quia ſic nihil omnino mutatur, potes enim literam S, quæ ultima eſt præcedentis vocabuli *actiones*, bis legere, ex regula geminationis. Atque ita Marcellus ordietur novam quæſtionem, num videlicet in lege Commiſſoria dies intercalaris numerum dierum augeat, & ordietur adverſandi voculâ, quia alia & ſuperioribus contraria eſt reſponſio, nam ait in hac ſpecie non augere: quod conſequens eſt iis, quæ ſupra dicebamus, conſtituto ſcilicet inter partes dierum numero, naturaliter conſtitutum videri; niſi tamen, quod excipiendum reor, partes ſignificaverint, ſe his, quos præſcripſerint, diebus intellexiſſe tempus legitimum, non naturale, ut ſi dixerint, vel in hac ipſa lege Commiſſoria, *intra dies triginta, id eſt, menſem*, tunc enim ea verba acciperem ſecundum ea, quæ jam diſputavi de diebus XXX. juſtis ex Lege Decemvirali. Sin autem omnino ſedeat nihil quicquam mutare in *hoc verſ.* ſervari poterit τὸ &, ſalva tamen interrogatione, & porro dici, JCtos noſtros aliquando non cohærentibus loquutionibus de ſententia in ſententiam tranſire, ut ſunt plura ejusmodi loca. Sed præfero emendationem modeſtam explicationi contortæ & difficili; & magis præfero, cum ſciam, etiam alias *ſed* & *et* in Pandectis commutari. In *l.* 74. §. *ult. ff. de Evict.* Florentiæ legitur; *Qui nomen, quale fuit, vendidit, duntaxat ut ſit, non ut exigi etiam aliquid poſſit, & dolum præſtare cogitur.* Pro & omnino & ibi legendum eſt *ſet*, vel *SET* pro *ſet et*, quemadmodum & plerique antiqui Editores exhibent, *ſed &:* abſurda alioquin eſſet ejus loci ſententia.

Sic puto de *h. l.* 2. de qua, quod Accurſius ſcripſit, per me licet deleatur. Cujacius ad *l.* 7. *ff. de Uſurp. & uſucap.* eam quoque attigit, ſed tam parum dixit, ut præſtitiſſet ſilere. Miror ſane, legem difficilem ab omnibus levi manu fuiſſe transmiſſam, ne tentatis quidem difficultatibus, quas modo ſuſtuli. De *Ædilitiis plerisque* nemo quod ſciam, verbum dixit, niſi ſolus Accurſius, qui tamen, niſi ego hallucinor, plurimum hallucinatus eſt.

CAPUT IX.

Variæ JCtorum ſententiæ de cautione damni facti & infecti, & quæ ſequenda videatur.

Video inter Auctores noſtros non conſtare, an ſi ædes ruerint, non interpoſita damni infecti ſtipulatione, damni quoque facti nomine cavendum ſit? Ulpianus in *l.* 7. §. 2. *ff. de Damn. infect.* Julianum conſultum reſpondiſſe memorat, domino ædium, quæ, antequam cautio damni infecti poſtularetur, ruerunt, ſi ruinam velit egerere, non aliter permittendum, quam ſi duo hæc præſtiterit, primo ut ruinam utilem cum inutili tollat; & deinde caveat de damno, cum futuro, tum *præterito*. Sin autem noluerit egerere, interdictum reddendum, ut tollat, aut *totas ædes* pro derelicto habeat. Recte reſpondit, utilem ruinam non poſſe tolli, & inutilem relinqui, nam quæcunque prolapſa ſunt, tolli oportere Alphenus quoque dixit in *l.* 9. §. 2. *eod. Tit.* & habet rationem. Sed quod ait, ni ruina tollatur, præſto eſſe interdictum, *per quod compelletur aut tollere, aut totas ædes pro derelicto habere*, difficultatem habet: certe Gajus in *l.* 6. *eod. Tit.* auctor eſt, PLERISQUE *placuiſſe, nec cogi quidem poſſe, ut rudera tollat, ſi modo* OMNIA JACEANT, *pro derelicto habeat.* Neque ea Jurisprudentia ſine ratione eſt, cur enim univerſas ædes relinquat, quarum pars duntaxat, forte paries, vicino nocuit? rem noſtram ultra ſui pretium nobis nocere poſſe vix eſt, ut in Jure obtineat. Utque id in ſervo verum eſt ex Lege XII. Tabb. de noxa, ita ad alia paſſim translatum; ſane ab animalibus ad ea, quæ anima carent, quin ad hanc ipſam ſpeciem tranſtulit Ulpianus in *l.* 7. §. 1. *h. Tit.* Sed vero quia in ædificiis, minoribus præſertim, partes reliquæ a vitioſa parte trahuntur *l.* 38. §. 1. *ff. eod. Tit* poſſet quodammodo defendi ea Juliani ſententia, ſi re integra cautio poſtuletur, tunc enim vel cavendum, vel totis ædibus carendum eſſe; & hoc eſt, quod ipſe in *l.* 9. *pr. eod. Tit.* dixit, unumquemque re integra cogendum, *aut de damno cavere, aut ædibus carere*, nam quod de ædibus dicit, de totis intelligo, ita tamen, ut in majoribus quandoque rem temperet Prætor *d. l.* 38. §. 1.

Cæterum quod ipſe ille Julianus apud Ulpianum ait in *d l.* 7. §. 2. & ea ipſa *l.* 9. *pr ff. h. Tit.* non præſtita ſcilicet cautione, ſi vitioſæ ædes jam corruiſſent, domino ruinam tollere non licere, niſi caviſſet *non ſolum de futuro, ſed & de præterito damno*, numquam mihi probabitur, &, ni fallor, alienum eſt a ratione & reliqua auctoritate Juris. Sed preſſius agamus. Novum eſt, & præter Jus Civile ex utilitate introductum de damno infecto Edictum, neque unquam, ubi Jus Civile ſufficit, inde competit actio *l.* 18. §. 2. *l.* 32. *ff. de Damn. infect.* extra obligationis enim cauſam eſt, quod ex Edicto petimus. Nihil autem quicquam eo continetur de damno *facto*, ſed de *infecto* duntaxat, ut ex verbis Edicti manifeſtum eſt in *l.* 7. *pr. h. T.* & ex interpretatione & ratione Ulpiani, id adnotantis in *d. l.* 7. §. 1. Unde liquidum videbatur, ante cau-

cautionem lapſam ædium partem, quæ ſola damnum dedit, ſi dominus velit derelinquere, nullam omnino eſſe actionem, ſi nolit, ſed repetat, non eſſe cogendum, niſi ut de damno infecto caveat, de facto autem nequaquam; idque eſſe veriſſimum uno ore conſentiunt Labeo, Gajus, Africanus, Ulpianus, Paulus in *l.* 6. *l.* 7. §. 1. *l.* 15. §. 34. *l.* 44. *ff. de Damn. infect. l.* 3. §. 3. *l.* 11 §. 3. *ff. de Aq. & aq. pluv. arc.* Cui conſequens eſt, ut nec ratis, in alienum agrum delatæ, dominus aliter teneatur, quam ſi ratem repetat, idque ipſum eſt, quod continetur *l.* 5. *ff. de Incend. ruin. naufr.* & *l.* 5. §. 4. *ff. ad Exbibend.* Et de infecto quoque duntaxat agimus actione de aqua & aquæ pluviæ arcendæ, quæ multam cum hac de damno infecto affinitatem habet *l.* 1. §. 1. & *l.* 6. *ff. de Aq. & aq. pluv. arc.* Neque in privato tantum, ſed & in publico rem noſtram ſine fraude relinquimus, ut de arbore in viam lapſa ex Labeone Ulpianus retulit in *l.* 1. §. 40. *ff. Ne quid in loc. publ.* Eoque nihil quicquam eſt juſtius, cum non proponatur factum, quod illicite fiat; licitum eſt parietem habere, licitum arborem, quæ ſi ventus, tempeſtas, vel quis alius caſus dejecerit, domino non eſt, quod imputes, qui nihil fecit, niſi quod jure ſuo ei licebat. Fatum eſt, quod damnum dedit, pro quo iniquum eſſe teneri dominum, vel bubulcus judex perſpexit & pronunciavit apud Longum *Paſtoral. L.* II. *p. m.* 61. Quin nec interpoſita ſtipulatione id luet dominus, ut JCti noſtri diſputant in *l.* 24. §. 3. & 4. *b. T.* quid igitur luat cautione non præſtita? nihil ſane quicquam.

Ex eadem ratione notandum eſt, & ſi rudera velit tollere dominus, nullo jure de damno facto agi, aut de eo cautionem exigi, contra quam de infecto, illud enim nulla injuria, aut alicujus facto, ſed mero caſu datum eſt, hoc vero infert, qui ſuum repetit, ſi hac mercede non placet. Ita ſentio, niſi ſi tu docte Trebati diſſentis; ſed non diſſentis, refers enim apud Ulpianum in *l.* 9. §. 1. *b. T. cum Tiberis abundaſſet, & res multas multorum in aliena ædificia detuliſſet, interdictum a Prætore datum; ne vis fieret dominis, quo minus ſua tollerent, auferrent, ſi modo* DAMNI INFECTI *repromitterent.* Uſu igitur ſervatum, nihil a domino, qui ſuum repetit, niſi de infecto cautionem exigi. Ad hæc non video, ſi, etiam non interpoſita cautione, damnum datum a domino eſſet ſarciendum, cui bono eum hoc nomine repromittere juberet Prætor? conſtat enim, qui ſuo nomine poſſidet, non niſi repromittere, ſed qui alieno, ſatisdare *l.* 7. *pr. ff. de Damn. infect.* Satisdatio poſſet eſſe uſui, at non ſola repromiſſio, ſi, ea omiſſa, nihilominus de damno facto teneretur dominus. Denique & Alphenus ea, quam defendimus, ſententia uſus eſt in *l.* 9. §. 2. *ff. b. T.* dummodo verba ejus, ut legenda ſunt, legantur; ait ille, ſi cruſta ex fundo tuo in meum lapſa ſit, eamque petas, dandum in te judicium *de damno infecto*, ita enim, ut quidam Codices, omnino legendum eſt, non *de damno jam facto*, eſtque id apertum ex addita ratione: *nam*, inquit, *arbitrio judicis, apud quem res prolapſæ petentur, damnum, quod ante ſenſi, non contineri.* eſt & apertum ex transeundi formula, nam ita incipit §. 2. *Alphenus* QUOQUE *ſcribit;* quo Ulpianus ſignificet, idem ſcribere Alphenum, quod de Trebatio dixerat in §. 1. *d. l.* 9.

Nova igitur eſt Neratii Priſci ſententia, quam Ulpianus mox exponit in §. 3. *d. l.* 9. his verbis: *Neratius autem ſcribit, ſi ratis in agrum meum vi fluminis delata ſit, non aliter tibi poteſtatem tollendi faciendam, quam ſi de* PRÆTERITO *quoque damno mihi caviſſes.* Eſſe hanc Neratii ſententiam prioribus contrariam, indicat quoque *τὸ autem;* eſtque hæc ipſa ex Neratio relata in *l.* 8. *ff. de Incend. ruin. naufr.* & *l.* 5. §. 4. *ff. ad Exbib.* plane in eadem ſpecie; quæ, quod ad rationem Juris attinet, nihil quidquam differt a ſpecie, quam Trebatius propoſuit in *d. l.* 9. §. 1. & ubi aliud quoque ſenſiſſet Neratius, quique ejus opinionem ſequuti ſunt. Sequutus certe eſt Julianus, ut ſupra dixi, in *d. l.* 7. §. 2. & *l.* 9. *pr. b. T.* Sed ob rationes Juris, quas ſatis jam expoſuiſſe mihi videor, magis placeret Alpheni, Trebatii, aliorumque, qui diſſentiunt, opinio. Julianus quidem in *d. l.* 9. *pr. b. T.* ſententiam ſuam de damno præterito hac ratione tuetur: *quod re integra cuſtoditur, boc non inique etiam poſt ruinam ædium præſtabitur, integra autem re unusquisque cogitur aut de damno infecto cavere, aut ædibus carere, quas non defendit;* ſed nunquam peccatur perniciofius, quam Jure prætextu æquitatis neglecto. Generaliter enim ſequendum eſt, qui cautionem non exegit, ſibi damnum dediſſe videri, ex ratione *l.* 203. *ff. de R. J.* culpa enim eſt, propoſita damni infecti ſtipulatione, ſibi non cavere *l.* 18. §. 9. & *l.* 38. *pr. ff. b. T.* Cæterum ipſe Gajus, qui alioquin aliter ſentiebat in *l.* 6. *ff. de Damn. inf.* propoſitam Juliani ſui ſententiam in *d. l.* 7. §. 2. quam probare non poterat, mox in *l.* 8. temperare ſtudet, cum ait, *quod forte tunc recte dicetur, cum non ipſius* (domini) *negligentia, ſed propter aliquod impedimentum ſibi non proſpexit.* Quinimo ipſe Julianus ſententiæ ſuæ diffidit in *d. l.* 9. *pr. vers. denique*, nam quod primum generaliter dixerat, nunc ipſum videas temperare, ut fere temperavit Gajus, & reſtringere ad eum, *qui propter anguſtias temporis, aut quia Reipublicæ cauſa aberat, non potuerat damni infecti ſtipulari.* Cui Ulpianus ſuperdicit, *Juliani ſententiam utilitatem comprobare*, quod duntaxat de eo, quod præceſſerat, temperamento intelligendum eſſe opinor; quamvis ne tunc quidem, an admittenda ſit Juliani ſententia, liquido auſim adfirmare, ſi ex mera ratione Juris rem putemus: ut enim abſentibus non nocet, ita neque præſentibus, Reipublicæ cauſſa abſentia *l.* 140. *ff. de R. J.*

CAPUT X.

Hic illic correcta L. 40. §. 1. ff. de Damn. infect.

Quin vitioſa ſit, ut Florentiæ legitur, *l.* 40. §. 1. *ff. de Damn. infect.* negare poterit nemo, legitur autem ita: *Quotiens communis parietis vitio quid accidit, ſocius ſocio nihil præſtare debet, cum communis rei vitio contigerit. Quod ſi quia alter eum preſſerat, vel oneraverat, idcirco damnum contigit, conſequens eſt dicere, detrimentum boc, quod beneficio ejus contingit, ipſum ſarcire debere. Quod ſi æqualiter utriusque oneribus preſſus decidit, rectiſſime Sabinus ſcripſit, parietem utriusque cauſam eſſe. Sed ſi alter plures vel pretioſiores res amiſerit, melius eſt dicere,* quia

quia ambo onera impoſuerunt, neutri adverſus alterum competere actionem. Plana eſt ejus loci ſententia, ſed in verbis quædam reſtituenda ſunt. Ait, *beneficio*, ſed mendoſe, neque enim beneficium eſt, parietem communem ita premere vel onerare, ut decidat. Gloſſa *beneficium* interpretatur *maleficium*; *ironice*, inquit, ſed quid hoc eſt, niſi ut rideamus? Omnes tamen Editores, quos ego conſului, conſtanter exhibent *beneficio*, niſi quod Ludovicus Blaublommius ad marginem Editionis ſuæ 1524. Pariſiis apud Claud. Chevallonium, notaverit, in vetuſto quodam Libro M. S. legi *vitio*, quod prope, ni fallor, accedit ad genuinam ſcripturam, ſed propius adhuc, ſi, ut ego legerim, legamus *pene vitio*. Dixiſſet autem Ulpianus *pene vitio*, quia, ſi paries ſufficiat oneri ferundo, utique nihil nocebit appoſitum onus; ſed ſi quodammodo ventrem faciat, aliterve ruinam minitetur, jam peccat ſocius, quod ejusmodi parietem oneribus premat, & ſi preſſerit & decidat, *pene vitio* ejus decidiſſe intelligimus; atque hinc damnum ſarciet. Vellem τὸ *beneficium* liceret accipere pro quocunque *facto* ſimpliciter, vel *cauſa*, ſed quia ea vox in hanc ſententiam mihi lecta non eſt, emendationi, adhuc quidem acquieſco.

Quod ſequitur, *parietem utriusque cauſam eſſe*, non video ſenſum habere, niſi ἔμφασιν conſtituamus in τῷ *utriusque*, ut dixerit, ſuum cuique parietem damnum dediſſe, ſi uterque oneribus preſſerit. Sed potius eſt, ut τὸ *parietem* dicamus eſſe vitioſum, quemadmodum & Taurellius ei vocabulo vitii notam appoſuit; nec tamen eo auctore mutem in *pariatam*, id eſt, *parem redditam*, ab antiquo *pariare*, quamvis & Charondas illi emendationi applauſerit, ſed vel ſequar omnes omnino Libros, excepto Florentino, qui exhibent *parem utriusque cauſam*, vel, ne tantum ruat ex *pariete* Florentino, legam *parem tum utriusque cauſam eſſe*.

Adhuc ſequitur, quod purgem. *Sed ſi alter plures vel pretioſiores res amiſerit.* Dixerat jam, parem utriusque cauſam eſſe, ſi paries æqualiter utriusque oneribus preſſus decidat. Id nunc verum eſſe oſtendit, etiamſi alter ſocius plus damni patiatur: quare placeret hæc lectio, *ſET ſi*, per geminationem, *ſet & ſi*, *ſet* enim & *ſed* promiſcue ſcribi in Pandectis Florent. notum eſt. Exemplum ejus ſcriptionis & emendationis (ſi tamen emendatio vocanda ſit) ſupra dedimus ex *l.* 74. §. *ult. ff. de Evict.* Si, ut vulgo, hæc verba legas & intelligas, plus ſatis languebit ſenſus. Atque ita Ulpianus, a triplici mendo liberatus, lectorem ſuum in poſterum non morabitur.

CAPUT XI.

Qui poſtulare poſſint, ad L. 1. §. 3. ff. de Poſtul.

ICti noſtri in ejusmodi quæſtionibus ita ſemper ſolent verſari, ut, qui non poſſint facere id, quo de agitur, duntaxat exponant, nam ſi ſcierimus, qui non poſſint, intelligemus ſtatim, qui poſſint, ut in ſimili quæſtione Macer notabat in *l.* 8. *ff. de Accuſat.* Quam varia autem ſit non poſtulantium ratio, tres ordines diſtinxit Prætor in *l* 1. §. 1. *ff. de Poſtul.* & ex eo C. 2. *Cauſſ.* III. *Quæſt.* VII. primum eorum, qui penitus prohibentur; ſecundum, qui pro aliis, quam ſe; tertium, qui pro aliis, quam ſe & quibusdam tantum. De primo ait Ulpianus in *l.* 1. §. 3. *ff. de Poſtul. Initium fecit Prætor ab his, qui in totum prohibentur poſtulare. In quo Edicto aut pueritiam aut caſum excuſavit. Pueritiam, dum minorem annis decem & ſeptem, qui eos non in totum complevit, prohibet poſtulare: quia moderatam hanc ætatem ratus eſt ad procedendum in publicum Qua ætate, aut paulo majore fertur Nerva filius & publice de Jure reſponſitaſſe.* Quod dixit, Prætorem *pueritiam aut caſum excuſaſſe*, apparet perinde eſſe, atque ſi dixiſſet, quosdam ob minorem ætatem, aut vitium eorum, quibus de agitur, poſtulare noluiſſe. Pueritiam definit XVII. annis minorem ætatem, cum eo demum tempore depoſita prætexta togam virilem ſumi more Majorum obtinuerit. Unde & ea forte *prima ætas* eſt in *l.* 68 *pr. ff. ad L. Falcid.* Ita tamen, ut, qui poſtulabit, annum XVII. compleviſſe oporteat. Quod autem ait, Prætorem, quos vetat, *excuſaſſe*, adeo diſplicuit Cujacio, ut *Obſerv. L.* XXVI. *C.* 38. & ad *L.* V. *Paul. ad Edict.* in *l* 4. *ff. de Poſtul.* pro *excuſavit* reponendum cenſuerit *excuriavit*, verbo antiquo, pro *Curia excluſit*, quia ſcilicet nec volentibus pueris jus poſtulandi eſt. Hanc Præceptoris ſui emendationem ſequitur & probat Marquardus Freherus *de Exiſtimat. L.* III. *C.* 26. Sed, ni fallor, perſpicue eſt mendoſa; *excuriare* enim, ut vox ipſa indicat, nihil eſſet aliud, quam *Curia excludere, movere, expellere.* Quæ ſignificatio quam ſit ab hoc loco aliena, inde conſtare poterit, quod Prætor, quantum ego memini, nunquam Jus dixerit in *Curia*, ſed olim in Comitio, etiam ſub dio, poſt in Baſilicis. Unde quum de morte Germanici ageretur, Tiberius apud Tacitum *L.* III. *Annal. C.* 12. *Id ſolum Germanico ſuper Leges præſtiterimus, quod in Curia potius, quam in foro, apud Senatum, quam apud Judices, de morte ejus anquiritur.* In provinciis quoque cauſæ agebantur in foro vel Baſilica. Seneca in *Præfat. L.* IX. *Controverſ.* de Latrone Porcio ita dixit: *Cum in Hiſpania pro Ruſtico Porcio propinquo ſuo diceret, usque eo eſſe confuſum, ut a ſolœciſmo inciperet, nec antea potuiſſe confirmari, tectum ac parietes deſiderantem, quam impetravit, ut judicium ex foro in Baſilicam transferretur. Usque eo*, inquit, *ingenia in ſcholaſticis exercitationibus delicate nutriuntur, ut clamorem, ſilentium, riſum, cælum denique pati neſciant.* Laudantur tamen Latini magiſtri, qui *excuriandi* voce uſi ſunt, vel potius laudatur unus Varro apud Nonium Marcellum in voc. *Excuriari*: ubi ſic eſt: *Excuriari, Curia excludi. Varro* Ἱπποκύων: *Apollonium ideo excuriant, quia nihil habebat.* Sed non eſt, unde conſtet, *excuriandi* verbum de interdicta poſtulatione apud Varronem oportere accipi; & ob paupertatem cur quis a poſtulando arceatur, cum fere bonæ mentis ſoror ſit paupertas? poteſt autem Varro variis modis aliter intelligi. Dixerit fortaſſe, Apollonium *Curia* i. e. *Senatu* motum, quia nempe Senatus in Curia conveniebat, Tacitus *d. C.* 12. & ideo Apollonium dixerit Senatu motum, *quia nihil habebat*, i. e. quod cenſum Senatorium non haberet, nam quibus non licebat tam eſſe beatis, eum ordinem amittebant, atque ita *excuriabantur*, ſive *Curia excedebant*, quemadmo-

modum Tacitus id effert *L.* IV. *Hiſtor. C.* 41. & 43 Idem, eadem locutione, Tarquitium *Curia exactum* dixit *L.* XII. *Annal. C.* 59. Fortaſſe & hoc voluerit Varro, Apollonium, quod nihil haberet, fuiſſe motum *Curia* i. e. *Tribu;* quæque enim Tribus habebat Curiam, ad quam Tribules pertinebant, ut variis locis ex Feſto Pompejo cognoſcimus. Quum vero extremus cenſus, etiam eorum, qui Capite cenſi vocabantur, fuerit æris CCCLXXX. ut ex Gellio diſcimus *L.* XVI. *Noct. Att. C.* 10. non eſt, quod miremur, Apollonium, quia nihil quicquam habebat, ea ratione fuiſſe Tribu motum. Valde quoque dubitem, an non de hac ipſa Curiæ motione intelligenda ſit pœna, cujus Paulus meminit *L.* V. *Sentent. T.* XV. §. 5. & *T.* XX. & *T.* XXVIII. §. 1. & *l.* 38. §. 10 *ff. de Pœn.* & Tertullianus *de Spectac. C.* XXII. ut ſcilicet ejus pœnæ rei, ex numero Tribulium expuncti, carerent commodis Tribuum: iis quippe commodis non omnes promiſcue Cives fruebantur, verum duntaxat, qui Tribum habebant *l.* 35. *pr. ff de Legat.* III. facta, ut videtur, inter Curias cujusque Tribus diſtributione a magiſtris Curiarum. Plautus hoc indicat *Aulul. Act.* I. *Sc.* 2. *verſ.* 28. *& ſeqq.*

Sed quid agam ſcio.
Nam noſter noſtræ qui eſt magiſter Curiæ,
Dividere argenti dixit nummos in Viros.

Neſcio, an Cujacius ad Paulum *dict. locis*, recte dixerit de iis, *qui Curia ſubmoventur;* ſed jam nimium ſumus digreſſi.

Cæterum vel hoc ipſo apud Ulpianum peſſima eſt *excuriandi* vox, quod optima ſit *excuſandi.* Fere eſt, ut ea in re Interpretis vice fungi poſſit Calliſtratus in *l.* 11. *ff. de Decurion.* qui quod primo *probibitionem* dixerat, ut eſt, deinde *excuſationem* vocat. Et in *l.* 4. §. 3 *ff. de Offic. Proconſ.* quæ & ipſa Ulpiani eſt, *excuſantis* nihil eſt aliud, quam cum humanitate quadam recuſantis. Similem ejusdem Ulpiani locutionem animadvertere licet in *l.* 17. §. 2. junct. *l.* 19. *ff. de Procurat.* quamvis & illa *l.* 19. continua oratione conjungi videatur poſſe cum *l.* 24 *eod. Tit.* Plura etiam ex Jure noſtro, de *excuſandi* vocabulo in hanc rem attulit Vir non inelegantis ingenii Timæus Faber ad §. *pen. Inſt. de Excuſat. tut.* quæ ſi videre potuiſſet alius Faber, Antonius nempe in *Rational.* ad *b. l.* 1. §. 3. abſtinuiſſet, credo, profunda illa ſubtilitate, qua nunc *excuſandi* verbum explicare ſibi viſus eſt. Nec, ſi hæc vidiſſet alius iterum Faber, Petrus ſcilicet in *Comment.* ad *l.* 2 *ff. de R. Jur.* illud *excuſavit*, opinor, mutaſſet in *excepit*, fictis literarum compendiis. Si ita legeretur, bene eſſet, quum ſecus, contra. Probat idem Faber ſuum illud *excepit*, *Semeſtr. L.* III. *C.* 23. nec tamen minus conjicit, ſi receptæ lectioni ſtandum ſit, τὸ *excuſavit* exponi poſſe *comprebendit*, *allegavit*, ut in *l.* 3. § 1. *ff. de Sepulcbr. viol.* ſed utrobique æque perperam. Nec melius pro recepta lectione ſe extricavit Æguinarius Baro in *Comment. ad b. l.* 1. §. 3. piget id referre, refellere puderet. Aperta eſt ſententia *d.* §. 3 nam qui ibi *excuſantur*, molliori verbo arcentur, removentur, ſed absque inhoneſta cauſa eorum, de quibus agitur. Quomodo & Tranquillus ea voce uſus eſt in *Auguſt. C.* 35. *Quosdam*, inquit, *ad excuſandi ſe verecundiam compulit, ſervavitque etiam excuſantibus inſigne veſtis, & ſpectandi in Orcheſtra, epulandique publice jus.* De Senatoribus loquitur, de quibus idem Dio ſcribit *L.* LIV. Sed quum is id referat de Senatu motis, non exiſtimandus eſt Tranquillo contradicere, ut exiſtimatus eſt Cujacio ad *Rubr. ff. de Excuſat.* alii enim ob ſordes, vel quam aliam infamem cauſam, vere movebantur Senatu, exuti omni dignitate Senatoria; alii quaſi movebantur, ſive *excuſabantur*, ob ſolam vilitatem, absque inhoneſta cauſa, ſalva dignitate. Non itaque eſt quicquam, cur Tranquillo non accedatur æque, quam Dioni, uterque enim idem ſcripſit, & Cujacius perperam diſſenſum arguit. In ſumma tenendum eſt, Auctores cum noſtros, tum exteros res aſperiores ſæpe temperare leniori phraſi, cujus rei exempla dedi ſupra *L.* I. *C* 21.

Ita autem Prætor excuſando prohibuit minores XVII. annis, ut majores admiſerit, *quia*, inquit Ulpianus, *moderatam banc ætatem ratus eſt ad procedendum in publicum.* Et ſic quoque, ut ſupra dixi, more Majorum obtinuit, ut, qui ejus ætatis eſſent, togam virilem ſumerent, eoque cenſerentur apti, qui civium munia obirent. Cumque hæc ſit ἥβη ἀκροτάτη, non putem ejus ætatis fuiſſe, quem Feſtus deſcribit in *Improlis. Improlis*, inquit, *eſt, qui nondum eſt adſcriptus in Civitate*. quique adeo nondum obit munera Civium. Confirmant id Gloſſæ veteres, in quibus ita eſt: *Improlis*, ἀφῆλιξ μήπω πολιτευόμενος; ita certe Gloſſas repræſentat Scaliger ad *Feſtum d. loc.* & ita Cujacius ad *Novell.* V. qui falſi etiam eos notavit, qui aliter Gloſſas exhibuerunt, ut aliter exhibuiſſe video Turnebum *L.* XVIII. *Adverſ. C.* 26. qui ipſe perperam interpretatus eſt *improlem* apud Feſtum, *L.* VII. *Adverſ. C.* 21. Ætas illa XVII. annorum, ſumma quippe pubertas, ad prolem moderata fuit. Apta quoque ſubeundis Civitatis oneribus; unde factum puta, ut, qui iis annis ad Rempublicam adhibebantur, ſeu adhiberi poterant, tunc demum viderentur πολιτεύεσθαι: ante eos annos *improles* καὶ μήπω πολιτευόμενοι. Nonvideo, quid probabilius notem de *improlibus* καὶ μήπω πολιτευομένοις.

Igitur & hac ætate Prætor poſtulare permiſit; poteſt enim his annis ea rerum Jurisque peritia acquiri, quæ in hanc rem ſufficit §. 5. *Inſt. Quib. ex cauſ. manum. non lic. l.* 13. *ff. de Manum. vind.* &, ne dubites, exemplum hic addit Ulpianus: *Qua*, inquit, *ætate, aut paulo majore, fertur Nerva filius & publice de Jure reſponſitaſſe.* Si vim verbi ſpectes, *reſponſitare* videtur minus eſſe, quam *reſpondere*, ut *quæritare* minus eſt, quam *quærere*, auctore Donato ad *Terent. Andr. Act.* I. *Sc.* I. ſed tamen utrumque verbum, cum *reſpondendi*, tum *reſponſitandi*, intelligendum eſt de *Reſponſis*, quæ de Jure conſulentibus ſolent impertiri, ut Æguin. Baro in *Comm.* & Ant. Faber in *Ration.* ad *b.* §. & poſt eos contra Mornacium obſervavit Menagius toto *C.* II. *Amœn. Jur. Civ.* in quam ſententiam etiam alias *reſponſitandi* verbum uſurpari certum eſt. Si enim, ut hoc addam, de poſitionibus defenſis & diſputatione Juris hæc intelligas, ut intellexit Mornacius; non recte hoc exemplo uſus fuiſſet Ulpianus, quia nempe ex diſputatione Scholaſtica non recte probaretur aptitudo forenſis, quæ in poſtulationibus una virtus eſt. Laudantur & alii in Hiſtoria Romana, qui Juvenes præcocis ingenii & operæ fuerunt. Oratores aliquot recenſuit Auctor *Dial. de Oratoribus C.* 34. *in fin.* & Quintilianus *L.* XII. *Inſt. Orat. C.* 6. ubi eleganter, quid de maturo auſu ſequendum videatur, diſputat. Cotta quoque eo ipſo die, quo virilem togam ſumpſit, C. Barbonem poſtulavit, & reum peregit, ut Valerius memorat *L.* V. *C.* 4. §. 4. & Plinius ſe *adoleſcentulum* egiſſe cauſam Julii Paſtoris ipſe retulit *L.* I. *Epiſt.* 18. Celſus *adoleſcens* quoque de Ju-

re ſcripſit *l.* 91. §. 3. *ff. de V. O.* Et de Atracino apud Hieronymum in *Chron. Euſeb. Ann. Mund.* 5180. *Olymp.* 189. hæc referuntur: *Atracinus, qui ſeptendecim natus annis Celium accuſaverat, clarus inter Oratores habetur. Ad extremum morborum tædio in balneo volutante exanimatus hæredem reliquit Auguſtum.* Verba exhibui, quo monerem, pro *volutante*, trajectis literis, legendum videri *voluntate*, i. e. volens, morte voluntaria. Quemadmodum autem hic milites togati, ſic nec ſagati ante annum XVII. legi poterant ex Lege Gracchana, ut Plutarchus memorat in *C. Graccho p. m.* 244. Athenis autem non ante annum XVII. narrante id Ulpiano ad *Demoſt. Olynth.* III. Sed exemplorum ſatis eſt, ut probem, Jus Romanum hac parte & in mores Romanorum tranſiiſſe.

CAPUT XII.

Rurſus, qui poſtulare poſſint, ad L. 1. §. 3. & §. 5. ff. de Poſtul.

Porro videamus, qui poſtulare nequeant, ut ita ſciamus, qui poſſint. In primo ordine cum puero, ſeptendecim minori, Prætor excuſavit & *ſurdum, qui prorſus non audit. d. l.* 1. §. 3. Atquin Juventius Celſus, aliique Juris noſtri auctores, neminem eſſe dixerunt, *qui penitus non exaudiat, ſi quis ſupra cerebrum illius loquatur l.* 10. *C. Qui teſtam. fac. poſſ.* quod ſunt, qui ſuaviter rident, defendit tamen Ægidius Menagius profunda philoſophia *Amœnit. Jur. Civ. C.* XXVII. Quicquid ſit, hoc certum eſt, eum, qui ita duntaxat audit, hic prorſus audire non videri; neque enim quiſquam a Prætore deſideret, ut Decretum pronunciaturus ſupra cerebellum Advocati Stentore clamoſior ſe oſtendat. Secundum quæ & recte negat *l.* 1. §. *ult. ff. de O. & A.* & *l.* 1. *pr. ff. de V. O.* ſurdum poſſe ſtipulari, non, ut ait *d.* §. *ult. qui tardius exaudit, ſed qui omnino non exaudit*, ſeu, quod perinde eſt, qui ſecundum ea, quæ proponuntur, habendus eſt, atque ſi nihil quicquam audiret. Quomodo & Paulum intelligere oportet in *l.* 7. §. 1. *ff. de Decurion.* ſed pergamus.

Hæc de primo ordine; aliter ſecundum excuſavit Prætor in *l.* 1. §. 5. *ff. h. Tit.* ſcilicet pro aliis ne poſtulent. *In quo Edicto*, inquit, (hoc eſt, *in qua parte Edicti*, ut ſæpe hæc ita efferuntur) *excepit Prætor ſexum & caſum. . . . Sexum, dum feminas prohibet pro aliis poſtulare.* Aliter nempe ac Plato, qui in ſua Republica non tam mulieres, quam vetulas, nempe adhuc magis garrulas ac rixatrices, ad cauſas agendas admiſit *L.* XI. *de LL. p. m.* 1127. Et Romæ olim quoque, ante C. Afraniam, fœminis fuiſſe poſtulandi poteſtatem, Ulpianus mox oſtendit, dum inquit: *Origo introducta eſt a Carfania, improbiſſima femina, quæ inverecunde poſtulans, & Magiſtratum inquietans, cauſam dedit Edicto.* In antiquis Libris fere legitur *Calphurnia*, in Pandectis Flor. *Carfania*, ſed Andreas Alciatus *L.* II. *Parerg. Jur. C.* 37. reſtituit *C. Afrania*, disjunctis literis, quæ male coaluerant, & una inſuper trajecta. Videbatur id apertum ex Valerio *L.* VIII. *C* 3. §. 2. qui ejuſdem, ut videtur, C. Afraniæ improbitatem & impudentiam deſcribit; ſed contradicit Cujacius *L.* XXVI. *Obſerv. C.* 38. ajens, *Carfaniam* quoque in Baſilicis eſſe: at fruſtra ego *Carfaniam* quæſivi cum in ipſis Baſilicis, tum in Scholiis. Quod deinde ait, apud Juvenalem *Satyr* II. *verſ.* 69. *Carfaniæ* nomen eſſe, mihi etiam non liquet, ita enim legitur in omnibus Libris meis:

Damnetur ſi vis etiam Carfinia: talem
Non ſumet damnata togam.

Et ſi vel *Carfania* legeretur, quis dixerit, eandem ibi, quæ hic eſt, mulierem eſſe? &, ſi ſit, nomen metri ergo non eſſe contractum; certe Valerius peſſime mutaretur, quod tamen Cujacius *d. loc.* voluit. His adde, quæ pro *C. Afrania* porro dixit Petrus Faber ad *l.* 2. *ff. de R. J.* aliique, quos, ut ſolet, prolixo ordine laudavit Hilliger *Donell. Enucl. L.* XVIII. *C* 3. *lit.* 5. ipſe neſcio, quid commentus de varia ætate tum Carfaniæ, tum Cajæ Afraniæ, commentus, inquam, nihil enim probat.

Excepit Prætor & caſum, dum cæcum repellit, ut mox ait Ulpianus ſed repellit, qua poſtulat pro aliis, ut ante dixerat, & deinde etiam addit. Id autem, certe olim, non videtur Jurisdictionis tralatitiæ fuiſſe, pro aliis enim cæcos poſtulaſſe Paullum, ſeu, ut habet vulgata lectio, Publium *Senatorem, & Pontium Lupum, Equitem Romanum*, memorat Valerius *L.* VIII. *C* 7. §. 5. Non refutaverim vulgatam Valerii lectionem, ut nullo argumento refutant alii; quin ſequor potius, & de ea conſtituo ex *h. l.* 1. §. 5. ſic enim infit Ulpianus; *Refert etiam Labeo*, Publium *cæcum, Aſprenatis Nonii patrem, averſa ſella a Bruto deſtitutum, cum vellet poſtulare.* Hunc *Publium* non alium fuiſſe putem, quam cujus meminit Valerius, uterque enim paris nominis, advocatus uterque, uterque cæcus, &, ut videtur, uterque Senator; nam, cum de Publio dixiſſet Ulpianus, incontinenti addit, cæcum *retinere Senatorium ordinem*, quemadmodum retinuiſſe Publium ex appellatione Valerii conſtat.

Ait Ulpianus, Publium illum cæcum *Aſprenatis Nonii patrem* fuiſſe. Per *Aſprenatem Nonium*, quamvis fere tempora conveniant, non intelligo *Lucium Aſprenatem*, cujus mentio eſt apud Senecam *Præfat. L.* X. *Controv.* nam *ejus famam cum ipſo extinctam eſſe* refert ibi Seneca, hic autem Aſprenas Nonius oportet valde fuerit celebris, quum ex eo demonſtretur pater. Pancirolus *Var. Lect. L.* II. *C.* 19. intelligit *L. Nonium Aſprenatem*, qui cum M. Aquilio Juliano ſub Caligula Conſul fuit, quemque eundem eſſe cenſet, quem in ludicro Trojæ, aureo torque donatum, Auguſtus *Torquati* cognomen ferre paſſus eſt, Suetonius in *Aug. C.* 43. amicus ſcilicet ille Auguſti, & a Caſſio Severo veneficii accuſatus, ut idem Tranquillus retulit in *Aug. C.* 56. & de quo, veneficii reo, Plinius quoque dixit *L.* XXXV. *C* 12. *in fin.* Atque hunc Nonium Aſprenatem Pancirolus eundem facit cum *L. Aſprenate*, qui legatus fuit Vari, cujusque memoria eſt apud Vellejum *Hiſt. Rom. L.* II. Sed quem Suetonius memoravit *d. C.* 43. fuit *Cajus Nonius Aſprenas* non *Lucius*, quosque ita perperam ille eosdem eſſe dixit. Jac. Curtius Εἰκαστῶν *L.* III. *C.* 40. per *Publium Aſprenatem cæcum* intelligit Declamatorem apud Senecam, & per *Aſprenatem Nonium* eum, quo de Suetonius *d. loc.* adeo illuſtrem ſcilicet *Torquati* nomine, ut parens ab eo demonſtrari meruerit. Et ita quoque Ruſſardus conjicit in *Not. ad h.* §. 5. Ego de rebus, adeo incertis, nunquam certi quid adfirmaverim, potuit *Publius ille cæcus* idem fuiſſe cum *Publio Aſprenate*, cujus multa benedicta exſtant apud Senecam in *Libris Controverſ.* potuit fuiſſe alius; tuto non eſt, qui dicat. De Nonio Aſprenate, hujus filio,

filio, nihil etiam certi ſtatuo, ecquis enim ille fuerit, nihil profecto quicquam eſt, unde ſciri queat. Sane fuiſſe virum in Republica celebrem, ſatis inde conſtat, quod ex eo demonſtretur pater Publius, non alia cauſa, quam ob celebritatem nominis; unde de M. Catone dixit Cicero *de Offic. L.* III. *C.* 66. *Ut ceteri ex parentibus, ſic hic, qui lumen illud progenuit, ex filio eſt nominandus.* Ita Labeonem patrem, ob Labeonem filium, tantum in Jurisprudentia nomen, celebravit Appianus *Bell. Civil. L.* IV. *p. m.* 517. Et per filii eloquentiam, juſtitiam, aut virtutem, *patri quoque ingentem circumfundi famam*, *tenebraſque natalium clara luce diſcuti*, laudatis exemplis, egregie exſequutus eſt Seneca *de Benefic. L.* III. *Cap.* 32.

Cæterum ad *h.* §. 5. de cæcis, qui munera obierint, & de Jure reſponderint, videndus omnino eſt Tullii locus *Tuſcul. Quæſt. L.* V. *C.* 112. qui de iis, ut ſolet, acute & luculenter dixit.

CAPUT XIII.

Ad L. 19. ff. de Ritu Nupt.

Ex Marciano *L.* XVI. *Inſtitutionum*, ita Florentiæ exhibetur *l.* 19. *ff. de R. N. Capite trigeſimo quinto Legis Juliæ; qui liberos, quos habent in poteſtate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt, ex Conſtitutione Divorum Severi & Antonini per Proconſules Præſideſque Provinciarum coguntur in matrimonium collocare, & dotare. Probibere autem videtur, & qui conditionem non quærit.* Ait, *Capite* XXXV. Haloander edidit, *Capite* LIII. Apud Sennetonios Lugduni 1549. editum eſt, *Capite* LIV. utrobique per incuriam, ut credibile eſt, ſcriptura aberrante; ſed cur Jacobus Gothofredus ad *L. Jul. de Marit. Ordin. p.* 290. & 329. reſcribat, *Capite* XV. nulla auctoritate, nullo item argumento, plane non adſequor.

Ait, *Legis Juliæ.* Sciri nequit, cujus. Cujacius *Comm. poſt.* ad *l.* 13. *ff. de Teſt.* quæ eſt ex *Papin. L.* I. *de Adult.* intelligit *L. Juliam de Adulteriis*, quod ut fateor nullo argumento dici, ita verum eſt, etiam nullo reprehendi a Jac. Gothofredo *d. p.* 329. cum plane ignoremus quid *hac Lege Julia*, vel *hoc Capite* fuerit cautum; nam alia etiam præter adulterium, Lege Julia, quæ *de Adulteriis* dicitur, fuiſſe tractata, Cujacius eo loco recte docuit. Ant. Auguſtinus *Libr. de Legibus & SCtis p.* 79. intelligit *Legem Juliam de maritandis Ordinibus*, nulla addita ratione; ſed quum animadverteret, fingi non poſſe, quod hic Marcianus ait de Divis Severo & Antonino, eſſe ex eo Capite Legis Juliæ, videtur aliquantiſper ſubſiſtere: nam commemorato Capite L. Juliæ, mox ſubjicit: *ita enim inſcriptum eſt*, nihil porro definiens. Juſtus Lipſius *Excurſ.* ad *L.* III. *Ann. Tacit.* ex verbis *h. l.* 19. confinxit & recitavit quoque *Caput* XXXV. *Legis Juliæ de maritandis Ordinibus*, ſed quum in eo recitando ad nomina Severi & Antonini perveniſſet, mox ſubſtitit, neque pertractare aut perſcribere auſus eſt, quod ſine pudore non potuit. Eandem tamen Legem Juliam intellexit & Jac. Gothofredus *d. pagg.* at quum & ipſe animadverteret, obſtare ea, quæ ſequuntur in *h. l.* 19. commentitia quadam ratione eluſum ivit, dum inquit, hanc *l.* 19. non eſſe quidem *Caput Legis Juliæ*, ſed quoddam *L. Juliæ ſupplementum*, a D. Severo poſtea additum; nec tamen habet, unde quicquam ejus rei probetur. Dicamus potius, quod hic Marcianus retulit, nec Lege Julia de Adulteriis, nec de maritandis Ordinibus, nec qua alia, ſancitum fuiſſe, aut ſanciri per rationem temporis potuiſſe, ſed hanc *l.* 19. aut vitioſe legi in Pand. Flor. aut certe vitioſe a Taurellio eſſe editam; neque enim, ut nunc eſt, verba cohærent, vel ſententiam continent, quæ videri poſſit idonea. Nam quis dicat recte, *Capite* XXXV. *Legis Juliæ, qui liberos*, & reliqua? deeſſet utique *cavetur*, *continetur*, aut alia qua ſimilis vox. Puto autem illa, *Capite* XXXV. *L. Juliæ*, ad verba Marciani *qui liberos* &c. nihil quicquam pertinere, non magis, quam τὰ *a quo fundus petetur, ſi rem nolit* ad *l.* 45. *ff. de Damn. infect.* niſi vero utrobique ea quis velit expungere, quod tamen me auctore nemo fecerit, Legibus præponenda ſunt, ut Libri, unde petitæ ſint, Rubricam ſignificent. Etiam aliis locis Digeſtorum Compoſitores non Libros duntaxat, ſed & Capita & Titulos, unde Leges deſumptæ, Legibus præſcripſerunt: quod, quia inſolentius, facile turbavit Librarios, commiſta ſic Rubrica cum ipſa Lege; & ſic multi diu vitioſe uſi ſunt *l.* 48. *ff. de V. S.* Veteres Editores in *h. l.* 19. τὸ *Capite* XXXV. *L. Juliæ* omiſerunt, ſicut & omiſiſſe videas reliqua Inſcriptionum verba, plane ut Græci in Baſilicis, ſolo auctoris retento nomine. Quæ veterum omiſſio indicat quoque, ea ex Inſcriptione eſſe. Quia autem in Codice Florentino inveniuntur, ut cætera, quæ ad Inſcriptiones pertinent, reſtitui poſſunt, & eo rejici. Nec majus ejus ſententiæ argumentum eſſe poterit, quam quod, ex fide forte veterum Librorum, in inſcriptionem modo rejecta ſint in Editione Haloandri, Sennetoniorum 1549. & Lugdunenſi 1593. & 1600. Atque ita expedita res erit, nec quicquam opus tot hallucinationibus, quibus alioquin Viros doctos hærere videas. Marcianus ſcilicet *L.* XVI. *Inſt.* interpretatus eſt *Caput* XXXV. *Legis Juliæ*, neſcio cujus, forte de maritandis Ordinibus, ſed perinde eſt; ea vero occaſione Marcianus retulit Conſtitutionem Severi & Antonini, quam hoc loco Pandectis inſeruerunt Compoſitores Juris, præſcripto Marciani *L.* XVI. *Inſt.* ſed & adjecto Capite, Titulo, Rubrica, quocunque velis appellare nomine, ubi eam memoraverat Marcianus.

Ait, ex *Conſtitutione Divorum Severi & Antonini.* Ipſa ſententia Conſtitutionis ſatis indicat, tale quid Lege Julia non fuiſſe cautum, ſed poſtea, exoleta jam magis magiſque parentum poteſtate, introductum. Olim utique ſimpliciter verum, liberos invitis parentibus, in quorum poteſtate erant, nuptias contrahere non potuiſſe: ab eo jure aliquantiſper deinde receſſum eſt, prætexta æquitate.

Ait, *prohibere videtur, qui conditionem non quærit.* Parentum eſſe conditionem quærere, filiabus præſertim ſuis, ſi Leges non juberent, ſatis diceret ipſa ratio. Eleganter ex Ambroſio id explicat *C.* 13. *Cauſſ.* XXXII. *Q.* II. Hodie

quia

quia parentes in hanc partem prolixe peccant, peſſimo more, filiæ paſſim peſſumdantur. *Conditionis* verbum vulgare eſt de *nuptiis*, loca aliis notata non adſcribo, nec plura etiam addo in re manifeſta. Id obſervari poterit, quia minus vulgare eſt, *conditionis* vocem de quocunque coitu accipi apud Capitolinum in *Antonino C.* 19. & Lampridium in *Heliogabalo C.* 5. & 8.

CAPUT XIV.

Usquequaque ſervata lectio L. 12. pr. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ. *mutata ſaltem interpunctione.*

Docui ſupra *L.* I. *C.* 20. qua mente dixerit Tryphoninus in *l.* 12. *pr. ff. de Captiv. & poſtlim. reverſ.* in pace etiam poſtliminium his eſſe, *de quibus nihil in pactis erat comprehenſum*, & ſimul ea verba vindicavi ab variis Interpretum injuriis. Intellexi ſcilicet Tryphoninum de ſpecie, quam ipſe, interpretationis loco, mox addidit, atque ita expoſuit: *Verum in pace qui pervenerunt ad alteros, ſi bellum ſubito exarſiſſet, eorum ſervi efficiuntur, apud quos jam hoſtes ſuo facto deprehenduntur, quibus jus poſtliminii eſt, tam in bello, quam in pace: niſi fœdere cautum fuerat, ne eſſet bis jus poſtliminii.* De ſententia ejus loci dixi, quod ſatis eſt, ſed de ſententia dicere contentus, a verbis tunc abſtinui. Sed vero, quia Grammatici, & qui Grammatici non ſunt, varie ea ſollicitant, defendam, ut exhibui ex Libro Florentino. Ita, opinor, nihil deerit, quod in illo Tryphonini loco deſideretur.

Dixit autem, *qui pervenerunt ad alteros.* Non patitur hanc locutionem Claudius Salmaſius *Obſerv. ad Jus Att. & Rom. C.* XXVI. *p.* 576. & *C.* XXVII. *p.* 618. & pro ea reſcribit, *qui pervenerunt ad exteros*, reprehenſo Heraldo, qui hæc e Gloſſemate eſſe putavit. Recta, ni fallor, reprehenſio, ſed in eo reprehendendus & ipſe, quod locutionem rectam & Latinam mutavit. *Alterum* ſimpliciter pro *alium* ſexcenties dixit Plautus, ac præter Plautum alii. Etiam in numero plurium, ut hic, frequentatur ea vox Auctoribus Latinis. Apud Horatium *L.* II. *Epiſt. ult.* ſic eſt:

Permutet dominos, & cedat in ALTERA *jura.*

plura exempla ad manum ſunt, ſed ne otioſe videar diligens in re certa, hæc mitto.

Valde autem offendunt, quæ ſequuntur: *apud quos jam hoſtes ſuo facto deprehenduntur.* Illud *ſuo facto* nemo eſt, qui poſſit concoquere; &, quod loci ſuſpecti fere indicium eſt, variant lectiones in antiquis Libris. Qui notas perpetuas ſcripſit ad Jus Civile, laudavit Budæum, Haloandrum & Hugonem a Porta, atque ſi legerent, *ſuo pacto*, ſed, qua eſt imprudentia, impoſuit Lectori, illi enim una omnes voce *ſuo facto*, quomodo & Editiones apud Rob. Stephanum, Sennetonios, & Vintimillii apud viduam Chevallonii, & aliquot recentiores. Et puto eum hominem etiam Grotio impoſuiſſe, qui *de Jure B. & P. L.* III. *C.* 6. *n.* 12. ſcribit quoque, ac ſi Libri eſſent, qui haberent *pacto.* Nullum vidi, qui ſic habeat: & aperte etiam repugnaret ſenſus. Antiquiſſima autem Editio Blaublommii apud Chevallonium, Pariſiis 1523. habet, ut Florentiæ, *ſuo facto*, ut ſane in plurimis inter hanc & Florentinam probe convenit. Video quoque notatum a Ruſſardo & aliis, eſſe, qui legant, *apud quos jam hoſtes ſuos factos*, quod miror eſſe, qui ſibi poſtea vindicarunt. Ex ea lectione ſuam quoque interpolavit Salmaſius *ad Jus Att. & Rom. d. C.* XXVII. *p.* 620. reponit enim, *apud quos jam hoſtes ſuis factos deprehenduntur.* Quin illud *fato ſuo*, quod in Libris antiquis adeo vulgare eſt, non aliter notavit Ruſſardus, atque ſi ingenio ſuo deberetur. Cujacius *Lib.* IV. *Obſerv. C.* 9. narraturus ſententiam *h. L. fato* quoque exhibuit, quod in primis & Grotius defendit *de Jure B. & P. d. L.* III. *C.* 6. *n.* 12. & prolixe ſequuntur alii, nec tamen eorum quemquam videas meminiſſe veterum Librorum. Ideo autem, inquit Grotius, *fato, quia nullo ſuo merito in ſervitutem deveniunt*, ſed eo fato, quo Romæ fiebant Metelli Conſules. Quicquid cavilletur Salmaſius *d. loc.* ſi *fato* Florentiæ legeretur, ego non mutarem vocem, etiam alias JCtis hoc ſenſu uſurpatam in *l.* 11. §. 3. *ff. de Minor.* & *l.* 32. *pr. ff. ad L. Jul. de adult.* præferremque cum ejus, tum alterius, unde habuit, lectioni. Nunc quum *facto* legatur in Librorum optimo, hanc ſcripturam ſequor, quia proba recta eſt. Accurſius, eam quoque ſecutus, *facto* addidit hanc notam, *quia ſcilicet iverunt.* Ut dixerit, qui in pace ad alteros pervenerunt, exorto bello, eorum ſervos effici, apud quos deprehenduntur *facto ſuo*, profecti nempe ad amicos primum, mox hoſtes, quo ita quaſi ſponte ſua in eorum poteſtatem conceſſerint, deprehenſi, non capti. Fateor, ita expediri poſſe difficultatem locutionis; nec tamen diffiteor, dilutam ſic & humilem eſſe Tryphonini orationem, ut quæ præcedentia non explicet, ſed minus commode repetat. Ego exiſtimo interpunctione peccatum eſſe, ita enim vulgo exhibentur verba: *apud quos jam hoſtes, ſuo facto deprehenduntur.* Ita, inquam, locus interpungitur, vel ſane intelligitur, atque ſi ita interpunctus eſſet. Sic autem malim: *apud quos, jam hoſtes ſuo facto, deprehenduntur.* Hoc eſt, apud quos deprehenduntur jam hoſtes, non prævia forte indictione belli, ſed re ipſa, *facto ſuo*, dum detinent, qui ante ad ſe pervenerant amici. Si enim ſubito bellum exarſerit, de qua ſpecie Tryphoninus agit, & me peregrinantem hoſtis occupet & captivum habeat, jam recte & eleganter dicetur hoſtis *ſuo facto.* Non igitur ea verba referenda ſunt ad vocem *deprehenduntur*, quæ ſequitur, ſed ad *hoſtes*, quæ præcedit, nec adeo erit quicquam, quod vel tantillum turbet.

CA-

CAPUT XV.

De Fato Juriſconſultorum.

In omni diſciplina acerrima eſt & ſemper fuit de Fato diſputatio: quidni igitur & JCtos audiamus? Sed quum illi hac parte doceant, quod a Philoſophis didicerunt, præmitto Fati definitionem, quam dedit Marcus Tullius Cicero *L.* I. *de Divinat. C.* 125. *Fatum*, inquit, *id appello, quod Græci* εἱμαρμένην, *id eſt, ordinem ſeriemque cauſarum, cum cauſa cauſæ nexa rem ex ſe gignat: ea eſt ex omni æternitate fluens veritas ſempiterna. Quod cum ita ſit, nihil eſt factum, quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil eſt futurum, cujus non cauſas id ipſum efficientes natura contineat.* Secundum hanc definitionem futura per naturam ſunt certa & immobilia, probante id eventu; ex eo enim apparet, quod accidit, futurum fuiſſe, hoc eſt, neceſſario fieri debuiſſe, quia ſimul futura, & non futura eſſe non potuerunt, horum enim pugna naturalis eſt. Atque hæc eſt Diodori ſententia, quam prolixe enarrat idem Tullius *de Fato C.* 13. 17. & 18. nec diſſentit Stoicus Seneca *Epiſt.* 101. quamvis Cujacius *Comment.* ad *l.* 100. *ff. de V. O. Stoicos omnes* exiſtimare dicat, quod futurum eſt, non eſſe neceſſe evenire, cum poſſit & non evenire. Quum autem Auctores noſtri, ut addit ibi Cujacius, & latius exſequitur *L.* XXVI. *Obſerv. C.* 40. ab Stoicis fere fuerint imbuti, etiam hac eos mente fuiſſe ſcribit, ut exiſtimaverint, præſentia quidem & præterita eſſe certa, ſed non æque futura. Agnoſcit tamen, & agnoſcere debuit Pauli, in contrarium euntis, ſententiam in *l.* 28. §. *ult. ff. de Judic.* ſed nihil porro extricat. Digna vero eſt hæc Pauli ſententia, quam accuratius explicem & cum reliquis JCtorum Familiis componam. Ecce verba Pauli: *Si paterfamilias mortuus eſſet, relicto uno filio, & uxore prægnante, non recte filius a debitoribus partem dimidiam crediti petere poteſt, quamvis poſtea unus filius natus ſit, quia poterant plures naſci*, CUM PER RERUM NATURAM CERTUM FUERIT, UNUM NASCI. *Sed Sabinus, Caſſius, partem quartam peti debuiſſe, quia incertum eſſet, an tres naſcerentur: nec rerum naturam intuendam*, IN QUA OMNIA CERTA ESSENT, CUM FUTURA UTIQUE FIERENT, *ſed noſtram inſcientiam aſpici debere.* Vides, non aliam eſſe Philoſophiam Pauli, quam Sabini & Caſſii, qui futura ajunt eſſe certa *per rerum naturam*, hoc eſt, per eam cauſarum ſeriem, de qua Tullius dixit in definitione Fati. Joannes Mercerus ad *Præfat. Harmenop.* certum eſſe putat, per *rerum naturam* apud Paulum intelligendum eſſe *Deum;* nec ego inficior id verum eſſe ex mente Veterum, qui fatum, naturam, Deumque, & hoc, quod vides, univerſum idem eſſe crediderunt, quemadmodum id aliquoties extulit Seneca, in primis *L.* IV. *de Benefic. C.* 7. & 8. & quæ Veterum ſapientia in Spinoſa quadam progenie noſtra ætate repullulavit. Sed vero nobis idem dicere non licet.

Ait, *quia poterant plures naſci.* Videtur id contradicere ſequentibus, qui enim poterant plures naſci, *cum*, ut ſubjicit, *per rerum naturam certum ſit, unum naſci?* Sed loquitur de eo, quod nos latet; *poterant*, ſcilicet quod ad *noſtram inſcientiam*, ut mox ait, & inde natam Prætoris prudentiam, ſic, inquam, *poterant plures naſci, cum*, id eſt, quamvis *per rerum naturam certum fuerit, unum naſci.* De ea prudentia Auctorum Juris idem Paulus *eodem Libro* XXVII. *ad Plautium* eleganter dixit in *l.* 3. *ff. Si pars hæred. pet.* eadem plane Philoſophia; quamvis enim unum duntaxat ſit paritura materfamilias, atque adeo id natura certum ſit, tamen non niſi quartam partem recte peti cenſet, *quia fieri poterat, ut tergemini naſcerentur.* Rurſus quod ad ignorantiam noſtram, quæ incertum facit, quod alioquin natura certum eſt.

Scilicet JCti noſtri, veræ illius Philoſophiæ Sacerdotes, ſic verſantur in Arte, quam profitentur, populari, ut, de quacunque re ſermo ſit, eam transferant ad Jus, quod homo homini præſtare debet, quodque, ut uſu obtineat, non aliter æſtimare licet, quam ex humana ſcientia vel ignorantia. Quamvis igitur putaverint, ut putavit Sabinus & Caſſius, itemque Paulus, futura per rerum naturam eſſe certa, continuo tamen docent, in Arte noſtra *non rerum naturam intuendam, ſed noſtram inſcitiam aſpici debere.* Audis ipſos JCtos noſtros, cum audis Senecam *d. Epiſt.* 101. *Volvitur*, inquit, *tempus rata quidem lege, ſed per obſcurum. Quid autem ad me, an naturæ certum ſit, quod mihi incertum eſt?* Neque ab hac doctrina diſſidet Modeſtinus in *l.* 100. *ff. de V. O.* licet ita videatur Cujacio ad *d. l.* Sic Modeſtinus ait: *Conditio in præteritum, non tantum præſens tempus relata, ſtatim aut peremit obligationem, aut omnino non differt.* Quod ait, obligationem, de qua agit, *ſtatim* perimi, aut non differri, ita intelligo, ſi *ſtatim* de ea conditione conſtare poterit, alioquin dilatio requiritur, usque dum conſtet, nec ipſo jure, propter ignorantiam noſtram, committetur obligatio. Quod autem Modeſtinus idem non dixerit de futura conditione, quod de præſenti & præterita, aliam ei, quam Sabino, Caſſio, & Paulo mentem fuiſſe Cujacius ſibi perſuaſit: ſed, ni fallor, temere. Hi ipſi, de futura conditione ſententiam rogati, reſpondiſſent, per naturam quidem eam eſſe certam, ſed quod ad nos incertam, atque adeo obligationem ſuſpendi, donec de eventu conſtet; hoc enim eſt, quod dicunt, *non naturam rerum, ſed inſcientiam noſtram aſpici debere.* Obligatio in modum conditionis, de præterito aut præſenti concepta, ſtatim, ſi conſtet, committitur, neque eam ad conditionem exiſtentem differre neceſſe eſt, quum revera conditio non ſit *l.* 10. §. 1. *ff. de Condit. inſt.* de præterito præſentique certum notumque idem eſſe poteſt, de futuro non æque. Quapropter, quamvis res futura naturaliter certa ſit & immutabilis, attamen dilatio requiritur, usque dum per eventum liqueat id, quod futurum fuit. Neque iis obeſt, ut ille putabat, *l.* 75. §. 4. *ff. de V. O.* nam quod ibi ſtipulatum erat, ſi naturam rerum intuearis, certum quidem, ſed ſi, quæ omnium hominum eſt, ignorantiam, incertum erat; atque ita in cæteris, quæ tanquam contraria arripuit Cujacius ad *d. l.* 100. & in *Comm.* ad *l.* 16. *ff. de Injuſt. rupt. irr. fact. teſt.* Dixeris tamen Paulo in *d. l.* 28. §. *ult. de Jud.* Ulpianum contradicere in *l.* 30. §. 6. *ff. de Aq. vel omitt. hæred.* quo forte & referas vulgatam de utriusque æmulatione & diſſenſione fabulam, ſed etiam hac parte inter utrumque convenire, tam recte expedivit

Donellus *Comm.* ad *l.* 37. *ff. de Reb. cred. n.* 2. ut verbum non amplius addam. Obſervavi tamen alia loca Juris Civilis, quæ niſi interpreteris ex diverſis Philoſophorum ſententiis, quas illi olim de fato tradiderunt, & noſtri Auctores ab his acceperunt, plane fruſtra eris. Ille ait, hic negat, alii non liquet: & ſic abis incertior, quam dudum. Sed invidiæ eſt, & prolixioris operæ, quicquid eſt ejus argumenti excutere. Satis ſit abſolviſſe JCtos noſtros a diſſenſionibus, quæ in civilem ſapientiam cadere non poterant.

CAPUT XVI.

Ad L. 29. §. 1. & 2. ff. ad L. Aquil.

Qui ſuggrundam, ſupra aream ſuam projectam, recidit, Lege Aquilia tenetur, qui aquæductum, per fundum domumve ſuam trajectum, jure ſuo utitur, neque adeo Aquiliæ obligatur. Hoc dicit Ulpianus in *l.* 29. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* & rationem differentiæ addit, *quod hic in ſuo protexit, ille in alieno fecit.* Qui nempe aquæductum trajecit, fecit eum vicini, utpote in vicini fundo domove. Sed ſuggrunda, quamvis prominens ſupra vicini aream, domini tamen manſit, quia projecit ex ſuo ædificio in aërem alienum, quem projectione occupaſſe, atque adeo ſuum feciſſe videri poterat §. 1. *Inſt. de R. D.* Quare non licebit mihi hoc protectum recidere, non magis quam vicini radices, quæ ab arbore & radice matre dependent *l.* 6. §. 2. *ff. Arbor. furt. cæſ.* ſed agam tecum, tibi jus non eſſe protectum habere, quia ſupra aream meam eſt, & areæ vocabulo continetur etiam omne cœlum ſupra aream, quemadmodum & ſi quis ſupra ſepulchrum protexerit, Venulejus reſpondit in *l.* 22. §. 4. *ff. Quod vi aut clam.*

Diverſam quæſtionem Ulpianus orditur in §. 2. *d. l.* 29. cujus verba adſcribo, quia varie a variis ſollicitantur. *Si*, inquit, *navis tua impacta in meam ſcapham damnum mihi dedit, quæſitum eſt, quæ actio mihi competeret? & ait Proculus, ſi in poteſtate nautarum fuit, ne id accideret, & culpa eorum factum ſit, Lege Aquilia cum nautis agendum: quia parvi refert, navem immittendo, aut ſervaculum ad navem ducendo, an tua manu damnum dederis, quia omnibus his modis per te damno adficior. Sed ſi fune rupto, aut cum a nullo regeretur, navis incurriſſet, cum domino agendum non eſſe.* Quod de nautis ait in prima ſpecie, quod ad ſententiam, ſatis eſt expeditum, ſed verba nonnihil morantur. Cum inquit, *navim immittendo*, de ea immiſſione loquitur, quæ non fit gubernaculo, diſtinguit enim ab eo, quod ſequitur, *aut ſervaculum ad navem ducendo.* Solliciti ſunt etiam optimi quique Interpretes, quemadmodum immiſſio navis fieri queat abſque gubernaculo. Sed inanis eſt illa ſollicitudo; poteſt enim fieri variis modis, vel navim impellendo manu, vel conto, vel alio quo inſtrumento nautico. Poteſt etiam fieri, cum de ſicco detruditur navis; finita enim navigatione non duntaxat ſcaphæ, verum & majores naves in terram olim extrahebantur, neque tantum in Oceano Poëtico, verum & uſu, quo de eſt Luciani locus in *Amorib. p. m.* 178. & alia etiam alibi.

Ait, *ſervaculum ad navem ducendo.* In Pandectis Florentinis diverſa hic lectio eſt, ut Taurellius annotavit, *ſervaculum* & *ſerraculum.* Prima vox mihi nuſpiam eſt lecta, alioquin ſi *ſervaculum* pro *gubernaculo* diceretur, quod inprimis navim ſervet, diceretur non improprie: ſed abſque auctoritate expreſſa id verbum non donem Civitate Romana; præſertim quod altera vox, *ſerraculum*, recta ſit & Latina. Cujacius etiam hanc ſervavit *L.* IX. *Obſerv. C.* 10. & *L.* XIV. *C.* 13. ſed rationem non habuit, quur *ſerraculum* ibi *contum* interpretaretur. Baſilici in eam rem nihil quicquam juvant, & Gloſſæ veteres nihil de conto: nam Græcæ, quæ Philoxeni nomine circumferuntur, πηδάλιον explicant *gubernaculum*, *clavum*, SERRACULUM, &, ut hoc addam, Latinæ quoque, *ſerraculum* πηδάλιον. an *ſerraculi* vox alibi, quam in Gloſſis, legatur, mihi compertum non eſt. Sed præſtat eam ſervare, quam pejorem ſubſtituere: nam ſi legas *ferraculum* vel *feraculum*, ut fere eſt in Libris Vulgatis, leges, quod non intelliges. Idem erit, ſi cum Haloandro & Vintimillio *verriculum* reſcribas: ex quo alii, ineptius adhuc, *ferriculum;* quaſi acu aut quo ſimili navibus noceretur. Quod autem Robertus Stephanus & Hugo a Porta legant *gubernaculum*, putem eſſe e gloſſemate, quo ſignificetur uno verbo, quod Accurſius hic pluribus extulit, *inſtrumentum, quo recte ducitur navis.* Suavia ſunt, quæ præter eas lectiones de emendatione & interpretatione illius verbi Viri docti ſcripſere, ut cum apud Ant. Auguſtinum ad *Feſtum* in verbo *Soracum*, non decurrunt æquora puppes, ſed plauſtra, vel cum *lenunculum* vel *renunculum* extruunt: ſed de hoc loco infinitæ nugæ ſunt. Quod ait damnum dari *ſerraculum ad navem ducendo*, tunc dari conſtat, cum quis navim ſuam gubernaculo in alterius navim dirigit; quia vero de *ſcapha* dixerat prius, in quam alterius navis impegerat, hanc nunc *navem* appellari, videbatur duriuſculum. Non intercederem, ſi, ut eo ſcrupulo careamus, una voce tranſpoſita legeretur, *ſerraculum navem adducendo*, h. e. ſi quis clavum torqueat, atque ita navem ſuam adducat, & immittat in alterius ſcapham. *Serraculum* ſcilicet ſimpliciter pro *ſerraculo*, ſeu *per ſerraculum*, ut *ſortem obvenire*, pro *ſorte*, *per ſortem* apud Ulpianum *Coll. LL. Moſ. & Rom. T.* I. *loc.* 2. quod non erat, ut mutaret Pithoeus, quum & alibi occurrant locutiones geminæ. Non tamen negem, ſervari hic poſſe lectionem Florentinam, & vel *ſcapham* dici *navem*, neque adeo ſemper ſcapham ſcapham vocari, vel commutata, ut ſæpe fit, oratione pro ſpecie genus ſubſtitutum eſſe. Scio etiam veteres Libros eſſe, qui exhibent, *a navi*, non *ad navem*, ſed peſſima ea lectio eſt, & abſque idoneo ſenſu, quicquid de ea nugetur Accurſius; ſed nugatur ac utraque.

Sequitur verſ. *Sed ſi fune.* Dixerat cum nautis agendum, ſi qua culpa mihi damnum dederint, nunc dicit, quæ ſecunda ſpecies eſt: *Sed ſi fune rupto, aut cum a nullo regeretur, navis incurriſſet, cum domino agendum non eſſe.* Eſſe quid in his verbis quod aures non vitioſas offendat, vix eſt, ut negari videatur poſſe. Si enim dominum nautis oppoſitum accipias, diceres, inde ſequi, priori caſu utique dominum teneri, nam in oppoſitione, altero caſu, teneri negat: vel diceres, in præcedenti cauſa cum nautis agi, quia in culpa ſunt, ſed in proxima, quia verſa-

tur

tur culpa domini, cum nautis non agendum, at cum domino; quo ſiç adfirmandum videretur, quod nunc negat Ulpianus. Et hoc in primis urget Antonius Faber *L.* V. *Conject. Jur. Civ. C.* 17. & in *Ration.* ad *h. L.* ratus ſublata negatione legendum, *cum domino agendum eſſe.* Sed verum eſt, neutro caſu dominum teneri, non priori, quia culpa domini non arguitur, quod navem forte commiſerit hominibus minus idoneis, ſed nautarum, qui navim regebant, quique adeo ſoli tenentur, quod ſoli damnum dederint, ut ſatis Ulpianus expoſuit in prima parte, & mox repetit in §. 4. *h. l.* 29. Alpheno etiam ſuppetias ferente in *l.* 52. §. 2. *ff. ad L. Aquil.* Altero vero caſu ideo non tenebitur dominus, quia, contra quam Faber putabat, tunc quoque extra culpam fuit. Sed priusquam id probem, de verbis & oppoſitione Ulpiani videndum eſt. Faber *d. C.* 17. rectam, ſed, minus veram orationem cenſet, ſi legeretur, *ſed & ſi fune rupto* &c. Quamvis autem commode ita legi poſſit, per ἀναδίπλωσιν, *ſET ſi*, minus tamen adhuc rectam dixeris orationem, nam aliena nihilominus videri poterit Ulpiani illatio, quia in præcedentibus nihil adhuc dixerat de domino. Cujacius *L.* XXV. *Obſerv. C.* 10. receptam lectionem tuetur, ita tamen, ut de re ipſa non diſputet, ſed totus occupetur in digerendis & explicandis Ulpiani verbis. Accipit hic *ſed* pro vocula conjungente, vel, ſi disjungat, hoc ſenſu disjungere: ſuperiori caſu cum nautis agendum, quia in culpa ſunt, ſed poſteriori *cum nautis agendum non eſſe, imo nec cum domino;* implicata, ut vides, ſententia, ab aliis tamen deinceps probata. Ego altius rem repeto, ut, quemadmodum Accurſius ait, ad literam magis deſcendat oratio, & ſalva ſit oppoſitio. Propoſuerat Ulpianus, quæ actio competeret, ſi navis tua impacta in meam ſcapham damnum mihi dederit? & ex Proculo reſpondet, Aquiliæ competere, ſi nautæ damnum dederint, ſed nullam competere, ſi fune rupto, aut cum a nullo regeretur, navis incurriſſet. Ita ſenſus piſce ſanior eſt: eadem plane tranſitione & oppoſitione, quæ eſt in *h. l.* §. 4. nautas enim dicit teneri, ubi eorum culpa eſt, ſed, ubi vis major, dominum teneri negat. Quod cum ibi concoquere potuerit Ant. Faber *Ration.* ad *d.* §. 4. oportet hic fuerit difficilioris ſtomachi. Meminit autem in ſecunda parte *domini* duntaxat, quia nautæ non erant; navis enim, quæ fune rupto damnum dedit, a nullo regebatur. Sed hoc, ſi minima mutatione legas, UT *cum a nullo regeretur*, ſin autem præferas *aut*, ut nunc vulgo legitur, nihil quidem vetat adeſſe nautas, cum funis rumpitur, ſed ad eos non magis pertinet illa θεῖα βία, quam ſi abfuiſſent. Quare fruſtra eſſet de iis admonere, de domino, qui funem comparavit, vel navim ſine nautis reliquit, magis erat, cur quæreretur.

Sed tamen recte Ulpianus dixit, etiam nullam tunc adverſus dominum eſſe actionem, quis enim domino imputet, funem vitio operis rumpi, aut religatam navim appoſita cuſtodia non ſervari, quum utique ligando navim abunde ſatisfecerit? Quinimo ſi non ligatam reliquerit dominus, an teneatur, dubitari poterit, quia etiam ea ſpecie neque ipſe, neque navis, ſed tempeſtas damnum dediſſe videri poterat, quod & innuere videbatur verſ. *aut cum*, qui ſine mentione ligatæ navis ſimpliciter actionem negat. Plane ut extra culpam quoque eſt, qui ruinoſum parietem habet, & non fulcit *l.* 7. §. 2. *l.* 8. *ff. de Damn. inf.* quamvis fere ſciat ruiturum *l.* 44. *pr. eod. Tit.* & poteſt id plerumque prævidere caduci parietis dominus, non autem navis dominus, tempeſtatem navim eſſe impulſuram. Neque his obeſt, quod ſupra dixit, nautas teneri, ſi navim non temperent, illi enim, ſi non temperant, cum poſſint, tenentur, quia ex ipſorum facto navis damnum dedit: nam, ut recte regant naves, & damnum, quantum in ſe eſt, prohibeant, nautæ ſunt, & in Aquilia culpa eſt non providere, quod a diligente provideri poterit *l.* 31. *ff. ad L. Aquil.* Similiter ſi quis ſua culpa caducum murum exſtruxerit, ut vicino noceat, videtur teneri; non autem ſi per vetuſtatem concidat, quia id non accidit domini facto, ſed fato potius, ſicut ſola tempeſtate mota navis. De eo fato caduci operis plus dixi *h. L.* IV. *C.* 9. Ligando quidem retineri forte navis potuiſſet, ne damnum daret, ſed & murus, fulciendo, ne rueret. Atque ita dominus, ex ſuo facto, ſe ipſum obligat, non dominum res ſua, ut inde obligatio & actio oriatur: niſi tamen Lex ſit, quæ id jubeat, ut eſt Lex de paſtu pecorum. Igitur abſque truculenta emendatione, quam Antonius Faber inſtituit, bene ſe habet *d. l.* 29. §. 2. ait quidem Faber, debuiſſe dominum idoneis funibus & nautis navim inſtruere, ſed teſte producto nullo: negat dicta ratio, negat *d.* §. 2. negat *d. l.* 7. §. 2. *l.* 8. *l* 44. *pr. ff. de Damn. inf.* utri credere æquius melius eſt?

CAPUT XVII.

Ad L. 29. §. 3. & 4. ff. ad L. *A*quil.

Superioribus difficilior mihi videtur Labeonis ſententia, quam Ulpianus retulit in *d. l.* 29. §. 3. *Item*, inquit, *Labeo ſcribit, ſi cum vi ventorum navis impulſa eſſet in funes anchorarum alterius, & nautæ funes præcidiſſent, ſi nullo alio modo, niſi præciſis funibus, explicare ſe potuit, nullam actionem dandam.* Ita creditur Labeo ſcripſiſſe, & ita quoque Labonem exhibent Baſilici *L.* LIII. *T.* II. *C.* 29. §. 2. ſed an ita ſcripſerit valde dubitem. Definiret ea ſcriptura, nautas, vi ventorum in alienos funes impulſos, ſi aliter ſe expedire nequeant, funes impune præcidere. Neſcio, an id facile explicari poſſit ex arte Juris; nullo enim modo videbantur impune funes præcidere, ſed, quamvis ſe aliter explicare non poſſint, tamen domino funium teneri, non tantum de funibus, ſuo facto præciſis, verum & de reliquo damno, quod inde provenit: neque enim dominus funium pati cogitur funes ſuos incidi, niſi conditione ſibi æqua. Tu, ut navim tuam extrices, meam præciſis funibus objicies periculo, & impune damnum dabis? ſane ſi navis vi majore, ut hic venti, in alterius arvum fuerit delata, non recte repetes, niſi de futuro damno caveas *l* 5. §. 4. *ff. ad Exhib.* Et tamen Labeo dixiſſet, funes præcidere, omnino extra culpam eſſe; ille ſcilicet Labeo, qui, contra aliorum ſententiam, in *l.* 3. § 7. *ff. de Incend. ruin. naufr.* negabat, ne quidem orto incendio poſſe me, defen-

ſendendi mei cauſa, diſſipare & intercidere ædificium vicini. Sed quamvis de domo vicini recte diſſipanda & intercidenda eadem fuiſſet Labeonis ſententia, quæ aliorum in *d. l.* 3. §. 7. *l.* 49. §. 1. *ff. ad L. Aquil. l.* 7. §. 4. *ff. Quod vi aut clam.* non tamen ſatis eum id tueretur hoc loco: nam ſi dicas, funes utique perituros eſſe, cum navis, niſi his præciſis, explicari nequiverit, perinde ut de domo arſura, falleris, cum eandem cauſam putes. Manſiſſe potuit navis implicata funibus, utraque ſalva; & ſi præcidas, in præcidendis funibus cautioni locus erit, arg. *d. l.* 1. §. 4. *ff. de Exhib.* quia ſcilicet navis mea præſentiſſimo periculo exponitur: & ita præciſo fune, quo religata navis erat, de nave, quæ periit, in factum agi conſtat *b. l.* 29. §. 5. quod ſane cautionem non excludit; tu excuſabis vim ventorum, ego, interpoſita cautione, navim meam ſalvam cupio. Magno igitur ea res eſt, præter ipſos funes, in futurum periculo, quod ſecus eſt in domo interciſa. Sed aliam eſſe Labeonis ſententiam in *b.* §. 3. facile mihi perſuadeo, & alia erit, ſi recte legatur. Certe mendoſum eſſe *d.* §. 3. ſatis oſtendit antiqua ſcriptura, lectio enim Tuſca in primas Grammaticorum regulas impingit, ait de nautis præcidentibus, *ſi nullo alio modo explicare ſe* POTUIT. Haloander poſt plurimos Editores, *potuiſſent*, ne Orbilius offenderetur. Rurſus idem poſt alios: *ſi cum vi ventorum navis impulſa eſſet in funes ancborarum alterius, nautæ funes præcidiſſent;* deleto τῷ *&*, quod Florentiæ eſt; ne alterum *ſi*, quod mox ſequitur, abundet. Ego ſic lego & diſpungo: *Si cum vi ventorum navis impulſa eſſet in funes ancborarum alterius nautæ, & funes* PRÆCIDISSET, & quæ ſequuntur. Parva, ut vides, mutatione, & optima ſententia. Nempe ſi navis, vi ventorum, in funes alterius nautæ impulſa ſit, eoſque, vi tempeſtatis acta, navigando præciderit, ſi aliter hæc impulſa navis explicare ſe non *potuit*, hoc eſt, ſi nautæ ejus id prohibere non potuerunt, nulla erit actio; quia vis ventorum, impulſa nave, ſine nautarum culpa damnum dedit *l.* 29. §. 4. *b T.* Non improbo tamen illud *potuiſſent* in aliis Editionibus, quia clarius eſt. Atque hæc, ut dixi, ſi abeſt nautarum culpa, ut ſi navim temperare non potuerint, quominus damnum daret; ſi enim eorum culpa argui queat, conſtat Aquilia agendum.

Addit Ulpianus ex Labeone & Proculo, idem Juris eſſe circa retia piſcatorum, in quæ navis incidit, ita tamen, ut, ubi damni injuria agitur, retium, non piſcium, qui ideo capti non ſunt, fiat æſtimatio. Contra ajunt de Anthia ex Plinio *L.* IX. *C.* 59. idque convenire Juri recepto, tanquam ex II. Capite Legis Aquiliæ, ſed eam fabulam exploſi ſupra *L.* I. *C.* 13.

Succedat §. 4. ubi ex Alpheno Ulpianus ait: *Si navis alteram contra ſe venientem obruiſſet, aut in gubernatorem, aut in ducatorem actionem competere damni injuriæ.* quod mox temperat, niſi vis major ſit, quam nec nauta, nec dominus præſtabit. Libri ante Florentinum fere habent *ductorem*, non *ducatorem*, & *ductorem* a *ducere* magis videbatur probare analogia ſermonis Latini; at vero non diſplicet quoque *ducator* a *ducare*, quod idem eſt, quod vulgo *ducere.* Sic *educare, inducare, deglubare* pro *educere, inducere, deglubere*, de quibus Salmaſius ad *Tertulliani Pallium p.* 169. & 170. & *compeſcare, alare, ſculpare, molare, pellare, fidare* & *conſulare*, pro *compeſcere, alere, ſculpere, molere, pellere, fidere* & *conſulere*, de quibus ipſe ibidem *p.* 208. & *dicare* pro *dicere* in Lucilia apud *Nonium* in *dicare p. m.* 287. & apud eundem promiſcue *lavere* & *lavare*, *ſonere* & *ſonare*, *fervere* & *fervare.* Apud Feſtum quoque *fodare* pro *fodere*, in verb. *fodare.* Et cur dubites, a *ducare* recte fieri *ducatorem*, cum ab *alare* fiat *alatrix* pro *altrix*, ut obſervavit Salmaſius *d. p.* 208? Sed, ut magis eam in rem præſentem, ipſe ille Tertullianus *adverſus Judæos C.* XIII. utitur *ducatoris* voce, promiſcue ſcilicet pro *duce.* Locum non deſcribo, quia non vacat; idque unum ſufficit ad tuendam lectionem Florentinam. *Ducator* autem hic eſſe videtur, qui in prora ſedens viam gubernatori monſtrabat, nam gubernatorem in proram proſpicere Veterum vela vix patiebantur. Πρωρεὺς vertunt Baſilici, qui idem eſt cum *proreta* apud Paulum in *l.* 11. §. 2. *ff. de Publican.* & in *C* 47. *Cauſ.* VII. *Q.* I. & alibi. Forte & ille proreta gubernaculum curabat in prora; Veterum enim naves plura habuiſſe gubernacula ubique eſt obvium. Hinc plurium numero Homerus dixit *Hymno in Apoll.*

Ἀλλ' ὁ πηδαλίοισιν ἐπείθετο νηὸς ἐϋεργής.

idemque Tacitus *L.* XIV. *Annal. C.* 5. & Ammianus Marcellinus *L.* XXI. *p. m.* 357. & *L.* XXV. *p.* 535. & *L.* XXVI. *p.* 575. Utque adeo mirer, Grævium ad *Heſiodi* Ἔργ. *verſ.* 45. Juris Interpretibus ejus rei ignorantiam exprobraſſe in explicatione *l.* 3. §. 8. *ff. de Incend. ruin. naufr.* & magis miror, quum ad eam ipſam *l.* 3. §. 8. id etiam illi notarint, qui alioquin minime rerum antiquarum periti habentur, ut perſpicue Franciſcus Accurſius. Et quum Grotius quoque in *Flor. ſparſ.* ita intellexit *d. l.* 3. §. 8. nec alii, quod ſciam, aliter, neſcio, cur ille dixerit, Interpretibus ibi aquam hærere.

Ait in *fin. b.* §. 4. *Puto Aquiliæ ſufficere.* Quod non aliud eſt, quam Aquiliæ competere, eſſe paratam. Obſervat eam locutionem, quaſi Pauli eo ſenſu propriam, Cujacius ad *Africanum Tract.* VIII. in *l.* 21. §. 1. *ff. Commod.* ſed vides & Ulpianum ea uſum eſſe.

CAPUT XVIII.

Ad L. 29. §. 5. & 6. ff. ad L. Aquil.

Si quis funem, quo religata navis erat, incidat, & navis pereat, non directa Legis Aquiliæ, verum in factum agetur *l.* 29. §. 5. *ff. ad L. Aquil.* Sed ſi quis puerum de ponte dejecerit, iſque perierit, directa tenetur, non ſecus ac ſi ſaxo illiſiſſet *l.* 7. §. 7. *b. T.* §. 16. *Inſt. ad L. Aquil.* qui enim puerum dejecit, ſuo facto damnum dedit, non etiam qui navim, inciſo fune, reſolvit. Non ideo perit navis, quod reſoluta aquæ innatet, verum, occaſione ejus facti ex impulſu tempeſtatis: homo autem periit, quia præcipitatus eſt, nam ejus non eſt, uti navis, incolumem in aquis degere.

Sequitur §. 6. ubi ſic infit Ulpianus: *Hac actione ex boc Legis capite de omnibus animalibus læſis, quæ pecudes non ſunt, agendum eſt &c* In MS. meo eſt, *læſis occiſiſque*, & ita quoque in veteribus quibuſdam Libris. Quod probo, quia ſequitur, *quæ pecudes non ſunt*: agit enim de tertio Capite L. Aquiliæ, quo etiam læſio pecudis

dis vindicata fuit; & ſimul occiſio læſioque omnium animalium, quæ pecudes non ſunt. Si legas ſimpliciter, ut eſt Florentiæ, ex eo Capite agi *de omnibus animalibus læſis, quæ pecudes non ſunt*, videberis excludere animalia occiſa, &, quod majus eſt, ſtatuere, de læſa pecude non recte agi ex tertio Capite Aquiliæ. Nunc, MS. ſecutus, illud *quæ pecudes non ſunt* refero non ad τὸ *læſis* ſed ad proximum *occiſis*. & recta ſe tunc habet ea locutio quod ad ſententiam utriusque Capitis. Sed porro habet is locus difficultatem, quæ diſſimulari non debet. Cum ait, *hac actione*, eam utique intelligit, de qua proxime dixerat; hæc autem erat in factum §. 5. *in fin.* Atquin verum eſt, ex Capite III. Legis Aquiliæ de omnibus animalibus læſis, & occiſis, quæ pecudum numero non ſunt, conſtitutam eſſe actionem directam *l.* 27. §. 5. *ff. ad L. Aquil.* ut de homine & pecude occiſis directa quoque eſt ex capite I. *l.* 2. *pr. Eod.* Tanti ſane eſt hæc difficultas, ut non alia ratione Gregorius Haloander mihi videatur expunxiſſe τὸ *hac actione*, quamvis legantur in Libro Tuſco, & haud dubie etiam extiterint in ἀπογράφῳ Politiani, ejusque Boiognini. Verum id durius eſt; raro quid in antiquis Codicibus male additum eſt, niſi forte ſit ex gloſſemate, idque ipſum etiam rarius eſt, quam vulgo ſolet perhiberi. Magis placet, minus recte hic officio ſuo functum, qui paragraphos in Pandectis diſpunxit, illaque verba, *hac actione*, pertinere ad proximum §. 5. hoc modo: *in factum agendum hac actione.* §. 6. *Ex hoc Legis capite &c.* Ulpianus, ut apparet, totus erat in interpretatione III. Capitis L. Aquiliæ: de actione in factum ex eo Capite dixit in §. 5. ſi quis navim reſolverit, eaque perierit, hac actione ex Capite III. L. Aquiliæ in factum agendum. Deinde addit in §. 6. *Ex hoc Legis Capite*, nempe III. ut liquet ex *d. l.* 27. §. 5. *h. T.* Juvat hanc conjecturam, quod, cum *h.* §. 6. apud Græcos quoque ſit relatus *L.* LX. Βασιλικῶν *T.* 3. *C.* 29. *them.* 6. illi tamen τὰ *hac actione*, ei non præpoſuerunt, ſed ſimpliciter Τοῦτο τὸ κεφάλαιον διαλαμβάνει, & reliqua.

Quæ ſequuntur in *d.* §. 6. interprete non egent, modo meminerimus, Ulpianum, cum inquit, *quæ pecudes non ſunt*, laxius eſſe uſum appellatione *pecudum*, nempe ut & armenta, quæ proprie *quadrupedes* dicuntur, *pecudum* voce intelligat: quadrupedes ſcilicet, quæ collo dorſove domantur, & ad primum Caput L. Aquiliæ pertinebant. Atque illæ etiam hic ſunt *pecudes*: quæ ipſa illius verbi amplitudo eſt apud eundem Ulpianum in repræſentando Capite III. L. Aquiliæ *d. l.* 27. §. 5. *h. T.* Cæteroquin Caput I. L. Aquiliæ diſtinctim hæc recenſuit, vindicavit enim necem *ſervi*, *quadrupedis*, & *pecudis l.* 2. *pr. ff. h. T.* & proprie ibi Lex eſt loquuta. Hotomanus & alii perperam emendarunt *d. l.* 2. *pr.* ſed hoc jam non agimus; ſufficit de amplitudine verbi hoc loco monuiſſe, ne alioquin prima fronte vitioſam emendationem commendaret.

CAPUT XIX.

Explicata, & ab emendatione vindicata L. 40. ff. de Hæred. inſtit.

Brevis ero in prolixa Lege, totiens enim ea JCtorum ſcholas exercuit, ut, quid deeſſe videatur, indicare ſuffecerit. Si paterfamilias Titium, quem ingenuum eſſe credebat, hæredem ſcripſerit, eique, ſi hæres non eſſet, Sempronium ſubſtituerit, quæſitum fuit, ſervi dominus, an ſubſtitutus, & pro qua parte uter hæres eſſet? Julianus *L.* XXX. *Digeſt.* in *d. l.* 40. *ff. de Hæred. inſt.* ita hanc quæſtionem tractat; ut non obſcure ſignificet, eſſe eam ἐκ τῶν ἀπόρων. *Poteſt dici*, inquit, *Sempronium in partem hæreditatis admitti*, & poſt longam diſputationem, ea de re porro habitam, ita definit: *Igitur in hoc caſu ſemiſſes fient, ita ut alter ſemis inter eum, qui dominus inſtituti hæredis fuerit, & ſubſtitutum, æquis portionibus dividatur.* Ne in his verbis ſibi contradicat Julianus, placuit fingere, Sempronium ſubſtitutum eundem & cohæredem fuiſſe Titii inſtituti, atque ita quidem ſemiſſes fieri, ſed Sempronium, qua cohæredem, alterum præcipere, alterum vero cum Titii domino dividere. Quam in rem etiam obſervari poterat, eundem Julianum, eodem *L.* XXX. *Digeſtorum* plures tractaſſe ſpecies de ſubſtituto, eodemque cohærede, ut in *l.* 10. §. *ult.* & *l.* 27. *ff. de Vulg. & pupill. ſubſt.* quin & de ſervo cohærede *l.* 38. §. *ult.* & *l* 39. *ff. h. T.* quæ utraque Lex proxime antecedit *h. l.* 40. Diceres, & *h. l.* 40. fuiſſe partem ejus argumenti, quod de cohæredibus & ſubſtitutis Ulpianus retulit ex *L.* XXX. *Digeſt.* Juliani in *l.* 15. *pr. &* §. 1. & mox ipſe Julianus, eodem Libro, in *l.* 16. *ff. h. T.* præſertim cum eadem quoque ibi ſint nomina *Titii* & *Sempronii*, ut in *h. l.* 40. cum alioquin Titii nomen vulgo ſervis non conveniat. Sed quicquid pro ea ſententia probabiliter dici poſſit, vincunt tamen rationes, quas contra eam attulit Jacobus Gothofredus *Animadv. Jur. Civ.* C. XV. recte enim expoſuit, neque ego repeto, in hac ſpecie dodrantem non ceſſiſſe ſubſtituto Sempronio, nec quadrantem domino ſervi. Recte etiam ipſe ille Gothofredus, eodem Opere, C. XVI. profligavit contrariam eorum ſententiam, qui ſervi domino tribuunt dodrantem, ſubſtituto non niſi quadrantem. Dumque ita altera & altera pars peccat, collatis Juris rationibus, recte expedivit Gothofredus, omnino ſic habendum eſſe, ut Sempronius & Titii dominus concurrant æquis partibus, quisque in ſemiſſem, nec de eo, præter rationes Juris & Theophili auctoritatem, dubitare nos patitur §. *ult. Inſt. de Vulg. ſubſt.* ipſa Juliani diſputatio in *h. l.* 40. & exemplum, quod de Tiberio Cæſare ex Pomponio additur in proxima *l.* 41. *Eod. Tit.*

Sed quid tunc fiet verbis Juliani? perventum ſcilicet eſt ad emendationes, quas varias recenſet & notat Jacobus Gothofredus *d. C.* XVI. Cujacii *as* pro *alter ſemis*, quod olim plerisque placuit, ut auctor eſt Janus a Coſta ad *d.* §. *ult. de Vulg. ſubſt.* nunc plerisque diſplicet: & merito. Compendia ſcribendi, quaſi Veteribus uſitata, proprio Marte comminiſci, & ejus rei ignorantiam Triboniano objicere, exemplo grave eſt. Georgius Conradus Cruſius *Diatrib.* ad *h. l.* 40. ita emendat: *ita ut alter* (ſit) *Sem. as inter eum, qui dominus inſtituti hæredis fuerit, & ſubſtitutum æquis portionibus dividatur;* id eſt, ut alter ſemis Sempronii ſit, as vero inter utrumque dividatur. Sed, per me licet, Cruſius ea emendatione, quin vel toto eo Libello ſcribendo abſtinuiſſet. Emendatio certe eſt peſſima, & quam vel indicare, ſatis refutare eſt. Viglius Zuichem. ad *d.* §. *ult. Inſt. de Vulg. ſubſt.* ſine emendatione rem tranſegit, ita quoque, ut par-

tes æquas tribuat ſubſtituto & domino ſervi. Quod ut per verba Juliani obtineat, τὸ *alter* accipit pro τῷ *uterque*, nam *alter*, inquit *de duobus ſæpe dicitur*, adducto quodam Terentii loco. Atque ita Viglius ſcripturam Juliani ſervavit, meliori, opinor, exemplo, quam ſucceſſu. Ipſe Viglius interpretationi ſuæ opportune ſuperdixit: *quod colorem quidem aliquem habet, ſed refelli poſſe non nego.* Utque adeo mirer, Jacobum Gothofredum *d. C.* XVI. eadem veſtigia premere; nihilo ſcilicet ipſe felicior. *Alterum* dici de *duobus*, exempla, quæ adfert, non probant; *alter*, vulgari ſignificatione, eſt *ſecundus*, ut apud Terentium eo loco, quem Viglius recitavit ex *Andria.* Apud Livium *altero & vigeſimo anno* pro *ſecundo & vigeſimo.* Apud Virgilium: *alter ab undecimo jam tum me ceperat annus*, pro *tertio decimo.* Non igitur dicitur de utroque, vel duobus ſimul, ſed de duorum altero, ſive primo, ſive ſecundo. Quomodo ſi hic intelligas Julianum, utique perperam loquutus erit; diceret enim, duos ſemiſſes fieri, quorum *alter* (primus, ſecundus, nihil refert) inter ſubſtitutum & inſtituti dominum dividetur, de altero autem plane tacebit. Ubi nihil quicquam præceſſit, *alter* nunquam, quod ſcio, eſt *uterque*, quin nec *ſecundus* quidem. Nihil ad rem pertinet locus Manilii, quem huc quoque advocant, nec Scaligeri in eum *Commentarius:* nec Feſtus in *Alterplex:* nam qui viderit, aliena eſſe ſciet.

Quum & ego de emendatione *h. l.* 40. cogitarem, ſuccurrebat, *uter* apud Antiquos aliquando uſitatum pro *uterque*, ut & Gerardus Voſſius probavit ad *Paterculum L.* II. *C.* 34. quo ſenſu dubitabam, an non pro *alter* olim ſcriptum fuiſſet *uter*, pro *uterque*, idque, quia inſolentius, fuiſſet mutatum in *alter*, facili motu. Sed vero explicanda, non emendanda eſt *h. l.* 40. Quod ut recte fiat, tenendum eſt, quod aliquotiens *bis Obſervationibus* monui, & eſt veriſſimum, Auctores cum noſtros, tum exteros ſæpe minus accurate animi ſui ſententiam explicare, ita ut verba, quæ efferunt, obſcuriora ſint, at ſenſus verborum nihilominus apertus & liquidus. Poſſem ex ipſo Juliano plures, quæ id probent, loquutiones adferre, niſi Cujacius maximam partem occupaſſet. Puto autem Julianum hic dixiſſe, *alterum ſemiſſem dividi*, quia alter ſubſtituto, alter inſtituti domino datur, contracto quodam locutionis genere. Haud ſecus ac ſi diceres, re communi inter tres ſocios dividenda, *inter omnes* tertiam partem dividi, clarius, *omnibus*, ſed ſignificatione eadem. Catullus *Epithal. Juliæ & Manlii, prope finem*, de virginitate puellæ ita dixit:

Tertia pars patris eſt, pars eſt data tertia matri,
Tertia ſola tua eſt. —— —— ——

quod perinde eſt, atque ſi dixiſſet, *tertia pars data eſt patri, matri, & tibi*, vel inter eos, ſingulis æqua parte, *diviſa eſt tertia pars.* Simillimum minus exactæ orationis exemplum eſt apud Strabonem *L.* XI. *C.* 12. ubi auctore Poſidonio narrat: Τῶν Παρθυαίων συνέδριον εἶναι διττόν, τὸ μὲν συγγενῶν, τὸ δὲ σοφῶν καὶ μάγων, ἐξ ὧν ἀμφοῖν τοὺς βασιλεῖς καθίστησιν. Quod eſt: *duplex Parthorum eſſe Concilium, alterum cognatorum, alterum ſapientum & magorum: ex utroque deligi Reges.* Dicit ex *utroque*, minus accurate, pro *altero*, ex ſolo enim Arſacidarum corpore apud Parthos Reges fiebant. Adeo ea locutio apud Strabonem offendit Theodorum Rykium ad Taciti *Annal. L.* II. *C.* 1. ut pro ἐξ ὧν ἀμφοῖν legendum conjecerit ἀφ' ὧν ἀμφοῖν. Sed ferenda, non mutanda eſt lectio; *uterque* dixit pro *altero*, & Julianus hic *alter* pro *utroque.* Poſſet forte & aliter tentari Strabo, niſi ſufficeret, quam dedi, obſervatio, atque ita hæc omnem emendationem excluderet.

CAPUT XX.

Quemadmodum interpretandum ſit HOSTICOLO *in* L. un ff. de Bonor. poſſeſſ. ex teſtam. mil. *& ratio variantis ſcripturæ in* L. 61. §. 8. *ff. de Furt.*

Ulpianus in ea *l. un.* ſic loquitur Florentiæ: *Non dubium eſt, quin debeant ratæ voluntates eſſe eorum, qui in* HOSTICOLO *ſuprema judicia ſua quoquo modo ordinaſſent, ibidemque diem ſuum obiiſſent* &c. & mox in media Lege: *ſi in* HOSTICOLO *deprehendantur.* Quum quid ſit *hoſticolum* Editores neſcirent, plerique ſubſtituerunt *in hoſtili loco*, ut fere eſt in Libris Vulgatis, vel ſimpliciter *in hoſtico*, ut Gregorius Haloander; gnarus ſcilicet, *hoſticum* ſimpliciter dici pro *loco hoſtili*, ſive etiam *barbarico:* quomodo idem Ulpianus, *eodem Libro* XLV. *ad Edictum*, ſimpliciter *hoſticum* dixit in *l. ult. ff. de Teſtam. mil.* eadem plane, qua hic, locutione, *ſi in* HOSTICO *deprehendantur.* Eoque verbo in eam ſententiam uſi quoque ſunt Livius, Plinius, Ammianus Marcellinus, variis locis. Ut non ſit, quod miremur, etiam alios Editores Haloandrum eſſe ſequutos, & probaſſe id Cujacium. Qui vero anno 1576. pro Latinitate veterum JCtorum contra Vallam ſcripſit *Pag.* 57. *B.* exiſtimat, *hoſticolum* propriam Ulpiani dictionem eſſe, pro *hoſtili loco;* ut ſunt locutiones ejusmodi ſingulares in Pandectis: alibi enim id verbum non occurrere. Sed ea ratione non utimur, ubi alia ſuppetit. Facile autem adſentio Ludovico Ruſſardo, qui *Not. margin.* ad *h. l. un. hoſticolo*, quod in Pandectis Florentinis eſt, interpretandum cenſuit *hoſtico loco;* ἐν πολεμουμένῳ τόπῳ, ut ad verbum exprimunt Baſilici *L.* XXXV. *T.* XXI. in *h. l. un.* Vellem dixiſſet Ruſſardus, qua ratione pro *hoſticolo* legendum cenſuerit *hoſtico loco*, ſed non dixit, forte ratus vitium ſcripturæ eſſe; at vero Elbertus Leoninus *L.* I. *Emend. C.* 15. *n.* 13. ex regula geminationis id explicat, ſuſpicatus ſcriptum fuiſſe *hoſtiCOlo* pro *hoſtico loco*, duplicata ſyllaba *co*: quodque ipſe dubitabundus profert, alii, ut certiſſimum quid, arripuerunt. Fateor equidem utiliſſimam eſſe in re Critica geminandi artem, ſed næ valde ea videas abuti, qui Critici cluent. Vulgaris eſt geminationis ratio, ut litera, ſyllaba, vox, ſemel ſcripta, ſive eodem, ut in Archetypo Florentino, ſive majori charactere, bis legatur eo loco, quo ponitur, & geminanda ſcribitur. Atque ejus geminationis ſexcenta ſunt exempla; non vero, opinor, illius, qua litera vel ſyllaba alicujus vocis prima vel ſecunda retrahitur in quintam forte, & ſextam, ſive ab his rurſus attollitur in primam vel ſecundam. Similis eſto obſervatio de geminationibus retrogradis, in quibus non ſecus atque in ejusmodi commigrationibus longinquis, ceſſat ratio Legis Criticæ. Igitur, niſi quis harum geminationum exempla adferat ex Antiquis, fruſtra mihi erit in eo molimine; & quidni fruſtra ſit, cum ita ex quavis voce quam-

quamvis aliam liceret efficere, & Legibus intrudere, inſigni Jurisprudentiæ periculo? Nolim ita ſapere, ſed, ut dixi, literam, ſyllabam, vocem geminare eo loco, quo ſcribitur, non alio transferre, & ibi repetere. Secundum hæc, ſi bis legas *co* in *boſtiCOlo* erit, *boſticocolo*, quod monſtri ſimile eſt; qui poſt *lo* repetunt *co* ex ſyllaba penultima, vides eam ſyllabam, ubi alia intercedit, retrahere, quod nos putamus non licere, & ſine exemplo eſſe.

Mihi ita videtur, & ſervandum eſſe *boſticolo*, & alia via inde efficiendum *boſtico loco*. Quare exiſtimo coaluiſſe duas voces, quæ diſtinguendæ erant, legique adeo oportere: *boſtico lo*; quod idem eſt ac *boſtico loco*. Inter alia ſcribendi compendia, quæ Veteres notis & ſiglis exprimebant, etiam illud obtinuit, ut *locum* ſcripturi uterentur ſimplici *L.* vel *LO.* vel *LOC.* ut de ſimplici *L.* obſervavit Magno in *Not. Juris*, & de reliquis Sertorius Urſatus *Commentario de Notis Romanorum*. De *LO.* hic nobis duntaxat ſermo eſt, & apud Urſatum iis auctoritatibus, quas ipſe laudat, *LO* eſt *locus*, *LO. S.N. Locus ſanctus. Lo. S. N. SU. P. A. Loco ſacelli nemo ſtatuam ponere audeat.* Et ſic quoque intelligo fragmentum Legis agrariæ, quod Lipſius extulit *L.* I. *Elect. C.* 15. Fragmentum ſic habet: *Quæ colonia lege deducta, quodve jure municipium, præfectura, forum, & conciliabulum conſtitutum erit, qui ager inter adfines eorum erit, qui termini in eo agro ſtatuti erunt, quo in* LO. *terminus non ſtabit, in eo loco bis, cujus* SS. *ager erit, terminum reſtituendum curato.* Vides aperte *lo* pro *loco*, ex uſu; neque adeo opus, ut id verbum ibi integre ſcribatur, ut jubet Lipſius. Similiter, ni fallor, ex uſu *boſtico lo.* pro *boſtico loco.* Sine exemplis & probata conſuetudine ſi ejusmodi notas & compendia fingerem, fruſtra eſſem.

Ex his licet intelligere rationem variantis ſcripturæ in *l.* 61. §. 8. *ff. de Furt. Fructus*, inquit Africanus, *quamdiu ſolo cohæreant, fundi eſſe.* In aliis: *quamdiu ſuo loco cohæreant.* Cujacius *Tract.* VIII. ad *Africanum* in *d. l.* 61. §. 8. de hac varia lectione ita inſit: *Nihil quidem refert, legas, fructus quamdiu* SUO LOCO *cohæreant, fundi eſſe, an, quamdiu* SOLO *cohæreant. Sed in authentico certe P. Flor. eſt,* SUO LOCO, *& in Baſil.* τῷ ἰδίῳ τόπῳ, *& debemus eſſe religioſi etiam in re parvi momenti, ut vel aſſueſcamus eſſe ſemper hujusmodi.* De religione recte monet, ſed an hanc ſuo ſemper exemplo probaverit, nunc non diſputo. Quod autem ajat, in Pandectis Flor. eſſe *ſuo loco*, ejus fide eſſe velim, Taurellius certe *ſolo* edidit, nec quicquam ejus rei admonuit. In aliis Libris variare ſcripturam certum eſt, & quum Baſilici quoque exhibeant τῷ ἰδίῳ τόπῳ, poſſes dicere, iisdem literis olim expreſſum fuiſſe *ſolo*, & *ſuo loco*, hac forma *SO. LO.* quo *ſo* ſignificet, *ſuo*, & *lo loco.* Antiquos dixiſſe *ſos* pro *ſuos*, & inde *ſo* pro *ſuo* Feſtus auctor in *Sos.* De *lo* pro *loco* ſupra diximus. Addo de utroque verbo inſignem locum ex eodem Feſto in *Solicitare*: *Solicitare*, inquit, *quidam dictum putant, ut citare ex* SOLO, *quod eſt ex* SUO LOCO. Forte diſtinctim legendum, *ſo. lo.* ut idem ſit, quod ait, cum *ſuo loco.* Sin autem in *d. l.* 61. §. 8. illud *ſo* exiſtimes caſcum nimis, quam ut Africano conveniat, non intercedo, quominus Librarius ſcripſerit *ſuo lo.* & inde natum ſit *ſuo loco*, vel etiam *ſolo.* Aut hæc, aut nulla ibi eſt variantis ſcripturæ ratio: quæ tamen utraque bona eſt.

CAPUT XXI.

Conjectura Critica ad L. 8. ff. de Lege Cornel. de falſ.

Quicunque, ait ibi Ulpianus, *nummos aureos partim raſerit, partim tinxerit, vel finxerit; ſi quidem liberi ſunt, ad beſtias dari, ſi ſervi, ſummo ſupplicio affici debent.* Quid ſit *radere* nummos, nemo neſcit, & pertinet ad nummorum ſuperficiem; ſed quid ſit *tingere* nummos, & *fingere*, non æque expeditum eſt. *Tingere* eſt ἐμβάπτειν, & vel impoſitione, vel aſperſione madefacere: quod nummis, utique aureis, de quibus hic ſermo eſt, non convenit. Argenteus forte poterit tingi, forte & æreus colore aureo, *ſed aureus quorſum tingeretur*, recte videtur quæſiviſſe Franc. Hotomanus *L.* V. *Obſerv. C.* 16. Non licet dicere, apud Paulum *L.* V. *Sent. T.* 25. §. 1. etiam aureos nummos adulterari, lavari, conflari, radi, corrumpi, vitiari, id enim largior, ſed non video *tingi.* Neque etiam de ære, vel argento, quod inauratum eſſet, Ulpianum quisquam tuto intelligat, nam nemo hac ſententia Latine dixerit, *nummos aureos tingere.* Igitur Hotomanus *d. loc.* apud Ulpianum pro *tinxerit* reponit *ſtrinxerit*, & illud, *vel finxerit*, cenſet eſſe ex Gloſſa alicujus ſemidocti. Sed bene habet *finxerit*, abſque ficto Gloſſemate. *Fingere*, hic eſt Ulpiano, quod Paulo *formare* in *l.* 19. *pr. ff. h. T.* Baſilicis χαράττειν, & quamcunque percuſſionem falſæ monetæ ſignificat: non addo auctoritates in re liquida. Quum autem illud *tinxerit* defendi videatur non poſſe, videamus, an ſequendum ſit Hotomani *ſtrinxerit.* Modeſta ſatis criſis eſt, modo eam patiatur verbi proprietas. *Stringere nummum*, inquit, eſt *circumcidere*, adducto Nonio in *ſtringere*, & aliis quibusdam locis, quos dudum notarunt vulgares Magiſtri. Auſim vero ſpondere, nullum ex his locum eſſe, ubi *ſtringere* idem eſt, quod *circumcidere*, nec id dicit ipſe Nonius: pro *radere* ibi paſſim occurrit, ut conſtabit, qui Auctores excutiet, quos mihi deſcribere grave eſſet. Sed jam *radendi* vocem adhibuerat Ulpianus in *h. l.* 8. ut non ſit probabile, aliam ejusdem ſignificationis addidiſſe. At tamen in Gloſſis Philoxeni eſt: περιξέω, *rado, derado*, STRINGO; qui locus videtur præſtare omnibus, quos Hotomanus attulit, quia *ſtringere* ibi eſt περιξύειν, quod ipſum proprie eſt *circumradere, circumcidere*, & ad circulum nummi pertinet, non ad ſuperficiem. Sed vero quia inſolens eſt hæc ejus vocis ſignificatio & longius, quam par eſt, translata, quin in Jure noſtro nova, ego malim, minori adhuc motu, pro nummos *tinxerit*, reſcribere nummos *cinxerit.* Eſt autem *cingere nummos* proprie *circumcidere*, & *ex circulo quid abradere*: περικόπτειν, quemadmodum hic transferunt Baſilici, quosque ita conſtat non eſſe uſos lectione vulgata, nam *tingere* nunquam eſt περικόπτειν. Sed quid multa? interpretem habemus Paulum in *l.* 5. *pr. ff. Arbor. furt. cæſ. Cædere*, inquit, *eſt, non ſolum ſuccidere, ſed etiam ferire, cædendi cauſa.* CINGERE *eſt* DEGLABRARE. *Subſecare eſt ſubſecuiſſe.* Eoque verbo in eam ſententiam non duntaxat utitur Alphenus, optimus Latinitatis auctor, in *l.* 29. *ff. Locat. cond.* ſed & ipſe ille Ulpianus,

cui id verbum hic reſtituo, in *l.* 7. §. 4. *ff. Arb. furt. cæſ.* Scio, Paulo in *d. l.* 5. *pr.* ſcripturæ controverſiam moveri ab Hotomano, Turnebo, Brodæo, aliis, ſed conſtantia lectionis tribus aliis, quos dixi, locis, verbi proprietas & aptitudo, & Baſilicorum auctoritas *L.* LX. *T.* XVI. *C.* 5. qui *cingere* in *d. l.* 5. *pr.* vertunt ζωννύειν, ſatis omnia defendunt ſcripturæ integritatem. Cujacius quoque *L.* IX. *Obſerv. C.* 12. nihil vitii deprehendit in *d. l.* 5. §. 1.

CAPUT XXII.

Ad L. 14. §. 7. ff. de Relig. & ſumpt. fun.

Sic ibi ait Ulpianus: *Sed interdum is, qui ſumptum in funus fecit, ſumptum non recipit, ſi pietatis gratia fecit, non hoc animo, quaſi recepturus ſumptum, quem fecit: & ita Imperator noſter reſcripſit. Igitur æſtimandum erit arbitro, & perpendendum, quo animo ſumptus factus ſit, utrum negotium quis vel defuncti vel hæredis gerit, vel ipſius humanitatis, an vero miſericordiæ, vel pietati tribuens, vel affectioni*, & quæ ſequuntur. In MS. meo ſimpliciter *non recipit*, omiſſa ſumptus voce, quæ ſic præceſſerat, quod elegantius dici negari non poteſt. Idem aliique Libri a Florentino variant & in aliis quibusdam, ſed levioribus, quæ ſenſum nihil quicquam turbant, quæque adeo tranſeo; in gravioribus, quæ offendunt, & mox exponam, conveniunt omnes. De re ipſa Ulpianus dixit, ſumptum in funus factum repeti, ſed qui factus ſit repetendi animo: perpendendum igitur eſſe arbitro funerariæ, utrum quis, ut *defuncti* negotium gerens, impenderit, vel *hæredis* vel *ipſius humanitatis*. *Defuncti* negotium, inquit Ulpianus, quia, qui in funus expendit, cum defuncto contrahere dicitur; *hæredis* autem, quia ille, ad funerandum obligatus, funeraria tenetur, ſi funeraverit alius, etiam ipſo prohibente *l.* 12. §. 2. & 4. *l.* 14. §. 13. *ff. h Tit.* Quod cum ſit Juris communis, ſemperque fuerit, mirari licet, quur Iſaacus Caſaubonus, perverſo prius Capitolini loco, id demum ad Antoninos traxerit. Ita habet locus Capitolini in *M. Antonino C.* 13. *Tanta autem peſtilentia fuit, ut vehiculis cadavera ſint exportata ſarraciſque. Tunc autem Antonini leges ſepeliendi ſepulcrorumque aſperrimas ſanxerunt, quandoquidem caverunt, ne, uti quis vellet, fabricaret ſepulcrum, quod hodieque ſervatur.* Conſpirant in perniciem ejus loci Caſaubonus, Salmaſius, Gruterus. Caſaubonus ita mutavit: *quandoquidem caverunt, ut ſi quis ſuccedere vellet, fabricaret ſepulcrum.* Bruta criſis & valde importuna; quaſi ſcilicet ante eam legem licuiſſet hæredi inhumatum relinquere defunctum, quum fieri nequeat, quin illud ſit Juris antiquiſſimi, ac continuo cum jure hæreditario introducti. Certe Marco Imperatore longe fuiſſe antiquius conſtat ex Trebatii Labeoniſque ſententia in *l.* 14. §. 11. & 13. *ff. de Relig. & ſumpt. fun.* neque ætate Marci obſolevíſſe potuit, quum Edictum perpetuum hæredem quoque obligatum ponat in *l.* 12. §. 2. *Eod.* niſi quis & id tunc ea parte obſoletum fingat. Sed de Capitolini loco dubito, quid minus recte dici poſſit, niſi forte dixerit Salmaſius, qui pro *vellet* reſcribit *belle*, quaſi vetuiſſent, ne quis bellum, elegans, monumentum exſtrueret, quod nemo etiam probaverit. Gruterus loci vitium indicare contentus, medicinam non attulit. Ego ſane nondum conſtitui, an Capitolini locus, ut nunc legitur, ſit habendus pro deplorato, multis enim modis, graſſante peſte, ea lex dici poteſt, ne, uti quis velit, fabricet ſepulcrum. Atque hoc Legis argumentum narrare ſatis habuit Capitolinus, quum varia forte fuerint ejus Legis capita, quæ perſcribere longioris fuiſſet operæ, numero plurium quippe dixit, *leges ſepeliendi ſepulcrorumque aſperrimas*. Nota eſt Romanorum in ſepulcris luxuria, hanc Antonini tempore peſtis inhibuiſſe videntur, & lege lata conſtituiſſe, ne quis ſepulcra ædificare vellet nimis ampla, & accedentibus porticationibus diffuſa, inutilis enim eſt, maxime ἐν λοιμῷ, ea ſepulcrorum amplitudo, quæ aliis ſepelire volentibus obſtet. Vulgo alioquin ea ſuperbia non in extruendis duntaxat, ſed & in exornandis monumentis obtinuit *l* 1. §. 6. *ff. de Mort. infer.* ſic tamen & ante coërcita ab Hadriano, ne ejusmodi ſumptus funeris cauſa eſſe cenſeantur *l.* 37. §. 1. *ff. de Relig. & ſumpt. fun.* Etiam alia Antoninos hac Lege fuiſſe complexos liceret conjicere, ſed conjicere tantum; quare præſtat ἐπέχειν. Sin autem ſederet Capitolini locum mutare, & emendare, ut certi & expreſſi quid ſanciat, poterit juvare Codex Palatinus, qui ſic habet: *quandoquidem ita caverunt, ne quis velle abfricaretur ſepulcrum.* Ex quo non difficulter reſurgeret ſcriptura: *ne quis villæ adfabricaretur ſepulcrum.* Quo ſic conſtitutum fuerit ſpatium aliquod, quod vacuum eſſe oportebat inter villas & monumenta, ne feralis odor contagioſo tempore noceret. Et plane liquet ex Pomponio in *l.* 3. §. 1. *ff. de Mort. infer.* fuiſſe legem, quæ prohibuerit, *propius ædificium alienum intra legitimum modum mortuum inferre*, quod de 60 pedibus ex XII. Tabulis apud Tullium *de LL.* II. 61. accipit Pancirolus *Var. Lect. Libr.* II. *C.* 29. quod ab ædificiis tempore peſtis ad quascunque villas tranſtuliſſe Imperatores non eſt, quod miremur. Hoc ſi non placeat, placebit fortaſſe, ſi apud Capitolinum, ad veſtigia Vulgatæ ſcripturæ, ita legas, *quandoquidem caverunt, ne* UNI *quis vellet fabricare ſepulcrum.* Hoc eſt, ne unius duntaxat cineri inſerviret monumentum, aliis inferre vetitis: quod opportunum erat conſtituiſſe in tanta ſepeliendorum hominum neceſſitate. Atque ita, ſive ſanctionem Legis expreſſam dicamus, ſive non dicamus, ſemper absque vi majori bene erit Capitolino.

Redeo ad Ulpianum. *Utrum*, inquit, *negotium quis vel defuncti, vel hæredis gerit, vel ipſius humanitatis.* Ut ſcilicet omnibus his ſpeciebus repetantur ſumptus; ſed hæc, quo pacto intelligi queant, non animadverto. Sumptus factos quis repetit, aut tanquam pro hærede erogatos, ut ſi pro Titio, aut tanquam pro defuncto, quo quemcumque hæredem obligavit; non datur tertium. Quinimo qui *humanitatis* ergo impendit, nihil repetit, quum nec qui *pietatis* vel *affectionis*, ut mox addit, quæque omnino ſunt paria. Accurſius *humanitatem* intelligit, *ſecundum quam intereſt, ut unus alteri ſerviat, non ut donet.* Petrus Faber *L.* II. *Semeſtr. C.* 1. notato Accurſio, valde æſtuat, ut *humanitatem*, quam apud alios Auctores in re ſepulcrali a *pietate* non differre conſentit, heic tamen ſollicite diſtinguat, ita tamen, ni fallor, ut poſt anxiam eruditionem denuo relabatur ad Accurſium. Deſiderius Heraldus *Obſerv. & emend. C.* XXXIV. legit, *vel ipſius*

ipſius hæreditatis, quod iterum ſequitur Hugo Grotius in *Flor. ſpar.* ad *h. L.* ſed vix eſt, ut bene habeat, ita enim bis κατὰ τοῦ αὐτοῦ dixiſſet, non ut illi in *l.* 1. §. 7. *ff. de Ædil. Edict.* ne qua dubitatio ſupereſſet, ſed ut major, nam, quum de *defuncto* & *hærede* dixerit, quid attinet de *hæreditate* dicere, & bis inculcare, quæ Juris ſunt? conſtat, quemcumque actum pro hæreditate alium eſſe non poſſe, quam pro defuncto aut pro hærede. Taceo audaciam facinoris. Alia exagitandæ emendationi conquiſivit Salmaſius *Obſerv. ad Jus Att. & Rom.* C. XXV. *p.* 554. *& ſeq.* quæ tamen nolim mea facere. Interea auctor ſum, ſequamur ſententiam Salmaſii, exiſtimantis, in ordine & vocabulorum diſtinctione hic eſſe vitium; quod aberit, ſi ita legamus: *utrum negotium quis vel defuncti vel hæredis gerit, an vero ipſius humanitatis, vel miſericordiæ, vel pietati, vel affectioni tribuens.* Nempe conſiderabit arbiter, an, qui funus condiderit, animo repetendi ſumptus expenderit, an communi pietate & benevolentia, quam homo homini debet; quod deinde reſtringit Ulpianus in *verſ. poteſt.* Vocem *humanitatis*, poſteriori præſertim ætate, hoc ſenſu acceptam Gellius annotavit *Noct. Att. L.* XIII. *C.* 15. & quicquid contradicat Heraldus, proba recta quoque eſt locutio, *negotium gerere humanitatis*; geminam in Petronio obſervavit Salmaſius *d. loc.* pluresque alias Petrus Faber *L.* II. *Semeſtr. C.* 1. Illi autem gerunt humanitatis negotium, qui, ut id extulit *l.* 1. *C. de Negot. geſt. munere pietatis funguntur*, nec quicquam recepturi, ſoli, quod agunt, *humanitati præſtant l.* 20. *de Poſtl. reverſ.* Præter Ulpianum paſſim quoque alii Auctores gratuitam ſepulturam *humanitati* tribuerunt, vel hac ipſa voce, vel alia, quæ ejuſdem ſit ſignificationis. Plura ejuſmodi loca attulit Faber *d. loc.* & Grotius *de Jure B. & P. L.* II. *C.* 19. Ego addo Gloſſas Petronii in verbo *tralatitia humanitas*: (ſic enim Arbiter appellaverat ſepulturæ officium) *jus*, inquiunt Gloſſæ, *humanitatis commune, ſacrum enim erat & execrabile cadaver hominis mortui præterire, & non ſepelire.* Addo & Philonem Judæum, qui *in Flacc. p. m.* 814. Ipſos hoſtes, dummodo humanitatis memores, ſepelire ait, qui in bello ceciderunt. Sed non eſt illuſtrior in hanc rem locus quam Senecæ *de Benef. L.* V. *C.* 20. ubi iisdem fere verbis, quibus hic Ulpianus, ita demum, ſi ego ſepelivero, mihi obligari dixit, ad quem funus pertinebat, *ſi non miſericordiæ & humanitati dedi, ut quodlibet cadaver abſconderem.* Atque ita & hic Ulpianus, ex Salmaſii ſententia reſtitutus; cui magis accedo, ut qui ſciam, facilem eſſe lapſum & frequentem in vocum ordine.

CAPUT XXIII.

De PEDICULIS ARGENTEIS *in* L. 32. pr. ff. de Aur. arg. leg. *tentata emendatione.*

Difficile eſt ſive Paulum ſive Vitellium a *pediculis* liberare in *l.* 32. *pr. ff. de Aur. arg. leg.* ita enim alteruter ſcripſiſſe creditur: *Pediculis argenteis adjuncta ſigilla ænea, cæteraque omnia, quæ ad eandem ſimilitudinem redigi poſſunt, argento facto cedunt.* Accurſius *pediculos*, a pede dictos, interpretatur *argentea ſuſtentacula, quibus vaſa, aut res quælibet, velut pedibus, ſuſtentantur.* Quaſi baſes & fulcra dicas, quibus alia quæcunque ſolent inniti. Accurſii interpretationem, cum alia & melior non ſuccurreret, vulgus Interpretum arripuit. Ego dubitem, an *pediculus* ea ſignificatione uſpiam occurrat; nam apud Catonem *de R. R. C.* VIII. Columellam & Plinium, variis locis, aliud ſunt *pediculi*, quamvis etiam diſtincti a celeberrimis illis mendicorum hoſpitibus. Κόρεις dixit Julianus *Epiſt. ad Sarapionem p.* 210. *Edit. Par.* 1583. & recte interpres ibi vertit *pediculos*; plane ut etiam de ficu id verbum uſurpavit Cato *d. C.* VIII. Deinde ſi vel *pediculi* etiam eſſent *pedes* ac *fulcra*, cui probabuntur ſigilla *ænea* adjuncta *argenteis* pediculis? utcunque enim *ſigilla* hic eſſent parvæ ſtatuæ, cubitales vel palmares, ut eſſe dixit Guido Pancirolus *L.* I. *Variar. Lect. C.* 44. nemo tamen ullus ſtatuam æneam imponat argenteæ baſi; quin junget potius humano capiti cervicem equinam. Ferrem baſin æneam, & huic impoſitam ſtatuam argenteam, non vero contra. Atque ea ratio, non dicta, at intellecta forte fuit Joanni Leunclavio *Adnotat.* ad *Pandect. n.* 46. quum in *h. l.* 32. *pr.* JCtum quidem *pediculis* eripuit, ſed, non meliori fato, reddidit *pendiculis* vel *pendiclis*. Hoc autem ita, quia in veteri Gloſſario *pendicli* ſunt ἀρπεδόνες; ſed, quod monuiſſe poterat, idem Gloſſarium *pediculos* quoque tranſtulit ἀρπεδόνας: utque adeo ea ratione nihil mutare fuiſſet opus. Sed vero *pendicula* vel *funes* hic intelligere, ſatis mihi videtur eſſe ineptum; nam, ne aliud dicam, cui in mentem venerit adfirmare, ſignum funi, unde pendet, cedere? Nec Vitellius, nec Paulus adeo male prudentes fuerunt.

Pro recepta lectione forte dici poſſet, *pediculum*, pro varia ejus vocis ſignificatione, eſſe etiam os utris aut vaſis, ex quo quid effunditur, quemadmodum eſt apud Feſtum in *Amicinum*; diceres quoque *fundibulum*. Quod ſi ſit, *ſigillum* eſſe poterit ἐπιςόμιον, fundibulo, quo claudatur & obſignetur, adjunctum. Video tamen, quæ contra dici poſſint: neque adeo hæc urgeo. Quin potius ſollicitus ſum de opportuna emendatione; non alia autem, in qua liceat ſubſiſtere, nunc occurrit, quam ſi remotis forte *pediculis* ſubſtituamus *reticulis*. *Reticulum* proprie ad mundum muliebrem pertinet, eſtque ejuſmodi inſtrumentum, quo ſolebant mulierculæ capillos colligere, & coërcere, ne diffluerent. De eo dixit Nonius in *Reticulum*. Utque hic *argenteum*, apud Juvenalem *auratum* eſt *Satyr.* II. *Verſ.* 96.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

ſed aurea, argentea, ſerica promiſcuo in uſu, ut & Joannes Britannicus obſervavit ad *d. loc.* Atque his reticulis optime conveniunt *ſigilla*, nam mulieres apicibus ſuis, quibus comam includunt, ſolent appendere ſigilla, quæ recte tunc dixiſſet Paulus *adjuncta* reticulis: ſi enim cum Pancirolo per *ſigilla* intelligere velis & poſſis ſtatuas, & per *pediculos* baſes, minus recte ſtatua diceretur baſi *adjuncta*, pro *impoſita*. Eſt & *reticulum* ſepimentum, ad inſtar retis cancellis diſtinctum, quo prohibebatur vulgaris aditus. Ejuſmodi *reticula ænea* memorat Feſtus in *Seceſpita*; ſed nihil vetat, quominus luxuria etiam *argentea* extruxerit, dependentibus ad ornatum ſigillis. At forte hic tutius erit in reticulis mulierum acquieſcere; etiam ideo, quod de mundo muliebri agat quoque Titulus, ſub quo digeſta hæc Lex eſt.

CAPUT XXIV.

Explicatio L. 38. §. 1. ff. de *A*ur. arg. legat.

Ex eodem Titulo digna eſt, quæ explicetur *l.* 38. §. 1. ſic ibi Scævola: SEMPRONIÆ PIÆ HOC AMPLIUS COOPERTORIA TABIANA, ET TUNICAS TRES CUM PALLIOLIS, QUÆ ELEGERIT, DARI VOLO. *Quæro an ex univerſa veſte, id eſt, an ex ſyntheſi tunicas ſingulas & palliola Sempronia eligere poſſit? Reſpondit, ſi eſſent tunicæ ſingulares cum palliolis relictæ, ex his duntaxat eligi poſſe: quod ſi non eſt, hæredem vel tunicas & palliola, ſet ex ſyntheſi præſtaturum, vel veram æſtimationem earum.* An *coopertoria*, quæ hic dicuntur, ad veſtimenta referri poſſint, non inelegans inſpectio eſt. Non obſtat certe verbi proprietas, *operire* enim & tegere non duntaxat de pileo, verum & de quocunque veſtimento dicitur. Alciatus *L.* II. *Parerg. Jur. C.* 21. quid ſint *coopertoria Tabiana* dicere conſtituerat, ſed non dixit, fallit enim inſcriptio Capitis. Pancirolus *L.* II. *Var. Lect. C.* 100. ſine cunctatione ait, eſſe ſtragulas ex Tabia, Paphlagoniæ Civitate, advectas, quas hodieque vulgus Italicum *copertoria* appellat; & ſimpliciter quoque *coperteria* ſcribitur in Libro Florentino, niſi tamen O geminandum ſit. Non difficile eſt Pancirolo, rem Italicam adfirmanti, accedere, alioquin ego tentaveram, an *coopertoria*, Semproniæ Piæ legata, eſſe potuerint ea Capitum tegumenta, quibus mulieres olim utebantur, & ab *operiendo* Græci καλύπτρας vocant. Poſſumus tamen ſubſiſtere in Panciroli interpretatione.

Ut porro Scævolam intelligamus, ſcire oportet quid ſit *ſyntheſis* in re veſtiaria. Et quidem, ſi vim verbi ſpectes, *ſyntheſis* idem erit, quod quarumque rerum univerſitas, *maſſam* Symmachus & poſteriores dixerunt; qua ſententia σύγκτησις & *ſyntheſis* (ita enim transfert vetus Interpres) eſt plurium agrorum conjunctio in *l.* 34. §. 1. *ff. de Legat.* II. & *l.* 30. §. 1. *ff. de Adim. vel transf. leg.* Quumque *ſyntheſis* ad verbum ſit *compoſitio* (quomodo & ea vox occurrit apud Serenum Samonicum *de Medicina*, *verſ.* 591. & 1084.) *ſyntheſis veſtium* eſſe poterit non tantum univerſa veſtis, ſed & quarundam veſtium compoſitio, quæ inter ſe conveniunt colore, forma, aut qua alia re; quæ ſimul induuntur & exuuntur, atque invicem ſibi, non recte aliis, aptantur. Nec dubitandum eſt, quin hoc loco *ſyntheſis veſtium* in eam ſententiam accipiatur; non male igitur Alciatus *d. L.* II. *Par. Jur. C.* 21. hanc definivit, *ordinem quendam & conformem veſtium compoſitionem.* Idem ipſe dixit *L.* I. *Prætermiſſ.* in verb. *ſyntheſis.* Alii Alciatum mutatis verbis ſequuntur, & tamen, quod turpe eſt, reprehendunt; ſic ſolet pravum & debile vulgus. Si Alciatus reliqua Scævolæ recte explicaſſet, ego ſuperſediſſem huic operæ: nunc amplius deliberandum & inquirendum erit. Non autem, ut modo dicebam, *ſyntheſis veſtium* hic idem eſt, quod veſtis univerſa, ſed quod quarundam veſtium una ſpecies; quærit enim Scævola de legato, quo de agebatur, an electio fieri poſſit ex omni veſtiario, hoc etiam, etiam ex quacunque ſyntheſi, quæ erat in veſtiario, & non duntaxat ex veſtibus ſingularibus, de quibus dubitatum eſt. apparebit id, ſi ſingula excutiamus.

Proponit Scævola, Semproniæ Piæ, præter coopertoria Tabiana, legatas eſſe *tunicas tres cum palliolis, quæ elegerit.* Quia vero ſuis tunicis accommodata erant ſua palliola, quærit, an Sempronia Pia *ex univerſa veſte, id eſt, an ex ſyntheſi tunicas ſingulas, & palliola eligere poſſit?* Non dicit *univerſam veſtem* eſſe *ſyntheſin*, ut prima fronte videbatur, ſed quærit, an Sempronia pro lubitu eligere poſſit *ex univerſa veſte*, quæ in hæreditate inveniebatur, id eſt, etiam ex *ſyntheſi*, ex iis nempe, quæ compoſita erant. Nunquid igitur liceat Semproniæ compoſita palliolorum cum tunicis paria frangere, & ex hoc pari compoſito eligere tunicam, & relinquere palliolum, & alio rurſus pari, relicta tunica, palliolum eligere? Et reſpondit Scævola, *ſi eſſent tunicæ ſingulares cum palliolis relictæ, ex his duntaxat eligi poſſe.* Hoc eſt, ſi in hæreditate reperiantur tunicæ, quæ ſibi deputata pallia non habebant, aut pallia, ſuis tunicis deſtituta, ex iis ſingularibus duntaxat Semproniam eligere poſſe, quas vellet tunicas, aut pallia, quoniam nulla paria, in ea ſpecie, poterant perdi: quod habet rationem.

Pergit autem: *Quod ſi non eſt, hæredem vel tunicas & palliola, ſet ex ſyntheſi præſtaturum, vel veram æſtimationem earum.* Haloander legit, *quod ſi non eſſent*, ut ſcilicet oratio magis ſit integra. Sed non opus eſt a Florentina recedere; *quod ſi non eſt* JCti dicunt, quaſi ex formula, pro, *ſi ita ſe res non habeat*, ſi nempe ejusmodi tunicæ ſingulares, vel pallia ſingularia, in bonis defuncti non reperiantur. Tot ejus locutionis exempla ubique in Jure noſtro ſunt obvia, ut ſane pudeat probare; nec aliter ipſe Seneca dixit, *quod ſi eſt*, *Epiſt.* LXXXV. In Florentino Libro hic etiam eſt *ſet* pro *ſed*, tralatitium quippe eſt in eo Libro D & T paſſim, in hac & aliis vocibus, commutari. Atque ita in *fin. l.* 55. *ff. de Acq. rer. dom.* pro *deſiſſET*, quod nunc integre ſcribitur, *deſiiſſet*, &, aptius ſcriberetur, *deſisSET*, hoc eſt, *deſiiſſet; ſet actionem mihi in factum dari oportere;* ſenſus Proculi id omnino poſtulat. Sed videamus porro de reſponſo Scævolæ. Si res, ut dixerat, ſe ita non habeat, atque adeo nulla in hæreditate inveniantur pallia, niſi ſuis tunicis accommodata, an adhuc idem dicendum erit de libera Semproniæ electione? res temperamento eget. Eliget quidem adhuc Sempronia, ſed ex paribus compoſitis non niſi paria, conſtat enim teſtatricem legaſſe veſtimenta ſua, atque hæc in hæreditate non ſunt, niſi compoſita, & ſibi invicem aptata. Ex iis igitur eliget tres tunicas, & tria pallia, quæ vult; quod ſi tria paria compoſita eligat, quæcunque ſint, bene eſt: ſin vero frangere velit paria, ex uno eligere tunicam, ex altero pallium, perderet univerſam ſyntheſin, neque adeo id permittet hæres. Quin id permittere voluiſſe teſtatricem non magis eſt veriſimile, quam voluiſſe, ut legataria, cui quatuor paria manicarum erant legata, ex ſingulis paribus unam eligeret rubram, alteram albam, nigram tertiam, & ſic deinceps, omnes ſingulares: ita enim quatuor compoſita paria perderet, ſibique minus prodeſſet, & ſimul hæredi noceret. Idem juris erit de caligis, calceis, & reliquo veſtium genere, quod paribus vel ſyntheſi conſtat. Si tamen hæres permittat, ut quis ex compoſitis veſti-

veſtibus eligat ſingulares, quin liberetur, non eſt dubium; ſed quum ipſi ea ratione impenſe noceretur, inutili malitia, contra manifeſtam æquitatem, & præſumptam mentem teſtamenti, optima ratione placuit, electionem eſſe reſtringendam ad ipſam ſynthefin, ne alioquin ſua compoſita paria frangi patiatur hæres, ſed poſſit ipſe, ut Scævola addit, ex ſyntheſi præſtare tunicas & pallia, vel defungi vera æſtimatione electorum palliorum tunicarumque. Absque ea malitia legatarii ſi eſſet, æſtimatione rerum legatarum non ſatisfaceret hæres, ut Jure conſtitutum eſt.

Atque ita puto ſatis intelligi verba & ſententiam Scævolæ, nec eſſe, cur prolixe moremur aliorum interpretationes. De *ſyntheſi* in primis nugatur Accurſius, ut ſolet aliquando in his, quæ ad literas pertinent. Pancirolus *d. L.* II. *Var. Lect. C.* 100. *ſyntheſes* eſſe dicit *veſtes cœnatorias* ſeu *triclinares*, perperam: neque enim ullibi ſynthefis eſt nomen certæ veſtis, ſed quarumque veſtium compoſitio; nec contra probant auctoritates, quas ipſe adduxit. Salmaſius ad *Vopiſcum in vita Bonoſi C.* XV. *ſyntheſin* interpretatur *ſeptenas veſtes ejuſdem coloris, facturæ & materiæ, ut ſeptem tunicæ ſubſericæ coloriæ, ſeptem purpureæ, ſeptem pallia auro ſparſa, & ſic de aliis.* Sed nullo auctore obtinet, quamque ſynthefin conſtitiſſe numero ſeptenario; ſi Martialis, quem unum laudat, *ſyntheſin ſeptenariam* dixit, dixit ex facto, non ut excluderet ternarias, quaternarias &c. Deinde ſi ex veſtibus ſeptem unius coloris vel formæ unam demas, non propterea perdentur reliquæ ſex; nec audietur hæres, qui velit ſervare veſtium cohortes, a teſtatore inepte diſtributas, quique adeo velit negare pallium, quod debebat, ne ſuam ſeptem palliorum cohortem amitteret. Et quum de agris quoque uſurpetur *ſyntheſis*, ut ſupra dixi, velim ſcire, an hi quoque in ſeptem cohortes fuerint diviſi, ſed potius id nugari eſt. Quod autem Salmaſius eo loco τὸ *id eſt* expungat, tanquam imperiti Librarii, aut forte ipſius Triboniani, qui *h.* §. non intellexerit, id facit ea imprudentia, qua ſæpe ſolet graſſari in Jure Civili; quid ſibi velint ea verba, ſupra dixi, nec hic repeto. De ſyntheſibus quid dixerint Turnebus, Ferrandus, alii, nolim referre. Sunt, qui eſſe volunt veſtes verſicolores; ſunt, qui lautiores; ſunt, qui viliores. Sed de his omnibus ex iis, quæ jam attuli, etiam de plano licet conſtituere, nam auctoritates, quibus utuntur, nullæ ſunt, certe ejusmodi, ut quivis facile iis poſſit ire obviam.

C A P U T XXV.

Variæ emendatiunculæ.

Dabo hoc Capite aliquot emendatiunculas, ſi non veras, certe veriſimiles, quasque, ſi non aliud, neceſſitas & modeſtia commendabunt. Antiqui Libri in his mihi ſuppetias non tulerunt, nec aliorum Critica ſedulitas. Potuiſſem his Obſervatiunculis aliquot Capita farcire, & ambitioſos Titulos præſcribere, ſed contentus dicere, quod res eſt, paucis ſic habe:

In *l.* 1. §. 6. *ff. de Legat.* III. pro *eorum fidei committi* QUEM *poſſe*, quod ſenſum non habet, legendum cenſeo, *eorum fidei committi* REM *poſſe*; neque ita opus erit eam vocem cum Haloandro expungere.

In *l.* 27. *ff. de Condit. & demonſtr.* pro *tametſi in ſcriptura* NON TUM *eſſet*, quod nemo intellexerit, per geminationem lego, *tametſi in ſcriptura* NON NOTUM *eſſet*. Atque id facilius eſt, quam cum aliis Legem varie corrumpere, & ſubſtituere, *ita non eſſet*, *nondum eſſet*, *nomen deeſſet*, vel ſi quid his eſt ſimile.

In *l.* 8. §. 1. *ff. de Legat.* II. Florentiæ legitur: *hoc caſu duo legata ſunt*, *ſed* UNI *contentus eſſe debet.* Sunt Libri, qui exhibeant *uno*, ne Grammatica obſtet. Ego potius per ἀναδίπλωσιν legerim, *ſed uni COntentus eſſe debet*, quod eſt, *ſed unico contentus eſſe debet.*

Apud Julium Aquilam in *l.* 34. *ff. de Admin. & peric. tut.* mala lectio & interpunctio eſt. Ita nunc legitur: *ad inſtruendam diligentiam judicantis, & pupillorum utilitatem* ADMITTENDAM, *ſervos quoque eorum interrogari poſſe.* Legi autem, ni fallor, & interpungi debet: *ad inſtruendam diligentiam judicantis, & pupillorum utilitatem*, ADMITTENDUM, *ſervos quoque eorum interrogari poſſe*

Ubique ſic reperi in *l.* 59. *pr. ff. de Manum. teſtam.* *Quæſitum eſt, an Eutychia, quæ teſtamenti facti tempore inter pediſſequas libertatem acceperat, mortis autem tempore* INVENIATUR *actori in contubernio tradita, ex generali capite pediſſequarum libertatem conſequi poſſit?* pro *inveniatur*, ſenſus, & Latini ſermonis ratio poſtulat, ut legatur, *inveniebatur.*

Prædii dotalis venditionem inutilem eſſe Papinianus dixit in *l.* 42. *ff. de Uſurp. & uſuc.* & addit: QUAM *defuncta poſtea muliere in matrimonio, confirmari convenit, ſi tota dos lucro mariti ceſſit.* Scio ſententiam ejus loci conſtare, ſi τὸ *quam* referas ad *venditionem*, quæ præceſſit, ſed nemo negabit, eam ſententiam minus contortam, magis genuinam fore, ſi quod licet ex uſu, geminato *quam*, reſcribamus, *quamquam.*

In omnibus, quos conſului, Libris vitioſa eſt *l.* 23. §. 1. *in fin. ff. pro Soc.* ita ibi ſcribitur: *nec poſſe dici ſocio*, ABSTINE COMMODO, *quod per ſervum acceſſit*, SI DAMNUM PETIS. Vel ita in quibusdam: *nec poſſe dici, ſocium abſtine commodo, quod per ſervum acceſſit, ſi damnum petit.* Illud *petis* vel *petit* valde alienum eſt ab hoc loco, & tamen in omnibus, ut dixi, Libris ita ſcriptum reperi, nullibi autem *non petis*, vel *non petit*; quamvis id videam notari, atque ſi varia eſſet lectio. Sed vel ita incommoda eſſet locutio, *ſi damnum non petis*; quis enim *petat* damna; ego pro *ſi damnum* PETIS, quod eſt Florentiæ, mallem, *ſi damnum* METUIS. Nec magis idonea vox mihi nunc ſuccurrit.

Accurſius, Duarenus, Cujacius, alii, perperam interpretati ſunt *l.* 5. *de Uſurp. & uſuc.* Quæ nunc obſcura eſt, obſcura non erit, ſi ita legamus: *quo caſu non adverſus eum tantum*, CUI *eripit, interrumpitur poſſeſſio, ſed adverſus omnes.* Pro *qui* lego *cui*; commutari enim literas C. & Q. Florentiæ præſertim, dudum animadverſum eſt.

Ulpianus dixit in *l.* 15. §. 15. *ff. de Injur.* minus peccare, qui virginem appellat, ſi tamen veſtita fuerit veſte ancillari, adhuc minus, ſi veſte meretricia. Sed mirum eſt, quod inde efficit: *ſi igitur non matronali habitu fœmina fuerit, & quis eam appellavit, vel ei comitem abduxit, injuriarum tenetur.* Ita ſcriptum eſt in Li-

Libro Florentino, ſed peſſima, ut videtur, ſententia. Quare Vulgata & Haloander negationem addunt, *injuriarum non tenetur.* Atque id videbatur ſequendum, poſtulante ſic ſenſu: niſi potius dicamus, abundare negationem in præcedentibus, & pro *non matronali*, reſcribamus, *matronali habitu*, ſed neutrum placet. Magis eſt, ut Ulpianum intelligamus, atque ſi interrogaſſet, & ita fortius negaſſet. Si igitur quis appellet fœminam, non matronæ, ſed proſtibulæ habitu, *injuriarum tenetur*? ſæpe in Jure noſtro interrogatio negat.

De debitoribus condemnatis ait *l.* 31. *ff. de Re judic.* ſi ſolutionem differant, per contumaciam magis, *quam quia non poſſint explicare pecuniam*, pignoribus captis compellendos eſſe. Quid vulgo ſit *explicare*, & *explicare jurisdictionem, mandatum*, & cætera, nemo eſt, qui neſcit; ſed dubito, an aliqua ejus verbi ſignificatio huic loco conveniat. Poſſes legere, *extricare pecuniam*, eo ſenſu, quo Horatius *L.* I. *Satyr.* III. *Verſ.* 88. dixit, *extricare nummos.* Et tamen ſunt Grammatici, qui *extricare* ibi interpretantur *explicare*: in quam ſententiam mihi ea vox lecta non eſt.

Utilem eſſe in re Critica geminandi regulam ſupra aliquoties obſervavimus. Hac adhibita, liquido etiam intelligemus illud Ulpiani in *l.* 14. §. 8. *ff. de Bonis libert.* *Quia*, inquit, *ſententia libertus morte ſubtractus eſt.* Sunt Libri, qui legunt, *ante ſententiam*; Ruſſardus, *ſententiæ*, quia, ait, E plerumque omittitur in Pand. Flor. quod nugatorium eſt. Dixiſſet potius, in Auctoribus frequentes eſſe caſuum commutationes, ut apud Nonium Marcellum argumento eſt integrum *Caput de numeris & caſibus*; & addidiſſet, in ipſis Pand. Flor. caſum ſextum pro tertio non ſemel occurrere, quemadmodum in *l.* 42. *ff. ad L. Jul. de adulter.* & *l.* 5. §. *ult. ff. de Extraord. cogn. pœna ſubjicere*, pro *pœnæ*, & *l.* 2. §. 5. *ff. de Jur. Fiſc. pœna ſubducere*, iterum pro *pœnæ*, & *l.* 2. §. 2. *ff. de Admin. rer. ad Civit. pertin. ſua cauſa reſtituere*, pro *ſuæ cauſæ*. Atque ita hic *ſententia* pro *ſententiæ ſubtractus eſt.* Sin hoc diſpliceat, verba mutemus, ſeu explicemus potius hac geminatione: *qui A ſententia libertus morte ſubtractus eſt*; hoc eſt, *quia a ſententia libertus morte ſubtractus eſt.* Ita nihil ſupereſt ſcrupuli.

Imperator Gordianus in *l.* 4. *C. de Crim. expil. hæred.* de uxore dixit: *quæ ſocia rei humanæ atque divinæ domus ſuſcipitur.* Quidam explicationibus ſuis hic nugantur de *divina domo*, nec ſentiunt, locum corruptum eſſe. Cujacius & Loiſellus legunt, *domum ſuſcipitur*, non improbante Fabroto ad *Parat. Cujac.* in *d. l.* 4. Sed omiſſa ſibili vitioſa repetitione, lege, *domu ſuſcipitur*, quod modeſtius eſt & magis Latinum. Potuit S majuſcule ſcriptum, malæ geminationi cauſam dediſſe.

FINIS LIBRI QUARTI.

CON-

CONSPECTUS CAPITUM.

LIBRI PRIMI.

CAP. I. De Pœna capitis, & debitorum ſectione ex XII. Tabulis. Pag. 17
II. Ad *l. 2. C. de Exact. Tribut.* 20
III. De Furto rei minimæ. 21
IV. Ad *l. 3. ff. de L. Pompej. de parricid.* 23
V. De Cenotaphio, & ad *L. 44. pr. ff. de Religioſis & ſumpt. fun.* ibid.
VI. *Judicii* & *Indicii* voces ſæpe commutatas eſſe, reſtitutis hac ope aliquot locis, qui male habent, & in primis *L. 6. §. ult. ff. de His qui not. infam.* 25
VII. Emendatur *L. 22. C. de Negot. geſt.* 26
VIII. Non eſſe contrarias *L. 5. ff. ad L. Jul. pecul.* & *L. 16. §. 4. ff. de Pœnis.* 27
IX. In mutuo aliam pro alia pecuniam reddi poſſe, ut aurum pro argento, & contra; defenſa Libri Florentini lectione in *L. 99. ff. de Solution.* ibid.
X. Nihil, ut vulgo, ſed tamen aliud mutandum videri in *L. 2. §. 1. ff. de Reb. cred.* 28
XI. Ad *L. 15. §. ult. L. 16.* & *L. 17. pr. ff. de Uſufr.* 30
XII. Suſpicio critica ad *L. 4. pr. C. de Heret. & Manich.* 31
XIII. De ſecundo Capitulo Legis Aquiliæ. ibid.
XIV. Defenditur & explicatur lectio Florentina in *L. 6. §. 5. de Offic. Præſid.* 32
XV. Emendata *L. 1. ff. de Decret. ab ordin. faciend.* Pag. 33
XVI. Annotatio ad Legem Solonis de ſodalitiis, Gajo memoratam in *L. 4. ff. de Colleg. & Corpor.* Locus Aniani ad Paulum reſtitutus. ibid.
XVII. Species & ſententia *L. 4. ff. de Carbon. Edict.* 35
XVIII. Duæ Leges leviter emendatæ; altera *L. 14. pr. ff. ad SC. Trebell.* altera *L. 12. pr. ff. de Duob. reis conſt.* ibid.
XIX. Quid ſit *dulci officio fungi* in *L. 1. C. de His qui ſibi adſcr. in teſtam.* 36
XX. Explicata *L. 12. pr. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* 37
XXI. Ad *L. 7. ff. de Pœnis.* 38
XXII. Nomina, quibus JCti utuntur exemplis ſuſtentandis, ſæpe confundi, defenſa ſic ſcriptura, quam variis locis ſollicitarunt alii. 39
XXIII. Varie tentata *L. 1. §. 1. ff. de Bonor. poſſeſſ. ſecund. tab.* 40
XXIV. Salvium Julianum non videri auctorem Interdicti, quod *Salvianum* dicitur. 41
XXV. Defenſa Latinitas Pandectarum, variis locis. 42

LIBRI SECUNDI.

CAP. I. De origine Succeſſionis in cauſa inteſtati. Pag. 44
II. De origine Succeſſionis in cauſa teſtati, explicata *L. 39. §. 1. ff. de Legat. III.* 45
III. De origine Juris Accreſcendi in hæreditatibus ac legatis, & quemadmodum in his illisve obtineat. 46
IV. De Jure Theſauri ab Mercenario inventi. 47
V. Adnotatio critica ad Ulpiani locum *Tit. I. §. 11. Coll. Leg. Moſaicar. & Roman.* partem deſcriptum in *L. 4. §. 1. ff. ad L. Cornel. de ſicar.* partem in *L. 5. §. ult. ff. de Pœnis.* 48
VI. Explicata *L. 7. pr. ff. de Offic. Proconſ.* 49
VII. De Chryſanthiano certamine ad *L. pen. ff. de Ann. legat.* 50
VIII. Interpretatio, & alia, quam vulgo, interpunctio *L. 56. §. 1. ff. de Furt.* ibid.
IX. Trajicienda fortaſſe eſſe quædam in *L. 36. pr. ff. ad Municip.* quæ porro explicatur. 51
X. Tentatur aliquid emendationis in *L. 52. §. 3. ff. pro Socio.* 53
XI. Leve mendum in *Inſtitutionibus.* 54
XII. Querela inofficioſi teſtamenti unde ſit. 55
XIII. Ad *L. 15. §. 5. ff. Locat. conduct.* 56
XIV. Nonnihil reſtitutum & explicatum in *L. 1. §. 3. ff. Nautæ, caupones, ſtabularii, ut recept. reſt.* Pag. 57
XV. Ulpianus in *L. 3. §. 7. ff. de Adim. vel transf. legat.* cum Ulpiano compoſitus in *L. 10. in fin. pr. ff. de Reb. dub.* ope interpunctionis. 58
XVI. Ad *L. 7. §. 3. ff. de Bonis damnat.* 60
XVII. *L. 4. ff. de Teſtam. tut.* non pugnare cum *L. 4. C. Eod.* ſervata utriusque lectione Vulgata. 61
XVIII. Explicata & emendata *L. 8. ff. de Auro, arg. leg.* ibid.
XIX. Qui intelligi & defendi poſſit ſcriptura *L. 33. ff. de Auro, argent. leg.* 63
XX. De Procuratore Cæſaris, explicata *L. 3. pr. ff. de Offic. Procur. Cæſar. vel Ration.* 64
XXI. Rurſus de Procuratoribus Cæſaris, ſed his, qui fuerunt vice Præſidum, nominatim de Pontio Pilato. 65
XXII. Ad *L. 2. C. de Veter. numiſm. poteſt.* 66
XXIII. Correctio *L. 57. ff. de Judic.* 67
XXIV. Defenſa lectio *L. ult. ff. de Uſu & uſufr. legat.* 68
XXV. In Pandectis componendis non ſemper ſervatum fuiſſe Edicti perpetui ordinem. 69

LIBRI TERTII.

CAP. I. Explicatio & emendatio *L.* 101. §. 2. *ff. de Verb. ſignif.* Pag. 70
II. De ſpecie adjecta. 72
III. Rurſus de ſpecie generi adjecta, ad *L.* 20. *pr.* & *L.* 18. §. 13. *ff. de Inſtr. vel inſtr. leg.* 73
IV. Defenſa & explicata *L.* 102. *pr. ff. de Solution. & liberat.* 74
V. Duæ verborum tranſpoſitiones in duabus Legibus; puta *L.* 2. *pr. ff. Si quis caution. in jud. ſiſt. cauſ. fact. non obtemp.* & *L.* 35. §. *ult. ff. de V. O.* 75
VI. Ad *L.* 28. *ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* 76
VII. De Nominibus aliquot propriis in Pandectis & Codice. ibid.
VIII. *L.* 3. *ff. Si pars hæred. pet.* varie emendata & explicata. 78
IX. Leviſſima emendatio *L.* 52. §. 2. *ff. pro Socio.* 79
X. Solus animus quemadmodum æſtimetur in criminibus. 80
XI. Sententia *L.* 20. *ff. de Evictien.* & juſta ſuſpicio de levi mendo. 82
XII. Ad *L.* 10. *ff. de Lege Rhod. de jact.* adnotatio & emendatio. 83
XIII. De adjecto contradictorio. 84
XIV. Quid ſit MANUS MILITARIS, & OFFICIUM JUDICIS in *L.* 68. *ff. de Rei. vindic.* Pag. 85
XV. Sententia *L.* 40. *princ. ff. de Contrah. empt.* 86
XVI. De pœna furti Jure antiquo, & unde ſit. 88
XVII. De *odonibus* in *L.* 25. §. 4. *ff. de Auro, argent. legat.* quæ porro explicatur. 89
XVIII. Ad *L.* 1. *pr. ff. de Lege Cornel. de fals.* ibid.
XIX. Ad *L.* 1. §. 1. *ff. de Lege Cornel. de falſ.* 91
XX. Ad *L.* 1. §. 2. *ff. de Lege Cornel. de falſ.* 93
XXI. Ad *L.* 1. §. 3. & 4. *ff. de Lege Cornel. de falſ.* 94
XXII. De Quæſtione dotis Licinniæ. 95
XXIII. Explicata & ex veteribus Libris reſtituta *L.* 12. §. *ult. ff. de Ædil. Edict.* 96
XXIV. Quemadmodum pubertas fuerit æſtimata apud Veteres, emendatis leviter *Inſtitutionibus.* 97
XXV. Defenditur recepta lectio *L.* 2. §. 4. *ff. Si quis caut. in jud. ſiſt. cauſ. fact. non obtemper.* 99

LIBRI QUARTI.

CAP. I. De Novellis Leonis. Pag. 100
II. Defenſa ſcriptura *L.* 5. *ff. de Transact.* 101
III. Peculatus teneri, qui pecuniam Civitati ſubtraxit, compoſitis *L.* 4. §. *ult. ff. ad L. Jul. pecul.* & *L.* 81. *ff. de Furt.* ibid.
IV. Περὶ Αὐτοχειρίας. 103
V. Grammaticalia ad *L.* 16. §. 7. *ff. de Publ. & vectig.* 105
VI. Paulus emendatus *L.* III. *Sentent. T.* VI. §. *Supellectile* 67. ut ſibi conſtet in *L.* 3. §. 2. *ff. de Supell. legat.* 106
VII. Quid interſit inter iter, actum, & viam. 107
VIII. Non uno loco emendata *L.* 2. *ff. de Diverſ. tempor. præſcript.* 109
IX. Variæ JCtorum ſententiæ de cautione damni facti & infecti, & quæ ſequenda videatur. 110
X. Hic illic correcta *L.* 40. §. 1. *ff. de Damn. infect.* 111
XI. Qui poſtulare poſſint, ad *L.* 1. §. 3. *ff. de Poſtul.* 112
XII. Rurſus, qui poſtulare poſſint, ad *L.* 1. §. 3. & §. 5. *ff. de Poſtul.* 114
XIII. Ad *L.* 19. *ff. de Ritu nupt.* 115
XIV. Usquequaque ſervata lectio *L.* 12. *pr. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* mutata ſaltem interpunctione. Pag. 116
XV. De Fato JCtorum. 117
XVI. Ad *L.* 29. §. 1. & 2. *ff. ad L. Aquil.* 118
XVII. Ad *L.* 29. §. 3. & 4. *ff. ad L. Aquil.* 119
XVIII. Ad *L.* 29. §. 5. & 6. *ff. ad L. Aquil.* 120
XIX. Explicata, & ab emendatione vindicata *L.* 40. *ff. de Hæred. inſtit.* 121
XX. Quemadmodum interpretandum ſit HOSTICOLO in *L. un. ff. de Bonor. poſſeſſ. ex teſtam. mil.* & ratio variantis ſcripturæ in *L.* 61. §. 8. *ff. de Furt.* 122
XXI. Conjectura critica ad *L.* 8. *ff. de Lege Cornel. de falſ.* 123
XXII. Ad *L.* 14. §. 7. *ff. de Relig. & ſumpt. fun.* 124
XXIII. De PEDICULIS ARGENTEIS in *L.* 32. *pr. ff. de Aur. argent. leg.* tentata emendatione. 125
XXIV. Explicatio *L.* 38. §. 1. *ff. de Aur. arg. legat.* 126
XXV. Variæ emendatiunculæ. 127

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

OBSERVATIONUM JURIS ROMANI

LIBRI QUATUOR,

quatuor prioribus additi,

NEMPE V. VI. VII. & VIII.

IN QUIBUS PLURIMA

JURIS CIVILIS

Aliorumque Auctorum loca explicantur & emendantur.

AMPLISSIMIS GRAVISSIMISQUE
VIRIS,

FRANCISCO VANDER HOOP,
HENRICO VAN HEES,
JOANNI VAN BLEISWYK,
WILELMO DUIRKANT,
JOANNI VANDER DOES,
ADRIANO DE GRANDE,

SENATORIBUS CURIÆ SUPREMÆ, QUÆ HOLLANDIÆ, ZELANDIÆ, FRISIÆQUE NOMINE HAGÆ BATAVORUM EST,

COLLEGIS SUIS;

UT ET

NICOLAO VANDER HAER,

EJUSDEM CURIÆ PRIMO GRAPHIARIO,

S. D.

CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK.

Anno hujus ſæculi decimo edebam *Obſervationum Juris Romani Libros* IV. & dedicabam Collegis meis, qui tunc erant, Senatoribus Curiæ ſupremæ apud Batavos. Nunc edo alios Libros IV. ejusdem plane argumenti, & quibus hos potius inſcribam, quam Vobis, Ampliſſimi Graviſſimique Viri? Ex Decemviris, ex quibus tunc Senatus conſtabat, præter me, non niſi tres ſuperſunt, Reinerus Schaep, Nicolaus Keetlaer, & Pompejus de Roovere, quorum ille, Senatus noſtri olim & nuper quoque grande Decus, ob ingraveſcentem ætatem & debilitatam oculorum aciem, rebus judicandis amplius intereſſe non poteſt, duo alii, ut noviſtis, inter Nos officio ſuo adhuc funguntur, vigentes florentesque. Reliqui omnes, ut & primus, qui tunc erat, Curiæ noſtræ Graphiarius, eo abierunt, unde negant redire quemquam. Vos autem in eorum locum eſtis adlecti, dignis Anteceſſoribus digni Succeſſores. Sic idem eſt Senatus, ſed non iidem Senatores, & ſic Alfeno noſtro conſtat fides in *l.* 78. *ff. de Judic.*

Si ſatis olim habuerim cauſæ, cur tunc Collegas in limine Operis adirem & compellarem, ſatis & nunc habeo, cur Vos adeam & compellem. Omnium hominum gratiam aucupor, ſed nullius in rem meam, emendicatis ſordide ſuffragiis, vel fictis, ut mihi conſulam, in aliorum necem, mendaciis. Non ita ſolent candida pectora. Neque etiam prenſo magna Nomina, quæ me meaque commendent & defendant, nam ſic ſolent, qui pluris haberi, quam eſſe volunt. Et cur ambitioſos Principum titulos ſectarer & præſcriberem, cum ſorte mea contentus vivam, & abominer omnem quæſtum, turpi adulatione quæſitum? Alia ad curam meam pertinent, & alia ſunt, cur, ut olim, ita nunc Collegis potius meis, quam aliis omnibus, hunc qualemcunque honorem exhiberem. Non repeto, quæ in hanc rem dicebam ante annos fere XXIII. Sacra ejusdem Collegii neceſſitudo, mutua vitæ ſocietas, & non fucata in primis amicitia Nos conjungunt, nec ſcio quicquam eſſe, quod disjungat. Dignitatem Senatus una tuemur, & hanc æſtimamus ex perpetua illa ſollicitudine jus ſuum cuique tribuendi, non cruda, ſed lenta feſtinatione, diligenter ſubducta omni ratione, cum facti, tum juris, procul a partium ſtudiis, procul etiam a mutuis jurgiis & querelis. Ut omnium, qui cauſas judicant, ea cura eſſe debet, ſic eorum præcipue, qui vice ſacra judicant, ut Nos judicamus. Sed ne Vobis, ne mihi ipſi gravis ſim, hæc mitto, & ne quidem ea commemoro, quæ Vobis ſolis in peculio ſunt. Animi magnitudo, virtutum omnium longe princeps, Vobis cum maxime cordi & curæ eſt, & hæc nauſeat ad laudes, etiam opportune dictas. Et quid attinet dicere, quod publice notum eſt? ad judicium Veſtrum quotidie provocant, etiam qui judicio Veſtro ſubjecti non ſunt. Quod uti nunc eſt, ſic, ut auguror, erit in poſterum, donec Vos eritis ſuperſtites. Alia non addo. Verecundia quoque mea non patitur, ut blanda Vos compellem, & coram & in os enarrem, quæ mihi dicere, Vobis audire moleſtum eſſet. Hoc unum velim, ne gravate audiatis, Vos nempe earum rerum, quas *his Obſervationibus* ago, judices eſſe plane competentes, neque adeo me forum Veſtrum declinare, ſive alios vincam, ſive ab aliis vincar. Quin a Vobis ipſis admonitus, herbam porrigam, nihil enim polliceor, niſi quod probabile eſt, &, ut alias nonnunquam in his, quæ probabilia ſunt, diſſentimus, ita & hic diſſentire integrum erit. In contrarium me vocabit Veſtra ſententia, ſi errem, audiam Vos, ut ſemper ſoleo audire. Nihil eſt, quod addam. Valete Viri Ampliſſimi Graviſſimique, & cum his, qui ſuperſunt, Collegis Noſtris, diu vivite felices. Hagæ Batavorum ipſis Calendis April. MDCCXXXIII.

AD

AD LECTOREM.

ANTE annos XXII. & quod excurrit, publico judicio exponebam *Libros IV. Obſervationum Juris Romani*, & ecce nunc expono alios quatuor. Quemadmodum in prioribus verſatus fuerim, tunc ad Lectorem præfatus ſum, & quum hi poſteriores argumento non differant, & eadem nunc mihi cura ſit, quæ tunc fuit, non repeto, quæ ibi dixi. De utilitate Juris Romani, quin vel ipſius Criticæ in medio foro, plura attuli, quæ, ſi commodum eſt, ibi leges, ſi non eſt commodum, quid attinet alia addere? nec mea ipſius vacat deſcribere, nec alia cujusquam, &, ſi vacaret, oppido puderet; ita mihi ſemper placuit illud HOMERI *Odyſſ. M. in fin.*

—— —— —— ἐχθρὸν δέ μοι ἐστὶν,
Αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

Quod verto, ſic ſic liceat.

—— —— —— —— —— *dicere nolim,*
Quæ ſunt dicta prius, coctamque reponere crambem.

Si quid igitur mihi ignaro hic exciderit, quod forte apud alium, neſcio quo angulo, lateat, puta id induſtriam meam fugiſſe, eaque negligentiæ meæ pœna eſto, quam nec alias deprecatus ſum, ut, quæ ita ſcripta ſunt, continuo pro non ſcriptis habeas. Bonam fidem præſtiti, quam utinam ſemper præſtitiſſent, qui longe me plus ſapiunt. Magnis tamen nominibus ea res nunquam fuit fraudi, ſi fraudandi animus abfuit, &, an abfuerit, fere ex Auctore dignoſcitur. Solus Cujacius plus opis attulit Jurisprudentiæ Romanæ, quam omnes priſcæ novæque ætatis Interpretes, & tamen ſi quis pertinaci cura Libros MSS. antiquiſſimas Editiones, & veteres Juris Magiſtros evolverit, ſtatim animadvertet, Cujacii cum emendationes, tum explicationes, vel variis ſæpe Lectionibus deberi, vel ab aliis, quorum induſtria prævenit, eſſe occupatas. Non omnes quidem Editiones, quæ ejus ætate exſtabant, excuſſit, quin nec omnes Interpretes. Sæpe & Accurſium præëuntem ſequitur, ſed eo, opinor, tunc non inſpecto. Alia ſæpe eum alio avocabant, & feliciſſimis quibusque ingeniis imputatum, alios, ut negligere, ſic deſpicere. Si qui ita deprehendantur, in culpa forte ſunt, in dolo non ſunt. Ego ſane Cujacium ab omni dolo abſolverim, vellem, & ab omni culpa abſolvere poſſim. Sed quia in me, homine ſic ſatis occupato, forte leviſſimam exiges, præſtat non abſolvere, atque ita, ſi res incidat, magno exemplo me tueri.

Singulis Capitibus conatus ſum aliquid adferre, quod pertinet ad illuſtrandam Jurisprudentiam, & *Capitum conſpectus*, ſingulorum argumenta exponet, brevi, nec ambitioſo titulo. Non amo Inſcriptiones, *propter quas*, ut ad Veſpaſianum dixit Plinius, *vadimonium deſeri poſſit, at cum intraveris, Di Deæque, quam nihil in medio invenies.* Quæ Inſcriptionibus deſunt, Indices ſupplebunt. Aliorum ſententias, cum a mea diſſident, excuſſi, ſed cum delectu, & ſine ſupercilio, niſi forte in portenta inciderim. *Multa*, inquit Seneca, *ingeniis donanda ſunt, ſed vitia, non portenta.* Qui nihil habent, quod ipſi proferant ex ſuo penu, ſolent fere aliorum culpis notandis ſe totos dare, Viris quibusque Doctiſſimis illiberali facinore inſultantes, non alia cauſa, quam ut his videantur doctiores & meliores.

Uno Capite abſolvi, quod de uno eodemque argumento dicere conſtitueram, niſi quod Alfeno explicando in *l.* 31. *ff. Locat. cond.* dederim octo Capita priora *Libri* VIII. id enim poſtulabat dignitas materiæ. Singulis quoque Libris addidi unum Caput, quod poſtre-

ſtremum eſt, & complectitur *varias Emendatiunculas* vel *Obſervatiunculas.* Non placuit his aliquot Capita implere, prolixe recitatis & refutatis omnibus omnium Interpretum ſententiis. Uno verbo dixi, quod res eſt, vel mihi eſſe videbatur. Aliis, quæ magis enodanda erant, Capita dedi ſingularia, contracto tamen, ut potui, ſtilo, ne tædio eſſem, & abuterer meo & Lectoris otio.

Operam dedi, ut boni interpretis partes explerem in his, quæ interpretem deſiderabant. Majeſtatem Libri Florentini comiter obſervavi, &, quanta potui, religione ejus Lectiones vindicavi, cum non potui, modeſte Criticum egi, ſervatis regulis, quas ipſe mihi dudum præſcripſi. Neceſſitas & modeſtia emendationes unice commendant, ubi hæc vel illa abeſt, plus nocet, quam prodeſt ars utiliſſima, quæ in reſtituendis Veterum libris occupatur. Ubi Florentinæ Lectionis cauſam ago contra prurientes manus, neceſſitatem emendationis abeſſe ratus ſum, ſed ubi illa adeſt, & res aliter ſalva eſſe nequit, indicavi leve ſcripturæ vitium, vel aberrantis librarii, vel non intelligentis, ſi quid forte ſemel ſcriptum, iterum geminandum eſſet.

Non equidem invideo, ſi quis Juri Romano opem ferat Commentariis & Compendiis, & in his forte alium, quam alii, ordinem quærat, vel ſi quis in Jure controverſo verſatus, integras ajentium & negantium catervas producat & ſibi invicem opponat, miror magis, cum omnium eorum nunc copia laboremus, cur adhuc placeat repetere decies repetita, & propter novum ordinem, vel unam forte alteramve Obſervatiunculam integros Libros implere, & non, ut ille ait, *magiſtros*, (neque enim hi legunt) ſed auditores, quibus ea obtrudunt, *crambe repetita occidere?* Quiqui in his occupantur, aut Libros ſcribunt minus integros, aut, ſi integros, ex aliis neceſſario depromunt, quod argumento abſolvendo in rem ſuam vertant. Res ipſa habuit utilitatem tempore renaſcentis Juriſprudentiæ, nunc fere nullam habet, & tamen videas eſſe, qui malunt ſic prodire, quam latere.

Ex his intelliges, me non alio conſilio acceſſiſſe, quam olim acceſſi, ad illuſtrandum Jus Romanum. Selegi amœniora loca, quorum ratio Interpretes videbatur fugiſſe, ſelegi difficiliora & tantum non deſperata, ſi quid lucis vel opis adferre poteram, ſi non poteram, prudens abſtinui. Excuſſi hic illic controverſias Juris illuſtres compoſitis, qui diſſentire videbantur, JCtis, ſi aliæ aliorum rationes ad Eunomiam Romanam non ſufficerent. Selegi & ulcera, ab aliis intacta, an ſanaverim, & in his aliisve ſcopo ſatisfecerim, judicabunt, quibus jus ſuffragii eſt.

Quicquid egi, ad Jus privatum pertinet, omiſſo publico, & ſic olim Oratores feciſſe conqueſtus eſt Iſocrates & Ariſtoteles, ut Giphanius obſervavit *Præfatione ſpeciali* ad *Codicem.* Querelæ cauſa, quod quæſtiones Juris publici utique eſſent graviores, & magis e ſalute Reipublicæ. Sed quæ privati juris ſunt, multo eſſe acutiores, & ingeniis explicandis aptiores, Ariſtoteli reſpondebit ipſe Ariſtoteles, alio loco, quem & Giphanius ibi indicavit. Qui de Republica deliberat, ſola fere ratione magiſtra cauſam tranſigit; qui de Juriſprudentia, oportet etiam aliis ſubſidiis longe lateque ſit inſtructus. Unde forte plures apti ad Rempublicam, pauciores ad Juriſprudentiam.

Sed nolim hæc pluribus exſequi, ne invidiæ ſint, contentus monere, me florem ætatis cum juvenilis, tum virilis, dediſſe deliciis Juris Romani, &, ob ingraveſcentem ætatem, me nunc his omnibus bona fide valedicere: neque enim de eo Jure quicquam in poſterum edam, ſi per alios liceat eo otio frui. Ingraveſcens, ut dixi, ætas ſeveriores Muſas non amat, contenta levioribus, quas & ipſas ſenectuti reſervavi. Quare, excuſſis Adverſariis, forte quædam deinceps depromam, quæ & delectare, & prodeſſe poterunt, & ad Jus publicum vel patrium pertinebunt, ſed vitæ, quæ ſupereſt, ſumma brevis ſpem vetat inchoare longam. Plus tamen otii nunc, quam olim, nactus, ſedulo id agam, ut ejus rationem reddam publico.

Aliquid adhuc hic præfandum eſt, quod alibi præfatus non ſum. Nemo neſcit, quot quantisve convitiis Tribonianum laceraverit omnis ætas; qui eum τ̃ Διαϐόλων ἄρχοντα dixit, omnia dixiſſe videri poteſt, & ſic auſa eſt Græcia mendax. Si ſolas culpas referam & refellam, quas in Jure componendo admiſiſſe dicitur, magnæ molis opus mihi excreſceret, nam & Franciſci Hotomani *Antitribonianus* eſſet refutandus, ut refutari meretur, & ſimul repellendæ aliæ aliorum, etiam principum JCtorum, injuriæ & calumniæ. Inter alia Triboniani facinora, hoc cum maxime pellucere putant, quod veterum Auctorum fragmenta

non

non exhibuerit bona fide, ſed cum alias ob cauſas, tum præcipue ob jus novum interpolaverit προσθέσει, ἀφαιρέσει ἢ ἀλλοιώσει, *addendo, detrahendo vel mutando.* Olim Papirius compoſuerat *Jus Civile*, quod ab eo *Papirianum* dicebatur, Gnæus Flavius *Jus Civile*, cui ab eo *Flaviani* nomen, ſed neuter de ſuo quicquam adjecerat, ut retulit Pomponius in *l.* 2. §. 2. *&* 7. *ff. de O. J.* In alia autem omnia iviſſe Tribonianum & ajunt & indignantur non tantum ſuperi, ſed & pravum ac debile vulgus.

At quicquid ejus rei ſit, accuſandi eo nomine Triboniani nullam ſane cauſam eſſe Viri egregie cordati jam dudum obſervarunt. Excute codicillos, quos ad concipienda *Digeſta* Triboniano dedit Princeps Juſtinianus, & reperies in *Conſtitutione*, *Deo Auctore* §. 7. ei mandatum eſſe, ut quæ in veterum Auctorum Libris ſuperflua eſſent, reſecaret, perperam ſcripta emendaret, quæ deeſſent, ſuppleret, addito etiam interdicto, ne quis veterem ſcripturam cum nova auderet componere, vel, ſi quid mutatum eſſet, id culpæ tribuere. In quo tamen muſtaceo nunc vulgo animadvertas laureolam quæri. Ut mandatum erat, ſic & Tribonianum hos ipſos mandati fines fuiſſe exſequutum, apparet ex duabus *Conſtitutionibus*, quibus *Digeſta*, jam compoſita, confirmavit Juſtinianus, altera *ad Senatum & omnes Populos* §. 10. altera Græce emiſſa πρὸς τὴν μεγάλην Βουλὴν καὶ τὸ Δῆμον καὶ πάσας τὰς τῆς Οἰκουμένης πόλεις, itidem §. 10. Ad eundem fere modum, quo utrumque Codicem fieri mandaverat Juſtinianus,& quo revera factus eſt, ut ipſe narrat in *Præfationibus*. Si quid addere vel detrahere juſſerat Imperator, Triboniano obſequii gloria erat relicta, & ſi quid addidit vel detraxit, omni culpa vacat, niſi culpa dicenda ſit, cuſtodire fines mandati, & Principis ſui juſſa capeſcere. Licuit igitur Triboniano, quod, ſine crimine falſi, in componendo Jure Pontificio, Gratiano non licuit, ut recte etiam Contius obſervavit *L.* I. *Lect. Subſec. C.* 10.

Quare ſcire velim, cur non Cenſores Emblematici in ipſum potius Juſtinianum inſurgant, quod nempe ita mandaverit? nam, ſi verum amamus, non parum laborat dignitas veteris Juriſprudentiæ, ſi neſciamus, utrum Labeonis, Alfeni, Scævolæ, Papiniani, Ulpiani, Pauli, aliorum maximæ dignationis JCtorum oracula legamus, an ſub eorum perſona quaſdam male conſutas Triboniani lacinias. Cui, inquies, bono veterum Auctorum nomina Legibus inſcribere, & *tantum*, ut Juſtinianus præfatur in utroque, quem dixi, §. 10. *antiquitati habere reverentiam*, ſi ſub fallaci titulo Tribonianus aliquis lateat? Tribonianus, quem nemo cura & induſtria ſua dignum cenſuerit? Tribonianus, non jam ex parte, adjecta forte clauſula nonnulla, ſed totus quantus? ſic enim quibuſdam perſuaſum eſt, ut ſane eſt Antonio Fabro ſexcentis locis, non tantum Tribonianum hic illic, adjectis emblematibus, interpolaſſe veterum JCtorum fragmenta, ſed &, mentito alicujus JCti nomine, integra capita ſuppoſuiſſe, integros Commentarios ſcripſiſſe, atque ita fines mandati, codicillis expreſſi, longe lateque exceſſiſſe.

Sed ſi accuſaſſe ſufficiat, quis erit innocens? Siccine Tribonianus abſque metu pœnæ, quæ mandatarium manet, ſi ipſe Princeps mandati directa agat, & vincat? ſiccine Tribonianus, qui in Pandectis ſilere, & *Novellis Legibus* ſe poterat oſtendere? ejuſmodi crimen citius licet fingere, quam probare. Ego certe probationem deſidero, & nego liquere, vel ullam in Pandectis vel Codice Legem exſtare, quæ integra debeatur Triboniano. Excedit ea res notiſſimos interpolationis, unice permiſſæ, terminos, neque enim interpolamus, niſi opus, quod exſtat. Unde apud Plautum *Moſtell. Scen.* III. *Act.* I. ſic eſt: *Scita quidem es tu, interpolare vis nova pictura opus lepidiſſimum.* Atque id ipſum eſt, quod prudentiores Interpretes unice Triboniano occinunt: *Scitus quidem es tu*, & quæ ſequuntur; quamvis, ſi dicamus, quod res eſt, nihil omnino ſit *ſcitum* in omni molimine emblematico. Præſtaret veteres Auctorum habere puros putos, quam aliorum manibus contrectatos & devirginatos. Præſtaret ſine laciniis JCtorum veterum fragmenta legere, quam his lectis hærere, quid cui tribuendum ſit. Si Tribonianus corpori aptaſſet propria membra, eorum dignitati magis conſuluiſſet. Sed hoc Catone contenti ſimus, cum alium habere non liceat. Alium tamen exoptabat Joſephus Scaliger *Scalig.* I. Voce *Cato. Præſtaret*, inquit, *nos amiſiſſe totum Jus Civile, ut hodie habetur ſine integris Auctoribus, quam Catonem & Varronem.* Ego vero vel centum Catones & Anticatones, & totidem Varrones mallem periiſſe, quam Jus Romanum, ut a Triboniano deſcriptum & digeſtum eſt.

Sed quid tandem de emblematibus dicemus? vetus proverbium eſt, inquit Ulpianus in *l.* 6. §. 1. *ff de Offic. Proconſ.* οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων, *neque omnia, neque paſſim, neque ab omnibus.* Sic & nos de emblematibus: *omnia* agnoſcere ſtultiſſimum, *paſſim* turpiſſimum, & *ab omnibus* imprudentiſſimum. Quemadmodum vero, ut ſupra

dicebam, ipſius Juriſprudentiæ intereſſet, nullum omnino dari emblema, ita & intereſt, dari quam pauciſſima. Quapropter non oportet nos eſſe liberales in his vel temere jactandis, vel anxie inveſtigandis; quin nec ullum largiendum, ſi res aliter ſalva eſſe poſſit, & an poſſit, tentanda prius omnia, omnis movendus lapis. Sedulo in primis cavendum, ne integros partus ſuppoſitos dicamus, vel aliorum quoque emblematum, ultra quam neceſſe eſt, ſimus prodigi.

Ea ſententia antiquis Interpretibus cum maxime placuit. Ex antiquiſſimis ſunt Græci, nec ſcio illos ullibi agnoſcere Triboniani interpolantem manum. Agnoſcunt emblemata in ipſis Baſilicis, ut & Scholiaſtes obſervavit ad *Baſil. L.* XXXIX. *T.* 2. *C.* 5. *lit.T.* in *l.* 5. *ff. de Injuſt. rupt. irr. fact. teſt.* ſed apparet, hæc, cum in ipſis Legibus non exſtent, Triboniani non eſſe, ſed inſerta vel ex poſteriori quadam Ecloga, vel forte ab ipſis Baſilicis, ex Legibus novis, quas illi ſolent ſuæ, quam vocant, Καθάρσει inſerere. Inſeruerunt ſane ſæpius; qui *legem* 8. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* contulerit cum *Baſil. L.* XXXV. *T.* I. *C.* 8. ne dubitabit quidem, licet de omnibus dubitare decreverit. Latini Interpretes, quo vetuſtiores, quo modeſtiores in hac cauſa. Accurſius hic illic Tribonianum odoratus eſt, ſed quam parciſſime; vidi tamen, ejus Obſervationes emblematicas alios deinde, ſuppreſſo nomine, ſuas feciſſe, & dabo aliquot ejus rei exempla. Schola vetus, Accurſium ſequuta, hæc ſcilicet ſacra ignorabat. Sed ex quo literas ad Juriſprudentiam attulit poſterior ætas, næ dici vix poteſt, quam impenſe placuerit ſtudium deprehendendi Triboniani. Andreas Alciatus & literarum & hujus quoque ſtudii ſignum ubique extulit, quin *L.* VI. *Parerg. C.* 14. palam adfirmare non erubeſcit, Tribonianum tantum non ſemper mutaſſe Pandectarum leges, in Codice abrogatas. Acerba etiam de emblematibus Balduini querela eſt *Not.* ad *Prolegomena Pandect.* Jacobus Cujacius & Franciſcus Hotomanus juſto prælio deinde Tribonianum aggreſſi ſunt, etiam ex ſolo ſtilo, ubi nihil juris novi erat, eum paſſim eruentes. Adeo ſcilicet factorum innocens erat Tribonianus, ut etiam verba ejus arguantur. Cujacii auditores, Petri Faber & Pithœus, Giphanius, Merillius, & qui non alii? in hoc ipſo ſtudio cerviculas ſuas jactarunt, tam effuſa liberalitate, ut ſibi viderentur plus ſapere, quo magis ſcirent ſecernere ſacra profanis. Ad has epulas Marcus Vertranius Maurus etiam ſymbolam ſuam contulit, ecce enim Libro *de Jure Liberorum*, non contentus quædam capita obſervare, quæ Tribonianus hic illic mala, imo nulla fide deſcripſiſſet, *C.* XVII. addit, ſe notandis emblematibus *Libros ſyntagmatum* deſtinaſſe, quod nempe hæc eſſet materies, quæ non niſi integris Libris pertractari poſſit. Eadem veſtigia & alii poſtea preſſerunt, ſerio exultantes, ſi quid Triboniani poſſent alicubi olfacere; neque majorum duntaxat Gentium Interpretes, ſed & minorum in hanc arenam deſcendunt, & ſe exemplo majorum tuentur. Non ſcilicet naſutioribus tantummodo eſt odora canum vis, verum & minus naſutis & homuncionibus de plebe. Atque hos omnes defendit numerus junctæque umbone phalanges.

Sed quo numero, quave auctoritate ſint, qui tam prolixe emblemata ſibi fingunt, ego eorum ſententia non utor. Neque etiam uſus eſt Gregorius Lopez, JCtus Hiſpanus, *Animadverſionibus Juris Civilis:* nam ut in *Præfatione* Juſtiniani & Triboniani cauſam agit adverſus eos, qui quocunque modo utrumque proſcindunt & calumniantur, ita & *Cap.* VIII. graviter perorat adverſus eos, qui Triboniani interpolationes, etiam leviſſimis de cauſis, probant, in hanc rem ſufficere quoque rati, quod Lex, quam forte non intelligunt, ſibi videatur dura, ſtulta, abſurda: ſic enim mox Triboniano adſcribere, eumque cum elogio ridere. Quo nomine vel maxime infamis eſt Faber Antonius. Gratulor autem Juriſprudentiæ Romanæ, quod & proxima & noſtra ætate exſtiterint, & etiam nunc exſtent Viri graves, prudentes, & bene conſulti, quibus diſplicet male ſana illa cacoëthes, quique adeo omni ope priſcis Auctoribus vindicant, quod eorum nomine eſt proditum editumque. *Multi*, inquit Cl. Heineccius *Orat. de JCtis ſemidoctis*, *qui in Tribonianum ſæviunt, non animadvertunt, non illius culpam eſſe, ſed ſuam, & pleroſque, quos ſibi fingunt, Tribonianiſmos, in fumum abituros, ſi quis paulo plus præſidii literarum ad Juriſprudentiam attulerit.* Qui præſidio literarum Tribonianum adoriuntur, ut adoriri ſolent, iiſdem armis omnino debellandi ſunt.

Quo animo ipſe ſim, & jam a dupondio fuerim in vindicanda integritate veterum JCtorum, ſcies fortaſſe ex his, quæ publice molitus ſum. Cavi diligenter, ne emblemata tam large mihi obtrudi paterer. Ubi res incidebat, incidit autem ſæpius, defendi & Auctoribus ſuis reſtitui varia loca, quæ ſpuria & a Triboniano ſuppoſita credebantur, & aliis forte ſalivam movi, ut in eo ſtadio porro decurrerent. Laudo itaque conſilium

Viri

Viri Conſultiſſimi, Joannis Wybo, Amici & Popularis mei, qui, quum anno CIↃ IↃ CCXXIX. JCtorum ordini adſcriberetur, *Diſſertatione inaugurali*, Ultrajecti habita, cauſam Triboniani egit adverſus eum libellum, quem primum edidit Joannes Jacobus Wiſſenbach, & EMBLEMATA TRIBONIANI inſcripſit. Cum & ipſe olim in hunc libellum incidiſſem, & miratus & indignatus ſum, quod eo opuſculo dicatur Auctor ſibi viam paraſſe ad famam: nam nihil quicquam mihi videtur ibi præſtitiſſe, quam quod, ut eſt in proverbio, hircum mulgentibus cribrum ſuppoſuerit. Exhibuit ſesquicentum fere emblemata, ſed ex aliis maximam partem deſcripta, quæ enim ex ſuo ipſius ingenio profecta ſunt, vix numerum faciunt. Sæpe etiam ei libello inſeruit πάρεργα ἔργῳ μείζονα, ut ſolent, qui primum quid ſcriptitant, eruditionis oſtentandæ gratia, ſed & ea πάρεργα non minus aliis Auctoribus debentur, quam ipſa emblemata, ut obſervabis, ſi vel eos ipſos locos excutias, quos ipſe adducit. Probo autem, quod plerumque auctores ſuos laudaverit, quamvis non ſemper primum emblematis auctorem, ſed vel ſecundum, vel tertium, verum non probo, quod aliquando nomina auctorum ſuppreſſerit, iisdem tamen ſervatis rationibus, quin iisdem quoque verbis, quibus illi emblemata defendunt.

Ante aliquot annos & ipſe conſtitueram hoc Wiſſenbachii opuſculum ſingulari Libro refutare, & probare, ſi non omnia, pleraque ſane emblemata, ibi deſcripta, eſſe oppido ficta, & ſuavia ad ridendi materiam. Conſtitueram alio Libro, juſtæ quoque molis, obviam ire aliis aliorum emblematibus, quæ ipſe prætermiſit, quæve alii Interpretes poſtea ſibi indicaſſe viſi ſunt. Scilicet non tam late patebat eruditio Wiſſenbachii, cum hunc libellum ederet, ut omnes Interpretum loculos potuiſſet excutere, & in rem ſuam verrere. Atque his ſupervenit deinde aliorum quoque male collocata induſtria, in hoc ipſo argumento. Sic, inquam, conſtitueram, ſed mutavi conſilium, ut ut magnam partem Operis jam edolaverim, & nunc accipe cauſas, cur mutaverim. Si ſingula emblemata, quæ vel ſolus Wiſſenbachius recenſet, mihi eſſent refutanda, ne ab illis quidem abſtinere potuiſſem, quæ ſoli Wiſſenbachio debentur. At ea ſunt ejusmodi, ut ſilentio potius & contemptu, quam ſeria diſputatione videantur tranſigenda. Si exemplum quæris, in veſtibulo eſt *l.* 2. *ff. de Juſt. & jur.* ubi de emblemate nugatur Wiſſenbachius, primus forte & ſolus; ſi neſcias, cur nugetur, aliud agens indicavi *L.* VI. *harum Obſ.* C. 2. Idem dico & de aliis nonnullis emblematibus, quæ ſunt extra ſatyram Wiſſenbachii. Ad hæc per omnem, qua vixi, ætatem non tantum ex Interpretibus juris, ſed & ex ipſis Grammaticis, locis fugitivis, tot emblemata, Wiſſenbachio prætermiſſa, collegi, ut iis refutandis vel ſpiſſus liber non ſufficeret. Et recte ait ille: *magnus liber, magnum malum.* Fere mille emblemata numero, de quibus ille tacet, & alia mille ſolus Antonius Faber facile ſuggeſſerit. Sic alia ex aliis creſcunt, & omnibus profligandis vix una unius hominis ætas ſatis eſſet.

Quare conſilium, quod ceperam, non quidem plane abjeci, ſed mutavi, non omnia, quæ vulgo circumferuntur, emblemata, nec integris Libris refutaturus, at vero editurus aliquot ſpecimina, ex quibus, ceu totidem exemplis, conſtet, etiam magna Nomina in his rebus operam luſiſſe. Non repeto, quæ Wybo noſter ad varias Leges bene dixerat, ſed occupo præmium, quod meæ & aliorum induſtriæ ipſe reliquerat. Catalogum, a Wiſſenbachio compoſitum, nolui egredi, & aliunde nunc emblemata arceſſere, nam ſatis ampla ibi ſeges eſt: omiſi autem, quæ ipſum Wiſſenbachium habebant auctorem, quia fere indigna erant, quæ alios habebant auctores, me totum occuparunt, & ex his adverſarios mihi ſelegi, qui hilarioris famæ erant, & auctoritatis magis conſtitutæ. A Pandectis, utpote dignioribus, hic non abivi. Specimina autem, quæ habebis, non dedi, qua leviora, & ad quæ prompta erat reſponſio ad amoliendum emblema. Imo graviora ad curam meam pertinere volui, quæ vel maxime in omnium oculos & animos videbantur incurrere, & de quibus fere conſtabat inter pleroſque primæ dignationis Interpretes. Selegi etiam ea, quæ ſemel refutata aliis quam plurimis præjudicio eſſe poſſent: conſtat enim, plurima emblemata, ut una eademque ratione adſtruuntur, ſic una eademque deſtrui, & ſæpe bis idem dicendum eſſe, ſi de ſingulis eamus in ſuffragia. Specimina, quæ hic exhibeo, implebunt aliquot Capita *Libri* VII. & VIII. & ſic, ſi non in totum, ex parte ſaltem exſolvo fidem, quam ante plurimos annos memini me publico dare.

Nolim tamen quisquam exiſtimet, atque ſi defendere conſtituerim, in Pandectis vel Codice nullam omnino eſſe Legem, quæ Triboniani manum redoleat. Non ita Suffenus ſum, niſi velim in os contradicere ipſi Juſtiniano, palam adfirmanti iis *Conſtitutionibus*, quibus *Pandectas* & utrumque *Codicem* confirmavit, eſſe quædam addita, detracta, & mu-

mutata. Non, inquam, ea mente hæc ſcribo, ut Juſtiniano fidem abrogem, ſed ut conſtet, ne decimam, forte nec vigeſimam partem eorum, quæ *emblemata* audiunt, pro emblematibus vel interpolationibus eſſe habendam. Omnes utique additiones & detractiones in hunc cenſum non veniunt, non additiones, niſi aliquod ſit ἔμβλημα vel ἐπίβλημα ex jure novo; non omiſſiones, niſi efficiant, ut alia nunc ſit Auctoris ſententia, quam olim fuit. Omiſſiones igitur ab interpolationibus recte diſtinxit Gregorius Lopez *Animadverſ. Jur. Civil. C. ult.* & ipſe diſtinguam, cum ad rem ventum erit. Voculas quoque, hic illic additas, ut tranſitioni ſerviant, & Leges Legibus nectant, huc non pertinere, ſatis eſt certum: absque his ſi eſſet, plus indulgendum querelæ, *Corpus*, quo utimur, eſſe.

> —— —— *lacerum crudeliter ora,*
> *Ora manusque ambas* —— ——

& JCtos reviviſcentes eſſe exclamaturos:

> *Hei mi qualis eram!*

Omnis interpolatio cenſenda eſt ex jure vel ſermone novo. Ut ſi jus novum, quod non obtinebat ætate ejus JCti vel Principis, cujus nomen aliquod caput præ ſe fert, ſub ejus tamen perſona repræſentetur; vel ſi Latinitas, qua utitur JCtus vel Princeps, non ejus, ſed poſterioris ſit ætatis. Sed hæc poſtrema ratio, quæ ſola ſæpe ad partes vocatur, eſt fragilis, & periculoſa, & quæ veritatem fallit. Nemo eſt, qui neſciat, pleroſque JCtos, ex quorum fragmentis Pandectæ conſtant, vixiſſe ea ætate, qua jam decoxerat ſermonis Latini puritas & majeſtas: a JCtis igitur noſtris exſpectabimus, ut Latine loquantur; quemadmodum loquuta eſt Lælia, ſocrus Craſſi, aut Gracchorum mater Cornelia? varia etiam eorum ætas, & nonnulli Romæ quoque peregrini. In Alfeno Alfenum deprehendo, ſed non in Paulo, multo minus in Ulpiano Tyrio, & adhuc minus in Arcadio Chariſio. Componite tamen cum his JCtis, quibus Pandectarum præcipua pars debetur, Scriptores Linguæ Latinæ æquales, quin & nonnihil ſuperiores, Julium nempe Obſequentem, Aulum Gellium, Plinium Juniorem, noſtri profecto vincent ſtilo, & plus vincent Afros, Apulejum, Tertullianum, alios. Oppido igitur moroſi ſumus, ſi non patiamur, noſtris vocabulum aliquod excidere, quod vitium ſæculi redoleat. Ne dicam, peſſimos ſæpe Latinitatis magiſtros quaſi ex tripode pronunciare de verbis & ſententiis Latinis, ſibi parum intellectis. Sed hæc, & alia, quæ huc pertinent, plenius exſequar ſuis locis, neque enim conſtitui iis morem gerere, qui non legunt niſi ſolas præfationes, ut nempe de argumentis Librorum nonnihil poſſint confabulari.

Ex his intelligis, ſatis tutum non eſſe, ex ſolo illo ancillæ Euangelicæ, ἡ λαλία σου δῆλόν σε ποιεῖ, Tribonianum aliquem eruere. Fortior in hanc rem ratio eſt, ſi liqueat veteri Legi eſſe adſcriptum, quod novæ eſt, vel novæ, quod eſt veteris, utroque enim modo fit interpolatio, & largior etiam utroque modo factam eſſe. Prior ſpecies eſt vulgaris, & tantum non unice celebrata, & ejus exemplum agnoſco in *l. 6. ff. de Divort. & repud.* & paucis forte aliis. Quæ Julianus ait in *d. l. 6.* nec antiquis JCtis conveniunt, nec his, quæ de ipſo Juliano tradit Ulpianus in *l. 45. ff. de R. N.* Conveniunt illa Jurisprudentiæ novæ in *Novell.* XXII. *C.* 7. Sed Tribonianum, cum Pandectas ederet, ex Novellis interpolare non potuiſſe Jus vetus, in ipſo Opere oſtendam. Igitur aut alius interpolavit, in quod proclivior ſum ob rationes, quas nunc non exſequor, aut, ſi Tribonianus, interpolavit ex Jure vetuſtiore, quod in *Novellis* repetitum eſt. Excepta autem *d. l. 6.* & paucis forte aliis, non auſim tam longe & late evagari, & Triboniano tribuere, quod Triboniani non eſt. De Pandectis loquor, nam in Codice plus ſibi ſumpſiſſe Tribonianum nemo inficiabitur, qui utrumque Codicem, Theodoſianum & Juſtinianeum, contulerit; majorem ſcilicet, ut ipſe profitetur, *antiquitati reverentiam habuit.* Attamen nec in ipſo Codice tantum ſibi ſumpſiſſe, quam vulgo placet, ipſis rerum argumentis edoctus ſum.

Atque hæc de priore ſpecie interpolationis, qua Lex nova adſcribitur veteri, ſed nec poſterior ſpecies, qua Lex vetus adſcribitur novæ, ſine exemplo eſt. Vis illuſtre? accipe ex eo ipſo Syllabo emblematum, quem Wiſſenbachius edidit, & ex eo diſce, quam ingenue agam, & ſimul, quam imprudenter agat Wiſſenbachius, ſimulac Auctores ſuos vel tantillum deſeruerit. In fideicommiſſariis hereditatibus frequentabantur olim duo

duo SCta, Pegaſianum & Trebellianum. Quæ utriusque SCti propria fuerint capita, non licet nunc aliunde ſcire, quam ex *Inſtitutionibus*, Titulo *de Fideicommiſſariis hereditatibus*, & ex Fragmentis nonnullis, quæ ſuperſunt Ulpiani Paulique. Pegaſiani quam maxime duo fuere capita, quorum alterum permittebat fiduciario quartam ſibi retinere, alterum eundem invitum cogebat hereditatem fideicommiſſariam adire & reſtituere. Trebelliani præcipuum caput fuit, ut actiones, quæ heredi & in heredem competerent, ei & in eum darentur, cui ex fideicommiſſo reſtituta eſſet hereditas. Utebantur heredes nunc hoc, nunc illo SCto, donec Juſtinianus, exploſo penitus SCto Pegaſiano, ejus duo capita in Trebellianum transfudit, ex eoque ſolo hereditates fideicommiſſarias reſtituere juſſit §. 7. *Inſt. d. Tit.* & *Novell.* I. *C.* 1. §. 1. Hinc prolixa emblematum materies: videas enim, Tribonianum, quæ veteres JCti & Principes de utroque SCto dixerant & ſollicite diſtinxerant, interpolaſſe, & quicquid SCto Pegaſiano olim cavebatur, Tribelliano adſcripſiſſe, *quaſi cum una multa jura confundit coquus*, ut utar Plauti dicto *Moſteil. Act.* I. *Scen.* 3. Atque hinc Falcidia, quam ad fideicommiſſarias hereditates ſolum Pegaſianum porrexerat, Trebelliano tributa, non ab antiquis JCtis & Imperatoribus, quorum nomina legibus præſcripta ſunt, ſed ab ipſo Triboniano. Hinc etiam omnis Pegaſiani SCti memoria funditus ſublata, tam in Pandectis, quam in Codice. Ita fere conqueruntur Contius & Goveanus, uterque loco communi *de interpolationibus Triboniani*, ita & alii, a Wiſſenbachio in teſtimonium vocati *Catalogo emblematum*, Titulo, *ad SCtum Trebellianum*, & præter hos Baludinus ad *Tit. Inſt. de Fideicomm. heredit.* Turaminus *de Exæquatione legator. & fideicommiſſ. C.* VI. & plurimi, quos tranſeo. Caverunt tamen hi omnes, ne quid interpolatum arguerent in ipſo titulo Pandectarum, *ad SCtum Trebellianum*, ut arguit Wiſſenbachius, probe ſcilicet gnari, omnes omnino Titulos eſſe a manu Triboniani. Sed ejus imprudentiæ jam facem prætulerat ad *Tit. ff. Si ager vectigalis, id eſt, emphyteuticarius petatur;* nec eam adhuc deſeruit ad *Tit. ff. de Interdictis ſive extraordinariis actionibus, quæ pro his competunt.*

Ab Inſcriptione quidem nullum, ut dixi, periculum, nullus juſtæ querelæ locus. Sed quod ad ipſa capita juris attinet, quæ de SCto Trebelliano loquuntur, & tamen de Pegaſiano intelligenda ſunt, juſtior indignatio. Ea capita, ex aliis deſcripta, recenſuit Wiſſenbachius *d. loc.* & exſtant in *l.* 16. §. 4. *&* 7. *l.* 17. *pr. l.* 45. & *l.* 68. *pr. ff. ad SCt. Trebell. l.* 6. *pr. C. Eod.* & *l.* 16. *C. ad L. Falcid.* quibus & alia ex aliis poſſem addere. Sed qui in omnibus his, quas dixi, Legibus, nulla excepta, Triboniani interpolantem manum videt, fateor, me plus acutum videre, & plus forte, quam aut aquila aut ſerpens Epidaurius. In nonnullis ſimpliciter *SCti* mentio, ut ſic liceat, quod ibi dicitur, ad utrumque SCtum referre. In nonnullis, *Senatus cenſuit*, abſque ullo diſcrimine. Pegaſo an Trebellio referente. Nihil hæc probant, niſi ſimul probatum fuerit, ea Trebelliano tribui, quæ ſolius Pegaſiani ſunt. Atque id factum eſſe largior in *d. l.* 68. *pr. ff.* & *d. l.* 6. *pr. C. ad SCt. Trebell.* & in paucis quibusdam aliis, ubi, quod de SCto Trebelliano dicitur, ſecundum ea, quæ præponuntur, ad Pegaſianum pertinet. Sed cur in his tantum ſupercilii? Juſtinianus SCtum Pegaſianum abrogaverat, priusquam Pandectas ederet, hinc nulla ejus ibi mentio, quod nemo reprehenderit. Aliqua ejus SCti, jam abrogati, capita in Trebellianum tranſcripſit, ſed, ne fucum faceret lectoribus, id admonuit *Præfatione*, quæ incipit *Tanta* §. 6. *Solum*, inquit, *SCtum Trebellianum ponendum eſſe exiſtimavimus, captioſas etenim & ipſis Veteribus odioſas Pegaſiani SCti ambages, & utriusque SCti ad ſe tam ſupervacuas, quam ſcrupuloſas diverſitates reſpuentes, totum jus, ſuper his poſitum, Trebelliano SCto adjudicavimus.* Id ipſum repetit *Præfatione Græca*, quæ incipit Δέδωκεν ἡμῖν, rotunde profeſſus §. 6. quod SCti Pegaſiani erat, ſe in Trebellianum tranſtuliſſe. ἁπλουστέρῳ τινὶ λόγῳ τὸ πᾶν τοῦτο σχῆμα συναθροίσαντες, καὶ εἰς τὴν τοῦ Τρεβελλιανοῦ μεθαρμοζόμενοι τάξιν. Quod ita verto: *planiore quodam modo omnem* utriusque SCti *conſpectum colligentes, & in Trebelliani Titulum transferentes.* Quam ingenue & bona fide! abſit, ut id factum negemus, quod Juſtinianus, fatum & ordinem compoſitionis ſuæ enarrans, factum eſſe adfirmat. Caveamus tamen, ne & in his nimii ſimus.

In eo igitur, quem ſic dixi, articulo herbam porrigimus. Sed quum, hoc uno equidem excepto, de aliis nominatim nihil quid ejusmodi admonuerit Juſtinianus, ne nobis tantum indulgeamus, ut faciles, proni, & avidi arripiamus emblemata πάντα, πάντοτε, καὶ παρὰ πάντων. Ipſe Wiſſenbachius, quamvis emblematum ſtudioſiſſimus, ab eo vitio ſibi cavit: nam cum Hotomanus *Illuſtr. Quæſt.* XI. interpolatam eſſe crederet *l.* 16. *ff. de Fund. dotal.* ex Contio ei, & recte, contradicit in *Emblem. Tribon.* ad *d. l.* 16. & cum Giphanius ad *l.* 13. *C. de Contrab. & commit. ſtipul.* emblema notaſſet in *l.* 31. §. *ult. ff. ad SCt. Trebell.* ecce & ei ivit obviam *d. Opuſc.* ad *d. l.* 31. §. *ult.* & tamen pa-

rum memor ejus præcepti, Titulum Libri ſæpe eſſe relegendum, ne ſcilicet Titulo fallamus, utramque legem Libello ſuo emblematico inſeruit. Si ſciviſſet, Antonium Fabrum *L.* VI. *Conject. Jur. Cap.* 11. longe alia, quam Giphanius, ratione improbaſſe Jurisprudentiam & ſtilum Marciani in *d. l.* 31. §. *ult.* & propterea Tribonianum ibi totum deprehendiſſe, neſcio, an non Marciani cauſam deſeruiſſet. Sed proba recta eſt *d. l.* 31. §. *ult.* nec quicquam habet, unde ſibi a Fabro metuat. Sed hoc jam non ago. Moneo potius, Wiſſenbachium, cum primitias ſtudiorum explicaret, ea emblemata collegiſſe, maturiori vero ætate plus ſemel pœnituiſſe emblematis, temere olim jactati. Ille ſane, præeunte Hotomano *L.* VII. *Obſerv. C.* 3. in album ſuum retulit *l.* 7. §. 12. *ff. de Pact.* & tamen Hotomanum illud *parum candide* facere, ipſe Wiſſenbachius poſtmodum profeſſus eſt *Comment.* ad *l.* 7. *ff. de V. S.* & recte, ſi recte diſputavi *Libro Singul.* ad *l.* 40. *ff. de Reb. cred. C.* V. Vis aliud exemplum? inter emblemata ipſe ille Wiſſenbachius recenſet quoque *l.* 16. *pr. ff. de Tutel.* quod nempe Cajus ibi dixerit tutelam *plerumque* eſſe officium virile, ſic enim didicerat a Bachovio ad *Tit. Inſt. de Legit. patron. tut.* Sed vero Wiſſenbachius, meliora doctus, *Comment.* ad *Tit. ff. de Tutel. n.* 6. non diffitetur, illud *plerumque* commodum referri poſſe ad exceptionem, quam habet Neratius in *l. ult. ff. eod. Tit.* & ſic omnino eſt.

Sed quia magna Nomina magis movent, de ipſo Cujacio quædam addam. Ille *Comment.* ad *l.* 1. *ff. de Naut. fœn.* emblema agnoſcit in *l.* 1. *ff. de Uſur.* ut & in aliis veterum JCtorum reliquiis, quæ meminerunt *legitimi uſurarum modi*, & tamen ipſe ille Cujacius ad *L.* II. *Quæſt. Papiniani* in *d. l.* 1. hæc omnia, ſine emblemate, bene & prudenter explicat. Quare vellem, ne Giphanius, Cujacii auditor, tam pravi fictique tenax fuiſſet, ut in priora verba Magiſtri adhuc juraſſet *Comment.* ad *l.* 26. *C. de Uſur.* Rurſus Cujacius ad *L.* II. *Sentent. Pauli T.* XIV. §. *trajecticia* 3. & ad *d. l.* 1. *ff. de Naut. fœn.* interpolatam eſſe credidit, *l.* 4. §. 1. *ff. eod.* quemadmodum & credunt Pithoeus ad *d. loc. Paul.* & Leoninus *L.* IV. *Emend. C.* 7. *n.* 5. & *L.* IV. *C.* 8. *n.* 4. Sed ipſe ille Cujacius, ſecundis curis, hoc emblema retractat *L.* V. *Obſerv. C.* 38. & *Tractat.* VII. *ad African.* in *l.* 23. *ff. de Oblig. & Act.* & ad *L.* III. *Reſponſ. Papiniani* in *d. l.* 4. *ff. de Naut. fœn.* Dabo & aliud exemplum, quod Cujacio vis major veritatis extorſit. Nimirum ad *Fragm. Ulpiani T.* VI. §. 6. impenſe laudavit emblema, quod Goveanus *L.* I. *Variar. Lect. C.* 44. obſervaverat in *l.* 2. §. 1. *ff. Solut. matrim.* adſcripto prolixe Goveani elogio. Sed prioris ſententiæ pœnituiſſe Cujacium, diſces ex *Mercatore L.* III. *C.* 18. ubi ait, ſe id emblema *nec in totum, neque valde probare.* Quia tamen in eo refutando ipſe plane non, & alii perperam verſati ſunt, me occupabit Ulpianus *harum Obſerv. L.* VIII. *C.* 14. Si nondum ſatis exemplorum eſt, excute, quæ de *l.* 1. §. 2. *ff. de dote præleg.* dicit Cujacius ad Ulpiani *Fragm. T.* VI. §. *dos ſi pondere* 8. & quæ poſtea dixit *L.* VII. *Obſerv. C.* 20. ſed quia non dixit, quod res eſt, vel mihi eſſe videtur, alia via hic rem aggreſſus ſum *L.* VII. *C.* 19. Igitur nec nos pudeat ſententiam mutare, & reſipiſcere, ſi nimis temere quandoque de interpolationibus pronunciaverimus, nam, ut alicubi eleganter ait Ariſtoteles, ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας δεῖ καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, *ut veritati conſulatur, etiam propria oportet convellere*, non tantum Cujacii, ſed ipſius Papiniani exemplo in *l.* 6. §. 1. *ff. de Serv. export.* Sed ſatis & forte nimium præfationis eſt. Vale, Lector, ex animi ſententia.

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK

OBSERVATIONUM JURIS ROMANI

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

Leviter emendata L. 1. §. 3. ff. de Hered. inſtit.

Interpretes, quos adivi, omnes adeo ſecure transmittunt *l.* 1. §. 3. *ff. de Hered. inſtit.* atque ſi nihil ibi occurreret, quod vel minimum turbare poſſet. Ulpianus *L.* I. *ad Sabinum* ſic ibi ſcripſiſſe creditur: *Qui neque legaturus quid eſt, neque quemquam exheredaturus, quinque verbis poteſt facere teſtamentum, ut dicat*, LUCIUS TITIUS MIHI HERES ESTO. *Hæc autem ſcriptura pertinet ad eum, qui non per ſcripturam teſtatur, qui poterit etiam tribus verbis teſtari, ut dicat*, LUCIUS HERES ESTO, *nam & MIHI & TITIUS abundat.* Priora verba eſſe Sabini adſentior Cujacio *Comment.* ad *h. l.* 1. §. 3. idque apparet ex ſubjecta nota Ulpiani, *hæc autem ſcriptura*, hoc eſt, ſcriptura Sabini, ut Cujacius eo loco recte interpretatus eſt. Ceterum, quod Sabinus dixerat, poſſe quem teſtari quinque verbis, Ulpianus videtur reſtringere ad teſtamentum nuncupativum, *ad eum, qui non per ſcripturam teſtatur*, utque adeo in teſtamento ſcripto, ex ejus mente, aliud videatur ſtatuendum. Rationem differentiæ nemo dedit, nec puto eſſe, qui dare poſſit, quum ut verbis, ita & ſcripto mens eadem teſtantis declaretur. Quin ipſe ille Ulpianus, eandem telam pertexens, in §. 5. *h l.* 1. ita pergit; *ſi autem ſic* SCRIBAT, &c. quo manifeſtum eſt, etiam præcedentia ad teſtamenta ſcripta pertinere. Sine ulla quoque diſtinctione vel ſcripti vel nuncupativi teſtamenti idem Ulpianus, in cujus nota explicanda verſamur, *Fragm. Tit.* XXI. dixit, heredem recte inſtitui his verbis, *Titius heres eſto, Titius heres ſit.* Omittitur etiam ea diſtinctio in Baſilicis *L.* XXXV. *Tit.* 9. *C.* 1. ubi hæc Ulpiani nota exhibetur. Quare nec dubito, quin Ulpianus, quod dixit in *d.* §. 3. dixerit de utroque genere teſtamenti. Ne autem verba, ut nunc leguntur, obſtent, explicata, ex regula geminationis, veteri ſcriptura, lego: *pertinET*, hoc eſt, *pertinet et* ad eum, qui non per ſcripturam teſtatur, ut utrumque teſtamentum una eademque oratione complectatur.

Deinde ait, *qui poterit etiam tribus verbis teſtari.* Ampliata Sabini ſcriptura, etiam tribus verbis recte heredem inſtitui dixit, plane ut dixerat *Fragm. Tit.* XXI. Illud *qui*, ſenſu nonnihil contorto, ferri poſſet; ſed oppoſitio eſſet major, ſenſusque melior, ſi legeretur, *quin*, in quam ſcripturam ego quoque eſſem proclivior.

Præterea ait, *teſtari.* Si *quin* reponas, ut ut activa ſignificatione poſſes accipere verbum *teſtari*, malim tamen paſſiva. Conſtat, verba, quæ *deponentia* vocantur, utraque ſignificatione accipi apud Auctores, cum noſtros, tum exteros. Exempla habes apud Clar. Dukerum *Opuſc. de Latinitate JCtorum p.* 328. 333. 349. 381. & alia alibi ſuperſunt. De ipſo verbo *teſtari* teſtem habes Gellium *L.* XV. *N. A. C.* 13. Atque ita *teſtari* hic eſſet *teſtamentum fieri*, poſſe ſcilicet teſtamentum abſolvi non quinque duntaxat, ut Sabinus dixerat, ſed & tribus verbis, *Lucius heres eſto*, abundare enim & *mihi* & *Titius*.

Eandem, ut dixi, telam pertexit Ulpianus in §. 5. *d. l.* 1. *Si autem*, inquit, *ſic ſcribat*, LUCIUS HERES, *licet non adjecerit* ESTO, *credimus plus nuncupatum, minus ſcriptum, & ſi ita*, LUCIUS ESTO, *tantumdem dicemus.* Igitur adhuc plus dicit, quam dixerat, ea ſcilicet ſimplicitate teſtamenta fieri poſſe, ut duo verba ſufficiant, cum tamen hodie in condendis teſtamentis tot verba perdantur, non alio, prope dixerim, fine, quam ut prolixam litium materiem præbeant. Tentat mox Ulpianus, an non unum verbum ſufficiat. *Ergo*, inquit, *& ſi ita*, LUCIUS, *ſolummodo? Marcellus non inſubtiliter non putat hodie hoc procedere. Divus autem Pius, cum quidam portiones inter heredes diſtribuiſſet ita*, ILLE EX PARTE TOTA, ILLE EX TOTA, *nec adjeciſſet*, HERES ESTO, *reſcripſit, valere inſtitutionem, quod & Julianus ſcripſit.* Hæc verba interprete non egent, ut nec alia, quæ de eodem argumento ſubſequuntur in §. 6. & 7. Moneo tamen, voci *ſolummodo*, qua utitur Ulpianus in *d.* §. 5. & uſus quoque erat in §. 1. *d. l.* de ſtatu Latinitatis controverſiam moveri a Grammaticis, *tantummodo* admittunt, *ſolummodo* rejiciunt. Ita Vorſtius *de Latinitate merito ſuſpecta C.* 32. Nolim pro Ulpiano reſpondere Ulpianum apud Athenæum *Deipnoſoph. L.* XV. *principio ii*

μὴ ἰατροὶ ἦσαν, οὐδὲν ἂν ἦν τῶν γραμματικῶν μωρότερον, *exceptis Medicis nihil Grammaticis eſt ſtultius*; dico potius, mihi ſatis Latinum videri, quod loquendi ratio admittit, & uſus JCtorum probat. Eorum elegantiæ laudique nihil quoque Grammatici detraxerunt, niſi forte Sanctius in *Minerva L.* III. *C.* 14. hac lepida ratione; *quod ſeculum Juſtiniani Latinam Linguam non poliebat*, veteres Juris Auctores, ex quibus Pandectæ conſtant, ſic vixiſſe ratus trecentos, imo, quoſdam ex his, quingentos annos poſt eam ætatem, qua revera vixerunt ſcripſeruntque. Quod miror, qui Sanctio cenſendo occupati fuerunt, ſine nota tranſmiſiſſe.

Offendere etiam nonneminem poſſit, quod in *d.* §. 5. cum agatur de hereditate ab ipſo teſtatore diſtributa, illud ſignificetur hac formula, *ille ex parte tota*, *ille ex tota*, cum nulla pars totum eſſe poſſit. Fuit olim, quum juvenili auſu tentarem pro *tota*, utrobique reſcribere *tanta*, maxime quum animadverterem, illud vitium etiam alia loca occupaſſe. Sed muto ſententiam; *totus* non ſemper eſt *integer*, *ſolidus*, verum & partem denotat, ut denotat ſemper, ubi ſequitur *quotus*, & tunc prima ſyllaba corripitur, cum alioquin producatur. *Totus* eſt a *tot*, ut *quotus* a *quot*, & partes quoque ſignificant *tot* & *quot*.

CAPUT II.

Propulſatio vis atque injuriæ quo ſenſu Juri Gentium tribuatur in L. 3. ff. de Juſt. & Jur.

Q*uæro*, inquit Giphanius ad Muretum (inter Epiſtolas Mureti *L.* I. *Ep.* 78.) *cur juri Gentium Florentinus adſcribat vindicationem in l.* 3. *ff. de Juſt. & jur. cum & belluis ea ſit communis*? & ſane quæſitu dignum eſt. Reſponſio Mureti, quod ſciam, publice non exſtat, ſi exſtaret, forte ego potuiſſem hac opera ſuperſedere. Jus naturale definire docuit Ulpianus in *l.* 1. §. 3. *ff. h. T.* allatis quibusdam, quæ ex jure naturali deſcendunt. Jus Gentium definivit in §. 4. *d. l.* & quæ inde deſcendant, ex variis JCtis relatum eſt in *l.* 2. *l.* 3. *l.* 4. & *l.* 5. *Eod.* Valde autem inexſpectatum videri poteſt, quod ad Jus Gentium referat Florentinus in *l.* 3. *ut vim atque injuriam propulſemus*. Nihil enim magis juri naturali proprium eſt, quam defenſio ſui, hanc permittunt, quin & jubent τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, quæ cum ipſis brutis habemus communia. Ab ipſa natura comparatum eſſe, ut vim vi repellere liceat, Cicero variis locis prolixe teſtatus eſt, nec alia mente uſos eſſe veteres Juris Auctores, eorum fragmenta paſſim loquuntur. Recitarem loca Ciceronis ex Libris *de Officiis*, *de Finibus bon. & mal.* ex *Topicis*, & *Orat. pro Milon.* ſi non quædam occupaſſet Marius Salomonius *Comm.* ad *l.* 1. §. 3. *ff. de Juſt. & jur.* & alia ab aliis usque & usque eſſent deſcripta. Quæ Jure Romano in eandem ſententiam exſtant, indicavit Scholiaſtes Baſilicorum ad *h. l.* 3. nec a Latinis quoque Interpretibus prætermiſſa ſunt. Sed quid attinet veritatem, nobiscum natam & adultam, teſtimoniis onerare; plus ſcire attinet, qua ratione ſolus Florentinus ad Jus Gentium retulerit, quod ad Jus naturale referunt alii omnes.

Movet hanc difficultatem Goveanus *Var. Lect. Jur. Civil. L.* I. *C.* 20. ſed quo amoveat, nihil quicquam dicit. Scholiaſtes Baſilicorum eo, quo dixi, loco reſpondet, quod ὁ ἐθνικὸς νόμος καταχρηστικῶς καλεῖται φυσικὸς, *Jus Gentium improprie appellatur naturale*, ſed quis illam καταχρῆσιν admittat in tractatu, ubi utrumque jus diſtincte definitur, & utriusque, ita diſtincti, exempla proponuntur. Jure naturali definito, quædam ejus exempla ſubjecit Ulpianus, mox definit Jus Gentium, & ei rurſus, ex aliis JCtis, ſubjiciuntur exempla, quæ eo pertinent. Atque ideo neque adſentior Connano, qui *Comment. Jur. Civil. L.* I. *C.* 4. *n.* 9. exiſtimat, ea exempla, quæ in *l.* 2. *l.* 3. *l.* 4. & *l.* 5. recenſentur, promiſcue pertinere, vel ad Jus naturale, vel ad Jus Gentium, quod utrumque Ulpianus definiverat. Salva recte diſputandi norma hæc non ſubſiſtunt. Nec tamen felicius cauſam extricant, qui vel Florentini errorem arguunt, quod Juri Gentium tribuerit, quod Juris naturæ eſt, vel culpam in Tribonianum transferunt, quod hoc fragmentum non collocaverit ſua ſede, hoc eſt, inter exempla Juris naturalis, ubi Florentinum retuliſſe putant.

Sed, ut Jurisprudentiæ ſua conſtet dignitas, aliud dicendum eſt. Et, ut aliud dicamus, veteres jam Interpretes anſam præbuere, nam inter illos ſunt, qui *vim atque injuriam* acceperunt pro *vi injuſta*, ut obſervavit Salomonius ad *h. l.* 3. & quamvis ipſe illud improbet, tamen nihil puto eſſe verius. Ex poſterioribus quoque Interpretibus ſunt, qui ex figura Rhetorices, neſcio qua, *vim atque injuriam*, licet in duo diviſam, pro uno tamen eodemque accipiunt, ut apud Virgilium, *pateris libabat & auro*, apud Lucanum, *chalybem frenosque momordit*, atque ita in ceteris. Hanc Florentini mentem haud obſcure ejus verba ſignificant, neque enim ſimpliciter ait *vim*, ſed qualem intelligat, ſubjungit, cum interpretationis loco addat, *atque injuriam*. Agit igitur de vi injuſta illata. Unde Baſilici, omiſſa *vi*, ſimpliciter hæc vertunt, ἀποθεῖσθαι τὴν ἐπιφερομένην ὕβριν, *propulſare illatam injuriam*, non βίαν, ſed ὕβριν. Similis locutio, qua hic utitur Florentinus, eſt apud Florum *L.* I. *C.* 2. *in fin.* ubi de Numa Pompilio: *eo denique ferocem populum redegit, ut, quod vi & injuria occupaverat imperium, religione atque juſtitia gubernaret.* Illud *occupaverat*, refero ad *ferocem populum*, nam ad Numam Pompilium referri non poteſt, utpote *quem*, *Curibus Sabinis agentem*, *ultro petivere*, *ob inclitam viri religionem*, ut ante dixerat Florus. Si ad *populum* non referas, ſibi non conſtaret Florus, niſi pro *occupaverat*, ut olim tentabam, reſcriberes *occœperat*, per vim enim & injuriam initium ſumſerat Populus Romanus, ex ſceleſtiſſimis, qui ad Aſylum confugerat, collectus, & ſubſequutis mox per vim matrimoniis. Sed eam mutationem nunc non urgeo.

Ceterum non ſufficit ſcire, ſolam injuriam ſive vim injuſtam a Florentino intelligi, niſi intelligamus quoque, quemadmodum propulſatio injuriæ ſive vis injuſtæ ad Jus Gentium pertineat. Id ſatis explicatum nondum vidi, & ſane explicatu videbatur difficile, cum & Juris naturæ ſit, injuriam ſive vim injuſtam repellere. Et ſic eſt, ſed alia atque alia ratione. Jure naturæ vis injuſta repellitur, qua-

quatenus vis, Jure Gentium, quatenus injuſta. Ex Jure naturæ licet propulſare quodcunque inimicum eſt, nullo diſcrimine æqui vel iniqui ex Jure Gentium adhibito, Jus Gentium duntaxat permittit ſe ſuaque tueri adverſus ea, quæ inique & injuria inferuntur. Illud naturæ, hoc rationis eſt. Juſtum naturæ etiam ſine ratione expeditur, *ſine ulla cogitatione*, *ſine conſilio fit*, *quicquid natura præcipit*, ait Seneca *Epiſt.* 121. Lex naturæ eſt quomodocunque ſe conſervare, eaque omnia facere, quæ ad ſui conſervationem conducunt; ei legi ſi quis non pareat, contra naturam injuſtus eſt, idemque Jure Gentium quandoque juſtus. Supplicium meritus & ad pœnam damnatus, ſi ſententiæ ſe & exſequutioni non ſubmittat, ſed quo poteſt modo contra nitatur, Jus naturæ ſequitur, id enim quocunque modo ſui conſervationem præcipit, & omnem rationem expediendæ ſalutis honeſtam ſtatuit. Ut id dicamus, flagitat amor ſui, ſupra, quin & contra omnes & omnia ab ipſa natura nobis commendatus. *Si*, inquit Seneca *d. Epiſt.* 121. *omnia propter curam mei facio, ante omnia eſt mei cura. Hæc animalibus ineſt cunctis, nec inſeritur, ſed innaſcitur.* Si quis vero meritam pro crimine pœnam ſubire paratus ſit, ut ut contra Jus naturæ peccet, rationem ſequitur, atque adeo paret Juri Gentium. Hujus præceptum eſt non propulſare vim, niſi injuſtam, injuſta autem vis non eſt, quæ a Legibus & Magiſtratibus proficiscitur. Unde, qui Jure naturæ juſte ſanguinem ſuum redimit, quamvis nocens ratione, peccat tamen Jure Gentium, & in *l.* 1. *ff. de Bon. eor. qui ante ſent. mort. ſibi conſciv.* dicitur ei *ignoſci*, utpote peccanti, Jure Gentium ſcilicet, nam Jure naturæ qualiter qualiter licet ſanguinem ſuum redimere, & inde peccati venia, etiam Jure Civili, quod illum amorem ſui non nimis improbat in *d. l.* 1. Venia tamen non eſt absque præcedenti noxa, atque inde *indulgentia*, *quos liberat*, *notat. l. ult. C. de Gener. abolit.*

Ut verbo abſolvam: cujuscunque vis propulſio Jure naturæ, ex inſtinctu naturali & ſui amore, juſta eſt, ſed, ut vim iniquam propellamus, ratio, Juris Gentium magiſtra, permittit duntaxat. Vim inferre, quomodocunque profuturam, Jus naturæ permittit, ſine juſta ratione inferre Jus Gentium prohibet, nam, ut ſubjicit Florentinus, *Jure hoc*, id eſt, Jure Gentium *evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis ſui fecerit, jure feciſſe exiſtimetur*, ob tutelam, adverſus vim injuſtam nempe, de qua dixerat, idque & ſequentia indicant, ubi *inſidiandi* vox eſt, quæ, ut mox dicam, non pertinet, niſi ad vim injuſtam. *Et*, inquit, *cum inter nos cognationem quamdam natura conſtituit, conſequens eſt, hominem homini inſidiari nefas eſſe.* Cognationem dixit pro *fraternitate & conſanguinitate*, plane ut Lactantius *Epit. Inſtit. C.* 5. *conſanguinitatis jure ſociamur.* Κοινὴν συγγένειαν vocat Philo Judæus *L.* V. *de Vita Moyſis.* Æque illa cognatio efficit, ut omnium hominum conditionem credamus eſſe parem, nec alteri faciamus, quod nobis factum nolumus; id vero ſolam eſſe injuriam ratio docet, igitur eam prohibet Jus Gentium, quod rationem ſequitur ducem. Ex eo alteri nefas eſt *inſidiari*, quod ſimpliciter intelligo pro *nocere*, ut in *l.* 1. §. 23. *ff. de Collat. bonor.* neque diſſimile nimis eſt *circumvenire* in *l.* 16 §. 2. *ff. de Liber. cauſ.* Sed plus ſatis dixi ad propulſandam a Florentino injuriam minus diſtincti utriusque Juris. Nihil hic diſces vel a Ludovico Charonda *L.* I. *Veriſim. C.* I. vel a Gregorio Lopez *Animadverſ. Jur. Civil. C.* 3. vel a Conſtantio Lando *Enarrat. C.* 17. vel ab eodem *Exercit.* ad *h. l.* 3.

CAPUT III.

Nonnihil tranſponendum videri in L. 59. §. 2. ff. de manumiſſ. teſtam.

Scævola, loco indicato, ſic ſcripſiſſe creditur; *Lucius Titius teſtamento ſuo ita cavit*: ONESIPHORE, NISI DILIGENTER RATIONEM EXCUSSERIS, LIBER NE ESTO. *Quæro, an Oneſiphorus ex his verbis libertatem ſibi vindicare poſſit? Reſpondit, verbis, quæ proponerentur, libertatem adimi potius, quam dari.* Conſtans ubique eſt hujus §. ſcriptura, a Baſilicis quoque in eandem ſententiam expreſſa *L.* XLVIII. *T.* 3. *C.* 59. §. 2. & a Scholiaſte ibidem repetita. Et tamen vegrandem difficultatem habet, etiam a Stephano Forcatulo animadverſam *Dialogo* XCIII. *Necyomantiæ ſuæ*: quo opere, ut ait, veteres JCtos magicis artibus ab inferis revocavit, quo mentem ſuam apertius explicarent. Sed quid Corybantem agimus? quid Diabolum invocamus, ut ejus ope & conſilio Jurisprudentiam illuſtremus? eſt quidem Diabolus valde ſagax & exercitatus ſecundum ea, quæ lego apud D. Auguſtinum *Cauſ.* XXVI. *Quæſt.* 3. & 4 *C.* 2. ſed Juris peritum vel Criticum eſſe me legere non memini. Eo igitur inconſulto rem adgrediamur. Ait Scævola in *fin.* §. verbis teſtamenti, quæ proponuntur, *libertatem adimi potius, quam dari*, quum danda potius videretur, quam adimenda, ſi Oneſiphorus conditioni paruerit. Conditio erat, *niſi diligenter rationem excuſſeris, liber ne eſto.* hoc eſt, *ſi diligenter rationem excuſſeris, liber eſto.* quum conſtare videatur, duas negationes, ſibi incontinenti appoſitas, non negare, ſed affirmare. Docent id paſſim veteres Grammatici, & ita quoque antiquus Scholiaſtes ad Juvenalis *Satyr.* VI. *verſ.* 455. & ad *Satyr.* XIV. *verſ.* 127. Docet & Gajus, de interpretatione Legum agens, in *l.* 237. *ff. de V. S.* ſed quid refert probare, quod uſu probatum, & ab Ulpiano in *l.* 37. *ff. de R. J.* & ab aliis paſſim receptum eſt? Apud Græcos, fateor, duo negantia fortius negant, nec diffiteor, in Linguam Latinam id aliquoties tranſiiſſe. Aliquot ejusmodi exempla ſuggeſſit Cujacius *L.* X. *Obſerv. C.* 26. & Scaliger ad Varronem *de R. R. C. ult.* Addo locum ex Varronis *L.* II *de vita Populi Romani*, qui ſic exſtat *Fragment. p.* 62. *Qua abſtinentia Viri Mulieresque Romanæ fuerint, quod a Rege munera eorum noluerit nemo accipere.* Alius locus Varronis eſt apud Nonium in *Negativas duas.* Etiam in Jure noſtro inſolens non eſt, duas negationes magis negare, & ſi ita accipiamus Julianum in *l.* 36. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* non erit, cur ibi alterum abnutivum cum Haloandro expungamus. Sic quoque intelligo Ulpianum in *l.* 2. §. 11. *ff. de Adminiſtr. rer. ad Civit. pert.* nec *uſurarum præſtationem*, inquit, *heres fidejuſſoris recuſare non debet*, hoc eſt, nequidem fidejuſſoris heres uſuras evitabit, non modo non ipſe. Atque ita, ſi defendi posſit, defendenda eſt antiqua quorundam lectio in

l. 11. *ff. de Offic. Proconſ. & Leg.* ubi pro *neque jus habet* quidam Libri habent, *neque jus non habet.* Sed exemplorum ſatis eſt, video alios alia ex Jure noſtro attuliſſe, quam apte, nihil attinet dicere, & minus attinet aliena deſcribere.

Ut ut autem aliquando duo abnutiva, quamvis cumulata, fortius negant, id tamen non eſſe ex communi uſu, nemo non facile largietur. Et ſola hæc ratio me movet, ut Alberico de Roſate adſentiar, exiſtimanti *Comm.* ad *h.* §. duas negationes hic non negare. Agitur ſcilicet de ſcriptura teſtamenti, in cujus interpretatione, niſi evidenter conſtiterit, teſtatorem non ex vulgari communique uſu loquutum fuiſſe, ab uſitato ſermone non eſſe recedendum, & res ipſa docet, & Juris expreſſa auctoritas in *l.* 69. *ff. de Legat.* III.

Quid igitur ſibi vult, *Oneſiphorus*, *niſi diligenter rationem excuſſerit*, *liber ne eſto?* & qua mente libertas his verbis adempta potius, quam data intelligitur? Si recenſerem, quæ Gloſſa, Dynus, Albericus, Bartolus, Baldus, Bellonus, Covarruvias ad *h.* §. dixerint, librum ſcriberem, & bonas horas perderem. Solus Andreas Alciatus *L.* V. *Parad. C.* 4. primum vidit, formulam, qua uſus eſt Lucius Titius, tantundem valere, ac ſi dixiſſet, *ſi diligenter rationem excuſſeris*, *Oneſiphore*, *liber eſto.* Et hactenus etiam bene Forcatulus, quamvis δαιμονιζόμενος, *d. Dialog.* XCIII. *Nicyomanth.* ſed neuter recte explicavit, & ſane explicari non poteſt, quemadmodum ſecundum ea, quæ proponuntur, verum ſit, *libertatem adimi potius*, *quam dari.* Alciatus putat, Lucii Titii verba præbuiſſe cauſam dubitandi, nunquid ſtatim, & ante rationes excusſas, libertatem nanciſci potuiſſet Oneſiphorus, ac ſi modum, non conditionem inducerent, & Scævolam cenſuiſſe, conditionem facere, atque ita reſpondiſſe, ***ex illis verbis tantum non dandam***, ***quoniam iis potius adimeretur ante excuſſas rationes***, ***quam daretur; quamobrem exſpectandum fuiſſe***, ***ut reddat rationes.*** Alciato, ita explicanti, applaudunt alii. Sed cur Scævola dubitaſſet, implendam eſſe conditionem, libertati adſcriptam? & cur dubitaſſet, voculam *niſi*, vel, quod perinde eſt, verba, *ſi non*, conditionem facere? dubitatione inepta res ineptior nulla eſt. Et ubi in Reſponſo eſt, libertatem ſuſpendi, donec rationes excuſſæ & redditæ fuerint? ſimpliciter ait, ***libertatem adimi***, neque addit, ad certum tempus, vel ***ante rationes excuſſas***, ut addidit Alciatus. Quare hæc non ſubſiſtunt. Forcatulus ait, ***libertatem adimi potius***, ***quam dari***, ***hoc eſt***, ***non ſolum datur libertas***, ***ſi fiat***, ***quod jubetur***, ***ſed etiam adimitur***, ***ſi non fiat.*** Quod Reſponſnm ex tripode Apollinis potius, quam a Scævola profectum dicas. Sed quid cum larvis pugnamus?

Quare alia expediendæ difficultatis ratio quærenda erit. Quod ut fiat, vix operæ eſt, ut quid ante moneamus de nomine *Oneſiphori.* Servile nomen eſſe dixit Menagius *Amœnit. Jur. Civil. C.* XXXI. nec intercedo, modo pariatur, & liberos homines eo ipſo nomine fuiſſe uſos. Id liquet ex variis Inſcriptionibus apud Gruterum, liquet & aliunde; ſæpe eadem fuerunt liberorum & ſervorum nomina. Properemus potius ad conditionem Oneſiphoro adſcriptam, atque hæc eſt, *niſi diligenter rationem excuſſerit*, *liber ne eſto.* Si pro *niſi* legeretur *ſi*, forte intelligerem Reſponſum, quod ſubjicitur, his verbis libertatem potius ademptam, quam datam videri. Dixiſſet nempe, adimi Oneſiphoro libertatem in caſum expreſſum, ſi diligenter rationes excuſſiſſet, tunc enim non liber eſſe jubetur, ſed non dari in caſum oppoſitum. Dari quoque libertas contrario caſu non videbatur, tam ob ipſius conditionis deridiculum, quo libertas data eſſet in præmium deſidiæ, quam quod caſus nullus ſit expreſſus, quo libertatem nanciſceretur: neque enim dictum eſt, *ſi rationes non excuſſerit*, *liber eſto*, & tamen Lege Furia cautum erat, ut libertates ſervis teſtamento nominatim dentur, ut auctor eſt Ulpianus *Fragm. Tit.* I. § *ult.*

Hæc autem ut aliqua veriſimilitudine nitantur, vera tamen eſſe non credo, ſed potius aliud mendum latere in *h.* §. 2. tranſpoſita nempe videri finalia, & pro ***libertatem adimi potius***, ***quam dari***, legendum, ***libertatem dari potius***, ***quam adimi.*** Hujusmodi trajectiones verborum & in Jure noſtro, & apud alios Auctores ſunt frequentiſſimæ, nec fieri poterat aliter, quin librarii, dum verba exciperent ex ore dictantis, ſæpe alterum verbum alteri anteponerent. Atque eo ſenſu reſpondiſſet Scævola, licet verba teſtamenti videantur eſſe negantia, dari tamen libertatem, duobus abnutivis, ex communi ſermonis uſu, pro affirmatione acceptis, eodem ſenſu, ac ſi ſcriptum eſſet, ***ſi diligenter rationem excuſſerit***, ***liber eſto.*** Sive enim dicas, ***niſi mater mea moritur***, ***ne dato***, ſive, ***ſi mater mea moritur***, ***dato***, nihil quicquam hæc differunt, cum utrobique ſub conditione vel datum vel ademptum eſſe legatum etiam Labeo reſponderit, & probaverit Javolenus in *l.* 40. §. 2. *ff. de Condit. & demonſtr.* In hac ſpecie quidem adempta erat libertas, ***niſi Oneſiphorus diligenter rationem excuſſiſſet***, ſed ex adverſo, ſi paruiſſet conditioni, data videbatur, quemadmodum & in ceteris legatis obtinet: ***nam legatum***, ***cum ſub conditione adimitur***, ***perinde eſt***, ***ac ſi ſub contraria conditione datum fuiſſet*** *l.* 10. *princ. ff. de Adim. vel transfer. leg.* quod Juris decretum repetitum exſtat in *l.* 107. *ff. de C. & D.* & *l.* 6. *pr. ff. Quando dies legat.* nec eſt, cur id non recipiamus in re cum maxime favorabili, quale eſt legatum libertatis.

CAPUT IV.

Ut nunc legitur, *legendam eſſe* L. 10. §. 1. ff. de Appellation.

Ulpianus *L.* VIII. *Diſputationum* in *d. l.* 10. §. 1. ita ſcripſit: ***Si quis***, ***cum una actione ageretur***, ***quæ plures ſpecies in ſe habeat***, ***pluribus ſummis ſit condemnatus***, ***quarum ſingulæ notionem Principis non faciunt***, ***omnes autem conjunctæ faciunt***, ***poterit ad Principem appellare.*** Franciſcus Hotomanus *L.* IV. *Obſerv. C.* 18. pro *notionem Principis* reſcribi jubet *notionem Prætoris*, idem juſſurus, ſi meminiſſet, de voce *Principis*, quæ mox ſequitur, & in eadem cauſa eſt. Id moneo, quia, ſi vitium ſcripturæ eſt, bis peccatum ſit, oportet. Sed utrobique recta *Principis* mentio, & minus recta *Prætoris*, quum minimarum litium controverſiæ etiam ad Prætorem fuerint delatæ, nec ullum noverim Magiſtratum, qui in cauſis ordinariæ jurisdictio-

nis infra Prætorem juri dicundo præfuit, ſane nullum, a quo ad Prætorem fuerit appellatum. Locus Quintiliani *L.* III. *Inſtit. Orat.* C. 6. quem Hotomanus adducit, minus aptus eſt in eam rem, nam ait, fideicommiſſum non apud Prætorem, ſed apud Conſules petendum, quia *major Prætoria cognitione ſumma eſt.* Quod Hotomano magis obeſt, quam prodeſt, quia minora duntaxat fideicommiſſa petebantur apud Prætorem fideicommiſſarium, majora apud Conſules, ut & Cujacius docuit *L.* XXI. *Obſerv.* C. 36. Infra Prætores quidem Ædiles, qui itidem jus dicebant, ſed duntaxat in certis cauſis, quibus eorum circumſcripta erat poteſtas, ut & Ulpianus ſignificat in *l.* 63. *ff. de Ædil. Edict.* nec in his cauſis ab Ædilibus ad Prætores appellatum fuiſſe ullibi, quod ſciam, relatum eſt. Prætores quidem dabant judices, a quibus ipſi appellabantur, ſed præterquam quod illi Judices non eſſent Magiſtratus, ea quoque appellatio promiſcue conceſſa *l. 1. pr. ff. Quis a quo appell.* non definita nempe ſumma, quæ, ut ut minima, appellationem prohibuerit.

Quapropter non animadverto, quemadmodum idonea hic eſſe poſſit *Prætoris* mentio in definienda ſumma, quæ, in cauſa appellationis, ejus notionem faceret, vel non faceret. Magis commodum eſſet, ſi quid mutari placeret utrobique in *h.* §. 1. ſubſtituere vocem *Præſidis*, & quia ſimilitudine & ſono plus accedit ad vocem *Principis*, & quia ejus cognitio ad graviores cauſas pertinet, nam a Magiſtratibus Municipalibus res non judicantur, niſi *usque ad ſummam, qua jus dicere poſſint*, ut eſt apud Paulum *Fragm. L.* V. *T.* V. §. 1. Unde & Gajus, in jure Provinciarum interpretando, hanc quæſtionem ex profeſſo tractavit in *l.* 11. *pr. ff. de Jurisdict.* quæ eſt ex *L.* I. *ad Edictum Provinciale*, docet ibi, pluribus actionibus inſtitutis, *quarum ſingularum quantitas intra jurisdictionem judicantis ſit, coacervatio vero omnium excedat*, ſingularum ſummas eſſe ſpectandas, pluribus, inquam, actionibus inſtitutis, cum, ſi quis una experiatur, quæ plura capita habet, ſecus ſit dicendum ex *h. l.* 10. §. 1. Omnem quidem Jurisdictionem Magiſtratibus Municipalibus denegarunt Scipio Gentilis & Reineſius, ſed iis maſcule ſe oppoſuit Cl. Otto. *de Ædil. Coloniar. & Municip.* C. 13. ubi, quicquid eſt ejus argumenti, plena manu exſequutus eſt. Igitur magis opportuna hic eſſet mentio *Præſidis*, quam *Prætoris*, qui contra quam dici ſolet, Romæ etiam minima curabat, præterquam in cauſa doli. *l.* 9. §. *ult. l.* 10. & *l.* 11. *pr. ff. de Dol. mal.*

Sed quidni ſervemus lectionem, ſibi ubique conſtantem, a Baſilicis quoque expreſſam, & boni ſenſus plenam? diſputat Ulpianus, ſi quæratur, ad quam ſummam liceat provocare ad Principem, quemadmodum ſummæ ſint computandæ, ſi ſententia plures contineat, & ait, non ſeparandas, ſed conjungendas, ſi ex una actione proficiſcantur; ad Principem igitur appellari, ſi ſummæ conjunctæ ejus notionem faciant. Salva utique res eſt, & ſalva ſcriptura, ſi ætate Ulpiani ad ipſum Principem fuerit provocatum, & fuiſſe provocatum ipſe Ulpianus auctor eſt. *L.* I. *de Appellationibus*, nam ex eo refertur in *l.* 1. §. 1. *ff. A quib. appell. non lic. ſtultum eſſe admonere, a Principe appellare fas non eſſe, cum ipſe ſit, qui provocatur.* Inde tot quæſtiones de appellationibus ad Principem in *l.* 21. *pr.* & §. 1. & *l.* 25. *ff. de Appellat.* Et Tacitus *L.* XV. *Annal.* C. 28. de Nerone: *auxit patrum honorem, ſtatuendo, ut qui a privatis Judicibus ad Senatum provocaviſſent, ejusdem pecuniæ periculum facerent, cujus ii, qui Imperatorem appellavere.* Vides pœnam frivolæ appellationis, quæ hodie ubique fere Gentium frequentatur, & olim Romæ obtinuiſſe, & pœnam fuiſſe maximam, ſi quis in judicio appellationis cauſa caderet apud Principem, ut & hodie maxima eſt apud eos, qui vice ſacra judicant: nam ipſi Principes hodie litibus judicandis non vacant. Prætereo exempla appellationum, quæ apud Romanos ad Principem factæ ſunt, & in *Annalibus* Taciti, & alibi exſtant. Scio Principes, etiam citra appellationem, recta ſæpe fuiſſe aditos, de rebus quoque minimis, & a perſonis viliſſimis, de quo nonnihil dixi *Libr. Singul. ad l. Lecta.* 40. *ff. de Reb. cred.* C. 2. atque hæc eſt ἑτέρα ὁδὸς, cujus meminit *d. l.* 25. *ff. de Appellat.* Sed extra ordinem id factum eſt, & fit etiam nunc, ſalvo in reliquis jure appellationis.

Quamvis autem regula ſit juris, & *in majoribus, & in minoribus negotiis appellandi facultatem eſſe l.* 20. *C. de Appellat. & conſultat.* facile tamen crediderim, hanc, ut in aliis exceptiones ſuas paſſa eſt, ſic & paſſam in litibus minimæ quantitatis, ut ſcilicet de his, ex appellatione, non judicaverit ipſus Imperator. In Germania & in Belgio, forte & alibi Gentium, appellationes in cauſis minoris momenti non deferuntur ad ſuprema Tribunalia, ſed definita legibus eſt ſumma, quæ ab inferiore ad ſuperiorem, ab hoc ad ſupremum judicem quamcunque provocationem excludit. Atque ita puto, Principis Romani notionem non fuiſſe, niſi de cauſis gravioribus, quæ certam pecuniæ ſummam excedebant. Ut hoc credam, non tantum me movet locus Ulpiani in *h. l.* 10. §. 1. (quamquam vel ſola ejus auctoritas mihi ſufficeret) ſed & Dionis Caſſii *L.* LII. *p. m.* 557. ubi Mæcenas Oratione ad Auguſtum: Δίκαζε δὲ καὶ αὐτὸς ἰδίᾳ τάτε ἐφέσιμα καὶ τὰ ἀναπόμπιμα, ὅσα ἂν παρά τε τῶν μειζόνων ἀρχόντων, καὶ παρὰ τῶν ἐπιτρόπων, τοῦ τε πολιάρχου καὶ τοῦ ὑποτιμητοῦ καὶ τῶν ἐπάρχων, τοῦ τε τὸν σῖτον ἐπισκοποῦντος, καὶ τοῦ νυκτιφυλακοῦντος, ἀφικνῆται. Quæ ita vertit Xylander: *Ipſe autem ſeorſim de cauſis, in quibus provocatione certatur, judicium facies, quæ a majoribus Magiſtratibus, tutoribus* (ego verto, *Procuratoribus Cæſaris*, qui & alias apud Dionem ἐπίτροποι, nam inepta hic eſt *tutorum* mentio) *Præfecto Urbis, Subcenſore, Præſidibus Provinciarum, annonæ Procuratore, & nocturnæ cuſtodiæ Magiſtro* (*Præfecto Vigilum*), dixiſſet melius, *ad te referuntur.* Majoris igitur momenti negotia, per appellationem, Principis judicio reſervat, fere ad exemplum Romuli, qui de graviſſimis cauſis ipſe decernebat, leviores permittebat Senatoribus, ut eſt apud Dionyſium Halicarnaſſ. *L.* II. *p. m.* 87. multis igitur nominibus bene ſe habet vox *Principis* in *h. l.* 10. §. 1. non bene vox *Prætoris*. Ut vero *Principem* hic in *Prætorem* mutat Hotomanus, ſic *Prætorem* in *Principem* Bachovius in *l.* 50. *ff. de Acquir. rer. domin.* etiam perperam, ut dixi *Diſſertatione de Dominio maris* C. IX.

CAPUT V.

Ad L. 1. ff. de Inoffic. teſtam.

Miror eſſe, quos irritaverit Ulpianus in *d. l.* 1. Verba ejus, ut Florentiæ leguntur, hæc ſunt: *Sciendum eſt, frequentes eſſe inofficioſi querelas: omnibus enim tam parentibus, quam liberis, de inofficioſo licet diſputare. Cognati enim proprii, qui ſunt ultra fratrem, melius facerent, ſi ſe ſumptibus inanibus non vexarent, cum obtinere ſpem non haberent.* De ſingulis videamus.

Ait, *frequentes eſſe inofficioſi querelas.* Ad quæ Accurſius notat, *hoc eſt mendacium.* Ignoſcant Ulpiani manes homini male feriato, & magis ignoſcant, cum vere addiderit, *vel dic, quod loquitur ſecundum ſua tempora;* ſic enim ſolemus loqui, & ita ſe res habet. Magni ſcilicet apud Romanos fiebat teſtamenti factio, neque enim libenter inteſtati decedebant, ſed bona ſua, ſibi amplius non profutura, largiebantur iis, qui ea meruiſſent. Et magna quoque ſpes erat, neceſſariis quamvis exheredatis, teſtamentum non ſubverſum iri, quum Romæ major teſtamenti, quam heredum ab inteſtato, haberetur ratio, ſecus atque de Græcis nonnullis memorat Ariſtoteles, vel quisquis alius *Problematum* eſt Auctor, *Sect.* XXIX. *Q.* 3. In dubio apud Romanos teſtamentum, contra cognatos conditum, ſubſiſtebat, atque ideo diſſentientibus de inofficioſo Judicibus, eorum ſententia prævaluit, qui ſecundum teſtamentum pronunciaſſent *l.* 10. *ff. h. Tit.* quod ut magis provocabat ad exheredandum minus meritos, eo magis quoque querelis de inofficioſo dabat locum. Unde tot judicia apud Centumviros de inofficioſis teſtamentis acta, quorum exempla aliquot ſuggeſſit Valerius *L.* VII. *C.* 7. alia Plinius in *Epiſtolis*, variis locis, alia alii. Hodie vero inofficioſi querelæ frequentes non ſunt, quia apud plerasque Gentes non ea eſt, quæ olim, teſtamentorum cura. Tota Dacia non utitur teſtamentis, ut eſt in *additionibus* ad *C.* 3. X. *de Conſuetudine*, & qui nunc Europam habitant Populi, ex occidente fere & ſeptemtrione oriundi, non adeo teſtamenti factionibus dediti creduntur, quam olim Romani, & adhuc Itali, ut de Italis alicubi teſtatur Andreas Alciatus, ipſe Italus.

Accedit & alia ratio, quur minus frequentes hodie, ac olim plerique putent eſſe inofficioſi querelas, quod nempe Juſtinianus *Novell.* CXV. *Cap.* 3. certas exheredationis cauſas expreſſerit, remotis aliis, quæ olim arbitrio judicantium relinquebantur. Sed, ſi verum amamus, illa *Novella* cauſas exheredandi vix magis certas effecit, quam fuerunt olim, ut ut quatuordecim numero ibidem expreſſæ ſint, & alias valere prohibuerit Juſtinianus. Ut hoc credam, mihi perſuadet §. 2. *d. C.* III. ubi ſecunda cauſa exheredationis ita effertur: Εἰ βαρεῖαν καὶ ἀπρεπῆ ὕβριν αὐτοῖς ἐπαγάγοι. Vetus Interpres: *ſi gravem & inhoneſtam injuriam eis ingeſſerit.* Haloander: *aut* (legit enim ἢ, non εἰ) *atrocem & indecentem contumeliam ingeſſerit.* Nuper Clar. Hombergk: *ſi gravem & indignam contumeliam illis intulerit.* Sed quomodocunque vertas, quia ὕβρις vox eſt generalis, & nunc quamcunque injuriam, nunc contumeliam ſignificat, negari nequit, quin ad omnes cauſas porrigi poſſit, quibus injuria vel contumelia fit parentibus, ut & uſu porrigitur, ſi res incidat. Quare inanis mihi ſemper viſa eſt Interpretum velitatio, an æque graves vel graviores cauſæ, quam enumerat *d. C.* 3. poſt eam legem admitti poſſint? & an, ut filius, qui novercam patris vel concubinam ſtupravit, exheredari poteſt *d. C.* 3. §. 6. etiam is poſſit, qui matrem? quaſi nempe & hæc non eſſet gravis injuria. Imo, dices, graviſſima eſt, & gravem duntaxat deſiderat *d.* §. 2. ſed rides, ſi putas, graviſſimæ injuriæ non ineſſe gravem. Hoc tamen *d. Novella* effectum eſt, ut, quæ gravis injuria habeatur, inter alia conſtaret ex exemplis, ibidem enumeratis, ſed quæ non excludunt alia, quæ parem vel majorem ὕβριν continent. Græcorum ἀποκήρυξις, *abdicatio*, non fiebat niſi certis de cauſis, ut diſcimus ex Luciani Ἀποκηρυττ. *p. m.* 475. & 492. & *ſeqq.* ſed non æque exheredatio apud Romanos, vel jure veteri, vel, ſi me audias, jure novo, niſi per *certas cauſas* intelligamus graviores quascunque, nec eas tantum, quæ lege nominatim definitæ ſunt.

Ceterum quare & ſuo tempore crebræ fuerint inofficioſi actiones, ipſe memorat Ulpianus in *h. l.* 1. dum inquit, *omnibus enim tam parentibus, quam liberis de inofficioſo licet diſputare.* Contra hæc Ulpiani, & reliqua, quæ ſequuntur, verba longa eſt injuria, longæ ambages Antonii Fabri *Ration.* ad *h. l.*, ait eſſe inepta, falſa, male cohærentia, adeoque Ulpiano non videri tribuenda, ſed Triboniano, vel imperito Interpreti. *Parentes* & *liberos* hic delendos cenſet, quia querela eſt quaſi accuſatio publica, quæ omnibus competit. Sic ille ex male intellecta *l.* 6. §. 1. *h. Tit.* ſed hoc tranſeo, quia aliis obſervatum eſt. Deinde ait, non *omnibus* promiſcue parentibus & liberis querelam dari, & id verum eſt. At cum parentes liberosque dicimus, non omnes intelligimus, qui natura ſunt, ſed qui eo jure, quo de agimus, pro parentibus liberisque habentur. Non datur igitur ſpuriis, reſpectu patrum, quia patrem habere non intelliguntur. Tricatur etiam, liberorum mentionem debuiſſe præcedere, cum eorum cauſa potior ſit, quam parentum, in jure proponendæ querelæ, non animadvertens, dignitatem parentum effeciſſe, ut primo loco nominarentur. Sed quid laboramus ſingulis refutandis, cum mens Ulpiani ſit in aperto? Significat autem, & ideo frequentes eſſe querelas, quia pluribus competunt, & primum competere *omnibus parentibus & liberis*, hoc eſt, omnibus, qui in hoc argumento parentum & liberorum nomine comprehenduntur, atque ita non modo filius patris, ſed & avi nepos, proavi pronepos, teſtamentum dicunt inofficioſum, & ſic vice verſa. Ideoque ait *omnibus*, quoniam & illi, quos diximus, parentes ſunt liberique, etiam ultra trinepotes, ut eſt in Scholio ad *Baſil. L.* XLV. *T.* 3. *C.* 7. §. *ult.* quamvis non omnes primo gradu *l.* 201. *ff. de V. S.* Feſtus in *parens: Parens vulgo pater aut mater appellatur, ſed juriſprudentes avos & proavos, avias & proavias parentum nomine appellari dicunt.* Quæ Juriſprudentia vulgo nota eſt ex *l.* 51. & *l.* 220. *ff. de V. S.* Etiam in Libris ſacris *patris* appellatio ad avos & proavos porrigitur, ut notat D. Hieronymus ad *Danielem* in *C.* 2. X. *de V. S.*

Porro ait Ulpianus: *Cognati enim proprii, qui ſunt ultra fratrem.* &c. Pari liberalitate hæc

etiam

etiam alteri, quam Ulpiano, adſcribit Faber, ſed pari ſucceſſu. Ratio hic redditur ejus, quod dixerat, parentibus & liberis dari querelam, at cum parentes & liberos Faber amoveat, etiam amovenda erat hæc ratio. Quæ tamen probe ſibi conſtat: nam nec fratris vel ſororis filii, patrui vel avunculi, amitæ vel materteræ teſtamentum dicunt inofficioſum, *cum nemo eorum, qui ex transverſa linea veniunt, exceptis fratre & ſorore, ad inofficioſi querelam admittatur*, ut reſcribunt Diocletianus & Maximianus in *l.* 21. *C. h. Tit.* Pro *cognatis* Faber etiam *agnatos* reſcribi vult, ut ut fateatur, *cognatorum* verbo etiam *agnatos* comprehendi. Sed illud *cognati proprii*, pro *cognati proximi*, dubitat, an uſpiam ita ſcriptum ſit, & an Latine ſcribi poſſit. Et ſane eſt, cur dubitet. Haloander edidit *proximi*, ex ingenio, ni fallor, ut ſæpe alias. Haloandrum ſequutus eſt Hugo a Porta. Si ita legeretur, non mutarem, nunc tantum non muto. Neque tamen probo, quod *proprii* interpretemur *ſui*, ut interpretatur Gloſſa, ſententia & locutione minus idonea, ſed pro *proprii* ego malim *proprie*. Neſcio, an non & olim ita legerint Antiqui, quos Azo, in *Gloſſa* ad *h. L.* memorat dixiſſe: *ultra fratrem proprie dici cognatos, fratrem vero improprie.* Per *cognatos* autem *proprie* intelligimus eos, qui ſunt a latere ultra fratrem. Cognatorum quidem appellatio generalis eſt omnium, inter quos eſt jus ſanguinis, ſive ſuperioris ordinis, ſive inferioris, ſive ex transverſo. *l.* 1. *pr. ff. de Grad. & adfin.* ſpecialiter tamen obtinuit, ut illi proprie *cognati* dicantur, quos poſterior Jurisprudentia *collaterales* appellavit, inde nomen ſortiti, quod cuncti ab una ſtirpe nati ſint, ſive, ut Labeo ait, *quaſi commune naſcendi initium habuerint*, ut obſervat Ulpianus, hujus quoque legis auctor, in *l.* 1. §. 1. *ff. Unde Cognati.* Quare fratribus cum maxime id nomen eſt tributum, quia in primo eorum, qui a latere, ſunt gradu, ſicuti *liberorum* appellatio præſertim filiis tributa, quod etiam liberorum primi. Atque his primi loci cognatis, id eſt, fratribus competit inofficioſi actio, & quidem, ut videtur, ſine ullo heredum reſpectu, neque enim ullius diſtinctionis meminit hic Ulpianus, ut nec Valerius *L.* VII. *C.* 7. §. 5. & *L.* VII. *C.* 8. §. 4. Unde, quod ait §. 1. *Inſt. de Inoffic. teſtam.* de turpibus perſonis, non aliter intelligo, quam poſtea imminutum eſſe jus fratrum, ex lege Conſtantini, iisque duntaxat, ſecus atque olim, contra turpes inſtitutos actionem inofficioſi fuiſſe datam. *l.* 27. *C. de Inoffic. teſtam.*

Tandem Ulpianus de his, qui proprie cognati ſunt, ultra fratrem: *melius facerent, ſi ſe ſumptibus inanibus non vexarent, cum obtinere ſpem non haberent.* Poſtrema hæc varie leguntur, ſed præter Florentinam nulla lectio bona, alia alia pejor eſt; tanti non eſt, ut ſingulas adſcribam. Vides autem, Ulpianum hic conſilium præbere cognatis ultra fratrem, & monere, ſi apud Centumviros de inofficioſo litigare velint, quid ab eorum judicio exſpectandum ſit, perdituros ſcilicet oleum & operam, *cum obtinere ſpem non haberent.* Etiam hæc locutio Græca Fabrum offendit, cum Latine dicendum eſſet, *cum obtinendi ſpem non haberent*, quomodo & Hugo a Porta edidit. Sed Græcum id dicendi genus apud Auctores noſtros non eſſe infrequens, Antonius Auguſtinus jam animadvertit *L.* II. *Emendat. C.* 2. etiam Ulpiano in *h. l.* in partes vocato. Verum exempla, quæ ibi adfert, omnia non æque ad phraſin hanc noſtram pertinent. Id pertinet, quod adfert ex Edicto Prætoris in *l.* 25. *ff. de Reb. auctor. jud. poſſid. conſilium receperit fraudare*, pro *fraudandi.* Addo Alfenum, optimum Latinitatis auctorem, in *l.* 8. §. 5. *ff. Si ſervit. vindic. jus illi non eſſe lapidem cædere*, & bis in eodem §. Ariſto & Ulpianus, *jus fumum non immittere & immittere.* Similiter Papinianus in *l.* 17. *ff. Comm. prædior.* & Paulus in *l.* 151. *ff. de R. J.* & ipſe noſter Ulpianus in *l.* 9. §. 1. *ff. de Jur. dot.* quæ loca Auguſtinus omiſit, & ideo in primis notanda ſunt, quia in omnibus illis, ut in *h. l.* 1. *Infinitivus*, ut Grammatice loquar, eſt pro *Genitivo.* Plane ut & in alio Ulpiani loco, qui eſt in *l.* 3. §. 4. *ff. de Muner. & honor.* quem, ſed quem ſolum in hanc rem, adduxit Briſſonius *Parerg. n.* 91. Apud alios Linguæ Latinæ Auctores, non JCtos, gemina exempla ſunt. Quemadmodum apud hos *Infinitum* pro omni caſu occurrat, prolixe explicavit Sanctius in *Minerva L.* VI. *C.* 6. nec etiam in Jure noſtro ejus rei deſunt exempla, ſed velim ex *d. C.* 6. ea duntaxat ſeligi, quæ, ut hic, pro caſu ſecundo ſunt, inter quæ & Virgilius *Æneid.* II. *verſ.* 10. & 11. ad quem & Scholiaſtes, qui Servius dicitur, notat, *græca figura eſt.* Similem locutionem reperio apud Plinium *L.* X. *Epiſt.* 56. *habuiſſe privilegium & vetuſtiſſimum morem, arbitrio ſuo Rempublicam adminiſtrare*, pro *adminiſtrandi.* Atque ita obtinuit, *Infinitivum* ἄκλιτον, non præpoſito articulo, quo Latini carent, vim ſecundi caſus habere.

C A P U T VI.

Nunquid defendi poſſit Pauli ſcriptura Sentent. L. V. Tit. 12. §. 2.

In *Fragmentis* Pauli eo, quo dixi, loco ita ſcribitur: *Ei etiam velut indigno aufertur hereditas, qui adfinem vel cognatum, cui ipſe ab inteſtato ſucceſſurus erat, teſtamentum facere prohibuit, aut, ne jure ſubſiſteret, operam dedit.* Etiam legitimus heres, qui quem teſtari prohibuit, cadit hereditate, ex conſtitutione D. Hadriani in *l.* 1. *ff. Si quis aliq. teſt. prob. vel coëg.* Id vero valde inexſpectatum eſt, quod Paulus ait, *adfinem. . . . . cui ipſe ab inteſtato ſucceſſurus eſt*, cum juris civilis ſit regula, nullam ab inteſtato jure adfinitatis eſſe ſucceſſionem *l.* 7. *C Commun. de Succeſſ.* unde vitricus ad privigni ſucceſſionem non admittitur, vel *civili, vel honorario jure l.* 3. *C. Eod.* Quamvis autem Imperatores in *d. l.* 7. dixerint, *nulla ſucceſſio*, id tamen non prohibet, quominus & hæc regula ſuam patiatur exceptionem, ut & alias patitur, ubi eadem locutio eſt, qua de re Interpretes ſolent frequentem Senatum habere ad *l.* 8. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſ.* niſi dicamus, eam eſſe regulam juris civilis, jure autem honorario accidere, ut etiam adfinium ſit ſucceſſio, non quidem vitrici in bona privigni, quod neutro jure admittitur *d. l.* 3. ſed conjugis in bona conjugis ex *Edicto* Unde Vir et uxor. Atque hæc eſt, ni fallor, adfinium ab inteſtato ſucceſſio, quam Paulus indigitat in *h.* §. & quidni ſit, ſi verum eſt, ipſos quoque conjuges ſibi invicem eſſe adfines, & non duntaxat alteri conjugi al-

terius cognatos? ſane non eſt alia adfinium nomine ſucceſſio, quam inter virum & uxorem, & cum de ſucceſſione adfinium agat Paulus, non aliam quoque intelligimus. Adfines ab eo eſſe dictos Modeſtinus ait in *l.* 4. §. 3. *ff. de Grad. & adfin. quod duæ cognationes, quæ diverſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit.* Quod cum maxime obtinet inter ipſos conjuges, unde & Modeſtinus addit: *nam conjungendæ adfinitatis cauſa fit ex nuptiis.* Si alter conjux alterius cognatorum ſit adfinis, utique maxime ſunt adfines ipſi conjuges, utpote in ipſa conjunctione finium primi & proximi. Non erravit igitur teſtator, qui Caſſiani uxorem ejus *adfinem* dixit in *l. 5. C. de Hered. inſtit.* & quid erraſſet, cum inter ſponſum & ſponſam, inter maritum & uxorem *adfinitatem* contrahi totidem verbis non tantum Neratius affirmaverit in *l.* 8. *ff. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſec.* ſed & bis ipſe ille Paulus, de cujus verbis hic quærimus, in *l.* 38. §. 1. *ff. de Uſur.*

Juris tamen Interpretes contradixiſſe malunt. Hos recenſuit Covarruvias ad *L.* IV. X. *de Matrimonio Part.* II. *C.* 6. §. 7. *n.* 7. ipſe quoque ea ſententia uſus. Scis, qua ratione? quod nempe in *d. l.* 4. §. 3. *ff. de Grad. & adfin. adfines* definiantur *viri & uxoris cognati*, non ergo, inquiunt, ipſi conjuges. Sed prava eſt collectio: namque & agnati definiuntur, qui *ſunt per patrem cognati l.* 10. §. 2. *ff. Eod.* non ipſe pater, non filius, & tamen filius patri agnatus proximus eſt *l.* 12. *ff. de Suis & legit. hered.* nihilominus filius ab agnatis diſtinctim enumeratur apud Gajum *Collat. LL. Moſaic. & Rom. Tit.* XVI. *loc.* 2, & paſſim alibi. Si rationem quæras, non alia eſt, quam quod illæ tam adfinium, quam agnatorum definitiones conceptæ ſint de his, quibus adfinium agnatorumque nomen ἐπὶ τὸ πλεῖστον tribuitur, quique ideo ea appellatione vulgo ſignificantur. Similiter conſanguinei quaſi ſeparatim ab agnatis memorantur in *l* 1. *ff de Legit. tutor.* apud Paulum *L.* IV. *Sentent. T.* 8. §. 3. & apud Ulpianum *Collation. LL. Moſaic. & Rom. d. Tit.* XVI. *loc.* 6. & 7. & tamen vel maxime definitione agnatorum continentur §. 1. *Inſt. de Legit. agnat. tut.* & § 1. *Inſt. de Legit. agnat. ſucceſſ.* Quin inter agnatos primi ſunt, ut ait Paulus *d.* §. 3. ſeparatim vero memorantur, quia aliud habent nomen, magis vulgare, ipſisque magis proprium. Atque ita & vir & uxor, quamvis adfines, & primi adfines, tamen vulgo ea appellatione non veniunt, ob nomen eorum proprium & magis commune. Unde dubitandi ille color, an uxor, *adfinis* nomine inſtituta, heres eſſet in *d. l.* 5. *C. de Hered. inſtit.* quemadmodum ſi pater inſtituiſſet filium, & nominaſſet *agnatum ſuum*; qui utique eſt agnatus, ſed vulgo propter aliud ſpeciale, & magis amicum nomen ita appellari non ſolet. Si qui adfinitatis eſſent gradus, in primo eſſent conjuges, ut filius eſt in primo agnationis *d. l.* 12. *ff. de Suis & legit. hered.* etſi tam illi, quam hi ſoleant ab adfinibus & agnatis diſtingui ob nomen, quod ſortiti ſunt, proprium & magis frequentatum.

Hæc autem ideo diſputata ſunt, ne cum Cujacio ad Pauli *Sententias* in *h.* §. 2. expungamus illa verba *adfinem vel*, ut Cujacio auctore expunxit, & in ſua Editione omiſit Rittershuſius, vel cum aliis pro *adfinem* ſubſtituamus *agnatum*, qui hic, ut ſæpe alias, ſub *cognato* comprehenditur. Sed vel ſic imperfecta fuiſſet legitimæ ſucceſſionis enumeratio, niſi Paulus etiam viri & uxoris meminiſſet, meminit autem *adfinis* nomine, (ut revera adfines ſunt) ne vel pluribus verbis uti neceſſe haberet, vel abiret a voce uſitata, ubi de cognatorum & adfinium jure ſermo eſt.

CAPUT VII.

De fructu acceſſionis.

Ad Uſufructuarium fructus pertinere certo conſtat, ſed æque non conſtat, quid fructuum nomine veniat. In primis autem quæritur de rei fructuariæ acceſſione, & an ejus quoque utilitas fructuario cedat? ut non una eſt acceſſio, non una quoque eſt ejus rei inſpectio. Prima eſto de partu ancillæ. An is ad fructuarium pertineret, *vetus fuit quæſtio*, inquit Ulpianus in *l.* 68. *pr. ff. de Uſufruct.* & notat, Bruti ſententiam obtinuiſſe, ne pertineret. Brutum Ulpianus ſequitur, ſequitur & Paulus *ſentent. L.* III. *T.* 6. §. 20. A Bruto diſſentiebant Scævola & Manilius, ut obſervat Cicero *L.* I. *de Fin. bon & mal. C.* 12. quæ horum fuerint rationes, non eſt, unde ſciri poſſit, quia ſcripta in eam rem, quæ Cicero memorat, interciderunt. Bruti ratio eſt apud Ulpianum in *d. l.* 68. *pr. neque enim*, ait, *in fructu hominis homo eſſe poteſt.* Forte eadem ratio Gajum movit in *l.* 28. §. 1. *ff. de Uſur.* cum ita infit. *Partus ancillæ in fructu non eſt. Itaque ad dominum proprietatis pertinet: abſurdum enim videbatur hominem in fructu eſſe, cum omnes fructus rerum natura hominum gratia comparaverit.* quæ omnia totidem verbis ex Gajo deſcripta ſunt in §. 37. *Inſt. de Rer diviſ.* nec alia etiam ratio redditur in Baſilicis in *d. l.* 28. §. 1. Sed ne incertiores ſimus, quam dudum, hujus rationis rationem deſidero. Ratio, ut vides, eſt dignitas & præſtantia hominis: nam in pecudum fructu etiam fœtus eſt, ut agni, hædi, & vituli. *d. l.* 68. §. 1. & *d. l.* 28. *pr. equulos & ſuculos* addit *d.* §. 37. *Inſt. de Rer. diviſ.* Acceſſio pecorum igitur ad fructuarium pertinet, acceſſio hominum non item, ratione differentiæ tam acuta, ut errorem uſufructuarii, qui hæc eſſe paria putavit, in exemplum facillimi lapſus attulerit Gajus in *l.* 36. §. 1. *ff. de Uſurp. & uſucap.* Differentiæ tamen rationem, ut modo dicebam, nos docuit ipſe ille Gajus in *d. l.* 28. §. 1. at ſi excellentia generis humani in cauſa ſit, ne partus ancillæ uſufructuarium ſequatur, ut ipſe ait, & Ulpianus in *d. l.* 68. *pr. ff. de Uſufruct.* ſcire velim, cur non eadem effecerit, ne ipſa ancilla ſit in fructu, neve ullius ſervi eſſet uſusfructus, quem tamen eſſe conſtat? & cur non eadem effecerit, ne uſusfructus partus legari poſſit, quem tamen legari poſſe ipſe ille Ulpianus auctor eſt in *d. l.* 68. *in fin. princ.*? ſi dignitatem hominis ſolam ſpectes, recte etiam quærit Hotomanus *Comm.* ad *d.* §. 37. *Inſt. de Rer. diviſ.* quid ejus interſit, utrum partus pertineat ad proprietarium, an ad uſufructuarium? & recte etiam alii quærunt, cur magis abſurdum ſit, hominem in fructu hominis eſſe, quam hominem homini ſervire, & ſervos pecudibus comparari? applaudunt tamen illi rationi etiam præſtantiſſimi quique JCtorum, applaudit certe Broeus ad *d.* §. 37. *Inſt.*

Inſt. & Janus a Coſta ad *eundem* §. ratus, eſſe elegantiſſimam, & repetitam ex disciplina Stoicorum, quorum præceptis conſtat imbutos fuiſſe veteres JCtos, & prolixe eam, ex Stoicis, exſequitur Galvanus *de uſufructu* C.XXIX. ſed quamvis *nulla Secta benignior leniorque fuerit, nulla amantior hominum*, ut ſcribit Seneca *L.* II. *de Clement. C* 5. nulla tamen ratio eſt, cur hanc humanitatis cauſam quæramus, ubi revera non eſt, vel, ſi eſſet, in hoc argumento ſequamur, in aliis omnibus, expreſſa Juris auctoritate, negligamus. Galvanus igitur, hoc Catone non contentus, aliam rationem addidit, quam & ante eum ſuggeſſit Hotomanus, & Merillius, & Bachovius, & alii ſequuti ſunt. Hujus auctorem habent Ulpianum in *l.* 27. *pr. ff. de Heredit. petit.* cum ait, ancillarum partus, & partuum partus augere hereditatem, *quamquam fructus eſſe non exiſtimantur, quia non temere ancillæ ejus rei cauſa comparantur, ut pariant.* Hæc ratio, priori comparata, Janus a Coſta dixit *frigidiorem eſſe nive Gallica*, ego neſcio, utra magis frigeat. Ancilla vulgo habetur, ut ſerviat, non ut pariat, ergo jus partus in fructu non eſt. Atqui plurima quoque pecora habentur, non ad partum, ſed ad colendos & ſtercorandos agros, ad lac, pilos, & lanam, & tamen eorum fœtus in fructu eſt. Si de honeſtate philoſopheris, ut philoſophantur, quos dixi, honeſtius nempe percipi partum ex pecudibus, quam partum ex ancillis, memento apud Romanos ex ſervis & ancillis quemlibet quæſtum fuiſſe boni odoris. Proſtituebantur ſæpe mancipia utriusque ſexus in lupanaribus, & hæc *in multorum boneſtorum virorum prædiis exercebantur*, ut ait illeipſe Ulpianus in *d. l.* 27. §. 1. *ff. de Heredit. petit.* Quare cum nec ea ratio videatur ſufficere, aliæ ab aliis quæſitæ ſunt. Eſt, qui dicit, fructus haberi, qui naſcuntur ex re, qua tali, ut equulus gignitur ab equo, qua equo, *partus vero non naſci ab ancilla, ut ancilla, ſed ut ab alio homine, operæ vero tantum ab ancilla, quatenus ancilla, proveniunt.* Eadem fere hæc ratio eſt, quam ſupra dixi, nonnullos ab Ulpiano petiiſſe in *d. l.* 27. *pr. ff. de Hered. petit.* certe quæ non plus valet: nam ſicuti ſerva non parit, qua ancilla, & in meo dominio eſt, ita nec pecora pariunt, qua mea & in meo dominio ſunt, ſed qua equæ, oves, vaccæ, & reliquæ femellæ. Ad alias igitur rationes rurſus alii tranſierunt; ſunt, qui partum eſſe dixerunt partem matris, ut dicitur in illo Ovidii:

—— *Uteri pars bæc eſt ſeptima noſtri*,

atque ideo partum in fructu non eſſe, quia, quod eſt pars alicujus rei, non poteſt eſſe fructus ejusdem rei. Contra alii, editum partum, de quo hic agimus, jure civili nunquam cenſeri partem matris, ſed rem aliam & a matre diſtinctam, atque ideo matris uſumfructum ad id, quod matris pars non eſt, porrigi non poſſe. De prima ratione non eſt, quod multum laboremus, nam quamvis partus, jam editus, impropria & tenerrima locutione quandoque audiat *pars matris*, tamen neque vere eſt, neque jure habetur. Nihil quoque proficit ſecunda ratio, quia fœtus jam editus æque diſtinctus eſt a pecoribus, ac partus ab ancilla, & fructus a ſolo ſeparati. Quid ſi dicamus, aliis omnibus miſſis, in fructu eſſe non videri, quo uti, frui, ut lubitum eſt, non poſſumus, etiam abutendo & prodigendo? Etiam bonæ fidei poſſeſſor poteſt res hereditarias dilapidare & perdere, *dum re ſua ſe abuti putat l.* 25. §. 11. *ff. de Heredit. petit.* ipſi domino igitur id invidendum non eſt. Fructuum quoque proprietas in conſumendo conſiſtit, utique in poteſtate conſumendi. At vero dominis in ſervos non omnia licet, poſtquam nempe placuit, neque eos dominum in ludum dare poſſe, neque alias perdere *l.* 11. §. 1. & 2. *ff. ad L. Cornel. de ſicar.* quemadmodum jus vitæ & necis dominis ademptum, quemadmodum & major eorum aſperitas ſit coërcita, ut nunc enarrem, non eſt locus. Partus igitur, cujus nulla ex operis adhuc utilitas, non erit in fructu, ſervus propter operas, easque fere ſolas, in fructu eſt, & quia partu abuti non licet, ut licet fructibus, ea forte ratione, & ea ſola, intelligi & defendi poteſt, quod veteres Auctores tradiderunt, dignitatem hominis præ ceteris animalibus effeciſſe, ne homo in hominis fructu ſit. De animalibus licet ſtatuere ex animi ſententia, de homine non licet. Omnes pecorum fœtus integrum eſt mactare, & plerique ad cibum utiles. Partum nemo occidet impune, & nemo coquus inde fercula parabit. Sic mihi videtur de partu ancillæ.

Pergo ad aliam acceſſionem, ejusque fructum, & quæro, an inſulæ, in flumine natæ, fructus pertineat ad fructuarium proximi fundi? Et quidem certi juris eſt, ipſam inſulam, juxta fundum in flumine enatam, domino fundi cedere *l.* 7. §. 3. *ff. de Acq. rer domin.* quod cum ſit, ad fructuarium fundi etiam inſulæ fructus videbatur pertinere. Ulpianus tamen contra diſputat in *l.* 9. §. 4. *verſ. ſed ſi ff. de Uſufr.* & auctoritate Pegaſi defendit, inſulam, licet proprietati accedat, ad fructuarii tamen commodum non pertinere, *eſſe enim veluti proprium fundum, cujus uſusfructus ad te non pertineat*, *quæ ſententia*, inquit, *non eſt ſine ratione: nam ubi latitat incrementum, & uſusfructus augetur: ubi autem apparet ſeparatum, fructuario non accedit.* Quamvis igitur inſula ipſius fundi pars eſſe videatur *l.* 16. *ff. de Legat.* III. & *l.* 26. §. 1. *ff. de Except. rei judic.* disjuncta tamen pars eſt, eo fere ſenſu, quo inſulas Italiæ, partes Italiæ eſſe dixit ipſe ille Ulpianus in *l.* 9. *ff. de Judic.* Atque ita agri uſufructu legato, teſtator non creditur ſenſiſſe de inſula, poſtmodum enata, & ab agro diſtincta. Nec contrahentes de ejusmodi ſeparata acceſſione ſenſiſſe creduntur, ſi fundi uſusfructus pactis & ſtipulationibus fuerit conſtitutus.

Aliud juris eſt in alluvione, nam ecce diſerte Ulpianus in *d. l.* 9. §. 4. *placuit, alluvionis quoque uſumfructum ad fructuarium pertinere*, & ſic oportet dicamus ex præſumta mente teſtantium & contrahentium, quia alluvio non tantum pars agri eſt *l.* 16. *pr. ff. de Pignor.* ſed pars conjuncta, indies & tacite accreſcens, neque adeo ab uſufructu totius agri ſeparanda. Cui Jurisprudentiæ, ſi non per ſe certa eſſet, etiam argumentum præberet §. 3. *d. l.* 9. Quod de alluvione dicimus, puto quoque dicendum de eo, quod vis fluminis adjecit, ſi prædio jam conjunctum & coalitum ſit, nam ſi non ſit, neque dominum mutavit *l.* 7. §. 2. *ff. de Acq. rer. domin.* ex eo autem tempore, quo dominum mutavit, pars prædii, cui adjectum eſt, intelligitur, & pars continua, non disjuncta. Ait quidem Ulpianus in *d. l* 9. §. 4. *ubi latitat incrementum, & uſumfructum augeri*, ſed apparet, non aliam ibi quæſtionem eſſe, quam de alluvione & inſula, quæ ſibi invicem opponuntur, & de alluvione affirmari, quod negatur de inſula, utpote ſeparato incremento & proprio veluti fundo. Ut ut vero de eo, quod ſimul & ſemel, vi majori, adjectum eſt, dubitari poſſit, nam certa auctorita-

te

te juris deſtituimur, dubitari tamen nequit de ipſa alluvione, quæ paulatim accedit, id enim Ulpianus ait *placuiſſe* in *d.* §. 4. id eſt, obtinuiſſe apud JCtos, & pro re certa fuiſſe habitum. Ab Ulpiano igitur Paulus non videtur diſſentire potuiſſe, quamvis apud eum *Sentent. L.* III. *C.* 6. §. *acceſſio* 22. ita legatur: *acceſſio alluvionum ad fructuarium fundum, quia fructus fundi non eſt, non pertinet.* Neque revera diſſenſit, quamvis ita viſum ſit Cujacio *Not.* ad eum Pauli locum, & ad *L.* I. *Feud. T.* 1. §. *pen.* Plures jam Interpretes animadverterunt, quod miror Cujacium fugiſſe, Pauli ſermonem eſſe de ipſa *acceſſione alluvionum*, non de uſufructu alluvionum, quo de dixerat Ulpianus in *d.* §. 4. ipſa alluvio non pertinet ad fructuarium, & veriſſime, *quia*, ut addit Paulus, *fructus fundi non eſt.* Pertinebit igitur ad proprietarium, jure dominii, ſed id non prohibet, quominus fructus acceſſionis ad eum pertineant, ad quem pertinent fructus totius fundi. Res eſt liquida; nec minus, ut videtur, liquida & ſincera Pauli ſcriptura in *d.* §. 22. Attamen Cl. Noodtius *L.* I. *de Uſufr. C.* 6. delere jubet verbum, *fundum*, quia alluvio utique pertinet ad *fructuarium fundum*, ſed non ad *fructuarium fundi*, unde & *fructuarium fundi* reſcribit Cl. Schultingius *Not.* ad *d.* §. 22. Ego nihil muto, & per *fundum fructuarium* intelligo *fundum*, qua *fructuarium*, quatenus nempe in uſumfructum datus eſt, ut ita de ſola fructuarii cauſa agatur, ſenſu plano. Perinde ac ſi quis *ſervo fructuario* ſtipuletur, ei, qua tali, ſtipulatum, & fructuario quæſitum intelligitur *l.* 25. §. 1. *ff. de Uſufr.*

CAPUT VIII.

Variæ Rhetorum quæſtiones, ex jure Romano definitæ.

Variæ ſunt, neque inutiles, olim in Rhetorum ſcholis ſive propoſitæ, ſive declamatæ Juris quæſtiones. Duas notavit Cujacius L. XIII. *Obſerv. C.* 24. & ait ſe iis excutiendis & definiendis ſæpe delectari, cum Rhetores fere proponant duntaxat, & nihil definiant, exſpectantes, inquit, *ſententiam noſtram, vel Judicum potius aut Principum.* Ex Quintiliani *Libris de Inſtitutione Oratoria* aliquot ejusmodi quæſtiones collegi, quas ad Edictum Prætoris hic exigam. Tractat ille *L.* III. *C.* 6. an infamia ſit notandus, qui operam quidem ſuam locavit, ut privatis ſpectaculis ſe exhiberet, publice vero productus non eſt? QUI ARTEM, ait, LUDICRAM EXERCUERIT, IN XIV. PRIMIS ORDINIBUS NE SEDEAT. *Qui ſe Prætori in hortis oſtenderat, neque erat productus, ſedit in* XIV. *ordinibus. Nempe intentio eſt*, ARTEM LUDRICAM EXERCUISTI. *Depulſio*, NON EXERCUI ARTEM LUDICRAM. *Quæſtio.* QUID SIT ARTEM LUDICRAM EXERCERE. Quid ſit *in quatuordecim ſedere*, & infamibus in his ſedendi jus non fuiſſe, quid *in hortis ſe oſtendere*, & probam rectam eſſe horum verborum ſcripturam ab aliis explicatum & probatum eſt. Cum autem *in hortis ſe oſtendere* intelligendum ſit de privatis ludis, in hortis aliquando haberi ſolitis, perperam hæc mutat Petrus Pithœus *Adverſ. L.* II. *C.* 17. & perperam transfert ad eum, qui in ſcena quidem viſus eſt, ſed tamen ibi perſonam non egit. Sed videamus de ipſa quæſtione, quam Fabius non definit. Et quidem diceres, eandem eſſe animi turpitudinem, ſive quis prodierit, ſive non prodierit, dummodo operas locaverit, & maxime diceres, cum placuerit, eum quoque poſtulationibus prohiberi, qui operam ſuam ad beſtias in arena depugnandas locavit, *ſive depugnaverit, ſive non l.* 1. §. 6. *ff. de Poſtulando.* Et tamen Gajus in *l.* 3. *ff. de His qui not. infam.* non eſſe notatum ait, qui operas ſuas, ut prodiret artis ludicræ cauſa, locavit, *neque prodiit*, addita ratione: *quia non eſt ea res adeo turpis, ut etiam conſilium puniri debeat.* Recte igitur ex iis locis admonuit Cl. Burmannus ad *Quintilianum*, quod ad infamiam, intereſſe inter eum, qui ſcenæ, & eum, qui ludo gladiatorio operam locavit, licet neuter productus fuerit. Sed quæ ratio differentiæ? non alia, ut mihi videtur, quam ex diverſis Edictorum verbis: quo enim de poſtulando cautum eſt, *qui locavit*, ſcriptum fuiſſe, arguit *d.* §. 6. quo autem de infamibus, *qui prodierit*, ut eſt in *l.* 1. *ff. de His qui not. infam.* Atque ita quidem, cum manifeſtiora ſint verba, minus quæſtionis eſt, ſed quid ſi, ut proponit Fabius, lex ajat, *qui exercuit*? & magis eſt, ut tunc ipſum factum videatur duntaxat notatum, non voluntas. Præcipue ſcilicet hic ſpectatum eſt, dignitatem XIV. ordinum tueri apud populum, ne ea turpium hominum conſeſſu pollueretur, indignum enim, primores ſuo loco cum iis conſidere, inſpectante populo, quorum paulo ante apud eundem populum turpe ſpectaculum factum eſt. Illud autem obtinet in iis, qui prodierunt, non æque in iis, qui producti non fuerunt, neque enim horum æque palam facta turpitudo, quâm eorum, qui populi judicio vel ludibrio jam ſubjecti fuerant. In Edicto *de poſtulando* ſola forte animi turpitudo magis ſpectata eſt, ob calumniæ metum, & majorem Prætoris reverentiam. Aut hæc eſt ratio differentiæ, aut quæ ſit, æque neſcio, ac neſcire ſe fatetur Marcus Vertranius Maurus *de Jure Liberorum C.* XI.

Quæſitum quoque eſt, an eum adulterum, quem licet occidere, & loris cædere liceret? Quintilianus eodem *L.* III. eodemque *C.* 6. τρόπος, inquit, *cum id quod alio modo fieri licet, alio dicitur factum: hinc eſt, adulter loris cæſus, vel fame necatus.* Variæ pœnæ ab adulteris privatim exigebantur, aliquot recenſuit Horatius *L.* I. *Satyr.* 2. *verſ.* 40. & *ſeqq.* aliquot Valerius *L.* VI. *C.* 1. *n.* 13. frequens, ut videtur, pœna fuit privata flagellatio, unde Horatius *eo loco:*

——— ——— ——— *ille flagellis*
Ad mortem cæſus ——— ——— ———

& Valerius: *Sempronius Muſca C. Gallium, deprehenſum in adulterio, flagellis cecidit.* Mox addit alia exempla vindictæ, a privatis ſumptæ, & ſuperdicit, *quibus iræ ſuæ indulſiſſe fraudi non fuit.* Id cauſam præbere poſſet, ut, quo jure exercitæ fuerint omnes illæ pœnæ, a Flacco & Valerio deſcriptæ, ſedulo diſputemus, ſed ne extra Quintilianum abeamus, de loris & flagellis, potiſſimo pœnarum genere, primum deſpiciamus, deinde de nece, per famem illata. Apud Demoſthenem *Orat. adverſus Ariſtocr. p. m.* 432. refertur Lex Attica, qua homicidam occidere licuit, λυμαίνεσθαι δὲ μὴ, μηδὲ ἀποινᾶν, *excruciare, eive pecuniam extorquere non licuit*, & tamen id minus eſt, quam occidere. Nunquid idem dicemus de Jure Romano, ut adulterum qui-

quidem occidere, non tamen loris cædere licuerit? etiam ideo, quod loris cædi ſervile ſit habitum, & maxime contumelioſum, ut indignatio lenonis ſignificat apud Terentium *Adelph. Act.* II. *Sc.* I. *verſ.* 28. Attamen ſubſiſto, & magis puto, loris fuiſſe locum: non quod me valde moveat ejusdem Quintiliani auctoritas, qui *L.* V. *Inſt. Orator. C.* 10. exemplum daturus argumenti, quod *a majori* vocant, *ſi*, inquit, *adulterum occidere licet*, *& loris cædere*, ſed quod Papinianus in *l.* 22. §. 3. *ff. ad L. Jul. de Adult.* in hæc verba ſcripſerit: *qui occidere poteſt adulterum*, *multo magis contumelia poterit jure adficere*, & quod Valerius Maximus obſervaverit, & flagellationes, & alias ſpecies contumeliæ, adulteris illatæ, apud Romanos *fraudi non fuiſſe*.

Succedit alia quæſtio, quam addit Quintilianus, an & fame liceat necare? quæ fere incidit in eam, an & liceat veneno? utrumque enim lentum mortis genus. Poſtremam quæſtionem proponit idem Fabius *L.* V. *Inſtit. Orat. C* 10. *His*, ait, *adjicitur modus*, *quem τρόπον dicunt*, *quo quæritur*, *quemadmodum quid ſit factum*, *id quod tum ad qualitatem ſcriptumque pertinet*; *ut*, SI NEGEMUS, ADULTERUM VENENO LICUISSE OCCIDERE, SED FERRO OPORTUISSE. Et ſane id negandum videtur, quia conſtat, plus eſſe veneno necare, quam gladio, ut palam reſcribit Antoninus in *l.* 1. *C. de Malef. & Mathemat.* in eamque ſententiam prolixe diſputat Philo Judæus *de LL. ſpecial. p.m.* 665. & 666. ſi tamen gladio, qui veneno infectus eſt, adulter percutiatur, etſi a veneno mors, non dubitabimus, quin jure cæſus videatur, contra vero, ſi venenum aliquod propinaverit, aut cibum omnem ſubtraxerit, unde lenta mors: neque enim perinde eſt, quemadmodum occidat. Licentia occidendi, quæ hic permiſſa eſt, permiſſa non videtur, niſi ut indignationi juſtæ & fere ſubitæ indulgeatur, ut exemplo Ulpianus illuſtrat in *l.* 23 §. 4. *ff. ad L. Jul. de Adulter.* Maritus, dum adulterum cædit, *juſtum dolorem* exſequitur, ait ipſe ille Ulpianus in *l.* 3. §. 3. *ff. ad SC. Silanian.* & juſtus dolor ex ira, ſine prævia deliberatione. Ut ut adulterum occidere liceat, non licet tamen, ſi non occidas, de eo ſtatuere ex animi ſententia, quin nec eum, in adulterio deprehenſum, retinere ultra horas XX. ut idem Ulpianus auctor eſt in *l.* 25. *ff. Eod.* Perinde, ſi occidas, non occides quovis modo, ſed *incontinenti d. l.* 23. §. 4. Ut verbo dicam, occidendi poteſtatem, quam lex dedit, non aliam accipimus, quam quæ frequentari ſolet apud iratos, dum furor arma miniſtrat, gladio, aliove telo; veneno autem & fame enecare longe plus eſt, & magis hominis deliberantis, quam ex ira decernentis.

Præterea quæſitum, an & in lupanari adulterum occidere jus fasque ſit? Quintilianus *d. L.* V. *C.* 10. *Occidiſti adulterum*, *quod lex permittit*, *ſed quia in lupanari*, *cædes eſt*. Et ſic eſt, ſi JCtos audiamus; lex quidem Julia patri permiſit adulterum filiæ ſuæ occidere, ſed non ubicunque deprehenderit, verum duntaxat *domi ſuæ generive ſui l.* 22 §. 2. *ff. ad L. Jul. de Adulter.* cujus rei ratio eſt in *l.* 23. §. 2. *ff. Eod.* Marito etiam non alias licet adulterum occidere, quam ſi in uxore ſua deprehendat *domi ſuæ. l.* 24. *pr. ff. Eod.* Plane eum, qui in lupanari merentem alterius mulierem ſubegit, jure adulterii occidere non minus eſſet abſurdum, quam Majeſtatis damnare, qui Meſſalinam, Claudii Imperatoris uxorem titulo Lyciſcæ in lupanari proſtantem, ſubegiſſet. Et cum meretrice, quamvis virum habeat, rem habuiſſe, adulterium non eſt *l.* 22. *C. ad L. Jul. de Adulter.* quam quæſtionem etiam Declamatores tractaſſe Quintilianus *L.* VII. *C.* 3. *Inſtit. Orator.* his verbis indicat: *adulterium*, *cum aliena uxore domi coire*, *an & in lupanari?*

Quæſitum denique eſt, in cauſa adulterii, an deprehenſa & occiſa adultera, adulterum, qui effugerat, poſtea in foro liceat occidere? Audi rurſus Fabium *L.* III. *C.* 11. *Sed & una cauſa plures habere quæſtiones & judicationes*, *ut ego arbitror*, *poteſt*: *ut in eo*, *qui*, *cum adulteram deprehenſam occidiſſet*, *adulterum*, *qui tum effugerat*, *poſtea in foro occidit*. *Cauſa enim eſt una*, ADULTER FUIT. *Quæſtiones & judicationes*: AN ILLO TEMPORE, AN ILLO LOCO LICUERIT OCCIDERE? Fabius in ea cauſa duplicem fecit inſpectionem, & temporis, & loci. Quod ad tempus, lex Julia utrumque *incontinenti* deſiderat occidi *l.* 23. §. 4. *ff. ad L. Jul. de Adult.* ſcilicet, ut ſupra dicebam, cui occidendi facultas permittitur, non criminis exſequutio videtur mandata, ſed ejus, tanquam inſpectu ſceleris inflammati, juſto dolori datum eſt, ut occidere liceret. Quapropter ſi fugientem e cubili adulterum perſequutus, atque aſſequutus demum in foro, ibi confoderit, non dubitabimus, quin ſine fraude ſit: non intermiſſa quippe perſequutio declarat, eundem animi impetum, qui domi fuit, ad forum perduraſſe. Et palam ſic Ulpianus definit in *d. l.* 23. §. 4. *in fin.* *Quod ſi* (de patre verba ſunt) *dum adulterum occidit*, *profugit filia*, *& interpoſitis horis adprehenſa eſt a patre*, *quo perſequebatur*, *incontinenti videbitur occidiſſe*. Eadem ſpecies eſt apud Fabium, niſi quod ibi, occiſa filia, profugit adulter, hic, occiſo adultero, profugit filia, quod jus non mutat. De loco diſputare nihil omnino attinet, utique non de foro. Sed quid dicemus de domo adulteri, vel aſylo? Et parum abeſt, quin idem obtinere putemus; quemadmodum dicimus, hoſtem, in noſtro territorio deprehenſum, & fugientem, in alterius Imperio perſequi licere, modo perſequamur incontinenti, durante pugna vel fugientium cæde.

Ne cum adulteris finiamus, addo aliam quæſtionem, apud Rhetores agitatam. An nempe, ſi duo ſimul ejusdem rei fecerint furtum, cujus nomine in quadruplum eſt actio, ut ſi manifeſtum ſit, an ſemel quadruplum pendiſſe ſufficiat, ut ambo liberentur, an cujusque nomine quadruplum, atque ita octuplum amborum, præſtandum ſit? hanc quæſtionem proponit Quintilianus *L.* VII. *Inſt. Orator. C.* 4. *in fin. & C.* 6. *in princ.* Verba utriusque loci non adſcribo. Ipſa autem quæſtio inde pendet, quotiens furtum videatur eſſe factum? & diligenter diſputanti apparebit, unius rei, etſi a quamplurimis in eandem cauſam ſubreptæ, furtum non eſſe, niſi unum duntaxat, neque enim eſt, niſi unius ejusdemque rei ſemel ablata poſſeſſio, & continuata contrectatione furtum non multiplicari conſtat *l.* 9. *pr. ff. de Furt.* Incidit igitur hæc cauſa in eam quæſtionem, quæ tractata eſt de pluribus, qui tignum, quod unus ferre non poterat, ſimul furati ſunt, tuliſſe enim & non tuliſſe ſinguli videntur, ſed utilitatis ergo placuit, omnes in ſolidum teneri *l.* 51. §. *ult. ff. ad L. Aquil.* ut multa jure civili, contra rationem diſputandi, pro utilitate communi recepta eſſe, obſervat ibi Julianus. Et ſingulos fures actione furti in ſolidum teneri, a Diocletiano & Maximiano etiam reſcriptum eſt in *l.* 1. *C. de Condict. furtiv.* Ita au-

autem placuit, ut res exitum haberet, neque enim, quantum quiſque tulerit, demonſtrari ullo modo poteſt. Aliud obtinet in condictione furtiva, ubi contra ſingulos fures electio eſt *d. l.* 1. Utriusque actionis differentiam notavit & Cl. Burmannus ad Fabii *L.* VII. *C.* 6. *pr.* ſed addit ibi quædam, quæ ipſe non ſatis intelligo. Ceterum & hoc quæri poſſet, quamvis ſinguli fures, ſi ad pœnam agam, in ſolidum teneantur, ſi unus pœnam præſtiterit, quia unum furtum eſt, num alterius pœna exſtinguatur, & ceteri, quotquot fuerint, liberentur? itemque ſi omnes partem offerant, atque ita ſimul unam pœnam unius delicti, quod omnes commiſerunt, an id quoque ſufficiat? quam in rem, præter ea, quæ dixi, utile erit expendiſſe *l.* 7. §. 5. & *l.* 8. *ff. de Jurisdict.* *l.* 5. *ff. de Noxal. action.* *l.* 11. §. 2. *ff. ad L. Aquil.* & præcipue *l.* 1. §. 19. *ff. Si is qui teſtam. lib. eſſe juſſ.*

His, ſi tanti eſt, adde, quæ de alia Rhetorum quæſtione ex Fabio notavi *L.* I. *Obſerv.* *C.* 8.

CAPUT IX.

Tentatur emendatio & explicatio L. 17. §. 8. ff. de Action. empt.

Ædibus diſtractis quid cedat, Ulpianus definivit in *l.* 13. §. 31. & *l.* 17. §. 7. 8. & 9. *ff. de Action. Empt.* Ejus in *d. l.* 17. §. 8. hæc eſſe verba creduntur: *Caſtella plumbea, putea, opercula puteorum, epitonia fiſtulis adplumbata, aut quæ terra continentur, quamvis non ſint adfixa, ædium eſſe conſtat.* Ait, *caſtella plumbea*, ut in *l.* 38. §. 2. *Eod.* de his, quod ſatis eſt, dixit Budæus *Annot. prior.* ad *h.* §. Porro ait, *putea.* Valde novum eſt admonuiſſe, putea ædibus cedere, cum nemo ignoret, non aliud eſſe puteum, niſi profunditatem in terra effoſſam, aquæ habendæ ergo, quæ non poteſt ædibus venditis non accedere, cum utique, ſi quid aliud, puteum terra contineatur. Merito id Budæum offendet eo, quem indicavi, loco, & ideo pro *putea* reſtituit *putealia*, id eſt, opercula puteorum, *puteal* enim eſt ædium, ut ipſe ille Ulpianus dixit in *d. l.* 13. §. 31. & quid ſit *puteal*, Pomponius mox explicat in *ſeq. l.* 14. *id eſt, quo puteum operitur*, male enim Vulgata in *d.* §. 31. *putealia*, pejus Haloander *putea*, & in *d. l.* 14. *item quo puteum cooperitur.* Ideo autem pejus, quod eadem tunc difficultas premat *d.* §. 31. quæ premit hunc §. 8. Vides, quemadmodum Budæus ſeſe extricaverit, ſed ne ſic bis idem dicatur, *opercula puteorum*, quæ mox ſequuntur, quaſi ex gloſſa alicujus Interpretis, delenda cenſet. Budæi emendationem, ut ſæpe alias, veteres Editores certatim ipſi legi intruſerunt, apud varios enim ita nunc legitur, ut ille emendavit. Verum quia peſſimi exempli res eſt, quod in ipſis legibus exſtat, interpretum gloſſis adſcribere, & quia, ſi legamus *putealia*, vel, ſi mavis, addita una duntaxat litera, *puteal*, Ulpianus *L.* XXXII. *ad Edictum* bis eandem rem dixiſſet, ſemel in *d. l.* 13. §. 31. iterum in *d. l.* 17. §. 8. nam ex eodem Libro eſt utraque lex, tentemus potius, an non pro *putea* reſcribi poſſit *butea* vel *butia.* Quæ vox cum eſſet inſolentior, & librariis forte incognita, eam mutarunt in magis uſitatam *putea.* Βούττιον autem in veteribus Gloſſis eſt *cupa* vel *cupella*, perinde ac βούττις, ut eſt in Gloſſario Labbæi; de utraque voce prolixe egit Salmaſius ad Capitolinum in *duobus Maximinis C.* 22. & nonnihil Cujacius *L.* IX. *Obſerv.* *C.* 26. Si Ulpianus græce non extulerit vocem Βούττια, latine potuit efferre, ut alii extulerunt, obſervante Salmaſio *d. loc.* A *butia* forte *butiola*, id eſt, parvulæ cupæ, nam ſi *butiola* legeretur apud Nonium *Cap. de Generibus Vaſorum*, quid ſignificarent, intelligerem, *batiola*, ut nunc legitur, quid ſibi velint, non intelligo.

Igitur hujusmodi cupas, quamvis adfixæ non ſint, ædibus tamen cedere diceret *d.* §. 8. ex ratione *d.* §. 31. & *h. l.* 17. §. 7. ut puta vaſa, quæ perpetui uſus ergo fiſtulis aquariis (de quibus in *h.* §. 8.) ſupponuntur, aut quæ alias ad perpetuum domus commodum deſtinata ſunt. Plane ut de doliis, horreo acceſſuris, ſcriptum eſt in *l.* 76. *pr. ff. de Contr. empt.* ſive illud accipias de horreo frumentario, in quo ſub terra in doliis olim frumentum condebatur, de quo more Varro *de R. R. L.* I. *C.* 63. ſive de horreo, rerum quarumcunque ſervandarum cauſa habito, de quo intellexerim alium Varronis locum in *Manio Fragment. p.* 16. Verba exhibeo, quo corrigam: *Hæc adventoribus accedunt, cella, claves, clauſtra, carnaria, dolia.* Lego. *Hæc & venditoribus accedunt, cella*, & reliqua. De doliis quidem ſunt leges, quæ contra dicere videantur, ſed meminiſſe oportet, facti potius eſſe hanc quæſtionem, quam juris, prout enim fuerint comparata vel perpetui in horreis uſus cauſa, ſive non, cedent, aut non cedent venditori.

Ceterum, ut ad *d.* §. 8. redeam, ſi quam tentavi, emendatio non placeat, & omni ope præferas Budæi *putealia*, non continuo tamen delerem *opercula puteorum*, ut Editores, Budæum ſequuti, deleverunt: aliud enim eſſe poteſt puteal, aliud quodlibet putei operculum, etſi & pro eodem accipi poſſint, ut accepit *d. l.* 13. §. 31. juncta *l.* 14. *ff. hoc Tit.* alioquin *puteal* accipimus pro omni eo, quod ſuper puteum exſtruitur, ſive ædicula ſit, ſive aliud quid ornatus gratia. Ita ſane eſt in Gloſſario Petronii, voce *Marſyæ*, nam ſic ibi legitur: MARSYÆ, *perſonæ ſeu ſigilla, ex quorum roſtris aut alia corporis parte aqua ſalire ſolet, varie efficta; in fontibus ac puteis* PUTEALIA *appellantur.* Putealia hic ſunt ornamenta, perſonæ, ſigilla, ſuper puteos exſtructa, atque ita ab operculis diſtincta.

Sequitur in Libro Florentino: *epitonia, fiſtulis adplumbata.* Budæus *epitonia* mutavit in *epiſtomia*, quæ lectio etiam in vulgatas Editiones migravit, & ab Alciato *L.* V. *Parerg.* *C.* 3. & ab aliis paſſim recepta eſt. Apud Varronem tamen *de R. R. L.* III. *C.* 5. legitur *epitoniis verſis*, utique ſic legitur in cunctis MSS. ut teſtatur Victorius ad *eum locum*, ut ut in excuſis quibusdam legatur *epiſtomiis.* Servat eam lectionem Scaliger, & *epitonia* interpretatur *rotas mechanicas, quæ funibus intenduntur, aut aliud quid, ad exprimendam aquam.* Servat & Victorius, & interpretatur *inſtrumenta, quibus chordæ funesque intenduntur*, ex quo Gothofredus hic, nemine laudato, notam ſuam tranſcripſit. Nihil auctoritatis addit Scaliger, nihil Victorius, utque adeo ex iis parum proficiamus. Pro *epitonia* Victorius adducit hunc noſtrum §. 8. quem cum exhi-

exhibet, ſcorſim ab epitoniis exhibet *fiſtula adplumbata*, nulla, quod ſciam, auctoritate, & ſenſu minus commodo. Apud Paulum *L.* III. *Sentent.* *T* 6. §. 65. legitur nunc *epitonia*, nunc *epitomia*, ſcripti tamen Codices, ut Cujacius obſervavit, *epitonia*; quod ille probat, ſed Cl. Schultingius *epiſtomia* præfert, & ita nunc fere editur Senecæ *Epiſtola* 86. *Pauper ſibi videtur ac ſordibus . . . . . niſi aquam argentea epiſtomia fuderint*, cum veteres tamen libri, notante Lipſio, exhibuerint *epitbomica* vel *epitomia*, unde & ibi *epitonia* reponit Cujacius. Sed ex libris, quorum lectio eſt dubia, in neutram partem diſputari poteſt, cum in utramque poſſit. Budæus *epiſtomion* definit *æramentum*, *quo ora ſalientium obturantur*, *& laxantur*, *cum opus eſt*, *dum manu ducitur vertibulum illud pertuſum*, *quod admittit vel arcet aquam*, *prout boc aut illo modo verſatur*. Quam definitionem alii ſuam fecerunt. Probat Budæus & emendationem & definitionem ſuam auctoritate Vitruvii *L.* X. *de Arcbitect.* *C.* 13. ſed agnoſcit, nec ibi lectionem conſtare; & Scaliger exhibet, atque ſi illic etiam *epitonia* legeretur. Alii aliter. Sed ſi vel conſtanter apud Vitruvium legeretur *epiſtomia*, ego in *b.* §. ſervarem *epitonia*, cum & toties ea vox alibi occurrat, & magis mihi videatur apta ad uſum, cui ſerviunt, ſignificandum: nam per *epitonia* intelligo roſtra, & quæcunque capita fiſtularum, quibus effluens aqua in arctum cogitur, ſtringitur, ἀπὸ τοῦ πιέω. Et ornamenti & uſus gratia hæc fiſtulis olim addebantur, & etiam nunc adduntur, non ut aquam coërcerent, ſed ut *funderent*, ut eſt in eo, quem dixi, Senecæ loco; *epiſtomion* autem eſt *oris obturaculum*, quod aquam impedit, non promovet, quod os fiſtulæ obſtruit, ne aqua effundatur, cum tamen argentea epitonia aquam fundant. Sed apud Vitruvium *d.* *L.* X. *C.* 13. magis eſt, ut *epiſtomia* legamus, non *epitonia*, nam ibi *ſingulis canalibus ſingula epiſtomia ſunt incluſa manubriis ferreis.* Addebantur ſcilicet epiſtomia canalium ori, ad ipſos claudendos, excurrentibus manubriis extra fiſtulas, quibus denuo extrahi poſſent. Sed plus ſatis de *epitoniis*. Gothofredus *Notis* ad hanc *Voc.* adeo ineptit, ut referre pudeat.

Tandem §. 8. *aut quæ terra continentur.* Hæc a ſuperioribus ſeparatim accipi poſſunt. *Terra* autem *contineri* proprium JCtorum verbum eſſe dixit Seneca *L.* II. *Natur.* *Quæſt.* *C.* 1. *Tertia*, ait, *illa pars de agris*, *terris*, *arbuſtis ſatis quærit*, *&*, *ut JCcorum verbo utar*, *de omnibus*, QUÆ SOLO CONTINENTUR.

Addo ἐπίβλημα ad §. 9. ejusdem *l.* 17. ait ille §. villæ eſſe *ſigilla*, *columnas quoque*, *& perſonas*, *ex quarum roſtris aqua ſalire ſolet.* Eadem fere verba ſupra repræſentavi ex Gloſſario Petroniano. De ſigillis egit Budæus ad *b.* §. de perſonis ſalientibus plures alii. Ex eo etiam Petronii Gloſſario improbabis, quod ait Curtius *L.* II. *Conjectur.* *C.* 9. pro *perſonas in d.* §. 9. eſſe legendum *iconas*.

C A P U T X.

Ad L. 9. ff. de Grad. & adfin.

Non eſt ad manum, qui mihi videatur recte explicaſſe *d.* *l.* 9. Quod ut probem, ante moneo, *gradum* non ſemper eſſe agnatorum cognatorumve inter ſe diſtantiam, ſed & quorumcumque propinquorum ordinem ſive lineam. Apud Latinos *gradus ordinisque* promiſcua appellatio, ut apud Gellium *N.* *A.* *L.* V. *C.* 13. & *gradus* pro *ordine* in *l.* 3. *pr.* *ff.* *de Term. mot.* nam ſubtilius, quam verius ibi *gradum* interpretatur Cujacius *Comm.* ad *l.* 4. *ff.* *de Uſurp.* *& uſuc. in fin.* Antiquus quoque ſimul & optimus *Novellarum* interpres τάξιν non male *gradum* vertit in *Præfat.* *Novell.* CXVIII. *Omnis generis ab inteſtato ſucceſſio tribus cognoscitur gradibus* (τρισὶ τάξεσι) *boc eſt*, *aſcendentium & deſcendentium*, *& ex latere.* Alii vertunt *ordinibus*, recte, ſed nec improbandum *gradibus*, ut video nonnullos improbare & reprehendere. *Ordo* & *gradus* paria quoque ſunt apud veterem Juvenalis Scholiaſten ad *Satyr.* VIII. *verſ.* 1. *Stemma*, inquit, *eſt generis ordo aut gradus.* Sic enim lego, non *ut gradus*, quod ſenſum non habet. Sane Paulus in *b.* *l.* 9. per *gradum* nihil aliud intellexit, vel intelligere potuit, quam *ordinem* ſive *lineam*. Ecce ejus verba *ex Libro* IV. *Sententiarum*: Στέμματα *cognationum directo limite in duas lineas ſeparantur*, *quarum altera ſuperior*, *altera inferior*, *e ſuperiore autem & ſecundo* GRADU *transverſæ lineæ pendent.* *Quas omnes latiore tractatu babito in Librum ſingularem conteximus.* Præfatio *Novell.* CXVIII. cognatos trifariam diviſerat, nec aliter dividit Gajus in *l.* 1. *ff.* *b.* *Tit.* quin nec aliter, ſi rem ipſam ſpectes, Paulus in *b.* *l.* 9. Lineam rectam aliam facit ſuperiorem, aliam inferiorem, & deinde ex utraque transverſam, quam ait *pendere e ſuperiore & ſecundo gradu*, hoc eſt, ex ordine aſcendentium, quem *ſuperiorem* ſive *primum*, & ordine deſcendentium, quem *ſecundum gradum* vocat, quod ipſa Gloſſa jam animadvertit. Perſpicue ſic *gradus* pro *ordine* ſive *linea*, ut & alias apud Latinos, ſed, e converſo, ubi de agnatis & cognatis ſermo eſt, τάξιν ſive *lineam* pro *gradu* uſurpatam non memini me legere.

Supereſt, ut quæramus, quid ſibi velit Paulus, cum ait, *transverſas lineas* PENDERE *e ſuperiore & ſecundo gradu.* Baſilici hic ſuppetias non ferunt, nam *b.* *l.* 9. ibi deſideratur. Cujacius ad Pauli *Sentent.* *L.* IV. *T.* II. §. 1. perinde eſſe putat, ac ſi Paulus dixiſſet, *transverſam lineam incipere a ſecundo gradu*, *& oriri a ſuperiore linea.* In eandem ſententiam, addunt alii, qua Juſtinianus dixit *pr.* *Inſt.* *de Grad. cognation.* *Superior & inferior cognatio a primo gradu incipit*, *at ea*, *quæ ex transverſo*, *numeratur a ſecundo.* Sed quum *gradus* ſit *linea* ſive *ordo* apud Paulum, non aliud, opinor, voluit, quam collateralem ordinem non ſubſiſtere ſine ordine aſcendentium & deſcendentium, atque ita ex utroque pendere: frater quippe ob patrem eundem frater eſt, ob fratrem collateralis. Sic transverſa linea ſine aſcendente & deſcendente non eſt, aſcendentium & deſcendentium ordo etiam ſine collaterali, hoc eſt, illorum linea ex transverſa non pendet, uti transverſa pendet ex ordine aſcendentium & deſcendentium. Non puto aliam eſſe *d.* *l.* 9. ſententiam, quia ea, quam alii dederunt, quamque tranſcripſit Dionyſius Gloſſator ad *b.* *l.* neque vera eſt, neque verbis *d.* *l* 9.

convenit. De verbis diximus. Vera autem non eſt, quia collateralis linea, ſemota graduum enumeratione, de qua nihil hic Paulus, collateralis dici nequit ob aſcendentes ſolos, niſi & deſcendentium ratio habeatur. Atque ita filius in linea transverſa non eſt, quia patrem habet, ſed quia & fratrem. Neque Paulus transverſos *incipere* dixit a ſecundo gradu, & *oriri* ex primo, ſed ab utroque *pendere*, id eſt, aſcendentium & deſcendentium ordinem oportere concurrere, priusquam collaterali locus ſit.

Addit Paulus: *quas omnes latiore tractatu habito in Librum ſingularem conteximus.* Intelligit Paulus *Librum ſingularem*, quem ſcripſit *de gradibus & adfinibus, & nominibus eorum*, e quo ſupereſt unica *l.* 10. *ff. h. T.* Eum Librum adhuc exſtare integrum ex teſtimonio poſſeſſoris adfirmat Cujacius *L.* VI. *Obſerv. C.* 40. Magni vellem, ejus inſpiciendi mihi daretur poteſtas, non alio fine, quam ut conſtituere poſſem de quibusdam locis in *d. l.* 10. quæ nunc me habent valde ſolicitum.

CAPUT XI.

Explicata, ſine emendatione, L. 10. pr. ff. de Grad. & adfin.

Ne in fine *Capitis proximi* temere dixiſſe videar, eſſe vegrandes difficultates in *d. l.* 10. videamus, an mox *in princ.* unam ſuperare liceat, dum de aliis amplius deliberamus. Paulus, Librum ſuum *de gradibus & adfinibus* commendaturus, *Juriſconſultus*, inquit, *cognatorum gradus & adfinium noſſe debet, quia legibus hereditates & tutelæ ad proximum quemque agnatum redire conſueverunt*, & quæ ſequuntur. Quid audio? *gradus adfinium*? atqui *gradus adfinitati nulli ſunt*, ut habet Modeſtini regula in *l.* 4. §. 5. *ff. h. T.* Aliter quidem placuit jure Pontificio, & ex eo aliis aliarum Gentium legibus, atque his etiam, quibus nos Belgæ utimur, ſed jure civili veriſſimam eſſe, quam ex Modeſtino exhibui, regulam, conſentiunt omnes, ni fallor, Interpretes, ſi unum, ut mox audies, Franciſcum Duarenum excipias. Laboratum igitur eſt de hac *l.* 10. *pr.* & ab emendationibus primum quæſita medicina. Cujacius *Not. prior.* ad *Inſt. L.* III. *Cap.* 6. §. 7. pro *cognatorum gradus & adfinium* legendum cenſet, *cognatorum gradus & adfines*, idemque & alii, qui ex heroum jecinore ſapiunt. Sed id adfirmare æque facile eſt, ac negare. Batavus quidam, qui *Cenſur. Forenſ. L.* I. *C.* 5. inter gradus adfinitatis proprios & improprios diſtinxerat, quomodo & ab antiquis Interpretibus fere diſtinctum eſt, ut ſuo etiam ingenio videatur ſapere, atque ita auris Batavæ ignominiam a ſe amoliretur, *Faſciculo additionum & emendationum* ad *d. l.* 1. *C.* 5. *n.* 3. & *Notulis* quoque ſuis ad *h. l.* 10. *pr.* putat excidiſſe vocem *nomina*, adeoque reponit, *& adfinium nomina*, quo hæc conveniant *Titulo*, ut in Pandectis Flor. inſcribitur, & *Libro* ipſius Pauli, unde lex petita eſt, & miratur, *a nemine id hactenus eſſe obſervatum.* Sed apage vim majorem, & alias quisquilias, quas in *Notulis* addidit. Rurſus Cujacius, mutatus, ut videtur, ab eo, qui ante fuerat, ad *Tit. Decretal. de Conſang. & adfinit.* pro *adfinium* legi jubet *agnatorum*, *ut*, inquit, *jam olim docui.* Ita certe non docuerat ad *inſtitutiones*, ubi vero alias, me latet. Verum neque hanc emendationem probo, cum ob vim majorem, tum quod Paulus eo libro, unde eſt *d. l.* 10. etiam de *adfinibus* tractaverit, & mox in *hoc princ. verſ. Præterea*, rationem dederit, quare JCtum & *adfines* noſſe oporteat: memoraſſe igitur eos debuit in proponendo, quod tractabat, argumento. De agnatis non erat, cur nominatim proponeret, cum ſub cognatis comprehendantur, ut ipſe mox ait in *h. l.* 10. §. 4. Et non Latini duntaxat, ſed & Græci *Baſil. L.* XLV. *T.* 3. in *h. l.* 10. *pr.* conſtanter legiſſe videntur *adfinium*, & ita quoque Scholiaſtes ad *eum locum.* Servavit quoque receptam lectionem Duarenus *Comment. de Nuptiis Part.* III. *Sect. Hactenus, in fin.* ratus, jure civili revera etiam eſſe adfinitatis gradus, ut hic eſſe dixit Paulus, & Modeſtinum, dum ait, *adfinitati nullos eſſe gradus*, accipiendum, ac ſi dixiſſet, *nullos alios eſſe gradus*, quam cognationis ſcilicet ſeu conſanguinitatis. Sed quis citra indignationem ejusmodi ſupplementum ferat? nam ſic *nulli* dixiſſet pro *iidem*, nulli alii, quam cognatorum, hoc eſt, iidem, qui cognatorum, ſenſu plane oppoſito. Ita in proclivi eſt, ex quolibet quidlibet fingere; quin, ſi id voluiſſet Modeſtinus, oportet, ante explicaſſet, quales ſint cognatorum gradus, cum quibus iidem eſſent gradus adfinitatis, at nullibi in ea lege de gradibus cognatorum egerat, atque ita hæc minus cohærerent. Res ipſa quoque vera non eſt, non modo ex manifeſta in contrarium regula, ſine ambagibus a Modeſtino propoſita, ſed & ex uſu, quia nempe gradus cognatorum non a gradibus adfinium, at vero ab ipſis adfinibus ſeparantur, tam in *Titulo* Pandectarum, quam in Pauli *libro de gradibus & adfinibus*, & quia JCti, qui diligenter de cognatorum gradibus agunt in *l.* 1. *l.* 3 *& l.* 10. *h. Tit.* de adfinium gradibus nihil quicquam agunt, ſimpliciter contenti adfines, nomine tenus, enumeraſſe; & denique quia ipſe Modeſtinus, deſcriptis adfinium quorundam nominibus in §. 4. *d. l.* 4. mox addit, in §. 5. perſpicua interpretatione, *nullos eſſe adfinitati gradus.* Unde fieri non poteſt, quin id jure civili omnino verum ſit. Recte igitur Gulielmus Fornerius *L.* III. *Select. C.* 25. Modeſtini regulam ſequitur, ſed non recte Paulum hic intelligit de *gradibus adfinitatis*, qui ſoli eſſent in nuptiis contrahendis, quia nec in his gradus adfinium diſtinguunt JCti. Quin Paulus, rationem daturus, cur JCtus cognatorum gradus & adfinium noſſe debet, de nuptiis plane tacet. Ut verecundius, ita magis probabile videbatur, quod Azo ſuggeſſit *Summ.* ad *Tit. Inſt. de Gradib. cognat. n.* 16. *improprie* dici gradus in *h. l.* 10. *pr.* qui *proprie* gradus non ſunt *d. l.* 4. §. 5. Azonis ſententiam expreſſit Gloſſa ad *d. l.* 4. §. 5. & hanc, non aliam, Ruſſardus margini Editionis ſuæ adſcripſit, & plerique Interpretes in *Commentariis* ſuis ſequuti ſunt. Sed grave eſt, κατάχρησιν in loco, ubi proprie aliqua de re tractandum eſt, contra regulam juris in *d. l.* 4. §. 5. admittere, & quidem ejusmodi κατάχρησιν, cujus apud veteres JCtos non aliud exſtat exemplum.

Igitur, ſi hæc omnia placere non poſſint, tentemus aliud. Et quid ſi dicamus, *adfinium* in *h. l.* 10. *pr.* non eſſe generandi flexionem ab *adfines*, numero plurium, ſed verbum, quod idem, atque *adfinitas*, ſignificat? quemadmodum enim illa conjunctio, qua plures confines ſeſe contingunt, paſſim appellatur *confinium*, ita & ea, qua ad-

adfines, *adfinium* dici nihil eſt, quod prohibet. Movet etiam, quod vix putem, tam duri oris fuiſſe Paulum, ut ſi τὸ *adfinium*, generandi caſu, extuliſſet, ut alii acceperunt, non dixiſſet potius, *cognatorum & adfinium gradus*, quam, ut nunc legitur, *cognatorum gradus & adfinium*; cujusmodi transpoſitiones apud Ammianum Marcellinum frequentius offendas, quam apud JCtos. Addo, quod Baſilici hic habent ἀγχιστείας, non ἀγχιστῶν, *adfinitatis*, non *adfinium*. Sed quamvis analogia ſermonis Latini non impediat, quominus, ut *confinium*, *trifinium*, *quadrifinium* dicimus, ita & *adfinium* dicamus, auctoritatem tamen deſiderabis. Et unde potius depromam, quam ex ipſo Paulo in *l.* 12. *ff. Fin. regund.* dum inquit, venditoris demonſtrationem, *adfinium, novos fines, inter fundos conſtituere.* Puto *adfinium* dixiſſe pro *confinio*, id eſt, eo loco, quo termini agrorum ſeſe contingunt, ut enim ager agro conjunctus dicitur *confinis* in *l.* 35. §. 8. *ff. de Contr. emp. & vend.* ita & *adfinis* apud Feſtum in *adfines*. Dixit, *adfinium*, *novos fines*; alterutrum ſuffecerat, ſed non raro, quod ſemel expreſſiſſe ſatis erat, juris Auctores geminant, maxime ubi interpretationis loco quid apponitur, etſi non addito, *id eſt*; & ob inſolentius verbum forte hic addita interpretatio. Poſſes & in *d. l.* 12. per *adfinium* intelligere veteres terminos, & per *novos fines*, confinium, ab ipſo venditore definitum.

Sin vero te nimium turbet inſolentior vox *adfinium*, qua uſus fuiſſet Paulus, ſuccurrit aliud, quo tueamur ſcripturam *d. l.* 10. *pr.* & ſimul receptam juris civilis regulam. Utrumque fiet, ſi per *gradus* non intelligamus, ut vulgo intelliguntur, perſonarum inter ſe diſtantias, ſed ipſas *lineas*, ipſos *ordines cognatorum & adfinium.* Et in id omnino ſum proclivior. Si dicas, & ita κατάχρησιν admitti, largior, ſed κατάχρησιν, non aliis modo, at ipſi quoque Paulo uſitatam in hoc ipſo argumento, ubi στέμματα cognationum diviſit in *l.* 9. quæ proxime præceſſit. Non repeto, quæ in hanc ſententiam dixi *C.* X. ſed addo, quod vel in primis me movet, quod Baſilici *L.* XLV. *T.* 3. *C.* 7. *th.* 1. *gradum* hic verterint *lineam*, συμβάλλεται, inquiunt, τὸ γινώσκειν τὴν τάξιν τῆς συγγενείας καὶ ἀγχιστείας, *expedit noſſe lineam* ſive *ordinem cognationis & adfinitatis.* Nec Baſilici tantum, ſed & Scholiaſtes ad *eum locum:* Ὁ περὶ νόμων ἐρωτώμενος ὀφείλει τὰς τῶν συγγενῶν καὶ τῶν ἀγχιστῶν τάξεις εἰδέναι, *Juriſconſultus lineas* ſive *ordines cognatorum & adfinium noſſe debet.* Τάξις apud Græcos nunquam eſt *gradus*, ſed βαθμὸς, apud Latinos *gradus* etiam eſt τάξις; & ſic Paulum hic interpretor, ut interpretati ſunt Græci, utque præivit ipſe Paulus in *l.* 9. *ff. h. T.*

Habemus ſic juris regulam, ſatis, opinor, certam, adfinium nullos eſſe gradus, ſed ſolis eos nominibus cenſeri. Quapropter & in Baſilicis *Titulus.* 3. *Libri* XLV. περὶ βαθμῶν συγγενῶν καὶ ἀγχιστῶν, &c. vertendus eſt, *de gradibus cognatorum & adfinibus*, non, ut verterunt Gentianus Hervetus, quique ejus correctores videri voluerunt, & poſtremo Carolus Annibal Fabrotus, *de gradibus cognatorum & adfinium*, nam generandi caſus in τῶ ἀγχιστῶν non oritur a verbo βαθμῶν, ſed a prima vocula περὶ, quæ ante τὸ ἀγχιστῶν intellectu repetenda eſt. Plane & olim Vulgati quidam Libri huic Pandectarum Titulo, in quo verſamur, præſcripſerunt, *de gradibus adfinitatis*, vel *de gradibus adfinitatis & conſanguinitatis*, omnino perperam, contra morem veterum JCtorum, & auctoritatem Libri Florentini, de quo prolixa olim fuit Gregorii Haloandri querela & indignatio. Sed hæc mittamus.

Quamvis autem de regula conſtet, de ejus ratione non æque conſtat; inquiramus, nam res digna eſt. Cujacius ad *Tertiam Inſtit.* *C.* VI. §. 7. dixit, ideo adfinitatis nullos eſſe gradus, quia locum non habet generatio, ex qua gradum finimus, *ut ecce*, inquit, *qui ex genero naſcitur, adfinis non eſt, ſed cognatus*, atque ita, quod adfines adfines non generent. Alii id certatim exſcripſerunt, plus, ut arbitror, gnari, ſe exſcripſiſſe, quam quid exſcripſerint. Ego ſane hanc rationem non intelligo, aut valde mala eſt: ut ut enim adfinis adfinem non generet ab omni latere, ut a latere generi, quia potentior cognatio impedit, plus ſemel tamen ex adfini adfinis eſt, nam ecce filius & nepos, quos adfinis ſocer generavit, mihi adfines ſunt *l.* 4. §. 3. *ff. h. T.* Sed neque ſemper agnatus agnatum generat, filia quippe agnata nepotem non agnatum, ſed cognatum generat, non ideo tamen dicemus, nullos eſſe agnationis gradus. Unde neque illa hujus regulæ ratio eſſe poterit. Quid ſi nullam eſſe dicamus, vel certe eam, quæ nos latet? non fruſtra eſt, quod Julianus admonuit in *l.* 20. *ff. de LL.* quamvis, qui eo confugiunt, naſutiores dicant confugere ad aſylum ignorantiæ. Præſertim in regulis evenit, ut eorum, quæ Veteres conſtituerunt, ratio non æque ſemper pateat; regulæ ſæpe ex uſu vel facto ortæ, quo de Cujacius *L.* XVII. *Obſerv.* *C.* 15. Forſan inde, ne eſſent adfinium gradus, obtinuit, quia non tam diverſa diſtantium adfinium jura conſtituta ſunt, quam cognatorum: hereditates quippe, & tutelæ, bonorumque poſſeſſiones, ob quas potiſſimum de gradibus agitur, ad adfines non pertinent. In teſtimonii dictione Lex Julia adfines naturaliter enumeravit *l.* 4. *ff. de Teſtib.* In nuptiis neceſſe non fuit, quia res ibi agitur exemplo cognationis. Aut hæc erit ratio, aut quæ ſit, fateor mihi non conſtare. De regula interim conſtat, nec eam ſubvertit Plinius in *Paneg. ad Trajanum*, cum de cognatione loquens, *deficientis adfinitatis gradum* appellat. Solent nempe Auctores exteri generali *adfinium* vocabulo abuti pro quacunque *cognatione* ſeu *propinquitate.* Atque ita idem Plinius, *eodem Paneg.* amiſſionem cognationis, *adfinitatis damnum* eſſe dixit. Et Gellius *L.* III. *C.* 3. *jus adfinitatis* extulit pro quocunque *jure propinquitatis.* Feſtus denique in *adfines*, eos eſſe definivit, *qui conſanguinitate conjuncti ſunt.* Sed ita exteri; apud JCtos noſtros hanc κατάχρησιν me legere non memini, quamvis ſcio eſſe, qui id ſibi perſuadent.

CAPUT XII.

De luctu Viduarum.

In luctu varia obſervabantur, quæ nunc non exſequor. Juſta fiebant defuncto, funebria ſumebantur, abſtinebatur a conviviis, ornamentis, purpura, alba veſte, ſæpe etiam a nuptiis. In Edicto Prætoris infamia notatur, *qui eam, quæ in poteſtate ejus eſſet, genero mortuo.... intra id tempus, quo elugere virum moris eſt, antequam virum elugeret, in matrimonium collocaverit, eamque ſciens quis uxorem duxerit,.... & qui eum, quem in poteſtate haberet, eam, de qua ſupra comprehenſum eſt, uxorem ducere paſſus fuerit l.* 1. *ff. de His qui not. infam.* De ipſa mulieris infamia nihil additur in ea parte Edicti, quæ nunc ſupereſt, ſed eam, quæ, ſui juris eſt, & intra legitimum tempus nuptum ſe collocaverit, vel magis notari infamia, ratio jubet, & ab aliis ex *l.* 11. §. 3. *Eod.* & aliunde probatum eſt. A nuptiis igitur viduæ abſtinere debent *intra id tempus, quo elugere virum moris eſt*, quod *tempus legitimum* appellat Ulpianus in *l.* 8. Paulus in *l.* 10. & Pomponius, ex relatione Ulpiani, in *l.* 11. §. 3. *ff. Eod.* Id tempus olim fuiſſe X. menſes, nunc eſſe annum ex Theodoſii *l.* 2. *C. de Secund. nupt.* vulgo obtinuit, poſtquam ita præiverat Cujacius *L.* VI. *Obſerv. C.* 32. nec intercedo, ſi meminerimus, etiam olim *Majores* feminis ad lugendum conſtituiſſe *annum*, ut aperte Seneca dixit *Epiſt.* 63. & poſt Senecam alii, idque referamus ad annum Romuli, qui X. menſibus conſtabat, ut Jacobus Gothofredus jam animadvertit ad *l.* 2. *C. Theod. de Secund. nupt.* Nec tamen propterea credimus, quod ipſe credidit, quicquid eſt in illis, quas dixi, legibus de *tempore legitimo*, eſſe a manu Triboniani interpolantis, quum æque X. menſibus, atque anno, conveniat, & quum Seneca etiam *d. Epiſt.* 63. de luctu virorum dixerit: *viris nullum legitimum tempus eſt, quia nullum honeſtum.* Senecam vero, ubi de anno luctus agit, decem menſes intellexiſſe, ipſe auctor eſt idoneus *Conſol. ad Helviam C.* 16. quod & Rævardus obſervavit *L.* I. *Varior. C. ult.* & ante Rævardum ipſe Cujacius Πραγματ. *de diverſ. temp. præſcript. C.* 13. nam male Lipſius ad *d. Epiſt.* 63. annum communem feminis præſcribit in quocunque alterius luctu, decem menſes in luctu viri.

Plus ſcire attinet, quæ ratio viduabus luctum imperaverit. De luctu cum loquor, non intelligo *ægritudinem ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo*, ut Cicero luctum definivit *Tuſcul. Quæſt. L.* IV. *C.* 18. hæc enim utriusque ſexus communis eſt, & ad ſolum animum pertinet, ſed loquor de luctu externo, & eo præcipue, qui nuptiis impedimento eſt. In feminis autem, ſi JCtos audiamus, una & ſola luctus ratio eſt metus incerti partus, *propter turbationem ſanguinis*, Ulpianus dixit in *l.* 11. §. 1. *ff. de His qui not. infam.* διὰ τὴν σύγχυσιν τῆς γονῆς, efferunt Baſilici *L.* XXI. *T.* 2. *C.* 11. διὰ τὴν τῆς γονῆς ἀδηλίαν Juſtinianns in *l.* 53. §. 3. *C. de Epiſc. & Cler. ne quis de prole dubitet* Theodoſius & Valentinianus in *l.* 8. §. 4. *C. de Repud.* nec alia quod ſciam, ratio redditur ullibi. Ex ea Ulpianus efficit in *d. l.* 11. §. 1. etiamſi maritus talis ſit, quem more majorum lugeri non oportet, mulieri tamen intra tempus legitimum a nuptiis abſtinendum eſſe, ut & abſtinendum eſt, remiſſo quamvis vel diminuto feminis luctu *l.* 15. *C. Ex quib. cauſ. infam. irrog.* Efficitur & aliud ex eadem ratione, quod mox ſequitur in §. 2. *d. l.* 11. *Pomponius eam, quæ intra legitimum tempus partum ediderit, putat ſtatim poſſe nuptiis ſe collocare. Quod verum puto*, inquit Ulpianus. Et ſane, Jure Romano, nihil eſt verius. Eam ſententiam Baſilici bis retulerunt, ſemel. *L.* XXI. *T.* 2. *C.* 11. iterum *L.* XXVIII. *T.* 5. *C.* 12. Simpliciter nempe & absque ulla adjectione, ſed ad priorem locum Interpres Nicæus notavit, id duntaxat verum eſſe in marito, quem lugeri non oportet; alioquin annum eſſe exſpectandum, καὶ διὰ τὴν τῆς γονῆς σύγχυσιν, καὶ διὰ τιμὴν τοῦ ἀνδρός, *& propter confuſionem ſanguinis, & propter reverentiam mariti.* Video & Cujacium *L.* VI. *Obſerv. C.* 32. non laudato Scholiaſte, Ulpiani ſententiam referre ad viduas eorum, quos lugeri non oportet, in aliis contra putare. Quin palam adfirmat ad *Novell.* XXII. mulieri luctum indici, *non tantum ob incertum uteri confuſionemve ſanguinis, ſed etiam ob memoriam & reverentiam defuncti mariti: quandoquidem, etiamſi intra annum pepererit, annuum luctum peragere debet, niſi a Principe vel Senatu impetraverit, ut ſibi intra legitimum tempus nubere liceret.* Quod ipſum etiam docuit Πραγματ. *de diverſ. tempor. præſcript. C.* 20. Alii id gregatim ſequuntur; ſed ejus rei ego auctoritatem deſidero. Pomponius & ex eo Ulpianus in *d. l.* 11. §. 2. loco plane diſtincto, pronunciant, mulieri, ſi pepererit, ſtatim nubere licere, nec eſt, cur id reſtringamus ad mulierem ejus, quem more majorum lugeri non oportet, de quo ante dixerat in §. 1. In omni muliere id verum eſt, quum in omni poſt partum ceſſet ratio turbandi ſanguinis. Si decem menſes omnino eſſent exſpectandi, non animadverto, quemadmodum Lex Julia, quæ cœlibatum coërcet, feminis a morte viri vacationem anni tribueret, ut auctor eſt Ulpianus *Fragm. T.* XIV. largienda enim tunc fuiſſet duntaxat vacatio bimeſtris, cum ex neceſſitate legis vacarent X. menſibus. Poterant igitur nubere intra annum, ſed non debebant, & poterant, ſed poſt partum, ut ait *d. l.* 11. §. 2. Prætexitur & reverentia, at, ſi honor priſtini matrimonii hic quicquam præſtaret, cur non æque viri uxores lugerent, ac viros mulieres? mutuus tunc oporteret eſſe luctus, mutua reverentia. Et tamen *uxores viri lugere non compelluntur l.* 9. *ff. de his qui not. infam.* quidni? quia nempe in his ceſſat incertitudo prolis. Scio a Principe, ſæpe & a Senatu mulieres impetraſſe, ut ſibi intra legitimum tempus liceret nubere *l.* 10. *ff. Eod.* & variis locis apud auctores rerum Romanarum; ſed id intelligo, ſi a defuncto marito nondum peperiſſent, &, inſpecto forte ventre, renunciarentur vacuæ. Poſt divortium eadem ratio erat, metus ſcilicet confundendi ſanguinis *l.* 8. §. 4. *C de Repud.* annus integer ibi quoque definitus, antequam, poſt repudium, alteri nubat mulier. Unde & Julius Cæſar diremit nuptias Prætorii viri, qui digreſſam a marito poſt biduum duxerat, ut eſt apud Suetonium in *Cæſare C.* 43. ſed ſi mulier poſt divortium prægnans non ſit, ſtatim nubere poteſt, ut ipſe Cujacius conſentit *d. L.* VI. *Obſerv. C.* 32. addens, & recte, pri-

privilegium luctus nunquam datum fuiſſe niſi vacuis. Quæ jam pepererant, privilegio non egebant, ipſo jure tutæ, niſi Pomponius & Ulpianus nos fallant.

Igitur nulla eſt ratio, quæ ex privilegio viduarum adfertur, nulla quoque, quam ex Harmenopulo adfert Cujacius *d.* Πραγματ. *de diverſ. temp. præſcript. C.* 20. Harmenopulus quidem Πρόχ. *L.* IV. *T.* 6. §. 60. & 61. diſtinguit, plane ut Scholiaſtes Nicæus diſtinxerat, inter eam, quæ maritum luctu dignum amiſit, & eam, quæ amiſit luctu indignum, ἐν τῷ πένθει alii non poteſt nubere, ἐν τῷ πενθίμῳ poteſt. Πένθος eſt luctus dignorum, πένθιμος indignorum, ut Scholiaſtes Harmenopuli ibi prolixe explicat; advocata quoque matrimonii reverentia in cauſam luctus, quæ nuptiis impedimento eſſet. Sed utri credere æquius melius eſt, Pomponio & Ulpiano, an Græculis quibusdam, qui Jurisprudentiam ſuorum temporum veteri Jurisprudentiæ paſſim miſcuerunt? ipſi Baſilici ita Καθαροί, quam vocant, ſuam inſtruxerunt. Interpretes Græci hoc magis imitati ſunt, & de Harmenopulo luculentum teſtimonium præbet Theodoricus Adamæus Suallembergus in *Prologo* ante primam Editionem Harmenopuli, quæ Pariſiis Græce prodiit anno 1540. Quod JCti veteres rationi, poſteriores iidemque barbari ſuperſtitioni dederunt, rati, elugeretur quis, nec ne, hoc cinerem & Manes multum curare ſepultos, hos Manes offendi & contriſtari, niſi plene fuerit luctui indultum. Aliter ſapuerunt JCti veteres, rationem ſequuti, non ſuperſtitionem; & nos illos duces ſequamur, qui ſanguinis & ſeminis confuſi metum unam ſolamque cauſam dixerunt, quæ in viduis mulieribus nuptias impedit. Nam quod Imperatores in *l.* 1. *C. de Secund. nupt.* & in *l.* 4. *C. ad SC. Tertullian.* de *religione luctus* a feminis præſtanda, dixerunt; vel maxime pertinet ad religionem, de vitanda partus incertitudine, qua major religio eſſe nequit. Cur ad ſolam reverentiam id alii tranſtulerint, contra tot alia Juris Romani Decreta, nondum potui animadvertere.

Priusquam finiamus, placet Jus Pontificium vindicare ab infamia, qua nunc laborare omnes, quod ſciam, ejus Interpretes agnoſcunt. Vulgo ſcilicet exiſtimatur, Jure Pontificio poſſe mulierem a rogo mariti mox alium inducere, ſine ulla nota infamiæ, nec exſpectato partu, nec anno luctus. Hæc creditur eſſe Divi Gregorii ſententia in *C. Eupbemium* 7. *Cauſ.* II. *Quæſt.* 3. eum infamem eſſe negat, quæ intra tempus luctus nubit, *cum matrimonia hodie regantur jure poli, non jure fori, & jure poli mortuo viro mulier ſoluta eſt a lege viri, nubat, cui vult.* Idem reſcribit Urbanus III. in *C.* 4. X. *de Secund. nupt ſuper illa*, inquit. *quæſtione, qua quæſitum eſt, an mulier poſſit ſine infamia nubere intra tempus luctus, ſecundum leges definitum, reſpondemus, quod cum Apoſtolus dicat*, MULIER VIRO SUO MORTUO, SOLUTA EST A LEGE VIRI SUI, IN DOMINO NUBAT, CUI VOLUERIT, *per licentiam & auctoritatem Apoſtoli, ejus infamia aboletur.* Totidem fere verbis id ipſum reſcribit Innocentius III. in *C.* 5. *Eod. Tit.* Igitur Jure Canonum vidua, etiam *plena nave*, ut Julia, Auguſti filia, dicebat, alium vectorem tollit, vel ſi incertum ſit, an ex priori marito conceperit, alteri ſe dabit imprægnandam? a parato viri tumulo ad alterius thalamum parandum ſe protinus accinget? ſic, inquam, vulgo exiſtimatur, & quidem auctoritate D. Pauli I. *Corinth.* 7. §. 39. Sed auctoritate Apoſtoli abuſos eſſe Pontifices Connanus ſcripſit *Comment. Jur. Civ. L.* VIII. C. 7. *n.* 4. cum non dixerit, *liberum ei eſſe, quando velit nubere, ſed cui velit*, atque ita, inquit, non videbitur Apoſtolus ea præcepiſſe vel permiſiſſe, quæ tantam habent turpitudinem. Recte judicat de mente Apoſtoli, ſed non, ut arbitror, de mente Canonum. Nihil aliud, ſi quid judico, iis ſedet, quam explodere ſuperſtitionem, quam poſterior ætas induxerat, de prohibito intra annum luctus matrimonio, ſi vel metus turbati ſanguinis ceſſaret. Exploſerat illam Jus Romanum. Repullulavit, quin & in leges Græcorum abiverat. Nova igitur lege erat opus ad coërcendos eos, qui matrimonia ſufflaminabant, & viduas, etiam excuſſo utero, annum integrum ab aliis nuptiis arcebant, ſin minus, habebant infamium numero. Hæc, ni fallor, Pontificum ratio, hæc ſententia, reducto, quod ſuperſtitione abolitum erat, Jure Romano. Atque ita malo Canones interpretari, quam Pontifices & non intellecti loci Apoſtolici, & ſimul improbitatis, adeo manifeſtæ, reos agere. Indignor ſane, Jus Pontificium, perperam, ut mihi videtur, intellectum in mores Gentium migraſſe, &, ut Connanus ait *d. loco*, *totam hodie Rempublicam Chriſtianam tenere.* Statutis tamen nonnullarum Gentium obviam itum eſt immaturis viduarum nuptiis; ſed hoc jam non ago.

CAPUT XIII.

De luctu Propinquorum.

Deſpici meretur, an apud Romanos luctum propinquorum ſola voluntas, an vero lex & neceſſitas definiverit. Prætor in Edicto non parentes, non liberos, non alios propinquos, ſeſe invicem non elugentes, infamia notat, ſed eos tantum, qui feminas intra legitimum tempus nuptiis elocant. Unde Ulpianus in *l.* 23. *ff. de His qui not. infam.* Edictum interpretans, ita infit: *Parentes & liberi utriusque ſexus, nec non & ceteri agnati & cognati ſecundum pietatis rationem, & animi ſui patientiam, prout quisque voluerit, lugendi ſunt: qui autem eos non eluxit, non notatur infamia.* Igitur omnis propinquorum luctus, ſi Ulpianum audias, eſt voluntarius, utque in marito, ſic & in his non impedit nuptias, quemadmodum ipſe ille auctor eſt in *l.* 11. *pr. ff. Eod.* Propinquus propinquum luget ſecundum animi ſui *patientiam*, ſic enim, ut legitur, omnino legendum eſt. Dionyſius Gothofredus, infelix Criticus, in *Notis*, *forte*, inquit, PARIENTIA, *ut animi ſui parientia ſit idem, quod ſequitur, prout quisque voluerit, quod cuique videbitur atque apparuerit.* Sed neſcio, cur placeret vocem uſitatam mutare inuſitata, & tantum non barbara; ipſe tamen Gothofredus *parientiæ* vocem non finxit, ſed debet, ni fallor, Cujacio *L.* I. *Obſerv. C.* 6. qui eam inſerit *legi* 1. *C. Qui pro ſua Juriſd. judic. dar. poſſ.* male; *patientiam accommodare* ibi eſt pati, litem coram ſe agi, quo refer illa ejusdem Ulpiani in *l.* 9. §. 2. *ff. de Offic. Proconſ. & legat. circa Advocatos patientem eſſe oportere Proconſulem*, & illa Vivii Zenonis ad Imperatorem Antoninum in *l.* 3. *ff. de His quæ in teſtam. del. rogo, Domine*

Im-

Imperator, *audias me patienter*, & quod Plinius dixit *L.* VI. *Epiſt.* 2. *primum religioni ſuæ judex patientiam debet*, *quæ pars magna juſtitiæ eſt.* Scio, Libros quosdam MSS. in *d. l.* 1. habere *parientiam*, ut Cujacius notavit, & Fabrotus ad Cujacii *Parat. d. Tit.* & Gloſſam interlinearem *parientiam* exponere *obedientiam*, & *conſenſum.* Sed in aliis MSS. eſt *parentia*, quod præfert Ruſſardus. Apud Gellium *L.* I. *C.* 13. quidam etiam legunt *imparentia*, quidam *imparientia*, ſed multis nominibus & ibi præſtat *impatientia*, ut ab aliis jam obſervatum eſt. Ex Caſſiodori *L.* VII. *Variar. C.* 27. hanc ſuam *parientiam* depromſit Cujacius, ſed & ibi in plurimis Libris eſt *patientia*, quod ipſe malim retinere, quam in alio Caſſiodori loco, ubi *patientia* eſt, ſubſtituere *parientiam*, ut ſubſtituit Cujacius *d. L.* I. *Obſerv. C.* 6. & ad ejus exemplum Gothofredus in *h. l.* 23.

Luctus igitur Propinquorum, ex definitione Ulpiani, pendet ab arbitrio uniuscujusque, & ſic quoque eſt in Baſilicis, & in Scholiis. Sed in alia omnia abivit Paulus, Ulpiani æqualis, nam *L.* I. *Sentent. Tit. ult.* qui eſt *de Sepulcbris & lugendis*, ita ſcripſiſſe creditur: *Parentes & filii majores ſex annis anno lugeri poſſunt; minores menſe; maritus decem menſibus, & cognati proximioris gradus octo. Qui contra fecerit, infamium numero babetur.* Imo Ulpianus, *qui eos non eluxit*, *non notatur infamia.* Hæc invicem pugnant frontibus adverſis. Non licet dicere, quod Præceptor olim noſter Ulricus Huber dixit *Eunom. Rom. ad l.* 23. *ff. de His qui notant. infam.* eam Pauli ſententiam, quam primum extulit Cujacius *L.* XXI. *Obſerv. C.* 12. ſibi eſſe ſuſpectæ fidei, & ſuppoſitum forte ipſius Cujacii fœtum, cum fruſtra eum locum quæſiverit; etiam in ipſa Cujacii Editione. Monui Virum Ampliſſimum, etiam tunc, cum adoleſcens eam partem *Eunomiæ Romanæ* ſub ejus Præſidio defenderem, Cujacium ex Codice Veſontino plurimas Pauli ſententias extuliſſe, & *Obſervationibus* ſuis inſeruiſſe, quæ antea non exſtabant. Id egit *L.* XXI. *Obſerv. C.* 11. *C.* 12. *C.* 13. & *C.* 16. Ubi, poſtquam hanc, qua de agimus, ſententiam retuliſſet *C.* 12. ita pergit initio *C.* 13. *Superiores ſententias dedi ex Libro vetuſtiſſimo Sententiarum Pauli*, *ad me Veſontione perlato*, & ſic fere initio *C.* 16. Illæ ſententiæ poſterioribus aliquot Editionibus deinde ſunt inſertæ, etiam ei, quam curavit Rittershuſius, nec minoris auctoritatis habentur, quam illæ, quæ antea prodierunt. Id fugerat Ampliſſ. Huberum, unico Cujacii *Capiti* XII. intentum, & alias Pauli fata ignorantem.

Cujacius *d. L.* XXI. *Obſerv. C.* 12. exiſtimat, quicquid legitur in *d. l.* 23. non eſſe Ulpiani, ſed ipſius Triboniani, mentito Ulpiani nomine. *Haud dubie*, inquit, *Tribonianus interpolavit d. l.* 23. & *finxit arbitratu ſuo*, *vel ſecutus rationem animi ſui*, *vel morem ſui temporis*; *nec enim de lugendis parentibus aut liberis aut cognatis Ulpianus aliud ſcripſerat*, *quam ſcripſit Paulus illo ſententiarum loco.* Ex quo illa Pauli ſententia publice innotuit, certatim quique Interpretes Triboniani manum agnoverunt in *d. l.* 23. hos recenſuit Clariſſ. Schultingius in *Not.* ad *Pauli Sentent. L.* I. *T. ult. n.* 13. & ipſe ſuffragium ſuum addidit, ut antea quoque addiderat *Emblematum Triboniani* Collector Wiſſenbachius. Unus, ut dixi, Huberus diſſenſit; ſed ea præcipue ratione, qua nobis diſſentire non licet. Habet & duas alias rationes, cur magis ſequatur partes Ulpiani, quam Pauli. Altera eſt, quod in ſtilo Ulpiani nihil ſit, quod quempiam offendat, ut vulgo alias. Altera, quod, ſecundum Paulum, parentes & filii majores VI. annis anno integro lugendi eſſent, maritus duntaxat X. menſibus, quod ipſi videbatur abſurdum. Valeant illæ rationes, ut valere poſſunt. Ego & alias dabo, cur in Jurisprudentiam Ulpiani, quam Pauli ſim proclivior. Luctum propinquorum ſola honeſtas commendat, luctum viduarum urget ratio civilis. Illa negligitur ſine ullo cujusquam præjudicio, hæc non negligitur ſine metu intervertendæ hæreditatis, & turbandi cum turbato ſanguine patrimonii. Legis eſt cavere, ne quid per alterum alteri deſit, hinc viduas infamia coërcet, quæ nubunt ante partum, vel eo tempore, quo ex priori marito parere poſſunt. In propinquis nihil eſt, ut diximus, quod urgeat, niſi ſola honeſtas, ab his magis, ab illis minus commendata. An dicemus, qui hanc non obſervavit, infamium numero eſſe habendum? ita Paulus; contra Ulpianus. Pro Ulpiano ſtat ratio, quam dixi, ſtat Edictum Prætoris, quo de viduabus, non de reliquis propinquis cautum eſt, ſtant denique Annales Romanorum, & alia Jurisprudentiæ capita.

Romulus non niſi viduabus præſcripſit decem menſium luctum, ut apparet ex decantatis paſſim Ovidii verſiculis. Numa, ut in *ejus vita* Plutarchus auctor eſt, nulli omnino propinquo majorem luctum indulſit, quam decem menſium, ſed nullum ulli imperavit. Matronæ apud Romanos ſæpe viros, de Republica præclare meritos, luxerunt decem menſes, ut ab aliis prolixe obſervatum eſt, ſed ideo *decem menſes*, quia, ut ſuperdicit Plutarchus in *Coriolano*, ex Lege Numæ parentes, liberos, fratres eo luctu proſequi moris erat. Ad mores igitur, non ad neceſſitatem juris propinquorum luctum exegit; poterant; ſi vellent, tamdiu lugere, ſi nollent, utebantur ingenio ſuo. Id ipſum Seneca indicat *Epiſt.* 63. cum *viris nullum eſſe* dixit *legitimum tempus* luctus, atqui ita nec patribus, nec filiis. Et exempla deſideras virorum, qui nec luxerunt, nec eluxerunt propinquos? Idem ille Seneca dabit *Conſolat. ad Marciam C.* 13. *C.* 14. & *C.* 15. nec iis id infamiæ fuiſſe tradit, at laudi. Lex Julia feminis, ne incurrerent pœnas cœlibatus, annuam vacationem indulgebat, ut Ulpianus *Fragm. Tit.* XIV. & Juſtinianus *Novell.* XXII. *C.* 43. commemorant, ſed nihil ea lex cavit de maribus, & nullam his vacationem fuiſſe magis putat ipſe Cujacius *L.* VI. *Obſerv. C.* 37. de propinquis etiam eadem lege nihil cautum eſt. In his omnibus igitur valebit legis poteſtas, & cogentur nuptias contrahere; abſit, ut, ſi contraxerint, infamium numero ſint habendi, ut ex *ſententia* Pauli videbatur conſtare. Quin, quod ad viros viduos, palam contradicit ipſe Paulus in *l.* 9 *ff. de His qui notant. infam.* & quod ad liberos & parentes Ulpianus in *l.* 11. *pr. ff. Eod.* De nuptiis, inquies, res certa eſt, ſed de lugubribus ſumendis intelligenda eſt Pauli *ſententia.* Atque ſi nempe lugentes non æque oporteret abſtinere a *nuptiis*, ut a *conviviis* abſtinere oportet, ut ipſe ille Paulus mox addit in §. 14. *d. Tit.* XXI. Atque ſi etiam lugubria magis minusve atra & triſtia, quinimo vel plane non geſtata, vel tam diu non geſtata, efficere poſſint ſatis idoneam infamiæ cauſam. Etiam hodie moris eſt in luctu propinquorum lugubria ſumere, & poſt certum tempus deponere, ſed id agit quisque ſecundum pietatis rationem, & animi ſui patientiam, ſine metu alicujus infamiæ, & cedo mihi locum ex tota antiquitate, qui probet, infamium

mium numero habitos propinquos, qui atra veſte non incedebant, vel hanc exuebant ante tempus, a Paulo definitum. Quare & ad mores refero, quod in *l.* 17. *ff. de Sponſal.* etiam *mortes parentium* juſtam præbeant cauſam differendi matrimonii, non quod, ſi conſentiant, matrimonium prohibeatur, ſed quod ex ſponſu agenti opponi queat exceptio dilatoria. Ad mores etiam refero, quod *placuit, exheredatum quoque filium luctum habere patris memoriæ*, perinde, ut *in matre, cujus hereditas ad filium non pertinet*, ſic enim eſt apud Papinianum in *l. ult. pr. ff. de His qui notant. infam.* Recte ibi Gloſſa: *pro more animi ſui.* Niſi malis, *d. l. ult.* intelligere de neceſſario luctu, qui conſiſtit in familia funeſtata, quoad, per Novendialia, ſacra fiunt defuncto. Ita ſane intellexit Cujacius ad Papiniani *L.* II. *Quæſt.* in *d. l. ult.* & ita quoque tunc intellexit *d. l.* 23. *Eod.* ut nempe in parentibus, liberis, reliquisque agnatis & cognatis aliquis luctus ſuffecerit, *non*, inquit, *luctus annuus*, *ſed luctus novem dierum*, *transactu facillimus*, qui, ut ante dixerat, abſolvitur *exſequiis*, *funere faciendo*, *juſtis faciendis*, *celebranda memoria defuncti*, *atque etiam in amictu atro*, *dum is ſupra terram eſt.* Reliquum luctum Cujacius ſuo cujusque arbitrio permiſit, melius, ut arbitror, quam *L.* XXI. *Obſerv.* C. 12. poſtquam ſcilicet ex Libro Veſontino aliter ſapuit.

Sed ſi Ulpianum Paulo præferamus, ut ego præfero multis nominibus, quia, cum ventum ad verum eſt, Paulo leges moresque repugnant, quid tandem erit, quod illi reponamus? Nihil plane turbaret prior pars *ſententiæ*, quæ ait, parentes & filios majores ſex annis anno *lugeri poſſe*, minores menſe, maritum decem menſibus, & cognatos proximioris gradus octo, nam, ut vides, ait, *lugeri poſſe*, atque ita tempora definit ex more civitatis, tunc recepto; ſed *poſſe*, inquit Cujacius, dixit pro *debere.* Et quis dubitet, ſi Pauli quoque ſit pars poſterior *ſententiæ*? hæc enim ait: *Qui contra fecerit*, *infamium numero habetur.* Ut, quod ſentio, libere dicam, non puto vel integrum illud ἀποσπασμάτιον de tempore luctus, vel certe partem ejus poſteriorem ipſius Pauli eſſe, ſed Aniani, qui Pauli ſententias excerpſit, & hic ſequutus eſt rationem animi ſui, vel morem ſui temporis. Quemadmodum Anianus Gajum & Paulum interpolaverit, ab ipſo Cujacio malim te accipere, quam a quoquam alio. Is autem *Not. prior.* ad §. 34. *Inſt. de R. D.* ita infit: *Non eſt liber Gaji purus putus, nam immutata, addita, detracta, depravata ſunt multa Gothorum arbitrio, a quibus ea qualiacunque fragmenta veteris Prudentiæ accepimus, ſuntque puriora multo fragmenta Pandectarum.* Et poſtquam, quid tamen in Pandectis interpolandis auſus fuiſſet Tribonianus, expoſuiſſet, addit: *non ſecus atque Gothi, qui ex legibus & moribus ſuis in Gajo & Paulo pleraque commutarunt.* Excerpta igitur illa Gothica Cujacium movere non debuerant, ut mutatus ab eo, qui ante fuerat, Ulpiani partes deſereret. Quid Anianus ſibi ſumpſerit, ſi prolixe ſcire deſideras, ſatisfaciet Jacobus Gothofredus *Prolegom.* ad *Cod. Theodoſ.* C. VI. &, ſi minus ſatisfaciat, adde Briſſonium *de Jure Connubiorum p. m.* 65. & 66. & Hilligerum *Donell. Enucl. L.* XXVI. *C.* 2. *L. A.* &, qui ex profeſſo id egit, Baptiſtam a Jeſu Chriſto *Nov. veter. vindic. Jur. Civil. Art. II.* adductis in eam rem multis auctoritatibus & exemplis. Tribonianiſmos ille non negat in Pandectis, ſed Anianiſmos largitur plures in Fragmentis veterum JCtorum. Si ab Aniano culpam avertere, & illam de infamia clauſulam in Interpretem forte aliquem tranſcribere malis, ego non intercedo, modo ne Ulpiano & veritati obſtet.

CAPUT XIV.

Ad L. 19. ff. de Offic. Præſid.

Lambertus Goris (quidni enim nominem?) integrum *Commentarium* ſcripſit ad *h. l.* & tamen adeo liquida eſt, ut vix interprete videatur egere. Quæ ipſe dixit, a me ne exſpecta, cur alia quædam addiderim, mox intelliges. Ait Calliſtratus in *princ. Obſervandum eſt jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem ſe præbeat*, *ſed contemni non patiatur: unde mandatis adjicitur*, *ne Præſides Provinciarum in ulteriorem familiaritatem Provinciales admittant; nam ex converſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur.* Temperanda igitur eſt facilitas & auctoritas, ut utramque virtutem temperavit Agricola; nam Tacitus, hunc laudans, in *ejus vita* C. 9. inter alia hæc infit: *nec illi*, *quod eſt rariſſimum*, *aut facilitas auctoritatem*, *aut ſeveritas amorem diminuit.* Ut id magis obſervent Præſides, addit Calliſtratus, eorum mandatis adjectum eſſe, ne Provinciales admittant in *ulteriorem familiaritatem.* Pro *ulteriorem* Hotomanus *L.* IV. *Obſerv.* C. 13. reponit *interiorem*, contra omnium Librorum fidem. Idque probavit Lambertus, quamvis probari non debuerit, utraque enim vox eadem ſignificatione & alias occurrit. Ammianus Marcellinus *L.* XVII. de terræ motu: *Terra tremente ventorum apud nos ſpiramina nulla ſentiri*, *quod in ultimis ſeceſſibus occupantur. Ultimis* ſcilicet pro *intimis.* Atque ita hic *ulterior*, pro *interior*, ulterior, puta, quam par eſt, ut & Gloſſa explicavit.

Sed quid eſt, quod audio, ideo vitandam eſſe nimiam cum Provincialibus familiaritatem, ne Præſidum auctoritas minuatur. Sic eſt, & ecce rationem: *nam ex converſatione æquali contemptio dignitatis naſcitur.* Etiam alii hanc ſententiam fere totidem verbis extulerunt, & inde quoque eſt, quod Valerius ſcribit *L.* II. *C.* 6. §. 17. *Ne Numidiæ quidem Reges vituperandi*, *qui more Gentis ſuæ nulli mortalium oſculum ferebant: quicquid enim in excelſo faſtigio poſitum eſt*, *humili & trita conſuetudine*, *quo ſit venerabilius*, *vacuum eſſe convenit.* Sed, ſi verum amamus, illa admonitio de vitanda familiaritate unice accommodata eſt hominum vulgo, qui pluris haberi, quam eſſe volunt. Quo minus quis ſapit, eo magis expedit latere. Qui prodeunt, turpes introrſus, ſpecioſi veſte decora, ſtatim turpitudinem ſuam produnt. His igitur vitanda familiaritas, ne detracta larva contemnantur, tanti enim a quovis fieri ſolemus, quanti is nos eſſe exiſtimaverit. Hinc imbelles Orientis Reges, & olim, & nunc, raro ſeſe oſtendunt, mediocritatis ſuæ ſibi probe conſcii. Non aliunde tam facile exiſtimationis ſuæ naufragium patiuntur humiles & viles animi, qui longe maximum hominum numerum conſtituunt, quam ex familia-

liaritate nimia: neque aliud quid æque perdidit Alphonſum VI. Luſitaniæ Regem, quam quod humilitas ejus & turpitudo publice innotuerint. At vero qui ſapiunt, & ſe ſibi priores probarunt, non habent, quod a familiaritate & contemptu metuant: hi enim, quo magis innoteſcunt, eo pluris quoque fiunt, *nec virtuti periculum eſt, ne admota oculis revileſcat*, verba ſunt Senecæ *de Tranquill. anim. C.* 15. Hi, dignitatis ſuæ ſecuri, familiaritate ſua ſeſe extollunt, & ſimul efficiunt, ne aliorum indignitatem nimis videantur ſpernere, quo & pertinet, quod Seneca *Epiſt.* 47. diſputavit pro familiaritate cum ſervis. Ut verbo dicam: qui pluris videri volunt, quam ſunt, nimia familiaritate probantur impares, & publicum ſui ludibrium præbent, qui didicerunt vere ſapere, didicerunt quoque, ſupremum eſſe quemque ſui judicem, nec aliorum judicia extimeſcunt. Si vere ſaperent cuncti, nec niſi dignioribus Provinciæ fuisſent commiſſæ, Præſidum mandatis incerta non eſſet admonitio, quam, ut nunc ſunt & ſemper fuerunt homines & mores, inſeri placuit.

In §. 1. *d. l.* 19. præcipit Calliſtratus, eum, qui jus dicit, in cognoſcendo neque excandeſcere oportere adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum inlacrymari, id enim non eſſe conſtantis & recti judicis, *cujus animi motum vultus detegit.* Dixit *animi motum* pro *ſententia*, pro qua ſimpliciter *judicis motus* in *l.* 21. §. *ult. ff. de Teſtib.* & *l.* 20. *ff. Comm. divid.* nam omnino aut errat aut ludit Rævardus *L.* I. *Varior. C.* 7. qui in *d. l.* 20. pro *motu judicis* ſubſtituit *Magiſtratus imperio*, tanquam errore ex ſiglis nato, *Motus* ſæpiſſime in *Codice* judicibus adſcriptus & *ancipites judiciorum motus* Valerius dixit *L.* VIII. *C.* 1. *princ.* & Gellius de Judice *L.* XIV. *C.* 2. *ut, quoquo in loco ac tempore movetur, ſigna & indicia faciat motus atque ſenſus ſui.* Quod autem hic in Præſide commendat Calliſtratus, in Proconſule eſt apud Eunapium *Juliano p. m.* 97. nam Proconſul, quem ibi laudat, τῇ σιωπῇ κρύπτει τὴν ἔννοιαν, *ſilentio animi motum tegit.* Baſilici ſummam *hujus* §. 1. ſic expreſſerunt: μηδὲ δηλούσθω τῇ ὄψει ἐλεῶν ἢ ὀργιζόμενος, *ne vultu appareat miſericors aut iracundus.* Rectiſſime. Sæpe inter judices vidi, qui vultu ſententiam dicebant, etiam una tantum parte audita, ſæpe & neutra; & his igitur utilis erit Calliſtrati admonitio.

CAPUT XV.

Quemadmodum veteres JCti Libros ſuos diſtinxerint.

Veteres JCti ad interpretationem Juris ſcripſerunt vel libros ſingulares, vel plures, ut argumenti dignitas videbatur exigere. Simplices fere & modeſtæ erant eorum librorum inſcriptiones, non ambitioſæ, non ſesquipedales, ut hodie moris eſt. Hos libros non ſcribebant continua ſerie, ſed dividebant in Titulos, & hos iterum in Paragraphos, ſive, ut tunc magis loquebantur, in *Locos.* Tituli non ſemper quidem additi, ſed nec ſemper omiſſi, ut apparet ex *receptis*, quæ ſuperſunt, *Pauli ſententiis*, & ex Ulpiani, aliisque veteris Jurisprudentiæ reliquiis, quas in hanc rem ex eruditionis ſuæ penu deprompſit Cl. Schultingius *Not.* ad *Inſcript. Sent. Paul.* recte refutato, qui olim contradicebat, Cujacio. Sive autem Tituli adeſſent, ſive abeſſent, diſtinctionis tamen cauſa adhibebantur ſectiones in modum §. §. quibus nunc utimur. Et ſic oportebat propter diverſas & a ſe invicem diſtinctas quæſtiones, quæ incidebant, ad Leges & Edicta. Has ſectiones an *verſus* appellaverit Juſtinianus in *Præfationibus Pandectarum*, non usque adeo liquet. Negat Contius *L.* I. *Lection. Subſeciv. C.* 8. adfirmat Duarenus *L.* II. *Diſputat. Anniverſ. C.* 6. ſubſiſtit Lipſius *Centur.* V. *Epiſt.* 39. Veteres per *verſus* libros ſuos diviſiſſe conſtat ex Græcorum Latinorumque variis auctoritatibus, quas advocarunt Contius, Duarenus, Lipſius. His omnibus addo Quintilianum *L.* VII. *Inſtit. Orator. C.* 1. *Multis*, inquit, *millibus* VERSUUM *ſcio apud quosdam eſſe quæſitum, quomodo inveniremus, utra pars deberet prior dicere.* Et *L.* X. *C.* 1. *quippe cum in Bruto M. Tullius tot millibus* VERSUUM *de Romanis tantum Oratoribus loquatur.* Et *L.* X. *C.* 3. *in fin. illos* (ſermones) *numero* VERSUUM *metiebatur.* Hos verſus Græci στίχους vocabant. Quamvis autem ex omnibus, quæ ſuperſunt, teſtimoniis non certa fide dixeris, ecquid *verſuum* nomine intellexerint, non una tamen ratione moveor, cur proclivior ſim in ſententiam Contii, exiſtimantis, ſingulas lineas appellatas fuiſſe *verſus*, & inde eſſe tot millium numerum, brevibus quoque Libris adſcriptum. Sed hæc tranſeo, utpote ab aliis hic illic occupata.

Illud puto eſſe certiſſimum, veterum JCtorum diſtinctas ſententias proprio nomine dictas fuiſſe *locos* ſive *loca.* Unde Ulpianus in *l.* 8. *pr. ff. de Inoffic. teſtam.* poſtquam recitaſſet ſententiam quamdam Papiniani ex *L.* V. *Quæſtionum*, mox addit, *ſequenti loco ſcribit*, id eſt, proxima poſt hanc & diſtincta quæſtione. Et Mæcianus in *l.* 30. §. 7. *ff. ad L. Falcid.* poſt relatam Celſi & Juliani ſententiam, *quo loco*, ait, *amplius quæſitum eſt*, &c. Hujusmodi *loci* ſive ſeparatæ ſectiones ſub quoque Titulo adhuc ſuperſunt in *Collatione LL. Moſaic. & Roman.* & in *antiquo Conſultore*, quem Cujacius primum edidit, ubi, inter alia, *tertio loco vel capite interrogandum me ſpecialius conſuluiſti.* Paria ibi ſunt *locus* & *caput*, adſcripto etiam numero. Plane ut in monumento priſco Aquilejenſi, quod exhibet Lipſius ad Taciti *Hiſtor. L.* II. *in fin.* adſcriptus quoque eſt numerus:

DESCRIPTUM. ET. RECOGNITUM. EX. TABULA. AENEA. QUÆ. FIXA. EST. ROMAE. IN. CAPITOLIO. AD. ARAM. GENTIS. JULIÆ. DEFORAS. PODIO. SINISTERIORE. TAB. T. PAG. II. LOC. XXXXIIII.

Ad hos JCtorum locos reſpexiſſe Juvenalem *Satyr.* VI. *verſ.* 244. valde mihi eſt probabile. Litigandi pruriginem notaverat in mulieribus *verſ.* 241. & 242. mox & notat in iisdem ſtudium Jurisprudentiæ, ex ea prurigine natum. Unde *verſ.* 243.

Componunt ipſæ per ſe formantque libellos.

Ipſæ ſcilicet funguntur JCtorum opera, &, ne minus ſapere credas, *verſ.* 244.

Principium atque locos Celſo dictare paratæ.

Vetus Scholiaſtes per *Celſum* intelligit *Oratorem illius temporis, qui* VII. *libros Inſtitutionem ſcriptos reliquit.* Interpretes, qui illo præeunte intelligunt Celſum Medicum & Rhetorem, per *locos* quoque intelligunt *ſedes argumentorum*, nam

nam *locus* apud Oratores eſt *argumentum*, vel *ſedes argumenti*, ut ſæpiſſime apud Tullium, & apud Auctorem *Dialogi de Orator. C.* 19. & 22. & apud Apulejum *Apolog. p. m.* 272. & forte apud Ulpianum in *l.* 43. *ff. ad SC. Trebell.* ſic enim ſi ibi *locum* accipiamus, ut accepit quoque Cujacius *Mercat. L.* III. *C.* 13. nihil cauſæ erit, cur eam vocem cum aliis deleamus. Sed quid apud Rhetores erit *principium?* præfatio ſcilicet & exordium, quomodo *principii* verbo uſus eſt Suetonius in *Nerone C.* 21. & *Dialog. de Oratoribus d. C.* 19. *longa principiorum præparatio*, & *d. C.* 22. de Cicerone, *lentus eſt in principiis*, & Gellius *L.* IX. *N. A. C.* 15. *incipit principia neſcio quæ dicere*, & Apulejus *L.* X. *Metamorph. p. m.* 194. *cauſæ patronis denunciat præco, neque principia dicere, neque miſerationem commovere.*

Sed vero cum Juvenalis agat de feminis pragmaticis, quæ ipſæ ſuo Marte libellos componunt, malim & ſequentem *verſiculum* ad Jurisprudentiam potius, quam ad Rhetoricam referre. Quapropter per *Celſum* ego potius intellexerim Celſum JCtum, vel patrem vel filium; ut dixerit: feminas adeo ſibi videri juris peritas, ut vel Celſo, homini JCto, indicare poſſint *principium atque locos*, hoc eſt, vel ipſas leges vel auctoritates JCtorum. Utrovis modo accipias, *principium*, ut nunc eſt, ita olim fuit prima ſententia legis vel JCti, ex qua ad §§. ſive ad *locos* fuit tranſitus. Si ipſas leges intelligas, *locos* referre licet ad verſiculos ſive particulas Legum, Edictorum, Conſtitutionum, qui revera *loci* dicebantur. Unde ſæpiſſime in *veteri Conſultore* occurrit *ad locum*, quem tunc ſubnotavit; in *Codice Gregoriano, Theodoſiano, Collatione LL. Moſaic. & Roman.* ea formula quoque ſolemnis eſt. Quid de ea dixerint Petrus Pithœus & Jacobus Gothofredus, indicavit Cl. Schultingius ad *Cod. Gregor. L.* I. *Conſt.* 15. Qui, V. G. allegaturi erant *l.* 122. §. 1. *ff. de V. O.* dicebant: *Scævola Libr.* XXVIII. *Digeſtorum; ad locum, Callimachus.* Hinc puto eſſe, quod hæ literæ ADL. in notam juris tranſiverint, & ſignificaverint, *ad locum*, ut eſt apud Magnonem in *Notis Juris.* Atque hæc ita, ſi Juvenalem intelligere placeat de auctoritate legum; ſin vero de auctoritate JCtorum, quam mulierculæ etiam dictare paratæ erant, opportune ſuccurrunt *loci* JCtorum, de quibus modo dicebam. Suggerebant ſcilicet illæ ex JCtorum commentariis eos locos, qui in rem ſuam videbantur facere: neque enim duntaxat poſt *l. un. C. Theod. de Reſponſ. prudent.* ſed & antiquiſſimis temporibus moris fuit ad auctoritates JCtorum confugere, iisque in cauſis controverſis ſententiam ſuam ſtabilire. Cum Galba Craſſum diſputando vinceret, Craſſus, ratione ſuccumbens, *ad auctores confugit, & id, quod ipſe diceret, & in P. Mucii, fratris ſui libris, & in Sext. Ælii commentariis ſcriptum protulit*, ut eſt apud Ciceronem *L.* I. *de Orat. C.* 56. Libellis quoque oblatis JCtorum ſententias, ſibi faventes, addebant; ut ille, qui Imperatori Gordiano libellum offerens, Papiniani reſponſum, quod cauſæ ſuæ prodeſſe exiſtimabat, inſeruit in *l.* 12. *C. de Legat.* Si leges ſileant, non intercedo, quominus ad auctoritates decurratur, ſed & hic valeat vulgare dictum, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Pernicioſiſſime hodie in eam partem peccatur; neglecto fere jure ſolis auctoritatibus in foro pugnatur, dum ille multos ajentium, alius multos negantium ordines producit, ut cauſæ ſuæ ſerviat. Id nempe putant JCtum eſſe, omiſſis fontibus, ex quibus vere ſapere poterant, conſectari aberrantes ſæpe rivulos, ne dicam, fœtidas ſemidoctorum cloacas.

CAPUT XVI.

Quid ſit Jus commenticium *in* L. 20. ff. de Pœn. *& ad eam ſuſpicio critica.*

Difficile dictu eſt, ecquid ſibi velit Paulus in *d. l.* 20. cum ait, *Si pœna alicui irrogatur, receptum eſt commenticio jure, ne ad heredes tranſeat. Cujus rei illa ratio videtur, quod pœna conſtituitur in emendationem hominum; quæ mortuo eo, in quem conſtitui videtur, deſinit.* Si *commenticius* idem ſit atque *ficticius*, ut apud Linguæ Latinæ Auctores obtinuit, eodem ſcilicet ſenſu, quo *commenticia venditio* dicitur in *l* 2. *C. Si adverſ. vendit.* inexſpectata plane locutio videri debet, receptum eſſe *commenticio jure*: nam ſcire velim, quid ſignificet? Gloſſa *jus commenticium* interpretatur, quod *contractum eſt ex commentis*, ſive ex *antiquis fabulis*, de quibus eſt in *Prooemio Inſtit.* ſive, inquit, ut alii, *ex opinione ſapientum.* Budæus hæc rejicit *Annot. poſter.* ad *h. l.* & *commenticium jus* accipit pro *ficticio*, hoc eſt, *quod figmento, non re ipſa ſubſiſtit*, quodque Græci πλασματώδες appellant. Sed id quale ſit, non ſatis intelligo. Addit Budæus, *commenticium jus* etiam accipi poſſe pro *novo & recens excogitato*, uſus in hanc rem auctoritate Tranquilli in *Claudio C.* 21. *Spectacula*, inquit, *complura magnificaque edidit, non uſitata modo, ac ſolitis locis, ſed & commenticia, & ex antiquitate repetita, & ubi præterea nemo ante eum.* Spectaculis uſitatis opponit ea, quæ Claudius ipſe fuerat commentus, atque ita nova, opponit & ea, quæ Claudius ex ultima antiquitate revocaverat. Miror, eum, qui notas perpetuas legibus adſcripſit, illo Suetonii loco abuſum, *commenticium* explicare *antiquum*, cum alia fuerint ſpectacula, quæ ipſe finxerat Claudius, alia, quæ ex veteri memoria repetierat, quod utrumque genus ab uſitatis diſtinguitur, ut revera diſtinctum erat. Errat tamen, magna nomina ſecutus, nam & ita *commenticium* interpretatur Antonius Faber *Ration.* ad *l.* 20. & *l.* 21. *ff. de LL.* & Valent Gulielm. Forſterus *L.* I. *Obſerv. ſucciſiv. C.* 16. *L.* I. *de Interpretat. Jur. C.* 2. Si Dionyſius auctores laudaſſet ſuos, in eos, quicquid eſſet culpæ, derivaſſet, quemadmodum & Antonius eo nomine vapulat a Bachovio in *Præfat. ad Part. poſter. Chil. Ant. Fabri n.* 25. & vapulat jure merito. *Videantur*, inquit Bachovius, *de eo verbo Budæus in h. l.* 20. *Jac. Curtius* II. *Conject.* 24. *Petr. Faber ad l.* 33. (debet eſſe *l.* 38.) *de R. J. haud paulo meliores*, addit, *hujus rei Interpretes, quam Ant. Faber.* In Jacobo Curtio nec ibi, nec alibi locorum quicquam reperi, quod ad hanc rem pertinet. Faber autem ad *d. l.* 38. ferro medicinam quærit, & pro *commenticio jure*, reponere mavult, *conſtituto jure.* Sed quis tantum mutare auſit? ipſe Bachovius, alios reprehendere contentus, nihil quicquam definit.

Lyclama *L.* I. *Membran. Eclog.* 9. Budæum præëuntem ſequitur, quamvis non paſſibus æquis, & alii rurſus Lyclamam auctorem ſequuntur. Sed perperam, ni fallor, omnes.

Si in re Critica tantum mihi eſſet animi, quantum multis aliis eſſe ſolet, mox reſcriberem, *receptum eſt tralaticio* vel *translaticio jure*, eadem ſententia, qua *jus translaticium* pro ordinario & quotidiano extulit Suetonius in *Auguſto C.* 10. vel, ſi hoc diſpliceret, juberem, ex formula Criticorum, meo periculo legere: *receptum eſt commendaticio jure*, hoc eſt, eo jure, quod commendari oportet, fere in eam ſententiam, qua *commendaticiæ literæ* dicuntur in *l. 65. pr. ff. de Acquir. rer. domin.* & adderem, in locis tantum non deſperatis aliquid eſſe audendum. Sed ſecta mea, magis verecunda, ſibi tantum non tribuit. Magis igitur eſt, ut Gloſſæ veſtigia prementes *jus commenticium* putemus dici pro eo jure, quod ex Prudentum auctoritate obtinuit contra regulas juris civilis, quod ſcilicet non eſt profectum ex jure civili, & ſeveris ejus regulis, ſed quod, æquitatis ergo, finxerunt & commenti ſunt ii, qui diſputationibus ſuis rigorem juris plus ſemel temperarunt, quin & ſubegerunt. Regula juris civilis eſt: *qui in jus dominiumve alterius ſuccedit, jure ejus uti debet l.* 177. *ff. de R. J.* indeque & de pœnalibus actionibus dicendum videbatur, eas quoque in heredem dari, quippe qui in defuncti locum ſuccedit; ſed, ut ſæpe alias benignior ſententia contra apices juris recepta eſt, ita quoque receptum, ne pœna ex delicto defuncti teneatur heres *l.* 38. *ff. de R. J.* & ejus benignitatis ratio redditur in hac ipſa *l. quod* nempe *pœna conſtituatur* & quæ ſequuntur. Inſigne ejus rei exemplum eſt in *Titulo ff. Si is, qui teſtamento liber eſſe juſſus erit, poſt mortem domini ante aditam hereditatem ſubripuiſſe aut corrupiſſe quid dicetur*, nam hæc actio, ut ex Labeone refert Ulpianus in *l.* 1. §. 1. *eo Tit. naturalem potius in ſe, quam civilem habet æquitatem, ſi quidem civilis actio deficit, ſed natura æquum eſt, non eſſe impunitum eum, qui hac ſpe audacior factus eſt.* Quocum meretur componi, quod eſt in Scholio ad *Inſcriptionem T.* 13. *L.* LX. *Baſilic. lit. A.* Aliud exemplum eſt in Publiciana in rem actione: nam quæ olim Prudentum in diſputando partes erant, eas ſibi ſumpſerunt Prætores, æquitatem juri ſtricto præferentes; quæ vel potiſſima Edictorum cauſa.

Sic intelligimus *jus commenticium.* Sed aliud quid, fortaſſe mendoſum, latet in *h. l.* & tamen, quod ſciam, non animadverſum. *Cujus rei*, inquit Paulus, *illa ratio videtur, quod pœna conſtituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo, in quem conſtitui videtur, deſinit.* Non dico, parum concinne τὸ *videtur* bis repeti, ſententiis adeo vicinis, ſed potius eam vocem πλαστικὴν plane importunam eſſe poſtremo loco; quid enim? an pœna *conſtitui videtur* in facinoroſum? modeſtiam locutionis, JCtis familiarem, agnoſco in primo loco, at in ſecundo hanc philoſophiam abeſſe velim. Suſpicor itaque poſteriori loco pro τῷ *videtur*, trajectis primæ ſyllabæ literis, eſſe legendum, *jubetur*. Similis error etiam alia loca occupavit, veriſimile enim eſt in *l. 6. ff. de Solution.* pro *quod agi videtur* legendum quoque videri, *quod agi jubetur*, ut reſpexerit Paulus ad reſcriptum Antonini in *l.* 5. §. 2. *Eod.* Apud Feſtum in *ſtatuliber* non incommode quoque legeris, *nihilominus liber eſſe jubetur*, quo reſpexerit ad Legem XII. Tabb. quæ id, quod Feſtus ait, *juſſit*, ut retulit Ulpianus *Fragm. T.* II. §. 4. Et pro eo, quod Florentiæ eſt in *l.* 45. plane *in fin. ſimpli videtur condemnari*, omnino legendum eſt, *ſimpli jubetur condemnari*, nam præceſſerat, *dupli condemnari jubetur*, & ita quoque ediderant Ludovicus Blaublommius & Robertus Stephanus; quo facto non indigemus ſpongia Haloandri, qui ſequutus Sennetonios Editores, hæc ultima, *videtur condemnari*, delevit.

CAPUT XVII.

De mundo & ornamentis muliebribus quædam.

Mundus aliud eſt Philoſophis & Grammaticis, aliud JCtis. *Mundus*, ut ſimpliciter quoque appellatur in *l.* 19. §. 8. & *l.* 32. §. 7. *ff. de Aur. argent. leg.* ſive, ut vulgo, *mundus muliebris* apud JCtos eſt omne *id*, *quo mulier mundior fit*, ſic enim Ulpianus definivit in *l.* 25. §. 10. *Eod.* Unde Paulus *L.* III. *Sentent. T.* 6. §. 83. ea mundo ait cedere, *per quæ mundior mulier lautiorque efficitur.* Si, quæ illa ſint, quæris, recenſet Paulus eo loco, & Ulpianus in *d. l.* 25. §. 10. Ad Paulum, quia plures interpretes nactus eſt, nihil eſt, quod notem, niſi *buxides* ſive *pyxides* apud eum partem facere *mundi muliebris*, ut facit quoque in Gloſſario Petronii in *Pyxis. Pyxis*, ait, *eſt in mundo muliebri.* De Pyxide quædam dixi *L.* II. *Obſerv. C.* 13. quæ hic non repeto. Mundus autem & ornamenta muliebria differunt, hæc ad ornatum pertinent, ille ad munditiem, ſed tamen aliquando confunduntur, de quo prolixe diſputavit Ferandus Adduenſis *L.* I. *Explic.* ad *d. l.* 25. §. 10. & parcius Scipio Gentilis *Orig. ad Pand.* Voce, *mundus.* Quæ ornamentis cedant, exſequutus eſt Paulus *d. L.* III. *T.* 6. §. 84. & quæ ad utramque ſpeciem pertinent, Ulpianus in *d. l.* 25. §. 10. De ornamentis quædam præmittit, deinde ad mundum accedit, & poſtea rurſus de ornamentis quædam addit. Mundo, inquit, *continentur ſpecula, matulæ, unguenta, vaſa unguentaria, & ſi qua ſimilia dici poſſint, veluti*, pergit, *lavatio, riſcus.* Sic editum eſt Florentiæ, & recte. Veteres Librarii & Editores, ignari, quid rei eſſet *lavatio*, quid *riſcus*, portenta lectionum commenti ſunt. In MS. meo abſque Gloſſis eſt *labiciori uſus*, & ſic quoque eſſe in aliis, notatum eſt ad marginem Editionis apud Sennetonios, Lugduni 1550. unde Notator ibidem efficit *labrorum uſus.* In aliis rurſus MSS. eſt *Labicionicus*, ut obſervavit idem Notator, inde efficiens *labis, cionios.* Sed bene eſt, quod addat ipſe, iſtas divinationes ſibi non admodum placere. Ipſa Editio apud Sennetonios habet, *labicioriſtus*, una voce, & ſic Boudoza & alii quamplures, ediderunt. Ludovicus Blaublommius Pariſiis anno 1515. conjunctim quoque edidit *labacioriſtus.* Alii, rurſus una voce, *lavatioriſcus*, ut eſt in variis Lectionibus poſt Editionem Haloandri, ubi & alia, quæ dixi, lectionum monſtra recenſentur, inter alia *alabraſtius* vel *alabaſtrites*, pro utraque voce, *lavatio*, *riſcus.* Certe *Alabaſtrites* Robertus Stephanus edidit Pariſiis anno 152?. Guido Pancirolus *riſcum* ſervat; ſed

ſed pro *lavatio* mavult *alabaſtri*, ex fide quorundam Codicum *L.* II. *Variar. Lect. C.* 99. & intelligit vaſa unguentaria ex marmore, cum tamen *vaſa unguentaria*, ſine diſtinctione materiæ, jam præmiſerit Ulpianus. Alciatus *L.* VI. *Parerg. Jur. C.* 25. & Turnebus *L.* XXVIII. *Adverſ. C.* 23. abeſſe jubent *riſcum*, ſubſtituentes *alabaſtricus*, ut & de Turnebo Gothofredus in *Notis* retulit. Sed ne & hunc putes otiari, pro *lavatio* reponit *rica*, quia apud Varronem *L.* IV. *de L. L.* legerat, in mundo muliebri etiam *ricam* eſſe. Si pro *riſco* ſubſtituiſſet *ricam*, affinitas utriusque vocis prodeſſe poterat, nunc *riſcum* ſervat, ut ſervari debet, & illotis manibus *lavationem* expungit. De *lavatione* ſecurus, *riſcum* proſcribit, & *ſcutriſcum* adoptat Em. Bonefidius, non improbante Gilberto Regio *L.* I. Ἐναντιοφ. *C.* 16. Sed quis ad hæc omnia non nauſeet? Pleraque ſunt plane barbara, alia absque ullo ſenſu, alia abortus infelicis Criticæ.

Proba recta eſt lectio Florentina, & bene eſt, quod eam ſequuti ſint Haloander & Vintimillius. Si legamus *lavatio*, inquit Pancirolus *d. L.* II. *C.* 99. poterunt intelligi *aquæ odoriferæ*; ſatis ridicule, & ſine ulla auctoritate. Non probo etiam, quod Hotomanus, *Commentario verborum Juris*, *lavationem* interpretatur *ciſtam* ſive *arculam*, hæc enim mox ſequitur: nam *riſcum* eſſe *ciſtam* recte docuit Cujacius *L.* VIII. *Obſervat. C.* 1. & Pancirolus *d. L.* II. *C.* 99. Ipſa quoque *lavationis* vox arculæ non convenit. Ego potius per *lavationem* intelligo omnia inſtrumenta, quæ ad lavandum pertinent, inſtrumentum balneare, eodem plane modo, quo in *l.* 69. *ff. Pro ſoc. nundinas* dici puto pro omni eo, quod ad nundinas pertinet, utque Cicero *L.* II. *Epiſt. ad Quinct. Fratr.* 6. *ſponſalia* dixit pro his, quæ ad ſponſalia requiruntur, & Aſconius ad *Ciceron. Verr. de Prætur. urb. viam* pro ſumptibus, ad viam muniendam neceſſariis. Sic, inquam, *lavatio* eſt pro inſtrumento balneari. Sellam utique balnearem legato mundo cedere Paulus auctor eſt *d. L.* III. *Sentent. T.* 6. §. 83. Quin & omnia balnearia cedunt, nam mundo Septitiæ legato, illa quidem putabat, & ornamenta, & veſtes ſibi deberi, ſed *Scævola reſpondit ex his, quæ proponerentur, duntaxat argumentum balneare mundo muliebri contineri*, ut ab eodem Paulo ſcriptum eſt in Librorum optimo, qui Florentiæ ſervatur, in *l.* 32. §. 7. *ff. de Aur. & arg. leg.* Cujacius *L.* X. *Obſerv. C.* 17. *argentum*, inquit, *lego*, *non*, *ut Flor. argumentum.* Atquin omnes antiquæ Editiones, quæ Florentinam præceſſerunt, habent *argentum*, nulla, quod ſciam, excepta. Et in ipſo MS. Florentino, ut ut antiquitus *argumentum* fuerit, a poſteriori tamen manu nunc eſt *argentum*, ut indicat ſignum, a Taurellio adpoſitum. *Argentum* quoque eſt in MS. meo, & ſic, ut obſervat Cujacius, hic etiam legerunt Baſilici, & eſt legatum *argenti balnearis* in *l.* 40. §. 2. *ff. h. Tit.* Ceteroquin non eſt, cur *argumentum* in *d. l.* 32. §. 7. moroſius rejiciamus, *argumentum* ibi eſſe poterit inſtrumentum, apparatus, ut in illo Virgilii *Æneid.* VII. *verſ.* 791. *argumentum ingens*, & in illo Lucani *Pharſ. L.* VIII. *verſ.* 868. & 869. *mortique peribunt*, *argumenta tua.* Nam, mundo legato, omne munditiæ inſtrumentum debetur, etſi non argenteum, ut ſi aureum, ſi æreum ſit, debentur & alia, præter argentum, ad mundandum parata, ut unguentum, ſpecula, & reliqua, quæ recenſet *d. l.* 25. §. 10. niſi dicamus, Titiam, quæ legavit in *d. l.* 32. §. 7. non aliud inſtrumentum balneare reliquiſſe, quam argenteum; quin præter id argentum balneare nihil quicquam, quod mundo adnumerari poſſit, ait enim, *duntaxat argentum balneare mundo muliebri contineri*, ſed ait, *ex his, quæ proponerentur*, quæ ſingulare factum reſpiciunt. Cujacius *d.* L. X. *C.* 17. exiſtimat, *duntaxat balneare argentum* exprimi, non ad excludenda reliqua mundi muliebris, ſed ad excludendum reliquum argentum, quod non fuerat balneare. Sed de alio argento quæſitum non erat; ſimpliciter igitur ex facto putem eſſe mentionem *argenti* vel *argumenti balnearis*, quocunque enim modo legas, me non difficilem habebis arbitrum.

Probo autem, quod Cujacius, etiam ob *d. l.* 32. §. 7. ſervet *lavationem* in *h. l.* 25. §. 10. *qua*, inquit, *mulieres ſe emundant in balneo*, nihil porro addens. Sed magis probo, quod alii, interpretationis loco, huc attulerint teſtamentum patrisfamilias apud Phædrum *L.* IV. *Fab.* 4. ubi mater, voluntatem, ut putabat, mariti ſequuta, *verſ.* 21. & 22.

Seponit mœchæ veſtem, mundum muliebrem,
LAVATIONEM ARGENTEAM, *eunuchos, glabros.*

Ut ibi enumerarit omne inſtrumentum muliebre, hoc eſt, veſtem, mundum, & ſervitia, mundo accenſens *lavationem argenteam*, apparatum nempe balnearem, qui vulgo ex argento, ut indicant loca, quæ attuli. Sub *mundo* & ornamenta comprehendit, id eſt, *uniones*, ut deinde explicat, & ſæpe alias promiſcue hæc occurrunt, ut mox audies.

A mundo Ulpianus tranſit ad ornamenta, ſic pertexens telam, quam inchoaverat in *principio hujus* §. 10. nam ibi ornamenta definiverat & varias eorum ſpecies adjecerat. Mox interjicit quædam de mundo. Nunc alias ſpecies adjicit, ut *mitras*, de quibus, quod ſatis eſt, Pancirolus *d. L.* II. *C.* 99. Petrus Faber *L.* I. *Semeſtr. C.* 15. & Franciſcus Schott *Itiner. Ital. L.* II. *p. m.* 307. Addit deinde *acum cum margarita*, *quam mulieres habere ſolent.* Intelligit acum comatoriam. Sed hæc non ornamentis, at mundo muliebri adſcribitur in *Gloſſis* Petronii, verbo *acus comatoria.* ACUS, inquit, COMATORIA *aut crinalis*, *calamiſtratorium*, *ad crines diſtinguendos*, *in mundo muliebri.* Si *diſcerniculum* apud Varronem *de L. L. L.* IV. *p. m.* 32. idem ſit cum *acu comatoria*, ut & ipſe puto ex utriusque deſcriptione, tam apud Varronem, quam in *Gloſſis*, pro ornamento habet Varro, ut hic habet Ulpianus, non pro mundo. Sed quæ ad ornatum, quæ ad mundum muliebrem pertinent, animadverti & alias promiſcue uſurpari, & ſane quis inter ornamenta non referat *acum*, ut Ulpianus ait, *cum margarita*?

Sequuntur *reticula*, *crocuſantia.* Nonius in *Reticulum* ait, *reticulum* eſſe *tegmen capitis muliebre*, & ſic eſt, niſi *ornamentum* dicere malis, quia non tam tegit, quam ornat caput muliebre, ſeu potius continet capillos diffluentes. *Reticulos* dixit Paulus, genere virili, *L.* III. *Sentent. C.* 6. §. 84. De his reticulis & Varro, & Juvenalis, & alii, aliis prolixe laudati, ſatis ſuperque dixerunt. Atque ex his intelliges, *reticula* hic non eſſe *faſcias*, quod alii ſuadent; *reticulum* pro *faſcia* accipio in *l.* 5. §. 12. *ff. de His qui effud. vel dejecer.* ubi Ulpianus meminit amphoræ *ex reticulo* ſuſpenſæ: neque enim ibi *reſticulo* lego, ut legit, & utinam in necem ſuam paraſſet emendator malus. A *reſtis* dicendum erat *reſticula*, & ita dixerunt, qui Latine loquuti ſunt. Boxhornius ad *Lampr. Alexandr. Sever. p.* 806.

p. 806. in *d.* §. 12. intelligit *reticula*, quibus, etiam nunc, ad majorem firmitudinem amphoræ circumtexuntur. Sed & hoc nihili eſt, *reſticulo* interea recte ſe opponit. Reticulis in *d. l.* 25. §. 10. adduntur *crocuſantia*, ita enim eſſe legendum poſt multas varietates, auctoritate Codicis Florentini, videtur obtinuiſſe, ſed quid dicemus eſſe? an veſtem croceam, per quam, quod ei ſubeſt, tranſparet? ut tunica illa & purpurea læna, qua Europa induta, καὶ δι' αὐτῆς τὸ σῶμα ὑπεφαίνετο, apud Achillem Tatium *de Amor. Clitoph. & Leucipp. L. I. p.m.* 4. quæ ornamentis hic adnumerarentur, quia non tam tegunt corpus, quam repræſentant. Quo pertinet Senecæ locus *L.* VII. *de Benefic. C.* 9. ubi mulieres iis uti ait, ut nudæ ſint; qualem libertinarum habitum deſcribit Horatius *Satyrarum. L.* I. 2. *verſ.* 83. *& ſeqq.* Sed id non placet, quia Ulpianus hic totus eſt in ornatu capitis muliebris. Magis placet, quod dixit Salmaſius *Obſerv. ad Jus Att. & Rom C.* 5. *p.* 61. κροκυφάντια eſſe videri interpretationem græcam τῶν reticula, ut ſciamus, quæ *reticula* intelligat Ulpianus, nam varia eſt, ut vidimus, ejus vocis ſignificatio. Et ſane Gloſſæ veteres apud Salmaſium *d. loc. reticulum* quoque explicant per κροκύφαντον, ea vocis origine, quam indicat Turnebus *L.* XVIII. *Adverſar. C.* 23. ſed de his ſatis.

CAPUT XVIII.

Compoſita L. 23. *cum* L. 33. pr. & §. 2. ff. de Donation. inter. V. & U.

Moribus apud Romanos receptum eſt, ne inter virum & uxorem donationes valerent. Si rationem ejus juris quæras, unam dabit Ulpianus in *l.* 1. & duas alias Paulus in *l.* 2. *ff. Eod. Tit.* Atque eas rationes nemo non præferet omnibus aliis, quas finxit Plutarchus *Quæſt. Roman.* VII. & ei, quam ipſe elegit, cum ibidem, tunc Libello *de Præcept. Conjugal. p. m.* 280. Sic erat ante tempora Severi & Antonini, ſed hic, Oratione in Senatu habita, rigorem ejus Jurisprudentiæ temperavit, effecitque, *fas eſſe, eum quidem qui donavit, pœnitere, heredem vero eripere, forſitan adverſus voluntatem ſupremam ejus qui donaverit, durum & avarum eſſe l.* 32. *pr. &* §. 2. *ff. Eod. Tit.* Convaleſcit igitur donatio ex ea Oratione, ſi donator vivus non revocaverit. Sed an tantundem dicemus, ſi donationem non fuerit ſubſequuta traditio, at res ſteterit intra fines promiſſionis? fac pactum, vel ſtipulationem de re donanda interceſſiſſe, revera autem nihil eſſe traditum? magnis animis ea quæſtio & olim & nunc agitata eſt, ſed neſcio, an ſatis feliciter adhuc ab Interpretibus expedita ſit. Mihi ſedet, Orationem non pertinere niſi ad eas donationes, quæ ſubſequuta traditione in donatarium tranſiverunt, non ad eas, quæ nudo pacto, vel ſtipulatione promiſſæ ſunt duntaxat. Si nudo pacto promiſſæ fuerint, jam alia ratio vetat eas exigere, quod nempe ad implendam donationem, nudo pacto factam, jure Pandectarum nulla competeret actio, id enim demum Juſtiniano placuit in *l.* 35. *C. de Donation.* Sed ſi vel ſtipulatio interceſſerit, adhuc dicemus, Conjugem ſuperſtitem, cui promiſſum erat, ab heredibus donatoris promiſſum non recte exigere.

Ut id credam, non una ratio me movet. Prima eſto, quod fruſtra fuiſſent JCti Illyrici, ſi de hac ipſa controverſia, quam Antonini Oratio definiviſſet, Principem adiiſſent, & rogaſſent, ut is eam ſua auctoritate vellet componere, quemadmodum adiiſſe & rogaſſe narrat *Novell.* CLXII. *C.* 1. Secunda eſto, quod ex regula Juris antiqui actio, quæ a defuncto vel contra eum non cœperat, neque ab herede vel contra heredem inciperet, ut eſt apud Cajum *Fragm. L.* II. *T.* 9. §. 7. & in §. 12. *Inſt. de Inut. ſtipulat.* & in exceptione regulæ, quam Julianus ſuggeſſit in *l.* 84. *ff. ad L. Falcid.* Valuit igitur ea regula Jure Pandectarum, a Juſtiniano demum ſublata in *l. un. C. Ut action. ab hered. & contra hered. incip.* Quidni addam tertiam rationem, quam ipſa Oratio manifeſte ſuppeditat, nam, ut donator potuit, ſic noluit *heredem eripere, forſitan adverſus voluntatem ſupremam ejus, qui donavit.* Non *eripimus*, niſi quod datum eſt, atque ita retentionem & exceptionem indulget donatario, actionem negat. Æquiſſime. Continua donantis ad mortem voluntas perinde eſt habita, atque ſi res incideret in donationem cauſa mortis, nam conjux conjugi mortis cauſa donare poteſt. *l.* 9. §. *ult.* & *l.* 10. *ff. de Donat. inter V. & U.* eoque refero, quod vetus Scholiaſtes notavit ad Juvenalis *Satyr.* II. *verſ.* 58. Quapropter, ut mortis cauſa donatio deſiderat traditionem, ſic quoque deſiderabit donatio inter V. & U. ut morte confirmetur. Retentio eſt donatarii, quia donantis heres, quod datum eſt, *eripere* non poteſt, ſed actio non eſt, quia Oratio non dedit, ut enim in aliis Juris articulis, ita & hic differunt actio & exceptio, petitio & retentio. Sed quid cunctamur adducere Papinianum, Orationis interpretem? nam, ut Ulpianus refert in *l.* 23. *ff. de Donat. inter V. & U.* ille *recte putabat, Orationem Divi Severi ad rerum donationem pertinere.* Forte melius legeretur *dationem*, ut aptius conveniant ſequentia. *Donatio*, ſæpe hic audita, forte librarium fefellit. Si ita non legas, utique ſic oportet intelligere, ut jam Gloſſa indicavit, & alii ſequuti ſunt: nam *rerum donationes* diſtinguere a *donationibus verborum*, ut diſtinguit Ant. Faber *L.* II. *Conject. C.* 8. ſic ſatis eſt frivolum. Mox Ulpianus, ex Papiniano, ni fallor, ſuperdicit: *denique ſi ſtipulanti ſpopondiſſet uxori ſuæ, non putabat conveniri poſſe heredem mariti, licet durante voluntate maritus deceſſerit.* Sunt hæc liquida, & ab Ulpiano relata *Libro* VI. *ad Sabinum.*

Sed idem Ulpianus, eodem *Opere ad Sabinum, Libro* nempe XXXVI. aliud ſcripſiſſe creditur in *l.* 33. *pr. &* §. 2. *Eod. Tit.* Principio ait: *Si ſtipulata fuerit mulier annuum, id ex ſtipulatu petere, conſtante matrimonio non poteſt, ſed ſi manente matrimonio deceſſiſſe maritus proponatur, puto, quia in annuo quoque donatio vertitur, poſſe dici, ſtipulationem confirmari ex SCto.* Rurſus de marito in §. 2. *Et ſi forte maritus ab uxore ſtipulatus ſit id annuum, deceſſeritque mulier conſtante matrimonio, dicendum erit, ex Oratione donationem convaleſcere.* Igitur Ulpianus uno eodemque *Opere* aliam atque aliam Jurisprudentiam nobis ſuggeſſit? aliam Papiniani, aliam ſuam ipſius? & tamen ait *d. l.* 23. Papinianum *recte* putaſſe, &c.

Ut amoliantur hanc difficultatem Interpretes, varia comminiſcuntur, quæ priusquam recenſeam,

am, & probem, cur videantur placere non poſſe, accipe ſententiam meam. Apparet in *d. l.* 32. Ulpianum egiſſe de annuo, quod ſtipulanti conjugi conjux promiſit, quodcunque demum id annuum fuerit, hoc eſt, ſive in pecuniæ, ſive in cujuscunque rei quantitate quotannis præſtanda. Accurſius, ſeu potius Vivianus in *caſu d. l.* 33. intellexit *pecuniæ*, quem propterea *ridiculum* appellat Faber *d. L.* II. *Conject. C.* 8. ſed male, cur enim minus annuum in ære, quam, ut ille vult, in cibariis & veſtiariis conſiſteret, ratio nulla eſt, cum res plane eodem redeat, & æque annuorum in pecunia, quam in cibariis conſiſtentium exempla ſint, ut in *l.* 22. *ff. de Pact. dotal.* & alibi. Quin ſi de uſu *annui* in jure quæratur, præferenda eſt Viviani ſpecies, cum *annuum*, ſimpliciter ita dictum, diſtinguatur *ab alimentis* & *cibariis*, & utriusque argumenti diſtinctæ ſint *Rubricæ* in Pandectis. Quicquid ſit, quod Ulpianus bis dixit in *d. l.* 33. dixit de promiſſo per ſtipulationem annuo, quod & Gloſſa obſervavit ad *d. l.* 23. ſed non extricavit, quam ob rem in annuo ea Jurisprudentia ſit ſingularis. Sunt, qui rationem quærunt in favore annuorum, ut quæ vulgo conceduntur ad exhibendum Conjugem. Sunt, qui annua in *d. l.* 33. aliquamdiu præſtita fuiſſe fingunt, & inde eſſe, quod promiſſa etiam porro ſint præſtanda. Verum hæc omnia, ſi quid judico, non ſunt unius aſſis. Ego aliud puto ex natura annui. Annui ſcilicet natura eſt, ut tradi nequeat niſi ſingulis annis, atque ita in futurum repræſentari non poſſit. Quare ſi conjux conjugi annuum promittat ad certos annos, vel quoad vixerit, & poſtea decedat, ego puto, has penſiones, quarum dies ceſſit ante defunctum donatorem, ab ejus heredibus peti non poſſe, quia traditio deſideratur, & tradi poterant, ſed eas, quarum dies cedit poſt defunctum donatorem, omnino peti poſſe, quia tradi, id eſt, repræſentari non poterant, niſi notiſſimos annui terminos egrediamur. Sola igitur ſtipulatio in ejusmodi annuo ſufficit, perinde ut in obligatione remiſſa ſufficit ſola acceptilatio, ut ipſe ille Ulpianus, eodem *Opere ad Sabinum*, declarat in *l.* 32. §. 23. *ff. Eod. Tit.* neque enim hic eſt, quod tradatur, & cum dixi, traditionem deſiderari, intelligo res, quæ tradi poterant.

Sic mihi videtur, quid aliis videatur, nec plane omittendum, nec nimia diligentia perſequendum eſt. Antiqui quidem, ut Azo ad *Tit. C. de Donat. inter V. & U. n.* 30. & ex eo forte Gloſſa ad *d. l.* 23. exiſtimarunt, Papiniani ſententiam, ab Ulpiano in *d. l.* 23. probatam, per Orationem D. Severi & Antonini fuiſſe abrogatam, quod nulla ratione ſuccedit: nam poſt Orationem vixit & ſcripſit Papinianus, ad eam ipſe diſputat, & ejus opinionem, tanquam in re certa, probat Ulpianus. Quod autem Franciſcus Duarenus *Comm.* ad *Tit. ff. de Donat. inter V. & U.* duas faciat Orationes, alteram Severi, alteram Antonini, & putet ad priorem reſpexiſſe Papinianum in *d. l.* 23. ad poſteriorem, utpote pleniorem, Ulpianum in *d. l.* 33. æque mihi non placet; cui enim perſuadebit, Papinianum illa in *d. l.* 23. ſcripſiſſe, antequam poſterior Oratio in Senatu recitata, & SCto confirmata eſſet? Miror ſane, poſteriores quosdam Interpretes in hanc ſententiam tranſire potuiſſe, cum omnino una eademque fuerit Oratio, ut ab aliis plena fide probatum eſt. Conſtat etiam, Orationem Antonini, ante exceſſum D. Severi, fuisſe habitam in Senatu, ſic enim memorat ipſe Ulpianus in *l.* 32. *pr. Eod. Tit.* Papinianum autem Severo ſupervixiſſe certiſſimum eſt; & quid dicemus de Ulpiano, etiam poſt poſteriorem Orationem, ut ille putabat, ſententiam Papiniani laudante & probante? Ant. Faber *d. L.* II. *Conject. C.* 8. cenſet, Papinianum ad verba Orationis potius reſpexiſſe, Ulpianum ad mentem; quam ſententiam, Fabro non laudato, Vir quidam Doctiſſimus nupero *ad Pandectas Commentario* ſuam fecit, & nonnihil interpolavit. Sed ita verum eſſet, Ulpianum nihilominus a ſemet ipſo diſſentire, probata prius Papiniani ſententia in *d. l.* 23. & deinde rejecta in *d. l.* 33. idque in eodem *ad Sabinum Opere*. Quod ne fiat, Faber τὸ *recte* in *d. l.* 23. jubet deleri, audaci facinore. Et quid ſi abeſſet, ideone minus auctoritatis haberet Papiniani ſententia, non alio fine in Pandectas relata, quam ut valeret, & cenſeretur auctoritate Juris? Abeſſe autem voluit τὸ *recte*, lepida conjectura ex Accurſio ſumpta, ad quam ſi non rideas, Catone ſeverior ipſo es. Miror eum, ſimili audacia, *recte* ſive *bene* non mutaſſe in *male*. Ceterum ipſe Faber, ut ſatis animadvertis, Ulpiani partes ſequitur, ratus, ejus Jurisprudentiam in *d. l.* 33. eſſe generalem, cum, ut dixi, in annuo, ob ejus indolem, ſit ſingularis. Movetur in primis *l.* 2. *C. de Dote caut. non numer.* Sed jam alii obſervarunt, & recte, quod maritus donationis animo in dotem augendam adſcripſit, tradi non poſſe mulieri, cum ipſa dos penes maritum ſit, & eſſe debeat. Confirmat igitur, quod dixi, traditionis rationem non habendam, ubi ex natura negotii intervenire nequit. Quod donatum eſt in dotem, non petitur, niſi cum repetitur ipſa dos, id eſt, ſoluto matrimonio, in quem caſum donari potuiſſe, etiam ante Orationem Antonini, conſtat ex *l.* 10. *l.* 11. §. 1. *l.* 35. *l.* 53. *l.* 60. §. 1. & *l.* 64. *ff. de Donat. inter. V. & U.* Alias aliorum ſententias, & quæ in hanc rem porro occupata vidi, ſciens prætermitto. Ne quidem Schifordegherum tango *ad Anton. Fabrum L.* I. *Tract.* XI. *Quæſt.* 8. quia totum ulcus eſt.

CAPUT XIX.

Tentatur aliquid emendationis in L. 49. pr. ff. de Legat. III.

Si paterfamilias uxori legaverit, quod ejus cauſa emptum paratumve ſit, quid legato contineatur, explicat Ulpianus *Libro* XXII. *ad Sabinum*, in *l.* 47. *ff. de Leg.* III. Idem argumentum eodem *Opere* & eodem plane *Libro* exſequitur in *l.* 49. *pr. Eod. Item*, inquit, *legato continentur mancipia, puta lecticarii, qui ſolam matremfamilias portabant; item jumenta, vel lectica, vel ſella, vel burdones: item mancipia alia, puellæ fortaſſis, quas ſibi comatas mulieres exornant.* Priora Ulpiani nemo non intelligit, ad *burdones* ſi quis hæreat, Cujacius ope conſilio aderit *L.* XI. *Obſerv. C.* 16. Poſteriora, ut exhibui, Florentiæ leguntur, plane ut in MS. meo ſine Gloſſis. Ita quoque edidit Ludovicus Blaublommius Pariſiis 1515. & tamen eam lectionem eſſe mendoſam quovis pignore auſim contendere. Quæ ſint *puellæ*, *quas ſibi comatas mulieres exornant*, nemo facile dixerit, nemo etiam, quemadmodum ratio Grammaticæ in hiſce conſtet.

Glos-

Gloſſa interpretatur puellas, *quæ deſerviunt in camera*, *quas puellas mulieres*, *id eſt*, *dominæ comatas*, *quia comas habent*, *vel comatas*, *id eſt*, *ornatas*, *exornant ſibi ut decentius ſint in domo. Alias*, *quæ ſcilicet puellæ exornant comatas mulieres*, *id eſt*, *dominas juvando*, *eas exornare cupiunt ſibi*, *ſcilicet dominabus.* Verum hæc mera ſtribligo eſt, quæ nihil quicquam extricat. Unde & jam olim ad alias Lectiones decurſum eſt. Robertus Stephanus Pariſiis 1528. edidit, *quas ſibi coſmetas mulieres exornant*, quod Fratres Sennetonii ſecuti ſunt Lugduni 1550. Haloander: *quæ ſcilicet comant mulieres & exornent*, quod ſecutus eſt Vintimillius. In variis Lectionibus poſt Haloandrum reperi etiam, *quæ ſibi comant mulieres.* Nihil horum placere poteſt, alia enim nimis abeunt a ſcriptura Florentina, alia ſenſum adhuc minus expediunt. Quare Cujacius *d. L.* XI. *Obſerv. C.* 16. legendum putat, *quis ſibi comas mulieres exornant*, *quis* ſcilicet pro *queis*, *quibus*, & intelligit puellas, quæ *ciniflones* dicuntur & *ornatrices* in *l.* 65. §. 3. *ff. de Legat.* III. de his ibi quædam addit, & alia ſunt apud Laurentium Pignorium *de Servis p. m.* 197. 200. & 201. Pſecades diceres, nam Pſecas ancilla diſponit crinem dominæ apud Juvenalem *Satyr.* VI. *verſ.* 489. 490. & 493. Ipſe Pignorius *Coſmetas* videtur legiſſe in *h. l.* 49. *pr.* nam *d. p.* 197. ait *Coſmetarum* meminiſſe Ulpianum, adſcripta ad marginem ea, quam interpretamur, lege. Grotius *Floribus ſparſis ad h. l.* 49. *pr.* ita reſcribit: *puellæ fortaſſis*, *ſive Coſmetæ*, *qui mulieres exornant*; quo ſignificaverit Ulpianus, legato, quo de agitur, non puellas duntaxat contineri, ſed & viros, qui ornandis mulieribus ſerviebant, & inde dicebantur *Coſmetæ*, nam in Gloſſis κοσμήτης eſt *ornamentarius*, *ornator.* De his Coſmetis etiam Juvenalis dixit *Satyr.* VI. *verſ.* 475. & vetus Scholiaſtes interpretatur *eos*, *qui ornamentis præſunt*, & diſtinguit ab *ornatricibus.*

Quum viri fuerint Coſmetæ, Stephani Lectio, quæ eos in feminas mutat, non ſubſiſtit, Haloandri ſubſiſteret, ſi non, ex ingenio ficta, nimium recederet a Libro optimo. Grotii emendatio magis ſenſu, quam modeſtia ſe commendat. Cujacius proxime ad ſcripturam, nunc corruptam, acceſſit, ſed caſca nimis, nimisque inſolens mihi videtur ea locutio, *quis ſibi comas mulieres exornant*, illæ quippe ornatrices non erant inſtrumenta, quibus ipſæ matronæ capillos componebant, ut eſſe debebant, ſi iis comas exornaſſent, ſed ipſæ ancillæ ornabant, & miniſterium præbebant mulierculis ſuperbis, quæ de ſingulis cincinnis in conſilium ibant, Pſecam interrogantes, *altior hic quare cincinnus?* ut Juvenalis hæc ridet *d. Satyr.* VI. *verſ.* 490. Addo nullam ex his, quas retuli, lectionem vel emendationem etiam ideo placere, quod Ulpianus in *d. l.* 49. *pr.* ea duntaxat enarret, quæ in prodeundo uxoris cauſa compta paratave ſunt, lecticarios, jumenta, lecticam, ſellam, burdones, quibus omnibus utitur, dum in publico eſt. His adjungit alia mancipia, *puellas fortaſſis*, *quas ſibi comatas mulieres exornant.* Quæro igitur hic puellas, quæ non domi, ſed publice mulierculis ſerviebant.

Has reperio, ſi, ut nunc tandem conjicio, legamus: *Puellæ fortaſſis*, *quas*, *ſibi comites*, *mulieres exornant.* Ut intellexerit Ulpianus eas puellas, quas in prodeundo adhibebant matronæ, quasque ipſas, ſibi comites, exornare ſolebant, quo ſplendidior eſſet comitatus. Unde Ulpianus noſtræ *L.* auctor, ad dignitatem ait pertinere, *cum comes matronæ abducitur l.* 1. §. 2. *ff. de Injur.* & ipſe ille in *l.* 15. §. 15. *Eod.* diſputat, an injuriarum teneatur, qui comitem abduxerit feminæ, non matronali veſte, ſed meretricia veſtitæ? & mox in §. 16. comitem definit, *qui comitetur & ſequatur*, &, *ut ait Labeo*, *ſive liberum*, *ſive ſervum*, *ſive maſculum*, *ſive feminam.* Mancipia ſane utriusque ſexus erant in comitatu, ea ſæpe pompa, ut Athenæus *Deipnoſoph. L.* VI. *p. m.* 272. referat, fuiſſe Romanos, qui decem, imo viginti millia ſervorum alebant, non quæſtus gratia, ſed præcipue, ut ingens eſſet comitum in prodeundo numerus. Matronæ ancillulas ſuas habebant, anteambulatrices, pediſſequas, & quas non alias? ſuppeditat eas notitia Familiæ Urbanæ apud Pignorium *de Servis p. m.* 211. & *ſeqq.* Addo Ammianum Marcellinum, qui *L.* XIV. *p. m.* 25. *Familiarium*, inquit, *agmina tanquam prædatorios globulos poſt terga trahentes*, *ne Sannione quidem*, *ut ait Comicus*, *domi relicto. Quo comitatu matronæ complures*, *opertis capitibus & baſternis*, *per latera Civitatis cuncta diſcurrunt.* Pluribus ibi comitatum illum deſcribit, ſed ego ultra non exſcribo. Si igitur, ut tentabam, pro *comatas*, parvo molimine, legamus, *comites*, intelligimus apud Ulpianum has puellas, quas ſibi comites legit & exornat materfamilias, quo elegantior & majori faſtu prodiret. De ſuperbia feminarum, dum prodeunt, poſſem plura addere, ſed non addo: nonnulla occupavit Marcus Vertranius Maurus *de Jure Liberorum C.* XXIV.

CAPUT XX.

Defenſa lectio L. 25. ff. de Fidejuſſor.

Proximo Capite ſcripturæ controverſiam movi Ulpiano, quia res aliter ſalva eſſe non poterat, nunc, quia aliter ſalva eſſe poteſt, *Interdicto Uti poſſidetis* contendam ad tuendam ejusdem Ulpiani ſcripturam, quam varie Interpretes turbant in *d. l.* 25. Verba ejus hæc ſunt: *Marcellus ſcribit*, *ſi quis pro pupillo*, *ſine tutoris auctoritate obligato*, *prodigove*, *vel furioſo fidejuſſerit*, *magis eſſe*, *ut ei non ſubveniatur*, *quoniam his mandati actio non competit.* Ita conſtanter legitur in omnibus Libris, quos adivi, MSS. & editis, niſi quod in quibusdam ſit, *magis eſt*, & deinde, *competat*, ſed quæ levia ſunt, &, quod ad ſenſum, nullo diſcrimine habentur. Ipſe vero ſenſus videtur laborare, & quidem bina ratione; altera, quod ipſa fidejuſſio videretur inutilis, interpoſita pro pupillo, prodigo, furioſo, quia inutilis eſt eorum obligatio, in tantum, ut ne negotium quidem ullum cum his geſtum intelligatur; altera, quod, ſi vel fidejuſſio ſubſiſtat, tamen fidejuſſori non ſubveniatur, quia pupillo, prodigo & furioſo mandati actio non competit: quæ ratio videtur valde inexſpectata, & minus idonea. Varios igitur emendatores, varios interpretes nactus eſt Ulpianus, ſed, rejecta omni emendatione, alium, quam adhuc nactus eſt, interpretem videtur deſiderare. De prima quidem difficultate nunc non agam, cum ipſe Accurſius, & poſt eum plures alii exſequuti ſint eas ſpecies, quibus jure ſubſiſtit fidejuſſio, facta pro

pro pupillo, prodigo, furioſo. Si igitur incidat ejusmodi ſpecies, & fidejuſſor obligatus ſolverit, quæſitum eſt, an ei ſubveniri oporteat? & ſcribit Marcellus, *magis eſſe, ut ei non ſubveniatur, quoniam bis mandati actio non competit.* Baſilici, quos in re dubia primos ſoleo ſententiam rogare, *L.* XXVI. *Tit.* I. *C.* 25. ita hæc explicant: ὁ ἐγγυησάμενος ἐνέχεται μὲν, οὐκ ἔχει δὲ κατ' αὐτῶν τὴν τῆς ἐντολῆς ἀγωγήν, *fidejuſſor tenetur quidem, mandati autem actionem adverſus eos non habet.* Optimo ſane ſenſu, ſed qui non convenit ſcripturæ Marcelli, ab Ulpiano relatæ, qua ait, fidejuſſori non ſuccurri, non ideo, quod fidejusſori non competat mandati actio adverſus ejusmodi reos, pro quibus fidejuſſit, ut videbatur dicendum, ſed quod his non competat actio adverſus fidejuſſores. Accurſius, qui ſecundo loco mihi eſt a conſiliis, ita Marcelli ſcripturam interpretatur, ut eandem cum Baſilicis ſententiam efficiat, *quoniam bis*, inquit, *ſcilicet fidejuſſoribus*, &c. *& ſic tranſit de ſingulari ad pluralem numerum*, in exemplum adlata *l.* 3. *C. de in jus vocand.* Sed valde perperam, nam numerus plurium ibi præcedit in proponenda Juris doctrina, ſubſequitur autem ſingularis, novo plane ſenſu, ubi verba diriguntur ad conſulentem feminam. Hic numeri commutarentur uno eodemque ſenſu, intricato & turbato locutionis ordine.

Aliud alii tentarunt. Qui notas perpetuas ad Jus Civile ſcripſit, aliquot eorum ſententias & emendationes retulit. Antonius Contius *L.* II. *Lect. Subſeciv. C.* 4. ita hunc locum reſtituit, *magis eſſe, ut bis (nempe pupillo, prodigo, furioſo) non ſubveniatur, quoniam ei (hoc eſt, fidejusſori) mandati actio non competit.* Atque ſi diceret Marcellus, ejusmodi reis non ſuccurri, per in integrum reſtitutionem ſcilicet, quum mandati actio in eos fidejuſſori non competat. Sed non agit de obligatione ejusmodi reorum, multoque minus de reſtitutione in integrum ſed de fidejuſſione, quæ pro his interponitur. Cujacius *Comm.* ad *l.* 19. *ff. de Uſurp. & uſucap.* ita reſcribit: *quamvis mandati actio non competit*; ut dixerit, fidejuſſorem teneri, quamvis mandati actionem is non habeat. Delet igitur voculam *bis*, ſed ſi ita placeat, cur non recte diceretur, fidejuſſori non ſubveniri adverſus pupillum, prodigum, furioſum, *quoniam non competit mandati actio*? Rævardus *L.* II. *Varior. C.* 9. ſic emendat: *magis eſſe, ut ei ideo ſubveniatur, quoniam*, & reliqua. Errore, ut ſuſpicatur, ex notis creato, eoque, ſi credere dignum eſt, ſenſu: fidejuſſori ideo ſubveniri, quia mandati actio pupillo, prodigo, furioſo non competit adverſus fidejuſſores, *hoc eſt*, inquit, *quia principalis obligatio non ſubſiſtit.* Quod eſt ſenſum pervertere, & per notas, quas ſibi fingit, Criticam ludibrio exponere. Prolixe Rævardum refutat Joannes Robertus *Recept. Lect. L.* II. *C.* 34. & recte, ſi non, quod Marcellus dixit, *bis* non competere mandati actionem, de fidejuſſoribus quoque intellexiſſet, præeunte Accurſio. Connanus *L.* VI. *Comm. Jur. Civ. C.* 6. *n.* 15. quod de *bis* dicitur, accipit de pupillo, prodigo, furioſo, qui præceſſerant, ſed quum non intelligeret, quemadmodum recte dicatur, illorum fidejuſſori non ſubveniri, quia illis adverſus hunc non competit mandati actio, illud *non competit* explicat, *non congruit, quia nec agere nec conveniri ipſi poſſunt mandati, cum mandare nequeant, qui non ſunt mentis compotes.* Fere rem ipſam dixit, quam ego, ut mox audies, dicere conſtitui, ſi modo veræ ſententiæ veram interpretationem addidiſſet. Charondas in *Notis*, ſervata ſcriptura, *finalia* Marcelli ſic explicat: *quoniam pupillus, prodigus, & furioſus non habent contra eum mandati actionem, nec etiam ille contra ipſos: ideoque ei non ſubvenitur.* Sed quia in *verſ. quoniam*, ratio redditur, cur ſcilicet fidejuſſori non ſubveniatur, hæc ſola reddenda erat, quod ei contra pupillum, prodigum, furioſum non competat mandati actio, quemadmodum & Dionyſius Gloſſator hæc exponit, de verbis ſatis ſecurus & nequicquam laborans, at vero alia ratio redditur, quod ſcilicet his, pro quibus fidejusſum erat, non competat actio adverſus fidejuſſorem, unde & Charondas efficit, nec etiam illi adverſus hos, inde eſſe ratus, quod ei non ſubveniatur. Excedunt hæc notiſſimos rectæ interpretationis terminos.

Sed quid tantum tædii devoramus in recenſendis & notandis aliorum conjecturis. Dicamus potius, quid nobis inciderit. Qui fidejuſſit pro pupillo, prodigo, furioſo, nonnunquam tenetur, & ex fidejuſſione ſua conveniri poteſt. Id Marcellus, pro certo habens, porro ait, *magis eſſe, ut ei non ſubveniatur.* An adverſus ipſum ſtipulatorem eundemque creditorem? ſunt, qui ita intelligunt, & ita puto Græcos intellexiſſe, cum ſimpliciter vertunt, ἐγγυησάμενος ἐνέχεται, *fidejuſſor tenetur*, ſed malo Marcelli verba, *magis eſſe, ut ei non ſubveniatur*, accipere, atque ſi dixiſſet, fidejuſſori non ſubveniri adverſus eos, pro quibus fidejuſſit, ſi nempe fidejuſſerit pro his, qui non ſunt mentis ſuæ, vel mentis non integræ. Læſum eſſe oportet fidejuſſorem, ſi quæſtio incidat, an & quemadmodum ei ſubveniendum ſit. Ponit Marcellus, damnum eſſe paſſum fidejuſſorem, ſed nunquid indemnis ſervari poſſit, ſola videtur eſſe inſpectio. Et ait, *magis eſſe, ut ei non ſubveniatur*, quod perinde eſt, atque eum mandati actionem non habere adverſus eos, quibus ſanum ſinciput non eſt. Fidejuſſio fit mediante mandato, utique vulgo fit, ſi pro præſente fidejubeatur, unde ſi quid fidejuſſor pro reo ſolvit, ejus recuperandi cauſa habet cum eo mandati judicium §. 6. *Inſt. de Fidejuſſor. l.* 10. §. 11. *ff. Mandat.* Hoc judicio fidejuſſori non ſubvenietur; vis rationem? accipe a Marcello: *quoniam bis mandati actio non competit*; hoc eſt, ſi recte interpretor, *quia hi mandare non poſſunt.* Qui pro pupillo, prodigo, furioſo fidejuſſit, ſi ex fidejuſſione ſua conveniatur & damnetur, adverſus eos actionem mandati non habet, quia hæc non competit, *cum non anteceſſerit mandatum l.* 20. §. 1. *ff. Mandat.* neque credendum eſt anteceſſiſſe, ſi, qui mandaverint, mandare non poſſint, ut non poſſunt mandare, neque adeo ex mandato obligari pupillus, prodigus, furioſus; conſenſu quippe carent, qui in mandato neceſſarius *l.* 2. *ff. de Oblig. & action. Actio* igitur apud Marcellum non erit jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur, ſed *actus* & *negotium*, atque ita ipſa mandandi facultas, quæ negatur competere hujusmodi perſonis mentis non integræ. Sæpiſſime vox *actionis* in eandem ſententiam occurrit. Feſtus in *V. ambitio*, ait, *ambitio eſt ipſa actio ambientis*, hoc eſt, *actus.* Apud Paulum *L.* I. *Sentent. T.* VII. §. 1. *integri reſtitutio* definitur *redintegrandæ rei vel cauſæ actio*, ubi *actio*, ſi quid judico, nihil aliud quoque eſt, quam ipſe *actus*: quod ſi alii animadvertiſſent, Paulo negligentioris locutionis actionem non moviſſent. Et quid aliud ſibi vult Ulpianus, hujus *L.* Auctor, in *l.* 3. §. 12. *ff. de Donat. inter V. & U?* *celeritate*, inquit, *conjungendarum inter ſe actionum, unam actionem occultari*, hoc eſt, celeritatis ergo, quo citius nego-

negotia expediantur, unum actum omitti, ſive palam non intervenire, idque veriſſimum eſt ſecundum ea, quæ ibi proponuntur. Atque ita fere *d. l.* 3. §. 12. explicant Viglius & Donellus *Commentariis* ad *l.* 15. *ff. de R. C.* ille *n.* 10. hic *n.* 17. & 18. *brevi manu* dixit idem Ulpianus in *l.* 43. §. 1. *ff. de Jur. dot. actio* etiam pro *actu* eſt in *l.* 65. *pr. ff. Pro ſoc.* & in *l.* 7. *ff. de Publ. Judic.* Apud alios quoque Auctores Latinæ Linguæ eadem eſt ejuſdem vocis ſignificatio, ſed cum domi exemplorum ſatis ſit, quo bonum eſt, tot exteris teſtimonium denunciare? Si ita, ut dixi, interpretemur *l.* 25. *ff. de Fidejuſſor.* non eſt, quod amplius nos turbet, & ad varias emendationes provocet, ut turbavit & provocavit Marquardum Freherum *L.* II. *Parerg. C.* 23. Gulielmum Fornerium *L.* III. *Select. C.* 24. & Valentinum Gulielmum Forſterum *L.* I. *Obſerv. ſucciſiv. C.* 2.

CAPUT XXI.

De Jure Italico, & Coloniis quibusdam Juris Italici.

Fundorum Provincialium, quaſi ad Imperium pertinentium, ſtipendium vel tributum a Provincialibus Principi Populove Romano pendebatur, ut plena manu ſum exſequutus *opuſculo de Rebus mancipi & nec mancipi C.* IX. Fundi Italici ejusmodi ſtipendium vel tributum non pendebant, neque etiam illæ Provinciæ, quæ Jure Italico erant donatæ. Unde efficitur, Jus Italicum omnino præſtare immunitatem ab oneribus, quæ alioquin Provincialibus indicuntur, ſive quod ad capita, ſive quod ad fundos. Atque ea ratione Jus Italicum & Provinciale eſſe oppoſita, etiam alii ſcripſerunt, interque hos Carolus Sigonius *de Antiquo Jure Italiæ L.* I. *C.* 21. Guido Pancirolus *Variar. Lect. L.* II. *C.* 152. & Adrianus Turnebus *L.* IX. *Adverſ. C.* 15. Vellem, ne in re tam liquida diſſenſiſſet Cujacius *L.* X. *Obſerv. C.* 35. diſſenſit autem ea ratione, quod quædam Coloniæ Provinciales immunes fuerint a tributis, quæ tamen Jus Italicum non habebant: unde utrasque, ceu diſtinctas, recenſuit Plinius *Hiſtor. Natur. L.* III. *C.* 3. & 21. & in Paleſtina duæ fuerunt Coloniæ, *Cæſarienſis* & *Ælia Capitolina*, neutra Juris Italici, ut eſt apud Ulpianum in *l.* 1. §. 6. *ff. de Cenſib.* & tamen D. Veſpaſianus, qui Cæſarienſes colonos fecit, non adjecto, ut & Juris Italici eſſent, tributum capitis his remiſit, quin & D. Titus etiam ſolum immune factum interpretatus eſt, ut hæc narrat Paulus in *l. ult.* §. 7. *ff. Eod.* id ipſum ibidem teſtatus de *Capitulenſibus.* Sed ea Cujacii ratio me non moverit, quemadmodum enim hominibus, etſi non Civibus Romanis, immunitatem tamen Civium Romanorum conceſſam legimus, ut ab Auguſto apud Suetonium *L.* II. *C.* 40. ita & quibusdam Coloniis, etſi non Juris Italici, immunitas tamen a Principibus conceſſa, & hinc diſtincta earum mentio apud Plinium & Paulum. Sed hoc non impedit, quominus Coloniæ Juris Italici omnino etiam fuerint immunes, ut Sigonius, Pancirolus & Turnebus magnis auctoritatibus evicerunt. Et niſi hoc eſſet veriſſimum, ſcire velim, quemadmodum Paulus in *d. l. ult. princ. ff. de Cenſib. immunitatis & Juris Italici* appellationem potuerit permutare, atque ſi, quod ad tributa, eandem rem ſignificaverint. Ait quidem Cujacius *d. L.* X. *Obſerv. C.* 35. *plus eſſe immunem Civitatem vel Coloniam, quam habere Jus Italicum, cum Jus Italicum levatio tantum ſit cenſitionis*, ſed quod ait ſine auctore, contra tot alias auctoritates, cui tandem perſuadebit? Jus vero Italicum non ſola tributorum cauſa fuiſſe circumſcriptum, at latius patuiſſe, Cujacio dicenti, & ibidem probanti, facile adſentior. Id ipſum quoque notavit Charondas ad *l.* 1. *pr. ff. de Cenſib.* & ante utrumque Aliciatus *L.* II. *Diſpunct.* C. 21. Noli igitur credere Turnebo, affirmanti *d. L.* IX. *Adverſ. C.* 15. Jus Italicum nihil aliud eſſe, quam immunitatem a tributis, nam præter immunitatem etiam ad alia porrectum fuit, ſalva tamen ſemper immunitate a tributis. Atque ea major extenſio, ab ipſo Cujacio animadverſa, argumento eſt, nimis anguſte eum definiiſſe Jus Italicum in *principio d. C.* 35.

Quoniam igitur, quod ad cenſum Provincialem, regiones quædam & Urbes, quæ jus Italicum habebant, erant immunes, de his, ubi argumentum de cenſibus incidebat, diligenter erat agendum. Egit certe de his Ulpianus in *l.* 1. Celſus in *l.* 6. Gajus in *l.* 7. & Paulus in *l.* 8. *ff. de Cenſib.* Ad loca, quæ illi recenſent, illuſtranda quædam attulit Cujacius *d. L.* X. *Obſerv. C.* 35. ſed plura Pancirolus *d. L.* II. *Variar. Lect. C.* 152. & 153. Nonnulla, ab his indicta, & nos adſpergamus. Ulpianus in *d. l.* 1. *pr.* primas tribuit Tyro, *huic enim*, inquit, *D. Severus & Imperator noſter ob egregiam in Rempublicam, Imperiumque Romanum inſignem fidem, jus Italicum dedit.* Intelligit Septimium Severum & Antoninum Caracallam, quos & Paulus conjungit in *l.* 8. §. 4. *ff. Eod.* ubi de Tyro id ipſum retulit, quod hic Ulpianus. Non igitur probo, quod voculam & in *d. l.* 1. *pr.* deleverint quidam Editores, ut Blaublommius Pariſiis 1524. Robertus Stephanus ibidem 1528. & Fratres Sennetonii Lugduni 1550. nam deleta illa copula illud *Imperator noſter* ſignificaret Severum, & quidem viventem, neque enim alterius Gentis reſpectu *ſuum* dixiſſe potuit. Et tamen Severum ibi appellat *Divum*, ut & in §. 2. 3. & 7. *d. l.* 1. argumento plus quam probabili, Ulpianum hoc opus *de Cenſibus*, ex quo eſt *d. l.* 1. ſcripſiſſe poſt mortem Severi, & quidem imperante Caracalla, ut præter illud *Imperator noſter* etiam indicat *l.* 12. *pr. ff. de Senator.* De ipſa Tyro nihil addam iis, quæ habet Pancirolus *d. C.* 152. & Hadrianus Relandus *Paleſtinæ Libro* III. in *Tyro.*

Inter Civitates Juris Italici Ulpianus in *d. l.* 1. §. 2. *ff. de Cenſib.* etiam *Heliopolitanam* numerat, nempe Syriacam, nam alia Heliopolis eſt in Ægypto, unde ad differentiam Ammianus *L.* XVII. *p. m.* 167. Heliopolitanam Civitatem, de qua ibi agit, dixit *Ægyptiam.* De utraque Heliopoli egit Lucas Holſtenius *Notis* ad *Stephanum* in Ἡλιόπολις, & Iſaacus Voſſius *Variar. Obſervat. C.* 15. Cum autem Græce ſcribatur ἡλιουπολις, non male Codex Florentinus exhibet *Helipolitana*, ut ut Pancirolus eam ſcripturam damnet, modo ſcribamus *HelIpolitana*, Latino nempe flexu, quaſi *Helii*, Ἡλιου. Sic habet prima lectio Libri Florentini, ſecunda, quam & Taurellius adſcripſit, habet *Heliupolitana*, eamque ſecutus eſt Haloander. Vulgata, quæ fere obtinuit, *Heliopolitana.* Sed perinde fere eſt,

quo-

quomodo efferas ϰ Græcum, an per o, an per u, an Latina flexione, gignendi caſu, per i. Ne igitur in his tricemur.

Sequitur in §. 3. *Eſt & Laodicena Colonia in Syria Cœle, cui C. Severus Jus Italicum ob belli Civilis merita conceſſit.* Duæ itidem fuerunt Laodiceæ, altera in mediterraneis Syriæ, quæ *Cabioſa* ſive *Laodicea ad Libanum* vocatur, altera maritima, ad Orontem. Utramque deſcribit Holſtenius ad Stephanum in Λαοδίκεια, & Relandus in *Palæſtina*, variis locis. Maritimam hic intelligi recte conjecit Holſtenius. Laodicea autem dudum ante immunis reddita: de hac enim loqui videtur Appianus Alexandrinus *Bell. Civil. L.* V. *p. m.* 526. Italicam demum fecit Severus *d.* §. 2. & *l.* 8. §. 3. *ff. Eod.* quod rurſus argumentum præbet, quamvis immunitas Jure Italico fuerit comprehenſa, Jus tamen Italicum fuiſſe pinguius & luculentius. Addit Ulpianus, Laodicenis eſſe conceſſum Jus Italicum *ob belli civilis merita;* quid illi præſtiterint, illisque beneficii loco præſtitum ſit, ex Annalibus Romanorum recenſet Pancirolus *d. L.* II. *C.* 152. & Cujacius *d. L.* X. *Obſerv. C.* 35. ex quo poſtremo, ſed non laudato, notam marginalem deſcripſit Gothofredus.

Sequitur in *d.* §. 3. Colonia *Ptolemenſium*, ſic enim ſcribitur in Libro Florentino, ſed a *Ptolemais* videbatur ſcribendum *Ptolemaïdenſium*, ut Stephanus & Antiquiores etiam ediderunt, vel *Ptolemæenſium*, ut edidit Haloander, eumque ſecutus Vintimillius. Laudatur & Fronto *pro Ptolomæenſibus* apud Scipionem Gentilem *Lib.* II. *Parerg. C.* 7. Sed hanc lectionem dabit ipſe Liber optimus, ſi geminata litera e ſcribamus *PtolemEnſium*, hoc eſt, *Ptolemeenſium*, ut *elemporia* pro *eleemporia* in *l.* 18. §. 19. *ff. de Muner. & honor.* e in *Ptolemeenſium* pro æ, ut *menſe ſcriptura* Florentiæ in *l.* 27. §. 1. *ff. de Furt.* & ſæpe alias. De Ptolemaïde prolixi Relandus *Palæſtinæ L.* III. in *Acco*, quod hujus Urbis antiquum nomen fuit.

In §. 5. memoratur Palmyrena Civitas in Provincia Phœnice, *prope barbaras*, ait Ulpianus, *Gentes & Nationes collocata.* Conſtat, etiam ex Plinio *L.* V. *Hiſtor. Natur. C.* 25. Palmyram fuiſſe ſitam in finibus Imperii Romani, idque diſtinxiſſe ab Imperio Parthorum. Hinc, Græcorum Romanorumque more, *prope barbaras Gentes & Nationes.* Inſolens tamen eſt hæc geminatio, *Gentes & Nationes.* Quid ſi per *Gentes* intelligamus obſcuriores extremi Imperii Romani regiones, quæ in Provinciæ formam redactæ non ſunt, per *Nationes vero*, quicquid extra Imperium Romanum eſt. Ita ſane *Gentes* videntur appellatæ in *l. ult. C. de Offic. Magiſtr. milit.* quas cum ſuis Ducibus Magiſtro militum per Armeniam ſubjicit Juſtinianus. Neque alii forte ſunt ἡγεμόνες τῶν ἐθνῶν, *Gentium Duces* in *l.* 25. *ff. de Appellation.* Atque ita fere Cujacius explicat *Barbaricas Gentes* in *proöem. Inſtit. Notis prior.* Aut hæc eſt utriusque vocis differentia, aut quæ ſit, fateor me neſcire.

Palmyram excipiunt duæ Coloniæ in Palæſtina, *Cæſarienſis* & *Ælia Capitolina* in §. 6. *d. l.* 1. De utraque alii, quod ſatis eſt, dixerunt. Ab *Ælia Capitolina* dicti *Capitulenſes* in *l.* 8. §. 7. *Eod.* quam vocem perperam in *Capitolienſes* mutat Holſtenius ad Stephanum in Καπιτώλιον, atque ſi *Capitolienſes* dicerentur ab Urbe *Capitolias*, quam ibi deſcribit, & Relandus *Palæſtinæ L.* III. in *Capitolias*. At vero Capitolias, ut uterque ibidem probat, fuit Civitas αὐτόνομος, quod plus etiam eſt, quam eſſe Juris Italici; & Capitulenſes ſimiles Cæſarienſibus, qui nequidem Juris Italici fuerunt, ut ut ipſis conceſſa fuerit immunitas; primum capitis, deinde ſoli, ut eſt in *h.* §. 6. & in *d. l.* 8. §. 7. Quemadmodum Cæſaream & Æliam Capitolinam, quod ad Jus Italicum, quod non habebant, conjungit Ulpianus in *h.* §. 6. ſic, quod ad immunitatem capitis & ſoli, Cæſarienſes & Capitulenſes Paulus in *d. l.* 8. §. 7. utque adeo ibi nihil mutandum ſit.

Tandem Ulpianus in *d. l.* 1. §. *ult. Eſt & in Cilicia Selinus & Trajanopolis.* Selinuntem & Trajanopolim eandem urbem eſſe, veteri nomine in novum mutato, probavit Cujacius *L.* X. *Obſerv. C.* 35. & Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 152. uterque magnis auctoritatibus, quibus lubens adſurgo. Mendoſa igitur videbatur hujus §. lectio: nam grave eſt, huc transferre, quod ait Paulus in *l.* 53. *pr. ff. de V. S.* ſæpe conjuncta pro disjunctis accipi, & contra. Cujacius Ulpiano nihil opis attulit, at Pancirolus legit: *Selinus, nunc Trajanopolis*, vel *Selinus ſeu Trajanopolis.* In poſteriorem lectionem eſſem proclivior, repetita litera *s* ex voce præcedenti, niſi pro *&* malit quis reſcribere *aut.* Adjectione autem *Ciliciæ* Ulpianus hanc Selinuntem diſtinxit a Sicula, nam & in Sicilia eſt quædam Selinus. Unde Vulgata, quam ſequitur Robertus Stephanus, itemque Gregorius Haloander, in *h.* §. *ult.* habet *in Sicilia.* Si proba eſſet ea lectio, absque ulla mutatione ita intelligi poſſet Ulpianus, ut utraque Selinus fuerit ejusdem Juris Colonia, tam Sicula, quæ ſimpliciter diceretur *Selinus*, quam quæ in Cilicia eſt, novo nomine hic dicta *Trajanopolis*, ſive, ut Florentiæ eſt, *Trabianopolis.* Sed Florentinam ſcripturam, *in Cilicia*, recte tuetur Auguſtinus *L.* III. *Emendat. C.* 9. & plenius Cujacius *L.* XXVII. *Obſerv. C.* 3. eamque & ipſe tuendam reor, non ea tantum ratione, quod ex Geographis conſtet, fuiſſe & Selinuntem in Cilicia, verum quod Siculæ Urbis mentio valde hic eſſet inexſpectata. Enumerat Ulpianus Urbes, quæ Juris Italici ſunt, in §. 8. 9. 10. & 11. *d. l.* Urbem vero Siculam aliquam enumerari non placet magis, quam Capuam vel Neapolin, quum & Sicilia fuerit pars ipſius Italiæ, ut idem Ulpianus auctor eſt in *l.* 99. §. 1. *ff. de V. S.*

Præterea gaudent Jure Italico Τρωάς, Βηρυτός, Δυῤῥάχιον, ſic enim refert Gajus in *l.* 7. *ff. de Cenſib.* De Troade id ipſum teſtatur Paulus in *l.* 8. §. 9. *ff. eod.* Troas nunc eſt regio Phrygiæ, Helleſponto vicina, ipſa Urbs Ilium, Troadis caput. Ilienſes non tantum Jure Italico beati, ſed & aliis privilegiis, quæ, ut & eorum cauſam, prolixe enarrat Theodorus Ryckius *Diſſertatione de primis Italiæ colonis & Æneæ adventu C.* II. *n.* 27. *& ſeqq.* Berytum Juris Italici fuiſſe, affirmant quoque Ulpianus & Paulus, ille in *l.* 1. §. 1. hic in *l.* 8. §. 3. *ff. de Cenſib.* Ejus & alias in Jure fit mentio.

Paulus in *l.* 8. *pr. ff. de Cenſib.* Jus Italicum quoque tribuit *Valentinis & Licitanis.* Quia Licitani Valentinis junguntur, veriſimile eſt, Licitanos etiam Hiſpaniam habitaſſe: in varias enim Gentes Hiſpania & olim diviſa fuit, & etiam nunc diviſa eſt. Sed *Licitani nulli a me reperiuntur*, inquit Pancirolus *L.* II. *Var. Lect. C.* 153. Atqui *Licitani*, in Hiſpania, memorantur in ſtatua apud Gruterum *p.* 421. *n.* 7. Attamen & ab aliis fruſtra quæſitos eſſe ſignificat lectionum & emendationum, quæ hic exhibentur, grandis copia. Lælius Taurellius apud Auguſtinum *L.* III. *Emendat. C.* 9. pro *Licitani* reſcribit *Illicitani*, etſi Florentiæ eſſe videatur *Lici-*

Licitani aut *Lucitani*. Ea emendatio incidit etiam Cujacio *d. L.* X. *Obſerv. C.* 35. & Pancirolo *d. L.* II. *C.* 153. & Covarruvias *Var. Reſol. L.* IV. *C.* 1. *n.* 11. ita hunc locum exhibet, atque ſi *Ilicitani* vel *Illicitani* legeretur. Cujacius & *Acitanos* profert. Atque hæ mutationes in ipſas Editiones irrepſerunt. *Ilicitani* ediderunt Vintimillius & Baudoza, & *Acitani* eſt in Libro Auredano. *Lacetani* ediderunt Robertus Stephanus, Hugo a Porta & Fratres Sennetonii, quod non nimium improbo, quia inter Hiſpaniæ populos etiam *Lacetanos* commemorat Plinius *L.* III. *Hiſtor. Natur. C.* 3. Sed quia, teſte Lælio, ex MS. Florentino æque poteſt erui *Lucitani*, quam *Licitani*, & quia in Libris Vulgatis quoque legitur *Lucitani*, magis eſt, ut eam ſcripturam ſervemus, & per *Lucitanos* intelligamus, qui Lucentiam habitabant. Lucentia eſt Urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis, non procul a Valentia, ut eſt apud Melam *de Situ Orbis L.* II. *C.* 6. unde Lucitani hic Valentinis junguntur, quia ejusdem juris erant. Lucitani, alia terminatione, vocantur *Lucentini*, & ſic etiam edidit Haloander, ſed, cum non eadem ſemper ſit orthographiæ ratio, non eſt, cur tantum mutemus, vel etiam reponamus *Jaccetani*, ut conjicit Dionyſius Gloſſator. Ceterum univerſæ Hiſpaniæ jus Latii a Veſpaſiano fuiſſe tributum auctor eſt Plinius *d. L.* III. *C.* 3. & immunitatem, Hiſpanis datam, in exemplum proponit Seneca *de Benefic. L.* VI. *C.* 19. Sed aliud fuiſſe jus Latii, aliud jus Italicum, ab aliis dictum & probatum eſt abunde, & ſi vel immunitas toti Hiſpaniæ fuerit conceſſa, nihil tamen impedit, quominus quibusdam Hiſpaniæ Civitatibus inſuper fuerit conceſſum jus Italicum, nam plus eſt frui jure Italico, quam immunem eſſe, contra quam Cujacius putabat.

CAPUT XXII.

Qui dicantur hoſtes *in* L. 8. §. 2. ff. de Pœn.

Si jus belli conſideremus, omnis vis in bello juſta eſt, nam, ut recte ille ait,

Quodcunque libuit facere, victori licet.

Perniciosiſſime errant, qui juſtitiam in bello cum animi magnitudine confundunt; illa neceſſaria eſt omnino, hæc a mera voluntate proficiſcitur; illa hoſtem perdi ſinit, quocunque modo, ſola perfidia excepta, hæc quodcunque ſibi adrogat in propria cauſa, hoſti concedit in ſua; illa cædes & ſtupra hoſtium permittit, hæc nos iis abſtinere jubet, & captivitate & ſervitute hoſtium eſſe contentos. Contenti ſane fuerunt Romani, nec alio jure uſi erga captos hoſtes, quam ut in ſervitutem redigerent. Id conſtat ex Legibus & Annalibus Romanorum, ut quod conſtat maxime. Igitur non poteſt non offendere, quod apud Ulpianum legimus in *d. l.* 8. §. 2. in hæc verba: *Hoſtes autem, item transfugæ ea pœna adficiuntur, ut vivi exurantur.* In transfugis, qui rupto Civitatis fœdere ad hoſtes tranſeunt, nemo pœnam mirabitur, ſed hoſtes vivos exuri, vel exuſtos apud Romanos unquam, alium, præter Ulpianum, teſtem deſidero. Sæva hæc & barbara Lex adeo diſplicuiſſe videtur Baſilicis, ut aliis recitatis, *hunc* §. prætermiſerint *L.* LX. *T.* 51. *C.* 8. cum alioquin pœnam vivicomburii non tantum alias commemorent, ſed &, interpolato Pandectarum jure, ipſi decernant, ut in Lege Pompeja de Parricidiis *L.* LX. *T.* 40. *C.* 1.

Igitur ſcripturam Ulpiani quamvis ubique ſibi conſtantem, concoquere non potuit Cujacius *L.* IV. *Obſerv. C.* 9. quin *ridiculam & ineptam* vocat; ſic ibi eam reſtituens: *Ad hoſtes autem transfugæ* &c. Sed aliter rurſus *L.* VI. *Obſerv. C.* 26. & *L.* XV. *C.* 34. utrobique ſic: *Hoſtes autem, id eſt, transfugæ* &c. Truculentam ſcilicet legem emendat & mitigat criſi non minus truculenta, a quo facinore Secta noſtra dici vix poteſt, quam abhorreat. Eſt qui legit, *hoſtes autem item transfugæ*, ut inde efficiatur, *hoſtes autem iidem transfugæ*, ſed ex genio Latini ſermonis tunc dicendum eſſet, *hoſtes autem iidemque transfugæ*. Quin verbum *transfugæ* per ſe ſufficeret, ſi de ſolis transfugis agere conſtituiſſet Ulpianus; quæ ipſa ratio & Cujacii poſteriori conjecturæ obeſt. Jacobus Conſtantinæus *L.* II. *Subtil. Enodat. C.* 26. ita emendat: *hoſtes autem iterum transfugæ*, & intelligit *leviſſimos transfugas.* Quod nec verbis Ulpiani convenit, nec ſententiæ, quæ non leviſſimum, ſed graviſſimum delictum punit. Quare nec hanc vim majorem probo.

Ego potius nihil muto, ſed animadverto, hoſtes bifariam intelligi: vel enim *hoſtes ſunt, quibus bellum publice Populus Romanus decrevit, vel ipſi Populo Romano*, ut Ulpianus definit in *l.* 24. *ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* & Pomponius in *l.* 118. *ff. de V. S.* vel hoſtes ſunt, qui ipſi cives & ſubditi adverſus Rempublicam hoſtilia moliuntur, & ex veteri formula a Senatu Populoque, *hoſtes ſunt judicati.* De his Paulus noſter in *l.* 5. §. 1. *ff. de Capit. minut.* de his & variis hoſtium judicatorum exemplis prolixe Briſſonius *de Formul. L.* II. *p. m.* 261. *& ſeqq. Perduelles* vocantur proprio nomine; ſed *hoſtium* & *perduellium* appellatio ſæpe confuſa. Quos nos *hoſtes* appellamus, eos veteres *perduelles* appellabant, dicit Gajus in *l.* 234. *ff. de V. S.* & jam dixerat Varro de *L. L. L.* IV. *p. m.* 6. auctoritate Ennii id confirmans. *L.* VI. *p. m.* 74. Contra, qui nunc proprie *perduelles* dicuntur, etiam *hoſtes* dici obtinuit, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante. Non judicabantur duntaxat hoſtes, qui ad patriam prodendam ſeſe accingebant, ſed &, nondum judicati, ſimpliciter *hoſtes* dicebantur. Conjuratos Catilinæ ſocios, quos *latrones* vocaverat Salluſtius *Bell. Catilin. C.* 59. ſimpliciter vocat *hoſtes C.* 60. *& C.* 61. & perduellem *publicum hoſtem* appellat Tertullianus *Apolog. C.* 2.

Atque ea ſignificatione intelligo *hoſtes* apud Ulpianum in *h. l.* 8. §. 2. Et moveor, quod hoſtibus jungat *tranſfugas*, hoc eſt, eos, qui ſubditorum quoque perſonas exuunt, & hoſtium induunt, non ſecus ac perduelles. Moveor etiam, quod utroſque eadem pœna maneat, ut nempe vivi exurantur, pœna omnium graviſſima in pari crimine, nec minus omnium graviſſimo. Qui patriam produnt, ut produnt transfugæ, ut produnt, qui conſilia noſtra hoſtibus renunciant, *aut vivi exuruntur, aut furca ſuſpenduntur*, inquit Paulus in *l.* 38. §. 1. *ff. Eod.* ſed vel maxime moveor, quod ætate Ulpiani hoſtes illi, qui proprie perduelles dicuntur, vivi fuerint exuſti. Teſtem dabo Paulum, Ulpiani æqualem, *L.* V. *Sentent. T.* XXIX. §. 1. nam poſtquam ibi varias perduellium ſpecies recitaſſet, *his*, inquit,

quit, *antea in perpetuum aqua & igni interdicebatur, nunc vero humiliores beſtiis objiciuntur, vel* VIVI EXURUNTUR; *honeſtiores capite puniuntur.* Hoſtibus a Senatu judicatis ea olim, more Majorum, ſtatuta pœna, ut nudi hominis cervix inſereretur furcæ, & corpus virgis ad necem cæderetur, ut eſt apud Suetonium in *Nerone C.* 49. ſed ea pœna ſublata, exuſtio ſucceſſit. Et inde eſſe opinor, quod Ulpianus, cum hoſtes & transfugas vivos exuri dixiſſet in *h. l.* 8. §. 2. mox addat in §. 3. *Nec ea quidem pœna damnari quem oportet, ut verberibus necetur, vel virgis interimatur*, quo ſignificaret, in hoſte patriæ nunc ceſſare pœnam, quæ antea more Majorum obtinuit. Non tamen ſemper & ubique obtinuerat, nam & alias pœnas ab hoſtibus & oppreſſoribus Patriæ & Libertatis Romanæ fuiſſe exactas auctor eſt Valerius *L.* VI. *C.* 3. inter has & reperies vivicomburium, quæ poſtea pœna vulgaris fuit, nam §. 2. refert, P. Mucium Tribunum plebis omnes Collegas ſuos, qui duce Sp. Caſſio id egerant, ut Magiſtratibus non ſubrogatis, communis libertas in dubium vocaretur, vivos cremaſſe. Non ſemper tamen, etiam in veros perduelles, igne ſævitum eſt. Id indicat locus Tertulliani *ad Scapulam C.* 4. *Pro tanta*, inquit, *innocentia, pro tanta probitate, pro juſtitia, pro pudicitia, pro fide, pro veritate, pro Deo vivo* (niſi malis, *vivi*) *cremamur; quod nec ſacrilegi, nec hoſtes publici veri, nec tot Majeſtatis rei pati ſolent.* Et quamvis non perpetuo, ſæpe tamen ſervatus ille rigor. Volcatius Gallicanus in *Avidio Caſſio C. ult.* de poſteris Avidii Caſſii hæc ſcripſit: *eos Commodus Antoninus poſt exceſſum Divi Patris ſui omnes vivos incendi juſſit, quaſi in factione deprehenſos.* Quin in uno Ammiano Marcellino tot exempla reperio eorum, qui, ob perduellionem, vivi combuſti ſunt, ut vel iis recenſendis Lectori gravis eſſem.

Quamvis autem, ut initio dicebam, etiam eos hoſtes, quibus ritu ſolemni bellum indicimus, liceat occidere, & in eos aliquando vel tumultuaria cæde vel deliberato animo fuerit ſævitum, ut id utrumque exſequutus eſt Grotius de *Jure B. & P. L.* III. *C.* 4. *n.* 10. 11. 12. 13. & 14. nemo tamen Ulpianum recte intellexerit de ſummo illo Jure belli, quod ipſa humanitas ſubegit, & utilitas diſſuaſit, ut ipſe ille Grotius recte diſputat *d. L.* III. *C.* 7. *n.* 5. nemo etiam hanc ſolemnem captivorum pœnam dixerit, & ad hominis vivi exuſtionem reſtrinxerit. Aut igitur Cujacio aliiſque vim vi repellentibus, adſentiendum eſt, ut video adſentiri plurimos, quos referre nihil attinet, aut, ſi a vi abſtinendum eſt, ut ſemper eſt, cum res aliter ſalva eſſe poterit, *hoſtes* interpretandum, ut modo interpretatus ſum.

CAPUT XXIII.

Servilium *JCtum in* L. 10. ff. de Jure Patronat. *mutandum videri in* Cervidium, *quo Scævola ſignificetur.*

Ait Terentius Clemens in *d. l.* 10. patronum, qui capitis libertum accuſaſſet, a bonorum poſſeſſione contra tabulas excludi. Mox ex Labeone definit, quid ſit *capitis accuſare.* Ipſe addit, etiam eum, qui nomen detulit, accuſaſſe intelligendum eſſe, niſi abolitionem petat. *Idque*, inquit, *etiam Proculo placuiſſe Servilius refert.* Servilii, qua JCti, nemo, quod ſciam, uſpiam meminit, niſi ſolus Terentius Clemens; hominem igitur ignotum familia JCtorum placuit ejicere, & magis notum adrogare. Omnes certe Editiones ante Florentinam, conſtanter exhibent, *Servius refert*, etiam nonnullæ poſt Florentinam, & ſic etiam eſt in MS. meo ſine Gloſſis. Auctoritate tamen Libri optimi *Servilium* ſervant Antonius Auguſtinus, Labittus, Bertrandus. Perperam utique legitur *Servius*, cum Servius, quod & Bertrandus animadvertit in *Servilio*, antiquior fuerit, quam ut Proculum auctorem laudare potuerit. Ille igitur putat, *Servilium* intelligi, cujus meminit Tacitus *L.* XIV. *Annal. C.* 19. Sed neque hoc mihi eſt probabile, nam Servilius, quem Tacitus laudat, ſub Nerone jam fato ſuo functus eſt, ut ipſe ibi auctor eſt, Licinius autem Proculus ſub Othone, & deinceps, floruit; ſub Othone ejus mentio eſt apud Tacitum *L.* I. *Hiſtor. C.* 46. *C.* 82. & *C.* 87. & *L.* II. *C.* 39. *C.* 40. & *C.* 44. ſub Vitellio *L.* II. *C.* 60. Quin ad Alexandri & Gordiani tempora pervenit, ſi verum ſit, ad hunc Proculum exſtare Reſcriptum Alexandri in *l.* 9. *C. ad L. Jul. de Adult.* & Gordiani in *L.* 7. *C. de Accuſat.* ut hæc conjicit Pancirolus *L.* I. *Variar. Lect. C.* 79. *n.* 10. Sed quamvis ipſe hanc conjecturam nolim facere meam, facile tamen mihi perſuadeo, illum Servilium, cujus mors incidit in Principatum Neronis, Proculum auctorem non laudaſſe, cum Proculus fuerit vel æqualis vel junior, æqualium autem vel juniorum auctoritate rariſſime uti JCtos veteres recte dixit Menagius *Amœnit. Jur. Civ. C.* 20. Solemus ad partes vocare eos, qui hilarioris famæ ſunt, & auctoritatis longo uſu probatæ, quod in æqualibus vel junioribus vix obtinet. Et meminit hic Servilius Proculi, qua celebris tunc JCti, ejus opinione ſuam confirmaturus, ait enim, *id etiam Proculo placuiſſe.* Ad hæc Tacitus Servilium ſuum vocat *tradendis rebus Romanis celebrem*, de jure quicquam tradidiſſe nihil monens, non omiſſurus forte, ſi quis ejus liber, de jure ſcriptus, exſtaret.

Hæc fere me movent, ut credam, Servilium Taciti procul hinc eſſe habendum. Alium, qui huic ætati conveniat, fruſtra quæro. Non tamen propterea *Servilium* hic rejecero, nam & ſervavi Tuſcianum, hominem æque ignotum, apud Pomponium in *l.* 2. §. 47. *ff. de Orig. Jur.* in *Prætermiſſis* ad eam L. & recte Menagius *d. C.* 20. ſervavit Labeonis *libros Epiſtolarum*, etiam alibi fruſtra quæſitos. Sed quis credat Terentium Clementem in *h. l.* 10. provocaſſe ad teſtimonium Servilii, hominis ſcilicet obſcuri, ut ex eo auctoritatem ſententiæ ſuæ conciliaret? eos Auctores laudamus, quibus nemo non facile adſurgit, & ſic etiam Auctores ſuos laudant veteres JCti. Atque ea præſertim ratio eſt, cur pro *Servilius refert*, hic malim reſcribere, *Cervidius refert*, quo intelligam Cervidium Scævolam, lætioris famæ & receptæ auctoritatis JCtum, cui ſæpe in Jure noſtro teſtimonium denunciarunt Paulus, Modeſtinus, Tryphoninus, Marcianus, Papinianus, alii. *Scævolarum eruditionem* in exemplum adfert Symmachus *L.* III. *Epiſt.* 23. Intelligo autem Cervidium Scævolam, qui ſub Marco Antonino vixit, & recte Proculi, qua antiquioris, auctoritate uſus eſt,

qui-

quique ipſe Proculi ſententiam contra Sabinum & Caſſium defendit in *l.* 14. *pr. ff. de Jure Codicill.* Sed, ajes, ſub nomine *Cervidii* intelligetur Scævola? quidni intelligatur? frontem non contrahes, ſi animadvertas, ſolo nomine Gentilitio ſæpe Auctores laudari, cum exteros, tum maxime noſtros. Hoc datum eſt eorum celebritati, ut vel ſic ſatis intelligantur. Cornelium & Fabium dicimus, intelligimus autem Tacitum & Quintilianum. Sed ne a noſtris abeam, Ulpianus in *l.* 12. §. 1. *ff. de Uſu & habit.* adducit *Juventium*, & intelligit *Juventium Celſum*, & *Vindius Verus*, quo Juriſperito uſus eſt Antoninus Pius, ut eſt apud Capitolinum in *ejus vita C.* 12. ſimpliciter *Vindius* audit in *l.* 2. §. 1. *ff. Si ex nox. cauſ. agat. l.* 7. §. 18. *ff. de Pact. l.* 5. *ff. de Judic.* & *l.* 32. §. 4. *ff. ad L. Falcid.* Bertrandus hunc putat fuiſſe Ciliciæ legatum, cui Hadrianus reſcripſit in *l.* 3. §. 1. *ff. de Teſtib.* ſed cum ibi *Vivius Varus* legatur, hoc ejus fide eſſe jubeo. Sunt etiam qui in *l.* 17. §. 5. *ff. de Hered. inſtit.* per *Aulum* ſignificari putant *Aulum Caſcellium.* Alii id negant, & *Aulum* in *Paulum* mutant, valde, ni fallor, perperam. Qui Caſcellium nolunt intelligere, *Aulum Ofilium* intelligant; plures enim fuerunt Auli JCti, ſed hoc jam non agimus. Ceterum non eſt illuſtrius exemplum nominis Gentilitii, duntaxat uſurpati in deſignando auctore Juris, quam apud Lactantium *L.* V. *Divinar. Inſtit. C.* 11. *in fin. Quia*, inquit, *etiam ſceleratiſſimi homicidæ contra Pios jura impia condiderunt: nam & Conſtitutiones ſacrilegæ & diſputationes Juriſperitorum leguntur injuſtæ. Domitius de Officio Proconſulis Libris ſeptem Reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confiterentur.* Per *Domitium* hic *Ulpianum* intelligi, & ejus *de Officio Proconſulis* Libros nemo eſt, qui ambigat. Falluntur autem, qui exiſtimant, Ulpianum integris *Libris ſeptem* Reſcripta Principum contra Chriſtianos collegiſſe, quamvis & ita exiſtimaverit Grotius *Flor. ſparſ.* ad *l.* 1. *ff. de Extraord. cognit.* & Freherus *L.* II. *Veriſimil. C.* 11. atque ſi nempe in eo ſolo verteretur officium Proconſulis. Æque puto falli Bertrandum in *Ulpiano*, cum ait, Ulpianum in his *de officio Proconſulis* Libris duntaxat collegiſſe ſeptem Reſcripta Principum contra Chriſtianos, utroque errore nato ex vitio ſcripturæ, nam non *Libris ſeptem*, ſed *Libro ſeptimo* eſſe legendum jam obſervavit Cujacius *L.* X. *Obſerv. C.* 34. & ex antiquis Codicibus indicavit Michaël Thomaſius ad *eum Lactantii locum.* Nec dubitabit, qui repererit, Ulpianum *Libro* VII. egiſſe de criminibus, & nominatim de maleficis, vaticinatoribus, aliiſque impoſtoribus, quorum appellatione Chriſtianos quoque complectebatur. Id didici ex Fragmentis, ex eo *Libro* VII. adhuc reliquis in *Collat. LL. Moſaic. & Roman. Tit.* XV.

Sed redeo ad noſtram *l.* 10. & cum tot jam exemplorum ſit, ſolo Gentilitio nomine veteres JCtos appellari, de *Cervidio* id ipſum putem in *d. l.* 10. eoque magis putem, quod ſæpiſſime ejus nomen, *Cervidius Scævola*, integre perſcriptum occurrat apud veteres JCtos, qui ejus teſtimonio uſi ſunt. Ita eſt apud Modeſtinum in *l.* 13. §. 2. *ff. Excuſat.* apud Paulum in *l.* 38. *ff. de Vulg. & pupill. ſubſt.* & apud Marcianum in *l.* 50. *ff. de Fideicomm. libertat.* quapropter dubitari non poterat, quis intelligeretur, poſito ſimpliciter *Cervidii* nomine.

CAPUT XXIV.

SCti Trebelliani verba, quæ exſtant in L. 1. §. 2. ff. ad SC. Trebell. *Explicata & contra vim majorem defenſa.*

Tantus eſt abuſus artis Criticæ, ut nondum conſtituerim, plus ne illa profuerit rei literariæ, emendandis Auctoribus, an nocuerit corrumpendis. Sæpe oſtentatione ingenii, ſæpe ignorantia peccatum eſt. Ignorantiæ, in libris bonis violandis, inſigne exemplum dedit Gellius *L.* I. *Noct. Attic. C.* 7. & nos aliud, plane ſimillimum, dabimus in *d. l.* 1. §. 2. Prius nobis res erit cum Cujacio, qui & ipſe legitima & ſolemnia SCti Trebelliani verba non uno loco pervertit, deinde cum aliis. Sic ea apud Florentinos leguntur: CUM ESSET ÆQUISSIMUM IN OMNIBUS FIDEICOMMISSARIIS HEREDITATIBUS, SI QUA DE HIS BONIS JUDICIA PENDERENT, EX HIS EOS SUBIRE, IN QUOS JUS FRUCTUSQUE TRANSFERETUR, POTIUS QUAM CUIQUE PERICULOSUM ESSE FIDEM SUAM, PLACUIT, UT ACTIONES, QUÆ IN HEREDEM HEREDIBUSQUE DARI SOLENT, EAS NEQUE IN EOS, NEQUE HIS DARI, QUI FIDEI SUÆ COMMISSUM, SICUTI ROGATI ESSENT, RESTITUISSENT, SED HIS ET IN EOS, QUIBUS EX TESTAMENTO FIDEICOMMISSUM RESTITUTUM FUISSET: QUO MAGIS IN RELIQUUM CONFIRMENTUR SUPREMÆ DEFUNCTORUM VOLUNTATES. Non adeo moroſus ſum, quin facile patiar, pro *in heredem heredibusque*, reſcribi, ut eſt in antiquis Editionibus & MSS. *in heredes heredibusque*, quia nempe ſequitur, *neque in eos, neque his*; quamvis Florentina lectio, hoc eſt, commutatio numeri ſine exemplo non ſit. Unde forte Florentinam ſervarunt in exhibendis hujus SCti verbis Antonius Auguſtinus Libro *de LL. & SCtis p. m.* 218. & Barnabas Briſſonius *de Formulis L.* II. *p. m.* 203. Ceterum non repetam hic, quæ ad ea SCti verba notavit Auguſtinus *d. loc.* ut nempe genuina, quæ deſcripſi, ſecerneret ab adventitiis quibusdam, quæ veteres Editiones occuparunt, & ab Haloandri *cenſuerunt*, quod ille ex §. 3. revocat in hunc §. 2. non, inquam, ea hic repetam, ſed Cujacio, in ipſa genuina verba graſſanti, obviam ibo. Exiſtimat ille *L.* XVIII. *Obſerv. C.* 11. delendam eſſe vocem *fideicommiſſariis*, cum & in directis hereditatibus, quæ aliis ceduntur, verum ſit, eos onera ſubire, in quos jus hereditatis tranſit. Mox ait, ſeſe opinari, ex XII. Tabulis eſſe, quod onus hereditatis redeat ad eum, cui ceſſa eſt hereditas, unde pro *ex his*, quod ſequitur in SCto, legit *ex XII. Tabb.* præſcripta & in aliis locis eadem emendatione.

Sed ejusmodi hæc ſunt, ut artem pulcherrimam & utiliſſimam, quæ in emendandis Auctoribus verſatur, fere exponant ludibrio publico. Ego in ea ſoleo deſiderare neceſſitatem primum, deinde modeſtiam, & utraque hic quam longiſſime abeſt. Tantum expungere, tantum mutare, quid eſt niſi egredi notiſſimos modeſtiæ terminos? Adeo autem abeſt neceſſitas, ut, ſi ſcriptum eſſet, ut reſcribit Cujacius, ego potius mutarem in eam ſcripturam, quam nunc SCtum exhibet. Quis credat in eo SCto, quod de hereditatibus fideicommiſſariis, iisque ſolis agit, de omnibus he-

hereditatibus, atque adeo etiam de directis verba fieri? & quis credat, cum adjecta ratio, transferendas potius eſſe actiones, *quam cuique periculoſum eſſe fidem ſuam*, non directis, at fideicommiſſariis hereditatibus unice conveniat? & quis credat, cum in his ipſis, quæ repræſentavi, SCti verbis bis deinde *fideicommiſſi* expreſſa mentio incidat, verbum *fideicommiſſariis* principio eſſe auferendum? Quinimo ne SCto quidem Trebelliano opus fuiſſet, ſi etiam ante SCtum fideicommiſſarius fuiſſet obligatus reſpondere creditoribus hereditariis: nam hoc unice actum eſt eo SCto, ut actiones, quæ heredi & in heredem competebant, pari jure in fideicommiſſarium tranſirent, ut eſt in *h.* §. 2. & apud Paulum *L.* IV. *Sentent. Tit.* 2. & in §. 4. *Inſtit. de Fideic. heredit.* quartæ enim retentio eſt ex SCto Pegaſiano. Addo, quod & ipſe Cujacius notavit *d. L.* XVIII. *C.* 11. & veriſſimum eſſe conſtat ex Ulpiani *Fragm. T.* XIX. §. 12. 13. & 14. in ſolo legitimo herede obtinuiſſe, ut, ſi cederet hereditatem, priusquam adiret, is, cui ceſſa erat, haberetur pro legitimo herede, & reſponderet creditoribus; ſi vero cederet poſt aditionem, heres manebat, & creditoribus defuncti obligatus, ut manebant omnes heredes, teſtamento ſcripti, ſemel ab his adita hereditate, ut ut, qua fiduciarii, aliis eam reſtituiſſent. Manebant, inquam, & creditoribus obligati, niſi iis ſubveniſſet SCtum Trebellianum. Atque hæc poſtrema ratio etiam movit Cl. Schultingium ad Ulpiani *d. Tit.* XIX. §. 14. ut Cujacii ſpongia in *fideicommiſſariis* non utatur.

Æque mihi diſplicet altera ejus emendatio, qua pro *ex his* reponit *ex XII. Tabb.* Et tamen illi adeo placuit hæc mutatio, ut eandem bis obtruſerit Ciceroni, & ſemel Pomponio in *l.* 2. §. 6. *ff. de O. J.* Etiam Petrus Pithœus, a Præceptore Cujacio ſic emendare edoctus, eodem modo emendat veterem Juvenalis Scholiaſtem ad *Satyr.* II. *verſ.* 3. Sed rejeci utrumque conatum, tam in Pomponio, quam in Scholiaſte, alterum *Prætermiſſ.* ad *d. l.* 2. §. 6. alterum *Opuſc. de Religione peregrina Diſſert.* II. *in fin.* Hic autem, quod SCtum ait, ex XII. Tabb. arceſſere, utique rationem non habet, & ſi de fideicommiſſariis hereditatibus ſermo eſſet, ab ἀνιστορησία abſolvi non poſſet. Ne quidem ſi de hereditate ceſſa ageretur, ullum auctorem laudat Cujacius, qui XII. Tabulis adſcribit illud jus, quo commoda & incommoda omnia hereditatis ad eum tranſirent, cui ceſſa eſt. Imo nec uſpiam alibi exſtat ejusmodi Jurisprudentia, quod ego equidem ſciam, ideoque & hic ſolam æquitatem prætulit Senatus, ſic exorſus; *cum eſſet æquiſſimum* &c. Igitur *ex his* eſt *ex his bonis*, ut recte interpretatur Accurſius, niſi malis *ex his*, nempe *fideicommiſſariis hereditatibus* eos ſubire judicia, in quos jus fructusque *transfertur*, vel, geminato *r*, *transferretur*.

Etiam alia locutio, quæ mox ſequitur in SCto, nonnullos offendit, nam cum ait, æquum eſſe, ut actiones in fideicommiſſarium tranſeant, *potius quam cuique periculoſum eſſe fidem ſuam*, illud *periculoſum* mutant in *periculoſam*. Sic Editores, ſic Interpretes quidam ſcioli, qui & eo videbantur juvari, quod Paulus *L.* IV. *Sentent. T.* 2. referens ſummam SCti Trebelliani, hanc ejus rationem addit: *quia unicuique damnoſam eſſe fidem ſuam non oportet.* Sed recte in ipſo SCto ſcribitur *periculoſum eſſe*, infinite, ut apud Ciceronem *Verrin.* V. *C.* 65. *Quocunque venerint, hanc ſibi rem præſidio ſperant futurum.* Ne ſolœciſmus eſſet, pluribus olim videbatur, debuiſſe ſcribi non *futurum*, ſed *futuram*, ignorantia ſcilicet Latinitatis. Ut ſcioli Ciceronis locum corrupere, ita & corrumpunt *d.* §. 2. Sed Ciceronis ſcripturam variis exemplis tuetur Gellius *L.* I. *Noct. Att. C.* 7. & Gellii Interpretes etiam alia exempla addiderunt. Tuetur & *periculoſum* in *d.* §. 2. Joſephus Nerius *L.* II. *Analect. C.* 13. Bene igitur ſe habent verba SCti, quæ retuli, & his mutandis manes ſuos paſſus eſt Cujacius, paſſi ſunt & alii.

CAPUT XXV.

Variæ Emendatiunculæ.

I. Manifeſte vitioſa eſt ſcriptura Alpheni Vari in *l.* 27. *ff. de Condit. & demonſtr.* in hisce; *tametſi in ſcriptura non tum eſſet.* Alias lectiones recitavi *L.* IV. *Obſerv. Jur. Rom. C.* 25. & omnibus rejectis, emendationem addidi. Sed quia prævenit Radulphus Fornerius *L.* II. *Rer. Quotid. C.* 1. quæ ibi ſcripſi, pro non ſcriptis haberi volo, & nunc lego: *tametſi in ſcriptura non tam eſſet*, animum tamen teſtatoris, ut mox ſubjicit, ſequendum eſſe. Hoc eſt, quamvis non *tam* ſit in ſcriptura, nempe expreſſum, mentem tamen teſtatoris utramque paginam facere in teſtamento.

II. In *l.* 31. *pr. ff. de Acquir. rer. dom.* ita eſt: *numquam nuda traditio transfert dominium ſed ita, ſi venditio, aut aliqua juſta cauſa præceſſerit, propter quam venditio ſequeretur.* Ne quis putet, & eſt cur putaret, *venditionem* hic diſtingui a juſta cauſa transferendi dominii, malim, *aut alia qua juſta cauſa &c.*

III. In *l.* 6. *ff. de Pignor. & hypoth.* recenſentur ea, quæ hypotheca generali, ex præſumta debitoris mente, non continentur, ut ſupellex, veſtis. Additur in fine: *proinde de miniſteriis ejus, perquam ei neceſſariis, vel quæ ad affectionem ejus pertineant.* Vix ea ſenſum habent; habebunt autem, ſi pro *proinde* legamus *perinde*.

IV. Si filiæ, quotiescunque vidua erit, in annos ſingulos centum legata ſint, & filia minus annui temporis vidua fuiſſet, quæſitum eſt, nunquid minus ei centum deberentur? & reſponſum in *l.* 22. *ff. de Ann. legat. tametſi totus annus nondum fuiſſet, tamen deberi.* Dubito, an ſatis integra, ſatisve Latina ſit hæc ſententia. Diceremus, *tametſi toto anno nondum fuiſſet*, nempe vidua, vel, *tametſi totus annus nondum fuiſſet elapſus*, vel aliud quid ſimile. Unde ſuccurrit, an non pro *fuiſſet* reſcribi poſſet *finIſſet*, hoc eſt, *finiiſſet* pro *finitus* vel *elapſus eſſet*, ſic enim *finit* aliquoties occurrit, etiam in *l.* 14. §. 4. *ff. Qui & a quib. manum. lib. non fiunt.*

V. Quicquid dicat Contius, vitioſa eſt Libri Florentini ſcriptura in *l.* 81. *ff. Pro ſoc.* his verbis: *Verum in propoſito largiter eſſe videbatur, dos numerata eſſet, an vero promiſſa.* Vulgata, cujus lectionem alii ſibi adſcripſerunt, *largiter intereſſe*: Haloander, *largius intereſſe.* Quid ſi, *aliter eſſe videbatur* &c. vel *large intereſſe videbatur*? Utroque modo minor eſſet motus.

VI. In *l.* 1. *pr. ff. de Jure Fiſc.* enumerantur cauſæ, ex quibus nunciatio ad Fiſcum fieri ſoleat, ut ſi dicatur, inquit Calliſtratus in *fine princ. adverſus leges commiſſum factum eſſe.* Non probo, quod Cujacius ad *l.* 5. *ff. de Uſurp. & u-*

luc.

ſuc. adverſus leges ibi exponat *ſecundum leges*; magis probarem, ſi alterum verbum alteri præponeretur, hoc modo: *adverſus leges factum commiſſum eſſe*, hoc eſt, ſi dicatur in commiſſum cecidiſſe, quod factum eſt lege prohibente, ut ſi quis merces, quas profiteri oportet, non fuerit profeſſus.

VII. Ulpianus in *l.* 17. §. 4. *ff. de Ædil. Edict.* ait fugitivum non eſſe, qui in hoc tantum latuit, *quoad iracundia domini efferveſceret.* Accurſius *efferveſceret* explicat *humiliaret*, ſed nunquam ea vox eo ſenſu occurrit, nam *efferveſcere* eſt *excandeſcere*, cui oppoſitum eſt *deferveſcere.* Unde & Budæus *Annot. prior.* ad *h.* §. putat reponi poſſe, *deferveſcat.* Addit etiam receptæ lectionis aliam interpretationem, a nonnullis quoque probatam, & emendationi prælatam. An probari poſſit, ego valde hæreo. Si non poſſit, pro *quoad* mallem *quod.* Optimo ſenſu, & minori molimine, qui in hoc tantum latet, *quod iracundia domini effervesceret*, rediturus, ubi deferbuiſſet.

VIII. In *l.* 9. §. 4. *ff. de Interrog. in jur. fac.* Ulpianus ex Celſo quædam profert, & his ſuperdicit: *veram itaque eſſe Celſi ſententiam, dubium non eſt.* Sic ubique conſtanter legitur, ſed quia rationes non præcedunt, ex quibus deducitur & efficitur concluſio, importunum eſt *itaque.* Simpliciſſima eſt, ut vides, rei liquidæ approbatio, unde malim *utique.*

IX. In *l. ult.* §. *ult. ff. de Legat.* III. pro *ſemiſſem acceperit bonorum poſſeſſionem*, malim legere *ſemiſſem acceperit bonorum poſſeſſione*, quam reſcribere *in ſemiſſem*, vel *ſemiſſis*, vel ſubintelligere *quod ad.* Senſui explendo nihil deërit, ſi me auctorem ſequaris, & id forte præſtat, quam aliud quid agere, quod majoris moliminis eſt.

X. *Ei quoque, qui pignori fundum acceperit, ſcribit Julianus non eſſe iniquum,* DETENTIONEM *ſervitutis dari*, verba ſunt Ulpiani in *l.* 1. §. 5. *ff. de Remiſſion.* Vocem *detentionis* non eſſe aptam huic loco, recte notavit Cujacius *L.* I. *Obſerv. C.* 16. Igitur ipſe ibidem, & ad *L.* XLIX. *Digeſtor. Jul.* ex *l.* 16. *ff. de Servitut.* reponit, *petitionem*, qua voce uſus eſt ipſe Julianus, Ulpiano laudatus, cum id ipſum ſcriberet in *d. l.* 16. Hanc emendationem, non laudato Cujacio, ſequitur Merillius *Comment.* ad *d. l.* 16. Sed *petitio* & *detentio* nimium diſcrepant, quam ut, vitio ſcripturæ, altera vox in alterius locum migrare potuerit. Ulpianus quoque in *d. l.* 1. §. 5. non verba, ſed ſententiam Juliani refert. Quare proclivior eſſem, ut pro *detentionem* legeremus *defenſionem* ſervitutis, agitur enim in *d. l.* de ſervitute per operis novi nunciationem tuenda & ſervanda. Poſtquam hæc ſcripſi, etiam Mureto *Obſerv. Jur. C.* 14. incidiſſe video, vel *defenſionem*, vel *retentionem*, ſed cum nihil probationis adferat, quid attinet delere, quæ ſcripta ſunt?

XI. In *l.* 1. §. 13. *ff. ad SC. Turpilian.* ita Florentiæ legitur: *merito calumniantis & deſiſtentis pœna ſubdici debuit.* Neſcio an quiſquam Latine dixerit, *pœna ſubdicere.* Vulgata, Haloandrina, & omnes, quas vidi, Editiones præter Florentinam, & quæ ejus majeſtatem etiam in vitiis comiter obſervant, exhibent, *pœnæ ſubjici*, ut dicimus *furcæ ſubjici, fuſtibus ſubjici*, atque ita in reliquis. Non intercedo, niſi quis malit, *pœnæ ſubdi*, quæ locutio eſt in *l.* 34. *ff. de Jur. Fiſc.* vel *pœna ſubigi*; *ſubigere* enim & *ſubjicere* ſæpe in eandem ſententiam accipiuntur. Et valde mihi eſt probabile, in *l.* 8. *pr. C. de Quæſtion.* pro *tormentis & pœnis ſubjungi*, legendum quoque videri *tormentis & pœnis ſubigi*, non *ſubjugari*, ut alii alias legunt.

XII. Probat Ulpianus in *l.* 7. §. 6. *ff. de Pact.* quod Pomponius ait, poſſe in parte recedi pacto ab emptione, *quaſi repetita partis emptione.* Sic legitur Florentiæ, ſed ſenſu minus idoneo. In Libris Vulgatis eſt, *quaſi repetita pacti emptione.* Unde Duarenus ad *h.* §. effecit, *repetita pacto emptione.* Et Connanus *Comment. Jur. Civil. L.* V. *C.* 2. *n.* 9. exhibet etiam hunc locum, atque ſi ita legeretur. Ipſe Robertus Stephanus anno 1527. jam ediderat, *repetita pactis emptione.* Sed nihil horum probo, nam qui *emptionem* dicit, totam intelligit, & agitur duntaxat de parte reſciſſa. Æque non probo, ob eandem cauſam, quod Duareno, ex fide alicujus Libri, deinde placuit, *repetita pacti conventione.* Ego lego, trajectis duntaxat literis, *quaſi repetita parte emptionis. Repetita*, id eſt, *revocata*, *reſciſſa*, nam eo ſenſu *repetendi* vox occurrit in *l.* 2. *ff. de Reſcind. vend.* & in *l.* 14. *ff. de Re judic.* In fine *d.* §. 6. Florentiæ quoque legitur: *utrumque itaque placet, & quod Julianus & quod Pomponius.* Veteres Editores, ne ſenſus ſuſpendatur, adjecerunt, *ait.* Et recte, ſed moneo, geminandam eſſe eam voculam ex §. 7. qui ſequitur, & incipit, *Ait Prætor*, ut *ait* æque ſerviat *fini* §. 6. ac *principio* §. 7.

FINIS LIBRI QUINTI.

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK
OBSERVATIONUM JURIS ROMANI
LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

Ad L. 1. pr. ff. de Public. & vectig.

Ulpianus ex Edicto, quod Prætor propoſuit ad coërcendam publicanorum audaciam, hæc verba refert in *d. l.* 1. *pr. Quod publicanus ejus publicani nomine vi ademerit, quodve familia publicanorum, ſi id reſtitutum non erit, in duplum, aut ſi poſt annum agetur, in ſimplum judicium dabo*, & quæ ſequuntur. Ita Florentiæ legitur. Sed quis Latine dixit, *quod publicanus ejus publicani nomine vi ademerit?* vel quis intellexit ita dicentem? Editores & Interpretes, quo hæc verba explicarent, nihil adferunt, quo emendarent, plurimum. In MS. meo eſt: *Quod publicanus, ejusve familia, ſeu quis publicani nomine vi ademerit, quodve familia publicanorum* &c. Hanc lectionem & Gloſſa notavit, ſed recte Hugolinus animadvertit, de familia tunc bis idem dici, quod perperam extricat Accurſius. Blaublommius anno 1524. ſimpliciter edidit: *quod publicanus ſeu alius publicani nomine* &c. idque ſecuti ſunt Robertus Stephanus & Fratres Sennetonii. Haloander & Vintimillius, *quod publicanus ſeu quis publicani nomine.* Baſilici *L.* LVI. *Tit.* 1. *C.* 1. ſic vertunt verba Prætoris · Ἐὰν πλώνης ἢ ἡ φαμιλία αὐτοῦ ὀνόματι τοῦ τέλους ἀφελῶνταί τι, *ſi publicanus ejusve familia nomine vectigalis quid ademerint.* Illud *ejusve familia*, cauſam præbere potuit lectioni, quam Accurſius notavit, & in MS. meo eſt, ſed Baſilici hæc efferunt compendio, non repetita deinde *familia publicanorum.* Ex eo autem, quod *publicani nomine* vertunt ὀνόματι τοῦ τέλους, Cujacius *Parat.* ad *b. Tit.* conjicit legendum *ejus publici nomine.* Ob eandem cauſam Leunclavius *Adnotationibus* ad *b. l.* putat, Græcos pro *ejus publicani nomine* reperiſſe ſcriptum, quod & ſubſtituit, *publici nomine*, vel *ejus publici nomine*, ut *publicum* heic ſimpliciter ſignificet *vectigal*, ut ſæpe ſignificat apud Auctores, cum noſtros, tum exteros, ut Budæus obſervavit *Adnot. prior.* ad *l.* 34. §. 1. *ff. Ex quib. cauſ. major.* & alii ſæpius inculcarunt iisdem, quibus ille utitur, auctoritatibus. Marquardus Freherus *L.* II. *Parerg. C.* 19. reponit *æris publici*, vel *æris publicani, quod*, inquit, *idem fuerit*, ſed nullo auctore adlato.

Atque ita placuit, cum *ejus publicani nomine* ſenſum idoneum quærerent Interpretes, nec invenirent. Sed quid ſi, ut Freherus tentabat, *publicanum* & *publicum* apud bonos Auctores ſit unum & idem? perinde ut *ruſticum* & *ruſticanum.* Cicero ſane *L.* XII. *ad Attic. Epiſt.* 38. agrum, publico nimis expoſitum, appellat *publicanum: nam ille*, inquit, *locus publicanus, qui eſt Trebonii & Cuſinii, erat ad me allatus, ſed ſcis arcam eſſe.* Fruſtra ſunt, qui *publicanum*, nullo plane ſenſu, ibi mutant in *Publicianum*, vel *publicatum*, quive *Publicanus* nomen proprium eſſe cenſent. Et apud Valerium *L.* VI. *C.* 9. *n.* 7. ubi de redemptore vectigalis agitur, Libri vulgati ſic exhibent: *T. Aufidius cum Aſiatici publicani exiguam admodum particulam babuiſſet, poſtea totam Aſiam proconſulari imperio obtinuit.* Ita vulgo legi teſtatur Pighius, ſed quum non intelligeretur, ſcioli fortaſſe mutarunt in *Aſiatici publici*, ut noviſſime nunc editum eſt. Sic eadem efficeretur ſententia, ſalva ſcriptura, quam Cujacius & Leunclavius efficiunt, mutata, quod nempe publicanus, *ejus*, quod conduxit, *publicani*, hoc eſt, vectigalis ſive publici *nomine vi ademerit* &c.

Si neges *publicanum* cum *publico* idem eſſe, nec tibi perſuadeant Tullius & Valerius, quia utrique lectio dubia eſt, & ſi τὶ *ejus*, ſine præcedenti verbo, tibi duriusculum videatur, conſidera, an non, ſalva nihilominus ſcriptura, *ejus publicani* intelligere poſſis de perſona ipſius publicani, hoc ſenſu: *quod publicanus*, hoc eſt ille, qui vectigal exigit, *ejus publicani nomine*, hoc eſt, nomine ejus mancipis, pro quo ille vectigal exigit, *vi ademerit*, & reliqua. Manceps nempe dicebatur totius vectigalis princeps redemptor, ἀρχιδημόσιος, isque aliis ſæpe ſublocabat partem vectigalium, vel aliorum opera utebatur in exigendis vectigalibus. Hi dicebantur ἀποδημόσιοι, & ipſius mancipis nomine cuncta expediebant, ut pluribus dixi *Libro ſingul. ad l.* 9. *ff. de L. Rbod. de jact. C.* III. & V. Quum autem fuerit ſolemne ſocietates vectigalium inire, vel ea ſublocare, quia ipſe manceps & redemptor, ut ut ditiſſimus, tantæ rei non ſufficiebat, ſatis apparet, quemadmodum publicanus dici poſſit exigere publicani nomine. Niſi malis Prætorem intelligere, ac ſi dixiſſet, *quod publicanus, quodve ejus publicani nomine vi ademerit, quodve familia publicanorum &c.* Poſſes & *ejus* accipere pro *ſui*, frequenti exemplo, *quod publicanus publicani ſui nomine vi ademerit* &c.

Salva igitur res eſt absque aliis aliorum variis lectionibus & emendationibus. Sin autem ea, quæ dixi, displiceant, & omnino putes, ſine mutatione rem tranſigi non poſſe, pro *ejus publicani* reſcribe *ejus publicarii*, qui error eſſet facillimus. Atque hoc ita, quia, niſi Gloſſæ me fallant, *publicarium* idem eſt quod *vectigal*, τέλος. In Gloſſis Cyrilli: *publicarium*, δημόσιον τελώνιον, & rurſus in Gloſſis Græco Latinis, Δημόσιον, τελώνιον, *publicarium.* Niſi tamen, ob vocis

cis

cis inſolentiam, utrobique in Gloſſis mendum eſſe exiſtimes, & pro *publicarium* reponas *publicanum.* Quod iterum argumento eſſet, *publicanum* ſimpliciter accipi pro *publico*, pro *vectigali.* Elige, quod lubet, & me non difficilem habebis arbitrum.

CAPUT II.

Sententia & ratio L. 5. §. 1. ff. de Jurejur.

Religionem erga Deum Juri Gentium adſcribit Pomponius in *l.* 2. *ff. de Juſt. & jur.* & recte, ſi, ut oportet, per *Deum* intelligamus *Numen*, *Divinitatem*, quemadmodum & Baſilici vertunt, τὸ θεῖον. Eſt, qui fingit, *Deum* ibi eſſe a manu Triboniani interpolantis, Pomponium vero ſcripſiſſe *Jovem.* Atque ſi ſcilicet non etiam religio erga reliquos Deos ad Jus Gentium eſſet referenda: neque enim ratio, ex qua Jus Gentium eſt, magis Jovem, quam Minervam coli voluit, ſed omne, quod Deus eſt. *Omnibus*, inquit Seneca *Epiſt.* 117. *de Diis opinio inſita eſt, nec ulla Gens uſquam eſt adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat*, id eſt, non aliquod numen, quod colat & adoret, ut ut in definitione numinis & ratione cultus varient Gentes. *Jovem* igitur non ſcripſit Pomponius, quia id ex Jure Gentium non eſt, etiamſi per *Jovem* intelligamus Deorum Præſidem, qui reliquam ſine nomine turbam repræſentaret ſolus. *Deos* etiam ſcripſiſſe non eſt veriſimile, quia neque omnes Gentes plures Deos coluere, non utique Perſæ, non Judæi. Quin nec forte Romana Gentilium religio plures conſtituit Deos, at unum duntaxat, cujus variæ qualitates, diverſis nominibus cultæ. Vulgus plures eſſe credidit, nominum multitudine errans, ſed hanc doctiorum & peritiorum ſententiam non fuiſſe, Cicero, Seneca, alii paſſim loquuntur. Sane veteres JCtos, aliosque Gentiles ſæpe *Dei*, unius numero, meminiſſe, ab aliis prolixe probatum eſt. Quo argumento, ad Gentiles debellandos, etiam uſi ſunt Patres Chriſtiani. Lactantius *L.* II. *Divin. Inſtit. C.* 1. *cum jurant*, inquit, *& cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, ſed* Deum *nominant, adeo ipſa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit.* Similia reperio apud Tertullianum, Minucium Felicem & Cyprianum, ſed loca non addo, ne lectori gravis ſim.

Multis igitur nominibus recte dixit Pomponius, ex Jure Gentium eſſe *religionem erga Deum*, ſollicite tamen cavens, ne de ipſo Deo quicquam adderet, cum omnes Gentes non unum eundemque colant, ſed aliæ alium atque alium, ſuis quæque ritibus ac cerimoniis. Ex Jure Gentium non eſt, ut ille vel ille Deus colatur, ſed ut apud quemque Populum ſuus; quare, cum *religionem erga Deum* dixit Pomponius, intellexit quemcunque apud quascunque Gentes Dei cultum. Quum autem quilibet populus, & quivis e populo, non minori reverentia proſequatur ſuum Deum, quam ceteri ſuum, apparet ſententia & ratio Reſcripti, quod Ulpianus memorat in *l.* 5. §. 1. *ff. de Jurejur. Divus*, inquit, *Pius jurejurando, quod propria ſuperſtitione juratum eſt, ſtandum reſcripſit.* Baſilici vertunt, κατὰ τὴν ἰδίαν θρησκείαν, *cultu proprio.* Ἐθελοθρησκεία Græci appellant uno verbo. Hunc cultum, ſi a noſtro differat, *ſuperſtitionem* vocamus, ſic enim ubique Gentium & olim obtinuit, & nunc obtinet. Sed quodcunque nomen dederis, id utique conſtat, omne jusjurandum proficiſci ex fide & perſuaſione jurantis, & inutile eſſe, niſi quis credat, Deum, quem teſtem advocat, perjurii ſui idoneum eſſe vindicem. Id autem credit, qui jurat per Deum ſuum, per ſacra ſua, & ex ſua ipſius animi religione, non credit, qui per alia ſacra jurat, vel per alium Deum, quam ipſe colit, nam ſic abeſt omnis religio, & tamen jusjurandum, ut Cicero definit *L.* III. *de Offic. C.* 29. nihil aliud eſt, quam *affirmatio religioſa.* Scio, etiam perjurum eſſe eum, qui *per lapidem* juravit, & fidem fallit, quamvis erga lapidem nulla ſit jurantis religio, ſcio, inquam, & largior Auguſtino, id affirmanti *Cauſ.* XXII. *Quæſt.* 5. *C.* 10. ſed animum jurantis non obligabit, nec pœnam Dei extimeſcet, qui per alium juraverit, quam ipſe putat eſſe Deum; id autem cum maxime agitur in jurejurando, ut Dei potius, quam hominum vindictam in nos pejerantes imploremus.

Prudenter igitur D. Pius reſcripſit, ſtandum eſſe jurejurando, *quod propria ſuperſtitione juratum eſt.* Et prudenter Theodoſius, quamvis Chriſtianus, Gentiles, Magiſtratum inituros, per Deos ſuos jurare paſſus eſt, ut obſervat Libanius *Orat. pro templis, prope fin.* Elegans eſt in hanc ſententiam Martialis *L.* XI. *Epigramma* 94. ſi legamus, ut feliciſſime reſtituit Iſaacus Voſſius ad *Pompon. Mel. L.* I. *C.* 8. *verſ.* 46.

Ecce negas, jurasque mihi per Templa Tonantis,
Non credo; jura, Verpe, per ANCHARIUM.

Vulgo, *per Anchialum.* Alii etiam aliter, & quisque malæ ſcripturæ pejorem interpretationem addit. Sed ridet Judæorum, quam putabat, ſuperſtitionem, & ait ad Verpum: negas quidem, jurasque, at per Jovem, Deum noſtrum, pejerasque per ipſum, quem nempe falſum Deum eſſe credis; quare, ut tibi jurato credam, jura *per Ancharium*, id eſt, *per aſinum*, quem tu tanquam verum Deum revereris. Gentiles ſcilicet aſinum habebant pro Judæorum Deo, ut vel ex Tacito conſtat *L.* V. *Hiſtor. C.* 4. id ipſum ab his quoque exprobratum eſt Chriſtianis, partim ex Judæis ortis. Tacitum refutat Tertullianus *Apolog. C.* XVI. ubi Deus Christianorum onochoirites, ſic enim ibi legendum eſſe recte monet Voſſius *d. loc.* qui & ad hanc de Judæis opinionem refert hos Petronii verſiculos ex *Fragmentis.*

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et cilli ſummas advocet auriculas.

Cillus, græce κίλλος, eſt aſinus, ut Voſſius ibidem probat, & ineptos vocat, qui de veritate ejus lectionis dubitant. *Cillo* utique conveniunt *auriculæ*, inſignia hujus animalis, non conveniunt alia, quæ perverſæ lectioni applicant Interpretes. Atque hujus loci Petroniani auctoritate fere adducor, ut credam, apud Juvenalem *Satyr.* XIV. *verſ.* 97. ubi de Judæis agitur & nunc legitur.

Nil præter nubes & cœli numen adorant,

legendum eſſe, *& cilli numen adorant*, nam *cœli* vix videtur huic loco convenire, quia *nubes* & *cœlum* non differunt niſi nominis ſono, & quia ibi notat & ridet propriam Judæorum ſuperſtitionem. *Cœlum* adorant & aliæ Gentes, *cillum* una

una Judæorum, ſic enim credebatur.. Ut autem nihil tam rei turpis eſt, etiam in beſtiis, quod non hominibus nomen dedit, ab *anchario* apud Romanos *Familia Ancharia*, & ab *aſino*, eadem ſignificatione, *Aſellia*, ut Voſſius *d. loc.* obſervavit. Addo *Cillos*, ab aſinis quoque nomen ſortitos; *Cillo* utique reſcribunt Imperatores in *l.* 9. *C. de Diſtract. pignor.* Sed ut ad Martialem revertar, ſcio eſſe, qui ita ejus *Epigramma* intelligunt, atque ſi recuſatum eſſet jusjurandum Judæi, per templum ſuum jurantis, per Deum non æque. Perperam, ſi quid judico. Solemne equidem fuit per templum jurare, ſed neque Gentiles ignorabant, ſive per Deum jures, ſive per templum, in quo ille colitur, nullo hæc diſcrimine haberi. Ne dicam, illis temporibus per templum Hieroſolymitanum jurari non potuiſſe, utpote quod jam eſſe deſierat anno Veſpaſiani ſecundo, cum Martialis illum XI. *Epigrammatum Librum* ſcripſerit ſub Trajano, ut ab aliis recte obſervatum eſt. Unde Valerius Flaccus *Argonaut. L.* I. *verſ.* 13. meminit *Solymi pulveris*, & Papinius Statius *L.* V. *Sylvar. Protrept. ad Criſp. verſ.* 138. *Solymi cineris*, utrumque autem conſtat Martialis fuiſſe æqualem.

Sed ſat datum eſt amœnioribus literis ad illuſtrandum D. Pii reſcriptum, quod Ulpianus retulit in *d. l.* 5. §. 1. & ex iis ſatis conſtat, recte legi *ſtandum*, ut ut antiquæ aliquot Editiones, interque has Roberti Stephani exhibeant *non ſtandum*. Qua lectione negante etiam uſus eſt Accurſius, addens tamen, alibi eſſe lectionem affirmantem, ut eſt Florentiæ, & in plerisque Libris, cum MSS, tum editis. Et ſane niſi ita dicamus, illud *maximum remedium expediendarum litium*, ut jusjurandum Gajus appellat in *l.* 1. *ff. hoc. Tit.* inter non ejusdem religionis homines plane erit inutile, & tamen inter hos magis litigatur, quam inter eos, qui eadem ſacra colunt. Unde quod D. Pius reſcripſit, non ad Chriſtianos ſolos refero, ut retulit Antonius Faber *Ration.* ad *h. l.* ſed ad omnes omnino, qui alia formula jurabant, quam jurare ſolebant Gentiles. Attamen ipſe ille Ulpianus, qui hic ratum eſſe cenſet jusjurandum, quod propria ſuperſtitione præſtitum eſt, negotium nobis faceſſit in eadem *l.* 5. nam in *pr.* ait, *omne omnino* LICITUM *jusjurandum, per quod voluit quis ſibi jurari, idoneum eſt.* Et in §. 3. *Sed ſi quis illicitum jusjurandum detulerit, ſcilicet improbatæ publicæ religionis, videamus, an pro eo habeatur, atque ſi juratum non eſſet? quod magis exiſtimo dicendum.* Pro *publicæ*, quod eſt Florentiæ, & alibi, omnino legendum *publice*, ut Stephanus & alii ediderunt. Si non valeat jusjurandum, quod per improbata publice ſacra præſtitum eſt, utique nec valebit, quod propria ſuperſtitione juratum erit, cum Lege publica ſuperſtitiones damnatæ ſint. Ut hæc componant Interpretes, Græci & Latini, varia commenti ſunt, ſed dubito, an quicquam profecerint. Ego per *religionem, publice improbatam*, eam intellexerim, cujus cauſa apud Romanos non licuit coïre, prohibente Lege vel SCto. Pauciſſimæ fuerunt ejusmodi religiones apud Romanos, ut oſtendi Opuſculo *de Religione peregrina Diſſert.* 2. ſed tamen fuerunt. Bacchanalium cauſa non licuit coïre, hæc enim ſuſtulit SCtum Marcianum, non igitur valebit jusjurandum, quod per Sacra Bacchanalium delatum & præſtitum erit. Atque ita in ceteris.

CAPUT III.

De Anteceſſoribus & Studioſis Juris nonnulla.

Eorum, qui Juris peritiam profitentur, varia ſunt nomina, varia munia. *Anteceſſores* dicti, qui Leges docent, ſic enim eos appellat Juſtinianus in *Præfatione Pandectarum ad* ANTECESSORES & §. 3. *Pröoem. Inſtit.* & ſæpe alibi ab aliis ita dicti, ut a Cujacio jam animadverſum eſt *L.* XII. *Obſerv. C.* 40. poſt quem nemo amplius cum Alciato *L.* III. *Diſpunct. C.* 12. dubitabit de ſignificatione illius verbi in eam ſententiam. Sed & alia, & latior eſſe videtur ejus vocis poteſtas, ut nempe & eos complectatur, qui *Pragmatici* dicebantur, & fere occupabantur componendis inſtrumentis, quæ ad rem judiciariam pertinebant. Unde in Gloſſis Juris, quas Labbæus edidit ἀντικήνσορες, ἀντιγραφεὺς. Forte, ἀντικήνσορες, ἀντιγραφεῖς; *anteceſſores, ſcribæ*, niſi malis, ἀντικήνσωρ, ἀντιγραφεὺς, ut Salmaſius, ſed majori motu, exhibet ab Vopiſci *Carum C.* 8. Et Gloſſa ſequenti, ἀντικήσωρ, ἀντιγραφεὺς διαθήκης (forte ἀντικήνσωρ, nam ſic Græci efferunt) *anteceſſor, ſcriba teſtamenti.* Teſtamentum hic exemplo ſervit, alioquin omne genus inſtrumenta formabant, libellos concipiebant, teſtationes conſignabant, ut hoc eorum munus deſcribitur in *l.* 9. §. 5. *ff. de Pœn.* utique ſi ſequamur non improbabilem Salmaſii conjecturam, qui *Obſerv. ad Jus Attic. & Rom. C.* XXIX. *p.* 819. finalia *l.* 9. §. 4. ita legit, diſtinguit, & cum *d.* §. 5. conjungit: *Solet autem ita vel Juris Studioſis interdici, vel advocatis* §. 5. *Tabellionibus ſive* PRAGMATICIS *ſolet & ita interdici, ne inſtrumenta omnino forment, neve libellos concipiant vel teſtationes conſignent.* Ejusmodi Pragmaticum uno verbo Græci vocarent συμβολαιόγραφον. Atque hi forte dicti *anteceſſores*, quod formulis, ex Jurisprudentia petitis, partibus præirent, nam omnes omnino Juris peritos dictos eſſe *anteceſſores*, non adſentior adfirmanti, & non probanti Turnebo *L.* VIII. *Adverſ. C.* 19. Cumque in illis Formulariis omnino neceſſaria eſſet Juris cognitio, hinc forte Heſychius ἀντικένσωρ, ὁ τοὺς νόμους μεμαθηκὼς, *anteceſſor, qui leges didicit.* Quod ad Pragmaticos refero, neque enim Heſychio, ita definienti, auſim fidem abrogare, ut abrogant Cujacius *Not. poſter.* ad *d.* §. 3. *Proöem. Inſtit.* Broëus ad eundem §. 3. & Menagius *Amœnit. Jur. C.* 24.

Studioſi Juris ſunt, qui Græce vocantur νομικοὶ, voce generali. Non igitur hi tantum ſtudioſi Juris, qui leges diſcunt, ut ita appellantur in eadem *Præfat. Pandect. ad Anteceſſ.* ſed tantum non omnes, quibus Jurisprudentia cordi curæque eſt. Utque νομικὸς ſimpliciter pro Juris perito apud Arrianum ex Epicteto *L.* II. *C.* 13. vel pro JCto in Gloſſis Latino Græcis *verb. Dicis cauſa*, ſic & *ſtudioſi* eadem, ut videtur, ſignificatione apud Pomponium in *l.* 2. §. 47. *ff. de O. J.* Pro eo, qui jus ſuggerit, accipi videtur in *d. L.* 9. §. 4. *ff. de Pœn.* diſtinguitur enim ab advocato, & tabellione ſive pragmatico, & quum agatur de his, quibus foro interdicitur, de Profeſſoribus hoc etiam intelligere, ut ſunt, qui intelligunt, perfecte ineptum eſt. In *l.* 4. *ff. de Extraord. cognit.* ubi D. Pius reſcripſit, *Juris ſtudioſos*, qui

ſalaria petebant, hæc exigere poſſe, per *juris ſtudioſos* intelligo vel adſeſſores, vel pragmaticos, vel utrosque. Pragmaticos, id eſt, ut diximus, contractuum, teſtamentorum, aliorumque inſtrumentorum ſcriptores formularios, quemadmodum & apud Suetonium in *Nerone C.* 32. *ſtudioſi juris*, qui teſtamenta ſcribebant vel dictabant. Unde Ταβελλίων Suidæ dicitur νομικὸς, ut & Caſaubonus ad eum locum notavit. Scio, Cujacium *L.* VII. *Obſerv. C.* 25. id, quod de *ſtudioſis juris* Paulus ait in *d. l.* 4. referre ad Profeſſores juris, adſeſſores, comitesve Judicum, ut, inquit, vocantur in *l.* 1. *ff. de Offic. Adſeſſor.* & in *d. l.* 9. §. 4. *ff. de Pœn.* recte, quod ad adſeſſores in *d. l.* 1. ſed minus recte, quod ad Profeſſores in *d. l.* 9. §. 4. ut mox indicabam. At ſi vel eo nomine Profeſſores juris venirent, illos tamen intelligi non poſſe in *d. l.* 4. inde apparet, quod Ulpianus in *l.* 1. §. 5. *ff. de Extraord. cognit.* palam negaverit, Profeſſores juris ſalaria exigere poſſe, quod de ſtudioſis juris affirmat Paulus in *d. l.* 4. Non licet dicere ſententiis, quod ad hanc rem, variatum fuiſſe, ut de ſalariis Advocatorum variatum ſcribit Plinius *L.* 5. *Epiſt.* 21. nam uterque JCtus loquitur de jure conſtituto. Neque etiam licet dicere, quod dixit Cujacius *d. L.* VII. *Obſerv. C.* 25. *d. l.* 4. corrigere, quod ex veteri jure vel more Ulpianus ſcribit in *d. l.* 1. §. 5. cum Ulpianus utique vixerit poſt tempora D. Pii, & *Librum* VIII. *de omnibus Tribunalibus*, ex quo eſt *d. l.* 1. ſcripſerit eo jam defuncto, ut palam eſt ex *d. l.* 1. §. 10. 12. & 13. Igitur, poſtquam D. Pius Profeſſoribus juris permiſiſſet ſalaria exigere, id tamen non licere ſcribet Ulpianus? addita etiam ratione, quam tamen nemo hodie Profeſſor Juris probaverit? & hanc Ulpiani Jurisprudentiam, ejusque rationem, qui Juri componendo præfuerunt, in Pandectas referrent, cum jam ab ætate D. Pii non obtinuiſſet? ſine injuria Compoſitorum, quin vel ipſius Ulpiani, vix id fingi poteſt. Quare ſupereſt, ut *ſtudioſos juris* in *d. l.* 4. ita interpreter, ut interpretandum dixi: nam quæ Gloſſa balbutit ad *d. l.* 4. ne referre quidem attinet. Petrus Burgius *Elector. C.* 9. ſolos adſeſſores intelligit, ſed non eſt, cur pragmaticos excludamus. De pragmaticis autem dubitandum non videtur, quin ſalaria potuerint exigere, cum notariis & tabulariis id ipſum permiſerit Ulpianus in *d. l.* 1. §. 6. *ff. de Extraord. cognit.*

Ceterum, quod ante dicebam, in *l.* 9. §. 4. *ff. de Pœn. ſtudioſos juris* accipiendos videri pro iis, qui jus ſuggerunt, ejus rei mihi fortiſſimum argumentum præbet, quod adſeſſores, qui in foro occupabantur, quorumque erat, jus ſuggerere, *ſtudioſi juris* audiant, non tantum apud Gellium *L.* XII. *Noct. Attic. C.* 13. ſed & apud ipſum Paulum in *d. l.* 1. *ff. de Offic. adſeſſor. Omne*, inquit, *officium adſeſſoris, quo juris ſtudioſi partibus ſuis funguntur, in his fere cauſis conſtat, in cognitionibus, poſtulationibus, libellis, edictis, decretis, epiſtolis.* In Editione Stephani eſt *viri ſtudioſi*, ſimili vitio, quod in quibusdam Libris Suetonium & Gellium occupavit iis, quos indicavi, locis. Recte adſeſſores vocantur *ſtudioſi juris*, quia de jure reſpondebant Magiſtratibus & Judicibus, non minus olim, quam nunc, ſæpe ad ſtultitiam usque imperitis. Recta etiam eſt ejus legis ſcriptura, niſi quod plenior eſſet oratio, ſi minimo motu ita legeretur: *quo juris ſtudioſi partibus ſuis fungantur*, hoc eſt, officium adſeſſorum, ut omnes ejus numeros impleant, in his fere cauſis conſtat &c. ſed id tamen non usquequaque urgeo.

CAPUT IV.

Partim emendata, partim ab emendatione defenſa L. 33. pr. ff. de Uſur.

Scripſit Ulpianus Librum ſingularem *de Officio Curatoris Reipublicæ*. Ex eo deſcripta eſt *d. l.* 33. in hæc verba: *Si bene collocatæ ſint pecuniæ publicæ, in ſortem inquietari debitores non debent, & maxime ſi pariant uſuras; ſi non pariant, proſpicere Reipublicæ ſecuritati debet Præſes Provinciæ: dummodo non acerbum ſe exactorem, nec contumelioſum præbeat, ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum, nam inter inſolentiam incurioſam & diligentiam non ambitioſam multum intereſt.* In MS. meo ſine Gloſſis eſt, *ſi bene collatæ* &c. & ita quoque Blaublommius edidit, hac inſuper interpunctione, *ſi bene collatæ ſunt pecuniæ publicæ in ſortem, inquietari &c.* quam interpunctionem ſervant quoque nonnulli Editores, qui *collocatæ* præferunt, ut multis nominibus præferendum eſt. Diſtinctio etiam Taurellii mihi magis placet. Sed hoc leve eſt. Opinor autem, in proxime ſequentibus latere vitium, vulgo non animadverſum, in his nempe, *ſi pariant uſuras*, & rurſus in his, *ſi non pariant.* Quid, inquies, audio? an pecunia non recte dicetur *parere* uſuras? an non ipſum *fenus* plerique ex Grammaticis vetuſtis derivarunt a *fetu & quaſi fetura quadam pecuniæ parientis atque increſcentis.* Ita Varro, Nonius, Feſtus, Voſſio, laudati in *Etymologico*, & ab aliis usque & usque deſcripti. Etiam Nonius τόκον apud Græcos dici putat ἀπὸ τοῦ τίκτειν, quæ & Ariſtotelis mihi videtur fuiſſe ſententia *L.* I. *Politic. C.* 10. *in fin.* Et quid uſitatius, quam *pecunia ſterilis*, quæ uſuras non præbet, & *fecunda*, quæ præbet? cumque in partu ſudor, hinc forte Perſius de quæſtu nummorum *Satyr.* V. *verſ.* 150.

Peragant avidos ſudare deunces.

Sudare enim ibi omnino legendum eſt. Hæc quod ad verba Ulpiani, de ſenſu nihilo magis laborandum videtur. Dixerit quippe boni Præſidis eſſe, ſortem non uſurariam a debitoribus exigere, uſurariam vero, ſi bona ſint nomina, relinquere, plane ut eodem opere, *de Officio Curatoris Reipublicæ*, etiam alias ſollicitus eſt de uſuris Reipublicæ præſtandis, ut ſane eſt in *l.* 5. *pr. ff. de Oper. public.* & *l.* 1. *pr. ff. de Pollicitat.*

Hæc dici poſſunt pro recepta lectione, & quia probabilia ſunt, Interpretes, ſecurius cogitantes, fefellerunt. Ego ſuſpicor pro *ſi pariant uſuras*, legendum eſſe, *ſi* PAREANT *uſuris*, & mox pro *ſi non pariant*, *ſi non* PAREANT, parvo, ut vides, molimine; atque ita *pareant*, refero ad debitores, qui proxime præcedunt. *Parere uſuris* eſt uſuras ſolvere, ut *parere debito* aes alienum expungere, *parere ſorti & uſuris* eſt reddere ſortem cum uſuris. Sunt hæ locutiones vulgatæ, tam apud auctores exteros, quam noſtros. Loca utrorumque indicavit Cujacius *L.* XXV. *Obſerv. C.* 15. quare ea opera ipſe poſſum ſuperſedere. Magis intererit explicare, quæ rationes me in eam conjecturam moverint. Primum ait Ulpianus, ſi bene fuerint collocatæ pecuniæ publicæ,

in ſortem non eſſe inquietandos debitores, eo ipſo ni fallor, ſignificans, *in uſuras* inquietari & poſſe & debere. Ponit igitur, ſortem fuiſſe uſurariam, niſi dicamus otioſa eſſe τὸ *in ſortem.* Si ſors fuerit uſuraria, quid attinet deinde dicere, *ſi pariant uſuras?* Sed, quod magis me movet, & rem totam abſolvit, eſt ſequens Ulpiani oratio, *ſi non pareant*, inquit, id eſt, ſi uſuras non ſolvant debitores, *proſpicere Reipublicæ* SECURITATI *debet Præſes Provinciæ.* Ex non ſolutis uſuris bonum nomen & olim, & nunc intelligitur eſſe malum; quare, inquit, Præſes proſpicere debet *ſecuritati* Reipublicæ: debet igitur exigere, ne quid Respublica detrimenti capiat, atque ea ſecuritas eſt in exactione. Si ideo exigendæ eſſent pecuniæ, quod non *pariant uſuras*, tunc omnino dicendum eſſet, Præſidem oportere proſpicere *utilitati*, non, ut nunc dixit, *ſecuritati* Reipublicæ. Sors uſuraria ſit, nec ne, ad ſecuritatem Reipublicæ non pertinet, ſed eo utique pertinet, an uſuræ ſolvantur, cum ex ſolutis vel non ſolutis uſuris naſcatur præſumptio vel boni vel mali nominis. His addo auctoritatem Baſilicorum *L.* XXIII. *Tit.* 3. *C.* 33. qui non aliam Ulpiano mentem adſcribunt, quam ipſe, ex emendatione, adſcripſi. Ἐὰν, inquiunt, καλῶς δανεισθῶσι τὰ πολιτικὰ χρήματα, καὶ οἱ τόκοι καταβάλλωνται, οὐκ ὀχλοῦνται περὶ τοῦ κεφαλαίου οἱ χρεῶσται. Εἰ δὲ μὴ καταβάλλωνται, προνοοῦσιν οἱ ἄρχοντες τῆς ἀζημίας τῆς πόλεως. *Si bene creditæ ſint pecuniæ publicæ, & uſuræ pendantur, debitores in ſortem non inquietantur; ſi autem non pendantur, proſpicient Civitatis ſecuritati Curatores.* Quæ, ut vides, ipſiſſima eſt Ulpiani, a me emendati, ſententia.

Supereſt admonitio Ulpiani, quomodo, ſi debita publica exigat, in exigendo oporteat verſari Præſidem. Baſilici *d. l.* 33. duobus verbis id efferunt, ἐπιμελῶς καὶ φιλανθρώπως, *diligenter & humane.* Ulpianus multo verborum agmine utitur, *dummodo*, inquit, *non acerbum ſe exactorem, nec contumelioſum præbeat, ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum: nam inter inſolentiam incurioſam & diligentiam non ambitioſam multum intereſt.* Igitur medio tutiſſimus ibit, nec acerbe exiget, debitores, ut ille ait, continuo cum ſacco adiens, nec contumelioſe, poteſtate ſua abutens in offendendis & lacerandis debitoribus, ſed cum temperamento, ſæpe alias a JCtis commendato, ut ſit *cum efficacia benignus & cum inſtantia humanus.* Hæc non egent interprete, ſed magis eget addita ratio: *nam inter inſolentiam incurioſam & diligentiam non ambitioſam multum intereſt.* Sunt Libri, & MSS. & editi, qui *inſolertiam* habent pro *inſolentia*, ſed *inſolertia* vox minus Latina eſt, & aliena quoque hoc loco, ut recte obſervavit Budæus *Annot. prior.* ad *h. l.* idemque recte explicavit, quid ſit, *diligentia non ambitioſa*, hoc eſt, non nimia, nec affectata, aut famæ aucupatrix. Sed quod ipſe ille expungat vocem *incurioſam*, ejusque loco ſubſtituat *curioſam*, vel *injurioſam*, in eo me adſentientem non habet, quamvis utraque ejus emendatio in varias Editiones irrepſerit. *Curioſam* adoptavit Robertus Stephanus, Fratres Sennetonii, Boudoza; *injurioſam* Haloander & Vintimillius. *Curioſus eſt*, inquit Budæus, *qui a Græcis* περίεργος *dicitur, a nimia & inuſitata cura agendarum rerum, propter quod in vitio ponitur* περιεργία, *id eſt, anxietas & diligentiæ redundantia.* Scio, *curioſum* in hunc ſenſum, id eſt, in malum ſæpe accipi, ſed ſcio, & in bonam partem accipi poſſe, quin & debere, ſi, ut hic ſermo eſt, de cura creditoris circa fortunam debitoris ſui. Ubi agitur de privato creditore, eum *curioſum* eſſe oportere monet ipſe noſter Ulpianus in *l.* 3. §. 9. *ff. de in rem verſ.* idque ponitur in laude. Quanto magis igitur laudandus erit Præſes Provinciæ, ſi circa debitores Reipublicæ, fuerit curioſus? contra vituperandus erit, ſi non tantum cum *inſolentia* debitores exigat, ſed cum *inſolentia incurioſa*, hoc eſt, non attendens, debitores Reipublicæ idonei ſint, nec ne, atque adeo an expediat pecuniam male collocatam porro exigere an bene collocatam porro credere. De verbo *incurioſus* nemo etiam litem movebit, quum optimi quique Latinitatis auctores eo uſi ſint. Etiam Stephanus, optimus Baſilicorum Scholiaſtes, hic legit *incurioſus*, nam vertit ἀμελῶς, in *Scholiis* ad *d. l.* 33. Recte igitur opponitur *inſolentia incurioſa diligentiæ non ambitioſæ*, illa culpæ, hæc laudi tribuitur. Quumque ita bene ſe habeat Ulpiani ſcriptura, non ſine injuria ei licet *injurioſam* quoque affingere, ut affingit Budæus.

C A P U T V.

Occaſio L. 30. ff. de Pœn.

Ecce verba Modeſtini in *d. l.* 30. *Si quis aliquid fecerit, quo leves hominum animi ſuperſtitione numinis terrerentur, Divus Marcus hujusmodi homines in inſulam relegari reſcripſit.* Omnem religionem, quæ ab avita & publice recepta diſſidet, *ſuperſtitionem* vocamus, ſic enim vulgo obtinuit, ceteroquin & ſua cuique religioni ineſt ſuperſtitio, hoc eſt, in cultu divino omne nimium, omne ſimulatum. Ait *leves hominum animos*, quia ille terror in homines graves non cadit. Sententiam autem Reſcripti eſſe dixeris, relegandos eſſe, qui ſimpliciter terrorem ſua religione hominibus vanis & levibus incutiunt, metu forte Deorum vel Dæmonum. Id autem licet facere in religione recepta, in peregrina non licet. Sed adeone grave eſt id crimen, etiam in religione peregrina, ut plectendum ſit *inſulæ vinculo*, ut relegationem appellat Marcianus in *l.* 5. *ff. de Interd. & releg*? laribus igitur avitis carebit, qui ipſe ſuperſtitioſus, ſine ullo rei publicæ vel privatæ damno, aliis bona fide ſuperſtitionem ſuam inculcat, adjecto etiam Deorum metu? vix hæc conveniunt Marco Antonino, cujus mos erat, *ut omnia crimina minore ſupplicio, quam legibus plecti ſolent, puniret*, quemadmodum Capitolinus auctor eſt in *ejus vita C.* 24. Audi, quid ipſe Marcus ſcribat ad uxorem Fauſtinam: *Non enim quicquam eſt, quod Imperatorem Romanum melius commendet Gentibus, quam clementia. Hæc Cæſarem Deum fecit, hæc Auguſtum conſervavit, hæc Patrem tuum in primis* Pii *nomine ornavit*, ut eſt apud Vulcatium Gallicanum in *Avidio Caſſio C.* 11. Quin tot ejus clementiæ exſtant argumenta, vel in ipſa rebellione Caſſiana, ut Senatus illi continuo acclamaverit, *Antonine Pie, Dii te ſervent. Antonine* CLEMENS, *Dii te ſervent*, ut narrat idem Vulcatius in *eodem Caſſio C.* 13.

Ab Imperatore igitur, qui *clementis* nomen meruit, forte non exſpectaſſes ejusmodi Reſcriptum, & ea, non alia forte tibi videbitur cauſa, cur Græci *h. l.* 30. Baſilicis non inſeruerint.

rint. Sed ita mihi ſedet, nunquam in hæc ſpectra hominum vel relegatione, vel alia pœna ſævitum eſſe, niſi, ut utar verbis Poſtumii apud Livium *L.* XXXIX. *C.* 16. *ubi Deorum numen prætenditur ſceleribus.* Id fit, quoties res publica vel privata læditur & turbatur. Res publica læditur & turbatur, ſi quis in religione peregrina non ſibi ſapiat, ſed peregrina ſacra inducat, & ſimul Diis Patriis occinat: *veteres migrate coloni.* Atque inde Mæcenas Auguſto auctor eſt apud Dionem Caſſium *L.* LII. ut eos, qui in rebus ſacris aliquid novaturirent, & odio haberet, & puniret, quia Rempublicam turbant. Non exprimit, qua pœna, ſed ea quoque varia fuit pro varia indole cujusque Gentis, & prout magis minusve turbatum erat. Lego apud Philonem Judæum Libro περὶ θυόντων, ſi quis ſumto habitu prophetæ, correptum divino ſpiritu ſe ſimulet: & ad externos Deos invitet, necandum eſſe, ut hoſtem publicum; quod fere convenit Legi Divinæ apud Moſem *L.* V. *C.* 13. §. 1-5. Quo loco religio peregrina apud Romanos fuerit, exſequutus ſum *Opuſculo de cultu religionis peregrinæ Diſſertat.* II. benigniore ſane loco fuiſſe, quam apud alias Gentes non eſt dubitandum. Hoc tamen non prohibet, quominus Paulus *Sentent.* *L.* V. *T.* 21. §. 2. ita ſcripſerit: *qui novas, & uſu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur.* Quod non aliter eſſe intelligendum, quam ſi quæ a nova religione turbæ, ex profeſſo diſputavi *d. Diſſertat.* II. Si & ita intelligas reſcriptum Marci, relegandos eſſe, qui ex profeſſione ſuperſtitionis ſuæ levibus hominum animis terrorem incutiunt, atque ita publice turbas excitant, nova ſacra perſuadendo, vetera diſſuadendo, ſalva erit Marci clementia. Quin ubi Paulus deportationis vel pœnæ capitalis meminit, D. Marcus, qua erat lenitate, relegatione contentus fuit. De uno autem eodemque crimine Paulum & Modeſtinum in *h. l.* 30. verba facere, inde diceres, quod uterque agat de iis, qui religionem innovant, ille palam, hic *ſuperſtitionis* nomine, & quod ille de *movendis hominum animis*, hic de *terrendis* pronunciet, alio quidem atque alio verbo, ſed ejusdem hic forte ſignificationis.

Sed tamen ad hanc ſpeciem non refero D. Marci Reſcriptum, alia enim ejus occaſio, alia cauſa ſe magis commendat. Res publica ſcilicet læditur & turbatur quam maxime, ſi quis religione, ſeu patria, ſeu peregrina abutatur ad promovendas ſeditiones & rebelliones. Si quis fingat, ſibi commercium cum Diis eſſe, ſi quis futura prædicat, ſi quis homines meticuloſos territet, & ea arte factionibus ſtudeat, næ ille rem publicam peſſima fraude evertit. Ejusmodi fanaticorum aliquot exempla ex memoria veteri & nova ſuppeditavit Juſtus Lipſius *Politic. L.* IV. *C.* 4. *Notis ad calcem adjectis.* Ejusmodi, ut hoc addam, erant & illi ſycophantæ, qui in gratiam Catilinæ & Lentuli, ex fatis Sybillinis haruſpicumque reſponſis vaticinabantur, Lentulum eſſe *tertium illum Cornelium, ad quem regnum urbis atque imperium pervenire eſſet neceſſe*, ut eſt apud Ciceronem *Orat.* III. *in Catilin. C.* 9. & apud Plutarchum in *Cicerone C.* 16. Simile quid factitatum in rebellione Avidii Caſſii ſub Marco Antonino, quam Capitolinus in *M. Antonino* breviſſime, & Gallicanus in *Avidio Caſſio* diligentiſſime deſcripſit. De vaticinatoribus & turbatoribus, qui ſe rebellioni miſcebant, hoc D. Marci reſcriptum eſſe intelligendum, didici ex Ulpiani Fragmento *L.* VII. *de Officio Proconſulis*, ſub *Titulo de Mathematicis & Vaticinatoribus.* Id fragmentum, illuſtre in primis, quamvis lacerum & hiulcum, nobis ſervavit Auctor *Collationis LL. Moſaic. & Roman. Tit.* XV. & ſic incipit: *Interdicta eſt Mathematicorum callida impoſtura & obſtinacitate perſuaſio.* Lego, *obſtinacitatis*, ob prædictiones nempe, quibus animos hominum obdurant. Sed non conſtitui nunc purgare hoc fragmentum, & meas aliorum conjecturis addere, contentus monere, ubi plurimas Leges de Mathematicis præmiſerat Ulpianus, de Vaticinatoribus addere, etiam hos eſſe plectendos, *quia nonnunquam contra publicam quietem imperiumque Populi Romani improbandas artes exercent.* Tandem ita finit: *Denique & Divus Marcus eum, qui motu Caſſiano vaticinatus erat, & multa quaſi exſtinctu Deorum dixerat, in Inſulam Syrum relegavit.* Hoc ſuperdicto: *Et ſane non debent impune ferre hujusmodi homines, qui ſub obtentu & monitu Deorum quædam vel renunciant, vel jactant, vel ſcientes eos fingunt.* Pro *exſtinctu* legendum eſſe, *ex inſtinctu*, quod & in Editiones migravit, recte obſervat Clariſſ. Schultingius ad hunc *loc.* niſi quis ſimpliciter malit, *inſtinctu.* Finalia, *ſcientes eos fingunt*, ferri quodammodo poſſunt, laudari non poſſunt. Quid ſi *ea*, ut ad *quædam* referas? & quid ſi *Deos* fingunt? ut apud Tacitum *L.* II. *Hiſtor. C.* 61. Marcus, *ſimulatione numinum*, arma Romana provocabat. Sed ad rem ipſam propero. Loquitur de *motu Caſſiano*, quem propter immixtas vaticinationes fortaſſe *furorem Caſſianum* appellat Paulus in fugitiva *l.* 7. *C. ad L. Jul. Majeſt.* Ejus rebellionis ſæpe & Tertullianus meminit, non tantum duobus locis, quos hic indicavit Pithœus, ſed & *ad Scapulam C.* 2. quumque ea inciderit ſub Imperio Marci Antonini, neſcio, quemadmodum Viro cuidam docto in mentem venerit, per *D. Marcum* in *d. Collation. Tit.* XV. intelligere Antoninum Caracallam. Vides autem eum, qui rebellioni Caſſianæ opem tulerat vaticiniis, atque ita ſuperſtitione numinis leves hominum animos, vel ſpe vel metu fefellerat, ſimpliciter a D. Marco fuiſſe relegatum. Vides idem crimen, vides eandem pœnam, cum ibi, tum in *h. l.* 30. vides exemplum clementiæ, qua ſe D. Marcus commendavit, etiam adverſus perduelles. Succurrit mihi ejus oratio ad Senatum, quæ eſt apud Gallicanum in *Avidio Caſſio C.* 12. ubi inter alia ſic infit: *Nunc quod ad defectionem Caſſianam pertinet, vos oro atque obſecro P. C. ut cenſura veſtra depoſita, meam pietatem clementiamque ſervetis, imo veſtram, neque quemquam ullum Senatus occidat.* Igitur, ut Divo Marco ſua clementia conſtet, ut ipſe conſtet ſibi, hanc *l.* 30. intelligamus de iis, qui leves hominum animos ſuperſtitione numinis terrent, dum factionibus, rebellionibus, dum tumultibus & perduellionibus dant operam iisque fovendis, ad concitandam plebem, Deos advocant, ipſi, ut mentiuntur, Deorum pleni. Quod crimen, quamvis ſit graviſſimum, benigniſſimus Princeps non ultra relegationem puniendum eſſe cenſuit. Ita apud Ulpianum, & ita, ni fallor, in reſcripto, quod apud Modeſtinum eſt in *d. l.* 30.

Niſi Ulpianus ſic me manu duceret ad interpretationem *d. l.* 30. circumſpicerem, an non, ſalva Marci clementia, pœna *d. l.* 30. etiam obtinere poſſit, quando non res publica, ſed uniuscujusque privata læditur & turbatur. Circumſpicerem, an non ipſis temporibus Marci Antonini id acciderit, quod eo referri poſſit. Et

ſane

ſane ſi quis ſuperſtitione numinis homines territet, ut eos emungat, ſi quis monita Deorum hæc aut illa ſe nunciare mentiatur, quo crumenis ſuperſtitioſorum inſidietur, quis pœnam relegationis juſto majorem dicet? eo ſcelere olim infamis fuit Mathematicorum natio, de qua exſtirpanda apud Romanos totiens fruſtra laboratum eſt. Unde, ut Ulpianus, ſic & Paulus de iis Titulum ſcripſit, *de vaticinatoribus & mathematicis*, qui eſt *Sentent. L.* V. *Tit.* 21. *Vaticinatores*, inquit §. 1. *qui ſe Deo plenos adſimulant, idcirco Civitate expelli placuit, ne humana credulitate publici mores ad ſpem alicujus rei corrumperentur, vel certe ex eo populares animi turbarentur. Ideoque primo fuſtibus cæſi civitate pelluntur, perſeverantes autem in vincula publica conjiciuntur, aut in inſulam deportantur, vel certe relegantur.* Ad minimum igitur relegantur, poſtea capitali pœna in eos animadverſum eſt, quemadmodum & antea, ſi nempe *de ſalute Principis vel ſumma Reipublicæ* reſponderint, ut eſt apud Paulum *d. Tit.* 21. §. 3. Plura de Mathematis & ariolis non addo, quia Lipſius pleraque occupavit ad Taciti *L.* II. *Annal.* C. 32. *Excurſ. Lit.* G. Si de his liceret intelligere reſcriptum D. Marci in *h. l.* 30. ut ſunt qui intelligunt, tam ex Ulpiani, quam ex Pauli fragmentis, apparet, etiam Marcum hic eſſe ſequutum, quod in pœnis minimum eſt. Poſſes etiam ſuſpicari, huic Reſcripto cauſam dediſſe Alexandrum, inſignem impoſtorem, qui temporibus D. Marci vixit, & vaticiniis & oraculis, quaſi ex tripode profectis, longe lateque homines emungebat. De eo eſt integer Luciani libellus, qui inſcribitur Ἀλέξανδρος. Impoſtor autem ille, ut ait *p. m.* 508. latrociniis ſuis implevit πᾶσαν τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν, *univerſum Imperium Romanum*, & homines ſibi reddidit obnoxios ac pæne ſervos διὰ τὸ δέος, *propter metum p.* 541. nec mirum, nam ex oraculis prædicebat peſtilentiam, incendia, terræ motus; pollicitus, ſe certa remedia traditurum, ne quid horum accideret *p.* 544. adeo ſcilicet leves hominum animos ſuperſtitione numinis terrebat. Quumque plures habuerit ſectatores & nuncios, ut Lucianus ibi auctor eſt, iis D. Marcum hoc Reſcripto obviam iviſſe crederes, niſi Lucianus *p.* 554. & 555. monuiſſet, hominem illum nequam etiam in aulam Principis ſibi aditum patefeciſſe. Nemo alioquin in hoc genus hominum mitius, quam pœna relegationis decernat, nam Deorum numen prætendunt ſceleribus, mendaciis addunt ſtellionatum, ſi non mathematici, mathematicorum certe filii, & iisdem pœnis plectendi. Sæpe & capitali pœna in eos animadverſum eſt, ſed haud ita pridem Curia Hollandiæ quemdam, qui, ad exemplum fere Numæ Pompilii cum Dea Egeria, fingebat ſibi commercium literarum eſſe cum Angelo neſcio quo, & hac arte imponebat homini diviti, ſimpliciter relegavit, ſecuta, opinor, hanc *l.* 30. *ff. de Pœn.*

Atque ita dedi duas ſpecies, quibus ſuperſtitione numinis læditur & turbatur res publica, unam, qua res privata. Jacobus Lectius *ad Modeſtinum de Pœnis* in *h. l.* 30. ad omnes eas ſpecies videtur porrigere Reſcriptum D. Marci, alii id reſtringunt ad impoſtores, qui rei privatæ nocent, ego, præeunte Ulpiano apud *Collatorem LL. Moſaic. & Roman. Tit.* XV. duntaxat ad ſpeciem refero, qua res publica, factionibus & ſeditionibus concuſſa & turbata, interventu Deorum magis concutitur & turbatur. Elige, quod libet, & ſemper ſalva erit D. Marci clementia.

CAPUT VI.

Emendata L. 24. ff. de Hered. vel act. vend.

Eſt *d. l.* 24. inter eas, de quarum ſententia perfecte conſtat, de verbis non æque. Neque tamen de verbis quisquam laboravit, niſi, quod ſciam, unus Antonius Faber, adeo ſæpe ſolent Interpretes vel non animadvertere difficultates, vel animadverſas diſſimulare. Audi JCtum: *Hereditatem Cornelii vendidiſti, deinde Attius, cui a te herede Cornelius legaverat, priusquam legatum ab emptore perciperet, te fecit heredem. Recte puto, ex vendito te acturum, ut tibi præſtetur: quia ideo eo minus hereditas venierit, ut id legatum præſtaret emptor, nec quicquam interſit, utrum Attio, qui te heredem fecerit, pecunia debita ſit, an legatario.* Hæc fere conſtans omnium Librorum ſcriptura eſt, niſi quod *Attium* nonnulli mutent in *Titium*, & pro *quia ideo eo minus*, alii ſubſtituant, *quando eo minus*, vel *quo ideo minoris*, vel *quo ideo minus.* Sed cum *Attii* nomen apud Romanos ſatis ſit frequentatum, non eſt, cur a Librorum optimo recedamus. Reliquæ Lectiones nullius ſunt momenti, iisque longe præſtat Florentina. Ceterum ſpecies legis eſt liquidiſſima. Tu hereditatem vendidiſti. Ex ea Attio debebatur legatum; Attius ab emptore hereditatis nondum legatum conſecutus fato ſuo functus eſt, te, qui vendideras hereditatem, ſcripto herede. Quæſitum eſt, an tu, qua heres Attii, contra emptorem hereditatis agere poſſis, ut tibi præſtet legatum? & ait, agere te poſſe. Ratio ejus juris manifeſta eſt, nam ſicut ad emptorem tranſeunt onera hereditatis, ſic & tranſit onus legati præſtandi, tranſit autem, *quia*, inquit JCtus, *ideo eo minus hereditas venierit, ut id legatum præſtaret emptor.* Qui vendidit hereditatem, majoris vendidiſſet, ſi Attio legatum non fuiſſet, nunc minoris vendidit, propter hanc hereditatis delibationem, rationis igitur eſt, ut Attio, vel, quod tantundem eſt, ejus heredi id legatum præſtetur. Tacite ſcilicet hoc actum eſt inter contrahentes, eaque ratio & in aliis Juris articulis valet, & a JCtis adhibita eſt in his Legibus, quas Accurſius, & ex eo Antonius Faber notavit *Ration.* ad *h. l.* 24. Contra, ſi hereditatem vendideris, & debitoris hereditarii heres exiſtas, emptori ex empto teneberis, *l.* 20. *pr. ff. de Hered. vel act. vend.* eadem enim utrobique ratio eſt.

Sed hæc difficultatem non habent, majorem habent finalia *h. l. nec quicquam interſit, utrum Attio, qui te heredem fecerit, pecunia debita ſit, an legatario.* Hæc ſunt, quæ vulgo transmittuntur, atque ſi nihil quicquam offenderent, offendunt tamen quam maxime, neque enim conveniunt cum ſpecie propoſita. Dixerat, me, quamvis venditorem hereditatis, poſſe ab emptore legatum petere, quod Attio legatario relictum erat, ſi Attius legatarius, priusquam legatum conſequeretur, deceſſiſſet me ſcripto herede. Cum his, ſi potes, compone rationem ſequentem, nihil intereſſe: *utrum Attio, qui te heredem fecerit, pecunia debita ſit, an legatario.* Atqui Attius erat ipſe legatarius, ut ſic non duas

ſpe-

ſpecies proponat, ſed unam eandemque. Quare hæc, quia ſenſum non habent, non ſubſiſtunt. Unde Antonius Faber *Ration.* ad *h. l.* nihil intereſſe, *utrum Attio, qui te heredem fecerit, pecunia debita ſit, an* ALII *legatario*, ſic enim, inquit, hic locus meo judicio legendus & intelligendus eſt. Sed ita integram vocem intrudit, quam non probat ulla probabili cauſa excidiſſe, quod genus Criticæ non ſoleo probare. Cum dixiſſet, puto te, qui hereditatem vendideras, recte acturum, ut tibi legatum præſtetur, hanc rationem, oppido idoneam, ſubjicit, *quia ideo eo minus hereditas venierit, ut id legatum præſtaret emptor*; ſi nunc alteram rationem addidiſſet, nihil intereſſe emptoris, utrum Attio legatum præſtetur, an tibi venditori, qui Attii heres es, intelligerem probe, quid ſibi vellet JCtus. Hunc ſenſum habebimus, ſi pauca liceret transponere, & pro *Attio* legere *tibi*, hoc modo: *nec quicquam interſit, utrum tibi, an legatario, qui te heredem fecerit, pecunia debita ſit.* Sed nec tantum mutare auſim. Forte magis placere poſſet, ſi ſervata tranſpoſitione pro *Attio* in *fine l.* legamus *Titio*, ut habent pleræque Editiones, & uterque MS. meus. Illæ utrobique, atque ita & *in principio* habent *Titius*, ſed *Attium* ibi ſervare oporteret, *in fine* male repetitum, non alia cauſa, quam quod præceſſerat. Atque ita ſenſus eſſet, nihil referre, utrum pecunia debita ſit *Titio*, an *Attio*. Titii nomen tunc exemplo ſerviret, an Titio, cuilibet forte extraneo, pecunia debita ſit, an Attio legatario. Accurſius, ſalva ſcriptura, ſic interpretatur hæc *finalia*, nihil intereſſe, utrum Attio pecunia debeatur, ut creditori ex contractu, an ut legatario. Hanc interpretationem Faber improbat, *quia nec verbis legis convenit, nec rationi juris, quæ in eadem perſona non diſtinguit legatum a pecunia credita.* Imo non diſtinguit, & hoc eſt, quod JCtus ſignificaret, ſi Accurſium audiamus, qui & eo non male adducit *l.* 20. *ff. de Hered. vel act. vend.* Sententia tunc eſſet, ut æs alienum expungere tenetur emptor hereditatis, ſic & legata ſolvere; ſi igitur Attio debita eſſet pecunia, ex quocunque contractu, utique ei, qua creditori hereditario eſſet ſolvenda, perinde autem eſſe, ſive debita ſit, ſive legata. Quod juris eſt in Attio, in herede juris eſſe, ut admoneretur non erat neceſſe, quin tacite admonuiſſet JCtus hac interjectione, *qui te heredem fecerit.* Recta eſt ea interpretatio, ſed tamen recte ei Faber intercedit, quia verbis legis non convenit, quis enim eam ſententiam ex his exſculpat: *nec quicquam interſit, utrum Attio, qui te heredem fecerit, pecunia debita ſit, an legatario?* ſalva autem res erit, & ſalva hæc ipſa ſententia, ſi adhibita regula geminationis ita legamus: *utrum Attio, qui te heredem fecerit, pecunia debita ſit, an LEGATArio*, hoc eſt, *legata legatario.* Literas, ſyllabas, verba geminare ſine fraude licet. Atque ita efficitur ea ipſa ſententia, quam Accurſius expreſſit, quæque rationi juris in primis convenit, nihil referre, utrum Attio, ut creditori, ex credito pecunia debeatur, an, ut legatario, ex legato. Eundem ſenſum habebis, ſi quod tandem propono, expungas tres poſteriores literas in *legatario.* Sic enim diceret: nihil referre, *utrum Attio pecunia debita ſit, an legata.* Sic conjeceram nondum inſpecto Codice antiquiſſimo, quem ſine Gloſſis manu ſcriptum habeo, nunc, ubi palam ea ipſa ſcriptura eſt, huic conjecturæ quam maximum accedit pondus, & fere, reliquis miſſis, eam ſequerer.

CAPUT VII.

Probam rectam eſſe videri Ulpiani ſcripturam in L. 3. §. 1. ff. de Tritic. vin. vel ol. legat.

Intempeſtivum officium eſſe reor, quod Ulpiano præſtitit Criticorum induſtria in *d. l.* 3. §. 1. Ait ibi ex Celſo, *vino legato, etiamſi non ſit legatum cum vaſis, vaſa quoque legata videri, non quia pars ſunt vini vaſa, quemadmodum*, inquit, *emblemata argenti, ſcyphorum forte, vel ſpeculi, ſed quia credibile eſt, mentem teſtantis eam eſſe, ut voluerit acceſſioni eſſe vino amphoras*, & quæ ſequuntur. Blaublommius edidit, *ſcyphorum cauſa forte*, & ſic eſt in MS. meo ſine Gloſſis. Pro *cauſa* quoque *anſa* notatur inter varias Lectiones poſt editionem Haloandri. Pro *ſpeculi* Ruſſardus ad marginem habet *poculi*, ex ingenio forte, nam in libris antiquis eam Lectionem non reperi. Sed hæc omnia nullius ſunt momenti; Florentinam quoque ſcripturam tantum non omnes Editores exhibuerunt. Illud *poculi* etiam ideo rejiciendum eſt, quia *ſcyphi* præceſſerant, & quia obſtat Baſilicorum auctoritas, hi enim *L.* XLIV. *T.* IX. *C.* 2. §. 1. interjectionem, quæ eſt in *d. l.* 3. §. 1. ita repræſentant: non quod vaſa pars vini, ὥσπερ τὰ ἐμβλήματα τῶν ἀργυρέων σκευῶν καὶ τὰ σπίτλα τοῦ οἴκου, *quemadmodum emblemata ſunt vaſorum argenteorum, & ſpecula domus.* Pro σπίτλα legendum eſſe σπίκλα, recte admonuit Joannes Leunclavius *Adnot.* ad *h. l. n.* 45. nec quiſquam eſt, qui de eo ambigat. Nec tamen propterea auctor ſim, ut ipſe eſt, ut in ipſis quoque Pandectis reſcribamus, *vel ſpecula domus*; hoc eſt, *vel quemadmodum ſpecula ſunt pars domus.* Quia autem ſpecula, quæ ad parietes ſolent ſuſpendi, rurſus tolli, & ad alios parietes adhiberi poſſunt, nemo facile ſpecula domus partem eſſe dixerit, unde *ſpecula* ipſe interpretatur *ſpecularia*, de quibus Ulpianus in *l.* 12. §. 15. & §. 25. *ff. de Inſtruct. vel inſtr. legat.* ſpecularia quippe adfixa domus eſſe partem magis putat Ulpianus in *d.* §. 25. ſed *ſpecularia* & *ſpecula* perperam confunduntur, cum uſus utrorumque ſit diverſus, & nemo veterum, quod ſciam, hæc pro unis iiſdemque acceperit.

Claudius Salmaſius ad Flavii Voſpici *Firmum C.* 3. ex eadem Græcorum paraphraſi, nempe τὰ σπίκλα τοῦ οἴκου, conjicit apud Ulpianum ita ſcriptum fuiſſe, *non quia pars ſunt vini vaſa, quemadmodum argenti ſcyphorum forte vel ſpeculorum cubiculi*, audetque præſtare, hanc geminam germanam eſſe Lectionem, duas enim voces, *ſpeculorum cubiculi*, in unam coaluiſſe vitio librariorum, & ex his factum *ſpeculi.* Sed, Dii boni! quid eſt arte pulcherrima abuti, ſi hoc non eſt? Non equidem iverim inficias, ſi, ut in Libris Græcis, ita & in Latinis legeretur, *ſpecula domus*, vel *ſpeculorum cubiculi*, me hæc non mutaturum, ſed intellecturum, non, ut ille, *ſpecularia*, ſed pictas tabulas, parietibus inſertas, quales & nunc aliquando cubicula exornant. Integri

gri ſæpe parietes ejusmodi pictis tabulis olim tegebantur & etiam nunc teguntur. Quin & vera ſpecula, ad ornamentum, in parietes immittebant Veteres. De iis quædam habet Salmaſius *d. loc.* Addo alia, magis, ut opinor, perſpicua. De Horatio Suetonius, vel quisquis alius Horatii vitam ſcripſit: *Ad res venereas intemperantior traditur: nam ſpeculato cubiculo ſcorta dicitur habuiſſe diſpoſita, ut quocunque reſpexiſſet, ibi ei imago coitus referretur.* Poſſes hunc locum & de pictis tabulis intelligere, & de veris ſpeculis. De veris certe intelligendum, quibus, ad libidinem quoque, uſus legitur Hoſtius apud Senecam *L.* I. *Quæſt. Natur.* C. 16. *Fecit ſpecula ejus notæ, cujus modo retuli, imagines longe majores reddentia, in quibus digitus brachii menſuram & longitudine & craſſitudine excederet. Hæc autem ita diſponebat, ut, cum virum ipſe pateretur, averſus omnes admiſſarii ſui motus in ſpeculo videret, ac deinde falſa magnitudine ipſius membri tanquam vera gauderet.* De his ſpeculis & alia ibi refert, quæ deſcribere vetat pudor.

Atque hæc ita, ſi in Libris Latinis mutanda eſſet Lectio, tunc enim conſtaret, quo ſenſu *ſpecula* pro parte domus eſſent habenda. Sed, ſi mihi credas, mutanda non eſt. Ait Ulpianus, vino legato etiam vaſa deberi, non quia pars ſunt vini, *quemadmodum emblemata argenti, ſcyphorum forte, vel ſpeculi*, hoc eſt, non ſunt pars vini, ut nempe emblemata ſcyphorum ſunt pars ſcyphorum, vel ut emblemata ſpeculi ſunt pars ſpeculi, ſed ex ſola teſtantis mente. Si *emblemata*, quæ præcedunt, ad *ſpecula* quoque referas, ut commodum referri poſſunt, emblemate Græcorum, & ex eo natis correctionibus, tuto carebimus. Ut autem ſcyphi, & alia vaſa, ſic & ſpecula habuerunt ſua ornamenta, quæ *emblemata* vocantur, & acceſſiones habentur ipſius ſcyphi vel ſpeculi. Sed quid ſint *emblemata*, & quid circa ea juris, ab aliis ſatis ſuperque explicatum eſt.

CAPUT VIII.

Actio rationibus diſtrahendis *unde dicta, & quæ eſſe videatur.*

Puto actionem *rationibus diſtrahendis* ſic eſſe dictam ex initio legis, qua fuit propoſita, hoc aut ſimili modo: *Rationibus diſtrahendis pupilli ſi quis tutor dolo malo occaſionem præbuerit, duplo luat.* Moveor etiam, quod hæc actio in *l.* 1. §. 18. *ff. de Tutel. & ration. diſtr.* & in *l.* 2. *ff. de Contr. tut. act.* ſimpliciter appelletur *actio rationibus diſtrahendis*, non *actio de rationibus diſtrahendis.* Atque ita & ſimpliciter Baſilici *L.* XXXVIII. *T.* 3. *C.* 1. §. 10. & §. 13. & *C.* 2. §. 1. ἡ ῥατιονίβυς διστραένδις, plane ut dicimus actionem *quod juſſu*, interdictum *uti poſſidetis*, & ita in reliquis. Scio, hanc actionem in *l.* 1. §. 21. & in *l.* 2. *ff. de Tutel. & ration. diſtr.* etiam vocari actionem *de rationibus diſtrahendis*, ſed neque ignoro, illud *de* a plurimis MSS. & editis Libris abeſſe. Et tamen nolim, ubi adeſt, expungere, namque uſu obtinuiſſe potuit, ut hæc actio etiam dicta fuerit *de rationibus diſtrahendis*, ſicut actio *quod juſſu* audit actio *de juſſu* in *l.* 5. *ff. Quod juſſ.* & interdictum *utrubi* in Pandectis Florentinis *de utrubi.* Sane & nunc placet omnibus, quos vidi, Interpretibus hanc actionem appellare *de rationibus diſtrahendis*, ut ut ego in aliam, quam dixi, appellationem eſſem proclivior.

Quum vero hic *rationum diſtrahendarum* incidat mentio, eas *rationes* intelligi vulgo placet, quas tutor, finita tutela, pupillo reddit, atque ſi nempe ageretur, ut diſtrahatur, id eſt, reſcindatur & mutetur perperam concepta ratio. Sed ego per *rationes* intelligo *patrimonium pupillare*, ut Paulus intellexit in *l.* 43. §. 1. *ff. de Admin. & peric. tut.* cum dixit, *rationem pupillarem ſufficere* &c. Simili modo Pomponius in *l.* 4. *pr. ff. de Pecul. ſervi rationem* dixit pro *peculio*, ſive *puſillo ſervi patrimonio*, quemadmodum id extulit Ulpianus in *l.* 5. §. 3. *eod. Tit.* Nunc videamus, quid ſit *diſtrahere* rationes, nam *diſtrahere* omnino legendum eſt, non *detrahere*, ut mendoſe legitur in quibusdam Libris. Qui per *rationes* intelligunt eas, quas tutor, finita tutela, ſolet reddere, per *diſtrahere* intelligunt *turbare*, qua ſignificatione & alibi ea vox occurrit, quæque propria eſt eorum, qui decoquunt & rationes confundunt, & qui propterea ſimpliciter dicuntur *conturbare.* Sic *diſtrahendi* verbum in actione *rationibus diſtrahendis* accepit Cujacius ad *Pauli L.* II. *Sentent. Tit.* 30. & ſic fere alii accipiunt. Ego malim *diſtrahendi* nomine diſſipationem & quamcunque interverſionem patrimonii pupillaris intelligere, ſive ea fiat turbatis rationibus, ſive alio quocunque modo. Interpretem dabo Ulpianum in *l.* 1. §. 22. *ff. hoc Tit.* qui tutorem, *qui intercepit pecuniam pupillarem*, & hac actione, & furti teneri, præeunte Papiniano, adfirmat. Addo Paulum in *l.* 2. *pr. Eod.* qui actione rationibus diſtrahendis neminem teneri ait, niſi qui in tutela gerenda *rem ex bonis pupilli abſtulerit.* Quod ſi, inquit in §. 1. furandi animo id fecerit, etiam furti tenebitur, nec altera actio alteram tollit, quia furti in duplum mere pœnalis eſt, hæc in ſimplo rei perſecutionem continet *d. l.* 2. §. 2. illa etiam competit durante tutela *l.* 9. §. 7. *Eod.* hæc non niſi finita *l.* 1. §. 24. *Eod.*

Quare ſic habendum puto, actionem rationibus diſtrahendis non eſſe inventam ob furtum, ſed ob aliam forte doloſam interverſionem, quæ in furtum non cadebat: nam in furti cauſa pinguiori actione pupillis proſpectum erat, quam eſt illa rationibus diſtrahendis, etſi verum ſit, etiam ea adverſus furem tutorem agi poſſe, non quatenus furem, ſed ut dolo malo diſſipantem rationes pupillares. Utraque actio in cauſa furti obtinere poteſt *d. l.* 1. §. 22. & *d. l.* 2. §. 1. *hoc Tit.* ſed ubi furandi animus non adeſt, actio rationibus diſtrahendis nihilominus competet, interverſo fraude mala pupilli patrimonio, ut ſignificat Paulus in ea ipſa *l.* 2. §. 1. Igitur, ſi me audias, vel potius ſi ipſum Paulum, diſtincta eſt hæc actio ab ea, quam Tryphoninus in *l.* 55. §. 1. *ff. de Adminiſtr. & peric. tut.* arceſſit ex lege XII. Tabularum adverſus tutorem in duplum, *ſi ipſi tutores rem pupilli furati ſunt*, cum, ut dixi, etiam ſine furto hæc actio competat. Vulgo tamen obtinuit, ea Tryphonini auctoritate, actionem rationibus diſtrahendis adſcribere Decemviris. Ita Cujacius ad *L.* II. *Sentent. Pauli Tit.* 30. Ita Jacobus Gothofredus ad *LL.* XII. *Tabb. Tab.* VII. Ita alii.

Eſt de ea actione, quam explicavimus, adhuc reliqua Pauli ſententia *d. L.* II. *Fragment. Tit.* 30.

Tit. 30. qui *Titulus* inſcribitur *ad Orationem Divi Severi.* Sententia autem ſubjecta, eaque unica, hæc eſt: *Dolo tutoris curatorisve detecto, in duplum ejus pecuniæ condemnatione conveniuntur, qua minorem fraudare voluerunt.* Deſcribitur, ut vides, actio rationibus diſtrahendis, ſed quid hæc ad Orationem Divi Severi? Et quæ hæc D. Severi Oratio? Cujacius exiſtimat, vitium eſſe in Inſcriptione, adeoque reſcribit, *de rationibus diſtrahendis*, quod & in Editiones quasdam tranſivit. Antonius Auguſtinus ad *Modeſtinum* in *l.* 6. §. 18. *ff. de Excuſat.* nihil mutat, ſed intelligit Orationem D. Severi, qua, inter alia, interdictum eſt tutoribus & curatoribus, ne prædia ruſtica vel ſuburbana diſtrahant ſine decreto. Exſtat id caput Orationis in *l.* 1. §. 2. *ff. de Reb. eorum qui ſub tut.* Et ſane veriſimile eſt, vel ea ipſa Oratione plurima de adminiſtratione tutorum fuiſſe cauta, vel JCtos, in ſuis ad eam Commentariis, plurima ejus argumenti admiſcuiſſe, quæ ad interdictam alienationem proprie non pertinebant. Sane Paulum, de quo agimus, ad eam Severi Orationem integrum Librum ſingularem ſcripſiſſe, diſcimus ex *Indice Florentino*, & ex *l.* 2. *l.* 4. & *l.* 13. *ff. de Reb. eorum qui ſub tut.* quæ LL. ex illo Libro in Pandectis ſuperſunt. Unde & illa fragmenta forte Paulo erant reddenda *d. Tit.* 30. Potiori, opinor, jure, quam ab aliis ad eum *Titulum* reducta eſt *l.* 24. *ff. de Tutel. & ration. diſtrah.* Hæc autem, quæ dixi, fragmenta, quin & alia, omiſit mutilator Pauli, contentus recitaſſe eam ſententiam, quæ directo non pertinebat ad Orationem D. Severi, ut certe nunc eam habemus reliquam, relicta tamen eadem *Tituli* inſcriptione, ſicuti & in ejusdem Pauli *L.* V. *Sentent. Tit.* 20. *de incendiariis*, cujus unica ſententia, quæ in Vulgatis Libris ſupereſt, non magis de incendio eſt, quam hæc de Oratione D. Severi. Incolumes nempe ſervati illi *Tituli* ob allegationis uſum, nam in allegationibus ipſos Titulos laudare moris fuit. Plerumque certe laudavit, ubi has ipſas Pauli ſententias adducit, Anonymus, *veteri Conſultatione de pactis*, quam edidit Cujacius. Atque hæc viſum eſt addere iis, quibus, ad vindicandam Pauli Inſcriptionem, mihi præluxere Auguſtinus *d. loc.* & Clar. Schultingius ad *Pauli d. L.* II. *T.* 30.

CAPUT IX.

Varia ad L. 34. §. 1. ff. de Legat. II.

In teſtamento Græco, cujus verba Modeſtinus exhibuit in *d. l.* 34. §. 1. Lucius Titius filiam ſuam a ſe ipſa capere voluit χωρίον Γάζαν σὺν ταῖς ἐνθήκαις αὐτοῦ πάσαις, & mox filium ſuum capere a ſe ipſo σύγκτησιν ἀγωνοφόρον κομιάνην, rurſus σὺν αἷς ἔχει ἐνθήκαις πάσαις. Sic editum eſt Florentiæ. In antiquis quibusdam Editionibus, ut Roberti Stephani & Fratrum Sennetoniorum, eſt κώμην Γάζαν, ſed χωρίον pro *prædio* recte ſe habet, illud autem κώμην inſertum ex vitioſa lectione, quam mox notabo. Sed primum quæro, quid ſint prædia σὺν ταῖς ἐνθήκαις, cum ſuis *enthecis*? nam & in Latinitatem ea vox migravit. Varias *Enthecæ* ſignificationes collegit Cujacius ad *Novell.* CXXVIII. & ad *Papinianum* in *l.* 2. §. 1. *ff. de Inſtr. vel inſtrum. leg.* & Turnebus *L.* VIII. *Adverſ. C.* 9. & Jacobus Gothofredus *Notis* ad *l.* 12. *C. Theod. de Oper. publ.* Docent illi, quicquid reponitur, ἐνθήκαι dici, etiam pecuniam, a menſariis repoſitam, præſidii forte cauſa, eoque ſenſu *entheca* eſt apud Auguſtinum *Cauſ.* XII. *Quæſt.* I. *C.* 10. §. 1. niſi malis ibi eſſe pro ipſo repoſitorio, quod rerum conſervandarum ergo habetur, in quod proclivior ſum. Docent præterea illi, docet & Salmaſius *Obſerv. ad Jus Attic. & Rom. C.* 5. *p.* 165. etiam pro onere, navibus impoſito, *enthecam* accipi, & hac, non alia cauſa in Gloſſis Philoxeni ἐνθήκη dicuntur *merces*, ſed hæ ſignificationes alienæ ſunt a Modeſtino in *d. l.* 34. §. 1. ubi agitur de *Enthecis* prædiorum. Antiquus Interpres hic vertit *cum impoſitionibus ſuis*, Græcam vocem Latina mutans ad literam, ſed tunc rurſus quæro, quid ſit *impoſitio*? ſi intelligas pro *re impoſita*, ut ſervitus dicitur *conſtitutio* Juris Gentium pro *re* Jure Gentium *conſtituta*, theſaurus *depoſitio pecuniæ* pro *pecunia depoſita*, adhuc parum proficies, nam minus uſitata voce uteris, & adhuc obſcura, quid ſignificet. Haloander prædiorum ἐνθήκας in *d. l.* 34. §. 1. vertit prædiorum *dotes*, procul dubio ex *l.* 2. §. 1. *ff. de Inſtruct. vel inſtrum. leg.* ubi Papinianus ait: *Dotes prædiorum, quæ Græco vocabulo ἐνθῆκαι appellantur, cum non inſtructa legantur, legatario non præſtantur:* ἐνθῆκαι enim omnino ibi eſt legendum, non *eroteci*, ut repræſentat Alciatus *L.* II. *Prætermiſſ.* in *d. l.* 2. §. 1. Igitur inſtructo legato, dotes ſive enthecæ prædiorum debentur. Sed quid rurſus ſunt *dotes*? Si audias Duarenum *de Sacr. Eccleſ. miniſter. L.* V. *C.* 4. erunt prædiorum reditus, quod *d.* §. 1. minime convenit, neque aliis etiam legibus, quas de legatis fundi dotibus mox addam. Et quum reditus fundi non poſſit eſſe non legatus, cui fundus legatus eſt, fruſtra eſſet Papinianus, ſi id non aliter obtinere diceret, quam fundo, ut inſtructus eſt, legato.

Sed ut Papianum, ut alios JCtos, in hac re verſatos, intelligamus, ſciendum eſt, *dotes* prædiorum non duntaxat eſſe aptas qualitates, ut vocantur Plinio *L.* I. *Epiſt. ult.* utputa ſunt bonitas, ſalubritas, amplitudo *l.* 86. *ff. de V. S.* verum & omnia ea, quibus prædia inſtruuntur & dotantur. Columella *L.* IV. *C.* 30. *Pedaminum jugorumque, & viminum proſpiciendorum tradenda ratio eſt: hæc enim quaſi quædam* DOTES *vineis ante præparantur.* Hæc etiam ſunt, quæ agrorum *dotes* appellavit Symmachus *L.* VI. *Epiſt.* 11. & Papinianus in *d. l.* 2. §. 1. quæque apud JCtos vulgo veniunt *inſtrumenti* nomine. Unde & Cujacius ad *Papinianum* in *d. l.* 2. §. 1. & ad *Modeſtinum* in *h. l.* 34. §. 1. per ἐνθήκας intelligit inſtrumenta prædiorum, & Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 63. σὺν ταῖς ἐνθήκαις verti voluit *cum inſtrumentis.* Et ſane prædiis *cum his enthecis, quæ in ea poſſeſſione ſunt*, relictis, etiam mancipia prædiorum deberi Ulpianus ſcripſit in *l.* 68. §. *ult. ff. de Legat.* III. cedunt autem mancipia inſtrumento fundi *l.* 19. *pr. ff. de Inſtr. vel inſtrum. leg.* Ex quo apparet, in *d. l.* 68. §. 10. omnino legendum eſſe, ut Florentiæ legitur *enthecis*, non *enthechiis*, ut Cujacius videtur legiſſe *Comment.* ad *l.* 6. *C. de Diverſ. præd. urb. & ruſtic.* nam *enthechion*, ſi quid ſignificet, ſignificaret capſam vel armarium, cujus legato mancipia contineri quis dixerit? Ceterum & in Jure noſtro plurima eſt mentio *dotium*, quæ ad prædia pertinent, & non de qualitatibus, ſed de inſtru-

ſtrumentis intelligi poſſunt. Sic eſt apud Scævolam in *l.* 20. §. 1. & 2. *ff. de Inſtr. vel inſtrum. leg.* & apud Papinianum in *l.* 52. §. 2. *ff. de Fidejuſſ.*

Lectis autem & collatis his omnibus, dubitare licet, in fundo *cum ſuis entbecis*, vel, quod perinde eſt, *cum ſuis dotibus* legato, legatus cenſeatur *inſtructus*, an duntaxat *cum inſtrumento*? Pinguius eſſe inſtructi, quam inſtrumenti legatum, vulgo notum eſt, etiam ex *l.* 12. §. 28. *ff. de Inſtr. vel inſtrum legat.*. Cujacius & Pancirolus, ſecundum ea, quæ dixi, ejusmodi legatarium *inſtrumento* contentum eſſe juberent. Turnebus *d. L.* VIII. *C.* 9. *entbecæ* legato putat cedere *ſupellectilem, quæ in prædio poſita eſt, & penum annuamque, tanquam ejus dotem.* Atquin hoc *inſtructi* eſt legatum *d. l.* 12. §. 12. Ego ſubſiſto. Video equidem in *Novell.* CXXVIII. *C.* 8. memorari prædia *cum ſuis entbecis*, & Julianum Antecesſorem in *Epit.* ad *Conſt.* CXXIV. *n.* 549. ibi intelligere omnem, quanta quanta eſt, inſtructionem, ſed poſt *enthecas* in Græco *d. Novell.* ſequitur & omne aliud ἰνστροῦκτον, quod Vulgata verſio non expreſſit, & tamen exprimendum erat. Nihil igitur efficit illa Juliani auctoritas. Plus efficiet, quod Papinianus in *d. l.* 2. §. 1. *de Inſtruct. vel inſtrum. legat.* negaverit ἐνθήκας deberi, *cum non inſtructa legantur.* Sed, inquies, *inſtructi* legatum etiam *inſtrumenta* continet. Recte, verum non ſola inſtrumenta; quare, ſi ἐνθήκαι non niſi inſtrumenta comprehendant, non *inſtructi* legatum, ſed duntaxat *inſtrumenti* deſideraſſet Papinianus, ut deſideravit Calliſtratus in *l.* 14. *ff. de Supell. legat.* Atque hoc me movet, cur legato *entbecarum* vel *dotium* omnem potius inſtructionem contineri putem.

Lucius Titius, eodem teſtamento in *d. l.* 34. §. 1. filium a ſe ipſo capere voluit σύγκτησιν ἀγνοφόρον Κομιάνην. Antiquus interpres vertit: *ſyntheſin ſterilium villarum.* Accurſius, ignarus quid rei eſſet *ſyntheſis*, nomen villæ legatæ eſſe finxit. Quid ſit *ſyntheſis* in re veſtiaria, explicavi *Obſerv. Jur. Rom. L.* IV. *C.* 24. Legitur autem Florentiæ non σύνθεσις, ſed συγκτησις. In Gloſſis σύγκτησις eſt *ſaltus*, ut qui conſtare ſolet ex variis prædiis. Σύγκτησις proprie ad verbum eſt *compoſſeſſio*, a σὺν & κτῆσις; unde in iisdem Gloſſis συγκτήτωρ, *compoſſeſſor*. Ubi igitur de agris agitur, ut hic agitur, σύγκτησις eſſe videtur plurium agrorum conjunctio, qui forte ſub uno colono coluntur. Ejusmodi συγκτησις videtur deſcripta in *l.* 35. §. 1. *ff. de Legat.* III. ubi legantur omnia prædia, quæ ſunt *ſub cura Villici primi.* Ita ut, quod mobilium dicitur σύνθεσις, immobilium eſſe videatur συγκτησις, quemadmodum & alias immobilia *poſſeſſionis* verbo veniunt, non autem mobilia, quamquam æque poſſideantur. Non male igitur Haloander συγκτησιν hic vertit *poſſeſſionem*, ut ut melius vertiſſet *latifundium*, quemadmodum ipſe vertit συγκτησιν prædiorum circa Colonem, de qua Scævola tractat in *l.* 30. §. 1. *ff. de Adim. & transfer. legat.* quamque σύγκτησιν Pancirolus *d. L.* II. *Variar. Lect. C.* 68. a noſtra συγκτήσει non differre recte putat. Sin autem putes, ut putavit Ferandus Aduenſis *Explicat. L.* I. in *d. l.* 34. §. 1. *latifundium* non dici niſi de uno fundo, qui late patet, σύγκτησις verti poterit *omnis poſſeſſio*, & ſic intelligi de pluribus agris ſibi conjunctis. Ita ſane in *d. l.* 30. §. 1. σύγκτησιν vertit Alciatus *L.* I. *Prætermiſſ.* verbo, *ſyntheſis.*

Id vero conſtare arbitror, veterem Interpretem, cum vertit *ſyntheſin ſterilium villarum*, Græca non legiſſe, ut nunc leguntur Florentiæ, ſed σύνθεσιν τῶν ἀφόρων κωμῶν, quæ ipſa vitioſa lectio adhuc ſupereſt in Editionibus antiquis, in quibus Græca non deſiderantur, ut apud Stephanum & Sennetonios; ἀφόρων, *vel magis*, inquit Dionyſius Gloſſator, ἀπόρων, quod nugatorium eſt. Sed & lectio ἀφόρων omnino eſt mendoſa, non tantum quod a Florentina immane quantum diſcrepet, ſed & quod nemo, villas ſuas legans, eas *ſteriles* vocaret. Cujacius *Comment.* ad *l.* 14. *C. de Fund. patrim.* & Pancirolus *d. L.* II. *C.* 68. ſervant ἀγωνοφόρων, quod Florentiæ eſt, & interpretantur fundos *agonotheticos*, quorum mentio eſt in *l.* 5. *C. de Diverſ. præd.* & in *d. l.* 14. *C. de Fund. patrimon.* Sed illi fundi videntur fuiſſe publici, quorum reditus alendis athletis, vel habendis ludis ſcenicis, ut ipſi exponunt recte, ſunt deſtinati; illi autem fundi publici quomodo in Lucii Titii teſtamento legabuntur? ad emendationes igitur decurſum eſt. Haloander & Vintimillius exhibent ἀμνοφόρον, quod ille vertit *agniferum*, ab ἀμνὸς, *agnus*, & φέρειν, *ferre*. Sunt Libri, qui exhibent ἀμιόφορον, forte a piſce ἀμία; prædia nempe, quorum reditus ex Amiarum captura conſtabat, nam habentur etiam prædia piſcationis ergo. Ejusmodi ſane erat prædium, quod ſe a Pythio emiſſe putabat Cannius apud Tullium *de Offic. L.* III. *C.* 59. Ruſſardus *Not.* ad *h. l.* legendum cenſet ἀγνοφόρον, ab ἄγνος, genus plantæ ſeu fruticis. Atque hujus conjecturæ ſe primum auctorem jactat Pardulphus Pratejus *Jurisprud. Med. Libr.* III. *C.* 3. quæ & ipſi placuit *Jurisprudent. vet. L.* 65. Improbat eam lectionem Pancirolus *d. L.* II. *C.* 68. ſed rejecta, ut videtur, priori ſententia, tandem in hanc emendationem tranſivit Cujacius ad *L.* X. *Reſponſ. Modeſtin.* in *h. l.* 34. §. 1. Recenſet ibi lectiones Florentinam & Noricam, ſed *nulla harum*, inquit, *placet, nulla enim, quæ non ſit importuna, & malim* συγκτησιν ἀγνοφόρον, *id eſt, latifundium viticibus vel amerinis obſitum.* Quod probo, donec ſit, quod magis placeat.

Sequitur Κομιάνην. De hoc verbo nihil quicquam notatum reperi. Unde dicatur, & ubi ſit συγκτησις Κομιάνη, non magis liquet, quam unde dicatur & ubi ſit *poſſeſſio Caperlata* apud eundem Modeſtinum in *l.* 20. *pr. ff. de Liber. legat.* Id conſtare arbitror, utrumque eſſe nomen proprium & συγκτήσεως & *poſſeſſionis.* Et quamvis inanis fere ſit opera, quæ ponitur in reſtituendis nominibus propriis, periculum tamen facio, an non potius legendum ſit Κομάνην a *Comana*, urbe Pontica, quam Armeniæ attribuit Juſtinianus *Novell.* XXXI. *C.* I. §. 1. Unde Modeſtino hæc quæſtio forte propoſita eſt, videtur enim Comanenſibus fuiſſe familiaris, quum ejus urbis, alioquin non ita celebris, exempli loco meminerit in *l.* 6. §. 9. *ff. de Excuſat. tut.* Comanenſium, & alias mentio eſt in Jure noſtro, ut obſervavit & probavit Auguſtinus ad *Modeſtinum* in *d. l.* 6. §. 9.

CAPUT X.

De judicati in duplum revocatione.

De judicati in duplum revocatione tres exſtant loci in *Fragmentis*, quæ ex Pauli *Sententiis* ſuperſunt *L.* V. *T.* V. & unus ex Codice Gregoriano, quem locum Cujacius primum extulit ad *Paulum d. L.* V. *T.* V. §. *res olim judicata*, & nunc inſertus eſt Codicis Gregoriani *Libro* X. *T.* I. §. 1. Quatuor illos locos exhibebo prius, de omnibus deinde dicturus ſententiam meam. Primus locus eſt apud Paulum *d. L.* V. *T.* V. §. *confeſſionem*, in hæc verba: *Confeſſionem ſuam reus in duplum revocare non poteſt.* Secundus *d. L.* V. *T.* V. §. *quoties*, in hæc verba: *Quoties in contumacem fuerit judicatum, ab ea ſententia, quæ adverſus contumaces data eſt, neque appellari, neque in duplum revocari poteſt.* Tertius ibidem proxime ſubſequitur §. *res olim judicata*, in hæc verba: *Res olim judicata poſt longum ſilentium in judicium deduci non poteſt, nec eo nomine in duplum revocari. Longum autem tempus, exemplo longæ præſcriptionis, decennii inter præſentes, & inter abſentes vicennii computatur.* Quartus locus, ex Codice Gregoriano, eſt Reſcriptum Imper. Alexandri ad Creſcentem, quod ſic ſeſe habet: *Quæ in libello contuliſti, Præſidi Provinciæ allega, qui non ignorat, eum, qui per contumaciam abſens condemnatur, nec appellationis auxilio uti, aut in duplum revocare poſſe.* Vides, omnia ea loca meminiſſe in duplum revocationis, ac tria poſteriora ita meminiſſe, atque ſi Jus Civile contra condemnationem duplex propoſuiſſet auxilium, appellationis alterum, alterum in duplum revocationis, quod utrumque ceſſaſſet his, qui ibi memorantur, caſibus. His autem auctoritatibus aſſurgere jus fasque eſt, etiamſi, quæ fuerit revocatio in duplum, plane ignoraremus, ut fere ignoramus in tanto antiquitatis ſilentio. Cujacius aliquid de ea dicere tentavit. Alii totam revocationem in duplum revocant in dubium, & plane explodunt, atque ſi nihil de ea dictum ſcriptumve fuiſſet.

Sed priusquam de aliorum conjecturis dicam, audi meam. Ego autem puto, quum tempus appellandi præteriiſſet, & nulla contra ſententiam reſtitutio in integrum ſupereſſet, decurri potuisſe ad revocationem in duplum, quo ſic cauſa denuo in judicium reduceretur, promiſſa dupli pœna, niſi obtinuiſſet, qui revocabat. Deſidero, tempus appellationis exiiſſe, & reſtitutionis defuiſſe cauſam, quis alioquin tam imprudens, ut pœnam dupli ſubiret? de cauſa reſtitutionis adverſus ſententiam illuſtre exemplum eſt in *l.* 33. *ff. de Re judic.* & de appellatione res nota eſt. Atque ita conſtat ratio nominis, revocationem nempe in duplum eſſe dictam, quod ea ipſa cauſa, qua quis ceciderat, oblata dupli æſtimatione, ni victus vinceret, in judicium revocaretur. Dubito autem, an non res ipſa ſit apud Tullium *pro Flacco C.* 49. Narraverat *C.* 48. Heraclidem a recuperatoribus fuiſſe damnatum, ſed *judicatum non feciſſe*, mox de Heraclide *C.* 49. *Deinde in Aſiam rediit, cum jam Frater meus Flacco ſucceſſiſſet; ad quem adiit, cauſamque ita detulit: Recuperatores, vi Flacci coactos & metu, falſum invitos judicaviſſe. Frater meus, pro ſua æquitate prudentiaque decrevit, ut, ſi judicatum negaret, in duplum iret, ſi metu coactos diceret, haberet eosdem recuperatores.* Si reſtitutio competat ex cauſa metus, nulla, ut vides, dupli pœna eſt, ſed quum appellatum non eſſet a Recuperatoribus, nulla quippe ibi appellationis mentio, Frater decrevit, Heraclidem in dupli obligationem iturum, ſi cauſam rurſus judicari vellet, dum ſententiæ dictæ ſe obtemperaturum negabat. Non inficiabatur rem judicatam, ut ſic inficiatione actio judicati duplaretur, quemadmodum hæc exponit Cujacius ad *Paulum L.* I. *Sentent. T.* XIX. §. 1. quin adfirmabat palam, eſſe judicatum, ſed perperam, eamque ſententiam reſcindi poſtulabat. Fruſtra, ait Cicero, niſi *in duplum iret*, ut eundum erat, ſi quis bene judicatum negaret.

Nunc redeo ad Paulum. Quum autem ille *d. L.* V. *T. V.* §. *confeſſi*, dixiſſet, confeſſos debitores pro judicatis haberi, de confeſſione nonnulla dicere pergit, interque ea, *confeſſionem ſuam reus in duplum revocare non poteſt.* Hanc ſententiam Cujacius in Editionibus ſuis modo prætermiſit, modo exhibuit, ſed prætermittendam non eſſe omnium fere Codicum fides demonſtrat, & ipſe Cujacius eam, tanquam genuinam ſententiam Pauli, laudat ad §. *res olim judicata.* Cogor initia cujusque §. adferre, cum numeri hujus *Tit.* valde ſint turbati & ob hanc, quam dixi, & ob aliam, quam mox indicabo, omiſſionem. Cujacius, inquam, eam ipſam ſententiam laudavit, his ipſis verbis *in duplum*, quæ omnium Librorum conſtans lectio eſt, niſi quod in Edit. Aurelian. quam Fabrotus repræſentavit in operibus Cujacii, legatur *in dubium*, ut obſervavit Cl. Schultingius ad *d.* §. qui tamen eam lectionem vulgatæ & receptæ præfert, & in reliquos §§. qui de dupli revocatione agunt, & in ipſum Reſcriptum Alexandri inducit, abolita ſic omni memoria in duplum revocationis. Verum ea ſententia ego non utor, certa præferens dubiis. Si hic legeretur, *confeſſionem ſuam reus in dubium revocare non poteſt*, vix intelligerem, quid ſibi vellet Paulus. Quid enim ſi confeſſus erraverit, an confeſſionem ſuam in dubium revocare non erit integrum? utique non fatetur, qui errat *l.* 2. *ff. de Confeſſ.* Videor autem Paulum intelligere, cum ait, reum confeſſionem ſuam in duplum revocare non poſſe, ut enim confeſſus non appellat, ita nec in duplum revocat, de quo erat, cur magis dubitaretur. Dixit autem *confeſſionem* pro ſententia in reum confeſſum lata, niſi quis malit legere, *confeſſione ſua reus in duplum revocare non poteſt.* At illud non usquequaque urgeo.

Ut confeſſus non appellat, nec in duplum revocat, ita neque contumax. Quare mox Paulus: *quoties in contumacem fuerit judicatum, ab ea ſententia, quæ adverſus contumaces data eſt, neque appellari, neque in duplum revocari poteſt.* Quod totidem fere verbis repetitum exſtat in Reſcripto Alexandri. Unde miror, Cujacium exiſtimaſſe, illa priora, *quoties in contumacem fuerit judicatum, ab ea ſententia, quæ adverſus contumaces data eſt, neque appellari*, interpretationem potius eſſe *præcedentis* §. ubi hoc ipſum erat dictum, quam ſententiam Pauli, & illa poſteriora, *neque in duplum revocari poteſt*, deſumpta esſe ex proxima ſententia. Miror, inquam, hæc dici, & totam hanc Pauli ſententiam expungi, contra omnem veterum Librorum auctoritatem, & miror hoc probaſſe Cl. Schultingium, cum ipſe Cujacius, ſui ipſius oblitus, ad §. *ſeq.* hæc ipſa

ipſa verba referat, tanquam vera & germana Pauli. Utuntur quidem ea ratione, quod Paulus in §. *præced.* qui incipit *Trinis literis*, de appellatione contumaci deneganda id ipſum jam dixerat, quod hic repeteret, ſed non dixerat, quod nunc dicit, & cui priora ſerviunt, *neque in duplum revocari poteſt*, quæ etiam importune Interpres ex ſequenti ſententia huc revocaſſet. Addo, in interpretatione, quæ præcedit §. *quoties*, Anianum quoque dixiſſe de appellatione contumaci deneganda, & nihil cauſæ eſſe, cur id ipſum alia interpretatione repeteret, ſed malunt ſcilicet Anianum, quam Paulum vapulare. Rurſus moneo, omnes Editiones, excepta Aurelian. conſtanter habere *in duplum*, plane ut eſt in Reſcripto Alexandri, quod utrumque Cl. Schultingius iterum revocat *in dubium*, neſcio quo ſenſu, niſi valde dilato, ab ea nempe ſententia *neque appellari, neque in dubium revocari poteſt*. Quid ſit revocatio in dubium, ab appellatione diſtincta, minus intelligo, quam quæ ſit revocatio in duplum. Et ſi appellationem & in dubium revocationem rem unam eamdemque eſſe dixeris, ineptam habebis tot locis ταυτολογίαν. Neſcio etiam, an ſatis Latine dicatur, *ab ea ſententia in dubium revocari nequit*, alia tunc vox addenda fuiſſet ad ſuſtentandam orationem, vel repetendum *ea ſententia*, omiſſo *ab*.

Sequitur ultimus locus, *res olim judicata*, ſupra exhibitus, & vel in primis vexatus. Si me interpretem ſequaris, plana erunt omnia. Dixiſſet quippe Paulus: rem olim judicatam, poſt longum rei damnati ſilentium, plane amplius *in judicium deduci*, vel, ſi mavis, *reduci* non poſſe, neque per modum appellationis, cujus tempus jam præteriit, neque per modum revocationis in duplum, ſi vel condemnatus duplum offerat, niſi vicerit, his enim duntaxat modis, excepta reſtitutione in integrum, res judicata in judicium reducebatur. Quid autem, in hoc argumento, ſit longum tempus, mox Paulus definit, *decennii*, inquit, *inter præſentes, & inter abſentes vicennii.* Ex hoc jure, per decennii præſcriptionem, a retractanda ſententia videtur repulſus ille, de quo Doſitheus agit in *Sententiis D. Adriani n.* 9. hoc ſuperdicto: *αὐτὸς σεαυτῷ ὑστέρησαι, ipſe tibi defuiſti.* Sic mihi videtur de illa ſententia Pauli. Aliis aliud ſedet. Vetus quidem Interpres nihil extricat, ſimpliciter ita notans: *cauſa inter præſentes judicata poſt decennium revolvi non poteſt, nec inter abſentes poſt vicennium.* Vox *revolvi* utrumque modum retractationis comprehendit, ſed quod ignoravit, interpretari non potuit. Cujacius hunc Paulo ſenſum tribuit, *ut poſt longum ſilentium non poſſit inſtitui actio judicati, vel is, qui rem judicatam inficiatur, in duplum damnari.* Sed huic interpretationi mox diffidit ipſe Cujacius, ob rationes, quas ipſe ille enarrat, quibusque & alias, ad utramque ſententiam, cum veteris Interpretis, tum Cujacii, refutandam, addidit Cl. Schultingius ad *d.* §. Mox iterum Cujacius: *vel in duplum, id eſt, oblata dupli æſtimatione, ni jure vicerit, ſicut venditor aliquando oblato duplo reſcindi venditionem deſiderat l. 6. C. de Reſcind. vendit.* Etiam hoc improbat Schultingius, quia *nihil habet, quo nitatur.* Ego non improbarem, modo, ut dixi, revocationi in duplum non tribuamus locum, ubi ſupereſt appellatio vel reſtitutio in integrum; nemo enim, rerum ſuarum non prodigus, tunc in duplum iret. Habet autem revocatio in duplum, quo nitatur, non tantum expreſſas auctoritates iis locis, quos attuli ex Paulo & Conſtitutione Alexandri, ſed & ex Tullio & aliis, quæ præmiſi, nec hic repeto. Janus a Coſta, a Cl. Schultingio quoque hic laudatus, *Summario* ad *Tit.* X. *de in integr. reſtitut.* agnoſcit revocationem in duplum, non auſus obviam ire tot auctoritatibus, ſed eam intelligit de reſtitutione in integrum, ſeu iteratione judicii, quæ hoc nomine petitur, oblata dupli æſtimatione, eo pertinere ratus *l.* 33. *ff. de Re judic.* Verum ea ſententia non utimur, cum reſtitutio in integrum omnem dupli pœnam reſpuat, nec de ea quicquam ullibi exſtet, quin palam ei contradicat locus Tullii, qui reſtitutionem in integrum, ex cauſa metus, ſeparat ab alio remedio, quo in duplum itur. Cl. Schultingius etiam in *hoc* §. legit, *in dubium revocari*, obſervans, etiam eam Lectionem exſtare ad marginem Editionis Lugdunenſis anni 1559. Sed, ſi mihi credas, ſervanda eſt revocatio in duplum, & ſane e dignitate veteris Jurisprudentiæ eſt, ut ea ſervemus, quæ tot teſtimoniis plenam ſui fidem faciunt, utque ea qualitercunque explicemus, ſi res ſalva eſſe poſſit. Si ipſa in duplum revocatio abrogata non eſſet, ut ex ſilentio poſterioris Jurisprudentiæ abrogatam eſſe conſtat, plus de ea ſcire liceret, quod nunc non licet, ſed exemplo grave eſt, ut ignorantiæ noſtræ ſuccurramus, tot & tanta veterum Auctorum teſtimonia in dubium revocare.

CAPUT XI.

Quemadmodum reſtituendus videatur ordo verborum, nonnihil turbatus in L. 29. ff. Comm. divid.

Latet vitium, vulgo non animadverſum in *d. l.* 29. Videamus. Actio communi dividundo non tantum competit ad rem communem dividendam, ſed & ad refundendas impenſas, in rem communem factas *l.* 4. §. 3. & 4. & *l.* 11. *ff. hoc Tit.* Unde quæſitum eſt, quid juris, ſi quis putans ſibi cum Titio fundum communem eſſe, ſumptum fecerit, cum tamen eſſet cum alio communis? & rurſus, ſi quis impenderit in rem communem, quam putat eſſe ſuam? has ſpecies explicat Ulpianus in *l. 6. pr.* & Paulus in *l.* 14. §. 1. & in *h. l.* 29. *ff. Commun. divid.* Eorum omnium ſummam expreſſerunt Baſilici *L.* XII. *T.* 2. in *d. l.* 29. eaque huc redit: Qui ſcit rem communem eſſe, ſed errat in perſona ſocii, communi dividundo actione impenſas repetit. Qui autem in rem communem, quaſi in propriam impendit, actionem non habet, at retentionem duntaxat, παραχατέχειν ut recte Interpres Baſilicorum, explicationis gratia, ibi addit. De priori ſpecie, errore nempe in perſona ſocii, tractat Ulpianus in *d. l.* 6. *pr.* & ait, hunc non obeſſe, quominus impenſæ actione communi dividundo ſerventur a ſocio, errante in perſona ſocii. De utraque ſpecie Paulus *Libro* III. *ad Plautium*, in *d. l.* 14. §. 1. & *Libro* II. *Quæſtionum*, in *h. l.* 29. Scio, quid Cujacius & Antonius Faber moliantur adverſus *d. l.* 14. §. 1. ſed hoc jam non ago; unice ad rem præſentem pertinet *verſic. Diverſum eſt*, in quo ita Paulus: *Diverſum eſt enim, cum quaſi in rem meam impendo, quæ ſit aliena aut communis, hoc enim caſu, ubi quaſi in rem*

meam impendo, tantum retentionem habeo, quia neminem mihi obligare volui. At cum puto, rem Titii eſſe, quæ ſit Mævii, aut eſſe mihi communem cum alio, quam eſt, id ago, ut alium mihi obligem, & ſicut negotiorum geſtorum actio datur adverſus eum, cujus negotia curavi, cum putarem alterius ea eſſe, ita & in propoſito. Ecce in utraque ſpecie aliam atque aliam definitionem juris, & utriusque diſtinctam rationem. Cum error eſt in re, ut ſi quis impendat in rem, quam putat eſſe propriam, cum tamen ſit plane aliena, vel partim aliena, id eſt, communis, quia is, qui ita impendit, non eo animo impendit, ut alium ſibi obliget, ceſſat communi dividundo, & ſupereſt ſola retentio, per exceptionem doli mali, quod & in aliis Juris articulis obtinet, ut in ſpecie *l.* 14. *ff. de Dol. mal. & met. except.* Id quod agitur, ex animo agentium æſtimatur, & ex eo ſolo interpretationem capit, ut exempla ſuggerunt in *l.* 18. & *l.* 19. *pr. ff. de Reb. cred.* Qui exiſtimat, ſe in re propria verſari, non conſtituit alium ſibi debitorem facere, & tamen obligatio non quæritur ignoranti vel invito. Alia cauſa eſt ejus, qui impendit in rem, quam ſcit eſſe communem, neſcit autem, cum quo ſit communis. Quod ille impendit, impendit animo repetendi, & alium ſibi obligandi, ſive ille alius ſit Titius, ſive Mævius, neque enim quod fecit, fecit contemplatione hominis, ſed contemplatione rei, quæ impendia deſiderabat. Plane ut eſt in negotiorum geſtione, quod exemplum Paulus opportune addit: nam ſi quis, cum putaret Titii negotia eſſe, cum eſſent Sempronii, ea geſſerit, ſolus Sempronius ei actione negotiorum geſtorum tenetur *l.* 5. §. 1. *ff. de Negot. geſt.* quia habuit animum alium ſibi obligandi, Tros Tyriusve fuerit, nihil quicquam intereſt. Habent hæc rationem ſolidam & elegantem. Sed hac Jurisprudentia enarranda non eſt cur diutius occuper, cum plena manu eam exſequutus ſit Cujacius ad *L.* II. *Quæſtion. Pauli* in *d. l.* 29.

Quum de eo jure, ni fallor, inter omnes conſtet, videamus, an eadem veſtigia premat ipſe ille Paulus in *d. l.* 29. Ita autem ibi infit: *Si quis, cum exiſtimaverit fundum communem ſibi cum Mævio eſſe, quem cum Titio communem habebat, impendiſſet, recte dicitur, etiam communi dividundo judicium ei ſufficere: hoc enim eſt, ſi ſciam rem communem, ignorem autem, cujus ſocii.* Hactenus Paulus Paulo convenit. Valde autem inexſpectata eſt ratio, quæ additur: *neque enim negotia ſocii gero, ſed propriam rem tueor.* Imo vero qui in rem communem impendit, non tuetur propriam, ſed communem, & utique gerit negotia ſocii, quamvis ignoret, cujus. Hæccine erit ratio, cur competat communi dividundo? quin potius ratio eſt, cur non competat, nam Paulus dixit in *d. l.* 14. §. 1. retentionem tantum habere, qui in rem quaſi ſuam impendit, ignarus, eſſe alienam aut communem. Quod ipſum Paulus mox repetit in *h. l.* 29. *Diverſa,* inquit, *cauſa eſt ejus, qui putat ſe in rem propriam impendere, cum ſit communis, huic enim nec communi dividundo judicium competit, nec utile dandum eſt.* Hujus diverſæ cauſæ ſi rationem quæras, non aliam habebis, quam quod ille ſibi non videatur *negotia ſocii gerere, ſed propriam rem tueri.* Apta igitur ea ratio eſſet poſteriori loco, non apta priori. Accurſius, ut ſeſe extricaret, *propriam* interpretatur *communem, & ut communem.* Vix etiam felicius Cujacius ad *L.* II. *Quæſt. Pauli* in *h. l.* 29. *propriam,* inquit, *id eſt, propriam ex parte, nec enim propria eſt in aſſem, quæ & alterius eſt.* Sed ego non didici, rem *propriam* dici, quæ *communis*, vel, quod perinde eſt, quæ *ex parte propria* eſt. Ad hæc negat Paulus, eum, qui in rem communem impendit, *negotia ſocii gerere*, cum utique gerat, & quia gerit eo animo, utut in perſona erret, ſocium ſibi obligat. Antonius Faber *Ration.* ad *h. l.* 29. ita pervertit ſenſum *hujus verſiculi*, ut bona fide dubitem, an, quæ ſcripſit, ipſe intellexerit, ego ſane non intelligo.

Ut tandem, quod ipſe ſentio, dicam, opinor, in *hoc Verſ.* turbatum eſſe verborum ordinem, & pro *neque enim negotia ſocii gero, ſed propriam rem tueor*, reſtituendum videri, *neque enim propriam rem tueor, ſed negotia ſocii gero.* Hæc eſt congrua ratio, quare is, qui in rem communem impendit, impendia repetat actione communi dividundo, quod nempe non tuetur rem propriam, hoc eſt, quod non impendat, tanquam in rem propriam, ſed quod negotia ſocii gerat, quamvis ignarus, cujus. Rem ſcit eſſe communem, & hanc tuetur, in ſocietate non erravit, ſed in ſocio. Unde Paulus mox ſubjicit, *& magis ex re, in quam impenditur, quam ex perſona ſocii actio naſcitur.* In omnibus quidem Libris, MSS. & editis, quos ego in conſilium adhibui, conſtans eſt ſcriptura, quam primum exhibui, ſed, ut mihi videtur, conſtans ubique mendum, ex trajectione verborum, ut alia plurima, ortum. Atque ita credam, donec ſit, qui receptæ lectionis interpretationem adferat magis idoneam.

Sic poſſem dimittere Paulum, niſi me moraretur *verſic. Ille enim.* Poſtquam dixiſſet, eum, qui putat ſe in rem propriam impendere, cum ſit communis, communi dividundo impenſas non repetere, ejus juris rationem non expedit, ſed hanc licet intelligere ex alia ſpecie, quam præmiſerat, & ſic repetit: *Ille enim, qui ſcit rem eſſe communem, vel aliena negotia eo animo gerit, ut aliquem ſibi obliget, & in perſona labitur.* De re ipſa ſatis conſtat, ſufficit admonere, eum, qui in rem communem impendit, hic dici, *aliena negotia gerere*, & tamen, ex recepta lectione, ante negaverat, eum *negotia ſocii gerere.* Quare, ut ſibi conſtet Paulus, tranſponenda ſunt, ut dixi, verba *prioris verſiculi.* Hic autem *verſic.* ut eum exhibui, editur Florentiæ, Cujacius vero *d. loc.* ita legendum cenſet: *Ille enim, qui ſcit rem eſſe communem vel alienam, negotia eo animo gerit* &c. Cave putes, hanc eſſe ipſius Cujacii emendationem, nam omnes, quas ego conſului, Editiones, ante Florentinam, conſtanter ita exhibent, probo ſatis ſenſu. Sed quum uterque MS. meus Florentinam ſcripturam tueatur, nihil cauſæ video, cur ab ea recedendum ſit. Qui ſcit rem eſſe communem, *vel aliena negotia eo animo gerit*, ut aliquem ſibi obliget, *vel* pro *etiam*, vulgari, etiam apud JCtos, ſignificatione. Hoc eſt, non ſua tantum, ſed & aliena negotia eo animo gerit &c. Servamus, ſi ſervari poteſt, ſcripturam Codicis optimi, ſed ſi res aliter ſalva eſſe non poſſit, modeſta criſi cauſam tranſigimus.

CAPUT XII.

Tentatur alia tranſpoſitio, aliave emendatio in L. 10. pr. ff. de Condit. & demonſtr.

Poſtquam Ulpianus dixerat, conditionem *ſi nupſerit*, etiam impleri poſſe vivo teſtatore, mox addit, non omnes conjunctiones implere conditionem, *puta enim*, inquit, *nondum nubilis ætatis in domum mariti deducta, non paruit conditioni; ſed & ſi ei conjuncta ſit, cujus nuptiis ei interdictum ſit, idem dicemus.* Deinde quærit, an poſtea nubendo poſſit parere conditioni, quaſi non nupſerit? & putat defeciſſe conditionem, ſi de primis nuptiis teſtator ſenſerit, hoc ſuperdicto: *benigne tamen dicendum eſt, nondum impletam conditionem defectam.* Sic legitur in omnibus Libris MSS. & editis, niſi quod Haloander & Vintimillius exhibuerint, *nondum conditionem impletam defectam.* Quod eodem redit; ſed ſenſum ejus ſententiæ deſidero idoneum. Conditio nuptiis adſcripta, non impletur, niſi juſtæ fuerint nuptiæ, ſi injuſtæ, conditio ſuſpenditur, donec juſtæ ſequantur. Exemplum eſt in dote promiſſa apud Papinianum in *l. 68. ff. de Jure dot.* & hic apud Ulpianum in conditione, teſtamento adſcripta. Suſpenditur, inquam, & differtur conditio, non autem defecta eſt, nam quæ ſemel defecit, amplius reviviſcere non poteſt. Quid igitur ſi femella minor XII. annis ſe marito dederit? non cenſebitur nupſiſſe, quia nondum ſubacta ferre jugum valet cervice, vel, ſi valet, lex nuptiis impedimento eſt. Sed quid dicemus, ſi, quaſi non nupſerit, poſtea, annis XII. major, conditioni paruerit? Ulpianus defectam putat conditionem, ſi teſtator *de primo nuptiali jugo*, cui adhuc impar erat, ſenſerit. Sed mox, miſſa ea ſententia, quæ nec æquitate, nec voluntate teſtatoris commendabatur, *benigne tamen*, inquit, *dicendum eſt, nondum impletam conditionem defectam.* Atqui, ut dixi, defecta non eſt, alioquin fruſtra denuo impleretur, & quæ, ſcire velim, benignitas, ſi defeciſſet.

Quum eorum verborum ſenſus non ſit, niſi peſſimus, ipſa Gloſſa jam videtur ferro medicinam quæſiviſſe. *Sic*, ait, *copula:* DICENDUM EST CONDITIONEM IMPLETAM *(ſcilicet de facto)* NONDUM DEFECTAM, *& ſic adhuc impleri poteſt.* Addit deinde aliam ſcripturæ, non mutatæ, interpretationem. *Vel dic, conditionem defectam nondum impletam de jure, & ita adhuc poteſt impleri in alterius perſona.* Sed, ut dixi, conditio defecta nunquam impleri poteſt. Cujacius *L.* XIII. *Obſerv. C. ult.* quia Ulpianus adfirmat, quod negare conſtituerat, negationem addit, hoc modo: *dicendum eſt, nondum impletam conditionem*, NON *defectam.* Sed quum Secta noſtra abhorreat ab ejuſmodi vi majori, & tamen ſcriptura, quæ nunc legitur, procul dubio ſit vitioſa, primum ſuccurrit, an non pro *defecta* reſcribi poſſet, *refecta*, id eſt, *reparata*, in quam ſententiam *reficere* occurrit ſæpius. Ita dixiſſet Ulpianus, ſi, quæ primum injuſte nupſerat, poſtea juſte nubat, & ſic conditioni pareat, *nondum impletam conditionem, refectam* id eſt, *reparatam eſſe.* Ceteroquin, quod magis placet, utor tranſpoſitione, non ea, qua utitur Gloſſa, quia conditionem ſtatuit impletam, quæ non erat, ſed alia, eaque leviſſima, in hunc modum: *benigne tamen dicendum eſt, nondum defectam conditionem, impletam.* Hoc eſt, conditionem, quæ non defecerat per priores, eaſque injuſtas nuptias, eſſe *impletam* per ſecundas, eaſque juſtas. Si neutra conjectura placeat, ecce tertiam, ſenſu non minus idoneo. Puto, inquit Ulpianus, ſi de primis nuptiis ſenſerit teſtator, filiam *defectam conditione*, deinde ita lege: *benigne tamen dicendum eſt, nondum, impleta conditione, defectam.* Quod alii forte prætulerint, quaſi litera *m* bis male repetita ex proximis utrimque vocabulis. Sic diceret, puellam per immaturam conjunctionem non defeciſſe conditione, ſi poſtea, matura viro, eam impleverit. Forte & trajectio Gloſſæ defendi poſſet, ſed aliter explicata, atque ibi explicatam video, *impletam conditionem, nondum defectam*, id eſt, per ſecundas nuptias fuiſſe impletam conditionem, quæ nondum defecerat, ſed ad id tempus fuerat dilata. Elige, quod placet; omnibus his modis abeſt, qui abeſſe debet, major motus. Duæ voculæ duntaxat reſtituuntur, quarum altera in alterius locum migravit, vel una duæve literæ, proclivi vitio, mutantur vel expunguntur, ut bene ſit loco, alioquin deſperato.

Sic abſolvimus, quod vel maxime agendum erat. Sed aliud ſupereſt mox *in principio*, quod nonnihil turbare poſſit; verba ſic habent: *Hæc conditio*, FILIÆ MEÆ, CUM NUPSERIT, *talis eſt, ut qui teſtatus eſt, impleri ſolummodo conditionem voluerit, non ſatis egerit, quando.* Si legas, ut Florentiæ & ubique reperi, *filiæ meæ*, ſubaudiendum eſt, *do lego tot vel tot*; abſque eo enim ſenſus ſe tueri non poteſt. Quum vero id ſit duriuſculum, malim legere, *filia mea cum nupſerit*: nam & ex ſequentibus apparet, agi de nuptiis ipſius filiæ. Illud, *non ſatis egerit*, quod mox ſequitur, & Florentiæ quoque legitur, dubito, an ſatis Latine dicatur, ea nempe ſignificatione, quam ſenſus poſtulat. Unde pleræque Editiones, ante Florentinam, exhibent, *non ſatis exegerit*, vel, *non etiam ſatis exigi*, puta *voluerit*, quod præcedit. Sed quomodocunque legas, ſemper incommodum erit τὸ *ſatis.* Quid ſi credamus, veram & germanam Ulpiani ſcripturam fuiſſe, *non ſategerit*, eamque vocem, licet hic aptam & propriam, tamen, quia inſolentior erat, a Librariis minus intellectam fuiſſe, atque ideo ſciſſam & mutatam in *ſatis egerit*? Id quidem mihi ſatis eſt probabile.

CAPUT XIII.

De votis nonnulla.

De votis eſt *Titulus* Pandectarum *de Pollicitationibus*, vota enim per eminentiam *pollicitationes* appellari obtinuit. Unde Varro τῶν κρεῶν, *Fragment. p. m.* 135. *Majores ſolitos decumam Herculi vovere, nec decem dies intermittere, quin* POLLUCERENT *populumque* ἀζύμεολον *cum corona laurea demitterent.* De decimis, Herculi *polluceri* ſolitis, plura habet Ruſſardus ad *l.* 2. §. 2.

§. 2. *d. Tit.* ex quo Gothofredus notam ſuam inſtruxit. Lemnii omnibus Diis decimas vovebant, excepta ſola Venere, ut eſt apud Lactantium ad *Stat. Thebaid. L.* V. *verſ.* 29. Pollicitatio genus eſt, & fit tam Deo, quam Reipublicæ, votum eſt ſpecies, nam quod Deo pollicitum eſt, magis *votum* dicitur *l.* 2. *pr.* & §. 2. *d. Tit.* Ut autem ſimplex pactum obligationem non producit, ita nec pollicitatio, quæ & ipſa pactum eſt, niſi quod in hac plerumque expresſus accipientis conſenſus deſit *l.* 3. *pr. ff. Eod.* quod pleniusexſequutus eſt Connanus *Comm. Jur. Civ. L.*V. *C.* 8. & Hilliger *Donell. Enucl. L.* XII. *C.* 5. *lit. A.* in *Notat.* Sed ſicut aliud pactum obligat, ſi cauſam habeat, ita & pollicitatio *l.* 1. §. 1. 2. & 5. *Eod. l.* 19. *pr. ff. de Donat.* ſi non habeat, contra *d. LL.* eoque refero, quod Ulpianus ait in *l.* 5. *ff. de Pollicitat.* ad editionem muneris gladiatorii non teneri, qui epiſtolam muneris edendi gratia emiſit, nullam enim ea lex cauſam edendi memorat. Ineptum eſt, quod Alciatus *L.* XII. *Parerg. C.* 9. & ex eo Ruſſardus ad *d. l.* 5. ajunt, promiſſorem in *d. l.* non obligari, quia turpe eſt & inhoneſtum munus gladiatorium, quum conſtet, non duntaxat gladiatores fuiſſe permiſſos, ſed & fortitudinis tunc temporis æſtimatos fomites. Neque melius de ea *l.* 5. Cujacius *L.* XXVI. *Obſerv. C.* 19. ratus, ſed perperam, abſentis pollicitationem nullam eſſe, exiliter in hanc rem captatis verbis *apud Rempublicam*, quæ exſtant in *l.* 9. *ff. Eod.* Nec enim alia ratione *abſentis* mentio fit in *d. l.* 5. quam quod promiſſio facta fuerit per epiſtolam. Sed cauſam non deſiderari diceres ex *l.* 4. *ff. Eod.* ſi non, favore decoris publici, calamitas ibi cauſæ loco eſſet, vel potius ipſa cauſa. Sine cauſa tamen valet promiſſio, ſi promiſſor promiſſum opus jam cœperit facere *l.* 1. §. 2. & *l.* 3. *pr. ff. Eod.* quemadmodum Jure Canonico, qui eccleſiam fecerit conſecrare, tenetur eam dotare *C.* 8. *X. de Conſecrat. eccleſ. vel altar.* Quin etſi non cœperit, modo inſinuata ſit donatio, tenetur donator ex Conſtitutione Græca in *l.* 15. *C. de SS. Eccleſ.* ſi nempe in piam cauſam fuerit donatum.

Ex pollicitatione oritur perſonalis obligatio, etiam cum Deo fit *l.* 2. *pr.* & §. 2. *ff. de Pollicitat.* neque enim ipſo voto res fit ſacra, ſed demum quando tradita & conſecrata eſt, iterùm plane ut Jure Pontificio, quo non voluntas, ſed traditio efficit fundum eccleſiaſticum *C.* 2. *X. de Conſuetud.* in quo, ut hoc in tranſitu moneam, legendum videtur, *in bona vel ultima valetudine*, non *in bona valetudine vel ultima voluntate*, nam in regione Daciæ, de qua ibi agitur, voluntates ultimas non fuiſſe admiſſas, ipſa Innocentii III. epiſtola declarat. Etiam inſcriptio *capituli* mutanda eſt, neque enim miſſa eſt epiſtola Archiepiſcopo & Capitulo *Lugdunenſi*, ut nunc legitur, ſed *Lundenſi*, ut legendum eſt, loquitur enim palam de conſuetudine Daciæ, non Galliæ. Igitur, ut dixi, res non fit ſacra ſolo animo voventis, ſed per traditionem. Scio, illum, qui orationem habuit pro dono Phalaridis in Templum Delphicum recipiendo, apud Lucianum in *Phalaride Secundo Tom.* IV. *p. m.* 232. ſine ambagibus adfirmare, etiam rei non dedicatæ ſacrilegium fieri, modo dedicationi fuerit deſtinata, ſed JCti Romani aliter ſapiunt, tam in his, quæ Imperatoribus, quam quæ Diis dedicabantur. De Principum ſtatuis res certa eſt ex *l.* 5. §. 2. & *l.* 6. *ff. ad L. Jul. Majeſt.* Idemque de Diis conſtat, tunc enim demum honori eorum ſunt, cum conſecratio acceſſerit. Neque etiam alius rei exitus eſſe poteſt, dubitare alioquin liceret, an ſola cogitatione voventis res efficeretur ſacra, an vero cogitatione declarata? & cui? artifici, an pontifici? Recte igitur Minucius Felix in *Octavio*, ex Theologia Gentilium, de Deo ſic infit: *Quando hic naſcitur? ecce funditur, fabricatur, ſcalpitur; nondum Deus eſt. Ecce plumbatur, conſtruitur, erigitur; nec adhuc Deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur; tunc poſtremo Deus eſt, cum homo illum voluit, & dedicavit.*

Ex voto obligantur patresfamilias, puberes, ſui juris, filiifamilias ſine auctoritate patris non obligantur *l.* 2. §. 1. *d. Tit.* Id ipſum obſervavit Scholiaſtes Virgilii, qui Servius dicitur, cum ad illa verba, *ipſe pater famulam voveo*, quæ exſtant *Æneid. L.* XI. *verſ.* 557. ſic inquit: *bene*, IPSE PATER, *quia auctoritamenti poteſtatem niſi patres non habent.* Nolim tamen ex eo efficias, ut quidam effecere, polliceri non poſſe filiumfamilias, quia non ſui juris, ſed parentis eſt, quum utique perſonaliter obligetur *l.* 57. *ff. de Judic. l.* 39. *ff. de O. & A.* Quod autem ex voto filius non obligetur, ea ratio eſt, quod de præſentibus voveatur, & quod rem alienam dedicans utique nihil agat; nihil autem habet filiusfamilias, omnia enim patris ſunt, eique donare, id eſt, perdere permiſſum non eſt *l.* 7. *pr. ff. de Donation.* Sic nec agnato, qui furioſo datus eſt, licet dedicare rem furioſi, quia agnato non competit rerum ejus alienatio *l.* 12. *ff. de Curator. fur. & al. perſ. extr. min. dand.* In filio igitur familias, quia res patris agitur, quod ad votum, requiritur interpoſita patris auctoritas *d. l.* 2. §. 1. ex quo apparet, ipſam conditionem filii, ut quidam nugantur, vota non impedire. Quare etiam, cur de caſtrenſibus, aut Jure Juſtinianæo pleno jure adventitiis, vovere nequeat, nihil cauſæ video. De filiafamilias vovente, abſque conſenſu patris, idem juris eſt *C.* 2. *Cauſ.* XXXII. *Q.* 2. quod capitulum tranſcriptum eſt ex *Numerorum C.* XXX. ubi de uxore, quæ ſine auctore marito vovet, id ipſum ſtatuitur, quia nempe jure Judaico uxor eſt in poteſtate mariti, & nihil habet proprium.

In *l.* 2. §. 3. *ff. d. Tit.* ita porro ſcriptum eſt: *Si decimam quis bonorum vovit*, & quæ ſequuntur. Feſtus in *Decima* ait: *Decima quæque Veteres Diis ſuis offerebant.* Ad quæ Scaliger: *Vide, quantum juris Barbarus ille ſibi ſumſerit in hoc loco mutilando, uni enim tantum Herculi hoc fiebat.* Sed vereor, ne Feſto vel Paulo iniquior ſit Scaliger, quam oportet. Ut enim Moſes Judæis decimas præſtare juſſit, ita & quandoque extra ordinem aliæ Gentes Diis ſuis decimas voverunt, Herculi quidem maxime, ſed & aliis Diis: Apollini & Dianæ apud Xenophontem de *Expedit. Cyri L.* V. *p.* 349. rurſus Apollini apud eundem *Hiſtor. Græc. L.* III. *p.* 493. & *de Ageſilao Rege p.* 657. Apud Romanos etiam decimam Apollini votam narrat Livius *L.* V. *C.* 21. De Lemniis, omnibus Diis decimas vovere ſolitis, jam occupavi dicere. Adderem exempla de Jove, de aliis, ſed hæc, ut ajebat ille, non pertinent ad Edictum Prætoris.

Voti obligatio tranſit ad heredem *d. l.* 2. §. 2. quæ ſcilicet verſatur circa præſtationes pecuniarias, quæ enim circa perſonalia, non tranſit, niſi heres votum ſuſceperit *C.* 6. *X. de Voto & voti redempt.* Quamvis autem Jure Civili ad illud, ad quod defunctus, utique etiam heres teneatur, in pollicitatione tamen id nonnunquam fallit. Si ob honorem pollicitatio fuerit facta, quaſi debitum exigitur *l.* 3. *pr. d. Tit.* etiam ab

here-

herede, absque ulla diminutione *l. 6. pr. ff. Eod.* Sed id de pecunia promiſſa intelligendum eſſe, auctor mihi eſt Modeſtinus in *l. 9. ff. Eod.* nam *ob id, quod opus promiſſum cœptum eſt, ſi bona liberalitati ſolvendo non fuerint, extraneum heredem in quintam partem patrimonii defuncti, liberos in decimam teneri*, ex Reſcripto Severi & Antonini reſpondit, quamvis ſcilicet ob honorem quis fuerit pollicitus, nam & in ea ſpecie ibi occupatur Modeſtinus. Audit & aliam diminutionem, ex eadem cauſa promiſſi & cœpti operis, ipſum puta donatorem, pauperem factum, non debere, niſi quintam patrimonii ſui partem. Sed diminutionem non patitur Pomponius in *l. 14. ff. Eod.* *Si quis*, inquit, *ſui alteriuſve honoris cauſa opus facturum ſe in aliqua Civitate promiſerit, ad perficiendum tam ipſe, quam heres ex Conſtitutione D. Trajani obligatus eſt.* Adſentior Pomponio, ſi promiſſor ejuſve hereditas ſit ſolvendo, nam quod Modeſtinus de diminutione dixit in *d. l. 9.* dixit, *ſi bona liberalitati ſolvendo non fuerint*; & de ea quoque ſpecie intelligo ſequentia Pomponii in *verſ. ſed ſi quis*, ubi heredem, ſi nolit opus cœptum perficere, liberari ait quinta parte patrimonii relicti, ſi extraneus ſit, decima, ſi ſit ex liberis, adducto eodem Antonini Reſcripto, quod adducit Modeſtinus in *d. l. 9.* quodque ipſum argumento eſt, de eadem ſpecie utrobique agi. Sin aliter dicas, non duntaxat Pomponius Modeſtino non conveniet, ſed nec ſibi ipſi, nam diminutionem in principio negaret, quam mox largiretur. Sic mihi videtur dicendum de obligatione heredis ex pollicitatione defuncti, & ſic nullus inter veteres JCtos diſſenſus. Plerique Interpretes ne attingunt quidem difficultates, undiquaque heic obſtantes, nec auſim definire, an bona fide ſecurius transmittant, an mala fide diſſimulent. Qui tamen aliquid conati ſunt, perfecte mihi videntur nugas egiſſe. Vis id enarrem? non vacat; qui nugas curat, ipſe agit.

CAPUT XIV.

De errore in materia vel ſubſtantia rei venditæ, ad L. 14. ff. de Contr. empt. & vendit.

Conſenſus, isque ſolus, Jure Gentium omnino obligat; cumque emptio ſit Juris Gentium, inde recte effecit Paulus in *l. 1. §. 2. ff. de Contrah. empt. & vend. & ideo conſenſu peragitur.* Quum autem conſenſum excludat error *l. 11. ff. de Juriſdict.* quin, qui errant, *diſſentire* dicantur in *l. 9. pr. & §. 1. ff. Eod.* emptionem, quocunque errore contractam, non valere dixeris. Id tamen ut ſimpliciter dicamus, leges moresque repugnant, atque ipſa utilitas, juſti prope mater & æqui. Videamus de eo errore, qui verſatur circa materiam vel ſubſtantiam rei venditæ. Audi ſententiam Marcelli, & ad eam ἐπίκρισιν Ulpiani in *d. l. 9. §. 2. Inde quæritur, ſi in ipſo corpore non erratur, ſed in ſubſtantia error ſit, ut puta ſi acetum pro vino veneat, æs pro auro, plumbum pro argento, vel quid aliud argento ſimile, an emptio & venditio ſit? Marcellus ſcripſit Lib. VI. Digeſtorum, emptionem eſſe & venditionem, quia in corpus conſenſum eſt, etſi in materia ſit erratum. Ego in vino quidem conſentio, quia eadem prope οὐσία eſt, ſi modo vinum acuit: ceterum ſi vinum non acuit, ſed ab initio acetum fuit, ut embamma, aliud pro alio veniſſe videtur. In ceteris autem*, inquit, *nullam eſſe venditionem puto, quotiens in materia erratur.* Nota res eſt, aceti duplex eſſe genus, alterum, quod ab initio acetum fuit, & hic *embamma* vocatur, alterum, quod fit ex vino corrupto & acido. Quod ad hoc, Marcello concedit Ulpianus, aceto pro vino vendito, ſubſiſtere venditionem, quia eadem prope οὐσία eſt, utque ita dici non poſſit in materia erratum fuiſſe, in ceteris omnibus Marcello contradicit, palam pronuncians, nullam eſſe emptionem, quotiens in materia erratur. Ne quidem quod Ulpianus Marcello largitur, obtinere poſſe arbitratur Connanus *Comment. Jur. Civ. L. VII. C. 6. n. 5.* quia, ut ut ſubſtantia non differant vinum non acidum & vinum acidum, differunt tamen uſu. Adſentior Connano, quæ uſu differunt, vitiare contractum, & inde quoque eſſe opinor, quod nulla ſit emptio, ſi in ſexu erratum ſit *l. 11. §. 1. ff. de Contr. empt. & vend.* nam quamvis hominis οὐσία prope eadem ſit, maſculus tamen & femella uſu differunt. Sed vini, quod in acetum degeneravit, idem quoque uſus fuit apud Veteres, qui alterius vini: acetum quippe bibere antiquis placuit, ut conſtat vel ex *l. 1. & l. 9. pr. & §. 1. & 2. ff. de Trit. vin. vel ol. legat.* adeo etiam, ut & illis, quibus ob pœnitentiam uſus vini erat interdictus, aceti quoque eſſet interdictus, ut lego apud Ivonem Carnotenſem *Part.* XIV. *C.* 35. Verum quum hodie aceti non idem uſus ſit, moribus obtinere non poterit Marcelli Juriſprudentia, ab Ulpiano probata.

Igitur ſi æs pro auro veneat, nulla eſt venditio, idque Ulpianus bis dixit *Libro* XXVIII. *ad Sabinum*, ſemel in *d. l. 9. §. 2.* iterum in *fine l. 14. Eod.* nam utraque lex eſt ex eodem *Libro ad Sabinum.* Sed quid ſi æs inauratum veneat pro auro? adhuc puto idem dicendum, nullam ſcilicet eſſe venditionem, quia aurum, quod ſuperficiei illitum eſt, neque uſum mutat neque ſubſtantiam ejus, quod intra ſuperficiem eſt. Aliud eſt *ſtatua aurea*, aliud *ſtatua ſub auro*, ſive *deaurata*, quæ aliquando decernebatur. Utriusque differentiam exſequitur Salmaſius ad *Trebellii Pollionis* XXX. *Tyrannos C.* 32. Æs inauratum nihil aliud eſt quam æs ſub auro, plane ut Græci vocant ὑπόχαλκον vel ὑπόξυλον. Neque *inaurata* apud JCtos *aureorum* appellatione contineri ex Celſo Ulpianus probat in *l. 19. §. 6. ff. de Aur. arg. legat.* & ex Tuberone Paulus in *l. 32. §. 1. in fin. ff. Eod.* coloratio aurea utique nequit ſubigere οὐσίαν corporis, quod inauratum eſt. Quin ſi corpus vel auro ſit coöpertum, lamina forte aurea, quod plus eſt, quam ſi ſimpliciter ſit inauratum, adhuc tamen emptionem non ſubſiſtere Juliani ſententia eſt in *l. 41. §. 1. ff. de Contr. empt. & vend. Menſam*, inquit, *argento coöpertam, mihi ignoranti pro ſolida vendidiſti imprudens, nulla eſt emptio, pecuniaque eo nomine data condicetur.* Utebantur ſcilicet beatiores lectis argenteis, menſis argenteis, aliaque ſupellectili argentea *l. 9. §. 1. ff. de Supell. legat. l. 19. §. 8. ff. de Aur. arg. leg.* Alii utebantur inargentatis vel argento incluſis & obductis *d. l. 41. §. 1. & d. l. 9. §. 1.* tenuiores nempe ad ditiorum æmulationem. De his quæſitum eſt, ſi pro ſolido argento veneant, an valeat venditio? & valere negat Julianus in *d. l. 41. §. 1.*

Quamvis autem hæc & ratione & auctoritate Juris ſubſiſtant, alio tamen ire dixeris Ulpianum

in *l.* 14. *ff. de Contrah. empt. & vend.* ecce ejus verba: *Quid tamen dicemus, ſi in materia & qualitate ambo errarent? ut puta ſi & ego me vendere aurum putarem, & tu emere, cum æs eſſet; ut puta coheredes viriolam, quæ aurea dicebatur, pretio exquiſito uni heredi vendidiſſent, eaque inventa eſſet magna ex parte ænea? venditionem eſſe conſtat ideo, quia auri aliquid habuit:* NAM SI INAURATUM ALIQUID SIT, LICET EGO AUREUM PUTEM, VALET VENDITIO. *Si autem æs pro auro veneat, non valet.* Aperte dicit, ſi inauratum aliquid ſit, licet ego aureum putem, valere venditionem, & Interpretes, quotquot ego adivi, omnes, Ulpiani auctoritatem ſecuti, idem dicunt. Et tamen æs, quamvis inauratum, æs manſit, & lignum menſæ, quamvis argento obtectæ, lignum manſit, non mutata hujus vel illius ſubſtantia. In re adeo quotidiana quis JCtos diſſentientes ferat? diſſentientes tamen ſtatuit Budæus *Annot. prior.* ad *Pand.* in *l. ult. ff. de Ædil. Edict.* nimis putide. Alia media alii Interpretes quæſivere, ſed neſcio, an difficultatem expediverint. Baſilici hic non ferunt ſuppetias. Gloſſa, ut Ulpianum cum Juliano componeret, varia comminiſcitur ad *d. l.* 41. §. 1. ſed quæ omnia non unius ſunt aſſis, unum tamen ex his, non laudata Gloſſa, ſibi elegit Franciſcus Duarenus ad *l.* 22. *ff. de V. O.* & Jacobus Curtius Εἰκασ. *L.* II. *C.* 31. at recte refutatum quoque a Cujacio *L.* II. *Obſerv. C.* 4. & ad *l.* 22. *ff. de V. O.* Ipſe Cujacius *d. locis* diſtinguit inaurata & inargentata ab iis, quæ auro vel argento coöperta ſunt, ut in illis valeat venditio, quia auri vel argenti aliquid habent, in his contra, quia lamina duntaxat erat aurea vel argentea. Hanc diſtinctionem plerique Interpretes ſuam fecerunt, quos inter eſt Antonius Faber *Ration.* ad *d. l.* 41. §. 1. Donellus ad *l.* 22. *ff. de V. O.* Salmuth ad *Panciroli res deperditas & inventas L.* I. *C.* 8. Tranſeo alios minorum Gentium. Ex his nonnulli etiam ſibi perſuadent, quod auri eſt in rebus inauratis, partem corporis facere, ejus poros ingredi, nec inde illæſo corpore ſeparari poſſe. Sed tam res ipſa, quam ratio, minus vera eſt. Quis dixerit, tantillum auri, quod ſuperficiei illinitur, ipſum corpus ingredi, ejusque οὐσίαν transmutare? quin vel inde *aureum* dici poſſe? quis non plus auri habere dixerit menſam, ſolido auro vel argento veſtitam, quam ſimpliciter inauratam vel inargentatam? ſi plus auri habeat, etiam magis videbatur valere emptio. His relictis aliud placuit Connano *Comment. Jur. Civ. L.* VII. *C.* 6. *n.* 6. exiſtimavit ille, aliud juris eſſe in metallo, auro obducto *d. l.* 14. aliud in ligno, argento coöperto *d. l.* 41. §. 1. ideoque hæc magis diverſa eſſe, quam contraria. Vis rationem? æs, inquit, & quodlibet metallum finitimum eſt auro, & ſimilis fere naturæ & materiæ, lignum autem ab auro & argento ſeparatur toto ipſo genere & qualitate, unde æris inaurati, pro auro venditi, rata eſt venditio, ligni inaurati, vel auro obducti, irrita eſt. Sed æs non minus ac lignum ipſa ſubſtantia differt ab auro; quare altero pro altero vendito, nulla eſt venditio, ut Ulpianus ait in *fine d. l.* 14. & in *d. l.* 9. §. 2. inauratio autem ad ſubſtantiam nihil quicquam pertinet. Videre hoc debuit Connanus, ſani judicii homo, ideoque ipſe ſuperdicit: *Sed hæc JCtorum ſubtilitas, bona eorum venia dixerim, mihi perquam frigida videtur.* Deſiderius Heraldus *Obſerv. & Emend. C.* 23. ubi in hoc argumento totus eſt, difficultatem, quam creant *inaurata* Ulpiani, ſtudio videtur diſſimulaſſe. Jacobus Conſtantinæus, ut ſæpe alias, ita & hic ſtrenue nugatur *L.* I. *Subtil. Enodat.* C. 14.

Sed poſtulat dignitas Jurisprudentiæ Romanæ, ut eam ſecum ipſa & cum ſana ratione componamus. Id fiet, ſi dicamus, valere venditionem, ſi pro auro ſit venditum, quod ex parte duntaxat aurum eſt, nam ſic rei venditæ ineſt ſubſtantia, quæ veniit. Non vitiabit igitur venditionem, ſi auro æs fuerit admixtum vel adfuſum, quia ſic non erratur, niſi in qualitate. Exemplo id illuſtrat Ulpianus in *d. l.* 14. nam viriola pro aurea vendita, quæ poſtea reperta eſt magna ex parte ænea, valet venditio, *quia auri aliquid habuit.* Aliud juris eſt in inauratis & inargentatis, quia eorum ſubſtantiæ, ſi verum amamus, nihil auri ineſt. Quid igitur ſibi vult, quod Ulpianus ſubjungit: *nam ſi inauratum aliquid ſit, licet ego aureum putem, valet venditio.* Non eſt ad manum, qui hoc recte explicaverit. Habes hic, ut vides, ſuperiorum rationem, *nam ſi,* &c. de eadem igitur ſpecie intelligenda ratio, de qua in præcedentibus egerat, egerat autem de viriola, quæ putabatur aurea, ſed cui pars magna æris admixta erat, atque adeo egerat de corpore, quod partim ex auro, partim ex ære conſtabat. De inauratis, quæ vulgo vocantur, hoc eſt, de iis, quorum ſola ſuperficies auro tincta & colorata eſt, plane non egerat, unde nec de his, ſi recte diſputemus, intelligi poterit ratio, quam addit, *nam ſi inauratum aliquid ſit, licet ego aureum putem, valet venditio.* Aut me fallit *inaurati* vox, aut fefellit Interpretes, quotquot vidi, omnes. *Inauratum,* ut conſtet ſuperiorum ratio, nihil aliud hic eſt vel eſſe poteſt, quam id, quod ex auro & ære mixtum eſt ipſa ſubſtantia, non id, cujus ſola ſuperficies eſt deaurata. At, inquies, Ulpiani tamen ſermo eſt *de aliquo inaurato.* Largior, modo & ipſe largiaris, *inaurati* varias eſſe ſignificationes. Accipitur ea vox non tantum pro iis, quorum ſuperficies auro incocta vel illita eſt, ſed & pro iis, quæ vulgo aurea dicuntur. Sic Vellus illud Poëticum, totiens *aurei* nomine celebratum, *auratum* vocat Catullus *Epithalamio Thetid. & Pel. verſ.* 5. & *inauratum* Ennius in *Medea.*

—— *Argivi delecti Viri*
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis —— —— ——

Si vere aurea dicta fuerint *inaurata*, quanto magis, quæ ex auro & ære mixta erant, vel etiam ex auro & argento, aliave materia. Eaque forte ſententia Catullus *Carmine ad Juventium verſ.* 3. & 4. dixit:

—— *Moribunda a ſede Piſauri*
Hoſpes, inaurata pallidior ſtatua.

ut Furium comparaverit non aurei coloris ſtatuæ, at potius ſtatuæ coloris lucidi, pallidi, ut quæ compoſita eſt ex mixtura auri & argenti. Dixeris alioquin aurum purum putum ad pallorem nihil pertinere, & *inaurati* eundem eſſe colorem, qui eſt auri. Sed tamen pallor auro ſæpe alias comparatus, etiam apud Catullum *d. Epithal. Thetid. & Pel.*

Quantum ſæpe magis fulgore expalluit auri?

ut ſic Catullus Furium recte appellaverit *pallidiorem inaurata ſtatua.* Dubito, an placere poſſint, quæ ad eum locum commentatus eſt Iſaacus Voſſius. Interea ſatis liquet, *inaurati* vocem non ſemper ſenſu proprio fuiſſe acceptam, nec etiam accepiſſe Ulpianum in *d. l.* 14. ſatis oſtendit exemplum viriolæ, quod præmiſit, ex ære & auro compoſitæ, ſatis ſubjecta ratio, quæ, ut

ego

ego interpretor, idonea erit, ut alii interpretantur, minus idonea, ſatis reliqua Jurisprudentia, quæ ſic ſibi conſtat, nec in poſterum riſum dabit vel cachinnos. Illud vix monere neceſſe eſt, etiamſi ſubſiſtat venditio, ſi in parte materiæ erratum ſit, emptori nihilominus ſuccurri vel actione quanti minoris, vel ipſa actione empti ad reſarciendum, quod ejus intereſt, erratum vel deceptum non eſſe *l.* 45. *ff. de Contrab. empt. & vend.* & *l.* 13. *pr. ff. de Action. empt.*

C A P U T XV.

Conatus aliquot critici ad L. 1. pr. & §. 1. ff. ad L. Jul. de vi privat.

Marciani verba in *d. l.* 1. *pr.* & §. 1. ſic edidit Taurellius Florentiæ: *De vi privata damnati pars tertia bonorum ex Lege Julia publicatur: & cautum eſt, ne Senator ſit, ne Decurio, aut ullum honorem capiat, neve in eum ordinem ſedeat, neve judex ſit; & videlicet omni honore, quaſi infamis, ex SCto carebit.* §. 1. *Eadem pœna adficiuntur, qui ad pœnam Legis Juliæ de vi privata rediguntur, & ſi quis ex naufragio dolo malo quid rapuerit.* Antonius Auguſtinus de *L. L. & SCtis p. m.* 89. ita hæc verba exhibet, atque ſi in iis nihil eſſet, quod quemquam offendere poſſet. Aliter Cujacio eſt viſum plurimis locis, quos mox indicabo. Quod dicit de publicatione tertiæ partis bonorum, ex Lege Julia, dixit & Paulus *L.* V. *Sentent. T.* XXVI. §. 3. nec habet difficultatem. Sequitur, *& cautum eſt*, proculdubio iſta Lege Julia, nam mox memorat, quid ex SCto acceſſerit. Cautum vero, *ne Senator ſit, ne Decurio.* Omnes Editiones ante Florentinam, *ne Senator ſit, nec decurio*, vel, *ne Senator ſit aut Decurio*, ſed Liber meus MS. ſine Gloſſis Florentinam ſequitur, eſtque ea lectio magis accommodata ad formulas Legum antiquarum. Additur, *aut ullum honorem capiat.* Ex quo apparet, præcedentia, *ne Senator ſit, ne Decurio*, nihil aliud velle, quam ne damnatus de vi privata ad dignitatem Senatoriam aut Decurionatum poſſit pervenire. Et ſic intellexere Baſilici, dum vertunt *L.* LX. *T.* 18. *C.* 12. ὥστε συγκλητικὸς ἢ ἄρχων γίνεται, ἢ ἄλλην μετέρχεται τιμὴν, *neque Senator vel Magiſtratus fit, aliumve honorem capit.*

Subjicit Marcianus: *neve in eum ordinem ſedeat, neve judex ſit.* Pro *neve in eum ordinem ſedeat*, Cujacius *L.* IX. *Obſerv. C.* 16. reſcribit *neve in* XIV. *ordinib. ſedeat*, ut in Lege Roſcia *de Decoctoribus*, errore ſcilicet ex notis creato. Ea conjectura nondum ſuboluerat Cujacio *L. I. Obſerv. C.* 38. cum ea verba, ut leguntur, exhibeat, nihil vitii ſubeſſe monens. Et ſane Criticam exponimus ludibrio, ſi, indigno facinore, tantum mutemus, &, quo major graſſandi poteſtas ſit, *Notas* non notas ad partes vocemus. Video tamen, & aliis placuiſſe hanc emendationem, & cauſam præbuiſſe, ut de XIV. Ordinibus prolixe perorarent. Mihi non placet, etiam ideo, quod neceſſaria non eſt. *Neve in eum ordinem ſedeat*, poſſumus intelligere de ordine Senatorum & Decurionum, ſi *eum* accipiamus pro *eorum*; vel intelligimus ſimpliciter de ordine Decurionum, de quo ſic dixerat; vel *in eum ordinem*, hoc eſt, in ordinem eorum, qui Magiſtratum vel *honorem* gerunt, quod proxime præceſſerat. Quomodocunque interpreteris, turbare forte poſſet ſingularis locutio, in *ordinem ſedere*, nam *in*, ſine motu, caſui quarto jungitur. Id ne fiat, Charondas animadvertit, in MS. ſuo & in Libro Auredani exhiberi *in eo ordine*, ſed *in eum ordinem* conſtanter legitur in omnibus Editionibus, quas ipſe conſului, ut & in MS. meo antiquiſſimo, quod absque Gloſſis eſt. Si id aſpernemur, oppido moroſi ſumus, cum ſatis conſtet, JCtos noſtros dixiſſe, *in poſſeſſionem eſſe, in fugam eſſe, in poteſtatem eſſe, in moram eſſe*, & plura ejus generis, quæ alii dudum data opera congeſſerunt. Si id diſpliceat, & omnino ſedeat quid mutare, fortaſſe legi poſſet, *neve in eum ordinem redeat.* Hoc eſt, præſentes honores amittit, neque ad alios adſpirabit. Sed, ut dixi, τὸ ἀκίνητον ἄμεινον.

Deinde ait: *& videlicet omni honore, quaſi infamis, ex SCto carebit.* Contra hæc inſurgit Cujacius *d. L.* I. *Obſerv. C.* 38. Quid, inquit, in hanc rem opus fuit SCto, cum ipſa Lex Julia caverit, ne Senator ſit, ne Decurio, ne Judex? ſic non tantum bis idem diceretur, ſed idem ſanciretur nova Lege. Quare exiſtimat inverſum eſſe verborum ordinem, & τὸ *ex SCto* rejicienda eſſe ad ſequentem §. hac ratione: *& videlicet omni honore quaſi infamis carebit* §. 1. *Eadem pœna adficiuntur, qui ex SCto ad pœnam Legis Juliæ de vi privata rediguntur.* Sed ita nihilominus, auctore Cujacio, bis idem diceretur in verbis, *omni honore quaſi infamis carebit.* Id evitabimus, ſi priora, *ne Senator ſit, ne Decurio, ne Judex*, ita explicemus, ut ipſe explicanda cenſui, ne ad ullum honorem admittatur, poſteriora vero, *omni honore quaſi infamis carebit*, ut quoque honore excidat, ſi quem habuerit: atque ita prohibebitur non modo novos honores acquirere, ſed & veteres retinere. Hoc quidem ex SCto, illud vero ex ipſa Lege Julia. Quamvis autem diverſa ſint, capeſſere novos honores, & retinere veteres, neque ipſe tamen adduci poſſum, ut credam, SCto, quod ad Legem Juliam de vi privata acceſſit, cautum fuiſſe, ne damnatus priſcam ſtationem retinere poſſit. Accedebant fere SCta, ut ſupplerent Leges antiquas, easque porrigerent ad alias ſpecies, quæ nominatim ipſis Legibus comprehenſæ non erant. Sic SCtum, quod factum eſt ad Legem Corneliam de falſis, porrectum eſt ad eas ſpecies falſi, quas memorat *l.* 1. §. 1. & 7. & *l.* 6. §. 2. *ff. de Lege Cornel. de falſ.* & ſic eſt in aliis. At vero damnatus Lege Julia, ipſa lege fit infamis, ut & apud Modeſtinum in *l. ult. ff. hoc Tit.* cumque infamia omnem honorem adimat, etiam Decurionatum *l.* 8. *C. de Decurion.* eccui fiet probabile, SCtum, in eam rem acceſſiſſe? acceſſit SCtum, de quo hic Marcianus, ſive fuerit Voluſianum, ut conjicit Cujacius *arg. l.* 6. *ff. hoc Tit.* ſive aliud, nam res plane incerta eſt, acceſſit, inquam, SCtum, ut alia complecteretur, quam quæ ipſa Lege erant cauta. Quare Cujacio non invitus accedo, τὸ *ex SCto* rejicienda eſſe ad §. *ſequentem*, ſed non ad locum adeo remotum, ut ipſe cenſet. Sic enim lego, una voce duntaxat transpoſita: *& videlicet omni honore, quaſi infamis, carebit.* §. 1. *Ex SCto eadem pœna adficiuntur, qui ad pœnam Legis Juliæ de vi privata rediguntur.* Minor ſic motus eſt, nec ullus ab interjectione paragraphi metus: nam paragraphos & omnes omnino interpunctiones in Libris antiquis deeſſe nemo eſt, qui neſcit.

Eſt & aliud, quod male habet in *d.* §. 1. Di-

ceret, ut nunc reſtitutus eſt, ex SCto pœna Legis Juliæ adfici, qui ad pœnam Legis Juliæ de vi privata redacti ſunt, hoc addito, *& ſi quis ex naufragio dolo malo quid rapuerit.* Id ſignificaret, & redactos ad Legem Juliam ejus pœna teneri, & præterea eum, qui ex naufragio aliquid diripuerit. Itane Marcianus, nullo commemorato exemplo eorum, qui ad pœnam Legis Juliæ de vi privata redacti ſint, nec etiam adſcripta lege, quæ id ſanciverit de raptore naufragii? Scio nihil eſſe, quod moretur Interpretes, ſed me utrumque moratur. Facile autem rem expediam, ſi unius literulæ mutandæ veniam impetrem, & pro *et* ſubſtituam *ut*, *ut ſi quis ex naufragio dolo malo quid rapuerit. At*, *et*, *ut* in Libris antiquis ſæpe commutari, ab aliis ſcio obſervatum eſſe. Sic habes exemplum eorum, qui ad Legem Juliam redacti ſunt, & habes SCtum, quo id cautum eſt. Mox ſequitur in §. 3. raptorem naufragii ex Conſtitutionibus Principum etiam extra ordinem puniri, ſed id ad Legem Juliam, pœnamque ejus legitimam non pertinet.

CAPUT XVI.

Interpretatio L. 4. §. 5. ff. de Statulib.

Audi Paulum in *d. l.* 4. §. 5. STICHUS SI HEREDI MEO ANNO SERVIERIT, LIBER ESTO. *Quærendum eſt, annus quomodo accipi debeat, an qui ex continuis diebus trecentis ſexaginta quinque conſtet, an quibuslibet? ſed ſuperius magis intelligendum, Pomponius ſcribit. Sed etſi quibusdam diebus aut valetudo, aut alia juſta cauſa impedimento fuerit, quominus ſerviat, & hi anno imputandi ſunt: ſervire enim nobis intellguntur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes ſervire, propter adverſam valetudinem impediuntur.* Sic legitur in Libro Tuſco, & recte. In aliis ſcriptura variat vel parum, vel plurimum. Pro *anno* ſervierit in MS. meo absque Gloſſis eſt, *uno anno*, ſed id, etiam non expreſſum, ſatis intelligitur. *Anno* ſimpliciter mox quoque eſt in §. 8. Rurſus in MS. meo, *anno quomodo accipi debeat*, pro *annus*, & ibidem, ut & in Vulgatis Libris, *ex continuatis* pro *ex continuis*, & mox, *ſed ſi* pro *ſed etſi.* Verum in his, quæ paria ſunt, vincit Codex Mediceus, & magis vincit, ubi potior eſt cauſa. Quare & omnino legendum, ut ibi quoque legitur, *an quibuslibet*, non, ut in Vulgatis & MS. meo, *an Biſſexto*, vel, ut Haloander, *an non quibuslibet*, utrumque nullo ſenſu. Recte igitur utramque lectionem rejicit Antonius Auguſtinus *L.* I. *Emendat. C.* 2. De ipſo ſenſu videamus. Ait *continuis*, id eſt, qui continenter, συνεχῶς ſeſe ſubſequuntur. Unde apparet, *quibuslibet*, quod ſequitur, ſignificare *ſeparatis*, *non continuis.* Et ita etiam interpretatur Auguſtinus *d. loc.* & refert ad ſpeciem, quæ mox ſequitur, ſi nempe valetudo, aut alia juſta cauſa impedimento fuerit, quominus ſerviat. Sed ego non refero, quia hic tunc Paulus idem diceret, quod poſtea dicit in *verſ. Sed etſi*, in quo tamen diverſam proponi quæſtionem arguunt τὸ *ſed etſi.* Si ita placeret, ea verba mutanda eſſent in *unde ſi*, quemadmodum forte fuit in Τῷ Κατὰ πόδας, nam Scholia ad *Baſil. L.* XLVIII. *T.* V. C. 4. §. 15. ita exhibent: Ὅθεν ἐὰν τινὰς ἡμέρας &c. *unde ſi quibusdam diebus &c.* Sed quia tantum mihi animi non eſt, ut hæc ita mutem in Libris Latinis, priorem quæſtionem, quam Paulus ex auctoritate Pomponii definit, ita explico, ut Stichus, annum ſervire juſſus, conditioni pareat, ſi annum continuum ſerviat, neque adeo heres poſſit ſeparare dies, & ex quoque forte menſe eligere diem, vel aliquot dies, & hos ſervituti imputare, reliquos, quibus ſervum operis non admovet, non imputare. Id improbat Pomponius, & merito: ſic enim heredis eſſet, differre libertatem, rem maxime favorabilem, eamque protrahere ad Calendas Græcas. Si heredi integrum eſſet quoslibet dies eligere & non, quotquot euhi, oporteret numerare, ex ſingulis forte annis unum diem ſervituti deſtinaret, eluſa ſic teſtatoris voluntate. Id ne fiat, Pomponius & Paulus intercedunt.

Illam quæſtionem excipit alia, cui prior cauſam præbuit. Dixerat Paulus, numerandos eſſe continuos dies CCCLXV. & inde quæſitum, quid juris, ſi ipſe ſtatuliber integros & continuos hos dies ſervire non poſſet, valetudine forte impeditus? exſequutus jam erat Paulus ſpeciem, qua ipſe heres continuum tempus volebat interrumpere, nunc eam tractat, qua ipſe ſervus interrumpit, ſed ex juſta cauſa, & adhuc magis eſt, ne morbus, aliave cauſa ſontica, qua ſervus impeditus, ne ſerviat, illi ſit præjudicio. Curret igitur continuum tempus, etiamſi ſervire nequeat: *ſervire enim*, inquit Paulus, *nobis intelliguntur etiam hi, quos curamus ægros, qui cupientes ſervire, propter adverſam valetudinem impediuntur.* Voluntas ſufficit, cetera caſui imputantur. Frequentius id locum habet in famulis noſtris conductis. Sed quid ſi magna vel majore parte anni, quin vel toto anno impediretur ſervus vel famulus? Adhuc idem dici poterit: nam illam ſervitutem domino ſervus debere duntaxat videtur, quam præſtare poterit, eumque dominus conduxiſſe famulatum, quem ſcit tunc præſtari poſſe, quique deinceps præſtari poterit. Ejus rei argumentum præbet emptio venditio, quæ locationi conductioni proxima eſt, iisdemque juris regulis conſiſtit *l.* 2. *pr. ff. Locat. cond.* Placet enim rei venditæ, quæ ſine venditoris culpa corrupta eſt aut periit, pretium nihilominus deberi, quod nemo eſt, qui neſcit. Aliud argumentum præbere poteſt, quod Papinianus reſpondit in *l.* 4. *ff. de Offic. Aſſeſſor.* diem functo legato Cæſaris, ſalarium comitibus reſidui temporis præſtandum, quia nempe per comites non ſtetit, quo minus reſidui temporis operas præſtarent. Quod exemplum, ut & aliud ſimile, Ulpianus commemorat in *l.* 19. §. 9. *&* 10. *ff. Locat. cond.* Ex his efficitur, quod fato accidit, conductoris periculo eſſe.

Quod autem Paulus in *h. l.* 4. §. 5. meminit valetudinis, aut alterius juſtæ cauſæ, id facit, ut excludat ipſius ſervi culpam vel delictum. Sic ſervo, qui fugit, non prodeſt tempus fugæ, niſi poſtea expleatur *l.* 14. §. 1. *ff. hoc Tit.* nec ei prodeſt tempus, quod in judicio publico transegit *l.* 39. §. 3. *Eod.* Diceres, Paulum noſtrum utramque hanc ſpeciem conjungere in *h. l.* 4. §. *ult.* cum ex Caſſio notat, *ei*, QUI SERVIRE JUSSUS EST ANNO, *illud tempus, quo in fuga ſit vel in controverſia, pro libertate non procedere*, niſi Baſilici τὸ *vel in controverſia* ibi verterent, ἢ ἐκάστοτε ὡς ἐλεύθερος, id eſt, *vel in controverſia ſit veluti liber*, quod liberale judicium, neque aliud ſignificaret. Qua ratione motus Leunclavius *Annotat.* ad *d. l.* 4. §. *ult.* verba *pro libertate*,

tate, non refert ad verbum *procedere*, quod ſequitur, ſed cum præcedentibus jungit, hac interpunctione, *quo in fuga ſit vel in controverſia pro libertate, non procedere.* Vidi & in Scholiis ad *d. loc.* Baſilicorum ita eſſe interpunctum, ἐὰν καιρὸν ἐν τῇ φυγῇ, ἢ ἐν τῇ ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας φιλονεικίᾳ διαπανᾷ, μὴ ψηφίζεσθαι αὐτὸν εἰς τὸν ἐνιαυτόν. Attamen ipſe malim antiquam interpunctionem ſervare, & intelligere generaliter omnem controverſiam, quæ de ſervo intercedit, & operarum præſtationem impedit, ſive ea ſit de ſtatu liberali, ſive de judicio aliquo publico, ut eſt in *d. l.* 39. §. 3. ſive de alio quocunque. Mutata punctione reſtringeretur ſententia ad unam ſpeciem, quæ nunc, ex mente Pauli, omnes etiam alias complectitur. Si cui tamen aliud placeat, me pertinaciter reluctantem non habebit.

CAPUT XVII.

De ætate Judicum aliquot Capita Juris invicem compoſita.

De Legibus annariis apud Romanos multi multa dixerunt, interque hos Cujacius *L.* XVII. *Obſerv. C.* 34. & Petrus Faber ad *l.* 2. §. 1. *ff. de R. J.* Inter Magiſtratus Populi Romani & Duumviros aliosque Magiſtratus Municipales, quod ad ætatem, non una fuit differentia. In utrisque etiam non ſemper eædem leges ſervatæ, ſed variatum pro vario dignitatis gradu, & pro ingenio Principum, qui ſibi plus minusve tribuebant. Ad Magiſtratus Municipales pertinet regula *l.* 8. *ff. de Muner. & bonor.* & *l.* 2. *pr. ff. de Vacat. & excuſ. muner.* Sed de his vel Magiſtratibus Urbanis nunc potiſſimum non quæro, ſed de Judicibus, hoc eſt, iis, qui in judicum decurias legebantur. Et ſane dignum eſt, ut de iis quæratur, nam veteres JCti, de his ſententiam rogati, videntur pugnantia loqui, nec ſcio eſſe, qui cauſam recte extricaverit. Olim lege Servilia Glauciæ cautum fuiſſe, ne quis judex minor annis triginta, major ſexaginta legeretur, ſcripſit Sigonius *L.* II. *de Judic. C.* 6. auctoritatem ibi nullam addit, ſed ea eſt in primo fragmento ejusdem legis, quam exhibet Sigonius *C.* 27. *d. L.* II. Major, minor, an eadem ætas deinde in judice deſiderata, inter omnes non conſtat. Alias Leges XXXV. annos præſcripſiſſe, ſed Auguſtum ad XXX. redegiſſe ejusdem Sigonii ſententia eſt *d. L.* II. *C.* 6. Et ſane Auguſtus, ut Suetonius auctor eſt in ejus vita *C.* 32. *judices a triceſimo ætatis anno allegit, id eſt, quinquennio maturius, quam ſolebant.* An igitur ante Auguſtum non lecti niſi a XXXV. ætatis anno? ſic diceres, ſed & ſic ignorares, cur tam diu exſpectandum fuiſſet, cum anno XXV. compleatur virilis vigor *l.* 1. §. 2. *ff. de Minor.* Sed recte monuit Cujacius *L.* XXI. *Obſerv. C.* 32. pro *triceſimo* apud Suetonium eſſe legendum *viceſimo*, errore nato ex depravatis numeris, quod genus errorum etiam alias eſt frequentiſſimum. Cujacio adſentitur Caſaubonus. Et ea de re ne dubitandum quidem eſſe, diſcimus ex Calliſtrato in *l.* 41. *ff. de Recept. qui arbitr. recep.* nam ex eo, quod *Lege Julia cautum ſit, ne minor* XX. *annis judicare cogatur*, ipſe efficit, *nemini licere minorem* XX. *annis compromiſſarium judicem eligere.* Quæ hæc fuerit *Lex Julia*, & ubi ejus mentio, expedivit Briſſonius *L.* IV. *Select. Antiq. C.* 7. fuiſſe autem hanc ipſam Legem Auguſti, quæ alias *judiciaria* appellatur, utriusque ſimile argumentum probat, & Cujacius conſentit *d. L.* XXI. *C.* 32. Ego vero non adſentior Cujacio, ibidem adfirmanti, hanc ipſam Legem judiciariam apud Plinium *L.* X. *Epiſt.* 83. & 84. appellari *Edictum Auguſti*, non tantum quod utriusque legis anni differant, ſed & quod Lex judiciaria fuerit generalis, Edictum Auguſti de ſolis Bithynis, & quod illa ad judices, hoc ad Magiſtratus pertinuerit.

Ceterum cavit Lex Julia, *ne minor* XX. *annis judicare cogatur.* Majores itaque XX. annis coguntur, id eſt, etiam inviti in judicum decurias leguntur, & hoc ſignificat Suetonius *d. loc.* & aperte Plinius *L.* X. *Epiſt.* 66. judicare quippe munus publicum eſt, ut ait Paulus in *l.* 78. *ff. de Judic.* & quemadmodum munera publica etiam invitis imponuntur, ſic & *judicandi neceſſitas l.* 18. §. 14. *ff. de Muner. & honor.* Ideo autem, ut videtur, Auguſtus, quinquennio maturius, quam ſolebant, judices allegit, ne deesſent homines, judicando idonei, atque ita ſolo favore judiciorum. Et tamen, ac ſi nihil quicquam effeciſſet Auguſtus, Baſilici eo loco, quem indicavit Cujacius ad *l.* 1. *C. Qui ætat. ſe excuſ.* & Harmenopulus προχ. *L.* I. *T.* IV. §. 4. ſimpliciter ſcri unt: Ὁ ἥττων τῶν εἰκοσιπέντε ἐτῶν, οὐ δύναται δικάσαι, *minor* XXV. *annis judicare non poteſt*, ergo ab anno XX. ætatis legi non poterat, ut Auguſtus præcepit, & Calliſtratus ex Lege Julia commemorat. Scrupulum, quem de ætate injiciunt Græci, Ulpianus auget in *l.* 57. *de Re judic. Quidam*, inquit, *conſulebat, an valeret ſententia a minore* XXV. *annis judice data? & æquiſſimum eſt tueri ſententiam ab eo dictam, niſi minor decem & octo annis ſit.* Hic valet ſententia, a judice dicta dummodo non ſit minor XVIII. annis, & addit Ulpianus, etiam aliis minoribus ex cauſa judicandi poteſtatem dari, ut ſi Magiſtratum gerant, vel in eos conſentiant partes. Adeo ut ne tunc quidem annus XVIII. videatur exſpectandus. Eccur tam varie in re quotidiana?

Ut hæc componant, plus puto laboraſſe Interpretes, quam profeciſſe. Cujacius ad *d. l.* 1. *C. Qui ætat. ſe excuſ.* Græcos ſecutus, in judice deſiderat ætatem XXV. annis majorem, & negat *d. l.* 41. *ff. de Recept. qui arbitr. recep.* contrarium definire, nihil enim aliud velle Calliſtratum, quam ſi evenerit, ut minor XXV. annis judex ſit electus conſenſu partium, vel datus, vel ſi quacunque alia ratione id acciderit, ex Lege Julia Judiciaria eum, ſi fuerit intra annum XX. judicare non cogi. Negat etiam, *d. l.* 57. *ff. de Re Judic.* generaliter definire, ut XVIII. annis major judex eſſe poſſit, ſed ſi forte aliqua ex cauſa id accidat, ut ſi ex conſenſu partium electus vel a Principe datus ſit, tuendam tunc eſſe ejus ſententiam. Sed an quid magis alienum ab utriusque JCti mente dici poſſit, nondum conſtitui. Calliſtratus, qui negat minorem XX. annis ad judicandum cogi poſſe, utique adfirmat, majorem poſſe, quomodocunque demum fuerit electus, nam de cauſa nihil monet. Nec quicquam etiam de cauſa monet Ulpianus in priore parte *d. l.* 57. cum ſimpliciter & generaliter ait, tuendam eſſe ſententiam, ab eo dictam, qui minor non eſt annis decem & octo. Deinde Ulpianus orditur novam ſententiam

in hæc verba: *Certe ſi Magiſtratum minor gerit, dicendum eſt, Juriſdictionem ejus non improbari. Et ſi forte ex conſenſu judex minor datus ſit, ſcientibus iis, qui in eum conſentiebant, rectiſſime dicitur, valere ſententiam. Proinde ſi minor Prætor, ſi Conſul jus dixerit, ſententiamve protulerit, valebit: Princeps enim, qui ei Magiſtratum dedit, omnia gerere decrevit.* Baſilici *L.* IX. *Tit.* 3. C. 57. perperam expreſſerunt ſententiam *d. l.* 57. cum ajunt compendio, minorem annis XVIII. judicare non poſſe, etiamſi Magiſtratus ſit, aut ex conſenſu judex datus, quin etiamſi Prætor aut Conſul ſit. Neque melius Cujacius, qui, ut dix, tunc eum, qui plenæ pubertatis ſit, judicare permittit, ſi qua cauſa idonea inciderit, quæ per conſequentias ei dederit poteſtatem judicandi, ut ſi Magiſtratus ſit, vel partes ſcientes in eum conſentiant. Non hæc Ulpiani mens eſt, ſed ea, poſſe ſententiam dicere minorem XXV. annis, dummodo ne minor ſit annis XVIII. & mox diſtincta ſententia, poſſe & omnem minorem, cujuſcunque ætatis, ſententiam dicere, ſi Magiſtratum gerat, vel partes ſcientes & volentes in eum conſentiant. Scientibus & volentibus non fit injuria, ſibi imputent quod in puerum judicem conſenſerint. Idem dicendum, ſi quicunque minor judicaverit jure Magiſtratus, quia, qui eum Magiſtratum creavit, etiam juriſdictionem conceſſit, ſine qua Magiſtratus explicari non poteſt. Valet igitur ſententia Prætoris, valet Conſulis, quacunque ætate minores judicaverint. Aliquoties in *Codice* & in *Faſtis* memorantur Conſules *pueri*; ſi igitur hi ſententiam dixerint jure Magiſtratus, procul dubio auctoritatem rei judicatæ habebit, quia ſive Populus, ſive Princeps eum Magiſtratum creaverit, legibus annariis ſolutus eſt. Unde P. Cornelius Scipio, cum ei, Ædilitatem petenti, Tribuni plebis obſiſterent, quod nondum ad petendum legitima ætas eſſet, *ſi me*, inquit, *omnes Quirites Ædilem facere volunt, ſatis annorum habeo.* Sic enim eſt apud Livium *L.* XXV. *C.* 2. Poſtquam vero Populus Principi & in Principem omne ſuum imperium & poteſtatem contulit, recte ſuperdicit Ulpianus in *d. l.* 57. *Princeps enim, qui ei Magiſtratum dedit, omnia gerere decrevit.* Sufficit hoc pro omni ratione.

Conſtitueram nunc alias aliorum ſententias de ætate judicum recenſere, ſed ipſa copia obruor. Et quid attinet iis refutandis bonas horas perdere? dicam potius, quid mihi videatur de toto hoc, qua late patet, argumento. *Impubes*, inquit Ulpianus in *l.* 2. §. 1. *ff. de R. J. omnibus officiis civilibus debet abſtinere.* Quod ita intelligo, ut *impuberum* appellatio ibi late ſumatur, eoſque complectatur omnes, qui pleniſſime puberes non ſunt, id eſt, qui annum ætatis XVII. nondum impleverunt, quamvis attigerint: nam quod Commentatores ad *d. l.* 2. eum §. 1. intelligant de impuberibus, qui nondum egreſſi ſunt annum ætatis XIV. mihi nunquam placere potuit, ſic enim innuiſſet Ulpianus non arceri, qui eſt annorum XV. Qui negat, infra hanc vel illam ætatem admitti aliquem, utique ſignificat, ultra eam ætatem admitti, ſi recte diſputet. Si igitur, ut vulgo, Ulpianum interpretemur, admonuiſſet, pueros XIV. annis minores ad officia civilia non admitti, cum tamen, ſi me audias, neque majores admittantur: nec enim puto ullum civile officium inveniri, quod puero fuerit commiſſum, niſi ætatis gratiam fecerit Populus vel Princeps. Puer autem eſt usque ad annum XVII. impletum, tunc enim incipit plena pubertas. De utraque pubertate nonnihil dixi *L.* IV. *Obſerv.* *C.* 11. Qui pueritiam egreſſi ſunt, hoc eſt, annum ætatis XVII. impleverunt, poſſunt poſtulare *l.* 1. §. 3. *ff. de Poſtul.* poſſunt militare ex inſtituto Servii Tullii, de quo Tubero apud Gellium *L.* X. *C.* 28. poſſunt capeſſere honores & officia, ut & Cujacius animadvertit *L.* XVII. *Obſerv.* *C.* 34. & Petrus Faber ad *d. l.* 2. *ff. de R. J.* Atque hanc arbitror fuiſſe *legitimam ætatem*, cujus mentio eſt apud Livium *d. L.* XXV. *C.* 2. Poſtea ſingulis Magiſtratibus, pro gradu dignitatis, certi anni Lege annaria ſunt præſcripti. Id Livius refert *L.* XL. *C.* 44. *Eo anno*, inquit, *rogatio* PRIMUM *lata eſt ab L. Villio Tribuno plebis, quot annos nati quemque Magiſtratum peterent caperentque.* Si dicamus, antea unam eandemque ætatem honoribus capeſſendis fuiſſe præſcriptam, ſive Legibus ſive moribus, & poſtea Villium annos definiviſſe in ſingulis Magiſtratibus, ut majorem minoremve prudentiam deſiderabant, utque revera deinceps omnium ætas diſtincta reperitur, non eſt, quod Livium Livio opponamus, vel cum Grammaticis hæreamus de conciliatione utriusque loci.

Ceterum ut plena pubertas ſuffecit ad ea, quæ diximus, ſic & ſuffeciſſe puto ad judicandum. Quare, ut compendio dicam, qui annum ætatis XVII. expleverunt, judices eſſe poſſunt, & hoc puto eſſe, quod Paulus dixit in *l.* 12. §. 2. *ff. de Judic.* impuberem judicem eſſe non poſſe, *impuberem* ſcilicet, qui pleniſſime pubes non eſt, quique ad ἥβην ἀκροτάτην nondum pervenit eodem ſenſu, quo Ulpianum explicavimus in *d. l.* 2. §. 1. *ff. de R. J.* ne alioquin ex Paulo efficiamus, eum, qui annum XIV. exceſſit, recte judicare. Atque hæc conveniunt Ulpiano in *d. l.* 57. *ff. de Re Judic.* dum negat, judicem eſſe poſſe, qui minor ſit annis XVIII. quod intelligo de ſeptimo decimo anno impleto, & octo decimo inchoato, ſic enim omnia ſibi conſtabunt. Reliqua *d. l.* 57. vix aliam, quam dedi, interpretationem deſiderant, dummodo ſciamus, eum, qui conſulebat, an judex XXV. annis minor ſententiam dicere poſſit, fuiſſe juris imperitum, nam ex Lege Julia duntaxat durari poterat de eo, qui minor eſt annis XX. Unde & Petrus Faber ad *d. l.* 2. *ff. de R. J.* pro XXV. ſubſtituit XX. Sed ejus ſententia nos non utimur, utpote gnari, JCtos ſæpe fuiſſe ſententiam rogatos de rebus certis & liquidis, non ſemper de rebus incertis & dubiis, quod tamen peſſime quidam ubique cenſent, eaque ratione optimas leges corrumpunt. Puto ex his apparere, anno ætatis XVII. impleto poſſe quem judicem dari, ſcilicet volentem & conſentientem, nam ſi nolit, invitus non cogitur ante annum XX. poſt eum cogitur. Atque ita omnia apprime conveniunt.

CAPUT XVIII.

Servatur antiqua ſcriptura L. 32. ff. Ex quib. cauſ. major. in integr. reſtit.

Quicquid dicat Cujacius *L.* XII. *Obſerv. C.* 33. puto defendi poſſe antiquam lectionem *d. l.* 32. quæ apud Florentinos ſic habet: *Abeſſe Reipublicæ cauſa intelligitur & is, qui ab Urbe profectus eſt, licet nondum Provinciam excesſerit, ſed is, qui exceſſerit, donec in Urbem revertatur. Et hoc ad Proconſules, Legatosque eorum, & ad eos qui Provinciis præſunt, Procuratoresve Principum, qui in Provinciis tenentur, pertinet*, & reliqua, quæ non moror. Pro *Provinciam exceſſerit*, ut etiam legitur in utroque MS. meo, & in plerisque antiquis Editionibus, Fratres Sennetonii anno 1549. ediderunt, *Provincia exceſſerit*, quod plerique recentiores ſequuti ſunt, ſed cum *excedere* etiam jungatur caſui quarto, ut *Curiam excedere*, quod a Grammaticis memini obſervatum, nihil erat mutandum. Pro eo autem, *ſed is*, in utroque MS. meo, & in omnibus Libris antiquis eſt, *ſed & is*, & omnino conjunctionis voculam deſiderat hæc ſententia. Hanc vero habebimus, ſi legamus, *SET is*, hoc eſt, *ſet & is*, ex regula geminationis, nam promiſcue ſcribimus *ſed* & *ſet*, quemadmodum *haud* & *haut*. Florentiæ certe eſt *ſet* pro *ſed* in *l.* 38. §. 1. *ff. de Aur. arg. legat.* & in *l.* 44. §. 1. *ff. ad SCt. Trebell.* Ibidem quoque eſt, *quit, inquid*, pro *quid, inquit*, ut monuit Taurellius in Præfatione. Apud veteres Linguæ Latinæ Auctores *ad* etiam ſcriptum fuiſſe pro *at*, ex Salluſtio & Catullo obſervavit Robertus Conſtantinus *Supplemento Linguæ Latinæ*, voce *ad.* Mox ſequitur in *d. l.* 32. *Et hoc*, pro quo Haloander & Sennetonii, *Et hoc etiam*, ſed ſine τῷ *etiam* ſenſus ſibi conſtat, ut deinde apparebit.

Has reperi lectionum varietates, at conſtanter ubique eſt *exceſſerit*, Provinciam vel Provincia *exceſſerit*, nam quod notatur in Margine Editionis, quam Petrus ab Area Boudoza Lugduni curavit anno 1593. *Al. acceſſerit*, noli exiſtimare eſſe ex aliquo Libro, niſi diligentiam meam fugerit, unice enim eſt ex emendatione Petri Fabri, Cujacio impenſe probata *d. L.* XII. *Obſerv. C.* 33. etiam aliis majorum minorumque Gentium Interpretibus, quos non recenſeo. Sed quod in eadem margine notatur ad alterum *exceſſerit* vel *exceſſit*, (nam & in eo Libri variant, ſine ullo diſcrimine) etiam alias ibi legi *acceſſerit* vel *acceſſit*, id jubeo eſſe fide ejus, qui notavit, quia neque Petrus Faber dixit, neque uſpiam, quod ſciam, exſtat. Per *Urbem* Faber intelligit *Romam*, & hanc cenſet conſtitui regulam, eum, qui Roma in Provinciam mittitur, Reipublicæ cauſa abeſſe videri, ſimulac ab Urbe profectus eſt, licet nondum Provinciam ingreſſus ſit, vel, ut ipſe legit, *acceſſerit*, abeſſe etiam Reipublicæ cauſa, donec in Urbem revertatur, licet Provincia egreſſus fuerit vel *exceſſerit*, ut nunc legitur, & quidem optime, plane enim incongruum eſſet poſteriori loco *acceſſerit.* Hanc regulam Cujacius deinde putat probari exemplis eorum, qui Roma in Provincias mittuntur: *Et hoc ad Proconſules, Legatosque eorum* &c. *pertinet.*

Si nihil aliud ſuperſit, quo ſuccurratur receptæ Lectioni, non averſarer hanc Criſin, oppido modeſtam, & quæ ſenſum reddit liquidum & concinnum, ſed aliud ſupereſſe, haud incongrue dici poteſt. Si per *Provinciam* liceret intelligere *Italiam*, ut intellexit Gloſſa, &, laudata Gloſſa, non contradixit Mornacius ad *h. l.* 32. ſalva res eſſet, ſic enim diceret Modeſtinus, Reipublicæ cauſa abeſſe, qui Roma profectus eſt, etiamſi Italiæ fines nondum exceſſerit. Sed quamvis videam, hanc etiam mentem Modeſtino tribuere Baſilicos *L.* X. *T.* 35. *C.* 32. dum vertunt, ἀπεῖναι δοκεῖ εἰς πρᾶγμα δημόσιον ὁ ἐξελθὼν Ῥώμης, κἂν ἔτι ἐςὶν ἐν Ἰταλίᾳ, *abeſſe Reipublicæ cauſa videtur, qui ab Urbe Roma profectus eſt, licet adhuc in Italia ſit*, facile tamen adſentior Cujacio, *Italiam* neminem unquam dixiſſe *Provinciam.* Cumque ea κατάχρησις ſine exemplo ſit, tam apud noſtros, quam exteros Auctores, ego per *Urbem* malim intelligere Urbem Provinciæ præcipuam, ſive Metropolin, in qua Præſes morabatur, & ex qua totius Provinciæ nomine legati Romam mittebantur ad exſequenda mandata Reipublicæ ſuæ. Quicquid Jure Romano de legatis præcipitur, ad hos Provinciales pertinere, dixi *Libro Singulari de Foro Legatorum C.* 6. Intererat igitur ſcire, quemadmodum abſentia Reipublicæ in his conſideranda eſſet, nam *qui Reipublicæ cauſa Romam profectus eſt, abeſſe Reipublicæ cauſa videtur*, ut Paulus auctor eſt in *l.* 35. §. 7. *ff. hoc Tit.* Quod ad hunc puto Modeſtinum definiviſſe, abeſſe cenſeri Reipublicæ cauſa, ſtatim atque egreſſus eſt Civitatem, ex qua mittitur, quamquam non exceſſerit Provinciam, ex cujus Metropoli mittitur, eumque tam diu abeſſe Reipublicæ cauſa, quamdiu in eandem urbem non redeat, ut tunc etiam adhuc abſit, ſi vel reverſus ſit in eandem provinciam, dum tamen nondum in eandem urbem. Atque his opinor Modeſtinum ſubjeciſſe, idem juris eſſe in iis, qui ex Urbe Roma mittuntur, ut Proconſules, eorumque Legati &c. Verba igitur, *Et hoc*, ſignificabunt *Etiam hoc*, quin *et* & *etiam*, commutantur apud Latinos, nec ita neceſſe eſt τὸ *etiam* infarcire, ut infarciunt Haloander & Sennetonii.

Huic interpretationi nihil, quod animadvertam, obſtat; quin ejus arripiendæ nonnihil cauſæ & lucis mihi præbuit ipſe Cujacius *d. L.* XII. *C.* 33. Ait *Urbem* ſimpliciter dici pro *Roma*, & ſic eſt in *l.* 41. §. 6. *ff. de Legat.* I. aliiſque locis tantum non innumeris. Adde, ſi vacat, quæ in hanc rem dixi *Prætermiſſ.* ad *l.* 2. §. 1. *ff. de O. J.* Sed ut Roma, ceterarum Urbium domina, ſimpliciter *Urbs* appellatur, ita quoque in ſingulis Provinciis Urbs mater, ex qua reliqua oppida deducta & propagata ſunt. *Urbem* ſane etiam pro *Metropoli* accipi Cujacius agnoſcit *d. loc.* opportune adducens *l.* 4. §. 9. *ff. de Damn. infect.* nam ibi *Urbis* vox etiam ad eam Civitatem refertur, in qua Præſes moratur, quod de Roma intelligi non poteſt. Quæque Provincia habuit ſuam Metropolin, Præſidis Romani ſedem. Unde Antoninus, ad deſideria Aſianorum, reſcripſit, in *l.* 4. §. 5. *ff. de Offic. Proconſ. Proconſuli neceſſitatem impoſitam per mare Aſiam applicare*, καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον *primam attingere.* Sunt qui ibi legunt, καὶ τὴν μητρόπολιν Ἔφεσον. Male. Sententia & locutionis ratio eſt evidens. Conſtituit nempe Antoninus, per mare applicandam eſſe Aſiam, ſed quum neque illud ſufficeret privilegio Epheſiorum, additum, ut ex omnibus in Aſia Urbibus, jus Metropolitanum habentibus, prima Epheſus applicaretur. Plures ſæpe Metropoles in una Provincia, nam non imminuto jure alterius Urbis, alteri quoque Ur-

Urbi jus Metropolitanum tributum legimus. De Beryto, ſalvo jure Tyri, res manifeſta eſt ex *l. un. C. de Metropol. Beryt.* In ipſa quoque Aſia plures Metropoles fuere, quæ ipſæ per mare adiri poterant, qualis, præter Epheſum, Smyrna. Smyrnam certe Metropolin fuiſſe ſub Imperatoribus Romanis, liquet ex duobus nummis antiquis, quos exhibuit Lucas Holſtenius ad *Stephanum* in V. Σμύρνα. Non eſt igitur, cur infeſtas manus injiciamus Ulpiano in *d. l.* 4. §. 5. Quin, ſi ſapimus, a Modeſtino quoque abſtinebimus in *d. l.* 32. *ff. Ex quib. cauſ. major. in integr. reſtit.*

CAPUT XIX.

Ad L. 17. pr. ff. de Uſur.

Quum juvenis ederem *Librum ſingularem* ad *l. Lecta* 40. *ff. de Reb. cred.* incidi C. XIV. in eum Pauli *verſiculum*, quo ait, *ſicut in fructibus, idem & in uſuris poſſe exprimi, ut ad diem non ſoluta pecunia, quæ competit uſurarum nomine, ex die interpoſitæ ſtipulationis præſtetur*, & oſtendi, veriſſimum eſſe, quamvis in ſpecie, ibi tractata in Auditorio Æmilii Papiniani, uſurarum obligatio non fuerit commiſſa ante moram commiſſam, nihil tamen quicquam obſtare, quominus, ſi conditio exſtiterit, in ſtipulatum deducta, etiam retro ſtipulari liceat vel ſortem vel uſuras. De ſorte prolixa in hanc rem eſt diſputatio Africani in *l.* 64. *ff. de V. O.* & brevior Pauli noſtri, in eandem plane ſententiam, in *l.* 126. *pr. ff. Eod.* In uſuris ea ratio obtinet, ut ad diem non ſoluta ſorte, liceat pro minoribus majores uſuras ſtipulari, non tantum in futurum, ſed & in præteritum, modo ne excedatur legitimus uſurarum modus, hoc eſt, Centeſima. Quia autem Centeſima exceditur, ſi convenerit, ut non ſoluta ſorte ſuo die, alterum tantum præſtetur, eam conventionem eſſe reducendam ad modum legitimæ uſuræ Papinianus reſpondit in *l.* 9. *pr. ff. de Uſur.* plane ut in emptione venditione, ſi convenerit, ut ad diem pretio non ſoluto, venditori duplum præſtetur, quemadmodum ex eodem Papiniano Ulpianus obſervat in *l.* 13. §. 29. *ff. de Action. empt.* reducitur, inquam, ad legitimum modum, ut omnis uſura ſuperflua *l.* 29. *ff. de Uſur.* Sed quid Papinianus in *d. l.* 9. §. 1. *Eod.*? *nec*, inquit, *inutilis legitimæ uſuræ ſtipulatio videtur ſub hac conditione, ſi minores ad diem ſolutæ non fuerint, non enim pœna, ſed fœnus uberius juſta ratione ſortis promittitur.* Illud *juſta ratione* vix ſenſum habet idoneum, in utroque MS. meo & in omnibus fere antiquis Editionibus eſt *juxta rationem ſortis*, & id malo, quam cum Haloandro & Vintimillio *juſta* expungere. Reſpondet igitur Papinianus, licere ſtipulari uſuram Centeſimam, ſi minores ad diem non ſolvantur, neque enim ita ſtipulari *pœnam*, hoc eſt, *pœnam illicitam*, qualem deſcripſerat in *princ. d. l.* 9. ſed *fœnus uberius juxta rationem ſortis*, & quidni id liceret? quod hic Papinianus ait *Libro* XI. *Reſponſorum*, ex eodem ejuſdem Libro relatum eſt in *l.* 1. §. 3. *ff. de Pignor.* recte ſcilicet promitti legitimas uſuras, ad diem minore fœnore non ſoluto. Utrobique non diſtinguit, an in futurum duntaxat, an vero & in præteritum ita ſtipulari liceret. Nec erat, cur diſtingueret, cum neutra ſpecies incidat in legem uſurariam. Ab initio utique licuit Centeſimam ſtipulari, quare igitur non licebit eam retro ſtipulari, ſi minores ad diem non ſolvantur? Utique, ſi Paulum audiamus in *d. l.* 40. *ff. de Reb. cred.* in uſuris poteſt exprimi, *ut ad diem non ſoluta* PECUNIA, *quæ competit uſurarum nomine, ex die interpoſitæ ſtipulationis præſtetur.* Ita nunc lego, geminata & repetita voce *pecunia*, ut ad diem non ſoluta *pecunia*, id eſt, ſorte, *pecunia, quæ competit* &c.

Sed his omnibus, & ſibi ipſi contradicere diceres Paulum in *l.* 17. *pr. ff. de Uſur. Cum quidam*, inquit, *caviſſet, ſe quotannis quincunces uſuras præſtaturum, &, ſi quo anno non ſolviſſet, tunc totius pecuniæ ex die, qua mutuatus eſt, ſemiſſes ſoluturum, &, redditis per aliquot annos uſuris, mox ſtipulatio commiſſa eſſet, Divus Marcus Fortunato ita reſcripſit: Præſidem Provinciæ adi, qui ſtipulationem, de cujus iniquitate queſtus es, ad modum juſtæ exactionis rediget. Hæc conſtitutio adfinitum modum excedit. Quid ergo? ſic temperanda res eſt, ut in futurum duntaxat ex die ceſſationis creſcat uſura.* Laboratur de his verbis, *hæc conſtitutio adfinitum modum excedit* (ſic enim exhibuit Taurellius) ſed magis laboratur de ipſa Jurisprudentia, qua Paulus cauſam mox temperat. Florentiæ una voce legitur *adfinitum*, ſed, ut dicimus *adplorare, adſtupere, adnumerare*, ita non dicimus *adfinire*, &, ſi diceremus, ſcire velim, quo ſenſu conſtitutio Divi Marci, quæ nihil quicquam definit, ſed ad Præſidem cauſam remittit, ex jure finiendam, quo, inquam, ſenſu illa conſtitutio dici poſſit excedere modum uſurarum, legibus *finitum* vel *adfinitum*. Si legas *ad infinitum modum*, ut exhibent plerique veteres Editores, & uterque MS. meus, rurſus quæro, quemadmodum conſtitutio, quæ cauſam redigit *ad modum juſtæ exactionis*, dicatur excedere *ad infinitum modum*? Cujacius *L.* XIX. *Obſerv. C.* 8. ſcindit *adfinitum* in duas voces *ad finitum*, & nihil quicquam intercedo, nam ita & Editiones antiquæ præeunt, ſed quod *finitum* interpretatur *ſummum* ex dubia apud Plinium lectione, in eo me adſentientem non habebit. Et obſecro quo ſenſu, Præſidi per conſtitutionem diceremus dari poteſtatem de uſuris ſtatuendi, etiam usque ad ſummum legitimæ uſuræ? & quidni recte daretur, ſi juſta ejus eſſet exactio? ne dicam, aliud eſſe videri, aſcendere ad ſummam uſuram, aliud eam *excedere*, quo verbo Paulus utitur. Magis probo, quod Cujacius *Tract.* VII. *ad African.* in *d. l.* 64. *ff. de V. O.* *ad finitum*, duabus quoque vocibus, ſervet, & *finitum modum* explicet *legibus definitum modum*, ſi non addidiſſet, ideo hoc dici, quod Princeps *permittat poteſtati & arbitrio judicis, quod legis eſt, quodque lex finivit jam ſatis, qua re*, inquit, *nihil eſt periculoſius.* Atqui permittit tantum *ad modum juſtæ exactionis*, cauſam porro remittens ad Præſidem, de iniquitate ſtipulationis cogniturum. Qualia Reſcripta in *Codice* tantum non innumera ſunt, & vix plus definiunt, quam ſententia Claudii apud Suetonium in *ejus vita C.* 15. *ſecundum eos ſe ſentire, qui vera propoſuiſſent.* Unde interpres Baſilicorum ad *L.* XXIII. *T.* 3. *C.* 17. *lit. C.* hanc conſtitutionem vocat ἀσαφῆ, *obſcuram*, ut revera eſt, ſi non obſcura, certe vaga eſt & incerta. Sed aliter rurſus Pauli verba interpretatur, qui anno 1698. Lugduni Batavo-

vorum edidit *tres libros de fœnore & uſuris*, nam ecce *L.* III. *C.* 4. *in fin.* Paulum intelligit, atque ſi dixiſſet, *hæc conſtitutio excedit modum, cautione adfinitum, ſive hæc conſtitutio judicem, de cautione judicaturum, non adſtringit ad obſervationem modi ea adfiniti.* Sed quia de modo cautionis nihil præceſſerat, at de modo duntaxat juſtæ exactionis, durior eſt hæc interpretatio, quam ut ſequenda videatur. Ipſe ad *d. l.* 40. *ff. de Reb. cred. C.* XIV. non expedivi hæc verba, de quibus nunc quæro, contentus monuiſſe, perinde videri, utrum legas *excedit ad finitum modum*, an, *in finitum modum*, ſed veteres Editores non ſimpliciter exhibent *in finitum modum*, verum *ad infinitum modum*, quæ omnino differunt. Mihi ſedet, ut Florentiæ legitur, legendum eſſe, ſed diviſis vocibus, *hæc conſtitutio ad finitum modum excedit*, quumque *finire* & *definire* promiſcue dicamus, ut apud Senecam Philoſophum ſexcentis locis, intelligo modum uſurarum, legibus finitum. D. Marcus ſimpliciter reſcripſerat, cauſam eſſe redigendam ad modum juſtæ legitimæque exactionis. Ad hæc notat Paulus: ea conſtitutione nihil quicquam effici, quam ut cauſa revocetur ad legitimum uſurarum modum; ait quidem, *excedit ad finitum modum*, ſed *excedit* non hic eſt *egreditur*, at *progreditur*, ut cum Livius ait *L.* XXXIV. mox in *princ. res in magnum certamen exceſſit*, hoc eſt, *progreſſa eſt.* Sic malo, quam legere, ut aliquando mihi incidit, *ad finitum modum accedit.* Sic prima difficultate videmur defuncti.

Supereſt vero alia & major, quemadmodum ſcilicet ſubſiſtat Pauli ἐπίκρισις in hæc verba: *quid ergo? ſic temperanda res eſt, ut in futurum duntaxat ex die ceſſationis creſcat uſura.* At cur non etiam in præteritum? quidni liceat ſtipulari uſuras ſemiſſes ſub conditione non ſolutarum ſuo die quincuncium? poſſim utique ab initio ſtipulari ſemiſſes; & cur non poſſim, ſi minores quincunces ad diem ſolutæ non ſint? eſt id fœnus uberius juxta rationem ſortis. Poſſum etiam retro ſtipulari uſuras, non tantum a mora commiſſa; ſed & a die interpoſitæ ſtipulationis, ut ipſe Paulus definivit in *extremo verſ. l.* 40. *ff. de Reb. cred.* Hæc conſiderans, quum mihi aqua hæreret, omnes omnium Interpretum, qui quidem hilarioris famæ ſunt, ſententias rogavi & excuſſi *d. C.* XIV. quumque non eſſet ad manum, qui mihi videbatur recte explicaſſe, cur apud Paulum in *d. l.* 17. *pr.* uſuræ ſemiſſes duntaxat in futurum debeantur, non etiam in præteritum, & ipſe quoque neſcirem, bonam tunc copiam ejuravi, ingenue profeſſus, mihi non liquere. Prodiit deinde Auctor de *Fœnore & uſuris*, qui *d. C.* 4. præteritis, ut ſolet, aliorum ſententiis, exiſtimat D. Marcum *juris rigorem Imperatoria benignitate laxaſſe*; ante eum obtinuiſſe, ut & in præteritum licuerit majores uſuras ſtipulari, ſi minores ſuo die non ſolvantur, ſed obtinuiſſe ſtricto jure *d. l.* 9. §. 1. *de Uſur.* ex æquitate aliud placuiſſe D. Marco, hunc præſtitiſſe, quod præſtare non poterat vel JCtus vel Præſes Provinciæ. At vero protrita illa diſtinctio jus ſtrictum inter & æquitatem, hic ſane, ſi ullibi, valde importuna eſt. D. Marcus nihil quicquam, ut dixi, Reſcripto ſuo definivit, ſolus Paulus definivit, ita rem temperans, *ut in futurum duntaxat ex die ceſſationis creſcat uſura.* Et ſi vel palam ſic reſcripſiſſet D. Marcus, id Reſcriptum ignoraſſet Papinianus in *d. l.* 1. §. 3. *ff. de Pignor.* & *d. l.* 9. §. 1. *ff. de Uſur.* ubi contra reſpondet? Plus rogo. Id Reſcriptum ignoraſſet ipſe Paulus, hujus *l.* 17. auctor, cum in *verſiculo extremo d. l.* 40. *ff. de Reb. credit.* liquido pronunciet, non tantum in futurum a mora, ſed & in caſum moræ in præteritum, a die creditæ pecuniæ, uſuras ſtipulari integrum eſſe? Sunt hæc ejuſmodi, quæ ſcrupulum non eximunt, imo augent magis.

Ad Jurisprudentiam Pauli in d. *l.* 17. *pr.* notabat Baſilicorum Scholiaſtes, Σημείωσαι ξένον, *nota quid novum*, ut dixi ad *L. Lecta d. C.* XIV. & poſt me repetiit noviſſimus Auctor *de fœnore & uſuris d. C.* 4. ſed id dicere contentus diem tunc diffidi, amplius deliberandum ratus. Nunc, quum ille ipſe Auctor me non fecerit doctiorem, ad poſteriores curas revocavi *d. l.* 17. *pr.* & poſt anxiam ſatis deliberationem nunc puto, Paulum in *d. l.* 17. *pr.* explicari poſſe ex Paulo in *d. l.* 40. *ff. de Reb. credit.* nam ut ſors in *d. l.* 40. erat diviſa in plures penſiones, ſic quoque exiſtimem diviſam fuiſſe in *d. l.* 17. *pr.* utrobique integram ſortem non fuiſſe uſurariam, ſed ſingulas penſiones, ſuo die non ſolutas, placuiſſe in *d. l.* 17. *pr.* ut ſingularum penſionum quincunces eſſent uſuræ, &, ſi quo anno eas debitor non ſolviſſet, integram tunc ſortem fore uſurariam, & ejus ſe ſoluturum eſſe uſuras ſemiſſes ex die, qua mutuatus erat debitor. De penſionibus diviſis nihil quidem aperte Paulus, ſed movet me, quod ait, *ſi quo anno non ſolviſſet, tunc* TOTIUS *pecuniæ ex die, qua mutuatus eſt, ſemiſſes ſoluturum.* Viden', *totius?* quod refertur ad integram ſortem, oppoſite ad penſiones, nam plane abundaret *totius*, ſi non intelligamus ſortem in penſiones fuiſſe ſciſſam. Movet etiam ſimilis Jurisprudentia Pauli in *d. l.* 40. ubi negat, moram, in una penſione commiſſam, ad integram ſortem eſſe trahendam, & ejus *totius* uſuras eſſe præſtandas. Et tandem movet, quod Græcus Interpres ad *Baſilic. L.* XXIII. *T.* 3. *C.* 17. *lit. C.* Paulo in *h. l.* 17. *pr.* objiciens Paulum in *extremo Verſiculo d. l.* 40. *ff. de Reb. cred.* ubi a ſpecie, quam tractaverat, recedens, ait, in caſum moræ etiam præteriti temporis uſuras ſtipulari integrum eſſe, quod, inquam, Græcus Scholiaſtes obſervet, in *fine d. l.* 40. non fuiſſe plures penſiones, hic autem in *d. l.* 17. *pr.* fuiſſe διαφόρους προθεσμίας καὶ οὐ μίαν, *diverſas penſiones, non unam*, ut ipſe quoque interpretor. Ut compendio dicam: ipſa ſors non fuit uſuraria in *d. l.* 17. *pr.* ſed ſingulæ penſiones, & porro cautum, ut pro una penſione non ſoluta, non ejus penſionis duntaxat ſemiſſes uſuras præſtaret debitor, ſed *totius pecuniæ*, totius ſortis. Quæ ſtipulatio longe lateque Centeſimam excedebat. Sed hoc non prohibet, quominus per ſtipulationem tota ſors in futurum fiat uſuraria, in futurum, inquam, non in præteritum, quia in præteritum pro una tantum penſione uſuræ promiſſæ erant, in futurum mutare, & totam ſortem facere uſurariam, fuit integrum, in præteritum contra. Sic intelligo ἐπίκρισιν Pauli, ex ſolida ratione juris, & aut hæc, aut nulla mihi videtur ejus ſententia; nolim vero, in re quotidiana, ab aliis JCtis, quin & a ſemet ipſo diſſenſiſſe.

Ex his ſatis, opinor, intelligimus, quicquid hic dixit Paulus de legitimo uſurarum modo, ad Centeſimam, ejus ætate licitam, pertinere, &, ſive una voce legas *adfinitum*, ſive duabus, *ad finitum*, nihil cauſæ eſſe, cur hanc phraſin Triboniano magis, quam Paulo tribuamus, atque ita fruſtra eſſe Giphanium *Comment.* ad *l.* 28. *C. de Uſur.* qui & hic putat Tribonianum pellucere.

CAPUT XX.

De lacu Sabatene angulario ſive anguillario in L. 69. ff. de Contrah. empt. & vendit.

Proponit Proculus in *d. l.* 69. Rutiliam Pollam emiſſe *lacum Sabatenem angularium, & circa eum lacum pedes decem*, & quærit, ſi lacus creverit, atque ita decem illi pedes fuerint inundati, an alii decem pedes, ab aqua proximi, Rutiliæ debeantur? & negat deberi, quia emit decem pedes, qui tunc fuerunt, id eſt, tempore venditionis, nec ideo, quod poſtea creverit, oportere eam latius poſſidere lacum, quam revera emit. Huic reſponſo nemo non ſubſcripſerit, nec tam de eo laboratur, quam de ipſo lacu, quem *Sabatenem angularium* vocat Proculus, ſi recte Florentiæ deſcriptum & editum eſt. Eam quoque ſcripturam retinet MS. meus ſine Gloſſis, & Editio apud Sennetonios & Hugonem a Porta, niſi quod hic ediderit *Sabbatenem.* MS. meus cum Gloſſis, *Sabathanem angularium.* Blaublommius & Robertus Stephanus, *Sabatanenſem angularium*, Haloander autem & Vintimillius, *Sabatianenſem anguillarium.* Quæro, cui aut quibus credere æquius melius ſit? id ſatis conſtat, fuiſſe olim in Etruria oppidum, cui nomen *Sabate*, fuiſſe & lacum, prope id oppidum, ejusdem plane nominis, & a *Sabate* vel Σαβάτα, ut Strabo extulit, derivata eſſe *Sabatius* & *Sabatinus.* Unde hunc lacum Silius vocat *ſtagna Sabatia*; Columella, Frontinus & Anaſtaſius Bibliothecarius *lacum Sabatinum*; & *Sabatina a lacu Sabbate* ſeu potius *Sabate dicta*, auctor eſt Feſtus. His omnibus teſtimonium denunciavit Philippus Cluverius *Italiæ Antiquæ L.* II. *C.* 3. nec ex eo quicquam deſcribo. Quia autem derivativa vocabula quisque fere pro arbitrio ſuo fingit, hinc promiſcue *Sabatius* & *Sabatinus*, & apud librarium Florentinum *Sabatene* vel *Sabatenes*, apud alios *Sabatanenſis* & *Sabatianenſis.* Florentina lectio proxime accedit ad analogiam, & niſi eam in *Sabatinum* mutes, reliquis videtur præferenda. Is lacus Sabate etiam nunc exſtat, & *Braccianus* dicitur a vicino ejusdem nominis oppido, *Lago di Bracciano.*

Memorantur & apud antiquos *vada Sabatia*, bis quidem apud Capitolinum in *Pertinace*, ſemel *C.* 9. iterum *C.* 13. Poſteriori loco narrat, Pertinacem tam parcum & lucri cupidum fuiſſe, ut apud *vada Sabatia* mercaturas exercuerit per homines ſuos, non aliter quam privatus ſolebat, per piſcationem forte, vel per agriculturam. Plurimos utique agros ibi habuiſſe Pertinacem ex priori loco collegerim. Hunc exhibeo, quia eget interprete: *Avaritiæ ſuſpicione privatus non caruit, quum apud vada Sabatia oppreſſis fœnore poſſeſſoribus, latius ſuos teneret fines. Denique ex verſu Luciliano* AGRARIUS MERGUS *eſt appellatus.* Pro *teneret* Caſaubonus reſcribit *tenderet* pro *extenderet, porrigeret*, nec multum intercedo, quamvis, ſi quis omnino ita velit, recepta lectio in eandem ſententiam defendi poſſit. Sed quamobrem Pertinax dictus fuerit *agrarius mergus*, anxie quæritur. Cum id non expediverint Interpretes, ad emendationes confugiunt Caſaubonus & Salmaſius, ille legit *Granius agrarius mergus*, hic *erarius* vel *ærarius mergus*, & explicationes addunt, ipſis lectionibus pejores. Ego nihil muto, ſed ejus loci hanc puto eſſe ſententiam. Cum vada oppignorata occupaſſet & ſiccaſſet Pertinax, & inde latius poſſideret agros, tandem per jocum audiviſſe *mergum agrarium*, ut qui ex vadis, aqua repletis, agros ſuos extraxiſſet, perinde ac avicula *mergus* ex aqua victum & alimenta petit. Simili joco etiam Hollandos non abſurde dixeris *mergos agrarios*, utpote qui campos & agros ſuos, maximam partem e paludibus & lacubus extractos, aggeribus cinxerunt, & ſumma adhuc induſtria defendunt per aggerum Præfectos & Adſeſſores. Cum hæc, non alia, videatur ejus dicterii ſententia, Capitolini locus perperam vexatur, ſed quicquid ſit, de *vadis Sabatiis* interea conſtat. Hæc autem vada Sabatia, ſic dicta ab oppido *Sabata*, nunc penitus exciſa, in Liguria ſi quæras, reperies prope Savonam, & plane diſtincta ſunt a lacu Sabatio, qui eſt in Hetruria, & de quo apud Proculum ſermo eſt. Hæc confundi non debuiſſe, ut a nonnullis confuſa ſunt, etiam indicavit Cluverius *d. loc.* & tamen noviſſimos etiam Scriptores hunc errorem erraſſe plus ſemel animadverti.

Hunc lacum Sabatinum vel Sabatenem Proculus porro vocat *angularium* vel *anguillarium.* Quomodocunque legas, nihil refert, inquit Antonius Faber *Ration.* ad *h. l.* & ſane nihil refert quod ad quæſtionem juris, ſed, niſi dicamus inutilem eſſe operam, quam Antonius Auguſtinus impendit indagandis *Pandectarum nominibus propriis*, & quam alii conſtituendis veris lectionibus, etiam hic liceat nonnihil periclitari. Auguſtinus quidem nihil hic extricat, Florentinam ſcripturam bis, diverſis locis, repræſentaſſe contentus, ſed Guido Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 38. obſervat, prope hunc lacum conditum eſſe oppidum, quod & nunc *Anguillaria* vocatur, & inde hunc ipſum lacum dici *Anguillarium*, ſic enim, inquit, legendum credo in *d. l.* 69. non *angularium*, ut mendoſe legitur in Pandectis Florentinis. Atqui ante Pancirolum ſic jam ediderant Haloander & Vintimillius, & de ea ipſa lectione jam admonuerat Accurſius ad *d. l.* 69. ANGULARIUS, ait, *quia multos habet angulos. Si habes* ANGUILLARIUM, *quia multas habet anguillas.* Addit autem: *prima verior eſt.* Non ideo, ſi quid judico, primam præfert, quod ad conſultationem juris quicquam pertinuerit, utrum lacus, de quo agitur, fuerit *angularius* ſeu *angularis*, (nam utrumque recte ſcribitur) an vero rotundus, vel quadratus, ſed quod revera ille lacus fuerit angularius, vel potius, ut ipſe conjicio, & mox dicam, pars quædam ejus angularia. *Anguillarium* quidem non dicit Accurſius, ſed *anguillarum*, at res eodem redit, nam ſic *lacus anguillarum* dicitur, ut dicimus *luſtra ferarum*, & alia ejusmodi. Utcumque ſcribas, a copia anguillarum, quæ ibidem capiuntur, nomen ſortitum erat oppidum, & lacus oppido vicinus; certe hunc lacum *abundare anguillis* Pancirolo Italo, in re Itala teſtimonium dicenti, haud invitus credo. In Bœotia etiam eo nomine celebratur lacus Copais, ut eſt apud Pauſaniam *L.* IX. *Bœotic. p. m.* 299. *in fin.* & apud Ariſtophanem in *Acharnenſ.* eo loco, quem Jacobus Palmerius explicavit *Exercitat. in optim. fere Auct. Græc. p.* 729.

Sed lacus Sabatinus abundaverit anguillis, & inde oppidum, in ripa ejus conditum, dictum fuerit *Anguillaria* vel *Anguillara* (nam utroque modo ſcribitur) & ipſe lacus dictus fuerit *anguil-*

guillarum vel *anguillarius*, non ideo recte efficitur, ita quoque apud Proculum eſſe legendum. Quin fere pronior eſſem in ſententiam Accurſii, qui eam lectionem rejicit. Ratio, quam ipſe non dedit, mihi eſſet, quod apud Auctores, Proculo æquales vel antiquiores, non repererim oppidum vel lacum *anguillarium*, ſed duntaxat *Sabaten* & *Sabatinum*, idque conſtanter, nulla unquam addita *anguillarii* mentione. Quinimo etiam barbaris temporibus *Sabatini* vox duravit, ut conſtat ex Anaſtaſio Bibliothecario in *vita Papæ Honorii, & in vita Hadriani*, ſine ulla alia adjectione. Utque adeo recentior mihi videatur *anguillarii* appellatio, quam ut Proculo convenire posſit. Atque id forte Cluverium movit *d. L.* II. *C.* 3. ut in *d. l.* 69. has voces *Sabatenem angularium* corruptas eſſe exiſtimaverit ex his *lacum Sabaten, id eſt, anguillarium*, poſteriora autem, *id eſt, anguillarium* in margine interpretationis loco fuiſſe adpoſita, & deinde ab imperito librario in ipſam legem tranſcripta. Sic Proculo non deberemus *anguillarium*, ſed interpreti, infimæ forte ætatis. Si ita placeret, etiam abſque τῷ *id eſt* conſtare poſſet Gloſſa irrepticia, minori ſcilicet motu; at vero ſecta noſtra ab hoc genere Critices abhorret quam maxime, ob periculum, quod Jurisprudentiæ Romanæ imminet, ſi genuina forte JCtorum verba Gloſſis imputemus, ut ſæpiſſime imputantur. Et, ſi ejusmodi Glosſemata admittas, dic, obſecro, dic ubi ſiſtas? Addo, quod non tantum in Tuſco, ſed in omnibus omnino Libris, MSS. & editis *angularii* vel *anguillarii* vox conſtanter reperiatur; quominus etiam in hanc conjecturam eſſem proclivior.

Quum igitur Proculi ætate *anguillarii* vox non fuerit frequentata, nec ſit, unde ſciamus, ut Gloſſam irrepſiſſe, ego malim ſervare *angularium.* Quidni autem ſervemus id epitheton, ſi Hofmanni Lexicon in *V. Sabbatinus lacus* recte nos erudiat? *Lacus*, inquit, *Hetruriæ, etiam* TRIANGULARIS *dictus eſt olim, nunc* LAGO DI BRACCIANO *ab oppido adjacente.* Sed ego veteres Auctores, qui de lacu Sabatino agunt, excuſſi omnes, quanta potui diligentia, nec in ullum incidi, quod tamen maximopere volebam, qui *angularis* vel *triangularis* nomen ei lacui tribuerit. Et tamen vel optimo cuique Lexicographo nolim credi, ſi auctorem ſuum non laudet; hic autem laudat nullum. Quare hæc habeo pro non ſcriptis, ſed tamen nihil impediunt, quominus Proculus, etiam ſine ulla alia auctoritate, hunc lacum, forma angulari, potuerit appellare *angularium.* Magis tamen inducor, ut credam, Rutiliam Pollam non emiſſe univerſum lacum Sabatinum, qua late patebat, ſed nonnullam ejus partem, quæ a forma vocata fuerit *angularia.* Si Proculus ſimpliciter dixiſſet, *lacum Sabatenem*, univerſum intelligeremus, nunc intelligimus lamam ſingularem, a forma ſic dictam & deſcriptam. Atque ita malo, quam, ut eſt in proverbio, *anguillam cauda tenere.*

CAPUT XXI.

Corrigitur L. 14. §. 2. ff. ad SC. Trebell.

Sive Hermogeniani ſit *d. l.* 14. ſive Ulpiani, ſive utriusque, ut Cujacius putabat *L.* II. *Obſerv. C.* 27. dignus ſane eſt, qui explicetur & emendetur, ejus §. 2. Quod ut agam, præmitto, apud Græcos nonnullos inteſtati, apud Romanos teſtati cauſam fuiſſe potiorem. Romani publice expedire rati ſunt, ſuprema hominum judicia exitum ſortiri *l.* 5. *ff. Teſtam. quemadmod. aperiant.* Inde eſt ampliſſima illa poteſtas, ipſa Lege Decemvirali teſtatoribus conceſſa *l.* 120. *ff. de V. S.* Inde eſt, ut & alia occaſione ſupra obſervabam *L.* V. *C.* 5. quod paribus judicum ſuffragiis, *humanius* eſſe dicatur, eam partem ſequi, quæ ſecundum teſtamentum pronunciavit *l.* 10. *pr. ff. de Inoffic. teſtam.* & inde quoque fideicommiſſorum origo & progreſſus §. 1. 4. & 5. *Inſt. de Fideicomm. heredit.* Cum autem in fideicommiſſis non raro accideret, ut heres ob grande æs alienum hereditatem, tanquam damnoſam, adire nollet, ne tamen fideicommisſa interciderent, novo beneficio cautum eſt, ut heres per Prætorem cogatur adire & reſtituere, ſic ut ipſe, qui reſtituendi miniſterio duntaxat functus eſſet, reſtituto qualiquali patrimonio, oneribus liberetur, & actiones in fideicommiſſarium tranſeant. Hoc præſtitit SCtum Pegaſianum, ut eſt apud Ulpianum *Fragment. T.* XXV. §. 16. Sed hoc quidem, ad conſervationem teſtamenti, antequam heres adiiſſet, non tamen & repudiaſſet: nam ſi repudiaſſet, ad inteſtati cauſam res redigebatur *l.* 1. *pr. ff. de Suis & legit. hered.* & ſolvebatur omnis vis teſtamenti, ut ait Ulpianus in *l.* 181. *ff. de R. J.* atque ita, ſi rationem juris ſequamur, intercidebant & fideicommiſſa. Attamen & contra eam rationem placuit ex cauſa heredem reſtituere cogendum, & hoc eſt, quod in noſtra *l.* 14. §. 1. proponitur hisce verbis: *Sed & qui repudiavit hereditatem, cogitur adire & reſtituere ipſam hereditatem, ſi juſtæ cauſæ allegentur.*

Porro quæſitum eſt, quid juris, ſi a ſcripto herede, repudiata hereditate, bona jam fuerint diſtracta vel a legitimis heredibus, vel a creditoribus? hanc quæſtionem tractavit JCtus in *d. l.* 14. §. 2. eaque ex conſtitutione D. Antonini ab ipſo ita deciſa legitur: *Plane ſi bona venierint, non oportet præceptorem, ne quidem pupillum, reſtituere, niſi ex cauſa, ut D. Pius reſcripſit.* Sic eſt Florentiæ. Sed cum *præceptoris* vox valde hic ſit incommoda, nec, quomodocunque interpreteris, idoneum ſui ſenſum præbere poſſit, paribus omnium Editorum & Interpretum ſententiis in ejus perniciem conſpiratum eſt. Omnes quidem Libri MSS. & editi, excepto uno Florentino, pro *Præceptorem* conſtanter exhibent *Prætorem*, ſed ita ineptus erit ſenſus, ſi τὸ *reſtituere*, quod ſequitur, intelligas de reſtituenda hereditate, nam Prætoris non eſt hereditatem reſtituere, ſed fiduciarii. Cujacius, ut hoc evitet, *Not. prior.* ad §. 5. *Inſt. de Hered. qual. & differ.* legendum cenſet, *per Prætorem*, ut ſenſus ſit, bonis venditis, quamvis pupillus fuerit ſcriptus heres, eum non cogi per Prætorem reſtituere fideicommiſſario, niſi ex juſta cauſa. Sed ait *reſtituere*, non *cogere, ut reſtituat*, ut omnino dicendum eſſet, ſi hæc voluiſſet JCtus. Ad hæc ſcire velim, qua tunc ratione injecta foret pupilli mentio! non coactum ſcilicet iri fiduciarium, etiamſi pupillus ſit, ut hereditatem fideicommiſſario reſtituat. Atqui vix eſt, ut facilius pupillum cogi dicamus, ac alios quosvis, imo, ob favorem ætatis multo difficilius. Superflua igitur & inepta eſſent, *ne quidem pupillum*, niſi & altera emendatione adhibita legamus, *ne quidem*

pupillo, hac ſententia; poſt repudiatam hereditatem bonaque diſtracta, fiduciarium non eſſe cogendum reſtituere, etſi fideicommiſſarius eſſet pupillus, cujus alioquin favor humanius quid exigere videretur. Sed neque hoc placet, neque ipſa *Prætoris* vox mihi hic ſatis videtur opportuna, nam ecce hoc loco explicandum vel repetendum non erat, per quem heres detrectans vel repudians cogeretur reſtituere, cum initio hujus tractatus id fieri debuerit, & factum quoque ſit ab Ulpiano in *l.* 13. §. 4. *ff. ad SCt. Trebell.* quin ſi explicandum & repetendum eſſet, §. 1. id melius conveniret, ubi JCtus hanc materiam fuerat orſus. Nimium quoque differunt *Præceptor* & *Prætor*, cum ſcriptura, tum ſono, quam ut putem, alterum verbum in alterius locum migraſſe.

Quapropter ego malim pro *præceptorem* minori motu reſcribere *receptorem*, & intelligere *fideicommiſſarium*, ea, quam mox dicam, ratione. Deinde *reſtituendi* vocabulum, quod ſic ſequitur, non acceperim de reſtitutione hereditatis, ſed de reſtitutione in integrum, ut video quoque accepiſſe Accurſium. Atque ita ſenſus erit, poſt repudiatam non duntaxat, ſed & diſtractam hereditatem fideicommiſſarium non eſſe audiendum, ſi implorata reſtitutione in integrum hanc ſibi ex teſtamento reſtitui poſtulaverit. Quia fiduciarius nequit reſtituere hereditatem, quam non habet, utpote diſtractam, in primis requirebatur cauſæ redintegratio. Hanc negat JCtus fideicommiſſario, quia res integra eſſe deſiit, poſtquam creditores vel heredes legitimi bona jam occupaverint & diſtraxerint; qui tunc poſtulat in integrum ſe reſtitui, ſero nimis poſtulat. Ipſe minor, qui hereditatem repudiavit, *ſiquidem omnia in integro ſint, omnimodo audiendus eſt, ſi vero jam diſtracta hereditate, & negotiis finitis, ad paratam pecuniam laboribus ſubſtituti veniat, repellendus eſt*, ut ex Scævola Paulus obſervat in *l.* 24. §. 2. *ff. de Minor.* Et inde intelligimus, quamobrem JCtus in *h. l.* 14. §. 2. addiderit, *ne quidem pupillum*, hoc eſt, uſque adeo Prætor non debet in integrum reſtituere fideicommiſſarium, ut & id in pupillo obtineat, qui alioquin reſtituendus videbatur ob ætatem pupillarem, tot privilegiis munitam. Vis rationem? non aliam dabo, quam ex Scævola dedit Paulus in *d. l.* 24. §. 2.

Sed quid audio, inquies, an *receptorem* dixit JCtus pro *fideicommiſſario*? puto dixiſſe, & verbum inſolentius feſelliſſe librarium Florentinum, atque inde *Præceptoris* vocem, magis notam, &, quum hæc non conveniret, *Prætoris* eſſe natam. Dicetur autem *receptor* fideicommiſſarius, quod hereditatem ab herede ſuſceptam, ipſe recipiat: quemadmodum enim heres dicitur hereditatem *ſuſcipere l.* 77. §. 7. *ff. de Legat.* II. & *l.* 16. §. 10. *ff. ad SCt. Trebell.* ita *recipere* dicitur fideicommiſſarius *l. ult. ff. de Transact. l.* 44. *pr.* & §. 1. *l.* 45. & *l.* 67. §. 1. *ff. ad SCt. Trebell.* Si ipſa *receptoris* vox, quæ utique ſatis Latina eſt, tibi forte in hanc ſententiam lecta non ſit, memineris, in Gloſſis Philoxeni eſſe, ὑποδοχεὺς, *receptor*, nec quicquam impedire, quominus ea ibi ſit ejus verbi ſignificatio. Memineris quoque, ſi Hermogeniani ſit *d. l.* 14. ut Florentiæ ſuperſcribitur, eum plus ſemel novis & inſolitis vocabulis fuiſſe uſum. Exempla adderem, niſi præveniſſet diligentia Jacobi Gothofredi *Prolegom.* ad *Cod. Theodoſ. C.* 1. ex quo animadverti alios ſua deſcripſiſſe.

CAPUT XXII.

Explicatur L. 6. §. 1. ff. de Interd. & releg.

Præſidem deportare non poſſe, nulla dubitatio eſt, inquit Ulpianus in *l.* 2. §. 1. *ff. de Pœn.* & tamen Franciſcus Hotomanus *L.* III. *Obſerv. C.* 12. non tantum dubitat, ſed & palam contradicit. Vellem, ne id feciſſet in re tam liquida. Præſes, ſi quem deportandum putet, Imperatorem adit, cauſam exponit, ſententiam ſuam adſcribit, & hanc ſi comprobet Princeps, deportatio eſt, ante non eſt. Totidem fere verbis id eſt expreſſum in *l.* 6. §. 7. *ff. de Injuſto rupt. irr. fact. teſtam. l.* 1. §. 3. *ff. de Legat.* III. *l.* 1. *pr. ff. Quando appell. ſit.* & perſpicue in *d. l.* 6. §. 1. *ff. de Interd. & releg.* Hos omnes locos, qui generaliter loquuntur, intelligere de Præſidibus, qui ſubjectas ſibi inſulas non habent, ut intellexit Hotomanus, & præivit Accurſius ad *d. l.* 6. §. 1. id vero eſt ludificari Jurisprudentiam Romanam. In relegatione, fateor, ea diſtinctio adhibetur, ut Præſes in inſulam, ſi quam ſub ſe habeat, releget, ſi non habeat, ut Princeps adſignet *l.* 7. §. 1. *ff. de Interd. & releg.* ſed relegare Præſes poteſt, deportare non poteſt. Nec Hotomanum in contrarium movere debuit, quod hic illic, etiam in noſtra *l.* 6. §. 1. ſententia Præſidis commemoretur, quando de deportatione ſermo eſt, nam quo ſenſu id accipiendum ſit, mox apparebit.

Poſtquam autem Ulpianus in *d. l.* 6. §. 1. ut rem certam præmiſiſſet, *deportandi in inſulam jus Præſidibus Provinciæ non eſſe datum*, quamvis Præfectis Urbi datum ſit ex epiſtola D. Severi ad Fabium Cilonem, mox Præſides inſtruit, quemadmodum eos verſari oporteat in cauſa deportationis. *Præſides itaque Provinciæ*, ſic pergit, *quotiens aliquem in inſulam deportandum putent, hoc ipſum adnotare debent; nomen vero ejus ſcribendum Principi, ut in inſulam deportetur, ſic deinde Principi ſcribere, miſſa plena opinione, ut Princeps æſtimet, an ſequenda ſit ejus ſententia, deportarique in inſulam debeat. Medio autem tempore, dum ſcribitur, jubere eum debet in carcere eſſe.* Ait *adnotare debent.* Hoc ipſo verbo, in eodem argumento, utitur idem Ulpianus in *d. l.* 1. *pr. ff. Quando appell. ſit.* Deinde obſervat, non duntaxat nomen eſſe ſcribendum Principi, ſed ſcribendum, *miſſa plena opinione.* Ruſſardus & Boudoza ad margines ſuarum Editionum adſcribunt *pene* pro *plena*, atque ſi hæc varia eſſet lectio, at eam ego nullibi offendi, omnes Libri, quos ipſe conſului, etiam MS. meus ſine Gloſſis, habent *plena opinione.* Unum Robertum Stephanum excipio, qui exhibet, *miſſa* POENÆ *opinione*, unde forte manavit vitioſum *pene*, ſine ullo plane ſenſu. Sed & *pœnæ opinio* nihil hic ſignificaret, cum jam admonuerit Ulpianus, de eo verba fieri, quem Præſes deportandum putet, expreſſa ſic pœnæ opinione. Ne quidem hæc verba, *miſſa plena opinione*, ſic acceperim, ut ſignificent, oportere Præſidem integre ad Principem perſcribere, quid ſibi de pœna videatur ſtatuendum, nam & hæc præcedentium eſſet repetitio, ſed potius per *plenam opinionem* intelligo integram & in ſcripto habitam commemorationem eorum, quæ ad probationem delicti pœnæque pertinent. Ut jubeatur

Præ-

Præſes omnium eorum, quæ ipſe cognovit, ſynopſin transmittere. Atque id, ni fallor, ſignificat *opinio* in Gloſſis, quas Salmaſius produxit *Comm.* ad *Trebellii Pollionis* XXX. *Tyrannos*, *in Victorino C.* V. *opinio* σύνοψις, *ſynopſis* enim eſt ejusmodi ſcripta commemoratio, quæ totam rem, de qua agitur, ſimul conſpectui exhibet, & ita ea vox uſurpatur in *l.* 5. §. 11. *ff. de Reb. eor. qui ſub tutel. vel cur. ſunt, ſine decret. non alien.* ſi nempe ibi legamus *ſynopſin bonorum pupillarium*, ut Florentiæ legitur, utque legendum eſſe Anton. Auguſtinus animadvertit *L.* IV. *Emend. C.* 3. *Plena opinio* ſic eſſet integra narratio eorum omnium, quæ ad litem judicandam pertinent, quo ſenſu forte *opinio* a *ſententia* diſtinguitur in *l.* 8. *l.* 9. *l.* *l.* 11. & *l.* 16. *C. Th. de Appellat.* Ab ejusmodi *opinione*, id eſt, *conſcripta forma*, puto dictos eſſe *opinatores*, qui annonam militarem exigebant, quorumque mentio eſt in *l.* 7. *C. de Exactor. tribut.* *l.* 11. *C. de Erogat. milit. annon.* & alibi in *Codice*, non enim illi opinabantur aut æſtimabant, quantum cuique eſſet conferendum, ſed ſpecies, ad annonam militarem pertinentes, exigebant ſecundum formam ſibi præſcriptam, qualis, quod ad veſtem militarem, præſcripta eſt in *l.* 2. *C. de Milit. veſt.* Scio, aliam appellationis rationem reddi ab Alciato *L.* VIII. *Parerg. Jur. C.* 12. rurſus aliam a Cujacio ad *d. l.* 11. *C. de Erogat. milit. ann.* & iterum aliam a Salmaſio *d. loc.* ſed auſim præſtare, nullam earum bonam, aliam alia pejorem eſſe; at non eſt, ut tantum digrediar.

Revertor igitur ad noſtram *l.* 6. §. 1. &, ſi eam recte interpretor, duo deſiderat Ulpianus, alterum, ut Præſes ſuam ipſius ſententiam tranſcribat, alterum, ut addat totius cauſæ ſynopſin. Utrumque etiam expreſſerunt Baſilici, quos hic ad partes voco, *L.* LX. *T.* 54. *C.* 6. §. 1. cum ajunt. Præſides, ſi quem deportandum putent, τελείως τὰ περὶ αὐτοῦ, καὶ τὴν οἰκείαν γνώμην ἀναφέρουσι Βασιλεῖ, *integre quæ ad ipſum pertinent, & ſuam ſententiam referunt ad Principem.* Illa τελείως τὰ περὶ αὐτοῦ ſignificantur *plena opinione*, neque enim alia ſunt, quo referri poſſint, hæc autem καὶ τὴν οἰκείαν γνώμην pertinent ad præcedentia *d.* §. 1. *quotiens aliquem in inſulam deportandum putent*, & ad ſequentia, *an ſequenda ſit ejus ſententia.* Quapropter vulgata *opinionis* ſignificatio huic loco non convenit, ut ſcilicet his verbis, *miſſa plena opinione*, dicamus Præſidem juberi plene perſcribere, quid ſibi videatur, non tantum, ut modo dicebam, quod hæc eſſet inepta præcedentium repetitio, ſed & quod mox addatur, illam *plenam opinionem* eſſe mittendam, *ut Princeps æſtimet, an ſequenda ſit ejus ſententia.* Plane enim ex ſententia, quam Præſes arbitrio ſuo conjecit, æſtimare non poterat Imperator, damnari, an abſolvi deberet is, de quo agebatur. Id unice æſtimare poterat & debebat ex commemoratione eorum, quæ ad delictum pertinebant. Priusquam vero ſententiam Præſidis ſua auctoritate confirmaſſet Imperator, ipſa nihil valebat, nam deportatus a Præſide deportatus non intelligitur, ideoque integrum ſtatum retinet, &, ſi interim decedat, civis decedit *d. l.* 1. §. 3. *ff. de Legat.* III. quia, ut ibi ſignificatur, illa comprobans ſententia Principis deportat, non ſententia Præſidis. Moritur igitur reus, ſed non damnatus; quale exemplum & Valerius commemorat *L.* IX. *C.* 12. *n.* 7.

Ex his omnibus intelligimus, minime accuratum eſſe, quod Pachymeres adnotavit ad *Dionyſii Epiſt. ultim.* Οὐ δύναται, inquit, ὁ Ἄρχων τὴν νῆσον ὀνομάζειν, εἰ μὴ ὁ Βασιλεὺς μόνος, *non poteſt*, de deportatione loquitur, *Præſes Provinciæ inſulam nominare, ſed ſolus Imperator.* Quia non duntaxat inſulam, in quam fiat deportatio, nequit nominare Præſes, ſed nec deportare, ſi enim deportaret, & inſulam tantum adſignaret Princeps, inanis eſſet Ulpiani diſputatio in *d. l.* 1. §. 3. *ff. de Legat.* III. ut palam liquet ex §. 4. mox ſubſequenti. Habet ſe ſententia Præſidis, in hac ſpecie, ad inſtar ſententiæ judicis, a Magiſtratu cum ſola notione dati, quæ nulla auctoritate cenſebatur, niſi Magiſtratus eam habuiſſet ratam *l.* 28. *ff. de Re judic.* Si judex quem damnandum putaſſet, id, ejusque rationes, quas in notione indagaverat, ſignificabat Magiſtratui, ut is pro ſuo arbitrio ſententiam rejiceret, vel probaret & executioni daret. Idem juris eſt in Præſide, quod ad deportationem, ea, quam expoſuimus, ratione.

CAPUT XXIII.

Quis a quo appelletur.

Ex iis, quæ modo dicebam de ſententia judicis, cui ſola notio competebat, ſatis apparet, ab ejusmodi judice appellari non potuiſſe, nam ejus ſententia ante confirmationem ejus, qui judicem dederat, vim ſententiæ non habebat, poſt confirmationem a dante erat appellandum. Id probat ſola ratio, cum idem utriusque fuerit auditorium, & nemo ab eodem ad ſe ipſum appellare poſſit, ut in cauſa ſimili Jure Pontificio conſtitutum eſt *C.* 2. X. *de Conſuetud.* & *C.* 3. *pr.* X. *de Appellation.* utrobique in *ſexto.* Sed ſi judex datus ſit, ut ipſe litem definiat, is, qui dedit, appellabitur, & inde a judice, quem Conſules dederunt, ad ipſos Conſules eſt provocatio *l.* 1. §. 3. *ff. de Appellat.* & ita in omni eo, qui judicem dedit, definit Ulpianus in *l.* 1. *pr.* & Modeſtinus in *l.* 3. *ff. Quis a quo appell.* Ejusmodi judex, qui cauſam terminabat, fere dicebatur *Judex ſpecialis*, & is, qui eum dederat, cenſebatur retinuiſſe, nec alienaſſe jurisdictionem. Si ſtaretur ſententiæ ejusmodi judicis, ipſe, qui dederat, poterat judicandi opera ſuperſedere, ſi non ſtaretur, a delegato ad delegantem ſupererat provocatio. Ex his nullo negotio intelligimus, cur Prætor non poſſit ipſe ſe dare *ſpecialem judicem l.* 4. *ff. de Offic. Prætor.* ut neque Præſes *l.* 5. *ff. de Offic. Præſid.* perabſurdum quippe eſt, ut a ſe ipſo contra ſe ipſum appellare poſſit.

Aliud eſt in eo, qui jurisdictionem mandavit, ab ejusmodi enim mandatario non mandans, ſed mandante ſuperior appellandus eſt. Id Ulpianus ſignificat in *l.* 1. §. 1. *ff. Quis a quo appell.* *Ab eo*, inquit, *cui quis mandavit jurisdictionem, non ipſe provocabitur: nam generaliter is erit provocandus ab eo, cui mandata eſt jurisdictio, qui provocaretur ab eo, qui mandavit jurisdictionem.* Ad hunc §. 1. multæ nugæ ſunt, & nihil quicquam bonæ frugis in Zoannetto *Reſtitut. C.* IX. has nugas tamen, pro more, tranſcripſit Jacobus Gallus *Apic. LL. p.* 173-176. Zoanettum emendare *d.* §. 1. ait Gothofredus in *Not.* ſed prolixe fallitur, nihil omnino mutat, perperam explicare contentus. Nolim has ſordes purgare;

perſpicua eſt Ulpiani ſententia, nec minus perſpicua ejus ratio: mandatarius enim mandantis loco eſt, & ejus partibus fungitur *l.* 3. *ff. de Offic. ejus cui mand. eſt jurisd.* Qui mandat jurisdictionem, eam in alium transfert, & mandatarius ejus, qui mandavit, utitur jurisdictione *l.* 1. §. 1. *eod. Tit.* Mandans, per ceſſionem, ſua jurisdictione ſe quodammodo abdicavit, & ejus officium in mandatario impletum eſt & finitum. Atque his conſequens eſt, a mandatario non eſſe appellandum ipſum mandantem, ſed eum, qui mandante proxime eſt ſuperior.

At quid dicemus de legato Proconſulis, qui & ipſe utitur mandata jurisdictione? Legatum enim, quicquid contradicat Cujacius *L.* VII. *Obſerv. C.* 21. nihil proprii habere, etiam poſt delegatam jurisdictionem, argumento eſt *l.* 1. §. 1. *verſ. Verius ff. de Offic. ejus cui mand. eſt jurisd.* nam ecce Papinianus a ceteris mandatariis argumentatur ad legatum Proconſulis, ceteri nihil habent proprium, ex mandato omnia *d.* §. 1. ex mandato autem tranſit jurisdictio, non imperium; *quare*, inquit, *nemo dicet, animadverſionem legatum Proconſulis habere mandata jurisdictione.* Et Paulus in *l.* 12. §. 1. *ff. de Judic.* exemplum daturus ejus, cui mendata eſt jurisdictio, *ut*, inquit, *ſunt legati Proconſulum.* Unde, quod ejusmodi mandatariis licet, licet & legato, & quod huic, viciſſim illis *l.* 4. *pr. ff. de Offic. ejus cui mand. eſt jurisd.* & *l.* 1. §. 4. *ff. de Suſpect. tutor.* Neque prodeſt Cujacio, ad quam adpellat, *l.* 13. *ff. de Offic. Proconſ. & legat.* quia hoc duntaxat ait Pomponius, eo ipſo, quod quis datus eſt Proconſuli legatus, nullam jurisdictionem habere, ſed habere ex mandato delegatam, poſtquam mandavit Proconſul. Quod addit Cujacius, *cogi Proconſulem mandare*, nubecula eſt, quam diſcuſſiſſet Ulpianus in *l.* 6. §. 1. *ff. de Offic. Proconſ. & leg.* cum ait, *in arbitrio Proconſulis eſſe, mandare jurisdictionem, vel non mandare.* Scio & alios, qui cum Cujacio idem ſentiunt, advocaſſe Reſcriptum Severi & Antonini in *l.* 4. *pr. ff. de Offic. ejus cui mand. eſt jurisd.* ſed iis occurrit Elbertus Leoninus *L.* II. *Emend. C. ult.* qui totum id, qua patet, argumentum ſic ſatis feliciter exſequutus eſt. Verum, inquies, ſi poſt mandatam jurisdictionem legatus utatur aliena, non ſua jurisdictione, a legato non Proconſul, ſed Proconſule ſuperior eſſet appellandus, quemadmodum a reliquis mandatariis, & tamen *appellari a legatis Proconſul poteſt, &, ſi multam dixerit, poteſt de iniquitate ejus Proconſul cognoſcere, &, quod optimum putaverit, ſtatuere:* Venulejum Saturninum loquentem audis in *l.* 2. *ff. Quis a quo appell.* Hoc eſt abſurdum, ait Cujacius *d. L.* VII. *C.* 21. niſi legatus proprium aliquid habeat, videtur enim idem a ſe ipſo appellari. Qui Cujacii ſententiæ iverunt obviam, hanc difficultatem fere diſſimularunt. Elbertum Leoninum excipio, qui, ne ſibi obſtet, rejecit lectionem Florentinam in *d. l.* 2. præfertque hanc, quæ antiquiorum Editorum eſt, *appellari a legato Proconſulis poteſt.* Sed illud admonere vix erat neceſſe, neque enim legatus ad inſtar Principis vel Senatus judicabat, quin ne quidem vice ſacra. Admonendum erat, quis a quo appelletur, adeoque quis a legato appellaretur, Proconſul nempe. Si legas *a legato Proconſulis*, ne quidem ſalva res eſt, cum mox ajat, de iniquitate legati, in multæ dictione, Proconſulem cognoſcere, & ex arbitrio ſtatuere. Ex appellatione autem cognoſcit & ſtatuit, quod prioribus eſt conſequens, nam ſine appellatione de iniquitate legati fruſtra quæreretur. Florentinam, eamque optimam ſcripturam etiam Baſilici repræſentarunt *L.* IX. *T.* I. *C.* 31. Εἰ δὲ, inquiunt, καὶ ψηφίσηται, ὁ λεγάτος, ὁ ἀνθύπατος τὴν ἔκκλητον [illegible] σκοπεῖ, *ſi legatus judicaverit, Proconſul ejus appellationem recipit.* Igitur largior Cujacio lectionem Florentinam, ſed & ſimul exiſtimo, in Proconſule, qui jurisdictionem legato mandavit, ſingulare eſſe, ut non, quemadmodum reliqui mandantes, videatur ſe abdicaſſe jurisdictione, ſed hanc duntaxat cum legato communicaſſe, ut opera ſua ipſi præſto eſſet. Unde legatus nihil niſi Proconſulis adjutor, εἰς βοήθειαν, *in auxilium*, ut Appianus ait eo loco, quem Cujacius indicavit *d. L.* VII. *C.* 21. plane ut Prætor, ut alius Magiſtratus, qui ſpecialem judicem dedit, jurisdictionem non exuit, ſed retinet, ita & Proconſul; utque judicium ſolvitur vetante eo, qui judicare juſſerat *l.* 58. *ff. de Judic.* ſic & Proconſuli licet revocare mandatam jurisdictionem, licet, ob honorem legati id non debeat facere inconſulto Principe *l.* 6. §. 1. *ff. de Offic. Proconſ. & leg.* Quamvis igitur legatus ſit mandatarius Proconſulis, non tamen Proconſule major, ſed ipſe Proconſul appellabitur, ſimilis ei, qui delegavit ſpecialiter, non ceſſa, at communicata duntaxat jurisdictione. Sic mihi videtur. Quæ ſi placeant, placere non poterunt, quæ diſputavit Antonius Goveanus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 46. vel Petrus Pantoja de Ajala ad *l.* 1. *ff. de Aleator.* vel Cæſar Coſta *L.* II. *Variar. Ambiguit. Jur. C.* 8. vel Petrus Perrenonius *L.* I. *Animadv. C.* 26.

CAPUT XXIV.

Frequens Interpretum Senatus ad L. ult. ff. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.

Sæcula ſunt, ex quibus Interpretum, Græcorum Latinorumque, induſtriam occupavit *d. l. ult.* Priusquam eos ſententias rogem, & quid ipſe ſentiam, ſuperdicam, integra Celſi verba adſcribam, nam ſi mihi credas, hic in primis incivile eſt, niſi tota lege perſpecta, de mente Celſi judicare. Verba ejus hæc ſunt: DEDI TIBI PECUNIAM, UT MIHI STICHUM DARES, *utrum id contractus genus pro portione emptionis venditionis eſt, an nulla hic alia obligatio eſt, quam ob rem dati re non ſecuta? in quod proclivior ſum. Et ideo, ſi mortuus eſt Stichus, repetere poſſum, quod ideo dedi, ut mihi Stichum dares. Finge, alienum eſſe Stichum, ſed te tamen eum tradidiſſe, repetere a te pecuniam potero, quia hominem accipientis non feceris. Et rurſus, ſi tuus eſt Stichus, & pro evictione ejus promittere non vis, non liberaberis, quo minus a te pecuniam repetere poſſim.* Quærit Celſus, an id contractus genus, quod propoſuit, *pro portione emptionis venditionis* ſit? Perinde accipit hanc locutionem Gerardus Noodt *L.* I. *Obſerv. C.* 17. atque ſi dixiſſet JCtus, an id contractus genus emptio venditio ſit, *pro portione* nempe, *quam in ordine civilium negotiorum habet*, ratus, ſe geminam locutionem in Plauto reperiſſe; ſed etiamſi Plauti locus non eſſet dubiæ lectionis, ut revera eſt, aliam tamen ejus eſſe ſententiam, ſi tanti eſſet, liquido probarem. At Celſi verba, *pro por-*

portione, a Cujacio *L.* XXIII. *Obſerv. C.* 29. & ab aliis etiam perperam explicata vulgari ſignificatione commodum ſenſum præbere, mox apparebit. Ipſa vero quæſtio, quam proponit, valde inexſpectata eſt. Si alter pecuniam dederit, ut alter Stichum daret, quærit, ecquod id genus contractus ſit? fere eſt, ut ad hanc quæſtionem Celſo reſpondeamus, quod ipſe ad quæſtionem, æque apertam, Domitio Labeoni reſpondebat in *l.* 27. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ. aut non intelligo*, noviſti cetera. Si convenerit, ut pro pecunia, quam ipſe dedi, tu Stichum des, utique habemus conſenſum, habemus pretium, habemus mercem; & adhuc dubitabimus, quin hæc ſit vera emptio venditio? non dubitat ſane Paulus in *l.* 5. §. 1. *ff. de Præſcript. verb. Siquidem*, inquit, *pecuniam dem, ut rem accipiam, emptio & venditio eſt.* Uno ore id ajunt omnes JCti; quid igitur hæc principia turbat Celſus, opinatus, *nullam hic aliam obligationem eſſe, quam ob rem dati re non ſecuta?* ſubſiſto. Et ſubſtiterunt, qui me longe ſapientiores ſunt. Inter Celſum & reliquos JCtos diſſenſionem admittere in re quotidiana & trita, quæque circa οὐσίαν emptionis verſatur, omnino durum eſt. Ea tamen placuit, etiam iis temporibus, quibus antinomias ſtatuere nefas habebatur. Certe deſperare jubet Viglius Zuichem ad *l.* 2. *ff. de Reb. cred. n.* 46. jubent alii, quos ipſe laudat.

Exploremus potius, quemadmodum alii ſeſe extricaverint. Baſilici *L.* XXIV. *T.* I. *C.* 16. propoſita facti ſpecie, οὐκ, inquiunt, ἐστι πρᾶσις, ἀλλὰ ἐναλλαγή, *non eſt venditio, ſed permutatio*, & deinde addunt reliquam Celſi diſputationem. His convenit Cyrillus, Græcus Interpres ad *d.* C. 16. *Lit. N.* Alius Interpres *lit. Q.* translato ſervi dominio, συνέστη περμουτατίων *contracta eſt permutatio.* Sed nemo eorum explicat, qua ratione eſſe poſſit permutatio, ſi convenerit, ut pro pecunia res detur, tunc eſſe emptionem & venditionem non tantum Paulus dixit in *d. l.* 5. §. 1. ſed & addit, *ſin autem rem do, ut rem accipiam, quia non placet permutationem rerum emptionem eſſe, dubium non eſt, naſci civilem obligationem.* Et ſic omnino habendum eſt, poſtquam pecunia, forma publica percuſſa, uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate *l.* 1. *pr. ff. de Contrab. empt.* Quin idem ſenſerit Celſo, dubitare non licet, vel ideo etiam, quod Proculejanum fuiſſe a Pomponio accepimus in *l.* 2. §. 47. *ff. de* O. *J.* Proculus autem diligenter diſtinguebat inter emptionem & permutationem, id eſt, utrum res detur pro pecunia, an res pro re *l.* 1. §. 1. *ff. de Contrab. empt.* Atqui ſermo Celſi eſt de pecunia. Latini Interpretes, qui non minus quam Græci de permutatione cogitant, ut Celſo bene ſit, varia comminiſcuntur. Signum extulit Joannes vetus Gloſſator, qui ait, pecuniam apud Celſum datam fuiſſe *in ſpecie*, ut fieri poteſt *l.* 30. §. 6. *ff. de Legat.* I. non *in quantitate*, ut apud Paulum in *d. l.* 5. §. 1. Sed Ulpianus in *d. l.* 30. §. 6. ut & Papinianus in *l.* 51. *ff. Eod.* loquuntur de pecunia legata, *quæ in arca erat*, non ſimpliciter de *pecunia*, ut hic Celſus in *princ.* & mox iterum, *repetere a te pecuniam potero.* De pecunia, quam quis manu, ſacco vel arca tenet, nihil ibi quicquam eſt, &, ſi vel eſſet, conſtituto pretio, *quantum in arca habeo*, nihilominus venditionem eſſe Ulpianus ſcribit in *l.* 7. §. 1. *ff. de Contrab. emp. Pecunia*, ſimpliciter ſic dicta, ſemper eſt quantitas ſive æſtimatio rei, non res ipſa, non corpus. Et tamen Joannem, non laudatum, ſequutus eſt Cujacius *L.* XXIII. *Obſerv. C.* 29. & aliis quam plurimis locis, quos indicavit Merillius *L.* I. *Variant. ex Cujacio C.* 19. Sibi ipſi nihilominus diffidit Cujacius, nam priori interpretationi mox aliam ſubjicit *d. L.* XXIII. *C.* 29. quin alio loco de priori palam addubitat, & rurſus aliis locis priorem plane rejecit, amplexus poſteriorem, de qua mox erit dicendum. Omnes hos locos habes apud Merillium *d. C.* 19. & iis componendis operam luſit Oſius *ad Merillium Diſpunct.* XIX. Joannis ſententiam etiam ſuam fecit Hotomanus *Epitom.* ad *Tit. ff. de Condict. C. D. C. N. S. n.* 7. niſi quod de animo contrahentium quædam adjiciat, & inde quoque definiat, an in emptionem venditionem res incidat, an in articulum *do ut des*, quæ & aliorum ſententia eſt, cui proprium locum deſtinavimus.

Sunt, qui, quod Joannes dixerat, nonnihil interpolarunt. Illi quidem ex Auguſtino didicerant *Cauſ.* I. *Quæſt.* 3. *C.* 6. *Quicquid homines poſſident*, PECUNIAM *vocari, ervus ſit, vas, ager, arbor, pecus, & quicquid horum eſt*, ſed & probe erant gnari, JCtos, cum de pecunia loquuntur, de ſignata & percuſſa loqui. Etiam hanc intelligunt apud Celſum, ſed movent, de peregrina forte pecunia ſermonem fieri, quia hæc corporis, atque adeo & permutationis vice fungi poſſit. *Cum peregrini nummi*, inquit Merillius *d. C.* 19. *dantur ob mercem, puta, Pœni, nummi Attici, non eſt emptio, ſed permutatio; Voluſius Mæcianus in Libr. de Aſſe.* Alii, ultra progreſſi, etiam *peregrinam pecuniam* lectoribus obtrudunt, nam eodem Voluſii Mæciani loco prius in partes vocato, exiſtimant, apud Celſum ſcriptum fuiſſe *dedi tibi pe. pec.* vel *dedi tibi peg. pec. ut mihi Stichum dares*, & utrumque, ex notis Veterum, tantundem eſſe, ac ſi ſcriptum fuiſſet, *dedi tibi peregrinam pecuniam, ut mihi &c.* Sic exiſtimat Gerardus Noodt *L.* IV. *Probabil. Jur. Civil. C.* 4. & ſimul librario objicit ignorantiam ejus notæ. Sed ego inter notas Veterum nullam reperi, quæ huic conjecturæ cauſam præbere poſſit. Notas ejusmodi ſolemnes fingere, ut illi & aliis ſæpe in more eſt, ſecta noſtra non patitur.

Quinimo, ſi quid ejusmodi liceret, utique contractus, de quo agitur, tunc inciderit in permutationem. Et tamen permutationem hic non fuiſſe contractam ipſe Celſus probavit, & ex Celſo probat Merillius *d. C.* 19. *in fin.* Omnes quidem Merillii rationes nolim meas facere, ſed, duæ rem abſolvunt. Altera eſt, quod ex hoc genere contractus Celſus ajat, *nullam hic aliam obligationem eſſe, quam ob rem dati re non ſecuta.* Quod ſi ſit, nulla etiam actio eſt, quam condictio C. D. C. N. S. atqui in permutatione vel ea condictio datur, vel actio præſcriptis verbis ad id, quod intereſt *l.* 5. §. 1. *ff. de Præſcript. verb. l.* 1. §. 4. *ff.* & *l.* 4. & 6. *C. de Rer. permutat.* & hanc Celſus omnino excluſiſſet, quicquid dicat Oſius *d. Diſpunct.* XIX. Altera ratio eſt, quod Celſus mox innuat, ex hoc συναλλάγματι oportere rem fieri accipientis, hoc eſt, præſtandum eſſe ipſius rei dominium, quod ut in emptione venditione verum non eſt, ita nec in permutatione, ut recte dixit Merillius *d. C.* 19. & plena manu probavit *L.* II. *Obſerv.* integro C. 13. Addo tertiam rationem, quod nempe, ut in emptione venditione res eſt emptoris periculo, ita & in permutatione periculo eſt dantis. Aperte Paulus in *d. l.* 5. §. 1. *in fin. ff. de Præſcript. verb. Si ſcyphos tibi dedi, ut Stichum mihi dares, periculo meo Stichus erit, ac tu duntaxat culpam præſtare debes.* Atqui mox Celſus: *Si mortuus eſt Stichus, repetere poſſum, quod ideo dedi, ut mihi Stichum dares*, contra naturam ſcilicet

per-

permutationis, quæ, ut dixi, rem jubet eſſe periculo dantis. Scio, quemadmodum Interpretes rumpant *d. l.* 5. §. 1. & quemadmodum alias ad eam tumultuentur, ut evertant Jurisprudentiam Pauli, ſed eam piſce eſſe ſaniorem auſim præſtare, & nunc præſtarem, ſi tantum digredi liceret. Scio, & Coraſium *L.* II. *Miſcell. Jur. C.* 9. quod Celſus dixit de repetitione non aliter intelligere, quam ſi præceſſerit culpa vel mora ejus, qui Stichum dare debuit, ſed cum id expresſum non ſit, tale quid affingere exemplo grave eſt.

Igitur a permutatione oculos & animos avocemus, & audiamus aliorum ſententias. Bartolus ad *h. l. ult.* plurimum intereſſe putat, utrum convenerit, ut Stichus *detur*, an ut Stichus *acciperetur*, illo verbo uti Celſum in *d. l. ult.* hoc Paulum in *d. l.* 5. §. 1. *de Præſcript. verb.* ſed hoc eſt tricari, cum alter contrahentium accipiat ex alterius traditione. Paulus de Caſtro non aliter emptionem venditionem eſſe dicit, quam ſi pecunia nominatim detur *loco pretii*, ita enim refert Viglius ad *d. l.* 2. *ff. de Reb. cred. n.* 46. Utque poſteriores ſæpe legunt veſtigia priorum, hæc ipſa mihi eſſe videtur Duareni ſententia ad *Tit. ff. de Condict. C. D. C. N. S. Cap.* II. cum ait, ex animo contrahentium pendere, pecunia detur tanquam pretium rei, nec ne; ſi prius, & id appareat, emptionem venditionem eſſe, ſi poſterius, contractum innominatum *do, ut des.* Ita quoque ſapit Ant. Faber *Ration.* ad *d. l. ult.* & *L.* VI. *Conject. Jur. Civ. C.* 10. cauſatus etiam, in ſpecie *d. l. ult.* emptionem venditionem non eſſe, quia contractus incipit a *datione*, non a *conſenſu contrahentium.* Supra monui, etiam Hotomano aliquid ejusmodi ſediſſe. Sed nec ea ſententia utimur, quia eo ipſo, quo inter contrahentes placuit, ut alter pecuniam daret, alter rem, emptio venditio contracta intelligitur *d. l.* 5. §. 1. *ff. de Præſcript. verb.* atque ita fit emptio ex re ipſa, ſine expresſa quoque ejus mentione *l.* 10. §. 5. & *l.* 16. *ff. de Jur. dot.* quemadmodum & in ceteris bonæ fidei contractibus *l.* 1. §. 9. *ff. Depoſit.* & *l.* 13. §. 2. *ff. Commod.* Nec licet intelligere, contractum a datione cœpiſſe, niſi animus dandi & accipiendi utrimque præceſſerit, nam de hominibus agimus, non de brutis.

Poſſem & alias aliorum ſententias addere, ſed quid moror eas, quæ minorum Gentium ſunt? dicam potius, facem hic nobis prætuliſſe Azonem, cum apud Accurſium ait, pactum hic fuisſe *de dando Sticho, id eſt, de transferenda proprietate Stichi*, idque incidere in contractum innominatum, quia contra naturam emptionis venditionis eſt, *eſt enim*, inquit, DARE *accipientis facere* §. 14. *Inſt. de Action. quod venditor facere non tenetur l.* 11. §. 1. & 2. *ff. de Action. empt.* Quidam ex Veteribus, quos recenſere nihil attinet, Azonem ſequuti ſunt. Sed & Cujacius *L.* XXIII. *Obſerv. C.* 29. nec Azone, nec ullo alio laudato, hanc ſententiam priori, quæ de permutatione erat, adjecit, & in ea tandem acquievit. Tædet adſcribere loca, quia adſcripſit Merillius *d. L.* I. *Variant. ex Cujac. C.* 19. Franciſcus Connanus, cujus judicio plurimum tribuo, idem cenſet *Comment. Jur. Civ. L.* VII. *C.* 15. *n.* 1. & accedit Merillius *d. loc.* & *L.* II. *Obſerv. C.* 14. Ridet hanc ſententiam Gerardus Noodt *d. L.* IV. *Probab. C.* 4. ſed valde intempeſtive, eſt enim veriſſima, non tantum quod hic nequeat eſſe permutatio, ut ille putabat, ſed & quod omnis Celſi diſputatio, quæ ejus reſponſionem excipit, palam oſtendat, id actum eſſe inter contrahentes, ut Stichus omnino fieret accipientis. *Hæc ſtipulatio*, FUNDUM TUSCULANUM DARI, *continet, ut omnimodo dominium efficiatur ſtipulatoris quoquo modo l.* 75. §. 10. *ff. de V. O.* ſed ea res notiſſimos emptionis venditionis terminos excedit, nam qui *vendidit, neceſſe non habet fundum emptoris facere, ut cogitur, qui fundum ſtipulanti ſpopondit l.* 25. §. 1. *ff. de Contrab. empt. vendit.* Quia tamen intervenit conſenſus, quia res, quia pretium, dubitat Celſus, an pro parte ſit emptio venditio, & pro parte, quæ *dationem*, id eſt, dominii translationem deſiderat, alius contractus? & magis eſt, ſi Celſum audiamus, ut nulla hic ſit emptio, ſed unus contractus, innominatus nempe, quo hoc agitur, ut Stichus quoquo modo fiat accipientis. Enumerat mox tres effectus ejus conventionis, quorum ne unus quidem in emptionem venditionem cadit, nec plerique etiam in permutationem, imo nullus, ſi credas Merillio *d. L.* II. *C.* 14. ſed quia hos ipſe explicavit, ego ea opera ſuperſedebo. Ita autem, ut dixi, explicandam eſſe *d. l. ult.* argumento eſt ipſe *Titulus*, in quem digeſta eſt. Agitur ibi de condicendo eo, quod datum eſt, ſi viciſſim non præſtetur id, quod ob cauſam dati promiſſum eſt, data hic erat pecunia, ut præſtaretur Stichus, ſi igitur non præſtetur, vel quia præſtare noluit promisſor, vel quia non potuit, fato Stichi impeditus, vel quod hominem alienum promiſerit, condicam, quod ob eam cauſam dedi, quæ ſequuta non eſt. Habet ea Jurisprudentia ſimplicitatem naturalem, a Grotio perperam, ut videtur, damnatam *L.* III. *de Jure B. & P. C.* 21. *n.* 30. translatio dominii eo negotio putanda eſt quaſi conditio, ob quam ipſe dedi, ea igitur deficiente corruit ipſum negotium; quo fit, ut non alia ſuperſit obligatio, quam ob rem dati re non ſequuta, & ſic diſputat Ulpianus in *l.* 5. *pr. ff. de Condict. C. D. C. N. S.* & reſcribunt Imperatores in *l.* 8. *C. eod. Tit.* In emptione venditione tralatitium eſt, venditorem nihil quicquam præſtare, quam vacuam rei poſſeſſionem, & porro cavere, eam ſine interpellatione habere & obtinere licere, dolumque malum abeſſe abfuturumque eſſe, ut Cujacius recte dixit & probavit *d. L.* XXIII. *Obſerv. C.* 29. Quicquid ultra eſt, ex emptione habere non licet, ſed vel ex ſtipulatione, vel ex contractu innominato, ut hic eſt apud Celſum. Si integer ejus locus exſtaret, ex præcedentibus forte prolixius conſtaret de transferendo rei dominio fuiſſe actum, nunc ſatis conſtat ex ſequentibus, & ſimul conſtat, nihil cauſæ eſſe, cur JCtorum auditoria in poſterum turbet *d. l. ult.*

CAPUT XXV.

Variæ Obſervatiunculæ.

I. Marcianus in *l.* 16. §. 4. *ff. de Public & vectig.* ait ſervos, qui in fuga ſunt, in commiſſum non cadere, *cum ſine voluntate domini fines egreſſi ſunt.* Cujacius *L.* XIV. *Obſerv. C.* 3. mavult *ingreſſi ſunt.* Margini Editionis, quam Boudoza curavit, eandem lectionem, quaſi antiquam, adſcriptam video, quamvis fatear, me eam non reperiſſe in Libris antiquis, quibus ego

go utor. Conſtanter ubique eſt, quemadmodum & Florentiæ, *egreſſi*. Et recte; vectigal enim, quod proprie *portorium* appellatur, ſatis conſtat pro evectione etiam ſolutum fuiſſe, & quidni in ſervis? nam inutile ſane erat, ut exportarentur, ſpoliandis Romanorum ergaſtulis & augendis Barbaris. Quin poſſumus quoſcunque *fines* intelligere, etiam territorii Barbarici, malo tamen Romani, & vel ideo præferrem *egreſſi*, quia agitur de *ſervis, qui in fuga ſunt.*

II. Si vinum, quod in doliis eſt, fuerit emptum, nec dolia evacuentur ante proximam vindemiam, Ulpianus in *l.* 1. §. 4. *ff. de Peric. & comm. rei vend.* ex ſententia Veterum refert, poſſe venditorem *per corbem menſuram facere & effundere.* Vulgo putant, JCtum hic ludere voluiſſe, quia vinum, ad menſuram venditum, non magis quis admetiatur per corbem, quam per reticulum vel cribrum. Seneca *de Benefic. L.* VII. *C.* 19. *Quid ſi*, inquit, *cui vinum debeas, & hoc ille reticulo infundere jubeat, aut cribro, reddidiſſe te dices, aut reddere voles, quod, dum redditur, inter duos perit.* Reticulo aut cribro ſimiles videntur corbes, utpote ex viminibus texti, neque vimina ſunt, niſi foraminibus intercedentibus. Sed ita Ulpianum intelligere non licet, nam mox addit, Veteres, ut per corbem menſura fieret, ſuaſiſſe, *ſi quanta menſura eſſet, non appareat, videlicet ut appareret, quantum emptori perierit.* Ante effuſionem igitur menſura eſt ineunda, idque per corbem, forte corio obductum, ne vinum efflueret: nam & naves vimineæ, quarum apud veteres Auctores plurima mentio eſt, corio fuerunt obtectæ contra influxum aquæ, quod videtur fugiſſe Cujacium *L.* II. *Obſerv. C.* 36. Utique corbem fuiſſe menſuræ genus uſitatum, ex quo de quantitate vini effuſa conſtare potuerit, addita ratio dubitare non patitur.

III. Judex uſurarum modum conſtituit ex more Regionis, ubi contractum eſt, *ita tamen, ut legi non offendat*, verba ſunt Papiniani in *l.* 1. *pr. ff. de Uſur.* Ita ſane Florentiæ legitur, &, ut opinor, recte. Quidam Editores, ex ignorantia locutionis, reſcripſerunt, *ut legem non offendat.* Alii inſolitam phraſin Triboniano adſcripſerunt, ſed falluntur cum in re ipſa, tum in verbo. De re nihil dicam, quia ab aliis ſatis dictum eſt. De verbo minus laborandum eſt; *offendere*, dandi caſu, etiam apud Horatium lego *L.* II. *Satyr.* I. *verſ.* 77. & 78.

——— *fragili quærens illidere dentem,*
Offendet ſolido.

Quidam Libri in *l.* 14. *C. de Legitim. hæred.* habent quoque, *naturæ offendere.* Et Ulpianus in *l.* 15. *ff. de Servit. præd. urban.* memorat ſervitutem, *ne proſpectui offendatur. Impedire* etiam caſui tertio jungitur in *l.* 34. *pr. ff. de Uſufr. invicem ſibi impedient*, plane ut apud Varronem *de L. L. Libr.* VIII. *p. m.* 104. *novitati non impedit vetus conſuetudo.* Gemina conſtructio eſt in *l.* 2. §. 44. *ff. ad SC. Tertull. oppugnare utilitati publicæ.*

IV. Lege Julia de Vi etiam teſtimonium dicere prohibetur, *quæ palam quæſtum faciet feceritve l.* 3. §. 5. *ff. de Teſtib.* Quia ejus, quod adhuc in fatis eſt, nulla turpitudo vel infamia eſſe poteſt, pro *faciet* legendum videri poterat vel *facit*, vel *faciat*, ut ſunt, qui ita exhibent, Editores. Maxime quum & in alia Lege Julia, quam refert Paulus in *l.*44.*ff. de R.N.* ita legatur: *quæ ipſa cujuſve pater materve artem ludicram* FACIT, *fecerit.* Sed *faciet* quoque eſt in *Collat. LL. Moſaic. & Roman. T.* IX. *loc.* II. ubi ex Ulpiano adferuntur eadem Legis Juliæ verba, quæ hic ex Calliſtrato. Et ſane *faciet* bene ſe habet, quæ nempe poſt hanc legem factura eſt quæſtum, non quæ poſt teſtimonii dictionem, id enim eſt in incerto, & propter incertum rei futuræ teſtimonium refutari non poteſt. Ambiguitas quoque eſt in verbo *fecerit*, futurum ſcilicet duntaxat, an etiam præteritum ſignificet. Ea ſimiliſve quæſtio exercuit veteres JCtos, ut eſt apud Gellium *L.* XVII. *N. A. C.* 7. Adde eundem *L.* XVIII. *C.* 2. & quæ dixi Opuſculo *de Captatoriis Inſtitutionibus C.* IV. & *C.* IX.

V. Poſt anxiam ſatis deliberationem de *l.* 86. *ff. de V. S.* tandem conſtitui, nihil in ea eſſe mutandum, Fornerium recte dixiſſe, *jura prædiorum* hic eſſe *ſervitutes*, Bertrandum recte explicuiſſe *prædia qualiter ſe habentia*, Græcos ad eam ineptire, nec minus pleroſque Interpretes Latinos. Celſi vero mentem hanc eſſe reor: Servitutes nihil eſſe niſi perpetuas fundorum qualitates, ut fundorum qualitates ſunt, bonitas, ſalubritas, amplitudo; fundos ubique eas qualitates ſequi, ut ſequuntur, quæ ex ipſa ſubſtantia fundorum ſunt, bonitas nempe, ſalubritas & amplitudo, ideoque V. G. fundos cum iis ſervitutibus tranſire ad legatarium, nec ab heredibus redimi *l.* 66. §. 6. *ff. de Legat.* II. atque ita in reliquis.

VI. Apud Scævolam in *l.* 78. §. 12. *ff. ad SC. Trebell.* recte legitur *ex refectu paupertatis, qui ad vos pervenerit*, hoc eſt, quod ex bonis meis reficitur, redigitur. *Refectum* in *fin. h.* §. 12. vocat *reditum*, ſed propterea non eſt ea vox hic reſtituenda, ut reſtituerunt alii. *Reficere* varia ſignificat, interque ea *redigere*, etiam apud Ciceronem, itemque JCtos noſtros, variis locis, & quum *refectus* quoque Latina vox ſit, quid vetat eam ſumi pro *reditu, proventu*, vel pro *redactu?* quo verbo, magis adhuc inſolentiore, in eandem ſententiam uſus eſt idem Scævola, duobus locis, quos indicavi & defendi *L.* I. *Obſerv. C.* 25. Ait porro *paupertatis* pro *bonorum*, vel tertiæ partis bonorum, quæ præceſſerat. In quibusdam Libris pro *paupertatis* legitur *partis* vel *hæreditatis*, ſed non eſt mutanda Florentina lectio. Solent teſtatores bona ſua variis nominibus appellare *l.* 14. §. *ult. l.* 15. & *l.* 16. *pr. ff. ad SC. Trebell.* etiam *peculium*, ὑποχοριστικῶς ſcilicet, ut eſt in *d. l.* 16. *pr.* ejuſmodi ὑποχορισμὸς quoque in voce *paupertatis*, ab aliis eſt obſervatus. Sic *frivola* pro *ſupellectile* in *l.* 11. §. 5. *ff. de Pignor. act.* & apud Senecam *de Tranquill. anim. C.* 1. ubi Lipſius duas ſimiles locutiones notavit. Quin & *frivola* pro *omni patrimonio* apud Juvenalem *Satyr.* V. *verſ.* 58. & 59.

——— *Romanorum omnia Regum*
Frivola ———

& *frivola Creatoris* pro *mundo* apud Tertullianum *adverſus Marcion. L.* I. *C.* 15. Atque ita *paupertas* hic diminutiva locutio eſt, nam quod Charondas notat, in ſuo libro MS. pro *refectu paupertatis* legi *profectu ætatis* omnino frivolum eſt, & abſque idoneo ſenſu.

VII. Conſultor ad Paulum in *l.* 25. *ff. de Liberat. legat.* propoſita quæſtione, ita porro infit: *& plenius rogo, quæ ad hæc ſpectant, attingas, cottidiana enim ſunt. Cottidiana* ſunt, quæ ſæpe incidunt & recurrunt, quæque etiam ſelecta ſunt & memorabilia. *Locum communem* vocat Donatus ad *Andr. Act.* III. *Sc.* 2. *verſ.* 31. & ad *Phorm. Act.* II. *Sc.* 3. *verſ.* 10. *Adnotamentis digna* Gellius *L.* XVII. *C.* 2. De his eleganter Scaliger ad *Varronem de R. R. L.* I. *C.* 59. qui recte obſervat, quod & alii obſervaverant,

etiam Gaji Libros *rerum quotidianarum* ſive *aureorum* ejusdem argumenti eſſe. Ut autem Conſultor rogaverat, Paulus propoſitam quæſtionem plenius excuſſit, adlatis in utramque partem argumentis. Primo quidem diverſam opinionem probabili modo proponit usque ad *verſ. Quod mihi.* Deinde in *eo verſic.* ſuam ipſius ſententiam ejusque rationem addit. Quod ſi Cujacius ad *L. X. Quæſt. Pauli* in *d. l.* 25. & Antonius Faber *L. V. Conject. C.* 2. animadvertiſſent, ille minorem, hic majorem, quo Paulum aggreſſi ſunt, impetum potuiſſent cohibere. Sed plenius, quæ ad hæc ſpectant, nunc non attingo.

VIII. In *l.* 3. §. 6. *ff. de Incend. ruin. naufr.* hæc leguntur: *Qui ejecta nave quid rapuit, hoc Edicto tenetur.* EJECTA, *hoc eſt, quod Græci ajunt*, ἐξεβεράτθη. In MS. meo ſine Gloſſis Græca vox monſtro ſimilis eſt, ut fere ſunt omnia Græca. In Editione Roberti Stephani plane deſideratur, cumque ætate Budæi & in aliis deſideraretur, ipſe *Annotat.* ad *h. l.* 3. §. 6. duas alias ſubſtituit, Alciatus tres, mutata identidem ſententia. Eorum aliquot reſtitutiones migrarunt in Editiones, Florentina antiquiores. Sed recte eas omnes rejicit Antonius Auguſtinus *L.* IV. *Emendat. C.* 16. prælata Florentina, quæ habet ἐξεβράσθη, quamque ante Editionem Florentinam ſolus Vintimillius repræſentaverat. Ἐξεβράσθη, inquit Auguſtinus, ἀπὸ τοῦ ἐκβράζειν, ſed τὸ ἐκβράζειν in eam ſententiam a Græcis ſumi nec ipſe indicavit, nec Lexica me docuerunt. Ecce igitur Longum *Paſtoral. L.* III. *p. m.* 127. ubi de navi: εἰς τὴν γῆν εἰς τὰς ἄκρας πέτρας ἐξεβράσθη, *in continentem ſummas ad petras ab æſtu eſt alliſa.*

IX. *Legatum* eſt generale nomen, etiam *fideicommiſſum* complectens *l.* 87. *ff. de Legat.* III. Quare ut illud, per eminentiam ita dictum, ab hoc diſtingueret Ulpianus in *l.* 13. §. 10. *in fin. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* ait, *ſi legatum* VERE *fuit vel fideicommiſſum.* Antiquiſſimæ, ante Florentinam, Editiones pro *vere* exhibent *ei*, perperam. Sed & Cujacii emendatio *L.* XXV. *Obſerv. C.* 33. totum vitium eſt.

X. Ut *ſimpliciter* apud Latinos eſt pro *ſincere, bona fide, ſine dolo*, ſic & ἁπλῶς apud Græcos. De τῷ ἁπλῶς auctorem laudavi Ulpianum ad Demoſthenem, *Libro ſingul.* ad *l.* 40. *ff. de Reb. Cred. C.* XII. *De* τῷ *ſimpliciter*, ne ad exteras auctoritates excurram, addo noſtrum Ulpianum in *l.* 5. §. 4. *ff. de Auctor. & conſ. tut.* Si, inquit, tutor nomen dederit *non mala fide, ſed ſimpliciter* &c. & deinde, *quod ſi callide* &c. ubi *ſimpliciter* opponitur malæ fidei & calliditati; fruſtra enim eſt Haloander, qui τὸ *ſed* ibi expunxit. Ut vero *ſimplex* pro *non doloſo*, ſic contra *duplex.* Iſidorus in *Gloſſ. alterplicem, duplicem, doloſum.* Feſtus: *Alterplicem, duplicem*, ſine mentione doli. An ſatis Latine *duplex* dicatur pro *doloſo* dubitat Voſſius ad *Catullum p.* 286. ſed vellem, ne dubitaſſet. Sane verum eſt, apud Catullum *duplicem Amathuſiam* ibi perperam explicari *doloſam*, quum tam frequens fuerit & nota *Venus duplex*, ut vel Plato eam Interpretes ignorantes docere potuiſſet.

XI. In *l.* 4. §. 16. *ff. de Dol. mal. & met. except.* negat Ulpianus adverſus parentes patronosque ullam exceptionem competere, *quæ patroni parentisve opinionem apud bonos mores ſuggillet.* Quum non intelligeretur, quid ſit *apud bonos mores*, mutari placuit. Antonius Faber *de Error. Pragmatic. Decad.* LXXX. *Err.* 9. reſcribit *apud bonos viros*, Gothofredus in *Not. apud bonos moratosque*, Heraldus *L.* I. *de Rer. judicat. auctor. C.* 9. expungit *mores*, Gloſſæ marginali eam vocem imputans. Si quid mutari placeret, ejecta una litera legerem, *quæ patroni parentisve opinionem aut bonos mores ſuggillet.* Sed nihil mutandum eſt; *boni mores* ſunt viri honeſti & probi; *mali mores*, inhoneſti & improbi. Sic uſu receptum eſt. De Macedone idem Ulpianus in *l.* 1. *pr. ff. ad SC. Macedon. cum ſæpe materiam peccandi malis moribus præſtaret.* Et apud Conſultorem Anonymum, quem Cujacius primum edidit, *tibi & bonis moribus conſtat*, & mox, *ſi neceſſe eſt ruſticis improbisque moribus aliquid amplius ſatisfieri.*

XII. In *l.* 20. §. 1. *ff. Mandat.* ſic Paulus ſcribit: *Fidejuſſori negotiorum geſtorum eſt actio, ſi pro abſente fidejuſſerit: nam*, inquit, *mandati actio non poteſt competere, cum non anteceſſerit mandatum.* Imo, tu inquies, poteſt mandati competere, licet mandatum non anteceſſerit, quia, ut mandati competat, ſufficit non prohibere, quin & poſtea habere ratum. Si paſſus ſim aliquem pro me fidejubere, mandati teneor *l.* 6. §. 1. *ff. Mandat.* Tantundem eſt, ſi ratihabitio accedat. Utrumque complectitur Ulpianus in *l.* 60. *ff. de R. J. Semper qui non prohibet pro ſe intervenire, mandare creditur. Sed etſi quis ratum habuerit, quod geſtum eſt, obſtringitur mandati actione.* Ex his videbatur dicendum, etiam mandati actionem competere, licet non *anteceſſerit* mandatum. Ut hæc componant, Interpretes mihi videntur plus laboraſſe, quam profeciſſe. Ego olim conjiciebam, forte legendum eſſe, *cum non* ACCESSERIT *mandatum*, quia perinde eſt, ſive mandatum præceſſerit negotium, de quo agitur, ſive ſequatur ratihabitio, quæ mandato comparatur. Nunc nihil mutandum puto, & illud *anteceſſerit* interpretor de mandato, non quod negotium anteceſſerit, ſed quod actionem, qua mandatarius conſtituit experiri. Ut ſenſus ſit, actio mandati non competit, niſi eam præcedat vel expreſſum mandatum, vel etiam tacitum ex patientia præſentis, vel denique ratihabitio, quæ & ipſa ad inſtar mandati eſt.

FINIS LIBRI SEXTI.

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK

OBSERVATIONUM JURIS ROMANI

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT I.

Conjectura critica ad L. 3. §. 3. in fin. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.

Quemadmodum poſſeſſio acquiratur vel amittatur, non una veterum Juris Auctorum ſententia fuit. Omnes ſpecies, quæ eo pertinent, non recenſebo, de ſolo theſauro nunc dicere contentus. Si collegio diſputantium, ea de re habito, velis intereſſe, Paulum adi in *d. l.* 3. §. 3. Refert ibi primum ſententiam Neratii & Proculi, exiſtimantium, *ſolo animo non poſſe nos acquirere poſſeſſionem, ſi non antecedat naturalis poſſeſſio.* Unde illi efficiebant: *ideoque ſi theſaurum in fundo meo poſitum ſciam, continuo me poſſidere, ſimul atque poſſidendi affectum habuero, quia,* inquiunt, *quod deſit naturali poſſeſſioni, id animus implet.* Nemo id collegerit ex regula, quam proponunt. Vidi tamen Interpretem, qui putat, hæc ſimul ſtare poſſe, ſed ſi per *naturalem poſſeſſionem* in regula, & in exemplo appoſito unam eandemque rem intelligamus, ut mihi quidem videtur, incidemus in laqueum, unde non magis nos expedituri ſumus, quam aper apud eundem Proculum in *l.* 55. *ff. de Acquir. rer. domin.* Neque etiam ſe expedivit Radulphus Fornerius *L.* III. *Rer. Quotid.* C. 23. verbum *ideo*, reluctante Latio, ſoli conjunctioni tribuens, quin & ita in conjuncto exemplo aliud eſſet, quam in ipſa regula. Jam ante ſeculum fuit Interpres alius, qui, ut inter regulam & exemplum conveniret, negationem ex regula ſuſtulit, quod alii deinde, qui ex ſe ſapere videri volunt, vel ſcientes vel ignorantes ſequuti ſunt. Recte, an ſecus, nunc non diſputo, nam aliud agere conſtitui. Igitur Neratius & Proculus, poſſeſſo fundo, etiam theſaurum poſſideri putabant, ſi quis ſciret in fundo latere theſaurum, & ſimul haberet animum poſſidendi. Brutus & Manilius ne quidem eam ſcientiam, eumve animum deſiderabant. Eorum ſententiam ſic refert & refellit Paulus: *Ceterum quod Brutus & Manilius putant, eum, qui fundum longa poſſeſſione cepit, etiam theſaurum cepiſſe, quamvis neſciat in fundo eſſe, non eſt verum: is enim qui neſcit, non poſſidet theſaurum, quamvis fundum poſſideat, ſed & ſi ſciat, non capiet longa poſſeſſione, quia ſcit alienum eſſe.* Mox ſequitur tertia ſententia, quam nempe extulit Sabinus, & alii ſequuti ſunt. *Quidam,* ſic pergit Paulus, *putant, Sabini ſententiam veriorem eſſe, nec alias eum, qui ſcit, poſſidere, niſi ſi loco motus ſit, quia non ſit ſub cuſtodia noſtra. Quibus conſentio.* Secundum eos non ſufficit ſcire, quod ſufficere putabant Neratius & Proculus, theſaurum revera in fundo latere, niſi & ipſe effodiatur, atque ita moveatur loco, absque eo ſi ſit, in cuſtodia noſtra non eſſe.

Paulus ait, ſe illis *conſentire*, ſed vix eſt, ut ipſe conſentiam; quid enim neceſſe eſt, theſaurum loco moveri, ſi cum poſſidendi animo concurrat ſcientia, quo loco reconditus ſit? quemadmodum enim, ut fundus poſſideatur, non requiritur, ut quis omnes glebas circumambulet vel contrectet *l.* 3. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* ita neque neceſſarium videbatur ad poſſeſſionem omnium rerum, quæ in fundo ſunt, nanciſcendam, ut ſingulæ quæque corporaliter apprehendantur, ſed ſufficere dixeris animum poſſidendi, cum poteſtate apprehendendi conjunctum, ne alioquin res in deridiculum vergat. Utque Paulus in *d. l.* 3. §. 1. omnes glebas non eſſe contrectandas ait, ſic & ipſe in *l.* 2. §. 6. *ff. Pro empt.* poſſeſſo fundo, *univerſitatem* ait poſſideri, *non ſingulas res.* Sane domum quis poſſidet, etiamſi non omnes lapides, tigna, cæmenta manu ſua contrectaverit; ſufficit, ut poſſidere velit, & contrectare poſſit. Negat quidem Paulus in *l.* 30. *pr. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* eum, qui univerſas ædes poſſidet, ſingulas res, *quæ in ædificio ſunt*, poſſidere, ſed ſermo eſt, ut vides, de iis, quæ in ædificio ſunt, quo nomine intelligimus ſupellectilem, & alia, ex quibus ipſæ ædes non conſtant. Eorum poſſeſſio, ædibus poſſeſſis, non magis acquiritur, quam acquiritur theſaurus ab eo, qui fundum poſſidet, & in eo theſaurum latere ignoravit: exploſa namque eſt, ut dixi, Veterum quorundam opinio, exiſtimantium, uſucapto fundo, theſaurum quoque uſucaptum videri. Sed ut ad omnem poſſeſſionem deſideratur animi & corporis concurſus, ita, qui ædes poſſidet, non poſſidebit ſingulas res, quæ in ædibus ſunt, niſi eas poſſidere conſtituerit, ſciveritque ibi eſſe, & quo loco ſint. Sed ne quidem eum, qui ædes poſſidet, ſeparata corpora poſſidere, ex quibus ædes conſtant, Priſcus Javolenus nobis auctor eſt in *l.* 23. *ff. de Uſucap.* Ne putes, eum, cum hoc ſcripſit, dubiæ ſanitatis fuiſſe, ſed animadverte, qua mente id dicatur. Aliam nimirum ibi quæſtionem tractat, quam tractavit Paulus in *d. l.* 3. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Non tam quærit Priſcus, an ſingulæ partes ædium poſſideantur, quam an poſſideantur ſeparatim, & non jure univerſitatis, & ſeparatim poſſideri negat, ut de ſingulis fundi partibus negaverat Paulus in *d. l.* 2. §. 6. *ff. Pro empt.* eoque latere veriſſimum eſt, ædibus poſſeſſis ea, ex quibus conſtant, non poſſideri, nam ſi ſingulæ res poſſiderentur,

non poſſiderentur ipſæ ædes. Vis rationem? ſi ſingulæ res poſſiderentur, ut lapides, tigna, cæmenta, poſſiderentur tanquam res mobiles, domus vero, quæ ex illis exſtructa eſt, poſſideretur tanquam res immobilis, & diverſa eſſent uſucapiendi tempore, *quod abſurdum & minime Juri Civili conveniens eſſe* Priſcus dixit in *d. l.* 23. *pr.* Atque inde efficitur, ædium poſſeſſorem non poſſidere ſingulos lapides, tigna, cæmenta, quatenus tanquam lapides, tigna, cæmenta, id eſt, quatenus tanquam res mobiles conſiderantur, jure autem univerſitatis, quatenus ſcilicet hæc omnia inter ſe conjuncta ſunt, utique poſſidebit dominus, & uſucapiet tanquam res immobiles. Si autem demolita fuerit domus, ſingulas partes, ut res mobiles, ex integro poſſidebit & uſucapiet *d. l.* 23. §. 2. *l.* 7. §. 11. *ff. de Acquir. rer. domin. l.* 23. §. 7. *ff. de Rei vindic.* Atque id ipſum eſt, quod Venulejus ait, *per ſe tegulas non poſſideri, ſed cum univerſitate ædificii l.* 8. *ff. Quod vi aut clam.* Habent hæc rationem & auctoritatem juris manifeſtam, ſed non impediunt Jurisprudentiam Pauli in *d. l.* 3. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.*

Quare ita habeamus, poſſeſſionem etiam quæri ſine omnigena contrectatione, modo adſit poſſidendi animus, & præter eum contrectandi poteſtas. Atqui Sabinus in theſauro deſiderat, ut effodiatur & manibus apprehendatur, *nec enim alias eum, qui ſcit, poſſidere, niſi ſi loco* MOTUS *ſit.* Sic creditur ſcripſiſſe Paulus, ſed dubito, an non ſcripſerit *niſi ſi loco* NOTUS *eſt.* Brutus & Manilius putabant, poſſeſſo fundo etiam theſaurum poſſideri; Neratius & Proculus, non aliter id verum eſſe, quam ſi ſciam, theſaurum in fundo meo latere, & animum poſſidendi habeam; Sabinus, Paulus, alii, ne id quidem ſufficere, niſi etiam *loco notus ſit*, hoc eſt, niſi ſciam, in quo fundi angulo reconditus ſit. Fac enim me poſſidere fundum centum jugerum, & forte ſcire, alicubi in eo latere theſaurum, ea ſcientia non ſuffecerit, cum poſſim fruſtra quærere, nec ejus apprehendendi, ut velim, mihi ſit poteſtas. Si hæc adſit, id eſt, ſi de loco depoſitionis conſtiterit, tunc demum, inquit Paulus, erit *ſub cuſtodia noſtra;* alioquin incertum quid poſſideremus, & ignorantes, ubi ſit, quod vitiat poſſeſſionem *l.* 3. §. 2. *l.* 25. *pr.* & *l.* 26. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Atque id habet rationem, ſed non habet, ut etiam loco moveri debeat; plurima poſſidemus absque ullo ſui motu, ut eſt in omnibus rebus ſoli, quin & in omnibus rebus mobilibus, quæ ficta traditione in poteſtatem noſtram tranſeunt. Similiter, *ſi venditorem, quod emerim, deponere in mea domo juſſerim, poſſidere me certum eſt, quamquam id nemo dum attigerit l.* 18. §. 2. *ff. de Acquir. vel amit. poſſeſſ.* Sufficit, domini voluntate rem permitti meo arbitrio, atque ita in theſauro, qui nec dominum, nec poſſeſſorem habet, ſufficere videbatur, ſi velim poſſidere, ſi ſciam latere in fundo, & qua parte fundi lateat, ut ſic in manum meam transferri poſſit.

Atque hæc diſputo de vero theſauro, ut cum definit Paulus in *l.* 31. §. 1. *ff. de Acquir. rer. domin.* cujus ſcilicet *memoria non exſtat*, quique adeo, ut dixi, & dicit Paulus, *jam dominum non habeat. Alioquin*, addit, *ſi quis aliquid vel lucri cauſa, vel metus, vel cuſtodiæ condiderit ſub terra, non eſt theſaurus, cujus etiam furtum ſit.* Attamen verum eſt, id, quod quis deponit, & cuſtodiæ cauſa, terræ viſceribus commendat, *theſaurum* appellari in *l.* 15. *ff. ad Exhib.* & in *l.* 44. *pr. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* nec minus verum eſt, *ſi alius in meo condidiſſet, non alias me poſſidere, quam ſi ipſius rei poſſeſſionem ſupra terram adeptus fuiſſem d. l.* 44. *pr.* adeoque ſi eum theſaurum, in terra defoſſum, non effoderim, nec loco moverim, me non poſſidere *d. l.* 15. Sed ejus rei non alia ratio eſt, quam quod nova deſideretur apprehenſio, ut antiqua cedat. Secus eſt in vero theſauro, re namque a nemine poſſeſſa, ad ejus poſſeſſionem adipiſcendam neceſſe non eſt, ut vetus poſſeſſor excludatur, quippe qui nullus eſt. Satis id intellexit Cujacius *Comment.* ad *L.* LIV. *Pauli ad Edict.* in *d. l.* 3. §. 3. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* ideoque, ne laboraret Jurisprudentia Sabini, Pauli, aliorumque, qui theſaurum *loco motum* deſiderant, ipſe putabat, *d.* §. 3. eſſe accipiendum de theſauro, qui improprie ſic dicitur, quique ita habet certum dominum & poſſeſſorem. Gothofredus in *Gloſſa*, aliique, præterita Cujacii mentione, id ſequuti ſunt, quo nempe conveniret inter *d. l.* 3. §. 3. & *d. l.* 44. *pr.* & *d. l.* 15. Sed cui unquam fiet probabile, JCtos veteres, cum tam ſollicite & data opera diſputent de acquirenda poſſeſſione theſauri, de eo diſputare, qui, ſi proprie loquamur, ne theſaurus quidem eſt. Utique theſaurum non eſſe, ipſe ille Paulus dixit in *d. l.* 31. §. 1. *ff. de Acquir. rer. domin.* qui in *h. l.* 3. §. 3. de poſſeſſione theſauri acquirenda omnes veterum Auctorum loculos excuſſit, & quid ſibi ipſi videatur, ſuperdicit. Facile igitur tranſeo in ſententiam Bachovii, exiſtimantis *Comment.* ad §. 29. *Inſt. de Rer. diviſ.* de vero theſauro omnino verba fieri in *d. l.* 3. §. 3. nec me movet in contrarium, quod in refutanda Bruti & Manilii ſententia Paulus dixerit, ne eum quidem recte theſaurum uſucapere, qui ſcit in fundo ſuo latere, *quia ſcit alienum eſſe*, id enim intelligo, quemadmodum Bachovius intellexit, & ipſe Cujacius explicat, ut nihil aliud ſignificet, quam quod ſciat non eſſe ſuum, non autem, quod ſciat eſſe alterius, vel potius, ſi cui forte ſuccurreret impropria theſauri ſignificatio, huic etiam in Paulo ſuccurſum eſſe, quemadmodum ſuccurſum erit, ſi legamus, *qua ſcit alienum eſſe.* Etiam alias τὸ *quia* & *qua* locum mutaſſe, proclivi vitio, pluribus exemplis oſtendam hoc *Libro* VII. *C.* 25. §. 3.

CAPUT II.

Explicata & Emendata L. 43. ff. Solut. matrim.

Ut Florentiæ, ut alibi locorum legitur, mendoſe legitur *d. l.* 43. Scriptura Florentina, ut eam interpunxit Taurellius, ſic habet: *Si maritus in id quod facere poteſt condemnatus ſit, & nomina ſint ad dotis quantitatem, neque amplius, neque habebit mandare actiones.* Robertus Stephanus poſteriora ſic edidit, *neque amplius habebit, neque mandare actiones debebit.* Id ſequuti ſunt Fratres Sennetonii & Hugo a Porta. Sequutus quoque eſt Blaublommius, niſi quod pro *debebit* exhibeat *debet*, eodem ſenſu. Qui & idem erit, ſi pro *debebit* vel *debet* legas *poteſt*, ut legitur in MS.

MS. meo ſine Gloſſis. At ſenſus plane erit diverſus, ſi cum Haloandro & Vintimillio legas: *neque amplius habebit, mandare actiones debet.* Sic abeſt, ut vides, alterum *neque*, & ſenſus eſt adfirmans, qui alias eſſet negans, & ſunt, qui hanc lectionem Florentinæ præferunt. Jam Accurſius obſervavit, eſſe, qui τὸ *neque* bis legant, eſſe, qui ſemel, & utriusque lectionis ex antiquis Magiſtris aliquot interpretationes attulit, quas tuto licet pro non ſcriptis habere, adeo nihil ſapiunt.

Sed quomodocunque legas, ſalva res eſt, ſi audias Duarenum *Comment.* ad *Tit. ff. Solut. matrim.* in *h. l.* 43. Si Noricam lectionem ſequaris, hunc ejus putat eſſe ſenſum: ſi maritus tantum habeat in nominibus, quantum ad dotem exſolvendam ſufficit, mandandas uxori eſſe actiones, ſed deducto eo, ne egeat. Si addas negationem, hoc Scævolam velle, mandandas non eſſe uxori actiones, ſi nihil amplius habeat in nominibus, quam ad victum ſufficit. Superdicit igitur, quia verba ambigua ſunt, *utrique lectioni, ſolut cothurnum utrique pedi, aptari poſſe.* Ego puto neutri aptari poſſe, ut ut poſteriorem interpretationem etiam apud Accurſium repererim. Utraque interpretatio plura addit, quæ apud Scævolam non ſunt. Si nihil adfingas, & ſequaris lectionem Florentinam, aliasque ei vicinas, non alius Scævolæ ſenſus erit, quam maritum, in id quod facere poteſt damnatum, plane non oportere cedere actionibus uxori, ſi duntaxat nomina habeat ad usque quantitatem dotis, neque amplius. Eccur vero? fac, maritum eſſe divitem poſitis in fœnore nummis, non divitem agris, ſervis, pecudibus, an omnes actiones ſibi ſervabit, & uxori mandabit nullas, licet habeat ad quantitatem dotis? Hoc diceret negans lectio, ſed nemo rationem dabit, cur non æque ex nominibus, quam ex fundis ſatisfaciendum ſit uxori, ita tamen, ut non totum, quod habet, marito extorqueatur, ſed ipſius ratio habeatur, ne egeat. Sic enim obtinet in perſonis, quæ in id, quod facere poſſunt, damnantur *l.* 173. *ff. de R. J.* quemadmodum & maritus non ultra damnatur *l.* 12. *ff. Solut. matrim.* Si lectionem adfirmantem, quæ Haloandri eſt, ſequamur, ita interpretandus eſſet Scævola: ſi maritus in id quod facere poteſt, damnatus ſit, & nomina habeat ad usque quantitatem dotis, neque amplius, quam ſcilicet eſt in dote, eum oportere cedere actionibus. Vel ita: non amplius cedere debere, quam ad quantitatem dotis. Prior interpretatio dicit, omnibus actionibus maritum cedere oportere, ſi non excedant quantitatem dotis, ſi nempe nihil habeat, quam actiones. Sed hoc repugnat *beneficio*, quod *competentiæ* dicimus. Altera interpretatio dicit, non plus eum cedere oportere, quam debet. Sed quis ſanus & ſobrius de eo dubitaverit? igitur Scævolæ mentem adhuc fruſtra quæro.

Baſilici *L.* XXVIII. *Tit.* 8. *C.* 41. ſententiam hujus legis ita expreſſerunt: Μέχρις εὐπορίας ὁ ἀνὴρ καταδικαζόμενος, καὶ χρεώστας ἔχων, ἀναγκάζεται μέχρι τοῦ ποσοῦ τῆς κατ' αὐτῶν ἐκχωρεῖν ἀγωγάς. *Maritus in id quod facere poteſt damnatus, ſi debitores habeat, cogitur usque ad quantitatem adverſus eos mandare actiones.* Eandem ſententiam expreſſit Scholiaſtes Dorotheus, niſi quod addat, ad *dotis* quantitatem, & utatur verbo ὀφείλει, *debet* pro Baſilicorum ἀναγκάζεται, *cogitur.* Vides Baſilicos, forte quod ſe extricare non potuerint, aliam prorſus ſpeciem proponere, quam eſt in Libris Latinis. In his Scævola proponit, tantum marito fuiſſe in nominibus, quantum in dote, quam uxori debebat, neque amplius, & deinde quærit, an uxori mandandæ ſint actiones, & vel ait, vel negat, ut placuerit legere. Græci fingunt, plus fuiſſe in nominibus, quam in dote, & pronunciant, actiones eſſe cedendas ad quantitatem dotis. Unde fortaſſe quis conjecerit, eos ita legiſſe & interpunxiſſe: *ſi maritus in id quod facere poteſt, condemnatus ſit, & nomina ſint, ad quantitatem dotis, neque amplius, neceſſe habebit mandare actiones.* Ex Haloandri lectione eandem ſententiam habere poteris, ſi eodem modo interpungas. At ſi plus fuerit in nominibus, quam in dote, magno ingenio ſcilicet Scævola reſpondiſſet de jure aperto, dixiſſet enim, non plus eſſe cedendum quam uxori revera debeatur. Sed de eo ne Sceptici quidem dubitaverint, nec ei quæſtioni locus eſſe poterit, ſi tantum marito relinquatur, quantum ei alimentorum nomine ſufficit. Digna autem quæſtio eſt, quæ tractetur, & quam revera tractavit Scævola, ſi tantundem ſit in nominibus, quantum in dote, an & quemadmodum uxori mandandæ ſint actiones? vel omnes eſſe mandandas, vel nullas; Scævola dixiſſet, ut ejus verba nunc exhibentur; dicendum vero eſſet, etiam ex nominibus marito relinquendum, ne egeat, ceteras actiones eſſe mandandas, tenetur enim in id quod facere poteſt, ultra non tenetur.

Hunc ſenſum habebimus, ſi, quod ego ſuaſerim, ita legamus & interpungamus: *ſi maritus in id quod facere poteſt, condemnatus ſit, & nomina ſint ad dotis quantitatem, neque amplius neceſſe habebit mandare actiones.* Omitto alterum & male repetitum *neque*, & pro *neque habebit* repono *neceſſe habebit*, quod convenit cum Baſilicorum ἀναγκάζεται hoc loco, & cum Dorothei ὀφείλει in *Scholiis.* Et ſine interpunctione hæc lego, *neque amplius neceſſe habebit mandare actiones*, & intelligo, *neque amplius*, quam nempe condemnatus, quoad facere poteſt, de quo proxime dixerat. Ut ſenſus ſit; licet maritus totam dotem ex nominibus exſolvere poſſit, ita tamen cedendas actiones, ut ſibi retineat victum, cum præter nomina nihil habeat. *Amplius*, id eſt, ultra id quod facere poteſt & condemnatus eſt. Si omnes actiones mandare teneretur, ſimilis esſet ei, qui in ſolidum condemnatus eſt, ſi nullas, plus forte retineret, quam ad alimenta ſufficit. Quare, etſi nomina in dominio eſſe non videantur, de nominibus tamen retinebit, ut de pecunia, de fundis, de reliquis, quæ in pleno dominio ſunt, & id retinebit, quod retinere ſolent, qui non ultra tenentur & damnantur, quam in id quod facere poſſunt. Aut hæc eſt mens Scævolæ, quam reſtitui, aut, quæ ſit, me latet. Ipſe locus, ut vides, quomodocunque legas, deſperatus eſt, & in locis deſperatis aliquid eſſe audendum, nemo negaverit unquam.

Atque ita mihi placuit, priusquam videram, poſt Fabroti *Replicationem adverſus Salmaſium de mutuo* exſtare & emendationem & explicationem *d. l.* 43. ubi Fabrotus quidem, ut ipſe tentabam, pro *neque habebit*, reſcribit quoque *neceſſe habebit*, ſed quia verba legis male interpungit, &, Baſilicos ſequutus, peſſime explicat, non pœnitet me operæ, in Scævolam collatæ.

CAPUT III.

Correcta L. 20. ff. de in jus vocand.

Gajus *L.* I. *ad Leg.* XII. *Tabul.* ait, pleroſque putaſſe, nullum de domo ſua in jus vocari licere. Ita ex Gajo relatum eſt in *l.* 18. *eod. Tit.* & mox additur ex Paulo in *l.* 19. Julianum exiſtimaſſe, recte tamen in jus vocari eum, qui aditum ad ſe præſtet, aut ex publico conſpiciatur. Rurſus eſt Gajo, eodem *L.* I. *ad Leg.* XII. *Tabul.* in proxima *l.* 20. *Sed etiam a vinea, & balineo, & theatro nemo dubitat in jus vocari licere. Balineum* & *Balneum* promiſcue dici nemo eſt, qui neſcit. At cur ait, *a vinea* in jus vocari poſſe, & non etiam a quocunque agro? ejus rei rationem ipſe ignoro, & ſe quoque ignorare fatetur Cujacius *L.* XXI. *Obſerv.* C. 38. & ideo *vineam* mutat in *januam* vel *janeam*, ut olim loquebantur, adjutus etiam a Baſilicis, qui & ipſi *vineam* hic exſtirparunt, ſubſtituentes ἀπὸ πυλῶνος, *a veſtibulo.* Sed vix eſt, ut tantum auſim mutare, etiam ideo, quod *janua* nihil commune habeat cum balneo & theatro, quæ mox ſequuntur. Samuël Petitus *ad LL. Attic. L.* IV. *T.* II. *p.* 316. ſervat *vineam*, & Cujacio emendanti ſeſe opponit, *a vinea* idem eſſe ratus ac *vindemiarum tempore.* Sed nemo, opinor, præter Petitum, has locutiones easdem eſſe dicet. Quin vel ita nihil quicquam extricaret, cum Gajus ajat, *a vinea* in jus vocari poſſe, quod tamen vindemiarum tempore non licet *l.* 1. *pr. ff. de Feriis.* De loco hic eſt omnis ſermo, non de tempore, & loco, niſi fallor, qui balneo & theatro conveniat. Dionyſius Gloſſator conjicit, Gajum fortaſſe ſentire de *vinea, domo alicui adhærente.* Sed ita vinea cenſebitur jure domus, non ſecus atque hortus in *l.* 91. §. 5. *ff. de Leg.* III. neque ab ejusmodi vinea magis in jus licebit vocare, quam ab ipſa domo, cujus pars eſt. Agit autem Gajus in *h. l.* 20. de vinea, a qua licet in jus vocare. Sic ut non mirer, Dionyſium hujus conjecturæ mox pœnituiſſe, *vinea* in *cauponam* mutata. Non ita ſcilicet poterat *vineæ*, ſeu potius vini oblivisci, quin ad cauponam mox diverteret, & benignam ſimul lectori ſobrio ridendi materiem præberet.

Fuit, cum putarem, *vineam*, utpote potiſſimam & præcipuam agri ſpeciem, pro omni agro hic eſſe poſitam, nam *de omnibus agris vinea eſt prima*, ut Cato dixit *de R. R. in princ.* & apud Varronem *de R. R. L.* I. *C.* 7. *alius ager alio dicitur melior in novem diſcriminibus, & quod ſit primus, ubi vineæ poſſint eſſe bono vino & multo, ſecundus, ubi hortus irriguus*, & ſic porro. Atque ita per figuram Rhethorices, neſcio quam, exiſtimabam, Gajum partem pro toto dixiſſe, *de vinea*, id eſt, *de agro.* Sed ea ſententia nunc non utor, quia, præter duram, certe in JCto, κατάχρησιν, ineptum plane eſſet admonere, *ex agro* quem in jus vocari poſſe, nam cur non addidiſſet, etiam *ex Urbe* licitam eſſe in jus vocationem? & quæ ſimilitudo inter agrum & balneum & theatrum? & tamen id aliis omnibus, quas ſupra dixi, explicationibus & emendationibus putavi obſtare. Poterat nonnulla dubitatio incidere, an quis a loco publico, ubi voluptatis vel valetudinis gratia moratur, in jus vocari poſſit? hanc removet Gajus, & ait poſſe, *ex medio forte cœtu plurium una lavantium vel ſpectantium, puta e balineo publico vel theatro*, verba ſunt Cujacii *d. L.* XXI. *Obſerv.* C. 38. quæ Dionyſius in *Notam*, quaſi ſuam, tranſcripſit. Indignor autem, quod eam proxima *Nota*, vere ſua, conſpurcaverit, de theatro quædam garriens, quæ ab hoc loco aliena ſunt.

Quare, ut, quod nunc ſentio, dicam, leve mendum opinor occupaſſe Gaji ſcripturam, & pro *a vinea* videri reſcribendum *a linea.* Librarius, forte ignarus, quid rei hic *linea* eſſet *vineam*, magis ſibi notam & dilectam, elegit. Largior, lineam fabrilem, illi fortaſſe ſolum notam, huic loco non convenire. Alia quærenda eſt, & quidem ea, quæ publico uſui ſerviat, ut ſerviunt balnea & theatra. Hanc inveni in Romanorum circo. Sed tamen nolim intelligi *lineam albam*, quam circo adſcribit Caſſiodorus, *L.* III. *Var.* 51. nam hæc, ut ait, *non longe ab oſtiis in utrumque podium, quaſi regula directa producitur, uti quadrigis progredientibus inde certamen oriretur*, atque adeo ad quadrigas pertinet, non ad ſpectatores, ſive alios quoslibet e populo, ut oportebat, ubi de in jus vocatione ſermo eſt. Intelligo potius *lineam*, quæ ſpectantium ſedilia in circo diſtinguebat. Bis ejus *lineæ* meminit Ovidius, ſemel *Amor. L.* III. *Eleg.* II. *verſ.* 19. & 20. cum ait:

Quid fruſtra refugis? cogit nos linea jungi.
Hæc, in lege loci, commoda circus habet.

Iterum *de Arte amand. L.* I. *verſ.* 141. & 142. his verbis:

Et bene quod cogit, ſi nolit, linea jungi;
Quod tibi tangenda eſt lege puella loci.

Quod *linea* eſt Ovidio, Tertulliano eſt *limes circi* eo loco, quem Salmaſius indicavit *ad Solinum p.* 645. Scio de hac linea varie diſputari, aliis exiſtimantibus, fuiſſe ipſum ſedile, quaſi ad lineam fabrilem conſtructum, aliis, fuiſſe funiculum, quo ſedilia alia ab aliis in circo diſtincta fuere, funem ab uno extremo ad alterum protenſum, qui alias *tranſenna* dicitur, aliis, intervallum anguſtum, quod inter ſedilia vacuum relinquebatur, ut tranſeuntibus commodior eſſet locus, aliis, lineam dici rectum & perpetuum ſedilium ordinem, ligno forte poſt terga diſtinctum, ſed quid attinet hanc litem noſtram facere, & Scaligeri, Lipſii, Salmaſii, Micylli, Douzæ, Heinſii & Burmanni ea de re ſententias referre, & ſingulis excuſſis in ſuffragium ire? ſufficit utique in rem noſtram, ſi ſciamus, de quo inter omnes convenit, *lineam* in circo fuiſſe, quæ ſpectatores jungebat, ne antrorſum, vel retrorſum declinare poſſent, atque adeo *a linea* in jus vocare idem eſſe, atque *a circo*, uſitata loquutione, ſed librario in *h. l.* 20. non intellecta. Inter circum autem, balneum, & theatrum, tria loca juris publici, ſic optime conveniet in *h. l.* 20. inter vineam, quæ privati uſus eſt, & reliqua, quæ dixi, non conveniet.

Sunt & qui *lineam* theatro tribuunt, quos inter eſt Heinſius ad Ovidii *d. L.* III. *Amor. El.* II. *verſ.* 19. Forte & Lipſius *Epiſtol. Centur.* V. *Epiſt.* 56. *Erant*, inquit, *cunei, inter cuneos viæ & media ſubſellia*, LINEIS *ſuis diviſa*; cunei enim ad theatrum pertinent, non ad circum, ſed Salmaſius *ad Solinum p.* 644. & *ſeqq.* a theatro lineas abeſſe jubet, & longo, ut ſolet, ſermone expedit, quæ ſibi videntur adverſarier. Per me etiam licet, ne *a linea* hic ſit *a theatro*, nam ſic

bis

bis idem diceret Gajus, mox addens, & *a theatro*, in jus vocari licere.

Sed quid ſi & hic de ſtadio cogitemus? in eo certe notiſſimus *linearum* uſus. Erant primæ, unde curſus incipiebat, erant extremæ, quæ curſum finiebant. De his lineis & translatis inde loquutionibus prolixe egit Salmaſius *ad Solinum p.* 647. *& ſeqq.* prolixe alii aliis locis. An igitur a circo ad ſtadium, a circenſibus & quadrigis ad curſores tranſibimus? ſane ſtadium non minus locus juris publici, quam circus, ſed nolim ultra lineam circi vagari. Ecce enim Gajus, me emendante, dixiſſet, *a linea*, unius numero, non *a lineis*, in circo autem una linea, in ſtadio plures. Nemo utique veterum, quod ſciam, plures lineas circo tribuit. Verum alia quoque & fortior ratio me movet, quod nempe lineæ in ſtadio ſolis curſoribus inſervierint ad incipiendum, dirigendum, abſolvendumque curſum. Spectantium uſui nullæ in ſtadio deſtinatæ lineæ, & tamen, cum de in jus vocatione agatur, de curſoribus vocandis vel non vocandis nihil, opinor, præcipitur, ſed de vocandis vel non vocandis quibuslibet e populo; quæ ratio etiam ſupra me movebat contra lineam albam Circenſium. Præterquam quod linea alba nunquam ſimpliciter *linea* dicatur, ut dicitur illa, quæ ipſos ſpectatores coërcebat, quamque his Gajus commodum præmiſit balneo & theatro.

CAPUT IV.

Ad L. 46. §. 2. & 3. ff. de Evictíon. *defenſa utriusque* §. *ſcriptura.*

Belle Africanus quærit in *d. l.* 46. §. 1. *&* 2. ſtatulibero in libertatem evicto, an contra venditorem agi poſſit, ſi is aliam conditionem expreſſerit, quam qua liber eſſe juſſus erat, nam ſi venditor candem conditionem expreſſerit, qua libertas data fuit, conſtat de evictione non teneri, dixit enim, quod res eſt, nec eſt, quod emptor queratur, exiſtente conditione ſtatuliberum in libertatem eſſe evictum. Sed quid ſi expreſſerit conditionem falſam, ſive ſciens, ſive ignorans? ne tunc quidem venditor ſemper & ubique tenebitur, ſed ita demum, ſi falſa conditio damnum aliquod emptori attulerit. Si nihil quippiam attulerit, de evictione venditor non tenebitur, quia duplæ ſtipulatio committitur tunc, *cum res reſtituta eſt petitori, vel damnatus eſt litis æſtimatione l.* 16. §. 1. *ff. de Eviction.* Si igitur mendax conditio exiſtat, nec tamen ſtatuliber evincatur in libertatem, priusquam & vera conditio, libertati adſcripta, extiterit, emptori nihil plane nocuit mendax conditio, neque adeo de evictione tenebitur venditor. Si vis exemplum, Africanum in *d. l.* 46. §. 2. in hæc verba præeuntem audi: *Cum tibi Stichum venderem, dixi, eum ſtatuliberum eſſe, ſub hac conditione manumiſſum*, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, *is autem*, SI TITIUS CONSUL FACTUS FUERIT, *manumiſſus erat. Quærebatur, ſi prius navis ex Aſia venerit, ac poſt Titius Conſul fiat, atque ita in libertatem evictus ſit, an evictionis nomine teneatur?* In utroque MS. meo, ut & in quibusdam Editionibus eſt, *in libertate evictus ſit*, forte quia mox in §. 3. ſcriptum eſt, *in libertate evincatur*, utique Florentiæ. Sed ſenſus eodem redit, & utraque loquutio non caret exemplis, non intercedo tamen, quominus Africanus utrobique eodem modo loquutus fuerit, & tunc *in libertatem* prætulerim. Sed hoc leve eſt. Animadvertis autem in ſpecie, ab Africano propoſita, Sticho libertatem a teſtatore eſſe datam, *ſi Titius Conſul factus fuerit*, animadvertis, ab herede venditore aliam libertatis conditionem eſſe expreſſam, *ſi* nempe *navis ex Aſia venerit.* Ex facto accidit, ut prius navis ex Aſia venerit, ac poſt Titius Conſul fiat, *atque ita in libertatem evictus ſit* Stichus, & in ea ſpecie quærit Africanus, an qua adverſus venditorem ſit actio evictionis nomine? *Reſpondit, non teneri eum: etenim dolo malo emptorem facere, cum prius exſtiterit ea conditio, quam evictionis nomine exſolverit.* Apud Accurſium notatum vidi, *alias* EXSOLVERIT, vel, quod perinde eſt EXOLVERIT, atque ſi ſcilicet repræſentata fuiſſet alia lectio, & tamen aliam non reperi in omnibus Libris, MSS. & editis, quos ipſe conſului. Attamen Cujacius *Tract.* VI. *ad African.* in *h. l.* 46. §. 1. non legit *exſolverit*, ſed *exceperit*, ut ea vox quoque eſt in *l.* 69. *pr.* §. 1. 2. *&* 3. *ff. hoc Tit.* Prius moneo, in ipſis Gloſſis Accurſii etiam notari, *exceperit*, atque ſi varians eſſet lectio. Exemplo manifeſto, magnis Viris ſæpe ea incidiſſe, quæ apud antiquos exſtabant, & eos latebant, ut alio & magis inſigni exemplo mox oſtendam in ipſo illo Cujacio. Deinde non video, magis perſpicuum eſſe *exceperit*, quam *exſolverit*. Africanus negat, venditorem teneri, & rationem addit, quod ſcilicet ea conditio, quæ teſtamento erat adſcripta libertati, & de qua proxime dixerat, prius exſtiterit, quam emptor evictionis nomine ſatisfecerit, ſive exſolverit. Evictus eſt in libertatem Stichus per ſententiam judicis, huic parendum eſt, ſed priusquam emptor ſolverit vel *exſolverit*, quod evictionis nomine debebat, exſtitit ea conditio, ſub qua Stichus liber eſſe juſſus erat. Dolo igitur facit emptor, ſi propter falſam conditionem, emptione expreſſam, venditorem urgeat, nihil quippe ex ea damni ſenſit, tunc demum ſenſurus, ſi vera conditio prior exſtitiſſet, & mox in libertatem evictus eſſet ſervus, ſequuta deinde, per tractum temporis, conditione falſa. Titius Conſul factus eſt, ea conditione expleta ad libertatem proclamat Stichus, & recte, ſic enim teſtator juſſerat, eripitur ſervus emptori, ſed eripitur, poſtquam exſtiterat alia conditio, quam in lege venditionis expreſſerat venditor, poſtquam nempe navis ex Aſia venerat; ſi Titius factus fuiſſet Conſul, atque ita libertas competiiſſet ante adventum navis, omnino tunc evictionis nomine teneretur venditor, quia læſus eſſet emptor ex venditoris mendacio, & ideo læſus, quod citius carere debuerit ſervo, quam debuiſſet, ſi exſpectanda & implenda quoque fuiſſet mendax conditio. At ſi vera conditio evictionem præceſſerit, quæ ſpecies eſt apud Africanum, nihil emptori nocet, falſam fuiſſe adjectam. Igitur & Juriſprudentia & verba Africani bene ſe habent.

Sequitur apud eundem alia ſpecies in §. 3. *Item*, inquit, *ſi poſt biennium liberum fore dixi, qui poſt annum libertatem acceperit, & poſt biennium in libertate evincatur, vel decem dare juſſum, dixerim quinque, & his decem datis ad libertatem pervenerit, magis eſt, ut his quoque caſibus non tenear.* Non morabor lectionum aliquot minutias, quas hic obſervavi, quia ſenſum non turbant. Sive enim legas, *acceperit* vel *acceperat*,

rat, *in libertate* vel *in libertatem*, *tenear* vel *teneatur*, nihil magnopere intereſt. Pro *bis* autem quod Florentiæ eſt, malim *is*, ut fere habent omnes libri, ſcripti & editi, & malim, quia nulla fere mutatio eſt, alioquin intercederem, & defenderem, etiam cum *bis* ſenſum ſubſiſtere. Ceterum manifeſtus error eſt, quod Hugo a Porta edidit *poſt alienum*, non *poſt annum*, nec de eo nos oportet eſſe ſollicitos. Magis mihi cordi curæque eſt, quod Cujacius *d. Tract.* VI. *ad African.* in *h. l.* 46. §. 3. legi jubet: *Item ſi poſt annum liberum fore dixi, qui poſt biennium libertatem acceperit*, & quæ ſequuntur. Idque ait eſſe perſpicuum certiſſima ratione juris, nam ſi dixerit venditor, ſtatulibero *poſt annum* relictam eſſe libertatem, quæ erat relicta *poſt biennium*, ut ipſe legit, ideo, inquit, de evictione ceſſat actio, quia ſtatuliber diutius apud emptorem manſit, quam dixerat venditor, atque eo etiam minoris ſervum redemit emptor. Sin autem dixerit *poſt biennium*, cum libertas eſſet relicta *poſt annum*, ut Florentiæ, & plus ſemel alibi legitur, omnino putat Cujacius, venditorem teneri, quia ex mendacio ejus læditur emptor, qui eo pluris ſervum emit, quod ſperaret, eum apud ſe diutius permanſurum. Hæc ille pro emendatione ſua, ſi tamen emendatio dicenda ſit varia lectio, quam ante Cujacium plurimi Editores exhibuerunt, eadem forte moti ratione. Plane, ut Cujacius emendat, jam ediderant Haloander, Vintimillius & Fratres Sennetonii; & ea ipſa lectio eſt in MS. meo Gloſſato. Adeo ſcilicet magnis nominibus ſæpe fraudi fuit, inconſultis libris antiquis, de emendationibus pronunciare. Sed quicquid ejus rei ſit, ego tamen Florentinam ſcripturam non una ratione Haloandrinæ prætulerim, quod enim Cujacius putabat, venditorem de evictione teneri, ſi poſt biennium libertatem competere dixerit, quæ competebat poſt annum, ita demum obtinet, ſi ſtatim poſt annum ſtatuliber protractus fuerit in libertatem, atque ita emptori ereptus. At vero alia Africani mens eſt, alius ſermo, agit enim palam de eo, qui demum *poſt biennium in libertatem evincitur*. Quamvis igitur poſt annum liber eſſet ex teſtamento, per biennium tamen integrum eo, nondum in libertatem evicto, uſus erat emptor. Unde apparet, biennii conditionem, in lege venditionis expreſſam, emptori nihil detrimenti attuliſſe, neque adeo ejus æſtimationem in actionem deduci poſſe, & ſimul apparet, recte Gloſſam ad *h.* §. 3. ſuperdixiſſe: *quod non punitur quis propter mendacium, cum alium non afficiat damno*.

Nulla itaque ratio eſt, cur tranſponamus verba *d.* §. 3. ut tranſponunt nonnulli Editores, & ut tandem Cujacius emendans. Quin & alia ratio eſt, quæ id fieri vetat. In §. 2. Africanus tractaverat ſpeciem, in qua primum impleta erat mendax conditio, deinde vera, & negat venditorem teneri, quia vera conditio evictionem præceſſerat. In *hoc* §. 3. orditur aliam novamque ſpeciem, ubi vera conditio primum impleta fuit, deinde mendax, nam venditor biennium libertati adſcripſerat, teſtator annum, & ante biennium annus labitur. Et tamen ne eo quidem caſu venditorem teneri auctor eſt Africanus, quia biennium effluxerat, antequam in libertatem evinceretur ſervus. Si in *h.* §. 3. annum dixiſſet venditor, biennium teſtator, Africanus alio exemplo eandem ſpeciem retractaſſet, quam tractaverat in §. 2. Nunc, ut Florentiæ eſt, non bis idem dixit, ſed diſtinctam ſpeciem propoſuit, & ex eadem ratione juris definivit. Ne igitur vel ideo trajectioni indulgeamus.

Supereſſet, ut excuterem aliud exemplum Africani, cur nempe non tenear, ſi ſtatuliberum, decem dare juſſum, dixerim quinque debere, ſed quicquid ejus argumenti eſt, abſolvit Cujacius *ad Africanum d. loc.* nec verbum amplius addo.

CAPUT V.

Varia ad L. 19. §. 12. ff. de Aur. argent legat.

Si *cui*, inquit Ulpianus in *d. l.* 19. §. 12. *eſcarum argentum legatum ſit, id ſolum debebitur, quod ad epulandum in miniſterio habuit, id eſt, ad eſum & potum.* Ulpiani hæc verba adſcripſi, ſequutus auctoritatem Codicis Florentini, quamvis ſciam, in Libris Vulgatis duntaxat priora *d. l.* 19. tribui Ulpiano, nempe ad usque §. 5. in verbis, *Et ſi non ſunt clavi*, & inde novum caput incipere, & reliqua omnia tribui Pomponio, non alia ſcilicet ratione, quam quod Pomponii, ab Ulpiano laudati, mentio occurrat in verbis proxime præcedentibus, *idem Pomponius Libris Epiſtolarum. Idem* dicit, quia adhuc ſemel in *pr.* §. 5. Pomponium laudaverat Ulpianus. Sed id nihil quicquam turbat, ut nec alia lectio in *d. l.* 19. §. 12. quæ & ipſa Libris Vulgatis debetur, *ſi cui* FORTE *eſcarium argentum legatum ſit*, pro eo, quod Florentiæ eſt, *ſi cui eſcarium argentum* &c. Demus hoc Librorum optimo, ut in pari cauſa ejus auctoritas vincat. Magis turbat ipſa Ulpiani ſententia, conſtanter, ut ſupra exhibui, expreſſa in omnibus, quos ipſe vidi, Libris, tam MSS. quam editis. Quid enim? Ait Ulpianus, *eſcario argento* legato, id ſolum deberi, quod *ad epulandum in miniſterio habuit*. Hactenus bene, ſed quod addit, *id eſt, ad eſum & potum*, ideo non ſubſiſtere dixeris, quia *argentum eſcarium*, de quo hic agit, differt a *potorio*, de quo eſt *l.* 21. *pr.* & §. 2. & *l.* 32. §. 2. *hoc Tit.* utque adeo *argento eſcario* ea duntaxat videantur cedere, quæ *ad eſum*, non quæ *ad potum* pertinent. Auget difficultatem, quod Paulus in *l.* 32. §. 3. *hoc ipſo Tit.* in ſpecie, qua Primipilari uxori ſuæ *argentum eſcarium* legaverat, non omnia vaſa legato contineri ſcribat, quæ vel ad eſum vel ad potum pertinebant, ſed tantum vaſa promiſcui uſus, *quibus & potabat & edebat*; ſi iis potaſſet duntaxat, contra reſponſurus erat, quam nunc reſpondet Scævola, a Paulo in partes vocatus.

Ne hæc frontibus adverſis pugnent, Cujacius ferro medicinam quærit, nam ecce *L.* X. *Obſerv. C.* 17. hæc verba in *d. l.* 19. §. 12. *id eſt, ad eſum & potum* adulterina, atque adeo ejicienda eſſe cenſet, ſin minus, legendum, *item ad eſum & potum*, nempe ad eſum & potum ſimul, quemadmodum in *d. l.* 32. §. 3. *hoc Tit.* Sed alterum nimis truculentum, alterum nec neceſſarium eſt, nec etiam ſatisfacit, niſi *ſimul* ſuppleas, quod expreſſum non eſt. Experiamur, an non ſalva ſcriptura, ſalva res eſſe poſſit. Quemadmodum autem alimentis legatis, procul dubio non tantum cibus, ſed & potus legato continetur, quia & *alendi cauſa bibitur*, ut ait Paulus in *l.* 5. *pr. ff. de Pen. legat.* ſic & *argento eſcario legato*, id omne debebitur, quod, ut præmit-

mittit Ulpianus, *ad epulandum* in miniſterio habuit paterfamilias. In epulis vero cum non Cereri ſemper litetur, ſed & Baccho, recte, interpretationis gratia, addit, *id eſt, ad eſum & potum.* In §. 11. etiam uſus eſt Ulpianus eadem formula [illegible], *id eſt.* Hanc ipſam repetit in *h.* §. 12. ut ſcilicet explicaret, quicquid epulis ſerviat, legato contineri, vaſa argentea, quibus editur, quibusque bibitur. Aliud juris eſſe putem, ſi vaſa argentea ſolis ſerviant potationibus ſive compotationibus, hæc enim non debebuntur *argento eſcario* legato, quia inter epulandum nullus eorum eſt uſus. De his verum eſt non deberi, niſi & alteri uſui ea deſtinaverit paterfamilias, hoc eſt, niſi iis *& potabat & edebat*, ut eſt in *d. l.* 32. §. 3. Ait quidem Ulpianus in *h. l.* 19. §. 12. *& ad potum*, ſed ex adjecto *eſu* apparet, verba fieri de *potu*, qui in epulis adhibetur. Ex his omnibus efficio, *argento eſcario* legato, id omne legato cedere, quod ad eſum potumque adhibetur *d. l.* 19. §. 12. non quod duntaxat adhibetur *ad potandum*, niſi tamen manifeſtum ſit, teſtatorem promiſcuo uſu hujusmodi vaſis argenteis & potaſſe & ediſſe ſimul. Fuiſſe enim ejusmodi vaſa promiſcui uſus, ipſe Cujacius docuerit *L.* XI. *Obſerv. C.* 7. Atque ita ejus ſpongia tuto carebimus in *d. l.* 19. §. 12.

Sequitur apud Ulpianum in *d.* §. 12. *Unde de aquiminario dubitatum eſt, & puto contineri: nam & hoc propter eſcam paratur. Aquiminarium* eſt pelvis, ad aquam manibus lavandis ſubminiſtrandam. Varie ea vox ſcribitur. *Aquiminarium* dicitur hic, & in *l.* 21. §. *ult. ff. hoc Tit. Aquiminale* in *l.* 3. *pr.* & §. 3. *ff. de Supell. leg.* & apud Paulum *L.* III. *Sentent. T.* 6. §. 56. *Aquimanile* in Gloſſis Philoxeni. Forte & *aquamanile*, nam ita recte correctum eſt *Diſtinct.* XXV. *C.* 1. pro *aquam, manile.* Cujacio vel *aquimanile* placet *L.* X. *Obſerv. C.* 13. vel *aquimanarium* pro *aquiminario L.* X. *Obſerv. C.* 17. De etymologia non minus diſputatur, quam de ſcriptura. Loca veterum Grammaticorum nemo non dixit & exſcripſit. Hæc mitto, & quæro potius, cur de *aquiminario* dubitatum fuerit, an eſcario legato cedat? quia nempe ad eſcam paratum non eſt, attamen quia *propter eſcam paratur*, eſcario contineri putat Ulpianus, nec minus Caſſius apud Pomponium in *d. l.* 21. §. *ult.* nam & is conſultus reſpondit, cum alteri argentum potorium, alteri eſcarium legatum eſſet, aquiminarium eſcario cedere. Dixi, quam ob rem; quia nempe ad compotandum manus lavari non ſolent, ſed ad comedendum. De uſu antiquo aquæ cœnaturis porrectæ plura habet Cujacius *d. L.* X. *Obſerv. C.* 13. & etiam nunc antiquum obtinemus.

Tandem Ulpianus in *d.* §. 12. *Certe ſi caccabos argenteos habebat, vel miliarium argenteum, vel ſartaginem, vel aliud vas ad coquendum, dubitari poterit, an eſcario contineatur? & hæc magis cocinatorii inſtrumenti ſunt.* Quid ſit *caccabus*, quid *miliarium*, quid *ſartago*, ſcies fortaſſe, quamvis cocus non ſis, ſi neſcias, Interpretes habes, qui te docere poterunt; de caccabo & miliario, quod ſatis eſt, docuit Cujacius *L.* II. *Obſerv. C.* 6. nec tanti eſt, ut addas Conſtantium Landum *Exercitat.* ad *d. l.* 19. §. 12. Sententia autem hujus loci omnino poſtulat, ut per *inſtrumentum cocinatorium* intelligamus vaſa, quibus coquitur. Atque hæc vaſa in Pandectis Florentinis in *l. pen. ff. de Penu leg.* vocantur *cocitatoria*, non *cocinatoria*, ut hic eſt in iisdem Pandectis. Alterutra lectio videtur mendoſa. Cujacius *d. L.* II. *C.* 6. *cocinatorii* vocem præfert, eamque reponit in *d. l. pen.* ſed rationem nullam expedit. Sunt Editores, qui utrobique habent vocem *concinnatorii*, vel *concinatorii*, alii Editores *coquitatorii*, alii *coquinatorii.* Haloander utrobique *coquinarii.* Si a veteri *coquina* originem verbi repetas, *coquinarium* potius dicendum videbatur, quam *coquinatorium* vel *cocinatorium*, nam duo hæc poſtrema ſunt paria, quia dicimus *coquus* & *cocus.* Sane & *vaſorum coquinariorum* ex argento meminit Plinius *L.* XXXIII. *Hiſtor. Nat. C.* 11. & *cultri coquinarii* Varro apud Nonium in *Culter*; niſi turbet, quod nonnulli ibi edant, *cultro coquinari*, non *coquinario.* Sed ſi vel magnis auctoritatibus ſe tueri poſſet lectio Haloandrina, nimis tamen a Florentina abit. *Concinnatorium* vel *concinatorium* nec etymologia, nec auctoritate ulla ſe tuetur; has igitur ſcripturas, ut vitioſas, rejicimus. Si legere malis vaſa *cocitoria*, vel, quod perinde eſt, *coquitoria*, non equidem intercederem, ſi vel ſic non deficeret auctoritas, & tantum a librorum optimo recedere religioni ducerem. Quare ego ſervarem *vaſa cocitatoria*, nullatenus fracta aut rupta, ut exſtant in *d. l. pen.* & ita quoque, una litera mutata, reſcriberem *cocitatorii* in *h.* §. 12. Nam ut a *legere* eſt *lectitare*, a *ſcribere ſcriptitare*, ſic a *coquere* eſt *coquitare*, frequentativa ſignificatione, quæ vel maxime propria eſt vaſis, quæ uſui cottidiano ſerviunt. Si auctorem deſideres, dabo Feſtum in *verb. coquitare. Coquitare*, inquit, *pro coctitare, id eſt, frequenter coquere, Plautus poſuit.* Quamvis autem Plauti locus hodie non exſtet, nemo tamen propterea fidem abrogabit Feſto. A *coquitare* per analogiam habemus *coquitatorium* ſeu *cocitatorium*, nam *arquus, coquus, equulus, quum, quur* antiqui ſcribebant, ut ex Priſciano obſervat Voſſius *Etymolog.* in *coquo.* Poſteriores pro *qu.* præferebant *c* quemadmodum & Florentiæ eſt *cocitatorium* in *d. l. pen. ff. de Pen. legat.*

CAPUT VI.

Officium Oratoris *&* JCti *ante diſtinctum, poſt conjunctum fuiſſe. Ex ea conjunctione JCtos dictos fuiſſe* Oratores *&* Rhetores.

Ut inter omnes artes atque ſcientias eſt cognatio quædam, qua ſibi invicem mutuam operam præſtant, ſic olim optima maxima fuit inter artem oratoriam & artem boni & æqui. Noli tamen putare, apud Romanos, temporibus liberæ Reipublicæ, utriusque artis terminos fuiſſe confuſos. Eloquentia tunc ſola ſtabat a partibus Oratorum, illi cauſas agebant, & ſi quid majoris momenti incideret, JCtos interrogabant. JCti vero vel domi ſedebant, vel tranſverſo foro ambulabant, *non ſolum ut de jure Civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique negotio & officio referretur*, ut eſt apud Ciceronem *de Oratore* III. De filia collocanda nunc Theologi cum JCtis facile poſſent contendere *interdicto uti poſſidetis.* De omnibus autem his nunc fere JCti adeuntur, cum jacta eſt alea, non, ut olim, cum jacienda erat. Hinc tantus litium numerus, quo hodie laboramus. Poſſem plura addere de diſtincta olim

lim profeſſione Oratoris & JCti, ſed ſic repetenda eſſent, quæ prolixe in hanc rem diſputavi *Prætermiſſ.* ad *l.* 2. §. 46. *ff. de O. J.*

Plus ſcire attinet, artem Oratoriam, unicum libertatis fomitem, ſenſim ſine ſenſu exoleviſſe, poſtquam placuit, per unum Reipublicæ conſuli. Fruſtra tunc erat apud Senatum, fruſtra apud Populum dicere, gliſcente adulatione. Ex eo tempore JCti, in partes vocati, ipſi cauſas orare cœperunt, non, ut ante, apud Senatum Populumque, ſed apud Magiſtratus, a Principe conſtitutos. Ex eo etiam tempore eloquentia JCtis tributa. Unde Advocati apud Claudium Principem, ne lex Cincia in uſum revocaretur, inter cetera ajunt, *eloquentiam gratuito non contingere*, ut hæc memorat Tacitus *L.* XI. *Annal. C.* 7. Et Symmachus Marinianum JCtum, ut ſecum ruſticari vellet, rogitans *L.* III. *Epiſt.* 23. hoc ſuperdicit: *ad dicendum promptior reverteris.* Inde *diſertiſſimi* elogium, veteribus JCtis paſſim adſcriptum. Julianus *diſertiſſimus Juriſperitus* in *l.* 5. *C. de Bonis quæ liber.* Ulpianus & Papinianus *viri diſertiſſimi* in *l. ult. C. de Inſtitut. & ſubſtit.* Lampridius in *Alexandro Severo C.* 16. *neque ullam conſtitutionem ſancivit ſine viginti juriſperitis, & doctiſſimis ac ſapientibus viris, iisdemque* DISERTISSIMIS *non minus quinquaginta.* Inde quoque eſt *glorioſæ vocis munimen* in encomio Advocatorum, quod eſt in *l.* 14. *C. de Advoc. diverſ. judicior.*

Ex eo autem, quod poſterior ætas Oratoris & JCti officium conjunxerit, ut hodieque conjunctum eſt, ſatis apparet, qua mente Juſtinianus in Conſtitutione, quæ incipit, *omnem Reipublicæ*, data ad Anteceſſores Juris illuſtres & *diſertiſſimos* §. 2. auguretur, eos, qui Juris periti eſſent, fore *diſertiſſimos Legum Oratores*, & §. 6. *Oratores maximos*, & qua mente ipſe ille Juſtinianus in Conſtitutione Græca, quæ incipit Δέδωκεν ἡμῖν §. 9. Advocatos, qui cum aliis præfuerunt Pandectis componendis, ſimpliciter appellet ῥήτορας. Paulus quoque Ægineta in *Præfatione*, cauſarum patronos, de quibus ſolis ibi agit, vocat ῥήτορας. Et cum Juvenalis *Satyr.* VI. *vſ.* 45. Celſi JCti meminiſſet, vetus Scholiaſtes Celſum eſſe dicit *Oratorem illius temporis.*

Atque hæc promiſcua JCtorum & Rhetorum appellatio lucem dabit Plutarcho duobus locis, quorum alter eſt *Quæſtione Roman.* LXXXI. alter *Quæſtione Roman.* CIII. Priore loco dicit: Τῶν ῥητόρων ἔνιοι τὴν παραγραφὴν οὐ βούλονται δίκην εἶναι, τοὐναντίον τῇ δίκῃ δρῶσαν. ἡ μὲν γὰρ εἰσάγει καὶ ποιεῖ κρίσιν, ἡ δὲ ἀναιρεῖ καὶ λύει. Quæ ita vertit Xylander: *Oratores nonnulli exceptionem negant eſſe Judicii genus, cum contrarium ejus, quod judicii eſt, præſtet, judicio enim ſententia fertur, exceptione infringitur & aboletur.* Fere eodem modo vertit Grotius *Flor. Sparſ.* ad *Tit. Inſt. de Exception.* Aliter vero & perperam Sigonius apud Janum Gulielmium *de Magiſtrat. Pop. Rom. C.* 14. In eo omnes conveniunt, quod ibi dicitur, de *Rhetoribus* dici, ſic enim vertunt omnes. Sed ego ad JCtos refero, qui paſſim tradunt, exceptione, quæcunque demum ſit, id agi, ut actio excludatur, neve adeo de ea feratur ſententia. *Exceptio*, inquit Ulpianus in *l.* 2. *pr. ff. de Exception. præſcript. & præjud. dicta eſt quaſi quædam excluſio, quæ opponi actioni cujusque rei ſolet ad excludendum*, ut eſt Florentiæ, vel *excludendum id, quod in intentionem condemnationemve deductum eſt.* Ad id igitur comparata eſt exceptio, ut judicium aboleatur, quia nihil intereſt, ipſo jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur *l.* 112. *ff. de R. J.* Hæc definiunt JCti, non Rhetores, proprie ſic dicti. Quare apud Plutarchum ῥήτορας verto *JCtos*, vel, ſi *Rhetores*, utique JCtos intelligo. Idem puto de poſteriore loco Plutarchi, ubi ait, verum non eſſe, quod de etymologia ſpuriorum λέγουσιν οἱ ῥήτορες ἐν ταῖς δίκαις, συμφορητοῦ καὶ κοινοῦ σπέρματος γεγόνασιν, *Rhetores dicunt in orandis cauſis, ſic dictos, quod promiſcuo ſemine ſint nati. Rhetores* iterum vertit Xylander, ut & Menagius *Amœnit. Jur. Civ. C.* 39. verbo *ſpurius*, ſed *JCtos* aut vertendum aut intelligendum eſt. Quid Rhetoribus in cauſarum actionibus cum etymologia ſpurii? pertinet ea res ad JCtos, quorum de proprietate & origine verborum etiam propria notio fuit. Modeſtinus certe in *l.* 23. *ff. de Stat. homin.* ſequitur etymon ſpurii, a Plutarcho exploſum, ſequuntur & Inſtitutiones §. 12. *de Nupt.* Sic JCti *Oratores* & *Rhetores.*

Si ad hæc animum ſuum advertiſſet Menagius, non, opinor, negaſſet *Cap.* V. *Amœnit. Jur. Civil.* Tuſcianum JCtum, Pomponio memoratum in *l.* 2. §. 47. *ff. de O. J.* ideo non eſſe Tuſcianum, cujus apud Suidam eſt mentio, quod Suidas ejus meminerit ſub nomine *Rhetoris.* Τουσκιανὸς. ῥήτωρ δεινότατος, *Tuſcianus; maximus Rhetor. Nihil*, inquit Menagius, *Rhetor ille ad JCtum;* imo vero magnopere, ex promiſcua olim quidem diſtincti, ſed poſt conjuncti utriusque muneris appellatione. Igitur non ea ratio Menagii me moverit. Et tamen facile crediderim, alium fuiſſe Tuſcianum Pomponii, alium Suidæ. Tuſcianus Pomponii vixit ante Julianum JCtum, ſi Pomponius rationem temporis & ſucceſſionis ſequutus ſit in *d.* §. 47. ut ſequutum eſſe plusquam probabile eſt. Tuſcianum Suidæ puto fuiſſe Tuſcianum Phrygem, celebrem illum Rhetorem ſub Juliano Principe, Libanii Sophiſtæ æqualem & æmulum, cujus & ipſe ille Suidas meminit in Λιβάνιος. De Tuſciano Pomponii plura dixi in *Prætermiſſ.* ad *d.* §. 47. Eadem etiam ratione, quam ſupra expedivi, neque acceſſerim eidem Menagio, exiſtimanti *Cap.* XXXI. *Amœnit. Jur. Civ.* Frontonem JCtum non fuiſſe eundem, cujus memoria ſupereſt apud Suidam in *verb.* Φρόντων, quia nempe Suidas ejus meminit, qua Oratoris ſive Rhetoris. Bertrandus in *Papirio Frontone* eundem eſſe credidit, cui reſcriptum eſt in *l.* 52. *ff. de Manum. teſtam.* Ego neſcio, ſed nolim diverſum dici ob rationem, quæ ratio non eſt.

CAPUT VII.

De quarta Falcidiæ vel retinenda vel repetenda.

Si ultra dodrantem legatis exhauſta ſit hereditas, quartam heredi tribuit Falcidia, ſed alio atque alio jure, pro variis, opinor, quæ olim obtinuerunt, legatorum differentiis. Tempore veterum JCtorum, ex quorum Fragmentis Pandectæ conſtant, legatorum varias ſpecies & formulas ſuperfuiſſe, nemo eſt, qui neſcit, ullus. Illis primum a Conſtantino, deinde a Juſtiniano ſublatis, ſublata quoque fere earum mentio eſt in Pandectis, ſed leges, ibi relatas, plus ſemel interpretari oportet ex alio atque alio genere legandi. Quod non animadverſum tenebras pe-

peperit, & Interpretibus ſæpe crucem fixit. Quod ad Legem Falcidiam attinet, puto quadrantem, qui ex ea debebatur, ipſo jure ad heredem pertinuiſſe, ſed non aliter, quam ſi per vindicandi formulam legatum fuiſſet. Ait ſecundum Capitulum Legis Falcidiæ, ut id exhibet Paulus in *l.* 1. *pr. ff. ad L. Falcid.* *Quicunque civis Romanus poſt hanc legem rogatam teſtamentum faciet, is quantam cuique civi Romano pecuniam jure publico dare legare volet, jus poteſtasque eſto, dum ita datur legatum, ne minus, quam partem quartam hereditatis, eo teſtamento heredes capiant.* Loquitur de *jure publico*, id eſt, Civili, nam ex XII. Tabulis, uti quisque legaſſet ſuæ rei, ita jus erat *l.* 120. *ff. de V. S.* & loquitur, ut mihi quidem videtur, de legatis per vindicationem relictis, nam ait, *dare legare*, quibus verbis vindicationis formulam exprimi auctor eſt Ulpianus *Fragment.* T. XXIV. §. 2. Cum igitur Lex ſanciat, ne heredes minus, quam partem quartam hereditatis *capiant*, illud *capiant* non interpretor *jure retentionis*, ut interpretatus eſt Cujacius *L.* VIII. *Obſerv. C.* 2. ſed *ipſo jure*, ut dominium quadrantis recta in heredem tranſiverit. Et qui poteſt aliter, cum ipſa auctoritate juris nulla ſint legata, ultra dodrantem relicta? Non aliter dare legare permittit primum Capitulum, quam Lege Falcidia licebit, & per ſecundum Capitulum non licet, niſi usque ad dodrantem *d. l.* 1. *pr. ff. ad L. Falcid.* Tres igitur uncias per aditionem in heredis dominio eſſe conſtat, quia adita hereditate, etiam absque naturali apprehenſione, omnia jura in heredem tranſeunt *l.* 23. *pr. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* ſic ut eas vindicare poſſit *l.* 3. *ff. Teſtam. quemadmod. aperiant.* nec aliter hereditas heredis faciat res ſingulas, quam legatum, puta vindicationis, dominium rei legatarii facit *l.* 80. *ff. de Legat.* II. Dominium quadrantis, lege prohibente, penes legatarium eſſe nequit, ſupereſt igitur, ut apud heredem ſit, apud quem Lex eſſe jubet. Atque inde eſſe opinor, ut is, cui ſervus legatus eſt per vindicationem (nam ad alia genera legatorum id non pertinet) ſi forte Legi Falcidiæ locus ſit, partem incertam vindicet duntaxat in *l.* 76. §. 1. *ff. de Rei vindic.* totum vindicare nequit propter Falcidiam, forte enim plus peteret, neſcit autem quantum minus poſſit toto, hæc juſta cauſa incertæ partis petendæ; recte totum vindicaturus, ſi duntaxat heres, per exceptionem, quartam Falcidiæ retinere poſſet, nunc, cum illa quarta ſit in heredis dominio, non impune ferret.

Quamvis autem Lex Falcidia nominatim tantum caverit de legatis, per vindicationem relictis, ratio tamen legis illud jus conſequendi quadrantis facile porrexit ad reliqua legatorum genera, at vero in his obligatio, ad integra præſtanda, vi legis ſublata non erat, ut erat in legatis vindicationis. Quare ipſo jure illa reliqua legata ſubſiſtebant, ſed heres actione perſonali, qua in his legatarius utebatur, conventus, per exceptionem retinebat quartam. Hinc totiens *retentionis* beneficii mentio, ut in *l.* 14. §. 1. *l.* 15. §. 1. *l.* 93. *ff. ad L. Falcid.* & *l. un. C. Quor. legator.* nam etſi ex aliis legandi formulis dominium non tranſiret in legatarium, frequentatæ tamen ſunt, cum maxime legatum damnationis, cujus *jus optimum* eſſe dixit Ulpianus *Fragm. T.* XXIV. §. 11. Atque de his verum puto, quod Theodorus adnotavit ad Baſilic. *L.* XLI. *T.* II. *C.* 10. Ὁ φαλκίδιος νόμος παρακατέχειν μόνον δίδωσι τὸ δ΄, οὐκ ἔτι δὲ καὶ ἀγωγήν, *Lex Falcidia quartæ retentionem duntaxat concedit, non etiam vindicationem.* Quominus id verum ſit in legatis vindicationis, prohibet dominium, quod in his recta in heredem tranſit, prohibent ipſa verba Legis Falcidiæ, quæ irrita pronunciant, ultra dodrantem legata. In aliis omnibus, non per vindicationem relictis, Theodoro adſentior.

Hinc videtur dijudicandum, quid juris ſit futurum, rem legatam poſſidente legatario; nempe ſi non ſit vindicandi modo legatum, nullam eſſe heredi actionem, quia retentionem habuit duntaxat *l.* 51. *ff. de Condict. indeb.* Plane ut in Fideicommiſſis, ubi non eſt niſi quartæ retentio *l.* 21. *ff. ad SCt. Trebell.* Quod quia iniquum videbatur, poſſeſſorium remedium Prætor ſuppeditavit, *interdictum* ſcilicet QUOD LEGATORUM, quod continet hanc cauſam, *ut quod quis legatorum nomine non ex voluntate heredis occupavit, id reſtituat heredi* *l.* 1. §. 2. *ff. Quod legator.* Sin autem vindicationis fuerit legatum, ceſſat interdictum, quippe eo caſu inutile, cum ex Lege Falcidia heres trium unciarum habeat dominium, quod quadrantis tribuit vindicationem. Non prohibetur tamen heres interdicto uti, ſi velit. Atque ita intelligemus, quid ſibi velit Scævola in *l.* 26. *pr. ff. ad L. Falcid.* Linea margaritarum, quæ ibi legata erat, procul dubio per vindicationem, apud legatarium fuerat mortis tempore. Inde quæſitum eſt, an heredi reſtitui deberet propter legem Falcidiam. Et reſpondit Scævola: *poſſe heredem conſequi, ut ei reſtituatur, ac, ſi malit, poſſe vindicare partem in ea linea, quæ propter legis Falcidiæ rationem deberet remanere.* Non vindicat, niſi qui habet dominium, ergo heres quartæ dominium habet ex lege Falcidia, & ſic eſt in legatis vindicationis, nam in his verum eſt, quod ait *l.* 1. §. 11. *ff. ad L. Falcid.* legatario poſſeſſionem nacto, ſi res ab eo avocare nequeat, quia ex voluntate heredis poſſidet, *dari actionem heredi, ut id, quod ſupra dodrantem eſt, offeratur*, & quod ait *l.* 73. §. *ult. ff. Eod. per legem ipſo jure minui*; de aliis legatis id dicere non licet.

Audi ejus rei inſigne argumentum. Donationes mortis cauſa *ad exemplum legatorum* eſſe revocatas Paulus notat in *l.* 15. *ff. de Mort. cauſ. donat.* ſic enim Paulus, minime interpolatus, ibi loquitur, plane ut Julianus, qui in *l.* 17. *ff. Eod.* eas legatorum inſtar obtinere dixit, & ut Ulpianus, qui in *l.* 37. *pr. ff.* ſic infit: *Illud generaliter meminiſſe oportebit, donationes mortis cauſa factas, legatis comparatas. Quodcunque igitur in legatis juris eſt, id in mortis cauſa donationibus erit accipiendum.* Quamvis autem nec veteri, nec novo Jure donationes mortis cauſa in omnibus & per omnia legatis fuerint comparatæ, ut ab aliis recte eſt obſervatum, illud ſatis conſtat, etiam jure veteri, ex Conſtitutione nempe D. Severi, Legem Falcidiam ad mortis cauſa donationes fuiſſe porrectam, ſic enim relatum eſt in *l.* 5. *C. ad L. Falcid.* & *in l.* 2. *C. de Donation. cauſ. mort.* Falcidia igitur & in his obtinet, ſed quia variæ erant legatorum ſpecies, & in aliis obtinebat Falcidia ipſo jure, ſive jure dominii, in aliis per exceptionem & retentionem, meretur diſpici, ad quam ſpeciem pertinuerint donationes mortis cauſa. Et puto vindicationis jus habuiſſe, interpretatione facta ex eadem Lege XII. Tabb. nam ecce poſtquam Ulpianus dixiſſet in *l.* 1. §. 2. *ff. de Public. in rem act. ſatis multas eſſe juris partes, ex quibus dominium quis nanciſceretur, ut puta legatum*, Paulus mox addit in *l.* 2. *vel mortis cauſa donationes factæ*, & inde efficit, etiam Publicianam in his competere, *quia ad exemplum*

legatorum capiuntur. Sermo eſt ut vides, de legatis, quibus dominium quis nanciſcitur, hoc eſt, de legatis vindicationis, nam in aliis alio jure utimur. Cumque his legatis, quæ cauſam dominii præbent, comparentur donationes mortis cauſa, conſequens eſt, ut & in his quarta ipſo jure ſit heredis, ejusque habeat vindicationem. Id me docuit Ulpianus in *l.* 1. §. 5. *ff. Quod legator.* cum ait: *Si quis ex mortis cauſa donatione poſſideat, utique ceſſabit interdictum, quia portio legis Falcidiæ apud heredem ipſo jure remanet, etſi corporaliter res in ſolidum translatæ ſunt.* Dicit *ceſſare* interdictum, quia ex jure dominii heres habet actionem in rem, ea ipſa ratione, quæ obtinet in legatis, per vindicandi formulam relictis, *ceſſabit* enim, ut legitur, omnino legendum eſt in *d.* §. 5. non *neceſſe habebit*, ut quidam olim legerunt, etiam, ut videtur, Azo *Summ.* ad *l. un. C. Quor. legator.* Verum ea lectio non niſi expediendæ difficultatis ergo ficta interpolatio videtur, quam ſatis refutat ipſa Ulpiani ſubjecta ratio, quod nempe *ipſo jure* quarta Falcidiæ remanſerit apud heredem, ut eſt in legato vindicationis. Atque hæc ſola ratio eſt, cur *ceſſet* Interdictum, non, quam alii fingunt, quod nempe res ex traditione, atque adeo ex voluntate teſtatoris jam fuerit penes donatarium.

In aliis legatis Interdicto opus eſt. Unde mox Ulpianus in *d. l.* 1. §. 6. *Qui vero ex cauſa præceptionis*, nempe poſſidet, *utique tenetur hoc interdicto, ſed pro ea ſcilicet parte, quam jure legati habet, non etiam pro ea, quam quaſi heres habet. Idemque erit dicendum, & ſi alio genere legati uni ex heredibus legatum ſit.* In legato præceptionis ipſo jure dominium non tranſibat ad legatarium, ſed præſtabatur judicio familiæ erciſcundæ *l.* 17. §. 2. *ff. de Leg.* I. etiam cetera legata, de quibus hic loquitur, petebantur actione perſonali, & in his omnibus neque Falcidia ipſo jure ad heredem pertinebat. Quare & Interdicto opus erat ad recuperandam poſſeſſionem, & retinendam ſic Falcidiam. Ceſſat vero, ubi vindicatio ſupereſt, ut ſupereſt in legatis, vindicandi formula relictis, & in donationibus mortis cauſa, ad inſtar eorum legatorum redactis.

Attamen propter commodum, quod ajunt, poſſeſſionis, facile crediderim, etiam interdictum fuiſſe uſurpatum, ubi vindicatio competebat, quod palam ſignificat Scævola in *d. l.* 26. *pr. ff. ad L. Falcid.* eamque puto fuiſſe rationem, cur, etſi Jure noviſſimo ex *l.* 1. *C. Comm. de legat.* omnium legatorum data fuerit vindicatio, hujus tamen Interdicti doctrinam Tribonianus in Pandectas retulerit. Copia ſcilicet actionum magis placuit & olim, ut hujus ipſius Interdicti exemplo probat Ulpianus in *l.* 1. §. 4. *ff. Quod legator.* & Jure Juſtinianæo, quemadmodum eſt in *d. l.* 1. *C. Comm. de legat.* Ut ita illud *ceſſabit* in *d. l.* 1. §. 5. intelligamus, Interdicti neceſſitatem ceſſare, quum alia ex jure dominii civilis actio competat, non ut quis prohibeatur uti, ſicut nec alia remedia poſſeſſoria dominis negantur, ſi iis uti magis commodum eſt, quam in rem agere ex jure dominii. Sed vulgo magis commodum non eſt, ſi ad Falcidiam heredi competat vindicatio, cui enim bono ea totius legati repetitio? quo ambages nihil actori profuturæ, niſi ut dodrantem, quem Interdicto conſequutus eſt, rurſus reſtituat? Sed ajunt, occupatio legatarii hac moleſtia punitur; atque ſi nempe eo circuitu non ſimiliter puniretur actor, ſi vel absque ulla occupatione, at ſolo caſu, penes legatarium res eſſet. Ceterum illo caſu, quo ſola retentio obtinet, poſſidente legatario, non quadrantem duntaxat, ad quem nulla competebat actio, ſed univerſum repeti placuit, ut, univerſo repetito, retentioni eſſet locus, cauſa ſic genere quodam in integrum reſtituta. Atque hæc dicenda erant de Interdicto *quod legatorum*, ejusque uſu vel neceſſario vel plane non neceſſario, pro alio atque alio legati genere, nam qui de eo Interdicto commentati ſunt vel plena manu, vel ex occaſione, nihil diſtinguunt, nec ſingula, quæ ſibi contraria videntur, recte explicant.

Ex iisdem principiis, quibus Interdictum interpretor, etiam æſtimanda, ni fallor, quæſtio eſt, an quadrans ſolutus ab herede poſſit repeti? ſi facti errore ſolutus ſit, nemo ambiget, ſed quid ſi ignorantia juris? Et quidem eo caſu, quo Falcidiæ dominium ex auctoritate legis ipſo jure in heredem tranſiit, competet repetitio, quia ſuum repetentibus neque ignorantia juris nocet *l.* 7. *ff. de Jur. & fact. ignor.* eo autem caſu, quo retentionem duntaxat habet heres, ex juris ignorantia ſolutum non repetet *l.* 51. *ff. de Condict. indeb.* Diſtinguo igitur genera legatorum, & ubi vindicatio Falcidiæ eſt, quadrantis ſoluti repetitionem largior, at nego, ubi ſola eſt retentio. Nego igitur in omni fideicommiſſo, & ita palam reſcriptum eſt in *l.* 9. §. 5. *ff. de Jur. & fact. ignor.* loquitur enim Reſcriptum de fideicommiſſo, in quo duntaxat Falcidiæ retentionem eſſe ex *Inſtitutionibus* notum eſt. Simile Reſcriptum eſt in *l.* 9. *C. ad L. Falcid.* negat enim & id repetitionem quartæ, per errorem juris in fideicommiſſo non retentæ, & inter errorem facti & juris manifeſte diſtinguit.

Si placcant, quæ *hoc Capite* diſputavi, placere non poſſunt, quæ habet Duarenus ad *L. Falcidiam C.* VIII. quæ Cujacius *L.* VIII. *Obſerv. C.* 2. & *L.* X. *C.* 28. quæ Antonius Faber *L.* VI. *Conject. C.* 2. & quæ plures alii, quos non recenſeo.

CAPUT VIII.

De regula geminationis, aliquot locis adhibenda vel rejicienda.

Sine fraude eſt, ut laboranti ſententiæ legis ſuccurratur, literas, ſyllabas, voces geminare, & ſemel ſcriptas bis legere. Quid de eo more Feſtus, variis locis, Iſidorus aliique Grammatici dixerint, nolim hic repetere, quia ab aliis occupatum eſt. Librarius certe Florentinus, calami compendio ſtudens, non repetiit, quæ geminanda erant. Taurellius, quæ ſemel poſita, bis ſibi videbantur legenda, majuſculis literis expreſſit. Quod Taurellio licuit, idem & nobis licet, ſi res poſtulet, poſtulat autem aliquando in locis a Taurellio omiſſis, in aliis, quos ipſe indicavit, geminatio ſæpe non erat neceſſaria, imo etiam importuna. De utroque genere quædam dicam per ſatyram.

In *l.* 55. *ff. de Heredit. petit.* ita ſcriptum eſt: *Evicta hereditate, bonæ fidei poſſeſſor, quod Lege Aquilia exegiſſet, non ſimplum, ſed duplum reſtituet.* An igitur bonæ fidei poſſeſſor reſtituet alterum tantum ejus, quod exegit? ſic diceres. At

At obſtat bona fides, obſtant & ſequentia Juliani: *lucrum enim ex eo, quod propter hereditatem acceperit, facere non debet.* Recte, ſed ita damnum ſentiet. Lego per ἀναδίπλωσιν: *quod Lege Aquilia exegiſſet, non ſimplum, ſed* DUPLUM *reſtituet*, hoc eſt, ſi non exegerit *ſimplum*, ſed ab inficiatore *duplum, duplum reſtituet.* Forte eadem ſententia erit, ſi ita interpungas, *quod Lege Aquilia exegiſſet, non ſimplum, ſed duplum, reſtituet.* Ut *duplum*, pertineat ad *exegiſſet* & *reſtituet* ſimpliciter ad id, quod exactum erit. Baſilici recte ſententiam Juliani expreſſerunt, & eam quoque adſequutus eſt Cujacius ad *Juliani Digeſtorum L.* LX. in *h. l.* ſed in verbis ſcrupulum non exemit.

In *l.* 8. *ff. de Probation.* Florentiæ ita legitur: *Si filius in poteſtate patris eſſe neget* &c. Haloander, quo ſenſus eſſet plenior, reſcribit, *ſe eſſe neget.* Sed idem erit, ſi per ἀναδίπλωσιν legamus, ESSE, id eſt, *eſſe ſe neget.*

Tranſeo ad alias geminationes. Utique male ſe habere videtur illuſtris Procula in *l.* 26. *ff. de Probation. Procula*, inquit Papinianus, *magnæ quantitatis fideicommiſſum a fratre ſibi debitum, poſt mortem ejus in ratione cum heredibus compenſare vellet, ex diverſo autem allegaretur* &c. Sic eſt Florentiæ, & in utroque MS. meo, & ſic etiam edidit Hugo a Porta. Cujacius *ad Papinianum* verba, quæ exhibui, transmittit, atque ſi in iis nihil quicquam deëſſet, & tamen ad explendum ſenſum vocula *cum*, aliave ſimilis, deeſſe videbatur. Quare eam Editores antiqui, tantum non omnes, principio appinxerunt: *Procula cum magnæ quantitatis fideicommiſſum*, & quæ ſequuntur. Salva res erit, ſi geminemus *cum*, quod mox ſequitur, *cum cum heredibus compenſare vellet.* Si cui durior, quam eſt, eſſe videtur ea locutio (nam & exemplis eam tueri poſſum) auctor eſſem, ut pro *compenſare vellet*, reſcriberetur, *cum penſare vellet.* Sexcenties JCti noſtri pro *compenſare* dixerunt *penſare*, & pro *compenſatio*, *penſatio.* Loca, aliis dicta, non vacat deſcribere.

Aurem mihi vellet vicina *l.* 28. *ff. Eod.* ut & de ea nonnihil dicam. Valde ejus lectio eſt conturbata, &, ſi quæ unquam, palam mendoſa. Scio, quid Editores, quid Interpretes in eam fuerint auſi; ſi dixerim ingentibus excidiſſe auſis, & neminem rotundam ejus ſententiam expreſſiſſe, dixero, quod res eſt. Ante annos fere XXX. in Adverſariis notaveram, Græca 'ΕΝ ΠΛΑ'ΤΕΙ, ſemel ſcripta, bis legenda, & æque ad præcedentia, atque ad ſequentia eſſe referenda. Conſtitueram in poſterum eam conjecturam edolare, ſed quia, quod ad τὸ ἔργον, publice prævenit Clar. Heineccius, Jurisprudentiæ & amicitiæ noſtræ honos, *Epiſtola* 11. *Sextil.* 1724. *ad Cl. Pagenſtecherum* ſcripta, tanti non eſt, ut πάρεργα quædam addam.

In *l.* 79. *pr. ff. de Jure dot.* ita ſcribitur: *Avus neptis nomine, filio natæ, genero dotem dedit, & moritur.* Scribo, repetita litera E, *neptis nomine, e filio natæ*, filia enim vel neptis, alicui nata, non niſi de infante recens edito dici ſolet, & hæc neptis jam marito erat collocata.

Apud Paulum *Titulus* 10. *Libri* I. eſt *de plus petendo.* Ubi ex *Inſcriptione* hæc verba, *plus petendo*, geminanda ſunt, & jungenda iis, quæ mox de plus petitione ſequuntur. Sic ſenſum habebimus integrum, qui alioquin laborat.

Nunc indicabo locum, ubi literam, a Librario Florentino ſemel ſcriptam, Taurellius perperam geminavit, atque adeo majuſculam, more ſuo, adhibuit. Is locus eſt in *l.* 23. *ff. de Pecul. Ædium*, inquit Pomponius, *peculiarium nomine in ſolidum damni infecti promitti debet, ſicut vicarii nomine noxale judicium in ſolidum pati, quia pro pignore ea, ſi non defendantur, actor abducit vel poſſidet.* Taurellius exhibuit *ea* ſi, atque ſi legendum eſſet, *quia pro pignore eas, ſi non defendantur, actor abducit vel poſſidet.* Ad ædes igitur, easque ſolas, refert *eas*; ſed perperam, quia iis non convenit *abducit.* Simpliciter legendum eſt *ea*, abſque geminatione, ut eo verbo complectamur & ſervum noxium, & ædes. Si non ſit, qui ſervi noxii nomine judicium accipit, juſſu Prætoris ducitur *l.* 28. *Verſ. Eademque ff. de Noxal. action.* Si non præſtetur cautio damni infecti, in poſſeſſionem rei vitioſæ fit immiſſio *l.* 7. *pr. ff. de Damn. infect.* Igitur pro pignore ea actor *abducit vel poſſidet*, ſervum ſcilicet abducit, ædes poſſidet. Puto rem eſſe liquidam.

Atque hæc velim addi iis, quæ de regula geminationis hic illic obſervavi.

CAPUT IX.

Interpolatam non eſſe L. 44. §. 4. ff. Famil. erciſc. *neque* L. 34. §. 4. ff. de Jurejur.

Ut vitiligatorum animos etiam jurisjurandi religione coërceret Juſtinianus, conſtituit in *l.* 2. *pr. C. de Jurejur. propt. calumn.* ut *in omnibus litibus* poſt litem conteſtatem utraque pars juraret, ſe bona fide litigare, actor quidem, ſe non calumniandi animo litem movere, reus vero, ſe non eodem animo contradicere. Hujus jurisjurandi ſe auctorem profitetur Juſtinianus in *d. l.* 2. *pr.* & in §. 1. *Inſt. de Pœn. temer. litigant.* & ſane in veteri Jurisprudentia id jusjurandum fruſtra quæras, id nempe, quod in omnibus cauſis, & ab utraque ſemper parte præſtabatur. At vero id ipſum jusjurandum, *etſi videatur ſibi Juſtinianus vindicare, tamen & in Pandectas relatum eſt*, verba ſunt Cujacii ad *Novell.* XLIX. *prope fin.* adducta in hanc rem *l.* 44. §. 4. *ff. Famil. erciſc.* Neſcias fere, utrum Cujacius ibi neget, Juſtinianum eſſe auctorem ejus jurisjurandi, an vero adfirmet, & credat, a Triboniani manu eſſe, quod ait *d. l.* 44. §. 4. ut palam adfirmant & credunt Giphanius ad *d. l.* 2. *C. de Jurejur. propter. calumn.* & in *Præfat. ſpeciali* ante Codic. *n.* 4. Marcilius ad *d.* §. 1. *Inſt. de Pœn. temer. litig.* Wiſſenbach in Catalogo *Emblematum Triboniani*, & in *Sylloge Error. Irnerian.* §. 8. Sed nec dubitat Cujacius in *Parat. C. de Jurejur. propter calumn. dand.* Omnibus his, ut ita crederent, forte cauſam præbuit Accurſius, qui interpretans *d. l.* 44. §. 4. nos ablegat ad *d. l.* 2. *C. de Jurejur. propt. calumn.* Ecce autem verba *d. l.* 44. §. 4. *Qui familiæ erciſcundæ, & communi dividundo, & finium regundorum agunt, & actores ſunt & rei: & ideo jurare debent, non calumniæ cauſa litem intendere, & non calumniæ cauſa ad inficias ire.* Giphanius a verbis *& ideo*, omnia putat eſſe Tri-

boniani, etiam propter phraſin, *ad inficias ire*, quæ Florentiæ eſt, cum vulgo dicamus, *inficias ire*, ut etiam hic exhibent plerique Editores.

Janus a Coſta ad §. 1. *Inſt. de Pœn. temer. litig.* & *d. l.* 44. §. 4. & alias nonnullas, in quibus JCti veteres Jurisjurandi calumniæ meminere, intelligit de jurejurando, quod olim una pars præſtabat duntaxat, non de eo, quod ex jure novo ab utraque parte præſtandum eſt. Sed ea ratione defungi non licet ad *d. l.* 44. §. 4. quia ait Paulus, *& ideo jurare debent;* ambo nempe, quia ambo ſunt actores & rei, & quia mox ſequitur, alterum jurare, *non calumniæ cauſa litem intendere*, quod ad actorem pertinet, ſive ad eum, qui prior ad judicium provocavit, vel quem ſors elegit, alterum jurare, *non calumniæ cauſa ad inficias ire*, quod pertinet ad reum, ſive ad eum, qui contradicit, nam actoris, qua actoris, non eſt *ad inficias ire.*

Ego potius ita cenſeo: jusjurandum calumniæ etiam in veteri Romanorum foro fuiſſe cognitum & frequentatum. Huc refero, quod in *Notis* ANTIQUI *Juris* apud Valerium Probum legitur, *N. K. C. non calumniæ cauſa.* Puto autem, id jusjurandum fuiſſe receptum non in omnibus, at in quibusdam duntaxat cauſis. Et id quoque largiuntur, qui Tribonianum olfaciunt in *d. l.* 44. §. 4. Cujacius ſane ad *d. Novell.* XLIX. recenſet plurimas cauſas, in quibus & ante Juſtiniani Conſtitutionem de calumnia jurabatur, Leges, quæ eas cauſas indicant, & *innumerabiles* vocat Giphanius, ex Cujacio cum ipſe, tum alii deſcripſerunt. Si ad eas ſolas animum advertamus, quarum in Pandectis & apud veteres JCtos eſt mentio, id mihi, ſingulis excuſſis, videor obſervaſſe, jusjurandum calumniæ olim in iis duntaxat cauſis obtinuiſſe, in quibus lex præſumebat faciles ad rixandum animos, vel ubi alias calumniandi, id eſt, vexandi ſuſpicio facile incidebat. Vide, num fallam, vel fallar. *Jubetur jurare de calumnia, ne quis vexandi magis adverſarii cauſa forſitan, cum Romæ poſſit ſatisdare, in municipium evocet*, verba ſunt Pauli in *l.* 8. §. 5. *Qui ſatisd. cog.* Habes jusjurandum calumniæ, & ejus rationem, vexandi nempe adverſarii ſuſpicionem. Etiam ab adverſario argentarii exigitur jusjurandum, *non calumniæ cauſa poſtulare edi ſibi l.* 6. §. 2. & *l.* 9. §. 3. *ff. de Edend.* additur ratio in *d. l.* 6. §. 2. *ne forte vel ſupervacuas rationes, vel quas habet, edi ſibi poſtulet, vexandi argentarii cauſa.* Qui petit, ut ſibi theſaurum ſuum, qui in alieno fundo eſt, effodere liceat, prius jurat, *non calumniæ cauſa id poſtulare l.* 15. *ff. ad Exhib.* Hic ſcilicet metus eſt, ne quis alterius agrum usque & usque fodat & perfodat, non commodi ſui, at adverſarii laceſſendi cauſa. Qui jusjurandum defert, ex regula Ulpiani in *l.* 34. §. 4. *ff. de Jurejur. prior de calumnia debet jurare, ſi hoc exigatur, deinde ſic ei jurabitur.* Ejus regulæ varia exempla, in variis cauſarum figuris, JCti veteres exhibent, ſed hæc non deſcribo, ne moleſtus ſim. Unde vero hæc? ut ſcilicet bona fide deferatur jusjurandum, quod a ſecreto animi pendet, ipſe qui defert, prior jurat, calumniandi animum abeſſe, abfuturum eſſe. Sic & nemo novum opus nunciat, vel cautionem damni infecti exigit, niſi prius de calumnia juret *l.* 5. §. 14. *ff. de Nov. oper.* nunc *l.* 13. §. 3. *ff. de Damn. infect.* proclives enim ſunt vicinorum animi in rixam & calumniam, quia, ut ait ille, ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων; placuit igitur huic vitio occurrere religione jurisjurandi. Addo, quod creditoribus in poſſeſſionem miſſis, ſingulis ſemel concedatur rationum diſjunctio, ſi bis petant, non impetrant, niſi jurent, *non calumniæ cauſa ſe poſtulare l.* 15. §. 1. *ff. de Reb. auctor. jud. poſſid.* Subeſt ſcilicet calumniæ metus in eo, qui iterum petit, quod ſemel nactus eſt.

Hæc exempla cum ſuggerat vetus Jurisprudentia, quidni iis recte addat Paulus, non interpolatus, in *d. l.* 44. §. 4. etiam in judiciis mixtis locum eſſe jurijurando calumniæ, hæc enim judicia, ſi quæ alia, ſolent eſſe contentioſa. Ubi hereditas, ubi alia res communis dividenda eſt, videas homines quam maxime litigioſos, plus ſæpe tribuentes animi adfectibus, quam veritati & utilitati. Et ubi fines regundi ſunt, aliquando res devenit ad φόνος, τραύματα, πληγάς. Prudenter igitur conſultum eſt, ut & de calumnia juraretur in hac cauſa, in qua eadem, ſi non major, verſatur ratio, quam in aliis cauſis, quas ex veteri foro ſupra attuli. At, inquies, in aliis cauſis una pars jurabat duntaxat, in judiciis mixtis utraque, & ut utraque juraret, id vero ex jure novo eſt in *d. l.* 2. *C. de jurej. propt. calumn.* Non licet dicere, quod nonnemo dixit, jusjurandum calumniæ vetus nihil quicquam differre a novo, ſed quia vetus in deſuetudinem abierat, id revocaſſe Juſtinianum in *d. l.* 2. nam quæ de utroque jurejurando jam exſequutus ſum, alia omnia ſuadent, imperant. Agnoſco jure veteri in omnibus cauſis, ſi mixtas excipias, ab una tantum parte fuiſſe juratum de calumnia, ſed quia ab una tantum parte imminebat calumniæ metus. Excute loca, & videbis. In judiciis vero mixtis ille metus imminebat ab utraque parte, & hæc ratio ſingularis cauſam præbuit ſingulari jurisprudentiæ in judiciis mixtis. In aliis cauſis ſolus actor jurabat de calumnia, in judiciis mixtis uterque eſt actor *l.* 37. §. 1. *ff. de O. & A.* nec res ipſa, ſed ſolus caſus actorem a reo diſcernit. Utraque pars igitur in judiciis mixtis laborat vel laborare poteſt ſuſpicione calumniæ, & ea, non alia ratio eſt, cur de calumnia juret uterque. Liquido id expreſſit ipſe Paulus in *d. l.* 44. §. 4. nam poſtquam dixiſſet, qui familiæ erciſcundæ, & communi dividundo, & finium regundorum agunt, & actores eſſe & reos, mox ſuperdicit: *& ideo jurare debent, non calumniæ cauſa litem intendere, & non calumniæ cauſa ad inficias ire.* Vides rationem, quia uterque actor & reus eſt, *ideo jurare debent*, & reliqua. Hæc ratio non convenit juri novo, quia eo jure uterque jurat, etiamſi alter actor ſit, alter reus. Hic jurat uterque, quia uterque eſt & actor & reus, & in utrumque incidit eadem calumniæ ſuſpicio.

Bene igitur ſe habet Jurisprudentia Pauli in *d. l.* 44. §. 4. ſed Giphanius etiam verba accuſat; Triboniani, inquit, loquutio eſt, *ad inficias ire.* Exemplo grave eſt, ubi nihil eſt, quod in ipſa Jurisprudentia reprehendas, ex ſolo ſtilo Tribonianum aliquem eruere. Et gravius eſt, omnes loquutiones, quæ apud veteres JCtos ſunt ſingulares, Triboniano dare. Quiqui Latine ſcribunt vel ſcripſerunt unquam, habent loquutiones, ſibi peculiares, habent & JCti, quarum totos catalogos alii exhibuerunt. Nemo dixit, *ad inficias ire*, per me licet, refero igitur ad τὰ ἅπαξ λεγόμενα. Grammatici putant *inficias ire* eadem ſignificatione dici, qua *exſequias ire, ſuppetias ire*, & præpoſitionem *ad* intellectu ſupplendam eſſe. Eam hic expreſſit Paulus, quemadmodum & Ulpianus præpoſitionem *in*, quæ omitti poterat, in *l.* 3. *pr. ff. ad SCt. Silanian. in gravi valetudine adfectus.* Similia ſunt apud alios Auctores. Sed ſcire velim, an collapſa La-

ti,

tinitate magis dixerint, *ad inficias ire*, quam ea ſtante adhuc & florente? nemo adfirmaverit. Et ſcire velim, an Tribonianus uſpiam alibi ea phraſi fuerit uſus? nemo probaverit. Apage igitur & hanc rationem.

Sed quid numero inter exempla veteris Jurisprudentiæ jusjurandum calumniæ, cujus Ulpianus meminit in *d. l.* 34. §. 4. *ff. de Jurejur.* ſi & illud tranſcriptum ſit ex jure novo in *d. l.* 2. *C. de Jurej. propt. calumn.* ut ipſe ille Giphanius *d. loc.* in animum induxit ſuum. Sed noli credere, niſi placuerit & eundem Ulpianum fingere interpolatum in *l.* 37. *ff. de jurej.* & in *l.* 11. §. 1. *ff. Rer. amot.* & Paulum quoque *L.* II. *Sentent. T.* I. §. 2. ubi id ipſum dicunt. At Giphanium refutat ipſe Ulpianus in *d. l.* 34. §. 4. cum ait, eum, qui jusjurandum defert, priorem de calumnia jurare, *ſi hoc exigatur.* Pendet igitur hoc jusjurandum a voluntate exigentis; atqui non pendet jure novo, ſed omnino præſtandum eſt, ſic ut nec pactione, nec transactione partium remitti poſſit *d. l.* 2. §. 4. Adeo verum eſt, *d.* §. 4. etiam abrogaſſe liberum, quod olim fuit, exigendi arbitrium. Movet & Giphanium quam maxime, quod Ulpianus in *d. l.* 34. §. 4. mox addat: *Hoc jusjurandum de calumnia neque patrono, neque parentibus remittitur*, & ſic eſſe putat jure novo. Sed ejus rei probationem deſidero, quam ipſe non habet. Cum ait, *hoc jusjurandum*, loquitur de eo, quod præſtandum eſt, *ſi hoc exigatur;* idque ſufficit ad amoliendum emblema. Reliqua verba forte alium interpretem exigunt, quam adhuc nacta ſunt, ſed nihil hæc ad cauſam emblematicam.

Age vero, præſtemus & τὸ ἀδύνατον interpolationis & in *d. l.* 44. §. 4. *Famil. erciſc.* & in *d. l.* 34. §. 4. *ff. de Jurej.* & in aliis quam plurimis, ubi eadem ratio eſt. Id nullo negotio erit præſtitum, modo meminerimus, Juſtinianum Pandectas, quibus utraque lex inſerta eſt, ediſſe 17. Cal. Jan. 533. ut nemo neſcit ex *l. ult.* §. *ult. C. de Jur. vet. enucl.* Conſtitutionem autem Juſtiniani in *d. l.* 2. *C. de Jurej. propt. calum.* ex qua ſcilicet Tribonianus utramque legem interpolaſſet, ſesquianno eſſe poſteriorem, editam quippe 4. Cal. Aug. 534. Juſtiniano IV. & Paulino Coſſ. ut indicat ſubſcriptio, iisdem nempe Conſulibus, quibus editus eſt *Codex repetitæ Prælectionis*, ut ex *Præfatione* III. *Codicis* apparet. Ergone Tribonianus Pandectis inſeruit, quod nondum erat conſtitutum, ſed conſtitutum iri prævidebat, ſpiritu forte Prophetico agitatus? At non memini me unquam legere, Tribonianum vatis titulo inclaruiſſe, atque ita præſciviſſe, quod in fatis erat. Jupiter apud Ovidium *L.* XV. *Metam. in fin.* jactat, ſeſe

—— —— inciſa adamante perenni
Fata —— —— legiſſe animoque notaſſe.

ſed forte non ſolus, ſi & Tribonianus ejus fortunæ fuerit particeps. Et quidni ea ratione appellatus ſit δαιμόνιος, ut appellatum ſcribit Harmenopulus *L.* I. *T.* I. §. 10.? Sæpe miratus, quin & indignatus ſum, Viros quosque doctiſſimos, quorum in eo occupatur diligentia, ut Pandectarum dignitas, tanquam opus non genuinum, magis eviléſcat, tantum ſibi indulgere, ut etiam ex *Novellis*, quarum nulla non eſt Pandectis editis poſterior, emblemata arceſſant. Sic *l. ult.* §. 1. *ff. de Senator.* interpolatam fingunt ex *Novell.* 62. rurſus *l.* 6. *ff. de Divort. & repud.* ex *Novell.* 22. *C.* 7. Iterum *l.* 2. §. 25. *ff. ad SC. Tertull.* ex *Novell.* 118. *C.* 5. Quod ſane ea, quam dixi, ratione ineptum eſſe, etiam Wybo noſter obſervavit *Diſſertatione inaugur. adverſus Wiſſenbachii emblemata C.* I. §. 7. & *C.* IV. §. 13. & *C.* VI. §. 4. Non animadverto, quid iis vaticiniis reponi poſſit, niſi forte, quod Cujacius repoſuit ad *Novell.* I. Etenim ibi probaturus, *l.* 20. §. 1. *ff. de Donation.* eſſe interpolatam ex *l. ult. C. ad L. Falcid.* & metuens ſimile vaticinium Triboniani, ait *d. l.* 20. §. 1. *eſſe aptatam meditatæ jam vel uſu receptæ ſententiæ d. l. ult.* Sed fruſtra is ibi metus, cum promulgata ſit *d. l. ult.* poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis anno ſecundo, hoc eſt, anno 532. atque ita Pandectis nondum editis. Ea reſponſio magis convenerit iis legibus Codicis, quæ Pandectis ſunt poſteriores, quin & omnibus *Novellis*, ex quibus emblemata arguuntur. Sed quis de jure meditato vel uſu recepto doceat, priusquam lex, quid juris ſit, decernat? incerta omnino & vaga eſt ejus rei conjectura. Ne dicam, facta, quæ poſtea incidebant, plerumque novis legibus cauſam præbuiſſe & originem. Apage igitur vaticinia, ſi res aliter ſalva eſſe poſſit, ut poteſt in utraque lege, quam auctori ſuo vindicavimus.

CAPUT X.

Nihil a Triboniano omiſſum videri in L. 5. §. 1. ff. de Stat. homin. *Quin nec omisſiones emblematum numero eſſe habendas.*

In catalogo Emblematum, quem Wiſſenbachius compoſuit, eſt etiam *d. l.* 5. §. 1. Si ipſe ejus emblematis fuiſſet auctor, & ſi non aliis quam plurimis eſſet præjudicio, eo refutando ſuperſediſſem, ſed auctor eſt Petrus Burgius *L.* I. *Elector. C.* 8. quem non laudat Wiſſenbachius, niſi alia plane occaſione, ut ſæpe ſolet. Opera etiam, hic collocata, in aliis, quæ ſimilem cauſam habent, cum maxime proderit. Ait Marcianus in *d. l.* 5. §. 1. *Servi in dominium noſtrum rediguntur aut Jure Civili, aut Gentium. Jure Civili, ſi quis ſe major viginti annis ad pretium participandum venire paſſus eſt. Jure Gentium*, & reliqua. Burgius poſt *paſſus eſt*, putat Marcianum addidiſſe, *& mulier ex S. C. Claudiano*, ſed quia Juſtinianus, erga mollem ſexum mollis, S. C. Claudianum ſuſtulit *l. un. C. de SC. Claud. toll.* & ne quidem Pandectis inſeri voluit §. *ult. Inſt. de Succeſſ. ſubl.* ideo Tribonianum circumcidiſſe *d.* §. 1. demptis iis verbis, quæ Marcianus addidiſſet.

Sed quia Marciani *Inſtitutiones*, ex quarum *L.* I. deſcripta eſt *d. l.* 5. hodie non exſtant, concurrite Augures, Aruſpices, quotquot eſtis ubique terrarum & Gentium, & ex regulis artis veſtræ conjicite, an & quid poſt verba *paſſus eſt*, porro ſcripſerit Marcianus. Niſi placeat ad Stephanum Forcatulum recurrere, ut ille & Marciani manes ab inferis revocet, & teſtes interroget. Sed quid opus eſt magicis artibus ad ſomnia diſcutienda? Ait Marcianus Jure Civile ſervum fieri, qui ſe, ut ſervum, vendi paſſus eſt, ad pretium partiendum. Et hoc eſt veriſſimum. An alios modos addiderit, quibus ſervi fiunt Jure Civili, plane ignoramus. Certe non alios quoque recenſuit Juſtinianus in §. 4. *Inſtit. de Jure perſon.*

ſon. forte ex hoc ipſo Marciani loco, nam *ex omnibus antiquorum Inſtitutionibus* profitetur ſe ſuas compoſuiſſe in §. 6. *Proœm. Inſtit.* Marcianus igitur unum & præcipuum exemplum, quo Jure Civili fiunt ſervi, memoraſſe contentus, cetera omiſit, ex Jure Gentium mox duo recenſet, unum duntaxat Juſtinianus in *d.* §. 4. *Inſtit.* Oppido moroſi ſumus, ſi hæc, ubique obvia, non feramus æquo animo.

Erat quidem olim *ex SCto Claudiano miſerabilis per univerſitatem acquiſitio, quum libera mulier ſervili amore bacchata, ipſam libertatem per SCtum amittebat, & cum libertate ſubſtantiam,* ut hæc efferunt Inſtitutiones §. *ult. de Succeſſ. ſublat.* Sed certum eſt, Marcianum in eo argumento non eſſe verſatum *L.* I. *Inſtit.* Eccur igitur ejus SCti mentionem hic deſiderat Burgius? ſed fortaſſe, quia Marcianus accurate ibi exſequutus eſt omnes modos, quibus ſervi efficiuntur Jure Civili. At non eſt, unde id ſciri poſſit, quin contra ſciri poteſt, quia Marcianus & alios modos omiſit, qui ipſo uſu frequentabantur, ut mox audies. Et cedo mihi rationem, cur Tribonianus ſuſtuliſſet SCti Claudiani mentionem, a Marciano forte injectam? Quia, inquies, Juſtinianus vetuit *Digeſtis* inſeri *d.* §. *ult. Inſt. de Succeſſ. ſubl.* Sic eſt, ſed loquitur de ipſo SCto, quod, quia abrogatum erat, in Pandectas, loco proprio, referre noluit. Sed, ut & ipſe Burgius agnoſcit, ſupereſt veſtigium ejus SCti in *l.* 27. *ff. de Depoſit.* Quod utique aboleviſſet Tribonianus, ſi & mentionem SCti Claudiani, a Marciano factam in *d. l.* 5. §. 1. iviſſet abolitum.

Ceterum, ut dixi, princeps modus, quo quis Jure Civili ſervus efficitur, a Marciano eſt expreſſus, venditio nempe ſui ipſius, reliquis, ut fit, prætermiſſis eo loco, ſed aliunde ſupplendis. Publicæ conventionis unam alteramve ſpeciem Ulpianus recenſet in *l.* 5. *ff. de Pact.* at ideo reliquas non excluſit. Pactiones ſunt vel expreſſæ vel tacitæ; poſtquam id dixiſſet Paulus in *l.* 2. *pr. ff. eod. Tit.* unum duntaxat tacitæ pactionis exemplum proponit in *d. l.* 2. §. 1. alia aliunde petenda ſunt; neque enim ſolent JCti veteres vel uno loco expedire, quicquid ad plenam alicujus argumenti ſcientiam pertinet, vel, ſi expediverint, non ſolet Tribonianus ea omnia referre uno loco, ſed alia atque alia diſtinctis Libris & Capitibus. Exemplo utar, quod apprime in rem præſentem eſt. Servum, etiam Jure Civili, faciebat atrocitas ſententiæ, inflicta nempe pœna, qua libertatem adimebat, ut puta, ſi quis in metallum vel in opus metalli damnaretur *l.* 8. §. 4. *ff. de Pœn.* Atque ita damnati dicebantur *ſervi Pœnæ*, quemadmodum eos & Marcianus noſter appellat in *l.* 17. *pr. ff. eod. Tit.* quæ eſt ex eodem *L.* I. *Inſtitutionum*, ex quo eſt *d. l.* 5. & tamen in *d. l.* 5. §. 1. de ſervis pœnæ tacet Marcianus, æque ac de muliere ſerva ex SCto Claudiano. Tribonianus autem, quum & de Jure Perſonarum egiſſet Marcianus *L. I. Inſtit.* Id, quod ibi dixerat de ſervis pœnæ, tranſcripſit in *d. l.* 17. *pr. ff. de Pœn.* Tacet & Marcianus in *d. l.* 5. §. 1. de ingrato liberto in ſervitutem retrahendo, quod non tantum licuit ex Conſtitutione Conſtantini in *l.* 2. *C. de Libert. & eor. liber.* ſed etiam jure antiquo licebat, non tantum ex ea cauſa, quam ſuggerit *l.* 5. *ff. de Jure Patron.* ſed & ex aliis quam plurimis, ut contra Cujacium diſſentientem ſcio alios prolixe probaſſe. Et tamen, ut dixi, hanc quoque ſervitutis ſpeciem prætermiſit Marcianus, non ſecus ac ſervitutem pœnæ, prætermittunt & *Inſtitutiones d.* §. 4. *de Jure Perſon.* licet eædem utramque addant ei ſervituti, cui ſe ſubjicit, qui ad pretium participandum ſe venundari patitur, in §. 1. *Inſt. de Capit. deminut.* Olim & qui ad delectum non reſpondebant, ut proditores libertatis, in ſervitutem redigebantur *l.* 4. §. 10. *ff. de Re milit.* ſed de eo genere ſervitutis verba facere nolui, quia Arrius Menander ibi addit, *mutato ſtatu militiæ receſſum eſſe a capitis pœna.* Si receſſum fuerit ætate Arrii Menandri, utique & Marciani, cum æquales fuerint, ſi non Menander antiquior. At cum ætate Marciani ſuperfuerint tot alii modi, quibus ſervitus inducebatur, ab eo non recenſiti in *d. l.* 5. §. 1. non eſt, cur cauſemur, SCti Claudiani mentionem, a Marciano factam, & a Triboniano deletam eſſe.

Sed quid ſi utrumque largiamur, & largiamur, data opera, ob mutationem juris, inductam eſſe ejus SCti mentionem, ne tunc quidem vel hoc loco, vel aliis, hic ſimilibus, Tribonianum interpolatorem agnoſcerem. Nulla eſt interpolatio, ſi me audias, niſi quæ JCtis antiquis aliam ſententiam obtrudit, quam ipſi habuerunt, ſive quid addatur ex jure, quod poſtea introductum eſt, ſive quid, ob jus novum, immutetur, minime vero, ſi quid, ob eandem rationem, omittatur, niſi propter ea, quæ omiſſa ſunt, eorum, quæ ſuperſunt, alius nunc ſit ſenſus, alius olim fuerit. Abſque eo ſi ſit, interpolationum utique prolixa eſſet ſeges. Tribonianus e Libris veterum JCtorum ea duntaxat decerpſit & in Pandectas retulit, quæ pertinebant ad argumentum, quod tractabat, dimidiatis ſæpe verbis, cum reliqua nihil πρὸς ἔπος. Inſigne ejus rei exemplum eſt in *l.* 9. §. *ult. l.* 10. & *l.* 11. *pr. ff. de Dol. mal.* ubi plurima procul dubio omiſſa ſunt, quia omitti poterant, nec argumento, ibi propoſito, ſerviebant. Sed & in edolandis Pandectis plurima omiſit Tribonianus, quæ vel palam abrogata erant, vel uſu contrario obliterata. Quis negaverit, ex jure vetuſto plura capita nobis ſuggerunt reliquiæ, quæ hodieque ſuperſunt, veteris Jurisprudentiæ, quorum ne memoria quidem in Pandectis exſtat, ſed hæc omittere Tribonianus potuit, & ſecundum codicillos, debuit, ne Studioſis juris eſſet moleſtus ac gravis. Hæc omiſſio, ut vox ipſa arguit, non eſt ἔμβλημα.

Exemplo rem illuſtremus. In *l.* 27. §. 10. in *fin. ff. ad L. Aquil.* ſic Ulpiani verba exhibentur in Pandectis: *Si autem nondum mihi damnum dederis, ſed ita ignem habeas, ut metuam, ne mihi damnum des, damni infecti puto ſufficere cautionem.* Atquin in *Collat. LL. Moſaic. & Rom. T.* XII. *loc.* 7. ubi idem Ulpiani locus exhibetur, his, quæ deſcripſi, verbis inſeritur ſententia Proculi, exiſtimantis, interim actionem in factum poſſe impetrari. Hanc Proculi ſententiam omiſit Tribonianus in *d. l.* 27. §. 10. quid ita? non ſufficit dicere, quia Triboniano Proculi ſententia diſplicuit, Ulpiani placuit, nam ejus rationis rurſus rationem quæro. Veram dedit Wiſſenbachius in *Catalogo Emblematum* ad *d. l.* 27. §. 10. hoc, inquit, Tribonianus omiſit propter ſublatam actionum impetrationem *l.* 1. & *l.* 2. *C. de Form. & impetrat. act. ſubl.* Sic ille, quamvis Petrus Pithœus, a Wiſſenbachio non laudatus, hujus interpolationis ſignum extulerit *Not.* ad *T.* XII. *loc.* 7. his verbis: *Exſtat pars quædam hujus capitis in l. 27. ff. ad L. Aquil. quæ ſi quis conferre non gravabitur, & nos moleſtia notarum liberabit, & melius intelliget, quia ſibi juris noſtri Compoſitores per-*

permiſerint. De ſingulis nunc non ago, ſed agnoſco, Proculi ſententiam a Compoſitoribus eſſe omiſſam, & eſſe omiſſam ob rationem novi juris, quemadmodum ſexcenta, ob eandem rationem, omiſſa ſunt. Sed ea omiſſio nunquid rationem temporis turbavit? nunquid iis, quæ ſuperſunt, alium ſenſum tribuit, atque olim habebant? nemo dicet. Similiter, ut in rem præſentem eamus, ſi vel Tribonianus SCti Claudiani mentionem, a Marciano factam, propter SCtum abrogatum induxiſſet, nihil id turbaret reliqua Marciani, quæ ſuperſunt, & feciſſet, ut facere potuit & debuit. Bene igitur eſt, quod Pardulphus Pratejus *Juriſprud. Mediæ Libr.* II. quo toto Libro *omiſſiones Triboniani* caſtigavit, non caſtigaverit ea, quæ prætermiſit ob cauſam mutati juris, ſic enim non ſedecim omiſſiones notaſſet, ut nunc notavit, at numerum ſine numero. Et tamen in his ipſis, quæ Pratejus notavit, eum operam ludere recte obſervavit Gregorius Lopez *Animadverſ. Jur. Civil. C. ult.*

Dixi, quod ſufficit ad refutandum emblema, nam hic enarrare, qui & quid veteres ſcripſerint de SCto Claudiano, & qui & quid de eo commentati ſint Interpretes, id vero eſſet plane aliud agere, quam agere conſtitui.

CAPUT XI.

Explicata & ab emblemate vindicata L. 30. ff. de Liber. cauſ.

Duo petunt eundem hominem in ſervitutem, uterque ſeparatim & pro parte dimidia; alter judicio liberali vincit, alter vincitur, eritne homo ille ex altero ſemiſſe liber, ex altero ſervus, vel quid tum poſtea? Julianus *Libr.* V. *ex Minicio* in *d. l.* 30. ait commodiſſimum eſſe, *eo usque cogi Judices, donec conſentiant.* Et pergit: *ſi id non continget, Sabinum refertur exiſtimaſſe, duci ſervum debere ab eo, qui viciſſet*, hoc eſt, hominem, de quo agitur, ex aſſe ſervum eſſe, & a victore oportere *duci*, in ſervitutem ſcilicet, ἕλκεσθαι εἰς δουλείαν, ſic enim recte vertit Scholiaſtes Græcus ad *Baſilic. L.* XLVIII. *Tit.* VIII. *C.* 30. Mox ſequitur in *d. l.* 30. *cujus ſententiæ* (Sabinianæ nempe) *Caſſius quoque eſt, & ego ſum.* Julianum hoc de ſe prædicare adfirmat Scholiaſtes Græcus ad *d. loc.* adfirmant omnes, quotquot vidi, Interpretes. Ego ſubſiſto, & potius contra puto, ut mox expediam. Igitur illi pronunciabant, hominem in ea ſpecie ex aſſe ſervum manere, non ex ſemiſſe liberum fieri. *Et ſane*, quæ ratio priorem ſententiam excipit, *ridiculum eſt arbitrari, eum pro parte dimidia duci, pro parte libertatem ejus tueri.* Non placuit ſcilicet Jure Romano, ut ſcio placuiſſe Jure Judaico, ex parte quem eſſe ſervum, ex parte liberum, & non placuiſſe apparet ex *l.* 9. §. 2. *in fin. hoc Tit. & l.* 31. §. 1. *ff. de Fideicomm. libertat.* Monſtrum hominis eſt ſemiliber & ſemiſervus. Romani igitur vel pro ſolida libertate, vel pro ſolida ſervitute reſpondebant. Sed hæc ratio valet in utramque partem, tam libertatis, quam ſervitutis. Eccur igitur Sabinus, Caſſius & ille EGO in ſervitutem, quam in libertatem integram erant procliviores? ad exemplum forte ejus juris, quo olim plerisque placuit in ſervo communi manumiſſo, ut pars domini manumittentis domino non manumittenti adcreſceret, quemadmodum de eo jure conſtat ex Pauli *Sentent. L.* IV. *T.* 12. §. 1. Ulpiani *Fragm. T.* I. §. 18. §. *ult. Inſt. de Donat. & l.* 1. *pr. &* §. *ult. C. de Commun. ſerv. manum.* Fortior ſcilicet viſa eſt ratio, ne quis invitus re ſua carere cogatur, quam ratio, quæ alioquin libertati favebat. Sic placuit, inquam, *plerisque*, nam inter veteres Juris Auctores ea de re fuiſſe diſſenſum, quicquid alii contradicant, palam indicat *d. l.* 1. *pr. C. de Commun. ſerv. manum.* Ad exemplum ejus juris & ejus, quam dixi, rationis, etiam placuiſſe opinor Sabino, Caſſio & illi EGO, ut, ſi alter vincat judicio liberali, alter vincatur, totus homo a victore duceretur in ſervitutem. Attamen in *d. l.* 30. quam nunc explicamus, mox ſuccedit ſententia, priori contraria, his verbis: *Commodius autem eſt, favore libertatis liberum quidem eum eſſe, compelli autem pretii ſui partem, viri boni arbitratu, victori ſuo præſtare.* Si ille EGO ſit Julianus, de quo video inter omnes conſtare, recte Cujacius ad *L.* XI. *Reſponſ. Jul.* in *l.* 29. *ff. de Except. rei judic.* videri poteſt colligere, illam, quam hic exhibui, clauſulam non eſſe Juliani, cum ea retractet ſententiam Sabini & Caſſii, quam ipſe Julianus ſic ſic probaverat. Eccujus tunc erit?

Ille ipſe Cujacius, tam in *Parat.* quam in *Comment. poſt.* ad *Tit. C. de Commun. ſerv. manum.* exiſtimat, id quod Juſtiniano placuit in *l.* 1. *d. Tit.* ut nempe ſervus communis, ab uno ex dominis manumiſſus, protinus fiat liber, ſi partem ſui pretii numeret domino non manumittenti, id, inquam, Tribonianum traduxiſſe ad ſpeciem *hujus l.* 30. & propterea ei adjeciſſe illam, quam proxime recitavi, clauſulam, prælata ſic cauſa libertatis. Cujacium, ut fit, alii ſequuntur. Ego, cur non ſequar, has habe rationes. Diverſa primum utrobique ſpecies eſt, alia de ſervo communi manumiſſo, alia de ſervo, partim victore, partim victo. Similitudo eſt cum maxima inter utramque ſpeciem, ſed quis tuto definiverit, ideo de utraque idem dicendum eſſe jure cum veteri, tum novo? Deinde in *d. l.* 1. §. 5. *C. de Commun. ſerv. manum.* pretium ſervi, ne incertum ſit, præciſe definitur ratione ætatis & artis, in *h. l.* 30. præſtatur *boni viri arbitratu*, quæ utique differunt. Sed, quamquam & hæc moveant, magis tamen moveor, quod & in Pandectis aliæ occurrant ſpecies, in quibus palam definitum eſt, libertatem, quæ ſervo ex parte competebat, oportere integram dari, ſi pretii ſui partem offerat domino. Sic eſt apud Ulpianum in *l.* 18. *pr. ff. de Vulg. & Pupill. ſubſt.* ſic apud Marcellum in *l.* 16. *ff. de SC. Silan.* Utrobique *æquitatis ratione*, &, plane ut in *h. l.* 30. *favore libertatis*, ſervus ex aſſe pronunciatur liber, ſi, qua reſtat ſervus, pretium ſui numeraverit domino. Nec aliter Papiniano viſum eſt in *l.* 29. *ff. de Except. rei judic.* cum ait in *fin. princ.* duobus ſeparatim agentibus, ſi alter obtinuit, *libertates competere, ita tamen ut officio judicis indemnitati victoris, futurique manumiſſoris conſulatur.* Quæ ipſa ſpecies eſt in noſtra *l.* 30. & ipſa juriſprudentia, quam expreſſit ἐπιεικῶς in *verſ. Commodius.* Quin ſi vel ipſam manumiſſionis cauſam intueamur, etiam ante Juſtinianum illud jus accreſcendi, cujus ſic memini, apud omnes Juris Auctores non æque valuit, nam ecce egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus definivit, altero ſocio manumittente, alterum per Prætorem compelli, ut partes ſuas ven-

vendat. Quod in milite manumiſſore primum recepit Conſtitutio Divi Severi, deinde in aliis omnibus generaliter receptum eſt ex Conſtitutione Divorum Severi & Alexandri, quemadmodum Ulpianus, Paulus, Marcellus hæc referunt, & ex his Juſtinianus in *pr. d. l.* 1. *C: de Comm. ſerv. manum.*

Atque hæc priſci ævi Jurisprudentia Cujacium putem moviſſe, ut Triboniano parceret *Comment.* ad *L.* V. *Juliani ex Minicio* in *h. l.* 30. & ad *L.* XI. *Reſponſ. Papiniani* in *d. l.* 29. *ff. de Except. rei judic.* utrobique cenſet primum, nec abs re, inter veteres Juris Auctores non conveniſſe de eo, qui ex parte ſervus, ex parte liber eſſet. Deinde addit, Sabinianos, ipſum nempe Sabinum, Caſſium, Minicium, & etiam Julianum (qui ſtabat a partibus Sabinianorum) exiſtimaſſe, ſi homo uno judicio liber, altero ſervus judicatus eſſet, victori domino ex aſſe in ſervitutem eſſe addicendum; Proculejanos vero exiſtimaſſe, hominem illum ex altera parte liberum, ex altera ſervum eſſe, quod autem ſequitur in *verſ. Commodius* id jam non Triboniani, ſed Marcelli ad Julianum notam eſſe; cum quod in quæſtione de ſervo communi, ab uno ex duobus manumiſſo, id ipſum Marcellum ad Julianum adnotaſſe palam adfirmet *l.* 1. *pr. C. de Comm. ſerv. manum.* tum quod Marcellus etiam alias pro integra libertate reſponderit, ut docet, quæ Marcelli eſt, *l.* 16. *ff. ad SC. Silan.* & etiam, quamvis Ulpiani ſit, *l.* 18. *pr. ff. de Vulg. & pupill. ſubſtit.* nam verba, QUOD SI NEQUE A PATRE, ad finem *princ.* in *d. l.* 18. ipſe ille Cujacius exiſtimat, eſſe quoque ex nota Marcelli ad Julianum, ibi laudatum, ſed, ut in *h. l.* 30. ſuppreſſo Marcelli nomine; quemadmodum variis locis Marcelli notas tacitas Juliani ſcriptis miſceri idem Cujacius auctor eſt in *Parat.* ad *Tit. C. de Comm. ſerv. manum.*

Quod attinet ad hæc Cujacii, recte ille efficit ex *h. l.* 30. ſententiam Sabini, Caſſii & Minicii (de Juliano adhuc ſubſiſto) de ſervo in ea, quæ ibi tractatur, ſpecie ex aſſe in ſervitutem ducendo, aliis Juris Auctoribus diſplicuiſſe, ſed an Proculejani diſſenſerint, excepto partium ſtudio, nihil eſt, ex quo conjectura capi poſſit. Illi partium ſtudio fere nimium ſolet tribui, cum veriſſimum ſit, quod de diverſæ & ejusdem quoque Scholæ Auctoribus dixit & probavit Mercerius in *Conciliatore p. m.* 125. *& ſeqq. Neque tamen ſemper a ſe invicem diſcreparunt, convenere in pluribus. Contra qui ejusdem Scholæ fuerunt, diſſenſere in nonnullis.* Quod argumentum etiam alii prolixius exſequuti ſunt. Quinimo ſi vel Proculejani in hac ſpecie diſſenſerint a Sabinianis, nihil eſt, unde ſciri poſſit, illos adeo fuiſſe ridiculos, quod tamen Cujacius putabat, ut ſtatum ſervi diviſiſſent in partes ſibi contrarias, atque ita, contra tot alia Juris decreta, quæ ſupra memoravi, hominem pro ſemiſſe pronunciaſſent liberum, pro alio ſemiſſe ſervum, quæ mera eſſet ἀτοπία. Sed quicquid ejus rei ſit, noſtra nihil referret, modo illa finalis ἐπίκρισις in *verſ. Commodius*, ſit Marcelli, non Triboniani ſcholium. Negat vero id recte dici Edmundus Merillius *L.* I. *Variant. ex Cujacio C.* 44. hac una ratione, quod Marcellus notas ſcripſerit ad *Libros Digeſtorum Juliani*, non ad *Libros Juliani ex Minicio*, ex quibus tranſcripta eſt *d. l.* 30. Unde ille proclivior eſt in emblema Triboniani, quam in notam Marcelli. Si hæc ratio non obſtaret, ex variantibus Cujacii ſententiis hæc de nota Marcelli vel ideo non diſpliceret Merillio, quod Marcellus fuerit Proculejanus, atque adeo is facile hanc notam Sabinianorum ſententiæ fuiſſet appoſiturus. Bene, modo aliunde conſtaret, Proculejanos pro integra libertate pronunciaſſe, ſi ſervus partem ſui redemiſſet pretio, quod negat Cujacius, & mihi non liquere profiteor; & bene, modo a ſecta Proculejanorum ſteterit Marcellus, nam Caſſianis eum adnumerat Bertrandus in *Marcello*. Olius ſeu potius Orius *ad Merillium Diſpunct.* 45. in notam Marcelli eſſet pronior, quamvis ratione Merillii non refutata, porro addens, rudi ſatis Themide, nihil intereſſe, utrum clauſulam finalem in *d. l.* 30. dicamus eſſe ex Marcelli nota, an vero ex adjectione Triboniani.

Salva res eſſet, ſi & nobis liceret pro nota Marcelli reſpondere, ſic enim abeſſet Triboniani manus. Intercedit Merillius, quia Marcellus notas ſcripſit *ad Juliani Digeſta*, non ad *Libros ex Minicio*. Sed quis tuto dixerit, Marcellum non etiam notas ſcripſiſſe ad pleraque Juliani opera, cum in eo notando fuerit aſſiduus? utique ſæpe legimus, Julianum a Marcello notatum, omiſſo opere, ex quo nota deſumpta eſt. Scio, ut hoc etiam addam, quamvis a Merillio prætermitum, in *l.* 1. *pr. C. de Commun. ſerv. manum.* memorari notam Marcelli, & nominatim *ad Digeſta Juliani*, ſed ibi, ut ſupra dicebam, non eadem ſpecies tractatur, quæ eſt in *h. l.* 30. Utque ita duplex Marcelli nota eſſe potuerit ad diverſa Juliani Opera, in ſpecie neque eadem, neque prorſus aliena. Neque video, cur hæc non valeant, niſi ſit, qui probet, Julianum *in Digeſtis* duntaxat a Marcello reprehenſum, in aliis Operibus non etiam.

Sed vel ſic nolim reſpondere pro nota Marcelli in *h. l.* 30. Scin, quid me moveat in contrarium? quod nempe illa Marcelli nota κεῖται ἐν ἀποκρύφοις, nam ſcire velim, unde erui poſſit? Obſervat quidem Cujacius, ut ſupra dicebam, Juliani ſcriptis miſceri Marcelli notas, & ſic eſt, ſed utriusque nomine adſcripto. Quod autem addit de occultis Marcelli notis, qualem putat latere in *l.* 18. *pr. ff. de Vulg. & pupill. ſubſt.* de eo mihi nihil quicquam conſtat. Davus ſum, non Oedipus. In *d. l.* 18. *pr.* verba, *quod ſi neque* &c. ad Ulpianum mihi referenda videntur, ejus quippe lex eſt, ut inſcriptio indicat, & proinde ejus quoque, ſi non mentiamur, ſunt omnia, quæ ab ipſo aliis auctoribus nominatim non ſunt adſcripta. Quod ſi placeat defendere, & ſententiam in *verſ. quod ſi neque*, & hic in *verſ. Commodius*, omnino eſſe ex aliquo Juliani Scholiaſte, quamobrem dicemus, hæc potius Marcello deberi, quam Scævolæ, quam Paulo, cum uterque etiam ad Julianum ſcripſerit, ut probat *l.* 10. §. 1. *ff. de Peric. & comm. rei vend.* & inſcriptio *l.* 11. *ff. Quod met. cauſ.* Sin ajas, de Marcelli opinione, Sabinianis contraria, conſtare, id ajes, quod in ſpecie *d. l.* 30. eſt incertiſſimum, & argues ſententiam Marcelli ſingularem, de libertate nempe, quæ ſervitutem ſubegit, cum ea Marcelli ſingularis non fuerit, nam & Ulpianus ea uſus eſt, ſi ejus ſit *d. verſ. Quod ſi neque*, & utique Papinianus in *d. l.* 29. *in fin. princ. ff. de Except. rei judic.*

Habes, cur in Marcelli vel alterius cujusque notam in *d. l.* 30. non ſim credulus. Quid, inquies, tunc ſupereſt, quam ut eam Triboniano adſcribas? ne hoc quidem ſecta noſtra patitur. Quid tandem? Paucis expediam. Eſt hæc *lex* 30. ex *Juliani Libro* V. *ex Minicio*; Julianus in illis Libris, ut par erat, ſæpe retulit verba & ſententias ipſius Minicii, iisque deinde ἐπίκρισιν ſuam addidit, ut eſt in *l.* 61. *ff. de Rei vindicat.*

cat. & in *l.* 1. *ff. de Servit. leg.* Quare mihi omnino ſedet Julianum in *h. l.* 30. recitare verba Minicii usque ad *verſ. Commodius*, ibi autem exordiri ſuam ἐπίκρισιν, qua diverſus abit a ſententia Sabini, Caſſii & Minicii, nam ille EGO, ſi me audias, eſt Minicius, non Julianus. Nec movet, quod ea ratione Julianus abiiſſet a ſententia Sabini, Caſſii & Minicii, quorum alioquin familiæ erat addictus, nam ut ſupra dicebam, plus ſemel ab aliis obſervatum eſt, leve eſſe id argumenti genus. Diſſenſiſſe aliquando Julianum a Sabino & Caſſio, exemplo eſt *l.* 57. *ff. de Manum. teſtam.* & a Minicio *d. l.* 1. *ff. de Servit. leg.* plus ſcilicet veteres Auctores dabant veritati, quam partium ſtudio, & magna in primis cauſa eſt, quæ pro libertate facit.

Sic malo, quam in finalibus *h. l.* 30. vel Marcellum odorari, vel Tribonianum, & ſic etiam malo, quam & præcedentia & ſequentia in *verſ. Commodius*, intelligere tanquam ejusdem Juliani ſimul, præcedentia ſcilicet de rigore juris, ſequentia de æquitate, ut ſunt, qui hæc ita intelligunt, ſed perperam, ni fallor. Fateor equidem in cauſis liberalibus ſexcenta eſſe prodita pro libertate, etiam contra regulas juris, quin hanc ipſam ſententiam, quæ ſemiliberum ex aſſe liberum pronunciat, *favorem libertatis*, & *æquitatis rationem* ſuggeſſiſſe, ut JCti loquuntur, quos ſupra exhibui, ſed non licet hic uti illo Aſellorum ponte, nam quid? Julianus de ſtricto jure diſputans palam diceret ſe illud accipere & probare, & rurſus in continenti, Protei inſtar, ſe illud negligere & improbare. Nemo hæc credet, qui Julianum & ejus animi magnitudinem noverit.

CAPUT XII.

A Compoſitoribus Juris nihil additum videri in L. 27. §. ult. ff. de Minor.

Sub perſona Gaji ſic legitur in *d. l.* 27. §. *ult. Adverſus eos quoque reſtitutio præſtanda eſt, quorum de dolo agere non permittitur, niſi quædam perſonæ ſpeciali lege exceptæ ſint.* Quemadmodum illi, qui emblematibus comportandis operam dant, exceptiones fere, quæ legibus ſubjiciuntur, Compoſitoribus tribuunt, ſic & Cujacius *Comment.* ad *l. non debet* 11. *ff. de Dol. mal.* Gaji eſſe negavit *verſ. niſi*, qui exceptionem continet a præcedenti regula. Exiſtimat ſcilicet ille, olim generaliter obtinuiſſe, ut adverſus eos omnes, quorum de dolo agere non permittebatur, reſtitutio in integrum tamen fuerit præſtita, atque ita etiam adverſus parentes, patronosque, ſed hos excepiſſe Juſtinianum in *l. ult. C. Qui & adverſ. quos in integr. reſt. non poſſ.* eamque exceptionem adleviſſe Tribonianum in *d. l.* 27. §. *ult.* Cujacio, ut ſæpe alias, præluxit Gloſſa, dum notat ad *d. verſ.* intelligi patrem & patronum, porro nos ablegans ad illam Juſtiniani Deciſionem in *d. l. ult.* Hos Magiſtros, tanquam verveces, prolixe ſequuti ſunt ovium greges, quorum nomina recenſerem, ſed gregatim paſcuntur. Video etiam eos, qui alioquin Triboniano ſolent parcere, in hoc ejus ἐπίκλημα conſentire.

Ego vero conſentire non poſſum, quia mihi non conſtat, reſtitutionem in integrum adverſus parentes & patronos jure Pandectarum obtinuiſſe, ut obtinuiſſe rotunde ſcribit Cujacius. Utitur in hanc rem *l.* 3. §. 4. *in fin. ff. de Minor.* ſed nihil ibi eſt, ex quo tale quid exſculpas. Si indicare voluerit *l.* 3. §. 5. *Eod.* ut hanc indicat Merillius ad *L. Deciſ. Juſtiniani* in *d. l. ult.* memento, ibi verſari cauſam dotis, & in ea plus ſemel receſſum eſſe a regulis & decretis juris. Utitur & Cujacius hac ipſa *l.* 27. §. *ult.* cum id, quod dicitur, *adverſus eos quoque reſtitutionem eſſe præſtandam, quorum de dolo agere non permittitur*, ad parentes etiam & patronos transfert. Perperam, ſi quid judico. Agit Gajus de omnibus, quorum de dolo agere non permittitur, ſed exceptis parentibus & patronis. Qui illi alii ſint, explicat Ulpianus in *l.* 11. §. 1. *ff. de Dol. mal. Nec humili*, inquit, *adverſus eum, qui dignitate excellit*, *debet dari* (actio de dolo) *puta plebejo adverſus Conſularem receptæ auctoritatis, vel luxurioſo atque prodigo, ut alias vili adverſus hominem vitæ emendatioris.* De his & aliis prolixius egit Duarenus ad *Tit. de Dol. mal. C.* 2. Atque hos intelligo in regula, quam Gajus proponit in *d. l.* 27. §. *ult.* parentes autem & patronos in exceptione. Si hos etiam in regula intelligas, fatua eſſet exceptio, quia ipſam regulam ſubverteret, nam ſic diceret: etiam adverſus parentes & patronos indulgendam eſſe reſtitutionem in integrum, exceptis tamen parentibus & patronis, quæ mera eſſet balbuties. Sed cave, exiſtimes, Cujacium ita ſapuiſſe, neque enim quisquam, qui homo eſt, ita ſapit. Ille Gajum interpretatur, dempta exceptione, quam Triboniani eſſe fingit, & ſic parentes patronosque ipſa regula complectitur, ego interpretor, addita exceptione, quæ ipſius Gaji eſt, & ſic parentes patronique a regula erunt excluſi.

Quæritur, utra interpretatio præſtet? mea autem præſtabit, ſi nec jure Pandectarum adverſus parentes patronosque reſtitutio in integrum obtinuerit. Id autem adfirmare vel negare non licet ex Gaji loco ſuſpecto, vel ſaltem controverſo, nam fruſtra ſunt, qui ex locis ſuſpectis vel controverſis ſibi victoriam pollicentur. Attamen recte probationes deſideramus ab eo, qui negat Gajum poſſidere, uti nunc, & juſto quidem titulo poſſidet. Ea probatio non eſt in *d. l.* 3. §. 5. *ff. de Minor.* quam, ſepoſito Gaji loco, unicam in partes vocat Cujacius, ob rationem, quam dixi; & minus eſt in *d. l.* 3. §. 6. *Eod.* quam alii quoque advocant, quia ibi minor in ipſa adrogatione fuit circumventus, forte a prædone; & adhuc minus in *l.* 29. *pr. ff. Eod.* quæ & ipſa obtorto collo huc trahitur, quia ibi minor non contra patrem reſtituitur, ſed contra alium, a quo captus eſt patre, eodemque tutore, auctore. At, inquies, ubi eſt illa *ſpecialis lex*, cujus Gajus meminit, & quæ parentes patronosque excepit a regula, quam ante propoſuerat? durus es, ſi exhiberi deſideres legem antiquam, qua id nominatim cautum eſſet, *lex ſpecialis*, ut hic, ſic & in *l.* 24. *ff. de Stat. homin.* nihil eſt niſi jus ſpeciale, quod id, de quo agitur, excipit a definitione generali. Suffecerit igitur, ſi & jure Pandectarum parentes patronique fuerint excepti a regula, quæ definiebat, adverſus eos quoque reſtitutionem eſſe largiendam, quorum de dolo agere non permittitur. Et quidni eos eo jure exceptos dicamus? neque enim duntaxat adverſus eos negatur actio doli *l.* 11. §. 1. *de Dol. mal.* & exceptio doli *l.* 4. §. 16. *ff. de Dol. mal. & met. except* ſed, ut additur in *d.* §. 16. etiam omnis alia exce-

ptio,

ptio, *quæ patroni parentisve opinionem apud bonos mores ſuggillet.* Hinc dicit *l.* 2. *pr. ff. de Obſeq. parent. & patr. præſt.* liberis nempe libertisque etiam ab his cavendum eſſe, *quæ re ipſa & opinione hominum non effugiunt infamiæ notam*, quæve doli vel fraudis habent mentionem, licet famoſa non ſint *l.* 5. §. 1. & *l.* 7. *pr. Eod.* Quemcunque autem colorem inducas reſtitutioni in integrum, non efficies, quominus, ea petita parentum patronorumque fama laboret, apud bonos utique mores, & ea ipſa ratio eſt, quæ Juſtinianum movit, ut omnem omnino reſtitutionem adverſus eos præciderit in *d. l. ult. C. Qui & adverſ. quos in integr. reſt. non poſſ.* Quin ſi actio de circumſcriptione adoleſcentium ex Lege Lætoria olim fuerit *famoſa*, ut ſuſpicatur ipſe Cujacius in *Parat.* ad *d. Tit. C. Qui & adverſ. quos.* ex ea ſane contra parentes agi non potuiſſe res ipſa loquitur.

Sed & cum attentius conſidero Juſtiniani Deciſionem in *d. l. ult.* videor obſervare in *prooemio*, de ea non eſſe dubitatum apud Veteres, quin pro regula ſit habendum, quod hic Gajus proponit per modum exceptionis, nullam eſſe adverſus parentes patronosque reſtitutionem, ſed laboratum unice de exceptionibus, quibus regula illa eſſet circumſcribenda. Alii, inquit, exiſtimabant, nullam eſſe ejusmodi reſtitutionem, *niſi ex magna cauſa, vel adverſus turpem eorum perſonam.* Vides duas exceptiones; has alii rejiciebant, ſubrogata alia, *cum minor ex ſua ſimplicitate ſe deceptum, non ex dolo patris vel patroni circumſcriptum eſſe diceret.* Quid ad hæc Juſtinianus? omnes has exceptiones ceſſare jubens, ſancivit, NULLO MODO *neque adverſus parentes utriusque ſexus, neque adverſus patronum vel patronam dari reſtitutionem.* Regulam igitur juris antiqui, Gajo memoratam in *verſ. niſi*, in tantum probavit, ut ſimul improbaret omnes exceptiones, de quibus ſolis inter veteres JCtos non conveniebat.

Sic adſertus eſt Gajo *verſ. niſi* in *d. l.* 27. §. *ult. ff. de Minor.* nec animadverto, an qua alia ratione adſeri poſſit. Si dicas, inter Veteres fuiſſe diſputatum, an reſtitutio obtinere poſſit adverſus eos, quorum ſemper honeſta & ſancta perſona videri debet; fuiſſe ajentes, fuiſſe negantes, & inter negantes Gajum in *d. l.* 27. §. *ult. verſ. niſi*, id dices, quod variis emblematibus refutandis ſufficit, ſed quod huic loco non convenit. Diſſenſerunt Sabiniani & Proculejani, diſſenſerunt, extra partium ſtudia, & alii JCti. Ne ea res litigantibus fraudi eſſet vel damno, ſæpe acceſſit Imperatorum auctoritas, qua, ex variantibus ſententiis una electa, jus incertum reddiderunt certum. Exemplo ſunt tot numero Juſtiniani Conſtitutiones & Deciſiones, quibus id præcipue actum eſt. Omnino igitur fruſtra ſunt, qui ubicunque in Pandectis reperiunt eam ipſam ſententiam, quam poſterior Conſtitutio vel Deciſio probavit, hanc continuo Triboniano imputant, cum imputanda ſit JCto, qui, in re controverſa, ita ſapiebat. Atque ita perperam Triboniani prurientes manus accuſant in *l.* 1. *ff. Pro ſoc. l.* 25. *ff. Locat. conduct.* & præter has aliis. Sed nolim id argumentum latius exſequi, cum prævenerit induſtria Wybonis noſtri in *Triboniano, ab emblematibus liberato, variis locis.* Noli tamen ad hunc locum hæc transferre, cum non ſit, unde conſtet, inter Veteres controverſum fuiſſe, utrum ſcilicet reſtitutio adverſus parentes vel patronos dari, an vero negari oporteret, nec video, quemadmodum de eo controverti potuiſſet, cum ab his, adverſus quos præſtatur reſtitutio, Gajus ajat, *ſpeciali lege quasdam perſonas eſſe exceptas.* Ubi igitur *lex ſpecialis*, ibi jus certum eſt, ut Gajus ſua ætate fuiſſe ait, ſi eum non interpolatum dicamus. Quapropter, ad amoliendum emblema, hic fingere non licet, de reſtitutione adverſus parentes & patronos diſſenſiſſe veteres Auctores. Niſi Juſtiniano fidem abrogemus, pro regula, ut dixi, illi habuerunt, quod hic Gajus, per modum exceptionis, proponit. Unice inter Veteres diſputatum eſt, ecquæ exceptiones contra regulam eſſent admittendæ, donec Juſtinianus, nullas eſſe admittendas, Deciſione ſua complexus eſt.

CAPUT XIII.

Tribonianiſmi ſuſpectas non videri L. 3. §. 2. 3. & 4. L. 4. pr. & §. 1. L. 5. pr. & §. 1. ff. de Tutel. L. 24. ff. de Teſtam. tutel. L. 9. §. 4. ff. de Tutel. & ration. diſtrah. L. 1. L. 2. L. 3. & L. ult. C. de in lit. dand. tut. vel curat.

In omnibus, quas præſcripſi, legibus una ratio eſt accuſandi Triboniani, una defendendi. In crimen ſubſcripſit Giphanius ad §. *ult. Inſt. de Auctoritat. tutor.* ad *l.* 4. *C. In quib. caſ. tut. vel curat. hab. tut. vel curat. dar. pot.* & præcipue ad *l.* 2. *C. de Adminiſtr. tutor.* Hunc Ducem ſequuntur, etiam qui milites gregarii non ſunt. Quin & ex ſuo, ut videri vult, penu ita ſapit Vinnius ad *d.* §. *ult. Inſt.* Conſtat, regulam juris antiqui fuiſſe, *tutorem habenti tutorem non dari*, conſtat, inter alias exceptiones, quibus illa circumſcribebatur, & hanc fuiſſe, ſi pupillus cum tutore ſuo *lege aut legitimo judicio* agere vellet, tunc enim ei, quamvis tutorem habenti, tutorem fuiſſe datum, qui *Prætorianus* appellabatur, totidem verbis eſt apud Ulpianum *Fragm. Tit.* XI. §. 24. Liquida eſt exceptio, & liquida ejus ratio ex Paulo in *l.* 19. *ff. de Auctor. & conſenſ. tutor.* cum ait, *ad explicanda ea, quæ ſolemnitatem juris deſiderant, tutore auctore opus eſſe*; veluti ad adeundam hereditatem, quoniam curatoris auctoritas in hanc rem non ſufficit *l.* 17. §. 1. *ff. de Appellat.* Sic erat jure vetuſto, cum legis actiones & judiciorum ſolemnia vigerent. His autem abolitis evenit (loquor ex Giphanii ſententia) ut etiam tutor ille Prætorianus aboleretur, & ad expediendam pupilli cum tutore litem ſufficeret curator. Ita ſane ex uſu ſui temporis narrat Juſtinianus in §. *ult. Inſt. de Auctor. tut.* ſi nempe inter tutorem pupillumque litigandum ſit, *non Prætorium tutorem, ut olim, conſtitui, ſed curatorem in locum ejus dari.* Quo factum putat Giphanius, ut Tribonianus iis, quos indicavi, locis deleto *tutoris* vocabulo, *curatoris* ſubſtituerit, & in *Titulo Codicis, de in litem dando tutore vel curatore, & legibus*, ei ſubjectis, promiſcue utrumque vocabulum uſurpaverit, atque ſi inter utrumque nihil quicquam intereſſet. Addit Giphanius ad *d. l.* 2. *C. de Adminiſtr. tut.* τὸ *litem agere*, quod eſt in *d. l.* 3. §. 2. *ff. de Tutel.* eſſe quoque Triboniani *phraſin inauditam*, ſcripſiſſe Ulpianum LEGE AGERE,

GERE, *phraſi elegante & uſitata.* Hanc autem mutationem rerum & vocabulorum penitere putat ex abrogatis formulis, ſublatisque actionum impetrationibus, de quibus eſt *l.* 1. & *l.* 2. *C. de Form. & impetr. act. ſubl.*

Non dicam, quamvis poſſem, pro cauſa Triboniani, *tutoris* & *curatoris* vocabula ſæpe commutari, quod ipſum & Giphanius agnoſcit ad *l.* 4. *C. In quib. caſ. tut. vel curat.* &c. neque tantum apud cæteros Scriptores, ſed & apud ipſos JCtos in Libris Pandectarum, & inde forte eſſe, quod Ulpianus, quod alii *curatoris* verbum adhibuerint pro *tutoris*, non ita, inquam, dicam, ſed potius, mihi ita ſedere, in ſolis legis actionibus actibusve legitimis, ubi pupillo cum tutore res erat, opus fuiſſe tutore ad experiundum litem, in reliquis omnibus curatorem ſufficere. Hoc ut credam, me movet, quod Paulus in *l.* 18. *ff. de Auctor. & conſ. tut.* recenſens nonnullas ſpecies, quæ tutorem inter & pupillum poſſint incidere, quæque abſque ulla ſolemnitate juris explicantur, mox addat in *l.* 19. *eod.* curatorem tunc impuberi dari poſſe; hoc, ut ſupra monebam, ſuperveniente, *ſed ad ea, quæ ſolemnitatem juris deſiderant, explicanda, tutore auctore opus eſſe.* Movet etiam, quod in *d. l.* 17. §. 1. *ff. de Appellat.* remoto curatore, tutoris auctoritas deſideretur ad aditionem hereditatis, quam in cenſu actuum legitimorum fuiſſe conſtat ex *l.* 77. *ff. de R. J.* Quid dicemus? Tribonianum adeo fuiſſe fungum & ſtipitem, ut in Pandectis reliquerit tutoris & curatoris differentiam pro variis actibus, qui explicandi erant, & tamen aliis locis expunxerit *tutoris* nomen, quaſi nunc inane propter ſublatas formulas? vix id mihi perſuaderi patiar. Et quamvis de actionibus legis actibusve legitimis plura dicantur, quam ſciantur, hoc tamen conſtat, nec curatores, nec procuratores in iis fuiſſe admiſſos, ut inter alia plura de hoc argumento ſcripſit Petrus Faber *L.* II. *Semeſtr. C.* 22. 23. & 24. Tutoris nomen eſt nomen Juris Civilis, quare hunc adhibebimus, curatorem, æque ac procuratorem arcebimus, quando lege agendum, aut alias actus legitimus exſequendus eſt.

Neque etiam puto aliam fuiſſe mentem Ulpiani, cum ait *Fragm. d. Tit.* XI. §. 24. *moribus dari tutorem pupillo, qui cum tutore ſuo* LEGE AUT LEGITIMO JUDICIO *agere vult.* Ait, *moribus*, quia poſt latas XII. Tabulas ex diſputatione Prudentum natum eſt Jus Civile, natæ legis actiones, quas certas ſolemnesque eſſe voluerunt *l.* 2. §. 6. *ff. de O. J.* unde *lege agere* nihil aliud eſt, quam experiri legis actione certa ſolemnique: nemo hanc locutionem accepit aliter, nam ex legibus compoſitæ ſunt *legis actiones, id eſt, legitimæ actiones*, ut eſt in *d.* §. 6. Quod ſequitur apud Ulpianum, *aut legitimo judicio* eſt ἐξηγητικῶς τῷ *lege agere*, *vel* pro *id eſt*, interpretationis loco, ut ſæpe alias. Non ait ſimpliciter *judicio*, ſed *legitimo judicio.* Judicium legitimum perinde eſt, atque *actio legitima*, quam vocat Pomponius in *d.* §. 6. Si malis *lege agere* latius patere, & interpretari etiam de actibus voluntariæ jurisdictionis, ut interpretantur Cujacius & Schultingius ad *d.* §. 6. non intercedo, modo *actus* intelligas *legitimos.* Fac, ex teſtamento pupillo hereditatem obveniſſe, tutorem vero, qui alioquin ab inteſtato eſſet ſucceſſurus, ad eam adeundam pupillo auctorem fieri nolle, quaſi vero ei non expediret. Si quæratur de auctoritate præſtanda in actu legitimo, hic tutor ille Prætorius, non curator pupilli partes tuebitur. Intelligo igitur Ulpianum de actu ſive actione, qui quæve proprie *legitimus* vel *legitima* dicitur, ſive ille actus illave actio ſit voluntariæ ſive contentioſæ jurisdictionis, ſed non intelligo de quibuscunque actibus vel actionibus, qui quæve quæcunque de re inter tutorem & pupillum exercentur. Quare a definitione Ulpiani excludo omnes actiones Prætorias, quæ tantum in jure numerum implent, excludo & actiones civiles, quæ in factum & præſcriptis verbis concipiuntur, & ex variis cauſarum figuris oriri ſolent. Sic in actione negotiorum geſtorum, quæ Prætoria eſt, *conceptio formularum non obſervatur*, ut veriſſime dixit Paulus in *l.* 47. §. 1. *ff. de Negot. geſt.* Unde ſi tutori cum pupillo lis ſit de negotiis ante tutelam geſtis, curator ſufficiet, ut & in reliquis omnibus actionibus, quæ ex Edicto Prætoris deſcendunt. Scio & *d. l.* 47. §. 1. quod dicat, formulas in actione negotiorum geſtorum ceſſare, etiam a quibusdam emblematis accuſari, ſed eorum impetum ſatis retudit Ulricus Huber *Eunom. Rom.* ad *d. l.* Tutor igitur duntaxat erit neceſſarius, ubi agitur *lege vel legitimo judicio*, in reliquis omnibus valebit regula, tutorem habenti tutorem non dari, ſed curatorem, & inde crebra *curatoris* mentio in his Pandectarum capitibus, quæ præſcripſi, & fruſtra emblematis arguuntur.

Ex his etiam apparet, Tribonianum recte concepiſſe *Titulum Codicis, de in litem dando* TUTORE VEL CURATORE, & recte Imperatores in *Legibus*, ei Titulo ſubjectis, & *tutoris* & *curatoris* meminiſſe, illius quidem, ſi *lege*, id eſt *actione legitima* eſſet experiundum, hujus vero, ſi alia quæcunque actio eſſet exercenda. Adhuc dubitas? audi, quid Diocletianus & Maximianus Tigrani reſcribant in *l. ult. d. Tit.* eum nempe, ſi cum pupillis ſuis litigandum eſſet, de jure ſuo non oportere eſſe ſollicitum, *cum, ſi qua emerſerit lis, procuratore dato, & illis* (pupillis nempe) *curatore ad litem conſtituto, & ſolemnitati juris* (*ubi tutor exigitur*) *& indemnitati utriusque proſpici poſſit.* Curatorem largiuntur, ſed & tutorem, ſi hoc exigat ſolemnitas juris. Atque ita & reliqui Imperatores ſub *eo Tit.* ex uſu ſuorum temporum, modo *curatoris*, modo *tutoris* meminerunt; quod perperam quoque imputatum Triboniano. *Ex uſu*, inquam, *ſuorum temporum*, nam omnes Imperatores, quorum reſcripta exſtant ſub *eo Tit.* rei Romanæ præfuerunt ante Conſtantium, Theodoſium & Valentinianum, qui in *d. l.* 1. & 2. *C. de Formul. & impet. act. ſubl.* ſuſtulerunt Juris formulas, *aucupatione ſyllabarum inſidiantes*, & actionis non impetratæ exceptiones. Ex eo igitur tempore JCti non amplius audiebant, ut antea; *formularii, leguleii, præcones actionum, cautores*, ſive potius *cantores formularum, aucupes ſyllabarum*, quibus elogiis eos paſſim ornavit Antiquitas, ſed, ut quæque res erat, verba concipiebant. Exoletis formulis, exoleſcere quoque legis actiones, & quæcunque in his ſolemnia deſiderabantur. Quam ob rem factum putem, ut in poſterum pupillo in lite adverſus tutorem ſemper ſuffecerit curator, etiam ubi Veteres, ſolemnitatis ergo, tutorem deſiderabant. Quod, nec aliud, dixit, certe intellexit Tribonianus in *d.* §. *ult. Inſt. de Auctor. tut.* Sin autem, in deſcriptione Juris vetuſti minus feliciter mihi videtur verſatus, ut & alias minus feliciter verſatum oſtendi Opuſculo *de legatis pœnæ nomine C.* IV. & VI.

Ceterum, ut ſupra dicebam, Giphanium quoque offendit locutio, *litem agere*, quæ eſt in *d. l.* 3. *ff.* 2. *ff. de Tutel.* putat ille, Ulpianum ſcripſiſſe *lege agere*, quod & Hotomano per-

 ſua-

ſuaſum eſt *L. V. Obſerv. C.* 30. ex quo, non laudato, quædam ad verbum tranſcripſit Wiſſenbachius in Catalogo *Emblematum.* Ait denique & Jacobus Curtius *L.* II. Εἰκασ. *C.* 17. ſibi non conſtare, an quis dixerit, *litem agere.* Analogia tamen ipſa eam locutionem defendit, ut dicimus *cauſam agere.* Et ſane id ſufficeret, ſed *litem peragere* ipſe ille Ulpianus dixit in *l.* 57. §. 1. *ff. de Procurat.* & idem, quod durius, *actionem agere* in *l.* 5. §. 1. *ff. de Rei vind.* & *l.* 5. §. 3. *ff. Si Uſusfr. petat.* & *pigneratitiam agere* in *l.* 7. §. 12. *ff. Comm. divid.* quod Charondas perperam mutat in *pigneratitia.* Sed & *litem agere* dixit Tertullianus *de Spectaculis C.* 21. *Qui in plateis litem manu agentem aut compeſcit, aut deteſtatur, idem in ſtadio gravioribus pugnis ſuffragium fert.* Et hoc Catone ſimus contenti.

CAPUT XIV.

Nihil mutaſſe Tribonianum in L. 9. ff. de Curat. furioſo & al. extra minor. dand. *neq in* L. ult. ff. de Curat. bon. dand. *nec in* L. 9. ff. Rat. rem hab. *nec in quibusdam aliis.*

Etiam alibi, ſed alia ratione, *curatores* quærunt, a Triboniano ſubſtitutos, & ſibi reperiſſe viſi ſunt in duabus prioribus, quas indicavi, legibus. Debitorum, qui foro ceſſerant, bona *magiſtri* olim diſtrahebant, poſtea *curatores.* Unde illis a Triboniano remotis, nunc putant *curatores* apparere in utraque lege. Sed & aliud auſus eſt Tribonianus in *d. l.* 9. *ff. Rat. rem hab.* ſi credas Cujacio *Parat.* ad *Tit. ff. de Admin. rer. ad Civit. pertin.* Sic nunc Ulpianus in *d. l.* 9. *Actor a tutore datus omnimodo cavet: Actor Civitatis nec ipſe cavet, nec magiſter univerſitatis, nec curator bonis conſenſu creditorum datus.* Quod ait, *magiſter univerſitatis*, id, inquit Cujacius *d. loc. Triboniani eſt, nam Ulpianus ſcripſerat*, NEC MAGISTER, NEC CURATOR BONIS CONSENSU CREDITORUM DATUS. *Idem aliis etiam locis* MAGISTRI *nomen mutavit in* CURATORIS, *quod extraordinario jure, honeſtioreque nomine jam amplius non conſtituerentur magiſtri bonis vendundis, ſed curatores.* Quod Cujacius generaliter dixit, locis non indicatis, Wiſſenbachius, qui ex eo aliisque opus emblematum extruxit, tranſtulit ad *d. l.* 9. *ff. de Curat. furioſ.* & ad *d. l. ult. ff. de Curat. bon. dand.* cum nempe in utraque lege *curatores* bonis vendendis occupatos cerneret.

Nolim hic ex veteri memoria repetere, quæ de *magiſtris* in eam, quam dixi, ſententiam dicta & ſcripta ſunt, nolim inquirere, inter magiſtrum & curatorem quid interfuerit, & quam varias differentias inter utrumque finxerit Merillius *L.* V. *Obſerv. C.* 37. quæ revera non interceſſerunt, dicam potius, mihi non conſtare, temporibus Neratii & Ulpiani, quorum eſt utraque lex, uſu frequentatos fuiſſe *magiſtros*, ea ſcilicet appellatione, qua aliquotiens occurrunt apud Ciceronem iis locis, quos Hotomanus dixit *Comment. verb. jur.* Voce *magiſter.* Eorum quidem meminit Quintilianus *L.* VI. *Inſt. Orat. C.* 4. ſed ad tempora Ciceronis refert; meminit & Theophilus ad *pr. Tit. Inſt. de Succeſſion. ſubl.* ſed palam loquitur de eo, quod olim obtinebat. Prudentius igitur conſuluit Hotomanus *d. loc.* & ad *d. pr. Inſt. de Succeſſ. ſubl.* cum ait, hos, quos deſcripſit, magiſtros, in Pandectis appellari *bonorum curatores*, non injecta mentione emblematis; & qui injici poſſet, ſi nulla, nedum idonea auctoritate probetur, JCtorum ætate adhuc *magiſtros* audiiſſe, qui bonis debitorum vendendis præerant? Quin ſi ſuperfuiſſent eo ipſo nomine, quidni & recte dicti fuiſſent *curatores*, ut revera erant? Cui præcipua cura rerum incumbit, *magiſter* appellatur *l.* 57. *ff. de V. S.* recte, ſed non minus recte appellatur *curator*, cui alicujus rei gerendæ cura commiſſa eſt. Sic *curator reſtituendi Capitolii* apud Gellium *L.* II. *C.* 10. ex Varrone *Fragm. p. m.* 16. Sic *curatores, qui rei frumentariæ agriſve dividundis præpoſiti erant*, Feſtus in *Curatores.* Sic curatores viarum, aquarum, venationum, & quæ ſunt id genus alia. Neque adeo dubitandum eſt, quin recte *curator* appelletur, qui bonorum diſtrahendorum ergo a ceteris creditoribus præpoſitus eſt, ſic ſane appellat Neratius in *d. l.* 9. & Ulpianus in *d. l. ult.* neque quicquam cauſæ, cur dicamus, remoto *magiſtro*, ejus locum occupaſſe *curatorem*; eoque minus, quod & alias ea vocabula commutentur, tanquam ejusdem ſignificationis. Atque ita Potiphar, quem D. Hieronymus *magiſtrum* dixit *Geneſ. C.* XXXIX. §. 1. & LXX. ἀρχιμάγειρον, *curatorem* appellat Sulpicius Severus *L.* I. *Hiſt. Eccleſ. C.* 19. At vero ſi tantum placeant magiſtri, diſpliceant curatores, neſcio, cur non addant, etiam illos Tribonianum removiſſe, his ſubrogatis, in *l.* 22. *ff. de Minor. l.* 46. §. 1. *ff. de Admin. & peric. tut. l.* 5. *ff. de Curat. furioſ. l.* 9. §. 3. *ff. de Reb. auct. jud. poſſid.* & *l.* 4. *ff. de Curat.* Sed de his omnibus tantundem dicimus, quod de aliis diximus.

Tranſeo ad *l.* 9. *ff. Rat. rem hab.* cui, ſi audias Cujacium, Tribonianus intruſit verbum *univerſitatis*, cum Ulpianus ſimpliciter ſcripſiſſet, *nec magiſter, nec curator* &c. Sed ſi expungas τὸ *univerſitatis*, ſupererit *magiſter*, ea, ut putat, ſignificatione, qua apud Veteres adhibebatur. Perperam, ſi quid judico, nam ſic habebis duo ejusdem ſignificationis vocabula, *magiſter* & *curator*, cum tamen interpoſitum *nec* ſatis oſtendat, de duobus ſeparatis agi. Quin ſi expungas τὸ *univerſitatis*, jam eo ſenſu in Pandectis ſupererit *magiſtri* nomen, quo olim frequentatum fuit, & tamen alias leges Tribonianus interpolaſſe vult Cujacius, ne in his amplius apparerent *magiſtri*, ejus tempore jam obſoleti. Hic igitur oblitus eſt officii, quo alias functus eſt? hic non delevit, alias delevit? ne ita exiſtimemus, ſed potius, *magiſtrum univerſitatis* in *d. l.* 9. eſſe actorem ſive ſyndicum, per quem, quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat *l.* 1. §. 1. *ff. Quod cujuſc. univerſ. nom.* Προεστὼς τῆς ὁμάδος recte vertunt Baſilici in *d. l.* 9. & recte Accurſius huc advocat eundem Ulpianum in *l.* 14. *ff. de Pact.* ubi *magiſtros ſocietatum* appellat, nam ſive *ſocietatem*, ſive *univerſitatem*, ſive *collegium* dicas, rem eandem dicis *d. l.* 1. *pr.* & §. 1. *ff. Quod cujusc. univerſ. nom.* Ad exemplum Reipublicæ illi actores conſtituuntur *d.* §. 1. unde in *h. l.* 9. præcedit *actor civitatis*, ſequitur *magiſter univerſitatis*, & hunc excipit *curator bonis datus.* Apud Ciceronem aliquotiens *magiſtri ſocietatum* occurrunt, & qui *pro magiſtris* fungebantur, tanquam eorum vicarii. Sed quia video alios ea loca indicaſſe, hac opera ipſe ſuperſe-

ſedeo. Bene igitur ſe habet Ulpianus, non interpolatus.

De curatoribus alia quoque bella movet Rævardus *L.* II. *Varior.* C. 10. exiſtimat ſcilicet ille, ubicunque in Pandectis *curatores* tribuuntur mulieribus adultis, eos eſſe a Triboniani manu, cum feminæ olim fuerint in perpetua tutela, atque adeo tutelam ætatis excepiſſe tutelam ſexus. Loca ipſa, ſi commodum eſt, apud Ræyardum leges. Quin & Cujacius perpetuæ illius tutelæ veſtigia plus ſemel in Pandectis ſibi deprehendisſe viſus eſt. Dubito ani vere, dubito etiam, an non ætate JCtorum, ex quibus Pandectæ conſtant, tutela muliebris, quam *ſexus* vocant, plane ceſſaverit, utique *perpetuam* illam, quæ olim obtinebat, ceſſaſſe habeo perſuaſiſſimum. Sed vel ea ſalva, ſalvi nihilominus ſunt curatores mulierum, ut Cl. Schultingius jam animadvertit ad *Paulum L.* II. *Sent. T.* 19. *in fin.* & ad *Ulpianum Tit.* XI. §. 1. Quæ ipſe dixit, non repetam; addam potius; etiam curatori locum eſſe, ſi vel tutor ſexus Reipublicæ cauſa abfuerit, vel ad tempus excuſetur, nam ſic in omni tutore definit Paulus in *l.* 14. & *l.* 15. *ff. de Tutor. & curat. dat.* Et ſi mulieri adultæ inutilis curator, cur bis ejus meminit Paulus *d. L.* II. *Sent. T.* 19. *in fin.*? & ſemel quidem in ea ipſa ſpecie, de qua egit idem Paulus in *l.* 36. *ff. de R. N.* quam Ræyardus quoque interpolatam fingit? An igitur Paulum in *Sententiis* non minus interpolatum dicemus? nolim etiam, ubi in Pandectis curatores mulieribus tribuuntur in cauſa dotis, nolim, inquam, etiam hos curatores Triboniano adſcribere. Si in cauſa dotis tutorem deſideret Ulpianus *Fragm. Tit.* XI. §. 20. memento, eum deſiderare ex Lege Julia de maritandis ordinibus, & in ea ſpecie, quam ibi tractat. Sed de tutela & cura feminarum prolixius eſt argumentum, quam ut paucis abſolvi poſſit, & jam curatorum ſatietas me dudum cepit.

CAPUT XV.

Tribonianum non latere in L. 38. pr. ff. de Ritu nupt.

Triboniano hic litem movet Hotomanus *Reſp. ii. Amicab. L.* II. *C.* 11. & ex eo Wiſſenbachius in *Emblem.* & Cl. Schultingius ad *Pauli Sentent. L.* II. *Tit.* 19. poſt §. 9. Ecce verba Pauli in *d. l.* 38. *pr.* *Si quis officium in aliqua Provincia adminiſtrat, inde oriundam, vel ibi domicilium habentem uxorem ducere non poteſt, quamvis ſponſare non probibeatur: ita ſcilicet, ut ſi poſt officium depoſitum mulier noluerit nuptias contrahere, liceat ei hoc facere, arrhis tantummodo redditis, quas acceperat.* Et Principis Romani, & ipſorum Provincialium intererat, ne Præſes, aliusve, qui in Provincia officio fungitur, provincialem duceret uxorem. Potens adfinitas Principi, auctoritas & poteſtas Provincialibus poterat eſſe gravis. Hinc ratio, quæ has nuptias prohibet, Papiniano dicitur *ratio potentatus* in *l.* 63. *ff. de Ritu nupt.* eaque ratio in tantum valebat, ut qui in Provincia officium aliquod gerebat, prohiberetur etiam conſentire filio, uxorem ducenti *l.* 57. *pr. ff. Eod.* Sed quæſtionis eſt, an prohibeatur quoque ſponſare provincialem? Diceres prohiberi, αἱ γὰρ ὁμολογίαι γάμοις ἰσοδυναμοῦσιν, inquit Philo Judæus *de LL. Special. p. m.* 788. ex qua ἰσοδυναμίᾳ eſt, quod Servius dicebat apud Pomponium in *l.* 8. *ff. de Grad. & adfin.* ſoceri nimirum, & ſocrus, & generi, & nurus appellationem etiam ex ſponſalibus acquiri; & quod alibi in prohibitis Jure Civili, ſponſalia nuptiis comparentur *l.* 1. in *fin. ff. de His qui not. infam. l.* 44. *pr. ff. de R. N. l.* 15. *& l.* 16. *ff. de Sponſal.* & generaliter Paulus definit in *l.* 60. §. 5. *ff. de R. N.* *cum qua nuptiæ contrahi non poſſunt, hæc plerumque ne quidem deſponderi poteſt, nam quæ duci poteſt, jure deſpondetur.* Cur addat *plerumque*, mox audies.

Valebitne igitur ea regula & in ſponſa provinciali? diceres valere, quia ſponſalibus æque ac nuptiis impedimento eſſe videbatur eadem concuſſionis ſive *potentatus* ratio. Imo non valet, quia nihil hic eſt, quod metuatur. Ubicunque ceſſat ratio *poteſtatis*, ut molliori verbo utar, ceſſat quoque prohibitio, adeoque matrimonio contra mandata contracto in Provincia, tamen poſt depoſitum officium, *ſi in eadem voluntate perſeverat* mulier, juſtæ nuptiæ, & liberi poſtea nati legitimi efficiuntur *l.* 65. §. 1. *ff. de R. N.* Si, inquit, *in eadem voluntate perſeverat*, alioquin nec vir, nec uxor, nec alia, ex quibus nuptiæ conſtare ſolent, intelliguntur. Pendet igitur a voluntate ejus feminæ, quæ contra mandata nupſit, an nuptiis inhærere, an iis renunciare velit; plane ut in ſponſalibus a ſola voluntate ſponſæ pendet, an poſt depoſitum ſponſi officium, iis ſtare velit, nec ne, *arrhis*, inquit Paulus, *tantummodo redditis, quas acceperat.*

Accuſatio emblematis cum in verbis eſt, tum in re ipſa. In verbis, quod vocabulum *ſponſare*, non conveniat Paulo, ſed Scriptori ſequioris ævi, & quod vocabulum *arrhæ* apud antiquos etiam minus fuerit frequentatum. In re ipſa, quod jure veteri, recuſante nuptias ſponſa, arrharum quadruplum fuerit reſtituendum, ut diſcimus ex *l.* 5. *C. de Sponſal.* & ex tribus Codicis Theodoſiani locis, quos indicavit Cujacius *L.* IV. *Obſerv. C.* 22. Quo tempore, quave lege hæc pœna quadrupli fuerit introducta, me latet, ſed generaliter obtinuiſſe in omne genus ſponſis, quæ licitas nuptias detrectabant, dubitare non ſinunt Conſtitutiones, quæ quadrupli pœnam abrogant vel mutant. Sic ut neſciam, qua auctoritate innuat Cujacius *d. L.* IV. *Obſerv. C.* 22. *princ.* id quadruplum ad ſponſam Provincialem pertinere, de emblemate interea ſecurus. Illam autem generalem quadrupli pœnam in duplum mutarunt Imperatores Leo & Anthemius in *d. l.* 5. *C. de Sponſal.* addita hac exceptione, *ſi non propter perſonam, vel conditionem, vel aliam cauſam, legibus vel generalibus Conſtitutionibus interdictam, futurum matrimonium conſtare prohibetur, tunc enim quaſi nullo facto, utpote ſine cauſa, eaſdem arrhas præſtitas tantummodo reddi conſequens eſſe præcipimus.* Cum vero conſtare prohibeantur nuptiæ inter feminam Provincialem, eumque, qui in ea Provincia meret, urget Hotomannus, urgent alii, noſtram *l.* 38. *pr.* eſſe inflexam ad jus novum *d. l.* 5. & inde Tribonianum *ſimplicium arrharum* meminiſſe, quum de *quadruplicatis*, ex Jurisprudentia ſui temporis, ſcripſerit Paulus.

Sed ego ea ſententia non utor. Quid enim? quadrupli pœna erat jure antiquo, ſed erat, ubi interceſſerant ſponſalia, ex quibus nata erat obligatio, & ex quibus juſtæ exſpectabantur nuptiæ. Secus ſe res habebat in ſponſa Provinciali,

li ; ibi mulier in nulla culpa , verum Præſes aliusve Officialis, qui eam deſponſavit, quam ducere non poterat , utique non poterat , niſi volente muliere poſt depoſitam adminiſtrationem. Si ergo noluerit , ut poterat nolle , an inde lucrum quæret Magiſtratus Provincialis , qui auctoritate ſua mulierem in ſponſalia traxit? qui nuptias ambivit, per legem improbatas? nulla ne igitur , Pandectarum jure , fuerit differentia inter pœnam ſponſæ, quæ licitas , & quæ illicitas detrectabat nuptias ? ſi fuerit , ut omnis ratio juris ſuadet, probari mihi velim, in ſpecie noſtræ *l.* 38. *pr.* pœnam ſimplo majorem fuiſſe. Quin nec pro jure novo nobis obtrudunt Leo & Anthemius , quæ de ſimplo arrharum duntaxat reſtituendo ſcribunt in *d. l.* 5. *verſic. Quæ ita.* quamquam neque ea omnia ad Præſidem aliumve magiſtratum Provincialem pertinere ſic ſic oſtendam.

Nolo autem hæc, quæ dixi, ſola ſufficere ad refutandum emblema, alia etiam ſuccurrunt. Ecquis enim credat , Tribonianum adeo fuiſſe ineptum, ut, ſi interpolare conſtituiſſet noſtram *l.* 38. *pr.* eam non interpolaſſet ex jure novo, quod, diverſum a Jure Pandectarum, obtinet in ſponſa Provinciali ex Conſtitutione Gratiani, Valentiniani & Theodoſii, quam ipſe Tribonianus, proxime poſt *Titulum de Sponſalibus* , nobis repræſentat in *l. un. C. Si Rector Provinciæ , vel ad eum pertinentes ſponſalitia dederint.* Conſtituunt ibi Imperatores , ſi ſponſæ Provinciales arrhas acceperint , & pœnituerint , ut *non modo juris laqueis liberentur , pœnæque ſtatutæ expertes ſint , ſed extrinſecus data pignora lucrativa habeant , ſi ea non putent eſſe reddenda.* Lucrantur ibi ſponſæ Provinciales arrhas, ſi eas retinere, quam reddere malint, abrogato ſic jure antiquo, quod eſt in *d. l.* 38. *pr.* nam omnino fruſtra ſunt, qui utramque juriſprudentiam ſtudent componere, ut Cujacius & Hotomanus *dictis locis* , & ut alii, quibus recte obviam ivit Jacobus Gothofredus *Comment.* ad *l. un. C. Theodoſ. Si Provinciæ Rector &c.* Scire igitur velim , cur Tribonianus, ſi quid novi operis moliri voluiſſet, *d. l.* 38. *pr.* non adtemperaſſet *d. l. unicæ* ? At audio , adtemperavit *legi* 5. *C. de Sponſal.* quia jus noviſſimum continet , poſteriorem ſcilicet Leonis & Anthemii Conſtitutionem, quæ abrogavit Theodoſii *d. l. unicam.* Sed noli credere , *l. unica* eſt de ea ſpecie, qua *Rector Provinciæ , vel ad eum pertinentes ſponſalitia dederint* , & in ea ſpecie, ubi poteſtas, ut ait Theodoſius , *poteſt eſſe terribilis* , vel *minax fervor* , ut id extulit ipſe ille Theodoſius in *l. un. C. Si quacunq. prædit. poteſtat.* &c. in ea, inquam, ſpecie, ſponſa Provincialis , ſi velit , lucratur arrhas, & ea ſpecies eſt κατά τι ſed vero *l.* 5. *verſ. quæ ita C. de ſponſal.* loquitur καθόλου, & arrhas reddi jubet, & ſolummodo reddi , *ſi legibus vel Conſtitutionibus futurum matrimonium conſtare prohibeatur.* Hæc definitio generalis eſt, & pertinet ad omnes nuptias , Legibus vel Conſtitutionibus interdictas, quarum variæ & innumeræ ſunt ſpecies , ut tutoris vel curatoris cum quondam pupilla vel adulta, raptoris cum rapta , & quæ plures ſunt ejusmodi, excepta, ni fallor, ea ſpecie , de qua lex nominatim jam caverat , &, ob prægnantes rationes, ſpeciale quid ſtatuerat. Atque ita valebit *d. l. un. Si Rector Provinciæ &c.* etiam poſt *d. l.* 5. *C. de Sponſal.* id eſt , in omne genus nuptiis prohibitis , ſi ſponſa pœniteat , arrhas, quas accepit, reddet ſimpliciter, at ſponſa Provincialis , ſi ita videatur , etiam lucrabitur arrhas, quæ exceptio eſt a vulgari regula. Quinimo ſi abrogata eſſet *d. l. un.* per *d. l.* 5. cur Tribonianus eam locaſſet non dico in *Codice* , ſed ſtatim poſt legem abrogantem? quis ita Juris artem componat ? & novimus receptam Interpretum vocem, fere ubique veram , generalia ſpecialibus non derogare. Nititur illa vox auctoritate Papiniani in *l.* 80. *ff. de R. J. In toto* , inquit, *jure generi per ſpeciem derogatur , & illud potiſſimum habetur , quod ad ſpeciem directum eſt.* Idque ſive ſpecies genus præcedat , ſive ſequatur. Quod fere convenit ei, quod Juſtinianus præcipit in §. 4. *Conſtitutionis* II. *de Juſtinianeo Codice confirmando* , Legibus nempe ſpecialibus generales, quantumvis poſteriores , non derogare. Servavit igitur Tribonianus jus , quod inter Magiſtratum & ſponſam Provincialem obtinet ex *d. l. un.* & ſervavit tanquam jus noviſſimum. Cumque ei non aptaverit noſtram *l.* 38. *pr.* cenſendus eſt in ea *l.* 38. ex Paulo exhibuiſſe jus vetus, quod jure Pandectarum in ſponſa Provinciali obtinebat.

Ita malumus, quam id, quod Paulus dixit de arrhis reddendis in *d. l.* 38. *pr.* intelligere ac ſupplere, ex more ſui temporis , atque ſi dixiſſet de arrhis quadruplicatis, hoc eſt , de ipſis arrhis reddendis cum triplo, nam ait , *arrhis* TANTUMMODO *redditis , quas acceperat* , quod non licet aliter intelligere , quam de arrhis ſimplicibus, quemadmodum, ubi de ſimplici arrharum redditione ſermo eſt , eadem fere loquutio adhibetur in *d. l.* 5. *verſ. Quæ ita C. de Sponſal.*

Satis dixi quod ad rem ipſam, de verbis, quæ ſuſpecta habentur , nihil addo, quam alios jam obſervaſſe, *ſponſare* & *deſponſare* Latine dici , & ſic dixiſſe Auctores, JCtorum æquales. Loca non adſcribo, quia ipſa Lexica exhibent, & alia quoque habet Dukerus noſter *de Latinit. Vet. JCtor. p.* 402. *Arrhæ* etiam mentio , ubi de ſponſalibus agitur, plus ſemel apud antiquos eſt, ut notavit Strauchius *Diſſert. Theoret. pract.* II. §. 8. & Gronovius ad Gellium *L.* XVII. *C.* 2. & quis auſit dubitare, cum ipſe Hotomanus & alii Cenſores Emblematici Paulum, tanquam ex jure veteri ſcilicet , contendant ſcripſiſſe , *arrhas quadruplicatas* , non vero ſimplices , fuiſſe reddendas ? Sic , ut opinioni ſuæ velificentur, etiam pugnantia ſcribunt.

CAPUT XVI.

Tribonianum non induiſſe perſonam Marcelli in L. 20. §. 1. ff. de Donation.

Si recte hoc emblema refutavero, etiam plura alia, quæ ejusdem notæ ſunt, pari ratione erunt refutata. Videamus. Vivo equidem teſtatore pactionibus effici non poteſt, ne heres Falcidia utatur, ut palam definit Papinianus in *l.* 15. §. 1. *ff. ad L. Falcid.* mortuo autem teſtatore, an poſſit, controverſum fuit olim inter veteres JCtos , ſed conſtitutum poſſe a Juſtiniano in *l. ult. C. eod.* In eadem ſententia fuerat jam olim Ulpianus in *l.* 46. *ff. Eod.* ut obſervat Cujacius ad *Novell.* I. ſed, ait ibidem , Marcellus *forſitan* ſententia utebatur contraria, nec in *h. l.* 20. legem Papiam ſecernebat a lege Falcidia, niſi Tribonianus , ſuo ſe ſatis ſermone prodens , alteram partem *h. l.* 20. quæ eſt in §. 1. ita finxiſſet & ad Conſtitutionem Juſtiniani in *d. l. ult.* in-

inflexiſſet. Sic ille in *Expoſit. d. Novell.* I. & *Conſult.* LIX. & inter varia Emblematum exempla ad *l.* 1. *C. de Dignitat.* & ſic docent, ut a Præceptore ſuo didicerant, Giphanius & Merillius, hic *L.* II. *Variant. ex Cujacio* C. 9. ille ad *l.* 7. *C. ad L. Falcid.*

Marcellus in *pr. h. l.* 20. agit de ſpecie, qua patronus, ex debita parte heres inſtitutus, neque ultra, ſtipulanti tamen fideicommiſſario promiſit, ſe plus eſſe daturum, & ait in ea ſpecie patronum non eſſe cogendum ſolvere, *ne pars ex legatis verecundiæ patronali debita minuatur.* Mox tranſit ad aliam ſpeciem, de quovis alio nempe herede inſtituto, *de illo*, inquit §. 1. *dubitari poteſt, qui, quod per Falcidiam retinere poterat, voluntatem teſtatoris ſecutus, ſpopondit ſe daturum. Sed magis eſt, ut non poſſit ſuæ confeſſioni obviare: quemadmodum enim, ſi ſolviſſet, idem teſtatori ſuo adimpleſſe videbatur, & nulla ei repetitio conceſſa fuerat, ita & ſtipulatione procedente, contra fidem teſtatoris, quam agnovit, venienti ei merito occurretur.* Si Marcellus hic palam diceret, quod cum *forſitan* dixiſſe innuit Cujacius, fruſtra de emblemate eſſemus ſolliciti, nam ſic, aliis ajentibus, aliis negantibus, Marcellum numeraremus inter eos, qui ajebant Falcidiam remitti poſſe, ſi mortuo teſtatore ita convenerit. Si omnes Juris Auctores uno ore negaſſent, vel de Marcello, ex aliis locis, conſtaret, eum negaſſe, adfirmans, quæ hic legitur, ſententia omnino eſſet ſuſpecta, & vix intercederem, quominus crederemus eſſe tranſcriptum ex *d. l. ult. C. ad L. Falcid.* Sed cum olim fuerint JCti ajentes & negantes, quidni æquo animo feramus ajentium ſententiam, in Pandectas quoque relatam? & cur eam a Triboniano mutatam credamus eo ſolo argumento, quod poſtea Princeps ajentium ſententiam auctoritate ſua confirmaverit? huic prurigini jam ſupra occurſum eſt C. XII. *in fin.* & ſic etiam hic occurrit doctiſſimus Wybo.

Sed nolim, quod ad hunc locum, hic ſubſiſtere, quæro potius, unde ſciant Cujacius, Giphanius, Merillius, Marcellum forte negaſſe, Falcidiam pacto remitti poſſe? nam palam hic adfirmat, & in contrariam ſententiam nullibi exſtat alius Marcelli locus. Sæpe ſoleo damnare Virorum, etiam gravium, φαντάσματα, qui de rebus plane incertiſſimis, quaſi ex tripode Apollinis, pronunciant. Dixeris, quemadmodum Apion Grammaticus Homeri, ſic eos JCtorum veterum manes evocaſſe, & quid illis ſederit, exploraſſe. Ait Marcellus in *pr. h. l.* patronum, ex ſola legitima inſtitutum, & tamen ultra a liberto gravatum, non teneri ultra ſolvere, quamvis promiſerit, ne minuatur legitima, quam debet reverentiæ patronali. Sic eſt ex lege Papia. Hinc quæſitum eſt, an illi, qui caverunt ſe daturos, quod per L. Falcidiam retinere poterant, adhuc uti poſſint beneficio illius Legis? id eſt, an in Falcidia, quod ad heredem extraneum, idem juris ſit, quod in Papia, quod ad patronum? & inquit Marcellus in §. 1. *de illo dubitari poſſe*, quod ipſum eſt, quod narrat Imperator in *d. l. ult. C. ad L. Falcid. veteribus legibus in ambiguitatem deductum eſſe*, & definit hic Marcellus, *magis eſſe, ut heres non poſſit ſuæ confeſſioni obviare.* Rationes dubitandi non exquirimus, neque etiam decidendi, cum de Eunomia Romana non agamus. Sufficit, jus ea de re fuiſſe controverſum, & Marcellum in ea fuiſſe ſententia, in qua Ulpianus fuit in *d. l.* 46. & Paulus quoque in *l.* 71. *ff. ad L. Falcid.* &, quod ad SCtum Pegaſianum, Mæcianus in *l.* 62. *ff. de Condict. indeb.* Quod cum aperte hic profiteatur Marcellus, neſcio, quare hoc videatur negandum. Utique Auctores veteres diſſenſiſſe certum eſt, & æque certum, ipſum Cujacium & Giphanium *d. l.* 46. ipſumque Merillium adduxiſſe *d. l.* 71. & *d. l.* 62. quo probarent, id aliis quoque JCtis placuiſſe, quod hic de Marcello relatum eſt. Quin facile adſentior Merillio, exiſtimanti, eam ſententiam magis fuiſſe receptam, etiam ideo, quod in Pandectis nullum repererim JCtum, qui contraria ſententia fuerit uſus, nam de Marcello, ut dixi, id divinare non licet. Suaves ſane ſunt, qui ex eo, quod de patronorum legitima dixerat Marcellus, illum, non interpolatum, idem dixiſſe ſibi fingunt de quovis herede: quaſi vero in patrono non rationem dediſſet ſingularem, ab ejus reverentia petitam, quæ in herede plane extraneo non obtinet. Si idem jus in omni herede obtinere Marcellus bona fide putaſſet, utique fuiſſet ſatius, quod ad patronum, omittere rationem illam ſingularem, & generaliter tam Papiæ, quam Falcidiæ reſpectu prætexere jus publicum, quod privatorum pactis mutari non poſſet, nam hæc, non alia ratio redditur ſententiæ Marcello, ut nunc eſt, adverſæ. Una tunc in utraque ſpecie ſuffeciſſet ratio, niſi eam, quam de patroni reverentia legimus in *pr.* a Compoſitoribus Pandectarum ibi quoque inſertam nugemur. Atque hæc ut probemus, Marcellum videri diſtinxiſſe Legem Papiam a Falcidia, & quod de Falcidia dixit, dixiſſe ſecundum magis vulgarem ſectam ſui temporis.

Nunc videamus, an Marcelli loquendi ratio præſtet, quod Jurisprudentia præſtare non potuit. Et quidem Merillium nihil quicquam offendit ſtilus, utique de eo nihil ipſe notat, Cujacium vero & Giphanium movet Græciſſans ſcilicet loquutio, qua *cautio* effertur vocabulo *confeſſionis*, hoc eſt, Græcorum ὁμολογίας, quemadmodum in *l.* 25. §. *ult. ff. de Probation.* quam integram legem, quamvis nullo jure, Triboniano quoque adſcribunt. Nolim hic excurrere in communem locum, *multa in Digeſtis Græco dicendi genere ſcripta reperiri*, quod argumentum Auguſtinus *L.* II. *Emendat.* C. 1. & alii prolixe exſequuti ſunt, dicam potius, *confeſſionem* & hic, & in *d. l.* 25. §. *ult.* vulgari ſignificatione accipi pro *declaratione ſui*, quocunque demum modo quis voluntatem & animi ſenſum expreſſerit. Sin autem omnino contendas, *confeſſionem* hic dici pro ipſa cautione, memineris, vel unum Ciceronem, ut alios Latinæ Linguæ Auctores tranſeam, plus ſæpe *confeſſiones* dixiſſe pro inſtrumentis & chirographis, quibus illæ continentur. Adfero unum duntaxat locum ex *Orat. pro Sextio prope fin. Quod*, inquit, *tantum eſt in me ſcelus? quid tantopere deliqui illo, illo die, cum ad vos indicia, litteras,* CONFESSIONES *communis exitii detuli?* plane ut *pacta* dicimus pro ſcripturis, quibus illa comprehenduntur, ut obſervavi *Libro Sing. ad L. Lecta C. V.* Summoto igitur Triboniano multis modis bene ſe habet *confeſſio.* Magis miror, *obviandi* verbum, quod & ipſum hic occurrit, Cujacium & Giphanium non offendiſſe, id enim, familiare ſeculo prolapſæ jam Latinitatis, apud eos, qui pure, eleganter & Romane ſcribunt, fruſtra quæras, niſi unum Salluſtium placeat excipere in *Jugurth.* C. V. *in pr.* ſi nempe vere ille ſcripſerit, ut in plerisque Codicibus, etiam MSS. exhibetur, *tum primum ſuperbiæ nobilitatis obviatum eſt.* Sed cum in aliis Libris legatur, *obviam itum eſt*, nihil tuto colligas ex loco ſuſpecto. Diſce potius a Clar. Dukero *de Latinit. JCtor. veter. p.* 393. vocem *obviandi* non eſſe adeo no-

vam, ac vulgo putant, & eo etiam refer, quod in Philoxeni Gloſſis legitur, *obviat*, ἀπαντᾷ, & noli præterea oblivíſci ejus, quod in *Præfatione* & alibi diximus, quodque eſt veriſſimum, ætate plerorumque JCtorum, ex quibus Pandectæ conſtant, jam multum decoxiſſe Latinas veneres cupidinesque, atque adeo hos, vitio ſæculi infectos, ſæpe uti vocabulis, quin & generibus dicendi plane novis, de quo argumento exſtant aliorum *Libri ſingulares* & *Epiſtolæ*. Ex quibus omnibus ſic habeto, lubricum plane eſſe de interpolatis legibus judicium, cui, ut ſæpe fit, ſola Latinitas cauſam præbet.

Quinimo ſi ex ratione ſtili conjecturam capere liceret, non agnoſcerem Triboniani manum in *h. l.* 20. §. 1. Quid enim? ait, quisquis ejus legis auctor eſt, *de illo dubitari poſſe*, de ſpecie nempe, quam mox proponit, & deinde, *ſed magis eſt.* Quæ formulæ, in rebus dubiis, veterum JCtorum ſunt propriæ, & plane alienæ a jure jam conſtituto in *d. l. ult. C. ad L. Falcid.* nam ſi Tribonianus in animum induxiſſet illam Principis ſui Conſtitutionem intrudere in *d. l.* 20. §. 1. non fuiſſet uſus oratione ſuſpenſa, quæ ſola Marcelli ævo conveniebat, ſed certa & indubitata, quæ conveniebat ſuo.

Ceterum non is ſum, qui intelligam, quid ſibi velit Cujacius ad *d. Nov.* I. cum ait, eſſe hic *aptatum Triboniani ſermonem meditatæ jam vel uſu receptæ ſententiæ d. l. ult.* Valeant hæc, ſi unquam valere poſſint, ad excuſanda Triboniani emblemata, quibus ſcilicet ille jus futurum prædixiſſet, ex *Novellis* forte, vel Legibus *Codicis*, quæ Pandectis editis ſunt poſteriores. Sed hic non tali auxilio, non defenſoribus iſtis lex eget, ut jam ſupra occupavi *C.* IX. *in fin.* Data eſt, ut ibi dixi, *d. l. ult.* poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis anno ſecundo, & Pandectas editas eſſe conſtat Juſtiniano tertium Conſule, qui tertius ejus Conſulatus ſequutus eſt annum ſecundum poſt Conſules Lampadium & Oreſtem. Quare non eſt neceſſe hic Tribonianum ex Quæſtore vatem facere, potuit enim *h. l.* 20. §. 1. interpolare ſine vaticinio juris futuri ex *d. l. ult.* ſed, ut modo dicebamus, non interpolavit.

CAPUT XVII.

Nihil detractum videri legi 24. ff. de Donation.

Sub eodem Titulo *de Donationibus* etiam alia lex emblematis poſtulatur. Ait Javolenus in *l.* 24. fidejuſſori ejus, *qui donationis cauſa pecuniam* SUPRA MODUM LEGIS *promiſit*, exceptionem eſſe dandam, etiam invito reo. Putat Burgius *L.* I. *Elect. C.* 18. & hic & alibi in libris veterum JCtorum reſpici ad Legem Cinciam, quæ muneribus modum poſuit, ſed data opera ejus nomen fuiſſe ſuppreſſum in Pandectis, quia Cincia dudum obſoleverat, ut de ſua jam ætate ipſe Juſtinianus auctor eſt *Novell.* CLXII. *C.* I. ſubdole igitur ejus nomen inductum fuiſſe non duntaxat in *d. l.* 24. ſed &, ait Wiſſenbachius, in *l.* 5. §. 5. *ff. de Dol. mal. & met. except. l.* 27. *ff. de probation. & l.* 11. *ff. de Donat.* quibus & addere poterat alias, a Brummero laudatas *ad L. Cinciam. C.* XII.

Scio, Lege Cincia profuſas largitiones eſſe coërcitas, ſed ad quem modum, ipſe neſcio, & neſciunt etiam, qui ſcire ſe exiſtimant. Legem Ciniciam obſoleviſſe omnes quoque ſciunt, ſed nemo unus, qua ætate; conſuetudine, credo, non utentium, cum Populo Romano non amplius vacaret eſſe tam liberali. Sed nunquid ideo Tribonianus in illis Capitibus *Cinciæ* vocabulum delevit? cras credo, hodie nihil. Non dico, quod dixit nonnemo, Juſtinianum demum abrogaſſe Cinciam *d. Novell.* CLXII. *C.* I. & id Tribonianum, niſi vatem, ſcire non potuiſſe, cum Pandectas ederet, nam, ut jam monui, palam Juſtinianus teſtatur, dudum ante ſuam ætatem obſoleviſſe, dicam potius, quod & Cujacio videtur ſuffeciſſe *L.* VI. *Obſerv. C.* 18. qui modus legitimus donationum ſæpe inculcatur in *Tit. de Donation.* & in *Tit. de Mortis cauſa donation.* referendum eſſe ad Legem Cinciam, quamvis non expreſſo ejus nomine. Et ex profeſſo, Burgio ſe opponens, id egit Brummerus *d. C.* XII. ut Auctoribus, cum noſtris, tum exteris, in more poſitum doceret, ſpeciale juris, quod interpretabantur, nomen, ut ſatis ſibi aliisque cognitum non expreſſiſſe, ſed generaliter *Legis* meminiſſe, ubi occupabantur, verbi gratia, in Lege Ælia Sentia, in Lege Julia de adulteriis, in Lege Julia Papia, in Lege Julia repetundarum, in Lege Julia Majeſtatis, & in aliis quam plurimis. Quæ vulgo nota ſunt ex argumento, quod eſt præ manibus, expreſſa mentione non egent. Sic videas JCtos, ad SCtum Trebellianum commentantes, ſimpliciter ſæpe de SCto loqui, ſuppreſſo Trebelliani nomine. Poſſem alia SCta, poſſem Orationes & Conſtitutiones Principum, quæ exemplo ſervirent, magno numero adferre, niſi putidæ diligentiæ eſſet probare, quod nemo neſcit. Ut igitur alibi ſuppreſſa Legum nomina, de quibus agebatur, ita & in *h. l.* 24. & in aliis, quas diximus, ſuppreſſum Cinciæ nomen, quia hanc, ubi de legitimo donationum modo agebatur, ignorabat nemo.

Sed quid ſi ſtudio Compoſitores omiſerint *Cinciæ* nomen? ejusmodi omiſſiones non cadere in ſpeciem interpolationis, videor ſatis ſupra probaſſe *C.* X. ſi nempe ex omiſſione non alia JCti mens efficiatur, quam olim fuit. Hic autem alia non efficitur, niſi cum Scholiaſtis Græcis, & Latinis quibusdam Interpretibus id, quod JCti veteres ajunt de modo donationum, intelligas de novis Principum Conſtitutionibus, quibus illi donationibus modum præſcripſerunt. Sed quia eam ſententiam jam exploſit Brummerus *d. C.* XII. ego poſſum ea opera ſuperſedere. At ſcire velim, unde appareat, Cinciæ nomen ſtudio fuiſſe deletum? quia, inquies, obſoleverat. Si valeat hæc ratio, quidni igitur & Compoſitores *Cinciæ* mentionem ſuſtulerunt ex Inſcriptione *l.* 29. *ff. de LL.* ubi palam nunc exſtat? idem factitaſſent ubique, ſi hoc iis ſediſſet.

Plus dico, non eſſe ſcilicet, quod auſim adfirmare, illa Capita omnia, in quibus de legitimo donationum modo ſermo eſt, præciſe eſſe referenda ad Legem Cinciam. Præter eam fuere & aliæ Leges munerales. Lex Papia Poppæa quibusdam certum modum ad capiendum conceſſit *l.* 36. *ff. de Mort. cauſ. donation.* & quid Lex Julia repetundarum præceperit, enarrat Macer in *l.* 7. *pr. ff. de L. Jul. repetund.* Scio, non has Leges fuiſſe generales, ut Cincia fuit, ſed non animadverto, cur non & ad eas peculiares pertinere poſſit Jurisprudentia, quæ hic illic exſtat de legitimo donationum modo. Quin ipſi

Legi

Legi Cinciæ varie fuit ſubrogatum ab Auguſto, Claudio, Nerone & Trajano, intervenientibus etiam SCtis, ut eſt apud Dionem, Tacitum, Plinium in *Epiſtolis*, quemadmodum ex his quædam habet Cujacius *d. L. VI. obſerv.* C. 18. ſed prolixius omnia Brummerus C. III. IV. V. & VI. Quod cum ſit, non eſt tutum omnes illas Leges excludere, ubi ſit mentio *legis*, quæ in donationibus modum ſervari jubet. Legis autem vocabulum cum ſit generale, recte Javolenus ſimpliciter eo utitur, quo omnes leges munerales intingat, ſingularum enim enumeratione quid erat opus? Non aliter Papinianus in *l.* 1. *pr. ff. de uſur.* cum ait, arbitrio judicis definiendas eſſe uſuras, quæ ex more regionis frequentantur, mox addit, *ita tamen, ut legi non offendat.* Simpliciter *legi*, quæcunque ſcilicet fuerit, quæ improbum fœnus coërcuit, nam varias fuiſſe, nemo eſt qui neſcit.

Igitur *Cinciæ* mentio prudentius hic omiſſa, quam injecta fuit. Sed quid ſi per inprudentiam, per oblivionem? Et tunc meminiſſe oportebat ejus, quod Plinius in *Epiſtolis* ait, Priſcum Javolenum, legis noſtræ auctorem fuiſſe aliquando *dubiæ ſanitatis*, atque adeo ei ipſi facile excidere potuiſſe nomen legis, quæ donationibus immodicis ivit obviam. Sed quid ludimus in re ſeria?

CAPUT XVIII.

Abſque nota emblematis varie intelligi poſſe L. 1. ff. de Legat. I.

Sub perſona Ulpiani ſcribitur in *d. l.* 1. *Per omnia exæquata ſunt legata fideicommiſſis.* Magno, ſi unquam, numero & ſupercilio hic inſurgunt Cenſores Emblematici, adeo ut ab iis hoc loco diſſentire videatur nefas. Veteres Juris Interpretes, alioquin emblematum non tam prodigi, ne hic quidem Triboniano parcunt. Gloſſa omnibus præivit, nam poſt varias, easque ſatis ineptas *d. l.* 1. interpretationes, tandem addit: *vel dic, quod aliquid hic eſt detractum a verbis Ulpiani a Compilatoribus novi juris, & illud demum induxit novitatem.* Ex quo ejus imitatores, ſervum pecus, una fere voce pronunciant, aliquid facinoris hic eſſe commiſſum a Triboniano, non quod omnes, ut Gloſſa, Ulpianum hic capite caudave minutum putent, ſed in eo fere conſentiant, Tribonianum aliquid juris novi hic eſſe molitum contra vetera & Ulpiani ævo recepta juris decreta. Aliis opinantibus, eum, mentito Ulpiani nomine, integrum hoc caput finxiſſe; aliis, τὸ *per omnia;* aliis aliud, ſed quod neſciunt, adjeciſſe; aliis, nonnihil detraxiſſe; aliis, ſimpliciter quid immutaſſe. Sic priſca Gens interpretum, & ſic fere, quicquid Recentiorum eſt. Catalogum eorum, qui Triboniano hic dicam ſcribunt, habes apud Wiſſenbachium *Embl. Trib.* ad *b. L.* quibus, ſi numerandas ſententias putes, licet addere Alciatum ad *h. l.* 1. Contium *L.* I. *Subſeciv. Jur. Lect.* C. 9. Goveanum *L.* I. *Var. Lect.* C. 29. Coraſium *L.* V. *Miſcell. Jur.* C. 17. Giphanium ad *l.* 2. *C. Comm. de legat.* Bachovium ad §. 3. *Inſt. de Legat.* & de plebe Interpretes tantum non omnes.

Argumentorum alii plus habent, alii minus, in eo fere cuncti concordes, non videri ſententiam hujus *l.* eſſe Ulpiani, cum ipſe, niſi ſplendide mendax, ex ratione ſui temporis dicere non potuerit, *per omnia* exæquata eſſe legata fideicommiſſis. Qui pandectas legit, ſatis novit, quid legatum fideicommiſſo diſtet, qui non legit, utriusque differentias eo jure per ſatyram collectas diſcat a Duareno ad *Tit. ff. de Legat. princ.* & *L.* II. *Diſput. Anniverſ.* C. 9. Donello *Comm. Jur. Civ. L.* VIII. C. 2. aliisque paſſim. Quin ipſe ille Ulpianus, cujus eſſet *h. l.* 1. in *Fragment. Titulo de Legatis*, & *Titulo de Fideicommiſſis*, non tantum in *princ.* aliam nobis legati, aliam fideicommiſſi definitionem dedit, ſed &, haud ſecus atque Cajus in *Inſtitut.* ſub *iisdem Titulis*, varias utriusque differentias enarravit. His ſi addamus, Imperatorem Juſtinianum in *l.* 1. & præcipue in *l.* 2. *C. Comm. de legat.* poſt tria demum ſæcula fideicommiſſis legata exæquaſſe, quemadmodum ſe feciſſe ipſe profitetur in §. 3. *Inſt. de Legat.* non amplius jam videbatur dubitandum, Tribonianum olere *d. l.* 1. etiam ideo, quod loquutio *per omnia* in *d. l.* 1. fere reſpondeat alteri ejusdem Triboniani in *d.* §. 3. NULLA *ſit inter ea differentia.* Quod puto Donellum voluiſſe *d. L.* VIII. *Comment. Jur. Civ.* C. 2. cum ait, etiam ſimilitudinem verborum Tribonianum prodere. Sunt præterea præſumptiones duæ, quas nonnulli urgent, ne Ulpiani eſſe dicamus *d. l.* 1. Altera eſt, quod Haloandri Editio nullius omnino JCti nomen præſcribat huic Capiti; altera, quod in MS. quodam Bituricenſi ei præponatur nomen *Imperatoris.*

Sed utramque præſumptionem ſatis diluit ſacra fides Codicis Florentini, cujus Inſcriptio ibi eſt, *Ulpianus Libro* 67. *ad Edictum.* Ne dicam, Librum illum Bituricenſem *Imperatoris* nomen etiam aliis nonnullis Legibus perperam habere præſcriptum, ut teſtatur ejus αὐτόπτης Cujacius *L.* VIII. *Obſerv.* C. 4.

Res ipſa magis turbat. Verum eſt, jure Pandectarum ſublatas fuiſſe aliquot differentias, quæ olim interceſſerant inter legata & fideicommiſſa, ſed & verum, plures ſuperfuiſſe. Ex his pluribus rurſus nonnullas ſuſtulit Juſtinianus, ſed tamen, ut mox audies, remanſerunt aliquæ, hodieque remanent. Ut, quoquo te vertas, & quamcunque Jurisprudentiam intelligas, ſemper te offendere videatur generalis illa & importuna loquutio, *per omnia* legata eſſe fideicommiſſis exæquata. Unde aliquando tentabam, an non reſcribi oporteret; *pene omnia exæquata ſunt legata fideicommiſſis*, auſu non nimis temerario, & qui difficultatem tolleret, certe leniret. Sed quia multis modis res aliter ſalva eſſe poterit, conſtantem ſcripturam non muto.

Magna etiam nomina ſunt, quæ hic Triboniani cauſam egerunt. Antonius Auguſtinus *L.* III. *Emend. C. ult.* cenſet Ulpianum ſcripſiſſe, ut nunc exhibetur in *d. l.* 1. ſed Tribonianum omiſiſſe illas exceptiones, quibus probabile eſt Ulpianum hanc ſuam regulam circumſcripſiſſe, *ne*, inquit, *contra Juſtiniani Conſtitutiones faceret*, id eſt, contra *d. l.* 1. & *d. l.* 2. *C. Commun. de legat.* Verum ſi ea mente omiſit, ut alia nunc eſſe videatur ſententia Ulpiani, quam olim fuit, vera, ſi me audias, hæc erit interpolatio, & ob eandem quoque rationem veram eſſe credidit Eguinarius Baro *Comm. Theor.* ad *Tit. Inſt. de legat.* Quare non utimur Auguſtini ſententia, quia ſic cauſa, quam defendimus, ſalva eſſe nequit.

Joannes Robertus *L.* II. *Sentent. Jur.* C. 23. Ulpianum interpretatur, atque ſi dixiſſet, lega-

 ta

ta jure Pandectarum fideicommiſſis fuiſſe exæquata, ſed non contra, hoc eſt, legatorum varias ſpecies, & conceptas de iis formulas eo jure in tantum fuiſſe ſublatas, ut ad legatum etiam tunc ſuffecerit ſola declaratio voluntatis, ut ſuffecit in fideicommiſſis, & reliqua, quæ in fideicommiſſis erant pinguiora, ad legatorum naturam, alioquin ſtrictam, fuiſſe tunc redacta & tranſlata. Sic intelligit Ulpianum. Juſtiniani vero Conſtitutio, ſi ei credas, mutuo exæquavit omnia. Sed quod ait de laxiore legatorum natura, palam ſibi quoque arrogat Juſtinianus in *d. l.* 2. & *d.* §. 3. *Inſt. de Legat.* & quod ait de ſublatis tunc legatorum differentiis & formulis, minus quoque verum eſt. Sic ut nihil quicquam habeat ea conjectura, quo nitatur.

Ludovicus Charondas *Not. marg.* ad *d. l.* 1. putat, eam eſſe amplioris Ulpiani ſententiæ fragmentum, & ex ejus mente non aliter intelligendum, quam ſecundum quæſtionem, quam ipſe tractabat *L.* 67. *ad Edictum.* Quæ veſtigia etiam preſſit Jacobus Cujacius *L.* VIII. *Obſerv. C.* 4. nam poſtquam ibi prolixe diſputaſſet, in quartæ deductione idem omnino juris eſſe in legatis, quod in fideicommiſſis, hac mente Ulpianum *L.* 67. *ad Edictum* dixiſſe putat, *per omnia exæquata ſunt legata fideicommiſſis*, in quartæ deductione ſcilicet, *ideoque* addit Cujacius, *Interdictum* QUOD LEGATORUM, *dabitur etiam hodie fideicommiſſorum nomine, propter Falcidiæ retentionem, de quo cum Ulpianum eodem Libro tractaſſe conſtet ex l.* 1. *ff. Quod legator. inde liquido apparet, eam l.* 1. *ff. de Legat.* I. *pertinere ad Tractatum de Lege Falcidia.* Jacobus Rævardus *L.* III. *Varior. C.* 4. forte gnarus, Cujacii ſententiæ de omnimoda exæquatione utriusque Quartæ ab Antonio Fabro, Franciſco Hotomano aliisque fortiter contradici, & eſſe, cur contradicatur, Cujacii ſententiam diviſit, & quum alia ſit quæſtio de iis, quæ in utramque quartam imputantur, alia, an Interdictum *Quod Legatorum* ad fideicommiſſa quoque porrigatur, eodem Inſcriptionis adminiculo, non aliud Ulpianum voluiſſe contendit, quam legata & fideicommiſſa paria facere in Interdicto *Quod Legatorum*, cui interpretando maximam partem *Libri* 67. *ad Edictum* conſumpſit. Ait Prætor in *l.* 1. §. 1. *Quod Legator.* Quod LEGATORUM NOMINE, & reliqua. Unde quum dubitare poſſet, an is, qui fideicommiſſorum nomine occupaverat, etiam hoc Interdicto teneretur, Ulpianus eodem, quo verba Prætoris recitavit & explicavit, Libro, *per omnia exæquata eſſe legata fideicommiſſis* docuit, ratione ſcilicet ejus Interdicti, quod interpretabatur. A Cujacio & Rævardo non abit Val. Guil. Forſterus *L.* II. *Obſerv. Succiſ. C.* 14.

Non improbatur mihi illa Cujacii opinio, ut a Rævardo diviſa interpolataque eſt. Nam in regulis & ſententiis Juris civilis, quamvis generaliter ſcriptis, ſi quis non recurrat ad ipſos Libros JCtorum, unde deſumptæ ſunt, easque exponat ex argumento, quod ibi præ manibus eſt, næ ille ſæpe pernicioſiſſime erraverit. Poſt Petrum Fabrum & Jacobum Gothofredum hac arte nunc *Regulas Juris* explicare didicerunt omnes, exceptis ſolis Pragmaticis, qui, ut male prudentes ſunt, Judicibus eas intempeſtive obtrudunt in omni cauſa; atque is promus condus illis ad quæſtum eſt uberrimus, quum non alia fere Juris ſcientia eos videas magnos reditus facere ex ſpoliis civium. Sed pergamus. Regula Juris eſt apud Ulpianum: *per omnia exæquata ſunt legata fideicommiſſis.* Hanc non ſecus atque alias regulas, oportet intelligere ſecundum rationem ſubjecti argumenti, quod in *eodem Opere*, & *eodem ejusdem Operis Libro* ipſe Ulpianus exſequutus eſt. Ita nobis ſalva res eſſet.

Sed ne ſalva ſit, intercedit Albericus Gentilis, qui *L.* I. *Lection, & Epiſtol. C.* 13. ridet illos Juris Interpretes, qui, cum alibi, tum in *h. l.* 1. ope Inſcriptionis difficultates componunt, ridendus ipſe, nec ſerio refutandus. Mox *eodem L.* I. *C.* 17. ita explicat Ulpianum, ut, qui intelligit, quid ſibi velit, me longe plus ſapiat. Cujacio quidem largitur Duarenus *Comment.* ad *d. l.* 1. *ff. de Legat.* I. & *Diſputat. Anniverſ. L.* II. *C.* 9. *in fin.* Ulpianum eo loco aliquid dixiſſe de ſimilitudine legatorum & fideicommiſſorum, cum interpretaretur Interdictum *Quod legatorum*, ſed loquutionem generalem, *per omnia*, ipſe nequit concoquere; igitur neceſſe eſt, ut ei aliisque, qui æque difficili ſtomacho laborant, mox propinemus σοφὸν φάρμακον, auditis tamen ante aliorum ſententiis, per quos, adhibito hoc ipſo remedio, res ſalva eſſe poterit.

Poterit utique & ſalva eſſe, ſi Alexandrum Turaminum audiamus. Is *Diſputatione Paradox. de Exæquatione legatorum & fideicommiſſorum C.* VI. Ulpianum, ad Edictum Prætoris ſcribentem, intelligit de exæquatione legatorum & fideicommiſſorum reſpectu omnis Juris Prætorii, ut nimirum illa ſint paria tam in *Edicto de Legatis præſtandis*, quam *Interdicto Quod Legatorum.* Quodcunque igitur Prætor de legatis vel edixit vel interdixit, putat Ulpianum, Juris Prætorii interpretem, ad fideicommiſſa quoque porrexiſſe, ex mente ſcilicet Prætoris, cujus partes erant ſupplere & adjuvare anguſtias Juris Civilis. Eoque magis, quod Prætor conſervandis defunctorum voluntatibus impenſe ſtuduerit, & ideo ſuum de legatis jus haud difficulter voluerit impertiri cauſæ fideicommiſſorum. Hinc factum exiſtimat Turaminus, ut idem Ulpianus in eodem *ad Edictum* Opere, in *l.* 8. §. 2. *ff. de Condit. Inſtitut.* palam nos docuerit, *in fideicommiſſis quoque oportere eos, qui de fideicommiſſis cognoſcunt, ſubſequi Prætoris Edictum;* QUIA VICE LEGATORUM FUNGUNTUR. Nihil fere hæc clauſula dicit aliud, quam dictum eſt in *h. l.* 1. quicquid in contrarium argutetur Duarenus *Comment.* ad *d. l.* 1. Utique quod ad Edictum, de quo ibi agitur, nihil dicit aliud integer ille §. 2. quam Turaminus dixit de omni jure Prætorio. Superfuerunt igitur Ulpiani ætate differentiæ Juris Civilis, neque ipſe hoc negat, & ad eas tollendas neceſſaria fuit poſterior Juſtiniani Conſtitutio, ſed in Edicto Prætoris explicando occupatus, cum ait, *per omnia exæquata eſſe legata fideicommiſſis*, non oportet Ulpiani verba captare, ſed animadvertere convenit, qua mente id dicatur. Id autem animadvertemus, ſi ex regula rectæ interpretationis Ulpianum, ut in *d. l.* 8. §. 2. ſic & in *h. l.* 1. intelligamus ſecundum ea, quæ proponuntur. Bartolus *Comm.* ad *h. l.* 1. nonnihil tricarum movet, quod huic interpretationi opponi poſſet, ſed Turaminus, bene extricatis omnibus, mihi fere perſuaſit, nihil eſſe, cur non ei ſtandum ſit.

Si hæc non placeant, forte non diſplicebit, ſi dicamus, fideicommiſſa ad inſtar legatorum fuiſſe redacta *per omnia*, id eſt, per *omnes Juris partes*, & tunc, ſi vacat, excute & in rem tuam verte, quæ habet Giphanius ad *l.* 2. *C. Comm. de legat. n.* 26. &, qui eum maximam partem, ſuppreſſo nomine, deſcripſit, Marcus Lyclama *L.* IV. *Membran. Eclog.* 1. ubi reperies, etiam veterum JCtorum ætate idem jus fuiſſe legatorum

&

& fideicommiſſorum in variis Legibus, SCtis, Edictis & Interdictis Prætorum, Conſtitutionibus Principum, Reſponſis Prudentum. Tantum horum omnium catalogum comportarunt illi, ut recte ſe habeat regula Ulpiani, & differentiæ, quæ legata inter & fideicommiſſa interceſſerint, exceptionum numero duntaxat ſint habendæ.

His addi poteſt & alia ſententia, quæ & olim mea quoque fuit, Ulpianum non alia mente fideicommiſſa legatis comparaſſe, quam quod ad præſtandi neceſſitatem, ab Auguſto cœptam, & deinde in aſſiduam jurisdictionem verſam §. I. *Inſt. de Fideicomm. heredit.* in genere ſcilicet, ſive *per omnia* exæquato jure præſtandi. Loquutiones generales patior facile reſtringi, quin vel ad unam ſpeciem referri, ſi Inſcriptio Legis, ſi aliud quid huic interpretationi faveat, ſed quum nihil hic faveat, poſſem pari jure Ulpianum intelligere de omni alia ſimilitudine, quæ priſco ævo inter legata & fideicommiſſa obtinuit. Quare ea ſententia amplius non utimur.

Nihilominus tamen multis modis ſe bene habet Ulpianus, etiam non interpolatus, ſi recte diſputavimus. Sed ex his, quas dedimus, interpretationibus, quamcunque elegeris, ſupereſt difficultas in τῷ *per omnia*; neque enim, inquies, ſubſiſtit illa generalis enunciatio, ſi jure Pandectarum vel unica differentia fuerit reliqua inter legata & fideicommiſſa, & tamen complures fuisſe nemo negaverit unquam. Sed quæ καθόλου proferuntur, ſæpe vera non eſſe, niſi κατά τι, & pro ſubjecto argumento, in Scholis Rhetorum diſcimus. Nec aliter etiam ſapiunt JCti; apud hos loquutiones generales, ne falſæ ſint, ſæpe ſunt reſtringendæ ad ſpeciem propoſitam, ſæpe ibi eundum eſt in rem præſentem, & inde temperanda oratio, quæ ceteroquin & ad alia pertinere videbatur. Ad hæc JCtis ſæpe placuit ὑπερβολῇ, ut Græci Rhetores appellant, *ſemper & ubique* ſæpe apud eos eſt pro *plerumque*; *in omnibus* vel *per omnia* pro *in pleriſque*, *in multis*. Exemplorum abunde eſt apud Jaſonem & Alciatum *Comment.* ad *h. l.* I. & apud Albericum Gentilem *Lect. & Epiſt. d. L.* I. *C.* 17. *in fin.* Sed ne ab Ulpiano diſcedamus, ipſe in *l.* 37. *pr. ff. de Mort. cauſ. donat.* ſic ait: *illud generaliter meminiſſe oportebit, donationes mortis cauſa factas, legatis comparatas.* QUODCUNQUE *igitur in legatis juris eſt*, ID *in mortis cauſa donationibus erit accipiendum.* Quod Juſtinianus in §. I. *Inſt. de Donation.* ita effert: *Hæ mortis cauſa donationes ad exemplum legatorum redactæ ſunt* PER OMNIA. Idem tamen, probe gnarus, quantum adhuc differant, prudenter mox addit in *eod.* §. *per omnia* FERE; & ſane Græci Juris Interpretes de his, quæ adhuc ſuperſunt, differentiis integros Commentarios nobis obtruſerunt. Inter Publicianam & Rei vindicationem quid interſit nemo unus eſt, qui neſcit, & tamen ipſe ille Ulpianus in *l.* 7. §. 8. *ff. de Public. in rem act.* rotunde ſcribit: *in Publiciana actione* OMNIA *eadem eſſe, quæ in rei vindicatione.* Plura adderem, ſi non alii occupaſſent. Quidni igitur Ulpianus, ut alibi ob ſimilitudines, quæ intercedebant, ita & hic ὑπερβολῇ uſus eſſet?

Hoc unum moneo, ſi quis adhuc pertinaciter urgeat τὸ *per omnia*, nec ab ea regula ullam exceptionem admittat, ne quidem eam jure noviſſimo ſubſiſtere: nam verum non eſt, omnes omnino legatorum & fideicommiſſorum differentias jure noviſſimo eſſe ſublatas. In libertate, teſtamento relicta, conſtat inter omnes, quid interſit, legato an fideicommiſſo relinquatur §. *ult. Inſt. de Sing. reb. per fideicomm. relict.* Alii alias differentias, etiam Juris noviſſimi, collegerunt. Sex enumerat Giphanius ad *l.* 2. *C. Comm. de legat. prope fin.* ſi non omnes veras, utique nec falſas omnes. Quapropter ſi a τῷ *per omnia* Ulpiani nihil placeat excipere, ejus generalis definitio etiam jure novo laborabit, &, ne laboret, neceſſe erit *pene*, *fere*, aut ſimile quid adjicere vel intelligere. Et vel hoc ſatis eſt ad amoliendum emblema.

CAPUT XIX.

Tribonianum nihil innovaſſe in L. I. §. 2. ff. de Dote præleg. *nec in* L. 7. §. 5. ff. de Pact. *nec in* L. 17. ff. de Pact. dotal. *nec in* L. 24. §. 3. ff. Solut. matrim.

Verba *d. l.* I. §. 2. hæc ſunt: *Et verum eſt, commodum in dote relegata eſſe repræſentationis, quamvis annua die dos præſtaretur.* Miror, Virum quemdam Clariſſimum, quo cum ſermones cædebam de bona Triboniani fide, ut ego quidem putabam, in exhibendis veterum JCtorum fragmentis, mihi oppoſuiſſe *d. l.* I. §. 2. & in exemplum adduxiſſe malæ fidei, qua Tribonianus ea in re eſſet verſatus. Et magis miror, quia Cujacius, primus hujus emblematis auctor, de eo ipſe diffidit: nam poſtquam ad Ulpiani *Fragm. Tit.* VI. §. *dos ſi pondere* 8. ſimpliciter ſcripſerat, *h.* §. a Triboniano aptatum eſſe Conſtitutioni Juſtiniani in *l. un.* §. 7. *C. de Rei uxor. act.* hanc ſententiam aliquatenus retractat *L.* VII. *Obſerv. C.* 20. dum largitur, Ulpianum in *h.* §. *annuam diem* etiam dicere potuiſſe, compendio orationis, pro *annua*, *bima*, *trima die.* Scio, has penſiones in reddenda dote, quæ pondere, numero, menſura continebatur, ut fuit omnis dos pecuniaria, fuiſſe ſolemnes & legitimas, ut eſt apud Ulpianum *d. loc.* Scio, *annua*, *bima*, *trima die* idem ſignificaſſe, quod tribus penſionibus annuis, ut hanc formulam recte explicat Cujacius *L.* II. *Obſerv. C.* 29. Scio, Juſtinianum hoc mutaſſe in *d. l. un.* §. 7. & voluiſſe, ut dos non amplius redderetur annua, bima, trima die, ſed, ſi mobilis eſſet, intra annum, ſi immobilis, illico, at vero Tribonianum ideo prurientes manus admoviſſe *d. l.* I. §. 2. nullus credam. Quin ſilentio, quicquid eſt hujus emblematis, transmiſiſſem, ſi non aliam *d.* §. 2. ſententiam eſſe putarem, quam putant alii, & ſi non aliæ quoque *ll.* quas *huic Capiti* præſcripſi, quasque ob eandem *l. un.* §. 7. *C. de Rei uxor. act.* interpolatas cenſet Giphanius, ab ejus injuria eſſent vindicandæ.

Cujacius, ut modo dicebam, amoto emblemate, compendium ſcripturæ agnoſcit in *annua die*, ut eſt in *l.* 30. §. 2. *ff. de Legat.* I. *Utrum*, inquit, *annua die dabuntur, an vero præſentia?* potuiſſet addere, eundem Ulpianum loqui in *d.* §. 2. qui loquitur in *h. l.* I. §. 2. & quidem utrobique eodem *L.* XIX. *ad Sabinum.* Et ſane veriſſimum eſt, *annua die* in *d. l.* 30. §. 2. compendio dictum eſſe pro *annua*, *bima*, *trima die*; ſed ut hoc ibi dicamus, poſtulat ſpecies, in *pr. d. l.* 30. propoſita, in qua pertractanda pergit Ulpianus in §. I. & §. 2. *d. l.* 30. quod Haloandrum & alios Editores movit, ut eandem ſer-

formulam, in *princ.* propoſitam, repetant in §. 2. *utrum annua, bima, trima dabuntur* &c. Sed minus hoc neceſſe eſt, quia intellectu ſuppleri poteſt ex præcedentibus, quod non poteſt in *h. l.* 1. §. 2. Alia, quæ Cujacius attulit pro formulæ compendio, mihi non probantur. Attulit Ulpianum *d. Tit.* VI. §. *Mariti mores* 13. de dote, quæ *annua die* reddi debet, ſed nulla Editio Ulpiani eſt, quæ ita exhibet, Charondas palam, *annua, bima, trima die*, omnes aliæ Editiones, etiam ipſius Cajacii, *a die*, pro quo forte legendum, duplicata litera D, *a Diem* id eſt, *ad diem.* Attulit & teſtamentum Auguſti, qui, ut eſt in Suetonio *Vita Auguſt. C. ult. legata varie dedit, produxitque quædam ad vicena ſeſtertia, quibus ſolvendis annuum diem finiit. Annuum diem* dici ratus pro *annua, bima, trima die.* Sed cum nulla ſit auctoritas, unde id efficiatur, nolim cum aliis hic applaudere Cujacio. Teſtatorum eſt vel præſentia legare, vel legatis, quem volunt, diem adponere, poſſunt annuam, bimam, trimam, poſſunt aliam quamcunque, ut eſt in *d. l.* 30. *pr.* & §. 2. *ff. de Legat.* I. Auguſtus annuum tempus definivit, intra quod legata præſtari juſſit, ſed hæc transferre ad *annuam, bimam, trimam diem*, non aliud mihi eſſe videtur, quam nimio illius formulæ quærendæ ſtudio ſeduci. Sed quid ſi Cujacius in rem ſuam advocaſſet Ulpianum in *l.* 3. §. 5. *ff. de Ann. legat.?* ubi heres, ſimpliciter juſſus, *trima die* dare, intelligitur juſſus dare *annua, bima, trima die*, & cur, niſi compendio orationis? Recte, nam qui *trimam* dicit, non poteſt non ſentire de *annua, bima die*, quæ *trimam* præcedunt, ſed qui *annuam diem* dicit, de *annua* duntaxat ſentire putandus eſt, niſi ſit, quod in contrarium urgeat, ut urget in *d. l.* 30. §. 2. *ff. de Legat.* I.

Quare, ut, quid mihi ſedeat, paucis abſolvam, ego *annuam diem*, ut apud Suetonium, ſic & apud Ulpianum in *h. l.* 1. §. 2. non aliter interpretor, quam de *annuo tempore*, ſine ulla porro dilatione. Hoc ſenſu: adeo verum eſſe, commodum repræſentationis eſſe in dote relegata, ut recte dos relegetur, *quamvis annua die præſtaretur.* Nihil poteſt dici magis ἐμφατικῶς. Etiamſi ſcilicet non tribus penſionibus annuis, ut vulgo ex lege, ſed vel *annua die* dos ſit reddenda, tamen in repræſentatione commodum eſſe. Si enim cum Cujacio *annuam diem* interpreteris de *annua, bima, trima die*, illud *quamvis* ſenſum non habebit idoneum, niſi explices per *quia*, ut video Gloſſam explicaſſe. Sed ne recedamus a recepta ſignificatione verborum, & dicamus potius, antiquo quidem jure legatorum diem ceſſiſſe ex mortis teſtatoris tempore, per Legem autem Papiam Poppæam ex apertis tabulis teſtamenti, ut Ulpianus definivit *Fragm. Tit.* XXIV. §. *Legatorum* 31. utrum autem tempus accipias, verum eſſe, in dote relegata commodum eſſe repræſentationis, *quamvis* pactis dotalibus convenerit, *ut annua die dos præſtaretur.* Longior dies, quam trima, doti pactis apponi non poteſt, non quadrima, non quinta dies, brevior poteſt, ut Proculus Atilicino reſpondit in *l.* 17. *ff. de Pact. dotal.* Quin valet conventio de dote ſtatim & in præſenti reddenda, ut Ulpianus auctor eſt *d. Tit.* VI. §. 8. & *l.* 7. §. 5. *ff. de Pact.* Valebit igitur, ſi & intra annum reddi placuerit, de qua ſpecie intelligo *h. l.* 1. §. 2. quia ſic Ulpianus verbis ipſe ſuis præivit.

Defuncti ſumus *d. l.* 1. §. 2. ſed propter eandem *l. un.* §. 7. *C. de Rei uxor. act.* etiam aliis Pandectarum legibus ſtatus controverſiam movet Giphanius *Comment.* ad *d.* §. 7. nam tribus penſionibus de reddenda dote abolitis, & in annum mutatis, ea cauſa factum putat, ut Tribonianus, *ſuo*, inquit, *more*, in *l.* 7. §. 5. *ff. de Pact.* ſimpliciter meminerit *temporis ſtatuti*, & in *l.* 17. *ff. de Pact. dotal. temporis legibus ſtatuti*, & in *l.* 24. §. 3. *ff. Solut. matrim. temporis legitimi.* Sed non ego credulus illi. *Tempus legitimum* vel *ſtatutum* æque potes referre ad annuam, bimam, trimam diem, atque ad annum Juſtiniani. Illud veteri, hoc novo jure definitum eſt. Non erat neceſſe, ut JCti tempora, cuique rei agendæ præſtituta, identidem exprimerent, utpote omnibus, in foro verſantibus, notiſſima. Quin ubi ſimpliciter *ſtatuti temporis* mentio eſt, id etiam recte intellexeris de conventione partium, de eo nempe tempore, quod pactis dotalibus conſtitutum eſt. Præferenda igitur loquutio generalis, quæ ſignificatione ſua utrumque tempus complectitur, & quod lege, & quod pacto ſtatutum eſt.

Quod ait Giphanius de *more Triboniani*, pertinet ad alias quoque leges, in quibus ſermo eſt de *tempore ſtatuto* vel *lege definito*, nam & has interpolatas fingunt, ſi aliud tempus jus vetus, aliud novum deſideret. De uſucapione ſimpliciter *ſtatuti temporis ſpatium* in *l.* 1. *ff. de Uſurpat. & uſucap.* & *tempus lege definitum* in *l.* 3. *ff. Eod.* Duarenus *Comment.* II. ad *d. Tit. C.* I. & IV. exiſtimat Compoſitores Pandectarum *anni & biennii* mentionem iis locis ſuſtuliſſe, & repoſuiſſe *tempus ſtatutum* vel *lege definitum*, quo hæc commode referantur ad Conſtitutionem Juſtiniani, qua uſucapionum tempora produxit in *l. un. C. de Uſucap. transform.* Cujacio, cui id genus Obſervationum erat in deliciis, non miror idem ſediſſe *Comment.* ad eandem *l.* 3. Sed Gloſſa ad verba *lege definiti* in *d. l.* 3. recte notavit: *aliter olim, & aliter hodie*, & ſatis eſt, ut in eo ſubſiſtamus. Qui videntur ultra ſapere, mirum, quam illudant veteri Jurisprudentiæ: nam ſicubi in Pandectis occurrat loquutio *ſtatuti* vel *conſtituti temporis*, eam ferunt æquo animo, ſi tempora rei, qua de agitur, mutata non ſint; ſi ſecus, non ferunt, at mox Triboniano adſcribunt. Quaſi vero veteres JCti, hanc mutationem prævidentes, in his ſibi caverint a ſermone ambiguo, in aliis, quæ mutatum non iri ſcirent, non caverint. Sed quod Gajus ſcripſit in *d. l.* 1. *ff. de Uſurp. & uſucap.* & Modeſtinus in *d. l.* 3. *ff. Eod.* ſic ſcribere potuiſſe largitur Contius *L.* I. *Diſput. C.* 11. quamvis nec ipſe alioquin ab emblemate alienus, & quod de *lege* dixit Modeſtinus in *d. l.* 3. de Lege XII. Tabb. intelligit Jacobus Gothofredus *L.* III. *Probat. ad Tab.* VI. & poſt eum quoque Cl. Schultingius ad Ulpiani *Fragm. Tit.* XIX. §. *Uſucapione* 8. Poſſem alia, his ſimilia, referre, & ſimul refellere, ſi non ejusmodi ineptiarum ſatietas me totum caperet.

CAPUT XX.

Bona ſide repræſentata eſſe verba Pauli in L. 27. ff. de Fideicomm. libert.

Principem ſervari in *l.* 10. §. 1. *ff. de Appellat.* ſi audias ea, quæ ſupra dixi *L.* V. C. 4. &, ut libertati proſpiciatur, etiam *Principem* ſalvum & incolumem eſſe cupio in *h. l.* 27. *ff. de Fideicomm. libertat.* Quod ut præſtem, ſciendum eſt, SCtum Rubrianum in hæc verba cavisſe: *Si hi, a quibus libertatem præſtari oportet, evocati a Prætore, adeſſe noluiſſent, & cauſa cognita Prætor pronunciaſſet, libertatem his deberi, eodem jure ſtatum ſervari, ac ſi directo manumiſſi eſſent l.* 26. §. 7. *ff. h. Tit.* Pertinet id SCtum ad omnes latitantes, quos fideicommiſſam libertatem præſtare oportet, ſive heres ſit rogatus, ſive quis alius, inquit Ulpianus in *d. l.* 26. §. 10. Unde quæſitum eſt, ſi heres quidem latitet, legatarius autem vel fideicommiſſarius, qui rogatus eſt libertatem præſtare, præſens ſit, quid dicendum videatur? reſpondet Ulpianus in §. 11. *Senatusconſultum deficere, & nihilominus impediri libertatem: proponamus enim,* ait, *legatarium nondum dominium ſervi nactum eſſe.* Eritne igitur actum de libertate ſervi? non erit, ſi verba Pauli ſequamur in *l. ſeq.* 27. *Itaque,* inquit, *hoc caſu Princeps adeundus eſt, ut & in hoc caſu libertati proſpiciatur.* Sic legitur ubique, & ſic quoque legerunt Baſilici XLIII. *T.* 4. cum vertunt *h. l.* Καὶ δεῖ ἐνταῦθα [illegible]. & quæ ſequuntur. Forte elegantius legeretur, *itaque* HAC CAUSA *Princeps adeundus eſt, ut & in hoc caſu libertati proſpiciatur*, ne ſcilicet bis repetatur *hoc caſu*, & in *l.* 30. §. 5. *ff. h. Tit.* legitur quoque, adeundus eſt *ex hac cauſa* Prætor. Sed quia Libri non variant, & ferri poteſt recepta lectio, ferenda eſt æquo animo; alioquin in Libris antiquis non ſemel exhibetur *caſu* pro *cauſa*, & *cauſa* pro *caſu*; locos adderem, ubi alterum verbum alterius locum occupavit, ſi hoc jam agerem.

Sed aliud eſt, quod molitur Emundus Merillius ad *Deciſionem Juſtiniani* XXXI. in *l. ult. C. de Fideicomm. libert.* exiſtimat ille, Paulum in *h. l.* 27. forte ſcripſiſſe, PRÆTOREM *adeundum eſſe. Quod,* inquit, *Concinnatores Pandectarum aliter poſuerunt, cum ad illam Deciſionem reſpicerent. Multa quidem,* addit, *Reſcripta Principum circa hoc SCtum facta reperiuntur, quæ mentem SCti ad novas ſpecies accommodaverunt l.* 30. §. 5. *ff. Eod. ubi Ulpianus tamen non* PRINCIPEM, *ſed* PRÆTOREM *adeundum eſſe ait, eum nempe, qui de fideicommiſſa libertate cognoſcebat.* Etiam Wybo noſter *Diſput. de Emblemat. Tribon.* C. VI. §. 11. in *Prætorem*, quam in *Principem* hic pronior eſt, ratus, quicunque errorem commiſit, erroris cauſam habuiſſe, quod verba initialia PR. tam *Principem*, quam *Prætorem* ſignificaſſent. Interea recte obſervat ipſe ille Wybo, in *d. l. ult. C. de Fideicomm. libert.* de Principe adeundo nihil quicquam dictum vel pictum eſſe.

Ego & pro ſalute *Principis* hic intercedo, & Merillio aliud quoque repono, nempe aliam ſpeciem tractari in *h. l.* 27. aliam in *d. l. ult.* Caſus, de quo agitur in *d. l.* 27. repetendus eſt ex *l.* 26. §. 11. ſive *ult. Eod.* & inde conſtat, quæſitum fuiſſe, quid juris, *ſi heres latitet, legatarius autem vel fideicommiſſarius, qui rogatus ſit libertatem præſtare, præſens ſit?* In *d. l. ult.* agitur de herede præſente, & in judicio faciente ſui copiam, ſed qui *improbe verſatus ſervum dare legatario dedignatus eſt*, & propter contumaciam, quod ſervo carere nollet, *a judice* damnatus eſt *in æſtimationem litis.* Ex qua condemnatione pecuniaria tres controverſiæ inter veteres juris Interpretes enatæ ſunt, quas ibi recenſet Juſtinianus, & non tam ipſe definit, quam prævenit, cauſa diſſidii ſublata. Miratur quidem Juſtinianus, detrectante herede ipſum ſervum tradere, eccur *judici, qui præpoſitus eſt in ea cauſa*, placuerit, non in ipſum ſervum, ſed in ejus æſtimationem damnare, &, ſi ejusmodi cauſa in poſterum incidat, putat, *nullum quidem judicem ita eſſe ſtultum, ut hujusmodi proferat condemnationem*, ſed, ſi legatarius urgeat, ut ei ipſe ſervus præſtetur, quid judici faciendum ſit, porro præſcribit. Damnato autem, ut antea, herede in pretium ſervi, prima quæſtio, quæ veteres exercuit, fuit de libertate ſervi, eane competeret, nec ne? fuere negantes, fuere ajentes, & ejus controverſiæ veſtigium ſe deprehendiſſe viſus eſt Merillius in *d. l.* 26. §. 11. *h. Tit.* ubi Ulpianum numerat inter negantes, & in *h. l.* 27. ubi Paulum numerat inter ajentes. Sed in *d. l. ult. C. de Fideicomm. libert.* nihil proponitur, quod conveniat *d. l.* 26. §. 11. niſi quod utrobique legatarius fuerit rogatus ſervum manumittere, ceterum in *d. l.* 26. §. 11. latitabat heres, cujus erat ſervum tradere legatario. Si legatarius latitaſſet, neque ob eam cauſam manumiſiſſet ſervum, locus erat SCto Rubriano. Nunc, ut Ulpianus ait in *d.* §. 11. *SCtum deficit*, & ideo, de jure ſi quæramus, expeditum eſt, quod Ulpianus mox addit, *libertatem impediri*, quia legatarius fruſtra manumittit eum, cujus dominium ab herede latitante nanciſci non potuit. Nemo veterum ea de re controverſiam moverit, ſi ex jure manum conſeramus. At in *d. l. ult. C. de Fideicomm. libert.* heres erat præſens, non ſecus atque legatarius, ſed nolebat contumax ſervum tradere, & propterea damnatus erat in æſtimationem ſervi. Quod cauſam præbuit diſputandi, libertas impediretur, nec ne? erant ibi, quæ in utramque partem dici poterant, ſed quæ non excutio. Nemo non animadvertit, hæc eſſe aliena a *d. l.* 26. §. 11.

Quin ii vel omnia eſſent eadem, ut non ſunt, cur *Principem* adeundum eſſe Tribonianus ſubſtituiſſet in *h. l.* 27.? an tale quid legitur in *d. l. ult.*? a *judice* incipit, & in *judice* definit. In ſumma, quam exhibui, ter facta eſt mentio *judicis*, & in fine agit de lite, qua & quemadmodum legatarius heredem contumacem poſſit vincere. Quare, ſi Paulus in *h. l.* 27. *Prætorem* adeundum eſſe ſcripſiſſet, magis conveniret *d. l. ult.* ut *judex* ibi etiam appellaretur Prætor, qui de fideicommiſſaria libertate cognoſcit. Nunc, quia de *Principe* nihil eſt in *d. l. ult.* vix adſequor, quod ſibi velit Merillius.

Et ſane minus adſequor, ſi conſidero probe recte injectam eſſe mentionem *Principis* in *h. l.* 27. neque ſine Principe libertatis cauſam ſalvam eſſe poſſe. Probavimus jam ex Ulpiano, ſi Jus Civile ſpectemus, libertatem competere non poſſe, latitante herede. Quid hic Prætor? dabitne libertatem, quam Jus Civile negat? hoc non dicet, qui didicit, quid ſit ejus partium. Rectius Gloſſa, *verbis*, inquit, *SCti locum non habentibus*, nos ablegat ad *l.* 11. *C. de LL.* & *l.* 2. §. 18. *C. de Jure veter. enucl.* ut ſciamus, Principis eſſe ea definire, quæ legibus definita non ſunt.

ſunt. Ex qua Gloſſa ſuam inſtruxit Dionyſius Gloſſator, ut ſemper fere ſolet ex aliis ſapere. Res ipſa vera eſt. Defecit SCtum in ſpecie *d. l.* 26. §. 11. & quia legatarius nequit manumittere ſervum, quem non habet, *impeti etiar libertas*, ſi audiamus Ulpianum, recte ibi diſputantem. Unicum igitur libertatis obtinendæ εὕρημα eſt, quod ſuggeſſit Paulus in *h. l.* 27. nempe *aditio Principis*, ut ipſe velit contra regulas Juris, duri quidem, ſed tamen ita ſcripti, proſpicere libertati. Atque hoc erat Principum, non Prætorum. Et ſane Principes Romani ſtudium, quo libertatis cauſam prolixe proſequebantur, plus ſemel teſtati ſunt in *Decretis* & *Reſcriptis*, quæ vel ſuo *hoc Titulo*, *de Fideicommiſſariis libertatibus*, paſſim exſtant.

CAPUT XXI.

Interpretatio L. 13. §. 10. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ. *amoto emblemate.*

Ex Ulpiano ibi hæc referuntur: *Sed & legatario dandam acceſſionem ejus temporis, quo* (res) *fuit apud teſtatorem, ſciendum eſt. An heredis poſſeſſio ei accedat, videamus? & puto, ſive pure, ſive ſub conditione fuerit relictum, dicendum eſſe, id temporis, quo heres poſſedit ante exiſtentem conditionem, vel reſtitutionem rei, legatario proficere. Teſtatoris autem ſemper proderit legatario, ſi legatum vere fuit vel fideicommiſſum.* Ad implendum tempus uſucapionis utiliſſima eſt diſputatio de conjunctione temporum inter anteceſſorem & ſucceſſorem. Ulpianus hic ait, conjungi tempora teſtatoris & legatarii, & rationem dabit Paulus in *l.* 14. §. 1. *ff. de Uſurp. & uſucap.* Addit Ulpianus, & tempus, quo res penes heredem fuit, legatario prodeſſe. Atque his ſuperdicit in *verſ. ult.* teſtatoris tempus ſemper prodeſſe legatario, *ſi legatum vere fuit vel fideicommiſſum.* Quid hæc verba ſibi velint, non eſt expeditum dicere. Cujacium ſane adeo turbant, ut *L.* XXV. *Obſerv. C.* 33. putaverit, Ulpianum διὰ σημείων ſcripſiſſe *per damnationem*, Tribonianum vero propter abolitas, opinor, veteres legandi formulas, vel non intellectas ipſi notas, quibus Ulpianus uſus eſſet, harum loco ſubſtituiſſe τὸ *vere.* Probatio eſt, quod hic agatur de legato rei alienæ, ſine qua quæſtioni de uſucapione & conjunctione temporum, quibus ea res penes teſtatorem, heredem, legatariumve fuit, nullus omnino eſſet locus. Si de re aliena, viciſſe ſibi videtur Cujacius, cum res aliena Ulpiani temporibus relinqui non potuerit, niſi per fideicommiſſum, aut eo legati genere, quod *per damnationem* dicebatur, adductis in eam rem *l.* 39. *ff. de Manum. teſtam. l.* 88. *ff. de V. S.* & *l.* 62. *ff. ad L. Falcid.* & porro nos remittens ad *L.* XIV. *Obſerv. C.* 36. & ibi ad *Fragmenta Ulpiani & Gaji*, & quæ notaverat ad *L.* IV. *Sentent. Pauli.* Hæc Cujacius, ex quo integrum *Caput* 33. *d. L.* XXV. *Obſerv.* ne interpolatis quidem verbis, tranſcripſit Wiſſenbach in *Emblem. Triboniani.*

Sed ut ipſe *L.* I. *Obſerv. C.* 23. & ſæpe alibi damnavi, ſic adhuc damno illam Criticam, quæ ſibi fingit ſigla, notas, aliave ſcribendi compendia, & hac arte quidlibet ex quolibet eruit. Non loquor de verbis vel dictis uſitatis & ſolemnibus, quibus Magno, Valerius Probus, & alii auctoritatem addunt, ſed de ſiglis & notis plane novis, & recens natis in cerebello ejus, qui hæc in rem ſuam vertit. Si quæras, quam notam adhibuiſſet Ulpianus, ut exprimeret *per damnationem*, & quæ illius notæ fuiſſet ſimilitudo cum τῷ *vere* Triboniani, tacebit Cujacius, quemadmodum & tacebit, ſi quæras, quid vocula *vere* ſignificaſſet Tribonianus? & quid ei inſit juris novi? & unde id depromptum? ſed, ut dixi, non placent mihi illa ſignandi & notandi arcana, quæ nec Tribonianus, nec quiſquam hominum intellexerit. Quare & hic valeat cum ſignatoribus Auſpex.

Deinde fide mea eſſe jubeo, doctrinam Cujacii de re aliena temporibus Pandectarum, per fideicommiſſum vel damnationis formulam, neque aliter, relinquenda, adeo eſſe incertam, adeo lubricam, ut tuto ei credi non poſſit. Niſi longum foret, & aliunde res eſſet ſalva, hanc pugnam lubentes pugnaremus. Sed largiamur, quod ille dixit, & pace veſtra, manes Cujacii, Ulpianus nihilominus loquutus eſt, ut loqui debuit. Sic eſt, ut ais, de uſucapione rei alienæ fruſtra eſt omnis diſputatio, niſi res fuerit aliena. Sed an ideo addendum fuerat, non aliter hæc obtinere, quam ſi teſtator rem, qua de agitur, vel fideicommiſiſſet, vel legaſſet per damnationem? imo perperam adderetur, ſi teſtator, gnarus, rem eſſe alienam, alterutro modo eam reliquiſſet. Quid enim? teſtator poſſidet rem Titii, hanc deſtinavit Sempronio, ſed quia ſcit alienam eſſe, fideicommiſſi vel damnationis formulam adhibuit. Quis in hac ſpecie dixerit, ut Ulpianum dixiſſe conſtat, legatario in computanda uſucapione dandam eſſe acceſſionem ejus temporis, quo res penes teſtatorem fuit? eo ipſo enim, quod rem, ut alienam, teſtator committit fidei heredis, vel legat damnationis formula, malam fidem prodit, atque adeo vitioſa eſt ejus poſſeſſio: neque vitioſa ei, quæ vitioſa non eſt, recte accedit, ut auctor eſt ipſe ille Ulpianus in *h. l.* 13. §. *ult.* Poteſt equidem in bona fide fuiſſe teſtator, ſi fortuito, non conſulto utatur formulis, quibus res aliena relicta ſubſiſtit, ſed nemo mihi perſuaſerit, hanc Ulpiani mentem eſſe, tunc demum teſtatoris & legatarii tempora, ad implendam uſucapionem, conjungi, ſi ille caſu forte, nullaque animi deſtinatione, hiſce formulis utatur, nam ſi conſulto, quod rem ſciret alienam eſſe, jam fruſtra, ut diximus, de conjunctione temporum laboramus.

Quare illa diſtinctio Cujacii inter modos legandi rem alienam, quamvis veriſſima eſſet, producenda non eſt ad cauſam uſucapionis in articulo de conjunctione temporum. Scientia utique teſtatoris, rem alienam eſſe, & ideo utentis verbis precariis, vel formula damnationis, malam ejus fidem arguit. Sin ajas, ut ille ait, alio modo non ſubſiſtere legatum rei alienæ, reponam, neque etiam ſubſiſtere legatum rei alienæ in ignorante teſtatore, quocunque demum modo legatum fuerit: nam ſi quis rem alienam, ſuam ratus, legaverit, adeo nihil eſt, quod agitur, ut ne quidem heres redimere cogatur *l.* 67. §. 8. *ff. de Legat.* II. atque inde efficeretur, nunquam doctrinæ de conjunctione temporum locum eſſe poſſe, ſive ſciverit, ſive ignoraverit teſtator rem, quam legavit, alienam eſſe. Sed hæc ad uſucapionem non pertinent, cum rationis, & Juriſprudentiæ conſtitutæ ſit, uſucapionis conditionem ad legatarium tranſire, ut eſt in *h. l.* 13. §. 10. & in *l.* 14. §. 1. *ff. de Uſurp. & uſucap.*

cap. Omnino igitur dicendum eſt, quacunque formula teſtator legaverit rem alienam, dummodo legaverit, & fuerit in fide bona, conjunctam poſſeſſionem cum ejus, tum legatarii, ad uſucapionem prodeſſe. Et quid dubitamus? pro legato etiam recte uſucapitur, etiamſi non *recte*, *non jure* legatum ſit, id enim *poſt magnas varietates* obtinuiſſe aperte ſcribit Hermogenianus in *l. ult. ff. Pro legat.*

Sic videor ſatis probaſſe, nihil quicquam intereſſe, quo genere legetur, quinimo importunum eſſe illud *per damnationem*, ſi inſeras *d. l.* 13. §. 10. & ad ſcientem teſtatorem referas. Nos tamen, qui defendimus, *d.* §. 10. ὡς κεῖται, proprium germanumque Ulpiani eſſe, oportet indicare, quid ibi ſit τὸ *vere*, præſertim quum a nemine, quod ſciam, id ſit explicatum, & ignorantia ejus rei videatur effeciſſe, ut in Libris Vulgatis pro *vere* ſubſtitutum ſit *ei*. Nimirum in *pr. h.* §. 10. dixerat Ulpianus, legatario dandam acceſſionem ejus temporis, quo res apud teſtatorem fuit. Addit, & quo fuit apud heredem, ſive pure, ſive ſub conditione fuerit relictum. Mox ſubjungit: *Teſtatoris autem tempus ſemper proderit legatario, ſi legatum vere fuit vel fideicommiſſum.* Si pro *vere* legamus *ei*, ut legit Vulgata, plane idem diceret Ulpianus, quod jam dixerat in *pr.* §. Unde ſupra tentabam *L.* VI. *C.* 25. §. 9. an non alia, quam ibi dedi, interpretatio conveniret τῷ *vere*. Nunc, quia manus Triboniani arguitur in *d.* §. 10. nata mihi eſt occaſio, ut curis ſecundis excuterem ſententiam *d. verſ. Teſtatoris.* Quæ ibi dixi, nolim deleri, quia forte magis placebunt, quam quæ nunc dicam. Attamen vulgo δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Igitur, quod Ulpianus dixerat de conjungendis temporibus, ſi modo *vere* fuerit legatum vel fideicommiſſum, ita nunc intelligo, modo ne legatarius rem legatam putet, quæ legata non eſſet, ſic enim deficeret titulus. *Pro legato poſſeſſio & uſucapio nulli alii, quam cui legatum eſt, competit*, inquit idem Ulpianus in *l.* 1. *ff. Pro legat.* & magis ad rem Paulus in *l.* 2. *ff. Eod. Si poſſideam aliquam rem, quam putabam mihi legatam, cum non eſſet, pro legato non uſucapiam.* Et ſic eſt in aliis. Pro donato uſucapit, cui donationis cauſa res tradita eſt, *nec ſufficit opinari, ſed & donatum eſſe oportet l.* 1. *pr. ff. Pro donat.* Et pro derelicto nemo uſucapit, niſi id, quod revera pro derelicto habitum eſt, cum falſa exiſtimatio non ſufficiat *l.* 6. *ff. Pro derelict.* Ex his puto conſtare, quo ſenſu ad conjungenda teſtatoris & legatarii vel fideicommiſſarii tempora Ulpianus deſideraverit, ut VERE ſit legatum vel fideicommiſſum.

CAPUT XXII.

Pura puta Pauli verba eſſe, quæ leguntur in L. 4. §. 1. ff. de Uſurpat. & uſucap.

Ait ibi Paulus: *Uſucapere poteſt ſcilicet Paterfamilias. Filiusfamilias, & maxime miles in caſtris adquiſitum, uſucapiet.* Etiam hic latet anguis in herba, ſi credas Cujacio *Comment.* ad *d. l.* 4. §. 1. & Giphanio *Comment.* ad *l.* 2. *C. de Servitut. & aq.* quamvis Accurſius, ut mox audies, ante utrumque id jam indicaverit, ut ſæpe ex eo, non laudato, ſua interpolant alii. Cujacii ratio eſt, quod filiusfamilias Jure Pandectarum non uſucapiat, niſi caſtrenſia, *addantur etiam*, inquit, *quaſi caſtrenſia.* Tribonianum vero putat adjeciſſe *& maxime*, quod filiusfamilias paganus hodie etiam adventitia poſſit uſucapere, quia poſſidere, ſibique habere poteſt. Nec de eo eſt dubitandum, poſtquam Juſtinianus adventitiorum dominium filiisfamilias largitus eſt in *l.* 6. *pr. C. de Bonis quæ liber.* Eadem quoque ratio eſt Giphanii, niſi quod ipſe quaſi caſtrenſium uſucapionem etiam Juri novo tribuat. Adjecit igitur *& maxime*, ne excludamus ex jure novo adventitia, ut Cujacius, vel adventitia & quaſi caſtrenſia ſimul, ut Giphanius ſuſpicatur.

Sed nimium ne crede colori. Agit Paulus de his, qui uſucapere poſſunt, & ait, patremfamilias uſucapere poſſe, poſſe & filiumfamilias, hac interjectione, & maxime militem, quod in caſtris adquiſivit. Si interjectio abeſſet, nihil utique eſſet verius utraque definitione, neque enim tunc quicquam diceret, quam perſonam patris, æque ac filiifamilias uſucapionis eſſe capacem, neque adderet, in cujus rem commodumve uſucapiat filiusfamilias. Uſucapit autem in rem patris, ſi poſſideat rem alienam ex cauſa peculiari, excepta caſtrenſi. Quod adeo verum eſt, ut filius, etiam infans & furioſus, ex cauſa peculiari patri poſſeſſionem adquirat & uſucapiat, ut ipſe ille Paulus ſcribit in *l.* 1. §. 5. *ff. de Adquir. vel amit. poſſeſſ.* Quidni igitur Paulum hic intelligamus, atque ſi dixiſſet, filium recte uſucapere, ſed, ut vulgo, in utilitatem parentis, ſæpe tamen in ſuam, caſtrenſia nempe, ideoque *maxime* ea uſucapere, remota ſcilicet perſona patris? Habent hæc ſenſum commodum, & remota etiam Triboniani perſona interjectioni ſua conſtat ratio.

Sed ſi placeat, ut vulgo placet, quicquid Paulus ait de filio, intelligere de filio, qui ſibi ipſi uſucapit, ego rurſus non intercedam, &, quid mihi videatur, exponam, poſtquam Accurſium præeuntem audiverimus. Ille putat τὸ *maxime* abundare, quod ad ſola caſtrenſia referatur oratio, ſed hæc mera vis eſt. Vel intelligit de filiofamilias *maxime milite*, hoc eſt, qui re ipſa militat, quod de veterano magis poſſit dubitari, & major ſit Juris ratio in eo, qui Reipublicæ operam navat præſentem, quam in eo, qui navavit olim. Quæ interpretatio, quamvis aliis videam placere, mihi ideo diſplicet, quia milites & veterani in peculio jam ſubſcriptione D. Hadriani fuerint æquati, ut eſt in *pr. Inſt. Quib. non eſt perm. fac. teſtam.* Ut ita Pauli ævo non conveniat τὸ *maxime.* Vel, inquit Accurſius, MAXIME, *propter peculium quaſi caſtrenſe*, & hoc probo, & mox plena manu exſequar, quia nec ipſe, nec quiſquam alius, quod ſciam, exſequutus eſt. Vel, quæ quarta Accurſii conjectura, & ipſum Cujacii & Giphanii emblema eſt, *reſpexit ad nova jura, nam hodie in adventitiis uſucapit filiusfamilias.* Sed, dum aliud ſupereſt, ut hoc dicamus, ſecta mea non patitur. Supereſt autem aliud, non modo ea, quam primum dicebam, ratione, ſed ſi vel tertiam Accurſii conjecturam ſequamur, hoc ſenſu: Filiusfamilias ſibi uſucapit quaſi caſtrenſia, ſed, ſi miles ſit, *maxime* caſtrenſia. Et ſane Cujacius, antea largitus, etiam quaſi caſtrenſia recte uſucapi temporibus veterum JCtorum, hic nobis negotium faceſſere nequit, niſi probaret, quod nunquam probabit, ſub vocula *maxime* potius intelligi adventitia ex ratione juris novi, quam quaſi caſtrenſia ex ratio-

tione juris veteris. Plus negotii faceſſeret Giphanius, negans ad *d. l.* 2. *C. de Servit. & aq.* jure veteri quaſi caſtrenſia a filiofam. uſucapi potuiſſe, ſi modo recte negaverit. Quo jure ille ajat, hic neget, ſic tenebis.

At quid rei eſt, quod Paulus *maxime* caſtrenſia uſucapi dicat, ſi idem plane juris ſit in caſtrenſibus? an quod toga cedat armis, atque adeo in militibus major ſit juris ratio, quam in togatis? non putem, quia ſermo eſt de jure, non de ratione juris. Sed hoc, ſi vere auguror, in cauſa fuit, quod inter veteres Juris Prudentes non convenerit, an peculium quaſi militare eodem plane jure fuerit habendum, atque ipſum peculium militare. In cauſa teſtandi ea res turbas dedit. Jure novo utrumque pari loco eſſe diſcimus ex Juſtiniani *l. ult.* §. 1. *C. de Inoffic. teſtam. l. ult. C. Qui teſtam. fac. poſſ.* & §. *ult. Inſt. de Milit. teſtam.* Jure veteri, ut quibusdam peculia quaſi caſtrenſia erant conceſſa, ſic & *horum quibusdam* de quaſi caſtrenſibus licuit teſtari, quemadmodum narrant *Inſtitutiones d.* §. *ult.* Ait *quibusdam*, quia de quibusdam inter omnes conſtabat, de reliquis dubitabatur, ſic enim Juſtinianus hiſtoriam Juris veteris exponit in *d. l. ult. pr. C. de Inoffic. teſtam.* Dicit ita juris fuiſſe *in Proconſulibus, & Præfectis Legionum, & Præſidibus Provinciarum, & omnibus generaliter, qui*, inquit, *in diverſis dignitatibus vel adminiſtrationibus poſiti a noſtra conſequuntur manu, vel ex publicis ſalariis quasdam largitates.* Miratur Cujacius *Not. prior.* ad *d.* §. *ult. Inſt.* & eſt, cur miretur, quamobrem Juſtinianus *Præfectis Legionum* tribuat quaſi caſtrenſe peculium, cum hi vere fuerint milites. Ne hæc turbent, pro *Præfectis Legionum* reſcribit *Proconſulum legatis*, dura criſi. Ego olim, *Præfectis Regionum*, ut comprehendantur reliqui, qui Provinciis quocunque titulo præſunt, quamvis nec Proconſules ſint, nec Præſides, ſed quia video prævenisſe Jacobum Gothofredum, cum nunc incido in ejus *Commentarium* ad *l.* 3. *C. Th. de Poſtul.* mihi nihil quicquam tribuo. Interea animadvertis, quam longe & late jure veteri patuerit facultas teſtandi de quaſi caſtrenſibus, quam porrectum fuerit id jus *ad omnes, in diverſis dignitatibus vel adminiſtrationibus poſitos.* Sed quid de reliquis omnibus dicemus, qui & ipſi quaſi caſtrenſia peculia habebant? quæſtionis id fuit, ut Juſtinianus addit in *d. l. ult. pr.* quia nempe non omnibus paſſim, ſed quibusdam privilegii loco datum erat jus teſtandi; *dea bis*, inquit, *perſonis omnibus, ſi poſſint teſtari,* DUBITATUM FUERAT, *ut puta Viris diſertiſſimis Patronis cauſarum, Viriſque devotiſſimis Memorialibus, & Agentibus in rebus, nec non Magiſtris ſtudiorum liberalium, Archiatris quoque, & aliis omnibus omnino, qui ſalaria vel ſtipendia percipiunt publica.* Et mox in §. 1. conſtituit, & hos de iis teſtari poſſe.

Sic intelligimus, jure veteri de iis, qui primi ordinis erant, rem certam, de iis vero, qui ſecundi ordinis erant, *dubitatum* & ſententiis variatum fuiſſe. Quod igitur in Pandectis legimus, de quaſi caſtrenſibus teſtamenti factionem eſſe *l.* 7. §. *ult. ff. de Donat. l.* 1. §. 6. *ff. ad SCt. Trebell. l.* 3. §. 5. *ff. de Bonor. poſſeſſ.* nec quaſi caſtrenſe peculium conferri *l.* 1. §. 15. *ff. de Collat. bonor.* Jacobus Gothofredus ad *d. l.* 3. *C. Theod. de poſtul.* refert ad eos, qui primi ordinis erant, & ſimul damnat eorum ſententiam, qui, quicquid ibi dicitur de caſtrenſi peculio, *ubique a Triboniani manu eſſe putant.* Vellem modo, ne in *fin. Comm.* ad *d. l.* 3. de eo rurſus dubitaſſet quod ad *d. l.* 3. §. 5. *ff. de Bonor. poſſeſſ.* & *d. l.* 1. §. 6. *ff. ad SCt. Trebell.* Et ſane nulla dubitandi ratio, nam diſſenſionis antiquæ veſtigium eſt apertum in *d. l.* 3. §. 5. cum ait bonorum poſſeſſionem dari tam patrifamilias, quam filiofamilias, *ſi modo jus teſtandi habuit de peculio caſtrenſi vel quaſi caſtrenſi.* Illud *ſi modo* pertinet ad *quaſi caſtrenſia*, nam de caſtrenſibus nemo dubitaverit usquam. Utitur igitur *d. l.* 3. §. 5. oratione ſuſpenſa, quæ ipſa forſan eſt in *d. l.* 1. §. 6. *ff. ad SC. Trebell.* ſed ſi vel rotunde ibi dixiſſet Ulpianus, ut dicit in *l.* 7. §. *ult. ff. de Donat.* de quaſi caſtrenſibus teſtamenti factionem eſſe, & ut dicit in *d. l.* 1 §. 15. *ff. de Collat. bonor.* peculium quaſi caſtrenſe non conferri, quid vetat ea intelligere κατὰ τὸ πλεῖστον? in pleriſque enim, ut dixi, caſtrenſium & quaſi caſtrenſium par erat cauſa. Quin nec deërant JCti veteres, qui in omnibus utriusque peculii cauſam æquabant, quod non negat Juſtinianus in *d.* §. *ult. Inſt. de Milit. teſtam.* ſed palam profitetur in *d. l. ult. pr. C. de Inoffic. teſt.* cum ait, de eo dubitatum fuiſſe. Si dubitatum fuerit, utique quorundam ſententia erat, generaliter omnes de quaſi caſtrenſibus potuiſſe teſtari, quod miror Jacobum Gothofredum aliosque Viros doctos non animadvertiſſe, & eo quoque retuliſſe JCtos, qui generaliter loquuntur in *d. l.* 7. §. *ult. ff. de Donat.* aliisque quæ idem dicunt.

His probe excuſſis, jam nemo dubitabit, quin Paulus in noſtra *l.* 4. §. 1. *ff. de Uſurp. & uſucap.* prorſus redoleat jus antiquum, quo de caſtrenſibus nulla, de quaſi caſtrenſibus major erat dubitatio, & ſic conſtat ratio ejus, quod dixit, filiumfamilias, *maxime militem* in caſtris adquiſitum uſucapere. Plus dico, ne quidem Pauli ſermonem ex jure novo ſubſiſtere, nam eo jure inter caſtrenſia & quaſi caſtrenſia nihil quicquam diſtinctionis ſupererat, quin nec inter caſtrenſia & adventitia, quod ad cauſam uſucapionis; *æquo* ſcilicet *jure* hæc omnia uſucapiuntur, & tamen Paulus reſpicit ad caſtrenſia, quæ magis vel *maxime* uſucapiuntur. Quod convenit quaſi caſtrenſibus ex jure veteri, non his vel adventitiis ex jure novo.

CAPUT XXIII.

Nihil a Triboniano eſſe adſutum Legi 32. ff. de Judic.

Si Magiſtratus, qui judicis dandi poteſtatem habet, ſive Prætor, ſive Conſul (nam de Conſule hic agi legis inſcriptio indicat) ſive alius quisquam Judicis formulæ inſeruerit, ut intra certum tempus judicaret, & is deceſſerit alio ſubdito, ait Ulpianus, idem tempus in perſona ſubditi præſtitutum intelligi, quamvis Magiſtratus in ſequentis datione hoc nominatim non expreſſerit, *ita tamen*, inquit, *ut legitimum tempus non excedat.* Quemadmodum Juſtinianus cauſis criminalibus finiendis biennium præſcripſerat in *l. ult. C. Ut intr. cert. temp. crimin. quæſt. termin.* ſic civilibus triennium præſcribit in *l. Properandum* 13. §. 1. *C. de Judic.* Quum vero nec ea, nec alia quævis lex annaria, quæ lites certo tempore finire jubet, quod ad cauſas civi-

viles, veteri memoria uſpiam exſtet, finalem clauſulam *b. l.* 32. ex *d. l.* 13. §. 1. eſſe translatam una fere omnium Interpretum vox eſt. Quibusdam teſtimonium denunciavit Wiſſenbach in *Emblem. Tribon.* aliis etiam Wybo contra *Embl. Tribon.* in *b. l.* 32. Plures poſſem addere, magna quoque nomina, ſi numero & auctoritate Interpretum potius, quam rationibus res eſſet tranſigenda. Sed quid cunctor dicere, omnibus illis, ut ſæpe alias, ita & hic facem prætuliſſe Accurſium, cum ait, Compoſitores hic reſpexiſſe ad *d. l.* 13. §. 1. & inde eſſe ἐπίβλημα in *b. l.* 32.

Charondas in *Not.* non adſentitur iis, quæ hic finalia Triboniano adſcribunt, ſed absque ulla eorum explicatione, quod nobis non licet. Si qua lex exſtaret, quæ jure veteri litibus finiendis terminum poſuiſſet, quamvis alium, quam jure novo, ut eſt in cauſa uſucapionis, ab emblemate nullus eſſet metus, ut ſupra dicebam *C.* XIX. *in fin.* ſed ejusmodi legem fruſtra quæro. Putat tamen ſe reperiſſe Rævardus *L.* IV. *Varior. C.* 14. at vero longe aliud ſibi velle locum Sidonii Apollinaris, quo abutitur, Cujacius *Not. pr.* ad *pr. Inſt. de Perpet. & temp. action.* & *L.* IX. *Obſerv. C.* 24. & poſt eum alii totiens totiensque dixerunt, ut verbum non amplius addam. Briſſonius de *V. S. verb. legitimum tempus*, intelligit hic tempus ad judicandum Lege Julia judiciaria præſtitutum, ſic, inquit, *credo*, ſed ego non credo, niſi teſtem, quem non habet, adferat idoneum. Cujacius *L.* XVII. *Obſerv. C.* 13. videtur indicare, etiam olim cauſis civilibus judicandis præfinitum fuiſſe certum tempus, adducta in hanc rem *l.* 18. §. 4. *ff. de Dol. mal.* Sed Paulus loquitur de lite, quæ temporibus legitimis transactis perit, impleto nempe uſucapionis tempore, nam ſic Marcellus interpretatur *tempus, quo lis perit* in *l.* 2. *ff. de Diverſ. tempor. præſcript.* Wybo noſter, ſi recte intelligo, *legitimum tempus* in *b. l.* 32. accipit de tempore, quod Magiſtratus, in addictione prioris judicis, præſtituit, ut poteſt *l.* 2. §. 2. *ff. de Judic.* quodque ſervandum eſt, niſi partes mutuo conſenſu tempus prorogarint, ut ibi additur. Sed tempus, longius, brevius, intra quod judex judicare juſſus eſt, pendet ex arbitrio Magiſtratus dantis, & id *legitimum* appellari putem ſine exemplo eſſe. Quin tantum abeſt, ut id tempus excedi non poſſit, ut, defuncto priore, in addictione poſterioris judicis, id tempus *ex integro* repetitum intelligatur, quamvis Magiſtratus id nominatim non expreſſerit, ut ante dixerat Ulpianus.

Igitur aliud tentandum eſt. Et ſane, ſi judex, qui ad certum tempus, vel intra certum judicare juſſus eſt, ut ſæpe accidit, & ſibi quoque accidiſſe narrat Gellius *L.* XII. *Noct. Attic. C.* 13. ſi, inquam, is judex deceſſerit, & alius ei fuerit ſuffectus, rationis eſt, quantum temporis primo datum fuerat, tantundem ſecundo datum intelligi; finge primo datos fuiſſe III. menſes, usque ad Calendas forte Auguſti, & hunc deceſſiſſe prid. Cal. Aug. aliumque ejus loco fuiſſe ſubditum ipſis Calendis Auguſti, is ſubditus, etiamſi nihil expreſſum ſit, eadem conditione datus cenſebitur, hoc eſt, ad idem trimeſtre tempus. Sed an ſemper & ubique verum eſt, in ſecundo judice eadem tempora repetita intelligi? negat Ulpianus, & prudenter addit: *ita tamen ut legitimum tempus non excedat.* Quod ipſe interpretor de tempore, quod ex lege præſtitutum eſt finiendo Magiſtratui ejus, qui judicem dederat. Fac, tres menſes in ſpecie, quam propoſui, excurrere in tempus novi Magiſtratus, judex ſubditus non habebit tres menſes plenos, ſed tantum temporis, quantum Magiſtratui veteri ſupereſt ad exercendam jurisdictionem. Quare, cum prior judex tres menſes haberet ad judicandum, poſterior non habebit, ſi tres menſes, ex integro numerandi, forte excederent Calendas Januarias futuras, atque ita inciderent in tempora Magiſtratus novi, qui eum non dederat. Id vero non licet, nam & Ulpianus noſter memorat in *l.* 15. *pr. ff. de Re judic.* a Divo Pio reſcriptum eſſe, judicum a ſe datorum ſententiam exſequi oportere hos, qui eos dederunt. Et preſſius ipſe ille in *l.* 13. §. 1. *ff. de Jurisdict. Magiſtratus vel is, qui in poteſtate aliqua ſit, judicare jubere eo die, quo privati futuri eſſent, non poſſunt.* Utile eſt, ad hæc illuſtranda, excutere ſpeciem, quam ex Græcis ad *d. l.* 13. attulit Cujacius ad *Tit. C. de indiction.* nam in Scholiis Baſilicorum, quæ Fabrotus edidit, fruſtra eam quæro. Nec dubitandum, quin cum Prætore mutato mutati quoque fuerint judices. Aſconius *in Verrem. de Præt. Urb. p. m.* 74. de aſtutia Ciceronis ita infit: *Dicendi facultatem nullam ei* (Hortenſio) *dedit, nihil ipſe dicendo: etenim metuebat, ne, ſi locum dicendi inveniſſet Hortenſius, brevitatem temporis longa Oratione conſumeret, ut ſecunda actio ad alios judices, qui corrumpi poſſent, aliumque Prætorem poſt Cal. Jan. perveniret.* Atque ita ſe res habet in judice, ad tempus dato, nam ſi pure & ſimpliciter fuerit datus, obtinebit *l.* 49. §. 1. *ff. de Judic.* ut & Cujacius animadvertit ad *L.* III. *Reſponſ. Paul.* in *d. l.* 49. §. 1.

Igitur, ſi me audias, *legitimum tempus* in *b. l.* 32. non eſt tempus judiciis, ex jure novo, ſed Magiſtratibus finiendis, ex jure veteri præſtitutum. Et quo magis id credamus, ſciendum eſt, longe aliud juris eſſe in judice ſurrogato in *l.* 13. §. 8. *C. de Judic.* quam eſt in *b. l.* 32. Ecce verba Juſtiniani in *d. l.* 13. §. 8. *verſ. ult. Sin autem in medio triennii, vel morte judicis, vel alia irrecuſabili occaſione judicium fuerit mutatum, tunc, ſiquidem ex triennio annale tempus, vel amplius, reſidet, in quo alius judex ei cauſæ imponitur, intra reliquum tempus cauſa finiatur. Sin autem minus, quam annale ſit, tunc omne, quod deëſt, repleatur, ut non in minore, quam perfecti anni tempore, litem poſſit ſubrogatus judex tam diſcutere quam terminare.* Agit hic de judice ſimpliciter ſive pure dato, qui etiam poteſt judicare poſt finitum Magiſtratum dantis *d. l.* 49. §. 1. *ff. de Judic.* ad certum tempus datus, ſi id excedat Magiſtratum, non poteſt, quia ſic Conſul forte vel Prætor, quorum annuum imperium erat, juberet judicare eo die, quo privati futuri eſſent *d. l.* 13. §. 1. *ff. de Jurisdict.* & ad hanc ſpeciem pertinet *b. l.* 32. Quinimo ſi vel pertineret ad judicem, ſimpliciter & non adjecto tempore datum, alia ejus eſſet definitio, quam eſt in *d. l.* 13. §. 8. Illa diceret, ſi judex abiit, unde negant redire quemquam, ſubdito alio, qui acta prioris judicii ſequitur *l.* 60. *ff. de Judic.* eadem quoque judicandi tempora dari, quæ data fuerant defuncto, ita tamen, ne ſucceſſor *legitimum tempus, triennii*, ut volunt, excedat. At vero *d. l.* 13. §. 8. non ex integro eadem tempora largitur ſubdito judici, ſed quicquid ex triennio plus anno ſupereſt, ſi minus ſuperſit, ſuppletur, quod deëſt, & legitimum tempus triennii exceditur. Quæ longe diverſa ſunt, etiam quoad clauſulam finalem,

in *h. l.* 32. Diverſa eſſe ipſe Giphanius agnoſcit *Comment.* ad *d. l.* 13. §. 8. *C. de Judic.* ſed tamen, quo ſolet eſſe erga Tribonianum animo, ejus manum quoque ibi agnoſcit in *h. l.* 32.

CAPUT XXIV.

A Compoſitoribus juris nihil immixtum eſſe Legi 10. *nec* L. 11. ff. de R. N.

Adeo placuit ſtudium quærendi & deprehendendi Triboniani, ut, ſi jus novum non exſtet, ex quo argui poſſit interpolatio, continuo jus novum in eam rem fingant. Exemplo ſint *l.* 10. *&* *l.* 11. *ff. de R. N.* in quibus *triennium* ex nova quadam Conſtitutione Tribonianum inſeruiſſe, ſimpliciter & aliud agens notaverat Merillius ad *Deciſ. Juſtin.* XX. in *l.* 25. *C. de Nupt.* cujus, non laudati, etiam ipſa verba deſcripſit Wiſſenbach in *Embl.* ſed plura procul dubio fuiſſet deſcripturus ex Cujacio, ſi hunc primum emblematis auctorem ſciviſſet, & quam prolixe pro ea ſententia diſputaverit ad *Pauli L.* XXXV. *ad Edict.* in *l.* 2. *ff. de R. N.* & ad *Juliani L.* LXII. *Digeſtor.* in *l.* 11. *ff. Eod.* Quæſitum eſt, an, patre captivo, filiusfam. uxorem ducere poſſit? & ait Ulpianus in *l.* 9. §. 1. *ff. de R. N.* poſſe, *ſi non intra triennium revertatur pater.* Idem ex Paulo porrigitur ad patrem peregre abſentem, ſi ignoretur, ubi ſit, & an ſit, in *l.* 10. *Eod.* Mox additur ex Juliano in *l.* 11. *Eod.* utroque caſu, tam captivitatis, quam alterius abſentiæ, ne quidem triennium esſe exſpectandum, dummodo certum ſit, conditionem patri non diſplicituram.

Difficultatem habet, quod Ulpianus in *d. l.* 9. §. 1. patre captivo, triennium exſpectari jubet, quum Paulus, eo caſu, ſimpliciter nuptias permittat in *l.* 8. *ff. de Pact. dotal.* & Tryphoninus quoque in *l.* 12. §. 3. *ff. de Captiv. & poſtlim. reverſ.* addita ratione, quod pater, quamvis conſentire nuptiis non poſſit, utique nec diſſentire poſſit, & quod temporis conditio neceſſitasque, & publica nuptiarum utilitas id exigant. Sed nihil turbat *d. l.* 8. quia Paulus ait, *quotiens* liberi, patre ab hoſtibus capto, nuptias contrahunt, hos ipſos etiam recte paciſci dotis nomine, de triennio nihil adfirmans, nihil negans. Poſſes dicere, ut Accurſius dixit, neque Tryphoninum negare in *d. l.* 12. §. 3. triennii rationem eſſe habendam, ſed, ut id dicamus, non patitur ſubjecta diſputatio. Quid igitur? an exiſtimabimus, ut exiſtimavit Janus a Cotta ad *princ. Inſtit. de Nupt.* inter veteres Juris Auctores non conveniſſe, an, patre captivo, triennium eſſet exſpectandum? fuiſſe, qui adfirmabant, ut Ulpianus in *l.* 9. §. 1. Paulus in *l.* 10. & Julianus in *l.* 11. *ff. de R. N.* ſed tandem itum eſſe in ſententiam negantium, quam proponit & defendit Tryphoninus in *d. l.* 12. §. 3. Sed ita dicimus, quod eſt incertiſſimum, & quod impingit in regulam Ulpiani in *d. l.* 9. §. 1. patre captivo, triennium eſſe exſpectandum, & ex qua regula Paulus in *d. l.* 10. argumentum ducit ad patrem, etiam alias abſentem, & de ea inquit ſpecie *merito dubitatur.* De alia dubitatum non reperi. Attamen quia Julianus *in fine d. l.* 11. ſtatim nuptias indulget, modo *certum ſit*, id eſt, *veriſimile*, ut recte exponit Gloſſa, patrem conditionem non eſſe repudiaturum, ego malim Tryphoninum, ut ut generaliter loquentem, de hac ſpecie, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidit, intelligere, quam totum triennium abrogare.

Atque hæc præfanda duxi, ut de cauſa emblematis tutius & certius decernamus. Nunc audi Cujacium ad *L.* XXXV. *Pauli ad Edictum* in *d. l.* 2. *ff. de R. N. illa*, inquit, *triennii præſcriptio eſt ex Conſtitutione aut Lege aliqua veteri: neque enim poteſt JCtus ſine Lege aut Conſtitutione negotii tempora præfinire. Et obtinuit quidem primum illa præſcriptio in patre, capto ab hoſtibus, deinde obtinuit in abſente patre ex Conſtitutione, ut arbitror, Juſtiniani, nam hæc verba l.* 10. ET, SI TRIENNIUM EFFLUXERIT, POSTQUAM APERTISSIME FUERIT PATER IGNOTUS, UBI DEGIT, ET AN SUPERSTES SIT, NON PROHIBENTUR *&c. ſubolent Triboniani ſermonem, a quo & in l. ſeq.* 11. *inſerta hæc videntur*, VEL ABEST, *&* VEL ABSENTIÆ, *eo, quod Julianus ſcripſerat de patre capto ab hoſtibus, a Triboniano porrecto etiam ad patrem abſentem.* Sic ibi Cujacius, & ſic fere ad *L.* LXII. *Digeſt. Juliani* in *d. l.* 11. *ff. de R. N.* Largiamur, quod præſcriptio triennii, patre captivo, ſit ex Conſtitutione aut Lege aliqua veteri, ſed quidni, ex Diſputatione fori, veteres JCti eam recte porrexerint a caſu captivitatis ad caſum alterius abſentiæ? Sic illi juſta interpretatione, quod in una ſpecie ſancitum erat, ad aliam tranſtulerunt, cum par eſſet ratio. Quid opus eſt in eam rem fingere Conſtitutionem alicujus Principis? & cur potius Juſtiniani, quæ nuſpiam extat, quam alterius cujusdam Principis? Sed oportet fingere Conſtitutionem Principis, Paulo poſterioris, ne, ſi prior fuerit, interpolatio intercidat, quod omni ſcilicet ope cavendum eſt. Vides, tam facile hæc refutari, quam vulpes pyrum comeſt. Sed plus dico. Si triennium, quod patre abſente eſt exſpectandum, originem deberet Conſtitutioni alicujus Principis, de eo jure utique nemo dubitaverit, & tamen dubitatum fuit. *Si*, inquit *l.* 10. *ita pater abſit, ut ignoretur, ubi ſit & an ſit, quid faciendum eſt*, MERITO DUBITATUR? in patre captivo nulla dubitatio, is enim, dum in hoſtium poteſtate erat, nuptiis conſentire non poterat, hoſtium quippe ſervus, ſed quia patris abſentis conſenſus per nuncium vel literas haberi poterat, alia ejus rei ratio eſſe videbatur, ſed tamen, quia proponitur, patrem ita abeſſe, ut neſciatur, an ſit & ubi ſit, utique nec ejus conſenſus haberi poteſt, non magis quam captivi. Unde & in hac ſpecie lapſum triennii deſiderat Paulus in *ſeqq.* Sin ajas, priora verba Pauli esſe, poſteriora Triboniani ex aliqua Conſtitutione, & forte Juſtiniani, quæro, cur in Paulo non etiam *dubitationem* ſuſtuliſſet, & narraſſet potius jus certum ex lege certa? Igitur Pauli, & vere Pauli ſunt in *d. l.* 10. & vere Juliani in *d. l.* 11. quæ de patre abſente leguntur.

Sed videamus, an, quod ex re ipſa efficere non potuit Cujacius, ex ſtilo recte effecerit? Sane lubrica res eſt, quum nihil novi Juris offendas in argumento, de quo agitur, ex ſolo ſtilo Tribonianum arguere. Si ipſa Jurisprudentia bene ſe habeat, eccur ſtilum mutaſſet, & melioribus pejora ſubſtituiſſet? Quin non eſt, ut tam præclare ſentiamus de ſtilo veterum JCtorum, quia plerumque ætate purior oratio jam de-

defecerat. Inter Scriptores illorum temporum nemo Romane, pauci Latine loquebantur; JCti præ ceteris quidem terſiores, utpote adſueti priſcarum legum verbis & formulis, ſed a labe & vitio Seculi non ipſe Valla eos abſolverit. Hic Cujacium turbat illa loquutio in *d. l.* 10. *poſtquam apertiſſime fuerit pater ignotus, ubi degit, & an ſuperſtes ſit*, & turbat, opinor, Græcum dicendi genus, quod hic ſervant Baſilici *L.* XXVIII. *T.* 4. *C.* 7. ἄγνωστος ὁ πατὴρ, ὅπου τί ἐστι, καὶ εἰ περίεστιν, *ignotus pater, ubi ſit, & an ſuperſit*, ſed non ſervavit Harmenopulus *L.* IV. *T.* 4. §. 10. qui vertit, ἐὰν ἀγνοῆται, ποῦ διάγει, καὶ εἰ περίεστιν, *ſi ignoretur, ubi pater degit & an ſuperſit*, ut magis Latine diceremus. Sed vero in Pandectis plura dici Græcanice, nemo ignorat, poſtquam Auguſtinus, Briſſonius, & qui *de Latinitate veterum JCtorum* ſcripſit *p.* 347. 358. 406. & in *Notis* Dukerus noſter Hellenismos, ubique obvios, exhibuerunt. Addo, quod magis ad rem, illam phraſin, *ignotus ille, ubi degit*, vel, quod perinde eſt, *manifeſtus ille hoc vel illud facere*, adeo JCtis noſtris eſſe familiarem, ut bis ea utatur Ulpianus in *l.* 22. §. 8. *ff. Solut. matrimon.* ſemel Julianus in *l.* 3. *ff. de Dot. præleg.* & iterum Paulus, legis noſtræ auctor, in *l.* 33. *ff. de Legat.* I. Scio, etiam Triboniano tribui *d. l.* 22. §. 8. & *d. l.* 33. ſed Juliano non eſt, qui non tribuat *d. l.* 3. ubi eadem loquutio. Quin & idem dicendi genus reperitur apud Tacitum *L.* II. *Annal. C.* 57. & *L.* XV. *C.* 54. *C.* 60. & *C.* 66. & apud Auctorem *Dialogi de Orator. C.* 16. quæ utique nemo interpolata finget. Igitur ſive Græciſmum latere credamus in *d. l.* 10. ſive non credamus, æque res eſt in vado, cum apud Auctores, tam noſtros, quam exteros, tot exemplis ſe tueatur Pauli loquutio.

Si nobis res eſſet cum Antonio Fabro, is cauſaretur, omnia illa Juris capita, quæ agunt de nuptiis liberorum patre captivo vel abſente, male cohærere, eſſe confuſa & ſibi invicem oppoſita. Mox hæc, qualiacunque ſint, addiceret Triboniano, ut ſolet omnia, quæ vel non intelligit, vel turbata cenſet. Ecce quam varie. Tryphoninus ſimpliciter ſcribit in *d. l.* 12. §. 3. *ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* medio tempore captivitatis filium poſſe ducere uxorem, quia pater captivus, ſi non conſentire nuptiis, utique nec diſſentire poſſit, & id exigere publicam nuptiarum utilitatem. Ulpianus in *d. l.* 9. §. 1. *ff. de R. N.* patris reditum per triennium exſpectari vult. Idem porrigit Paulus in *d. l.* 10. *Eod.* ad patrem peregre abſentem, ſi, ubi ſit, & an ſit, ignoretur. Sed Julianus in *l. ſeq.* 11. illico ſubjicit, & id quoque ſimpliciter, utroque caſu, tam captivitatis, quam alterius abſentiæ, liberos utriusque ſexus recte nuptias contrahere, *dummodo eam filius ducat uxorem, vel filia tali nubat, cujus conditionem certum ſit patrem non repudiaturum.* Sed nolim frontem contrahi; bene cohærent omnia. Patre captivo vel alias abſente ejus reditum præſtolari oportet & filium & filiamfam. ad usque triennium, id dandum videbatur reverentiæ paternæ, & id quoque exigunt Ulpianus & Paulus. Tryphoninus quidem, non exſpectato, ut videtur, triennio, ſimpliciter nuptias permittit, ſed quemadmodum hoc intelligendum ſit, diligentius exponit Julianus, negat ille, intempeſtiva vota eſſe urgenda, ſed, ſi certum ſit, conditionem patri non eſſe diſplicituram, moram omnem præcidit. Extorſit hanc a triennio exceptionem evidens ratio. Abeſt pater. Offertur filiæfam. lauta conditio, nam ecce homo bene peculiatus adeſt e machina. Quid rerum aget puella, ipſa conſilii inops? hancce conditionem dilabi pateretur? negant bene factum agnati, cognati, propinqui omnes, de conſilio & conſenſu parentis tantum non certi. Nubat igitur bonis avibus. Idem juris eſt in filiofam. ſi modo contigerit capitis matrona pudici, belli, divitis. Sic omnia recte cohærent.

CAPUT XXV.

Variæ Emendatiunculæ.

I. Ulpianus in *l.* 14. §. 4. *in fin. ff. de Relig. & ſumpt. fun.* ait, funeris quoque impenſam eſſe, *ſi quid in marmor vel veſtem collocandam.* Sic ubique editum vidi, ſed quid ſit *veſtem collocare*, non ſatis intelligo. An ſubaudiemus *in feretro*, dum mortuus effertur? Eſt id duriuſculum; ſimpliciter intelligo, quicquid expenditur in veſtes ſepulchrales, & ſic quoque Baſilici interpretati ſunt *L.* LIX. *T.* 1. *C.* 14. §. 4. Lego igitur *collocandum*, & ita legendum eſſe adjectum *marmor* ſignificat. Si quid in marmor vel veſtem *collocandum*, id eſt, *expendendum, erogandum.* In eandem ſententiam ipſe ille Ulpianus *collocandi* voce uſus eſt in *l.* 7. §. 11. *ff. de Admin. & peric. tut.* & *l.* 43. §. 3. *ff. de Furt.*

II. Quod Florentiæ eſt in *l.* 44. §. 6. *ff. de Uſurp. & uſucap.* furioſum *utilitate ſuadente relictum eſt . . . implere uſucapionem*, ſenſum non habet. Robertus Stephanus aliique Editores ſubſtituerunt, *receptum*, quod ſequuntur Cujacius, Ruſſardus, alii. Sunt qui & alia quæque ineptiſſima infarcivere. Ego malim: *relatum eſt*, ut enim dicimus *relatum quid eſſe apud JCtos*, quemadmodum in *l.* 2. §. 5. *ff. Qui pet. tutor.* ita ſimpliciter *relatum* pro *apud JCtos in eorum Scriptis probatum*, quemadmodum in *l.* 1. §. 1. *ff. de Senator. l.* 3. §. 4. *ff. de Hered. inſtit.* & *l.* 2. §. 5. *ff. ad Municip.* Atque ita Auctor *Dialogi de Orator. C.* 22. ſimpliciter *referre* dixit pro *locum laudabilem annotare.*

III. Actio de ſervo corrupto in duplum eſt, ex re & pœna mixtum: *In hac actione*, inquit Paulus in *l.* 14. §. 5. *ff. de Serv. corrupt. non extra rem duplum eſt, id enim quod damni datum eſt, duplatur.* Quid igitur ſibi vult Ulpianus in *l.* 13. *pr. Eod.* cum ait illam actionem in heredem non dari, *quia pœnalis eſt*? Atqui non eſt mere pœnalis, ſed & rei perſecutionem continet, & quidni eatenus in heredem detur? Hunc ſenſum habebimus, ſi legamus, in heredem non dari, *qua pœnalis eſt.* Forte idem mendum occupavit *l.* 51. *ff. de Recept. qui arbitr. recep.* nam Florentiæ nullo ſenſu legitur, *Si de re ſua quis arbiter factus ſit, ſententiam dicere non poteſt: quia ſe facere jubeat, aut petere probibeat.* Quid ſi, *ſententiam dicere non poteſt, qua ſe facere jubeat, aut petere probibeat*? Sic malo, quam cum aliis reſcribere *juberet* & *probiberet.* In τοῖς *quia* & *qua* ſæpe Editores variaſſe plurimis exemplis oſtendit Gulielmus Beſt *Ratione emend. leg. C.* 1. *Diſtinct.* 7. §. 2.

IV. Ulpianus ait in *l.* 1. §. 2. *ff. de Peric. & comm. rei vend.* dolium ſignari ſolere, *ne ſummutetur.*

tetur. Ita ſane habet lectio Florentina, ſed *ſummutare* non puto Latinum eſſe, utique me legere non memini. Antiquæ Editiones, quas Haloander ſequutus eſt, exhibent, *ne ſubmitteretur.* Sed ex uſu Latinæ loquutionis tunc dicendum eſſet, *ne aliud ſubmitteretur.* Ego malim, *ne commutetur.*

V. De vocula *vi* ejusque varia ſignificatione recte egit Alciatus tribus locis, quos indicavit Ruſſardus ad *l.* 1. *pr. ff. de Condit. & demonſtr.* Apud Florentinos etiam in *d. l.* 1. *pr.* recte legitur *vi ipſa* pro *ex natura rei.* Gemina loquutio eſt apud Gellium *L.* II. *C.* 7. *quæ* SUA VI *recta aut honeſta ſunt.* Aliquando *vi ipſa* eſt pro *ipſo effectu*, & non differt a τῇ δυνάμει in *l.* 29. *ff. de Recept. qui arbitr. recep.* Sed an *vi* ſolum, & ſimpliciter poſitum, unquam occurrat pro *effectu*, non auſim adfirmare. Apud Paulum tamen legitur in *l.* 45. §. 1. *ff. ad L. Falcid. ut tantum videatur vi deberi, quanti nomen venire poteſt.* Sed donec aliud exemplum ad manus ſit, malim hic vim vi repellere, & delere voculam *vi*, utpote male repetitam ex præcedenti *videatur*, nec tamen deletam, ut elegantiæ ſcripturæ conſuleretur. Sæpe a librariis, quæſtus ſui cauſa, in hanc partem peccatum eſt.

VI. In *l.* 43. *pr. ff. de Condit. & demonſtr.* rogatus eſt heres, ut perceptis ſibi decem, *totam hereditatem revenderet.* Quia agitur de fideicommiſſaria hereditate, æque incommodum eſt *revenderet*, quam Haloandri *venderet.* Aliorum *redderet* nimis abit a lectione Florentina. Lego *rependeret*, quia *rependere*, uſu vulgari, eſt quoque *reddere*, *reſtituere.*

VII. Apud Gellium *L.* XV. *C.* 13. Fragmentum eſt ex XII. Tab. quod inter cetera habet, *ni teſtimonium fariatur*, pro quo Cujacius reſcribit *in teſtimonium feriatur*, id eſt, *pulſetur, cogatur*, ἀναγκάζηται; Hotomanus, *ni teſtimonium fateatur*, quod & Turnebo placet, niſi quis præferat *ferat*; Salmaſius, *niſi teſtimonium fari iatur.* Loca alii indicarunt. Ego malim: *niſi teſtimonium farietur*, id eſt, *dicat*, ab antiquo *farier.*

VIII. In Conſtitutione Juſtiniani, quæ incipit *Deo auctore* §. 6. hæc leguntur: *quæ in notis Æmilii Papiniani ex Ulpiano & Paulo, nec non Marciano adſcripta ſunt &c.* Intelligit notas Ulpiani & Pauli ad Papinianum, quas valere jubet, cum antea non valerent. Hujusmodi notæ Ulpiani ſunt in *l.* 31. §. 2. *ff. de Negot. geſt.* & *l.* 3. *ff. de Adminiſtr. rer. ad Civit. pert.* Pauli in *l.* 16. *ff. de Public. in rem act. l.* 18. *ff. de Servitut. l.* 13. *ff. de Reb. eor. qui ſub tut.* & *l.* 9. *ff. de Ann. legat.* Sed cum hæ ſint ipſius Ulpiani & Pauli notæ, cur hic dicit, *in notis Æmilii Papiniani?* forte reſcribendum eſt, *quæ in notis Æmilio Papiniano . . . adſcripta ſunt* &c.

IX. In Conſtitutione Juſtiniani, quæ incipit *Tanta circa nos* §. 12. ſermo eſt de *Romani Juris diſpoſitione*, per triennium conſummata. Quæ, inquit, ut *primum ſeparari cœpit, neque in totum decennium compleri ſperabatur.* In mendo eſt illud *ſeparari.* Non diſpliceret *ſperari* (ut etiam nonnulli edunt) ſi non continuo ſequeretur *ſperabatur.* An *ſpectari* ſatis aptum ſit, eſt cur dubitem; mallem *reparari* vel *præparari*, ſenſu commodo & rotundo.

X. In *l.* 1. *pr. ff. de Diviſion. rer. & qualit.* ex Gaji *Inſtitutionum Libro* II. muri & portæ recenſentur inter res ſanctas. Et ſane Gajus in *Fragmentis Inſtitutionum*, quæ ſuperſunt, *L.* II. *T.* 1. §. 1. publici juris eſſe dixit muros, fora, portas, theatra, circus, arenas, *quæ*, inquit, *antiqui* SANCTA *appellaverunt, pro eo, quod exinde tolli aliquid aut* CONTINGI *non liceret. Contingere* utique licet, quæ publici juris ſunt, ſed quia violare nullo modo licet, apud Gajum lego: *tolli aut confringi*, quod ſenſum habet.

XI. Quemadmodum alimenta pupillo ſint decernenda, explicat Ulpianus in *l.* 3. *pr.* §. 1. & 2. *ff. Ubi pupill. educ. vel morar. deb.* & in §. 3. ita pergit: *in amplis tamen patrimoniis poſitis non cumulus patrimonii, ſed quod exhibitioni frugaliter ſufficit, modum alimentis dabit.* Lego *poſitus* pro *poſitis*, nempe pupillus, de quo dixerat in §. 2. Ita malo, quam totam eam vocem proſcribere, ut proſcribunt nonnulli Editores, vel contorte explicare, ut explicant alii.

XII. Enumerantur in *l.* 8. *pr. ff. de Inſtr. vel inſtrum. leg.* quæ in inſtrumento fundi ſint, ea nempe, quæ fructus quærendi, cogendi, conſervandi gratia parata ſunt. Primum recenſentur, quæ ad quærendos, deinde quæ ad cogendos, tandem quæ ad conſervandos fructus pertinent. De poſtrema ſpecie ſic liber Mediceus, *Conſervandi, quaſi dolia, licet defoſſa non ſint, & cupæ.* Illud *quaſi* valde hic importunum eſt, & non video, quemadmodum defendi poſſit. Robertus Stephanus: *Conſervandi cauſa, dolia* &c. Plerique autem Editores: *Conſervandi, qualia ſunt dolia*, &c. Ego prætulerim, minori motu, *Conſervandi, quali, dolia* &c. Antea quidem præmiſerat *qualos*, ſed *vindemiatorios exceptorioſque*, ad cogendos nempe fructus, nunc ad conſervandos *qualorum* etiam meminit, at ſine epitheto, ut debebat, quia qualescunque quali ad conſervandum utiles erant.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK

OBSERVATIONUM JURIS ROMANI

LIBER OCTAVUS.

CAPUT I.

Ad Inſcriptionem L. 31. ff. Locat. conduct.

Conſtitui aliquot Capita dare Alfeno Varo in explicanda celebri, nec minus difficili *l.* 31. *ff. Locat. Conduct.* Hanc autem, cum Inſcriptione, ſic Florentiæ edidit Taurellius:

ALFENUS LIBRO QUINTO DIGESTORUM A PAULO EPITOMARUM.

In navem Sauſeji cum complures frumentum confunderant, Sauſejus uni ex his frumentum reddiderat de communi, & navis perierat. Quæſitum eſt, an ceteri pro ſua parte frumenti cum nauta agere poſſunt oneris averſi actione? Reſpondit, rerum locatarum duo genera eſſe, ut aut idem redderetur, ſicuti cum veſtimenta fulloni curanda locarentur, aut ejuſdem generis redderetur, veluti cum argentum puſulatum fabro daretur, ut vaſa fierent, aut aurum, ut anuli. Ex ſuperiore cauſa rem domini manere, ex poſteriore in creditum iri. Idem juris eſſe in depoſito: nam ſi quis pecuniam numeratam ita depoſuiſſet, ut neque cluſam neque obſignatam traderet, ſed adnumeraret, nihil aliud eum debere, apud quem depoſita eſſet, niſi tantundem pecuniæ ſolveret. Secundum quæ videri triticum factum Sauſeji, & recte datum. Quod ſi ſeparatim tabulis, aut heronibus, aut in alia cupa cluſum uniuſcujuſque triticum fuiſſet, ita ut internoſci poſſet, quid cujuſque eſſet, non potuiſſe nos permutationem facere, ſed tum poſſe eum, cujus fuiſſet triticum, quod nauta ſolviſſet, vindicare. Et ideo ſe improbare actiones oneris averſi: quia ſive ejus generis eſſent merces, quæ nautæ traderentur, ut continuo ejus fierent, & mercator in creditum iret, non videretur onus eſſe averſum, quippe quod nautæ fuiſſet; ſive eadem res, quæ tradita eſſet, reddi deberet, furti eſſe actionem locatori: & ideo ſupervacuum eſſe judicium oneris averſi. Sed ſi ita datum eſſet, ut in ſimili re ſolvi poſſit, conductorem culpam duntaxat debere. Nam in re, quæ utriuſque cauſa contraheretur, culpam deberi: neque omnimodo culpam eſſe, quod uni reddidiſſet ex frumento, quoniam alicui primum reddere eum neceſſe fuiſſet, tametſi meliorem ejus conditionem faceret, quam ceterorum.

Ad ipſam Inſcriptionem legis quædam præmittamus. Qua auctoritate Guido Pancirolus *L.* II. *Var. Lect. C.* 43. Antiſtium Labeonem hujus legis auctorem eſſe ſcripſerit, nondum mihi conſtat, in omnibus enim Libris, quos conſului, Alfeno tribuitur. De omnibus *Alfenis*, qui in veteri memoria occurrunt, agere non conſtitui, quin ne quidem de Alfeno hoc noſtro; cum hoc præſtiterint, qui vitas JCtorum veterum ſibi deſcribendas ſumpſerunt, & ex occaſione data vel arrepta paſſim alii. Ut autem inter omnes non conſtat, *Alfenus* noſter fuerit olim Sutor Cremonenſis, & ultra crepidam perrexerit ad Jus Civile, ita omnino conſtat, *Alfenum Varum* fuiſſe auditorem Servii Sulpicii Rufi, ab eoque plurimum profeciſſe, quin inter auditores Servii cum Aulo Ofilio habuiſſe plurimum auctoritatis, ſic ut & Conſul fuerit, quæ omnia totidem verbis narrat Pomponius in *l.* 1. §. 44. *ff. de O. J.*

Poſteritati Alfenus reliquit *Libros* XL. *Digeſtorum*, nec, præter hos, ullius libri, quem Alfenus ſcripſiſſet, meminit Index Florentinus, in Pandectas quoque nulla Alfeni lex ex alio quoquam ejus libro relata eſt. Βιόγραφοι tamen, ex auctoritate *Gellii L.* VI. *Noct. Attic. C.* 5. Alfeno etiam tribuunt *Libros* IV. *Conjectaneorum* ſive *Collectaneorum*, nam in ea voce differunt Editiones, quamvis res eodem redeat. Exhibet Gellius verba fœderis inter Romanos & Carthaginienſes ex Alfeni *Libro Digeſtorum* XXXIV. *Conjectaneorum autem ſecundo.* Perperam hæc verba diſtinxerunt Bertrandus & alii, exiſtimantes, *Librum* XXX. *Digeſtorum* & IV. *Collectaneorum* adduci, & perperam quoque inde effecerunt, quia *quartus Collectaneorum* laudatur, plures *Collectaneorum* libros non fuiſſe, quod utrumque recte obſervavit Bayle *Lexico Gallico Verb. Alfenus, in notis.* Credidit tamen ille, ut hactenus crediderunt omnes, libros quoſdam *Collectaneorum* ſive *Conjectaneorum* Alfeno eſſe adſcribendos, cum diſerte id videatur tradere Gellius. Sed quia major apud me eſt Indicis Florentini, quam Gellii, fides, & quia nulla uſpiam alibi *Conjectaneorum Alfeni* mentio, ego ſubſiſto; quin alia potius rem aggredior via, ita tamen, ut præter conjecturam nihil quicquam pollicear. Recenſet nempe Pomponius in *l.* 2. §. 44. *ff. de O. J.* decem illuſtres Servii Auditores, quorum familiam ducit *Alfenus Varus*, narrat, ex his Decemviris octo tantum libros conſcripſiſſe, *quorum omnes*, mox addit, *qui fuerunt libri, digeſti ſunt ab Aufidio Namuſa in centum quadraginta libros.* Quam huic operi inſcriptionem dederit Namuſa, non explicat Pomponius, ſed nemo negabit, recte inſcriptum fuiſſe COLLECTANEA ſive CONJECTANEA, quod nempe complecteretur omnium Auditorum Servii opera, in unum Corpus *collecta* ſeu *conjecta*, adſcripto, ut res poſtulabat, ſingulis libris auctore ſuo, & peculiari titulo, quo ipſe fuerat uſus. Hos igitur CXL. libros ſuſpicor

cor appellata fuiſſe *Collectanea* ſeu *Conjectanea*; & *Alfeni Digeſtorum* XL. *Libros*, ut primæ erant auctoritatis, primum ibi fuiſſe deſcriptos, & hinc eſſe, quod Gellius ait, Alfenum verba fœderis recitare *Digeſtorum Libro* XXXIV. *Collectaneorum autem ſecundo*, non quod eandem rem bis dixerit, & inepte repetierit diverſis libris, nam cui bono illa repetitio? ſed ſemel *L.* XXXIV. *Digeſtorum*, qui liber deinde *Collectaneis* fuerit inſertus. Vix etiam dubitari poteſt, quin is ipſe liber indigitetur ab Ulpiano in *l.* 1. §. 6. *ff. de Aq. & Aq. pluv. arc.* cum ait, *apud Servii auctores relatum eſſe, ſi qui* &c. utique ſi ibi legas, ut legendum eſſe dudum alii monuerunt, *apud Servii auditores*, quemadmodum & legitur in *l.* 6. *ff. de Dote præleg.* ubi, quod *Servii auditores retulerunt*, eſſe puto ex hoc ipſo Corpore *Conjectaneorum*, ut &, quod legitur in *l.* 12. *pr. ff. de Inſtr. vel inſtrum. leg. ita Servium reſpondiſſe, auditores ejus referunt*, neque enim aſſentior Bertrando, exiſtimanti in *Aufidio Namuſa*, Librum illum, a Namuſa digeſtum, JCtos vocaſſe *auditores Servii*, minus ſcilicet apte, & ſine ulla plane auctoritate.

Fruſtra igitur quæro alios Alfeni libros, quam XL. illos *Digeſtorum*, quorum Index Florentinus meminit, quibusque ille varias Juris materias diſpoſuit & in ordinem redegit. *Digeſtorum* vox, veteribus JCtis pro titulo ſolemnis, quemvis librum denotat, quidcunque tandem eo contineatur, ut recte Salmaſius obſervavit ad *Spartianum in Vero C.* 5. & ad *Tertulliani Pallium p.* 203. Et fragmenta, quæ ſuperſunt ex Alfeni *Digeſtis*, ſatis quoque oſtendunt, varii ea argumenti fuiſſe, & comprehendiſſe Reſponſa juris, cum Sulpicii, Præceptoris ſui, tum ſua ipſius, de variis rebus, quæ incidebant. Antonius Auguſtinus *de Nominibus propriis Pand. Flor.* in *Not.* ad *Alfenum*, ait, ſe a Græcis ſcriptoribus accepiſſe, *omnia Alfeni ſcripta ſumpta eſſe a Præceptore Servio Sulpicio Rufo*, in eamque rem duo loca profert, alterum ex *l. ult. ff. Si Quadr. pauper. feciſſ. dic.* ubi Reſponſum, quod nemo non Alfeni eſſe diceret, ad Servium refert Græcus Scholiaſtes ad *Baſil. L.* LX. *T.* 2. *C.* 5. alterum ex *l.* 14. *pr. ff. de Statulib.* ubi id ipſum facit Scholiaſtes ad *Baſil. L.* XLVIII. *T.* 5. *C.* 15. Potuiſſet addere tertium locum, quem reperi in *l.* 6. *ff. de Manumiſſ.* quæ lex, non minus ac priores duæ, deſumpta eſt ex Alfeni *Digeſtis*, & tamen Græcus Interpres ad *Baſil. L.* XLVIII. *T.* 1. *C.* 6. Servium ibi fuiſſe conſultum, & reſpondiſſe, palam adfirmat. Sed etiamſi ſexcenti Græculi id dicerent de omnibus Alfeni libris, non tamen illis eſſem credulus. An unus idemque Interpres ad tria illa loca id ipſum cenſuerit, an tres fuerint diverſi, nemo dicet, ſi tres diverſi, an omnes propterea Græci Interpretes ejusdem quoque fuerint ſententiæ, nemo dicet, quin vel hi tres, quod de tribus illis locis dixerunt, an de omnibus Alfeni *Digeſtis* intellexerint, nemo etiam tuto dicet. Addo, quod in *d. l.* 6. *ff. de Manumiſſ.* & in *d. l.* 14. *pr. ff. de Statulib.* exhibeatur, *reſpondit*, non *reſpondi*, ut in *d. l. ult. ff. Si quadr. paup. feciſſ. dic.* & quia *reſpondit*, ab Alfeno prolatum, ad alium reſpicit, Græci Interpretes forte ad Servium retulerunt, quemadmodum & Interpres ad *d. l. ult.* quia & ipſe fortaſſe in τῷ κατὰ πόδας legerat, *reſpondit*. Sed minus prudenter id porrigitur ad eas *ll.* Alfeni, ubi eadem ratio non eſt. Patior itaque, ubi Alfenus tertium laudat, non adjecto nomine, Servium Sulpicium intelligi, qua Præceptorem Alfeni, & principem Jurisprudentiæ, ut ſit tanquam αὐτὸς ἔφα: nam ecce & palam ejus auctoritate uſus eſt, ut apparet ex *l.* 65. §. 8. *ff. Pro Soc. Servius apud Alfenum ita notat*, & ex *l.* 77. *ff. de V. S. Servius apud Alfenum putat*, ſed qua fide Bertrandus & Gulielmus Grotius id retulerint ad *Conjectanea Alfeni*, fruſtra quæro. Memoratur & Reſponſum Servii apud Alfenum in *l.* 21. *pr. ff. de Negot. geſt.* ſed ex ejus *libro* XXXIX. *Digeſtorum*, & aliud in *l.* 25. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* ſed ex ejus *L.* I. *Digeſtorum*, nec alios Alfeni libros ipſe novi. Atque ita Alfenus ſcribit, quid Servio placuerit in *l.* 29. §. 2. *ff. de Legat.* III. & apud Alfenum Servius reſpondit in *l.* 67. *ff. de ſolut.* & Servius reſpondit in *l.* quæ Alfeni eſt 45. *ff. de Hered. inſtit.* & ſimpliciter *reſpondit*, quod apud Alfenum eſt in *l.* 43. *pr. ff. de Damn. infect.* patior quoque ad Servium referri, maxime cum Ulpianus Servium de eadem re idem cenſuiſſe referat in *l.* 24. §. 4. *ff. Eod.* nec aliud puto de τῷ *reſpondit* in *l.* 26. *pr. ff. de Oper. libertor.* quia in §. 1. *ejusdem legis*, ſubſequitur, *Item rogavi*, & mox, *reſpondit*, ut Alfenus Præceptorem ſuum de cauſa, quæ incidebat, videatur conſuluiſſe, & ab eo tuliſſe Reſponſum, quod ibi refert. Fortaſſe & ad Servium pertinet, *interrogatus eſt* & *reſpondit*, in *l.* 27. *ff. Locat. cond.* & ſimplex *reſpondit* in *l.* 11. *ff. de Peric. & comm. rei vend. l.* 43. §. 1. *ff. de Damn. infect. l.* 44. *ff. de Hered. inſtit. l.* 14. *ff. de Pecul. legat. l.* 27. *ff. de Cond. & demonſtr. l.* 7. *ff. de Manum.* & *l.* 203. *ff. de V. S.* Sed hæc omnia non prohibent, quominus Alfenus proprio quoque Marte ſcripſerit & reſponderit; vide, quam maſcule ipſe Reſponſa ſua proferat in *l.* 50. *ff. de Recept. qui arbitr. recep. l.* 76. *ff. de Judic. l.* 57. *ff. de Rei vindic. l.* 17. §. 2. *ff. Si ſerv. vind. l. ult. ff. Si quadr. paup. fec. dic. l.* 52. §. 1. 2. 3. & 4. *ff. ad L. Aquil. l.* 26. *ff. Comm. divid. l.* 16. *ff. de Serv. corr. l.* 29. *ff. Locat. cond.* & *l.* 60. §. 1. *ff. de Legat.* III. Et in fragmento de fœdere Carthaginienſi apud Gellium *d. L.* VI. *C.* 5. quaſi ex tripode, *reſpondi ego*. Quin &, quod magis eſt, a Præceptore Servio diſſentit in *l.* 16. §. 1. *ff. de Inſtr. vel inſtrum. leg.* Inſtrumento vineæ legato, nihil deberi Servius reſponderat, Cornelius, qui eum conſuluerat, putabat deberi palos, perticas, raſtros, ligones, & ejus ſententiam Alfenus probat. Scilicet ingenui animi eſt, profiteri, per quos didiceris & profeceris, ſed abjecti & illiberalis, eorum verbis & ſententiis, tanquam glebis, inhærere, neque quicquam ſuo ingenio ſapere. Scio & Africano imputatum, quod in *Libros Quæſtionum*, quos reliquit, nihil retulerit, quod non Juliano, Præceptori ſuo debeatur, ſed & hanc calumniam refutat vel ſola *l.* 38. *pr. ff. de condict. indeb.*

Ceterum & ad alia nos vocat Inſcriptio. Docet illa, docent aliæ aliarum legum Inſcriptiones, Paulum quosdam Alfeni *libros Digeſtorum* in epitomen redegiſſe. Trifariam id ſignificatur Inſcriptionibus, cum tamen unum idemque opus intelligatur, nunc enim exhibetur lex ex *libris Digeſtorum a Paulo epitomatorum*, ut eſt in inſcriptione *h. l.* 31. nunc ex *libris Epitomarum Alfeni Digeſtorum*, ut eſt in Inſcriptione *l.* 15. *ff. Commun. prædior.* nunc ex *Alfeni Libris Epitomarum*, ut eſt in Inſcriptione *l.* 3. *ff. de Interd. & releg.* Index Florentinus earum *Epitomarum* non meminit, neque ſub Alfeno, neque ſub Paulo, utque adeo architecti Pandectarum in exhibendo titulo pro lubitu variaverint. Sed hoc leve eſt. Illud magis me ſollicitum habet, quod ſcribi video, Paulum omnes Alfeni *Digeſto-*

ſtorum Libros epitomaſſe: qui enim vitas JCtorum veterum ſcripſerunt, poſt commemoratos Alfeni *Libros* XL. *Digeſtorum*, mox ſubjiciunt, eos in compendium redegiſſe Paulum, quod non aliter intelligo, quam de omnibus. Unde tamen id ſciri poſſit, non ſatis animadverto. Ex integris *Libris Digeſtorum* ſunt quædam capita tranſcripta in Pandectas, nullum quidem ex *Libro primo*, ſed varia ex *Libro* II. III. IV. V. VI. & VII. ex reliquis nihil; ex Pauli vero *Epitomarum Libris octo* ſunt itidem in Pandectas tranſcripta varia capita, ſed nihil eſt, unde conſtet, an Paulus plus quam octo Libros Alfeni epitomaverit, &, ſi octo, an octo priores, an poſteriores, an medios, an ex univerſo Opere ſelegerit hic illic octo Libros, magis, ut ipſi videbatur, utiles, & dignos, qui in Epitomen redigerentur. Sane non omnes redegiſſe, inde mihi videtur veroſimile, quod ex integris *Libris Digeſtorum* variæ Leges ſint deſcriptæ, absque ulla Epitomes mentione, quodque in componendis Pandectis, ſi Epitome omnes Libros fuiſſet complexa, ea forte perpetuo fuiſſent uſi, qui digerendo Operi præfuerunt. Sed in his & ſimilibus nemo eſt, qui præter conjecturam quicquam præſtare poſſit.

Supereſt, ut inquiramus, in Libris Alfeni, a Paulo epitomatis, quis intelligatur, ubi ſimpliciter occurrit *reſpondit*, & paucis capitibus exceptis, occurrit ſemper, cum hi Libri Reſponſa Juris continuerint; ſemel *reſponſum eſt*, ſemel *ait*, quod eodem redit, & ſemel *reſpondi*, nempe in *l.* 60. §. 1. *ff. de Legat.* III. ſed ſolo forte ſcripturæ vitio, nam mox in §. 2. *ejusd. l.* eſt *reſpondit*, & in §. 3. *ait.* In integris *Libris Digeſtorum* ubi eſt *reſpondit*, id ſupra facile paſſus ſum ad Servium referri, & eo pertinebant leges, quas ex integris *Libris Digeſtorum* adducebam; ubi vero in *Epitome* eſt *reſpondit*, id refero ad Alfenum, cujus ſententiam Paulus epitomator exhibet. Dicitur hæc *oratio obliqua*, ab his maxime frequentata, qui quid ex aliis referunt. Scripſit Javolenus *Libros* V. *ex Plautio*, quapropter *ait*, quod eſt in *l.* 46. *ff. de Condict. indeb.* ad Plautium refero. In aliis Epitomis idem obtinet. Verrii Libros epitomavit Feſtus, & Feſti rurſus Paulus Diaconus; ubi apud Feſtum eſt, *dicit*, *ait*, ut in *V. Salicem* & *Salinum*, intelligit Verrium, quem epitomavit, ubi apud Paulum, intelligit Feſtum. Atque ita & in ceteris.

CAPUT II.

Ad ipſam *l.* 31. *ff. Locat. conduct.* his verbis: *In navem Saufeji cum complures frumentum confunderant, Saufejus uni ex his frumentum reddiderat de communi, & navis perierat.*

Sunt hic quædam variæ lectiones, tam in Libris editis, quam MSS. ſed quæ fere omnes nullo diſcrimine habentur. Nihil intereſt, utrum legas *in navem*, ut eſt in Florentina, an *in nave*, ut eſt in Vulgata, Norica, & Editione R. Stephani; nihil etiam intereſt, utrum legas *cum complures*, ut eſt Florentiæ, an omiſſo *cum* ſimpliciter *complures*, ut eſt in aliis, quas dixi, Editionibus, vel *cum plures*, ut eſt in MS. meo ſine Gloſſis. Et quis referre dixerit, an legas *reddiderat*, ut omnes Editores habent, an vero *reddidit*, ut eſt in eodem MS.? Sive etiam legas, *& navis perierat*, ſive *eaque navis*, ſive *& ea navis*, in quo etiam Libri variant, me difficilem arbitrum non habebis: patere modo, ut dicam, in pari cauſa apud me vincere ſcripturam & auctoritatem Libri Medicei.

Idem dico de nomine *Saufeji*, ſic enim ediderunt, Taurellius, Haloander, Vintimillius; in Vulgatis Libris & MS. meo Gloſſato eſt *Sauphelii*, in alio MS. ſine Gloſſis *Sauphelii*, in aliis *Saupbelli*, in aliis *Saupbetii*, in aliis aliter, ut in nominibus propriis magna ſolet eſſe ſcripturæ varietas. Sed omnino legendum *Saufejus*, quod nomen in Republica Romana ſatis fuit uſitatum. Tres Saufejos Pancirolus reperit *L.* II. *Var. Lect. C.* 43. duos apud Ciceronem, tertium apud Aſconium Pedianum; addo quartum apud Ciceronem *L.* VII. *ad Attic. Epiſt.* I. quintum apud Plinium *L.* VII. *C.* 53. & plusquam viginti Saufejos & Saufejas apud Gruterum in *Inſcriptionibus*, loca non adſcribo, quia *Index* notavit, & lectorem lapidibus obruere non meus eſt mos. Non addo Tacitum *L.* XI. *Annal. C.* 35. quia dubia ibi lectio eſt. Addo potius Saufejam apud Juvenalem *Satyr.* VI. *verſ.* 318. & Saufejum Scriptorem apud antiquum Commentatorem, ex Codice Fuldenſi, ad *Æneid. L.* I. *verſ.* 10. Etiam *Legis Saufejæ* meminit Gellius *L.* XI. *C.* 10. Scipio quoque Gentilis *Orig. ad Pand.* Verbis, *heres, liber*, Saufejam protulit ex Juvenalis *Satyr.* IX. *verſ.* 117. ſed de etymo nominis ſtrenue nugatur. Recte igitur Florentinam lectionem Vulgatæ præfert Pancirolus; *Saupheli* quoque nomen, quod habet Vulgata, nuspiam reperi in marmoribus aut lapidibus, quin nec alibi apud veteres Auctores, ut inde fere efficias, frequentatum non fuiſſe.

Hunc Saufejum fuiſſe exercitorem navis Gloſſa ſcribit, ſed verius eſt, magiſtrum fuiſſe, & inde eſſe, quod mox dicatur, an *cum nauta* agere poſſint? an vero hic Saufejus fuerit aliquis Saufejorum libertus, qui nomen a patrono acceperit, quod Pancirolus exiſtimat, ego non auſim adfirmare.

Ait Florentinus Editor, *confunderant*, alii Editores, quos adivi, omnes, Libri item MSS. *confuderant*, ne ſcilicet Grammatica obſtaret. Sed vel ſic præfero lectionem Florentinam, nam veriſſimum eſt, quod obſervavit Scaliger ad Varronis *L.* I. *de R. R. in fin.* Veteres ſæpe formaſſe præterita ad analogiam temporis præſentis. Exempla, quæ ipſe adfert, non deſcribo, cum ibi legere, & deſcripta videre licet apud Morhoffium *Epiſtola de Latinitate Pandectarum* in V. *tolliſſe.* Adde, ſi tanti ſit, quæ de voce *tolliſſe* ipſe in hanc rem dixi *Obſerv. Jur. Rom. L.* I. *C. ult.* Similes a præſenti inflexiones ſæpe occurrunt in Pandectis, apud Morhoffium *d. loc.* reperies *præſtavit* pro *præſtitit* in *l.* 36. §. 1. *ff. de Heredit. petit.* *fluerat* pro *fluxerat* in *l.* 56. §. §. 1. *ff. de Acquir. rer. domin.* *ſtrixerit* a veteri *ſtrigo* pro *ſtrinxerit* in *l.* 1. §. 3. *ff. ad L. Cornel. de ſicar.* quemadmodum *pluverat* apud Plautum ab antiquo *pluveo.* De noſtro *confunderant* nihil monet Scaliger, nihil Morhoffius, & tamen ejusmodi ἀρχαϊσμὸς magis ferendus eſt in Alfeno, quam in Chariſio aliquo. Addo *intellegerit* pro *intellexerit* in *l.* 1. §. *ult. ff. Quod vi aut clam.* & *evellerit* pro *evulſerit* in *l.* 9. §. 2.

Eod. & quidni etiam addam *l.* 44. *ff. Mand.?* quæ ait, dolum eſſe, ſi quis non exegerit, *quod exigere, ſolvere*, nullo plane ſenſu. Loci mendoſi, ſi quis uſpiam, varie tentata medicina eſt, nolim cuncta referre, vis major ubique pellucebit, niſi *ſolvere* parva, an nulla mutatione, vertas in *ſoluere*, pro *ſoliti ſunt* a *ſoleo*; dolus ſcilicet eſt, ſi quis non exigat, quod alii exigere ſunt ſoliti. Varro de *L. L. Libr.* VIII. *p. m.* 123. ita infit: *quoniam eſt* SOLEO, *oportet dici*, SOLUI, *ut Cato & Ennius ſcribunt, non ut dicit vulgus*, SOLITUS SUM. Et ſic eſt in illo Salluſtii, quod ex *Hiſtor. L.* II. eſt apud Priſcianum *Libr.* X. *neque ſubſidiis uti ſoluerat compoſitis*, pro *ſolitus fuerat*, præterito ad præſens compoſito. JCtos veteres antiquitatis fuiſſe ſtudioſiſſimos, ab aliis paſſim eſt traditum, & conſtat ex Conjugationum exemplis, quæ attuli, & de quibus nunc ſolum agere conſtitutum erat.

Species, quam proponit Alfenus, vel ex eo Paulus Epitomator, vix indiget Interprete. Dubito tamen, an eam recte repræſentaverit Salmaſius *Diſquiſitione de Mutuo p. m.* 28. *In navem*, inquit, *Saufeji Naucleri frumentum plures mercatores impoſuerant, ſed in eodem acervo, & confuſam. Saufejus uni ex his frumentum reddiderat de communi, in aliquo ſcilicet portu, ad quem ſe ſiſti, & ubi ſuum ſibi frumentum a Nauclero reddi pepigerat. Poſtea navis periit, dum ad ulteriora tendit, quo cæteri nempe mercatores frumentum ſuum pervehendum locaverant, quæſitum eſt, an cæteri pro ſua parte frumenti cum nauta agere poſſent oneris averſi?* Si ita conſtituas ſpeciem, non animadverto, quemadmodum ulli quæſtioni potuiſſet eſſe locus, ſi nempe fingas, navim periiſſe, dum iter perſequitur ad ulteriorem locum, quo ceteri frumentum ſuum exonerari mandaverant, qua fronte enim tunc ulla competeret actio? Sin autem dicas, ut dixit Vivianus in *Caſu*, navem appuliſſe ad portum, ubi omnibus reddendum erat frumentum, & poſtquam uni, ceteris forte in exigendo diligentiori, eſſet reddita ſua quantitas, navim, exorta gravi tempeſtate, & ruptis forte anchorarum funibus, periiſſe cum reliquo frumento, jam commodum quæri poterit, ceteri mercatores adverſus nautam agere poſſint, nec ne? nam quod reſtituit, reſtituit eo loco, ubi omnibus ad reſtitutionem parata erat actio, & reſtituit *de communi*, ſed hoc eſſe intelligendum de *communi acervo*, non de communi omnium mercatorum frumento, mox diſputabit ipſe Alfenus.

CAPUT III.

Ad eandem *l.* his verbis: *Quæſitum eſt, an ceteri pro ſua parte frumenti cum nauta agere poſſunt oneris averſi actione?*

Poſſunt legas, ut legitur Florentiæ, an *poſſint* vel *poſſent*, ut eſt in aliis Libris, editis & MSS. nihil magnopere intereſt. Plus ſcire attinet, quæ fuerit *oneris averſi actio*, de qua hic audis, & alibi, quod ſciam, nuſpiam. Per conjecturas res tranſigenda eſt, nam certa auctoritate deſtituimur. Quod in MS. meo Gloſſato legatur *adverſi*, quod & ipſum notatur inter varias lectiones poſt Haloandrum, vitium ſcripturæ eſſe opinor. Forte & Accurſius in ejusmodi lectionem incidit, cum ait, *vel dicitur* ADVERSI *ab* ADVERSITATE. Melius ille addit *averſi* ab *averto, id eſt, removeo. Avertere* tralatitia ſignificatione apud Auctores noſtros & exteros, eſt *intercipere, amovere.* Auctoritates Lexica ſufficient. Ipſum *onus avertere* eſt apud Tertullianum *adverſus Marcionem L.* V. *C.* I. ut & Briſſonius notavit, & G. Pancirolus *L.* II. *Var. Lect. C.* 43. Agit ibi Tertullianus de re nautica, *quamobrem*, inquit, *Pontice Nauclere, ſi nunquam furtivas merces vel illicitas in acatos tuas recepiſti, ſi nullum omnino onus avertiſti vel adulteraſti* &c. Ad quæ, *onus avertiſti*, recte notat Beatus Rhenanus, *ſarcinas intelligit, quæ navibus imponuntur, in longinquas Regiones devehendæ, & ſolent hæ nonnunquam ab ipſis naucleris intercipi.* Ex quo loco Tertulliani, & ſimul notiſſima *avertendi* ſignificatione pro *adimere, auferre, pervertere*, ſatis, opinor, conſtat, Antonium Fabrum *Ration.* ad *h. l.* 31. prolixe falli, cum putat, actionem oneris averſi dici ab *avertendo, id eſt, ita vertendo, permiſcendo & conturbando, ut jam internoſci non poſſit, quodnam cujus onus fuerit.* Vellem indicaſſet, ubi *avertere* in eam ſententiam occurrat, ſed non indicavit, & mihi non liquet. Et oneris averſi duntaxat competet, ubi nauta merces confudit? Omnis alia averſio in cenſum non veniet? Sunt hæc ejusmodi, ut ſeriam refutationem non mereantur.

Verum ad quid oneris averſi actio? Si frumentum nautæ certa mercede transvehendum dederim, incidit ea res in locationem conductionem, ut & ſequens Alfeni diſputatio oſtendit, *locatorem* vocans, qui merces vehendas dedit, *conductorem*, qui recepit. Alioquin magiſter navis, qui navim utendam dat, & operas præſtat, locator dicitur, & ille, qui navi operisque utitur, conductor in *l.* 10. *pr. &* §. 1. *&* 2. *ff. de L. Rhod. de Jact.* Sed illæ appellationes reciprocantur, ut prolixe id argumentum exſequutus eſt Cujacius *L.* II. *Obſerv. C.* 28. Si quid igitur peccaverit nauta, locati actione videbatur eſſe experiundum, nam *ſi res perferendas nauta conduxit, ex locato convenietur l.* 3. §. 1. *ff. Naut. caup. ſtabul.* etiam ideo, quod actio locati & dolum & culpam vindicet. Sed actionem oneris averſi actione locati fuiſſe pinguiorem non eſt, quod dubitemus. In duplum fuiſſe, Cujacius credidit *L.* VII. *Obſerv. C.* 39. & *Comm.* ad *l.* 5. *C. de Navicul.* ad exemplum ſcilicet actionis furti, quia averſio eſt proxima furto. Atque inde putat, actionem oneris averſi neceſſariam non fuiſſe, cum non conſtet, quicquam habuiſſe proprium. Franciſcus Connanus *Comment. Jur. Civil. L.* VII. *C.* 11. *n.* 9. propter onus averſum & furti, & oneris averſi actionem eſſe exiſtimat, utramque *ad eundem finem, & ejusdem pœnæ, ut ſatis futura eſſet actio furti, niſi juris ſubtilitas refragaretur, quo jure furtum definitur eſſe* CONTRECTATIO REI ALIENÆ, *ut nemo in re ſua propria poſſit illud committere. At quia locantur quædam res ita, ut earum dominium ad conductorem transferatur, in quibus tamen furtum, aut verius furto ſimilem culpam & fraudem poteſt committere, dignam Legum animadverſione, viſum eſt in hunc quoque actionis furti vim & pœnam afferre, ſed novo & alio nomine, ne quid abſurdi conſequeretur, ſi, ubi furtum non eſt, daretur furti actio. Itaque proprio eam & peculiari nomine* ONERIS AVERSI ACTIONEM *vocaverunt, cujus, ut dixi,*

dixi, & quidem exiſtimo, eadem, quæ & furti, poteſtas fuit. Igitur ubi non eadem ſpecies, ſed idem genus reddendum fuit, translato ſic in nautam dominio, oneris averſi competere ipſe putat. Sed contra putat Alfenus, cum mox diſputat, *ſi ejus generis eſſent merces, quæ nautæ traderentur, ut continuo ejus fierent, & mercator in creditum iret, non videri onus eſſe averſum, quippe quod nautæ fuiſſet.* Quapropter in ſpecie, quæ hic tractatur, oneris averſi actio non obtinebit, an ergo obtinebit, ubi eadem ſpecies reddenda eſt? ne hoc quidem pati videtur Alfeni ſubſequuta oratio, cum ait, *ſi eadem res, quæ tradita eſſet, reddi deberet, furti eſſe actionem locatori, & ideo ſupervacuum eſſe judicium oneris averſi.* Ubi igitur eſt furti actio, ceſſabit oneris averſi. Idque in primis me movet, ne cum Cujacio credam, utramque actionem pari loco eſſe habendam, & eam, quæ de onere averſo eſt, forte introductam, *ut innoteſceret, Leges curam agere reprimendæ improbitatis hoc genus hominum,* quemadmodum alia occaſione, de nautis agens, exiſtimabat Pomponius apud Ulpianum in *l.* 3. §. 1. *ff. Naut. caupon. ſtabul.* Sed ut Pomponium ibi refutat Ulpianus, ſic Cujacium Cujacius, cum mox ajat, *non idem prorſus eſſe avertendo quid diſtrahere, & contrectando ſibi habere.* Sic ille, & nihil præterea.

Sed ita incertiores erimus, quam dudum, ſi nihil ultra expediamus. Ecquando igitur oneris averſi agetur? ſi in nautam tranſiit mercium dominium, nunquam. Ut enim *rei noſtræ furtum facere non poſſumus*, ut ait Paulus *Recept. ſent. L.* II. *T.* 31. §. 21. & conſentit Ulpianus in *l.* 59. *ff. de Furt.* ſic nec rem ſuam quisquam avertit, ſi Jurisprudentiam Alfeni ſequamur. At ſi dominium non tranſierit in nautam, intereſſe puto, quemadmodum ipſe merces interverterit; ſi dolo & animo ſibi habendi, furti actio competet, atque in ea ſpecie ſupervacuum erit judicium oneris averſi. Furtum nemo facit ſine dolo malo *l.* 50. §. 2. *ff. de Furt.* nemo quoque ſine lucri ſui cauſa *l.* 8. §. 2. *ff. Arbor. furt. cæſ.* Fac igitur, nautam onus avertiſſe culpa, non dolo, vel dolo, ſed damni dandi, vel alterius cujusque rei, quam lucri ſui cauſa, nemo actionem furti dabit, ſed quidni dabitur oneris averſi? In hanc ſententiam intelligo, & ita quoque ſubſiſtit, quod Accurſius dixit ad *h. l.* oneris averſi actionem eſſe, *quotiens onus alienum vel dolo vel culpa ſubmergeretur*, & quod Charondas *L.* III. *Veriſim. C.* 5. ſi onus avertatur, absque furandi animo, oneris averſi competere, & quod Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 43. hanc actionem *eſſe inſtitutam, ubi merces dolo vel culpa ſua nauta perdidit, vel naufragium temere faciendo amiſit.* Quovis ſcilicet dolo, modo abſit lucri animus, nam ſi is adſit, res incidit in furtum, & quia tunc præſto eſt actio furti, ſupervacua eſſet oneris averſi. Quavis etiam culpa, ut ſi res ad Mævium transvehendas accipiat, & ad Titium curet, inſcriptionibus & ſignis mercium minus recte obſervatis. Omne furtum eſt averſio, ſed non omnis averſio furtum. Neceſſaria igitur erat oneris averſi actio, ubi onus dolo quidem, ſed ſine furto, vel quavis etiam culpa fuisſet ablatum.

Interea facile largior Cujacio & Connano, eandem utriusque actionis poteſtatem fuiſſe videri quod ad pœnam dupli. Quamvis enim in eam rem expreſſa auctoritate deſtituamur, tamen ſcire velim, ſi aliter dicamus, ad quid neceſſaria fuiſſet oneris averſi actio, utique contra nautam, qui merces transvehendas conduxit, competit locati conducti actio, *etiam de rebus, quæ deſunt l.* 3. §. 1. *ff. Naut. caupon. ſtabul.* atque hæc actio coërcet dolum, culpam latam & levem, ſed quia ultra id, quod intereſt, ea actio non porrigitur, ſufficere viſa non eſt ad vindicandas nautarum omne genus fraudes & culpas, ob quas etiam alias in eos gravius conſtitutum eſſe Ulpianus memorat in *l.* 1. §. 2. *d. Tit.* Competit quoque adverſus nautas actio honoraria *de recepto* ex primo capite Edicti *Nautæ, Caupones, Stabularii.* Hæc autem actio etiam pinguior eſt actione locati conducti, ut id exſequitur Ulpianus in *l.* 3. §. 1. *Eod. Tit.* pinguior, quia & leviſſimam culpam coërcet, nam excipit duntaxat, *ſi quid damno fatali contingit*, & quia etiam factum vectorum vindicat, qua mente puto Ulpianum dixiſſe, eum, qui recepit, omnimodo teneri, *etiamſi ſine culpa* EJUS *res periit*, hoc eſt, quamvis & vectorum culpa perierit, nam quod alii hæc ita explicant, teneri, ſcilicet *ipſo jure*, ſi caſus fatalis incidat, ſed non teneri, ut mox ſequitur, quia *per exceptionem* ſe tueri poterit, in eo me adſentientem non habebunt. Sed quamvis latior fuerit hæc actio, & quamvis propoſita, antequam actio oneris averſi innotuerit, tota tamen rei perſequutionem continet *l.* 3. §. 4. *d. Tit.* & nihil quicquam pœnæ, atque inde quoque oneris averſi actio in duplum fuit neceſſaria.

Superſunt duæ actiones, ambæ pœnales, & in duplum; altera furti adverſus nautam, ſive ipſe, ſive ejus homines, quos navi regendæ adhibet, furtum fecerint *l.* 1. *pr.* & §. 2. *ff. Furt. adverſ. naut. caupon. ſtabul.* altera ex quaſi maleficio contra nautam, ſi quid damni dederint ii, quorum opera ipſe utitur, ex altero nempe capite Edicti, *Nautæ, Caupones, Stabularii l.* 7. §. 1. & 4. *ff. Eod. Tit.* Sed quis non videt, utramque actionem nimis eſſe anguſtam, quam ut omnes nautarum averſiones complectatur? prima dolum deſiderat, & contrectationem, lucri cauſa factam, ſecundo de nautis ipſis nihil quicquam cavet, ſive dolo, ſive culpa quid admiſerint. Adhuc igitur otioſam dicemus actionem oneris averſi? nemo dicet, ſi pœnalem intelligat in duplum, at ſi rei perſecutoria fuiſſet duntaxat, nihil præſtaret, quod non præſtat ipſa actio locati conducti. Diſtinctius hæc explicanda erant, ut magis innoteſceret actio oneris averſi, quæ alioquin vix ſolo nomine nota eſt, & de qua vel altum eſt apud Interpretes ſilentium, vel id fere ſcriptum, quod pro ſcripto habere facile quis poſſet.

Quod autem hic incidat *oneris averſi* mentio, id quibusdam Interpretibus importune ſalivam movit, ut explicarent, quid ſit *averſione* vel *per averſionem* vendere vel locare, & quemadmodum in ejusmodi rebus venditis vel locatis periculum tranſeat ad emptorem conductoremve. Præïvit Gloſſa ad *h. l.* & cum, ut dixi, in quibusdam Libris perperam legeretur actio oneris *adverſi*, illud *adverſum* ab *adverſitate* dici poſſe exiſtimavit, & tunc habere locum, *cum conductor in ſe recipit periculum, & poſtea res periit.* Gloſſam ſequutus eſt Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 43. ſequuntur alii. Sed omnes perperam; aliud eſt *avertere* in oneris averſi actione, aliud in emptione vel locatione, quæ, ut propria JCtorum vox eſt, *per averſionem* contrahitur. Id Auguſtinus *L.* III. *Emendat. C.* 6. id alii tam prolixe exſequuti ſunt, ut verbum non amplius addam.

CAPUT IV.

Ad eandem *l.* his verbis: *Reſpondit rerum locatarum duo genera eſſe, ut aut idem redderetur, ſicuti cum veſtimenta fulloni curanda locarentur, aut ejusdem generis redderetur, veluti cum argentum puſulatum fabro daretur, ut vaſa fierent, aut aurum, ut anuli. Ex ſuperiore cauſa rem domini manere, ex poſteriore in creditum iri.*

Illud *reſpondit* ad Alfenum refero, ſecundum ea, quæ ſupra diſputavi *C.* I. *in fin.* Priusquam autem explicem, quid reſponderit Alfenus, de verbis ſupra ſcriptis quædam præmittenda ſunt. Ait, *veſtimenta fulloni curanda locarentur.* De fullonibus & fullonicis dixit Cujacius *L.* XI. *Obſerv. C.* 8. & *L.* XXIII. *C.* 2. & Joſephus Scaliger *Conject.* ad *L.* V. *Varronis de L. L. p. m.* 82. Fullonum eſt veſtimenta *polire l.* 13. §. 6. *ff. h. T. l.* 82. *ff. de Furt. lavare l.* 2. *ff. de Condict. ſine cauſ. ſiccare l. un.* §. 4. *ff. de Via publ. cogere* & *conciliare* apud Varronem *L.* V. *de L. L. p. m.* 53. quæ omnia hic Alfenus extulit uno, eoque generali, *curandi* verbo. Sæpe alioquin *curare* & *polire* conjunguntur, ut in *l.* 12. *pr. ff. de Furt.* & aliquoties in *Inſtitutionibus.* Sed ſufficit ſola *curandi* vox, etiam ſola adhibita in *l.* 27. §. *ult. ff. ad L. Aquil.* adhibita autem ibi pro *incruſtare, obducere calce, cæmento, gypſo*, quod tectorum eſt, *tectori* enim, ut legitur, ibidem legendum eſt, ſic *tector ſervus* in *l.* 5. §. 7. *ff. Commod.* & eadem voce uſus eſt Varro apud Auguſtinum de *C. D. L.* IV. *C.* 22. Tector Latinis eſt, quod τέκτων Græcis. Perperam igitur mutat Budæus *d.* §. *ult.* ubi & *laccum vino plenum* ſervo, ut ſervavit quoque Cujacius *L.* X. *Obſerv.* 9. & recte expoſuit Cl. Burmannus ad *Petron. Satyr. C.* 70. niſi *ſaccum* quis præferat, ſed alienum tunc eſſet *tectorum* officium.

Ait, *aut ejusdem generis redderetur.* Poſſes legere, AUT, & inde efficere, *aut ut ejusdem generis redderetur*, ſed ſenſui ſupplendo id neceſſarium non eſt. Haloander omittit hic *redderetur*, ſufficere ratus, ſemel id exprimi. Si omiſſum eſſet Florentiæ, ego non adderem, nunc demere religioni ducerem.

Ait *argentum puſulatum.* Varie legitur, & varie explicatur vox, argento adjecta. Gloſſa notat, quosdam Libros habere, ut etiam habet uterque meus MS. *puſillatum*, id eſt, *purgatum & puſillum factum propter putredinem extractam*, & ita Azo videtur legiſſe, nam animadverti, hanc gloſſam eſſe deſumptam ex Azone in *Summ.* ad *Tit. Cod. de Locat. cond. n.* 22. Sunt & aliæ apud Accurſium hujusce verbi variæ lectiones, ſed quarum nulla bona, alia alia pejor eſt. Alii deinde *poſtulatum*, alii *puſtulatum* legerunt; quod utrumque a *puſulato* nihil quicquam differt, quia promiſcue dicimus *poſtula, puſtula, puſula*, quod Cujacius recte obſervavit *L.* VII. *C.* 39. & alii poſtea ſequuti ſunt. Addo Tertullianum de *Habitu Muliebri C.* 6. *quod ſi concha illa aliquid intrinſecus poſtulat*, hoc eſt, poſtulæ modo excernit, ubi Libri nonnulli, notante Franciſco Junio, habent *puſtulat*, alii *puſulat.* Si præter eos, quos Gothofredus adivit, etiam alios de hoc verbo tumultuantes ſcire deſideras, ſatisfacient Molineus *de Uſuris Quæſt. C. n.* 785. & Covarruvias *de Collatione veter. numiſm. C.* III. §. 1. *n.* 7. Cave autem putes, ut putavit Conſtantius Landus *Exercitat.* ad *h. l.* 31. *ff. Locat. cond.* pro *puſulatum* legendum videri *purum putum*, nam hæc quidem mera vis eſt, quæ nihil habet, quo nitatur. Si argentum *purum putum* dixit Alfenus apud Gellium *L.* VI. *C.* 5. nihil quicquam cauſæ, cur hic idem dixiſſe credamus, variante in tantum ſcriptura.

De ipſa Alfeni juriſprudentia nunc agendum diligentius. Diſtinguit autem duo rerum locatarum genera, alterum, in quo eadem ſpecies eſt reddenda, alterum, in quo idem genus duntaxat; in priore ait dominium non tranſire, in poſteriore contra. Quam vere id dixerit, videamus. Ulpianus in *l.* 39. *ff. h. Tit.* ita definit: *Non ſolet locatio dominium mutare.* His verbis, *non ſolet*, ſignificatur, hanc eſſe regulam, ut recte dixit Cujacius *L.* VIII. *Obſerv. C.* 39. adlatis ex jure exemplis. Eadem loquutio Quintiliano placuit *Declam.* 358. & 372. utrobique ait: *quod lege agitur*, &, *quidquid lege factum eſt*, NON SOLET *vindicari lege*, hoc eſt, *quod legitime factum eſt, nullam pœnam meretur*, ut id extulit Imperator Alexander in *l.* 4. *C. ad L. Jul. de Adulter.* Atque ita locationem dominium non mutare, eſto pro regula. Neque mirum, cum nec poſſeſſionem mutet, ut intelligis ex Ulpiano in *l.* 9. *ff. de R. V.* Et ſane per mille poſſem currere exempla rerum locatarum, in quibus non niſi ſolus uſus in conductorem tranſit, ut in domo, agro, horreo, & ſimilibus locatis. Quin ſæpe ne uſus quidem, ut cum veſtimenta fulloni curanda locem, nam veſtimenta in ea ſpecie non alio fine traduntur, quam ut fullo circa ea operam ſuam præſtet. Dominium certe veſtimentorum non tranſire, aperte hic Alfenus reſpondet. In emptione dominium tranſit, & ſi convenerit, ne tranſeat, emptio non eſt, ſed, ut ait *l.* 80. §. *ult. ff. de Contrah. empt. vendit. aut locatio, aut aliud genus contractus*; argumento, diceres, manifeſto, in locatione dominium non tranſire.

Sed videamus, num ea regula ſemper & ubique obtineat? negat Alfenus, cum ait, ubi idem genus duntaxat eſt reddendum, *in creditum iri*, hoc eſt, cauſam tunc incidere in ſpeciem mutui, ex quo dominium tranſit. Cum *de eodem genere* ſermo eſt, intelligimus ejusmodi res, quæ pondere, numero & menſura conſtant, & mutuam ſui functionem recipiunt, ut Paulus hæc interpretatus eſt in *l.* 2. §. 1. *ff. de R. C.* & nos ex Paulo *Obſerv. Jur. R. L.* I. *C.* 10. Ea ſcilicet earum rerum, quæ invicem functionem præſtant ſui, natura eſt, ut ſufficiat tantundem reſtituere, ſive ad pondus, ſive ad numerum ſive ad menſuram exigantur, & ea, non alia ratione Alfenus dixit *in creditum iri.* Unde & Cujacius *L.* VII. *Obſerv. C.* 39. dixit, mutuum *quodam genere* contrahi, *non auſim*, inquit, *dicere mutuum abſolute, propterea quod operæ merces intercedat: quam ob rem locatio conductio potius eſt, ex qua dominium mutatur.* Sed quid moramur adferre exempla, quibus in rem ſuam utitur Alfenus? *Veluti*, inquit, *cum argentum puſulatum fabro daretur, ut vaſa fierent, aut aurum, ut anuli.* Vides, hic emptionem venditionem non eſſe, nam ipſe, qui vaſa, qui anulos fieri vult, materiam præbet, faber præbet ſolam operam, idque locationis eſt proprium; non emptionis *l.* 20. *ff. de contr. empt. vend.* nec

nec id habet tantam difficultatem; majorem habet, an materiæ dominium tranſeat in fabrum? & tranſire ſignificat Alfenus. At ſecundum ea, quæ proponantur, intelligimus materiam, quæ mutuam ſui functionem præbet, ut eſt in argento, non quolibet, ſed *puſulato*, id enim optimum & puriſſimum, neque adeo mea quicquam refert, utrum vaſa fiant ex argento meo puſulato, an ex argento puſulato fabri, vel alterius cujusquam. Quemadmodum nec mea refert, utrum anuli fiant ex auro, quod ipſe dedi, an ex auro fabri, vel alterius, dummodo ejusdem fuerit bonitatis, nam ſi non fuerit, alterum alterius vice fungi non poterit. Atque his non contradicit Gajus in *l.* 2. §. 1. *ff. Locat. cond.* Si, inquit, *cum aurifice mihi convenerit, ut is ex auro ſuo anulos mihi faceret certi ponderis certæque formæ, & acceperit, verbi gratia, trecenta, utrum emptio & venditio ſit, an locatio & conductio? ſed placet unum eſſe negotium, & magis emptionem & venditionem eſſe. Quod ſi ego aurum dedero, mercede pro opera conſtituta, dubium non eſt, quin locatio conductio ſit.* Dixit *unum negotium* pro *uno contractu*, ut apud Ciceronem *de Offic. L.* III. *C.* 59. *negotium conficit*, hoc eſt, *contractum celebratæ emptionis.* Quod autem attinet ad ſpeciem priorem, a Gajo propoſitam, Caſſius putabat, in ea duo negotia verſari, alterum emptionis materiæ, alterum locationis operarum, ut diſcimus ex §. 4. *Inſt. de Locat. conduct.* ſed unum duntaxat emptionis verſari obtinuit, ut ibi ſcriptura eſt, & hic Gajus ſignificat. Gothofredus in *Notis* ad *d. l.* 2. §. 1. valde importune ibi Criticum agit, ſi legeris, ſat ſcio, ei occines, *o pulle dulcedinis & elegantiarum!* Quod ad alteram ſpeciem, ait Gajus, locationem & conductionem eſſe, quia aurum a me proficiſcitur, nec quicquam intercedit, niſi opera pro mercede. Auri vero mei dominium an in aurificem tranſeat, nec ne, omnino non definit, & ex Alfeno hic ſupplendum eſt, transire nempe, ſi ſimpliciter fuerit datum vice & loco ejus auri, ex quo anuli fierent. Eaque ratione Quintus Mucius exiſtimabat in *l.* 34. *pr. ff. de Aur. argent. leg.* ſi paterfamilias uxori aurum *ſuum* legaſſet, non deberi aurum, quod artifici faciendum dederat, mutato quippe auri dominio. At ſi datum fuerit ea lege, ut ex eo ipſo auro anuli fiant, idem corpus manet ejusdem domini. Egregie id illuſtrat Pomponius in *Nota* ad Quintum Mucium in *d. l.* 34. *pr.* quem ſuis potius, quam meis verbis audi. Quod Mucius dixerat, aurum mulieri non deberi, *in aurifice*, inquit, *falſum eſt, ſi aurum dederit ita, ut ex* EO *auro aliquid ſibi faceret: nam tunc, licet apud aurificem ſit aurum, dominium tamen non mutabit, manet tamen ejus, qui dedit, & tantum videtur mercedem præſtaturus pro opera artifici; per quod eo perducimur, ut nihilominus uxori debeatur. Quod ſi aurum dedit artifici, ut non tamen ex* EO *auro fieret ſibi aliquod corpuſculum, ſed ex alio, tunc quatenus dominium tranſit ejus auri ad aurificem (quippe quaſi permutationem feciſſe videatur) & hoc aurum non tranſibit ad uxorem.* Cum dicit, *dominium tamen non mutabit*, & addit, *manet tamen ejus, qui dedit*, bis idem dicit. Ejusmodi ταυτολογίας in JCtis noſtris etiam patienter fero, qui non ferrent, in poſtremis arguerent gloſſema alicujus librarii vel interpretis, ut ſunt quidam ejusmodi deliciarum ſic ſatis prodigi. Salmaſius *Disquiſit. de Mutuo p.* 234. verba exhibet, atque ſi legeretur, *manet* ENIM *ejus, qui dedit.* quæ vulgata lectio eſt, ab Haloandro etiam adoptata. Ita quidem caremus altero *tamen*, ſed ταυτολογίαν non evitamus. Idem ille Salmaſius *p.* 231. & 234. in *pr. d. l.* 34. verba Mucii in *princ.* nonnihil invertit, non ſine ſpecie veri; ait nunc, *id aurum, quod aurifici faciendum dediſſet, aut quod ei deberetur, ſi ab aurifice ei repenſum non eſſet, mulieri non deberi.* Pro quo Salmaſius, *id aurum, quod aurifici faciendum dediſſet, ſi ab aurifice ei repenſum non eſſet, aut quod ei deberetur, mulieri non deberi.* Niſi id procedimus, illa, *aut quod ei deberetur*, accipienda ſunt, atque ſi per interjectionem dicta eſſent; verum id minus placet, quia tractat duas ſpecies, a ſe plane diverſas. Sed malim, ſi inverſio non diſpliceat, ita invertere: *id aurum, quod ei deberetur, aut quod aurifici faciendum dediſſet, ſi ab aurifice ei repenſum non eſſet, mulieri non deberi.* Atque hanc inverſionem probat ordo Pomponii in *Nota* ad Mucium, primum agens de auro, quod debetur, deinde de eo, quod aurifici datum eſt. Ceterum *Nota* Pomponii, quam ſupra exhibui, totam rem conficit, & diſtinguit, in auro dato, duo rerum locatarum genera, alterum, in quo dominium tranſit, alterum, in quo non tranſit. Nec, puto, vel Alfenus vel Mucius huic diſtinctioni quicquam contradixiſſent; quod autem ſimpliciter dixerint dominium transire, inde fit, quod aurum vel argentum, ad libram adpenſum, exiſtimaverint eſſe rem, quæ permutationem, atque adeo mutuam ſui functionem recipit, & ita ſane obtinet, ſi, quod datur & recipitur, ejusdem ſit valoris, veluti eſt in *argento puſulato.* Quin in rebus, quas *fungibiles* vocamus, etſi non caveatur, *ut æque bonum nobis redderetur*, id tamen contractui tacite ineſſe dixit Pomponius in *l.* 3. *ff. de R. C.* & Gajus in *l.* 42. *ff. de Jur. dot.* Sed hæc non prohibent, quominus contra obtineat, ſi expreſſa lege convenerit, ut vaſa vel alia corpuſcula fiant ex eodem auro, quod artifici datum erat, tunc enim artifex eſt debitor ejusdem ſpeciei, non ejusdem generis.

Etiam alias inſolens non eſt, in locatione conductione dominium transferri, poſtulante ſic rei, de qua agitur, natura. Nam ecce, *cum inſulam ædificandam loco*, UT SUA IMPENSA CONDUCTOR OMNIA FACIAT, *proprietatem quidem eorum ad me transfert, & tamen locatio eſt: locat enim artifex operam ſuam, id eſt, faciendi neceſſitatem.* Paulum audis in *l.* 22. §. 2. *ff. Locat. conduct.* Materia hic proficiſcitur a conductore, ipſe lapides, tigna, cæmenta præſtat, & cum eorum proprietas ad me tranſeat, ea ratione emptionem eſſe diceres, ſed alia & fortior ratio locationem eſſe ſuadet, neque enim ſingula emo, conſtituto pretio, at loco opus faciendum, propria conductoris impenſa. Quod autem materiæ proprietas ſtatim ad me tranſeat, ex alia juris regula provenit, quod nempe ſuperficies, quam exſtruit redemptor, cedat ſolo *l.* 39. *pr. ff. de Rei vindic.* Hanc rationem indicavit Sabinus apud Pomponium in *l.* 20. *in fin. ff. de Contrab. empt. vendit.* nam poſtquam negaverat locationem eſſe, *ubi corpus ipſum non datur ab eo, cui id fieret*, mox addit: *aliter atque ſi aream darem, ubi inſulam ædificares, quoniam tunc a me ſubſtantia proficiſcitur.* Subſtantia ſcilicet areæ, quæ locatoris eſt, abſorbet ſubſtantiam materiæ, quæ eſt conductoris. Quare autem faber in *d. l.* 22. §. 2. nunc *conductor*, nunc *locator* audiat, explicavit Cujacius *Comm.* ad *L.* XXXIV. *Pauli ad Edict.* in *d. l.* 22.

Jurisprudentiam Alfeni, Mucii & Pauli non ſubvertit Javolenus in *l.* 65. *ff. de Contr. empt. vendit.* ut parum animadvertenti ſubvertere videatur

deri poſſet. Quærit ibi, an, ſi convenerit, *ut certum numerum tegularum mihi dares certo pretio*, ea conventio incidat in emptionem, an in locationem? & diſtinguit, utrum placuerit, tegulæ ex meo fundo fabricarentur, an ex tuo, ſi ex tuo, emptionem eſſe, non conductionem, hoc ſuperdicto: *totiens enim conductio alicujus rei eſt, quotiens materia, in qua aliquid præſtatur, in eodem ſtatu ejuſdem manet; quotiens vero & immutatur, & alienatur, emptio magis, quam locatio intelligi debet.* Verum nec ſententia, nec ratio Javoleni porrigenda eſt ultra ſpeciem, ibi propoſitam. Atque hæc de tegulis agit, faciendis ex fundo tuo vel meo; ſi ex tuo, tu materiam præbes, & operam adhibes, eritque emptio venditio, perinde ac ſi conveniſſet, ut ex tuo auro mihi anulos faceres. At ſi ex meo fundo tegulas fieri placuerit, tu non adhibes niſi ſolam pro mercede operam, & erit locatio conductio: nam materia a me proficiſcitur, & manet mea, & quidem *in eodem ſtatu*, id eſt, ut ego interpretor, non alienata, fabricatis alioquin ex fundo tegulis materia fundi non manet in eodem, quo fuerat, ſtatu. Quod addit, *quotiens materia & immutatur & alienatur*, emptionem potius eſſe, quam locationem, accipiendum eſt de ſpecie, qua quis præter operam, quam adhibet, etiam præbet materiam, ut eſſet, ſi quis ex ſuo fundo tegulas faceret, vel ex ſuo auro anulos. Sed ſi a me materia proficiſcatur, & tu non præſtes niſi ſolam operam, locatio conductio erit. Atque ita eſt in materia, quæ functionem ſui non recipit, & de ea ſola agit Javolenus in *d. l.* 65. ſi recipiat, Alfenum ſequemur in noſtra *l.* 31.

Quare veriſſimum eſt, etiamſi rerum transferatur dominium, ſæpe etiam locationem manere, & aptum ejus rei exemplum eſſe in auro vel argento, artifici porrecto, *ut vaſa fierent vel anuli*; non ait Alfenus, *ut* EX EO AURO VEL ARGENTO *fierent*, ſed ſimpliciter, *ut fierent.* Rationem differentiæ ſupra indicavi ex Pomponio, & ex ea intelliges, Azonem *Summa* ad *Tit. C. de Locat. & cond. n.* 22. minus recte exiſtimasſe, dominium tranſire, ſive convenerit, ut ex eodem, ſive ut ex quolibet alio argento vaſa fierent. Azonem ſequutus eſt Accurſius, hunc gregatim ſequuntur alii.

Sed quod de vaſis & anulis dicitur, & de frumento a pluribus confuſo, id vero efficiet, *ut rerum locatarum duo eſſe genera* recte adfirmaverit Alfenus? ſane alterum genus, ex quo ſolus uſus tranſit, adeo eſt frequentius & potentius altero, ut ex priori regulam ſumpſerit Ulpianus in *l.* 39. *ff. Loc. cond.* exceptio igitur potius dicenda erat, translato per locationem dominio, quam ut inde novum & diſtinctum genus locationis exſtrueretur.. Interpretes quoque hanc locationis ſpeciem, ex qua dominium tranſit, ſolent appellare *anomalam*, atque ita exceptioni potius, quam regulæ tribuunt. Sed ne dicam, apud JCtos inſolens non eſſe ſpecies in genera dividere, obſervari velim, Alfenum hic totum eſſe in facto locato, non in re locata, & in locatione operarum ſatis apte conſtitui duo genera rerum locatarum. Id jam obſervavit Donellus *Comment. Jur. Civil. L.* XIII. *C.* 9. *n.* 20. *duo genera*, inquit, *intellige in hoc genere, cum quid in his vel ex his faciendum datur.* Et hoc genus adeo frequens eſt in locationibus operarum, ut eo, ni fallor, reſpiciens Javolenus in *l.* 55. *ff. de Oblig. & act.* conductionem retulerit ad contractus, ex quibus dominium transfertur. Ipſe ſcilicet ille Javolenus, qui in *l.* 65. *ff. de Contr. empt. vend.* dixerat, alienata demum materia emptionem magis intelligi, quam conductionem. Atque his ita acceptis, facile, opinor, iis carere licet, quæ Gothofredus in *Not.* effudit ad *in creditum iri.*

CAPUT V.

Ad eandem *l.* his verbis: *Idem juris eſſe in depoſito: nam ſi quis pecuniam numeratam ita depoſuiſſet, ut neque cluſam, neque obſignatam traderet, ſed adnumeraret, nihil aliud eum debere, apud quem depoſita eſſet, niſi tantundem pecuniæ ſolveret. Secundum quæ videri triticum factum Saufeji, & recte datum.*

E*ſſe*, quod Florentiæ legitur, pendet a præcedenti *reſpondit*; neque igitur eſt, cur mutemus in *eſt*, ut reperi in MS. meo ſine Gloſſis, & editum eſt a Blaublommio 1523. & a Roberto Stephano 1527. Deinde *cluſam* pro *clauſam* antique dixit, a *cludo* pro *claudo.* In Pandectis Florent. & alibi ſæpe ea vox ſimiliter effertur, quod alii notarunt, & ego prætermitto. Poſteriores fere Editores, ex ignorantia antiquitatis, ſubſtituerunt *clauſam*, quod factum non oportuit. Pro *adnumeraret* iidem Blaublommius & Stephanus, *ut numeraret* minus neceſſe & minus commode. Magis probo, quod iidem pro *ſolveret* ediderint *ſolvere*, nam, ut ſenſus ſibi conſtet, vel ita legendum eſt, vel cum Haloandro, *niſi* UT *tantundum pecuniæ ſolveret*, qui motus eſt major.

Quod ad rem ipſam, ecce Alfenus alio exemplo utitur translati dominii, ubi minime exſpectares, in contractu nempe depoſiti. Ea ſcilicet depoſiti natura eſt, ut ad eum, apud quem res deponitur, nihil niſi cuſtodia tranſeat *l.* 1. *pr. ff. Depoſ.* cum proprietas, quin & poſſeſſio apud deponentem maneat, ex regula Florentini in *l.* 17. §. 1. *ff. Eod.* Et tamen id fallit in pecunia ad quantitatem depoſita, ſi enim, inquit, neque cludatur pecunia, neque obſignetur, ſed ſimpliciter adnumeretur, defungetur is, apud quem depoſita eſt, ſi tantundem reſtituat; tranſit igitur dominium pecuniæ, in hac ſpecie, in depoſitarium, is ea utetur tanquam ſua, & vere ſua, redditurus non eandem, ſed tantundem. Ain vero? idne erit depoſitum? Papinianum negare dixeris in *l.* 24. *ff. Depoſ.* nam in cautione depoſitæ pecuniæ, quam ibi proponit, actionem depoſiti locum habere reſpondit, quia *commendare* & *deponere* nihil differunt. Sed mox id reſtringit, cum ait: *quod ita verum eſt, ſi id actum eſt, ut corpora nummorum eadem redderentur, nam ſi, ut tantundem ſolveretur, convenit*, EGREDITUR EA RES DEPOSITI NOTISSIMOS TERMINOS. Simili loquutione, qua Paulus in *l.* 26. *ff. Depoſ.* conventionem, depoſito additam de ſolvendis, etiam ante moram, uſuris dixit *depoſitæ pecuniæ modum excedere.* Unde quæri poteſt, ſi tamen convenerit, ut tantundem, non idem reddatur, vel de præſtandis ante moram uſuris, an ad utramque conventionem porrigatur actio depoſiti? Papinianus addubitat in *d. l.* 24. utitur enim ſuſpenſa oratione, *Si*, inquit, *depoſiti actio*

ctio non teneat, rationem uſurarum baberi non facile dicendum eſt. Baſilici *L.* XIII. *T.* 2. *C.* 24. Papiniano negantem ſententiam tribuerunt, ſed Interpres Græcus addit: πλὴν ὑποκάτω γνώσεις, ὡς ἁρμόζει ἐπὶ τούτῳ ἡ δεποσίτου, *verum poſtea diſces, quemadmodum boc caſu competat actio depoſiti.* Reſpicit, ni fallor, Interpres ad verba finalia Papiniani, ubi ait: *Si tamen ab initio de uſuris præſtandis convenit, lex contractus ſervabitur.* Servabitur autem actione depoſiti, quia alia actione ſervari non poteſt, ut tandem Papinianus, poſt dubitationem, in eam ſententiam videatur fuiſſe proclivior, contra quam ejus mentem Baſilici expoſuerunt. Aperte utique Paulus in *d. l.* 26. §. 1. reſpondit, adjecta depoſito conventione, ut etiam ante moram uſuræ præſtentur, *ſecundum conventionem uſuras quoque* ACTIONE DEPOSITI *peti poſſe.* Atque inde eſſe opinor, quod & hodie Mercatorum fœnerationes *depoſita* vocentur.

Ut ut igitur a natura depoſiti degeneret pactio, ut tantundem pecuniæ, non eadem pecunia reddatur, obtinuit tamen, ſi id actum eſt, depoſitum eſſe. Id autem agitur, non tantum ſi expreſſe ita convenerit, ſed &, ut Alfenus ait, ſi quis pecuniam neque claudat, neque obſignet, ſed ſimpliciter adnumeret, perinde enim id eſt, atque ſi tantundem reddi paciſcatur. Secundum hæc Papinianus in *l.* 25. §. 1. *ff. Depoſ.* ita ſcribit: *qui pecuniam apud ſe non obſignatam, ut tantundem redderet, depoſitam, ad uſus proprios convertit, poſt moram in uſuras quoque, judicio depoſiti, condemnandus eſt.* Ait, *poſt moram*, quia uſuræ in depoſiti actione, ut & in ceteris bonæ fidei judiciis, ex mora venire ſolent *l.* 3. *C. Depoſ.* ante moram igitur ſi ejusmodi depoſitarius pecuniam non obſignatam ad uſus proprios converterit, impune feret: nam qui deponit, tantundem recepturus, vel, quod perinde eſt, qui pecuniam deponit non obſignatam, videtur poteſtatem facere utendæ pecuniæ. Accedit id depoſitum ad mutui naturam, ſed tamen Papinianus id cenſet jure depoſiti, & ideo poſt moram uſuras deberi reſpondit. Quare uſuræ debebuntur, non quia uſus eſt pecunia, ſed quia moratus eſt. Nec contradicit Scævola in *l.* 28. *ff. Depoſ.* nam quod ibi uſuræ debeantur ante moram, efficit epiſtola, qua Candidus promiſit, ſe curaturum, ne Rogatiani pecunia penes ſe eſſet vacua, quemadmodum & Græcus Scholiaſtes obſervavit ad *d. l.* tunc enim Candidus uſuras debet, ſive ipſe ex pecunia perceperit, ſive eam in rem ſuam verterit. Plus negotii faceſſit Paulus in *l.* 29. §. 1. *ff. Depoſ.* *Si*, inquit, *ex permiſſu meo depoſita pecunia is, penes quem depoſita eſt, utatur, ut in ceteris bonæ fidei judiciis, uſuras ejus nomine præſtare mihi cogitur.* Agit de quantitate depoſita, cum alioquin uſus pecuniæ non potuerit eſſe permiſſus, & videtur velle, propter uſum pecuniæ uſuras deberi, idque tam ante, quam poſt moram. Sed ita inter Papinianum in *d. l.* 25. §. 1. & Paulum in *b. l.* 29. §. 1. non conveniet, niſi dicamus, nec aliud, quod dicamus, mihi ſuccurrit, Paulum admittere uſuras, ſi quis me volente pecunia mea utatur, ſed admittere, *ut in ceteris bonæ fidei judiciis*, ex mora nempe, de qua ſpecie Papinianus tractat in *d. l.* 25. §. 1. vel ex pacto adjecto, de quo ipſe tractat Paulus in *d. l.* 26. §. 1. *ff. Depoſ.*

Sed quicquid de uſuris dicamus, id nihilominus conſtat, ut locati, ſic & depoſiti duo genera eſſe, alterum vulgare & proprium, alterum minus vulgare minusque proprium. De hoc Alfenus agit in *b. l.* 31. & Papinianus & Paulus in illis, quæ adtuli, capitibus. Quod autem Alfenus ait, ſi in depoſito pecunia neque claudatur, neque obſignetur, ſed adnumeretur, defungi depoſitarium, ſi tantundem reddat, ei conſequens eſt, non defungi, ſi pecunia clauſa ſignatave deponatur, tunc enim ipſa nummorum corpora eſſent reddenda. Et ſic eſt omnino; audi Paulum in *l.* 29. *pr. ff. Depoſ.* *Si ſacculum vel argentum ſignatum depoſuero, & is, penes quem depoſitum fuit, me invito contrectaverit, & depoſiti & furti actio mihi in eum competit.* Petita eſt illa lex ex Pauli *Sententiarum Libro* II. ubi etiamnum exſtat *T.* XII. *pr.* ut & in *Collat. LL. Moſaic. & Rom. T.* X. *loc.* 7. ubi tamen *ſacellum* legitur pro *ſacculum*, & omittitur *ſignatum*; quod omitti non debebat, quia ab eo ſolo pendet vis orationis, *ſignata* quippe *pecunia*, eadem reddenda eſt, non tantundem. Obſignatio indicat animum deponentis, pecuniæ uſu ſic tacite interdicto. Si quis igitur ſigilla revellat, & pecunia utatur, utitur invito domino, & tam furti, quam depoſiti tenetur. Ex his principiis definire licet quæſtionem, ſæpe agitatam, an Scriba, aliusve publica auctoritate conſtitutus, ſine fraude poſſit uti pecunia penes ſe depoſita? itemque an poſſit Magiſtratus, qui publice exercet tabernam argentariam? poſſe ſcilicet ſine fraude cujusquam, ſi, ut vulgo fit, ad quantitatem pecunia deponatur, non poſſe, ſi deponatur clauſa atque obſignata.

Pergit Alfenus: *ſecundum quæ videri triticum factum Saufeji, & recte datum.* Omnis diſputatio huc redit. Si nautæ vehendum commiſſum fuerit frumentum, vel quodvis aliud, in genere functionem recipiens, vel ſi tale quid fuerit artifici locatum, vel depoſitum, ut committatur ea res non tanquam corpus, ſed quantitas, nautam, artificem, depoſitarium non eſſe debitores ſpeciei, at generis, poſſe igitur pro lubitu vel idem corpus reddere, vel aliud, in ſimili quantitate & qualitate conſiſtens. Secundum hæc triticum videri factum Saufeji, nam mercatores noluiſſe quæque diſtincta ſui frumenti retinere corpora, & ideo confudiſſe in communem acervum, ut ex eo cuique redderentur tot modii, quot quisque navi impoſuerat. Abſoluto igitur itinere Saufejum recte uni reddidiſſe tot modios, quot ipſe impoſuerat, non exſpectata aliorum repetitione, nam qua fronte negaſſet? Si igitur, vi majore, poſtea navis perierit, vel in portu, vel in ſtatione, non eſſe, quod nautæ imputetur jactura reliqui frumenti. Plane ut Juſtinianus conſtituit in *l. ult. C. Depoſ.* ſi quis nempe certum pondus auri vel argenti depoſuerit, & plures ſcripſerit heredes, & unus ex his partem ſuam a depoſitario acceperit, alter petere neglexerit, & poſtea depoſitum ſine dolo perierit, coheredi contra coheredem actionem non eſſe, *quaſi eo, quod coheres accepit, communi conſtituto:* nam in hac ſpecie, haud ſecus atque in pecunia, quæ deponitur, numerata, potuiſſe coheredem partem ſuam recipere, *ne*, inquit, *induſtria pœnas deſidiæ ſolvat. Si enim & alius heres tempora opportuna, quemadmodum coheres ejus, obſervaſſet, & ſuam uterque reciperet, & ſequentibus altercationibus minime locus relinqueretur.* Exemplum, quod apprime eſt in rem præſentem.

C A-

CAPUT VI.

Ad eandem *l.* his verbis: *Quod ſi ſeparatim tabulis, aut heronibus, aut in alia cupa cluſum uniuſcujusque triticum fuiſſet, ita ut internoſci poſſet, quid cujusque eſſet, non potuiſſe nos permutationem facere, ſed tum poſſe eum, cujus triticum fuiſſet, quod nauta ſolviſſet, vindicare.*

Non tam de ſenſu, quam de verbis, quæ præſcripſimus, laboratur. Pro *ſeparatim*, quod Florentiæ eſt, omnes fere veteres Editores habent *ſeparatum*, quod omnino præſtat, quia *cluſum*, quod ſequitur, ad *tabulas* minus apte refertur. Uterque etiam MS. meus pro *heronibus*, dempta adſpiratione, exhibet *eronibus*, quod & eſt in antiqua Editione apud Chevallonium 1523. Robertus Stephanus, *peronibus*. Haloander & Vintimillius *centonibus*. Editio apud fratres Sennetonios 1549. & Boudoza 1593. *beronibus*, ex emendatione ſcilicet Budæi, cujus & alias emendationes antiqui Editores ipſis legibus intruſerunt. *Berones* Budæus *Annot. prior.* ad *ff.* in *h. l.* interpretatur *ſaccos*, *quaſi perones a pera dictos.* Miror, non eſſe, qui legerit *petronibus*, nam petronibus merces involvebantur, ut obſervat Voſſius ad *Melam L.* III. *C.* 7. *verſ.* 8. ſed hæc omnia nullius ſunt pretii. Recte Cujacius *L.* VII. *Obſerv. C.* 39. defendit *eronibus*, vel, quod malim, *æronibus*, quæ ipſa vox *æronibus* exhibetur hic inter varias Lectiones poſt Haloandrum, & ſic forte legit Accurſius, cum, quicquid hic verbi eſt, accipiat pro *æneis vaſis*, mala tamen interpretatione. *Æro* ἀπὸ τȣ̃ αἴρειν, eſt vaſis ſpartei genus, portando quid idoneum, ut Voſſius & Martinius in *Etymologicis* ſuis probarunt. Vellem modo, ne Voſſius τῷ *beronibus* in *h. l.* Cujacio tribuiſſet, quod Budæo tribuendum erat. De æronibus ſatis dixit Turnebus *Adverſ. L.* XXIV. *C.* 2. & *L.* XXVII. *C.* 10. & *L.* XXX. *C.* 5. *in pr.* Græci *ærones* hic interpretantur *cophinos*, ut auctor eſt Cujacius *d. L.* VII. *Obſerv. C.* 39. nam in Baſilicis Fabroti nihil hodie habemus reliquum ad *h. l.* 31. *cophini* autem ſunt *corbes*, propria Judæorum ſupellex apud Juvenalem *Satyr.* III. *verſ.* 14. & *Satyr.* VI. *verſ.* 541. & nautæ cophinis frumenta transvehebant, ut memini me legere in Heſychio.

Pro *cupa* ſunt qui ediderunt *cuppa*, ſed ea vox utroque modo ſcribitur, etiam in Pandectis Florentinis. Sed quia tabulæ vel ærones non ſunt genus cupæ, cur ait, *aut in* ALIA *cupa cluſum?* Si accurate loquamur, dicendum, & forte legendum eſſet, in *aliqua* cupa, at vero moroſi ſumus, ſi a Scriptoribus exigamus culpam leviſſimam. Pro antiquo *cluſum* rurſus alii *clauſum*, alii *incluſum* ediderunt. Quod æque improbo, quam pro *internoſci*, quod ſequitur, ſubſtituere, *inter nos ſciri.* Quæ Lectio Haloandro adſcribitur, ſed ille edidit, ut in Libro Mediceo ſcriptum eſt; refertur duntaxat ea Lectio, tanquam varia, poſt editionem Haloandri. Nihil etiam intereſt, legas, *quid* an *quod* cujusque eſſet, modo alterutrum ſerves, nam non patior, integram eam vocem abeſſe, ut abeſt a MS. meo ſine Gloſſis. Magis turbat illa loquutio, *non potuiſſe nos permutationem facere.* Atquin egerat de Saufejo, in tertia perſona, quid igitur hic *nos* in prima? & quid numerus plurium? nam ad mercatores referri non poteſt, quin ſi poſſet, utique minus verum eſſet, eos frumentum ſuum, quamvis tabulis, æronibus vel cupis ſeparatum, permutare non poſſe, licet enim omnibus de rebus ſuis ſtatuere ex animi ſui ſententia. Adeo hæ rationes Antonium Fabrum turbarunt, ut *Ration.* ad *h. l.* pro *nos* reſcripſerit *nautam*, vel *eum*, nempe Saufejum. Sed apage infelicem criticam! *Nos* dixit & *Saufejum* intellexit, frequentiſſima enim eſt ejusmodi perſonarum ἐναλλαγή. Hoc autem voluit: jus nautæ non fuiſſe, diſtincto uniuscujusque frumento, ut *permutaret*, id eſt, alteri redderet alterius frumentum, hoc enim eſt *permutare*, ut in ſimili ſpecie ea voce quoque uſus eſt Ulpianus in *l.* 13. §. 6. *ff. Locat. conduct.* Gloſſa ad verbum *nos* perperam quoque hunc locum explicavit.

Igitur ſi frumentum in nave non fuerit a mercatoribus confuſum, ſed ſeparatim habitum, interpoſitis tabulis, aut æronibus cupisve incluſum, pellucet inde animus, voluiſſe quemque ſua grana ſibi ſervare, neque adeo potuiſſe nautam Titii frumentum Mævio tradere, vel Mævii Titio. Quod ſi tamen fecerit, recte addit, *poſſe eum, cujus fuiſſet triticum, quod nauta ſolviſſet, vindicare.* Cum enim, facta ſeparatione, quisque tritici ſui manſerit dominus, conſequens eſt, ſi triticum meum ad te pervenerit, mihi adverſus te rei vindicationem eſſe. Sed an nauta impune feret, ſi permutaverit? non feret, ſi Gloſſam audias, nam ait, in hac ſpecie etiam contra nautam agi poſſe locati conducti, & recte ait, quia hæc actio etiam culpam coërcet, & ad minimum culpa eſt alterius rem alteri tradere, ut ut ignarus tradiderit. Unde Ulpianus in *d. l.* 13. §. 6. *ff. Locat. conduct. Si pallium fullo permutaverit, & alii alterius dederit, ex locato actione tenebitur, etiamſi ignarus fecerit.* Si nauta gnarus, atque ita dolo malo merces permutaverit, non tantum locati competet ad id, quod intereſt, ſed, ni fallor, etiam actio oneris averſi in duplum, utique ſi recte diſputavi ſupra C. III. Verum an hæc ſubſiſtant & componi queant cum his, quæ in continenti ſequuntur, porro deſpiciamus.

CA-

CAPUT VII.

Ad eandem *l.* his verbis: *Et ideo ſe improbare actiones oneris averſi, quia ſive ejus generis eſſent merces, quæ nautæ traderentur, ut continuo ejus fierent, & mercator in creditum iret, non videretur onus eſſe averſum, quippe quod nautæ fuiſſet, ſive eadem res, quæ tradita eſſet, reddi deberet, furti eſſe actionem locatori; & ideo ſupervacuum eſſe judicium oneris averſi.*

Pro *quæ nautæ traderentur, ut continuo ejus fierent*, Haloander legit, *ut, ſi nautæ traderentur, continuo ejus fierent:* quam ſcripturam & alii Editores ſequuti ſunt, ſed non eſt, cur a Lectione Florentina recedamus. Sunt & aliæ quædam minutiæ, in quibus Libri variant, ſed indignæ, quas notem. Cum ait *ſe*, Paulus Epitomator Alfenum intelligit, nam in enarranda ejus ſententia occupatur. Præmiſerat ſcilicet, duo rerum locatarum genera eſſe; alterum, ex quo res tradita domini manet, alterum, ex quo in creditum itur. Mercatores, confuſo omnium frumento, hic in creditum iviſſe, nautam igitur primum venienti potuiſſe reddere eam quantitatem, quam ipſe in navem intulerat, ſecus ſi frumentum cujusque in navi fuiſſet diſtinctum, tunc enim ſuum cuique eſſe reddendum, & alteri alterius datum a domino vindicari poſſe. Ex his nunc preſſius reſpondet, quid ſibi in hac ſpecie videatur de actione oneris averſi, de qua fuerat quæſitum. *Et ideo*, inquit, *ſe improbare actiones oneris averſi.* Efficit id ex præcedentibus quorum argumentum mox repetit. Conſtanter autem ubique legitur *actiones*, pro quo mallem legeretur *actionem*, cui enim bono hic numerus plurium? de actione oneris averſi quærebatur, de ea igitur videbatur reſpondendum. Ubi directæ & contrariæ actiones ſunt, ea loquutio magis defendi poſſet, ſed oneris averſi actio non poteſt non eſſe directa ſemper. Forte litera *S.* ex ſequenti *oneris* perperam repetita fuit, fallente librarium ſono. Sin hoc diſpliceat, dicamus Alfenum loquutionem pluralem adhibuiſſe, quia utroque, quem refert, caſu oneris averſi agi non poterat.

Plus difficultatis eſt in re ipſa, nam ecce Alfenus actionem oneris averſi contra nautam ſemper & ubique videtur excludere, eamque in rem uti hoc dilemmate: aut merces, nautæ traditæ, in genere ſunt reſtituendæ, aut in ſpecie; ſi in genere, mercator in creditum ivit, nec onus, quod nautæ fuiſſet, averſum dici poteſt. Si in ſpecie, mercatori ſive locatori competit actio furti. Mox ſuperdicit, *& ideo ſupervacuum eſſe judicium oneris averſi.* In MS. meo Gloſſato, *ſupervacuum eſſe videtur*, perperam, nam *τὸ eſſe*, ut *improbare*, *videri*, *potuiſſe* &c. pendet a præcedenti *reſpondit.* Sed quid dicemus? ſupervacuum eſſe judicium oneris averſi? ſi ſit, inanis utique fuit omnis cura ejus actionis proponendæ, inanis de ea quæſtio & diſputatio. Et fere inanem fuiſſe ſubindicat Cujacius *L.* VII. *Obſerv.* C. 39. & palam id adfirmat Faber Antonius *Ration.* ad *h. l.* ſed cur illis non ſim credulus, plena manu exſequutus ſum ſupra C. III. At poſtulabunt credi Alfeno, qui hic id ipſum videtur velle. Audiamus ejus rationes: ſi, inquit, primum genus locationis inſpiciamus, quo dominium rei locatæ tranſit, fruſtra quæritur de actione oneris averſi, cum nemo rem ſuam ipſe avertat. Et ſic eſt omnino. Actio oneris averſi non competit niſi adverſus eum, qui in re aliena peccat, adverſus Saufejum igitur competere non poteſt, quippe, ſi quid commiſiſſet, non commiſiſſet in re aliena, ſed propria. In altero locationis genere Alfenum diceres æque rejicere actionem oneris averſi, nam, inquit, ſi eadem res, quæ tradita eſſet, reddi deberet, *furti eſſe actionem locatori, & ideo ſupervacuum eſſe judicium oneris averſi.* Nolim hæc ita accipi, ut tamen accipi video, atque ſi ſemper & ubique contra nautam actio furti ſit, non reddita eadem re, quæ reddi deberet. Quominus id dicamus, prohibent Principia juris, explicata *d.* C. III. Furti competit, ſi, ut eſt apud Tertullianum *adverſus Marcionem L.* V. *C.* I. *ſarcinæ ab ipſis naucleris intercipiantur*, hoc eſt, ſi nautæ dolo malo & lucri ſui cauſa merces contrectent & intervertant, ſed ſi alio modo, qui in furtum non cadit, contra dicendum eſt. Si nauta merces retineat, donec pretium vecturæ ſolvatur, abeſt dolus malus. Quin ſi adſit, & ceſſet lucri cauſa, adhuc dicemus, furti actionem non eſſe. Dolo malo nauta naufragium curavit, ut damnum daret, & onus periret, furti non competet, ſed, ut opinor, oneris averſi. Idem dicemus, ſi nauta res, ad Mævium curandas, dolo malo ad Titium curaverit. Gloſſa ad verbum *vindicare*, etiam in hac ſpecie, actionem furti largitur *contra ſuſcipientem ſcienter, & contra dantem*, ſed contra dantem vix eſt, ut dari poſſit. Utique dari nequit, ſi ſola culpa merces ad alium perperam curatæ ſint. Supereſt equidem eo caſu actio locati conducti, ut ſupra dicebamus, ſed ea, ultra id quod intereſt, non porrigitur, hanc autem, quæ de onere averſo eſt, in duplum fuiſſe, adſentior Cujacio, ob rationes, quas expedivi *d.* C. III. Utque adeo multis nominibus actio oneris averſi non fuerit ſupervacua. Quare quod Alfenus ait, *furti actionem eſſe locatori*, non καθόλου accipimus, ſed κατά τι, ut in Scholis loquimur, & κατά τι quoque accipimus ſequentia, *& ideo* &c. Sæpe JCtis noſtris exciderunt generales loquutiones, quæ tamen finibus ſuis circumſcribendæ ſunt, ne laborent alia Jurisprudentiæ capita. Per mille poſſem currere exempla, ut id probem, ſed forte ſuffecerint, quæ in hanc rem dixi ſupra *L.* VII. *C.* 18. *Verſ. Nihilominus.*

CAPUT VIII.

Ad eandem *l.* his verbis: *Sed ſi ita datum eſſet, ut in ſimili re ſolvi poſſit, conductorem culpam duntaxat debere; nam in re, quæ utriusque cauſa contraheretur, culpam deberi. Neque omnimodo culpam eſſe, quod uni reddidiſſet ex frumento, quoniam alicui primum reddere eum neceſſe fuiſſet, tametſi meliorem ejus conditionem faceret, quam ceterorum.*

Neſcio, cur Libri quidam, MSS. & editi, poſt *debere*, addant *præſtare*, cum ſimplex *debere*, ex uſu Linguæ Latinæ, ſufficiat, unde & mox ſimpliciter, *culpam deberi*, in quo neque illi Libri variant. Alfenus, qui improbaverat actionem oneris averſi in utroque genere locationis, redit nunc ad primum genus, de quo ſolo quærebatur, probaturus, nullam omnino adverſus nautam eſſe actionem, ne quidem locati conducti. *Sed ſi ita*, inquit, *datum eſſet, ut in ſimili re ſolvi poſſit, conductorem culpam duntaxat debere.* Et addit rationem: *nam in re, quæ utriusque cauſa contraheretur, culpam deberi.* Nolim hæc ita intelligi, atque ſi in illo locationis genere, ubi res ipſa reſtituenda eſt, aliud juris eſſet, quam in eo genere, ubi tantundem reſtituere ſufficit, nam in omni locatione conductor non præſtat niſi dolum & culpam, latam levemque, ut nemo eſt, qui neſcit, ſed quod orationem accommodaverit ad ea, quæ proponebantur, hoc eſt, ad ſpeciem, ubi *datum erat, ut in ſimili re ſolvi poſſit.* Nolim quoque hæc ita intelligi, ut intellexit Connanus *Comment. Jur. Civil. L.* VII. *C.* 11. *n.* 9. & 10. atque ſi Alfenus culpæ meminiſſet ad excludendam actionem oneris averſi, quæ in rebus ad pondus, numerum & menſuram datis, & ita reſtituendis, obtineret quidem, ſed non niſi interveniente dolo, nam culpam dicit, non ut dolum excluderet, ſed ut caſum & vim majorem. In rebus fungibilibus alia ratio eſt, ob quam ceſſat oneris averſi actio, eamque præmiſit Alfenus, id eſt, ratio tranſlati dominii. Efficit illa, ne unquam in ejusmodi rebus oneris averſi agi poſſit, ſed hæc, quin & tota ejus actionis natura Connanum videtur fugiſſe, utique ſi recte diſputavi ſupra *C.* III.

Quamvis autem oneris averſi actio non obtineat, ubi res ſimilis, non eadem eſt reddenda, obtinere tamen poteſt actio locati conducti, ut ſupra quoque dicebamus. An huic igitur locus ſit, puto Alfenum tacite quæſiviſſe, & aperte negaſſe. Conductor, inquit, præſtat *culpam duntaxat*, hoc eſt, præter dolum, culpam quoque, & præterea nihil. Non igitur caſum fortuitum, non θεῶ βίαν. Et ſic eſt in omnibus contractibus, in quibus utriusque contrahentis utilitas verſatur, ut ſubjicit Alfenus, & alias abunde conſtat. Ait *culpam deberi*, & *levem* intelligit, ut fere intelligitur ſemper, ubi ſimpliciter *culpæ* mentio. Quare leviſſimam arcet, & multo magis caſum.

His applicat propoſitam ſpeciem, verbis adeo rotundis, ut interprete non indigeant. Saufejum nempe omni vacare culpa, etiam minima, hoc eſt, *neque omnimodo culpam eſſe*, quod frumentum primum venienti ad quantitatem, a ſe impoſitam, reddidiſſet, *quoniam alicui primum reddere eum neceſſe fuiſſet.* Exegit frumentum, qui ceteris in exigendo diligentior fuit, & recte exegit. Navis deinde periit cum reliquo frumento, ſed ſine culpa nautæ; quid igitur ei imputabimus? quod primi conditionem fecerit meliorem, quam ceterorum? Sic eſt, eventu inſpecto, at primus exegit, reliqui non exegerunt, valeat igitur & hic illud Scævolæ ex *l.* 24. *ff. Quæ in fraud. credit. Jus Civile vigilantibus ſcriptum eſt.*

CAPUT IX.

Emendatæ L. 1. pr. ff. de Pact. & L. 5. pr. ff. de Verb. obligat.

Inter ſublimioris ſcilicet Jurisprudentiæ regulas, quibus in foro ſuperbit Pragmaticorum natio, eſt & illa Ulpiani interrogantis in *l.* 1. *pr. ff. de Pact. Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt ſervare?* Utitur hac ſententia Ulpianus ad commendationem Edicti de pactis, ſed ab Orbilii ferula eſt, quod ſibi metuat. Dixit *inter eos*, & nihil quicquam præcedit, vel ſubſequitur, ad quod τὸ *eos* referas, & tamen *inter eos* legitur Florentiæ, legitur in utroque MS. meo, & in omnibus, quas conſului, antiquis Editionibus. Elbertus Leoninus *L.* I. *Emend. C.* 16. ex MS. quodam ſuo profert & præfert *inter homines.* Sed tantum a Florentino Codice ego recedere non auſim, & ſatis apparet, & hanc, & aliam, quæ ibi eſt, ejusdem MS. variantem ſcripturam unice redolere ſemidocti cujusdam manum interpolantem. Si legeretur, *inter quos*, ut Cicero *L.* II. *Rhetor. ad Herenn. C.* 27. pactum definit: *quod inter quos convenit*, vel ſi in præcedentibus legeretur *fidei hominum*, & mox, *inter eos*, utraque Lectio conveniret præceptis Grammaticæ, ſed cum ita non legatur, tantum non muto. An dicemus, Scriptores, magis rebus, quam verbis intentos, in oratione ſæpe genus mutaſſe, & id Ulpiano accidiſſe in *d. l.* 1.? ita cenſet Gerardus Noodt *L.* I. *Obſerv. C.* 4. & *de Pact. & transact. C.* 1. teſtes advocans, quibus probetur, *non eſſe inſolens Veteribus, in ſermone genus mutare, ac relationem facere magis ad antecedentium verborum ſenſum quam ad verba, quibus is ſenſus continetur.* Exteris Auctoribus ait teſtimonium denunciaſſe Auſonium Popma *de uſu antiquæ locutionis L.* II. *C.* 2. & ipſe noſtris denunciat *d. L.* I. *C.* 4. Sed non eſt, quod hæc nobis tam large obtrudi patiamur. Poſſem, ſi tanti eſſet, varie refutare teſtes, quos Popma attulit, poſſem, quos Noodtius. Sane in definitione tutelæ, quam ex Servio dedit Paulus in *l.* 1. *pr. ff. de Tutel.* verba *ad tuendum eum*, non pertinent ad *caput liberum*, quod præcedit, ſed ad id, quod ſequitur, *qui propter ætatem ſe defendere nequit*, & illud *ſinguli* in *l.* 195. §. 2. *ff. de V. S.* non ex alio pendet, ſed per ſe ſubſiſtit. Magis dixeris ad rem pertinere verba Pauli in *l.* 23. *ff. de Legat.* III. *Ex imperfecto teſtamento legata vel fideicommiſſa Imperatorem vindicare, inverecundum eſt: decet enim tantæ Majeſtati eas ſervare leges, quibus* IPSE *ſolutus eſſe videtur.* Sed *ipſe* potes referre ad *Impe-*

peratorem, non ad *Majeſtatem*. At quid ſi ad *Majeſtatem?* ſi de perſonis actum eſt, ad quas mutatio generis referri poteſt, non intercedo, quominus aliquando mutatum genus dicas, & ſic fere eſt in exemplis, quæ habet Popma ſub hoc Capite: *nonnunquam mutatur genus, cum duæ diſſimiles voces in oratione collocantur, quarum poſterior genere non reſpondet, ſed ad rem ſignificatam refertur.* Sed apud Ulpianum in *d. l.* 1. nihil actum eſt de perſonis, genere virili, quæ intelligi poſſint, præceſſerat *fides humana*, genere mulicbri, & præterea nihil. Mox ſequitur *inter eos*, loquutione inuſitata, & quæ, ut opinor, raro exemplo defendi poteſt. Si Noodtium non fugiſſent, quæ de *Anaphora* Auguſtinus dixit *L.* IV. *Emend. C.* 4. *princ.* alia & forte magis idonea mutati generis exempla inde protuliſſet. Sed neque inter hæc & Ulpianum ſatis convenire, diſputari poſſet, ſi non longum eſſet de ſingulis ire in ſuffragia.

Sed quid ſi Ulpianus exemplo defendi poſſit? nolim ſane ad inſolentiora quæque confugere, cum aliud ſupereſt. Supereſt autem, ſi levi, imo nulla mutatione legamus *inter reos*, dico nulla mutatione, quia duntaxat geminanda eſt, quam geminare licet, litera canina, hoc modo, *inteR eos.* Sic habemus *inter reos*, hoc eſt, inter eos, qui paciſcuntur. *Reos*, dici, quorum de *re* agitur, ex Cicerone & Feſto jam Lexica notarunt, & alii prolixe exſcripſerunt. Nolim addere, verba, quæ de pactis ſervandis ſunt apud Ciceronem *d. L.* II. *Rhetor. ad Herenn. C.* 27. Janum Rutgerſium *L.* V. *Variar. Lect. C.* 16. ita exhibere: *rei uti pagunt, ratum eſto.* Nam dubia ibi lectio eſt, & ad antiquum ſermonem, forte ex XII. Tabulis, verba referuntur; dicam potius, ipſos JCtos, quorum fragmenta tractamus, *reos* dixiſſe, quorum quæcunque res agitur; ſive ipſi agant, ſive cum iis agatur, ſive aliud quid contrahant. Conſtat inde *reos ſtipulandi* vocari, qui una ſtipulantur, & *reos promittendi*, qui una promittunt. Ob eandem cauſam *reus ſatisdandi* eſt, qui ſatis dedit, & *reus accipiendi*, qui ſatis accepit in *l.* 34. §. 8. *ff. de Solution.* & *rei locationis*, qui ſimul locarunt apud Ulpianum, qui legis noſtræ auctor eſt, in *l.* 13. §. 7. *ff. Locat. cond.* & *reus* pro *fidejuſſore* apud eundem, in *l.* 13. §. 23. *ff. de Action. empt.* & in *l.* 1. §. 9. *ff. de Collat. bonor.*

Ex his intelligimus JCtos noſtros in medio foro *reos* dixiſſe, quorum res agitur, ne forte exiſtimemus, eam loquutionem priſci duntaxat ævi fuiſſe, quia Cicero ait *L.* II. *de Orator. C.* 43. *ſic olim loquebantur.* Imo ſic ipſe loquitur & explicat *d. L.* II. *C.* 79. Et ne ab Auctoribus noſtris abeamus, Pomponius palam *reos* appellat ipſas partes, quæ contrahunt, in *l.* 5. *pr. ff. de V. O.* Dividit ibi ſtipulationes in judiciales, Prætorias, conventionales & communes, & *conventionales* definit, *quæ ex conventione* REORUM *fiunt, quarum*, inquit, *totidem genera ſunt, quot (pene dixerim) rerum contrahendarum: nam & ob ipſam verborum obligationem fiunt, & pendent ex negotio contracto.* Quod hic dicitur *ex conventione reorum*, interpretantur *Inſtitutiones L.* III. *C.* 18. §. 3. *ex conventione utriusque partis*, & *eod.* §. *ex conventione contrahentium*, eadem ſignificatione, quæ ex noſtra emendatione eſt apud Ulpianum in *d. l.* 1. *pr. ff. de Pact.* Quod autem ex *d. l.* 5. *pr. ff. de V. O.* & reliqua verba deſcripſerim, non alia cauſa factum puta, quam ut indicarem, in his, niſi me omnia fallant, latere mendum, vulgo non animadverſum. Ait Pomponius, & recte, tot ſtipulationes conventionales eſſe, quot pene ſunt genera rerum contrahendarum. Si rationem quæras, hanc habebis: *nam & ob ipſam verborum obligationem fiunt, & pendent ex negotio contracto.* Aut hanc rationem non intelligo, aut ratio non eſt. *Res contrahendæ* non fiunt propter verborum obligationem, ſed verborum obligatio fit propter *res contrahendas*, ut hoc quaſi ſigillo obſignentur & corroborentur. *Obligationum firmandarum gratia ſtipulationes inductas eſſe*, Paulus dixit *L.* V. *Sentent. T.* 7. §. 1. *Ut quis cautior ſit & ſecurior interpoſita ſtipulatione*, Ulpianus in *l.* 1. §. 4. *ff. de Stipulat. Prætor.* Atque ideo tot pene ſtipulationes, quot contractus. Non intelligo igitur illam Pomponii rationem, magis intelligerem, ſi legeretur, *nam & ob ipſam verborum obligationem* NON *fiunt*, SED *pendent ex negotio contracto.* Sed ita non legitur, & quis tantum mutare auſit? nemo, niſi qui vi adhibita conſtituit negare, quod Pomponius adfirmat. Et ſic etiam ſupereſt τὸ *et.* Charondas *Schol.* ad *Tit. ff. de Verb. Oblig.* in *h. l.* 5. *pr.* ex emendatis, ut ait, Codicibus *hunc verſiculum* ita exhibet: *& ipſæ ob verborum obligationem fiunt*, ſed ego in ejusmodi Codices nondum incidi, &, ſi incidiſſem, hanc ſcripturam non probarem, ut ille probat. Delenda ſic primum eſt vocula *nam*, ne hæc ſit ſuperiorum ratio, deinde *ipſæ* erunt *ſtipulationes*, de quibus ante, non *res contrahendæ*, de quibus proxime dixerat. Et quis tandem ſenſus? ſtipulationes fiunt *ob verborum obligationem*, id eſt, ob actionem, ex ſtipulatu competentem, nam ſic interpretatur Charondas. Peſſime, ſi quid judico. Longe tunc præferrem Lectionem MS. mei ſine Gloſſis, quam video in Editionem Roberti Stephani aliasque antiquiſſimas migraſſe: *nam & ipſæ ex verborum obligationeſi unt, & pendent ex negotio contracto*, hoc eſt, res contrahendæ ſolemni ſtipulationis formulæ inſeruntur, quo majus iis accedat robur. Sed importuna tunc rurſus eſt vox *pendent*, neque enim *res contrahendæ* recte dicuntur *pendere ex negotio contracto.* Ne id fiat, & ut propius accedamus ad Lectionem Florentinam, quam & Haloander & Vintimillius exhibuerunt, ego ſic legerim & interpunxerim: *nam & ob ipſas, verborum obligationes fiunt & pendent ex negotio contracto.* Hoc ſenſu: tot ſunt verborum obligationes, quot pene genera rerum contrahendarum, nam propter ipſas, res ſcilicet contrahendas, verborum obligationes fiunt, & non tam per ſe ſubſiſtunt, quam pendent ex negotio, de quo agitur. Hæc eſt vera & idonea ratio ejus, quod præceſſit, & nihil muto, quam duas literulas, ut ex numero unius efficiatur numerus plurium. Cavebis tamen, ne τὸ *ipſas* ad *verborum obligationes*, quæ ſequuntur, referas, cum referendum ſit ad *res contrahendas*, quæ proxime præcedunt, & τὸ *pendent* ſic pertinebit ad *verborum obligationes*, non ad *res contrahendas.* Vellem, ne ſilentio hunc locum transmiſiſſent Interpretes, non Interpretes. Prætermiſit ſane Langebek *Annotat. C.* 30. ubi non debebat, prætermiſere & alii tantum non omnes.

CAPUT X.

Explicanda, an emendanda ſit L. 27. §. 6. ff. de Pact.

Neſcio, an explicari poſſit, an vero emendari debeat *d. l.* 27. §. 6. Verba Pauli hæc ſunt: *Sed ſi ſtipulatus decem aut Stichum, de decem pactus ſim, & petam Stichum, aut decem, exceptionem pacti conventi in totum obſtaturam: nam ut ſolutione,* & PETITIONE, *& acceptilatione unius rei tota obligatio ſolveretur, ita pacto quoque convento de una re non petenda interpoſito, totam obligationem ſummoveri. Sed ſi id actum inter nos ſit, ne decem mihi, ſed Stichus præſtetur, poſſum efficaciter de Sticho agere, nulla exceptione opponenda. Idem eſt, & ſi de Sticho non petendo convenerit.* Minutias variarum Lectionum, quas hic reperi, non moror; neque etiam de ſententia hujus loci ſollicitus ſum, cum abunde ſatisfaciant, quæ dixit Cujacius ad *Pauli L.* III. *ad Edict.* in *h. l.* & Faber Antonius *Ration.* ad *eandem*, & Connanus *Comment. Jur. Civ. L.* V. *C.* 4. *n.* 9. & 10. Sed ſcire deſidero, quemadmodum ſola *petitione*, a *ſolutione* diſtincta, ut hic diſtinguit Paulus, perimatur tota obligatio? In his, quæ exemplo ſerviunt, vides enumerari *ſolutionem, & petitionem, & acceptilationem.* Si duæ res debeantur disjunctim, hæc aut illa, liquidum eſt, alterutrius ſolutione vel acceptilatione omnem obligationem ſolvi. Sed an & ſolvetur ſola *petitione*? ſic creditur Paulus ſcripſiſſe. Sed ego didici, debitorem *petitione* non liberari, verum ſolutione, & nemo ſapit aliter. In omnibus tamen Libris, MSS. & editis, conſtanter legitur *petitione.* Quod ut explicet Accurſius, multum laborat, ſed proficit nihil; indigna ſunt ejus commenta, quæ referam. Cujacium *d. loc.* nihil magnopere offendit *petitio*, cum ſimpliciter lectorem remittat ad §. *ſeq.* Et ſane veriſſimum eſt, *petitionem* & *ſolutionem* ſæpe apud JCtos noſtros reciprocari, & id intelligi petitum, quod cum effectu petitur, ſequuta ſolutione, ſed id non licet dicere, ubi inter modos ſolvendæ obligationis æque numeratur *petitio*, quam *ſolutio*, ut hic eſt apud Paulum.

Franciſcus Connanus, ſublata diſtinctione & deleta copula, conjunctim legit *petitione acceptilatione*, per *petitionem* intelligens *accepti rogationem.* Atque ita, non laudato loco, de Connano referunt Briſſonius *de Solution. & liberat. L.* II. *p. m.* 162. & Dionyſius Gloſſator in *Not.* ad *h.* §. Sed nihil emendationis reperio apud Connanum *d. L.* V. *C.* 4. *n.* 9. & 10. ubi ex profeſſo *d.* §. 6. explicavit, an alibi locorum ita emendaverit, neſcio. Sed cujuscunque ſit illa emendatio, certe peſſima eſt, & optimo jure rejecta a Briſſonio *d. loc.* etiam ideo, quod verbum *petitionis* nemo unquam JCtorum tranſtulerit ad *accepti rogationem.* Quin omni hic emendatione interdicit Briſſonius, ratus, disjunctam obligationem ſæpe totam tolli, etiam una re per judicem petita. Provocat ad *l.* 29. *ff. de V. O.* & *l.* 66. *ff. de Procurat.* Sed nihil ait *d. l.* 29. quam conjunctas conditiones, intercedente copula, omnes eſſe implendas, in disjunctis ſufficere, ut una impleatur. Quod alienum eſt ab hoc argumento. In *d. l.* 66. *conſumitur ſtipulatio*, ſi quis Stichum vel Damam, *utrum eorum ipſe vellet*, ſtipulatus, alterum eorum in judicio petierit, ſed hoc non aliam habet cauſam, quam quod ſtipulatoris fuerit electio, & quod, cum alterum elegerit, alterum rurſus eligere non poſſit, ſtipulatione, quæ in optionem incidit, ſic conſumpta. At vero in ſpecie, quam tractat Paulus in *h. l.* 27. §. 26. electio alterutrius rei erat penes debitorem, non creditorem, ut Cujacius prolixe oſtendit *d. loc.* & omnino fallitur Briſſonius, qui contra putat. Quin ſi penes creditorem fuiſſet, expreſſa ſtipulatione, ut in *d. l.* 66. vel, quod perinde eſt, ſi quis generaliter *hominem* ſtipuletur, & deinde Stichus petatur in judicio, Damæ quidem obligatio exſtincta eſt, electo Sticho, ſed non tota obligatio, ut hic vult Paulus: nam Stichi petiti obligatio manet, donec fuerit præſtitus. Igitur, ut Paulo conveniat, quærenda eſt ſpecies, ubi ipſa *petitione* unius rei tota obligatio exſtinguitur. Rurſus, ſi pacto convenit, ne Stichus præſtetur, ſalva eſt Damæ petitio, ut mox Paulus indicat in *h. l.* 27. §. 7. nec ſi perempta erit omnis obligatio. Ait quidem Javolenus in *l.* 1. *ff. de Duob. reis conſtit.* in duobus reis *unius petitione* totam ſolvi obligationem, ſed intelligit petitionem cum effectu, quam nempe ſequitur ſolutio, ut ſupra dixi hæc aliquoties converti, hic vero apud Paulum ſeparantur, & proponuntur ut diverſi modi tollendæ obligationis.

Aliud igitur tentandum eſt. Et quid ſi dicamus veriſſimum eſſe, ſi quis ſtipulatus ſit decem aut Stichum, *unius petitione* totam obligationem eſſe ſolutam. Pœna utique plus petitionis tempore veterum JCtorum obtinebat, ut diſcimus ex *l.* 1. *pr. ff. de Interrog. in jur. fac. l.* 36. *ff. de Solution.* & ex Pauli *L.* I. *Sentent. T.* 10. Pœna autem plus petitionis erat *rei amiſſio*, ut eſt in §. 33. *Inſt. de Action.* & variis locis apud Tullium. Quare, actore plus petente, reus liberabatur, & omnis obligatio intercidebat. In ſpecie, a Paulo propoſita, reus ex ſtipulatione debebat *decem aut Stichum.* Petiit unum actor, vel ſola decem, vel Stichum ſolum. Plus petiit & cauſa cecidit. Malim te hæc intelligere ex verbis Juſtiniani *d.* §. 33. quam ex meis. Agit in medio §. de eo, qui cauſa plus petit, *ut ecce*, inquit, *ſi quis ita a te ſtipuletur, hominem Stichum aut decem aureos dare ſpondes? deinde alterutrum petat, veluti hominem tantum, aut decem aureos tantum. Ideo autem plus petere intelligitur, quia in eo genere ſtipulationis promiſſoris eſt electio; utrum pecuniam, an hominem ſolvere malit. Qui igitur pecuniam tantum, vel hominem tantum ſibi dari oportere intendit, eripit electionem adverſario, & eo modo ſuam quidem conditionem meliorem facit, adverſarii vero ſui deteriorem. Qua de cauſa talis in ea re prodita eſt actio, ut quis intendat hominem Stichum, aut aureos decem ſibi dari oportere, id eſt, ut eodem modo peteret, quo ſtipulatus eſt.* Habes hic eandem ſpeciem, quæ eſt apud Paulum, & rationem habes, cur ſi duæ res disjunctim debeantur, *unius rei petitione* integra obligatio exſtinguatur.

Atque ita, ſi explicari poſſit, explicanda videtur *d. l.* 27. §. 6. Quod ſi tu putes non poſſe, conſidera, an non, trajectis vocibus, pro *ſolutione, & petitione*, commodum legi poſſit, *petitione & ſolutione.* Nemo eſt, qui neſcit, in Libris antiquis ſæpe peccatum eſſe trajectione literarum, ſyllabarum, quin & integrarum vocum. Diſtinctionem quoque tollo, quia interpunctionum ratio arbitraria eſt. *Petitione & ſolu-*

lu-

lutione ſic erit pro *ſolutione*, *petitionem* ſequuta, abundantiori quidem loquutione, ſed quæ non ſolet vitiare ſcripturam. Et huic tranſpoſitioni favent Baſilici *L.* XI. *T.* I. *C.* 27. §. 5. quia, omiſſa *editione*, tanquam ſuperflua, ſimpliciter loquuntur de τῇ τῶ ἑνὸς καταβολῇ καὶ ἀποχῇ, de *unius ſolutione & acceptilatione*, quemadmodum & hæc conjunguntur in *l.* 7. §. 1. *ff. de Liberat. legat.* Si hoc non placeat, forte non diſplicebit, ſi pro *petitione* ſubſtituamus *deditione*, ſcriptura non multum diſpari, & hoc referamus ad ſpeciem *l.* 14. *pr. ff. de Noxal. act.* ubi dominus, ex noxa ejuſdem ſervi conventus a pluribus, vel ab uno, ex pluribus tamen delictis, unius ſervi deditione liberatur a tota obligatione. Elige, quod libet, & ego non intercedam, modo unius electione reliquæ conjecturæ pereant, nam plures ſimul ſubſiſtere ſecta JCtorum noſtrorum non patitur.

Nondum dimitto Paulum, quin moneam, Petrum Fabrum *L.* III. *Semeſtr. C.* 10. *p.* 130. hæc verba *in fin. h.* §. 6. *nulla exceptione opponenda*, Triboniano adſcribere. Si quæras rationem, cur ita vaticinetur, non aliam habebis, quam quod *ablativi abſoluti*, ut in Scholis loquuntur, Triboniano fuerint in deliciis. Si nunc ſexcentas proferam geminas loquutiones apud JCtos veteres, ut facile poſſem ea in re ſuppetias ferre Forſtero præeunti *L.* I. *Obſerv. Succiſiv. C.* 10. & has omnes forte Triboniani eſſe ſimili audacia calumniaretur Faber aliquis. Vix eſt, ut ſine indignatione hæc tranſigi poſſint.

CAPUT XI.

Quid ſit res munis *in* L. 8. §. 1. ff. de Public. & vectig.

Sic ibi Papinianus: *Sed ſi unus ex pluribus heredibus rem munem cauſa vectigalis ſubripiat, portiones ceteris non auferuntur.* Ait, *cauſa vectigalis*, hoc eſt, *fraudandi vectigalis ergo*, ut in *l.* 8. *pr. ff. Qui & a quib. manum. fideicommiſſi cauſa* pro *fraudandi fideicommiſſi cauſa*, & in *Fragmento Regularum* ex veteri JCto, quod Pithœus edidit, §. 16. *fœneratorum cauſa* pro *fraudandorum creditorum cauſa*. Quid autem rei eſſet *res munis* in *d. l.* 8. §. 1. cum veteres Editores plane ignorarent, ſubſtituerunt *rem communem*, plurium nempe heredum, de quibus agitur, & ſic eſt in omnibus Libris Vulgatis, & apud Haloandrum, & in MS. meo ſine Gloſſis, & ſic legendum eſſe cenſet Leunclavius *Notat. L.* II. *n.* 86. Si ita Florentiæ legeretur, ego non mutarem, quamvis ſatis appareat ex adjectione plurium heredum, de re communi ſermonem eſſe. Sed in Librorum optimo eſt *res munis*, & hæc lectio ſervanda eſt, ſi ſervari poteſt. Servavit ſane Cujacius *L.* IX. *Obſerv. C.* 24. *rem munem* interpretans *rem communem*, quia Veteres Latine *muni care* dixerunt pro *communicare* & *mentum* pro *commentum*, ut utrumque eſt apud Feſtum, & quia Baſilici *rem munem* hic vertunt κοινὸν πρᾶγμα. Sed Baſilicos, parum Latine doctos, neſciviſſe, quid eſſet *res munis*, equidem non miror, miror potius, Cujacium *rem munem* explicare *rem communem*, cum vel ex antiquiſſimis nemo id dixerit, &, ſi vel dixiſſet, non hic quæramus, quid Jove nondum barbato Faunus vel Evander balbutiverint, ſed quid Papiniani ævo obtinuerit. Scio, vulgo dici, caſca quæque affectaſſe Papinianum, at perſuaſiſſimum habeo, non tot exemplis id defendi poſſe, quam vulgo defenditur.

Quare Cujacio ibidem relicto, ſequamur potius Cujacium ad *L.* XIII. *Reſponſ. Papin.* in *h. l.* 8. ubi *rem munem* interpretatur *rem non immunem, ſed muneri publico & vectigali ſubjectam.* Rejicit nunc *rem communem*, quia inter heredes communis non eſt, quæ fraudatoris dominio exceſſit, & ſtatim facta eſt fiſci *l.* 14. *ff. de Publ. & vectig.* Sed me hæc ratio non moverit, quia ante fraudem communis fuit, quod, neque aliud, indicaſſet Papinianus. Ut autem Cujacius, ſic quoque interpretatus eſt Charondas *Not. margin.* ad *d. l.* 8. & Rævardus *L.* III. *Varior. C.* II. & Scipio Gentilis *Origin. ad Pand.* verb. *Municipes, Munifices, Immunitas.* Si, quod illi dixerunt, ſatis probaſſent, ego potuiſſem ea opera ſuperſedere, nunc, ut ſuperſedeam, a me non impetro. Præluceat Paulus in *l.* 18. *ff. de V. S.* ubi obſervat, *munus* tribus modis dici, uno *donum*, altero *onus*, tertio *officium*. Igitur & *munus* eſt pro onere ac impenſa, præſertim publica. In hunc ſenſum hac voce uſi ſunt Diocletianus & Maximianus in *l.* 12. *C. de Reſcind. vendit.* cum loquuntur de fundo, diſtracto *ad munus, ſumptibus neceſſariis urgentibus*, hoc eſt, cogentibus impenſis, quæ ad tributa ſolvenda requiruntur. Eadem ſignificatione puto Donatum dixiſſe in Fragmento *de Tragœd. & Comœd.* Ædiles Curules ludos curaſſe *munere publico*; id eſt, ſumptibus ac impenſis publicis. Cum autem onera indicantur vel perſonis vel rebus, ſatis conſtat, eas perſonas, easve res, quæ onera, aliis indicta, præſtare non tenentur, vocari *immunes*, nam a *munere*, quatenus *onus ſignificat*, *immunitatem* dici Paulus ait in *d. l.* 18. *ff. de V. S.* & ſic eſt in *Titulo ff. de Jure immunitatis* Baſilici vertunt περὶ ἀτελείας, qua voce & utuntur Divi Fratres in Græco Reſcripto, quod exſtat in *l.* 5. §. 5. *ff. de Jure immunit.* & de ea eſt Oratio Demoſthenis *adverſus Leptinem*. Vocant quoque Græci ἀλειτουργησίαν, ut eſt in *Baſil. L.* LIV. *T.* 6. *C.* 4. ſimili, atque apud Latinos, compoſitione, nam λῆτον, in Jure Græco, ſignificat *publicum*, ut Plutarchus adnotavit *Quæſtion. Rom. C.* 67. Unde λειτουργὸς, qui Latinis *munifex*, etiam Paulo in *d. l.* 18. *ff. de V. S.* ibi enim *munifices*, non *munificos* legendum eſſe, jam dudum recte admonuit Budæus. Inde etiam λειτουργία pro *munere publico*, cum alibi, tum in Reſcripto Græco Elvii Pertinacis in *l.* 5. §. 2. *ff. de Jure immunit.*

Sed ut perfecte conſtat, *immunem* dici, qui munera, quæ alioquin Patriæ debentur, non præſtat, an contra *munis* dicatur, qui ea præſtat, meretur deſpici. Duplex hic quæſtio incidit, altera, an vox *munis* ſit ſatis Latina, altera, an ſit ea ſignificatione, nam *res munis*, ſi quid ſignificet apud Papinianum in *h. l.* 8. §. 1. *ff. de Public. & vectig.* nihil aliud ſignificat, quam res, pro qua vectigal ſolvitur, pro quibusdam enim non ſolvebatur *l.* 9. §. 7. & 8. & *l.* 16. §. 7. *ff. Eod.* Sane *munificum* vocari, quod vectigali eſt obnoxium, quodque adeo *munus*, id eſt, onus *facit*, & in *l.* 4. §. 1. *ff. Eod.* & in *l.* 2. *C. de Præd. & omn. reb. navicul.* ab aliis jam eſt obſervatum, eſtque ea vox, eo ſenſu, etiam nonnihil inſolentior, quamvis & aliis uſurpata. Magis tamen inſolentior vox *munis*, quocunque ſenſu eam accipias. Charondas &

Ræverdus iis, quos dixi, locis ex Nonio in *munes* Florentinam lectionem defendunt, ſed ille *munes* interpretatur *conſentientes ad ea, quæ amici velint,* quæ ſignificatio ab hoc loco aliena eſt, & teſtimonia, quæ Nonius adfert, non ſunt de *muni*, ſed de *munifico* pro *liberali* a *munere*, qua *donum*, non qua *onus* ſignificat. Plautum addit Rævardus, & ante eum Cujacius ad *Papinianum* in *h. l.* 8. §. 1. reſpicientes ad hæc ex *Prologo Mercatoris:*

Dico ejus pro meritis gratum me & munem fore.

Sed, ſi me audias, nec *munis* ibi eſt a *munere* pro *onere*, ſed a munere pro *dono*, eadem ſignificatione, qua *munificus* apud Nonium, & apud Tullium *L.* II. *de Offic. C.* 18. Ne dicam, Plauti lectionem eſſe dubiam, cum Libri ſint, qui exhibeant *memorem*, non *munem*. Magis ad rem eſt locus Feſti, quem Cujacius indicavit, & Voſſius in *Etymol.* plenius extulit. Verba Feſti: *Munem ſignificare certum eſt officioſum, unde e contrario immunis dicitur, qui nullo fungitur officio.* Dubites, an *munis* hic dicatur a *munere* pro *onere*, an a *munere* pro *officio*? ſed quia munus proprie eſt, quod neceſſarie obimus *l.* 214. *ff. de V. S.* & magis cum onere & ſumptu, quam cum honore conjunctum eſt *l.* 14. §. 1. *ff. de Muner. & honor.* plus ſemel hæc reciprocantur. Feſtus certe *munem* opponit ei, qui *immunis* eſt. Sic eſt in perſonis, & ſic quoque eſt in rebus. Igitur *officioſus* apud Feſtum non eſt, qui ſtudet humanitati & beneficiis reddendis, ſed qui officio publico obnoxius eſt, ut *officioſus* dicebatur ille, qui in balneo veſtimenta ſervabat apud Petronium *C.* 92. Apparet id ex oppoſitione, cum *immunem* interpretatur, *qui nullo fungitur officio.* His omnibus addo Gloſſas Philoxeni, in quibus *munitas* eſt λειτουργα. Scilicet a *munis* eſt *munitas*, ut ab *immunis immunitas.* Λειτουργία non tantum eſt *munus* ſive *onus publicum*, ſed & ipſa *ſubjectio*, quemadmodum apud Latinos *munitas*. Sic ſatis præſtitimus, ni fallor, vocem *munis* & Latinam eſſe, & in uſu fuiſſe, & ea quidem ſignificatione, qua occurrit apud Papinianum in *d. l.* 8. §. 1.

CAPUT XII.

Non ſemper poſt litem conteſtatam bonam fidem poſſeſſoris mutari in malam, defenſa eunomia Romana in L. 36. §. 4. ff. de Heredit. petit.

Ut in aliis Juris articulis, ſic & in hereditatis petitione plurimum intereſt, reus victus bona, an mala fide poſſederit. In ipſo SCto, quod de hereditatis petitione eſt in *l.* 20. §. 6. *ff. de Hered. petit.* malæ fidei poſſeſſores definiuntur, *qui bona invaſiſſent, cum ſcirent ad ſe non pertinere,* & bonæ fidei poſſeſſores, *qui ſe heredes eſſe exiſtimant,* vel, ut mox ſequitur in Capite penultimo SCti, *qui juſtas cauſas habuiſſent, quare bona ad ſe pertinere exiſtimaſſent.* Ut igitur mala fides pendet a ſcientia, ſic bona fides ab ignorantia rei, quam quis poſſidet, alienæ. Nemo eſt, qui hoc neſciat, & ſic *in jure* eſſe etiam Auguſtinus animadvertit Libro *de Fide & Operibus.* Rurſus illa ſcientia vel ignorantia fere pendet a ſecreto animi, cum difficile ſit probatu, Titium, puta, ſciviſſe, quod ipſe ait ſe neſciviſſe, niſi ea argumenta exſtent, ex quibus ſcientiam præſumit Judex. Non præſumitur ſcientia in eo, qui errat, vel in facto, vel in jure; in facto errat, qui forte putat ſe proximum defuncti agnatum eſſe, cum alius præcedat; in jure, qui forte teſtamento ſe defendit, cum inutile ſit, ut hæc explicat Ulpianus in *l.* 25. §. 6. *ff. de Heredit. petit.*

Merito malam fidem a bona diſtinxit SCtum, cum in utroque poſſeſſore Juriſprudentiam diſtinxerit, cenſuit enim, malæ fidei poſſeſſores, *etiamſi ante litem conteſtatam fecerint, quominus poſſiderent, perinde condemnandos, quaſi poſſiderent*, bonæ fidei autem poſſeſſores *usque eo duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti eſſent d. l.* 20. §. 6. *Eod.* Quicquid igitur malæ fidei poſſeſſor poſſedit, & ex hereditate poſſidere deſiit, ſive dolo, ſive culpa, ſive caſu, id omne victori reſtituet, bonæ fidei poſſeſſor, qui ſemper dolo caret, in re ſua ſe verſari ratus, nihil reſtituet, niſi quantum ex ea re factus eſt locupletior. Hæc eſt prima differentia inter utrumque poſſeſſorem. Altera eſt, quod malæ fidei poſſeſſores non tantum reſtituant fructus, quos perceperunt, ſed *quos percipere debuerunt l.* 25. §. 4. *ff. de Hered. petit.* bonæ fidei poſſeſſores hos tantum reſtituunt, *quaſi augmenta hereditatis, per quos locupletiores facti ſunt l.* 40. §. 1. *ff. Eod.* Quæ Juriſprudentia habet rationem, male fere neglectam hodie in judiciis: videas enim pragmaticos, hereditatem petentes, promiſcue contra quemvis poſſeſſorem, etiam optimæ fidei, contendere ad fructus, *qui percipi potuerant*, & videas Judices in plerisque Tribunalibus, nec de bona, nec de mala fide ſollicitos, hos omnes addicere. Sic vibia varam ſequitur.

Si ea inter utrumque poſſeſſorem ſit differentia, ſcire refert, quo argumento æſtimandus ſit bonæ vel malæ fide poſſeſſor. Et quidem ante litem conteſtatam bona fide poſſidet, qui putat ſe heredem eſſe *l.* 11. *pr. ff. de Hered. petit.* ſed qui interrogatus, cur poſſideat, reſpondet, quia poſſideo, ne mentiens quidem ſe heredem eſſe, mala fide poſſidet, & prædo eſt *d. l.* 11. §. 1. & *l.* 12. *ff. Eod.* At quid poſt litem conteſtatam? Ulpianus in *l.* 25. §. 7. *ff. Eod.* ait, SCtum adjeciſſe, SI ANTE LITEM CONTESTATAM FECERINT, *quia poſt litem conteſtatam omnes incipiunt malæ fidei poſſeſſores eſſe, quinimo*, inquit, *poſt controverſiam motam*, ex eo enim *omnes poſſeſſores pares eſſe & quaſi prædones teneri.* Et ecce rationem, *cœpit enim ſcire rem ad ſe non pertinentem poſſidere ſe is, qui interpellatur.* Sola denunciatione effici, ut quis malæ fidei poſſeſſor ſit, ipſe ille Ulpianus explicat in *l.* 20. §. 11. *ff. Eod.* ratus, malam fidem incipere, *ex quo quis ſcit a ſe peti.* Sed ejus rationis rationem deſidero. Quid enim? conſcientia rei alienæ efficit malæ fidei poſſeſſorem. Recte, ſed an & conſcientia rei, ante judicium vel in judicio petitæ? intelligo ex lite conteſtata, quid actor petat, intelligo quoque ex denunciatione, ſed quid ſi bona fide contradicam? ſilent Interpretes, contenti docere, poſt litem conteſtatam bonæ fidei poſſeſſorem mutare perſonam, & incidere in malam fidem.

Ego vero putem, eam regulam eſſe explicandam ex uſu fori Romani, quo placuit, actorem oportere reo, ante litem conteſtatam, non tantum actionem edere, ut ſciat reus, utrum cedere, an contendere ultra debeat *l.* 1. *pr. ff. de Edend.* ſed & edere omnia inſtrumenta, quæ quis apud judicem editurus eſt *l.* 1. §. 3. *Eod.* Ex hac

hac actione, &, quod caput rei eſt, ex editis inſtrumentis, rei eſt decernere, quo jure adverſus ſe experiatur actor, & cedere potius, quam contendere, ſi probaverit actor, ſe forte proximiorem defuncti agnatum eſſe, vel teſtamentum, quo ſe defendebat reus, eſſe inutile, vel ſi quid his eſt ſimile. Et nihil vetat, quominus ipſa denunciatione illa inſtrumenta edantur, & poſſeſſor, iis edoctus, conſtituatur in mala fide. Si me audias, ſola editio inſtrumentorum, ante litem conteſtatam, in cauſa fuit, cur vulgo apud Romanos poſt litem conteſtatam bonæ fidei poſſeſſor conditionem mutaverit. Atqui tamen nos, male prudentes, eadem regula Juris Romani utimur, & quamvis, verbi gratia, uſuræ in ſtipulationem deductæ non ſint, eas tamen addicimus vel a lite mota, vel a lite conteſtata, quamquam editio inſtrumentorum hodie duntaxat fiat poſt litem conteſtatam, quin & poſt litem longe lateque in ſcriptis redactam. Apud nos ſola litis conteſtatio malam fidem non prodit, apud Romanos, editis inſtrumentis, ut plurimum prodebat. Atque ita ſequimur Jus Romanum non animadverſa, neque obſervata ejus ratione.

Quia SCtum bonæ fidei poſſeſſores non ultra condemnat, quam ex hereditate facti ſunt locupletiores, ecquod tempus ſpectabimus, ut ex eo definiamus, locupletiores fuiſſe, vel non fuiſſe? Ex regula, quam diximus, tempus litis conteſtatæ eſſet ſpectandum, ſi enim poſt id tempus quandoque fuerit locupletior poſſeſſor, ſemper eo nomine tenebitur, quia per litem conteſtatam bona ejus fides mutata eſt in malam, & qui ſemel eſt in mala fide, ſemper eſt in mora, donec rem reſtituerit. Fac igitur locupletiorem fuiſſe tempore litis conteſtatæ, ſed non fuiſſe tempore rei judicatæ? Tempus litis conteſtatæ ſpectandum eſſe jubet regula, quæ ex eo tempore etiam bonæ fidei poſſeſſores habet pro prædonibus. Quandocunque igitur locupletiores fuerint poſt litem conteſtatam, id omne reſtituent actori, & ſic expreſſum eſt Oratione Divi Hadriani, *ut poſt acceptum judicium id actori præſtetur, quod habiturus eſſet, ſi eo tempore, quo petit, reſtituta eſſet hereditas* *l.* 40. *pr. ff. de Hered. petit.* Sed quominus id dicamus, intercedit Paulus in *l.* 36. §. 4. *ff. Eod. Quo tempore*, inquit, *locupletior eſſe debeat bonæ fidei poſſeſſor, dubitatur? ſed magis eſt, rei judicatæ tempus ſpectandum eſſe.* Sed forte rei judicatæ tempus ſpectabimus, ſi tunc fuerit locupletior, quam tempore litis conteſtatæ, aut eo tempore, quod inter litem conteſtatam & rem judicatam interceſſit, quemadmodum Azo apud Accurſium verba Pauli intellexit. Ego vero ſic non intellexerim, quia Paulus quærit de omni tempore, quo poſſeſſor locupletior eſſe poſſit, & omne tempus, quod rem judicatam præcedit, omnino rejicit. Azonis igitur ſententia non utimur, ut nec uſus eſt Donellus *Comment. Jur. Civil. L.* XIX. *C.* 14. *verſ. poſtquam.* Cujacius ad *L.* XX. *Pauli ad Edict.* in *d. l.* 36. §. 4. tempus rei judicatæ ſpectari ait ex formula judiciorum bonæ fidei, ſecus eſſe in ſtrictis judiciis, ſed fallitur, cum omnis hæc diſputatio ſit æſtimanda, ut æſtimarunt veteres JCti, ex poſſeſſione vel bonæ vel malæ fidei. Faber Antonius *Ration.* ad *d. l.* 36. §. 4. ea dixit, quæ nec ipſe, nec alius quiſquam intellexerit, certe ex quibus incertiores erimus, quam dudum. Donellus *d. loc.* bonam copiam ejuravit, *fatendum eſt omnino*, inquit, *aut vitium ſcripturæ eſſe in d. l.* 36. §. 4. *aut Paulo, vel Triboniano in relatione hujus ſententiæ, ſomnum obrepſiſſe.*

Sed recte Paulus, ſi quid judico, modo meminerimus, per ſolam litis conteſtationem non ſemper bonam fidem commutari cum mala. Ut ut enim editio inſtrumentorum præceſſerit, accidere poteſt, & accidit ſæpiſſime, ut reus bona fide litiget, ſibi nempe non conſcius, rem ad alium pertinere. Finge quæſtionem facti eſſe, actor an reus defuncto ſit proximior, & reum habere, cur putet, actorem non probaſſe, quod probandum erat. Et ſi de jure quæratur, teſtamentum forte valeat, nec ne, finge ſupereſſe argumenta, quibus in utramque partem, probabili ratione, diſputetur; an in his & his ſimilibus, dicemus reum, quamvis poſtea victum, cum lite conteſtata perdidiſſe bonam fidem? cave putes. Bonæ fidei poſſeſſor non eſſe definit niſi dolo. *Non puto hunc eſſe prædonem, qui dolo caret, quamvis in jure erret*, verba ſunt Ulpiani in *l.* 25. §. 6. *ff. de Hered. petit.* & minus putandum eſt, ſi in facto erret, non ſatis edoctus editis inſtrumentis. Dum abeſt conſcientia rei alienæ, etiam poſt litem conteſtatam bonæ fidei poſſeſſor eſt, & juſte litigat. Nemo malæ fidei poſſeſſor eſt, quin ſimul ſit in mora rei reſtituendæ; atqui *non videtur moram facere, qui ſine dolo malo ad judicium provocat* *l.* 63. *ff. de R. J.* Quod Julianus dixit *ſine dolo malo*, Paulus dicit *juſte*, hoc eſt, ex cauſa probabili, in *l.* 24. *pr. ff. de Uſur.* nec omne, quod differendi cauſa optima ratione fit, moræ adnumerandum Ulpianus ait in *l.* 21. *ff. Eod.* Et ſic eſt in hereditatis petitione; ſi enim reus, poſt litem conteſtatam, bonam fidem retinuerit, & mancipia, aut jumenta, aut pecora deperierint, an hunc caſum præſtabit reus? prædo præſtabit, ſed non bonæ fidei poſſeſſor, qui talis manſit. Rem dixit Paulus in *l.* 40. *pr. ff. de Hered. petit.* addita ratione, ſane æquiſſima, *nec enim debet poſſeſſor aut mortalitatem præſtare, aut propter metum hujus periculi temere indefenſum jus ſuum relinquere.*

Poteſt igitur reus bonam fidem retinere ad uſque rem judicatam, & de ejuſmodi reo intelligo Paulum in *d. l.* 36. §. 4. cum ait, tempus rei judicatæ ſpectandum eſſe, ſi quæramus, quando locupletior eſſe debeat bonæ fidei poſſeſſor. Loquitur *de bonæ fidei poſſeſſore*, dum litigat & damnatur, & in eo veriſſimum eſt, non ſufficere, ut aliquando fuerit locupletior, ſed deſiderari, ut fuerit tempore rei judicatæ, hucuſque enim ſervavit fidem bonam & conſcientiam rei ſuæ. Aliud eſt, ſi antea reſciverit, rem eſſe alienam, ex editione forte actionis & inſtrumentorum, quod judicis eſt ex æquo & bono æſtimare, ex eo enim tempore, quo reſcivit, ſemper tenebitur, quandocunque factus fuerit locupletior.

Ex his intelligimus, regulam Juris Romani, omnes poſſeſſores poſt litem conteſtatam fieri prædones, eſſe ſcriptam de eo, quod accidit ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ut ſolent leges ſcribi *l.* 3. *l.* 4. *l.* 5. *& l.* 6. *ff. de LL.* plerumque verum eſt, edita actione, editiſque inſtrumentis, reum ſcire poſſe, ſe rem alienam poſſidere. Si non poſſit, & bona fide litem conteſtetur, bonæ fidei poſſeſſor manet ad uſque rem judicatam, ut eſt in *d. l.* 40. *pr.* & in hac *l.* 36. §. 4. *ff. de Heredit. petit.* Unde Ulpianus in *d. l.* 25. §. 7. *ff. Eod.* non dixit, eum qui interpellatur, debuiſſe ſcire, ſed *cœpiſſe ſcire*, rem ad ſe non pertinere. Quare, ſi non cœperit ſcire, contra dicendum eſt; bona fides ſic manet, donec judex reum conſtituat in fide mala & in mora, tenetur enim obtemperare ſententiæ, ſive æquæ ſive iniquæ, nam Prætor jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit.

C A-

CAPUT XIII.

Nihil eſſe, quod Tribonianum redoleat in L. 5. ff. de Jure codicill.

Ex Papiniani *Libro VII. Reſponſ.* ſic deſcripta eſt *d. l. 5. Ante tabulas teſtamenti codicilli facti non aliter valent, quam ſi teſtamento, quod poſtea factum eſt, vel codicillis confirmentur, aut voluntas eorum quocunque indicio retineatur; ſed non ſervabuntur ea, de quibus aliter defunctus noviſſime judicavit.* Antonius Faber *Ration.* ad *l. 58. ff. de Contrah. empt. vend.* non aliam legem Papiniani, præter *d. l. 58.* ſe reperiſſe ait, cui manus injicere Tribonianus auſus fuiſſet, propter reverentiam ſcilicet magni nominis, ſed ipſe Faber, ſui immemor, plures alias deinde reperit. Etiam hic in Papiniano Tribonianum ſe reperiſſe putat Duarenus *L.* II. *Diſput. Anniverſ. C. ult.* Cujacius in *Papiniano*, quem poſtumum reliquit, *Libr.* VII. *Reſponſ.* in *d. l. 5.* Hotomanus quoque, Janus a Coſta & Rittershuſius ad §. 1. *Inſtit. de Codicill.* quo jure, videamus. Res eſt liquida, teſtamento facto, jus ejus ſequi codicillos *l. 16. in fin. ff. de Jure codicill.* hoc eſt, ſi teſtamentum ſubſiſtat vel cadat, æque ſubſiſtere vel cadere codicillos, & res eſt æque liquida, codicillos, teſtamento poſteriores, etiam non confirmatos, valere, & ex teſtamento vires capere *l. 3. §. ult. Eod.* Sed de iis, qui teſtamento ſunt priores, Papinianus in *d. §. 1. Inſt.* fertur exiſtimaſſe, non aliter valere, *quam ſi ſpeciali poſtea voluntate confirmentur*, at Divi Severus & Antoninus feruntur ibi contra reſcripſiſſe, nempe ex iis codicillis, qui teſtamentum præcedunt, *poſſe fideicommiſſum peti, ſi appareat eum, qui poſtea teſtamentum fecit, a voluntate, quam in codicillis expreſſerat, non receſſiſſe.* Atque hanc Imperatorum ſententiam Tribonianum volunt obtruſiſſe Papiniano in *h. l. 5.* cum ait, codicillos ante tabulas teſtamenti factos non aliter valere, quam ſi vel teſtamento vel codicillis confirmentur, *aut voluntas eorum quocunque indicio retineatur.* Quemadmodum probavi *L.* I. *Obſerv. C. 6. indicii* & *judicii* voces ſæpe eſſe commutatas, ita & hic accidit, *indicio* exhibent Libri Florentinus & Noricus, *judicio* Libri Vulgares. Priorem ſcripturam præfero, quia, ſi legas *quocunque judicio*, inutilis eſſet codicillorum mentio, quæ præcedit, niſi tunc legas, *vel codicilli confirmentur*, non *codicillis.* Sed nihil quicquam eſt mutandum, ſervata lectione Florentina & Norica. Hanc igitur clauſulam ex Reſcripto Severi & Antonini, *ſi appareat* &c. exiſtimant perperam hic adſcriptam Papiniano, quia is *ſpecialem voluntatem* deſiderabat.

Primum præſtemus, Papinianum in *d. §. 1. Inſt.* non diſſenſiſſe a Papiniano in *d. l. 5. ff. de Jure codicill.* deinde inquiramus in ſententiam Reſcripti, & tandem probemus, qualiſcunque Reſcripti ſenſus fuerit, de interjectione, quam urgent, emblematica non eſſe laborandum. De doctrina codicillorum, qui tabulas teſtamenti præcedunt, non omnes Interpretes eunt in eadem ſuffragia. Illud equidem conſtat, codicillos etiam ab inteſtato recte fieri *d. §. 1. Inſt. & d. l. 16. ff. de Jure codicill.* ſubſiſtere igitur viribus propriis ſine teſtamento. Quid ſi tamen eos ſequatur teſtamentum? Sane Plinius ſub Trajano, qui non ignorabat jus, in quo verſabatur, admonitus ab Annio, codicillos Aciliani pro non ſcriptis habendos, *quia non ſint confirmati teſtamento*, vulgari loco, qui eſt *L.* II. *Epiſt.* 16. reſpondet, *id jus ne mihi quidem eſt ignotum, cum ſit iis etiam notum, qui nihil aliud ſciunt.* Erat igitur hæc recepta tunc temporis Jurisprudentia, a qua nec Papinianus abivit, deſiderans *ſpecialem voluntatem*, qua codicilli, teſtamento antiquiores, confirmentur. Et habet ea Jurisprudentia rationem ſolidam & juridicam. In teſtamento heres ſcribitur, qui futurus eſt univerſitatis ſucceſſor, de univerſitate qui teſtatur, videtur teſtationem, quæ præcedit, ſingularem revocaſſe, niſi eam ſpecialiter confirmet. Ita certe jus præſumebat, quia poſterior voluntas de toto aſſe priorem de parte aſſis facile excludebat. Sed fac, in teſtamento codicillorum, qui illud præceſſerant, nullam mentionem eſſe factam, teſtatorem vero alios deinceps codicillos ſcripſiſſe, vel epiſtolium ſchedulamve, quo quave, verbi gratia curatorem hereditatis nominavit, aliudve quid præcepit de colligenda erciſcundaque familia, & in his codicillis aliisve chirographis, teſtamento poſterioribus, ſignificaſſe teſtatorem, ratum ſe habere, quæ codicillis, ante teſtamentum factis, caverat, jam quæri poſſet, an non priores illi codicilli valeant? Nec puto dubitandum, quia ex voluntate, quæ teſtamento poſterior eſt, palam liquet, ceſſare præſumptionem Juris Civilis, quæ ejusmodi codicillos, condito teſtamento, pro non ſcriptis habebat. Atque hoc eſt, quod ait Papinianus in *d. l. 5.* codicillos, teſtamento anteriores, non reſciſſos videri, ſi vel eodem teſtamento, vel codicillis, vel aliis animi indiciis poſterioribus corroborentur, hoc eſt, *voluntas eorum quocunque indicio retineatur.* Baſilici optime vertunt, ἢ ἄλλως ἀποδειχθῇ ὁ διαθέμενος, βουληθεὶς αὐτοὺς ἐῤῥῶσθαι, *aut alias oſtenſum fuerit, voluiſſe teſtatorem eos valere.* Eſt itaque ea clauſula omnino Papiniani, quia nihil dicit, quod non ſana ratio & omnis ævi Jurisprudentia dictaverit. Suaves igitur ſunt Interpretes, qui ſibi perſuadent, illam clauſulam adverſari Papiniano in *d. §. 1. Inſt. de Codicill.* exiſtimanti, codicillos, teſtamento priores, *ſpeciali voluntate* eſſe confirmandos, ſic enim eſt, modo meminerimus, perinde eſſe, utrum ea voluntas exprimatur eo ipſo teſtamento, ſive alia poſteriori teſtatione, rurſus codicillis, vel quo alio animi indicio facta. Voluntatem, teſtamento poſteriorem, non excludit Papinianus in *Inſtitutionibus*, neque tamen præcipit codicillos, teſtamento antiquiores præciſe ipſo teſtamento eſſe confirmandos, ut plerique Interpretes, perperam præeunte Theophilo, eum intellexiſſe videntur. Simpliciter, facto teſtamento, requiritur in *d. §. 1. ſpecialis voluntas*, codicillos adprobans, quod non deſtruit, ſed explicat Papinianus in *d. l. 5.* præſertim ſi *indicio* explices, ut explicavit Gloſſa, *indicio expreſſo*, quod per me licet, nam *indicium* ſive, ut Gloſſa legit, JUDICIUM *expreſſum* non diſcrepat a *ſpeciali voluntate.*

Si igitur Papinianus utroque loco ſibi conſtet, de emblemate ceſſat omnis ſollicitudo, ſed magis ceſſabit, excuſſa ſententia Reſcripti, quod poſt commemoratam Papiniani ſententiam in hæc verba ſequitur *d. §. 1. Sed divi Severus & Antoninus reſcripſerunt, ex iis codicillis, qui teſtamentum præcedunt, poſſe fideicommiſſum peti, ſi appareat, eum, qui teſtamentum fecit, a voluntate, quam in codicillis expreſſerat, non receſſiſſe.*

Theo-

Theophilus ita hæc accipit, atque ſi Imperatores reſcripſiſſent, codicillos, teſtamento vetuſtiores, valere, κἂν μὴ γινομένης κομφιρμαζίονος, *quamvis non ſequuta confirmatione*, modo a codicillari voluntate non fuerit receſſum. Theophilum ſequuntur longe plurimi Interpretes, rati, *verſ. ſi appareat*, ita eſſe intelligendum, atque ſi ita ſcriptum eſſet, *niſi appareat teſtatorem a codicillari voluntate receſſiſſe*, hoc eſt, niſi mutata voluntas probetur, ea enim non probata, ſatis apparere, a priore voluntate receſſum non eſſe. Si hæc ſit ſententia Reſcripti, & quominus ſit, verba non obſtant, utique nihil ex Reſcripto intruſum eſt *d. l. 5.* cum illa exigat argumentum ejuſdem voluntatis, adhuc durantis, quod ſecus eſſet in Reſcripto, & ſic *d. l. 5.* ab emblemate vindicat Antonius Faber *L.* XV. *Conjectur. C.* 15. vindicant & alii. At vero Imperatores Juriſprudentiam, quæ Plinii ævo obtinebat, & tantum rationis habebat, penitus abrogaſſe, grave eſt ut dicamus: nam, ſi ſequuto teſtamento confirmatione codicillorum non eſſet opus, cui bono Juventius Celſus in *l.* 18. *ff. de Jure codicill.* Plotianæ, ex facto conſulenti, reſpondiſſet, quo argumento cenſeatur confirmatio, ut codicilli, ante teſtamentum facti, rati ſint? &, ſi inutilis confirmatio, cur periculo SCti Liboniani ſe objeciſſet, qui codicillos, ante teſtamentum factos, in quibus legatum ei adſcriptum erat, confirmat? & tamen in SCtum incidere Paulus, Severo & Antonino nonnihil poſterior, ſcripſit in *l.* 22. *§. 6. ff. de Leg. Cornel. de Falſ.* Hæc eo pertinent, ne, ut fit, tanto ſupercilio objurgemus eos Interpretes, qui putant *d. verſ. ſi appareat*, deſiderare probationem voluntatis adhuc perſeverantis, *ſi appareat*, id eſt, *ſi probetur*, teſtatorem voluntatem codicillarem non mutaſſe, aliud enim eſſe, *ſi appareat non mutaſſe*, aliud, *niſi appareat mutaſſe*, ad hoc, inquiunt, ſufficit, modo non exſtet contraria voluntas, cujus probatio heredi incumbit, ad illud requiritur voluntatis, codicillis expreſſæ, retentio, quod ejus eſt probare, qui ex codicillis agit. Deſiderant igitur illi Interpretes indicium voluntatis adhuc durantis, atque ita Reſcriptum interpretantur, utique interpretari oportet omnes illos, qui ex eo Papinianum eſſe interpolatum arguunt, & quin hæc ſubſiſtant ſecundum regulas rectæ interpretationis nemo unus eſt, qui ambigat.

At ſi ex Reſcripto etiam neceſſe eſt, voluntatem, quæ codicillis placuerat, ſervatam probari, quid intereſt inter ſententiam Papiniani, & Reſcripti? nihil plane tunc intereſſe diſputat Antonius Faber *d. L.* XV. *Conject. C.* 15. & tamen intereſſe debet, dum hoc illi opponunt *Inſtitutiones.* Quid ſi dicamus, verba Papiniani, quæ exigunt *ſpecialem voluntatem*, quæ codicillos priores confirmet, Tribonianum intellexiſſe de ipſo teſtamento, non de aliis etiam animi indiciis, quæ Imperatores ſufficere exiſtimaſſent? male quidem tunc Papinianum intellexiſſet, ſed plus ſemel imprudentior incidit in verba veterum JCtorum, ut memini alias me probare. Eadem utique imprudentia & alios hodie fefellit Interpretes, qui, ut ſupra dixi, de ipſo quoque teſtamento verba Papiniani intelligunt, contra ejus mentem, aperte teſtatam in *d. l. 5. ff. de Jure codicill.* Scio intereſſe, utrum codicilli priores confirmentur ipſo teſtamento, an aliis codicillis, ſchedulis, & his ſimilibus animi indiciis; ſi ipſo teſtamento, ejus tunc partes cenſeri, & pro inſertis habendos, atque adeo legata, tutelas, libertates, codicillis datas, tunc jure directo ſubſiſtere, quæ alioquin non defenduntur, niſi jure fideicommiſſi, ut Cujacius *L.* XVIII. *Obſerv. C.* 7. & alii deinceps prolixe probarunt. Scio etiam de *fideicommiſſo* verba fieri in Reſcripto, nec de eo quicquam eſſe in ſententia Papiniani. Sed fideicommiſſi mentio, ni fallor, eſt ex facto, cui Reſcriptum cauſam præbuit, neque enim quæritur in *d.* §. 1. *Inſt. de Codicill.* nec in *d. l. 5. ff. de Jure codicill.* quo jure valeant, quæ codicillis ſunt relicta, ſed, ſequuto teſtamento, an & quemadmodum ſint confirmanda, ut eorum qualiſcunque ratio haberi poſſit. Si exigat Reſcriptum probationem voluntatis non revocatæ, utique hanc & teſtamento fieri poſſe, cum maxime largitur, & inde apparet, de *fideicommiſſo*, data opera, non eſſe loquutum. Valent igitur codicilli, qualitercunque confirmati; quo jure, directo, an obliquo, nullus quoque ibi ſermo eſt, nec ulla inter Papinianum & ejus Principes differentia. Hanc tamen Cujacius *d. L.* XVIII. *Obſerv. C.* 7. quæſiviſſe videtur, priuſquam in *Papiniano* ſuo de emblemate cogitaret. Etiam alii hic de his differentiis garriunt plenis buccis, ſed fruſtra, ut mihi quidem videtur.

Ceterum fingamus, quod fingunt Accuſatores emblematici, Papinianum putaſſe, ipſo teſtamento codicillos eſſe confirmandos, & hanc ejus ſententiam referri in *d.* §. 1. contra reſcripſiſſe Antoninum & Severum, & alias etiam durantis animi probationes admiſiſſe, & has ipſas inſertas eſſe *d. l. 5.* an propterea dicemus, a Triboniano, non ab ipſo Papiniano eas eſſe profectas? quidni ab ipſo Papiniano? Sabini ſententia Papinianum in contrarium vocavit, ut ipſe de ſe prædicat in *l. 6.* §. 1. *ff. de Serv. export.* quidni igitur & Imperatorum, ſub quibus vivebat Imperii ſecundus? Memento etiam, *d. l. 5.* eſſe *ex Libr.* VII. *Reſponſorum*, in quibus Libris ille de jure reſpondebat, hoc autem juris eſt, quod Principi placuit. Aliud Papinianus in Diſputationibus Juris cenſere potuit, aliud de jure conſulentibus reſpondere debuit, ſi Princeps auctoritate ſua aliud jus conſtituerit, & nihil omnino prohibet, quominus dicamus, reſponſum Papiniani in *d. l. 5.* fuiſſe poſterius Reſcripto, quod commemoratur in *d.* §. 1. Sic Papiniano obſequii gloria relicta eſſet, niſi maluiſſet diſcere, quod poſtea didicit, nullo ſuo merito, quanti conſtet πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν, ut inquit ille.

CAPUT XIV.

Compoſitores Juris nihil quicquam turbaſſe in L. 2. §. 1. ff. Solut. matrim.

Non eſt ad manum, qui mihi videatur recte explicaſſe locum Ulpiani in *d. l.* 2. §. 1. habet autem ita: *Quod ſi in patris poteſtate eſt, & dos ab eo profecta ſit, ipſius & filiæ dos eſt. Denique pater non aliter quam ex voluntate filiæ, petere dotem, nec per ſe, nec per procuratorem poteſt &c.* Tribonianus hic peccavit προσθέσει, ſi audias Goveanum *L.* I. *Variar. Lect. C.* 44. & προσθέσεις eſt in verbis, *& dos ab eo profecta ſit.* Quid moverit Tribonianum, intelliges ex hac emblematis conjectione: Jure antiquo dos tam adventitia, quam profectitia, & patris & filiæ dos

dos erat, neque adventitiorum, quæcunque eſſent, alia tunc erat cauſa, alia profectitiorum. Jure novo ſe res habet aliter, eo quippe adventitiorum proprietas eſt penes ipſos liberos, uſusfructus ſolus penes patres ex *l.* 8. *C. de Bon. quæ liber.* ideoque nec dos adventitia jure novo conferri videtur ex *l. ult. C. de Collat.* Jure veteri conferendam dixeris ex *l.* 4. *C. Eod.* Ad hæc ipſe Ulpianus, cujus verba præſcripſimus, *T.* VI. *Fragm.* §. 6. palam adfirmat, patrem, qui filiam habet in poteſtate, adjuncta filiæ perſona, dotem repetere, hoc ſuperdicto: *nec intereſt, adventitia ſit dos, an profectitia.* Quare dicendum videbatur, Tribonianum in *d. l.* 2. §. 1. hæc verba, *& dos ab eo profecta ſit,* interjeciſſe ex ratione novi juris, cum jure veteri, quod ad repetitionem, utriusque dotis eadem conditio fuerit. Cujacio *Not.* ad *d. T.* VI. §. 6. in tantum placuit Goveani conjectura, ut ea occaſione ipſi inter omnes Juris Juſtinianei Interpretes principatum detulerit. Goveanum & Cujacium pede varo ſequitur Giphanius ad *l.* 6. *C. de Pact. convent. tam ſuper dot. quam ſuper donat.* ſequuntur & alii.

Nolim emblemati præjudicium arceſſere, quod magna Nomina diſſentiant, & quod ipſe ille Cujacius, qui tam prolixe Goveanum laudaverat, ejus ſententiam tantum non deſerat in *Mercatore* C. XVIII. Rationes putandæ ſunt, & has non expedit Cujacius *d. C.* XVIII. nec, quod præceſſerat, & de eodem argumento agit, *C.* XVII. Nihil quoque, qui diſſentire videtur, expedivit Ruſſardus ad *d. l.* 2. §. 1. Alii, ut ſic audies, multa dixerunt, ſed non multum. Utique non licet defungi ea ratione, qua ſola ſe defungi credidit Gerardus Noodt ad *Tit. ff. Solut. matrim. verſ. Oſtendi,* ſi nempe dicamus, Ulpianum quidem in *d. l.* 2. §. 1. injeciſſe mentionem dotis profectitiæ, ſed non ut adventitiam excluderet, in profectitia verum eſſe, quod dixit, ſed non minus in adventitia; argumentum, quod a contrario ſenſu efficitur, ut ſæpe alias, ita & hic ſatis tutum non eſſe. At quis ſibi hoc obtrudi patiatur, ubi Ulpianus, oſtenſurus, dotem patris & filiæ communem, atque adeo conjunctim agendum eſſe, in anteceſſum duas conditiones deſiderat? Prima eſt, *ſi in patris poteſtate eſt*, altera, *& dos ab eo profecta ſit.* Oportet igitur, ut utraque conditio impleatur, priusquam locus ſit Jurisprudentiæ, quam mox exſequitur. Eſſet alioquin ea ratio amoliendi emblematis ſatis ſimpliciſſima. Sed quia omnes, quot vidi, Interpretes perſuaſiſſimum habuerunt, hac non ſuccedere, alia rem adgreſſi ſunt via.

Accurſius adventitiam dotem ſeparat a reliquis filiæfamilias adventitiis, ut jure Pandectarum in hæc quidem patris, in illam vero ſolius filiæfamilias jus ſit ac poteſtas, ratus, argumento *h. l.* 2. §. 1. id ſingulare eſſe in dote, cujus cauſa ſemper fere & ubique præcipua eſt. Sed ego non auſim id adfirmare ſine teſtimonio magis rotundo, non tantum metu *d. l.* 8. *C. de Bon. quæ liber.* quæ inter adventitia Juris veteris non diſtinguit, ſed quod aperte contradicat Ulpianus *d. Tit.* VI. *Fragm.* §. 6. Scio, & alia teſtimonia Accurſio opponi, at, cum refutari forte poſſent, nolim in rem præſentem advocare. Scholiaſtes quidam Baſilicorum ad *d. l.* 2. §. 1. in adventitia dote ita juris eſſe ait, ὡς ἐπὶ τοῦ πεκουλίου δεβιτόρων, *ut in peculio debitorum.* Quod ſi tu intelligas, bene eſt, ego non intelligo.

Accurſii veſtigia premit Joannes Robertus *L.* III. *Animad. Jur. Civ. C.* 17. & 18. adventitiam dotem ſoli quoque filiæfamilias tribuens, ſed ab ipſa dote ſecernens actionem de utraque dote, tam profectitia, quam adventitia. Hanc largitur fuiſſe communem, & de ea, non de ipſa dote loquutum eſſe Ulpianum in *Fragmentis.* Dotem adventitiam ad ſolam filiamfamilias pertinuiſſe, duplici potiſſimum ratione defendit, altera ex *l.* 3. *ff. Solut. matrim.* altera ex diſcrimine dotis profectitiæ, mortua filiafamilias ad patrem revertentis, & adventitiæ, penes maritum remanentis. Verum ea ſententia, quamvis nobis prodeſſet ad refutandum emblema, uti non licet propter ea, quæ contradicit Cujacius in *Mercatore L.* III. *C.* 17. & 18. & quo Catone nobis licet eſſe contentis. Addo duntaxat, ne quidem Robertum ſatisfeciſſe argumento, quod ipſe movit de collatione dotis adventitiæ, quæ jure veteri obtinebat, jure novo non obtinet. Tantum illi erat prudentiæ, ut de eo tacuerit, utinam & tantum ignorantiæ, ne protuliſſet. De vulgari adventitiorum natura, a qua dotem exceptam probare debuiſſet, nihil etiam ipſe; reliqua invenies apud Cujacium.

Antonius Faber *L.* XIII. *Conjectur. C.* 5. etiam Tribonianum non reperit in *d. l.* 2. §. 1. Sed dum vitat vitia Accurſii & Roberti, plane in contraria currit. Exiſtimat ille, de ſola profectitia loquutum eſſe Ulpianum in *d. l.* 2. §. 1. quia dos adventitia quandoque ſolius patris eſt. Profectitia, inquit, ſemper eſt communis, ſive divortio ſolvatur matrimonium, ſive morte mariti, adventitia autem non aliter, quam ſi divortio, ſecus ſi morte mariti, tunc enim ſolius patris eſſe dotem. Auctoritatem ejus ſententiæ quæſivit in Ulpiano *d. Tit.* VI. *Fragm.* §. 6. cum ait, *divortio facto* nihil intereſſe, adventitia ſit dos, an profectitia. Sed verum eſt, non aliam ob cauſam *divortii* meminiſſe Ulpianum, quam quod in §. 4. & 5. jam egerat de caſu mortis, non equidem mariti, fateor, ſed de eo admonere vix operæ videbatur pretium: nam ſi ſuperſtite marito, interveniente nempe divortio, pater, adjuncta filiæ perſona, agat ad utramque dotem, ſatis videbatur expeditum, idem juris eſſe defuncto marito. Simpliciter dixerat Ulpianus in §. 5. mortua in matrimonio muliere, dotem adventitiam penes maritum remanere, at quid juris ſit, mortuo marito, non explicat, & ex aliis Juris capitibus ſupplendum eſt. Vellem equidem Faber rationes dediſſet differentiæ, eccur per divortium ſoluto matrimonio dos adventitia eſſet communis, ſoluto autem per mortem mariti, illa eſſet ſolius patris? ſane, in ea ſpecie, plus juris tribuere patri in dotem adventitiam, quam in ipſam profectitiam, habet neſcio quid monſtri. Sed non vacat in omnia digredi, quæ ipſe dixit, videbis, ſi tibi plus otii ſit, & ſimul animadvertes, eum valde quidem laborare, ſed nihil proficere.

Franciſcus Hotomanus *L.* IX. *Obſerv. C.* 2. multis diſputat de communione dotis profectitiæ, & ad hanc, non ad adventitiam pertinere, quod Ulpianus dixit in *d. l.* 2. §. 1. ſed cur jure veteri non idem obtinuerit in adventitia, nullus explicat, ſubducit tamen & ipſe perſonam Triboniani. Qui eum intelligit, me plus ſapit.

Cl. Schultingius ad *d. Tit.* VI. *Fragm. Ulp.* §. 6. Triboniani interpolantem quoque manum rejicit in *d. l.* 2. §. 1. cauſatus, in *princ. d. l.* 2. quæri, an maritus dotem alii, cui delegatur, promittere debeat? & mox exponi in §. 1. in eadem ſcilicet ſpecie pertractanda, quid juris ſit circa ejusmodi delegationem, ſi mulier ſit in poteſtate, & dos a patre profecta, *in qua,* inquit, *vel maximum jus habet pater.* Sed ſi tantundem

patri

patri juris fuerit in adventitia, ut ipſe largitur, cui bono, dicat Cælius, profectitiæ mentio? delegatio cauſam non mutat utriusque dotis. Soluto matrimonio pater tam hanc, quam illam, repetit ex voluntate filiæ, quia utraque eſt communis, ſi ſic tibi perſuadeas, ut plerisque perſuaſum eſt. Non abit igitur Schultingius a ſententia Noodtii, ut nec alias abire ſolet.

Audiviſti, quamobrem in his omnibus, quas jam enarravi, ſententiis nequeam ſubſiſtere; accipe nunc, quid mihi videatur. Puto autem, Ulpianum in *d. l.* 2. §. 1. dotis profectitiæ meminiſſe, quia de omni adventitia verum non eſt, patris & filiæ communem, & de ea conjunctim agendum fuiſſe. Dos adventitia erat duplex, vel adventitia ſimpliciter, vel *adventitia receptitia.* Adventitia receptitia dicebatur, quam is, qui dederat, ſibi reddi fuerat ſtipulatus. Id me docuit Ulpianus *d. Tit.* VI. §. 5. & Gajus in *l.* 31. §. 2. *verſ. Sed & dos ff. de Mort. cauſ. donat.* & de his dotibus receptitiis, quas fere dabant extranei, eſt quoque *l. un.* §. 13. *C. de Rei uxor. act.* Extraneus poteſt doti, quam vult, legem dicere *l.* 20. §. 1. *ff. de Jure dot.* & ſæpe eſſe dictam, ut in mortem mulieris ad dantem rediret, declarant quæſtiones tractatæ & definitæ in *l.* 16. *pr.* & §. 1. *ff. de Reb. dub.* & Reſcripta Principum in *l.* 6. & *l.* 24. *C. de Jure dot.* Ex his apparet, quare Ulpianus deſideret dotem profectitiam, ut communis ſit tam patris & filiæ, & quam prudenter de adventitia tacuerit, niſi ab adventitia vulgari ſimul excepiſſet receptitiam, quæ communis non eſt, ſed ſolius dantis, & quam ipſe repetit, ſi conditio, doti adjecta, extiterit. Adventitia vulgaris communis erat jure veteri, & de ea conjunctim agebant pater & filia, quemadmodum & conjunctim agunt jure novo *l. ult.* §. 3. *C. de Bon. quæ liber.* ſed quia in receptitia, quæ tantopere frequentabatur, aliud juris erat, omnem adventitiam Ulpianus prætermiſit, ut jus, quod in ea verſaretur, ex varia ejus indole quisque conſtitueret. Vix etiam adduci poſſum, ut credam, propter mutatam adventitiorum naturam, ab ejus mentione hic abſtinuiſſe Tribonianum, quia & jure novo adventitia vulgaris quodammodo & patris & filiæ dici poteſt, propter illius uſumfructum, hujus vero proprietatem, & quia conſtat ex *d. l. ult.* §. 3. de adventitiis quoque utrumque conjunctim agere, patrem ſcilicet ex conſenſu filii vel filiæ. Atque ita & doti adventitiæ, ut eſt ex jure novo, conveniret Jurisprudentia Ulpiani in *d. l.* 2. §. 1. ſed hanc, ſi recte interpretor, a definitione ſua excluſit ob ſolam, quæ ei non convenit, receptitiam.

Goveano, ni fallor, ſatisfactum eſt, ſed forte nondum Wiſſenbachio, qui *Libello Emblematico* ad *h. l.* 2. §. 1. obſervat, etiam loquutionem, qua dos profectitia dicitur *communis patris & filiæ*, eſſe impropriam. Quod non intelligo, aut valide ſtultum eſt, neque, ut intelligam, faciunt loca, quæ adduxit. Quo ſenſu dos profectitia patris & filiæ dicatur communis, ſatis expoſuit Hotomanus *d. L.* XI. *Obſerv. C.* 2.

CAPUT XV.

An in L. 22. ff. Solut. matrim. *ſuppoſiti ſint a Triboniano* §§. 7. 8. & 9.

Itane Triboniane, non jam emblemata quædam tua, ſed integros Commentarios edidiſti ſub perſona Ulpiani? ita te hic factitaſſe una fere omnium Interpretum vox eſt. Inter exempla Emblematum Cujacius ad *l.* 1. *C. de Dignit.* retulit & *h. l.* 22. §. 7. & 8. & Donellus *Comment. Jur. Civ. L.* VIII. *C.* 2. ne quis dubitaret de facinore Triboniani, veterum JCtorum ſcripta interpolantis, in exemplum adduxit *d. l.* 22. §. 7. & 8. Idem ſentiunt Giphanius ad *l.* 8. *C. de Repud.* ex quo ſua tranſcripſit Wiſſenbach, & Defenſor veterum JCtorum adverſus Vallam *p.* 421. & 422. *Edit. Dukeri.* Alios non addo, & quid attinet numerus? in eo tamen Giphanius mihi videtur a Præceptore Cujacio, & ab omnibus aliis diverſus, quod & §. 9. Triboniano ſupponenti tribuit. Cujacius, quod ad §. 7. & 8. nihil rationum expedivit, alii ſolum ſtilum arguunt, alii & ipſam Jurisprudentiam. Inter hos eſt Giphanius, qui *tres*, quos dixi, *paragraphos*, Triboniani eſſe exiſtimat *tum propter phraſin, tum propter furoris novam diſtinctionem, quæ non facile in aliis Prudentum Reſponſis reperiatur, in quibus ſimpliciter dicitur, matrimonium furore non dirimi.* Equidem verum eſt, variis locis, ab aliis plus ſemel indicatis, ſimpliciter ſcribi, furorem, quia conſenſu opus eſt, nuptiis contrahendis obeſſe, ſed rite contractas non ſolvere, quod ipſum Ulpianus docuit in *d.* §. 7. hoc addito: *quid enim tam humanum eſt, quam fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri, participem eſſe?* Sed id non impedit, quominus ab ea regula excipiatur caſus, quem mox excepit Ulpianus, ut nempe recte dirimatur matrimonium, furore in tantum adaucto, ut nulla ſanitatis priſtinæ ſuperſit ſpes, &, quod caput rei eſt, ut furioſo adeſſe periculoſæ plenum opus ſit aleæ, διὰ τὸν ἐντεῦθεν φόβον, ut expreſſerunt Baſilici, ſi forte ut Accurſii exemplo utar, *projiciat lapides, & aliquid mali faciat ſtantibus ſecum.* Habet ea exceptio rationem, nulli veterum JCtorum improbatam, & jure novo nullibi introductam. Cedo mihi, Giphani, aut alios JCtos, qui huic exceptioni contradixerint, vel legem aliquam novam, quæ ei cauſam præbuerit, aut ego non credam, propter ipſam Jurisprudentiam Ulpiani non eſſe *d.* §. 7. De ſtilo igitur ſupereſt omnis dubitatio. At audi Clar. Dukerum *de Latinitate veterum JCtorum p.* 393. ille, uti non negat, Tribonianum in Scriptis JCtorum quædam adcommodaſſe ad rationem novi Juris, *ita*, inquit, *ubi ea ratio non eſt, in ſingulis verbis, quæ nobis non ſatis elegantia videntur, Triboniani manum quærendam non exiſtimem.* Optime, ſi quid judico.

Sed vero, ut Donellum, ſic & Cujacium moviſſe putem ſolas Ulpiani phraſes, parum Latinas. Quæ illæ ſint, nec Giphanius, nec quisquam alius expreſſit, non alia, opinor, cauſa, quam quod in oculos & aures incurrant. Habemus hic exemplum eloquentiæ Aſiaticæ, quo nullum illuſtrius in Pandectarum Libris occurrit, habemus Helleniſmos, & alias orationis impuræ ſtribiligines. Arrige aures. In §. 7. *perſona furore detenta, ſciente ea perſona*, per ablativos abſolutos, *tantus furor, ita ferox, ita pernicioſus, circa miniſtros terribilis, perſona procreandæ ſobolis cupidine tenta.* In §. 8. *maritus ad eam non flectitur, nullam ei competentem curam inferre maniſeſtiſſimus eſt, mulieris ſuſtentationem ſufferre, dotem diſſipaturus manifeſtus eſt, mulier competens habeat ſolatium*, & alia nonnulla, ad quæ facile quis nauſeet. In §. 9. tamen, quem etiam Tribo-

bonianiſmi arguit Giphanius, ego nihil quicquam vel Juriſprudentiæ vel Latinitatis novæ offendo, nec, præter Giphanium, offenderunt alii. Si *intendere* pro *agere* cum turbaverit, neſcio enim, an quicquam aliud fingi poſſit vel per mendacium, næ valde ſermonis Latini imperitus ſit oportet. Et alii Auctores, & præſertim JCti ſexcenties eo verbo, ea ſignificatione uſi ſunt. Loca adderem niſi Lexica occupaſſent, quæ non ſoleo deſcribere, ut aliorum eſt mos.

Sed quid dicemus de oratione turbida in *d.* §. 7. & 8.? Sane ea non hominis Latini eſſe videtur, ſed alicujus Enthuſiaſtæ Græci, tam *ferox* eſt, tam *pernicioſa*. Elucent paſſim Græciſmi, & *non ad eam flectitur*, καὶ μὴ ἀποστρέφεται πρὸς αὐτήν. Sic, quod *Bibliorum L.* I. C. 3. §. 16. occurrit de deſiderio mulieris erga virum, LXX. vertunt, καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου dulciſſime. Rurſus Græcanice, *inferre manifeſtiſſimus eſt*, *diſſipaturus manifeſtus eſt*, & reliqua, quorum tædet. Hic, hic erit ſermo veterum JCtorum, cujus dignitatem, & *characterem ubique ſui ſimilem* tantopere deprædicabat Laurentius Vallenſis in *Procemio Tertii Elegantiarum*? benigna jocandi materies! Sed, pace tua, Laurenti, mihi etiam aliquid dixiſſe liceat de ſtilo veterum JCtorum. Is autem, quamvis generaliter ſit Latinus, ſæpe etiam Romanus, varius tamen eſt pro varia JCtorum ætate & origine. In Alpheno Varo videbis ſimplicitatem & gravitatem Romanam, nihil in eo eſt imitationis, oſtentationis, aut translationis, ſcribit non aſpere, non vaſte, non hiulce, ſed leniter, & æqualiter, denique ita, quemadmodum Latine ſcribendum eſſe diſputat Craſſus apud Ciceronem *L.* III. *de Oratore*. Cum illo, ſodes, componite Chariſium aliquem, imo vel hunc, quo de nunc agimus, Ulpianum, & apparebit, quid diſtent æra lupinis. Eſto, loquutus fuerit Ulpianus Latine, ſed ita, ut ætas ferebat ſub Alexandro Severo. Loquendi genus Atticum tantum non periit cum libertate Romana, ſucceſſit Rhodium, quo plerique JCti utuntur, poſtea Aſiaticum, quo in Legibus ſuis tumet Conſtantinus Magnus. JCti, genus Rhodium ſequuti, *neque Attice preſſi, neque Aſiane ſunt abundantes*, ſic enim orationis genus Rhodium definit Fabius *L.* XII. *Inſt. Orat.* C. 10. Et quamvis apud JCtos, ſere occupatos in priſcis, iisque cultis Legum verbis explicandis, eruditio Latina magis ſteterit incorrupta, quam apud alios quosvis Auctores, ut & alias monere memini, non potuit tamen non ſæculi labes aliquando pellucere. Si omnes loquutiones, in quibus illa pellucet, habeamus pro ſpuriis, & inde quoque efficiamus, integrum locum eſſe Triboniani, næ actum eſſet de magna parte veteris Juriſprudentiæ.

Dabimus igitur & vitio ſæculi ſermonem, quem hic deprehendimus, inflatum & non uno loco Græciſſantem? Non repetam, quæ alibi dixi de *ablativis abſolutis*, quos vocant, de Græciſmis, quin de hac ipſa phraſi, *manifeſtus eſt hoc vel illud facere*, non, inquam, hic repetam, vel alia anxie conquiram, ut laboranti Ulpiano poſſim ſuccurrere: nam quicquid hic minus terſe dixit, quicquid figurate ſcripſit, vel ſæculo tribuam, vel ipſius Ulpiani ingenio & origini. Sæculi eſt, cadentis Latinitatis vitium, ut ſæpe alias obſervavi; ſæculi eſt & ipſa figurata loquutio. Ipſe ille, quem modo laudabam, Fabius *L.* V. *Inſtit. Orat. C.* 14. *prope fin.* auctor eſt, JCtos, *quorum ſummus circa proprietatem verborum labor eſt*, quandoque tamen uti figuris & translationibus; ſi hoc illi, qui tunc vel antea vixerunt, quid de Ulpiano & aliis dicemus, qui longe poſtea Juriſprudentiam profeſſi ſunt? Deinde ſi ad patriam attendamus; quis Græciſmos miretur in Ulpiano, qui in *l.* 1. *pr. ff. de Cenſib.* originem ſuam fuiſſe ſcribit ex ſplendidiſſima Tyriorum colonia, quæ eſt in Syria Phœnice? nam *originis* vocabulum, quod ibi eſt, ad ipſum Ulpianum refero, non ad ejus atavum tritavumve aliquem, ut ſunt, qui referunt. Si ex ingenio Ulpiani rem æſtimemus, ejus erat ſententiis & verbis ludere, unde κειτούκειτος ὀνοματοθήρας, ab Athenæo dictus, ſi credas Cujacio *L.* XXIV. *Obſerv.* C. 39. *in fin.* Reſpicit, ni fallor, ad locum Athenæi *L.* III. *Deipnoſoph.* C. 17. & 18. ubi Cynulcus Ulpiano exprobrat, quod identidem quæſiverit κεῖται, ἢ κεῖται? niſi malis legere ποῦ vel ὅπου κεῖται? nam ex hac formula ποῦ κεῖται, vel ὅπου κεῖται, Ulpianum meruiſſe nomen κειτούκειτος, narrat Προρρήτωρ Athenæi, qui ὑπόθεσιν Operis præmiſit, alioquin in ipſo Athenæo id nomen fruſtra quæro. Cynulcus *d.* C. 18. ab Ulpiano ad Pompejanum Philadelphenſem tranſiens, ait, eum quoque fuiſſe ὀνοματοθήραν, *verborum aucupatorem*, vel *novatorem*, id ipſum & de Ulpiano innuens, ut palam ſic eum appellat Democritus *L.* XIV. *Deipnoſoph.* C. 17. Verba etiam quædam nova, quæ Ulpiano debentur, narrat Cynulcus *d.* C. 17.

Sed quæſtionis eſt, an Ulpianus Deipnoſophiſta idem fuerit cum Ulpiano JCto? non dubitat Cujacius *d. L.* XXIV. *Obſerv.* C. 39. nec Jacobus Gothofredus *Animadverſ.* C. VIII. quo magis ſcilicet velificaretur infeliciſſimæ emendationi, quam ibi proponit, *legis* 12. §. 1. *ff. de Uſu & habit.* nec dubitat Bertrandus in *Ulpiano*, nec Scipio Gentilis *L.* I. *Parerg. C.* 6. Sed dubitat Robertus ad *Mercatorem L.* I. *C.* 17. Plures ſane Ulpianos recenſet Suidas in Οὐλπιανός, & Ulpiani, Rhetoris Antiocheni, quoque meminit Eunapius in *Proæreſio*, forte ejusdem, qui ad Demoſthenem ſcripſit. Ut Ulpianum Deipnoſophiſtam & JCtum, unum dicamus eundemque ſatis patitur utriusque ætas, utique ſi Athenæum recte ad tempora Gordiani deduxerit Tanaquillus Faber *L.* I. *Epiſt.* 63. & Προρρήτωρ Athenæi eum, qui ibi eſt conviva, vocat Τύριον, & noſter quoque eſt Syro-Phœnix Tyrius. Si unus & idem fuerit, quod ego neque adfirmo, neque nego, credere dignum eſt, novaturientem Magiſtrum ſæpe uſurpaſſe vocabula, quæ Latinis auribus placere non poterant. Ex ſolo Ulpiano, ut in Pandectas relatus eſt, erui poteſt magna ſylloge vocum & dictionum, quas alibi fruſtra quæras. Excute, quæ Ulpiani ſunt, in Briſſonii *Libro ſingulari* Περιέργων, in *Defenſore veterum JCtorum contra Vallam p.* 318. & *ſeqq.* & in Morhofii *Epiſtola de Latinitate Pandectarum*, & bona fide credes. Nemo tamen hæc omnia, propter Latinitatem minus receptam, Ulpiano abjudicavit.

Sin ajas, nullibi Ulpianum tam large aberraſſe a puritate ſermonis Latini, atque hic factum videmus, animadverte, an verum dicas, &, ſi dixeris, an non Ulpianus in deſcriptione hominis furioſi, data opera, conquiſiverit ejusmodi vocabula, quibus impetus morbi ſignificetur. Atque ita forte elegantiæ dabunt alii, quod alii vitio. Ceteroquin ex ipſo ſtilo ego quoque evicerim, *d.* §. §. non eſſe Triboniani, id eſt, hominis, ut perpetuo licet obſervare, mediocriter adhuc Latini, utique multum alieni a ſævitia loquutionum, qua turgent *d.* §. §. ſed falſa, ut dixi, Juriſprudentia, de ſolis verbis fruſtra ſunt, qui bella movent.

C A-

CAPUT XVI.

Nihil adulterinum eſſe in L. 2. §. 43. ff. ad SCt. Tertyll.

RUrſus cum Cujacio nobis res erit de alio ejuſdem Ulpiani loco, ubi & ipſe ſcilicet novit ſecernere ſacra profanis. Exſtat in *l.* 2. §. 2. *ff. Qui pet. tut.* Epiſtola Divi Severi, qua mater, *ſi vel non petierit tutores idoneos filiis ſuis, vel prioribus excuſatis rejectisve, non* CONFESTIM *aliorum nomina dederit, jus non habeat vindicandorum ſibi bonorum inteſtatorum filiorum.* Eadem fere Epiſtolæ verba deſcribit Ulpianus in *l.* 2. §. 23. *ff. ad SCt. Tertyll.* adjecto Commentario aliquot *ſeqq.* §§. In §. 43. explicat, quid ſit *confeſtim*, & docet, id eſſe accipiendum ἐν πλάτει, ubi primum potuit, id eſt, Prætoris copiam habuit huic rei ſedentis, niſi & tunc cauſa ſontica impediatur, *ita tamen*, inquit, *ut nullo modo annale tempus excederet.* Illud ἐπίβλημα *de anno* Triboniani eſſe ſcribit Cujacius *Not. poſter.* ad §. *pen. Inſt. de SCto Tertyll.* inſertum ex *l.* 10. *C. de Legit. hered.* ubi Theodoſius & Valentinianus omnes, qui ad ſucceſſionem pupilli vocantur, *ſi tutorem ei ſecundum legem non petierint intra annum*, ab ejus Succeſſione, ſi impubes moriatur, repellunt.

Merillio nihil, quod Tribonianum ſapiat, ſuboluit *L.* I. *Obſerv. C.* 37. nam quod de anno dicitur, intra quem a matre petendus erat tutor, intelligit de anno luctus, quo liberi apud matrem jure antiquo morabantur, ne mortuo marito a complexu matrum ſtatim avellerentur, eo tempore putat matribus fuiſſe relictos in ſolatium domus viduæ, ſed anno finito tranſiiſſe ad eos, qui legitimi erant, vel dati tutores. Merillium, ut fit, alii ſequuti ſunt.

Si, quod dixit Merillius, etiam probaſſet, de emblemate non eſſet laborandum, ſed ego auctoritatem deſidero. Nullam autem dedit, niſi quod eo referat locum Horatii *L.* I. *Epiſt.* I.

— — — — ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matris.

Omnino perperam. Horatius, quo oſtendat, tempora, quæ ingrata fluunt, tarda fluere, in hanc rem utitur tribus exemplis, quorum poſtremum eſt de pupillis apud duram matrem agentibus, his enim *annum* videri *pigrum*, non primum duntaxat annum a defuncto marito, ſed & ſecundum, tertium, & quemcunque inſequentem, donec in tutelam ſui veniant. Nihil quicquam hæc ad annum luctus, nam non matribus propter luctum, ſed ipſis pupillis propter duritiem matris dicitur *annus piger* & *cuſtodia dura.* Quin, niſi pater contra juſſiſſet, in educatione liberorum matris reliquis ſemper fuiſſe prælatas, neque uno tantum anno, ut ille putabat, ſed ad pubertatem usque, & Leges & Annales Romanorum conſentiunt. Sæpe Merillius minutias quasdam ſectatur ex literis humanioribus, ut in rem Jurisprudentiæ vertat, ſed & ſæpe operam ludit.

Quamvis autem non utar Merillii ſententia, attamen ſcire velim, quid Cujacio perſuaſerit, illud de *annali tempore*, eſſe ex Conſtitutione nova. Idem juris fuiſſe ætate Ulpiani argumento eſt *h. l.* 2. §. 43. nec liquet contrarium. Si dicas, nihil tunc novi conſtituiſſe Imperatores in illa *l.* 10. *C. de Legit. hered.* ſi vel verum dixeris, nihil quicquam efficies, quum Principes de facto, quod incidit, ſexcenties reſcribant de jure conſtituto, quo & alii retro uſi ſunt. Sed novi quid conſtitutum eſſe diſces ex Theodoſii *Novella* V. quæ eſt *de Tutoribus*, cujusque particula eſt tranſcripta in *d. l.* 10. Habet illa Novella duo Capita, quorum poſterius pœnam ſtatuit matribus, quæ, ſuſcepta liberorum tutela, ad ſecunda vota tranſeunt, aliis tutoribus ante non petitis, nec redditis ante rationibus, atque id caput exſtat in *l.* 6. *C. In quib. cauſ. pign. vel hypoth.* cujus verba finalia Compoſitorum quoque non eſſe, ex ipſa *Novella* apparet, licet aliud viſum fuerit Pardulpho Prateio *L.* I. *Geminat. C.* 60. Caput autem prius *Novellæ*, quo de nos agimus, Conſtitutionem commemorat, quæ matres, non petitis tutoribus, mori jubebat inteſtatas, ſed, hac abrogata, Theodoſius non jam matres ob eam negligentiam amplius vult eſſe inteſtabiles, at heredes legitimos, quicunque fuerint, qui hoc neglexerint, a ſucceſſione pupilli defuncti removet. *Sciant itaque*, inquit, *qui ad ſucceſſionem vocantur pupilli mortui*, & reliqua, ut ad verbum deſcripta ſunt in *d. l.* 10. *C. de hered.* De pœna graviori abrogata hæc notat Anianus ad *d. Novell.* V. *Lex iſta liberat matres a pœna illa, quæ fuerat in Theodoſiani Codicis Corpore conſtituta, ut ſi non providiſſent filiis tutores, vel rerum Inventarium non feciſſent, faciendi de rebus ſuis teſtamenta, vel donandi, cui voluiſſent, non haberent liberam poteſtatem, & inſuper notarentur infamia.* Unde mihi videor recte colligere, in eo *Novellæ* articulo, qui exſtat in *d. l.* 10. duo conſtitui nova, alterum, quod palam dicit ipſa *Novella*, quo nempe abrogatur illa durior ſanctio de matribus inteſtabilibus, quo & ita reverſum eſt ad Jus vetus, quod ex Epiſtola D. Severi pœnam hereditatis amittendæ ſimpliciter matribus ſtatuebat *l.* 2. §. 2. *ff. Qui pet. tutor.* Alterum, quo eadem pœna manet legitimos heredes omnes, qui tutores pupillis petere neglexerant: hæc quippe negligentiæ pœna Jure veteri ſolam matrem manebat *d. l.* 2. §. 2. alia autem pœna manebat libertos, qui eo officio ſuperſediſſent, ut eſt in eodem §. 2. Lex antiqua igitur & matri & libertis duntaxat tutores petere imperabat; ceteris omnibus pupillo proximis, hoc officium commendabat absque ulla ullius pœnæ mentione *d. l.* 2. *princ.* §. 1. *&* §. 2. *eod. Tit.*

Dixi, quæ nova ſint in *d. l.* 10. *C. de Legit. hered.* nunc dicam τὸ *intra annum* non videri novum. Verba legis: *Qui ad ſucceſſionem vocantur pupilli mortui, ſi defuncto ejus patre, tutorem ei ſecundum legem non petierint intra annum*, & quæ ſequuntur. Illud *ſecundum legem* non poteſt non referri ad τὸ *intra annum*, ut ſenſus ſit, ſi non petierint tutorem *intra annum*, ut peti jubet Lex antiqua. Ad quæ alioquin referas verba *ſecundum legem?* non potes ad orationem generalem de petendo a legitimis heredibus tutore, ſiquidem hoc non eſt, ut diximus, *ſecundum legem.* Lex antiqua id non imperabat heredibus legitimis, ſed matribus & libertis duntaxat. Quare, quod ait *d. l.* 10. *ſecundum legem*, vel, ut eſt in *Novella Theodoſiana*, *ſecundum leges*, unice pertinet ad annale tempus, de quo & fidem facit Ulpianus in *h. l.* 2. §. 43. reliqua de legitimis heredibus ad Jus antiquum non pertinebant. Nolim tamen illud *ſecundum legem* vel *ſecundum leges* præciſe tribuas Legibus Attiliæ, Juliæ & Titiæ, ut tribuit Merillius *d. L.* I. *Obſerv. C.* 37. præferens propterea lectionem *Novellæ ſecundum leges*, numero plurium, nam,

cum auctoritas deſit, ego potius pronunciem, *non liquet.* Sufficit dicamus illam de anno clauſulam eſſe ex Jure antiquo, ex quo eam ſuggerit Ulpianus in *h. l.* 2. §. 43. idque ſignificare *ſecundum legem* vel *ſecundum leges*, cetera ignorari.

His omnibus addo, in §. *pen. Inſt. de SCto Tertyll.* ſimpliciter quoque dici, *intra annum* a matribus petendos eſſe tutores, neque id Juri novo adſcribi, cum tamen ſollicite *Inſtitutiones* Jus novum a veteri ſoleant diſtinguere. Et quid, ſi τὸ *intra annum* in *d. l.* 10. eſſet Juris novi, id ignoraſſent Baſilici? ignorarunt ſane, aut ludibrium deberent, qui, exhibituri ſententiam *d. l.* 10. plane omiſiſſent ἐντὸς ἐνιαυτοῦ, *intra annum*, ut omiſerunt *L.* XLV. *T.* I. *C.* 46. quamvis ea verba extiterint in τῷ κατὰ πόδας, ut notat Scholiaſtes ad eum locum. Sed cura ſua id indignum eſſe rati ſunt, quia erat ex Jure antiquo, & inde ſatis notum.

CAPUT XVII.

Duo emblemata excuſſa & rejecta in L. 21. §. 1. & §. 2. ff. de Jure patronat.

Si intelligo *d.* §. 1. ejus ſententia eſt, patronum, quamvis ex uncia heredem ſcriptum, excludi tamen a bonorum poſſeſſione contra tabulas liberti, ſi id, quod patroni ſervo relictum eſt quocunque titulo, ſive hereditatis, ſive legati, ſive fideicommiſſi, ſufficiat ad ſupplendam portionem patronalem. Atque ita eſt. Ulpianus in *l.* 3. §. §. 15. 16. 17. 18. & 19 *ff. de Bon. libert.* in eo totus eſt, ut in debitam patrono portionem imputari doceat, quæcunque quovis modo ex hereditate liberti perveniunt ad patronum. Igitur & ſi inſtitutus ſit ex parte minore, quam ei debeatur, reſidua vero pars ſuppleta ſit legatis ſive fideicommiſſis, & ita ſatisfactum ei videtur, inquit *d. l.* 3. §. 16. Quod cum ſit, nihil querelarum habebit patronus, ſi & per ſervum ſuum conſequatur, quod ſibi deeſt: per ſervos quippe, ex perſonis dominorum, qui inſtituendi erant, recte libertis ſuccedi, alio exemplo declarat Hermogenianus in hac ipſa *l.* 21. §. *pen.* & rurſus alio Paulus in *l.* 45. *ff. de Bon. libert.* Sed quod ait Hermogenianus in *h. l.* 21. §. 1. dominum, quod per ſervum acquirit in ſupplementum legitimæ, quodque per ſe ipſum acquirit *d. l.* 21. §. 2. acquirendum eſſe *ſine conditione & dilatione*, Cujacius ad *Novell.* XVIII. exiſtimat ſibi videri eſſe ex Conſtitutione Græca Juſtiniani *de jure patronatus*, in qua ita eſt: πάσης αἱρέσεως καὶ πάσης ὑπερθέσεως ἀπηλλαγμένον. Sic ille, ſic ejus ſectatores. Illa autem Juſtiniani Conſtitutio cum interciderit, hæc, quæ laudat, verba habet ex Baſilicis, qui ſententiam ejus Conſtitutionis nobis ſervarunt *L.* XLIX. *T.* I. *in fin.* Atque eam ipſam ſententiam ex iisdem Baſilicis, ut & Latinam Conſtitutionis *Synopſin*, alibi repertam repræſentat idem ille Cujacius *L.* XX. *Obſerv.* C. 34. Quum vero hæc Conſtitutio fuerit major, quam ſunt duo Cæſaris Anticatones, ut ex compendio Græco apud Baſilicos leges, ſi legere commodum eſt, non vacat mihi vel ſummam ejus deſcribere. Capita, quæ ad ſucceſſiones libertorum pertinent, per ſatyram collegit Juſtinianus in §. *pen. Inſt. de Succeſſ. libert.* & quod ſatis eſt, explicavit Cujacius *d. L.* XX. *Obſerv. C.* 34. Inter alia & hoc ſancivit, ut, ſi libertus centenario ſit minor, & teſtatus, vel cum liberis decedat, nihil patrono debeatur; ſi centenario major, & inteſtatus, & ſine liberis, patronus ad illius hereditatem vocaretur ex aſſe; ſi teſtatus, & ſine liberis, vel cum liberis, ſed juſte exheredatis, patronus haberet trientem, *ita ſine onere*, inquiunt, *Inſtitutiones, ut nec liberis liberti libertæve ex ea parte legata vel fideicommiſſa præſtentur, ſed ad coheredes eorum hoc onus redundet.* Vel, ut Latina *Synopſis* apud Cujacium: *ſine onere penitus legatorum & fideicommiſſorum.* Quod extulerunt Baſilici, ut ſupra dicebam, πάσης αἱρέσεως &c. id eſt, trientem *liberum ab omni conditione, omnique mora.* Atque illud ipſum eſt, quod hic ait Hermogenianus, ſed interpolatus ex mente Cujacii.

Mihi contra videtur. Quod ut probem, ſciendum eſt, Jus Romanum, quod ad portionem, quæ patrono debebatur ex hereditate liberti, fuiſſe varium ac mutabile ſemper. Hiſtoriam illius mutationis exponit Ulpianus *Fragm. Tit.* XXIX. & Juſtinianus *L.* III. *Inſt. C.* VIII. Aliud Lex XII. Tabb. aliud Edictum Prætoris, aliud Lex Papia Poppæa, aliud denique Juſtinianus conſtituit. Equidem XII. Tabulæ nihil juris patrono tribuebant in bonis liberti, niſi & inteſtati, & ſine ſuis heredibus decedentis. Sed hoc Prætor correxit, qui, exceptis caſibus, quos referre nihil attinet, patrono legitimam dedit, hoc eſt, ad minimum ſemiſſem bonorum liberti. Hanc legitimam mutavit Lex Papia Poppæa, ut, ſi libertus haberet rem ampliorem centum, & liberos, quam tres, pauciores, ſive teſtatus, ſive inteſtatus decederet, patronus vocaretur in portionem virilem. Hæ ſunt patronorum legitimæ ante Juſtinianum, deſcriptæ in *pr.* §. 1. & §. 2. *Inſt. de Succeſſ. libert.* Quid ipſe Juſtinianus conſtituerit, ſupra compendio indicabam. Sive autem de ſemiſſe Prætoris, ſive, pro varia JCtorum ætate, & varia ſpecie, quæ incidebat, de parte virili Legis Papiæ intelligas, quod in Pandectis paſſim legitur de *portione patronis debita*, mihi equidem perinde eſt, nam de utraque illa patronorum legitima verum puto, relinquendam fuiſſe *ſine conditione & dilatione.* Sane de patronali portione, quæ ex Lege Papia, atque adeo ex uſu ſui ſeculi debebatur, palam id adfirmat Hermogenianus in *h. l.* 21. §. 1. & 2. & ſi quis neget, id recte effici ex loco ſuſpecto, cedo mihi alium, qui contradicat: donec enim ſit, qui probaverit, aliud fuiſſe juris in legitima patronorum veteri, aliud in Juſtinianea, quod ad adjectum onus, de utraque idem pronunciabo. Quin ſi Prætor edicat, *patronus ne minus, quam ſemiſſem, capito ex bonis liberti*, & ſi Lex Papia ſanciat, *in liberti centenarii bonis patronus cum liberis liberti, minus tribus, pro virili vocator*, quæ alia utriusque juris ſententia eſſe poterit, quam ne ſemiſſi, ne parti virili adjiciatur conditio vel dilatio? hoc enim ſi fieret, libertus jam minus relinqueret patrono, quam per legem licet. Sic legitimam liberorum, quia lex definivit, conſtat minui non poſſe adjecta conditione vel dilatione, circumſcribitur enim omnis adjectio, quia legitimam minueret, & minus daret, quam lex ipſa dedit.

Sed quid cunctamur? debitam patrono portionem etiam Jure veteri ab omni onere legati & fideicommiſſi liberam fuiſſe ex *l.* 28. *ff. de Legat.* II. probavit ipſe ille Cujacius ad *d. Novell.* XVIII.

XVIII. & addit *L.* XX. *Obſerv.* C. 34. quæ ejusdem ſententiæ eſt, *l.* 45. *ff. de Bon. libert.* nec tantum ejusdem ſententiæ, ſed in ſpecie, quæ Hermogeniano convenit in *h. l.* 21. §. 1. nequidem ex ſervi portione fideicommiſſum eſſe præſtandum ait. Rurſus de patrono, ex debita tantum parte inſtituto, & tamen gravato, id ipſum dicit Marcellus in *l.* 20. *pr. ff. de Donat.* Hermogenianum quoque in *h. l.* 21. §. 1. agere de patrono ex debita duntaxat parte inſtituto, indicat tota ejus diſputatio, & inde quoque apparet, quod utique his, quæ debitam partem excedunt, recte adjiciatur conditio & dilatio, quin & in §. 2. *d. l.* 21. nominatim ſermo eſt de patrono, ex debita parte inſtituto. Si igitur fideicommiſſum rejiciatur, legitimæ patronali adjectum, eadem ratione rejicietur *conditio & dilatio*, hæc enim paria ſunt, & convertuntur in *Synopſi*, quam diximus, Latina, & in Græcorum παραφράσει. Si non conſtaret, uti nunc conſtat, Jure veteri, quod ad adjectum onus, idem juris fuiſſe, quod eſt jure novo, ſola auctoritate Baſilicorum mihi perſuaderi non paterer, in ipſa Conſtitutione Græca Juſtiniani exſtitiſſe hæc verba, πάσης αἱρέσεως &c. Veriſſimum enim eſt, quod & alii obſervarunt, Baſilicos ex Jure poſteriorum Principum plurima addidiſſe ſuæ vel καθόλου vel παραφράσει. Sæpe utique peccaremus, ſi hos magiſtros ſequeremur ad arguendas Triboniani interpolationes, ſed non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis tempus eget. Quo attentius omnia conſidero, unicum, quod Juſtinianus ultra Jus vetus conſtituit de appoſito onere, unicum, inquam, hoc eſſe videtur, ne patronus ex debita parte inſtitutus a ſe relictum legatum vel fideicommiſſum hodie vel ipſis liberti libertæve liberis præſtare cogatur, ut eſt in §. 3. *Inſt. de Succeſſ. libert.* olim ſecus fuiſſe videtur, ut probat Cujacius *d. L.* XX. *Obſerv. C.* 34. cetera ibi de emblemate ſecurus.

Satisfactum eſt Cujacio, ſed nondum Accurſio, qui ad *l.* 3. §. 10. *ff. de Bon. libert.* alia adhuc ratione Compoſitores juris deprehendit in *h. l.* 21. §. 1. nam ecce cum in *d. l.* 3. §. 10. dicatur, *totiens ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas invitari patronum, quotiens non eſt heres ex debita portione inſtitutus*, hoc correctum eſſe monet a Juſtiniano, qui in §. 3. *Inſt. de Succeſſ. libert.* id, quod patronali portioni deeſt, ſuppletum iri dixit ex ſua Conſtitutione. Idem, ait Accurſius, videtur jure veteri ex *l.* 21. §. 1. *ff. de Jur. patron. ſed dices, illud a Compoſitoribus additum.* Imo vero hoc non dices. Longe diverſa eſt hujus §. 1. ſententia a Conſtitutione Juſtiniani. Hæc, quod deëſt, condictione ex lege ſuppleri jubet, noſter §. 1. nihil quicquam de condictione, ſed excludi patronum ait bonorum poſſeſſione contra tabulas, ſi legitimæ patronali nihil deſit, nihil deëſſe docens, ſi vel ex parte legitimæ patronus heres ſcribatur, dummodo, quod deëſt, per ſervum, judicio liberti, quoquo modo acquirat dominus. Excluditur igitur, quia ſic nihil deëſt, ceteroquin, ſi debita portione minus ei relinquatur, admittendus ad bonorum poſſeſſionem, ut indicat hic §. 1. & palam ait §. 2. Plane ut olim ex Edicto Prætoris quod ad ſemiſſem, ſi minus relictum eſſet, patrono dabatur bonorum poſſeſſio contra tabulas teſtamenti §. 1. *Inſt. de Succeſſ. libert.*

CAPUT XVIII.

Rurſus duo emblemata excuſſa & rejecta in L. 26. ff. de Bon. libert.

Sic ibi Africanus *L.* II. *Quæſtionum: Liberto octoginta habenti fundus quadraginta legatus eſt, is die legati cedente deceſſit, extraneo herede inſtituto, reſpondit, poſſe patronum partem debitam vindicare*, & reliqua, quæ nihil ad cauſam emblematis. Quæcunque hic habet Wiſſenbachius, ad verbum deſcripſit ex Cujacio, *ſecundo ad Africanum* in *d. l.* 26. fide, ut ſolet, bona. Diximus *Cap. præced.* Legem Papiam Poppæam patrono dediſſe portionem virilem in bonis liberti ſui, ſive teſtati ſive inteſtati morientis, ſi nempe is plus quam centum haberet in bonis, & minus quam tres liberos; & ſic eſt relatum in §. 2. *Inſt. de Succeſſ. libert.* Illa igitur diſtinctio inter libertum centenario majorem minoremve non videtur obtinuiſſe, niſi exiſtentibus liberis, nec quicquam pertinuiſſe ad heredes extraneos, de quibus Lex Papia ſilebat. Africanus tamen in *d. l.* 26. *extraneo herede inſtituto*, & in ea ſpecie patronum admittit ad *partem debitam*, ſi centenario major fuerit. Unde Cujacius conjicit, Africanum ſcripſiſſe, *filio herede inſtituto*, non *extraneo herede inſtituto*, & mox, *partem dimidiam*, non, ut nunc legitur, *partem debitam*, idcirco autem utrumque mutaſſe Tribonianum, quia illa Legis Papiæ diſtinctio inter centenario majorem minoremve, ad heredes extraneos duntaxat pertinet ex Conſtitutione Juſtiniani de jure patronatus, quæ & ipſa non dimidiam, ſed tertiam partem patronis dedit. Sic ipſe narrat in §. 3. *Inſt. de Succeſſ. libert.* Cujacii ſententiæ ſubſcribit Charondas *Not. marg.* ad *h. l.* ſubſcribunt & alii.

Utcunque ſe res habeat quod ad liberos vel extraneos, mihi equidem genuina videtur loquutio, qua JCti veteres portionem patronalem vulgo vocant *debitam partem.* Vulgare id eſſe apparet ex variis locis, ab aliis indicatis, & ad nauſeam deſcriptis. Sæpe etiam, in eandem ſententiam, meminerunt *partis certæ*, & *conſtitutæ*, & *legitimæ*, ſine expreſſa quantitate. Illiberale eſt hæc omnia Triboniano adſcribere, quia ſcilicet referri poſſunt ad trientem, qui patronis debetur ex Conſtitutione Juſtiniani. Illa tamen ratio Cujacium movit, movit & Janum a Coſta ad §. 3. *Inſt. de Succeſſ. libert.* & Cl. Schultingium ad *Fragm. Ulpiani Tit.* XXIX. §. 1. Sed æque illæ loquutiones referri poterunt ad ſemiſſem ex Jure Prætorio, vel ad partem virilem ex Lege Papia, atque adeo ad eas legitimas, quæ jure antiquo obtinebant. Explicanda hæc ſunt ex uſu & tempore veterum JCtorum, ut explicamus *debitam portionem*, quæ liberis debetur, in *l.* 8. §. 11. *ff. de Inoffic. teſtam.* Quin, ſi me audias, magna ratio eſt, cur Veteres, de legitima patronorum agentes, tantum non ſemper *debitæ partis* meminerint, non expreſſa quantitate. Fac enim, vel omnes JCtos, qui de portione patronali loquuti ſunt, vixiſſe poſt Legem Papiam Poppæam, non ſemper tamen ex ea Lege æſtimata fuit patronorum legitima, ſed tantum exiſtentibus liberis, minus tribus. Si igitur libertus ſine liberis deceſſerit, extraneo herede ſcripto, ſemis debebatur patrono ex Edicto Prætoris, ut eſt in ſpecie *h. l.* 26. Ad hæc JCti, etiam in caſu Legis Papiæ occupati, quan-

quantitatem legitimæ exprimere non poterant, niſi ſimul expreſſiſſent numerum liberorum, quo illa cenſeatur. Prudentius igitur & conſultius compendio orationis uſi ſunt, non definita quantitate, quæ varia fuit, & quam nemo non facile poterat ſcire ex iis quæ proponebantur.

Magis turbat, quod in *h. l.* 26. ſcriptum eſt de *extraneo herede:* ſi enim hunc heredem ſcribat libertus, expeditum videbatur, ut modo dicebam, ex §. 1. *Inſt. de Succeſſ. libert.* patronum ad ſemiſſem vocari a Prætore, & hujus Edicto locum eſſe, cum de ea ſpecie nihil caverit diſtinxeritve Lex Papia. Cur igitur Africanus, ex facto conſultus, priusquam, extraneo herede inſtituto; patronum vocet ad partem debitam, tam ſollicite probat, libertum habuiſſe rem ampliorem centum? Mihi videtur dicendum, Legem Papiam patronos a bonis libertorum, centenariis minorum, penitus excluſiſſe, & eo jure niti Africani reſponſum in *h. l.* 26. Deſtituimur quidem expreſſa in eam rem auctoritate, cum nullus ſit locus, qui aperte doceat, quid cautum fuerit Lege Papia de bonis liberti, centenario minoris, ſed id non mirabitur, qui noverit, varia Legis Papiæ capita intercidiſſe. Sane cum diſtinxerit inter libertos centenario majores & minores, & de majoribus caverit, quid juris, cui non fiet probabile, etiam caviſſe de centenario minoribus? In his proclive videbatur reverti ad clementiam Legis Decemviralis, quæ, uti etiam libertus rei ſuæ legaſſit, ita jus eſſe volebat *princ. Inſt. de Succeſſ. libert.* Nullus, quod ſciam, exſtat locus, qui negat, centenario minorem ex Lege Papia potuiſſe teſtari, excluſo patrono, & quum ex *h. l.* 26. contrarium efficiatur, non animadverto, quare hoc dicere non ſit integrum, quamvis vulgo placeat in centenario minoribus ad Edictum Prætoris fuiſſe reverſum, ut placet quoque Jacobo Gothofredo in conjiciendo *Capite* XXIV. *Legis Jul. & Pap.* & in *Not.* ad *d. C.* XXIV. ut & Clar. Heineccio *L.* II. *ad L. Jul. & Pap. C.* XXII. §. 3. Sed ejus ſententiæ auctoritatem deſidero, eique oppono auctoritatem Africani in *h. l.* 26. Et, ſi centenario minores ex animi ſui ſententia non ſtatuiſſent de rebus ſuis, quamobrem Ulpianus in tota *l.* 16. *ff. de Jure patron.* adeo ſollicitus eſſet in coërcendis fraudibus libertorum, qui ſe centenario minores faciunt? quam ob rem, inquam, niſi ut patronos excludant? fruſtra alioquin eſſet ea machinatio, ſiquidem ex bonis centenario minoris patronus ſecundum vulgarem ſententiam caperet ſemiſſem, ſi ſine liberis decederet libertus, quem nec unquam capere poterat ex bonis centenario majoris, niſi unus duntaxat filius unave filia liberto fuiſſet ſuperſtes. Sin ajas, ideo hoc fieri in fraudem patroni, quia, exiſtentibus liberis, nullum patroni jus eſt in bonis centenario minoris, reponam, etiam non exiſtentibus liberis, ſi vel extraneus ſcribatur heres, idem juris eſſe videri, cum Ulpianus in ea diſputatione, quam in *d. l.* 16. habuit de liberto, qui ſe centenario minorem facit, liberorum nuſpiam meminerit. Indiſtincta ejus eſt oratio de omni liberto, qui ſe centenario minorem facit. Rurſus, ſin ajas, Ulpianum de eo recte diſputaſſe, quia libertus, qui ſe centenario minorem facit, utique celandis alienandisve bonis minuit jus patroni, plus alioquin habituri, reponam ex eo ipſo Ulpiano in *d. l.* 16. *pr.* libertum, qui ſe centenario minorem facit, peccare & *in fraudem legis* & *in fraudem patroni.* In fraudem ſcilicet Legis Papiæ, quæ patronum a bonis liberti, centenario minoris, penitus excludebat, atque ea ratione ipſo jure nullum erat, quod egerat libertus. In fraudem patroni ſi ſimpliciter peccaſſet, ut ſi centenario major bona tamen alienaſſet, ejus fraudi coërcendæ Faviana vel Calviſiana ſufficiebat *d. l.* 16. *pr.* In fraudem legis facit, qui conditionem patroni facit deteriorem, non qui meliorem; atqui patroni conditio, ſi libertus ſe centenario minorem feciſſet, ex vulgari ſententia, poterat quandoque eſſe melior, quia illa, non exiſtentibus liberis, ſemper patrono tribuit integrum ſemiſſem.

Scio ei, quod diximus de plena libertate teſtandi ex Lege Papia in liberto minus centenario, objici poſſe Conſtitutionem Juſtiniani, quæ id ipſum ita definivit, ut eſt in §. 3. *Inſt. de Succeſſ. libert.* Sed vero id jus non obtruſit nobis Tribonianus, atque ſi novum eſſet, ut alioquin ſæpe peccavit in hanc partem. Multa, fateor, illa Juſtiniani Conſtitutio novavit in jure patronatus, at multa etiam retinuit ex jure antiquo, & in eam tranſtulit, ne quid deëſſet argumento, quod plena manu exſequi conſtituerat. Atque ita Juſtinianus liberos centenario minoris & inteſtati ad hereditatem patris vocavit *d.* §. 1. tametſi iis abunde proſpectum fuerit, ſi non Lege Papia, quod ipſe puto, certe Lege Decemvirali, & ipſo Prætoris Edicto. Alia tranſeo.

Poſſumus his defungi ad refutandum emblema. Sed quid ſi addam, ſpeciem & quæſtionem, Africano propoſitam, uſum quoque habere potuiſſe in extraneo herede ſcripto, ſi libertus deceſſerit liberis relictis. Finge: libertus centenario major extraneum ſcribit heredem, præterit patronum & liberos, quos habet, unum duosve. Procul dubio & patronus & liberi ex Lege Papia vocabuntur in partes viriles. Non expreſſit quidem hic Africanus, liberto etiam liberos fuiſſe ſuperſtites, ſed fuerint, nec ne, non erat ibi quæſtionis. Illud quærebatur duntaxat, an fundus legatus augeret hereditatem liberti? atque adeo an libertus ſecundum ea, quæ proponebantur, deceſſiſſet centenario major? & reſpondit, deceſſiſſe. Potuit igitur Africanus in proponenda ſpecie id facile omiſiſſe, quod nihil ad rem præſentem. Si liberi fuerint ſuperſtites, jam ſalva res eſſet ſecundum ipſum Cujacium, ſed fuerint, nec ne, mihi equidem perinde eſt.

CAPUT XIX.

Tribonianum non pellucere in L. 2. §. pen. ff. de Judic.

Poſtquam Ulpianus in *l.* 2. §. 6. *ff. de Judic.* dixiſſet, eos, qui domum revocandi jus habent, oportere cavere *judicio ſiſti*, & Prætoris eſſe ſtatuere, in quem diem promittant, continuo addit in §. 7. ſeu *pen. In omnibus autem, in quibus protelatur admonitio, hoc procedere ſine temporali damno creditorum oportet.* In catalogo emblematum, quem exhibet Cujacius ad *l.* 1. *C. de Dignitat.* eſt & hæc *l.* 2. §. *pen.* Sed quia ibi nec rationes addit, nec probationes ullas, ex aliis quærendæ ſunt, niſi, quod ille ait, ſimpliciter negare decreveris. Ex iis, qui Cujacium vel laudatum vel illaudatum ſequuntur, alii rem & verba, alii ſola verba, atque ſi Triboniani eſſent,

ſent, increpant. Primi ordinis eſt Faber Antonius *Ration.* ad *h. l.* 2. §. *pen.* ſecundi Defenſor veterum JCtorum adverſus Laurentium Vallenſem *p. nuper. Edit.* 331. pluresque alii ex utroque ordine, de quibus ſic audies. Quia res verbis potior eſt, de re ipſa prius dicam. Perpetuum eſſe ait Antonius Faber *d. loc.* ut, quoties favetur reo, ne conveniri poſſit, ſuccurratur etiam actori, ne quid præjudicii patiatur circa temporalem præſcriptionem, in eamque rem adducit *l. ult. in fin. C. Qui bon. ced. poſſ. l. ult.* §. 11. *in fin. C. de Jure deliber. Novell.* CXV. C. 5. *in fin. ex quibus omnibus locis*, inquit, *qui ſunt Juſtiniani, apparet tanto manifeſtius, totum hunc locum eſſe Triboniani, cui perpetua illa exceptio tam familiaris fuit.* Wiſſenbachius de ſtilo Ulpiani, ut videtur, ſecurus ſola utitur *l. ult. in fin. C. Qui bon. ced. poſſ.* Agnoſco autem lubens, & *d. l. ult.* & alia, quæ dixi, loca commode exemplis ſervire, quæ probent regulam Ulpiani, dilatione nempe conceſſa, non perire actionem temporalem, cujus dies alioquin eſſet exitura. Perperam his intercedit Ulricus Huberus *Eunom. Rom.* ad *h. l.* 2. §. *pen.* minus aptum eſſe ratus argumentum ex *d. l. ult.* quia ibi non agitur de his, qui domum revocant, ſed de induciis debitorum. At vero hic habemus regulam generalem Ulpiani, cui cauſam præbuit proxima diſputatio de jure revocandi domum, & ejus regulæ idonea exempla ſunt in *d. l. ult.* & aliis Juris novi locis, quæ Faber ſuggeſſit. Opportune autem admodum addit Huberus *d. loc. Sed nec jure veteri dubitatum puto, quin ejusmodi dilationes tertio non præjudicarent, quo nihil eſt æquius melius.* Imo nec ipſe dubito, ſed addenda erant exempla ex jure veteri, quæ ipſe non addit.

Hæc dabo, ſimulac de ſententia Ulpiani conſtiterit. Hanc autem optime expreſſerunt Baſilici L. VII. *Tit.* 5. *C.* 2. §. 7. his verbis: ἐν οἷς δὲ ἡ ὑπόμνησις ὑπερτίθεται, οὐ βλάπτεται περὶ τὸν χρόνον ὁ δανειστής. *In quibus admonitio differtur, circa tempus damno non afficitur creditor.* Fac Romæ conveniri, qui domum revocandi jus habet, & actioni temporali præſcriptum iri, ſi ille ipſe in Provincia conveniatur, dilato loco, atque ita & dilato tempore, rationis eſt, ne creditori pereat actio. Indicat id Ulpianus *d. l.* 2. §. 6. cum ait, cavendum eſſe *judicio ſiſti*, & Prætoris eſſe ſtatuere, *in quem diem promittat.* Sic conſultum erit creditori, ſed & in aliis cauſis idem juris eſt ex regula Ulpiani, quæ mox ſubſequitur in §. 7. Videamus igitur & de aliis. Literis D. Hadriani cavetur, ne Magiſtratus, quo anno cum imperio ſunt, cauſam in judicio vel agant vel defendant *l.* 48. *ff. de Judic.* Quid ſi actiones interituræ ſint? noli tunc ſic putare, nam SCto, quod Macer retulit in *l.* 16. *ff. de Offic. Præſid.* cautum eſt, *ut actiones, quæ ob eam cauſam inſtitutæ non eſſent, poſtea quam quis eorum ea Provincia exceſſerit, reſtituantur.* Addit SCtum, in quibusdam cauſis hactenus jus dicendum eſſe, ut quis litem conteſtetur, vel rem interim deponat, quo ſic uſucapio impediatur. De litis conteſtatione illuſtre exemplum ſuggeſſit Paulus in Legato Provinciali *l.* 28. §. 4. *ff. de Judic. Sed &*, inquit, *ſi dies actionis exitura erit, cauſa cognita adverſus eum judicium Prætor dare debet*, UT LIS CONTESTETUR, *itaut in Provinciam transferatur.* Conſtat per litis conteſtationem actiones temporales fieri perpetuas, & æque conſtat depoſitionem, apud ſequeſtrem factam, uſucapionem ſiſtere. Sed quid attinet ex jure veteri plura exempla recenſere, quibus, ſi differatur judicium, differtur ſine creditorum damno? vel unum, quod dixi, de legato Provinciali ſufficit, quia ejus occaſione Ulpianus propoſuit regulam in *d. l.* 2. §. *pen.*

Igitur de re ipſa laborandum non eſt, de ſtilo etiam laboratur; quin hunc ſolum arguit Huberus, arguunt alii. Concoquere nequeunt *protelare* pro *differre*, *protrahere.* Nec placet *admonitio* pro *actione* vel *judicio*, nec, quæ ſolius Fabri indignatio eſt, *temporale damnum* pro *damno, quod imminet ex lapſu temporis.* Sed ſæpe alias dicere me memini, cum ipſa Jurisprudentia bene ſe habeat, de verbis ſolis contendere, & hæc, quia nova, quia inuſitata ſunt, Triboniano adſcribere, rem eſſe lubricæ definitionis. Verbum *protelare* & Latinum eſt, & ſatis antiquum, ſi accipias pro *propellere*, *proturbare*, ut alii, additis auctoritatibus, prolixe obſervarunt, ſed an veteres Latinæ Linguæ auctores *protelare* dixerint pro *differre* & *producere*, non æque conſtat. Sunt, qui ajunt, ſunt, qui negant. Ego, ne quid diſſimulem, negantium ſententiæ accedo, motus iis rationibus, quas expedivit Cortius ad *Salluſtii Catil. C.* 43. *n.* 3. & Dukerus *de Latinitate veterum JCtorum p.* 331. *&* 332. Eſt quidem *protelare*, hac ſignificatione, apud Robertum Conſtantinum *Supplemento Linguæ Latinæ*, ſed non alia auctoritate utitur, quam Ulpiani in *h. l.* 2. §. *pen.* Apud Recentiores paſſim ea vox occurrit in eam ſententiam, etiam apud Juſtinianum in *l.* 13. §. 1. *in fin. C. de Judic.* & *l.* 29. *C. de Jure deliber.* ſed & apud Apulejum, JCtorum æqualem, bis reperi, at ejus auctoritate uti non licet, niſi in exemplum cadentis Latinitatis. Eo quoque loco habendos eſſe pleroſque JCtos, ex quorum centonibus Pandectæ conſtant, & res loquitur, & inter omnes, egregie cordatos, convenit. Non repetam, quæ alibi dixi de ſtilo JCtorum, nec quæ de ipſius Ulpiani, quo de nunc agimus, ſtilo obſervavi *hoc Libro C.* 15. dicam potius, Albericum de Roſate *Dictionario Juris* jam produxiſſe *l.* 4. *pr. ff. de Damn. infect.* quo probaret, Ulpianum & ibi dixiſſe *protelare diem* pro *differre diem.* Et cum ille locus ſit extra omnem ſuſpicionem emblematicam, quid hic tricamur, ubi eo ipſo verbo utitur?

Admonitio, quod vocabulum hic quoque eſt pro *petitione & actione*, neſcio, an apud Recentiores magis ſit frequentatum, quam ipſos veteres. Si plane non, vel non magis, nulla interpolandi cauſa. Non intercedo tamen, quominus *monere* & *admonere debitorem*, molli phraſi, idem ſignificet, quod *interpellare debitorem*, vel *convenire apud judicem*, & quominus id recte fuerit dictum per omnes ætates Linguæ Latinæ. *Monitus actione civili* eſt apud Leonem in *l.* 6. §. 3. *C. de His qui ad Eccleſ. confug.* Sed & apud Ciceronem in *Topic. ad Trebatium*, non procul a *principio*, hæc lego: *admonitus hujus æris alieni, nolui deeſſe ne tacitæ quidem flagitationi tuæ.* Belgis etiam, lingua vernacula, lenior illa loquutio, ex Latio deſumpta, ſæpe placuit, cum ajunt manen / gemaant / & ter maniſſe. Sed hoc jam non agimus. Quod autem Faber arrodat *temporale damnum*, compendio orationis, pro *damno ex lapſu temporis*, omnino nihil eſt. Cedo, quid hic ſit ſermonis novi? ſi quid ſit ſermonis conciſi & contorti, meminiſſe velim, plus a veteribus JCtis in hanc partem eſſe peccatum, quam ab ipſo Triboniano.

CAPUT XX.

Non omnem Triboniani additionem, ſi vel de eà conſtaret, pro interpolatione eſſe habendam, & quid cenſendum ſit de L. ult. ff. de in jus voc. L. 58. ff. de Contrah. empt. L. 21. §. 2. ff. de Action. empt. *& de aliis, quæ ad alia loca referunt.*

Cujacius *Comment.* ad *l.* 9. *in fin. ff. de Dol. mal.* & *L.* IX. *Obſerv. C.* 31. rotunde ſcribit, rationem ſeſtertiariam, a veteribus JCtis uſurpatam, Tribonianum ex Pandectis ſuſtuliſſe & ſubſtituiſſe aureos, eo pretio, quod Juſtinianus definivit in §. 3. *Inſt. de Succeſſ. libert.* Sic putat eſſe factum in *l.* 12. *l. pen. & d. l. ult. ff. de in jus voc.* ſic & in aliis locis. Sed cum veriſſimum ſit, & rationem ſeſtertiariam, a JCtis frequentatam, plus ſemel in Pandectis exſtare, & aureos quoque eorum ætate ad rem nummariam pertinuiſſe, recte jam alii omnia ea loca vindicarunt contra hunc Cujacii aliorumque inanem impetum, nec his quicquam addere nunc animus eſt. Miror, Cujacium non obſervaſſe, etiam alia ratione Triboniani manum interpolantem apparere in *d. l. ult. ff. de in jus voc.* cum meminit, quaſi ex Modeſtino, *ſupradictæ pœnæ, id eſt, quinquaginta aureorum,* reſpiciens ad *l.* quæ proxime præcedit, *pen.* ubi hæc pœna commemoratur, ſed ab Ulpiano. Modeſtinus, eo loco, nihil de ea ante dixerat. Unde illud *ſupradicta pœna* videbatur eſſe Triboniani. Propter eandem rationem Antonius Faber *Ration.* ad *l.* 57. & *l.* 58. *ff. de Contrah. empt.* eidem adſcribit poſtremam clauſulam in *d. l.* 58. & voculam copulantem quoque in *princ. d. l.* 58. nam, cum dicitur, ſive emptor ſciat, ſive ignoret, vel uterque eorum, *hæc obtinere, quæ in ſuperioribus caſibus pro ædibus dicta ſunt,* hæc non Papiniani, ſed Triboniani eſſe contendit, reſpicientis ad ea, quæ Paulus prolixe de ædibus diſputaverat in præcedenti *l.* 57. *Eod.* Rurſus, cum ſcribitur in *l.* 21. §. 2. *ff. de Action. empt. quamvis ſupra diximus,* hæc non Paulo, ſed Triboniano tribuit Cujacius *L.* II. *Obſerv. C.* 5. referenda ratus ad ea, quæ ex Ulpiano exhibet *l.* 9. *ff. de Contrah. empt.* & *l.* 14. *ff. Eod.* quemadmodum, addit Cujacius, in *l.* 34. §. 2. *Eod.* refertur ad id, quod dictum erat in *l.* 8. *ff. Eod.* & in *l.* 22. §. 9. *ff. de L. Corn. de falſ.* ad id, quod habet *l.* 15. §. 2. *ff. eod. Tit.*

Sed quamvis veriſſimum eſſet, Tribonianum hic illic addidiſſe voculas, quæ tranſitionibus ſerviunt, vel in ſequentibus Pandectarum locis quædam retuliſſe, quæ pertinebant ad ſuperiora, quamvis ex alio Auctore deſcripta, & eo lectorem remiſiſſe, nihil tamen in eo eſt interpolationis, quia ſententiam non mutavit, nec jus novum pro veteri obtruſit. Ut *l.* 9. §. 1. *ff. de Dol. mal.* conjungeret cum *l.* 10. & *l.* 11. *pr. ff. Eod.* quædam omiſit, ſed & *principiis Legum* ſæpe quædam addidit, ut fragmenta, invicem avulſa, cohærerent. Nec potuit aliter, cum ex membris undique collectis unum Corpus conſtituerit, in quo ſingula membra ejusdem Corporis membris reſpondent, ut in ipſorum JCtorum Operibus reſpondebant. Et quia reſpondebant apud ipſos veteres Auctores, temeritatis eſt, ubicunque in Pandectis non exſtat alius Auctoris locus, ad quem refertur, continuo fingere, Tribonianum hæc retuliſſe ad ſuam ipſius compoſitionem. Quidni Auctores veteres eo Libro, quem edolabant, recte lectorem remiſiſſent ad præcedentia ejusdem Libri, in quibus id quoque argumentum tractabatur? id, ut nunc fit, ſic olim factum eſſe, quis auſit negare? ſane ex eo negare non licet, quod locus, ad quem refertur, ex eodem Auctore in Pandectas relatus non ſit, cum multa millia verſuum interciderint. Forte Modeſtinus *Libro* I. *de Pœnis*, ex quo eſt *d. l. ult. ff. de in jus voc.* inter varias pœnas, quas ibi recenſuit, proxime egerat de *pœna quinquaginta aureorum,* & inde forte *ſupradicta pœna* in *d. l. ult.* Forte & Papinianus *Libro* X. *Quæſtionum*, ex quo eſt *d. l.* 58. *ff. de Contrah. empt.* etiam de ædibus egerat in eandem vel ſimilem ſententiam, in quam Paulus in *d. l.* 57. *ff. Eod.* & inde forte obtinere voluit, *quæ in ſuperioribus caſibus pro ædibus dicta ſunt.* Idque magis erit veroſimile, ſi animadvertamus, ut ex aliis legibus apparet, Papinianum eo *Libro* X. tractaſſe varias quæſtiones, quæ ad emptionem venditionem pertinebant. Id ipſum dici poteſt & de aliis JCtorum locis, quæ ad alia loca referunt: quamvis enim hæc non certa fide affirmentur, ita verum eſt, nec certa negari.

Non ſic tamen dimitto Paulum in *d. l.* 21. §. 2. *ff. de Action. empt.* nam peſſime habitus eſt ab Interpretibus, nec a quoquam, quod ſciam, recte vindicatus, & tamen ſic vindicari poteſt, ut & Jurisprudentia Pauli ſubſiſtat, & ſimul abſit omnis adulteræ manus ſuſpicio. Ait autem ibi ex *Libro* XXXIII. *ad Edictum: Quamvis ſupra diximus, cum in corpore conſentiamus, de qualitate autem diſſentiamus, emptionem eſſe, tamen venditor teneri debet, quanti intereſt non eſſe deceptum, etſi venditor quoque neſciet, veluti ſi menſas quaſi citreas emat, quæ non ſunt.* Pertractavit nempe Paulus *Libro* XXXIII. *ad Edictum* totam emptionis materiam, inchoaſſe conſtat ex *l.* 1. *ff. de Contrah. empt.* & conſtat abſolviſſe, quia *Libro ſequenti* XXXIV. locationem expoſuit, emptioni proximam, ut diſcimus ex inſcriptionibus *l.* 1. *l.* 20. *l.* 22. & *l.* 24. *ff. Locat. conduct.* quare eo quoque *Libro* XXXIII. tractare potuit & debuit ea, ad quæ remittit in *h. l.* 21. §. 2. Ubi vero, inquies, tractavit? non licet quærere locum apud alios JCtos, neque adeo apud Ulpianum in *l.* 9. §. 2. vel in *l.* 14. *ff. de Contrah. empt.* in ipſo Paulo quærendus eſt. Suggerit igitur Autumnus *Cenſur. Gallic.* ad *h. l.* Pauli locum ex *l.* 10. *ff. Eod.* ubi emptionem valere pronunciavit, licet in qualitate auri fuerit erratum, & hunc ipſum locum ſuggerit Heraldus *Obſerv. & Emend. C.* 23. Sed recte animadvertit Huberus *Eunom. Roman.* ad *h. l.* eo Paulum non reſpexiſſe, cum *d. l.* 10. ſit ex alio opere Pauli, ſcilicet *Libro* V. *ad Sabinum*, quod non convenit τῷ *ſupra.* Optime autem conveniet, ſi ipſo *Libro* XXXIII. *ad Edictum* hæc ipſa tractata fuiſſe appareat, idque apparet non tantum ex *l.* 34. §. 3. *ff. de Contrah. empt.* ſed & ex hac ipſa *l.* 21. *pr.* & §. 1. nam quod dicitur in *d.* §. 3. an ſit furtivum, quod veniit, in *h. l.* 21. *pr.* an ancilla ſit ſterilis vel prægnans, in §. 1. an prædium debeat tributum, an ſit liberum, cadit in eandem quæſtionem, & illud eſt, quod Paulus repetit in *d.* §. 2. *cum in corpore conſentiamus,* ut in ſervo, ancilla, prædio, *in qualitate autem diſſentiamus*, nihilominus *emptionem eſſe.* *Qualitas* hic eſt bonitas, aptitudo, ſalu-

bri-

britas, amœnitas, commoditas, & propter hæc, unumve ex his, majus minusve rei pretium. In auro an ſit purum *d. l.* 10. *ff. de Contrab. empt.* in ſervo, an ſit vitioſus *d. l.* 34. §. 3. in ancilla, an poſſit concipere *d. l.* 21. *pr.* in prædio, an ſit liberum *d. l.* 21. §. 1. In prædio etiam intereſt, pratum ſit, an vinea, quo ſenſu *fundi qualitatem* dixit Julianus in *l.* 22. *ff. de Action. empt.* Qualitas non eſt idem quod materia vel ſubſtantia, ut ſunt, qui ſibi & aliis perſuadent ex *l.* 14. *ff. de Contrab. empt.* nam materia & qualitas in *d. l.* diſtincte proponuntur, & mox diſtincte tractantur duæ quæſtiones, prima eſt de errore in qualitate, an aurum purum ſit, an ei æs admixtum in *verſ. ut puta.* Quo caſu ſubſiſtit venditio; ſecunda eſt de materia ſeu ſubſtantia rei venditæ, an ſcilicet aurum ſit, an æs, ſive æs ſolidum, auro non admixtum, & hanc ſecundam quæſtionem in contrarium definit Ulpianus in *verſ. Si autem.* Atque hæc velim addi iis, quæ ad explicationem *d. l.* 14. ſupra dixi *L.* VI. *C.* 14.

Ex his omnibus puto apparere, recte dixiſſe Paulum in *h. l.* 21. §. 2. ſi in corpore conſentiamus, licet in qualitate diſſentiamus, *emptionem eſſe.* Haloander, addita negatione, legit, *emptionem non eſſe*, & ejus lectionem Cujacius, Hotomanus, & alia magna nomina ſequuntur. Perperam, ſi quid judico: nam quod per *qualitatem* in *h.* §. intelligant *materiam*, prolixe falluntur. Alius utriusque vocis ſignificatio eſt, alius uſus, aliud juris, ſi in materia, aliud, ſi qualitate erratum ſit, ut recte & Autumnus, & Heraldus obſervarunt iis, quos ſupra dicebam, locis. Si deſideras exemplum, non aliud dabo, quam hic dedit Paulus. Qui *menſas quaſi citreas emit, quæ non ſunt*, non errat in corpore, neque errat in materia, nam de corpore conſtabat, & menſæ utique fuerunt ligneæ, licet non citreæ, ſed errat in qualitate ligni, citreas ratus, quæ vilioris materiæ erant. Non adſentior tamen Autumno, adfirmanti, nullam eſſe venditionem, ſi citreæ menſæ pro cupreſſinis veneant, quia non alius hic eſt error, quam in qualitate ligni, quod venditionem non magis facit irritam, quam ſi erratum fuiſſet in qualitate auri vel argenti. Neque igitur erat opus, ut Autumnus, multum tricatus de voce *quaſi*, menſas *quaſi citreas* hic acciperet pro menſis, *quæ aliquid citri tantum habent.* Dixit *quaſi citreas* pro *tanquam citreas*, quæ tamen non erant citreæ, vulgari verbo, & ſimul dixit, errorem in qualitate non ſufficere, ut emptionem dicamus nullam. Si quis tamen rem emerit, quam qualitate meliorem putabat, quam revera erat, & dixerat venditor, emptori præſtabit venditor, quanti emptoris intereſt, ſe non eſſe deceptum, ut prolixe explicat Heraldus *d. C.* 23. *Obſerv. & Emend.* Præferenda igitur eſt Tuſca lectio, atque ea etiam tota tribuenda Paulo, non interpolato.

CAPUT XXI.

A manu Triboniani non eſſe poſtremam clauſulam in L. 21. pr. ff. de Legat. III.

Ecce verba Pauli in *d. l.* 21. *pr.* *Nutu etiam relinquitur fideicommiſſum, dummodo is nutu relinquat, qui & loqui poteſt; niſi ſuperveniens morbus ei impedimento ſit.* Jure veteri mutus, ſurdus, furioſus, prodigus teſtamentum facere non poterant; ſic, reddita eorum omnium ratione, eſt apud Ulpianum *Fragm. Tit.* XX. §. 13. de muto & ſurdo id ipſum adfirmat Gajus in *l.* 6. §. 1. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* niſi impetrato in hanc rem a Principe privilegio *l.* 7. *ff. Eod.* Si teſtari non poterant, non poterant etiam fideicommiſſum relinquere, quia hæc reciprocantur *l.* 2. *ff. de Legat.* I. Non diſtinguebat ſcilicet Jus vetus inter mutum & ſurdum, utrum ita natus, an poſt factus eſſet, ſed Juſtiniani Conſtitutio in *l.* 10. *C. Qui teſtam. fac. poſſ.* ſurdum mutum ſimul, ita natum, teſtari prohibet, ſed ita factum, permittit, ſi ſciat ſcribere. Surdum ſolum, ſive ita natum, ſive factum, teſtari permittit, & æque mutum ſolum, ſive ita natum, ſive factum, ſi literas noverit. Quia autem, ut vides, Conſtitutio largitur teſtamenti factionem ſurdo muto, ita facto, non etiam ita nato, hæc legis verba, *niſi ſuperveniens morbus ei impedimento ſit*, ex ea Conſtitutione a Triboniano tranſcripta eſſe, Cujacii ſententia eſt *Not.* ad *Ulpiani d. T.* XX. §. 13. & *Comment.* ad *d. l.* 6. §. 1. quod ipſum & Balduino placuit in *Juſtiniano L.* I. *p.* 49. & Cl. Schultingio *ad Pauli Sentent. L.* IV. *T.* 1. poſt §. 18. & ad *Ulpiani T.* XXV. §. 3.

Videamus. Ait *h. l.* 21. §. 1. *nutu etiam relinqui fideicommiſſum*; quod verum eſt, & totidem fere verbis expreſſit Ulpianus *d. T.* XXV. §. 3. cum nihil interſit, voluntas declaretur verbis, an ſignis, aperta teſtatione, an nutu capitis vel vultu annuente. Si quis tamen ejus ſit ætatis, quæ, ut inquit ille, *omnia omnibus annuit*, periculum eſſet in hoc genere teſtandi; ſed hoc jam non agimus. Ceterum Ulpianus *d. T.* XXV. §. 3. ſimpliciter dixit, uſu receptum eſſe, ut etiam nutu relinquatur fideicommiſſum, ſed Paulus hic addit, *dummodo is nutu relinquat, qui & loqui poteſt*, hoc eſt, ut apparet, dummodo mutus non ſit, ille enim, ut diximus, quia teſtandi jus non habet, neque etiam fideicommittere poteſt. Sequitur nunc *verſiculus*, quem illi, quos diximus, intercalarem putant, *niſi ſuperveniens morbus ei impedimento ſit.* Sed hic, ſi unquam, paſſi ſunt ſuos manes. Non agit *h. l.* 21. *pr.* de muto ſurdo ſimul, in quo ſolo Juſtinianus diſtinxit inter naturam & caſum, at de muto duntaxat. De eo autem alia eſt ſententia Juſtiniani in *d. l.* 10. alia Pauli in *hoc princ.* Juſtinianus teſtamenti factionem concedit omni muto, ſive natura fuerit mutus, ſive caſu obmutuerit, dummodo literas noverit, ita enim ſcribet heredem, quem nuncupare non poteſt; Paulus omni muto teſtamenti factionem negat, atque ita & muto, qui poteſt ſcribere, hoc uno excepto, niſi ob morbum, qui ſupervenit, uſus linguæ impediatur. Differunt hæc immane quantum, & non tantum non eadem ſunt, ſed & contraria. Accurſius tamen Paulum intelligit, atque ſi dixiſſet: *ſi a natura ſit mutus & ſurdus*, nutu fideicommittere non poteſt, *ſi ex accidenti*, poteſt. Omnino perperam. Non agit, ut dixi, Paulus de muto & ſurdo ſimul, ſed de muto ſolo, & eum negat nutu recte fideicommittere, niſi, quæ una exceptio eſt, ſuperveniens morbus linguam impediverit, nam & tunc recte fideicommittit nutu. Sed largiamur eam Pauli mentem eſſe, mutum, natura talem, fideicommittere non poſſe, caſu talem poſſe, utique ea ſen-

ſententia tunc eſſet longe diverſa a Conſtitutione *d. l.* 10. *C. Qui teſtam. fac. poſſ.* quæ omni muto, ſcribendi perito, teſtamenti factionem concedit. Illa diſtinctio, quam naturam inter & caſum facit *d. l.* 10. duntaxat obtinet in muto & ſurdo ſimul, atque adeo aliena eſt a ſententia *h. l.* 21. *pr.* Gloſſa tamen eam hic induxit, porro nos ablegans ad *d. l.* 10. quod Cujacio obſervationis emblematicæ anſam præbuiſſe, ut & ſæpe alias Gloſſa præbuit, perquam mihi eſt probabile.

Deleantur igitur hæc, &, per me licet, deleantur & alia, ab aliis effuſa ad *d. l.* 21. *pr.* & ſic habeamus: Fideicommittere nutu poteſt, qui poteſt loqui. Hæc cum ait Paulus, mutum omnino arcet, ſive natura, ſive caſu, contra quam alii hæc intelligunt. At ſi quis mutus non ſit, ſed ob raucedinem forte, aut ſolutos linguæ nervos, aut vulnus inflictum, loqui non poſſit? Quid ſi tumor aliquis oris gulæve linguam impediverit? Quid ſi morbus, qui ex definitione Modeſtini temporalis eſt *l.* 101. §. 2. *ff. de V. S.* temporale quoque impedimentum linguæ attulerit? Quid ſi is morbus, nam de *ſuperveniente morbo* Pauli ſermo eſt, nervos, qui linguam regunt, adeo debilitaverit, ut teſtator heredem nuncupare non poſſit niſi τῇ ἀνάρθρῳ φωνῇ, ut Celſus inquit in *l.* 7. *§. ult. ff. de Supell. legat.*? &, quid ſi plane ἀσήμως loquatur, ut qui, quod ad Edictum Ædilitium, morboſus eſt apud Ulpianum in *l. 9. ff. de Ædil. Edict.*? illum hominem, licet vel nulla, vel dimidiata duntaxat verba efferre poſſit, idque non ex vitio perpetuo, quale eſt vitium muti, ſed ex vitio accidenti, quod ceſſabit ceſſante morbo, aliave vitii cauſa, illum, inquam, hominem arcebimus a fideicommittendo, quin vel a teſtando? de fideicommiſſis puto hic negare Paulum, in iisque res eſt apertior, cum & nutu relinquantur. Neque tamen de ipſis teſtamentis ego auſim contradicere, in ea nempe ſpecie, quam ſolam, niſi fallor, hic indicat Paulus, ſi teſtator non perpetuo fuerit mutus, ſive natura, ſive ex accidenti, ſed eloqui verba non poſſit ob *impedimentum ſupervenientis morbi*, modo tunc voluntatem, quam lingua nequit, nutu, mentis internuncio, poſſit ſignificare. Aliud eſt mutum eſſe, aliud linguam officio ſuo fungi non poſſe ex ſuperveniente morbo; in eo, qui ſic impeditus eſt, abſolvitur exceptio adjecta, & hanc, ſi vel auctoritas deeſſet, ſola ratio defenderet.

Sin autem, ut vulgo, placeat Paulum intelligere, ſcilicet natura mutum fideicommittere non poſſe, caſu mutum poſſe, etiam ſic bene erit, & extra omnem culpam, vel leviſſimam, Tribonianus. Audi Juſtinianum in *d. l.* 10. *Qui teſtam. fac. poſſ.* nam poſtquam ibi de muto & ſurdo ſimul, & de ſurdo duntaxat dixiſſet, de ſolo muto ita pergit: *Sin vero aures quidem apertæ ſint, & vocem recipientes, lingua autem ejus penitus præpedita*, LICET A VETERIBUS AUCTORIBUS SÆPIUS DE HOC VARIATUM EST, *attamen, ſi hunc peritum literarum eſſe proponamus, nihil probibet eum ſcribentem hæc omnia facere, ſive naturaliter, ſive per interventum morbi bujusmodi infortunium ei acceſſerit.* Vides, niſi Juſtinianum mendacii arguas, veteres Auctores de muto variaſſe, quibusdam forte generaliter negantibus de omni muto, teſtari poſſe, quibusdam vero ajentibus, vel ſimpliciter, ſi norit ſcribere, vel certe, ſi caſu obmutuerit. Dic, ſi potes, in quo alioquin diſſenſiſſent? Sin autem inter ſimpliciter negantes referamus Ulpianum *d. Tit.* XX. *Fragm.* §. 13. & Gajum in *d. l. 6.* §. 1. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* Inter ajentes vero, ſi caſu obmutuerit, Paulum in *h. l.* 21. *pr.* ut licet Paulum referre, cum nihil impediat, quodcunque dixit, etiamſi de vero muto intelligas, optime conveniet Jurisprudentiæ antiquæ. Sed, ut dixi, Paulus non eſt intelligendus de vero muto, hoc eſt, de eo, qui vivit ſine ſpe recuperandæ loquutionis, ſed de muto ad tempus, ob morbum incidentem, nam ſi ex eo vel piſce magis mutus ſit, reſtituta valetudine reſtituetur & linguæ priſtinus uſus.

CAPUT XXII.

Genuinam eſſe Pomponii ſcripturam, quæ legitur in L. 10. ff. de Liber. & poſtum. hered. inſtit. vel exhered.

Quia omnia, quæ dixit Pomponius in *d. l.* 10. non ſatis intelligo, ab ea abſtinuiſſem, ſi non vindicanda eſſet ab injuriis eorum, qui omni ope id agunt, ut quam plurima veterum JCtorum loca credamus eſſe ſpuria. Florentiæ ſic edita eſt *d. l.* 10. *Commodiſſime is, qui nondum natus eſt, ita heres inſtituitur*, SIVE VIVO ME, SIVE MORTUO, NATUS FUERIT, HERES ESTO, *aut etiam pure, neutrius temporis habita ratione. Si alteruter caſus omiſſus fuerit, eo caſu, qui omiſſus ſit, natus rumpit teſtamentum: quia hic filius nec ſub conditione quidem ſcriptus heres intelligitur, qui in hunc caſum naſcitur, qui non eſt teſtamento adprehenſus.* Poſtumus, ne agnatione ſui teſtamentum rumpat, inſtituendus eſt vel exheredandus, inſtituendus autem eſt ex Jure Civili ſive antiquo, vel ex Lege Junia Velleja; ex jure antiquo, ſi naſcatur poſt mortem teſtatoris, ex Lege Velleja, ſi poſt conditum teſtamentum, ut hæc habet Ulpianus *Tit.* XXII. *Fragm.* §. 19. & alibi paſſim ſcripta ſunt. Igitur, ut inſtitutio poſtumi recte atque ordinetur, oportet teſtatorem oratione ſua utrumque caſum complecti, *ſi quid mihi liberorum* ME VIVO MORTUOVE *naſcetur*, ut ille in *l.* 47. §. 1. *ff. de Hered. inſtit.* vel, ut hic eſt apud Pomponium, *ſive me vivo, ſive mortuo natus fuerit;* ita fieri *commodiſſime* ſignificat Pomponius. Addit, perinde tamen eſſe, ſi inſtitutio fiat pure & ſimpliciter, *neutrius temporis habita ratione*, verbi gratia, *quicunque poſthac mihi natus fuerit, heres eſto*, ea enim loquutione uterque caſus, juris antiqui & Legis Velleiæ, recte comprehenditur. Quod ſi alter caſus fuerit expreſſus, alter omiſſus, is, qui naſcitur caſu omiſſo, teſtamentum rumpit, nam poſtumus, qui inſtitutus eſt ex jure antiquo, non cenſetur inſtitutus ex Lege Velleja, ut eſt apud Paulum *L.* III. *Sentent. Tit.* 4. §. *talis eſt* 9. ſive, ut eſt in aliis, §. 22. & apud Julianum in *l.* 26. *ff. de Vulg. & pupill. ſubſtit.* Hactenus aperta quoque eſt Pomponii ſententia, ſed non æque aperta eſt ejus ratio; aliam, quam ipſe dedit, quærunt Interpretes, immane quantum tumultuantes, apud Antonium Merendam *L.* IV. *Controverſ. Jur. C.* 4. ſed ratio Pomponii hæc eſt: *quia hic filius nec ſub conditione quidem ſcriptus heres intelligitur, qui in hunc caſum naſcitur, qui non eſt teſtamento ad-*

[illegible]

prehenſus. Haloander & alii aliquot Editores omiſerunt *hic filius*, forte quod de filio nondum loquutus erat Pomponius. Elbertus Leoninus *L.* VI. *Emend. C.* 5. ſervat *hic*, ſed, tanquam ex ingenio, *filium* quoque abdicat. Marquardus Freherus *L.* I. *Parerg. C.* 2. pro *ſcriptus heres* reponit *ſcriptus exheres*, tacito nomine reprehenſus a Leonino *d. C.* 5.

Sed quomodocunque legas, adeo mihi craſſum ſinciput eſt, ut rationem Pomponii non adſequar. Ea paulisper miſſa, miſſis & aliis, quas alii fingunt, rationibus, ſimpliciter videbatur dicendum, eum, qui naſcitur caſu omiſſo, rumpere teſtamentum, *quia præteritus eſt*, eſt autem præteritus, quia nec inſtitutus, nec exheredatus eſt. Naſcitur poſtumus, ſed naſcitur alio, quam qui expreſſus eſt, caſu; eo igitur nec heres eſt ſcriptus, nec exheres, ſed plane præteritus. Ex duobus propoſitis *qui unum negat, alterum tacendo concedit*, inquit D. Gregorius in C. 5. §. 1. X. *de Præſumpt.* atque ita & qui unum ait, alterum negaſſe videtur. Sunt hæc liquida. At quid Pomponius? qui naſcitur caſu omiſſo, teſtamentum rumpit, *quia ille nec ſub conditione quidem ſcriptus heres intelligitur.* Paulus [illegible], quos ſupra indicabam, locis, [illegible] quidem [illegible], alterum caſum, teſtamento non expreſſum, altero, qui expreſſus eſt, non continere, ſed rationem non addunt, & ſane [illegible] dere, quam eam dare, quæ ratio n[illegible] Quid hic ſibi vult *ſub conditione?* Nihil [illegible] verius eſt, quam eum, qui plane eſt præteritus, ne quidem *ſub conditione* inſtitutum videri, ita nec *ſub demonſtratione, cauſa*, vel *modo.* Sic, ſi deleas τὸ *ſub conditione*, nihil adhuc proficies, tunc enim diceret, eum, qui naſcitur caſu omiſſo, *ne quidem ſcriptum heredem intelligi*, adeoque rumpere teſtamentum, ſed non rumperet, ſi eſſet exheredatus. Tunc demum idonea eſſet ratio, ſi ita legeretur: *quia hic filius nequidem ſcriptus heres vel exheres intelligitur.* Poſtumus præteritus rumpit teſtamentum, quia nec inſtitutus, nec exheredatus eſt, recte ſe tunc haberent omnia, ſed quis ſacros noſtros Codices tantum mutare auſit? prohibet ſana religio mea.

Vellem, alii, a me ſententiam rogati, opem attuliſſent Pomponio. Gabriël Vallius *Libro Singul.* ad *l.* 29. §. 5. *ff. hoc Tit.* totus eſt in explicanda *h. l.* 10. ſed ulcus plane non tangit. Vivianus in *Caſu* ait, qui naſcitur caſu omiſſo, *nedum pure, ſed etiam ſub conditione non videtur inſtitutus.* Id ipſum dixit Merenda *d. L.* IV. *Controverſ. Jur. C.* 4. *n.* 20. aut, quid dixerit, non intelligo. Laborat ſcilicet multum, quo probet, teſtatorem, caſu omiſſo, de conditione non cogitaſſe; ſic eſt, ſed nec, eo caſu, de ipſa inſtitutione cogitavit. Igitur, ut modo dicebam, minus apta eſt ea Pomponii ratio. Cujacius *Comment.* ad *h. l.* 10. nihil quoque extricat, & quo ſe vertat, neſcit. Rogat nempe, utrum Pomponius, cum ait, poſtumum, qui in caſum omiſſum naſcitur, nec ſub conditione quidem inſtitutum videri, hoc velit, *illum poſtumum ſibi ipſi ſub contraria conditione ſubſtitutum non videri?* an vero, *illum poſtumum plane præteritum eſſe, nec teſtamenti verbis ullo modo inſtitutum videri?* Prima interpretatio mihi ipſo Pomponio obſcurior eſſe videtur; ſecundam intelligo, ſed deſidero, ut quis hanc cum verbis Pomponii componat. Si cum Frehero emendes, *nec ſub conditione quidem ſcriptus* EXHERES *intelligitur*, nihil quoque proficies, nam quamvis veriſſimum ſit, quod ait *d. L.* I. *Parerg. C.* 2. filium non niſi nominatim exheredari poſſe, &, ut ſub contraria conditione exheredatus videatur, neceſſe eſſe, eam exprimi, id tamen non convenit huic loco, ubi non contraria eſſet conditio, ſed plane alia atque diverſa. Quinimo ſive legas *ſcriptus heres*, ut nunc legitur, ſive *ſcriptus exheres*, ut legit Freherus, utroque modo, laborare rationem Pomponii, quod ſatis eſt, ſupra oſtendi. Ego amplius deliberandum cenſeo, & hanc Pomponii rationem cum aliis quam plurimis in difficillimo, quod de poſtumis eſt, argumento reponam alta mente, donec quid melius adluxerit.

Sed cur tantum præfationis, & ubi tandem emblema deliteſcit? utrumque intelliges, ſi a Frehero didiceris, eam, quam dixi, Pomponii rationem, conjecturæ emblematicæ cauſam præbuiſſe; neque vel ſic intelliges, niſi ſcias & credas, quod ſcit & credit Freherus, Tribonianum initio *hujus l.* 10. pro *filius, qui nondum natus eſt*, & mox, pro *filius natus rumpit teſtamentum*, quæ ſcriptura Pomponii fuiſſet, ſimpliciter ſubſtituiſſe, *is qui nondum natus eſt*, & mox, *natus rumpit teſtamentum.* Vis rationem? quia ſcilicet Juſtinianus in *l. ult. C. de Liber. præter. vel exhered.* in exheredandis poſtumis omnem ſexus differentiam ſuſtulit, cum jure veteri poſtumi mares nominatim eſſent exheredandi, femellas autem inter ceteros exheredari ſufficeret, adſcripto duntaxat iis legato, ne per oblivionem videantur præteritæ. Ita eſt apud Ulpianum *Fragm. T.* XXII. §. 21. & in *Inſtitutionibus L.* II. *C.* 13. §. 1. & alibi paſſim.

Veriſſimum ſane eſt, quod de exheredatione audio, ſed quid ad rem præſentem? non agit Pomponius de exheredatione poſtumorum, at de inſtitutione, & quemadmodum hæc facienda ſit, ne in hac vel illa ſpecie cenſeantur præteriti. In præteritione poſtumorum, etiam jure antiquo, femina masve fuat, intererat nihil quicquam, agnatione rumpebant tabulas æquo jure, ut vel principia juris docuerint in *d.* §. 1. *Inſt.* & apud Ulpianum *T.* XXII. *Fragm.* §. 18. Recte igitur Pomponius dixit, *is, qui nondum natus eſt*, & mox ſimpliciter, *natus*, quo utrumque ſexum una oratione compleceretur. Idem ſcilicet præſtabit verbum *is*, ac verbum *quis*, de quo Ulpianus in *l.* 1. *ff. de V. S.* Imo vero de exheredatione etiam Pomponium intelligit Freherus, & ſic eſt, ſi, ut ipſe, emendes, *quia hic filius nec ſub conditione quidem ſcriptus exheres intelligitur.* Vide, quorſum eat hominum audacia, ut in deprehendendo Triboniano ſibi placeant. Ipſi, ipſi inquam, leges interpolant, nec alio fine, quam ut ex his, ſic interpolatis, etiam Triboniani interpolationes eruant. Peſſime, ut diximus, legem corrigit Freherus. Sed quid ſi optime? eſto. At vel ſic potuiſſet animadvertere Freherus, Pomponium, ubi de præteritione ad exheredationem, ut ille quidem exiſtimat, tranſit, ſtilum vertere, & nominatim de *filio* verba facere. Sic data opera feciſſet, quod ego ſine cura factum putem. Quin, ſi vel *exheres* ſcribendum ſit, non opus fuiſſet ſtilum mutare, cum verbum *is* vel *hic* ſuffeciſſet, idque ad ſolos quoque mares referri poſſet, ut pro ratione argumenti refertur ſexcenties. Sed quid audio? Qui Pandectis componendis præfuerunt vocabulum *filii* bis ſuſtuliſſent, ſtudio ſcilicet, & tamen id ipſum reliquiſſent loco tertio? ſic eſt, inquit Freherus, ſed Compoſitorum incuria. Credit igitur, eos fuiſſe bipedum ſtultiſſimos, qui in eadem, non dico, lege, at fere linea, unum idemque verbum nunc ſtudio

induxiſſent, nunc lata culpa ſervaſſent. Apage nugas.

Sed ne ſic quidem te dimitto, Frehere, nam ecce tolle *filium*, & voculam *is* vel *hic* etiam ad ſexum ſequiorem refer, & ſcribe tuo arbitrio *exheres*. Jam utique morem geſſi, ut homo es, & tamen in ratione Pomponii nihil quicquam offendo, quod non juris antiqui regulis apprime conveniat. Dixiſſet ſic Pomponius: qui quæve naſcitur in caſum omiſſum, teſtamentum rumpit, quia is eave nec quidem ſub conditione ſcriptus ſcriptave exheres eſt. Non urget Freherus illud *ſub conditione*, quia, ut dixi, æque incommodum eſt, ſive *heres* legas, ſive *exheres*. Urgebit potius, de filio, qui naſcitur caſu omiſſo, verum eſſe, exheredatum non cenſeri, quia nominatim exheredandus eſt, ſed non æque de filia, quia hanc inter ceteros exheredari ſufficit. Sed nec filiam, caſu omiſſo natam, recte dicemus inter ceteros exheredatam, quia, ubi plane nulla eſt exheredatio, ibi nec eſt exheredatio inter ceteros, at mera præteritio. Quin nec femella poſtuma inter ceteros & ἀῤῥένων exheredari poterat, niſi, ut ſupra dicebam, adſcripto ei legato; in caſu autem plane omiſſo, quis teſtator de legato cogitaverit? Quapropter & de femella poſtuma recte dixiſſet Pomponius, eam, caſu omiſſo natam, nequidem *ſcriptam exheredem intelligi*, ſed ſimpliciter præteritam, adeoque rumpere teſtamentum, ut agnatione rumpunt omnes utriusque ſexus poſtumi præteriti *l.* 3. §. 3. *ff. de Injuſt. rupt. irrit. fact. teſtam.*

CAPUT XXIII.

Nihil eſſe a Triboniani manu adultera in L. 3. pr. ff. de Injuſt. rupt. irr. fact. teſtam.

Quæ proxime diſputavi, cauſam præbuere his, quæ nunc diſputo ad *d. l.* 3. *pr.* Si poſtumi, nec inſtituti, nec exheredati, agnatione rumpant teſtamentum, intereſt ſcire, non tantum quomodo inſtituendi, ſed & quomodo exheredandi ſint. De inſtitutione diximus ex Pomponio in *l.* 10. *ff. de Liber. & poſtum.* De exheredatione ſic Ulpianus in *d. l.* 3. *pr.* *Poſtumi per virilem ſexum deſcendentes, ad ſimilitudinem filiorum, nominatim exheredandi ſunt, ne teſtamentum agnaſcendo rumpant.* Tribonianum hic quædam immutaſſe Interpretum, qui nunc ſunt, una fere vox eſt. Signum extulit Cujacius in *Notis*, quibus ſe primum erudito Orbi oſtendit, ad *Ulpiani Fragm. Tit.* XI. §. 4. nec ſententiam poſtea mutavit, quin probavit & latius exſequutus eſt *Comm.* ad *l.* 4. *ff. de Liber. & poſtum.* & inde pedibus in eam eſt itum. Sic autem Cujacius: mares poſtumi, cujuscunque gradus, nominatim exheredandi ſunt, & ideo in Lege Vellea ſcriptum eſt, *qui teſtamentum faciet, is omneis virilis ſexus, qui ei ſuus heres futurus erit*, & cetera *l.* 29. §. 12. *ff. de Liber. & poſtum.* De *virili ſexu* adjecit, ut ab ea definitione arceret feminas poſtumas, quas, adſcripto legato, *inter ceteros* exheredari olim ſufficiebat. Sed jure novo non ſufficit, nam & in cauſa exheredationis utrumque ſexum æquavit Juſtinianus, etiam filias poſtumas nominatim exheredandas præcipiens in *l. ult. in fin. C. de Liber. præter. & exher.* Atque inde factum putat Cujacius, ut pro eo, quod Ulpianus ſcripſerat in *h. l.* 3. *pr. poſtumi virilis ſexus*, Tribonianus reſcripſerit, *poſtumi per virilem ſexum deſcendentes*; quo hæc loquutio & femellas comprehenderet.

Res paulo altius eſt repetenda. Hiſtoriam exheredationis vetuſtæ, quod ad poſtumos, ita deſcribit §. 1. *Inſt. de Exheredat. liberor.* *Feminini quidem ſexus poſtumæ, vel nominatim, vel inter ceteros exheredari ſolebant, dum tamen, ſi inter ceteros exheredantur, aliquid eis legetur, ne videantur præteritæ eſſe per oblivionem. Maſculos vero poſtumos, id eſt filium, & deinceps* (puta nepotem, pronepotem, & qui naſcentur ab illis) *placuit non aliter recte exheredari, niſi nominatim exheredentur.* Ita ibi. De filio poſtumo nominatim exheredando, de filia inter ceteros, adjecto legato, id ipſum ait Ulpianus *Tit.* XXII. *Fragm.* §. 21. Sed de nepotibus, pronepotibus ceterisque, præter filium, poſtumis maſculis, aliud quid velle videtur §. 22. *Nepotes*, inquit, *& pronepotes, ceterique maſculi poſtumi præter filium, vel nominatim, vel inter ceteros, cum adjectione legati, ſunt exheredandi: ſed tutius eſt tamen nominatim eos exheredari, & id obſervatur magis.* Igitur Ulpianus liberos mares, ſecundi vel ulterioris gradus, comparat feminis poſtumis. Nemo, quod ſciam, Ulpianum cum Juſtiniano compoſuit. Sit hæc regula: omnis poſtumus, qui naſciturus eſt ſuus heres, vel inſtituendus eſt, vel nominatim exheredandus, ne ejus agnatio rumpat teſtamentum. Non me audis, ſed Legem Velleam in *d. l.* 29. §. 12. *ff. de Liber. & poſtum.* Igitur filius poſtumus neceſſario eſt ſcribendus heres vel exheres, quia ſemper naſcitur ſuus. De nepote ex filio non idem dicimus, is enim ſuus non naſcitur, niſi mortuo patre, qui eum antecedit. Hoc novit, qui novit, quid ſint *ſui heredes*. Secundum illam definitionem nepotes, ceterique mares poſtumi, mortuo patre, nominatim erunt exheredandi, quia ſui naſcerentur, ſed eo vivo, inter ceteros ſuffecerit exheredare. Habent hæc rationem juris; quin & auctoritatem. Unde Ulpianus in *l.* 6. *pr. hoc Tit.* cum ex facto dixiſſet, nepotem poſtumum non rumpere teſtamentum, hanc rationem addit: *cum nec exheredari hujusmodi nepos deberet ab avo, quem pater præcedebat.* Igitur eo caſu, quo filius eſt, qui præcedit, nepotem nominatim exheredare non erit neceſſe, ſed bene conſultum eſt ab Ulpiano *d.* §. 22. *tutius* tamen illud fieri, quia, ſi pater, turbato mortalitatis ordine, ante avum deceſſerit, nepos agnaſcetur ſuus, & teſtamentum rumpet, quemadmodum Alexander Severus reſcripſit in *l.* 2. *C. de Liber. præter. & exhered.* Neque aliter, ac jam diſputavimus de exheredatione poſtumorum, diſputat Cajus in *l.* 13. *ff. hoc Tit.* &, qui eum deſcripſit, Juſtinianus in §. 2. *Inſt. de Exhered. liber.* Oportet igitur ejusdem Juſtiniani orationem generalem, in §. qui præcedit, 1. ex eodem Juſtiniano interpretari, & reſtringere ad poſtumos mares, qui naſcentur ſui. Absque eo ſi ſit, Ulpiano ſtabimus in *Fragm.* Atque ita ſecundum diverſas inſpectiones aliud atque aliud juris erit. Quapropter, ſi teſtator ſibi omni modo conſultum velit, omnem poſtumum maſculum, niſi inſtituat, nominatim exheredabit, alioquin teſtamentum rumpet, ſi poſtumum naſci contigerit ſuum heredem.

His ita conſtitutis, ſupereſt, ut de ſententia Ul-

Ulpiani in *h. l.* 3. *pr.* camus in conſilium. Et puto jam conſtare, eum, cum poſtumos, ad ſimilitudinem filiorum, nominatim exheredandos ait, duntaxat de iis agere, qui adgnaſcerentur ſui. Sed an & filias poſtumas comprehendet illa loquutio, *poſtumi per virilem ſexum deſcendentes*? an & neptem ex filio? Verba equidem hoc ferunt, ſed alia eſt mens Ulpiani. Si dixiſſet, *poſtumi mares, per virilem ſexum deſcendentes*, vel *poſtumi virilis ſexus, per virilem ſexum deſcendentes*, ut alia occaſione dixit *Tit.* XI. *Fragm.* §. 4. mentem ſuam diligentius explicaſſet, ſed Auctoribus non ſemper contigit eſſe adeo beatis, ut quam accuratiſſime loquantur. Si filia poſtuma, ſi neptis ex filio his, quæ dixi, verbis intelligi poſſint, intelligi tamen non debent; ſignificationes verborum exigendæ ſunt ad rationem argumenti, de quo agitur, & ſi hæc verba Ulpiani exigamus ad alia Ulpiani loca, quæ de hoc ipſo argumento ſupra adtuli, non eſt, ut de ejus mente ſimus ſolliciti, & ea inde eruamus, quæ a Jurisprudentia illius ævi plane ſunt aliena. Nihil quicquam ille voluit, quam *poſtumos, per virilem ſexum deſcendentes*, id eſt, mares ex maribus, nominatim eſſe exheredandos. οἱ ἐξ ἀῤῥενογονίας, *qui ſunt propaginis maſculæ*, ſimpliciter vertit Scholiaſtes Græcus ad *L.* XXXIX. *Baſilic. T.* II. C. 3. & hos mox appellat τοὺς ἐξ ἀῤῥένων κατιόντας, *per mares deſcendentes.* Procul igitur hinc filia poſtuma, neptis ex filio, & reliquæ deinceps femellæ; atque adeo procul hinc ſententia Conſtitutionis novæ in *d. l. ult. C. de Liber. præter. & exher.*

Ad hæc Ulpianus dixit *poſtumi*, genere virili, cum alioquin poſtumos & poſtumas ſollicite diſtinguat *d. Tit.* XXII. *Fragm.* §. 21. *&* 22. Forte *poſtumi*, ut poſtumas, per virilem ſexum deſcendentes, excluderet, eoque occurreret ſiniſtræ interpretationi, quam nunc & de femellis fingunt, qui aliis acutiores vel ſunt, vel videri volunt. Quin ſi Ulpianus ſimpliciter ſcripſiſſet, *poſtumi virilis ſexus*, ut eum ſcripſiſſe ſibi perſuadent, poſſes ſub hac definitione etiam comprehendere nepotem ex filia, ſi hunc poſtumum naſci contigerit, cum ille nepos utique ſit *virilis ſexus.* Cavit igitur Ulpianus a verbis plus ambiguis. Utitur quidem iis ipſis Lex Vellea, ut modo diximus; ſed hoc addito, *qui ſuus heres futurus eſt*, quod nepotem ex filia, & reliquos mares, per feminam deſcendentes, omnino excludit; nam feminæ ſuos heredes non habent *l.* 4. §. 2. *ff. de Bonor. poſſeſſ. contra tab.* Quare dubitem, an non melius ſcripſerit Ulpianus, quam ſi ſcripſiſſet, *poſtumi virilis ſexus.* Adgnatos vírileis, qui ipſi erant definiendi, definivit bene; ſi ſimpliciter dixiſſet *virilis ſexus*, oportuiſſet etiam adjicere, *per virilem ſexum deſcendentes*, ut adjecit *d. Tit.* XI. *Fragm.* §. 4. Sed hoc eſt κακόφωνον, ob bis repetitas ejuſdem ſignificationis voces. Huic vitio forte mederi voluit; certe potuit verbo maſculino *poſtumorum.* Scio, *poſtumos*, ſi res ferat, & *poſtumas* quoque comprehendere, ſed verba ambigui generis eo referenda ſunt, quo Jurisprudentia illorum temporum referri ſuadet, jubet. Hoc igitur vult Ulpianus: poſtumi nepotes, pronepotes ex filio, & ita deinceps, ad exemplum ipſius filii, nominatim exheredandi ſunt. De filiabus, & reliquis, per femininum ſexum deſcendentibus, nihil quicquam dicere decreverat, & ſane ludibrium deberet, ſi de his dixiſſet, exheredationem nominatim eſſe faciendam.

CAPUT XXIV.

Ulpiani ævo convenire Jurisprudentiam, quæ exſtat in L. 20. pr. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.

Puto ſolius Ulpiani eſſe, quod ait *d. l.* 20. *pr. Qui teſtamento heres inſtituitur, in eodem teſtamento teſtis eſſe non poteſt.* Intercedit tamen Viglius Zuichemus ad §. 10. *Inſt. de Teſtam. ordin.* ratus, *Compilatorum auctoritate pleraque fuiſſe immutata, ac ad noviſſimi juris obſervationem accomodata*, & ſic quoque eſſe in *d. l.* 20. *pr.* Sed, ſi hactenus recte diſputavimus, nulla eſt ratio, cur hæc nobis tam large obtrudi patiamur, ne quidem quod ad *d. l.* 20. *pr.* Cum Viglius ait, *pleraque fuiſſe immutata*, plus mihi dixiſſe, minus ſenſiſſe videtur. Siniſtra autem ſuſpicio de ſuppoſito Ulpiani partu, inde eſt, quod rotunde neget *d. l.* 20. *pr.* teſtem eſſe poſſe in teſtamento, qui eo heres ſcribitur, & tamen olim id licuiſſe diceres, quia abrogat Juſtinianus in *d.* §. 10. *Inſt. de Teſtam. ordin.* Abrogationis ratio eſt: *quia totum negotium, quod agitur teſtamenti ordinandi gratia, creditur* HODIE *inter teſtatorem & heredem agi.* Nunquid igitur olim hoc non fuit creditum? apparet non fuiſſe in eo genere teſtamenti, quod per æs & libram fiebat, & de quo ſolo Juſtiniani ſermo eſt in reliquis *d.* §. 10. In eo familiæ emptorem, & qui in ejus poteſtate erant, a teſtimonio repellebant Veteres, heredem non repellebant, *quoniam familiæ mancipatio inter teſtatorem & familiæ emptorem fit*, ut hæc enarrat Ulpianus *Fragm. Tit.* XX. §. 3. & Juſtinianus in *d.* §. 10. Erat equidem hæc fictio, ſed nemo neſcit, quam prolixe Veteres fictionibus indulſerint. Ex luculenta παραφράσει, quam habet Theophilus ad *d.* §. 10. tres mihi ſuccurrunt rationes, quare in teſtamento per æs & libram ipſe heres, non vero familiæ emptor potuerit eſſe teſtis. Prima eſto, quod κατὰ πρώτην ὄψιν, *prima fronte*, familiæ emptor haberetur pro ipſo herede, atque adeo omne lucrum & compendium familiæ videretur mancipari in hunc fiduciarium, qui in cauſa propria, ex regula juris, teſtis eſſe non poterat. Secunda ratio, quæ primæ conſequens erat, quod ipſe heres alienus videretur ab eo actu, neque enim nuncupabatur, neque quicquam ei mancipabatur, atque ita teſtis eſſe videbatur in re non ſua. Tertia, eaque præcipua ratio eſto, quod tabulæ teſtamenti per æs & libram fuerint clauſæ, & heres clam ſcriptus, ut diſcimus ex Ulpiano *d. Tit.* XX §. 9. & Theophilo ad *d.* §. 10. Teſtamentum ita nuncupabatur: *Hæc uti in his tabulis cerisve ſcripta ſunt* &c. Heres ſcilicet non nuncupabatur, atque ita is, clam ſcriptus, rem ſuam agi ignorabat, certe ignorare poterat. Si ignoraret, id utique omnem doli falſique ſuſpicionem excludebat, ſi ſciret, vel quia ſcire poterat, Veteres ſuadebant, ne heres illo jure dicendi teſtimonii abuti vellet, ut eſt in *d.* §. 10. & apud Theophilum.

Sed hæc quo pertinent? ut conſtet nimirum, rationem fuiſſe peculiarem, cur in teſtamento per æs & libram refutatum non fuerit heredis teſtimonium. Anne igitur in teſtamentis, quæ priſco more fiebant calatis comitiis, quæ in procinctu, heres teſtis eſſe potuit? potuit, ſi cre-

das Accurſio ad *d.* §. 10. non potuit, ſi Viglio, ad *eundem* §. Sane quod de herede, ad teſtimonii dictionem admiſſo, ſcriptum eſt in *d.* §. 10. ad teſtamentum per æs & libram pertinere, palam teſtatur Juſtinianus, & ſic quoque interpretatus eſt Theophilus. Cujacio idem ſedet *Comment.* ad *h. l.* 20. *quia heres ſecreto in tabulis ſcriptus eſt.* Sed ea ratio non valebat in teſtamentis, quæ fiebant calatis comitiis vel in procinctu. Ibi palam nuncupabatur heres, atque ita palam res agebatur inter teſtatorem & heredem. Quare diceres, in illis teſtamentis nec heredem teſtem adhiberi potuiſſe. Sed vero tota hæc quæſtio, niſi ipſe fallar, non eſt unius aſſis. Teſtamentum, quod calatis comitiis fiebat, fiebat *teſte populo*, ut ait Theophilus, & quod in procinctu, *teſtibus commilitonibus*, ut omnes Interpretes conſentiunt, utrumque igitur teſtamentum pronunciabatur, præſente, audiente & teſtante magna turba hominum; unde non eſt, ut de teſtimonio heredis ſimus ſolliciti.

Noli igitur putare, nos Ulpianum in *h. l.* 20. interpretari, ut ſunt qui interpretantur, de prohibito heredis teſtimonio in teſtamentis, quæ olim fiebant calatis comitiis vel in procinctu. Si ita liceret, nota interpolationis ceſſaret, ſed non licet, non ea tantum, quam dixi, ratione, verum & quod ipſe noſter Ulpianus *d. Tit.* XX. *Fragm.* §. 2. aperte ſcribat, ex tribus teſtamentorum generibus, quæ olim frequentabantur, calatis comitiis, in procinctu, & per æs & libram, duo priora jam ſua ætate fuiſſe abolita, ſolumque in uſu, quod per æs & libram fiebat, niſi quis temere auſit adfirmare, duo illa priora adhuc obtinuiſſe, cum Ulpianus ſcriberet *Librum* I. *ad Sabinum*, ex quo eſt *d. l.* 20. ſed in deſuetudinem abiiſſe, cum vacaret concinnando *Corpori*, ex quo nunc *Fragmenta* habemus reliqua. At quis tuto dixerit, eam mutationem præciſe tunc accidiſſe? & quis dixerit, utrum opus altero prius ſit? Quin Lucilius Balbus apud Ciceronem *L.* II. *de Natur. Deor. C.* 3. etiam tunc memorat; *teſtamenta in procinctu periiſſe*, & Gellius *L.* XV. *Noct. Att. C.* 27. explicans *calata comitia*, ait, *iisdem ſacrorum deteſtatio & teſtamenta fieri ſolebant.* Non *ſolent*, ſed *ſolebant*, ut loquimur de more abrogato. Perperam igitur Ulpianum intelligeremus de herede prohibito teſtimonium dicere in iis teſtamentis, quæ Ulpiani ætate jam dudum in deſuetudinem abiverant. Perperam etiam diceremus, Ulpianum in *h. l.* 20. ſuadentis duntaxat partes agere, ut Veteres heredem, in teſtamento per æs & libram, teſtimonio ut potius abſtineret, ſuaſiſſe narrat *d.* §. 10. *Inſt. de Teſtam. ordin.* Ulpiani oratio in *d. l.* 20. non alia eſt, atque ejus, qui jus certum & liquidum exponit.

Reinardus Bachovius, quamvis & ipſe in emblema proclivior ſit *Comm.* ad *d.* §. 10. *Inſt.* & ad Treutlerum *Vol.* II. *Diſp.* 10. *Theſ.* I. *lit. H.* tentat tamen poſtremo loco, an non nota emblematis poſſit evitari, ſi dicamus, etiam apud Veteres in teſtamento per æs & libram, *nec heredi, qua tali, permiſſam fuiſſe teſtimonii dictionem, ſed cum ille clam in tabulis ſcribi ſoleret, non nocuiſſe teſtamento, ſi ignarus diſpoſitionis, tamquam teſtis quilibet, interfuiſſet.* Equidem verum puto, in hoc genus teſtamento heredem etiam propterea ad teſtimonium fuiſſe admiſſum, quod ille plerumque ignoraret, rem ſuam agi, ſed ſi forte reſciviſſet, ſe heredem eſſe ſcriptum, non auſim dicere, id teſtamento nocuiſſe, quia Veterum ſuaſiones, de quibus dixi, non erant prohibitiones, ſed monita prudentiæ, nec ullus ſuaſionibus locus, niſi in herede ſciente. Et quid? generalis eſt Ulpiani eloquutio in *d. l.* 20. *pr.* omnem heredem a teſtimonio arcens. Hanc igitur duntaxat accipiemus de ea ſpecie, qua heres ſe inſtitutum eſſe probe ſciebat? atqui raro ea ſpecies incidebat, neque adeo veriſimile eſt, hanc ſpeciem in legem tranſiviſſe, ſi Theophraſtum audimus in *l.* 6. *ff. de LL.* Nihil quoque in tota antiquitate ſupereſt, ex quo effici poſſit illa diſtinctio inter ſcientiam & ignorantiam heredis, ad teſtimonium vocati.

Alii fingunt, conjectura rurſus incerta, olim quidem in teſtamento per æs & libram heredem, ut teſtem, fuiſſe admiſſum, ſed ævo Ulpiani fuiſſe repulſum, & inde eſſe, quod heredi teſtimonium deneget Ulpianus in *d. l.* 20. At vero, quamdiu duravit ille mos teſtandi, ſemper admiſſum fuiſſe heredem, ego nullus dubito. Tullius & Clodius, a Cyro architecto ſcripti heredes, ejus teſtamentum recte obſignarunt, ut Cujacius ad *h. l.* 20. obſervavit ex Ciceronis *Orat. pro Milone C.* 18. nec apparet ejus juris mutatio. Juſtinianus certe & Theophilus, ſine ulla diſtinctione temporis, id obtinuiſſe tradunt. Et ipſe Ulpianus *d. Tit.* XX. *Fragm.* §. 2. dum familiæ emptorem, dum alios a teſtimonio arcet, de herede tacet, non taciturus ſi & hunc arcere placuiſſet.

Quapropter alia ratione occurrendum erit emblemati, id autem commodum fiet, ſi *h. l.* 20. intelligamus, ut intellexit Cujacius, de teſtamento juris Prætorii. Notum eſt ex hiſtoria teſtamentorum, quam Juſtinianus retulit in *Inſtitutionibus*, alia fuiſſe teſtamenta Juris Civilis, alia Juris Prætorii, alia denique mixti generis; Juris Civilis fuiſſe teſtamenta calatis comitiis, in procinctu, & per æs & libram, & abolitis quidem per deſuetudinem duobus prioribus, ſucceſſiſſe teſtamenta Juris Prætorii, contenta ſeptem teſtibus, eorumque ſignis, ut eſt in §. 2. *Inſt. de Teſtam. ordin.* Poſtmodum nova teſtandi forma invaluit, mixta ex Jure Civili, Prætorio, & Conſtitutionibus Principum, ut eſt in §. 3. *d. Tit.* Id autem quod de admiſſo heredis teſtimonio legimus, unice pertinebat ad teſtamenta per æs & libram. In teſtamentis Prætoriis vel mixtis heres nunquam fuit teſtis idoneus, ut recte dixit Cujacius *Comment.* ad *h. l.* 20. hoc tantum, ut mihi videtur, perperam, quod Ulpianum in *h. l.* 20. intelligat de utroque teſtamento: mixtum quippe teſtamentum, quo Jus novum utitur, quodque deſcribit *d.* §. 3. etiam ex iis Principum Conſtitutionibus eſt compoſitum, quos Ulpianus non una ætate anteceſſit. Malim itaque eum intelligere de teſtamento Prætorio tantum, & ideo malim, quod ea forma teſtandi Ulpiani ævo quam maxime fuerit frequentata. Credes utique ipſius Ulpiani teſtimonio *Fragm. Tit.* XXVIII. §. 6. *Etiamſi*, inquit, *Jure Civili non valeat teſtamentum, forte quod familiæ mancipatio vel nuncupatio defuit, ſi ſignatum teſtamentum ſit, non minus quam ſeptem teſtium, Civium Romanorum, ſignis, bonorum poſſeſſio datur.* Idem *Tit.* XXIII. §. 6. & Julianus in *l.* 7. *ff. de Bonor. poſſeſſ. ſecund. tab.* hoc ipſum ajunt, & adeo verum eſt, ut JCti veteres in Pandectis non alterius teſtamenti meminerint, quam vel ſimpliciter Prætorii, vel Prætorii, ab antiquis Principibus nonnihil adaucti, veluti ſubſcriptione teſtium, paucisque aliis, quæ quando & a quibus acceſſerint, non facile quis dixerit. Sed quid hoc ſcire refert? Sufficit ex iis, quæ dixi, conſtare rationem, quæ Ulpianum movit, ut in *h. l.* 20. heredis, ejusdem-

qu

que teſtis fidem pleno ore refutaverit. Recepto paſſim teſtamento Prætorio, de jure, quod in eo obtineret, cum maxime agendum erat. Nulla quoque in Pandectis æris & libræ, nulla mancipationis mentio, ubi de ordinandis teſtamentis apud veteres JCtos ſermo eſt, ſive ex conſilio Triboniani hæc omittentis, tanquam abolita, ſive ex langueſcente tunc more per æs & libram teſtandi. Scio Cujacium ad *l.* 1. & *b. l.* 20. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* hunc teſtandi morem porrexiſſe ad usque ætatem Conſtantini M. Scio Jacobum Gothofredum & ultra porrigere *Comm.* ad *l.* 2. *C. Theod. de Teſtam. & codicill.* nec diſputo, qua auctoritate id placuerit, ſed vero non uno ictu cecidit illa teſtandi forma, ut non ſolent cadere, quæ contrario uſu exoleſcunt. Frequentata fuit, fateor, adhuc Ulpiani ævo; ſed cum & tunc frequentata fuerit forma teſtamenti Prætorii, ut palam loquuntur fragmenta veterum JCtorum, ſatis eſt probabile, paucos, fruge reperta, glandibus veſci maluiſſe. Moleſta erant ſolemnia æris & libræ, unde & his facile prælata ſimplicitas teſtamenti Prætorii.

At duæ ſunt rationes, quæ contra moveri poſſent. Altera, quam movit Bachovius ad *d.* §. 10. *Inſt. de Teſtam. ordin.* quod nimirum Ulpianus ajat *d. T.* XX. *Fragm.* §. 2. *bodie ſolum in uſu eſſe* teſtamenti factionem per æs & libram; atque inde efficit, ad teſtamentum juris Prætorii reſpici non poſſe in *d. l.* 20. *pr.* Altera ratio, quam ipſe moveo, eſt, quod Juſtinianus in *d.* §. 10. ſe videatur profiteri auctorem juris de repellendo heredis teſtimonio; quare Ulpiani ætate repulſum non eſſet. Sed huic ſecundæ rationi jam obviam ivit Cujacius *Comm.* ad *b. l.* 20. nec, quæ ipſe dixit, hic deſcribo, nec quicquam etiam addo de jactatione Juſtiniani, plus ſemel in eandem ſententiam adhibita, & plus ſemel falſa. Prima autem ratio vellem, ne eſſet Bachovii, ſed potius alicujus Wiſſenbachii. Teſtamentum per æs & libram *ſolum* in uſu eſſe dixit Ulpianus, ſed ex iis, quæ erant Juris Civilis, & quorum tria genera ibi enumerat. Duo priora ait eſſe abolita, & ſolum in uſu tertium. Non negat igitur, teſtamenta Prætoria fuiſſe in uſu, quin nec negare potuit contra ſuum ipſius teſtimonium, quod ſupra adtuli ex *Tit.* XVIII. *Fragm.* §. 6. Sententia Ulpiani eſt in aperto.

CAPUT XXV.

Variæ Obſervatiunculæ.

I. Nulla lex vexatur abſurdius, quam *l.* 28. §. 5. *ff. Ex quib. cauſ. major. in integr. reſtit.* quia ei, cui competit actio, multo magis competit exceptio. Majori, qui Reipublicæ cauſa abeſt, datur reſciſſoria, dabitur igitur & exceptio. Quia autem hæc non competit, niſi poſſidenti reo, ſive illi, unde petitur, neceſſe eſt, ut ipſe læſus res poſſideat, ſi exceptione ſe velit tueri. Ideo ait JCtus: *forte ſi res ab eo, poſſeſſionem nacto, vindicentur. Ab eo* nempe, qui Reipublicæ cauſa abfuit, & reſtitui poteſt: *poſſeſſionem nacto*, hoc eſt, ſi poſſeſſionem earum rerum nactus fuerit, quas alioquin petere debebat per actionem reſciſſoriam. Nihil eſt æque manifeſtum. Vitioſa eſt lectio Haloandri, & veterum aliquot Editorum, exhibentium *ab eo poſſeſſionemve nacto*, vitioſa emendatio Rævardi *L.* IV. *Varior. C.* 5. legentis *ab eo poſſeſſionem veterem nacto*. Alia aliorum tranſeo.

II. *Cum lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat*, ait Ulpianus in *l.* 22. *ff. de LL.* Eſt, qui hujus legis verba ita tranſponit: *Cum lex in futurum quid vetat, in præteritum indulget.* Sed id jam Accurſius animadvertit. Si ita legeretur, ego non mutarem, nunc nihil muto, ſed interpretor, ut interpretati ſunt Baſilici, id ipſum, ſcilicet, cujus venia datur in præteritum, in futurum prohiberi. Exſtant ſane leges, quæ in ante actum veniam dederunt, tacite ſic vetantes in futurum. Exemplum dabit ipſe ille Ulpianus in SCto de fugitivis, cujus verba exhibet in *l.* 1. §. 1. *ff. de Fugitiv.* De Domitiano Tranquillus in *ejus Vita C.* 9. *Scribas Quæſtorios negotiantes ex conſuetudine, ſed contra Clodiam legem, venia in præteritum donavit.* Igitur in futurum vetaſſe cenſendus eſt. His velim addi, quæ apud Tacitum leguntur *L.* VI. *Annal. C.* 16. & *L.* XI. *C.* 6. utrobique *in fine.* Muretus quoque *Comment.* ad *b. l.* 22. receptam lectionem ſervat, & aliquot exemplis illuſtrat. An, quæ ipſe dedit, ſatis commoda ſint, judicabunt, quibus jus ſuffragii eſt.

III. Ait Paulus in *l.* 3. §. 3. *ff. de Offic. Præfect. Vig.* Præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere, *& coërrare calciatum cum bamis & dolabris.* Sic Florentiæ legitur, & omnino legendum eſt. Qui pro *calciatum* malunt *caligatum*, vel *falciatum*, nugas agunt. Sunt tamen, qui *calciatum* male interpretantur; illi, ni fallor, bene, qui pro *inſtructo, expedito & parato* explicant. Sed hoc jam non ago. *Cum bamis* vigilat Præfectus, plane ut cohors ſervorum apud Juvenalem *Satyr.* XIV. *verſ.* 305. Qui hic edunt *cum armis*, æque falluntur, ac Joannes Britannicus, qui Lectionem Juvenalis eodem modo ſollicitabat. De his hamis, quod ſatis eſt, dixit Hieronymus Elenus *L.* II. *Diatrib. C.* 10. Vetus autem Juvenalis Scholiaſtes ad eum, quem dixi, locum docet, SPARTEOLOS *cum bamis* vigilaſſe ad reſtinguenda incendia. Neque tamen *Sparteolorum* nomen ſoli Scholiaſtæ debetur, ut Pithœus *Not.* ad *d. Scholiaſt.* exiſtimabat; nam & Tertullianus eo uſus eſt *Apolog. C.* 39. Agit ibi de luxu Sacerdotum, & ait, *ad fumum cœnæ Serapicæ Sparteoli excitabuntur*, tanquam ſcilicet ad incendium reſtinguendum, nam interpres Junius ibi plane cæcutit. Quod addit Paulus, etiam Præfectum vigilare cum *dolabris*, ſatis intelligemus, ſi ſciamus, dolabram non duntaxat adhiberi ad lævigandum quid, ſed & ad concidendum. Unde *dolabra* in inſtrumento lanionis in *l.* 18. *pr. ff. de Inſtr. vel inſtrum. leg.* ejus igitur uſus apprime etiam neceſſarius in incendio.

IV. Quod ſæpe legimus in Hiſtoria Romana, Imperatoribus delatum fuiſſe *Proconſulare Imperium*, non aliter intelligo, quam Senatum Populumque etiam earum Provinciarum imperium Principibus detuliſſe, quæ ex diviſione Auguſti erant Proconſulares, atque adeo ad Senatum Populumque pertinebant. Hinc eſt, quod Imperator non duntaxat in Præſidialibus Provinciis ſummum imperium habeat, ut ait Ulpianus in *l.* 4. *ff. de Offic. Præſid.* ſed & in Proconſularibus, ut ait ipſe ille Ulpianus in *l.* 8. *ff. de Offic. Proconſ. & Leg.* Proconſuli nempe in ſua Provin-

cia tribuens majus imperium omnibus, *poſt Principem.* Inter Proconſulares Provincias fuit & Africa, cum autem Tertullianus *Apolog. C.* 9. dixit, infantes in Africa Saturno fuiſſe immolatos *usque ad Proconſulatum Tiberii*, id interpretor, usque ad Imperium Proconſulare, Tiberio Imperatori delatum, neque enim placet vel emendatio Joſephi Scaligeri *L.* I. *Epiſtol.* 66. vel explicatio Salmaſii ad Spartiani *Adrianum C.* 3.

V. Ulpianus in *l.* 3. *ff. de Juriſdict.* merum imperium eſſe ait *habere gladii poteſtatem ad animadvertendum facinoroſos homines.* Sic Florentiæ legitur, pro quo plerique Editores exhibent, *in facinoroſos homines*, tanquam ſi parum Latine diceretur, *animadvertere facinoroſos homines.* At ipſe Tullius *pro Roſcio Amer. C.* 116. dixit, *peccata eſſe animadvertenda* pro *animadvertendum in peccata*, & Seneca *Suaſor.* VIII. *animadvertere eloquentiam*, pro *in eloquentiam*, & Proconſul in *vita Cypriani: Thaſcium Cyprianum gladio animadverti placet* pro *in Thaſcium Cyprianum.* Nihil igitur muto.

VI. Tubero apud Celſum in *l.* 7. §. 1. *ff. de Supellect. legat.* *ſupellectilem* definiebat *inſtrumentum quoddam patrisfamilias rerum ad quotidianum uſum paratarum, quod in aliam ſpeciem non caderet.* Deinde recenſet, quæ in aliam ſpeciem cadant, *ut*, inquit, *verbi gratia, penum, argentum, veſtem, ornamenta, inſtrumenta agri aut domus.* Salmaſius *Obſervat. Jur. Attic. & Rom. C.* XXIII. *p.* 504. *τὸ aut domus* adſuta fuiſſe cenſet ab aliquo imperito, qui neſciebat domus inſtrumentum cum ſupellectile unum idemque eſſe. Sed hoc ipſum eſt imperitiſſimum, aliud eſt ſupellex, aliud inſtrumentum domus, ſi ex arte loquamur, ut oportet, cum agimus de verborum interpretatione in teſtamentis. Id Salmaſium docere poterat Ulpianus in *l.* 12. §. 16-26. *ff. de Inſtr. vel inſtrum. legat.* Qui ipſam Jurisprudentiam non habet in numerato, næ ille ſæpe infelicem agit Criticum.

VII. Calliſtratus in *l.* 1. *pr. ff. de Jure Fiſc.* non alio fine recenſet ſpecies, ob quas facienda eſt nunciatio ad Fiſcum, quam ut inde intelligamus, quid Fiſco ex his cauſis debeatur. In poſtrema ſpecie verborum ordinem, nonnihil turbatum, reſtitui *L.* V. *harum Obſerv. C.* 25. Species, quæ præcedebant, variæ ſunt, interque has, ſi dicamus, *domum reſtructam eſſe.* Haloander & alii aliquot Editores, reponunt *deſtructam eſſe*, & eam Lectionem, auctoritate Græcorum, defendit Leunclavius *L.* II. *Notat.* ad *d. l.* 1. *n.* 120. Sed quidni ſervemus ſcripturam Florentinam? *reſtructa* domus eſt domus denuo ædificata, pro qua præſtandum eſt ſolarium, & ideo nuncianda Fiſco. Cur *deſtructa* domus nuncianda eſſet, cauſam non video, *reſtructas* eſſe nunciandas, variis variarum Gentium legibus cautum eſt, & etiam nunc cavetur.

VIII. Quia durum eſt, alterum ex alterius delicto obligari, Eunomiam Romanam laborare crederes in *l.* 7. *ff. de Incend. ruin. naufr.* Inter alia D. Hadrianus Edicto ſuo ibi præcepit, ut rapti naufragii teneantur non tantum ipſi raptores, ſed & qui juxta littus poſſident. Indicandis naufragiis, & arcendis rapinis ea lex cum maxime utilis eſt. Similem Italicam memorat Ariſtoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων, qua nempe vicini ad reſarciendum damnum, in ſuis finibus factum, tenebantur, cujus, ut & ſuis temporibus vigentis, meminit Paulus Caſtrenſis ad *l.* 9. *ff. de Juſt. & Jur.* & Alciatus *L.* VI. *Parerg. C.* 29. Etiam in Cumæa Republica moris fuit, ut vicini conferrent, quæ furto eſſent ablata, ut eſt apud Heraclidem Ponticum *de Cumæis* §. 4. *p. m.* 520. hoc ſuperdicto: διὸ καὶ ὀλίγα ἀπόλυνται, πάντες γὰρ ὁμοίως ἐτήρουν. *Quapropter & pauca amittebantur, omnes enim ſimul ſervabant.* Additur in Lege Municipali apud Alciatum *d. loc.* eum, qui furtum fecit, ſiſtendo, vicinos liberari. Quod rationem habet, quamvis ea exceptio non ſit in reliquis legibus. Nonnulla quoque in hanc rem habet Cujacius *L.* XIX. *Obſerv. C.* 11. Ipſe ex recenti memoria poſſem addere alias ejuſdem argumenti leges, alibi etiam Gentium frequentatas, quin & in hoc noſtro Belgio; ſed memor ſum Tituli, quem huic Libro præſcripſi. Adeo ſcilicet verum eſt, *omne magnum exemplum habere aliquid ex iniquo*, reliqua noſti.

IX. Si quis ſervum, a ſe poſſeſſum, *picturam aut librariam* docuerit, ſic enim malim legere, quam *pictorem aut librarium* in *l.* 28. *ff. de Rei vindic.* Si quis, inquam, ſervum hæc aut alia artificia, ſuis ſumptibus, docuerit, quæſitum eſt, evicto ſervo, an hos ſumptus deducat poſſeſſor? Et ſunt caſus, quibus deducit, ſunt, quibus non deducit. Hos omnes nunc non exſequor, ſed quæro, ſi deducat, an non ratio ſit habenda lucri, quod poſſeſſor ex artificio ſervi percepit? Et, ſi plus ſit in lucro, nihil deducet, ſi minus, id duntaxat, quod ſumptibus deëſt, plane, ut in prædio, ratione ſumptuum & fructuum diſputat Papinianus in *l.* 48. *ff. de Rei vindic.* Ceterum in ratione lucri ineunda, non ſpectabimus pubertatem ſervi, *quia etiam impuberis aliquæ operæ eſſe poſſunt l.* 31. *ff. Eod.* ut nec ſpectamus tempus, ex quo in eruditionem ſervi impenſum eſt. Sed quid ſi ſervus jam exceſſerit XXV. ætatis annum? De ea ſpecie ſic infit Modeſtinus in *l.* 32. *ff. Eod.* *Quod ſi artificem fecerit, poſt viceſimum quintum annum ejus, qui artificium conſecutus eſt, impenſæ factæ poterunt penſari.* Quæ ſic explico: ſi ſervus artifex evincatur poſt annum XXV. nunquam poſſeſſor impenſas artificii deducet, quia eo certe temporis ſpatio tantum ex ſervo lucratus videtur, quantum in inſtitutionem impendit. Vel ita: ante annum XXV. impenſarum & lucri ratio inibitur, poſt id tempus non inibitur, ſed artificium cum ejus ſumptu penſabitur. Elige, quod libet. Male igitur Cujacius *L.* IX. *Obſerv. C.* 38. in *d. l.* 32. reponit, *poſt quintum annum*, & male Cujacium præëuntem ſequitur Charondas in *Not.* & Radulphus Fornerius *L.* I. *Rer. Quotidian. C.* 21. Etiam Baſilicorum auctoritas Cujacio emendanti obſtat.

X. Patriæ, an parentum prior ſit cura, ex ratione definiri nequit, nec definivit Lucianus in *Encomio Patriæ.* Ait quidem Hotomanus in *Præfat. Francogalliæ*, omnes Sapientes una & mente & voce patriam ſemper parentibus anteposuiſſe. Sed, ut largior, plura bene dicta in eam ſententiam exſtare, largiendum quoque, alios aliter ſapuiſſe. Apud Euripidem *Supplic. verſ.* 506. & 507. prima cura eſt liberorum, ſecunda parentum, tertia patriæ. Et apud Plutarchum *de Fraterno amor. p. m.* 283. Poſt Deos proxima eſt parentum cauſa. Sed quidni audiamus veræ, non ſimulatæ Philoſophiæ Sacerdotes? Patriam prætulit Marcellus in *l.* 35. *ff. de Relig. & ſumpt. fun.* cum de perduelli ait: *quem, ſi filius patrem, aut pater filium occidiſſet, ſine ſcelere, etiam præmio adficiendum omnes conſtituerunt.* Antiquiorem vero parentum cauſam eſſe dixerit apud Pomponium in *l.* 2. *ff. de Juſt. & jur.* nam poſtquam ille ex Jure Gentium derivaſſet religionem erga Deum, mox addit: *ut parentibus & patriæ pareamus.* Quo ſic prima erga Deum, ſecunda erga parentes, tertia erga pa-

patriam ſit obligatio. Cujacius *Comment. poſt.* ad *d. l.* 2. cum verborum ordinem reprehendit, & patriam parentibus præponi voluit. Ego nihil reprehendo, ſed Marcello acceſſerim in cauſa perduellionis, ubi de ſalute patriæ res agitur. Salus populi ſuprema lex eſto. Majus momentum verſatur in ſalute patriæ, quam in ſalute patris, & qui patriam perdit, etiam perdit, & quantum in ſe eſt, hoſtibus objicit patrem. Accedit cauſæ juſtitia, quæ ſemper præſumitur contra perduelles. Ubi vero agitur de officiis, quin vel de ſola utilitate, patris cauſam patriæ præferrem, nec dubitarem, ſi quis me heredem ſcriberet, ut bona poſt mortem meam, vel patriæ vel patri pro arbitrio reſtituerem, non, inquam, dubitarem, patri, non patriæ reſtituere. In omnibus igitur, excepta perduellione, Pomponium ſequerer in *d. l.* 2. neque adeo de turbato verborum ordine ullus querelæ locus.

XI. *Dos aut datur, aut dicitur, aut promittitur*, verba ſunt Ulpiani *Tit.* VI. *Fragm.* §. 1. Quid illa ſignificent, ab aliis abunde explicatum eſt. Ut autem inter omnes non conſtat, an *dotis dictio* ſolemnitatem deſideraverit, ita plane conſtat, *promiſſionem* deſideraſſe, nec eam intelligi ſine prævia ſtipulatione: nam ex jure novo eſt, quod dos etiam ex pacto exigi poſſit *l.* 6. *C. de Dot. promiſſ. & nud. pollicit.* Atque inde eſſe exiſtimat Cujacius in *Not.* ad *d.* §. 1. ut, quibus in locis Prudentes ſcripſerant, *doti dicere*, Tribonianus reſcripſerit, *doti promittere*, *inuſitata*, inquit, *loquendi forma*, eo adducens *l.* 31. §. 1. *ff. de Novation. l.* 79. §. 1. *ff. de Jure dot. l.* 31. §. 1. & *l.* 44. §. 1. *ff. Solut. matrim.* & addens *l.* 33. *ff. de Pact. L.* XI. *Obſerv. C.* 29. & *l.* 2. §. 3. *ff. de Reb. cred. L.* XXIII. *Obſerv. C.* 18. Id ipſum repetiit variis locis, ab aliis indicatis, & in ejus ſententiam tantum non omnes Interpretes tranſierunt, etiam Hotomanus *Quæſt. Illuſtr.* XI. ubi *facinoroſum Tribonianum* ait *doti dicere* e Pandectis expunxiſſe, & neſcio quæ alia ſubſtituiſſe. Ipſe locos addit, & alii, ut numerum augerent, addiderunt alios. Sed quid prodeſt hos omnes excutere? Quia ex ſolo pacto jure novo dos exigitur, Tribonianus dicendæ dotis non meminit; ſed fragmenta, quæ de dictione dotis ſupererant apud JCtos, in Pandectas non retulit; eſto. At vero quæ ibi retulit de dotis promiſſione, qua ratione dabimus Triboniano? promiſſio utique dotis æque apud veteres frenquentata, quam dictio. Neque mulier, pater, avus paternus, & reliqui per virilem ſexum adſcendentes *dotem dicebant* duntaxat, ſed & *promittebant*; unde mulieri tutor datus ad dotem dandam, dicendam, *& promittendam*, ut eſt apud Ulpianum *Tit.* XI. *Fragm.* §. 20. & ſimpliciter Ulpianus & in *d.* §. 1. & in *d.* §. 20. utitur voce *promittendi*, plane ut utuntur reliqui JCti in his, quas dixi, legibus. Quod intelligendum, ex uſu illius ævi, de promiſſione, quæ fit præcedente interrogatione, non de ea, quæ naſcitur ex nudo pacto, ut videntur intelligere, qui emblematum, quam oportet, ſtudioſiores ſunt. Non vacat digredi ad ſingulas leges, quæ interpolationis accuſantur, ſed fide mea eſſe jubeo, nullam ex his eſſe, quæ non de promiſſione ſolemni commodum accipi poteſt. Quod autem in nonnullis dicatur, *doti promittere*, neſcio, cur *inuſitatæ formæ* adſcribat Cujacius, &, ſi adſcribendum eſſet, cur magis Triboniano, quam priſcis JCtis tribuamus. *Promittere doti* eſt promittere rem vel pecuniam, doti futuram, & ut dicimus *promittere doti* pro *in dotem*, ita dicimus *dare doti* pro *in dotem*. Eſt illa loquutio in *l.* 62. *ff. de Jure dot. l.* 82. *ff. de Solution.* & apud Nonium in *Receptitium.*

XII. Exemplo grave eſt, ex ſolo ſtilo Tribonianum, qua interpolatorem, arrodere. Et tamen ea, non alia ratione, Triboniani eſſe creditur *l.* 25. *ff. de Probat.* Signum extulit Cujacius *L.* XXI. *Obſerv. C.* 26. applaudunt Hotomanus, Merillius, Bachovius, & qui non alii? Prolixitatem ſtili accuſant, ſed de variis, quæ ibi tractantur, ſpeciebus nemo dixerit brevius, quam dixit Paulus. Nihil quoque ibi eſt, quod Jurisprudentiam veterem, quinimo nihil, quod rationem offendat. De ſtilo omnis querela eſt, & in primis illos movet, quod in §. 1. manifeſte deſcripta ſit conditio monachi, his verbis, *vir ſimplicitate gaudens & deſidiæ deditus.* Sed non alius hic deſcribitur homo, quam rudis & ignarus, quicunque ſit. Prima phraſi utitur & Scholiaſtes, qui Servius dicitur, *Prooëmio ad Bucolica* Virgilii *in princ. Perſonæ*, inquit, *hic ruſticæ ſunt*, SIMPLICITATE GAUDENTES, *à quibus nihil altum debet requiri.* Agite igitur, & ex his aliquos monachos educite. *Deſidiæ deditus* eſt vecors, & rei privatæ incurioſus & negligens, ut recte explicavit Jacobus Gothofredus *Comm.* ad *l.* 63. *C. Theod. de Decurion.* deriſis Græcis, qui & ex ea loquutione monachum exſculpunt. Et recte ipſe obſervat, monachos non ſimpliciter dici *ignaviæ ſectatores* in *l.* 26. *C. Juſt.* ſive in *d. l.* 63. *C. Theod.* utrobique *de Decurion.* ſed eos tantum, qui *ſpecie religionis* munera Civitatum deſerebant. Poſſem & alias voces, aliasque phraſes in *d. l.* 25. Latio donare, ſi non ille conatus *Obſervatiunculam* excederet.

FINIS LIBRI OCTAVI.

CONSPECTUS CAPITUM.

LIBRI QUINTI.

Cap. I. Leviter emendata *L.* 1. §. 3. *ff. de Hered. inſtit.* Pag. 143
II. Propulſatio vis atque injuriæ quo ſenſu Juri Gentium tribuatur in *L.* 3. *ff. de Juſt. & jur.* 144
III. Nonnihil tranſponendum videri in *L.* 59. §. 2. *ff. de Manum. teſtam.* 145
IV. Ut nunc legitur, legendam eſſe *L.* 10. §. 1. *ff. de Appellation.* 146
V. Ad *L.* 1. *ff. de Inoffic. teſtam.* 148
VI. Nunquid defendi poſſit Pauli ſcriptura *Sentent. L.* V. *Tit.* 12. §. 2. 149
VII. De fructu acceſſionis. 150
VIII. Variæ Rhetorum quæſtiones, ex jure Romano definitæ. 152
IX. Tentatur emendatio & explicatio *L.* 17. §. 8. *ff. de Action. empt.* 154
X. Ad *L.* 9. *ff. de Grad. & adfin.* 155
XI. Explicata, ſine emendatione, *L.* 10. *pr. ff. de Grad. & adfin.* 156
XII. De luctu viduarum. 158
XIII. De luctu propinquorum. 159
XIV. Ad *L.* 19. *ff. de Offic. Præſid.* 161
XV. Quemadmodum veteres JCti Libros ſuos diſtinxerint. Pag. 162
XVI. Quid ſit *Jus commenticium* in *L.* 20. *ff. de Pœn.* & ad eam ſuſpicio critica. 163
XVII. De *Mundo* & *ornamentis muliebribus* quædam. 164
XVIII. Compoſita *L.* 23. cum *L.* 33. *pr. & §.* 2. *ff. de Donation. inter V. & U.* 166
XIX. Tentatur aliquid emendationis in *L.* 49. *pr. ff. de Legat.* III. 167
XX. Defenſa lectio *L.* 25. *ff. de Fidejuſſ.* 168
XXI. De Jure Italico, & Coloniis quibusdam Juris Italici. 170
XXII. Qui dicantur *hoſtes* in *L.* 8. §. 2. *ff. de Pœn.* 172
XXIII. *Servilium* JCtum in *L.* 10. *ff. de Jure Patron.* mutandum videri in *Cervidium*, quo Scævola ſignificetur. 173
XXIV. SCti Trebelliani verba, quæ exſtant in *l.* 1. §. 2. *ff. ad SC. Trebell.* explicata & contra vim majorem defenſa. 174
XXV. Variæ Emendatiunculæ. 175

LIBRI SEXTI.

Cap. I. Ad *L.* 1. *pr. ff. de Public. & vectig.* Pag. 177
II. Sententia & ratio *L.* 5. §. 1. *ff. de Jurejur.* 178
III. De *Anteceſſoribus* & *Studioſis Juris* nonnulla. 179
IV. Partim emendata, partim ab emendatione defenſa *L.* 33. *pr. ff. de Uſur.* 180
V. Occaſio *L.* 30. *ff. de Pœn.* 181
VI. Emendata *L.* 24. *ff. de Hered. vel act. vend.* 183
VII. Probam rectam eſſe videri Ulpiani ſcripturam in *L.* 3. §. 1. *ff. de Tritic. vin. vel ol. legat.* 184
VIII. Actio *rationibus diſtrahendis* unde dicta, & quæ eſſe videatur. 185
IX. Varia ad *L.* 34. §. 1. *ff. de Legat.* II. 186
X. De judicati in duplum revocatione. 188
XI. Quemadmodum reſtituendus videatur ordo verborum, nonnihil turbatus in *L.* 29. *ff. Commun. divid.* 189
XII. Tentatur alia tranſpoſitio, aliave emendatio in *L.* 10. *pr. ff. de Condit. & demonſtr.* 191
XIII. De *Votis* nonnulla. ibid.
XIV. De errore in materia vel ſubſtantia rei venditæ, ad *L.* 14. *ff. de Contr. empt. & vendit.* Pag. 193
XV. Conatus aliquot critici ad *L.* 1. *pr. & §.* 1. *ff. ad L. Jul. de vi privat.* 195
XVI. Interpretatio *L.* 4. §. 5. *ff. de Statulib.* 196
XVII. De ætate Judicum aliquot Capita Juris invicem compoſita. 197
XVIII. Servatur antiqua ſcriptura *L.* 32. *ff. Ex quib. cauſ. major. in integr. reſtit.* 199
XIX. Ad *L.* 17. *pr. ff. de Uſur.* 200
XX. De *lacu Sabatene angulario* ſive *anguillario* in *L.* 69. *ff. de Contrab. empt. & vendit.* 202
XXI. Corrigitur *L.* 14. §. 2. *ff. ad SC. Trebell.* 203
XXII. Explicatur *L.* 6. §. 1. *ff. de Interd. & releg.* 204
XXIII. Quis a quo appelletur. 205
XXIV. Frequens Interpretum Senatus ad *l. ult. ff. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſecut.* 206
XXV. Variæ Obſervatiunculæ. 208

LIBRI SEPTIMI.

Cap. I. Conjectura critica ad *L.* 3. §. 3. *in fin. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Pag. 211
II. Explicata & emendata *L.* 43. *ff. Solut. matrim.* 212
III. Correcta *L.* 20. *ff. de in jus vocand.* 214
IV. Ad *L.* 46. §. 2. *&* 3. *ff. de Eviction.* defenſa utriusque §. ſcriptura. 215
V. Varia ad *L.* 19. §. 12. *ff. de Aur. argent. legat.* Pag. 216
VI. Officium Oratoris & JCti ante diſtinctum, poſt conjunctum fuiſſe. Ex ea conjunctione JCtos dictos fuiſſe *Oratores & Rhetores.* 217
VII. De quarta Falcidiæ vel retinenda, vel repetenda. 218

VIII. De

VIII. De regula geminationis aliquot locis adhibenda vel rejicienda. Pag.220
IX. Interpolatam non eſſe *L.* 44. §. 4. *ff. Famil. erciſc.* neque *L.* 34. §. 4. *ff. de Jurejur.* 221
X. Nihil a Triboniano omiſſum videri in *L.* 5. §. 1. *ff. de Stat. homin.* Quin nec omiſſiones emblematum numero eſſe habendas. 223
XI. Explicata & ab emblemate vindicata *L.* 30. *ff. de Liber. cauſ.* 225
XII. A Compoſitoribus juris nihil additum videri in *L.* 27. §. *ult. ff. de Minor.* 227
XIII. Tribonianismi ſuſpectas non videri *L.* 3. §. 2. 3. & 4. *L.* 4. *pr.* & §. 1. *L.* 5. *pr.* & §. 1. *ff. de Tutel. L.* 24. *ff. de Teſtam. tutel. L.* 9. §. 4. *ff. de Tutel. & ration. diſtrah. L.* 1. *L.* 2. *L.* 3. & *L. ult. C. de in lit. dand. tut. vel curat.* 228
XIV. Nihil mutaſſe Tribonianum in *L.* 9. *ff. de Curat. furioſo & al. extra minor. dand.* nec in *L. ult. ff. de Curat. bon. dand.* nec in *L.* 9. *ff. Rat. rem hab.* nec in quibusdam aliis. 230
XV. Tribonianum non latere in *L.* 38. *pr. ff. de Ritu nupt.* 231
XVI. Tribonianum non induiſſe perſonam Marcelli in *L.* 20. §. 1. *ff. de Donation.* Pag.232
XVII. Nihil detractum videri *legi* 24. *ff. de Donation.* 234
XVIII. Absque nota emblematis varie intelligi poſſe *L.* 1. *ff. de Legat.* I. 235
XIX. Tribonianum nihil innovaſſe in *L.* 1. §. 2. *ff. de Dote præleg.* nec in *L.* 7. §. 5. *ff. de Pact.* nec in *L.* 17. *ff. de Pact. dotal.* nec in *L.* 24. §. 3. *ff. Solut. matrim.* 237
XX. Bona fide repræſentata eſſe verba Pauli in *L.* 27. *ff. de Fideicomm. libertat.* 239
XXI. Interpretatio *L.* 13. §. 10. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* amoto emblemate. 240
XXII. Pura puta Pauli verba eſſe, quæ leguntur in *L.* 4. §. 1. *ff. de Uſurp. & uſucap.* 241
XXIII. Nihil a Triboniano eſſe adſutum *Legi* 32. *ff. de Judic.* 242
XXIV. A Compoſitoribus Juris nihil immixtum eſſe *Legi* 10. *nec L.* 11. *ff. de R. N.* 244
XXV. Variæ Emendatiunculæ. 245

LIBRI OCTAVI.

Cap. I. Ad inſcriptionem *L.* 31. *ff. Locat. conduct.* Pag.247
II. Ad eandem Legem, *Verſ. In Navem.* 249
III. Ad eandem Legem, *Verſ. Quæſitum eſt.* 250
IV. Ad eandem Legem, *Verſ. Reſpondit.* 252
V. Ad eandem Legem, *Verſ. Idem juris.* 254
VI. Ad eandem Legem, *Verſ. Quod ſi.* 256
VII. Ad eandem Legem, *Verſ. Et ideo.* 257
VIII. Ad eandem Legem, *Verſ. Sed ſi.* 258
IX. Emendatæ *L.* 1. *pr. ff. de Pact.* & *L.* 5. *pr. ff. de Verb. obligat.* ibid.
X. Explicanda, an emendanda ſit *L.* 27. §. 6. *ff. de Pact.* 260
XI. Quid ſit *res munis* in *L.* 8. §. 1. *ff. de Public. & vectig.* 261
XII. Non ſemper poſt litem conteſtatam bonam fidem poſſeſſoris mutari in malam, defenſa Eunomia Romana in *L.* 36. §. 4. *ff. de Heredit. petit.* 262
XIII. Nihil eſſe, quod Tribonianum redoleat in *L.* 5. *ff. de Jure codicill.* 264
XIV. Compoſitores Juris nihil quicquam turbaſſe in *L.* 2. §. 1. *ff. Solut. matrim.* 265
XV. An in *L.* 22. *ff. Solut. matrim.* ſuppoſiti ſint a Triboniano §§. 7. 8. & 9. 267
XVI. Nihil adulterinum eſſe in *L.* 2. §. 43. *ff. ad SCt. Tertyll.* Pag.269
XVII. Duo emblemata excuſſa & rejecta in *L.* 21. §. 1. & §. 2. *ff. de Jure patron.* 270
XVIII. Rurſus duo emblemata excuſſa & rejecta in *L.* 26. *ff. de Bon. libert.* 271
XIX. Tribonianum non pellucere in *L.* 2. §. *pen. ff. de Judic.* 272
XX. Non omnem Triboniani additionem, ſi vel de ea conſtaret, pro interpolatione eſſe habendam, & quid cenſendum ſit de *L. ult. ff. de in jus voc. L.* 58. *ff. de Contrah. empt. L.* 21. §. 2. *ff. de Action. empt.* & de aliis, quæ ad alia loca referunt. 274
XXI. A manu Triboniani non eſſe poſtremam clauſulam in *L.* 21. *pr. ff. de Legat.* III. 275
XXII. Genuinam eſſe Pomponii ſcripturam, quæ legitur in *L.* 10. *ff. de Liber. & poſtum. hered. inſtit. vel exhered.* 276
XXIII. Nihil eſſe a Triboniani manu adultera in *L.* 3. *pr. ff. de Injuſt. rupt. irr. fact. teſtam.* 278
XXIV. Ulpiani ævo convenire Jurisprudentiam, quæ exſtat in *L.* 20. *pr. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* 279
XXV. Variæ Obſervatiunculæ. 281

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

OPUSCULA VARII ARGUMENTI,

HIS INSCRIPTIONIBUS:

I. PRÆTERMISSA AD L. 2. D. DE ORIGINE JURIS.

II. DE REBUS MANCIPI ET NEC MANCIPI.

III. DE JURE OCCIDENDI, VENDENDI, ET EXPONENDI LIBEROS APUD VETERES ROMANOS.

IV. CURÆ SECUNDÆ DE JURE OCCIDENDI, ET EXPONENDI LIBEROS APUD VETERES ROMANOS.

V. DE CULTU RELIGIONIS PEREGRINÆ APUD VETERES ROMANOS.

VI. DE CAPTATORIIS INSTITUTIONIBUS.

VII. DE LEGATIS POENÆ NOMINE.

AMPLISSIMIS GRAVISSIMISQUE

VIRIS,

HENRICO VAN HOORN,

JCTO, ZELANDIÆ NOMINE AD CELSOS ET PRÆPOTENTES ORDINES FOEDERATI BELGII PERPETUUM LEGATO,

UT ET

JOANNI VAN BUYTENHEM,

JCTO, PRÆFECTO URBI ET TERRITORIO FLISSINGENSI, EJUSDEMQUE URBIS SENATORI, CURATORI RERUM ORIENTALIUM, SOCIETATIS INDICÆ NOMINE, IN STATIONE ZELANDICA,

FRATRIBUS AFFINIBUS,

S. D.

CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK.

Noviſtis, Fratres Cariſſimi, me Juris, cum Romani, tum Patrii, ſtudioſum eſſe, nec quem poſſe fungi eo munere, quo ipſe fungor, qui non aliqua utriusque Juris peritia cenſetur. Noviſtis, eo rectius jus dici, quo religioſius obſervantur Leges, has enim eſſe, quæ, ſi verum amamus, ſolam judicandi normam præſtant, non vagum & lubricum cujusque arbitrium. Ad hoc tamen fere provocant Judices, qui Leges vel neſciunt, vel non intelligunt, id, quod etiam ex juris jurandi, quod jurant, formula ſolius Legis eſt, ſui arbitrii facientes. Hanc culpam, ut ab omnibus Judicibus, ita & a me amotam cupio. Quum autem Jurisprudentia Romana promus condus ſit omnis Juris, qua publici, qua privati, hæc in primis cordi curæque eſſe debet & Judicibus, & omnibus, qui in foro verſantur; absque Jure Romano ſordet omne Jus Patrium, nec etiam ſibi in plerisque ſufficit, ſed & absque Jure Patrio, quod ſibi quæque Civitas conſtituit, nihil quicquam proficies in foro ejus Civitatis, quin riſum dabis Pragmaticorum pueris. Alterum alterius eget ope, ita tamen, ut in cauſis judicandis Juris Patrii conditio ſemper ſit potior, Leges enim cujusque Civitatis, ſi quæ ſint, ſequimur, nec, niſi ubi hæc deficiunt, ad Romanas recurrimus. Quare, ſimulac ad forum acceſſi, non contentus diſcere ordinem Judiciorum, quo hodie utimur, quæ ſola fere aliorum cura eſt, ipſam, ut ita loquar, Theoriam Juris Patrii undiquaque collegi ex Principum & Ordinum Edictis, Decretis, Reſcriptis, Privilegiis, & variis variarum Regionum & Urbium Statutis & Conſuetudinibus; quæ omnia, additis, ſi tanti viderentur, noſtrorum Prudentum Reſponſis, in Commentarios, Libris & titulis diſtinctos, digeſſi, ut mihi ſcilicet haberem, quod alibi fruſtra quærebam, *Corpus Juris Hollandici & Zelandici.* In vaſto hoc Opere, quod ad adminiſtrationem Reipublicæ,

domi & foris, ad Jus Eccleſiaſticum & Militare, ad Feuda, ad publica Judicia, & ad Juris privati, longe lateque patentis, peritiam pertinet, diu multumque verſatus fui, & adhuc verſor, non alio fine, quam ut is labor in cauſis judicandis mihi ſubſidio ſit, ut olim fuit in cauſis agendis. Acceſſit aliud, quod me ab aliquot annis occupavit, etiamnum occupat, &, ſi vires animo ſufficiant, in poſterum occupabit: ex quo enim Senator Curiam Supremam ingreſſus ſum, res a Senatu noſtro judicatas, tantum non omnes, quæ quidem alicujus momenti erant, in Adverſaria retuli, & refero quotidie, dum recens eſt earum rerum memoria, & quod ad ſpecies facti, quæ incidunt, & quod ad rationes, quæ Senatum, ut ita judicaret, moverunt. Quod dum ago per hos, qui præterierunt, XV. annos, natæ mihi ſunt XV. & quod excurrit, Rerum Judicatarum Centuriæ, tumultuaria quidem opera conſcriptæ, ſed quæ tamen omnia complectuntur, quæ ad ſententiam Senatus pertinent, quæque adeo ad uſum, quem mihi præſcripſi, mihi ſufficiunt.

Hanc operam navo Juri Patrio, ſed non ita me totum hæc ſibi vindicat, quin ſuperſint induciæ forenſes, quibus aliud agam, & quin, præter eas, ſuperſit otium, quo liceat animum relaxare, & vacare amicis, &, ſine fraude muneris, exſpatiari in amœnitates Juris Romani. Noviſtis, Cariſſimi Fratres, ſua cuique eſſe animi oblectamenta, mea autem mihi eſſe, verſare veterum JCtorum Fragmenta, & hac arte, quæ & prodeſt, & me in primis delectat, fallere tempus & laborioſæ jucunda oblivia vitæ. Quum ante aliquot annos Adverſaria mea excuterem, & Anno CIↃIↃCCIX. ex his publice ederem *Libros IV. Obſervationum Juris Romani*, incidi tunc in varias animadverſiones ad *l.* 2. *ff. de O. J.* & in Diſſertationes quasdam, aliquanto prolixiores, quam ut eas caperet *Obſervationum* materies. Has tunc ſepoſui, ut, cum alias commodum eſſet, publico darem; & quia nunc commodum eſt, nonnullas ex his nunc edo, ſingulis, cur ediderim, breviter ad Lectorem præfatus, quæ & Vos ibi legetis, & ego hic non enarro. Hæc *Opuſcula*, quæ *varii argumenti* ſunt, & maxime ad elegantiorem Jurisprudentiam pertinent, Nominibus veſtris inſcribo, & quia ambo eſtis JCti, atque adeo Judices de rebus, quas hic ago, competentes & idonei, & quia ea inter nos eſt conjunctio, ea vera, neque fucata amicitia, ut inter Fratres Germanos major eſſe haud facile poſſit. Laudes veſtras prædicare ſi non vetaret mos meus, vetaret certe affinitas noſtra; præterquam quod nihil quicquam poſſim dicere, quod non publice ſit notum, & innoteſcat quotidie, eſtis enim ambo conſtituti in Statione publica Reipublicæ gerendæ, in qua, quantum quisque valeat, id argumento eſt, quod præſtat. Et, ſi Vos recte novi, ipſi gravate audiretis, ſi hic ad Vos verba facerem de ejusmodi rebus, quibus alii ſolent Inſcriptiones Librorum implere. Valete, Fratres Cariſſimi, & diu vivite felices, veſtro & reipublicæ bono. Dabam Hagæ Batavorum ipſis Calendis Junii CIↃIↃCCXIX.

AD

FRANCISCI CAROLI CONRADI

Juris in Acad. Vitembergenſi Anteceſſoris

PRÆFATIO,

Quam BYNKERSHOEKII *Varii Argumenti Opuſculis Halæ* An. M. DCC. XXIX. *editis præmiſerat.*

Qui Tibi Sexennium abhinc, excellens & æternum opus CORNELII VAN BYNKERSHOEK, ſupremæ apud Batavos Curiæ Senatoris, hodie Præſidis Ampliſſimi, Obſervationes Juris Romani ſuo ſumtu in Germania parabiliores reddidit, bibliopola diligentiſſimus, probum non minus & utroque pollice laudandum conſilium inivit, ut reliqua Viri Illuſtris opuſcula, noſtris in oris maximam partem rariora, prælo de novo committeret. Cujus propoſiti ut & me conſcium primum fecit, quæ diverſo temporum intervallo ſeorſim edita in ſupellectile mea erant, libenti animo cum ipſo communicavi, ſuaſorque extiti, ut uno iſta faſce complecteretur, hisque adderet egregium illud, quod alterum jam tomum conſtituit (*), opuſculorum varii argumenti Corpus. Etſi vero, nunc præfationem adſcribere juſſus, neque in laudes Venerandi nominis BYNKERSHOEKIANI, neque in commendationem præſtantiſſimorum operum copioſa oratione excurrendum mihi eſſe intelligo: tamen officio, quod recuſare nolui, aliqua ſaltem ratione facturus ſatis, eorum in gratiam, qui ad legenda hæc ſummi Viri ſcripta forte primum accedunt, nonnulla, quæ ipſorum maximi intereſt ſcire, hoc procemio qualicunque differam.

Nec quidquam enim, quæ aliis obſervata dictaque ſæpius fuerint, in his BYNKERSHOEKIANIS requiruntur, vel maxime iis in argumentis, quæ multos jam ante exercitos habuerunt. Nimis profecto alienum fuiſſet illud ſcribendi cacoëthes ab ingenio atque otio Viri Graviſſimi, *cui*, ut ipſe ait, *nunquam vacavit deſcribere*, *ſcribere vacavit aliquando*, & qui, dum legerat & obſervaverat quotidie, tam plenum & abundans cornu copiæ ſibi dudum paraverat, ut, quas ab aliis occupatas poſtea comperirietur, doctiſſimas obſervationes, nova quamvis luce circumfuſas, citra ullum jacturæ ſenſum facile intercidere ſit paſſus; & quibus alii integros, nec nullius molis, deſtinaſſent libros, cum in exquiſitiſſimo Obſervationum opere, tum in his ipſis libris ſingularibus ſtrictim, &, quam potuit fieri, paucis abſolverit ſingula. Scripſit enim ſemper, ut occupatiſſimi ſolent: neque ſcripſit omnibus: ſed requirit lectorem attentum, elegantioris Jurisprudentiæ ſubſidiis inſtructum ac bene præparatum: idque eo magis, quo ſubtiliore judicio, exactiore antiquitatis & meliorum Litterarum omnium doctrina, reconditiore juris ſcientia, atque cum interpretandi tum emendandi ſolertia in lucubrationibus ſuis magnas ingenii vires explicet, & quo difficiliora legum ænigmata nodosque vindice dignos adgreditur: neque ea tantum in lucem adfert, quæ priſca reſcivit gens Doctorum, ſed quæ inſignem etiam ævi recentioris Interpretum diligentiam effugerunt.

Statim, qui primum in his opuſculis locum occupavit, liber ſingularis celebratiſſimam ac inter *damnatas* præcipuam legem, LECTA XL. D. DE REB. CRED. ſiſtit, nova poſt varios aliorum conatus expoſitione illuſtratam, omnino non compariturus, ſi præter datas jam pridem illius explicationes nihil aliud ſuccurriſſet, neque licuiſſet per vacuum libera ponere veſtigia. Erant in ipſa Lucii Titii cautione, erant in ſortis, multoque magis in uſurarum computatione, erant in ſtipulationis & conventionis adjectæ formulis, quæ doctum & acrem interpretem adhuc deſiderabant. Plurimum vero difficultatis habebant, illa in auditorio PAPINIANI agitata controverſia, ſententia PAULI &

(*) In hac vero Editione præmittitur.

& adverſariorum contraria, utriusque partis argumenta & rationes Pauli victrices: de quibus ſingulis vetus & nova Doctorum ſchola, majorum minorumque gentium Interpretes diu laboraverant multumque, & de quibus ipſi Triumviri Jurisprudentiæ conſtitutæ, quos Vir ampliſſimus prædicat, Duarenus, Cujacius, Hotomanus, nec dum ſatis recte conſtituerat. Sed quæ maxime hanc legem in ſeptem damnatarum familia principem fecerunt, ſeptem Pauli verba: *quia pacta in continenti facta ſtipulationi ineſſe creduntur:* hæc erant, in quibus interpretes ad unum omnes arcem habebant communis ſententiæ, *pacta ſtricti juris contractibus incontinenti addita, ſi non ex parte Actoris, certe ex parte Rei ineſſe iſtis contractibus, atque adeo, ſi non actionem pariunt, tamen actionem ipſo jure tollere.* Hoc ipſum igitur opinionis receptæ propugnaculum virili auſu everſurus Noſter, non habuit ſatis, fundamenta ſuffodiſſe, neque velitari pugna decertandum duxit. Quum enim in ipſa legis interpretatione, remotis difficultatibus, oſtendiſſet Paulinæ iſtius ſententiæ & ratiocinationis longe aliam planeque contrariam eſſe vim & efficaciam, quam qualem hucdum expoſuiſſent: peculiari diſſertatione, de pactis juris stricti contractibus in continenti adjectis, diſputavit contra virtutem horum pactorum ſupra communes pactorum regulas, adverſante cum ratione tum auctoritate manifeſta juris, altius evectam: & poſtquam pluribus confirmavit ſententiam, *nihil ultra vulgarem ſortem pactis iſtis tribuendum, neque ea ultra exceptionem prodeſſe;* adverſus communis Scholæ ſectas cum Herciſcundis & mediatoribus novis late confutat.

Etſi vero, inſpecta argumentorum præſtantia & diſputandi ſubtilitate, vicit Noſter palmamque meruit nobilem tam præclara diſceptatione: fieri tamen in receptis & inveteratis opinionibus, nec una veritatis ſpecie ſuffultis, magno præterea auctoritatum munimine ſeptis, vix ſolet, ut vel evidentiſſima demonſtratione funditus profligentur aut evellantur ex animis hominum, neque reperiant unquam ſuos vindices & propugnatores, tum maxime, quum æmulatione gliſcunt animi. Et qui factum ſit, ut in noſtri ſententiam, deſertis partibus, quæ majores videbantur, omnes pedibus tranſiverint? Adhuc dantur adverſæ ſententiæ patroni, adhuc dantur Herciſcundi & medium quoddam ſequuti, quibus, ſi non ſtricti juris contractibus in genere, ſtipulationi tamen ex parte rei ad minuendam ipſo jure obligationem pacta continenter addita ineſſe, placet, idque propter Pauli effatum. Sunt, quos moratur Noodtianum nomen: quoniam Vir immortaliter de arte noſtra meritus, cum in præſtantiſſimo opere *de Fœnore & Uſuris* inſtituta Legis *Lecta* expoſitione, tum in Libro ſingulari ad *Edictum Prætoris de Pactis & Transactionibus* protulit contrariam demonſtrationem; pacta ſcilicet ſtricti juris contractibus in continenti addita utique ineſſe ex parte Rei, atque ipſo jure ſervari: id vero quum antea eſſet inter Sabinianos et Proculianos variatum, & quum in Auditorio Papiniani adhuc dubitatum eſſet, de conſilii ſententia decreto Papiniani in judicio confirmatum eſſe tandem receptumque. *Rem veram narro*, ait, *at paucis notam: certe a nullo, quantum recordor, traditam. Fuerit igitur tanti eam demonſtrare!* Dixit tamen ejus obſervationis quiddam ſimile Mæstertius *de Juſtitia LL. Roman.* de quo noſter ad finem *cap.* IV. *Diſſert. de pact. ſtrict. jur. contr. adj.*

De Auctore Auctoribusque Authenticarum diatriba, qua *Irnerum neque omnium neque nullorum eſſe auctorem*, oſtendit, & qua Alexandrum Arnoldum Pagenstecher, Anteceſſorem Groninganum, inter cæteros refutavit Noſter, qualem quantamque litem excitaverit, ſatis conſtat. Male habebat in primis hominem iratum, quod ſe negligentius tractatum cerneret: hoc etiam pungebat acriter, quod ex Molinæo et Strauchio ſapere coargueretur, hisque confutatis, reliqua ipſius præter unum, quod brevi corollario refellitur, tanti non viderentur, ideoque pede tranſilienda ſicco. Quare vindictam ſpirans objiciebat aliquem ex Auditoribus, qui Arnoldo præceptore ſuo piis laudibus concelebrato, Bynkershoekium aſperis facetiis in triumphum duceret, idque repreſſerat Noſter in *Contentione*, quam edidit, *litteraria*: tum vero quiritari Groninganus Anteceſſor, libellum famoſum exprobrare, injuriarum poſtulare, ipſe injuriam conceptis verbis retorquere, propriis laudibus egregie ſibi adſentari, in *præfatione Irneri injuria vapulantis:* ad quam volupe erit facetam reſponſionem legere, libro ſingulari ad legem Ἀξίωσις præmiſſam. Quæ deinde ſequuta ſunt Pagenſtecheri & filii, Jo. Friderici Guilielmi, tum probi illius gratique Auditoris, & Antonii Houckii ſpurciſſima, quibus famam & fortunam Viri Ampliſſimi adlatrarunt, convicia; ad hos fœtores & ſordes nauſeant omnes boni, & dum ſtabit ad poſteros immortalis Viri virtus, nauſeabunt perpetim.

Expedita erant Legis Lecta ænigmata, & extricati, qui occulte eam implicabant, ne-

xus ambiguæ, de pactis continenter adjectis, quæſtionis: proxime opem auxiliumque ſibi poſcere videbatur incluta Lex ΑΞΙΩΣΙΣ IX. D. de L. Rhodia de jactu, non minus, quam in ea deprecans Eudæmon, naufragium faciens, & fatalem ab Interpretibus direptionem perpeſſa. Jam ante Noſtrum quidem Legi adflictæ ſubvenerat Jacobus Gothofredus: ſed nec is officio perfunctus erat: & loquuntur ſingula hujus commentationis capita, quantum Viri Summi diligentia reliquum fecerit, & quam uberem, diſſentiendi & emendandi materiem attulerit ingenio Bynkershoekiano. Salvam omnino Legem cupit Noſter, omnemque ab ea vim prohibendam cenſet: Si quid tamen mutandum videatur, obſervationes in hanc rem dedit. Naufragium ſcilicet in Italia factum, quod inſequuta eſt apud Cyclades direptio, ſi moleſtum ſit nimis, neque omnino id tolerandum exiſtiment Eruditi, licet multis modis recte intelligi poſſit: eos Æthaliam, Inſulam prope Samum, Cycladibus vicinam, & Livio memoratam, reſtituere facile permittit: quæ quidem inſignis conjectura, egregie conſpirantibus ingeniis, eodem fere tempore obtigerat Gerardo Noodt, ab ipſo deinde propoſita in doctiſſimis *Obſervationum* libris.

Et quum ſolemne ſit Interpretibus ad hanc legem commentari de Dominio Maris: quamvis id alieno loco fieri doceat Noſter; movit tamen ipſum dignitas argumenti, calamis & armis ferventer diſceptati, maxima, ut peculiari Diſſertatione illud pertractatum adderet, parum intereſſe ratus, hic an alibi, quam nove conſtituiſſet, ſententiam explicaret. Non Grotius placet, maris libertatem aſſerens, non Seldenus, mare claudens: nihil patriæ, nihil aſſentationi & partium ſtudio, nihil præmiorum exſpectationi concedendum; citra ſpem metumque, citra adfectum agendum erat, ac tuenda maris cum libertas, tum dominium. Altius inveſtiganda erat Dominii origo & nativa virtus, mox pactis, moribus, legibus informata & aucta: explicandi erant maris occupandi, & perpetua poſſeſſione retinendi, modi; & quid hic valeant pacta, quid extra conventiones ſit juris, qui ſint dominii maritimi effectus, videndum: excutienda erant teſtimonia, quibus dominium maris adfirmatur, & exempla Gentium, quæ maris potitæ eſſe perhibentur. Apparebat, Oceanum, qua patet, univerſum, nec occupatum unquam eſſe, nec occupari poſſe; partem occupari poſſe, ſed non diu retineri, quia deſerta poſſeſſione inter Gentes dominium amittitur, & redit ad uſum communem; neque ullum hodie mare Principis alicujus ditione teneri, niſi qua forte in illud terra dominetur. Hoc modo operæ pretium erat demonſtraſſe, eſſe mare liberum, quod non poſſidetur, vel univerſum poſſideri nequit; eſſe tamen clauſum, ſi juſte occupanti dent fata non interruptam poſſeſſionem. Hoc Jureconſultorum veterum, adverſus aliorum criminationes, ſanctam nobis præſtat auctoritatem, mare nunc natura omnibus patere, nunc nullius, ejus uſum omnium communem, nunc populi, accommodate ad jus Gentium ſuorumque temporum ſtatum, recte dictantium.

Bene huic Diſſertationi ſuccedit, quamvis longo tempore poſt editus, perinde momentoſum, imo vero præcipuum juris Gentium caput, jura ſcilicet Legatorum, tractans & quæſtionem vexatiſſimam definiens, Liber ſingularis de foro Legatorum, in Causa tam Civili, quam Criminali. Neque hanc ex Legibus civilibus, quod plurimis uſu quondam venit, neque ex ſola ratiocinatione, ubi genio plerumque ſuo indulgent ſcriptores, ſed ex Jure & moribus Gentium illuſtrandum judicabat ampliſſimus Bynkershoekius. Occaſio ſcribendi ex facto ipſi nata: quum ad finem anni MDCCXX. immodice fervente actionum, quas mercatores vocant, negotio, Legatus Ducis Holſatiæ Haga Comitum Amſtelodamum ſe contuliſſet, & ſtrenue mercatus, plurium debitor factus, mox Hagam revertiſſet, creditoribus Curiam Hollandiæ adeuntibus, ac mandatum Arreſti & in Jus vocationem impetrantibus. Curia decrevit Arreſtum in omnia legati bona, exceptis tamen utenſilibus & reliquo Legationis apparatu, citavit inſuper Legatum, initio ad ædes, dein per Edictum. Ille de violato Gentium Jure apud Ordines Generales queritur. Ordines Hollandiæ ſententiam Curiæ, ad quam res ea pertinebat, rogant: hæc ſententiam exponit in Epiſtola & mandata ſua defendit. Magna fuit ac diuturna Ordinum cum fœderati Belgii, tum Hollandiæ ea de re deliberatio: Noſter ſæpius, quid ſibi videretur, ſciſcitantibus amicis, quam privatim dixerat, publico ſcripto explicare ſententiam promiſerat: mox fidem liberavit. Et hanc unam eſſe, quam pernicioſum & exitiabile, ſi quod unquam fuerit eritque Actionum commercium ſæculo noſtro attulerit, commoditatem, elegans de hoc labore Bynkershoekiano judicium eſt Viri Clariſſimi, Jo. Barbeyraci, Anteceſſoris Groningani: qui & interpretationem libri eximii Gallicam, additis luculentis obſervationibus, procuravit. Quanquam vero cauſa Legati, in Belgio tunc agitata, erat omnino civilis: Noſter tamen diſputationem de foro legatorum in

 cau-

cauſa criminali, quæ adhuc plus difficultatis habet, neque ab altera omnino divelli ſe patitur, eadem opera ſuſcipiendam optime conſtituit.

Ut rem breviter teneamus, privilegium fori Legatorum non a ſanctitate illorum deducit, verum ex eo, quod Legatus, Gentium moribus, non ſit ejus, ad quem mittitur, ſubditus, ſed maneat illius, qui mittit. Hinc Legatum in cauſa civili ſic eſſe conveniendum, atque ſi in loco legationis nec eſſet neque contraxiſſet, nec bona haberet. Legatum ſemper vetus forum ſervare: bona autem ejus mobilia pariter ac immobilia, ſine quibus legationem obire poteſt, tamquam abſentis, Arreſto adfici, eumque conveniri poſſe in foro territorii, ubi degit, actione in rem, reconventione, per Appellationem, & ex Interdictis, denunciationem vero Arreſti per Epiſtolam fieri debere. Ubi Legatus extra cauſam Legationis deliquerit, optimum videri, ipſum e territorio ejicere, & puniendum Domino ſuo mittere: id quod moribus Gentium magis conveniat: nec de familia Legatorum aliter pronuntiandum. Aſyli Jus Legatorum ædibus prorſus negandum eſſe: Cæterum haud injuſte detineri e territorio proſcriptum, & eo denuo legatum, aut ex jure talionis, aut repreſſaliarum. Fori autem privilegio renuntiare, tanquam Juri Principis ſui, Legato fas nequaquam eſſe.

Novimus rationes, quibus in his demonſtrandis utitur Vir Ampliſſimus, non omnibus probari, cum illas, quas cum Grotio communes, tum quas diverſas ab his atque peculiares habet: neque diffitemur, eſſe, quas ipſe ſibi hic illic obmovit, difficultates, quas magis excuſare, quam removere dici poſſit: novimus, quod præſertim in culpam adduci ſolet, ipſum in colligendis factis & exemplis nimium fuiſſe dici, moribusque Gentium plus tribuiſſe juſto. Verum conſtat nihilo minus doctiſſimæ commentationi ſua dignitas, ſuum pretium: neque eſt, quod omne de quæſtione tractata judicium ad mores Gentium, qui jus faciant, tranſcribere Noſtrum continuo exiſtimemus, quando quidem factis, magno ſtudio in medium prolatis, plurimum in demonſtrando utitur: quin potius accurate conſtituit, non eſſe ratione ſola judicandum in argumento, quod, ut omne profecto jus Legatorum, ex voluntate Gentium & conventionibus expreſſis tacitisve partem maximam pendet. Sic enim cum Tullio, juris non minus Gentium quam Civilis, magno auctore, omnino ſentiendum eſt, jus Legatorum, quod apud omnes Gentes ſanctum eſſe conſuevit, *cum hominum præſidio munitum, tum etiam Divino jure eſſe vallatum.*

Atque hæc ſunt, Lector Benevole, quæ Tibi primo Tomo porriguntur, ſcripta Bynkershoekiana. Alter Tomus lautiſſima Tibi apponit Artis Criticæ, & Jurisprudentiæ elegantioris omniumque amœniorum literarum inſtructiſſima bellaria. Hæc tibi per inducias forenſes Senator Graviſſimus, his blanditiis murmura fori commutans, his ſtudioſæ remiſſionis oblectamentis fallens laborioſæ jucunda oblivia vitæ, apparavit, nunquam minus otioſus, quam cum otioſus eſſet. Quum enim libros obſervationum Juris Romani in publicum editurus Adverſaria ſua excuteret: ex illis, quæ obſervationum modum capere non viderentur, enata ſunt hæc, quæ decennio poſt Lugduni Batavorum prodierunt, ſex opuſcula varii argumenti.

Primum eorum eſt, in quo Pomponio, tot ac tantis aliorum Commentariis onuſto, tot ac tantis Grammaticorum, Hiſtoricorum, Jureconſultorum; omnium enim horum res hic agitur; nullius fere non Interpretis obtrectationibus, & inſcitiæ, errorum, oſcitantiæ reprehenſionibus vehementer laboranti, operam inſignem opemque attulit; ſubmovitque inclementiſſimum decretum terribilis Antitriboniani, *non niſi fabulas & deliria Triboniani eſſe*, detonantis. Ita Prætermissorum titulus, quem inſcripſit, admonet Lectorem, ne juſtum commentarium hic exſpectet; ne centies dicta & Interpretibus aliis obſervata hic requirat; ne rei Romanæ & originum Juris notitia non aliunde inſtructus, eorumve, quæ vulgus Interpretum ad Pomponium ſcripſit, ignarus accedat. Propoſitum erat Noſtro, Pomponii cauſam in primis agere, prætermiſſas ab aliis obſervationes dare, difficultates, quæ alios offenderunt, de medio tollere, quæ male habere videbantur, explicando ſanare, lectionis, hic illic corruptæ, emendationem ex Florentina & ſuorum codicum ſcriptura veterumque librorum editione, aliquando ex ingenio, adhibere, ſemper tamen in medicina abſtinere ferro & igne. Hæc adeo feliciter exſequutus eſt, ut nemo ſit in tanto Interpretum numero, qui pari ſolertia & Critici & JCti partes tam rite impleverit ad hanc legem, nec niſi perparcum forſitan ſpicilegium poſt ſe reliquerit. Parum itaque verecundus videri poſſim, ſi purpuræ lacinias adſuere, &, quæ mihi, Prætermissa hæc Bynkershoekiana cum Pomponio diligentius conferenti in mentem aliquando venerunt, ex Adverſariis meis huc transferre non erubeſcam. Novi

vi enim, quam impari conatu, quam exiguo ingenio nonnulla tentaverim: neminem tamen tam iniquum judicem extimeſco, qui, leviora quæ ipſe ultro profiteor, ac ſub dubitante calamo tandem adſcripſi, bonorum venia interdicere protinus velit.

Igitur in §. 2. exiſtimabam legi poſſe: *quæ omnes conſcriptæ exſtant in Libros* ſex *Papirii:* leviter immutata ſcriptura, quam nota numeralis VI. in manu exaratis Codicibus ſuggeſſit primum CUJACIO & quam deinde ſequutus eſt, RUPERTUS, legendo: *in libro ſexto Papirii.* Vix enim, quod aliis placet, videtur PAPIRIUS quinque Libris aut patrias antiquitates ritusque priſcos, aut Numæ tantum Leges de ſacris complexus, ſexto demum reliquas leges regias, velut adpendicem, adjeciſſe. Neque inpedimento eſt, quod ſequitur; *Is liber, ut diximus, appellatur Jus Civile Papirianum:* quum & partes operis plurali, & univerſum opus ſingulari locutione commode deſignari poſſint: neque inſolentem eſſe numeri in una eademque oratione commutationem, aliis exemplis conſtat, & Vir Ampliſſimus admonuit ad *L. Lecta Cap.* XII. Quarti autem caſus pro ſexto uſurpandi morem, adhuc minus eget, ut multis probem. Nec vero dicetur ſine aliqua ſpecie, ſingulis forſitan ſex libris collectas ac diſtinctas fuiſſe Regis cujusque leges, ad Superbum usque, quo regnante floruiſſe memoratur PAPIRIUS, & qui legum fuit everſor, non lator. Apud MACROBIUM certe *Saturnal.* I. *c.* 16. ex Libro II. GRANII LICINIANI de nundinis & de flaminica talia adferuntur, quæ ad Numæ aliquam legem notata, & ejusdem GRANII eſſe videntur, cujus etiam aliquid ad flaminicam pertinens laudatur apud *Feſtum* voce: *ricæ.* Quod ſi eundem credimus GRANIUM LICINIANUM atque GRANIUM FLACCUM, cujus liber DE JURE PAPIRIANO citatur *in L.* 144. *D. de verb. ſignif.* & cujus aliud fragmentum extat apud MACROBIUM *Saturn.* III. *c.* II. uti id viſum BERTRANDO & GROTIO in vitis JCtorum: GRANIUS in Commentario ſuo ſequutus eſt ordinem & partitionem JURIS PAPIRIANI, ita, ut Libro II. Numæ leges illuſtraverit. Cæterum quum in nulla re alia facilior ſit lapſus, neque frequentior, vel apud ipſos ſcriptores antiquos confuſio, quam in nominibus veterum: facile quoque ferendum eſſet in POMPONIO, ſi, quem infra §. 36. PUBLIUM vocat hoc §. 2. SEXTUM appellaſſet, quamvis & forſitan ignoraremus, anne habuerit hujus rei cauſam. Quid enim, ſi jam ejus ætate incertum fuit PAPIRII prænomen aliis SEXTUM, aliis PUBLIUM dicentibus? & quid, ſi PUBLII nomen, inde imponi ſolitum, *quod quis Populo acceptus fuiſſet*, revera olim additum PAPIRIO, *uni ex principalibus viris*, quam SEXTI prænomen ab ordine naſcendi ei in familia jam obtigiſſet? Utcunque ſit, aliud inſuper prænomen CAJI, fruſtra adfingitur *Papirio* noſtro, excitata HALICARNASSEI fide: quam is de alio prorſus C. Papirio, ſummo PONTIFICE, ſcribit, *eum Numæ leges poſt ejectos Reges in publicum uſum revocaſſe:* quemadmodum ab utroque etiam diverſus eſt Manius Papirius, quem primum Regem ſacrificulum creatum refert DIONYSIUS, & quem Pontifici fuiſſe ſubjectum, ex *Livio* novimus.

In §. 5. Verba: *His legibus latis, cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret Prudentium auctoritate neceſſariam eſſe diſputationem fori:* poſt varios aliorum conatus Vir Ampliſſ. ex MStis ſuis & vulgata legit: *ut interpretatio deſideraret Prudentium auctoritatem, neceſſariamque diſputationem fori:* Cæterum, quod Florentiæ eſt: *diſputatione fori;* id omnino, ut vitioſum damnat. Sed ſi cui ſervanda videatur Hetruſca litera, legamus: *His legibus latis, cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret, Prudentium auctoritatem neceſſariam eſſe diſputatione fori:* ut ſenſus ſit, legum decemviralium interpretationem deſideraſſe ipſa diſputatione fori, ut Prudentium auctoritas accederet, quæ certi aliquid definiret. Non diſſimulabo, Florentiæ legi etiam: *auctoritate:* ſed facilius hoc verbum, quam alterum, *diſputatione*, admittit adjectionem literæ ſimilis ſequenti, *n:* hoc modo: *auctoritatem neceſſariam.* Utique niſi alterutrum nomen in quartum caſum redigamus, nullus educi ſenſus poteſt.

Eodem tempore & Magiſtratus jura reddebant, & ut ſcirent cives, quod jus de quaque re quisque dicturus eſſet, ſeque præmuniret, *Edicta proponebant:* ſic vulgo legitur in §. 10. Habent tamen Editiones quædam: *ſeque præmunirent:* & ſequuntur hoc plerique Interpretes, confirmat etiam Noſter ex MStis ſuis: atque hoc modo τὸ *præmunire* refertur ad cives. Neſcio, anne ex proprietate locutionis Latinæ & uſu Juris commodius legatur, nulla inſerta, ſed una leviter mutata Litera: *ſeque præmoneret:* i. e. Magiſtratus cives initio Magiſtratus moneret. *Præmonere*, eſt mature, in tempore monere. Senſus eſt facilis & planus: *ut ſcirent cives, quod jus de quaque re quisque dicturus eſſet, ſeque præmoneret; Edicta proponebant.* Monendi verbum eſt proprium Edictorum; ut multis PLINII, TACITI, SUETONII locis oſtendit *Barn. Briſſonius, de formulis* L. III. *Divi fratres Edicto admonuerunt*, ait MARCIANUS in *l.* 39. D. *de Religioſ.* Inter ipſa Magiſtratuum E-

di-

dicta ſunt quædam *monitoria:* & noti ſunt CALLISTRATI libri ſex ad *Edictum monitorium:* remque ipſam animadvertit BERTRANDUS, in *Calliſtrato:* Lectionem tamen nemo, quod ſciam, tentavit.

Magiſtratus legitimi, qui & quo intellectu dicantur in §. 19. difficilis eſt inſpectio: & quæcunque ad hunc nodum ſolvendum tentata fuerunt ab aliis, adeo diſplicent Noſtro, ut reprobatis illis omnibus, verba: *Magiſtratus tamen habebantur legitimi*, tandem ab hoc §. 19. divellenda & rejicienda ad ſequentem §. 20. duxerit. Videbatur autem mihi tota hæc ſententia vel Triboniani, vel alterius gloſſema eſſe, differentiam adnotantis Præfectorum Prætorio à Magiſtris Equitum, quibuscum illi etiam comparantur ab *Arcadio Chariſio* in *l.* 1. *pr. D. de offic. præf. præt.* Hoc ſcilicet admoneri judicabam, ne quis putaret, Præfectos Prætorio æque minus *Pomponii* ætate fuiſſe Magiſtratus legitimos & ordinarios, ac libera R. P. fuerint Magiſtri Equitum, Dictatoribus adſociati. Sed quia gloſſarum & emblematum prætextus raro placet: eodem modo ſenſuque, ita ſolum, ut ipſius *Pomponii* ſermo fiat, accipiamus hæc verba verecunde mutata: *Magiſtratus tamen hi habebuntur* (vel etiam: *habentur*) *legitimi*, ſcilicet Præfecti Prætorio. Quamvis enim poſt ætatem *Pomponii* demum Civilis Præfectorum poteſtas ampliſſimas vires ceperit: erat tamen jam, pleniore licentia ad diſciplinæ publicæ emendationem data, etiam ſub Trajano & Hadriano ſumma hujus Magiſtratus auctoritas & aliquando ipſi Principi moleſta potentia, ut Exemplo Attiani Præfecti Prætorio conſtat, de quo *Spartianus.* Sed, quod nobis jam ſufficit, erat horum Præfectorum Magiſtratus inde ab Auguſti inſtituto perpetuus & ordinarius, quemadmodum ex continua eorum ſucceſſione cognoſcere eſt apud PETR. FABRUM, *Semeſtr.* I. *Cap.* I.

In §. 24. ab initio, omnia ſunt male contorta & perplexa, niſi ſola diſtinguendi ratio in cauſa eſt; quam proinde, plurimum refert, quomodo in ordinem redigamus. Tentavi autem hoc modo: *Et cum placuiſſet leges quoque ferri, latum eſt ad populum, uti omnes magiſtratu ſe abdicarent, quo Decemviri conſtituti, anno uno. Cum Magiſtratum prorogarent ſibi & eum injurioſe tractarent, neque vellent deinceps ſufficere Magiſtratibus, &c.* Ita quidem nulla verborum tranſpoſitione opus eſt, nec jam difficultas reſtat in vocula: *quo* LIVIUS: *Placet creari Decemviros ſine provocatione, & ne quis eo anno alius Magiſtratus eſſet.* Juſſi itaque omnes Magiſtratu ſe abdicare, eo anno uno, quo Decemviri conſtituti. In ſequentibus lego: *& eum* (pro *cum*) Magiſtratum ſcilicet Decemviralem, *injurioſe tractarent.* Duriuſcule enim dicitur, *injurioſe tractare*, ſine adjectione rei vel perſonæ patientis. Magiſtratum vero injurioſe tractarunt, i. e. geſſerunt, adminiſtrarunt, quomodo apud TACITUM eſt: *regnum tractare*, *Annal.* II. *C.* 67. Poſſit & ex eadem leviuſcula emendatione ſuſtineri, quod porro ſequitur: *neque vellent deinceps ſufficere Magiſtratibus;* ſcilicet ſi hic iterum ſubaudias, *eum*, puta Magiſtratum, quem retinebant. Si nobis alia parum, cultiora toleranda ſunt in POMPONIO, quidni & hoc ferremus: *Magiſtratum ſufficere Magiſtratibus*, pro ſufficere Magiſtratus in locum Magiſtratus Decemviralis a ſe geſti? Poſſit etiam verbum *ſufficere* non inſolenti ſignificatu accipi, ut ſit *præbere*, *concedere:* poſſit denique citra violentiam legi: *ſubjicere;* quo pacto ſenſus foret apertus, neque minus veritati rei conveniens. Sed ſi nihil horum placet, retineamus emendationem BUDÆI: *Sufficere Magiſtratus* i. e. ſubrogare. LIVIUS: *Idus Majæ venere, nullis ſubrogatis Magiſtratibus, privati pro Decemviris . . . prodeunt.*

In §. 26. ſive legas, *Tunc, ut aliquo pluris patres haberentur:* ſive retineas *ut haberent*, & ſubaudias *cives* vel *plebeji:* ſenſus utroque modo idem conſiſtit. Vult autem POMPONIUS, ut, quod prærogativæ & auctoritati Patrum deceſſiſſet, Conſulum altero ex Plebe creato, nunc ipſis augmento alio penſaretur, factos eſſe ex Patribus duos Ædiles Curules, & Prætorem quoque creatum, qui in Urbe Jus diceret, de quo *in* §. *ſequ.* LIVIUS: *Hos ſibi patricii quæſivere honores pro conceſſo plebi altero Conſulatu.* Connectendus vero eſt cum hoc §. 26. qui ſequitur §. 27. ut copulativæ duæ ſatis indicant. Et ſic abſolvitur POMPONIUS a culpa, quæ ipſi impingi ſolet, quod, ſuppreſſa omnino vera illa Prætoris primum creati cauſa, ſubſtituiſſet aliam. Tota POMPONII narratio ita cohæret: *Tunc, ut aliquo pluris Patres haberent, placuit, duos ex Numero Patrum conſtitui: Ita facti ſunt Ædiles curules: Cumque ſubinde Conſules avocarentur bellis finitimis, neque* adhuc *eſſet* alius Magiſtratus, *qui in Civitate* ipſis abſentibus *jus reddere poſſet, factum eſt, ut Prætor quoque* eadem cauſa, qua Ædiles, eodemque tempore *crearetur.*

In §. 36. Ampliſſimus van BYNKERSHOEK accurate docet, de Appiis Claudiis tantum duobus, Decemviro & Centummano, ſermonem eſſe, idque ſignificari, *hunc ab illo proces-*

ceſſiſſe videri, tanquam gentilitium. Obſtare modo videtur, quod Pomponius jam dixit paulo ante: *Poſt hunc* (Decemvirum) *Appius Claudius ejusdem generis.* Poſſint itaque illa: *qui videtur ab hoc proceſſiſſe*, iſto ſenſu abundantia & ſuperflua videri: nec tamen hæc minus perferenda forent, ac illud in §. 5. *Ut cæteræ partes Juris ſuis propriis nominibus deſignantur, datis propriis nominibus cæteris partibus.* Verum hic in §. 36. nulla eſt ejusmodi geminatio, quippe locutio, *ejusdem generis*, non de origine & gente Appii Claudii, ſed de genere ſcientiæ, quo eminuit, accipi debet. Maximam ſcilicet ſcientiam ejusdem generis, qualem Papirius & Appius Claudius Decemvir habuerunt, ei attribuit Pomponius, poſtquam Juris Civilis ſcientiam profeſſos, qui maximæ dignationis apud P. R. fuerint, commemorare inſtituit §. *præced.* 35.

Ad §. 41. Vir Ampliſſimus e famoſo Valerii Maximi loco, *Lib.* VIII. *C.* 8. tollit *Scurriles luſus*, Publio Mucio, Pontif. Max. viro graviſſimo, nimis indignos, & poſt varia multorum commenta, legit tandem: *in turrilibus luſibus.* Ingenioſam conjecturam deſtituit auctoritas, ſaltem nominis *turrilis.* Sit enim licet apud Martialem in *Apophoretis* turricula, hoc epigrammate decorata.

Quærit compoſitos manus improba mittere talos
Si per me miſit, nil niſi vota facit.

Ipſe tamen turrilis luſus, aut ſaltem nomen *turrilis* nuſpiam occurrit. Scio, Rutgersii emendationem hactenus Viris eruditis perplacere, legentis: *in ſenilibus luſibus.* Quoniam tamen ſpurium illud: *ſcurrilibus*, tantum libri typis expreſſi & manuſcripti quidam pauciores, neque ii ſatis antiqui, habent: contra vero plerique Codices vetuſtiores exhibent: *ſcenis* vel *ſcænis*, alii *ſceais*, quidam *inſenis:* teſtibus Pighio, Colero, Perizonio, Vorstio, & noviſſimo Valerii editore, Cl. Abram. Torrenio: hæc, ipſa licet minime conſtans, nec incorrupta, ſcriptura non omnino negligenda videtur. Si quid igitur periclitari licet, legerim: *In ſenis luſibus*, i. e. luſibus ſenorum, ſeu duodecim ſcriptorum, quibus excelluiſſe Mucium, Cicero *de Orat.* I. *C.* 50. & Quintilianus *Inſtit. Orat.* XI. *C.* 2. teſtantur. Martialis *Lib.* XIV. *epigr.* 15. de tabula luſoria.

Hic mihi bis ſeno numeratur teſſera puncto.
Calculus hic gemino diſcolor hoſte perit.

Senis enim, ſive bis ſenis, ſi ab utraque parte ludentium numeres, punctis aut lineis, quæ *ſcripta* vocabant, diſtincta erat tabula luſoria, in quibus calculos varie diſponebant veteres, prout teſſeræ cecidiſſent. Hinc *vias ſenariis locis diſtinctas* Isidorus *Lib.* XVIII. *Orig. Cap.* 64. dixit illum *ſcriptorum tramitem*, ut vocatur in Epigrammate veteri de alea, apud Souterium *Lib.* I. *C.* 16. Ab hiſce igitur Senariis locis, ſive *ſenis*, aut *bis ſenis*, prout numeraverit, punctis ſive ſcriptis, conjicio, Valerium appellaſſe luſus ſcriptorum *ſenos luſus*, in quibus hominem egerit Scævola. Fateor, ſenos luſus a nemine veterum ſimiliter dici, non magis, quam *turriles luſus:* verum probatum tamen dedi uſum nominis numeralis *ſeni* in ſcriptorum luſibus, & aptam vel maxime huic loco ejusdem ſignificationem oſtendi. Quod ſi nondum ſeni luſus placere poſſunt: ita dividam orationem, ut alterum nomen *ſenis*, idque abſolute poſitum, a præpoſitione *in*, alterum *luſibus* a verbo ſequente regatur, hoc modo: *Ut enim in ſeriis rebus Scævolam, ita, in ſenis, luſibus hominem agebat.* Sic luſus opponuntur ſeriis rebus: deſcribuntur vero ſimul iſti Scævolæ familiares luſus, *in ſenis*, ſcilicet *ſcriptis*, hoc eſt in alveo. Nota ſunt Ciceronis apud Nonium Marcellum verba: *Itaque tibi concedo quod in* XII. *ſcriptis ſolemus, ut calculum reducas:* ex quibus ineptus ille, quem Franc. Balduinus ridet in Commentario de LL. XII. *Tabular.* colligebat, in legibus XII. Tabularum aliquid extitiſſe de errore calculi. Quemadmodum in his verbis per XII. *ſcripta* indicatur ſcriptorum, ſeu ſcriptulorum luſus: ita commode potuit idem *per ſena ſcripta*, aut *ſenis* abſolute poſitis, ut ſcripta ſubintelligas, apud Valerium ſignificari. Cæterum ſcurrile iſtud Librariorum facinus, quod nobis *ſcurriles luſus* protulit, non aliunde originem habet, quam ex præcedentis *Libri* VII. *Cap. ultimo*, memoriæ deſcribentium adhuc obverſante, niſi forte, ſenos luſus minime intelligentes, ſtudioſe ex eodem loco, ita emendarunt. Idem vero, quem indicavi, locus fortiter intercedit, quo minus amœniore ſenſu ſcurriles Scævolæ luſus apud Valerium interpretari queamus.

Ad §. dubitat quidem Noſter, an ſatis Latinum ſit, *tractari contumelia*, & proinde laudat emendationem: *ea velut contumelia Servius tactus.* Sed recte habet etiam com-

munis lectio: quippe non ſolum ex nominis cum adverbio commutatione iſta locutio explicari poteſt, ſed & ipſa Latiarium literarum parens ita multis locis: *tractare aliquem honore. dignitate, gratia; tractare aliquem præſtanti fide; tractare aliquem ita omnibus rebus, ut intelligat &c. tractare auditores eodem verborum genere.*

In §. *ultimo* accurate Vir Ampliſſimus in verbis: *ſed plerumque judicibus ipſis ſcribebant, aut teſtabantur, qui illos conſulebant:* intelligendas, admonet, ipſorum JCtorum de Jure teſtationes. Sed propterea opus non eſt, ut legamus; *quos illi conſulebant*, pro: *qui illos.* Spectat enim oratio ad judices: *his ipſis JCti ſcribebant* abſentibus, *aut teſtabantur* præſentibus *qui illos* (*JCtos*) *conſulebant.* Alias ſcribendum erat: *quos hi* (Judices, de quibus poſtremo ſermo fuit) *conſulebant.*

Habes, Lector Candide, qualia jam initio profeſſus fui, leviora, quæ mihi in Adverſariis nata erant: luculentiora quædam dedit *Vir Clariſſimus*, Christfridus Wæchtler, JCtus Dresdenſis, in actis Eruditorum Lipſienſibus, Anni MDCCXX. *p.* 112. *ſeqq.* cujus ad reliqua etiam quinque hujus alterius tomi Opuſcula doctas obſervationes, *ibidem pag.* 499. *& in ſupplement. Tom.* VII. *Sect.* VII. & duabus ſequentibus propoſitas noſtrum eſt non ſine debita honoris & laudis mentione commemorare. Nec ingratum forſitan erat futurum, ſi, quæ Vir eruditiſſimus animadvertit, potiſſima ſummis tantum punctis ad ſingula opuſcula adnotaremus, niſi creſcentes ſub manibus chartæ monerent, eſſe aliquando cogitandum de portu, ne præfationis modum nimis excedimus. Itaque de his, quæ ſequuntur, opuſculis parcius dicendum erit: & quidni? quum & argumentorum ſubtilitas ac præſtantia, & ſumma in tractando eruditio ea jam pridem omnibus cognita celebrataque effecerint. Quotusquisque enim eſt, non lymphis paluſtribus, ſed ſplendidioris Jurisprudentiæ fontibus vel leviter adſuetus, qui rerum mancipi & nec mancipi, dominii Quiritarii & Bonitarii diſtinctionem, ad varia Juris Romani capita intelligenda prorſus neceſſariam, & paucis Veterum JCtorum aliorumque Auctorum fragmentis ac teſtimoniis hauriendam non ignorat: qui non ſimul didicerit, id ipſum egiſſe Illuſtrem van Bynkershoek in opuſculo de Rebus Mancipi et nec Mancipi, nobisque argumentum ſatis obſcurum ac perdifficile, ex ipſis tenebris quæſita luce, primum ex præſcripto & perfectius illuſtraſſe. Nam præclara induſtria Viri longe celeberrimi Ant. Schultingii in immortali opere, *Jurisprudentia Antejuſtinianea* occupaverat quidem, quæ Noſter de modis acquirendi dominii ad Ulpiani et Varronis loca, & ad fragmenta veterum duo de mancipatione & in jure ceſſione meditabatur; ſed in mancipi, nec mancipi rerum illuſtratione adhuc ſe pulchra laudis oſtendebat occaſio. Neque officiet quidquam luminibus Viri Ampliſſimi, quicunque poſt inſignes ipſius curas æquo Jove in eodem argumento non nihil molietur: id res ita fert, perparce literis mandata & ad poſteritatem propagata, fragmentis Veterum neque integris neque ſatis accurate definientibus noſcenda, ita, ut pleraque tantum exempli cauſa poſita, alia, tanquam ſolemnitates & momenta juris quotidiani, in quo omnes verſarentur, omiſſa videantur: quam in rem obſervavit nonnulla, quem paulo ante laudabam, Cl. Wæchtlerus.

Succedit opuſculum *de Jure occidendi, vendendi & exponendi Liberos apud Veteres Romanos,* quo Vir Ampliſſimus præcipue diſputavit contra Gerardi Noodt Librum ſingularem, quem præſcripſit Julius Paulus, ſive *de partus expoſitione & nece apud Veteres.* Defenſionem libri ſui idem Vir Celeberrimus ipſe ſuſcepit in *Amica reſponſione ad difficultates Julio Paulo, ſive libro de partus expoſitione & nece motas:* quam una cum Noſtri animadverſionibus, prout ſub inſcriptione Curæ Secundæ *de jure occidendi & vendendi liberos &c.* prodierunt, in calce tomi ſecundi adjecit bibliopola. Cardo diſputationis in eo vertitur, quamdiu rigor ille patriæ poteſtatis in liberos, ac præſertim infantes & partus recens natos projiciendi, mergendi, occidendi, exponendi licentia in foro Romano perduraverit? At expulſum eſſe ferocius illud jus, humanitate & manſuetudine ſæculi, jam temporibus Trajani, Adriani & Antoninorum, neque adeo licuiſſe Jure Pandectarum immanem iſtam partus abjiciendi & exponendi poteſtatem, ſed, ſi non pœna certa, extra ordinem utique punitos fuiſſe patres, tantum ſcelus auſos, Vir Ampliſſimus demonſtrat: quum Noodtius, ſententiam Justi Lipsii ſequutus, crudele jus patrum in recens natos infantes ſtetiſſe jure Pandectarum, ultra etiam ad usque Principatum Valentiniani, Valentis & Gratiani, defendiſſet, &, quo potiſſimum amoliretur argumentum, quod obſtaret apud Paulum *Lib.* II. *Sentent. in l.* 4 *D. de agnoſcend. & alend. liberis* ſollicite diſtinguenda eſſe præcepta officiorum ab regulis & decretis juris, atque ad illa referendam eſſe Pauli ſententiam in *d. l.* 4. operoſe contendiſſet, quod ipſum quoque Noſter, iſto Pauli loco inſigniter illuſtrato & regulis decretisque Juris vindicato, confutavit.

De

De Cultu Religionis Peregrinæ apud Veteres Romanos ſcribendi cauſam præbuerunt inſignia & quantivis pretii monumenta duo veteris ævi, religionem peregrinam coërcentia, SCTUM MARCIANUM DE BACCHANALIBUS TOLLENDIS, ET EDICTUM DIOCLETIANI ET MAXIMIANI CONTRA MANICHÆOS. Ita vero in hoc argumento, imo vero & in emendandis atque interpretandis his antiquitatis reliquiis verſandum ſibi duxit Noſter, ut, quidquid ſcriberet, non ad aliam, quam Jurisprudentiæ profeſſionem ſpectaret; idque duabus communivit diſſertationibus, quarum altera, *cultum religionis ſemper pertinuiſſe ad curam legum & JCtorum* oſtendit; *altera quo loco apud Romanos fuerint religiones peregrinæ & an earum cauſa licuerit coire*, disquirit; ſed ita, ut, minime per ætates omnes eundo, quasdam duntaxat eorum leges moresque recenſeat. Ab his convertitur ad illuſtre de Bacchanalibus tollendis SCtum Q. Marcio Philippo & Sp. Poſthumio Albino Coſſ. factum: quod JAC. GRONOVIUS, RAPH. FABRETTUS & JO. CLERICUS ediderant, de interpretatione tamen vel reſtitutione parum ſolliciti. Nullum eſt inter ærea, quæ nobis ex antiqua Roma ſuperſunt, fragmina, nulla eſt earum legum, quas CAR. SIGONIUS & FULV. URSINUS vulgaverunt in publicum, quæ SCtum hoc vel vetuſtate vel dignitate antecellat. Ampliſſimus Præſes ſequutus eſt in ipſo exhibendo GRONOVIANAM editionem, improbata plerumque *Fabretti* ſcriptura, quæ ſubinde nullum habere ſenſum videbatur. Nuper vero literatiſſimus Italus, SCIPIO MAFFEI in præclaro & rarioris doctrinæ libro, *Hiſtoria diplomatica pag.* 125. de novo illud adſcripſit, ut videtur, e Fabretti opere Inſcriptionum, nec ſine quibusdam emendationibus, quarum tamen non niſi unicam a Noſtri conjecturis diverſam attulit, legendo *in lin.* 23. parte quinta SCti: ENDO VOLGOD: i. e. in vulgo, ubi FABRETTUS edidit illud horridum: INDQUOLTOD: vitioſiſſime ut Noſter pronuntiat, *& quod nemo intellexerit.* Poſt ultima verba: IN AGRO TEURANO; quædam vetuſtate exeſa punctis indicavit Clariſſimus MAFFEI, qui, ſe nulla arte, nulla opera tantum vetuſtatis theſaurum, SCti hujus antiquiſſimi æra, inveſtigando alicubi Italiæ locorum reperire potuiſſe, profitetur. Sed nos amicus eruditiſſimus, cui ſacrum hoc Cimelium in Muſeo ſancto & venerabili nunc ſervatum, propius videre, & contingere datum eſt, fortunæ ſuæ participes eſſe voluit, dum formam ejus litterarumque figuras & pleraque antiquæ & veræ lectionis à ſcripturis editis diſcrimina nobiscum benevole communicavit. Dabimus itaque operam, ut integrum SCtum MARCIANUM ex antiquo ære repræſentatum compareat inter acceſſiones ad opus BRISSONIANUM *de Formulis.* Interea unum delibabimus, idque haud poſtremum ſpecimen, quoniam de FABRETTI ſcriptura: INDQUOLTOD; mentionem injecimus. Caſcum enim hoc omnino eſt, nec niſi una Littera D. corruptum: habetque authenticum: INOQUOLTOD, i. e. *in occulto.* Scilicet prohibet SCtum: *Sacra in occulto ne quisquam feciſſe vellet, neque in publico, neque privato, neque extra Urbem ſacra,* (Bacchanalia) *quisquam feciſſe vellet.* Nemo neſcit, nefanda hæc ſacra prohibita fuiſſe, non ob Religionem, quantumvis peregrinam, ſed ob ſcelera, ejus prætextu per occultas coitiones perpetrata, quibus Bacchanalia ſecretum præbebant. Statimque in SCto ſequitur forma, qua, qui ſibi neceſſum eſſe Bacchanal habere dicit, publicam permiſſionem & auctoritatem impetrandam habet.

Quintum opuſculum *de Captatoriis inſtitutionibus*, a nemine pro dignitate argumenti ex profeſſo & integre pertractatis, niſi THOMASIANAM forte diſſertationem excipere velis, a Noſtri tamen curis ſatis diſtantem, non alias inſtitutiones captatorias attingit, quam quæ ad legum tabulas pertinent, & quas Jurisprudentia coercet, omiſſis, quas poetæ ſale ſuo perfricant, mille captatorum fraudibus, quæ magis a ſecreto cujusque animi pendent, quam ut ſub legislationem publicam cadant. Itaque Vir Ampliſſimus in illuſtrandis legibus duabus, *l.* 70. *& l.* 71. *D. de Hæred. inſtit.* quibus PAPINIANUS & PAULUS agunt data opera de captatoriis inſtitutionibus, atque in earundem ſententiam explicandis *l.* 81. §. 1. *& l.* 29. *D. eod. tit.* itemque *l.* 20. §. *ult. D. de condit. inſtit.* totus verſatur: oſtendit, quæ veræ ſint captatoriæ inſtitutiones, quæ non, licet eſſe videantur; quæ ſint captatoriæ ſcripturæ formulæ, & quemadmodum his conditio hamata inſit; quemadmodum hæc non inſit aliis, utut prima ſpecie ita videri poſſit.

Claudit pulcherrimum ſenarium, quod reſtat, opuſculum *de legatis Pœnæ nomine.* Habebat, ſi qua alia, hæc utique juris Romani particula ſollicitum, ut ipſe profitetur, Virum Ampliſſimum, inde a puerili ætate. Videbat, legata pœnæ nomine relicta damnaſſe veterum Jurisprudentiam, ſed, cur damnaverit, a nemine pro dignitate veterum JCtorum expediri, nec quomodo illud cum ratione & reliqua Jurisprudentia recte componi poſſit, oſtendi. Exiſtimabat itaque, TRIBONIANUM, quid veteribus legata pœnæ nomine fuerint, non ſatis intellexiſſe, atque exempla attuliſſe prorſus aliena, denique exceptionem feciſſe id, quod ipſa regula fuiſſet apud veteres, *in* §. *ult. Inſtit. de legatis*, ut

ut novum jus a principe ſuo, more alias quoque ſibi familiari conſtitutum referre videretur. Interjecta igitur unica digreſſione *ad l.* 1. *& l.* 2. *D. de his quæ pœn. cauſ. relinq.* omnem Juſtiniani doctrinam *in d.* §. *ult. inſt.* ad ſingula capita quibusdam Paragraphi verbis præſcriptis, diligentius excuſſit, aliterque quam fit vulgo, legatis pœnæ nomine, ex ſententia veterum Auctorum, aliter quoque exemplis, quæ occurrunt, explicatis; inter veterem novamque Jurisprudentiam hac parte nec quidquam intereſſe decrevit. Meum non eſt, vel Sacratiſſimi *Imperatoris* vel *Triboniani* cauſam hic defendendam ſuſcipere, pro qua *Ill. Gundlingius* in doctiſſima Diſſert. de Principe herede ex teſtamento civium, *Cap.* 6. §. 32. & nuper Vir Celeberrimus *Everardus Otto* in elegantiſſimo commentario ad Inſtitutiones Juſtinianeas ad iſtum §. *ult. de legatis*, erudite dixerunt. Horum poſt monita quantum valeant curæ Ampliſſimi Bynkershoekii, judicent ipſi, quibus ſuffragii jus eſt: hoc ſaltem videtur, Juſtinianum, quum incertum ſæpius eſſet, quæ ſint legata pœnæ nomine relicta, propter ambiguam pœnæ, nunc ex artis uſu, nunc populariter acceptæ, ſignificationem, de iis quoque legatis, quæ, etſi non ſint vere, videntur tamen eſſe pœnæ cauſa facta, agendum duxiſſe, &, quo omnes hac de re ſcrupuloſitates ac tricæ uno ictu præſcinderentur, ſtatuiſſe, ut valerent hujusmodi teſtatorum voluntates, exceptis iis, quæ impoſſibilia ſunt, vel legibus interdicta, aut alias in ſe & aperte probroſa, de quibus multa ſcrupuloſitate aut diſputatione hærendum non eſſet.

Jamque nil reſtat, quod Tibi amplius moram objiciamus, *Lector Benevole*, ad ipſam excellentiſſimorum Operum lectionem avide pergenti. Quamobrem Vale, hisque deliciis, imo & gazis pulcherrimis mecum utere, fruere ad Jurisprudentiæ incrementum, cæterum mihi meisque ſtudiis fave. Enim vero, quos cœca typographi manus & ſupinus emendantium error aut negligentia venuſtiſſimo huic opuſculorum corpori ingeſſerunt, nævi mendaque, quorum nihil culpa factum eſt mea, tenebunt ſuos auctores. Scribebam Vitembergæ Prid. Non. *Aprilis* MDCCXXIX.

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI ET PRÆSIDIS,

PRÆTERMISSA

AD

L. II. DE ORIGINE JURIS.

AD LECTOREM.

Paucis te, Lector, volo. Pomponium, tot & tantis Commentariis onuſtum, & ipſe explicare aggredior, ſed alio, quam alii, conſilio. Quæ de *Origine Juris*, *& omnium Magiſtratuum*, *& Succeſſione Prudentum* dici poſſunt, integris Libris dicta, & fere pertractata ſunt, nec quiſquam nunc ex profeſſo de his omnibus agat, quin appoſiturus ſit cramben recoctam, ad quam vel leviter eruditi nauſeent. Juſtum igitur Commentarium ad *l. 2. ff. de O. J.* ne hic exſpecta, ne originem Juris, qua patet, per omnes partes ab Urbe condita ex Annalibus petitam & digeſtam, ne Hiſtoriam Magiſtratuum Romanorum, eorumque officia & viciſſitudines, ne vitas JCtorum veterum, & ne eorum quidem, quorum meminit Pomponius. Alii, ut dixi, id præſtiterunt prolixis Commentariis, & eorum vel nimia copia laboramus. Spicilegium hic habes, poſt aliorum meſſem, nam, niſi fallat Titulus, *Prætermiſſa* ſcribo. Conſtitit mihi hic Libellus magno labore, neque enim ſcire poteram, an, quæ ſcriberem, ab aliis prætermiſſa eſſent, niſi conſultis & excuſſis omnibus, qui ad interpretationem *h. l.* 2. ſymbolam contulerunt, & eorum ſeges eſt longe maxima, non enim JCtorum duntaxat, ſed & Grammaticorum hic res agitur, quiqui ex his fere unquam fuere majorum Gentium, operam certatim ſuam Pomponio navarunt. Hos omnes, quos quidem habere potui, evolvere & revolvere tanto mihi tædio fuit, ut non ſemel vel ipſius conſilii, quod ceperam, pœnituerit, nam norunt, qui me norunt, vix eſſe horarum noſtrarum, tantum operæ collocare in edolando exiguæ molis Libello. Sed devorandus fuit ille labor, quia de Pomponio hic illic illuſtrando fidem dederam amicis, & illi fidem meam publico obligaverant, & ſic habes hæc *Prætermiſſa*. Ut tamen operam levarem, ita hic ſum verſatus, ut Auctores ſæpe ſolos laudaverim, non adſcriptis verbis, & ne quidem locis, quæ paſſim ab aliis Interpretibus recitata, & iterum iterumque deſcripta erant. Ferendum id eſt in homine negotioſo, ego etiam in otioſis laudo.

Miror autem & indignor, eorum, qui ad Pomponium accedunt, operam in eo quam maxime occupari, ut errores ejus & nævos accuſent, ut nihil loquantur, nihil fere crepent, quam Pomponii παροράματα, ἀνιςορησίας, & ἀναχρονισμὺς, ſed quid dico *Pomponii*, quum, vel eandem ob cauſam, Franciſcus Hotomanus, pluribus locis, hanc *l.* 2. ipſi Pomponio adjudicet, tam effreni zelo, ut in *Antriboniano* non dubitaverit, inclementi elogio, adfirmare, *non niſi fabulas & deliria Triboniani continere.* Proterva ſane, nec minus iniqua cenſura! omnino Pomponii eſt hæc *l.* 2. cujus nomen præ ſe fert, nec ego hunc ejus partum; ut monſtroſum, necari velim. Antonio Fabro quidem ſolemne eſt primum bonam copiam ejurare, & mox in unum Tribonianum fabam cudere, ſed neſcio, quid Hotomanum, quid alios Interpretes, tantum non omnes, moverit, ut, quo plus præſtant in Pomponio exagitando, eo plus ſibi videantur doctiores & ingenioſiores. Ego conſtitui cauſam Pomponii agere, quam potero maxime, quum non potero, ſi forte id incidat, ut incidit rariſſime, ſic habe, Lector (quod nunc ſemel moneo, ne deinceps continuo repetam) facile potuiſſe hominem labi, qui, ut hic Pomponius, in recenſendis rebus Memoriæ veteris, origine repetita ab ipſis Reipublicæ Romanæ incunabulis, tam multa dixit brevi compendio. Pomponium alicubi fuiſſe lapſum non tam mirer, quam mirarer, nullibi fuiſſe lapſum. Quæcunque ipſe narrat, facti ſunt, utque facti interpretatio etiam prudentiſſimos quoſque fallit, ſic maxime fallit in his, quæ ab aliis accipimus, ut accipimus omnia, quæ ab ætate noſtra longius remota ſunt. De veteri ævo Romanorum Titus Livius dixit *L.* VIII. *C.* 40. *in fin.* *Et ſingulorum geſta, & publica monumenta rerum confuſa, nec quiſquam æqualis temporibus illis Scriptor exſtat, quo ſatis certo auctori ſtetur.* Quare non auſim Pomponio, eive, quem ille auctorem ſequitur, derogare fidem, quamvis forte aliter rem geſtam memoret vel ipſe ille Titus Livius, vel Dionyſius Halicarnaſſeus, nam & ipſi ſæpe inter ſe diſſentiunt, & uterque rurſus ab aliis,

iis, *nec facile eſt aut rem rei, aut auctorem auctori præferre*, ut in ſimili cauſa dixit idem Livius *d. L.* VIII. *C.* 40. Prima particula Hiſtoriæ Romanæ, quam hic tradit Pomponius in *l.* 2. §. 2. de diviſione nempe Populi Romani, à Romulo facta, aliter traditur a Livio, aliter a Dionyſio, & rurſus aliter a Plutarcho; & quum nemo hæc omnia recte compoſuerit, velim ſcire, ecquis eorum auctorum magis idoneum & fide dignum fuerit ſecutus? ſed non eſt, qui tuto dicat. Atque ita etiam, quod Pomponius retulit in *h. l.* 2. §. 37. de duabus teſſeris, altera pacis, altera belli, aliter refertur a Livio, aliter a Gellio, aliter ab aliis. Et Publius Rutilius Rufus, quem Pomponius in *h. l.* 2. §. 40. ait fuiſſe *Proconſulem Aſiæ*, Epitome Liviana facit *Legatum Proconſulis*, Aſconius *Quæſtorem*, & quis iterum dixerit, cui ex his omnibus credere æquius melius ſit? Nolim aliunde exempla petere, quam ab his, quæ & Pomponius hic habet, alioquin facili negotio oſtenderem, inter Hiſtoricos, veteres, novos, ſæpe non magis convenire, quam inter tres pluresve convivas. Quin ſi omnes, qui ex antiquitate ſuperſunt, uno ore a Pomponio diſſentirent, quidni id feramus eo animo, quo ferimus in aliis, qui in rebus facti lapſi ſunt? poſſem ejusmodi exempla adferre ex reliquis Juris auctoribus, poſſem ex ipſo Cicerone, promptuario illo Hiſtoriæ Romanæ & Græcæ, ſi, ut longius præfarer, ratio brevis Opuſculi pateretur.

Sic defenderem Pomponium, quum alia ratione defendi non poſſet, ſed fere poteſt ſemper, ſi non calumniemur, ſi non ſectemur minutias, ſi denique Lectionem, hic illic corruptam, integritati ſuæ reſtituamus. In emendando autem Pomponio quum Baſilici ſuppetias non ferant, alia ſubſidia huc advocavi, quibus commodum & prudenter id fieret. Conſului præter Libri Florentini ſcripturam, quam Taurellius edidit, etiam eam, quam Florentia ad me transmiſit vir Doctiſſimus Henricus Brenkman, quamque hic alicubi repræſento, dum integrum ejus Viri Opus avide exſpectamus. Contuli præterea tres Libros MSS. duos meos, alterum cum Gloſſis, alterum ſine Gloſſis, tertium vero Campenſem, de quo moneo ad *h. l.* 2. §. 11. Contuli & veteres Editiones, quæ ante Editionem Taurellii prodierunt, & fere Manuſcriptorum loco habendæ ſunt, & ex his omnibus notavi Lectionum varietates, quæ quidem alicujus pretii erant, omiſſis fere illis, quæ non erant niſi manifeſta ſcripturæ vitia, vel adeo levia, ut ſenſum non turbarent, vel etiam ridicula, nam & in hoc genus opere nimia poteſt eſſe & inutilis diligentia. Plurima loca, quæ male videbantur habere, ita explicavi, ut nunc, ſi recte explicaverim, bene habeant, ſed & quædam reſtitui, quæ Medico egebant, vel ope Librorum, vel levi Chirurgia, nunquam enim ſoleo ferro medicinam quærere. Nullam difficultatem ſciens prudensque prætermis, nec tamen ea omnia, quæ ſolent alii, difficultatum numero habui. Si Pomponius ἐν πλάτει, ut ajunt Græci, locutus, omnia unius rei facta non enarraverit, id fecit aliorum Auctorum exemplo. Si in enumerandis Magiſtratibus ſæpe neglexit rationem temporis, ſervavit dignitatis, vel ſimilitudinis munerum; idque alii prætulerint. ſunt ejusmodi plura, quæ tranſeo. Velim autem, qui hæc legerint, Hiſtoriam Romanam aliunde ſcire, neque etiam ignorare, quid Vulgus Interpretum ad explicandum Pomponium attulerit; qui ita inſtructus non acceſſerit ad hæc *Prætermiſſa*, hunc jubeo res ſuas ſibi habere, & meas mihi relinquere. Ita, Lector, vale.

PRÆ-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK
JCTI ET PRÆSIDIS,
PRÆTERMISSA
AD
L. II. D. DE ORIGINE JURIS.
VERBA LEGIS:

Pomponius Libro ſingulari Enchiridii.

N*eceſſarium itaque nobis videtur ipſius* Juris Originem, *atque proceſſum demonſtrare.*

§. I. *Et quidem initio Civitatis noſtræ populus ſine lege certa, ſine jure certo primum agere inſtituit; omniaque manu a Regibus gubernabantur.*

§. II. *Poſtea aucta ad aliquem modum Civitate, ipſum Romulum traditur populum in triginta partes diviſiſſe, quas partes* Curias *appellavit: propterea quod tunc reipublicæ curam per ſententias partium earum expediebat. Et ita* Leges *quaſdam & ipſe* Curiatas *ad populum tulit. Tulerunt & ſequentes Reges: quæ omnes conſcriptæ exſtant in libro Sexti Papirii; qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, ut diximus, appellatur* Jus civile Papirianum: *non quia Papirius de ſuo quicquam ibi adjecit, ſed quod leges ſine ordine latas in unum compoſuit.*

§. III. *Exactis deinde Regibus* lege Tribunicia, *omnes leges hæ exoleverunt; iterumque cœpit populus Romanus incerto magis jure, & conſuetudine ali, quam per latam legem: idque prope viginti annis paſſus eſt.*

§. IV. *Poſtea, ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate* Decem *conſtitui* Viros, *per quos peterentur leges a Græcis Civitatibus, & Civitas fundaretur legibus: quas in tabulas eboreas perſcriptas pro Roſtris compoſuerunt, ut poſſent leges apertius percipi; datumque eſt eis jus eo anno in Civitate ſummum, uti leges & corrigerent, ſi opus eſſet, & interpretarentur: neque provocatio ab eis, ſicut a reliquis Magiſtratibus fieret. Qui ipſi animadverterunt aliquid deeſſe iſtis primis legibus, ideoque ſequenti anno alias duas ad eaſdem tabulas adjecerunt: & ita ex accidentia appellatæ ſunt* Leges duodecim tabularum. *Quarum ferendarum auctorem fuiſſe Decemviris Hermodorum quendam Epheſium, exulantem in Italia, quidam retulerunt.*

§. V. *His legibus latis, cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret Prudentium auctoritate neceſſariam eſſe* Diſputationem fori. *Hæc diſputatio, & hoc jus, quod ſine ſcripto venit, compoſitum a Prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, ut cæteræ partes juris ſuis nominibus deſignantur, datis propriis nominibus cæteris partibus, ſed communi nomine appellatur* Jus civile.

§. VI. *Deinde ex his legibus, eodem tempore fere, actiones compoſitæ ſunt, quibus inter ſe homines diſceptarent: quas actiones ne populus prout vellet inſtitueret, certas ſolemneſque eſſe voluerunt; & appellatur hæc pars juris, legis actiones, id eſt, legitimæ actiones. Et ita eodem pene tempore tria hæc jura nata ſunt: leges duodecim tabularum: ex his fluere cœpit jus civile; ex iiſdem* legis actiones *compoſitæ ſunt. Omnium tamen harum & interpretandi ſcientia, & actiones, apud collegium Pontificum erant: ex quibus conſtituebatur, quis quoquo anno præeſſet privatis: & fere populus annis prope centum hac conſuetudine uſus eſt.*

§. VII. *Poſtea cum Appius Claudius propoſuiſſet, & ad formam redegiſſet has actiones, Gnæus Flavius ſcriba ejus, libertini filius, ſubreptum librum populo tradidit: & adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, & ſenator, & ædilis curulis: hic liber, qui actiones continet, appellatur* Jus civile Flavianum, *ſicut ille, jus civile Papirianum: nam nec Gnæus Flavius de ſuo quicquam adjecit libro. Augeſcente Civitate, quia deerant quædam genera agendi, non poſt multum temporis ſpatium Sextus Ælius alias actiones compoſuit, & librum populo dedit, qui appellatur* Jus Ælianum.

§. VIII. *Deinde cum eſſet in Civitate Lex duodecim tabularum, & jus civile, eſſent & legis actiones, evenit, ut plebs in diſcordiam cum patribus perveniret, & ſecederet, ſibique jura conſtitueret, quæ jura* Plebiſcita *vocantur. Mox cum revocata eſt plebs, quia multæ diſcordiæ naſcebantur de his plebiſcitis, pro legibus placuit & ea obſervari,* lege Hortenſia: & *ita factum eſt, ut inter plebiſcita & legem ſpecies conſtituendi intereſſet, poteſtas autem eadem eſſet.*

§. IX. *Deinde, quia difficile plebs convenire cœpit, populus certe multo difficilius in tanta turba hominum, neceſſitas ipſa curam reipublicæ ad Senatum deduxit. Ita cœpit Senatus ſe interponere, & quidquid conſtituiſſet, obſervabatur, idque jus appellabatur* Senatusconſultum.

§. X. *Eodem tempore & Magiſtratibus jura reddebant: & ut ſcirent cives, quod jus de quaque re quiſque dicturus eſſet, ſeque præmunire,* Edicta *proponebant: quæ edicta Prætorum* Jus honora-

rarium *conſtituerunt.* Honorarium *dicitur, quod ab honore Prætoris venerat.*

§. XI. *Noviſſime, ſicut ad pauciores juris conſtituendi via tranſiſſe, ipſis rebus dictantibus, videbatur, per partes evenit, ut neceſſe eſſet reipublicæ per unum conſuli: nam Senatus non perinde omnes provincias probe gerere poterat. Igitur conſtituto Principe, datum eſt ei jus, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet.*

§. XII. *Ita in Civitate noſtra, aut jure, id eſt, lege conſtituitur, aut eſt proprium jus civile, quod ſine ſcripto in ſola Prudentium interpretatione conſiſtit; aut ſunt legis actiones, quæ formam agendi continent; aut plebiſcitum, quod ſine auctoritate Patrum eſt conſtitutum; aut eſt Magiſtratuum edictum, unde jus honorarium naſcitur; aut Senatusconſultum, quod ſolum Senatu conſtituente inducitur ſine lege; aut eſt Principalis conſtitutio, id eſt, ut quod ipſe Princeps conſtituit, pro lege ſervetur.*

§. XIII. *Poſt originem juris, & proceſſum cognitum, conſequens eſt, ut de Magiſtratuum nominibus & origine cognoſcamus: quia ut expoſuimus, per eos, qui juri dicundo præſunt, effectus rei accipitur: quantum eſt enim jus in civitate eſſe, niſi ſint, qui jura regere poſſint? Poſt hoc deinde de Auctorum ſucceſſione dicemus: quod conſtare non poteſt jus, niſi ſit aliquis jurisperitus, per quem poſſit quotidie in melius produci.*

§. XIV. *Quod ad Magiſtratus attinet, initio Civitatis hujus conſtat,* Reges *omnem poteſtatem habuiſſe.*

§. XV. *Iisdem temporibus &* Tribunum celerum *fuiſſe conſtat. Is autem erat, qui equitibus præerat, & veluti ſecundum locum a regibus obtinebat: quo in numero fuit Junius Brutus, qui auctor fuit Reges ejiciendi.*

§. XVI. *Exactis deinde Regibus,* Conſules *conſtituti ſunt duo, penes quos ſummum jus uti eſſet, lege rogatum eſt. Dicti ſunt ab eo, quod plurimum reipublicæ conſulerent: qui tamen ne per omnia regiam poteſtatem ſibi vindicarent, lege lata factum eſt, ut ab eis provocatio eſſet, neve poſſent in caput civis Romani animadvertere injuſſu populi; ſolum relictum eſt iis, ut coërcere poſſent, & in vincula publica duci juberent.*

§. XVII. *Poſt deinde cum cenſus jam majori tempore agendus eſſet, & Conſules non ſufficerent, huic quoque officio Cenſores conſtituti ſunt.*

§. XVIII. *Populo deinde aucto, cum crebra orirentur bella, & quædam acriora a finitimis inferrentur, interdum, re exigente, placuit majoris poteſtatis Magiſtratum conſtitui: itaque* Dictatores *proditi ſunt, a quibus nec provocandi jus fuit, & quibus etiam capitis animadverſio data eſt. Hunc magiſtratum, quoniam ſummam poteſtatem habebat, non erat fas ultra ſextum menſem retinere.*

§. XIX. *Et his Dictatoribus* Magiſtri equitum *injungebantur, ſic, quomodo Regibus Tribuni Celerum: quod officium fere tale erat, quale hodie Præfectorum prætorio: magiſtratus tamen habebantur legitimi.*

§. XX. *Iisdem temporibus cum plebs a Patribus ſeceſſiſſet, anno fere ſeptimodecimo poſt Reges exactos,* Tribunos *ſibi in monte Sacro creavit, qui eſſent plebeji Magiſtratus, dicti Tribuni, quod olim in tres partes populus diviſus erat, & ex ſingulis ſinguli creabantur, vel quia tribuum ſuffragio creabantur.*

§. XXI. *Itemque ut eſſent, qui ædibus præeſſent, in quibus omnia ſcita ſua plebs deferebat, duos ex plebe conſtituerunt; qui etiam* Ædiles *appellati ſunt.*

§. XXII. *Deinde cum ærarium populi auctius eſſe cœpiſſet, ut eſſent qui illi præeſſent, conſtituti ſunt* Quæſtores, qui pecuniæ præeſſent: *dicti ab eo, quod inquirendæ, & conſervandæ pecuniæ cauſa creati erant.*

§. XXIII. *Et quia, ut diximus, de capite civis Romani, injuſſu populi, non erat lege permiſſum Conſulibus jus dicere, propterea Quæſtores conſtituebantur a populo, qui capitalibus rebus præeſſent: hi appellabantur* Quæſtores parricidii: *quorum etiam meminit lex* XII. *tabularum.*

§. XXIV. *Et cum placuiſſet leges quoque ferri, latum eſt ad populum, uti omnes Magiſtratu ſe abdicarent, quo* Decemviri *conſtituti uno anno cum Magiſtratum prorogarent ſibi, & cum injurioſe tractarent, neque vellent deinceps ſufficere Magiſtratibus, ut ipſi & factio ſua perpetuo rempublicam occupatam retinerent, nimia atque aſpera dominatione eo rem perduxerant, ut exercitus a republica ſecederet. Initium fuiſſe ſeceſſionis dicitur Verginius quidam, qui, cum animadvertiſſet, Appium Claudium, contra jus, quod ipſe ex vetere jure in duodecim tabulas tranſtulerat, vindicias filiæ ſuæ a ſe abdixiſſe, & ſecundum eum, qui in ſervitutem ab eo ſuppoſitus petierat, dixiſſe, captumque amore virginis omne fas ac nefas miſcuiſſe, indignatus, quod vetuſtiſſima juris obſervantia in perſona filiæ ſuæ defeciſſet (utpote cum Brutus, qui primus Romæ Conſul fuit, vindicias ſecundum libertatem dixiſſet in perſona Vindicis Vitelliorum ſervi, qui proditionis conjurationem indicio ſuo detexerat) & caſtitatem filiæ vitæ quoque ejus præferendam putaret, arrepto cultro de taberna lanionis filiam interfecit; in hoc ſcilicet, ut morte virginis contumeliam ſtupri arceret, ac protinus recens a cæde, madenteque adhuc filiæ cruore, ad commilitones confugit: qui univerſi de Algido, ubi tunc belli gerendi cauſa legiones erant, relictis ducibus priſtinis, ſigna in Aventinum tranſtulerunt, omnisque plebs urbana mox eodem ſe contulit, populique conſenſu partim in carcere necati. Ita rurſus Reſpublica ſuum ſtatum recepit.*

§. XXV. *Deinde cum poſt aliquot annos quam duodecim tabulæ latæ ſunt, & plebs contenderet cum patribus, & vellet ex ſuo quoque corpore conſules creare, & patres recuſarent, factum eſt, ut* Tribuni militum *crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus, conſulari poteſtate; hique conſtituti ſunt vario numero: interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores.*

§. XXVI. *Deinde cum placuiſſet creari etiam ex plebe conſules, cœperunt ex utroque corpore conſtitui. Tunc, ut aliquo pluris patres haberent, placuit, duos ex numero patrum conſtitui; ita facti ſunt,* Ædiles curules.

§. XXVII. *Cumque conſules avocarentur bellis finitimis, neque eſſet qui in Civitate jus reddere poſſet, factum eſt, ut* Prætor *quoque crearetur, qui* Urbanus *appellatus eſt, quod in urbe jus redderet.*

§. XXVIII. *Poſt aliquot deinde annos non ſufficiente eo prætore, quod multa turba etiam peregrinorum in Civitatem veniret, creatus eſt & alius* Prætor, *qui* Peregrinus *appellatus eſt ab eo, quod plerumque inter peregrinos jus dicebat.*

§. XXIX. *Deinde cum eſſet neceſſarius Magiſtratus, qui haſtæ præeſſet,* Decemviri *in litibus judicandis ſunt conſtituti.*

§. XXX. *Eodem tempore &* Quatuorviri, *qui curam viarum gererent, &* Triumviri monetales *æris, argenti, auri flatores, &* Triumviri capitales, *qui carceris cuſtodiam haberent: ut cum animadverti oporteret, interventu eorum fieret.*

§. XXXI. *Et quia Magiſtratibus veſpertinis temporibus in publicum eſſe inconveniens erat,* Quinqueviri *conſtituti ſunt cis Tiberim, & ultra Tiberim, qui poſſint pro magiſtratibus fungi.*

§. XXXII. *Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hiſpania, deinde Narbonenſi provincia, totidem* Prætores, *quot* provinciæ *in ditionem ve-*

ne-

nerant, creati ſunt, partim qui urbanis rebus, partim qui provincialibus præeſſent.

Deinde Cornelius Sulla quæſtiones publicas conſtituit, veluti de falſo, de parricidio, de ſicariis, & Prætores quatuor adjecit. Deinde Cajus Julius Cæſar duos Prætores, & duos Ædiles, qui frumento præeſſent, a Cerere Cereales, conſtituit: ita duodecim Prætores, ſex Ædiles ſunt creati. Divus deinde Auguſtus ſedecim Prætores conſtituit: Poſt deinde Divus Claudius duos Prætores adjecit, qui de fideicommiſſo jus dicerent; ex quibus unum Divus Titus detraxit, & adjecit Divus Nerva, qui inter fiſcum & privatos jus diceret. ita Decem & octo Prætores in Civitate jus dicunt.

§. XXXIII. Et hæc omnia, quoties in republica ſunt Magiſtratus, obſervantur, quoties autem proficiſcuntur, unus relinquitur, qui jus dicat, is vocatur Præfectus Urbi: qui præfectus olim conſtituebatur, poſtea fere Latinarum feriarum cauſa introductus eſt, & quotannis obſervatur: nam Præfectus annonæ & vigilum, non ſunt Magiſtratus, ſed extra ordinem, utilitatis cauſa, conſtituti ſunt; & tamen hi, quos Ciſtiberes diximus, poſtea Ædiles Senatusconſulto creabantur.

§. XXXIV. Ergo ex his omnibus decem tribuni plebis, conſules duo, decem & octo prætores, ſex ædiles in Civitate jura reddebant.

§. XXXV. Juris Civilis ſcientiam plurimi & maximi viri profeſſi ſunt. ſed qui eorum maximæ dignationis apud Populum Romanum fuerunt (eorum) in præſentia mentio habenda eſt: ut appareat a quibus, & qualibus hæc jura orta, & tradita ſint. Et quidem ex omnibus qui ſcientiam nacti ſunt, ante Tiberium Coruncanium publice profeſſum neminem traditur. Cæteri autem ad hunc vel in latenti Jus Civile retinere cogitabant, ſolumque conſultatoribus vacare, potius quam diſcere volentibus ſe præſtabant.

§. XXXVI. Fuit autem in primis peritus Publius Papirius, qui leges Regias in unum contulit. Ab hoc Appius Claudius unus ex Decemviris, cujus maximum conſilium in XII. tabulis ſcribendis fuit. Poſt hunc Appius Claudius ejuſdem generis maximam ſcientiam habuit. hic Centemmanus appellatus eſt, Appiam viam ſtravit, & aquam Claudiam induxit, & de Pyrrho in Urbe non recipiendo ſententiam tulit; hunc etiam actiones ſcripſiſſe traditum eſt, primum de uſurpationibus, qui liber non exſtat. Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc proceſſiſſe, R. literam invenit: ut pro Valeſii Valerii eſſent, & pro Fuſiis Furiis.

§. XXXVII. Fuit poſt eos maximæ ſcientiæ Sempronius, quem Populus Romanus ΣΟΦΟΝ appellavit, nec quiſquam ante hunc aut poſt hunc hoc nomine cognominatus eſt. Gajus Scipio Naſica, qui optimus a Senatu appellatus eſt: cui etiam publice domus in ſacra via data eſt, quo facilius conſuli poſſet. Deinde Quintus Mucius, qui ad Carthaginenſes miſſus legatus, cum eſſent duæ teſſeræ poſitæ, una pacis, altera belli, arbitrio ſibi dato, utram vellet, referret Romam, utramque ſuſtulit, & ait Carthaginenſes petere debere, utram mallent accipere.

§. XXXVIII. Poſt hos fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi, qui primus profiteri cœpit: cujus tamen ſcriptum nullum exſtat, ſed reſponſa complura, & memorabilia ejus fuerunt.

Deinde Sextus Ælius, & frater ejus Publius Ælius, & Publius Atilius maximam ſcientiam in profitendo habuerunt: ut duo Ælii etiam conſules fuerint. Atilius autem primus a Populo ſapiens appellatus eſt. Sextum Ælium etiam Ennius laudavit, & exſtat illius liber, qui inſcribitur Tripertita: qui liber, veluti cunabula juris continet. Tripertita autem dicitur, quoniam lege duodecim tabularum præpoſita, jungitur interpretatio, deinde ſubtexitur legis actio. Ejuſdem eſſe tres alii libri referuntur: quos tamen quidam negant ejuſdem eſſe. hos ſectatus ad aliquid eſt Cato.

Deinde Marcus Cato princeps Porciæ familiæ, cujus & libri exſtant, ſed plurimi filii ejus, ex quibus cæteri oriuntur.

§. XXXIX. Poſt hos fuerunt Publius Mucius, & Brutus, & Manilius, qui fundaverunt Jus Civile. ex his Publius Mucius etiam decem libellos reliquit, Brutus ſeptem, Manilius tres, & exſtant volumina ſcripta, Manilii monumenta. Illi duo conſulares fuerunt, Brutus prætorius, Publius autem Mucius etiam Pontifex Maximus.

§. XL. Ab his profecti ſunt Publius Rutilius Rufus, qui Romæ conſul & Aſiæ Proconſul fuit, Paulus Verginius, & Quintus Tibero ille Stoicus Panſæ auditor, qui & ipſe Conſul. Etiam Sextus Pompejus Gnæi Pompeji patruus fuit eodem tempore: & Cælius Antipater, qui Hiſtorias conſcripſit, ſed plus eloquentiæ, quam ſcientiæ juris operam dedit. Etiam Lucius Craſſus frater Publii Mucii, qui Mucianus dictus eſt. hunc Cicero ait Juriſconſultorum diſertiſſimum.

§. XLI. Poſt hos Quintus Mucius Publii filius Pontifex maximus, jus Civile primus conſtituit, generatim in libros decem & octo redigendo.

§. XLII. Mucii Auditores fuerunt complures, ſed præcipuæ auctoritatis Aquilius Gallus, Balbus Lucilius, Sextus Papirius, Gajus Juventius. Ex quibus Gallum maximæ auctoritatis apud populum fuiſſe Servius dicit, omnes tamen hi a Servio Sulpitio nominantur, alioquin per ſe eorum ſcripta non talia extant, ut ea ad omnes adpetant. denique nec verſantur omnino ſcripta eorum inter manus hominum. Sed Servius libros ſuos complevit, pro cujus ſcriptura ipſorum quoque memoria habetur.

§. XLIII. Servius cum in cauſis orandis primum locum, aut pro certo poſt Marcum Tullium obtineret, traditur ad conſulendum Quintum Mucium de re amici ſui perveniſſe, cumque eum ſibi reſpondiſſe de jure Servius parum intellexiſſet iterum Quintum interrogaſſe, & a Quinto Mucio reſponſum eſſe, nec tamen percepiſſe; & ita objurgatum eſſe a Q. Mucio, namque eum dixiſſe: turpe eſſe patricio, & nobili, & cauſas oranti, jus in quo verſaretur, ignorare; ea velut contumelia Servius tractatus operam dedit juri civili, & plurimum eos, de quibus locuti ſumus, audiit: inſtitutus a Balbo Lucilio, inſtructus autem maxime a Gallo Aquilio, qui fuit Cercinæ. Itaque libri complures ejus exſtant, Cercinæ confecti. Hic cum in legatione periiſſet, ſtatuam ei Populus Romanus pro Roſtris poſuit, & hodieque exſtat pro Roſtris Auguſti. Hujus volumina complura exſtant, reliquit autem prope centum & octoginta libros.

§. XLIV. Ab hoc plurimi profecerunt, fere tamen hi libros conſcripſerunt: Alfenus Varus, Gajus, Aulus Ofilius, Titus Cæſius, Aufidius Tucca, Aufidius Namuſa, Flavius Priſcus, Gajus Atejus Pacuvius, Labeo Antiſtius Labeonis Antiſtii pater, Cinna, Publicius Gellius. Ex his decem, libros octo conſcripſerunt, quorum omnes, qui fuerunt, libri digeſti ſunt ab Aufidio Namuſa in centum quadraginta libros.

Ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus, & Aulus Ofilius, ex quibus Varus & Conſul fuit: Ofilius in equeſtri ordine perſeveravit, is fuit Cæſari familiariſſimus, & libros de jure Civili plurimos, & qui omnem partem operis fundarent, reliquit: nam de legibus Vicenſime primus conſcribit, de jurisdictione, idem edictum prætoris primus diligenter compoſuit. Nam ante

eum

eum Servius duos libros ad Brutum, perquam breviſſimos, ad edictum ſubſcriptos reliquit.

§. XLV. *Fuit eodem tempore &* Trebatius, *qui idem Cornelii Maximi Auditor: fuit* Aulus Caſcelius, Quintus Mucius *Voluſii auditor; denique in illius honorem teſtamento Publium Mucium nepotem ejus reliquit heredem; fuit autem quæſtorius, nec ultra proficere voluit, cum illi etiam Auguſtus conſulatum offerret. Ex his Trebatius peritior Caſcelio, Caſcelius Trebatio eloquentior fuiſſe dicitur, Ofilius utroque doctior. Caſcelii ſcripta non exſtant, niſi unus liber Benedictorum. Trebatii complures, ſed minus frequentantur.*

§. XLVI. *Poſt hoc quoque* Tubero *fuit, qui Ofilio operam dedit: fuit autem patricius & tranſiit a cauſis agendis ad jus civile, maxime poſtquam Quintum Ligarium accuſavit, nec obtinuit apud Gajum Cæſarem. Is eſt Quintus Ligarius, qui cum Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam haurire, quo nomine eum accuſavit, & Cicero defendit. Exſtat ejus oratio ſatis pulcherrima, quæ inſcribitur,* pro Quinto Ligario. *Tubero doctiſſimus quidem habitus eſt juris publici, & privati: & complures utriusque operis libros reliquit. Sermone etiam antiquo uſus affectavit ſcribere, & ideo parum libri ejus grati habentur.*

§. XLVII. *Poſt hunc maximæ auctoritatis fuerunt* Atejus Capito, *qui Ofilium ſecutus eſt, &* Antiſtius Labeo, *qui omnes hos audivit; inſtitutus eſt autem a Trebatio. Ex his Atejus conſul fuit. Labeo noluit, cum offerretur ei ab Auguſto conſulatus, quo ſuffectus fieret, & honorem ſuſcipere, ſed plurimum ſtudiis operam dedit: & totum annum ita diviſerat, ut Romæ ſex menſibus cum ſtudioſis eſſet, ſex menſibus ſecederet, & conſcribendis libris operam daret. Itaque reliquit quadringenta volumina ex quibus plurima inter manus verſantur.*

Hi duo primum veluti diverſas ſectas fecerunt. Nam Atejus Capito in his, quæ ei tradita fuerant, perſeverabat. Labeo ingenii qualitate & fiducia doctrinæ, qui & cæteris operis ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit; & ita Atejo Capitoni Maſſurius Sabinus *ſucceſſit, Labeoni* Nerva. *adhuc eas diſſenſiones auxerunt. Hic etiam Nerva Cæſari familiariſſimus fuit. Maſſurius Sabinus in equeſtri ordine fuit, & publice primus ſcripſit. Poſteaque hoc cœpit beneficium dari a Tiberio Cæſare; hoc tamen illi conceſſum erat. Et, ut obiter ſciamus, ante tempora Auguſti publice reſpondendi jus non a Principibus dabatur, ſed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant, neque reſponſa, utique ſignata dabant, ſed plerumque judicibus ipſis ſcribebant, aut teſtabantur, qui illos conſulebant. Primus Divus Auguſtus, ut major juris auctoritas haberetur, conſtituit, ut ex auctoritate ejus reſponderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit; & ideo* optimus Princeps Hadrianus, *cum ab eo viri prætorii peterent, ut ſibi liceret reſpondere, reſcripſit eis: Hoc non peti, ſed præſtari ſolere, & ideo ſi quis fiduciam ſui haberet, delectari ſe, populo ad reſpondendum ſe præpararet. Ergo Sabino conceſſum eſt a Tiberio Cæſare, ut populo reſponderet. qui in equeſtri ordine jam grandis natu, & fere annorum quinquaginta receptus eſt: huic nec amplæ facultates fuerunt, ſed plurimum a ſuis auditoribus ſuſtentatus eſt.*

Huic ſucceſſit Cajus Caſſius Longinus, *natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Servii Sulpicii, & ideo proavum ſuum Servium Sulpicium appellat. Hic conſul fuit cum Quartino, temporibus Tiberii, ſed plurimum in Civitate auctoritatis habuit, eousque donec eum Cæſar Civitate pelleret; expulſus ab eo in Sardiniam, revocatus a Veſpaſiano, diem ſuum obiit.*

Nervæ ſucceſſit Proculus. *Fuit eodem tempore &* Nerva *filius, fuit & alius Longinus, ex equeſtri quidem ordine, qui poſtea ad præturam usque pervenit: ſed Proculi auctoritas major fuit. nam etiam plurimum potuit, appellatique ſunt partim Caſſiani, partim Proculejani quæ origo a Capitone, & Labeone cœperat. Caſſio* Cælius Sabinus *ſucceſſit, qui plurimum temporibus Veſpaſiani potuit. Proculo* Pegaſus, *qui temporibus Veſpaſiani præfectus Urbi fuit. Cœlio Sabino* Priſcus Javolenus. *Pegaſo* Celſus. *Patri Celſo Celſus filius, &* Priſcus Neratius? *qui utrique conſules fuerunt; Celſus quidem & iterum; Javoleno Priſco* Aburnus Valens, & Tuſcianus. *item* Salvius Julianus.

Ad §. I.

Ait Pomponius: *Et quidem initio Civitatis noſtræ.* Non ut *Urbs*, ſic *Civitas* ſimpliciter *Romanam* ſignificat. De *Urbe* non eſt, qui neſcit, auctoritates in hanc rem protritæ ſunt, his addo Philoxenum in *Gloſſ.* Πόλις, μόνη Ῥώμη. *Urbs, ſola Roma.* Niſi ita interpungamus: Πόλις μόνη, Ῥώμη. *Urbs ſola*, id eſt, ſimpliciter poſita, *Roma*, fere ut apud Iſidorum *L.* VIII. *C.* 6. *Roma ſola Urbs, cætera Oppida.* Et tamen de *Civitate*, non addita voce, quæ demonſtret, id aliquando verum eſt, ſic enim ipſe Pomponius, variis locis, *h. l.* 2. §. 4. 7. 8. & 28. vulgo alioquin *noſtræ Civitatis*, ut hic, & *hujus Civitatis*, ut in §. 14.

Agere inſtituit. Non hic *inſtituit* eſt pro *elegit*, ut viſum eſt Udalrico Zaſio ad *h.* §. quaſi Populus, cum Romulus omnes Rerumpublicarum formas propoſuiſſet, data optione, Monarchiam elegerit, ſed *inſtituit* hic eſt pro *cœpit*, quemadmodum Gloſſa recte explicavit, vulgari ſignificatione apud Auctores, etiam noſtros *l.* 4. *pr. ff. ad L. Jul. de adulter.* Vel *agere inſtituit* ſimpliciter eſt pro *egit*, quam in rem Auctores, noſtros, exteros, laudavit Rupertus ad *h. l.*

Omniaque manu a Regibus gubernabantur. Non legerim cum Haloandro, *manu Regis*, vel cum aliis, *manu Regia*, vel, truncata manu, *omnia quæ a Regibus*, quia Florentina lectio proba recta eſt. Dixit, initio Civitatis cuncta a Regibus fuiſſe gubernata *manu*, id eſt, ipſo facto, ſponte ſua, absque auctoritate legis, *ex arbitrio*, ut recte iterum Gloſſa prævivit. Sic eadem vox, auferendi caſu, Legibus opponitur apud Caſſiodorum *L.* IV. *Variar.* 10. *Hinc eſt*, inquit, *quod Legum reperta eſt ſacra reverentia, ut nihil* MANU, *nihil proprio ageretur impulſu: quid enim a bellica confuſione pax diſtabit, ſi per vim litigia terminentur?* Forte etiam *manu* ea ſignificatione occurrit in *l.* 68. *ff. de Rei vindic.* ſi eam recte emendaverim *L.* III. *Obſerv. C.* 14. Atque hoc eſt, quod Tacitus dixit *L.* III. *Annal. C.* 26. Romulum, *ut libitum*, Romanis imperitaſſe; quod & de omnibus Populi Romani Regibus adfirmavit Dionyſius Halicarnaſſ. *L.* X. *p. m.* 627. & ſane de plerisque, ſi non de omnibus, quod ad omnia, verum eſt. Imperitarunt ſcilicet, quo jure ipſis videbatur non ex lege, non ex formula, quæ arbitrium coërceret. Sic malo, quam *manum* interpretari *poteſtatem*, ut video pleroſque facere; minus, opinor, recte, quia Pomponius hic agit de origine *Juris*, non *Magiſtratuum*, & diceret idem, quod poſt dicit §. 14. nam Ruperto, utrobique idem dixiſſe

Pom-

Pomponium adfirmanti, noli credere, hic dicit, Reges repræſentaſſe omnes Leges, ibi omnes Magiſtratus.

Ad §. II.

Quæ omnes conſcriptæ exſtant in libro Sexti Papirii. Cum ille ipſe Papirius a Pomponio *Publius* vocetur in §. 36. plus, quam mox, adſentior Ruperto, hic legenti, *in libro Sexto Papirii:* niſi tamen non Rupertus, ſed Cujacius auctor dicendus ſit hujus conjecturæ, qui in variis MSS. refert hanc notam VI. reperiri, & inde forte eſſe mendum *Sexti*.

Qui fuit illis temporibus, quibus Superbus Demarati Corinthii filius, ex Principalibus viris. Non Tarquinius *Superbus*, ſed *Priſcus* Demarati Corinthii fuit filius, ut omnis Hiſtoria conſentit. Unde *Superbi* vocem expungunt Haloander & Zaſius, expungit & Antonius Garro ad *h. L.* ſed damnum reſarcit, ſubſtituto *Priſco*. Alii *Tarquinium* ſubſtituunt, & *Priſcum* intelligunt. Quæ omnia, præter duriorem criſin, vel ideo non ſequor, quod Papirius, ut ex Dionyſio liquet, revera vixerit & ſcripſerit temporibus *Superbi*. Qui *Priſcum*, ut hic, ita & alibi, *Superbum* dici ſibi perſuadent, æque falluntur, ac qui per *filium* hic *nepotem* intelligunt, quaſi ex *l.* 84. *l.* 201. *& l.* 220. *pr. ff. de V. S.* Nullis indiciis, nullo teſte probatur, Tarquinios Priſcum & Superbum in veteri memoria, mutato nomine, confundi, vel in rebus Hiſtoricis, ubi homines, qui ſint, a patre vel avo deſcribuntur, *filii* appellatione *nepotem* quoque contineri; nec in eam rem oportebat abuti tot locis Juris Civilis, quæ alio pertinent. Quid igitur? hallucinatus eſt Pomponius, eritque hoc ejus πρῶτον ψεῦδος ſeu ἀνιςορησία? ſic plurimi cenſent. Sed ego potius errorem in ſcriptura, quam in Pomponio agnoſco, & lego: *Superbus Demarati Corinthii* Filius, hoc eſt, ex regula geminationis, *Demarati Corinthii filii filius*; & filii filius eſt nepos. Sic autem fuit, utique ſi verum eſt, Superbum Priſci filium fuiſſe, non, ut alii videntur velle, nepotem; ego autem cum Livio, ut ipſe loquitur, *plurimis auctoritatibus filium crediderim*. Si filius, jam Superbus recte dicetur Demarati nepos, hoc eſt, Priſci, filii ejus, filius. reperi in Pandectis ſimiles nepotum appellationes & circumſcriptiones. Aliis aliorum conjecturis, ut quæ nimis abeunt a Libro Florentino, quin & fide Hiſtorica, ſic tuto poſſumus carere.

Ad §. III.

Exactis deinde Regibus Lege Tribunicia, omnes Leges hæ exoleverunt. Hæc verba ita eſſe interpungenda, jam dudum animadverſum eſt. Non autem tam ipſas Leges Regias, quam earum auctoritatem exoleviſſe certum eſt, odio ſcilicet Regum. Quod ubi efferbuit, earum auctoritas ſenſim revocata fuit; certe has Leges Regias cum XII. Tabb. rurſus conquiſitas eſſe auctor eſt Livius *L.* VI. *C.* I. exſtantque etiamnum multa earum Legum fragmenta, ab Antonio Claro Sylvio aliiſque collecta, edita & explicata.

Iterumque cœpit Populus Romanus incerto magis jure & conſuetudine ali, quam per latam Legem. Haloander, *perlata lege*, ſed vincit lectio Florentina. *Latam* autem *Legem* appellat jus conſtitutum, idque opponit iuri incerto & conſuetudini. Scilicet ut initio Civitatis Populus ſine Jure certo agebat, ſic obſoletis Legibus, quas Reges tulerant, ad priorem cauſam rediit, hac tamen differentia, ut qui ante *manu* a Regibus gubernabatur, nunc *manu* a Conſulibus gubernaretur. Sententia Pomponii perſpicua eſt, ſed tamen qua ratione dixerit, Populum R. cœpiſſe rurſus Jure incerto & conſuetudine *ali*, non ſum, qui perſpiciam. Non veſcebatur, credo, Populus Jure incerto & conſuetudine, ſed utebatur: unde pro *conſuetudine ali*, in antiquis Editionibus, & apud Haloandrum, & in MSS. meis, reſcribitur, *conſuetudine uti*, vel *conſuetudine aliqua uti*. Sed ad veſtigium Codicis optimi pro *ali* omnino reponendum eſt *agi*, quemadmodum & hæc lectio inter variantes notatur, forte poſt emendationem Mureti & Marcilii. Cœpitque iterum Populus *agi*, id eſt, *regi* Jure incerto & conſuetudine. Quo ſenſu *agere Rempublicam* dixit Capitolinus in *Anton. Philoſ. C.* 20. & *agere equites & legionem*, idem in *Albino C.* 6. *Agitare Rempublicam* Salluſtius *Bell. Catilin. C.* 38. In eandem quoque ſententiam *agendi* voce uſum puto Aſconium ad *Cicer. Verrin. de Juriſd. & Præt. Sicil. p. m.* 119. nam ad illa Tullii, *ſuis Legibus*, ex *L.* II. *C.* 32. *contra Verr.* ſic ſcripſiſſe creditur: *Siculis. Etenim apud Veteres non Romano tantum Jure, ſed & ſuæ cujusque Civitatis Legibus agebatur.* ſic, inquam, ſcripſiſſe creditur, ſed aut fallor, aut ita ſcripſit: Siculi *etenim apud veteres non Romano tantum Jure, ſed & ſuæ cujusque Civitatis Legibus* AGEBANTUR. Nam, ne dicam aliam lectionem vix probe Latinam eſſe, etiam verum non eſt, omnibus promiſcue conceſſiſſe Romanos, ut ſuis Legibus viverent, verum quibusdam duntaxat ex privilegio, interque hos Siculis. Addo D. Ambroſium *Sermone* VII. *Nec Rempublicam gerere criminoſum eſt, ſed ideo agere Rempublicam, ut rem familiarem potius augeas, videtur eſſe damnabile.* Populus autem eleganter dicitur *agi jure incerto*, quum arbitria Regum & Magiſtratuum valent pro Legibus: unde & apud Homerum Reges fere perpetuo audiunt Ποιμένες λαῶν, iis nempe temporibus, quibus nullæ erant Leges, ſed pro his arbitria Regum; arbitria, inquam, non judicia, in ea quippe ἀνομίᾳ ipſi Reges arbitrabantur magis, quam judicabant, non ex Jure conſtituto, ſed ex fide bona, quid æquius melius videretur. Atque hoc eſt, quod Juſtinus dixit *L.* I. *C.* I. *principio rerum arbitria Principum pro Legibus fuiſſe*, & quod ſupra Pomponius, *omnia* MANU *a Regibus fuiſſe gubernata*, ſed nunc Populus gubernabatur manu Magiſtratuum, vel certe Conſulum, ut antea Regum.

Idque prope viginti annis paſſus eſt. Qualis hic eſt ἀναχρονισμὸς Pomponii, nam non viginti, ſed ſexaginta fere anni interceſſerunt a Legibus Regiis ſublatis ad Decemviros conſtitutos, ſeu potius ad promulgatas XII. Tabb.? Ventura Cœcus *L.* I. *Excurſ.* 8. ad *h. L.* exiſtimat, ſed nullo auctore, plura luſtra abiiſſe poſt exactos Reges, priusquam Lege Tribunicia Leges Regiæ exoleverint. Goveanus & Cujacius, ut temporis ratio conſtaret, alia attulerunt, ſed quæ adeo diſplicent, ut præ his Pomponii errorem, in ſupputatione temporis, malim agnoſcere, ut palam agnoverunt alii. Non agitur quoque, ut aliis placuit, de tempore, quo de Legibus ferundis certatum fuit, ſed unice & ſimpliciter, quanto intervallo, poſt Reges exactos, Populus caruerit Jure certo. Igitur res poſtulat, ut alia dicantur; puto autem in Libris ſcriptum fuiſſe VIgint. *annis*, quod exponi debebat non *viginti annis*, quod verum non eſt, ſed *ſexaginta annis*. Et ſic temporis ratio conveniet, dixiſſet quippe Pom-

Pomponius, inter finem Legum Regiarum & initium Decemviralium interceſſiſſe ſexaginta annos, non plene, ſed, ut ait, *prope*, quia unicus deeſt, nam juſta computatione, ab aliis jam exacte inita, inveniuntur modo anni quinquaginta & novem, id eſt, *prope ſexaginta*. Et notat etiam Charondas, eſſe Codicem MS. qui pro XX. exhibet LX. ut ita etiam error eſſe potuerit in numero, quemadmodum Balduinus in *Not.* ad *h. L.* & cum eo plurimi Interpretes cenſent.

Ad §. IV.

Placuit publica auctoritate decem conſtitui Viros, per quos peterentur Leges a Græcis Civitatibus, & Civitas fundaretur Legibus. Gloſſa fingit, priusquam Græci legum ſuarum copiam facerent Romanis, Romam miſiſſe Sapientem quemdam, qui exploraſſet, nunquid Romani eſſent digni, quibuscum Leges ſuas communicarent, additque de eo congreſſu fabellam adeo lepidam, ut qui legerit, nec riſerit, Catone ſeverior ipſo ſit. Sed hic rurſus inter Livium plurimosque alios Auctores ab una, & Pomponium ab altera parte non convenit, nam illi non *decem*, ut Pomponius, ſed *tres* duntaxat viros in Græciam miſſos memorant ad petendas Leges, adduntque eorum nomina, nec de Decemviris creatis illi quicquam, niſi poſt reditum Legatorum. Non igitur recte dixeris, ut ſunt, qui dicunt, ut Pomponio bene ſit, tres ex decem fuiſſe miſſos, neque etiam de hoc ſcrupulo recte vel tacueris vel deſperaveris, ut faciunt plerique. Sunt tamen, qui nec tacent, nec deſperant. Charondas ex Libro MS. refert, deeſſe ibi vocem *decem*, vellem, Florentiæ quoque deeſſet, nunc non auſim delere, cum ibi ſit. Zaſius *peterentur* explicat *petitæ & allatæ ſcriberentur.* minus quidem proprie, ſed, ut puto, eadem, qua Cujacius, ſententia, qui ait Pomponium hic compendio ſtuduiſſe; at vereor, ita loquens, ut minus veritati ſtuduerit. Rupertus Pomponium excuſat, ut poteſt, non ut debet. Ego potius verba trajecerim hoc modo: *Placuit publica auctoritate peterentur Leges a Græcis Civitatibus, & decem conſtitui viros, per quos Civitas fundaretur Legibus.* Ita nihil obſtat in Hiſtoria, & qui Grammaticam obſtare putabit, Grammaticus non eſt. Olim legendum putaveram, *per quos ederentur Leges*, non *peterentur*, nam Decemviri, ut ut non petierunt, ediderunt tamen Leges, e Græcia petitas. ſed ea ſententia nunc non utor.

Quas in Tabulas eboreas perſcriptas pro Roſtris compoſuerunt. Difficultatem habet, quod XII. Tabulas dicit fuiſſe *eboreas*, nam *æreas*, id eſt, æri inciſas fuiſſe teſtatur quicquid ex antiquitate ſupereſt. Loca non adfero, quia vulgo nota, & tanquam ex Edicto tralatitio totiens totiensque deſcripta ſunt. Ab his excipio Dionyſium, qui *L.* III. *p. m.* 178. Tabulas, quæ temporibus Anci Marcii, & deinde etiam poſt exactos Reges fuerunt, quibusque Leges & ritus ſacri inſcribebantur, ait fuiſſe δρυΐνας, *quernas* ſive *roboreas*, hoc ſuperdicto χαλκεαι γὰρ στῆλαι οὔπω τότε ἦσαν, *nondum enim tunc erant columnæ æreæ.* Quæ hæc eſt variatio? an Dionyſio & Pomponio res ſuas ſibi habere jubebimus? an vero has, de quibus agimus, Tabulas *eboreas* fuiſſe credemus, & δρυΐνας, quin & *æreas* dici ob valorem & robur, ut ſolent Græci fortia atque robuſta appellare δρύϊνα, imo etiam χάλκεα? ſed vetat oppoſitio, quæ apud Dionyſium eſt, τῶν δρυΐνων & τῶν χαλκέων; vetat, quod ad *Tabb. Æreas*, ſermonis Latini proprietas; vetant tot loca, quæ nominatim de *ære*, & *ære præfixo* loquuntur. Pomponio an ejus rei ignorantiam exprobrabimus? vel pro *eboreas* reſcribemus *æreas* ſive *æneas*? utrumque fit, ſed religio noſtra id non patitur; & quid tunc fiet Dionyſio? Puto recte dixiſſe Cujacium ad *h.* §. diſtinguenda videri tempora, & primum has Tabulas fuiſſe *roboreas*, deinde, ut ipſe ait, *æneas*, poſtremum *eboreas*, ſed ego malo invertere, ante *eboreas*, poſtremum *æneas*. Ubi primum propoſitæ ſunt, per me licet fuerint *roboreæ*, ut Dionyſius dixit, deinde *eboreæ*, ut hic Pomponius, quia ebur magis ætatem ferebat, quam lignum, ſed quia adhuc magis æs, æri poſtea fuiſſe inciſas, atque ex eo metallo vulgo innotuiſſe. Igitur de ſequentibus temporibus intelligo, quod ipſe ille Dionyſius *L.* X. *p. m.* 681. de XII. Tabulis dixit, fuiſſe inſcriptas στήλαις χαλκαῖς, ſibi enim alioquin videretur contradicere. Quin vulgare tandem fuiſſe Leges quascunque, ad perpetuam rei memoriam, æri incidere, ſatis licet colligere ex *l.* 8. *pr. ff. ad L. Jul. Pecul.* & *l.* 2. *in fin. C. de Frument. Urb. Conſtant.* Dubitavi aliquando, an non recte monuerint Scaliger *in Guilandinum*, & Brodæus IV. *Miſcell.* 12. pro *eboreas* apud Pomponium reſtitui oportere *roboreas*, non magna mutatione, ut Pomponius cum Dionyſio conveniat, cum uterque loquatur de primo tempore, quo propoſitæ ſunt hæ Tabulæ. Et in hanc conjecturam pronior eſt Jacobus Gothofredus *Hiſtor. LL.* XII. *Tabb. C.* VI. ratus, X. Tabulas fuiſſe *roboreas*, XII. *æneas*. Nec ipſe adhuc quidem magnopere huic emendationi auſim intercedere, niſi quod patiar quoque, *eboreas* Tabulas vocari, quæ, ut ita dicam, repetitæ prælectionis fuerint. Primas quominus dicamus fuiſſe *eboreas*, ſola Dionyſii auctoritas obſtat *d. L.* III. *p. m.* 178. niſi placuerit Dionyſium intelligere de ligneis Tabulis Anci Marcii, aliorumque, quibus eo vel proximo tempore Leges & Sacra incidebantur, non de Tabulis Decemviralibus, quarum nulla plene ibi mentio eſt. Atque ita nihil plane obſtaret, quominus Decemvirales Tabulæ primum fuiſſent *eboreæ*; neque enim me moverit, eboris poliendi rationem Romanos tunc ignoraſſe, quum Democrito ejus rei inventum adſcribat Poſidonius apud Senecam *Epiſt.* XC. nam Poſidonium, ut in aliis ibi narrantem falli notavit ipſe Seneca, ſic & in origine poliendi eboris, ad Senecam Lipſius. Nec obſtaret quoque, quod Scaliger urget *d. loc.* in ebore, ob lævitatem, ſcribi non poſſe, atque hac ſola ratione hic reſtituendas *roboreas* Tabulas, & *roboreos* Codices pro *eboreis* in *l.* 52. *pr. ff. de Legat.* III. nam in ebore olim pictum & ſcriptum fuiſſe, hodieque pingi & ſcribi certum eſt. Sed quia video alios Scaligerum refutaſſe, ego poſſum ea opera ſuperſedere: niſi tamen refutari non oportuerit, quum *atramento* neget recte ſcribi in ebore, nam ait, & quis neget? *atramentum fugit.*

Compoſuerunt. Simplex *poſuerunt* eſt in Codice MS. quem ſine Gloſſis mihi nuper comparavi, atque ita quoque reſtituit Marius Salomonius, & ſane id videretur rectius, ut apud Dionyſium, ἔθεσαν ἐν ἀγορᾷ, pro Roſtris enim, dices, non *compoſuerunt* Tabulas, ſed compoſitas ibidem *poſuerunt*, *ut*, quod mox ſequitur, *poſſent Leges apertius percipi*, vel, ut eſt in aliis Libris, *perſpici.* Livius, hæc narrans, utitur *proponendi* vocabulo, quod & hic Muretus reponit, & poſt eum quidam Editores. Ego tamen potius nihil mutaverim, quum *proponere* & *componere* promiſcue uſurpet Pomponius, hic *componere* ſignificatione *proponendi*, mox in §. 7. *proponere* ſigni-

fi-

ficatione *componendi.* Illa autem verba, *ut poſſent Leges apertius percipi*, quæ ſine vitio morbove eſſe auſim ſpondere, vellem, ne Cujacius *Comment. poſt. ad l.* 7. *&* 8. *ff. de Juriſdict.* ex notis, male intellectis, nata putaſſet. Notas quidem ipſas non adfert, ſed quæcunque fuerint, exponi jubet, *unde de plano recte legi poſſent.* Sed ne quidem, ut vides, literæ initiales conveniunt; ut fruſtra ſim, ſi ſerio & bona fide hæc oppugnem.

Duas alias ad eaſdem Tabulas adjecerunt. Codex meus MS. cujus hic memini, *eiſdem Tabulis adjecerunt*, nullo diſcrimine, atque adeo nulla mutandi cauſa.

Ex accidentia appellatæ ſunt Leges XII. *Tabb.* Recte alii probarunt, *ex accidentia* ſatis Latine dici pro *ex accidenti.* quod, quamvis uſitatius ſit, non idcirco tamen mox eſt reponendum; potuit alioquin *a* facile repeti ex ſequenti *appellatæ.* Ant. Faber in *Ration.* mavult *ex accedentibus*, id eſt, *propter eas, quæ acceſſerunt.* Sed & hic nihil mutaverim; quin nullibi, niſi major ratio ſit.

Ad §. V.

His Legibus latis, cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret Prudentium auctoritate neceſſariam eſſe Diſputationem fori. Verba hæc nonnihil turbata eſſe liquet; & inde ad ea reſtituenda varii ſymbolam contulerunt. Charondas ex Codice MS. exhibet, *auctoritatem neceſſariam e Diſputatione fori.* Goveanus *L.* I. *Var. Lect. C.* 24. ita legit & interpungit: *His Legibus latis, cœpit (ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideret Prudentium auctoritatem) neceſſaria eſſe Diſputatio fori.* quam emendationem plurimi probant. Ego potius ſequor lectionem utriusque Manuſcripti mei, eandemque Vulgatam, ubi ita eſt: *His Legibus latis, cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret Prudentium auctoritatem, neceſſariamque Diſputationem fori.* Alii id protulerunt tanquam ex penu ſuo. Stephanus quoque ita edidit, ſed addit, *eſſe, neceſſariamque eſſe Diſputationem fori*, credo, ut minus recedatur a ſcriptura Florentina. Atque hæc ipſa lectio eſt, quam ex veteri Libro attulit Taurellius in *Adnotatis*: quod autem ibi ait, Florentiæ legi, *Diſputatione*, omnino vitioſum eſt. Muretus etiam Vulgatam ſequitur, ſed mavult in fine, *neceſſariaque eſſet Diſputatio fori.* quod Cujacius, dum ita exhibet, videtur probare. Bachovius ad Π,ᾶπα etiam nonnihil conatur, ſed, ne quem terreat, monſtrum non profligo. Gothofredus in *Not.* ſimpliciter delet *eſſe*, ſed ſententia hujus loci nihilominus tunc contorta erit; ſi ita ſederet, potius legerem & interpungerem: *ut interpretatio deſideraret, Prudentium auctoritate neceſſaria, Diſputationem fori.* ſed, ut dixi, bene habet Vulgata.

Datis propriis nominibus cæteris partibus. Non ſum tam moroſus, ut hæc verba, quæ Florentiæ exſtant, & quidem non circumſcripta, ut perperam alii cenſent, vel ejicienda putem, vel adſcribenda Gloſſemati. Sæpe JCti veteres, ſæpe alii Auctores per *id eſt*, aliamve formulam, vel etiam ſine formula, ſe ipſos explicant, ut bis idem dixiſſe videantur; idemque nos facimus quotidie, nec opinor quemquam eſſe, cui non geminæ locutiones ſæpe exciderint. Scio tamen, & indignor, hæc non ferri in Veteribus, & fere ſolemne eſſe, ea omnia Gloſſis interpretum adſcribere. ſed nondum mihi ea ratio placere potuit.

Sed communi nomine appellatur JUS CIVILE. Ait, JCtorum Diſputationes, ſive Jus ex iis conſtitutum, per eminentiam dici *Jus Civile*, idque ipſum denuo repetit §. 6. & 12. Atque ita *Jus Civile* intelligo per *interpretationem Prudentium* in difficili alioquin loco Pauli *Sentent. L.* IV. *T.* VIII. §. 3. Rurſus Ciceronis Commentator, quem Aſconium vocant, *Diſputationem JCtorum* dixit, & *Jus Civile* intellexit, Naturali oppoſitum, ſic enim loquitur ad *Verrin. de Prætur. Urb. p. m.* 99. *Maleficia ſponte, & non diſputatione JCtorum, ſed naturali interpretatione fugienda ſunt, ut veneficium, parricidium, & cætera, quæ etiam nullo prohibente evitanda ſunt.*

Ad §. VI.

Legis actiones, id eſt, legitimæ actiones. Rurſus ἑρμηνευτικῶς, ut ad *præced.* §. dixi. Iterum male τὸ ἑρμηνευτικὸν, tanquam Gloſſam, expungunt Zaſius, Muretus, alii.

Omnium tamen harum, & interpretandi ſcientia, & actiones. Pro *harum* Cujacius *L.* XVIII. *Obſerv. C.* 11. legit XII. *Tabb.* omnino perperam; nec fere felicius hæc exponit in *Comm.* ad *h.* §. Eſt ſane hic aliquid non ſatis rotundum, ſi legeretur, *horum*, mox diſſiparetur nubecula.

Ad §. VII.

Poſtea cum Appius Claudius propoſuiſſet & ad formam redegiſſet has actiones. Recte, *propoſuiſſet*, hoc eſt, compilaſſet & digeſſiſſet eo Libro, quem mox Cnæus Flavius, ſcriba ejus, ſubripuit. Non igitur mutanda eſt ea vox in *compoſuiſſet*, ut mutavit Muretus. ſed id jam ſupra occupavi ad §. 4. *Forma* autem cum *hic*, tum in §. 12. eſt modus & ordo verborum, quem Appius Claudius præſcripſit, & continere voluit agendi regulam. Cujacius exiſtimat, Pomponium *forte* ſcripſiſſe *ad formulam*, ſed id mutaſſe Tribonianum, quia Formulæ a Conſtantino ſublatæ ſunt. Alii, qui Cujacium exſcripſerunt, ea de re ne dubitant quidem. Sed eorum ſententia utendum non eſt: nam *forma* & *formula* hac ſignificatione non differunt, ut liquet ex Suetonio in *Auguſto C.* 49. & A. Gellio *L.* XIII. *C.* 14. &, ſi differrent, cur *formulas* ſuſtuliſſet Tribonianus in Pomponio, hic occupato in hiſtoria antiqui Juris? magisque id ineptum eſt, ſi *formulam* hic eſſe dicas, ut ſunt qui dicunt, *actionem*; quis enim *actiones* ad *actiones* redigat? *in formam redigere* eſt & apud Ulpianum in *l.* 39. §. *ult. ff. de Legat.* I. & proba recta eſt ea locutio.

Adeo gratum fuit id munus Populo, ut Tribunus plebis fieret, & Senator, & Ædilis curulis. Sunt ex Scriptoribus rei Romanæ, qui videntur velle, Flavium jam ante publicationem Actionum & Faſtorum (nam Faſti pars erant Legis actionum) ædilitatem obtinuiſſe, & ſunt, quos hic ſequitur Pomponius, qui Flavium ex ea publicatione hanc dignitatem meruiſſe ſcribunt. Et verius eſt, hominem obſcurum, & ſcribam, non niſi aura populari, quam ante meruit, in lucem fuiſſe protractum. Neque igitur eo nomine negotium eſt faceſſendum Pomponio, neque etiam illo, quod *Senatorem* fuiſſe dixerit, quod nemo alius dixit; ſed quum nemo alius negaverit, cur fidem abrogabimus Pomponio? vel cum Coraſio Flavium Senatu movebimus? delet enim ille, *& Senator.*

Quia deerant quædam genera agendi . . . Sextus Ælius alias actiones compoſuit. Peſſima lectio eſt

eſt Haloandri, quam & ab aliis video exhiberi & laudari: *qui præerant, quædam genera agendi compoſuerunt.* Sed ad Pontifices tranfertur, quod Sexto Ælio debetur, & vis major fit, ubi non oportet. Nec video ſententiam perfectam, niſi etiam alia addantur vel deleantur. In Libro meo MS. absque Gloſſis, ita legitur: *quia deerant quædam genera agendi, compoſuerunt*; & ſic rurſus hæc ad Pontifices referuntur, & diſtinguuntur ab actionibus, quas Sextus Ælius compoſuit. ſed nulla eſt, quæ id jubet, neceſſitas.

Ad §. VIII.

Et ſecederet. Omnino loquitur de tertia ſeceſſione in Janiculum, & inde lata Hortenſia, qua Plebiſcitorum auctoritas, ante vel minus plena, vel certe intermortua, plene conſtituta, confirmata, atque etiam in poſterum obſervata fuit. Pomponius, compendio uſus, de Lege Horatia, & Publilia, nihil dixit, ſufficere ratus, ſi ultimam Legem, ex qua tandem Plebiſcita valent, commemoraret. Non igitur pro *L. Hortenſia*, quæ mox ſequitur, ſubſtituendum eſt, *L. Horatia.* Iniquiores etiam, quam oportet, in Pomponium ſunt, qui negant, neſcio quo auctore, in hac tertia ſeceſſione de Plebiſcitis inter Patres & Plebem diſputatum fuiſſe; ſed ſi nihil de his agitatum, cui tunc bono Lex Hortenſia? Bachovius, turbata ratione temporis, varie hic tricatur, ſed ſi de tertia ſeceſſione intelligamus Pomponium, ut intelligi debet, facile erit omnes illas tricas expedire.

Ad §. IX.

Quia difficile Plebs convenire cœpit, Populus certe multo difficilius in tanta turba hominum. Credo & hic nullo jure vapulare Pomponium; neque enim negat Plebem vel Populum poſtea coiviſſe, & deliberaſſe, & decreviſſe de ſalute Reipublicæ, neque vel antea Senatum habuiſſe curam Reipublicæ, ſed in tanta multitudine hominum, quæ indies creſcebat, & liberis etiam temporibus Romæ ad centum Myriadas, quæ cenſæ eſſent, excreverat, ut ex Phlegonte Tralliano ab aliis notatum eſt, difficile fuiſſe, de omnibus rebus comitia habere, & quotidie conſulere plebem vel populum: ſenſim itaque ſine ſenſu revocatam eſſe priſtinam Senatus auctoritatem, quæ ſeceſſionibus & diſcordiis plurimum imminuta fuerat. Unde fortaſſe mox non male legeretur: *neceſſitas ipſa curam Reipublicæ ad Senatum reduxit*, pro *deduxit.* ſed id tamen præciſe non urgeo. Rupertus, qui, ut fere alibi, ita hic quoque ſtat a partibus Pomponii, multa dixit de auctoritate Senatus, *abſente Populo*, quæ tamen omnia vix intelligo.

Ad §. X.

Seque præmuniret. In utroque MS. meo eſt, *ſeque præmunirent*, quod rectius eſt, refertur enim ad *Cives*, non ad *Magiſtratus*, ut perperam putabat Coccejus ad *h.* §. nam ait *ſe*, non *ipſos.* Præmuniunt autem ſe Cives, quum ex Edictis propoſitis eam Juris ſcientiam nanciſcantur, qua certiores facti rebus ſuis prudentius conſulunt. *Præmunirent* etiam eſt in Libris quibusdam editis, & illam quoque lectionem plurimi Interpretes ſequuntur.

Honorarium dicitur, quod ab honore Prætoris venerat. In *l.* 7. §. 1. *ff. de Juſt. & Jur.* eſt *ad honorem*, ſed & ibi melius legeretur *ab honore*, vel *ob honorem*, & ſunt, qui ita legunt.

Ad §. XI.

Noviſſime ſicut ad pauciores Juris conſtituendi via tranſiſſe ipſis rebus dictantibus videbatur, per partes evenit, ut neceſſe eſſet Reipublicæ per unum conſuli. Poſt *pauciores* non opus eſt addi *Viros*, ut additur in Libro MS. quem beneficio Viri Ampliſſimi Joannis B. van Steenbergen, Civitatis Campenſis Conſulis, mihi utendum dedit eadem Civitas, quique Campis, ſervatur in Bibliotheca Urbis publica. Neque etiam legerim *vias*, ut eſt in ipſo illo MS. & etiamnum in Libro Florentino, ut teſtatur ejus αὐτόπτης Vir Doctiſſimus Henricus Brenkman. Æque non legerim *viam*, ut eſt in MS. meo Gloſſato, *via* enim melius convenit præceptis Grammaticæ. Non probaverim quoque, disjunctim legi, *per partes. Evenit*, ut rurſus legitur in eodem MS. meo; ferri poteſt hæc lectio, non probari, rotundior & concinnior eſt, quam exhibui. Sed, his miſſis, de ipſa interpretatione verborum conſtituamus. *Per partes*, ait Pomponius, eveniſſe, ut neceſſe eſſet Reipublicæ per unum conſuli. Quotquot vidi Interpretes, veteres, novi, bifariam hæc accipiunt. Alii, *per partes*, intelligunt, *paulatim, lentoque progreſſu*, a Regibus ad Populum, a Populo ad Senatum, ab hoc ad Principem. Alii, *per partes*, explicant, *per factiones, diſcordias, ſeditiones.* Sane habet utraque ſententia, quo & locutionem, & rem ipſam tueatur: altera diceret, & vere, non per ſaltum, ſed per varias Reipublicæ formas & mutationes, & tandem per medias Dictaturas & Triumviratus, ad Principem perventum eſſe: altera ſignificaret Syllana tempora & plusquam Civilia bella, & diceret, nec minus vere, quod dixit Tacitus *L.* I. *Annal. C.* 9. *non aliud diſcordantis Patriæ remedium fuiſſe, quam ut ab uno regeretur.* Sponte Senatu Populoque id accidiſſe quum non dixerit Pomponius, non erat, cur ab aliis arroderetur, atque ſi dixiſſet. Igitur, quod ad rem ipſam, quocunque velis modo, Pomponium explices, ſalva res erit, neque ego hæc moroſius redarguo, dummodo & mihi levioris conjecturæ fiat poteſtas. Vide enim, an non binis literis tranſpoſitis pro *partes* legi poſſit *patres*, ut dixerit, per *patres*, id eſt, *per Senatum* eveniſſe, ut ſumma rei ad Imperatorem venerit. Ajes tu, a Senatu quidem ad Principem perventum eſſe, ſed non per Senatum, atque ſi ille cauſam & originem Principis Imperio tribuerit. Imo vero, *per Senatum*, ſi Pomponium audias, qui, interpretationis loco, mox ſubjicit: *nam Senatus non perinde omnes Provincias probe gerere poterat.* Hæc eſt ratio ſuperiorum, & hæc ipſa eſt ratio, quæ me in conjecturam, quam dixi, tantum non impulit. Vocabula, *partes* & *patres*, etiam alias in Libris MSS. & in ipſis Pandectis, commutata eſſe poſſem oſtendere, ſi non propoſuiſſem digreſſionibus abſtinere; quin & alii id jam oſtenderunt ex *l.* 3. §. 6. *ff. de Donat. inter V. & U.* & forte etiam verum eſt in *h. l.* §. 26. ut ibi dicam.

Sequitur, ut dixi: *nam Senatus non perinde omnes Provincias probe gerere poterat.* Non ſunt Pomponio abjudicanda hæc verba, ut ſunt qui abjudicant, nam *ob certamina Potentium & avaritiam Magiſtratuum*, ut de his temporibus Tacitus dixit *L.* I. *Annal. C.* 2. Senatus Provincias probe regere non poterat, in Provinciis, ut ibidem Tacitus, *Leges vi, ambitu, poſtremo* pe-

pecunia turbabantur. quæ & ipſa cauſa inducendi Principis eſſe potuit, & certe fuit ex mente Pomponii. Inuſitata autem locutio eſt, *Provincias gerere:* unde Muretus iisdem, ſed trajectis literis, mavult, *regere.* Cujacius receptam lectionem defendit, neque ego eam mutaverim, etiam ideo, quod *omnes Provincias gerere*, eſſe poſſit, *omnia munia obire*, vel ſimpliciter *totam Rempublicam adminiſtrare*, quemadmodum in illo Trajani apud Spartianum in *Adrian. C.* IV. *Commendo tibi Provincias, ſi quid mihi fatale contigerit.* Potuiſſet & Cujacius pro recepta lectione adducere ſimiles locutiones ex *l.* 11. *pr. ff. de Uſur. l.* 5. *pr. ff. de Legat.* III. & D. Ambroſio *Sermon.* VII. cujus locum ſupra exhibui ad §. 3.

Ad §. XII.

Ita in Civitate noſtra &c. Ἀνακεφαλαίωσις eorum, quos ſupra dixerat Legibus ferundis fuisſe occupatos. Eos ad ſex ſpecies recte retulit Scholiaſtes Baſilicorum ad *L.* LX. *T.* III. *Lit. B.* ſic enim inſit Ἑξ δὲ ταῦτα Ῥωμαίοις νομοθέται; δῆμος, χυδαῖος δῆμος, σύγκλητος, Βασιλεὺς, ἄρχοντες τῆς Ῥώμης, σοφοί. *Sex autem apud Romanos erant Legislatores; Populus, Plebs, Senatus, Princeps, Magiſtratus Romani, Prudentes.*

Ad §. XIII.

Quantum enim eſt Jus in Civitate eſſe, niſi ſint, qui Jura regere poſſint? Incipit agere de Magiſtratibus, qui jus dicunt. Quum autem improprie dicatur, *Jura regere*, proprie vero, *Jura reddere*, in MSS. meo Gloſſato legitur, *qui Jura reddere vel regere poſſint*, adjecto τῷ *reddere*, vice interpretationis. Alterutrum ſufficit; *reddere* etiam eſt in antiquis quibusdam Editionibus, forte poſt emendationem Mureti, vel ex Libro MS. meo vel alio. Et quamvis non negem τὸ *regere* defendi poſſe, ſi quis omnino ita velit, tamen & ipſe proclivior eſſem in *reddere*, quia Magiſtratus non tam Jus *regit*, quam *reddit*, ut ipſe loquitur Pomponius in *h. l.* 2. §. 10. *Magiſtratus*, inquit, *Jura reddebant*, non *regebant.*

Ad §. XV.

Quo in numero fuit Junius Brutus. Loquitur de *Tribuno Celerum*, non *ſcelerum*, ut peſſime legitur in eodem MS. Quum autem Pomponius, unius numero, duntaxat meminerit *Tribuni Celerum*, minus recte videbatur ſubjungere, *quo in numero.* Unde aliquando ſuſpicabar legendum, *quo in munere*, nempe ejus Tribunatus: attamen nihil muto, quum ex figura Rhetorices, neſcio qua, ſatis defendi poſſit recepta Lectio. An vero Junius Brutus unquam fuerit Tribunus Celerum, vellem, ne Gerardus Coccejus in tanto conſenſu Auctorum, dubitaſſet, ipſe auctoritate vel minima deſtitutus.

Reges ejiciendi. Recte ita; neque igitur oportet reſcribere, *Regis ejiciendi*, ut eſt in quibusdam Libris, cum editis, tum MSS.

Ad §. XVI.

Solum relictum eſt iis, ut coërcere poſſent, & in vincula publica duci juberent. Omnes Libri, ſcripti, editi, *juberent.* Ego malim, *jubere*, ſubintellecto *poſſent*, & adfero ex *l.* 2. *ff. de in Jus voc.* ſimilem locutionem, etiam de Conſulibus aliisque, *qui*, ut ait Ulpianus, *coërcere aliquem poſſunt, & jubere in carcerem duci.* non *jubent.* Sane elegantius & mollius eſt *jubere*, inconcinnius & durius *juberent.*

Ad §. XVII.

Poſt deinde cum cenſus jam majori tempore agendus eſſet, & Conſules non ſufficerent, huic quoque officio Cenſores conſtituti ſunt. Quid ſit apud Pomponium, *majori tempore*, fateor, me idonea interpretatione non ſatis adſequi. Si legeretur, ut legitur in utroque MS. meo, *a majori tempore*, quamque ſcripturam ſequitur Garro, jam intelligerem; tunc enim diceret, quod dicit Livius, de origine Cenſorum agens, *L.* IV. *C.* 8. *Ortum*, inquit, *initium rei eſt, quod in Populo, per multos annos incenſo, neque differri cenſus poterat, neque Conſulibus, quum tot Populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere.* Intelligerem quoque, ſi legeretur, ut legitur in MS. Campenſi: *cum cenſus jam a majori tempore auctus eſſet. Cenſus* pro his, qui cenſendi ſunt, pro multitudine Populi. Si electio eſſet facienda, præferrem ſimpliciter, *a majori tempore*, absque ullo ulteriori motu, cum ea lectio tantum non recedat a Librorum optimo. Garro, quem modo laudabam, uſus eſt Libro, in quo, non ut in Campenſi, fuit *auctus*, ſed *augendus*, & ſic quoque eſt in altero meo MS. ſine Gloſſis; nullo tamen, ut videtur, ſenſu, niſi per *cenſum* intelligas *Tabulas cenſuum.* Quod cum duriuſculum ſit, Garro *augendus* mutabat in *agendus*, quæ ipſa Florentini & plerorumque Librorum lectio eſt. Sane ſtare non poſſe illud *majori tempore* Antonius Faber recte dixit in *Ration.* ad *h.* §. miraturque hoc mendum a nullo antea Interprete fuiſſe animadverſum. Non tamen cum eo emendaverim, *jam majori Republica*, pro *jam majori tempore*, nato, ut putat, errore ex compendio ſcribendi; eſt enim & hæc ſpecies infelicis Criticæ, quam totiens Faber, Jove non æquo, exercuit. Quid igitur? An ſequemur lectionem, in quam conſentiunt tres, quos dixi, Libri MSS. *a majori tempore?* ſic velim, ſi non quid melius occurrat. An, ut quidam putabat, Pomponius, non emendatus, ſignificavit, Populo nunc aucto, cenſum non potuiſſe iniri expedirique niſi *prolixiore tempore?* ſed verba, *majori tempore*, ea ſignificatione vix crediderim Latina eſſe; ſimpliciter tunc dixiſſet, *cum cenſus jam major agendus eſſet.* An, ut *beata* dicimus *tempora*, ut *dura*, *difficilia* & *aſpera*, ſic & *majora* dicimus, ubi auctior eſt Reſpublica, ubi Populus crevit? deſtituimur idonea auctoritate, nec putem id quoque ferre proprietatem Latini ſermonis. Magis eſt, ut ſcripturam leviter mutandam exiſtimem, legendumque: *cum cenſus jam major in tempore agendus eſſet*, hoc eſt, quum tractu & intercapedine tanti temporis, cenſus eſſet agendus major, vel *in tempore*, ſimpliciter pro *illo tempore*, niſi præferas, *in tempora*, ut dicimus, *major in dies & horas*, vel *cum cenſus, jam major tempore, agendus eſſet.* quam conjecturam vetuſtæ quædam Editt. juvant, in quibus, tranſpoſitis duntaxat vocibus, legitur, *major jam tempore;* quod eodem redit, & ex qua poſteriori ſcriptura etiam ratio conſtare poterit perperam geminati *I.* Elige, quicquid placuerit, me non difficilem habebis arbitrum.

Ad §. XIX.

Et his Dictatoribus Magiſtri Equitum injungebantur ſic, quomodo Regibus Tribuni Celerum. Illud *injungebantur* duriuſculum eſt. Scio equi-

dem, Ant. Fabrum in *Ration.* ad *h.* §. accepiſſe id verbum, quaſi ex neceſſitate Dictatoribus impoſita, ſed hæc ſignificatio reliquis verbis, de Tribunis Celerum, haud quaquam convenit. Scio etiam, Cujacium ad *h.* §. ſcribere, nihil referre, *injungere* dicas, an ſimpliciter *jungere*, ut tignum *junctum* vel *injunctum*, auctore Livio *L.* LXIII. Præterea ſcio, Salmaſium ad *Capitol.* in *Anton. Pio C.* 12. affirmare, *ſæpe* in Pandectis legi *injungere* pro *jungere*, ſed ad ſolum forte hunc locum reſpexit, alios enim fruſtra quæro, nec ipſe vel unam auctoritatem addit. At non licet argumentum capere a loco, qui dubiæ lectionis eſt, nam & hic in MS. Campenſi legitur *adjungebantur*, quod nemo negabit eo ſenſu, quem hic locus poſtulat, magis Latinum eſſe. Et vel id ſequor, vel lego, ut ſimpliciter quoque legitur in quibusdam Libris, *jungebantur*, quaſi τῷ *in* male repetito ex litera *M.* quæ præcedit. tripes eſt *M.* & tripes *IN*, & pronus inde in errorem lapſus. Non etiam audio Cujacium, confundentem *tignum junctum* cum *injuncto*, aliud enim juris eſſe in hoc, quam in illo, oſtenderem, ſi hic locus eam diſputationem caperet. Quod porro ait, Dictatoribus adjunctos fuiſſe Magiſtros Equitum *ſic*, *quomodo* Regibus adjuncti erant Tribuni Celerum, varie poteſt accipi ſenſu recto, in pluribus enim hæc munera conveniebant; nolim tamen exiſtimes, in Regibus neceſſariam fuiſſe hanc creationem & vicariam operam, ut fuit in Dictatoribus. Id ipſum jam Antonius Faber monuerat, & tamen, ut dixi, illud *injungebantur* de neceſſitate creationis expoſuit. quod factum non oportuit.

Magiſtratus tamen habebantur legitimi. In Libris quibusdam antiquis vitioſe legitur, vel ſimpliciter, *Magiſtratus habebantur*, vel *Magiſtratus enim habebantur.* Utrumque nullo fere ſenſu; quare hæc ſepono. At vero difficilis eſt valde hic locus, neſcias enim, ad quem quosve hæc verba referenda ſint. Loquutus proxime erat Pomponius de Dictatoribus & Magiſtris Equitum, de illis verum eſſe non videbatur, *Magiſtratus fuiſſe legitimos*, cum extra ordinem creati, *legitimis* opponantur; neque adeo etiam de his, quorum non erat niſi vicaria opera. Gloſſa exiſtimavit, neque ad Dictatorem, neque ad Magiſtrum Equitum hæc verba pertinere, ſed ad *priores Magiſtratus*, de quibus ante illos dixerat. Quod ſalva ratione recti ſermonis dici nequit, nam hæc poſtulat, verba referantur ad eos, de quibus proxime dixerat, atque adeo ad utrumque, vel certe alterutrum. Et tamen Cujacius quoque ad neutrum retulit, hac interpretatione, ut Pomponius, his verbis, refutaverit opinionem eorum, qui exiſtimaſſent, creato Dictatore, ceſſaſſe omnes Magiſtratus legitimos, eosque Dictaturam, ut ita loquar, abſorbuiſſe. Cujacium, ut fit, alii ſequuntur. Sed cedo mihi, qui apud Antiquos aliter putaverit? & quo auctore hæc impugnaſſet Pomponius? revera, creato Dictatore, ceſſabant omnes Magiſtratus, &, ut hoc probem, per mille poſſem currere exempla & auctoritates. Prolixe falluntur, qui id negant, in tanta luce, ex appellatione, quæ durabat, Conſulum, aliorumque Magiſtratuum, extincto tamen plane Imperio & omni jurisdictione: ſed memini hæc ab aliis occupata eſſe. Sin autem Pomponius his omnibus ſolus iviſſet obviam, an hoc agens ea, qua nunc utitur, uſus fuiſſet oratione? tam abrupta & hiulca? non ego id mihi perſuaſerim. Interea adhuc magis diſplicent, quæ ad interpretationem hujus loci apud alios lego, quæque, ut referam, indigna puto.

Haloander ferro medicinam quærit, delet enim *legitime*, & ſunt, qui id probent, quo ſcilicet Dictator & Magiſter Equitum fuerint Magiſtratus, ſed non ordinarii, non legitimi; ſecutus eſt ea in re Haloander antiquiores quasdam, ut dixi, Editiones, ſed hoc eſt nodum ſecare, non ſolvere. Sane ad Dictatores *legitimi* vocem detorquere vix patitur ejus ſignificatio, cum Dictatoris munere collata, ad Magiſtros Equitum referre ſi velis, forte dici poterit, creato Dictatore, jure cautum fuiſſe, ut neceſſario ei Magiſter Equitum adſit, hac nempe ratione, *Magiſtratus Legitimus*, nam quum eſſet Dictator, ſolemne erat & ordinarium, ut eſſet quoque Magiſter Equitum; qualem cauſam ipſe Dictator non habebat. Vidi etiam, qui ita intelligant Pomponium; ſed eſt hoc forte ſubtilius, quam verius. Mallem igitur, ut & ipſe aliquid conferam, hæc verba, *Magiſtratus tamen habebantur legitimi* a §. 19. divellere, & rejicere ad ſequentem §. 20. deinde eum legere uno tenore, & hac interpunctione: *Magiſtratus tamen habebantur legitimi iisdem temporibus. Cum Plebs a Patribus ſeceſſiſſet anno fere ſeptimo decimo poſt Reges exactos, Tribunos ſibi in monte ſacro creavit.* Sic diceret, Magiſtratus in Urbe Romana, quos a §. 16. recenſuerat fuiſſe legitimos, rite & ordine, ex Senatorio Ordine creatos, non per turbas & ſeditionem extortos, ut fuerunt Tribuni Plebis, de quibus nunc agere incipit §. 20. ita ne latum quidem unguem recedimus a lectione verborum, ut in Libro optimo exſtant, ſed mutamus duntaxat interpunctionem, quam utique, etiam in aſſignandis §§. arbitrariam eſſe conſtat. Qui melius conjecerit, is Phyllida ſolus habeto.

Ad §. XX.

Anno fere ſeptimo decimo poſt Reges exactos. Imo, ſecundum Auctores quosdam veteres, *ſexto decimo*, ſecundum alios, *octavo decimo.* Pomponius, inter utrosque medius dixit XVII. & addidit *fere*, ut ſolent Geometræ.

Dicti Tribuni, quod olim in tres partes Populus diviſus erat. Pro *olim* in Libro meo MS. absque Gloſſis legitur *tunc.* eodem, puto, ſenſu: *olim*, ſi ad ætatem Pomponii reſpicias, *tunc*, ſi ad creationem Tribunorum Plebis. In pari autem cauſa ſemper vincit Codex Mediceus.

Ad §. XXI.

Itemque ut eſſet, qui ædibus præeſſent, in quibus omnia Scita ſua Plebs deferebat, duos ex Plebe conſtituerunt: qui etiam Ædiles appellati ſunt. Agit de origine Ædilium Plebis, eorumque officio. Deſcribit officium, quod *ædibus præfuerint, in quibus omnia Scita ſua Plebs deferebat.* Et ſane conſtat ex Livio *L.* III. *C.* 55. etiam hoc eis datum fuiſſe, ut SCta cuſtodirent in Æde Cereris; de Plebiſcitis quidem nihil ipſe, aut, quod ſciam, alius, ſed tamen & in hanc Ædiles Plebiſcita detuliſſe & ſervaſſe, omnino eſt veriſimile. An aliæ Ædes, præter Cereris, huic cuſtodiæ deſtinatæ fuerint, mihi non ſatis liquet: utque ita neſciam, quo jure de Ædibus, numero plurium, dixerit Pomponius. Hoc ſcio, quamvis plures fuerint, Pomponium, ut nunc legitur, ſic ſatis anguſte tamen deſcripſiſſe horum Ædilium officium, etiam quemadmodum id ab initio fuit, neque enim duntaxat præerant Ædibus, in quibus SCta & Plebiſcita adſervabantur, ſed omnibus ſacris & locis publicis. Ne tam anguſte lo-

loquatur Pomponius, non ſum alienus a lectione Libri Campenſis, qui ita exhibet: *itemque ut eſſent, qui Ædibus præeſſent, & quibus omnia Scita ſua Plebs deferebat, duos ex Plebe conſtituerunt.* Pro *in*, ut vides, legitur *&*; atque ita quoque Ant. Faber emendavit in *Ration.* ad *h.* §. hac ſcilicet ratione, quod ſatis Latine non diceretur, *in quibus deferebat*, pro *in quas.* Sed Ant. Faber non eſt idoneus Latinitatis arbiter, & in hoc ipſo fallitur; prævalet ratio, quam dixi, ut, ſi *in* legas, anguſtior ſit, quam oportet, Ædilium definitio; ſi vero *&*, generaliter diceret, *præfuiſſe Ædibus*, ut conſtat ex Dionyſio, Varrone, Feſto, aliis, Ædiles primum curaſſe Ædes ſacras, mox & privatas. Sic, ab Ædium cura, primam & potiſſimam eorum muneris partem deſcripſiſſet, deinde addidiſſet, *& his Plebem Scita ſua detuliſſe*, hoc eſt, etiam Plebiſcita cuſtodiviſſe, quod non minus ad officium eorum pertinebat.

Ad §. XXII.

Qui pecuniæ præeſſent. De origine Quæſtorum Ærarii etiam inter veteres Auctores non convenit; ad defenſionem Pomponii ſufficit, plurimos eſſe, quibuscum ille ſentit. Cæterum quia hic præcedit, *qui illi*, id eſt, Ærario *præeſſent*, poſteriora hæc, *qui pecuniæ præeſſent*, Haloander delevit, quod Muretus & alii ſequuntur, ſed quod abeſſe poteſt, non continuo abeſſe debet. Non eſt, qui ſcribit, qui non aliquando ſit ταυ-τολόγος, & tam moroſi ſumus, ut in aliis ταυτολογίαν non feramus, ego fero, etiam in Pomponio. Quin *pecunia* hic etiam eſſe poteſt τὸ ἐξηγητικὸν *Ærarii.* Alterutrum malo, quam gloſſematum eſſe prodigus.

Dicti ab eo, quod inquirendæ & conſervandæ pecuniæ cauſa creati erant. In MS. Campenſi pro *inquirendæ* eſt *requirendæ.* Apud Varronem, quum de origine Quæſtorum agitur, ſimplex *quærere* eſt *L.* IV. *de L. L. p. m.* 22. ut & apud Ulpianum in *l. un.* §. 1. *ff. de Offic. Quæſt.* ſubjicit de his ipſis Varro, *qui conquirerent publicas pecunias.* Elige verbum, quod libet, mihi perinde eſt, dummodo ne mutes, quod ſcriptum eſt.

Ad. §. XXIV.

Et cum placuiſſet Leges quoque ferri, latum eſt ad Populum, uti omnes Magiſtratu ſe abdicarent, quo Decemviri conſtituti anno uno cum Magiſtratum prorogarent ſibi, & cum injurioſe tractarent, neque vellent deinceps ſufficere Magiſtratibus, ut ipſi & factio ſua perpetuo Rempublicam occupatam retinerent, nimia atque aſpera dominatione eo rem perduxerant, ut exercitus a Republica ſecederet. In hoc §. multa purganda ſunt. Pro *leges quoque ferri* in MS. meo Gloſſato legitur *leges quoque fieri.* ſed hoc leve eſt. Nec etiam multum refert, utrum mox legas, *uti omnes Magiſtratu ſe abdicarent*, an, ut in quibusdam Libris MSS. & editis, *uti omnes Magiſtratus ſe abdicarent.* Major ſtribiligo eſt in verbis ſequentibus, *quo Decemviri conſtituti anno uno cum Magiſtratum prorogarent ſibi* &c. Vix hæc intelligo, nec vidi etiam, qui recte explicet. Si cum Budæo pro *quo* legas *quoad*, vel cum Ant. Fabro, *quod*, nihil magnopere profeceris. Ego ſic emendarem: *uti omnes Magiſtratu ſe abdicarent anno uno, quo Decemviri conſtituti cum Magiſtratum prorogarent ſibi* &c. Vel hac interpunctione: *anno uno, quo Decemviri conſtituti. Cum Magiſtratum prorogarent ſibi* &c. Vel ita: *quo conſtituti DECEMVIRI*, ut ex geminatione mox repetatur, *Decemviri.* Niſi ita mavis, ſalva ſcriptura, & ſalvo ordine verborum: *uti omnes Magiſtratu ſe abdicarent; quo Decemviri conſtituti. Anno uno cum Magiſtratum prorogarent ſibi* &c. Hæc interpunctio ſi placuerit, *quo* erit pro *in quem finem*, ut ſæpe alias, etiam in Pandectis. Quod porro ſequitur, *ſufficere Magiſtratibus*, ſi accipiatur pro *ſubſtituere Magiſtratus, iisque cedere*, quæ ejus loci videtur eſſe Sententia, vereor, ne Latine dicatur; *ſufficere*, hac ſignificatione, accuſandi, non dandi caſum poſtulat. Præferrem, *ſufficere Magiſtratus*, ut, poſt emendationem Budæi, in Libris quibusdam legitur, &, ſi ita legas, poteris illud, *cum injurioſe tractarent*, etiam ad *Magiſtratus* referre. Totus autem hic locus in Libris Vulgatis ita legitur: *Uti omnes Magiſtratus ſe abdicarent, & Decemviri conſtituti ſunt anno uno. Hi cum Magiſtratum prorogarent ſibi, & rem injurioſe tractarent, neque vellent deinceps ſufficere Magiſtratus, ut ipſi &c.* Hæc intelligi poſſunt, ſed nimium a Libro Florentino recedunt. In MS. meo, ſine Gloſſis, ita hic locus exhibetur: *uti omnes Magiſtratus ſe abdicarent, quo Decemviri conſtituti. Anno uno cum Magiſtratus propagarent ſibi, etiam cum non injurioſe tractarent &c.* & mox: *nimia atque aſpera dominatione Rempublicam perduxerunt.* Quorum nihil probo, niſi forte primam interpunctionem, quam ipſe tamen adſcripſi, quia hic & alibi in eo MS. tantum non omnis interpunctio abeſt.

Utpote cum Brutus, qui primus Romæ Conſul fuit, vindicias ſecundum libertatem dixiſſet in perſona Vindicis, Vitelliorum ſervi. Hunc Vindicem Livius etiam *Vitelliorum*, non, ut alii, *Aquiliorum* ſervum fuiſſe dixit; idque defendendo Pomponio ſufficere nemo dubitabit. Hanc autem de Vindice hiſtoriam, quamvis eum fuiſſe ſervum inter omnes conſtiterit, ob libertatem tamen, quam meruerat, quæque ab indicio conjurationis dependebat, recte huc tranſtuliſſe Pomponium, ab aliis jam animadverſum eſt.

Qui proditionis conjurationem indicio ſuo detexerat. In MS. Campenſi eſt, *in judicio detexerat*, irrepſit etiam in Editiones quasdam, *judicio ſuo detexerat*, ſed rectius eſt, *indicio.* de commutatione harum vocum dixi *L.* I. *Obſerv. C.* 6.

Arrepto cultro de taberna lanionis. Florentiæ etiamnum eſt *arrecto*, pro *elato*, inquit Taurellius in *Adnotatis*, ſed longe præſtat *arrepto.*

Recens a cæde, madenteque adhuc filiæ cruore. Præferrem, *madensque adhuc filiæ cruore*, & ſic eſt in tribus MSS. duobus meis, & Campenſi: quam lectionem & Editores quidam ſequuti ſunt, nec de ea ipſe dubito; convenit & Livius *L.* III. *C.* 49. *reſperſus ipſe cruore.* Porro eſt in altero meo MS. cum Gloſſis, *recedens a cæde*, ſed hanc ſcripturam, quamvis innoxiam, non urgeo.

Qui univerſi de Algido, ubi tunc belli gerendi cauſa legiones erant, relictis ducibus priſtinis, ſigna in Aventinum tranſtulerunt. Liber, quem ſine Gloſſis MS. habeo, *de Algido monte*, & pro *priſtinis* mox *protinus.* Tuto licet *montem* tollere, altera autem lectio probabilis eſt, non neceſſaria.

Populique conſenſu partim in carcere necati. Ita rurſus Reſpublica ſuum ſtatum recepit. Eberlinus ad *h. T. C.* XX. *n.* 8. priora verba, tanquam cum reliquis parum cohærentia, gloſſemati adſcribit, Balduinus in *Not.* ſervat, ſed omnia illa a *Verſ. initium*, ad *hunc Verſ.* irrepticia eſſe cenſet. Utrumque illiberali facinore; quin mox Eberlinus ſuam ipſius ſententiam tantum

 non

non retractat. Taurellio etiam, ut ex appoſita nota conſtat, priora, quæ exhibuimus, verba ſuſpecta fuerunt, quia nempe, quæ & Eberlini ratio erat, deeſt alterum *partim*, quod ſenſum ſuppleat. Id ne deeſſet, Zaſius hoc emblemate conſuluit: *partim exilium perpeſſi*. Vulgata etiam, poſt Budæum, ita emendantem, addidit: *partim in exilium acti*; ſcilicet *ſunt*, quod ſæpiſſime ſubauditur. Ne tamen ſubaudiatur, Haloander hoc modo edidit: *ita Populi conſenſu partim Decemviris in carcere necatis, partim in exſilium actis, rurſus Reſpublica ſuum ſtatum recepit*. Sic quidem, quod ad rem ipſam, eſt in Hiſtoria, ſed tantum, ſine auctoritate Librorum, non mutaverim, imo nihil quicquam muto. De Decemviris ſermonem eſſe, ſatis indicat præcedens oratio, & *partim* ſine altero *partim*, ſatis eſſe Latinum, & uſitatum, contra Budæum, adductis exemplis, alii affatim expediverunt, & agnoſcit tandem ipſe Eberlinus. Nihil addo, quam Pomponium non omnes hujus Hiſtoriæ particulas fuiſſe exſequutum, atque adeo de exilio non monuiſſe, qua leviori pœna; de graviori, quæ mortis fuit, monere, ratus eſt ſufficere. Si quid minus accuratum ſit in verbis Pomponii, memineris, quod aliquoties obſervavi, & verum eſt, diligentiſſimis quibusque, ut minus accurate loquantur, & olim accidiſſe, & hodie accidere; utque ita propterea vim fieri vetem.

Ad §. XXV.

Deinde cum poſt aliquos annos (quam) duodecim Tabulæ latæ ſunt, & plebs contenderet cum Patribus, & vellet ex ſuo quoque corpore Conſules creare. Quum in Codice Florentino deeſſet *quam*, Taurellius, ſequutus antiquiores Editiones, ſupplendo ſenſui addidit. Doctiſſimus Brenkmanus in Lectionibus *hujus L.* Florentia ex Libro Mediceo ad me tranſmiſſis, monet, ſi *quam* recipiatur, delendum quoque videri ſequens *&*; quinimo ſenſum, ſine τῷ *quam*, recte etiam ſubſiſtere, atque adeo facile eo ſupplemento poſſe nos carere. Sed primum *&* non obſtat, quia mox ſequitur alterum *&*, non dura, ſed eleganti repetitione. Et, ſi *quam* abeſſet, conſtaret quidem ratio recti ſermonis, at non ratio temporis, tunc enim diceret Pomponius, *poſt aliquos annos*, ſcilicet a ſublatis Decemviris, de quibus proxime dixerat, latas fuiſſe XII. Tabulas, & ſimul contradiceret cum ſibi, *ſupra* §. 4. tum aliis omnibus, qui originem Juris Decemviralis tradiderunt: nunc, ſi *quam* admittas, diceret, *poſt aliquos annos* a latis XII. Tabb. plebem contendiſſe cum Patribus, & voluiſſe ex ſuo quoque corpore Conſules creare; & hoc eſt verum. Posſumus autem defungi ſimplici *quam*, neque adeo opus eſt, ut cum Zaſio legamus, *cum poſt aliquot annos, poſtquam* XII. *Tabulæ latæ ſunt, & Plebs contenderet cum Patribus*, & reliqua.

Hique conſtituti ſunt vario numero, interdum enim viginti fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores. Agit de Tribunis militum *Conſulari poteſtate*, non de Tribunis militum, quos Plebs, cum certaret de abrogando Decemviris imperio, ſibi *viginti* creavit. Sunt tamen, qui hæc vel ipſi confundunt, vel Pomponium exiſtimant confundere. Quin, ſi vel de his ageret, non ſubſiſteret adhuc illud, *interdum plures*. Quum autem Tribuni militum Coſ. Pot. ad minimum fuerint tres, ad plurimum octo, ut ex Hiſtoria Romana conſtat, non eſt mirum, ſi & hic vapulet Pomponius. Ut hunc lata culpa abſolvam, non invitus acceſſerim conjecturæ Budæi, legentis, *ſeni*, & putantis, fortaſſe fuiſſe ſcriptum VI. addito, *ni*, & inde, cum *ſeni* efficiendum eſſet, Librarios, indoctum Vulgus, effeciſſe *viceni*. Ruſſardus videtur hanc conjecturam ſequi, & plurimi Interpretes aperte probant, adeo etiam hæc Hugoni a Porta placuit, ut in utramque ſuam Editionem tranſcripſerit. Cujacius quoque non longe inde abiit, ratus ſcriptum fuiſſe VI. & perperam additum, *ginti*: id enim, quod ad rem ipſam attinet, eodem redit. Conjeci etiam ſupra ad §. 3. literas numerales VI. addito *gint*. ſimili exemplo, male degeneraſſe in *viginti*, pro *ſexaginta*. Charondas hic pro *viginti* legit *ſex primi*. quod nihili eſt.

Ad §. XXVI.

Ut aliquo pluris Patres haberent. Si non legas *haberentur*, ut legitur in quibusdam Libris, non video Latino ſermoni fieri ſatis; niſi præferas, quod in MS. meo absque Gloſſis, & in aliis quoque Libris eſt, *aliquos plures*, vel, ut Budæus emendavit, *aliquot plures Patres haberent*. utrumque tamen ſenſu minus idoneo. Æque obſcura eſt lectio MS. Campenſis, *aliquo plures*, niſi, ut eſt in MS. meo Gloſſato, porro legas: *ut aliquo plures partes haberent*. *partes* pro *patres*; quæ lectio confirmat conjecturam, quam ſupra propoſui ad §. 11.

Ad §. XXIX.

Magiſtratus qui haſtæ præeſſet. Accurſius notat: *alias Eſcæ, id eſt, frumento publico.* Sed non vidi Librum, vel manu, vel typis deſcriptum, qui ita exhibet. Si non de *Eſca*, ſed de *vino* dixiſſet, putarem, plus ſatis bibiſſe, ut ipſe, ex Placentino, Imperatori Juſtiniano exprobrat in *Gloſſ.* ad *l. ult. C. In quib. cauſ. in integr. reſt. neceſſ. non eſt.*

Decemviri in litibus judicandis ſunt conſtituti. Male Budæus, *Centumviri*, ut ab aliis jam obſervatum eſt. Budæum tamen ſequutus eſt Haloander, qui ipſe etiam *in*, quia redundat, expunxit. Alii pro *in litibus* ſubſtituunt antiquum *Stlitibus*, nulla probabili, nedum neceſſaria cauſa. Si quid mutari placeret, ego præferrem, *his litibus*, quod deinde vidi & Antonium Fabrum prætuliſſe, vel *iis litibus judicandis*, quæ nempe orirentur circa haſtam, vel quæ apud haſtam ventilari ſolerent. Atque hæc recte ſubſiſtunt, quæcunque demum horum Xvirorum fuerit jurisdictio. Peſſima lectio eſt Codicis Campenſis, & mei ſine Gloſſis MS. *militibus judicandis*, nata ex *in litibus*.

Ait, *ſunt conſtituti*. Hæc verba geminanda eſſe opinor, quo & inſerviant ſequenti §. qui neceſſario fulciendus eſt. Et bis quoque leguntur in tribus Libris MSS. quos conſului, & ita quoque ſupplevit Vulgata & Haloander.

Ad §. XXX.

Quatuorviri, qui curam viarum gererent. Pro *gerent*, quod Florentiæ eſt, recte Taurellius, *gererent*, id enim fit ex *geREnt*, duabus literis geminatis, ut in *Adnotatis* ipſe obſervat. *Agerent* habet Vulgata & Haloander.

Triumviri Monetales, æris, argenti, auri Flatores. Muretus hic Tribonianum reperiſſe fingit has Notas, apud veteres ſolemnes, A. A. A. F. F. indeque effeciſſe, quod nunc legitur, *æris, argenti, auri Flatores*, cum potius, ex formula antiqua, efficiendum eſſet, *auro, ære, argen-*

gento flando feriundo. Alii id ſequuntur; credo, quia argutum eſt. Sed ipſe non ſoleo indulgere conjecturis Criticis, quas modeſtia & ipſa neceſſitas non perſuaſerint. Verba, quæ exhibui, & omnes Libri conſtanter repræſentant, proba recta ſunt, & ſententiam magis perfectam conſtituunt, quam ſi Notis incruſtarentur. Nulla de repertis hic Notis certitudo, & nulla ratio, cur Tribonianus, ſi reperiſſet, aliter reddidiſſet formulam, quam revera erat. Sane de Notis quæ fiunt conjecturæ, fere omnes inanes ſunt & lubricæ, quamvis aliquando in ſpeciem doctæ & ingenioſæ. De ipſis Quatuorviris & Triumviris, quorum meminit hic §. quod Garro ait, *ſe nibil ſcriptum inveniſſe*, in eo inſcitiam ſuam miſere prodit, ſexcenta id loca probant apud veteres Auctores, ſed quicquid ejus rei eſt, quia ab aliis ſatis eſt obſervatum, ut in præcedentibus, ita & hic tranſeo.

Ad §. XXXI.

Quinqueviri conſtituti ſunt cis Tiberim & ultis Tiberim. De his, quos etiam nuſpiam invenit Garro, aperte agit Livius *L.* XXXIX. *C.* 14. *Ultis* autem, quod hoc loco Florentiæ occurrit, an ἀρχαϊκῶς pro *ultra* quiſpiam Veterum dixerit, valde dubito, mihi certe id non liquet; *uls* dixerunt antique pro *ultra*, & in ſpecie, *uls Tiberim.* Auctoritates ex Varrone & Feſto non adferam, rem totam dixit Gellius *L.* XII. *C.* 13. *Quod*, inquit, *dicebatur cis Tiberim & uls Tiberim, dici cæptum eſt, citra Tiberim & ultra Tiberim.* ecce morem veterem & novum ſimul indicat. Quum vero *cis* antique, primo loco apud Pomponium ſcribatur, ego malim & altero ſcribere *uls* pro *ultis.* Ita quoque mavult doctiſſimus Brenkmanus in Lectionibus, quas, ut ſupra dixi, ad me Florentia transmiſit, addens, quod verum eſt, vocem inſolentem facile corrumpi potuiſſe, & ſyllabam *ti* adſciſci ex ſequenti *Tiberim.*

Ad §. XXXII.

Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hiſpania, deinde Narbonenſi Provincia, totidem Prætores, quot Provinciæ in ditionem venerant; creati ſunt. Neque hic ajunt Pomponium temporis rationem ſervaſſe, quod captam Sardiniam Siciliæ captæ præponat, ſed utique ea non eſſet niſi levis notæ macula, quæ vel ipſa apud me Pomponium non oneraret: poſſem duas in hanc rem rationes expedire, ſed cum ex Interpretibus ſint, qui ſinguli ſingulas dixerint, ego prætermitto, nam *Prætermiſſa* ſcribo. Etiam bene eſt Pomponio, quod Hiſpaniæ, duos quidem Prætores primum nactæ, ſed deinde unum duntaxat, addat Narbonenſem Provinciam; nec quicquam in hac particula occurrit, quod non cum fide Hiſtorica componi poſſit.

Deinde Cornelius Sylla quæſtiones publicas conſtituit, veluti de Falſo, de Parricidio, de Sicariis, & Prætores quatuor adjecit. Vulgata & Haloander addunt, *de Injuriis:* quam lectionem revocandam cenſet Cujacius ad *h.* §. tot enim quæſtiones publicas enumerandas videri, quot adjecti ſunt Prætores, quatuor ſcilicet, ſinguli ſingulis. quod habet rationem. Coraſius, ob eandem cauſam, *de Repetundis* adjecit, ſed nulla ullius Libri vel ullius hominis auctoritate. Alii contendunt, & fere probant, quæſtionem de Sicariis ex SCto binis Prætoribus fuiſſe commiſſam, utque ita vel hac ratione ſalva res ſit.

Sed vero alia ratione contra Pomponium inſurgit Cœcus *L.* II. *Excurſ.* 17. ad *h. l.* negat enim, quod de Sylla dicitur, verum eſſe, cum jam ante Syllam ejusmodi quæſtiones publicæ in Republica Romana fuerint frequentatæ, & negat quoque, Syllam de Falſo & Parricidio ſtatuiſſe, de Sicariis fatetur. Ut uterque ſcrupulus ceſſet, non legerim *reſtituit* pro *conſtituit*, at intellexerim leges varie emendatas, & quæſtiones perpetuas, & circa has Judiciorum ordinem, nam & hunc Sylla alium, quam olim erat, de his criminibus conſtituit. ſic nihil eſt in Hiſtoria, quod obſtet.

Ita duodecim Prætores, ſex Ædiles ſunt creati. Imo *decem*, nam Syllam non *quatuor*, ſed *duos* duntaxat Prætores reliquis addidiſſe, & iterum *duos* Cæſarem ex Cicerone, Dione, aliis, Pighius, Onuphrius, Lipſius, & ex Interpretibus Juris tantum non omnes, qui ad *h.* §. commentati ſunt, uno ore conſentiunt. Unde & Rupertus hic *decem* reſcribit, & alii, ut fit, in Pomponium errantem cudunt fabam. Oppono, qui tantis nominibus unus par eſt, Jacobum Cujacium, qui hic oſtendit, inter Scriptores rei Romanæ de numero Prætorum non conſtare, & in eo adſignando vel ipſum Dionem non uno loco variare. Atque his ſuperdicit: *veroſimilius eſſe, certiorem hujus rei rationem penes Jurisconſultos fuiſſe.* ſtarem & ipſe potius a partibus Pomponii.

Poſt deinde Divus Claudius duos Prætores adjecit, qui de fideicommiſſo jus dicerent. Ut nemo, præter Pomponium, dicit, duos fuiſſe Prætores fideicommiſſarios, ſic nemo negat. Unius quidem duntaxat mentio eſt in Jure noſtro, ſed de ſingulis cauſis ambo ſimul jus non dixerunt, at is tantum, qui aditus erat, quamvis revera duo fuiſſent; ſic non obſtat unius mentio in Pandectis. Cujacius aliam rationem dedit: omnia ſcilicet ea loca Juris Civilis, quæ de Prætore fideicommiſſario loquuntur, unius numero, eſſe referenda ad id tempus, quo, ut mox addit Pomponius, ex duobus, qui fuerant, alterum detraxit Divus Titus. Ut ut autem id verum eſſe poſſit, omnino tamen verum eſſe, ego non auſim præſtare.

Ad §. XXXIII.

Quotiens autem proficiſcuntur (Magiſtratus) *unus relinquitur, qui jus dicat. Is vocatur Præfectus Urbi; qui Præfectus olim conſtituebatur, poſtea fere Latinarum Feriarum cauſa introductus eſt, & quotannis obſervatur.* In MS. Campenſi legitur *obſervabatur;* ſed id parum facit ad reſtitutionem hujus loci, qui videtur male habere, auget potius ulcus, quam ſanat. Antonius Faber *Ration.* ad *h.* §. τὸ *poſtea* ea, ubi nunc eſt, ſede tollit, & alia locat, *poſtea introductus eſt.* Id ipſum facit Charondæ Liber, ſed & aliud, quod probo. Ecce lectio, quam ex eo Charondas exhibuit: *Qui profectis aliis olim conſtituebatur fere Latinarum Feriarum cauſa, poſtea introductus eſt quotannis, & obſervatur.* Fere tota placet, niſi quod ſervem *præfectis* pro *profectis aliis*, vel ſimpliciter pro *profectis*, ut Muretus & Petrus Faber ad *h. l.* emendabant, & ſervo, quia jam dixerat, *quotiens proficiſcuntur.* Ipſe ille Petrus Faber pro *fere*, tanquam ex antiquo Libro in Bibliotheca Vaticana mallet, *vero.* quod minus commodum eſt. Bene, ut dixi, habet Liber Charondæ, qui nihil interpolat, ſed duas voculas leviter tranſponit, & ſic carere poſſumus barbaris incurſioni-

 bus,

bus, quæ hic undiquaque in Pomponium fiunt, eumque reddunt lacerum crudeliter ora, ora manuſque ambas. Cæterum ex hoc loco in primis juvatur emendatio Caſauboni in Capitolini *M. Antonino Phil. C.* 4. nam M. Antoninus, cum pro Magiſtratibus egerit, non recte, ut ibi vocatur, vocandus videbatur, *Præfectus Feriarum Latinarum*, ſed, ut vocavit & emendavit Caſaubonus, *Præfect. Ur. Latinarum Feriarum cauſa;* & ſic eum Magiſtratum appellat hic Pomponius. Niſi tamen per ellipſin id ſubaudiri poſſit, cujus locutionis exempla Inſcriptiones nobis ſuggerunt apud Rupertum ad *h.* §.

Nam Præfectus annonæ & vigilum non ſunt Magiſtratus, ſed extra ordinem, utilitatis cauſa, conſtituti ſunt, & tamen hi, quos Ciſtiberes diximus, poſtea Ædiles SCto creabantur. Conſtat, Præfectos Annonæ & Vigilum ideo Magiſtratus non dici, quod ordinarii non fuerint; quæ oppoſitio & alias occurrit & a pleriſque Interpretibus hic notata eſt. Sed de conſtructione hujus loci quid fiet? Vulgata & Haloander exhibent *ſane* pro *nam*, quia *nam* hic cauſam non habet; ſed cauſam ſatis probabilem adſcribit Coccejus ad *h.* §. Addo & aliam: de Magiſtratibus dixerat Pomponius, & abſolverat, ne quis autem utriusque Præfecti, Annonæ & Vigilum, oblitum diceret, hac ratione ſe tuetur, *nam*, inquit, *non ſunt Magiſtratus.* Sed & *nam*, ſine quavis cauſa, apud poſteriores, etiam JCtos, ſæpe duntaxat tranſitioni ſervit, quemadmodum apud Cajum in *Fragmentis*, plurimis locis, & forte etiam in *l.* 1. §. 3. *ff. de Calumniat.* Sed quid hic *Ciſtiberes?* quid *tamen*? quid *Ædiles?* quid *SCtum*? & quæ demum horum omnium ſententia? Vidi varias hujus loci interpretationes, quarum nulla quidem bona, ſed alia alia pejor eſt, ut de mulierculis Plautus dixit. Ne de ſingulis dicam, bifariam fere accipitur ſententia ejus loci, vel ut ſignificaverit Pomponius, munus eorum, qui olim cis & uls Tiberim curabant, poſtea Ædilibus fuiſſe mandatum, vel ut dixerit, Ciſtiberes illos, perfunctos eo munere, ex SCto creatos fuiſſe Ædiles. Sed vero neutra interpretatio convenit verbis hujus loci, &, quod ad rem ipſam attinet, nihil horum puto facile perſuaſum iri hominibus, rerum Romanarum gnaris. Vellem adeſſet Medicus, me peritior & prudentior, nam ego fere ſubſiſto. Intelligerem, ſi ita ſcriptum eſſet: *& tamen hi, & quos Ciſtiberes* (vel *cis Tiberim*, ut eſt quoque in MS. meo ſine Gloſſis) *diximus, poſtea, ut Ædiles, SCto creabantur.* Coraſius etiam *&* addidit, hoc modo, *hi & quos Ciſtiberes diximus*, ſed reliqua ſervat, & perperam explicat. Si ita, ut ipſe dixi, ſcriptum esſet, interpretarer, Præfectos Annonæ & Vigilum, & illos, quos dixerat, Ciſtiberes, quamvis Magiſtratus non eſſent, a Senatu tamen, ut poſtea Ædiles, fuiſſe creatos: ut quod ad creationem videantur Magiſtratus, ſed tamen non ſint. *Ciſtiberes* vel *cis Tiberim*, compendio dixit, pro *Ciſtiberes* & *Ulſtiberes*, vel pro *cis Tiberim* & *uls Tiberim.* Atque iis acquieſco, donec quid melius adferatur.

Ad §. XXXV.

Sed qui eorum maximæ dignationis apud Populum Romanum fuerunt (*eorum*) *in præſentia mentio habenda eſt.* Doctiſſimus Brenkmanus, ipſe Codicis Florentini αὐτόπτης, mihi ſignificavit, alterum *eorum* non plane deeſſe in eo Codice, ut tamen Taurellii nota indicat, ſed antiquiuſcule ad marginem eſſe adſcriptum. Recte etiam obſervat, tuto carere nos poſſe eo ſupplemento, nam vel ſatis ſubintelligi, vel facillima tranſpoſitione ſic initium poſſe mutari, *ſed eorum, qui maximæ dignationis* &c. & ſic etiam habent quædam Editiones.

Ceteri autem ad hunc vel in latenti Jus Civile retinere cogitabant, ſolumque conſultatoribus vacare, potius quam diſcere volentibus ſe præſtabant. Muretus exiſtimat, illud *vel* redundare, non enim ſequi alterum *vel*, ut debebat in disjuncta oratione; conjicit igitur ſcriptum fuiſſe, *ad hunc vel illi intenti*, & inde Librarium effeciſſe, *ad hunc vel in latenti.* Sed quum unum Coruncanium adhuc tantum memoraverit Pomponius, neſcio, quid ſibi vellet, *ad hunc vel illum intenti.* ut taceam & de audacia correctionis, & de nullo vel contorto ſenſu correctæ in hunc modum ſcripturæ. Poteſt *vel* accipi pro *etiam*, ut ſæpe alias, etiam in Jure noſtro, & ſic recta eſt ſententia; alioquin, ſi quid mutandum eſſet, magis placeret, *velut in latenti*, quod video Antonio Fabro placuiſſe. ſed nihil quicquam muto. Ita autem, ut exhibui, hunc locum interpungit Taurellius, ut τὸ *vacare* referat ad præcedens *cogitabant*, ſed manca ſic & hiulca eſt oratio. Haloander delevit illud *vacare*, ita edens: *ſolumque conſultatoribus potius, quam diſcere volentibus, ſe præſtabant.* quam lectionem Mureto, ita primum emendanti, alii tribuerunt, de quo tamen ipſe valde dubitem. Ego malim: *ſolumque conſultatoribus vacabant potius, quam diſcere volentibus ſe præſtabant.* Minori ſane jactura, & Librarius, ob ſequens *diſcere*, hallucinari potuit, *vacare* & *diſcere*, pro *vacabant.*

Ad §. XXXVI.

Poſt hunc Appius Claudius ejuſdem generis maximam ſcientiam habuit. hic Centemmanus appellatus eſt. Sic Florentiæ, *Centemmanus.* In MS. Campenſi, aliiſque libris, *Centimanus*, in meo ſine Gloſſis, *Cecimanus*, in aliis *Centimalus* vel *Centumalus*, nam & *Claudii Centumali*, quamvis non hujus, meminit Cicero & Valerius iis locis, quos alii paſſim indicarunt. Sed & alia monſtra lectionum hic enata ſunt, *Centennianus* nempe, vel *Centemnianus*, vel *Centinianus*, & neſcio quæ non alia, quorum animus meminiſſe horret. Horum, quæ dixi, omnium nihil fere placuit Interpretibus, nam ecce veteres, novi, tantum non unanimi conſpiratione, hunc *Appium Claudium Centemmanum*, truncata primum *manu*, & mox, quæ mera barbaries eſt, effoſſis etiam oculis, mutant in *Cæcum*, *hic Cæcus appellatus eſt*, tam unanimi, ut modo dicebam, conſpiratione, ut *Cæcus* etiam in Editiones migraverit, ſic enim edunt Vulgata & Haloander. Atque hæc ipſa lectio eſt, quam nuper nonnihil interpolavit Almeloveen *Faſt. Conſul. ſecundum ordin. Alph. p.* 46. ne, ut puto, tot literæ perirent in *Centemmanus*, quibuſdam ſervatis, ſed & aliis adjectis, ipſe emendat, *Cæcus a Romanis.* Sane negari non poteſt, maximam partem eorum, quæ mox exſequitur Pomponius, veteres Auctores & Tabulas Capitolinas de Appio Claudio, quem *Cæcum* Romani appellarunt, memoriæ prodidiſſe; ſed tamen ego nondum ſcire potui, quæ ratio cogat vim majorem & criſin adeo truculentam. Eccur, ſodes, fides eſt abroganda Pomponio, narranti, hunc Appium Claudium appellatum fuiſſe *Centemmanum*, vel potius, ſi mihi unius literæ mutandæ ſit venia? *Centummanum?* apud Græcos Ægeon dicebatur ἑκατόγχειρ, ea ipſa forte ratione, qua hic Appius *Centummanus*,

ſive

ſive a promptitudine & celeritate expediendarum rerum, ſive, ut Antonius Faber exiſtimat, a multitudine rerum, quas hic unus ornandæ Reipublicæ præſtitit. In ſenectute cæcus, poſtea & *Cæcus* vocatus, potuit utique vel poſt cæcitatem etiam *Centummanus* vocari, & nemo eſt Auctorum veterum, qui id negat; & quis tuto dixerit, ex tot millibus, qui perierunt, non fuiſſe, qui de agnomine Appii adfirmaverit, quod hic adfirmat Pomponius. Quin hunc ipſum Appium *Craſſum* vocat Frontinus *de Aquæduct. L.* I. *princ.* & præter Frontinum, quod ſciam, nemo. ergo & hoc mutabimus, quia alibi non occurrit? non ego id fecero, nec id quoque fecerint, qui didicerunt, varia ſæpe, variis ex cauſis, unius hominis fuiſſe agnomina. Quintus Fabius, quem memorat §. *ſeq.* dictus eſt nunc *Maximus*, nunc *Verrucoſus*, nunc *Dictator*. alios prætereo. Bene igitur eſt Pomponio, ſi non obſtet alia & major auctoritas, nec vel ipſum, vel ſciolum interpolatorem hic notari velim, ut ſunt, qui notant.

Hunc etiam actiones ſcripſiſſe traditum eſt, primum de uſurpationibus. Antonius Auguſtinus *Not.* ad Librum ſuum *de Nominibus propriis Pandect. p.* 15. ita reſcribit, *hunc etiam actiones ſcripſiſſe traditum eſt primum, & de uſurpationibus* ſive *e De*, pro *& de*, ex uſu ſcriptoris Florentini Libri. Ego non modo nullam mutandæ ſcripturæ cauſam video, ſed & ſcripturam, non mutatam, præfero.

Idem Appius Claudius, qui videtur ab hoc proceſſiſſe, R. literam invenit, ut pro Valeſii Valerii eſſent, & pro Fuſiis Furiis. Memini, cum juvenis eſſem, me de hoc invento plurimum indignari Appio Claudio, nam literam R. tunc efferre non poteram. Sed quid? duosne tantum, an tres Appios Claudios recenſuit hic Pomponius, Decemvirum, Centummanum, & inventorem literæ caninæ? an vero poſtremus cum Centummano erit unus & idem? eundem eſſe aperte dicit Pomponius, nam ait *idem*, ſed & alium fuiſſe mox ipſe ſignificare videtur, cum hunc referat ab alio *proceſſiſſe*. Ne ſibi Pomponius contradicat, varie cavent Libri MSS. Editores & Interpretes. Codex Campenſis exhibet, *item Appius Claudius*, non *idem*, de qua lectione jam monuit Ant. Auguſtinus *d. Not. p.* 15. eamque ſibi paſſim adſcribunt Recentiores, ſed his, ut indignis, auferri velim. Stephanus pro *idem* edidit *inde*. Utraque ratione Pomponius memoraſſet tres Appios Claudios, & ſic credidit Zaſius, qui etiam *inde* legit, & hunc tertium *Centumalum* fuiſſe dictum putat, ſecundum vero *Cæcum*, infelici enim conjectura hunc locum miſere pervertit. At ſi tertium Appium admittamus, an de eo nihil monuiſſet Pomponius, quam inveniſſe literam R. & nihil quicquam de jurisprudentia, quam eſſet profeſſus? cur igitur Familiæ JCtorum inſeruit? an non, ſi hoc ſederet, magis robuſta eſſet oratio, ſi legeremus non *proceſſiſſe*, ſed *profeciſſe*, ut ſcilicet hic Appius Claudius ab alio, cujus Juriſperitiam laudaverat, non tam, ut gentilitius, *proceſſerit*, quam, ut JCtus, *profecerit*, eadem forma loquendi, quæ eſt infra §. 44.? Sed, ſi vel pro tribus Appiis ſtarem, non mutaverim conſtantem ſcripturam, nam *procedere* etiam dici poſſunt, qui ex alicujus diſciplina prodeunt. Unde & in §. 40. *h. L. ab his profecti ſunt*, hoc eſt, ſermone etiam apud terſiſſimos Latinitatis Auctores uſitato, *ex eorum diſciplina proceſſerunt.* Et rurſus, commutato vocabulo, *proficere* pro *progredi* vel *procedere* in §. 45. *h. L.* niſi tamen ibi *procedere* legendum ſit, ut legitur in quibusdam Libris. Qui duos hic tantum Appios agnoſcunt, varie inſtituunt, ita tamen, ut nemo non prurientem manum admoverit Pomponio. Haloander, & antiquiores quædam Editiones, ita exhibent: *Idem Appius Claudius uſu, qui videtur ad hoc proceſſiſſe, R. literam invenit.* Quid ſibi velit *ad hoc proceſſiſſe*, vix intelligo, an *ad hoc natus?* ſed præfero tunc, *adhuc*, ut dixerit, hunc Appium Claudium, ulterius progreſſum, non tantum Urbem, ſed & Linguam Romanam ornaſſe, *inventa*, id eſt, quibusdam vocabulis inſerta litera R. loco S. Iniqua enim cenſura eſt, Appium non *inveniſſe* literam R. ſed *extendiſſe*, quæ jam frequentabatur; *invenit*, ut dixi, in quibusdam vocabulis, ut jam Gloſſa animadvertit, & ſi hoc non feramus, oppido moroſi ſumus. ſed pergamus. *Uſu*, quod editum vides, credo Editores eſſe abuſos, ut qui referri poſſit ad *uſum*, non ad *Appium Claudium*, & ſic diſerte ſcribit Coraſius; ſed illud *uſu* omnino commentitium eſt, ut difficultati fieri poſſit ſatis. Cujacius pro *qui* legendum ſuadet *quoniam*; atque ſi nempe incertum fuerit, cui Appio deberetur inventio literæ R. Pomponius autem, ratus, hanc deberi Appio Cæco, dixiſſet, *idem Appius, quoniam videtur ab hoc proceſſiſſe, R. literam invenit.* Si ita videretur, neſcio, cur non minori motu pro *qui* legerit *quia*, ut video legere Eberlinum, addita una litera, & eadem plane, quam ipſe efficit, ſententia. Muretus verba hoc modo trajicit & emendat: *idem Appius Claudius uſum R. literæ invenit, videturque ab hoc proceſſiſſe, ut pro Valeſii Valerii eſſent.* Si ſuſtuliſſet *uſum*, quem ex mendoſis Libris ſervavit, ingenioſa ſane conjectura pro *qui videtur* reſtituerit, *videturque*, leviſſima tranſpoſitione, quæ & alias frequens eſt, hic adhibita. Senſus autem, ex lectione Mureti, non eſt alius, quam Cujacius protulerat, quamque etiam profert Almeloveen *Faſt. Conſul. ſec. ord. Alp. p.* 46. ubi hac Chirurgia utitur: *Idem Appius Claudius R. literam invenit, unde ab hoc videtur proceſſiſſe, ut pro Valeſii Valerii eſſent.* Premit ille, ut vides, veſtigia Mureti, non laudati, in hoc tamen pejor, quod *unde* adjiciat, nec dicat unde, quod etiam totum *qui* pereat, cujus magnam partem ſervavit Muretus. Sed quid immoror recitandis aliorum ſententiis, atque ſi ex iis facienda eſſet optio? Ego ſane quod ad tertium Appium ſubſiſto; ſi hunc admitterem, proclivior eſſem in *item* quam in *inde*. ſed cur admittam, & cur etiam quicquam mutem? egit primum Pomponius de Appio Claudio *Decemviro*, deinde agit de Appio Claudio, qui, ut videtur, & *Craſſus*, & *Centummanus* & *Cæcus* appellatus eſt, de hoc plurima narrat, & tandem inveniſſe literam R. hoc inſerto, *hunc ab alio proceſſiſſe videri*, hoc eſt, *Cæcum*, ut notius nomen uſurpem, a *Decemviro*; quidni enim liceat ea verba ſic interpretari, & ſimul abſtinere omni emendatione? ita mihi videtur, ut ne quidem *qui*, ut ſupra dicebam, in *quia* mutatum velim. Cæterum quod Florentiæ eſt, *ut pro Valeſii Valerii eſſent, & pro Fuſiis Furiis*, Auguſtinus *d. Not. p.* 15. ita corrigit, *ut pro Valeſiis Valerii eſſent, & pro Fuſiis Furii.* quæ ipſa lectio eſt MS. mei ſine Gloſſis, quamque etiam Editiones nonnullæ receperunt, ne ſcilicet diverſa utrobique terminatio ſit. Non male, niſi primum ubique caſum, vel etiam ſextum præferas; ſed & ſtare poteſt lectio Florentina, ſi quis omnino ita velit.

Ad §. XXXVII.

Fuit poſt eos maximæ ſcientiæ Sempronius. In MS. meo Gloſſ. & Campenſi eſt *Symphronius;* ſed male, ut ex Livio conſtat. Non eſt major varietas, quam in ſcriptura Nominum propriorum, habebis & mox plurima ejus rei exempla.

Arbitrio ſibi dato, utram vellet, referret Romam. Proba recta eſt locutio, *utram vellet, referret.* Liber Campenſis, & meus ſine Gloſſis, habent *referri*, alius meus, cum Gloſſis, *referre;* quod poſtremum magis ex uſu eſt. Hanc autem hiſtoriam Pomponius refert ad *Quintum Mucium*, cum, ex conſenſu totius Antiquitatis, referenda ſit ad *Quintum Fabium Maximum.* Unde etiam plerique, cum Editores, tum Interpretes, pro *Mucio* ſubſtituunt *Fabium*, vel, quod pejus eſt, *Fabium Pamphilum*, ſed rectius, opinor, Rupertus hic, *Maximum.* Ruperto non inſpecto, certe non laudato, ut ex ſua emendatione etiam *Maximum* repoſuit Almeloveen *Faſt. Conſul. p.* 165. Atque huic conjecturæ, donec melior ſuccurrat, acquieſco; rationes non exſequar, nam ipſi dixerunt. Cujacius quidem hic ſervat *Quintum Mucium*, ſed de Mucio, quod ad hanc rem pertinet, nihil probat, nec probare poteſt.

Ad §. XXXVIII.

Poſt hos. Recte hæc verba explicat Rupertus contra Muretum, de turbata ratione temporis hic tricantem.

Sextus Ælius. In tribus, quibus uſus ſum, MSS. & in Libris quibusdam editis perperam legitur *Sextus Cæcilius;* quod vitium eſt & in *l.* 3. §. 9. *ff. de Penu leg.*

Publius Atilius. An *P. Atilius* cum Pomponio, an *L. Acilius* cum Cicerone ſcribendum ſit, mihi nondum liquet; ſed in exprimendo nomine JCti, Pomponio JCto facile primas tribuo.

Ut duo Ælii etiam Conſules fuerint. Cum Conſulatus nihil fere ad Jurisprudentiam pertineat, non ſatis apte videtur dici, in tantum Jurisperiti, *ut etiam Conſules fuerint.* Præfero igitur lectionem utriusque MS. mei, *& duo Ælii etiam Conſules fuerunt*, quo illi, quorum ſcientiam in profitendo Jure laudaverat, etiam ex Conſulatu deſignentur, ut fere ſolet Pomponius Jurisprudentiæ profeſſioni honores in Republica geſtos adjicere.

Exſtat illius Liber, qui inſcribitur TRIPERTITA, *qui liber veluti cunabula Juris continet.* TRIPERTITA *autem dicitur, quoniam Lege* XII. *Tabularum præpoſita, jungitur interpretatio, deinde ſubtexitur Legis actio.* Utrum *Tripertita* legas, & referas ad totidem argumenta Libri, an, ut in MS. meo Gloſſato, *Tripertitus*, & referas ad ipſum Librum, parum equidem intereſt; quare lectionem Florentinam ſervo. Sed de eo Libro Sexti Ælii preſſius agamus. Ait Pomponius, continuiſſe *cunabula Juris*, & *Tripertita* dictum, quod Ælius præpoſuerit *legem* XII. *Tabb.* deinde adjecerit *Interpretationem*, mox *Legis actionem.* Pueri ſcilicet olim Romæ diſcebant XII. Tabulas, ut carmen neceſſarium, quemadmodum de ſe & aliis alicubi retulit Cicero, non aliunde fontes Juris hauriebant quam *ab antiquis Tabulis*, ſic enim, non *Fabulis* legendum videri poſſet in *proœmio Inſtitutionum*, atque his edoctis tranſibant demum ad graviora. Unde & Ælius præpoſuit *Legem* XII. *Tabb.* quaſi prima Juris elementa & principia. Hac levi & ſimplici via defunctus addidit *Interpretationem*, quæ obſcuriora, ex diſputatione fori, explicabat, quæque *Interpretatio* tantum non erat uberior Commentarius Quæſtionum Juris, ex XII. Tabb. oriuntium: in quo argumento plurimum valebat Prudentium auctoritas; atque ea pars *Jus Civile* dici placuit §. 5. *h. L.* ſic habemus Theoriam Juris. Accedebat deinde *Legis Actio*, hoc eſt, forma inſtituendi judicii, edoctis nempe principiis Juris ex XII. Tabb. arduisque magis quæſtionibus ex diligentiori Prudentum interpretatione, ſequebatur tandem Juris ad uſum applicatio, quam *Praxin* vocamus, nam Legis actiones compoſitæ ſunt, *quibus inter ſe homines diſceptarent*, ut id extulit Pomponius ſupra §. 6. Hæc erat materies Libri tripertiti, & inde, ni fallor, ſatis conſtat, continuiſſe totam Jurisprudentiæ inſtitutionem, ut eo tempore frequentabatur, & ſimul conſtat, per *cunabula Juris*, quæ hic Liber complectebatur, non recte ſimpliciter & duntaxat intelligi, ut intelligunt Viri docti, *Juris principia* & *prima rudimenta*, id enim non convenit *Interpretationi*, & minus adhuc *Legis actioni*, ſed potius *cunabula Juris* hic dici de Jurisprudentia, tota quidem quanta erat illo ævo, ſed tamen ævo naſcentis, &, ut ita dicam, adhuc in cunis vagientis Jurisprudentiæ: poſtea enim hæc majus robur accepit, & per partes ita crevit, ut poſt expoſitum *Jus Flavianum* & *Ælianum* porro enarrat Pomponius in §. 8. *& ſeqq. h. L. Cunabula Juris* igitur reſpectu adultæ & maſculæ illius Jurisprudentiæ, quæ hanc infantiam excepit.

Hos ſectatus ad aliquid eſt Cato. Deinde Marcus Cato, princeps Porciæ Familiæ, cujus & libri exſtant, ſed plurimi filii ejus, ex quibus cæteri oriuntur. In MS. Campenſi, *hos ſecutus*, ſed hoc leve eſt. Auguſtinus *Not.* ad Librum ſuum *de Nominibus propriis Pandect. p.* 17. perperam & ſine ſenſu verba, quæ præſcripſimus, interpungit, vel, quod pejus eſt, pro *deinde* reſcribit, *hic eſt ille*, bruta criſi. Muretus legit continua oratione: *Hos ſectatus eſt ad aliquid deinde Marcus Cato, princeps Porciæ Familiæ*, expuncto priore *Catone*, & alii id paſſim ſequuntur. Sed nos hoc Catone contenti ſumus, non enim ſatis idonea cauſa eſt mutandæ lectionis, ut & Rupertus monuit, qui tamen ipſe vellem ne alia ratione dubitaſſet de integritate hujus loci. Pro *plurimi filii ejus* Budæus reſtituit *plurimi libri ejus*, nullo fere ſenſu: hoc dicit, ſupereſſe quidem patris libros, at paucos, plurimos vero Catonis filii. Deinde & Muretus finalia illa, *ex quibus cæteri oriuntur*, ac ſi ex gloſſa alicujus Scribæ vel Interpretis irrepſerint, exſtirpat & hoc etiam alii probarunt. Ego non probo, nam ait, ex Catonibus, quos jam laudaverat, cæteros Catones proceſſiſſe, ut etiam Cujacius animadvertit; neque erat, cur id, *ut ſupervacaneum*, notaret Auguſtinus in eo, qui vitas JCtorum ſcribit. Verba quidem nonnihil adhuc contorta ſunt, ſed oportet in Auctoribus etiam hæc feramus æquo animo.

Ad §. XXXIX.

Brutus ſeptem, Manilius tres; & exſtant volumina ſcripta, Manilii monumenta. Propter locum Ciceronis *L.* II. *de Orat. C.* 55. & ibi laudatam Scævolæ auctoritatem fere adducor, ut credam, Bruti veros Libros non niſi tres fuiſſe, a-

deoque non invitus acceſſerim Bertrando, in *Bruto*, ita hæc tranſponenti, *Manilius ſeptem*, *Brutus tres*, quamvis ego numeros, quam nomina malim transferre, hac ratione, *Brutus tres*, *Manilius ſeptem*, ſic enim melius progreditur oratio ad reliqua, quæ ſequuntur de Manilio. In his autem pro *ſcripta* Codex meus MS. absque Gloſſis exhibet *inſcripta*, & ita quoque ediderunt Vulgata, Stephanus, Haloander, ut titulus Librorum fuerit, MANILII MONUMENTA. Et ſane quum Florentina lectio valde ſit incommoda, vel id ſequerer, vel legerem: *& exſtant volumine ſcripta Manilii monumenta*, hoc ſenſu, exſtare omnia ejus opera uno volumine deſcripta, vel *volumine ſcripto*, hoc eſt, ſupereſſe quidem, quicquid eſt Manilii, mandatum literis, at in vulgus non eſſe editum, manibus hominum non teri. Sed quia, utrovis modo emendes, vel ſic tamen obſcurior eſt locutio, præfero lectionem Codicis mei MS. & ita malo, quam cum Ant. Fabro *ſcripta*, contra rationem Latini ſermonis, interpretari *inſcripta*, vel, quod pejus eſt, cum Bertrando *Manilii monumenta*, gloſſemati adſcribere, & mox eradere.

Ad §. XL.

Publius Rutilius Rufus, qui Romæ Conſul, & Aſiæ Proconſul fuit. Hunc Publium Rutilium Rufum *Epitom. Livian.* LXX. ait fuiſſe *Legatum* Quinti Mucii, Aſiæ Proconſulis, & mox repetundarum damnatum, & in exilium eſſe actum. Aſconius, *Quæſtorem* fuiſſe illius Mucii in Aſia. Tria capita, tres de Rutilio ſententiæ. Qui Epitomen ſequuntur, exiſtimant, *Legati* verbum apud Pomponium excidiſſe, vel minus proprie eum *Proconſulem* dixiſſe pro *Legato Proconſulis*. Sed, ſi his ſimus creduli, cedo tunc mihi, qui Aſconium cum reliquis conciliet: nam cum Pighio fingere duos Q. Mucios, Aſiæ Proconſules, ut Rutilius alterius fuerit *Quæſtor*, alterius *Legatus*, id vero nimis eſt incongruum: ſub eodem potius Mucio primum *Quæſtorem*, deinde *Legatum* fuiſſe dixerim; vel potius non dixerim, ſed cum tres illi, quos modo laudabam, non minus quam tres convivæ diſſentiant, Pomponio noſtro acceſſerim, qui Aſiæ Proconſulem fuiſſe ſcribit. Sane, quum primum Conſul fuerit Romæ, id enim conſtat, Proconſulis deinde in Aſia fuiſſe *Legatum*, non admodum eſt probabile, ex Conſulibus plerumque Proconſules Provincias ſortiebantur, ut ex Hiſtoria Romana diſcimus.

Paulus Verginius. Acquieſcendum eſt iis, quæ de hoc Verginio Rupertus dixit, omnia alia rejicienda ſunt, etiam quæ Hotomanus de eo commentatus eſt *Antiq. Rom. L.* I. *Part.* IV. *in Paulo Verginio.*

Quintus Tubero, ille Stoïcus Panſæ auditor, qui & ipſe Conſul. Pro *Panſæ* eſſe legendum *Panætii*, tam antiqua & conſtans emendatio eſt, ut, cum alias multas, tum etiam Editionem Stephani anni 1527. occupaverit, & rationes pro ea emendatione adeo prægnantes ſunt, ut ipſe non intercedam. Hunc Tuberonem *Conſulem* fuiſſe negat Auguſtinus *Not.* ad Librum *de Nominibus propr. pandect. p.* 18. negat Rupertus ad §. 39. *h. L.* negant & alii, quod ſcilicet ejus, qua Conſulis, mentio non fiat in *Faſtis*, & quod etiam Cicero in *Bruto C.* XXXI. adfirmaverit, hunc Tuberonem *honoribus Majorum reſpondere non potuiſſe*. Quare & Bertrandus in *Tuberone*, verba *qui & ipſe Conſul*, annectit Verginio, qui præcedit. Sed ſatis jam inter Viros eruditos convenit argumentum, quod ex *Faſtis* ſumitur, non eſſe, cui tuto fidi poſſit, & *non reſpondere honoribus Majorum*, quod Cicero dixit, quidni accipiamus, honoribus, quos geſſit Tubero, & ipſo Conſulatu non eſſe functum ea comitate & morum ſuavitate, qua functi erant Majores? ſed, ut erat Stoïcus, Stoïca quadam gravitate, an ſeveritate? ea ſcilicet vel alia ratione Majoribus non reſpondens. Auguſtinus etiam alia adfert, ſed quæ minus probant.

Sextus Pompejus, Cnei Pompeji patruus. Zaſius hunc locum exhibet, atque ſi *patricius* legeretur, non *patruus*, & mire non minus quam miſere omnia pervertit. ſed operæ non eſt hæc refutare.

Lucius Craſſus, frater Publii Mucii, qui Mucianus dictus eſt. hunc Cicero ait Juriſconſultorum diſertiſſimum. Difficilis eſt hic locus. Lucium Craſſum quidem Cicero appellat *JCtorum diſertiſſimum*, ſed ille non fuit, ut hic Pomponius refert, frater Publii Mucii, at vero *Publius Craſſus*. In margine Editionis apud Sennetonios anni 1549. notatum video, hoc, quod Cicero dixiſſet, non reperiri in omnibus Exemplaribus; quod ipſum etiam indicant variæ Lectiones apud Hervagium. Sane ſi abeſſent hæc, *hunc Cicero* &c. & deinde pro *Lucio* reponamus *Publium*, ut reponunt Auguſtinus, Muretus & Rupertus, jam ſalva res eſſet. Rupertus autem verba, *hunc Cicero* &c. non quidem expungit, ut expungunt alii, ſed quia Publio Craſſo non conveniunt, ut ſede ſua mota, rejicit ad ſequentem §. 40. ubi de quinto Mucio ſermo eſt, & de quo hæc ipſa verba, *JCtorum diſſertiſſimum fuiſſe*, Cicero pronunciavit. atque hæc ejus ſententiæ translatio jam Cujacio placuerat. Alii hæc verba, *frater Publii Mucii, qui Mucianus dictus eſt*, tanquam Gloſſatoris neſcio cujus, ſpongiæ Criticæ ſacra eſſe volunt, & ſic undiquaque vis major imminet, ſed non ea, cui reſiſti nequit. Res tamen conjecturis tranſigenda eſt; ego, ſalvis reliquis, in ſolo prænomine erratum putem, qui errores, quum prænomina fere ſingulis literis ſcriberentur, in veteri Memoria ſunt frequentiſſimi, atque adeo legerim non *L. Craſſus*, ſed *P. Craſſus* una litera mutata. Vel potius nihil plane muto, & ſervo *L. Craſſus*, ita tamen, ne inde efficiatur *Lucius Craſſus*, ſed *Licinius Craſſus*, integro enim nomine dictus eſt, *Publius Licinius Craſſus Mucianus*. Balduinus quoque, poſt a me inſpectus in *Not.* ad *h.* §. ait, ſe malle, *Licinius Craſſus*, & ita etiam Coraſius, ſed uterque nulla adlata conjecturæ ſuæ ratione. Nunc ſupereſt, ut quæramus, ubi Cicero dixerit, hunc, quem reſtituimus, Publium Licinium Craſſum Mucianum fuiſſe *JCtorum diſertiſſimum*. Quærit id etiam Balduinus, at nihil reſpondet. Utique fatendum eſt, Ciceronis locum de Publio Licinio fruſtra quæri, ſed tamen propterea non auſim negare, Ciceronem de hoc ipſo ſimile quid dixiſſe. His verbis, *eloquentium Juriſperitiſſimus*, *Juriſperitorum eloquentiſſimus*, *Conſultorum diſertiſſimus*, *diſertorum Conſultiſſimus*, his, inquam, verbis, tanquam formula uſus eſt Tullius, non de Lucio Craſſo duntaxat, ſed & de Quinto Mucio Scævola, variis locis, ab aliis prolixe deſcriptis; nec video, quid obſtet, quominus etiam de Publio Licinio Craſſo uſus fuerit, ut hic refert Pomponius, certe rem ipſam ſæpe dixit. De eo quidem locus apud Ciceronem hac formula non exſtat, ut modo dicebam, ſed & cum tot aliis intercidiſſe potuit. Si id non placeat, for-

te Bertrandus placebit, nam quæ Coraſius dixit, & quæ Bachovius ad *h.* §. ut Ciceroni fiat ſatis, placere non poſſunt.

Ad §. LXI.

Poſt hos Quintus Mucius, Publii filius, Pontifex Maximus. De hoc Q. Mucio Scævola multi multa dixerunt, quæ non repeto. Pater Publius, in §. 39. memoratus, etiam Pontifex Maximus fuit, ab utroque autem diſtinctus Quintus Mucius Augur, ſed non minor JCtus. Dubitatur, ad quem referendum ſit, quod Valerius Maximus memoriæ prodit *L.* VIII. *C.* 8. §. 21. Ipſe Valerius ad Augurem refert, alii ad hunc Q. Mucium, alii, ratione ſatis probabili, ad Publium patrem; ad quem e tribus referas, a nemine tamen horum quicquam *ſcurrile* exſpectabis, ita tamen videtur velle Valerius, ſed deſcribam locum, ut emendem: *Alveo quoque & calculis vacaſſe interdum dicitur, cum bene ac diu Jura Civium & cærimonias Deorum ordinaſſet: ut enim in rebus ſeriis Scævolam, ita & in ſcurrilibus luſibus hominem agebat, quem rerum natura continui laboris patientem eſſe non ſinit.* Largior Scævolæ luſum pilæ, ut ibi quoque retulit Valerius, largior luſum alvei & calculorum, largior alia, dummodo honeſta, animi oblectamenta, ſed non largior *ſcurriles luſus;* adeo hi non me tantum, verum & omnes Valerii Interpretes turbarunt, ut pro *ſcurrilibus* quæſiverint alios luſus, quibus delectatus fuiſſet Scævola. Pighius ex MSS. exhibet, *in ſcenis luſibus*, vel *inſenis*, unde ipſe reſcribit *inſeriis luſibus.* Colerus ex Libro Dan. *ſcæis luſibus*, ingenue profeſſus, ſe neſcire, quid inde, aut tandem aliunde exſculpat. Etiam nos periclitemur. An, ſervata ſcriptura, *ſcurriles luſus* dici poſſent pro *jocularibus*, ut Socrates dictus *ſcurra Atticus*, quod facetiis & leporibus abundaret? vix tamen credo, quemquam ita Latine loquutum. An omnes luſus, reſpectu Scævolæ, Viri graviſſimi, & vel Auguris, vel Pontificis Maximi, *ſcurriles?* neque ea mens fuit Valerio. An pro *ſcurrilibus* licebit reponere *ſterilibus?* an vero *futilibus?* neutrum placet, aberrante nimium ſcriptura. Malim igitur, quod propius accedit, *turrilibus;* ut *luſus turrilis* ſit luſus alvei, ita dictus a *turri*, vel *turricula*, ſive *pyrgo;* ita enim promiſcue Veteres vocabant vaſculum illud, ex quo tali & teſſeræ ejiciebantur in alveum, ut hæc latius explicarunt Souterius *de Aleatoribus* C. XIV. & Senftlebius *de Alea veterum C.* XI. Durior ſane eſt vulgata Valerii lectio, quam ut defendi videatur poſſe.

Ad §. XLII.

Balbus Lucilius. In MS. meo Gloſſato hæc diſtinguuntur, *Balbus, Lucilius.* ſed perperam.

Alioquin per ſe eorum ſcripta non talia exſtant, ut ea ad omnes adpetant. Pro *omnes* in eodem MS. eſt *homines, ut ea homines adpetant*, & hanc lectionem etiam Muretus repræſentat ex Libro Vaticano, ſed, ut & alias dixi, in pari cauſa facile patior vincere Codicem Florentinum; alioquin conveniret, quod mox ait, eorum ſcripta non verſari *inter manus hominum.* Diſpar autem cauſa eſt illius Codicis in iis, quæ exhibui, *ut ea ad omnes adpetant;* importunum illud *ad* recte, præeunte Auguſtino, plurimi Editores omiſerunt, Rupertus mutavit in *adeo*, ſenſu non minus incommodo. Librarius Florentinus, ſi quid judico, poſt *ea* cœpit ſcribere *adpetant*, ſed poſt ſcriptam primam ſyllabam *ad*, animadvertit, perperam ſic omitti, *omnes*, quod mox addidit, repetita rurſus integra voce *adpetant.* Remanſit *ad*, ne Manuſcriptum inductione deformaretur; ſæpiſſime enim obſervatum eſt ab his, qui Codices MSS. verſarunt, Librarios retinere maluiſſe vitia ſcripturæ, quam inductione, etiam minima, quicquam offendere elegantiæ, cui, ob majus pretium, in primis ſtudebant.

Denique nec verſantur omnino ſcripta eorum inter manus hominum. Inter varias Lectiones, quas Hervagius edidit, etiam hæc eſt, quæ pro *omnino* exhibet *omnia.* Et fere hanc ſequerer: ſi enim eorum ſcripta *omnino non* verſarentur inter manus hominum, non video, quemadmodum recte dixiſſet, *ea non omnes adpetere.* Hoc voluit, eorum *quædam*, non *omnia*, ſupereſſe, & quæ ſupererant, ne quidem omnes adpetere.

Pro cujus ſcriptura ipſorum quoque memoria habetur. Stephanus edidit, *per cujus ſcripta*, Servii puta, & ita, tanquam ex ingenio, emendavit Antonius Faber ad *h.* §. & paſſim alii id ſequuntur. De ea lectione, ex Libris veteribus, jam monuerat Muretus, & ſane in MS. meo, abſque Gloſſis, ita perſpicue ſcribitur. Turpe eſt de emendationibus pronunciare, non inſpectis Libris antiquis; etiam magnis Nominibus ea res fraudi fuit, & inde tot emendationes, quæ non niſi variæ Lectiones. Cæterum, ut Stephanus edidit, ſenſus eſt rectiſſimus; Haloander, & ante eum alii Editores, *ex cujus ſcriptura*, quod longius abit a *pro*, quod Florentiæ eſt, ſed quod, in eam ſententiam, minus dicitur Latine, nec ex uſu. Ego malim, *per cujus ſcripturam*, proclivi, ut nunc legitur, vitio ex litera P. non perſcripta voce; ſic magis premo veſtigia Codicis optimi. Plane autem mendoſum eſſe arbitror, quod in MS. meo Gloſſato mox legitur *temporum memoria* pro eo, quod Florentiæ & ubique eſt, *ipſorum memoria.*

Ad §. XLIII.

Cumque eum ſibi reſpondiſſe de Jure Servius parum intellexiſſet. Habes hic lepidam hiſtoriam Servii Sulpitii, Quintum Mucium de Jure conſulentis; quam totam illiberali non minus, quam inutili ratione, ſuſpectam habuit Antonius Auguſtinus *Not.* ad Librum *de Nominibus propriis Pandect. p.* 20. tanti profecto mihi eſſe non videtur, ut ſerio oppugnem. Verba autem, quæ præſcripſi, ſignificant, Servium non intellexiſſe, Mucium ſibi de Jure reſpondiſſe. Imo vero hoc intelligebat, nam de jure, in cauſa amici ſui, quærebat, at neſciebat, quid ſibi de Jure reſponderet Mucius. Unde Budæus, Zaſius, Muretus ita legunt: *cumque eum ſibi reſpondentem de Jure Servius parum intellexiſſet.* quæ lectio deinde in Editiones quasdam tranſivit. Sed non recedo a ſcriptura Libri Florentini, eſt enim ſatis proba, etſi, quod fateor, minus accurata. Sæpiſſime ſcriptoribus accidit, ut minus accurate loquantur, & nihilominus de ſententia conſtet; etiam alias id obſervavi, & nemo eſt, qui non experiundo didicerit. Ego olim: *cumque, cum ſibi reſpondiſſet de Jure, Servius parum intellexiſſet.* ſenſu aperto, neque tamen id nunc probo.

Turpe eſſe patricio, & Nobili, & cauſas oranti Jus, in quo verſaretur, ignorare. Hanc objurgationem Mucii ruſticitatis arguit Mornacius ad

h. §.

h. § forte quod urbanitati Gallicæ non videatur ſatis convenire. Sed ita ſæpe ſolent Animi magni; & exempla habemus cum apud noſtros, tum alios Auctores. Unum referam ex Gellio *L.* XX. *Noct. Attic. C.* 10. ubi Grammaticus: *aut erras, adoleſcens, aut ludis.* quod unum ideo retuli, quia ut hic, Juriſprudentiæ addiſcendæ cauſam præbuit.

Ea velut contumelia Servius tractatus operam dedit Juri Civili. Dubito, an ſatis Latine dicatur, *tractari contumelia*, mihi certe ea locutio videtur durior & inſolentior, quam ut ferri poſſit. In MS. meo Gloſſato, & plurimis aliis Libris eſt *tractus*, ſed & non ſatis commode quis *contumelia* dicitur *trahi.* In MS. Campenſi ex manu, ut videtur, emendante legitur *tactus*, quemadmodum & Muretus exhibet, tanquam ex Libro Vaticano, & ita quoque Coraſius legit, ut ex ſua emendatione: quæ lectio, neſcio qua fortuna, etiam in Editiones quaſdam tranſcripta eſt, forte poſt notam Auguſtini, ita quoque legentis. Mihi ſane ea in primis placet, *tangi contumelia* Latine & apte dicitur pro *moveri opprobrio.* Quin jam in ipſo Archetypo Florentino Corrector aliquis ex τῷ *tractatus* delevit *r.* & *cta*, ut monuit Vir Doctiſſimus Henricus Brenkman, ſed feſtinante nimis calamo delevit literam *c*, quam, ut *tactus* efficeretur, ſervaſſe debebat.

Cercinæ. Recte ſe habet ea vox, etiam auctore Cujacio, neque adeo mutanda eſt cum Zaſio in *Sicyone*, vel cum Coraſio & Mureto in *Cecinæ*, vel cum aliis in *Cercyræ.*

Et hodieque exſtat. Liber Campenſis *quæ hodie exſtat;* eſtque ea locutio concinnior, quamvis alia non careat quoque exemplis. Τὸ *&* noviſſime etiam inductum eſſe in Pandectis Florent. accepi ab eodem, quem modo laudabam, auctore, Henrico Brenkman, qui ipſum Codicem oculis uſurpavit. Quod alicubi pro *hodieque* legitur *Hoſtiæ*, monſtrum lectionis eſt, ſed ab aliis jam profligatum.

Ad §. XLIV.

Alfenus Varus. Reliqua novem nomina, quæ ſequuntur; in tribus MSS. quibus uſus ſum, quin & in Libris editis, aliter atque aliter ſcripta & diſtincta ſunt. magna ubique eſt Nominum propriorum confuſio, & inanis fere opera, quæ in iis reſtituendis collocatur. Tanti non eſt, ut hic ſingula referamus, videmur enim poſſe acquieſcere lectioni Florentinæ, niſi quod *Cinnam* cum *Labeone Patre* non eundem fecero, ut Taurellius fecit, non adhibita diſtinctione; potius, ne decemvirorum, quos hic memoravit Pomponius, excedatur numerus, *Gajum Aulum Ofilium* unum eundemque eſſe dixero. Sed quum & alii id dixerint, & rationes addiderint, ego poſſum illa opera ſuperſedere. Auguſtinus *d. Not. p.* 21. ac ſi minus integer eſſet numerus decennarius, qui tamen ipſe magis abundat, jubet addere *Cajum Bellienum* vel *Cajum Cornelium Maximum.* ſed non eſt, ut hoc refutem. Si placeret quoſdam addere, mox etiam ſtare poſſet lectio MS. mei, ſine Gloſſis, quæ poſt recitata nomina ſic habet: *ex his* XVIII. *libros conſcripſerunt.* Nunc eam lectionem damno, & præfero Florentinam, *ex his decem, libros octo conſcripſerunt.* Conſtat autem ex hiſtoria veterum JCtorum, Alfenum Varum, qui hic primo loco occurrit, alium fuiſſe ab eo, qui fuit tempore Othonis & Galbæ, de quo Tacitus *Hiſtor. L.* II. *C.* 29. *&* 43. & *L.* III. *C.* 36. 55. *&* 61. & *L.* IV. *C.* 11. *in fin.* & Plutarchus in *Oth. p. m.* 390.

Ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus & Aulus Ofilius. Duriuſculum eſt, illud *auditoribus*, ſimpliciter poſitum, intelligere de *auditoribus Servii*, cujus mentio non fuit niſi in *præced.* §. Tentavi aliquando, an non pro *ex his auditoribus* reſtitui poſſet, *ex his auctoribus*, veteres enim JCti ſimpliciter *Auctores* appellantur, & ſic, ne alios nunc ad partes vocem, ipſe appellat Pomponius in hac *l.* 2. §. 13. Etiam alias *auctorum* & *auditorum* voces eſſe commutatas argumento eſſe poteſt *l.* 1. §. 6. *ff. de Aq. & aq. pluv. arc.* ubi pro *Servii auctores*, quod ſenſum non habet, contrario forte, quam hic eſt, mendo, legendum eſt, *Servii auditores*, ut Ruſſardus recte monuit. Quin poſt conjecturam, quam hic propoſui, apud Muretum reperi, eſſe etiam Libros, qui pro *auditoribus* heic loci exhibent, *auctoribus*: ex quo major eſſet hujus conjecturæ auctoritas, ipſe tamen, oportet enim fateri, in eos Libros non incidi. Si hæc minus placeat, ecce & aliam conjecturam: quid enim ſi pro *his auditoribus* legamus *hujus auditoribus, hujus* ſcilicet *Servii*, ut major relatio ſit, ut & in *princ. h.* §. *ab hoc plurimi profecerunt.* Utrumque, etſi habere poſſit cauſam ſatis probabilem, nolim tamen tueri, atque ſi omnino eſſet neceſſarium.

Qui omnem partem operis fundarent. Hoc eſt, qui nullam Juris Civilis partem reliquerunt intactam, opus enim vocat, quod proxime *Jus Civile* dixerat. Sic ipſe mox de Tuberone §. 46. *complures* UTRIUSQUE OPERIS *libros reliquit*, loquitur autem de Jure publico & privato, ex quo conſtat Jus Civile. Atque ita etiam intelligenda ſunt verba quæ præſcripſi; perperam ea explicarunt, qui explicarunt aliter.

Ad §. XLV.

Fuit eodem tempore & Trebatius, qui idem Cornelii Maximi auditor. In MS. meo Gloſſato pro *qui idem* eſt *quidem*, & *in* Campenſi, *quidam.* Florentiæ bene eſt, *quidem* ſatis hic elumbe eſſet, & *quidam* non conveniret celeberrimo Trebatii nomini. Nec etiam pro *qui idem* velim legi *Quinti*, ut legi vult Goveanus *L.* I. *Var. Lect. C.* 24. probante id Cujacio & Mureto ad *h.* §. nam quamvis Cornelii Maximi prænomen fuerit *Quintus*, hoc tamen præciſe commemorari non fuit neceſſe, & ſatis quoque ſcriptura differunt *qui idem* & *Quintus*, nec vel tantillum mutem, ubi non eſt major ratio.

Fuit Aulus Caſcellius, Quintus Mucius, Voluſii auditor. Denique in illius honorem teſtamento Publium Mucium, nepotem ejus, reliquit heredem. Hic in Pandectis Florent. cum duplici *ll.* ſcribitur *Caſcellius*, mox in iiſdem bis cum ſimplici *l. Caſcelius*; ut teſtatur Brenkmanus αὐτόπτης. Verum nec aliunde, quale ejus nomen fuerit, ſatis ſciri poteſt, nam apud Valerium *L.* VI. *C.* 2. §. 12. *& L.* VIII. *C.* 12. §. 1. & apud Ammianum *L.* XXX. *p. m.* 758. vocatur *Cæſellius*, variantibus tamen in hoc nomine utriuſque Auctoris Libris MSS. Sed plus laboratur de ſcriptura & ſententia integri hujus loci. Jacobus Curtius *L.* I. Εἰκασ. *C.* 17. ita eum conſtituit: *Aulus Caſcellius Q. Mucii Scævolæ fuit auditor: cujus memoriæ quantum detulerit, ex eo conſtare poteſt, quod in honorem illius teſtamento P. Mucium, nepotem ejus, reliquerit hæredem.* ſic, ait, *poſt cæteras omnes emendationes*, locus ille eſt

 le-

legendus. Sed, ut verum fatear, neſcio, unde & cui bono illa vis major, & tam ſuperba quaſi ex tripode pronunciatio; cauſam mutandæ lectionis nec ullam dicit, nec ullam, ſatis utique idoneam, adhuc adſequor. Et tamen verum eſt, etiam alios Interpretes, velut agmine facto, hic in Pomponium irruere. Auguſtinus, Coraſius, Cujacius: *Aulus Caſcellius, Quinti Mucii Voluſii auditor.* Balduinus: *Aulus Caſcellius Quinti Mucii & Volcatii auditor:* nam Volcatium Caſcelii præceptorem fuiſſe auctor eſt Plinius *L.* VIII. *C.* 40. & hunc *Volcatium* cum *Voluſo* vel *Voluſio* confundit Auguſtinus *d. Not. p.* 21. quamvis tantum diſcrepet utriusque nominis ſcriptura; quinimo, ſi unus & idem ſit, neſcio, cur non æque vitium eſſe poſſit in *Volcatii* nomine apud Plinium, quam in *Voluſii* apud Pomponium, &, ſi cum Auguſtino unum & eundem feceris, neſcio etiam, quemadmodum ſubſiſtat ejus emendatio, quæ Quintum Mucium a Voluſio non diſtinguit. Cæterum Balduinum, ita, ut dixi, emendantem ſequitur Rupertus, eamque emendationem, ut ſuam, propoſuit Bertrandus, &, ut Bertrandi, laudavit Gulielmus Grotius. Ego, ut dixi, cauſam ſatis idoneam non video, cur a lectione Florentina recedendum eſſet. Una adfertur, quod ſcilicet *Voluſii*, hic laudati, alibi memoria non exſtet. Sed quamobrem id magis miremur, quam tot aliorum JCtorum, quorum unus Pomponius meminit, excidiſſe memoriam, ſtatim propterea hunc *Voluſium*, e Familia JCtorum ejiciemus? non ita nos ſolemus; quin vel hunc ipſum *Voluſium*, alibi quæſitum, ſe reperiſſe Zaſius ſibi, & fere mihi perſuaſit. Si emendationes ſequamur, quamcunque velimus, oportet ſtatuamus, Caſcelium Quinti Mucii auditorem fuiſſe, quod tamen ipſum, præter Pomponium, nemo Veterum eſt, qui dixit. Ad hæc Balduinus, ut modo emendabat, Caſcelio duos Præceptores dedit, Auguſtinus Mucio dedit *Voluſii* nomen, Curtius, ſubſtituto primum *Scævola*, mox rationem novit, &, quod pejus eſt, prolixe addidit, ob quam Caſcelius Mucii nepotem ſcripſerit hæredem. ſed horum quoque omnium auctoritatem deſidero. Sic igitur habendum eſt, Pomponium non Caſcelii, ſed Quinti Mucii præceptorem laudasſe, & hunc fuiſſe *Voluſium*, notum, ignotumve, nihil refert, nec quicquam eſſe refingendum in Pomponio, &, ſi ſit, Curtii emendationem, quæ tantum turbat, poſtremo omnium loco eſſe habendam.

Caſcelii ſcripta non exſtant, niſi unus Liber Benedictorum. Quis fuerit ille *Liber Benedictorum*, video quæri, & video varie reſponderi. Franciſcus Hotomanus comprehendiſſe putat *facetas & acutas reſponſiones.* Antonius Mornacius, *dicteria & ſales.* Marquardus Freherus, *argutias Juris.* Scipio Gentilis, in eandem fere ſententiam, *acutas & argutas de Jure reſponſiones atque ſententias.* Ægidius Menagius, *bene, proprie atque accurate dicta.* Eberlinus, omnium peſſime, εὑρήματα, ut eſt Modeſtini Liber ſingularis εὑρηματικῶν. Tandem Gravina: *reſponſa ex tempore, cum Conſultorum plauſu prolata.* ſolos auctores adſcripſi, ipſa loca ab aliis indicata ſunt. Ex iis autem locis conſtat, quotquot dixi, omnes, quod reſpondent, ex conjectura reſpondiſſe, nulla fere auctoritate advocata, minus certe apta. Quum ex antiquis non ſit, qui nos edoceat, quale fuerit argumentum ejus Libri, etiam nos periclitemur. Ego putem, eum Librum, præter ea, quæ ad Juriſprudentiam pertinebant, fuiſſe complexum elegantiores ſententias, præcipue ad eloquentiam comparatas, nam hac arte valuiſſe Caſcelium Pomponius hic ſignificat, dum ait, Caſcelium Trebatio *eloquentiorem* fuiſſe. Ipſe, ut auguror, Themidi, auſteræ alioquin & horridæ, blandiores Muſas conjunxit, ac Juriſprudentiæ intermiſcuit flores, & eleganter dicta ex aliorum ſcriptis, præſertim Orationibus. quo nomine & AUREA Veteres appellabant. Appoſite de his *Benedictis* Seneca *L.* I. *Controv.* 4. *Et pulchre dixit & nove: ſumpſit ab omnibus Benedicta.* loquitur de Rhetore *Punitio*, ſive potius, ut ego conjecerim, de *P. Vinitio*, quem ipſe ille memorat *L.* I. *Controv.* 2. Significat autem, quæ alii bene in Declamationibus ſuis dixerant, illum in ſuas tranſtuliſſe. Imo *declamare* non eſt niſi *bene dicere*, ut apud eundem Senecam definitum eſt in *Procem. Controverſ.* & BENEDICTA Oratoribus tribuit Auctor *de Cauſ. corrupt. Eloq. C.* 34. Atque hæc ita, niſi *Benedicta* accipiamus de quibusque urbane dictis & ſcriptis, licet ad rem Oratoriam unice non pertineant: ſane Cato & Domitius Marſus, ut Quintilianus refert *L.* VI. *Inſt. Orator. C.* 4. *hominem urbanum* definivere, *cujus multa* BENEDICTA *reſponſaque erunt, & qui in ſermonibus, circulis, conviviis, item in concionibus, omni denique loco ridicule commodeque dicit.* Etiam Ciceronem ejusmodi *urbane dictorum* Libros tres ſcripſiſſe auctor eſt idem Fabius *d. L.* VI. *C.* 3. Sed quum de JCto ſermo eſt, qui ſcripſerit *Benedicta*, ut hic eſt apud Pomponium, non repugnaverim, quominus etiam id exaudiri poſſit de facetiis & urbanitatibus Juris, & quominus eo referatur, quod Macrobius *L.* II. *Saturn. C.* 6. hunc, de quo agimus, Caſcelium vocat *Juriſconſultum miræ urbanitatis*, nec vocat tantum, ſed & additis urbanitatis exemplis, quæ ibi leges, luculenter oſtendit.

Ad §. XLVI.

Poſt hoc quoque Tubero fuit. Muretus legit, *poſt hos*, & ita edidit Haloander. Ant. Faber & Bachovius quoque id monuerunt, quaſi ex ſua conjectura. Obvium certe cuique eſſe poterat hoc vitium, in §. 38. *ſupra*, ita quoque tranſit, *poſt hos*, & in §. *ſeq. poſt hunc.*

Is eſt Quintus Ligarius, qui, cum Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem applicare non permiſit, nec aquam haurire; quo nomine eum accuſavit, & Cicero defendit. Exſtat ejus Oratio ſatis pulcherrima, quæ inſcribitur pro Quinto Ligario. Minus uſitata locutio eſt, Oratio *ſatis pulcherrima*; hinc Haloander, ſecutus antiquiores Libros, omiſit *ſatis*, quod alii probant. Budæus reſtituit *ſane*, quod & in Editiones quasdam receptum eſt, ut fere receptæ ſunt omnes Budæi emendationes. Sed nihil mutandum; geminum eſt, quod alii notarunt ex *l.* 4. *ff. de Reſtit. in integr. res ſatis minima*, & lego apud hunc ipſum Pomponium in §. 44. *ſupr. libri perquam breviſſimi.* Cum comparativo eſt in *l.* 5. §. 6. *ff. de Acquir. rer. domin. adeo longius*, rurſus cum ſuperlativo in *l.* 37. *C. de Liber. cauſ. tam proxima neceſſitudo.* Apud Auctores exteros, veteres, novos, non abſimiles locutiones occurrunt, reperi ſane apud Curtium, Apulejum, Boethium, & quam maxime Sulpitium Severum. Quod attinet ad rem ipſam de repulſo Tuberone, eam non Ligario, ut Pomponius, ſed Attio Varo tribuit Cæſar, quin & Cicero, ſed ex hujus Oratione, qua Ligarium defendit, videre videor, non ſatis id fuiſſe certum. Accuſatio erat, Ligarium arcuiſſe Tuberones, defenſio, at

una

una e plurimis, imo Attium Varum. Cum accuſatore, quod ad quæſtionem facti, ſenſiſſe videtur Pomponius, & erat certe, quod in utramque partem dici poterat. Sed quidquid ejus rei ſit, obtinuit Cicero apud Cæſarem.

Nunc digrediar, ſi mihi unius digreſſionis detur venia, ad Marcum Tullium Ciceronem, cujus *Orationem pro Ligario* hic laudat Pomponius. Idem adhuc ejus meminit in §. 43. *ſupra*, ſed, ut hic, qua Oratoris, non qua JCti. Et tamen JCtorum catalogo eum inſerunt Budæus ad *l.* 1. *ff. de Juſt. & Jur. p. m.* 22. 23. & 24. Bachovius ad *Ant. Fabr. Error. Pragmat. Dec.* XCIV. *Err.* 9. Grotius *de vit. JCtor. L.* I. *C.* 9. & Cl. Schultingius peculiari Oratione, quam habuit *de Jurisprudentia Ciceronis.* Rectius, niſi fallor, judicarunt, qui tam præclare de Jurisprudentia Ciceronis opinati non ſunt, utique qui eum negant eſſe recenſendum in JCtorum numerum. Duarenus ad *l.* 127. *ff. de V. O.* de naturali obligatione putat reſpondere poſſe *Ariſtotelem aut Ciceronem, aut alium*, inquit, *Virum prudentem, & in Philoſophia eruditum magis, quam quid Legibus & Jure Civili conſtitutum ſit.* Antonius quoque Faber *d. Dec.* XCIV. *Err.* 9. Ciceronem exhibet, Juris quidem non omnino ignarum, etiam ex contracta familiaritate cum JCtis ſui temporis, ſed cum ibi, tum in *Ration.* ad §. *b.* cavet ſatis, ne eum JCtorum albo inſcribat. Etiam Ubertus Folieta *de Philoſophiæ & Juris Civilis inter ſe comparatione L.* I. *p.* 16. Ciceronem a Jurisprudentiæ profeſſione plane excluſit. Qui ſic ſentiunt, puto rectius ſentire: quæ alioquin ratio, quod Pomponius tanti nominis non meminiſſet? Mucii auditores enumerat in §. 42. *ſupr.* ſi Cicero JCtus, inter hos recenſendus fuiſſet, nam ad Mucium ſe contuliſſe ipſe ſcribit. Neque totius hominis oblitus eſt, bis enim ut Oratorem memorat, ſed ut JCtum ſilentio præterit; præterit quidem & alios, vere JCtos, at quorum, ſi cum Tullio conferamus, fama vel nulla vel certe obſcurior erat, uti conſtat ex claſſe *prætermiſſorum a Pomponio*, quam habet Antonius Auguſtinus C. I. *de Nomin. propr. Pandect. a p.* 274. *ad p.* 288. Etiam Q. Fuſius Galenus in *Oratione contra Ciceronem*, quæ eſt apud Dionem Caſſium *L.* XLVI. dum enarrat, quibus artibus ſe extulerit Cicero, de Jurisprudentia plane tacet; vult, inquit, videri Σοφιςὴς καὶ Ποιητὴς καὶ Φιλόσοφος καὶ Ῥήτωρ καὶ Συγγραφεύς, ſed præterea nihil. Et profecto JCtus eſſe vel haberi noluit, ſi hunc ipſum, ſatis alioquin plenum ſui, interrogemus teſtem; quid enim aliud ſibi vult, quod JCtos irridens in *Orat. pro Muræn. c.* 13. ita infit: *Itaque ſi mihi, homini vehementer occupato, ſtomachum moveritis, triduo me Jurisconſultum eſſe profitebor.* Aut errant aut ludunt, qui ex eo loco Tullium Juris peritum fuiſſe colligunt, atque ſi nempe triduum non ſufficeret Juri diſcundo, niſi peritia non mediocris præceſſerit, aut errant, inquam, aut ludunt, nam veriſſimum eſt, non alia mente id Ciceronem dixiſſe, quam ut jactaret leviſſimam operam, quæ in Jurisprudentiæ profeſſione eſſet collocanda a viro tanti, cujus ipſe erat, ingenii. Interea oſtendit, nec ſe fuiſſe JCtum, nec etiam haberi voluiſſe. Quid! Cicero JCtus? & tamen nunquam laudatus ab Auctoribus Juris? nunquam, puta, in iis, quæ ad Jus pertinent, nam in Pandectis ſemel atque iterum in re Hiſtorica ei denuntiatur teſtimonium, & rurſus, cum de ſermone Latino ſermo eſt, atque adeo in re ſui fori: unde Fabius recte dixit *L.* XII. *Inſt. Orator. C.* 3. *vim cujusque vocis intelligere, aut commune Prudentium eſt, aut proprium Oratoris.* Et ſic Tullius in Jure noſtro teſtis adeſt, cum quæritur, quid ſit *latitare*, & quid *litus*, ubi nempe de verbis incidebat quæſtio, nunquam ubi de Jure.

Scio, quæ pro Jurisprudentia Ciceronis adferuntur, ſed ea non me moverint. Fuerit Cicero adoleſcens a Patre deductus ad Q. Mucium Scævolam, legerit JCtorum Commentaria, habuerit qualem qualem ſcientiam Juris, non ideo tamen JCtum dixero; JCtus is demum eſt, definiente Antonio apud Ciceronem de *Orat. L.* I. *C.* 49. *qui Legum & Conſuetudinis ejus, qua privati in Civitate uterentur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus eſſet.* Hoc eſt, qui præter Juris ſcientiam ipſum quoque Jus profitetur, reſpondendo, agendo, & cavendo; qua mente Ciceronem nego ſe unquam dediſſe Diſciplinæ Juris, vel hanc deinde fuiſſe profeſſum. Sciebat ille, Oratorum induſtriam in foro & Judiciis præcipue occupari, ſciebat Eloquentiam ope Jurisprudentiæ indigere, atque ita hujus cognitionem ſibi comparavit *ad cauſarum uſum forenſem*, ut ipſe, ſub perſona Craſſi, loquitur *L.* I. *de Orat. c.* 45. Probe ſcilicet gnarus, artem Juris Oratori eſſe utiliſſimam, & tantum non neceſſariam, hanc didicit, ſed didicit, ut futurus Orator, non ut JCtus. Unde & Brutus ad Ciceronem, in hujus libello *de Clar. Orator. mihi & tu videris tantum Juris Civilis ſcire voluiſſe, quantum ſatis eſſet Oratori.* aliam igitur in JCto, aliam in Oratore Juris peritiam deſideramus. Craſſus quidem apud Ciceronem *de Orat. L.* I. *c.* 44. ſimpliciter dixit, *iis, qui perfecti Oratores eſſe vellent, Juris Civilis cognitionem eſſe neceſſariam;* idemque Craſſus *d. L.* I. *C.* 37. *non ante ſe cauſas amicorum tractare atque agere cœpiſſe, quam Jus Civile didiciſſet*, ſed loquitur de *Oratore perfecto*, & ea forte cognitione, quæ in ejusmodi Oratore qua Oratore, ſufficiebat. Quintilianus etiam, perfectum Oratorem deſcribens *toto Libr.* XII. *Inſtit. Orat.* præcipit C. 3. ut Juris, in quo verſaretur, ſit prudens, modo is eſſe velit, *qui non clamorem modo ſuum cauſſis, ſed omnia, quæ profutura ſunt, debet*, nec, ut ipſe ibidem, *inter ſubſellia minores Advocatos interrogat.* Dixit *minores*, quia ſine pudore majores Advocatos interrogare poterat, & ideo poterat, quod in Oratore plenior illa Juris ſcientia, ad cauſarum uſum forenſem, minus erat neceſſaria. Næ enim veriſſimum eſt, alium eſſe JCtum, alium Oratorem, ut ex utriusque definitione recte defendit Antonius apud Ciceronem *de Orat. L.* I. *C.* 49. porro oſtendens, utriusque artis, Jurisprudentiæ & Eloquentiæ, diſtinctos eſſe fines, niſi quis velit, ut belliſſime addit, *omnem omnium rerum atque artium ſcientiam comprehendere uno Oratoris officio ac nomine*: qualem Oratorem fere repræſentat Fabius illo *L.* XII. *Inſt. Orat.* Mox iterum Antonius *C.* 57. *licere Oratori impune omnem partem Juris incontroverſi ignorare, quæ pars ſine dubio multo maxima eſt*, nam, ut dixerat, de Jure certo non ſolent cauſæ in Judicium vocari. Deinde addit de Jure controverſo: *in eo autem Jure, quod ambigitur inter peritiſſimos, non eſt difficile Oratori, ejus partis, quamcumque defendat, auctorem aliquem invenire, a quo cum amentatas haſtas acceperit, ipſe eas Oratoriis lacertis viribusque torquebit.* Et puto ſic uſu ſervatum, ut Oratores in quaque cauſa, ſi quid de Jure incidiſſet, vel ipſi id in JCtorum Libris quæſiverint, vel ab aliis, quos conſulebant, acceperint, & ita edocti, quod ante ignorabant, ad cauſam perorandam tunc demum

mum proceſſerint. Quotusquisque ſane in Republica Romana Orator, qui non item JCtus? & quotusquisque ex Oratore JCtus? ipſe Cicero *pro Muræn.* plurimos refert, deſertis Oratorum partibus, ad Jurisprudentiæ profeſſionem ſe contuliſſe; ſed, ne longius exſpatiemur, quam neceſſe eſt, an non Servius & Tubero, priusquam ad Jus Civile tranſirent, optimi Oratores? ille non tranſivit, niſi poſt objurgationem Quinti Mucii, & tamen, qua Orator, in foro Principatum obtinebat, certe poſt Marcum Tullium, ut Pomponius retulit in §. 43. *ſupr.* Tubero non tranſivit, niſi poſtquam apud Cæſarem a Cicerone victus eſſet, ut memorat hic ipſe §. 46. Uterque igitur ante Orator, poſt JCtus, & uterque argumento, Eloquentiam, etiam ſine Juris ſcientia, ſibi conſtare, & ſibi ſufficere.

Fuerunt olim, & nemo inficiabitur, qui utraque arte valuerunt. Exempla eorum adfert Fabius *d. L.* XII. *C.* 3. Marci Catonis puta, & Scævolæ, Serviique Sulpicii, hi enim ex profeſſo id egerunt, ut & JCti, & Oratores eſſent, ſed nunquid idem Cicero? addit quidem Ciceronem Fabius, ſed oratione magis ſubmiſſa: *M. Tullius*, inquit, *non modo inter agendum nunquam eſt deſtitutus ſcientia Juris, ſed etiam componere aliqua de eo cœperat.* Hoc eſt, ſi recte interpretor, non modo callebat tantum Juris, quantum Oratori ſatis eſt, verum etiam, ut facile quodvis adgrediebatur, cœperat de Jure nonnihil ſcriptitare. Quale fuerit argumentum ejus Libri, non dicit, nec, an abſolverit, *cœperat*, inquit, *componere.* Reſpicit forte ad Ciceronis Librum *de Jure Civili in artem redigendo*, quem hodie non habemus, & cujus Titulum indicat Gellius *L.* I. *Noct. Attic. C.* 22. An abſolverit & ediderit hunc Librum, ipſe neſcio, & neſciunt quoque, qui id, atque ſi certum eſſet, nunc ſcribunt; potius contra putaverim, nam cur alioquin Fabius dixiſſet, *cœperat componere*? Sed demus Ciceronem conatum eſſe aliquid in Jure Civili, & ex ejus, quam habuit, ſcientia, quin & fiducia ſui, nonnihil ſcriptitaſſe, non tamen, ut reliqui tres, quorum hic memini, Juri profitendo ſe dederat, & hoc tamen vere eſt, JCtum eſſe. Diſtulerat profeſſionem Jurisprudentiæ ad ſenectutem, ut ipſe, ſub perſona Craſſi, fatetur *L.* I. *de Orat. d. C.* 45. & rurſus *L.* I. *de LL. C.* 3. *Ego vero*, inquit, *ætatis potius vacationi confidebam, cum præſertim non recuſarem, quo minus more patrio ſedens in ſolio conſulentibus reſponderem, ſenectutisque non inertis grato atque honeſto fungerer munere.* Sed mox *C.* 4. non obſcure indicat, ſe ab hoc propoſito deſtitiſſe, quod laborem non minueret, ſed augeret, quin humilius eſſe, quam ut a ſe exſpectari poſſit, libellos conficere de ſtillicidiorum ac de parietum jure, aut ſtipulationum & judiciorum formulas componere. Atque ita, ſi ipſum Ciceronem interrogemus, Cicero JCtus non erit.

At audio, undiquaque tamen, in Cicerone pellucere argumenta maſculæ Jurisprudentiæ, & veræ illius & non fucatæ Philoſophiæ, plurimas apud eum extare definitiones & quæſtiones Juris, multum diſputare de contractibus, & inde oriundis actionibus, quin integros aliquot Libros ſcripſiſſe *de Legibus*, quorum tres hodieque ſuperſunt: & inde, & aliunde video effici, non eum privati duntaxat Juris fuiſſe conſultum, ſed & ſacri, & publici, & naturalis. Sed, quantacumque demum fuerit Tullii Jurisprudentia, nemo, ut opinor, eam mirabitur in viro, qui & in negotiis, & in foro, & in Republica totus erat: mihi potius in patria peregrinus fuiſſe atque advena videretur, ſi nihil ſciviſſet ejus Juris, in quo verſabatur, ut Civis Romanus, ut Orator inter primos primus, denique ut Magiſtratus, tot tantisque muneribus functus. Aulus Gellius, ut ipſius Grammatici eſſe doceat, JCtorum locutiones & formulas ſcire, hac ratione utitur *L.* XX. *N. Att. C.* 9. *in medio rerum & hominum vitam qui colunt, ignorare non oportet verba actionum civilium celebriora.* In Magiſtratu id magis verum eſt; & quotusquisque in hac noſtra Republica eſt, qui Jurisconſultus non cluit, ſed tamen, quia rebus publicis & privatis intereſt, ut Magiſtratus, ut Judex, non ignarus eſt Juris patrii, & Legum, quas Principes & Ordines edixerunt? in Cicerone Philoſopho quis mirabitur Juris naturalis ſcientiam? in Augure quis Juris ſacri? in Conſule quis Juris publici, in Judice quis Juris privati? Ciceronis vero *de Legibus* Libri non magis ſunt de Jure, quam, ejusdem argumenti, Libri Platonis; & perperam Corradus *de Quæſtur. Cicer. p. m.* 363. id opus *de Legibus* Tullium non edidiſſe ex eo conjicit, quod Quintilianus dixerit, *cœpiſſe* aliquid componere de Jure, eo enim Libri *de Legibus* non pertinent, ut novit, qui eos legerit, ſed potius, ut ſupra dicebamus, Liber *de Jure Civili in artem redigendo.* Quamvis igitur largiar, Ciceronem non duntaxat ſupra vulgus Oratorum, quin & Conſulum, aliorumque Magiſtratuum, Juris fuiſſe prudentem, ex eo tamen Ciceronem non fecero JCtum, ut JCti definitio eſt, quæ eſſe debet, apud ipſum Ciceronem *d. L.* I. *de Orat. C.* 49. & ut JCti vocabulo utuntur veteres Auctores, utque in recenſenda eorum memoria utitur ipſe Pomponius. Sed ſatis eſt de Cicerone non JCto.

Sermone etiam antiquo uſus affectavit ſcribere, & ideo parum Libri ejus grati habentur. Eſſe aliquid in hisce verbis, quod aures non vitioſas offendit, nemo facile negaverit. Budæus ad *h. L. uſus* mutat in *verſus*, prætexta etiam auctoritate quorundam Librorum, & intelligit de XII. Tabb. ſed auget, non ſanat ulcus: neque enim conſtat XII. Tabulas oratione verſa unquam prodiiſſe, & minus conſtat, Tuberonis opera prodiiſſe, neque etiam verſus ſunt, quos, ut tales, propoſuit Budæus. Ad hæc Pomponius agit de Jurisprudentia, non de Poëſi Tuberonis. Niſi tamen Budæus, quod magis crediderim, per *verſus* intellexerit *periodos*, *ſententias* & *capita* quædam, a ſe invicem, quamvis non metro, diſtincta, ſed vel ſic obſcura, & tantum non inepta, erit loquutio, utique ſi XII. Tabulas ſubaudias. Mornacius hic delet vocem *uſus*, ſenſu commodo, parum gratos ſcilicet haberi Tuberonis Libros, quod affectaverit ſcribere *ſermone antiquo*, non vulgari, nec uſitato. Sed hanc ipſam ſententiam habebimus, ſi, ſalva voce, unam duntaxat literam mutemus, & legamus, ut puto legendum, *antiqui*, non *antiquo*, hoc pacto: *ſermone antiqui uſus affectavit ſcribere:* hoc eſt, quo olim Antiqui & Veteres utebantur, non quo illi, qui Tuberonis æquales erant. *Vocabula moris antiqui* dixit Auſonius in *Gratiar. act. ad Imper. Gratian. p. m.* 182. Mos ſive uſus antiquus opponitur mori ſive uſui vulgato. Curtius *L.* I. *C.* 2. de Alexandro: *vehiculum, quo Gordium Midæ patrem vectum eſſe conſtabat, aſpexit, cultu haud ſane a vilioribus vulgatisque uſu abhorrens.* Crediderim legendum, tranſpoſito *s. vulgatique uſus*, id enim longe præſtat, alia lectio vix ſenſum habet. Cæterum de Antiquariis illis & Φιλαρχαίοις, qualis

lis noſter Tubero, plurima facete dixit Budæus ad *h.* §.

Ad §. XLVII.

Labeo noluit, cum offerretur ei ab Auguſto Conſulatus, quo ſuffectus fieret, & honorem ſuſcipere. In MS. meo ſine Gloſſis, legitur, *& honorem ſuſciperet,* nullo fere ſenſu, ſed procul dubio *&* abundat, male, ut videtur, repetitum ex ultima ſyllaba vocis præcedentis; malim igitur omittere, ut omiſerunt plurimi Editores, quam reſcribere *eum*, ut reſcripſit Muretus ad *h.* §. & Goveanus *L.* I. *Var. Lect. C.* 24. Quinimo laborare dixeris integram, quam præſcripſi, ſententiam, quid enim ſignificat, noluit Labeo Conſulatum, ab Auguſto oblatum, ſuſcipere, *quo ſuffectus fieret*? Scio, ita hæc explicari, ſprevisſe Labeonem illum Conſulatum, quo non niſi *ſuffectus* eſſet, nequaquam vero *ordinarius.* Sed cum nec Capito, niſi *ſuffectus* Conſul fuerit, quemadmodum id recte oſtendit Rupertus ad *h.* §. non eſt veriſimile, hanc ei fuiſſe cauſam ſpernendi Conſulatus. Conjicio: *quo ſuſpectus fieret,* hoc eſt, noluit ſuſcipere honorem, quo ſuſpectus fieret, & male audiret apud Populum, eosque Optimates, qui adhuc ſtabant a partibus Reipublicæ, atque ſi nempe, eo jam beneficio Auguſto devinctus, corrumpi pateretur *incorruptam libertatem*, qua, ut Tacitus ait, Labeo cum maxime celebrabatur, & qua fretus Auguſto a ſe, etiam cum indignatione, diſſentienti regerere fuerat auſus, *ſuum quemque judicium habere*, ut Suetonius hoc retulit in *Auguſto.* Rem ipſam, quam hic narrat Pomponius, de Conſulatu Labeoni oblato, vellem, ne quidam Interpretes, ſine idonea auctoritate, vel ſuſpecti, vel omnino falſi poſtulaſſent.

Totum annum ita diviſerat, ut Romæ ſex menſibus cum Studioſis eſſet. In Libro Florentino fuit, *Romani*, quod retinuit Taurellius, etiamſi, teſte Brenkmano, antique deletum ſit. Huic inductioni puto tribuendum, quod ea vox in Libris quibusdam deſideretur, etiam in MS. Campenſi.

Itaque reliquit quadringinta volumina. In eodem MS. meo, XL. *volumina*, ſed ſequor lectionem Florentinam.

Labeo ingenii qualitate & fiducia doctrinæ, qui & cæteris operis ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit. Ingenii *qualitate*, ut legitur, legendum eſt, non, ut Budæus reſtituit, *facilitate*, vel, ut Muretus, *acritate*; ingenii *qualitas* eſt ingenii præſtantia, qua valebat Antiſtius Labeo. Hac autem, & *fiducia doctrinæ*, ait eum plurima innovaſſe, doctrinam, ut videtur, inde derivans, quod *& cæteris operis ſapientiæ operam dederat.* Durum & κακόφωνον eſt illud, *operis* & *operam*, bis una & continua oratione repetitum. Satius putem, ſemel *operam* ludere, & hanc culpam Librario, male eandem vocem repetenti, adſcribere; atque ita in Campenſi MS. legitur, *qui & in cæteris operam ſapientiæ dederat.* Nonnulli Editores id ſequuti ſunt, etiam Haloander, qui tamen eo non contentus pro *qui & cæteris* exhibet, *quod præ cæteris.* Bachovius hoc probat, ego, ubi major ratio non eſt, non probo; ſed minus adhuc probaverim, quod Budæus legit, *ut qui cæteris temporibus*, vel quod Muretus, *quia exceptis operis*; ſunt hæc portenta. Non damnaverim tamen ſimplex *quia* pro *qui*, niſi præferamus *qua*; duriuſculum eſt illud *qui*, attamen poterit retineri, ſi quis omnino ita velit. Inter variantes lectiones hujus loci pro *fiducia doctrinæ* etiam eſt *doctrina fretus*, & *fiducia doctrinæ fretus*, ſed & hæc rejicienda ſunt. Quid ſibi velit Pomponius, ſatis aperte ſignificat, Labeonem nempe etiam aliis, præter Jurisprudentiam, Diſciplinis fuiſſe eruditum, & hac quoque arte plurima innovaſſe.

Cæterum præter Labeones, patrem & filium, ambos JCtos, quorum meminit Pomponius in §. 44. & *h.* §. 47. perſuaſum mihi eſt, fuiſſe & alium Labeonem, puta Theologum. Certe *Labeonis*, quem, ut Theologum, deſcribit, diſerta mentio eſt apud Auguſtinum *de Civitate Dei L.* II. *c.* 11. Atque huic Theologo tribuerim, quod Scholiaſtes Virgilii, qui Servius dicitur, ad *Æneid. L.* I. *in Fuldens. p.* 36. Labeonem refert tradidiſſe de Diis Penatibus Æneæ, Neptuno & Apolline. Huic ipſi tribuendos exiſtimem duos alios locos, quorum alter eſt apud eundem Scholiaſten *de Diis Animalibus*, alter apud Fulgentium *de Diſciplinis Etruſcis.* Uterque locus memoratus eſt Menagio *Amœnit. Jur. Civ. C.* XX. ſed, ut videtur, perperam adſcriptus Labeoni JCto, quem ipſe cum Theologo confundit, quemadmodum & hos confudit Bertrandus in *Labeone.* Labeonis Theologi quoque eſſe videtur, quod Feſtus ex eo recitat in V. *Nam odor*, V. *Penatis*, V. *Proſimurium*, & V. *remiſſio*, quamvis tamen id præciſe non urgeam.

Atejo Capitoni Maſſurius Sabinus ſucceſſit. Scribitur & *Maſurius* cum ſimplici *S.* etiam apud Perſium *Sat.* V. *verſ.* 90. quamquam hoc metro dari poſſet. Sed & Μασύριος eſt apud Athenæum *L.* XIV. *C.* 5. & apud Arrianum *Epict. L.* IV. *C.* 3. *in fin.*

Adhuc eas diſſenſiones auxerunt. Senſus erit planior & plenior, ſi, ut eſt in plurimis Editt. & duobus MSS. meis, ut & Campenſi, legamus, *qui adhuc*, & reliqua. Sine exemplo tamen non ſunt ejusmodi abruptæ locutiones.

Publice primus ſcripſit; poſteaque hoc cœpit beneficium dari a Tiberio Cæſare. hoc tamen illi conceſſum erat. In hunc locum Budæus primum impetum fecit, ſecundum & tertium Zaſius & Coraſius. Sed nihil erat ſolicitandum, omnia piſce ſaniora ſunt, nolim ſingula referre, ut refellam. *Scripſit* etiam bene habet, non *reſcripſit*, quamvis & ita ſit in MS. meo, absque Gloſſis, non *reſpondit*, quamvis & ea vox Florentiæ addita ſit, ut ex nota Taurellii apparet, forte ex Gloſſa alicujus interpretis, *ſcripſit* ſcilicet, reſponſis editis, nam ea de re agitur. Neſcio, cur Interpretibus placuerit hic tam anxie tricari, ne Cujacio quidem excepto.

Teſtabantur, qui illos conſulebant. An Judices, an vero Partes teſtabantur? alterutri ſane Juris auctores conſulebant. Opinor, neutri, nam Judices, ut de Jure fierent certiores, eos adibant, & teſtimoniis Partium nemo tuto fideret. Intelligo hoc de teſtationibus ipſorum JCtorum; & propterea lego, *teſtabantur*, de Jure videlicet, *quos illi conſulebant*, non *qui illos.* Præter unum Muretum hic ſilent Interpretes, quos ego conſului, ſed vellem, vel aliud, quam dixit, dixiſſet Muretus, vel ipſe quoque ſiluiſſet.

Ut major Juris auctoritas haberetur. In Libro meo MS. quem proxime laudavi, *ut majoris auctoritatis haberetur*, ſed nihil mutandum eſt.

Viri Prætorii. Hic etiam τὸ ἀκίνητον ἄμεινον; recte alii defenderunt hanc ſcripturam contra Mureti *Juriſperiti*, & Coraſii *Viri periti.*

Huic ſucceſſit Gajus Caſſius Longinus. Maſurio quoque Caſſium addit Arrianus *Epict. d. L.* IV. *C.* 3. *in fin.* Mox hunc Caſſium rec-

dicit fuiſſe Conſulem *cum Quartino, temporibus Tiberii.* Lipſium & Voſſium, id negantes, & ob id Pomponio inſultantes, alii in ordinem redegerunt. Quare nec adſentior Cuſpiniano, *Quartinum* hic mutanti in *Q. Haterinum*, nec Ruperto in *Surdinum.* Quum bene ſit Pomponio, ut bene eſſe alii affatim probarunt, ſingulatim ejusmodi emendationibus occurrere non vacat.

Javoleno Priſco Aburnus Valens & Tuſcianus. Scribitur varie, *Aburnus*, *Aburnius*, *Alburnius*, *Aburbinius*, & *Eburnius*, ſequor primam, eandemque Florentinam, ſcripturam. Crediderim autem, ejusdem nominis fuiſſe, temporibus Theodoſii, quem memorat Symmachus *L.* VI. *Epiſt.* 7. *&* 20. quamquam ibi legatur *Taburnius* & *Taburnus*, corrupta forte ſcriptura ex *T. Aburno*, ut *Carfania*, ex C. *Afrania* in *l.* 1. §. 5. *ff. de Poſtul.* Hunc vero, cujus Pomponius meminit, Aburnum vel Aburnium non fecero eundem cum illo, ad quem Plinius ſcripſit *Epiſtolam* 14. *Libri* IV. quamvis ita ſederit Bertrando & aliis, ſed rationes, quæ plurimæ me movent, non exſequor, unam ex his etiam dixit Gulielmus Grotius. Potius quæram de *Tuſciano*, qui ſequitur, & de quo ab aliis etiam anxie quæſitum eſt. Plerique, ne dicam omnes Interpretes, quum nuſpiam invenerint hunc Tuſcianum, hominem ignotum, qua irrepticium, choro JCtorum expellunt, & mox alium adoptant. Bertrandus adoptavit *Tuſcium Fulcianum*, cui reſcripſit D. Pius in *l.* 7. *ff. de Legat. præſt.* Sed quum ille fuerit æque ignotus, neſcio, cur magis ſequamur ſcripturam *d. l.* 7. quam hic Pomponii. Imo minus ſequenda eſt, nam Pomponius, qui in recenſendis JCtis tantum non ſemper ſervavit ordinem temporis & ſucceſſionis, Tuſcianum hunc præponit Juliano, qui ſub Hadriano vixit, Tuſcianus autem ille, quisquis demum fuerit, Legatus Numidiæ fuit ſub Pio, ita enim ad eum reſcriptum eſt in *d. l.* 7. Atque ea ipſa ratione non acceſſerim Antonio Auguſtino *Not.* ad Libr. *de Nomin. propr. Pandect. p.* 24. eumque ſequutis Hotomano *Antiq. Rom. L.* I. *Part.* IV. Ruperto ad *h.* §. & Menagio *Amœnit. Jur. Civ. C.* V. qui pro *Tuſciano* hic adoptarunt *Mæcianum*, æque ſcilicet Caſſianum; nam præter differentiam, quæ eſt in nominis ſono, obſtat etiam, ut dixi, ſeries temporis & ſucceſſionis, quum hic, quem ſub Tuſciani nomine exhibet Pomponius, vel ante Julianum vixerit, vel ejus fuerit æqualis, Mæcianus autem, quem hic ſubſtituunt, floruerit demum ſub D. Pio & Marco. Verum illud de Mæciano, ante Julianum laudato, recenſet Menagius inter παρορώματα Pomponii, qua reſponſione nos non utimur, cum alia ſupereſt; ſupereſt autem alia, ut mox dicam. Guido Pancirolus *Variar. Lect. L.* I. *C.* 79. *n.* 14. hunc ipſum Tuſcianum ad tempora Commodi rejicit, quo imperante, teſte Capitolino in *Pertinace*, fuiſſet Præfectus Urbi, & eundem credit, cui reſcripſerunt Severus & Antoninus in *l.* 1. *C. de Hæred. tutor.* Sed minus adhuc ea ſubſiſtunt per rationem temporis, & præterea in Libris meis non *Tuſciano*, at *Fuſciano* reſcribunt Impp. in *d. l.* 1. & *Fuſcianus* quoque eſt apud Capitolinum in *Pertin. C.* 5. Gulielmus Grotius tandem deliberabat de adoptando *Viviano*. ſed & hoc ipſum nihili eſt. Vides, in quot formas abierit Tuſcianus, vere Proteus. Sed ego, quamvis nullus uſpiam Tuſcianus mihi factus eſſet obviam, non mutavero nomen hominis, niſi ſimul conſtituiſſem omnia nomina mutare, quorum ſemel duntaxat incidit mentio, etiam in hac ipſa *l.* 2. Sed & alias occurrit Tuſciani nomen, nam *Tuſciano*, neſcio cui, aperte reſcriptum eſt in *l.* 18. *C. Mandat.* Sufficit id ad vindicandam Pomponii ſcripturam, quamvis præciſe ejus ipſius Tuſciani, cujus meminit Pomponius, non meminerint alii Auctores, & ne quidem noſtri; plures hic Pomponius retulit in album JCtorum, & præcipue in §. 44. *ſupr.* quorum memoria vel plane excidit, vel obſcurior fuit, forte ſolius ordinis & ſucceſſionis ergo; hos igitur omnes eliminabimus, vel in alios, magis nobis cognitos, continuo mutabimus? religio id noſtra non patitur.

Item Salvius Julianus. Recte monet Menagius *Amœnit. Jur. Civ. C.* XXIV. perperam Hugonem Grotium hunc Julianum, qui Edicti perpetui auctor fuit, confundere cum Didio Juliano, qui poſt Pertinacem Imperio Romano præfuit, & recte etiam monet, eum fuiſſe deceptum loco Aurelii Victoris, qui de Imperatore Juliano inter cætera hoc ait: *Genus ei pernobile, Jurisque Urbani præſtans ſcientia: quippe qui primus Edictum, quod varie inconditeque a Prætoribus promebatur, in ordinem compoſuerit.* Ante Grotium eundem errorem erravit Garro ad *h. l.* eodem forte ſeductus loco. Et ſane, niſi velimus manifeſtam ἀνιστορησίαν in Aurelio agnoſcere, ut ſunt qui agnoſcunt, emendanda erunt verba, quæ propoſui, atque ita emendanda, ne Imperatori Juliano tribuant, quod Juliano JCto, ejus, ut vulgo creditur, Proavo tribuendum eſt. Menagius acri ferro medicinam quærit, nam illa, *quippe qui*, & quæ ſequuntur, tanquam Gloſſema, delet, quin & in præcedentibus quædam ſciolis adſcribit. Bertrandus in *Salvio Juliano* magis adhuc, an minus graſſetur, nondum decrevi. Ego malim, minori motu: *quippe quod primum*, ſive, *quippe quod prius*, ut omnia referantur ad genus Juliani Imperatoris: *genus præſtans urbani Juris ſcientia, quippe quod &c.* Sic integra ſententia pertinebit ad Gentiles Juliani Imper. non ad hunc ipſum; & nemo, ſat ſcio, illam locutionem mirabitur in Aurelio Victore. Edictum, quod varie inconditeque *promebatur*, minus quoque uſitate dicitur; niſi idem Aurelius dixiſſet, legerem, *proponebatur*; quod verbum eſt ex uſu Edictorum.

TANTUM EST.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

OPUSCULUM

DE

REBUS MANCIPI

ET

NEC MANCIPI.

AD LECTOREM.

De rebus mancipi & nec mancipi tractatio obſcura eſt & difficilis, adeo vetuſti juris & ævi ignorantia ſubegit pulcherrimam materiem. Cum Juſtinianus, quicquid ejus diſtinctionis eſt, ſuſtuliſſet, Tribonianus operæ eſſe non putavit, veterum JCtorum loca, quæ hoc agebant, Pandectis inſerere, & tamen ea inſeruit, quæ ſine ope ejus ſcientiæ explicari non poſſunt. hinc illæ lachrymæ. Ex reliquiis igitur, quæ alibi occurrunt, veterum JCtorum, paucisque aliis aliorum Auctorum teſtimoniis, eruenda eſt antiquæ hujus Jurisprudentiæ cognitio; mirarer ſane, illam rerum, & juris, inde oriundi, diſtinctionem, quæ in medio foro & uſu hominum obtinebat, quæ in judiciis & commerciis frequentabatur, apud alios rei Romanæ Auctores, non plus laudari & deſcribi, ſi non ſcirem, omni ætate, veteri, nova, ita comparatum fuiſſe, ut quo magis res vulgo eſſet nota & uſu frequentata, eo minus literis mandata & ad poſteritatem propagata fuiſſet inutili, ut creditur, opera: atque ſi id, quod nunc omnes ſciunt, obliterata ejus rei memoria, etiam poſteri ſcire poſſint. Ita tamen vivitur, & inde tam altum apud pleroſque de rebus mancipi & nec mancipi, de dominio Quiritario & Bonitario ſilentium. Placet mihi ex ipſis tenebris lucem quærere, & periclitari, nunquid copiis undiquaque contractis illuſtrare poſſim ſublime, ſi quod aliud eſt, argumentum.

Sed, inquies, cui bono illa Juris vetuſti ſcientia? Quid attinet Jurisprudentiæ, dudum ſepultæ, cineres movere, & in eo bonas horas perdere? ita ſcilicet philoſophantur, qui neſciunt, quo pretio habenda ſint veterum JCtorum Fragmenta, qui non didicerunt ex ipſis fontibus aquam limpidam haurire, ſed turbidam malunt ex *Doctorum*, quos vocant, Commentariis & Reſponſis: In ipſo Jure Romano, quo hodie utimur ex compoſitione Triboniani, innumera capita ſunt, de quorum ſententia deſperandum eſſet, ſi fuiſſet absque his Juris priſci reliquiis & ſubſidiis, quin ſi fuiſſet absque hac rerum mancipi & nec mancipi ſcientia. Non recenſebo magna Nomina, quæ hac, non alia arte famæ ſuæ conſuluerunt, & obſcuriſſima alioquin loca nullo negotio interpretati ſunt, laudabo potius Viri Clar. Antonii Schultingii, (Juris Profeſſoris in Academia vicina, æternum opus, quod nuper edidit, & *Jurisprudentiam Ante-juſtinianeam* inſcripſit. Eo opere, quod nemo tam ſedulo, tam docte præſtiterat, omnes Juris veteris reliquias collegit, & *Notis*, ſi non juſtis Commentariis, illuſtravit, & ſimul probavit, quam utilis ſit labor, qui in his rebus ponitur.

Ipſe quidem primum conſtitueram explicare integrum *Titulum* XIX. *Fragm. Ulpiani*, atque adeo ſex modos acquirendi dominii, quos ille recenſet, & conferre cum ſex modis, quibus dominium acquiri ſcripſit Varro *L.* II. *de Re ruſtica C.* 10. Conſtitueram utrumque Fragmentum, quod *de mancipatione & in jure ceſſione* nobis ſupereſt, Notis illuſtrare, & quicquid uſpiam de utraque ſolemnitate occurrit, excutere & annotare, ſed talia meditantem prævenit induſtria & eruditio Clariſſimi, quem modo laudabam, Viri Antonii Schultingii, qui plurima occupavit, quæ mihi in *Adverſariis* nata erant. Quare, mutato conſilio, vela contrahenda eſſe ratus ſum, nec quicquam mihi reliquum eſſe volui, quam argumentum *de rebus mancipi & nec mancipi*, de quo ipſe parciſſime dixit. Facile patietur Vir Clariſſimus, ſi & ego ſymbolam conferam ad partes quasdam veteris Jurisprudentiæ interpretandas, quas ipſe vel omiſit, vel aliter, ac mihi videatur, interpretatus eſt. Hanc libertatem petimus dabimusque viciſſim. Ita, Lector, vale.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK

JCTI ET PRÆSIDIS

OPUSCULUM
DE
REBUS MANCIPI
ET
NEC MANCIPI.

CAPUT I.

De Mancipatione.

De *mancipandi* & *emancipandi* promiſcua ſignificatione, de voce *mancipii*, *mancupii*, *mancipationis* & *mancupationis*, & an *mancipi* ſit ſecundus caſus a *mancipium*, an, ut vocant, indeclinabile, a Grammaticis & ab ipſis quoque JCtis ſatis eſt actum & diſputatum. Ego potius ad rem ipſam accedo, & *Mancipationem* definio, *actum legitimum, quo res, quæ mancipi erat, more ſolemni tradebatur.* Sed cur non magis ſequor definitionem Ulpiani *Fragm.* *T.* XIX. §. 3.? *Mancipatio*, inquit, *propria ſpecies alienationis eſt, & rerum mancipi: eaque fit certis verbis, libripende, & quinque teſtibus præſentibus.* Verba hæc, ut leguntur, legenda ſunt, ut contra Salmaſium recte defendit Cl. Schultingius *Not.* ad *eum loc.* ego ne quidem *&* deleverim, quod etiam Cujacius & Salmaſius deleri jubent, non invito Schultingio, nam intercedit *eſt*, quod ſententiam ſuſpendit, aliter atque in §. 7. *d. T.* ubi *eſt* præcedit, *traditio*, ait ibi, *propria eſt alienatio rerum nec mancipi.* ſed eſt hoc leviuſculum. Illa autem mancipatio, ſive ſolemnis traditio, quia in primis venditorem obligabat ad evictionem & ad duplam, ne interveniente quidem ſtipulatione, ut apud Paulum eſt *Sentent.* *L.* II. *T.* 17. §. 2. *&* 3. quia, inquam, ea ſolemnitas autorem mancipantem tam arctum nectebat conſtringebatque, etiam *traditio nexu* dicebatur, *nexus* enim eſt obligatio, *nexi* obligati, ut prolixe probat Salmaſius *de modo Uſurarum* *C.* 18. *in fin.* Quin paria eſſe, *mancipare* & *nexu tradere*, cum aliunde conſtat, tum ex Cicerone in *Topic. ad Trebat.* *C.* 28. *Abalienatio*, inquit, *eſt ejus rei, quæ mancipi eſt.* Deinde addit duos principes alienandi modos: *aut traditio alteri nexu, aut in jure ceſſio, inter quos ea Jure civili fieri poſſunt.* Sed plenius hæc cognoſcimus ex Boethio *L.* III. *Comment. in Topic. Ciceron.* ubi ſimul ex Cajo habemus mancipationis deſcriptionem, eamque uberiorem, quam Ulpiani: *Mancipi*, ait, *res Veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus fieret ſolemnitatem. Nexus vero eſt quædam Juris ſolemnitas, quæ fiebat eo modo, quo in Inſtitutionibus Cajus exponit. Ejusdem autem Caji Libro I. Inſtitutionum de nexu faciendo hæc verba ſunt: Eſt autem mancipatio, ut ſupra quoque indicavimus, imaginaria quædam venditio; quod ipſum jus proprium Romanorum eſt civium: eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque teſtibus Romanis civibus, puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Is, qui mancipio accipit, æs tenens, ita dicit:* HUNC EGO HOMINEM EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AJO, ISQUE MIHI EMPTUS EST HOC ÆRE, ÆNEAQUE LIBRA. *Deinde ære percutit libram, indeque æs dat ei, a quo mancipio accipit, quaſi pretii loco.* Vulgo creditur, & hoc de Mancipatione, & aliud de in Jure ceſſione Fragmentum, quod utrumque in ipſis Caji Inſtitutionibus hodie non exſtat, ſolum Boethium nobis ſervaſſe, ſed dudum eſt, ex quo incidi in *Commentarium* Cyni ad *Tit.* *C.* *de Uſucapione transformanda*, & ibi reperi ea ipſa Fragmenta, deſcripta a Petro Jacobo de Ravani, quem Cynus auctorem laudat, quique ait, *ſe ea vidiſſe in Libro Inſtitutionum Caji.* Clar. Schultingius, cui eum locum indicavi, ad *Caji L.* I. *T.* VI. §. 3. exiſtimat, Petrum Jacobum de Ravani hæc ἀποσπασμάτια non ex Cajo exhibuiſſe, ſed ex ipſo Boethio. Verum ego non ſatis cauſæ video, cur abroganda ſit fides auctori, curque ipſe non potuiſſet uti Cajo integriore, quam nos habemus. Utque id credam, me monet diverſitas verborum, quæ in utraque formula occurrit, ipſi quoque Schultingio hic illic obſervata, ſæpe etiam neglecta. Ex eodem Boethio ſi ſua produxiſſet Petrus Jacobus de Ravani, cur aliter, atque ipſe, verba utriusque formulæ recitaſſet, cur item, ſplendide mendax, nobis fucum feciſſet, non ſum, qui animadvertam.

Poſſem nunc utrumque locum conferre, & Boethii ſcripturam ex ea, quæ apud Cynum eſt, emendare, poſſem, ſi tanti eſſet, quærere, Cajus *Libro* I. *an* II. *Inſtitutionum* mancipationem ita, ut dixi, definiverit, poſſem dicere de ſolemnibus & jure mancipationis, de perſonis, quæ

man

mancipio dant & accipiunt, ſed ita plurima esſent repetenda ex iis, quæ attulerunt Alexander & Oiſelius ad Cajum, ille ad *L.* I. *T.* VI. §. 3. hic ad *L.* II. *T.* I. *in fin.* quæque item attulit Cujacius ad Ulpiani *Fragm. T.* XIX. & Rævardus ad *L.* XII. *Tabb. C.* 16. & Salmaſius *de Uſuris C.* VIII. & *de modo Uſurarum C.* XIX. & *Diatr. de Mutuo p.* 93. *& ſeqq.* & Brummerus ad *L. Cinciam C.* 13. *&* 14. & ante hos omnes Budæus ad *l.* 2. §. 24. *ff. de Orig. Jur. p. m.* 47. *& ſeqq.* & quæ nuperrime Clar. Schultingius de hoc argumento commentatus eſt ad eos, quos dixi, Caji & Ulpiani locos, ut & ad Pauli *Sentent. L.* II. *T.* 17. §. 1. 2. *&* 3. Quia vero non conſtitui actum agere, de rebus mancipi & nec mancipi duntaxat nobis ſermo erit, ut jam præfatus ſum, & de his dicam, quæ alii vel plane non, vel minus integre & feliciter exſequuti ſunt.

CAPUT II.

Quæ ſint res mancipi, quæ non item, & quæ ratio eas diſtinxerit.

Argumentum, quod de rebus mancipi & nec mancipi eſt, hic illic ſparſum, nemo recte tractaverit, qui non ſequatur præeuntem Ulpianum *Fragm. Tit.* XIX. §. 1. *Omnes*, inquit, *res aut mancipi ſunt, aut nec mancipi. Mancipi res ſunt prædia in Italico ſolo, tam ruſtica, qualis eſt fundus, quam urbana, qualis domus. Item jura prædiorum ruſticorum: veluti via, iter, actus, & aquæductus. Item ſervi, & quadrupedes, quæ dorſo collove domantur: velut boves, muli, equi, aſini. Cæteræ res nec mancipi ſunt. Elephanti & cameli, quamvis collo dorſove domentur, nec mancipi ſunt, quia beſtiarum numero ſunt.* Multiplex apud JCtos eſt rerum diviſio, hic autem Ulpianus res omnes diſpeſcit in mancipi, & nec mancipi, qui de iis ſolis agere conſtituerat. Quam maxime autem intererat ſcire, quæ res eſſent mancipi, quæ nec mancipi, quum alio atque alio juris effectu cenſerentur in variis veteris Prudentiæ capitibus, quæ partim alii expoſuerunt, partim ipſe exponam. Obſcura res eſt, quæ ratio diviſerit res mancipi, & nec mancipi; nec enim id dixit Ulpianus, nec, quod ſciam, quisquam alius. Si ipſe utriusque generis definitionem præmiſiſſet, inde licuiſſet ſcire, ſed, qui veterum JCtorum ſæpe mos eſt, ad exempla mox properat. Charondas ad *d.* §. 1. putat Ulpiano eas dici res mancipi, *quæ in communi noſtro uſu verſantur*, *& quas manu quodammodo capimus ac tractamus.* Sed omnes res mobiles, paucis exceptis, nec mancipi ſunt, & tamen hæ præcipue in uſu verſantur, & manibus contrectantur, non ſatisfecerit igitur ea ratio. Si exempla, quæ apud Ulpianum, ſi alia, quæ in veteri memoria ſuperſunt, excutiam, non alia fere diſtinctionis ratio occurrit, quam quæ ſumitur ab inſigniori ac pretioſiori patrimonio Romanorum; ut res mancipi fuerint, quæ nobiliſſimam partem divitiarum conſtituebant, quales erant fundi, ſervi, pecudes, & id genus alia. Plus curæ & ſolicitudinis erat adhibendum in transferendo rerum pretioſiorum dominio, quam in viliorum, quæ nec mancipi erant. Video etiam Cujacio placuisſe eam differentiæ rationem in *Parat.* ad *Tit. C. de Uſucap. transform.* qui tamen, quod nollem, omnes res pretioſas, quæ, ut ait, *veneunt auro contra vel auro ſupra*, rebus mancipi accenſet; non auſim id facere ſine certa & idonea auctoritate. Omnes quidem res mancipi pretioſæ ſunt, ſed non tuto hæc licet convertere, & adfirmare, omnes pretioſas eſſe mancipi. Si quæ pretioſiora, præter ea, quæ Ulpianus recenſuit, alibi occurrant, quæ idoneus teſtis mancipi vocaverit, ut de margaritis puto, & ſuo loco oſtendam, non dubitem hæc adnumerare rebus mancipi; in aliis omnibus ego ſequar regulam Ulpiani, *cæteræ res nec mancipi ſunt.*

CAPUT III.

De Rebus immobilibus.

Quum omnia, quæ in dominium cadunt, ſint vel immobilia, vel mobilia, vel incorporalia, & ad hæc referri poſſint omnes ſpecies, ab Ulpiano enumeratæ, de ſingulis videndum eſt. Ut autem immobilia majoris pretii habentur, quam alia quæcunque, de his primum Ulpianus ita infit: *Mancipi res ſunt prædia in Italico ſolo, tam ruſtica, qualis eſt fundus, quam urbana, qualis domus.* Recte ait, *in Italico ſolo*, quia prædia Provincialia eo jure non cenſebantur, ut ſingulari Capite docebo; niſi tamen fuisſent Juris Italici, id eſt, ex privilegio jure Latii donata, quales fuerunt plures Coloniæ, de quibus earumque jure ex profeſſo egit Cujacius *L.* X. *Obſerv.* 35. Prædia igitur Italicenſia ab Italicis hac parte non differebant, habita quippe ſimili jure, idque ſive ruſtica, ſive urbana fuerint.

Ulpianus prædia ruſtica præponit urbanis, atque ſi de illis minus dubitare liceret, quam de his. Nec, opinor, ſine cauſa; non tantum quod Veterum divitiæ in ruſticis prædiis potiſſimum conſiſterent, ſed & quod domus cæteraque ædificia, quibus prædia urbana conſtant, ex lapide, ligno, ferro conſtruantur, quæ omnia per ſe ſunt nec mancipi, ut *Capite prox.* dicam, nec videbatur alia pellucere poſſe indoles in conjunctis, quam quæ fuerat in disjunctis. Attamen prædia urbana palam res mancipi eſſe dicit Ulpianus *d.* §. 1. & tantundem dixit Tullius *L.* I. *de Orat. C.* 178. *&* 179. & *L.* III. *de Offic. C.* 67. cum ædium venditarum meminit, quarum *in mancipio*, & *in lege mancipii* dictum erat, & quæ ſequuntur, mancipio enim nihil poteſt vendi & tradi, quod non ſit mancipi, ut mox eſt apud Ulpianum §. 3. *d. T.* XIX. Quo igitur jure ædificia erunt res mancipi? jure, opinor, acceſſionis; quamvis enim conjungantur ex iis, quæ omnia nec mancipi ſunt, impoſita tamen fundo Italico vel Italicenſi, cedent ſolo, & mancipi habebuntur jure ſoli. Quod ad uſucapionem hac ipſa ratione diſputat idem Tullius *Topic. C.* 23. *Quod*, inquit, *in re pari valet, valeat in hac, quæ par eſt: ut, quoniam uſus auctoritas fundi biennium eſt, ſit etiam ædium.* mox ita interrogatione diſtinguo: *at in Lege ædes non appellantur,*

& ſunt cæterarum omnium, quarum annuus eſt uſus? reſpondet; *valeat æquitas, quæ paribus in cauſis paria jura deſiderat.* Ut capiantur ſcilicet biennio, ut res immobiles, per inædificationem immobiles, & pars fundi factæ. Quod ipſum iterum expreſſit Cicero *Orat. pro Cæcin. C.* 54. *Lex uſum & auctoritatem fundi jubet eſſe biennium; at utimur eodem jure in ædibus, quæ in Lege non appellantur.* Pertinent hæc eo, ut intelligamus, prædia urbana mancipi eſſe ſolo jure fundi, & præter Italica & Italicenſia non eſſe res ſoli, quin ſint nec mancipi.

CAPUT IV.

De Rebus mobilibus.

Si res, quas proprie vocamus mobiles, diſtinguamus ab his, quæ ſe movent, diceres, omnia mobilia nec mancipi eſſe, lignum, lapidem, ferrum, & quæ porro longa ſerie mobilium appellatione continentur: nam ecce poſtquam Ulpianus & prædia, de quibus dixi, & jura prædiorum ruſticorum, & ſervos, & nonnullas quadrupedes dixiſſet eſſe mancipi, mox addit, *cæteras res nec mancipi eſſe*, hoc eſt, tam immobilia, quam mobilia & incorporalia, quæ non enumeraverat, nullam autem rem mobilem enumeravit, ſed aliquot ſpecies duntaxat rerum ſe moventium. An igitur nullam rem mobilem inanimatam dicemus fuiſſe mancipi? quid ergo præcipit Ulpianus §. 6. *d. T.* XIX. RES MOBILES *non niſi præſentes mancipari poſſe, & non plures, quam quæ manu capi poſſunt?* Sed ut *moventium* & *mobilium* promiſcua eſt ſignificatio *l.* 93. *ff. de V. S.* nihil impedit, quominus per *res mobiles* in *d.* §. 6. intelligamus ſervum, equum, bovem, aliasque res ſe moventes, de quibus dixerat in §. 1. quamquam ego non negaverim, quasdam res, proprie mobiles, revera fuiſſe mancipi; de margaritis certe, poſtquam earum uſus Romæ invaluit, vix dubito, nec aliter intelligo Plinium, ubi de margarita agit, *L.* IX. *Hiſtor. Natur. C.* 35. *Hæredem*, inquit, *ſequitur, in mancipatum venit, ut prædium aliquod.* Et paulo ante de ſmaragdis & margaritis egerat, quarum ingens pretium probari poterat *mancupationum tabulis*, ut recte hunc locum videtur reſtituere Clar. Schultingius ad §. 3. *T.* XIX. *Fragm. Ulpiani.* ſed quia dubiæ lectionis eſt, hunc non urgeo, alter ſuffecerit. Ulpianus quidem margaritæ non meminit, forte quod nec priſci Juris Auctores ejus meminerant, cum bello demum Jugurthino unionum nomen percrebuiſſe Plinius memoret *d. loc.* poſtquam percrebuit, margaritæ, ob inſigne pretium, rebus mancipi videntur additæ, *principium culmenque omnium rerum pretii, margaritæ tenent*, ait Plinius *princ. d. C.* 35. Cujacius quoque, ob auctoritatem Plinii, margaritas rebus mancipi adnumerat *Parat. C. de Uſucap. transform.* Sed quod omnes res pretioſas, ornamenta forte, veſtem ſericam, & ſi quid aliud eſt, eodem loco habeat, ſine ulla ullius auctoritate, ipſe non ſequor, & rationes in hanc rem expedivi *C.* II. Nihil ſane eſt in *l.* 37. §. 1. *ff. de Evictior.* quod huc pertineat; & ſi quid valere poſſet auctoritas ejus, qui Papianus dicitur, ille *Reſponſ. T.* XXIII. in veſtibus & gemmis non aliam ſolemnitatem deſiderat, quam ſolam traditionem, his ita a rebus mancipi excluſis; ſed vix tanti eſt ille homo, ut ejus teſtimonio, in hoc argumento, ſtetur.

Clar. Schultingius ad *d.* §. 3. ſequitur definitionem Ulpiani in *d.* §. 1. nec margaritas, nec alias quascunque res mancipi admittit, quas non invenit in Ulpiani catalogo. Quod autem Plinius *mancipatum* margaritis tribuit, inde eſſe putat, quod poſteriori tempore etiam admiſſa fuerit mancipatio rerum, quæ ſui natura non erant mancipi, laudans in eam ſententiam duos Auctores, Janum a Coſta ad §. 40. *Inſt. de Rer. diviſ.* & Fridericum Brummerum ad *L. Cinciam. C.* 13. & uterque id revera dixit, ſed neuter probavit, nec quisquam hominum probaturus eſt, rem nec mancipi unquam fuiſſe mancipio datam vel acceptam. Liquido contradicit Ulpianus in *d.* §. 3. contradicunt tot alii Auctores, qui, de mancipatione loquentes, ſemper agunt de his ipſis rebus, quas mancipi eſſe conſtat, nunquam de aliis. Janus a Coſta provocat ad Ulpiani *Fragm. T.* I. §. 16. qui nihil ait, quam rem mancipi, etiam ſine mancipatione, tradi poſſe. quod nemo negaverit. Deinde ad Pauli *Sentent. L.* I. *T.* 13. §. 4. qui nihil ait, quam venditorem, ſi, quod emptum eſt, neque tradatur, neque mancipetur, cogi poſſe, *ut tradat aut mancipet*, pro natura ſcilicet rei, nam traditio rerum nec mancipi eſt, ut mancipatio rerum mancipi; ſed quæro, ubi Ulpianus, ſibi contrarius, ubi Paulus dixiſſet, mancipari etiam res nec mancipi. Brummerus nihil habet præcipui. Neſcio, an ipſe Schultingius mox priorem ſententiam retractet, nam Plinium, ne obſtet, aliter mox eum explicare & emendare dixeris, ſed quia manet *mancipatus*, manent, ipſo auctore, *mancupationum tabulæ*, non ſatis adſequor, quemadmodum margaritæ eſſe potuerint res nec mancipi.

CAPUT V.

De ſe moventibus, & primum de ſervis.

Mobilibus adſcribo, quæ ſe ipſa movent. Inter hæc familiam ducunt ſervi, ſive mancipia, quorum numero & præſtantia veterum opes definiebantur; unde Ulpianus rerum mancipi, quæ animatæ ſunt, præcipuam ſpeciem propoſiturus, primum *ſervos* vocat. Hos eſſe mancipi ſatis etiam Varro ſignificat *L.* II. *de Re ruſtic. C.* 10. nam, de ſervis paſtoribus agens, ſex modos acquirendi dominii enumerat, interque hos, *ſi, ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo Jure Civili potuit.* Deinde de his ipſis ait, *ſi mancipio non dantur, duplam promitti*, quia, ſi darentur mancipio, duplæ præſtatio mancipio inerat, nec in eam rem opus erat ſtipulatione. Vides igitur, ſervos mancipio dari & accipi, quod, ut ſupra probabam, niſi in rebus mancipi, non obtinebat. Et cum Juſtinianus in *l. un. C. de Nudo jure Quirit. toll.* abrogaret rerum mancipi & nec mancipi, & inde derivatam dominii Quiritarii & Bonitarii differentiam, quemque jubet eſſe pleniſſimum & legitimum dominum *ſive ſervi, ſive aliarum rerum ad ſe pertinentium*, ſervum,

vum, id eſt, rem mancipi, opponens cæteris rebus, antiquo jure a ſervo diſtinctis, rebus ſcilicet nec mancipi. ſic enim hæc interpretor.

Quin ſervi adeo ſunt res mancipi, earumque potiſſima ſpecies, ut ſub his nonnunquam cæteræ res mancipi intelligantur. Præter Juſtinianum, quem attuli, etiam teſtem dabo Ulpianum *Fragm. T.* XI. §. 2. qui, ut pleræque Edd. habent *mancipia*, dixit, & *res mancipi* intellexit. *Tutoris*, inquit, *auctoritas neceſſaria eſt mulieribus in his rebus, ſi lege, aut legitimo judicio agant, ſi ſe obligent, ſi civile negotium gerant, ſi libertæ ſuæ permittant in contubernio alieni ſervi morari, ſi* MANCIPIA *alienent. Pupillis autem hoc amplius, etiam in rerum nec mancipi alienatione, tutoris auctoritate opus eſt.* liquet id, quod dixi, ex oppoſitione. Atque ita nihil intererit, utrum *mancipia* apud Ulpianum legas, ut vulgo legitur, an reſcribas *rem mancipi*, ut ex Libro Tilii reſcribit Cujacius *L.* XVII. *Obſerv. C.* 28. utque exhibet ipſa Tilii editio, ſed tamen, ut auguror, ex alicujus emendatione, nam nemo *rem mancipi*, ſi ita ab initio ſcriptum fuiſſet, mutaſſet in *mancipia*, ſed *mancipia*, quæ ab hoc loco videbantur aliena, facile erat mutare in *rem mancipi*. id enim ſequentia poſtulare dixeris. Forte & a *mancipiis*, ut a præcipua ſpecie, dicuntur res *mancipi*, & forte inde ipſæ locutiones, *mancipio dare* & *accipere*. Ipſæ quoque conditiones, quibus veneunt res mancipi, inde forte *Lex mancipiorum*. Ita apud Varronem *d. L. L. Libr.* V. *p. m.* 59. *ab eo ſcribi cœptum in Lege mancipiorum, vadem ne poſceret, nec dabitur*; & apud Ciceronem *L.* I. *de Orat. C.* 178. & ſimpliciter *mancipium* apud eundem ibidem *C.* 179. & *L.* III. *de Offic. C.* 67. pro lege nempe emptionis & venditionis quod ad ædes, rem mancipi, diſtractas.

Non ſervos tantum, ſed & ipſos liberos Jure antiquiſſimo fuiſſe res mancipi oſtendam opuſculo *de Jure occid. vendend. & expon. liberos C.* I. rationem redditurus, cur eos hic tranſmiſiſſe videatur Ulpianus.

CAPUT VI.

De Quadrupedum, aliorumque animalium appellatione, defenſa ſcriptura L. 2. pr. ff. ad L. Aquil.

A Servis ad Quadrupedes non magnus eſt ſaltus, nam inter hos & illos, Legibus & moribus Romanorum, vix quicquam intererat. Igitur Ulpianus ſecundam ſpeciem eorum, quæ ſe movent, & res mancipi ſunt, dicit eſſe *quadrupedes, quæ dorſo collove domantur veluti boves, muli, equi, aſini.* Ab his excipit elephantos & camelos, qui, inquit, *quamvis collo dorſove domentur, nec mancipi ſunt, quoniam beſtiarum numero ſunt.* Primum ait *dorſo collove*, mox *collo dorſove*, utrumque recte, neque adeo opus eſt alterutrum invertere. Pretioſiora animalia, quæ fera non eſſent, hoc eſt, quæ collo dorſove domabantur, quæque inſuper inſignem ſui uſum præbebant, apud Romanos res mancipi fuiſſe putem. Non ſufficit, ut animal, quo mancipi ſit, dominio noſtro poſſit ſubjici, ut contra Rævardum recte diſputat Clar. Schultingius ad §. 1. *T.* XIX. *Fragm. Ulpian. n.* 6. ſic enim canes, feles, & quæ non alia, eſſent res mancipi, ſed oportet, ut animal præterea operas præſtet, vel alia ratione ita domino ſuo ſit utile, ut quis ex numero dives cenſeri poſſit.

Verum hæc & alia non ſatis poterunt intelligi, niſi ſciamus, de diſtinctione animalium quid ſenſerint JCti veteres, cum ex arte loquuntur, quid item, cum populariter & minus accurate. Et quidem, ſi proprie loquantur, omnia animalia diſtinguere videas in quadrupedes, pecudes & beſtias. Quadrupedum & beſtiarum hic ſola mentio, nulla pecudum, ea forte ratione, quam deinde explicabo. Quadrupedes eſſe dixit, quæ collo dorſove domantur, & earum exempla proponit, *boves, mulos, equos, aſinos.* Mox tranſit ad beſtias; & his eſt conſequens, boves, mulos, equos, aſinos non eſſe beſtias, & ſic revera eſt, ſi cum JCtis loquamur, agricolis enim vel optimus Orator id non perſuaſerit. Quid? aſinus non erit beſtia, tantum ſcilicet eſt artis cujusque locutiones proprias noviſſe. Quadrupedis ſignificatio adeo quidem late patet, ut omne animal complectatur, quod quatuor pedibus incedit, etiam feras & pecus lanigerum, quod, ſi tanti eſſet, auctoritatibus poſſem probare cum noſtrorum hominum, tum aliorum, ſi tamen proprie, & ex arte Juris loquamur, quadrupedes erunt, ex definitione Ulpiani, *quæ collo dorſove domantur*, hoc eſt, quæ ſarcinas vehunt, trahunt, atque ita miniſterio colli dorſive ſubiguntur: quales ſunt boves & equi tractorii, muli carrucarii, & tandem aſini, quorum eſt onera dorſo portare. Has quatuor ſpecies ab Ulpiano, exempli forte cauſa, enumeratas, nemo negabit ad opus ruſticum in primis eſſe utiles & neceſſarias; ſi cui placeat & alias addere, ego non repugnem, dummodo ſint νωτοφόροι, ut eleganter quadrupedes appellat Scholiaſtes Baſilicorum ad *L.* LX. *T.* III. *Lit. A. dorſuaria* dixeris.

Hanc propriam quadrupedis ſignificationem ſervatam puto in primo Capite Legis Aquiliæ, quod quadrupedem a pecude diſtinxit. Verba deſcribit Gajus in *l.* 2. *pr. ff. ad L. Aquil. Qui ſervum ſervamve, alienum alienamve,* QUADRUPEDEM VEL PECUDEM, *injuria occiderit &c.* Pecudes, propria ſignificatione, ſunt oves & capræ, quæ lanam ferunt, ita dictæ a πέκ, *vellus*, ut prolixe hæc adnotavit Joſephus Scaliger *Conject. in Varron. de L. L. p.* 39. Unde *pecora* & *oves* convertuntur in §. 4. *Inſt. de Uſu & habitat. Sed ſi pecorum vel ovium uſus legatus ſit*, quamvis ſint Libri, qui ibi exhibeant, *ſed ſi pecorum veluti ovium* &c. Sed tot alia loca ſunt, quæ *pecudem* pro *ove* accipiunt, ut puderet congerere. Cæteroquin non inficior, pecudis vocem eſſe quoque latiſſimæ ſignificationis, & comprehendere omne animal, etiam quadrupedem & feram; ipſos piſces Plautus alicubi *Neptuni pecudes* appellat. Et quod de *pecore* dixit Ulpianus in *l.* 50. §. 4. *ff. de Furt.* fugari nempe, oſtenſo panno rubro, id de tauris, præter alios, Plutarchus prædicat in Libro *de Præcept. Conjug. p. m.* 282. Quinimo & in Jure noſtro, ubi laxior eſt interpretatio, ut in teſtamentis eſſe ſolet, ſub pecudibus etiam boves & cætera jumenta continentur *l.* 65. §. 4. *& l.* 81. §. 2. *ff. de Legat.* III. ubi vero ſtrictior, ut in Ædilitio Edicto, hæc differunt *l.* 38. §. 4. 5. *&* 6. *ff. de Ædil. Edict.* Si ullibi autem, in formulis certe Legum proprietas verborum quam maxime obſervatur, preſſius ibi agitur, ſingulæ voces rumi-

minantur, atque ideo etiam in primo Capite Aquiliæ, diſtincta ſignificatione accipio, *quadrupedem vel pecudem*, ut mox in §. 2. *d. l.* 2. recenſentur utriusque generis animalia, quæ ad primum caput pertinuerint, *oves*, *capræ*, *boves*, *equi*, *muli*, *aſini*. Ita malo, quam disjuncta hic pro conjunctis capere, & *vel* cum Accurſio explicare, *id eſt*, quin ita malo, quam cum Hotomano *L.* VII. *Obſervat. C.* 12. & qui eum præeuntem ſequuntur, pro *quadrupedum vel pecudem* reſtituere *quadrupedemve pecudem*. Non tantum quod ſuffeciſſet vel *quadrupedis*, vel *pecudis* vox, in genere ſumpta, & latius explicata, ſed & quod cum de pecude agitur, inepta videri poſſet *quadrupedis* adjectio, quia omne pecus eſt quadrupes, bipes vel tripes nullum. Aquilius igitur primum quadrupedes, deinde pecudes expreſſit, ut tertium genus, quod ferarum eſt, excluderet a primo Legis capite; ſi ſola voce *pecudis* fuiſſet uſus, ea & elephantos & camelos comprehendere duriuſculum eſſet, & tamen hi pertinent ad primum caput Aquiliæ *d. l.* 2. §. 2. quamvis beſtiæ ſint, ut Ulpianus definivit *Fragment. d. T.* XIX. §. 1. vel potius, ut Gajus in *d. l.* 2. §. 2. mixti inter quadrupedes & beſtias. Scio, Martialem *L.* V. *Epigr.* 37. *pecudis indicæ dentem* pro *ebore* dixiſſe, ſcio & Plinium elephantum vocaſſe *pecudem*, ſed valde καταχρηστικῶς, nec ex arte Juris. Quemadmodum nec proprie locuti ſunt Auctores noſtri, qui, omiſſa quadrupedis appellatione, quæ erat in ipſis verbis Legis Aquiliæ, ſimpliciter *pecudis* meminerunt, vel *quadrupedis*, *quæ pecudum numero ſit*, ut Gajus in *l.* 2. §. 1. Ulpianus in *l.* 27. §. 5. & *l.* 29. §. 6. *ff. ad L. Aquil.* Juſtinianus *pr.* & §. 13. *Inſt. Eod.* ut & paſſim Baſilici. Minus, inquam, proprie; ſed, ut hæc ferenda ſunt, non ideo mox mutanda, quæ his præſtant.

Dixi de ſingulari ſignificatione quadrupedis & pecudis, de beſtiis dicendum ſupereſt. Beſtiæ apud Ulpianum *d.* §. 1. & apud Gajum in *d. l.* 2. §. 2. nihil aliud ſunt, quam feræ, *veluti*, inquit Gajus, *urſi*, *leones*, *pantheræ*. *Aprum* addit Ulpianus in *d. l.* 29. §. 6. & ſimpliciter *feras* vocat, Juſtinianus conjunctim *feras beſtias* in *d.* §. 13. *Inſt. de L. Aquil.* In Lege XII. Tabb. quæ actionem dabat, *ſi quadrupes pauperiem feciſſe diceretur*, ego puto, contra quam alii exiſtimant, etiam feras contineri vocabulo quadrupedis, modo domitæ & in dominio ſint, quod enim dicitur in *l.* 1. §. 10. *ff. Si quadr. pauper. fec. dic.* tunc verum eſt, ut ipſe Ulpianus indicat, ſi urſus amplius non fuerit in dominio; & ad *omnes quadrupedes* pertinere hanc actionem ipſe ille Ulpianus dixit in *d. l.* 1. §. 2. etiam ad canes *l.* 2. §. 1. *Eod.* qui alioquin primo Capite Legis Aquiliæ, appellatione quadrupedum, non continebantur. Quod ad elephantos & camelos, eos, quamvis collo dorſove domentur, beſtiarum tamen numero habet Ulpianus, & a rebus mancipi excipit *d.* §. 1. ea forte ratione, quam *Capite prox.* dicam; quia tamen, ut Gajus exiſtimabat, mixtam naturam habebant, ipſe eos primo Capiti Legis Aquiliæ incluſit. Cauſa rei forte duplex: altera, quod his animalibus, primum feris, deinde ſubactis, Romani tandem didiciſſent uti, unde elephantos & camelos *quaſi mixtos* appellat Gajus *d. l.* 2. §. 2. altera, quod quadrupedes, quæ gregatim paſcuntur, ad Caput primum Aquiliæ pertinuerint. De Elephantis Plinius *L.* VIII. *C.* 5. *Elephanti gregatim ſemper ingrediuntur.* & de Camelis *L.* VIII. *C.* 18. *Camelos inter armenta paſcit Oriens.* hac ratione quadrupedes, non feræ.

Quamvis autem fera, laxiore ſenſu, dici poſſit quadrupes, non tamen omnis quadrupes dici poteſt fera. Id tamen, neſcio quo pacto, videtur velle Scholiaſtes Virgilii, qui Servius dicitur, ad *Æneid. L.* I. *Verſ.* 219. dum ait: FERAS *dicimus*, *aut quod omni corpore feruntur*, *aut quod naturali utuntur libertate*, *& pro deſiderio ſuo feruntur; propter omnes quadrupedes feras dicebant*, *ut: inque feri curvam compagibus alvum*, *contorſit. Et: Armentalis equæ mammis & lacte ferino.* In Editione Petri Daniëlis nullo ſenſu legitur *propter*, ſi placeret, ut mihi placuit, reſcribere *propterea*, rotundior eſſet ſententia, quamvis non verior. Sed emendatiſſima Editio Servii, quam nuper curavit Vir Doctiſſimus Pancratius Maſvicius, ſic habet: *ſane Veteres prope omnes quadrupedes feras vocabant*, & ita porro, quam ſcripturam, ſi non interpolata ſit, ſequor.

CAPUT VII.

Rurſus de Quadrupedibus, aliisque animalibus, quæ mancipi, quæ nec mancipi. Varro variis locis illuſtratus.

Sed ad Ulpianum revertamur. Ait ille *d.* §. 1. *Fragment. T.* XIX. mancipi eſſe *quadrupedes*, *quæ dorſo collove domantur*, *velut boves*, *mulos*, *equos*, *aſinos*, *cæteras res nec mancipi eſſe.* Ut eorum, quæ mancipi erant, ſtatim pleno jure dominium quæreretur, alienanda erant mancipatione, vel in jure ceſſione, nam uſucapionis cauſa hinc aliena eſt, quia tractum temporis deſiderat. Varro *L.* II. *de R. R. C.* 1. exponit, *quemadmodum quamque pecudem emi oporteat Civili Jure*, & ait, *quod alterius fuit*, *id ut fiat meum neceſſe eſt aliquid intercedere: neque in omnibus ſatis eſt ſtipulatio*, *aut ſolutio nummorum*, *ad mutationem dominii.* Quum *pecudem* dicit, omnem intelligit, tam majorem, quam minorem, ut ipſe in præcedentibus explicaverat. In rebus nec mancipi ſufficiebat ſtipulatio, eamque ſecuta traditio & ſolutio, ut hic Varro, & præter eum Ulpianus ſignificat in §. 7. *d. T.* XIX. In rebus mancipi *neceſſe eſt*, ut ait ille, *aliquid intercedere*, ſive mancipatio, ſive in jure ceſſio, ut hæc ex eodem Ulpiano conſtant §. 3. & §. 9. *d. T.* & ex Cajo, Cicerone, Boethio, variis locis, quos ſupra indicavimus. In ſervo, re mancipi, comparando, quam ſollicite emptorem monuerit Varro, *C.* V. exſequuti ſumus. Id ipſum obtinet in equo, aſino, mulo, bove, quia etiam mancipi ſunt. De emptione equorum Varro agit *L.* II. *de R. R. C.* 7. *Emptio*, inquit, *equina ſimilis fere ac boum & aſinorum*, *quod eisdem rebus in emptione dominium mutat.* nec enim eſt, ut ibi legamus *mutatur*, mallem potius *dominum* pro *dominium*, eadem phraſi, qua mox utitur de aſinis, ſed nihil potius eſt ſolicitandum. Non quidem, ut vides, præciſe dicit, equos mancipio dari & accipi, ſed, quod ad mutandum dominium, comparat bobus & aſinis, qui item mancipi ſunt. De aſinis agit *L.* II. *C.* 6. neque vel ibi nominatim mancipationis meminit: *in mercando*, ait, *item ut cæteræ pecudes*, *emptionibus & traditionibus dominum mutant.* quod intelligendum eſt de cæteris pecudibus, quæ ſunt ejusdem ju-

juris. Per *emptiones* autem, ſi recte interpretor, ſignificavit *mancipationes*, diſtinctas a *traditionibus*, quæ mox ſequuntur; alioquin non animadverto, quid rei ſit *mercatus per emptionem*, nullus enim eſt mercatus ſine emptione venditione. Quia vero mancipatio ſpeciem habet emptionis, quin & definiatur *imaginaria quædam venditio*, forte inde *emptionibus* dixit pro *mancipationibus*. De mulis ſimpliciter ait *L.* II. *C.* 8. *quos emimus item ut equos, ſtipulamurque in emendo, ac facimus in accipiendo idem, quod dictum eſt in equis.* refert igitur ſolemnia emptionis ad animal, quod mancipi eſt. De bobus agit *L.* II. *C.* 5. ſed ubi ad emptionem pervenit, nihil quicquam monet de mancipatione. Neque etiam palam & diſerte de ea monet in reliquis ſpeciebus, at ubique tamen aliquid, ut dixi, ſubindicat, excepto hoc loco de bubus, qui perquam breviſſimus eſt. Quod ſi vero in omnibus de mancipatione plane tacuiſſet, non tamen propterea illæ quadrupedes ex albo rerum mancipi eſſent eradendæ. Varro, his Libris, plus egit agricolam, quam JCtum, & potuit quoque earum dominium tranſire ceſſione in jure, nam illa communis eſt tam rerum mancipi, quam nec mancipi, ut auctor eſt Ulpianus *Fragment. T.* XIX. §. 9. Et quid ſi dicamus, Varronem mancipationis ſolemnia non continuo repetiiſſe in ſingulis ſpeciebus rerum mancipi, ſatisque habuiſſe, ſi ſemel & integre illud docuiſſet in ſervo, earum rerum præcipuo? non intercedo. Ad hæc probabile eſt, plurimos Romæ in emptionibus venditionibus, ut labori parcerent, qui actui ſolemni adhibendus erat, neglexiſſe omnem ſolemnitatem mancipationis, non tantum quod ad hæcce animalia ſed & quod ad res majoris longe momenti. Sunt ſane, qui eo referunt, quod Cicero dixit *Orat. de Haruſp. Reſponſ. C.* 14. multas Romæ, & pæne cunctas domos, non optimo jure poſſideri; ſed quia ille locus ſic ſatis eſt obſcurus, de eo amplius deliberandum duxi.

Sic habemus quadrupedes. De pecudibus, proprie ita dictis, quid dicemus? de capris nempe & ovibus? erunt illæ res mancipi, nec ne? ſubſiſto. Ut dicamus eſſe, plurima jubent, plurima vetant. Si, ut ſuſpicati ſumus, pretioſiſſima fere in veteri Romanorum patrimonio, & maxime ruſtico, fuerint mancipi, ſi ruſticum patrimonium prædiis & pecore conſtiterit, ſi res pecuaria, & quidem *primigenia*, ut Varro ait *L.* II. *de R. R. C.* 2. complexa fuerit arietes, oves, agnos, capras, hircos, quidni hæc putabimus eſſe mancipi? minores pecudes noli cauſari, neque enim agimus de pretio unius forte ovis, ſed de pretio totius gregis, qui longe præſtat multis aſinis. Et ex pecore lanigero, quam ex alio, quæſtum eſſe uberiorem uno ore Rei ruſticæ Auctores tradiderunt, utque igitur & in ejus multitudine potiſſimæ divitiæ, nec niſi pauperis fuerit numerare pecus. Varro *d. L.* II. *de R. R. C.* 2. commendat ſcientiam pecoris parandi & paſcendi, *ut fructus quam poſſint maximi capiantur ex ea, quibus*, inquit, *ipſa* PECUNIA *nominata eſt: nam omnis pecuniæ, pecus fundamentum eſt.* Feſtus quoque in V. *abgregare*, cum de *grege* agit, qui proprie pecudum eſt, & de aliis, inde compoſitis, mox addit: *quorum verborum frequens uſus non mirum ſi ex pecoribus pendet, cum apud antiquos opes & patrimonia ex his præcipue conſtiterint. Ut adhuc etiam* PECUNIAS & PECULIA *dicimus.* alias auctoritates, quæ plures ſunt, non advoco. Vis præterea teſtem, qui ovem eſſe rem mancipi totidem verbis dixit? ecce Iſidorum *L.* IX. *Orig. C.* 4. *Mancipium eſt*, inquit, *quicquid manu capi ſubdique poteſt. ut homo, equus, ovis: hæc enim animalia, ſtatim ut nata ſunt, mancipi eſſe putantur. Nam & ea, quæ in beſtiarum numero ſunt, tunc videntur mancipium eſſe, quando capi ſive domari cœperunt.* Attamen vel ſic non auſim pecudes inter res mancipi numerare, & ne auſim, obſtat aperte Ulpiani auctoritas, qui cæteras res, quas non enumeraverat, nec mancipi eſſe dixit, nec enumeraverat niſi quadrupedes, quæ dorſo collove domantur. Ovium aliarumque pecudum oblitus eſſe non potuit; neque de his recte dicimus, ut de margaritis ſupra dicebamus, & de elephantis & camelis mox dicemus, ſero demum uſu invaluiſſe, nam a paſtoribus initium rei Romanæ, & eorum quam maxime fuit oves paſcere. Etiam Varro, de ovibus agens *L.* II. *de R. R. C.* 2. ad mutandum dominium, præter ſtipulationem, nihil deſiderat, quam ut æs adnumeretur, vel, quod addo, & perinde eſt, ut fides habeatur de pretio. Diceres, eo ſignificari, ovem eſſe animal nec mancipi, quamvis, ſi aliunde conſtaret, mancipi eſſe, conjicere liceret, de mancipatione Varronem tacuiſſe, eadem ratione, qua tacuit in emptione aliorum animalium, quæ mancipi quoque ſunt, & de quibus ſupra diximus. Plus urget Ulpianus, & apud me in his, quæ Juris conſtituti ſunt, plus valet auctoritas, quam ratio, quæ & ipſa aliquando nos fugit. Iſidorus tanti non eſt, ut ejus teſtimonio ſtetur, adhuc ſemel fallit in eo loco, quem exhibui, ut mox audies. Ne tamen contradicat, pro *ovis*, ut nunc legitur, forte legendum eſt, *bovis*, *boveis*, vel *boves*.

De beſtiis ſive feris expeditum eſt dicere, non eſſe res mancipi, quia vix dominio haberi poſſunt, &, ſi poſſint, vix operi faciundo ſunt aptæ. Si domentur, eſſe mancipi, modo dicebat Iſidorus, ſed eum non audio contra Ulpianum, qui elephantos & camelos a rebus mancipi excipit, *quamvis collo dorſove domentur*. Juvat ſcire, quam ob rem? nam utique operas, hominibus utiles, præſtant, & non tam feræ, ut diximus, quam mixtæ naturæ ſunt. Sed inde eſſe opinor, quod primi hujus Juris conditores hæc animalia nec viderant, nec uſu frequentaverant; elephanti certe primum viſi bello Pyrrhi, ut Varro auctor eſt de *L. L. Libr.* VI. *p. m.* 72. & Plinius *L.* VIII. *C.* 6. eosque, ut uterque ſcribit, tunc appellabant *boves Lucas*, ab eo, ut Varro ſolus, quod Romani maximam quadrupedem, quam ipſi haberent, vocarent *bovem*; & inde mox apud Varronem, *quadrupedes cornutæ*. Etiam Cameli non niſi poſterioribus temporibus ex Oriente advecti ſunt, nam de ſolo Oriente dixit Plinius *L.* VIII. *C.* 28. *jumentorum* IN IIS TERRIS *dorſo funguntur, atque etiam equitantur in præliis.* Poſtea etiam apud Romanos adhibebantur operi, & jumentorum operam præſtabant cum elephanti, tum cameli *l.* 2. §. 2. *ff. ad L. Aquil.* Sed quia eorum natura cenſebatur fera, certe mixta, permanſerunt, ut ante, res nec mancipi, nam, ut mancipi fierent, lege nova fuiſſet opus. Georgius Hieronymus Velſchius *de Vena Medinenſi C.* VII. *p. m.* 174. & 175. multa injuria inceſſit Ulpianum hic, & Gajum, ſive, ut ait, Tribonianum Juſtinianumque in *d. l.* 2. §. 2. quod nempe de elephantis & camelis dixerint &

& ſcripſerint, quæ minus vera ſunt. Sed ipſe, Medicus, hæc orgia non intellexit, & Medicos a Sacris noſtris abſtinere jubeo. Nos, his miſſis, pergamus, tædet enim diutius circa beſtias morari.

CAPUT VIII.

De Rebus incorporalibus.

Inter res incorporales primum locum obtinet familia ſive hæreditas §. 2. *Inſt. de Reb. corpor. & incorpor.* Hanc autem cenſendam eſſe mancipi, ut ut Ulpianus eam transmiſerit, ex eo liquide conſtat, quod manciparetur per æs & libram §. 1. *Inſt. de Teſtam. ordin.* cujus ſolemnitatis teſtamentariæ etiam Gellius meminit *L.* XV. *Noct. Attic. C.* 26. ipſe Ulpianus *Fragm. T.* XX. §. 8. & quam optime & accurate expoſuit Theophilus in *Paraph.* ad *d.* §. 1. Manu quidem familia apprehendi non poterat, ut nec ulla res incorporalis, ſed earum rerum mancipationem, exemplo immobilium, ſymbolo fuiſſe repræſentatam, ſatis eſt pro abſle.

Deinde & incorporalium nobilem partem conſtituunt jura prædiorum, tam ruſticorum, quam urbanorum §. 3. *Inſt. de Reb. corpor. & incorpor.* Quatenus ea mancipi ſint, aut contra, videndum eſt. Et ait Ulpianus *d.* §. 1. *Fragment. T.* XIX. mancipi eſſe *jura prædiorum* RUSTICORUM, *velut via, iter, actus, & aquaductus.* Igitur ἀστικά, *urbanorum*, nec mancipi ſunt, & hoc ipſum eſt, quod mox addit Ulpianus, *cæteræ res nec mancipi ſunt.* Non abiit ab hac definitione Cicero *L.* I. *d. Orat. C.* 178. & 179. quamvis enim ſervitutis urbanæ meminerit, & quod de ea *in mancipio* expreſſum ſit, ſatis tamen apparet, eum verba facere de mancipio ipſarum ædium, & quæ conditio ac lex fuerit mancipati ædificii, & quidem Italici, quod ipſum eſt mancipi. Ædes traditæ erant mancipio, & venditor, de quo agit *d. C.* 178. exceperat in lege & conditione mancipi, *nullam earum partem ſervire*, quemadmodum alius venditor, de quo agit *d. C.* 179. *lumina, uti tunc erant, ita recepit.* Quælibet pacta emptioni venditioni poſſunt adjici, non tantum de ſervitutibus præſtandis, quæ exempla ſunt apud Ciceronem, ſed & de ſupellectile, de rutis cæſis, aliiſque tantum non innumeris. Fac igitur conveniſſe, ut ſupellex, ut ruta cæſa ædes venditas ſequantur, & hanc conventionem tabulis mancipationis inſertam eſſe, non ideo ſupellex & ruta cæſa, quæ nec mancipi ſunt, continuo erunt res mancipi. Atque ita ſi de ſervitutibus urbanis cautum ſit, & ædes mancipio accipiantur, nemo inde recte effecerit, ipſas ſervitutes urbanas eſſe res mancipi, eoque jure fuiſſe habitas & poſſeſſas. Amolitus ſum præjudicium ex Cicerone, quod imprudentes turbare poſſet.

Sed quæ ratio erit, quod ruſticæ ſervitutes fuerint mancipi, urbanæ non item? difficile dictu eſt. Si jura prædiorum ſint quædam qualitates, quæ prædiis inhærent *l.* 86. *ff. de V. S.* æque id verum erit de urbanis, quam de ruſticis. Præter Cl. Schultingium, *Not.* ad *d.* §. 1. qui rationem differentiæ ullam dixerit, vidi neminem; is rationem inde derivat, quamquam non ſatis certus animi, quod ruſticæ ſervitutes fuerint ſoli, urbanæ vero ſuperficiei, quod docere fecit locutionem Pauli in *l.* 3. *ff. de Serv.* cum ait: *ſervitutes prædiorum aliæ in ſolo, aliæ in ſuperficie conſiſtunt.* Ego quidem agnoſco hanc phraſin JCtorum, ſed nunquid Paulus in *d. l.* 3. ea ratione urbanas ſervitutes a ruſticis diſtinxerit, non auſim affirmare. Accurſius ita etiam intellexit *d. l.* 3. at Cujacio propterea ſuſpectus & notatus *Comment.* ad *L.* XXI. *Pauli ad Edict.* in *d. l.* 3. Si quid tamen ea ratio in rem præſentem valeret, hujus rurſus rationem deſidero. Dicamus potius; quia prædia ruſtica, ſive fundi Italici & Italicenſes, per ſe ſunt res mancipi, ideo ſervitutes ruſticas, quæ illis prædiis debentur, jure acceſſionis, fuiſſe etiam mancipi. Prædia vero urbana, ſive ædes, ſive alia quælibet ædificia, per ſe non ſunt mancipi, ſed jure acceſſionis, jure fundi, ut ſupra probavimus *C.* III. utque adeo jus, quod ipſa per ſe non habent, neque ſuis ſervitutibus tribuant, quia acceſſionis, eodem ſemper jure, acceſſio non eſt. Satis eſſe videbatur, ſi prædia urbana a fundo, cui impoſita ſunt, mutuarentur jus mancipii, ſed ut id rurſus cum ſervitutibus ſuis communicarent, placere non potuit. Aut hæc eſt ratio diſtinctionis, aut quæ ſit, fateor me neſcire.

CAPUT IX.

De Prædiis Provincialibus.

Quum nihil minus Provincialibus ferendum videri poſſet, quam extraneo Principique populo tributa præſtare & onera cenſuum, ſingulari prudentia hanc duritiem ita temperarunt Reipublicæ Romanæ Auctores, ut occupatæ Provinciæ agri fundique dominio cederent Populi Romani, & rurſus, ſub conditione annuæ præſtationis, Provincialibus, quin & ipſis ſæpe Romanis, concederentur: ita ut quidem libera utendi fruendi, imo & vendendi eſſet poteſtas penes eos, quibus conceſſi erant, ſupremum tamen & directum dominium penes Populum Romanum. Vocabantur illa prædia *ſtipendiaria* & *tributaria*, ab *Italicis* olim diſtincta, ut eſt in §. 40. *Inſt. de Rer. diviſ.* ad quem §. ea, quæ dixi, nemo melius expoſuit, quam Theophilus; nam poſtquam ſtipendiaria prædia ea eſſe dixiſſet, quæ poſt diviſionem Provinciarum, ab Auguſto factam, ceſſiſſent Populo, tributaria vero, quæ ceſſiſſent Principi Romano, ſic porro infit: οἱ τὰ στιπενδιάρια καὶ τριβουτάρια ἔχοντες πάλαι, κατὰ συγχώρησιν δήμου ἢ βασιλέως, οὐκ ἦσαν δεσπόται· ἡ γὰρ δεσποτεία αὐτῶν ἦν ἢ παρὰ τῷ δήμῳ, ἢ παρὰ τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' εἶχον τὴν ἐπ' αὐτοῖς χρῆσιν καὶ ἐπικαρπίαν καὶ πληρεστάτην κατοχήν, ὥστε δύνασθαι καὶ ἐφ' ἑτέρους μεταφέρειν, καὶ κληρονόμοις παραπέμπειν. τῶν γὰρ Ἰταλικῶν ἀγρῶν ἤτοι οἰκιῶν οἱ δεσπόται τὴν δεσποτείαν εἶχον. quæ ſic verto, paulo aliter, quam alii: *Qui olim, ex conceſſione Populi vel Principis, ſtipendiaria vel tributaria* (prædia) *habebant, domini non erant: nam dominium illorum erat aut apud Populum, aut apud Principem, ſed uſum & fructum eorum habebant, &*

& pleniſſimam poſſeſſionem, ita ut & transferre poſſent in alios, & ad hæredes transmittere. Italicorum autem fundorum domuumque domini dominium habebant. Qui igitur habebant prædia ſtipendiaria & tributaria, ſtipendia & tributa ſolvebant, tanquam mercedem agri non ſui, & tamen ſui, ſed alia atque alia ratione. Non habebant ipſam proprietatem, ſeu potius Jus Quiritarium & jus mancipii, quod erat fundorum Italicorum & Italicentium, at bonitarium duntaxat, & minus plenum. Unde Gloſſæ Nomicæ, Salmaſio laudatæ *Diatr. de Mutuo p.* 96. Βονιτάριος, φυσικὸς δεσπότης. Qui quid habet in bonis, non id continuo habet ex Jure Quiritium, id eſt, ex civili optimoque dominio, ſed ſæpe ex naturali tantum, minusque integro & perfecto. Reſpectu ſervi eam diſtinctionem inculcat Ulpianus *Fragm. T.* I §. 16. *Qui*, inquit, *tantum in bonis, non etiam ex Jure Quiritium, ſervum habet, manumittendo Latinum facit. In bonis tantum alicujus ſervus eſt, velut hoc modo; ſi civis Romanus a cive Romano ſervum emerit, isque traditus ei ſit, neque tamen mancipatus ei, neque in jure ceſſus, neque ab ipſo anno poſſeſſus ſit: nam quamdiu horum quid fiat, is ſervus in bonis quidem emptoris eſt, ex Jure Quiritium autem venditoris eſt.* Et luculenter hæc proſequitur Theophilus ad §. *ult. Inſt. de Libertin.* diſtinguens δεσποτείαν φυσικὴν & δεσποτείαν ἔννομον, *dominium naturale* & *legitimum*, addensque, illud dici *in bonis*, ejusque dominum βονιτάριον, hoc vero, ejusque dominium dici *ex Jure Quiritium*, nec, niſi qui utrumque dominium habeat, pleno jure dominum vocari poſſe.

Ut autem, ex Jurisprudentia veteri, duplex erat dominium, alterum verum & proprium, quod, ut dixi, vocatur *Quiritarium*, & *civile*, quodque Cicero intelligit, de jure acturus cum JCto, in *Topic. ad Trebat. C.* 28. alterum minus proprium minusque plenum, quod *bonitarium* & *naturale* audit, ita quoque duplex fuit alienatio, hoc eſt, translatio dominii, vere Romani, & dominii, ut ita dicam, Provincialis. Quia vero *alienatio eſt omnis actus, per quem dominium transfertur*, ut eſt definitum in *l.* I. *C. de Fund. dotal.* & utrumque dominium, ſuo quodque modo, tranſit, conſequens eſt, alienationem quoque fieri diverſimode. Translatis fundis Italicis, aliisque rebus, quæ mancipi ſunt, ſed translatis per ſolemnem & formulariam traditionem, ſive ea mancipatio, ſive in jure ceſſio fuerit, fit alienatio, id eſt, ceſſio dominii directi, veri, Quiritarii, pleniſſimi. Translatis rebus Provincialibus, aliisque nec mancipi, ſed nuda traditione, ſine ſolemni illa & formularia, quæ in his nec obtinet, nec certe quicquam efficeret, fit etiam alienatio, id eſt, ceſſio dominii naturalis, Bonitarii, minus pleni. Unde, cum Cicero dixit *d. C.* 28. *Topic. abalienationem eſſe ejus rei, quæ mancipi eſt*, apparet, eum loqui de abalienatione dominii Quiritarii; nam alioquin & res nec mancipi alienantur, & eorum dominium quæritur ſola traditione, ut Ulpianus ait *d. T.* XIX. *Fragm.* §. 7. ſed, ut ex præcedentibus jam intelliges, dominium Bonitarium. Quod ipſum tantum tranſit in ſervis, aliisque rebus mancipi, ſed non rite & ſolemniter traditis, ut explicat idem Ulpianus *d. T.* I. *Fragm.* §. 16. Satis, ni fallor, nunc intelligimus, quid ſibi velit Theophilus, cum ait, dominos non eſſe, qui prædia Provincialia poſſident, eorum dominium eſſe penes Rempublicam, uti tamen iis & frui poſſe poſſeſſores, ſalvo etiam jure alienandi & transmittendi ad hæredes; Italica vero prædia potioris eſſe juris, pertinere hæc ad dominos ex optimo jure Quiritium, & eodem jure in alios transferri.

Quidquid vero earum rerum fuerit diſcriminis, quicquid diverſæ appellationis & diverſi juris, Juſtinianus ſuſtulit in *l. un. C. de Nudo jure Quiritium tollendo*, & in *l. un. C. de Uſucapione transformanda, & de ſublata differentia rerum mancipi, & nec mancipi.* Cumque ex eo tempore omnia bona cenſeantur pari jure, ſatis liquet, quo ſenſu Juſtinianus ſcripſerit in *d.* §. 40. *Inſt. de Rer. divis.* poſt ſuam Conſtitutionem, quæ eſt in *d. l. un. C. de Uſucap. transform.* omnium perinde rerum, ſive Italicarum, ſive Provincialium, dominium acquiri *traditione*, hoc eſt, ſola traditione, abrogatis mancipandi & in jure cedendi formulis, & cauſa dominii acquirendi redacta ad ſimplicitatem juris Gentium. Liquet etiam, quo ſenſu ipſe ibidem ſcripſerit, *itaque ſtipendiaria quoque & tributaria prædia* EODEM MODO *alienantur*, hæc enim non pertinent ad traditionem, ut vulgo perperam explicari video, quia & olim in his ſola traditio ſufficiebat, ſed ad *alienationem*, eamque pleniſſimam, quæ nunc ex Jure novo obtinet, non ſecus atque olim ex jure optimo Quiritium. Proxime ſcilicet præceſſerat in eo §. rem corporalem, cujuscunque generis ſit, tradi poſſe, *& a domino traditam* ALIENARI, hoc eſt, *pleniſſimum*, qui accepit, *legitimumque ejus dominum fieri*, quemadmodum id extulit Juſtinianus in *d. l. unic. C. de Nud. Jur. Quir. toll.* ita alienantur res corporales, & *eodem modo* alienari dicit prædia ſtipendiaria & tributaria.

Ex iis, quæ *hoc Capite* diſputavi, facile poterit diſcuti negotium, quod Claudius Salmaſius JCtis faceſſit in lite, quam movit, an in mutuo ſit alienatio? Mutuum conſiſtit in rebus, quæ pondere, numero, & menſura conſtant, hæ autem ſunt res mobiles, atque adeo res nec mancipi, ex doctrina Ulpiani, quam propoſuimus C. IV. Non alienantur igitur, ut res mancipi, nec eo ſenſu, quo Cicero dixit, *abalienationem eſſe ejus rei, quæ mancipi eſt*, & hoc fere unum, certe præcipuum eſt, quod Salmaſius binis Libellis, *de Mutuo* ſcriptis, evicit, ſed tamen alienantur, ut res nec mancipi, & hæc ipſa alienatio etiam alienatio eſt, id eſt, actus, per quem, ſuo modo, dominium transfertur *d. l.* I. *C. de Fund. dot.* fruſtra enim Salmaſius non uno loco *d. l.* I. interpolatam eſſe fingit, neque alia ratione, quam quod alienationem & dominii translationem dixerit eandem rem eſſe, ſed ita non dicit aliud, quam quod liquido demonſtrat Africani diſputatio in *l.* 41. *ff. de Reb. cred.* in qua non totum eſſe alienatum, oſtenſurus, utitur argumento, quo probet, dominium non eſſe translatum. Eadem utriusque verbi reciprocatio eſt in *l. un. C. Non licer. habitat. Metrocom. loc. ſua ad extran. transf.* Ab hac digresſione abſtinuiſſem, ſi Salmaſium, noſtra arte abutentem, artis noſtræ Periti hac, non alia ratione, refutaſſent.

CAPUT X.

Quo loco fuerint res mancipi, non rite, nec a quibus oportet, mancipio datæ vel acceptæ. *Explicatæ* L. 3. & L. 9. ff. de Diverſ. tempor. præſcript.

Quia mancipatio non intelligitur, *niſi, ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo Jure Civili potuit*, verba ſunt Varronis *L.* II. *de R. R. C.* 10. recte atque ordine fecerunt, qui mancipationis ſolemnia, quique item perſonas, inter quas jus mancipii eſt, cum cura expoſuerunt. Quod ad ſolemnia attinet, ab aliis fere prætermiſſum eſt, quemadmodum accipi oporteat, quod Ulpianus dixit *Fragm. T.* XIX. §.6. in hæc verba: *res mobiles non niſi præſentes mancipari poſſunt, & non plures, quam quæ manu capi poſſunt: immobiles autem, etiam plures ſimul, & quæ diverſis locis ſunt, mancipari poſſunt.* Quod de rebus mobilibus dixit, de illis intelligo, quæ manu capi, id eſt, apprehendi poterant, nec intercedo, quominus ſervi etiam ad Prætorem fuerint deducti, propter formulam, *hunc ego hominem* &c. non quod libripens hominem libræ impoſuerit, ſed quod forte digito tetigerit. Valde tamen dubito, an boves, muli, equi, aſini in rem præſentem venerint, plus enim hæc animalia Prætorem offendiſſent, quam olim C. Afrania in *l.* 1. §. 5. *ff. de Poſtul.* & ita hæc interpretari oportet, ne res ad deridiculum vergat. Forte, antequam ad Prætorem iretur, potuit digito monſtrarier, *hic eſt*, forte & ſymbolum ſucceſſit loco rei. Res ſane immobiles, quæ, ut Ulpianus ait, plures ſimul, etiamſi diverſis locis eſſent, mancipari poterant, ſymbolo fuiſſe repræſentatas, & quidem gleba, ex agris deſumpta, inde puto verum, quod in ſimili argumento, in lite nempe vindiciarum, ubi quoque in rem præſentem eundum erat, hoc εὑρηματικῶν narraverit Gellius *L.* XX. *N. Att. C.* 9. plane ut in Scotatione Dacica, de qua eſt *C.* 2. X. *de Conſuet.*

Sin autem res mancipi vel omnino non fuiſſet mancipata, neve ea in jure ceſſum, ſive non ut oportebat, omiſſa forte ſolemnitate neceſſaria, dominium ejus Quiritarium non tranſibat, at bonitarium duntaxat cum cauſa uſucapiendi, poſt uſucapionem etiam Quiritarium. Unde, cum uſucapio rerum mobilium olim fuerit anni, immobilium biennii, de ſervo, re mobili, Ulpianus dixit *Fragm. T.* I. §. 16. eum ex jure Quiritium emptoris non eſſe, *quamdiu neque ei mancipatus, neque in jure ceſſus, neque ab ipſo anno poſſeſſus ſit.* Quæ igitur hæc eſt Jurisprudentia, quæ ex Modeſtino refertur in *l.* 3. *ff. de Diverſ. tempor. præſcript.*? *Longæ*, inquit, *poſſeſſionis præſcriptionem tam in prædiis, quam in mancipiis, locum habere manifeſtum eſt.* Prædia utique & mancipia ſunt duæ præcipuæ ſpecies rerum mancipi, nam de prædiis Italicis hoc accipiendum eſſe nemo ambigat; quod cum ſit, nihil minus manifeſtum videri poterat, quam in his, quæ anno vel biennio uſucapiebantur, obtinere præſcriptionem longi temporis idque ævo Modeſtini, ſive jure Pandectarum. Cujacius *Comment.* ad *Libr.* VI. *differentiarum Modeſtini*, ex quo eſt *d. l.* 3. eam ſine explicatione transmiſit, nec quemquam vidi, qui qualem qualem lucem affuderit. Ego autem veriſſimum puto, etiam olim longæ poſſeſſionis præſcriptionem valuiſſe in his rebus, quæ ob defectum juris uſucapi non poterant, tam immobilibus, quam mobilibus. Si uſucapio procederet, fruſtra laborabatur de præſcriptione, ut eſt in *l.* 2. *C. In quib. cauſ. ceſſ. long. temp. præſc.* & quamvis præſcriptiones ex Conſtitutionibus Principum fuerint profectæ, quum tamen de jure Pandectarum ſermo eſt, eos Principes intelligimus, qui JCtis priores vel æquales ſunt, unde & Paulus ejusmodi *conſtitutionum* meminit in *l.* 76. §. 1. *ff. de Contr. empt. & vend.* & aperte Marcianus in *l.* 9. *ff. de Diverſ. tempor. præſcript.* *Reſcriptis quibusdam Divi Magni Antonini cavetur, ut in rebus mobilibus locus ſit præſcriptioni diutinæ poſſeſſionis.* Varia poterant incidere, quæ uſucapionem prohibebant, etiam in rebus Italicis, in quibus tamen valebat præſcriptio longæ poſſeſſionis. Aliquot ejusmodi exempla diligenter & erudite congeſſit Janus a Coſta *ad pr. & §.* 7. *Inſt. de Uſucap.* & haud dubie etiam plura ſunt; fac enim dedititium mancipio accepiſſe, hunc, quia Juris Civilis particeps non eſt, poſſeſſio anni vel biennii non tuebitur, ſed ſola præſcriptio. Atque ita & in aliis, qui Juris Civilis communionem non habent.

Si vitium ſit in perſona, ut in exemplo, quod modo proponebam, & in alio apud Janum a Coſta ad *d. pr.* ne quidem diſtinxerim inter mobilia & immobilia, nec ulla tunc diſtinctionis ratio, quia utriusque rei vitium purgandum eſt ſola longi temporis præſcriptione. Plerumque quidem vitium rebus ineſt, ut exempla cum plura apud Janum a Coſta probant, & inde forte dixit §. 7. *Inſt. de Uſucap. eorum, qui res ſoli poſſederint, Principalibus Conſtitutionibus proſpicitur, ne cui longa & indubitata poſſeſſio auferri debeat.* Sed ſi vitium perſonas ipſas afficiat, res mobilis, immobilis, æquo jure habenda eſt, & origo ejus rei forte eſt ab Antonino, cujus Reſcripta laudantur in *d. l.* 9. quibus cavet, ut & in rebus mobilibus locus ſit præſcriptioni diutinæ poſſeſſionis. Scio, Libros Vulgatos, & MS. meum, ſine Gloſſis, in *d. l.* 9. pro *rebus mobilibus* exhibere *rebus ſoli*, & ſcio id paſſim laudari, etiam a Cujacio *Parat. C. in quib. cauſ. ceſſ. long. temp. præſcript.* poſthabita Codicis Florentini & Baſilicorum auctoritate, ſed ut in Marcianum tam graviter decernerem, nondum a me impetrare potui, maxime quum & Modeſtinus in *d. l.* 3. longæ poſſeſſionis præſcriptionem ad *mancipia*, transferat, & mancipium utique ſit res mobilis vel ſe movens. Ait quidem Cujacius *d. loc.* & Janus a Coſta ad *d.* §. 7. *Inſt. de Uſucap.* intelligi ibi *mancipia ruſtica*, quæ pro parte ruris habentur, prædio cohærent, & immobilium jure cenſentur, ſed unde id ſciri poſſit, ſatis non animadverto; forte quod *prædia* præceſſerint, ſed ruſtica, an urbana, quis dixerit? &, ſi ruſtica, quis tuto mox iis adſcripſerit mancipia, quæ neceſſario ſequuntur jure fundi? Quia autem placuit, de ſolis immobilibus Modeſtinum intelligere, neſcio, cur non placuerit, in *d. l.* 9. pro *rebus mobilibus* reſcribere *rebus mancipi*, vitio nato ex notis *R. M.* nam his ludibriis ſæpe delectantur, etiam docti homines; & ſic liceret intelligere res mancipi, quæ immobiles ſunt, & quas ſignificari putant in *d. l.* 3. Neſcio, cur non etiam ſint, qui Tribonianum interpolantem accuſent in *d. l.* 9. atque ſi, ſublata nunc re-

rum

rum mancipi & nec mancipi differentia, eraſerit *mancipi* vocem, ut eraſit ex omnibus Fragmentis JCtorum, quæ in Pandectis ſuperſunt, ſubſtituta voce *mobilibus*. Alterutrum forte præſtaret, quam *res mobiles* mutare in *res ſoli*, & contra tantas auctoritates inſurgere. Sed nihil horum neceſſe eſt; explicavi *l.* 3. & *l.* 9. defendi a vi majori.

TANTUM EST.

INSCRIPTIONES CAPITUM.

CAPUT I.

De Mancipatione. Pag. 332

CAPUT II.

Quæ res ſint mancipi, quæ non item, & quæ ratio eas diſtinxerit. 333

CAPUT III.

De rebus immobilibus. ibid.

CAPUT IV.

De Rebus mobilibus. 334

CAPUT V.

De ſe moventibus, & primum de ſervis. ibid.

CAPUT VI.

De Quadrupedum, aliorumque animalium appellatione, defenſa ſcriptura L. 2. pr. ff. ad L. Aquil. 335

CAPUT VII.

Rurſus de Quadrupedibus, aliiſque animalibus, qua mancipi, qua nec mancipi. Varro variis locis illuſtratus. 336

CAPUT VIII.

De rebus incorporalibus. 338

CAPUT IX.

De Prædiis Provincialibus. ibid.

CAPUT X.

Quo loco fuerint res mancipi, non rite, nec a quibus oportet, mancipio datæ vel acceptæ. Explicatæ L. 3. & L. 9. ff. de Diverſ. tempor. præſcript. 340



CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

OPUSCULUM

DE

JURE OCCIDENDI, VENDENDI,

ET

EXPONENDI LIBEROS

APUD

VETERES ROMANOS.

AD LECTOREM.

Liberos olim apud Romanos licuiſſe Patribus, jure patriæ poteſtatis, occidere, vendere, exponere, ſatis inter Eruditos convenit, ſed non æque, quando illa poteſtas initium, quando finem acceperit. Poſt XII. Tabulas demum cœpiſſe, quicquid ejus juris eſt, inde video probari, quod Romulus, Dionyſio auctore, Civitati augendæ ſtudens, Lege lata caverit, tollerent coloni omnem prolem maſculam, & ex fœmellis primogenitam, permiſſa duntaxat, ex conſilio vicinorum, partus monſtroſi expoſitione, quod ipſum Jus deinde abiiſſe volunt in XII. Tabulas. Ego vero illam omnigenam poteſtatem cum ipſa Roma natam exiſtimo, & a patribus promiſcue exercitam, donec frænos injecerit Romulus, & infinitæ licentiæ modum poſuerit, ea, quam diximus, Lege lata. Sed quia difficile erat ferocem Populum a moribus, quibus adſueverat, revocare, his moribus Romulus morem gerere, ut videtur, coactus, aliam deinde Legem tulit, ipſi quoque Dionyſio poſtea memoratam, qua patribus jus dedit, pro animi ſui ſententia, decernendi in liberos, cujuscunque ætatis vel dignitatis, etiam usque ad necem. Atque hæc, non prior illa Romuli Lex eſt, quæ, ut ſuo loco dicam, in XII. Tabulas, tranſlata fuit.

Hæc eſt origo Juris, quod per aliquot ſæcula perduravit, ſed quo Romani parcius parciusque uſi ſunt, quo magis, ſubacta temporis antiqui ferocia, humanitati ſe & manſuetudini dederunt. Ecquo autem tempore ille rigor penitus ceſſaverit, & pœnam meruerit patrum, in liberos ſævientium, maleſana libido, prolixe & olim, & nuper etiam diſputatum eſt; ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Hic ad Diocletiani, ille ad Conſtantini, alius ad Valentiniani usque Principatum illam poteſtatem cenſet ſtetiſſe integram illibatamque; licuiſſe igitur jure Pandectarum, ſi non liberos adultos, infantes certe, & partus recentes projicere, mergere, occidere, exponere. Sed horum omnium ſententia ego non utor, nam excuſſis Legibus & Annalibus Romanorum, ita mihi ſedet, temporibus Trajani, Adriani, Antoninorum, rigidum illum patriæ poteſtatis effectum plane pleneque obſoleviſſe, &, ſi non pœna certa, extra ordinem utique punitos fuiſſe patres, tantum ſcelus auſos. Quare amolior a veteribus JCtis, quibus nihil humanius, nihil benignius ſol ille aſpexit unquam, fœdiſſimam, quam alii inurunt, maculam, atque ſi nempe ea facinora damnaſſent quidem, utpote contraria boni Viri officiis, at non contraria Legibus. Quod apud ipſos de his rebus lego, ad Jurisprudentiam referendum exiſtimo, non ad Doctrinam de moribus & virtutibus. Suum cuique judicium, meum mihi ſalvum eſſe volo, ſine offenſa alterius cujusquam.

Dum id ago hoc Opuſculo, originem ſimul, & progreſſum, & finem ejus juris oſtendo, nec de nece tantum & expoſitione, ſed & de venditione liberorum, quid Legibus, quid moribus placuerit, exſequor, poſtulabat id ſimilitudo argumenti. Sunt, qui de nece ſeparatim aliquid dixerunt, ſunt, qui de expoſitione, ſunt, qui de utraque ſimul, de venditione etiam hic illic nonnihil offendas, ſed de omnibus his minus integre dictum puto, ſæpe etiam minus vere. Quod alii per partes egerunt, hic ego conjunctim complexus ſum, rationem temporis ſequutus, ut oportet in re Hiſtorica. Cavi, ut ſemper ſoleo, ne aliena hic tranſcriberem, contentus indicaſſe, ſi quid alibi occurrat, quod ſcire Lectoris intereſt, ſed tamen ſimul cavi, ne quid integritati Operis deeſſet. Aliarum Gentium Leges, ab aliis vel recitatas, vel omiſſas, quam parciſſime huc advocavi, quamvis enim ſint, quæ idem, quod Romanæ, vel etiam truculentius quid circa liberos permiſerint, de Romanis tamen me agere Titulus pollicetur, hujusque memor alia quæcunque tuto prætereunda duxi; & vel ſic plus crevit hic libellus, quam putaveram. Ita Lector, vale.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK

JCTI ET PRÆSIDIS

OPUSCULUM

DE

JURE OCCIDENDI, VENDENDI,

ET

EXPONENDI LIBEROS

APUD VETERES ROMANOS.

CAPUT I.

De Jure antiquo patriæ poteſtatis, etiam usque ad necem, venditionem, & expoſitionem liberorum.

Originem patriæ poteſtatis, quantacunque olim fuit, non aliunde repetendam exiſtimo, quam ex jure dominii. Liberi, æque ac ſervi, in patris dominio, atque ita & commercio. Nec dubito, quin ea ætate, qua liberi vendebantur, fuerint res mancipi, nam de *mancipatione liberorum* apud Gajum legimus *L.* I. *Inſtit. T.* VI. §. 3. & apud alios alibi, neque, ut præcedenti Opuſculo probabam, mancipatio cadere poterat niſi in res mancipi. Ulpianus quidem *Fragm.* T. XIX. §. 1. liberos non recenſet inter res mancipi, ſed haud alia, puto, ratione, quam quod ejus ætate liberorum venditio jam obſoleverat, ut ſuo loco dicemus. Ex eo tamen dominio provenit, quod pater, ſi filiusfam. ſubreptus ſit, furti actionem habeat, non mater *l.* 14. §. 13. & *l.* 38. *pr. ff. de Furt.* & quod liberi, directa rei vindicatione, *ex jure Quiritium*, peti potuerint, quemadmodum Pomponius apud Ulpianum ſignificat in *l.* 1. §. 2. *ff. de Rei vindic.* adjecta ſcilicet cauſa, *ex jure Quiritium* peti; alioquin locus eſſe videbatur Interdicto Prætoris *de Liberis exhibendis*, niſi tamen dicamus, id, ut cætera Interdicta, ad ſolam poſſeſſionis cauſam pertinuiſſe.

Ex hoc ipſo jure dominii, ut modo dicebam, derivandum eſt ἀνυπεύθυνον illud Patrum Romanorum in liberos imperium. De re, quæ eſt in dominio meo, poſſum, ut libet, decernere; poſſum igitur in liberos, poſſum in ſervos decernere, etiam usque ad necem. Si, quod plus eſt, licet, facile licebit, quod minus eſt. Patribus, quibus jus vitæ & necis in liberos competebat, neganda non videbatur eorundem liberorum cum venditio, tum expoſitio, quia minus eſt vendere & exponere, quam occidere. Ea, non alia fuit veteris Jurisprudentiæ ratio, nam ut veterum Romanorum rigidi mores, ſic rigidæ leges, præſertim in his, quæ ad tuendum cujusque dominium pertinebant. Hinc Patres *Familiarum ſuarum Principes* vocat Ulpianus *Fragm. T.* IV. §. 1. Hinc eorum poteſtas *patria* vel *paterna Majeſtas* audit, variis locis, quos retulit Theodorus Marcilius *Interpretamento Leg.* XII. *Tabb. C.* XXIV. Hinc liberorum & ſervorum comparatio apud Scholiaſten Virgilii, qui Servius dicitur, ad *L.* XI. *Æneid. vſ.* 143. *Alii*, inquit, *tradunt, de filiis, qui in poteſtate patris ſint, non putari jus eſſe, funus vocari fierique*, QUIA SERVI LOCO SINT PARENTI, quomodo & apud Sextum Empiricum *Pyrrhon.* III. Παῖδες δοῦλοι τῶν πατέρων. idque verum erat tum poteſtate occidendi, tum vendendi, & exponendi, idem enim in utrosque licebat.

Legem ipſam Romuli de pleno patrum in liberos, cujuscunque ætatis vel Magiſtratus, arbitrio deſcribit Dionyſius Halicarnaſſ. *L.* II. *p. m.* 96. in hunc modum: Ὁ δὲ τῶν Ῥωμαίων νομοθέτης ἅπασαν ἔδωκεν ἐξουσίαν πατρὶ καθ' υἱοῦ, καὶ παρὰ πάντα τοῦ βίου χρόνον, ἐάν τε εἴργειν, ἐάν τε μαστιγοῦν, ἐάν τε δέσμιον ἐπὶ τῶν κατ' ἀγρὸν ἔργων κατέχειν, ἐάν τε ἀποκτιννύναι προαιρῆται. *Romanorum Legislator omnigenam poteſtatem patri dedit in filium, & quidem toto vitæ tempore, ſive eum exponere*, (ſic potius verto εἴργειν, quam *in carcerem detrudere*, ut Gelenius, vel *domo expellere*, ut Sylburgius) *ſive flagris cædere, ſive vinctum ablegare ad ruſticum opus, ſive necare libuerit.* Narrat deinde, quam ſæpe filii, etiam præclare meriti, a patribus fuerint ma-

mactati, indignante etiam & reluctante Populo. Mox adjicit Legem Romuli de venundatione liberorum, a Numa Pompilio, ut ipſe ait, probatam, & deinde in XII. Tabulas relatam, ut eſt quoque apud Ulpianum *Fragm. T.* X. §. 1. qui, ex XII. Tabulis, hæc recitat: *ſi pater filium ter venumduit, filius a patre liber eſto.* Quod convenit Dionyſio, qui refert, ex Lege Romuli, etiam plus licuiſſe patri in venditione filii, quam domino in venditione ſervi, hunc enim ſemel duntaxat vendere ſervum, & inde, poſt manumiſſionem, fieri liberum, illum vero ter, ita ut filius, ſemel atque iterum venditus & poſt manumiſſus, recideret in patris poteſtatem, nec ſui juris fieret, niſi poſt tertiam demum patris venditionem, μείζονα δοὺς ἐξουσίαν πατρὶ κατὰ παιδὸς ἢ δεσπότῃ κατὰ δούλου, *majorem largitus poteſtatem patri in filium, quam hero in mancipium*, verba ſunt ipſius Dionyſii de Romulo *d. L.* II. *p. m.* 97. Scio eſſe, qui Dionyſio fidem abrogant, nec de vera, ſed imaginaria, quæ in emancipationibus celebrabatur, venditione accipiunt, quicquid ejus rei eſt, quin & qui ita quoque accipiunt ipſa, quæ ſic ex Ulpiano repræſentavi, verba XII. Tabularum; at Dionyſium recte defendit Theod. Marcilius *Interpretam. L.* XII. *Tabb. C.* XXV. & Anton. Schultingius *Jurisprud. ante Juſtin.* ad *d. loc.* Ulpiani, nec, quæ ipſi dixerunt, ego repetam.

Utrumque jus, cum vitæ & necis, tum venditionis olim obtinuiſſe, etiam aliunde conſtat. Diſerte Papinianus apud *Collat. LL. Moſaic. & Roman. T.* V. *loc.* 8. *Cum patri Lex Regia* (Romuli nempe) *dederit in filiam vitæ necisque poteſtatem*, & quæ ſequuntur. Recte legitur *in filiam*, nam de ſola filia agit Conſultor, neque adeo neceſſe eſt, ut cum aliis *filiam* mutemus in *filium*, ea metamorphoſis, ut ut alias placere poſſet, hic tamen non placet. Atque hanc occidendi poteſtatem expreſſit quoque antiqua arrogationis formula apud Gellium *L.* V. *Noct. Attic. C.* 19. *Velitis jubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius ſiet, quam ſi ex eo patre matreque familias ejus natus eſſet*, UTIQUE EI VITÆ NECISQUE IN EUM POTESTAS, SIET, UTI PARIENDO FILIO EST. Quod caput arrogationis & Cicero commemorat *Orat. de Domo ad Pontific. C.* 77. Quin &, quod hic dicimus, totidem verbis dixit Paulus in *l.* 11. *ff. de Liber. & poſtum. hæred. inſtit.* nam ei, quod filiosfam. rei paternæ quodammodo eſſe dominos adfirmaverat, non adverſari ſcribit, quod licet eos exhæredare, *quod & occidere licebat.* Addo Conſtantinum in *l.* 2. *pr. Cod. Theod. de Liber. cauſ. Libertati*, inquit, *a Majoribus tantum impenſum eſt, ut patribus quibus jus vitæ in liberos, necisque poteſtas permiſſa eſt eripere libertatem non liceret.* Sed ut ipſe ait, quod de jure occidendi probavimus, ita negare dixeris, quod de jure vendendi, neque enim pater vendit, niſi in ſervitutem, erepta ſic libertate, quam tamen eripi non potuiſſe Majoribus placuiſſet. Theodorus Marcilius *d. C.* XXV. Jacobus Ræverdus ad *LL.* XII. *Tabb. C.* III. & poſt hos Cunradus Rittershuſius ad easdem *LL.* XII. *Tab. Claſſ.* III. *Part.* I. *C.* 1. per *libertatem* apud Conſtantinum intelligunt *ingenuitatem*, hanc enim filio venumdato non eripi, ſed ſuſpendi, ut Paulus quoque dixit *L.* V. *Sentent. T.* I. §. 1. & 2. Jacobus Gothofredus eadem uſus videtur ſententia *Comment.* ad *l. un. C. Th. de Patrib. qui fil. diſtrax.* Sed rurſus aliter hæc explicat *Comment.* ad *l. un. C. Th. de His qui ſanguinol. empt. vel nutr. accep.* filium nempe, a patre venditum, veram quidem ſervitutem ſerviiſſe, at libertati fuiſſe redditum, vel reddito pretio, vel præſtito ſervo vicario, atque ea ratione, ob ſpem recuperationis, dici poſſe, ne ipſam quidem libertatem ereptam videri. Antonius Schultingius *Jurisprud. ante-Juſtin.* ad *T.* X. *Fragm. Ulp.* §. 1. plus, in re Hiſtoricа, credit Dionyſio, quam Conſtantino, vel *Majores* intelligit, non priſci illius, ſed poſterioris demum ævi, ut intellexit etiam Ulricus Huberus *L.* II. *Digreſſ. C.* 4. Ego Marcilio & Rævardo adſentior, motus auctoritate Pauli *d. L.* V. *Sentent. T.* I. §. 1. & 2. etiam ideo, quod, ut ingenuitatem non amiſit, quem pater vendidit, ita nec Civitatem amiſiſſe auctor ſit Cicero *Orat. pro Cæcin. C.* 98. quo forte ſenſu *L.* I. *de Orator. C.* 181. idem Cicero dixit, ei, quem pater ſuus vendidit, nullum eſſe poſtliminium, neque enim, qui Civitatem non amiſit, eam recuperare neceſſe eſt.

De utroque, quod dixi, jure patriæ poteſtatis aperte etiam dixit Simplicius *Comment.* ad C. XXXVII. *Epict. Enchirid.* Leges, inquit, Romanæ καὶ πιπράσκειν, εἰ βούλοιντο, τοὺς παῖδας τοῖς γονεῦσιν ἐπέτρεψαν, καὶ φονεύειν ἀτιμωρήτως, *& vendendi, ſi vellent, liberos patribus poteſtatem dederunt, & impune occidendi.* Plura utriusque Juris, cum exempla, tum teſtimonia & veſtigia recenſet Marcilius *d. Cap.* XXIV. & XXV. & Jac. Gothofredus in *Probat.* & *Not.* ad *Tabulam* IV. τῶν XII. atque ipſe plura recenſebo in ſequentibus, quæ omnia, ut & quæ de expoſitione adferre poſſim, nunc ſciens prudensque prætereo, ne bis eadem dicam.

CAPUT II.

Quamdiu obtinuerit jus vitæ & necis in liberos, variæ Sententiæ, & quæ ſequenda videatur.

Operæ pretium eſt, ex Annalibus & Legibus Romanorum, qua licet diligentia, inquirere, ſeverior illa in liberos poteſtas ecquando vel lege abrogata ſit, vel moribus exoleverit. Quia autem plus eſt necare, quam vendere vel exponere, de jure vitæ & necis prima quæſtio eſt. Poſtquam Dionyſius Halicarnaſſ. *L.* II. *p. m.* 97. Legem Romuli de poteſtate occidendorum & vendendorum liberorum narraſſet, & quemadmodum hanc, ut ἁπάντων κράτιστον, *omnium optimam*, (ſic Interpretes, ego malim, *omnium efficaciſſimam*) obſervarint primi Reges, mox tamen indicat, fuiſſe, quibus diſplicuerit, quin & diſplicuiſſe ipſis Decemviris, ſed tamen hos, trecentis poſt annis, legibus ferundis occupatos, non auſos fuiſſe Legem, moribus receptam, tollere, ne Jus publicum cum Magiſtratuum poteſtate ſubverſum irent, inſeruiſſe igitur XII. Tabulis, & Tabulæ quidem quartæ, ὡς inquit, ἐτόλμησαν ἀνελεῖν, *non auſi ſunt tollere.* Satis quidem certum eſt, miteſcentibus moribus non usque adeo exercitam fuiſſe illam vitæ necisque poteſtatem, ſed quamdiu exerceri potuerit, ſi quis jure ſuo uti vellet, id eſt, de quo quæritur. Res, ut apparet, facti eſt, de qua, cum certe auctoritate deſtituamur varie diſputatum video.

Ja-

Jacobus Rævardus ad *LL.* XII. *Tabb. C.* III. contendit magis, quam probat, illud jus gladii in liberos jam ante exactos Reges in Republica Romana ceſſaſſe, non modo nulla ullius hominis auctoritate, ſed contra apertum, quod hic protuli, Dionyſii teſtimonium, qui duraſſe ait etiam poſt latas XII. Tabulas. Sunt, qui exiſtimant, utique ceſſaſſe tempore Lucii Cornelii Syllæ, nam hanc liberorum cædem, non ſecus atque alterius cujusque hominis, Lege Cornelia fuiſſe vendicatam; & ſunt, qui putant patribus hanc capitalem in liberos animadverſionem competiiſſe omni ævo melioris Jurisprudentiæ, hoc eſt, ea eorum JCtorum ætate, quorum Decreta & Reſponſa in Pandectis digeſta ſunt. Jacobus Cujacius *L.* VI. *Obſerv. C.* 17. tempus præciſe non finivit, contentus ἐν πλάτει dicere, jus illud vitæ necisque Conſtitutionibus modo patribus ademptum, & peremptum fuiſſe. Sed quod non auſus eſt finire Cujacius, ejus auditores, ultra progreſſi, palam finiverunt, nam ecce Principes, eorumque Conſtitutiones nominatim exprimunt. Theodorus Marcillius *Interpretam. L.* XII. *Tabb. C.* XXIV. Diocletianum ait abrogaſſe videri occidendi poteſtatem, quia & vendendi abrogavit in *l.* 1. *C. de Patrib. qui fil. ſuos diſtrax.* Hubertus Giphanius *Comment.* ad *l. ult. C. de Patr. poteſt.* & ad *Auth. Non licet*, & *Auth. Ex cauſa C. de Liber. præter. vel exhæred.* ad Conſtantini usque ætatem, ſi non ultra, id jus porrexit, quia nempe ipſe in *l.* 2. *pr. C. Th. de Liber. cauſ.* de patribus loquitur, *quibus jus vitæ in liberos, necisque poteſtas permiſſa eſt*, ſic enim ibi verba habent, non *olim permiſſa erat*, ut Tribonianus, hæc interpolans, transſcripſit in *d. l. ult. C. de Patr. poteſt.* quare putat, & Conſtantini, & magis adhuc Papiniani, Pauli, & Ulpiani temporibus promiſcuam liberorum cædem fuiſſe impunitam. Eadem ſententia utitur Cunradus Rittershuſius ad *LL.* XII. *Tabb. Claſſ.* III. *Part.* I. *C.* 1. & nominatim de Papiniani ævo, Petrus Pithœus *Not.* ad *Collat. LL. Moſaic. & Roman. T.* IV. *loc.* 8. alios, qui idem cenſent, tranſeo, quia minorum Gentium ſunt. Juſtus Lipſius *Centur.* I. *ad Belg. Epiſt.* 85. ne hic quidem ſubſiſtendum ratus, ſupremum illud patris imperium, utique in recens natos, extendit ad usque Principatum Valentiniani, Valentis, & Gratiani, atque hæc Lipſii veſtigia noviſſime preſſit Vir Clariſſimus Gerardus Noodt, ſingulari, *de partus expoſitione & nece apud Veteres.*

Horum omnium ſententiam rejiciendam videri, ſuo loco oſtendam; nolim cum Rævardo tam altum aſſurgere, nec cum aliis tantum deſcendere. Et media via etiam aliis placuit. Joannes Solorzanus *Diſputatione de Crimine Parricidii L.* II. *C.* VII. VIII. & IX. ubi de antiquo & novo jure occidendi & vendendi liberos prolixius commentatus eſt, quam quisquam alius, recte diſputavit, mea ſententia, omnigenam illam patrum in liberos poteſtatem jure Pandectarum non obtinuiſſe, ſed nec ſatis omnia ille excuſſit, nec eam, quam oportebat, temporis rationem habuit, imo de tempore nihil quicquam definivit. Jacobus Gothofredus ad *l.* 2. *C. T. de Liber. cauſ.* ſub Alexandro Severo, atque adeo Pauli & Ulpiani temporibus, ſeverius illud patrum jus fuiſſe abrogatum cenſet, &, niſi fallor, recte, ſed ante fuiſſe abrogatum non auſus eſt adfirmare. Alii id ſequuntur, alii nonnihil attollunt, alii nonnihil deprimunt ejus juris deſuetudinem. Ego puto, ut modo dicebam, jus illud eminentius patriæ poteſtatis nec tam cito, nec tam ſero decoxiſſe, quam aliis placet, viguiſſe enim aliquandiu poſt XII. Tabulas, quingentos, & forte ſexcentos annos, ad usque tempora Trajani, Adriani, vel Antonini Pii, inde ceſſaſſe primum moribus, deinde Legibus. Quantum ex veteri memoria mihi licuit colligere, non concidit uno ictu, id eſt, Lege ſtatim in hanc rem lata, effrenior illa poteſtas, ſed deferbuit ſenſim ſine ſenſu, & poſtquam mores eam ſubegiſſent, acceſſit demum publica auctoritas cum JCtorum, tum Principum, quæ damnavit & vindicavit tantum facinus. Quia autem nemo, quod ſciam, pertractavit, quicquid eſt ejus argumenti, ipſe de tripartito jure, necis, venditionis, & expoſitionis ſeparatim dicam, id operam daturus, ut temporis rationem diligenter ſervem.

CAPUT III.

Poſt Legem Corneliam de Sicariis, quin & Pompejam de Parricidiis, & Juliam de Adulteriis duraſſe videri jus vitæ & necis in liberos.

Antequam, quod præſcripſi, probem, monendum eſt, de liberis cum ago, de omnibus me agere, qui in patris poteſtate ſunt, cujuscunque demum ſint ætatis vel conditionis: nam ætatem vel dignitatem nihil quicquam in his mutare, aperte cavit Romulus apud Dionyſium *L.* II. *p. m.* 96. & 97. de recens natis ſi quid forte præcipuum ſit, id totum exſequar diſtincta oratione. Hæc autem res, quamdiu nempe duraverit rigidior illa poteſtas, eget probatione, ut omnis, quæ facti eſt, nec quisquam aliud genus probationis hic deſideret, quam quod exemplis & teſtibus abſolvitur. Quod ad exempla attinet, id facile ſibi quisque perſuadebit, patres, quamvis Imperatores vitæ ac necis, id tamen ſupremum in liberos jus non promiſcue exercuiſſe; ſemper verum fuit, quod Papinianus ait in *l.* 22. §. *ult. ff. ad L. Jul. ad adulter. plerumque pietatem paterni nominis conſilium pro liberis capere*, nec quem facile, in occidendis liberis, vel hominem, vel patrem exuere. Liberi, quamvis improbi, quamvis peſſime de patre meriti, liberi tamen ſunt, nec tanta fere vitia atque peccata filii, ut Cicero dicebat *pro Sext. Roſc. Amer. C.* 53. *quibus incenſus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipſam vinceret, ut amorem illum penitus inſitum ejiceret ex animo, ut denique patrem eſſe ſeſe oblivisceretur.* Non quod opiner, patrem non potuiſſe occidere filium, niſi improbum, niſi male meritum, & ex juſta cauſa, nemo id Veterum dixit, niſi unus Sopater eo loco, quem Grotius exhibuit *de Jure B. ac P. L.* II. *C.* 5. *n.* 28. ubi licuiſſe ait patri filium occidere ἐὰν ἁμάρτῃ τι *ſi quid deliquerit*, quod ſi verum ſit, ejus rei arbitrium putem penes ipſum patrem fuiſſe. Sed, ut modo dicebam, ſolus Sopater id adfirmat, alii omnes, & quidem teſtes magis idonei, ſimpliciter loquuntur, ſine ulla ullius cauſæ mentione, &, ut ſimpliciter intelligamus, poſtulat jus dominii, quod ſupra expoſui. Nec etiam Interpretes, quotquot vidi, cauſam deſiderant, niſi unus Rævardus, qui contra

tra omnes, quas dixi, auctoritates inſurgit ad *LL.* XII. *Tabb. C.* III. neque tamen ipſe quicquam adfert niſi inanem Philoſophiam de immani tyrannide & carnificina, ſi patri, etiam ſine cauſa, cædere licuiſſet filium. At vero hic non quærimus, ut quæri ſolet in conſilio Principis, de jure conſtituendo, ſed, ut decet Interpretes, de jure conſtituto, in quo nihil valent illæ rationes, ut recte defendit Clar. Schultingius ad *T.* X. *Fragm. Ulpian. n.* 5. Interea tamen putandum non eſt, patres animi oblectandi gratia occidiſſe liberos, ſed juſta indignatione motos, ob facinus aliquod, vel in ſe, vel in Rempublicam admiſſum, ut fere hæc ſuggerunt priſci Annales.

Properemus & nos ad exempla, vel a patribus poſtulatæ, jure ſuo, ejus auctoritatis, vel revera exercitæ, neque enim illa omnino deſunt. Qui duo, non plura, paternæ cædis exempla, in Annalibus Romanorum memoriæ prodita eſſe adfirmant, eo ipſo oſtendunt, ſe plura, quæ ſunt, non legiſſe. Non placeret ad antiquiora tempora aſcendere, ſi non Rævardus, eo, quem ſupra dixi, loco negotium faceſſerit, & ſub ipſis Regibus eam patrum poteſtatem jam exſtinctam crederet, hac una ratione, ſi tamen ratio dicenda ſit, quod Servius Tullius, Lege lata, filium, qui parentes verberaſſet, *Divis parentum ſacrum eſſe* juſſerit, quaſi vero non plus ſit omnibus, quam ſolis patribus dediſſe necis poteſtatem; largitur nihilominus patrem Horatii illius tergemini, ſub Tullo Hoſtilio, non alio, quam hoc jure, ſibi vindicaſſe judicium de cæde ſororis, ab Horatio, filio ſuo, perpetratæ. Huc quoque adferri video hiſtoriam Lucii Bruti, in filios, more Majorum, animadvertentis, quæ & apud Valerium eſt *L.* V. *C.* VIII. *n.* 1. Sed ea, ſi mihi credas, huc non pertinet, nam animadvertit qua Conſul, non qua pater, ſive, ut Valerius ait, *exuit patrem, ut Conſulem ageret.* Magis pertinet exemplum Fabii Eburni, qui, ut Quintilianus dixit *Declamat.* III. *filium impudicum, cognita domi cauſa, necavit.* Opportunum quoque in hanc rem exemplum eſt Caſſii, Civis Romani, filium ſuum, nuper etiam Tribunum Plebis, ad virgas & mortem, domi, non tamen clam, ſed ex propinquorum & amicorum conſilio damnantis, quod Agraria Lege Rempublicam turbaſſet, ut auctor eſt Valerius *d. L.* V. *C.* VIII. *n.* 2. Nec dubitandum eſt, quin & huc pertineat Manlii Torquati exemplum, quod duo alia excipit apud Valerium, qui privatus judex inter Macedonas & filium, ne adhibito quidem, ad exemplum Caſſii, neceſſariorum conſilio, hunc non domo tantum, ſed & Republica exire juſſit. Dionyſius Halicarnaſſ. *L.* II. *p. m.* 97. huc quoque refert hiſtoriam Manlii Torquati, ſed, ut videtur, illius, qui filium, virgis cæſum, ſecuri percuſſit, quod, quamvis victor, contra mandatum ſuum cum hoſte pugnaſſet; neſcio, an ſatis apte, quia hic Manlius etiam Conſul fuit, & forte Jure Conſulis in filium animadvertit. Sed tamen, præter hunc, Dionyſius memorat quam plurimos, & Magiſtratu functos, & de Republica benemeritos, ex Roſtris, ubi concionabantur, abductos, & non obſtante aura populari, non fortitudine, non alia virtute, a patribus, jure poteſtatis ſuæ, fuiſſe necatos, vidente, & nequicquam intercedente ipſo Populo.

Si hæc non ſuffecerint Rævardo, etiam poſterior ætas dabit exempla ſupplicii paterni, nam ecce A. Fulvius filium ſuum, quod caſtra Catilinæ ſequeretur, medio itinere abſtractum, morti dedit, ut Valerius *d. loc. n.* 5. Salluſtius *Bell. Catilin. C.* 39. & Dio Caſſius *L.* XXXVII. uno ore tradiderunt. Hoc Ciceronis ævo; quid proximo Auguſti? egregium, cui ipſe Auguſtus interfuit, domeſtici judicii exemplum Seneca retulit *L.* I. *de Clement. C.* 15. T. nempe Arium, cogniturum de filio, quem in parricidio deprehenderat, in conſilium advocaſſe Cæſarem Auguſtum, hunc veniſſe in privatos Penates, & aſſediſſe partem alieni conſilii, & deinde patrem exſilio damnaſſe filium. Advocavit Auguſtum, ut Caſſius propinquos & amicos, ſed magis ut deliberato animo, & ex eorum conſilio agere videretur, quam ut neceſſitas id imperaret; quare illam cum amicis conſultationem ſprevit Manlius Torquatus apud Valerium *d. L.* V. *C.* VIII. *n.* 3. Quod autem de Auguſti ævo, ex Seneca, probabam, non ſubvertit idem Seneca *d. L.* I. *de Clement. C.* 14. cum inquit: *Erixonem Equitem Romanum, memoria noſtra, quia filium ſuum flagellis occiderat, populus in foro graphiis confodit. Vix illum Auguſti Cæſaris auctoritas infeſtis tam patrum, quam filiorum manibus eripuit*, nam recte notavit Lipſius, patri in hac ſpecie, invidiæ odioque fuiſſe, quod immani ſævitia, ipſe ſuis manibus, filium flagris cecidiſſet, etiam usque ad necem, &, ut hoc dicamus, Senecæ integer locus omnino poſtulat. Quin nec recte argumentum duxeris ab impetu furibundæ plebis ad ordinem judicii & vindictam publicam: neque enim vel ipſe Auguſtus, vel Senatus, vel Præfectus Urbi ab hoc patre ſupplicium ſumpſit, ut ut facti atrocitas acceſſerit. Igitur Seneca Senecæ convenit, & uterque locus idem probat.

Sunt apud Auctores exteros Benedicta quædam de patre, ejusque poteſtate, ex quibus Theodorus Marcilius *Interpretam. L.* XII. *Tabb. C.* XXIV. & Radulphus Fornerius *Rerum Quotidian. L.* I. *C.* 2. colligunt, eorum, qui hæc dixerunt, ætate jus vitæ & necis in liberos, adhuc duraſſe, ut cum pater apud Senecam Rhetorem *L.* II. *Controv.* 3. vocatur *domeſticus Judex*, apud Senecam Philoſophum *L.* III. *de Benefic. C.* 11. *domeſticus Magiſtratus*, apud Suetonium in *Claud. C.* XVI. *Cenſor filii.* Sed hæc me non moverint, declarant, fateor, patriam poteſtatem, & jus animadverſionis, at non usque ad mortem. Magis movet illud Porcii Latronis apud Senecam Rhetorem *d. L.* II. *Controv.* 3. *an*, inquit, *ſi filius cum alio agere poteſt, etiam cum patre poſſit, cui vitæ mortisque arbitrium datum eſt.* Addo de Auguſti ſæculo, quod Alexander ad patrem Herodem, coram ipſo Auguſto, dixit apud Flavium Joſephum 'Αρχαιολ. *L.* XVI. *C.* 8. Καὶ ἐξῆν, παρούσης μὲν ἐξουσίας ὡς βασιλεῖ, παρούσης δὲ ὡς πατρὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἐπεξιέναι, *& poteras vel pro Regia, vel pro patria poteſtate in immorigeros animadvertere*, & loquitur de patre, qui filios accuſans, eos ad mortem poſtulabat.

Succedant Leges Romanæ, & ſane his conſultis liquido apparebit, temporibus Pompeji Magni adhuc viguiſſe poteſtatem decernendi in liberos, etiam usque ad mortem: nam quæ alioquin ratio erit, cur Pompejus, de parricidio cavens, & enumerans, qui parricidio teneantur, patres omiſiſſet, qui liberos occiderunt? Excute catalogum eorum, qui parricidæ audiunt in *l.* 1. *ff. de Lege Pompej. de parricid.* & reperies *matrem, quæ filium filiamve occiderit*, patrem non reperies, neque ibi, neque apud Paulum *L.* V. *Sentent. T.* XXIV. & tamen patris oblíviſci non poterat Lex, de matre cavens, & tot alios, longe remotiores, accurate recenſens.

Vera & unica ratio omiſſi patris fuit licita, Pompeji ævo, παιδοφονία, nam, ſi hæc non fuit, cedo mihi aliam, ſi potes. Etiam Cujacius hanc rationem indicavit *L.* VI. *Obſerv. C.* 17. & Solorzanus *de Parricid. L.* II. *C.* 7. & Gothofredus ad *l.* 2. *C. Th. de Liber. cauſ.* & Bachovius ad *Weſembec. Parat. ff. T. de Leg. Pomp. de parricid. n.* 5. *&* 6. Nolim tamen diſſimulare, quod diſſimularunt illi omnes, eſſe nonnihil, quod huic rationi obſtet, nimirum inter perſonas, quas ex ipſa Lege Pompeja recitavit Marcianus, auctor *d. l.* 1. non referri quidem patrem, at neque matrem, quæ liberos occidit; deinde hæc verba, quæ proxime ſequuntur, *ſed & mater quæ filium filiamve occiderit, ejus Legis pœna adficitur*, eſſe ipſius Marciani, cujus ætate nec patrem potuiſſe liberos interficere, etiam nos defendimus. Sed meminiſſe oportet, id, quod de matre additum eſt, eſſe quidem Marciani, ſed, ut videtur, interpretantis Legem Pompejam, cujus verba ſic deſcripſerat, ſecundum tempus, quo lata eſt: ut ſic ea verba non pertineant ad ætatem Marciani, ſed ad ſanctionem Legis Pompejæ, quæ trecentos fere annos præceſſerat. Quin ſi vel de ſua ætate verba faceret, ne tunc quidem de patre recte dixiſſet, quod de matre dixit, *Legis Pompejæ pœna adfici*, nam jure Pandectarum certam patris, liberos occidentis, pœnam non fuiſſe, ſed demum ex Conſtitutione Conſtantini in *l. un. C. de His qui parent. vel liber. occid.* infra diſputabimus.

Ne eo quidem tempore, quo lata eſt Lex Julia de adulteriis, patribus interdictum fuiſſe liberos, quos vellent, necare argumento eſt conſultatio Juris cujusdam ſtudioſi, & ad eam Papiniani reſponſio, quæ utraque exſtat *Collat. LL. Moſaic. & Roman. T.* IV. *loc.* 8. *Cum patri*, inquit Conſultor, *Lex Regia dederit in filiam vitæ necisque poteſtatem, quod bonum fuit Lege comprehendi, ut poteſtas fieret etiam filiam occidendi, vellem mihi reſcribere: nam ſcire cupio. Reſpondit* (Papinianus) *numquid ex contrario præſtat nobis argumentum hæc adjectio, ut non videatur Lex non habenti dediſſe, ut videatur majore æquitate ductus adulterum occidiſſe, cum nec filiæ pepercerit?* Levia quædam menda hic alii recte reſtituerunt: nam pro *quod bonum*, *quo bonum*, pro *reſcribere*, *reſcriberes*, pro *dediſſe ut*, *dediſſe ſed ut*, legendum eſſe & monuerunt & probarunt ſatis Gothofredus ad *d. l.* 2. *C. Th. de Liber. cauſ.* & Pithœus, & Schultingius *Not.* ad *d. loc. Collat.* nec quicquam his addo, quam poſteriora interrogationis nota legenda videri, ut reſponderit interrogans, ut ſæpe ſolent JCti. Quæſtio, ut apparet, eſt de Lege Julia de adulteriis, hoc eſt, de ea Lege, quæ Papinianum ducentos, & quod excurrit, annos præceſſerat. Interrogat Papinianum Conſultor, cui bono Lex Julia patri dederit poteſtatem occidendæ filiæ, quam ipſe jam habebat, jure ſuo, ex Lege anteriori, nempe Regia? ſignificat igitur, tempore Legis Juliæ obtinuiſſe adhuc jus illud vitæ & necis, nam ſi abrogatum tunc fuiſſet, valide ſtulta eſſet illa conſultatio. Neque etiam abrogatum fuiſſe reſpondet Papinianus, ſed aliud quid, depromptum ex ipſa Lege Julia. Quod ut intelligamus, ſciendum eſt, Lege Julia, ſi proprie loquamur, patri non eſſe datam poteſtatem occidendæ filiæ, ſed occidendi adulteri, modo & filiam occideret. Dixit Lex: *in continenti filiam occidat*, ut verba ejus exhibuit Ulpianus in *l.* 23. §. *ult. ff. ad L. Jul. de adult.* atque adeo non permiſit filiam occidere, ſed juſſit, ſi nempe adulterum occidere jure vellet *l.* 32. *pr. ff. Eod.* Nullibi, quod ſciam, Lex Julia ſimpliciter permiſit patri filiæ adulteræ cædem, nam jure ſuo cædere poterat, ex Lege Regia, etiam non adulteram, ſed utriusque cædem conjungit. Unde Papinianus in *l.* 20. *ff. Eod. Patri datur jus occidendi adulterum cum filia, quam in poteſtate habet.* Quod ipſum repetit in *l.* 22. §. *ult. Eod.* & addit rationem conjunctionis, quod ſcilicet pater non tam facile decernat in filiam, ſed ex pietate, pro ea conſilium capiat; quod ſi ſit, neque etiam tam facile in adulterum decernet, ſed huic parcet, ut illi parcat. Quintilianus *L.* VII. *Inſtit. Orator. C.* 1. utriusque quoque cædem conjungit, nam, velut ex tabella Legis hæc recitat: *adulterum cum adultera occidere licet.* Et Paulus apud *Collat. LL. Moſaic. & Rom. T.* IV. *loc.* 2. tanquam ex Lege Julia refert, patrem ſine fraude adulterum occidere, *ita ut filiam incontinenti occidat*, & mox, *ſed ſi filiam non interfecerit, ſed ſolum adulterum, homicidii reus eſt.* Non ait, patri non licere filiam occidere ſine adultero, ſed non licere adulterum ſine filia, quæ ſola Legis ſanctio erat. Quid nunc Papinianus ad Conſultorem? *hanc adjectionem*, ne pater adulterum occidat, *niſi & filiam occiderit*, non hoc velle, ut Lex videatur patri, *non habenti*, dediſſe jus vitæ ac necis in filiam, *ſed ut videatur pater, majore æquitate ductus, adulterum occidiſſe, cum nec filiæ pepercerit*, tantum igitur abeſſe, ut illa adjectio antiquum jus patriæ poteſtatis peremerit, ut potius, contrario argumento, probaverit ac ſtabiliverit. Atque ita ſignificat Papinianus, Conſultori, cui nota erat Legis Juliæ ſanctio, non notam fuiſſe ejus Legis ſententiam, neque enim hanc patri dediſſe poteſtatem filiæ occidendæ, ut ille putabat, ſed ei cædem imperaſſe, occidendæ filiæ neceſſitatem impoſuiſſe, ſi impune adulterum occiſum vellet. Etiam Petrus Pithœus *Not.* ad *h. loc.* nonnihil ejus rei animadvertit, & ſi, quod indicavit, ex profeſſo explicaſſet, nam digna res erat, ego potuiſſem ea opera ſuperſedere. Nunc ſatis opinor conſtare, Interpretes, tantum non omnes, Conſultorem illum ſequutos, perperam Legi Juliæ tribuere poteſtatem, quam pater habebat, occidendi filiam adulteram, didiciſſent potius a Papiniano, Legem illam patri non dediſſe, *quod non habebat*, at vero dediſſe poteſtatem occidendi adulteri una cum ipſa filia. Probat igitur & conſultatio, & reſponſio, tempore Legis Juliæ patribus ſartum tectum fuiſſe jus occidendi liberos.

Si ita fuerit ætate Pompeji Magni, ut ex Lege Pompeja oſtendimus, ſi Auguſti, ut ex Lege Julia, utique Lex Cornelia, quæ utraque prior fuit, patres, in liberos capite animadvertentes, punire non potuit, nec ipſa quoque, ſi recte judico, punivit. Hominem occidere vetuit, verum eſt, ſed ſalvo cujusque jure. Dominus certe ſervum occidere poterat temporibus Cornelii Syllæ, ac diu poſtea, ut dicam *Cap. prox.* & pater occidere filium filiamve, quam in poteſtate habebat, ut exemplis & auctoritatibus nunc mihi videor ſatis probaſſe, nam quod ait Marcianus in *l.* 1. §. 2. *ff. ad L. Cornel. de ſicar.* quodque objici video, puniri nempe, qui hominem occiderit, *non habita differentia, cujus conditionis hominem interemit*, fortaſſe non ait ex ipſa Lege Cornelia, ſed ex ſua ætate, vice Interpretis, tunc enim nihil intererat, filios ſuos, an alios quoscunque quis occideret, liberos, an ſervos (nam ita Baſilici interpretantur Marciani verba) plane ut nec inter Græcos Lex diſtinguebat inter homicidium hominis liberi vel ſervi, ut eſt apud Euripidem *Hecub. verſ.* 291. *&* 292.

Quin-

Quinimo ſi vel ipſa Lex Cornelia dixiſſet, quod dicit Marcianus, veriſſimum eſt, nec eam diſtinxiſſe inter Patricium vel plebejum, Magiſtratum vel privatum, Civem vel peregrinum, atque ea ratione non habuiſſe differentiam, cujus conditionis homo interemptus fuerit. Si, ſecundum Baſilicos, verba Marciani reſtringas ad ſolam differentiam hominis liberi & ſervi, quominus tunc ad ſanctionem Legis Corneliæ referantur, res ipſa vetat. Atque ita probatum eſt, jus vitæ ac necis in liberos temporibus Legis Corneliæ, Pompejæ & Juliæ apud Romanos adhucdum duraſſe, & hoc eſt, quod agebamus.

CAPUT IV.

Παιδοφονίαν apud Romanos ceſſaſſe videri temporibus Trajani, Adriani, Antonini Pii, reliquorumque deinceps Principum.

Rigorem Juris veteris, ut jam monui, videntur primum mores ſubegiſſe, deinde Leges. Ut in aliis partibus, ita & hic auſterior illa antiqui temporis Jurisprudentia, ſenſim ſine ſenſu collapſa, tandem defecit. Quo magis exculta ſunt humanitatis & manſuetudinis ſtudia, quo plus operæ datum eſt Philoſophiæ morali (ut quam maxime datum eſt ſub his, quos dixi, Principibus, & ſecuto mox Antonino Philoſopho) eo magis omnis ſeveritas remiſit. Atque hæc una ratio eſt remiſſæ ſeveritatis, non ea, quod *Majeſtas patria* non ſatis conveniret *Majeſtati Principum*, vel quod Romanos herili illa in liberos poteſtate abuſos conſtet. Ne, ut alii putant, ita nos putemus, ſunt enim hæc ejusmodi, quæ nec rationem habent, nec auctoritatem ullam.

Sed, quod noſtræ potiſſimum curæ eſt, id agamus, & quæramus de tempore acciſi, vel potius exciſi, ejus juris patrii. Jacobus Gothofredus *Comm.* ad *l.* 2. *C. Th. de Liber. cauſ.* ſub Adriano adhuc *quadamtenus* ſtetiſſe exiſtimat, ſed penitus deinde fuiſſe abrogatum, utique ſub Alexandro Severo. At vero ſub ipſo Adriano illam liberos trucidandi poteſtatem jam ceſſaſſe, inde mihi fit probabile, quod Adrianus ne quidem in ſervos dominis ſævire permiſerit. Servi apud Romanos vix hominum numero habebantur, unde illa apud Juvenalem, *O demens, ita ſervus homo eſt?* & Hiſpo Romanus apud Senecam *L.* X. *Controv.* 4. tanquam ex jure vulgari pronunciat: *in ſervum nihil non domino licere.* Temporibus Auguſti, atque adeo prima Monarchiæ Romanæ ætate, adhuc nihil non licuit, nec ei, quod tunc juris erat, contradixit Seneca *L.* III. *de Ira C.* 40. ſervavit quidem ibi Auguſtus ſervum Vedii Pollionis, apud quem cœnabat, ſed *motus*, inquit Seneca, *novitate crudelitatis*, nam dominus ſervum, quod cryſtallinum fregerat, in piſcina murænis juſſerat objici, præſente Cæſare, ad cujus pedes puer confugerat; ſingularis hæc ſpecies erat, quæ ad alias diſſimiles fruſtra transfertur. Haud multo tamen poſt temperata nonnihil fuit infinita illa dominorum in ſervos poteſtas, quod jam, de ſua ætate, indicavit Seneca *L.* III. *de Benefic. C.* 22. & ſane frænos illi injecit Lex Petronia ſub Nerone, de qua eſt & in *l.* 11. §. 2. *ff. ad L. Cornel. de ſicar.* mox vero ἀνυπεύθυνον illud in ſervos imperium prorſus ſuſtulit Adrianus, mitiſſimus Princeps, qui, auctore Spartiano in *ejus Vita C.* XVIII. *ſervos a dominis occidi vetuit, eosque juſſit damnari per judices, ſi digni eſſent.* Remanſit igitur duntaxat caſtigatio, & quidem modica, nam nec ſupra modum in ſervos ſervasve ſævire ipſe ille Adrianus ſpeciali, & mox Antoninus Pius, & ejus ſucceſſor, generali Conſtitutione cavit. Utriusque Conſtitutiones ſunt apud Ulpianum in *l.* 2. *ff. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.* & in *Collat. LL. Moſaic. & Roman. T.* III. *loc.* 3. Quis nunc credat, patribus ſub Adriano plus juris fuiſſe reliquum in liberos, in Cives Romanos, quam dominis in ſervos, in vilia capita?

Si quis a ſervis ad liberos recte argumentum duci poſſe neget, hunc audire velim, quæ nunc de ipſis liberis plenius & preſſius dicam. Ordiar a Trajano, qui Adrianum præceſſit, & quæro, an non jus illud vitæ & necis evertat, quod ille coëgerit patrem emancipare filium, inclementius habitum? ita mihi videtur. Rem ipſam narrat Papinianus in *l. ult. ff. Si a parent. quis manum. ſit. Divus*, inquit, *Trajanus filium, quem pater male contra pietatem adficiebat, coëgit emancipare*, denegata etiam patri, ut mox ſequitur, bonorum poſſeſſione *propter neceſſitatem ſolvendæ pietatis*, nam *pietatis*, ut legitur, legendum eſt, non *poteſtatis*, ut volebat Franciſcus Hotomanus ad §. *ult. Inſt. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.* & Petrus quoque Faber *L.* III. *Semeſtr. C.* 16. utraque vox nullo hic diſcrimine habetur, ut recte Cujacius animadvertit ad *L.* XI. *Quæſt. Papin.* in *d. l. ult.* Coercuit igitur Trajanus patris impietatem, ablato etiam, quod habebat, jure, ne ultra ſævire poſſet, & probo, quod & alii inde effecerunt, quam maxime id facere ad refutandam, quæ tunc obtinuiſſet, liberorum promiſcuam cædem. Patrem ſævientem cogere, ut filium emancipet, vix ſane aliud eſt, quam dominum ſævientem cogere, ut ſervum bonis conditionibus vendat, quod poſtea Antoninus juſſit in *d. l.* 2. *ff. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.*

De Succeſſore Adriano audi, quid Marcianus referat in *l.* 5. *ff. de L. Pompej. de parrid. Divus Adrianus fertur, cum in venatione filium ſuum quidam necaverat, qui novercam adulterabat, in inſulam eum deportaſſe, quod latronis magis, quam patris jure, eum interfecit: nam patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere.* Vides Adrianum puniviſſe patrem, filii interfectorem, quamvis juſtiſſima indignatione motum, & puniviſſe deportatione, quæ ordinaria Legis Corneliæ de ſicariis pœna fuit: *id autem tantum punitur, quod non licet*, ut eſt apud Senecam *L.* X. *Controv.* 5. Et tamen, quod mireris, *hac etiam Lege* utuntur, qui ad usque ætatem Conſtantini M. & ultra, patribus indulgent liberorum cædes, quamvis, ſi quid ejus rei probet, nihil probare poſſit quam de ætate Adriani, quousque & eam reſtringit Jacobus Gothofredus ad *l.* 2. *C. Th. de Liber. cauſ.* ratus nihilominus, ſic ſatis inde probari, impunitam tunc fuiſſe liberorum cædem. Id putant obtineri poſſe eo argumento; quod ex contraria ſententia elicitur, nam, inquiunt, non ea cauſa Adrianus patrem punivit, quod filium occidiſſet, ſed alia, quod nempe occidiſſet *in venatione*, ſive, ut mox ſequitur, *quod latronis magis, quam patris jure*,

eum interfecit. Utque ita ſalva res fuiſſet, ſi pater, non inſidiatus filio, aperto Marte, jure, quod habebat, patris eum fuiſſet aggreſſus. Sed aut ego fallor, aut omnes alii, ſic Marcianum interpretantes, falluntur. Filius novercæ ſuæ adulter eſt. Pater, promptior ad vindictam, quam Gellius apud Valerium *L.* V. *C.* 9. *n.* 1. filium occidit in venatione; quæritur, an jure? imo nullo jure. Neque enim recte occidit jure mariti, ex Lege Julia, quia hæc non permittit quemlibet uxoris ſuæ adulterum occidere, quin nec niſi domi ſuæ, in uxore ſua deprehenſum *l.* 24. *pr.* & *l.* 25. *pr. ff. ad L. Jul. de adulter.* Sed forte recte occidit jure patris. Ne hoc quidem: nam jus patris, quod ad poteſtatem occidendi, ea ætate jam decoxerat, atque adeo factum patris, filium occidentis, *atrocitati* tunc tributum eſt. Ecce rationem ex ipſa Lege, *nam patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere.* Fruſtra igitur ſceleri prætexebatur patria poteſtas, quod ad cædem modo abrogata, ſi non per Leges, per mores certe, qui ſucceſſerant, benigniores clementioreſque. Atque inde eſſe opinor, quod pater, qui ſibi ipſi jus dixerat, qui injuriam, ſibi illatam, non per legitimos tramites fuerat perſequutus, ſed filium, forte in venatione, occiderat, *latronis jure* dicatur occidiſſe, illicitam enim ejus αὐτοδικίαν hoc nomine notatam puto; neque adeo, ſi me audias, illud *in venatione* additum eſt, niſi ex ſolo facto, quod jus non mutaverit, nec ullam, quamcunque demum, pœnam meruerit. Sin aliter dicas, & patribus, ætate Adriani, permiſeris liberorum cædem, cur non etiam cædere permittas, ubicunque cædere commodius eſſet? cur non in venatione æque ac domi? de plano æque ac conſcenſo tribunali? Lex Romuli non diſtinxit, nec, ſi exempla conſideremus, de loco quicquam diſtinxit poſterior ætas. Fortaſſe etiam hic pater opportunius & tutius filium occidit in venatione, quam domi, potuiſſet enim domi & uxorem adulteram in ſe concitare, ac ita ſibi plus periculi & laboris creare. Quin, ſi quid locus gravaſſet, id utique abunde illata injuria iviſſet compenſatum, nec propterea patrem, alioquin innocentem, deportaſſet optimus Imperator.

Tranſeo ad Alexandrum Severum, ſub quo Principe jam plane peremptum fuiſſe illud jus vitæ & necis palam adfirmat ipſe ille Jacobus Gothofredus, & Alphonſus a Caranza *de Partu natur. & legit. C.* IV. *Sect.* I. *n.* 80. Nec puto dubitari poſſe, ſi ipſum Alexandrum audiamus in *l.* 3. *C. de Patr. poteſt.* ſic enim ibi ait, de ævo ſuo, ad patrem Artemidorum: *Si filius tuus*, & reliqua, mox autem: *quem, ſi pietatem patri debitam non agnoſcit, caſtigare jure patriæ poteſtatis non prohiberis: acriore remedio uſurus, ſi in pari contumacia perſeveraverit; eumque Præſidi Provinciæ oblaturus, dicturo ſententiam, quam tu quoque dici volueris.* Satis animadvertis, jus patriæ poteſtatis, quod olim fuit, tunc temporis coercitum & redactum fuiſſe ad ſolam caſtigationem, animadvertis, filium, plus contumacem, quam ut domeſtica emendatio ſufficiat, patrem non damnare, ſed Præſidem, a patre aditum, ex ſententia ipſius patris. Accuſatoris igitur partes agit, non Judicis, quamquam hunc conſilio ſuo inſtruat, non, opinor, ut filium ſeverius puniat, quam vindicta Diſciplinæ publicæ expoſcit, ſed ut mitius benigniusque, ex ratione pietatis paternæ, quæ, ut ut læſa, naturæ tamen non obliviſcitur; & id eſt, quod de patribus Quintilianus dixit *Declamat.* CCCXXII. *nunquam hi affectus in tantum vincuntur odio, ut non ad naturam ſuam tamen revertantur.* Quare Præſes, ſi res ad exemplum vergat, ipſe in filium animadvertet, ſed conſulto patre. De Præſide, vindicaturo filiorum improbitatem, *ad inclementiores injurias provectam*, reſcribunt quoque Valerianus & Gallienus in *l.* 4. *in fin. Eod.* ſed quia reſcribunt fœminæ, cujus nulla unquam in liberos, nedum vitæ & necis, poteſtas fuit, id Reſcriptum huc non pertinet, & vellem, ne alii imprudenter huc retuliſſent. Cæterum quod Alexander de patribus reſcripſit, ad omnes deinde *propinquos ſeniores* tranſtulerunt Valentinianus & Valens in *l. un. C. de Emendat. propinq.* ut ſcilicet iis liceret *propinquos minores* caſtigare & emendare *jure patrio*, ὥσπερ οἱ πατρὲς, ut recte ibi interpretantur Baſilici, *ad inſtar patrum*, ſin vero *atrocitas facti jus domeſticæ emendationis excedat*, Judicis etiam partes jubent ſuccedere. De hac modica, cum Parentum, tum aliorum caſtigatione prolixe dixit Radulphus Fornerius *L.* I. *Rer. Quotidian. C.* 3. Sufficit, in rem noſtram, modicam, quam patribus Alexander duntaxat permiſit, caſtigationem excludere immodicam, quæ olim fuit, etiam usque ad necem.

Quid ſub Alexandro fœcunda meſſis JCtorum? Ulpianus ſine ambagibus rem dixit in *l.* 2. *ff. ad L. Cornel. de ſicar. Inauditum*, inquit, *filium pater occidere non poteſt, ſed accuſare eum apud Præfectum Præſidemve Provinciæ debet.* Non diſcrepat ſcilicet ab Imperatore ſuo, accuſandi jus largiens patri, non occidendi. Imo vero, ajunt, etiam occidendi, dummodo prius filium audiat, & non indefenſum damnet, nam *inauditum occidere non poteſt.* Si hæc ſit ſententia Ulpiani, ſcire velim, quid tunc valeat oppoſitio, *ſed accuſare debet*? dicendum tunc fuiſſet, *ſed audire debet.* Aliud igitur ſignificat Ulpianus, & forte hoc, patris eſſe filium accuſare, Præfecti autem Præſidisve, apud quem accuſat, filium audire, neque ideo indefenſum damnare, quod pater accuſet, ut *occidere*, quod ad patrem refertur, perinde ſit, accurare, & omni modo id agere, ut filius occidatur, quod locutionum genus & alibi occurrit. Vel quia Baſilici *inauditum* vertunt ἀπειθοῦντα, *imobedientem*, intelligo filium, qui patri non auſcultat, & contumax eſt. Cujacius quidem illam Græcorum verſionem damnat *L.* VI. *Obſerv. C.* 17. ſed ego non alia auctoritate eam defendero, quam ipſius Nonii in V. *inauditum*, qui ait, *in veteribus Prudentibus* INAUDITUM *legi, quod non audiat.* Vidi etiam, poſtquam hæc ſcripſeram, hanc *inauditi filii* interpretationem, iiſdem fere rationibus, probare Solorzanum *de Parricid. L.* II. *C.* 8. Et ſane, ſi id diceret Ulpianus, omnino idem diceret, quod Imperator Alexander in *d. l.* 3. *C. de Patr. poteſt.* filium nempe, usque quaque contumacem, offerendum eſſe ei, cujus ea de re jurisdictio eſt. Ex eo autem, quod Ulpianus hæc, quæ dixi, ſcripſerit *L.* I. *de Adulteriis*, Cujacius *d. L.* VI. *Obſerv. C.* 17. varia comminiſcitur circa occaſionem & interpretationem *d. l.* 2. de quibus ſi dicamus non liquere, id dicemus, quod res eſt.

Paulus, Ulpiani æqualis, in *l.* 11. *ff. de Liber. & poſt. hæred. inſtit.* de ſuis hæredibus tractatu habito, eos, quamvis non inſtitutos, rerum tamen paternarum dominos eſſe adfirmat. *Nec obſtat*, inquit, *quod licet eos exhæredare, quod & occidere licebat.* Ex forma præteriti temporis, *licebat*, recte collegit Franciſcus Balduinus ad *LL. Romuli C.* XVII. & poſt eum a-

lii,

lii, non obſcure ſignificare Paulum, olim id magis licuiſſe, quam ſuo tempore licere. At Paulo petulantem manum admovit Tribonianus, ſi credas Marcilio, Giphanio, Pithœo, Rittershuſio iis locis, quos ſupra attuli *C.* II. pro præſenti, *licet*, præteritum, *licebat*, ſupponens, atque ita Jurisprudentiam ſui temporis Paulo accommodans. Sed, ſi hactenus recte diſputavi, non alia quoque fuit Jurisprudentia Pauli ævo, & quam nulla ratione illi, quos dixi, aliam inducant, diſputabo *Capite proximo*. Nihil igitur cauſæ fuit, cur Wiſſenbachius, his ipſis auctoribus, certe quibusdam ex his, *d. l.* 11. retulerit inter *Emblemata Triboniani*. Si de jure vitæ & necis, tanquam de jure obſoleto, loquutus eſt Paulus, haud aliter de jure antiquo patriæ poteſtatis loquutus eſt Dio Caſſius, Ulpiani & Pauli æqualis, eo loco, quem indicavit Clariſſ. Schultingius *Not.* ad *Collat. LL. Moſaic. & Roman. T.* IV. *loc.* 8. & Simplicius, *C.* I. a me laudatus, ubi de jure occidendi & vendendi liberos nominatim agit, ſic orditur ſententiam: Οἱ δὲ παλαιοὶ τῶν Ῥωμαίων νόμοι, *antiquæ vero Romanorum Leges*, atque ita porro; non ſui temporis Legibus illam necandi liberos poteſtatem adſcribens, ſed ἐπιδεικτικῶς *antiquis Romanorum*.

Quidni his addam, quod & Balduinus obſervat ad *LL. Romuli d. C.* XVII. in tantum Romanis crudelitatem patrum in liberos diſplicuiſſe, ut, ſi pater ipſe filium deſertorem offerat, D. Pius non capite plecti filium, ſed in duriorem militiam dari juſſerit, hac ratione, *ne videatur pater ad ſupplicium obtuliſſe*, ſic enim Macer ſcripſit in *l.* 13. §. *ult. ff. de Re milit.* ſi patrem, filii delatorem non tulit D. Pius, abſit, ut patrem, filii interfectorem, tuliſſet. Quin ſi ab hac ætate aliena non fuiſſet illa crudelitas, quo bonum erat, ut Quintus Saturninus, qui ſub eodem Divo Pio, vel certe ſub Divis Fratribus, vixit in *l.* 16. §. 2. *ff. de Pœn.* admoneret, impunita eſſe verbera, a Parente illata, quia emendationis, non injuriæ gratia inferuntur? Permiſſa nece, permiſſa utique verbera fuiſſe, nemo ſanus dubitaverit, neque erat, ut Saturninus id alia ratione defenderet. Et quid ſi filius patrem, quem venerari oportet, contumeliis adficiat, & vel impias manus ei inferat? tunc profecto auctoritas patris, & animadverſio, etiam usque ad necem, valeret, ſi valeret unquam. Ulpianus tamen in *l.* 1. §. 2. *ff. de Obſeq. parent. & patr. præſt.* de ea ſpecie: *Præfectus*, inquit, *Urbi delictum, ad publicam pietatem pertinens, pro modo ejus vindicat.* de patribus, qui ipſi vindicare poſſent, nihil ibi quicquam.

Habeamus igitur, & illis temporibus abrogatum fuiſſe jus illud vitæ & necis, & hanc abrogationem, ut initio dicebam, primum tribuendam videri moribus, qui a tanta aſperitate abhorrebant. Nulla ſane Lex, quod ſciam, ante Conſtantinum M. diſerte obviam ivit huic ſceleri, & hanc, non aliam cauſam eſſe opinor, quod patres, qui filios filiasve occiderant, pœna Legis Pompejæ de parricidiis, ante Conſtantinum, non fuerint puniti. Id jus, quod moribus debetur, paulatim ſolet ſerpere, & vires acquirere eundo; unde a licita liberorum cæde ad ordinariam parricidii pœnam præcipiti ſaltu non erat decurrendum, Adrianus certe patrem, interfectorem filii, deportatione, neque ultra, punivit, ut vidimus ex *l.* 5. *ff. de L. Pompej. de parricid.* Sed poſtquam aperta Lege liberorum cædes pro parricidio habita eſt, ecce in patrem quoque decreta parricidii pœna, & ſic primum Conſtantinus in *l. un. C. de His qui parentes vel* LIBEROS *occiderunt*, quæ ſic incipit: *Si quis parentis aut* FILII, *aut omnino adfectionis ejus, quæ nuncupatione parricidii continetur, fata properaverit &c.* Data eſt ea Lex ad Vicarium Africæ, nam in Africa potiſſimum ſedes mali, ſic ut ibi quoque pium fuerit mactandi liberos impium facinus, & data eſt anno Chriſtianorum CCCXVIII. quod notaſſe deinceps erit utile.

CAPUT V.

Depulſæ rationes, quibus utuntur, qui ſub Papiniano, Ulpiano, & Paulo jus vitæ & necis in liberos adhuc integrum illibatumque ſtetiſſe defendunt.

Vix operæ eſt hanc ſententiam refutare, ſi Auctores noſtros ſequamur, & exteros paulisper ſeponamus, donec & de his dicere magis commodum erit. Variis autem rationibus, quas adferri video, vel ipſe modo defunctus ſum, vel ante me defunctus eſt Jacobus Gothofredus ad *l.* 2. *C. Th. de Liber. cauſ.* Dicam, quam potero, breviſſime, quod ſufficit, nec quicquam repetam ex his, quæ apud Gothofredum leges. Miror ſane in hanc, quam illi tuentur, ſententiam advocari poſſe, quod *C.* III. ipſe dicebam, Legem Pompejam de parricidiis patrem non puniviſſe, qui liberos occiderit, quin vel nullam ejus ibi mentionem exſtare. Eſt id veriſſimum, & quidem ob eam cauſam, quam ibi dixi, quod nempe patribus poteſtas occidendi tunc competierit, jure licito, ſed quid inde ad ætatem Papiniani, Ulpiani, Pauli? tempora Legis Pompejæ & eorum, quos dico, JCtorum non diſtinguere, & ducentos trecentosve annos ſusque deque habere, quid, obſecro, niſi mera confuſio eſt?

De Papiniani ætate maximum illis argumentum præbet, quod eſt apud *Collat. LL. Moſaic. & Roman. T.* IV. *loc.* 8. quodque ſupra repræſentavi *C.* III. *Fruſtra*, inquit Pithœus in *Notis*, *Papiniano hæc quæſtio propoſita fuiſſet, ſi non idem quoque jus eo tempore obtinuiſſet.* Sed quæſtio proponitur ex Lege Julia, & ſecundum tempus, quo hæc lata eſt, quæritur enim, cui bono Lex Julia patri videatur dediſſe arbitrium vitæ necisque in filiam, quod tunc habebat ex Lege Regia; & habebat revera tunc pater. Dignus, quem Papinianus ſolvat, nodus! ſolvit autem commodiſſime, ſi recte eum interpretatus ſum *d. C.* III. nec illis quicquam addo. Inter ætatem Legis Juliæ, de qua totus ibi ſermo eſt, & ætatem Papiniani, de qua nos agimus, tanta fuit intercapedo temporis, ut ab illa ad hanc nemo recte argumentum duxerit. Papiniani quidem ætate patri adhuc competebat poteſtas occidendi filiam, ſed non quamlibet, etiam nullam ob cauſam, nedum idoneam, ut hæc olim competierat ex Lege Regia, at filiam adulteram duntaxat, idque ex ſolo præſcripto Legis Juliæ, quemadmodum ipſe Papinianus id explicat in *l.* 20. *& l.* 22. *ff. ad L. Jul. de adulter.* Quæ Jacobus Gothofredus ad *d. l.* 2. dixit de ἀντινομίᾳ, quam ſe reperiſſe putabat Juris quidam ſtudioſus inter Legem Regiam & Legem Juliam de adulteriis, ſi non intelligenda ſint de Lege Julia, reſpectu Papiniani, fateor, me neſcire, quid ſibi ve-

velint. Abſque eo ſi ſit, illa placere non poſſunt, niſi tamen ipſe non ſatis adſequar, quomodo ſatisfaciant difficultati, quam Giphanius, Pithœus, alii, ex eo loco movent.

Sed ad uſque Conſtantinum M. perduraſſe ἀνυπεύθυνον illud patris imperium, ex ipſo Conſtantino probare ſibi videntur in *l. ult. C. de Patr. poteſt.* ſeu potius in *l.* 2. *C. Th. de Liber. cauſ.* Prolixe agit Conſtantinus in *d. l.* 2. de eo, ejuſque bonis, qui ignorans ſervitutem ſervit, & præmittit hoc benedictum: *Libertati a Majoribus tantum impenſum eſt, ut patribus, quibus vitæ in liberos necisque poteſtas permiſſa eſt, eripere libertatem non liceret.* Hoc *l.* 2. exordium Tribonianus collocavit in *d. l. ult.* ſed, ut jam monui *C.* II. pro *permiſſa eſt*, quod in *Cod. Th.* eſt, reſcripſit, *olim permiſſa erat.* Lectio interpolata habet ſignificationem præteriti temporis, & nihil quicquam obſtat, non interpolata ſignificationem præſentis temporis, & obſtare diceres, atque ſi nempe Conſtantinus vegrandem illam poteſtatem ſua adhuc ætate licitam pronuntiaſſet. Sed quia de *Majoribus* agit, illud *permiſſa eſt*, ſatis commodam præteriti temporis ſignificationem recipere, recte obſervavit Jacobus Gothofredus ad *d. l.* 2. quæcunque enim ſequuntur, etiam ad *Majores* referenda ſunt, & poſſem, ſi tanti eſſet, quamplurimas ejuſmodi locutiones adferre. Plus dico; ne quidem illud *permiſſa eſt*, ex mente Conſtantini, inducere poſſe ſignificationem præſentis temporis: nam ſi poſſet, diceret ipſe, poteſtatem vitæ necisque eo, quo tunc loquebatur, tempore licitam permiſſamque, & tamen nemo dubitat, ante quinquennium certe, ſi non ante, illam poteſtatem fuiſſe abolitam ex hujus ipſius Conſtantini *l. un. C. de His qui parent. vel liber. occid.* quæ data eſt Anno CCCXVIII. quum hæc *l.* 2. demum data ſit Anno CCCXXIII. Diocletianum abrogaſſe videri occidendi poteſtatem, quia vendendi abrogavit in *l.* 1. *C. de Patrib. qui fil. ſuos diſtrax.* Theodori Marcilii ſententia eſt, etiam *C.* II. repræſentata, ſed mihi non probata. Ego vero putem, venditiones liberorum & ante Diocletianum ceſſaſſe, & *cap. proximo* id plena fide ſum probaturus, ſed quid ſi eo demum tempore? plus eſt occidere, minus vendere, ſi ex ratione rem æſtimemus, non ex figurata locutione alicujus Rhetoris aut Poëtæ. Nec contradicit Conſtantini, vel *Majorum* ſententia, in *d. l.* 2. laudata, ſi hanc interpretemur, ut *C.* I. cum ipſo Marcilio interpretandam eſſe duximus. Quare neceſſario non valet ratio, quæ a venditione prohibita ad necem prohibitam deducitur; ante cædes, poſt venditio patribus potuit eſſe interdicta, ſed an ita fuerit, & quid prius, quid poſterius ſit abrogatum, non auſim præciſe adfirmare. Sufficit, ex *d. l.* 1. non liquere, ad uſque Diocletianum patribus licuiſſe in viſcera ſua ſævire.

Præter has, alias rationes non reperi, quibus ex Auctoribus noſtris defenditur, tam ſero, atque illi volunt, duraſſe poteſtatem occidendi, quumque illæ nihil probent, & contra probaverim *cap. præced.* non amplius cauſſemur, leviſſimis adeo ſuſpicionibus, Tribonianum infeſtas manus intuliſſe Paulo in *l.* 11. *ff. de Liber. & poſtum hæred. inſtit.*

CAPUT VI.

Venditio liberorum quando obtinuerit, quando ceſſaverit, variæ variorum Sententiæ, & quæ nobis placeat.

Non recitamus hic duntaxat aliorum ſententias, ſed, dum noſtram probamus, reliquas rejicimus. Ut autem de nece, ita de venditione liberorum verum eſt, ejus libertatem eſſe qui citius, & eſſe qui ſerius, quam oportet, extinctam credunt. Jacobus Rævardus ad *LL.* XII. *Tabb. C.* III. illam liberorum vendendorum poteſtatem ne quidem ætate Decemvirorum obtinuiſſe ſibi perſuadet, ipſe ſcilicet non de vera, ſed de imaginaria venditione, quæ in emancipationibus intercedebat, intellexit verba Decemvirorum, contra apertam Dionyſii auctoritatem, etiam ab Ulpiano ſtabilitam, ut latius hæc exſequebamur *C.* I. Quum vero Dionyſii fidem, contra Rævardum, ſequatur Ulricus Huberus, Præceptor olim noſter, *L.* II. *Digreſſ. C.* 4. non animadverto, qua ratione ipſe mox dixerit, latis XII. Tabulis ceſſaſſe quidem veram venditionem liberorum, ſed non ceſſaſſe jus vitæ ac necis, non ſatis hæc ſibi conſtant. Nec ulla etiam auctoritate movetur, niſi quod ita intellexerit Conſtantinum in *l. ult. C. de patr. poteſt.* qui tamen, ut ſatis dixi, longe aliter intelligendus eſt. Sed his miſſis, ad eos tranſeamus, qui vendendi libertatem ſerius, quam par eſt, ſublatam cenſent. Hos inter eſt, ut alia occaſione ſupra quoque indicabam, Theodorus Marcilius *Interpretam. LL.* XII. *Tabb. C.* XXV. qui ait, jus vendendi primum antiquaſſe Diocletianum in *l.* 1. *C. de Patrib. qui fil. ſuos diſtrax.* neque tamen illam impietatem omnino tunc eſſe profligatam, Conſtantinum enim in *l.* 2. *C. Eod.* & in *l. un. C. Th. de His qui ſanguinol. empt. vel nutr. accep.* permiſiſſe patribus, victus vitæque ſuæ gratia, filium filiamve ſanguinolentos vendere. Sic ille, & ſic etiam Hubertus Giphanius ad *l. ult. C. de patr. poteſt.* Diocletiano nempe primum tribuentes prohibitionem hujuſmodi venditionum. Franciſcus Balduinus ad *L. Romuli* XVII. incertus conſilii eſt: *Jus, inquit, vendendi filiifam. patri plane ademptum fuiſſe tempore noſtrorum JCtorum, certo adfirmare non poſſum, ſed poſteriorum Cæſarum Reſcriptis plane ſublatam fuiſſe hanc venditionis ſpeciem ſatis conſtat,* & mox laudat Diocletiani Reſcriptum in *d. l.* 1. *C. de patrib. qui fil. ſuos diſtrax.* At poſtea certiorem conſilii fuiſſe ipſum Balduinum conſtat ex ejus *Conſtantino M. p.* 248. *Primi, inquit ibi, noſtri JCti videntur cum jus illud vitæ & necis improbaſſe, tum vero patriam poteſtatem filiifam. aut vendendi aut obligandi damnaſſe.* Probo hanc poſteriorem ſententiam, & rationes mox expediam.

Ut nunc dicam, quod ipſe ſentio, certum immotumque mihi ſedet, promiſcuas liberorum venditiones Romulum permiſiſſe patribus, & quidem ſevera adeo lege, ut ſupra expoſui, Numam deinde Pompilium, ut ut hanc libertatem vendendi probaret, excepiſſe tamen filium, in cujus nuptias conſenſiſſet pater, quemadmodum hanc exceptionem retulit Dionyſius Halicarnaſſ. *L.* II. *p. m.* 98. & Plutarchus in *Numa p. m.* 126. addita ratione, quod indignum putaret, mulierem, quæ homini libero nupſiſſet, mox cogere, ut cum ſervo viveret. Eſt hæc una exceptio, quæ & ipſa veram fuiſſe venditionem abunde probat,

de

de aliis exceptionibus nulli ſcimus, atque adeo tenemus, etiam poſt Numam Pompilium patrem potuiſſe filiumfamilias, non maritum, jure ſuo vendere. Aliquamdiu ſane poſt Reges exactos jus illud patrium ſubſtitiſſe, argumento eſſe poteſt quod ne Decemviri quidem auſi ſint hanc mercem humanæ carnis prohibere, Romuli Lege propterea etiam XII. Tabulis inſerta, ut auctor eſt Dionyſius *eo loc.* Duravit igitur illa poteſtas poſt XII. Tabulas, ſed quousque, ego non auſim præciſe definire. Ludunt ſane, qui veterem hanc Jurisprudentiam inde ſubverſum eunt, quod Cicero *Orat. pro Domo ad Pontific. C.* 77. a Majoribus proditum eſſe adſerat, *ut nemo Civis Romanus aut* LIBERTATEM *aut Civitatem poſſit amittere, niſi ipſe auctor factus ſit*, nam de cive Romano, qui ſui juris eſt, intelligendum esſe Ciceronem, ipſe ejus locus ſatis ſignificat. Sin autem de filiofamilias accipere Ciceronem omnino velis, per me licet, *libertatem* tunc exponas *ingenuitatem*, ut, magna Nomina ſecutus, C. I. exponebam Conſtantini verba in *l. ult. C. de patr. poteſt.* ne & illa ſubverterent antiquum Juris Decretum de licita liberorum venditione, & ſic intellecta ne quidem probant, jus vendendi ceſſaſſe ante jus occidendi. Ipſe Rævardus, ut ibi dixi, in eam interpretationem conſentiebat, quamvis urgeat, imaginariam venditionem fuisſe, quæ vera fuit, translato bona fide dominio, & quam ut veram quoque accepit Franciſcus Duarenus *Comment.* ad *Tit. ff. de Capit. minut.* & tantum non omnes Interpretes, excepto Rævardo.

Sed de eo non eſt magnopere laborandum, plus ſcire attinet, ad quam usque ætatem Populi Romani, liberi, a patribus venditi, veram ſervitutem ſerviverint? infrequens fuiſſe illud liberorum commercium, tam prioribus, quam poſterioribus temporibus, inde conſtare poterit, quod priſci Annales vix exempla ſuggerant ejusmodi venditionum, utique de liberis robuſtæ ætatis; nec quoque de infantibus fere aliud quicquam eſt proditum, niſi in Comœdia veteri. Quæ etiam ratio eſt, quod, ut modo dicebam, tam accurate ſciri nequeat, ecquando in deſuetudinem abierit barbarus ille mos vendendæ prolis, ſed tamen credibile eſt ceſſaſſe, poſtquam moratior ætas Philoſophiam Jurisprudentiæ conjunxit, vel ſimul cum jure vitæ & necis, vel ſaltem haud ita poſt. In cauſa necis occurrebant exempla & auctoritates, ex quibus certior & exactior ratio temporis iniri poterat, in cauſa venditionis quum iis deſtituamur, non niſi generaliter & ὡς ἐν πλάτει dicere licet, moribus abrogatam videri, poſtquam crudelior in liberos animadverſio diſplicuit. Non primum Diocletiani ævo, & ex ejus Conſtitutione, ut Marcilius & Giphanius putabant, ſed, ut ego puto, omni ævo JCtorum, quorum Fragmenta in Pandectis ſuperſunt, certe ab ætate Principis Adriani, & deinceps, niſi uno forte caſu, quem mox indicabo. Præter hunc nihil reperio quam imaginem & umbram veræ venditionis, in emancipationibus liberorum uſurpatam, de qua ſola omnis eſt veterum JCtorum ſermo.

Ita ego cenſeo, & ita quoque cenſet Franciſcus Connanus *Comment. Jur. Civil. L.* II. *C.* 13. *n.* 4. hac ratione, *quod in JCtorum Commentariis nullum de vera venditione exemplum reperiatur.* Ego etiam aliis rationibus moveor, & quidem ejusmodi, quæ contra probent. Adſit primum Paulus in *l.* 34. §. 1. *ff. de Contrah. empt. & vendit.* qui, poſtquam dixiſſet, omnium rerum venditionem eſſe, niſi quas vel natura, vel Jus Gentium, vel *mores Civitatis* commercio exemerunt, mox addit in §. 2. *Liberum hominem ſcientes emere non poſſumus.* Quod adeo verum eſt, ut Valerianus & Gallienus, jam ante Diocletianum, in *l.* 15. *C. ad L. Fab. de plag.* reſcribant, venditorem liberi hominis in crimen plagii incidere, ut & olim incidebat emptor, ſi *ſciens dolo malo* emiſſet *l.* 6. §. *ult. ff. Eod. Liber. homo*, ſervo oppoſitus, non minus eſt filius, quam paterfamilias, &, ut vides, ab hac regula ne patrem quidem vendentem excipit illa Jurisprudentia. De *ſcientia emptoris* quod adjicitur, rationem habet, quia emptores ignorantes recte emunt & *liberum hominem*, & alia, quæ Pomponius recenſet in *l.* 4. *ff. de Contr. empt. & vendit.* non quod in ignorantes dominium transeat, ſed, ut ex aliis Juris articulis conſtat, quod venditor ejusmodi emptori teneatur in id, quod intereſt. Nec a regula, quæ hominis liberi commercium vetat, aliam JCti noſtri exceptionem produnt, quam in majore XX. annis, qui venum ſe dari paſſus eſt, ut pretium participaret, quique adeo eſt libertatis ſuæ ipſe proditor.

Quod de libero homine generaliter dixi, ad filiumfam. quem pater tanquam ſervum ignoranti vendidit, Julianus, ipſo Adriani ævo, transtulit in *l.* 39. §. 3. *ff. de Eviction.* & ait patrem, ita vendentem, evictionis nomine teneri. Cur evictionis nomine, niſi quod filio ad libertatem proclamare liceat, ſi emptor ejus conditionem ignoravit? licet etiam, ſi ſciverit, ſed tunc evictioni locus non erit, quia adverſus eum ipſum, qui ſciens emit, proclamatio ad libertatem non denegatur, ut prolixe explicat Paulus in *l.* 4. *ff. Quib. ad libert. proclam. non lic.*

Quin illa filiorum venundatio non tantum *crimen* audit apud Diocletianum in *l.* 37. *C. de Liber. cauſ.* quod nihil probat, quia de anteriore Jurisprudentia laboramus, ſed *res illicita & inhoneſta* apud ipſum Antoninum, quisque demum ille fuerit, quamquam Caracallam fuiſſe probabile eſt, in *l.* 1. *C. Eod. Rem*, ait cum indignatione ad patrem, *illicitam & inhoneſtam admiſiſſe te confiteris, quia proponis, filios ingenuos a te venundatos. Sed quia factum tuum filiis obeſſe non debet, adi competentem Judicem, ſi vis, ut cauſa agatur ſecundum ordinem juris.* Id factum Baſilici eo loco, ſermonis compendio, vocant πρᾶγμα αἰσχρόν, ſed verterat Τὸ κατὰ πόδας, ut interpres ibi notat, πρᾶγμα ἀθέμιτον καὶ ἄσεμνον, & in tantum illicita res, ut plagii pœnam, non memoratam vel in *d. l.* 1. vel in *d. l.* 37. interpretationis loco, ipſi Baſilici adjungant, forte ex *d. l.* 15. *C. ad L. Fab. de plag.*

Geminum venditioni eſt jus pignoris. Et patrem filios pignori dare non potuiſſe conſtat, non tantum Diocletiani ætate, de qua eſt *l.* 6. *C. Quæ res pign. oblig. poſſ.* ſed nec ætate Pauli, nam creditorem, qui ſciens filiumfam. a parente pignori accepit, *relegari* ipſe ſcripſit in *l. ult. ff. Quæ res pign. vel hypoth. dat. oblig. non poſſ.* vel potius *deportari*, ut eſt genuina Pauli ſcriptura *L.* V. *Sentent. T.* I. *n.* 1.

Si hæc ita placuerint ævo Juliani, Antonini, Pauli, Valeriani & Gallieni, non eſt novum, ut Marcilius & Giphanius exiſtimabant, quod Diocletianus & Maximianus reſcribunt in *l.* 1. *C. de Patr. qui fil. ſuos diſtrax. Liberos a Parentibus*, inquiunt, *neque venditionis, neque donationis titulo, neque pignoris jure, aut alio quolibet modo, nec ſub prætextu ignorantiæ accipientis, in alium transferri poſſe, manifeſtiſſimi juris eſt.* Sed nec id, quod reſcribunt, ut rem novam proponunt, ajunt enim, *manifeſtiſſimi juris*

eſſe,

eſſe, & ſic eſt, ut per partes expoſui, cum de liberorum venditione, tum de pignoris datione; ſi neutrum licuit, de donatione, vel alio quo modo transferendi dominii non eſt, ut agamus, neceſſe, nam duo priores reliquos omnes modos ſatis excludunt. Reſcribunt igitur Diocletianus & Maximianus de jure aperto, ut ſæpe ſolent Imperatores ex facto, quod incidit, conſulti. Et quamvis reſcribant *Papinianæ*, atque ita fœminæ, nolim ex eo effici, de matribus duntaxat oportere intelligi, quod hic *maniſeſtiſſimi juris* eſſe perhibetur, ac ſi nempe illis, utpote patria poteſtate deſtitutis, id jus non competeret, ſi enim ita intelligas, etiam nulla de patribus eſſet prohibitio, contra quam ipſi Marcilio & Giphanio viſum eſt. Ut ut autem matri inſcripta ſit *d. l.* 1. de *Parentibus* tamen eſt ipſum Reſcriptum, & quod de *Parentibus* reſcribitur, de ſolis patribus eſſe accipiendum, non tantum Tituli inſcriptio ſignificat, ſed & de matribus inepta quæſtio, ob quam Principes adirentur, nemo enim unus eſt, qui de his unquam ſerio deliberaverit. Papiniani, pia mater, de facto forte mariti queſta, id reſponſum tulit, quod de patribus conſulti, omnes, niſi fallor, JCti dediſſent, ex quorum ſymbolis Pandectæ conſtant.

Sic habemus regulam de prohibita liberorum venditione & oppigneratione, non ut eam induxerunt Diocletianus & Maximianus, ſed ut ex Jure veteri confirmarunt. Unam exceptionem dabit Paulus *L.* V. *Sentent.* *T.* I. §. 1. *Qui*, ait, *contemplatione extremæ neceſſitatis, aut alimentorum gratia, filios ſuos vendiderint, ſtatui ingenuitatis eorum non præjudicant: homo enim liber nullo pretio æſtimatur.* Vides, qui hic loquitur, Paulum eſſe, & loqui de filiis, non diſtincta ætate. De legibus Conſtantini aliorumque Principum, & omni ejus juris progreſſu, & quid de recens natis ſtatuendum ſit, poſtea accuratius erit dicendum. Vides etiam, non damnari venditionem filiorum (& de filiabus procul dubio tantundem erit) ſi urgeat, durum telum, neceſſitas, ſi pater vendat, quo ſe & ſuos, & hunc ipſum, quem vendit, ſalvos eſſe velit, ſi, quo ſe & ſuos exhibeat, nec aliunde quicquam habeat, nec habere poſſit, tunc, inquam, vides venditionem non damnari, ſed ita tamen, ne quid filiorum ingenuitati præjudicet pater. Quæ adjectio, cum ad manumiſſionem referatur, ut mox dicam, ſatis ſignificat, potuiſſe patrem, ſi alioquin ſibi ſuiſque pereundum esſet, liberos in ſervitutem vendere: neque enim Paulum intelligo de facto illicito patris commentantem, ut nec quisquam alius, quod ſciam, ita Paulum intellexit. Et noli putare, non ſatis id convenire pietati veterum JCtorum, quia ipſa humanitatis ratio defendit venditionem, qua ſibi, qua reliquis liberis unice conſultum ivit pater, ſi enim nihil ei ſuperſit, quo miſeram animam trahat, ſi publico ſumptu egeſtas non juvetur (quæ cura ut deinceps audies, poſterioris temporis fuit) ecquis negabit æquius melius eſſe, liberos, quo vivant, in ſervitutem vendere, & ita neceſſitati cedere, quam fame, miſerrimo mortis genere, in ſinu, in lectulo, ad focum pereuntes videre? Etiam Jure Judaico, alimentorum vel æris alieni cauſa, liberos & venundatos & oppigneratos fuiſſe legimus *Geneſ.* *C.* XLVII. §. 18. 19. & 25. & *L.* II. *Reg.* *C.* IV. §. 1. Lex Thebana quid patri, ad mendicitatem egeno, circa liberos permiſerit ex Æliani *L.* II. *Var. Hiſtor.* *C.* 7. video & alios notaſſe. Gothos quoque in Dacia, Mœſia & Thracia habitantes, cum fame laborarent, omniaque conſumpſiſſent, tandem & datis liberis ſuis victum a Romanis comparaſſe auctor eſt Jornandes *Hiſtor. Getic.* *L.* VIII. *p. m.* 1088. plura in hanc rem exempla ſuggeſſit Solorzanus *de Parricidio* *L.* II. *C.* VII. quæ non deſcribo. Satis, opinor, hæc omnia perſuaſerint, in caſu egeſtatis, ubi deficit publica liberalitas, non niſi impia pietate liberorum venditionem prohiberi, quumque Pauli ætate publica liberalitas, in eam cauſam, defecerit, recte [illegible] a regula excepiſſe *extremam neceſſitatem.*

Romanorum tamen clementia, etiam hac in pa[illegible] ſtatui liberor[u]m conſuluit, *ingenuitati* enim *eorum non præjudicari* Paulus ſcripſit, *quia liber homo nullo pretio æſtimatur.* Quod ita non acceperim, atque ſi ita venditus filius veram ſervitutem non ſervierit, vel ipſe potuerit pro arbitrio ad libertatem proclamare, vel pater, vel avus, vel al[i]us libertatis aſſertor; quo enim tunc bonum eſſet vendere, & quis emptor hujusmodi mercem comparaverit? verum ita, ut manumisſus ille filius non fiat libertus, ſed ſit, qui ante fuit, ingenuus, ſuſpenſa ſic ad tempus ingenuitate, quæ, quantovis pretio intercedente, poſt manumiſſionem non extinguitur, ſed potius revivifcit. Id ipſum Paulus mox indicat *d. L.* V. *Sentent.* *T.* I. cum infit §. 2. *Veritati & origini ingenuitatis manumiſſio, quocunque modo facta fuerit, non præjudicat.* de quo jure eſt *Titulus Cod. de Ingenuis manumiſſis.* Atque ita Paulum quoque accepit Theodorus Marcilius *Interpretam.* *L.* XII. *Tabb.* *C.* XXV. plane ut Conſtantinum in *l. ult. C. de Patr. poteſt.* qui, etiam me judice, obſcurius dixit, quod hic apertius expreſſit Paulus.

Hæc autem exceptio, quam Paulus tradidit, tradidit ex Jurisprudentia ſui temporis, & ita regulam confirmat, quam ab ipſo & aliis accepimus de prohibita alioquin liberorum venditione & oppigneratione. Non auſim adfirmare, Diocletianum in *d. l.* 1. *C. de Patr. qui fil. ſuos diſtrax.* hanc exceptionem ſuſtuliſſe, nam de regula, quæ manifeſti juris eſt, reſcribit duntaxat, de exceptione tacet, ſed hæc cum & rationi conveniat, & ibi abrogata non ſit, & confirmata deinde, utique quod ad ſanguinolentos, neſcio, cur a Diocletiani ſæculo alienam putemus.

CAPUT VII.

De nece infantum, & nunquid de ea aliud prior, aliud poſterior ætas cenſuerit.

Hactenus ita proceſſit oratio noſtra, ut nullo ætatis diſcrimine de quibuscunque liberis egerimus, & quod ad necem, & quod ad venditionem, nec etiam memini in Legibus, quas ſupra expoſui, inter ætatem quicquam diſtingui. In venundatis diſtinxit poſterior ætas, in necatis non item, utique ſi ipſe recte judico. De necatis primum videamus. Priusquam autem agam de partu, jam edito, de quo præcipua erit diſputatio, non abs re erit paucis præfari de ventre ſive embryone, & an hunc abigere licuerit? nam, ſi non licuerit, tempore Pandectarum, ut

non-

non licuiſſe Cujacius *L.* XIX. *Obſerv.* C. 9. & Rævardus *L.* III. *Conject.* C. 1. diſputant, non male ex eo Rævardus videbatur efficere, partum editum, eo jure, minus licuiſſe occidere, quia homo plus eſt, quam ſpes hominis. Sed ſi quid valeat ea ratio, reſtringendam eſſe reor ad ſolum patrem, & quærendum, an ille, jure poteſtatis ſuæ, potuerit procurare abortum, ut ajunt potuiſſe, jure ſuo, cædere infantem. Qui matrem, qui alios abactores hic confundunt, vereor, ut aliud agendo plane aberrent. Alios certe non recte propinare abortionis poculum Paulus auctor eſt in *l.* 38. §. 4. *ff. de Pœn.* An vero ipſa mulier ſibi poſſit ſumere, alia quæſtio eſt, & de qua ſi veteres JCtos rogemus ſententiam, fere negare dixeris. Simpliciter ſane Ulpianus in *l.* 8. *ff. ad L. Cornel. de ſicar. Si mulierem viſceribus ſuis vim intuliſſe, quo partum abigeret, conſtiterit, eam in exilium Præſes Provinciæ exiget.* Negare etiam dixeris Marcianum, ex Reſcripto Severi & Antonini, in *l.* 4. *ff. de Extraord. crimin.* & Tryphoninum ex allato, quod apud Ciceronem eſt, exemplo, & ex eodem, ut videtur, Reſcripto in *l.* 39. *ff. de Pœn.* Scio eſſe, qui ex Philoſophia Stoïca probant, fœtum, dum in utero eſt, hominem non haberi, ſed partem matris, & poſſe ſe mulierem æque fœtu privare, ac digito, oculo, aliove membro corporis, & qui porro exiſtimant, JCtos noſtros, huic Philoſophiæ addictos, non alia uſos fuiſſe ſententia, & ejus rei veſtigia eſſe in *l.* 1. §. 1. *ff. de Inſpic. ventr.* & *l.* 9. §. 1. *ff. ad L. Falcid.* Sed quum ibi partus abigendi poteſtas non detur matri, & palam negetur aliis, quos dixi, locis, habet ea res difficultatem, ab aliis quoque animadverſam, ſed dubito, an ſatis feliciter remotam.

Ego putem, ſi mulieri partus in ventre necandi poteſtatem dederint Leges Romanæ, non aliter dediſſe, quam de partu, quem mulier ex vulgivaga Venere, non ex marito concepit: nam ecce uterus ad maritum pertinet, jure proprio, & hinc poſt divortium, vel mortuo marito, venter inſpicitur, &, ſi mulier renuncietur gravida, cuſtos apponitur *l.* 1. *pr.* & §. 10. *ff. de Inſpic. ventr.* Nec alia cauſa Severus & Antoninus in *d. l.* 4. mulierem, quæ data opera abegerat, in temporale exilium damnarunt, quam quod *indignum videri poterat, impune eam* MARITUM *liberis fraudaſſe.* Id autem non dixerim fuiſſe ex Jure novo, quia hac ipſa ratione Mileſia mulier, ut Cicero *pro Cluentio Avito* de ſua ætate ſcripſit, rei capitalis fuit damnata; eam profecto, non aliam damnandi rationem ex Cicerone attulit Tryphoninus in *d. l.* 39. *quod* nempe *ab hæredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi ipſa medicamentis abegiſſet;* & ſuperdicit Cicero: *nec injuria, quæ ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, hæredem familiæ, deſignatum Reipublicæ civem ſuſtuliſſet.* Animadvertis, omnia potiſſimum ad patrem referri, & eo quoque retulit Tryphoninus Reſcriptum Severi & Antonini, quod mox commemorat in *d. l.* 39. addens, quod non addiderat Marcianus, mulierem, quæ poſt divortium abegerat partum, *ne jam* INIMICO MARITO *filium procrearet*, temporali exilio fuiſſe coërcitam. Habes cauſam pœnæ in utraque parte Legis? neque adeo oportet Tryphoninum, in prima parte, de Mileſia muliere agentem, ita intelligere, ac ſi non de Jure Romano, ſed de Statuto Civitatis alicujus Græcæ verba faceret, quia, ut dixi, convenit Juri Romano damnandi cauſa, diſerte addita, & mox in eandem ſententiam repetita, & quam ipſam quoque expreſſerat, *d. l.* 4. *ff. de Extraord. crimin.* Unus Ulpianus in *d. l.* 8. *ff. ad L. Cornel. de ſicar.* abactum partus damnat, ut diceres, ſimpliciter & generaliter, atque ita, etiamſi præjudicium mariti non vertatur. Sed non levi ſuſpicione moveor, Ulpianum reſpexiſſe ad hoc ipſum Reſcriptum Severi & Antonini, de quo Marcianus & Tryphoninus locuti ſunt in *d. l.* 4. & *d. l.* 39. & proinde intelligendum quoque de muliere nupta, quæ in fraudem mariti, procurato abortu, ſpem hominis necaverat, nam non eadem tantum apud Ulpianum & Tryphoninum locutio eſt de muliere, *quæ viſceribus ſuis vim intulit*, ſed Ulpianus eam *a Præſide in exilium exigendam* dicit, quam Marcianus, ex Reſcripto, *a Præſide in temporale exilium dandam eſſe* dixerat, & Tryphoninus, *temporali exilio coërcendam.* Patior itaque Jure Romano, in promiſcua Venere, mulierem, quod concepit, poſſe abigere, utpote ſui ipſius partem, nullo alterius cujusquam præjudicio, ſed non patior id nuptam facere in præjudicium mariti. Tota vero hæc diſputatio, quæ ad mulierem pertinet, aliena eſt a patre & jure patriæ poteſtatis, &, ſi ipſe pro infanticidio, jure Pandectarum licito, pugnarem, eo ſolo mallem defungi, quam, in cauſa necis, negare conſequentias de ſpe hominis ad ipſum hominem. Poterat ſimile quid excidere, ſi uſpiam ſcriptum eſſet, patri non licuiſſe abortum procurare, id autem quum veteres JCti nec ajant, nec negent, ſed de matre quærant unice, oppido alienum eſt ab eo, quod nos agimus, neque adeo neceſſe, tantas ea de re turbas ciere. Quia tamen nemo eſt, qui in hac cauſa prætermiſerit id argumentum, etiam mihi ſententiæ dicendæ libertatem dari volui, ut an hæc, an aliæ aliorum magis placeant, quisque poſſit conſtituere.

Nunc preſſius nobis res erit cum his, qui largiuntur, liberos non quidem quoscunque licuiſſe patri, jure Pandectarum, cum occidere, tum exponere, ſed licuiſſe infantes, recens natos, etiam adusque principatum Valentiniani, Valentis, & Gratiani. Hanc ſententiam primum extulit Juſtus Lipſius *Centur.* I. *ad Belgas Epiſt.* 85. & ſingulari Libro, quem *Julium Paulum* inſcripſit, haud ita pridem defendit Vir Clariſſimus mihique amiciſſimus Gerardus Noodt, digniſſimus Juris Anteceſſor in Academia vicina. Ego necem infantum, & quæ pari fere paſſu ambulat expoſitionem, non ſola exiſtimatione hominum, ſed Jure & Legibus, dudum ante Valentinianum, & quidem ipſa ætate veterum JCtorum, improbatam illicitamque fuiſſe arbitror, nec, ſat ſcio, ægre feret amicus meus, quæ ejus eſt animi magnitudo, ſi ab ipſo amice diſſentiam. Ex his, quæ dicam, plurima pertinebunt & ad necem & ad expoſitionem infantum, ſibi enim hæc ita conjuncta ſunt, ut ſæpe in eandem cauſam incidant. Diſtinxi tamen hæc, quantum potui, & ab his rurſus venditionem, de nece & venditione primum dicam, & hiſtoriam Juris enarrabo; de expoſitione quæ ſuperſunt, ſingulari loco dicturus.

De infantibus cum loquor, monſtra hinc abeſſe jubeo, & quicquid olim de monſtris cautum fuit. Partus monſtroſi necem quemadmodum Romanæ Leges vel permiſerint vel imperaverint alii prolixe dixerunt, ſed eam rem, quippe quæ huc non pertineat, prudens prætereo; aliquid tamen de ea, alia occaſione, erit dicendum *C. ult.* Partus vero non monſtroſos non licuiſſe patri jure patriæ poteſtatis occidere, non obſcure inde collegeris, quod JCti veteres id nuſpiam prodiderint. Quinimo, cum liberorum

cædem coërcent, ut variis id auctoritatibus videor probaſſe *C. IV.* ætatis eos nullam rationem habere video, ſed ſimpliciter de liberis affirmare, *licebat occidere*, ex jure antiquo. Conſtantinus quoque, quia de pœna patris interfectoris docrat Lex, in *l. un. C. de His qui parent. vel* LIBEROS *occid.* ejusmodi patres, filiorum interfectores, pœna parricidii adficiendos conſtituit, anno ſcilicet CCCXVIII. diu ante legem, ad quam provocant, Valentiniani, Valentis, & Gratiani in *l.* 8. *C. ad L. Cornel. de ſicar.* quæ data eſt anno CCCLXXIV. Qui *filium* dicit, ut dixit Conſtantinus, omnem cujuscunque ætatis intelligit, niſi ſit, qui exceptionem probet.

Sed tantum abeſt, ut illam exceptionem probari poſſe mihi perſuadeam, ut magis putem, exſtare loca veterum Auctorum, quibus plane ſubvertatur. Aliquot ejusmodi loca, cum noſtrorum, tum aliorum hominum collegit Jacobus Gothofredus ad *l.* 1. *C. Th. ad L. Cornel. de ſicar.* quæ non vacat deſcribere. Sed ſi ipſe non alia haberem, nec, quæ ille habet, hic illic vindicanda eſſent ab injuriis quorundam & cavillis, ego nollem perſonam habere ſtandi in hac lite. Fortiſſimum autem ejus rei argumentum eſt, utique mihi eſſe videtur, quod pater, jure Pandectarum, liberos & agnoſcere & alere teneatur, non tantum liberos maturioris ætatis, de qua ſpecie eſt *l.* 5. *pr. &* §. 1. *ff. de Agnoſc. & alend. liber.* ſed & ipſum partum: ſi enim partus conſtante matrimonio ſit editus, præſto eſt SCtum, temporibus D. Adriani factum, quo pater agnoſcere jubetur *l.* 3. §. 1. *ff. Eod.* ſi vero poſt divortium intra XXX. dies proximos ſe prægnantem eſſe mulier marito denunciet, & ille contra non denunciaverit, adeſt SCtum Plancianum, quo cogitur partum agnoſcere, &, ſi non agnoverit, extra ordinem coërcetur *l.* 1. §. 1. *&* 4. *ff. Eod.* Quin ſi vir vel mulier ſolemnia quædam omiſerint, quæ ex SCto obſervare oportuit, cogitur tamen alere maritus *l.* 1. §. 15. *ff. Eod. Cæterum*, inquit Ulpianus, *recuſare poterit filium*, quemadmodum & recuſare poterit, licet uxorem prægnantem eſſe non negaverit, & ob eam cauſam coactus fuerit alere *d. l.* 1. §. 14. *Eod.* Semper ſcilicet marito, quamvis interea ad alimenta obligato, integrum eſt recuſare filium, hoc eſt, probare ex ſe editum non eſſe, ut ſi per decennium abfuerit, & reverſus anniculum repererit, vel qua alia ratione, dummodo idonea, *ſed non ferendus eſt maritus, qui cum uxore ſua moratus nolit filium agnoſcere, quaſi non ſuum*, ut ex Juliano idem Ulpianus retulit in *l.* 6. *ff. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.* Si igitur non obſtet abſentia, vel infirmitas, vel aliud quid, de quo eſt in *d. l.* 6. ita habeamus, patrem, qua patrem, cogi filium agnoſcere, & ſimul alere, *negare* enim *non eſt liberum*, inquiunt Imperatores in *l.* 9. *C. de Patr. poteſt.* adductis his, quæ dixi, & aliis, quæ negantem patrem cogant, remediis. Satis intelligo, illa remedia fuiſſe civilia, nec niſi de Prætore accipi poſſe, quod de *coercitione extra ordinem* ait *d. l.* 1. §. 4. & ſatis intelligo, plurimum intereſſe inter remedia Prætoria & vindictam publicæ Diſciplinæ, ſed ſcire velim, eccur patri educationis neceſſitas fuerit impoſita, ſi ipſi, jure patriæ poteſtatis, partum necare vel exponere fuiſſet liberum. Si, inquam, ita juris fuiſſet, ſcire velim, quamobrem pater, ad denunciationem mulieris, non potuiſſet reſpondere, paratum ſe eſſe vel necare partum, vel exponere. Quo facto conſtaret, omnem ſollicitudinem de alimentis, de prægnante muliere, de cuſtodibus, & quæ porro ejus argumenti ſunt, eſſe oppido ſupervacaneam. Nec intercedit etiam Vir Clariſſimus eo, quod dixi, Opuſculo, quominus infans ſit alendus, nec ideo promiſcue patri largitur jus vitæ necisque, & arbitrium exponendi, ſed duntaxat, ut non uno loco ait, *antequam agnitus aliquo cæptus eſt.* Recte, ſi, ut in Comœdia, ita in Jure, quo de agimus, patris electio eſſet, velletne liberos tollere, an abjicere, ſed, ut dixi, cogitur agnoſcere, cogitur alere, ſi pater eſt; & ea Juriſprudentia, ſi me audias, antiquum jus occidendi exponendique quam manifeſte ſubvertit.

Et nefas fuiſſe illis temporibus liberos, etiam tenellæ ætatis, necare, inde opinor conſtare, quod Paulus *L.* II. *Sentent.* de partu agens, ea omnia enumeraverit, quæ in ſpeciem necis incidunt. Verba ejus in *l.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. liber.* hæc ſunt: *Necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, ſed & is, qui abjicit, & qui alimonia denegat, & is qui publicis locis miſericordiæ cauſa exponit, quam ipſe non habet.* Verbis lucem nonnullam placet adfundere. Et primum obſervo, quod nemo negaverit, quicquid hic dicit Paulus, unice referendum eſſe ad liberos recens natos, ad partus, nam *abjectio* & *expoſitio*, quarum ſic meminit, non cadunt niſi in partum, & nemo unus eſt, qui hæc verba uſurpaverit de liberis perfectæ ætatis.

Ait, *necare videtur.* Non definit, quæ pœna maneat patrem occiſorem, & an incidat in Legem Pompejam de parricidiis, an in Corneliam de ſicariis, an vero, quod magis eſt, in crimen extraordinarium, Judicis arbitrio plectendum, non, inquam, id definit; at nec definire opus erat, quia nec ipſe quæſivit, nec nos quærimus de genere pœnæ, ſed duntaxat an Pauli ætate partum necare extra Legum tabulas, atque adeo extra omnem pœnam fuerit? Si patri impune licuiſſet partum necare, ad quid, obſecro, utile eſſet recenſere omnes ſpecies, quæ ad necem accedunt, & ad inſtar ejus obtinent? an animi, an alterius cujusque rei gratia? ſane inanis fuiſſet ille labor, ſi tam occiſio, quam perfocatio, abjectio, & reliqua, de quibus agit, æque impunita fuiſſent. Sed impunita non fuerunt, nam qui partum perfocat, abjicit, alimonia denegat, & exponit, *necare videtur*, hoc eſt, perinde habetur, atque ſi necaſſet, eadem, qua ille, plectendus pœna. Ut ſic Paulus a prohibita nece etiam alia omnia prohibita eſſe deducat; quod genus argumenti, ſi exempla ſequamur, plus vincit, quam vincitur.

Ait, *qui partum perfocat.* Non eſt id intelligendum ut nonnemo intellexit, de matre, quæ partum abigit, nam, ne quid aliud dicam, non habet ea vox illam ſignificationem. Quin ipſum *perfocat*, neſcio an alibi uſpiam occurrat. Baſilici vertunt ὁ πνίγων, hoc eſt, uſitatiore verbo, *qui præfocat*, & ita legit Haloander, qui ſtrangulat, qui ſpiritum intercludit, quique adeo interimit partum obſtructis faucibus, non adhibito ferro vel veneno. *Effocandi* voce utitur vetus Scholiaſtes Juvenalis ad *Satyr.* XIV. *vſ.* 222. in eandem plane ſententiam; quæ ipſa vox cum inſolentior ſit, forte non eſt, cur moroſius hic aſpernemur *perfocat.*

Ait, *qui abjicit.* Contra *abjectiones* non minus quam contra *expoſitiones* infantum variæ ſunt Patrum Chriſtianorum querelæ. *Abjicit*, ni fallor, qui loco ſecreto, *exponit*, qui publico infantem locat. Hanc utriusque vocis diſtinctionem plus ſemel animadverti; primum hic dicit

de

de his, qui loco ſecreto projiciuntur, mox dicet de expoſitis loco publico. Aliquando tamen illæ voces confunduntur, unde Nonius in V. *exponere*, ait *exponere* eſſe *abjicere*, & negari non poteſt, ſæpe hæc promiſcue ſumi: ſed tanti non eſt, ut diſtinctæ & promiſcuæ ſignificationis exempla adferamus.

Ait, *qui alimonia denegat.* Eodem ſenſu legitur in *Capitul. Carol. M. L.* VI. *C.* 322. *Necatores pauperum omnes judicandi ſunt, quod eorum alimenta ſubtraxerint.* Et rurſus *L.* VI. *C.* 324. *Homicidæ ante Deum eſſe deputantur, quia res pauperum, quos Eccleſia paſcere debet, diripiunt.* Elegans in hanc rem eſt Ennodii, Ticinenſis Epiſcopi, *Declamatio* IX. *in eum, qui ſeni Patri cibos ſubtraxit.* Verba adſcribam, ut ea (quæ, ut plurima alia Ennodii, male ſe habent) ſimul purgem ab aliquot mendis & pravis interpunctionibus. *Iſte eſt filius, qui grandævo Patri, cum poſſet præbere alimenta, denegavit: idgenii ſceleribus ſuis* (forte *id genus*, vel *id genii ſceleribus ſui*) *aſſocians, ut eſſet Patri incolumi Patricida. Putas evaſiſſe te debitum, de non illata Genitori morte, ſupplicium? ut eſſes nocentior, peperciſti. Potuiſſet* (omnino *potuiſſes*) *cruciatus, quos intuleras, ultimo Patris fine concludere, ſi manu medica jugulum præſtitiſſes:* (lego *præſcidiſſes:*) *prima eſt malorum tuorum adinventio, Creatoris proprii exitium, nec removere, ut pium filium, nec, ut credulum* (reſcribe quantocyus *crudelem*) *decet, inferre.* ſic, ſi bene conjicio, ille locus eſt legendus & interpungendus.

Ait præterea Paulus, *qui publicis locis miſericordiæ cauſa exponit, quam ipſe non habet.* De prætereuntium miſericordia erga expoſitos, quin generaliter in eandem, quam Paulus, ſententiam de crudeliſſima infantum cæde, præfocatione, abjectione, expoſitione, tam pleno ore dixit Philo Judæus *de LL. Specialib. ad* VII. *Præcept. p. m.* 667. *& ſeqq.* ut hic Interpretis loco eſſe poſſit, omnia fere ſimul complexus, quæ rei Chriſtianæ Patres variis locis, a Lipſio adductis, de his ſceleribus hic illic conteſtati ſunt.

De illo loco Pauli nihil quicquam Lipſius *d. Epiſt.* 85. literarum ſcilicet, quam Juris peritior. Sed Clariſſimus Noodt *d. Libello*, ut amoliatur argumentum ex Paulo, ſolicite diſtinguenda monet præcepta officiorum ab Regulis & Decretis Juris, officiorum præcepta, (quæ ipſa & *præcepta Juris* vocat: quam recte, non diſputo) pertinere ad Sapientiam Moralem, atque ejus eſſe monere, ſuadere, & ex ratione virtutis veræ regulas præſcribere, ſed ejusmodi, quæ extra publicas Tabulas ſunt, Decreta vero Juris unice pertinere ad Legem, atque ejus eſſe imperare, vetare, nec diſputatione, ſed pœna cogere ad ſui obſervantiam. Mox contendit, Pauli orationem in *d. l.* 4. referendam eſſe ad Præceptum Morale, non ad Decretum Juris. Ego vero, quod pace animi mei dixerim, non opiner, Paulum in *Libris Sententiarum*, ex quibus eſt *d. l.* 4. explicuiſſe Philoſophiam Moralem, vel ſuaſiſſe boni viri officia, quæ etiam impune licuiſſet contemnere; quin ita potius habendum cenſeo, & ita quoque ſemper cenſuerunt Viri ſummi, Paulum eo Opere, quod *Sententias* inſcripſit, vel maxime Juris regulas & recepta Jurisprudentiæ dogmata comprehendiſſe, nec alio fine tradidiſſe, quam ut filium, ad quem cum Librum ſcripſit, edoceret principia & fundamenta Juris Civilis. Deinde ſi hanc ejus Operis particulam, ſi alias aliorum JCtorum, quas Pandectis inſeruit Tribonianus, ad Præcepta Moralia referas, vereor, ut auctoritas Juris immane quantum periclitetur, & ut, quod pro Lege haberi voluit Juſtinianus, habeatur pro Declamatione alicujus Rhetoris vel Philoſophi. Exſtant apud veteres JCtos quam plurimæ ſententiæ morales, & quis negat? ſed quibus fulciunt Doctrinam Juris, & hanc cum ratione & humanitate componunt, integram vero, de qua agimus, Pauli ſententiam ſimpliciter pro Decreto Philoſophiæ, quæ mores emendet, non pro Decreto Juris, quod licitum ab illicito ſecernat, eſſe habendam, vix & ne vix quidem mihi perſuadeo. Moveor etiam, quod nihil omnino cogat, ut partem probavi, partem adhuc ſum probaturus, cur aliam de infantis nece & expoſitione Jurisprudentiam tribuamus temporibus Pauli, quam ipſe expreſſit in *d. l.* 4. Si quid tamen cogeret, non ego *d. l.* 4. acceperim de Doctrina morali, quæ in Legem non tranſivit, ſed negaverim potius de patribus eſſe intelligendam, quia nulla ibi patrum mentio eſt, & de patre tamen quæritur duntaxat, an illi licuerit, vel non licuerit, jure poteſtatis ſuæ, partum necare, præfocare, abjicere, exponere? aliis procul dubio non licuit, ne matribus quidem. De aliis igitur, extra patrem, ſi intelligamus Paulum, nihil quoque obſtaret patronis infanticidii, jure Pandectarum liciti. Sed vero quia illa crimina, quæ recenſuit Paulus, vix cadunt niſi in patrem, utique non alimentorum denegatio, & quia partus peregrinus, vivat, moriatur, & quemadmodum vivat, moriatur, ad aliorum curam non pertinet, de patribus ipſe accipio, quod Paulus dixit, &, ex mea ſententia, vere dixit ſecundum Jurisprudentiam ſui temporis.

Itaque quod ad infantis necem ſic fuit, ut ſupra expoſui, jure Pandectarum; ſic fuit ex Lege Conſtantini, quam & ſupra laudavi; & ſic etiam eſt ex Conſtitutione Valentiniani, Valentis & Gratiani in *l.* 8. *C. ad L. Cornel. de ſicar. Si quis*, inquiunt Impp. *necandi infantis piaculum aggreſſus aggreſſave ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum.* quæ Lex totidem verbis tranſcripta eſt in Jus Pontificium *C.* I. *de Pœnitent. Diſtinct.* I. & hæc ipſa Lex eſt, qua Lipſius primum vindicatam putat infantis cædem, ante licitam, & ita quoque cenſet Vir Clar. Gerardus Noodt in *Julio Paulo C.* IX. ita tamen, ut Noodtius eam non exaudiat de omni infante, ſed tantum de ſanguinolento ſive recens nato, ratus, aliorum cædem & ante hanc Conſtitutionem fuiſſe punitam. Cujacii & Rævardi ſententiæ de *h. l.* 8. ab aliis relatæ, & merito ſuo refutatæ ſunt, etiam a Jacobo Gothofredo ad *l.* 1. *C. Th. ad L. Cornel. de ſicar.* poſtea & ab aliis, in eandem ſententiam; ipſe nihil addo. Gothofredus autem, qui nobiscum ſentit, omnem omnino infantum cædem & ante fuiſſe prohibitam, Valentinianum in *d. l.* 8. de novo genere pœnæ intelligit, de pœna capitali, quæ & perfectæ ætatis homine occiſo irrogatur, *breviter*, inquit, *hac L. pœnæ genus conſtituitur & augetur.* Sed ea ſententia nos non utimur, quia jam ante Valentinianum infanticidarum pœna capitalis fuit, & quidem pœna parricidii ex Conſtitutione Conſtantini in *l. un. C. de His qui parent. vel liber. occider.* Et, ſi vel largiamur, ad recens natos unice pertinere *h. l.* 8. quo & Jacobus Gothofredus inclinat, ſine ulla tamen auctoritate, an & ideo eorum cædem ante permiſſam dicemus? non dicit Gothofredus, imo contradicit, ſed advocat necandi partus frequentiam, quæ Conſtitutioni cauſam dediſſet. Id tamen dicit Clar. Noodtius, hoc argumento, quod populari errore vix pro homine fuerit habitus infans,

fans, cui nutricis officium non acceſſerit, ut Philo ſcribit eo loco, quem & Gothofredus attulit ad *d. l.* I. Sed an is error etiam veteres JCtos occupaverat? nuſpiam reperio, quin nec Philonem ipſum occupaſſe, ipſe luculenter demonſtrat eo loco, quem ſupra indicabam ex *Legibus ſpecialibus*, ubi eum, qui matrem fœtumve in utero percuſſit, ut inde abortus ſequatur, tunc pro homicida habendum cenſet, ſi fœtus non ſit amplius rudis indigeſtaque moles, ſed formam hominis acceperit, quæ diſtinctio & Philoſophis quibusdam probata fuit: magis igitur, ſecundum Philonem, homicida erit, qui partum jam editum necaverit.

Sed hæc ſi ita ſint, quid tandem dicemus de *b. l.* 8.? & quid tunc, ad infantum necem coërcendam, opus fuit nova Conſtitutione? Atque ſi ſcilicet graſſantibus delictis non ſæpius occuratur novis Legibus, quæ repetunt veteres pœnas. Infantes cædere, vel primum natos, vel aliquantisper adultos, pro ludibrio fere habebant corrupti mores illius ætatis, ut ab aliis prolixe obſervatum eſt, & ingraveſcentem hanc nequitiam nova Lege compeſcuit Imperator Valentinianus. Si hæc ratio non ſuffecerit, dici forte poſſet, non aliam Legem ante hanc fuiſſe, quæ nominatim de infantibus edixerat, in hos ſibi plus licere ſi quis maleſanus exiſtimaret, quod Conſtantinus in *d. l. un. filii* meminiſſet, diſtincti fortaſſe ab infante vel partu, ejus imprudentiæ hic occurſum eſt. Addo, quod Conſtantini Conſtitutio fuerit emiſſa ad Vicarium Africæ, neque ideo forte Romæ innotuerit, hæc autem *l.* 8. data fuit Romæ ad Præfectum Prætorio. utque ita multis modis non ſit laborandum de ratione novæ Legis.

CAPUT VIII.

De venundatione infantum, & quo diſcrimine hanc habuerint Leges veteres & novæ.

Si hactenus recte diſputavi, nec Jure veteri, quod in Pandectis, nec Jure novo, quod in Conſtitutionibus eſt, licuit infantem, cujuscunque demum ætatis fuerit, occidere. Quid de venundatione dicemus? Jus ſcilicet vetus inter ætatem non diſtinxiſſe, ſed, quod tradidit, promiſcue tradidiſſe de quibuscunque liberis, natu majoribus vel minoribus: nam quod de prohibita liberorum venditione & oppigneratione, ex vulgari regula, veteres Auctores dixerunt, indiſtincte dictum eſt: quod idem Paulus *L.* V. *Sent. T.* I. §. I. de exceptione dixit, hoc eſt, de his, *qui contemplatione extremæ neceſſitatis* FILIOS SUOS vendiderint, vides quoque dici nulla habita ætatis differentia. Unde & pater, filium diſtracturus, apud Baſilium *Sermone* περὶ πλεονεξίας *p. m.* 47. dubius conſilii eſt, quem potius ex filiis, ut expungat æs alienum, diſtracturus ſit, ſeniorem, an juniorem? Exempla etiam, quæ ſupra attuli, cum venditionis, tum oppignerationis, nullo diſcrimine habent liberos, cujuscunque ætatis ſint. Et ſane ſi ſola ratione conſulta deliberes & decernas, vix mercem vendibilem dixeris anniculos, vel etiam bimulos trimulosve infantes, tremula patris dormientes in ulna, qui enim emit, emit ad operas ſibi præſtandas, non ad alimenta, ipſis præſtanda; poteſt tamen, ſi velit, ſpem operarum emere. Quod ad partum, ne quidem ea ad vendendum neceſſitas urgere poterit, quam in his, qui lacte materno non aluntur, nec tamen ſibi ad victum ſufficiunt. Quicquid ſit, Jus vetus non diſtinxit, ſed venditoris emptorisque prudentiæ reliquit, ecquos liberos, *contemplatione extremæ neceſſitatis*, vendere vel emere magis eſſet commodum vel utile.

Sed quid Jure novo? Si, ut oportet, rationem temporis ſequamur, primum occurrunt duæ Conſtantini M. Leges, quas nobis Codex Theodoſianus ſervavit *L.* XI. *T.* 27. *de Alimentis, quæ inopes Parentes de publico petere debent.* Primam Legem, quæ ad Italiam pertinet, Conſtantinus dedit anno CCCXV. in hæc verba: *Æreis tabulis vel ceruſſatis, aut linteis mappis ſcripta per omnes Civitates Italiæ proponatur Lex, quæ Parentum manus* A PARRICIDIO *arceat, votumque vertat in melius, officiumque tuum hæc cura perſtringat, ut ſi quis Parens adferat ſobolem, quam pro paupertate educare non poſſit, nec in alimentis, nec in veſte impertienda tardetur, cum educatio naſcentis infantiæ moras ferre non poſſit. Ad quam rem & Fiſcum noſtrum, & rem privatam indiſcreta juſſimus præbere obſequia.* Alteram Legem, quæ ad Africam pertinet, dedit anno CCCXXII. & ejusdem plane argumenti eſt, ſed hac præfatione: *Provinciales egeſtate victus atque alimoniæ inopia laborantes, liberos ſuos vendere vel oppignerare cognovimus.* Et poſtquam de publico alimenta eſſe præbenda edixerat, ita finit: *abhorret enim noſtris moribus, ut quemquam fame confici, vel* AD INDIGNUM FACINUS *prorumpi concedamus.* In prima Lege agit de educatione *naſcentis infantiæ*: utque adeo ad ſolos infantes pertinere videatur, in altera ſimpliciter *de liberis*, forte etiam infantibus, quia, ut dixi, utriusque argumentum convenit. Credo, de infantibus locutum Imperatorem, quod de liberis perfectæ ætatis tale quid non ſuſpicaretur, ut qui ſe ipſos exhibere poſſint, vel a quibus profecto non eſt tam metuendum, quam ab infantibus. Ne autem exſpecta utriusque Legis aliam interpretationem, quam Jacobus Gothofredus dedit, & quæ poteſt ſufficere; hoc ſolummodo in rem noſtram velim obſervari, Conſtantinum & ut parricidia, & ut venditiones oppignerationesque liberorum arceret, utramque Legem edixiſſe, & decreviſſe, ut alimenta præberentur publico ſumptu, ne quis *ad indignum facinus prorumperet*; ſic vocat liberorum cædem, nec immerito, cum ipſe ante quadriennium ei pœnam parricidii ſtatuiſſet in *l. un. C. de His qui parent. vel liber. occider.* Decretis ſic e publico alimentis ceſſabat cauſa exceptionis, quam Paulus notaverat, ceſſabat ipſa exceptio, nec cuiquam hominum tunc licebat, ulla de cauſa, ne quidem extremæ neceſſitatis, liberos ſuos vel vendere vel oppignerare.

Sive autem neceſſitates belli hanc publicam liberalitatem interturbaverint, ſive homines noluerint ære publico paupertatem expugnare, ſed maluerint id facere ære privato, ſi non ſuo, certe alieno, quia, quicquid horum fuerit, nihilominus frequentabantur *indigna* illa *facinora*, ipſe ille Conſtantinus exceptionem, quæ Juris veteris fuit, in uſum revocavit illa Conſtitutione, quæ exſtat in *l.* 2. *C. Juſt. de Patrib. qui fil. ſuos diſtraxer.* ubi ad Provinciales: *Si quis propter nimiam paupertatem egeſtatemque, victus cauſa, filium filiamve ſanguinolentos vendiderit,* VENDITIONE IN HOC TANTUMMODO CASU VALENTE,

te, *emptor obtinendi ejus ſervitii habeat facultatem. Liceat autem ipſi, qui vendidit, vel qui alienatus eſt, aut cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere, modo ſi aut pretium offerat, quod poteſt valere, aut mancipium pro ejusmodi præſtet.* Eſt hæc lex ſine die & Conſule, ſed poſteriorem eſſe utraque alia, quam dixi, Conſtitutione, colligo ex *l. un. C. Th. de His qui ſanguinol. empt. vel nutriend. accep.* quæ ejusdem Conſtantini, &, niſi quod etiam de ſervis agat, ejusdem omnino argumenti eſt, ſed emiſſa ad Italos, anno demum CCCXXIX. Memorat quidem Conſtantinus in *d. l. un. Statuta priorum Principum*, qui id ipſum edixiſſent, ſed ea fruſtra quæſiveris: ut ut autem fuerint, denuo hæc abrogavit *d. l.* 1. & 2. *C. Th. de Aliment. quæ inop. Parent. de publ. pet. deb.* Quum autem, ut *d. l.* 1. & 2. ſic & *d. l.* 2. & *un.* duplex atque adeo diverſa Lex ſit, ad diverſos data, altera ad Italos, altera ad Provinciales, probo ſententiam Clar. Noodtii in *Julio Paulo C.* V. affirmantis contra Jacobum Gothofredum, &, quem addo, Franciſcum Balduinum in *Conſtantino M. p.* 249. alteram ex altera a Triboniano male deſcriptam ſeu deformatam non eſſe, ſed non probo, ex his, & aliis duabus, quas modo recitavi, bona fide effici, Conſtantini ævo etiam licitam fuiſſe ſanguinolentorum necem & expoſitionem: nam ſi contrarium non dicant, quo *parricidii* & aliæ locutiones commodum pertinent, hoc certe non dicunt.

Sed pergamus ad venditionem, de qua nunc ſermo eſt. Hanc rurſus permittit Conſtantinus, at uno caſu, *propter nimiam paupertatem egeſtatemque, victus cauſa;* quod incidit in exceptionem Pauli, ſed quod hic de *filiis* ſimpliciter dixerat, ille edicit de *ſanguinolentis.* Vulgo notum eſt, Haloandrum edidiſſe *ſanguinolentus* pro *ſanguinolentos*, ex veteri ſcriptura, quam & Accurſius notavit & laudavit, quo ſcilicet referatur ad patrem, qui ob venditionem liberorum *ſanguinolentus* diceretur, id eſt, atrox & crudelis, & nemo quoque neſcit, Reinardum Bachovium *de pignor. & hypoth. L.* II. *C.* 12. *n.* 4. Haloandri lectionem variis rationibus defendiſſe. Sed, quamvis Baſilici illam vocem omiſerint, ex ſua nempe καθαρά, *ſanguinolentos* tamen, ut legitur, legendum eſt, & tot argumentis id evicit Jacobus Gothofredus ad *d. l. un. C. Th. de His qui ſanguin. empt. vel nutr. accep.* ut Ulricus Huberus *L.* II. *Digreſſ. C.* 5. potuiſſet ea opera ſuperſedere. *Sanguinolentus* eſt *recens natus*, & auctoritates in hanc rem quamplurimas attulerunt & Gothofredus *d. loc.* & Covarruvias *Variar. Reſolut. C.* III. *C.* 14. *n.* 4. & Caranza *de Partu C.* IV. *Sect.* 4. & qui non alii? quin & illi, quod ſatis eſt, videntur dixiſſe ad explicationem *d. l.* 2. Nos dicamus, quæ ad mutationem Juris pertinent, & quia de *ſanguinolentis* hic, & de *emptis a ſanguine* in *d. l. un.* duntaxat verba fiunt, videri poſſet, in liberis natu grandioribus illam poteſtatem ceſſaſſe, idque eſſe Juris novi. Ita ſane viſum eſt Hubero *d. C.* 5. ſed non Gothofredo ad *d. l. un.* qui ideo *ſanguinolentorum* mentionem factam cenſet, quod aucta per nativitatem familia, mox in pauperioribus augeatur fames, atque ideo patres ſibi tunc quam maxime conſulant; non quod alias idem patri non licuerit, ſed quod tunc potiſſimum moris fuerit. Aſt ego Hubero adſentior, quia utraque Conſtitutio, quæ eam in rem exſtat, nominatim agit de *ſanguinolentis*, & *emptis a ſanguine*, quemadmodum & ante caverat Conſtantinus de ſola educatione *naſcentis infantiæ* in *d. l.* 1. *C. Th. de Aliment. quæ inop. Parent. de pub. pet. deb.* Legibus igitur, non moribus tribuo, quod toties in Legibus repetitum eſt. Atque hæc ratio ſufficit; nam aliæ rationes, quas Huberus addit, ut in ſanguinolentis illam Jurisprudentiam probet, in grandioribus improbet, ſatis ſunt inutiles, ut initio *hujus Cap.* monebam. Sed quis ſemper in Conſtitutionibus Principum rationalem Jurisprudentiam quærat & inveniat? proferam mox & alias Conſtitutiones, in hoc ipſo argumento, quas cum ratione fruſtra conciliaveris.

Acceſſit & aliud in *d. l.* 2. quod Juris novi eſt, illud puta, quod patri vendendi, filio vendito, & cuilibet alii, concedatur poteſtas redimendi a ſervitute filii, *modo ſi aut pretium offerat, quod poteſt valere, aut mancipium pro ejusmodi præſtet.* Jure antiquo, ut ſupra dicebam, hujusmodi filius manumiſſus ingenuitati reſtituebatur, nunc placet plus dare ſtudio libertatis, & mercem emptori extorquere, refuſo pretio, quod *nunc* poteſt valere (nam recte Baſilici νῦν addunt, interpretationis loco) vel ſubſtituto ſervo vicario. Plus adhuc ſibi pii, ſed mihi magis impii videntur Impp. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius in *l. un. C. Th. de Patrib. qui fil. diſtrax. Omnes*, inquiunt, *quos Parentum miſeranda fortuna in ſervitium, dum victum requirunt, addixit, ingenuitati priſtinæ reformentur: nec ſane remunerationem* (recte conjicit Jac. Gothofredus, *renumerationem*) *pretii debet expoſcere, cui etiam minimi temporis ſpatio ſervitium ſatisfecit ingenui.* Ita vero, ſine refuſione pretii? rarus ſic emptor aderit, qui ſuccurrat laborantibus patribus, & adeo ipſi Aniano diſplicuiſſe videtur iniqua Conſtitutio, ut eam incruſtaverit hac adjectione, *ſi ſervitio ſuo ſatisfecerit.* Sane Valentinianus III. *Novella* ſua, *de Patribus, qui filios ſuos diſtraxerunt*, quæ exſtat inter ejus *Novellas T.* XI. longe aliter ſapuit; narrat primum, obſcœniſſimam famem, quæ totam Italiam eo tempore quaſſaverat, plurimos coëgiſſe ad venundandos filios. *Tantum*, inquit, *unicuique miſeranda macies, & lethalis pereuntium pallor extorſit, ut totius, quem natura conceſſit, amoris obliti, alienare ſuos, pietatis genus putarent. Nil turpe, nil vetitum credit eſuriens; ſola cura eſt, ut qualicunque ſorte vivatur. Sed iniquum judico, ideo libertatem perire, quia vita non perit.* Et mox: *renovans Statuta Majorum, venditionem cenſeo ſubmoveri, quam prædicta fames de ingenuis fieri perſuaſit, ita ſane, ut emptor pretium ſub quintæ adjectione recipiat, hoc eſt, ut quinto ſolido unus addatur, decem duo.* Rationem Legis ſuæ hanc dedit: *ita fit, ut neque illum rebus adflictis ac deſperatis emiſſe pœniteat, qui amplius recipiat, quam ad pretium dederat, nec pereat ſub tanta clade diſtracta libertas.* Quum ait ſe renovare *Statuta Majorum*, reſpicere putem ad poſtremam partem Conſtitutionis, quæ eſt in *d. l.* 2. *C. de Patrib. qui filios ſuos diſtrax.* nam hanc renovat, adjecta duntaxat quinta parte pretii, ſed hæc adjectio rurſus videtur diſplicuiſſe Juſtiniano, ſola Lege Conſtantini, reliquis miſſis, Codici ſuo inſerta. Et forte ideo magis Conſtantini Lex placuit, quod & vicario mancipio locum daret. Non diſputo, quæ Lex æquior fuerit, inanis fere labor eſt, qui ponitur in defendenda poſterioris temporis Jurisprudentia. Si tamen me, hac in re, auctorem ſequaris, ego ſimpliciter Paulum ſequar *d. L.* V. *Sent. T.* I. §. 1. & quicquid aliarum eſt diſtinctionum, jubebo faceſſere.

CAPUT IX.

De expoſitione infantum, licita, an illicita Jure Pandectarum. Repetitionem expoſitorum, refuſis, vel non refuſis alimentis, nihil huc pertinere. Jus novum, quod ad expoſitos, an a veteri diſcrepet?

Extant apud Dionyſium Halicarnaſſeum duæ Leges Romuli de patria poteſtate Civium Romanorum. Primam lego *L.* II. *p. m.* 88. eaque Romulus, quo Civitatem augeret, juſſit, ut quisque tolleret & educaret prolem maſculam, & ex filiabus primogenitam, & ne quis triennio minorem, non monſtroſum, occideret. Circumſcripſit hac Lege patriam poteſtatem, antea, ut videtur, liberam legibusque ſolutam; ſed vero, ſub ipſo Romulo, veterem libertatem Quiritibus fuiſſe redditam argumento eſt ejusdem Romuli nova Lex, Dionyſio deinde memorata *d. L.* II. *p. m.* 96. hac enim poſteriore omnigenam rurſus poteſtatem patribus conceſſit decernendi, ut videretur, in liberos cujuscunque ætatis vel conditionis, eos occidendi, vendendi, & ſi quid illis pejus eſt. Exhibuimus ipſa verba Legis *C.* I. & probavimus *C.* II. hanc Legem, poſteriorem nempe, fuiſſe inſertam XII. Tabulis, quemadmodum rotunde dixit Dionyſius. Utque ita neſciam, qua fide Interpretibus quibusdam placuerit adfirmare, priorem illam Legem fuiſſe partem XII. Tabb. quum nihil ejus Legis fuerit in his Tabulis, niſi id forte caput, quod de partu monſtroſo egit, quamquam nec de eo ſatis conſtet: nam aliud Lex Romuli, aliud Lex Decemviralis de monſtris videtur præcepiſſe, ut *Cap. proximo* latius oſtendam. Sed inde cauſa erroris, quod Interpretes illi primam & ſecundam Legem Romuli non diſtinxerint, & quod de ſecunda duntaxat verum eſt, primæ, eique abrogatæ, tribuerint. De ſecunda illa ſatis ſuperque ſupra diximus, tam quod ad necem, quam quod ad venditionem; nec dubitandum eſt, quin ex ea quoque licuerit infantes abjicere & exponere, & quidem promiſcue, monſtroſi eſſent, nec ne, & ſive adhuc a matre rubentes, ſive anniculi, ſive bimuli, ſive trimuli, ſive alterius ætatis, quæ in expoſitionem cadit. Satis id inde apparet, quod minus ſit exponere, quam necare, & quod, cui plus licet, etiam licere debeat, quod minus eſt, imo, ſi recte verti Græca Dionyſii *d. C.* I. nominatim quoque Romulus ipſam expoſitionem permiſit, ut permiſerunt deinde Decemviri, Legem Romuli repetentes.

Fidem nunc ſolvo, & ago ſingulari loco de expoſitione infantum, ſed ne exſpecta, ut hoc argumentum, qua late patet, pertractem, alii id data opera egerunt, & vel maxime Alphonſus a Caranza *de Partu naturali & legitimo Cap.* IV. quod eſt *de partu expoſito.* Sola nobis lis erit cum iis, qui infantum expoſitionem impunitam fuiſſe ajunt ad usque Conſtitutionem Impp. Valentiniani, Valentis, & Gratiani in *l.* 8. *C. ad L. Cornel. de ſicar.* vel ad aliam, quæ eorundem Principum eſt, in *l.* 2. *C. de Infant. expoſit. liber. & ſerv. & de his qui ſanguinol. nutr. accep.* Ita cenſent Viri Clar. Lipſius & Noodtius iis locis, quæ *Cap. præced.* attuli. Iſaacus quoque Caſaubonus ad *Sueton. Claud.* C. XXV. jus exponendi non tantum porrexit ad tempora Principum Chriſtianorum, ſed ne tunc quidem, niſi tractu temporis, ſublatum ſcribit, unice provocans ad *Tit. Cod. Th. de Expoſitis*, de quo mox erit dicendum. Mihi magis placet ſententia Alphonſi a Caranza *d. C.* IV. *Sect.* I. *n.* 80. exiſtimantis, Jure Pandectarum expoſitionem infantum revera fuiſſe coërcitam, ſi non certa, extraordinaria utique pœna, vel majori, vel minori, ut mors ſubſequuta, vel non ſubſequuta, ut patrum exponentium opes vel paupertas, ut alia, quæ incidebant, flagitare viderentur: neque enim de genere pœnæ eſt laborandum, modo ne licita fuerit ipſa expoſitio. Et licitam non fuiſſe, illæ ipſæ rationes probaverint, quas *C.* VII. adferebam, ut necem infantum a Jurisprudentia Pandectarum amolirer. Si enim pater teneatur partum agnoſcere, ſi teneatur alere, quid eſt, quod exponendi libertatem defendamus? Deinde ſi in ſpeciem necis incidat expoſitio, ut incidere dixit Paulus in *l.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. liber.* quid eſt, quod tam hanc, quam illam fuiſſe licitam putemus? meminiſſe autem oportet, quum illicitam pronuncio infantum expoſitionem, de ea ætate Populi Romani me verba facere, qua & eorum illicitam fuiſſe cædem diſputavi, nam quamdiu licuit occidere, procul dubio licuit exponere.

Cedo nunc mihi ex Veteribus JCtum, ſepoſitis paulisper auctoritatibus exteris, qui expoſitionem infantum rem licitam ſuo ævo fuiſſe dixerit? fruſtra quæres. Certe Scævola, quem ad partes vocari video, in *l.* 29. *ff. de Manumiſſ. teſtam.* nihil minus dixit. Quærit ille, an filius, a matre repudiata expoſitus, & ab alio ſublatus, teſtamentum patris, quo neque exhæredatus, neque hæres ſcriptus eſt, reſcindat? & ait reſcindere; ſed non quærit de pœna matris exponentis, vel quo jure quave injuria filium expoſuerit mater, quæ ſane diſputatio ab eo, quod Scævola tractabat, valde erat aliena, & ſi de eo quicquam reſpondiſſet, non reſpondiſſet, ut ait ille, de tribus capellis. Quod igitur de expoſitione additur, ex facto additum eſt, ut ſolent plura addi ad ſignificandam facti ſpeciem, de quibus ſingulis JCti non eunt in conſilium; nec ipſe dubito, quin Scævola, de ipſa expoſitione ſententiam rogatus, illico eam damnaſſet, utpote & in patre illicitam, & in matre multo magis; imo plus adhuc in ſpecie, quæ proponebatur, ubi mater repudiata expoſuit non alia, ut videtur, cauſa, quam odio repudiantis mariti: ſi enim mulieri non licuerit, ut ſupra dicebam, viſceribus ſuis vim inferre, *ne jam inimico marito filium procrearet*, multo minus ei licuiſſe putandum eſt, filium, jam editum, in odium mariti exponere & abjicere. Sed quid audio de matre? nunquam ei in liberos vitæ necisque poteſtas fuit, nunquam liberum exponendi arbitrium, pater id ſolus olim exercuit jure poteſtatis patriæ. Quod cum etiam largiantur, qui poteſtatem occidendi & exponendi ſerius, quam par eſt, demittunt, non animadverto, cur matris, impunitæ, ut ajunt, exemplum huc adferant; de patre probandum eſſet, quod ne de matre quidem probat *d. l.* 29. Mentio, fateor, ibi eſt *expoſiti filii*, ut & apud Paulum in *l.* 1. §. 2. *ff. de Jur. & fact. ignor.* ſed utrobique quæritur de jure expoſitorum, & inde non magis expoſitionem, impune factam, defenderis, quam inceſtum vel adulterium impune committi, ubi de inceſtuoſorum vel adulterinorum jure quæ-

ſtio

ſtio eſt, utique ſic mihi videtur.

Sed Diocletiani & Maximiani ætate expoſitionem non fuiſſe improbatam, videntur ſibi videre in *l.* 16. *C. de Nupt.* quæ ait, patrem, qui filiam expoſuit, oportere nuptiis, cum filio educatoris contrahendis, conſenſum præbere, niſi malit, repetita filia, alimentorum ſolutioni parere. Non intelligo hanc Legem, ut intellexit Cujacius *Parat. Cod. de Infant. expoſit.* de patre, qui fame compulſus puellam expoſuit, nam, quum de eo nihil ibi ſit, nihil etiam eſt, quod nos eo cogat. Simpliciter intelligo de patre, qui filiam, quacunque demum cauſa, expoſuerat, & de eo puto quæri, an poſſit contradicere nuptiis filiæ, quam filio ſuo educator uxorem deſtinavit? & negat poſſe, niſi pater alimenta ſolvat. Ergo, inquiunt, licuit patri tunc temporis filiam exponere. At ubi hoc Imperatores? & quæ vis eſt ejus argumenti? forte inde quis effecerit, ergo pater, liberos exponens, temporibus Diocletiani & Maximiani capitis pœnas non dedit, ut dedit poſtea ex Conſtitutione Valentiniani, Valentis, & Gratiani in *l.* 2. *C. de Infant. expoſit.* quia de conſenſu patris, qui mortem meruit, quæſtio videri poterat inanis. Sed vel ſic licebit dicere, immane quantum differre, capitali pœna non fuiſſe punitum, & omnino fuiſſe impunitum; de pœna patris exponentis non reſcribunt Imperatores, non etiam de pœna conſulti, ſed de ſumptibus educationis, quos pater ſuperſtes reſtituere debeat, niſi velit in eas, de quibus agitur, nuptias conſentire. Ipſe vero ne quidem auſim adfirmare, ex *d. l.* 16. tuto colligi poſſe, patris exponentis pœnam non fuiſſe capitalem, quia de privato jure partium duntaxat ſermo eſt. Nemo negaverit, diu ante Juſtinianum expoſitionem infantum capitali pœna fuiſſe coërcitam, eamque pœnam ejus ætate adhuc perduraſſe, & tamen illi in *l.* 3. & *l. ult. C. de Infant. expoſ.* & *Novell.* CLIII. interdicit iis, qui expoſuerunt, omni repetitione infantis expoſiti, quæ in *d. l.* 16. conceditur, ſed ſolutis alimentis. Ex qua repetitione, vel admiſſa, vel negata, non recte argumentum duxeris ad licitam illicitamve infantum expoſitionem, quemadmodum neque ex alimentis, ubi repetitioni locus erat, ſuſceptori modo negatis, modo conceſſis.

Sane non in Rhetorum tantum Scholis, ſed & apud JCtos ſæpe tractata quæſtio eſt, an, qui expoſitum repetit, qui in libertatem vindicat, ſive alius quicunque, ſive ipſe ſe, oporteat ei, qui expoſitum collegit, reſtituere expenſas & ſumptus educationis? miſſis nunc Rhetorum Declamationibus ex jure manum conferamus. Plinius Trajanum ea de re conſuluit *L.* X. *Epiſt.* 70. *Magna*, inquit, *Domine, & ad totam Provinciam pertinens quæſtio eſt, de conditione & alimentis eorum, quos vocant* θρεπτοὺς. Reſpondet Trajanus *Epiſt. ſeq.* in hæc verba: *Quæſtio illa, quæ pertinet ad eos, qui liberi nati, expoſiti, deinde ſublati a quibusdam, & in ſervitute educati ſunt, ſæpe tractata eſt.* Et poſt: *nec adſertionem denegandam iis, qui ex ejusmodi cauſa in libertatem vindicabuntur, puto, neque ipſam libertatem redimendam pretio alimentorum.* Igitur licebit, ex mente Trajani, ad libertatem proclamare, etiam non refuſis alimentis, ſed aliorum Principum non ſemper eadem ſententia fuit, ne eorum quidem, quos ibi laudat Trajanus, ut ipſa ejus verba non obſcure ſignificant. Habet utique ea res aliquid ex iniquo, nam, ſi hoc jure utamur, nemo facile expoſitos collegerit, mox, ubi adoleverint, reſtituendos, ſine ulla ſpe conſequendi pretii, vel neceſſario, vel utiliter in educationem expenſi. Domino, partu ancillæ expoſito, non negat quidem repetitionem Alexander in *l.* 1. *C. de Infant. expoſ. ſed.* inquit, *reſtitutio ejus ita fiet, ut ſi qua in alendo eo, vel forte ad diſcendum artificium, juſte conſumpta fuerint, reſtituantur.* Non neceſſarias tantum ille, ſed & utiles impenſas refundendas eſſe reſcribit, quod habet rationem, etiam Alexandro Chaſſanæo obſervatam *Comment. ad Reſcripta Alexand. Sever.* in *d. l.* 1. & agit Imperator de ea ſpecie, qua *invito vel ignorante domino* partus ancillæ expoſitus fuiſſe proponebatur. Quod magis verum erit, ſi ipſe dominus ſciens volensque expoſuerit; unde & ad patrem, qui ipſe expoſuerat, recte id tranſtulerunt Impp. Diocletianus & Maximianus in *d. l.* 16. *C. de Nupt.* Conſtantino M. deinde aliud placuit, ille enim in *l.* 1. *C. Th. de Expoſit.* ſi patres vel domini ſcientes volentesque expoſuerint, expoſitum educatori addicit, *ſive filium, ſive ſervum eſſe maluerit, omni repetitionis inquietudine penitus ſubmovenda eorum, qui ſervos aut liberos,* SCIENTES, PROPRIA VOLUNTATE, *domo recens natos abjecerint.* Negat igitur vindicationem patribus & dominis ſcientibus & patientibus, ſervat, ut videtur, ex Jure antiquo, invitis & ignorantibus, refuſo alimentorum pretio. Vides mutationem Juris, quam cum parum animadvertiſſet Cujacius *Parat. Cod. de Infant. expoſ.* in his, quæ tantum diſcrepant, componendis incaſſum laboravit. Vides etiam, ut modo dicebam, omnem hanc quæſtionem de repetitione & alimentis infantum eſſe quam alieniſſimam a quæſtione de ipſa expoſitione, licita vel illicita, & nequicquam eo adduci *d. l.* 16. *C. de Nupt.*

Pergo, ſervata ratione temporis, ad *l.* 2. *C. de Infant. expoſ.* quæ primum, ut ajunt, infantum expoſitionem, antea licitam, coërcuit. Sed quid dico, *primum?* id ipſum enim, ut mox audies, putant fuiſſe cautum *l.* 8. *C. ad L. Cornel. de ſicar.* Eſt autem *d. l.* 2. Valentiniani, Valentis, & Gratiani, his verbis deſcripta, *Unusquisque ſobolem ſuam nutriat. Quod ſi exponendam putaverit, animadverſioni, quæ conſtituta eſt, ſubjacebit. Sed nec dominis vel patronis repetendi aditum relinquimus, ſi ab ipſis expoſitos, quodammodo ad mortem, voluntas miſericordiæ amica collegerit, nec enim ſuum quis dicere poterit, quem pereuntem contempſit.* Plures jam obſervarunt, eſſe *hanc L.* conflatam ex duabus, quarum prima eſt Valentiniani, Valentis, & Gratiani, a *Princ.* ad *Verſ. ſed nec.* altera Honorii & Theodoſii, quæ ſeparatim exſtat in *l.* 2. *C. Th. de Expoſit.* & incipit: *Nullum dominis vel patronis*, & quæ porro ſequuntur, plane ut in Codice Juſtinianeo, niſi quod in fine addatur: *ſi modo teſtes Epiſcopalis ſubſcriptio fuerit ſubſecuta, de qua nulla penitus ad ſecuritatem poſſit eſſe cunctatio.* Juſtiniani Codex ſimpliciter præfert annum CCCLXXIV. ſed poſtrema pars, ut ex Codice Theodoſiano apparet, eſt anni CCCCXII. utque ita utriusque alia cum inſcriptio, tum ſubſcriptio ſit.

Quod ad rem ipſam attinet, Lipſius *Centur.* I. *ad Belg. Epiſt.* 85. non utitur *hac l.* 2. ſed *l.* 8. *C. ad L. Cornel. de ſicar.* ut expoſitionem infantum primum vindicatam probet, ſed quamvis *d. l.* 2. & *d. l.* 8. eorundem Principum ſit, & ejusdem anni, quum tamen *h. l.* 2. proprie de expoſitione, *l.* 8. proprie de cæde infantum agat, opinor, ſi Lipſium non fugiſſet *h. l.* 2. in hoc argumento potius ad hanc provocaſſet, quam ad illam *l.* 8. Ut vero *C.* VII. diſputavi,

vi, ex *d. l.* 8. non recte effici, infantum cædem tunc primum fuiſſe prohibitam, ſic nunc diſputo, ex *h. l.* 2. non recte quoque effici, impunitam ante fuiſſe infantum expoſitionem. Ait quidem, *unusquisque ſobolem ſuam nutriat*, ſed idem anterioribus Legibus, totidem fere verbis, fuiſſe cautum, ſatis jam videor probaſſe, nam qui ſobolem ſuam jubetur agnoſcere & alere, jubetur utique nutrire. Quod deinde ait, *quod ſi exponendam putaverit, animadverſioni, quæ conſtituta eſt, ſubjacebit*, obſcuriuſculum eſt, neſcias enim, utrum nova animadverſio ſanciatur adverſus eos, qui liberos exponunt, an vetus animadverſio repetatur, ut ſæpe ſolent pœnæ repeti ob frequentiam delictorum. Baſilici nihil expediunt, ſimpliciter enim illi, ἀξίως τιμωρηθήσεται, *digne punietur*. Accurſius, veterem pœnam repeti ratus, *animadverſionem* intelligit *extraordinariam*; quod improbat Clar. Noodtius *Julio Paulo C.* VI. Ego fateor, quod *de patre extra ordinem coërcendo* Ulpianus dixit in *l.* 1. §. 4. *ff. de Agnoſc. & alend. liber.* de civili remedio eſſe accipiendum, & huc non pertinere, ſed unice ad juriſdictionem Prætoris; quamvis & ex eo, & ex aliis, quæ proſequutus ſum *d. C.* VII. ſatis videatur liquere, expoſitionem infantum Jure Pandectarum minime fuiſſe licitam. Quod cum & Accurſius defendat, poſſet ſubſiſtere, ſi rem ipſam ſpectes, quod de *animadverſione extraordinaria* dixit, modo ne huc advoces, ut ipſe advocavit, *d. l.* 1. §. 4. & per *animadverſionem extraordinariam* intelligas, ut ſæpe intelligunt JCti, *pœnam arbitrariam*, quam & ipſe Jure veteri circa expoſitores infantum obtinuiſſe putem, ut initio *hujus Cap.* dicebam. Sed tamen alia ratione Accurſio, ita interpretanti *d. l.* 2. non adſentior, quia, ſi de pœna extraordinaria ſeu arbitraria agerent Imperatores, hanc, ni fallor, ſine exemplo vocarent *animadverſionem, quæ conſtituta eſt*, id enim reſpicit pœnam certam, Lege definitam, non eam, quæ Judicis arbitrio infligitur. Clar. Noodtius *d. Libro* C. IX. *animadverſionem conſtitutam* arceſſit ex *d. l.* 8. *C. ad L. Cornel. de ſicar.* quæ, ut dixi, eorundem Principum eſt, & ejusdem anni, quin uno vix menſe data ante *h. l.* 2. & quidem ad eundem Probum, Præfectum Prætorio, mox una cum Lipſio illam ipſam *l.* 8. intelligit de vetita, ſub pœna capitis, expoſitione infantum, de qua tamen nihil quicquam eſt in *d. l.* 8. &, ſi eſſet, fruſtra continuo eandem prohibitionem repeterent Impp. in *h. l.* 2. Interea ſatis eſt probabilis Viri Clariſſimi ſententia, exiſtimantis, pœnam capitalem, quam ſanciverant Impp. in *d. l.* 8. contra infanticidas, hic porrexiſſe ad expoſitores infantum, & hanc eſſe, quam memorant, *animadverſionem conſtitutam*; quamquam nihil ſit, quod impediat, quominus etiam reſpexerint ad Conſtitutionem Conſtantini in *l. un. C. de His qui parent. vel liber. occider.* atque ita ad pœnam parricidii, quam ipſe, ex more Majorum, primus decrevit adverſus patres, qui liberos occiderunt.

Utrovis autem modo accipias *animadverſionem conſtitutam*, non inde recte collegeris, impune ante *h. l.* licuiſſe infantes exponere, ſed id tantum, certam nunc eorum, qui exponunt, pœnam ſtatui, quæ olim fuerat incerta & arbitraria; idque, nec aliud, erit Juris novi, ſi quod hic Jus novum ſit. Jure veteri, ut ut non impunita fuerit expoſitio infantum, ſi recte ſupra diſputavi, certa tamen & definita hujus criminis pœna nuſpiam occurrit, hanc autem, ne quis Judex in tanto crimine vagaretur, certam ſolemnemque eſſe optima ratione hic placuit Valentiniano Seniori. Ante Legem Corneliam de ſicariis, Pompejam de parricidiis, Leges Julias de variis criminibus non neglecta fuit eorum criminum perſecutio, quod nemo ſanus dixerit, ſed præter mutatas judiciorum formas aliæ quoque pœnæ ſancitæ ſunt, pro minoribus majores, pro incertis & arbitrariis certæ & definitæ; utque ita poſt has Leges ceſſaverit lubricum & vagum, quod olim erat, Judicis arbitrium.

Habes, ſi quid eſt novæ Jurisprudentiæ eſt in *h. l.* 2. Sed erit fortaſſe, qui, regulas interpretationis ſecutus, negabit ſe quicquam novi offendere in *d. l.* 2. ne quidem quod ad pœnam, nam, inquiet, quum jubent Imperatores infantum expoſitores ſubjici *animadverſioni, quæ conſtituta eſt*, id potes, &, ex regula interpretationis, debes accipere de ejusmodi animadverſione, quæ conſtituta jam erat adverſus ipſos *expoſitores infantum*, de quibus agunt; cæteroquin diceres, vagam eſſe orationem, ſi hanc referas ad alia crimina, eorumque pœnas, quæ hic illic adverſus facinoroſos conſtitutæ ſunt. Si ab eo, qui ſic explicaverit *d. l.* 2. ſcire deſideres Legem, quæ expoſitioni infantum certam pœnam ſtatuerit ante Valentinianum, ipſe quidem non dabit, nec enim ſcio ullam exſtare, ſed reponet, forte hanc, Valentiniani ævo notam, cum tot aliis intercidiſſe. Ita ſi interpretemur *animadverſionem conſtitutam*, non tantum nihil novi juris erit in *d. l.* 2. at ipſa etiam argumentum præbebit prohibitæ olim & punitæ infantum expoſitionis. Sed vero quia Principes, in Conſtitutionibus ſuis, non tam accurate ſemper loquuntur, ut regulas rectæ interpretationis ſubire queant, facile etiam patior, pœnam capitalem, antea adverſus infanticidas ſtatutam, hic ſignificari, & primum decerni in expoſitores infantum; & vel ſic nihil eſt, ut dixi, quod in *d. l.* 2. nos turbare poſſit.

Quod ad poſtremam partem *h. l.* 2. quæ, ut monebam, Honorii & Theodoſii eſt, & ſeparatim exſtat in Codice Theodoſiano, Interpretem habemus, qui poterit ſufficere, Jacobum Gothofredum, cui, ſi minus ſufficiat, addere licebit Cujacium *L.* XVI. *Obſerv. C.* 36. & Giphanium ad *l.* 1. *C. Juſt. de Infant. expoſ.* Sed ego vix animadverto, quid aliud hic conſtituerint Imperatores, quam quod Conſtantinus jam conſtituerat in *l.* 1. *C. Th. de Expoſit.* niſi quod hic *patroni* non meminerat, & quod illi collectionem teſtato eſſe faciendam juſſerint, *ſubſequuta Epiſcopali ſubſcriptione*, quod deinde in varia Concilia migravit. Igitur, ſecundum illam Jurisprudentiam, patres, qui exponunt, cadunt jure patrio, domini dominio, patroni jure patronatus, & alumnus alumnave ejus eſt, qui collegit & educavit, vel in ſervum ſervamve, vel in filium filiamve. Prior pars ejus juris placuit Juſtiniano, poſterior rurſus diſplicuit in *l.* 3. & *l. ult. C. de Infant. expoſ.* & *Novell.* CLIII. C. 1. Ille quidem patres, dominos, patronos exponentes multat jure ſuo, at ipſos expoſitos pronuntiat liberos & ingenuos, nullo circa hos jure relicto ipſi educatori. Unde & finalem particulam *d. l.* 2. *C. Theod. de Expoſit.* quæ de jure & *ſecuritate* educatoris agebat, Tribonianus omiſit in *d. l.* 2. *C. Juſt. de Infant. expoſ.* Æquitatis equidem ſpecie Juſtinianus commendat Conſtitutiones ſuas, ſed vereor, ut ita in expoſitos infantulos crudelior, quam benignior fuerit, nam, ut & ſupra dixi, qui infantem colligat, mox, ubi adoleverit, reſtituendum natalibus, ratus erit. Nullam virtutem, ne ipſam qui-

qui-

quidem miſericordiam, facile quisquam amplectatur, præmia ſi tollas; nulla ſpes præmii, nulla laboris, ſi educatori in expoſitos, ad libertatem proclamantes, nihil juris ſuperſit. Quod Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus in *l.* 7. *C. de Curſu publ.* alia occaſione Provincialibus, pro ſua liberalitate, concedunt, ut nempe *ſtercus habeant pro ſuo ſolatio*, id, ſi ridere libet, etiam Juſtinianus conceſſerit ejusmodi infantum collectoribus. Sed, quod & alias monui, etiam hic verum eſt, in poſteriori nempe Jurisprudentia de ratione, qua defendi poſſit, non tam ſollicite eſſe laborandum.

Omnis autem hæc diſputatio de jure dominii, vel deperditi, vel acquiſiti, de qua eſt ſecunda pars *h. l.* 2. nihil quicquam pertinet ad vigorem publicæ Diſciplinæ, atque adeo nihil ad eam rem, de qua nos quærimus. Eo duntaxat pertinet pars prima *d. l.* 2. quæ pœna certa, & capitali quidem, expoſitores infantum coërcet, & quoscunque, ni fallor, expoſitores, neque enim, quamvis de *ſobole* agat, cum Jacobo Gothofredo eam retulerim ad ſolos patres *Comment.* ad *d. l.* 2. *C. Th. de Expoſit.* ac ſi dominis & patronis poſt eam *L.* adhuc licuiſſet exponere ſervos & libertos, ſine offenſa Diſciplinæ publicæ, amiſſo tantum jure ſuo, ſive dominii, ſive patronatus. De *ſobole*, verum eſt, loquuntur Imperatores, ſed non alia, opinor, cauſa, quam quod in patribus, ad egeſtatem redactis, major mali metus, quam in dominis & patronis, fere opulentioribus. Quin domini, ſi res anguſta domi urgeat, vernas potius vendituri, quam expoſituri ſunt. Addo, ne quidem, me judice, Jure veteri dominis licuiſſe ſervos exponere, poſtquam ſcilicet iis interdictum fuit non tantum ſervos occidere, ſed vel in eos ultra modum ſævire; nec enim majorem intelligo ſævitiam, quam domini, ſervum exponentis, quia, ut ait ille, *qui exponit, necare videtur.* Probat id quoque exceptio, quæ Juris veteris eſt, quæque non aliter ſervos exponere permiſit, quam ſi gravi infirmitate laborent, de qua ſpecie eſt *l.* 2. *ff. Qui ſine manumiſſ. ad libert. perven.* & de qua etiam exſtant alii aliorum Auctorum loci, quos hic non adfero, quia non de ſervis, ſed de liberis expoſitis noſtra eſt diſputatio.

CAPUT X.

Fruſtra auctoritates exteras advocari ad probandam, jure Pandectarum, infantum necem & expoſitionem.

Supereſt, ut reſpondeam ad auctoritates exteras, quibus defendi video, permiſſum fuiſſe Legibus antiquis, etiam ad usque Imperium Valentiniani, Valentis, & Gratiani, partum necare, abjicere, exponere, absque ullo metu Vindictæ publicæ. Si ex auctoritate Juris res ſit definienda, eam ſententiam placere non poſſe, conſultis, quæ ſuperſunt, Legibus mihi videor ſatis ſuperque probaſſe; nec ex his quicquam repeto. Sed quia, qui contradicunt, non tam ad noſtros homines, quam ad peregrinos appellant, an & in his quicquam illis ſit præſidii, diligentius nunc inquiram. Mox audio, moribus antiquis placuiſſe, partum recens natum in terra deponi, nec alio fine, quam ut conſtitueret pater, velletne partum tollere, ſuſcipere, & alere, an vero relinquere, abjicere, & exponere. Eo referuntur locutiones quædam ex Comœdia veteri apud Terentium, aliosque, uſitatæ etiam JCtis noſtris, ubi agunt de *liberis tollendis*, *ſuſcipiendis*, & ſi quid eſt ejusmodi. Agnoſco ſane priſcum ritum infantis in terra depoſiti, nam hunc plurimi ex Græcis & Romanis Auctoribus tradiderunt, ſed ideo depoſitum fuiſſe, ut pater pro arbitrio vel tolleret vel relinqueret, ex veteri memoria nondum ſatis potui intelligere. Sunt, qui perhibent, partus in terra fuiſſe locatos, quod Terra fuerit Deorum Alma Mater, cujus, id agendo, opem Veteres implorabant, & ſunt, qui non alia cauſa id factum putant, quam *ut partus auſpicaretur rectus eſſe*, quod & Marco Terentio Varroni, Romanorum doctiſſimo, viſum eſt. Utriusque ſententiæ Auctores reperies apud Alphonſum a Caranza *de Partu C.* IV. *Sect.* I. *n.* 8. *& ſeqq.* quos ibi, ſi commodum eſt, leges; ſed nullus eſt, quod ego ſciam, qui dixerit, Veteres ideo infantes in terra ſtatuiſſe, ut patri tollendi vel abjiciendi poteſtas eſſet. Agnoſco etiam, vetuſti moris fuiſſe, ut pater partum recens editum, & mox in terra locatum, tolleret, ſuſciperet, foveret, & agnoſco locutiones, ab hoc ritu derivatas, adhuc ſupereſſe, ſed velim ſcire, quemadmodum ex eo ſequatur, potuiſſe etiam patrem ejusmodi partum necare, projicere, exponere? apud plerasque Gentes nunc quoque uſu ſervatur, ut pater ex obſtetricis manu partum ſuſcipiat, atque ita, ad imaginem priſci ritus, tollat; at inde nemo recte effecerit, hodieque patrem impune poſſe vel necare partum, vel exponere. Plus dico: fac, ea cauſa in terra fuiſſe depoſitos infantes, ut vel agnoſcerentur, vel relinquerentur, & fac, impune relictos, obliſos, præfocatos, expoſitos, ſed cedo mihi auctorem, qui hoc dixerit poſt tempora Trajani, Adriani, & Antonini Pii. nemo unus erit. Eorum ætate ceſſaſſe videri jus occidendi liberos conjecimus *C.* IV. ante ea tempora quominus, ut cædes, ita expoſitio liberorum impunita fuerit, ipſe non repugno; neque adeo quicquam valet, quod ex vetuſtiori ævo proferri poſſet. Quare ſi diceret Terentius, impune expoſitos partus, quod tamen nuſpiam lego, nihil diceret, quod non ultro largirer.

At vero liberorum cædes & partuum expoſitiones circumferuntur in Annalibus. Non eſt, qui hoc neget, ſed de impunitate facti ſolus ſermo eſt. Exempla, quæ pertinent ad eam ætatem, qua licuit infantes occidere & exponere, cujusmodi plura adduci video, ſententiæ noſtræ non obeſſe, res ipſa loquitur; nec etiam oberunt exempla poſterioris ætatis, niſi adſit rei licitæ mentio, quæ nunquam adeſt poſt ea, quæ dixi, tempora. Memorantur paſſim homicidia, adulteria, furta, ſed inde hæc aliaque ſcelera Veteres transmiſiſſe impunita, quis recte dixerit? narratio criminis diſtincta eſt a quæſtione liciti vel illiciti, illa ad Hiſtoriam, hæc ad Jurisprudentiam pertinet, nec Hiſtorici eſt niſi rem geſtam narrare, non diſputare de Jure. Ubi tamen ſunt, qui aliud agunt, ut ſolet fieri, quamquam rariſſime, quæro, an poſt eam, quam ſæpius ſignificavi, ætatem, necem & expoſitionem infantum pronuntiaverint impunitam? mihi nondum liquet.

Video tamen ex Patribus Chriſtianis plurima adferri loca, quibus eunt probatum, & cædes, &

& expoſitiones liberorum apud Romanos uſu fuiſſe frequentatas, & fere de his agi, tanquam de re licita. Juſtino Martyri, Tertulliano, Arnobio, Minutio Felici, Lactantio, Ambroſio teſtimonium denunciarunt Lipſius *d. Centur.* I. *ad Belg. Epiſt.* 85. & Clar. Noodtius *Julio Paulo C.* IV. loca ipſa non deſcribam, quia deſcripſerunt Lipſius, Noodtius, & Jacobus Gothofredus ad varias Leges Codicis Theodoſ. & maxime ad *l.* 2. *de Expoſit.* & *l.* 1. *ad L. Cornel. de ſicar.* Illi autem, quos dixi, rei Chriſtianæ Antiſtites vel æquales fuerunt JCtorum, ex quorum fragmentis Pandectæ conſtant, vel poſt illos vixerunt ſcripſeruntque, etiam ſub ipſis Chriſtianis Principibus: quid ultra deſideramus? Sed ego nolim religioni pietatique meæ eſſe fraudi, ſi dixero, veteres Chriſtianos, de bona fide ſæpe parum ſolicitos, Gentilibus, adverſariis ſuis, plurima exprobraſſe, atque ſi pro rebus licitis haberent, quæ tamen, ſi verum amamus, ipſi Gentiles eorumque Leges palam deteſtabantur. Ad hæc plus ſemel illi Patres inſurgunt in ſæculi vitia, in mores corruptos, in fæcem populi, & turbam ſine nomine, quæ tantum non Legibus ſoluta vivit; quæ omnia non recte detorqueas ad viros bonos, & utiles Reipublicæ cives, qui Legibus vivebant, & Magiſtratibus parebant. Quotusquisque ex Patribus non declamavit contra homicidia & adulteria, fere ut impunita fuiſſe dixeris? Unus Minutius Felix, multa protervia, Gentiles exagitat, ac ſi ea crimina permiſiſſent, Chriſtianos ſuos ita ab his vindicans in *Octavio: Nobis homicidium nec videre fas, nec audire.* Et mox: *At nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus, unius matrimonii vinculo libenter inhæremus*, & quæ ibi porro ſequuntur in eandem ſententiam. Poſſem ſexcenta ejusmodi proferre, quæ niſi Venerandi Patres dixiſſent, ego convitia de plauſtro eſſe dicerem. Forte etiam, nam lenienda oratio eſt, Chriſtiani Gentilibus promiſcue objiciebant vulgi flagitia, ignari an Legibus eſſent vetita, meliores ſcilicet Theologi, quam JCti; quin forte exiſtimabant licita, quod vitia in mores migraverant, & inter Leges creverat delictorum frequentia. Contra homicidium tamen, Minuti Felix, præſto erat Lex Cornelia, contra adulterium Lex Julia, atque ita in aliis. Quod etiam quidam ex Patribus dixerunt ſcripſeruntque de liberorum nece & expoſitione, dictum ſcriptumque eſt poſt *l. un. C. de His qui parent. vel liber. occider.* quæ Conſtantini eſt, & palam jam caverat, ne patres liberorum tortores eſſent & carnifices; utque ita ea loca omnino ſint intelligenda de vitiis ſæculi. Ante Conſtantinum quoque inter ſæculi vitia cædes & expoſitiones infantum fuiſſe numeratas, & hac mente a reliquis Patribus increpatas, perſuaſiſſimum habeo, abſit enim, ut in animum meum inducam, hæc ſcelera ſine pœna dimiſiſſe ſeveritatem veterum JCtorum; quin ſatis, opinor, contra probatum eſt. Honeſtas autem illas orationes Patribus extorſiſſe malos mores, nec aliud quicquam, inde videor videre, quod nullus eorum dixerit, jure licito patres, ſua ætate, adblandientes ſibi puerulos eliſiſſe, expoſuiſſe, ſed ejus ſceleris immanitatem & frequentiam narrant primum, deinde damnant, & præterea nihil. Quod nemini magis probabitur, quam qui eos diligenter legerit; mihi nunc otium deſcribendi non ſuppetit.

Sed age, quod dixi, ex ipſo Tertulliano, quem aliis locis nobis opponunt, liquido oſtendam. Is *L.* I. *ad Nationes C.* 15. ita ait: *Non aliter Vos quoque Infanticidæ, qui infantes enecantes, Legibus quidem prohibemini, ſed nullæ magis Leges tam impune, tam ſecure, ſub omnium conſcientia unius æ. . . tabellis eluduntur.* Jacobus Gothofredus, qui illum Tertulliani Librum ex Codice Agobardi primus extulit, etiam hunc locum ad *l.* 1. *C. Th. ad L. Cornel. de ſicar.* primus indicavit ad profligandam ſententiam infanticidii, etiam Tertulliani ævo permiſſi. Et ſane eo major hac in re cenſenda erit auctoritas Tertulliani, quo magis Legum & Conſuetudinum Romanarum fuit peritus, vel Euſebii teſtimonio *L.* II. *Hiſtor. Eccleſ. C.* 2. Notat ille, ut vides, ſæculi vitium, increpat infanticidas, &, *Legibus quidem*, inquit, *prohibemini, ſed nullæ magis eluduntur.* Quo prætextu? *unius æ. . . tabellis.* Verbum, quod in loco mutilo deeſt, bifariam ſuppletur, Jacobus Gothofredus ſupplet, *unius Ætatis*, Gerardus Noodtius, *unius Orbis.* Sed ego, ut verum fatear, neutrum ſatis intelligo. Oedipo opus eſt, quare eo ipſo adhibito, ego conjecerim, *unius Oedipi fabellis eluduntur.* Ut Oedipi fabulam, ex Tragœdiis notam, infanticidio prætexerint mali mores, & Leges, quæ hoc prohibebant, ea ratione ſub omnium conſcientia eluſerint.

Clariſſimus Noodtius *Julio Paulo C.* II. ne ſibi obſtet ille locus, putat Tertullianum reſpexiſſe ad Legem Romuli, qua juſſit prolem maſculam tolli, & ex filiabus primogenitam, vel ad Legem XII. Tabb. cui illa Romuli Lex inſerta fuiſſet. Sed, præterquam quod ille, qui quid Legibus prohibitum ſcribit, de legibus ſui temporis videatur verba facere, ut ego quoque Tertullianum acceperim, non potuit ille, ſi quid judico, ad eam Legem Romuli reſpicere, quam ipſe poſt Romulus abrogavit, conceſſa patribus omnigena poteſtate animadvertendi, pro arbitrio, in liberos cujuscunque ætatis vel dignitatis, etiam usque ad necem, ut jam indicavimus *C.* IX. *principio.* Lex, jam abrogata, non recte dicitur *eludi*, ut dixit Tertullianus. Quin & monuimus *d. C.* IX. quod *C.* II. prolixius ivimus probatum, non priorem illam, ſed poſteriorem Romuli Legem Decemviros, quia non audebant tollere, Tabulæ IV. inſeruiſſe. De priore lege, eaque abrogata, tale quid nuſpiam reperio; nec eſt ex veteribus, qui dixerit, XII. Tabulas interdixiſſe patribus cædes vel expoſitiones infantum. Quicquid ejus rei eſt, habet unus Cicero *L.* III. *de Legibus C.* 19. in hæc verba: *At, mehercule, ego, Frater, quæro, de iſta poteſtate* (Tribunitia) *quid ſentias: nam mihi quidem peſtifera videtur, quippe quæ in ſeditione & ad ſeditionem nata ſit. Cujus primum ortum ſi recordari volumus, inter arma civium, & occupatis & obſeſſis Urbis locis, procreatum videmus. Deinde cum eſſet* CITO LEGATUS, TANQUAM EX XII. TABULIS INSIGNIS AD DEFORMITATEM PUER, *brevi tempore neſcio quo pacto creatus, multoque tetrior & fœdior natus eſt.* Omnes Libri, editi & MSS. exhibent, *legatus*, quod tamen conſtat vitioſum eſſe, nam *legare* pro *abolere, tollere*, cujusmodi verbum ſententia hujus loci poſtulat, nemo dixit. Mox adeſt criticorum natio. Turnebus reponit, *ſtolo Gajus*; Gulielmius, *orco legatus*; Auratus, *allegatus*; Canterus, *ablegatus*; Gruterus, *lethatus*; Puteanus, *decatus*; Franc. Pithœus, *actæ legatus*; Jacobus Gothofredus, *Cocyto legatus.* quæ omnes Lectiones commemorantur apud eundem Gothofredum ad *LL.* XII. *Tabb. L.* III. *p.* 72. & *L.* V. *p.* 201. & paſſim apud Interpretes Ciceronis. Sed omnes illæ conjecturæ, ſi Puteanæam excipias, dignæ ſunt, quæ cito in Cocytum, vel ſi quid ulterius eſt, a-

ablegentur. Simpliciſſima eſt Puteani emendatio, aliis & ob eam cauſam probata; quæ tamen ſi diſpliceat, vide, an placere poſſit, *cito denatus*, pro *cito legatus*, *denatus* ſic erit pro *exſtinctus*. Proxime dixerat, *natam* eſſe in ſeditione Tribunitiam poteſtatem, hic diceret, *cito denatam* eſſe, ut puer ad deformitatem inſignis, & mox, revixiſſe brevi tempore illam poteſtatem, tetriorem multo fœdioremque. Et magis poterit placere *denatus*, ſi, ut quidam volunt, in ſequentibus pro *creatus* & *natus* reponendum ſit, *recreatus* & *renatus*: nam ſic haberemus, eleganti [illegible], *natum*, *denatum*, & *renatum*.

Ut ut autem legendus ſit Cicero, ſatis apparet, hanc, eo auctore, Legis XII. Tabb. fuiſſe mentem, ut monſtrum hominis quantocyus exſtingueretur, nec ſervaretur ad oſtentationem, quod peſſimo exemplo etiam nunc ſit; *quantocyus*, inquam, quia majori injuria monſtrum adultum, quam recens natum videatur occidi. Quod ipſum jus de monſtris elidendis vel mergendis & alii Auctores, absque mentione tamen XII. Tabularum, memoriæ prodiderunt. Sed quid inde in rem præſentem? Lex, quæ jubet partus monſtroſos interfici, ut duntaxat juſſit Lex XII. Tabb. non idcirco jubet, partus integros tolli: neque id poſtremum juſſit Lex Decemviralis, imo, ut ante dicebam, ſequuta eſt legem poſteriorem Romuli, qua impune licuit occidere & exponere liberos cujuscunque ætatis. Quin aliud mihi de ipſo monſtro ſanciviſſe videtur prior Lex Romuli, aliud Lex Decemviralis: illa partum monſtroſum exponi non vetuit, ſed oſtenſum prius quinque vicinis proximis, & non niſi ex eorum ſententia, ut eſt apud Dionyſium *L.* II. *p. m.* 88. Hæc, ſecundum Ciceronem, partum monſtroſum non permiſit, ſed juſſit quantocyus perimi, non exſpectato vicinorum, quibus oſtenderetur, arbitrio; quo nec opus erat in integri partus vel nece, vel expoſitione, ex poſteriore Romuli, eademque Lege Decemvirali. Quæ omnia, niſi Dionyſius & Cicero me fallant, plusquam probabili argumento ſunt, Tertullianum de Legibus, infanticidium prohibentibus, loquentem non intellexiſſe priorem illam & abrogatam Romuli Legem, vel ſimilem quam Decemvirorum, quæ nuſpiam exſtat, ſed leges ſuæ ætatis, quibus antiquæ truculentiæ ibatur obviam, at quibus eluſis, more priſtino, ſæviebatur in homunciones innoxios; & quod agere, ut alicubi Tacitus loquitur, *ſæculum vocabatur*. Hanc ſævitiam, hos mores corruptos Tertullianus accuſat, accuſant alii Patres Chriſtiani, ſed non accuſant leges, quæ ejusmodi ſcelera permiſiſſent; & de eo ſolo nos quærimus.

Reliqua, quæ adferuntur, refutare vix operæ eſt. Si Tacitus *L.* V. *Hiſtor.* *C.* 5. de Judæis dixerit, ſi *de Moribus German.* *C.* 19. de Germanis, nefas eſſe his Populis *quemquam ex agnatis necare*, & inde collegeris, Romanis id nefas non fuiſſe, potes animadvertere, has conſequentias non ſatis tuto loco eſſe; & ſi eſſent, Taciti ætatem fere remotiorem fuiſſe, quam ut conveniat noſtræ diſputationi. Diceres etiam, Romæ tunc fuiſſe id nefas, & quidem lege prohibente, quia *d.* *C.* 19. mox addit: *plus ibi* (apud Germanos) *valere bonos mores* (qui abſtinent a nece agnatorum) *quam alibi* (forte Romæ) *bonas leges*, quæ abſtinere jubent, at eluduntur peſſimis moribus. nolim tamen, quod ad Taciti ætatem, de eo usquequaque contendere. Apud Apulejum *L.* X. *Metamorph.* ſi mandaverit pater, peregre proficiſcens, uxori prægnanti, ut ſi ſexus ſequioris edidiſſet fœtum, protinus necaretur, non id mandatum majus præbuerit argumentum rei licitæ, quam ipſa cædes vel expoſitio, quarum exempla, etiam poſt Valentiniani Leges prohibentes, omnis ætas ſuggeſſit: nam de jure quærimus, non de facto, quod hic illis incidit. Si Romæ olim in foro olitorio *Columna Lactaria*, ad quam infantes exponebantur; ſi Julius Firmicus ſub Conſtantino *L.* VII. *Matheſ.* *C.* I. ex profeſſo egerit, *de expoſitorum vel non nutritorum genitura*, quid aliud inde effeceris, quam expoſitos pertinuiſſe ad curam hominis, quin & ad curam Legis? etiam hodie apud humaniores Populos ad curam Legis pertinent, interdicto quamvis ſcelere. Leges ipſas *de expoſitis* ſupra recenſuimus, nec hic repeto; nunc defuncti ſumus iis locis, quos Juſtus Lipſius & Jacobus Gothofredus ab Auctoribus exteris mutuati ſunt, quosque Lipſius & Noodtius, in rem ſuam verſos, exhibuerunt: ſed ab his non magis metuendum eſſe, quam ab Auctoribus noſtris, ſatis, ni fallor, probatum eſt.

TANTUM EST.

IN-

INSCRIPTIONES CAPITUM.

CAPUT I.

De jure antiquo patriæ poteſtatis, etiam uſque ad necem, venditionem, & expoſitionem liberorum. Pag. 346

CAPUT II.

Quamdiu obtinuerit jus vitæ & necis in liberos, variæ ſententiæ, & quæ ſequenda videatur. 347

CAPUT III.

Poſt Legem Corneliam de ſicariis, quin & Pompejam de parricidiis, & Juliam de adulteriis duraſſe videri jus vitæ & necis in liberos. 348

CAPUT IV.

Παιδοφονίαι apud Romanos ceſſaſſe videri temporibus Trajani, Adriani, Antonini Pii, reliquorumque deinceps Principum. 351

CAPUT V.

Depulſæ rationes, quibus utuntur, qui ſub Papiniano, Ulpiano, & Paulo jus vitæ & necis in liberos adhuc integrum illibatumque ſtetiſſe defendunt. 353

CAPUT VI.

Venditio liberorum quando obtinuerit, quando ceſſaverit, variæ variorum ſententiæ, & quæ nobis placeat. 354

CAPUT VII.

De nece infantum, & nunquid de ea aliud prior, aliud poſterior ætas cenſuerit. 356

CAPUT VIII.

De venundatione infantum, & quo diſcrimine hanc habuerint Leges veteres & novæ. 360

CAPUT IX.

De expoſitione infantum, licita, an illicita Jure Pandectarum. Repetitionem expoſitorum, refuſis, vel non refuſis alimentis. nihil huc pertinere. Jus novum, quod ad expoſitos, an a veteri diſcrepet? 362

CAPUT X.

Fruſtra auctoritates exteras advocari ad probandam, Jure Pandectarum, infantum necem & expoſitionem. 365

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI ET PRÆSIDIS,

CURÆ SECUNDÆ

DE

JURE OCCIDENDI ET EXPONENDI LIBEROS

APUD VETERES ROMANOS.

AD

VIRUM CLARISSIMUM

GERARDUM NOODT,

JURISCONSULTUM ET ANTECESSOREM

in Academia Lugduno-Batava.

VIRO CLARISSIMO

GERARDO NOODT,

JURISCONSULTO ET ANTECESSORI,

S. D.

CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK.

Liceat mihi, Vir Clarissime, pudorem meum purgare, & amoliri tot ac tantas culpas, quas mihi nuper, turbato nonnihil animo, adſcripſiſti. Veritati litamus uterque, facile enim mihi perſuadeo, non alia mente te acceſſiſſe ad *Julium Paulum*, quam quod bona fide exiſtimares, partuum expoſitiones & neces Leges Romanas permiſiſſe ad usque tempora Valentiniani, Valentis & Gratiani. Si & tu tibi perſuadere potuiſſes, me bona fide exiſtimare, temporibus Trajani, Adriani, Antonini Pii, reliquorumque deinceps Principum, Legibus modo coërcitam fuiſſe necandi & exponendi partus veterem licentiam, non tibi, ſat ſcio, excidiſſent tot loquutiones duræ & aſperæ, quarum, ut ait ille, *in altitudinem reſidere ſolet memoria.*

Noli putare, me a te diſſenſiſſe, quia diſſentire conſtitueram. Si hoc mihi ſediſſet, potuiſſem & debuiſſem alia Juris Romani capita ſeligere, de quibus inter nos non magis convenit, quam inter tres convivas, & de quibus tu ex tua ipſius ſententia decernis, ſed cur aggrederer ſententiam Lipſii, a te nonnihil interpolatam, & iisdem, quibus ille utitur, teſtimoniis ſuffultam? Quin ſancte affirmem, me in iis, quæ per otium ſcripſi & publice edidi, ſemper abſtinuiſſe ab iis particulis Juris Romani, quas tu invita & irata Themide mihi videbaris emendaſſe vel explicaſſe, non alia ratione, quam ne publice a te diſſentirem, & leges amicitiæ, quæ inter nos per plurimos annos integra illibataque ſtetit, ullo pacto læderem. Sed ita libertatis meæ oblivisci non poteram, ut cum *Opuſcula varii argumenti* pararem, interque ea esſet, quod dudum conjeceram *de jure occidendi, vendendi, & exponendi liberos apud veteres Romanos*, ut, inquam, id domi premerem, quia inter alias aliorum ſententias, quas mihi refutandas ſumpſeram, forte occurrebat ſententia Lipſii, non tua, ut dixi, ſingularis. Quicquid eſt ejus argumenti excusſeram, de venditione liberorum adjeceram, de qua tu fere nihil, originem, progreſſum, finem effrenioris illius patriæ poteſtatis ex Legibus & Annalibus Romanorum erueram, nec quicquam cauſæ eſſe videbam, cur hæc omnia clam haberem, quia incidebat quæſtio, quam ſolam tu, præeunte Lipſio, tractaſti de tempore, quo Legibus damnari cœpit infantis necandi & exponendi indignum facinus. Ita autem ſum verſatus in eo argumento, ut *Cap.* VII. *p.* 357. cum præfatione honoris & amicitiæ non tantum tui memine-

 rim,

rim, ſed & addiderim: *nec, ſat ſcio, ægre feret amicus meus, quæ ejus eſt animi magnitudo, ſi ab ipſo amice diſſentiam.*

Haud vana ſpes me tunc alebat ejus, quam animo conceperam, præſumptionis. Ipſe enim, non modo procul ab omni convitio, contumelia, injuria, verum & ab omni dicto, quod amicum offendere poſſet, ſimpliciter expoſui, quod res eſt, vel mihi eſſe videbatur. Diſſentientes amicos quotidie & audio, & benigne fero; quin & eorum diſſentiens opinio ſæpe me in contrarium vocavit. Qui ſibi ſoli videntur ſapere, quia in Cathedris non audiunt niſi applaudentes ſibi Auditores, iraſcuntur fere, ſi quis vel latum unguem ab eorum ſententia diſceſſerit; ſed quis hoc a te exſpectaſſet, cujus tanta animi manſuetudo ſemper celebrata fuit, ut in vitium fere inciderit? ſolet enim, quod extremum eſt in virtute, ſæpe in vitium degenerare. Quotusquisque te non aggreſſus eſt vel integris libris, & data opera, vel ex occaſione, ubi res incidebat? quid tu ad hos omnes? piſce magis obmutuiſti. Ignoſcerem, ſi animæ viles, & quas contemnere tuto potuiſſes, tale quid fuiſſent auſæ, at cum plures adverſarios fueris expertus, & hilarioris famæ, & quos viciſſe gloria eſſet, animum nihilominus ad patientiam obduraſti, & nihil quicquam repoſuiſti, vel quia non erat, quod reponeres, vel ex animi tranquillitate fere nimia, &, ut dixi, in vitium proclivi.

Cum igitur tu non amicos tantum, ſed & inimicos hactenus benigne tuleris, ſic ut, quod doleo, nemo non etiam impune te laceſſiverit, ſcire nunc velim, venerande Senex, cur priſca virtute [ſic enim appellam, quia ita tibi videbitur] tam ſubito excideris? cur acrem ejusmodi libellum edolaveris & mihi oppoſueris? cur integro triennio, quo eum paraſti, vehementior ille animus non deferbuerit? cur *amicam reſponſionem*, ipſo titulo, promittas, & per *amici* fallas nomen? nam, cum intraveris, Dii Deæque quam nihil AMICI in medio invenies! quot ibi loquutiones, quibus non tantum ſacra amicitiæ temerantur, ſed quæ nec noſtræ utriusque ſtationi vel dignitati conveniant. Sic tu ſoles amicos? ad exemplum forte pii patris, qui liberos, quos diligit, etiam verberibus ſolet objurgare. Sed nolim in hiſce te auctorem ſequi, præſertim cum intelligam, omnes, qui extra partium ſtudia poſiti ſunt, damnare horridum & inimicum, quo me adortus es, ſcribendi genus, idque in cauſa, in qua non agitur de ſalute Græciæ, nec certatur de noſtra utriusque Jurisprudentia, ſed in cauſa facti, cujus interpretatio, ut JCti noſtri loquuntur, etiam prudentiſſimos quosque fallit. In lite, quæ fere de tribus capellis eſt, ponamus ſupercilium, & quicquid eſt vehementioris animi. Si tibi videatur aliter, & nunc, quam olim, ingenii ſis moroſioris, tribuam id vulgari vitio ingraveſcentis ætatis [nam ſic te defendo apud noſtros utriusque amicos, cum nihil aliud ſuppetat] & id operam dabo, ut veteri amicitiæ donem, quæ donare poſſum, ſalva defenſione.

Exhibebo autem ipſam *Reſponſionem* tuam, ne ejus verba continuo repetere habeam neceſſe, ſic enim brevitati ſtudebo, & ſic etiam palam conſtabit, me nihil ex ea prætermiſiſſe, quod refutandum ſit, quemadmodum tu multa prætermittis, quæ ipſe dixi, & te urgebant. Atque huic reſponſioni notas meas adſpergam, breviores, prolixiores, ut res poſtulabit. Ad tribunal Eruditorum ut me provocaſti, ſic te viciſſim provoco, illi eant in conſilium, & decernant, quis juſtius induit arma. Vale plurimum venerande Senex, &, ſi in poſterum bella moveas, parce precor, precor.

VIRI

VIRI CLARISSIMI

GERARDI NOODT,

Juriſconſulti & Anteceſſoris,

AMICA RESPONSIO

CUM NOTIS

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

Juriſconſulti & Præſidis.

Princ. num. (1.) Quem mihi deſtinavi finem, animum appellens olim ad confectionem *Julii Pauli, ſive libri ſingularis de partus expoſitione & nece apud Veteres*, is finis fuit, inter alia neque inelegantia, neque ante pervulgata, in *l.* 4. *D. de agnoſcendis & alendis liberis*, detegere mentem Julii Pauli, per aliquot ſecula a nobilibus ingeniis ſedulo inveſtigatam, verum a nullo, quantum memini, repertam aut demonſtratam. Erat vero pretium operæ, videri, cognoſci, intelligi rem inſignem: ad quam ſuo tempore, ac ſuo modo, intendit Julius Paulus; & alio in compoſitione Pandectarum Imperator Juſtinianus. (2) Non enim idem utriusque iter fuit: ſed quod ſuus oſtendet locus, diverſum. utrumque tamen ante obſtructum, omnium obfuit induſtriæ, a me deprehenſum neſcio quo fato, (3) certe favente fortuna indefeſſæ diligentiæ, admodum juveni ſine cavillatione primum aperuit in *d. l.* 4. utriusque ſenſum, diſcuſſis tenebris, eum tanto tempore abſcondentibus. Nec diſſimulo, mihi poſtea tam gratum, quam decorum, fuiſſe conſenſum hominum egregiorum ad quos devenit Opus meum. Quamquam tertium communicato cum erudito orbe, (ut raro idem ſapit omnibus) vidi, Ampliſſimum Virum, (4) mihi in primis amicum, Cornelium van Bynkershoek, Juriſconſultum Inclytum, & in Suprema Hollandiæ, Zelandiæ, & Weſtfriſiæ Curia Aſſeſſorem, edito *Opuſculo de jure occidendi, vendendi, & exponendi liberos apud Romanos*, (5) nuper pleraque quæ mihi inciderunt *Julio Paulo*, ſollicitare omnia. Invidere alienæ libertati, numquam fuit moris mei. meæ vero me oblivisſci, cum poſſit aliis prodeſſe, neque ratio velit, (6) neque Dominus van Bynkershoek. Erit igitur jus utrique, in re ſciri digniſſima, ſua quemque argumenta in medium pari libertate conferre; & quid plus minusve ad veriſimile accedat, (7) citra damnum affectus, aliis ad diſcernendum relinquere: unoquoque quod ipſe cogitaverit, ob naturalem ejus amorem, ſemper optimum ducente.

§. I. (8) De cætero duplex nos occupabit cura:

Princ. num. 1. Sic eſt, ut ais, non alio fine ſcilicet te edidiſſe *Julium Paulum*, quam ut aliter, quam alii, explicares unam *l.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. liber.* nam alia, quæ ibi ſunt, non tua, ſed fere aliena ſunt, ut dicam ſuo loco. Plurimos Libros ſingulares conſcripſiſti, ut unam legem explicares vel emendares. Aliis id unius Obſervationis materies eſſe ſolet. Quam perperam autem *d. l.* 4. explicaveris, & quam novaturiens nihil profeceris, intelliges loco magis commodo.

2. Imo idem fuit utriusque iter, nec aliud Pauli, aliud Juſtiniani fuit conſilium, ut deinde audies.

3. An fortuna *indefeſſæ tuæ*, ut ipſe ais, *diligentiæ* tibi faverit in explicanda *d. l.* 4. hoc eſt, de quo quærimus. Tu affirmas, & provocas ad *conſenſum hominum egregiorum*, ad quos opuſculum tuum devenit. Ego nego, & provocare poſſem ad eos, quibus etiam nemo negaverit jus ſuffragii, & qui longe aliud teſtimonium dixerunt, ſed apage ea, quæ nihil quicquam efficiunt, & lectori moleſta ſunt, ut eſt omnis laus ſui ipſius.

4. Inter amicos amice agi oportet, ſed cum ita non egeris, vereor, ne amicitia tua exciderim. Mox me appellas *JCtum inclytum*, at is eſſe non poſſum, ſi tam diſputandi ignarus ſim, ſi alia vitia, quæ hic illic notas, me undiquaque obſideant. Abſtine a laude mea, modo & abſtineas a tot exprobrationibus, male concinnatis & digeſtis, nam cur pugnantia ſcribis?

5. Sollicitavi plurima, quæ aliis inciderunt, pauca quæ tibi.

6. Libertatem ſententiæ dicendæ cum Labeone noſtro ſemper defendi, & amo, qui defenderint. Sed velim ſervari τὸ πρέπον, ut Græci appellant, & te id non ſervaſſe paſſim apparebit.

7. Honeſta oratio, ſed hujus immemor mox ad alia omnia delaberis, affectibus nimium ipſe indulgens.

§. I. 8. Duas ais inter nos verti quæſtiones, & utramque proponis. Ego vero ſecundam quæſtionem de

ra: una eſt, quamdiu parentibus in Foro Romano fuerit permiſſum, liberos natos, antequam ſuſcepti, agniti, alique juſſi eſſent, pro arbitrio exponere aut necare. Altera eſt, quando abor-

tus

de muliere, quæ ſibi abortum procurat, ab argumento, quod tractamus, eſſe alieniſſimam oſtendi *Cap.* VII. *opuſc. de Jure occid. liber.* Sed ſi non eſſet, etiam in ea te minus feliciter eſſe verſatum, & ibi videor mihi probaſſe, &, quia adhuc contradicis, *curis his ſecundis* plenius probabo. In conjiciendo autem controverſiæ ſtatu argumenta, quibus utimur, ſollicite ſunt ſeparanda ab ipſa quæſtione, alioquin inter nos tot erunt quæſtiones, quot argumenta. Una lis eſt, quam agimus, de tempore, quo apud Romanos impune licuerit liberos necare vel exponere. *Quamdiu,* inquis, *in foro Romano parentibus fuerit permiſſum, liberos natos, antequam ſuſcepti, agniti, alique juſſi eſſent, pro arbitrio exponere aut necare.* Ais *parentibus*, quia inter patrem & matrem hac parte non diſtinguis ut ego diſtinguendum reor, & porro ais, *antequam ſuſcepti, agniti, alique juſſi eſſent*, quo ſignificares (neque enim intelligo, quid aliud hæc verba ſibi velint) idem juris non fuiſſe in liberis ſuſceptis, agnitis, alique juſſis, quamvis, ut deinde audies, hac formula utaris ſine ullo populi ſuffragio, & ſine ulla ullius legis vel hominis auctoritate, & quamvis ipſe in ſeqq. ita diſputes, atque ſi in liberis cujuscunque ætatis licita fuerit cædes, quamdiu fuit extra legum tabulas. Utilis autem ad ſequentem diſputationem erit præparatio, ſi ſciamus, unde defluxerit jus necandi & exponendi liberos apud veteres Romanos, nam inde multa pendent, quæ inter nos controvertuntur. Tu putas *Cap.* II. *Julii Pauli*, & infra §. XXI. *&* XXVI. id jus originem traxiſſe ex ſententia Philoſophorum quorundam, qui exiſtimaſſent, partum, dum utero eſt, pro homine non habendum, quin nec editum, niſi nutricis opera interveniſſet. Sed ſatis intelligis, huc non pertinere diſputationem de fœtu, qui in utero eſt, neque adeo eas Philoſophorum ſententias, quas ex Plutarcho in hanc rem adfers. Nos diſputamus de partu, qui jam eſt editus, & de quo Philo Judæus, isque, ut opinor ſolus dixit, *ex vulgi ſententia vix haberi pro homine, priusquam nutricis intercedat officium.* Philonis Judæi locum, ex Libro *de Vita Moſis* ſuggeſſit tibi Jacobus Gothofredus in *Comm.* ad *l.* 1. *C. Th. ad L. Corn. de ſicar.* ſed & ſimul oſtendit, & Philoni Judæo, & certe JCtis noſtris longe aliud ſediſſe; quod eſt veriſſimum. Audis, quid ibi Philo dicat? *οἱ πολλοὶ νομίζουσιν, multi exiſtimant*; ipſe non dixit, nec quisquam, quod ſciam, veterum Philoſophorum dixit de partu jam edito, ut jam obſervavi *Opuſc. C.* VII. *p.* 357. in *f. & p. ſeq.* Et, ſi ex Philoſophia ſua ita quisquam veterum cenſuiſſet, probandum utique eſſet, ita etiam ſapuiſſe Juris veteris Auctores vel interpretes. Cedo unum, qui ita in animum induxerit ſuum, quive exiſtimarit, Lege Cornelia non teneri, qui partum jam editum occidiſſet, dummodo nutrix ei officium ſuum non præſtiterit. De eo nunc loquor, qui pater non eſt, ſed infantem, ex ſententia, quam tu profers, non hominem occidit. Sæpe, qui in utero ſunt, pro jam natis habent JCti, ſed jam natos pro non natis eos habere, non memini me uſpiam legere: tam craſſa Philoſophia Auctores noſtri nunquam uſi ſunt, nec ei rei ullum argumentum præbet *l.* 9. §. 1. *ff. ad L. Falcid.* ad quam etiam provocas *d. C.* II. nam de ventre agit, ut agit quoque *l.* 1. §. 1. *ff. de Ventr. inſpic.* quam ibi potuiſſes addere, & de qua utraque jam dixi *Opuſc. C.* VII. *pag.* 188. Ego jus vitæ & necis in liberos, quod olim Romanis competebat, a patria poteſtate arceſſendum eſſe putavi, &, ni fallor probavi C. I. *d. Opuſc.* Id ipſum putat auctor Epiſtolæ, quam exhibes §. XXV. *Cepit*, inquit, *me impetus paucis abhinc diebus, inquirere in quæſtionem difficilem ac nobilem de tempore ablatæ* PATRI *poteſtatis necandæ prolis ſuæ.* Et ſane ea res adeo manifeſta eſt, ut præter te, qui diſſentiat, ſciam neminem. Multis auctoritatibus evici *d. C.* 1. patriam ac dominicam poteſtatem, jure veteri, pari loco fuiſſe habitam, utque domino, ſi ita videatur, invidendum non eſt rem ſuam perdere, atque de ea, ut lubet, decernere, ita patri integrum fuiſſe de liberis ſuis arbitrium, ſi vel ad necem de iis vellet ſtatuere. Retuli plurima loca in hanc rem, ſed quia te forte magis movebit veteris alicujus Eccleſiæ Doctoris auctoritas, addo Lactantium *Divin. Inſtit. L.* IV. *C.* 3. *Dominum*, inquit, *eundem eſſe, qui ſit pater, etiam Juris Civilis ratio demonſtrat, quis enim poterit filios educare, niſi habeat in eos domini poteſtatem?* & mox: *Unde apparet, eundem ipſum & patrem eſſe ſervorum, & dominium filiorum. Denique & filius manumittitur tanquam ſervus, & ſervus liberatus patroni nomen accipit, tanquam filius. Quod ſi propterea paterfamilias nominatur, ut appareat, eum duplici poteſtate præditum, quia & indulgere debet, quia pater, & coërcere, quia dominus: ergo idem ſervus eſt, qui & filius, idem dominus, qui & pater.* Pro *quia pater*, & *quia dominus*, aſſentior Petro Fabro *Semeſtr.* III. 15. legenti, *qua pater*, & *qua dominus.* Excute præterea omnes utriusque linguæ auctores, qui priſcæ illius poteſtatis meminerunt, & nemo unus erit, qui non aperte, *patribus* Jus illud adſcripſerit, de parentibus utriusque ſexus, vel matribus altum ubique ſilentium. Sed quid dubitamus? ut ex Jure Regio conſtat promanaſſe plenius & eminentius illud jus in liberos, ſic habemus ipſam Legem Romuli, qua id permiſit. Verba Legis ex Dionyſii *L.* II. *p. m.* 96. exhibui. *d. C.* I. & inde apparet, poteſtatem illam datam fuiſſe *πατρὶ*, non matri, non utrique parenti, nec tantum in liberos, *antequam ſuſcepti, agniti, alique juſſi eſſent*, quæ tua formula eſt, ſed *παρὰ πάντα τοῦ βίου χρόνον, omni vitæ tempore*, etiamſi, ut addit, filius Rempublicam tractaret, vel Magiſtratus maximos gereret, vel præclare de Republica eſſet meritus. Narrat deinde, ſecundum hanc legem plures illuſtres Viros pro Roſtris, favente plebe, concionantes in Senatus invidiam, fruentesque aura populari, detractos e ſuggeſtu, & abductos a patribus, ex ipſorum ſententia pœnas dediſſe eosque, dum per forum ducerentur, neminem adſtantium eripere potuiſſe, non conſulem, non Tribunum, non ipſam turbam, cui adulabantur. Tandem ait, fortiſſimos quosque Viros a patribus fuiſſe necatos, quod nimio virtutis amore peccaſſent, ut eſt in exemplo Manlii Torquati. Largieris, credo, Vir Clariſſime, liberos, de quibus agit Dionyſius, jam fuiſſe ſuſceptos & agnitos a patribus, quinimo fuiſſe jam perfectæ ætatis. Sed vel exempla, quæ ipſe reperi in Hiſtoria Romana de jure vitæ ac necis, a patribus exercito, de liberis adultis loquuntur omnia, nullo excepto, ut videbis in catalogo exemplorum, quem exhibui *Opuſc. C.* III. Amabo te, mone, doce, qua auctoritate in nece liberorum circa ætatem diſtinxeris, ſed hujus ipſe diſtinctionis in ſequentibus mox oblivisceris, ut audies ſuo loco. Cum *Julium Paulum* ederes, perſuaſiſſimum habeo, te latuiſſe Legem illam Romuli, alioquin enim ejus meminiſſes, ut oportebat, ſed quia Lipſius *Centur.* I. *ad Belgas Epiſt.* 85. aliam Legem Romuli, tempore ſcilicet priorem, tibi indicaverat, hanc totam deſcribis *d. C.* II. & hanc ipſam perperam exiſtimas XII. Tabulis fuiſſe inſertam. De utraque lege dixi *C.* IX. & de poſteriori, non priori inſerta Tabulis *C.* II. Quia autem tunc ignorabas Legem Romuli poſteriorem, hinc aliquotiens *Cap.* II. *Julii Pauli* ſignificas, *moribus Populi Romani* ſubactam eſſe priorem Legem Romuli. Cum vero ederes *Commentarium* ad *Pand. Tit. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.* jam tibi innotuerat poſterior lex Romuli, nam argumentum ejus refers, & inter præcipuas patriæ poteſtatis effectus eam primo loco recenſes. Cur tam varie? Et ipſe eam tribuo patriæ poteſtati, & diſerte Romulus tribuit, & tribuerunt Auctores, qui eam commemorarunt, quid igitur, cum nihil his omnibus reponas, adhuc hæres? & quid patriam poteſtatem hinc abeſſe jubes, ut matri ſcilicet idem juris tribuas, quod patri, & ut velificeris formulæ tuæ de liberis *necdum ſuſceptis, agnitis alique juſſis*, alia tibi ejus juris quærenda ratio fuit, & hanc, niſi ipſe fallor, vel tu in *Commentario* fallaris, dediſti peſſimam.

§. II.

tus mulieris, medicamento ab illa ſponte ſumpto, in eodem Foro pro crimine haberi punirique cœperit.

§. II. Ut autem evitetur in diſputando confuſio, obſervari ſuadeam, quod & volui in *Præfatione Julii Pauli*, (1) non verti: utrum fuerit ex decoro Populi Romani, fœdam atque impiam tolli conſuetudinem: ſed quo ea defierit tempore. proinde, quod diſtat, non in jure, ſed in facto, conſiſtit; & ut expediatur, (2) non dabo locum argumento a pio, juſto, honeſto; nec contra a turpi aut abſurdo: expertus, omnia illa, quando peræque recipit vita communis, privata hominum ſingulorum, & publica civitatum, ad facti demonſtrationem, tamquam fallacia, nihil valere. tantum petendam puto ejus probationem inde, unde per humanam conditionem haberi poteſt tutius: id eſt (3) a teſtibus & exemplis temporis rei geſtæ. eſtque idcirco hæc diſputandi forma ad quam ratio ducit, a me religioſe ſervata & hic, & ante in *Julio Paulo*. Eamdem formam poſtea etiam ſibi præſcripſit Dominus van Bynkershoek *c*. III. *Opuſc*. *p*. 348. ſed præſcriptam neglexit penitus: ſemper uſus argumentis ac conſequentiis: numquam teſtibus aut exemplis temporis cujus uſum inveſtigamus. Quam habuerit cauſam variandi, neſcio, variaſſe, quisquis in rem præſentem venerit, deprehendet ſtatim. proinde nec mirum, nos qui contrariam tenemus viam, non eodem exire.

§. III. (4) Hiſce præmiſſis, nunc me moveo ad propoſitas quæſtiones. In priore fert mea opinio, fuiſſe parentibus apud Romanos, more aliarum Gentium, alioquin a cultura vitæ elegantioris non abhorrentium, permiſſum, (5) liberos natos, ac nondum ſuſceptos, alique juſſos, pro arbitrio tollere, exponere, necare; Jure Pandectarum & Codicis, usque ad Principatum Valentiniani, Valentis & Gratiani: quibus viſum, inveteratæ crudelitati extra ordinem capitali ſupplicio occurrere in *l*. 8. *C*. *Ad Legem*

§. II. 1. Recte ais, non verti, an impia fuerit lex, quæ patribus dederit ἀνυπεύθυνον in liberos imperium, etiam usque ad necem & expoſitionem (nam impiam fuiſſe legem, plus ſemel ipſemet fateris) ſed quo ea defierit tempore, id ipſum denuo inculcas §. XXVII. & in hanc rem pronuncias, quod nemo unquam negavit; *Populorum Leges ac mores non ubique nec ſemper regi eo quod ſit honeſtum ac pium*. Laudo hanc obſervationem, & quod ad eam illuſtrandam adferas exempla aliorum Gentium, quæ eandem impietatem patribus permiſerunt, niſi alii id argumentum dudum occupaſſent. Lipſius in laudata, & ſæpius adhuc laudanda *Epiſt*. 85. *Centur*. I. *ad Belg*. *Si vis*, inquit, *homines accuſare, qui hominem, non ſolum parentem exuebant, in tenella & innoxia plantula exſtinguenda, non abnuo, tecum imo accuſavero; ſed de facto, non de qualitate quæſtio nobis erat*. Veriſſime. Mox tranſit Lipſius ad locum Ariſtotelis, qui eſt *L*. VII. *Polit*. 16. ut ſimile impietatis exemplum inde eruat, nam, Lipſio auctore, præcipit, definitum eſſe oportere liberorum numerum, ſin autem is nimium excreſcat, *abortum eſſe procurandum*, ſed vero ait, *conceptionem tunc eſſe impediendam, conceptum enim fœtum abigere nefas eſſe*. Hunc locum, quem tibi Lipſius ſuggeſſit, vel Schefferus ad *Ælian*. *Variar*. *Hiſt*. II. 7. adducis *d*. §. XXVII. & adducis atque novam auctoritatem, præter Plutarchum & Ælianum, a te allegatos *C*. I. *Julii Pauli*. At vero *d*. *C*. I. non es oblitus eundem locum deſcribere, preſſius ibi indicans, quod non definiviſti *d*. §. XXVII. apud Græcos nonnullos licitam fuiſſe liberorum expoſitionem, quia Ariſtoteles dixit, ſi *leges vetent expoſitionem*, & numerus liberorum nimium augeatur, conceptionem eſſe impediendam. Sed inde ne quidem tuto effeceris, fuiſſe apud Græcos Gentes, quæ expoſitionem permiſerint. Maxime ſi addas Legem Thebanam, Æliano memoratam *L*. II. *Var*. *Hiſtor*. *C*. 7. quæ hanc aperte prohibuit, & ex qua *d*. *C*. I. rurſus argumentum ducis a ſenſu contrario. Sed omittendus tibi non erat locus Æliani, quem tam commodum tibi ſuggeſſerat Gothofredus Pater in *not*. ad *l*. 2. *C*. *de Patr*. *qui fil*. *diſtrax*. nec omittendi Tacitus, Curtius, Philo Judæus, aliique, a Lipſio, Gothofredo, Scheffero prolixe laudati, & ſine ulla ullius mentione a te deſcripti. Quo bonum hæc recitare? agnoſco, & apud Romanos obtinuiſſe improbam legem perdendi liberos, ſed quamdiu obtinuerit, id eſt, de quo diſputamus.

2. In quæſtionibus facti diſcutiendis teſtes & teſtimonia primum locum ſibi vindicant, & iis etiam in primis uſus ſum in hac, quam tractamus, quæſtione, ſed quid vetat addere locum *a probabili*, qui in quæſtionibus facti fere nunquam ſolet negligi. Cum alia ætas alios mores poſtulat, quidni liceat dicere, veriſimile non eſſe, Romanos, ex quo rudes & ſævos mores jam plane depoſuerant, adhuc impune contra liberos ſæviiſſe, interdicta etiam tunc adverſus ſervos ſævitia? Veriſimile non eſſe, hanc impietatem, hæc homicidia, ſine pœna transmiſiſſe Principes, re ac nomine Pios ac Philoſophos? Veriſimile non eſſe, ad hæc aliquamdiu conniviſſe ipſos Principes, ſacris Chriſtianis imbutos? Quemadmodum in rebus facti oporteat verſari, magiſtro uſus ſum Quintiliano *L*. VII. *Inſt*. *Orator*. *C*. 2. is me docuit, ad amoliendum crimen, *probos mores nunquam non plurimum profuiſſe*, ut proſunt aliæ præſumptiones, & a probabili petitæ ſuſpiciones, quas ibi prolixius enarrat. *Nec* (inquit, *L*. IV. *C*. 2.) *mihi unquam tanta fuerit cura brevitatis, ut non ea, quæ credibilem faciunt expoſitionem, inſeri velim*. Et mox, ut quid credibile ſit, conſiderari præcipit, *loca, tempora, & ſimilia*. Quumque ab his, ut noviſti, nec JCti noſtri diſſentiant, neſcio, cur iraſcaris, quod veris veriſimilia miſcuerim, nam *multum confert adjecta veris credibilis rerum imago*, ut accepi ab eodem Quintiliano *d*. *L*. IV. *C*. 2.

3. Recte ais, teſtes, & exempla hic plurimum valere, nec aliud mihi ſediſſe *Opuſc*. *C*. III. *p*. 348. at parum amice & parum vere mox addis: *ſed præſcriptam* (formam) *neglexit penitus, ſemper uſus argumentis a conſequentiis, nunquam teſtibus aut exemplis temporis, cujus uſum inveſtigamus. Quam habuerit cauſam variandi, neſcio, variaſſe, quisquis in rem præſentem venerit, deprehendet ſtatim*. Et ipſe lectorem in rem præſentem ire velim, & ſtatim deprehendet, me, cum *Capiti* III. præſcripſerim, jus vitæ & necis in liberos adhuc duraſſe videri poſt Legem Corneliam de Sicariis, Pompejam de Parricidiis, & Juliam de Adulteriis, id primum exemplis, deinde auctoritatibus confirmaſſe, & cum *Capiti* IV. præſcripſerim, id jus ceſſaſſe videri temporibus Trajani, Adriani, Antonini Pii, reliquorumque deinceps Principum, deprehendet Lector, me & exemplis & teſtimoniis, ex eorum ætate petitis, in eam rem fuiſſe uſum. An idonea ſint, inter nos controvertitur, tu non eſſe affirmas, & ut refutares, hanc *amicam Reſponſionem* adornaſti, ego idonea eſſe cenſui, & adhuc cenſeo, ut videbis ſuo loco. Vellem igitur explicuiſſes & probaſſes, quod non facis, ubi in genere probationum, quas hic adhiberi oporteat, variaverim, neque enim ſolemus amicis *variationes* objicere, niſi explicatas & probatas. Λόγοι καθόλου κενώτεροι, inquit Ariſtoteles. Quin tantum abeſt, ut non deprompſerim teſtimonia & exempla, ut ne tu quidem omnia ſollicitaveris, ſed ea duntaxat, quæ aliqua ſpecie videbaris poſſe laceſſere, præteritis aliis, quæ fortiſſima erant, & de quibus laceſſendis deſperabas, ut & hæc ſuo loco audies.

§. III. 4. Nihil fere eſt, quod ad hunc §. notem, exponis hic, quid tibi, & §. IV. quid mihi videatur, & dicis, quod res eſt.

5. Habes hic iterum eandem formulam *de liberis natis, ac nondum ſuſceptis alique juſſis*, de qua ſupra nonni-

gem *Corneliam de ſicariis* & *l.* 2. *C. de infantibus expoſitis:* (1) idque pro ſua ſagacitate unum eſſe ſubodoratum V. Cl. Juſtum Lipſium *Cent.* 1. *Ad Belgas Epiſt.* 85. non ſine præfatione honoris indicavi *Julio Paulo c.* IX. Dixi tamen ibi quod res eſt, tantum ſubodoratum. (2) Nunc fas ſit addere, non vituperandum ideo fuiſſe ab Ampliſſimo Senatore *Opuſc. c.* VII. *pag.* 359. *& ſeqq.* quaſi inepte affectantem in Jure quod non intelligebat. contra eſſe laudandum puto ſtudium conati, Jurisprudentiam nova conjectura ut non ex ſolido, at pro copia, adjuvare. Ego interim nec caruiſſe ornamento Juris ſcientiæ elegantioris, multis rebus intellexi. In præſentia autem æque ac *d. c.* IX. grato adgnoſco animo, ejus beneficio me quod ante nemo vidit, nec ipſe adhuc expedit Dominus van Bynkershoek, in clara luce poſuiſſe. (3) Ac bonum factum Antonii Schultingii, Viri Præſtabilis, Cognati, Collegæ, & Amici mei, *Notis* ad Paulum *lib.* 2. *Sentent. tit.* 24. *pag.* 315. & *lib.* 5. *tit.* 1. *pag.* 431. in hiſce & Lipſio, & mihi, ſua ſuffragatione non ita pridem applaudentis.

§. IV. Quod tamen viſum mihi, non placet Bynkershoekio in *Præfatione ad Lectorem* & in *Opuſculo c.* VII. *&* IX. exiſtimanti, non fuiſſe patri usque ad Principatum Valentiniani, Valentis, & Gratiani, conceſſam infantum expoſitionem necemque, ſed eam diu ante fuiſſe abolitam jam a tempore Trajani, Hadriani, & Antonini Pii: inde adempto illi in liberos, ſine ætatis diſcrimine, jure vitæ & necis, ac poſita, ſi contra faceret, extra ordinem pœna mortis vel minore pro re nata.

§. V. Sed aut fallit me animus meus, aut quod egi *Julio Paulo*, ita vero admovetur: ut vix alia probatione indigeat: (4) conſentiente in primis Viro Ampliſſimo in *d. Præfatione* & *d. c.* IX. & X. infantum expoſitionem parentibus fuiſſe indultam usque ad Principatum Trajani, Hadriani & Antonini Pii. (5) Nam ſi tamdiu liberam a crimine & pœna fuiſſe confitetur; nec probat, (quod nuſpiam fecit: negare enim quod ſolum facit, non eſt probare; ne artis quidem eſt aut doctrinæ) ſi, inquam, non oſtendit, deinde vetitam ac coërcitam fuiſſe expoſitionem: qui

nihil dixi, & preſſius dicam ad §. XXI. & XXVII.

1. Cum Juſtus Lipſius eam ſententiam, quam tu defendis de nece & expoſitione infantum, plene & plane extulerit *Centur.* I. *ad Belg. Epiſt.* 85. miror ſane, cur ejus non memineris in *Præfatione Julii Pauli*, nec alibi, ubi, ut oſtendam, ipſiſſima ejus argumenta adfers, & cur *Cap.* demum IX. ajas, Lipſium id, quod res erat, tantum fuiſſe *ſubodoratum*. Quod ipſum ibidem videris reſtringere ad *l.* 8. *C. ad L. Cornel. de Sicar.* Subodoratum nempe eſſe, eam Legem pertinere ad expoſitionem infantum, de quo non eſt, ut multum ſimus ſolliciti, cum habeamus eorundem Principum legem ſpecialem de prohibita infantum expoſitione in *l.* 2. *C. de Infant. expoſ.* uno vix menſe poſteriorem: de qua, ut & de *l.* 8. ſatis ſuperque dixi *Opuſc. C.* VII. *&* IX. Lipſius in ea *Epiſt.* recitat teſtimonia, quibus & tu uteris, pro licita infantum cæde & expoſitione ante Valentinianum, Valentem & Gratianum, mox ait, *omnia fœda, ſæva, & ideo a Chriſtianis Principibus coërcita. Primi fuerunt, opinor, qui vetuerunt*, illi, quos dixi Principes, in *d. l.* 8. *Qui putant hoc jam ante legibus cautum, quia in Pandectis mulier exſilio damnatur, quod viſceribus ſuis vim intulerit (intellige in abigendo partu) errant, qui poſſet? cum teſtimonia, quæ dedi, vulgati illius moris, retriora ſint Pandectarum ſcriptis.* Si ſit *benignum & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris*, ut Plinius ad Veſpaſianum dixit in *Præfat Hiſtor. Natur.* laudandus a te fuerat Lipſius in fronte opuſculi, laudandus in ſingulis teſtimoniis, ex eo depromptis, laudandus ut dux & auctor, nec tantum, ut nunc facis, ab odora canum vi. Nam, ſi quod ſentio, libere dicam (nec eſt, cur diſſimulem) ſi Julio Paulo detrahantur, quæ Lipſii ſunt, & quæ hic illic adſperſa ſunt ex variis locis Jacobi Gothofredi ad Codicem Theodoſianum, vix quicquam ſupererit, quam infelix, ut ego opinor, interpretatio *l.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. liber.*

2. Non vituperavi Lipſium, quaſi inepte affectantem in jure, quod non intelligebat. Dixi duntaxat *C.* III. *p.* 359. Lipſium *literarum, quam juris fuiſſe peritiorem*, & hinc forte omiſiſſe *d. l.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. liber.* quæ in hoc argumento omitti non debebat. Inde etiam eſſe opinor, quod Lipſium fugerit *l.* 2. *C. de Infant. expoſ.* ut obſervo *C.* IX. *p.* 363. Utque ita neſciam, quemadmodum modeſta loquutio, quam nemo veram eſſe negaverit, aliter circumſcribi, & quemadmodum invidiæ dari potuerit. Utique tu, Vir Clariſſime, non probabis Jurisprudentiam Lipſii de jure vel injuria abigendi partus, de qua & ipſe *d. Epiſt.* 85. & nos deinceps agemus.

3. Laudas Clariſſ. Schultingium, quod te laudarit, & bis ſententiæ tuæ applauſerit in *Not. ad Fragm. Pauli.* bonum factum! Ego Clariſſ. Schultingio tantum tribuo, quantum quisquam alius, idque publice & privatim ſæpe fui teſtatus, ſed ex doctiſſimo ejus Libro, *de Recuſatione Judicis*, poſſem adferre cauſas, ob quas nolim eum inter nos ſedere Judicem. Nec cuiquam alii auctor ſim, ubi res tua vertitur, ut in eum arbitrum compromittat.

§. IV. Sic ſentio, ut ibi exponis.

§. V. 4. Sub Trajano, Adriano, & Antonino Pio ea reperi, & exſequutus ſum *Opuſc. Cap.* IV. quæ mihi perſuadent, carnificinam liberorum iis temporibus non fuiſſe impune transmiſſam, ſed, ſi non certa pœna, extra ordinem tamen coërcitam. Id autem jus, quod vetus mutavit, moribus tribuendum videri plus ſemel profeſſus ſum, præſertim *Opuſc. C.* II. *in fin.* Ratio conjecturæ hæc eſt, quod Legem vel Conſtitutionem ſpecialem, quæ jus antiquum abrogavit, non invenerim, at ea tamen inveniam, quæ abrogatum eſſe, mihi videntur probare. Quod moribus debetur, ſenſim ſine ſenſu concidit, nec in his licet præciſe definire tempus, quo quid abrogatum ſit. Ante Trajanum nihil comperi, ex quo veteris Juris mutationem licuit arguere, atque ita non interceſſi, quominus ad ejus Principatum jus vetus porrigatur, ut ut ſub Auguſto poſtremum ejus exemplum in Annalibus Romanorum repererim, & retulerim *d. C.* II.

5. Vir Clariſſimus, me refutaturus, primum copias ſuas explicat, deinde meas aggreditur, neſcio, an ſatis ex præcepto Fabii, qui *Inſt. Orator. L.* V. *C.* 13. ita infit: *Si agimus, noſtra confirmanda ſunt primum, tum, quæ noſtris opponuntur, refutanda. Si reſpondemus* (ut tu ſcilicet amice reſpondes) *primum incipiendum eſt a refutatione.* Sequar autem te præeuntem atque ita primum quæro, an hic a me deſideres, ut de prohibita occiſione & expoſitione liberorum ſub Trajano, Adriano vel Antonino Pio legem ſpecialem adducam? fruſtra deſideras, cum, ut qui optime, noveris, mores plus ſemel leges in poteſtatem ſuam redegiſſe. Ipſe ille Trajanus Plinio reſcribit *L.* X. *Epiſt.* 116. *Legis auctoritas, & longa conſuetudo uſurpata contra legem, in diverſum movere te potuit.* Et Livius de *uſu L.* XLV. *C.* 32. *qui unus eſt Legum corrector.* cætera noſti ex Auctoribus noſtris. Plurima capita ex Jurisprudentia Decemvirali hodieque ſuperſunt, quæ redolent horridam & auſteram eorum temporum indolem, ſed quæ ſub libera Republica, mores, magis culti & molles, penitus ſubegerant. Si vera ſit, quam narrant, fabula de debitorum antiqua ſectione, cedo mihi legem, quæ abrogaverit. Fabius & Tertullianus huic fabulæ fidem dederunt, ſed inquit ille *L.* III. *Inſtit. C.* 6. *hanc legem mos publicus repudiavit*, hic autem *Apolog. C.* 4. *conſenſu publico crudelitas poſtea eraſa eſt.* Legem quoque Regiam & Decemviralem, quæ liberos, etiam ter, vendere permiſit, ævo JCtorum,

quid eſt verius, quam ad Valentinianum, Valentem, & Gratianum, ſine crimine & pœna perſeveraſſe, medio tempore non mutatam?

§. VI. (1) Poſſet ſic perorata videri cauſa: ſed cogitanti, ſerio componere motos fluctus, (2) lubet obiter & quaſi per indicem, in memoriam revocare c. II. & IV. *Julii Pauli* explicita a me, poſtrema præſertim Operis editione, teſtimonia Veterum, iſtos Fori Romani mores ſub Trajano & deinceps ſine circuitu aſſerentium. Sic agam: (3) partes primas daturus Chriſtianis; inſequentes Gentilibus. Eſt autem celebris apud Chriſtianos Juſtini Martyris Apologia ſecunda, pro Chriſtianis ſcripta ad Antoninum Pium, ejuſque filios, Veriſſimum qui eſt Marcus Antoninus, & Lucium Verum, itemque ad Senatum, & Populum Romanum. (4) In hac Apologia vir ille ſapiens, Chriſtianos defenſurus adverſus Gentilium calumniam de infanticidio & convivio inceſto, non timuit *pag.* 70. *editionis Pariſienſis apud Morellum anni* 1636. facta utriusque ſectæ comparatione, confirmare, inter alios Populi Romani mores, a Chriſtianis habitos pro improbis, eſſe infantum expoſitionem ac necem: ſed hanc cum cæteris jure publico a Gentilibus licitam atque impunitam relinqui. Evidens eſſe hoc Juſtini Martyris teſtimonium, nemo neget, inſpectis loci verbis; quin ſincerum ſit, ego cur dubitem? tu quoque non petas melius. quo tamen cumulatior ſit ejus auctoritas, addam, quod idem ſimili conſilio teſtatus ſub Severo & Antonino Caracalla eſt (5) Minucius Felix *Octavio c.* 30. & 31. tum ſub iisdem Principibus (6) Tertullianus *lib.* 1. *Ad nationes c.* 15. & (7) *in Apologetico c.* 9. etiam ſub

rum, quorum Fragmenta in Pandectis ſuperſunt, ſublatam conſtat, ſed ecqua lege abrogante? Tu etiam primam legem Romuli, qua prolem maſculam juſſit tollere, & e filiabus primogenitam, moribus abrogatam ſcribis *C.* II. *Jul. Paul. Placuit*, inquis, *adverſus Legem Romuli* & XII. *Tabularum, parentibus jus eſſe, liberos ſanguinolentos, ſi eis videretur, tollere, ſin minus, exponere aut necare ſine diſcrimine: valuerunt que hi mores temporibus Principum*, &c. non mores, ſed altera & poſterior Lex Romuli primam abrogavit, eaque poſterior, non prior Lex Romuli XII. Tabulis fuit inſerta, ut utrumque probavi *Opuſc. C.* I. II. & IX. nomini tuo tamen ſemper parcens, ne amico errorem, ſatis craſſum, objicerem. Et cum nihil contradicas hac *Reſponſione amica*, ſatis, opinor, ea de re inter nos nunc convenit. Sed hæc unice eo pertinent, ut probem, quantum & tu moribus tribuas contra apertam legem. Sed forte ſpecialem, quæ abrogaverit jus vetus, non deſideras, dummodo aliunde probem, *vetitam ac coërcitam fuiſſe expoſitionem & necem* ſub his, quos dixi, Principibus. Recte, & in hanc rem argumenta protuli, idonea, an minus, videbimus ſuo loco, tu certe ea tibi confutanda ſumpſiſti; neque adeo animadverto, quid ſibi velit illa, quæ mox ſequitur, inimica parentheſis, *quod nunquam fecit* (probavit nempe) *negare enim, quod ſolum facit, non eſt probare, ne artis quidem eſt aut doctrinæ.* Adhuc tibi, vel cuiquam alii, *amicabilis* videbitur illa exprobratio? nolim paria facere; uter noſtrum magis ex arte diſputet, adhibito Quintiliano, decernat Lector. Scio, quid & ille præcipiat, cum de probationibus ſermo eſt; *nec minus* (ait *L.* V. *Inſtit. Orator. C.* 10.) *in hoc curæ debet adhiberi, quid proponendum, quam quomodo ſit, quod propoſueris, probandum.* An hanc curam adhibuerim, judicabunt, quibus in Republica literaria ius ſuffragii eſt.

§. VI. 1. Sic jam putas me eſſe debellatum, & tamen nihil quicquam dixiſti, quam me non probaſſe, quod probandum erat. Tu ais, ego nego: igitur hactenus ſumus pares.

2. Pergo ad rem ipſam, ſed antequam argumenta tua excutiam, animadverti velim, illam ſententiam, quæ cædes & expoſitiones liberorum licitas fuiſſe ſtatuit ad usque Principatum Valentiniani ſenioris, eſſe quidem ſingularem Lipſii & Noodtii, ſed tamen non deeſſe, qui hanc libertatem patribus tribuunt ad usque tempora Alexandri Severi, ut Jacobus Gothofredus, vel Diocletiani, ut Theodorus Marcilius, vel Conſtantini M. ut Hubertus Giphanius, Cunradus Rittershuſius, Petrus Pithœus, & alii cenſent, quos memoravi *Opuſc. C.* II. Illi in hanc rem rationes ſuas proferunt, & his ipſis, ut mox audies, ſtrenue uſus eſt Clar. Noodtius.

3. Recte atque ordine, non tantum privilegio Religionis, ſed vel maxime ubertate argumenti, nam præter veterum Chriſtianorum Declamationes vix quicquam eſt, quod tibi ſuppetias fere poſſit. Sane, ſi præter has nihil exſtaret, fere herbam darem, ſed cum mihi videar probaſſe, quam plurima exſtare loca, quæ aliam ſententiam amplecti ſuadent, jubent, & quæ, ut audies, vel plane & plene prætermiſiſti, vel infeliciter extricaſti, occurrendum erat Patribus Chriſtianis. Si non ea pietate id præſtiterim, quæ tibi nunc placet, præſto mox erit apologia, ſed ipſa Chriſtianorum teſtimonia primum recenſeamus.

4. Juſtinus Martyr *Apolog.* II. *pro Chriſtianis* (quem locum tibi ſuggeſſit Deſiderius Heraldus *Comment.* ad *Tertull. Apologet. C.* IX.) ſimpliciter ait, Chriſtianos nefas ducere, liberos exponere, ſed non ait, ut tu, Vir Clariſſime, addis, *infantum expoſitionem* JURE PUBLICO *a Gentilibus licitam atque impunitam relinqui.* Cedo locum, ubi hoc dixerit, ne quidem a ſenſu contrario ex ejus ſententia tale quid efficere licet, ſed ad ſummum, eſſe Gentiles, qui liberos exponant, eſſe, qui expoſitos colligant & alant, non alio fine, quam ut obſcœno lucro in lupanaribus proſtituant, quin etiam eſſe, qui liberorum & uxorum ſuarum ſunt lenones. Increpat improbos hos mores, & non obſcure ſignificat, vitio & abuſu ſæculi inter medias leges peccari, nam ait, τὰ φανερῶς ὑμῶν πραττόμενα, καὶ τιμώμενα, *hæc in propatulo a vobis fiunt, & laudantur*, & tamen Chriſtianis, ut crimina objicitis promiſcuos concubitus & convivia inceſta, minus vera. De malis Gentilium moribus, qui leges tantum non ſubegerant, ibi ſermonem eſſe, conſtat ex eo, quod de lenocinio liberorum & uxorum retuli, neque enim, opinor, ea res *jure publico* impunita erat.

5. Locum Minucii Felicis, quem hic laudas ex *C.* 30. *Octavii*, & laudaveras *Jul. Paul. C.* IV. indicavit tibi Lipſius *d. Epiſt.* 85. *Centur.* I. *ad Belg.* etiam deſcriptis ejus verbis, quod tædium etiam tu devoraſti *d. C.* IV. ſed Lipſius indicavit, atque ſi eſſet ex *L.* VIII. *Arnobii adverſus Gentes*, pro quo, ut noviſti, diu habitus eſt *Minucii Octavius.* Alter locus ex *C.* 31. eſt apud Gothofredum in *Comment.* ad *l.* 2. *C. Theod. de Expoſit.* & cum utrumque Auctorem legeris, oportebat utrumque laudaſſe, quod ſemel dictum, ſæpe repetitum eſto. Agnoſco autem, Minucium Felicem utroque loco infanticidii crimen a Chriſtianis avertere, & hoc, & quæ pari loco eſt, infantum expoſitionem, Gentilibus exprobrare.

6. Tertullianus *L.* I. *ad Nation. C.* 15. longe aliud dicit, quam tu exiſtimas. Et quia nondum eum videris intelligere, poſtquam Jacobus Gothofredus hunc inſignem ejus locum adduxerat & explicaverat *Comment.* ad *l.* 1. *C. Theod. de Sicar.* & ipſe latius *Opuſc. C.* X. mox ei dabo locum ſingularem, nam, niſi fallor, ex eo ſolo refutatur, quicquid ex patribus Chriſtianis tibi eſt præſidii.

7. Hunc Tertulliani locum ex *Apolog. C.* IX. recitavit Lipſius *d. Epiſt.* 85. & Gothofredus ad *d. l.* 2. *C. Th. de Expoſit.* & aperte, fateor, probat, Chriſtianos Gentilibus objeciſſe liberorum cædes & expoſitiones. Objicit ibi Tertullianus etiam Præſidibus Provinciarum liberorum necem, ſed *quot*, inquit, *vultis ex his . . . . . . apud conſcientiam pulſem*, ut innuat,

ſub Conſtantino ([1]) Lactantius *lib. 6. Divin. inſtit. c. 20. & in Epitome c. 6.* ([2]) & quidem omnes tam diſerte ac perſpicue, ut nemini, niſi cui libido ſit de omnibus, vel certiſſimis, ambigere, poſt ſe relinquant dubitationem. Nihil jacto: loquor ſimpliciter: & eſſe vera quæ dixi, rebus comperiet neceſſariis, quisquis mentis ſuæ oculos a me *Julio Paulo* ſcriptis ad illorum intellectum, curioſius adjecerit.

§. VII. ([3]) Aliquem deterreat contraria ſenten-

clam eos feciſſe, non palam: nam *initio Capitis* dixerat, ſe ea enumeraturum, quæ perpetrabantur, *partim in aperto, partim in occulto*, hoc eſt, ut ego interpretor, *partim licite, partim illicite.*

1. Succedunt Lactantii duo Loca, alter ex *Inſtit. L.* VI. *C.* 20. alter ex *Epitome C. 6.* Utriusque loci, longe & late deſcribendi tædium devoraſti infra §. XII. priorem locum indicare, vel quæ proxime ad rem pertinebant, exhibere contenti fuerunt Lipſius *d. Epiſt.* 85. Jacobus Gothofredus ad *l.* 1. *C. Th. de Sicar.* & ad *l.* 2. *C. Th. de Expoſit.* & Deſiderius Heraldus ad *C.* IX. *Apolog. Tertulliani*, nullo horum, pro more, a te laudato. Ex Epitome *Cap.* mihi IV. non VI. idem ille Gothofredus ad *d. l.* 1. *C. Th. de Sicar.* adduxit illa, *vetus præceptum eſt* &c. nam alia, *quid tam horribile* &c. manifeſte pertinent ad ludos gladiatorios, nec video, quemadmodum huc transferantur. Ut Lactantium ex Lactantio explicares, addidiſſes potius ejusdem locum ex *Inſtit. L.* V. *C.* 9. quem & Lipſius ſuppeditavit *d. Ep.* 85. ubi ſic infit. *Non de noſtro, ſed ex illorum numero ſemper exiſtunt, qui vias obſideant armati, maria prædentur, vel ſi palam graſſari non licuit, venena clam temperent, qui uxores necent, ut dotes earum lucrentur, aut maritos, ut adulteris nubant,* QUI NATOS EX SE PUEROS AUT STRANGULENT, AUT, SI NIMIUM PII FUERINT, EXPONANT *qui libidines inceſtas nec a filia, nec a ſorore, nec a matre, nec a Sacerdote contineant, qui adverſus cives ſuos patriamque conjurent, qui nec culeum metuant, qui denique ſacrilegia committant, & Deorum, quos colunt, templa diſpolient* &c. Sed ſtudio, opinor, hunc locum omiſiſti, etiam in *Julio Paulo*, quia animadvertebas, Lactantium Gentilium crimina recenſere, & cuncta quidem Legibus vetita, & his addere liberorum cædes & expoſitiones, non minus, ut ipſe opinor, vetitas, ſed quas tu cum Lipſio ſolus ab aliis videris excipere. De duobus aliis Lactantii locis dicam §. XII.

2. De ſenſu Patrum Chriſtianorum quærimus, tu ais, ex iis conſtare, jure publico tunc impunitas fuisſe liberorum cædes & expoſitiones, ego ajo, neminem eſſe, qui hoc dixerit. Prome verba, & tu, Lector, ad ſingula attende, etiam ipſius Lactantii, tam luculenter deſcripti §. XII. & fruſtra quæras, quod ſe reperiſſe putat Vir. Clar.

§. VII. 3. Poſtquam in Libello *de jure occidendi liberos* ſatis jam probaveram (ut deinceps quoque plena fide audies) poſt Trajanum, Adrianum, & Antoninum Pium impune non transmiſſas eſſe liberorum carnificinas, reſpondendum erat ad ea, quæ in contrarium movere poterant. Atque adeo *Cap.* X. reſpondi ad ea loca, quæ ex patribus Chriſtianis alii, ſed alia atque alia mente, collegerant. Dixi autem primum, etiamſi liquido conſtaret, veteres Chriſtianos Gentilibus ea ſcelera objeciſſe, atque ſi omnino eſſent licita, non tamen continuo iis eſſe habendam fidem, omni exceptione majorem, non ſemper enim æque ſervasſe bonam fidem, maxime in Diſputationibus adverſus Gentiles. Deinde addidi, me, diligenter excuſſis veterum Chriſtianorum locis, ne quidem animadvertere potuiſſe, ea damnare leges Romanorum, quæ parricidia liberorum permiſiſſent, ſed damnare mores & vitia ſæculi, ut ſolent Theologi etiam ea objurgare flagitia, quæ inter medias Leges perpetrantur. Hic autem frontem contrahit Vir Clariſſimus, & plus ſemel hoc §. & *ſeqq.* ait, me *pugnantia ſcribere, me mihi non conſtare, hanc inconſtantiam non proficiſci a veri intelligentia*, & quæ plures ſunt ejusmodi *amicabiles reſponſiones*, ſed quales Hotomani contra Cujacium circumferuntur. Ego vero etiam in Scholis didici, *ſubordinata non pugnare.* Qui dicit, veteres Eccleſiæ Doctores, ſtudio partium abreptos, non usque adeo ſemper de bona fide fuiſſe ſollicitos, attamen in hac ſpecie eo recurrendum non videri, an ille dicit contraria? mihi quidem non videtur, nec, puto, aliis videbitur. Quod ad rem ipſam, vides, Lector, me tantum non læſæ Majeſtatis Divinæ reum agi, quod veterum Chriſtianorum auctoritatem ſollicitare fuerim auſus, invidioſa hac præſcriptione, *me omnium fidem Chriſtianorum pro vana aut mendace una litura expungere.* An Patrum antiquorum memoria Viro Clariſſimo ſemper æque ſancta fuerit, ac nunc eſſe videtur, non inquiram; dicam potius, omnium eorum fidem non abrogare, qui ait, quod ipſe duntaxat ajo, ſæpe eos fallere vel falli, ſæpe, ut cauſæ ſuæ ſerviant, aliena & minus vera ſcripſiſſe, ſæpe effuſos eſſe in obtrectationes, minime Chriſtianas. Si in his peccaverim, peccavi magnis Auctoribus. Ipſe Calvinus, Libello *de Scandalo*, palam profitetur, priſcos Eccleſiæ Doctores, ut Chriſtianismo velificarentur, plus ſemel aliquid humani eſſe paſſos, & inde *dilutam ac degenerem Theologiam nobis tradidiſſe.* Et ſane tot ac tanta ejus rei exſtant argumenta, ab aliis dudum occupata, ut Vir Clar. qua eſt eruditione, ignorare non poſſit, quod nemo neſcit. Unus Joannes Dallæus in Libro *de vero uſu Patrum* tam prolixe id oſtendit, ut ea opera nos poſſimus ſuperſedere. In *argumento Operis, Ratione* I. *n.* 6. ubi agit de Diſputationibus Patrum cum adverſariis, ita infit: *Quo in ſcriptorum genere aliud dicere, aliud ſentire ſibi licere autumant, ſeu, quid ſentiant, diſpenſatione aliqua diſſimulare.* Et *Ratione* II. *ad fin. Cum enim homines, licet Sancti fuerint, fieri poteſt, ut nonnunquam hallucinati ſint, ſive ex ſimplici mentis errore, ſive etiam* EX ALIQUO ANIMI STUDIO ATQUE AFFECTU, *a quo non fuiſſe eos plane immunes ex ipſorum, quæ ſuperſunt, ſcriptis perſpicue apparet.* In ipſo Opere paſſim id argumentum exſequitur. *L.* I. *C.* V. probat, quemadmodum ſæpe mentem ſuam tegant, & inde *mirum non eſſe, ſi, quæ ſcripſerunt, ſæpe ſint obſcura, &, quod obſcuritatem conſequitur, ſi aliquando ſecum ipſa pugnare videantur* Mox notat in Tertulliano (quæ ſæpe nobis vocatus eſt ad partes) *vehementis & acris ingenii naturalem, quæ in eo paſſim apparet, aſperitatem.* Addit, *eodem Cap.* judicium Petavii in *Notis ad Epiph. Multa ſunt*, inquit, *a ſanctiſſimis Patribus aſperſa, quæ, ſi ad* EXACTÆ VERITATIS REGULAM *accommodare volueris, boni ſenſus inania videbuntur.* Sed Vir Clar. majorem habebit fidem ipſis Patribus, de ſe teſtantibus, quam vel Petavio, vel Dallæo, vel mihi; niſi igitur grave ſit, excute inſignem locum Hieronymi, quem integrum deſcripſit Dallæus *L.* I. *C.* 6. Ait Hieronymus, aliud eſſe γυμναστικῶς ſcribere, aliud δογματικῶς, *in priori vagam eſſe diſputationem, & adverſario reſpondentem nunc hæc, nunc illa proponere, argumentari ut libet, aliud loqui, aliud agere, panem, ut dicitur, oſtendere, lapidem tenere.* Et mox: *tu me ſtantem in prælio & de vita periclitantem ſtudioſus magiſter doceas?* in Diſputationibus adverſus Celſum & Porphyrium plus ſemel fucum feciſſe Origenem, Methodium, Euſebium, Apollinarem, in ſequentibus exponit, *non quod ſentiunt*, inquit, *ſed quod neceſſe eſt dicunt adverſus ea, quæ dicunt Gentiles. Taceo de Latinis ſcriptoribus, Tertulliano, Cypriano, Minucio, Victorino, Lactantio, Hilario, ne non tam me defendiſſe, quam alios videar accuſaſſe.* Ecce teſtimonium ſanctisſimi Patris, quod tu, Vir Clar. non refutabis pro ea, qua erga Patres moveris, reverentia. Igitur, ſi vel ſtudio fallant parata Hieronymi defenſio eſt, ſed quanto magis parata erit in rebus facti? de his agit Dallæus *Lib.* II. *C.* I. & in his ſæpe fidem deſiderat. *Neque eſt*, inquit, *quod calumnieris, ſic Patres malæ fidei damnari. Sæpe enim accidit, ut Viri etiam optimi, ea ſe vidiſſe innocenter teſtentur, quæ ſe vidiſſe putant, tametſi eos falſo id putaſſe certis poſtea documentis deprehendatur. Patres, qui homines fuerunt, nihil vetat in re-*

tentia Ampliſſimi Bynkershoekii *Opuſculi c.* X. omnium fidem Chriſtianorum pro vana aut mendace una litura expungentis. (1) Sed me ſolatur, quod non conſtat tibi. nam meditantem aliorum ſcripta arguere, ante ſollicite inquirere, & pro certo noſſe oportet; an & qua cauſa quid rejicere & velit & debeat. ſecurum vero talis diligentiæ fuiſſe Virum Ampliſſimum, mihi indicio ſunt ejus verba, *d. c.* X. palam fluctuantia *pag.* 366. (2) primum enim accuſat Chriſtianos Scriptores erroris, etiam mendacii: quod dicant, infantum expoſitionem ſua ætate apud

rebus ejusmodi potuiſſe & falli ipſos, & alios absque dolo malo fallere, ſi qui ipſorum teſtimonio fidem ſimpliciter habent. Sed neque dubium aut obſcurum eſt, non fuiſſe illos ab omnibus affectibus ac ſtudiis immunes. Vis exempla, vis errores, vel denſiſſimos in rebus facti, per ſatyram collegit Dallæus *L.* II. *C.* 3. & 4. Cum igitur ipſe dixi, quæ prima reſponſionis pars eſt, me non continuo aſſurgere Sanctis Patribus, diſputantibus adverſus Gentiles, dixi, quod res eſt, & quod ipſimet Patres rotunde fatentur.

Succedat altera reſponſionis pars, me nempe ex veteribus Chriſtianis, expoſitionem & necem liberorum exprobrantibus non didiciſſe, eos vitia Legum damnare, ſed potius vitia morum & ſæculi. Quidam ſimpliciter hæc crimina objiciunt Gentilibus, neque quicquam addunt, ex quo conſtare poſſit, qua mente objecerint, an ut licita, an vero ut illicita. Ex bis nihil tu in rem tuam efficere potes, neque ego in meam. Alii autem, ut ſupra notabam, hæc crimina conjungunt cum aliis, lege quidem notatis & damnatis, ſed quæ tamen uſu invaluerant. Sic Juſtinus Martyr, ut ſupra dicebam §. VI. *n.* 4. & ſic aperte Lactantius eo loco, quem exhibebam *d.* §. 6. *n.* 8. Hæc omnino mihi favent, & probant, Patres in vitia ſæculi inſurgere. Cedo nunc locum, qui Leges Populi Romani accuſet, quod hæc ſcelera permiſerint; fruſtra ego quæro, nec tu indicaſti. Quo autem probarem, non de Legibus, ſed de moribus Romanorum accipiendas eſſe Patrum Declamationes, addidi *Opuſc.* C. X de expoſitione & nece liberorum veterum Chriſtianorum querelam eſſe, etiam poſt *l. un. C. de His qui par. vel liber. occider.* quæ Conſtantini eſt, & palam jam liberorum parricidiis interdixerat. Innuo locum Ambroſii, qui poſt Conſtantinum vixit & ſcripſit, *Hexæmer. L.* V. *C.* 18. Lipſio quoque laudatum *d. Epiſt.* 85. *Fœminæ,* inquit, *noſtri generis cito ablactant etiam illos, quos diligunt, aut, ſi ditiores ſunt, lactare faſtidiunt; pauperiores vero abjiciunt parvulos, & exponunt, & deprehenſos abnegant.* Quin hæc etiam ſcripſit Ambroſius poſt Valentiani *legem* 2. *C. de Infant. expoſ.* quæ data eſt anno 374. & palam expoſitionibus infantum interdixit: Ambroſius quippe vixit ad annum 397. & *Hexæmeron* ſcripſit circa annum 389. ut obſervavit El. du Pin *Biblioth. Eccleſiaſt. Tom.* I. *p.* 253. Nihil quicquam ad hæc reponis, nec reponere potes, quam forte Conſtantinum de liberis jam ſuſceptis, agnitis, alique juſſis egiſſe, non de recens natis, ut hæc explicas *Jul. Paul.* C. IX. quam diſtinctionem jam exploſi *Opuſc.* C. VII. & ſupra §. I. *n.* 1. & deinceps explodam §. XIII. & XXVII. Sed quid Ambroſio reſpondes, qui expoſitionum meminit, etiam poſt Legem, quæ iis palam interdixit? nihil eſt, quod reſpondeas, quam eum eſſe loquutum de malis moribus, quibus inter medias leges peccabatur, de eo ſcilicet, quod frequentabatur, non de eo, quod licebat. Et ſic ipſe reſpondeo tuis Patribus, nam Ambroſium conſulto prætermiſiſti, ne tibi obeſſet magis, quam prodeſſet. Etiam hoc obſervari velim, & Ambroſium, & Baſilium, & Hieronymum, qui æquales fuerunt, cum de venditione liberorum agunt iis locis, quos indicat Jacobus Gothofredus ad *l.* 1. *C. Th. de Patribus qui filios diſtrax.* & ad *l.* 1. *C. Th. de His qui ſanguin. empt. vel nutr. accep.* & quos ipſos, ut & alios indicavit Dattius *Diatriba de venditione liberorum*, variis locis, cum, inquam, Sancti illi Patres de venditione liberorum agunt, paſſim affirmare, & conqueri, liberos ob æs alienum, quod vel privatis, vel Fiſco debebatur, fuiſſe diſtractos, & dubias ſæpe fuiſſe patrum deliberationes, quem ex filiis, juniorem, an ſeniorem eſſent diſtracturi. Et tamen ex Conſtantini *l.* 2. *C. de Patrib. qui filios ſuos diſtrax.* palam eſt, non niſi *ſanguinolentos* tunc temporis licuiſſe vendere, nec alia, quam *victus* cauſa. Sunt igitur & hæ Patrum querelæ de ſæculi moribus, qui Leges ipſas ſubegerant.

Aliud addidi *d.* C. X. quod te quam maxime urget, atque adeo intactum præteris, ut fere ſoles omnia, quæ ad τὸ κρινόμενον pertinent, arroſis aliis, quæ, ut Accurſii verbo utar, minus pertinent *ad Rhombum.* Dixi, Patrum ſententiam non aliunde magis conſtare poſſe, quam ex ipſis Patribus, in eodem argumento occupatis. Ut igitur Tertullianum ex Tertulliano explicemus, accipe ejus locum ex *Libro* I. *ad Nationes C.* 15. & hunc, quia brevis eſt, iterum deſcribam: *Non aliter vos quoque infanticidæ* (Gentiles alloquitur) *qui infantes enecantes* LEGIBUS QUIDEM PROHIBEMINI, *ſed nullæ magis Leges tam impune, tam ſecure, ſub omnium conſcientia unius ae. . . . tabellis eluduntur.* Verbum mutilum ex conjectura ſubplevi *p.* 366. & caſtigavi infelicem, quam tu tentabas, Criticam. Sed hoc jam non ago. Jacobus Gothofredus, ut ibi indicabam, ad *l.* 4. *C. Th. ad L. Cornel. de Sicar.* hunc locum extulit, ut infanticidia, etiam Tertulliani ævo, Legibus coërcita fuiſſe probaret. *Legibus quidem,* inquit, *prohibemini, ſed nullæ magis tam impune, tam ſecure eluduntur.* Omnis autem noſtra diſputatio eſt de Legibus duntaxat, & *de his,* inquit Gothofredus, *conſtabat, niſi quod moribus jam corruptis, de facto hæc cædes diſſimularetur, & in conſuetudinem venerat, ſed de illo dubitatum, quanam pœna infanticida teneretur.* Et tamen hunc locum Vir Clar. ſecurum agens ævum, *Jul. Paul. C.* II. ipſe adducit. ſed ita exaudit, atque ſi Tertullianus reſpexiſſet ad Legem Romuli, qua juſſit prolem maſculam tolli, & ex filiabus primogenitam, vel ad Leges XII. Tabb. quibus illa Romuli Lex inſerta fuiſſet, ut ſcilicet hæ Leges, ad certum modum, infanticidia quidem prohibuiſſent, ſed tamen impune & ſecure fuiſſent eluſæ. Ita ſcribit Vir Clar. antequam ei ſuboluiſſet poſterior Lex Romuli, qua priorem abrogavit, & patribus jus vitæ & necis in integrum reſtituit, & quæ poſterior XII. Tabulis inſerta fuit, ut abunde probavi *Opuſc. C.* II. & IX. & ſupra §. I. *n.* 1. ſed poſtquam Viro Clar. *Commentario* ad *Tit. ff. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.* jam ſuboluiſſet poſterior lex Romuli, & poſtquam ipſe *Opuſc. C.* X. *verſ. Clariſſimus Noodtius,* liquido oſtendi, Tertullianum non reſpexiſſe ad Leges abrogatas, ſed a Leges ſui temporis, quæ non certo modo, verum ſimpliciter & generaliter infanticidia prohibebant, non ſatis animadverto, quemadmodum Vir Clar. §. VI. iterum potuerit provocare ad hunc Tertulliani locum, qui vel ſolus ei refutando ſufficit, ne verbulo quidem iis repoſito, quæ prolixe exſequutus ſum *d.* § *Clariſſimus Noodtius*, & quæ hic non repeto. Ego malim vadimonium deſerere, quam ita diſputare. Igitur adhuc mihi ſedet, Sanctos Patres, cum adverſariis diſputantes, bonam fidem non ſemper ſervaſſe, & hoc tuto dici poſſe, etiam in hoc argumento, ſi nihil aliud ſupereſſet, ſed ſupereſſe aliud, neque enim eos increpare, ut mihi quidem videtur, Leges impias, ſed mores impios, & hoc eſſe, quod dixit Tertullianus, cujus teſtimonio utitur Gothofredus, & abutitur Noodtius.

1. Ad hæc & reliqua hujus §. vix quicquam notabo, cum ſupra jam defunctus ſim. *Amiciſſima* eſt, ut vides, hæc *reſponſio*, & hanc excipit egregium benedictum, *meditantem aliorum ſcripta arguere*, &c. De his præceptis inter nos convenit, ſed utrum bene, aut male applices, non convenit.

2. Nuſpiam accuſo Patres mendacii, quod dixerint, *infantum expoſitionem ſua ætate* FUISSE LICITAM. Excute, quæ dixi *p.* 366. ad quæ provocas, & verba, ſi potes, adſcribe. Generaliter dixi, ſæpe

apud Gentiles fuiſſe licitam; (1) cum, ejus opinione, eſſet deteſtabilis, mox deinde pro vero obtinet contrarium; Nullum Chriſtianorum dixiſſe, patres ſua ætate adblandientes ſibi puerulos jure licito aut eliſiſſe aut expoſuiſſe: ſed ejus ſceleris immanitatem & frequentiam narrare primum, deinde damnare, & præterea nihil. Objicit ergo Chriſtianis duo, ipſa pugnantia usque adeo; ut uno veſtigio ſimul nequeant inſiſtere. (2) Hanc porro inconſtantiam a veri intelligentia proficiſci, non credam ego: ac ſi contrarium malit Vir Ampliſſimus; nemini id perſuaſurum confido: nec magis extorturum cuiquam, ullo jure ſe erroris aut mendacii damnare quos an aut cur eo damnet nomine, ipſe neſciat. Sed profecto ne famæ Chriſtianorum noceat iſta Viri Ampliſſimi accuſatio duplex; (3) primum in mora eſt ejus ignorantia tam manifeſta vacillatione intellecta. deinde, quod neutra ex vero colorem ducit. (4) alteram enim vincit Chriſtianorum conſenſus de licita eorum tempore infantum expoſitione ac nece; eo validius, quod (5) contraria ejus juris negatio, eſt ſingularis Viri Ampliſſimi, (6) tum hujus temporis, & incerta plane. Chriſtianorum vero aſſertio eſt multorum, præterea vetus, unanimis, conſtans, etiam Gentilium ſuffragio ſuffulta: ut in loco apparebit. altera omni caret probatione ad demonſtrationem vanitatis aut mendacii Chriſtianis objecti, neceſſaria. (7) Sane pro tali apud me non cedat prima hæc ejus proclamatio, *Veteres Chriſtianos ſæpe de bona fide parum ſollicitos, Gentilibus adverſariis ſuis plurima exprobraſſe, atque ſi pro licitis haberent quæ ipſi eorumque leges palam deteſtabantur.* (8) Sic cenſeo: nec opus quæri cauſam, ultro liquidam: ea cauſa eſt, proteſtatio ab hac lite toto cœlo remota. Nec major eſt vis ſecundæ: *Plus ſemel illos Patres inſurgere in ſeculi vitia, in mores corruptos, in fæcem populi, in turbam ſine nomine, quæ tantum non legibus ſoluta vivit.* (9) Ne video quidem, qua cauſa, quo fine, quo ſenſu, his eodem ſubjungat ſpiritu: *Quæ omnia non recte detorqueri ad viros bonos & utiles reipublicæ cives qui legibus vivebant & magiſtratibus parebant.* Idem dicam de adjectione tertia: *Poſſum ſexcenta hujusmodi proferre quæ niſi dicerent Venerandi Patres, ego convicia de plauſtro dicerem.* (10) Sunt enim verba & nuda & privata Viri Ampliſſimi: eoque aliis non præjudicantia. Poſtremo leniturus orationem, nec ſic conjectat aut certius, aut ad rem accommodatius: (11) *Etiam Chriſtianos Gentilibus promiſcue objicere vulgi flagitia, ignaros legibus eſſe vetita: meliores videlicet Theologos, quam Juriſconſultos. quin forte exiſtimaſſe, licita, quod vitia in mores migraverunt, & inter leges creverat delictorum frequentia.* Igitur quantum ad Scriptores Chriſtianos attinet: nil habent metuere a (12) cenſura Viri Ampliſſimi, plena erroris, & ipſa ſe deſtruente, tum ſingulari, poſtremo vaga, & hanc litem nulla ex parte attingente. Ego vero præter hæc optem, (13) exercitam non fuiſſe ab Amico Honorato: judicaturis quibus ſtudium ſit, ſe æquos præbere omnibus, (quod omnes bonos facere decet) (14) non convenire ejus

Patres Gentilibus exprobraſſe, quæ ipſi eorumque Leges palam deteſtabantur, non alia, fateor, ratione, quam ne Patrum auctoritas obſtaret, ſi quid forte de jure liciti infanticidii iis excidiſſet, quod me tamen latebat, ſed hos ipſos Gentilibus exprobraſſe infantum cædem vel expoſitionem, atque ſi licitæ eſſent, nuſpiam dixi, quin hoc præciſe negavi. Ergo adhuc tibi videor contraria & *palam fluctuantia* ſcripſiſſe?

1. Plus ſemel hoc repetis, ut Lectori perſuadeas, me non alia ratione a Lipſio diſſentire, quam quod impiæ & truculentæ fuerint liberorum cædes & expoſitiones. Lectori ſolum tuo id forte perſuadebis, etiam meo, perſuadebis nunquam.

2. *Amica reſponſio!*

3. Rurſus, ut tu putas, *amice*, ſed an ab inimico duriores loquutiones proficiſci queant, nondum conſtitui.

4. De eo quærimus, noli igitur eum conſenſum mihi objicere, ſi de eo conſtaret.

5. Ain vero? eſt ne ſingularis ſententia mea, qua, Jure Pandectarum, illicita fuiſſe ſtatuo infanticidia apud Romanos. Atquin ita cenſent plurimi interpretes, cum juris, tum literarum humaniorum. Nonnullos recenſui *Opuſc. C.* II. &, ſi præjudicatis opinionibus certare velis, plures dabo. An legeris eos Interpretes, priusquam ad *Julium Paulum* edolandum acceſſeris, neſcio; ego ſane primum ſoleo legere, deinde ſcribere, ſed utique legiſti Jacobum Gothofredum, qui ad varia Capita Codicis Theodoſii eam, quam tu oppugnas, ſententiam toties defendit, & Chriſtianis tuis meisque occurrit, ut non intelligam, quo jure mihi ſingularem ſententiam tribuas: quamvis nunquam me pudeat ſingularis ſententiæ, dummodo veræ. Quemadmodum Gothofredus reſponderit Lactantio, qui tibi inſtar omnium eſt hac in re, audies ad . XII.

6. Quid hæc ſibi velint, *tum hujus temporis, & incerta plane*, non ſatis adſequor.

7. Ab invidia eorum, quæ in Patribus Chriſtianis reprehendi, quæque hic, & in ſeqq. hujus §. reperis ſolus Dallæus me abſolverit.

8. Neque hæc ſatis intelligo, & minus intelligo, quur ab hac lite remota ſint.

9. Ut videas, quod nondum vides, ſcire te velim, expoſitiones & neces infantum potiſſimum fuiſſe frequentatas a patribus, ad mendicitatem egenis, qui in diem vivebant, nec habebant, quod ſibi ſolis ſufficeret. Id Solorzanus, id alii ex priſcis Annalibus abunde probarunt. Hanc fæcem populi, & partus, ſæpe vulgo quæſitos, rei Chriſtianæ ſcriptores in Declamationibus ſuis indigitaſſe, & ipſe puto, & putavit Jacobus Gothofredus ad *L.* 1. *C. Theod. ad L. Cornel. de Sicar.* Sed ab ejusmodi infimæ ſortis hominibus, qui, periculo ſuo, leges contemnebant, non recte argumentum duxeris *ad Viros bonos & utiles Reipublicæ cives, qui legibus parebant.* Aliud eſt, vulgo exprobrare delictorum frequentiam, aliud, legibus exprobrare delictorum veniam. Nunc, opinor, rem totam intelligis.

10. Sunt hæc, fateor, mea verba, ſed ſimilia complura extulit Dallæus, & plusquam ſexcenta exempla recenſuit, quibus id ivit probatum. Dallæo igitur refutando te accinge: & ubi eum profligaveris, alias phalanges tibi opponam.

11. Ad ſequentem . hæc erant rejicienda, ibi enim preſſius agis de hac ipſa ratione.

12. Apage acrem orationem, quæ nec ipſa quicquam definit.

13. Tibi litem non movi, ſed movi Lipſio, quem tu ſequeris, ſeu potius ſententiam meam de jure occidendi & exponendi liberos publice dixi, ſine ulla cujusquam injuria, & propter amicitiam, quæ mihi tecum intercedebat, te in primis reverenter habui. Vellem, etiam tu eandem rationem ſervaſſes.

14. Comitatem, prudentiam, dignitatem in me agnoſcis, ſed cum his me in conſilium non iviſſe cenſes in refutandis Chriſtianorum teſtimoniis. Adeo ſcilicet tibi cordi & curæ eſt antiquorum Patrum dignitas & exiſtimatio, ut, cum ab his diſſentio, omnes virtutes me exuiſſe putes. *Invenio apud Sapientes*, inquit Plinius *L.* 5. *Epiſt.* 8. *honeſtiſſimum eſſe Majorum veſtigia ſequi*, verum addit, *ſi recto itinere præceſſerint.* Et hoc eſt, de quo diſputamus; ubi de nonnullis Patrum locis mentio incidit.

§. VIII.

ejus comitati, prudentiæ, dignitati, Scriptores Veteres, ingenii ſolertia nominis claritatem per tot ſecula retinentes apud viros doctos & laudatos, tam adſpernanter habere; eoque rumpere, non ſolvere, nodum ſibi incommodum.

§. VIII. Ita liceret mihi adquieſcere hactenus pro Chriſtiana ſinceritate dictis. ſed permittes mihi, ea haberi tantum quaſi præambula defenſionis quam paro; & de univerſis quæ ad eam ſpectant, nunc ire in conſilium, quam potero, exactiſſime, ſequeſtrato pauliſper iſto Chriſtianorum contemptu. (1) Unde datur nobis hodie cognoſcere, & finire litem de tempore antiquati ante multa ſecula moris necandi exponendique infantes; præterquam ex memoria eorum quibus re integra opportunum erat, ſcire quod nunc aliunde non apparet? id divinare (præter hoc enim nihil reſtat) verius aptiusve ratiocinatione, quam illis licuerit fide oculorum, & uſu præſentis temporis intelligere, quo modo, ſi ſapimus, ſperet alter noſtrum? (2) Inſuper volo interrogare, quanta Juris ſcientia fuerit opus ſignificaturis, an ipſorum ævo parentibus eſſet permiſſum, infantes tantum quod natos, pro arbitrio tollere, exponere, necare? Conferamus, niſi grave eſt, noſtra tempora cum illis vetuſtis: quiſquamne hodie, utrum jure conceſſum, an vetitum, ſit parentibus exponere aut necare infantes, laborat uſquam ſanus homo? quiſquamne, ut ſciat, quid ſe facere ea in re oporteat, ullius unquam adit Juriſconſulti domum? Cur aliud fuerit olim? (3) nam & tum erat cunctis notum, quid liceret: a nullo ignorabatur nato homine: atque ut ad conſtringendam ſingulorum vitam pertinebat, debebat ab omnibus intelligi: legibus ſolitis, ne ab ullo peccetur, in commune ſcribi omnibus, tam ſummis, quam infimis *l.* 1. *l.* 8. *D. l.* 3. *l.* 9. *C. de legibus:* ſicut putant, omnes, oblata occaſione, peræque eſſe improbos. (4) Solos vero quod ſciebant, quod videbant, quod loquebantur omnes, ne (5) comœdiæ quidem reticebant, qua fronte credimus, latuiſſe Chriſtianis, ut ut eſſent ſecundum Ampliſſimum Senatorem meliores Theologi, quam Juriſconſulti?

§. IX. (6) Sed ut perfectius adhuc ſervetur Chriſtianorum decus, diſtinctiusque reſpondeatur caſtigationibus quibus in repellendis eorum teſtimoniis magna fiducia uſus eſt Vir Clariſſimus: non tædet me, ulterius oſtendere, ne fuisſe quidem illos homines ineptos, rudes, illiteratos: ſed doctos, & peritos rerum, etiam civilium. primum an eſt dubia hæc Tertulliani gloria? atque ex ejus monumentis plurima valuiſſe eruditione, legum quoque ac conſuetudinem fuiſſe ſcientem, liquet omnibus: nec inficiatur Dominus van Bynkershoek *Opuſc. c.* X. *pag.* 366. Quid ſi probabile eſt præterea, Lactantium, illum ſub Conſtantino Rhetorem, non minus gnarum Juris Civilis fuiſſe; quam facundum & literis præſtantem, utrumque ex *Divinis* ejus *Inſtitutionibus* conſtat. (7) præterquam quod neceſſariam Oratori eſſe Juris Civilis notitiam, ignorari non ſinit Quintilianus *lib.* 12. *Inſt. orat. c.* 3. (8) Jam Minucium Felicem quo ſimiliter uſus ſum teſte, (&, quod notandum, de viſu: nam

§. VIII. 1. Pauca dicis hoc §. quæ annotari merentur. Litem noſtram eſſe finiendam ex memoria eorum, qui vixerunt ſcripſeruntque illo tempore, de quo nos controvertimus, lubens agnoſco. Quidni igitur, inquis, ex Patribus, quibus, ecquid rei licitæ vel illicitæ eſſet de infantum nece & expoſitione, fide oculorum & uſu præſentis temporis potuerunt intelligere? Non intercedo, dummodo ne tu intercedas, melius & aptius, quid rei licitæ vel illicitæ eſſet, ex JCtis ſciri poſſe, quam Theologis. Hi poſſunt ignorare, quid legibus ſit vetitum, illi non poſſunt. Cum vitia in mores migraverint, liciti atque illiciti diſtinctio non ſemper æque eſt in propatulo. Videbant forte Chriſtiani, infantes occidi & exponi. videbant, hæc non puniri, ſive quod auctor cædis & expoſitionis ignoraretur (quod plerumque accidit) ſive quod Magiſtratus diſſimularet (quod & ipſum accidere poterat) & inde forte illi in animum inducere ſuum potuerunt, jure licito hæc fieri. Quotusquiſque nunc eſt, qui bona fide exiſtimat, Concubinatum apud nos non minus eſſe licitum, quam apud Romanos fuit? tanta ſcilicet concubinatus frequentia eſt apud homines cujusque ſortis, & tanta ſimul impunitas, ut de eo dubitare non immerito poſſis. Legibus quidem prohibetur noſtris, ſed nullæ magis tam impune, tam ſecure ſub omnium conſcientia eluduntur. Juriſconſultus, de his rebus interrogatus, ſtatim reſpondebit, quod res eſt, ſed alius, ſibi non conſtare pronunciabit, vel ex delictorum frequentia etiam licentiam arguet. Atque hæc omnia, ſi vel conſtaret, quod minime conſtat; veteres quosdam Chriſtianos non malis moribus, ſed malis Legibus fuiſſe iratos.

2. Ad hanc interrogationem jam reſpondi.

3. De re nota nemo JCtum adit, ſed cunctis vel olim notum fuiſſe, vel nunc eſſe, quid jure liceat, non mihi perſuaſerit Cl. Noodtius, nec id ajunt Leges, quas fruſtra mox advocat. Si omnes homines peræque eſſent Juris prudentes, & auditoria Anteceſſorum, & Tribunalia Judicum mox frigerent.

4. Quid mirum, ſi Chriſtiani neſciverint, quod hodie neſciunt plurimi, ex delictorum frequentia, & impunitate, ſæpe inſecuta, non æſtimandum, quid legibus vetitum vel permiſſum ſit. Ne dicam, id facilius ignorari, cum lex expreſſa non ſit, quæ delictum puniat, nam infanticidium, veterum Chriſtianorum ætate, non certa pœna, Lege in hanc rem lata, ſed extra ordinem fuiſſe coërcitum, plus ſemel in *Opuſculo* profeſſus ſum.

5. Quid in Comœdiis ſit, ſuo loco dicemus.

§. IX. 6. In *h.* §. excerpſiſti quædam ex his, quæ Βιόγραφοι habent in laudem Tertulliani, Lactantii & Minucii Felicis. Poteras plura deſcripſiſſe, ſi conſtituiſſes otio tuo inſigniter abuti. Quod ais, aliqua Juris peritia eos fuiſſe imbutos, nemo negaverit, ſed vel in ipſa Theologia Tertullianum, & Lactantium manes ſuos fuiſſe paſſos Dallæus evicit *L.* II. *de uſu Patrum C.* 4. Et tamen Vir Clar. non patitur eos ignorare, Legibus prohibitas fuiſſe liberorum cædes & expoſitiones. Si hanc ignorantiam non patiatur, oporteret probaſſe, de jure licito cædes & expoſitiones eos unquam pronunciaſſe, alioquin fruſtra diſputamus.

7. Multi tamen Oratores fuerunt, qui non JCti, ſed id argumentum, de Juriſprudentia Ciceronis agens, prolixe exſequutus ſum *Prætermiſſ.* ad §. 46. *ff. de O. J.*

8. Minutius Felix non ignobilis inter Cauſidicos loci fuit, ut recte obſervavit Thomas Pope Blount in *Cenſura Auctorum p. m.* 190. adducto in eam rem Lactantii loco *ex L.* V. *Inſtit. C.* 1. quem & tu mox adducis. Opponis igitur hic mihi JCtum, & eum quidem, qui, ut mox addis, *Cap.* 30. *Octavii* teſtatur *de viſu.* Ecce ejus verba, *Vos video* (ad Gentiles ſermo eſt) *procreatos filios nunc feris & avis exponere, nunc adſtrangulatos miſero mortis genere elidere: ſunt, qui in ipſis viſceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis exſtinguant, & parricidium faciant, antequam pariant.* Et *Cap.* 31. *Dum venerem promiſcue ſpargitis, dum paſſim liberos ſeritis, dum etiam domi natos alienæ miſericordiæ frequenter exponitis, neceſſe eſt in veſtros recurrere, in filios* (malim *filias*) *inerrare.* Tantopere provocas ad utrumque locum, ſed aut ego fallor, aut nihil ibi eſt, quod luminibus noſtris officiat. Ait ſe vidiſſe infantum expoſitiones & eliſiones, non licitas, ſed

nam de ſe hoc ipſe refert *Octavio c.* 30.) tam Romæ cauſas egiſſe in jure, quam multiplice doctrina & eloquentia excelluiſſe, ex *d. Opere* patet. quin fuiſſe non ignobilis in Foro inter cauſidicos loci, bonus auctor eſt Lactantius *lib.* 5. *Divin. Inſt. c.* 1. Atque hæc ſi ſunt, ut negari nequit, explorata: judicet, quisquis volet; ullane ſit Ampliſſimo Senatori cauſa, vel minima, male exiſtimandi de ingeniis Chriſtianorum Scriptorum, eorumque teſtimonia ſpecie ignorantiæ Juris, pro vilibus rejiciendi in re manifeſta omnibus, etiam infimis.

§. X. At fuerunt parum ſolliciti de fide bona: quin plurima ſæpe dederunt fallaciis, fraudibus, ac conviciis, vel plauſtro dignis: Gentiles, adverſarios ſuos, facturi odioſos. Audio. (1) Verum convincendi ſunt ejus nequitiæ. accuſari enim poſſunt optimi. id quotidie fit: & in priore claret articulo. (2) præterea notari oportet, eſſe hic, hic inquam, alia enim, hinc aliena, prætermitto, controverſiam de re una, ea non unius aut alterius errore, aut fictione, quali quali aliquando producta abdito ex receſſu aliquo: ſed unicuique omni occaſione, loco, tempore, obvia: eoque ſummis, mediis, infimis, peræque indubitata. In ea an potuit, niſi ſtultis, quales illos nemo appellet ſapiens atque intelligens, apud Philoſophos (nam cum his contendebant de integritate & excellentia ſectæ) incaſſum obrepere cogitatio tam humilis & inverecunda, quam temeraria, ac nihil profutura? Adhuc de privata Octavii, verbi gratia, cum Cæcilio Natali diſputatione eximia apud Minucium Felicem loquor. Quid, ſi pro diſciplina Chriſtiana Tertullianus verba fecit apud Magiſtratus Populi Romani, de ipſa ſolitos, ut initio *Apologetici* ait, pro tribunali judicare? quid ſi ad Principem, Senatum, & Populum Romanum *Apologiam ſecundam* pro Chriſtianis ſcripſit Juſtinus Martyr? vel hic debuit parci mendaciis manifeſtis, tam certa veneratione majeſtatis.

§. XI. Sit iſta præſumptio, & ſpecioſa admodum, nondum intellecta veritate: at detecta, & cognita, quid facit præſumptio? eſt autem unus, ut de cæteris ſileatur, Minucius Felix imperitiæ, aut improbitatis, aut utriusque manifeſtus: viſus nempe Domino van Bynkershoek, *Opuſc. c.* X. *pag.* 366. multa protervia Gentilibus publicam exprobrare indulgentiam, nedum expoſitionis infantum qua de agimus; ſed quo evidentior ſit fallacia, etiam aliorum criminum. Quorum? Homicidii atque Adulterii. plura vult intelligi. hæc nominat: indignatus, ea fraude illum ſuos Chriſtianos in *Octavio* ab his ita vindicare: (3) *Nobis homicidium nec fas videre, nec audire.* Et mox: *At nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus, unius matrimonii vinculo libenter inhærentes.* Quæ appoſuit verba, excerpſit ex *c.* 30. *&* 31. atque ipſa mox exploſit quaſi falſa. Quo argumento? optimo hoc & certo: ſic putat: quod *contra homicidium præſto eſt Lex Cornelia*; & *contra adulterium Lex Julia.* At mihi proclive eſt, exiſtimare, quod pro falſo protervoque culpat & damnat Bynkershoekius, ipſi Minucio Felici numquam veniſſe in mentem. ne cerno quidem, quemadmodum permiſerit ſibi Doctiſſimus Senator, arbitrari, tam ſocordem atque inſulſum fuiſſe illum conſultum, doctum, ac nobilem Fori Romani Cauſidicum: ut aut neſciret latrocinio iraſci Legem Corneliam; & adverſus adulterium inſurgere Legem Juliam: aut ſe adverſariis ſuis, minime ſtultis aut hebetibus, perſuaſurum, non eſſe Leges quas noverant omnes, & in judiciis publicis quotidie exerceri videbant omnes. Sunt hæc nimis diluta. Ipſe melius ominor, a Minucio Felice de Ho-

ſed frequentatas, *frequenter*, inquit, *exponitis* non *jure licito*, de quo ſolo nobis lis eſt. Priori loco liberorum expoſitioni & neci addit abactionem partus, quæ & ipſa apud Romanos, in uxoribus certe, illicita fuit. Nihil quicquam igitur dicit hic JCtus, quam quod Theologi dixere, infanticidia apud Romanos perpetrari, ut perpetrabantur & alia crimina, etiam *inceſtus*, quem iisdem poſteriori loco objicit, nam ante verba, quæ exhibui, ita infit: *Merito igitur inceſtum penes vos ſæpe deprehenditur, ſemper admittitur, etiam neſcientes miſeri poteſtis in* ILLICITA *proruere, dum venerem*, & quæ ſequuntur.

. X. 1. Alii id fecerunt paſſim, & Dallæus integro, quem dixi, Libro. quid ultra deſideras?

2. Recte ais, in rem præſentem eſſe eundum, & videndum, quid de noſtra lite pronunciaverint Patres. Cum dico, eos, qui in tot aliis errarunt, etiam hic errare potuiſſe, dico, quod res eſt, ſed continuo addidi, non erraſſe, quod nullus eorum dixerit, *jure licito* partus exponi vel elidi. Id igitur probandum eſſet, & tamen Vir Clar. atque ſi probatum eſſet, prolixe philoſophatur *hoc* §. veriſimile ſcilicet non eſſe, Chriſtianos manifeſta mendacia objeciſſe Philoſophis, quibuscum diſputabant, vel impoſuiſſe Principibus, vel Senatui Populoque Romano, ad quos ſcribebant libellos ſuos Apologeticos. Si dixiſſent, Jure licito infantes cædi & exponi, tunc, puto, mendacia objecisſent, ſed cum vitia ſæculi recenſeant, apud Gentiles cum maxime frequentata, non animadverto, quis hic mendacio locus ſit. Solemne erat Patribus, Gentilium mores impios notare, etiam eos, quos Lex palam damnabat ut ſuam ſuorumque innocentiam, etiam hac ratione purgarent. Illuſtre ejus rei exemplum dedi ex Lactantio, ſupra §. VI. *n.* 8. ubi inter alia crimina, legibus vetita, ſed apud Gentiles frequentata, enumerat *liberorum ſtrangulationes & expoſitiones.* Sed noli putare, ut hoc addam, Majeſtatem Principis vel Populi venerandos Patres ſemper cohibuiſſe, quo minus nonnihil dederint ſtudiis partium, ut modeſte loquar, nec acriori verbo Patrum majeſtatem ullatenus lædam.

§. XI. 3. Audi, quantos fluctus in ſimpulo excitet Vir Clar. Ut oſtenderem, Chriſtianos, adverſus Gentiles diſputantes, non eam, quam debebant, ſinceritatem ſemper ſervaſſe, e plurimis locis duos notavi ex eodem Minucio Felice, qui ibi erant ad manum. Cum de ſecta Chriſtianorum infit, *nobis homicidium nec videre fas, nec audire*; & mox, *at nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus, unius matrimonii vinculo libenter inhæremus*, cum inquam, ita infit, quis non ex eo effecerit Gentilibus exprobrare homicidii & adulterii indulgentiam? & tamen utrumque crimen perſequitur cum Lex Cornelia, tum Julia. Sic eſt, inquis, at illud non ignoravit Minutius, Jurisprudentiæ æque ac Theologiæ peritus; atque ideo ea, quæ ipſe generaliter extulit, ad certas ſpecies tu refers, ea nempe interpretatione, quam mox ſubjicis §. XII. Quid ſi largiar, eam Minucii mentem fuiſſe, quam tu eſſe ais (de quo tamen nonnihil ad *d.* §. XII. & ad §. XIII) nonne verum eſt, minus candide, minus bona fide eum egiſſe, quod καθόλου objecerit Gentilibus, quæ non obtinebant niſi κατὰ τί? Utraque ſecta poterat diſſentire, an hæc vel illa ſpecies pertineret ad homicidium vel adulterium, ſed ex eo diſſenſu, qui ſincere agunt, non ſolent, certe non debent, univerſum, qua patet, crimen adverſariis objicere. De inceſtu varie diſputatum, & varie definitum eſt apud plerasque Gentes. Si qua Gens ſit, quæ pro inceſtu non habet certam quamdam ſpeciem, non continuo licebit ei exprobrare inceſtum, ſed aliam duntaxat de ea ſpecie ſententiam. Sic agunt, qui prudenter agunt, nec partium ſtudio abrepti, graviores

&

Homicidio & Adulterio dicta a mendacio, fallacia, proterviaque, tota via abeſſe: accepta præſertim, ſic oportet, ex diſciplina Veterum Chriſtianorum: cujus præceptis ille ſuſtinuit ſuorum innocentiam tueri, & Gentilium calumniam de infanticidio & convivio inceſto, mendacii convincere. Id oſtendi res poſtulat: & ſi probem, quod facturum me confido, (1) vicero.

§. XII. De homicidio primum agam: arbitratus, Minucio Felici *d. c.* 30. cum ait, *Nobis*, id eſt, Chriſtianis, *non eſſe fas, homicidium videre, nec audire*, in oculis non fuiſſe latrocinium, Lege Cornelia vetitum: (2) quod credidit Bynkershoekius: ſed alias homicidii ſpecies, Chriſtiana quidem lenitate improbatas, at publice licitas. (3) finge, homicidia, voluptatis gratia fieri ſolita in arena, in Ampitheatro, in ſpectaculis publicis, ſive feris beſtiis, ſive invicem ſibi objicerentur gladiatores noxii, aut alii, arenæ ſe locantes. In eodem numero pone cædem voluntariam, nusquam prohibitam jure publico, ſi fiat tædio vitæ, non mala conſcientia: etiam accuſationem criminis capitalis, quamtumvis legibus permiſſam in judicio publico: tum militiam; & quod ante omnia notandum fuit, illam de qua diſputamus, infantum expoſitionem ac necem. Omnia hæc erant publice conceſſa: ſola Chriſtianorum ſecta impia & damnata. Abſit igitur, ut poſſint aut debeant Domino van Bynkershoek mendacia videri, & convicia de plauſtro appellari. Subrides, video. ſed quod ad ſpectacula attinet: ejus auctorem habeo (4) Athenagoram *Apolog. pro Chriſtianis pag.* 38. *editionis Pariſienſis apud Morellum*: etiam Prudentium *lib.* 1. *Adverſus Symmachum verſ.* 379. *& ſeqq.* item *lib.* 2. *ad fin.* atque hic optantem id mutari a Chriſtiano Principe. Pauca dixi. idem, & cætera omnia, ne excepta quidem infantum expoſitione ac nece, teſtatur Lactantius in *Epitome c.* 6. & *lib.* 6. *Divin. inſt. c.* 20. Verba utriusque loci adſcribam, etſi complura: quia a ſtirpe tollunt litem, a Viro Ampliſſimo motam. (5) Verba prioris loci. *Quid tam horribile, tam tetrum, quam hominis trucidatio? ideo ſeveriſſimis legibus vita noſtra multatur: ideo bella execrabilia ſunt. inventa tamen conſuetudo, quatenus homicidium ſine bello, ac ſine legibus faciant, & hoc ut ſcelus vindicent. quod ſi intereſſe homicidio, ſceleris conſcientia eſt, & eodem facinore ſpectator obſtrictus eſt, quo & admiſſor. ergo & his gladiatorum ſceleribus non minus cruore perfunditur qui ſpectat, quam ille qui facit: nec poteſt eſſe immunis a ſanguine qui voluit effundi; aut videri non interfeciſſe qui interfectori & favet & præmium poſtulavit.* Et poſt: *Vetus præceptum eſt, non occidere. quod ſic accipi debet, non tanquam jubeamur ab homicidio tantum, quod etiam legibus publicis jubetur, manus abſtinere,* (6) *ſed nec juſſione interpoſita, nec verbo licet periculum inferre, nec infantem necare aut exponere, nec ſe ipſum voluntaria morte damnare.* Verba prioris loci cernis: ipſa ad demonſtranda quæ exſpectas, liquida. Sequentia ſunt poſterioris, & aliquanto pleniora. (7) *Qui hominem, quamvis ob merita damnatum, in conſpectu ſuo jugulari pro voluptate computat, conſcientiam ſuam polluit, tam ſcilicet, quam ſi homicidii quod fit occulte, ſpectator & particeps fiat. Hos tamen ludos vocant, in quibus humanus ſanguis effunditur. Adeo longe ab hominibus ſeceſſit humanitas, ut cum animas hominum interficiant, ludere ſe opinentur, nocentiores iis omnibus quorum ſanguinem voluptati habent. Quæro nunc, an poſſint pii & juſti homines eſſe, qui conſtitutos ſub ictu mortis, ac miſericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, ſed efflagitant, feruntque ad mortem crudelia ſuffragia, nec vulneribus ſatiati, nec cruore contenti. quin etiam percuſſos jacenteſque repeti jubent, & cadavera ictibus diſſipari, ne quis illos ſimulata morte deludat. iraſcuntur etiam pugnantibus, niſi celeriter e duobus alter occiſus eſt, & tamquam humanum ſanguinem ſitiant, oderunt moras. Alios illis compares dari poſcunt recentiores, ut quam primum oculos ſuos ſatient. Hac conſuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt.* * *Itaque non parcunt etiam innocentibus, ſed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt. Hujus igitur publici homicidii ſocios & participes eſſe non convenit eos qui juſtitiæ viam te-*

& iniquiores ſunt adverſariis, quam oportet. Minucium ab hac labe immunem non fuiſſe liquido oſtendi, &, cum nihil aliud oſtendere conſtituiſſem, reliqua opera, quam *h.* §. prodigis, poteras ſuperſedere.

1. Si tu probes, aliam eſſe Minucii mentem, ego aliam verborum, quæ imprudentius effudit, quid aut quem tunc vincas, ſcire deſidero.

§. XII. 2. Non credidi uſpiam: ſatis enim perſpexi mentem Minucii, qui hoc agit, ut, enarratis quibusdam, quæ Gentiles in ſacrificiis & arena permittebant, & quæ ipſe homicidii inſtar habebat, tandem ſuperdicat: *nobis homicidium nec videre fas, nec audire.* Quæ enarraverat, cum fere in noxios exercerentur, Gentiles pro homicidio non habebant; jure, an injuria, non diſputo. Sed cum mox ſuperdicit, Chriſtianos ab homicidio eſſe alienos, id crimen, generali nimis elocutione, Gentilibus exprobrat, quod factum non oportuit.

3. Recenſes hic, ad quæ Minucius reſpexerit, aut certe potuerit reſpicere. Sed quid divinamus, cum ipſemet ea permiſerit, quæ ſibi nimis cruenta videbantur? miror ſane, te in catalogo, quem hic nobis exhibes, tantum non omnia omiſiſſe, quæ Minucius recenſuerat, & ipſe intenderat, & quæ eadem Tertullianus recenſuit *Apologet.* C. IX. ſed longe alia ſubſtituere, de quibus illi nihil quicquam, non alia cauſa, quam quod de his nonnihil legeras apud Lactantium utroque loco quem mox exſcribis.

4. Contra Spectacula & Ludos gladiatorios non tantum Athenagoras & Prudentius, ſed & Tertullianus & Cyprianus, & qui non veterum Chriſtianorum? prolixe declamarunt.

5. Sæpe fui miratus, tantum tibi otii ſupereſſe, ut obdurato ad patientiam animo integra Legum & Auctorum capita potueris deſcribere. Implendis libris ea res apta eſt, ſed cui alioquin bono, dicat Caſſius? nemo utique eſt, qui non *Corpus Juris* habeat ad manum, & nemo, qui noſtra legit, qui non Lactantium, quem hic exhibes. Prior locus eſt ex *Epitom. C.* mihi 4. non 6. & totus abſolvitur in exagitandis ludis gladiatoriis, qui ad Diſputationem noſtram nihil omnino pertinent, alter locus, ex eadem *Epitome*, nihil aliud dicit, quam ſub homicidio etiam contineri liberorum necem & expoſitionem, eo fere ſenſu, quem Paulus noſter expreſſit in *l.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. liber.* Addit, & mortem voluntariam in homicidium incidere, ſed etiam hæc aliena ſunt a noſtro argumento.

6. Recte obſervavit Michaël Thomaſius ad *h. loc.* ex veteribus Codd. hic eſſe legendum, *ſed hac juſſione interpoſita* &c. quod moneo, quia vitioſam lectionem exhibuiſti.

7. Prolixe hic iterum exagitat Lactantius Ludos Gladiatorios, quamvis ob merita damnati his adhibeantur, & in eo verſatur ad usque *℣ ſic. non enim.* Quid pro his ludis dici poſſit, non inquiram, cum hujus loci non ſit.

* Niſi Lactantius id extuliſſet; convicium de plauſtro eſſe dicerem. Sed pergamus ad reliqua.

1. Ex

tenere nituntur. (1) *Non enim cum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet: ſed ea quoque ne fiant, monet, quæ apud homines pro licitis habentur. ita neque militare juſto licebit, cujus militia eſt in ipſa juſtitia: neque vero accuſare quemquam crimine capitali, quia nihil diſtat, utrumne ferro, an verbo potius occidas, quoniam occiſio ipſa prohibetur. Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorſus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem ſit ſemper nefas, quem Deus ſanctum animal eſſe voluit.* (2) *Ergo ne illud quidem concedi aliquis exiſtimet, ut recentes natos liceat oblidere quæ vel maxima eſt impietas. ad vitam enim Deus inſpirat animas, non ad mortem. Verum homines, ne quod ſit facinus, quo manus ſuas non polluant, rudibus adhuc & ſimplicibus animis abnegant lucem non a ſe datam. Expectet vero aliquis, ut alieno ſanguini parcant, qui non parcunt ſuo. ſed hi ſine ulla controverſia ſcelerati, & injuſti.* (3) *quid illi quos falſa pietas cogit exponere? Non poſſunt innocentes exiſtimari qui viſcera ſua in prædam canibus objiciunt, & quantum in ipſis eſt, crudelius necant, quam ſi ſtrangulaſſent. Quis dubitet, quin impius ſit qui alienæ miſericordiæ locum non tribuit? qui etiamſi contingat ei, ut alatur, addixit certe ſanguinem ſuum vel ad ſervitutem vel ad lupanar. Quæ autem poſſint vel ſoleant accidere in utroque ſexu vel per errorem, quis non intelligit, quis ignorat? quod vel unius Oedipodis declarat exemplum, duplici ſcelere confuſum.* (4) *Tam igitur nefarium eſt exponere, quam necare.* Lactantius inter cætera quæ nobis ſunt in quæſtione, ſine ſcrupulo probat, etiam infantum expoſitionem & necem (5) apud Gentiles quidem ſuo tempore jure publico fuiſſe permiſſam: at a Chriſtianis tamquam impiam fuiſſe damnatam: ſimul, Minucii Felicis verba, *Nobis homicidium nec fas videre, nec audire*, a convicio, fallacia, & protervia, id eſt, ab objurgatione Domini van Bynkershoek eſſe liberam.

§. XIII. (6) Similis ſit ſolutio ænigmatis de im-

1. Ex Præcepto non occidendi mox efficit Lactantius, etiam ea illicita eſſe, *quæ apud homines pro licitis habentur*, nam, ſi eum audias, *neque juſto licebit militare, neque accuſare quemquam crimine capitali.* Habes igitur duo exempla eorum, quæ Leges non damnant humanæ, ſed quæ ipſe ex Divinis damnanda cenſet. Perperam quidem, etiam ſecundum eam Theologiam, quam nos Chriſtiani profitemur. Sed cur Lactantius, duo exempla commemorare contentus, hic ſubſiſtit? & cur non addit liberorum neces & expoſitiones, jure publico, ut tu cenſes, peræque licitas, verum jure Divino, & ex mente Patrum Chriſtianorum, pro illicitis habendas? neque earum oblitus eſt Lactantius, nam mox meminit, ſed diſtincta ſententia, poſtquam hanc de licitis humano, illicitis Divino Jure, rationibus muniviſſet, & mox clauſiſſet.

2. Hic Lactantius orditur novam ſententiam, qua, ni fallor, exagitat improbos ſui ſæculi mores cum occidendi, tum exponendi infantes, recens natos. Legibus id fuiſſe permiſſum non dicit, ut in aliis exemplis dixerat, ſed recens natos oblidere *vel maximam impietatem* vocat, & parentes, tale quid auſos, mox appellat *ſine ulla controverſia ſceleratos & injuſtos.* Secundum leges Divinas, tu dices, & ex mente Patrum. Ego autem, etiam ſecundum leges Civiles, & ejus rei mihi etiam argumentum eſt, quod Conſtantinus M. patribus, liberorum ſuorum interfectoribus ipſam parricidii pœnam, ex jure antiquo, ſtatuerit anno CCCXVIII. ea nempe Conſtitutione, quæ eſt in *L. un. C. de His qui liber. vel parent. occid.* cum Lactantius *Divinas Inſtitutiones* modo ſcripſerit circa annum CCCXX., & poſt eas *Epitomen*, ut auctor eſt El. du Pin *Biblioth. Eccleſiaſt. Tom.* I. *p.* 205. quod argumentum non recte effugis per ea, quæ dixi §. VII. *n.* 1. & quæ ibi, & aliis locis, pleniſſime refutavi.

3. Tranſit Lactantius ad expoſitiones infantum, & has ipſas impias eſſe probat. Ego non intercedo, neque tu intercedis, ſed ego ad hanc impietatem Leges non conniviſſe exiſtimo, tu contra, & nihil quicquam eſt in his verbis Lactantii, quod ſententiæ tuæ præſidio eſſe poſſit.

4. Et hoc ipſum eſt, quod ante Lactantium Paulus noſter dixerat in *l.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. lib.*

5. Quod hic ais, ego apud Lactantium fruſtra quæro, & fruſtra quoque quæſivit Jacobus Gothofredus ad *l.* 1. *C. Th. ad L. Cornel. de Sicar.* nam poſtquam contra Cujacium & Rævardum probaſſet, *d. l.* 1. *non ideo latam, quaſi hactenus infanticidium impunitum fuerit, aut homicidii nomine non venerit* (quæ etiam tua ſententia eſt) *verum ideo latam, ut pœna ejus intenderetur; malove iſti & piaculo jam inoleſcenti nova ſeveritate occurreretur*, mox addit, ſe non inani conjectura duci, *pertinere illam L. ad recens natos, quos volgivaga & illicita Venere, ſive de vulgo patres, ſive vulgariæ matres enecare ſoliti, velandæ turpitudinis cauſa; & quidem in ipſamet Urbe Roma. Et ſane Lactantius quoque Libr. VI. Divin. Inſtit. Cap.* 20. IN MORES CORRUPTOS ÆTATIS SUÆ INVEHENS, *ut de infantibus exponendis falſa pietate agit, ita & de infanticidio, his verbis*, ERGONE ILLUD QUIDEM &c. nam alia, quæ ad rem non pertinebant, ille omiſit. Vides ſummam ſententiæ meæ, quam tamen ſingularem vocaſti, vides Lactantio eam mentem attributam, quam ipſe Lactantio, aliiſque Patribus attribui, ſalva Juris publici exiſtimatione. Igitur ea cautio ſemper eſt adhibenda, ne, quod de facto necis & expoſitionis Patres retulerunt, ad ipſum jus necandi & exponendi transferamus, ut tranſtulit Vir Cl.

§. XIII. 6. Redis ad Minucium Felicem, & male te habet, quod alium ejus locum ex *Octavii C.* 31. quem jam repræſentavi ſupra §. XI. *n.* 1. perperam fuerim interpretatus. Dixeram *Opuſc. C.* X. *p.* 225. neminem, qui Minucii verba, quæ hic iterum deſcribis, legerit, alium iis ſenſum facile aſſignaturum, quam de impunitate adulterii, Gentilibus objecta, nam cum ait, Chriſtianos *unius matrimonii vinculo lubenter inhærere*, de Gentilibus contra dicendum videbatur. Ab hac ſuſpicione abſolvis Minucium *h.* §. prolixa ſane digreſſione. Ais igitur, eum reſpicere ad quasdam ſpecies, quas Gentiles pro adulterio non habebant, Chriſtiani habebant, ut eſt concubitus mariti cum innupta, cum ancilla, cum meretrice; & plurimas auctoritates, in hanc rem protritas, adfers, quibus Gentilium Juriſprudentiam, hac parte, Chriſtianorum præceptis opponis. Sed eſto, non aliam fuiſſe Minucii mentem, quam tu eſſe ais, quid inde in rem præſentem? nihilominus utique verum eſt, verba eſſe generaliora, quam oportebat, & ita concepta, ut imprudentibus facile imponant. Ea dictionis præcipua virtus eſt, ut non aliam, quam ſcribentis, mentem exprimat, nec in quosvis ſenſus detorqueri poſſit. Minucius, te quoque judice, plus dixit, minus ſenſit, & plus dixit ad conflandam adverſariis ſuis invidiam promiſcui adulterii, plane ut in cauſa homicidii verſatus eſt priori loco, quem jam excuſſi §. XI. *n.* 1. Sed quod ad ipſam mentem Minucii Felicis, eam ego non reſtrinxerim ad eas ſpecies, quas tu proponis, nec oratio præcedens patitur, ut ad eas reſtringamus. De maritis nihil præciſe dixerat in præcedentibus, ſed nefandam Gentilium impudicitiam notans, objecerat promiſcuos inceſtus, promiſcuas Veneres, & dum paſſim liberos ſerebant, frequenter exponebant, atque ita, ut Lactantii verbis utar, *addicebant ad ſervitutem vel* AD LUPANAR, etiam neſcientes ait in *illicita* proruere, & *inceſti fabulam nectere, etiam cum conſcientiam non haberent.* Mox ſequitur: *at nos pudorem* &c. Agit igitur æque de illicitis, quam de licitis Gentilium conjunctionibus, contra quam tu intelligis, & ſimpliciter, damnata Gentilium impudicitia, ſuorum pudicitiam laudat, ad exemplum, Tertulliani *Apolog. C.* IX. *in fin.*

impunitate adulterii, a Minucio Felice Gentilibus falſe proterveque objici credita a Viro Ampliſſimo. Nam ne hanc quidem ſomniavit Minucius. contra, cum dixit objecto loco, *At nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus, unius matrimonii vinculo lubenter inhærentes*, ſolum voluit, Lege Julia de adulteriis & ſtupris coërcendis ad complura conniveri adulterii & ſtupri genera: a quibus, etſi licitis ea Lege, Chriſtiana diſciplina ſuos abſtrahit, tamquam a vetitis: nam jubere, ſuos unius matrimonii vinculo (id eſt, una uxore: *matrimonium* enim pro uxore dicit; ut ſæpe Veteres) eſſe contentos: nec ſequi alias, non dicam matronas aut virgines viduasve honeſtas a quibus abſtineri, etiam Lex Julia imperat: ſed nec ancillas aliasve mulieres liberas, viles, vulgares meretrices, cum quibus Lex Julia adulterium ſtuprumve admitti neque vetat, neque admiſſum pro adulterio aut ſtupro punit. Cujus hæc ex *l.* 22. *l.* 25. *l.* 29. *C. Ad Leg. Jul. de adult.* (1) nec incognita Ovidio *lib.* I. *De arte amandi verſ.* 31. *& ſeqq.* Verba.

Ete procul vittæ tenues, inſigne pudoris,
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.
Nos Venerem tutam conceſſaque furta canemus.

Tenes ſic laxitatem publicæ Gentilium diſciplinæ. quæris rigorem Chriſtianæ, ab illa abhorrentis ex ſententia Minucii Felicis. (2) Accipe ab Hieronymo. is *Epiſtola ad Oceanum pag.* 200. *edit. Baſil. anni* 1524. *tom.* I. ſic ſcribit: *Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti. aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, & ſolo ſtupro atque adulterio damnato, paſſim per lupanaria & ancillulas libido permittitur; quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas: apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris; & eadem ſervitus pari conditione cenſetur.* Sic Hieronymus. nec minus Lactantius *lib.* 6. *Divin. inſtit. c.* 20. & in *Epitome c.* 6. ſed locus prior ſufficiet. is ſic habet. *Nondum omnia caſtitatis officia executus ſum, quam non modo Deus intra privatos parietes, ſed etiam præſcripto lectuli terminat; ut cum quis habeat uxorem, neque liberam habere inſuper velit, ſed matrimonio fidem ſervet. Non enim ſicut juris publici ratio eſt, ſola mulier adultera eſt, quæ habet alium: maritus autem, etiam ſi plures habeat, a crimine adulterii ſolutus eſt: ſed divina lex ita duos in matrimonium, quod eſt in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diverſa diſtraxerit.* Sed quid ego ex Lactantio & Hieronymo ſector Minucii Felicis ſenſum? (3) cum in *Octavio c.* 35. hæc comperiam ejus verba: *Si vobiscum Chriſtiani comparemur, quamvis in nonnullis diſciplina noſtra minor eſt, multo tamen vobis meliores deprehendemur. Vos enim adulteria prohibetis & facitis: nos uxoribus tantum viri naſcimur.* (4) Senſus Minucii Felicis: Licet ex Chriſtianis nonnullos, ſive aliquos, non omnino, ut oportet, in officio teneat Chriſtiana diſciplina; eoque forte in his ſit minor, ſive poſſit minus efficax videri: multo tamen vobiscum comparati, o Gentiles, vobis, id eſt, veſtra ſecta melior deprehendetur noſtra. Vos enim adulteria prohibetis Lege Julia: & tamen hac permittente facitis manifeſte cum ancillis videlicet, etiam cum mulieribus liberis, vilibus & vulgaribus, id eſt, meretricibus. At nos uxoribus tantum viri naſcimur: volente ſecta, nos una eſſe contentos uxore, nec ſectari aut ancillas, aut meretrices alias, etſi impune, & connivente Lege Julia.

§. XIV. (5) Sed finiamus: nam aſſerta ſic, adverſus ſingularem obſervationem Domini van Bynkershoek, integritate & exiſtimatione Minucii Felicis, cæterorumque Chriſtianorum Scriptorum, pleniſſime conſtat ratio omnibus quæ de

fin. in quam ſententiam gemina ſunt Juſtini Martyris & Athenagoræ loca, ab Heraldo indicata ad *d. C.* IX.

1. Inter medios Patres miror tibi incidiſſe illos Ovidii verſiculos, quos laſciviores pueri in Scholis ſolent decantare.

2. Vulgaris eſt hic locus Hieronymi ad notandam Juris Divini & Romani differentiam, Lactantii, qui ſequitur, minus vulgaris eſt. Uterque dixit, quod res eſt, hoc eſt obſervavit utriusque juris differentiam, plane ut D. Ambroſius *C.* 4. *Cauſ.* XXXII. *Quæſt.* IV. qui tamen in *verſic nulli licet*, adverſatur iis, quæ ipſe dixerat *C.* 3. *ead. Cauſ. & Quæſt.* Quod autem Chriſtiani pari conditione ac ſeveritate cenſent maritum adulterum, quam uxorem adulteram, id quin ſit longe abſurdiſſimum, etiam non Lynceus facile viderit. *Aſſit*, inquit ille,

Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas,

Sed *æquas* ſecundum delicti magnitudinem. Sublato concubinatu, ſi maritus cum alia ſi rem habeat, fidem datam violet, ſed non minus, ſi mulier. Quin immane quantum atrociorem marito injuriam infert uxor, quam vir uxori. mulieri enim ſi maritus ſecubat, quis ſocordiam exprobraverit? quis infamem in modum publico ludibrio expoſuerit? nemo, hercule, nemo; at illis miſerum vexabit mœcha maritum. Sileo partuum ſuppoſitiones, & nequicquam jactatum inane parentis nomen, non niſi turpiſſimo deridiculo futurum, ſi modo zelotypæ retegantur ſcrinia mœchæ. Opum conſervandarum omnes Gentes, cujuscunque Religionis, æque ſunt ſtudioſæ. Chriſtiani certe furtum, etiam rei modicæ, ſcelus eſſe vix una morte piandum crediderunt, delicta vera, quibus univerſa patrimonia, legitimis heris ablata, ſpuriis tribuuntur, tantum non neglexerunt. Ratio ejus rei quæritur, redditur etiam a nonnullis, ſed ea, quæ ratio non eſt. Si ulla poſſit reddi, hæc eſſe videtur, quod nempe Chriſtiani receperint, maritum quoque cum innupta, non minus atque uxorem alterius cum altero, adulterium committere, &, quod ad pœnam, *pari conditione cenſeri*. Feruntur a Viris Leges, & a Viris exercentur judicia, illi autem, quamvis perperam, rati tamen, leve peccatum eſſe mulieri nonnunquam unam noctem ſubtraxiſſe, non ægre paſſi ſunt; ſeveriorem contra adulterium diſciplinam dilabi. Sed de his forte nimium.

3. Hic locus Minucii ſolus eſt contra adulterium, alius erat contra impudicitiam. Ait Gentiles, *adulteria probibere & facere*, ut nempe Chriſtiani adulteria definiebant, ſed, ut definiebant Gentiles, non faciebant. Generalior hic iterum eſt elocutio, quam oportebat, ſed ita Minucius, pro more ſuo. Quod Leges civiles pro adulterio habebant, ſeveriſſime puniebant, & in eo genere Chriſtiani, utique poſteriores, plurimum cedebant Gentilium ſeveritati.

4. Verba Minucii vix indigent paraphraſi, niſi quod hæc obſcuriora ſint, *quamvis in nonnullis diſciplina noſtra minor ſit.* Heraldus interpretatur, *quamvis noſtrorum nonnulli diſciplinam noſtram minus curioſe obſervant*, & eundem ſenſum exhibet paraphraſis tua, ego vero putem, Cæcilium eſſe intelligendum de diſciplina Chriſtianorum, quæ, ut ut in multis partibus minus integra, & minus plena eſſet, quam erat Gentilium, eos tamen reddebat meliores & ſanctiores, nam, ut mox ait, de *veſtro numero carcer exæſtuat, Chriſtianus ibi nullus, niſi aut reus ſuæ religionis, aut profugus.*

§. XIV. 5. Miſſis Chriſtianis ad Gentilium teſtimonia ſe confert Vir Clar. ſi non his magis vincas, quam illis viciſti, vereor, ne tibi cauſa ſit exſultandi, & tanto ſupercilio me objurgandi in hoc §.

6. Lau-

de infantum expoſitione & nece dixi eorum fide: liceretque mihi ulteriore ſuperſedere cura: niſi promiſiſſem, etiam Gentilium uti teſtimoniis, quod ex Chriſtianis dictum, publici juris fuiſſe, æque clare ſignificantibus. Age igitur, pareamus vel hujus debiti ſolutioni. (1) Res extat apud Plautum & Terentium locis, paulo poſt allegandis. Nec cauſa Domino van Bynkershoek ſic ſcribendi in *Opuſc. c.* VII. *pag.* 358. *Non ut in comœdiis, ita in jure quo de agimus, patris electio eſt, velletne tollere liberos, an occidere.* (2) Unde enim Comicis materia, niſi ex moribus Populi? nonne illis finis, *Humanos mores noſſe & deſcribere*? Sic obſervat Hieronymus *Epiſt. ad Furiam de viduitate ſervanda pag.* 82. Præterea ſolent Juris Interpretes res facti æque a Comicis atque ab aliis mutuari. (3) Fuerit, quod ajunt, vetuſtis temporibus: at recentiora quærit Dominus van Bynkershoek. (4) Primo quis neſcit, poſteriora pendere a prioribus, niſi fuerint innovata? Deinde mutatio, ut eſt facti, probari debet. nuda Viri Clariſſimi affirmatio, ut ut contraria, & fortis, nullius roboris eſt. (5) Ipſe tamen, quamquam non habeo neceſſe, dicam ſponte, etiam ſub Auguſto & Tiberio perduraſſe exponendi jus vetus: monſtrante Suetonio *Octavio c.* 65. & *Caligula c.* 5. (6) Audebo opinari, etiam poſtea obtinuiſſe: modo fuerit ante imperium Trajani, Hadriani & Antonini Pii: ſic enim cavet Dominus van Bynkershoek *d. c.* X. cauſatus, inde ademptum patri, nullo ætatis diſcrimine, eſſe in liberos jus vitæ & necis. (7) Sed Ælius Spartianus Suetonii Tranquilli, Magiſtri Libellorum, meminit ſub Hadriano in *ejus vita c.* 11. (8) Eamdem cautionem ſub Trajano prævenit Tacitus locis ad hanc rem a me accommodatis *Julio Paulo c.* 11. addita ibi pro cumulo obſervatione Quinti Curtii tenoris & conſilii ejusdem. Conatus quidem Dominus van Bynkershoek, infringere Taciti auctoritatem: ſed prudentius non tentaſſet: circa ejus ætatem, ubi pedem figat, incertus. Nam *d. c.* X. *pag.* 367. modo dicit, *Taciti ætatem fere remotiorem eſſe, quam ut conveniat noſtræ diſputationi*: modo ait: *Nolo tamen, quod ad Taciti ætatem attinet, de ea usquequaque contendere.* (9) Quamobrem ſic nutet, non animadverto: minusque, quo pacto in animum induxerit, me vel hic refellere: confeſſus, ſe id quo me refellat, ignorare. quo enim hoc pertendit? niſi quod conſtituit, a me diſſentire ideo, quia conſtituit diſſentire: etſi non habeat diſſentiendi cauſam. quod

1. Laudas hic Plautum, Terentium, Suetonium, ſed quia peculiarem iis locum tribuis §. *ſeq.* & ibi, quæ reſpondeam, audies. Reliquam farraginem, quam hoc §. coacervaſti, breviter nunc perſtringam.

2. Nemo hæc neſcit, nec ipſe repugno. Comici loquuntur ex uſu ſui temporis, ut recte ais, ſed ea obſervatio Comicos tuos a teſtimonii dictione repellet, ut diſces ſingulari loco, neque enim, tuo exemplo, omnia hic velim miſcere & confundere.

3. Cum de tempore diſputamus, quo licitæ vel illicitæ fuerint partuum neces & expoſitiones, quo jure me notas, quod tempora diſtinxerim, & vetuſta quidem a recentioribus?

4. Nihil rurſus intercedo. Poſteriora tempora pendent a prioribus, & eadem, quæ olim fuit, etiam nunc utimur jurisprudentia, niſi fuerit mutata, & mutatam non præſumimus, niſi probetur. At vero, quod ad liberorum neces & expoſitiones, mutatam fuiſſe ſub Trajano, Adriano, Antonino Pio, & reliquis deinceps Principibus non affirmavi ſimpliciter, ut plus ſemel mihi objicis, ſed pleniſſima fide probavi iis argumentis, ad quæ vel nihil plane reſpondes, vel ita, ut quocunque te vertas, ea non effugeris. Apparebit id in loco ſuo.

5. Sub Auguſto duraſſe ſeverius illud jus patriæ poteſtatis, etiam usque ad necem & expoſitionem liberorum, ipſe profeſſus ſum *Opuſc. C.* III. & exempla attuli, quæ plus valent, quam teſtimonium Suetonii, quo hic uteris, ut audies §. *ſeq.* Interea nihil hæc pertinent ad tempora, de quibus inter nos non convenit.

6. Sic eſt omnino, & id tempus finivi, non ex certa lege, ſed quia ea reperi ſub iis Principibus, quæ, ſi quid judico, ſtare non poterant, ſi adhuc ſtetiſſet jus antiquum vitæ ac necis.

7. Ut probares, inutilem eſſe cautionem, quam adhibui, de tempore Trajani, Adriani & Antonini Pii, primum ais, Spartianum Suetonii, Magiſtri libellorum, meminiſſe ſub Adriano, ut verum eſt, & paſſim notatum ab omnibus, qui Suetonii vitam conſcripſerunt. Sed aut non intelligo, quid ſibi velit hæc prima ratio, aut, apud me certe, ratio non eſt. Suetonius vixit & ſcripſit ſub Adriano. recte. Sed an inde efficis, quod ipſe de Auguſti & Cæſaris Germanici ætate dixit utroque, quem laudaſti, loco, ad ætatem Adriani quoque eſſe referendum? Sunt hæc ejusmodi, ut ſerio iis immorandum eſſe non videatur.

8. Duo loca Taciti, de Judæis & Germanis, indicaverat tibi Lipſius *Centur.* I. *ad Belgas d. Epiſt.* 85. addito etiam Curtii loco, quem hic pro cumulo, quaſi ex penu tuo, te addidiſſe narras. Utrumque locum Taciti etiam exhibuit Jacobus Gothofredus ad *l.* 1. *C. Theod. ad L. Cornel. de Sic.* & alterum Schefferus ad Æliani *Var. Hiſt. L.* II. *C.* 7. Sed ut Curtii locus de Romanis nihil quicquam probat, ſic nec uterque Taciti, ut palam eſt ex iis quæ diſputavi *Opuſc. C.* X. *p.* 367. & quibus tu nihil omnino reponis. Atque ſi tamen ex Tacito probaſſes, quod probandum erat, de ſola Taciti ætate, de qua ſcrupulum quoque injeceram, multa verba perdis. Dixeram ſcilicet, ſi vel Tacitus de licito apud Romanos infanticidio verba feciſſet, quod non fecit, *ejus ætatem fere remotiorem eſſe, quam ut noſtræ diſputationi conveniat*; & mox *nolle tamen me, quod ad Taciti ætatem, de eo* (non *de ea*, ut tu exhibes, & ſenſum mutat) *usquequaque contendere.* Ad hæc tu, me Taciti auctoritatem infringere, ejus ætatem ignorare, nutare incertum, a te diſſentire, quia diſſentire conſtitueram, & quæ plura ſunt in eandem ſententiam benedicta. Rogo, Vir Clariſſime, audias me patienter. Taciti auctoritatem nuſpiam ſollicitavi, atque ejus ætatem me non ignoraſſe (& quis vel infimi ſubſellii magiſter ignorat?) oſtendunt verba mea, quæ ipſe exhibes. Dixi, fere remotiorem eſſe Taciti ætatem quam ut ejus teſtimonio ſtemus in noſtra diſputatione, probe ſcilicet gnarus, Tacitum duntaxat attigiſſe initia Trajani. Cum ipſe *Hiſtor. L.* I. *C.* 1. ſcripſerit, dignitatem ſuam a Veſpaſiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam eſſe, probabile eſt, eum jam vegrandis ætatis fuiſſe ſub imperio Trajani; ſub Trajano autem quum primum repererim indicium abrogatæ ſeverioris illius Patriæ poteſtatis, ut id expoſuit *Opuſc. C.* IV. nec ſcire potuerim, an circa initia, an circa finem Trajani jam exoleverit priſtinus ille rigor (quod enim moribus debetur, nemo præciſe definiverit) recte mihi videor dixiſſe, Taciti ætatem *fere* remotiorem eſſe, quam ut ex eo liceat ſtatuere de jure vitæ & necis in liberos quia tamen pervenit ad Principatum Trajani, de eo non usquequaque me contendere. Habes ſententiam meam, ejusque rationem, an prudentius loqui potuerim, aliorum judicium exſpecto, & ſimul, an cautionem, quam adhibui de tempore Trajani, & reliquorum deinceps Principum, prævenerit Tacitus, ut tu hic affirmas, & ipſe nego.

9. Rem ipſam dixiſſe contentus, aſperiora verba, quibus hic, & mox iterum, uteris amicitiæ olim noſtræ facilis dono.

1. De

quod an oportuerit fieri, judicent alii, quos non piget modeſtiæ & ſinceritatis. Æque non intelligo cauſam qua non perviderit ætatem Taciti: cum Trajani Principatum ipſe attingat Tacitus *lib.* I. *Hiſtor.* *c.* I. *Agricol.* *c.* 3. *& De ſitu & morib. German.* *c.* 37. Cæterum non fui contentus allegaſſe Tacitum ſub Trajano: [1] etiam Apulejum adduxi teſtem, non minus certum, & ſub Divis Fratribus Juris ſcientia non incurioſum, ut ex libris *Metamorphoſeos*, tum ex præclara ejus *Apologia* conſtat. Potuiſſent hæc ſufficere: [2] ſed amor veri *c.* IV. *Julii Pauli* vetuit me oblivifci Scævolæ *l.* 29. *D. de manumiſſ. teſtam.*, item Diocletiani & Maximiani *l.* 16. *C. de nuptiis*, & diſſimulare duo ex jure exempla impunitæ illo tempore expoſitionis infantum. [3] Obmovet quidem Vir Clariſſimus, non fuiſſe illis in locis quæſitum de pœna exponentis filiam; & ideo de ea quoque ceſſare reſponſum; neque faciendum nunc inde argumentum. Sed ea ſolutio nil meretur reponi: nam (ut taceam de *d.* *l.* 29. & ſolum loquar de *d.* *l.* 16.) ſi tum coërcita corporali pœna, atque etiam morte, fuit expoſitionis impietas, ut putat Doctiſſimus Senator: quæſo, an quis pater, expoſita a ſe filia, & ab alio educata, foret tam demens aut temerarius; ut ipſe ſe vellet perdere: ejus repetitione ſe proditurus Præſidi, Principalibus Mandatis obſtricto, provinciam purgare malis hominibus *l.* 13. *l.* 3. *D. de officio præſidis.* Quod ſi adeo imprudens aut inſanus alicui videri poſſit filiæ pater: (ſunt enim variæ & miræ hominum ſententiæ) an proinde dicturi ſint Imperatores, illum filiæ expoſitione, id eſt, ſuo ſcelere, mortem meritum, adultam quidem inverecunde repetere, at a jure interim nihil facere alienum, modo ſit paratus, alimentorum impenſas educatori reſtituere: [4] & ſic moris eſſe. Tam abſurdos in Reſcripto fuiſſe Imperatores, ſi ſerio ſibi perſuadet Vir Clariſſimus, non invideo: ſed a me aliiſque ut ſerio credatur, impetrabit numquam. Veriſimilius eſt mihi, erit forte & aliis, Imperatores, quatenus attinet ad infantis expoſitionem, & adultæ repetitionem, oblata alimentorum reſtitutione, ita ut moris eſſe *d. c.* IV. *Julii Pauli* probavi ex Quintiliani *lib.* 7. *Inſt. Orat.* *c.* I. rem illo ævo licitam atque impunitam indigitare.

§. XV. Quod ſi his ſua, ut oportet, adeſt auctoritas: cedo, qua ratione ſibi perſuadeat Vir Ampliſſimus, Veteres de infantum expoſitione differentes, non enarrare jus conceſſum omnibus; ſed privata flagitia publice vetita & puniri ſolita: maxime poſt Trajanum, Hadrianum, & An-

1. De Apulejo agis §. *ſeq.* ubi & ipſe agam, ne bis idem dicam.

2. Ad JCtos properas, & ſane iis teſtibus uti in re, quæ ad Jurisprudentiam illorum temporum pertinet, in primis laudabile eſt. Provocas autem ad duas Leges alteram Scævolæ in *l.* 29. *ff. de Manumiſſ. teſtam.* alteram Diocletiani & Maximiani in *l.* 16. *C. de Nupt.* Ex priore colligis, Scævolæ ætate licitas fuiſſe partuum expoſitiones, quia ibi mentio fit matris exponentis, abſque ulla mentione materni criminis, vel accuſationis vel pœnæ. Sola igitur mentio expoſitionis tibi ſufficit, ut licitam fuiſſe credas, quod ſi ſit, de ætate Pauli poteras quoque argumentum ducere ex *l.* I. §. 2. *ff. de Jur. & facti ignor.* Sed quam fallat ea ratio, expoſui *Opuſc.* C. IX. *p.* 362. nec repeto, quæ ibi prolixe ſum exſequutus, & quibus tu nihil reponis. Addidi, matrem nunquam jure ſuo expoſuiſſe infantem, cum ea res unice pependerit ab effectu Patriæ poteſtatis, ut ſupra plenius probavi, & inde effeci, exemplum matris exponentis nihil pertinere ad rem præſentem. Videris etiam, hac *amica* ſcilicet *Reſponſione*, iis rationibus plane convictus, nam mox ais te omiſſurum eſſe illam *l.* 29. (id ſilentium a te veritas impetravit) & locuturum duntaxat de *l.* 16. *C. de Nupt.* in qua exiſtimabas tibi plus eſſe præſidii. Sed lectis iis, quæ *Opuſc.* *C.* IX. *p.* 363. dixi ad illam *l.* 16. poteras & de ea tacuiſſe, ſi non aliter te extricares, quam nunc extricas.

3. Summa diſputationis tuæ huc redit. In *l.* 16. *C. de ſec. nupt.* reſcribunt Imperatores, patrem, qui filiam expoſuerat, oportere nuptiis, cum filio educatoris contrahendis, conſenſum præbere, ſin minus, alimentorum ſolutioni parere. Ergo, inquis, licita fuit expoſitio Diocletiani vel Maximiani ævo, ridiculi alioquin & abſurdi fuiſſent Impp. ſi de facto illo reſcripſiſſent, & temerarius ac demens pater, ſi repetitione filiæ vitam ipſe ſuam voluiſſet prodere. Sed jam defunctus ſum reſponſione *d. pag.* 363. Tu vero, ac ſi nihil quicquam reſpondiſſem, eaſdem rationes recoquis, nec novas meis reponis. Non ſolum dixi, quod ſolum hic tangis, in *d. l.* 16. non fuiſſe quæſitum vel reſponſum de jure vel injuria expoſitionis, ſed de conſenſu patris exponentis potuiſſe quæri & reſponderi, ut ut illicita fuiſſet expoſitio. Sed ita crimen ſuum ipſe expoſuiſſet pater, & pœnam in ſe concitaſſet. Sit ita. Patres de factis, quæ commiſerant, illicitis etiam alias Imperatores adiviſſe exemplo eſt *l.* I. *C. de Liber. cauſ.* *Rem*, inquit Antoninus, *illicitam & inhoneſtam te admiſiſſe confiteris, quia proponis, filios ingenuos a te venundatos, ſed adi competentem judicem* &c. Objurgat patrem de facto illicito, ſed de jure partium privato conſultus eum nihilominus ad judicem competentem remittit. Quid ſi & in ſpecie *d. l.* 16. amor filii, ne nuptias indignas contraheret, ſpreverit extraordinariam, quam tunc fuiſſe reor, patrum exponentium pœnam, & ſimul ſpreverit infamiam facti. Si capital fuiſſet exponere, tunc demum aliqua eſſet vis argumenti tui, quia, ut dicebam *d. p.* 363. de conſenſu patris, qui mortem meruit, quæſtio videri poterat inanis. Verum ipſe duntaxat Patribus exponentibus, certe ad usque Conſtantinum M. pœnam extraordinariam indictam putavi, non ordinariam Legis Corneliæ de Sicariis, vel Pompejæ de Parricidiis, & ut id dicamus, exempla, quæ ad manum ſunt, omnino poſtulant. Sed quid ſi pœna exponentis patris ævo Diocletiani & Maximiani etiam fuiſſet capitalis? neque vel ita fortaſſe eſſet inanis quæſtio de jure partium privato. Fac, accuſationi publicæ fuiſſe præſcriptum, vel alia incidiſſe, quæ patrem a pœna capitis exemerant. Tu ſane non negabis, poſt *l.* 8. *C. ad L. Cornel. de Sicar.* & *l.* 2. *C. de Infant. expoſit.* pœnam patris vel domini exponentis fuiſſe capitalem, poſt annum ſcilicet CCCLXXIV. quo emiſſa eſt utraque Conſtitutio. Atque in eadem *l.* 2. dominis vel patronis exponentibus negatur repetitio expoſiti, poſteriore nempe legis parte, quæ eſt Honorii & Theodoſii, & anni CCCCXII. ut ex codice Theodoſiano obſervavi *Opuſc.* *C.* IX. *p.* 363. Ad eundem modum Juſtinianus, diu poſt ſancitam pœnam capitalem, in *l.* 3. *& ult. C. de Infant. expoſit.* & *Novell.* CLIII. interdicit iis, qui expoſuerunt, omni repetitione infantis expoſiti. Id modo dixeram *p.* 364. & inde effeceram, ex illa repetitione vel admiſſa, vel negata, non recte argumentum duci ad licitam illicitamve infantum expoſitionem. Ad hæc igitur erat reſpondendum, vel omnino tacendum, quod poſtremum multis nominibus præſtitiſſet. Jacobus Gothofredus ad *l.* I. *C. Theod. de Expoſ.* eadem *l.* 16. utitur, ſed non abutitur in eum finem. Habet & ibi alia plura, quæ tu in rem tuam male vertis.

4. Nihil *de more* reſcriptum video. Ceterum de repetitione expoſiti, modo conceſſa, modo negata, & de alimentorum pretio, cum refundendo, tum negan-

do,

Antoninum Pium. (1) Scio, præfatur, inde mutatam eſſe priorum temporum licentiam, ſed hujus aſſeverationis nullum dat ſponſorem: ita docet quod non probat. ego vero ſine eo non credo: quam enim ſic habeo cauſam, Veterum ſermonem qui poſt illos Principes literis floruerunt, in alium trahere ſenſum, quam eorum qui ante de infantum expoſitione ſcripſerunt, ſermo accipi & ſolet & debet? plane nullam. (2) Sunt hæc evidentia, ut cætera omnia: ſed collatis exemplis fient evidentiora. (3) En apud Plautum *Amphytr.* 1. 3. Jupiter ſub ſpecie Amphytrionis Alcumenam ſic alloquitur.

—— *Menſes jam tibi eſſe actos vides.*

Mihi neceſſe eſt ire hinc: verum quod erit natum, tollito.

Similiter ait Davus apud Terentium *Andria* 1. 3. 14.

Quidquid peperiſſet, decreverunt tollere.

Aliquiſne hæc legens, ambigat, utrum repræſentetur flagitium hominum viliſſimorum, legibus aut moribus puniri ſolitum: an jus conceſſum omnibus tam ſummis, quam infimis; eoque criminis pœnæque vacuum? Æque credes mihi, ejuſdem tenoris eſſe hoc (4) Suetonii *Octavio c.* 65. de Auguſto ſic loquentis: *Ex nepte Julia poſt damnationem editum infantem agnoſci alique vetuit.* (5) Quæſo, ne graveris, etiam ſequentem ex *Caligula c.* 5. locum exaudiri, non quaſi deſignet, a turba vili & ſine nomine quid flagitioſe factum: ſed paſſim a Populo in luctu jure licito. *Quo defunctus eſt die, lapidata ſunt templa, ſubverſæ Deum aræ, Lares a quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expoſiti.* (6) At nec hic reſiſtet Dominus van Bynkershoek: recordatus præſertim, ſe eſſe aliquoties confeſſum, ante Trajanum, Hadrianum, & Antoninum Pium, nondum prohibitam fuiſſe infantum expoſitionem, nondum ablato patri jure liberos necandi. De Tacito, quia dictum ante, nihil repeto. (7) Illud non ſilebo: quod difficilius ſinat, ſub Divis Fratribus ſimilem fieri conjecturam de ſequente Apuleji loco ex *lib.* 10. *Metamorph. Pater peregre proficiſcens, mandavit uxori, matri ejuſdem juvenis, quod enim ſarcina prægnationis oneratam eam relinquebat, ſi ſexus ſequioris edidiſſet fœtum, protinus quod editum eſſet, necaretur.* Mihi vero nihil proponitur, cur Apulejo alium adſcribam ſenſum, quam Plauto, Terentio, Suetonio: eadem Apulejo loquendi forma, eodem parentum arbitrio ob ſexum tollendi aut necandi infantis, nec prohibita, quicquid dicat Dominus van Bynkershoek, illo tempore ejus nece aut expoſitione. (8) Ne prætermittam quidem notatum hoc a Donato, qui floruit maxime ſub Conſtantini filiis, ad *d.* Terentii locum: *Paritur enim aut maſculus aut fœmina: & ſolet juſtior eſſe cauſa tollendi, ſi marem uxor peperiſſet. ſed nimii amoris eſt, non expectare, quid tollas.*

§. XVI.

do, hiſtoriam Juris proſecutus ſum a Trajano ad Juſtinianum *Opuſc. C.* IX. *p.* 363. *& ſeqq.*

§. XV. 1. Iterum repetis, me ſine ſponſore affirmare, poſt Trajanum, Adrianum & Antoninum Pium ceſſaſſe jus vitæ ac necis in liberos, ſed ſponſores idoneos liti obtuli, nec tu eos refutaſti.

2. Quid hic tibi velis, non ſatis intelligo. Aut tu hic illic nonnihil obſcure ſcripſiſti, vitio perturbati animi, aut, quod omnia non ſatis adſequar, mea ſtupiditas eſt. Vis hic conferre exempla veteris & recentioris ævi de tollendo & exponendo partu? eoque fine, ut auctores omnes in eandem ſententiam locutos oſtenderes? ſic innuis. Age, periclitare vires tuas.

3. Ex Plauto & Terentio duo loca adfers, ab aliis dudum adlata, qui agunt de tollendo partu? poteras ex Terentio addere alium, qui agit de exponendo, *Hecyr. Act.* III. *Sc.* I. *Verſ.* 40. exponendo ſcilicet *ad mortem*, ut Donatus recte interpretatur, & inde ais conſtare, & moris, & juris fuiſſe partum tollere, vel pro arbitrio exponere; quis negat vel negavit unquam ita moris vel juris fuiſſe ætate Plauti & Terentii, quorum ille vixit & ſcripſit ſub finem belli Punici ſecundi, hic circa initium tertii? An ex his ſcire licet, quid juris fuerit ſub Trajano, & deinceps occupavi jam illam reſponſionem *Opuſc. C.* X. *p.* 365. at tu, nihil reponens, denuo inculcas Plauti & Terentii verſiculos. Venditio liberorum, quæ & ipſa jure Pandectarum exoleverat, & palam improbatur, Plauti ætate quoque licita fuit, ut videre licet ex ejus *Perſa Act.* III. *Sc.* I.

4. Suetonius auctor eſt, Auguſtum vetuiſſe, ex nepte Julia poſt damnationem editum infantem agnoſci alique. Sed quid inde in rem tuam? nolim dicere, potuiſſe Auguſtum, jure poteſtatis ſupremæ, pro arbitrio ſtatuere de partu neptis ſuæ, & inde ad privatos non recte argumentum duci. Sed quid habeo neceſſe, cum palam dixerim, quin & probaverim, Auguſti ætate id ipſum quibuscunque privatis licuiſſe?

5. Neque hic locus Suetonii quicquam ad rem pertinet. Ait eo die, quo Germanicus fato ſuo functus eſt, *lapidata eſſe templa, ſubverſas Deum aras, lares a quibusdam familiares in publicum abjectos, partus Conjugum expoſitos.* Cum partuum expoſitio jungatur iis, quæ utique erant illicita, & hanc illicitam fuiſſe ex hoc loco potius collegeris, niſi aliunde conſtaret, jus necandi & exponendi ea ætate adhucdum perduraſſe. Simpliciter igitur relatum eſt, quid Quirites fuerint auſi, ſive jure, ſive injuria, ad teſtandum mœrorem ex obitu Cæſaris Germanici. Lipſius recte abſtinuit his locis indicandis, tibi ſcilicet ſoli hæc debentur.

6. Non eſt, cur reſiſtam; nec eſt, cur tu magno molimine probes, de quo palam inter nos conſtat.

7. Apulejus, qui ſub Divis Fratribus vixit & ſcripſit, magis ad rem pertinet, atque adeo ejus locus, quem hic profers, a Lipſio quoque laudatus *d. Epiſt.* 85. Sed *Opuſc. C.* X. *p.* 367. jam repoſui, mandatum patris, peregre proficiſcentis, & mandantis uxori, ut, ſi ſexus ſequioris edidiſſet fœtum, protinus necaretur, non majus præbere argumentum rei licitæ, quam ipſas partuum cædes & expoſitiones, quarum exempla, poſt Valentiniani quoque leges prohibentes, omnis ætas ſuggeſſit. De jure necandi & exponendi, non de mandato vel facto necis & expoſitionis, omnis noſtra eſt diſputatio, & quemadmodum hæc probe diſtinguenda ſint, expoſui *eod. Cap.* X. *p.* 365. At inſtas, nihil proponi, cur non idem ſenſus ſit tribuendus Apulejo, quam Plauto & Terentio de eadem re loquendi formula utentibus. Ego vero didici, omnes Auctores ſecundum Jurisprudentiam ſui ævi eſſe interpretandos & intelligendos, cum quærimus, licitum illicitumve fuerit id, quo de agunt. Sub Divis Fratribus ceſſaſſe jus vitæ ac necis in liberos, idoneis teſtibus evici, &, niſi grave ſit, porro audies, atque adeo factum patris, cædem partus imperantis apud Apulejum, rebus eo tempore illicitis adſcribendum putavi.

8. Imo potius prætermiſiſſes. Donatus maxime floruit ſub Conſtantini filiis, ergo, quod ad Terentium commentatur de jure tollendæ ſobolis, ad Donati ætatem eſt referendum. Aut hoc dicis; aut nihil. Sin hoc, idem acumen hic adhibes, quod §. XIV. ſupra, Suetonium de ſua ipſius ætate exaudiens, quod narraverat de ætate Auguſti & Cæſaris Germanici. Boni interpretis eſt, auctorem explicare & illuſtrare ex moribus & legibus ejus ſæculi, quo vixit & ſcripſit; & Donatum, inſignem Grammaticum, leges bonæ interpretationis ſervaſſe, perquam mihi eſt probabile.

§. XVI.

§. XVI. (1) Dicta de Gentilibus Scriptoribus, age, aptemus etiam Chriſtianis: (2) nam nec hi, cum illis exprobrant infantum expoſitionem necemque, eo fuere animo: ut referrent flagitia fæcis Populi, vetita & puniri ſolita: ſed diſciplinam ſectæ, utramque omnibus impune permittentis. (3) Solus hoc negat Dominus van Bynkershoek: præterea nemo unus, ne apud Veteres quidem. (4) imo Tertullianus ait, non modo plerosque de populo, ſed ipſos etiam provinciarum Præſides, liberos ſuos impune & necare & exponere. probavi id *Julio Paulo c.* 11. ex ejus *Apologetico c.* IX. (5) Nec fruſtra nunc addam, eſſe veriſimile, certantes de præſtantia ſectæ Chriſtianos Gentilesque, non voluiſſe, ſe invicem aggredi argumentis ab indole & factis ſingulorum, & viliſſimorum hominum; ubi virtutis, ſapientiæ & religionis honor vertitur, a neutra parte locum invenientium.

§. XVII. (6) Non meliore aut cauſa aut fato circumfert Vir Ampliſſimus *c.* X. *ſui Opuſculi*, negotium fuiſſe Chriſtianis, Gentiles quos habebant adverſarios; cum eis infantum expoſitionem ac necem objiciunt, petulantibus conviciis, quæ de plauſtro vocat, odii plenos facere. Nam contra intellecto, quod eis exprobrant, eſſe in aperto, an pro convicio aut maledicto reputetur quod eſt verum? accedit quod convicium videri nequit dictum ſine convicii aut injuriæ propoſito. id an fuit illis qui adverſariis ſuis non ultro, nec ſponte, imputarunt impietatem expoſitionis necisque infantum? (7) ſi rem recta putemus via: non habuere conſilium inferendæ, ſed repellendæ injuriæ: quin ante ab eis laceſſiti inſimulatique infanticidii & inde convivii inceſti, ſuam purgaturi innocentiam, neceſſe habuere allegare, haud credituros de Chriſtianis Gentiles ſcelus, turpe atque atrox: niſi ipſi facerent conſimile, & ſuo exemplo diſcerent, ab aliis admitti poſſe. præterea eſſe iniquos qui in aliis reprehendant ac puniant pro crimine quod in ipſos reciprocata viciſſitudine poſſit retorqueri. Sed profecto licita & honeſta prius læſis omni jure fuerit defenſio; nec male Terentius *Eunuch. Prolog.*

Reſponſum, non dictum eſſe, quia læſit prior.

(8) Illuc autem unice collineaſſe Chriſtianos, quomodo non animadvertit Dominus van Bynkershoek; ſi attente legit & examinavit Scriptores ipſos, hoc palam declarantes? (9) quod ſi aut perfunctorie legit integros, aut ſaltem excerptos ab aliis conſideravit: (alterum res arguit)

§. XVI. 1. Lecto hoc exordio neſcio quæ alia hic exſpectaveram, ſed redis denuo ad Sanctos Patres, quorum auctoritatibus te jam rebar eſſe defunctum. Ita tamen Venerandæ Scholæ oblivifci non potes; videamus, nunquid ex ea apportes novi.

2. Ego dixi, veteres Chriſtianos, neces & expoſitiones partuum Gentilibus exprobrantes, exprobrare vitium ſæculi, quod vel maxime infecerat infimam plebem. Quamvis enim variæ necandi & exponendi fuerint cauſæ, longe præcipua tamen egeſtas: hac compulſi humiliores ſuperflua onera expellebant, quo ſibi reliquisque liberis conſultum irent. In digniores hæc cauſa non cadebat, atque adeo, vel me tacente, manifeſta res erat, illas exprobrationes cum maxime referendas eſſe ad eos, quorum ſollicitudini obſtabat res anguſta domi.

3. Ais, me ſolum, & præterea neminem, exiſtimare, veterum Chriſtianorum loca potiſſimum pertinere ad fæcem populi, & turbam ſine nomine. Quod ſi ſit, nihilominus tamen ſalva res eſſet, cum ipſa ratio, quam dixi, huic ſententiæ præëat. Sed non meminiſti eorum, quæ Jacobus Gothofredus exſequutus eſt ad *l.* 1. *C. Th. ad L. Corn. de Sicar.* & quæ a ſententia mea nihil quicquam diſcrepant, ut latius hæc retuli §. XII. *n.* 11. ejus igitur auctoritas forte te movebit, ſi minus poterit movere ipſa ratio. Ambroſius etiam eo loco, quem laudavi §. VII. *n.* 1. *pauperioribus* potiſſimum tribuit parvulorum expoſitiones, nec, ſat ſcio, eum teſtem refutabis.

4. Tertullianum mihi opponis *Apologet.* C. IX. quia ait, ipſos Provinciarum Præſides liberos ſibi natos enecare vel exponere. Sed velim animadvertas, Tertullianum, de infanticidio dicturum, ſic ordiri ſententiam *Convertar ad populum.* Mox immanitati ſceleris exaggerandæ addit exempla ipſorum Præſidum, & quidni veriſſime? non ſemper egeſtas cauſa mali. Odium uxoris, vel ſi quid eſt aliud, etiam digniores, & ipſos Præſides, ad necem vel expoſitionem movere poterat. Præſides autem, dum id agebant, clam & illicite egiſſe, non palam & licite, non obſcure videor probaſſe ad §. VI. *ſupra*, ubi hunc ipſum Tertulliani locum adfers, *n.* 7. nec, quæ ibi dixi, hic repeto.

5. Eſt valde ſingularis hæc ſententia tua, & valde dubitem, an ea ſemper fueris uſus, nam videris velle, ubi cauſa Religionis vertitur, non diſputari tantis animis, ut argumenta, a dignitate cauſæ aliena, proferantur, ut quod ad ſingulos, & ſæpe viliſſimos pertinet, cunctis imputetur, id enim non pati *virtutis, ſapientiæ & Religionis honorem.* Ego vero putaveram, eos, qui de Religione diſputant, vel olim diſputarunt, in hanc partem cum maxime peccare, & olim peccaſſe, & tot ſane ac tanta, omni ævo, ejus rei exſtant argumenta, ut ipſa copia laboremus. *Aut erras, aut ludis*, ait ille apud Gellium *L.* XX. *C.* 10. ſed quod ille de adoleſcente, mihi non licet dicere de Anteceſſore Juris.

§. XVII. 6. Totum hunc §. ſine ulla nota poteram transmittere, adeo hic nihil agis. Concoquere ſcilicet necdum potes, quod Chriſtianis objecerim imprudentiam, & plurimam ſæpe proterviam in refutandis adverſariis ſuis; & quod eos ne quidem *conviciis* abſtinuiſſe adjecerim, in primis te male habet. Sed nondum omnia dixi, manifeſta ſæpe mendacia in iis deprehendit & caſtigavit Dallæus *de uſu Patrum*, & fruſtra ſim, ſi hæc deſcribam, vel alia addam. Sed quod generaliter dixi, tu unice transfers ad liberorum necem & expoſitionem. quod factum non oportuit. Mox ais, in hac ſpecie abfuiſſe animum injuriæ inferendæ, & de injuria & convicio loculos tuos excutis, ne omiſſo quidem Terentii verſiculo, ad nauſeam protrito. Sed quid ſi hæc omnia conceſſerim? an ideo minus verum erit, quod dixi, Patres bonam fidem *ſæpe* non ſervaſſe, & nullo jure Gentiles exagitaſſe?

7. Exponis, qua occaſione Chriſtiani Gentilibus objecerint infanticidia & inceſtus, ab ipſis ſcilicet prius inſimulati eorundem criminum, quamvis nullo jure. Sic eſt, ut dicis, nec id me latet, vel unquam latuit. Nolim quoque inveſtigare, an Chriſtiani in libellis Apologeticis, ubi illa crimina retorquent, fidem bonam hic illic non violaverint, & putaverint, ut maledicere non licet, ſic remaledicere jus fasque eſſe; nolim, inquam, hæc inveſtigare, ne longius digrediar, quam oportet, & animum tuum, ſic ſatis infenſum, ultra provocem. Nimis etiam hæc abirent a noſtra diſputatione, quæ hic una & ſola eſt, an partuum neces & expoſitiones Gentilibus objecerint Chriſtiani, ut rem licitam, an vero ut illicitam. Apage alia omnia.

8. Unde habes, me non animadvertiſſe illum Chriſtianorum ſcopum: neque enim mihi quicquam excidit, unde id collegeris. Imo probe animadverti, ſed nihil ille ſcopus ad noſtram Diſputationem.

9. Ipſos Auctores me adire, nec ex aliorum ſcriptis ſapere, norunt, qui me norunt. Tu, pro amico ſcilicet erga me animo, aliud hic ſuſpicaris, ſed quam ſuſpicandi cauſam habueris, tu non exprimis, & ipſe non adſequor.

guit) (1) quomodo non erubuit, viros bonos & paſſim laudatos damnare indecoræ improbitatis quos ejus nulla idonea cognitione reos deprehendit: Quidquid eſt: mihi ſufficit, id quod ago, ex Juſtino Martyre, Tertulliano, & Lactantio, hic paulo ante, *& in Julio Paulo c.* 11. ſic demonſtraſſe; ut a ſuſpicione calumniæ conviciique omni ratione abſolvantur. (2) De Minucio Felice an aliud ſuſpicer? ſuadet Dominus van Bynkershoek *d. c.* X. *Opuſc. p.* 336. ſed non perſuadet mihi, nec perſuadebit aliis, integro animo reputantibus ejus verba, ut extant *Octavio c.* 30. ſunt autem talia. *Illum jam velim convenire qui initiari nos dicit aut credit de cæde infantis & ſanguine. Putas poſſe fieri, ut tam molle, tam parvulum corpus fata vulnerum capiat? ut quisquam illum rudem ſanguinem novelli & vixdum hominis cædat, fundat, exhauriat. Vos enim video procreatos filios nunc feris & avibus exponere, nunc adſtrangulatos miſero mortis genere elidere. ſunt quæ in ipſis viſceribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequam pariant. Et hæc utique de Deorum veſtrorum diſciplina deſcendunt. Nam &c.* Rurſus *c.* 31. *Et de inceſto convivio fabulam grandem adverſum nos Dæmonum coïtio mentita eſt, ut gloriam pudicitiæ deformis infamiæ averſione macularet; ut ante exploratam veritatem homines a nobis terrore infandæ opinionis averteret. Sic de iſto & tuus Fronto, non ut affirmator teſtimonium fecit, ſed convicium ut orator aſperſit. Hæc enim potius de veſtris gentibus nata ſunt. jus eſt apud Perſas miſceri cum matribus. Ægyptiis & Athenis cum ſororibus legitima matrimonia. Memoriæ & tragœdiæ veſtræ inceſtis gloriantur, quas vos libenter & legitis & auditis: ſic & Deos colitis inceſtos, cum matre, cum filia, cum ſorore conjunctos. Merito igitur inceſtum penes vos ſæpe deprehenditur, ſemper admittitur. etiam neſcientes miſeri poteſtis in illicita proruere. Dum Venerem promiſcue ſpargitis, dum paſſim liberos ſeritis, dum etiam domi natos alienæ miſericordiæ frequenter exponitis, neceſſe eſt in veſtros recurrere, in filios enarrare. Sic inceſti fabulam nectitis, etiam cum conſcientiam non habetis. At nos pudorem non facie, ſed mente præſtamus, unius matrimonii vinculo libenter inhæremus.* (3) Utrum Minucii ſermo ſpectet ad flagitia infimæ fæcis, legibus prohibita & punita; & velit ejusmodi fraudibus ac conviciis adverſarios ſuos facere odioſos: an intendat ad diſciplinæ Gentilis a ſe oculis viſæ reprehenſionem: ſimul ſit pro tuenda ſectæ Chriſtianæ puritate, infanticidii & convivii inceſti Gentili more accuſatæ a Cæcilio Natali *ibidem c.* 9. ejus litis ego Judicem fero quemvis; nec addo plura: quia pluribus res non indiget.

§. XVIII. (4) Moleſtum tamen eſt Ampliſſimo Senatori, (pergo enim ad reliquas ejus objectiones) non allegari a me aliquem Juriſconſultum Veterem qui licitam ſuo ævo infantum expoſitionem fuiſſe dixerit. etiam video petere, ſibi oſtendi talem: ac vereri, ne quæratur fruſtra. ita proteſtatur *Opuſc. c.* IX. *pag.* 362. *item c.* X. *pag.* 365. *& c.* VII. *p.* 357. Sed nulla ratione: producto a me paulo ante Scævola *l.* 29. *D. de manumiſſ. teſtam.* & præter eum Diocletiano & Maximiano *l.* 16. *C. de nuptiis.* (5) Quod ſi vel illa deficerent exempla: ne ſic quidem eſſet mirum, hodie non reperiri Juriſconſultum cujus teſtimonium ad probandum, jure Pandectarum licitam impunitamque fuiſſe infantum expoſitionem, deſideret Vir Ampliſſimus. Verſa vice, ego ab eo potius poſtulem, mihi oſtendi Juriſconſultum qui eam jure Pandectarum fuiſſe vetitam punitamque, palam ſcribat. hoc enim fuit neceſſarium fieri a confeſſo, ante Principatum Trajani fuiſſe licitam. (6) at jure Pandectarum ſupereſſe teſtem retentæ per-

1. Quam rem mihi vitio det Vir Clar. quæſo animum advortite. Patrum auctoritatem auſus fui ſollicitare, *an non erubeſcis?* inquit. Imo erubeſcerem, ſi eorum culpas defendere, nec ſcapham ſcapham vocare fuiſſem auſus. Nec Calvinus, nec Dallæus erubuerunt, ubi de Patribus dixerunt, quod res eſt. Non intercedo laudibus, quas iis hic adſcribis, modo memineris, homines fuiſſe.

2. Habes etiam animum revertendi ad Minucium Felicem, quin & animum exſcribendi aliquot ejus loca, de quibus in præcedentibus jam ſatis ſuperque diſputatum eſt. Satisfacere igitur poſſunt, quæ dixi ad §. IX. *n* 3.

3. Non alio fine videris exhibuiſſe utrumque locum Minucii, quam ut ex eo conſtaret, Minucium, quod de nece & expoſitione infantum dixit, non de infima plebe dixiſſe, ſed ἁπλῶς & ſimpliciter de Gentilibus. Nihil repugno, ſed quid vetat hæc aptare iis, qui præ egeſtate vel maxime eo nomine erant infames? & quid hæc ad noſtram controverſiam, cum digniores ab hoc crimine nuſpiam exceperim? Reliqua, quæ hic habes, verba ſunt & voces.

§. XVIII. 4. De licito & illicito ſi JCtos potius, quam alios quosvis, ſententiam rogaverim, nemo mihi verterit vitio. Ubi igitur provocavi ad homines noſtri fori, & ex iis, qui poſt Trajanum & ante Valentinianum Seniorem vixerunt ſcripſeruntque, quæſivi, ecqua eorum mens fuerit de jure vel injuria necis & expoſitionis, incidi in plurimos, qui pro cauſa, quam nunc defendo, teſtimonium dixerunt, quod vel invitus iterum audies in *ſeqq.* Non alios autem teſtes tu adhibes, quam Scævolam in *l.* 29. *ff. de Manumiſſ. teſtam.* & Diocletianum & Maximianum in *l.* 16. *C. de Nupt.* quos hic iterato producis, nam & ante produxeras §. XIV. ſed cum ibi *n.* 12. & 13. abunde probaverim, nihil in his eſſe, quod cauſæ tuæ faveat, aliam reſponſionem a me hic non impetrabis.

5. Hic diſputas de onere probationis, quod in me rejicis, quia teſtes te deſtituunt. Haud gravabor id onus in me ſuſcipere, & ſuſcepi quoque in Opuſculo *de jure occidendi, vendendi & exponendi liberos*, &, ni fallor, partibus meis defunctus ſum. Sed liceat, dicis cauſa, te hic nonnihil morari. Probationem in me rejicis, quia agnoſco, ante Imperium Trajani necem atque expoſitionem infantum jure licito obtinuiſſe, poſt ea tempora non obtinuiſſe, ejus rei probationem a me deſideras. Recte, ex ſententia mea. Sed ex ſententia tua, minus recte; nam ecce tu Legem Romuli, qua juſſit prolem maſculam tolli, & e filiabus primogenitam, & XII. Tabulis inſertam credis, & deinceps perduraſſe non abrogatam, in tantum, ut & Tertullianus ſuo ævo ad eam appellaverit *L.* I. *ad Nationes C.* 15. Quod ſi ſit, ego juſtius a te deſiderem, exhiberi Legem, quæ rem vetitam punitamque, licitam permiſſamque eſſe pronunciaverit; ſin autem, ſtandum eſſe decreto juris antiqui. Ea ipſa ratio eſt, qua adverſus me pugnas. Sed ne te ſollicitum habeat ea res, nam, ut ſupra dixi, ipſe Romulus legem priorem mutavit, & patribus, lege poſteriore, omnigenam dedit poteſtatem ſtatuendi in liberos pro arbitrio, etiam usque ad necem. Salva igitur res eſt, ſi meum auctorem ſequaris, & ſententiam de Lege Romuli mutes. Hac lege onus probandi in me recipio.

6. Quod ea teſtium penuria labores, hanc aſſignas rationem, quod abrogato per Valentinianum, Valentem & Gratianum jure necandi & exponendi, omnis ejus

permiſſæque adhuc expoſitionis Jurisconſultum, quid attinet, poſt ſublatam a Valentiniano, Valente & Gratiano *l.* 8. *C. Ad Leg. Corn. de ſicar.* & *l.* 2. *C. de infantib. expoſit.* nam ſi ab illo tempore nulla ſupereſſet ejus copia: ideone ante nulla fuit? at negatio nihil operatur in facti probatione: (1) & quoties evenit, ut antiquitus obtinuerit aliquid, quod poſtea abolitum ab aliis Scriptoribus per occaſionem narretur: cum in Pandectis a Jurisconſultis attingatur nusquam? dedi tale exemplum *lib.* 2. *De uſufructu. c.* 2.

§. XIX. (2) Sit ſimile in præſenti: ubi non reperto Jurisconſulto quem ſibi hodie oſtendi petit Bynkershoekius, non eſt hæc quam credit, cauſa: quod numquam fuit aliquis: ſed quod aliquem in Pandectis ſupereſſe, noluit Juſtinianus: non eſſe e re Jurisprudentiæ arbitratus, in ejus Operis compoſitione ex Veteribus libris deſcribi doctrinas Veterum, legibus aut moribus abrogatas; eoque uſum neque tum habentes, neque deinceps habituras. Id quemadmodum præterierit Virum Clarum & Doctum, equidem non poſſum ad conjecturam evadere: cum ſit indubitatum, auctore Juſtiniano: qui ab Architectis Pandectarum in earum compoſitione ſic obſervari palam mandavit. Verba Mandati, ſi quis recognoſcere velit, appoſui ex *l.* 1. §. 10. *D. de conceptione Digeſtorum*: ſunt autem hæc: *Sed & ſi quæ leges in Veteribus libris poſitæ jam in deſuetudinem abierunt: nullo modo vobis easdem ponere permittimus: cum hæc tantummodo obtinere volumus quæ vel judiciorum certiſſimus ordo exercuit, vel longa conſuetudo hujus almæ urbis comprobavit.*

§. XX. (3) Expoſitis quæ erant dicenda pro intellectu, ſimul pro bona fide, & auctoritate tot illuſtrium teſtium conſuetudinis in Foro ſine interruptione continuatæ usque ad *l.* 8. *C. Ad Legem Corneliam de ſicariis.* & *l.* 2. *C. de infantibus expoſitis*, quæ ſunt Valentiniani, Valentis, & Gratiani, non dicam, ſalvas eſſe opes meas: id enim apparet ultro: ſed me neſcire, qua cauſa aut ſpe præſumpſerit Ampliſſimus Senator, illis invitis, (4) ipſe nulla adjutus lege, ſola fretus auctoritate ſua, poſt tot ſecula, perſuadere viris doctis, & extra litem noſtram, extraque affectum utriusque poſitis, infantum ſanguinolentorum expoſitionem & necem ante hos Principes vetitam punitamque extra ordinem aut morte aut leviore pœna fuiſſe. Tranſilio leges: ne attulit quidem aut Veteris Jurisconſulti aut Scriptoris alicujus vel Gentilis vel Chriſtiani teſtimonium: quo illa licentia antea diſerte vetita & punita dicatur. (5) Non fallo, nec fallor. ſi quod tale habet; me convincat producto; & cedam ultro. ſi non habet, ne dicat, conſuetudinem, ipſius confeſſione ante Trajanum, Hadrianum, & Antoninum Pium, in facto certam atque indubitatam, inde ſublatam eſſe.

§. XXI. (6) Ego nec per conſequentiam argumentorum hoc probaſſe exiſtimo. Alicui durior

ejus memoria ex Pandectis fuerit deleta, ratus, ſuperfuiſſe forte teſtes, in eam rem idoneos, ſed nihil attinuiſſe, eorum memoriam exſtare. Hanc rationem in §. *ſeq.* proſequeris, ſed quam ea parum valeat, ibi dicam.

1. Sæpius id evenire certum eſt, ſed hæc res, qua de agimus, prætermiſſa non eſt in Pandectis, ſed ex profeſſo a Paulo tractata in *l.* 4. *ff. de Agnoſ.* & *alend. liber.* & ab aliis, ex occaſione, quæ incidebat. variis locis.

§. XIX. 2. Accipe grande arcanum, quod Vir Clar. miratur præteriiſſe, *Virum Clarum & Doctum.* Ubi accedit præfatio honoris, quam maxime ſoles me pungere. Quod in Pandectis, ais, non reperiantur teſtimonia de licita infantum cæde & expoſitione, non inde eſt, quod nemo veterum JCtorum addixerit, ſed quod Juſtinianus in Pandectis noluerit eorum loca ſupereſſe, nam ecce in Codicillis, quos exhibet Vir Clar. mandatum fuiſſe Triboniano, & reliquis Pandectarum Compoſitoribus, ne jus vetus & abrogatum iis vellet inſerere. Hoc ſcilicet eſt grande arcanum, quod nec Dupondii ignorant, nec ipſe ignoravi, ex quo ad Jurisprudentiam diſcendam primum acceſſi. Sed te non latet, Vir Clar. Compoſitores Pandectarum, ut in aliis, ſic & hac parte mandati longe & late peccaſſe. Vis tibi recenſeam quam plurima juris vetuſti, & Juſtinianì ævo dudum abrogati capita, quæ etiamnum ſuperſunt in Pandectis? non, opinor, hæc exſpectabis, nam ipſa copia laboramus. Et jam oblitus es Scævolæ tui in *l.* 29. *ff. de Manum. teſtam.* ubi expoſitionis, tanquam rei licitæ, mentionem fieri tibi perſuades, ſed mihi perſuadebis nunquam? nullus, nullus, inquam, veterum JCtorum a Trajano & deinceps, jus necandi & exponendi liberos licitum eſſe pronunciavit, ſed cum res incidit (incidit autem ſæpe) omnes uno ore vel palam damnarunt, vel ea dixerunt, quæ, ſalvo eo jure, ſalva eſſe non poſſunt. Si tantum ſiluiſſent, ut innuis *hoc* §. ex ſilentio forte aliquod tibi eſſet præſidium, ſed rotunde dixerunt, quod res eſt, iis Fragmentis, quæ adhuc in Pandectis ſunt reliqua, & quæ, ut audies, non effugis.

§ XX. 3. Adſpergam pauca ad *hunc* § quia Vir Clar. pauca dixit. Magna ambitione extollit auctoritates, quas ipſe, ex aliorum tamen plerumque penu, depromſerat, & quibus ego jam ſatis ivi obviam. Qui extra partium ſtudia ſunt poſiti, decernent, an jam *ſalvæ ſint opes tuæ*, ut tu hic cenſes, an adhuc valde periclitentur, ut ipſe cenſeo.

4. Iterum hic repetis, quod tertio quoque verbo inculcas, me ſententiam, quam defendo, defendere *ſine ulla veteris JCti, aut ſcriptoris alicujus vel Gentilis vel Chriſtiani teſtimonio.* Sed, Vir Clariſſime, tuam fidem! cur igitur nonnullis auctoritatibus, quibus uſus ſum, refellendis occuparis a §. 22. ad §. 30. ? & cur alias tranſis, & pro indictis habes? auctoritates illæ idoneæ ſint, nec ne, alia quæſtio eſt, de qua ſuo loco. Sed adfirmare, me teſtes nullos, nec JCtos, nec exteros, ad cauſam attuliſſe, & tamen iis refutandis tantam operam inſumere, id vero eſt, quod tibi conciliandum relinquo.

5. Imo fallis, & falleris. Sed provocas me, ut, ſi quod teſtimonium habeam, te convincam producto. Noli exſpectare, ut hic tibi exhibeam turbam teſtium, qui paribus ſuffragiis pro me ſententiam dicunt, ſic enim, tuo exemplo, bis terve eadem eſſent repetenda. Videbis & plorabis deinde. Sed cum inter Patres tuos verſarer, oppoſui tibi Tertulliani locum ex *L.* I. *ad Nationes C.* 15. qui diſerte ait, Gentiles infanticidas *Legibus quidem probiberi, ſed nullas magis tam impune eludi*, hoc eſt, legibus quidem nefas eſſe infantes occidere, ſed has ſubegiſſe malos mores. Totidem verbis Tertullianus ibi dicit, quod ipſe defendo, nec luculentius teſtimonium haberi poterit, utique non penes te, nam ſi Sacroſancta veteris alicujus Patris auctoritas te non moveat, non movebunt ſexcenti auctores Juris, veteres, novi. Non fugit Virum Clar. ille Tertulliani locus, quippe & a Jacobo Gothofredo adductus ad *Codicem Theod.* ſed, ut monui ad §. VII. *n.* I. in ejus interpretatione infeliciter admodum verſatus eſt Vir Clar. *Jul. Paul. C.* II. Quod cum oſtenderim *Opuſc. C.* X. *p.* 366. & res ſit adeo liquida, ut neminem offenderim, qui non te eo ſolo loco debellatum putet, quid tu ad illum *amica hac Reſponſione?* altum ſilentium.

§. XXI. 6. Abſolviſti ea, quæ in rem tuam eſſe videbantur, nunc copias meas aggrederis.

7. Re-

rior videatur ſermo. ſed eſt veriſſimus; & ſum paratus, vel ejus facere periculum. (1) Exigit, en, Vir Ampliſſimus in *Opuſculo* paſſim, præſertim in *Præfatione*, tum *c.* IX. *pag.* 362. item *c.* X. *pag.* 365. exponendi necandique infantis licentiam ad jus vitæ & necis quod antiquitus fuerit pars patriæ poteſtatis, & a Principatu Trajani, Hadriani, & Antonini Pii, evanuerit. Sic cenſet, atque hoc ſe munit clypeo: ſed non firmo, nec apto. (2) Non enim profecta eſt licentia iſta a rigore patriæ poteſtatis, nec inde pependit umquam. Ain tu? nolo mihi credi. (3) conſulamus quod proximum eſt, Veteres de facto vetere: non enim petenda aliunde eſt ejus notitia; quam ab illis qui poſſunt ex ſe directo ſcire ſine ratiocinatione, plerumque fallente veri ſpecie. (4) At eſt ab his traditum quaſi per manus, infantem nondum natum, & cum viſceribus matris adhuc cohærentem, partem matris eſſe, atque interim pro planta, nondum pro animali, nedum pro homine fuiſſe: imo ne natum quidem, antequam ſuſceptus, agnitus, alique, a parentibus juſſus eſſet, iis aliter cenſeri conſueviſſe. Nobis hodie non ita ſedet. at illa fuit Veterum ſecta, fateor, impia & crudelis: ſed quam, more aliarum Gentium, ſequutus fuit Populus Romanus. (5) ipſe id jus, ejusque prætextum probavi *Julio Paulo. c.* I. II. *&* IV. (6) Nec obluctatus eſt Bynkershoekius, niſi injectis, credo, fervore diſputandi, ſcrupulis aliquibus, in ſumma nihil operantibus. Proinde nil attinuit, ad litem de jure necandi exponendique partus argumenta ducere ab integra aut imminuta vi patriæ poteſtatis cum qua nullam habuit communionem. Sint hæc, ut ſunt, firma, Veteres conſulentibus. (7) tamen quid vetat, adhuc ſubjicere, infantum necem expoſitionemque tam matri, quam patri, fuiſſe permiſſam, quamvis in matris poteſtate liberi fuerint numquam. Atque hoc oſtendi *Julio Paulo c.* II. IV. *&* V. fide Scævolæ, Quintiliani, Julii Firmici Materni. (8) Adhæc indicavi *c.* IX. prohibitam ab eadem cauſa, utrique parenti in *l.* 8. *C. Ad Leg. Corn. de ſicar.* fuiſſe infantum necem a Valentiniano, Valente, & Gratiano. quod non fuiſſet opus: ſi ea matri ante non fuiſſet licita atque impunita. (9) Succurrit mihi & tertia obſervatio, æque decretoria, ideo-

1. Recte ais, me necandi & exponendi infantis licentiam exegiſſe ad jus patriæ poteſtatis, nec id dicere contentus iis locis, quos hic indicaſti, data opera probavi *Opuſc. C.* I. nec quicquam reſpondes iis, quæ ibi dixi, & tua gratia nolim repetere. Si hæc non ſatisfecerint, pleniora habes ſupra ad §. I. *n.* 1. Quin auſim adfirmare, ut ibi quoque indicabam, te uno excepto, neminem eſſe cum ex Veteribus, tum ex Recentioribus, qui non antiquum jus necandi & exponendi derivaverit ex Jure patriæ poteſtatis.

2. Igitur ſine ambagibus pronuncias, licentiam illam nunquam pependiſſe a rigore patriæ poteſtatis. Actum agerem, ſi denuo probarem, inter effectus patriæ poteſtatis longe maximum fuiſſe jus vitæ ac necis in liberos & inde ſolum pependiſſe. Si auctoritatibus, ſi exemplis non cedas, quæ *Opuſc. C.* I. *&* III. exhibui, ſi non iis rationibus, quas addidi ad *d.* §. I. *n.* 1. fruſtra ſim, ſi te convinci poſſe ſperem. In re tamen adeo liquida tu, & ſolus quidem, contradicis. Audiamus, & ſimul amoliamur ratiunculas, quas injicis.

3. Optime; te ea ratione præeuntem ſequar, ſed mox Veteres deſtituent.

4. Quod hic ais de Veteribus, ejus rei ego fidem deſidero; quod ad liberos ſcilicet natos, quamvis non ſuſceptos, agnitos, alique juſſos. De embryone ſenſerint Philoſophi, ſenſerint JCti, pro homine non eſſe habendum, quid inde in rem præſentem? nos de natis agimus, in quos cadit cædes & expoſitio. Hos pro hominibus non fuiſſe habitos, ne ullus quidem Philoſophus apud Plutarchum dixit, eo loco, quem attuliſti *Julii Pauli C.* II. Veteres JCtos id dixiſſe, & diſtinxiſſe inter eos, qui ſuſcepti & agniti eſſent, vel non eſſent, neſcio, quemadmodum tibi venerit in mentem, ſine ulla cujusquam auctoritate. Etiam ſuſceptos & agnitos occiderunt patres, quamdiu occidere licuit, & quo jure, niſi patriæ poteſtatis, quæ annis non circumſcribebatur? Non ſuſcipere vel agnoſcere, dum ſtetit illa effrenior poteſtas, æque erat licitum, quam ſuſceptum & agnitum trucidare. Illa formula de *liberis ſuſceptis*, *agnitis*, *alique juſſis* in primis tibi placet, ſed vellem, ejus auctorem laudaſſes in hoc, quod tractamus, argumento. Sed ſatis jam eam exploſi ad §. I. *n.* 1. & ſatis probavi, in jure necandi filii, ætatis differentiam non fuiſſe habitam, atque adeo ejus rei rationem unice pependiſſe a patria poteſtate, non a Philoſophia, qua hominem pro non homine habitum cenſes.

5. Nihil ejus rei probaſti tribus illis *Capitibus*, ad quæ nos remittis. Lectorum fidem obteſtor.

6. Me non obluctari ais, ſed perperam, an vero obluctatus ſim injectis, *fervore*, ut putas, *diſputandi*, ſcrupulis nonnullis, aliorum erit judicium. Scrupulos certe, quos injeceram *Opuſc. C.* VII. *p.* 359. non exemiſti, ut ſæpe ſoles præterire, quæ tibi moleſta ſunt.

7. Aliam rationem hic habes, cur patriæ poteſtati tribuenda non videatur liberorum cædes & expoſitio, quod ſcilicet jure veteri æque matri permiſſa fuerit. Id vero eſt, quod tu probabis nunquam. Et, ſi eſſet, cur Marcianus, interpretans Legem Pompejam de Parricidiis in *l.* 1. *ff. eod. Tit.* matrem, quæ filium filiamve occiderit, ſubjeciſſet ejus Legis pœnæ? patrem utique non ſubjecit, non alia ratione, quam quod patribus, ætate Pompeji Magni, licuerit liberos occidere, ſed matribus non æque, ut pluribus hæc ſum proſequutus *Opuſc. C.* III. *p.* 349. *& ſeq.* Appellas tamen ad Scævolam, Quintilianum, Julium Firmicum Maternum, ubi exempla occurrunt matrum exponentium. De Scævola ſatis dixi *Opuſc. C.* IX. *p.* 362. & ſupra *ad* §. XIV. *n.* 12. De Julio Firmico Materno, cujus locum tibi indicavit Jacobus Gothofredus ad *l.* 1. *C. Th. de Expoſ.* nihil eſt, quod addam iis, quæ habes *Opuſc. C.* X. *prope fin.* Sed quid in his eſt, quid in Quintiliano, niſi ſola mentio matrum exponentium, ſine ulla quæſtione vel mentione liciti vel illiciti. Etiam hodie matres exponunt liberos, vulgo fere quæſitos, ne ipſæ alimentorum onere premantur, ſed exponunt nullo jure, & lege palam prohibente. Et quid ſi olim, cum patribus exponere licuerit, ipſæ matres expoſuerint, ſed juſſu mariti? id certe thema eſt apud Quintilianum *Declam.* 306. utque adeo ejus locum huc imprudens advocaveris.

8. Ait *l.* 8. *Si quis* &c. quod ad utrumque parentem refers. Si de utroque parente nominatim loquuti eſſent Impp. adhuc nihil proficeres, ſi recte eam *l.* 8. explicaverim *Opuſc. C.* VII. *p.* 359. *& ſeq.* & recte me explicaſſe, ſecurum eſſe jubet *Amica Reſponſio*, ubi nihil contradiximi.

9. Vellem, ne tibi incidiſſet hæc tertia obſervatio, adeo nullius plane momenti eſt. Patria, inquis, poteſtas propria eſt Civium Romanorum, atque adeo, ſi ex ea manaſſet jus necandi & exponendi, peregrini, ante Civitatem cum iis communicatam ab Antonino Caracalla, eo jure fuiſſent excluſi, & excluſos fuiſſe, a me oſtendi poſtulas. Qua ratione poteſtas patria Juris Civilis eſſe dicatur, nunc non diſputo: ut optima maxima olim fuit, propria fuerit Civium Romanorum, & his ſolis licuerit liberos necare & expone-

deoque non magis negligenda. ea obſervatio eſt, patriam poteſtatem eſſe Juris Civilis, eoque ſolorum propriam civium Romanorum §. 1. *Inſt. de patria poteſt. l.* 3. *D. de his qui ſunt ſui vel alieni juris*, ut cætera quæ juris civilis appellantur *l.* 15. *D. de interdict. & releg. l.* 17. §. 1. *D. de pœnis.* Et tamen infantum necem expoſitionemque tantum civibus Romanis, non etiam peregrinis, fuiſſe licitam impunitamque, nuſpiam oſtendit, neque umquam oſtendet, Dominus van Bynkershoek: Veteribus hac in parte diſtinctionem non facientibus, etiam ante civitatem omnibus qui in orbe ſunt, datam ab Antonino Caracalla. Abſit igitur, ut eam licentiam debuerit metiri jure vitæ & necis, patri integro aut ſublato.

§. XXII. (1) Nondum executus ſum omnia. plus dicam, perperam credi a Viro Clariſſimo, jus necis in liberos patri fuiſſe ademptum inde a tempore Trajani, Hadriani, & Antonini Pii. (2) eſt enim (quod ægre dico) & hic error manifeſtus: nec erit labor, refellere. Initium ſumam a Trajano. cedo, nam ſcire cupio, ejus principis Conſtitutionem de abrogando patri jure vitæ ac necis, & puniendo eo, ſi contra fecerit? ego nullam vidi hactenus, nullam quoque attulit Bynkershoekius, & quæ eſt mea opinio, ne deinceps quidem adferet aliquam; quia in totá antiquitate nulla extat. Interim rem publice licitam atque impunitam ſine Lege Populi, aut Conſtitutione Principis, ab ullo Magiſtratu fieri crimen & recipere pœnam mortis aut corporis, quis umquam credidit, dixit, aut ſivit Juriſconſultus? Novi: (3) provocat ad hoc Papiniani *l. ult. D. Si a parente quis manumiſſus ſit: Divus Trajanus filium quem pater male contra pietatem*

nere, non etiam peregrinis. Sed quo jure a me poſtulas, ut infantum necem & expoſitionem peregrinis olim non fuiſſe licitam impunitamque, tibi oſtendam. Quicquid lego, quotquot exempla reperio in Annalibus, de Civibus Romanis ſunt omnia, de peregrinis, quod ad hanc rem, nihil comperi, nec tu videris quicquam comperiſſe. Attamen ſi hæc tua obſervatio valeret, tibi, tibi, inquam, probandum eſſet, peregrinos olim jure necandi & exponendi impune fuiſſe uſos, & inde tunc efficiendum, ex patria poteſtate, quæ Civium Romanorum erat, eam licentiam originem non traxiſſe. Sed cum nihil ejus rei probes, fruſtra a me contrariam probationem deſideras.

§. XXII. 1. Nunc preſſius argumenta mea excutis, & teſtes, quos ante dixeras me non adhibuiſſe, quantum potes, refellis.

2. Cur ægre dicis, me *manifeſtum errorem* errare, cum alia plura, his duriora & acriora, dixeris? Sufficit *amicam Reſponſionem* præ ſe ferre, & mox cæſim & punctim in adverſarium irruere Jacobum Gothofredum, Joannem Solorzanum, & plurimos alios magnæ auctoritatis interpretes, ejusdem erroris me habere ſocios, impenſe mihi gratulor, tu hæreſeos tuæ nullum habes auctorem niſi ſolum Lipſium, literarum magis, quam juris peritum, quod, pace tua, iterum dixerim. Jacobus Gothofredus ad *l.* 2. *C. Th. de Liber. cauſ.* de jure vitæ ac necis in liberos ita commentatur: *Duraſſe jus illud Ciceronis, Auguſti, Neronis, Claudii ævo, ex Valerio Maximo, Salluſtio, Seneca, Suetonio, Dione liquet, a quo id, & quando ſublatum ambigitur. Certe Paulus quoque meminit hujus juris, verum tanquam aboliti,* QUOD ET OCCIDERE LICEBAT *l.* 11. *in fin. ff. de Liber. & poſtum. Imo & ſub Adriano quoque jus iſtud* PATRIUM *vitæ & necis ſtetiſſe* QUADAMTENUS *teſtis eſt Marcianus in l. D. Adrianus* 5. *ff. de L. Pompej. de Parricid. quanquam & tum jam modus ei rei adhibitus; quod & d. l.* 5. *aperte teſtatur, quomodo & dominorum in ſervos jus vitæ & necis tum quoque acciſum, quanto magis in filios? Certe ſub Alexandro Severo abrogatum penitus fuiſſe, colligitur ex l.* 3. *C. de Patr. poteſt. & Ulpiano in l.* 2. *ff. de Sicar. Itaque Conſtantinus parricidii pœnæ patrem aperte ſubjecit l. un. infra, de Parricid. quæ data eſt A. D.* 318. Exhibui ſententiam Gothofredi, ut &, ſi libet, ejus argumenta rideas. Ego, cum iis, tum aliis uſus ſum ad illuſtrandam illius temporis Jurisprudentiam, quod ad jus necandi & exponendi liberos. Vides, eum, quicquid ejus juris eſt; patriæ poteſtati tribuere, ut tribuerunt omnes, te uno excepto. Vides, eum non præciſe definire tempus abrogati illius juris, ſed nonnihil incertum hæreſe. Nec mirum, cum lex certa in eam rem non exſtet, utique ad nos non pervenerit: quin nunquam exſtitiſſe, inde eſt probabile, quod ejus nulla uſpiam exſtet mentio apud Veteres. Molliores mores ſubegiſſe rigorem Juris veteris, mea fert opinio, quin & tua, *Comment.* ad *Tit. Pand. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.* cum ais, *rationis fuiſſe, infinitam illam poteſtatem juſto temperari modo, factumque id non una lege, neque uno tempore, ſed paulatim, ut ſolet moribus.* Igitur fruſtra exigis, ut tibi adferam Conſtitutionem Trajani, Adriani, vel Antonini Pii de abrogato patri jure vitæ ac necis, & puniendo eo, ſi contra fecerit. Sufficit, & ſemper ſuffecit in jure, quod moribus debetur, probando, ſi ea adferam, quæ palam ſignificant, abrogatum tunc temporis fuiſſe jus, quo de agimus.

3. Initium duxi a Trajano, qui, ut narrat Papinianus in *l. ult. ff. Si a Parent. quis manumiſſ. ſit*, filium, quem pater male contra pietatem adficiebat, coëgit emancipare, denegata etiam patri, defuncto filio, bonorum poſſeſſione, propter neceſſitudinem ſolvendæ pietatis. Si ſalvum tunc fuiſſet patribus jus vitæ ac necis, ſi pater, jure ſuo utens, de filio potuiſſet decernere, etiam usque ad necem, ſcire velim, cur Trajanus patrem eo ipſo, quod filium male adfeciſſet contra pietatem, coëgerit emancipare, & ei denegaverit bonorum poſſeſſionem. Si juſtum eſt occidere, utique injuſtum, patrem, qui minus fecit, jure ſuo multare. *Qui occidere poteſt, multo magis contumelia poterit* JURE *adficere*, ut ait Papinianus in *l.* 22. §. 3. *ff. ad L. Jul. de Adulter.* Ad hanc & reliquas Leges, quas attuli, miror te non fuiſſe defunctum hac una reſponſione, non agere ſcilicet de infantibus, recens natis, in quos, utpote non homines, patribus, quin & matribus omnia licuit, ſed agere de ſuſceptis, agnitis, alique juſſis, in quos patribus nihil, vel tantum non licuit: quid enim in his licuerit, vel non licuerit, non memini te uſpiam exponere. Sed hujus diſtinctionis & hic, & in ſequentibus, ubi maximo uſu veniret, obliviſceris, & in adultos idem juris tribuis patribus, quod in infantes. Quid igitur hic reſpondes? multa ſcilicet præfatus de pietate patrum erga liberos, tandem de Trajano adjicis: *atque hoc extra ordinem licebat Principi, legibus ſoluto, prætori, his adſtricto, non licebat jure ordinario. Sed ſingulare Principis Decretum illo facto quid facit ad rem præſentem?* Ego vero Conſtitutiones Principum interpretor ex jure, quod tunc obtinebat, niſi probetur, Principes extra ordinem, & jure ſingulari quid conſtituiſſe. Tu ais, id Trajani Decretum eſſe ſingulare, patri puta ademptum jus, quod ei alioquin competebat, ſed unde probas? graviſſima contra Principem præſumptio eſt, ruptis legum repagulis injuriam feciſſe ſubditis. Scio, quid Cujacio exciderit *Comment.* ad *l.* 10. *pr. ff. de Pact. cum Juris* nempe *rationibus Reſcripta plerumque pugnare.* Sed & hoc ejus fide eſſe jubeo. Si mihi non conſtiterit de privilegio, atque adeo, ſi in re præſenti non conſtet, Trajanum filio ſubveniſſe extra ordinem, ego regulas juris, quod tunc obtinebat, ſequutum fuiſſe arbitror, hoc eſt, patrem multaſſe patria poteſtate, quod eo tempore non tantum non liceret filium occidere, ſed nec male adficere contra pietatem.

tem adficiebat; *coëgit emancipare.* Æque ſcio, hinc argumentari a conſequentia hiſce verbis: *Quæro, an non jus illud vitæ & necis evertat, quod Trajanus coëgerit emancipare filium inclementius habitum.* Memini etiam, mox ſic inferre ac concludere: *Itaque mihi videtur.* Sed flectamus, ut lubet, Papiniani verba: quod in his ſignum prohibitæ patri necis filii? quod denunciatæ pœnæ aut mortis aut levioris, ſi necarit? At enim Papinianus patriam poteſtatem magis pietate, quam atrocitate æſtimari cenſet. Sino. verum idem ante voluit Lex; cum patri jus vitæ & necis conceſſit: nam (ut demonſtravi *Comment. ad Tit. D. de his qui ſunt ſui vel alieni juris*) illi hoc non indulſit, ut filium perderet, ſed ut regeret ad commune utriusque bonum: optime ſperans de naturali patris pietate. Porro quod Lex egit, id ſpectavit Trajanus: forte oblato patre a quo neglecta eſſe dicebatur pietas. quo enim conſilio, niſi illo, juſſit filium ab eo emancipari? Atque hoc extra ordinem licebat Principi, legibus ſoluto: Prætori his adſtricto non licebat jure ordinario. Sed ſingulare Principis Decretum illo in facto quid facit ad rem præſentem? in qua non quærimus, an Legis ſeveritas a Trajano ſimilitudine rationis circa jus vitæ & necis mutanda fuerit: ſed an hoc jus a Trajano patri illo exemplo ſit ademptum? de eo vero cum ne minimum quidem ſit in *d. l. ult.* ſignum; an dubitamus, manſiſſe merum atque immutilatum quod non eſt mutatum, etſi potuerit mutari, non repugnante ratione: ſicut ſuo tempore poſtea etiam mutatum fuit? Igitur ſi inveſtiganti mihi Trajani mentem Vir Ampliſſimus faciat gratiam pedibus eundi in ejus ſententiam; meam tenebo viam rectam & planam, etſi contrariam.

§. XXIII. (1) Proximus a Trajano foret tranſitus ad Hadrianum prærogativa ſucceſſionis: ſed permittes, inverſo imperii ordine, prius quæri ſententiam Antonini Pii: quia vel hunc Principem de abroganda patri nece liberorum, & eo puniendo, illis occiſis, cogitaſſe, nusquam eſt memoriæ proditum. Nec me confundit Bynkershoekius auctoritate Gaji *l.* 1. §. 1. & 2. *D. de his qui ſui vel alieni juris ſunt*: confirmantis, Antoninum Pium domino ademiſſe jus necandi ſervum ſub comminatione pœnæ Legis Corneliæ de ſicariis; ſi eum occiderit ſine juſta cauſa. Non eſt enim præſens controverſia de dominorum in ſervos, ſed de patris in liberos, poteſtate. in re autem facti an hæc valet conſequentia, Antoninus Pius fecit unum, ergo Antoninus Pius fecit alterum? apage. Si tamen vetuit, ſervum a domino occidi: quo argumento non noluit, a patre occidi filium? nam hic, ut improbiſſimus, & peſſime de patre meritus, eſt nihilominus filius, & (quod obſervatum a Seneca *lib.* 1. *De clementia c.* 14. & Cicerone *Pro S. Roſcio Amerino c.* 19.) patris opinione, ejus affectione ac pietate non indignus. ſervus contra, apud Juvenalem *Sat.* 6. *verſ.* 221. vix pro homine, & apud Paulum Jure Civili pro nullo habetur *l.* 32. *D. de regul. Jur.* (2) Sic colligit Dominus van Bynkershoek. qui potuit? profeſſus *Opuſc. c.* 3. *pag.* 348. in quæſtione facti teſtibus & exemplis extricanda, parum ſecuram eſſe a juſto, probabili, aut ſimili collectionem. nam ſi hoc vere opinatus, quod & ipſe puto: fuit ejus prudentiæ, abſtinere ab hujusmodi argumento non modo fallace, ſed tam ipſi, quam mihi, improbato: etſi alioquin ſervus Jure Civili pro nullo habeatur: filius non habeatur. (3) illud non abſurde putetur quod ſic pronior quidem fuit ſævitia domini in ſervum, quam patris in filium. ideoque debuit hoc jus potius aptari ad id quod frequenter & facile, quam quod perraro, eveniret *l.* 3. *& ſeqq. D. de Legibus*? ſed idcirco non neceſſario ſequatur, tam interdictam patri fuiſſe filii cædem, quam domino cædem ſervi. imo hoc magis inhibenda videatur domini ſævitia, quam patris: quod domino vilis eſſet ſervus: at patris pietas plerumque filio conſuleret? Atque huc, quamquam

§. XXIII. 1. *Cap.* IV. *Opuſc.* dixeram, temporibus Adriani, & ſecuti mox Antonini ipſam Dominorum in ſervos poteſtatem adeo fuiſſe imminutam, ut modica duntaxat caſtigatio ſuperfuerit, prohibita nece, & quæ modum excedebat, ſævitia. Nec credidi, ut nec crèdidit Gothofredus *dicto loco*, patribus ſub Adriano & Antonino, plus juris fuiſſe reliquum in liberos, in Cives Romanos, quam dominis in ſervos, in vilia capita. Verum a dominica ad patriam poteſtatem argumentum duci vetat Vir Clar. ut ut veriſſimum ſit, plus eſſe, filium occidere, quam ſervum, & ei, cui quod plus eſt, licet, facile licere, quod minus eſt. Sed audiamus.

2. Sic collegi, ut ais, verum minus tuto, ut exiſtimas, quia ipſe *Opuſc. C.* III. *p.* 348. profeſſus ſum, in quæſtionibus facti a juſto, probabili, aut ſimili, locum non eſſe. Id vero non dixi *d. p.* 348. nec uſpiam alibi, probe gnarus, in quæſtionibus facti teſtimonia & exempla rem quidem abſolvere, ſed ſi de eorum fide, ſi de aliis, quæ obmoveri poſſunt, ſermo incidat, a juſto, probabili & ſimili fortiſſima quoque eſſe argumenta. Hoc me docuit Quintilianus iis locis, quos jam occupavi ad §. II. *n.* 1. hoc JCti, veteres, novi, & hoc jure utimur, & ipſe uſus per XX. annos, quibus juri dicundo Senator interfui.

3. Ut evadat hoc a probabili argumentum Vir. Clar. & doceat, *prudentiæ fuiſſe*, ſi ab eo abſtinuiſſem, rationem dabit, cur patribus in liberos licuerit, quod non licuit dominis in ſervos. Ea ratio eſt, quod, quamvis truculentior liberorum, quam ſervorum cædes & expoſitio, rarior tamen fuerit, & quod Leges fere transmittant; quæ rarius accidunt. ideo autem rarior liberorum cædes & expoſitio, *quod plerumque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit*, ut ex *l.* 22. *§. ult. ff. ad L. Jul. de Adult.* ipſe notavi *Opuſc. C.* III. *p.* 348. & tu hic repetis, deſcriptis, pro more & ſolita animi oblectatione, integri §. verbis. De pietate paterna in liberos & alia complura ſunt Veterum loca, ſed his non obſtantibus, inter frequentiſſima utique delicta Romanis objectæ liberorum cædes & expoſitiones. Veterum Chriſtianorum nemo fere eſt, qui non in hunc locum communem excurrit, & frequentiam, & infamiam infanticidii Gentilibus exprobrat. De ſervis, quam de liberis, minor eſt querela, & minor querelæ ratio, illos enim vendere licuit, hos non licuit. Verna facile emptorem invenerit, filius, quia ad ſervitutem vendi nequit, non invenerit. Hinc promptior ad occidendum vel exponendum animus, in his nempe, quos urgebat res anguſta domi. Minus igitur vera videtur ratio, quam ex infrequentia delicti arceſſit Vir Clar. ſed minus quoque proba argumentatio ab infrequentia ad impunitatem delicti: nam quod, præëunte Theophraſto, JCti noſtri dixerunt Leges præterire, quæ accidunt ἐκ παραλόγου, *præter opinionem*, de fortuitis accipiendum eſt, non de rarioribus, non fortuitis. Niſi velimus Romanos eodem acumine prætermiſiſſe parentum in liberos ſcelera, quo Solon prætermiſit pœnam Parricidii, quod nempe ejusmodi facinus non exſpectaſſet, ut alicubi Cicero commemorat. Sed in Legibus ferendis plus ſapuerunt Romani, quam Solon, & omnes Græciæ Sapientes.

§. XXIV.

quam in alia ſpecie, non inutiliter trahatur forte ſequens Papiniani contemplatio *l.* 22. §. 4. *D. Ad Leg. Jul. de adult. Ideo patri, non marito, mulierem & omnem adulterum permiſſum eſt occidere, quod plerumque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit. cæterum mariti calor & impetus facile decernentis fuit refrænandus.*

§. XXIV. Tandem venio ad Hadrianum. (1) nam is reſtat, atque ab ejus Decreto, ex Marciano polito in *l.* 5. *D. de Lege Pompeja de parricidiis*, (2) adhuc ſubſidium ac forte præcipuum, ſibi parat Clariſſimus Bynkershoekius. Verba Marciani ſunt: *Divus Hadrianus fertur, cum in venatione filium ſuum quidam necaverat, qui novercam adulterabat, in inſulam eum deportaſſe: quod latronis magis, quam patris jure eum interfecit: nam patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere.* Inſigne eſſe Hadriani Decretum, inſignem quoque venire Marciani obſervationem, equidem non inficior. (3) Sed cur diſſimulem, quid utroque indigitetur, parum aſſequutum eſſe Bynkershoekium: in eoque aſſenſuros mihi fore omnes quibus otium erit, conſulere ſub Titulo Digeſtorum, *De his qui ſunt ſui vel alieni juris*, a me obſervata pridem ad intellectum cum *d. l.* 5. (4) tum cæterorum Ca-

§. XXIV. 1. Imo præter Adrianum reſtant alii Principes, reſtant alii JCti, quos tibi, vel potius Lipſio, oppoſui, ſed quos præteris, ut mox audies; fortuito, an conſulto, ex re ipſa velim Lector decernat.

2. Neſcio, cur præcipuum mihi ſubſidium eſſe putes in *l.* 5 *ff. de Lege Pomp. de Parric.* & cur etiam auctor Epiſtolæ, quæ mox ſequitur, de ea fere ſola tantum tuneat. In utramque ſententiam ex ea *l.* 5. diſputari poſſe, & diſputatum fuiſſe, ſatis indicavi *Cap. IV. p. m.* 351. *& ſeq.* An mihi, an tibi proſit *d. l.* 5. ab ejus pendet interpretatione: circa quam adeo dubius hæſit Jacobus Gothofredus, ut eo loco, quem retuli ad §. XXII *n.* 2. nunc pronunciet, ex ea conſtare, ſub Adriano *quadamtenus* ſtetiſſe jus illud patrium vitæ & necis, nunc rurſus, ei jam tunc adhibitum fuiſſe modum, nihil porro extricans. Verba Marciani a Viro Clar. exhibita vides. D. Adrianus patrem in inſulam deportavit, cum in venatione filium ſuum necaverat, qui novercam adulterabat. Quid ita, ſi jure patris potuiſſet occidere filium, etiam integrum vitæ ſceleriſque purum? non reſpondet Vir Clar. patri imputatum, quod adultum occiderit, non infantem, nondum ſuſceptum, agnitum, alique juſſum, nam nec ea ratio eſt, quam Marcianus dedit, nec, ut ſupra dixi, rationem habet ea ratio. Recte igitur hic eam præteris, ſed *Comment. ad Tit. ff. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.* exiſtimas, punitum deportatione patrem, quod filium occiderit *in venatione, per inſidias, quæſita ſolitudine in ſilvis, ut ſolent latrones.* Et quid dubitamus, cum hæc pœnæ ratio adferatur, *quod latronis magis, quam patris jure eum interfecit*, hoc eſt, *more latronis* potius, quam jure patris, ut Scholiaſtes Baſilicorum dudum hæc eſt interpretatus, & interpretatur Vir Clar. *dicto loco.* Habet ſane ea reſponſio ſpeciem elegantiæ ac veritatis, nec miror a quibusdam arreptam eſſe, cum in oculos incurrat. Sed re diligentius perpenſa, præfero Gloſſam, quæ hic ait, patrem deportari, *quia accuſare, non occidere debuit*, opportune adducta *l.* 2. *ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Jure mariti utique non recte occidit, per ea, quæ dixi *Opuſc. C. IV. p.* 352. quin nec jure patris, quod jam ea ætate decoxerat, & quia decoxerat, puto, patrem, qui filium nihilominus interfecit, *latronis magis, quam patris jure* fuiſſe uſum, quemadmodum & Dionyſius Gothofredus in *Notis* hæc verba explicat. Nec alia ſententia videtur uſus Janus a Coſta, qui ad §. 2. *Inſt. de Patr. poteſt.* eam ipſam *l.* 5. adducit, ut jus vitæ & necis patribus ademptum probet. Cur hanc explicationem tuæ præferam, duæ rationes me movent; altera, quod non animadvertam, ſi patribus, ætate Adriani, permiſeris liberorum cædes, quamobrem non etiam cædere permittas, ubicunque cædere magis commodum eſſet? cur non in venatione, æque ac domi? de plano æque ac conſcenſo tribunali? per inſidias æque, ac aperto Marte? cum lex Romuli, nec poſterior ætas, dum licuit cædere, in loco vel modo nihil quicquam diſtinxerint. Hanc rationem prolixius exſequutus ſum *Opuſc. C. IV. p.* 352. & ibi quoque alteram addidi, quod nempe Marcianus, præmiſſa hac ratione, *quod latronis magis, quam patris jure eum interfecit*, interpretationis loco annectat, *nam patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere.* Eſt hæc ratio rationis, quæ ſignificat, patrem, dum filium occidit, ideo latronem induiſſe, patrem exuiſſe, quia, ut tunc ferebat ætas, patria poteſtas abſolvebatur ſola *pietate*, non etiam, ut olim, *atrocitate*, ſi ſcilicet ita videretur patribus, jure ſuo utentibus.

3. Quis noſtrum rectius fuerit interpretatus *d. l.* 5. aliorum eſto judicium. Hoc ſatis mirari non poſſum, te Lectorem ſimpliciter remittere ad *Commentarium tuum*, & nihil reponere iis, quæ in *Opuſculo* obmovi. Igitur iterum legi illum *Commentarium*, ſciſcitans, an ibi nonnihil eorum occupaveris, ſed de ſecunda ratione altum ibi ſilentium; ad primam forte pertinet, quod ibi exſtat in hæc verba: *Quod non Magiſtratus patrem condemnavit ob hanc filii cædem, ſed Princeps; nempe non poterat Magiſtratus patrem, qui filium occiderat, condemnare aut lege Cornelia, aut lege Pompeja: quibus ob cædem filii, quatumvis atrocem, non tenebatur, ſuo uſus jure.* Agnoſcis igitur, etiam tunc patrem potuiſſe filium occidere, & *in venatione*, & ubi magis commodum eſſet, ſed ais Principem, immanitate facinoris motum, patri homicidii pœnam jure ſingulari irrogaſſe, idque decretum, quia perſonale eſt, non eſſe trahendum ad exemplum, & hanc obſervationem putas eſſe *non vulgatæ eruditionis.* An præter tuum ipſius, & Anonymi, cujus ad te literæ mox ſequuntur, aliorum plauſum mereatur hæc obſervatio, ego non auſim adfirmare. Rotunde loquamur. Pater & jure ſuo, & ob cauſam juſtiſſimam, filium occidit, & tamen Adrianus pœnæ, quæ Legis Corneliæ de Sicariis ordinaria fuit, patrem ſubjecit. Quid tu Princeps? cætera juſtus, hic injuſtiſſimus. Quid te movit, ut hominem, jure ſuo utentem, tam inclementer haberes? at *in venatione*, &, quod inde efficitur, *per inſidias* filium aggreſſus eſt. Audio, ſed quid ſi ita maluerit, quam in medio foro, vel ante tribunal Prætoris? & quid ſi ita maluerit, quam domi cum filio & uxore adulteris, dubio Marte, pugnare? quam pœnam meruit opportunitas loci & temporis? nullam, ſi me auctorem ſequaris. Potuit pater, ſi ita videretur, ambagibus uti, advocare propinquos, & cum his in conſilium ire, & potuit remotis arbitris, etiam de plano in filium animadvertere. Utriusque moris, ex vetuſtis Annalibus, exempla dedi *Opuſc. C.* III. Nos igitur ita habeamus, ob cædem filii, tunc illicitam, deportatum fuiſſe patrem, & Adrianum, niſi contrarium probetur, Decreto ſuo complexum eſſe Juriſprudentiam ſui temporis, plane ut de Trajano monui ad §. XXII. *n.* 3.

4. Subſiſtamus hic paulisper, & recenſeamus alias nonnullas auctoritates, quibus in rem meam uſus ſum *Opuſc. C.* IV. & de quibus, hoc Libello, altum ſiles, opinatus, ut hic apparet, quicquid ejus argumenti eſt, te abſolviſſe *Commentario* ad *Tit. ff. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.* Ut jus vitæ & necis ſub Alexandro Severo fuiſſe abrogatum oſtenderem, præëunte Jacobo Gothofredo, adhibui *l.* 3. *C. de Patr. poteſt.* quæ patri permittit ſolam filii caſtigationem, eumque, ſi acriori remedio opus ſit, Præſidi offerri jubet, dicturo tunc ſententiam, ex patris conſilio. Fateris in *Commentario*, ſe ita rem habere, ſed ais, id jus novum eſſe, *non ex generali Conſtitutione, ſed ex Reſcripto ad libellum Artemidori*, ita tamen, ut non neges, etiam Ulpianum & Paulum ea Juriſprudentia fuiſſe uſos, atque ita tranſiiſſe in Jus commune. De

Capitum, hiſtoriam hujus articuli in Digeſtis & Codice perficientium. (1) Virum Clariſſimum vidiſſe meum Commentarium, cenſeo: ſed locum qui adductus, potuiſſet lucem facere, prætermiſiſſe, miror: (2) magisque non animadvertiſſe quæ contra attulit, invicem ſe deſtruere mutua repugnantia. (3) Quare & negligere decreveram. ſed interceſſit Epiſtola Amici cujusdam Anonymi, apprime docti & ingenioſi, non opinanti data: qua momenta rationum Clariſſimi Senatoris ad *d. l. 5.* rite examinata, atque optimo jure refutata, me iſta deliberatione abſolverunt. Exemplum Epiſtolæ hoc eſt.

§. XXV. (4) Cepit me, Vir Clariſſime, impetus paucis ab hinc diebus, inquirere in quæſtionem difficilem ac nobilem (5) de tempore ablatæ patri poteſtatis necandæ prolis ſuæ. ad eam legi magna cum amœnitate a te ſcripta in *Commentario ad Tit. Pand. De his qui ſunt ſui vel alieni juris*: cum iisque contuli quæ nupero Opuſculo *De jure occidendi*, *vendendi*, *& exponendi liberos apud Romanos c.* IV. *pag.* 351. *& ſeq.* contra diſſeruit Vir Clariſſimus, Cornelius van Bynkershoek, Senator: ac cum aliquamdiu me detinuiſſent ab eo prodita ad *l. 5. D. de Lege Pompeja de parricidiis*: animadverti tuam quidem ſententiam illis non premi aut impelli: ſed aliquas ei offundi nubeculas, (6) etſi a contradictione non

Ulpiano ex *l. 2. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* & de Paulo ex *l.* 11. *ff. de Liber. & poſtum.* Utriusque locum explicui *Opuſc. C.* IV. *p.* 170-172. nec de eorum ſenſu quicquam videmur diſſentire. Unde in *Commentario* mox ſuperdicis: *occidere licebat ante Alexandri Reſcriptum, poſt non licebat.* Quod ſi ſit, cur igitur defendis, *Julio Paulo*, & §. III. *hujus Libelli*, liberorum cædem *licitam impunitamque* fuiſſe usque ad Principatum Valentiniani, Valentis & Gratiani? Videntur mihi hæc eſſe pugnantia, niſi excipias, infantes licuiſſe occidere, adultos non etiam. Sed hanc exceptionem ſupra rejeci, & porro rejiciam ad §. XXVI. De ea exceptione nihil quoque eſt in *Commentario*, verum ibi aliam habes. *Primus igitur*, inquis, *vetuit Alexander, filium a patre occidi inauditum, nec tamen, ſi contra factum ſit, certam poſuit pœnam, qua vellet patrem coërceri, quæ enim apparet in Reſcripto? nulla. Igitur eo conſtitutam patri eſſe ab Alexandro pœnam, non exiſtimo. Contra mihi perſuadeo, in eo eſſe exemplum Legis imperfectæ, ſolitæ quidem prohibere, ſed non punire. Filii autem cædem a patre admiſſam primum eſſe punitam a Conſtantino l. un. C. de His qui parent. vel liber. mihi verius videtur.* Si, quæ hic ſcribis, omnia agnoſcerem, utique ex his ſequeretur, liberorum cædem, ut ut impunitam, *illicitam* tamen fuiſſe ante Valentinianum, quod tu negaſti, *punitam* a Conſtantino, diu ante Valentinianum, quod & ipſum tu negaſti, *Julio Paulo.* Sed minus recte cenſes, leges imperfectas impune fuiſſe neglectas & eluſas. Ubi deëſt ſanctio, quæ pœnam definit, ſuccedit pœna extraordinaria & arbitraria, ut in Lege Cincia, quæ imperfecta fuit, obſervavit Brummerus *ad L. Cinciam C.* III. quis alioquin non ludibrio habeat legislatorem? miror, te hoc fugiſſe, cum de Lege imperfecta ex ipſo Brummero egeris *Commentario* ad *Tit. de LL.* Et hoc eſt, quod ſæpe monui, patres, liberorum interfectores, ante Conſtantinum pœna certa non fuiſſe coërcitos, ſed extraordinaria, prout patris atrocitas majorem minoremve meruiſſet. Si pater filium ſimpliciter affeciſſet male, contra officium pietatis, Trajanus coëgit emancipare & denegavit bonorum poſſeſſionem in *l. ult. ff. Si a Parent. quis manumiſſ. ſit.* Si filium necaſſet, Adrianus deportavit in *l. 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid.* Sed ut in jure, quod moribus debetur, non uno ſaltu pervenitur ad id, quod extremum eſt, tandem Conſtantinus in *d. l. un. C. de His qui Parent. vel* LIBEROS *occiderunt*, non primus pœnam decrevit adverſus patres, occidentes liberos, verum primus *pœnam parricidii*, ut ſcilicet more Majorum in eos animadverteretur, æque ac in alios parricidas.

Nihil præterea eſt in *Commentario tuo*; ſed quidni reſpondes ad alias auctoritates, quas attuli *Opuſc. C.* IV. ex *l. 13. §. ult. ff. de Re milit. l. 16. §. 2. ff. de Pœn.* & *l. 1. §. 2. ff. de Obſeq. Parent. & patron. præſt.*? nam & illæ argumentum præbent illicitæ, tunc temporis, liberorum carnificinæ. Forte, cum ederes *Commentarium*, te ea in re conſentientem habebam, ut conſtat ex iis, quæ modo retuli, ſed hac *Amica Reſponſione* iterum relaberis ad licentiam occidendi, in *Julio Paulo* propoſitam, ad usque Imperium Valentiniani. Igitur aut reſpondendum erat, aut mutanda ſententia. Ego nihil repeto.

1. Vidi utique *Commentarium* tuum, atque ideo Opuſculo, *de jure occidendi liberos*, rationibus, quibus uſus eras, ivi obviam, aliter Marcianum interpretatus in *d. l. 5. ff. de L. Pompej. de Parricid.* nominatim tui meminiſſe, ut confutarem, quid attinebat?

2. Ais, quæ contra attuli, *invicem ſe deſtruere mutua repugnantia.* Sed quæ ſint, & quamobrem pugnantia ſint, non exponis. Non oportet in objectionibus tanti ponderis vagari; cum ſimile quid tibi objicio, dicere non contentus, probationes addidi.

3. Neglexiſſet Vir Clar. interpretationem Marciani, quam ipſe dedi, & præter me tot alii dederunt, ſilentio puta, & contemptu dignam, ſed opportune interceſſit Epiſtola Viri cujusdam *apprime*, ut ait, *docti & ingenioſi*, qui eam in ſe operam recepit. Quod laudem laudibus tuis reponas, rationem habet, ſed an laudem mereatur auctor Epiſtolæ, non dixerim, nam latere voluit anonymus, vel potius, tu voluiſti, eum latere. Ipſa certe epiſtola laudem non meretur, nam in ea nihil eſt bonæ frugis, & nihil, quod ex *Commentario tuo* non ſit transſcriptum. Si liti noſtræ ſe offerre voluit, cur non totam litem ſuam fecit, & omnia argumenta excuſſit? ejus induſtriam nunc occupat ſola *l. 5. ff. de Lege Pomp. de parricid.* & ad eam illuſtrandam nihil novi, nihil ſolidi adfert, tua unice veſtigia premens. Hanc Epiſtolam eſſe fictam & a te ſuppoſitam, ut ut alii conjecerint, ego mihi nunquam perſuaſerim, nam hic illic Auctori quædam exciderunt, in quibus tecum non convenit. Poſſem & ipſe Epiſtolas proferre, ad me datas, quæ meam de jure occidendi & exponendi ſententiam probant, tuam improbant, allatis etiam rationibus, ſed quia ad me datæ non ſunt, ut publici juris facerem, & quia ſuffragia, quotquot dicunt, ponderanda, non numeranda ſunt, malui eas ſupprimere, quam ambitioſe in vulgus jactare.

§. XXV. 4. Verboſa & grandis Epiſtola; in cujus Auctorem nolim inquirere, nam dignus eſt, ut ſemper lateat. An quid ad eam notarem, diu dubius hæſi, adeo nihil præcipuum dixit, adeo nihil, quod, te refutato, non eo ipſo refutatum ſit. Accedit, quod de ſententia *d. l. 5.* circa quam tota verſatur Epiſtola, jam prolixe egerim ad præcedentem §. *n.* 2. eaque ſola refutandæ Epiſtolæ videantur poſſe ſufficere, ſed pauca tamen hic illic ſunt abſtergenda.

5. Recte ais, quæſtionem eſſe *de tempore ablatæ* PATRI *poteſtatis necandæ prolis ſuæ.* Ad patriam igitur poteſtatem refers jus necandæ prolis, ut revera referendum eſt, & matres hinc abeſſe jubes. Recte etiam necandæ *prolis* meminiſti. ſine ulla ætatis differentia. neque enim video te ſequi formulam de infantibus vel ſuſceptis vel non ſuſceptis, agnitis, alique juſſis, vel ullam te ullius formulæ habere rationem in hoc, quod cernimus, certamine. Quod in his a Clar. Noodtio diſſenſeris, & tantum veritati dederis, laudo te, ſed aliam laudem non habebis.

6. Multa hic verba perdis, quæ nihil quicquam ſignificant. Ambitioſus ſcilicet eſt prologus, in quo hic ais, me nubeculas offudiſſe, *a contradictione non li-*

non liberas, futuras tamen aliquibus, in his minus exercitatis, in legendo incommodas. itaque exiſtimavi, facturum me rem ſtudioſis talium non ingratam: (1) ſi tecum in præfectiarum communicarem ſimpliciſſimam Marciani mentem: prout hanc a te ipſo ex tuo *Commentario* didici: ratus, ejus demonſtrationem ad refellenda quæ ex adverſo confuſe ſunt diſputata a memorato Viro Ampliſſimo, ſummopere pertinere. Feci autem hoc eo lubentius, quia credidi, poſſe novæ Operum tuorum editioni quam parari, ex fama intellexi, (2) non inutiliter alicubi inſeri: ſi quidem libeat tibi in hac ætate tua jam grandi, reſpondere objectionibus Domini Bynkershoekii, & tanti mea videatur opera. nam ſi pro certo conficiatur, patri Principe Hadriano nondum ademptum fuiſſe jus necandi filii: deciſa quæſtio eſt, & confutata ſententia, cui firmandæ Vir Ampliſſimus ingens ſibi ex *d. l.* 5. pollicetur robur; cum ſit nullum. Conſtitui igitur, quod ex ea pro ſe produxit, examinare hic illic: ſperans, (3) ne invito quidem eo cui ſine dubio perinde, ut nobis eſt propoſitum, veri demonſtratione adjuvare rempublicam literariam bona fide. (4) Igitur Dominus van Bynkershoek *d. c.* IV. *p.* 351. probaturus quod propoſuit, jam ſub Hadriano & ante nullum patri fuiſſe jus necandi filii; ait, hoc ex eo intelligi, quod nihil punitur, præter vetitum illicitumque. ab Hadriano autem in *d. l.* 5. punitus fertur pater deportatione, quæ eſt ordinaria Legis Corneliæ de ſicariis pœna, eo quod in venatione necaverat filium qui novercam adulterabat. fuit igitur patri tempore Hadriani prohibitum illicitumque, filium ſuum interficere. Hoc ubi dixit Vir Ampliſſimus; ſubjungit, ſe mirari, eos qui liberorum cædem adhuc patri ſub Hadriano & deinceps indulgent, putare, vel id poſſe hoc obtineri argumento: quod ex contraria Marciani ſententia in *d. l.* 5. elicitur nimirum: quod Hadrianus dicitur patrem non hac ex cauſa puniviſſe, quod filium occidit; ſed quod in venatione, & ut mox ſequitur, latronis magis, quam patris jure interfecit. indeque videtur poſſe colligi, ei ſalvum futurum fuiſſe jus necandi filii; ſi non fuiſſet illi more latronis inſidiatus per occaſionem venationis. Atque hoc cum ait Vir Ampliſſimus, ego ei facile conſentio: & æque, eſſe id doctos eos viros veriſſime arbitratos. Cum vero contra pergit ſic dicere, *Sed aut ego fallor, aut omnes alii ſic Marcianum interpretantes falluntur*, hac parte illi conſentiendum nullo modo puto. (5) Litem dirimet caſus a Marciano *d. l.* 5. propoſitus. is caſus eſt: *In venatione filium ſuum quidam necaverat qui novercam adulterabat:* id eſt, qui ſolebat adulterare, niſi malis legere, nec inepte, *adulterarat.* Quid juris? Duo conſiderat Vir Ampliſſimus: prius eſt, an videri poſſit Pater uſus jure mariti ex Lege Julia? ſed fruſtra: nam Lex illa marito tantum permittit, adulterum domi ſuæ deprehenſum occidere; nec ibi quemlibet *l.* 22. §. 4. *D. Ad Leg. Jul. de adult.* ſed duntaxat viles, enumeratos *l.* 24. *D. d. t.* quod ad expediendam *d. l.* 5. nihil confert. Altera ejus conſideratio eſt, an pater filium recte occiderit jure patriæ poteſtatis? (6) Et hoc negat cauſa æque vana: quod jus patris, quoad poteſtatem occidendi filii tum decoxerat. (7) addit, non magis vere, eſſe ab hac factum, ut filii cædes in propoſito atrocitati tribueretur, & pro latrocinio reputaretur: idque liquere ex his *d. l.* 5. verbis: *Nam patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere.* (8) Sic Bynkershoekius, ſed utrum erret, an ludat, neſcio. primum, ubi apparet, ablatum patri ante Hadrianum fuiſſe jus necandi filii? quid ni igitur putemus, obtinuiſſe quod non oſtenditur mutatum? At nec Marcianus *d. l.* 5. patitur credi aliud. nam ſi filii cædes prohibita atque illicita erat ante Hadrianum; poteratne deinde ullo colore ambigi aut ab Hadriano aut a Marciano; utrum pater qui filium, ob adulteratam novercam, in venatione interfecerat, a pœna Legis Corneliæ eſſet liber jure patriæ poteſtatis? atqui erat nullum, quatenus ad cædem. Igitur amoveris unum, amoveris utrumque. (9) Sed quid hæremus? ubi tu,

liberas, & mox, *confuſe* me diſputaſſe. Si accuſare ſufficiat, quis erit innocens? exemplo Noodtii tui generalia quædam effundis, & eadem, qua ille, inclementia ſtyli uteris. Ego vero probationem deſidero, &, ſi vel nihil probes, ut nihil eorum probas, a me tamen non impetrabis, ut ſtylum acuam, & paria referam. Non eam forte tibi debeo reverentiam, quam venerando Seni, ſed dicteriis, nihil profuturus, nolim cuiquam hominum moleſtus eſſe.

1. Quid attinebat cum Clar. Noodtio communicare mentem Marciani, quam mox ais, te ex ipſo didiciſſe?

2. Dignum ſcilicet monumentum, quod ætatem ferat, & per ora virum volitet?

3. Facile patior, & benigne fero Diſſentientes, modo abſit acerbior animus & ſtylus.

4. Pergis ad rem ipſam, hoc eſt, ad Marciani *l.* 5. *ff. de L. Pompej. de parricid.* & putas Adrianum deportaſſe patrem, quod filium *in venatione* occiderit, ego puto ſimpliciter, quod *occiderit.* Utriusque rationes expendat Lector, meas dixi *Opuſc. C.* IV. *p.* 351. *& ſeq.* & ſupra ad §. XXIV. *n.* 2. tuas dixit Clar. Noodtius, & iis jam reſpondi *d. n.* 2.

5. Caſus non diremerit litem, ſed cauſa, quæ Adrianum movit, ut patrem deportaret, &, ſi hæc cauſa fuit *cædes filii*, non *locus cædis*, ut mihi videor recte diſputaſſe *d. n.* 2. optimo jure inde effeci, patribus ſub Adriano non licuiſſe filios ſuos cædere.

6. Negavi, ut recte ais, patrem jure ſuo occidiſſe filium, quia, quod ad poteſtatem occidendi, patria poteſtas eo ævo jam decoxerat, ſed hanc rationem tu *vanam*, nec probatam credis. Ego, miſſis nunc aliis, ex ipſa *l.* 5. id conſtare puto; an vere putem, ab ejus interpretatione pendet. Tu tuam ſequeris, ego meam, utri adſentiri æquius melius ſit, decernet Lector.

7. Qua ratione id addiderim, & quam vere, prolixe exſequutus ſum ad *d.* §. XXIV. *n.* 2.

8. Hic me ſerio aggrederis, & rogas, unde appareat, ante Adrianum patri ablatum fuiſſe jus necandi filii? ſi expreſſam legem deſideres, ut deſiderat Cl. Noodtius, ego non dabo, nec quisquam alius. Atque inde eſt, quod ſeveriorem illam in liberos animadverſionem moribus obſoleviſſe, ac ejus tanquam jam obſoletæ & illicitæ, ſub Trajano mentionem fieri obſervaverim. Sub Adriano, niſi me fallat mea interpretatio, ea mentio eſt in *d. l.* 5. Sed contra hæc inſurgis, & ais, *ſi filii cædes prohibita atque illicita erat ante Adrianum, poteratne deinde ullo colore ambigi aut ab Adriano aut a Marciano, utrum pater, qui filium, ob adulteratam novercam, in venatione interfecerat, a pœna Legis Corneliæ eſſet liber jure patriæ poteſtatis?* Neſcio, an capiam mentem tuam, ſed, ſi capiam, ubi deliberatio Principis de pœna? pater filium occidit quod cum ad Adrianum perveniſſet, hominem deportandum eſſe cenſuit, quia ſua ætate patria poteſtas abſolvebatur ſola pietate, non etiam, ut olim, atrocitate. Ambegiſſe Principem, ambegiſſe Marcianum, unde collegeris, non ſatis animadverto.

9. Jus vitæ & necis in liberos, ætate Papiniani, adhuc plenum & integrum fuiſſe, plurimi collegerunt ex Conſultatione Juris cujusdam ſtudioſi, & ad eam

tu, Vir Clariſſime, *d. loc.* ex *Collatione Legum Moſaicarum & Romanarum Tit.* IV. contra evidentiſſime demonſtraſti teſtimonio Papiniani cujus eſt etiam *l.* 10. & *l.* 22. *D. Ad Leg. Jul. de adulter.* vel eo florente, patri competiiſſe necem filiæ ex Lege Regia, ſive Romuli certo jure. Re vero ſic indubitata cum moribus, tum teſtimonio Papiniani ac Marciani, ipſe viderit Vir Ampliſſimus; [1] an decuerit eum captiunculis hujuſmodi inanibus conari nobis extorquere, punitum in *d. l.* 5. ab Hadriano eſſe patrem, ob filium a ſe privata auctoritate ſine judice occiſum: eaque ex cauſa eſſe eum in *d. l.* latroni comparatum, & cædem atrocitate æſtimatam: nec flagitio per venationem quid ſævitiæ eſſe ſuperadditum; etſi venationis in facti ſpecie meminerit Marcianus. Longe aliter ſe res habet: etenim filii cædes qua cædes, patri licita certo jure tum temporis, neque atrocitatem habuit, neque latrocinium fuit: ſed utrumque vitium ab occidendi modo accepit: videlicet propter inſidias filio a patre ſtructas prætextu venationis in ſilvis, ac quæſitam ibi more latronum ſolitudinem. Rem hanc, ut dignum Juriſconſulto, in facto annotavit Marcianus: nec eſt cauſa, cur aliter ſentiat Dominus van Bynkershoek. [2] Nam quid addam, quod in *d. l.* 5. Marcianus non minus obſervavit, ſingulare eſſe hoc Hadriani Decretum, ideoque non trahendum ad conſequentiam prohibiti ſublative generaliter juris necandi filii. Vidiſti tu quoque hoc *d. loco*, Vir Clariſſime, tam vere, quam ingenioſe: latere autem Bynkershoekio non debuit, non vulgare fuiſſe patris crimen Lege Cornelia illicitum prohibitumque: ſic enim res fuiſſet ordinariæ cognitionis Præſidis, verbi gratia, habentis Legis claræ ac certæ executionem. Nunc atrocitas nova atque inaudita, egrediebatur modum fini Legis convenientem: ita neceſſaria erat Principis majeſtas, libera & legibus ſoluta. [3] Nam pater, ſecundum Leges Romuli & Duodecim Tabularum, in filium habens jus necis, eum adulterii in novercam manifeſtum occidit: non de conſilio amicorum, non etiam impetu doloris in continenti: ſed diſſimulata ira atque injuria, peſſimo exemplo, inſtituta venatione, quaſi illa ſe filiumque oblectaturus, denique occaſione, tempore, loco, ad crudelitatem opportuno, in ſilvam ac ſolitudinem abductum, nec quid mali ſuſpicantem, interfecit in morem latronis. Hoc non erat pietatis quam Lex in patre præſumpſerat, cum ei daret jus necis: ſed erat atrocitatis, vel patri Lege naturæ interdictæ; ideoque etſi Legum ſubtilitate poterat impune admitti: debuit pro latrocinio pœna Legis Corneliæ puniri. A quo? a Principe. an a Magiſtratu quoque, Præſide, verbi gratia? non. Atqui erat cædes atrox & a patris pietate recedens. Sed pater Legibus Romuli & Duodecim Tabularum in filium habebat jus necis ſine fine & modo: iiſque Legibus adſtrictus erat Magiſtratus [4] Utinam hanc Marciani obſervationem duce te, Vir Clariſſime, ſecutus eſſet Dominus Senator! ignorare enim non debuit, intereſſe inter Magiſtratus & Principis cognitionem: alteram legibus ſervire; alteram ab illis liberam eſſe: ideoque patrem altera debuiſſe abſolvi; altera potuiſſe condemnari; Marcianum autem in *d. l.* 5. non fuiſſe de Præſide, ſed de Principe, locutum: quando ſic ait, Cum in venatione filium ſuum qui-

Papiniani reſponſione, quæ utraque eſt *Collat. LL. Moſaic. & Roman. Tit.* IV. *loc.* 8. Sic collegit Pithœus ad *d. loc.* ſic Giphanius *Comment.* ad *l. ult. C. de Patr. poteſt.* ſic Clar. Noodtius *Comment.* ad *Tit. ff. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.* & ſic etiamnum colligi jubet anonymus hujus Epiſtolæ ſcriptor. Quæ ejus loci ſit ſententia, ex profeſſo dixi *Opuſc. C.* III. *p.* 350. nec ea fugit Virum Clariſſimum in *Commentario.* Quo magis miror, eum cum cæteris, qui Papiniani mentem non ſatis adſecuti ſunt, potuiſſe eo loco abuti ad vindicandam, Papiniani ævo, licentiam occidendi. Scrupulum injecerat ſtudioſus ex *Lege Julia*, quæritans, cui bono illa patribus dediſſet jus occidendæ filiæ, quod tunc habebat ex Lege Regia? hunc ſcrupulum commodiſſime exemit Papinianus. Totus ſermo eſt de Lege Julia; & de tempore, quo hæc lata eſt, & oppido adhuc vigebat jus vitæ ac necis, omnis difficultas. Hæc ad Papiniani ætatem transferre nullius eſt prudentiæ, quemadmodum pluribus rationibus oſtendi *Opuſc. C.* V. *p.* 353. Has rationes Clar. Noodtium vidiſſe certum eſt, & plane pleneque eum coniciſſe, mihi argumento eſt, quod *Amica ſua reſponſione*, omnes auctoritates, quibus olim erat uſus, diligenter repetat, quin unum eundemque locum bis, ter, quater laudet, ſed quod ſollicite ſibi caveat ab hoc Papiniani loco; non, inquam, per oblivionem, quis enim hoc credat? ſed veritati cedens manifeſtæ. Noſter tamen anonymus, nihil horum ſubodoratus, iterum ad Papinianum provocat, nec vel tantillum reponit iis, quibus a Papiniani ætate amolior hoc præjudicium.

1. Vide, quam ſibi blandiatur Anonymus, & *captiunculas* appellet argumenta, quæ adhibui, & ſibi moleſta ſunt. Mox redit ad Marciani *l.* 5. & nihil fere dicit, quod non dictum ſit prius, & ad quæ nauſëem, ſi repetam.

2. Præeunte Clar. Noodtio, ſingulare putat eſſe hoc D. Adriani decretum, ſed & ea ratione defunctus ſum ad §. XXII. & XXIII. Quo tamen id probet Anonymus, ex penu propriæ, opinor, eruditionis continuo addit, apud Marcianum crimen non fuiſſe, filium occidere, *ſic enim*, inquit, *res fuiſſet ordinariæ cognitionis*, *Præſidis*, *verbi gratia*, *habentis legis claræ ac certæ executionem*, ſed ad Principem decurſum eſt, & is, qua Princeps & Legibus ſolutus, in patrem animadvertit. Ergone te latuit, Principes Romanos, etiam in cauſis ordinariæ cognitionis, ſexcenties fuiſſe aditos, & de his conſtituiſſe, decreviſſe, reſcripſiſſe, & quidem ſecundum Juris Regulas? an te latuit, Adrianum, de quo hic nobis ſermo eſt, quum judicaret, in conſilio habuiſſe JCtos? ita certe retulit Spartianus in ejus vita. An non legiſti *Sententias Adriani*, quas nobis Doſitheus reliquit, & ex iis didiciſti, quam ſæpe ille fuerit aditus a mulierculis, aliiſque privatis, in cauſis ordinariæ cognitionis, & quam ſæpe de his decreverit, ſecutus Juris Regulas? Sed ejuſmodi eſt hæc objectio, ut vix feriam reſponſionem mereatur; merito igitur ab ea abſtinuit Cl. Noodtius, contentus dixiſſe, Adrianum, ex privilegio, damnaſſe patrem.

3. Patrem ex Lege Romuli, transſcripta in XII. Tabulas, habuiſſe jus vitæ & necis in liberos, recte cenſes, & ita cenſent omnes, forte etiam Clar. Noodtius poſt editum *Commentarium*, nam, in *Julio Paulo* occupatus, aliter ſapuit, ut monui ad §. I. *n.* 1. & aliquoties in *Opuſculo.* Cætera, ad finem Epiſtolæ, ſunt verba & voces, de quibus, vel decies repetitis, facile eſt de plano ſtatuere, in conſilium adhibitis iis, quæ ad Marcianum interpretandum attuli ad §. XXIV. *n.* 2.

4. Cur alios Interpretes potius, quam Clar. Noodtium, ſecutus ſim, etiam ſupra expedivi. Et ſic Anonymum dimitto, monitum tamen, ne me in poſterum velit notare, atque ſi *contraria* ſcripſiſſem, & *confuſe* diſputaſſem, niſi exhibitis locis in rem præſentem veniat, & me errantem doceat. Id quoque exſpectaveram ab eo, qui tam acerbe præfatus eſt, ſtudio partium, ut vides, abreptus, ſed nihil eum præſtitiſſe miror magis, quam indignor.

quidam necaverat, qui novercam adulterabat: non fertur aliquis Magiſtratus, ſed fertur Divus Hadrianus in inſulam eum deportaſſe. quam ob rem? Marcianus putat: quod ut patria poteſtas complecteretur jus necis; hic pater filium magis latronis, quam patris jure interfecit: patria autem poteſtas, ut putabat Princeps, non ipſam Legem, ſed ejus finem ſecutus, in pietate debet, non atrocitate conſiſtere.

§. XXVI. (1) Hactenus Epiſtola Amici eruditi & digni cujus laudabili ſtudio Jurisprudentiam intra ſinceritatem retinendi, merito ejus nomine gratias agam maximas. (2) De cætero dicam, poſſe nos carere tam confuſa, quam prolixa Ampliſſimi Senatoris diſputatione de tempore ademptæ patri poteſtatis necandi liberos, tamquam hic otioſa: jure exponendi necandique infantes non trahente, ut putat, originem a patria poteſtate: ſed (quod a Philone Judæo, aliisque Veteribus Scriptoribus, interque eos etiam a Jurisconſultis noſtris, de opinionibus & doctrinis ſui temporis melius inſtructis, quam alter noſtrum; eſt obſervatum) inde: quod partus cohærens cum ventre matris, tantum planta haberetur: recens quoque natus, antequam eſſet a parentibus ſuſceptus, agnitus, alique juſſus, vel, ut Philo Judæus loquitur, antequam nutricis opera interveniſſet, populari opinione nondum homo eſſe intelligeretur.

§. XXVII. (3) Pari ratione potuit Vir Ampliſ-

§. XXVI. 1. Laudas iterum Anonymum, & gratias ei maximas agis, quod ope conſilio tibi adfuerit. *Habenda iis quoque gratia eſt*, inquit Quintilianus *L.* V. *Inſt.* C. 10. *per quos labor nobis detractus eſt.* Sed Anonymus laborem tuum auxit, nihil quicquam detraxit. Eges, fateor, auxilio, ſed an tali, & defenſoribus iſtis egeas, alii conſtituant.

2. Quia Anonymus patriæ poteſtatis meminerat in hoc argumento, ut ipſe ſæpe memini, palam illi contradicere non auſus, me, eandem tamen ob cauſam, rurſus oppugnas, & ais, inutilem eſſe diſputationem de Patria poteſtate, cum inde originem non trahat jus necandi & exponendi infantes. Diſputationem autem, quam ea de re habui, appellas *confuſam* & *prolixam*. Anonymus quoque orationem, minus diſtinctam, mihi objecit, ſed tuo exemplo, dicere contentus, nihil probavit. Sed prolixitatem quo jure objicis, cum nimiam brevitatem, & dictionem nimis Atticam audiam vulgo mihi objici? an ambagibus utor? an bis idem dico? an integros locos deſcribo? nemo dicet. Igitur nimis aſpere, & minus vere me laceſſis. Quod ad rem ipſam attinet, ut in *Julio Paulo*, ut ſupra aliquoties hac *amiciſſima Reſponſione*, ita & heic loci jus necandi & exponendi derivandum cenſes ex opinione Veterum, etiam JCtorum, quod partus, cum ventre cohærens, tantum planta habeatur, *imo recens quoque natus, antequam eſſet a parentibus ſuſceptus, agnitus, alique juſſus, vel, ut Philo loquitur, antequam nutricis opera interveniſſet, populari opinione nondum homo eſſe intelligatur.* Plus ſemel te provocavi in *Opuſculo*, ut in cauſa necis circa liberorum ætatem diſtinxiſſe veteres Auctores, noſtros, exteros, vel uno teſtimonio probares. Exploſi etiam *Cap.* VII. *p.* 359. ipſam diſtinctionis rationem, hoc eſt, popularem illum errorem, qui, quod ad infantes jam natos, veteres JCtos occupaſſet, cum nec Philoſophos quidem, nec ipſum Philonem occuparit. Nihil eorum refutaſti, & tamen *hoc Libello* iterum ingeminas illam formulam de liberis ſuſceptis, vel non ſuſceptis, agnitis, alique juſſis, formulam, cujus auctorem diligenter quæſivi, nec inveni, nec tu, opinor, laudare poteris. Quia autem identidem tibi formula illa excidit, non ex hac, ſed ex Patria poteſtate ſemper pependiſſe jus occidendi liberos, in tui gratiam iterum expoſui ſupra ad §. I. *n.* 1. & ad §. XXI. *n.* 1. Nunc quæro, an in formula tua, *ſuſcipere*, *agnoſcere*, *alique jubere*, habeas pro iisdem, quæ non differunt niſi nominis ſono, an pro diverſis? ſi pro iisdem, ut ego interpretor, & pater filium ſuſceperit, an bona fide exiſtimas, patrem non potuiſſe jure antiquo filium, jam ſuſceptum occidere? quia jam ſcilicet homo erat, ante non erat? ſed ita obſtat fides Annalium, quæ docet, perpetuo, & ſine ulla ætatis differentia exercitum fuiſſe jus vitæ & necis. In ſanguinolentos potiſſimum ſæviſſe patres, qui ob anguſtias rei familiaris liberis educandis non ſufficiebant, ideo credibile eſt, quia in his minor erat injuriæ ſenſus, *neſciunt* quippe *mortem*, *ſub cultro rident*, ut Tertullianus hæc extulit *Apolog.* C. VIII. Quia tamen lac maternum iis alendis ſufficiebat, antiquiſſimis temporibus vix ulla ejus cædis memoria, in adultiores potiſſimum patres ſævierunt ob crimen, quod animo ſuo conceperant. Et unde, niſi ex Patria poteſtate? quin & quod patri olim licuerit non ſuſcipere, non agnoſcere infantes, unde niſi ex Patria poteſtate? nam patris, non matris fuiſſe, liberos ſuſcipere & agnoſcere, nemo eſt, qui neſcit. Ut autem in necandis filiis ætatis non eſt habita differentia, ſic nec in vendendis ex jure antiquo, ut diſputavi *Opuſc.* C. VIII. *p.* 360. Jus vendendi quum moribus, non certa lege, exoleviſſet, perinde ut jus necandi, & quidem omni ævo JCtorum, quorum in Pandectis Fragmenta ſuperſunt, ut hæc probavi *C.* VI. tandem reſtituit Conſtantinus M. & primus omnium Principum ad *Sanguinolentos* reſtrinxit in *l.* 2. *C. de Patrib. qui fil. ſuos diſtraxer.* Prima ibi mentio *ſanguinolentorum*, in venditione, puta, alibi fruſtra quæres. De expoſitione cum agitur apud Veteres, de infantibus ubique fere ſermo eſt; quum expoſitio tantum non cadat niſi in infantes, nam adultiores expoſiti mox ad ſuos recurrerent. Sed quamdiu ſtetit jus necandi, per me nihil vetat, quominus ſteterit jus exponendi, etiam in *ſuſceptis*, *agnitis*, *alique cœptis*, modo ætas expoſitionem caperet, ut in anniculis, & anno minoribus. Ut id dicamus, exigit ratio Patriæ poteſtatis, a qua utrumque jus manavit, & nemo quoque unus eſt apud Veteres, qui expoſitionem reſtrinxit ad infantes, qui nondum eſſent ſuſcepti & agniti, atque adeo, qui, ſecundum te, nondum eſſent homines.

§. XXVII. 3. Ex duobus SCtis, ad quæ exſtant Commentaria veterum JCtorum, effeci *Opuſc. C.* VII. non licuiſſe ea ætate in liberos animadvertere usque ad necem vel expoſitionem. Alterum SCtum jubet patrem, conſtante matrimonio, partum agnoſcere & alere, alterum, poſt divortium, modo mulier ea obſervet, quæ utroque SCto præſcribuntur. Vir Clariſſimus *Julii Pauli C.* III. hæc ait pertinere ad Judicia Civilia, *in quibus*, ut *C.* IV. ſuperdicit, *non id negotium Veteribus fuit, ut expoſito partu vigor publicæ diſciplinæ vindicaretur, ſed ut privatæ partus utilitati neceſſitate educationis conſuleretur. Ita, ſi nihilominus parenti videretur exponere vel necare infantem ſanguinolentum* (inaudita vox ante Conſtantinum M.) *adhuc nulla apparet pœna, qua tam notabile ſæculi vitium emendaretur.* Ad hæc reſpondi *d. C.* VII. me fatis intelligere, plurimum intereſſe inter remedia Prætoria, de quibus ibi ſermo eſt, & vindictam publicæ diſciplinæ, *ſed ita pergo*, *p.* 358. *ſcire velim, ecur patri educationis neceſſitas fuerit impoſita, ſi ipſi partum necare vel exponere fuiſſet liberum. Si, inquam, ita juris fuiſſet, ſcire velim, quamobrem pater, ad denunciationem mulieris, non potuiſſet reſpondere, paratum ſe eſſe vel necare partum vel exponere. Quo facto conſtaret, omnem ſollicitudinem de alimentis, de prægnante muliere, de cuſtodibus, & quæ porro ejus argumenti ſunt, eſſe oppido ſupervacaneam.* Exhibui utriusque noſtrum ipſa verba, ut decernat lector, qua fide hic dixerit Vir. Clar. me judicia civilia confundere cum criminalibus, & ſimul apparet, quam nihil hic ſit repoſitum iis, quæ ibi movebam. Nec quicquam reponi poterat ex formula tua tra-

pliſſimus *Opuſc. c.* VII. parcere operæ ſupervacuæ: judicia civilia, Jure Pandectarum uſitata, confundenti cum criminalibus, illo jure adhuc incognitis: (1) item liberos jam ſuſceptos cum nondum agnitis. quæ ego *Julio Paulo c.* 3. *&* 4. ut oportet, ſedulo diſtinguenda eſſe, indicavi. (2) Inſuper dubito, an Suetonius *Claudio c.* 27. notet, velut rem ſingularis exempli: quod Imperator Claudius conceptam ex liberto ſuo Botere Claudiam, quamvis ante quintum menſem divortii natam, alique cœptam, exponi tamen ad matris januam & nudam juſſit abjici. Sed hæc ego nunc attingo obiter ſaltem & quaſi in transitu: (3) excuſatura me hac admonitione a neceſſitate reſpondendi argumentis ex iſta confuſione arceſſitis, & ad rem nihil pertinentibus. Sit mihi integrum ſic proclamare; tum arbitrari, quidquid ſuſpicionum, aut conſequentiarum, Ampliſſimus Senator ab hoc ducit fonte, quantumvis de his ſperet plurimum, fruſtra ſperare: nam tam facile hinc negari, quam inde affirmari: proinde ſubducta utriusque ratione, nihil eſſe allatum toto ejus *Opuſculo*, cur minus exiſtimetur a me aut alio, patri ac matri, more aliarum Gentium, in Republica Romana fuiſſe conceſſum, donec a Valentiniano, Valente, & Gratiano *d. l.* 8. *& d. l.* 2. prohiberentur, liberos recens natos & nondum ſuſceptos, agnitos, alique juſſos, ſuo arbitrio aut necare aut exponere: hoc colore, quod hi nondum pro hominibus, nedum pro liberis, haberentur. (4) At hoc credi, inquit Dominus van Bynkershoek, non eſſe ex dignitate Populi Romani. Tanquam non idem dici poſſit de Græcis aliisque Gentibus, eo jure manifeſte abuſis. Sed Populorum leges ac mores non ubique, nec ſemper reguntur eo quod ſit honeſtum ac pium. non etiam eſt omnium locorum & omnium temporum idem judicium de utili & noxio, de æquo & iniquo, deque honeſto & turpi. Extat hujusmodi obſervatio elegans apud Herodotum *lib.* 3. *pag.* 77. *& ſeq. editionis Henrici Stephani anni* 1570. itemque alia apud Cornelium Nepotem in *Præfatione*. Sed ne recedam a propoſita materia, ero contentus Ariſtotele: qui *lib.* 7. *D. republica c.* 16. quæ hic nobis videntur, ut ſunt, plena flagitii & impietatis, in ordinanda civitate indifferentia exiſtimat: eademque in Græcis civitatibus, non minus politis & cultis, quam fuit Populus Romanus, pro permiſſis licitisque fuiſſe atteſtatur, præter Plutarchum & Ælianum, *Julio Paulo c.* 1. a me ante hac allegatos. (5) Romæ porro quæ & quanta fuere tolerata, neque a turpitudine, neque ab abſurditate aut crudelitate aliena! & præſentem licentiam impiam atque inhumanam obtinuiſſe, an quærimus? Sed hanc adeo certam in Foro Romano fuiſſe, oſtendi *c.* 11. *d. Operis*, ut contrariam apud Judæos, Germanos, Indos, ſervari, quidquid dicat Ampliſſimus Bynkershoekius, (6) Tacito, Curtioque, res nova & Romanis in Hiſtoria notatu digna videretur. Taceo, quod eodem modo etiam Philo Judæus obſervat *lib. De ſpecialibus legibus*, infantum expoſitionem apud Judæos Legibus Moſaicis prohiberi puniriquc ſolitam, apud multas Gentes, propter nativam inhumanitatem, vulgarem eſſe impietatem: id eſt, ut ego interpretor, impietatem moribus aut legibus receptam atque impunitam.

§. XXVIII. (7) Quo, inquis, pertinet hæc præparatio? nimirum, ut occupem ſolvamque ſequentem proteſtationem Domini van Bynkershoek: in *Præfatione Opuſculi ad Lectorem* dicentis inter alia, *Solem nunquam adſpexiſſe quid humanius benigniusque Veteribus Juriſconſultis:* Et *amoliendam ab illis eſſe fœdiſſimam maculam qua afficiantur:* opinantibus, *damnaſſe quidem ea facinora, utpote contraria officiis boni viri, at non contraria legibus.* Præterea, *Quod apud ipſos legit, eſſe ad Juriſprudentiam referendum: non ad doctrinam de moribus & virtutibus.* Et rurſus *c.* X. *pag.* 366. *Abſit enim, ut in animum meum inducam, hæc ſcelera ſine pœna dimiſiſſe ſeveritatem Veterum JCtorum: quin ſatis, opinor, contra probatum eſt.* Hæc fere pro Veteribus Juriſconſultis Ampliſſimus Senator (8). Sed parum

tralatitia, cum agatur de uxore prægnante, de partu, qui in utero eſt, & quem editum pater debebat agnoſcere & alere, cogendus alioquin mulctæ dictione & pignorum captione. Reliqua dixi *d. C.* VII. nec hic repeto.

1. Jam me tædet ejus formulæ, decies repetitæ, at nuſpiam probatæ.

2. Recte dubitas, nam nihil eſt ſingulare in hoc exemplo, nec, ut ſingulare, quicquam notavit Tranquillus. Quin ſi magis obtinuiſſet, ut & ipſe facile crediderim, liberos recens natos exponere, quam eos, qui jam patribus adblanditi ſunt, quid inde in rem tuam? quid patribus licuerit, jure ſuo utentibus, de eo eſt, quod diſputamus, nec de eo quicquam eſt in Suetonio.

3. Si ſolo ſilentio te exiſtimes poſſe defungi, a me non impetrabis, ut te porro urgeam, & occurram his verborum ambagibus, quæ ad *Verſic. At hoc credi*, controverſiæ ſtatum repetunt.

4. Recenſes hic Gentes, quæ, præter Romanam, jure necandi & exponendi ſunt uſæ vel abuſæ, præfatus, populorum leges ac mores non ſemper regi eo, quod ſit honeſtum ac pium. De hac præfatione dixi ad §. II. *n.* 1. & ſimul de loco Ariſtotelis *L.* VII. *de Republ.* C. 16. quem conſtat te non ſatis inſpexiſſe. Quod attinet ad exempla Gentium, ſi Solorzanum *de Parricidio* legiſſes, quem video te non legiſſe, longe plura ex eo nobis tradidiſſes, nunc ea tradis tantum, quæ tibi ſuppeditarunt Lipſius & Jacobus Gothofredus.

5. Poſt Principatum Trajani fuerint quædam licita, at non usquequaque honeſta, ſed etiam crudelia & ſæva fuiſſe, unde liquet? Nec major crudelitas facile fingi poteſt quam patrum, ſine cauſa in viſcera ſua ſævientium.

6. De Taciti & Curtii locis occupavi dicere ad §. XIV. *n.* 9.

§. XXVIII. 7. Nunc audies, cur exempla aliarum Gentium allata ſint, ne ſcilicet in ſolis Romanis hanc impietatem damnemus. Sed ut ut aliæ Gentes, non ſecus quam Romani, cædes & expoſitiones liberorum olim frequentaverint, pro rigore veteris ævi, & ex pleniſſima dominii interpretatione, inde non effeceris, hanc libertatem etiam perduraſſe eo tempore, quo, depoſita feritate, ad pietatis & manſuetudinis ſtudia & officia perventum eſt. Apud alias quoque Gentes illa ſeveritas remiſit, remiſit & apud Romanos, ex eo, ni fallor, tempore, quo hominis dignitas magis eſt habita ſuo pretio & a Principibus, & a JCtis. Poſt Trajanum id pellucet cum in liberis hominibus, tum in ſervis. Patribus olim licuit liberos vendere, ex Lege Regia & Decemvirali Has aperte abrogatas eſſe nuſpiam conſtat, & tamen ævo Juliani, Antonini, Pauli, Diocletiani liberos non licuiſſe vendere, nec pignori dare, evincunt loca, quæ attuli *Opuſc. C.* VI. & tamen minus eſt vendere quam necare. Etiam ſervorum cædes prohibitæ, & tamen ſervus ſilio minor eſt. Hanc cultiorem Romani Juris prudentiam laudavi, & extuli veteres JCtos, qui eam profeſſi ſunt. Verba, quibus uſus ſum, adſcribit Vir Clariſſimus.

8. Vide, quam indignetur Vir, cætera humaniſſimus,

rum digne erudito nomine. quid enim continent, præter verba ſonantia, at nihil ſignificantia? Nil dico temere, nec ſine ratione: quæſo enim, quos in propoſito intelligit Juriſconſultos Veteres, fœdiſſima iſta macula qua mea diſputatione afficiantur, liberandos per cauſam humanitatis benignitatisque eorum? utrum eos qui ante Trajanum fuere: an qui inde inſecuti ſunt? atqui illis florentibus jure permiſſam impunitamque fuiſſe infantum expoſitionem necemque, ipſe palam confitetur Vir Ampliſſimus. hi vero ſi ita diſputarunt, ut eos diſputaſſe ante dixi, & mox iterum dicam: quæ eos deformat macula? imo quæ non ornat gloria ſervati officii & pietatis? igitur demus, peſſimos fuiſſe Populi Romani mores: ut fuerunt deteſtabiles hac in parte: quid hoc ad Juriſconſultos? qui eos non finxerunt, non laudarunt, at nec habuerunt jus, eos pro arbitrio vetare, aut punire, id eſt, mutare nova Lege: (1) quippe cum non eſſent Legumlatores, ſed Legum Interpretes, & privati; etſi eorum ſcripta poſtea juris & legis auctoritatem acceperint a Theodoſio *l. unic. Cod. Theod. de reſponſ. Prudent.* & a Juſtiniano *l.* 1. *De conceptione Digeſtorum* & *l.* 2. *De confirmatione Digeſtorum.* nam ante non fuit ita; & de ſuo tempore (2) Conſtantinus *l.* 1. *C. de legibus*, *Inter æquitatem jusque interpoſitam interpretationem*, inquit, *nobis ſolis & oportet & licet inſpicere.* Non patitur hoc refutationem; cum incurrat in oculos omnium: & quod contra dictum ab Ampliſſimo Viro, (3) ſine dubio aliud cogitanti excidit. utcumque erit, a ſincero Juriſprudentiæ tam longe abeſt, quam quod longiſſime. (4) Verius ego duplex feci munus Veterum Juriſconſultorum, bonos & innocentes viros ubique profitentium. unum fuit docere, quid liceret legibus moribusque Populi Romani: alterum, quid eſſet pium atque honeſtum. prius juris regulam appellari, poſterius juris præceptum,

mus, ſed hic, opinor, irritatus, *Parum*, inquit, *digne erudito nomine*, *quid enim continent* (hæc Veterum JCtorum elogia) *quam verba ſonantia*, *at nihil ſignificantia.* Tantæne animis cœleſtibus iræ? mox interrogat, quos JCtos intelligam, ante, an poſt Trajanum? de illis me nihil ſiniſtri opinari poſſe, cum jus vitæ ac necis, vel me confitente, eo ævo ſteterit integrum illibatumque, de his quoque nihil ſiniſtri eſſe opinandum, ut ut retulerint & expoſuerint Jus necandi & exponendi, cum, te auctore, ſequuti ſint Juriſprudentiam ſui temporis, ut decebat Legum interpretes, non latores. De JCtis, qui ante Trajanum vixere, apparet, me non eſſe loquutum, cum ex his nihil adferam, nec adferre poſſim, quod juri antiquo obſtet. De his, qui poſtea vixere, & quorum catalogus in Pandectis longe major eſt, ſermonem meum exaudiri velim. Atque hi non niſi humanitatem ſpirant ac pietatem, liberorum erga parentes, parentum erga liberos, & unde, niſi ex jure, quod tunc obtinebat? hi in conſilio Principum adhibiti, Legum & Conſtitutionum erant ſuaſores, ut ex Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus paſſim apparet, hi etiam leges & mores interpretabantur, & eorum auctoritas, in foro recepta, legis inſtar erat. Id jus, quod in ſola Prudentium interpretatione conſiſtebat, proprie vocabatur *Jus Civile*, & juris non ſcripti particula erat *l.* 2. §. 5. 6. & 12. *ff. de O. J.* Etiam veteres JCti κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν ἐνομοθέτουν, *per conſultationem & reſponſionem jus conſtituebant*, ut Theophilus explicat ad §. 8. *Inſt. de Jure N. G. & C.* quo ſenſu & Seneca de ſua ætate dixit *Epiſt.* 94. *JCtorum reſponſa valere*, *etiamſi ratio non redditur.* Et his omnibus de cauſis *veteres Juris Conditores* audiunt in *l.* 23. *C. de Procurator.* diu ante *l. un. C. Theodoſ. de Reſponſ. Prudent.* quo plena legis auctoritas omnibus fere Veterum JCtorum ſcriptis tributa eſt. Ceterum quum & olim in jure conſtituendo & interpretando eas, quas dixi, partes habuerint, quid vetat, quominus Principibus, cum res inciderit, auctores fuerint puniendæ liberorum cædis, ut punivit Adrianus in *l.* 5. *ff. de L. Pompej. de Parricid.* quid vetat, quominus moribus quoque interpretandis occupati, reſponderint, exoleviſſe ſeverius illud jus patriæ poteſtatis? Ab eorum pietate & manſuetudine nihil aliud exſpectari poterat, & hoc eſt, quod dixi eo argumento, quod eſt *a probabili*, & cui omnino locum eſſe in quæſtionibus facti, ſupra oſtendi ad §. II. *n.* 2. quid ſævum, quid truculentum ſupereſt in eorum Commentariis? nihil quicquam. Neque tamen inficior, ſi Lex Regia & Decemviralis poſt Adrianum perduraſſet, & de eo conſtaret, eos non fuiſſe ullo nomine accuſandos, ſi de jure conſulti, ſecundum hanc reſpondiſſent, nec erat opus, ut id tam prolixe doceres. Una quæſtio eſt, quid ſcripſerint, quid reſponderint, cum de jure necandi & exponendi ſermo eſt. Ego excuſſis eorum reliquiis alia utor ſententia, quam tu uteris, & qui in rem præſentem venient, ſuffragia dabunt. Interea nolim te veteres JCtos habere pro ſolis Interpretibus, quorum nulla fuiſſet auctoritas, & in hanc rem abuti *d. l. un. C. Theod. de Reſponſ. Prudent.*

1. His jam ſatisfeci, &, ſi minus tibi ſatisfaciant, adi Jacobum Gothofredum ad *d. l. un. C. Theod.* & pleroſque Interpretes ad *d.* §. 8. *Inſt. de Jure N. G. & C.* & ex iis diſces, etiam in jure conſtituendo olim plurimum valuiſſe veteres JCtos. Novam, fateor, auctoritatem iis addidit Theodoſius in *d. l. un.* ſed hoc veterem non minuit.

2. Satis noviſti, *l.* 1. *C. de LL.* intelligendam eſſe de jure certo, quod æquitatis prætextu nemo tollit, niſi ſolus Princeps. Nos autem quærimus de jure, quod obtinuerit vel legibus vel moribus. Perperam igitur huc advocas *d. l.* 1. quia ſupponis, quod in quæſtione eſt, ut ſæpe alias.

3. Ignoſcat mihi Gravitas tua, non aliud cogitanti, ſed pleno conſilio mihi excidit, quod dixi de pietate & auctoritate veterum JCtorum. Videris velle, me immemorem fuiſſe *d. l. un. C. Theod. de Reſponſ. Prudent.* Atqui ipſe nonnulla ad ejus interpretationem attuli *Libro Singulari ad L.* 40. *ff. de Reb. cred. Cap.* II. nec quisquam eſt JCtus, qui eam ignoret. Nunc me habes pro homine erudito, nunc iterum pro fungo & ſtipite.

4. Viam hic ſternis ad interpretationem Julii Pauli in *l.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. lib.* & duplex facis veterum JCtorum officium, quorum alterum ſit docere, quid licitum, alterum, quid pium atque honeſtum ſit. Illud refers ad *regulas juris*, hoc ad *præcepta juris*; nova diſtinctione; cujus te primum auctorem eſſe veriſſime hic affirmas. Sed nolim, quisquam tibi invideat hujus inventiunculæ gloriam, nam toto *Cap.* X. *Julii Pauli*, nihil attuliſti, quo *præcepta juris* a *regulis juris*, vel re, vel nomine diſtincta probares. Scio præcepta morum alia ſæpe eſſe, & latius patere, quam præcepta legum; & hoc, nec aliud, Seneca docuit iis locis, quos ibi indicaſti, ſed tantum abeſt, ut *præcepta juris* quicquam differant a regulis vel *decretis juris*, ut varia promiſcuæ ſignificationis exempla, apud Auctores noſtros, tibi veritas extorſerit. Sed quid de verbis diſputamus? res ipſa non magis vera eſt, JCtos nempe duplici munere fuiſſe functos, quorum alterum liciti & illiciti, alterum pii & honeſti regulas tractaverit. Hoc Philoſophorum eſt, & ſemper fuit, illud autem JCtorum, ita tamen, ut ſæpe apud eos pii & honeſti mentio incidat, & ex eo Leges commendent, vel, quod fit rariſſime, etiam ſupra leges laudent prudentiam, & alia Viri boni officia. Inde JCtos non magis licet dicere Philoſophos, quam Grammaticos, quia de verborum ſignificatione, quam Medicos, quia de rebus medicis nonnunquam agunt. Eorum munus in his, & ſimilibus, verſari nemo, quod ſciam, dixit unquam.

ptum, primus, opinor, demonſtravi *Julio Paulo c.* X. *&* XI. (1) Credibile autem eſt, utrumque a Paulo fuiſſe obſervatum in *l.* 4. *D. de agnoſc. & alend. liber.* etiam fore appariturum, ſi locum haberemus integrum: cujus ſola nunc pars reliqua eſt. Sed hoc animadverti olim *c.* VIII. *d. Operis*: appoſito pro majore fulcimine loco conſimili ex (2) Lactantii *lib.* 6. *Divin. inſtit. c.* 20. item alio ex *Apologia ſecunda* Juſtini Martyris. In præſentia quoque non recedam a vicinia veri: opinatus, Juſtinianum quod a Paulo pro regula erat traditum, in *d. l.* 4. idcirco non deſcripſiſſe: quia a Valentiniano, Valente, & Gratiano, vetitum in *l.* 8. *C. Ad Leg. Cornel. de ſicar. & l.* 2. *C. de infantib. expoſit.* jam tum pro jure obſervari deſierat.

§. XXIX. (3) At Viro Ampliſſimo *c.* VII. *Opuſc.* non ſit veriſimile, Paulo in *libris Sententiarum* ex quibus eſt *d. l.* 4. fuiſſe propoſitum, perſuadere Philoſophiam moralem, ſive boni viri officia quæ impune licuiſſet contemnere. Quaſi dixerim, Paulum in *libris Sententiarum* voluiſſe, unam tradere moralem Philoſophiam, & quod in Foro pro regula Juris obſervaretur, in totum neglexiſſe. Non ita eſt: numquam hoc cogitavi; & contrarium oſtendit meus Julius Paulus. Igitur nec me conturbat Clariſſimus Senator, porro profeſſus, Se potius cenſere, ita habendum, Paulum eo Opere quod *Sententias* inſcripſit, vel maxime Juris Regulas, & recepta Jure Civili dogmata comprehendiſſe; nec alio fine tradidiſſe, quam ut filium ad quem eum librum ſcripſit, edoceret principia & fundamenta Juris. (4) Nam ut hoc concedam: quid tum poſtea? num Paulus, ſi unum fecit in gratiam Filii, idcirco alterum omiſit? hoc putari, nulla jubet ratio. nam in libris quoque *ad Edictum* Juris fundamenta expoſuit; ſed non eo minus ex his præcipit *l.* 144. *D. de regulis juris, Non omne quod licet, honeſtum eſſe.* Idem factum in libris *Sententiarum*: quid ni enim pater filium in re notabili vel hic optimo conſilio implere velit tam juris præceptis, quam juris regulis? Sed exemplum petis. accipe pulcherrimum, atque ex *libris Sententiarum*, quod opportune mihi ſuggeſſit *Collatio Legum Moſaïcarum & Romanarum Tit.* VII. Verba: *Paulus libro Sententiarum* V. *ad Legem Corneliam de ſicariis & veneficis. Si quis furem nocturnum vel diurnum, cum ſe telo defenderet, occiderit, hac quidem Lege non tenetur: ſed melius fecerit, qui eum comprehenſum, transmittendum Magiſtratibus obtulerit.* Explicationem loci ne exſpecta. jam dedi pleniorem olim *lib.* 1. *Probabilium c.* 9. *& lib. ſing. Ad Legem Aquiliam c.* 5. ubi poteſt videri. (5) Verum ſi hanc Operis ejus particulam, ſi alias alio-

1. Non eſt locus, qui magis probet, liberorum necem & expoſitionem, etiam Pauli noſtri ævo, fuiſſe illicitam, quam *l.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. lib.* utque alii ea in hanc rem uſi ſunt, ſic ipſe *Opuſc. C.* VII. *p.* 358. *& ſeq.* & palam ibi Paulus: *necare videri, non tantum, qui partum perfocat, ſed & qui abjicit, qui alimonia negat, & qui publicis locis exponit.* Verba expoſui *d. C.* VII. & ſimul oſtendi, a prohibita partus nece Paulum efficere, etiam alia omnia, quæ recenſet, eſſe prohibita. Sed id per Virum Clariſſimum dicere non licet, nam integrum librum ſcripſit, ut perſuaderet, Paulum non reſpexiſſe ad *juris regulas, quæ foro ſerviunt, ſed ad juris præcepta, quæ ſpectant ad officium viri boni & ſancti.* Si quæras, unde ea interpretatio? non aliam rationem habebis, quam quod Pauli ævo licitæ fuerint partuum cædes & expoſitiones. Addit hic Vir Clar. ſi integer Pauli locus exſtaret, *fore appariturum*, regulam juris, quam Tribonianus omiſit, primo fuiſſe traditam, & deinde additum præceptum juris, quod nunc ſolum ſupereſt in *d. l.* 4. Regula ſcilicet permiſiſſet infantum cædem, quam præceptum prohibuiſſet. Si liceat talia fingere, ſine ulla plane auctoritate, mox etiam licebit ita Paulum interpretari, ſed amoto figmento, id non licere, variis rationibus evici *d. C.* VII. *p.* 359. at de his rationibus mox plenius erit agendum.

2. De his Lactantii & Juſtini Martyris locis jam dixi ad §. XII. *n.* 7. *& ſeqq.* & ad §. VI. *n.* 4.

§. XXIX. 3. Ut probarem, Paulum in *d. l.* 4. tradidiſſe Jurisprudentiam ſui temporis, ut hactenus crediderunt omnes, obſervavi, eſſe *d. l.* 4. ex *Libris Sententiarum*, & Paulum eo Opere non explicuiſſe Philoſophiam moralem, ſed regulas Juris, & recepta Jurisprudentiæ dogmata. At, inquis, non dixi, Paulum iis Libris UNAM *tradere moralem Philoſophiam*, ſed nec hoc objeci. Tu ſententiam Pauli, quæ hic occurrit, ad Doctrinam de moribus refers, ego ad Jurisprudentiam, quia Paulus filium, ad quem ſcribebat, conſtituerat docere Jus non Philoſophiam moralem. Non alia mihi mens, non alia verba.

4. Virum Clar. ea objectio non turbat, quia, ut hic audis, nihil vetat, quominus Paulus, *Sententiarum* Opere, regulis Juris miſcuerit præcepta moralia, & filium docuerit, anguſtam innocentiam eſſe, ad legem bonum eſſe. Et, ne dubites, addit Vir Clar. eidem Paulo, *Commentariis ad Edictum*, ubi Jurisprudentiæ capita explicabantur, excidiſſe, *non omne quod licet, honeſtum eſſe*, ut habet *l.* 144. *pr. ff. de R. J.* Quin iisdem *Sententiarum Libris* ipſum illum Paulum rotunde dixiſſe: *Si quis furem nocturnum vel diurnum, cum telo ſe defenderet, occiderit, hac quidem lege non tenetur: ſed* MELIUS FECERIT, *qui eum comprehenſum, transmittendum Magiſtratibus obtulerit*, ut eſt in *Collat. LL. Moſaic & Roman. T.* VII. *loc.* 2. licitum ſic ſeparans a prudentia, & viri boni officio. Sic eſt, ut dicis, multa fiunt contra bonos mores, quæ non fiunt contra leges; JCti noſtri ſæpe id monent, & prolixe de his rebus ſolet diſputari ad *l.* 15. *ff. de Condit. Inſtit.* Sed aliud eſt, de quo nos quærimus, hoc ſcilicet, an, ubi ſimpliciter in libris Veterum, quos de jure compoſuerunt, exſtat ſententia imperans, vetans, hanc liceat habere pro decreto Philoſophiæ, non pro decreto Juris. Ego pro decreto & regula Juris hanc habendam cenſeo, niſi ſit, ex quo conſtet, boni viri, etiam ultra legem juſti, officium deſcribi. Aperte id addidit Paulus eo loco, quem modo laudabas ex *Collat. LL. Moſaic & Rom.* & ſi id ipſum addidiſſet ſententiæ, quæ exſtat in *l.* 4. *ff. de Agnoſc. & alend. liber.* ſalva tibi res eſſet. Sed putas addidiſſe, & periiſſe hoc ejus dictum; ego vero ejus rei probationem deſidero, ſin autem, Pauli ſententiam habeo pro regula Juris, ex ipſa mente Pauli, & omnium, quos vidi, Interpretum.

5. Dixeram *Opuſc. C.* VII. *p.* 359. ſi JCtorum reliquias, quæ in Pandectis ſuperſunt, ad præcepta moralia referre liceat, metuendum eſſe, ne auctoritas juris periclitetur. Exiſtimas, te hoc metu me liberaſſe, *ſuperiore exemplo*, ſed id, ut dixi, metum auget, non tollit. Alia igitur rem aggrederis via & ais, ſententiam, in *d. l.* 4. comprehenſam, non quidem ex mente Pauli, at ex mente Juſtiniani pro regula Juris eſſe habendam, cum omnia veterum JCtorum ſua fecerit, & auctoritate juris donaverit. Hoc agis, ſatis prolixe, ad finem *hujus* §. Sed ſuaſiones & admonitiones prudentiæ, ipſis inſertæ legibus, ex ipſius Juſtiniani mente pro ſuaſionibus quoque & admonitionibus ſunt habendæ, nec ultra cenſendæ. Si Pandectis Tribonianus inſeruiſſet locum Pauli, qui exſtat *Collat. LL. Moſaic. & Rom. Tit.* VII. *loc.* 2. etiam ex Juſtiniani mente dicerem, ſi quis furem nocturnum, vel diurnum, cum telo ſe defenderet, occiderit, lege Cornelia non teneri, ſed melius facturum, qui eum Magiſtratibus obtulerit, nulla tamen offerendi neceſſitate impoſita. Similiter ſi admonitio de boni viri of-

liorum Senatusconſultorum quas Pandectis inſeruit Tribonianus, ad præcepta moralia referas: eſt Bynkershoekio metus; ne auctoritas Juris immane quantum periclitetur; ac ne quod pro Lege haberi voluit Juſtinianus, habeatur pro declamatione alicujus Rhetoris aut Philoſophi. Sed qui metus eſt Amico Docto & Claro, is metus non eſt mihi, re ipſa a me ſuperiore exemplo extra dubitationem poſita. præterea quis ignorat paulo eruditior, oportere in Fragmentis Pandectarum, ut recte intelligantur, duplicem fieri inſpectionem: unam de mente Veterum Auctorum: alteram de ſententia Juſtiniani. Secundum hanc credi debet Pauli Fragmentum a Juris Architectis eſſe in *d. l.* 4. parte dempta, collocatum: hoc conſilio, ut acciperet vim Legis, aptam & convenientem moribus illo tempore receptis ex Conſtitutione Valentiniani, Valentis, & Gratiani, in *d. l.* 8. *C. Ad Leg. Cornel. de ſicar.* & *d. l.* 2. *C. de infantib. expoſit.* Aliter ac ſi examinetur ad uſum ſeculi quo ſcripſit Paulus: tum enim dicam, neque Legem fuiſſe, neque Legis auctoritatem obtinuiſſe; ſed tantum fuiſſe doctrinam Pauli, privati Juriſconſulti, pii & ſapientis: præter Regulam Juris quæ in Foro habebat neceſſitatem, etiam quod virum bonum & honeſtum decebat, prudentiſſime admonentis. (1) Nec hoc ſine exemplo, ipſo egregio & quod poſſit omnium inſtar videri, ex §. 9. *Inſt. de nuptiis* & *l.* 12. §. 1. 2. 3. *D. de ritu nuptiarum.* Ecce: ſi uxor tua poſt divortium ex alio filiam procreavit, hæc non eſt quidem privigna tua, & idcirco potuit a te accipi in matrimonium, ſalvis Regulis Juris. Sed Julianus, vir ſapiens & pius, conſiderato quod eſt pudoris & honeſtatis, ait abſtineri ab hujusmodi nuptiis oportere: idque etiam aliis exemplis intelligi: nam nec ſponſam filii nurum eſſe, nec patris ſponſam novercam eſſe: rectius tamen & jure facturos qui ab hujusmodi nuptiis ſe abſtinuerint. Hoc in Juris præceptis Juliani tempore fuiſſe, manifeſtum eſt. ac ubi placuit Juſtiniano, id ponere in *d.* §. 9. & *d. l.* 13. §. 1. 2. & 3. an eſt dubium, inde pro Lege eſſe cœpiſſe. (2) Atque huic ſi adeſt, ut oportet, fides veri: quam habet Domi-

officio, quam a Paulo adhibitam, & a Triboniano omiſſam cenſes in *d. l.* 4. totidem verbis exſtaret, nemo non hanc pro admonitione haberet. Nunc eam ſubintelligi deſideras, ſed ex ſententia Pauli, verum non ſubintelligi, ex ſententia Juſtiniani, poſtquam nempe Valentiniani lege infanticidiis interdictum erat. *Duplicem*, igitur vis *fieri inſpectionem, unam de mente veterum auctorum, alteram de ſententia Juſtiniani.* Sed generalia hæc reſtringamus ad ſpeciem propoſitam, & cedo mihi locum, ubi Veterum aliquis admonuerit, quid virum bonum & honeſtum, extra publicas tabulas, decebat, quem Juſtinianus, pro regula Juris, tabulis publicis incluſiſſet Ita factum cenſes apud Paulum in *d. l.* 4. ſed hoc eſt τὸ κρινόμενον, & ita quoque factum cenſes in *l.* 12. §. 3. *ff. de R. N.* ſed minus etiam recte, ut mox audies. Periclitabitur igitur, adhuc dico, veterum JCtorum auctoritas, ſi, quæ illi de Jure ſcripſerunt, ad ſententias morales transferamus.

1. Adfers hic exemplum, quo diſtinctionem tuam tuearis. Ulpianus in *l.* 12. §. 3. *ff. de R. N.* ita ſcribit: *Si uxor mea poſt divortium alii nupſerit, & filiam ſuſceperit, putat Julianus, hanc quidem privignam non eſſe, verum nuptiis ejus abſtinendum.* Eadem Juliani ſententia refertur in §. 9. *Inſt. de Nupt.* Nec dubitat Vir Clar. neque ipſe adeo Carteſii ſectam ſequor, ut dubitem, quin illa Juliani ſententia, in Pandectas & Inſtitutiones tranſcripta, pro jure, quod obliget, habenda ſit. At non ita fuit, ſi audias Virum Clar. tempore Juliani, tunc enim ait duntaxat pertinuiſſe ad ſapientiam, quæ mores emendat, & Julianum, qua erat pietate, ſuaſiſſe tantum, ut ab ejusmodi nuptiis abſtineatur, conſiderato, quod eſt pudoris & honeſtatis, non quod eſt Juris. Ego autem ſententiam Juliani, etiam ex ejus mente, regulis Juris adſcribendam cenſeo, non *præceptis Juris*, quæ tu appellas: nihil quippe eſt in *d. l.* 12. §. 3. nec in *d.* §. 9 ex quo effeceris boni viri officium, quod impune licuiſſet contemnere. Agit Ulpianus in *d. l.* 12. §. 1. 2. & 3. de quaſi affinibus, & palam definit, inter me & ſponſam patris mei nuptias contrahi non poſſe, quamquam proprie non ſit noverca mea §. 1. nec inter ſponſam meam & patrem meum, ut ut illa proprie nurus non ſit §. 2. eodem tenore addit aliam ſpeciem de quaſi adfinitate in §. 3. quem exhibui, & ex Juliani ſententia, etiam illis nuptiis abſtinendum ait. Omnium eorum ratio eſt, quod veteres Conſulti, etiam quid honeſtum ſit, in conjunctionibus conſiderari præceperint ex regula Modeſtini in *l.* 42. *ff. de R. N.* & *l.* 197. *ff. de R. J.* Quum vero ea honeſtas placuiſſet omnibus, facile in regulas Juris tranſivit: unde ſimpliciter in *d. l.* 12. §. 3. *Julianus* PUTAT *abſtinendum*, non *ſuadet*, & in *d.* §. 9. *Inſtit. Julianus ab hujusmodi nuptiis abſtineri debere* AIT, non, *ut abſtineamus, ſuadet.* Potius ad ſuaſionem referas; quod ſequitur in *d.* §. 9. *Nam conſtat, nec ſponſam filii nurum eſſe, nec patris ſponſam novercam eſſe, rectius tamen &* JURE *facturos eos, qui ab hujusmodi nuptiis abſtinuerint.* Sed nec illa ſuaſio eſt, quam licuiſſet negligere, nam ait, non tantum *rectius*, verum & *jure* facturos, qui abſtinuerint. Et Ulpianus de iisdem ſpeciebus in *d. l.* 12. §. 1. & 2. nullam Viri boni mentionem injicit, ſed prohibitas eſſe ejusmodi nuptias absque ambagibus affirmat, prohibitas, opinor, jure, non ſuaſione officii moralis. Nihil igitur tibi prodeſt hoc exemplum, quod tamen *egregium* vocas, & *quod poſſit omnium inſtar videri.*

2. His, usque ad finem hujus §. jam defunctus ſum. Atque ita abſolvi utriusque noſtrum rationes de nece & expoſitione liberorum, tuas refutavi, meas vindicavi. De jure vendendæ prolis nihil addo, & puto ſufficere, quæ in hanc rem dixi *Opuſc. C.* VI. & VIII. His probe excuſſis, forte etiam poterimus carere Joannis Philippi Dattii *Diatriba*, quam *de venditione liberorum* Ulmæ edidit anno CIƆIƆCC. & quem libellum, cum *Opuſcula varii argumenti* ipſe ederem, oculis meis uſurpaveram nunquam. Recte tamen ille Auctor & cenſet, & probat *Cap.* II. liberorum venditiones & oppignerationes jure Pandectarum fuiſſe illicitas, poſtquam nempe, miteſcente ſeculo, moratior ætas Philoſophiam Jurisprudentiæ conjunxit, vel ſimul cum jure vitæ & necis, vel ſaltem haud ita poſt, ut & ipſe ſuſpicabar *Opuſc. C.* VI. *p.* 355. Et cum liberorum venditionem *rem illicitam & inhoneſtam* Antoninus appellaverit, ut dicebam *d, p.* 355. & cum creditor, qui ſciens filiumfamilias a parente pignori accepit, relegetur, vel potius deportetur, ut ex Paulo obſervabam *d. p.* quis putaverit, ipſis Parentibus impune tunc indultum ſuæ carnis pignus? & quis putaverit, his prohibitis, non magis prohibitam fuiſſe liberorum cædem & expoſitionem? ſic colligere ſana jubet ratio. Tu, Vir Clar. in *Julio Paulo* altum ſiles de venditione & oppigneratione liberorum, quas JCti veteres damnant, ne patribus, quibus plus tribuis, minus videaris tribuere, ſed, his omiſſis, initium ducis a Conſtantini legibus, quæ, quod ad necem vel expoſitionem, vel nihil probant, vel id, quod ipſe defendo, ut latius exſequutus ſum *Cap.* VIII. *p.* 361. Non ſic tamen Dattium dimitto, quin notem, eum ipſum, cum de nece & expoſitione infantum verba facit ex Lactantio, aliisque Patribus, *Cap.* VI. hæc ſuperdicere: *Sed hoc præſertim tempore tam turbulento, illa facinora, illæ expoſitiones, illa parricidia, velut laxatis repagulis eruperunt, ut nec eorum frequentiam culeus, & veteris pœnæ rigor, qui ex lege etiam Conſtantini* in l. un. de His qui parent. vel lib.

minus van Bynkershoek cauſam in præſentia metuendi, ne a mea interpretatione periclitetur Juris auctoritas: & quod pro Lege haberi voluit Juſtinianus, pro Declamatione alicujus Rhetoris aut Philoſophi reputetur? opinor, nullam: quippe cum omnia, poſtquam ſua fecit Juſtinianus, ab eo profecta, ex ejusque mente, intelligi debeant: ut eſt in Conſtitutione, *De conceptione Digeſtorum*, & *De confirmatione Digeſtorum*, variis locis.

§. XXX. (1) Videor mihi ex voto ſolviſſe argumenta a Viro Eximio mihi objecta circa priorem quæſtionem de infantum expoſitione & nece. (2) Succedit altera de abacto partu, medicamento a muliere ſponte ſumpto ad abortionem. Eſt vero iſta, ſive ad Regulas Juris, ſive ad (3) Juris præcepta examinetur; item ſive ad Juris initium, ſive ad ejus progreſſum ſpectetur, a me ad certum adducta *capite ultimo Julii Pauli*. Sed quia hic quoque alio flexit Bynkershoekius *Opuſculi c.* VII. *pag.* 357. age quæ intercedant, ne mecum ſtet, conſideremus. (4) Pu-

occider. *patricidiorum pœnam aſperabat, inhiberet ſatis, & ſi abjectæ in ferarum pabula miſerrimæ proli ſors etiam mitiſſima contingeret, illam in ſervitutem vel lex vel* obvius pater, *ut Quintiliano Declam.* 206. *nominatur, in lupanar abriperet.* Calamitatem temporis, & inde natas liberorum cædes & expoſitiones, ut ut iis lex iraſceretur, novis Conſtantini Legibus de alimentis publico ſumptu præbendis, & permittendis, ob egeſtatem, ſanguinolentorum venditionibus, cauſam dediſſe exiſtimat. Prohibita ante Conſtantinum hæc ſcelera fuiſſe ne dubitat quidem, & de Conſtantini ætate dubitare non patitur *d. l. un.* ut ſatis monui *Opuſc. C.* VII. *p.* 358. Quid Valentinianum, Valentem & Gratianum movere potuerit, ut in *l.* 8. *C. ad L. Cornel. de ſicar. & l.* 2. *C. de Infant. expoſ.* denuo de nece & expoſitione liberorum edicerent, ſatis mihi videor indicaſſe *Opuſc. C.* VII. *p.* 360. & C. IX. *p.* 364. quæ hic non repeto. In eo Dattium non ſequar, quod *Cap.* VI. non patri tantum, ſed & matri liberorum venditiones permittat; omnes conſultationes de liberis vendendis, quæ apud Patres occurrunt, & quas ille recenſet, patribus, non matribus tribuuntur, illi, non hæ, deliberant, quem liberorum primum diſtracturi ſint, juniorem, an adultiorem? & Romulus, expreſſa lege, patribus id jus dedit apud Dionyſium Halicarnaſſ. *L.* II. *p. m.* 97. & paraſitus apud Plautum *Perſa Act.* III. *Sc.* I. filiam diſtracturus, ſic eam alloquitur *verſ.* 15. *meum, opinor, imperium in te, non in me tibi eſt.* Utque ita aſſentiar iis, qui jus vendendi, non ſecus atque exponendi & necandi, inter effectus patriæ poteſtatis retulerunt, ut retulerunt omnes, quos, ut a ſe diſſentientes, recenſet Dattius *d. C.* VI. *in Not. ad calcem p.* 122.

Dixi, quæ de prima quæſtione dicere conſtitueram. Sed quum aliquoties provocaverim ad Tertulliani locum, qui eſt *L.* I. *ad Nationes C.* 15. ut qui ſolus liti noſtræ dirimendæ ſufficiat, placet hic addere notas Jacobi Gothofredi ad *eum loc.* quæ, cum *Opuſcula* ederem, non erant ad manum, & compendio dicunt, quod Viro Clar. refutando ſatis eſt. Igitur poſt exhibita Tertulliani verba ita infit: *Audiant vel hæc deinceps, qui negant ante Chriſtianos Principes infanticidio pœnam ullam Jure Civili Romano propoſitam fuiſſe, joculari etiam ratione, quod neque homo ſit infans. Ecce enim Tertullianus diſerte infanticidium legibus prohiberi ait, ac proinde pœnam infanticidio conſtitutam: neque enim, opinor, hæ Leges de earum numero fuerunt, quæ improbe tantum factum pronunciant, quæque* minus perfectæ; *audis enim exprobrantem Tertullianum Nationibus, quod has Leges ſeculi vitio* impune, *ſecure, ſub omnium conſcientia eluderent. Pœna, opinor, eſt, ubi impune leges violari Viri boni quiritantur. Atque hoc altero nævo Jurisprudentia noſtra deinceps libera eſto. At dices, quod dicunt Viri magni, quid ergo fuit opus Valentiniani Senioris A. Conſtitutione* A. D. 374. l. 1. C. Th. ad L. Cornel. de ſicar. *ſeu* l. 8. C. Eod. Tit. *ubi infantis necandi piaculo capitale ſupplicium indicitur? quid putas? nempe probibitionem ea Conſtitutione recentatam & forte pœnam intenſam video: ut cæteroquin (quod in hoc ipſo argumento de infanticidio noſter ait* Apolog. C. 9.) *nullum ſcelus in perpetuum eradicatur, ita Leges exoleſcente metu pœnarum recentari, incendi, vel, ut loquitur Tacitus,* pœnas incitari *mos eſt.* Quia Notæ illæ rariſſime occurrunt, facile potuerunt fugere induſtriam Viri Clariſſimi, atque adeo ejus, forte & Lectoris gratia, integras deſcripſi, qui alioquin non meus eſt mos. Eadem veſtigia deinde preſſit ipſe ille Gothofredus *Commentario* ad *l.* I. *C. Th. ad L. Cornel. de Sicar.* nam poſtquam infantem, recens natum, æque ac adultiorem, tam a Gentilibus, quam a Chriſtianis pro homine eſſe habitum variis teſtimoniis probaſſet, ita mox pergit: *Hæc cum ita ſint, & jam olim ante Chriſtianorum Imperatorum tempora fuerint obſervata, ecquis de infante dubitare poſſit, homicidio ejus pœnam irrogatam fuiſſe? ecce enim Tertullianus apertiſſimis verbis* L. I. ad Nationes, *quem nos primi edidimus*, Cap. 15. Non aliter vos quoque infanticidæ &c. *ad quem locum nonnulla jam notavi. De his igitur conſtabat, niſi quod, moribus jam corruptis, de facto hæc cædes diſſimularetur, & in conſuetudinem venerat.* Abi nunc, & ſententiam meam voca ſingularem, & nullius teſtimonio ſuffultam. Sed de prima quæſtione ſatis, & forte nimium.

§. XXX. 1. Quæ hactenus diſputavi, voto te tuo excidiſſe mihi perſuadent, an aliis perſuaſura ſint, neſcio.

2. Tranſis ad alterum caput litis, quæ mihi tecum intercedit, quod eſt de abacto partu. Id caput, ſi ex arte loquamur, nihil omnino pertinet ad jus necandi & exponendi, ſi nempe id jus ex patria poteſtate ſit, ut ideoneis auctoritatibus mihi videor probaſſe. Si princeps olim effectus fuerit patriæ poteſtatis, liberos occidere & exponere, de patre quæri poſſet, an & ipſe, jure ejusdem poteſtatis, potuerit procurare abortum? ſed de eo nos non quærimus, nec de eo apud veteres JCtos quæſitum, nec quicquam definitum vidi. De matre ſola quæſtio eſt, an hæc potuerit poculum abortionis ſibi ſumere? necare utique & exponere liberos matri nunquam licuit, ut in præcedentibus diſputavi, quia patriam poteſtatem non habuit. Sed forte alio jure potuit abigere, quod ſcilicet, abigendo partum, ſtatuerit de parte viſcerum ſuorum, idque licuerit ex Philoſophia Stoïca, a JCtis noſtris hac parte adoptata. Hæc omnia ſi largiar, quid pertinent ad quæſtionem, quousque patri apud Romanos licuerit liberos, jam natos, necare & exponere? nihil pertinere, jam indicavi *Opuſc. C.* VII. *p.* 357. Sed quia in eo ſumus, & digna res eſt, etiam quid matribus, circa abortionem, licuerit, ex Jure Romano inveſtigemus.

3. Intelligis jam, Lector, per *præcepta* Juris Virum Clar. intelligere *præcepta moralia*, quæ JCti tradidere, nec in foro habuere neceſſitatem parendi.

4. Partus antequam edatur, mulieris portio eſt, vel viſcerum, ſic enim JCtis placuit *l.* 1. §. 1. *ff. de Ventr. inſpic.* & *l.* 9. §. 1. *ff. ad L. Falcid.* An ea ratio ſufficiat, ut mulieri largiamur poteſtatem abigendi partus, quæſtionis eſt? ſufficere credidit Vir Clar. atque inde mulieres olim abortus ſibi procuraſſe impune. Cum autem de jure quærimus, exempla abortuum procuratorum hinc abeſſe jubeo, neque enim illa plus valent, quam exempla homicidii, ad probandam impunitatem homicidii. Fœminas per potiones conceptas liberorum ſpes ſæpius eliſiſſe, & ſæpius id eis crimini datum eſſe a Chriſtianis, non erat, cur probares in *Julio Paulo C. ult.* nam nemo negat. Utque intelligas, veterum Chriſtianorum de hoc ſcelere querelas, de facto, non de jure abortus eſſe exaudiendas, memineris, quod poſt Divum Severum & Antoninum, quos illi ſceleri frenos injeciſſe ipſe fateris, querelæ illæ ſæpe fuerint effuſæ. Ab eo autem, qui di-

Putat Vir Ampliſſimus, mulierem nuptam numquam habuiſſe jus abigendi partus: & ſi abigeret in mariti fraudem, ſemper punitam fuiſſe: hac cauſa, quod mulier liberos numquam habuit in poteſtate: & uterus non ipſius, ſed mariti fuit: hinc poſt divortium, vel mortem mariti, ventrem inſpici; & ſi mulier renunciatur gravida, ei cuſtodem apponi. conſequenter putat, leges Romanas, ſi quando mulieri dederint poteſtatem partus in ventre necandi: non aliter dediſſe quam de partu vulgo, non ex marito, concepto. (1) Ita firmat quod intendit, argumentis & rationibus. ego vero teſtes & exempla exſpectaveram: ſicut his contrarium ipſe *d. c. ult.* demonſtravi teſtimoniis Senecæ, Ovidii, Juvenalis, Tertulliani, quæ ibi poſſunt videri; & ignorari vel diſſimulari ab Ampliſſimo Viro non debuere. Quo magis tamen liqueret, quam lubricæ in re facti ſint ejus rationes, non gravabor, vel in illas inquirere. (2) Negat Vir Ampliſſimus, mulierem nuptam umquam habuiſſe poteſtatem abigendi partus: & uſus duplice ratione. una eſt, quod mater liberos non habet in poteſtate. altera, quod uterus eſt mariti, non mulieris. Quod ad priorem attinet, in ea eſt manifeſta repugnantia. nam ſi jus in ventre necandi partus pendet a patria poteſtate: an poteſt matri eſſe jus in ventre necandi partus ſpurii? non poteſt: nam ne ſpurius quidem eſt in poteſtate matris. (3) Potius fuerat dicendum, quod innupta impune potuit partum abigere: quia partus cum matre cohærens, eſt pars matris: & ſicut mater poteſt ſe jure civili occidere; ita partum, id eſt, partem ſui poteſt. eodem modo nuptæ licuit abigere, id eſt, in ventre necare, infantem: quando etiam fœtus cum ejus viſceribus cohærens, eſſe viſcerum, id eſt, matris pars intelligeretur. Sed mitto argumenta, etſi bona: cum ſint exempla, ut dixi, luce meridiana clariora, apud Ovidium, Senecam, & Juvenalem, a me *d. c. ult.* allata *Julio Paulo*; (4) iisque nihil reſponderit Dominus van Bynkershoek: ſicut nec poterit reſpondere umquam; cum ſint certiſſima. (5) Non magis pro-

dicit, ante Severum & Antoninum licitas fuiſſe abortiones, probationem deſiderares, & ipſe deſidero. Sed nullam habes in *Julio Paulo*, nec hic habebis, nam, ut dixi, exempla abactorum partuum nihil probant. Ita tamen ſedet Viro Clar. apud Viros quidem graves & honeſtos ſemper in præceptis fuiſſe, ne mulier abortionis poculum biberet, ſed in regulis Juris, poſita, ſi contra fecerit, pœna, non fuiſſe. Quas regulas intelligat Vir Clar. non ſatis adſequor, nam omnes, quas in Pandectis habemus, mulierem, quæ ſibi abortum procuravit, appoſita pœna damnant, ita *l. 8. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* quam in *Julio Paulo* prætermiſiſti, ita *l. 4. ff. de Extraord. crim.* & ita *l. 39. ff. de Pœn.* & præter has non ſunt aliæ. Vellem igitur accuratius ætates diſtinxiſſes, & veteris ævi licentiam probaſſes, & hanc, quæ tibi in deliciis eſt, diſtinctionem inter præcepta & regulas, vel ulla unquam ætate, in abortu obtinuiſſe demonſtraſſes. Sed quid ſi olim obtinuiſſet, an etiam ætate eorum ICtorum, ex quorum Commentariis Pandectæ conſtant? Ulpianus jus, in quo verſabatur, exponens *L.* XXXIII. *ad Edictum*, ita infit in *d. l. 8. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* *Si mulierem viſceribus ſuis vim intuliſſe, quo partum abigeret, conſtiterit, eam in exilium Præſes Provinciæ exiget.* Loquitur de omni muliere, nupta, innupta: ſed animadverte, quam non anxie, nec rigide adverſus te diſputem, nam Ulpianum de ſola nupta interpretandum facile paſſus ſum *Opuſc. C.* VII. *p.* 357. quia reliquæ Leges, quæ mulieres, in viſcera ſua ſævientes, puniunt, hanc pœnæ rationem reddunt, quod maritos liberis fraudarint. Igitur mulierem, quod vulgo concepit, potuiſſe abigere, ideo credidi, quia in ea, quæ maritum non habet, nullum mariti præjudicium vertitur, atque adeo ratio Legis ceſſat. Quod autem nupta concepit, concepit ex marito, nec in fraudem ejus poteſt expellere, cum uterus ad maritum pertineat. Sic cenſeo, videamus, qua ratione tu contra cenſeas.

1. Rationes & argumenta vis abeſſe, teſtimonia & exempla deſideras. Hæc ipſa dedi, & exſtant totidem verbis in *l. 4. ff. de Extraord. crim.* & *l. 39. ff. de Pœn.* Vides ibi teſtimonia, vides exempla, vides rationem, qua hæc nitantur. Quod tu attuliſti in *Julio Paulo* ex Seneca, Ovidio, Juvenali & Tertulliano, nihil probat, quam abortiones fuiſſe frequentatas, & Gentilibus a Chriſtianis exprobratas.

2. Primum rationes meas oppugnas, deinde auctoritates, & ais me duplice ratione mulieri nuptæ negare jus abigendi partus, una, quod mater liberos non habuerit in poteſtate, altera, quod uterus ſit mariti jure proprio. Priorem rationem inde refellis, quod mater ne tunc quidem partum ſpurium potuiſſet expellere; quum vero in id conſentiam, contraria me ſcribere exiſtimas. Sed profer locum, ſi potes, ubi hac prima ratione ſum uſus, verum, ſat ſcio, non invenies. Rævardus *L.* III. *Conjectan. C.* I. dixerat, infantem, quia homo eſt, occidi non potuiſſe, hoc argumento, quia nec ſpem hominis licet occidere, hoc eſt, partum abigere. Nihil valere id argumentum monebam *Opuſc. Cap.* VII. *initio*, niſi ad ſolum patrem reſtringas, & quæras, an ille, jure poteſtatis ſuæ, potuerit procurare abortum, ut ajunt potuiſſe jure ſuo cædere infantem. Aut hunc locum indigitas, aut nullum; ſed an ex eo tu effeceris, me matribus negare jus abigendi, quia liberos non habent in poteſtate? Si hac ratione unquam fuiſſem uſus, non adeo benigne tibi largitus eſſem, potuiſſe innuptas partus ſpurios impune abigere, ſi enim vel id negaſſem, &, ut indiſtincta ſunt, indiſtincte accepiſſem verba Ulpiani in *d. l. 8. ff. de L. Corn. de Sicar.* plurimum ſudaſſes in probatione contraria.

3. Non intercedo, nec interceſſi unquam, quominus in muliere innupta hæc fuerit ratio permiſſæ abortionis, in nupta alia & fortior ratio eſt, quæ impedivit, ut mox audies. Interea obſervari velim, te hic inter nuptam & innuptam non diſtinguere, ut nuſpiam etiam diſtinguis in *Julio Paulo*, ſed auctoritatibus convictus mox eam diſtinctionem admittes.

4. Cur illis non reſponderim, nec reſpondere habuerim neceſſe, puto te jam intellexiſſe.

5. Totus hic es in profliganda ratione, qua uterum dixeram ad maritum pertinere, adeoque citra ejus injuriam ab uxore abigi non poſſe. Suffeciſſet, ſi dixiſſem, uterum utriusque parentis eſſe communem, quia etiam de re communi alteri, invito altero, ſtatuere jus fas non eſt. Sed dixi, patris eſſe, & hinc poſt divortium, vel mortuo marito, ventrem inſpici, &, ſi mulier renuncietur gravida, cuſtodem apponi *l. 1. pr. & §. 10. ff. de Inſpic. ventr.* Sic ego breviter; contra quæ tu prolixe & acriter inſurgis, uterum ſoli mulieri vindicans. Et tamen agnoſcis, cum poſt divortium maritus uxorem prægnantem eſſe diceret, & illa negaret, a Divis Fratribus reſcriptum eſſe, inſpiciendam mulierem, &, ſi renuncietur gravida, ventrem eſſe cuſtodiendum. Sic eſt in *d. l. 1. pr.* quam hic totam, pro more, deſcribis. Cui bono, in hac ſpecie, cuſtos apponitur? ne, ut mox ais, ſubjiciatur partus. Atquin ubi mulier ſe gravidam negat, metuenda utique non eſt ſubjectio partus, ut hæc eſt metuenda, ſi gravidam ſe eſſe ajat, de qua ſpecie eſt Edictum Prætoris in *d. l. 1. §. 10.* Non aliam inſpiciendi cuſtodiendique ventris cauſam adſequor, ubi mulier ſe gravidam negat, quam ne maritus, qui ſe patrem optat, liberis privetur, quam ipſam rationem Ulpianus innuit in *d. l. 1. §. 3.* Sed tu videris eo moveri, quod Divi Fratres, ut de re nova reſcripſerint, ſed ideo *nova*, quemadmodum

probo prætextum exiſtimantis, uterum non eſſe uxoris, ſed ad maritum pertinere jure proprio. quis enim ei hoc dixit Vetus Juriſconſultus? nemo. imo Veteres contrarium pro explorato habuere: ideoque temporibus Divorum Fratrum, cum incidiſſet, ut maritus quidem prægnatem diceret mulierem, uxor negaret: cauſa fuit illis principibus, ut conſulti Valerio Priſciano, Prætori Urbano, in hæc verba reſcriberent apud Ulpianum *l.* 1. *D. de inſpic. ventre: Novam rem deſiderare Rutilius Severus videtur, ut uxori quæ ab eo diverterat, & ſe non eſſe prægnatem profiteatur, cuſtodem apponat: & ideo nemo mirabitur, ſi nos quoque novum conſilium & remedium ſuggeramus. Igitur ſi perſtat in eadem poſtulatione, commodiſſimum eſt, eligi honeſtiſſimæ fœminæ domum, in quam Domitia veniat: & ibi tres obſtetrices probatæ & artis & fidei quæ a te aſſumptæ fuerint, eam inſpiciant: & ſi quidem vel omnes vel duæ renunciaverint, prægnatem videri, tunc perſuadendum mulieri erit, ut perinde cuſtodem admittat, atque ſi ipſa hoc deſideraſſet.* Tenes Reſcriptum. Nunc quid obſervet in eo Ulpianus, accipe ex §. 1. *Ex hoc Reſcripto evidentiſſime apparet, Senatusconſulta de liberis agnoſcendis locum non habuiſſe, ſi mulier diſſimularet ſe prægnatem, vel etiam negaret. Nec immerito.* Quam ob cauſam? ſic ait: *Partus enim, antequam edatur, mulieris portio eſt vel viſcerum.* Quid deinde? pergit: *Poſt editum plane partum a muliere, jam poteſt maritus jure ſuo filium per interdictum deſiderare aut exhiberi ſibi aut ducere permitti extra ordinem. Igitur* (ſic concludit) *Princeps in cauſa neceſſaria ſubvenit.* Hæc Ulpianus: & quia plana ſunt omnia: (1) equidem vellem, contra dicta ab Ampliſſimo Amico eſſe indicta: (2) tam manifeſta eorum confuſione. Non magis ſequitur, quod ille, poſtquam dixit, uterum eſſe mariti jure proprio: porro infert, hinc ſoluto per divortium vel mortem mariti matrimonio, inſpici ventrem; & ſi mulier renuncietur gravida, cuſtodem apponi: allegata ad hoc *d. l.* 1. *pr.* & §. 10. Perperam. (3) nam ratio cuſtodiendi ventris, ſi Reſcriptum Divorum Fratrum in *d. l.* 1. *pr.* & Edictum Prætoris in *d.* §. 10. conſideremus; non eſt alia, quam ne ſupponatur partus: eamque rationem, ne quæſtioni ſit, etiam adfert ſubjecta Ulpiani interpretatio §. 11. 12. & 13. (4) Proinde viderit Ampliſſimus meus Amicus, quo jure finem cuſtodiendi ventris hunc eſſe fingat; ne abortum faciat mulier: & ſi faciat, non eſſe a pœna liberam exiſtimet, cum hujus finis pœnæque non meminerint in Reſcripto Principes, neque in Edicto Prætor, neque in interpretatione Ulpianus: (5) & interim pœna abortus ſola hic quæſtioni ſit. (6) Huic obſervationi accedit altera: quod Reſcriptum Divorum Fratrum non eſt factum ad Conſultationem Præfecti Urbi; ſed Prætoris Urbani: cujus tantum mixtum imperium, id eſt, de civilibus cauſis fuit: cum illius eſſet merum, id eſt, de criminibus. (7) Igitur ſi mihi licebit, ſalva gratia Viri Ampliſſimi, abſtinere ab ejus ratiocinatione,

Ulpianus explicat §. 1. quia SCta de liberis agnoſcendis locum non habuerunt, ſi mulier ſe prægnantem negaret, ut hic negabat Rutilii Severi Uxor, *nec immerito*, inquit, quia *partus, antequam edatur, mulieris portio eſt, vel viſcerum.* Sic vulgo ferebatur, & inde erat, quod editum demum partum maritus per Interdictum deſideraret exhiberi, ut addit Ulpianus. Sed nec regula illa obſtabat, nec SCtum, quominus Principes in *cauſa neceſſaria* ſubvenerint. Quamvis enim fœtus in utero mulieris eſſe dicatur, in nupta tamen id fallit; quia vertitur res mariti, atque adeo ei *neceſſario* erat ſubveniendum Reſcripto Divorum Fratrum.

1. Miſeret te ſcilicet amici errantis.

2. Niſi propius oſtendas, nemini, mihi certe, confuſio manifeſta non erit.

3. Ratio cuſtodiæ in Reſcripto DD. Fratrum non eſt, ne ſupponatur partus, ut modo dicebam, ſed ea ratio eſt in Edicto Prætoris, nec, niſi de Edicto, hanc rationem dedit Ulpianus in *d. l.* 1. §. 13. nam in ſpecie Edicti, ut eſt in §. 10. ſi mortuo marito mulier ſe prægnantem dicat, omnia, quæ ibi præſcribuntur, ſolemnia adhibenda ſunt, ne alienus partus ſubjiciatur. Marito igitur defuncto etiam ſervandus eſt partus, *ut ordinum familiarumque dignitas ſalva ſit*, ait *d.* §. 13. hoc eſt, ut, quod mariti eſt, ad maritum pertineat, & quod non eſt, ne fraudulenta ſuppoſitione ad eum pertinere dicatur. Quare & Reſcriptum, & Edictum cavet, ne marito auferatur uterus, ad maritum pertinens.

4. Nuſpiam dixi, eum cuſtodiendi ventris finem eſſe, ne abortum faciat mulier. In Edicto manifeſte eſt alius, ſed quominus in Reſcripto is fuerit finis, non magnopere intercederem, niſi tu alium fuiſſe doceas.

5. Sic eſt, ſola pœna abortus quæſtioni eſt, & de pœna mox audies. Sed quidni aliunde, & ex cauſa etiam civili, recte probetur, uterum mariti eſſe, & inde efficiatur, uxori eum ejicere non eſſe integrum? Sed neceſſaria erat ea præparatio, cum in cauſa criminis, ea ipſa ratio reddatur.

6. Supervacuæ operæ eſt hæc obſervatio; ad cauſas civiles pertinuiſſe Reſcriptum DD. Fratrum in *d. l.* 1. *pr.* nec non Edictum Prætoris in §. 10. ſatis eſt certiſſimum. Sed habes reſponſum *num. proximo.*

7. A ratiocinatione, qua hic, ut alias, abſtinere jubet Vir Clar. tranſit ad auctoritates, & præmittit, *abortum a muliere ipſa ſibi procuratum, ante Divum Severum & Antoninum, ex regulis Juris non fuiſſe crimen, ideoque nec punitum, ſive nupta eſſet mulier, ſive innupta, ſed Reſcripto Divi Severi & Antonini in nupta eſſe receſſum a regulis Juris.* Hic primum diſtinguit inter nuptam & innuptam ex Reſcripto D. Severi & Antonini, ut huic ſcilicet licuerit, illi non licuerit partum abigere, ratus, ante id Reſcriptum, omnibus æque mulieribus id licuiſſe. Sed vero cum viri *liberorum procreandorum animo & voto uxores ducant l.* 220. §. 3. *ff. de V. S.* an dicemus, antea uxorem, male moratam, potuiſſe pro lubitu abigere infantes, quibus edolandis maritus ſedulam operam navavit? an eo invito & prohibente medicatas potiones bibet mulier, quo omnis futuri hominis ſpes decollet? Sed a rationibus abſtinere jubet Vir Clar. & lubens abſtinebo, modo oſtenderit, quod oſtendit nunquam, id ſcelus in nupta impune fuiſſe transmiſſum ante D. Severum & Antoninum, quorum Reſcriptum eſt in *l.* 4. *ff. de Extraord. crimin.* Ais, ante hos Principes abortum ſubſtitiſſe in præceptis Sapientiæ moralis, quæ deteſtabantur tantum facinus, ſed nondum tranſiiſſe in regulas Juris, quæ prohibebant. Et tamen antiqui juris nihil quicquam depromis, mox provocans ad *d. l.* 4. atque ſi ex ea appareret, novæ pœnæ auctores eſſe Severum & Antoninum, cum mihi reſcripſiſſe videantur ex Jurisprudentia ſui temporis. Moveor etiam, quod abactus, ipſo Ciceronis ævo fuerit punitus, ut mox intelliges. Quod ſi autem in nupta punitus fuerit, ut tu ipſe exiſtimas, temporibus Severi & Antonini, anne ergo eo tempore, & deinceps, impunitam dicemus cædem & expoſitionem infantum, quam tu matribus quoque permittis ad usque Imperium Valentiniani Senioris? ſic cenſes *Jul. Pauli C. ult.* quia ſcilicet non repereras expreſſam legem, quæ infanticidio pœnam ſtatuit. Egregia ſane horum temporum Jurisprudentia! matribus non licuit partum abigere, quia non licuit maritos liberis fraudare, ſed matribus licuit infantes, jam natos, occide-

ne, nullum in re facti habente uſum, ut monui ſæpius: dicam quod res eſt, & pleniſſime oſtendi *Julio Paulo capite ultimo*, abortum a muliere ipſa ſibi procuratum, ante Divum Severum & Antoninum, ex Regulis Juris non fuiſſe crimen, ideoque nec punitum, ſive nupta eſſet mulier, ſive innupta. ſed Reſcripto Divi Severi & Antonini in nupta eſſe receſſum a Regulis Juris. Non utar ad hoc ratione longe petita: ſed teſtibus de ſuo tempore (1) deponentibus. talis inter alios eſt Marcianus *l.* 4. *D. de extraord. criminibus*, (2) quam eſſe ex *lib.* 1. *Regularum*, ejus Inſcriptio indicat. Is vero ibi, *Divus*, inquit, *Severus & Antoninus reſcripſerunt, eam quæ data opera abegit, a præſide in temporale exilium dandam.* Quam ob rem? ait, *Indignum videri poſſe, impune eam maritum liberis fraudaſſe.* ( ) Senſus Marciani eſt: Ante hoc Severi & Antonini Reſcriptum impunitus vel in nupta erat abortus: quia fœtus ejus pars erat: ſed Severus & Antoninus deinceps impunitum eſſe eum abortum, non ſiverunt: primi interpretati, indignum videri, eam tali Juris ſubtilitate maritum liberis fraudaſſe. Igitur cum abortus ante legibus non eſſet crimen; ideoque non liceret Præſidi, mulierem, quamvis nuptam, propter abortum punire: tamen aliter eſſe cœpit, poſtquam Reſcripto Divi Severi & Antonini factum eſt crimen extraordinarium, & temporali exilio in futurum puniri juſſum. (4) Idem plane iter tenuit Ulpianus *l.* 8. *D. Ad Leg. Cornel. de ſicar.* ſic ſcribens: *Si mulierem viſceribus ſuis vim intuliſſe, quo partum abigeret, conſtiterit: eam in exilium Præſes provinciæ exiget.* Ait, *Exiget*, in futuro tempore: id eſt, deinceps exiget: jam accepta poteſtate ex Reſcripto Severi & Antonini: quam poteſtatem ante non habebat ex Regulis Juris. (5) Ne alia quidem, quidquid relu-

dere & exponere, nequicquam reluctante marito (nam utrique parem poteſtatem facis) & hac via eum liberis fraudare, quod per abortum non licebat. Ejusmodi hæc ſunt quæ ſanam mentem turbant.

1. Apage vocem, hoc ſenſu barbaram.

2. Video te, pro diligentia tua, inſcriptiones Legum notare, etiamſi nihil ibi ſit, ex quo ſenſus illuſtretur, imo, etiamſi tibi obſit magis inſcriptio, quam proſit. Ex *Libris Regularum*, fateor, eſt *l.* 4. *ff. de Extraord. crimin.* ſed quid inde? an, quæ ibi habemus, ſunt nova Decreta vel Reſcripta Juris? ſic oporteret, ſi quid inde efficeres, ſed rem ſe ita non habere, probant reliquiæ, quæ ex *Libris Regularum* Marciani ſuperſunt. Verba *d. l.* 4. exhibuiſti, & ex his apparet, mulierem, quæ data opera, atque adeo dolo malo abegerat, a Præſide in temporale exilium fuiſſe datam, hoc ſuperdicto, *indignum enim videri poteſt, impune eam maritum liberis fraudaſſe.* Pœna hæc, ut auguror, extraordinaria fuit, qualem & in nece & in expoſitione liberorum obtinuiſſe mihi ſedet, ſed antea impunitum fuiſſe abactum, nihil hic eſt, unde ſciri poſſit. Ratio pœnæ non alia eſt, quam quod uterus jure proprio ad uxorem non pertineat, ejus eſt, non tantum *accipere*, ſed & *tueri conceptum*, maximum enim ac præcipuum id eſſe fœminarum munus Ulpianus dixit in *l.* 14. *§.* 1. *ff. de Ædilit. Edict.* Quare non poterat uterum, qui ad virum pertinebat, impune excutere, atque ita eum liberis fraudare. Habes Reſcriptum Divi Severi & Antonini, & habes rationem Reſcripti, quæ non eſt alia, quam ipſe præmiſi, & etiam ante illos Principes vera erat.

3 Sententiam tuam hic potius explicas, quam ſententiam Marciani: nam plurima affingis, quæ in ipſa lege fruſtra quæras, & de quibus ex iis, quæ dixi, facile eſt conſtituere.

4. Pergis ad Ulpianum in *l.* 8. *ff. ad L. Cornel. de Sicar.* de qua jam ante dixi. Ille ſimpliciter *exilii* meminit, forte etiam *temporalis*, ſi hanc legem interpretemur ex Reſcripto Severi & Antonini, quod per me licet, modo ne antea crimen abactus impunitum fuiſſe dicas, & eo referas τὸ *exiget*, in futuro tempore, quemadmodum Vir Clar. hanc voculam, eo fine, captat. Non de facto, quod olim inciderat, reſpondet Ulpianus, ſed de jure, quod ſequendum eſſet, ſi qua mulier in poſterum viſceribus ſuis vim inferret, & ſic ſolent adhiberi locutiones futuri temporis. Ne ita tricemur. Cur autem, quod Ulpianus hic generaliter & indiſtincte extulit de *muliere*, de nupta ſola potius intelligam, plenius expedivi *Opuſc. C.* VII. *p.* 357.

5. Pergis ad Tryphoninum in *l.* 39. *ff. de Pœn.* cujus locus vel maxime tibi obſtat. Narrat ille primum, Ciceronem in Oratione *pro Cluentio Avito* ſcripſiſſe, *Mileſiam quamdam mulierem, cum eſſet in Aſia, quod ab heredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam.* Deinde addit: *ſed & ſi qua viſceribus ſuis poſt divortium, quod prægnans fuerit, vim intulerit, ne jam inimico marito filium procrearet, ut temporali exilio coërceatur, ab optimis Imperatoribus noſtris reſcriptum eſt.* Verba erant repræſentanda, ut monerem. Cujacium *L.* XIX. *Obſerv. C.* 9. dubium conſilii eſſe, quæ pœna maneat mulierem, quæ abegit, an capitalis ex prima parte, an temporalis exilii, ex ſecunda parte legis. Tentat diſtinctionem ex Galeno & Philoſophis, an partus jam fuerit animal, nec ne, & multa ibi, & *Commentario* ad *l.* 2. *ff. de Excuſat.* in eam rem dixit, quæ tu tranſtuliſti in *Julium Paulum*, ut ſi animal eſſet, pœna capitalis ſit, ſi nondum, temporale exilium. Sed quia nuſpiam conſtat, JCtos noſtros ea diſtinctione fuiſſe uſos magis probo, quod capitis pœnas dederit Mileſia mulier, quod *ab heredibus ſubſtitutis pretio corrupta*, partum ſibi abegiſſet quod gravius eſt, quam odio mariti abortum procurare. Hujus igitur pœna lenior, id eſt, temporale exilium. Etiam eam differentiæ rationem tentat Cujacius *d. loc.* ſed nihil definit, cur vero in hanc ſim proclivior, movet me etiam Baſilicorum auctoritas *L.* LX. *Tit.* 51. *C.* 39. qui ita rem expediunt. Ceterum ex *d. l.* 39. illud eſt omnino liquidum, quod ad Diſputationem noſtram proprie pertinet, Ciceronis ætate; atque ita ante D. Severum & Antoninum, abortum fuiſſe punitum, & pœna quidem capitali, ob atrocitatem facti, quæ accedebat, quid ergo ultra laboramus? ſed *potuit?* inquit Vir Clar. *Jul. Paul. C. ult. legibus moribusque alicujus in Aſia Gentis, quæ ſuo jure uteretur, quod multis contigit, ſic judicari recte, ſed nos de uſu Romani Juris quærimus.* Mox, hoc libello, etiam eadem veſtigia premit, ſed quid ſibi vult *potuit?* da tu αὐτονομίαν Græcæ alicujus Civitatis, quæ hoc ſingulari jure fuiſſet uſa, & ſi eſſet, an ex Cicerone id transtuliſſet Tryphoninus ad conſtituendum vel illuſtrandum jus, quod omnes in Orbe Romano obligabat. Recte mihi videtur dixiſſe Ræv*a*rdus *L.* III. *Conjectan. C.* I. *Tryphoninum hoc exemplum pro lege laudare.* Ex quo mox ipſe: *Quis credat eo tempore infanticidio nullam fuiſſe pœnam irrogatam? Non eſt, quod perſuadeat aliquis, primos Valentinianum, Valentem & Gratianum Imperatores videri conſtituiſſe, ut is, qui infantem occidit, capite puniretur.* &c. Sed ut ad Ciceronem revertamur, poſtquam ſcilicet is pœnam commemoraſſet, rationem pœnæ adjicit, quod nempe illa Mileſia mulier, per abortum ſuſtuliſſet *ſpem parentis*, & reliqua, quæ habes *Opuſc. C.* VII. *p.* 357. Loquitur igitur de muliere nupta, ut Marcianus in *d. l.* 4. & mox Tryphoninus in *h. l.* 39. & eandem, quam illi, damnandi cauſam adfert, ne marito fiat præjudicium. Ne poſt divortium quidem id uxori licet, ut ut inimicitiæ interceſſerint, nam quæ poſt divortium abegerat, *ne jam inimico marito filium procrearet*, temporali exilio punita fuit, quod ex Reſcripto D. Severi & Antonini preſſius hic Tryphoninus, quam Marcianus dixit. Igitur ſic habeamus, etiam Ciceronis ævo mulierem nuptam non impune ſibi partum abegiſ

luctetur Dominus van Bynkershoek, fuit ſententia Tryphonini *l. 39. D. de pœnis* in verbis ſequentibus: *Cicero in Oratione pro Cluentio Avito ſcripſit, Mileſiam quandam mulierem, cum eſſet in Aſia, quod ab heredibus ſecundis accepta pecunia partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam. Sed & ſi qua viſceribus ſuis poſt divortium, quod prægnans fuit, vim intulerit, ne jam inimico marito filiam procrearet: ut temporali exilio coërceatur ab Optimis Imperatoribus noſtris reſcriptum eſt.* (1) Mihi videtur Tryphoninus, cum de abortu diſputaret, (eſt enim is locus ex *libro* X. *Diſputationum*) primum fuiſſe deteſtatus abortum, iſtis temporibus apud omne genus mulierum, ſicut ex Seneca, Ovidio, Juvenali, evidentiſſime demonſtravi *d. c. ult. Julii Pauli*, adeo frequentem; ut in morem prorſus abierit: & deinde inquiſiviſſe in remedium quo rem impiam & ſceleratam jure coërceri oporteret: exiſtimaſſe autem, nullam Romæ extare Legem qua abortus quem ipſa ſibi medicamento inferret mulier, pro crimine aut haberetur aut puniretur. Argumentumque eſſe: quod ſuo tempore Cicero in Oratione *Pro Cluentio Avito* ſimiliter ſollicitus de pœna abortus, (2) non protulit exemplum ex Foro Romano, in quo verſabatur; videlicet, quia ibi deficiebat, alioquin ex proximo petiturus: ſed ex Aſia arceſſivit longe: dicens, cum ibi eſſet, Mileſiam quamdam mulierem quod ab heredibus ſecundis, id eſt, ſubſtitutis, accepta pecunia, partum ſibi medicamentis ipſa abegiſſet, rei capitalis eſſe damnatam. ſed hoc quamquam juſtum, non pertinere ad Forum Romanum, neque ibi eſſe obſervatum. igitur fuiſſe dignum providentia Optimorum Imperatorum noſtrorum, id eſt, Severi & Antonini: cum eſſent ſuper ea re conſulti a Præſide qui erat Legibus adſtrictus, rem turpiſſimam Principali Reſcripto extra ordinem emendari: placuiſſe vero hoc, mulierem quæ prægnans viſceribus ſuis poſt divortium vim intulerit, ne jam inimico marito filium procrearet, temporali exilio coërceri. Quid inde? ( ) jam Romæ cœpit crimen eſſe, & pro tali extra ordinem puniri, quod ante neque crimen habebatur, neque pro tali in Foro Romano puniebatur. Sic mihi ſedit *Julio Paulo d. capite ultimo*. Alio vertit Dominus van Bynkershoek. an felicius, quam in ſuperioribus, alii judicent: (4) utroque æque ſibi blandiente, humano more.

egiſſe, & ejus rei eandem tunc rationem fuiſſe, quæ poſtea fuit, & ab Imperatoribus in Reſcripto repetita eſt. Si quæras, an ergo nunquam ante Ciceronem, ſub libera Republica, id ipſum licuerit mulieri nuptæ? dicam, mihi non liquere, nec de his, de quibus non liquet, facile eſſe pronunciandum. Ratio & analogia Juris ſuadent, ne licuiſſe dicamus, ſed cedunt hæ auctoritati juris, ſi hanc ex fœcundo pectore deprompſerit Vir Clar. verum ante vel poſt Ciceronis ætatem ego depromptam hactenus non vidi.

1. In hac Paraphraſi te auctorem non ſequar; plurima ſupponis, de quibus nihil eſt in Tryphonino, non alio fine, quam ut ſententiæ tuæ ſerviant. Si aliena hæc rejiciamus, tota Paraphraſis concidet.

2. Cicero protulit exemplum Mileſiæ mulieris, propter abortum, ſibi procuratum, punitæ, quia, cum ipſe in Aſia eſſet, ea cauſa inciderat. At cur non protulit ex foro Romano? quia, inquit Vir Clar. ibi deficiebat, defeciſſe autem innuit, quia res tunc erat licita abigere partum. Si Romæ tunc res licita, nec Ciceronis, nec Tryphonini ſcopo id exemplum conveniret, ſed quid ſi largiar, ex Aſia petitum exemplum, quia Cicero ad manum non habebat aliud, quod ſuo tempore Romæ acciderat? in nuptis utique rarior erat abortus procuratio, quam in innuptis, illæ ex optimo jure Quiritium patrem laudare poterant, hæ non item. Ut ſtupra tegerentur, abortus potiſſimum procurati, & ea erat innuptarum cura. Quin ſi vel nuptæ, odio mariti, tædio liberorum, metu partus, aut qua alia cauſa, ſimile quid fuiſſent auſæ, non erat in difficili, domi abortus premere: ne innoteſcerent, &, ſi innotuiſſent, caſu facti, an dolo malo procurati eſſent, non usquequaque ſciri poterat. Neque adeo miror, Ciceronem ex foro Romano non attuliſſe exemplum punitæ, propter abortum, mulieris nuptæ, nam ob eas, quas dixi, rationes ſua ætate forte non inciderat Romæ. Rariores ſpecies etiam aliunde ſolent arceſſere JCti, & ejus rei exemplum eſt in *l. 3. ff. Si pars hæredit. petat.* repetitum in *l. 7. pr. ff. de Reb. dub.* & *l. 36. ff. de Solution.*

3. Exemplo grave eſt, ubi ex Reſcripto Imperatorum pœna irrogatur, crimen, quo de agitur, habere pro novo crimine, ante impunito, atque ita & pœnam pro nova pœna. Sic tamen tu ſentis, ſed ego non adſentior.

4. Recte alios judices expoſcis, nam *nemo non benignus eſt ſui judex*, ob *inſitum mortalitati vitium, ſe ſuaque mirandi*, ut Seneca dixit *L. II. de Benefic. C.* 26. Ab hac labe nemo plane immunis, ſed alius alio pejor eſt. Qui quam maxime ea adficiuntur, ſibi ſoli videntur ſapere, atque adeo omnes, a ſe diſſentientes, magno ſupercilio ſolent explodere, ridere, & habere pro hominibus dubiæ ſanitatis. Hi ipſi ſententiam, quam ſemel amplexi ſunt, mutant nunquam, ne temere arripuiſſe videantur. De ſe ipſo Quintilianus *L. III. Inſtit. C.* 6. *Fortaſſe tutiſſimum erat famæ modo ſtudenti, nihil ex eo mutare, quod multis annis non ſenſiſſem modo, verum etiam approbaſſem.* Sed mox ait, conſultius & honeſtius eſſe, errores ſuos corrigere, ut præëuntibus Hippocrate & Marco Tullio ipſe correxit. Hos duces ſequi Fabium non puduit, *etenim*, inquit, *ſupervacuus foret in ſtudiis longior labor, ſi nihil liceret melius invenire præteritis.* Etiam Papinianus noſter, etiam alii JCti ſententias ſuas retractarunt, ſed quia de Marco Tullio monuit Fabius, accipe, quid ipſe dicat Libro *de Oratore ad Brutum, prope finem: Habes*, inquit, *meum de Oratore, Brute, judicium. Quod aut ſequere, ſi probaveris, aut tuo ſtabis, ſi aliud quoddam eſt tuum: in quo neque pugnabo tecum, neque hoc meum, de quo tantopere hoc Libro aſſeveravi, unquam affirmabo eſſe verius, quam tuum. Poteſt enim non ſolum aliud mihi, ac tibi, ſed mihi ipſi aliud alias videri.* Hanc modeſtiam imitemur, procul a rixis & jurgiis; ego utique ſancte polliceor, me quantocyus mutaturum ſententiam, ſi alias, cur mutem, rationes adferat Vir Clar. nam, quas hactenus attulit, me movere non poſſunt: an alios poſſint, ego non dixerim, ſed priusquam ſententiam ſuam quisquam dicat, velim *Julium Paulum* Cl. Noodtii, & deinde *Opuſculum* meum *de jure occidendi, vendendi & exponendi liberos* diligenter legat, atque ita inſtructus accedat ad *amicam Reſponſionem*, & has, quas ſubjeci, *Notas*.

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

OPUSCULUM

DE

CULTU RELIGIONIS PEREGRINÆ

APUD

VETERES ROMANOS.

AD LECTOREM.

De cultu Religionis peregrinæ apud Romanos, ſi per omnes ætates ejus Populi ire libet, prolixa eſſet Commentatio, nec niſi juſto Libro exſequenda: nam non eadem ſemper ejus rei cauſa fuit, ſed varia pro varia ratione Reipublicæ, pro metu, qui plus minusve ab exteris Religionibus imminebat, & maxime pro vario ingenio Principum, qui Rei Romanæ præfuerunt. Mihi non eſt animus, quicquid ejus rei eſt, excutere, cum id magis pertineat ad Hiſtoriam, ejusque partem, quæ de Religione eſt, quam ad Jurisprudentiam, quam ipſe profiteor. Semper mihi diſplicuit, & adhuc diſplicet alienas poſſeſſiones invadere, & luxuriantis ingenii pomœria extendere ultra fines & terminos ejus, quod cuique agendum eſt, ſi *hoc agat*. Scio, de termino moto actionem non eſſe inter Eruditos, ſcio, Prætorem non eſſe, qui de Jurisdictione cognoſcat, ſcio, partes quascunque Eruditionis ſibi mutuam operam præſtare, ſed miror, & ſæpe etiam indignor, Viros Doctos, quaſi in alium Orbem delatos, plane aliena tractare, & profeſſionis ipſos ſuæ obliviſci. Philoſophorum in primis ea ratio eſt; ludificantur illi, prætexto nomine, ſingularum artium peritos, ad ſe pertinere, ſuo jure, rati, quicquid in Sapientiæ contemplationem cadit. Prope ad hos accedunt Grammatici, qui non contenti Grammaticalia cujusque Diſciplinæ explicare, ipſas Diſciplinas aggrediuntur, earumque Profeſſores ſibi in triumphum ducere videntur. Philoſophis rurſus inſidiantur Theologi, *Metaphyſicam* profeſſi, aſſumpto, qui fallat, titulo *Theologiæ naturalis.* JCti, fœdera, teſtamenta, fidejuſſiones & expromiſſiones edocti, mox Theologos agunt, & neſcio quas non Digreſſiones Theologicas Libris ſuis inſerunt. Ne ipſe videar reus culpæ, quam increpo, præmitto duas Diſſertationes, quarum prima, ut a Theologis nobis ſalva res ſit, oſtendit, cultum Religionis ſemper pertinuiſſe ad curam Legum & JCtorum; ſecunda, ut ab Hiſtoricis caveamus, non omnia recenſet, quæ Romani, quacunque ætate, quod ad cultum Religionis peregrinæ obſervaverint, ſed quasdam duntaxat eorum Leges moresque, quibus via ſternatur ad duo Fragmenta veteris ævi, quæ Religionem peregrinam coërcent, quæque ſola huic Opuſculo cauſam præbuerunt. Alterum eſt *SCtum Marcianum de Bacchanalibus tollendis*, alterum, *Edictum Diocletiani & Maximiani contra Manichæos*, quod utrumque ut explicarem, putavi Jurisprudentiæ intereſſe. Quod ad primum, ut deinde audies, veni in vacuam poſſeſſionem, quod ad ſecundum, non item, nam & aliorum induſtriam id Edictum occupavit, ſed ſupererant, ſi quid judico, quæ interpretationem & emendationem noſtram deſiderabant. Ita, Lector, vale.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK
JCTI ET PRÆSIDIS,
OPUSCULUM
DE
CULTU RELIGIONIS PEREGRINÆ
APUD VETERES ROMANOS.

DISSERTATIO I.

Cultum Religionis ſemper pertinuiſſe ad curam Legum & JCtorum.

Quum & humana & ſacra Legibus regantur, Legumque peritiam JCti profiteantur, non profani duntaxat Juris, ſed & ſacri prudentia ad officium eorum pertinet. Recte igitur ipſam Jurisprudentiam definit Ulpianus in *l.* 10. §. 2. *ff. de Juſt. & jur.* quod ſit DIVINARUM *atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia.* Stoïci quidem divinarum humanarumque rerum ſcientia complectebantur definitionem Philoſophiæ, ut eſt apud Senecam *Epiſt.* 90. & Plutarchum *Præf. L.* I. *de Placit. Philoſoph.* ſed addit Ulpianus *juſti atque injuſti ſcientiam*, quæ, ut a præcedentibus verbis ſeparata, intellectu tamen cum his ſunt conjungenda, perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, in divinis & humanis verſari ſcientiam juſti & injuſti, locutione vulgari, qua conjuncta verbis disjungimus, ut apud Poëtam *chalibem frænosque momordit*, & *corporibus, labore* in *l.* 1. §. 3. *ff. de Muner. & honor.* Hanc Jurisprudentiæ definitionem recte etiam expreſſerunt Baſilici per τὸ εἰδέναι τὰ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα πράγματα, καὶ τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον, *ſcire res ſacras & profanas, & in his licitum atque illicitum*, ſed non recte, id eſt, exiliter admodum ea verba interpretatus eſt Scholiaſtes, dum reſtringit ad ſcientiam, quæ in venerandis & non alienandis ſacris conſiſtit. Scio, quod de *rebus divinis* dixit Ulpianus, etiam offendiſſe Reinhardum Bachovium ad τὰ πρῶτα *Pandect.* in *d. l.* 10. §. 2. *quia*, inquit, *nemo, niſi ipſe Deus, rationem ſui colendi docere poteſt, & qui Sacra cerimoniasque in Republica inſtituerunt, hac gratia Inſtituta ſua ad ipſos Deos retulerunt, tanquam ab his edocti.* Sed parum apud me valet ea ratio, quamvis Legum divinarum originem ad Deum referas, ut ipſe refert: nam etſi Lycurgus ab Apolline, Minos a Jove, Numa ab Egeria Leges ſuas ſe accepiſſe dixerint, poſtquam tamen eas Lacedæmonii, Cretenſes, & Romani receperunt, non dubitatur, quin illæ illorum Leges fuerint, quas obſervare Judices, & ſecundum quas reſpondere JCtos oportuit. Bene igitur ſe habet *d.* §. 2. nec minus bene, quod Juſtinianus in *l.* 1. §. 1. *C. de Jur. veter. enucl.* in eandem ſententiam dixit, Legum auctoritate regi res cum *divinas*, tum *humanas.* Unde Poſtumius apud Livium *L.* XXXIX. *C.* 16. ut Quiritium animos religione liberaret, ſi Bacchica Sacra omitterentur: in hanc rem ſufficere ait Patrum Decreta & SCta. Quapropter, ut Sacra pertinent ad curam Legum, & Leges ad curam JCtorum, neceſſe eſt, eos, qui Jurisprudentiam profitentur, utriusque Juris, & ſacri, & humani, eſſe peritos, quin & olim apud Veteres eorum ſcientia utroque nomine celebrabatur, ut conſtare poteſt ex aliquot locis, quos in hanc rem collegit Barnabas Briſſonius *Select. Antiquit L.* IV. *C.* 16.

Iidem quoque ſemper utique Juri præfuere, tam dicendo, quam docendo. Primum quidem Pontifices, qui Jus ſacrum conſtituebant & interpretabantur, ut Dionyſius auctor eſt *Antiquit. Rom. L.* II. *p. m.* 132. & 133. quique ipſi Jus Civile moderabantur, ut, præter Ciceronem & alios ipſe Pomponius enarrat in *l.* 2. §. 6. *ff. de O. J.* Poſtquam vero dolo bono Flavii, a Pontificibus ad JCtos profani Juris cura tranſiit, hi de ſacro Jure etiam ſoliciti, utrumque deinde profeſſi ſunt, editis quoque Libris de Jure Pontificum, aliisque, qui ad rem ſacram pertinebant. De Labeone vulgo fertur, plurima eum Juris ſacri volumina reliquiſſe, ſed dubito, hæc omnia, & vel horum quædam, ad Labeonem JCtum, an ad Labeonem Theologum referenda ſint, imo potius ad Theologum referenda videri diſputavi *Prætermiſſ.* ad *l.* 2. §. 47. *ff. de O. J.* Quemadmodum autem de eo nihil certi adfirmare licet, ita veriſſimum eſt, Atejum Capitonem aliquot Libros ſcripſiſſe *de Jure Pontificio*, ut apud Gellium legimus *L.* IV. *Noct. Attic. C.* 6. & apud Feſtum in V. *Mundus* Trebatium quoque noſtrum *de Religionibus* ſcripſiſſe non patitur dubitare idem Gellius; [illegible]

ecce *Librum ſecundum* ejus Operis laudat *L.* VI. *N. Att. C.* 12. & *Libros* omnino *novem de Religionibus* ſcripſiſſe Trebatium teſtatur Porphyrion ad *Horat. L.* II. *Satyr.* I. addo, qui de rebus ſacris tractaverit, Servium Sulpicium, JCtum, cujus *Librum ſecundum de Sacris deteſtandis* adducit ipſe ille Gellius eodem *L.* VI. *C.* 12. Quid per *Sacra deteſtanda* intellexerit Servius, non eſt expeditum dicere, an *deteſtanda ſacra* erunt infernalia & magica? ut apud Lucanum *Pharſal. L.* VI. *vs.* 430.

Deteſtanda Deis ſævorum arcana Magorum.

An ſimpliciter *Sacra deteſtanda* erunt impia? ut *vota deteſtanda* pro votis impiis Tacitus dixit *Hiſtor. L.* I. *C.* 50. & in hoc eſſem proclivior.

Apud JCtos igitur cum ſteterit utriusque Juris profeſſio, intererit ſcire, quo illi animo fuerint adverſus cultores Religionis novæ vel peregrinæ; & apparebit, eos pro avita Romanorum Religione defendenda novis Sectis ſe fortiter oppoſuiſſe, præſertim, ſi in Reipublicæ perniciem vel detrimentum viderentur vergere. Polybius *L.* VI. *Hiſtor. C.* 54. nulla re Romanos cæteris Gentibus plus præſtitiſſe refert, quam illa, quam de Diis habebant, opinione, & inter Romanos JCti reliquis omnibus facile ea in re præſtiterunt. Atque id, ad tuendum Reipublicæ ſtatum, quam maxime eos decebat, ſive Religionem, ut credere par eſt, ſerio & bona fide retulerint ad Deos, ſive duntaxat ad inſtitutionem civilem, ſed neceſſariam, ut refert Numa Pompilius apud Livium *L.* I. *C.* 19. & Polybius *d. loc.* & Ovidius *L.* I. *de Arte amand. prope fin.* hoc verſiculo:

Expedit eſſe Deos, &, ut expedit, eſſe putemus.

Sive, inquam, Juris noſtri Auctores Theologiam ex animo, ſive ex præſcripto Legum, & quidem neceſſario, coluerint, nemo mirabitur, eos utrovis nomine Religionis, in primis publice receptæ, fuiſſe tenaciſſimos. Etiam Chriſtiani JCtos, veterum Sacrorum Vindices, adverſarios ſuos experti ſunt; neque aliæ *injuſtæ* contra Chriſtianos *Juriſperitorum diſputationes*, quas memorat Lactantius *Inſtitut. Divin. L.* V. *C.* 11. Quin nec alia, opinor, cauſa fuit, quod fœcunda illa JCtorum meſſis, quæ Alexandri Severi ævo celebrabatur, mox ſub Conſtantino M. & deinceps, tantum non exaruerit, quam quod mutatis Sacris non continuo etiam JCtorum animi mutarentur; illi ſtabant pro antiquis aris & focis, & hinc occidit ſpes omnis & fortuna eorum nominis. Quum autem antea Principum, qui avitam Religionem defendebant, conſiliis non tantum intereſſent, ſed & præeſſent, facile impetrarunt Edicta & Reſcripta, quibus obviam iretur novis Sectis, ſi quid ex his Reſpublica detrimenti caperet. Domitius *L.* VII. *de Offic. Proconſ.* Reſcripta illa collegit, ut Lactantius teſtatur *d. L.* V. *C.* 11. nam ibi omnino legendum eſſe *Libro* VII. & de Domitio Ulpiano id, quod ibi dicit, eſſe intelligendum, contra quorundam ineptas cavillationes, a Viris eruditis ſatis nunc eſt defenſum & probatum.

Sed JCti veteres in hiſce omnibus non aliter ſapiebant, quam ad normam Legum, quæ, ut ut faverent libertati Religionis, cavebant tamen, ne quid novæ vel peregrinæ Religionis admitteretur, quod Rempublicam turbare poſſet. Inſigne ejus rei argumentum eſt in *SCto Marciano de Bacchanalibus*, quod integrum ex antiquitate nobis ſupereſt, & in *Edicto Impp. Diocletiani & Maximiani contra Manichæos*, quod, ex Codice Gregoriano, ſervavit *Legum Moſaicarum & Romanarum Collator Tit.* XV. §. 3. Quod utrumque priusquam explicem, paucis indagabo, de Religionibus exteris quid generaliter ſenſerint, quid decreverint Romani, ut inde ad Leges ſpeciales, quæ utroque Fragmento continentur, commodior ſit tranſitus.

DISSERTATIO II.

Quo loco apud Romanos fuerint Religiones peregrinæ, & an earum cauſa coire licuerit.

Odium Religionis non peræque olim omnes Gentes infecerat, ut nunc infecit. Quæ aliqua animi magnitudine cenſebantur, non tam proclives in illud odium, quam quæ puſillioris erant animi, his enim naturale eſt odiſſe, qui a ſe diſſentiunt, cum maxime in cauſa Religionis. Ex Ægypto origo mali; de Ægyptiorum, hac in re, odio erga vicinos facete dixit Juvenalis *Satyr.* XV. *vſ.* 34. *& ſeqq.*

Inter finitimos, & quæ ſequuntur.

Hoc odium ex Ægypto Judæi deportarunt in Syriam; de Judæis hoc nomine Tacitus *L.* V. *Hiſtor. C.* 6. *adverſus omnes alios hoſtile odium.* Chriſtiani, partim a Judæis orti, etiam in hiſce ſibi nimium indulſere, contra diſſentientes ad ipſam furcam & crucem rabioſi potius, quam religioſi. Ex illis, odii Ægyptiaci hæredibus, prognati Turcæ, qui aliorum impatientes, ſibi ſolis, ne Religione quidem excepta, omnia vindicant avidi. Unde & Mohamet III. Turcarum Imperator, conſpectis donis, quæ anno CIↃIↃCLXVIII. ad ipſum detulerat Legatus Ordinum Fœderati Belgii, quum Belgarum ſolertiam laudaſſet, mirari ſe addidit, Belgas, homines adeo ingenioſos, Religionem ſuam nondum fuiſſe amplexos, ut Aytzema refert *Annalibus Belgicis L.* XLVIII. *p. m.* 583. His autem, quos diximus, illo odio innutritis, illa labes per univerſam Europam, magnasque Aſiæ, Africæ, & novi Orbis partes diſperſa fuit.

Plus olim magnanimi, atque adeo clementiores hac in parte Perſæ, Græci, Romani, fere ut hujus mali immunes fuiſſe dixeris. Illi ſuos quique colebant Deos, & ferre poterant, ſi & alii ſuos quoque colerent, & Sacra, quamvis a ſuis diverſa, ſuo more peragerent; rati ſcilicet ſine Deorum invidia & zelotypia id fieri, ſin minus, *Deorum injurias*, ſi quæ eſſent, *Diis curæ eſſe*, ut Tiberium dixiſſe legimus. De ſolis Romanis nunc nobis ſermo erit, non quidem per omnes ejus Populi ætates, id enim longum eſſet, ſed quaſi per Satyram, ad usque mutationem Sacrorum ſub Conſtantino. Fateor, ut non eadem ætas, ſic non eandem ſemper illis mentem fuiſſe, & Religionis peregrinæ cauſam nunc durius, nunc benignius habitam pro variis cauſis, quæ incidebant, ſed auſim præſtare, veteres Romanos, modo abeſſet ratio læſæ Reipublicæ, non modo ſingulis hominibus, ſed & totis Corporibus, indulſiſſe cultum cujuslibet Religionis, & facile eſſe paſſos, ut quisque ea lege ſaluti ſuæ conſuleret, qua maxime putaret, ſe ejus compotem fieri poſſe. Quod ut probem, dabo regulam ex Jure Romano in eandem plane ſententiam, dabo exceptionem, quæ contra nimiam libertatem ſtatum Reipublicæ tuetur, di-

bo auctoritates & exempla, quæ utrumque, quod dixi, confirment.

Collegia & Corpora, quæ primum Numa inſtituit, ut Plutarchus tradidit in *Numa p. m.* 126. apud Romanos fuerunt cum licita, tum illicita; quin, quæ licita fuerant, poſtmodum aliquando prohibita ſunt, ſi nempe abuterentur jure ſuo: & aliam, forte licitam, coëundi rationem prætexerent, aliam vero, eamque illicitam, haberent. De ejusmodi Collegiis & Corporibus JCti noſtri quum agant, quæri videas, an etiam Religionis cauſa coïre liceat? Et Marcianus in *l.* 1. *pr. ff. de Colleg. & Corpor.* poſtquam Collegia & Sodalitia illicita enumeraſſet, in §. 1. addit: *Sed Religionis cauſa coïre non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra Senatusconſultum, quo illicita Collegia arcentur.* Quæ ſine ambagibus ita interpretor: convenire licere, Religionis ſuæ exercendæ ergo, etſi publice non receptæ, dummodo ne vetitæ. Jacobus Ræverdus *L.* III. *Conjectan. C.* 13. intelligit *d.* §. 1. de profectionibus ad templum aliquod, de quibus eſt apud Plinium *L.* IX. *Epiſt.* 39. & cujusmodi profectiones, Religionis Romanæ cauſa, ſub Imperatoribus Chriſtianis etiam Libanius commemorat in *Orat. pro Templis*, ſed ea ſententia nos non utimur, quia, quod Marcianus dixit, omnino dixit de Religione peregrina, nam de Romana, eaque patria, admonere, quod ejus cauſa coïre liceret, quid eſſet niſi nugas agere? Quinimo nec ita conveniret addita exceptio, *dum tamen per hoc non fiat contra SCtum* &c. Significat igitur, inter coïtiones illicitas non eam eſſe cenſendam, quæ fit cauſa Religionis, cujuscunque demum, modo ne Lex interceſſerit. Ob eandem rationem ab hoc loco etiam aliena puto, quæ Cujacius notavit *L.* VII. *Obſerv.* 30. quæque alii fideliter tranſcripſerunt, de Fredianis, Dendrophoris, Chiliarchis, & Centenariis, hi enim, ut apparet ex *l.* 20. *C. Theod. de Pagan. ſacrific. & templ.* conſtituebant Collegia ipſorum Gentilium, atque adeo non pertinebant ad cauſam Religionis peregrinæ, de qua ſola licet Marcianum exaudire.

Habemus igitur regulam, habemus exceptionem. Regula eſt: exteras Religiones licet profiteri, & vel in eam rem convenire. Quamvis enim verum eſſet, quod vulgo fertur, Romulum prima & rigidiſſima illa Populi Romani ætate peregrinos Deos repuliſſe, attamen, ut mox dicam, poſtea placuit eos Civitate donare, &, ut id fieret, etiam ratio Reipublicæ poſtulabat, cujus ſalus ſuprema ſemper Lex fuit. De priſca illa Populi Romani ætate etiam Propertius dixit *L.* IV. *Eleg.* I.

Nulli cura fuit externos quærere Divos,
Quum tremeret patrio pendula turba Sacro.

Sed, ut dixi, aliud deinde Reipublicæ ſalus exigebat. Contradicit, fateor, Mæcenas *Oratione ad Auguſtum* apud Dionem *L.* LII. *prope fin.* dum ſuadet, peregrina Sacra eſſe arcenda, non modo Deorum gratia, ſed & quod cum peregrinis Sacris peregrinæ etiam Leges adſciſcantur, & inde naſcantur coïtiones & tumultus, Reipublicæ graves; ſed diu eſt, ex quo didicerant Romani, difficile eſſe Religionis impetum cohibere, &, ſi extera Sacra proſcribantur, proſcribi etiam homines, qui eo zelo ducuntur, & id in primis Reipublicæ eſſe grave ac noxium. Sola Religio eſt, quæ, ut alibi Lactantius ait, *cogi non poſſit*, & exſtant in eam ſententiam complura Veterum & Recentiorum Benedicta, quæ quia ab aliis dudum coacervata ſunt, ipſe non apponam; ut neque exſequar rationes, quæ pro illa ſententia, veriſſima & æquiſſima, adferri poſſint, quia & id alii prolixe præſtiterunt, & nuper etiam Vir Clar. Gerardus Noodt *Oratione*, quam habuit, *de Religione ab imperio Jure Gentium libera.* Noſtrum erit quærere, non quid, aut qua ratione de libertate Religionis dixerint, vel contradixerint Auctores, ſed potius, quid fecerint Romani, atque ita quo illi loco habuerint Religiones peregrinas.

Videntur autem Romani, de Gentilibus ſemper loquor, cum Symmacho ſuo ſenſiſſe, qui, in cauſa Religionis, *L.* X. *Epiſt.* 54. ita infit: *Quid intereſt, qua quisque prudentia verum inquirat? uno itinere non poteſt perveniri ad tam grande ſecretum.* Si Titius igitur aliud iter, quam Mævius, ſibi calcandum duxerit, ſine fraude ei fuit; & hinc eſt, quod apud Dionyſium Halicarnaſſ. legimus *L.* II. *p. m.* 91. innumeras Gentes Romam commigraſſe, & patrios Deos domeſtico ritu coluiſſe, ſed tamen peregrina Sacra publice recepta non fuiſſe. Hoc dicit ille locus, non, ut vulgo dicitur, Romulum ſimpliciter omnes peregrinos Deos arcuiſſe. Huc etiam pertinet, quod Euſebius annotavit *Præpar. Euangel. L.* II. *C.* 10. exteros nempe Romæ ſecundum ritus patrios Religionem ſuam fuiſſe profeſſos, publice duntaxat nihil eorum recipi. Imo & recepta aliquando fuiſſe peregrina Sacra, ſatis eſt apertum ex ipſa Lege, quæ olim novos Deos coli vetabat apud Ciceronem *L.* II. *de Legib. C.* 19. *Separatim*, inquit, *nemo habeſſit Deos, neve novos: ſed ne advenas, niſi publice adſcitos, privatim colunto.* Habes Legem antiquam, cujus rationem exſequitur Cicero *d. L.* II. *C.* 25. *ſuos*, ait, *Deos, aut novos, aut alienigenas coli, confuſionem habet Religionum.* Habes exceptionem, *niſi Dii peregrini publice fuerint adſciti.* Finxit quidem illas Leges Cicero, ſed finxit, ſi non ex Jure, certe ex more Majorum, ut ipſe dixit *d. L.* II. *Cap.* 23. Et quam liberales fuerint Romani in adſciſcendis novis Diis, palam ſignificat Cæcilius apud Minucium Felicem in *Octavio: Dum*, inquit de Romanis, *undique hoſpites Deos quærunt*, ET SUOS FACIUNT, *dum aras exſtruunt, etiam ignotis Numinibus & Manibus; ſic, dum univerſarum Gentium Sacra ſuſcipiunt, etiam regna meruerunt.* qui locus, ut nunc legitur, recte legitur, perperam ſollicitatus ab Heraldo *Not. ad Minut. Felic.* Unde & *Deorum*, ubicunque Gentium cultorum, *curia*, ut Tertullianus appellat, Romæ fuit, niſi quod huic Curiæ non interfuerit Deus, quicum alii omnes non ſatis conveniebant. Suaviter id expreſſit Auguſtinus *L.* I. *de Conſenſ. Euangel. C.* 18. dum ait, Romanos coluiſſe omnes Deos, præter unum, id eſt, verum, *quia*, addit, *ſolum ſe coli voluerit, illos autem Deos, quos iſti jam colebant, coli prohibuerit.* Oportuiſſet ſane, ſi verum Deum recepiſſent, omnes alios, ſive indigenas, ſive hoſpites, Urbe & Imperio expellere. quod fieri non placuit.

Sed age, per partes probemus, Romanos variis Gentibus, intra Imperii ſui fines, permiſiſſe mores & ritus ſacros, etiam abſurdiſſimos & turpiſſimos. Refert Bardeſanes apud Euſebium *Præpar. Euangel. L.* VI. *C.* 8. multos ſuo tempore Perſas fuiſſe in Ægypto, Phrygia, & Galatia, qui Romanorum, quibus ſuberant, de inceſtis nuptiis Leges non ſervabant; itemque Gallos, quibus vetus eſt pati muliebria, ſine in-

infamia nubere; Syros quoque, Phrygas, alioſque, in honorem magnæ Matris Deorum, genitalia ſibi præcidere, & hæc, & plura alia obſcœna, quæ de aliis Gentibus ibi recenſet, ubicunque locorum, in Imperio Romano, obſervari. Ægyptia Sacra, quibus nemo facile ſtultiora dabit, Romæ quoque licita fuiſſe narrat & damnat Tertullianus *Apolog. C.* XXIV. *Ægyptiis*, inquit, *permiſſa eſt tam vanæ ſuperſtitionis poteſtas, avibus & beſtiis conſecrandis, & capite damnandis, qui aliquem hujusmodi Deum occiderit.* Plus dico; non tantum licita fuiſſe Ægyptia Sacra, ſed &, contra quam Dionyſius & Euſebius mox dicebant, publice recepta. Ex aliquot ipſius Varronis locis id probatum ivit Colerus ad *Valerii Max. L.* I. *C.* 3. Addo Octavium apud *Minucium Felic.* his verbis: *Nonne & Apim bovem cum Ægyptiis adoratis & paſcitis? nec eorum Sacra damnatis, inſtituta ſerpentibus, crocodilis, belluis cæteris & avibus, quorum aliquem Deum ſi quis occiderit, etiam capite punitur.* Quin tanta inſania arripiebantur hæc Sacra, ut poſtea abolere placuerit, quemadmodum & alia aliorum Sacra, quæ Romanos mores inficiebant, vel alias Reipublicæ noxia eſſent, plus ſemel vetita ſunt, ut docent exempla apud Valerium *d. L.* I. *C.* 3. Pro varia Reipublicæ ratione eadem Sacra nunc permiſſa, nunc recepta, nunc abolita fuerunt, & de omnibus externis abolendis ſæpe eſſe actum Poſtumii apud Livium Oratio declarat *L.* XXXIX. *C.* 16. *Quoties*, inquit, *hoc patrum avorumque ætate negotium eſt Magiſtratibus datum, ut Sacra externa fieri vetarent? ſacrificulos vateſque foro, circo, Urbe prohiberent? vaticinos Libros conquirerent comburerentque? omnem diſciplinam ſacrificandi, præterquam more Romano, abolerent? judicabant enim prudentiſſimi Viri omnis Divini humanique Juris, nihil æque diſſolvendæ Religionis eſſe, quam ubi non patrio, ſed externo ritu ſacrificaretur.* Honeſta Oratio! ſed qua magis mihi uſus videtur Poſtumius, ut Bacchanalia abolenda eſſe perſuaderet, quam ut iterata illa totiens Decreta recitare poſſet. Cum ventum ad verum eſt, Leges moreſque, quibus recenſendis nunc occupor, tantum repugnant, ut Poſtumium de peregrinis Sacris arcendis plus dixiſſe, minus ſenſiſſe exiſtimem. Aliquando tamen, ut modo dicebam, profeſſio Religionis peregrinæ diſplicuit, & hinc quoque apud Livium *L.* IV. *C.* 30. Ædilibus negotium datum eſt, *ut animadverterent, ne qui, niſi Romani Dii, neu quo alio more quam patrio colerentur*, verum hoc ita, ut coërcerentur, *quibus*, ut Livius ait, *quæſtui erant capti ſuperſtitione animi.* Ob eandem, vel ſimilem rationem, cum e re publica eſſe videretur, proſcripta ſunt Sacra externa, de quibus Valerius *d. L.* I. *C.* 3. & vel ipſa Iſiaca Sacra, tam avide arrepta, deinde apud Romanos pœnam meruerunt, ut præter Valerium *d. loc.* etiam Auguſtinus & Tertullianus monuerunt, hic *Apolog.* *C.* VI. ille *de Civit. Dei L.* XVIII. *C.* 5. Quamvis autem Romæ vetita fuerint Iſiaca Sacra, in Ægypto tamen, ſub Romanis, retenta fuiſſe, ſatis indicat Juvenalis *Satyr.* XV. *vſ.* 34. *& ſeq.* & Philo Judæus *Legation. ad Caj. p. m.* 845.

Judæos etiam Romæ Proſeuchas ſuas habuiſſe, in quibus, ſecundum Religionem patriam, conveniebant, nemine prohibente, auctor eſt ipſe ille Philo Judæus *ead. Legation. ad Caj. p. m.* 847. Et idem ibidem *p.* 864. memoriæ prodidit, D. Auguſtum Judæorum per Aſiam cœtus, qui Religionis cauſa habebantur, Reſcripto ſuo ad Provinciarum Præſides defendiſſe, quia neque luxus neque turbandæ pacis pericula inde metuebantur, neque etiam, ut addit, *Bacchanalia* (de quibus mox dicam) neque ullæ ſeditioſorum coïtiones. Et quo præterea animo fuerint Romani erga Judæos, cum libera, tum occupata Republica, luculenter expoſuit Franciſcus Balduinus in *Præfatione* ad *Edict. veter. Princip. Roman. de Chriſtian.* & paſſim in ipſo Opuſculo. Quin ea Romanorum circa hos indulgentia fuit, ut illam virilia mutilandi conſuetudinem, de qua Tacitus *L.* V. *Hiſtor. C.* 5. & Bardeſanes apud Euſebium *Præpar. Euangel. d. L.* VI. *C.* 8. quamque adeo Romani deteſtabantur, Judæis tantum non ſemper permiſerint. Hanc etiam conſuetudinem Judæi omni ævo ſibi ſervare conati ſunt tanta pertinacia, ut ſine Gentis internecione haud facile tolli potuerit: nam ecce, poſtquam Adrianus genitalia mutilari vetuerat, ingens continuo bellum, ut Spartianus retulit in *Adriano C.* XIV. quod tandem cum everſione Gentis finitum eſt. Repullularunt tamen mox, & rebellarunt denuo tempore Antonini Pii, ſed & tunc victi, ut eſt apud Capitolinum in *Antonino Pio C.* V. qui tamen, ut erat leniſſimus Princeps, circumciſionem eis indulſit: *circumcidere*, inquit Modeſtinus in *l.* 11. *pr. ff. ad L. Cornel. de ſicar.* *Judæis filios ſuos tantum Reſcripto Divi Pii permittitur, in non ejusdem Religionis, qui hoc fecerit, caſtrantis pœna irrogatur.* Septimii Severi tempore rurſus bellum, victique rurſus Judæi, ut Spartianus narrat in *Severo C.* XVI. quod in Euſebiano Chronico ad annum Severi quintum refertur. Severus autem *Judæos fieri ſub gravi pœna vetuit*, ut mox addit Spartianus *C.* XVII. Poſtea id ipſe Severus videtur molliviſſe, nam de eo & Antonino Ulpianus in *l.* 3. §. 3. *ff. de Decurion.* ita ſcribit: *Eis, qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur, D. Severus & Antoninus honores adipiſci permiſerunt.* Quod Severus hic permiſit, vides permiſiſſe, cum jam Baſſianum filium, Imperii ſocium, adſciviſſet, atque ita poſtremis Imperii ſui temporibus. Alciato & aliis non ſatis cauſæ fuit, cur in *d. l.* 3. §. 3. *Severum* mutarint in *Verum*, & cur illam Conſtitutionem ad Chriſtianos retulerint, non ad Judæos, de quibus agit: utrique enim & in Legibus & in Annalibus Romanorum diligenter fere diſtinguuntur, etiam a Spartiano *d. C.* XVII. Heliogabalus, ex more Syrorum, qui ſolos haberi Deos volunt, quos ipſi colunt, id egit, ut Judæi, cæterique omnes, unum illum Deum ſuum *Heliogabalum* colerent, ut auctor eſt Lampridius in *Heliogabalo C.* III. Alexander Severus, mitiſſimus Princeps, *Judæis privilegia reſervavit*, ut idem Lampridius tradit in *Alexandro C.* XXII. Crederes, Reſcriptum Antonini Pii intelligi, de quo eſt *d. l.* 11. *pr.* vel Conſtitutionem Severi & Antonini in *d. l.* 3. §. 3. vel utrumque, niſi & alia de Judæis, eorumque circumciſione, conſtituerit ipſe Alexander, inter quæ forte ea, quæ Paulus retulit *Sentent. L.* V. *T.* XXII. §. 3. *&* 4.

Chriſtianorum res quo loco apud Principes Romanos fuerint ad usque Conſtantinum, ſi pro dignitate argumenti excuterem, horum temporum Hiſtoria Eccleſiaſtica mihi eſſet conſcribenda; poſſumque eam operam hoc magis fugere, quod ſolicite id præſtiterit ille, quem modo laudabam, Franciſcus Balduinus Libello, quem edidit *ad Edicta veterum Principum Romanorum de Chriſtianis*, ubi omnia ea Edicta recenſuit & annotavit, ut & Plinii de Chriſtianis Conſultationem, & ad eam Trajani Reſcriptum. Quod Opuſculum ſi vidiſſet & legiſſet Gerardus Joannes Vos-

Voſſius, tuto potuiſſet abſtinere a ſcriptione Libri, ejusdem plane argumenti, hoc Titulo: *Commentarius in Epiſtolam Plinii de Chriſtianis, & Edicta Cæſarum Romanorum adverſus Chriſtianos;* nihil enim, quod quidem alicujus operæ pretium eſt, ibi reperies, quod non occupaverit Balduinus. Ex iis autem omnibus, quæ de Chriſtianis ſuperſunt, ſatis conſtat, non eadem omnium Principum circa hos fuiſſe Decreta, ut non idem omnium fuit animus, & erga diſſentientes, in cauſa Religionis, improbus zelus. Nunc æquiora, nunc iniquiora fuere tempora, nec Chriſtianorum cauſa, ab his jactata, ab illis benignius habita, ſemper ſtetit pari loco. Interea hoc mihi videor obſervaſſe, etiam ex ipſis Chriſtianorum Libris apologeticis, nullos, ne Judæos quidem, durius fuiſſe habitos, nullos Romanis magis inviſos; non alia, opinor, ratione, quam quod Romani, qui nunquam Religionem ſeparabant a rationibus Imperii, ab illis ſibi quam maxime metuerent. Metuebant autem duplici potiſſimum de cauſa: altera, quod Chriſtiani non niſi unum Deum profiterentur, in reliquum Deorum chorum non creduli; altera, quod Imperatoribus non ſacrificarent, nec eorum imaginibus thure ac vino ſupplicarent. Primam cauſam accepi ab Auguſtino *d. L.* I. *de Conſenſ. Euangel. C.* 18. & ea mihi omnino eſt probabilis, aliud enim eſt connivere ad peregrina Sacra, ſuis non noxia, aliud admittere cum detrimento & contemptu ſuorum. Scio & Judæos unum duntaxat Deum coluiſſe, & adhucdum colere, ſed tamen illi, ut & ipſe Arnobius alibi ſignificat, magis accedebant ad Gentilium ritus, quia templis, aris, victimis, & ſimilibus cerimoniis Sacra ſua obibant. Aliam cauſam paſſim adferunt ipſi Chriſtiani, nec ea minus eſt probabilis, quia enim non ſacrificabant Imperatoribus, ut nec ſalva Religione poterant, hinc, ut perpetua eorum querela eſt, læſæ Majeſtatis accuſabantur damnabanturque. His addo, Chriſtianos, Idola damnantes, etiam Idolorum artificibus lucra ſua intervertiſſe, & operas, ex quibus vivebant, ludibrio expoſuiſſe, qua ratione Demetrius, aliique Epheſii Paulo, pro Religione Chriſtiana diſputanti, ad ſeditionem usque ſe opponebant, ut eſt in *Actis Apoſtol. C.* XIX. §. 24. *& ſeqq.* Quin amovendi erant Pontifices, Augures, Virgines Veſtales, quique alii pro ſalute Reipublicæ dicebantur excubare, amovenda Auguriorum & Obnunciationum ſolemnia, ſi quid incrementi caperet res Chriſtiana. Nullum, fateor, Edictum, vel Reſcriptum alicujus Principis nobis eſt reliquum in Pandectis, nulla cujusquam JCti Lex, quæ aperte Chriſtianos notat vel damnat, ſed ecquis mirabitur, Tribonianum, Chriſtianis addictum hæc omnia data opera omiſiſſe, & maluiſſe ſilentio præterire, quam incruſtare, vel cum dedecore eorum meminiſſe. Sunt tamen, qui exiſtimant ad Chriſtianos pertinere, quod Divus Marcus reſcripſit in *l.* 30. *ff. de Pœn.* in inſulam relegandos eſſe, *qui leves hominum animos ſuperſtitione Numinis terrent*, & quod Paulus *L.* V. *Sentent. T.* XXI. §. 2. de iis dixit, *qui novas, & uſu vel ratione incognitas Religiones inducunt*; & quod Ulpianus in *l.* 1. §. 3. *ff. de Extraord. Cognit. de impoſtoribus*, *qui exorcizant.* Quod Ulpiani convicium variis rationibus ad Chriſtianos retulit Balduinus *ad Edict. Princip. Roman. de Chriſtian. p. m.* 97. Sed quamquam nihil horum ad Chriſtianos pertineret, aliunde tamen liquido conſtat, fuiſſe ejusmodi Principum Edicta & Reſcripta, quæ a variis collecta etiam nunc exſtant, fuiſſe etiam JCtorum contra Chriſtianos Diſputationes, ut ex Lactantio probabam *præced. Diſſertatione.*

Quamvis autem generaliter, ut dixi, apud Romanos Religionis cauſa licuerit coïre, non tamen licuit ſub prætextu Religionis illicitos cœtus agere. Audi Ulpianum in *l.* 2. *ff. de Extraord. crimin. Sub prætextu*, inquit, *Religionis, vel ſub ſpecie ſolvendi voti, cœtus illicitos nec a Veteranis tentare oportet.* Sæpe criminibus prætexitur Religio, ut, qui his ſe opponunt, etiam ſe Deo opponere videantur, ſed & ſæpe, prætexto crimine, in Religionem inſurgitur, ut qui adverſus Religionem nihil audent, audere poſſint adverſus crimina. Flaccum in Ægypto cœtus & ſodalitia ſuſtuliſſe, quod falſo Religionis prætextu ad luxum haberentur, memorat Philo Judæus *contra Flaccum princ. p. m.* 807. Sodalitia etiam ne paterentur eſſe, mandatis Principum, Præſides juſſi ſunt *l.* 1. *pr. ff. de Colleg. & corp.* Ἑταιρείας Græci vocant, de quibus eſt & *l. ult. ff. eod.* quam explicavi *L.* I. *Obſerv.* XVI. Et hæc Sodalitia, quorum plurima mentio eſt in antiquis Lapidibus, Deo Deæve alicui fere ſacra, rectius ad religioſos, quam civiles conventus retulit Raphaël Fabrettus *Inſcript. Antiq. C.* VI. *p.* 429. Cur autem illa Romanis diſplicuerint, Balduinus expoſuit ad *Edict. Princip. Roman. p. m.* 51. Plinius quoque, ut Chriſtianorum cauſæ noceret, ſe, ex mandato Trajani, Ἑταιρείας prohibuiſſe ad Trajanum ſcribit *L.* X. *Epiſt. p. m.* 101. notum quippe eſt, Chriſtianis, qui conveniebant ad capiendum cibum, promiſcuum & innoxium, objectas fuiſſe cœnas Thyeſteas, aliaque crimina. Si hæc, ſi alia duriora adverſus Chriſtianos decreta ſint, *qui ſacramento non in ſcelus aliquod ſe obſtringebant, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent*, ut hæc ex eorum ore Plinius ibidem recitat, quo animo Romanos Principes fuiſſe putemus adverſus eos, qui cœtus nocturnos ſceleribus reddiderunt infames, ut Gnoſtici, quo item adverſus impuriſſimam, qua de mox dicam, ſectam Manichæorum. in Diocletiano certe, cujus contra Manichæos Conſtitutionem hoc Opuſculo leges, id nemo mirabitur, qui ſciverit, ut ſciunt omnes, non fuiſſe inter Principes Romanos, qui adverſus ipſos Chriſtianos plus ſævierit Edictis, ferro, igne.

Hactenus de regula & exceptione generali, ſequitur alia exceptio, &, ut videtur, ſpecialis in *d. l.* 1. §. 1. *ff. de Colleg. & corpor. Dum tamen per hoc non fiat contra SCtum, quo illicita Collegia arcentur.* Eſt hæc exceptio, ut ex regula patet, accipienda de SCto, quo illicitæ coïtiones, non cujusvis rei, ſed Religionis cauſa, prohibentur. Poſſes prima facie hæc verba intelligere de omnibus legibus & SCtis, quibus vetita ſunt peregrina Sacra, ut fuerunt quædam, quamvis, ut dixi, pauciſſima, nec fere, niſi ſi quid ab ejusmodi Sacris ſibi metuerent Romani. Vide quam pauca adverſus Religionem peregrinam collegerit Valerius *d. L.* I. *C.* 3. & quam pauca ipſe addiderim, addidi autem, quæcunque ſcio, niſi forte SCtum, quo, poſtquam actum erat de Sacris Ægyptiis Judaïcisque pellendis, porro placuit, *ut quatuor millia libertini generis, ea ſuperſtitione infecta, queis idonea ætas, in Inſulam Sardiniam veherentur*, ut Tacitus auctor eſt *L.* III. *Annal. C.* 85. Poſſes, inquam, prima facie de his omnibus Marciani verba intelligere, ſed tamen, quum unius tantum SCti faciat mentionem, fere eſt, ut credam intelligi præclarum illud, & ſi quod aliud, ce-

celeberrimum SCtum de Bacchanalibus tollendis, quod factum eſt Q. Marcio Philippo & Sp. Poſtumio Albino Conſulibus Anno U. C. DLXVII. Vetita ſunt eo SCto nefanda illa Bacchanalium Sacra, non ob Religionem, etſi peregrinam, ſed ob ſcelera, quæ ejus prætextu perpetrabantur. Originem Bacchanalium, furores impios, nequiſſimas in omnia facinora conjurationes, & denique SCtum, quo hæc coërcita ſunt, luculenter deſcribit Livius *L.* XXXIX. *a* C. 8. *ad* 20. De his etiam vetus Scholiaſtes Juvenalis ad *Satyr.* II. *vſ.* 3. ubi ad illa, *Bacchanalia vivunt*, ita notat: *crimínoſe vivunt, id eſt, qui ſub ſpecie* [illegible] *ſeveritatis ſunt impudici; nam Sacra Bacchanalia ex iis condemnata ſunt, cum probatum eſſet Senatui, honeſtiſſimas fœminas ad Stimulæ Deæ lucum ſolere adulterari.* Petrus Pithœus ad illum Scholiaſten pro *ex iis*, legit, *ex SCto*, vel ex XII. ſcilicet Tabulis, ſatis truculenta criſi, ſed & perperam hoc, quia XII. Tabulis nihil de Bacchanalibus eſt cautum, nam quod ibi de *Sacris nocturnis* eſt, huic loco non convenit, quum ob ſcelera Bacchanalia improbata referant Scholiaſtes & Livius, non ob coïtiones nocturnas. At hæc XII. Tabulæ latæ ſunt Anno U. Cond. CCCIII. & tempus Bacchanalium ſublatorum incidit, ut dixi, in Annum DLXVII. utque ita hæc mera ſit Pithœi ἀνιστορησία. Neque etiam placere poteſt prior ejus Lectio, quia ſic non convenit τὸ *nam*, quod vim cauſæ vulgo habet, nec, ſi ita emendes, ullam haberet. Scio, apud poſteriores Scriptores hanc voculam, etiam ſine ſignificatione cauſæ, hic illic occurrere, ſed non eſt, ut id dicamus, neceſſe, quia locus Scholiaſtis, non mutata ſcriptura, eſt planiſſimus. Ait, *ex iis*, hoc eſt, *propter ea*, ἀναφορικῶς, propter impudicitiam nempe, qua de ante dixerat, & mox dicit in ſequentibus. De iisdem Bacchanalibus ſublatis Tertullianus *Apolog.* C. VI. ita inſit: *Liberum Patrem cum myſteriis ſuis Conſules, Senatus auctoritate, non modo Urbe, ſed univerſa Italia eliminaverunt.* Id ipſum quoque Auguſtinus tradidit *L.* VI. *de Civitate Dei C.* 9. *Hæc* (Bacchanalia) *poſtea diſplicuerunt Senatui ſeniori, & ea juſſit auferri.* ſic eſt in teſtimoniis.

Sed vero ipſum illud SCtum Marcianum de Bacchanalibus tollendis hodieque integrum exſtat. Primum, quod ſciam, id extulit Jacobus Gronovius ante Ciceronem, quem Lugduni Batavorum edidit Anno CIↃIↃCXCII. habuit autem ipſe, ut in *Præfatione* monet, ex Bibliotheca Ampliſſimi Graviſſimique quondam Viri Joannis de Wit. Deinde & Raphael Fabrettus, quum *Inſcriptiones Antiquas* Romæ ederet Anno CIↃIↃCXCIX. ex Tabula ærea, quam accepit ab Auguſtino Scilla, Pictore Meſſanenſi, id ipſum SCtum exhibuit *C.* VI. *p.* 427. & ex eo *Tomo* V. Livii ſui ſubjecit Vir Clariſſimus & Doctiſſimus Joannes Clericus. Dignum ſane antiquitate monumentum, ſed hic illic immane corruptum, nec a quoquam reſtitutum vel explicatum. Vellem, Gronovius vel Fabrettus, qui SCtum ediderunt, etiam illuſtraſſent, & a Fabri, qui ſculpſit, vitiis purgaſſent, me enim longe doctiores fuerunt in his, quæ tam caſcum olent, ſed transmiſerunt absque ulla interpretatione. Prima Editio, quam Gronovii eſſe dixi, expreſſit SCtum literis uncialibus, ſemi quandoque exeſis, & vetuſtæ in primis notæ. Ego, ſecutus illam Editionem, deſcribam SCtum, ſed, quo magis intelligatur, charactere vulgari, & quia vel ſic adeo obſcurum eſt, ut hic illic egeat Interprete, notas & conjecturas quasdam deinde addam. Ecce, ut æri inciſum, & a Gronovio eſt editum, ſermone vetuſto, ſervata, quæ ibi eſt, ſcriptura & interpunctione.

SCtum Marcianum de Bacchanalibus tollendis.

MARCIUS. L. F. S. POSTUMIUS. L. F. COS. SENATUM CONSOLUERUNT. N. OCTOB. APUD. ÆDEM DUELONAI. SC. ARF. M. CLAUDI. M. F. L. VALERI. P. F. Q. MINUCI. C. F. DE BACCANALIBUS. QUEI. FOEDERATOI ESENT. ITA. EX. DEICENDUM. CENSUERE. NEI QUIS. EORUM BACANAL HABUISE VELET. SEI QUES. ESENT. QUEI. SIBEI. DEICERENT. NECESUS ESE. BACANAL HABERE EEIS. UTEI. AD. PR. URBANUM. ROMAM. VENIRENT DEQUE. EEIS. REBUS UBEI EORUM. UTR. A. AUDITA ESENT. UTEI. SENATUS. DECERNERET. DUM. NE MINUS SENATORIBUS. C. ADESE. P. R. A. RES. CONSOLORETUR. BACAS. VIR. NE QUIS. ADIESE. VELET. CEIVIS ROMANUS. NEVE NOMINUS. LATIN. NEVE SOCIUM QUISQUAM. NISEI. P. R. URBANUM ADIESENT. ISQUE DE SENATUOS SENTENTIA. DUM NE MINUS SENATORIBUS. C. ADESENT. QUOM. EA RES COSOLERETUR. JOUSISENT CENSUERE. SACERDOS NE QUIS VIR. ESET. MAGISTER. NEQUE VIR NEQUE MULIER QUISQUAM ESET. NEVE PECUNIAM EORUM COMOINEM HABUISSE VELET. NEVE MAGISTRATUM. NEVE PRO MAGISTRATUO. NEQUE VIRUM NEVE MULIEREM QUISQUAM. FECISE VELET. NEVE POSTHAC INTER. SED. CONJOURAVISE VELET COMVOVISE. NEVE CONSPONDISE. NEVE COMPROMISISE VELET. NEVE QUISQUAM FIDEM. INTER SED. DEDISE VELET. SACRA. IN. DEVOTOD NE QUISQUAM FECISE VELET. NEVE IN PUBLICOD NEVE PRIVATOD. NEVE EXTRAD. URBEM. SACRA QUISQUAM FECISE. VELET. NISEI. PR. URBANUM. ADIESET. ISQUE DE SENATUOS SENTENTIAD. DUM NE MINUS SENATORIBUS. C. ADESENT QUAM EA RES CONSOLERETUR JOUSISENT. CENSUERE HOMINES. P. IDU. S. V. OINVERSI VIREI ATQUE MULIERES SACRA. NE QUISQUAM FECISE VELET. NEVE INTER. IBEI. VIREI. PLOUS DUOBUS MULIERIBUS. PLOUS TRIBUS ARFUISE VELENT. NISEI. DE. PR. URBANI. SENATUOSQUE SENTENTIAD. UTEI SUPRAD SCRIPTUM EST. HAICE. UTEI. IN. CONVENTIONID. EXDEICATIS. NE. MINUS. TRINUM. NOUNDINUM. SENATUOSQUE SENTENTIAM. UTEI. SCIENTES. ESETIS. EORUM SENTENTIA. ITA FUIT. SEI QUES. ESENT. QUEI ARVORSUM EAD FECISENT. QUAM SUPRAD SCRIPTUM. EST. EEIS REM. CAPITALEM FACIENDAM. CENSUERE. ATQUE UTEI HOCE IN TABOLAM. AHENAM INCIDERETIS. ITA SENATUS AIQUOM. CENSUIT. UTEIQUE EAM FIGIER. JOUBEATIS UBEI FACILIUMED. GNOSCIER. POTISIT ATQUE. UTEI. EA BACANALIA. SEI. QUA SUNT EXTRAD. QUAM SEI QUID.

IBEI. SACRI EST. ITA. UTEI. SUPRAD SCRIPTUM EST IN DIEBUS. X. QUIBUS VOBEIS. TABELAI. DATAI. ERUNT. FACIATIS. UTEI DISMOTA SIENT IN ARGO TEURANO.

Notæ ad SCtum.

Interpretationis loco eſſe poterit, ſi, ut literas adhibui vulgares, ita & ſingulas ſententias, remota dictione antiqua, proponam ſermone vulgari, a me cum emendato, tum interpuncto, addita epicriſi, ubi opus fuerit.

Prima Pars Scti.

Marcius Lucii Filius, *Spurius Poſtumius Lucii Filius*, *Conſules*, *Senatum conſuluerunt Non. Octob. apud Ædem Bellonæ; ſcribendo adfuerunt Marcus Claudius Marci Filius*, *Lucius Valerius Publii Filius*, *Quintus Minucius Caji Filius. De Bacchanalibus*, *qui fœderati eſſent*, *ita edicendum cenſuere.* Plurima de his Bacchanalibus Edicta & SCta recenſet Livius *L.* XXXIX. *C.* 14. 17. *&* 18. Sed hujus SCti ſummam habet *C.* 28. in hæc verba: *Ne qua Bacchanalia Romæ*, *neve in Italia eſſent; ſi quis tale Sacrum ſolenne & neceſſarium duceret*, *nec ſine religione & piaculo ſe id omittere poſſe*, *apud Prætorem Urbanum profiteretur. Prætor Senatum conſuleret; ſi ei permiſſum eſſet*, *quum in Senatu centum*, *non minus*, *eſſent*, *ita id Sacrum faceret*, *dum ne plus quinque ſacrificio intereſſent. Neu qua pecunia communis*, *neu quis Magiſter Sacrorum*, *aut Sacerdos eſſet.* Ut ex ipſo SCto apparet, ejus argumentum recte expreſſit Livius. Cæterum de formula hujus SCti non eſt, ut quicquam dicam, convenit enim formulis reliquorum SCtorum; & quicquid ad hanc rem pertinet, fere abſolvit Briſſonius *de Formul. L.* II. *p. m.* 192. *& ſeqq.* Pergo ad ipſa verba.

Ait, *Senatum conſuluerunt.* Etiam hæc formula eſt apud Briſſonium *d. L.* II. *p.* 193. & *de ea re ita conſuluerunt* eſt in SCto Vellejano, quod exhibet *l.* 2. §. 1. *ff. ad SC. Vellej.* neque adeo ibi mutanda eſt lectio, ut ſunt, qui mutant. In veteri ſcriptura hujus SCti eſt *conſoluerunt*, & mox aliquoties, *conſoleretur:* nempe & *conſulere*, & *conſolere*, & *conſolare* dixiſſe videntur veteres Romani, unde a *conſolare* eſt *conſolatio;* vide quæ in hanc rem dixi *Obſerv. L.* II. *C.* 5.

Ait, *ſcribendo adfuerunt.* Sic interpretor, quod in Archetypo eſt, *SC. ARF.* ex antiqua formula, cujus exempla etiam habet Briſſonius *d. loc.* Apud Fabrettum *SC.* perperam ita interpunctum eſt *S. C.* atque ſi diſtinctæ literæ *Senatus Conſultum* ſignificarent. Quod autem hic eſt, *arfuerunt*, & infra *arfuiſe*, pro *adfuerunt* & *adfuiſſe*, non ſcripturæ vitio, ſed antiquitati dictionis tribuendum puto, ut *arvorſum*, quod mox in Sanctione occurrit, pro *advorſum.*

Ait, *De Bacchanalibus.* Ita hæc diſtinxi, ut pertinerent ad ſequens *edixerunt*, cum prioribus enim non recte cohærent.

Ait, *eſſent.* In Authentico eſt, *eſent*, pro *eſſent*, non geminata litera, ut paſſim hic, *velet*, *velent*, *adeſent*, *adieſent*, & ſic in reliquis. Nota hæc ſunt ex Lapidibus antiquis, ex Feſto in *Solitaurilia*, aliiſque Grammaticis, quin & ex ſcriptura, ubivis obvia in Pandectis Florentinis.

Secunda Pars SCti.

Ne quis eorum Bacchanal habuiſſe vellet. Si qui eſſent, *qui ſibi dicerent neceſſum eſſe Bacchanal habere*, *ii uti ad Prætorem Urbanum Romam venirent*, *deque iis rebus*, *ubi eorum verba audita eſſent*, *uti Senatus decerneret*, *dum ne minus Senatoribus C. adeſſent*, *quum ea res conſuleretur.* Convenit ſententia apud Livium *d. loc.* Reſtitui autem hunc locum, ut potui, forte non ut debui, nam obſcurus eſt valde & corruptus in Archetypo, de ſingulis videbimus.

Ait, *Ne quis eorum.* Qui ſcilicet *fœderati erant*, de quibus ante dixerat. Mox ſequitur, *vellet*, ex communi, eaque benigna Legum Romanarum formula, quæ ipſa eſt in variis Edictis de his ipſis Bacchanalibus apud Livium *L.* XXXIX. *C.* 14. *&* 17. & præterea in *l.* 42. *ff. de Ædil. Edict. l.* 9. §. 2. *ff. de L. Cornel. de falſ.* & apud Gellium *L.* X. *Noct. Attic. C.* 6. & *L.* XIII. *C.* 14. Apud Catonem quoque *de R. R. C.* V. ubi ille officia villici præſcribit, ad exemplum Legum Romanarum ejusmodi formulæ receptæ ſunt.

Ait, *Si qui eſſent*, *qui ſibi dicerent neceſſum eſſe Bacchanal habere.* Pro *ques*, quod in Archetypo eſt, reſcribo *quei*, ut mox ſequitur, pro *neceſſus*, vel *neceſſum* vel *neceſſe*, nam *neceſſus* pro *neceſſum* vel *neceſſe* neſcio, an quisquam Veterum dixerit. Vides hic Religionis, etiam impiæ, prætextum, qui & olim adhibitus eſt, & nunc vulgo adhibetur, neque is eſt alius, quam conſcientiæ læſæ majeſtas. Et placuit huic ſuccurrere, adito tamen Prætore, & interveniente Senatus cognitione; ita autem ſuccurſum eſt, ne plus quinque ſacrificio intereſſent, neque haberent communem arcam, ut id utrumque eſt apud Livium, & mox in ipſo SCto, amputata ſic occaſione delinquendi & turbandi Rempublicam. Unde manifeſtum eſt, neque hic ob Religionem peregrinam, ſed ob ſcelera, quæ deinde audies, Senatus auctoritatem interceſſiſſe.

Ait, *ii uti ad Prætorem* &c. In eodem Archetypo eſt, *eeis uti*, & mox *eeis rebus.* Neutribi eſt delendum alterum *e.* paſſim enim hic ante *i.* adjicitur *e.* ſed primo loco pro *eeis* eſſe ſcribendum *eei*, ſententia omnino poſtulat.

Ait, *ubi eorum verba audita eſſent.* In authentica ſcriptura eſt: *ubei eorum Utr. a. audita eſent.* quod omnino vitioſum eſt. Quid inde exſculpi debeat, vix Oedipus divinaverit, in primis turbat illud *Utr. a.* ſi pro eo reponere liceret *verba*, haberent ſenſum verba, quem alioquin fruſtra quæro. Fabrettus, una voce, exhibuit *vera*, quod ipſum quidem nihili eſt, ſed proxime ad *verba* accedit.

Ait, *dum ne minus Senatoribus C. adeſſent.* Utrobivis, apud Gronovium & Fabrettum, in veteri ſculptura eſt, *adeſe*, pro quo *adeſent* legendum eſſe, ipſe non dubito.

Mox ſequitur, *quum ea res conſuleretur.* Vides exhibitum, *P. R. A. res conſoleretur*, quod non intelligo, adeo enim veterum Notarum peritus non ſum. Dum peritiorem exſpecto, ex formula, quæ in hoc ipſo SCto bis occurrit, ubi de exploranda Senatus ſententia ſermo eſt, reſtituendum putavi, *quum ea res conſuleretur.* Niſi quis malit, *dum ea res conſuleretur*, & tunc ſententiam transferre ad ſequentia, hoc ſenſu: dum ea de re deliberatur, ne quis Bacchas adeſſe velit &c. Sed præfero, *quum ea res conſuleretur*, maxime, quia Fabrettus edidit, *Q. ea res conſoleretur.*

Ter-

Tertia Pars SCti.

Bacchas Vir ne quis adeſſe vellet, Civis Romanus, neve nominis Latini, neve Sociorum quisquam, niſi Prætorem Urbanum adiiſſent, isque de Senatus ſententia, dum ne minus Senatoribus C. adeſſent, quum ea res conſuleretur, juſſiſſet. Non legerim *Bacchan.* pro *Bacchas*, nec id expoſuerim *Bacchanalibus*, quibus intereſſe vetarentur, quos mox enumerat, ita enim idem diceret, quod ante dixerat, *ne quis Bacchanal habuiſſe vellet.* Deinde quum fœminis æque interdicta fuerint hæc Sacra, quam viris, non animadverto, cur virum magis, quam fœminam ab his arcuiſſet SCtum, & magis arceret, ſi legeretur: *Bacchanalibus VIR ne quis adeſſe vellet.* quare illam Lectionem, quæ primum aliqua ſpecie mihi commendabatur, nunc non probo. Magis eſt, ut *Bacchas* ſervemus, & accipiamus de eo, qui inter Bacchantes eſt, a Senatu excludendo, quum deliberaretur, an quibusdam, ob religionem, vel potius ſuperſtitionem ſuam, permittenda eſſent illa Sacra, nec ne; & ea ratione conſtabit, cur de viro, non de fœmina hic ſermo ſit.

Pro *adieſe*, quod in Archetypo eſt, velim reſtitui *adeſe*, neque enim *adiiſſe* huic loco convenit. *Nominus*, quod ibidem eſt, ſcripturæ potius, quam antiquitatis vitio tribuerim. Pro *P. R.* quod disjunctim Gronovius exhibuit, melius Fabrettus conjunctim *PR.* quia ea vox *Prætorem* notat. Pro *jouſiſent*, quod apud utrumque eſt, lego, unius numero, *jouſiſet*, & refero ad Prætorem Urbanum, de quo dixerat; absque eo ſi ſit, ego ſenſum deſidero. Id ipſum vitium puto mox eandem vocem occupaſſe.

Quarta Pars SCti.

Cenſuere, Sacerdos ne quis Vir eſſet, Magiſter neque Vir neque Mulier quisquam eſſet, neve pecuniam eorum communem habuiſſe vellet, neve Magiſtratum, neve Pro-Magiſtratu, neque Virum, neve Mulierem quisquam feciſſe vellet. Illud *cenſuere* ad hæc, & quæ ſequuntur, potius referendum eſt, quam ad ſententiam præcedentem, atque ideo ita interpunxi. Qui hic ſimpliciter *Magiſter*, apud Livium *Magiſter Sacrorum* appellatur. Habuerunt porro hiſce Sacris initiati communem arcam, ut ſolent habere Collegia, cum licita, tum illicita, ut indicant *l.* 1. §. 2. & *l.* 3. *pr. ff. de Colleg. & corpor.* Sed hæc arca communis propria eſt Collegiorum licitorum *l.* 1. §. 1. *ff. Quod cujusq. Univerſ. nom.* Unde illicitis Collegiis, ut hic, ablata eſt & negata. Jure merito; quia metuendum erat, ne illa arca, quo magis eſſet locuples, eo magis inſerviret fovendis turbis & factionibus. Quin ipſa Sacra, ſine ejusmodi arca, Deo ſufficere poſſe, recte dixit Libanius *Oratione pro Templis.*

Quinta Pars SCti.

Neve poſthac inter ſe conjuraviſſe vellet, convoviſſe, neve conſponaiſſe, neve compromiſiſſe vellet, neve quisquam fidem inter ſe dediſſe vellet. Sacra inde voto ne quisquam feciſſe vellet, neve in publico, neve privato. Neve extra Urbem Sacra quisquam feciſſe vellet, niſi Prætorem Urbanum adiisſet, isque de Senatus ſententia, dum ne minus Senatoribus C. adeſſent, quum ea res conſuleretur, juſſiſſet. De conjurationibus vetitis tantum hic verborum agmen eſt, quia Bacchi Sacris initiati, ex horrendo carmine, quo Pontifex præibat, conjurabant in omne facinus ac libidinem, in promiſcua virorum ac fœminarum ſtupra, in cædes, falſa teſtimonia, ſigna adulterina, ſubjectiones teſtamentorum, pluraque alia, quæ Livius prolixe recenſet *d. L.* XXXIX. *C.* 8-20.

Verbis quibusdam, quæ præſcripſi, in authentica Tabula additam videbis literam D. ut *ſed*, *devotod*, *publicod*, *privatod*, *extrad*, *ſententiad*, & ita in aliis, quæ deinde ſequuntur. De litera D. in fine dictionum expeditum eſſet dicere, niſi præveniſſent Antonius Muretus *Variar. Lection. L.* XV. *C.* 19. & Andreas Schottus *Obſervat. Human. L.* II. *C.* 16. atque iis, nunc equidem, acquieſco.

Ait, *inde voto.* Sic malui, quam, ut ſculptum erat, *in devoto*, quamvis non negaverim, *in devoto* forte etiam defendi poſſe. Fabrettus vitioſiſſime exhibuit *indquoltod.* quod nemo intellexerit.

Ait, *neve extra Urbem.* Ideo hoc vetitum, quia Bacchanalia jam pridem per omnem Italiam celebrabantur, ut ipſe Poſtumius ait apud Livium *d. L.* XXXIX. *C.* 15. Unde & ſumma SCti apud eundem: *neve in Italia eſſent.*

Ait, *quum ea res.* Pro *quam*, quod in Tabula Gronovii eſt, reſcribe *quom*, quod eſt in Tabula Fabretti, & pro *juſſiſſent*, quod in utraque Tabula eſt, velim, ut ſupra, reſtitui *juſſiſſet.* Vide, quæ ibi dixi, de eadem, quæ hic eſt, formula.

Sexta Pars SCti.

Cenſuere omnes, pridie Id. Quintil. univerſi, Viri atque Mulieres, Sacra ne quisquam feciſſe vellet, neve interibi Viri plus duobus, Mulieres plus tribus adfuiſſe vellent, niſi de Prætoris Urbani Senatusque ſententia, uti ſupra ſcriptum eſt. Rurſus τὸ *cenſuere* huc refero, non ad præcedentia. Deinde varia reſtitui, quæ male habebant. Pro *homines*, quod ſenſum habere non videbatur, repoſui *omnes*, & ex notis, in Archetypo Gronovii, P. Idus. V. effeci *pridie Idus Quintil.* quid aliud efficerem, non ſuccurrebat, nam Fabretti Plous V. ut ipſe edidit pro *P. Idus* V. vix intelligo. Si *homines plus quinque* referas ad duos viros & tres fœminas, de quibus mox ait, ſententia hujus loci laborabit, ſed ſi vel me auctore reſtituas, non ſatis plana erit. quare elige, quod libet.

Ait, *interibi viri plus duobus, mulieres plus tribus.* Duas voces *inter ibei*, quæ in ære antiquo disjungebantur, ipſe conjunxi, ut ſit *interibi*, quo verbo & Plautus utitur. Quod ibidem legitur *mulieribus*, caſu ſexto, corruptum eſt ex *duobus*, quod præceſſit, & *tribus*, quod ſequitur, ſed ut *viri* præcedunt, ſic oportet ſequantur *mulieres.* De *arfuiſſe* ſupra dixi. Duo autem viri & tres mulieres efficiunt quinque homines, quibus, neque pluribus huic ſacrificio, a Prætore, conſulto Senatu, permiſſo, intereſſe licuit, ut Livius in ſumma refert.

Septima Pars SCti.

Hæcce uti in conventione edicatis, ne minus trinum nundinum, Senatusque ſententiam uti ſcientes eſſetis, eorum ſententia ita fuit. Si qui eſſent, qui adverſus ea feciſſent, quam ſupra ſcriptum eſt, iis rem capitalem faciendam cenſuere. Ait, *in conventione*, hoc eſt, in concione Populi, publice, quo Lex innoteſceret, nec minus, quam

per

per trinundinum. *Trinum nundinum*, quod hic occurrit, æque dicitur ac *Trinundinum*, & conſtat fuiſſet tempus legitimum promulgandæ Legis.

Quod ait, *eorum ſententia ita fuit*, intelligo de ſententia Senatus, & perinde eſſe putem, atque ſi dixiſſet, *cenſuere*, ne eandem formulam identidem repeteret; cenſuit nempe Senatus, per Trinundinum Legem promulgandam, ut ejus ſententiam cuncti ſcirent.

Additur deinde Sanctio, ſine qua omnis Lex eſt imperfecta, ſtatuit autem iis, qui contra feciſſent, pœnam capitalem. Pro *ques* hic iterum legendum eſt *quei*, ut ſupra etiam, alio loco, monui. *Arvorſum*, quod ſequitur, pro *advorſum*, ex ſæculi genio opinor eſſe, non ex errore, ut ſupra *arſuerunt* & *arſuiſſe*. ſed & hoc ibi obſervatum eſt.

Octava et Ultima Pars SCti.

Atque uti hocce in Tabulam ahenam inciderrtis, ita Senatus æquum cenſuit, utique eam figier jubeatis, ubi facillime gnoſci poſſit. Atque uti ea Bacchanalia, ſi qua ſint extra, quam ſi quid ibi ſacri eſt, ita, uti ſupra ſcriptum eſt, in diebus X. *quibus vobis Tabulæ datæ erunt, faciatis uti dimota ſint in agro Turano.* De SCtis, aliisque Legibus, Tabulis æreis inſcribi ſolitis, fruſtra ſim, ſi nunc agam. Ait *æquum cenſuit*, ex formula, qua ſæpe SCta finiebantur, ut eſt illud de præmio indicii, quod de his ipſis Bacchanalibus exſtat apud Livium *L.* XXXIX. *C.* 19. nempe *id Senatum, velle, & æquum cenſere, ut ita fieret.* Quod autem Tabula ærea jubeatur figi, *ubi facillime gnoſci poſſit*, id quoque eſt ex more vetuſto, quo hæc aut ſimilis formula Legibus inſerta fuit. In fragmento æneæ Tabulæ apud Fulvium Urſinum *de LL. & SCtis p. m.* 266. ita eſt: *apud forum, palam, ubei de plano recte legi poſſitur.* ubi plura de hoc more retulit Urſinus, quemadmodum & refert Siccama *de Judicio Centumvir. L.* I. *C.* 3. *p. m.* 9. & 10. Etiam recentioribus Legibus ejusmodi clauſulas inſertas vidi; eſt ſane in fine Edicti, quod Carolus V. Belgis dedit 19. *Maj.* CIƆIƆXLIV. Quin & vulgaris fuit eorum, quæ publice proponebantur, formula, *unde de plano recte legi poſſit*, uſitata & in *l.* 11. §. 3. *ff. de Inſtit. act.* de qua etiam Cujacius quædam notavit *Comment. poſtum.* ad *l.* 7. & 8. *ff. de Juriſdict.*

Quæ ſequuntur, & SCtum claudunt, ſunt ſatis obſcura. Primum moneo, pro *utei diſmota*, quod eſt in Tabula Gronovii, Fabrettum, & ex eo Clericum perperam edidiſſe, *ut eidis. mota*, nullo plane ſenſu, divulſis, quæ conjungendæ erant, vocibus; ſed pro *argo*, quod apud Gronovium eſt, æris vel ſculptoris vitio, recte Fabrettus exhibuit, *agro*. Sed *ager* ille *Teuranus* vel *Turanus* ecquis fuerit, nondum potui ſcire; *vicum Turarium* Romæ invenio, & prope Romam *pagum Thurinum*, ſed *agrum Turanum* juxta Romam, quin vel in tota Italia, fruſtra quæſivi. In eo autem agro, quisquis demum fuerit, potiſſimum videntur conveniſſe Bacchantes, Sacra ſua obituri. Deinde ſic interpretor hæc poſtrema: ut tam Bacchanalia, id eſt, Bacchantium coïtiones, ſi quæ ſint *extra* vel ſupra eas coïtiones, quas Prætor, auctore Senatu, permiſit, quam omnia inſtrumenta, quæ Sacris obeundis ibi ſerviunt, intra dies X. a promulgatione Legis, ex agro illo Turano jubeantur amoveri & dirui. Fere concedit Livius *L.* XXXIX. *C.* 18. qui Conſulibus ait negotium eſſe datum, *ut omnia Bacchanalia primum Romæ, deinde per totam Italiam diruerent, extra quam ſi qua ibi vetuſta ara, aut ſignum conſecratum eſſet.* Quæ exceptio apud Livium propemodum me movet, ut hæc, *Bacchanalia, ſi qua ſint extra, quam ſi quid ibi ſacri eſt*, non ita interpungam & interpreter, ut modo dicebam, ſed primum ita diſtinguam, *Bacchanalia, ſi qua ſint, extra quam ſi quid ibi ſacri eſt*, & deinde hæc poſtrema, *extra quam* &c. accipiam, præeunte Livio, de aris & ſignis, vere ſacris ex Religione antiqua, atque his, ſi forte occurrerent in agro Turano non diruendis, ut ut diruerentur ipſa Bacchanalia, ne ſacra cum non ſacris una ruina tegantur.

Hæc ſunt, quæ de SCto Marciano de Bacchanalibus tollendis, quo de nemo ante me dixit, dicenda habui. Potuiſſem id SCtum uberiori Commentario explicare, ſcripturæ veteris rationem illuſtrare, de ſingulis verbis in conſilium ire, auctoritates exteras prolixe advocare, & plena fide, quæ dixi, probare, idque meo, ut ſic monebam, jure, quia id SCtum mihi, primum occupanti, cedit, ſed ita longius aberrasſem ab eo, quod agere decrevi, & quod decrevi, ad juriſprudentiæ magis, quam Grammaticæ profeſſionem pertinet. Suffecerit facem utcunque prætuliſſe, & majoribus aliorum conatibus anſam præbuiſſe; nunc feſtinandum eſt ad Edictum Diocletiani & Maximiani contra Manichæos, quod eſt in *Collat. LL. Moſaic. & Roman. T.* XV. *loc.* 3. quodque hic repræſento.

MAXIMUS DIOCLETIANUS ET MAXIMIANUS NOBILISSIMI AA. JULIANO PROCONSULI AFRICÆ.

*Otia maxima interdum homines * in communionem conditionis naturæ hominum modum excedere hortantur, & quædam genera inaniſſima ac turpiſſima Doctrinæ Superſtitionis inducere ſuadent, ut ſui erroris arbitrio pertrahere & alios multos videantur, Juliane Cariſſime. Sed Dii Immortales providentia ſua ordinare & diſponere dignati ſunt, quæ bona & vera ſunt, & multorum, & egregiorum Virorum, & ſapientiſſimorum conſilio & tractatu probarentur & ſtatuerentur: quibus nec obviam ire, nec reſiſtere fas eſt. Neque reprehendi a nova vetus Religio deberet, maximi enim criminis eſt * ſed tractare, quæ ſemel ab antiquis tractata & definita ſunt, ſtatum & curſum tenent ac poſſident. Unde pertinaciam pravæ mentis nequiſſimorum hominum punire ingens nobis ſtudium eſt. Hi enim, qui novellas & inauditas ſectas deterroribus Religionibus opponunt, ut pro arbitrio ſuo pravum excludant, quæ divinitus conceſſa ſunt *. Quoniam nobis, de quibus Solertia tua Serenitati noſtræ retulit, Manichæos audivimus eos nuperrime, velut nova inopinata prodigia, in hunc Mundum de Perſica, adverſaria nobis Gente, progreſſa vel orta eſſe, & multa facinora ibi committere: Populus namque quietos*

per-

*perturbare, nec non & Civitatibus maxima detrimenta inſerere; & verendum eſt, ne forte, ut fieri adſolet, accedenti tempore conentur execrandas conſuetudines, & * iſtebas Leges Perſarum innocentioris naturæ homines Romana Gente modeſtam atque tranquillam, & univerſum Orbem noſtrum veluti venenis de ſuis malevolis infigere. Et quia omnia, quæ pandit Prudentia tua in relationem Religionis illorum genera maleficiorum * Statutis evidentiſſimorum exquiſita & adinventa commenta, ideo eorum * mœnas atque pœnas debitas & condignas illis ſtatuimus. Jubemus namque auctores quidem ac principes una cum abominandis ſcripturis eorum ſeveriori pœnæ ſubjici, ita ut flammeis ignibus exurantur, conſentaneos vero, & usque ad eos contentioſos capite puniri præcipimus, & eorum bona Fiſco noſtro vindicari ſancimus. Si qui ſane etiam honorati, aut cujuslibet dignitatis vel majoris perſonæ, ad hanc inauditam & turpem, atque per omnia infamem ſectam, vel ad Doctrinam Perſarum ſe tranſtulerunt, eorum patrimonia Fiſco noſtro adſociari facies, ipſos quoque Forenſibus vel Proconenſibus metallis dari. Ut igitur ſtirpitus amputari * malis hæc nequitiæ de Sæculo beatiſſimo noſtro poſſit, Devotio tua Juſſis ac Statutis Tranquillitatis noſtræ maturius obſecundare *. Dat. prid. Kl. April. Alexandriæ.*

AD INSCRIPTIONEM.

Maximus Diocletianus & Maximianus, Nobiliſſimi AA. Egregiæ hujus Conſtitutionis, pro defendenda antiqua Religione contra Manichæos emiſſæ, intereſt ſcire, qui fuerint Auctores. Fuerunt autem, ut Inſcriptio indicat; Diocletianus & Maximianus, Imperii Collegæ. Atque his præponitur *Maximus*, quæ vox in Titulis Principum ſæpe eſt uſurpata, & ita in SCto de hæreditatis petitione, quod exhibet *l.* 20. §. 6. *ff. de Hæred. petit.* Hadrianus vocatur Auguſtus *Maximusque Princeps*, ſi nempe genuina ſint, quæ ibi leguntur, SCti verba, & non interpolata ex *P. Maxim.* quod *Pontificem Maximum* ſignificaverit: nam ecce in Tabula ænea, quæ Venetiis eſt, & ex qua fragmentum hujus SCti deſcripſit Guido Pancirolus *L.* II. *Variar. Lect. C.* 25. rotunde ſculptum eſt: *Hadrianus Aug. Pont. Max.* Alibi quoque Principibus Titulus *Pontificis Maximi* adſcribitur in Edictis, ut in Edicto Galerii Maximiani apud Euſebium *Hiſtor. Eccleſ. L.* VIII. *C.* 19. & plus ſemel apud alios. Sed quicquid ejus rei ſit, Diocletianus, quo fuit faſtu, ſimpliciter ſe hic *Maximum* appellat; nec quis in eo hunc faſtum ferat, iniquiore animo, quam in Conſtantino M. cujus pluribus Edictis, quæ ſunt apud Euſebium in *Ejus Vita L.* II. & III. eandem vocem præſcriptam videas. Cur autem *Maximus*, non etiam *Maximi*? ſic Diocletianus Maximianum, Imperii Collegam, ſprevit? idque in Titulo, qui utriusque nomen præfert? Fuit, cum putarem, Librarium, qui hunc Titulum ſcripſit, inverſo ordine præpoſuiſſe nomen *Maximiani*, & errore, inter ſcribendum, detecto, ex *Maxim.* quod cœperat ſcribere, effeciſſe *Maximus*, vel pro *Maximus* reſcribendum videri *Maximi*, vel ſimpliciter *Max.* vel *Maxim.* ut ad utrumque Principem pertinere poſſit. Sed nunc etiam patior, *Maximum* de ſolo Diocletiano dici, ut ut alterius Imperatoris nomen addatur: non tantum quod Diocletianus inſolentioribus Titulis ſuperbiverit, & ſe *Principum Principem & Dominum*, quin & *Jovium* appellari, & ut Deum, adorari juſſerit, ſed & quod ipſe Maximianus Herculeus, itidem Auguſtus, adhuc plus ei fuerit adulatus, tantum abeſt, ut ob æqualem gloriam Imperii fuiſſet indignatus. *Hercules* ſcilicet, cæterique Dii ab hoc *Jove* regebantur. Duo quoque, qui tunc erant, Cæſares cum præeunte Maximiano de adulationis palma certare poterant. Sed tanti non eſt, ut hæc omnia, ſatis alioquin nota, nunc ex Annalibus repetam.

Quamvis autem, ob ſocietatem Imperii, Maximiano etiam adſcribatur hæc Conſtitutio, tamen ſolius Diocletiani eſſe, ſatis ſignificat Subſcriptio, quæ ait, datam eſſe *Alexandriæ*, poſt debellatum nempe Achilleum & captam ſic Alexandriam, quod ſecundum Chronicon Euſebii, incidit in Annum CCXCVIII. Atque hoc præſtitit Diocletianus, non Maximianus, quare nec hunc Alexandriæ unquam potui reperire, etſi diligenter quæſiverim. Quinimo hoc ipſo tempore Africa Maximiano commiſſa fuit, ad quam pacandam ille profectus, Diocletiano nec adfuit, nec adeſſe potuit. Pertinet quidem hæc Lex ad Africam, miſſa quippe ad Julianum, ejus Proconſulem, ſed Africa, quamvis a Quinquegentianis infeſtata, nihilominus ſuberat Imperio Diocletiani, nec minus ibi, quam alibi, cauſa Religionis pertinebat ad ejus curam. Maximianus proficiſcebatur adverſus Quinquegentianos, non adverſus hæreſes Manichæorum, hos ille compeſcuit, has Edictum Diocletiani. Ne vero puta, Maximianum Alexandriæ fuiſſe, ex eo, quod Jornandes, dixit *Hiſtor. Getic. C.* 7. Maximianum cum Diocletiano Achilleum ſuperaſſe, nam intelligit Galerium Maximianum, Cæſarem, non Herculeum Maximianum, Auguſtum, quem mox ipſe Jornandes refert Africæ domandæ præfuiſſe.

Juliano, Proconſuli Africæ. Sæpiſſime iidem Imperatores *Julianis* reſcripſerunt, ut in *l.* 24. *C. de Rei vindic. l.* 20. *C. de Fideicomm. l.* 13. *C. de Contrab. empt. & vend. l.* 7. *C. de Servit. & aq. l.* 11. *C. de Compenſat. l.* 7. *C. Qui potior. in pign. l.* 14. & *l.* 29. *C. Locat. cond. l.* 18. *C. de His qui accuſ. non poſſ. l. un. C. de Mutat. nomin.* & *l.* 8. *C. de Hæred. vel act. vend.* Sed omnes illi Juliani ab hoc, Proconſule Africæ, alii videntur, utique nemo eorum in illis Inſcriptionibus eſt, qui vocatur *Proconſul Africæ.* Ab aliis Imperatoribus nominatim ad *Julianum, Proconſulem Africæ*, reſcriptum eſt in *l.* 54. & *l.* 55. *C. Th. de Hæret. l.* 3. *C. Juſt. Qui legit. perſon. ſtand. in jud. hab. l.* 3. *C. Th. de Integr. reſtit. l.* 1. *C. Th. Ne ſanct. bapt. iter. l. ult. C. Th. Unde vi l.* 64. *C. Th. de Appellat.* Sed neque illos omnes eosdem eſſe dixerim cum Juliano, ad quem Diocletianus & Maximianus hic reſcribunt, neque vel ullum ex his, ſi rationem temporis bene putemus. Con-

ſule nomina Principum, qui ibi reſcripſerunt, dies item & Conſules, qui ibi additi ſunt, & reperies, hujus & illorum ætates non convenire. Dico *illorum*, quia ne quidem mihi conſtat, uni eidemque Juliano reſcriptum eſſe in omnibus, quas dixi, Legibus. In *l.* 3. *C. Juſt. Qui legit. perſon. ſtand. in jud. hab. l.* 3. *C. Tb. de Integr. reſtit. & l. ult. C. Tb. Unde vi.* reſcribitur *Juliano* II. *Proconſ. Afric.* in aliis ſimpliciter *Juliano Proconſ. Afric.* Jacobus tamen Gothofredus ad *LL. Cod. Tb.* quamvis varient Inſcriptiones, eundem ubique Julianum intelligit, at putat in Inſcriptionibus trium, quas dixi, Legum *Julianum II.* appellari, quod ipſe ille ſecundum tunc Africæ Proconſul fuerit. ſed non eſt, unde id tuto ſciri poſſit. Forte intelligitur Julianus, ſecundus ejus nominis, qui Africæ Proconſul fuit, reſpectu alterius, qui fuit primus. ſed nec eſt, unde id tuto ſciri posſit. Ut autem noſter Julianus non eſt idem cum aliis, quos modo recenſebam, ſic non eundem eſſe dixero cum eo, qui ſub Diocletiano tyrannidem in Africa affectavit: utique ſi rebellionem Juliani & Alexandrinam recte ad idem tempus retulerit Aurelius Victor, nam, ut dixi, data eſt hæc Lex ad Julianum poſt Alexandriam occupatam, neque, opinor, data erit ad Julianum, res novas in Africa molientem vel jam molitum.

Sed quisquis fuerit noſter Julianus, *Proconſul* certe *Africæ* fuit. Utque Africa ſemper aliquid apportat novi, ſic apportavit in cauſa Religionis. Manichæorum utique ſectam, quamvis & alibi diſperſam, in Africa primum cœpiſſe, & deinde quam maxime floruiſſe, teſtantur Epiphanius, Auguſtinus, & alii, qui hiſtoriam & hæreſes Manichæorum prolixe ſunt exſequuti, teſtantur etiam plurimæ Leges, ſequentibus temporibus ad *Vicarios* & *Proconſules Africæ* contra Manichæos miſſæ, ut ſunt *l.* 35. *& l.* 41. *C. Tb. de Hæretic.* Hac autem Diocletiani ætate, vel paulo ante, initia fuerunt Manichæismi, his initiis in Africa, unde origo mali, exſtirpandis ſeſe oppoſuit Diocletianus, in hæc verba reſcribens.

AD IPSAM CONSTITUTIONEM.

*Otia maxima interdum homines * in communionem conditionis naturæ hominum modum excedere hortantur, & quædam genera inaniſſima ac turpiſſima Doctrinæ Superſtitionis inducere ſuadent, ut ſui erroris arbitrio pertrahere & alios multos videantur, Juliane Kariſſime.* Quia de Manichæis hic ſermo eſt, ut mox ſuo nomine appellantur, e re eſſe videbatur, ut de illorum nomine, origine, ſuperſtitione, turpiſſimis dictis factisque primum dicerem, quo conſtaret, in eos convenire omnia illa, quæ de hoc hominum genere prædicant non tantum hic Diocletianus & Maximianus, ſed & plurimi alii Principes, variis Legibus, ſub Titulo Codicis Juſtinianei *de Hæreticis & Manichæis*, & Theodoſiani *de Hæreticis.* Sed ſi hæc enarrem, ſi varias Manichæorum ſpecies explicem, quales fuerunt Encratitæ, Apotactitæ ſeu Solitarii, Hydroparaſtatæ, & Saccofori, otio meo, aliud agendo, abuterer, & grandem mox Librum ſcriberem. De appellatione *Manichæorum* vel *Mannichæorum* dixi quædam *Obſervat. Jur. Rom. L.* I. *C.* 12. cætera peti poſſunt ex Annalibus Eccleſiaſticis & Hæreticographis, & præſertim, ut jam monui, ex Epiphanio & Auguſtino, qui Auguſtinus, ipſe primum Manichæus, eos deinde, juſto prælio adortus, penitus profligavit. Addi poſſunt, quæ Jacobus Gothofredus, ex penu Eruditionis ſuæ, variis locis protulit in *Parat. Not. & Comment.* ad *Tit. Cod. Theod. de Hæreticis.* Ex quibus omnibus licebit dicere, Manichæos non tantum habitos fuiſſe Hæreticorum principes, ſed &, quod maxime, ſi non unice Romanis Principibus cordi curæque fuit, Rempublicam varie turbaſſe, & Societati Civili, cujus tranquillitati ſtudebant, multifariam nocuiſſe. Unde paſſim in Legibus audiunt *noxii, turbidi, ſceleſti*, & eorum cœtus *execrabiles, nefanda Secreta*, & *ſceleroſi Seceſſus.* Unde & *ad imam usque ſcelerum nequitiam perveniſſe* dicuntur in *l.* 5. *C. Juſt. de Hæret. & Manich.* & *Mundum ſollicitare* in *l.* 18. *C. Tb. de Hæretic.* & inde quoque Valentiniano Seniori exoſi in *l.* 3. *C. Tb. eod.* qui alioquin Princeps Religionis cuique ſuæ libertatem quam maxime indulſit, ut Ammianus Marcellinus, Ambroſius, Symmachus uno ore tradiderunt, &, præter hos ſatis ſignificat ipſa ejus *l.* 9. *C. Tb. de Malefic. & Mathemat.* In primis autem Manichæi erant addicti Magicis artibus; unde iis περίαπτα καὶ ἐπῳδὰς καὶ μαγγανείας tribuit Epiphanius *adverſus Manichæos Hæreſ.* LXVI. *n.* 13. quod ipſum repetit *n.* 88. Manichæus, inquit, ὁ Μάνης ἐπ[illegible], καὶ ἐν αὐτοῖς ἐγκυλινδεῖται. Et hinc ipſa hæc Conſtitutio in Codice Gregoriano eſt deſcripta ſub Titulo *de Maleficis & Manichæis*, ex quo eam tranſtulit Auctor *Collationis LL. Moſaic. & Roman.* T. XV. §. 3.

Sed ut ad verba, quæ præſcripſimus, accedamus, vides originem erroris arceſſi ab *otio*: nam, ut ille dixit, *homines nihil agendo diſcunt agere male.* Dubito autem, an non Imperatores, originem hæreſeos ad otium referentes, reſpexerint ad ipſum Manem, Hæreſiarcham, qui primum ſervulus viduæ cujusdam Perſicæ, deinde ab ea hæres ſcriptus, & opibus affluens, otio ſe & ſocordiæ dederit, & mox, quum non aliud haberet, quod ageret, condendæ novæ ſectæ auctor fuerit. Ab eo certe *Mane* populares ejus ſectæ dicti ſunt *Manichæi.* Sed quid de verbis fiet, quæ modo exhibuimus? eorum conſtructio ſane & ſententia nonnihil in obſcuro ſunt. Pleræque Editiones poſt *homines* habent ſtellulam, atque ſi quædam deeſſent; quod ſi ſit, fere in ejusmodi lacunis ſupplendis fruſtra laboratur, ut enim facile eſt quidlibet infarcire, ſic difficile, ſi non impoſſibile, ea omnia, quæ exciderunt, ſola conjectura adſequi. In Edit. Lugdun. anni CIↃIↃXCIII. ante *communionem* abeſt *in*, quod difficultatem non tollit, at auget, niſi ſimul cum Petro Pithœo legas *communiorem*, & ad *modum* referas, quomodo vel ſic ſatis contortus eſſet locus. An *communio* erit *turpitudo*, κοινία apud Græcos? Sane κοινόω pro *polluo* eſt apud Matthæum *Euangel.* C. XV. §. 11. 18. & 20. & apud Marcum *Euangel.* C. VII. §. 15. 18. & 23. eamque vocem Tertullianus Latine reddidit *communicare*, etiam ſignificatione *polluendi*, Libro *de Patientia* C. VIII. & *de Spectaculis* C. XVII. Marcus equidem Lyclama *Opinion. L.* III. *Eclog.* 3. illud *communicare* Tertulliani *d. C.* VIII. ſenſu proprio & vulgari exponit pro *participem facere*, & ſi argutari vis, potes etiam eo loco, ſed non potes alio, quem addidi ex *d.* C. XVII. Ut ut autem *communicare* & *polluere* in eandem ſententiam accipiantur, *communionem* tamen & *pollutionem* eodem ſenſu dici, non memini me legere. Quare ad hunc locum ſubſiſto, ut non ſemel alibi in hoc Libello *Collationis utriusque*

Le-

Legis, mendis, ſi quis unquam, inquinatiſſimo, ſubſiſtendum eſt, & bona copia, etiam optimis quibusque, ejuranda.

Cæterum id quam maxime cavendum eſt, ne adhuc, quæ ibi recta ſunt, temere pervertamus, neve adeo, quod ad hunc locum, *inaniſſima*, quod mox ſequitur, cum Pithœo mutemus in *immaniſſima*, absque ulla vel ratione vel neceſſitate. Refutavit id, quod ſatis eſt, Clar. Schultingius *Jurisprud. Antejuſtin.* ad *Cod. Gregor. L.* XIX. *T.* IV. qui ipſe etiam recte ibidem obſervat contra Marquardum Freherum *L.* I. *Parerg. C.* 9. nihil eſſe, unde conſtare poſſit, illud *Doctrinæ Superſtitionis*, quod Præcedentia excipit, ad Chriſtianos pertinere, atque ſi ſignificaſſet Imperator, Manichæos, ex parte Chriſtianos, eorum adhuc Superſtitione addere *genera quædam inaniſſima ac turpiſſima.* Non tamen ex eo id refutaverim, quod Diocletianus eo tempore, quo Alexandriam cepit, & hanc Legem ſcripſit, nondum ſævierit in Chriſtianos: nam antequam eorum publicas ſtrages ederet, utique Doctrina Chriſtianorum ſatis illi nota erat & inviſa, in tantum certe, ut & tunc eam potuerit vocare *Doctrinam Superſtitionis.* Sufficit contra Freherum, nullo plane argumento ejus conjecturam niti. Sed quæ tum erit *Doctrina Superſtitionis*? neque enim ſuam, id eſt, Gentilium Doctrinam ita appellaverit Imperator. Res, ni fallor, a conſtructione pendet, quam ego ſic acceperim, *& quædam genera inaniſſima ac turpiſſima Superſtitionis, Doctrinæ* (veræ ſcilicet & Gentilium orthodoxæ) *inducere ſuadent.* Sin hoc diſpliceat, per *Doctrinam Superſtitionis* intellige ipſum Manichæismum, & bifariam accipe, vel Manichæos Doctrinæ Superſtitionis ſuæ addere *genera quædam inaniſſima ac turpiſſima*, vel, ſi nimis id generaliter dictum putes, hac Lectione abhibita, eos *genera quædam inaniſſimæ ac turpisſimæ Doctrinæ Superſtitionis inducere*; conjunctim omnia, & parvo molimine. Elige, quod libet.

Quod porro ait, *Juliane Kariſſime*, eſt ex formula ſalutationis, *Kariſſime*, vel *Kariſſime nobis*, de qua & Cujacius *L.* I. *Obſerv.* 15.

Sed Dii Immortales providentia ſua ordinare & diſponere dignati ſunt, quæ bona & vera ſunt, & multorum, & bonorum, & egregiorum virorum & ſapientiſſimorum conſilio & tractatu inlibata probarentur & ſtatuerentur: quibus nec obviam ire, nec reſiſtere fas eſt. Neque reprehendi a nova vetus Religio deberet: maximi enim criminis eſt * *ſed tractare, quæ ſemel ab antiquis tractata & definita ſunt, ſtatum & curſum tenent ac poſſident.* Edidi *ordinare*, ut in quibusdam Libris legitur, utque etiam Pithœus emendaverat, & ſic omnino legendum eſt, non *ornare*, ut eſt in aliis Libris. *Ordinare* etiam Clar. Schultingius probavit *d. loc.* qui ipſe pro *& multorum* mavult *ut multorum*, quia mox ſequitur, *probarentur & ſtatuerentur.* Habet id rationem, ſed probabilem, non neceſſariam. Pro *deberet* adſentior Pithœo, legenti *debet.* Poſt verba, *maximi enim criminis eſt*, pleræque Edd. apponunt ſtellulam, quæ hiatum notet; ut non tantum hoc ulcus, verum & ſequentium, quæ male cohærent, Pithœus ſanet, adeſt hac emendatione: *maximi enim criminis eſt retractare, quæ ſemel ab antiquis tractata & definita ſuum ſtatum & curſum tenent ac poſſident.* quam emendationem & in Editiones quasdam translatam vidi, ut ſolet fieri, & in Pandectis etiam, quod ad alias aliorum emendationes, peſſimo more, ſæpiſſime factum reperi. Idque, vitandæ confuſionis ergo, vel tunc improbo, quum, ut hic, ipſam emendationem probem, quæ à Scaligero, eumque laudante Schultingio quoque probata fuit. Et recte Schultingius monet ad *Collat. LL. Moſaic. & Roman. T.* VI. §. 3. ſic etiam tuto nos carere poſſe ... *enim*, quod, poſt *ſtatum*, ſenſui fulciendo adjecit Editio Leidenſis CIↃIↃCLXXII. Cæterum illa loquutio, *tenere ſtatum & curſum*, quamvis in Linguis Italica, Hiſpanica, Francica, Germanica & Belgica, perquam uſitata ſit, in Latina tamen fere inſolens eſt. Latini dicunt, *quod publice receptum*, *quod publico uſu comprobatum eſt*, aut ſi quid his eſt ſimile. Attamen *ſtatus* vocem eodem, quo hic occurrit, ſenſu accepit Tertullianus *de Corona militis C.* III. loquitur enim ibi de *Obſervatione inveterata*, *quæ præveniendo* STATUM *fecit.*

Quod ad rem ipſam attinet, intelligis, Religionem hic non alia ratione defendi, quam privilegio vetuſtatis; recepta ſcilicet & probata hæc eſt, ne igitur in ejus locum invehatur alia. Non aliter Mæcenas, *Oratione ad Auguſtum*, apud Dionem *L.* LII. *prope fin.* Deos eſſe colendos ait κατὰ τὰ πάτρια. Et Symmachus *L.* X. *Epiſt.* 54. ea quoque ratione tuetur Religionem Gentilium. *Si longa*, inquit, *ætas auctoritatem Religionis faciat, ſervanda eſt tot ſeculis fides, & ſequendi ſunt nobis Parentes, qui ſecuti ſunt feliciter ſuos.* Quamvis autem veterem Romanorum Theologiam præ alia reliquarum Gentium etiam Euſebius laudaverit *Præparat. Euang. L.* II. *C.* 10. recte tamen atque ordine fecerunt hic Imperatores, quod procul omni ratione, ſola auctoritate, cum ſua, tum Majorum, cauſam Religionis definiant; non tantum, quia, ut ait Seneca, *Legis eſt jubere, non diſputare*, ſed & quia ratiocinando nihil quicquam potuiſſent proficere, nedum efficere: neque enim ea Gentilium fuit Religio, ut rationibus potuerit perſuaderi. Etiam Cadmus apud Euripidem in *Bacch. vſ.* 200. 203. in cauſa Religionis rationes non admiſit. Quin ipſi veteres Chriſtiani non tam diſputationibus, quam ſuaſionibus putarunt congrediendum eſſe cum Adverſariis, qui a Religione Chriſtiana diffidebant, & ſæpe plus profecit eorum pia ſimplicitas, quam rationum acuta ſublimitas.

Unde pertinaciam pravæ mentis nequiſſimorum hominum punire ingens nobis ſtudium eſt. Hi enim, qui novellas & inauditas ſectas deterroribus Religionibus opponunt, ut pro arbitrio ſuo pravum excludant, quæ divinitus conceſſa ſunt. * Quædam hic mendoſa, quædam hiulca ſunt. Lacunas ſupplere in ſcriptis veterum, ut ante dicebam, res oppido difficilis eſt, nihil quippe certi eſt vel eſſe poteſt in ejusmodi emblematibus, quæ adduntur; niſi tamen facile putes, quidvis addere, quod addi commodum poteſt. Plurima hic liceret conjicere, quæ ad ſuſtentandam ſententiam poſſent pertinere, ſed placet his, utpote incertis omnibus, abſtinere, & de verbis potius, quæ ſuperſunt, in conſilium ire. Illud *deterroribus* facile quem terruerit, monſtrum enim vocis eſt; nemo certe præſtiterit, quod hic legitur, probum rectum eſſe. In margine Edit. Paris CIↃIↃLXXXVI. eſt *veterioribus*, forte ex conjectura Cujacii. Id non eſſe damnandum merito dixit Clar. Schultingius *ad hoc Edict.* in *Fragm. Cod. Gregor. L.* XIX. *T.* IV. nam & ante veteri Religioni novam oppoſuerat Diocletianus; vellem modo, ne ea Lectio ab antiqua ſcriptura aliquantisper abiret, imo nimium, fortaſſe dicet, qui non meminerit, plus licere in Libris mendoſiſſimis, qualis eſt hic libellus, quam in aliis. Ipſe jam eo inclinabam, non inſpecta adhuc

huc marginali illa Nota; & ſane hoc prætulerim, quam reſcribere *de erroribus*, ut habet Editio apud Commelin. Anni CIↃIↃCIII. nullo, ut videtur, ſenſu, & ne quidem locutione Latina. Pithœus legerat *deterioribus Religionibus*, & explicabat de Religione Chriſtiana, quam Diocletianus, Chriſtiano nomini infenſiſſimus, Manichæorum ſecta *deteriorem* vocaſſet. At vero illa emendatio, quamvis & in Editiones quasdam tranſiverit, mihi videtur omnium deterrima: nam ne quid nunc dicam de ipſo ſenſu, qui vel ſic laborat, vix mihi perſuaſerim, eum Chriſtianiſmum Manichæiſmo deteriorem pronunciaſſe, ſatis quippe conſtat, Manichæos impuriſſimam ſectam foviſſe, & *ad imam usque ſcelerum nequitiam perveniſſe*, ut hæc jam attuli ex *l.* 5. *C. de Hæretic. & Manich.* quod nec Diocletianus, nec quisquam alius, de Chriſtianis unquam tam acerbe extulit. Veriſimile quidem eſt, qui Orthodoxi erant, vel ſibi eſſe videbantur, plurima Manichæis adfinxiſſe, quæ, ſi verum amamus, non usquequaque vera erant, vel alia mente proferebantur (ſic enim fere ſolent, qui cauſam Religionis tractant) ſed tamen Chriſtianos Manichæis *deteriores* dici non patitur utriusque ſectæ collatio, non ipſe Diocletianus, qui his nunc pœnam ſtatuit, illos autem, hoc certe tempore, impunitos dimiſit: ex Hiſtoria namque Eccleſiaſtica certum eſt, Diocletianum, poſt captam demum Alexandriam, atque adeo poſt hanc Conſtitutionem, primum ſævire cœpiſſe adverſus Chriſtianum nomen. Quamobrem, ſi illud *deterioribus Religionibus* de Chriſtianis omnino accipiendum eſſet, potius reponerem, *deſertoribus Religionum*, deſeruerant enim Chriſtiani Religionem Romanam, Manichæi vero, partem Chriſtiani, partem Gentiles, partem novæ Religionis, in quibus deſciverant a Chriſtianis, iis ſeſe quam maxime oppoſuerunt. ſed adhuc malim acquieſcere in *veterioribus*.

Quæ ſequuntur, *ut pro arbitrio ſuo pravum excludant*, etiam ſunt in mendo. *Pravum*, per modum adverbii, quod ſciam, non dicitur, ut *horrendum*, *commodum*, & reliqua ejus generis. Unde & in margine Edit. Pariſ. CIↃIↃLXXXVI. eſt *pravo*, ut referatur ad antecedens *arbitrio*; quod ferri poteſt, niſi quis malit *prave*, vel *pravum* retinere, & mox reſcribere *excudant* pro *excludant*, ut *pravum excudere* ſit pravas opiniones expromere & proferre. Quod ſi placeat, ſequentia, *quæ divinitus conceſſa ſunt*, ad ea, quæ deſunt, pertinere dicendum eſt, & in his *vetandi*, *prohibendi*, vel ſimile quod verbum, inter cætera, eſſe ſupplendum. Quomodocunque autem legas, vel quæcunque ſubintelligas, quod ad ipſam ſententiam attinet, puto hic reſpici ad eam partem Doctrinæ Manichæorum, qua excludebant vel prohibebant matrimonia, divinitus conceſſa, vel qua interdicebant uſu caſei, ovorum, lactis, vini, carnium, aliorumque eſculentorum vel potulentorum, quæ Divina Providentia ad exhibendos homines permiſit & indulſit, & a quibus tamen, ut dixi, Fanatici illi jubebant abſtinere.

Quoniam nobis, de quibus Solertia tua Serenitati noſtræ retulit, Manichæos audivimus eos nuperrime, velut nova inopinata prodigia, in hunc Mundum de Perſica, adverſaria nobis Gente, progreſſa vel orta eſſe, & multa facinora ibi committere. Non video, quocum cohæreat illud *nobis*, niſi & hic quid deſit, quod oporteat ſuppleri. Sola tamen trajectione τῷ *nobis* ad ſuperiora poſſes referre, *quæ divinitus conceſſa ſunt nobis*, & deinde poſt hiatum, *Quoniam, de quibus* &c. Illud *eos* vereor quoque, ut tranſcriptum ſit alieno loco, ita ſane melius progrederetur oratio: *Quoniam eos, de quibus Solertia tua Serenitati noſtræ retulit, Manichæos audivimus* &c. quamquam id non urgeam, atque ſi omnino eſſet neceſſarium.

Ait autem, Manichæos *nuperrime*, *velut nova inopinata prodigia progreſſa vel orta eſſe*. Erat utique tunc nova adhuc Manichæorum ſecta, quippe primum inchoata paulo ante Diocletianum, ut Euſebius auctor eſt *Hiſtor. Eccleſ. L.* VII. *C.* 24. *in fin. & C.* 25. *in princ.* Ejus initia ad Aurelianum & Probum retulit Epiphanius *adverſus Manichæos Hæres.* LXVI. *n.* I. & 19. nec ſcio quemquam, qui vetuſtiorem dixerit. Quare ſatis mirari non poſſum, Suidam in *Voc.* Νερβᾶς, Manichæorum dogma Nervæ temporibus tribuiſſe, κατ' ὃν καιρὸν, inquit, καὶ τὸ τῶν Μανιχαίων ἀνεφάνη δόγμα, nam ipſe Manes, auctor improbæ ſectæ, demum extinctus eſt circa annum CCLXXX. Nihil adhuc ſuccurrit, quo Suidæ auctoritati poſſim conſulere.

Porro ait, Manichæos ortos vel progreſſos eſſe *in hunc Mundum*, *de Perſica*, *adverſaria nobis*, *Gente*. Ut ipſe Manes Perſa, ſic recte e Perſide Manichæorum hæreſin prodiiſſe dixit Diocletianus, id ipſum enim eſt, quod Euſebius confirmat *d. L.* VII. *C.* 25. ſimili fere, quæ hic eſt, locutione. Ἐκ τῆς, inquit, Περσῶν ἐπὶ τὴν καθ' ἡμᾶς οἰκουμένην ὥσπερ τινὰ θανατηφόρον ἰὸν ἐξωμόρξατο, *ex Perſia in noſtrum Orbem venenum quoddam mortiferum evomuit.* Quod Euſebius dixit in *Orbem noſtrum*, mox & Diocletianus dicit, *univerſum Orbem noſtrum*, uſitata phraſi, pro *Imperio Romano.* Sed hic alio verbo eandem rem expreſſit Diocletianus, cum ait, *in hunc Mundum*, quod inſolentius eſt. Gemina tamen locutione utitur Imper. Antoninus in *l.* 9. *ff. de Leg. Rhod. de jact.* Ἐγὼ μὲν, inquit, τοῦ Κόσμου κύριος, & quæ ſequuntur. Atque ita *Mundi* vox de his ipſis Manichæis, *Mundum ſollicitantibus*, eſt accipienda in *l.* 18. *C. Th. de Hæreticis.* plane ut vox Κόσμου apud Epiphanium *adverſus Manichæos Hæres.* LXVI. *n.* 32. Quam ſæpe autem, & quam ob cauſam *Mundus* & *Orbis*, & *Orbis noſter* a Romanis dicatur pro *Imperio Romano*, ſatis ſum exſequutus *Libro Singul. ad d. l.* 9. *ff. de Leg. Rhod. de Jact. C.* VI. Sumitur & alias *Orbis* pro majore parte terræ, ab aliis ſeparata. De Britannia ſubacta eſt in *Catalect. Scaligeri p.* 210.

Conjunctum eſt, quod adhuc Orbis & Orbis erat. Unde & Archiepiſcopus Cantuarienſis ab Urbano II. vocatus eſt *Papa alterius Orbis*; locus eſt apud Seldenum ad *Sulpic. Sever. de vita B. Mart. p. m.* 522. In eandem ſententiam & Ennodius *Panegyr. ad Theodoric. Reg. p. m.* 395. *Non tibi ignotus eſt algor Scythiæ, non Meroe æſtum anhelum, ut* ALTERIUS POSSESSOR ORBIS, *ignoras.* Quapropter adſentior Jacobo Gothofredo, qui illud Honorii, *in Orbe noſtro*, quod occurrit in *l.* 20. *C. Th. de Pagan. Sacrific. & Templ.* ad Orbem occidentalem refert, non ad totum Orbem Romanum.

*Populos namque quietos perturbare, nec non & Civitatibus maxima detrimenta inferere; & verendum eſt, ne forte, ut fieri adſolet, accedenti tempore conentur execrandas conſuetudines, & * iſtebas Leges Perſarum innocentioris naturæ homines Romana Gente modeſtam atque tranquillam, & univerſum Orbem noſtrum veluti venenis de ſuis malevolis inſigere.* Recenſet facinora Manichæorum, & unice ea refert ad turbationem quietis publicæ, quo potiſſimum nomine Manichæi

ſuc-

fuerunt infames, ut latius dixi ad *princ. h. Edict.* Ait eos, *Civitatibus maxima detrimenta* INSERERE. Pithœus mallet, *inferre*, Schultingius, *ingerere*, ad *Cod. Gregor. L.* XIX. *T.* IV. quod utique propius accedit ad ſcripturam veterem. Sed ipſum *inſerere* apud Latinos uſurpatur pro *ingerere*, *inferre*, ut in illo Ovidii *Metamorph. L.* XIII.

Inſeris Æacidis alienæ nomina Gentis.

Ut ita *inſerendi* vox commodum retineri poſſit. Et ſi, quod de *detrimentis* dicit, de ipſa hæreſi intelligas, ut potes, *inſerere* hic idem erit, quod apud Euripidem in *Bacch. vſ.* 256. εἰσφέρειν τὸν δαίμονα νέον, *inferre novum Deum*, & *vſ.* 260. εἰσάγειν τελετὰς πονηράς, *inducere pravas cerimonias.* Quin & alia ſignificatione *inſerendi* verbum, de ipſa hæreſi acceptum, hic intelligi poterit: ut enim ſeditio, quæ clam & tacite per partes ſerpit & creſcit, *ſeri* dicitur, cum alibi, tum apud Tacitum, variis locis, ſic hæreſis, vires acquirens eundo, non abſurde diceretur *ſeri*, &, ut hic, *inſeri Civitatibus*; quemadmodum & hæreſis *ſemini*, & hæretici *ſatoribus* comparantur in Parabola Sacra, & in *C.* 10. X. *de Hæretic.*

Quod ſequitur, *iſtebas Leges Perſarum*, nemo facile intellexerit. Signum lacunæ, quod præponitur τῷ *iſtebas*, nihil pertinet ad ipſam vocem; ubique tamen editum eſt *iſtebas*, niſi quod ille, qui Leidæ CIƆIƆCLXXII. *Collationem LL. Moſaic. & Rom.* correptiſſime edidit, hic ediderit *priſtinas*, quod ipſum plane nihili eſt. Ad marginem Edit. Pariſ. CIƆIƆLXXXVI. exhibetur, *Hiſtaſpeas*, quæ Leges quales fuerint, non eſt, credo, ut quiſquam explicare poſſit, ego certe non poſſum. Pithœus legit *inceſtas*, atque ita & Barthius eo loco, quem Clariſ. Schultingius indicavit, & uterque intelligit eas Perſarum Leges, quibus inceſtus permittebatur. Has ipſas intelligit Iſaacus Voſſius ad *Catullum*, *Epigr. in Gellium*, *Naſcatur Magus &c. p.* 315. ſed pro *iſtebas* reponit *Thyeſteas.* Si rem a fabula placeat repetere, poſſes quoque legere, *Ægiſtheas*, ob permiſſa Perſis adulteria; ſed ſi mavis *Thyeſteas*, non ſimpliciter cum Voſſio de inceſtu id liceret interpretari, inceſtus enim apud Manichæos meræ nugæ, ſed potius de βρεφοφαγίᾳ, quæ vulgo Manichæis exprobrabatur; majori, an eadem veritate, qua eandem Chriſtianis Gentiles objiciebant, nunc non diſputo. Sane ex τῷ *iſtebas*, ſi omnes literas, nonnihil trajectas, ſervo, nihil poſſum efficere niſi *beſtias*, & ſi *beſtias Leges* dicas pro iis, quæ beſtiis conveniunt, per cumulationem, ut alias, gemini ſubſtantivi, valde quid novum dixeris. Si ea loquutio ſe exemplis poſſet tueri, intelligerem quasvis Leges Perſarum irrationales, nec minus eas, quæ de inceſtu permiſſo circumferuntur. Quamvis enim apud Veteres Novosque memorentur exempla, quæ probent, etiam bruta a proxime cognatorum coïtu abhorruiſſe, obtinuit tamen, promiſcuam Venerem brutis tribui; unde &, cum de inceſtu agunt, ad *pecudum ac ferarum promiſcuum ritum* provocant ipſi illi Impp. Diocletianus & Maximianus in *hac Collat. LL. Moſaic. & Roman. T.* VI. §. 3. quomodo & in *Capitul. Caroli M. L.* VII. *C.* 273. de his agitur, *qui* MORE PECORUM *cum Conſanguineis usque Affinitatis lineam inceſtum commiſerunt*, id eſt, *usque in ſeptimam progeniem*, ſic enim explicatur *Affinitatis linea L.* VII. *C.* 330. Atque hæc ita, ſi, ut dixi, exemplis ſe poſſet tueri ea loquutio, *beſtias Leges*; nunc ſubſiſto, & fere pronior eſſem in *Ægiſtheas Leges*; niſi potius deſperandum ſit.

Sane reliqua hujus loci etiam varie corrupta ſunt: ut ut enim conſtans ubique Lectio ſit, quam exhibui, conſtanter tamen vitioſa eſt. Pithœus, quo ſententia & conſtructio conſtarent, ante *execrandas conſuetudines*, reſtituit *per*, & deinde legit *Romanam Gentem.* quod utrumque poſſum probare. Sed vero *infigere*, quod ſequitur, non accuſandi caſum, qui toties hic adhibetur, at caſum dandi deſiderat; quis igitur hic ferat *Romanam Gentem*? etiam Pithœus hoc animadvertit, & ideo mox, dempta particula *de*, quæ perperam irrepſerat, ita corrigit: *venenis ſuis malevolis defigere.* Sed minus proprie minusque commode Manichæi dicuntur *univerſum Orbem defigere venenis*; Cicero alicubi dixit, *ſententiam defigere in animo*, quæ translatio ſatis eſt apta, quæ autem hic eſſet, nec rationem, nec auctoritatem haberet ullam. Barthius eo loco, quem Clar. Schultingius attulit, primum ad internecionem delet *Romanam Gentem*, nec quoque eſſe ſinit *modeſtam atque tranquillam*, his igitur expunctis, ita legit ſequentia: *veluti venena de ſuis malis ovis infigere.* quæ mera barbaries eſt. Poſſum, ut dixi, probare utramque priorem Pithœi conjecturam, *per* enim facillime potuit excidere, & *Romanam Gentem* ſequentia Adjectiva omnino poſtulant, patior quoque abeſſe *de*, at pro *infigere* quantocyus reſcribi velim, *inficere*, nam appoſite *Orbis* dicitur *infici venenis.* Quin hæc ipſa eſt Lectio Editionis Leidenſis CIƆIƆCLXXII. Schultingio etiam probata ad *Collat. LL. Moſaic. & Roman. d. Tit.* XV. §. 3. neſcias autem, ex ingenio Editoris profecta ſit hæc Lectio, an ex felicitate quadam typi aberrantis. Utcunque ſit, genuinam eſſe auſim præſtare, & in primis etiam convenit cum illo Euſebii, quod mox referebam, θανατηφόρον ἰὸν ἐξωμόρξατο ἐπὶ τὴν καθ' ἡμᾶς οἰκουμένην, *mortiferum venenum evomuit in Orbem noſtrum*, nam & hic Imperatores *Orbem noſtrum* dixerunt, vulgatiore verbo, pro quo ante dixerant *hunc Mundum.*

*Et quia omnia, quæ pandit Prudentia tua in relationem Religionis illorum genera maleficiorum * Statutis evidentiſſimorum exquiſita & adinventa commenta, ideo eorum * mœnas atque pœnas debitas & condignas illis ſtatuimus.* Hæc præfatur Diocletianus, priusquam ad ipſam Sanctionem tranſeat; ſunt autem obſcura admodum, & forte non integra. Unde quidam Editores duos, quos notavi, aſteriſcos adſcripſerunt, ſed tamen omnes, quot vidi, ab interpretatione ſolicite abſtinuerunt, niſi quod Clar. Schultingius pro *in relationem*, mallet, *in relatione*, quod nec omnino improbem, ſed velim ſcire, de reliquis omnibus quid tum porro futurum ſit? Forte τὸ *illorum* in alium locum transferendum erit, hoc modo: *Et quia omnia, quæ pandit Prudentia tua in relatione Religionis, genera maleficiorum, illorum Statutis evidentiſſimorum*, hoc eſt, quia omnia maleficia, quæ ſuggeris, ex eorum Statutis & Legibus, quæ Diſciplinam Manichæorum continent, evidentiſſima ſunt. Addit, *exquiſita & adinventa commenta*, quæ nec ipſa ſubſiſtunt, niſi ſuppleas vel intelligas, *ſunt*, aut ſimile quid. Sed mox ſequitur, *mœnas*, quod nemo hominum facile intellexerit, ecce autem adeſt Deus e machina, Editor Leidenſis, qui pro *mœnas* exhibet *machinas*, at quibus fidiculis huc *machinas* trahat, nondum, qui meus eſt ſtupor, potui animadvertere, & quid erit *machinas ſtatuere*, & *ma-*

machinas debitas & condignas? ſed apage nugas. Quid vero ſint *mænæ*, dicat, qui habet Sphingem. Ego fateor me neſcire, neque adhuc quid aliud, ſine majori motu, poſſum ſubſtituere, vix enim placet, *meritas*, quod dudum conjeceram, quia tantundem eſt, quod ſequitur, *debitas & condignas*; niſi hæc in Diocletiano feramus.

Jubemus namque auctores quidem ac principes una cum abominandis ſcripturis eorum ſeveriori pœnæ ſubjici, ita ut flammeis ignibus exurantur, conſentaneos vero, & usque ad eos contentioſos capite puniri præcipimus, & eorum bona Fiſco noſtro vindicari ſancimus. Si qui ſane etiam honorati, aut cujuslibet dignitatis vel majoris perſonæ, ad hanc inauditam & turpem, atque per omnia infamem ſectam, vel ad Doctrinam Perſarum ſe tranſtulerunt, eorum patrimonia Fiſco noſtro adſociari facies, ipſos quoque Forenſibus vel Proconenſibus metallis dari. Quod ad pœnam diſtinguit Imperator, ut fere in aliis criminibus fieri ſolet, inter auctores, & reliquos ejusdem delicti correos, deinde inter honeſtiores & humiliores. De his, quæ hic recenſentur, pœnarum generibus poſſem multa dicere, ſi non obſtaret hujus Commentarioli ratio. De pœnis Manichæorum, ſub Chriſtianis Principibus, prolixe egit Jacobus Gothofredus ad *l.* 40. *C. Th. de Hæret.* & inde licet diſcere, Diocletianum, quæ ejus fuit ſeveritas, maxime in cauſa Religionis, plus ſæviiſſe in Manichæos, quam Principes Chriſtianos, quorum pœnæ molliores erant. Sed, his remotis, ad verba duntaxat, quæ præſcripſimus, nonnihil adnotemus. Pro *ad eos contentioſos* Pithœus, meliori ſenſu, *adeo contentioſos*, quæ emendatio & in Editiones quasdam recepta eſt. Quod autem pro *atque per omnia*, ipſe reſcribi jubeat, *& per omnia*, ejus temeritatis rationem non adſequor. Porro de *Forenſibus metallis* res meretur inſpici; *Proconenſia metalla*, quorum etiam meminit, ſatis novit Antiquitas, ſed *Forenſium* nulla, quod ſciam, uſpiam mentio eſt. Pithœus legit, *Elaſonenſibus*, quod utique longius recedit ab antiqua ſcriptura, quam oportebat. An pro *Forenſibus* legemus *Focenſibus*, a *Foce*, Ægei maris Inſula? ſed ibi metalla fuiſſe, non habeo, unde probem. An *Fanenſibus*? nam *metalli Fanenſis* meminit Euſebius Rufini *L.* VIII. *C.* 14. An *Fœnenſibus*? idque reſcribendum pro *Fonenſibus*, quod eſt ad marginem Editionis Pariſ. CIƆIƆLXXXVI.? Fere eſt, ut credam, quia, ſuggerente locum Pithœo, apud Epiphanium legitur, ἐν τοῖς Φαινησίοις μετάλλοις; parum tamen, vel nihil potius ille locus pertinet ad ejus *Elaſonenſibus*, ut neque alius, quem adfert, de φεννησίοις μετάλλοις ex Theodoreto *Hiſtor. Eccleſiaſt. L.* IV. *C.* 20. ſecundum hunc enim legendum eſſet *Fennenſibus*, quod forte quis hic reponat. Alius præferat *Fainenſibus* vel *Phainenſibus*, propter metalla *Fainonis* vel *Phainonis*, de quibus eſt apud Athanaſium, Pithœo quoque laudatum, & apud Euſebium in *Append. ad L.* VIII. *Hiſtor. Eccleſ.* ubi refert Chriſtianos, primum caſtratos, deinde damnatos fuiſſe in metalla ærea *Phainonis*. Clar. Schultingius, poſtquam laudaverat Pithœi *Elaſonenſibus*, magis tandem videtur inclinare in *Fennenſibus* vel *Phainenſibus*, & ſane, ſi quid judico, multis nominibus utraque Lectio præſtat. Ex his autem, & aliis, quas ſupra dixi, electionis poteſtatem facile cuivis permiſerim, donec quid certius & melius occurrat.

*Ut igitur ſtirpitus amputari * malis hæc nequitiæ de Sæculo beatiſſimo noſtro poſſit, Devotio tua Juſſis ac Statutis Tranquillitatis noſtræ maturius obſecundare *. Dat. Prid. Kl. April. Alexandriæ.* Petrus Pithœus pro *malis hæc nequitiæ*, quod nullo ſenſu legitur, reſtituit, *radix hæc nequitiæ*, & poſt *obſecundare*, addit, *feſtinet*, hæc enim, aut qua alia ſimilis vox videbatur deeſſe. Utraque Pithœi conjectura rurſus, peſſimo more, in varias Editiones migravit. Editor Leidenſis exhibet primo loco, *magis hæc nequitia*, & deinde addit, *procurabit.* Quod ad priorem locum his, quæ dixi, præferrem Notam marginalem Edit. Pariſ. CIƆIƆLXXXVI. quæ habet, *talis hæc nequitia;* quod ad poſteriorem, etiam omni ſupplemento poſſumus carere, ſi, quod malo, reſcribamus. *obſecundato.*

Reſcripſit autem hoc Diocletianus *Alexandriæ.* Non aliam facile Diocletiani Legem invenias, Alexandriæ datam; diu certe aliam quæſivi, ut annum diſcerem, quo data eſt hæc Conſtitutio, at fruſtra quæſivi, & nihil inde ſperare licet. Quin pauca hoc ipſo tempore reſcripſit Diocletianus, bello ac tyrannide Achillea componenda impeditus, quia autem ſemel tantum, non ſæpius Alexandriæ fuiſſe videtur, duos hic annos finire liceret, annum nempe CCXCVIII. vel CCXCIX. ut nempe alterutro data fuerit hæc Conſtitutio. Anno utique CCXCVIII. Alexandriam obſedit per menſes VIII. ut Euſebii Chronicon, cum aliis collatum, docet. Anno CCXCIX. fuit in Ægypto, ſeditionemque & affectatum Imperium Achillei compeſcuit, & quæ ad Quietem publicam in iis oris pertinebant, prudenter, etſi multa cum ſeveritate, conſtituit. Anno CCC. & CCCI. Orientem petivit, fuit in Meſopotamia, & ea peregit, quæ Hiſtoria illorum temporum abunde ſuggerit. Sane, quia ait *Alexandriæ*, non *apud Alexandriam*, facta videtur hæc Conſtitutio poſt captam Alexandriam, anno ut dicebam, CCXCVIII. vel CCXCIX.

TANTUM EST.

ARGUMENTA HUJUS OPUSCULI.

DISSERTATIO I.

Cultum Religionis ſemper pertinuiſſe ad curam Legum & JCtorum. Pag. 412

DISSERTATIO II.

Quo loco apud Romanos fuerint Religiones Peregrinæ, & an earum cauſa coïre licuerit. 413
SCtum Marcianum de Bacchanalibus tollendis, ejusque explicatio. 417
Edictum Diocletiani & Maximiani contra Manichæos, ejusque explicatio. 420

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

OPUSCULUM

DE

CAPTATORIIS INSTITUTIONIBUS.

AD LECTOREM.

Captatorum & Hæredipetarum natio ſemper infamis fuit, & adhuc eſt, apud eos certe, qui didicerunt, animi magnitudinem omnium virtutum eſſe principem. Quid enim vilius, quam ſola ſpe lucri adſidere ſenibus & vetulis, & iis, qui, ut Poëta ait, per ætatem *omnia omnibus annuunt*, etiam omnia annuere, mox inter hos & legitimos hæredes ſimultates, diſcordias, lites alere, continuo munuſculis adeſſe, quibus avaritiam expugnent, opem conſilium polliceri & prolixe præſtare in rebus frivolis, denique hoc omni modo agere, ut opima ſpolia reportent. Videas autem plurimos & olim inceſſiſſe, & nunc incedere his ſpoliis onuſtos, interverſis, quæ aliis debentur, hæreditatibus. *Habet* ſcilicet *ea res* non tantum *panem*, ut inquit ille, ſed & dapes, & quicquid ad vitam beatiorem pertinere poſſit. Quod cum ſit, mox omnis virtus alget, & animus magnus fere nomen eſt inane, etiam apud eos, qui alioquin virtutem a vitiis ſciunt diſcernere, quibusque, quod mireris, non anguſta non tantum, ſed etiam lauta domi res eſt. Qui vitia ſæculi ſui, per omnes ætates, deſcripſerunt, non ſunt obliti diem dicere his captatoribus, & notare eorum mille fraudes, diſſimulationes atque impoſturas, ſic ut non Proteus in tot formas abierit, quam improbus ſtellio, dum inhiat aliorum hæreditatibus vel legatis. Sed & ipſæ Leges contra hanc vafritiem inſurgunt, & ſua auctoritate, quantum ejus fieri poſſit, hoc hominum genus compeſcunt, non quod obviam eant omnibus fraudibus, & omnibus ſpeciebus, quæ in captationem incidunt [has enim omnes prohibere, ut ex hoc Opuſculo intelliges, non opis eſt humanæ] ſed quod *captatorias inſtitutiones*, quæ in oculos incurrunt, damnent ac proſcribant. Non potuit Legislator Romanus alias ſpecies, ut ut improbas & noxias, Lege ſua comprehendere, nam ut & mox audies, pendent illæ a ſecreto cujusque animi. Quare & hic *anguſta innocentia eſt*, ut Seneca ait, *ad Legem bonum eſſe*.

De his *captatoriis inſtitutionibus*, quæ ſolæ ad publicas Tabulas pertinent, nemo, quod ſciam, egit ſingulari Diſſertatione; & tamen, ut agatur, poſtulat dignitas argumenti. Priſca Gens Interpretum partem ſcivit, partem ignoravit, ecquid rei eſſet *captatoria inſtitutio*. Scivit etiam ipſe Accurſius, id quod vere res eſt, definitione & exemplis complexus. Sed & ipſe ille Accurſius ignoravit, aliis quoque in eam rem adlatis, quæ eo nihil quicquam pertinebant. Non igitur ſimpliciter damnanda erat Veterum de captatoriis ſcripturis ſententia, ut fere omnes ſimpliciter damnant. Ex Poſterioribus, utique poſt Antonium Auguſtinum, vel duo, vel nulli ſunt, qui non probe intelligant, quid apud veteres JCtos ſit *captatoria inſtitutio*, ſed tamen nemo eorum eſt, qui integre, quicquid ejus rei eſt, pertractavit, qui omnia, quæ huc pertinent, Juris capita explicavit, compoſuit, emendavit. Ex profeſſo id egi hoc Opuſculo, ſed ea, qua potui, brevitate, neque adeo deſcriptis, quæ paſſim obviæ ſunt, auctoritatibus de omne genus captatoribus. Alios, ut dixi, Jurisprudentia coërcet, alios, & longe plures, Poëtæ Græci & Latini ſale ſuo perfricant; & hos quoque omnes videas perperam confundi. An, quod præſtiti, operæ fuerit pretium, judicabunt, quibus jus ſuffragii eſt. Ita, Lector, Vale.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK

JCTI ET PRÆSIDIS,

OPUSCULUM DE CAPTATORIIS INSTITUTIONIBUS.

CAPUT I.

Quæ Lex prohibuerit captatorias Inſtitutiones.

Quum Papinianus in *l.* 70. & Paulus in *l.* 71. *ff. de Hæred. inſtit.* data opera agant de *captatoriis inſtitutionibus*, & uterque, quicquid ejus juris eſt, *Senatui* adſcribat, ex *SCto* eſſe captatoriæ ſcripturæ prohibitionem, ſatis eſt certiſſimum. Papinianus ait, *Senatus improbavit*, Paulus, *Senatus cenſuit*, quæ ipſa vox *cenſendi* eſt ex formula SCtorum, & mox, *quod in ſententiam SCti incidere non eſt dubium.* Quibus Conſulibus id SCtum fuerit factum, & quo nomine appellatum, non eſt, unde ſciri poſſit. Plura occurrunt SCta ſine die & Conſule, ſed de quibus aliunde certi eſſe poſſumus, hujus autem nulla, quod ſciam, mentio eſt, niſi in *d. l.* 70. & 71. utque adeo fruſtra de eo hariolemur, vel alios hariolantes ſequamur. Accurſius ad *d. l.* 70. hoc SCtum, ex quo captatoriæ ſcripturæ prohibitio deſcendit, idem eſſe putavit cum SCto Liboniano, & Accurſium, ut fit, ſervum pecus mox ſequutum eſt. An SCto Liboniano quicquam ejus rei fuerit cautum, ipſe neſcio, ſed hoc ſcio, duas Leges, quas Accurſius adducit, adeo in hanc rem eſſe inutiles, ut iis refutandis nolim operam ludere.

Juſtus Lipſius *Excurſſ. ad L.* III. *Annal. Tacit. lit. C.* exiſtimabat, idem eſſe hoc SCtum cum Lege Julia & Papia, atque adeo hanc fuiſſe, quæ prohibuerit captare hæreditates & legata. Sed vel Lipſio, temere id adfirmanti, noli credere, nam cum Veterum nemo unus ſit, qui hoc dixerit, temere dictum puta; ipſe certe nec Lipſio, nec alii cuiquam, in rebus facti, quæ veteris ævi ſunt, ſine idoneo auctore crediderim. Ait quidem, Juliam & Papiam eſſe latam *per Senatum*, & inde, ubi de captatoriis inſtitutionibus agitur, *Senatus* mentionem eſſe in *d. l.* 70. & 71. Sed præterquam quod ex eo non efficiatur, ut efficit Lipſius, Juliam & Papiam captatoriam ſcripturam prohibuiſſe, etiam in eo ipſo fallitur. Juliam & Papiam originem debere SCto. Fuit illa Lex, ut ex Dione & aliis abunde conſtat, inter Leges proprie ſic dictas, rogata a Populo, per Conſules, non conſulta per Senatum: neque enim a Senatu eſſe inde recte probat Lipſius, quod Terentius Clemens, *ad Legem Juliam & Papiam* commentatus, *SCti* meminerit in *l.* 48. §. 2. *ff. de R. N.* meminit quidem, fateor, *SCti*, cum ait, *Senatum omne jus libertorum adſignatorum ad eum tranſtuliſſe, cui id pater tribuit*, ſed quod ibi dicit, quamvis dixerit *Libro* VIII. *ad L. Juliam & Papiam*, ut Inſcriptio indicat, non dicit ex Lege Julia & Papia, at vero ex ipſo *SCto de adſignandis libertis*, quod demum ſub Claudio factum eſt, ut Ulpianus retulit in *l.* 1. *pr. ff. de Adſign. libert.* quodque adeo idem eſſe non potuit cum Lege Julia & Papia, ut rurſus hæc confundit Lipſius. Fateor quoque, *d. l.* 71. *ff. de Hæred. inſtit.* eſſe Pauli ex *Libro* V. *ad Legem Juliam & Papiam.* Sed nec ea ratio me moverit, ut hoc SCtum, quod captatorias inſtitutiones coërcuit, cum Lege Julia & Papia unum & idem fuiſſe ſtatuam; quid enim vetat JCtos, in Libris ad L. Juliam & Papiam, alias etiam leges, alia SCta laudare? laudant ſane ſæpiſſime, quemadmodum & Terentius Clemens iis, quos dixi, Libris laudavit SCtum de adſignandis libertis in *d. l.* 48. §. 2. utque hic Paulus in *d. l.* 71. ſimili Commentario, SCtum de captatoriis inſtitutionibus. Et Paulus forte loco valde opportuno, quia *d. Libro* V. *ad L. Jul. & Pap.* potiſſimum egit de modis, quibus hæreditates & legata deficiunt, ut didici ex iis Legibus, quæ ex *d. L.* V. in Pandectis ſuperſunt. Quemadmodum autem cauſa caduci pertinebat ad Legem Juliam & Papiam, ſic ad cauſam caduci captatoriæ inſtitutiones; utque ita eo Capite, quod de caducis fuit, commodum egerit Paulus de jure captatoriæ ſcripturæ. Sed aliud eſt occaſione Legis Juliæ & Papiæ id jus definire, aliud ipſa Le-

Lege Julia & Papia fuiſſe comprehenſum. Negat quoque Jacobus Gothofredus *Not. ad C.* XXIX. *L. Jul. Caduc.* captatorias inſtitutiones ex Lege Papia eſſe, ſed negat ſimpliciter, notato quidem, ut videtur, at non laudato, & minus adhuc refutato Lipſio.

CAPUT II.

Quid ſit, captare hæreditatem, *&* captator hæreditatis. *Quæ captatio ad cauſam Juris pertineat. Quid Græcis* 'Ενϛάσεις χάριν ἀμειβόμεναι.

Quum *captare*, ſenſu vulgari, nihil fere ſit, quam *quærere per inſidias*, ſatis poterit conſtare, quid ſit *captare hæreditates* vel *teſtamenta*. *Teſtamenta* dico, quia eorum, quibus ab inteſtato ſuccedimus, hæreditates non captamus, niſi ea forte ratione, quam Ulpianus dixit in *l.* 1. *pr. ff. ſi quis aliq. teſtar. probib.* vel coëg. ſi quis nempe, dum captat hæreditatem legitimam, prohibuerit Teſtamentarium introïre, volente eo facere teſtamentum, ſed hæc ſpecies aliena eſt a captatione, de qua nos agimus, & quæ unice ad teſtamenta pertinet. Unde *teſtamenta captare* dixit Horatius *L.* II. *Satyr.* V. *vſ.* 23. & Seneca *L.* VI. *de Benefic. C.* 38. & in eandem ſententiam ſimpliciter *captare* Petronius *Satyr. C.* 116. Juvenalis *Satyr.* XVI. *vſ.* 56. & Plinius *L.* II. *Epiſt. ult.* Cæterum de verbo *captandi*, cum hac, tum aliis ſignificationibus plura habet Antonius Auguſtinus *L.* IV. *Emend. C.* 15. & Antonius Guibertus *Quæſt. Jur. L.* I. *C.* 7. quæ ibi, ſi commodum eſt, leges.

Qui hæreditatem, ſibi non debitam, venatur, dicitur *captator hæreditatis*, vel ſimpliciter *captator*, quemadmodum ſæpiſſime apud Poëtas, ſed unum duntaxat Juvenalis locum adfero ex *Satyr.* V. *vſ.* 97. quia ibi vetus Scholiaſtes *captatorem* recte interpretatur *hæredipetam*, quæ ipſa vox huic hominum generi propria eſt, uſurpata & Petronio *Satyr. C.* 125. unde & Gloſſæ Petron. *Hæredipetæ, qui alterius hæreditatem petunt vel cupiunt. Inſidiatorem* quoque vocat Horatius *d. Satyr.* V. *vſ.* 25. eſtque is, ex definitione Acronis, *qui non honoris cauſa fert primitias, ſed captandæ gratia hæreditatis.* Qui hac arte ambiunt amicitias & teſtamenta, nunc *corvi* audiunt, nunc *vultures*, nunc *turtures*, nunc *vulpes*, & ſi quæ alia ſint rapacitatis vel aſtutiæ nomina.

Ut autem varie ineſcantur homines, ſic non una arte uſi ſunt hæredipetæ ad demulcendos & demerendos ſibi homines. Is quæſtus Romæ fuit olim multo uberrimus, nec minus eſt hodie ubique fere Gentium. De Crotona, ſeu potius de ipſa, quam intelligit, Roma Petronius dixit *C.* 116. *Quoscunque homines in hac Urbe videritis, ſcitote, in duas partes eſſe diviſos, nam aut captantur, aut captant.* Plautus, Horatius, Juvenalis, Martialis, Auſonius ejusmodi captatorum plurima exempla adferunt, rident, rodunt, nec eſt, cur hæc omnia recenſeam, & hoc Opuſculum Verſiculis, inde deſcriptis, ornem. Mille fraudes hominum, ut cadavera lacerarent, præcipue vero prenſabant ſenes orbos, prenſabant vetulas, quam maxime avariores, & expugnabant munuſculis, eſculentis fere & potulentis. Sed & aliis modis inſidiabantur quibuscunque hominibus, utriusque ſexus, & cujusvis ætatis vel dignitatis; quemadmodum ipſi Neroni, captatione teſtamenti, inſidiatus fuerit Julius Vindex, narrat Plinius *Hiſtor. Natur. L.* XX. *C.* 14. *in fin.* & quemadmodum Regulus variis hominibus, arte captatoria, illuſerit, ipſe etiam aliquando illuſus, refert alter Plinius *L.* II. *Epiſt. ult.* quem Regulum, ſi nondum ſatis noſti, ipſe ille Plinius porro deſcribit *L.* IV. *Epiſt.* 2. Sed quum hæc loca, quum & Poëtarum, quos dixi, quum utriusque Senecæ, Quintiliani, Luciani, Ammiani Marcellini, aliorumque de Hæredipetis Benedicta alii, etiam in Lexicis, indicaverint, hæc omnia, ex more, tranſeo, hoc unum obſervare contentus, Senecam Philoſophum *L.* VI. *de Benefic. C.* 38. notare *Arruntium & Aterium*, *& cæteros, qui captandorum teſtamentorum artem profeſſi ſunt*, & tamen Suilium de hoc ipſo Seneca apud Tacitum *L.* XIII. *Annal. C.* 42. memoriæ prodidiſſe, *Romæ teſtamenta & orbos, velut indagine ejus, capi.* ſic virtus laudatur & alget, etiam apud ipſos Philoſophos.

Non omnem tamen captationem Lex Romana vindicat, longe plurima ejus genera extra Legis pœnam, quin & poteſtatem, fuere. Quod a ſecreto animi pendet, ut fere pendet hæc cauſa, ne quidem Lege coërceri poteſt: quid enim ſi quis mittat munera, ſed mittat, ut ait ille, *in hamo*, ſi quibuscunque officiis aduletur, & ſpe futuræ hæreditatis Lucio Titio adblandiatur, ſi latus ditiſſimi ſenis, ſi vetulæ veſicam beatæ premat, nihil hæc pertinent ad curam Legis, nec, ut dixi, pertinere poſſunt, quia ex ſolo animo æſtimandum eſt, ab amicitia & mutuis officiis hæc proficiſcantur, an eſca ſint captandæ hæreditatis. Utique licet certare obſequiis & mutua benevolentia, licet adſidere ſenibus & vetulis, ſed non licet ad aucupandas hæreditates, verum quis diſtinxerit, quæ ſcire nemo unus homo poteſt? Sane, ut in aliis Juris Romani articulis ea, quæ a ſolo ſecreto animi pendent, fere negliguntur, ita, quum de captatione teſtamentorum ſermo eſt, nihil aliud prohibitum vides, quam quod palam conſtat ea mente fieri, ut hæreditates alienas invadamus. Ea mente nemo negabit inſidias fieri, ſi quem ex aſſe hæredem ſcribo, qui me ex aſſe ſcripturus eſt, vel ex ea parte, ex qua me ſcripturus eſt, vel ſi cui tot legem, quot mihi legaturus eſt, palam enim, hac ratione, ejus aucupor hæreditatem vel legatum, ut ex Jure Romano mox audies.

Sed cur, dices, contra hæc Leges inſurgunt, quum tantum ipſe largiar Sempronio, quantum Sempronius mihi, ſi velit, largiturus eſt? quum res ex fato pendeat, uter alteri futurus ſit ſuperſtes? quumque Sempronius, ſi mea liberalitate provocatus nolit gratiam rependere, moribus ſuis uti poſſit? namque ita ſcriptura mea erit inutilis, nec quicquam præterea. Atque ſi ſcilicet Hæredipetæ, qui ſpe lucri mutantur in horas, non mille hæredes poſſint ſcribere, & nunc hunc, nunc illum captare, & oſtenſa quoque ſpe, ſed inani, ludificari. Atque ſi etiam non metuendum foret, ne, qui bonis meis primum inſidias ſtruxerit, deinde & vitæ meæ ſtruat; qui captat hæreditatem alicujus, ſæpe captat & mortem, habent enim illi homines *eadem*

vi-

vota, quæ deſignatores & libitinarii, ut vere & eleganter Seneca dixit *d. L.* VI. *de Benefic.* C. 38. & exemplum captatæ hæreditatis, & ſimul mortis, ut ut ea res captatori infeliciter ceſſerit, habes apud Lucianum in *Dialog. Mortuor. Zenophant. & Callidem. p. m.* 243. *& ſeqq.*

Sapienter igitur Lex Romana cavit, ne gratiam teſtamentis liceret elicere, & hæredem ſcribere ea lege, ut, qui ſcripſit, viciſſim ſcribatur hæres. Sed licuit eo jure gratiam rependere, & eum ſcribere hæredem, qui me primum ſcripſit, ut plenius conſtabit, ubi ad rem ipſam ventum erit. Id tamen nunc moneo, ut ſciamus, quid ſint Ἐνστάσεις χάριν ἀμειβόμεναι, cum apud Baſilicos *L.* XXXV. *T.* IX. *C.* 70. tum apud Harmenopulum Πρόχ. *L.* V. *T.* VIII. *pr.* Captatorias inſtitutiones ea definitione ſignificari non eſt dubium, ſed quid hic proprie ſit χάριν ἀμείβειν, meretur inſpici. Qui vertunt, *Inſtitutiones gratiam rependentes*, male videntur vertere, quia, ut dixi, gratiam rependere licet; potius, cum verbum ἀμείβειν ambiguæ ſit ſignificationis, vertendum erat, *Inſtitutiones gratiam mutuantes*, ſive *gratiam mutuam petentes*, quod in captationem incidit, & non eſt licitum. Alioquin quod de *gratia* dicitur, ſemper oportebit intelligere de *futura*, ut intellexit Cujacius ad *Libr.* VI. *Reſponſ. Papin.* in *l.* 70. *ff. de Hæred. inſtit.* Sed eſt id duriuſculum, nec in eam rem ſatis aptum *rependendi* vocabulum. Iidem Baſilici, quas *ſcripturas* Gajus vocat *captatorias* in *l.* 64. *ff. de Legat.* I. vocant ὡς χάριν ἀντιμείψεως γραφὰς *L.* XLIV. *T.* I. *C.* 20. hoc eſt, *ſcripturas hoſtimenti ſive remunerationis gratia*, quod magis eſt apertum, & fere, ut par eſt, futurum reſpicit.

CAPUT III.

Quæ non ſint captatoriæ inſtitutiones, ad primam partem L. 70. ff. de Hæred. inſtit.

Recte atque ordine videmur facturi, ſi tractatum *de captatoriis inſtitutionibus* ita abſolvamus, ut præivit Papinianus in *l.* 70. & Paulus in *l.* 71. *ff. de Hæred. inſtit.* in his enim Legibus eſt hujus argumenti ſedes, reliqua, quæ ibi non ſunt, facile applicabimus ſuo loco. Papinianus autem, peritus definiendi artifex, in *d. l.* 70. ex more, tum noſtris, tum aliis Auctoribus uſitato, primum exponit, quæ non ſint *captatoriæ inſtitutiones*, deinde, quæ ſint. *Captatorias*, inquit, *inſtitutiones non eas Senatus improbavit, quæ mutuis affectionibus judicia provocaverunt, ſed quarum conditio confertur ad ſecretum alienæ voluntatis.* De prima parte primum videamus. Ait, *Captatorias inſtitutiones non eas Senatus improbavit. &c.* Sine ulla interpunctione hæc leguntur in omnibus, quos vidi, Libris: dubito tamen, an recte, quum ita Papinianus, ut in Scholis loquuntur, ſibi contradiceret in adjecto, vocaret enim *captatorias inſtitutiones*, quas mox ait Senatum *non improbaſſe.* An *captatoriæ* vocem improprie uſurpavit? an ad figuram Rhetorices, neſcio quam, recurremus? neutrum placet, ego potius ſic interpungo: *Captatorias inſtitutiones, non eas Senatus improbavit &c.* ut dixerit: Inſtitutiones, quæ captatoriæ ſunt, Senatus improbavit, non eas, quæ ex mutua utriusque teſtatoris benevolentia proveniunt.

Ait, *mutuis affectionibus*, hoc eſt, reciproca amicitia, & grato utriusque partis animo. Dionyſius Gothofredus ad *h. l.* 70. & ad *l.* 11. *C. de Teſtam. milit.* mavult hic reſcribere *mutuatis affectionibus*; parum feliciter, *mutuari* in ejusmodi ſpecie fere in malam partem ſumitur, ut in *l.* 1. *ff. de Donat. inter V. & U. mutuato amore*, id eſt, ſimulato & adſumpto amore, quem non habebant, non *mutuo*, quam vocem ibi perperam ſubſtituit Haloander, ſed contra mentem Ulpiani.

Ait, *judicia.* Id verbum, ut ſæpe alias, ita & hic accipitur de *ſupremis voluntatibus*, & fruſtra ſim, ſi hoc probem. Significat autem Papinianus, non improbaſſe Senatum eas inſtitutiones, quæ ex mutua alterius teſtatoris erga alterum benevolentia proficiſcuntur, quum nulla tunc prorſus ſit captatio, ſed grata potius amoris compenſatio. Quapropter ſi quis me jam hæredem ſcripſerit, & ego viciſſim eum ſcribam, vel iiſdem, vel aliis tabulis, vel nos invicem mutuis tabulis ſcribamus hæredes, non erit *captatoria* illa inſtitutio, ſed, ut ſic dicam, *remuneratoria*, & rationem dabit Paulus in *l.* 71. *h. T. quia*, inquit, *in præteritum, non in futurum inſtitutio collata eſt*; de quo deinceps plenius erit dicendum. Tantundem eſt, ſi in præſens inſtitutio conferatur, nam ſi ambo voluntatem ſuam declaraverint, mutua affectione, nulla hic ſpes in futurum eſt, nulla addita conditio, neque adeo locus SCto. Hæc mutua inſtitutio Græcis dicitur ἀλληλοκληρονομία, quam nec inter virum & uxorem, nec inter alios quoslibet improbatam fuiſſe, recte dixit & probavit Jacobus Cujacius *L.* XVI. *Obſerv. C.* 39. & ad *Libr.* VI. *Reſponſ. Papin.* in *h. l.* 70. & Franciſcus Connanus *Comment. Jur. Civ. L.* X. *C.* 6. *n.* 6. Si ipſos Principes teſtes deſideres, captatoriam non eſſe mutuam Conjugum inſtitutionem, exemplo Leonii (*Leontii* alias ſcribi video) & Jucundæ declarant Impp. Theodoſius & Valentinianus *Novell. Valentin. L.* I. *T.* IV. verba ipſa non adſcribo, quia plures Interpretes adſcripſerunt. Quin nihil quicquam addo, quam hunc, de quo agimus, Papinianum, etiam ab Accurſio hic laudatum, in *l. ult. ff. Si quis aliq. teſt. prob. vel coëg.* ex facto reſpondiſſe, ne quidem virum in crimen incidere, *ſi, ut fieri adſolet, offenſam ægræ mulieris maritali ſermone placaverit, quominus contra eum, mutata voluntate, codicillos faceret*, tantum abeſt, ut incidat, ſi mutuo affectu & ἀλληλοκληρονομίας judicium ejus provocaverit. Si igitur maritus quibuscunque officiis blandiatur uxori, atque ita ejus hæreditatem mereat, honeſtæ ſunt hæ blanditiæ, & omni jure licitæ, nam *judicium uxoris poſtremum in ſe provocare maritali ſermone, non eſt criminoſum*, ut Diocletianus & Maximianus reſcripſerunt in *l. ult. C. Si quis aliq. teſt. prob. vel coëg.* Aliæ longe ſunt blanditiæ, de quibus Cicero dixit *L.* III. *de Offic. C.* 74. cum ait: *mihi quidem etiam veræ hæreditates non honeſtæ videntur, ſi ſint malitioſis blanditiis officiorum, non veritate, ſed ſimulatione quæſitæ.* Malitia & ſimulatio ſi abſit, ſi *vis & dolus*, de quo eſt in *d. l. ult. ff. Si quis aliq. teſt. prob. vel coëg.* etiam laudi datum fuit apud Romanos, hæreditatem gratia & benevolentia meruiſſe. Unde de Tiberio Tacitus *L.* II. *Annal. C.* 48. *neque hæreditatem cujusquam adiit, niſi*

niſi cum amicitia meruiſſet, ignotos & aliis infenſis, eoque Principem nuncupantes, procul arcebat. Sed quæ captatoriæ inſtitutiones non ſunt, porro conſtabit, ubi, quæ ſint, viderimus.

CAPUT IV.

Quæ ſint captatoriæ inſtitutiones, ad alteram partem L. 70. ff. de Hæred. inſtit.

Igitur non eas, quæ ex mutuo amore oriuntur, captatorias eſſe inſtitutiones Papinianus dixit, ſed, ut nunc addit, *quarum conditio confertur ad ſecretum alienæ voluntatis.* Si nihil aliud occurreret, ex quo liceret diſcere, quid eſſent captatoriæ inſtitutiones, præſtare auſim, neminem id ſcire poſſe ex ea Papiniani ſententia, ſimpliciter prolata; quin plurimos Interpretes ea definitione, aliunde non illuſtrata, fuiſſe ſeductos, oſtendam ſuo loco. Id vero eſt certiſſimum, omnes captatorias inſtitutiones, ſi ad hunc lapidem Lydium exploremus, habere *conditionem*, & hanc *conferri ad ſecretum alienæ voluntatis.* Quum autem, ut mox dicam, captatoria inſtitutio fiat eo fine, ut mutua alterius inſtitutio extorqueatur, utque hoc, qui captaverint, ſciant, dubitari poſſet, num opportune dixerit Papinianus, conditionem hamatam conferri *ad ſecretum alienæ voluntatis.* Ipſi certe captatores non tam *ſecretum* amant, quam *publicationem alienæ voluntatis*, ad quam ſuam retulerunt, ut, an res feliciter ceſſerit, intelligant, an alius hamus hamo ſit adjiciendus; ea igitur mente non captant, ut conditionem conferant in ſecreta judiciorum. Scio eſſe, qui *ſecretum alienæ voluntatis* hic explicat, utique explicare tentat, ipſam conditionem, captandi gratia adpoſitam; minus apte, ſic enim diceret, conditionem in conditionem conferri, quæ mera verborum & ſententiarum eſſet ſtribligo. Potius, quam id ſequar, legerem, non *ad ſecretum*, ſed *ad decretum alienæ voluntatis*, hoc eſt, quarum conditio confertur in id, quod alius ſuprema voluntate decernet, & ſic eſt in captatoriis inſtitutionibus. Sed tamen, ut legitur, omnino eſt legendum, nam *ſecretum alienæ voluntatis* nihil hic eſt aliud, quam *alterius teſtamentum*, nec pertinet ad eum, qui captat, ſed ad eum, qui captatur. Recte illam dictionem expoſuit Antonius Auguſtinus *L.* IV. *emendat. C.* 15. eo advocata *l.* 3. *C. de Codicill.* ſed rectius id probavit Cujacius *Libr.* VI. *Reſp. Papin.* in *h. l.* 70. ex Ulpiani *l.* 41. *pr. ff. ad L. Aquil.* In eandem ſententiam *ſecreta judicia* pro *teſtamentis* idem dixit Ulpianus in *l.* 1. §. 38. *ff. Depoſiti.*

Quæ vero ſit conditio, qua captamus hæreditates vel legata, quum Papinianus non expreſſerit, aliunde id erit petendum. Primum igitur, ut oportet, conſulamus Leges ipſas, deinde auctoritates, Legibus proximas, & tandem Interpretum, qui recte ſenſerint, vel non ſenſerint, ſententias. Quod ad Leges ipſas, ſunt quæ juvant, ut juvat *l.* 71. *ff. de Hæred. inſtit.* definiens, quæ inſtitutiones non ſint captatoriæ, juvant & aliæ, quas ſuo loco exponam, ſed vero, quod ſciam, non alia Lex eſt, quæ hanc conditionem diſertius deſcribat, quam *l.* 1. *ff. de His quæ pro non ſcript. hab.* nam Julianus, ibi probaturus, ea, quæ ſibi quis adſcripſit, perinde haberi, ac ſi teſtamento inſerta non eſſent, eam ſcripturam hac parte comparat captatoriæ inſtitutioni, ait enim improbatam eſſe eodem modo, quo ſunt illæ: *Qua ex parte me Titius hæredem ſcriptum in Tabulis ſuis recitaverit, ex ea parte hæres eſto.* Habes hic inſtitutionem, ex parte factam, ſed ſub conditione, quæ captat, *Titius ex ea parte hæres eſto, qua ex parte me hæredem ſcriptum in Tabulis recitaverit.* Illud *recitaverit*, reſolvitur in conditionem, *ſi me recitet*, ut & alias idem Julianus ſignificat in *l.* 6. *ff. de Legat.* I. futurum quippe reſpicit, ut fere omnis conditio, atque ita confertur in ſecretum alienæ voluntatis. Probo igitur Gloſſam, quæ ad V. *ſuis* in *d. l.* 1. ita notavit: *quas faciet, & ſic verbum* RECITAVERIT *eſt futuri temporis, ſecus ſi præteriti eſſet, ut qua ex parte* RECITAVIT, *id eſt, fecit, quia tunc valet inſtitutio, ſi ille me in aliquo hæredem fecerat.* quam Jurisprudentiam, nunc uno verbo propoſitam, latius deinde exſequar. Ait Julianus, *ex ea parte, qua ex parte*, ut ſciamus, nihil referre, quota quis ex parte alium, ut captet, ſcribat hæredem, ex quadrante, triente, quincunce, vel qua alia parte; imo ſi vel ex aſſe ſcribat, ut eadem ratio, idem juris erit. Nec etiam referre putem, ſi vel inæquales partes captator adſcripſerit, ut ſi ex ſemiſſe hæredem ſcribat Mævium, ſi ſe ex quadrante ſcripſerit, vel contra, nam quod plus vel minus eſt in captatione, non mutat cauſam Juris.

Succedant, proxima auctoritate, Baſilici. Hi *L.* XXXV. *T.* IX. *C.* 70. hanc captationis formulam exhibent: Πέτρος ὁ ἐξ ὅσου μέρους γέγραφέ με κληρονόμον, ἔσω μου κληρονόμος, *qua ex parte me Petrus hæredem ſcripſerit, meus hæres eſto.* Eandem formulam, iisdem fere verbis, iterum repræſentant *L.* XLIV. *T.* I. *C.* 20. quæ & ipſa eſt apud Conſtantinum Harmenopulum *L.* V. τοῦ Προχείρου *T.* VIII. *pr.* verba Harmenopuli non addo, quia deſcripſit & emendavit Auguſtinus *L.* IV. *Emend. C.* 15. & porro uſu venient ad explicationem *l.* 71. *ff. de Hæred. inſtit.* Hæ formulæ, ut vides, a formula Juliani nihil quicquam diſcrepant, nam & futurum reſpiciunt, & partes non exprimunt.

Atque ita juris eſt in hæreditate. De legatis quid dicemus? procul dubio & in his eadem ratio eſt. Sed & idem juris eſſe aperte pronuntiavit Gajus in *l.* 64. *ff. de Legat.* I. *Captatoriæ, inquit, ſcripturæ ſimili modo neque in hæreditatibus, neque in legatis valent.* quod adeo planum eſt, ut interpretem non deſideret.

CAPUT V.

De variis formulis captatoriæ ſcripturæ, & quemadmodum his conditio hamata inſit, & quemadmodum rurſus non inſit aliis, quæ captatoriæ videntur.

Propoſui exempla captatoriæ ſcripturæ ex Juliano & JCtis Græcis. Nemo negabit, plura eſſe, & aliis verbis poſſe concipi, ut, *Titium hæredem inſtituo, ſi me inſtituerit*, vel *ex ea parte, ex qua me inſtituerit*, idque ſive partes expreſſero, ſive celavero. Et in legatis, *Titio tot*

do, lego, quot mihi daturus legaturus eſt, vel, *ſi tot mihi dederit, legaverit*, hæc enim omnia nullo diſcrimine habentur, & ideo illis hamus ineſt, quia rependimus beneficium, ante beneficium acceptum. Quod etiam verum eſt, etiamſi quis captationem in alterius perſonam direxerit; cujus rei varias formulas & hic liceret adferre, niſi de ea ſpecie tractaret *l.* 71. §. 1. *ff. de Hæred. inſtit.* de qua deinceps erit agendum, & ad quem locum hæc commodius reſervabuntur. Ex his autem, quæ dixi, apparet, ſi poſt beneficium acceptum, beneficium rependam, id non incidere in SCtum, quod captatorias inſtitutiones coërcet, ut ſi Titium, qui me ex aſſe vel ex parte heredem ſcripſit, & ipſe poſt ex aſſe vel ex parte hæredem ſcribam, ſi Titio, qui mihi tot legavit, & ipſe poſt tot legem, neque enim tunc hamum habet ſcriptura mea, collata in præteritum, non in futurum, per modum conditionis. Quod ipſum exſequitur, & exemplo declarat Paulus in *d. l.* 71. *pr.* ut ibi plena manu videbimus, modo hic teneamus, ſine conditione, qua quis alios venatur, captatoriam inſtitutionem non intelligi, in ea vero ſpecie, ubi quis, ab alio primum inſtitutus, hunc rurſus inſtituit, ſimplex & pura eſt inſtitutio, ſine ulla formula captationis. Teſtatur ille duntaxat benevolentiam, quam alter provocaverat, nec aliud dici poteſt, quam utriusque teſtamentum niti mutua affectione, ut ſolet fieri ἐν ταῖς ἀλληλοκληρονομίαις vel duorum Conjugum, vel aliorum quorumcunque.

Ex hac definitione alia oritur inſpectio, an ſcilicet in SCtum incidat, qui hoc animo, hac ſpe alium ſcripſit hæredem, ut ipſe viciſſim ſcribatur hæres, nulla tamen addita conditione? Veriſſime dixit Quintilianus *Declamat.* CCCXXV. *Quidam hæredes ſcribunt eos, quos captant, tanquam intellecturos, quamquam ſecreto ſcriptos.* Et vulgo ſimpliciter hanc ſpeciem ad captatoriam inſtitutionem referri videas, ſed, ſi JCtos auctores ſequamur, diſtinguendum erit, pura fuerit illa inſtitutio, an ſub conditione mutuæ inſtitutionis. Sin hoc, captatoria erit, ſin illud, quamquam hamum habuerit tacitum, non erit, hamus enim ille tacitus, ut qui a me ſcriptus eſt hæres, exemplo meo provocatus, me quoque ſcribat, unice pendet a ſecreto animi, poteſt ea fuiſſe cauſa inſtitutionis, poteſt fuiſſe alia, quis tuto dixerit? & ſolent, ut jam monui *C.* II. ea negligere Leges, quæ unice pendent a ſecreto cujusque animi. Quare adſentior Donello *Comment. Jur. Civil. L.* VI. *C.* 19. adfirmanti, *non eſſe captatoriam inſtitutionem, quamvis forte conſtare poſſit, teſtatorem fuiſſe hoc animo, ut ſimulato officio provocaret hæredis mutuam voluntatem & inſtitutionem, nam*, inquit, *hic animus hæredem ad mutuam iſtam inſtitutionem non obſtrinxit.* Atque ita qui alium pure ſcripſit hæredem, ſi cum JCtis loquamur, non captat ejus hæreditatem, etiamſi captet, nam ſi deceſſerit ante captatum, valet inſtitutio. Exemplum ejusmodi puræ inſtitutionis, parum prudenter & feliciter a captatore factæ, eſt apud Lucianum in *Dialog. Mortuor. Cnemon. & Damnipp. p. m.* 246. *& ſeqq.* captatus ibi ſuccedit in bona captatoris, ante defuncti, quia captator conditionem non addiderat. Aliud exemplum Mœrichi & Ariſteæ, quorum alter alterum captando inſtituerat, eſt apud eundem Lucianum in *Dialog. Mortuor. Cretet. & Diogen. p. m.* 260. *& ſeqq.* ſed rurſus pure: utque adeo duo hæc exempla perperam referantur ad eas inſtitutiones, quas Lex vocat *captatorias.* Valebat, ex jure Romano, utraque inſtitutio, valebat, quod illa eſca capi poterat, quum neutri ineſſet conditio, collata in ſecretum alienæ voluntatis; inhiabant quidem illi apud Lucianum aliorum hæreditatibus, ſed non eo modo, quem Lex prohibet.

Igitur ſive duo ſtatim mutuam voluntatem declaraverint uno codice, ſive alter priore, alter poſteriore codice, quæcunque demum cauſa eos impulerit in reciprocam benevolentiam, modo abſit conditio, nulla, ſecundum JCtos, intelligitur captatio. Ejus certe, qui poſtremum teſtatus eſt, nullus, ut dixi, animus captandi eſſe poterit, quia reſcribit duntaxat beneficium, antea ſibi adſcriptum. Quapropter recte obſervavit Cujacius ad *Libr.* LXXVIII. *Digeſt. Juliani* in *l.* 1. *ff. de His quæ pro non ſcript. hab.* Julianum in formula, quam ibi edidit, captatoriæ inſtitutionis, uſum eſſe verbo *recitaverit*, quod futurum reſpicit, non *recitavit*, quod tempus exactum reſpiceret, & utilem fore inſtitutionem, ſi teſtator vocabulo præteriti temporis fuiſſet uſus, quum ita omnis hamus abſit. Sic ille, ſed præeunte Gloſſa, ut *Capite proximo* dicebam, quin præeunte, ut ſic audies, ipſo Paulo in *l.* 71. *pr. ff. de Hæred. inſtit.*

CAPUT VI.

Rurſus quæ non ſit captatoria inſtitutio, explicata & emendata L. 71. pr. ff. de Hæred. inſtit.

Paulus in Commentariis ad Legem Juliam & Papiam (eſt enim hæc *l.* 71. ex ejus *Libr.* V. *ad d. L.*) cum, ut eſt probabile, ſermo incidiſſet de Caducis, atque adeo etiam, ut ſupra conjiciebam, de captatoriis inſtitutionibus, ita ibi infit: *Illæ autem inſtitutiones captatoriæ non ſunt, veluti ſi ita hæredem quis inſtituat:* QUA EX PARTE TITIUS ME HÆREDEM INSTITUIT, EX EA PARTE MÆVIUS HÆRES ESTO, *quia in præteritum, non in futurum inſtitutio collata eſt.* Hoc ſcilicet eſt, quod modo dicebam & probabam, viſcatam non haberi, ſecundum JCtos, eam inſtitutionem, qua quis, hæres ab alio jam ſcriptus, eundem quoque hæredem ſcribit, addita ratione, perquam ſane manifeſta, quia confertur ejusmodi inſtitutio in præteritum, *inſtituo hæredem, qui me* INSTITUIT, *qui me* HÆREDEM SCRIPSIT, non in futurum, *qui me* INSTITUERIT, vel HÆREDEM SCRIPSERIT. Illa in præteritum collata ſcriptura nihil quicquam venatur, nec gratiam captat, ſed refert, quia ſine ulla conditione ſimplex eſt & pura. Conveniunt Baſilici *L.* XXXV. *T.* IX. *C.* 71. nam, ſecundum hos, valent αἱ εἰς τὸν παρελθόντα χρόνον συγκείμεναι ἐνστάσεις. addito exemplo: Οἷον ἐξ ὅσου μέρους ἔγραψέ με Πέτρος κληρονόμον, ἐκ τοσούτου ἔστω μου Παῦλος κληρονόμος. Quæ ipſa, totidem verbis, exſtant apud Conſtantinum Harmenopulum *L.* V. τοῦ Πρόχ. *T.* VIII. *pr.* Valent, inquiunt, *Inſtitutiones in præteritum tempus collatæ, veluti, qua ex parte me Petrus hæredem ſcripſit, ex ea mihi Paulus hæres eſto.* Quod ad rem ipſam, præter

ea

ea quæ dixi, nihil eſt, quod hic addam, nam alia Juris Romani Decreta, quæ huc pertinent, proferam ſuo loco.

Sed de exemplis, quæ Paulus, quæ item Græci hic adſcribunt, dubitari poſſet, an ſatis apta ſint huic loco: nam *ſi Mævium inſtituo hæredem ex ea parte, ex qua me Titius inſtituit*, prorſus id alienum videri poſſet a captatoria inſtitutione, per quam aucupamur hæreditatem ejus, quem nos ipſi ſcripſimus hæredem, quemque ea gratia ſcripſimus hæredem, ut ille & nos hæredes ſuos relinquat. Videbatur illa inſtitutio ſubſiſtere, non ideo, quod in SCtum non impingat, ſed quod a tertii arbitrio non dependeat, quemadmodum ſunt, qui hanc ſpeciem eo referunt. Et ſane Titius, ſecundum ea quæ proponuntur, nihil arbitrio ſuo eſt definiturus, ſed ex ejus inſtitutione, jam facta, certum & definitum eſt, qua ex parte hæres futurus eſſet Mævius. At vero hæc eo non pertinent, ſed quo refert Paulus, ad captatorias inſtitutiones, quæ, ut infra dicam, immane quantum differunt ab inſtitutionibus, in alterius arbitrium collatis, ut ut hæc ſæpe perperam confundantur. Sed quid tunc ſibi vult, quod Paulus dixit, *qua ex parte Titius me hæredem inſtituit, ex ea parte*, non Titius, ſed *Mævius hæres eſto*? & quod Græci dixerunt in eandem ſententiam, *ex qua parte me Petrus ſcripſit hæredem, ex ea*, non Petrus, ſed *Paulus hæres eſto*? alia hic eſt perſona Mævii quam Titii, alia Pauli quam Petri. Antonius Auguſtinus *L.* IV. *Emend.* C. 15. laboranti Conſtantino ita ſuccurrit, ut vocem Παῦλος in eo male putet additam. Sed ea ipſa ſic remanet in Baſilicis, ut remanet *Mævius* in *d. l.* 71. *pr.* Audi Cujacium *Not. prior.* ad §. 4. *Inſt. de Societ. Nondum*, inquit, *quisquam, quod in mentem tibi venit, Petre Faber, animadvertiſſe videtur circa l. 71. ff. de Hæred. inſtit. Supereſt, ut ais, in l. 71. vox* MÆVIUS, *nam etſi in futurum ita concepta ſit inſtitutio*, QUA EX PARTE ME TITIUS HÆREDEM INSTITUERIT, EX EA PARTE MÆVIUS HÆRES ESTO, *certe captatoria inſtitutio non eſt l. 81. §. 1. ff. de Hæred. inſtit. mirarisque e Conſtantino Ant. Auguſtinum exemiſſe vocem* Παῦλος, *& vocem* MÆVIUS *retinuiſſe in d. l.* 71. ſic Cujacius, probata Fabri conjectura. Quam prolixe fallatur Faber circa *l.* 81. §. 1. *ff. de Hæred. inſtit.* quam huc advocat, nihil nunc dicam, quia *Caput* VIII. ejus explicationi deſtinavimus, ſed quam prolixe in totum fallatur Faber, ipſe Cujacius, mutata poſt ſententia, ſibi viſus eſt probare *L.* XVI. *Obſerv.* C. 11. & ad *Libr.* VI. *Reſp. Papin.* in *l.* 70. *ff. de Hæred. inſtit.* utrobique contendens, non eſſe cauſam tollendæ vocis *Mævius* in *h. l.* 71. *pr.* quia, ut nunc ſapit, omnino captatoria eſt inſtitutio, *qua Gajum mihi hæredem ſcribo, ſi Titius me hæredem inſtituerit*, in futurum nempe concepta formula, quando quidem nihil intereſt, cujus captetur hæreditas, inſtituti, an alterius cujusquam, cujus contemplatione alium, ejus forte filium vel nepotem, hæredem ſcripſi. Quod ſi ſit, nec referat, in futurum mutare perſonas, ut captatoria inſtitutio probetur, nihil quoque referet, in præteritum mutare, quemadmodum mutavit Paulus, ut oſtendat, in ea ſpecie SCto locum non eſſe.

Veriſſime quidem dixit Cujacius, quod mox latius ipſe ſum probaturus ad *h. l.* 71. §. 1. alium inſtitui hæredem, alium captari poſſe, ſed, quamvis poſſit, nihilominus perſonam *Mævii* ab hoc loco alienam eſſe, non ſine magna cauſa ſuſpicor. Fateor, etiam captatoriam ſcripturam dici, ſi quis in aliam perſonam captionem direxerit, ut explicat Paulus in *d. l.* 71. §. 1. atque adeo, quamvis non mihi captem, ſed alii, per inſtitutionem tamen meam, quod exemplum eſt in *d.* §. 1. vel mihi quidem, ſed non eo ſcripto hærede, cujus hæreditatem venor, at ejus forte cognato vel amico, ſed cui fiet probabile, Paulum *hoc principio*, ubi nihil adhuc dixerat de captione, in alterius perſonam directa, perſonas mutaſſe? nihil hic aliud dicere voluit, quam eum, qui me ſcripſit hæredem, a me quoque recte ſcribi ex ea parte, ex qua ipſe me ſcripſit, idque palam ſignificat ſubjecta ratio, quia in præteritum, non in futurum ejusmodi inſtitutio confertur. Atque hujus inſtitutionis formulam exhibet, ut nunc ſcripſiſſe creditur, qua ita perſonas mutaſſet: *qua ex parte Titius me heredem inſtituit, ex ea parte Mævius hæres eſto.* Valde inexſpectata hic eſt perſona *Mævii*; ſimplicius & melius dixiſſet, ut ipſe fere legendum cenſeo, *ex ea parte* MEUS *hæres eſto.* non magno molimine. Τὸ *meus* vel *mihi* poterat quidem, ut ſupervacuum, omitti *l.* 1. §. 3. *ff. de Hæred. inſtit.* ut etiam ſæpe omittitur, quum nobis, non aliis ſcribamus hæredes, ſed & ſæpe adjicitur, quemadmodum in *l.* 11. *l.* 29. *l.* 56. *l.* 58. *pr. l.* 81. §. *ult. Eod.* & *l.* 4. *pr.* §. 1. *& 2. ff. de Manumiſ. teſtam.* in quo *principio d. l.* 4. ſimpliciter Florentiæ eſt *meus* pro *hæres meus*, ut etiam reſcribunt Vulgata & Haloander; idque eſt probandum, niſi quis pro *meus* malit reponere *Mævius*, contraria, quam hic, emendatione. Suſpicionem autem mendi hoc loco auget, quod Charondas ad *h. l.* 71. *pr.* notaverit, vocem *Mævius* in Libro ſuo MS. deeſſe, laudato propterea, qui eam delevit, Fabro. Ego potius ejus vicem ſuppleo, & addo vocem *meus*, quæ ob affinitatem ſcripturæ parum diſtat a *Mævius*, maxime, ſi, ut apud Antiquos moris fuit, *Meuius* ſcribatur *e* ſimplici & *u* vocali, forte & adhibito ſcribendi compendio.

Illas autem voces, *meus* & *Mævius*, non difficulter commutatas eſſe & aliunde conſtare poterit. Ex ea certe affinitate eſſe opinor, quod in *l.* 43. §. 1. *ff. de Vulg. & pupill. ſubſt.* pro *filius meus*, quod omnes Libri habent, apud Ruſſardum ſit *filius meus Mævius*, quaſi geminata ſcriptura, perperam tamen. Inde quoque eſt, quod in *l.* 18. *pr. ff. de Stipul. ſervor.* pro *ſi ſervus communis Mævii*, antiquæ quædam Editiones exhibeant, *ſi ſervus communis meus.* quam varietatem Lectionis etiam Accurſius notavit.

Cæterum, ut ad *d. l.* 71. *pr.* revertar, inficiari non licet, ſi vox *Mævius* in mendo ſit, mendum eſſe antiquiſſimum, ex eo enim quod *Mævius* ibi legatur, etiam Baſilici perſonas mutarunt, & mutavit Harmenopulus, nihil quippe habent illi, quod non ad exemplum *d. l.* 71. *pr.* deſcripſerint; male quidem, ſi male legerint *d. l.* 71. ſed non ſuo ipſorum, multo minus ſcripturæ vitio. Quare id in Harmenopulo accuſare vel emendare Auguſtinus non debuerat, & tamen, ut ſanam, prætermittere Lectionem *h. l.* 71. *pr.* neque enim hæc ſibi conſtant.

CAPUT VII.

Quæ ſit captatoria inſtitutio reſpectu tertii, *ad* L. 71. §. 1. ff. de Hæred. inſtit.

Succedat §. 1. *ejuſdem L. Sed illud*, inquit Paulus, *quæri poteſt, an idem ſervandum ſit, quod Senatus cenſuit, etiamſi in aliam perſonam captionem direxerit? veluti ſi ita ſcripſerit:* TITIUS SI MÆVIUM TABULIS TESTAMENTI SUI HÆREDEM A SE SCRIPTUM OSTENDERIT PROBAVERITQUE, HÆRES ESTO. *Quod in ſententiam SCti incidere non eſt dubium. Pro captionem* ſunt Libri, qui habent *captationem*, & ita quoque MS. meus ſine Gloſſis, qui ipſe inſuper habet, *captationem duxerit*, ſed melius eſt Florentiæ, *captionem direxerit. Captionis* vox, in eam ſententiam, eſt quoque apud Auctores noſtros in *l.* 1. *pr. ff. de Minor.* & *l.* 34. *ff. de Action. empt.* eſt & apud alios, non JCtos, quos tanti non eſt, ut adſcribam. Eſt autem *captionem dirigere in aliam perſonam*, dolo malo id agere, ut alterius perſona, captandæ hæreditati, ſubſtituatur; quod quam varie fiat, mox exponam. Qui id fecerit, quamvis non in verba, *in ſententiam* tamen *SCti incidere* Paulus dixit. In Legum interpretationibus ſæpiſſime JCti noſtri utuntur his diſtinctionibus, ut aliud ſit in ipſa verba Legis impingere, aliud in Legis ſententiam, & neceſſitas ita docuit diſtinguere, quia omnia facta nemo facile ipſa Lege comprehenderit. Aliunde, in re liquida, exempla non adfero.

Captionis autem, in aliam perſonam directæ, hanc ſpeciem proponit Paulus: *Titius, ſi Mævium*, & reliqua, quæ hic exhibui. Baſilici *L.* XXXV. *T.* IX. *C.* 71. eandem ſententiam ita referunt: Οὐ μόνον, inquiunt, εἰς τὸ πρόσωπον τοῦ διαθεμένου, ἀλλὰ καὶ εἰς ἕτερόν γίνεται ἡ χάριν ἀμειβομένη ἔνστασις. Οἷον, ἐὰν Πέτρος γράψῃ Παῦλον κληρονόμον, ἔστω μου κληρονόμος. Quod eſt ex verſione Fabroti: *Non ſolum in perſonam teſtatoris, ſed & in aliam dirigitur inſtitutio, gratiam captans. Veluti, ſi Petrus Paulum hæredem ſcripſerit, hæres eſto.* quæ ipſa verba Græce exhibuit Harmenopulus *L.* V. Προχ. *T.* VIII. *pr.* Oſtendunt vero hæc exempla, etiam fraudem fieri SCto, ſi quis per interpoſitam perſonam captet, non ſibi ſcilicet, ſed alii, ut, *ſi Titium vel Petrum hæredem ſcribat, ſi alteruter ſcribat Mævium vel Paulum*, ſibi forte cariſſimum, quia filius eſt, quia nepos ex filio vel filia, quia frater, quia amicus vel familiaris. Rurſus, ſi, ut mihi captem hæreditatem Titii, non Titium ſed Mævium, Titio forte conjunctum, vel cognatione, vel affinitate, vel qua alia neceſſitudine, hæredem ſcripſero, eadem captionis ratio, ſed & idem juris erit; ut ſi dixero: *Titius, ſi me tabulis teſtamenti ſui hæredem a ſe ſcriptum oſtenderit probaveritque, Mævius hæres eſto.* Sic enim capto hæreditatem Titii in perſona Mævii, Titio forte cariſſimi. Paulus quidem in *d. l.* 71. §. 1. id exemplum non proponit, ſed ex eo, quod dicit, captionem in aliam perſonam non recte dirigi, ſatis apparet, etiam hanc ſpeciem eo pertinere, nam uno exemplo propoſito, ut proponit hac formula, *veluti*, alia non excluduntur, quæ ejuſdem plane poteſtatis ſunt. Unde & hæc inſtitutio, ex ſententia SCti, inutilis erit: *Qua ex parte Titius Sempronium hæredem ſcripſerit, ex ea parte mihi Mævius hæres eſto.* Sempronius nempe mihi carus, & Mævius Titio; quo fit, ut captio dirigatur in duplicem perſonam, nam ego, propter Titium, hæredem inſtituo Mævium, ut ille, propter me, hæredem inſtituat Sempronium. Ut verbo dicam, tres ſpecies ſunt captionis, in aliam perſonam directæ: vel capto alii, mea gratia, te propterea hæredem ſcribens; vel capto mihi, alium propterea, tua gratia, hæredem ſcribens; vel, quod utrumque complectitur, capto alii, mea gratia, alium rurſus, tua gratia, hæredem ſcribens. In qua poſtrema ſpecie, quamvis & captatoris, & captati perſona ab hæredis inſtitutione remota ſit, non tamen remota eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita.

Quapropter adſentior Cujacio, de tribus, quas dixi, ſpeciebus eodem fere modo diſputanti *L.* XVI. *Obſerv. C* 11. & ad *Papin. L.* VI. *Reſponſ.* in *l.* 70. *ff. de Hæred. inſtit.* dummodo ad ſecundam ſpeciem non referatur, ut ipſe refert, ambigua, &, ut mihi fere videtur, vitioſa Pauli ſcriptura in *d. l.* 71. *pr.* Aliunde ſane res eſt liquida, etiam ex hoc ipſo §. 1. qui, ut dixi, omnem captionem, in alterius perſonam directam, prohibet. Utitur & in hanc rem Cujacius argumento, quod præbet *l.* 2. *pr. ff. de Hæred. inſtit.* quodque ipſe prolixius enarrat. Et recte, ni fallor, nam veriſſimum eſt, non aliam ibi probari inſtitutionem, in alterius perſonam directam, quam quæ præteritum reſpicit, *ex qua parte me Titius hæredem ſcripſit, Sejus hæres eſto*, hoc enim exemplo utitur Ulpianus. Si futurum reſpiceret, *ex qua parte me Titius hæredem ſcripſerit, Sejus hæres eſto*, captatoria eſſet *d. l.* 71. *pr.* Valeat igitur & hic argumentum, quod *a contrario* vocant, quodque *fortiſſimum* appellat Papinianus in *l.* 1. *pr. ff. de Offic. ejus cui mand. eſt juriſd.*

Ut autem captio, quæ in aliam perſonam dirigitur, ideo prohibita eſt, quod in fraudem Legis fiat, ita & alias prohibentur, quæ, fraudandi animo, per interpoſitam perſonam fiunt, ut in donationibus vetitis non tantum ipſorum Conjugum, ſed & eorum omnium, ad quos illi pertinent; ea nempe ratione, qua id argumentum exſequitur Ulpianus in *l.* 3. §. 2. *& ſeqq. ff. de Donation. inter V. & U.* Sunt & alia juris capita, quæ vetant non nobis duntaxat, ſed & aliis, qui ad nos pertinent, paciſci vel acquirere, verum, in re liquida, ea omnia adferre, nimiæ diligentiæ eſſe putem.

Dixi de captionibus, quæ plane & omnimodo in aliam perſonam diriguntur. Tantumdem procul dubio erit, ſi quis alii & ſe ipſum adſcribat, ut *ſi Titium hæredem inſtituat, ſi ille* SE VEL MÆVIUM *inſtituerit*, atque ita in omnibus ſpeciebus, quas ſupra propoſui, mutatis tantum formulis. Non modo eadem tunc, ſed & major captio pellucet, utque hæc excludatur, oportet dicamus, ejuſmodi inſtitutionem adhuc magis in ſententiam SCti incidere. Omnes vero captiones, quæ per interpoſitam perſonam fiunt, ut in hæreditatibus, ita & in legatis verſari poſſe, nemo dubitaverit; unde & omnia, quæ eo pertinent, de legatis repetita ſunto, ex regula *l.* 64. *ff. de Legat.* I.

CA

CAPUT VIII.

Ne iis, quæ diximus, obſtet, explicata L. 81. §. 1. ff. de Hæred. inſtit. *rejectis aliorum interpretationibus.*

Fere eſt, ut quæ hactenus ex Paulo diſputavimus de conditione in præteritum vel futurum collata, deque prohibita alterius perſonæ captione, ipſe ille Paulus evertat in *l.* 81. §. 1. *ff. de Hæred. inſtit. Si ita*, inquit, *ſcripſerit teſtator*, QUANTA EX PARTE ME A TITIO HÆREDEM INSTITUTUM RECITASSEM, EX EA PARTE SEMPRONIUS MIHI HÆRES ESTO, *non eſt captatoria inſtitutio. Plane nullo recitato teſtamento ab ipſo teſtatore, inanis videbitur inſtitutio, remota ſuſpicione captatoriæ inſtitutionis.* Vulgati Libri exhibent, *a me Titium hæredem*, nullo plane ſenſu, recte Florentinus, *me a Titio hæredem*, & quæ ſequuntur. Sed quid audio? Scriptura, quam proponit Paulus, adeo non erit captatoria, ut, quod ait, etiam *ſuſpicio* abſit? Et tamen, ſi, quod teſtator dixit, compendio dicamus, videtur Sempronium hæredem ſcribere ex ea parte, ex qua ſe hæredem ſcripturus eſſet Titius. Quæ ſpecies, ut modo dicebamus, omnino incidit in captatoriam inſtitutionem.

Joannes, vetus Gloſſator, Accurſio laudatus, ideo hanc ſcripturam dixit non eſſe captatoriam, quod teſtator non *Titium*, cujus benevolentiam provocaret, ſed *Sempronium*, aliam ſcilicet perſonam, hæredem ſcripſerit. Atqui non licet captionem dirigere in alterius perſonam? non licet ſane, ut ex profeſſo dixi. Quare hic ſuperdicamus, quemadmodum nemo veterum Interpretum plene & integre intellexit argumentum, quod eſt de captatoriis inſtitutionibus, ita nec Joannem intellexiſſe. Poſtquam tamen, meliori ævo, intellectum eſt, mirari licet, Petrum Fabrum, quod ad interpretationem *h. l.* 81. §. 1. eundem, quem Joannes, errorem errare potuiſſe, utique ſi ejus ſententiam, quæ alibi non exſtat, recte retulerit Cujacius eo loco, quem indicabam *Cap.* VI. Antonius Auguſtinus, qui puriori Doctrinæ, quam nunc habemus de captatoriis ſcripturis, primus facem prætulit *L.* IV. *Emendat. C.* 15. ſolicitus videtur hærere de ſpecie, quæ apud Paulum eſt in *d. l.* 81. §. 1. adeo ut nec ſibi ſatis conſtet; nam probaturus, illam ſpeciem ad SCtum non pertinere, primum ait, *non enim captare videor Titii hæreditatem, cui nihil relinquo, neque Sempronio ullum a Titio lucrum venor.* ſed altera ratio, ut modo dicebam, minus vera eſt, altera minus apta. Mox autem addit, quod magis ad rem pertinet, *præſertim ſi de teſtamento Titiano, ante meum teſtamentum factum, illud Caput intelligamus.* Atque ita, ſine ambagibus, id Caput intellexit Jacobus Cujacius *L.* XVI. *Obſerv. C.* 11. *Certe*, inquit, *nullam gratiam repoſcit, qui Mævium aut Sempronium hæredem inſtituit ex ea parte, ex qua ipſe a Titio hæres inſtitutus eſt, quamque poſtea recitaturus ſit: nam confertur quidem inſtitutio Sempronii in recitationem futuram, ſed inſtitutionem præteritam, & teſtamentum a Titio jam ante factum, ita ut merito dicatur nulla ineſſe ſuſpicio captatoriæ inſtitutionis.* Eadem veſtigia premit ipſe ille Cujacius ad *Libr.* VI. *Reſp. Papin.* in *l.* 70. *ff. de Hæred. inſt.* & præcipue ad *Libr.* IX. *Quæſt. Paul.* in *h. l.* 81. §. 1. Perinde igitur ille habet teſtatoris verba, atque ſi ita concepta fuiſſent: *quanta ex parte me, a Titio* JAM *hæredem inſtitutum*, POST *recitaſſem, ex ea parte Sempronius mihi hæres eſto;* porro ratus, duplicem illi ſcripturæ ineſſe conditionem, alteram inſtitutionis jam factæ, alteram recitationis adhuc futuræ, quæ utraque quidem impleri deberet, priusquam valere poſſit inſtitutio Sempronii, ſed quarum prima, utpote in præteritum collata, captionem non habet, quemadmodum neque ſecunda, quæ, quamvis in futurum conferatur, ad ipſam inſtitutionem non pertinet, ſed ad ſolam recitationem teſtamenti.

Vereor autem, ut hæc diſtinctio ſubtilior ſit, quam verior. Dividit nempe illud, *inſtitutum recitaſſem*, quod, ſi recte judico, dividi non oportet. Quid enim? an non Julianus, captatoriæ inſtitutionis exemplum propoſiturus, in *l.* 1. *ff. de His quæ pro non ſcript. hab.* ita infit: *qua ex parte me Titius hæredem* SCRIPTUM *in Tabulis ſuis* RECITAVERIT, *ex ea parte hæres eſto?* & tamen, ſi Cujacium audias, hæc inſtitutio captatoria non eſſet, quia *ſcriptum* ad tempus exactum refertur, *recitaverit* vero ad futurum. Sed palam inde liquet, conjungenda eſſe, quæ disjunxit Cujacius, nec diverſam eſſe inſtitutionem a recitatione teſtamenti, at illa, quam dixi, formula unam eandemque ſententiam effici. Alios non vidi, qui ſuccurrant laboranti Paulo, nam Gloſſa, recitata primum Joannis ſententia, variis mox interpretationibus *hunc* §. 1. intricat potius, quam extricat, vix enim intelligo, quid ſibi velit. Sed aut ego oblitus ſum Grammaticæ, quam puer didici, aut *recitaſſem*, quod hic eſt, non reſpicit futurum tempus, at vero præteritum duntaxat, eſt enim, ut in Scholis loquuntur, *Præteritum plusquam perfectum Subjunctivi*, atque adeo hæc conditio, quanta quanta eſt, exactum tempus reſpicit, nec etiam, ut modo probabam, duplex, ſed una eſt & ſimplex. Si dixiſſet teſtator, *qua ex parte me Titius hæredem inſtituiſſet*, ſcripturæ ineſſet conditio, ſed in præteritum concepta, neque adeo captatoria, nunc adjicit, *qua ex parte me a Titio hæredem inſtitutum recitaſſem, Sempronius hæres eſto*, & deſiderat, ne inutilis ſit Sempronii inſtitutio, ut ipſe non tantum ſit hæres inſtitutus, ſed ut ipſe ſe inſtitutum recitaſſet; quæ & ipſa conditio in præteritum eſt collata. Indicat id Pauli ſubſequuta ἐπίκρισις, *plane*, inquit, *nullo recitato teſtamento ab ipſo teſtatore, inanis videtur inſtitutio*, hoc eſt, ſi nullum ejusmodi teſtamentum, quo ipſe ſcriptus eſt hæres, teſtator recitaverit, irritam eſſe Sempronii inſtitutionem, deficiente nempe conditione, ſub qua ille ſcriptus erat hæres, & *remotam* hinc eſſe *ſuſpicionem captatoriæ inſtitutionis*, ut remota eſt ab omnibus inſtitutionibus vel recitationibus, in præteritum collatis. Tanti ſcilicet intereſt, teſtator dixerit *recitaſſem*, quod præteriti, an *recitavero*, quod futuri temporis eſt: hoc eſſet captatorium, illud non item, & perperam quoque hæc confundit Gothofredus Pater ad *l.* 11. *C. de Teſtam. milit.*

CAPUT IX.

Explicatæ, in eandem ſententiam, L. 29. ff. de Hæred. inſt. *&* L. 20. §. ult. ff. de Condit. inſtit.

Quia in eo ſumus, interpretemur Pomponium in *l. 29. ff. de Hæred. inſtit.* Quærit ibi, ſi ita ſcriptum ſit, *Titius & Sejus, quanta quisque eorum ex parte hæredem me habuerit ſcriptum, hæres mihi eſto*, an, niſi omnes habeant ſcriptum hæredem teſtatorem, neuter hæres eſſe poſſit? Labeo putabat, ſi non uterque, ſed alter tantum teſtatorem ſcripſerit hæredem, neutrum fore hæredem, ſed Pomponius, eum fore, qui ipſe teſtatorem hæredem ſcripſerat, & id eſſe humanius. Valet igitur, quam maxime poteſt, illa ſcriptura; & profecto, ſi non valeret, inanis eſſet utriusque JCti diſputatio, quemadmodum implenda ſit inſtitutionis conditio, an in utroque ſimul, an duntaxat in alterutro? Et tamen diceres, illam inſtitutionem habere hamum, & conditionem mutuæ inſtitutionis, in futurum collatam, nam illud *habuerit ſcriptum*, ſi, ut oportet, per conditionem reſolvamus, quid erit aliud, quam *ſi me hæredem ſcripſerit, ſi ſcriptum recitaverit:* aut ſi quid his eſt ſimile? atquin hæc omnia in SCtum incidunt. Miror hic felicitatem Gloſſæ, quæ dixit, quod res eſt, opportune enim ad verbum *habuerit*, ita notat: *ſcilicet* Jam, *ut hoc verbum*, habuerit, *præteriti temporis ſit, ſecus ſi futuri.* quod ipſum & Connanus obſervavit *Comment. Jur. Civil. L.* X. *C. 6. n. 5.* & ſane eſt veriſſimum. Hic autem rurſus neceſſe eſt cum Grammaticorum pueris balbutire, *habuerit* ſcilicet ab *habuerim* eſt *Præteritum perfectum Subjunctivi*, ſed *habuerit* ab *habuero* eſt *Futurum Subjunctivi*, & ſic eſt in *ſcripſerit* a *ſcripſerim* vel *ſcripſero*, in *recitaverit* a *recitaverim* vel *recitavero*, atque ita in reliquis ejusdem terminationis. Si *ſcriptum habuerit*, vel *ſcripſerit*, vel *ſcriptum recitaverit*, vel *hæredem inſtituerit* ſit ex forma futuri temporis, & ea teſtatoris mens, ut ſcribat hæredem, qui ſe poſtea ſcripturus eſt, omnino captatoria erit inſtitutio, nec de eo dubitare patitur illa, quam modo exſequutus ſum, Jurisprudentia; ſin autem ſit ex forma elapſi temporis, & ea teſtatoris mens, ut ſcribat hæredem, qui ſe jam ſcripſit, vel, ſi ſe jam ſcripſit, optimo jure valebit ea inſtitutio, nec quicquam captionis illi inerit. Sed, dices, unde mens teſtatoris, niſi ex verbis? & quid ſequemur in re dubia, ut ſemper res eſt dubia, cum ita, ut dixi, verba efferantur? ubi ſilent Leges, ut hic ſilent, oportet ſuccedant partes Interpretis, & tunc, ſi me ſequaris, id ſequemur, quod facti eſt. Atque ita ſi teſtator hac formula utatur, *ſi me ſcripſerit hæredem*, quia hæc formula eſt ambigua, & ſignificare poteſt cum futurum, tum præteritum tempus, videndum erit, an, quem teſtator hæredem ſcripſit, ipſe jam teſtatorem ſcripſerit, & ratum erit, quod dixit, an vero poſtea demum hæredem ſcripſerit, & erit irritum propter captationem. Utque ita tunc hæc quæſtio non tam cenſenda ſit juris, quam facti, quia id unice ſequemur, quod actum eſt. Qui melius hanc difficultatem extricaverit, hunc ego auctorem ſequar.

Succedat Labeo in ſpecie non abſimili, quam proponit in *l. 20. §. ult. ff. de Condit. inſtit. Si quis*, inquit, *te hæredem ita inſtituit*, si se hæredem instituisses, aut quid sibi legasses, *nihil intereſt, quo gradu is a te hæres inſtitutus, vel quid ei legatum ſit, dummodo aliquo gradu id te feciſſe probes.* Hanc Lectionem, quæ Florentina eſt, præfero Vulgatæ, quæ ita habet: *ſi tu hæredem eum inſtituiſſes*, ſenſu tamen nihil quicquam diſcrepant. Vides autem probari inſtitutionem, hac conditione, *ſi hæres inſtitutus teſtatorem quoque inſtituiſſet, aut quid ei legaſſet*, atque ita probari, ac ſi nihil eſſet, quod turbare poſſit. Et ſic eſt, ſi rationem putemus; quæ hic non alia eſt, quam quod *inſtituiſſes* & *legaſſes* formulam habeant præteriti, non futuri temporis. Rurſus Gloſſa hac ratione præivit, ſi, quæ hic apparet, ejus nota non apponatur verbo *inſtituit*, ut nunc perperam fit in omnibus, quas vidi, Editionibus, ſed, ut oportet, verbo *inſtituiſſes.* Probo igitur, quod Cujacius ad *Libr.* VI. *Reſp. Papin.* in *l. 70. ff. de Hæred. inſtit* hunc §. 1. retulerit ad claſſem ejusmodi inſtitutionum, quæ fiunt gratiæ in præteritum referendæ, non in futurum captandæ cauſa, & ideo probo, quod ea verba, *inſtituiſſes* & *legaſſes*, ex præceptis Grammaticæ, non aliud tempus denotent, quam præteritum, ea forma, quam *plusquam perfectam* dicimus. Quod ſi ſit, ut revera eſt, mirari licet, cur ipſe ille Cujacius τὸ *recitaſſem*, ejusdem plane formæ verbum, quod eſt in *l. 81. §. 1. ff. de Hæred. inſtit.* ad futurum deflexerit, & ob eam rem tam anxie diſtinxerit, quæ conjugenda erant, ut latius probabam *Cap. proximo.* Cæterum plures vidi, qui exemplum *h. l. 20. §. ult.* ad captatoriam inſtitutionem retulerunt, non animadvertentes, ipſa formulæ verba præteritum tempus ſignificare, & id mox ſatis ipſum Labeonem indicare, cum ait, nihil intereſſe, quo gradu teſtator hæres ſcriptus, vel quid ei legatum ſit, dummodo aliquo gradu fuerit factum. quæ omnia, non minus ac ipſa formula inſtitutionis, ad tempus exactum pertinent.

CAPUT X.

Miſcella quædam de captatoriis inſtitutionibus.

Quædam hic conjeci, quæ alibi non ſatis commode dici poterant, & tamen dici debebant, ne quid hujus argumenti intactum relinqueremus. Ut contra bonos mores eſt inſtitutio, ſub conditione mutuæ inſtitutionis, ſic, eadem ratione, ſtipulatio, qua alterius hæreditatem aucupamur. *Stipulatio*, inquit Julianus in *l. 61. ff. de V. O. hoc modo concepta*, si hæredem me non feceris, tantum dare spondes? *inutilis eſt; quia contra bonos mores eſt hæc ſtipulatio.* Eſt autem contra bonos mores, quod adimat teſtandi libertatem, cui Romani, ſi qui alii, ſolicite ſemper proſpexerunt. Utque nemo ad alium hæredem inſtituendum debet invitari ſpe præmii, ut eſt in captatoria inſtitutione, ſic nec adſtringi metu pœnæ, ut eſſet in

hac

hac ſtipulatione; quemadmodum huic Juris Romani Decreto recte ſuperdixit Bartolus ad *l.* 71. *ff. de Hæred. inſtit.*

Quamvis magnus fuerit militum Romanorum favor, &, quod ad teſtamenta, eorum voluntas pro jure ſervetur, ut eſt in *l.* 1. *C. de Teſtam. milit.* quia tamen exemplo perniciofum eſſet, iis licere, quæ contra bonos mores fiunt, nemo improbaverit, quod Impp. reſcribunt in *l.* 11. *C. Ead. Tit. Captatorias inſtitutiones, etiam in militis teſtamento, nullius eſſe momenti.* Intereſt ſcilicet Reipublicæ, non tantum, ne milites ab aliis capiantur, ſed & ne ipſi alios capiant, ſpe hæreditatis objecta. Valet igitur & hic illud Papiniani in *l.* 40. *ff. de Adminiſtr. & peric. tut. Privilegium militum ad alienam injuriam porrigi non oportet.* Jaſon ad *d. l.* 11. aliam rationem dedit hujus, etiam in milite, prohibitionis, ſed Jaſone indignam; ut & ipſo indigna eſt quæſtio, quam tractat, an, quod hic reſcribitur de captatoria inſtitutione militis, etiam valere oporteat in legato militis captatorio? dubita adhuc, ſi legeris *l.* 64. *ff. de Legat. I.* Eadem autem ratione, qua improbantur militum captatoriæ inſtitutiones, non valebant quoque, ex eorum teſtamento, legata pœnæ nomine §. *ult. Inſt. de Legat. quamvis*, ut dixi, & ibi additur, *aliæ militum voluntates in ordinandis teſtamentis valde obſervabantur.*

Veteres Juris Interpretes, in hoc argumento occupati, magno molimine diſputant, an & in cauſis piis valeat captatoria inſtitutio? Poteſt ea res uſum habere, ſi per captatoriam inſtitutionem intelligamus, ut plerique eorum intellexerunt, inſtitutionem, alterius arbitrio permiſſam, ut *ſi pauperes hæredes ſcribamus ex iis partibus, quas Titius eſſet definiturus*, vel *Eccleſiæ tot legemus, quot Titius voluerit*, tunc, inquam, ea res uſum habere poteſt. Sed quum hæc non ſit captatoria inſtitutio, & prolixe in hac definitione fallantur priſci ævi Interpretes, ex male intellecta *l.* 70. *ff. de Hæred. inſtit.* ut mox dicam *Cap. ult.* non ſatis animadverto, quemadmodum hæc, quæ vere eſt captatoria, quamque ſupra deſcripſi, obtinere poſſit in cauſa pia. Quis pauperes, verbi gratia, vel Curatores pauperum ſcriberet hæredes, ſi & ipſi ſe ſcripturi ſint? omnis cauſa pia in eo eſt, ut accipere poſſit hæreditatem vel legatum, non viciſſim dare: quare nec illi alios poſſunt ſcribere hæredes, ea lege, ut & ipſi ſcribantur. Et quia aliam ſpeciem, quæ huc pertineat, non novi, rotunde dixerim, huic quæſtioni, in cauſa pia, locum eſſe idoneum non poſſe.

Quod ſupra dicebam C. III. mutuam Conjugum aliorumve inſtitutionem, quia pura & ſimplex eſt, captatoriam dici non poſſe, idque verum eſſe, ſive iisdem, ſive diverſis Tabulis ea fiat, omnibus Interpretibus placere non potuit. Damnat certe eam ſententiam Franciſcus Sarmientus *L.* II. *Select. Interpret. C.* 4. damnat Joannes Dekherus *L.* I. *Diſſert.* 7. *n.* 8. & 9. ſed damnant ſine ratione, imo contra rationem, quam de licita mutuæ affectionis provocatione attulit Papinianus in *l.* 70. *ff. de Hæred. inſtit.* Mutuus amor poteſt dediſſe cauſam utriusque voluntati, poteſt & mutua inſtitutio, ſed vel in eo nihil quicquam eſt turpitudinis, modo uterque voluntatem ſuam ſtatim & incontinenti declaraverint, at ſi Cajus Cajam uxorem hæredem ſcribat, ſi & ipſa ſe poſtmodum ſcripſerit, captat benevolentiam Cajæ, quam tunc non habebat, adeoque hamum adjicit, quo trahat & pelliceat Cajam, ut in ſui gratiam deinde voluntatem ſuam declararet. Sin ajas, ut ajunt illi, non mutuam benevolentiam, ſed mutuam inſtitutionem, eamque ſolam, cauſam dediſſe utriusque teſtamento, id ajes, quod eſt incertum, & quod, ſi certum eſſet, cauſam juris non mutaret. Quid enim ſi hunc ſcribam hæredem, qui me jam pridem ſcripſit? & ſi ideo ſcribam, quia me hæredem ante ſcripſerat, & ea re benevolentiam ſuam fuerat teſtatus? valet utique ea inſtitutio, quamvis hanc cauſam habuerit, & ea ratione valet, quod in præteritum ſit collata. Mutua inſtitutio, qua ambo ſimul voluntatem declarant, confertur in tempus præſens, non in futurum, & quæ in futurum confertur, ſola eſt, quam Leges prohibent, *l.* 71. *pr. ff. de Hæred. inſtit.* prohibent autem, quia ſic palam ſignificatur captatio, quæ in mutua inſtitutione, ut ut eſſe poſſit, tecta tamen eſt, & quia tecta eſt, nemo hominum tuto diſtinxerit, ejusmodi inſtitutio proficiſcatur a mera benevolentia, an a ſubdolo conſilio? pendet id a ſecreto animi, quod, ut ſupra dicebam, negligunt Legislatores, vel, ſi attendant, utique non interpretantur in ſequiorem partem. Quare de hac mutua inſtitutione recte dixit Guibertus *L.* I. *Quæſt. Jur. C.* 7. *n.* 19. *Amoris & amicitiæ velamentum omnem fraudis ſuſpicionem excludere.*

Ea omnia, quæ de captatoria inſtitutione dixi, quamvis de eo nihil, quod ſciam, jure cautum ſit, neſcio, cur non etiam obtinere debeant in captatoria ſubſtitutione, quæcunque demum illa ſit. In ſecundis hæredibus, non minus atque in primis, poſſum venari hæreditates vel legata, poſſum ſecundis hæredibus apponere conditionem hamatam, ut ſcilicet ſubſtitutio non aliter valeat, quam ſi me, meorumve aliquem, ſubſtitutus ſcribat hæredem, vel me, meorumve aliquem, hæredi ſuo itidem ſubſtituat, atque ita hæredem ſecundum ſcribat. Quod ſi fuerit, æque, opinor, pro non ſcripta erit habenda conditio, ac ſi ipſi inſtitutioni fuiſſet appoſita.

Quum dicimus, captatoriam inſtitutionem pro non ſcripta haberi, ſive, ut utar Juliani verbis in *l.* 1. *ff. de His quæ pro non ſcript. hab. perinde haberi, ac ſi teſtamento inſerta non fuiſſet*, quomodo id intelligi oporteat, quæſtionis eſt. Sunt, qui exiſtimant, *ſi Titium hæredem ſcribam, ſi & ipſe me ſcripſerit*, inſtitutionem ipſam valere, & rejici duntaxat conditionem hamatam, ut rejiciuntur omnes conditiones turpes & impoſſibiles. Sed ea ſententia nos non utimur; neque enim ipſa inſtitutio, ſub conditione facta, ſimpliciter valere poteſt, etiam non exiſtente conditione, neque illa exiſtit, niſi Titius, quem ipſe hæredem ſcripſi, me quoque deinde ſcribat. Quod ſi ſcripſerit, impleta quidem erit conditio, ſed totam inſtitutionem, quanta quanta eſt, Senatus improbavit *l.* 70. & *l.* 71. *ff. de Hæred. inſtit.* quæ ratio eſt, quod Titius, quamvis hæres inſtitutus, nec captator, ſed captatus, nihil tamen poſſit conſequi, nam ecce totam inſtitutionem, utpote non bona fide factam, Lex pronunciavit irritam. Sed quid dicemus de inſtitutione Titii, per captationem elicita? hanc valere plurimis Interpretibus ſedet, quia, inquiunt, poſſum hæredem ſcribere, qui me ante ſcripſit, & quia in hac Titii poſteriore inſtitutione nihil quicquam eſt captatorium. Sed mihi perſuaderi non patior, captatorem poſſe capere ex teſtamento captati, captatum non eſſe ex teſtamento captatoris, atque adeo decipientis, quam decepti, conditionem eſſe potiorem. Poſſum hæredem ſcribere, qui me jam ſcripſit, ſed qui ſcripſit ſimpliciter, non ſub conditione captatoria, qua me ſubdole pellexit, ut & eum ſcriberem hæredem. Quin nec

o-

omnino eum hæredem ſcripſiſſem, niſi me prius, ea conditione, hæredem eſſe inſtitutum ſciviſſem, & porro exiſtimaſſem, id Jure optimo licere, auſus duntaxat fato & fortunæ committere, uter noſtrum prius eo abiret, unde negant redire quemquam. Quæ omnes rationes, ut me movent, ita & Alexandrum, veterem Juris Interpretem, moverunt, ut ad *l.* 34. *C. de Transaction.* contra captatorem reſponderet, eum ſcilicet nihil habere poſſe ex teſtamento captati. In alia quidem omnia abivit Caſtrenſis, & reliqui fere omnes Scholæ veteris Antiſtites, ſed rationes eorum vel ſupra occupavi & repuli, vel tanti non ſunt, ut juſto prælio debellem. Habeamus igitur, in captatoria inſtitutione, quamvis conditio fuerit impleta, nullam eſſe utriusque ſcripturam, & ejus qui captat, & ejus qui captatus eſt, quum utrobique judicia provocaverint non verus amor, & ſincera voluntas, ſed, quæ illi impedimento eſt, mera ſimulatio, & improba captio. Apparet autem, huic quæſtioni locum non eſſe, niſi ſi quis imprudens, & juris ignarus, conditionis implendæ gratia, captatorem ſcripſerit hæredem; pauci alioquin illud facturi ſint, qui intellexerint, ſe ipſos non jure hæredes eſſe inſtitutos, atque ita ſe in ea cauſa eſſe, ut ipſi ex teſtamento captatoris nihil quicquam habere poſſint.

CAPUT XI.

Veteres Juris Interpretes quid ſenſerint de captatoriis inſtitutionibus, & quid nonnulli Poſteriores.

Ex iis, quæ aliquoties ſupra ex Baſilicis & Harmenopulo attuli, ſatis manifeſtum eſt, Cujacium ad *Libr.* VI. *Reſponſ. Papin.* in *l.* 70. *ff. de Hæred. inſtit.* recte dixiſſe, Græcos argumentum, quod eſt de captatoriis inſtitutionibus, probe intellexiſſe, ſed an æque recte dixerit, ex Latinis Interpretibus ante Marianum Socinum Juniorem neminem fuiſſe, qui intellexerit, æſtimare licebit ex ſequentibus. Sane a Mariano Socino, Præceptore ſuo, ſe id primum didiciſſe, Auguſtinus quoque narrat *L.* IV. *Emend. C.* 15. Quamvis autem ante Socinum fuiſſe putem, qui, ut mox audies, lucem in tenebris viderunt, negari tamen non poteſt, Interpretum priſcam Gentem pede fere incerto hic fuiſſe vagatam. Si Accurſium, veteris Scholæ auctorem, ſententiam rogemus, reſpondebit ille ad *l.* 70. *ff. de Hæred. inſtit.* & ad *l.* 11. *C. de Teſtam. milit.* hanc eſſe captatoriam inſtitutionem: *quos Titius voluerit, hæredes inſtituo*; ſic enim in *d. l.* 70. interpretatur inſtitutiones, *quarum conditio confertur ad ſecretum alienæ voluntatis.* Ut nempe his verbis Papinianus, quod ad hæreditates, idem dixerit, quod Modeſtinus in *l.* 52. *ff. de Condit. & demonſtr.* quod ad legata, ita extulit: *in alienam voluntatem conferri legatum non poteſt.* Inutilem autem eſſe hanc ſcripturam & Gajus adfirmat in *l.* 32. *ff. de Hæred. inſtit.* & rationem addit, *quod*, puta, *conſtanter Veteres decreverunt, teſtamentorum jura ipſa per ſe firma eſſe oportere, non ex alieno arbitrio pendere.* Quod ſi ſit, ex alieno arbitrio pendere videbatur, *quod confertur ad ſecretum alienæ voluntatis*, paria enim hæc eſſe dixeris. Eſt ſane veriſſimum, cum Accurſium, tum Accurſianos (nam Ducem gregis facile ſequutum eſt ſervum pecus) quum de captatoriis inſtitutionibus ſermo habetur, prolixe diſputare de hæreditatibus vel legatis, alieno arbitrio permiſſis, ſolicite diſtinguere, utrum id fiat tacite, an expreſſe, & varias diſtinctiones & exceptiones huc advocare, quibus difficilem, ſi qua eſt alia, materiem extricent, ſed perſuaſiſſimum habeo, & nunc habent omnes, hæc omnia nihil omnino pertinere ad captatorias inſtitutiones. Quod huic ſententiæ refutandæ ſufficit, ſatis habes in hoc *Opuſculo*, &, ſi minus habeas, licebit addere, quæ in hanc rem dixit & probavit Antonius Auguſtinus *L.* IV. *Emend. C.* 15. Jacobus Cujacius variis locis, quos ſupra attuli, & plena manu Didacus Covarruvias ad *C.* 13. X. *de Teſtament. n.* 1, 2. & 3. & Hugo Donellus *Comment. Jur. Civil. L.* VI. *C.* 19. *vſ. jam non.* Alios prætereo, nec quicquam his addo in re liquida.

Nolim vero credi, quod credidit Cujacius, quodque Donellus *d. loc.* in eandem fere ſententiam dixit, veteres nempe Interpretes, *ad unum omnes*, hic ceſpitaſſe, nec intellexiſſe, quid rei eſſet captatoria inſtitutio. Imo intellexit ipſe Accurſius, intellexerunt & alii, quos teſtes producam. Accurſius ad *d. l.* 11. *C. de Teſtam. milit.* poſtquam captatoriam inſtitutionem ſimpliciter definiviſſet, quæ confertur ad ſecretum alienæ voluntatis, ejus deinde tres ſpecies proponit: *puta*, inquit, *inſtituo te, ſi Titius voluerit. Vel, ille ſit hæres, quem Titius voluerit. Vel* SIS HAERES, SI ME INSTITUERIS. *Sed in præteritum hoc valet, ut ſis hæres, ſi me inſtituiſti.* Prima & ſecunda ſpecies, fateor, ab hoc argumento aliena eſt, tertia autem eſt ipſa inſtitutio captatoria, ut & nos eam ſupra definivimus, utque definiverunt Auguſtinus, Cujacius, Donellus, reliqui nunc omnes. Etiam aliis antiquioris Scholæ patronis, præter Accurſium, ea exciderunt, quæ abunde probant, fuiſſe ejus juris, quod circa captatorias inſtitutiones verſatur, ſatis ſuperque conſultos; ſed nolim auctoritates anxie conquirere, quum plurimi, velut agmine facto, ad *d. l.* 11. illam Accurſii tertiam ſpeciem, ut captatoriam, fuerint interpretati, & ſimul amplexi. Paulus certe de Caſtro non tantum illam Juriſprudentiam eſt ſecutus ad *d. l.* 11. ſed & ratione, perquam apta, ſtabilivit. Jaſon ad *eandem l.* 11. non recedit a Doctrina Pauli de Caſtro, verum a ratione duntaxat, quam ipſe, probandæ Doctrinæ, attulit, ſic enim infit: *Tertio modo fit captatoria inſtitutio, quum quis alium inſtituit ſpe alterius inſtitutionis, ut in exemplo Gloſſæ*, QUUM INSTITUO TE HAEREDEM SI ME INSTITUERIS, *iſta enim non valet, quia eſt captatoria, & ratio eſt ſecundum Paulum de Caſtro, hic, quia deceptio eſſe poteſt in hoc*, EGO TE INSTITUO, SI TU INSTITUAS ME. *Pone, quod inſtituis, & eſt impleta conditio; certe ex intervallo poſtea potes me decipere, revocando inſtitutionem, quam feciſti de me, quæ ſemper poteſt revocari usque ad ultimum vitæ ſpiritum.* Sequitur nota Jaſonis: *Sed iſta ratio mihi non placet, quia ea attenta ſequeretur, quod non valeret inſtitutio, collata in præteritum, puta*, INSTITUO TE HAEREDEM, SI ME INSTITUISTI; *eo quia etiam iſto caſu poſſet ſequi illamet deceptio ex revocatione inſtitutionis, & tamen non eſt falſum, quia collata in præ-*

præteritum valent. Mihi autem valde placet ratio Caſtrenſis, ut & ſupra eam probavi, nec quicquam eſt periculi ab objectione Jaſonis. Si Mævium hæredem ſcribam ex ea parte, ex qua me jam ſcripſit, quid proderit revocatio Mævii, niſi ut ipſe viciſſim hæres meus non ſit, deficiente ſcilicet conditione? Aliud eſt, ſi in futurum collata ſit conditio, nam ſi Mævium hæredem ſcribam, ſi & ipſe poſtea me ſcripſerit, & Mævius pareat conditioni, ego, quamvis revocaverim teſtamentum, ut poſſum, Mævii tamen hæres ero, ſed Mævius mihi hæres non erit. Optima eſt hæc ratio Caſtrenſis, ſi, ut oportet, ad revocationem captatoris referatur, revocatio enim captati & conditionem, & omnem quæſtionem perimit. Sunt & aliæ rationes, quæ contra captatoriam ſcripturam militant, quas *Cap.* II. & paſſim *hoc Opuſculo* recitavi, aliam quoque dedit ipſe Jaſon *d. loc.* præëuntibus Bartolo & Alexandro ad *l.* 34. *C. de Transaction.* libertas nempe teſtamenti factionis, quæ his illecebris, ſi non ſubvertitur, non parum certe frangitur; nec eam rationem ipſe improbaverim, quamquam illa, quam Caſtrenſis habet, magis ſit propria, minus remota.

Andreas Alciatus *L.* II. *Parerg. Jur. C.* 31. non omne adhuc veternum excuſſit. Ait ille, & recte, non valere inſtitutiones, in ſecretum alienæ voluntatis collatas, utpote captatorias, additque, ſed perperam, hoc exemplum: *Ut cum Titium inſtituo, ſi Sempronius voluerit.* Eſt quidem vitioſa hæc inſtitutio, ſed non ex SCto, quod captatorias prohibet, at quod alieno arbitrio ſit permiſſa, ex regula nempe, quæ id vetat, quamque ſupra adferebam. Omnis captatoria inſtitutio, ſi conditionem ſpectes, pendet ex alieno arbitrio, ſed non, ex converſo, quæcunque pendet ex alieno arbitrio, dici poteſt captatoria, quemadmodum ſatis probarunt, qui utriusque differentias exſequuti ſunt. Hactenus igitur Alciatus, errori veterum Interpretum implicitus, male rem definivit, melius poſtea conſuluit hoc exemplo: *Sempronium inſtituo hac conditione, ſi me vice verſa hæredem ſcribat.* Quæ porro ſequuntur apud Alciatum in hanc rem, auſim præſtare, omnia fere proba recta eſſe.

Tandem vero receſſit omnis caligo, nam poſt Auguſtinum *d. L.* IV. *Emend. C.* 15. Coraſium *Miſcell. L.* V. *C.* 13. Cujacium, Covarruviam, Connanum, Donellum iis locis, quos ſupra dixi, nemo nunc neſcit, quid ſit captatoria inſtitutio. Covarruvias quidem ad *C.* 13. X. *de Teſtam. n.* 3. Auguſtino, in vera interpretatione captatoriæ inſtitutionis, palmam præripuiſſe ait Raphaëlem Gomeſium ad *l.* 7. §. 1. *ff. de Reb. dub.* Sed non eſt operæ pretium de eo moroſius diſputare, quum, ut jam oſtendi, ipſa Gloſſa omnibus palmam præripuerit. Vellem modo, ne Auguſtinus veræ, quam dedit, interpretationi addidiſſet, *fortaſſe non levem captatoriæ ſcripturæ improbandæ cauſam fuiſſe, quod ex alieno arbitrio penderet*; aut enim nulla eſt hæc ratio, aut omnis ratio me fugit.

Stephanus Forcatulus, qui ingenii qualitate & fiducia Doctrinæ plurima innovare inſtituit, *Cupid. Jurisper.* C. VI. *n.* 3. captatoriam ſcripturam non eſſe putat, *ſi quis Titium inſtituat, ex qua parte Titius ſe eſſet inſtituturus*, ſibi perſuadens, eam ſcripturam probari in *l.* 20. §. *ult. ff. de Condit. inſtit.* ſed tunc demum, ſi præter inſtitutionem deſideretur futura ipſius teſtamenti recitatio, & inde eſſe *ſcriptum recitaverit* in *l.* 1. *ff. de His quæ pro non ſcript. hab.* &, quod fere perinde eſt, *ſcriptum oſtenderit probaveritque* in *l.* 71. §. 1. *ff. de Hæred. inſt.* Sed præterquam quod nulla hujus diſtinctionis eſſe poſſit ratio, cum, quod ad captationem attinet, nihil interſit, me ſcientem, an ignorantem captatus ſcribat hæredem, omnino etiam Forcatulum fugit ſententia Labeonis in *d. l.* 20. §. *ult.* nam, ut probavi *Cap.* IX. alia plane ratione non eſt captatoria ſcriptura, quæ ibi occurrit, & ſive quis dicat, *ſi recitaverit me hæredem*, ſive *ſcriptum recitaverit*, ſive *nuncupaverit*, ſive *ſcripſerit*, ſive *inſtituerit*, ſive *habuerit*, diverſis formulis eandem rem dicit, modo hæc omnia, ut captatoria ſint, ad tempus futurum referantur. Poſſunt alioquin & ad tempus præteritum referri, absque ulla ſuſpicione fraudis, ſed ſecundum ea, quæ proponuntur, de iis eſſe judicandum, ſatis ibi videor probaſſe. Sane verbum *recitaverit* in *d. l.* 1. *ff. de His quæ pro non ſcript. hab.* eſſe futuri temporis, ut & Accurſius exiſtimabat, jubet regula *l.* 71. *pr. ff. de Hæred. inſt.* quæ ipſa prohibet, ne cum Forcatulo dicamus, poſſe eam vocem ibi referri ad tempus jam exactum. Argumento quoque eſt *d. l.* 71. *pr.* de ipſa recitatione non eſſe laborandum, ſed de ſola inſtitutione, vel in præteritum, vel in futurum collata. Si ejusmodi verbum, quod in utrumque tempus explicari poſſit, inciderit, non eſt ſequenda Forcatuli definitio, quam *d. n.* 3. leges, ſed forte non intelliges, verum ea, quam nos dedimus *d. Cap.* IX.

TANTUM EST.

INSCRIPTIONES CAPITUM.

CAPUT I.

Quæ Lex prohibuerit captatorias inſtitutiones. Pag. 430

CAPUT II.

Quid ſit captare hæreditatem, & captator hæreditatis. *Quæ captatio ad cauſam Juris pertineat. Quid Græcis* Ἐνστάσεις χάριν ἀμειβόμεναι. 431

CAPUT III.

Quæ non ſint captatoriæ inſtitutiones, ad primam partem L. 70. ff. de Hæred. inſtit. 432

CAPUT IV.

Quæ ſint captatoriæ inſtitutiones, ad alteram partem L. 70. ff. de Hæred. inſtit. 433

CAPUT V.

De variis formulis captatoriæ ſcripturæ, & quemadmodum hic conditio hamata inſit, & quemadmodum non inſit aliis, quæ captatoriæ videntur. ibid.

CAPUT VI.

Rurſus quæ non ſit captatoria inſtitutio, explicata & emendata L. 71. pr. ff. de Hæred. inſtit. 434

CAPUT VII.

Quæ ſit captatoria inſtitutio, reſpectu tertii, ad L. 71. §. 1. ff. de Hæred. inſtit. 436

CAPUT VIII.

Ne iis, quæ diximus, obſtet, explicata L. 81. §. 1. ff. de Hæred. inſtit. *rejectis aliorum interpretationibus.* 437

CAPUT IX.

Explicata, in eandem ſententiam, L. 29. ff. de Hæred. inſtit. & L. 20. §. ult. ff. de Condit. inſtit. 438

CAPUT X.

Miſcella quædam de captatoriis inſtitutionibus. ibid.

CAPUT XI.

Veteres Juris Interpretes quid ſenſerint de captatoriis inſtitutionibus, & quid nonnulli Poſteriores. 440

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

OPUSCULUM

DE

LEGATIS POENÆ NOMINE.

AD LECTOREM.

Didici puer ex *Inſtitutionibus*, olim pœnæ nomine legari non potuiſſe, hodie poſſe, didici definire legatum pœnæ nomine, & adferre exempla, quibus id argumentum illuſtretur; ſed jam a puero nulla fere Juris Romani particula me magis habuit ſolicitum, quam ea ipſa, quæ eſt *de Legatis pœnæ nomine.* Ejusmodi legata damnaſſe veterum Jurisprudentiam, res oppido certa eſt, ſed cur damnaverit, ſi quæras, mox reſpondebit aliquis e ſubſellio Magiſter, *quia heredem coërcebant, quo magis aliquid faciat aut non faciat.* Sed non licet eo ſolo defungi, nam & omnes conditiones, quæ a mera voluntate pendent, hæredem coërcent, quo magis aliquid faciat aut non faciat, & tamen iis parendum eſt. Mox addet Magiſter, te eruditurus: non omnes conditiones eodem loco eſſe habendas, eſſe, quæ in pœnæ ſpeciem incidant, eſſe, quæ non incidant, in pœnæ ſpeciem incidere, ſi hæres jubeatur filiam ſuam elocare Titio, ſervum manumittere, vel non manumittere, appoſita, ſi contra fecerit multa, Mævio forte ceſſura. Verum nec ita, quæ mea ſtupiditas eſt, quicquam proficio, quin potius offendunt me hæc exempla, ut qui ſciam, his ipſis conditionibus hæreditates & legata dari, adimi, transferri, atque adeo iis uti ſine fraude eſſe. Si majorum Gentium Interpretes ſententiam roges, ſi expromas, quicquid erudito penu priſca & nova ætas condiderit, adhuc dubito, an quicquam ſis reperturus, quo rebus, non verbis ſatis fieri, quo dignitas veterum JCtorum defendi, & quicquid ejus rei eſt, cum ratione & reliqua Jurisprudentia componi poſſit. Ego, quum id diu apud alios quæſiverim, nec invenerim, experiundum duxi, numquid, quod non diſpliceat, proferre poſſim. Alia ipſe puto fuiſſe legata pœnæ nomine apud veteres Auctores, quam quæ vulgo putant, exempla, quæ occurrunt, alia ratione interpretor, nec inter veterem & novam Jurisprudentiam, hac parte, quicquam intereſſe cenſeo. Plura hic nolim dicere, reliqua, ſi commodum eſt, leges. Ita, Lector, vale.



CORNELII VAN BYNKERSHOEK
JCTI ET PRÆSIDIS,
OPUSCULUM
DE
LEGATIS POENÆ NOMINE.

CAPUT I.

Legata pœnæ nomine nunc prohibita, nunc licita fuiſſe.

Satis videtur conſtare, de legatis pœnæ nomine non eandem ſemper Juriſprudentiam placuiſſe, vel potius non eandem ſemper de his ipſis omnium fuiſſe ſententiam. Julius Capitolinus de Antonino Pio, in *Ejus vita C.* VIII. ita ſcribit: *Primus conſtituit, ne pœnæ cauſa legatum relictum maneret. Maneret* enim, ut legitur, legendum, neque id mutandum eſſe in *valeret*, recte & Caſaubonus notavit ad *d. loc.* Quod autem ait, Antoninum primum prohibuiſſe legata pœnæ nomine, aliunde, quam ex Capitolino nulli ſcimus; ſi tamen, ut oportet, ejus fide credamus, & ſi Capitolinum de his ipſis legatis pœnæ nomine intelligamus, de quibus apud JCtos ſermo eſt, inde dicendum videbatur, ante Antoninum Pium pœnæ nomine legare pleno jure licuiſſe, & ſane etiam in Jure noſtro occurrunt quædam Capita, quæ id omnino probare dixeris. Occurrunt tamen & alia, quæ videntur contradicere, & in ipſo §. *ult. Inſt. de Legat.* refertur ſententia Sabini, diu ante Antoninum fato ſuo functi, qui exiſtimaſſet, *nec hæredem pœnæ nomine adjici poſſe.* Quin nec deſunt Interpretes, magni etiam nominis, qui, quicquid dicitur de legatis pœnæ nomine, olim vetitis, intelligendum putent de Jure, Pandectis vetuſtiore, atque adeo de eo Jure, quod ante D. Pium obtinuit, non alia ratione, quam quod in Pandectis offendant eas JCtorum ſententias, quæ, cum in hæreditatibus, tum in legatis, pœnæ adjectiones videantur probare, non ſecus atque Juſtinianus deinde probavit in *l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* Cur tam varie? Ut, quod res eſt, dicam, non puto vel olim inter omnes ſatis conſtitiſſe, vel hodie ſatis conſtare, quæ fuerint *Legata pœnæ nomine.* Ejus rei ignorantia Auctores Auctoribus oppoſuit, & Interpretes, vix unquam ſatis certos, incertiores dimiſit; ne ipſe quidem Juſtinianus Tribonianusve, cum Veterum Fragmentis collatus, rem integram, ut oportebat, definivit, utique ſi hæc fuerint legata pœnæ nomine, quæ ego, magnis auctoritatibus motus, fuiſſe putem. Non eſt in Jure noſtro locus, qui prolixius tractet argumentum de *Legatis pœnæ nomine*, quam *d.* §. *ult. Inſt. de Legat.* quare, ejus ordinem ſecutus, ſingulis Capitibus quædam *Paragraphi* verba præſcribam, mox explicabo, una duntaxat Digreſſione interjecta. Reliqua omnia, quæ ad hanc materiem pertinent, eo commodum referentur.

CAPUT II.

Pœnæ quoque nomine inutiliter antea legabatur & adimebatur, vel transferebatur.

Abeſt vox *antea* a Libro MS. quem ſine Gloſſis habeo, ut & ab alio MS. quo uſus ſum, abeſt & a variis Editionibus, facile tamen adeſſe patior, quum hanc, aut ſimilem vocem, ſenſus omnino poſtulet. Ex mente autem Juſtiniani, quam *hic*, & in *fin.* §. ut & in *l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* palam declarat, illud *antea* pertinet ad Juriſprudentiam Pandectarum; negat ſcilicet jure Pandectarum pœnæ nomine legari potuiſſe, & recte negat, certe poſt D. Pium, ſi Capitolino, id adfirmanti, credamus. Gloſſa etiam, variis locis, pleno ore teſtatur, legata pœnæ nomine, jure Pandectarum, fuiſſe omnino vetita, ſed contra auctoritatem Gloſſæ plurimi veterum Interpretum auſi ſunt inſurgere, τὸ *antea* explicantes de jure, Pandectis antiquiore. Ita cenſet Cynus ad *d. l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* auctorem laudans Dynum.

num. Ita Bartolus ad *l.* 1. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq.* Ita Angelus Aretinus & Joannes Faber ad §. *ult. Inſt. de Legat.* Nec ab ea ſententia recedit Franciſcus Balduinus *d.* §. *ult.* quamvis & aliam, ſecundo loco, ibi adjiciat. *Cum*, inquit, *in Pandectis exſtent Reſponſa veterum JCtorum, qui diſerte probant, & utilia eſſe judicant hæc legata* (pœnæ nomine) *idque ſub eadem diſtinctione, quam proponit Juſtinianus, conjicimus hic ſignificari priorem quamdam vetuſtioris juris obſervationem, quo ejusmodi legata damnabantur: vel ſane Reſponſa noſtrorum JCtorum in Pandectis accommodata ad poſterioris juris rationem.* Utuntur, quo id probent, *l.* 1. *ff. de Pen. leg. l.* 1. §. 8. *ff. ad L. Falcid. l.* 19. *pr. &* §. 1. *& l.* 24. *ff. Quando dies legat. ced. l.* 6. *& l.* 27. *ff. de Condit. & demonſtr.* & ipſa *l.* 1. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq.* quæ legatum pœnæ nomine, niſi *illicitum* vel *probroſum*, non damnat. De ſingulis videbimus ſuo loco, probaturi tunc, legata pœnæ nomine non fuiſſe, quorum in his Legibus eſt mentio, niſi in ſola *l.* 1. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq.* nec cauſam eſſe, cur vel illi, vel aliis ſalutarem emblematis clauſulam applicemus, quum & præter eam ſalva res ſit. Aliunde ſane ſcimus, etiam jure Pandectarum inutile fuiſſe legatum pœnæ nomine, non tantum ex auctoritate Capitolini, quam tantum non urgeo, cum non fuerit noſtri fori homo, ſed ex auctoritate Sabini, etiam, ut dixi, damnantis ejusmodi legatum. Sed & Ulpianus in *Fragmentis*, variis locis, quos mox dicam, & Marcianus in *l.* 2. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq.* & ſecundum ejus diſtinctionem Reſcriptum Severi & Antonini, ibi laudatum, ejus rei plenam fidem faciunt. Alia nunc transeo, ne bis eadem dicam; & poterunt hæc ſufficere, ſepoſitis, paulisper, quæ obſtant, ut credamus, & Accurſium, & alios Interpretes priſcæ Scholæ, & tantum non omnes Poſteriores, recte exiſtimaſſe, legata pœnæ nomine damnaſſe Jurisprudentiam Pandectarum.

Ajunt Inſtitutiones, *inutiliter antea legabatur, & adimebatur, vel transferebatur.* Olim tentabam, *at adimebatur, vel transferebatur*, quam conjecturam juvabat Codex MS. quo uſus ſum, ubi, transpoſito verborum ordine legitur, *legabatur inutiliter, adimebatur, vel transferebatur*, & poterat facillime *at* excidere propter ſequens *ad* in *adimebatur.* Senſus tunc eſſet, pœnæ nomine inutiliter legari, & ſi quid ita legetur, id vel adimi, vel transferri, ſecundum diſtinctionem, quam Marcianus propoſuit in *l.* 2. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq.* & de qua deinceps erit agendum. Sed nihil nunc muto, ſignificat enim Imperator, pœnæ nomine olim neque recte legari, neque recte legatum adimi, neque recte transferri; perinde ut in *fine h.* §. ubi Imperator jubet valere legata, quæ ante non valebant, *pœnæ nomine relicta, vel adempta, vel in alium translata*, & a cæteris legatis nihil differre, *vel in dando, vel in adimendo, vel in transferendo*, plane ut in *l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* Quemadmodum legetur pœnæ nomine, dixit Imperator in *d.* §. *ult.* & nos infra dicemus, exempla vero ademptionis vel translationis, pœnæ nomine factæ, exhibuit Theophilus ad eundem §. *in fin.* quæ non deſcribo, nec his alia addo.

Quod autem Imperator hic ait de legatis, etiam in hæreditatibus obtinuiſſe non dubito, ut ſcilicet non licuerit pœnæ nomine hæredem ſcribere, vel hæreditatem adimere, vel hanc rurſus in alium transferre. Eadem utrobique ratio eſt, ſed forte ideo legatorum meminit, quod in his ejusmodi clauſulæ pœnales magis frequentarentur. Idem utique Imperator in *d. l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* nunc præcipit valere; quicquid pœnæ nomine datur, adimitur, transfertur *in hæreditatibus vel legatis, vel fideicommiſſis; vel libertatibus*, ſatis eo ipſo ſignificans, aliud olim fuiſſe juris. Et ſane de parte hæreditatis, ſive de vetita, pœnæ nomine, adjectione cohæredis, apertum eſt Sabini teſtimonium in *d.* §. *ult. Inſt. de Legat.* De fideicommiſſis eadem repetita ſunto, non tantum argumento *d. l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* ſed & quod rotunde id ſcripſerit Ulpianus *Fragm. T.* XXV §. 13. *Pœnæ cauſa*, inquit, *certæ vel incertæ perſonæ ne quidem fideicommiſſa dari poſſunt.* Ait, *ne quidem*, quia fideicommiſſorum ſemper laxior fuit indoles, & in his etiam plus licuit, quam in hæreditatibus vel legatis. Ecce tamen prohibitio. Quid? ne libertas quidem, cui tantum ſtudebant Veteres, pœnæ cauſa dari potuit, ut mox ſequitur in *Inſtitutionibus*, & ſatis etiam ſignificat *d. l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* ſed de his & aliis latius dicemus, ubi eo perventum erit.

CAPUT III.

Pœnæ autem nomine legari videtur, quod coërcendi hæredis cauſa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat.

In MS. meo hæc efferuntur numero plurium, *legare videntur. . . quæ relinquuntur*, nulla, quod ad ſenſum, differentia. Definitio autem, quam hic habemus, vix deſcrepat ab ea, quæ apud Ulpianum eſt *Fragm. T.* XXIV. §. 17. *Pœnæ cauſa*, ait primum, *legari non poteſt.* Nihil certius & planius de ſua, atque ita & Pandectarum ætate, dicere poterat Ulpianus. Mox addit: *Pœnæ autem cauſa legatur, quod coërcendi hæredis cauſa relinquitur, ut faciat quidem, aut non faciat, non ut legatum pertineat, ut puta hoc modo: ſi filiam tuam in matrimonio Titio collocaveris, decem millia Sejo dato.* Priusquam ad ipſam definitionem accedamus, in verbis Ulpiani quædam purganda ſunt. Pro *quidem* Cujacius in *Not.* legebat *quid*, ſed ſatis ferri poteſt, *quidem*, ſin autem quis delicatior omnino ferre nolit, is, me auctore, reponat, *quiddam*, minori jactura, & eodem ſenſu. At minus recte ſe habent illa: *non ut legatum pertineat*, a quibus tamen plane abſtinuit Cujacius. Clar. Schultingius ad *d. loc.* notat, in margine Editionis Pariſ. CIↃIↃLXXXVI. exhiberi *ad legatarium*, pro *legatarum*, quod perperam legitur in ipſa Editione, ſed major eſt ille motus, quam oportet. Si legamus *pertingat*, æque id incommodum erit, non addita alia voce. Si *perveniat*, forte id aliquanto commodius, ſed & aliquanto remotius a veteri ſcriptura. Sunt, qui exhibent, atque ſi legeretur, *non ut quid ad alium pertineat*, neſcio, qua auctoritate; Lectio placeret, ſi placere poſſet emendatio. Periclitemur & nos, & quid ſi ita legamus? *ut faciat quiddam, aut non faciat, non ad legatum pertinens*? vel poſtrema, *non ut le-*

legatum pertineat, per hanc tranſpoſitionem & emendationem, *ut legatum non retineat*? alterutram conjecturam velim mihi pauliſper concedi, donec de re ipſa viderimus.

Et quidem in animum inducere meum nunquam potui, ea omnia fuiſſe legata pœnæ nomine, quæ vulgo ſimpliciter & indiſtincte eo Titulo circumferuntur, quin nec ea omnia fuiſſe, quæ Juſtinianus, exempli cauſa, ſimpliciter quoque & indiſtincte attulit in *d.* §. *ult. Inſt. de Legat.* Videor etiam animadvertere, & Imperatorem in *d.* §. *ult.* & ipſos veteres JCtos, cum de his legatis ſermo incidit, non eſſe locutos ore rotundo, ſed dubitabundo fere & incerto. Imperator utique in *d.* §. *ult.* ad ejus legati definitionem accedit oratione ſuſpenſa nonnihil & ambigua, *pœnæ*, inquit, *nomine legari* VIDETUR; quod verbum, quia & Theophilus ſervavit. λεγατεύεσθαι δοκεῖ, rem non usque adeo liquidam, ut ſæpe alias, hic certe ſignificare videtur, maxime quum illud protulerit non modeſtia alicujus SCti, ſed Principis vox, fere alioquin decretoria. In Pandectis ſub *Titulo*, *de His quæ pœnæ cauſa relinquuntur*, non niſi duo ſuperſunt Fragmenta veterum JCtorum de hoc genus legatis, quorum alterum eſt Africani in *l.* 1. quod legatum pœnæ nomine vere definit, ut deinceps plena manu dicam, alterum vero Marciani in *l.* 2. quod rurſus vagum, & ex tripode Apollinis potius, quam ex Schola JCtorum profectum dixeris, nam ecce Marcianus, nihil certi definiens, & quicquid ejus rei ex voluntate defuncti arceſſendum ratus, ita ibi infit: *Pœnam a conditione voluntas teſtatoris ſeparat, & an pœna, an conditio, an tranſlatio ſit, ex voluntate defuncti apparet. Idque Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt.* Scire velim, *ex qua voluntate defuncti*? & quemadmodum hæc explicanda ſit, ut vel pœnam, vel conditionem legato adjectam putemus? nihil extricat ipſe, nec extricant Inſtitutiones in definitione ejus legati, quam præſcripſi, ſimpliciter illæ ajunt, *pœnæ* nomine legatum videri, *quod coërcendi hæredis cauſa relinquitur, quo magis aliquid faciat, aut non faciat.* Atque ita ſimpliciter Ulpianus, niſi quod clauſulam illam dubiæ Lectionis adjecerit, *non ut legatum pertineat.* Vidi Interpretes, qui Tribonianum notaverint, quod illam clauſulam in Inſtitutionibus omiſerit, ſed, ſi non planius perſcripſiſſet, ego facile patior abeſſe, neque enim eſt, ut non emendata hoc argumentum illuſtrare poſſit.

Eſt in utraque definitione, *quod coërcendi* HÆREDIS *cauſa relinquitur*, & intelligis ex eo, & ex reliquis *h.* §. *ult.* ad exemplum Ulpiani, non agi niſi de pœna, *hæredi* adſcripta, ut nempe legatum nullum ſit, ſi ejus coërcendi ergo teſtator quid juſſerit, vel facere, vel omittere. Quid ergo ſi legatario, cui legatur, vel a quo legatur, teſtator conditionem pœnalem adſcripſerit? procul dubio neque id licuit, & quia non licuit, id ex ſua Conſtitutione licere voluit Juſtinianus in *l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* ſtatuendæ pœnæ poteſtatem faciens teſtatoribus; *ſi minus diſpoſitionibus ſuis hæres*, *vel* LEGATARIUS, *vel* LIBERTATE DONATUS *paruerit.* Sed tamen, quod ad effectum juris, interfuiſſe putem, hæredi, ſive legatario, a quo legabatur, an vero legatario, cui legabatur, ejusmodi pœna fuerit adſcripta, an fruſtra ea de re nunc diſputaverim, prius enim ſcire oportet, quæ fuerint legata pœnæ nomine, deinde ſatis apparebit, non tantum quæ fuerit prohibitionis ratio, ſed & quo effectu ſint cenſenda, & quod ad hæredem, & quod ad legatarium.

Auſim vero liquido pronunciare, neminem facile eſſe intellecturum, quæ ſint legata pœnæ nomine, ſi, ut habet utraque definitio, ſimpliciter eſſe dicamus, *quæ coërcendi hæredis*, ſeu, quod addo, legatarii *cauſa relinquuntur*, ſive præceptum faciendi, ſive non faciendi, contineant. An non omnis conditio, quæ non a fortuna, ſed ab hæredis legatariive poteſtate pendet, eum jubet aliquid facere vel non facere, priusquam hæreditate vel legato potiatur? an non ea juſſio hæredis legatariive libertatem, quicquid voluerit, faciendi vel non faciendi, coërcet? nihil igitur intererit inter conditionem & pœnam, & nunquid hæc, an illa adſcribatur hæredi legatariove? quia, quicquid ſit, ejus puniendi gratia adjicitur. Abſit, ut Jurisprudentiam antiquam deridiculo exponamus, & credamus, ſimpliciter verum eſſe, pœnæ nomine legari, ubi quis coërcetur, addita lege faciendi vel non faciendi; hoc enim ſi placeret, conditionum magna pars eo ipſo deficeret, ſeu potius omnes conditiones, quæ a mero arbitrio pendent, eo ipſo haberentur pro non ſcriptis. Quapropter opportune quærit Azo *Comment.* ad *d. l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* in quo differant illa, quæ pœnæ nomine ſunt relicta, a conditionali legato? *Certe*, inquit, *ſolum in voluntate teſtatoris*, *ſi enim addit*, POENÆ CAUSA, *tunc erit pœnale*, *ſi non*, *conditionale*, adducta in eam rem *d. l.* 2. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq.* Potuiſſet addere, *expreſſa nocere*, *non expreſſa non nocere*, ut de conditione palam vel tacite in alterius voluntatem collata, vetus dictum fuiſſe Modeſtinus refert in *l.* 52. *ff. de Condit. & demonſtr.* Quæ Azonis, ea ipſa videtur fuiſſe Joannis, veteris Interpretis, ſententia, Accurſio laudata ad *d.* §. *ult. Inſt. de Legat.* nam ad verba, *aliquid faciat*, ita notat: *quod fieri vult*, *ſecundum Joannem*, *hoc adjecto*, *ſcilicet in pœnam hæredis ſe committere*, *alias eſt conditio*, *& valet.* Sed, quantum in nobis eſt, caveamus, ne poſtremas hominum voluntates, non ex re ipſa, verum ex ſola formula æſtimemus, neve Tullio *Orat. pro Muræna*, & alibi, concedamus, veterem Jurisprudentiam, quanta quanta eſt, in formulis fere & verborum aucupiis fuiſſe poſitam. Si res ipſa valeret, vel non valeret, ex ſola conceptione verborum, ecquis teſtatorum adeo ſupinus eſſet, ut, in ſpecie propoſita, a verbis pœnalibus non abſtineret? *Voluntas teſtatoris*, de qua agit *d. l.* 2. longe alio pertinet, ut ſuo loco dicam. Fateor, neque enim diffiteri poſſum, in *d. l.* 52. ut & in *l.* 68. *ff. de Hæred. inſtit.* diſtingui inter conditiones, *ſi Mævius voluerit*, &, *ſi Mævius Capitolium adſcenderit*, ut puta hæc valeat, illa non item, ſed, præterquam quod nulla Juris Romani particula me a puero magis habuerit ſollicitum, vel, ut ex animo loquar, magis offenderit, quam illa, cujus ſolidam rationem nemo veterum JCtorum, nemo Interpretum me unquam docere potuit, ſcire velim, ubi, quod Azo & Joannes tradiderunt, etiam Auctores noſtri tradiderint? Si diſerte id ſcriberent, ut diſerte ſcribunt de conditionibus expreſſis vel tacitis, in alienam voluntatem collatis, crederem & ipſe pleniſſima fide, quamvis, quæ mea mediocritas eſt, ratio ejus juris me fugeret, ut fugit in *d. l.* 52. & *d. l.* 68.

Ut dignitati Jurisprudentiæ Romanæ conſulatur, legatum pœnæ nomine aliter interpretati ſunt alii. Ita nempe, ut pœnæ nomine legatum ſit, ſi quid facere vel non facere juſſerit teſtator,

tor, nulla cujusquam contemplatione, nulla cujusquam utilitate, veluti, ſi id, quod juſſit vetuitve, nec ipſius teſtatoris interſit fieri vel non fieri, nec legatarii, nec alterius cujusquam: id enim ſi ſit, non alia utique cauſa conditionem adjici, quam puniendi vel hæredis, vel legatarii, τιμωρίας χάριν, quomodo illud extulit Theophilus in *d.* §. *ult.* Gloſſa ita videtur præiviſſe ad *l.* 2. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq.* pœnam eſſe exiſtimans, ſi teſtator dixerit: *Hæres meus ſi Capuam ierit, Titio* X. *dato*, ſi ſcilicet, ut mox explicat, nullius plane interſit, hæres Capuam eat, nec ne, ſi interſit, & ideo teſtator, addita pœna, vetuerit, Capuam ire, non tam pœnam, quam conditionem eſſe, cui omnino parendum ſit. Hac via præeuntem Gloſſam ſequuntur Donellus ad *l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* & paſſim omnes, qui in hoc argumento ratione magiſtra utuntur. Catalogum eorum ne exſpecta, nam longus eſſet, quia ſic nunc vulgo ſentiunt, qui de Jure Romano decore & benigne ſolent ſentire.

Sed age, quia *docendi iter*, ut Seneca ait, *breve & efficax eſt per exempla*, & quia hæc Doctrina ſine exemplis commodum expediri non poteſt, petamus ea ab ipſis JCtis. Et quidem largior his Interpretibus, legatum pœnæ, & ſolius pœnæ nomine dici non poſſe, nec dictum fuiſſe unquam, ſi, quod fieri vel non fieri intereſt teſtatoris, vel hæredis, vel legatarii, id teſtator jubeat vetetve, appoſita contra facientibus pœna ſive multa. Fac, teſtatorem juſſiſſe, ut hæres vel legatarius ſibi monumentum faceret, vel ex arbitratu ejus, quem nominaſſet, vel ad exemplum ejus, quod in Via Salaria eſſet Publii Septimii Demetrii, adſcripta, ſi non feciſſet hæres vel legatarius, multa, etiam magna, ſubſiſtere eam ſcripturam teſtantur Pomponius & Alphenus, ille in *l.* 6. *pr.* hic in *l.* 27. *ff. de Condit. & demonſtr.* Ait quidem Pomponius in *d. l.* 6. *pr.* multam non committi, ſi is, cujus arbitrium electum eſt, non vivat, vel adeſſe non poſſit, vel arbitrari nolit, ſed absque his ſi ſit, ſignificat valere, quod actum eſt. Et Alphenus in *d. l.* 27. pœnam quidem non committi reſpondet, ſi non exſtet exemplum, ad quod monumentum fieri juſſerat teſtator, attamen exſtruendum eſſe ſecundum ſubſtantiam & dignitatem defuncti. Argumento ſatis manifeſto, pœnam utique committi, ſi id exemplum exſtaret, vel alias non exſtrueretur ſecundum ſubſtantiam & dignitatem defuncti. Gloſſa notat ad *d. l.* 27. *eſſe id forte ſpeciale in hoc caſu*, ut ſcilicet valeat multæ dictio, a teſtatore facta, ſed cur ſit, non explicat. Cujacius, qui Gloſſam ſequitur, latius id explicavit *Tract.* V. *ad Africanum* in *l.* 1. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq. Invenio*, inquit, *Jure veteri uno caſu pœnæ cauſa legari poſſe, ſi in funere aut monumento faciendo tuendove voluntati teſtatoris hæres non obtemperaverit, favore Religionis d. l. 6. pr. & d. l.* 27. Sed aut fallor, aut nimium hic religioſus eſt Cujacius, ad cauſam piam referens, quod in omni cauſa verum eſt, utique in omni cauſa, in qua, ne nunc quid aliud dicam, vel teſtatoris, vel hæredis, vel legatarii intereſt, id fieri vel non fieri, quod teſtator juſſit vetuitve. Si ergo juſſerit, *imaginem ſuam in municipio poni*, addita, niſi poſuerit, in gratiam Mævii cohæredis, vel Titii legatarii, pœna pecuniaria, valebit, quod agitur, etiamſi omnis Religionis cauſa abſit. Id exemplum priori, de monumento exſtruendo, additur in *l.* 7. *ff. de Ann. legat.* atque ita hæc conjunguntur, ut ad auctoritatem ſcribentis duntaxat referantur, neque adeo obligationem pariant, ſed tunc demum, ut ibi leges, ſi ea juſſio ad ſolum hæredem dirigatur, non addito cohærede vel legatario, neve multa, huic vel illi præſtanda, ut eſt in *d. l.* 6. *pr.* & in *d. l.* 27. Quare ſi imaginem poni juſſerit, &, niſi ponatur, decem dari Sempronio, cohæredi vel legatario, decem procul dubio debebuntur, ſi hæres, qui juſſus eſt, non paruerit defuncto. Satis hoc indicat ipſe Pomponius in *d. l.* 7. Alia ſpecies, nec quicquam etiam ad Religionem pertinens, eſt in *l.* 1. *ff. de Penu legat.* ubi uxori penoris aliquid dare, &, ſi non dediſſet, nummos dare hæres damnatus eſt; nec videas Ulpianum dubitare, quin valeat ejusmodi legatum, quemadmodum nec alii JCti dubitant, ubi eadem ſpecies eſt, in *l.* 1. §. 8. *ff. ad L. Falcid. l.* 19. *pr.* & §. 1. & *l.* 24. *ff. Quando dies legat. ced.* Diſputant modo in his Legibus, an ejusmodi legatum ſit duplex (*alternativum* vocant) an vero unum & ſimplex, vel penoris, vel pecuniæ, &, ſi dies adjiciatur, an exiſtente die alterutrum, an unum duntaxat præſtari, vel non præſtari oporteat, de quo & Baſilici *L.* XLI. *T.* I. *C.* 1. §. 4. & Scholia ad *hunc loc.* ſed quæ diſputatio ad id, de quo nunc agimus, non pertinet. Id omnino pertinet, potuiſſe Patremfamilias legato pœnam adjicere, ad coërcendam hæredis moram, & plus, quam in penore legaverat, in nummis legare, ſi minus prompte ejus voluntati paruiſſet hæres. Adjicitur hic pœna legatarii gratia, at in præcedentibus exemplis teſtatoris gratia. utrumque recte.

Cave igitur exiſtimes, eas ſpecies pertinere ad legata pœnæ nomine, ut exiſtimarunt veteres aliquot Interpretes, & inde effecerunt, ut *Capite proximo* dicebam, legata pœnæ nomine etiam jure Pandectarum valuiſſe. Non vertitur hic cauſa ſolius pœnæ; & tamen id, ut legatum pœnæ ſit, deſiderari ait Donellus ad *d. l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* ad inſtar, inquit, depoſiti miſerabilis, quod ita interpretatur Ulpianus in *l.* 1. §. 3. *ff. Depoſit.* ut is duntaxat videatur deponere tumultus, vel incendii, vel ruinæ, vel naufragii cauſa, *qui nullam aliam cauſam deponendi habet, quam imminens ex cauſis ſupra ſcriptis periculum.* Sic eſſe putat legatum pœnæ nomine, quum nullam aliam legandi, quam pœnæ cauſam, habeat teſtator, id eſt, ut loqueretur Ulpianus, ſi ita eum recte reſtituerimus, quum quid præcipiat vetetve, coërcendi hæredis gratia, *non ad legatum pertinens.* Addit Donellus *d. loc.* aliud in legatis eſſe *cauſam*, aliud *pœnam*, illam in præteritum, hanc in futurum conferri, ut exemplo declarat Ulpianus in *l.* 12. *ff. de Condition. & demonſtr.* Sed & omnis fere conditio in futurum confertur, nec de eo tantopere laboramus, at vero, quemadmodum conditio a pœna differat, non quemadmodum differat pœna a cauſa. Eam ſane ſpeciem, quam ibi tractat Ulpianus, nemo Interpretum ad legatum pœnæ nomine tranſtulit, nec, ut videtur, transferenda eſt; quin nihil quicquam ibi lego, quod hanc materiem illuſtrare poſſit.

Cæterum, ſi me audias, non erit ſubſiſtendum in ea ſententia Donelli, quam, ut dixi, cum aliis communem habet. Agnoſco, legata pœnæ nomine non eſſe, ſi teſtatoris, ſi hæredis, vel legatarii interſit, conditionem impleri, vel non impleri, ſed ſi non interſit, vel id ſciri nequeat, tunc eſſe legata pœnæ nomine, ipſe non agnoverim, neque enim ſic puto nos defun-

gi poſſe difficultatibus, quæ undiquaque premunt. Vetus regula eſt, ex ipſis XII. Tabulis, Fonte illo æqui bonique, deprompta, ita jus eſſe, uti Paterfamilias rei ſuæ legaſſet. Et quidni pro jure eſſet hominis ſani, de re ſua ſtatuentis, ſuprema voluntas? quidni hæreditatibus vel legatis, dandis, adimendis, transferendis clauſulæ pœnales poſſent adjici? quidni conditiones, in modum pœnæ, quamvis nulla ex his utilitas redundet vel in teſtatorem, vel in hæredem, vel in legatarium? an non in teſtamentis *totum facit voluntas defuncti*, ut Ulpianus dixit in *l.* 35. §. 3. *ff. de Hæred. inſtit.*? Et quis definiverit, an & quam ita vel ita legandi cauſam habuerit teſtator? ſæpe hæc eſt in obſcuro. Conditiones, quæ a fato & fortuna dependent, fere ſunt ejusmodi, ut earum cauſa vel nulla ſit, vel, ſi qua ſit, tamen ſciri haud quaquam poſſit. Propone: Titius hæres Sempronio centum dato, *ſi Mævius factus fuerit Conſul.* Nemo negabit, id legatum valere, & tamen Mævium fieri Conſulem, vel non fieri, quid teſtatoris, quid hæredis, vel legatarii intererit? vel quis intereſſe dixerit? legavit igitur centum ſub conditione, quæ unice puniat hæredem. Rurſus, ſi vel conditiones a poteſtate dependeant & arbitrio hæredis, eæ eſſe poterunt, ut nulla ſubeſſe legandi ratio videatur, quam ſolius pœnæ. Propone: Titius hæres, *ſi Capitolium aſcenderit, vel non aſcenderit*, Sempronio centum dato. Nemo, opinor, negabit, etiam hoc genus legati valere, quum & hæreditates & legata ſub hac conditione adimi vel transferri poſſe conſtet ex *l.* 7. *pr.* & *l.* 11. §. 1. *ff. de Condition.* & *demonſtr.* Et tamen ſola hæredis pœna, ſola coërcitio & τιμωρία videtur hic verſari, cui alioquin bono præceptum aſcendendi vel non aſcendendi Capitolium? parendum nihilominus erit teſtatori, ſin minus, pœna manebit hæredem vel legatarium, nam *in conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones*, ut veriſſime dixit Ulpianus in *l.* 19. *pr. ff. Eod.* Ex adverſo, ſi conditio coërceat hæredem, an ideo promiſcue dicemus in pœnæ nomen non incidere, modo eam impleri, vel non impleri, vel teſtatoris, vel hæredis, vel legatarii interſit? neque id mox dicere licebit; ecce enim primum exemplum legati, quod pœnæ nomine proponitur in Inſtitutionibus, & quod ipſum eſt apud Ulpianum *Fragm. T.* XXIV. §. 17. ita habet: *Hæres meus ſi filiam ſuam in matrimonium Titio collocaverit, vel ex diverſo, ſi non collocaverit, dato decem aureos Sejo.* Quid dicemus? an non teſtatoris, an non hæredis, vel legatarii quam maxime intereſſe poterit, Titium hæredis filiam uxorem habere, vel non habere: nemo ſanus dubitaverit. Sed de his & aliis apud Juſtinianum exemplis commodum agetur, poſtquam, ſepoſitis nonnihil Inſtitutionibus, ſententiam meam expoſuero de legatis, quæ olim dicebantur, pœnæ nomine. Hæc nunc exponenda eſt, ne plus occupemur aliorum ſententiis deſtruendis, quam adſtruendis iis, quæ non ipſi ſentimus.

CAPUT IV.

Digreſſio ad L. 1. & L. 2. ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq. *quæ utraque explicatur.*

Sententia mea de legatis pœnæ nomine non alia eſt, quam Africani in *d. l.* 1. ubi ſic infit: *Filiofamilias vel ſervo hærede inſtituto, etiamſi in patris dominive pœnam illicite vel probroſe datum eſt, nullius momenti legatum eſſe reſpondit: non enim id ſolum, quod in hærede, ſed omne quod in cujusque, lucrum aliquod ex ultima voluntate ſentientis, talem pœnam in teſtamento ſcriptum ſit, nullius momenti habendum.* Reſpondit, ut vides, Africanus, inutile eſſe legatum, ſi, filiofamilias vel ſervo hærede inſtituto, in patris dominive pœnam *illicite vel probroſe* quid fuerit datum, & addidit rationem, quod ſcilicet omne id, quod in *talem pœnam* relinquitur, nullius momenti ſit, non tantum in perſona ipſius hæredis, ſed & cujuscunque alterius, lucrum aliquod ex teſtamento capientis. Igitur, ut pœnæ nomine legatum ſit, Africanus deſiderat, *illicite vel probroſe* datum eſſe, neque etiam omni pœna contentus eſt, ſed *talem pœnam* exigit, qualem præmiſerat, illicitæ ſcilicet vel probroſæ dationis. *Illicita* & *probroſa* tantum non ſemper conveniunt, nam quicquid Lege prohibente fit, eſt probroſum, & quicquid eſt probroſum, fere in Leges incurrit. Poſſunt tamen ſeparari, ut proprie *conditionis illicitæ* ſint, quas teſtator imperat contra Leges, SCta, & Conſtitutiones Principum, quemadmodum hæc definiuntur in *l.* 14. & *l.* 15. *ff. de Condition. inſtit.* Quamobrem ſi hæredem damnavero decem dare Titio, *niſi patriam prodiderit, niſi alimenta negaverit Parentibus, niſi filium occiderit*, & quæ ſunt ſimilia, quia hæc omnia non tantum pertinent ad ſolam pœnam, ſed & eam, qua hæres, id agendo, animadverſionem publicæ Vindictæ non effugeret, merito pro non ſcriptis habentur *d. l.* 14. & *d. l.* 15. Atque ita quoque juris eſt in conditionibus probroſis, ſive his, quas *contra bonos mores* dixit Paulus in *l.* 9. *ff. Eod.* veluti, ſi hæredem damnavero decem dare Titio, *niſi ſororem ſtupraverit, niſi in medio foro fuerit maſturbatus, niſi Prætori nudus obviam venerit*, & quæ ſunt alia ejusdem farinæ, etiam a Paulo memorata & improbata in *d. l.* 9. Turpitudo, quæ omnibus his conditionibus ineſt, ipſum legatum reddit nullum, ita ut nihil ad Titium perveniat, etiamſi hæres nihil horum præſtiterit: *nam*, ut Papinianus ſuperdixit in *d. l.* 15. *ff. de Condition. inſtit. quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, &, ut generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt.* Cenſentur ſcilicet ea jure impoſſibilium, & ſive impoſſibilia præcipiantur, ſive illicita, ſive turpia & probroſa, pari hæc paſſu ambulant. Unde ſi legem ab hærede, *niſi digito cœlum attigerit*, quæ formula paſſim eſt apud JCtos, & apud Ciceronem *L.* II. *ad Attic. Epiſt.* 1. & Ovidium *L.* II. *de Ponto Eleg.* II. *vſ.* 10. æque nullum erit legatum, atque ſi hæredi illicitam vel turpem conditionem adſcripſerim, &, niſi paruerit, decem dare juſſerim.

Illud vero certi juris eſt, ejusmodi improbas conditiones, appoſitas hæredi, reſpectu hæreditatis, vel legatario, reſpectu legati, non vitiare ipſam inſtitutionem vel legatum, ſed ſolas conditiones remitti vel pro non ſcriptis haberi, atque ita perinde, ac ſi conditiones hæreditati ſive legato adjectæ non eſſent, capi hæreditatem legatumve *d. l.* 9. & *d. l.* 14. *ff. de Condition. inſtit.* Sin ab hærede vel ab ipſo legatario legetur ſub his, quas dixi, conditionibus,

etiam quidem illæ remittuntur, ſed & ſimul vitiatur ipſum legatum, utpote pœnæ nomine relictum, neque adeo pertinebit ad eum, cui hæres vel legatarius dare juſſi ſunt, niſi paruerint conditionibus illicitis vel probroſis *h. l.* 1. *& d.* §. *ult. Inſt. de Legat.*

Si id fuerit legatum pœnæ nomine, quod ex definitione Africani ipſe fuiſſe putem, non longe erit arceſſenda ratio ejus prohibitionis. Theophilus ad *d.* §. *ult. inſt.* duas rationes attulit, quarum altera eſt, quod ejusmodi legatum ſit poſitum ἐν γνώμῃ τοῦ κληρονόμου *in arbitrio hæredis*, altera, quod legata oporteat proficiſci ex εὐνοίας καὶ φιλίας τῆς περὶ τὸν ληγατάριον, οὐ μίσει τοῦ κληρονόμου, *benevolentia & amicitia erga legatarium, non odio hæredis.* Prima ratio, ut & alii obſervarunt, Theophilo plane eſt indigna, utque adeo mirer eam probare potuiſſe Franciſcum Hotomanum *Comment.* ad *d.* §. *ult. Inſt. de Legat.* omnis enim conditio, quæ in poteſtate eſt hæredis, ſimul eſt in ejus arbitrio, ut implere eam, ſi velit, poſſit, nec id quicquam vitiat. Poſtrema ratio Theophili ſola & vera ratio eſt prohibitionis in eo, quod nos definimus, legato pœnæ nomine: nulla quippe cauſa fingi poterit, qua motus teſtator hæredem ſubjecerit *illicitæ vel probroſæ conditioni*, quam ut eum terriret, puniat, & coërceat. Quo bonum eſt id jubere, quod Leges moresque fieri vetant? major eſt, quæ Legibus & verecundiæ, quam quæ impiis ac turpibus præceptis debetur, reverentia. Legibus obtemperare, prima ſemper obſequii gloria fuit. Fruſtra igitur teſtator jubet has contemnere, hæredem provocans ad improba facinora, niſi legato malit carere; quinimo, ut non facile ſolent homines negligere, quæ ad rem faciendam pertinent, metus eſſet, ſi ejusmodi legata valerent, ne famam, ne ipſas Leges poſtponerent curæ rei familiaris. Et hoc eſt odium hæredis, quod ſolum in his legatis verſari dixit Theophilus, ea enim illi apponitur conditio, in modum pœnæ, cui, ſalvo Viri boni officio, parere non poteſt, nam, ſi rem ex vero æſtimemus, non alio fine hæredi adſcribitur ejusmodi conditio, quam *ut legatum non retineat*, ut forte Ulpianus ſcripſit, ſi placeat ejus emendatio, quam repræſentavimus *C.* III. retinere enim nequit legatum, niſi incidat in graviorem Legis, quam legati, pœnam.

Sed quid ſi teſtator verbis utatur ambiguis, ut dubitare poſſis, conditio ſit licita, an illicita, turpis, an honeſta? Voluntatis hanc eſſe quæſtionem Marcianus declarat in *l.* 2. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq. Pœnam*, inquit, *a conditione voluntas teſtatoris ſeparat, & an pœna, an conditio, an translatio ſit, ex voluntate defuncti apparet. Idque Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt.* Explicabo Marcianum, adlato exemplo, quo nullum eſt frequentius apud JCtos, cum de Legatis pœnæ nomine ſermo incidit. Propone: hæres Sempronio fundum Cornelianum dare damnas eſto, *ſi ejus filia Titio nupſerit, vel non nupſerit.* Quæro, pœna hæc ſit, an conditio? ſi audiamus Imperatorem in *d.* §. *ult. Inſt. de Legat.* pœna erit, nec valebit legatum. Sed ego non auſim id ſimpliciter adfirmare, & quominus auſim, obſtant veterum JCtorum auctoritates, quas *Capite ſeq.* recenſebo. Quare illam quæſtionem hac diſtinctione transigendam eſſe cenſeo: aut filia hæredis, quæ jubetur nubere ſub pœna legati, honeſte poteſt nubere Titio, aut non poteſt; ſi poſſit, parendum erit conditioni, ſi non poſſit, quia forte nuberet aleatori, prodigo, adultero, aut ſi quid his eſt ſimile, reſolvetur ea conditio in probroſam, & in pœnam hæredis cenſebitur adſcripta. Atque ita & contraria conditio, qua jubetur Titio non nubere, ſub pœna legati, & proba eſſe poteſt, & rurſus improba, & in pœnam heredis adjecta. Improba erit, ſi, verbi gratia, hæredis filia ex Titio brevi ſperetur mater, quod pleno jam ſit utero, tunc enim non poteſt non nubere Titio, ſine ſua & patris hæredis infamia. Igitur, ut Marcianus recte dixit, pendet ea res a voluntate teſtatoris, & hanc æſtimare licebit a circumſtantiis, quæ urgent nuptias, vel rurſus prohibent. Eſtque hæc non tam mea, quam Gaji Jurisprudentia in *l.* 63. *ff. de Condition. & demonſtr.* ut hanc ex profeſſo tractabimus *Capite prox.*

Quod autem Marcianus ait, ex facto & voluntate defuncti apparere, non tantum an pœna, an conditio, ſed & *an translatio ſit*, intelligo in eandem ſententiam. Centum, quæ Titio dedi, legavi, Sempronio do, lego, *ſi Titius filiam ſuam Cajo elocaverit, vel non elocaverit*, utilis ſcilicet erit translatio, ſi honeſte Cajo nubere poſſit filia, ſin minus, pœna erit, nec valebit translatio. Sic puto, ſi eandem ſpeciem ſervemus; in aliis omnibus, ubi eadem inſpectio eſt, tantundem erit. Qui, quod hic Marcianus de *translatione* dixit, recte explicaverit, vidi neminem.

Habes ſententiam meam de utraque Lege, nec illa quicquam diſcrepat ab utriusque verbis. Nunc exponam, quid alii de hac & illa ſenſerint. Quod ad primam, Gloſſa exiſtimat, illud *illicite vel probroſe* non alia ratione ei inſeri, quam quod de legato pœnæ nomine ſermo ſit, id autem quia erat contra Leges, idcirco *illicitum* dici, vel *probroſum*, ut eſt omne id, quod fit Lege prohibente. Atque ſi nempe ea verba non explicarent, quid ſit, quod pœnæ nomine relinquitur, ut revera explicant, ſed plane nihil quicquam ſignificarent, nam, ex mente Gloſſæ, ſi quid ſibi vellent, id ipſum vellent, quod mox reſpondet Africanus, *nullius momenti legatum eſſe*, inepta ſane ταυτολογία. Gloſſam, ut fit, veteres Interpretes turbatim ſequuntur. Poſterioribus Interpretibus alia & una fere omnibus mens eſt. Illi, non admodum ſolicite perſcrutantes, quid olim fuerit legatum pœnæ nomine, ſimpliciter ajunt, olim pœnæ nomine legari vel fideicommitti non potuiſſe, hodie vero poſſe ex Conſtitutione Juſtiniani in *l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* addita hac exceptione, quam & commemorat §. *ult. Inſt. de Legat.* niſi quid facere juſſerit teſtator, *vel Legibus interdictum, vel alias probroſum, vel etiam impoſſibile.* Hanc vero exceptionem ex manu interpolante Triboniani putant immigraſſe in *d. l.* 1. & inde in quæſtione, an pœna adſcripta iis, qui ipſi hæredes inſtituti non ſunt, legatum reddat nullum, Tribonianum ex Jure novo, ſub perſona Africani, meminiſſe ejus pœnæ, quæ *illicite vel probroſe* indicitur, & hanc ipſam in *fin. Legis* repetere, dum *talem* præciſe *pœnam* deſiderat, *illicitam* ſcilicet *vel probroſam.* Joannes Jacobus Wiſſenbach, qui *Emblemata Triboniani* collegit, & hoc Titulo, ex aliis deſcripta, ſuppreſſo ſæpe nomine, edidit, etiam hic Triboniani manum agnoſcit, auctorem tamen laudans Cujacium *Not.* ad *T.* XXIV. *Fragm. Ulpiani*, & *Tractatu* V. *ad Africanum* in *h. l.* 1. & ſane hoc ipſum ibi dicit Cujacius, ejusmodi Emblematum etiam alias valde prodigus, ut & in *Parat. ff.* ad *h. Tit.* Sed jam ante Cujacium Eguinarius Baro *Comment.* ad §. *ult. Inſt. de Legat.* animadverte-

terat, Tribonianum in *h. l.* 1. Africani perſonam induiſſe, legato pœnæ nomine, quod Juris novi eſt, in veteres Leges tranſcripto, & ita quoque poſt Cujacium cenſent Grotius *Flor. Sparſ.* ad *d. l.* 1. Donellus *Comment.* ad *d. l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* Broeus, Giphanius & Bachovius ad *d.* §. *ult. Inſt. de Legat.* & Recentiorum pleraque cohors. Ipſe Haloander, eadem forte ratione, jam eraſerat vocem *talem*, ſervatis tamen, quæ præceſſerant, vocibus *illicite vel probroſe*, cujus rei rationem non adſequor. Ruſſardus, ex more, ſervavit Lectionem Florentinam, & ipſe tamen notans, verba *illicite vel probroſe* eſſe videri ex additione Triboniani, de voce *talem* nihil quicquam ſolicitus, utique nihil quicquam monens.

Sed ego, qui non tam facile ſoleo jactare Emblemata Triboniani, & qui puto, ipſius Jurisprudentiæ intereſſe, ne tam facile jactentur, ne hic quidem agnoſco interpolatam eſſe Africani Legem. Nunquam ejusmodi interpolationes agnoſcendæ ſunt, niſi quum aliter res ſalva eſſe non poſſit, hic autem tantum abeſt, ut aliter ſalva eſſe nequeat, ut, ſi Emblema largiamur, laborare mihi videatur tota veteris ævi Jurisprudentia de Legatis pœnæ nomine. Atque hæc rurſus non laborabit, ſi, ut opinor, ea fuerint legata pœnæ nomine, quæ ipſe Africanus, non interpolatus, eſſe dicit, quum ſcilicet *illicitum vel probroſum* quid juſſerit teſtator, &, ſi minus paruiſſet hæres, legati eum præſtatione oneraverit. Cedo mihi, quæ alia fuerint legata pœnæ nomine? ea namque non fuiſſe, quæ vulgo perhibentur, ſatis probavi *C.* III. & probaturus ſum deinceps, ubi ad exempla, in Inſtitutionibus memorata, perventum erit.

Scio, quid objectionis, & quidem graviſſimæ, immineat. Adeone, inquies, fruſtra fuit Juſtinianus, ut id ipſum conſtitueret in *l. un. C. de his quæ pœn. nom. relinq.* quod jam olim obtinebat? eane Imperatoris vel Triboniani fuit ignorantia, ut neſciverint, quæ olim fuerint legata pœnæ nomine? ut abrogaverint Jus, quod nunquam fuit? ut pronunciaverint olim illicitum fuiſſe, quod revera fuit licitum, & nunc rurſus licitum, quod & olim ita fuit? ut exceptionem addiderint de illicito hodie legato, quæ olim ipſam regulam conſtituiſſet? nam ſumma ſententiæ meæ huc redit, Veteres non aliud pœnæ nomine legatum agnoviſſe & damnaſſe, quam illud ipſum, quod agnovit & damnavit Imperator in *fin. d. l. un.* Subſiſte paulisper, & conſidera, quod eſt veriſſimum, Tribonianum in exponenda veterum JCtorum ſententia etiam alias plus ſemel ceſpitaſſe. Teſtem dabo, quem potius, quam me audies, Franciſcum Balduinum in *Præfatione Juſtiniani ſui*, ubi de Triboniano ita verba facit: *Sed ubi Jus dare dicereque ſerio voluit, repetitum ex antiquis Legum tabulis; & Prudentum Romanorum Commentariis, neque illarum, neque horum acumen pervidit ſemper, & ſententiam aliquando parum aſſecutus eſſe videtur.* Sed nolim quemquam auctoritate hominis moveri, ſine auctoritate exempli. Unum proferam ex materia, in qua verſamur, de Legatis, nam in locum hunc communem exſpatiari nunc non vacat. Ait Tribonianus in §. 23. *Inſt. de Legat.* optionis legatum olim in ſe habuiſſe conditionem, & ideo, niſi ipſe legatarius vivus optasſet, ad hæredem non fuiſſe transmiſſum, id vero Juſtinianum mutaſſe in Conſtitutione ſua. At auſim præſtare, Jure veteri nuſpiam ſcriptum eſſe, optionis legatum ad hæredem non transmitti; non quod ideo præciſe negem, ita juris fuiſſe, quia ſcriptum non exſtat, poterat enim id jus cum tot aliis Fragmentis veterum JCtorum intercidiſſe. Non, inquam, ea ſola ratio me moverit, quamvis animadvertam, alios eam ſolam movere in aliis Juris capitibus, ſed quod, reſpectu veteris Jurisprudentiæ, palam contradicat ipſe Paulus in *l.* 19. *ff. de Opt. vel elect. leg.* Scio eſſe, qui & illam *l.* 19. a Triboniano, detracta negatione, interpolatam fingunt, quemadmodum & ipſe Accurſius ea ratione præivit, ſed non tantum nulla auctoritate, verum etiam contra auctoritatem, quam, in ſimili argumento, ſuggerit Ulpianus in *l.* 75. §. *pen. ff. de Legat.* I. & idem Paulus in *l.* 76. *pr. ff. de V. O.* Imo ipſa *l. ult. C. Commun. de legat. & fideicomm.* ad quam reſpicit *d.* §. 23. *Inſt.* nihil meminit ejus conditionis, & factæ, quod ad illam, mutationis. Narrat ibi Juſtinianus in *princ.* apud Veteres dubitatum fuiſſe, quid juris eſſet, ſi pluribus ſervi vel alterius rei optio esſet legata, & hi diſſentirent in re eligenda? vel ſi uni quidem optio eſſet legata, ſed is, priusquam optaſſet, fato ſuo fuiſſet functus, & rurſus inter ejus hæredes non conveniret in re eligenda? Quod poſtremum manifeſto argumento eſt, etiam optionis legatum Jure veteri in hæredes fuiſſe transmiſſum, etiamſi ipſe legatarius non optaſſet. Conſtituit modo Imperator, ut, ſi ea ſpecies incidat, judice fortuna cadat alea, utque ita inter plures legatarios, vel unius legatarii diſſentientes hæredes ſorte dirimatur quæſtio. Ego quidem facile mihi perſuadeo, Veteres hanc controverſiam alea non transegiſſe, ut Juſtinianus tranſigi jubet, niſi forte de Scævola quis dubitaverit, quem *alveo & calculis interdum vacaſſe* ſcribit Valerius *L.* VIII. *C.* 8. §. 21. ſed tamen ne hoc quidem de Scævola, ut ut ipſi alea innoxia, pro oblectamento animi, placuerit, auſim adfirmare. Quicquid autem ejus rei ſit, ex ea ipſa *l. ult.* opinor conſtare, jus optandi & olim ad hæredes tranſiiſſe, atque ita a Triboniano non eſſe mutatam *d. l.* 19. *ff. de Opt. vel elect. leg.* Scio etiam eſſe, qui *d. l.* 19. intelligunt de legato disjunctionis, ſive *alternationis*, ut vocant, quique ejusmodi legatum ſolicite diſtinguunt ab ipſo legato optionis. Sed quidni optio etiam conſiſtat in duobus? & cur magis in tribus, vel in quatuor? dic, ubi ſiſtam; quin duorum quoque optionem eſſe aperte dixit Terentius Clemens in *l.* 17. *ff. de Opt. vel elect. leg.* Scio præterea, eſſe, qui, ut Triboniano in *d.* §. 23. ſuus conſtet honos, aliter interpretantur *d. l.* 19. rati etiam, inter veteres JCtos, hac in parte, fuiſſe ajentes & negantes, & inter ajentes fuiſſe Paulum in *d. l.* 19. inter negantes forte alios, nam neminem laudare posſunt. Sed de his, & id genus aliis, dicamus non liquere; credamus potius, Tribonianum non recte intellexiſſe conditionem, quæ legato optionis ineſt, *habebat*, inquit in *d.* §. 23. *olim conditionem*, ET IDEO, *niſi ipſe legatarius vivus optaſſet, ad hæredem legatum non transmittebat.* Habuit ſane conditionem optio, ut rotunde definivit Gajus in *l.* 3. *ff. Qui & a quib. manumiſſ.* & adhuc habet, ſed non eam, ut, *ſi ipſe legatarius vivus non optaſſet*, legatum pereat, quemadmodum Tribonianus perperam exiſtimabat, at vero, quemadmodum ſignificat ipſe Gajus in *d. l.* 3. *ut uno optato reliquorum optio extinguatur*, nam ait, *optione ſive electione ſervi data, quodammodo ſinguli* SUB CONDITIONE *legati videntur.* Hæc, non alia conditio legato optionis inerat, & quum aliam ineſſe dixerit Tribonianus, contra tot alias aliorum auctoritates, di-

dicamus, veteris Jurisprudentiæ rationem, hac in cauſa, ipſi non conſtitiſſe, plane ut nec conſtitiſſe putem in legatis pœnæ nomine. Et quid ſi de legatis pœnæ nomine conſtiterit, & tamen in *d. l. un. C. de his quæ pœn. nom. relinq.* quaſi ex Jure novo legata pœnæ nomine definiverit, ut ipſi veteres Auctores jam definiverant? Sæpe ſcilicet etiam ab aliis obſervatum eſt, Tribonianum, ad commendationem Principis ſui, non ſemel voluiſſe videri Juris novi auctorem, quum tamen non fuerit, & aliunde conſtet, id ipſum Jus Veteres jam olim tradidiſſe, ſi non omnes, ex his certe plurimos. Sed longius, quam par eſt, me avocaret illa Digreſſio, ſi id argumentum, qua late patet, excuterem; poſſumque ea opera hoc magis abſtinere, quod illam, quam dixi, Veterum Doctrinam de legatis pœnæ nomine mox liquido ſim probaturus per ſingulas ſpecies, quas, tanquam legata pœnæ nomine, propoſuit Imperator in *d.* §. *ult. Inſt. de legat.*

Supereſt, ut dicamus, quæ aliorum ſit ſententia de *l.* 2. *ff. de his quæ pœn. cauſ. relinq.* Accurſius pœnam a conditione ſeparat hoc exemplo: ſi teſtator hæredem decem dare Titio damnaverit, *ſi Capuam ierit*, pœnæ legatum eſſe, ſi non aliam jubendi cauſam habuerit teſtator, quam quod noluerit, hæredem Capuam ire, conditionem vero eſſe, ſi ita juſſerit, quod ſciret, hæredem, ſi iviſſet, lautiore conditione beatum iri, atque ita facillime præſtare poſſe decem, quæ in hunc caſum ab ipſo legaverat. Sed Rogerii, vetuſti Interpretis, Gloſſa, quæ eſt ad *d. l.* 2. rectius dixit, hæc verba, *ſi Capuam ierit*, ſimplicem conditionem inducere, ut ſane inducit gemina formula, *ſi Capitolium aſcenderit.* Et unde mens teſtatoris, hac vel illa cauſa jubentis, divinari poſſit, nemo eſt, qui facile dixerit. Sed quid ſi ſciri poſſit, adjecta forte cauſa, *pœnæ nomine*? tunc eſſe legatum inutile, ſin minus, pro conditione habendum Azo & Joannes, antiqui Interpretes ambo, exiſtimabant iis locis, quos occupavi, &, quod ſatis eſt, refutavi *C.* III. Cum his tamen fere convenit Cujacius *Tract.* V. *ad Africanum*, in *l.* 1. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq. An igitur*, inquit, *inutile ſemper eſt legatum illud*, HÆRES MEUS SI TITIO FILIAM SUAM IN MATRIMONIUM COLLOCAVERIT GAJO X. DATO? *minime: nam poſſunt ea verba accipi pro conditione, hoc modo, ſi evenerit quandoque, ut Titio filiam in matrimonium collocet, & tunc utile eſt legatum. Sed ſi mens hæc fuit teſtatoris, ut Titio hæres filiam ſuam in matrimonium non collocaret, vel coërceretur præſtatione legati, inutile eſt legatum. Et ita legatum, quod in alterius arbitrium confertur inutiliter, ut vulgo dicitur, utiliter confertur, quaſi conditio l.* 1. *ff. de Legat.* II. Accipit, ut vides, eam formulam, vel pro conditione, vel pro pœna, ut res & verba ferunt, ſed vellem, paulo accuratius explicaſſet, unde conditionem, unde pœnam liceret colligere. An ex ſolis verbis, ita, ut dixi, prolatis? abſit. An, ſi vel conditionis, vel pœnæ fiet mentio? ne tunc quidem: nam ipſe mox Cujacius, & recte, dixit, in *l.* 1. *C. Debitor. vend. pign. imp. non poſſ.* vocari *pœnam*, quod non niſi *conditio* vel *translatio* eſt. Ex verbis, quæ nihil quicquam ſignificaverint, JCti non ſumunt regulas, ſed ex rebus ipſis, & ſi ex his, ut ego putem, colligendum ſit, pœnæ cauſa fuerit legatum, nec ne, non animadverto, quemadmodum ulla ratione colligi poſſit, ſi non placeat ea interpretatio, quam ſupra repræſentavi, quæque cavet, ne veteres JCtos credamus fuiſſe fungos & ſtipites, ut contra Azonem & Joannem latius diſputavi *d. C.* III. Sed revertamur ad Inſtitutiones, id, quod res eſt, vel nobis eſſe videtur, porro probaturi ex iis, quæ ibi & alibi occurrunt, exemplis.

CAPUT V.

Veluti ſi quis ita ſcripſerit: HÆRES MEUS SI FILIAM SUAM IN MATRIMONIUM TITIO COLLOCAVERIT, *vel ex diverſo*, SI NON COLLOCAVERIT, *dato decem aureos Sejo.*

Ulpianus *Fragm. T.* XXIV. §. 17. de legato pœnæ nomine agens, hoc ejus exemplum, & quidem ſolum, proponit: *Si Filiam tuam in matrimonium Titio conlocaveris, decem millia Sejo dato.* Ait *Sejo*, ut eſt in Inſtitutionibus, quamvis uſus ſim MSto Inſtitutionum, in quo pro *Sejo* legebatur *illi*, nulla, quod ad ſenſum, differentia. Ulpianus habet *decem millia*, Juſtinianus *decem aureos*, quod utrumque, cum exemplo ſerviat, perinde eſt. Ulpianus, contentus una ſpecie, *de collocanda filia*, omiſit contrariam, *de non collocanda*, quæ eſt apud Juſtinianum; Theophilus tamen utramque transſcripſit in Inſtitutiones ſuas, & in utraque res poteſt locum habere. Agitur autem, ut apparet, de conditione nuptiarum, quas vel imperaverit vel prohibuerit teſtator, adjecta mentione perſonæ, cui nubendum vel non nubendum eſſet. Et quidem non dubito, ſi abſque mentione perſonæ hæres oneretur legato, *ſi filiam ſuam in matrimonium collocaverit*, cuicunque demum, id legatum quoque eſſe legatum pœnæ nomine, & reſolvi in conditionem, *ſi filia nupſerit*, atque ita in conditionem illicitam & probroſam, qua viduitas indicitur, quæque adeo pro non ſcripta habetur *l.* 22. 63. 74. & 79. §. *ult. ff. de Condition. & demonſtr.* Obſtat illa conditio libertati matrimonii, cui impenſe ſtudebant Veteres, in tantum ut nuptiis Sejæ in arbitrium Titii collatis, Seja legatum, etiam hac conditione datum, accipiat, quamvis ſine arbitrio Titii nupſerit *l.* 72. §. 4. *ff. Eod.* ſi enim Titius vel plane arbitrari nollet, vel quamcunque conditionem nuptiarum rejiceret, perinde eſſet habendum, atque ſi indicta fuiſſet viduitas.

Sed an æque illicita vel probroſa erit conditio, *ſi hæres filiam ſuam Titio elocaverit*? ſic Ulpianus, ſic Tribonianus videntur velle, cum ajunt, id incidere in legatum pœnæ nomine. Quod tamen vix puto generaliter defendi poſſe: nam ecce conditio de nuptiis, cum illo vel illo contrahendis, in Fragmentis veterum JCtorum & memoratur, & probatur. Memorata certe & probata eſt ipſi Ulpiano in *l.* 19. *pr. ff. de Condition. & demonſtr.* & in *l.* 9. §. 10. & 11. *ff. de Hæred. inſtit.* Quin & Papinianus defendit in *l.* 71. §. 1. *ff. de Condition. & demonſtr.* ſi Titio centum relicta ſint, *ut Mæviam uxorem, quæ vidua eſt, ducat*, neque conditionem, neque adeo cautionem Mucianam remitti, nihil enim aliud id eſſe, quam *ad matrimonium certa lege invitari*; conſtituet igitur Titius legato, an Mævia carere malit. In ſtipulatione pœnali, qua

 quis

quis pecuniam promittit, ſi Mæviam uxorem non ducat, aliud juris eſſe Papinianus reſpondet in *d. l.* 71. §. 1. addita ratione differentiæ, quam ibi videbis, & quam prolixe exſequitur Cujacius ad *Libr.* XVII. *Quæſt. Papin.* in *d. l.* 71. §. 1. In ſubſtitutione quoque valet conditio, adſcripta filiæ a matre, ut conſobrino ſuo nubat, quemadmodum Antoninus reſcripſit in *l.* 2. *C. de Inſtit. & ſubſtitut.* utque ita nihil illiciti vel probroſi his conditionibus inſit.

Contraria ſpecies, *ſi hæres filiam ſuam Titio non elocaverit*, nunquid hæc habebit turpitudinem? ita diceres, quia & hanc referunt Inſtitutiones, ut legatum pœnæ nomine illuſtrent. Et tamen neque hic generaliter auſim adfirmare, ejusmodi conditionem, ut turpem, remitti, ut enim teſtatoris, ut hæredis, ut ipſius filiæ intereſſe poteſt nubere Titio, Viro forte probo & locupleti, ſic intereſſe poteſt non nubere Titio, ganeoni forte vel aleatori; & quidni teſtator, filiæ hæredis conſultum volens, ipſum hæredem, propoſita pœna, vel invitet ad honeſtas filiæ nuptias, vel ab inhoneſtis coërceat? Sane vel unius vel plurium nuptiis interdicere poſſe teſtatorem, Gajus in *l.* 63. *pr. ff. de Condition. & demonſtr.* ita explicat: *Cum ita legatum ſit:* SI TITIO NON NUPSERIT, *vel ita:* SI NEQUE TITIO, NEQUE SEJO, NEQUE MÆVIO, *& denique ſi plures perſonæ comprehenſæ fuerint, magis placuit, cuilibet eorum ſi nupſerit, amiſſuram legatum, nec videri tali conditione viduitatem injunctam, cum alii cuilibet ſatis commode poſſit nubere.* In quam ſententiam & Terentius Clemens in *l.* 64. *pr. Eod.* ita ſcripſit: *Hoc modo legato dato,* SI LUCIO TITIO NON NUPSERIT, *non eſſe Legi locum Julianus ajebat.* Utque ita nuptiæ cum Titio, ſine offenſa Juris, æque poſſint prohiberi, quam juberi.

Quid igitur dicemus? num plane a legatis pœnæ nomine aliena erunt exempla, *ſi filia hæredis Titio nupſerit, vel non nupſerit?* Si me audias, aliena erunt, ſi nihil his inſit probroſi vel illiciti, ſed ſi inſit, ut ineſſe poteſt, omnino ad rem pertinebunt; utrum vero inſit, nec ne, ex voluntate defuncti, & perſonarum conditione erit æſtimandum. Paucis eam ſententiam repræſentavi C. IV. nunc eam accipe ab ipſo Gajo in *l.* 63. §. 1. *ff. de Condition. & demonſtr. Videamus,* inquit, *& ſi ita legatum ſit,* SI TITIO NUPSERIT. *Et quidem, ſi honeſte Titio poſſit nubere, dubium non erit, quin, niſi paruerit conditioni, excludatur a legato; ſi vero indignus ſit nuptiis ejus iſte Titius, dicendum eſt, poſſe eam beneficio Legis cuilibet nubere: quæ enim Titio nubere jubetur, cæteris omnibus nubere prohibetur. Itaque ſi Titius indignus ſit, tale eſt, quale ſi generaliter ſcriptum eſſet,* SI NON NUPSERIT. *Imo, ſi verum amamus, durior hæc conditio eſt, quam illa, ſi non nupſerit: nam & cæteris omnibus nubere prohibetur, & Titio, cui inhoneſte nuptura ſit, cumnubere, jubetur.* Illud *cum* in *cumnubere*, quod Florentiæ eſt, Stephanus, Haloander, & omnes fere antiqui Editores omiſerunt; quamvis autem *cumnubere* pro ſimplici *nubere* inſolentius ſit, & forte ſine exemplo, tamen non eſt, ut moroſius aſpernemur, nam & *connubium* vulgo dicimus pro *nuptiis*, & *cumcurrentem pecuniam*, ſimili fere loquutione, Papinianus dixit, utique ut Florentiæ legitur, in *l.* 58. §. 3. *ff. ad SC. Trebell.* Niſi putemus, voculam *cum* loco ſuo motam eſſe, & præponendam *Titio*, hac ratione, *& cum Titio, cui inhoneſte nuptura ſit, nubere jubetur*, nam & Latine dicimus, *nubere cum Titio*, quemadmodum eſt & in *l.* 19. *pr. ff. Eod.* Quod ad rem ipſam attinet, habes hic exemplum conditionis, *ſi Titio nupſerit*, & honeſtæ, & probroſæ; honeſtæ, ſi, quæ juſſa eſt Titio nubere, ſalva exiſtimatione ei nubere poſſit; probroſæ, ſi non poſſit. Fac, Titium eſſe damnatum publico judicio, militia eſſe miſſum cum infamia, vel ſi quid his eſt ſimile, quod honeſtis nuptiis impedimento eſt, legataria Titio non nubet, ſalvo nihilominus legato. Qua ratione nec hæres, legatum dare juſſus, niſi filiam ſuam elocaverit Titio lenoni, vel ita, ut dixi, damnato, vel militia miſſo, vel alias infami, legatum non præſtabit, quia pœnæ nomine legatum eſt.

Conditio, huic adverſa, *ſi non nupſerit Titio*, utcunque per ſe honeſta, & probata Gajo in *d. l.* 63. *pr.* poteſt tamen & turpis eſſe, & in pœnæ ſpeciem incidere. Quid, inquies, & inquit Gajus *d. loc.* Titio prohibita nubere, nonne alii cuicunque ſatis commode poteſt? imo non poteſt ſemper; finge ſponſalia intercedere inter Cajum & Cajam; finge Cajam ex Cajo uterum ferre, & brevi futuram matrem, nonne probroſa eſſet conditio, qua Caja Cajo nubere prohiberetur? omnino eſſet, ut & *Capite præc.* dicebam ad interpretationem *l.* 2. *ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq.* perinde enim haberetur ejusmodi conditio, ac ſi cujuscunque nuptiis Cajæ foret interdictum, quia alium, quam Cajum, maritum non facile eſſet repertura Caja, vel Cajo deſponſata, vel ex eo uterum ferens. Ea ſententia, & non abſimili exemplo mihi præluxit Terentius Clemens in *l.* 64. §. 1. *ff. de Condition. & demonſtr.* Quærit ibi, an valeat conditio, *ſi Ariciæ non nupſerit?* & intereſſe putat, an fraus Legi facta ſit, nec ne, *nam*, inquit, *ſi ea eſſet, quæ alibi nuptias non facile poſſit invenire, interpretandum, ipſo jure reſcindi, quod fraudandæ Legis gratia eſſet adſcriptum: Legem enim utilem Reipublicæ, ſobolis ſcilicet procreandæ cauſa latam, adjuvandam interpretatione.* Ariciæ poterat invenire maritum legataria, non facile poterat alibi, forte quod Ariciæ habitaret, ex quo erat gravi utero, igitur Ariciæ prohibita nubere, prohibebitur omnino nubere, quod in Legem incidit. Ea eſt ratio JCti, & ea ratio diſtinctionis, quod ad conditionem propoſitam, & hanc favor matrimonii extorſit, ne legatum intercidat. Hæc ſi ad filiam hæredis transferamus, ut transferre jubent Inſtitutiones, ſatis apparebit, conditionem, hæredi adſcriptam, *ſi filiam Titio non elocaverit*, æque ac aliam, *ſi elocaverit*, licitam honeſtamque eſſe poſſe, & rurſus illicitam & probroſam. Quæcunque ex his adſcribatur, modo nulla ſubſit turpitudo, ei parendum erit, ſi ſubſit, cenſebitur adjecta denotandi hæredis gratia, ſolo odio ſcribentis, atque ita habebitur pro non ſcripta. Sic, ut vides, ſapuerunt veteres JCti, & his auctoribus ita quoque nos ſapiamus, & ſimul credamus, Tribonianum, quæ illi diſtinxerant, nimis generaliter extuliſſe, quin ipſum Ulpianum in *Fragm.* ſimpliciter & καθόλου pronunciaſſe, quod non obtinuit, niſi κατά τι, ut Græci loquuntur. Etiam aliis JCtis id accidit in aliis Juris articulis, ut ſæpe ab aliis eſt obſervatum, & mox ipſe obſervabo in ſimili cauſa. Tribonianum, ſimpliciter loquentem, ſecutus eſt Theophilus, ſequuntur omnes, re, ut videtur, minus accurate perpenſa.

Quemadmodum autem dixi, conditionem de elocanda vel non elocanda filia Titio, eſſe ambiguæ inſpectionis, & modo ad pœnam pertinere, modo non pertinere, ita quoque habendum cen-

cenſeo de *conditione adoptandi*, & quidem pari jure. Si is ſit, cujus adoptio jubetur, ut honeſte poſſit inſeri familiæ adoptantis, non animadverto, cur non illi, æque ac aliis conditionibus innoxiis, parendum ſit, neque aliter de ea egit Julianus in *l.* 11. *ff. de Condition. inſtit.*. Si vero is ſit, qui adoptantis familia eſſet indignus, turpitudinem haberet, hunc alicui filium obtrudere, atque ita honeſtis familiis, per indignam perſonam, obrepere. Vel non intelligo Scævolam, vel ſecundum hanc diſtinctionem intelligendus eſt in *l.* 41. §. 8. *ff. de Legat.* III. Agit de hærede vel legatario, qui rogatus eſt, *ut quendam adoptet*, his verbis adjectis, *ſi alias fecerit*, *exhæres eſto*, vel, *perdat legatum*, & quærit, ſi non adoptaverit, an ei, qui adoptatus non eſt, actio ex fideicommiſſo competat? reſpondet vero, *fideicommiſſum quo quis rogatur*, UT ADOPTET, *ratum non eſſe*. Vides generale reſponſum, plane ut apud Ulpianum & Tribonianum eſt generalis enunciatio, ſed ut hanc explicandam duxi ſecundum ea, quæ proponuntur, ita Scævolæ reſponſum explicandum duco ſecundum eam, quam propoſui, diſtinctionem. Gloſſa, ut *d. l.* 11. componat cum *d. l.* 41. §. 8. multum æſtuat, at proficit parum, ut nihil quoque profecit Aretinus ad §. *ult. Inſt. de Legat.* nec quisquam alius Interpretum, quos ego ſententiam rogavi.

CAPUT VI.

Aut ſi ita ſcripſerit: HÆRES MEUS SI SERVUM STICHUM ALIENAVERIT, *vel ex diverſo*, SI NON ALIENAVERIT, *Titio decem aureos dato.*

Vidi Librum MS. qui exhibebat, *ſi ſervum* MEUM *Stichum alienaverit*, & apud Theophilum eſt quoque, ἐὰν τὸν ἐμὸν οἰκέτην, & quæ ſequuntur. Sed, quod ad effectum juris, non video, quid interſit, utrum de ſervo teſtatoris, an hæredis, fiat ſermo; poteſt etiam, & debet *Stichi* nomen, ſimpliciter poſitum, ad Stichum teſtatoris referri, quia bonis noſtris legem dicimus, non alienis, niſi id expreſſe fuerit actum. At vero ipſum exemplum, quod hic eſt obvium, propius intueamur, & quidem, ſi Tribonianum audias, pœnæ nomine legatum erit, ſi hæres decem dare juſſus fuerit, *ſi Stichum alienaverit*, vel *non alienaverit.* Non habet id exemplum Ulpianus in *Fragmentis*, nec quisquam alius Veterum, quod ſciam, hoc ſuggeſſit, novum igitur eſt, & ex ipſo Triboniani penu profectum, & de quo auſim dicere, non modo non eſſe felicius primo exemplo, ſed & longe pejus. In primo, quod habuimus in Inſtitutionibus, & apud ipſum Ulpianum, poterat ſubeſſe, &, ut oſtendi, aliquando ſuberat nonnihil illiciti vel probroſi, quod unum, ſi hactenus recte diſputavi, efficiebat conſtituebatque legatum pœnæ nomine, in hoc vero nihil quicquam deprehendo, cui Leges moresque repugnent, vel repugnare poſſint, imo nihil, quod non palam ubique probent. *Alienandi* verbo tribue ſignificationem, quamcunque velis, & nihil erit in conditione de alienando vel non alienando ſervo, quod hæredem, quod quemquam alium jure merito turbet vel offendat. Si per *alienationem* intelligas venditionem, aliumve *actum, per quem dominium transfertur*, ut pleno ſenſu ea vox definitur in *l.* 1. *C. de Fund. dotal.* quæ erit ratio, quod teſtator hæredi non poſſet imperare, ut Stichum, ſibi carum, hæreditatis ſuæ gnarum, vel ſi quid his eſt ſimile, non alienet, addita, ſi alienaverit, decem aureorum pœna, Titio præſtanda? dico, *Titio præſtanda*, quia ita res non ſubſiſtit intra fines nudi præcepti, de quo eſt *l.* 7. *ff. de Ann. legat.* plenius explicata C. III. Rurſus, cur non recte jubeat teſtator, ut hæres alienet Stichum, ſibi forte ſuſpectum, vel ipſi hæredi inviſum, poſita, ſi non alienaverit, eadem vel alia pœna, Titio ceſſura? nihil video, quod obſtet, nec ego Romanos veteres tam male prudentes fuiſſe, ut hoc vel illud prohibuiſſent, mihi perſuaſerim unquam. Sin autem per *alienationem*, ubi de ſervis agitur, intelligamus *manumiſſionem*, uti hæc, prohibita ſervi alienatione, omnino etiam comprehenditur *l.* 9. §. 1. *ff. de Auctor. & conſenſ. tut. & l. ult. C. de Reb. alien. non alien.* adhuc minus rationis erit, cur dicamus, manumiſſionem ſervi in teſtamento neque juberi recte poſſe, neque prohiberi. Id morientibus non licebit, quod licet vivis? poſſumus utique vivi, in venditione mancipi, paciſci, *ut manumittatur*, vel *ne manumittatur l.* 2. *l.* 4. *& l.* 5. *C. Si mancip. ita fuer. alienat. ut manumitt. vel contr.* Cur non etiam teſtatoribus erit integrum hanc rei ſuæ legem dicere? poteſt habere dominus varias, easque juſtas cauſas, cur velit vel nolit ſervum manumitti ab hærede, & quidem easdem, cur vendi, aliasque alienari, vel velit, vel nolit.

Ad hæc, ſi ad exempla recurramus, quibus Jure Romano ejusmodi conditiones & laudantur, & probantur, eorum ſane opima ſeges eſt. Legatum, quin & hæreditatem dari poſſe ſub conditione manumittendi ſervi, vel plurium ſervorum, ſatis docuerint illæ Leges, quæ, ut de re licita, & de conditione ſolemni, hæc exempla adferunt. Ita Ulpianus in *l.* 8. §. 7. *ff. de Condition. inſtit.* Ita Pomponius in *l.* 6. §. 1. *ff. de Condition. & demonſtr.* Ita Julianus in *l.* 15. *& l.* 19. *ff. de Manum. teſtam.* Hoc amplius, ipſe ille Ulpianus in *l.* 7. *pr. ff. de Condition. & demonſtr.* cautioni Mucianæ locum eſſe ſcribit in conditione, *ſi Stichum non manumiſerit*, manifeſto ſatis indicio, illi omnino eſſe obtemperandum. Si igitur valeant hæ conditiones, ſi probæ rectæ ſint, quidni teſtator illas ſine fraude & noxa adſcribat hæredi? & quidni, ut voluntati ſuæ pareatur, pœnam pecuniariam recte addat? ſcire velim, quid in ea re ſit illiciti vel probroſi, vel quid tandem aliud, quod magis improbaret hanc conditionem, quam præceptum de monumento faciendo, de imagine ponenda, de penore præſtando, additis ubique multis pecuniariis, ſi non pareatur præcepto? ego non video quicquam intereſſe; utque hæc, quæ dixi, præcepta, quamvis pœnalia, recepta tamen & licita eſſe probavimus C. III. ſic & valere, & ſemper valuiſſe putem præceptum de alienando vel non alienando ſervo, appoſita hæredi, ſi contra fecerit, pœna, Titio, in modum legati, ceſſura. Quod cum neget Tribonianus eo, quo nunc defunctus ſum, exemplo, etiam hic pedibus eo in ſententiam Franciſci Balduini, exiſtimantis, ut C. IV. dicebam, Triboniano non ſemper æque perſpectam fuiſſe veteris Jurisprudentiæ rationem.

Cæterum ſi, quod ad ſervum, illicita vel turpis

pis conditio hæredi fuerit adſcripta, & adjecta, ſi non pareatur, pœna, id ego dixerim fuiſſe legatum pœnæ nomine. Illicita, verbi gratia, & turpis conditio eſt, ſi quis ſervum, *etiam criminoſum* vendat, *ut cum beſtiis depugnet l.* 42. *ff. de Contrab. empt. & vendit.* vel ſervam, *ut proſtituatur l. 6. pr. ff. de Serv. export.* nec minus ea turpis erit & illicita, ſi teſtator hæredi imperaverit, ut Stichus cum beſtiis depugnet, vel Pamphila fiat publicæ libidinis victima, & niſi hæc curet, decem dare juſſerit Titio. Ea juſſa capeſſere fas non eſt, neque adeo decem, ſi me audias, debebuntur, quia pœnæ nomine legatum eſt. Sed absque his, & his ſimilibus, valebit, quicquid agitur innoxia conditione, ut plane innoxia eſt, quam ſecundo loco Inſtitutiones repræſentant.

Abſolvi conditiones pœnales, & qua diſtinctione licitæ vel illicitæ videantur. De modis pœnalibus eadem repetita ſunto. Papinianus in *l.* 71. §. 2. *ff. de Condition. & demonſtr.* recenſet duas ſpecies modi pœnalis, quæ jure non ſubſiſtunt: *Titio*, inquit, *centum relicta ſunt ita*, UT A MONUMENTO MEO NON RECEDAT, *vel*, UTI IN ILLA CIVITATE DOMICILIUM HABEAT, *poteſt dici, non eſſe locum cautioni, per quam jus libertatis infringitur. Sed in defuncti libertis alio jure utimur.* Habes duos modos, quos Lex improbat, quia, ut ait, jus libertatis infringunt, *nibil enim multum a ſpecie ſervientium differunt, quibus facultas non datur recedendi*, ut Venulejus dixit in *l.* 2. *ff. de Homin. liber. exhib.* In ſervis & libertis aliud juris eſt. Sed hæc tranſeo, quia prolixe exſequutus eſt Cujacius ad *Libr.* XVII. *Quæſt. Papin.* in *d. l.* 71. §. 2.

CAPUT VII.

Et in tantum hæc regula obſervabatur, ut quamplurimis Principalibus Conſtitutionibus ſignificetur, nec Principem quidem agnoſcere, quod ei pœnæ nomine legatum ſit. Nec ex militis quidem teſtamento talia legata valebant, quamvis aliæ militum voluntates in ordinandis teſtamentis valde obſervabantur. Quin etiam nec libertatem pœnæ nomine dari poſſe placebat. Eo amplius nec hæredem pœnæ nomine adjici poſſe Sabinus exiſtimabat, veluti ſi quis ita dicat: TITIUS HÆRES ESTO; SI TITIUS FILIAM SUAM SEJO IN MATRIMONIUM COLLOCAVERIT, SEJUS QUOQUE HÆRES ESTO. *Nihil enim intererat, qua ratione Titius coërceretur, utrum legati datione, an cohæredis adjectione.*

Pro *quamplurimis* in aliis Editionibus eſt *quampluribus*, & in vetuſtis quibusdam, ut & in MS. meo, *perquam pluribus.* In alio MS. quo uſus ſum, pro *legati datione* legitur *legati donatione.* Sed quum nihil ſit, quod magis urgeat, non eſt recedendum a recepta, ut nunc eſt, Lectione, & ſunt hæc minutula. Etiam alia minutula hic obſervavi, in quibus Lectiones variant, ſed cum ſenſum non turbent, & nullo diſcrimine habeantur, hæc indicare, nimiæ diligentiæ eſſet. Verba ipſa, quæ præſcripſimus, paucis ſane exceptis, absque ulla etiam interpretatione facile tranſmitti poſſent, utique ex ſcopo noſtro, qui fere unus eſt, ut ſciamus, quæ olim fuerint legata pœnæ nomine. Ajunt Inſtitutiones, quamplurimas Principum Conſtitutiones eſſe, quibus caveatur, ne ipſum quidem Principem *agnoſcere, quod ei pœnæ nomine legatum ſit*; nec eſt, cur Triboniano, id adfirmanti, fidem negemus; etiamſi nulla harum Conſtitutionum ad nos pervenerit, nam nec plures aliæ, alibi memoratæ, ad nos pervenerunt, & longe plurima pars Juris antiqui plane intercidit. Sin autem putes, Tribonianum jactaſſe *quamplurimas illas Principum Conſtitutiones*, & mox damnaſſe, ut Principem ſuum plus, quam alios, ſapere intelligamus, utere ingenio tuo. Nolim quoque hic excurrere in eum locum, an & quemadmodum Princeps Romanus Legibus fuerit ſolutus, & an & quemadmodum ſe Legibus ſubmiſerit, eſt enim illa quæſtio majoris operæ, quam ut hoc loco commodum pertractari poſſit, maxime, ſi de hoc argumento, quantumvis vulgari, non vulgaria apponantur. Hoc unum notari velim, quod & proprie ad rem noſtram pertinet, legata pœnæ nomine, ſi ab his ipſi Imperatores abſtinuerint, ut abſtinuiſſe refert Tribonianus, non ea fuiſſe videri, quæ vulgo perhibentur, quibusque ut privatus, nedum ut Princeps abſtineret, nulla prorſus ratio fingi poteſt, ſed alia, majoris longe infamiæ & turpitudinis, qualia ſunt, quæ nos ſupra deſcripſimus.

Idem dictum eſto de militibus: nam his, ut ut plurimum licuerit, quod aliis fuit interdictum. non licuit tamen legare pœnæ nomine. *Nec ex militis quidem teſtamento*, inquiunt Inſtitutiones, *talia legata valebant, quamvis aliæ militum voluntates in ordinandis teſtamentis valde obſervabantur.* Non alia, opinor, ratione, quam quod contra bonos mores fuerint ejusmodi legata, ut revera ſunt, quæ nos eſſe diximus. Qua ipſa ratione nec captatoriæ inſtitutiones valebant ex teſtamento militis, quemadmodum hæc latius ſumus proſequuti *Opuſculo de Captatoriis Inſtitutionibus C.* X. *vſ. quamvis.*

Addit Tribonianus placuiſſe, *nec libertatem pœnæ nomine dari poſſe.* Id ipſum innuit Imperator in *l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* largiens ſcilicet, hodie libertatem pœnæ cauſa dari poſſe. Olim non poterat, quamvis libertatis tantus in Jure ubique favor ſit, nec poterat, quia eadem rurſus prohibendi cauſa erat impedimento. Quod autem ait de libertate, pœnæ nomine, non concedenda, verum erit, ſive agatur de ſervis teſtatoris, ſive ipſius hæredis; ſed illuſtranda res eſt exemplis, vix alioquin puto intelligi, quid ſibi velit hæc de libertate enunciatio. Propone, Pamphilo datam eſſe libertatem ſub conditione impoſſibili, illicita, vel probroſa, libertas utique competit, & tollitur duntaxat conditio, quæ ita adſcripta eſt, ut ſupra dixi *C.* IV. ſed, ut ibi quoque dicebam, ne quidem eſt legatum pœnæ nomine, ſi ad ipſum legatarium referatur conditio, at ſolummodo, ſi ad eum, a quo legatur, quique adeo damnatur vel conditioni parere, vel legatum præſtare. Si igitur juſſerit teſtator, ut hæres patriam prodat, &, niſi prodiderit, manumittat Stichum teſtatoris, vel Erotem ſuum, erit hoc legatum pœnæ no-

nomine, neque ideo ipſa libertas debebitur, quia impune hæres non erit audiens huic teſtatoris dicto. Theophilus, quod hic de libertate dicitur, ſimpliciter vertit, non explicat, nec vidi etiam alios Interpretes, qui explicaverint, ſed, ſalva ratione Juris, non aliter hæc accipi poſſunt, quam de conditione, non ſervo adſcripta, ſic enim libertas competeret, at ipſi hæredi, ut ille, niſi paruerit, multetur, atque ita ſervum manumittat.

Habes rigorem veteris Jurisprudentiæ, qui tantus fuit, ut legata pœnæ nomine etiam porrexerit ad Principem, ad Militem, ad Libertatem. His licet addere, quod ex *Fragmentis Ulpiani* notabam *C.* II. pœnæ nomine ne quidem fideicommiſſum dari potuiſſe, quamvis, ut ibi dixi, fideicommiſſa cenſeantur magna Juris benignitate. Adeo inviſa res fuit, pœnæ nomine legare, & ſane adeo inviſa eſt, ſi ea ſit, quam nos eſſe putamus, non quam vulgo putant.

Tandem additur ſententia Sabini, exiſtimantis, *nec hæredem pœnæ nomine adjici poſſe.* Exemplum, quod in hanc rem proponitur, explicandum eſt ſecundum ea, quæ dixi *C.* V. & verbum non amplius addo. Ut autem tota hæreditas pœnæ nomine non recte transfertur, quemadmodum conjiciebam *C.* II. ita rationis eſt, ut ne quidem pars hæreditatis transferri poſſit. Pars hæreditatis transfertur, ſi Titio hæredi, in modum pœnæ, cohæres adjiciatur. Ipſam prohibitionem ratio prohibitionis excipit, *nihil enim intereſt, qua ratione Titius coërceatur, utrum legati datione, an cohæredis adjectione*, ut opportune ſubſequitur in Inſtitutionibus. Cæterum ex eo, quod Sabinus hic exiſtimaſſe fertur, *nec hæredem pœnæ nomine adjici poſſe*, Franciſcus Hotomanus *Comment.* ad §. *ult. Inſt. de Legat.* colligebat, Proculejanos alia ſententia fuiſſe uſos. Quaſi vero nihil Sabiniani adfirmaverint, quod non continuo negaverint Proculejani; leviſſima eſt hæc, ſi quæ unquam, conjectura. Ait quidem, Proculejanos diſſenſiſſe, *quoniam hæreditas interdum oneris cauſa relinquitur l.* 119. *ff. de V. S. ut non abſurdum videretur, oneris ſocium primo inſtituto adjungere*, ſed nihil ibi de Proculejanis, vel de hæreditatibus, vel legatis pœnæ nomine datis. Quare ad id, quod dicit, probandum valde inepta eſt *d. l.* 119. *ff. de V. S.* qua tamen ſola utitur.

CAPUT VIII.

Sed hujuſmodi ſcrupuloſitas nobis non placuit: & generaliter ea, quæ relinquuntur, licet pœnæ nomine fuerint relicta, vel adempta, vel in alium translata, nihil diſtare a cæteris legatis conſtituimus, vel in dando, vel in adimendo, vel in transferendo, exceptis videlicet iis, quæ impoſſibilia ſunt, vel Legibus interdicta, aut alias probroſa. Hujuſmodi enim teſtamentorum diſpoſitiones valere, Secta meorum temporum non patitur.

Pro *teſtamentorum* in duobus Libris MSS. quos conſului, & in vetuſtis quibusdam Editionibus reperi, *teſtatorum*; quod utique concinnius eſt, quamvis non omnino neceſſarium. Habes autem in *hoc verſic.* ſummam ejus, quod Juſtinianus conſtituit in *l. un. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* damnat ſcilicet Juris vetuſti regulam, quæ legata pœnæ nomine prohibebat, atque ea ratione liberas hominum voluntates coërcebat, damnat *hujuſmodi ſcrupuloſitatem*, vel, ut ait in *d. l. un. ſupervacuam obſervationem veterum Legum.* Sed ſi ea fuerint legata pœnæ nomine, quæ nos, ex mente veterum JCtorum, fuiſſe credimus, nulla ſane damnandi ratio fuit, imo fuit vel maxime probandi, ut mox ipſe probat in exceptione, quam addit, & quam ipſam Veterum regulam conſtituiſſe putem. Sæpe damnant homines, quod non intelligunt, & ſæpe Tribonianus, ut auctoritatibus & exemplis evici, morbo eſt jactatus eodem. Jus deinde, quod ipſe novum videri voluit, ita proponit in *d. l. un. Licere teſtanti, pro implenda ſua voluntate, vel pecunias dare præcipere, vel aliam pecuniariam pœnam inferre, quibus voluerit, tam in adimendis hæreditatibus, vel legatis, vel fideicommiſſis, vel libertatibus, quam in præcipiendo ad alias perſonas eas transferri ab eo, cui relicta ab initio ſunt, vel aliquid ab eo dari, ſi minus diſpoſitionibus ſuis hæres, vel legatarius, vel libertate donatus paruerit.* Aut ego fallor, aut Juſtinianus, vel potius Tribonianus, ex cujus ingenio ille jus dicebat, neque hic, neque in ſequentibus, diſtinxit inter conditiones, adſcriptas iis, quibus legabatur, & iis, a quibus legabatur, quod factum non oportuit. Hunc Ducem Interpretes ſecuti, etiam prolixe hic labuntur. Et tamen nihil eſt certius, ſi agatur, ut mox agitur, de conditione impoſſibili, illicita vel probroſa, quam hanc, ſi quid ſub ea detur ipſi hæredi vel legatario, plane tolli, & pro non ſcripta haberi, atque adeo hæredem vel legatarium id omnino habiturum, quod habuiſſet, ſi pure & ſine hujusmodi conditione eſſet ſcriptus hæres, eive quid eſſet legatum, quæ ſpecies non cadit in hæreditates vel legata, quæ pœnæ nomine relinquuntur. Si vero ea conditio adſcribatur hæredi vel legatario, a quo legatur, ut nempe, niſi ea præſtet, quæ præſtari non poſſunt, certe non debent, centum numeret Sempronio, vel ſi quid his eſt ſimile, quicquid ejusmodi legati eſt, perinde habebitur, ac ſi legatum non eſſet, atque ita remanebit penes eum, a quo legatur. Idque unum & ſolum eſt, quod pœnæ nomine legatum audit, & quod, ut inutile, penitus rejicitur. Gloſſa eam diſtinctionem jam olim notavit ad *l.* 1. *ff. de Condition. inſtit.* in V. *vitiari*, & ad *h. l. un.* in V. *ſervabitur.* & nos quoque hujus ſupra aliquoties meminimus.

Quod ſi hæ fuerint conditiones, quibus omni modo parere neceſſe eſt, nihil tunc intererit, hæredi, a quo, an legatario, cui legatur, teſtator eas adſcripſerit. Unde & promiſcue de his Juſtinianus iis, quæ recitavi, verbis, *Licere teſtanti*, & quæ ſequuntur; quamquam, ſi proprie & ex arte Juris loquamur, nihil horum omnium pertineat ad legatum pœnæ nomine, quam id, quod *in fin.* ait, poſſe teſtatorem præcipere, *ad alias perſonas transferri ab eo, cui relicta ſunt ab initio, vel aliquid ab eo dari, ſi minus diſpoſitionibus ſuis hæres, vel legatarius, vel libertate donatus paruerit.* Agit de hærede, legatario, & eo, qui teſtamento manumittitur, & ſigni-

gnificat, ſi quid ab his ad alios transferatur, vel ab his aliis legetur ſub conditione licita & honeſta, conditioni parendum eſſe, ut ſi quis horum Sejo centum dare juſſus ſit, *niſi Capitolium aſcenderit.* Aliud juris eſt, ut mox exponit, ſi quid transferatur, vel legetur ſub conditione illicita & turpi, & ſi quis horum Sejo centum dare juſſus ſit, *niſi hanc aut illam virginem Veſtalem ſubegerit, niſi filiam ſuam palam proſtituerit*, aut ſi quid eſt aliud ejusdem notæ, tunc enim Sejo centum non debebuntur, quia legatum eſt inutile, relictum ſub ejusmodi conditione pœnali, quam hæres, vel legatarius, vel manumiſſus teſtamento tuto neglexerint.

Sed vero totum illud, quod Juſtinianus, tanquam ſcilicet Juris novi auctor, ea, quam exhibui, ſententia præſcripſit, & valere juſſit, unice eſſe exaudiendum de conditionibus licitis & honeſtis, ſatis ſuperque declarat ſubjecta mox exceptio, has conditiones voluit ſervari, & pecuniariam aliamve pœnam committi, ſi qui parere recuſent; ſic ille, *amputata*, ut ait in *proœm. h. l. un. ſupervacua obſervatione veterum Legum, per quam teſtatorum voluntates ad effectum duci impediebantur.* Probo rationalem Jurisprudentiam, ſed cedo mihi aliquem ex antiquis JCtis, qui eam improbaverit? & quis improbet, quod nec naturam, nec Leges, nec mores offendit? quod unice facit voluntatibus defunctorum melius & religioſius ſervandis? Sed ſatis probavi *C.* III. non aliam, quam quæ hic traditur, fuisſe veterum Auctorum ſententiam, & *C.* IV. & V. nihil quicquam his obſtare, quod de prohibitis olim pœnæ nomine legatis ore vulgi circumfertur. Imo non ore vulgi tantum, ſed vel doctisſimorum hominum, nam, inquit Cujacius *Not. prior.* ad §. *ult. de Legat.* hodie valet tale legatum, *hæres meus, ſi Stichum alienaverit, Cajo centum dato*, ratus ſcilicet, Jure veteri non valuiſſe, ſed, ſi auſim dicere, deceptus ſola auctoritate Triboniani in *d.* §. *ult.* nemo enim veterum Auctorum id dixit uſpiam; & licuiſſe, etiam olim, conditiones ſervi manumittendi, vel non manumittendi, hæredi adſcribere, ſatis, opinor, perſuaſerint, quæ in hanc rem dixi *C.* VI.

Quamvis autem & Jure veteri, ſi me auctorem ſequaris, ſemper licuerit, & Jure novo ex *d. l. un.* citra omnem plane controverſiam liceat, quamcunque pœnam apponere iis, qui contra ſententiam teſtatoris, Legibus vel moribus non prohibitam, vel quid omiſerint, vel quid commiſerint, uſus tamen & Pragmaticorum vafrities eam Jurisprudentiam tantum non ſubegit. Magnus non tantum apud Pragmaticos, ſed & ipſos Judices litium eſt favor; ſolet nimirum indulgeri litigatoribus, *ne temere jus ſuum indefenſum relinquant*, is enim prætextus arripitur ex *l.* 40. *in fin. princ. ff. de Hæredit. petit.* & ſine ullo judicio transfertur ad cauſas tantum non omnes. Etiam, me Senatore, Senatus Hollandiæ Supremus ejusmodi clauſulas pœnales, ut ut non illicitas, nec turpes, ſæpe rejecit, rejecit & Curia Hollandiæ, ut & alia Tribunalia, etiam ſumma, rejiciunt; magis ex uſu, cui, ut vi majori, reſiſti non poteſt, quam ex ſolida & bene explorata ratione Juris. Sed non eſt hujus loci cum Pragmaticis diſputare, & vindicare Jus Romanum ab eorum impuris ſæpe, & illotis manibus.

Succedat tandem exceptio in *d.* §. *ult.* petita quoque ex *d. l. un. in fin. C. de His quæ pœn. nom. relinq.* & ſic ibi expreſſa: *Quod ſi aliquid facere, vel Legibus interdictum, vel alias probroſum, vel etiam impoſſibile, juſſus aliquis eorum fuerit, tunc ſine ullo damno, etiam neglecto teſtatoris præcepto, ſervabitur.* Hæc exceptio, ut ſupra monui, non alia mihi eſſe videtur, quam ipſa regula Juris veteris, prohibentis legata pœnæ nomine. Eſt autem, ut vides, referenda ad eum, qui quid dare vel facere juſſus eſt ſub ejusmodi conditione, adjecta, ſi non paruerit, pœna. Aliquoties id etiam ſupra indicavi, & indicat quoque Theophilus in Exemplis, quæ hic attulit. Alia non addo, nec ultra explico exceptionem, ſub ipſa regula comprehenſam, & modo, quod ſatis eſt, explicitam.

Ait, *ſervabitur.* Hoc eſt, hæres, ſive alius quicunque, a quo ita legatum erit, ſibi ſervabit & retinebit quod ita legatum eſt, impune enim teſtatori, talia jubenti, non parebitur. Et quia ſine fraude negligitur improba juſſio, *inutile* id legatum dixit Juſtinianus in *pr.* §. *ult. Inſt. de Legat.* a quo nihil diſcrepat, quod in *fin.* addit: *hujusmodi teſtamentorum diſpoſitiones valere, Secta meorum temporum non patitur.* Sed nec Secta temporis antiqui, ut plurima Pandectarum capita teſtantur, nec exſpecto, qui de eo amplius bella moverit. Demus igitur hoc Imperatoris arrogantiæ, vel Triboniani ignorantiæ, ut ipſi videantur conſtituiſſe, quod cum Jure nato natum eſt.

Poſſem hic, ſi luberet, exſpatiari in varias ſpecies conditionum, & de unaquaque diſputare, ſitne ea impoſſibilis, ſitne illicita vel probroſa, poſſem ab his diſtinguere conditiones difficiles, & deinde probare, ut illis plane non, ſic his omnino parendum eſſe, alioquin pœnam, a teſtatore dictam, manere hæredem. Poſſem ad ſtipulationes & contractus divertere, & exponere, ecquid in ſingulis juris ſit: nam hæc & alia Interpretes, priſcæ potiſſimum Scholæ, ad *h.* §. *ult. Inſt. de Legat.* fere totos occupant; ſed ſic ſolent, qui ſemper aliud agunt, qui non meus eſt mos.

TANTUM EST.

INSCRIPTIONES CAPITUM.

CAPUT I.

Legata pœnæ nomine nunc prohibita, nunc licita fuiſſe. Pag. 446

CAPUT II.

Ad §. ult. pr. Inſt. de Legat. ibid.

CAPUT III.

Ad eundem §. vſ. Pœnæ autem nomine. 447

CAPUT IV.

Digreſſio ad L. 1. & L. 2. ff. de His quæ pœn. cauſ. relinq. *quæ utraque explicatur.* 450

CAPUT V.

Rurſus ad d. §. ult. vſ. Veluti ſi quis. 453

CAPUT VI.

Ad. eundem §. vſ. Aut ſi ita. 455

CAPUT VII.

Ad. eundem §. vſ. Et in tantum. 456

CAPUT VIII.

Iterum ad eundem §. vſ. Sed hujusmodi. 457

CORNELII
VAN
BYNKERSHOEK
OPERA OMNIA.
TOMUS SECUNDUS.

CORNELII
VAN
BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI,

SENATUS SUPREMI HOLLANDIÆ, ZELANDIÆ ET FRISIÆ PRÆSIDIS,

OPERA OMNIA,

TOMUS SECUNDUS.

Continens
- OPERA MINORA.
- QUÆSTIONES JURIS PUBLICI.
- QUÆSTIONES JURIS PRIVATI.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud SAMUELEM ET JOANNEM LUCHTMANS, 1767.

Academiæ Typographos.

Cum Privilegio Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

OPERA MINORA,

OLIM SEPARATIM, NUNC CONJUNCTIM EDITA,

HIS INSCRIPTIONIBUS.

I. AD L. LECTA D. DE REB. CRED. SI CERT. PET. LIBER SINGULARIS.

II. DISSERTATIO DE PACTIS JURIS STRICTI CONTRACTIBUS INCONTINENTI ADJECTIS.

III. DE AUCTORE AUCTORIBUSVE AUTHENTICARUM (QUAS VOCANT) DIATRIBA.

IV. CONTENTIO LITERARIA CUM ALEX. ARN. PAGENSTECHER DE AUCTORE AUCTORIBUSVE AUTHENTICARUM.

V. AD L. ΑΞΙΩΣΙΣ D. DE LEGE RHODIA DE JACTU, LIBER SINGULARIS.

VI. DISSERTATIO DE DOMINIO MARIS.

VII. DE FORO LEGATORUM, TAM IN CAUSA CIVILI, QUAM CRIMINALI, LIBER SINGULARIS.

RECENSUIT ET NONNULLA ADDIDIT AUCTOR.

PRÆFATIO GENERALIS.

Habes hic conjunctim Opera minora, quæ olim diverſis temporibus ſeparatim edidi. Singula olim edideram forma minori, ab anno 1697. ad annum 1721. nunc hæc Sylloge omnia complectitur. Lectoris commodo ea res ſervit; ſed ut ei conſulerem, non eſt repetita editio, nam ſoleo, ut qui maxime, damnare repetitas editiones, & Bibliopolis, qui priores curarunt ſuis ſumptibus, & ipſis lectoribus, iisdemque novis emptoribus, ſæpe graves. Aliud eſt, quod me movit, ſed an revera moverit, forte dubius hærebis, quia plerarumque rerum alia ratio eſt, alia eſſe fingitur. Qui, quod domi parturiverunt, publice exponunt, ſolent fere fingere, ſe ad preces amicorum id exponere, ut ſcilicet Reipublicæ Literariæ proſint, cum tamen plerumque, ſi non ſemper, eo animo exponant, quo aliis in eo argumento videantur plus ſapere, quamvis non alio, magis illuſtri, exemplo ſæpe probent, ſe aliis plus deſipere. Sic & qui Editiones identidem repetunt, licet ea fere mente repetant, ut ambitioſo totiens totiensque repetitæ Editionis titulo ſuperbiant, videas tamen fingere, exemplaria deſiderari, cum tamen Bibliopolæ domus, iis onuſta, vel ventrem faciat, vel ruinam minitetur. Si a me quæras, cur ipſe iterum edam hos, quos vides, libellos, non aliam rationem habebis, quam quod jam dudum Bibliopolæ ſignificaverint, eorum copiam deëſſe, & ſimul deſiderari. Si me fallant, ipſe fallo alios; res facti eſt, quam ipſorum fide eſſe jubeo.

Sed non fallere Bibliopolas argumento eſſe poterit, quod anno proxime elapſo hos ipſos libellos, uno excepto, collegerit, & Halæ ediderit Vir Clariſſimus Franciſcus Carolus Conradi, Anteceſſor Juris in Academia Vitembergenſi, additis *Opuſculis varii argumenti* (quæ ipſe ſeorſim edideram anno 1719.) Tomis duobus, ea forma, quam *mediam* vocant, & qua nunc apparent Opera hæc minora. At vero, inquies, cui bono hæc Batava editio, cum Germana adhuc a prælo caleat? non cauſſabor typorum & chartæ elegantiam, qua Batavæ Editiones Germanas vincunt, non cauſſabor, in Editione Halenſi deſiderari *Contentionem literariam*, quam Alexandro Arnoldo Pagenſtecher, Anteceſſori, dum viveret, Groningano oppoſui, quæque ad *Diatribam de Auctore Auctoribusve Authenticarum* omnino pertinet, non, inquam, hæc cauſſabor, ſed potius, Editionem Halenſem me neſcio & inconſulto curatam, neque adeo auctam eſſe iis Obſervationibus, quas margini priorum Editionum hic illic adleveram. Si Clariſſimus Editor conſilia ſua mecum communicaſſet, me facilem ac promptum reperiſſet ad ſuggerenda ea, quibus auctior & forte melior prodiiſſet Editio Halenſis, & ſic potuiſſem ſuperſedere hac ipſa Editione Batava. Ut dies diem docet, ex prioribus Editionibus quædam mutavi, vineta mea ipſe cædens, quædam addidi, vel mea defendens, vel aliena refutans, & quicquid ejus interpolationis eſt, mihi vivo non puto eſſe denegandum. Quod jus, ſi exerceatur, exerceri non poteſt niſi iterata Editione.

Dedicationes, antea factas, ſervavi, ut conſtaret, quibus vel Divis honorem habuerim, vel vivis etiam nunc habeam. Servavi & Præfationes, ne hic repetere neceſſe ſit, quæ ſingulis Libellis ſum præfatus. Deinde ſingula Opuſcula recenſui, quam potui, diligenter, typorum vitia, quin & mea, emendans; pellucere tamen paſſus ſum peccata juventutis, quæ ſolo fervore ætatis abſolvebantur. Quemadmodum etiam pro varia ætate hominis alius atque alius ſolet eſſe ſtilus, nihil fere in eo mutandum duxi. Eriſtica conſtitueram delere, ſed quia inter manus hominum verſantur, quæ mihi oppoſita ſunt, ſine præjudicio famæ non potui, quinimo & ſententiam mutavi, quia illa eriſtica utique pertinent ad integritatem argumenti, quod tracto. Si qui Viri magnæ auctoritatis poſt primas Editiones horum, quæ vides, Opuſculorum publice a me diſſenſerint, ut diſſenſerunt aliquando Ulricus Huberus, Chriſtianus Thomaſius, alii, iis ſuo loco reſpondi, neglectis interim aliis, qui ſilentio & contemptu videbantur digni. Si magna Nomina inſurgant, & nihil reponas, herbam videris porrigere, quam non porrigo niſi ſoli veritati. Adlatrantes minorum Gentium homunciones patienter & audio, & fero, ſollicite tamen cavens, ne iis refutandis bonas horas perdam. Legi integras Diſſertationes, ſatis etiam grandes, hic illic mihi oppoſitas, ſed, præter modeſtiam ſtili, nihil eſt, quod in Auctoribus laudem, nihil etiam, quod iis reponam. Sententia mea *de Dominio maris* & *de Foro Legatorum* in primis nacta eſt plures adverſarios, & ſi, ut perperam fieri ſolet, in iis argumentis ſolam rationem ſequaris magiſtram, in utramque partem prolixe diſputabis, ſed nihil proficies. Alia igitur advocavi, quæ ibi, ſi commodum eſt, leges. Clariſſimus Barbeyracius, Anteceſſor Juris Groninganus, Libellum *de Foro Legatorum* Gallice vertit, eique eruditas notas adſcripſit; inter nos ut plurimum convenit, &, ſi alicubi amice diſſentiamus, ne exſpecta, ut notis notas addam, lis ſic ſatis eſt conteſtata & inſtructa, mox decernite, quibus jus ſuffragii eſt.

Quod inter Opera minora, quæ nunc edo, non reperias *Curas ſecundas de jure occidendi & exponendi liberos*, ſcriptas ad Virum Clar. Gerardum Noodt, non alia cauſa eſt, quam quod is libellus, forma quoque media typis deſcriptus, ſoleat addi *Opuſculis varii argumenti*, inter quæ eſt & Opuſculum *de jure occidendi, vendendi, & exponendi liberos apud veteres Romanos.* Pertinent igitur ad ea Opuſcula, quibus & adjectus eſt in Editione Halenſi. Tantum eſt, Lector, quod tua ſcire forte intererat.

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

Ad L. Lecta XL. *Dig. de Reb. Credit. ſi cert. pet.*

LIBER SINGULARIS

ET

DISSERTATIO

DE PACTIS JURIS STRICTI CONTRACTIBUS INCONTINENTI ADJECTIS.

AMPLISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

VIRO

D. JOANNI VANDER STRINGE,

ÆRARIO ORDINUM ZELANDIÆ PRÆFECTO, ETC. ETC.

S. D.

CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK.

Tibi, Vir Ampliſſime, hoc Opuſculum inſcribere eſt viſum. Rationes, quæ me eo impellunt, non enarrabo: licet ſciam, vulgare & unicum fere Capitis dedicatorii argumentum in eo abſolvi. Quur non fecerim, cauſa duplex eſt. Altera, quod abunde noverim, magnitudinem animi tui omne genus laudationum, quæ fiunt coram, aſpernari & odiſſe, quippe cum illæ ab adulationibus aut nihil, aut parum differre videantur. Altera, quod & ipſe adulari non poſſim, utique, ſi poſſem, nolim: *quæcunque* enim *contra bonos mores fiunt*, ut inquit ille, *nec facere nos poſſe credendum eſt.* Vale igitur Vir Ampliſſime, & ad Zelandiæ noſtræ decus & bonum ſerus in cœlum redeas. Hagæ in Batavis, prid. Non. Decembr. CIↃ. IↃCXCVI.

AD LECTOREM.

Ut tibi commendem *L. Lecta* XL. *D. de Reb. Cred.* minus erit neceſſum: ecquis enim jus abſque elogio celebritatis meminit? adeo verum eſt, damnatis Legibus, earum gliſcere auctoritatem. Damnata eſt *L. Lecta*: & inter *damnatas* præcipua. Audiviſti Veterum in Occidente parœmiam: *Lex* Lecta, *ſæpius eſt lecta; at intellecta nunquam.* Tantopere etiam tum Juriſconſultorum auditoria turbavit, ut bonam copiam ejurarent. Sed ad eos ipſos, a quibus profectum eſt, hoc benedictum pertinere, & fatentur ipſi, & alibi Cujacius ait. Vide, qui Haloander ea de re ratiocinetur in *Præfatione Codicis* ſui: *Si Lex Lecta*, inquit, *nunquam fuit intellecta, ergo ne Bartolus quidem, neque cæteri intellexerunt. Quod ſi verum ſit, cur inutilia & verboſa illorum Commentaria in h. L. conſcripta toleramus? aut cur non potius totam L. ex albo tollimus, ne noſtram prodat inſcitiam.* Veriſſime quidem, ſed ſurdis narras fabulam: etenim tibi aliisque Jurisprudentiæ reſtauratoribus reſpondent, nolle ſe ſupra Accurſium vel Bartolum ſapere, quemadmodum ad Mich. Majum Auguſtinus commemorat in *Præfat. Libr.* II. *Emendat.*

Ex quo autem Jurisprudentiæ melior alluxit facies, laboratum eſt valde ad illud Scholæ veteris dictum ſubvertendum. Ant. Faber in *Ration.* ad *l. Lecta*, eos ridet, & *ſuaves* vocat, *quibus ſolemne eſt dicere, legem hanc ſæpius lectam eſſe, ſed nunquam intellectam.* Et Duarenus in *Comm.* ad *Tit. de Reb. Cred. Cap.* V. *ſe demonſtraturum ſperat, quam falſo hoc dici ſoleat.* Ego, quominus id fuerit adhuc verum, non intercedo: nam id agimus unice, ut aliter, quam hactenus factum fuit, interpretemur ſententiam *d. l.* XL. *de R. C.* neque etiam eam fuiſſem aggreſſus, ſi præter datas dudum illius expoſitiones nihil aliud ſuccurriſſet. Itaque aliena meo pede non preſſi, cum nil ducam turpius; ſed in tanta Scriptorum rerumque varietate, ubi plagii, quod ajunt, impunitas ſperari poſſet, caſtas ſervavi manus, libera per vacuum ponens veſtigia. Hæc legito, & videbis, cur maluerim παλινδρομῆσαι, ἢ κακῶς δραμεῖν.

De ordine nihil monemus. Primo cautionem: dein reliquam Legem explicavimus. Tractatum *de Pactis adjectis*, conjecimus in *Diſſertationem* ſingularem: quam ob rem, dicimus *Cap.* X. Πάρεργα quædam hic illic inſeruimus, at nulla, quæ ad τὸ ἔργον non accedebant prope, & obſervatione peculiari videbantur digna.

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

LIBER SINGULARIS

AD LEG. XL. *D.*

DE

REBUS CREDITIS.

VERBA LEGIS:

PAULUS Lib. III. Quæſtionum.

Lecta eſt in auditorio Æmilii Papiniani, Præfecti prætorio, Juriſconſulti, cautio hujuſmodi :* LUCIUS TITIUS SCRIPSI ME ACCEPISSE A PUBLIO MÆVIO QUINDECIM MUTUA, NUMERATA MIHI DE DOMO: ET HÆC QUINDECIM PROBA RECTE DARI KALENDIS FUTURIS, STIPULATUS EST PUBLIUS MÆVIUS, SPOSPONDI EGO LUCIUS TITIUS. SI DIE SUPRA SCRIPTA SUMMA PUBLIO MÆVIO, EIVE AD QUEM EA RES PERTINEBIT, DATA, SOLUTA, SATISVE EO NOMINE FACTUM NON ERIT, TUNC EO AMPLIUS, QUO POST SOLVAM, POENÆ NOMINE IN DIES TRIGINTA, INQUE DENARIOS CENTENOS, DENARIOS SINGULOS DARI, STIPULATUS EST PUBLIUS MÆVIUS, SPOSPONDI EGO LUCIUS TITIUS. CONVENITQUE INTER NOS, UTI PRO MÆVIO EX SUMMA SUPRASCRIPTA MENSTRUOS REFUNDERE DEBEAM DENARIOS TRECENOS EX OMNI SUMMA EI, HÆREDIVE EJUS. *Quæſitum eſt de obligatione uſurarum: quoniam numerus menſium, qui ſolutioni competebat, tranſierat. Dicebam, quia pacta incontinenti facta ſtipulationi ineſſe creduntur, perinde eſſe, ac ſi per ſingulos menſes certam pecuniam ſtipulatus, quoad tardius ſoluta eſſet, uſuras adjeciſſet. Igitur finito primo menſe, primæ penſionis uſuras currere: & ſimiliter poſt ſecundum & tertium tractum, uſuras non ſolutæ [pecuniæ] penſionis creſcere: nec ante ſortis non ſolutæ uſuras peti poſſe, quam ipſa ſors peti potuerat. † Pactum autem, quod ſubjectum eſt, quidam dicebant ad ſortis ſolutionem tantum pertinere, non etiam ad uſurarum, quæ priore parte ſimpliciter in ſtipulationem veniſſent: pactumque id tantum ad exceptionem prodeſſe. Et ideo, non ſoluta pecunia ſtatutis penſionibus, ex die ſtipulationis uſuras deberi, atque ſi id nominatim eſſet expreſſum. † Sed cum ſortis petitio dilata ſit, conſequens eſt, ut etiam uſuræ ex eo tempore, quo moram fecit, accedant. Et, ſi (ut ille putabat) ad exceptionem tantum prodeſſet pactum (quamvis ſententia diverſa obtinuerit, tamen uſurarum obligatio ipſo jure non committetur, non enim in mora eſt is, a quo pecunia propter exceptionem peti non poteſt. Sed [ſi] quantitatem, quæ medio tempore colligitur, ſtipulamur, cum conditio exſtiterit, ſicut eſt in fructibus, idem & in uſuris poteſt exprimi, ut ad diem non ſoluta pecunia, quo competit uſurarum nomine, ex die interpoſitæ ſtipulationis præſtetur.*

CAPUT I.

PAULUS *Lib.* III. *Quæſtionum.*

Ex Re eſt, priusquam ad verborum interpretationem perveniamus, pauca de ſignificatione ipſius Tituli referre, verba ſunt Ulpiani in *l.* 1. *pr. ff. de Reb. Cred.* Sic & nos ex re eſſe putamus, de ipſa Legis inſcriptione pauca prælibare, ne ad ipſam interpretationis materiam, origine non repetita, convolemus.

Quis quantusve fuerit Julius Paulus (Auctor Legis, qua de agere decrevimus) prolixe dicere nihil attinet. Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptor in A-

Alexandro, & imago ejus, dummodo vera, in foribus palatii Patavini (Patavio quippe originem debuit, nam rationes, quibus Bertrandus in *Paulo* eum Tyrium fuiſſe fingit, ſunt plane nullæ.) illuſtri ſuperba titulo, præter dignitates honorifice geſtas, docebunt affatim, Modeſtinum in *l.* 13. §. 2. *ff. de excuſat.* optimo jure eum retuliſſe inter τῶν νομικῶν κορυφαίων. Sane, ſi quis opera Pauli, ſi quis acumen ingenii, quo in omnibus ad veram juris philoſophiam graſſatur, fuerit contemplatus, illum non modo majorum Gentium JCtis adſcribet, ſed & facilem habebit Politiano fidem, qui omnibus eum πολυγραφώτερον dixit, *Lib.* V. *Epiſt. ult.*

Inter alia exſtat Pauli *Quæſtionum* opus, e cujus *libro* III. petitam eſſe Legem noſtram, argumento eſt ἐπιγραφὴ ſibi ubique conſtans in libris, quos vidi, omnibus. Alioquin ſi eſſet ex *Lib.* III. *Decretorum*, placeret magis. Paulus namque in Decretorum libris executus eſt ſententias Imperiales una cum facti hiſtoria & diſceptatione, quemadmodum in hac ipſa *l.* 40. Unde & *Sententiæ Imperiales in cognitionibus prolatæ* vocantur in *Inſcrip. l. ult. ff. de jure patron. l. ult. ff. de hered. inſtit.* & *l. ult. ff. ad SCtum Trebell.* Memorantur autem ibidem Libri ſex hujusmodi Sententiarum, qui, ſive titulum, ſive librorum numerum & naturam reſpicias, iidem ſunt cum *libris ſex Sententiarum ſive Factorum*, quorum meminit Index Florentinus, & cæteroquin nuſpiam exſtant. Ita malumus, quam hæſitare, neque hilum decidere cum Cujacio in *Præfat. Sentent. Paul.* vel, vitium Indicis arguendo, cum Rittershuſio in *Præfat.* ante ſuam Editionem *Noribergenſem*, minus prudenter confundere libros ſex Sententiarum ſive Factorum cum Libris Receptarum Sententiarum quinque, quibus ad Filium receptas juris poſitiones & fundamenta complexus eſt Paulus. Quod autem ex *l. ult. ff. de jure patron.* diximus, decreta non differre a ſententiis Imperialibus, ſive ſententiis & factis, difficultatem habet; refert enim in Indice Juſtinianus ea opera, ceu diſtincta: tres videlicet Decretorum Libros, ex quibus plurimæ in *ff.* leges, & ſex Sententiarum ſive Factorum, ex quibus, quod ſciam, tres tantum, quas diximus. Præterea turbant valde *d. Inſcrip. l. ult. ff. de hær. inſt.* & *l. ult. ff. ad SCtum Treb. Paulus Imperialium Sententiarum ex Libris ſex libro primo, ſeu Decretorum libro ſecundo.* Ita utrobique, quamvis ſimpliciter in *d. l. ult. ff. de jure patr.* Cujacius *Lib.* II. *Obſerv. C.* 26. pro *ſecundo*, quod inſcriptum eſt *d. ll.*, reponat *primo*, ut conveniat locus Sententiarum & Decretorum, & ita legit quoque Ruſſardus in *d. l. ult. ff. ad SCtum Trebell.* Quid ſi dicamus, Paulum primo Decretorum libros ſcripſiſſe tres, de quibus in Indice: dein, cum indies & alia decernerentur ipſo aſſidente, ſcripſiſſe tandem, titulo a priori quodammodo diverſo, Sententiarum Imperialium libros ſex, iisque, ut par erat, inſeruiſſe tres illos Decretorum libros, & digeſſiſſe pro inſtituto recens argumenti ordine. Sic eadem recte dicentur opera, & locus, qui antea Decretorum ſecundo fuerat, nunc Sententiarum primo eſſe poterit. Nihil eſt planius, dummodo, quod eſt veriſimile, ita ſeſe res habuerit. Sed de his ſatis.

Diximus itaque, *legem Lecta*, & omnem ejus περίστασιν, redolere librorum naturam, quos Sententias Imperiales in Cognitionibus prolatas, ſive Decreta, ſive Sententias & Facta appellari vidimus. Factum narratur, inter JCtos diſputatur, quinimo lata eſt ſententia Imperialis, i. e. in auditorio Præfecti prætorio, qui vice ſacra judicabat. Neque hoc tantum, ſed & ſi conferamus leges, ex Libro duntaxat III. Decretorum depromptas, clarebit, easdem ferme diſputandi loquendique formulas a Paulo fuiſſe uſurpatas. In *l.* 68. §. 1. *ff. de fidejuſſor.* ait: *Lecta ſubſcriptione fidejuſſionis*, in auditorio ſcil: Æmilii Papiniani, ubi Decretum erat, veluti in *h. l.* 40. *Lecta cautio.* In *l.* 97. *ff. de acq. vel omitt. hæred. Papinianus putabat*, in *noſtra l. Ut ille putabat.* Rurſum ibi: *Dicebam non repudiare* &c. Heic, *Dicebam, quia pacta* &c. Fere eſt, ut hæc omnia perſuadeant, pro *Lib.* III. *Quæſtionum*, legendum eſſe, *Lib.* III. *Decretorum*, niſi, ut jam monuimus, omnium Codicum auctoritas iret in contrarium. Præter quod reperiamus, Paulum in eodem Quæſtionum opere eandem quandoque diſſerendi & concertandi normam ſervaſſe. Ex ipſo Lib. III. exemplum ſufficiet *l.* 16. *ff. qui potior. in pign.* ex Libro IV. *l.* 71. *ff. de fidejuſſor.* ex Lib. V. *l.* 43. *ff. de action. emt.* ubi: *Lectum eſt reſponſum Domitii Ulpiani*, vel propius adhuc, ſi qua nonnullis libris fides, *Lectum eſt reſponſum in auditorio Domitii Ulpiani.* Igitur τὸ ἀκίνητον ἀμεῖνον.

Quæſtionum Libri a Reſponſorum, aliisque differunt, quod in his ſimplici verborum forma res ſuccinctim proponatur, in illis uberior diſputatio placeat, ut docet Jac. Cujacius in *Tract. ad African.* I. *in princ.* Et ſane, licet ipſa vox argumento non eſſet, ſatis tamen & ſuper diffuſior, ſed & argutior agendi & plerumque controvertendi ratio Quæſtionum libros proderet. Nullibi JCtos videas magis acres, & ſe quaſi ſuperantes: nullibi rationes juris magis profundæ: nullibi pejor Interpretum cauſa, præcipue equidem, ſi cum Paulo res ſit. Ejus ſubtilem dicendi morem, velut obſcurum, & tantum non ἄπορον miratus Raph. Fulgoſius ad *l.* 17. *ff. de inoffic. teſtam.* (quæ eſt ex Libr. Quæſt. II.) in hæc verba erumpit: *Audiviſtis iſtum textum in princ. & ſi bene non intellexiſtis, eum legetis ter & quater, & ſonabit vobis: ſic enim eſt mos Pauli. Et ſi haberem eum in manibus, eum per capillos interrogarem.* Et paulo poſt: *Iſte maledictus Paulus ſemper ita obſcure loquitur, ut vix poſſit intelligi.* Miſer ille nihilo clementius vapulat a Franc. Duareno in Comment. ad ῥῆσιν Paulinam ex Lib. XV. Quæſt. in *l.* 132. *ff. de V. O. Hoc ſcribendi genus*, inquit, *vere Paulinum, id eſt, obſcurum, implicatum, ac tortuoſum; ut Heraclitus quidam hic eſſe Paulus videatur, qui a veteribus* Σκοτεινὸς *appellatus eſt. Ac præter hoc Caput. . . . alia exſtant ejusdem Auctoris, quæ ſi nullam ἐπιγραφὴν haberent, id tamen ſtylus facile indicaret.* Neſcio, an non foret melius hujusmodi encomiis parcere, illa etenim cui bono, dicat Casſius? Meminerint Fulgoſius & Duarenus, ex Libris Quæſtionum eſſe *d. LL.* & peremtoriam Quæſtionum naturam eſſe, ut, verborum parſimonia rerum copiam penſante, proponantur contracta oratione conciſæ, & diſſidentibus inter ſe JCtis controverſæ: quod utrumque, quin difficultatis nebulam pariat, fieri non poteſt. Verum & illud Paulus noſter commune habet cum Papiniano, Africano, Scævola, aliisque, qui Quæſtionum Libros elaborarunt, ecquur igitur ipſi præ cæteris negotium faceſſunt? Et tamen omnibus palmam ſi non præripit, certe dubiam facit in omni Quæſtionum eruditione & apparatu. Exemplo erit *l. Lecta* XL. *ff. de Reb. Cred.* Quæ maxime ſe oſtendit, ut ut alia ex Pauli Quæſtionum Libris non egeant commendatione.

Nul-

Nullam vero ἀλληλουχίαν Libri III. reperire eſt, at varia varii generis agitata, quæ ad ſententiam Legis noſtræ aut nihil, aut parum conferunt.

CAPUT II.

Lecta eſt in auditorio Æmilii Papiniani, Præfecti prætorio, JCti, cautio hujusmodi.

L*ecta eſt in auditorio.* Ne ipſam cautionem, tot quæſtionum quaſi fontem, abrupte nimis videatur adgredi JCtus, præfatur locum, tanta diſceptatione dignum, *auditorium* ſcil. *Æmilii Papiniani.*

Auditorium in genere nihil eſſe aliud, quam locum cauſis audiendis deſtinatum, quemadmodum Græcis ἀκροατήριον, certa res eſt. Tractu temporis varias ea vox ſortita eſt ſignificationes, a lata primæ originis appellatione deductas. In Jure noſtro, habita ratione ad bella forenſia, auditorium denotat locum, ubi is, qui jurisdictioni præeſt, ſalva majeſtate Imperii ſui, ſalvoque more Majorum, jus dicere conſtituit. Eo ſenſu cauſa *in auditorium induci*, in eoque *examinari*, & *finiri* dicuntur in *l.* 18. §. 1. & 2. *ff. de minor.* & paſſim. Cum autem *Auditorium Prætoris*, *majorumque cauſarum*, a *ſubſelliis* diſtinguat Aſconius Ped. in *Ciceronis Divinat.* Judicibus pedaneis nullo modo videri poſſet tribuendum, at Magiſtratibus duntaxat ſolis. Sed generaliter ea voce utimur de iis, qui cauſæ cognitionem habent; quin & de arbitris, ut in *l.* 41. *ff. de recept. arbitr.* Neque etiam erat, cur tanquam ſingulare aliquid notaret ex *h. l.* 40. Jac. Gothofredus in *Diſſert. ad l. Si Barſatorem* 13. *C. de fidejuſſ.* Præfectum prætorio habuiſſe auditorium. Habuit ille, habuerunt, ut diximus, & Magiſtratus reliqui, *l. pen. ff. de adſeſſ. l.* 54. §. 1. *ff. de re judic.* ſed nihil eſt certius. Per excellentiam, fateor, adſcribitur loco, in quo judicabat ſummus Imperii Romani Judex *d. l.* 18. §. 1. *ff. de Minor. l.* 22. *ff. ad SCtum Trebell.* vel Prætorio præfectus, uti in propoſito; nullum quippe his auditorium dignius. Quinimo unum idemque fuiſſe illud Principis & Præfecti prætorio, ut longa evincat diſputatio, non eſt neceſſum. Præfecti enim illius judicare vere erat *vice ſacra judicare l.* 16. *C. Th. de adpell.* & illi ipſi, qui vicariam duntaxat præfecturam gerebant, dicuntur *ſacræ cognitionis habere poteſtatem*, & *Judicationis Imperialis repræſentare reverentiam* in *l.* 1. *C. de offic. vicar.* Hinc eſt, quod Papinianus pronunciaſſe videatur in *l.* 97. *ff. de acq. vel omitt. hæred.* & tamen Decreta, e quibus petita eſt *d. l.* dicantur *Imperialia* in *l. ult. ff. de Jure patron.* Adde, quæ diximus *Cap. præced.* & quæ de auditorio adnotavit Curtius Εἰκαστῶν *L.* II. *C.* 43. & Balduinus ad *Paulum de cautione, lecta in auditorio Papiniani.* Hinc etiam eſt, quod Paulus, Ulpianus, alii tum apud Imperatorem adſeſſorum partes egiſſe memorentur, tum apud Præfectum prætorio, ut eſt in *l. noſtra.* In hoc igitur ſacro ampliſſimoque auditorio, in hoc illuſtrium JCtorum conſeſſu recitata fuit *Legis quadrageſimæ* cautio, diſputatum de ejus ſententia, & decretum, prout in ſeqq. parebit.

Sed qua occaſione ad Præfectum prætorio controverſia hæc devoluta ſit, nec quæſitum vidi, nec certo conſtat. Duplex tantum ad eum patebat aditus, vel per appellationem, vel per delegationem a Principe factam. Et licet plerumque quidem *appellatione legibus facta ad ſacrum auditorium veniatur*, *l.* 4. *C. de Juriſd. omn. Jud.* attamen in ſpecie præſenti per delegationem potius ad Præfectum præt. fuiſſe decurſum, videtur probabile: nulla enim prorſus provocationis mentio, cum tamen Paulus eam a Prætore, vel Præfecto urbi ad hoc auditorium factam non ſoleat præterire. Retulit certe in *l.* 38. *ff. de Minor. l.* 81. *ff. ad SCtum Trebell.* & omni ferme Decretorum opere; etiam in *l.* 16. *ff. qui pot. in pign.* quæ eſt ex eodem Libro Quæſt. tertio, & alibi. Dicamus ergo P. Mævium & L. Titium, ſive alterutrum tantum, recte adiiſſe Principem, qui cauſam ad Præfectum ſuum judicandam ablegavit.

Eodem modo Imperator Adrianus, ad quæſtionem de uſuris ſibi propoſitam, reſpondit: ὁ ἐξοχώτατος ἀνὴρ, ἔπαρχός μου, περὶ τούτου πράγματος ἐκτάσει, *Excellentiſſimus Vir, Præfectus meus, ſuper hac re inquiret*, quemadmodum Doſitheus in *Sententiis D. Adriani* memorat. Sic & mulliercula quædam Berenice, primo aditu, ipſum Imperatorem Valentinianum vexare auſa, & querelis, de facta ſibi injuria, in ſinum ejus effuſis, ad Salluſtium, Præfectum prætorio, delegata fuit, Suidas in voc. Σαλλούστιος, *Tom.* II. Sed quid foris exempla petimus? Domi luculentum ſatis hujusce moris ſpecimen habemus in *l.* 1. *C. de prec. Imper. offer.* ubi Impp. Dioclet. & Maxim. aditi a femina, etiam ſervili, cognitionem & vindictam demandant Præfecto præt. quem adiri jubent. Ita quoque Sept. Severum vel Ant. Caracallam (incertum enim illud) κρινόμενον præſens Papiniani judicationi conceſſiſſe, graviſſima militat præſumtio.

Æmilii Papiniani, Præfecti prætorio, JCti: Æmilius Papinianus, hujus auditorii præſes, a dignitate & ſapientiæ profeſſione deſcribitur; a dignitate *Præfecti prætorio*, a profeſſione ſapientiæ *JCti* nomen habet.

De Prætorio, eique Præfecto, ſilere melius eſt, quam parum dicere, cum alii ea de re affatim. Sane ex *Titt. ff.* & *C. de Præf. præt.* variisque antiquitatis ſcriptoribus, facile eſt colligere, Præfecti prætorio dignitatem & auctoritatem fuiſſe tantam, ut recte Æl. Spartianus in *Anton. Diadum. C.* VII. eum *Imperii ſecundum* appellaverit. Secundus in cauſis non tantum militaribus, ſed & civilibus. Neque enim video, qua ratione Illuſtriſſimus Scaliger *Lib.* II. *Epiſt.* 183. neget Præfectum prætorio judicaſſe, idque ajat, *ex celebratiſſima l. Lecta elici non poſſe*, quandoquidem ex ea conſtet, ſententiam in auditorio Papiniani fuiſſe latam, & aliunde, eum pronunciaſſe, videatur certum *l.* 97. *ff. de acq. vel omitt. hæred.* Quid autem Scaliger in re tam manifeſta voluerit, κεῖται ἐν ἀποκρύφοις: innumera enim Juris loca, Præfectos prætorio judicasſe, evincunt, & velut præcipuum notant, ab eorum ſententiis (ſalva ſupplicatione) appellationem fuiſſe interdictam, *l. un.* §. 1. *ff. de offic. præf. præt. l. un. C. de ſent. præf. præt.* Et in *l.* 3. §. 3. *ff. de uſur.* Æmilius noſter ſuadet aliquid Præfectis prætorio, quid niſi Judicantibus? *Præfectus*, inquam, ita namque in *d.* §. 3. ut legitur, legendum; iis quippe temporibus plures fuerunt uni Prætorio Præfecti, in ipſa urbe Romana, Herodianus *L.* I. *C.* 29. & III. 43. Plinius X. *Epiſt.* 65. Tacitus *Annal. L.* XIV. *C.* 51. &

& Hiſtor. L. 1. *C.* 46. *&* 81. *l.* 1. *C. de ſent. paſſ. & reſtit.* Plura dein prætoria in diverſis Imperii partibus, & cuique Præfectus, quatuor a Conſtantino. An Mamertinus, qui in *Paneg. ad Imper. Julian. p.* 161. *Me Prætoriis præfeciſti*, omnibus præfectus, dubitari poſſet. Sed hæc nihil ad rem. Interea, ſi libet, Scaligerum audi *L.* II. *Epiſt.* 184. Vides interim, in *d. l.* 3. §. 3. neceſſariam non eſſe emendationem Haloandri, qua pro *Præfectis prætorio ſuaſi* legit, *Præfectus prætorio ſuaſi*. Alioquin eum ad hunc omnium dignitatum apicem adſcendiſſe qui dubitat, eſt nemo: paſſim in jure hoc ipſi elogium adſcribitur, ut & in urna ejus argentea, quam a ruſtico Romæ inventam dicunt vulgo. Id ipſum, quin & totum Papinianum, ejusque hiſtoriam refert Spartianus in *Vita Severi C.* XXI. & *Ant. Caracallæ Cap.* VIII.

Ab Jurisprudentiæ profeſſione *JCtus* dicitur: & quis neſcit Papinianum inter omnes omnium ætatum JCtos familiam duxiſſe? *Nemo unquam Papiniano æquari poteſt, niſi per deridiculum: nemo unquam unus Papinianus erit*, inquit is Juris interpres, quo de hoc ipſum præ reliquis prædicari poteſt, in *proœm. ad Papinian.* ubi & laudes ejus abſolvit omnes: interque eas præcipuum illud excellentiæ Papinianeæ argumentum ex *l. un. C. Theod. de Reſpon. prud.* Conſtituitur enim ibi, ut, paribus JCtorum ſuffragiis inter ſe collidentibus, tanquam Minervæ calculo, ea Pars vincat, quæ ſibi addictum habet Papinianum. Additur ratio, quod ipſe ſingulos ſuperet, quamvis cedat duobus. Sed conſtat, hanc Theodoſii & Valentiniani conſtitutionem Juſtinianum ſuſtuliſſe in *l.* 1. §. 6. *C. de vet. Jur. enucl.* cum, exæquata veterum auctoritate, ſcripta eorum fecerit ſua. Proinde nihil agit Val. Forſterus *de Succeſſ. ab inteſt. Lib.* VI. *Cap.* 16. in *l.* 17. §. 4. *ff. ad SCtum Trebell.* qui, ut Ulpianum cum Papiniano conciliet, lubrico nititur fundamento abrogatæ illius *l. un. C. Th.* quod in Hiſtoriæ Juris ſcriptore nimis eſt ſordidum. Habet & ejusdem temeritatis ſocium Wiſſenbach. in *Parte* II. *ad ff. Diſput.* XXII. *n.* 10. & ejus alioquin adverſarium Joh. Strauch. in *Diſſert. theor. pract.* XV. *n.* 18. uterque ad conciliationem earundem legum. Neque etiam alia prudentia Bachovio in *Exercit. ad Ant. Fabri Tom.* IV. *Error. Pragmat. Dec.* LXXXVI. *C.* IX. *n.* 7. in mentem venit, non feliciorem illationem Fabro obtrudere, plurium quaſi diſſentientium opinione repudiata, Neratium ſequenti: quum ea in parte *d. legem un.* quoque Imperator voluerit ſublatam. Igitur plurium, quam unius; Papiniani, quam Chariſii alicujus auctoritas non erit major, licet utriusque Jurisprudentia differat plurimum.

Cæterum ex eo, quod Papinianus heic audiat Præfectus prætorio, & JCtus, ſolemnes ſunt Veterum digreſſiones de licita ſeu prohibita duplicis muneris cumulatione in una eademque perſona; num videlicet, ejus exemplo, pectora noſtra duas ſint admittentia curas? Sed vix eſt, ut hæc ipſa diſputatio minus ſit fatua, quam illius occaſio. Si quis utramque perſonam ſuſtinere poſſit, & munera, ſive duo, ſive plura, non pugnent frontibus adverſis, licitum eſſe, quod quæritur, ipſa ratio docuerit. Utriusque limitationis exempla ſufficient, *l. ult. C. qui mil. poſſ. l. ult. C. de adſeſſ. C.* V. X. *de Cler. conjug.* ubi & ratio: *Quia cithara cum Pſalterio male concordat.* Nil horum ſi obſtet, non modo duplicem perſonam in eadem Republica tueri quem poſſe dicendum eſt, ſed & pluribus Principibus eſſe in ſacramento & officio, quicquid Jac. Gothofredus *de Salar. C.* IV. *n.* 9. omnisque Politicorum chorus contradicat.

Quum JCti dignitas in Papiniano memoretur poſt præfecturam Prætorii, etiam illud ſollicite quærit laborioſa Veterum Schola, an prætorio Præfectus, aliusve quis Reipublicæ gubernaculo admotus, præferendus ſit JCto, an contra? Verum operis ſine fructu ſuperſedemus.

Cautio hujusmodi: Vulgare JCtorum *Cavere* adeo innotuit, ut Cicero in *Oratione pro Muræna*, vel, ſi mavis, *Declamatione contra JCtos*, ipſam Jurisprudentiam appellet *C.* IX. *urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, &* CAVENDI. Hinc paſſim ejusdem & aliorum joci in vocabulo, quod optimo jure Quiritium Prudentes Juris ſibi vendicant: aliis enim, ne capiantur, auctores ſunt modis tantum non innumeris. In credita pecunia cum nuda promiſſio de reſtituendo tantundem ſit ſatis lubrica, varias præſcribunt cautiones, quibus jus ſuum tueantur Creditores adverſus inficiantes. Patroni apud Gellium *N. Att. Lib.* XIV. *C.* 2. enumerant omnes, interque eas, potiſſimum probandi modum, *chirographi exhibitionem*; nihil enim frequentius eſt, quam ut debitores ſeſe obſtringant chirographo: unde & in Jure noſtro ſexcenta ejus reperias nomina, & in mutuo contrahendo adhibiti exempla. Heic generale *Cautionis* nomen retinet, quanquam prædibus vel prædiis cautum ſit magis, ac ita plerumque ea vox accipiatur *l.* 188. §. 1. *ff. de V. S.* Cave tamen, ne idcirco cum Seneca *Lib.* VII. *de Benef. C.* 10. *Cautiones*, id eſt, chirographa ſola, dicas *vana habendi ſimulacbra* (&) *umbras quaſdam laborantis avaritiæ*. Nudam ſolummodo ſcripturam: variis literarum apicibus obductam, in cenſum vocare ſi lubeat, vera erit Senecæ ſententia, namque ita effugiet ſceleratus vincula Proteus. Sed in Jure aliter philoſophamur: quis enim ignorat, tantam eſſe Cautionum virtutem, ut, inſuper habita verborum ſuperficie, debitores validis obligationum & actionum catenis alliget, quia *non figura literarum, ſed oratione, quam exprimant literæ, obligamur*, ut ad rem Paulus in *l.* 38. *ff. de O. & A.*?

CAPUT III.

Lucius Titius ſcripſi me accepiſſe a Publio Mævio quindecim mutua, numerata mihi de domo.

Lucius Titius ſcripſi me accepiſſe a Publio Mævio. Præfatiunculam excipit ipſa Cautio, quæ accurata formæ & antiquitatis elegantia inter omnes, quas quidem Jus noſtrum habet, facile primas tenet. Opus erit cuncta ſingulatim excutere, ut facilior fiat in ſententiam Legis ingreſſus. *Sane ſicubi in jure religione magna opus eſt, opus cum maxime puto in tenendis typicis verbis & formulis Legum priſcarum Populi Romani .... ut quæ .... Jurisprudentiæ noſtræ fundus ſint*, inquit vere Jac. Gothofredus *Animadv. C.* IX. ad *l.* 2. §. 1. *ff. ad SCtum Vellej.* Sic ut dubitare poſſis, an laudanda magis ſit Briſſonii in Formulis comportandis diligentia, an damnan-

'mnanda ejuſdem de earum ſignificatione taciturnitas: neque aliud videtur eſſe Joh. Scaligeri judicium, dum *plus laboris*, *quam induſtriæ* Briſſonii Formulario adſcribit. Si etenim non verba duntaxat ſolemnia, ſed & eorum vim ac poteſtatem explicaſſet, appareret ſatis, jure non optimo Ciceronem ridere Juridicas veteris Latii formulas, velut *ineptiis fucatas*, *fraudis & ſtultitiæ pleniſſimas*, quemadmodum in *Orat. pro Muræna*, & alibi; ſed contra uſum illorum *Carminum* (ut ille ibidem loquitur) magis videri commodum & in rebus agendis, & in litibus ordinandis, quam eſt hodie fraudulenta in contractibus βαττολογία, & in Judiciis præſcriptis verbis garriendi licentia. Quanta enim orgia ſint involuta paucis Caſcorum verbis, quam acuta circumſpectio, faciet palam noſtra Cautio.

Eſt autem hæc trimembris: continet namque duo ſtipulationum ſolemnia, iisque ſubjectam conventionem nudam. Prima ſtipulatio fuit de mutuo contracto, & Kalendis proximis reddendo; altero de uſuris Centeſimis ex mora præſtandis; ſubjecta conventio de ſorte non ſimul & ſemel, ſed diviſis penſionibus ſolvenda. De ſingulis ordine.

Lucius Titius & *Publius Mævius*, quos inter res acta dicitur, ſuppoſita eſſe nomina, quibus exempli cauſa utuntur JCti, etiam Plutarchus ait ἐν τοῖς ῥωμαϊκοῖς, *Q.* XXX. Adde, quæ habet Alciatus *L.* I. *Parerg. C.* 26. Cujacius *L.* II. *Obſerv. C.* 11. & Curtius Εἰκασῶν *L.* I. *C.* 29. Suavis itaque eſt Papir. Maſſon, qui Lucii Titii vitam opere perpetuo conſcripſit. Quot miſer ille mortes obiit? quoties reſurrexit! in quot ille, vere Proteus, formas abiit? At miror, dum ſtrenue nugari vult Maſſon, eum non commemoraſſe victoriam Titi contra Mævium ex *h. l.* 40. Conſulto fortaſſean, ne ille, cujus opulentiam alibi deprædicat, acceptis quindecim mutuis, videatur ad incitas redactus.

Atque ille Lucius Titius dicitur *ſcripſiſſe*, & quæ ſequuntur. *Scribere*, quum *accipiendi* verbo jungatur, ut heic, ſenſu accipimus vulgari pro *Chirographo confiteri*. Alioquin & ἁπλῶς occurrit pro *ſe ſe ex cauſa crediti obligare*. Horatius *L.* II. *Satyr.* 3. *vſ.* 69.

Scribe decem a Nerio . . . . .

Et mox ſenſu contrario, *vſ.* 76.

. . . *Quod tu nunquam reſcribere poſſis.*

Ad quæ Scholiaſtes, qui Porphyrion dicitur: *Juris verbo ſcribere eſt mutuum ſumere; reſcribere, reſtituere.* Sunt, qui hac in re Porphyrioni fidem negant, eique alios credentes rident, ſed nullo jure. Utramque notam ipſe Horatius ſuſtinet, priorem etiam crebra auctoritas, poſteriorem ex præcedenti petita ἀναλογία. & locus Eugraphii ad Terent. *Phorm. Act.* V. *Sc.* 7. *vſ.* 29. ubi *reſcribi*, inquit, *eſt remunerari.* Latius ea perſequi non placet, quia *ſcribere* hic ſine periculo eſt.

Quindecim mutua: Quantitas mutuo data (nam de natura mutui hic non agimus) dicitur fuiſſe *quindecim*. Eſt, qui in *Comment. ad h. l.* non *quindecim*, ſed *duodecim* legendum exiſtimat, idque non alia ratione, quam quod duæ virgulæ rectæ in XII. (per notas enim ſcriptum fuiſſe ſupponit) facillime in obliquas flectantur, ut ita fiat XV. Sed eſt hoc ridiculum valde, quia conſiſtit in nudis alicujus ſomnii finibus. Si libri meliores motum illum ſuaderent, poſſet quis ſuſpicari, ſimile mendum eſſe, ac apud Tranquillum in *Caſ. C.* LVI. ex Strabonis & Appiani auctoritate notavit Caſaubonus; verum nulli, quod ſciam, lectionem illam probant, utique nulli, qui ad nos pervenerunt.

In eo difficultas vertitur omnis, quid ſibi velit τὸ *quindecim.* Etenim ſubaudiendum eſſe aliquid inter omnes conſtat, quid vero non æque. Opiniones ea de re ſunt potiſſimum tres: Prima ſupplet *Pondo auri*, Secunda *millia Denariorum*, Tertia autem *Seſtertia.* Conjectura de *pondo auri*, quam Antiquiores ſequuntur, ne quidem probabilis videtur, quum rationes a pondo auri ductæ illis temporibus vel raro, vel numquam fuerint frequentatæ. Addo, quod *pondo* ſemper *appendi*, non *numerari* dicantur, neque tantum tempore Romæ adhuc circa matrem luctantis, ſed in univerſa quoque Imperii οἰκονομία; & tamen Paulus factæ numerationis meminit. Divinatio ſecunda veriſimilitudinem habet hanc, quod in ſubſecuta conventione denariorum, quibus de actum videbatur, occurrat mentio. Atque ea ratio ſatis ſe commendat, dummodo verba Legis tale quid ferrent: at illa *quindecim*, non *quindecim millia* in creditum iviſſe memorant; niſi ſcriptum dicas XV̄. quod eſt *quindecim millia.* At tum deſcriptores oportet ſtatuas hujus lineæ transverſalis fuiſſe ignaros, cum *quindecim*, non *quindecim millia* exhibuerint. quod ipſe dicere non auſim. Quamvis igitur ſub numero, ὡς κεῖται, ſimplici denarios intelligas, non continuo licebit totidem millia intelligere, putem hoc eſſe ſine exemplo. Sed cur non liceat, ſi ſanus ſit ille, qui de *Contr. & comm. ſtipul. C.* VIII. *n.* 59. τὸ *quindecim* ad *centena denariorum millia* extollit? Indigent autem omnes, qui denarios ſubaudiunt, aliquot millibus, ne, ſi quindecim duntaxat ajant fuiſſe datos, retundat eos ſtatim infra ſcripta penſio C. C. C. Denar. Supereſt, ut exaudiamus *Seſtertia*, pro recepta conſuetudine, qua in quotidianis illis, veluti Cautionum formulis, illud jam alta mente repoſtum calamus dudum lucrifecerat. In rationibus Veterum, ubi ſimpliciter occurrit numerus, non denaria, ſed ſeſtertia eſſe intelligenda jam olim probatum, &, ni fallor, receptum eſt. Itaque hoc ſequamur, nihil enim vetat. Paulus de Caſtro ſupplet XV. millia nummorum ſive ſeſtertiorum, quod a noſtro calculo differt, quemadmodum ſeſtertium a mille ſeſtertiis, in genere virili, hæc quippe paria eſſe conſtans Nummulariorum traditio probaverit. Nec aliter intelligi videtur poſſe Pauli noſtri ſcriptura in *l.* 13. *ff. de negot. geſt.* ubi ſummam ab hæreditatis Curatore repoſtam, quum *quadraginta* dicere debuiſſet, *quadraginta millia* dixit: non diſcrepant ſcilicet quadraginta ſeſtertia a quadraginta ſeſtertiorum millibus. Et hæc quidem ita, non enim utimur eorum acumine, qui, ne lex ſibi adverſetur, expunxere illud *millium* in *d. l.* 13. contra antiquiſſimi Codicis Hetruſcorum fidem, quamvis & ita Haloander. Atque idem valor ſeſtertii (gen. neutr.) & M. ſeſtertiorum (gen. maſculo) moviſſe videtur Græcos, ut *Lib.* XLVIII. Βασιλικ. *Tit.* V. *C.* XLI. *th.* 3. quod Scævola in *l.* 40. §. 3. *ff. de ſtatul.* ἁπλῶς *viginti* dixerat, tranſtulerunt εἴκοσι χιλιάδας. Joſephus Scaliger *de Re nummaria p.* 69. 70. 71. *& ſeqq.* docte probavit *ſeſtertium* adjective dici, & *mille* ſubintelligi, atque ita perinde eſſe, utrum dicamus *tria millia ſeſtertia*, an *tria ſeſtertia*, explicitis circa hæc variis Inſcriptionibus & Auctorum locis, etiam noſtrorum in *l. Lucius* 88. *ff. de leg.* 2. & *l.* 20. §. 1. *ff. de Ann. legat.*

Sufficiunt hæc de conjectura, in propoſito, Seſtertiaria, probata Alciato, Auguſtino, Dua-

 re-

reno, Covarruviæ, aliis. Certi tamen quid definire non auſim: quid enim impedit; quominus *aureos* ſubaudiamus, cum in FF. non alius nummus magis ſit frequens? nihil omnino, dummodo ſequamur æſtimationem aurei Cujacianam, ne obſtet menſtrua trecenorum penſio, qua de pactum conventum. Sed ita res eodem redit, quum, ſecundum Cujacium *L.* XIX. *Obſerv. C.* 31. aureus & ſeſtertium differant nihil. Uno verbo: non magis expeditum eſt Q. D. A. quam univerſa fere rei nummariæ doctrina, lubrica & obſcura, quicquid in ea laboratum ſit: nam tantum non ſemper ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Ipſius Budæi diffidentia ingeminat, rem nummariam *multa ignorantiæ rubigine exeſam eſſe.* Utque adeo mirer, tam audacule plerumque pecuniæ veteris & hodiernæ collationes iniri: licet enim pecuniæ veteris inter ſe collatio certa eſſet prorſus, tamen eam cum noſtra moneta conferre vetat incertus metalli veteris valor, & ignota ferme ponderum diverſitas.

Numerata mihi de domo: Editio R. Stephani Pariſienſis, anni 1527. legit *de domo ſua;* minus tamen eleganter, & contrarium mori priſco, quo numeratio ſimpliciter facta dicebatur *de domo*, vel *de menſæ ſcriptura.* De domo, ex arca cujusvis Patrisfamilias; de menſæ ſcriptura, per argentarios. Unde, quod heic Paulus *de domo*, Scævola *ex arca* dicit in *l.* 26. *ff. de Conſt. pecun.* Seneca *Epiſt.* XXVI. utrumque conjungit: *Scis, cujus arca utar. Exſpecta puſillum, & de domo fiet numeratio.* De utraque numeratione dixerunt alii, quod ſatis eſt: ſed de eo nihil, quare illud *de domo* Cautionibus fuerit inſertum: eſtque id prima fronte ſubobſcurum. Verumtamen ſi animadvertas, quod numeratio μάλιστα ἔωθεν ἐπὶ τῶν πιστῶν τραπέζης ἀργύρου γίνεσθαι, ut Baſilici *L.* XXIII. *T.* IV. *C.* 3. quod *in foro & de menſæ ſcriptura* MAGIS, *quam ex arca domoque, vel ciſta pecunia numeraretur*, ut in eandem ſententiam Donatus ad *Terent. Adelph. Act.* II. *ſc.* 4. Si addas, argentarios ſingulorum rationes confeciſſe *l.* 4. §. 1. *ff. de edend.* eorum ſcriptura codicibusque probationem *maxime* contineri *l.* 9. §. 2. *ff. eod. l.* 27. §. 1. *ff. de furt.* & per conſequens, *frequentiſſime ad fidem eorum decurri d.* §. 2. *in fin.* poterit ſtatim tibi ſubolere, qua de cauſa idem Donatus ad *Phorm. Act.* V. *ſc.* 7. dixerit, *hodie addi chirographis; de domo, ex arca ſua: vel de menſæ ſcriptura.* Nam ſiquidem ex illa *magis* facta fuerit numeratio, ſi tanta ſit publica ejus fides, debitor in rerum controverſiis, ubi pecuniam *de domo* numeratam non foret expreſſum, ad argentarios, eorumque codices provocare poſſet, & hoc colore numerationem eſſe factam ad inficias ire, quemadmodum improbus ille, in cujus cauſa judicem ſe fuiſſe Gellius memorat *L.* XIV. *N. A. C.* 2. Igitur hujusmodi fraudibus ut occurratur, merito placuit & hic, & alibi, illud *de domo* Cautionibus adjici: ita *fraudandi ſpe ſublata, ſolvendi neceſſitas conſequitur*, ut ait ille.

CAPUT IV.

Et hæc quindecim proba recte dari Kalendis futuris.

Et *hæc quindecim proba recte dari:* Hæc XV. Seſtertia (liceat ita dixiſſe) Creditor ſtipulatus eſt *dari* (id eſt, reddi, ſolvi, ut quandoque alias *l.* 122. *pr. ff. de V. O. l.* 102. §. 1. *ff. de ſolut.*) *proba recte. Adjecta ſunt hæc verba*, inquit Donellus ad *h. l.*, *magis quo res planius exprimatur, quam quod fuerit neceſſe.* Nec ille tantum τὸ *proba recte* ſupervacuum exiſtimat, ſed & Interpretes ferme omnes, quid dictiones illæ ſibi velint ignorantes, quaſi agmine facto convolant ad commune ignorantiæ aſylum in *l. non omnium* 20. *ff. de LL.* & quidni? non enim ſolent, quæ abundant, vitiare ſcripturam, ſi credas Ulpiano in *l.* 94. *ff. de R. J.* Verum enim vero, quum priſci Juris Auctores, vocabulorum apprime gnari, ſtipulationum formulas conciperent fere ipſi, ut ex Tullio & Varrone conſtat; & adeo quotidianum ſit cavere *nummos probos reddi*, velut heic, in *l.* 24. *ff. de conſt. pecun.* & locis a Briſſonio comportatis *Lib.* VI. *de Formul. p. m.* 536. τὸν ἄργυρον δόκιμον ἀποδοῦναι, quemadmodum apud Græcos, vix mihi perſuadeo, hæc omnia nihil agere. Etiam Veterum nonnulli hujusce moris effectum agnoſcunt, dum varias illius rationes ſunt commenti, licet incaſſum omnes: hic enim, ſi ullibi, ſuæ purpuræ pannos aſſuunt. Nonne plus quam ridiculum eſt, bona fide diſputare τὸ *proba* additum eſſe, ne reddantur nummi adulterini, arroſi, vel lacunoſi, ſi quis legerit. *l.* 24. §. 1. *ff. de pignor. act.* & *l.* 99. *ff. de ſolut*? Non felicius multo Picus, Decius, Curtius Senior, quique eum ſequitur Alciatus ad *h. l.* Nos dabimus rationem aliam, ſed poſtquam viderimus, quid illud *Recte* in ἐμφάσει ſignificet, ut lucem qualemcunque inde fœneremur.

Veteribus in cautionibus & formulis vocularn *Recte* quam familiarem fuiſſe, variis exemplis, pro more, docet idem Barn. Briſſon. *L.* I. *Select. Antiquit. C.* 9. ubi *Veterum Cautiones magna arte diligentiaque fuiſſe compoſitas* recte quidem obſervat, verum minus prudenter addit, illud adeo verum eſſe, *ut etiam ſupervacaneis multis clauſulis abundarent*, hoc ipſum confirmans exemplo cautionis noſtræ in τῷ *Recte.* Sane Veterum diligentiam laudare, & ſimul miſeram eſſe profiteri palam, ſive etiam clam, ut ſolet alias, parum abeſt, quin in Jurisprudentiæ deridiculum vergat. Heic pro veritate magis Ulpianus in *l.* 71. §. *ult. ff. de V. S. Hæc verba*, ait, *bis rebus* RECTE *præſtari, hoc ſignificant, ne quod periculum vel damnum ex ea re ſtipulator ſentiret.* Igitur fruſtra non eſt vocabulum *Recte*, neque nulla ejus ſignificatio, prout generalis JCTI propoſitio declarat: efficacius tamen ſe prodet illius poteſtas, ſiquidem ſingulis, in quibus occurrit, juris articulis, ſecundum ea, quæ proponuntur, ſenſum ei applices idoneum.

In rem præſentem ſi eamus, patebit ſatis, eum qui nummos *probos*, qui *probos recte* dari ſtipulatus eſt, eum, inquam, velle, omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, & decipiendum, abeſſe, abfuturam; atque adeo omnium malitiarum everriculum ſtipulatione ſua complecti. Ita excluſo dolo omnes debitorum verſutiæ coërcentur *l.* 69. *ff. de V. S.* cum doli clauſula ad incertos caſus, quique in præſentia Partibus non occurrunt, extendatur *l.* 53. & 119. *ff. de V. O.* alioquin τὸ ψεύδεσθαι τοῖς ὀφείλουσι συμβαίνει πολλάκις, ait Plutarchus, περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι. Neque illud ſine utilitate in Creditorem redundatura,

ra, quandoquidem *ex ea parte Cautionis*, DOLUM MALUM HUIC REI PROMISSIONIQUE ABESSE, ABFUTURUMQUE eſſe. . . . . . *incerti agatur, ſtipulationis utiliter interponendæ gratia, l.* 121. *pr. ff. de V.* O. Sed, dicat aliquis, actio condictitia, ut & ſtipulatoria, & de dolo creditori nihilominus ſuperſunt in caſu commiſſi doli: recte equidem, ſi ad tantundem agatur, ut fert cujusque actionis memoratæ natura, non autem ad intereſſe, quemadmodum placuit, ſi ſalutaris doli clauſula ſtipulationi inſerta foret, ut ea utiliter operetur, *d. l.* 121. Non autem utile duntaxat, ſed & neceſſarium eſt de dolo cavere, nam mille ſunt fraudes, quæ non eo tendunt, ut intervertatur tantundem, ac proin' condictione certi, vel ex ſtipulatu actione, doli mentione præterita, vindicari nequeunt: ſunt etenim illæ ſtricti juris, ſuisque incluſæ finibus. Actio doli dabitur quidem ſemper, at illa jure FF. anguſto temporis ſpatio circumſcribitur, ideoque *in ſtipulatione doli clauſula non erit detrahenda, quia ex doli clauſula non de dolo actio intenditur, ſed ex ſtipulatu*, inquit Ulpianus in *l.* 4. §. 16. *in fin. ff. de dol. mal. & met. except.* & idem in *l.* 1. §. 4. *in fin.* & *l.* 7. §. 3. *ff. de dol. mal.*

Denique & alia ratione, dolo excluſo, & tamen admiſſo, pinguior eſt ex ſtipulatu actio, quam ſi omiſſa doli cautela, ſimpliciter competeret vel eadem, vel certi condictio, vel de dolo actio. Omnes enim illas ſolummodo in hæredem dari, quatenus pervenit, omnino videtur dicendum. De actione doli teſtabitur *l.* 17. §. 1. *ff. de dol. mal.* reliquæ autem duæ ſunt juris ſtricti, & definitum eſt, in iis tantum *contractibus, quibus doli præſtatio vel bona fides ineſt, hæredem in ſolidum teneri, l.* 152. §. 2. *ff. de R. J.* Adeoque, quum neque fides bona, neque doli præſtatio, niſi in ſtipulatum deducta, dictis actionibus inſit arg. *l.* 21. *ff. ſolut. matrim.* ſequitur, quod hæres defuncti in ſolidum conveniri non poſſet, niſi clauſula de nummis *probis recte* præſtandis Cautioni fuiſſet inſerta. Hinc Papinianus in *l.* 121. §. *ult. ff. de V. O. Ex facto rei promittendi doli ſtipulatio hæredem ejus tenet, ſicut ex cæteris aliis contractibus: veluti mandati, depoſiti.* Et prolixe Venulejus in *l.* 19. *pr. ff. judic. ſolv.* Ex ſtipulatu igitur, quamvis delictum doli verſetur, recte contra heredem experietur Creditor, *l.* 49. *ff. de O. & A.*

Hæc nobis de uſitata iſtac formula, ejusque ſenſu & uſu dicenda videbantur. Ex quibus facile eſt colligere, etiam non otiari illa ſtipulationibus inſerta verba, *vim non fieri*, quibus de *l.* 133. *ff. de V.* O. verum plus utilitatis conferre, quam edictum aut interdictum ex ipſa vi competens. Sed hæc ſuffecerint.

Kalendis futuris. Baſilici bene vertunt εἰσιόντι μηνὶ, *proximo menſe*, ne cæteroquin nimia generalitas in τῷ *futuris* ſenſum pariat ridiculum: quanquam, ſi non appareat, quid actum ſit, *primas Kalendas ſpectandas* ex Sabino putet Ulpianus in *l.* 41. *pr. ff. de V.* O. Simile exemplum dabit Pomponius in *l.* 89. §. 1. *ff. de V. S.* & Bonifacius VIII. in *Cap.* 21. *de præb. in* VI. Cæterum conſtare opinor, per futuras ſive proximas Calendas ipſum Calendarum diem, eumque finitum, ſignificari: atque adeo in ſpecie ſubjecta perinde eſſe, utrum Calendis, ad Calendas, ante Calendas, intra Calendas, vel etiam poſt Calendas fuerit promiſſum; eandem quippe harum locutionum in Jure efficaciam eſſe bene probat Joann. Robertus *Animadverſ. Jur. Civ. Lib.* III. *C.* 29. Rem ipſam quod attinet, vulgo notum eſt, Veteres & ſortem, & uſuras in ſingulas Kalendas condixiſſe *l.* 41. §. *fin. ff. de uſur. l.* 90. *ff. de V.* O. ſive, qui menſem faciunt juridicum, *in dies triginta*, uti mox Paulus in uſurarum ſtipulatione. Inde Kalendarii denominatio, & plura paſſim obvia antiquitatis veſtigia, de quibus optime Cujacius *ad African. Tract.* VIII. ad *pr. l. pen. ff. de R. C.*

C A P U T V.

Stipulatus eſt Publius Mævius, ſpoſpondi ego Lucius Titius.

Hoc Capite conſtituimus explicare & vindicare ſolemnem illam verborum conceptionem, quæ totam ſtipulationis naturam abſolvit, ex *T. T. Inſt. & ff. de V.* O. Nihil enim in jure magis tritum eſt, quam illam συνθήκην ῥημάτων, quæ Græcis dicitur, verborum obligationem inferre, eamque ſolam, & per hoc reſpuere quicquid pacta redolet. Hoc tamen juris principium ſollicitat Ulpianus in *l.* 7. §. 12. *ff. de pact. Quod fere*, inquit, *noviſſima parte pactorum ita ſolet inſeri*, ROGAVIT TITIUS, SPOSPONDIT MÆVIUS; *hæc verba non tantum pactionis loco accipiuntur, ſed etiam ſtipulationis; ideoque ex ſtipulatu naſcitur actio: niſi contrarium ſpecialiter approbetur, quod non animo ſtipulantium hoc factum eſt, ſed tantum paciſcentium.* Jure merito licet hic novum opus nunciare Ulpiano, cum contra priſtinam verborum formam & effectum moliatur elumbes alicujus pacti vires, uti mox apparebit. *Quod fere*, ait, *noviſſima parte pactorum ita ſolet inſeri*, id eſt, quod illi, quibus ea res agitur, in extrema inſtrumenti conventionis parte ſolent addere: pacta enim non hic accipiuntur pro pactis nudis, ut perperam illud in mala, hoc tantum bona, quod brevi *hujus* §. 12. ἀναλόγως interpretatus eſt Jac. Gothofredus ad *l. Si Barſatorem* 13. *C. de fidejuſſ.* Sed pro ſcripturis, quæ *pacta* i. e. conventiones quaslibet continent, pro inſtrumentis, quæ acta geſta memorant, ſicuti *Pactum conventum*, in *l.* 71. *ff. pro ſoc.* ubi & conſuetudinem illam ſtipulatione claudendi conventiones prævias reperies, qua de uberius dicetur in *Diſſert. de Pactis adjectis, C.* IV. ad expoſit. *l.* 27. *C. de pact.* Siquidem igitur inſtrumento inſerantur hæc verba: *Rogavit Titius, ſpoſpondit Mævius*, illa, pergit Ulpianus, *non tantum pactionis loco accipiuntur, ſed etiam ſtipulationis.* Inaudita oratio! anne verba directa & ſolemnia *R. T. S. M.* pactionis, immo magis pactionis (hoc enim ἐμφατικῶς ſibi vult *non tantum*) quam ſtipulationis loco accipienda ſunt? ita quidem tollitur princeps differentia, quæ ſtipulationi cum nudo pacto, velut ſymbolum aliquod intercedit. Quinimo oportet fateamur, actum eſſe de univerſa ſtipulatione, ſi ceremonialis agendi formula, *ſtipulatus eſt*, ſive *rogavit ille, ſpoſpondit ille*, etiam pactum inducat, adeoque ultra exceptionem non operetur. *Apud Antiquos illud nemini unquam in mentem veniſſe*, recte cenſet Hotomannus *L.* VII. *Obſerv. C.* 3. Ex adverſo tota juris ἀναλογία, & auctoritas manifeſta in *h. l. Lecta*, aliisque innumeris, abunde probat, ſcrupuloſas illas verborum ambages ſtipulationem, & actionem ex ea ſtipulatoriam

riam producere: idque in tantum, ut, quamvis in inſtrumento ſimpliciter ſcriptum fuerit, *promiſiſſe aliquem*, tamen præſumatur facta ſtipulatio, ut docet Paulus *L.* V. *Sent. T.* 7. §. 2. & ex eo κατὰ πόδας Tribonianus in §. *Si ſcriptum*, 17. *Inſt. de inut. ſtipul.* Adde, quæ ſcribit idem Paulus in *l.* 134. §. 2. *ff. de V. O.* Nondum ſatis eſt, audiamus quid ex lubrico hoc fundamento colligat Ulpianus: *ideoque ex ſtipulatu naſcitur actio.* Illud qui cohæreat non video; verba ſolemnia *R.* & *S.* non tantum pactum, ſed & ſtipulationem inferunt, ergo ex eorum ſcriptura dabitur ex ſtipulatu actio: quur non & exceptio nomine pacti? utrumque ſane ex illa poſitione ſequatur neceſſum eſt, & tamen id eſſe videtur ἐκ τῶν ἀδυνάτων. Si dixiſſet, *ideoque & ex ſtipulatu naſcitur actio*, ſalva foret ratiocinatio, licet forte non æque vera. Subjungit JCtus exceptionem in *verſ. Niſi contrarium*, quæ regulam ſupradictam plane ſubvertit. Regula erat: iſta formula *R. T. S. M.* certo certius pactionem inducit; limitatio eſt, illud ſpecialiter approbandum eſſe, ne ex ſtipulatu agatur. Sunt hæc ἀσύστατα, inutilis namque erit probatio, ſi ipſo jure ita conſtitutum ſit. Sic ut hoc loco ferme deſcendendum reſtet in ſententiam Duareni in *Comm.* ad *l.* 5. *ff. de pact.* qui Ulpianum, ut diſputandi ignarum, traducere non erubuit.

Legem turbatam, & ſibi contrariam eſſe ſuperior enarratio plus ſatis evincit. Igitur, ne ſemet ipſam, ne *legem Lecta*, ne alia juris decreta omnino deſtruat, neceſſario erit reſtituenda, & ita forte dirigenda: *Rogavit Titius, ſpoſpondit Mævius, hæc verba non etiam pactionis loco accipiuntur, ſed tantum ſtipulationis* &c. Non urimus, non ſecamus, duntaxat locum mutamus τοῦ *etiam* & *tantum*, cujusmodi verborum litterarumque trajectiones in jure frequentes reperire licet, vid. Ant. Auguſt. *L.* IV. *Emend. C.* 2. Ne autem delicatas aures offendat durities quædam in vocula *etiam*, notandum eſt, eam, ſi quis retinere voluerit, eodem modo in principio ῥήσεως occurrere in *l.* 60. *ff. de procurat.* Hoc ſi non placeat, alia μετάθεσις, motu tamen paulo majori, ita legamus: *Rogavit Titius, ſpoſpondit Mævius, hæc verba tantum ſtipulationis loco accipiuntur, ſed non etiam pactionis.* Jam ſenſus totius paragraphi erit commodiſſimus. Agitur de præſumtione, quæ militat pro inſtrumento, cui ſolemnia ſtipulationis inſerta ſunt: non dubitatur, nec unquam dubitatum fuiſſe legitur, quin ex ſyngrapha, omnibus vocabulorum ſolemnium numeris abſoluta, actio ſtipulatoria naſcatur, uti viſum ſupra; ad eam enim producendam ſufficit graviſſima illa præſumtio, militans pro fide ſcripturæ, quæ reos ſtipulatos, non pactos fuisſe arguebat: *ideoque ex ſtipulatu naſcitur actio*, ut recte Ulpianus concludit, ſi *verba hæc R. T. S. M. tantum ſtipulationis loco accipienda ſint, non etiam pactionis.* Congrua jam ſe offert exceptio, ac regulæ ſupra traditæ contraria in *vſ. niſi contrarium.* Si V. G. imperitus ſcriba in Cautionibus concipiendis conſueta ſtipulationis verba inſtrumento inſeruerit, ubi tamen Contrahentes tantum pactos fuiſſe, probatione facta, liquido conſtabat, eam ſcripturam repertam parere quidem juris præſumtionem pro rogandi ſpondendique ſolemnitate, non autem adeo ſui valituram eſſe momento, ut aut rationem, aut probationem in contrarium vincat: adeoque præſumtionem hanc eſſe quidem juris, ſed non juris & de jure, ut vulgo loquuntur; quum *rei veritas potius, quam ſcriptura perſpici debeat l.* 1. *C. plus val. quod ag.* & error librarii non noceat, ſicuti de *tranſcribendis ſtipulationis verbis* proditum eſt in *l.* 92. *ff. de R. J.* Siquidem ergo *ſpecialiter adprobetur*, quod ſtipulatio, loco pacti, per errorem ſit ſuppoſita, ſive *quod non animo ſtipulantium hoc factum ſit, ſed tantum paciſcentium*, ceſſabit ex ſtipulatu actio: eadem prorſus ratione, ſi exemplum petas, qua de ſtipulatione inter præſentes Juſtinianus conſtituit in *l.* 14. *C. de contr. & comm. ſtip.* & §. 12. *Inſt. de inutil. ſtipul.*

Cum hac interpretatione & emendatione bene convenit Βασιλικῶν παράφρασις in *L.* XI. *Tit.* 1. *C.* 7. *th.* 5. etenim illa ex ſtipulandi promittendique ſollemnibus non pactum aliquod producit, at ſimpliciter ex ſtipulatione, quam duntaxat eorum formula infert, actionem concedit, ita quippe ibi: Ἐὰν ἔγκειται συμφώνῳ, ὁ δεῖνα ἐπηρώτησε, καὶ ὁ δεῖνα ὡμολόγησεν, ἁρμόσει ἡ ἐξ στιπουλάτου ἀγωγή. εἰ μὴ δειχθῇ &c.

Poſſemus & leviſſima emendatione ita legere: *Hæc verba R. T. S. M. non tam*, (pro *tantum*) *Pactionis loco accipiuntur quam ſtipulationis*, & tum reliqua ſatis bene cohærent. Facilitas lectionis & inde defenditur, quod in Codd. Manuſſ. *tam* & *tantum* eodem ferme modo ſcribantur, videlicet *tām*; idque ita ſe habere in Libro Florentino teſtis oculatus mihi retulit.

Sic equidem difficultas ſublata eſt omnis ope leviſſimæ vocularum tranſpoſitionis, vel leviſſimæ emendationis, absque quibus ſeſe expedire difficile eſt. Attamen experiamur, an non Ulpianus, cum dicat verba *Rogavit*, *Spoſpondit*, non pactionis tantum, ſed & ſtipulationis loco accipienda eſſe, indicare voluerit, eam eſſe eorum verborum naturalem ſignificationem, ut pactum, imo magis pactum, quam ſtipulationem denotare queant. Idem Ulpianus in *l.* 19. §. 2. *ff. de Ædil. edict. Promiſſum* etiam ad nudam promiſſionem referri aſſerit, neque aliter, niſi φυσικῶς, quum alioquin facta intelligatur ſtipulatio, ſecundum ea, quæ in ſuperioribus diximus. Quod magis eſt, ipſum *ſponſionis* vocabulum, tam *promiſſionem*, puta nudam, quam ſtipulationem continere Paulus ſcripſit in *l.* 7. *ff. de V. S.* iterum videlicet quod ad inſpectionem illius verbi nudam & ſimplicem, non vero juridicam, tunc enim omni modo contracta cenſetur ſtipulatio *l.* 1. *C. de Cont. & comm. ſtipul.* Non ſecus noſtrum illud *Rogavit Titius, ſpoſpondit Mævius*, ſpectata tantum naturali earum vocum ſimplicitate, pactionem inducit nudam, neque aliud quicquam: verum exigente neceſſitate civili, & per hanc adinventa ſtipulatione, jura huic formulæ tantam dederunt auctoritatem, ut factæ ſtipulationis pleniſſimum credatur argumentum. Atque ita non ſolum *etiam ſtipulationis loco accipitur*, ſed ſemper & ubique *ex ſtipulatu naſcitur actio*, quemadmodum ἁπλῶς ſubjungitur. Sequuta ad ultimum exceptio, prout eam expoſuimus, hiſce non adverſatur, modo, miſſa verborum proprietate φυσικῇ, ad effectum civilem, proxime præcedentem, referatur unice.

Quid ſi, ſalvo ſcripturæ ordine, & ita tentemus. Verba hæc *R. T. S. M.* & pro pacto, & pro ſtipulatione accipiuntur, hoc eſt, utriusque effectum habent, dum & actionem, & exceptionem producunt. De actione non eſt dubium. De exceptione res eſt conſpicua in acceptilatione inutili. Propone: Centum, quæ tibi debeo ex mutuo, habesne acceptos? habeo. Heic, quia deeſt Aquiliana novatio, conſtat, ipſo jure obligationem ſublatam non eſſe: quia tamen *utile pactum* habet ea ſtipulatio, ut inquit ipſe Ulpianus in *l.* 8. *ff. de acceptil.* debitori

com-

competet exceptio de non petendo, idque jure optimo, quamvis contradicat Ant. Faber, hoc nomine notatus a Bachovio ad πρῶτα *Tit. de Pact.* in *l.* 27. §. 2. Dabit itaque ſtipulatio actionem, & quandoque exceptionem, ſenſu jam explicito: quomodo etiam hunc locum intellexiſſe putem Græcum Scholiaſten ad Βασιλ. *d. L.* XI. T. I. C. 7. *th.* 5. Quin & utrumque effectum in una eademque ſtipulatione ſi quis animadvertat, non erit difficilior in amplectenda iſtac ſententia. Ex ſpecie, quam de acceptilatione propoſuimus, utique naſcitur de non petendo exceptio, ſed cur non & actio ex ſtipulatu ad apocham, ut me liberes? obſtare videtur nihil. Atque adeo rogandi & ſpondendi ſolemnia & pactionis, & ſtipulationis loco accipi videmus. Quid autem de reliquis verbis fiet, *ideoque ex ſtipulatu naſcitur actio?* Nimirum, licet ſtipulandi formula aliquando exceptionem pacti duntaxat producat, tamen, quia illa ad dandum vel faciendum tantum non ſemper dirigitur, ſimpliciter ex ſtipulatu actionem, utpote ex ea competentem, dicemus commemorari: *niſi contrarium*, & cætera, prout jam explicuimus. Ita habemus interpretationes *bujus* §. 12. tres: magis tamen eſt, ut primæ, quæ tranſpoſitionem ſuadet, ſtandum ſit; reliquæ enim, ut Accurſii parœmia utar, non æque bene *deſcendunt ad literam.*

Triumviri Jurisprudentiæ conſtitutæ, Duarenus, Cujacius, & Hotomannus, quique iis deſcribendis vacarunt, aliter inſtituunt. Primus in *Comm. de Pact.* ad *h.* §. & in *Præfat.* ad *Tit. de V. O.* omne rei momentum ſtatuit in animo adſtringendæ obligationis, vel contra, ut inde vel pactum, vel ſtipulatio oriatur. Verum, præter quod verba illa *R. T. S. M.* tantum ſtipulationis propria eſſe probatum ſit, præter quod ſumma foret incertitudo, & ἀπορία, & infinitus litium numerus, ſi quis ad animum provocare, ſuamque ipſius ſcientiam obteſtari poſſet, etiam ὁ κεῖται, ſecundum Ulpianum, hæc expoſitio. Limitatio quidem tale quid ſuggerit, ubi probatio animi ſpecialis concurrit, ſed ita ipſius regulæ, quæ ſtipulatoriam actionem præſcribit ex ſolemni ſcriptura, enormis fit exceſſio.

Cujacius in *Comment.* ad *h.* §. *Quod fere*, hæc verba, *rogavit ille*, *ſpoſpondit ille*, utrique conventioni, pacto ſcilicet, & ſtipulationi, *congruenter aptari* ſcribit. In hæſitatione vero, qua re diſcernatur pactum ab ſtipulatione, diſtinguit, *utrum in tractatu pactorum fiant interrogationes & reſponſiones*, *an in concluſione*, id eſt, utrum in medio, an in fine inſtrumenti conventionis illa verborum conceptio reperiatur: ſi in medio, pactum; ſi in fine, ſtipulationem cenſeri, niſi alia fuerit contrahentium mens. Atqui nullibi, quod ſciam, exſtat illa Cujacii diſtinctio inter verba *R.* & *S.* in medio vel fine pactorum occurrentia: ſed contra JCti generalis præfatio eam refutat penitus: *Quod fere*, ait, NOVISSIMA PARTE PACTORUM *ita ſolet inſeri* &c. adeoque eam formulam, quanquam in extrema ſit cautione, nihilominus etiam pactionis loco accipiendam videtur velle. Reliqua contra hanc opinionem habita verborum *d.* §. 12. excuſſio ſuppeditabit.

Supereſt Hotomannus. Ille autem *Lib.* VII. *Obſerv. C.* 3. exiſtimat, *vſ. niſi contrarium* in *d.* §. 12. interpolatum, & Juri novo *legis* 10. *C. de Contr. & comm. ſtip.* accommodatum eſſe. Ubi hærent Interpretes, miſera eſſe ſolet Triboniani cauſa! quid, emblemate conceſſo, decedat difficultati in *principio* §. equidem non video: illic enim res agitur, illic committi dicitur ſtipulatio, quamvis illius formula magis pactum denotet. Non laborare verſiculum, quem Hotomannus perverſo, fere dixerim, zelo adgreditur, evincunt ſatis præcedentia. Deſpiciendum tamen porro, an non ſine ratione, quinimo contra rationem illud emblema fingatur. Plane etenim exceptio in *hoc verſ.* tradita, non minus ævo Ulpiani, quo illa ſolemnium exactitudo adhuc florebat, convenit, quam Triboniani, quo jam *ab aula conceſſerat l.* 4. §. *ult. C. de recept. arbitr.* nam, ſi talia verba *R.* & *S.* ſcripta inveniantur, ubi contrahentes duntaxat pactos fuiſſe liquido conſtat, illa præſumtio, quæ tantum juris eſt, ſine dubio etiam ante *d. l.* 10. elidetur contraria facti probatione, & quidem facilius, quam jure novo. Ipſa autem conſtitutio Leoniana in *l.* 10. ad quam Hotomannus provocat, adverſatur ipſi e diametro: probandum enim eſſet, antequam illa Triboniani in Ulpianum μεταμόρφωσις vel ſpeciem habeat, verba ſtipulationis ſolemnia poſt Leonem etiam pactum inferre, atque ideo, utrum ſtipulatio ſit, an pactum, pendere ex animo contrahentium. Et tamen ipſe in *d. l.* 10. & Juſtinianus in §. 1. *Inſtit. de V. O.* ex adverſo conſtituunt, ut verba vaga, promiſcua, & olim reſpectu ſtipulationis dimidiata tantum, inducerent juſtam verborum obligationem, *juris veteris formidine amputata*, uti loquitur idem Juſtinianus in *d. l.* 4. §. *ult. C. de recept. arbitr.* Non igitur poſt haſce Conſtitutiones magis, quam jure *FF.* verba ſtipulationis pactum inferunt; ſed contra, verba pacti ſtipulationem. Denique quæ veriſimilitudo interpolationis, quum Tribonianus in §. 17. *Inſt. de inutil. ſtipul.* ſummam *bujus* §. 12. referat, ut clauſulam illam prætermiſiſſet, quam ſuis temporibus tantum locum habuiſſe Hotomannus putat, & eam tamen ſub perſona Ulpiani hic protruſiſſet? Itaque nullum eſt hoc emblema, quemadmodum de plerisque aliis haud temere dixerim, & ſuo forte tempore probabo.

Ulricus Huberus *Eunom. Rom.* ad. *h. l.* hanc, quam dixi, vocularum trajectionem, vocat equidem *modeſtam & innoxiam*, attamen ipſi non placet duplici ratione. Altera, quod non bene deſcendat τὸ *etiam*, ſed huic reſponſum eſt. Altera, quod etiam ſine emendatione difficultas poſſit tranſigi. Id autem ſic inſtituit, ut videlicet ea omnia, quæ inter partes placuerunt, recte pacta dicantur, quam diu eorum obſignatio non eſt ſequuta per τὸ *rogavit* & *ſpoſpondit*, tunc demum ſtipulationem naſci, atque ita id, quo de agitur, & pactum & ſtipulationem inducere, ſuo utrumque ſenſu. Perperam; non enim agit JCtus de iis, quæ præcedunt ſolemnia ſtipulationis; at de ipſa conſtructione verborum legitima, de ipſis verbis *R.* & *S.* quæ ait etiam pactionis loco accipi. Idem Huberus, *eodem loco*, tuetur hoc emblema Triboniani, meamque illius *verſiculi ultimi* interpretationem refellit, quaſi vero in *d. vſ.* etiam ageretur de caſu, quo verba *R. T. S. M.* eſſent adjecta ex ore & voluntate partium, non, ut ego puto, ex errore ſcribæ. Sed vero regula eſt, ubicunque illa verba ſolemnia reperiuntur in inſtrumentis, pro ſtipulatione habentur, atque is cenſetur contrahentium animus. At ſi eorum alter teſtibus vel teſtimoniis aliunde probet (quæ exceptio eſt) per negligentiam vel oſcitantiam verba ſtipulationis irrepſiſſe, ubi duntaxat pacti erant, rem eſſe ſalvam & præſumptionem juris elidi probatione

con-

contraria. Eratque illa res omnino digna admonitione & exceptione, contra quam ille putat, & æque digna ac omnis diſputatio de fide ſcripturæ. Res loquitur.

CAPUT VI.

Si die ſupraſcripta ſumma Publio Mævio, eive ad quem ea res pertinebit, data, ſoluta, ſatisve eo nomine factum non erit, tunc eo amplius, quo poſt ſolvam, pœnæ nomine &c.

Pergimus cum Paulo ad ſecundum cautionis membrum, hoc eſt, ad uſuras ex mora promiſſas.

Si die ſupraſcripta ſumma: Illud *ſupraſcripta* vel *ſupradicta* (ut Haloander) utrum ad τὸ *die*, an ad τὸ *ſumma* referatur, nihil attinet: rectius tamen ad utrumque referri dixeris. Quare, ſi quis ſit conjecturæ locus, ſuſpicari licet, legendum eſſe SUPRASCRIPTA per ἀναδίπλωσιν, ut ſenſus ſit: *Si die ſupraſcripta, ſupraſcripta ſumma.* Quæ conjectura ab omni temeritate aliena eſt, manet enim τὸ κείμενον, quale fuit, integrum: tantum major character ſupponitur ad conduplicationem illam, quæ in Pandectis adeo crebra eſt, conſtituendam. Atque ita verum erit, quod ait Guilielmus Barclajus ad *Tit. ff. de Reb. cred.* in *h. l.* 40. *verbum* SUPRASCRIPTA, *cum ſit medium inter* DIE *&* SUMMA, *ad utrumvis referri poteſt, imo ad utrumque.* Quo poſito; non erit neceſſe, ut cum nonnullis Veterum, & Haloandro, Ruſſardo, eorumque additionem probante Cujacio leg. *Si* EA *die ſupraſcripta ſumma:* vel cum Hotomanno, quique eum ſequitur Salmaſio in Lib. *de Uſuris*, *ſi die* SUA *ſupraſcripta ſumma.* Verumtamen ſi quis adeo minutiarum tenax ſit, ut probabile ἀναδιπλάσιαν remedium admittere recuſet, is voculam *ea* vel *ſua* (quam Cujac. & Hotomann. ſenſus fulciendi gratia adjiciunt) tuto ſubaudiat; neque enim hoc exemplo caret. Audi Tullium *de Offic. L.* III. *C.* 14. *Ad cœnam* TEMPORE *venit Cannius*, pro eo tempore, tempore ſuo, condicto nempe, & cœnæ præſtituto. Ita & Cato *de R. R. C.* 150. *die lanam & agnos vendat*, die, quam antea dixerat. Turnebus *Adverſ.* VII. 5. die congruo exponit, quod etiam ferri poteſt, cum res eodem redeat. Idem eſſe videtur *tempori* apud Gellium *L.* II. *C.* 29. quod alioquin Grammatici ibi adverbialiter volunt accipi.

Publio Mævio, eive ad quem ea res pertinebit: Sunt, qui pro *eive* malunt *ſive*, ſed perperam, vid. *l.* 53. §. 1. *ff. de O. & A.* Alii, *eique*, quod perinde. De ſignificatione formulæ, *is ad quem ea res pertinet*, ambigitur: eſt autem varia pro vario argumento. Optimus ſui interpres Paulus in *l.* 70. *in fin. ff. de V. S.* ejus vim ita exprimit: *verba hæc,* IS AD QUEM EA RES PERTINET, *ſic intelliguntur, ut qui in univerſum dominium vel jure Civili, vel jure Prætorio ſuccedit, contineatur.* Ergo ad hæredes, bonorum poſſeſſores, eorumque hæredes dubio procul extendenda erunt *d. l.* 53. §. 1. Itaque Publius Mævius, perſuaſum habens illud Horatii *L.* II. *Epiſt.* II. *vſ.* 175.

. . . Perpetuus nulli datur uſus, & hæres
Hæredem alterius, velut unda ſupervenit undam,

non ſibi tantum, ſed & ei; ad quem ea res pertinebit, cavere voluit. Idque, ut videtur, non ſine ratione ac utilitate, quamvis ipſo jure ex ſtipulatu, & credita pecunia actiones in hæredem tranſituras fuiſſe conſtet. Hæc etenim verba, *ſive ad quem* &c. eam conferunt utilitatem ſucceſſori, quam Publio Mævio τὰ *proba recte*, de quibus *C.* IV. diſputatum eſt: namque in hac, ſuperioris appendice, ſtipulatione eadem conditio repetita intelligitur, ne quis objiceret dolum tantum abfuturum eſſe in ſolutione, quæ fieret Pub. Mævio, atque ita doli clauſulam perſonalem ſtipulationi fuiſſe inſertam; *perſonalem*, quia & hæc quodammodo faciendi ſtipulatio eſt: *ſine dolo malo probe ſolutionem factum iri*, vel ſaltem ex dando & faciendo mixta, quæ, an ad hæredes tranſiret, ſi eorum mentio facta non eſſet, veteres Conſulti dubitarunt, quam altercationem decidit Juſtinianus in *l.* 13. *C. de Contr. & comm. ſtipul.* Non alia videtur Venuleji mens in *l.* 19. §. *fin. ff. judic. ſolv. Doli mali clauſula*, inquit, *ſicut reliquæ ſtipulationes*, quæ ſcil. in faciendo conſiſtunt, *in quibus tempus nominatim adjectum non eſt*, i. e. in quibus ſpecialiter expreſſum non eſt tempus futurum, & in hæredes tranſitorium, *ad principium ſtipulationis refertur*, i. e. ad primum ſtipulatorem τὸ dolum abeſſe.

Præterea eſt alius, magisque quotidianus locutionis Q. D. A. effectus in creditore, qui jure ſuo ceſſit. Finge, P. Mævium jure crediti ceſſiſſe Sempronio, & nihilominus incontinenti ab L. Titio debitore exegiſſe, quam crediderat, pecuniam, vel ipſum debitorem eandem ſponte ſua eidem obtuliſſe, atque ita data apocha liberatum eſſe. Quæritur, procurator in rem ſuam quid rerum aget? & quidem non dubitatur, quin eum, qui nomen tranſtulit, in omnem eventum convenire poſſit: verum ſiquidem debitor ſe ſoluturum ſpoſponderit ei, ad quem ea res pertinebit, ipſus etiam, ab eo, cui ceſſum eſt, ad ſolutionem ſibi faciendam recte compelletur, quandoquidem per ceſſionem, non jam ad creditorem primum, ſed ad ipſum ea res pertineat. Publio Mævio ſi ſimpliciter ſolutio condicta foret, ejus apocha ad debitoris ſecuritatem plenam ſufficeret ſine dubio: nunc vero conſenſit in eum, ad Q. E. R. P. cujus conſenſus tanta eſt obligatio, ut, ſi conſultum ſibi velit debitor, nulli, niſi de jure ejus edoctus, ſolvat recte: adeoque genuino ſeu primo creditori, ſi ipſam cautionem redhibuerit; cuilibet alii, ſi una cum cautione reddita titulum docuerit. Pondus hujus negotii conſpicuum eſt, ſi creditor principalis ſolvendo non ſit, tunc enim debitoris, a mandatario in rem ſuam ad ſecundam ſolutionem jure optimo compulſi, inanis erit condictio indebiti. Alia ratione: ſi quis ſine legitima ceſſione inſtrumentum obligationis nactus, adeat debitorem, isque, in titulum hominis fraudulenti non inquirens, ſolvat: quia ſolvit ei, ad quem ea res non pertinet, denuo conventus a creditore vero, nulla fronte reluctabitur. Experiatur cum eo, cui jure nullo ſolvit, apud quem ſi res ſit anguſta domi, ferat ſuæ negligentiæ pretium. Hæc res uſum habet, vel habere poteſt frequentem in vulgari apud noſtrates formula, qua ſolutio promittitur aen den wettigen houder of toonder deſes/ quæ plane eſt eadem cum hac noſtra, *is ad quem ea res pertinet.* Aliud juris eſſe videtur, ſi absque *legitimi* adjectione dicatur, den houder of toonder deſes/ nam tunc vel furi re-

recte ſolvitur, dummodo chirographum exhibuerit: ſin vero debitor nulli, niſi actionem habeat *legitimam*, ſeſe ſoluturum obſtrinxerit, quotidie vel labi, vel circumveniri poteſt, ſi eo, quo diximus, modo, ſibi non caveat.

Ita videtur expediendum illud, *is ad quem ea res pertinet.* Si ſcire deſideras, quid alii de hac formula ſcripſerint, ſuppetias feret Jacobus Curtius *L.* II. Εἰκασ. *C.* 55. & *L.* III. *C.* 18. Hoc porro obſervandum eſt obiter, in cautionis noſtræ ſtipulatione prima proſpectum non eſſe ei, ad Q. E. R. P. ob unius, ad ſummum, menſis brevitatem: Kalendæ proximæ ſolutioni erant dictæ, interea veriſimile non erat, rem ad alium devolutum iri. Poſtquam autem uſuras, in caſum longioris moræ, dandas placuiſſet, juſtus erat metus, ne, ſolutione tracta, minus cautum eſſet ei, ad quem ea res interim pertinere poſſet: ideoque illud addi videbatur neceſſarium.

Data, ſoluta, ſatisve eo nomine factum non erit: Cui bono illa vocabulorum, eandem ſignificationem habentium, cumulatio? dicendum, quod res eſt, poteramus ea ſine periculo carere, quamvis *dare*, *ſolvere*, & *ſatisfacere*, qui ſubtiles minutias quærit, etiam hoc loco facile diſtinxerit. H. Donellus ad *h. l. data ſoluta* ſine interpunctione legendum cenſet, per τμῆσιν ſcilicet, pro *ſolutionis cauſa data:* ſed ita ad ταυτολογίαν tollendam nihil proficit. *Solvere* & *ſatisfacere* qui differant, vulgo notum eſt; & tamen *ſatisfactio pro ſolutione eſt l.* 52. *ff. de ſolut.* neque non contra *l.* 4. §. 7. *ff. de re judic.* Igitur, omni argutandi ratione miſſa, concedamus, omnia heic Συνώνυμα eſſe, & quid tum poſtea? Ταυτόλογοι, quam obſcuri maluerunt eſſe JCti noſtri, ut plurimis in jure exemplis conſtat. Ulpianus in *l.* 1. §. 7. *ff. de Ædil. edict.* verba Edicti Ædilitii interpretaturus, quærit, an vitium a morbo differat? & mox ſubjungit: *Ego puto Ædiles tollendæ dubitationis gratia bis* κατὰ τοῦ αὐτοῦ, *de eodem idem dixiſſe, ne qua dubitatio ſupereſſet.* Niſi per Edicti excuſationem ſibi quoque eandem paraſſet JCtus, occineretur ei jure merito illud Satyrici:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Etenim Ædiles bis idem dixiſſe refert, & ipſe rationem addit, quæ bis idem dicit, cum ait: *Tollendæ dubitationis gratia, ne qua dubitatio ſupereſſet.* Taceo nobilem illam ſtipulationem Aquilianam in *l.* 18. §. 1. *ff. de acceptil.* & doli definitionem a Labeone traditam in *l.* 1. §. 2. *ff. de dol. mal.* in quibus, etiamſi multa occurrant, quæ ſubtiliter diſſerendo diſtingui poſſunt, qui tamen dubitationis tollendæ, ne qua dubitatio ſupereſſet, vel ſenſus magis venuſti gratia, quædam conjuncta dicit, non erraverit. Ita & loquutio præſens, aliæque, etiam apud Auctores non fori juridici, paſſim. Formula luſtrationis apud Catonem de *R. R. C.* 141. *Cum Divis volentibus, quodque bene eveniat, mando tibi, Mani, ut illace Suovitaurilia, fundum, agrum, terramque meam, quota ex parte ſive circumagi, ſive circumferenda cenſeas, uti cures luſtrare.* Sed exemplorum plena ſunt omnia.

Tunc eo amplius, quo poſt ſolvam: Si illa *quindecim* ſuo die ſoluta non ſint, *tunc* i. e. ſtatim poſt Calendas futuras, *eo amplius* i. e. præter & ſupra ſortem, nam *verbo* AMPLIUS *ſuperiora repeti* ſcribit Pomponius in *l.* 54. *ff. de Legat.* III. *Quo poſt ſolvam:* Cujac. & Hotoman. contra receptam ubivis lectionem volunt, QUOAD *poſt ſolvam*, idque ex mera conjectura, & nimio fortaſſe κρίσεως ſtudio. Idem Paulus, eodem *Quæſtion. Libr. tertio*, in Cautione, quod ad loquendi modum, noſtræ in univerſum non abſimili, inquit etiam: *Quo poſt ſolvetur*, in *l.* 126. §. 2. *ff. de V. O.* & Scævola, *quo tardius*, in *l. ult. ff. de re judic.* neque hilum differt ſenſus; quinimo, conceſſa emendatione, pejor eſt, ſi credas Donello ad *h. l.*

Pœnæ nomine: per *pœnam* heic uſuram intelligi ſequentia abunde probant. Pœna autem cum ſit generale nomen *l.* 131. §. 1. *ff. de V. S.* recte debitores, qui variis dilationibus ſpem creditorum identidem eludunt, *maximis uſuris, vice cujuſdam pœnæ ſubjiciuntur l.* 38. *ff. de negot. geſt.* Quod intelligendum eſſe de uſuris, quæ vires trahunt ex mora, res ipſa loquitur *l.* 90. *ff. de V. O.* illæ etenim *non propter lucrum petentium, ſed propter moram ſolventium infliguntur l.* 17. §. 3. *ff. de uſur.* illæ proprie dicuntur punire & coërcere debitoris, ſuo tempore non ſolventis, negligentiam: unde & ipſum fœnus a ποινῆ appellatum volunt nonnulli. Atque ita eleganter hic *pœnæ*, quod in Cautione *legis* 126. §. 2. *ff. de V. O. uſurarum nomine* dicitur.

CAPUT VII.

In dies triginta, inque denarios centenos, denarios ſingulos dari, ſtipulatus eſt Publius Mævius, ſpoſpondi ego Lucius Titius.

In dies triginta. Aliqui Libri, interque eos Manuſcriptus meus, legunt *in dies viginti quinque*, quam ſcripturam ſequitur Editio R. Stephani Pariſienſis, anni 1527. & tanquam *Vulgatam* commemorat Fr. Connanus *Comment. J. C. L.* VII. *C.* I. *n.* 12. Atque hinc Alciatus, aliique ea ſunt uſi. Sed hæc tanti non ſunt, ut ea propter violemus ſacram Codicis Florentini fidem, moti non tantum ejusdem auctoritate, verum & tralatitio more ſtipulandi ſortem & uſuras in ſingulos *triginta dies*, id eſt, menſes ſingulos, prout dictum ſupra. Unde Accurſius; & vitioſæ lectionis tenax, & forte hujusce ritus conſcientia ductus, XXV. dies interpretatur menſem, novo apud JCtos calculo. Quare autem illud mendum invaluerit, non alia videtur ratio, quam quod *triginta* per notas ſcriptum (XXX) mutetur facile in XXV, dimidia parte poſterioris numeri (X) injuria temporis exeſa. Teſtimonium Auguſtini vide *L.* II. *Emendat. C.* 10. &, ſi duos teſtes deſideras, adde Æguin. Baronem in *Comm.* ad *h. l.*

Inque denarios centenos, denarios ſingulos dari &c. Quot ergo in ſortem univerſam? facilis foret computatio, ſi de quantitate credita conſtaret: ſed hanc fere incertam eſſe diſputavimus C. III. in τὸ *quindecim.* Expediet autem, ne in rationibus ineundis vagemur, certi quid ſtatuere, &, velut magis probabile, ſubſiſtere in *quindecim Seſtertiis.* Jam vero quindecim Seſtertia pariunt ter mille, ſeptingentos, & quinquaginta denarios, ſiquidem, ſecundum receptam pecuniæ veteris collationem, unicus denarius valeat quatuor ſeſtertios nummos, & mille ſeſtertii unicum ſeſtertium in *gen. neutr.* Illud ſeſtertium itaque valebit ducentos, quinquaginta denarios, qui, ſi per quindecim ſeſtertia ducantur, facient 3750. den. Si vero quadruplentur, ha-

habebis mille ſeſtertios, id eſt, unicum ſeſtertium. Hinc facile eſt colligere, uſuram integram ſortis 3750. den. quot menſibus dare denarios triginta ſeptem cum dimidio; non XXXVIII. ut minus accurate Duarenus ad *Tit. de R. C. Cap.* V. *ad l. Lecta.* Namque Centum dabunt unum, ſive, ut ait Paulus, denarii centeni denarios ſingulos, ergo mille decem, ac ita deinceps. Unde etiam mirari ſubit, Hotomanum ad *h. l.* in *Cauſſæ conſtitutione*, eandem nobiscum facere ſummam uſurariam, quum tamen XV. denarium millia fuiſſe credita ſibi aliisque perſuadeat: illius enim ſortis Centeſimam in ſingulos menſes ad CL. den. adſurgere, etiam non Lynceus facile viderit. *Hæc qui diffuſus intelligere velit, ex argentarii abaco melius, quam JCtorum libris examinabit*, dicere liceat cum Alciato ad *h. l.*

Porro advertendum eſt, verba, in quorum explicatione verſamur, exactam uſuræ Centeſimæ deſcriptionem continere. Cum enim denarius menſtruus in denarios contenos penditur, erit ipſa Centeſima, ita dicta, non a centeſimo menſe, quo ſortem æquat, ut perperam nonnulli credunt; ſed a centeſima ſortis parte menſtruatim exſolvenda, quemadmodum, præter auctoritatem Harmenopuli *L.* III. *T.* 7. §. 19. ipſum vocis etymon ſatis probaverit. Fuiſſe autem Centeſimam hanc tempore Severi vel Caracallæ licitam, & quandoque ſtipulatam præſens Cautio dubitare non patitur. Attamen Baſilici *L.* XXIII. *Tit.* I. *C.* 42. poſuiſſe contenti τοιόνδε τόκον, *certas uſuras*, ne videlicet jus abrogatum ſuæ *Purgationi* inſeruiſſe hoc loco viderentur: gnari quippe per *l.* 26. *C. de uſur.* Centeſimam eſſe ſublatam.

Multa de Centeſimæ origine, natura, & quæ ſunt id genus alia, dici poſſent, ſed quandoquidem, exploſis Veterum chimæricis, pæne dixerim, figmentis, poſt Hermolaum Barbarum, & Socinum JCtum, quid illa ſit, palam innotuerit, minutiis circa hanc diſcutiendis non immorabimur, quod vaſtis voluminibus ab aliis præſtitum. Pretium tamen operæ erit, datam ſupra Centeſimæ definitionem vindicare ab una alterave difficultate, quæ eam tantum non ſubvertit. Diximus, & hodie dicunt omnes, uſuram Centeſimam eſſe, ſi centeſima ſortis pars quoque menſe ſolvatur (uti in propoſito 37. den. & 2. HS. ubi caput debiti erat 3750. den.) vel, quod idem, ſi duodena annua in ſingula C. præſtentur. Aliud tamen velle videtur Juris Civilis & Gothici interpres Anianus, ſeu quisquis alius in interpretatione *l.* 2. *C. Theod. de uſur.* ita ſcribit: *Si quis plus quam legitima Centeſima continet, id eſt, tres ſiliquas in anno per ſolidum, amplius debitori ſuo, occaſione neceſſitatis, accipere vel auferre præſumſerit, . . . conſtrictus quadrupli pœna, reſtituet.* Anne tres ſiliquæ in anno per ſolidum conſtituunt Centeſimam? immo plus. Conſtat utique tres ſiliquas obolum, octo obolos ſolidum, atque adeo hunc capere ſiliquas XXIV: itaque tres efficiunt partem ſolidi octavam, quæ in centenos quotannis veram Centeſimam XII. ſiliquis i. e. ſemiſſe uno exſuperat, ut & Ant. Auguſtinus *L.* II. *Emend. C.* 10. & Cujacius *L.* III. *Obſerv. C.* 35. & ad *Nov.* 32. rationes ducunt. Nihilominus quoque alibi ſervata cernitur Anianeæ Centeſimæ ratio; namque Græci *L.* LIII. Βασιλικῶν, *Tit.* 5. Centeſimam finiunt; κεράτια τρία τῷ νομίσματι, teſtante Cujacio ad *l.* 20. *C. de uſur.* ipſe enim locus a Fabroto omiſſus eſt. Et Imp. Leo *Nov.* 83. *in fin.* trientes Centeſimæ deſcribit, ὥσπερ ἐςὶ κεράτιον ἓν ἐφ' ἑκάςῳ νομίσματι ἀνὰ πᾶν ἔτος, quod vulgareis excedit quatuor ſiliquis. Similiter Juſtinianus in *Novell.* 32, 34, & 106. commemorat octavæ partis uſuram, & in *ead. Nov.* 32. & 44. annuas ſiliquas in ſingulos ſolidos ab agricolis uſurarum nomine exigi permiſſas, quod ipſum Græcorum & Aniani trientes incidit, ſicut octavæ partis uſura in eorundem Centeſimam.

Franc. Hotomannus *L.* II. *Obſerv. C.* 9. adhibito calculi labore ſeſe animadvertiſſe ait, *Juſtinianum in Nov.* 34. *apud barbaras Gentes, Scythiam nimirum & Mœſiam, pro conſuetudine ſermonis popularis ita locutum eſſe, cum Latino ſermone utens, dicturus fuiſſet: Frugum quidem uſuram eſſe debere Centeſimam; pecuniæ vero numeratæ trientem.* Poſtmodum, putatis rationibus, vidit differentiam, quam modo ſumus executi; atque huic bene propoſitæ ſubjungit: *Ex quo intelligitur, quanta fuit in octava frumentaria ad Centeſimam defectio, tantam eſſe in ſiliqua pecuniaria ad trientem exuperantiam.* Male, eandem enim utriusque uſuræ proportionem eſſe, ex præcedentibus clarere putem, ſed quid Hotomannum fefellerit, videbit, qui calculum facere non gravabitur. Tandem concludit, Juſtinianum Scythico ſermone cum Scythis locutum, rationem non habuiſſe parvuli diſcriminis, ſed numero uſum eſſe rotundo, ne imperitæ & tardæ multitudini injiceret ſcrupulum. Habes igitur heic interpretationem *Nov.* 34. & ſimul reſponſionem ad motam ex ea difficultatem, qua, ſi valeat, etiam liceret uti ad *Nov.* 32. datam ad eumdem Barbarorum Præſidem. Sed, ne quid diſſimulem, illa expoſtulatio adverſus Juſtinianum ruſticane loquentem videtur mihi ſic ſatis, ut ita dicam, Scythica. Singulis Provinciis, qui Romanorum legibus regebantur, ſuo cuique more fuiſſe ſcriptum etiam legimus nunquam: ut neque illud, præcipuum quid Barbaris illis, quod ad uſuras, fuiſſe conceſſum. Uſuram partis octavæ, in aliis quoque negotiis, retulit idem Imper. in *Nov.* 106. Non ſatisfacit igitur Hotomani ratio, quamvis & Contius ea quoque uſus ſit *L.* II. *Lection. ſubſ. C.* 2. non duntaxat ad interpretationem *d. Nov.* 34. ſed & ad interpretationem Aniani, rotunde ſcilicet hæc eſſe accipienda; ſed quærenda eſt ratio univerſalis, qua locis, quæ protulimus, omnibus σοφὸν contingat φάρμακον.

In eo facem præferet Ant. Auguſtinus *d. Libr.* II. *C.* 10. Nam poſtquam ſententiam Alciati, præceptoris ſui, qui & vulgatam, & Aniani Centeſimam confundit *L.* II. *Parerg. C.* 23. minus veram eſſe probaſſet, de Aniano ſcribit, eum videri ſui temporis uſuram, quæ non multum a Centeſima abeſſet, pro Centeſima fuiſſe interpretatum, non aliter fere, atque Jac. Gothofredus in *Prolegom. Cod. Theodoſ. C.* VI. verſic. *Ex ævi.* Cujacius ad *Nov.* 32. & 106. uſuras ibidem, ut & *Nov.* 34. commemoratas interpretatur etiam Centeſimas & Centeſimæ trientes, ſed auctoritate Aniani & Leonis, cum alioquin fateatur, veram Centeſimam excedi aliquot ſiliquis excurrentibus: & hinc *Obſervat. Libr.* III. *C.* 35. diſtinguit inter Centeſimam veterem & novam, quin & noviſſimam in *Comment. poſt. ad l.* 20. *C. de uſur.* Vetus eſt vulgaris illa ∓ duodecim in Centum annua. Nova eſt Aniani, Leonis, Juſtiniani, qua de nos agimus. Noviſſima eſt ex Harmenopulo, mox laudando, eſtque omnium maxima. Illam autem Aniani novam ſive majorem arceſſit a tempore Imperatoris Conſtantini *arg. l.* 1. *C. Theod. de uſur.* Sed vereor, ut eam ibi fruſtra quæras, loquitur enim de *uſura tertiæ partis ſuperfluæ* in frugibus, hoc eſt, ut ipſe Conſtantinus explicat, *ſi quis*

pro duobus modiis creditis tertium amplius conſequatur: quod incidit in uſuras, quæ Græcis dicuntur ἡμιολίαι, male, ut videtur, intellectas Grotio in *Floribus ſparſis* ad *l. eos qui* 26. *C. de uſur.* Optime de his Gothofredus ad *d. l.* 1. *C. Th.* Eſt equidem verum, ἡμιολίας continere Centeſimas Anianæas quatuor; ſed ubi nulla Centeſimæ mentio, neque aliunde hæc nova tunc modo introducta probatur, res eſt lubrica, ſtatuere Conſtantinum ejus rationem ſervaſſe: & cur magis quam Græci in ſuis ἡμιολίαις?

Dicamus itaque, videri definitionis incertæ, quo tempore Centeſima major accreverit. Illud tamen accidiſſe, & eo referendos Centeſimæ novæ Scriptores, non eſt dubitandum. Quapropter recte Auguſtinus ad Anianum; recte etiam Cujacius tria temporum intervalla diſtinguit, ſuam cuique adſcribens Centeſimam. Verum neuter idonee ſatis hanc ſententiam munivit, & κατάρχοντος Centeſimæ auctæ, & nihilominus retinentis nomen adſtruxit. Igitur & nos νέαν λογαρικὴν diſcernimus a παλαιᾷ, & quia Centeſima Romana caput erat, a quo reliquæ uſuræ, tanquam membra, dependebant, hinc poſtea & Byſantinos, & Gothos exiſtimamus uſuram ſuorum temporum maximam *Centeſimam* nuncupaſſe in allatis ſupra exemplis (quo etiam commode referas, quod ſcriptum eſt in Viſigothorum *LL. Libr.* V. *Tit.* 5. *l.* 8.) atque ita in trientibus, cæteriſque aſſis partibus illius Centeſimæ habuiſſe rationem.

Nunc de veritate eorum, quæ dicta ſunt, disquirendum ſupereſt: hæc autem videtur uſu probari. Nam ecce Harmenopulus, ejusve Scholiaſtes *L.* III. *T.* 7. §. 19. duplicis Centeſimæ meminit, veteris & novæ; & poſt deſcriptionem veteris ſive veræ, iſtæc addit: καὶ ταῦτα μὲν ἐν τοῖς παλαιοῖς οὕτως εὕρηται. Novam vero (ſeu noviſſimam, ut Cujacio placet, quum Anianæam, cujus nulla ibidem mentio, ſuperet) ſi quis probe excuſſerit, reperiet eam ultra ſexdecim annua in ſingula centena exſurgere, & tamen Centeſimam vocari vides. Quod ſi igitur uſura, quæ priſcam Centeſimam plus quarta parte exſuperat, ejus tamen retineat nomen, jure quanto meliori ea, quæ ſemiſſe tantum uno excurrit. Rurſus quæ Centeſima non eſt Centeſima tamen dicitur Sidonio *Epiſt.* XXIV. *Lib.* IV. nam eam dicit Centeſimam, *quæ per biluſtre producta tempus modum ſortis ad duplam auxit.* Vult igitur Octennis Centeſimam uſuram ſorti æquari, quum tamen deſint adhuc quatuor menſes. Notavit id Joſephus Scaliger *de re Nummaria p.* 23. ſimiles locutiones κατὰ τὸ μᾶλλον κατὰ aut κατὰ τὸ ἧττον in rebus, quæ numero, pondere & menſura conſtant, idem abunde ex aliis obſervavit *p.* 21. 22. 23. & 24.

Quinimo eo usque κατάρχοντος Centeſimæ ipſe Aniani ævo videtur invaluiſſe, ut ſit veroſimile, eam ἐν πλάτει pro uſura, non duntaxat graviſſima, ſed & ſimplici, fuiſſe acceptam. Teſtis eſto ipſe Anianus, dum ad Pauli *Sentent. L.* II *T.* 14. §. 1. ita commentatur: *Pactum nudum dicitur, ſi cautio creditori a debitore, in qua* Centesimas *ſe ſoluturum promiſit, ſine ſtipulatione fiat.* Per *Centeſimas* improprie hic uſuras eſſe intelligendas nemo non videt, cum ex Paulo, quem interpretatur, tum ex verbis Aniani ſequentibus, ubi ſimpliciter uſuras dicit, quas hoc loco Centeſimas dixerat. Latius adhuc ea loquutio vagata eſt, neque enim alio ſenſu intelligendum, quod traditur in *C.* 4. *Cauſſ.* XIV. *Quæſt.* IV. *Si quis* . . . . Centesimas *exegerit, aut ex quolibet negotio turpe lucrum quæſierit, aut* . . . . *aliqua incrementa ſuſceperit, de gradu ſuo dejectus, alienus habeatur a Clero.* Centeſimas & heic promiſcue pro uſuris accipi palam eſt: nam *incrementa*, ibidem memorata, non ſunt ſimplices uſuræ (alioquin Centeſimas proprie dictas intelligere poſſes) ſed munuſcula diverſi generis, ſive *abundantia* illa, cujus meminit *C.* 3. *Quæſt. præced. Donum munus* illud, quod Alex. Severum ſuſtuliſſe refert Lampridius in *ejus Vita Cap.* XVI. Quod non quidem erat uſura, ſed id, quod creditores a debitoribus, ſportularum nomine, ſtipulabantur in fraudem legis, ſeveriſſime iis & a Juſtiniano interdictum in *l.* 26. §. 1. *C. de uſur.* Denique & loquentem audiamus Ambroſium in *Cap. ult. Cauſ.* XIV. *Quæſt.* IV. . . . *Cui jure inferuntur arma, huic legitimæ indicantur uſuræ: quem bello vincere non potes, de hoc cito potes* Centesima *vindicare te.* Tota Ambroſii declamatio in genere eſt contra uſuram, quam, ubi tamen non eſt intentio major, Centeſimam nuncupat. Atque ita ſatis ſuperque probatum eſt, ipſo uſu, quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi, appellationem Centeſimæ populariter & ad uſuram produci. Quanto magis itaque, & ἐν δυνάμει τῆς φωνῆς ad uſuram omnium maximam apud Anianum, & reliquos, quum ita vocabuli proprietas plus maneat ſarta tecta? Tantum de Romanorum, & poſt hanc Byſantinorum Gothorumque Centeſima, quod omittere neque res ipſa, neque præſcripta *Legis noſtræ* verba permittebant ſatis. Poſtquam hæc ſcripſeram anno 1697. Cl. Noodt anno ſequenti edidit Librum de *Fœnore & uſuris.* ibique *L.* II. *C.* 2. eandem ſententiam de centeſima veteri aucta, & tamen Centeſimæ nomen retinente, expreſſit, iisdem fere rationibus uſus, quibus ipſe uſus eram.

CAPUT VIII.

Conveniteque inter nos, uti pro Mævio ex ſumma ſupraſcripta menſtruos refundere debeam denarios trecenos, ex omni ſumma ei, hæredive ejus.

Conventque inter nos: Binas ſtipulationes excipit Conventio, tertium Cautionis membrum.

Conventionem hanc fuiſſe nudam, & incontinenti ſtipulationibus junctam indicat ſatis inferior Pauli diſputatio. De τῷ *incontinenti* pactionis propoſitæ dicemus C. X. Sed an *conveniendi* verbum per ſe nudum pactum arguat, acris eſt Doctorum contentio *heic*, & ad *Rubr. ff. de V. O.* Non facile errabit, qui Ulpianum, ea de re πραγματικῶς differentem, ducem ſequitur in *l.* 1. §. 3. *ff. de pact.* *Conventionis verbum*, inquit, *generale eſt, ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi, tranſigendique cauſa conſentiunt, qui inter ſe agunt.* Et poſt grammaticam potius, quam juridicam τοῦ *convenire* obſervationem explicitam, ita pergit: *Adeo autem conventionis nomen generale eſt, ut eleganter dicat Pedius, nullum eſſe contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in ſe conventionem* &c. Sane elegantior definitio, quam illa Pedii & Ulpiani, vix eſt, ut dari queat, quicquid Inter-

pretum ἀκριβολογίᾳ excogitaverit. Omni contractui conventio ineſt, at non contra: ſiquidem ergo vocabulum *convenire* occurrat, ubi nec vola, nec veſtigium contractus eſt, erit nuda pactio, quippe cum illa, præter conventionem, nihil requirat ad perfectionem ſui, ubi res, verba, quidve aliud accedit, *conventionum pleræque in aliud nomen tranſeunt d. l.* 1. §. *ult.* Habenda igitur erit ſemper ſubjecti argumenti ratio, & inde jus ex re conſtituendum. Adde, ſis, Duarenum in *Comment.* ad *d. l.* 1. §. 3. *de pact.* ubi late pro more.

Uti pro Mævio ex ſumma ſupraſcripta: Etiam contra auctoritatem Codicis Hetruſci, cum *Vulgata* & Haloandro legendum eſſe: *Publio Mævio*, jam dudum animadverſum eſt: nam an ſatis latine Lucius Titius dicatur ſolvere vel refundere pro *Mævio* pro *Publio Mævio*, equidem non video. Error videtur natus ex contracta ſcriptura *PLO* vel *PBO*, unde Deſcriptores, *PRO*, exiguo unius ductus diſcrimine. Si cui tamen ſederit, lectionem Florentinam pertinaciter tueri, dicat *pro Mævio* idem eſſe, ac in utilitatem Mævii. Cæterum Fr. Hotomannus ad *h. l.* hæc omnia, *pro Mævio ex ſumma ſupraſcripta* (ſeu *dicta*, ut denuo Norica) gloſſema eſſe exiſtimat, *certe*, ait, *abundare non eſt dubium.* Sed de eo mox.

Menſtruos refundere debeam denarios trecenos: Refundere, tum hic, tum alibi, eſt reddere, reſtituere, etiam *dare*, ſenſu, quo ſupra: ita accipitur in *l.* 22. *ff. de minor. l.* 49. *ff. ſolut. matrim.* & in Jure ſexcenties. Rarius illud vocabulum in Auctoribus offendes; ter tamen repetitum exſtat apud Tr. Pollionem in *Claudio c.* XIV. duo præterea exempla ſuppeditat Connanus *Comment. Jur. Civ. L.* VII. *C.* 12. *n.* 7. ad expoſit. *l.* 3. *C. de fund. patrimon.* Utque adeo irrationale ſit Ant. Fabri judicium in *Rational.* ad *l.* 5. §. *ult. ff. de condict. cauſ. dat. C. N. S.* ubi τὸ *refundere* (pro reſtituere, *ſi Diis placet*, inquit) *Triboniani inelegantiæ & inſcitiæ*, ſi Diis placet, acceptum fert.

Verum propius ipſum conventionis argumentum intueamur. Debitori ex prima ſtipulatione integræ ſortis ſolutio Kalendis futuris imminebat; ſin minus, ex ſecunda præſto erat uſura vorax, avidumque in tempore fœnus. Ipſum itaque ad anguſtias redactum, Publ. Mævium, conceptis hunc in modum precibus adiiſſe fingit Zaſius in *Comm.* ad *h. l. Vides, frater, quod mihi intolerabilem jacturam ingeris: prorogato mihi terminum ſolutionis ad certos terminos, quibus te ſolvere poſſum.* Æquiſſimæ Luc. Titii laborantis querelæ annuit creditor, interque eos convenit, ut menſtrui refundantur denarii treceni ex ſumma ſupraſcripta, id eſt, ex 3750. Den. ſive quindecim ſeſtertiis *in neutro*, prout *C.* III. & VII. explicuimus. Ingens ſane debitori ſolatium! eſt namque lucrum temporis, cui imprimis ſtudere adſolent, qui in ære alieno ſunt, heic valde conſpicuum. Univerſa enim ſors, quæ Kalendis proximis illico erat reſtituenda, virtute hujusce pacti, ante Idus menſis tertii decimi cum effectu peti nequit: trecenti denarii cujusque menſis, duodecies aucti, pariunt, lapſo anno, 3600. his autem ſi 150. Denar. (dierum quindecim, ſive menſis dimidii penſionem) addas, habebis demum menſis decimi tertii Idibus integrum debiti caput, videlicet 3750. denarios. Ita ſors ſecta erit in penſiones menſtruas duodecim cum dimidia. Attamen alii eam diſcerpunt in præſtationes quinquaginta: ſed hoc illi, qui quindecim denarium millia credita fuiſſe augurantur. Hæc de ſorte, de uſuris convenit nihil.

Ex omni ſumma ei, hæredive ejus: Recte obſervat Donellus, *inculcationem hic eſſe*, ſed addit, *non prorſus otioſam.* Quod ut probet, partes conveniſſe proponit, uti ex ſumma ſupraſcripta refunderetur illa trecenorum penſio, & *id, ne qua ſit dubitatio, non ex parte aliqua ejus ſummæ, ſed ex omni ſumma. De hærede Mævii quia nihil dictum erat, idcirco & de eo nunc addi.* Verba video, ſenſum non item: primo equidem quod de ſumma ſupraſcripta dictum erat, de univerſa ſorte dictum eſſe, dubitaverit nemo. Dein quod refert, an ex omni ſumma, an ex ejusdem parte C.C.C. refundantur? quid etiam refert, utrum de hærede cautum ſit, nec ne, quia *plerumque tam hæredibus noſtris, quam nobismet ipſis cavemus l.* 9. *ff. de probat*? ait *d. l. plerumque*, adeoque quod ad hæredis mentionem attinet, exiſtimamus tamen, etiam heic loci, in ejus perſona operari effectum formulæ τοῦ *proba recte*, qua de *C.* IV. illa enim, quia ſolutionem concernit, fuſa intelligitur per ſtipulationem, conventionemque ſecutam, quæ eam non tollunt, at mutant duntaxat. Quare autem idcirco P. Mævius, ſuæ mortalitatis conſcius, hic ſucceſſoris meminerit, ut & in ſtipulatione uſuraria ſub generali appellatione ejus, ad quem ea res pertinet, executi ſumus *Cap.* VI. in verb. *Publio Mævio eive* &c. Patet igitur, Donellum, quum illud *proba recte* ſupervacaneum eſſe dicat, adhuc proficere nihil, niſi forte rationem aliam, quam ipſe non exprimit, probe recte nunciaverit haruſpex alius. Quod ad repetitionem, *ex omni ſumma*, ſubſiſtimus in eo, quod dictum eſt *C.* VI. in *data, ſoluta* &c. nimirum ſine exemplo non eſſe, bis de eodem idem dixiſſe, idque in cautionibus & formulis, quibus Pragmatici, rerum omnium ut plurimum imperiti, non minus ac hodie ejusdem ferme profeſſionis homines, ſuperfluas verborum cautelas adjicere ſolucrunt. Et hinc illa in pignoribus dandis ἀσφάλεια, *ut, quo minus pignus veniſſet, reliquum debitor redderet*; eam quippe, quia ipſo jure creditorio hypothecario cautum eſt, pro non ſcripta habendam, reſpondet Pomponius apud Paulum in *l.* 9. §. 1. *ff. de diſtract. pign.* Præſtat utique in τῷ *ex omni ſuam* ταυτολογίαν adgnoſcere, quam cum Hotomanno gloſſema in *Publio Mævio ex ſumma ſupraſcripta*: hæc etenim excedit medicina modum. Præter quod non ita commode careamus ῥητὸν, quam ipſe ſine ullo populi ſuffragio νοθεύοντος inſimulat. Interim neque in ſupervacuas orationis ſignificationes ſeu repetitiones temere conſentiendum eſſe, palam faciunt ea, quæ hactenus diſſeruimus de formulis, earumque virtute in ſuperioribus paſſim obvia.

Atque ita ipſam *Cautionem* excuſſimus, a qua omnem ſiniſtram interpretationem abeſſe facile quis credat: ſed de uſuris quia in Conventione nihil dictum erat, hinc illi motus, hinc illæ turbæ, de quibus jam jam diſpiciendum eſt.

CAPUT IX.

Quæſitum eſt de obligatione uſurarum: quoniam numerus menſum, qui ſolutioni competebat, tranſierat.

Priusquam Controverſiæ ſtatum aperiamus, placet, ordinis gratia, præmittere menſes, τόκον πατρὸς, ut ait ille.

Quoniam numerus menſum, qui ſolutioni competebat, tranſierat. In Manuſcripto meo eſt, *quia numerus* &c. ſed hoc perinde. Etiam ibi, *menſium*, quemadmodum & in aliis Codicibus, ſecundum vulgareis Grammaticorum regulas. Florentiæ tamen *menſum* hic, & in *l.* 7. §. 2. *ff. ſolut. matrim. l.* 60. *pr. ff. de legatis*, 3°. *l.* 101. *ff. de R. J.* & alibi. Unde Briſſonius, velut peculiare Libri Florentini, illud *menſum* notat in *Libro ſingul.* παρέργων, de hujusmodi vocabulis. Attamen lectionem illam uſus abunde ſuſtinet, tam in oratione prorſa, quam verſa: etenim *menſum* Cenſorinus dixit *de Die Natal. C.* IX. & bis *C.* XXII. bis itidem Ovidius *Faſtorum L.* V. *vſ.* 187.

Cum tua ſint, cedantque tibi confinia MENSUM.

& poſt *vſ.* 424.

Nec tu dux MENSUM *Jane biformis eras.*

Sic etiam Auctor Carminis *de Paſchate*, Lactantio attributi:

Nobilitas anni, MENSUM, *lux alma dierum.*

Tranſierant itaque menſes ſolutioni competentes. Fruſtra namque Strepſiades apud Ariſtophanem in *Nubib Act.* II. *Sc.* I. meditabatur de ſiſtenda veneficiis luna, quo creditoribus imponeret: venit tandem tempus & ineluctabile fatum. Sed quis eſt ille decurſus menſium numerus, quem ſolutioni competiiſſe Paulus memorat? Interpretes non una utuntur ſententia. Sunt, quos inter Hotman, qui ſolutionem, qua de agitur, ad primam penſionem pertinere rati, primum ſtatim menſem deſignari volunt, ac ſi P. Mævius, diligens Paterfamilias, lapſo die, primæ penſioni condicto, confeſtim adiiſſet cum ſacco L. Titium, in ſolutione morantem. Verum quam levia hæc ſint vel inde liquet, quod a prima ſtipulatione ad usque futuras Kalendas, quibus prima debebatur penſio, unicus ad ſummum menſis tranſiiſſe potuerit, qui non niſi perquam abſurde a JCto diceretur *numerus menſum*. Adde, quod menſe primo uſurarum dies nondum venerat, utpote quæ ex mora promiſſæ, eodem, quo ſors, tempore deberi non poſſunt. Quomodo igitur tunc de earum obligatione quæſitum eſſe dicemus?

Alii melius ſapiunt, dum illud, quod de ſolutione dicitur, ad univerſam ſortem referentes, autumant effluxiſſe tantum menſium, quantum ex pacto competebat ſortis & uſurarum præſtationi univerſæ. Sors autem, ſiquidem crediti ſint 3750. denarii, prout nos diſputavimus, menſis tertii decimi Idibus: ſin vero ſecundum Cujacium aliosque XV. denarium millia fuerint data mutuo, anni quinti menſe ſecundo exigi poterit i. e. caſu priori poſt menſes duodenos & dimidium; poſteriori, poſt quinquagenos, vid. *Cap.* VIII. De uſuris omnium penſionum debitis idem dicendum, modo unicum menſem, penſionis ultimæ uſuram adjiciamus: utque adeo quintus decimus dies menſis decimi quarti ex noſtra, ex aliorum ſententia menſis quinquageſimus primus competierit & integræ ſortis, & uſurarum omnium ſolutioni.

Si cui tamen relligio ſit certi quid definire in re incerta, is ἀορίστως cum Gloſſa numerum quendam menſium, forte trium (ut eſt apud Baſilicos) quatuor, pluriumve præteriiſſe ſtatuat, quum illa de uſuris quæſtio in nervum eruperit: competebat enim & tunc tempus ſolutioni, non quidem totius ſortis (quod non opus eſt dicamus, quandoquidem indefinite loquatur JCtus) ſed penſionum pro rata temporis. Valeat igitur heic illud Labeonis: *Suum cuique judicium.*

Quæſitum eſt de obligatione uſurarum: Poſt lapſum numeri menſum ſolutioni competentis de uſurarum obligatione quæſitum eſſe refert quidem Paulus, quid autem circa eam quæſitum ſit nobis divinandum relinquere videri poteſt. Hunc Pauli morem vellicat Cujacius in *Comment.* ad *Lib.* V. *Quæſt. Afric.* in expoſit. *l.* 88. §. 3. *ff. ad L. Falcid. Paulus non reſpondet*, inquit, *palam, ſed abrupte, obſcure, conciſe, more ſuo.* Rurſus idem de eodem *Lib.* I. *Cap.* 10. *Mercatoris* ſui (pro *ſuo* enim Cujacius *Mercatorem* agnoſcit *Obſerv. L.* XXIV. *C.* 21.) ubi ad Pauli *l.* 22. §. 2. *ff. locat. cond.* ita ſcribit: *Quem caſum nobis cogitandum relinquit, plus ſentiens, minus ſcribens, Paulus more ſuo moroſiſſimo.* Adde & alias aliorum de obſcuritate cum Paulo expoſtulationes, relatas *C.* 1. & Donellum ad *h. l.* paſſim. Diximus *d. C.* 1. & verum eſt, Paulum noſtrum, utcunque alibi, præſertim tamen in Quæſtionum opere, brevitati ſtudere, in eaque ſibi placere; ſed illud juxta cum aliis JCtis in ſuis *Quæſtionum* libris, qui cæteroquin ob prægnantem controverſiæ diſputandæ campum immenſum creſcerent. Nihil ergo hic Paulus præcipuum. Conciſa dicendi ratio, ſi quam habet difficultatem, in facili eſt ſuperare verborum & rerum examine attento.

In præſenti utique Sphinge non eſt opus ad conjiciendum Controverſiæ ſtatum: is enim, ſi non ex ipſa Cautione claret, ſaltem ex Paulinis ad Quæſitum reſponſionibus manifeſte ſatis colligitur. Cautionem vidimus eſſe τρικέφαλον, conſtantem quippe ex bina ſtipulatione, & conventione nuda. Conventio ſi ſubſequuta non fuiſſet, res omni careret dubio. Stipulationes adeo prudenter ordinatæ, tot tantisque cautelis munitæ ſunt, ut calumniam omnem, nedum litem juſtam præcidant. Sed minus provida pactio, tanti cauſa motus, acceſſit: ea namque ſimpliciter convenit, ut ſors, quæ ex ſtipulatione prima Kalendis proximis ſimul & ſemel erat refundenda, diffinderetur in varias præſtationes menſtruas. De uſuris autem, ſtipulatione ſecunda comprenſis, altum ſilentium. Hinc ſuſpicari non eſt difficile, diſceptatum fuiſſe de valore illius pacti conventi, num ſcil. ſtipulationem uſurariam immutaret quoque, pro mutata ratione ſortis.

Verum non eſt neceſſe, ut hujusmodi ſuſpicionibus τὸ κρινόμενον adſequamur, cum ex iis, quæ Paulus in auditorio Papiniani diſputata refert, plus quam manifeſtum ſit. Ipſus ajebat, pactum incontinenti factum tantum valere, ut perinde ſit, *ac ſi creditor per ſingulos menſes certam pecuniam ſtipulatus, quoad tardius ſoluta eſſet, uſuras adjeciſſet. Igitur finito primo menſe, primæ penſionis uſuras currere*, & reliqua. Contra Antagoniſtæ; *Pactum ad ſortis ſolutionem tantum perti-*

tinere, non etiam ad uſurarum, ... & ideo non ſoluta pecunia ſtatutis penſionibus, ex die ſtipulationis uſuras deberi. Quis non videt, quæſitum fuiſſe de ineunda uſurarum penſitatione, utrum videlicet ſingulis Kalendis integræ ſortis uſuræ currant, an vero illius duntaxat penſionis, quam ex pacto refundi convenerat? Paulus, finito primo menſe; primæ tantum penſionis: Antagoniſtæ mox a primæ ſtipulationis die Capitis univerſi uſuras præſtari volebant. Adeoque P. Mævius & L. Titius *implacabiliter diſſenſerunt*, ait Zaſius in *Enarrat.* ad *h. l.* neque mirum, vegrandis enim fuit uſurariæ quantitatis differentia. Univerſæ ſortis fœnus ſi quot menſibus debeatur, pendendi erunt a prima ſtatim mora XXXVII. denarii, & ſeſtertii duo: ſin autem penſionis duntaxat ſuo die non ſolutæ, tribus denariis uſurarum nomine poterat defungi debitor, cum ita ſors, puta menſtrua, non adſcendat ultra C.C.C. den. Vide *C.* VII. & VIII. Atque hoc diſcriminis momentum illico ſeſe prodit in penſione prima; in ſecunda & reliquis, quam immane creſcat, parebit *Cap.* XI. Utque ita inſolens non ſit, ſi dulcitudo uſurarum creditorem egerit transvorſum.

Unica igitur erat quæſtio, an ad rationem ſolvendæ ſortis uſuræ deberentur, an ſimpliciter univerſæ? & tamen controverſiæ ſtatus tam varie a variis proponitur. Sunt, qui quæſtionem principalem cum argumentis hinc inde prolatis confundunt. Alii, a verbis ſententiaque legis prorſus alieni, neſcio quæ non confingant. Accurſius quæſitum refert. *Quando incipiat currere ſtipulatio uſurarum. Item an ex tertio pacto actio naſcatur.* Utrumque operoſe exaggerat Donellus in *Comment.* ad *h. l.* & quidem, ut videtur, recte quod ad quæſitum de actione ex pacto competente: quid enim hoc ad præſentem materiam? immo contra negotii naturam fuiſſet illa contentio. Ex ſtipulatione competebat actio ad 3750. denarios: pactum ex his trecenos particulatim dari volebat, ergo ad illos, utpote jam debitos, nova actione non indigebat creditor. Erat id pactum, ut vocant, *liberatorium*, ex quo actionem non naſci certum eſt, cum non accedat obligatio nova, ſed priſtina vel minuatur, vel tollatur. An autem, ſalvis in ſingulos menſes trecentis, reliquam pecuniam ipſo jure conventio abſorbuerit, alia quæſtio eſt: verum de ea in adjecta *Diſſertatione.* Attamen non ſolus Accurſius hunc, quem diximus, errorem erravit, ſed, ut etiam alias fieri adſolet, ingentem Doctorum catervam ſeduxit. Adeo ut Cynus alibi non ſine cauſa dicat, ejus temporis DD. aves imitari, quæ unicam avolantem, velut agmine facto, ſequuntur.

Alterum ſententiæ Accurſianæ membrum hac fere ratione perſequitur Donellus: prima ſtipulatione cautum erat de ſorte futuris Kal. refundenda. Centeſimæ in ſecunda promiſſæ, ni conventioni ſtetur. Dies ille ſtipulationis pactione ſubſecuta mutatus non fuit, cur ergo ſtare prohibetur? quo colore, qua fronte itaque certabitur, *quando incipiat currere ſtipulatio uſurarum*? Accurſium ab hac cenſura abſolvi poſſe facile crediderim: neque enim ipſe ignoravit, vel ignorare potuit, ſtipulationi uſurarum ſua conſtare initia a Kal. proximis, quum manifeſte eo reſpiciant verba, *quo poſt ſolvam*; an vero uſuræ, nimirum *ſortis integræ*, in quam concepta fuit ſtipulatio, exinde currant, diſputatum fuiſſe, putem exiſtimare Accurſium: nam hoc a Paulo Diſſentientes urgebant; e contrario ille, uſuras tantum committi pro rata penſionum, quas menſtruatim ſolutum iri convenerat. Igitur quando incipiat currere uſurarum ſtipulatio, *in totum* videlicet, recte quæſitum fuiſſe proponit non modo Gloſſatorum princeps, ſed & iiſdem verbis plurimus ejus imitator Cujacius. Quin etiam Paulus noſter, hoc ipſo loquendi genere, adverſarios dixiſſe commemorat in ſeqq. *ex die ſtipulationis uſuras deberi*, neque amplius. Et Græcorum Θεματισμὸς, quem producemus ſtatim, ἀπὸ τοῦ καιροῦ τῆς ἐπερωτήσεως, addens de τόκῳ τῆς ὅλης ποσότητος, tollendæ dubitationis gratia: eodem, quo Accurſium vindicavimus, modo.

Illud ſatis mirari non poſſum, Jac. Cujacium (qui bene, ut diximus, & quandoque melius i. e. clarius diſtinctiusque Controverſiam proponit) ad *Paulum* in *Lib.* III. *Quæſt. l. Lecta*, ſcribere, quæſtionis fuiſſe, *utrum uſuræ debeantur ex die ſtipulationis, an ex die, quo primum debitor in ſolvendis penſionibus moram fecit:* quandoquidem ipſe in ſequentibus ejuſdem *Comment.* Pauli antagoniſtam *vervecis* elogio inſigniat, ſi, quod non fecit, exiſtimare potuerit, uſuras non a tempore moræ h. e. Kalendis proximis; ſed ab interpoſita ſtipulatione deberi. Adeo verum eſt, in *Operibus* Cujacii *poſtumis* accurationem deeſſe: cætera nihil.

Denique πρὸς Διόνυσον nihil facit Dionyſius Gothofredus in *Not. margin.* ad *h. l.* dum quæſitum ait, *an & a quo tempore uſuræ debeantur.* Suo ſenſu, *a quo tempore uſuræ debeantur*, dici poſſe fuiſſe diſceptatum, prout contra Donellum ſumus tuiti: ſed, *an debeantur*, quis ſanus unquam dubitaverit? nemo, hercle, nemo tametſi *fere nihil inter homines* (maxime JCtos) *indubitatum ſit, ut non poſſit tamen ſuſcipere quandam ſollicitam dubitationem*, ut alibi loquitur imperator noſter.

Antequam cauſam controverſam faciamus miſſam, placet ad ejus illuſtrationem adnectere ſummatim, quæ tradunt Βασιλικῶν architecti *Lib.* XXIII. *Tit.* I. *C.* 42. ſui Ἑξακονταβίβλω. Illi trecenta mutuo fuiſſe data fingunt, reddenda menſe proximo: conveniſſe autem poſtea, C. ſeparatim dari in menſes ſingulos. Dein ita pergunt: Τριῶν μηνῶν παρελθόντων, καὶ μηδὲν μὴ δεδωκότος, ἐξ ἀπαιτηθήσομαι τῆς ὅλης ποσότητος (ſcil. τόκον, quod vocabulum reperiebatur in Codice Cujacii, Baſilicorum ante Car. Ann. Fabrotum poſſeſſoris, & neceſſarium eſt, ne ſenſus vacillet) ἀπὸ τοῦ καιροῦ τῆς ἐπερωτήσεως, ἀλλὰ μετὰ τὸν πρῶτον μῆνα τὸ ἑκατὸν, καὶ μετὰ τὸν δεύτερον τῶν ἄλλων ρ. Hucusque rurſum Pariſienſis editio, cujus hiatus ex Cujacio denuo ſupplendus eſt: καὶ μετὰ τὸν τρίτον τῶν λειπομένων ἑκατόν. Hæc ſi Fabroti editioni inſerantur, ſenſum dabunt integrum, quem alias ex parte tertia claudicare conſtat, tam ex facti ſpecie a Græcis propoſita, quam ex ipſa Fabroti verſione Latina. Sic ut tum hic, tum alibi non eandem ſemper exactitudinem ſervet Fabrotus in exhibendo ſuo Baſilico. Sed hoc παρέργως. Apparet autem ſatis, quæſtionis ſtatum, ex Græcorum ſpecie reſultantem, eſſe planum facilemque, & accurate reſpondentem ei, quem retulimus ſupra: namque μετὰ τὸν πρῶτον μῆνα præſtari volunt uſuras τὸ ἑκατόν, non τῆς ὅλης ποσότητος, atque ita illius duntaxat penſionis, quam ex pacto convenerat διῃρημένως δοῦναι κατὰ μῆνα.

CAPUT X.

Dicebam, quia pacta incontinenti facta ſtipulationi ineſſe creduntur, perinde eſſe, ac ſi per ſingulos menſes certam pecuniam ſtipulatus, quoad tardius ſoluta eſſet, uſuras adjeciſſet.

Poſtquam, quo de diſputatum fuerat, dixiſſet Paulus, ſententiam ſuam exorditur illico. *Dicebam*, inquit &c. vocabulo in fori diſputationibus admodum frequenti, vid. *l.* 97. *ff. de acq. vel omitt. hæred. l.* 38. *pr. ff. de minor. l.* 13. *ff. judic. ſolv.* & *l.* 9. *ff. de caſtr. pec.* ubi ad exemplum *h. l. Proponebatur*, *quærebatur*, & mox, *dicebam.* Vel *dicebamus*, quemadmodum idem Paulus in *l. ult. ff. quod cum eo, qui in al.* Præmittit autem, more JCtis non inuſitato, eorum, quæ poſtmodum enarrat, rationem hanc: Quia Pacta Incontinenti facta stipulationi inesse creduntur. Ἰδοὺ Ῥόδος, ἰδοὺ καὶ τὸ πήδημα! hæc *ſeptem* verba, non recte accepta, præſertim in cauſa ſunt, quur tota iſtæc lex inter *ſeptem Damnatas* dicatur familiam ducere. Quare, ſi quæ qualitates, ut ita loquar, occultæ numero ſeptenario inſint, eas non fauſti & religioſi quid portendere hariolabimur cum devoto ad ſuperſtitionem Juſtiniano in *Confirm. ff.* II. §. 1. Sed hoc certe loco, ut & alibi ſæpius, augurium plane contrarium polliceri nugabimur.

Doctrinam de Pactis incontinenti contractibus juris ſtricti additis, quam ex propoſito numeri ſeptenarii commate vulgo cudunt Interpretes, ſede propria locabimus in adjecta ea de re *Diſputatione* peculiari. Diffuſa enim quum ſit ejus diſputatio, viſum eſt commodius, ſuo eam loco deſignare, quam heic vagari pede incerto. Placet tamen velitationem quandam præmittere, quia per omnem legem diſperſum cernitur hujus rei momentum.

Credimus itaque certum immotumque eſſe, ſi unica *l. Lecta*, extra juris ambitum eſſet relegata, neminem tam amotæ mentis fore, ut dubitare, nedum affirmare ſuſtineret, pactiones contractibus ſtrictis in genere, vel ſtipulationi in ſpecie ex continenti junctas, iisdem ineſſe: quia ratio juris manifeſta, ejusdemque auctoritas alia omnia ſuadent, jubent. Quapropter hic ſupponimus (quod deinceps in loco communi *de Pactis adjectis* ſumus probaturi) certiſſimum eſſe Juris Romani principium, pacta ſtricti juris contractibus, quamvis continuo addita, omnino non ineſſe: adeoque nec actionem producere, nec jus agendi ipſo jure mutare, vel tollere ullo modo poſſe; ſed, ſecundum vulgareis pactorum regulas ad exceptionem prodeſſe, neque ultra, perinde ac ſi ex intervallo apponantur.

Sed qui id ipſum per obſtanteis catervas, ex ſola *l. Lecta* (nam difficultatibus aliunde petitis in *Diſſertatione* fiet ſatis) collectas explicari queat, jam jam disquirendum erit. Duriuſculam certe zamiam, præſertim ſecurius cogitanti, injicit nova Pauli ratiocinatio: *Dicebam*, ait, *quia pacta incontinenti facta* &c. Sententiam noſtræ contrariam diſtentis, ut ita dicam, uberibus e dicto *Verſic.* emulgeri poſſe contendunt Interpretes ad unum omnes: inquiunt enim, pacta ſi inſint ſtipulationi, ut Paulus ineſſe ſcripſit, vel ad actionem proſint neceſſum eſt, vel ſaltem ad obligationem præviam ipſo jure elidendam. Verum enim vero hæc moventi ferme eſt, ut occinatur illud Alpheni apud Paulum noſtrum in *l. pen. ff. ad exhib. Non oportere verba captari, ſed qua mente quid diceretur, animadvertere convenire.* Verba enim ſi captes, eorumque nudo cortici adhæreas, verum eſt, JCtum dixiſſe, pacta incontinenti facta ſtipulationi ineſſe, verum eſt, hanc locutionem unionis vim tantam inferre, ut perinde pactum illud, quod ineſt, operetur, atque ſi ſtipulationis ſolemnibus munitum foret: ſed tum itidem verum eſſe evincam poſtea, neque Paulum Paulo convenire, neque JCtorum ulli, at cum vaga Juris Civilis incertitudine omnia concurrere frontibus adverſis. Qua mente igitur id dicatur animadvertamus. Hujusce ῥήσεως, *pacta incontinenti* &c. non alium eſſe ſenſum ex Auctoris ſcopo colligi poſſe videtur, quam, per pactionem illam in verſ. *Convenit*, idem, effectum ſiquidem conſideres, actum eſſe, ac ſi ita nominatim ſtipulatione fuisſet cautum. Verba igitur καταχρηστικῶς erunt accipienda, videlicet: per oppoſitionem exceptionis pacti, ſortis petitioni faciendam, debitorem, eventu inſpecto, id ipſum conſecuturum, quod, etiamſi verba pacti in ſolemnem ſtipulationis formam concepta fuiſſent, conſequeretur. Per pactum dilata eſt ſortis exactio, adeoque & uſurarum, præſertim cum illæ, ex mora debitæ, non committantur, ubi nulla mora ſit: hæc autem fieri non intelligitur, ubi nulla eſt petitio, uti in *ſeqq.* argumentatur JCtus, & valide. Atque hæc ſuggeret exceptio pacti conventi, eoque modo petitionem creditoris infringet, ac ſi ipſo jure ea non teneret, hoc eſt, ac ſi pactum foret ipſa ſtipulatio, & ita ſtipulationem præcedentem ſuſtuliſſet funditus.

Hanc vim ex præſcriptionibus oriundam Paulus noſter clarius edocet in *l.* 112. *ff. de R. J. Nihil intereſt*, ait, *ipſo jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.* Eundem vide in *l.* 115. §. 1. *eod.* & in eandem ſententiam Ulpianum in *l.* 13. *ff. de R. J.* qui idcirco actionem, exceptione ſubmovendam, *quaſi nullam* dicit in *l.* 7. §. 8. *de dol. mal.* Quin & tralatitium eſt, Juris noſtri Conſultos ſæpius ab eventu, quem oculo, dicere liceat, juridico prævidere queunt, negotia metiri, & inde appellationem ducere. Ita actio non habitura effectum, ſimpliciter negari dicitur in *l.* 1. *pr. ff. ad SCtum Maced.* quæ cæteroquin ab initio competebat. *l.* 11. *eod.* Adde *Rubric. ff. Quarum rerum actio non datur.* Sed hæc vulgo nota ſunt. Non aliter heic, prout explicitum eſt, ſeſe res habet: ſi quis enim efficaciam pacti noſtri diligentius excuſſerit, illam deprehendet tantam, ut revera nihil interſit, utrum ſuam tantummodo exceptionem producat, an vero ſtipulationi ineſſe dicas.

Juvat hanc interpretationem, quod Paulus non ſimpliciter pactum *ineſſe* dixerit, ſed *ineſſe credi.* Etenim quemadmodum verum eſt, τὸ *credi*, *videri*, non raro apud Veteres, præcipue JCtos, pro ſimplici aſſertione occurrere, quo de Fr. Duarenus *Anniv. Diſput. L.* II. *C.* 11. ita non minus verum eſt, quam maxime proprie eadem per πλάσμα uſurpari eo ſenſu, quo in noſtra *l.* τὸ *credi* dictum eſt. Ab ipſo Paulo ex eodem *Quæſtionum* opere exemplum petamus in *l.* 17. §. 1. *ff. de inoffic. teſt. Cum contra Teſtamentum*, in-

quit, *ut inofficioſum judicatur*, *Teſtamenti factionem habuiſſe defunctus non* CREDITUR: effectu nimirum inſpecto, quatenus teſtamenti capita ſubvertuntur; jure etenim teſtamenti factionem habuiſſe ex eo conſtat, quod teſtamentum ſubſtitit, donec expugnatum eſſet, adeoque ab initio non erat nullum *l.* 2. *ff. eod. pr. Inſt. de inoff. teſt.* Sic & Paulus in *d. l.* 115. §. 1. *ff. de R. J.* & Ulpianus in *d. l.* 13. *ff. eod.* effectum, quem per oppoſitam exceptionem habemus, mediante τῦ *videri* fictione proponunt. Aliud πλαστικὸν in eadem ſpecie retulimus ſupra ex *l.* 7. §. 8. *ff. de dol. mal.*

Videtur autem iis, quæ diximus, adverſarier, quod generaliter ſcriptum eſt, *pacta ineſſe ſtipulationibus credi:* illa quippe loquutio cum univerſalis ſit, videtur etiam in univerſum accipienda, tanquam fundamentum aliquod, cui reliqua ſuperſtruuntur. Negari vero nequit, quin ea expoſitio, quæ dicit, verba illa de virtute exceptionis pacti conventi duntaxat eſſe intelligenda, ſit ſingularis i. e. ratione ſubjecti argumenti accipienda tantum. Verum in jure novum non eſt, rationes generales aliquando non καθόλυ, ſed κατά τι interpretandas eſſe, ne manifeſte ſint falſæ. Manifeſte falſum eſt, omnia pacta, quod ad effectum, tantum valere, ut nihil referat, utrum contractibus inſint, nec ne: eſt veriſſimum, rem ita ſe habere in pacto, quo de nos agimus, & ejusdem naturæ reliquis. Hoc igitur pactum, quia ſtipulationi ineſſe creditur, exitum ſi conſideres, perinde eſt &c. Vel ita: *Quia pacta*; hoc eſt, pacta hujusmodi, hujus vis & effectus, ſtipulationi ineſſe videntur &c. Sic & qui pacta *detrahentia*, non item *adjicientia* (de quibus ſuo loco) ineſſe volunt, dictum Pauli, *quia pacta* &c. reſtringunt ad *detrahentia* duntaxat. Atque ea occaſione Donellus, ejus ſectæ aſſecla, in *Comment.* ad *h. l. prope finem*, docet affatim, ſine exemplo non eſſe, generalia illa paſſim explicari limitarique pro cujusque materiæ ratione ſubjecta.

Ecquur porro in explicito commate mentio τῦ *incontinenti*, ſi, quemadmodum urgemus, ſubjecta conventio ad exceptionem tantum profutura ſit? ad ejus namque adminiculum fuiſſet ſatis, etiamſi ex intervallo adpoſitam dicas. Quia fortean ita tulit ὑπόστασις facti, in qua enarranda quam exactus fuerit Julius noſter, ſatis Cautio probaverit. Accedit, quod, cum in narratione facti ad pactionem Q. D. A. perveniſſet, vocula conjungente incontinenti ſubjiciat: *Convenitque inter nos*, non aliter acſi illa uno ſpiritu ſtipulationes fuiſſet ſequuta. Adeoque ſenſus erit: Quia pactum, quod incontinenti factum erat, & cætera: *narrative* ſcilicet, ut Accurſii Schola loquitur. Eodem modo in *l.* 135. §. 2. *ff. de V. O.* τὸ *incontinenti*, itidem pacto adſcriptum, otiari & ex facto tantum proponi, Donellus animadvertit in *Comment.* ad *d.* §. *n.* 13. quod verum eſſe circumſtantia juris factique ibidem evincit ſatis.

Supereſt, ut de eo, quod JCtus ex præcedenti poſitione deducit, propius deſpiciamus. Quia pactum, ejusve exceptio eundem ſortitur effectum, atque ſi ſtipulationi eſſet infuſum, conſequitur, *perinde eſſe, ac ſi per ſingulos menſes certam pecuniam ſtipulatus, quoad tardius ſoluta eſſet, uſuras adjeciſſet.* Ita legendum *quoad;* licet *Vulgata*, eamque ſecutus Donellus malit *quo*, ut eſt in Cautione. Cujacius & Hotom. utrobique *quoad*, uti notavimus *C.* VI. ſed hæc nullo diſcrimine habentur. Etiam recte Pandectes Florentini lectio, *adjeciſſet*, ſubauditur enim Publius Mævius creditor. Manuſcriptus meus *adjeciſſ.* ambigue. Varia lectio apud Ruſſardum plene *adjeciſſem*, ſed nullo, ut videtur, ſenſu: niſi dicas, Paulum calore diſputationis adeo fervidæ abreptum, perſonam creditoris adſumſiſſe, ut ſententiæ ſuæ major eſſet intentio. Frigidus calor, & jejuna ἔκστασις! ſed apage minutias.

De re ipſa videndum: & quidem quo pacto verum ſit, ſi conventionem noſtram ſtipulationi ineſſe dicas, conſequens eſſe, ut perinde ſit, ac ſi creditor quot menſibus *certam pecuniam*, trecenos puto denarios, ſtipulatus, quoad in mora eſſet debitor, *uſuras* trium denariûm, id eſt, conventæ penſionis Centeſimas adjeciſſet. Namque illud eſt valde mirum, Commentatores heic altum inclamare, & ſuo quemque modo probare, pacta in ſtipulationis continenti facta, eidem ineſſe, neque tamen docere, qui inde conficiatur, quod Paulus colligit, non integræ ſortis, ſed conventæ penſionis uſuras duntaxat committi. Quamvis autem nos eorum ſententia, de pactis ſtipulationi inſitis, non utamur, oportet nihilominus probemus, quid iſtuc faciat ad quæſitum de obligatione uſurarum, quandoquidem diximus, Paulum a vi & efficacia pacti argumentari, ac ſi revera ineſſet.

Nimirum qui ſciunt, quid ſit pacta ineſſe contractibus, etiam hoc ſciunt, ea ſtatim vires ſuas ita exſerere, ut, ſi convenerit de obligatione ex contractu minuenda, ea absque ulla exceptionis ope deminuta ſit, quo de latius *Diſſertationis Cap.* I. Atque hinc conſequitur, ut, ſi pactum in vſ. *Convenit*, ineſſet ſtipulatione, hoc eſt, ſi creditor non pactus, ſed ſtipulatus fuiſſet, C. C. C. menſtrua dari, ut, inquam, ipſo jure ſublata ſtipulatione, quæ ſortis caput univerſum Kalendis proximis dependi volebat, debitor, niſi ad trecenta menſtrua obligatus non ſit, & per neceſſarium conſequens non teneatur, niſi ad illorum trecentorum uſuras in menſes ſingulos, quemadmodum in ſeqq. luculenter demonſtrat Paulus. Videntur hæc liquida. Sin vero exceptionem tantum tribuas pacto, major erit ἀναθεώρησις, longior circuitus: nam ecce debitor obſtrictus manet ad ſortem integram, ejusque totius uſuras menſtruas: ac eo nomine jure ſummo conveniri poterit jam ſtatim a mora. Creditor tamen, qui videt ſe exceptione pacti repulſum iri, exſpectat, donec menſes, omnium penſionum ſolutioni competentes, fuerint elapſi, ratus, non modo nullum inde petitioni uſurarum ſortis univerſæ præjudicium fieri, ſed contra hoc εὑρήματι eam reddi faciliorem multo. Propone: ceſſit dies penſionum omnium, agit ad eas i. e. ad ſortem integram; ejusque totius uſuras creditor, & id retro in menſes ſingulos. De ſorte nihil contradicit debitor, neque enim de ea controverti poteſt: de uſuris autem excipit, ni eſſemus pacti de ſorte menſtruatim dividunda, & per hoc mutata foret uſurarum ratio. Replicat creditor: hanc a ſorte ad uſuras conſequentiam licet concedam, attamen & alio modo mihi conſultum eſt; noviſti utique pacta exceptionem parere, & præterea nihil: exceptionem vero non operari niſi oppoſitam, & ab ipſo oppoſitionis tempore. Quod ſi verum ſit, conſtare videtur, præſcriptionem pacti noſtri, quam nunc demum opponis, retrorſum mutare non potuiſſe uſuras, ex ſtipulatione debitas, conſequenter eas καθολικῶς cucurriſſe ab interpoſita de illis cautione ad usque hunc, quo

tu

tu excipis, diem: in anteceſſum quippe agere, eſt effectus τῦ ipſo jure. Duplicat reus, ejusve patronus in *l.* 5. §. *fin. ff. de dol. mal. & met. except. Actor quidem in poteſtate habet, quando utatur jure ſuo, non autem reus, quando conveniatur.* Igitur, quum juſta fuiſſet exceptio mea, ſi poſt moram primi menſis me illico conveniſſes, cur non & poſteaquam omnium penſionum dies ceſſit? rectiſſime itaque Paulus, reſectis illis ambagibus, efficaciam propoſitæ pactionis tantam eſſe dicit, & mox docet, ac ſi ipſo jure ineſſet, id eſt, ac ſi ſolemni ſtipulatione placuiſſet ita: *Ex ſumma ſupraſcripta menſtruos dare ſpondes denarios trecenos, & ex mora, uſuras eorum Centeſimas?*

CAPUT XI.

Igitur finito primo menſe, primæ penſionis uſuras currere: & ſimiliter poſt ſecundum & tertium tractum, uſuras non ſecutæ [pecuniæ] penſionis creſcere: nec ante ſortis non ſolutæ uſuras peti poſſe, quam ipſa ſors peti potuerat.

Nunc ſpecies ſpecitur. Hic enim rem præſentem JCtus cernit preſſius, derivans ex præcedentibus conſectaria, uſurarum ſupputationi, pro numero menſium, quibus in ſolutione ceſſatum eſt, applicanda. *Igitur*, quia poſt varias actiones & exceptiones intentatas & oppoſitas, tandem aliquando conſtabit, ne hilum differre, utrum trecenta illa refundi ſimplici nudoque pacto, an verborum obligatione convenillet, atque ita eorum uſuræ fuiſſent adjectæ, conſequens eſt, quod ait Paulus, *finito primo menſe, primæ penſionis uſuras currere:* hoc eſt, elapſis a mora Kalendis primis, debitorem, uſurarum nomine, ſoluturum eſſe denarios tres, penſionis primæ ſeu trecentorum centeſimas. Adverſarii jam tum exigebant denarios XXXVII. & ſeſtertios duos, juxta ſtipulationis ſecundæ tenorem, prout diximus in exhibendo Quæſtionis ſtatu: quo autem jure, quave injuria, videbimus *C.* XII. & XIII.

Si primo menſe finito, primæ tantum penſionis uſuræ currant, etiam verum eſt, quod addit Paulus, *ſimiliter poſt ſecundum & tertium tractum, uſuras non ſolutæ (pecuniæ) penſionis creſcere.* Haloander, Antiquiorum ſecutus ſcripturam, illud *pecuniæ* non agnoſcit, nec Hotomannus dubitat gloſſema eſſe, quia ſcil. parum concinna videtur iſtæc gemini ſubſtantivi cumulatio, *pecuniæ penſionis.* Sed hanc evitabis, ſi, quemadmodum eſt in Codice, quem manuſcriptum habeo, & in Editione Blaublommii anni 1523. legeris, *pecuniæ* VEL *penſionis*, ſenſu optimo, ut τὸ *penſionis* ſit ἐξηγητικὸν *pecuniæ*, quo vocabulo antea uſus erat JCtus. Nihilominus & recte apud Florentinos, cumulatis ſine diſtinctione Συνωνυμοις, ſunt etenim & alibi obvia ejusmodi locutionum exempla: veluti *Conjugii nuptiæ* in *l.* 6. *C. de inceſt. nupt. Iter viarum*, apud Lucretium *Lib.* II. *vſ.* 626. ac ita intellectum illud Innocentii III. in *Cap.* 7. X. *de pignor. Pactum legis commiſſoriæ*, non erit opus, arcerſcamus a Pragmaticorum erroribus, ſicut Antonius Faber *Decad.* XXI. *Errore* ſuo I. ita & vetus inſcriptio *Tit.* LXVI. *Feud.* IV. *De pacto legis commiſſoriæ*, vid. Cujacium *ibid.* Sic & *ſortis fortunæ* apud Minucium Felicem in *Octavio C.* 36. dignitas eſt & elatio fati, nam, ut integrum locum male emendat, ſic & peſſime τὸ *ſortis* delet Petrus Faber *Lib.* III. *Semeſtr. C.* 23. *p.* 357. Quin & hic diſtinguere poſſis penſionem a pecunia, ut penſio hic nihil ſit aliud, quam pecuniæ *præſtatio*, ſecundum vocis etymon apud Varronem de *L. L. Lib.* IV. *circa finem:* & receptum loquendi morem, vid. *l.* 3. §. 13. *ff. de ſtatulib.*

Nec eſt, quod τὸ *pecuniæ* dicas eſſe fidei ſuſpectæ, quod duobus uncinulis ſit incluſum: nam verum non eſt: quod vulgo dici ſolet, non reperiri ea in archetypo Florentino, quæ hujusmodi notis [ ] continentur. Qui legit, quæ Taurellius Pandectis ſuis præfatus eſt, animadvertet, quinis eum notarum characteribus fuiſſe uſum, interque eos uno, ſimplici videlicet parentheſi, ſignificante, non exſtare quidem, quæ ea concluduntur, in Pandectarum monumento, attamen ſenſui ſuſtentando eſſe neceſſaria. Reliqua ſigna diverſum denotant. Horum autem nihil τῷ *pecuniæ* appoſuit Taurellius: ergo bene ſe habet. Unde igitur in Editionibus, quæ hodie vulgareis ſunt, heic reperimus ſupradictam notam [ ] vel etiam illam // //, & unde perverſum de iis judicium? crediderim omnino ex clauſula Lud. Ruſſardi, quam poſt repræſentatam Taurellii Præfationem in ſua Editione ſubjecit in hæc verba: *Acceſſit his (ne quid te lateat lector) ut quod his notis // // incluſum reperies hoc in toto juris corpore, illud ipſum nunc primum additum eſſe, ultra quam in Pandectis Florentinis, aut aliis hactenus legebatur, recognoſcas.* Turbat valde hæc clauſula, nam omnia, quæ hiſce notis // // in Editionibus Ruſſardi, Charundæ, Pacii, & Gothofredi pleriſque incluſa ſunt, ſine dubio exſtant in Libro Florentino, quemadmodum, ſi quis conferat, apparebit ſtatim. Itaque de facto non conſtat ea Ruſſardi clauſula. Sed hoc verum eſt, omnia, quæ notis illis comprehenſa ſunt, abeſſe ab Editione Haloandrina, ut præter τὸ *pecuniæ*, & reliqua, quæ in Legibus ſunt, etiam ex earum inſcriptionibus patet: eas quippe non habet fere Haloander a *Libro* XXV. *ff.* ad usque finem. Hinc ſtatim Ruſſardus, aliique, quos diximus, poſt JCti nomen, Legibus præſcriptum, quod eſt in Norica, Librum, ex quo petita Lex eſt, hoc modo ſignant // //. Quid ſi igitur dicamus, per *Pandectas Florentinas* Ruſſardum intellexiſſe *Haloandrinas*, utpote quæ pro Florentinis ſunt habitæ, priusquam anno M. D. LIII. ſuas vulgaret Taurellius: quandoquidem in Præfatione ſua jactet Haloander, ſe ad Florentini Libri fidem ſua retuliſſe, idque verum ſit, modo meminerimus, quod Ant. Auguſtinus aliquotiens inculcat, Haloandrum ex Bolognino, Bologninum ex Politiano, & hunc primum ad exemplar Florentinum exhibere eam, qua utimur, Editionem Noricam. Atque ea ratione factum eſt, ut Sylveſter Aldobrandinus ante *Comment.* ad *Lib.* I. *Inſtitutionum* lectorem ita moneat: *Invenies aliquotiens ſub nomine Florentini Libri Pandectarum citatum Librum Noricum, quod is magis ad Florentini fidem accedat.* Ita quidem, fateor, erit aliqua κακοχρησις in nomine, verum, ut vidimus, et-

etiam alias uſitata; ac ita in facto bene convenit: & conſtabit quoque, quam ob rem de notis *in toto Juris Corpore* additis dixerit Ruſſardus; hæc enim ad Pandectas, κατ' ἐξοχὴν Florentinas, referri nequeunt. Hoc ſi non placeat, ſententiam Clauſulæ dicamus eam, ut ultra quam in Pandectis Florentinis aliisve, additæ ſint illæ notulæ // //, non vero quod iis incluſum eſt: ait quidem *quod incluſum eſt*, ſed rurſum illud improprie erit accipiendum, contentum puta pro continente, per figuram neſcio quam. Jam vero certum eſt, in Florentino, aliisve ante Ruſſardum Libris haſce notulas // // non reperiri: ille primum addidit, ut, quid apud Haloandrum deſit, ſignificent. Atque ita, ſi explicari poſſit, explicanda videtur ea Ruſſardi admonitio, ne omnino ſit falſa, aliisve impoſterum imponat. Porro notandum, in Editionibus, hodie vulgaribus, illos ſignorum characteres, quos adeo ſollicite diſtinxit Taurellius, peſſimo exemplo confundi, & ferme omnes, diverſa licet denotent, una uncorum [ ] fidelia dealbari. Unde & in illis τὸ *pecuniæ* uncinulis concluditur, quum rectius Editores, quos memoravi ſupra, huic voci appoſuerint geminatas lineolas // //: utpote quæ ſolæ admoneant, eam omiſiſſe Haloandrum, prout jam diximus. Minus ſatisfaciunt, quæ de his notis obſervarunt Albericus Gentilis *de Libris Jur. Civil. C.* IV. & Niellius *Diſput. Feud.* III. in *Corollar. litt. K.* Videbantur igitur hæc digreſſione digna.

Ait JCtus; *poſt ſecundum & tertium tractum* &c. Gloſſa & Donellus *tractum* interpretantur *menſem*, quaſi menſis ſit *tractus & ſpatium, ad ſolvendam quamque penſionem conſtitutum.* Non putem, eos velle, tractum ſimpliciter menſem ſignificare, ſiquidem nemo, quod ſciam, ita ſit locutus Latine, ſed curſum ſpatiumve aliquod temporis, quod heic de menſe accipiendum eſt, ut ex præcedentibus claret. Verum, quia non *tractus* ἁπλῶς, at fere *tractus temporis*, eo ſenſu occurrit ſemper, quemadmodum in *l.* 29. *ff. de R. J.* & alibi, commodius erit, ſi τὸ *menſem*, quod proxime præceſſit, ſubintelligamus, & *tractum* exponamus *protractum* & *dilatum*, ſenſu, quem vides, bono: nihil enim frequentius eſt, quam diem vel tempus *trahere* pro differre, ut variis procraſtinationibus fere ſolent debitores, vid. *l. ult. ff. ad SCtum Turpill. l. ult. ff. de re judic.*

Sed ad rem. Si debitor & ſecundum, & tertium menſem traxerit i. e. in ſolutione moratus fuerit, eandem, quæ in penſione prima obtinuit rationem, etiam in reliquis ſervandam ſcribit Paulus, atque adeo *uſuras non ſolutæ penſionis creſcere.* Uld. Zaſius in *Gloſſis* ad voc. *creſcere* ita notat. *Quanto minus ſolvitur debitum per menſes, tanto plus creſcunt uſuræ: quia jam tres menſes ceſſaverat debitor, inde tenebitur ad novem denarios pro uſuris.* Vera propoſitio, falſum, ex ea quod colligitur. Eſt etenim longe major ἔμφασις in vocula *creſcere*: ea nimirum, ut, ſi tribus ex ordine Kalendis in ſolutione ceſſatum fuerit, poſtremæ quidem penſionis uſuræ ſemel tantum debeantur, quia ſemel h. e. uno duntaxat menſe, quod ad illam penſionem, moratus eſt debitor: at vero præcedentium penſionum uſuræ, pro numero menſium, quibus in mora perſeverat, identidem creſcant. Per tres igitur menſes ſi nihil fuerit ſolutum, primæ penſionis uſuræ ter, ſecundæ bis, ultimæ ſemel committentur, habita ratione moræ ter, bis, & ſemel commiſſæ. Quapropter patet, poſt tertias Kalendas lapſas, ejusque temporis tractum in mora, debitorem teneri, uſurarum nomine, non ad denarios novem, ut ille putavit, ſed ad octodecim: novem ſcilicet pro penſione prima, ſex pro ſecunda, tres denique pro ultima. Ita uſuræ erunt duplo majores, quam Zaſio memoratæ: quod ſi ipſe animadvertiſſet, ambigendum non eſt, quin acrius adhuc multo detonuiſſet in uſuram, *maledictam illam* (uti jam inquit *eodem loco*) *herbam, quæ ita creſcit & ſerpit paulatim.* Non aliter tamen, ac Zaſius, ſapuiſſe videntur Baſilici, ut poteris colligere ex iis, quæ retulimus *cap.* IX. melius tamen eorum Scholiaſtes Cyrillus.

Poſt curſum uſurarium in ſingulis trecentorum penſionibus, ex ratione commiſſæ moræ deſcriptum, pergit demonſtrare Paulus, quando tandem uſurarum ſortis univerſæ dies cedat, quas mox a prima mora urgebant Adverſarii. Dicit autem, *non ante ſortis non ſolutæ uſuras peti poſſe, quam ipſa ſors peti potuerat.* Quod de ſorte prædicatur, de univerſa dici malumus, quam cum Accurſio de *reſidua*, quum id ſit efficacius: ediſſerit namque adverſus diffidentes Adſeſſores JCtus, ſortis totius, cum ipſa non debeatur, uſuras deberi non poſſe. Atque hoc proſequitur clare, modo verum ſit, quod de uſura dilatæ quoque menſe penſionis duntaxat commiſſa diſputatum erat. Ipſa autem ſors, hoc eſt, univerſa *quindecim* cum effectu non recte petuntur, niſi poſt idus menſis tertii decimi (hic enim menſium numerus competebat ſolutioni, vid. *C.* VIII. & IX.): conſequenter neque prius debebitur omnium penſionum fœnus, ex Pauli noſtri ſententia. Quinimo ne tum quidem, ſi accurate loquaris, ſed uno adhuc menſe ſerius, ob ea, quæ diximus *d. C.* IX. Verum ἐν πλάτει loquutus eſt JCtus, exaudiendus nempe, ac ſi dixiſſet: *Sortis univerſæ fœnus non deberi, niſi poſt moram in univerſa commiſſam.*

Quod ſupra notatum eſt de augmentis uſurarum pro rata moræ in unaquaque penſione, & contra Zaſium probatum, earum nomine non novem, aſt octodecim deberi in ſpecie verborum Pauli, nunc latius deducendum eſt, ſi non menſes tres, ut exempli cauſa proponitur, ſed, quemadmodum eum feciſſe probabile eſt, omnes, quoad ſors integra fuerit confecta, in ſolutione traxerit debitor, in ſolutione nempe tam ſortis, quam uſurarum: de probabilitate diximus *C.* IX. Itaque in mora tranſactis menſibus duodecim & dimidio, duodecies & dimidiate pendenda erit uſura penſionis prima, quæ ita exſurget ad denarios XXXVII. ſeſtertios duos. Secundæ penſionis uſura undecies cum media unius parte, numero ternario (trecenorum Centeſima) multiplicata, dabit denarios XXXIV. ſeſtertios duos. Et ita deinceps omnium penſionum uſuræ ſupputandæ ſunt pro rata cujusque intercapedinis menſtruæ, & commiſſæ in ea moræ. Quo facto clarebit, non ſolutas omnium penſitationum uſuras *creviſſe* ad ducentos, quinquaginta tres denarios, nummosque duos. Sed quia *veritas magis oculata fide animis hominum infigitur*, ut inquit alibi Imperator noſter, non abs re fore crediderim, calculos heic oculis committere fidelibus.

Men-

Menſes ſortis non ſolutæ numero terno (C. C. C. Denarium uſurario) multiplicati, pariunt uſuras uniuſcujuſque penſionis pro rata menſium adauctas.

Menſes . . .	12½	11½	10½	9½	8½	7½
Centeſima C.C.C. den. . . .	3	3	3	3	3	3
Uſuræ penſionum ex mora . .	37½	34½	31½	28½	25½	22½

6½	5½	4½	3½	2½	1½	½
3	3	3	3	3	3	3
19½	16½	13½	10½	7½	4½	1½

Inferiores uſurarum numeros, ſi in unam reducas ſummam, habes 253½ denar. id eſt, univerſi Capitis uſuras, cum augmentis ex mora, etiam ſemi menſtrua. Connanus *Lib.* VII. *Cap.* 1. *n.* 12. penſionum omnium fœnus non ultra denarios ducentos, quinquaginta duos extollit; ſed, ut videtur, lapſus ratione unius & dimidii, minus ſupputati; idque eveniſſe putem ex omiſſa penſionis ſemi menſtruæ uſura. Cæteroquin ipſe recte etiam in cenſum vocat additiones uſurarias ex mora penſitationis debitæ continua.

Atque illud fieri plurimum intereſt: enormis enim eſt differentia, utrum cum Zaſio exiſtimes, uſuras ſimpliciter ſine incrementis currere, an vero, quemadmodum monuimus, & verum eſt, vires acquirere eundo. Incrementa ſola aſcendunt ad 216. Denarios: namque iis adde uſuram ſimplicem 37½ den. & habebis ducentos, quinquaginta tres, & dimidiam unius partem. Ita ex mente Pauli: ſin autem, quod ejus Antogoniſtæ volebant, unoquoque menſe currerent, & ſubinde creſcerent univerſæ ſortis uſuræ, immenſa foret earum ſumma poſt tempus ſolutioni competens: exſuperaret quippe plus quam beſſem Capitis omnino integri.

CAPUT XII.

Pactum autem, quod ſubjectum eſt, quidam dicebant ad ſortis ſolutionem tantum pertinere, non etiam ad uſurarum, quæ priore parte ſimpliciter in ſtipulationem veniſſent: pactumque id tantum ad exceptionem prodeſſe. Et ideo non ſoluta pecunia ſtatutis penſionibus, ex die ſtipulationis uſuras deberi, atque ſi id nominatim eſſet expreſſum.

Qui *ſtatuit aliquid parte inaudita altera,*
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit,

ut eſt in Tragœdia. Imperatorem Claudium hoc nomine lepide deriſit Seneca in *Apolocynt.*

Quo non alius *Una tantum*
Potuit citius *Parte audita,*
Diſcere cauſas, *Sæpe & neutra.*

Recte atque ordine igitur facit Legis noſtræ Auctor, quod Adſeſſorum, a quibus diffidebat (uti fere erat ſolitus, obſervante Cujacio *Lib.* II. *C.* 26.) ſive, ut Paulus de Caſtro loquitur, *Advocati alterius Partis* rationes in contrarium proponat. Facete admodum Adverſarios in arenam producit Cynus ad *h. l.* Nam, poſtquam facti ſpeciem, & Pauli de ea reſponſum ingenti ſatis apparatu exhibuerat, ita tandem pergit: *Hac reſponſione data per Dominum Paulum, ſurrexerunt ex adverſo quidam alii Baccalaurei* (nam & *Paulum* in præcedentibus appellaverat *unum perfectum Baccalaureum, & unum diſertiſſimum Advocatum) de Schola Domini Papiniani; vel alii Advocati Prætoriani fori, & dixerunt: Nos dicimus contrarium, & audiatis; Dominus Paulus, ſalva ſua reverentia, dixit duo falſa* &c. Dein Paulum iis reſpondentem inducit hoc modo: *Falſum dicitis vos, ſalva veſtra reverentia, non ego.* Et cætera hujusmodi nugamenta, ſalva tamen Domini Cyni reverentia.

Sed quot hic fuiſſent a Paulo Diſſentientes? unus, pluresve? ſubſiſto. Uno plures fuiſſe arguit pluralis locutio, *quidam dicebant;* & unum duntaxat, ſingularis, quæ ſequitur, nota, *ut ille putabat.* Nunquid ergo cum Haloandro, eumque ſecutis Fr. Hotomanno, & Ant. Fabro legemus, *quidam dicebat*, ut utraque locutio eſſet ſingularis? an vero, *ut illi putabant*, quo utrumque eſſet plurale? neutrum placet, plures etenim fuerint, an unus, ſalva res eſt. Unum ſi dicas, non eſſet novum, eum plurium numero deſignari, quia hæc & olim fuit, & etiamnum eſt tralatitia Antagoniſtas notandi formula, ut qualiſcunque notæ invidia tollatur, ſeu potius minuatur. Plures ſi fuerint (in quod proclivior ſum) recte eorum mentio fit καθολικῶς in prima ſtatim concertatione: inter eos autem ſi quiſpiam excellat, dignus, qui vel ſolus referatur, cur non *ille* deinceps memorari poſſet ἐπιδεικτικῶς, velut omnes repræſentans? Atque his adde, inſolens non eſſe, per commutationem numeri, ſingulariter deſignatum, plurium numero occurrere in una eademque oratione, ut in *l. Gallus* 29. §. 6. *ff. de lib. & poſt. hær. inſt.* quod etiam a Bartolo, & Cujacio ad *d.* §. animadverſum eſt.

Cæterum ut diximus, veriſimile eſt, JCtum noſtrum per *quoſdam*, hoc quidem loco, intellexiſſe Adſeſſorum aliquos, in Papiniani auditorio ipſi adverſos. Recenſet ex iis nonnullos in *l. ult. ff. de Jure fiſc.* reliqui aliunde noti. Quis autem ſit ille ILLE, contrariæ opinionis princeps, *Cap. ſeq.* diſquiretur. Attamen fatendum eſt, non prorſus conſtare de adſeſſoribus notatis. Quid ſi dicamus, Paulum heic non agere adſeſſorem, ſed *Advocatum*, ut ajunt plerique Veterum: & ita Lucii Titii cauſam oraſſe adverſus Patronos Publii Mævii. Paulum utique cauſas etiam egiſſe ejus teſtimonium probat in *l.* 78. §. 6. *ff. de leg.* 3. Sed res fere eodem redit.

Quicunque igitur aut quotcunque JCto noſtro adverſati fuerint, nihil magnopere refert. Argumenta eorum ſuccedant: *Pactum, quod ſubjectum eſt, ad ſortis ſolutionem tantum pertinere, non etiam ad uſurarum, quæ priore parte ſimpliciter in ſtipulationem veniſſent. Quæ, ſcilicet uſuras* notat Accurſius, qui, ſcilicet Accurſius, ejusmodi elegantias plus ſemel habet venales. Neque plane otioſa videri poteſt hæc gloſſa, quum Hotomannus illud *quæ* alio referat, dicam, an detorqueat? Nimirum, quia ſcriptum eſt, uſuras *priore parte* in ſtipulationem veniſſe, & tamen conſtat, in ſecundam demum ſtipulationem eas fuiſſe deductas, hinc ille *Lib.* XI. *Obſerv.* *Cap.* 1.

Cap. I. ſcripturam propoſitam ſuſpicatus eſſe vitioſam, in ſingulari legendum cenſet, *veniſſet*, non *veniſſent;* parentheſi autem includenda hæc verba, *non etiam uſurarum*, ut ſenſus ſit: pactum ſubjectum ad ſortis ſolutionem tantum pertinere (non etiam uſurarum) quæ, nempe ſortis ſolutio, *priore parte*, id eſt, ſtipulatione prima ſimpliciter comprehenſa fuit. Verum hæc tanti non ſunt, ut propterea recedamus a lectione recepta: contra nunc eam tuemur magis, quandoquidem admiſſa emendatione, & intercalatione pejor, immo nullus ſenſus eſt. Quid obſecro, ſibi vellet pars adverſa, cum ajat, ſortem *ſimpliciter*, h. e. absque ulla deinceps immutatione (uti mox dicam) in ſtipulatum veniſſe? eſt certe illud aperte falſum de ſorte, de uſuris videri poterat verum. Non nego, ſervata ſcriptura, ſubeſſe difficultatem in τῷ *priore parte*, vulgo vel non animadverſam, vel præteritam ſtudio: ſed hanc facile erit ſuperare, dummodo *priorem partem* non interpretemur *priorem ſtipulationem* cum Hotomanno, aſt *partem priorem univerſæ cautionis.* Duo etenim eam abſolvunt, contractus & pactum: dividitur in bigam ſtipulationum, quarum ſecundam, quæ de uſuris eſt, reſpicit Paulus, quæque prior pars negotii inter Mævium & Titium geſti audire poteſt, & etiam audit. Hoc modo uſuras, poſteriore quamvis ſtipulatione, priore tamen cautionis parte promiſſas non abſurde dicimus.

In tranſitu τῦ *ſimpliciter*, ejusque ſignificationis meminimus, & ſane ſimpliciſſima hujus vocabuli expoſitio eſt, uſuras ἁπλῶς, ſine innovatione, & mutata contrahentium voluntate in ſtipulationem veniſſe; atque adeo ex pacto, diviſa licet ſorte, earum rationem non habendam. Si malis altius adſurgere, illud *ſimpliciter* accipe pro τῷ *ſincere*, *ſine fuco & dolo*, quomodo *ſimplex*, & *ſimplicitas* apud Latinos paſſim. Ulpianus quoque in *Comment. ad Orat. Demoſth. contra Timocr.* ἁπλῶς interpretatur σαφῶς καὶ μὴ πανούργως, *evidenter & non doloſe.* Atque eo ſenſu, ſi liberius ratiocinari liceat, τὸ *ſimpliciter*, quod de uſurarum ſtipulatione hic prædicatur, in ea idem notabit, ac operabitur, quod *proba recte* in ſtipulatione ſortis: quo de actum eſt *Cap.* IV. Non equidem *repugno*, quominus hæc ſtare queant: ſed tamen prima, quam dedimus, interpretatio, videtur magis propria, & per hanc nervoſior diſſentientium argumentatio. Igitur ἁπλούστερον σαφέστερον.

Non erit opus, ut hoc Partis adverſæ argumentum prolixe enarremus, quum exhibita explicitaque verba vim ejus omnem affatim edoceant. Univerſum impetum uno verbo deſcribam: in ſubſequuta pactione convenit quidem, ſortem partitis penſionibus præſtitum iri, at in ea nihil de uſuris vel ſcriptum, vel pictum eſt. Quapropter earum ſolutio exigatur ſecundum tenorem ſtipulationis, a qua receſſum non eſt, quod enim non mutatur, cur id ſtare prohibebimus? verum eſt, ab integræ ſortis præſtatione, Kalendis proximis facienda, receſſiſſe partes, ſed item verum, quod ipſe Paulus ſcribit in *l.* 27. §. 4. *ff. de pact. Ante omnia animadvertendum eſſe, ne conventio in alia re facta, in alia re noceat.* Itaque creditorem, ni ſponte ſua ſortem offerat debitor, ejus totius, non penſionis conventæ, uſuras jure optimo depoſcere, indubitata, parum attendenti, res videri poſſet: ſpecioſa namque objectio.

Pergunt Adverſarii: *Pactumque id tantum ad exceptionem prodeſſe.* Urgent hæc verba importune admodum, non quidem ad ſententiam Pauli noſtri convellendam (de eo quippe ſolliciti non ſumus, cum ipſe in ſeqq. defenſionis ſuæ idoneus ſit auctor) ſed ad confutanda penitus ea, quæ *Cap.* X. tradidimus. Suppoſuimus enim ibi, pactum Q. D. A. ad exceptionem duntaxat prodeſſe, ſimulque divortium fecimus a duabus (neque enim plures dantur) Interpretum ſententiis, quæ virtutem pactionis noſtræ usque eo extollunt, ut vel ad actionem ſufficiat, vel jus creditoris ipſo jure imminuat. Diximus etiam, utramque opinionem potiſſimum confici ex illo Pauli, *Quia pacta incontinenti facta*, cui fecimus ſatis. Verumtamen, ut dicam, ingenue, non minus eſt adverſa nobis heic obvia difficultas: etenim a Paulo diſſentientes ſi dicant ex pacto ſubjecto exceptionem ſolummodo naſci, utique ipſe (cujus ſententia utimur) aliud dixiſſe, aliud ſenſiſſe debuit. Quod autem hoc erit? Veterum aliquis, qui, pro ſecta illius temporis, pactum in vſ. *convenit*, ad actionem prodeſſe exiſtimabat, ita infit. *Id eſt, quod dicit Paulus, pactum plus quam ad exceptionem prodeſſe. Nam cum inter exceptionem & actionem nihil ſit medium, JCti verba etiam nobis invitiſſimis, hanc confeſſionem exprimunt, uti dicamus, ex pacto actionem naſci.* Negaret altera ſententia, nil eſſe medium actionem inter & exceptionem: ipſo enim jure operari plus eſt, quam exceptionem, minus quam actionem parere, quod eſt verum. Adeoque, aiunt, ſi pactum in propoſito actionem non producat, nil ſupereſſe videri poteſt, quam ut in gratiam debitoris ineſſe, petitionemque actoris ipſo jure ſuſtuliſſe dicamus. Hæc ſunt, quæ alterutram ſententiam amplectendam eſſe ſuadere, quin & jubere videntur, niſi quis dicere & putare malit, quod Adverſarios *dixiſſe* & *putaſſe* memoravit Paulus.

Poterimus nos expedire, modo ſimus memores, hæc verba, *pactumque id*, &c. non protuliſſe JCti noſtri Antagoniſtas velut novum argumentum, ſed velut ἐξήγησιν prioris. Non igitur abrupte ea accipimus, at cum relatione ad præcedentia, quibus de diſputatum erat ab Adverſariis. Illi etenim pactum ad ſortis ſolutionem tantum pertinere rati, incontinenti ſubjungunt: *Pactumque id tantum ad exceptionem prodeſſe*, hoc eſt, pactum ſecundum ea, quæ dixerant, ſolummodo profuturum eſſe: dixerant, ad ſortis ſolutionem tantum pertinere, ergo ei objectum, ex eorum ſententia, ad exceptionem proderit, non item, ſi opponatur uſurarum petitioni, quod volebat Paulus. Ut ἐξηγητικῶς igitur procedat diſputationis oratio, τὸ *id* referimus ad ea, quæ proxime præceſſerant, vel, quod eſt clarius, accipimus in caſu quarto, pro *quod ad id*, *quod attinet ad id*, ut ſenſus ſit: conventionem ſubjectam, quod ad id, de quo dixerant, ad exceptionem podeſſe, non aliter. Nec inuſitata plane eſt voculæ *quod ad* ἔκλειψις: denuo Paulum adi in *l.* 57. *pr. ff. de Contr. E. & V. Neratius ait, hanc quæſtionem multum intereſſe*, pro *quoad ad hanc quæſtionem*, manifeſte.

Et hæc quidem absque ope Critices, verum huic non plus juſto iniquior forte in animum inducat, pro *pactumque id tantum*, legendum eſſe, *pactumquE i tantum.* Sicut enim Ulpianus in *l.* I. *pr. ff. depoſit.* notat, voculam *de* augere, ita certe littera *D.* difficultatem heic in immenſum adauxit: pereat itaque bonis avibus, & vocabuli præcedentis ultima (*e*) magnificetur in *E*, atque ita *pactumquE i tantum*, per ἀναδίπλωσιν, *pactumque ei tantum*, *ei*, nimirum *ſortis petitioni* objectum, *ad exceptionem prodeſſe.* Vel, liberius paulo, in locum τῦ *id* ſubſtituamus *eo*, & nihil tricarum ſupererit: *Pactumque eo tantum ad* ex-

exceptionem prodeſſe i. e. ad ſolutionem ſortis, non uſurarum, cum continua iterum σχέσιν ad præcedentia. Videlicet: pacti exceptio ſorti duntaxat obſtat; ergo creditor ejus univerſæ, non ſolutæ, uſuras petens, eadem exceptione repelli nequit. Hoc enim eſt, quod Adverſarii contendunt, quamvis *non multum ad Rhombum*, ut inquit Joannes, vetus gloſſator, ſed de eo *Cap. ſeq.* Interim liquet, Paulum in ſubjecta ſpecie non negare, pactum ad exceptionem prodeſſe; at vero exceptionem illam ad ſortem duntaxat eſſe reſtringendam. Conſiſtunt itaque ea, quæ de pactis adjectis prælibavimus.

Properemus ad conſequentia, quæ ex objectione ſua eliciunt creditoris Patroni. *Et ideo*, ajunt, *non ſoluta pecunia ſtatutis penſionibus, ex die ſtipulationis uſuras deberi, atque ſi id nominatim eſſet expreſſum.* Si verum foret, ad uſuras pactum non pertinere, adeoque ejus præſcriptionem ſortis integræ exactioni tantummodo obſtaturam, ſequeretur etiam, *non ſoluta pecunia*, trecenis ſcilicet denariis (perperam quippe *pecuniam* hic de univerſa ſorte exaudit Donellus) ſtatis ex conventione penſionibus, uſuras deberi ex die ſtipulationis, ex Kalendis proximis. Per *uſuras* autem intellexiſſe Adverſarios totius capitis fœnus, palam faciunt, quæ C. IX. diximus: hoc etenim, ſi conditio moræ exiſtat, præſtari volebant jam ſtatim ex die ſtipulationis. Contra Paulus, *Non ante* totius *ſortis non ſolutæ uſuras peti poſſe, quam ipſa ſors peti potuerat.* Porro & illud diſſentientium opinio ſuppeditat, non modo non ſolutis ſuo tempore penſionibus, ſortis integræ uſuras deberi, verum & ſolutis, ratione ſortis reliquæ: nam & in ea moram fieri putabant, ni ultra offerretur tempore ſolutioni condicto, ſeu potius, quanquam in ea non fiat mora, tamen illius uſuras committi propter expreſſa ſtipulationis nondum abrogatæ verba. Quicquid autem hujus rei ſit, putem hoc conſtare, eos, qui penſione una non ſoluta ab eo, quem annua bima trima ſolvere oportebat, eos, inquam, qui tum Capitis univerſi uſuras exigunt, etiam parte ſoluta, nihilominus exigere fœnus ſortis reliquæ, ni hujus ſpontanea intercedat oblatio.

Ex hac partis adverſæ ſententia nemo eſt, qui non videat per *diem ſtipulationis*, cujus meminit Paulus, intelligendum eſſe diem ſtipulatione comprehenſum i. e. *Kalendas futuras*, non vero diem ſtipulationis interpoſitæ, quemadmodum verba, in queis explicandis occupamur, imponere poſſe videntur minus attento (vide omnino *d.* C. IX.): cum utique JCtorum ab auctore noſtro diſſidentium nemo *fuerit adeo vervex* (ut mea faciam verba Cujacii in *Comm. poſt. ad h. l.*) *ut exiſtimaret, uſuras deberi ex die contractæ obligationis, cum hæc verba ſtipulationis* TUNC EO AMPLIUS, QUO POST SOLVAM, *aperte referantur ad tempus moræ, id eſt, ad tempus non ſolutæ ſortis Kalend. proxim.* Nihil eſt verius Cujaci, quicquid alibi in contrarium dicas. In eo Adverſarii toti ſunt, uti probent ex die, quo mora fieri, quo pœna infligi poteſt, eſſe gravius infligendam. Ante Kalendas futuras data erant utenda illa *Quindecim*, ſed ſine fœnore mutua. Ab hoc tempore currere & creſcere eorum uſuræ: idque, ut volunt, perinde, *atque ſi nominatim* noviſſima conventionis parte *eſſet expresſum*, nihil uſurarum totius ſortis petitioni præjudicatum iri, quamtumvis ſors ipſa in præſtationes menſtruas foret diviſa: aliam namque uſurarum, aliam ſortis eſſe cauſam. Confecta res eſſet, niſi ipſa contrariæ ſententiæ fundamenta labaſcerent.

Supradictis per me licet addas præſumtum contrahentium animum, qui, ſi uſuras cum remiſſa ſorte remiſſas voluiſſent, rem tanti momenti ſilentio præteriiſſe non ſunt credendi. Sibi igitur, ſuæque imprudentiæ acceptum ferat debitor, quod non vigilaverit, jura vigilantibus ſcripta ſunt. An huic patrocinabimur, qui præmium negligentia dignum reportat? qui damnum, quantumcunque ſit, ſua culpa ſenſit? vel ut dicam levius, de uſuris in fraudem creditoris reticuit? At enim hæc præter veri & æqui ſpeciem nihil habent: nam præſumtio, ſi qua ſit, non poteſt non eſſe ſtabilita in Jure communi, cum præſumendum non ſit partes præſumſiſſe, quæ non ſunt juris. Jam vero Jure communi debitori ſatis & ſuper cautum eſſe, cum Paulo videbimus *Cap. ſeq.* Ergo nulla fingi, nedum argui poteſt imprudentiæ fraudisve culpa in eo, qui non ſupervacuas cautelis cautelas accumulat, *non* enim alios capit, ab aliisve *capitur*, *qui jus publicum ſequitur*, ſi fidem habeas Ulpiano in *l.* 116. §. 1. *ff. de R. J.* Atque hæc liceat hoc loco dixiſſe pro aſſertione Pauli: ad ea, quæ ab Adverſariis diſputata ſunt, quid ipſe reponat, videamus porro.

CAPUT XIII.

Sed cum ſortis petitio dilata ſit, conſequens eſt, ut etiam uſuræ ex eo tempore, quo moram fecit, accedant. Et, ſi (ut ille putabat) ad exceptionem tantum prodeſſet pactum, (quamvis ſententia diverſa obtinuerit) tamen uſurarum obligatio ipſo jure non committetur: non enim in mora eſt is, a quo pecunia propter exceptionem peti non poteſt.

Poſtquam JCtus per cauſæ conjectionem ſuam ipſius ſententiam, & quæ huic videbantur adverſarier, retuliſſet, adgreditur eam probare, & ſimul refutare contraria, ut conſtet palam, quis juſtius induat arma:

> *Τις γὰρ δίκην κρίνειεν ἢ δοίη λόγον,*
> *Πρὶν ἂν παρ' ἀμφοῖν μῦθον ἐκμάθῃ σαφῶς.*

ſecundum illud Euripideum. Procedit autem ita, ut primo utrumque abſolvat una, eaque peremtoria ratione: dein oſtendat, Adverſarios corium & flagellum attuliſſe ſecum. Ratio, quam dixi, peremtoria hæc eſt: *Sed cum ſortis petitio dilata ſit, conſequens eſt, ut etiam uſuræ ex eo tempore, quo moram fecit, accedant.* Sortem eſſe dilatam negaſſit nemo: ex eo, & uſuras eſſe dilatas, colligit oppido JCtus quam valide. Regula generalis eſt, ſuum acceſſoria ſequi principale, neque ſine eo conſiſtere recte poſſe *l.* 129. §. 1. *l.* 178. *ff. de R. J.* In omnibus liberationum ſpeciebus etiam acceſſiones liberari *l.* 43. *ff. de ſolution.* Adeoque ſorte ſublata vel mutata, uſuras quoque tolli mutarive *l.* 26. *in fin. pr. C. de uſur.* *l.* 77. *ff. de Jure dot.* *l.* 8. §. 1. & 2. *ff. de liber. leg.* appoſite in hanc rem Papinianus in *l.* 69. §. 2. *ff. de I. D. Placuit uſuras non eſſe præſtandas, cum nec ſortis exactio locum habeat.* Sed hæc ſunt Juris certi. Igitur & heic ſubjecta de ſorte in penſiones ſecanda con-

conventio ſtipulationem uſurariam ita affecit, ut, velut acceſſoriam, ſuique appendicem, traxerit ad ſuam ipſius indolem, & inde oriundum jus. Sortis itaque commiſſæ uſuras duntaxat committi, proſequitur liquido. Alias, ſi res ſint principales, & ab ſe invicem diſtinctæ, obtinebit, quod *Cap. ſuperiori* adduximus ex Paulo noſtro in *l.* 27. §. 4. *ff. de pact.*

Atque his, generaliter veris, placuit JCto quædam κατὰ τὶ inſerere, ut magis ſtringat argumentatio. Dilata forte differuntur uſuræ, & differuntur *ex eo tempore, quo moram fecit* Luc. Titius. Erat certum, uſuras in ſpecie ſubjecta ex mora deberi, pœnæ nomine, quo poſt Kalendas fieret ſolutio. Atquin mora reſpectu ſortis univerſæ, propter exceptionem pacti, committi non poteſt, niſi poſt tempus penſionum omnium ſolutioni competens. Primo menſe primæ penſionis mora fieri poterit, neque ultra: Secundo ſecundæ, & primæ: Tertio tertiæ, ſecundæ, & primæ. Fiat igitur computatio pro rata moræ ſecundum ea, quæ *Cap.* XI. propoſuimus.

Videmus & in genere, & in ſpecie adſtructam hujusce regulæ veritatem: *Non debitæ ſortis non debentur uſuræ.* Ex ea quam valide afferatur Pauli ſententia, nunc probandum eſſet, ni res ipſa loqueretur. Nec majoris operæ eſt, ſciviſſe quid faciat eadem regula ad confutandos Adverſarios. Pro ratione conventæ penſionis, inquit Paulus, currunt & creſcunt uſuræ, quum illæ ſequantur ſuum principale. Alii: immo ſortis univerſæ fœnus jure debetur, quum ſtipulationem ſortis, non uſurarum, immutaverit conventio. Rurſum Paulus, dilata forte differuntur uſuræ, cum ex generali juris fundamento, tum ex requiſito moræ. Viden', quam vere hæc reſponſio *viva & ſpirans* a Zaſio, *ſubtilis & acuta* ab Hotomanno dicatur: poterat enim ea defungi JCtus ad probanda, quin & vindicanda, quæ dixerat.

Attamen viſum eſt PAULO liberalius agere cum ſententiæ contrariæ Propugnatoribus, licet verum ſit, hactenus diſputata ad cauſæ controverſæ intellectum, & dijudicationem ſufficere videri. Itaque, quæ objecerant, iis ipſe largitur; ſed quid tum? tantum tollentur in altum, ut lapſu graviore ruant. Adverte animum: *Et, ſi (ut ille putabat) ad exceptionem tantum prodeſſet pactum (quamvis ſententia diverſa obtinuerit) tamen uſurarum obligatio ipſo jure non committetur.* Ratio: *Non etiam in mora eſt is, a quo pecunia propter exceptionem peti non poteſt.* In lectione horum verborum, quam nobis Thuſcorum Codex dedit, nihil jure ſollicites. *Si* hic eſt pro *etiamſi*, *quamvis:* alioquin, ſi ſenſus cohæreret, conjunctim legerem *etſi;* nunc duplarem & in *ET*, hoc ſenſu: *Et, etſi (ut ille putabat)* &c. Sed, ut dixi, idem præſtat τὸ *ſi* ſimpliciter, quemadmodum ab aliis jam notatum eſt. Verum hæc ſunt minutula. Aliter graſſatur Hotomannus *Lib.* XI. *Obſerv. C.* 1. Nam, poſtquam faſſus erat (diffiteri quippe non poterat) ſcripturam hactenus receptam ferri poſſe, tamen *commodius & conjunctius* ita legendum cenſet: *Tum uſurarum obligatio ipſo jure committeretur.* Dein ſubaudiri vult: *Quod eſſet dictu abſurdiſſimum.* Incredibilis commoditas & conjunctio, ubi quædam mutantur, quædam delentur, &, ne quid dictu abſurdi deſit, tota periodus ſola mente infarcitur. Bene ſe habet excuſa lectio, & Hotomanni figmentum, ne ſingula perſequar, ſatis retundit ſubjecta ratio in vſ. *Non enim.*

Itaque Paulum, prout eum exhibuimus, interpretaturi, videamus primo, quem denotare videatur, cum ait: *ut ille putabat.* Certum eſt, ex iis, qui ipſi adverſabantur, notari heic Antagoniſtam, dubio procul illuſtrem: at quis *ille* fuerit, tantum non incertum. Sunt, qui prorſus non dubitant, Ulpianum intelligi, idque ex traditione vulgari, qua creditur, Paulum inter & Ulpianum ſemina æmulationis per jus noſtrum paſſim eſſe ſparſa, adductis in eam rem teſtimoniis quam pluribus, veluti *l.* 43. *ff. de action. emt. l.* 36. *ff. famil. erciſc.* (quæ eſt ex eodem *Quæſtionum* opere) *l.* 44. §. 8. *ff. de condit. & demonſtr. l.* 6. *ff. de fideicomm. libert. l.* 2. §. 4. *ff. pro empt.* Sed non eſt, quod tam large hæc nobis obtrudi patiamur. Ulpianum, fateor, notavit Paulus, at ſemel tantum, quod ſciam, in univerſo jure, cum elogio *Domitii Ulpiani* in *d. l.* 43. *ff. de action. emt.* Quod ad reliqua, dicamus non liquere. Verum, ajunt, ſub voce *Quidam* vel *Alii* Ulpianum utique reprehendit Paulus: quis hoc dicat? utcunque enim non negemus, illud potuiſſe fieri, ita, quominus factum eſſe adſeveremus, vetat ſumma incertitudo: præſertim cum conſtet, uti mox dicemus, Paulum non ſemel, ſed aliquoties Papinianum nominatim ſibi confutandum ſumſiſſe. Utque adeo, quorum contentio aperta magis & frequens eſt, eorum & æmulatio tacita videatur magis præſumenda. Accedit, quod Paulus Papinianum, Præfectum prætorio, cujus ipſe adſeſſor erat, totiens nominatum vellicare non auſus, hunc ipſum etiam ſub appellatione generali aliquando intellexiſſe, ſit probabile. Papinianum igitur, an Ulpianum, Tryphoninum, an Meſſium, adſeſſorumve alium, quin & an omnes ſimul notaverit in *d. l.* 44. §. 8. *ff. de cond. & demonſtr. l.* 6. *ff. de fideic. libert.* & ejusdem farinæ plurimis, mihi equidem non conſtat. In dicta autem *l.* 36. *ff. famil. erciſc.* neque Ulpianum, neque JCtorum alium putem ſignificari his verbis, *ſed tu videris eo moveri*, ſed conſultorem, ad quem ea directa eſſe, innuunt præcedentia. Quid dicemus ad *d. l.* 2. §. 4. *ff. pro empt.*? ſcilicet neque ibi conſtare de perſonæ, perſonarumve certitudine: *Alii*, inquit Paulus, *putabant & hanc ſub conditione eſſe contractam;* ILLE (perinde ac in noſtra L.) *non contrahi, ſed reſolvi dicebat. Quæ ſententia vera eſt.* Sub *Aliorum* vocabulo Ulpianum deſignari Cujacius autumat: ecquis autem tum erit ille ILLE? quidni Ulpianus, cujus ſententiam licet probet, nominato tamen ejus teſtimonio uti, & auctoritate, vetabat æmulatio? quidni Papinianus? nihil prohibet. Quidni alius? per me licet. Sic ut tantum non incerta ſint omnia, quæ tanquam certiſſima venditantur vulgo.

Non tamen in *hac lege* 40. alienus eſſem a conjectura (aliter enim hæc res tranſigi nequit) Paulinæ in Ulpianum notæ. Memoraverat jam Paulus diſſidentes Adſeſſores, & omne, ut ita dicam, ignobile vulgus ſub vocula *Quidam:* ſed hic, paululum, ut videtur, commotior, ſingulariter adhuc notat contrariæ ſectæ principem, aliis vel dignitate, vel juris ſcientia præeuntem. Utroque quidem hoc tempore ante omnes excelluit acutiſſimi vir ingenii Papinianus, at cum eo heic JCto rem non fuiſſe, quam ſit veriſimile, apparabit ſtatim. Poſt hunc Ulpiano, *Juriſprudentum*, ut dicitur in *l.* 13. §. 2. *de excuſat.* κορυφαίῳ, nemo, quem peculiariter induceret Paulus, fuit dignior, utpote cum ipſo Paulo de palma certans. His adde, & Ulpianum in adſeſſorio Papiniani fuiſſe, & per hoc ſen-

ſententiam diviſſe ſuam de iis, quæ tunc temporis controvertebantur, & quidem contrariam Paulo, cum is videatur ſolus ſuſtinuiſſe junctas umbone phalanges, ait enim *Dicebam*, ſecus ac in *l. ult. ff. quod cum eo.* Taceo ſimultates, cum primis ſtrenue inter pares exerceri ſolitas, quandoquidem ſuffecerit ſpecimen ex *l.* 43. *ff. de act.on. emt.* Ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι! Et hæc de probabilitate cenſuræ in Ulpianum dicta ſunto.

Nequit autem induci Joh. Goeddeus *de Contr. & committ. ſtipul. C.* VIII. *n.* 61. ut exiſtimet, hoc loco Ulpianum deſtinari, quia, ſi credere dignum eſt, ipſe in *l.* 13. *pr. ff. commun. prædior.* quum loquatur de *obligatione per ſtipulationis legem*, docet pacta ſtipulationibus ineſſe, ſicuti hic Paulus. Quod, licet utrumque ſummo jure negemus, nil tamen πρὸς ἔπος, quippe cum eo non obſtante potuerint eſſe diſcordes circa obligationem uſurarum, vid. *C.* X. Cujacius ad *Lib.* III. *Quæſt. Pauli*, in *l. Lecta*, *ſub fin.* itidem negat Ulpianum deſignari, & tamen id ipſum in principio ejusdem *Comment.* conceſſerat, quod inter ejus *Variantia* non immerito referas. Nititur porro ille argumento *l.* 11. §. 1. *ff. de R. C.* cui idem reponimus, quod Goeddeo, quum eadem ſit utriusque inductio. Statuit tamen Cujacius heic Pauli certamen ſingulare cum Papiniano, & ita ante eum Viglius Zuichem ad §. *ex eo autem* 7. *in fin. Inſt. quib. mod. teſt. infirm.* Cujas adducit *l.* 5. *ff. de ſeparat.* juncta *l.* 3. §. *ult. eod.* ut colligat, Papinianum etiam ibi in notam Pauli incurrere. Imo luculentius in *l.* 97. *ff. de acq. vel. amitt. hær. l. ult. ff. de Jure fiſc.* & *Decretorum* Libris paſſim: quin & appoſita iniquitatis nota in *l.* 60. §. 4. *ff. de R. N.* Verumtamen, quamvis lubens concedam, neminem plus Papiniano vapulare in ſcriptis Pauli, in præſenti illud fieri non crediderim. Non utar ea ratione, quod in Manuſcripto meo ipſe Papinianus, velut Auctor, præſcribatur *Legi* XL. cum ignorem, qua fide. Sed quia ſententia Pauli non obtinuiſſet in auditorio, cujus præſes, moderator, & arbiter Papinianus erat. Pronunciaſſet potius, ac eum feciſſe legimus in *d. l.* 97. *ff. de acq. vel amitt. hæred.* id eſt, ſi verum amamus, minus recte. Hæc forte animadvertens Viglius *dicto loco*, ut ſtaret ejus commemorata opinio, putavit, Partem Paulo adverſam obtinuiſſe. Sed quum & illud non ſit probabile, ut in ſeqq. ſumus probaturi, manet eadem, quam adſtruximus, Ulpiani denotati veriſimilitudo. Verum de his ſatis, & forte plus ſatis.

Igitur ad arma. Quamvis ille Paulo contrarius, & cum eo reliqui *putarent ad exceptionem tantum prodeſſe pactum, tamen*, ait, *ipſo jure non committetur uſurarum obligatio.* Videmur certe ὕδρας τέμνειν, ita aliam alia excipit difficultas. Diximus *Cap.* XII. eorum, quæ Adverſarii movebant, non alium eſſe ſenſum, quam pacti exceptionem ſorti duntaxat obſtaturam, cum ipſa pactio nil niſi ſortem concernat. Atqui JCtus in ejusdem argumenti repetitione Diſſentientium mentem videtur ita explicare, uti exiſtimaſſent, pactum ſimpliciter, absque ulla mentione ſortis, ad exceptionem prodeſſe: quod negavimus *d. C.* XII. conſequenter *hujus Legis* interpretationi, quam inſtituimus *Cap.* X. Poterit huic ſcrupulo occurri, ſiquidem dicamus, hanc argumenti aſſumtionem ad primam ejus propoſitionem referendam, ex eaque explicandam eſſe, quemadmodum ipſa rei natura, & præſertim ἔμφασις in vocula *ut*, ſatis indicat; *ut ille putabat* h. e. *ſicut*, *eo modo quo.* Ergo hoc vult: Quamvis ea, qua ille ajebat, ratione, pacti exceptio ſit ſolummodo in ſortem operatura, non vero & in uſuras, ut ego puto verius, tamen earum obligatio ipſo jure non committeretur. Denique non poteſt non referri ad ſortem ſolam ea, qua de ſermo eſt, *exceptio;* non utique ad uſuras, ne cogamur ita ratiocinari: Quamvis exceptione tantum, tamen ipſo jure uſurarum fieri prorogationem. Eſſet hæc ſententia ſic ſatis fatua, & ecquis eam a contradictione abſolvat?

Sed magis adhuc offendit propoſita oratio: nam quid? ſi poſt ſtipulationes conveniſſet nihil, uſuræ Capitis univerſi ſine dubio fuiſſent commiſſæ mox a mora menſis primi. Nunc convenit de ſorte particulatim refundenda. Hanc conventionem tuemur, at per exceptionem, & quidem ſorti tantum opponendam, quemadmodum largitur Paulus, quo pacto igitur ſubſiſtet, quod ipſe contendit, ne quidem *ipſo jure* committi obligationem uſurarum? ſortis puta integræ, vel præter penſionem ſuo die ſolvendam reliquæ: trecentorum quippe uſuras committi, & ipſo jure committi, ſiquidem in mora ſit debitor, ad inficias ire non poterat Auctor noſter. Eſt autem id, quod diximus valde ἀπροσδόκητον: uſuræ enim ſi ſortem, ſuum principale, continuo ſequantur, earumque ſtipulatio non ſit niſi acceſſoria, uti late probavimus, videbatur conſequens, non aliter eas differendas eſſe, quam ipſa ſors dilata fuit, hoc eſt, per exceptionem, non ipſo jure, ut ita viribus æquis pactio operetur & in ſortem, & in uſuras. Quin eam plus valere in uſuris immutandis, de quibus ne hilum ipſa loquitur, quam in ſorte reformanda, quæ materiam pacti abſolvit omnem, nonne habet aliquid ex abſurdo?

Hoc amplius; ſi uſuræ penſionum, quarum dies nondum ceſſerat, *ipſo jure* non committantur, utique nec ipſæ penſiones, ex mente Pauli, *ipſo jure* videntur committi, magno animo quamvis contrarium ſupponat, ex eoque argumentetur: manifeſta eſt illa ἀντίθεσις inter τὸ *ad exceptionem & ipſo jure prodeſſe*, manifeſta etiam conceſſio ejus, quod negatum erat. Adeoque contra quam aliquotiens dictum eſt, pacti Q. D. A. virtus non videtur conſiſtere in nudis exceptionis finibus, ſed in operatione, quæ fit ipſo jure.

Ad hæc omnia priusquam reſpondeamus, placet, quaſi in parentheſi, expendere, quæ nobis in Parentheſi Libri vulgareis proponunt: *Quamvis ſententia diverſa obtinuerit.* Illud *obtinuerit*, hoc quidem loco, referendum eſſe ad rem in Papiniani auditorio judicatam, liquet vel in totum *Homericis oculis*, ut cum Tertulliani *Pallio* loquar. ita *obtinere* in Jure ſexcenties. At cujus ſententia obtinuit? Pauli, an Partis adverſæ? Pauli crediderim: neque enim hunc vſ. *Quamvis*, opponimus iis, quæ ipſe pro cauſæ ſuæ juſtitia peroraverat, ſed, prout natura parentheſis flagitat, referimus ad repetitam proxime objectionem. Etenim JCtus, qua eſt facilitate, concedit Adverſariis, pactum ad exceptionem ſorti opponendam duntaxat prodeſſe; ſed ne quis ſe ſuccubuiſſe, & Papinianum, cujus nutu auditorium regebatur, huic opinioni addictum putet, per correctionem, ut ita dicam, hæc inferit, *quamvis ſententia* &c. quæ interjectio de eo, quod proxime conceſſum erat, non poteſt non intelligi. Atque ita omnes Interpretes, excepto (quantum mihi noviſſe datum eſt) uno Viglio Zuichem, qui illud interjectum comma ad victoriam

riam Antagoniſtæ referens, exiſtimat, ſuccubuiſſe Paulum, utpote Papiniano adverſum. Verum hanc ejus rationem unicam improbavimus in *τῷ ut ille putabat.* Eſt autem, quod de ſolo Viglio notavimus, minus verum, ſi & Donellus autumet, JCtum noſtrum ingenue fateri (ut etiam alias faſſus eſt in *l.* 78. §. 6. *ff. de legat.* 3.) receptam eſſe contrariam ſibi ſententiam. De Donello hoc tradit Goeddeus *de contr. & commit. ſtipul.* C. VIII. *n.* 64. Sed ejus fide eſſe jubeo, quia vel totum Donellum mihi ad *h. l.* revolventi tale quid non occurrit, contrarium vero ſæpius.

Nunc, quid ſit *ipſo jure* uſuras non committi, videamus, ut difficultatibus inde oriundis fiat ſatis. Paulum, licet hac parte vix Interpretem repererit, non deſeruit tamen Gloſſa, dum *ipſo jure* interpretatur *ſcil. exceptionis vel æquitatis.* Sed præſtitiſſet otiari, quam nihil agere. Quid ſi dicamus, *τὸ ipſo jure* heic non opponi facto exceptionis, quemadmodum ſæpe & plerumque alias, verum idem eſſe, ac *Jure Civili*, *Jure communi:* ut, cum quid Jure communi ſatis cautum ſit, illud *ipſo jure* ita eſſe dicimus. Neque aliter pro *Jure Civili* occurrit *ipſo jure* in §. 10. *Inſt. de action.* particula *ipſo* non ſine quadam *ὑπεροχῇ* accepta arg. §. 2. *Inſt. de J. N. G. & C.* uti Pythagoriſtam *Αὐτὸς ἔφα.* Atque eo ſenſu Paulus: quamvis pactio ſubſequuta tantum pareret exceptionem ſortis petitioni obſtaturam, tamen Jure Civili, Jure communi non committeretur uſurarum ſortis univerſæ obligatio, *non enim in mora eſt is*, & reliqua. Unde hac *τῷ ipſo jure* expoſitione cuncta vides hebeſcere tela minantia telis.

Verum enim vero, ut exemplum Pauli, in quo verſamur, ſecuti, liberalius agamus, placeat largiri, verba *ipſo jure* ſignificantius eſſe accipienda pro eo, quod facto exceptionis opponitur, & tamen vera erit, licet profundior, Auctoris noſtri ratiocinatio; quod nempe, etiamſi ſortis integræ exactio ſolummodo exceptione ſiſtatur, nihilominus ejus fœnus ipſo jure non committatur. Probabit hoc ſubjecta *αἰτιολογία*: *Non enim in mora eſt is, a quo pecunia propter exceptionem peti non poteſt.* Plena Jurisprudentiæ ratio! quam priusquam applicemus, de ejus veritate deſpiciendum eſt. Hæc autem & natura ſui ſe ſatis manifeſtat, & in Jure eluceſcit paſſim. Scævola ait in *l.* 127. *ff. de V. O. Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio eſt*; quod ex eo deinceps inter generalia Juris benedicta relatum eſt in *l.* 88. *ff. de R. J.* Si dicas, hic ſummo jure petitio eſt, quia jus creditoris penitus ſublatum non eſſe defendimus, reſpondebit vulgata Juris antiqui regula centeſima duodecima: *Nihil intereſt ipſo jure quis* &c. Unde apprime in rem præſentem Ulpianus, ipſe fortean Pauli æmulus, in *l.* 21. *ff. de uſur. Moram factam non videri, ſi exceptio aliqua allegetur.* Igitur, ubi cum effectu nulla eſt petitio, ibidem nec mora fieri intelligitur: in propoſito petitionis effectus ſiſtitur oppoſita exceptione, *ſi non conveniſſet de ſorte per penſiones exſolvenda, & proin mora, reſpectu totius fuiſſet impedita.*

Conſtabit jam, quam ſecura ſit JCti argumentatio, utcunque *τὸ ipſo jure* interpreteris. Sortem eſſe dilatam, & eo exceptionem pacti conventi reſtringendam volunt Diſſentientes. Bene: ſed uſuras qui petet creditor? ex concepta de iis ſtipulatione. Illa vero, quum fœnus non exigat niſi *pœnæ nomine* i. e. ſi in ſolutione moras traxerit debitor, ſequitur, quod ipſo jure, quod jure communi trecentorum uſuræ duntaxat ſint pendendæ, quandoquidem in iis, non in Capite univerſo ſingulis Kal. moram fieri probavimus.

Quod ſi *ipſo jure* magis proprie accipias, tamen, ut diximus, recte ſe habet Pauli ſententia. Perpendamus cauſam, quæ ſortem, & eam, quæ uſuras diſtulit. Si una eademque ſit, idem quoque jus inde proficiſcatur neceſſum eſt: ſin diverſæ, non eſt quod miremur, aliud juris in ſorte, aliud in uſuris eſſe. Sortis ſolutionem conventio ſecuta diſtulit, ſed uſurarum petitionem non exiſtens ſtipulationis conditio. Nuda conventio cum exceptionem tantum producat, per ſe claret, ſortem non niſi ope exceptionis eſſe dilatam. Stipulatio conditionalis pendet ab eventu, ideoque ſi caſus, in quem dilata erat obligatio, non exiſtat, certum eſt, quod nec ipſo jure eadem committatur, quia, quod in eam deductum eſt, neque ceſſit, neque venit §. 4. *Inſt. de V. O. l.* 213. *pr. ff. de V. S.* Jam vero ſtipulationi uſurariæ inſerta erat conditio, *ſi mora fiat*, quæ, habita ſortis integræ ratione, poſt menſis primi moram nec exſtitit, nec propter pactum adjectum exiſtere potuit. Eſt equidem illud pactum cauſa, absque qua non ſiſteretur conditio, ejusdem vero defectus eſt proxima & civilis cauſa, origo, fons, ex quo manat jus de uſurarum obligatione ipſo jure non commiſſa. Poterit hæc argumentatio nullo negotio confici, modo conciſa Pauli ratio eo, quo par eſt, modo digeratur, & amplietur, hic enim, ſi ullibi, plus ſenſit, minus ſcripſit more ſuo ſubtiliſſimo, cætera lectori excogitanda reliquit. Inſtituamus ita: quod ſub conditione debetur, illud, ea deficiente, ipſo jure non committitur, quod probatum. In ſpecie ſubjecta totius ſortis Centeſima ſub conditione, quæ non exſtitit, promiſſa fuit: ergo &c. Conditio erat; ſi die ſupraſcripta ſumma non ſiet ſoluta, in moræ pœnam Centeſimas datum iri. Atquin nulla heic eſt mora, *non enim in mora eſt is*, & cætera.

Sufficiant hæc ad apologiam Pauli conſummatam, nihil quippe in ea merito deſideres, imo non tantum. Vides igitur, cur adverſarii verbum non amplius addant.

CAPUT XIV.

Sed [ſi] quantitatem, quæ medio tempore colligitur, ſtipulamur, cum conditio exſtiterit: ſicut eſt in fructibus, idem & in uſuris poteſt exprimi, ut ad diem non ſoluta pecunia, quo competit uſurarum nomine, ex die interpoſitæ ſtipulationis præſtetur.

Illud *ſi* abeſt a Florentino, eaque gratia parentheſin, alias omiſſam, appoſuit Taurellius. Diu autem eſt, ex quo ſenſui ſuſtinendo addi cœpit: neque temere, niſi pro *ſi* malis *ſicut*, ut eſt in Manuſcripto meo, ſed ita, parum eleganter, occurrit & alterum *ſicut*, linea ſe-

fere ſequenti. Editio R. Stephani Pariſienſis, anni 1527. pro *ſi* habet *&*, ſenſu optimo, ſi, ut fit ibidem, τῷ *fructibus* punctum appoſueris. Atque hoc præfero, cum ita nihil infarciamus, verum ope ἀναδιπλώσεως legamus *SET* pro *ſet &*, vel *ſed &*, T enim & D apud Veteres ſæpius commutari conſtat, ut in *haut* vel *haud*, & ipſum *ſet* in Libro Florentino aliquotiens occurrit pro *ſed*. Porro Haloander pro *colligitur*, *ſtipulamur* legit *colligatur*, *ſtipulemur*, at non eſt, cur a Librorum optimo recedamus. *Quo competit* Florentiæ, nullo equidem ſenſu, licet valde torqueas: hinc Haloander, & ante eum alii, *quod competit*, quam ſcripturam Cujacius probat. Ego quam minimo motu vellem *quæ*, pecunia videlicet.

Quod autem attinet ad hunc *legis* XL. ἐπίλογον Latinorum Interpretum nemo eſt, qui non καθόλου eum argumentanti Paulo adſcribat. Sed Baſilicorum Scholiaſtes ad *Lib.* XXIII. *Tit.* I. C. 42. *litt. D.* tanquam ab his, qui a Paulo diſſentiebant, dictum intelligit: τί οὖν ὦ Παῦλε, οὐ δυνάμεθα &c. Dein eum reſpondiſſe ait: Δυνάμεθα μὲν &c. Et ſane nihil obſtat, quominus hoc verum ſit, dummodo repræſentatam Stephani editionem ſequaris, vel, ſiquidem placeat ſervare illud *ſi*, rogandi ſignum poſueris poſt τὸ *fructibus*, eo usque tum Adverſarii. Paulus denuo: *Idem & in uſuris poteſt exprimi*, & quæ ſequuntur. Alioquin, ſi jam ſacrum Partis adverſæ ſilentium præſumas, dicendum eſt, JCtum, ut eſt in proverbio, maluiſſe prævenire, quam præveniri, adeoque Antagoniſtis præcidiſſe occaſionem reſponſionis, quam dederat, impugnandæ.

Quid enim ſi illi? *Uſuræ fœnebris pecuniæ citra vinculum ſtipulationis peti non poſſunt l.* 3. *C. de Uſur.* neque igitur ex mora *l.* 38. §. 7. *ff. eod.* eccur tum Paulus id agit, id unice intendit, ut debitorem in mora non fuiſſe probet, ac inde colligat, integræ ſortis uſuras ne quidem ipſo jure committi? cui bono inanis, prima fronte, motus? an ex mora in ſtrictis judiciis uſurarum ratio habenda eſt?

Hæc ipſa ſunt, quæ Hotomannus *Lib.* XI. *Obſ. C.* 1. *ſub fin.* contra JCtum noſtrum movet, & ejus Æmuli, ad invidiam quandoque proni, movere poſſent. Itaque Paulus, jam præſagiens ruſtice impingi poſſe in verba, quibus moræ neceſſitatem tantopere urgebat, cautelam ſubnectendam cenſuit, ne quis ſiniſtrum iis ſenſum, ei mentem affingat. Facit autem hoc ita, ut caſum, quo valere poterit contraria ſententia, id eſt, quo mora neceſſaria non eſt, proponat & explicet. Placet tamen ad ea, quæ objecimus, reſponſionem dare ſeparatam & directam, poſtmodum huic exhibitum verſiculum applicare. Nimirum uſuræ in contractibus juris ſtricti non debentur ſimpliciter ex mora, ſed tamen ſecundum ea, quæ ἐν τῷ ὑποκειμένῳ proponuntur, debitor erat in mora conſtituendus, antequam uſurarum petitio haberet locum, fuit namque ipſi ſtipulationi inſerta moræ conditio: proinde ex ſtipulatu, eoque ſolo debentur hic uſuræ, ſed in caſum moræ. Uno verbo; *In contractibus ſtricti juris non debentur uſuræ ex mora propter moram, ſed bene veniunt ex ſtipulatione propter moram*, ut conciſe & recte Cynus ad *h. l.*

Igitur placita ſtipulationis ſunt ſervanda, quævis licet conditio accedat *l.* 20. *ff. de V. O.* Quapropter uſuras licet ſtipulari, non tantum in caſum moræ, ſed & retro a die contractus initi, ſi exiſtat addita conditio. Hoc eſt, quod inpræſentiarum Paulus edocet, cum ait: *Sed & ſtipulamur quantitatem*, veluti uſuram, *quæ medio tempore colligitur*, tempore ſcilicet, quod intercedit & medium eſt inter contractum initum, & moram commiſſam, *cum conditio exſtiterit*, quæcunque demum illa ſit, ut apud nos mora. Adeoque *poteſt exprimi*, & nominatim ſtipulatione caveri, *ut ad diem*, quo convenerat, *non ſoluta pecunia, quæ uſurarum nomine competit*, non ex mora ſolum, ſed & retroverſus ea *præſtetur ex die interpoſitæ ſtipulationis*. Propone: Centum dare ſpondes, ſi navis ex Aſia venerit, & ni dederis eo ipſo adventus die, uſuras eorum ſemiſſes ex hoc tempore? venit navis poſt decennium: non ſolvit eo die promiſſor. Quæritur quid juris? totius decennii, licet hujus nulla ſit mora, uſuras ſemiſſes recte petet ſtipulator, utpote commiſſa conditione pœnæ: efficit hoc ſola ſtipulatio. Aliud exemplum ex *Lib.* III. *Quæſt.* ſufficit Paulus in *l.* 126. *pr. ff. de V. O.* *Si ita*, inquit, *ſtipulatus fuero*, SI TITIUS CONSUL FACTUS FUERIT, TUNC EX HAC DIE IN ANNOS SINGULOS DENA DARE SPONDES? *poſt triennium conditione exiſtente, triginta peti poterunt.* De uſuris quidem hic ſermo non eſt, ſed tamen de quantitate retro commiſſa, quamvis debitor in mora non fuerit. Idem plane exemplum, majore tamen apparatu, Africanus exhibet in *l.* 64. *ff. eod.* addit autem ipſe, *non immerito dubitatum fuiſſe*, an etiam agi poſſit nomine temporis præteriti? ſed illico reſpondet, & dein probat, *eam ſtipulationem utilem eſſe.* Ratio dubitandi erat, quia hujusmodi ſtipulationes videbantur præpoſteræ, quas jure *ff.* inutiles fuiſſe conſtat. Verum ita non eſſe, ipſe Africanus in ſeqq. demonſtrat, & ex eo latius Cujas ad *Lib.*III. *Quæſt. Paul.* in *l.* 126. *ff. de V. O.* præcipue in *Tract.* VII. *ad Afric.* in *d. l.* 64. Utque adeo ea deſcribere non ſit neceſſarium.

Ita quoque (ut in rem præſentem eamus) P. Mævius creditor ſtipulari potuiſſet non modo ſortis univerſæ Centeſimas ex tempore moræ, vel in una penſione commiſſæ (quomodo volebant Adverſarii) ſed &, quod majus poſtulatum eſt, ab interpoſita etiam ſtipulatione. Potuiſſet hoc, ut dixi, facere creditor, ſed factum non fuit, non enim propter lucrum ejus, aſt propter moram debitoris uſuras fuiſſe inflictas vidimus. Kalendæ futuræ nominatim erant condictæ, ut exinde mora fieret, eaque putaretur ſecundum rationem ſolvendæ ſortis, quemadmodum in ſuperioribus oſtenſum eſt affatim. Ergo Capitis integri fœnus pendendum non a prima ſtatim menſis primi mora, multoque minus ex die celebrati contractus, etſi tam hoc, quam illud expreſſe caveri potuiſſet.

Quod diximus, & ex Paulo in noſtro *verſic.* & aliunde probavimus de vi ſtipulationis retrograda, parum abeſt, quin idem Paulus deſtruat in *l.* 17. *pr. ff. de Uſur.* Refert ibi, *quendam caviſſe, ſe quotannis quincunces uſuras præſtaturum: &, ſi quo anno non ſolviſſet, tunc totius pecuniæ ex die, qua mutuatus eſt, ſemiſſes ſoluturum.* Dein vagum Divi Marci ea de re reſcriptum commemorans, addit hanc ἐπίκρισιν: *Hæc conſtitutio ad finitum* (Haloander & alii *infinitum*, ſed eodem ſenſus redit) *excedit. Quid ergo? Sic temperanda res erit, ut in futurum duntaxat ex die ceſſationis creſcat uſura.* Cur non & in præteritum, commiſſa ſtipulatione, prout erat cautum? Interpretes ut rationem comminiſcantur laborant valde, ſed proficiunt nihil, aut certe parum. Gloſſa ad *d. l.* 17. Balduinus ad *Paulum de cautione, lecta in auditorio Papiniani.* Mo-

linæus *de uſur. Quæſt.* XXVI. *n.* 239. Cujacius bis ad *L.* III. *Quæſt. Paul.* in *l. Lecta*, & *l.* 126. *ff. de V. O.* Item ad ejusdem operis *Lib.* XXV. in *l.* 11. *ff. de Uſur.* & prolixe in *Tract.* VII. *ad Afric.* in *d. l.* 64. *ff. de V. O.* aliique complures exiſtimant, in *d. l.* 17. non deberi uſuras ſemiſſes ex die contractus, quia jam quincunces erant præſtitæ ad usque tempus moræ; alioquin, ajunt, uſuris uſuræ adcreſcerent, quod eſt prohibitum. Agimus autem nos de uſuris retro ſtipulari licitis, ſiquidem nullæ interim fuerint ſolutæ. Ita modo hæc diſſidia placaſſe videtur, quanquam obſcurius paulo, Βασιλικῶν Scholiaſtes ad *d. l.* 17. *pr.* Cujacius ulterius adhuc progreditur, dum *ad Africanum* ſcribit, uſurarum uſuras præſtari, ſi datis quincuncibus accedat uncia, ut ſemiſſes fiant nomine pœnæ. Sed nihil horum placet. Enimvero ſi ſtipulari poſſim uſuras, etiam Centeſimas, retrorſum computandas, ſub conditione ſortis ſuo die non præſtitæ, quemadmodum poſſum haud dubie, quidni & uſuras ſemiſſes, ſub conditione non ſolutarum ſuo die quincuncium? quod ad effectum juris nullam video differentiam, an ſemiſſes ab initio ſimpliciter in ſtipulatum deductæ ſint, an vero in caſum moræ in quincuncibus commiſſæ. Cur ea ratione non erit integrum punire debitorum fruſtrationes? De uſuris uſurarum quod dicit Cujacius, ne quidem colorem habere videtur, cum utique conſtet, in *d. l.* 17. quincunces aliquamdiu fuiſſe ſolutas, & quæri tantum, an non illius temporis uſuræ majores debeantur ex ſtipulatione commiſſa? neſcit autem nemo, uſurarum uſuras intelligi non poſſe, niſi de uſuris nondum præſtitis. Erunt itaque ſemiſſes, ſi trahantur retro, nihil aliud, quam *fœnus uberius juxta rationem ſortis*, ut in ſimili Papinianus loquitur in *l.* 9. §. 1. *ff. de uſur.* & id quam ob rem ſtipulari non liceat ſub conditione moræ, vel alia quavis, dicamus hactenus obſtare nihil. Reſcivit hoc fortaſſe Gloſſa, cum ad *d. l.* 64. *ff. de V. O.* rationem hujus juris rurſus aliam præbuerit, Alciato quoque probatam in *Comm.* ad illam *l.* 64. ſcilicet, in *l.* 17. *ff. de uſur.* ſemiſſes ab interpoſita Cautione non deberi, quia legitimus uſurarum modus excederetur: quod, qua ratione fiat, comprobare nititur Alciatus *dicto loco.* Verum hæc adeo diluta ſunt, ut refutatione juſta non indigeant. Alciati fictio de mora tanti temporis incerta eſt, & ejusdem demonſtratio minus vera: neque enim quincuncibus ſemel non ſolutis, iis ſolis recte accumules præcedentium annorum *fœnus unciarum* i. e. unciam illam, quæ commiſſa ſemiſſium ſtipulatione, in ſingulos retro annos uſurarum nomine competebat; namque, ut diximus, retrahitur ea ad rationem non ſolutæ ſortis, non ſecus, ac ſi uſuræ ejus ſemiſſes a principio placuiſſent. Ergo vides, mirum non eſſe, quod Græcus Interpres ad Βασιλικ. *L.* XXIII. *T.* III. *C.* 17. *litt. C.* huic *legi* 17. ſuperdixerit: Σημείωσαι ξένον, *nota quid novum.* Et ſane, ut dicam, quod res eſt, nondum mihi videre contigit, quare conſtare videatur, in futurum duntaxat uſuram creſcere in ſpecie *legis* 17. *pr. ff. de uſur.* Liceat igitur mirari, & hactenus mirari tantum.

Quod in uſuris, illud & in fructibus obtinere, obiter JCtus indicat: *Sicut eſt in fructibus*, ait *idem & in uſuris poteſt exprimi.* Manifeſta eſt ratio ex *l.* 34. *ff. de uſur.* *Uſuræ vicem fructuum obtinent, & merito non debent a fructibus ſeparari.* Unde & *fructuum* nomine quandoque occurrunt, ut in *l.* 88. §. *ult. ff. ad L. Falcid.* Nihil enim eſt uſura, quam fœtura quædam pecuniæ parientis atque increſcentis, uti ex Varrone docet A. Gellius *N. Att. Lib.* XVI. *C.* 12. Interim ſunt differentiæ nonnullæ uſuras inter & fructus, ſed pauciſſimæ, quas exſequitur Cujacius *Lib.* XVIII. *Obſerv. C.* 3. in præſenti autem nulla. Nam quid ſi ſtipuler *mihi fundum Cornelianum dari Kalendis Januariis, &, ni dederis, fructus retro a die contractæ obligationis*, nihil impedit, quominus hoc nomine agam, ſimulac mora fiat. Sed hoc ſollicitam dubitationem recipit, cur Paulus heic a fructibus ad uſuras argumentetur, cum tamen de fructibus tale quid in Jure noſtro nullibi repetiatur traditum. Cujacius certe, qui non ſolet ea, quæ alios cæteroquin latent, ignorare, ad *h. l.* aperte confitetur, *locum hunc eſſe ſingularem, ſimilem ſe neſcire.* Sit ita, & quid tum? de fructibus eodem modo caveri poſſe, relata ſuperius ἀναλογία juris evincit ſatis. Præter quod Auctor noſter ὡς ἐν παρόδῳ tantum illud notet, non vero (ut opinatur ille) a fructibus ad uſuras πραγματικῶς argumentetur. Sufficiant hæc ad *Verſiculum extremum.*

Vidimus itaque, quod ſatis eſt, ipſam Cautionem: vidimus natam ex ea controverſiam: Pauli ſententiam: item partis adverſæ: argumenta utriusque: refutationes Adverſariorum, & quæ eo ſpectabant porro. Ecquis jam omnibus rite perpenſis dubitare poſſit de veritate ſimul ac æquitate Cauſæ Paulinæ? & tamen utramque Hotomannus ſollicitat *Lib.* XI. *Obſerv. C.* 1. *ſub fin.* & ante eum Guido Suzarius, Alciato memoratus in *Comment.* ad *h. l. n.* 60. ut & Odofredus, Zaſio laudatus, an notatus in *Enarrat.* ad *eandem.* Suzarii & Odofredi Paulo adverſa diſputatio tantum non ſolum hoc urget, quod pactum nudum, utpote debile, non poſſit ipſo jure tollere ſtipulationem, fortiſſimum illud fori Romani vinculum. Quod adeo verum eſſe Odofredus apud Zaſium gloriatur, ut, etiamſi hodie in vivis eſſet JCtus noſter, tamen immotum illud Juris fundamentum convellere non poſſet. Ipſa veritas! quanquam Odofredus propterea *ridicule ineptus* dicatur a Zaſio, & Suzarii rationes *frivolæ* ab Alciato. Unicus eorum error eſt, quod communem errorem (dicere liceat) velut jus quoddam tralatitium ſecuti, exiſtimaverint, conventionem nudam in noſtra *l.* etiam ultra exceptionem prodeſſe, idque contendiſſe Paulum. Quocirca vix credo, dictos Interpretes quippiam moliri contra ipſum reſponſum de obligatione uſurarum, cum non provocent ad ea, quæ diſputata leguntur ab illis, quibuscum Paulo noſtro heic interceſſit contentio, ſed, ut dixi, alio plane tendat eorum ratiocinatio: niſi forte putaverint, & perperam, quæſitum de uſuris pendere a pacto ſubſequuto, utrum inſit, nec ne. Quid autem hujus rei ſit, dicere non auſim, quandoquidem ipſum Suzarium vel Odofredum habere, vel videre non eſt datum.

Neque eſt, quod Eunomia *legis* 40. ſibi ab Hotomanno metuat. Licet enim ille rationibus quatuor adgrediatur Paulum, ejusque argumentis reſpondere ſatagat, & nunc eum nimiæ ſubtilitatis, nunc iniquitatis manifeſtæ reum agat, furit tamen nequicquam. Non placet ſingulas ejus rationes perſequi: nam eas, quæ ſpeciem habent, in ſuperioribus occupatas videbis; reliquæ, quin & in univerſum omnes *ſunt adeo diſſolutæ, & conſidenter confictæ, ut ſe ipſas primo*

intuitu refutent, ut de his eſt judicium Goeddei, hic procul dubio rectum, in *Comm. de Contr. & comm. ſtipul. C.* VIII. *n. 65*. Plura qui requirit de juſtitia Cauſæ Paulinæ, conſulat Donellum in *Comm.* ad *h. l. n.* 21. ubi ipſum Hotomannum ſuppreſſo nomine notari putem. Tantum ad L. Lecta, XL. Dig. de Rebus Creditis, si cert. pet.

F I N I S.

CONSPECTUS CAPITUM.

CAPUT I.

De *Paulo quædam. Pro* Libr. III. Quæſt. *in* ἐπιγραφῇ *fere reſtituendum videri*, Libr. III. Decretorum : *& quare. Decretorum Libros eosdem eſſe cum Sententiarum Imperialium , &, ut videtur, Sententiarum ſive Factorum libris ſex. Ita defenditur Index Florentinus contra Rittershuſium. Cujacii ea de re hæſitatio. Pauli Sententiarum receptarum Libros quinque, alios eſſe a Sententiarum ſive Factorum Libris ſex, & qui differant. Sententias Imperiales & Decreta diſtingui in* Inſcripp. L. ult. ff. de hæred. inſt. & L. ult. ff. ad SCtum Trebell. *& tamen eadem eſſe opera. Cujacii emendatio rejicitur. Explicatur recepta ſcriptura. Adſtruitur porro veriſimilitudo mutandæ inſcriptionis in* L. Lecta. *Nibilominus recepta lectio aſſeritur, ubi rationes. Quæſtionum Libri ab aliis quomodo diſcrepent. Fulgoſii contra Paulum indignatio: ut & Duareni. Propriam Quæſtionum naturam Paulum excuſare, ubi nonnulla de aliorum etiam Quæſtionum Libris.* Pag. 9

CAPUT II.

Auditorium quid ſit. In Jure illud adſcribi omnibus, qui cauſæ cognitionem habent, contra loeum Aſconii : neque igitur Præfecto prætorio, ut reliquis digniori, quemadmodum vult Jac. Gotbofredus. Auditorium illius Præfecti, & ipſius Principis unum idemque fuiſſe probatur. An per appellationem, an per delegationem a Principe hæc legis XL. *controverſia ad Præfectum prætorio pervenerit. Videri per delegationem, & quam ob rem. Illuſtratur id aliquot exemplis. Præfectum prætorio judicaſſe: de eo ſententia Joſ. Scaligeri in contrarium. Plures fuiſſe uni prætorio Præfectos in ipſa urbe Romana. Adeoque emendationem Haloandrinam in* L. 3. §. 3. ff. de uſur. *non eſſe neceſſariam. De Papiniani Præfectura quædam. Idem JCtorum princeps. Argumentum ejus rei ex* L. un. C. Th. de reſponſ. prud. *Eſſe hanc abrogatam. Forſteri, Wiſſenbachii, & Bachovii circa id imprudentia. De permiſſa prohibitave duplicis muneris in eodem cumulatione. De* Cavendi, & Cautionis, *vocabulis nonnibil. Quæ ſit Cautionum virtus.* 11

CAPUT III.

Sciendum eſſe Formularum ſignificationes. Quid cenſendum ſit de Briſſonio Formulario. Præſcriptis verbis videri formulas præſtare. Cautionem in L. *noſtra , trimembrem eſſe. De ſuppoſitis nominibus Lucii Titii, & Publii Mævii. De vita L. Titii ſuavis Maſſonii fabella.* Scribere, *ſimpliciter pro ſe ex credito obligare.* Quindecim, *non* duodecim *legi oportere. Subintelligi autem non pondo auri, non denarium millia, multo minus centena millia : ſed ſeſtertia. Expenduntur rationes. Seſtertium & mille ſeſtertios eſſe paria. Atque eo pacto explicatur, & defenditur ſcriptura* Legis 13. ff. de negot. geſt. *nec non* Βασιλικ. Lib. XLVIII. T. V. C. 41. th. 3. *Tentatur, an non aurei ſubaudiri queant. Incertitudo ejus rei proponitur , uti univerſæ rei nummariæ. Collationem pecuniæ veteris & hodiernæ inſtitui non poſſe. Quæ fuerit numeratio de domo, quæ de menſæ ſcriptura. Diſputatur, cur illud* de domo *Cautionibus fuerit inſertum.* 12

CAPUT IV.

Τὸ proba recte *ſupervacuum eſſe plerique putant. Veterum tamen aliqui illius effectum quærunt: aſt non inveniunt. Quid proprie ſibi velit* recte. *Dolum excludi formula* probi recte. *Oſtenditur ejus utilitas non una ratione, remotis etiam difficultatibus. Competere eo caſu actionem incerti, & ex ſtipulatu: de dolo non ita pinguem eſſe. Hæredem in ſolidum non teneri, niſi adjecta doli clauſula : ſed tum ex ſtipulatu. Reliquas, quæ dolum punire poterant, actiones tantum non operari. In tranſitu de Cautione* vim non fieri. *Kalendæ futuræ quæ ſint. Dies Kalendarum quibus locutionibus denotetur. In ſingulos menſes ſortem & uſuras ſtipulatos fuiſſe Veteres.* 14

CAPUT V.

Verba, rogavit ille, ſpoſpondit ille, *ſtipulationem inferre, non pactum. Ulpiani* παράδοξον *in* L. 7. §. 12. ff. de Pact. *Pacta ibidem accipi pro inſtrumentis pactorum , notato Jac. Gotbofredo. Recenſentur plurimæ* d. §. 12. *abſurditates. Reſtituitur ope leviſſimæ vocularum tranſpoſitionis. Fit autem bæc duobus modis. Porro deducitur, & confirmatur ſenſus* d. §. *& auctoritate Baſilicorum ſtabilitur. Etiam absque emendatione ſuſtinetur: ac ea occaſione explicitæ* L. 19. §. 2. ff. de ædil. edict. & L. 7. ff. de V. S. *Ratione adbuc alia correctioni parcitur. Rejicitur interpretatio Duareni, Cujacii, & Hotomanni emblema Tribonianeum ſtatuentis. Quid Jure novo mutatum ſit circa ſtipulationis ſolemnia. Ulrici Huberi ſententia de* L. 7. §. 12. ff. de Pact. *mibi oppoſita, refutatur.* 15

CAPUT VI.

An non ſupraſcripta *debeat* ἀναδιπλοῦσθαι. *Ita nos carere poſſe aliorum correctionibus. Datur & alia explicatio. Formula*, is ad quem ea res pertinet, *utilis eſt reſpectu hæredis, & quomodo.* Παράφρασις Legis 12. §. fin. ff. Judic. ſolv. *Ejusdem formulæ utilitas a parte creditoris, qui chirographum ſine ceſſione juſta habere deſiit. Quæ oporteat eſſe prudentia debitoris, qui eo modo ſeſe obſtrinxit. Illuſtratur hoc quotidianis exemplis. Cur omiſſa ſit hæc cautela in ſtipulatione prima.* Dare, ſolvere, & ſatisfacere *videri heic* Συνώνυμα. *Donellum contra putare, ſed nihil proficere.* Ταυτολογίας *exempla apud auctores noſtros, & etiam exteros. Legendum eſſe* quo, *non* quoad poſt ſolvam. *Per pœnam intelligi uſuram.* 18

CAPUT VII.

Aſſerta lectio Florentina in dies triginta. *Unde aliqui Libri* dies XXV. *Quæ in univerſum fuerit uſurarum quantitas, reducta ad denarios ſorte. Duareni, & Hotomanni ea de re minor accuratio.*

De-

Deſcribi uſuram Centeſimam. Cur Baſilici τοιόνδε τόκον. *Majorem eſſe Centeſima, quam Anianus finivit ad* L. 2. C. Theod. de Uſur. *Attamen & Græci ita* Lib. LIII. Βασιλικῶν, Tit. 5. *Et Leo* Nov. LXXXIII. in fin. *Et Juſtinianus* Nov. XXXII, XXXIV, & CVI. *Hotomanni ad* Nov. XXXIV. *reſponſio redarguitur. Auguſtini diſtinctio inter Centeſimam veterem & novam. Cujacium addere noviſſimam. Ejusdem ſententia de tempore Centeſimæ novæ, ſeu Aniani & Græcorum, invaleſcentis improbatur. Videri hoc incertum. Recte Centeſimas diſtingui: ſed ejus nomine* κατάχρεων *probatam non eſſe. Illam luculenter conſtare ex Harmenopulo, vel ejus Scholiaſte. Imo tantam eſſe, ut pro ſimplici uſura occurrat. Ipſius ad hanc rem Aniani locus ad Pauli* Sentent. Lib. II. Tit. 14. §. 1. *Et ex jure pontificio* C. 4. Cauſſ. XIV. Quæſt. IV. *Quid ibi ſint* incrementa. *Neque aliter Centeſimam accipi in* C. ult. Cauſſ. XIV. Quæſt. IV. *Magis igitur pro uſura, quæ penditur, maxima.* 19

CAPUT VIII.

Conventionem in L. Lecta, *fuiſſe nudam. Num* Conveniendi *vocabulum per ſe hoc arguat.* Ἐξήγησις Legis 1. §. 3. ff. de pact. *Pro ſubjecto argumento id eſſe dijudicandum. Non* pro Mævio, *ſed* Publio Mævio *legendum videri. Error unde. Nihilominus* pro Mævio *defendi poſſe.* Refundere, *Latine dici contra Fabrum ad expoſit.* L. 5. §. ult. ff. de Condict. cauſ. dat. C. N. S. *Varia de argumento pacti conventi. Sortem integram ex eo non deberi, niſi menſis tertii decimi idibus.* Ex omni ſumma ei hæredive ejus, *an otioſe ſit adjectum. De hærede non, & qua de cauſa. Hoc quoque Donellum exiſtimaſſe, at neutiquam probasſe.* Quod idem ait de *omni ſumma* eſſe valde dilutum. *Conceditur ejus* ταυτολογία. *Rejicitur Hotomanni fictum Gloſſema in* Publio Mævio ex ſumma ſupraſcripta. *Unde de uſuris quæſtio.* 21

CAPUT IX.

In Florentino menſum *pro* menſium: *quod defenditur crebro apud Latinos uſu. Quis ſit menſium numerus, qui ſolutioni competebat. Menſem primum non eſſe contra nonnullos diſputatur. De ſolutione quod dicitur, ad ſortis & uſurarum præſtationem univerſam referendum eſſe. Hinc tranſiiſſe videri menſes decem & tres cum dimidio. Poſſe &* ἀορίστως *verba accipi. Pauli in proponendo Controverſiæ ſtatu obſcuritas excuſatur. Elicitur is ſuſpicionibus: & manifeſte colligitur ex relatis Pauli & Adverſariorum ſententiis. Quantum fuerit Quæſtionis momentum. Alii quam perperam eam conſtituant. Accurſius hoc nomine recte videtur notatus a Donello: quin & male in eadem cauſa. Utrumque late probatur. Cujacium, utcunque alias bene, in opere tamen poſtumo ad* h. l. *minus prudenter Quæſtionis ſtatum propoſuiſſe. Dion. Gothofredi circa hunc ipſum hæreſis. Subjicitur* Βασιλικῶν κειμένων: *in ejus exhibitione quædam, a Fabroto præterita, reſtituuntur.* 23

CAPUT. X.

De numero ſeptenario verborum Pauli: Quia pacta incontinenti facta ſtipulationi ineſſe creduntur. *Doctrina de pactis adjectis cur in ſede propria locetur. Heic tamen ſupponi, pacta adjecta nullo modo contractibus ſtrictis ineſſe. Contra ea inducitur dicta Pauli* ῥῆσις. *Hanc videri intelligendam de effectu exceptionis pacti. Similes, quæ ab eventu fiunt, loquutiones.* Τὸ credi, videri, *quandoque* πλατικῶς *ſumi apud JCtos. Datæ interpretationi objecta difficultas, & ad eam reſponſio. Rationes generales aliquando ad* τὸ ὑποκείμενον *reſtringendas eſſe. Removetur & alia difficultas in* τῷ incontinenti. *Quomodo ea vox accipiatur in* L. 135. §. Seja 2. ff. de V. O. *Quid JCtus colligat ex poſitione prævia. Ibidem bene legi* quoad, & adjeciſſet. *Quemadmodum ſequatur, quod deducit Paulus, explicavit nemo. Inſtituitur illud prolixe.* 25

CAPUT XI.

Uſurarum rationes pro numero menſium, quibus moratus eſt debitor, applicantur. Eo nomine poſt moram menſis primi deberi duntaxat denarios tres. Pecuniæ penſionis, *rejectis aliorum lectionibus, recte ſcribi Florentiæ. Ea occaſione contra Ant. Fabrum vindicatus Pontifex in* Cap. 7. X de pignor. *Verum non eſſe, quod dici ſolet, non reperiri in archetypo Florentino, quæ concluduntur hujusmodi notulis* [ ], *vel etiam illis* / / / /. *Ejus ſententiæ originem eſſe ſtatuendam in quadam Ruſſardi clauſula. Atque hæc, ut vera ſit, exponitur duplici modo. Nonnihil de notarum confuſione in Editionibus Corporis noſtri vulgaribus. Quid hic ſit* tractus. *Poſt moram menſis ſecundi etiam, & tertii, qui* creſcant *uſuræ. Zaſium falli, dum moram, & per hoc uſuram cujusque penſionis ſemel tantum computat. Incrementa quam adſurgant, exemplo declaratur. Sortis univerſæ fœnus quando peti poſſit. Pauli de eo reſponſum* ἐν πλάτει *accipiendum eſſe. Omnium penſionum uſuræ poſt tempus ſolutioni competens ſubducuntur, & cum augmentis pro rata moræ exhibentur. Connani rationes quare pauculum differant. Quantopere interſit, uſurarum incrementa ſupputes, nec ne.* 27

CAPUT XII.

Quam facete Adverſarios Pauli diſputaturos inducat Cynus. Diſquiritur, quot & qui fuerint. Sit ut ſit, a Criſi abſtinendum eſſe. Numeros ſingulorum & plurium commutari nonnunquam. Exemplum eſſe in L. 29. §. 6. ff. de lib. & poſt. hær. inſt. *JCtum noſtrum & adſeſſoris, & advocati partes egiſſe, & ecquas in* L. Lecta. *Diſſentientium argumentatio. Ejus ſcripturæ vim fieri ab Hotomanno: ſed nequicquam. Quid ſit, uſuras* priore parte *in ſtipulationem veniſſe.* Simpliciter *heic ſignificare*, absque immutatione, *item* ſine dolo: *& utrumque quo ſenſu. Enarratur Partis adverſæ argumentum. Succedit alia eorum oratio. Hanc tantum non ſubvertere regulam noſtram de Pactis adjectis. Attamen omnia conſiſtere, dummodo* ἐξηγητικῶς *fiat ejus interpretatio. Illud quomodo faciendum ſit oſtenditur.* Ἔλλειψις *voculæ* quod ad: *etiam in* L. 57. ff. de Contr. E. & V. *Alias ope Critices res expeditur. Tentatur ea diverſimode: & ita ſenſus adſtruitur. Quid adverſarii putaverint conſequi ex ſua objectione. Ejus extenſio. Per* uſuras *illos intellexiſſe totius Capitis fœnus: & per* diem ſtipulationis *Kalendas futuras, non vero diem ſtipulationis interpoſitæ, & quare. Quæ porro adverſus Paulum dici poſſunt referuntur, & etiam refelluntur.* 29

CAPUT XIII.

Quo pacto auctor noſter opinionem ſuam adſtruat, & Adverſariorum deſtruat ratione unica: quæ & in genere, & in ſpecie probatur, & quæſtioni uſura-

ra-

variæ applicatur. Quæ Paulus Partium adverſarum alicui largiatur, ut vincat glorioſius. Eorum lectio, prout eſt apud Florentinos, defenditur contra Hotomannum. Quis ſit Antagoniſta, hic ſpecialiter notatus. De Ulpiano quid καθόλȣ *cenſendum eſt. Quid de Papiniano. Quid de aliis. Incerta fere eſſe omnia. In* L. 36. ff. famil. erciſc. *JCtorum neminem notari. Quem quosve Paulus deſtinet in* L. 2. §. 4. ff. pro empt. *Non eſſe improbabile, Ulpianum in* h. L. 40. *deſignari: ubi rationes. Removentur, quæ Goeddeus, & Cujacius in contrarium movent. Veram non videri quorundam de Papiniano heic notato ſententiam: quamvis conſtare videtur, neminem a Paulo notari magis. Difficultas in repetitione argumenti* τȣ̃ ille, *quod ad ejus expoſitionem a nobis datam. Fit huic omnimodo ſatis. Alia non minor, cur uſuræ ſortis integræ ipſo jure non committantur, ſiquidem largiamur, pactum ad exceptionem tantum prodeſſe. Rurſum alia ex iisdem verbis. Cujus ſententia obtinuerit, Pauli, an Partis adverſæ. Singularis Viglii opinio de victoria adverſantium Paulo reprobatur. Nunc commemoratis proxime difficultatibus reſpondetur, rejecta Gloſſa. Adhuc alio modo, probata prius Pauli ratione ſubjecta. Poſſe iſtæc colligi, ſi conciſa JCti ratiocinatio digeratur & amplietur.* 31

CAPUT XIV.

Verſiculi ultimi ſcriptura in nonnullis dubia. Proponuntur variæ lectiones, & de his judicium: item conjectura quædam. Utrum d. verſic. *totus ſit adſcribendus Paulo, an partem Adverſariis. Utrumvis ſuſtineri poſſe: & quo modo. Quænam Paulo adhuc poſſent objici, & revera ab Hotomanno objecta ſunt. Occurritur iis reſponſione ſimplici: dein ſubjecto* verſiculo. *Inſtituitur hujus* παρέμφασις. *Repræſentantur & alia ejusdem naturæ exempla. Transferuntur ea ad rem præſentem. His omnibus obſtare alium Pauli locum in* L. 17. pr. ff. de uſur. *Interpretationes ejus vulgareis pluribus refutantur. Hactenus nihil ſuccurrere, quod commode dici poſſit. Qui & quam vere a fructibus ad uſuras tranſeat JCtus. Juſtitiam cauſæ Paulinæ ab Hotomanno, Suzario & Odofredo accuſari. Quid de duobus poſterioribus exiſtimandum ſit. Quid denique de Hotomanno.* 34

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

DE

PACTIS JURIS STRICTI CONTRACTIBUS

INCONTINENTI

ADJECTIS,

DISSERTATIO.

AD LECTOREM.

Eſt de quo te admoneam. *Poterat enim videri* ἀπροσδιόνυσον, *nos occaſione* Legis 40. ff. de reb. cred. *heic agere de* PACTIS ADJECTIS, *eorumque virtute in juris ſtricti contractibus conſpicua, cum utique defendamus, de eo in Papiniani auditorio diſputatum non fuiſſe. Diximus* Cap. X. *quo ſenſu Paulus ſcripſerit*, pacta ſtipulationibus ineſſe credi: *diximus, pactionem in* vſ. Convenit, *ultra exceptionem non prodeſſe. Quid ergo hic agimus, quid molimur, tanquam ex mente & requiſito Legis neceſſario? ita ſane oportebat, non modo conſuetudine recepta inducti, ſed præcipue, ut conſtare poſſit, alias aliorum interpretationes neutiquam conſiſtere, dum operationes pactorum, quæ incontinenti contractibus junguntur ſtrictis, extollunt ſupra communeis pactorum regulas, easque transferunt ad* L. Lecta. *Igitur quæ diximus confirmabit hæc* Diſſertatio: *atque ita oſtendet, multa de iſtoc argumento dici poſſe, quæ non dicta ſunt prius. De utilitate, & dignitate videris ipſe.*

Doctorum de Pactis adjectis *commentationes quod attinet, eas, quia ad* Legem 40. *in loco non ſuo ſunt, putamus adſcribendas digreſſionibus Scholæ veteri ſolemnibus. Vis earum exempla? non credo, quandoquidem ſunt innumera. Accepiſti, ſcio, quanto motu ad* L. 1. ff. de ſolut. matrim. *digladientur de privilegiis ſtudiorum gratia introductis, & nunquid faber vicinus* malleans, *uti loquuntur, expelli poſſit, cum ſolummodo dotis, ejusque favoris occurrat mentio. Ad* L. 1. ff. de reb. cred. *cum in ea Celſi auctoritas laudetur, quam lepide, quæſo, excurrunt etiam ad quæſita de fide Teſtium, Annalium, Medicorum, Pontificis Maximi, Legis Moſaicæ, Prophetarum, Salomonis, Sanctorum, aliorumque? vellem, huc potius tranſtuliſſet Viglius Zuichem ſuum illud:* Pendent ab ea Leges atque Prophetæ. *Immo ad hanc ipſam, qua de egimus, Legem non duntaxat quærunt, num ferendus ſit duplicis in eadem perſona muneris concurſus? num Magiſtratus JCto præſtat, an ſecus? de quibus diximus aliquid* ſub fin. C. II. *Verum & de Vaſallis, Bannitis, aliisque ſexcentis, quæ rem ſubjectam concernunt nihil: & in his vibia varam ſequitur. Quum itaque conſtet, Interpretes, ſemel argumenti fines transgreſſos, inſigniter uti exſpatiandi licentia, quanto tum modeſtius, quanto ſpecioſius, ad unum omnes, Græci Latinique hic ſunt commentati de virtute pactorum, quæ contractibus adjiciuntur ſtrictis, adductis in hanc rem perperam, ut videtur, intellectis* vſ. Quia pacta, pactumque id, & ſi ut ille?

Capite primo, *Quæſtionem, qua de ſumus diſputaturi, proponemus, una cum ſignificatione verborum, eo ſpectantium.* Secundo, *Sententiam noſtram ex ratione juris.* Tertio *eandem ex auctoritate juris manifeſta adſtruemus.* Quarto, *refutabimus Doctorum Scholam communem, nobis e diametro adverſam.* Quinto, *opinionem quandam Erciſcundorum, plurimis probatam.* Sexto *denique, mentis adhuc diverſæ mediatores novos. Atque his ſi addamus Sententias quorundam magni nominis JCtorum ſingulares, easque ſuis locis digeramus, ut factum eſt, officio videbimur functi.*

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

DE

PACTIS JURIS STRICTI CONTRACTIBUS

INCONTINENTI

ADJECTIS,

DISSERTATIO.

CAPUT I.

Præludium ad Controverſiæ diſceptationem, ejusque intellectum.

Sic ſatis a ſimplicitate Juris Gentium recedunt Romanorum Leges moresque, quibus placuit, ex nudo pacto actionem non dari. Neque enim, ut hoc evites, vel cum Fr. Connano *Lib.* V. *Comm. J. C. Cap.* I. *n.* 5. recte dicas, nudo pacto ne quidem obligationem induci naturalem: vel cum Mæſtertio de *Juſt. LL. Roman. Lib.* I. *Dubit.* 31. & 33. ac alio adhuc tenebrione quodam, Jure Civili nudum pactum, modo deliberatum, ad actionem prodeſſe. Hi ſunt duo ſcopuli, quibus ſi impingas, nihil naufragio præſentius. Refutationem Connani abſolvunt ea, quæ ſcripſit ὁ Μέγας *de J. B. & P. Lib.* II. *Cap.* 11. *a princ.* Mæſtertii hæreſis vix eſt, ut reſponſionem ſeriam mereatur: jam etenim diſparuit in ipſo ortu; commune fatum eorum, qui certa adeo Juris principia ſine ingenio tentare præſumunt. Ex pacto actionem non naſci, velut νομικὸν ψήφισμα, narrat Imp. Alexander in *l.* 10. *C. de pact.* & Ulpianus in *l.* 15. *ff. de præſcript. verb.* Sed tædet in his morari, quum tota Jurisprudentiæ Romanæ compages, huic innixa fundamento, hanc fatuitatem retundat affatim.

De ratione hujusce juris major eſt dubitatio. Alius eam conſtituit in prudentia Juris Romani Conditorum, qui gnari, ſe in fæce Romuli, non in Platonis republica verſari, & proin multa, ſæpe minus præmeditata, etiam ſub ſpecie aulicæ urbanitatis, promiſcuis effutiri promiſſionibus, noluiſſent hæc qualiacunque dicta firmis obligationum & actionum vinculis alligare, ne univerſa patrimonia ita facile ſcil. projiciantur. Alius rationem arceſſit a periculo, quod ab judicibus metuendum eſſet, ſi, quemadmodum videbatur futurum, eorum poteſtas ſub colore conventionis nudæ in immenſum creſceret. Rurſum Tertius, ut cives Romani etiam ultra anguſtias legum ſapere, & ſe in hoc virtutis campo exercere poſſent. Aliter adhuc Cæſar Coſta *Variar. Ambiguit. Jur. L.* III. *C.* 14. & Vaconius a Vacuna *Declar. Jur. Civ. L.* V. *Decl.* LXVII. *n.* 8. quem, ſi vacat, philoſophice delirantem vide. Vereor autem, ne & alia, quæ recenſuimus, ſint diluta nimis. Igitur, miſſis omnibus, rationem, cur ex pacto actio non detur, a ſolo uſu derivemus. Priſca gens mortalium, ne caperetur provida, Jurisperitos contrahendis negotiis adhibebat. Eorum partes erant præſcribere formulas in omne genus contractibus, ſecundum quas promiſſiones repromiſſionesque fierent, ne qualis oriretur ex vagis Contrahentium verbis. Hinc Manilii formulæ, quarum ſæpius Varro meminit *de Re ruſtica.* Sive, ut vocantur apud Ciceronem *de Orat. Lib.* I. *C.* 58. *Manilianæ venalium vendendorum* LEGES i. e. præſcripta neceſſaria emptionis venditionis recte contrahendæ. Atque illæ formulæ conſiſtebant in ea verborum conceptione ſolemni, quam ſtipulationem dicimus, ordinata diverſimode pro cujusque negotii natura. Ex eo videtur longo uſu invaluiſſe, ut ne verba ligarent, niſi hujusmodi formulæ incluſa neceſſariæ, quamvis etiam non præiret illam

lam Juriſperitus. Conſuetudo hæc tranſiit deinceps in jus certum, quo uſi ſunt Romani, poſtea Græci ad usque Imperatorem Leonem. Liceat ergo concludere, nihil eſſe probabilius, quam originem, & conſequenter rationem juris, Q. D. A. ab uſu duntaxat petendam eſſe.

Verumtamen, quia regula de actione ex nudis placiti finibus non oriunda mere Juris Civilis eſt, hinc eo ipſo jure fallit ſæpiſſime in negotiis, quæ ſua natura nil niſi æquitatem, & ſimplicitatem primævam redolent. Inde fere proficiſcitur ſeries illa exceptionum, quibus hoc Juris principium circumſcribitur. Sexaginta ſeptem rettulit Andr. ab Exea in *Oceano Juris Tom.* VI. *p.* 2. quas vide, ſi placeat tantum æquor decurrere. Scopo noſtro inſervit illa, quam Ulpianus ſuggerit, limitatio in *l. Juris Gentium* 7. §. *Quinimo* 5. *ff. de pact. Quinimo*, ait, *interdum format ipſam actionem* (puta nuda pactio, quam in §. *præced.* obligationem parere negaverat) *ut in bonæ fidei judiciis. Solemus enim dicere*, PACTA CONVENTA INESSE BONÆ FIDEI JUDICIIS. *Sed hoc ſic accipiendum eſt: ut ſiquidem excontinenti pacta ſubſecuta ſunt, etiam ex parte actoris inſint: ex intervallo non inerunt; nec valebunt, ſi agat: ne ex pacto actio naſcatur.* Habes eandem doctrinam in *l.* 13. *C. eod.* Igitur pacta conventa actionem non producunt, exceptis his, quæ incontinenti fidei bonæ contractibus apponuntur, tunc etenim iis ineſſe *dici ſolitum erat*, inquit, *d.* §. *Quinimo* 5. Poſtea ſeu ex intervallo facta non inerunt, ſed ad exceptionem tantum profutura ſunt *d. l.* 13. non in univerſum, aſt pro modo cautionis Papinianeæ in *l.* 72. *ff. de C. E. & V.* qua de *Capite proximo* dicturi ſumus.

Sic habemus duo Juris decreta, ex pacto actionem non dari, & tamen dari, ſi B. F. negotiis ἀμέσως jungatur: & hæc adeo certa & explorata, ut eorum veritatem non Carneades aliquis poſſit infringere. Verum enim vero, an ea, quæ de pactis excontinenti fidei bonæ contractibus additis prædicavimus, etiam in iis, quæ juris ſtricti ſunt, locum habeant, acerrima Interpretum contentio ſemper fuit, & adhucdum eſt. Placet eorum opiniones digerere in tres claſſes. Prima eſt communis DD. Scholæ, quæ in ſtrictis contractibus hæc ipſa, prout in bonæ fidei, ſervanda eſſe contendit. Secunda eſt illorum, qui pacta diſpeſcunt in *detrahentia* & *adjicientia*, ſive, quod eodem fere redit (ut dicetur C. V.) in ea, quæ rei vel actoris gratiam concernunt, ut ſcil. iſtæc inſint, hæc non item. Tertia claſſis ſtipulationem a cæteris Juris ſtricti contractibus excipit, ut huic pacta inſint, non etiam aliis. Sunt præterea opiniones quorundam ſingulares, ſed eas, quia ſectam non condunt, in claſſes non deducimus. Nos, ut conſtare poterit ex iis, quæ ad *l. Lecta*, ſuppoſuimus, ſimpliciter exiſtimamus, pacta, continuo licet adjecta, nullis omnino ineſſe S. J. contractibus, hoc eſt, nec actionem de novo producere, nec productam vel in totum, vel pro parte tollere: at vero ſuis oportere exceptionibus eſſe contenta. Hoc ut probemus, jam noſtra res agitur. Præſidium in Interpretibus habebimus nullum, cum nemo, quod ſciam, hanc ſententiam ſuſtinuerit, certe nemo, qui ſingula Juris capita, eorumque Auctores a contrarietatum & errorum blaſphemiis tuetur. Ex ratione equidem ſimile quid tentaſſe videntur Guido Suzarius & Odofredus, ſed Paulum in *l.* 40. deferunt, ut videre licet apud Zaſium & Alciatum, locis ibidem ad calcem *Cap. ult.* laudatis. Quid moliantur porro, juxta cum ignorantiſſimis ignoro. Primo autem ea, quæ diximus, vindicabimus pure & ἁπλῶς: dein cum Adverſariis magnam pugnabimus pugnam.

Priusquam ad ea nos accingamus, viſum eſt, *hoc Capite præliminari*, paucis indagare vim & effectum τ͂ *incontinenti* & *ineſſe*, quæ dictiones paſſim nobis erunt obviæ. Quid Latinis ſit *continens* latere poteſt neminem: quid inde derivatum *incontinenti* æque claret. Auctor *Defenſionis veterum JCtorum adverſus Laur. Vallam* (ſive Nicolaus Valla, ſi credas Mornacio ad *l.* 7. §. 1. *ff. ad exhib.* ſive Jacobus Capellus, ſi Leonino *Emend. l.* 13. & IV. 10. & VII. 11.) voculam *in* & *excontinenti*, tanquam JCtorum propriam notat *fol.* 60. *B.* Sed id verum non eſt. Rarius ea, fateor, auctores exteri, at tamen uſi ſunt: *incontinenti* Tertullianus dixit *Apolog. C.* XXIII. & *excontinenti* Juſtinus *Lib.* I. *C.* 9. & *Lib.* XI. *C.* 4. & *Lib.* V. & VII. & ipſe Cæſar, qui vel puriſſime loquitur, *Belli Gallici Lib.* V. *C.* 11. *Excontinenti alios accerſiri jubet.* An duobus diſtinctim vocabulis, an altero in alterius continenti ſcribendum ſit, Grammaticorum propria eſt notio. Utroque modo occurrit: etiam in Pandectis Florentinis, quo de vide & Paulum Picum in *Comment.* ad *l.* 13. *C. de Pact.* Sed videamus, qua latitudine iſthæc locutio in JCtorum libris accipiatur, eſt enim illud non usque adeo expeditum propter varium ejus uſum. Ne autem evagemur, de *incontinenti* pactorum dicemus tantum. Ulpianus in *d. l.* 7. §. 5. pacta incontinenti definit, *quæ in ingreſſu contractus facta ſunt:* & eodem ſenſu Pomponius in *l. Nec ex prætorio* 27. *ff. de R. J.* privatorum pactionibus actionum modos *infirmari* vel *informari* dixit; *cum incohoatur actio*, ſeu, ut eſt in quibusdam libris *pactio*. Unde ſtatim dubitatio, an ea ſolummodo incontinenti facta intelligantur, quæ placuerunt in ipſo contractus limine? non ita ſtricte: moderatur id Paulus noſter in *l.* 1. §. 8. *ff. ad L. Falcid.* dum τὸ *incontinenti* accipiendum eſſe docet *cum aliquo ſpatio.* Civiliter igitur, & ἐν πλάτει: ut non ea duntaxat, quæ in introitu, ſed & quæ in medio per modum interlocutionis, quinimo & in exitu, ne dicam poſt contractum jam conſummatum (dummodo ſtatim, & uno quaſi ſpiritu) a Contrahentibus acta geſta ſunt, in continenti facta recte dicantur. Quare idem Ulpianus, qui hæc *de ingreſſu* nobis narrat in *d. l.* 7. §. 5. eodem loco pactorum meminit, quæ ex continenti *ſubſecuta ſunt.* Et pactum in *l.* 40. *ff. de R. C.* incontinenti factum memoratur, quum tamen haud dubie poſt ſtipulationes omnibus abſolutas numeris fuerit adpoſitum. Adde, quæ alii notarunt ex *l.* 3. *C. de Ædil. act.* Quid autem ſibi velit τὸ *ingreſſus* in *d. l.* 7. §. 5. & quæ ſit hujus vocabuli latitudo, probatum vide apud Connanum *Comment. J. C. Lib.* V. *C.* 2. 8. & Æmil. Ferrettum ad *d.* §. *n.* 18. dum graditur contractus, *ingreſſu*, quomodo ſi quis legere velit in §. *Quinimo* 5. dicat τὸ *in* majuſcule ſcriptum, & male geminatum eſſe: nec valde repugnabo. His cognitis, videbis placere non poſſe, quæ Alciatus *Lib.* II. *Parerg. C.* 34. de ſignificatione verbi *ingreſſus*, hoc quidem loco, fingere non dubitavit. Poſſet & ea res aliter expediri, verum tanti non eſt, ut eidem diutius immoremur.

Interim pacta abſoluto jam contractui ſubjecta, oportet fiant calente negotio, priusquam ad alia partes divertant, συγχρόνως τῇ συστάσει τοῦ συναλλάγματος, ut Græci, i. e. *prope ipſum contractus fundamen.* Quantum vero temporis laxamentum

tum illud *incontinenti* requirat, antequam ei præſcribatur, ad nauſeam DD. diſputant. Vide, qui tumultuentur, apud Goeddeum *de contr. & comm. ſtipul. C.* IV. §. 15. & longa ſequentium ſerie: ut & paſſim ad *l. Lecta*, & *l.* 7. §. 5. *ff. de pact.* Res ſecundum ea, quæ proponuntur, videtur dijudicanda; hic enim, ſi ullibi, certa eaque univerſalis definitio eſſet periculoſa, parum namque eſt, quin pro varietate materiæ ſubjectæ ſubverti poſſit, ut Jaboleni effatum in *l.* 202. *ff. de R. J.* heic applicemus. Alibi protenditur ad aliquot horas, alibi ad aliquot dies, alibi ad menſes, immo & ad annum. Sed de his agere nihil attinet. De τῷ *incontinenti*, quod ad pacti adjectionem, conſtare poterit ex iis, quæ diximus: nimirum concedi *ſpatium quoddam temporis, nec minimum, nec maximum: & quod magis intellectu percipi, quam ex locutione exprimi poteſt*, ut eleganter, quamvis in re diſſimili, Julianus ait in *l.* 13. *ff. de ſolut.*

Pacta, ita excontinenti facta, B. F. judiciis inſunt. Eſt autem *ineſſe* hic nihil aliud, quam *contractu contineri*, ſicuti Papinianus hoc effert in *l.* 72. *ff. de contr. empt. & vend.* Atque hinc facile colligas arctiſſimam unionem, quæ bonæ fidei contractui intercedit cum pactione incontinenti ſequuta: etenim ſi contractu contineatur, erit ejus quaſi pars quædam, non aliter defendenda, ac conventio, in qua jus, ut ita dicam, ipſius contractus continetur. Hinc Ulpianus pacta, quæ ita contractibus ἐπισωματῖζονται, id eſt, (ut vocabulum ſequioris ævi uſurpem) *incorporantur*, eoſdem dicit *formare* in *d. l.* 7. §. 5. & *reformare* in §. 6. non quidem ratione *formulæ* cuique contractus judicio propriæ, & per adjectionem pacti mutandæ, ut ſubtilius, quam verius *formandi* verbum accepit Eguin. Baro in *Comment.* ad *d.* §. Sed in univerſum quod ad mutationem formæ, ſive ſtatus, in quo erat, prioris. Hujusmodi enim pactio contractum auget, minuit, eidem *legem dat*, prout eſt in *d.* §. *quinimo* 5. &, quicquid dicant Veteres, actione non alia explicatur, atque ipſe contractus. Harmenopulus de Pacto, quod ineſt, ἀμείβει, τυποῖ, μετατυποῖ. Juſtinianus κανονίζει τὸ συνάλλαγμα in *Nov.* 136. ſignificanter admodum, uti jam Cujacius obſervavit in *Comment.* ad *d.* §. 5. Accurſianæ Scholæ ſectatores illam, quam vocant, *pactorum cohærentiam* lepidiſſimis ut plurimum exemplis illuſtrare ſunt conati: ſed, ne rideas, tacebo.

Hoc unum addam, pacta adjecta ſi inſint, & per hoc ejusdem ſint efficaciæ, ac ipſi, quibus junguntur, contractus, etiam eodem modo operari, ac ſi alio rurſus contractu ita conveniſſet: quum poſterior ille conſenſus, qui eſt in pactis, præcedentem, jam licet perfectum, duntaxat videatur conſummaſſe. Igitur aucta obligatione, dabitur, ſeu extendetur potius actio ad ea, quæ in pactum deducta ſunt: ſublata vel minuta, eam ejusve partem tollet minuetve ipſo jure pactum conventum. Hanc τοῦ *ineſſe* ἔμφασιν partem Ulpianus oſtendit in memorato ſæpius §. 5. & etiam *l.* 6. *l.* 7. *ff. de pact.* partem oſtendent ea, quæ dicentur *Cap.* V. *a princ.* Erant hæc præmittenda, quia philoſophia juris circa pacta adjecta, qua de *Cap. ſeq.* agendum erit, non parum inde pendet. Sufficiant hæc de vi utriusque voculæ *incontinenti* & *ineſſe*.

CAPUT II.

Pacta ſtrictis judiciis omnino non ineſſe ex ratione juris evincitur.

Dicturi de ſtricti juris contractibus, oportet ſciamus, duos duntaxat, nominatos (nam de innominatis cur non agamus, putem tibi liquere) in univerſo jure reperiri, ſtipulationem videlicet, & mutuum. Utrumque contractum eſſe ſtricti juris, vel novi Juſtinianei norunt: denique vel plures, vel pauciores fruſtra quæri, res æque certa eſt. Itaque de rationibus juris in utroque, quem diximus, contractu obviis dicendum eſt: & quidem ita, ut primum *communia utriusque judicii* excutiamus, hoc eſt, rationes in ſtipulatione & mutuo virtute æquali militantes: dein eas applicemus pro diverſa cujusque contractus natura.

Si præjudiciis certandum foret, utique penes nos eſſet victoria. Enimvero contractum B. F. quum κατ' ἐξοχὴν fidem bonam, & ſimplicitatem naturalem ſapiunt (quo de Cujacius *Lib.* VIII. *Obſerv. C.* 10.) etiamnum in Jure Civili laxior & pinguior eſt indoles, in iis potiſſimum, quæ mero jure G. nituntur. Adeo ut aurea Juris Naturæ regula, *nil eſſe tam congruum humanæ fidei, quam ea quæ inter Partes placuerunt, omnimodo ſervare*, a Romanis Legumlatoribus in illis poſtliminio videatur reducta. Unde in his *libera, & nullis conſtricta vinculis judicis religio*, ut alibi Seneca: *tantundem valens, quantum in ſtipulatione nominatim ejus rei facta interrogatio*, inquit Paulus noſter in *l.* 7. *ff. de negot. geſt.* Extorſit hanc interpretationem benignam ſumma vis, quæ ineſt arbitriis, in quibus additur, *ex fide bona*: nam *fidei bonæ nomen manare latiſſime*, Quintus Scævola, Pontif. Max. dixiſſe fertur, ſicut teſtis ea in re eſt Tullius *de Offic. Lib.* III. *C.* 17. Quare igitur iis inſint pacta, non eſt, quod miremur. Contra in juris ſtricti contractibus major eſt ἀκρίβεια, omnia magis arcta & ſtricta, quoniam Juris Civilis regulæ, earumque rigor in hiſce ἀνυπευθύνως fere regnat, ut pote qui ipſi formulis jure poſitivo inductis reguntur, & anguſtis conventionum adſtringuntur placitis. Quapropter iis non inerunt pacta, quia jus civile ex pacto nudo nihil omnino concedit: jus prætorium exceptionem tantum. Dixi *nudo*, quum aliter cenſeri nequeat in contractu ſtricti juris, propter ea, quæ jam jam dicemus. Alioquin an pacta bonæ fidei contractibus adjecta, nuda ſint, an, ut loquuntur, *veſtita*, λογομαχία eſt, & præterea nihil.

Nunc quod agendum eſt, agamus preſſius. Diximus *in fin. Cap. præc.* pacta, ſiquidem inſint, vel data actione operari, vel obligationem præviam ipſo jure tollere, ſive etiam reſtringere. Nil horum præſtare pacta, ſtrictis adjecta contractibus, videamus, an probari poſſit. Primo autem dicendum erit, cur ex parte agentis non inſint i. e. ad actionem prodeſſe nequeant, tam in ſtipulatione, quam mutuo: deinceps, cur nec ex parte rei. Non inſunt ex parte agentis, quoniam in iis deſideratur illud, quod unicam actionem producit. Stipulatio, ut novimus, concipitur verbis ſolemnibus, præter & ſupra conſenſum neceſſariis. Quod autem de toto prædicatur, illud & de ſingulis univerſi partibus, pro earum portione, intelligendum eſſe, & rerum natura docet, & Gajus in *l.* 113. *ff. de R. J.*

Pa-

Pacta vero nequidem verba, multo minus concepta verborum carmina requirunt *l.* 1. §. 2. *ff. de pact.* in eo unice, præter effectus inde oriundos, a ſtipulationibus diverſa. Adeoque quum ſubſtantiali, ut ita dicam, ſtipulationum requiſito deſtituantur pacta, conſequens eſt, ut nec partes earum eſſe poſſe videantur: nam quomodo actori competet ſtipulatoria actio, ubi nulla ſunt verba, utique non conſueta eorum forma, quæ ſtipulationis naturam abſolvit omnem. Eadem & in mutuo dicta ſunto: dummodo quæ de verborum ſolemnibus in ſtipulatione heic transferas ad interventum rei neceſſarium. Accipe exemplum: decem mutuo datis, incontinenti convenit, ut undecim debeantur. Creditori non dabitur condictitia actio, niſi ad decem, ſolo enim conſenſu conſtabat pactio, & verum eſt, condictionem ex mutuo duntaxat ad ea competere, quæ revera numerata ſunt. Undecimus ille nummus numeratus non eſt, neque igitur condictio eum repetet. Sed de his plena manu *Cap.* V. ad expoſit. *l.* 11. §. 1. *ff. de R. Cred.*

Dicamus porro, quam ob rem pacta ex parte rei non inſint i. e. contractus ſtrictos ipſo jure neque tollant, neque minuant. Audiamus regulam, quam de diſſolutione contractuum Ulpianus præſcribit in *l.* 35. *ff. de R. J. Nihil tam naturale eſt*, ait, *quam eo genere quidque diſſolvere, quo colligatum eſt: ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi conſenſus obligatio contrario conſenſu diſſolvitur.* Hæc ipſa videas decantari paſſim, ut in *l.* 100. *ff. eod. l.* 80. *ff. de ſolution. C.* I. X. *de R. J.* & rationi conſentaneum nihil eſt magis. Nodus eo, quo nexus eſt, modo ſolvitur, hæc eſt regula. Quid inde ſequitur? *ideo verborum obligatio verbis tollitur.* Diximus Pacta ſolo nudoque conſenſu perfici: quomodo igitur ſtipulationem vel in totum, vel pro parte tollent, hoc eſt, nudus conſenſus conſenſum & verba ſimul? conſenſus equidem conſenſum, tanquam æque fortem, ſubvertere valet, ſed quid de verbis fiet? ad ea diſſolvenda requiruntur verbis contraria verba *d. l.* 35. & 80. quæ cum in pactis fruſtra quæras, manet eadem, quæ fuit, civilis obligatio, & manet, donec exceptione elidatur. In mutuo eadem ferme eſt ratio, dum rurſus, quod verba in abroganda ſtipulatione operantur, hic transferendum memineris ad redditionem rei. Facit hoc Pomponius in *d. l.* 80. *ff. de ſolut. Prout quidque contractum eſt*, inquit, *ita & ſolvi debet: veluti cum mutuum dedimus, ut retro pecuniæ tantundem ſolvi debeat.* Itaque nec mutuo pacta inerunt, utpote cum nudus conſenſus duo vincula, puta conſenſum & rem, ſibi invicem innexa, nequeat diffringere. In hoc contractu tam diſſolvendo, quam contrahendo res concurrat neceſſum eſt: niſi tamen Aquiliana interveniat ſtipulatio, qua de mox aliquid dicturi ſumus.

Atque adeo obligatio naturalis, ex pacto proficiſcens, civilem ex contractu evertere non poterit, quum non minor ſit virtus, actionem conſtitutam tollere, quam novam producere: idque in jure noſtro æque verum eſt, ac in Naturalibus Philoſophus aliquis ex *regulis de motu* veriſſimum eſſe, quaſi e tripode reſponderet. Sed hanc eſſe operationem τȣ̃ *incontinenti* audire videor: nam ecce! pacta B. F. judiciis, ad unum omnibus, ineſſe qui negat, eſt nemo. Atqui tamen contractus B. F. non omnes ſunt conſenſuales, an ergo pacta excontinenti facta non inerunt commodato, depoſito & pignori? videtur ſane obſtare eadem Juris ratio, quam in mutuo indicavimus, ſiquidem doceant *Inſtitutiones*, & Gajus in *l.* 1. §. 2. & *ſeqq. ff. de O. & A.* illos fidei bonæ contractus re perfici, quemadmodum mutuum. Puto ita dicendum: Commodatum, depoſitum, pignus re contrahuntur, quia in iis agitur de reſtitutione ejusdem rei, *dictis locis.* Sic & in mutuo, genere videlicet reddendo, at non tantum: ipſa enim certi condictio ex mutuo competit ex re, ex numeratione *l.* 9. §. 4. *ff. de R. C.* & quidem duntaxat, prout diximus, & dicemus latius *Cap.* V. adeoque non poteſt illa formari a pactis adjectis, quia obeſt ſtricta natura. Sed aliud juris eſt in actionibus, quæ oriuntur ex contractibus, re initis, ſi fidei bonæ ſint: tanta quippe earum latitudo eſt, ut ad ea, quæ ſolo conſenſu placuerunt, quam facile porrigantur, ſicut vulgo notum eſt. Eſt hæc diſtinctio juridica. Si cui tamen ea, neſcio qua ratione, non placeat, dicat ſimpliciter, Romani Juris Conditores illam ſubtilitatem, quæ, ne pacta inſint, omnino exigit, inſuper habuiſſe in commodato, depoſito & pignore, quia bonæ fidei ſunt; & in his præſertim inter bonos bene agier oportet, cum bona fides ſit norma & regula, ad quam omnis eorum interpretatio redigenda eſt, ut ſcribit Neratius in *l.* 58. *ff. de pact.* Adde, quæ in *princ. hujus Cap.* dicta ſunt.

Facilius quis hæc admittet, dummodo animadvertat, in *l.* 3. *ff. de reſcind. vend.* tradidiſſe Paulum, *bonæ fidei judiciis exceptiones pacti ineſſe*, & rationem hujusce juris, aliis neglectam, intellexerit. Nimirum pleroſque B. F. contractus eſſe conſenſuales conſtat, &, opinor, etiam hoc, plena juris ratione iis ineſſe pacta, quæ incontinenti fiunt. Si pacta inſint, utique & eorum exceptiones, ne quidem oppoſitæ: cum hoc præſtet τὸ *ipſo jure.* Eſt autem generaliter ſcriptum, *pactorum* exceptiones contractibus B. F. ineſſe, num igitur & eorum, quæ ex intervallo fiunt? exiſtimem, hujus rei judicium pendere ex eo, an ipſa pacta inſint: nam pactorum, quæ non inſunt, exceptiones ineſſe, quis tuto dixerit? De pactis ex intervallo audi, quid ajat Papinianus in *l.* 72. *ff. de cont. empt. Pacta conventa, quæ poſtea facta detrahunt aliquid emptioni, contineri contractu videntur: quæ vero adjiciunt, credimus hoc* (malim *hæc*, quam *hoc* cum Haloandro abjicere) *non ineſſe* &c. Quæ pacta heic ſint *detrahentia*, quæ *adjicientia*, optime Cujacius ad *Lib.* X. *Quæſt. Papin.* in *d. l.* 72. Dicam breviter: pacta *detrahentia* i. e. quæ de ſubſtantia ipſius contractus interponuntur, licet ex intervallo fiant, tamen inſunt, ſeu potius, ut Paulus ad Papinianum notat in *d. l.* 72. per ea novus interceſſit contractus; quod *non inſubtiliter* dici ait Ulpianus in *l.* 7. §. 6. *ff. de Pact.* Verbi gratia: Emo a te rem denariis quatuor, convenit poſtea, ex intervallo nempe, ut empta ſit tribus. Ineſt hæc pactio, quandoquidem ipſo jure venditoris actio imminuta eſt. Rationem vides. Emptio venditio contractus eſt conſenſualis, ex re & pretio conſiſtens: igitur pactum de minuendo pretio conſtituit emptionem quaſi novam. Res manet eadem, & conſenſu utriusque noſtrum poſteriori mutatur pretium: quid ultra deſideras ad emptionem perfectam? Quin fieri non poteſt, ut conſenſus vel circa rem, vel circa pretium, ſi quocunque tempore accedat novus, nova non videatur emptio venditio: teſtimonia ejus rei habes & in *l.* 7. §. 6. *l.* 27. §. 2. *l.* 58. *ff. de pact.* Sin vero pacta ex intervallo ſint *adjicientia* i. e. quæ fiunt de acceſſionibus & pediſſequis (*adminicula* dicuntur in *d. l.* 72.) ipſius contractus, tum neutiquam

ine-

inerunt, *ne ex pacto actio naſcatur*, inquit ille in *l.* 7. §. 5. *vſ. Idem reſponſum. ff. de pact.* vel etiam nata ipſo jure tollatur, quod notiſſimos pacti terminos excedit. Manet hic contractus, qualis fuit, integer: accedit aliquid in gratiam alterutrius Contrahentium. Id ſi ineſſet, de communibus pactorum regulis actum foret prorſus.

Rationalis eſt hæc Jurisprudentia, dum, quod de detrahentibus ex intervallo diximus, ſolummodo applices contractibus, qui ſolo & ſimplici conſenſu abſolvuntur. De empto vendito loquuntur JCti ſemper, cum hujus regulæ meminerint. Nihilominus & eam obtinere in reliquis conſenſualibus omnino dicendum eſt: eadem quippe & in his eſt ratio. In aliis fidei bonæ contractibus ceſſat τὸ αἴτιον hujus Juris. Verum, quemadmodum in commodato, depoſito & pignore, excontinenti ſi pacta fiant, benignius agi vidimus, ſic & ex intervallo adjecta, ſiquidem de natura contractuum ſint, iis ipſis ineſſe nulli dubitamus, propter regulam in B.F. contractibus generalem, quam propoſuimus ex *l.* 3. *ff. de reſcind. vend.* idque, quamvis utrobique in contrarium niti videatur ratio: vincitur enim hæc ab alia fortiori, quæ a bona fide deſcendit.

De adminiculis ex intervallo ſi pacta apponantur, ea, ſeu eorum exceptiones nullo modo ineſſe credimus. Claret hoc ex *d. l.* 72. & Ulpiano in §. 6. *l.* 7. *ff. de pact. Adeo*, inquit, *bonæ fidei judiciis exceptiones poſtea factæ*, QUÆ EX EODEM SUNT CONTRACTU, *inſunt*, &c. *Ex eodem contractu* nihil aliud eſt, quam de ſubſtantia & *natura* (qua voce utitur ipſe in §. *præc.*) ejusdem contractus. Ait autem *exceptiones*, & recte, perinde enim eſſe, an pacta, an eorum exceptiones ineſſe dicas, notavimus ſupra. Utque ita carere poſſimus τῷ *depectiones* Cujacii *Lib.* II. *Obſerv. C.* 15. & Ræwardi (*Lib.* II. *Varior. C.* 13.) aliorumque expoſitionibus contortis. Quapropter τὸ καθολικὸν regulæ *l.* 3. *ff. de reſc. vend. pactorum exceptiones bonæ fidei judiciis ineſſe*, interpretabimur ſecundum ibidem propoſitum thema de conventione, quæ ipſam contractus naturam concernebat. Quærebatur namque, an conſenſu contrario reſolvi poſſet emptio venditio, cui firmandæ ſtipulationis, vel fidejuſſionis robur acceſſerat? & reſpondetur emptorem, cui fidejuſſum erat, ex emto agere non poſſe, quia pactorum exceptiones hujusmodi judiciis inſunt, hoc eſt, ipſo jure abrogatum eſſe contractum bonæ fidei conſenſualem, atque adeo venditorem conventum ne quidem exceptione uſurum, niſi *facti* vel *in factum*, quam vocant ἐπιδὴ διηγηματικῶς ταύτην ἀντιτίθησιν, κατὰ τὸν Θεόφιλον ad *Tit. Inſtit. de except.* Venditorem vero, qui ſtipulatus fuerat, ex ſtipulatu agere poſſe, quia nuda voluntas contraria ſtipulationem tollere nequit: tenebat igitur ipſo jure actio, quum eum agentem exceptione duntaxat ſummovendum eſſe dictet ea Lex. Eſt autem viſum, paullo altius in rationes juris, quod ad pacta ex intervallo, inquirere, ut magis illuceſcant, quas de τῷ *incontinenti* dedimus, & ſimul pateat, latitudinem in B. F. contractibus, etiam qui re contrahuntur, tam late patere, ut iis vel ex intervallo pacta detrahentia, eorumque exceptiones inſint.

Denique & illud conficies ex *l.* 3. *ff. de reſc. vend.* ſtrictis contractibus non ineſſe pactorum exceptiones, neque alia ratione, quam quod ipſa pacta non inſint. De iis, quæ ex intervallo fiunt, concedunt omnes ex ratione & auctoritate *d. l.* 72. *ff. de contr. Empt.* At, quæſo, incontinenti facta ſi inſint, cur non & ex intervallo, prout in bonæ fidei judiciis? ſed παραφράσιν ſatis.

Ita defuncti ſumus regulis generalibus, nunc eas exemplis aliquot illuſtremus, & præſertim talibus, quæ oſtendant, pacta ipſo jure ſtrictos contractus ne quidem in favorem rei immutare, cum de eo ſit major omnium ἀναθεώρησις. Finge me tibi centum debere ex ſtipulatu vel mutuo, & incontinenti pactum, *ne peteres.* Petis tamen: efficax eſt, quam intendis, actio, *quia pacto convento obligationes* NON OMNINO *diſſolvuntur*, ait Imperator in §. 3. *Inſtit. de except.* & Juris Auctores paſſim. Quocirca non inerit hoc pactum, quia illico non eſt ſuffocata actio. Eſtque illud indiſtincte traditum, ſive ex continenti, ſive poſtea conventiones fuerint ſubſecutæ; cum hac tamen cautione, ut ſi bonæ F. contractibus hujusmodi pactio e veſtigio probetur addita, ipſo jure priſtina obligatio ſubvertatur, ut docet Paulus in *l.* 27. §. 2. *vſ. Idem dicemus ff. de Pact.* & Baſilici quoque ad eum locum notarunt.

Quam vera hæc ſint, acceptilationis uſus demonſtrat. Si enim in ſtipulationis continenti convenerit, de quinquaginta accepto ferendis, cum ex ea centum tibi deberem, nemo dicet, actionem tuam ipſo jure ad quinquaginta eſſe limitatam. Acceptilatio i. e. concepta mutuæ interrogationis verba adſint oportet, ut valida verborum obligatio in totum, prove parte tollatur *T. T. ff. de acceptil. l.* 80. *ff. de ſolution.* §. 1. *Inſt. quib. mod. toll. obl.* quumque eum in finem pacti nudi vires nimium ſint debiles, exceptionem duntaxat hoc in caſu Papinianus debitori præſcribit in *l.* 41. *ff. de Pact.*

In mutuo evidentius ea res cernitur. Numeravi tibi mille, ut eſſent mutuo: excontinenti, neſcio quo liberalitatis genio impulſus, pactus ſum, de iisdem tibi accepto ferendis. Quæritur, valeatne quod agitur? per exceptionem quidni? non tamen ipſo jure, cum utique conſtet, hoc non fieri, niſi rerum Q. D. A. obligationes in ſtipulationem novantem transfuſæ, acceptilatione perimantur: tunc demum utriusque contingit ab eodem nexu plena abſolutio §. 1. & 2. *Inſt. quib. mod. toll. oblig. l.* 1. *l.* 8. §. 3. *ff. de accept.* Igitur ita erit inſtituendum: Mille, quæ te mihi ex cauſa mutui dare oportet, ex ſtipulatu daturum ſpondes? dein debitor: Quod ego tibi promiſi, habesne acceptum? ſunt illæ cautiones in jure admodum vulgares, quin & neceſſariæ: nam hac ratione mutuo in ſtipulatum deducto, tandem poſt factas repromiſſiones, ipſo jure ſecurus eſt debitor, neque aliter *d. ll.* Quorſum illæ novationis Aquilianæ, & acceptilationis ſubſecutæ ambages, ſi debitor ſine metu exceptionis aliquando movendæ tutus ſit, hoc eſt, ſi pactum ipſo jure ineſſe dicas?

Immo, quod magis mireris, prius pactum ne quidem per poſterius tollitur, ſicut ſtipulatio per ſtipulationem, ut diſerte ait *l.* 27. §. 2. *ff. de Pact.* Quod ſi nuda pactio aliam ejusdem naturæ nequeat convellere, quomodo igitur ſtipulationem poterit, quomodo mutuum, quorum vires pactum conventum longe lateque ſuperant? Sed quid ſi abſurditatis poſtules *d.* §. 2? cur etenim negotium ejusdem vis, ab alio æque valido, ſeu potius validiori, quia poſterius eſt, vinci non poterit? non dubitat ſane Papinianus in *l.* 95. §. 4. *ff. de ſolution.* & ni hoc verum ſit, laborant valde principia juris, quæ produximus ex *l.* 35. *ff. de R. J.* & aliunde. Quin & ſcrupulum faciat *d.* §. 2. an vel contractibus

B. F.

B. F. pacta inſint; cum eos tollere non ſit minus, quam conventiones nudas. Scio varias eſſe dicti *paragr.* interpretationes, habet & Strauchius in *Diſſert. theor. pract.* XII. *n.* 10. explicationem novam, ſed non bonam; ſed fere eſt, ut de hac aliisque omnibus dicere auſim, optimam nullam dari, alia aliam pejorem eſſe. Refutationibus ſuperſedemus, ne in illis cogamur eſſe nimii: quanquam facilius hoc eſſet, quam novi & boni quid adferre. Experiamur, an non ita conſtitui poſſit: Pactum adjectum pacto, illud abrogat ipſo jure, ſi hoc actum eſt, nam *vinculum æquitatis, quo ſolo ſuſtinebatur, conventionis æquitate diſſolvitur*, ait *d.* §. 4. *l.* 95. Sed ſi præcedat civilis obligatio, & pactus, ne ex ea peteres, poſtea denuo, ut petere liceat, aliud dicendum eſt: & id, ut conſtet uſus replicationis. Explicat hoc Imperator in *pr. Inſt. de replicat.* Peto a te decem, tu objicis pactum, & cur non? ego rurſus pactum contrarium, ut petitio ſuſtineatur. In pactis illis *verſatur factum*, inquit *d.* §. 2. ſcilicet pacta non operantur niſi oppoſita, *factum* exceptionis & replicationis eſt neceſſarium: neque enim in iis verſatur jus illud, quo ſtipulationes donatæ ſunt. Hæc ſi non placeant, & qua de cauſa non placeant, forte aliquid reperies, auctor eſſem, ut in *d. l.* 27. §. 2. ita legeres: *Pactus,* NE PETERET, *poſtea convenit,* UT PETERET, *prius pactum per poſterius elidetur, & quidem ipſo jure, ſicut tollitur ſtipulatio per ſtipulationem.* &c. Pro *non* ſubſtituo *&*: rationemque ſubjectam hoc modo expono; ſicut jus jus tollit in ſtipulationibus, ita factum factum in pactis. Opus tamen eſt replicatione, ut ſequitur, ſed non niſi in factum. Omnia tum ſunt ſolida & juridica. Emendationis audaciam ſi accuſes, nihil eſt, quod reponam, quam neceſſitatem omnigenam. Serva ſcripturam, ſi potes, at ſervatis aliorum expoſitionibus, fruſtra eris. Minori motu ſi rem expedias, bene eſt. Atque hæ ſunt Juris rationes, quæ ad veritatem ſententiæ noſtræ aſſerendam menti ſuccurrunt.

CAPUT III.

Hæc ipſa ſententia auctoritate Juris adſtruitur.

Rationes Juris excipit ejusdem auctoritas. Hanc autem in genere recte colligas ex ſolemni illo §. 5. *l.* 7. *ff. de pact.* ubi Ulpianum reſpondiſſe vidimus; *pacta conventa ineſſe* BONÆ FIDEI JUDICIIS, & ita in *l.* 13. *C. de pact.* Cur *bonæ fidei*, niſi ut ſtricti juris judicia ab illa finitione arceantur? Quemadmodum enim ille, qui ex duobus propoſitis, dum unum negat, alterum tacendo conceſſit, ut inquit D. Gregorius in *Cap.* 5. §. 1. X *de præſumt.* ſic multo magis, qui alterum duntaxat ait, alterum negaſſe videtur: nam unius incluſio licet non ſit ſemper alterius excluſio (ut cum Interpretibus loquar) ea tamen regula, ſi ullibi, certe locum ſibi vindicat, ubi data opera juris principia docentur, ſicuti in *d.* §. 5. Etenim cui bono plus ſemel ibi repetita contractuum B. F. mentio, ſi idem & in ſtrictis obtineat? at illa adjectio *ſupervacui laboris eſt*, inquiet Hotomannus *Obſerv. Lib.* XII. *C. ult.* & in *Schol.* ad *d.* §. Alii bonæ fidei judicia illic παραδειγματικῶς tantum commemorari iisdem cantant modulis. Sed valeant hæc, ſi ad certam facti ſpeciem verba digerantur, non ſi docendi cauſa artis fundamenta tradantur, prout vulgari juris dicto declarat Ulpianus in *d.* §. adeoque ferri poſſet quodammodo iſtæc reſponſio ad *l.* 13. *C. de pact.* ubi reſcribitur ad Marium de facto ſuper B. F. contractu incidenti: non vero ad §. *Quinimo.* Habent tamen rationem, quare nullibi locorum judicia commemorentur ſtricta, ſed bonæ fidei tantum: quia ſcil. in his frequentius & evidentius ea Juris doctrina cernitur. Atquin eadem ratio JCtos moviſſe poterat, ut B. F. contractus ſilentio prætereuntes, ſolummodo ſtrictorum meminiſſent, utpote cum in his res magis dubia & anxia, in illis trita eſſet & aperta. Et tamen *bonam fidem* Juris auctores ſemper ingeminant, cum utique, ſi idem juris & in ſtrictis eſſet, ſemel quidem eos retuliſſent, vel ſaltem contractus καθόλου ſine mentione fidei bonæ. Satis itaque videtur certum, non exempli cauſa proponi B. F. judicia, ſed ut penitus excludantur ſtricta, ut plerumque alias, quæ de contractibus bonæ fidei prædicantur, de ſtrictis ex oppoſito neganda ſunt. Exemplum ea de re dedimus *Cap. præced.* quod ad pacta ex intervallo; plura Cujacius dabit *Lib.* XVII. *Obſerv. C.* 37. Atque illæ a contrario, ut ajunt, collectiones ut plurimum ſunt tutæ, & in jure noſtro paſſim receptæ. Sunt præterea in *d.* §. 5. *l.* 7. varii generis voculæ, quas, qui pacta S. J. contractibus ineſſe vel ajunt, vel negant, horrendum torquent, ut ſententiæ ſuæ velificentur, ſed turpe eſt difficiles habere nugas.

Quod de ſtricti juris negotiis in univerſum diximus, in ſpecie ſtipulationi applicatum vide in *l.* 99. *ff. de V. O. Quidquid adſtringendæ obligationis eſt, id niſi palam verbis exprimitur, omiſſum intelligendum eſt* &c. Quid dici poteſt clarius ad detegendam ſtipulationis naturam? *quidquid adſtringendæ obligationis eſt*, i. e. quidquid ſtipulationem ſtrictam ſapit, τὸ συμβαλλόμενον τῇ συστάσει τῆς ἐνοχῆς, vertunt Græci, id niſi aperte & evidenter verborum ſolemnitati fuerit incluſum, nullius momenti cenſetur. Quapropter pacta conſenſu ſimplici contenta reſpuit neceſſaria verborum ſollicitudo: diſcant contrahentes latius concipere verborum formulas, ne alterutri objiciatur illud Adriani, αὐτὸς σαυτῷ ὑστερῆσαι. Si quis capiatur, meminerit hic non ex bona fide agi, cum ſero ſapere, verbum irrevocabile evolaſſe: uno verbo, pacta conventa non eſſe adſtringendæ obligationis, non eſſe palam verbis expreſſa, & per hoc omiſſa intelligi. Producent quidem ſuas exceptiones, verum, quia ſolemniter nuncupata non ſunt, ratione ſtipulationis omiſſa putantur, ratione verborum, ſaltem ſolemnium, etiamſi in pactis vel ipſa verba abeſſe poſſe conſtet. Jam vero adverſa fronte pugnant *omiſſum eſſe* & *ineſſe*: quod utique ſufficit, ne pacta ſtrictæ ſtipulationis membra fieri poſſe credamus.

Qui nobis ſunt adverſi, hanc Legis ſententiam eludunt varie. Goeddeus *de C. & C. ſtip. Cap.* VIII. *n.* 85. & 86. ſpecioſe præ cæteris ad ſolam ſtipulationis interpretationem eam reſtringit, ut verba in *d. l.* 99. ſubſequentia poſſent arguere, & hinc ad pacta adjecta male induci contendit. Sed, licet veriſſimum ſit, agi de certo ſtipulationis interpretandæ modo, nihil tamen vetat hæc adſumi ex argumento ab obligationis ſtrictæ natura petito, quod Celſus in *l.* 99. præmittit velut fundamentum eorum, quæ mox exſequitur. Bacchovius ad *Treutl. Diſp. de pactis*,

ctis; *th.* 10. *litt. A. & B.* & cum eo plures ad *d. l.* 99. reſpondent, pacta incontinenti facta ſtipulationi ineſſe, adeoque perinde eſſe, ac ſi palam verbis expreſſa forent. Sed hoc eſt τὸ ζητούμενον ἀπ' ἀρχῆς. Contra ea etiam nos juvat τὸ συμβαινόμενον Baſilicorum, quo nihil indicaſſe videntur, niſi quod adjicitur obligationi. Aliorum his pejora effugia recitare piget.

Ex eodem *d. l.* 99. principio intelligendus eſt Paulus in *l.* 44. §. 2. *ff. de O. & A. Conditio*, inquit, *efficax eſt, quæ in conſtituenda obligatione inſeritur, non quæ poſt perfectam eam ponitur: veluti*, CENTUM DARE SPONDES, NISI NAVIS EX ASIA VENERIT? *ſed hoc caſu exiſtente conditione locus erit exceptioni pacti conventi, vel doli mali.* Premitur hæc lex alto ſilentio apud Scriptores *de Pactis adjectis*, & tamen vix dubitem, quin faciat ad arbitrium totius Controverſiæ. Operæ erit pretium paucis iſtuc probare. Agitur de loco, quo digerenda ſunt conditionis verba, ut *ſit efficax*, ſive, ut ipſo jure operari queat, ut arguunt ſequentia. Hoc autem contingit, ſi conditionis placitum *in conſtituenda obligatione fuerit inſertum*, h. e. ſi in τῷ fieri & formari, ut ita dicam, obligationis, ἐν τῷ τὴν ἐνοχὴν συνίστασθαι, palam nuncupetur caſus in futurum conferendus, *non ſi poſt perfectam eam ponatur*, h. e. contractu jam abſoluto placuerit. Exemplum conditionis poſt obligationem perfectam interpoſitæ Paulus tale præbet: *Centum dare ſpondes, niſi navis ex Aſia venerit?* Habemus heic obligationem, ſtipulationem puta, eique incontinenti, poſt clauſos tamen contractus celebrati fines, adpoſitam conditionem, *niſi navis ex Aſia venerit*; adeoque duo diſtincta a ſe conventionum tempora, licet momenta tantum. Quæ Pauli mens ut clareat magis, interrogandi nota, quæ ſequitur poſt τὸ *venerit*, ibidem eximenda, & voculæ *ſpondes* ſubjungenda videtur, hoc modo: *Centum dare ſpondes? niſi navis ex Aſia venerit.* Ad obligationem verborum conſtituendam, poſt illud *ſpondes*, rogandi ſigno clauſum, nil deſiderari poteſt: adeoque perfecta eſt ſtipulatio, antequam conditio accedat, quod in caſu *d.* §. ſupponitur. Sin vero interrogationis figura poſt τὸ *venerit* ſervetur, jam magis dubitari poſſet, an non una & eadem continuetur obligationis oratio. Sed admiſſa diſtinctionis μεταθέσεως (quam arbitrariam eſſe, prout & omnes, dudum innotuit) res omni caret dubio.

Audiamus nunc, quid juris ſit, ſi conditio non inſerta, at ſtipulationi extemplo adjecta ſit. *Hoc caſu*, pergit JCtus, *exiſtente conditione locus erit exceptioni pacti conventi, vel doli mali.* Viden? effectus conditionis, quid de ea cenſendum ſit, oſtendit ſatis. Etenim ſi ineſſet obligationi, ipſo jure operaretur: quia vero ſeparata conventio eſt, valet, quantum valere poteſt, per exceptionem videlicet, quemadmodum & cætera pacta. Manet igitur pura ſtipulatio, neque illa, quantumvis continuo, & uno quaſi ſpiritu facta adjectio *Niſi navis* &c. conditionalem facere potuit, utpote cum non morentur in una obligationis ſede pactum & ſtipulatio. Aliud dicendum eſſe, ſi conditio ipſis ſtipulationis verbis fuiſſet comprehenſa, ex adverſo licet colligere. Sic V. G. ſi in emptionis venditionis contractu ineundo placuerit; *ut perficiatur emptio, niſi melior conditio afferatur*, emptionem conditionalem eſſe Ulpianus ſcripſit in *l.* 2. *ff. de in diem addict.* Et ſi ita legatum fuerit, *niſi mater mea moritur*, ſub conditione datum vel ad emptum eſſe legatum ex Labeone probat Javolenus in *l.* 40. §. 2. *in fin. ff. de condit. & demonſtr.* Quod ideo momendum eſt, ne conditionem non fieri putes per NISI, ſed per SI tantum, quomodo *d.* §. 2. *l.* 44. ſatis exiliter explicavit Giphanius in *Lectur. ad eam.*

Interpretationem noſtram adſtringamus. Quid magis, quæſo, ἐκ τοῦ κατέχοντος fieri poſſet, quam dicta conditio, *niſi navis ex Aſia venerit*, & tamen jus agendi ſublatum non eſt, manet enim, ſicut erat, ipſo jure obligatus debitor, exceptione duntaxat munitus, quamvis hæc ipſa conditionis pactio in ejus gratiam ſit annexa. Ita & reliqua pacta, maxime licet incontinenti facta, ſtipulationi non inerunt, quippe cum in conſtituenda obligatione conceptæ verborum fabricæ non fuerint inſerta: quare nec ab actoris, nec a rei partibus ipſo jure erunt efficacia, ſed ad nudum pacti conventi, vel doli mali exceptionem profutura, duce eadem *l.* 44. §. 2. *ff. de O. & A.* Proinde Paulus auctor *d. l.* cum nuſpiam πρακτικώτερον illud declaret, non poteſt, certe non debet in *l. Lecta*, alius fuiſſe, quam hic ſe eſſe docet. Utque adeo non ſine cauſa in *Libello ſingulari* alium, quam ex edicto tralatitio, ſenſum dederimus dictæ *Legi quadrageſimæ.*

Sequitur auctoritas Juris in mutuo. Verum de ea dicemus ſtrictim, non modo, quod proprie noſter ſit ſcopus, diſceptare, an pacta verborum obligationi poſſint ἐμφυτεύεσθαι (quum dubitationes circa hanc magis ſint ſollicitæ, & id unice occaſione *l.* 40. *ff. de R. C.* veniat diſputandum) ſed & maxime, quod ſterili calamo in Jurisprudentiæ Corpore de pactis mutuo additis videatur actum. Immenſa quidem Legum ſeries ab his, qui partem nobiscum ſentiunt (pacta ſcilicet ab actoris latere ineſſe negantes) hinc inde congeſta eſt, & qua mutuo, qua ſtipulationi porro applicita: ſed ſcopæ diſſolutæ ſunt, & ea præter nihil. De ſtipulatione, ultra quam dictum eſt, an quid dici poſſit non video. Neque etiam recte probant ex *l.* 11. §. 1. *ff. de R. C.* pacta adjicientia mutuo non ineſſe: diſſeremus ea de re *Cap.* V. Suffecerint quod ad mutuum Juris rationes, & auctoritas generalis in *l.* 7. §. 5. *ff. de pact.* & illa, quæ in mutuo uſuras ſine ſtipulatione peti prohibet, ore vulgi trita regula, ut Juſtinianus refert in *Nov.* 136. *C.* 4. Si non absque ſtipulatione, ergo nec ex pacto, quamvis mutuo confeſtim adjecto: quod nemo vel effrons negaturus eſt. Quæ ratio? nulla profecto, niſi quod ſtricti juris negotio pacta ineſſe nequeant. Aliam alii quærunt in natura mutui, quam deſtrui volunt, ſi re contrahatur obligatio in plus, quam datum eſt *l.* 17. *pr. ff. de pact.* Sed differunt hæc duntaxat verborum ſono, uti conſtare poterit ex rationibus Juris, quas, cur pacta in mutuo ex parte agentis non inſint, retulimus *Cap. præc.* Alioquin in conſtituenda mutui obligatione utiliter de uſuris paciſci licere probabit forte *Cap.* V. Sunt, etiam Interpretum optimates, qui odio uſurarum fieri exiſtimant, ut pecuniæ creditæ fœnus non debeatur ex pacto. Sed hoc paulo minus eſt, quam cum ratione inſanire: nam nihil prorſus Jure Civili ſcriptum eſſe uſurarum odio, veriſſime ait Cujacius *Lib.* XIX. *Obſerv. C.* 27. & probat in *Mercat. Lib.* I. *C.* 27. *in fin.* Vera & unica igitur hujus regulæ ratio petenda erit a jure ſtricto, quod in credito verſari novimus.

CAPUT IV.

Diſputatur adverſus eos, qui pacta omnimodo Contractibus S. J. ineſſe volunt.

Nunc quæ diverſæ producant agmina ſectæ, erit latius inquirendum, cum eas indicta cauſa non damnari bonum factum ſit. Et quidem primo ſententiam, nobis directo adverſam profligabimus: eam nimirum, quæ pacta pleno ſenſu omnibus juris ſtricti contractibus ineſſe contendit, non habita actoris vel rei, ſtipulationis vel mutui differentia. Dum tamen hoc agimus, animadvertes, nos interim occupare nonnullas leges, quas tres a nobis Diſſentientium ordines, quisque pro ſuo σχίσματι, ad partes vocat.

Sententia, quam *hoc Capite* refutaturi ſumus, communis DD. Scholæ eſſe fertur, quod, ſive ſingula capita ſpectes, ſive auctoritatem, qua pollent hujusce opinionis Patroni, veriſſimum deprehendes. Inter Veteres eminent communium opinionum columnæ Azo in *ſumm.* ad *Tit. C. de pact. n.* 16. *& ſeqq.* JCtorum parens Accurſius ad *l.* 7. §. 5. *ff. eod.* & *l. Lecta* 40. *ff. de Reb. cred.* Cynus itidem ad *l. Lecta*, & præcipue ad *l.* 27. *C. de pact.* Bartolus ad *d.* §. 5. *n.* 4. & ad *l.* 40. *n.* 30. 31. *&* 32. Baldus iisdem locis, ad §. 5. *n.* 18. & ad *l.* 40. *princ. n.* 1. *&* 2. Sic ut quaſi jure traditionis de manu in manum hanc doctrinam accepiſſe videantur: Accurſium etenim ab Azone, Bartolum a Cyno, Baldum a Bartolo inſtitutos eſſe proditum eſt. Præterea communis Sententiæ antiſtites ſunt Decius, cæteroquin Veterum cenſor, ad *l. Lecta, n.* 25. *& ſeqq.* & *l.* 13. *C. de pact.* & eorum aſſeclæ Uld. Zaſius ad §. *Quinimo.* & *l.* 40. ut & Jaſon ad *d.* §. *n.* 13. & ad *d. l. n.* 18. *&* 19. ejusque diſcipulus Andr. Alciatus ad *l.* 13. *C. de pact. n.* 3. *& ſeqq.* ad *l. Lecta*, *n.* 41. *& aliis.* Æmilius Ferrettus ad *d.* §. 5. *l.* 7. *num.* 12. Inter recentiores, qui pro opinione communi pugnant, principes ſunt Fr. Duarenus ad *eund.* §. *Quinimo.* & *l.* 40. *de R. C.* Joh. Robertus *Animadverſ. Jur. Civ. Lib.* 1. *Cap.* 27. & *not. ad notat. Mercat. eod. Libr. & Cap.* Joh. Goeddeus *de Contr. & comm. ſtipul. C.* VIII. *Concl.* 2. *a num.* 57. *ad* 111. De Hotomanno dubitare licet, adeoque de ejus variantibus *Cap. ult.* Quod autem Alciatus *d. n.* 41. pacta ſtrictis contractibus ineſſe dicit *quadam ex interpretatione*, intelligit de modo & datione actionis diverſæ: aliam enim competere vult ex pactis ſtricto contractui, quam bonæ fidei, adjectis, ut liquet ex ejusdem *comment.* ad *d. l.* 13. *C. de pact. n.* 5. *&* 6. quo de & alii ante eum longe, late, & profunde. Non dabimus ad Sententiæ communis patrocinium peculiarem quempiam advocatum, velut digniorem, & inſtrumentis ad litem neceſſariis magis inſtructum, ut cum eo nobis res ſit, quandoquidem iisdem copiis, iisdem omnes certent armis.

Rationes Partis adverſæ excutere non eſt opus, utpote cum omnes, quæ civilem ſapientiam ſapiunt, a partibus ſint noſtris, ut oſtendit *Cap.* II. Æquitas, quam tamen aliqui prætendunt, & hic & alibi ſine lege chimæra eſt.

Auctoritas Juris, pro contraria Sententia militans, optima maxima eſt in *l. Lecta* 40. *ff. de reb. cred.* quam pacti adjecti vindices, cujuscunque ſint ſectæ, tanquam ſacram ſuæ ſententiæ anchoram contemplantur, cum fiducia indubitati præſidii: ſed quam procul a voto obtinendi, *ad eam* habita Commentatio fecit palam. Sit hæc concluſio: legem *Lecta*, omnino nihil conferre ad cauſæ præſentis meritum. Reliqua vide ibidem.

Aliud eſt Sententiæ communis velamentum in *l. Petens* 27. *C. de pact.* ubi Impp. Diocl. & Maxim. in hæc verba reſcribunt: *Petens ex ſtipulatione, quæ placiti ſervandi cauſa ſecuta eſt: ſeu anteceſſit pactum, ſeu poſt ſtatim interpoſitum ſit, recte ſecundum ſe ferri ſententiam poſtulat.* Multum ultro citroque agitata eſt hujus Reſcripti interpretatio: ſed nihil eſt facilius, nihil clarius. Petitur ibi ex ſtipulatione pactum ſecuta, non ex pacto ſtipulationem ſecuto, quod erat demonſtrandum. Et quid ſi hoc? nihil refert. Attende, quæ fuerit ſtipulatio: *placiti ſervandi cauſa ſecuta.* Quapropter recte jam ab aliis animadverſum eſt, quod & verba legis manifeſto præ ſe ferunt, ſupplicantem agere ex pacto, ſtipulatione firmato, ſeu potius ex ſtipulatione idcirco concepta, ut pacti placitum, per ſe fragile, corroboraret atque obſignaret, quem in finem ſtipulationes inductas eſſe Paulus monet *Lib.* V. *Sentent. Tit.* 7. *in princ.* Itaque naturalis obligatio in civilem degenerat, ſimulac placitis ſtipulatio interceſſerit, ut iidem Imperatores in *l. ſeq.* 28. *C. de pact.* & Hermogenianus in *l.* 45. *ff. eod.* Idque eſt in cauſa, cur repulſam non ferat actor, ſi intendat ex pacto, jam in ſtipulationem transfuſo. Atque hoc in tantum, ut perinde ſit, *ſeu anteceſſit pactum, ſeu poſt ſtatim interpoſitum ſit.* Hæc verba vel parentheſi includenda, vel ita ſaltem intelligenda ſunt, ut præcidatur difficultas in τῷ *ſecuta:* dices alioquin, qui peti poteſt ex ſtipulatione placiti ſervandi cauſa *ſecuta*, ſiquidem ipſa ſtipulatio præcedat. Haloander legit, *ſeu poſt pactum ſtatim interpoſita ſit*, ut in omnem eventum ſtipulatio ſequatur. Sed ita ταυτολογία erit miſera admodum, & fruſtra diſtinctionis oratio: taceo fidem Codicum & Baſilicorum *Lib.* XI. *Tit.* I. *Cap.* 87. Hotomannus ad *h. l.* 27. ne Imperatores ſibi contradixiſſe videantur, ſecuri critica cædit τὸ *ſecuta*, & reponit *facta*. Alii virtutem & intellectum ſtipulationis, licet verba antecedant, pacta tamen ſubſequi volunt, ut Cujacius *Lib.* X. *Obſerv. C.* 24. *in fin.* Verum nec Haloandri lectio, nec Hotomanni vis major, nec aliorum quæſita nimis explicatio placebit, dummodo parentheſin eo, quo dixi, modo apponas. In eoque eris facilior, ſi memineris, ſtipulationem in caſu *d. l.* 27. revera ſequutam fuiſſe conventionis placitum, quemadmodum diſerte ibi ſcribitur, ſed Imperatores, ut Chreſimum, a quo erant aditi, de juſtitia cauſæ ejus redderent ſecurum plane, παρεργως addidiſſe, in tantum eum recte petere, ut, etiamſi non ſequuta eſſet ſtipulatio, ſed præceſſiſſet (quo de plus dubii eſſe poterat) tamen juſta foret petitio.

Et hæc quidem, ſi pacti ſervandi ergo ſtipulationis robur interceſſerit: tunc enim quid intereſt, ante an poſt, ſerius ocyus fiat confirmatio. Plerumque tamen pacta præcedebant, quippe cum aggreſſiones hujusmodi ſolemnes, tanquam male ominatæ, homines terrerent. Exordiebantur igitur verbis promiſcuis & popularibus, ordinabant negotia nudis placiti finibus, & ita,

 ne

ne ſubitis verborum involucris caperentur, ore libero animi ſenſa exprimebant. Tandem, ubi ex diverſis animi motibus in unam convenerant ſententiam, vagas pactorum conventiones colligebant, & in ſtipulationem, velut πανδέκτην quandam transfundebant, hoc fere modo: *Quæ inter nos placuerunt, ea dare, facere ſpondes?* cujusmodi formulas deſcribunt JCti in *l.* 140. *pr. ff. de V. O. l.* 71. *pr. ff. pro ſoc.* Et ſic *ea, quæ in præfationibus conveniſſe concipiuntur, etiam in ſtipulationibus repetita credi*, Paulus ait in *l.* 134. §. 1. *& fin. ff. de V. O.*

Idem juris eſſe reſcribunt Impp. ſi non antecedat pactum, ſed *poſt* (poſt ſtipulationem nempe) *ſtatim interpoſitum ſit;* hoc rurſus ſervato, verba eſſe de ſtipulatione pacta ſequutura ſua vi confirmante, ne cum vulgo DD. iſtæc trahas ad pacta cuivis ſtipulationi ſubdita. Uſus autem ſtipulationis pacta præeuntis videtur fuiſſe, ut Contrahentes a moleſtia identidem repetendi ſollicitas verborum ambages, per compendium liberarentur. Poterant namque ſuo commodo ea ratione conſulere: *Quæcunque excontinenti pacturi ſumus, ea dare, facere ſpondes?* dico *excontinenti*, vel *ſtatim*, ut eſt in hac ipſa *l.* 27. ne captatoria videatur ſtipulatio: poſſent cæteroquin poſt aliquot dies, quinimo poſt annum paciſci, & alter in alterius fraudem agere ex ſtipulatione, quaſi vero placiti ſervandi cauſa præceſſiſſet. Sin vero conſtet liquido de animo Contrahentium, nil vetat, quominus ſtipulatio etiam ea habere poſſet rata, quæ non incontinenti, ſed vel in futurum agenda ſunt, ut exemplo declaratur in *l.* 132. §. *ult. ff. de V. O.* adeoque, ſive pactum præcedat, ſive ſequatur, recte ex ſtipulatu agi dicimus, modo utroque caſu ſtipulatio, velut munimentum pacti, intervenerit. Atque hoc pleno ſenſu continget, quum Partes ita caveant: *Quæ ſupra vel infra ſcripta dictave, ſcribenda dicendave ſunt, dare, facere ſpondes?*

Igitur nihil eſt in *d. l.* 27. quod noſtris luminibus officiat, ſed contra aliquid, quod ſententiam, quam tuemur, promoveat. Nam ſi audiatur is demum, qui petit ex ſtipulatione placiti ſervandi ergo adhibita, e converſo repellendus videtur, qui intendit ex quacunque alia ad ea, quæ pacto non confirmato continentur. Quale argumentum fortiſſimum eſſe ait *l.* 1. *pr. ff. de offic. ejus cui.* Adde *l.* 12. *pr. ff. de judic. l.* 18. *ff. de teſt.* & ad eas Commentatores. Cæterum non morabimur mille caſus & intellectus, quos Ultra. & Citramontani, veteres novique, prolixe fingunt ad illuſtrandam, ſi credere dignum eſt, hanc *l.* 27. *C. de pact.* Quidquid enim in ea obſcuri eſſe poſſit, peperit loquendi ratio nonnihil concifa, quam ſi attentione ſuperaveris, lex non eſt in difficili. Sic ut merito de illa prædicari queat, quod Fulgoſius dixit ad *l.* 40. *C. de transact.* eſſe ſcilicet *propter brevitatem obſcuram, & propter Gloſſographos obſcuriorem, & propter DD. commentaria obſcuriſſimam.*

Plus prima fronte difficultatis eſſe videtur in *l.* 4. §. *ult. ff. de pact.* *Ex facto etiam conſultus*, inquit Paulus, *cum conveniſſet*, UT DONEC USURÆ SOLVERENTUR, SORS NON PETERETUR, *& ſtipulatio pure concepta fuiſſet; conditionem ineſſe ſtipulationi, atque ſi hoc expreſſum fuiſſet.* Ad integritatem hujus loci *reſpondendi* vox, aliave ſimilis deeſſe videbatur, alioqui ſenſum laborare facile quis dicat. Hoc enim Haloandrum, & antiquiorum editionum auctores moviſſe probabile eſt, ut poſteriora commatis præcedentis verba prioribus noſtri paragraphi jungentes, ita legerint: *Idem Juliano placet ex facto etiam conſulto*, pro *conſultus.* Sed motum illum contra auctoritatem Codicis Florentini lex neceſſitatis non poſtulat: cum in Pandectarum Libris non ſit inſolens, ſolemne JCtorum *reſpondit* ſubaudiri. Ita apud Scævolam in *l.* 66. *pr. ff. de donat. inter V. & U.* poſt quæſtionem, an propoſita donatio rata ſit? ſcriptum eſt; *non attinuiſſe tempus*, ſupple *reſpondit*, *dixit*, aliudve ſimile quid. Neque enim neceſſe eſt, ut cum Hotomanno, aliisque ſupra vulgum eruditis viris *d. l.* 66. emendemus, vel voculam elegantiæ cauſa omiſſam denuo intrudamus: namque adeo rara non eſt hæc locutio, quin ab eodem Scævola uſurpata legatur in *l.* 133. *ff. de V. O.* & *l. Gallus* 29. §. 12. *ff. de lib. & poſt.* quamvis ibi etiam aliter.

Jam debellemus ea, quæ in *d. l.* 4. §. *fin.* nobis obſtare videri poſſent. Si pecuniam creditam, ejusque uſuras pure fuerim ſtipulatus, & dein conveniſſet, *ut donec uſuræ*, &c. hanc conventionem, ſeu potius conditionem conventioni implicitam, ſtipulationi ineſſe, Paulus ex facto conſultus reſpondit. Oportet igitur illa pactio incontinenti ſit facta, ut volunt Adverſarii, ex intervallo quippe, ajunt, ineſſe non poterat. Atque hoc ſi verum ſit, quid aliud inde reſultat, quam ſententia noſtræ manifeſto contraria? Veterum Schola communis licet non usque adeo decantaverit *h.* §. attamen eos juvat, & quidem, ut videtur videri, valide. Non poſſumus defungi iis, quæ Cujacius ad *l. Lecta*, & *Lib.* III. *Pauli ad Edict.* in *expl. hujus* §. aliique cum eo notant, pactum conditionale in ſpecie *d.* §. a parte rei ſive debitoris ineſſe, cum nec talia pacta, quæ inſint, agnoſcamus. Quid ergo? tuta reſpondendi via, quam & Accurſius ad *d.* §. nobis præivit, eſſe poterit, ſi dicamus conventionem in facto ibidem propoſito ſtipulationi non fuiſſe ſubjectam, ſed præceſſiſſe, & τὸ *expreſſum* cum eodem interpretemur *repetitum*, ut ſenſus ſit: Si in præfatione ſtipulationis Contrahentes pacti ſint, *ſortem non petitum iri*, *donec uſuræ ſolvantur*, & dein ſubſecuta fuerit ſtipulatio, quantumvis pura, tamen repetitam intelligi conditionem, ſecundum ea quæ idem Paulus docuit in *l.* 134. §. 1. *ff. de V. O.* Per conſequens ipſa ſtipulatio erit conditionalis, ſeu, ut JCtus ait, *conditio illi inerit:* ſecus ſi poſt ſtipulationem, licet incontinenti maxime, placuerit, ut vidimus ad ejusdem Pauli *l.* 44. §. 2. *ff. de O. & A.* Hanc dicti §. expoſitionem eo lubentius accipimus, quod Duareni auctoritate nitatur, & Hotomanni, hujus in *Schol.* illius in *Comment.* ad noſtr. §. cum tamen uterque (de Hotomanno quamvis dubitari poſſe diximus) una cum Gloſſa ſtrictis contractibus pacta ineſſe contendat, contra quam nos diſputamus.

Quid ſi & ita *d.* §. interpretemur: *Cum conveniſſet*, i. e. ſtipulatione fuiſſet cautum (*conventionis* enim vocabulum generale eſt) *ut, donec uſuræ ſolverentur* &c. ineſt ſtipulationi conditio, licet illa pure concepta ſit, vel ita ſaltem videatur. Tacita, quæ inerit, conditio hæc ſit: *Si uſuræ non præſtentur, ſortem peti poſſe.* Nihil eſt ſimplicius, & nihil forte verius. Agit Paulus in *d. l.* 4. de hujusmodi conventionibus ſive conditionibus quæ *inſunt*, hoc eſt, tacite contractibus continentur, quo modo verbum *ineſſe* occurrit ſæpius. Dederat exemplum de invectis & illatis in *princ.* de ſtipulatione dotis cauſa in §. 2. addit tertium de ſtipulatione, quæ, donec uſuræ penderentur, ſortem non exigi volebat. Quid hic ineſt taciti? ut ſortem petere liceat, ni

ni pareatur uſurarum ſolutioni: perinde etenim eſt, *atque ſi hoc expreſſum fuiſſet.*

Sed demus, verba fieri de pacto, eoque incontinenti adjecto, & non erit, cur adhuc vadimonium deſeramus. Hæc verba, *conditionem ineſſe ſtipulationi*, nihil prohibet eodem modo explicare, ac in *l. Lecta*, dictum ejusdem Pauli *pacta ineſſe ſtipulationi:* inſpecto videlicet rei eventu. Nam per oppoſitam exceptionem pacti, *ut donec uſuræ* &c. effectu idem conſequetur debitor, atque ſi ipſa conditio ſtipulationi fuiſſet inſerta: & hoc eſt, quod Paulus in *fine* ait. Ad hæc vide, ſi vis, *Cap.* X. in *l.* 40. *ff. de R. C.* Secundum eam interpretationem nihil interrerit, utrum conventio in *d.* §. præceſſerit, an ſequuta ſit, idque ſtatim, an ex intervallo: quia igitur incertitudinem tollit omnem, placet eo magis. Si cui nondum ſit factum ſatis, is moribus utatur ſuis.

Denique Sententia communis non parum ſibi prodeſſe credit *l.* 135. §. *Seja* 2. *ff. de V. O.* dum eam, velut oraculum præſentis controverſiæ extollit. Verum aut omnia me fallunt, aut in *d.* §. ne hilum reperitur ad communis DD. Scholæ præſidium. Quare non lubet verba *paragr.* exhibere, multo minus ſingula inductione contrarii perſequi. Rem omnem abſolvere poſſunt ea, quæ Cujacius ad expoſitionem *d.* §. *Seja*, dixit in *Comment. de Verb. Obligat.* occaſione *l.* 84. & ad *Lib.* III. *Q. P.* in *l. Lecta.* Late itidem, pro more, Donellus in *Comment.* ad *d.* §. eandemque *l.* In eo vertitur ibi quæſtionis cardo, an, ſi Titius reliquum pretii modico intervallo poſt tempus ſolutioni condictum Sejæ offerat, moram purgare poſſit? Scævola ſecundum ea, quæ ipſi proponebantur, moræ purgationem Titio indulgendam eſſe reſpondet: adeoque eum recte agere *ex ſtipulatu* (verba ſunt JCti) ex cautione nimirum, quam in *princ.* §. repræſentaverat. Igitur ex pacto non fuit data actio: quin nec dari poterat a parte Titii. Verba pacti hæc erant: *ut intra Kalendas April. primas univerſam ſummam mandator* (Titius nempe) *numeraret*, *& hortos acciperet.* Non numeravit ſummam, ergo ad proprietatem hortorum transferendam experiri non potuit ex conventione: quia tamen verum erat, cum pretii partem ſolviſſe intra Kalendas Apr. & reliquum obtuliſſe non multo poſt, agit ex ſtipulatu. Quid interim Seja? excipit non omne pretium cum uſuris intra Kalendas fuiſſe numeratum, & hanc exceptionem ſuggerit conventio. Quæ & ubi hic eſt ex pacto actio? ſane non commemoravit eam Scævola: ſiniſtre itaque hæc interpretantur. Fortaſſean ideo, quia reos *in continenti* fuiſſe pactos proponitur; at illud eſt ex facto, vide quæ diximus de τῷ *incontinenti* Legis *Lecta.*

Tantum de præcipuis capitibus, quibus pacta ſtipulationi ineſſe, evinci poſſe videbatur. Plura quidem in hanc ſententiam adferuntur, ſed, quæ nominentur, fere indigna. Quanto ſtrepitu movent *l.* 13. *pr. ff. comm. prædior. l.* 1. §. 3. *v. cum adjic. l.* 29. *pr. l.* 52. *pr. l.* 134. §. 1. *ff. de V. O.* aliasque longius adhuc petitas? harum nulla eſt, quæ de pactis agit, nulla, quæ *τὸ ineſſe* meminit: ergo apage omnes.

Quod ad pacta mutuo adjecta, non diximus adhuc quid auctoritatis habeant Sententiæ vulgatæ propugnatores. Res quidem in iis minus moleſta eſt, ſed tamen, ut vulgo fit, depromunt & heic ſuas leges, veluti *l.* 3. *&* 10. *ff. ſi cert. petat. l. Commun Capite* 6. *junct. l. præc. ff. de eo quod cert. loc. l.* 24. *ff. de præſcr. verb. l.* 12. *C. de uſur.* & generale fulcimentum *l.* 48. *ff. de pact. l.* 27. *ff. de R. J.* & *l.* 5. *C. de fidejuſſ.* Singulatim ad hæc reſpondere non eſt viſum, cum nil tale mereatur univerſa, qua nos impetunt, legum machina. Sunt, quæ rurſus de pactis non loquuntur, & de his, quæ incontinenti mutuo proponuntur addita, ne ulla quidem. Hoc autem aditum claudere ad quæſitum de eorum poteſtate ſatis eſt certiſſimum. Ad *l.* 48. *ff. de pact.* dicemus obiter *cap. ſeq.*

De emphyteuſi quidam nugantur ex *l.* 1. *C. de jure emphyt.* ineſſe ſcilicet ei pactiones ex continenti adjectas. Verum hoc ibi ſcriptum non eſt: præter quod probatum non ſit, nec unquam probari poſſit, emphyteuſin eſſe ſtricti juris.

Ad hanc primam claſſem referendus quoque videtur Franc. Connanus *Comment. J. C. Lib.* VII. *C.* 1. *n.* 12. & præcipue *Lib.* V. *C.* 3. a medio *n.* 7. ad finem *Cap.* Ubi, poſtquam nonnullos opinatos eſſe dixerat, pacta ſtrictis contractibus non ineſſe, ita pergit: *Quod aperte falſum eſt in eis, qui re contrahuntur, ut in mutuo.* De ſtipulatione autem *n.* 8. *Mihi videtur*, inquit, *in ſtipulationibus pacta ſtatim adjecta confirmari per ſtipulationem, non tam quod in ea inſint, quam quod eam ad ſe trahant, & novam ſtipulationem conſtituant.* Et paulo poſt: *Ut non tam contractui & ſtipulationi inſit pactum, quam ſolennitati, ut ſic dicam, ſtipulationis, quæ in interrogando & promittendo conſiſtit.* Primo equidem hoc ſingulare habet Connanus: quod pacta mutuo ineſſe extra controverſiæ aleam ponat, ſed de ſtipulatione anxius dubitet. Sunt, qui in ſtipulatione rem planam facilemque ſtatuunt, non æque in mutuo: & id non ſine ratione & lege (utraque tamen refutanda *Cap. ult.*) Sed Connanus prorſus incedit per ignes, ſuppoſitos cineri doloſo. De mutuo ut probet, potiſſima ejus provocatio eſt ad *l.* 48. *ff. de pact.* quam bene, non eſt, ut dicatur, neceſſum. De ſtipulatione mira eſt ejusdem oratio. Pactum non ineſt ſtipulationis contractui, at ſolemnitati. Sed ſolemnitas interrogandi & reſpondendi an non totum ſtipulationis contractum conſtituit, & plane exhaurit? ita ſane confitetur ipſe in verbis, quæ ex eo exhibuimus, finalibus. Qui igitur pactum heic non inerit, & tamen illi? Ad hæc novam ex pacto ſtipulationem fabricat, & nihilominus non ineſſe vult. Alciatus ad *l.* 13. *C. de pact. n.* 6. ex pacto adjecto itidem ex ſtipulatu actionem concedit, ſed quia ineſt. Quo jure Connanus? an quia ex nudo pacto oritur ſtipulatoria actio? abſit. Quo ergo? nullo: niſi dicas, pacta, licet non inſint, attamen vi quadam, ut ſic dicam, magnetica ſolemnia ſtipulationis attrahere. Aut non intelligo hanc philoſophiam, aut lubrica eſt valde. Servemus hoc: Connanum a *communi* non differre, niſi verbis tenus.

Heic etiam locamus illum, qui ait, pacta fidei bonæ judiciis ineſſe, *ſemper & omnibus Juriſperitis* placuiſſe: ſtricti juris autem *ante præfecturam Papiniani quibusdam tantum, licet poſt eam etiam univerſis.* Haſce nugas procudit ex *l. Lecta*, atque hoc, ne quid fatui deſit, ut reſpondeat ad *l.* 13. *C. de pact.* quam Maximini eſſe conſtat. Sed bacchæ bacchanti porro adverſarier non placet. Quod ſi non credas, ejusmodi deliria cuiquam poſſe venire in mentem, vide ipſe Mæſtertium *de Juſtit. LL. Roman. Lib.* I. *Dubit.* 34.

C A-

CAPUT V.

Diſputatur adverſus eos, qui pacta a parte rei; vel in univerſum, ſi detrahentia ſint, ineſſe volunt.

Ineſſe quid ſit, diximus C. I. Hinc ultro colligas, quid ſignificet *ex parte rei ineſſe.* Cujacius, peritus definiendi artifex, in ſua præſertim cauſa, ad *Paulum* in *l.* 40. *ff. de R. C. circa med.* ita infit: *Ineſt igitur contractui ſtricto* (de pacto adjecto verba ſunt) *ſtipulationi ſtrictæ, ex parte rei debendi, ſcil. ut reo proſit, actori autem noceat: non etiam ex parte actoris ſive creditoris, ut ei proſit.* Idem clarius alio loco ad *d. l. Pactum ſubjectum ſtipulationi incontinenti, ei ineſt ex parte rei debendi tantum, ut ſcilicet ei ipſo jure proficiat, non etiam præbeat creditori actionem ex ſtipulatu.* Unde apparet, *ex parte rei ineſſe* nihil aliud velle, quam debitorem ipſo jure ſecurum eſſe, ſi ejus gratiam concernant pacta, non eſſe opus, ut is unde petitur excipiat, quum illud, *quod ita detrahitur ſtipulationi, perinde ſit, quaſi nec veniſſet in eam,* ut recte ait Donellus. *Ineſſe ex parte actoris* quid ſit, a contrario ſcire licet: nimirum ad actionem prodeſſe, ſi pacta ejus commodum ſpectent. Ulpianum ita loquentem vide in *l.* 7. §. 5. *ff. de Pact.* Adde *Cap.* I. *ſub fin.*

Franc. Hotomannus *Illuſtr. Quæſt.* XXXVI. uſitatam in Scholis locutionem τὸ *ex parte rei ineſſe*, tanquam *vulgi errore inductam* traducit, cum dicendum eſſet, *ex parte rei locum habere*, præeunte Ulpiano in *d.* §. 5. *l.* 7. *ff. de pact.* Dein ita pergit: *Locum habere ex parte rei pactum dicitur, cum ei ad exceptionem valet.* Et *pag. præc. Ineſſe ex parte actoris eſt, valere ad actionem . . . ipſo jure vel minuendam, vel amplificandam, quorum illud actori nocet, hoc vero prodeſt.* Deſcriptio pacti ex parte rei locum habentis ſatis bene ſe habet, cum ex *d.* §. 5. petita ſit. Sed in eo dormitaſſe fere dixerim Hotomannum, quod *ineſſe* & *locum habere a parte rei* non diſtinxerit. Pacta poſſunt habere locum a latere debitoris, i. e. ad exceptionis adminiculum prodeſſe, quum tamen non inſint, i. e. ipſo jure, ſuapte natura debitorem non reddant tutum. Quod ad juris ſubtilitatem & effectum, novimus differre plurimum, utrum liberatio contingat ſtatim ab interpoſito pacto, an vero non niſi interveniente hominis excipientis miniſterio. Cujacius a bona mente non ita divorterat, ut, ſi ineſſe a parte rei nihil eſſet, quam ad præſcriptionem valere, iſtuc probare conando, magno motu nihil quicquam ageret, quamvis hanc ei mentem affingat Ant. Faber in *Ration.* ad *l. Lecta.* Pacta namque, licet ex intervallo fiant, tamen exceptionem parere juris eſt certi & explorati. Quod autem Hotomannus notat τὸ *ex parte rei ineſſe* ſine lege dici, quod ad formulam ita conjunctam concedo: ipſa verba, ſeparata tamen, reperies in *d. l.* 27. §. 5. ex queis rem ipſam facile eſt colligere. Hoc potius miror, Hotomannum non erubeſcere, cum ipſe ſine lege & ratione *ineſſe ex parte actoris* deſcribat, *valere ad actionem ipſo jure minuendam vel amplificandam.* De amplificatione recte, ſed pactio, quæ jus actoris deſtruit, quomodo dicetur ex ejusdem parte ineſſe, cum tamen in ſolius rei commodum operetur?

Sciendum eſt porro, pacta a parte rei ſeu debitoris, etiam *detrahentia* & *minuentia* vocitari ab Interpretibus. Ea autem quid ſint, bene præ cæteris Hotomannus *d. Quæſt.* XXXVI. & Commentatores ad *l.* 72. *ff. de contr. empt.* Puto tamen *adtrahentia* & *adjicientia* non eodem plane modo hic dici, ac in *d. l.* 72. de naturalibus ſive acceſſionibus contractuum, quum alia ibi ſit illius appellationis & juris ratio, ſed ſimpliciter *adjicientia* hic eſſe, quæ ab actoris, *detrahentia*, quæ a rei partibus operantur eo, quo diximus, modo: & rationem, cur hæ loquendi formulæ confundantur, hanc eſſe, quod, ſi quid adjiciatur obligationi, illud tantum non ſemper fiat in favorem actoris; ſi quid detrahatur, in favorem rei. Poſſet nihilominus, quanquam raro, contra fieri, ut in die addito, vel detracto. Sed & *ex parte actoris* ſive *rei* non omnino accurate dici diſputabis, quia pacta μονόπλευρα dari poſſe non videntur: etenim *ineſſe* ſi idem denotet, ac *fieri partem ipſius contractus*, ſequitur, quod omnis conventio ab utraque parte inſit, & ea, quæ vulgo a latere rei dicitur, etiam ab actoris partibus operetur: namque hoc efficit, ut ejus actio ipſo jure ad id duntaxat competat, quod pacto ſublatum non eſt. Verum ſi τὸ *ex parte actoris* vel *rei* tantum accipias pro *in alterutrius gratiam & commodum* (quemadmodum acceptum crediderim ab Ulpiano in *d. l.* 7. *de pact.*) nihil eſt, quod te jure offendat. De verbis hactenus, ut eo facilior in rem ipſam fiat ingreſſus.

Atque hæc Sententia de pactis, a parte rei quæ inſunt, ab antiquiſſimis in Oriente cognita & recepta fuit. Eam quippe fovit Stephanus, celeberrimus Βασιλικῶν interpres, ad τὸ κατὰ πόδας in *l.* 11. §. 1. & *l.* 40. *ff. de Reb. Cred.* & quidam ἀνώνυμος utroque loco. Exin in Occidente hanc opinionem ſine ulla hæſitatione primum ſtabilivit Paulus de Caſtro in *Comm.* ad *l.* 7. §. 5. *ff. de pact. num.* 15. & ad *l. Lecta*, *n.* 8. ſub cujus *fin.* ſe rem confeciſſe jactat: *Hæc eſt veritas*, inquit, *in intellectu hujus L. per Gloſſ. & Doct. minime viſa:* adde ibidem *n.* 10, 13, 14, 15. & 16. Attamen ante eum ſimile quid docuit, ſed diffidenter admodum, Raph. Fulgoſius ad *d. l.* 40. *n.* 9, 17. & 24. ubi Gloſſæ, quam ætate provectior fecit maximi, religione tactus, quaſi timidus ita balbutit: *Ita mihi diſputative videretur dicendum* (ſcil. quod detrahentia tantum inſint) *in judicando* (non eſt, quod de his judicia metuamus) *ſequimini Sententiam communem, quæ cum magna difficultate poſſet ſuſtineri propter prædicta.* Idem ad *l. Centum Capuæ* 8. *ff. de eo quod cert loc.* Fort. Garſias ad *l.* 7. §. *quinimo. ff. de pact. n.* 26. & 27. Ex novioribus primicerius eſt Jac. Cujacius in *Comment.* ad *d. l.* 7. §. 5. & *l.* 135. *de V. O. Tract. ad Afric.* VIII. ad expoſit. *l.* 24. *ff. præſcr. verb. Lib.* X. *Obſerv. C.* 24. in *Mercatore* I. 27. & plenius in *Comm. poſt.* ad *l.* 11. §. 1. *ff. de R. C.* Pleniſſime autem ad *Lib.* III. *Quæſt. Paul.* in *l. Lecta.* Guilielmus Barclaius ad *Tit. ff. de Reb. cred.* in *l.* 40. Hugo Donellus ad *eandem, n.* 16, 24. & *ſeqq.* ad *l.* 135. §. *Seja* 2. *ff. de V. O.* Item ad *l.* 13. & 27. *C. de pact.* Hub. Giphanius, & Ant. Perezius in *d. l.* 13. aliique majorum minorumque Gentium.

Provocant illi Erciſcundi præcipue ad *l. Lecta*

ctu 40. *ff. de reb. cred.* & *l.* 4. §. *ult. ff. de pact.* ubi pacta ineſſe memorantur, cum in utraque ſpecie bene ſubducta ſolius rei gratia vertatur. Verum ad eas, quod ſatis eſt, defuncti ſumus in præcedentibus.

Hæc eorum argumentatio ab exemplis in *d. LL.* obviis inducitur, ſed ipſum diſtinctionis momentum inter pacta a parte actoris & rei, ſeu adjicientia & detrahentia, longe videtur conſpicuum in *l. Rogaſti* 11. §. *ſi tibi* 1. *ff. de reb. cred.* ubi ita Ulpianus: *Si tibi dedero decem* [*ſic*], UT NOVEM DEBEAS: *Proculus ait, & recte, non amplius te ipſo jure debere, quam novem. Sed ſi dedero*, UT UNDECIM DEBEAS: *Putat Proculus amplius, quam decem condici non poſſe.* Hic conventio a parte rei eundem ἐκεῖνον, auctoritate juris liberat, ſed a parte actoris producere videtur omnino nihil: quod quid eſt aliud, quam pacta minuentia ineſſe, augentia non item? Scio ab omni JCtorum principatu in hacce materia celebrari *d. l.* 11. §. 1. at, ſi quid unquam, jure merito. E re erit ſingula ibidem interpretari. Mævius Titio credidit decem, & in ejusdem gratiam contractui hanc dedit legem, ut novem ſolummodo ſint in credito: *ipſo jure*, recte ajunt Proculus & Ulpianus, novem duntaxat deberi. Nummi illius unici, conſulto dati, donationem cenſeri inter omnes conſtat, & remotis nonnullis tricis, adſerit prolixe Donellus in *Comment.* ad *h.* §. *n.* 1. Sed cur *ipſo jure* non amplius, quam novem debentur? quia, ut apparet, in conſtituenda obligatione inſerta fuit conventio de remiſſione unius ex decem creditis: ſecus ac ſi pacto, quantumvis incontinenti ita convenisset (uti perperam hic §. accipitur): tunc enim non ipſo jure, ſed per exceptionem debitori conſultum fore probavimus *C.* II. & III. Igitur ratio, quare ipſo jure condictitia creditoris actio ſit limitata reſpectu unius, quem donatum diximus, non eſt ſane, quod pactum a parte rei, ſive detrahens inſit (nam acute vident, qui in *d.* §. pactum adjectum reperiunt) ſed quod in ipſo contractu ineundo ita placuerit: quod cur fieri nequeat, nihil quicquam obſtat.

Succedat alter caſus: Mævius decem credidit, ut undecim refundat Titius, quæritur, quid juris? non amplius, quam decem *condici poſſe* idem Proculus putat, ac iterum recte, licet Ulpianus, quem verum eſt hoc non negare, heic auctoritatem ſuam non apponat. Confirmat id Paulus in *l.* 17. *pr. ff. de pact. Si tibi*, inquit, *decem dem, & paciſcar, ut mihi viginti debeantur, non naſcitur obligatio ultra decem: re enim non poteſt obligatio contrahi, niſi quatenus datum ſit.* Quæ ratio, velut certiſſimi juris principium laudatur ab Impp. in *l.* 9. *C. de non numer. pecun.* Et hac bene intellecta, intelligemus etiam mentem *d.* §. 1. *Re non poteſt in plus contrahi obligatio, quam datum eſt*, id eſt, obligatio ex mutuo oriunda; ſeu, quod idem eſt, condictio ex mutuo in plus competere nequit, quam revera numeratum, appenſum, vel admenſum, i. e. *re contractum eſt.* Ratio rationis eſt, quia condictio ex mutuo virtutem trahit omnem ex rei intervenientis datione *l.* 9. §. 4. *ff. ſi cert. pet.* ex numeratione pecuniæ, quomodo ipſum mutuum audit in *l.* 7. *eod.* Proinde abſurdum eſſet, ut actio ex mutuo rem intervenientem ſuperaret, hoc eſt, effectus cauſam: ſic ut *prius poſſint cadere ſydera de cælo, quam quod contrahatur in plus obligatio, quam datum eſt*, ut inquiebat Petrus, neſcio quis (niſi Bellaperticenſem credas) referente P. Caſtrenſe ad *h.* §. 1. *l.* 11. *ff. de R. C.*

Jam ſatis claret, quo ſenſu Proculus in noſtro §. dixerit, *amplius, quam decem* CONDICI *non poſſe, licet dedero, ut undecim debeas.* Nummus ille undecimus, quamvis promiſſus, tamen datus non fuit. Quodcunque datum non eſt, condictione repeti nequit: adeoque nec unus ille, ſupra decem datos, promiſſus. Defungitur debitor, ſi rem reſtituat τῆς αὐτῆς ὑποστάσεως καὶ ποσότητος, ajunt Græci, & id verum eſt, ſiquidem condictione experiatur creditor. Cæteroquin ſi ſtipulatione fuiſſet cautum, *undecim redditum iri*, undecimus ex ſtipulatu recte petetur ἡ γὰρ ἐπερώτησις καὶ τὰ μὴ ἀριθμηθέντα ἀπαιτεῖ, recte ait Baſilicorum Gloſſa ad *Lib.* XXIII. *Cap.* II. *th.* 1. *litt. S.* de condictione certi contrarium innuens, & nos ablegans ad Stephanum, qui *eodem loco*, *litt. Q.* eleganter docet, oportere concurrere Διάθεσιν καὶ ἀπαρίθμησιν, *animum & numerationem*, priusquam condictione ex mutuo locus ſit, & ideo, decem datis, undecim non *condici*, quia ἀπαρίθμησις unius deficit. Eſt hæc ſola & ſolida hujus juris ratio, præferenda longe huic, quam idem Stephanus in proxime præcedentibus dederat etiam de pactis a parte rei, non actoris operantibus. Ex hiſce liquet affatim, cur non valeat conventio, de plus condictione repetendo, quam numeratum fuit: idque adeo verum eſt, ut nihil referat, quandocunque ita convenerit. Vulgo quidem non dubitatur, quin *d.* §. 1. agat de pactionibus excontinenti adjectis mutuo, aſt illud probabitur nunquam. Mutuum τῶν *decem* ibidem uno ſpiritu proponitur initum, ut vel *novem* vel *undecim* debeantur: erit igitur *injecta* potius, quam *adjecta* iſtæc conventio de plus minusve reddendo. Interim quod ad ſecundum paragraphi membrum nil intereſſe vides, utrum ex intervallo, ſive incontinenti, immo in ipſo contractu (ut eſt in facto *d.* §.) fiet placitum, ut decem datis liceat condicere undecim: nunquam enim contra naturam ſuam dari poterit condictio. Sed in caſu priori, plurimum id referre monuimus ſupra, cum a redditione unius debitorem alioquin ipſo jure liberatum non fore, abunde probet *l.* 44. §. 2. *ff. de O. & A.*

Videtur nunc luci claræ datus *d.* §. 1. & quoque *l.* 17. *pr. ff. de pact.* nam ſi decem datis, undecim condictione nequeant repeti, multo minus alterum tantum: cum ita major adhuc fiat proprietatis condictitiæ exceſſus. Cujacius ad *Lib.* III. *Paul. ad Edict.* in *d. l.* 17. poſtquam Pauli doctrinam in *princ. l.* 17. ſatis apertam eſſe dixerat, mox ſubjungit: *Rationem ejus explicare non tam eſt in facili, quam imber quando pluit, ut Plautus loquitur.* Et paulo poſt: *Ratio, quam non affert, eſt hæc: quia mutuum eſt contractus ſtricti juris, & contractibus ſtricti juris pacta, quæ adjiciuntur in continenti, non inſunt, niſi ex parte rei.* Non video, qua fronte Cujacius Paulum rationem adferre neget, cum utique in *fin. princ.* manifeſta ejus αἰτιολογία ſit; *re enim non poteſt* &c. Hæc ratio longe lateque præſtat Cujaciana, quam modo in Stephano improbavimus. Equidem verum eſt, pacta ab actoris partibus mutuo non ineſſe propter eandem condictionis ſtrictæ indolem: ſed hæc converti non poſſunt. Licet enim in contrahendo mutuo convenerit, ut ejus obligatio, ultra quam datum eſt, porrigatur, fruſtra tamen plus petet condictio: idque ratione non alia, quam Paulus produxit. Τὸ αἴτιον Cujacii ſi valeret, poſſemus ſane in conſtituendo contractu ita cavere: nam ceſſat tunc metus, ne pacta adjecta inſint. Hoc autem non licet; prout

prout dictum & probatum eſt: ergo, relictis cæteris, ſequamur Paulum.

Qui cum communi DD. Schola pacta, etiam adjicientia, ineſſe contendunt, ad argumentum, quod in caſu ſecundo *d.* §. 1. adverſum eos facit, reſpondent, quod ſciam, omnes, mutuo per conventionem nihil addi poſſe, ne ejus natura deſtruatur. Sed id fatuum eſt, ſi ad contractum gatuitum & beneficium recurras, ut faciunt illi; verum autem, ſi hæc transferas ad actionem mutui ſolam. Stipulatione poſſe quid credito accedere nemo negabit: quin & alio modo, ut dicemus ſtatim. Itaque condictionem certi ab ipſo mutuo diſtingue, & quæ de uſurarum odio dicuntur, notata vide *Cap.* III. *in fin.*

Placet *d.* §. 1. *l.* 11. *ff. de R. C.* adjungere πάρεργον fere neceſſarium. Quid ſi non condictione, uti conſtat, an non actione alia ille nummus undecimus, promiſſus, ſed non creditus, poterit peti? quid ſi uſuræ, vel donationis nomine? neutrum valet, non enim agit *d.* §. 1. de uſurario quodam augmento, at de uno inſuper debendo ex contractu mutui. Accedit regula tralatitia *l.* 3. *C. de uſur.* uſuras citra ſtipulationis vinculum, quod hic nullum eſt, non deberi. Neque etiam unus ille, quaſi donatus, petetur condictione ex *l.* 35. §. *ult. C. de donat.* cum hic nulla ſit donandi, ſed manifeſta in creditum eundi voluntas.

Enim vero, an non hujusmodi negotium, *dabo decem, ut undecim debeas*, degeneret in contractus innominati articulum *do ut des*, & conſequenter ad nummum undecimum incerta civilis competat, alia quæſtio eſt. Subeſt enim, dicat aliquis, cauſa efficax ad conſtituendum συνάλλαγμα, ſecundum Ariſtonem in *l.* 7. §. 2. *ff. de pact.* & *in traditionibus rerum quodcunque pactum ſit, id valere manifeſtiſſimum eſt*, ait Gajus in *l.* 48. *ff. eod.* Negat quidem hanc generalem *l.* 48. ſententiam Jac. Gothofredus, dum ad *Tabulam ſextam* ꝟ *duodecim*, Gajum ſcripſiſſe fingit, *in mancipationibus*, idque interpolaſſe Tribonianum. Rationem vero ſi quæras, nullam dabit, aut certe talem, quæ ratio non eſt. Cujacius in *Paulo* ad *l.* 17. *pr. ff. de pact.* reſtringit *d. l.* 48. ad traditiones, quæ fiunt ex contractu bonæ fidei. Sed & hoc perperam. Indiſtincte vera eſt *d. l.* 48. in transferendis rerum dominiis per quoslibet contractus quodcunque pactum jure interponitur, eſtque ſervandum, vel actione ex ipſo contractu, vel, ſi hæc extenſionem non patiatur, præſcriptis verbis. De pactis loquar, quæ in conſtituenda obligatione fiunt, cum illa ipſi contractui dederint cauſam, ſaltem negotium aliquod in ſe habeant, pariendæ actioni idoneum. Quidni igitur, ut ad propoſitum thema revertamur, unicum illud νόμισμα, non velut mutuo datum, non velut uſura, ſed ex promiſſo contractui cauſam dante petatur? immo quidni ut uſura, ſiquidem hoc actum ſit, & earum modus non excedatur? opinor recte & utiliter præſcriptis verbis agere creditorem, ſi in ipſa datione ita fuerit pactus: & hoc ut dicamus, ἀναλογία Juris omnino ſuadet. Quod autem de uſuris fœnebris pecuniæ ſine ſtipulatione, & per conſequens ex pacto non debendis definitum eſt Jure Civili, accipiendum erit fortean de pactis, quæ ab ipſo contractu ſeorſim habentur, non quæ ipſi numerationi ſunt implicita.

Belle hanc jurisprudentiam confirmari video a Gloſſa ad Pandectas Græcas in *l.* 11. §. 1. *de R. C. litt. S.* quæ, cum undecimum nummum ex ſtipulatione, ſi facta fuiſſet, peti poſſe dixerat, quemadmodum de hac ipſa tradidimus ſupra, incontinenti addit: Εἰ δὲ μὴ γέγονεν, οἶμαι ὅτι ἁρμόζει ἡ πραισκρίπτις βέρβις, ὡς γενομένης ἀργυρείας ἐπιδόσεως. *Sin vero pacta non ſit, puto competere actionem præſcriptis verbis, quaſi facto pecuniæ additamento.* Additamentum pecuniæ, quocunque veniat nomine, præſcriptis verbis actio petet, & petet, quoniam ita contractum eſt. Alia ſine nomine larva *eodem* Βασιλικῶν *loco*, poſt optimam, quam dedimus, gloſſam, hanc ἐπιχεί-σιν ſubjungit: Τοῦτο ἀμφίβολον μεγάλως, ὡς μὴ καλῶς λεχθέν. Cur hoc dubium eſt Græcule? etſi enim tu quærendam jubeas *l.* 17. *pr. ff. de pact.* hoc tamen ſubvertes? De condictione, eaque ſola loqui diximus *d. l.* 17. *&* *l.* 11. §. 1. *ff. de R. C.* Sed de his cum omni περιστάσει utique actum eſt ſatis.

Præcipuum nodum fregimus: reſtant quædam tricæ. Donellus ad *l. Lecta*, *n.* 16. *&* 24. metuens *l.* 99. *ff. de V. O.* ex qua *Cap.* III. evicimus, pacta, utpote verbali ſolemnitate deſtituta, ſtipulationis partem eſſe, vel fieri non poſſe, quod ad detrahentia in contrarium nititur hac fere ratione: Summa minor continetur majori, adeoque pactum minuens, tanquam pars, latitat in ſtipulatione, h. e. in toto. Sic E. G. (habes exemplum in *l.* 40. *ff. de Reb. Cred.*) qui 3750. denarios ſibi reddi ſtipulatus eſt, is ſatis trecentos (quæ pacti detrahentis erat materies) refuſum iri dicit, ut ita hæc ſumma, pacto repetita, modo ſolemnis ſit ex ſtipulatione prævia. Conſenſus autem in pacto conſenſum in ſtipulatione præcedentem, utpote æque fortem, cum videatur vincere, treceni denarii retroverſus ſoli in ſtipulationem veniſſe exiſtimandi ſunt, quia ſumma in ſtipulatione adhuc reliqua ipſo jure, ut ita dicam, caduca ſit, incontinenti quippe illi conſenſus deëſt, per poſteriorem correctus: manent equidem verba, at illa quum ſine conſenſu non ſubſiſtant, ſponte ſua intercidere creduntur. Hæc ille ingenti apparatu. Verum ſi avulſo cortice rem propius intueamur, hanc Donelli ratiocinationem conſtabit laborare. Sortem, & omnes ſingulasque ſortis partes ex ſtipulatione ſolemnes eſſe verum eſt: ſed ſi nova accedat pactio, qui illa ſolemnis evadet? ex ſtipulatione? nequaquam. Separatæ ſunt conventiones, ſeparata earum nomina, altera nuda, altera ſolemnis. Nuda in ſolemnem non tranſit, licet partem ejus, quod ſolemniter nuncupatum eſt, in ſe concludat. Denique conſenſus tollit conſenſum, ut ille dicebat, ſed nudus nudum. Conſenſus prior verborum formulæ adeo eſt implicitus, ut hunc ſine illa abrogare nequeat poſterior: ſunt enim contractus individui, & vis unita fortior. Pars eorum ſi auferatur, pars ſi maneat, μεταμόρφωσις erit mira.

Nihil momenti quoque adjicit *detrahentium* patronis *l.* 1. §. 3. *verſic. cum adjicit ff. de V. O.* quam Donellus *d. n.* 16. & cum eo plures tantopere urgent; nam ipſe Donellus veritatem præſagiens, fatetur, ibidem agi de ſtipulatione omnibus numeris nondum abſoluta, non de pactis eidem adjectis. Sed *hoc*, inquit, *nullum aut certe contemnendum diſcrimen eſt.* Imo vero magnum, & imprimis notari dignum: quandoquidem controverſiæ meritum in eo ſolo verti probant abunde, quæ hactenus diſputata ſunt. Ait *d. verſic. cum adjicit aliquid vel detrahit*, ſive, ut etiam aliqui ante Haloandrum Libri, *cum adjicitur aliquid vel detrahitur*: ideoque ſi probatio ex eo petita valeret, cui bonum eſt,

eſt, iſtæc ad pacta detrahentia coarctari? Sed, ut diximus, nihil facit ille verſiculus.

Fortunius Garſias ex *l.* 7. §. *quinimo ff. de pact.* elicit nonnihil argumenti pro reis quod ad pacta. In fidei bonæ judiciis, inquit, quum *etiam ex parte actoris* ea ineſſe ſcripſerit Ulpianus, hæc ejus videtur fuiſſe mens, ut in ſtrictis *ex parte rei* inſint. Sed τὸ *ex parte actoris* oppoſite ibi ad reum dici, in iiſdem B. F. judiciis, plane non eſt ambigendum. Senſus hic eſt: pacta hujuſmodi adjecta non tantum a rei partibus, quo de minus erat dubium, verum & ab actoris ineſſe. Ita etiam hæc exponunt Cujacius *Lib.* X. *Obſerv. C.* 24. & Goeddeus de *C. & C. Stip. Cap.* VIII. *n.* 78. quanquam hic illi neſcio quid adfingat.

Cæterum nemo exſpectabit, ut minutatim omnia Partis adverſæ emplaſtra adducamus, eorumque qualemcunque vim enervemus: non ſunt enim tanti. Sic ea, quæ a favore rei petuntur ex *l.* 125. *ff. de R. J.* & a commendata liberationis cauſa in *l.* 47. *ff. de O. & A.* vides eſſe miſera extremæ ἀπορίας receptacula. Λόγοι καθόλου κενώτεροι, inquit Philoſophus, & ni hoc in jure verum ſit, multa ex iis, quæ jam certa ſunt, ſubvertentur ſtatim. De pactis, quæ a parte rei ſunt, & tamen non inſunt, ſuppeditabunt exempla *C.* II. & III. *hujus Diſſertationis.*

CAPUT VI.

Diſputatur adverſus eos, qui pacta ſtipulationi tantum ineſſe contendunt.

In hoc πρώτῳ ψεύδει refutando non erimus prolixi, cum in loco contra communem DD. Scholam fere præſtitum ſit. Ad hæc Veterum nemini hanc Sententiam ſedere conſtat, ex neotericis autem paucis.

Primus fuiſſe videtur Anton. Faber in *Ratibn.* ad *l.* 7. §. *quinimo, ff. de pact.* & *l. Lecta, ff. de R. C.* ubi plena manu hæc perſequitur: parcius item *Conject. Lib.* V. *C.* 10. Reinh. Bachovius ad *Weſenb. Tit. de pact. & reb. cred.* & ad *Treutl. Vol.* I. *Diſp.* VI. *Th.* 10. *litt. A. & B.* prolixe autem ad πρῶτα *ff. Tit. de pactis, ſect. de pactis adjectis.* Et, ut hunc etiam addam, Joh. Fred. Böckelmannus *de Action. Part.* IX. §. 20. De Fabro Antonio ſingulatim aliquid dicemus, poſtquam in genere actum eſt. Ac tandem, quæ Hotomanni fuerit *de pactis adjectis* ſententia, tanquam breve aliquod, ſubjungemus.

Pugnant ſtipulationis vindices non levi armatura, ſed ratione etiam, & auctoritate juris: utraque tamen ita inſtructi, ut non vereamur illud, *Vicimus O Socii.* Rationem Juris petunt a natura ſtipulationis & pacti, quaſi vero tanta illi cum hoc intercederet conjunctio, ut pacta, incontinenti facta, pro benigno & facili contractus genio libentius admittat ſtipulatio. Hanc adfinitatem probare ſatagunt ex *l.* 7. §. *quod fere* 12. *ff. de pact.* & ſane ibi eſt aliquid ejusmodi. Sed dictam §. ὡς νῦν κεῖται, adverſari innumeris Juris capitibus, adeoque emendandum videri, & quo modo, diximus in *Libr. Singul.* ad *l. Lecta, Cap.* V. Tentavimus etiam aliter, verum nullam omnino ſtipulationis pactique adfinitatem adgnoſcentes, non repetimus ea, cum πραγματικῶς tractata ſint *d. C.* V. Adferunt in hanc rem nonnulli etiam *l.* 1. §. *eum qui* 4. *ff. de conſt. pecun.* & *l.* 45. *ff. ſolut. matrim.* aſt valde jejune. Dicitur in *l.* 1. §. 4. inutilem ſtipulationem nec conſtitutum facere. Quid inde? ut contrarium adferamus? res non eſt tanti. Et in *l.* 45. pactum & ſtipulatio convertuntur, non ob illam, quam jactant, utriusque cognationem, ſed quod pactum ſeu conventio ſit genus, comprehendens ad unum omnes contractuum ſpecies *l.* 1. §. 3. *ff. de pact.* Utque adeo pacta, quæ ita contractibus continentur, ut eorum ſubſtantiam conſtituant additis, verbi gratia, verborum ſolemnibus, idem retineant nomen non tantum, ut in *d. l.* 45. & *T. T. ff. de Pactis dotalibus;* ſed &, ubi nulla eſt contractuum mentio ſive expreſſa, ſive tacita, eosdem tamen ſignificent, vid. *l.* 48. §. *fin. ff. de minor. l.* 104. *ff. de V. O.* Poſſes dicere, etiam pacta præceſſiſſe in *d. l.* 45. & dein ſtipulatione fuiſſe concluſa, argum. *l.* 23. *ff. de pact. dotal.* juncta *l.* 27. *C. de pact.*

Ergo frivolæ ſunt illæ objectiones, neque etiam, quod unicum eos excuſat, aliter eſſe poſſunt. Illa pacti & ſtipulationis ſimilitudo jure FF. exulabat prorſus: in quo enim conſtitiſſe finges? pacta, quemadmodum ſtipulationes, conſenſum requirunt, verum eſt, at ſic eadem eſt pactorum cum mutuo aliisque contractibus adfinitas. Stipulatio præter conſenſum, quibus pacta abſolvuntur, præcipuam habet rogandi ſpondendique ſolemnitatem, tanquam *ſpecificam*, ut ajunt, ab illis differentiam. In mutuo præcipuus eſt rei interventus, & ita in cæteris. Nulla igitur pacti & ſtipulationis eſt cognatio, niſi ogygia. Quin ſi quis hæc vel minimum confundat, Jurisprudentiæ faciem lacerabit ſtatim. Atque adeo hæc Juris ratio rationem non habet. Et quidem, licet concederetur, maximam eſſe ſtipulationum cum pactis adfinitatem, non ſum, qui animadvertam, quid inde concludi poſſit ſolidi.

Sed auctoritas legum videtur iis ſuffragari valide, & fere nimium. Nam ecce, *pacta ſtipulationibus ineſſe*, rotundo Paulus ſcripſit ſtylo in *l. Lecta* 40. *ff. de R. C.* & *l.* 4. §. *fin. ff. de pact.* Verum δὶς κράμβη θάνατος: *Legi quadrageſimæ* ſatisfactum eſt in *Libro ad eam ſingulari*, *legi* 4. §. *fin. Cap.* IV. *hujus Diſſert.* Eſt, fateor, in ſtipulatione major, quam in mutuo, Juris auctoritas: ſed ea jam refutata, majorem adhuc in contrarium adduximus *C.* III. Stipulationem itaque a mutuo in re præſenti non ſecernimus: quæcunque ſtipulationi, etiam mutuo inſeri poſſunt, inquit generaliter Ulpianus in *l.* 7. *ff. de reb. cred.* ex adverſo hic dicere liceat: mutuo pacta adjici non poſſunt, vel adverſariis concedentibus, ergo nec ſtipulationi. Vellem etiam, qui ea Sententia utuntur, ne ſtipulationem ſe excipere dicerent a reliquis Juris ſtricti contractibus, quum ita exceptio regulæ dimidium abſorbeat: ubi enim ſunt alii J. S. contractus, quam mutuum & ſtipulatio?

Liceat quoque ad hanc claſſem referre Janum a Coſta *Comm.* ad *pr. Inſt. de V. O.* ipſe enim ſtipulationem eſſe ait *veluti medium quid inter contractus bonæ fidei, & ſtricti juris*, & hinc pacta huic ineſſe, ſed a parte rei, non etiam cæteris juris ſtricti contractibus. Equidem vergit hæc ſententia ad eam, quam *Cap. præc.* refutavimus, dimidiate ſcilicet, at ejus diſtinctio & ra-

tio huic loco quadrat unice. Probationes hujus figmenti ſingulares quia non habet a Coſta, valeat cum reliquis.

Supereſt, ut de Ant. Fabro dicamus. Ille autem ſupra laudatis locis hoc fere modo argutatur. Omne pactum, contractui, ſive B. F. ſive S. J. adjectum, omnino ineſt; ſed in negotiis fidei bonæ, format actionem ex ipſo contractu, in ſtricti juris, actione præſcriptis verbis eſt ſervandum. Propone: *Credo tibi centum, ut pro me Romam eas*, non dabitur, inquit, condictio certi ex mutuo, *ut Romam eas*, hoc pactum non format actionem mutui, ſed tamen, quia ineſt, præſcriptis verbis utiliter agetur, ut factum impleas, vel ad id, quod intereſt, damneris. Hinc eſt petenda ejusdem ſagacitas, quod nimirum Ulpianus in *l.* 7. §. 5. *ff. de pact.* ſcripſerit: *Pacta conventa ineſſe bonæ fidei* JUDICIIS, i. e. *actionibus*, non *contractibus*: quia, licet pacta ſtrictis contractibus inſint, non tamen judiciis, ſeu actionibus eorum recte ineſſe dices; neque enim protenduntur actiones ex ſtrictis contractibus ad ea, quæ in pacta deducta ſunt, quemadmodum fit in judiciis fidei bonæ. Tum demum ſtipulationem excipit, utpote cujus actionem formari vult ex pacti adjectione, per ea, quæ modo relata, &, opinor, refutata ſunt.

Quod ad eam, quam nunc recitavimus, Sententiam, ſimpliciter primo negamus, pacta qualicumque contractui ineſſe. Sed cum ad exempla perventum eſt, nullus etiam dubito, quin veriſſimum eſt, ex hoc negotio; *Credo tibi centum, ut Romam eas*, utilem præſcriptis verbis dari, ut fidem datam ſerves, quicquid reluctetur Bachovius, Fabri μάστιξ, ad *Treutl. dict. loc.* Ratio autem Fabriana, quod verba, *ut Romam eas*, conſtituant pactum, quod mutuo incontinenti adjectum ineſt, neutiquam eſt probanda, aliam exſecuti ſumus *Cap. ſuper.* in expoſit. *l.* 11. §. 1. *ff. de R. C.* Denique non placet Fabri argutia ex *l.* 7. §. 5. *ff. de pact.* cum utique contractus & judicia, certe in præſenti, differant nihil: *contractibus* enim adſcribitur in *l.* 13. *C. de pact.* quod in *d.* §. 5. *judiciis*. Atque illud ſubolens Fabro, *d. l.* 13. torquet horrendum. Sed non eſt viſum, ulterius progredi contra Sententiam hominis ſingularem.

At quo te, Hotomanne, referemus? vulgo quidem audio, te communem DD. Scholam ſequi, ſed quis hoc ſuſtineat? Verum eſt, te in *Epitom.* ad *Tit. de pact. n.* 5. & in *Schol.* ad §. 5. *l.* 7. *eod.* & *Lib.* XI. *Obſerv. C.* I. ſcripſiſſe ἁπλῶς, pacta omni contractui, ſeu B. F. ſeu S. J. ineſſe: ſed itidem verum, te *Illuſtr. Quæſt.* XXXVI. & *Obſerv. L.* XII. ſive *Amic. Reſponſ.* I. *C. ult.* ſollicite diſtinguere inter pacta adjicientia, & de ſubſtantia vel adminiculis contractus detrahentia. Hæc omni modo ineſſe vis, illa rurſum diſpeſcis in ea, quæ ſubſtantiæ, vel adminiculis quid addant. Si adminiculis, denuo ineſſe contendis: ſi ſubſtantiæ, non item. Iterum *L.* VII. *Obſerv. C.* 15. multum mutatus ab illo, qui antea Juris Civilis loca, quamvis diſtinctionum mæandris, vindicabas, manifeſtam admittis pugnam inter Paulum in *l. Lecta*, & Ulpianum in *l.* 7. §. *quinimo*.

Nil eſt in hoc opinionum conflictu, quod refutationem mereatur novam, cum nil ſit novi, quam illa pacti adjicientis recens conficta diviſio. Hæc autem quum ne quidem in B. F. contractibus, quos proprie concernit, tam anxia & varia proponantur in *l.* 72. *ff. de Contr. empt.* & reliqua Hotomanni in ſuperioribus occupata ſint, his aliisque miſſis, ſervamus planam illam facilemque *de Pactis adjectis* doctrinam, quam dedimus conſequenter interpretationi *l.* 40. *ff. de Rebus creditis.*

FINIS.

CON-

CONSPECTUS CAPITUM.

CAPUT I.

Ex pacto actionem non dari: Connani, & Mæſtertii circa id hæreſes. Ratio hujus juris a variis proponitur varia. Conſtituitur, & deducitur alia. Excipiuntur ab hac regula pacta incontinenti fidei bonæ contractibus adjecta, & quare. An idem obtineat in judiciis juris ſtricti. Tres opinionum claſſes recenſentur. Nos exiſtimare, pacta nullo modo ineſſe ullis ſtricti juris contractibus. Num interpretum aliqui id ipſum dixerint. Quid ſit in-vel excontinenti. Etiam auctores exteros illis vocabulis uſos. Quæ ſit eorum, quod ad pacta, latitudo. Τὸ ingreſſus Ulpiani in L. 7. §. 5. ff. de pact. quid ſibi velit. Ejus explicatio, &, ſi ita vis, emendatio. Nihil πρὸς ἔργον facere Alciati ea de re πάρεργον. Nonnulla adhuc de τῷ incontinenti, & καθόλου, & κατά τι. Quid hic ſit ineſſe, & quæ ſit hujus voculæ virtus. Pacta, quæ inſunt, quemadmodum dicantur formare actiones: de eo Baronis ſubtilis, ut videtur, error. In univerſum quomodo operentur pacta, quæ adjecta inſunt. Pag. 44

CAPUT II.

Duos tantum ſtricti juris contractus nominatos dari, ſtipulationem & mutuum. Sententia noſtra adſtruitur præjudiciis, a natura contractuum bonæ fidei, & ſtricti juris petitis. Diſputatur ex ratione Juris, cur pacta ex parte agentis ineſſe nequeant. Eadem ad mutuum transferuntur. Cur porro nec ex parte rei, tam in ſtipulatione, explicita L. 35. ff. de R. J. quam in mutuo, explicita L. 80. ff. de ſolution. Huic juris rationi videri obſtare difficultatem a contractibus bonæ fidei, qui re contrahuntur. Reſpondetur bifariam. Atque id illuſtratur exemplis pactorum, quæ ex intervallo fiunt. Ea occaſione pluribus exponuntur L. 3. ff. de reſcind. vend. & L. 72. ff. de contr. empt. Ex iis colligitur, pacta, ſi ex intervallo fiant, eorumve exceptiones tantum ineſſe videri contractibus conſenſualibus: eſſe tamen contra receptum in iis, qui re perficiuntur, ſi ſint fidei bonæ. Quid ſint exceptiones poſtea factæ in L. 7. §. 6. ff. de pact. Has autem, pactis ex intervallo factis, non ineſſe, niſi ea verſentur circa contractuum bonæ fidei ſubſtantialia. De ſtricto jure nihil hic dici: adeoque de eo etiam incontinenti, nihil dicendum eſſe. Pactum de non petendo, vel illico adjectum ſtipulationi ſeu mutuo, non ineſſe, ſed parere duntaxat exceptionem ſuam. Probatur hoc neceſſario acceptilationis, ac novationis Aquilianæ uſu. In L. 27. §. 2. ff. de pact. videri argumentum pro noſtra Sententia: quin & contra eam. Nihil bonæ frugis occurrere ad interpretationem d. §. Tentatur ea ſimpliciter, & ope emendationis. 46

CAPUT III.

Bonæ fidei judicia commemorari in L. 7. §. 5. ff. de pact. ut ſtricti juris excludantur, adſtruitur late. Plerumque de his negari, quod de illis prædicatur. Stipulationi non ineſſe pacta, clarere ex L. 99. ff. de V. O. Atque hæc explicatur, & explicata adſtringitur. Goeddei, & Bachovii interpretamenta rejiciuntur. Sententiam probamus porro L. 44. §. 2. ff. de O. & A. Hujus fit ἀνάλυσις, & diſpunctio. Quando & quomodo conditio contractui dicatur ineſſe. Notatus in eo Giphanius. Adplicatur d. L. 44. quæſtioni propoſitæ. In mutuo, quod ad pacta adjecta auctoritatem juris expreſſam non eſſe magnam. Confirmari tamen, quod nos dicimus, regula vulgari, in mutuo uſuras non deberi ex pacto, quamtumvis confeſtim addito. Hujus juris aliam ab aliis rationem quæri, ſed fruſtra. Quæ ab odio uſurarum arceſſuntur, eſſe valde diluta. 49

CAPUT IV.

Quinam ſententiæ communis, de pactis contractibus S. J. quæ inſunt, auctores fuerint, & ſectatores. Inter eos & Alciatum fuiſſe: & quid ſibi velit illius moderatio. Sententiam communem rationes Juris habere nullas. Neque auctoritatem in l. Lecta. Neque etiam in L. 27. C. de pact. Explicatur hæc, defenſa etiam ejus ſcriptura adverſus Haloandri lectionem, Hotomanni κρίσιν, aliorumque contorſiones. Pacta ſtipulationes, a quibus confirmabantur, quandoque præceſſiſſe, & qua ratione: quandoque ſequuta eſſe, & quomodo etiam, & cui bono. Eſſe aliquid in d. L. 27. quod nos juvet. Quid καθόλου de ea cenſendum ſit. Plus videri Sententiæ noſtræ adverſari L. 4. §. ult. ff. de pact. in hac deſiderari reſpondendi voculam: ſed ſubaudiendam eſſe, ut in L. 66. pr. ff. de donat. inter V. & U. & L. 133. ff. de V. O. & forte L. 29. §. 12. ff. de lib. & poſt. Ita tueri poſſe lectionem vulgarem contra variantem aliorum Codicum. Intenditur difficultas ex d. L. 4. §. ult. Reſpondetur cum Accurſio, & aliis. Etiam aliter, ne obſtet, enarratur d. §. Accedit tertia ejus interpretatio. Denique nihil quicquam nos remorari L. 135. §. Seja 2. ff. de V. O. Oſtendit boc ejus παρέμφασις. Incontinenti cur ibi ſit additum. Adferuntur & alia juris loca, cum de ſtipulatione, tum de mutuo: aſt in harum nulla Adverſariis nihil quicquam eſſe præſidii. De emphyteuſi quid nugentur. Connani ſingularis ſententia de Pactis adjectis proponitur, & rejicitur: ut & cujusdam tenebrionis fatuitas inſignis. 51

CAPUT V.

Quid ſit ex parte rei ineſſe; quid ex parte actoris. Locutionem utramque eſſe bonam: & priorem nullo jure ab Hotomanno damnari. Quid ipſum perverterit. Cujacio ſiniſtram mentem affingi ab Ant. Fabro. Τὸ ex parte rei ineſſe an in jure dicatur. Hotomanni finitio τῶ ex parte actoris ineſſe num videatur accurata. Pacta a parte actoris vel rei, vocari etiam adjicientia & detrahentia: & quare. Utra appellatio præſtet. Priorem, remotis tricis, videri magis juridicam. Quinam Sententiam, inter hujusmodi pacta quæ diſtinguit, ſta-

ſtabiliverint, & ſequuti ſint. Male eos provocare ad L. 40. ff. de R. C. & L. 4. §. ult. ff. de pact. *Niti autem potiſſimum* L. 11. §. 1. ff. de reb. cred. *Illius diſtinctio contra nos inducitur. Atque ea, ne quid adverſetur, exponitur late. Quod ad utrumque caſum in* d. §. 1. *alia, quam vulgo, illius ratio adducitur: & adſtruitur explicatione* L. 17. pr. ff. de pact. *& aliquot Baſilicorum gloſſis. Probatur, non adjectum contractui, ſed injectum fuiſſe potius pactum in* d. §. 1. *Quæ Cujacius protulit nec nova, nec vera eſſe: & qui diſtent a noſtra Sententia. Qui omnia pacta ineſſe volunt, non ſat feliciter retudiſſe argumentum, in* d. §. 1. *ipſis adverſum. Decem datis, ut reddantur undecim, nunquid, &, quo nomine undecimus peti poſſit. Hujuſmodi negotium degenerare in contractum innominatum. Explicita, & vindicata* L. 48. ff. de pact. *Quid judicandum videatur de juris regula, citra ſtipulationem uſuras non deberi.* Βασιλικῶν *Scholiaſten ea confirmare: nequicquam obnitente alio Græculo. Donelli philoſophia, qua detrahentia pacta ineſſe adſerit, quam ſit craſſa. Rejicitur hæc: prout & alia ejusdem argumentatio ex* L. 1. §. 3. verſ. cum adjic. ff. de V. O. *Fort. Garſiæ detorſio* L. 7. §. 5. ff. de pact. *improbatur. Quædam Partis adverſæ minutiæ leveis.* 54

CAPUT VI.

Qui pacta ſtipulationi duntaxat ineſſe ajunt, recenſentur. Eos urgere rationem juris, petitam a cognatione ſtipulationem inter & pactum. Hanc perperam probari L. 7. §. 12. ff. de pact. L. 1. §. 4. ff. de conſt. pecun. L. 45. ff. ſolut. matrim. *Quod ad* L. 7. §. 12. *remiſſio: reliquæ explicantur. Nullam omnino eſſe ſtipulationis pactique adfinitatem: utique non majorem, quam pacti cum mutuo, aliisque. Denique ex eo conceſſo nihil boni concludi poſſe. Auctoritatem juris mediatores illos nullo jure emendicare ab* l. Lecta 40. ff. de R. C. & L. 4. §. ult. ff. de pact. *Stipulationem a mutuo heic ſecernendam non eſſe. Nunquid regula, qua utuntur adverſarii, habeat ſe bene. Jani a Coſta de hoc argumento ſententia refertur & refellitur. Ant. Fabrum omnia omnibus contractibus pacta ineſſe velle: at in bonæ fidei, actionem formari ex ipſo contractu; in ſtricti juris, præſcriptis verbis agendum eſſe. Hanc ſententiam male concipi: nec hilum ei prodeſſe ſubtilitatem quæſitam ex* L. 7. §. 5 ff. de pact. *Attamen, cum ad exempla Fabri perventum eſt, ab ipſo nihil nos diſcrepare. Hotomanni* de Pactis adjectis *opiniones variantes. In iis novi eſſe nihil, quod refutandum ſit.* 57



CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

DE

AUCTORE AUCTORIBUSVE AUTHENTICARUM (QUAS VOCANT) DIATRIBA.

AD LECTOREM.

P*aucis diſputare lubet de Authenticarum* (*quas vocant*) *auctore auctoribusve: hoc etenim ſciri earum dignitatis intereſt, intereſt Interpretum. Eſt autem fama, fuitque aliquot retro ſæculis, quemdam Irnerium vel Yrnerium, Hir- vel Hyrnerium, Wirnerium, Wernerum, Wernerium, Wernherum, Warnerium vel Guarnerium* (*namque ita promiſcue illum* Werner *vel* Warner *ſcribi video*) *has authenticas collegiſſe, & ſuo quamque, quo nunc occurrunt, loco digeſſiſſe. Irnerius videlicet ille, quem Bononia, primorum juris Interpretum nutricula, ſi non extulit* (*Germanus quippe fuiſſe fertur*) *utique vidit fovitque jura docentem omnium primum poſt renatam jurisprudentiam, licet neſcio quem Peponem ante ipſum commemoret Guido Pancirollus* de Clar. Leg. Interpr. L. II. C. 13. *Atque hæc de Irnerio fama, ex quo reviviſcere & florere Romanorum Leges, fere ſancta fuit ad usque tempora Caroli Molinæi: Ille claſſicum cecinit, &* Lect. Dol. III. n. 20. & ſeqq. *rationem unam, quæ Irnerio authenticas tribuere vetat, expedivit.*

Attamen verum eſt, ante Molinæum dubitaſſe & alios de Authenticarum auctore, quin & plures earum collectores ſtatuiſſe, nam ecce Gregorius Haloander in ſylloge authenticarum poſt Codicem ſuum hanc habet ἐπιγραφήν: Epitomæ quædam novellarum Conſtitutionum, quas authenticas vulgus appellat, poſteriore ætate ab Irnerio, Alberto, Bulgaro, & aliis, Juſtinianeo Codici ſuis locis inſertæ, *quam ipſam inſcriptionem Codici ſuo præpoſuiſſe putem nonnullos Corporis Gloſſati editores, ut eſt ejus, quod Lugduni anno M. D. C. prodiit; utrobique enim* Alberti *ſit mentio, pro* Alderici, *ut opinor: quia Albertum JCtum illa ætas, quod ſciam, non tulit. Vides interim, variis antiquioris ſcholæ magiſtris authenticas heic adſcribi, & etiam fortes ante Agamemnona de Irnerio, quaſi auctore earum ſolo & unico, dubitaſſe, vel potius contra aſſeruiſſe. Zaſium, Hotomannum, alios, qui vel ante vel poſt Molinæum, non, ut ille, negârunt id operis Irnerio tribuendum, ſed oratione utuntur ſuſpenſa & diffidenti, recenſet Johannes Strauchius in* Irnerio non errante (*quæ eſt inter* Diſſertationes *ejus* Academicas *quarta*) Cap. II. n. 3. *his addo Did. Covarruviam ad* C. ſi hæredes Lib. X. de teſtam. n. 7. *&, ne quid deſit, Batavum quemdam, hominem auris alioquin ſat Batavæ, in* Hiſt. Jur. Civ. *Sed hi omnium ſubſtiterunt & ambegerunt tantum* (Irnerius, vel quisquis is fuit, *eorum ſermo eſt vel ſententia ſimpliciter &* ὡς ἐν παρόδῳ) *quæ autem de Irnerio ſubſiſtendi ambigendique fuerint rationes, nemo eorum unus dixit: nunc, quæ ſint negandi, a Molinæo primum diſces, dein a Germanis; nam, quem laudavi, Strauchius in* dict. Diſſert. C. II. *in eo totus eſt, ut rejecta de auctore Irnerio fama an fabula? Molinæum vindicet. Exin ita ſapere Pagenſtecher in* Proluſ. Irnerii injuria vapulantis, *& Germanorum alii: quin & ita in Belgio docere Belgæ. Et ſane rem eo deducunt, ut receptam hactenus de Irnerio ſententiam porro ſequi videatur æque temerarium, ac ab ea divertere.*

Igi-

Igitur amplius deliberandum cenſui, & inquirendum, nunquid novi ſolidique de Authenticarum origine & progreſſu adferri poſſit. Comperi autem, eſſe fortaſſean, ut auſim adſeverare, nemini adhuc verum dicere contigiſſe, aut, ſi dixiſſe, non probaſſe tamen; adeoque rem, qua de ſum dicturus, dignam eſſe, quam in publicum paucis enarrem.

Capite I. *Cauſæ controverſæ conjectionem, & noſtram de ea ſententiam propoſituri ſumus.* Cap. II. III. IV. & V. *eam adſtructuri.* Sexto *denique &* ultimo *refutaturi, quæ videntur adverſarier. Parerga, quia gratis dabo, non inſcribam credito. Cæterum vale Lector, prout mereris.*

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

DE

AUCTORE AUCTORIBUSVE AUTHENTICARUM (QUAS VOCANT) DIATRIBA.

CAPUT I.

Cauſæ controverſæ conjectio, & quid nobis dicendum videatur.

Ut, quid ſint authenticæ, te moneam, Lector, non erit neceſſum: nam Dî meliora, quam ut & tu credas; ut quemdam nos Doctorem Juris ſic opinantem cum riſu mirati ſumus, eſſe aliquos Scripturæ, quæ ſacra dicitur, aut Corporis Eccleſiaſtici locos, Codicis, quas corrigunt, legibus ſubjectos. Temporibus renaſcentis Jurisprudentiæ Novellarum librum a JCtis barbaris *Authenticum* fuiſſe dictum, & Novellas *Authenticas*, atque ita, adjecto titulo, laudatas, teſtatur quicquid antiquorum interpretum ſupereſt. In originem hujusce appellationis Alciatus inquirit *Lib.* II. *Parerg. C.* 46. an repererit, ex Joanne, Gloſſatore veteri, qui forte veram dedit, in *Procem. Summ. ad Novell.* dignoſces. Sin autem nec ille ſatisfacit, finge (licet enim) Novellarum libro neſcio in quo tabulario Occidentis reperto inſcriptum fuiſſe, AUTHENTICUM, quaſi ex Græco translatum fideliter, ut non male prædicaveris de verſione veteri; & ſic fere conjicit Albericus Gentilis *de Libris Jur. Civ. C.* VI.

Sed quod Cujacius in *Comment. poſtum. ad l.* 7. *&* 8. *C. de ſecund. nupt.* Gothofredus in *Bibliotb. Jur. C.* IV. & Contius in *Præfat. Novell.* ajunt, Irnerium, Pileum, Bulgarum, & alios id ætatis JCtos, *Novellas* cum citent, epitomen Juliani intelligere, cum *Authenticum* vel *Authenticas*, veterum tralationem κατὰ πόδας, nondum mihi ſuboluit: nullo hæc diſcrimine haberi ſexcenties repperi. Imo nec Veteres illos Juliani epitome tam familiariter fuiſſe uſos adhuc mihi compertum eſt; plura vocant in contrarium, ſed apage ἀπροσδιόνυσα; Hoc ſcio; ab Alciato ad Accurſium male referri *Authentici* nomen, jam Irnerii ævo uſurpatum, & notum fere unice, uti conſtat ex Gloſſa ad §. 4. *in fin. Conſtit. de Emend. Cod. Juſtin.* qua de C. III. nonnihil erit dicendum.

Ipſæ itaque Conſtitutiones Juſtiniani novellæ quum *Authenticarum* nomine venerint, etiam uſu obtinuit, ut breves illæ ſententiæ, ex iis Novellis decerptæ (de quibus nunc agimus) idem nomen retinuerint, quemadmodum in *ſummariis*, ſui authentici appellationem ſervantibus, uſu venit & alias. Sin de fide, qua in iſtis ſummulis mens Novellarum redditur, vocabulum intelligas, non equidem intercedo, ſed περὶ τῆς αὐθεντίας negotium faceſſent alii, & tum forte Haloander, quem in *Præfatione* repræſentavimus, de verbo *vulgi*. eſto.

De re ipſa conſtat; Novellarum, quæ Codicis nonnullas leges vel abrogabant, iisve derogabant, vel ſubrogabant, vel obrogabant, epitomen eſſe collectam, illisque legibus ſubſcriptam memoriæ facilioris cauſa, quum priſci Legum Profeſſores, quibus id potiſſimum deberi ſuo loco dicetur, Codicem fere ſolum interpretarentur. Sic tuto labori parcitum identidem inquirendi in Conſtitutiones Juſtiniani noviores, eas, ſeu earum potius repetitam βαττολογίαν legendi, quin &, quod majus erat, applicandi legibus Codicis aliquando non ſuis, ab imperitioribus præſertim. Bonum factum! ita decebat languidos Barbarorum animos allicere ad bonam frugem. Et ceſſit ea res feliciter, adeo equidem, ut nullo jure Haloander in *Præf. Cod. ſui*, au-

thenticas, tanquam ſubrepticios ſervos, de familia ejiciendos putaverit: etenim ſcopo, qui bonus erat, tam bene ſatisfactum, ut bona fide credam, neminem vel exiſtere, vel, ex quo Jurisprudentia etiam litteras didicit, extitiſſe, qui majori opera, brevitate, fidelitate Novellarum, jus vetus mutantium, ſententias redderet, vel redditurus fuiſſet, quam heic factum reperimus. De fidelitate ſunt qui contradicant, & integras malæ fidei ſyllogas corradant. Sed non eſt, quod tam altum clament, ſint loci vel duo vel nullus. Verum hæc non ſunt hujus operæ.

De auctore duntaxat illius compendiariæ collectionis nobis videndum. Atque hunc fuiſſe Irnerium, qui ſæculo XII. ſub Lothario Saxone, Conrado III. & Friderico, barba roſſa noto, Jus Civile cœpit profiteri, & aliis profitendi auctor fuit, tot tantaque Interpretum teſtimonia declarant, quot & quanta ſufficere dixeris ad inducendam *opinionem*, ut ajunt, *communem.* Ut iis recenſendis vacem, non exſpectabit quis; recentiorum quippe plena ſunt omnia, & antiquis, utpote veris & ſolis ea de re arbitris, locum dabo peculiarem: namque hoc fieri, etiam ſententiæ noſtræ intereſt, ut mox audies.

Hanc autem de Irnerio traditionem, ut ut receptam vulgo, molimine non inepto adgreſſus eſt Carolus Molinæus *Lect. Dol.* III. *num.* 20. 21. 22. *&* 23. ibi enim, dum antiquitatem verſionis Novellarum vulgatæ contra Alciatum vindicat, eam, & ex ea deſumptam *auth. Presbyteros & Diaconos C. de Epiſc. & Cler.* ad verbum recitaſſe ſcribit Gregorium Magnum *Lib.* XI. *Epiſt.* 50. *&* 54. quamque ille ſæculo jam ſexto Romæ ſederit Epiſcopus, altius longe authenticarum originem eſſe repetendam Molinæus edisſerit: *Ergo liquet*, inquit, *quod jam tempore ſuo* (Gregorii puta) *paulo poſt Juſtinianum, vix triginta annis ab ejus obitu, authenticæ illæ e vulgatis noſtris ſumptæ, quæ ſunt in C. Juſtinianeo, fuerunt ex tunc eidem Codici inſertæ.* Superdicto hoc ἐπιφωνήματι: *Ut vehementer errent DD. noſtri, qui illam authent. inſertionem attribuunt Irnerio, cum plus ſexcentis annis ante natum Irnerium inſertæ fuerint Codici, ut patet ex ſcriptis Gregorii Magni . . . . ad quod nemo ſcribentium adhuc animadvertit.* De ſententia nova liquet, de argumento ipſo videbimus deinceps. Et puto verum, quod ait Molinæus, neminem ante ſe id animadvertiſſe, licet itidem verum ſit, qui ante eum dubitarunt (ut ſumus præfati) ſuas haud dubie habuiſſe dubitandi rationes.

Sed Germani, quos diximus, propius rem cernunt. Illi, utcunque authenticas Irnerii eſſe negent, ejus tamen quasdam lacinias, quædam earum emblemata agnoſcunt. Atque ita Irnerium authenticas interpolaſſe volunt, non ſecus, credo, ac de Triboniano, Pandectarum Codicisque interpolatore, vulgi fabula eſt. Sed hoc illi, ut velificentur nonnullis gloſſis, perperam intellectis. Exſpecta puſillum, & videbis.

Ego interim heic: ὅτι πάντα, ὅτι πάντοτε, ὅτι παρὰ πάντων. de Authenticis enim ſic exiſtimo: Irnerium neque omnium, neque nullarum eſſe auctorem; quasdam eſſe Irnerii, quasdam etiam Martini & Azonis (de his enim ſum probaturus) & forte quasdam Rogerii, Bulgari, Placentini, Pilei, Joannis, Bagarotti, Rofredi, Jacobi & Hugonis de Porta Ravegnana, Hugolini, Antonii Lyi, & aliorum, qui Jurisprudentiæ reſtaurandæ Sæculo XII. & XIII. vixere. Quin &, ut non vane dixerim, vel Græculi ipſo Juſtiniani ævo hujusmodi Novellarum compendiis uſi, aliis in poſterum utendi, & porro colligendi auctores fuere.

Priusquam hanc ſententiam probem, ſciendum eſt, ipſas authenticas non aliud mihi ſemper fuiſſe viſas, quam ſcholia quædam, poſtquam leges novellæ innotuerant, ſubjecta vel adjecta Codici ab antiquiſſimis Juris Profeſſoribus, in Oriente primum, dein in Occidente. Eorum quisquis ad Codicis ſui marginem, vel in Commentario, quæ abrogata, quibusve derogatum animadvertat, adnotare, alius haſce notas in librum ſuum transſcribere, alius non item, alius quid addere, alius quid detrahere, ſic denique agere, quemadmodum in Gloſſis ipſis factum novimus. Quinimo has ipſas authenticarum adnotationes Gloſſarum numero fuiſſe habitas, argumento eſt, quod Joannes, Gloſſator ille vetus, hoc eas elogio inſigniat in *Summ. ad Collat.* VI. *Conſtit.* 3. (ut ipſe numerat) ſive *ad Novell.* 72. *Illud*, ait, *in ſumma not. quod ex hac Conſtitutione duæ* GLOSSELLÆ, *ſive auth. in C. ponuntur, prima ſumitur* &c. Authenticas *gloſſellas* vocat, uti fuerunt, una cum reliquis ab initio, ut ita dicam, extravagantes. Quemadmodum autem Gloſſæ ſunt variorum, ita & variorum eſſe authenticas, porro erit probandum.

Hoc interim obſervabis, Sententiam noſtram a communi differre, quæ omnes, & a Molinæi & Germanorum, quæ nullas Irnerio authenticas tribuit: quin & poſſe nos Molinæi, & ejus ſectatorum rationibus uti ad fulciendam, quam nos tuemur, ſententiam; ſiquidem illi hoc fere agunt unice, ut certas quasdam authenticas Irnerio antiquiores eſſe doceant. Sed nec in eo tanti eſſe fidem, quam implorant, chronologicam, peculiari capite oſtendam, propriis interea armis depugnaturus.

CAPUT II.

Authenticarum varios fuiſſe auctores ex Joanne, Azone & Accurſio probatur; etiam in Oriente, ex fragmento quodam Juliani, anteceſſoris Conſtantinopolitani.

Teſtimonia, quibus uſurus ſum, nemo facile refutaverit, ſunt enim antiquiſſima. Agmen claudet ipſe Accurſius, cujus ætate Jurisprudentia integro vix ſæculo in Occidente revixerat: magna igitur ejus auctoritas, & major adhuc, ſi gloſſam ex antiquiorum aliquo referat. Sed qui JCtorum barbarorum hiſtoriam novit, etiam hæc novit, qui non, diſcat ex Pancirollo *de claris LL. interpretibus*, & Forſtero in *Hiſtor. Jur. Civil.* aliisque.

De his primo deſpiciamus, qui non huic aut illi, ſed ἀνωνύμως & καθόλου quibusdam authenticas, earumve partem aliquam adſcribunt. Ita agit, quem cum gloſſellis ſuis laudare cœpi, Joannes, qui dicitur Baſianus vel Boſianus, in *Summ. ad Collat.* VIII. *Conſt.* 10. ſeu *ad Novell.* 114. *In ſumma not.* inquit, *quod ex hac conſtitutione* QUIDAM *habent in C. in tit. prædicto, ſuper l. præd. Sacri affatus, vel ſuper l. fin. authent. Quæ ſic incipit: Glorioſiſſimi quoque* &c. & idem *ad eand. Collat. Conſtit.* II. ſive *Novell.* 113. *In ſum. not. quod ex hac conſtitutione habent* QUIDAM *in C. ut lite penden. ex* §. *qui eſt infr. E. auth.* utrobique, habent *quidam* authenti-

ti-

ticam, ſed majori adhuc emphaſi idem rurſus *ad eand. Collat. Conſtit.* (ipſi) 13. ſive *ad Novell.* 117. *Item ex eo, quod eſt infr. E.* §. *iis quoque.* & §. *quia vero. ſumunt* QUIDAM *authen.* & *ponunt in C. de adulter. ſuper l. quamvis. quæ incipit: Si quis ei, quem ſuſpectum.* Quidam, ait, hinc *ſumunt* authenticam, & *ponunt* in C. ne, ſi identidem dixiſſet, *habent*, id ex Irnerio putes.

Sic & Azo in *Comment. ad l. Quoniam pen. C. de hæret: Habent hic* quidam *auth. ſed curiales.* Et Accurſius, vel quisquis gloſſam ſcripſit ad *eand. l. ſub fin. Signant hic* quidam *talem authen. ſed hodie* &c. Ut nihil nunc dicam de iis, qui plane ἀπροσώπως loquuntur, *habent*, *ponunt hic authent.* ut eſt gloſſa ad *auth. At ſi contractus C. de fid. inſtrum.* & cum eo plures. Fruſtra vero eſſet vocabulo multitudinis uti, fruſtra τὸ *quidam* apponere, ſi, quod Joannem, Azonem & Accurſium latere non potuit, authenticarum omnium Irnerius exſtitiſſet auctor. Igitur interpretum ſine nomine turba, Troës Tyriive has authenticas excerpſerint, quis dicet? *quidam* fecerunt, non unus heic fuit gloſſator, non unus Scholiaſtes.

Etiam de aliqua authenticarum parte illud *quidam* inauditur. Idem Azo in *eod. Comment. ad Tit. C. de SS. Eccleſ. n.* 74. *in auth. Quas actiones*, ita infit: QUIDAM *habent ita conſequenter in authentica, ſola eccleſia Romana* &c. hodie hoc omnes habent, quamvis ipſi aliisque temere diſplicecat: qui non habuerunt, ut quidam tunc, authenticam peſſime mutilarunt, ut ex Profeſſore Byſantino ſtatim cognoſces. De nonnulla particula *auth. bodie jurant C. de Judic.* ita quoque Gloſſator aliquis *ad eam* notavit: QUIDAM *habent, exceptis* &c. quæ exceptio in libris noſtris etiam exſtat ubique. Adde, quæ & *Cap.* V. in eam ſententiam pluribus dicentur.

Ex hæc πραθεωρίᾳ & incerta plurium enunciatione nolim duntaxat rem definiri. Variorum eſſe authenticas, variorum adjectas forte alicubi additiones, ſingulatim edocebo. Et inprimis illud apparere opinor ex vetuſtate Scholiorum (liceat authenticas, utique græcanicæ originis, ita appellare): nam Juſtiniano adhuc vivo & ſpirante (ut non temere forte dixerim) laudari illa & recitari videas. Auctoritas ejus rei eſt in fragmento, quod *Juliani Ant. Dictatum de Conſiliariis* inſcribitur, a P. Pithœo, qui illud in lucem extulit, ſubditum *Collationi Legis Romanæ & Judaicæ*, ubi *circa fin.* hæc ſunt: *Non lateat vero te, quod Eccleſiis quadraginta annorum præſcriptio opponitur, ut cavetur Conſtit. circa centeſimam Novellarum poſita. Eccleſiæ Romanæ autem centum annorum præſcriptio objicitur*, UT EST RELATUM IN LIB. I. COD. TIT. DE REBUS ECCLESIASTICIS, CONSTITUTIONE PRINCIPIS NOSTRI. Ergo divus non fuit Juſtinianus, alioquin Juliani princeps fuiſſet Juſtinus junior. Sed rem ipſam quod attinet, ecquis negare auſit, intelligi hic *auth. Quas actiones C. de Sacroſ. Eccleſ.*? ait enim, ſub eo titulo referri conſtitutionem Principis ſui de centenaria præſcriptione Eccleſiæ Romanæ competente, & hoc refert *authentica* ex Juſtiniani *Novella nona.* Equidem verum eſt in *l.* 23. *C. eod.* omnibus Eccleſiis centenariam tribui a Juſtiniano; ſed hanc Julianum non reſpexiſſe ex eo claret, quod ille reliquis Eccleſiis a Romana diſtinctis, huic centum, illis quadraginta annos largiri memoret: Romanæ autem κατά τι ne quidem meminiſſe videas *d. l.* 23. inductum hoc ejus privilegium eſt *Novell.* 9. aliis Eccleſiis quadraginta tantum annis conceſſis ex *Nov.* 111. & 131. *C.* 6. Suaves quippe ſunt, qui Romanæ Eccleſiæ prærogativam centenariam abrogant nullo populi ſuffragio: recte in authentica, Q. D. A. deſcriptum eſt jus noviſſimum & *Nov.* 9. & *Nov.* 111. & recte *Dictatum* illud refert ſententiam Conſtitutionis Juſtinianeæ, ex *d. Nov.* 9. petitæ, inſertæque Codici, & hæc dictantur a Juliano, anteceſſore Conſtantinopolitano, Patricio illo & Exconſule, quem Juſtiniani σύγχρονον fuiſſe conſtat.

Sed hanc antiquitatem, ut nimiam, forte quis increpabit, cum non ſit ſimile vero, Novellis ſic recens editis, illico apparuiſſe authenticas, vel quodcunque iis tum fuerit nomen. At cur non æquo jure illius temporis JCtus aliquis, ſimulac Novellæ innotuerant, in ſuo notaſſet libro ad *l.* 23. *C. de Sacros. Eccleſ.* Jure novo, quod ad præſcriptiones Eccleſiis opponendas nunc hoc illove modo ſe rem habere, ac aliquot poſt factum eſt ſæculis? & quid hodieque eſt uſitatius, quam hujusmodi confeſtim nota ad legem veterem, ſtatim ac nova, quæ illi derogat, prodierit? Sane *d. auth. Quas actiones*, præ cæteris vetuſtam eſſe etiam colligere licet ex Azonis notula in *Comm. ad Tit. de SS. Eccleſ. n.* 73. ubi refert variantes ejus lectiones *ex multis & omnibus fere libris* ANTIQUIS.

Cæterum tamen non exiſtimem iſtæc ſcholia tantopere a Græcis frequentata eſſe, quum in Baſilicis, Theophilo & Harmenopulo non repererim, eſtque evidens ejus rei ratio, poſtquam ſcilicet Βασιλικῶν opus Orienti obtruſum fuit: in eo quippe leges novellæ miſcentur legibus Codicis, integræ quandoque, ut plus quam vice authenticarum fungi queant. Atque hanc novam Σωματοποιΐαν Græci interpretantes, his, quibus de agimus, adminiculis tuto caruere: etenim cui bono? ſed res loquitur. Igitur temporibus Juſtiniani, & quæ eum proxime inſecuta ſunt, authenticarum uſus conſtare potuit, &, ut vidimus, conſtitit: ceſſavit rurſum, prodeunte nova illa juris καθάρσει: revixit autem, jure Juſtinianico in Occidente doceri cœpto, ignotis tunc Græcorum jure & literis; adeo equidem, ut ex eo pleraſque authenticas, & earum auctores numerare liceat.

CAPUT III.

Irnerium quarundam authenticarum auctorem eſſe ex Azone, Accurſio & Odofredo adſeritur. Eandem videri mentem loci cujusdam apud Abbatem Urſpergenſem.

Nunc ſententiam communem, quæ authenticas Irnerii eſſe dicit, a credulitatis vitio abſolvamus: ejus enim eſſe nonnullas, imo pleraſque puto verum. De authenticis loquor, quæ Juſtiniani Novellas repræſentant, non tredecim illis Fridericorum primi & ſecundi, quas Codici inſeruit poſterior ætas: nam utcunque Irnerius Friderici primi authenticam unam atque alteram, quæ exſtat, Codici inſcripſiſſe potuit, (quamquam id ab eo factum non liqueat) ita de Friderici ſecundi conſtitutionibus, in Codice relatis, idem pronunciare foret fatuum; ſiquidem affatim doceat hiſtoria, Fridericum II. nondum imperaſſe, cum jam Irnerius eo conceſſerat, unde ne-

negant redire quemquam. Accurſius fortaſſe noſter id honoris habuit Friderico II. ſub quo vixit, aut *ſi non ille, dic alium fuiſſe*, ut liceat heic applicare benedictum, quo alicubi utitur idem Accurſius. At cur hæſitamus, ſi verum ſit, quod narrat Alvarottus *Proœm. Feud. n.* 12. ex Odofredo ad *auth. Caſſa C. de Sacroſ. eccleſ.*? JCtos videlicet Papienſes, juſſu Friderici II. in S. Petrò coactos, inſeruiſſe Codici, quas ad eos miſit conſtitutiones: quod neſcio an etiam Baldus voluerit in *Præluд. Feud.* Neque tamen & hoc mihi videre contigit, verba Odofredi, involuta & obſcura, ad Friderici II. an ad Juſtiniani conſtitutiones referenda ſint, ad exhibendum non ages, quid enim ad rem præſentem?

Properemus ad Irnerium, ſed priusquam hunc auctorem quæramus, amovendum erit aliquod præjudicium, quod miror indictum iis, qui Irnerium omnino explodunt. Conſiſtit hoc in eo, non videri nimirum probabile, Irnerium Novellarum ſummulas ſcripſiſſe, Codicique ſubjeciſſe, cum ipſe Novellas, ut ſpurias, rejecerit. Ita de eo teſtatur Gloſſa ad §. 4. *in fin. Conſtit. de emend. Cod. Juſtin.* ubi quinque Irnerii in eam rem argumenta profert. Huc etiam refert, quod Joannes in *Summ. ad Novell.* hoc modo præfatur: *Hujus libri fuit author D. Juſtinianus* . . . *licet a quibusdam temere ſibi blandientibus aliquando contrarium non ſolum dictum, ſed etiam ſcriptum fuerit, ut ait Hyrnerius: quod apparet per ſuam notulam in C. de emend. Juſtinian. Cod. circa fin. poſitam* . . . *Sed tamen quod Hyrnerius voluit dicere, verum eſſe poteſt quoad dicta: ſed tamen authoritas Juſtiniano data fuit.* Fere eſt, ut non auſit Hyrnerio hanc ſententiam adſcribere, quandoquidem eum tum referre tantum, mox & fovere dicat hoc παράδοξον. Sed cur timor extorquet contraria? Etiam Alexander de ſancto Egidio, auditor Azonis, qui ex ejus ore *Commentarium ad Cod.* excipit & edidit (ut ipſus ait in *Præfat.* illius *Comment.*) *ad Conſt. de emend. Juſtin. Cod. n.* 5. hæc habet: *Hinc argumentum ſumit Yrnerius, quare liber ille, id eſt authenticum, ſit repudiandus.* & poſt expeditas ejus rationes reliquas addit: *Sed ſalva gratia domini Yrnerii, dominus meus* (is eſt Azo) *dicit contra* &c. Hanc Irnerii hæreſin narrat & Contius in *Præfat. ad Novell.* ſed narrat ſimpliciter, auctore laudato nemine; & quod porro notat, Irnerium ab Azone optimis rationibus confutatum, nec repperi in loco, quem modo protuli, nec alibi in *Commentario* vel *Summa ad Codicem*, ſit hoc Contii fide. Interim conſtat, Irnerium, ſive refutatum, ſive non, Novellas νοθείας inſimulaſſe, adeoque cenſendum non videri in authenticis aluiſſe partum, quem non adgnovit.

Quid dicemus? an quod Joannes, quem exhibuimus, Irnerium ſenſiſſe de ipſa Novellarum compoſitione, quam non Juſtiniani ſed Triboniani, aut alterius cujusquam eſſe putaſſet? ſtultus, qui dubitaret. An Irnerium refutatum & convictum tandem reſipuiſſe, ac tum demum ſua Novellarum argumenta in Cod. transſcripſiſſe? non liquet. Ego valde dubitaverim, an Irnenerius ſerio & bona fide unquam Novellas, velut οὐδὲν γνήσιον ἔχοντας, fuerit aſpernatus, quum earum auctoritatem ſexcenties ipſi & in *Summis*, quæ inter Azonis *Summas ad Dig.* edi ſolent, & apud Accurſium laudatam videas. Potuit equidem animi, potuit ingenii gratia in contrarium diſputaſſe. Liber ille (ita jocatur in *gloſſa*, quam diximus) quem vos profertis, non dicitur *Novellæ*, quod ei nomen futurum Juſtinianus prædixerat, *ſed authenticum.* Atque hæc ejus prima ratio non aliud mihi videtur, quam ſugillare vulgatam illam *Authentici* appellationem, qua miſere ſuperbiebat Doctorum priſca gens, cætera non perſequor. Quid etiam ſi hoc voluerit Irnerius, Novellas, quod ad συναγωγὴν & collectionem, qua hodie utimur, a Juſtiniano editas confirmatasque non eſſe: ipſe enim ſeparatas edidit, prout communis utilitas, vel Triboniani avaritia (ut mentitur græculus audax) exigebat. Hoc opus, incertum quando, collegit, & in unum redegit corpus anonymus quiſpiam, ſed ita, ut etiamnum nonnunquam nova Novella prodeat, quæ numerum earum incertum reddit adhuc incertiorem. Non eſt igitur id corpus, ea collectio Juſtiniani, & ſi ita exaudire velis Irnerium, non intercedo, quamvis proclivior ſim in id, quod prius ſumus commenti.

Modo, quod res eſt, Irnerium quoque authenticas dediſſe oſtendamus; non eo argumento, quod illarum memoria ab ejus temporibus potiſſimum exiſtet, ipſeque fuerit primus, qui, ut Jurisprudentiam R. ita has docuit: non, inquam, eo argumento (quamquam & hoc juvat) ſed auctoritatibus, quibus aſſurgere jus fasque eſt. Primicerius ſit Azo, teſtis utique ea in re idoneus, tam in *Summa*, quam *Commentario ad Codicem.* In *Summ. ad Tit. de Sacroſ. Eccleſ. n.* 13. *prope fin.* enumerat pœnas, quæ emphyteutam manent, ſiquidem jure nullo rem eccleſiaſticam in emphyteuſin acceperit: *Re caret*, inquit, *& penſionem ſolvere tenetur ſingulis temporibus, etiam futuris, prout conventum eſt*: ET SIC VIDETUR ADJECISSE GUARNERIUS. hoc eſt, in *auth. qui res C. de SS. Eccleſ.* quam ibidem enarrat Azo, Irnerius, ultra quam eſt in Novella, adjeciſſe videtur id quod dicitur de emphyteuta compellendo ad ſolvendam penſionem, etiam futuri temporis. Sed ejus rei fidem requiro, & requirent omnes, qui *dict. auth.* contulerint cum *Cap.* 11. *Novell.* 120. de Guarnerio interim vides.

Idem in *Comment. ad eund. Tit. in auth. Hoc jus porrectum, n.* 45. *Dominus Y.* (Irnerius videlicet) *tanquam vir ſubtilis poſuit quædam de Authentic. illa in iſtam, & ita ex prædictis duabus Authenticis hanc compilavit.* De duabus Authenticis quod ait, de Novellis intelliges, eſſe ſcil. *auth. Hoc jus porrectum*, petitam & conflatam ex *Nov.* 7. *c.* 1. & *Nov.* 120. *c.* 6. & 7. nam ita ſe res habet. Non aliter *auth. Quas actiones*, idem in *eod. Comment. tractam eſſe* memorat *ab aliis duabus*, quas nos diximus *Cap.* II. aſt de Irnerio ipſi ſilentium eſt ad *d. auth. Quas actiones*, & recte, propter antiquitatem ejus, quam *eod. Cap.* adſtruximus: *tracta eſt*, ita ibi loquitur ἀνωνύμως, a quò autem, illum juxta ac me latuiſſe opinor. Rurſus tamen idem Azo rotunde Irnerium appellat in *Comment. ad Tit. C. de litis conteſt. n.* 5. cum ait: *Aſſignavit hic incidenter dominus Yr. duas authent.* Sunt hæ; *Offeratur*, & *Libellum*, ſubjectæ *l. un. ejusd. Tit.* de *aſſignandi* vocabulo, quaſi Irnerium auctorem non inferret, litem, ſcio, non movebis, ſi Azonem legeris, & quæ porro *Cap. ſeq.* ex eo ſumus producturi.

Sic & Accurſium, & apud eum Veteres vel decies Irnerii, tanquam authenticarum compilatoris, meminiſſe mihi obſervatum eſt. Loci in hanc rem ſint in *Gloſſ. ad auth. Multo magis C. de Sacroſ. Eccleſ. auth. Qui res C. eod.* (ad quam id ipſum notavit Gloſſa Corporis Canonici in *Cap.* 2. (*Conſtitutione nova*) *verſ. Qui vero res C.* X. *q.* 2. *auth. Nunc autem C. de E-*

Epiſc. & Clerc. autb. Quod fieri C. de Dilation. autb. Si pater C. de fund. dot. autb. In ſucceſſione C. de ſuis & legit. lib. autb. Defuncto C. ad SCtum Tertull. autb. Item bæreditas C. de bon. quæ lib. autb. Hoc ſi debitor C. de Pign. & Hypotb. ubi paſſim: eſſe *Irnerii verba, non legis* Irnerium *quædam poſuiſſe, adjeciſſe*, & ſi quid eſt ſimile, quæ in Novellarum corpore non reperiuntur. Item *autbenticam, prout Ir. eam poſuit, non bene aptari ad L. Codicis.* rurſum: *Ir. qui ſic poſuit autb. intellexiſſe*, & reliqua. Hinc palam eſt, quæ in authenticis, utique illis, ſcribuntur, ab Irnerio ſcribi, cum alioquin ipſe perperam argueretur malæ fidei in contrahendis Novellis, quaſi & ſua ſuppoſuiſſet. Et qui dicit, *Irnerium autbenticas ad Codicem poſuiſſe*, ut dicit Gloſſa, videtur mihi clarius loqui non poſſe. Nonnullorum tricis mox latius occurremus.

Addimus Odofredum, Accurſio fere ſupparem, in *Comment. ad Autb. Qui res C. de SS. Eccleſ. n.* 3. *Or Signori*, inquit, *vos non debetis bic plus babere in iſta autbentica: tamen quidam bic babent plus. Sed iſta verba non ſunt juſti, quia non ſunt in corpore autbenticarum, ſed bæc ſunt verba Irnerii.* Quid ſint *verba juſti*, mihi non conſtat; ſi *juſta* legeris, qualem qualem ſenſum, adhuc barbarum, poteris elicere; niſi, quod magis arridet, *Juſti*, dimidiate ſcriptum dicas pro *Juſtiniani.* Nimirum verba, quibus de agit, Juſtiniani non eſſe, ſed Irnerii, quia non ſunt in *corpore autbenticarum*, id eſt *Novellis*, ut & Gloſſam ad *dict. autb.* animadvertiſſe diximus. Alii itaque plus, alii minus habuerunt; qui plus, habuerunt authenticam Irnerii, ut primitus ab eo ſcripta fuit; qui minus, habuerunt authenticam, etiam quidem Irnerii, ſed demptis iis, quæ non novæ legis, at illius τὰ οἰκεῖα videbantur. Ita Odofredus, ita & alii.

Denique non dubitem, quin de authenticis Irnerii intelligendum ſit, quod Conradus a Lichtenau, Urſpergenſis Abbas, in *Lotbario Saxone, p. m.* 291. memoriæ prodidit, puta *Dominum Wernerium libros legum renovaſſe, & paucis forte verbis alicubi interpoſitis diſtinxiſſe. Pauca* illa *verba interpoſita* non ſunt authenticarum, quibus de nihil adhuc dixerat, emblemata (quod ſciant, qui neſciunt, quid ibi ſint *libri legum*) ſed ipſæ authenticæ. De gloſſis earum emblematicis ſic, quod ſatis eſt, dicemus. Loquitur omnino Abbas de inſertione authenticarum, facta auctore Irnerio: nam quod Cujacius *Lib.* XXI. *Obſerv. C.* 25. *in princ.* hunc locum exaudit de gloſſematis, quæ Digeſtis infarſiſſet Irnerius, tam falſum, quam exemplo pernicioſum eſt. Neſcio ſane, quis hic ſomnus Cujacio obrepſerit; etenim quam falſum ſit quod ait, licet & ex eo diſcere, quod ea, quæ ipſe tanquam Irnerii emblemata deprædicat, habeantur in Libro Florentino, quem Irnerio vetuſtiorem eſſe ne quidem ipſe Cujacius negaverit. Simile quid & contra Cujacium animadvertit Albericus Gentilis *de Libris Juris Civilis C.* IV. Vide tamen quod leges ita ſapiens Cujacius, illico, ſi dixiſſe liceat, corruperit *eod. Cap.* & etiam *præced.* Franciſcus quoque Hotomannus in ſacro illo & horribili libello, quem, cum in eo univerſam Jurisprudentiam Romanam unice, quantum poteſt, eat perditum, peſſime *Antitribonianum* inſcripſit, *Cap.* 13. Abbatis verba accipit de interpolatis ab Irnerio Pandectis, quamquam, quod adſequi potuerim, in operibus ſuis hoc emplaſtro non utatur. Unus adhuc Elb. Leoninus *Lib.* III. *Cap.* 16. *in princ.* fuiſſe videtur eodem jactatus morbo. Interea hoc tacite demirari licet, Cujacium, Hotomannum, aliosque, qui Critici vel ſunt vel videri volunt, illo Abbatis loco non pluries abuſos; ſuffecerit quippe aſylum iis, qui identidem gloſſemata crepant. Sed vero ſi, ut par eſt, de authenticis ab Wernerio Codicis legibus hic illic interpoſitis Abbatem Urſpergenſem intelligas, nihil planius, nihil quoque verius.

Immo fama de Irnerio, quod authenticas, certe pleraſque, concinnaverit, tantas eundo acquiſiviſſe videtur vires, ut etiam authenticas, quæ Irnerii non ſunt, Irnerio tamen invenerim adſcriptas. Hujusce rei exemplum eſt in Gloſſa ad *autb. Quas actiones C. de Sacroſ. Eccleſ.* in verb. *Sola Romana Eccleſia*, ubi ita ait: *Hæc clauſula ſumpta eſt ab Irnerio ex illo titulo*, UT ECCLESIA ROMANA. At enim & authenticam, & hanc ejus clauſulam *Cap. ſuper.* probavimus vel Juſtiniani ævo cognitam & recitatam, nunc de Irnerio quid inaudimus novi? ejus utique non eſſe, quid heic dicitur, eadem quoque Gloſſa prodiderit, cum ſubjungit: *Eſt ergo bic adjectio falſa jure legum, ſed Jure Canonum valet. quod dixit Ir.* Quis credat Irnerium clauſulam adjeciſſe, quam jure legum (licet immerito) putasſet falſam? accedit Azonis de hac authentica, ejusque clauſula obſervatio, dicta *Cap.* II. quæ auctorem Irnerium videtur etiam excludere, ut ita anteceſſoris Juliani fides creſcat. De Accurſio interim quid fiet? Fuit, cum exiſtimarem, *ab Irnerio* hic ſignificare *ex Irnerio*, ex Irnerii ſcilicet libro, quemadmodum authenticæ dubio procul de libro in librum traductæ ſunt. Sed hoc jam non placet. Fuit etiam, cum exiſtimarem, æque Irnerium, illius ſcholii ignarum, potuiſſe hoc adnotare, atque adnotatum eſt a Græcorum aliquo. Neque tamen & hoc placet, cum non ſit probabile, diverſos eandem forte authenticam, non dico excerpſiſſe, verum ex duabus Novellis compoſuiſſe, ut de hac noſtra conſtat? vid. *Cap. præced.* Supereſt, ut Gloſſa hanc authenticam Irnerio tribuerit, ut principi earum auctori, licet hæc, Q. D. A. revera ejus non ſit. Non aliter uſitata καταχρήσει Tribonianum Jus Civile digeſſiſſe & interpolaſſe ferunt vulgo, quamvis ipſe plures operis habuerit ſocios.

Igitur abunde fides eorum, quos retulimus, & ad Irnerii tempora acceſſerunt prope, communem Interpretum chorum a credulitatis nota abſolvit, quid etenim iis repones? vel quid reponit ſecta nova, in Irnerium ſcilicet non credula? neſcivitne ſibi tantas obſtare phalangeis? ſane Molinæus, illius ſententiæ dux & auctor, *Lect. Dol.* III. *n.* 23. ſimpliciter duntaxat eam proponit, & unico, quod *Cap.* I. exhibuimus, argumento inſtruit, cætera nihil. Verum Strauchius in *Irnerio non errante C.* II. *n.* 1. & poſt eum Pagenſtecher in *Proluſione Irnerii injuria vapulantis*, animadverterunt, officere ſibi & locum Odofredi, & tres Gloſſas, nimirum ad *autb. Qui res C. de SS. Eccleſ.* ad *autb. Defuncto C. ad SCtum Tertull.* ad *autb. In ſucceſſione C. de ſuis & legit. lib.* de reliquis omnibus, quas præter & ſupra eas modo protulimus, altum ſilent. Defunguntur autem ad hæc reſponſione una, videlicet ex eo, quod dicitur, eſſe in *d. autbenticis* verba quædam Irnerii, non recte colligi, ejus eſſe ipſas authenticas; quin potius contrarium, cum, qui unum ajit ex duobus propoſitis, alterum videatur negare. Et ne quis ambigat, Irnerii adjectiones ex hoc ipſo dignoſcit Gloſſa, quod non ſint *de corpore Autb.* Itaque con-

concedunt authenticas Gloſſis Irnerianis eſſe mixtas & pollutas, vel ſaltem ita de his prædicari; ipſum vero earum eſſe auctorem, vel hoc dici apud Accurſium modo negant omni: diſcernentes ita ipſas authenticas ab earum emblematibus, interpolationibus, laciniis, additamentis, ab Irnerio adſutis. Quod ſi valeat hoc ἐμβλημματοποιῶν commentum, etiam valere poteſt ad nonnulla alia, quæ jam jam pro Irnerio adduximus.

Sed quid ſi verum ſit, aliquid interpretationis authenticis quandoque intermiſtum eſſe, ut forte ∴ *id eſt* &c. quod ἐξηγητικῶς additur in *auth. Item prædium C. de SS. Eccleſ.* & verum eſſet, id non perfectis jam authenticis a poſteriorum aliquo vel caſu, dum irrepſit, vel etiam ſtudio accidiſſe, at ipſum Irnerium ſuas iis gloſſas intruſiſſe, quid inde? ergo cætera ipſi non debemus, abſit. Si cui legi Tribonianus emblema inſeruerit (ita enim vulgo narrant) quis ex eo concluſerit, reliquum illius legis ab ipſo e Veteribus excerptum non eſſe, ſed ab alio? quin potius in alienum opus neminem tale quid facile auſurum exiſtimandum eſt. Hujusmodi facinora inter componendum admittuntur crebrius & melius. Quod urgent porro, additiones Irnerii nominatim diſtingui ab authenticarum corpore, veriſſimum eſt, aſt falſiſſimum per *authenticarum corpus* intelligi tum Novellarum epitomas illas. Id nomen ipſis etiam Novellis dedit vetuſtas, unde *authenticam inter* AUTHENTICAS *non repertam* memorat Gloſſographus ad *l. pen. C. de hæret.* ſed res eſt manifeſta ex Azone, quem vidimus, aliisque innumeris. Imo, ſi τὸ *corpus* accedat, *authenticarum corpus*, ſemper & ubique Novellæ intelliguntur duntaxat. Et de his ſolis ſermo eſt in locis, quæ ad rem præſentem; ita quippe ibi argumentantur: Sunt hæc verba Irnerii, vel, ut Odofredus, non ſunt verba Juſtiniani, quia in Novellis, archetypo videlicet ſuo, non inveniuntur. Non quod reliqua authenticæ verba non ſint Irnerii, ſed quod ea, eorumve argumenta in Novellis exſtent. Poſſem, ut hoc probem, per mille currere exempla, ſed oportet valde cæcutiat, qui non videt, non aliud a Gloſſa, non aliud ab Odofredo accuſari, quam crimen ſcilicet illud Irnerii, quod Noviores libellis ſingularibus perſequuntur. Unde magis miror, Strauchium & Pagenſtecherum, alibi in eo totos, ut authenticas Irnerii interpolas negent, nunc, ne videatur actum de eorum ſententia, loca Veterum non aliter interpretari, ac adverſus ſemet ipſos.

Attamen ſi aliunde docerent Germani, Irnerium authenticarum non auctorem eſſe, ſed interpolatorem, vel κατά τι alterius eſſe authenticam vel authenticas, ad quam quasve illud de additore Irnerio notatur, jam ferri poſſet eorum interpretatio. Nunc nihil horum docent, ſed verba captant & auras: quî enim evadent Gloſſam ad *auth. Quod fieri C. de dilat.* & ad *auth. Si debitor C. de Pignor. & Hypoth?* utrobique, *ita Irnerium* POSUISSE *authenticam.* Et quid reſpondebunt Azoni, *Irnerio*, AUTHENTICARUM ASSIGNATIONEM ET COMPILATIONEM tribuenti? ſacrum de his ſilentium. Pellucet calumnia, & magis pellucebit, ſi addideris, quæ *Cap. ſeq.* dicentur.

CAPUT IV.

Etiam Martinum & Azonem authenticarum operi adlaboraſſe, rurſus Gloſſa docet, & ipſus Azo confirmat. Removetur nonnihil ſcrupuli.

Ut plures, vario tempore, ad authenticas excerpendas & digerendas ſymbolam contuliſſe diximus, ita hoc verum eſt de authenticis tam diverſis, quam una eademque. utrumque etiam *hoc Cap.* probabit. Et quamvis de una eademque, quam pro captu quisque ſuo adornavit, prout ſententiam Novellæ rebatur exigere, παρέργως jam conſtare potuit ex Azone, Odofredo, aliisque, tamen ne res egeat liquido teſtimonio, priusquam ad exempla decurramus, audi Gloſſam ad *princip. auth. Qua in provincia C. ubi de crim. agat. Antiqui*, ait, *minus in litera habent hujus auth. quam moder.* Eccur autem, niſi quod Recentiores authenticam famamque ſimul factis extendere adniſi ſunt, præſertim ſi in ea jus novum non integre repræſentari crederent? igitur Accurſii, vel cujuscunque ſit illa gloſſa, qui *antiqui*, qui *moderni* ibidem intelligantur, quid & quousque hi adjecerint, illi habuerint, non refert magnopere, dummodo inde liqueat, quod abunde liquet, etiam unam authenticam a variis eſſe elaboratam.

Ad exempla. De Irnerio dictum eſt ſatis. Prodeat Martinus, quem & ipſum integras authenticas ſcripſiſſe, & Irnerii interpolaſſe eadem Gloſſæ ſacra auctoritas nunciabit. Ad *l. Fratres* 27. *C. de inoffic. teſtam. notula fin.* habet hæc: *Et no. quod hic poſuit M. quandam authent.* Martinus, & Martinus ſolus hic poſuit auth. Sed vide, qui ſit particeps *authenticæ*, *Principales C. de jurejur. propter calum.* ubi ad vocabulum *diſponunt* hæc eſt gloſſa: *In libro Ir. non eſt plus, ſed M. adjecit*, SED SI IN SACRO *&c. &c. accepit ex eodem corpore:* UT LITIGANTES JURENT. Sunt hæc in aperto. Principium authenticæ, neque amplius, in libro eſt Irnerii, vel, quod equidem perinde puto, Irnerium habet auctorem: verum quia hæc ita anguſte nimis videbantur concepta, Martinus reliqua addidit ex eadem Novella: & tum ſequitur longe maxima pars authenticæ, ſicuti ea ad nos pervenit, conflata ex Irnerii Martinique opere. Ab his cætera Martini diſce.

Succedat Azo, JCtorum *numen* illud, qui, ut erat ſatis exactiſſimus pro genio illorum temporum, ita non ſemel Irnerii interpolatorem egit, *Lucernam* illam *Juris* in authenticis non ſat lucere ratus. Dignum eſt, quod in hanc rem ſuggerit Vivianus, vel quisquis Gloſſator caſum præpoſuit *authenticæ*, *Niſi rogati C. ad SCtum Trebell. Et hic caſus eſt*, inquit, *ſecundum dominum Irn. ſed ſecundum Azo. qui pinguius & latius hanc authent. extraxit ex corpore authenticorum, quam Do. Irn. ſic ponitur caſus.* Ac tum rurſus alium fingit, κατὰ Azonem ſcilicet. Utque fidem habeas Caſuiſtæ (ne te ea vox offendat) ſciendum eſt, ipſum Azonem, ſeu potius Alexandrum de ſancto Egidio (ſecundum ea, quæ *Cap.* III. monuimus) poſtquam in *Comment. ad Cod.* eam ipſam *auth. Niſi rogati*, brevem oppido & conciſam, retuliſſet, pergere in hunc modum: *Ita breviter aſſignavit dominus Y. ſed quia plerumque quæritur de materia iſta, & quia plene tractatur in corpore auth. §. ſed hoc, ideo adjecit dominus meus* (jam ſcis, hunc Azonem eſſe) *ſic:* SI QUIS SUB CONDITIONE NUPTIA-

PTIARUM, & quæ ſequuntur. Sic habemus teſtes duos, fide mea & tua dignos, unum idemque adfirmantes, quid hæſitamus porro? At ſi nondum ſatis eſt, obſerva mecum & aliud ſententiæ noſtræ præſidium in *d. auth. Niſi rogati.* etenim ea, quemadmodum in libris vulgaribus occurrit, alia eſt & latior, quam fuit Irnerii, alia & anguſtior, quam Azonis, prout utramque exhibet *dict. Comment. ad l. 6. C. ad SCtum Trebell.* Non libet invicem conferre, & authenticæ, ter recuſæ, differentias notare; crede, ſi vis, alioquin ipſe vide. Apparet interim, adeo verum eſſe, non unum, Lucium Titium puta, authenticis componendis ſtuduiſſe, ut vel uni, ut nunc eſt, fabricandæ tres diverſi admoverint manus.

Subjiciam adhuc tria loca ejusdem Alexandri in *eod. Comment. Azonis ad Cod.* Primus eſt ad *l. 1. de Conſt. pecun.* in *auth. Si quando.* Refert ibi, authenticam illam, ſatis hodie in Codicibus noſtris prolixam, olim conſtitiſſe his paucis: *Sed ita tenetur quis, ſi conſtituendo perſonaliter, de ſe promittat: alioquin imperſonaliter loquendo non obligatur.* mox addit: *Ita imperfecte ponebatur ſecundum Veteres. Sed dominus meus plenius appoſuit ſic authent.* SI QUANDO ALIQUIS PRO SE. Et ita deinceps exſequitur authenticam eodem, quo nos habemus, modo: niſi quod aliqua ejus capitula ſeu ſententiolas ὕστερον πρότερον deſcriptas liceat animadvertere.

Secundus locus eſt ad *l. 10. de Hæret.* in *auth. Idem eſt. Dominus meus*, inquit, *addit*, EX TESTAMENTO VEL AB INTESTATO, *ſicut eſt in corpore authent.* & hoc etiamnum ibi reperitur.

Tertius eſt ad *l. Judices* 17. (vulgo 18. propter adoptatam e Græcis *l. 16.*) *de Fid. inſtrum.* in *auth. Apud Eloquentiſſimum.* ubi rurſus idem Alexander: *Fuit ita auth. ſecundum Veteres:* ET CUM RES EXEGERIT, TORMENTIS SUBJICIUNTUR. *Sed Dominus meus* (Azo) *adjecit:* SIC TESTIMONIIS QUIDEM NON EDITIS, SED GESTIS, & ſic porro. Verum illud ἔμβλημα, vel, ſi mavis, ἐπίβλημα a poſterioribus repudiatum ſit neceſſe eſt, quum authentica, ut nunc legitur, abſolvatur ſecundum Veteres, ut ait ille. Hæc autem omnia argumento ſunt ſatis manifeſto, primos in Occidente Interpretes potiſſimum, ubi viſum erat, de novo authenticas adſignaſſe, vel, dum alias aliorum legebant, deſcribebant, diſcutiebant, mutilaſſe, vel, quod factum eſt crebrius, de ſuo quid adnotaſſe ad ſupplendum, quod videbatur deeſſe, atque hoc vel ſervaſſe, vel denuo ſuſtuliſſe pro arbitrio & lubitu, qui authenticis, ut hodie circumferuntur, ultimam manum adhibuit adhibueruntve.

Una, quæ moveri poſſet, objectio removenda. Præſumendum videlicet non eſſe, eos, qui authenticas ſcripſere, has ipſas, hoc eſt, ſe ipſos interpretaturos eſſe. Atquin conſtat, Irnerium, Azonem & Martinum, triumviros, quos jam probavimus authenticarum compoſitioni operatos, apud Accurſium & alibi paſſim diſputare de earum ſententia, ἀντελεγχία cum lege præcedenti, &, quod magis eſt, de ipſa verborum ſignificatione. De Irnerio teſtabitur ipſe Irnerius in *Summa*, quæ ejus eſt, apud Azonem *ad Tit. ff. de Bonor. poſſeſſ. contra tab. prope fin.* ut & Gloſſa in *auth. & verb. Adſcriptitios*, ſubject. *l. 37. C. de Epiſc. & Cleric.* & in *auth. Presbyteros*, verb. *Si quis autem*, ſubj. *l. 52. C. eod.* ubi & de Azone patet idem, quemadmodum & in Gloſſa ad *auth. Licentiam*, ſubj. *l. 34.* in verb. *probatus*, *C. eod.* & de Martino in Gloſſ. ad *auth. ſed Judex*, ſubj. *l. 7. propoſitis*, *C. eod.* Nunquid igitur eſt probabile, eos, qui & ibi, & alibi ſæpius authenticas exponunt, easdem etiam ſcripſiſſe? Idem quæri poſſet de Joanne, Rogerio, Bulgaro & Placentino, qui fortean (neque enim, cum adhuc quidem mihi expreſſa deficiat auctoritas, illud pro certo obtruſerim) authenticis compilandis æque vacarunt, ac iis explicandis apud Gloſſam in *d. auth. Licentiam*, & *auth. Si quas ruinas*, in verb. *tertiam partem*, *C. de SS. Eccleſ.* aliisque, quas referre longum eſſet.

At quamquam hoc ſit certum, & ea præter certum eſſet (quod tamen non eſt) Irnerium vel quem alium ad hanc ipſam, cujus auctor eſſet, authenticam exaraſſe notas vel gloſſas, ut eorum verbo utar, nihil inde efficies ad ſubruenda ea, quæ pro Irnerio operisque conſortibus diſputata ſunt. Equidem non ideo, quod novum non ſit, ſe ipſum commentatione aliqua, vel notis, aliave ἐξηγήσει illuſtrare, ut adſolent nonnulli tenebriones, ſed quod priſci illi heroës authenticas, non ſeu ſua opera, at velut Novellarum portiunculas interpretati ſunt: atque adeo diſſeruerunt de ſententia juris novi, de mutatione, quæ per eam legi Codicis, cui ſubdebatur, acciderat, de verbis, qua ex vulgari tralatione deſumptis, non qua ſuis. Nam quod Alberico Gentili ſedet in *Diſput. de Libr. Jur. Civil. Cap.* VI. authenticas *ab ipſo Irnerio factas Latinas, non acceptas de veteri verſione*, neque adhuc mihi placere poteſt, licet Cujacius hoc uno loco videatur probare ad *C. 50. Decretal. de Appellat.* Noli dubitare, dici hoc gratis, digreſſionibus tamen ſuperſedebo. Ut ad Veteres revertar, hoc ſatis claret, eos non ſe, ſed juris novi περιοχὰς exponere. Sin autem de verbis ſenſuque ejus, qui ipſe authenticam concepit, Gloſſographi diſceptent (quod perraro, ſed tamen fit) videmus id factum ab Accurſio plerumque, qui utique ſua non explicuit; vel ſi ab antiquiorum aliquo, is certe illius authenticæ auctor nec eſt, nec eſſe probabitur. Utque ita nihil obſtet.

CAPUT V.

Miſcella quædam veroſimilia in eandem Sententiam: & peroratio eorum, quæ dicta ſunt.

Si quid heic valeant τὰ πιθανὰ, fortiſſimum ſententiæ noſtræ argumentum eſt, quod fatum authenticarum fuerit varium & mutabile ſemper, loquor de incerto earum numero, incerta ſede, incerta lectione. De numero ut dicam prius, is omnimodo ſibi conſtare cenſendus eſſet, ſi authenticarum opus unius foret hominis: nunc, quia variorum eſt, ipſe quoque varius. Evenit namque, & evenire neceſſum fuit, ut eam authenticam, quam, verbi gratia Juris magiſter aliquis recens Codici inſeruerat, alius aliive non haberent; illis ſcilicet authenticæ novæ duntaxat participibus, qui Codicem illius additoris deſcripſiſſent, vel quibuscum is communicaſſet.

Hinc repetendum puto, quod Joannes ad *Collat.* VIII. *Conſtit.* 11. referat, quosdam ex ea authenticam locaſſe in *C. ut lite pend.* quæ tamen hodie nuſpiam apparet; & recte ait ibi, *quidam habent* (ut diximus *Cap.* II.) quia eam non habuiſſe exiſtimandi ſunt, qui ex ſuo libro nobis de-

dederunt collectionem, hodie vulgatem. Hinc etiam eſt, quod Gloſſa ad *autb. At ſi contractus C. de Fid. inſtrum.* ita notat: *Et habent hic autb.* HODIE MAGIS *&c. quæ non legitur.* & verum eſt, neque adhuc eam legi. Non aliter eadem Gloſſa ad *l. pen. C. de hæret.* commemorat quorundam authenticam, ut & Azo ad *eand. l.* adhuc aliam, quas cum pluribus aliis libri, quibus nunc utimur, non habent. Atque illæ Veterum auhenticæ, Recentioribus non alia, quam diximus, ratione in univerſum fuerunt aut ignotæ aut non receptæ.

Nunc inſpectione contraria nonnullas quæramus, Veteribus ignotas, Recentioribus autem prædicatas tantum, ob recentiorem puta earum compoſitionem: quid enim dices aliud? Huc refero, quod Contius notavit in margine *Comment.* ejusd. Azonis *ad Tit. de tempor, & reparat. appellat. In veteri manuſcripto,* inquit, *deſunt quatuor autb. quæ in vulg. Cod. ſub hac lege* (prima nempe, quamvis vulgo ſecunda) *reponuntur, quarum duæ in l. 5. infr. poſitæ ſint*, & ſane patet, Azonem in *d. l. 5.* commentari ad *autb. Ei qui appellat*, & *autb. Sed lis quæ.* reliquas vero duas ibidem non memorari, quod alioquin fit κατὰ πλεῖστον: oportet tamen non diu poſt innotuerint, cum ab Accurſio, ut ita loquar, *gloſſentur.* Similiter Antiquiores, ne quidem Gloſſographos, meminiſſe reperi *autb. Glorioſiſſimi C. de Diverſ. reſcript.* erit hæc novellula poſterioris cujusdam patroni. Quare eam in uno tantum exemplari ſe reperiſſe Contius auctor eſt ad oram *Corporis* ſui, & qui *Corpus Gloſſatum* ann. M. D. C. edidit, ait, *ex Textuariis ſe eam ſuppleviſſe.* Unde nec habet hanc Haloander in ſuo authenticarum catalogo; uſus ſcilicet libro, in quem nondum transſcripta erat: ſuo ita exemplo confirmans, quod ipſus ait in *Præfat. Cod.* ſui authenticas *non omnes* Codici fuiſſe inſertas. Adde, ſi tanti ſint, quæ in hanc rem habet Alb. Gentilis in *Diſput. Libr. Jur. Civ.* VI. *in fin.* & habeto, æque incertum eſſe authenticarum numerum, ac certam ejus rationem ab diverſitate auctorum petitam.

Et poterit, ut hoc addam, huic inſpectioni ſecundæ pondus accedere ex variantibus codicibus in authenticis Fridericorum; ſiquidem Duarenus, plurium manuſcriptorum αὐτόπτης, celeberrimas illas *autb. Sacramenta puberum C. Si adverſ. vendit.* & *autb. Habita C. Ne filius pro patr.* adſcriptas referat *quibusdam libris* tantum in *Comment. ad d. TT.* in quibusdam igitur, imo plerisque deſiderantur; nec alia ratione, quam quod illæ, quia ſeriorum ſunt temporum, in omnibus, ne dicam plerisque codicibus nondum erant deſcriptæ.

Unum eſt, quo de hic monendum duco. Nimirum neceſſitatis non eſſe omnimodæ, ut dicamus, authenticas illas Veterum, quæ nunc extra *Corpus* oberrant, ſemper fortuito, quod ignotæ eſſent, omiſſas eſſe. Potuit eadem, quia variorum erant, ratione & conſulto factum eſſe, ut ſi alicujus authenticæ architectus apud poſteros valeret nihil. Sic Irnerii auctoritas, quandoquidem vegrandis erat, ejus quoque authenticæ receptæ; Martini, quia nulla, rejectæ. Utique repudiatam videmus authenticam, quam Martinum ad *l. fratres* 27. *C. de Inoffic. teſt.* notaſſe *Cap.* VI. diximus; ut ejus pleraque omnia poſteritas faſtidivit ac reſpuit, teſtante Cyno in *l. un.* §. *taceant C. de Rei uxor. act.* & probantibus aliis. Ut ut ſit, id conſtare putem, varios & incertos auctores, quoquo te vertas, cauſam dediſſe vario & incerto authenticarum numero.

Præſtemus porro, etiam in rem noſtram verti, quod Haloander in *eadem*, quam laudavimus, *Codicis* ſui *Præfatione* obiter addit, authenticarum inſertionem *non ſuo ſemper loco* factam. Veritatem illius aſſertionis ſingulatim perſequi non vacat: tam varia quippe earum eſt ſedes, ut unam eandemque alius ſubjiciat Rubricæ, alius huic, alius illi legi, quin rurſum alius in diverſis quandoque collocet Titulis. Exemplo ſit *autb. Noviſſime c. de admin. tut.* ubi in admonitione, vulgo præmiſſa Gloſſis, variantes videbis Joannem & alios: etiam Cynum ex Saliceto in *comment.* ad *dict. autb.* Adde Accurſium in *autb.* & verb. *At qui ſemel C. de probat.* & *autb. Presbyteros*, ſubj. *l.* 34. *C. de Epiſc. & Cleric.* & Azonem in *Comment.* ad *d. autb. At qui ſemel.* Quæ vero cauſa eſt illius variationis? Opinor ea, quod, ſi qua authentica ceperit incrementum aliquod, ut ſæpe factum diximus, ille additor propterea eam ſubjecerit, vel potius adſcripſerit legi, cujus argumento illam, modo auctam, vel diminutam quoque, certe reformatam, magis convenire rebatur, quam cui primitus fuerat adpoſita. Quid finges aliud de migratione authenticarum in varias ſedes? nihil ſane aliud eſſe in cauſa, ſatis eſt colligere ex Veterum diſputationibus de loco earum controverſo.

Accedit varia authenticarum lectio, quæ opinioni noſtræ adſtruendæ apprime quoque inſervit. Tanta autem hæc eſt, ut variantem ſcripturam non minus quandoque diſcrepare videas, ac atrum albumque, ut taceam, integras periodos, quæ nunc non exſtant, nonnullos olim libros habuiſſe, ut in authentica, qua Epiſcopis & Presbyteris interdicitur *ad tabulas ludere*, ſubjecta *l.* 17. *C. de Epiſcop. & Cleric.* Contra *authenticæ Noviſſima C. de Inoffic. teſtam.* ex Libro Auredano aliquid caudæ accedit, notante Contio: ut & cujusdam opera nonnihil acceſſit *authenticæ hodie jurant C. de Judic.* quemadmodum in Gloſſis animadverſum video. Rurſus deceſſit aliquid *autb. Quas actiones C. de SS. Eccleſ.* ſecundum ea, quæ *Cap.* II. ex Azone didicimus. Plura non conquiram, quia eorum abunde eſt paſſim in Gloſſis, iisque omnibus, qui variantes nobis lectiones dederunt. Quis vero hæc variantia aliunde arceſſat, quam a variis variorum interpolationibus? ſunt namque ea exceptis forte paucis, nimis nova, nimis magna, quam ut profecta dicas a vitio calami, ab errore librariorum. Næ enim illi, omnium ignari imperitique, vocabulum aliquod, vel integram quandoque ſententiam, loco moviſſe, vel aliud aliamve ſubſtituiſſe non ſunt cenſendi. Itaque librariorum accuſationes, quarum ad tegendam ignorantiam Interpretes, non Interpretes, ſic ſatis ſunt prodigi, heic faceſſant. Quicquid ejus rei eſt, imputandum iis, qui, ſi non integre concipiendis, ſaltem poliendis authenticis operam navarunt. Συνεργοὶ ſcilicet eo reſpectu.

Atque ea incertitudo & inconſtantia duraſſe videtur; usque dum aliquis, dubitem an non ipſe Accurſius, authenticas collegerit, & ſuo quamque loco digeſſerit, cum antea vagæ volitarent, non aliter ac gloſſæ. Sunt qui mandatum, vel conſtitutionem in hanc rem Imperatoriam factam mentiuntur: ſed mihi nondum viſum eſt, quo Imperatore, quo die & conſule id factum fuerit. Qui Lothario Saxoni, qui Friderico I. qui ſecundo illud tribuunt, deſtituuntur omnes auctore idoneo; non ſecus ac ille, qui, quod mira (dum omnium authenticarum natales attollit nimium, ut *cap. ſeq.* dicemus)

ipſi

ipſi Juſtiniano, eumve proxime ſecutis Juſtino Juniori, Tiberio II. vel Mauritio Cappadoci hujusmodi ſanctionem adſingit. De *auth. Habita C. ne fil. pro patr.* certo conſtat, ut novit, qui eam legit: ut & de authenticis Friderici II. ſi vera ſit hiſtoriola, quam ex Odofredo retulimus *Cap.* III. eamque, ut vulgo, intelligas. de Juſtinianeis adhuc quidem adeo incertum eſt: ut quod incertiſſimum. Non morabor ea, quæ pro Lothario Saxone, & utroque Friderico adferuntur, cum ſint ineptiſſima: nullum unquam ullius Principis decretum ad authenticas congerendas definiendasque intercesſiſſe verum eſt. Quod ſi ajas, ſin hoc non placuiſſet, ipſum Accurſium, Bartolum, Baldum, alios, novum cito authenticarum numerum Codici intruſuros fuiſſe, quandoquidem, ut novimus, materies non deſit: nihil reponam aliud, quam neque Bartolum vel Baldum gloſſas ſcripſiſſe, licet eas non definiverit ſuprema poteſtas. Collectione vel Accurſii, vel alterius cujusquam, quæ erat quaſi certa & tralatitia, poſteriores ſunt uſi, eamque interpretari contenti. Sed de eo plus ſatis, cum hoc jam non agamus.

Dictum eſt de veroſimilibus, plura non addam: nam de differentia ſtyli, ex qua diverſos auctores plurimi ſciunt dignoſcere, hic tacemus; non tantum, quod authenticæ ex veteri Novellarum verſione ad verbum, quantum poterat, deſcriptæ ſint, & per hoc loquendi modus non poſſit fere non eſſe idem, ſed & quod id genus argumenti, tantopere quamvis ab aliis deprædicatum, non una ratione mihi diſpliceat.

Ite nunc, & Irnerium vel omnium authenticarum, vel nullius auctorem eſſe perhibete: hic ſcylla, illic charybdis; quod iis, quibus hactenus uſi ſumus, rationibus ſatis comprobatum eſt. Ex iis etiam ſtatuite, num verum dixerit (dixit autem duntaxat) Fichardus in *Vitis recentiorum JCtorum, in princ. Etſi autem*, narrat, *ſint, qui hoc* (authenticarum opus) *aliis ex vetuſtis tribuant, communis tamen poſt Accurſium (qui id compluribus in gloſſis teſtatur) opinio eſt, Irnerium authenticarum auctorem eſſe.* Non ait, poſt Accurſium authenticarum auctorem habitum fuiſſe Irnerium, *olim antiquiori tributum*, ut hæc detorquet Alb. Gentilis in *Diſput. de Libr. Jur. Civil. c. 6.* & detorqueri gaudent alii. Exhibuimus Fichardi verba, ut occurrunt *Tom.* I. *Ocean. Jur.* de iis ipſe judicato ex auctoritatibus, quas modo protuli.

Has autem dedi, quantum mihi colligere licuit, ex veterum monumentis JCtorum, & dediſſem plures ſine dubio, ſi non intercidiſſent aliquam multa vetuſtiſſimorum Interpretum barbarorum; quin ſi vel omne, quod eorum ſupereſt, habuiſſem: ex iis quippe ſolis fere, quæ in hanc ſententiam peti poſſunt, petenda ſunt, quandoquidem hiſtoricos ſæculi XII. & XIII. rem monaſterienſem potius, quam Juris hiſtoriam tradidiſſe palam eſt.

CAPUT VI.

Quam bene alii Irnerium Authenticarum non eſſe auctorem probaverint, expenditur.

Sic, ni fallor, expeditum eſt, quæ rationes, & rationes non vanæ, plurimos impulerint, uti diffidentius loquerentur de auctore, qui Juſtiniani Novellas contraxit, & in Codice nobis repræſentavit. Poteramus hic ſubſiſtere: verum quia inter varios illius Συλλογῆς operarios etiam Irnerium recenſuimus, & adſeruimus ut præcipuum, reſtat, ut iis reſpondeamus, qui cum vel καθόλου explodunt, vel exceptis forte quibusdam laciniis, ipſo interpolante, poſtea adſutis. Quam exceptionem, a Strauchio adinventam, *Cap.* III. diſcuſſimus: igitur ea eorum machinatio ſolummodo audienda eſt, qua Irnerium ab authenticarum compoſitione plane excludunt.

Carolus Molinæus, illius opinionis princeps, *Lect. Dol.* III. *n.* 20. *& ſeqq.* uno, quod *Cap.* I. diximus, argumento per rationem temporis fieri haud poſſe contendit, ut Irnerius, aliusve illius ævo æqualis authenticas compoſuerit. Quid ſi enim conſtet, ut Molinæus it probatum, Gregorium Magnum *Lib.* XI. *Epiſt.* 54. (repperi in *Operibus* ejus, 56.) allegaſſe *auth. Presbyteros & Diaconos C. de Epiſc. & Cler.* & doceat hiſtoria, Gregorium temporibus Juſtini junioris, qui Juſtinianum in imperio excepit, urbi fuiſſe Præfectum & mox ſedi Romanæ, imperante Mauritio Cappadoce, eodem adhuc ſæculo VI. per rerum naturam vera eſſe non poteſt de Irnerio fabula.

Simile præjudicium chronologia ſuggeſſit Strauchio in *Irnerio non errante*, *C.* II. *n.* 5. cum ibi refert, *auth. Item prædium*, & *auth. Sed & permutare C. de SS. Eccleſ.* haberi apud Burchardum & Ivonem, Wormatienſem Carnotenſemque Epiſcopos, & celebres ante Gratianum *Decretorum* collectores; & apud Ivonem ſolum *auth. Qui res C. eod.* Jam vero Burchardus fato functus fuiſſe ſuo dicitur anno MXXVI. quamquam alii tum eum *ſcripſiſſe* tradant, quod vix eſt ut concilies, niſi velis eum medium inter opus deceſſiſſe; at hæc ſunt leviuſcula. Ivo autem abiit an. MCXV. XVI. vel XVII. (nam & in eo video traditiones variare:) utique ante annum MCXXXVIII. quo Irnerius Jus profiteri occoepit, & etiam, ut addit Strauchius, ante repertum Novellarum librum, qui authenticas ſuppeditaſſet.

Verum enim vero hæc omnia non tantum non obeſſe ſententiæ noſtræ, ſed contra prodeſſe, etiam caligantes oculi viderint. Qui ait aliquas Novellarum ſummulas eſſe Irnerii, non ait omnes; imo qui nonnullas tantæ antiquitatis eſſe aſſerit, ut vel vivo Juſtiniano fuerint cognitæ & laudatæ, ſatis ille concedit de temporibus inſequentibus Gregorii, Burchardi & Ivonis. Ut ita hæc adſtruant opinionem, quæ authenticas non omnes dicit eſſe Irnerii, nequaquam autem deſtruant, quæ dicit, eſſe tamen ejus aliquas & forte plurimas. Tum demum hæc turbabunt, ſi, qui unam, id eſt, primam legis novæ epitomen ſcripſit, neceſſario & reliquas ſcripſiſſe doceatur. Eſt, qui inducit hujusmodi lepidas conſequentias, ſed ſatis inepte; nos vel earum veriſimilitudinem ſupra refutavimus.

Quare vellem, ut omni modo id agerent Novatores, quod intendunt: ſed vero quod ad locum Gregorii Magni, quo præcipue nituntur, vereor ne incaſſum. Exſtat ille locus *c.* 38. *Cauſ.* XI. *Quæſt.* 1. ubi, poſtquam maximus Pontifex novellam Conſtitutionem (quæ hodie eſt

eſt 123.) & ex ea *Cap.* 21. pro adſerenda Epiſcopi in clericos jurisdictione adduxiſſet, porro notat: *Ne vero objiciatur, quia de Clerico hoc loquitur, non de presbytero; ſciendum eſt, quia ſuperius in eadem conſtitutione* Lib. Cod. I. *legitur appellatione clericorum etiam presbyteros & Diaconos contineri. Verba autem legis iſta ſunt:* Presbyteros autem et Diaconos, et Subdiaconos, Cantores, et Lectores, quos omnes Clericos appellamus &c. Clericorum appellationem & Presbyteros complecti ut probet, id *legi* inquit *ſuperius in eadem Conſtitutione Lib. Cod.* I. Id autem quum legatur & in *Cap.* 19. *ejusd. Novell.* 123. & in *autb. Presbyteros* inde deſumpta, & in *libr.* I. *Cod.* ſubdita *l.* 34. *de Epiſc. & cler.* videri non poterat dubium, quin authenticam Gregorius innuat, utpote in Codice, quem dicit, relatam.

Ego vero exiſtimem, verba illa *lib. Cod.* I. cubare in mendo; non equidem propterea, quod Correctores Romani, quod etiam Niellius II. *Diſput. Feud. th.* 5. variis & lectionibus & emendationibus ita hæc reſtituant, ut nihil minus inde efficiatur quam *liber primus Codicis.* mitto, inquam, ea, & eorum rationes, & nihil ſollicito. Sed hoc mihi fit probabile, illud *lib. Cod.* I. non eſſe ipſius Gregorii, quo authenticam indicaſſet, at marginalem ad eum neſcio cujus notam, quam poſterior ætas τῷ κειμένῳ ingeſſit. Non ſum, qui valde probem hoc genus critices; verum ſi conſtiterit, Pontificem ipſam *Novellam* 123. ejusque *C.* 19. indigitaſſe, non authenticam Codicis ex ea petitam, nihil ſuccurrit melius: & id conſtabit, ſi, quod univerſa Gregorianæ orationis Συνοχὴ declarat, probe diſcutiatur. Recitaverat jam ipſiſſima verba *Cap.* 21. *Nov.* 123. utque iret obviam ſcrupulo, quod clericorum, non presbyterorum meminiſſet, ait in *eadem conſtitutione*, & *ſuperius* in eadem conſtitutione presbyteros quoque clericorum nomine venire. Illud *ſuperius* non poteſt non referri ad *ejusd. Novellæ C.* 19. quod antecedit *C.* 21. utut per *eandem conſtitutionem* καταχρηστικῶς etiam authenticam ſignificari poſſe concedamus liberales. Et, ne quid dubites, verba *legis* hæc refert divus pater: *Presbyteros autem, & diaconos, & ſubdiaconos &c.* Atqui hæc ſunt ipſa Novellæ verba, non vero authenticæ, a qua τὸ *autem* abeſt: quod quam ob rem foret additum, ſi Gregorius authenticam, non *Cap.* 19. *Nov.* 123. κατὰ πόδας repræſentaſſet, non video. Itaque certum puto, τὸ *libr. Cod.* I. irrepticium gloſſema eſſe, quod ſtudioſus harum rerum aliquis in margine libri ſui notaverat, indicio futurum, hanc illius Novellæ particulam reperiri etiam in Codicis libro primo. Atque ita ſubverſo, quod ex Gregorii loco petebatur, argumento corruit æquata cœlo machina, qua Molinæus & alii tantopere ſeſe efferunt.

Burchardum & Ivonem quod attinet, hoc verum eſſe comperi, Correctores Gregorianos ad *C.* 2. *Cauſ.* X. *Quæſt.* II. (ubi Gratianus ingentem numerum authenticarum, ut ita dicam, eccleſiaſticarum comportavit) nos ablegare quod ad aliquas ad Burchardum & Ivonem, etiam quod ad plures, quam Strauchio ſunt dictæ. Sed non illi authenticarum, at Novellarum ſententias laudant, earumque, ut poſtea Irnerius aliique, compendia conſcribunt ipſi. Sic, verbi gratia, apud Ivonem *P.* 3. *C.* 184. exhibitum eſt *Cap.* 2. *Novell.* 7. hoc modo: *Si Princeps voluerit rem immobilem ſancto loco præſtare, & accipere ab eo aliam rem immobilem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere.* Differunt hæc valde ab *autb. ſed & permutare C. de SS. Eccleſ.* quæ eſt ejusdem argumenti & depromta ex *eod. Cap. d. Nov.* Imo vero Ivo κατὰ πόδας ex Juliani Anteceſſoris *Epitome Novell. lib.* 1. *Tit.* XV. deſcripſit hanc epitomen ſeu authenticam *ſi Princeps.* & ita forte in cæteris reperiet, qui contulerit. Ut tranſeam adhuc, quod ipſe Pagenſtecher, novi dogmatis ſectator, Ivonis auctoritatem, ut recentem nimis, elevat, cum authenticæ, huic citatæ, Irnerii, ſi non tum juris Profeſſoris, utique interpretis, eſſe poſſe non itinficias. Non defenſoribus iſtis egemus. De Burchardo tamen nihil auſim certi definire, quum videre eum non potuerim. Quidquid ſit, nobis, ut diximus, ſalva res eſt. Spero utique de Burchardo bene eſſe, ne alioquin fruſtra plane novum opus molita fiet ſecta nova.

Viderit etiam Strauchius, qua fide Novellas mortuo Ivone duntaxat repertas ſtatuat, ſiquidem ipſius *eod. Cap.* II. §. *ult.* inter alia ex eodem Ivone, teſte ſuorum temporum, doceat, eas *ſervari & commendari ab Eccleſia Romana.* Potuiſſe igitur & tum earum epitomas fieri nihil vetaret. Sed quid, ſi nec Ivo authenticas, κατ' ἔμφασιν ſic dictas, habeat, cum non neceſſario ex vetuſtioribus habuiſſe adlaboramus? quin ſi vera eſſet Strauchii aſſertio, ipſe ſibi præjudicia conſciſceret. At non placet hæc exaggerare, quia, ſi vel omnia, quæ Molinæus & Strauchius hactenus conati ſunt, proba recte eſſent, non equidem inviderem, probarem magis.

Sed contra Irnerium nihil proprie adhuc dictum audis; hoc ſcilicet unicum erit, quod Strauchius *d. Cap.* habet ultimum, neque Gratianum, ubi authenticas *Decreto* inſerit ſuo, neque Joannem Gloſſatorem, ubi eas commemorat in *Summ. ad Novell.* unquam Irnerii meminiſſe, licet ejus fuerint σύγχρονοι. Quaſi vero mirum videri poſſet, illos, vel barbarorum alios de facto authenticarum magis, quam Librorum juris Civilis in Occidente tacuiſſe, cum tamen hoc ſciri tantopere Jurisprudentiæ intereſſet. Quinimo, ſi ſummulæ illæ varios habuerint auctores, ut noſtra fert opinio, latere potuit Gratianum, latere Joannem, ecquis proprie illius, qua de agebant, authenticæ fuerit compilator, præſertim ſi antiquior aliquis. Præterquam quod Azo, qui eundem cum Irnerio ſolem lucentem vidit, ei adſignet, quid ejus eſt, quomodo & proxime ſequuti Accurſius & Odofredus, ut oſtendit *C.* III. quid ultra requirimus? edoceri id ab omnibus?

His tamen motus rationibus Strauchius *eod. Cap.* §. 6. excluſo Irnerio, ejus forte authenticas eſſe autumat, cujus ipſa Novellarum translatio vetus, etiam hoc juvante, quod tam illa, quam Juliani epitome ſingulis capitibus præſcripta habet ſua argumenta, ſeu ſummas, a quibus anthenticæ promanaſſent. Sed immane quantum illa capitulorum argumenta ab authenticis diſcrepare, & ne hilum habere cum ipſis commune, diffitebitur nemo. Veterem translatorem in authenticis componendis etiam partes ſuas egiſſe ego neſcio, & neſcit Strauchius. Si ſuppetat probatio, rurſus non intercedam.

De Cl. Pagenſtechero, qui & ipſe ex profeſſo in *Proluſ. Irner. injur. vapul.* Irnerium valere jubet & authenticas Juſtinianeas omnes ante lapſum ſæculi VI. Codici inſertas perhibet, nihil addam, ſiquidem ipſe nihil habeat præcipuum, niſi hoc forte, quod Irnerius *gloſſas* ſcripſerit ad Jus Civile, adducto in eam rem Odofredi teſtimonio ad *l.* 6. *ff. de J. & J.* Riſum tenea-

tis

tis amici. Irnerius ſcripſit gloſſas, ergo non authenticas, vel, ſi mavis, iis gloſſas induxit ſuas, & ea præter nihil. Suavis conſecutio! & quid opus erat Odofredum invocare, ut, quod negat nemo, probetur. Gloſſas ſcripſiſſe Irnerium etiam, ſi hoc vis, ad authenticas, apud Accurſium leges paſſim, & Irnerius ipſe in *Summ. ad Tit. ff. de bonor. poſſeſſ. contra tab.* ſuam refert gloſſam ad *auth. Ex cauſa C. de Liber. præter.* vide etiam, ſi pretium operæ putes, *Cap.* IV. Reliqua Pagenſtecheri vel ſuperius occupata ſunt, vel, ne minutias ſectari videar, tranſiliam pede ſicco. Ire licet.

F I N I S.

CONSPECTUS CAPITUM.

CAPUT I.

Ridicula nonneminis de authenticis opinio. Authenticum & authenticæ quid Veteribus. De origine nominis diſquiritur. Alia, quam vulgo, ejus ratio fingitur. De allegatione Veterum nonnulla in hanc rem. Authentici appellatio jam Irnerii ævo frequentata, contra Alciatum. Authenticæ in C. cur ita vocatæ? Breve earum fatum & encomium. Sententia vulgaris de auctore authenticarum Irnerio. Alia Molinæi, qui contradicit, & quare. De Germanorum laciniis Irnerio adjutis. Noſtræ ſententiæ conjectio. Authenticas videri fuiſſe variorum ſcholia & gloſſas. Etiam glosſellas *appellari a Joanne, Gloſſatore veteri. Qui differat ſententia noſtra a communi, & aliorum.* 65

CAPUT II.

Teſtimonia, quibus uſurus ſum, eſſe proba. Authenticas ἀνωνύμως *quibusdam tribui a Joanne non uno loco, etiam ab Azone, & ab Accurſio, & quid ex eo conſequatur. Idem prædicari de quibusdam earum particulis. Attollitur authenticarum antiquitas ad usque Juſtiniani tempora. Quomodo id probet* Dictatum Juliani de Conſiliariis. *Adſtruitur ille locus: ut & privilegium Romanæ Eccleſiæ de centenaria præſcriptione. Occurritur iis, qui fidem tantæ antiquitatis elevarent. Non videri tamen adeo multas eſſe authenticas Græcanicæ originis. Quæ ſit ejus rei ratio.* 66

CAPUT III.

Irnerii etiam eſſe authenticas, ſed Juſtinianæas. Quis illas Fridericorum Codici inſeruit? Præjudicium aliquod contra Irnerium, quod ipſe Novellas, ut ſpurias, rejecerit, ex Gloſſa, Joanne & Azone deducitur. Bifariam, ne hoc verum ſit, reſpondetur. Azonem in Summa & Commentario ad Cod. *Irnerium authenticarum auctorem laudare. Tres ejus loci ea de re proferuntur & expenduntur. Accurſii in eandem ſententiam novem gloſſæ. Et* Odofredi *teſtimonium: quod nonnihil reſtituitur. Hanc ipſam videri mentem Abbatis Urſpergenſis in* Lothario Saxone: *Ubi authenticæ, neque aliud, intelliguntur. Vindicatur illud adverſus pravam Cujacii, aliorumque ejus loci interpretationem. Famam de Irnerio tantam eſſe, ut etiam authenticæ, quæ ejus non ſunt, ei tamen, ut principi earum auctori, tribuantur. Luculento id exemplo adſtruitur. An & quatenus Germani hæc oppugnaverint. Eorum vanum molimen late deſcribitur & retunditur.* 67

CAPUT IV.

Unam eandemque authenticam a variis quandoque fabricatam eſſe Gloſſa docet. Eadem quoque Martinum, tum ſolum, tum cum aliis quarundam authenticarum ſtatuit auctorem. Qui Azo Irnerii authenticas interpolaverit? Caſuiſtam Gloſſæ, ipſumque Azonem id teſtari de eodem loco: qui & aliter, ut ſententiæ noſtræ inſerviat, excutitur. Adducentur tria adhuc teſtimonia ex Azonis Comment. ad Cod. *quo is probetur varia authenticis inſeruiſſe, & qua de cauſa. Adſtruuntur hæc in rem præſentem. Movetur objectio adverſus Irnerium, Azonem & Martinum. Removetur varie. In tranſitu nonnihil de* παραδόξῳ *Alberici Gentilis, eſſe ſcil. authenticas ab Irnerio ex græco verſas.* 70

CAPUT V.

Probabilia quædam pro diverſis authenticarum auctoribus. Oſtendere id varium & incertum earum numerum, & quomodo. Recitantur authenticæ Veterum nobis incognitæ, & contra. Ejus rei ratio adſeritur, etiam ex Duareni nota de authenticis Fridericorum. Qui alio adhuc modo varius authenticarum numerus doceat, eas eſſe opus variorum. Idem præſtare incertam earum ſedem, & variantes lectiones. Cur hæ librariis hic non imputandæ. Complura utriusque adſertionis exempla. Quamdiu ea incertitudo duraverit? An ulla unquam ullius Principis conſtitutio prodierit ad authenticas colligendas, Codicique inſerendas? Nonnullorum ea de re figmentum. Differentiam ſtyli in authenticis cur non urgeamus? Epilogus de loco alicujus Fichardi, ut & de auctoritatibus, quibus uſi ſumus. 71

CAPUT VI.

Quam ob rem diſputandum adverſus eos: qui Irnerium ab authenticarum compoſitione excludunt? Molinæi argumentum ex Epiſtola quadam Gregorii M. intenditur: quemadmodum & Strauchii loca ex Burchardo & Ivone. Non hæc ſententiæ noſtræ officere, ſed proficere. Attamen mendoſam videri vulgatam Gregorii lectionem in C. 38. Cauſ. XI. q. 1. *& quare. Quid de ea cenſendum ſit. Burchardus & Ivo prodeunt. Miſerum ſpecimen authenticarum apud Ivonem. De repertis Novellis Strauchii opinio minus vera: & quid ex ea ſequatur. Unum contra Irnerium tentamen refertur, & refellitur varie. De veteri Novellarum tranſlatore quid Strauchius ſomniaverit? De Cl. Pagenſtechero corollarium aliquod.* 73

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

CONTENTIO LITERARIA

CUM

ALEXANDRO ARNOLDO

PAGENSTECHER,

Anteceſſore Juris Groningano,

DE

AUCTORE AUCTORIBUSVE AUTHENTICARUM.

AD LECTOREM.

Biennium eſt & quod excurrit, ex quo publico dedi *Diatribam de auctore auctoribusve Authenticarum.* Hæc quî excepta ſit a Viris doctis, ſcies fortaſſe; ſed quî ab indoctis, nunc ſero tandem audies ex decempedali *Corollario*, quod Diſputationi cuidam triviali appoſuit ſtudioſus neſcio quis, vel potius, qui ejus præſidem egit, Alexander Arnoldus Pagenſtecher. Hujus indignationem videor provocaſſe in *Diatriba:* hinc eam adgreditur, & in Cornelium fabam cudit, in Cornelium ſcilicet, qui eum male uſſerat.

Ego, his lectis apud animum meum; *Contendere cum Pari anceps, cum ſuperiori furioſum, cum inferiori ſordidum eſſe* docuit me Seneca. Ad hæc reſpondere ad ea, quæ ſilentio & contemptu digna ſunt duntaxat? agere cum homine perſonato, qualem, ne excepto quidem Roſcio, antiquitas non tulit? qui, dum vapulabit, ſupponet corium innoxii illius ſtudioſi, qui ejus perſonam egit? denique refutare, quem fama eſt dubiæ ſanitatis eſſe? Vicit tamen honeſta, quam tenet, ſtatio; vicit otium ſubciſivum, quod hodie jucunde tranſigere conſtitui.

Accipe igitur, Lector, *Corollarium* Profeſſoris Groningani, accipe ejus *Refutationem*, & decerne, quis juſtius induit arma. Si quid mihi acrius exciderit, memento rem agi cum Pagenſtechero; ita nollem cum viris doctis. *Vale.*

AL. ARN. PAGENSTECHER

COROLLARIUM

ADVERSUS DIATRIBAM.

Authenticas Codici Juſtinianeo inſertas ab Irnerio non eſſe, poſt Molinæum & Strauchium, ſatis docte demonſtravit Excellentiſſ. Dn. Pagenſtecher, Præſes & Doctor meus propter multa in me merita ad extremum vitæ halitum Colendiſſimus, in Proluſione Irnerii injuria vapulantis: quam doctrinæ ſingularis plenam heic integram defendendam ſuſcipio. Oppoſuit ſe huic equidem Cornelius quidam van Bynkershoek edita Diatriba, ſed quæ triplex maxime ex propriis viſceribus eductum lemma meretur: 1. Pellucens calumnia 2. Riſum teneatis amici. 3. Non defenſoribus iſtis. *Ad Primam refero, quod Cl. Pagenſtechero imputat, quod* Irnerium valere jubet. *Cornel.* Diatr. pag. 63. (hujus Edit. 74.) *Quæ falſiſſima & a Cornelio illo conficta eſſe, unicuique patet qui memoratam Proluſionem volet inſpicere. Similiter pellucet calumnia*, pagina Diatribæ Cornelianæ 57. (hujus Edit. 73.) vſ. Eſt qui. *Si Dn. Pagenſtecherum ibi intellexit. Hic enim in ſua Proluſione non* neceſſitatem, *quod Cornelius innuit: ſed* præſumtionem *duntaxat adduxit, fundatam ſcil. apud JCtum in* L. 22. ff. de probat. *porro ad hanc claſſem pertinet, quod Germanos inſimulat Cornelius quaſi neſciant quid Gloſſa intelligat per Corpus Authenticarum, & quaſi hoc confundant cum authenticis Codici inſertis. Omnes Germanos non tuebor: ſed quod ad Cl. Pagenſtecherum Doctorem meum, pellucet calumnia Cornelii: D. Pagenſtecherus enim in Proluſione dicta, locum Odofredi ſæpe memoratum tractans expreſſe diſtinguit authenticas ab authenticarum corpore.* vid. ſis *d.* Proluſion. §. interim ex allegato. *Ad hoc caput itidem referre licet quod Cl. Præſidem ſubinde inſimulare velle videtur, quaſi omnia ferme ſua habeat ex Strauchio. Sed an diſſimulat aut negat Cl. Præſes ſe Strauchii ſubinde uti argumentis. Quæſo, an non apertiſſime teſtatur D. Præſes ſe ea quæ ex Strauchio habet (habet enim ex eo nonnulla, ita ut eundem tamen Strauchium & refutet ſubinde & caſtiget modeſte) ex Strauchio depromſiſſe? Atteſtor oculos tuos Lector, inter reliqua videbis hæc D. Præſidis verba*: quæ ex Strauchio, *inquit*, adduximus. *Similem candorem minime adhibuit Cornelius. Adducit ex Exc. Viris Strauchio & Pagenſtechero loca innumera, at unde hæc exſcripſerit, altum ſilet. Ex innumeris dabo perpauca. Ita citata videbis apud Cornelium, loca & verba Odofredi, Abbatis item Urſpergenſis: ſed minime nomina ſcriniorum quæ hac in parte compilavit. Eadem fide citat Niellium, & quos non? immo cum de Pepone mentionem facit, ipſiſſimis dictæ Proluſionis Cl. Pagenſtecheri (ſed hujus nomine ibi ſuppreſſo) verbis utitur. Ad hoc itidem caput refero, quod Cl. Præſidis ſententiam Molinæo & Germanis plerumque imputat Cornelius: cum tamen non ignoret aut ignorare nequeat, ita etiam ſentire eruditos Belgas, ex quibus unum nunc adduco Nobiliſſ. van Eckium* ad ff. de O. J. num. 19. *Sed pergo nunc ad lemma quod dixi ſecundum, ita tamen ut pleraque dicenda pertineant & ad jam viſum primum.*

Huc

Huc ergo equidem innumera pertinent Corneliana; ſed ex fimbriis veſtem. Seligo eas quæ ad rhombum noſtrum principaliter faciunt. Ex Azone, Accurſio, Odofredo, & Abbate Urſpergenſi, probare nititur, Irnerium quarumdam Authenticarum integrarum auctorem eſſe. Riſum teneatis amici, ſi modo tenere poteſtis. Quæſo vos, quid habet Azo? Dicit: Guarnerium ſic adjeciſſe. *Item:* Irnerium poſuiſſe quædam de Authentica illa in iſtam & ita de duabus Authenticis unam compilaſſe. *Item:* tractam eſſe authenticam ab aliis duabus. *Item:* aſſignaſſe hic dominum Irnerium duas Authenticas. *Quæſo, an Azo his quatuor locis aſſerit, Irnerium nonnullarum Authenticarum* integrarum *authorem eſſe, quod Cornelius noſter vult? At vel pueri norint diſtinguere inter Authenticas facere* integras, *& eis* quid adjicere. *Quid? an de Authentica una quid decerpere & ad alteram quid* ponere, *eſt Authenticæ hujus integræ authorem eſſe? Immo qui de duabus, unam compilat, ita ut dixi, is profecto neutrius ex aſſe author eſt, ſed ad authenticam cujus alter author eſt, adponit particulam authenticæ alterius quæ ſimiliter alium authorem agnoſcit. Ergo talis compilator non eſt author niſi talis additamenti aut adjectionis. Idque duo priores Azonis loci evincunt, Cornelii ſententiam adeo evertentes, Cl. Præſidis egregie confirmantes. Sed & tertius (ſume eum de Irnerio agere) locus, & quartus, nil aliud continent quam Irnerium authenticas ab aliis factas aut integras aut ex parte conjunxiſſe & ad aliquem locum traxiſſe, aut iisdem locum quendam aſſignaſſe. Sed quid Accurſius? Adducit pro eo Cornelius* Gloſſ. ad Auth. Multo magis. C. de SS. Eccleſ. Auth. Qui res. C. eod. Auth. Nunc autem. C. de Epiſcop. & Cler. Auth. Quod fieri. C. de dilation. Auth. ſi pater. C. de fund. dot. Auth. in ſucceſſione. C. de ſuis & legit. Auth. Defuncto. C. ad Tertull. Auth. item hæreditas. C. de bon. quæ lib. Auth. Hæc ſi debitor. C. de Pign. & hypoth. *Verum, Lector candide, inſpicias quæſo allegatas Gloſſas, & videbis, diſtingui inter verba* Legis *&* Irnerii. *Legem intelligit ipſam Authenticam: Enimvero Authenticas &* Conſtitutionum *nomen meruiſſe, ex Proluſione Cl. Præſidis patet, & docet luculentiſſime locus apud Cornelium* pag. 19. (hujus Edit. 67.) *ubi hæc lego,* ut eſt relatum in lib. 1. Cod. Tit. de rebus Eccleſiaſticis, conſtitutione Principis noſtri. *Ubi ſubjicit Cornelius:* quis negare auſit, intelligi hic auth. Quas actiones. C. de Sacroſ. Eccleſ. *Unde patet, cum memoratæ Gloſſæ verba Irnerii a verbis Legis ſeparant: eaſdem Irnerio nil niſi Legum id eſt Authenticarum* additamenta *tribuere. Ex iisdem Gloſſis porro deprehendes, Irnerium* quædam poſuiſſe, adjeciſſe. *Quæ uti pro dictis* additamentis *novo argumento ſubveniunt, ita declarant mentem Gloſſarum, cum non* ſimpliciter *Irnerium Authenticas ad Codicem poſuiſſe dicunt; ſed addunt, illa:* ſic: prout: *ex. gr.* prout Irnerius illam Authenticam poſuit. *item:* Irnerius qui ſic authenticam poſuit. *Ut illa*, prout, *&*, ſic, *additamenta Authenticarum Irneriana (ad quæ collocationem ſive aſſignationem Authenticæ ſub hoc illove titulo ſimul pertinere, nemo unquam dubitavit) & aliud profecto nihil, indicent. Sed an aliud habet Odofredus? Quæſo, Lector, inſpice ejus verba quæ habes in Proluſione Cl. Pagenſtecheri. Vide ibi: ſis. Vide, uti cætera, ita & hoc. Expreſſe ſeparat Odofredus verba Irnerii ab Authentica. Adde ſis ibidem Abbatem Urſpergenſem, qui aſſerit, Dominum Wernerium* pauca forte verba alicubi interpoſuiſſe. *Torquet ſe hic Cornelius, tanquam mus in pice, ut riſum plane non teneatis amici: maxime circa locum præmiſſum Odofredi, ubi τὸ* juſti *explicat ut intelligatur per id,* Juſtinianus. *Riſum teneatis amici. Eodem modo res ſe habet cum Martino & Azone, qui ſimul Authenticas additamentis aut collationibus ſuis bearunt. Ita de Martino legis, eum ad Authenticam* adjeciſſe: *vel* Authenticam hic *poſuiſſe. Conſimiliter de Azone, eum Authenticam* pinguius & latius extraxiſſe *id eſt gloſſis ſuis amplificaſſe & additamentis ſuis produxiſſe magis quam Dn. Irnerium. Item: Authenticæ* plenius appoſuiſſe ſic. *Nota:*

ta: ſic. ſic. *Item, eum* addere *authenticæ. Item: eum* adjeciſſe, appoſuiſſe, *Authenticæ: veluti ipſe eam in rem loca congeſſit Cornelius* p. 38. & ſeqq. (hujus Edit. 70.) *ubi & loca ex quibus patet triumviros illos quos vidimus, Irnerium, inquam, Martinum, & Azonem, in Authenticas notas ſcripſiſſe. Sane aliud fere nihil ſunt authenticarum illa additamenta. Conſtat ergo, vel invito Cornelio, Irnerium cæterosque, præter aſſignationem titulo forte alteri ſubinde factam, nil niſi gloſſas & additamenta, quædam in authenticas intruſa, quædam extra eas vagantia, ſcripſiſſe. Hinc ſuavis ſimulque fortiſſima eſt conſecutio: Probari poteſt, Irnerium gloſſas ſcripſiſſe: at probari nequit, eum integras Authenticas ſcripſiſſe: ergo præſumtio eſt, Irnerium non eſſe Authenticarum nonnullarum* integrarum *authorem, ſed duntaxat earundem gloſſatorem atque conferruminatorem. Quid videtur, Corneli, an non hæc conſecutio eſt ſuavis & ſimul legalis?* arg. L. 22. ff. de probationib. *Quæſo te, Corneli, nota hoc ad* pag. tuam 63. (hujus Edit. 74.) *Obſtat. Atqui Irnerius vocatur Authenticarum compilator.* V. Dn. Cornelius p. 37. (hujus Edit. 70.) *Ergo* integras *fecit. Hem! minime ſuavis conſecutio! Riſum teneatis amici. Scilicet compilator eſt reſpectu* 1. *aſſignationis &* 2. *additionum. Ad hanc etiam claſſem, magis tamen ad primam, refero, quod Cornelius miratur* p. 36. (hujus Edit. 70.) *Strauchium & Pagenſtecherum, alibi in eo totos, ut Authenticas Irnerii interpolas negent, nunc id aſſerere. At quæſo te, Corneli, ubi negavit Pagenſtecherus Authenticas Irnerii interpolas eſſe? Erras; Corneli, nec intelligis ſtatum controverſiæ. Nullibi negat Pagenſtecherus authenticas Irnerii interpolas: immo agnoſcit emblemata: ſed negat hæc abhorrere a contextu Novellarum. Nunc quæſo te Lector, qualis hæc conſecutio eſt? Pagenſtecherus negat Emblemata Irneriana quæ dantur, diſſentire a Novellis Juſtiniani: ergo negat dari emblemata. Interim riſum tenere nunc ulterius non poſſum: maxime cum ulterius perpendo, Cornelium ſententiæ illius quæ Irnerio quasdam duntaxat Authenticas, ſed eas tamen integras, aſſignat, primum velle autorem videri. Eja, an adhuc riſum tenetis amici? an D. Cornelius hujus ſententiæ primus auctor eſt? Atqui jam ante Cornelium idem ſenſerunt. Nec ignorare id poteſt Cornelius. Legit enim Dn. Præſidis mei ſæpe adductam Proluſionem ubi claris verbis quisque legere poteſt hæc:* Strykium non omnes ſed quasdam authenticas Irnerio tribuere, Præcogn. c. 6. §. 4. *Impoſſibile autem eſt, Cl. Stryckium hanc ſententiam didiciſſe a Cornelio noſtro. Quæſo, ne hoc dicat Cornelius: alioquin Lectores ſuos faciet riſu emori. Sed oportet ut hic ipſi mihi parcam. Alioquin plura tangerem: ſpeciatim vero defenſionem Irnerii quam Cornelius circa* Auth. Quas Actiones. C. de SS. Eccleſ. *ſtruere nititur* p. 20. (hujus Edit. 67.) *Hem, Corneli,* non defenſoribus iſtis *Irnerius eget: vid. Cl. Præſidis Fribuſculum Triumvirale, Stryckium inter, & Bergerum, Pagenſtecherumque. Hinc ſape, Corneli. Unum addo: innocuos in poſterum ne rode: ita Vale.*

Addo Corollarium, quod loco ſeptimo occurrit.

Pacta incontinenti contractibus ſtricti juris adjecta etiam a parte actoris iisdem inſunt: quicquid diſſentiat Cl. Cornelii illius noſtri farrago ad L. Lecta.

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

CONTENTIO LITERARIA

CUM

ALEXANDRO ARNOLDO PAGENSTECHER,

Anteceſſore Juris Groningano,

DE

AUCTORE AUCTORIBUSVE AUTHENTICARUM.

Diatriba, quam ſcripſi, *de Auctore Auctoribusve Authenticarum* hoc agit unice, ut Authenticas neque omnes Irnerio adſcribat cum Schola veteri, neque nullas cum Molinæo & eum qui ſequuti ſunt. Dixi probavique quasdam eſſe Irnerii, quasdam Martini & Azonis, quasdam etiam aliorum: & monui Lectorem, etiam Gregorium Haloandrum & poſt eum alios, id opus variis tribuere: tantum abeſt, ut ejus Sententiæ primus auctor videri voluerim, ut nugatur dulciſſimus ille Magiſter. Si Haloander id ipſum dixit, quemadmodum palam ſum profeſſus, quid igitur tibi vis, Marrucine, cum Strykio tuo. Interea ſi neſcis, quid ego præſtiterim novi, hinc diſce: Haloander & Editores quidam alii dixerunt, ſed dixerunt tantum, Authenticas eſſe variorum opus, *Irnerii* puta, *Alberti*, *Bulgari & aliorum*. Quominus hoc verum ſit de Irnerio tu poſt Molinæum & Strauchium intercedis, & quominus verum ſit de aliis præter Irnerium, intercedit communis ſententia. Igitur, quod Haloander ſimpliciter dixerat, ego eo probatum, quo tibi tuique ſimilibus os obturem. Hoc eſt, quod ajo: *Nemini fortaſſean verum dicere contigiſſe, aut ſi dixiſſe, non probaſſe tamen.* Non probavit id Haloander, neque alius quisquam; quinimò ne dixit quidem, ſi quis animo repetat, quæ de antiquiſſimis Authenticarum auctoribus, etiam apud Græcos, obſervavimus. Vides Alexander, id nos egiſſe, quod non erat actum prius: nec aliter ſolemus. Tu pede tuo varo ſemper premis aliorum veſtigia; nam ita me Themis amet, ſi quicquam novi bonique ſcripſeris unquam, adeo tibi craſſum ſinciput eſt. Sed hoc jam non agimus. Nolim refutare, quicquid tu habes fatuum. Pergo ad pugnam, quam, mehercule, magnam pugnas: video qui æſtues.

Male te habet, ſuaviſſime Doctor, quod acerbius tecum egerim, ſed cedo mihi aliquem, qui ineptias modeſtius caſtigaverit. Verum eſt, dixi *calumniam pellucere* & tuam & Strauchii in pervertenda alicubi Gloſſa, nunc addo, *& fatuitatem*, uti mox ſum probaturus. Verum eſt, *amicos riſum tenere* juſſeram, nunc vos ridere jubeo, quotquot eſtis O Catones. Verum eſt, me *defenſoribus iſtis*, qualis tu es, noluiſſe uti; ſed quia, quod nunc addo, obtrudis nobis eo loco cerebri tui placita ſine populi ſuffragio, & hujusmodi placita, quæ per rationem temporis vix ac ne vix quidem ſubſiſtunt. Atque ita non ſemel alias in tua, quam vocas, *Proluſione*; ſed Augiæ ſtabulum citius expurgem, quam hanc. Intelligis igitur, me vix ſcuticam dediſſe, ubi flagellum merebaris, & ſtatim intelliges, te, ubi ea, quæ tibi occinueram, ſorbillantibus verbis mihi regeris, vel, ut elegantia tua utar, ubi *lemmata educis ex propriis viſceribus*, te, inquam, verba & voces dare, & ea præter nihil. Adeo verum, eſt, eum qui in culpa eſt, tutela inculpata uti non poſſe. Sed ad rem.

Scripſi in *fine Diatribæ* (nam alium locum non merebaris) *jubere & te Irnerium valere.* Tu hoc a me fingi ais. Arnolde, putet me tui. Qui dicit nullam Authenticam Irnerii eſſe, an non is jubet eum valere? vides enim, ni cæcutias, nos loqui de earum auctoribus, non interpolatoribus. Non nego, te quædam emblemata & lacinias Irnerio tribuere: quin contra, ubi ejus ſententiæ auctorem Strauchium laudavi, non fui dedignatus te, ut ejus ſequutulejum, adſcribere: fruſtra igitur etiam verba calumniaris.

Turbat te, quod *Cap. ult. Diatr.* riſerim le-

pidas conſequentias, quas noviſti texere: fuerunt ante Irnerii tempora Authenticæ, ergo is ſuo tempore nullius fuit auctor. Adeo ſtipes non es, qui ipſus animadvertas, hæc dici plus quam ſtulte: eo igitur confugis, ut hoc argumento non *neceſſitatem*, ſed *præſumtionem* inculcaveris, *fundatam* ſcilicet (ita tu loqueris latine) in *l.* 22. *ff. de Probation.* apage merum rus. Qui ſcripſit primam Authenticam, præſumendus eſt etiam reliquas ſcripſiſſe, ni voluntatem ejus probemus fuiſſe mutatam; ita tu vis colligi lepidiſſime Diſputator. Audi quam abſurde. Irnerſus, quantum equidem nobis conſtat, primus ſcripſit *Gloſſas*, ergo ſcripſit omnes, ni probemus contrarium; nemo, niſi Pagenſtecherus, vel ex eo auſit colligere, Gloſſas ἀνωνύμως Irnerii eſſe; male pereat, qui te tam acute docuit ratiocinari. Si præſumtionibus & veroſimilibus in ſpecie propoſita pugnandum eſſet, compoſitores Authenticarum uno plures fuiſſe docere te poterant *Miſcella*, quæ in hanc ſententiam dedi *Cap.* V.

Stomachatur porro, quod Germanos dixerim in Barbarorum ſcriptis non diſtinguere inter *Authenticas*, qua Novellarum compendia, & *Authenticas* vel *Authenticarum Corpus*, qua Novellas, & tamen, qua eſt temeritate, de pleriſque Germanis id ipſum mox concedit, ſemet duntaxat vindicans ab illa labe. At ego ſi oſtendam vel ex hac tua *Defenſione perſonata*, eundem te errorem errare, quid dabis niſi riſus & jocos? exſpecta puſillum, & audies O multa fleturum Caput! nec potes aliter, quam Strauchius, *Authenticarum Corpus* intelligere, ſi ſana ſit ratio, qua ex Odofredo & nonnullis Gloſſis Authenticarum lacinias tantum adſcribis Irnerio, illi quippe cum ajunt, verba quædam Irnerii eſſe, nec reperiri in *Authenticarum Corpore*, ex ſententia Strauchii, hoc volunt, ea verba non exſtare in Authenticis, ut primum compoſitæ Codicive inſertæ fuerunt, ſed addita eſſe ab interpolatore Irnerio. Et ſane, ſi per *Authenticarum Corpus* intelligi poſſent Authenticæ in Codicem relatæ, uti non poſſe probavimus *Cap.* III. *Diatr.* & imprudens hic largitur noſter Alexander, jam, fateor, ſpeciem haberet illud de ſolis Irnerii additionibus commentum. Nunc quia conſtat, etiam Magiſtello noſtro, per *Authenticarum Corpus* intelligi Novellas, intercidunt auctoritates, quas ipſi Strauchius ſuggeſſit de additore Irnerio. Quid enim? reperiuntur in Authenticis nonnulla Irnerii, quæ non exſtant in archetypo Novellarum, ergo eam Authenticæ partem, quæ ibi exſtat, Irnerius non dedit? nemo quiſquam, modo ſanus & ſiccus, ita colliget. Sed nolo repetere, quæ in hanc rem dixi affatim in *fin. d. Cap.* III.

Accedo ad aliud, quod ægre tulit homo vanus, &, ni fallor, cauſam dedit pudorem ſuum, ſi quem habet, purgandi. Indicavi aliquotiens, ejus cum ſententiam, tum argumenta Strauchii eſſe: ſcilicet non vult videri imitator, non ſervum pecus. Ego, bone Vir, tenuitatem tuam tibi non exprobravi, ſed qui potui aliter, quam defunctis Molinæi & Strauchii argumentis, te compellare, qui hanc de Authenticis litem etiam tuam feciſti? qui potui aliter, quam dicere id, quod res eſt, nihil te habere præcipuum, utique quod refutari ſit dignum. Placet mihi, quod eſt in Satyra:

——— ——— *Mentiri neſcio, librum*
Si malus eſt, nequeo laudare ——— ———

Diſplicet inſtitutum vulgare omnes & omnia laudandi quam blande etiam de ejus rei utilitate diſſerant alii. Nihil igitur, ut dixi, habebas præcipuum præter quiſquilias & errores, unum atque alterum duntaxat retuli in *Diatriba* (ad omnes enim nauſeabam) hos quam inepte defendas mox dicam: quod ad reliquos adhuc tibi parcere conſtitui, ne materies deſit, ſi denuo prodeas. Sed quid tu ad calumniam, quam vocas, meam de deprædato Strauchio? non diſſimulo aut nego, inquis, me ſubinde Strauchii uti argumentis. Ecce furem manifeſtum! bene ſit tibi cum illo confeſſionis, quam extorſi, candore, at vero fur candide, egone dixi te celare crimen tuum? abſit. Dico, te tua habere ex Strauchio, tu id confiteris, quid ultra anhelas?

Unum eſt, quo te non purgas, ſed purgari poſſe credis; me vidilicet inſimulas ejusdem criminis. Huc refero, quod libellum meum ad *l. Lecta* 40. *ff. de Reb. Cred.* in eo, quod adjeci, *Corollario* inſignias titulo *farraginis;* ſin hoc intelligas de comportatis aliorum dictis ſcriptiſque, mentiris ſplendide. Tuam fidem, ſi quam habes! Noverunt omnes me & aliter interpretatum eſſe *l. lecta*, quam factum eſt adhuc, & aliam conſtituiſſe doctrinam *de pactis juris ſtricti contractibus adjectis*, quam ab ullo, quod ſciam, conſtituta fuit; quin & parerga, quæ dedi, obſervationis novæ eſſe. Non ſemel id teſtati ſunt Viri ſupra te & vulgum eruditi: provoco te, ut cerebellum tuum excutias, & me convincas mendacii. Diſpeream, ſi quicquam ſim ſcripturus unquam, quod ſcriptum eſt prius, utique quod ego adſequi potero. Idem ſi tibi ſederet, non tua *Trifolia*, *Sicilimenta*, *Benedicta*, *Aphoriſmi*, *Coitiones*, **Hansjes in de Kelder** / & quicquid ineptiarum effudiſti unquam, tam cito volitarent piperis thuriſque cuculli: hæc enim non legunt, niſi qui te Præceptore diſcunt deſipere. Si non potes aliter, ut ſcio te non poſſe, nemo eſt, qui te cogit ſcribere. Verum redeo ad ea, quæ nugivendus notat ſurripuiſſe me Strauchio & ſibi (ſibi videlicet, qua Strauchii deſcriptori.) Hæc autem ſunt loca apud Odofredum & Urſpergenſem Abbatem de Irnerio. Ineptum Caput! uterque locus an non mihi repræſentandus fuit, quam Strauchius utroque, quamvis perperam, utatur in rem ſuam? an non ipſa verba erant repræſentanda, quum aliam iis, quam vos, ſententiam dederim? addo etiam, quum verba Odofredi Critica fuerim medicatus? an non eodem *Cap. III.* quo hæc ago, commemoro Strauchium & te, cum nominatim, tum ἀπροσώπως (nam totiens nominari non eras dignus) & enarro refelloque veſtram de auctoritate Odofredi & Abbatis Urſpergenſis ſententiam? quid heic ſuppreſſum eſt, ſtellio? qui ait, vos perperam intelligere loca quædam, an non is eo ipſo ait, apud vos hæc adducier? quæ verba volebas me porro perdere & incaſſum garrire? De Niellio nihil dixi, quam me non probare ejus ſententiam de loco Gregorii Magni, quem explico *Cap.* VI. & de Pepone una forte linea id ajo, quod me dudum docuit Guido Pancirollus *de Clar. Leg. Interpret. c.* 13. Si tu Pepo etiam pepones quæſiveris, eſto.

Nunc accipe ſpecimen impudentiæ, dicam, an negligentiæ tuæ? dicis me tuam de Irnerio ſententiam plerumque imputare Molinæo & Germanis, cum tamen nequeam ignorare, ita etiam ſentire eruditos Belgas. Nonne id ipſum eſt, os inficetum, quod dixit Præfatio *Diatribæ?* nunquid ibi legiſti, *quin & ita in Belgio docere Belgæ?* vides igitur, me id non ignoraſſe, nec celaſſe. Memineram probe, eandem, quam tu ſequeris, de Irnerio ſententiam me docuiſſe,

cum

cum ejus inſtitutione uterer, Virum Celeberrimum Cornelium van Eck; at ipſe ille eſt, qui ſemper mihi commendavit illud Labeonis, *ſuum cuique judicium*; adeo mihi integrum eſt & ab ipſo diſſentire; recte, an ſecus, judicabit cum ipſe, tum alii: nam tu judicare non potes. Interim vides, quam latæ culpæ te intricaveris.

Pergit Magiſter dulciſſimus ad *lemma*, quod ait, *ſecundum*; ibi autem quia rem ipſam cernit, jubeo eum lacrymas tenere, non riſum. Probavi *Cap.* III. *Diatr.* etiam Irnerium Authenticas dediſſe, adductis in hanc rem tribus Azonis teſtimoniis, non quatuor, ut ille ait; etenim locus in *Comment.* ad *Auth. Quas actiones. C. de Sacroſ. Eccl.* loquitur ἀνωνύμως, ut rotunde monui. In aliis Azo. *Ita Guarnerium adjeciſſe, poſuiſſe quædam de authentica illa in iſtam, & ita ex duabus authenticis unam compilaſſe, aſſignaſſe duas authenticas*, & reliqua, quæ latius retuli *d. Cap.* III. Ad hæc Pagenſtecher, ain' vero, quid ibi Azo aliter, quam quod Strauchius docuit, Irnerium interpolaſſe Authenticas, emblemata quædam ſua addidiſſe & locum, quem habent, adſignaſſe? non ſcilicet hæc evincunt, Irnerium quarundam Authenticarum ex aſſe auctorem eſſe. Quod ad locum Azonis primum, fateor & hunc & paucos huic ſimiles apud Gloſſam non aliud probare, quam Irnerium Authenticis, uti nunc leguntur in Codice, adlaboraſſe, vel, ſi mavis, ita quædam adjeciſſe. Verum, inquam, hoc eſt, ſed falſum, ex eo quod deducitur. Anteceſſor Groninganus putat hinc effici, additiones quasdam Authenticarum, nec aliud, Irnerio nos debere, hoc ſuperdicto: *vel pueros noviſſe diſtinguere inter authenticas facere integras & eis quid adjicere.* At etiam pueri, niſi qui nondum aëre lavantur, te docuerint, & Azonem, & Gloſſam, cum ajunt in Authenticis quædam eſſe Irnerii, hoc velle, Irnerium, ultra quam eſt in Novella, ſua quædam nobis dediſſe emblemata: atque hinc vulgo diſtinguunt inter verba *Legis & Irnerii*, ut mox dicam latius. Igitur tu, quum inde colligis, reliquum Authenticæ non eſſe auctoris Irnerii, eodem acumine nobis perſuaſeris, Tribonianum ex Veterum libris non excerpſiſſe Jus Civile, quia ſcilicet ejus quædam prædicantur emblemata & interpolationes. Nec tamen eſt, quod credas, me teſtimoniis de additis Irnerii quibusdam fuiſſe uſum, ut eum ex aſſe illius, qua de hoc memoratur, Authenticæ auctorem eſſe vincerem; erras late, ſuppetunt mihi alia in hanc ſententiam. Interim ſi *Cap.* III. §. *ſed quid. Diatribæ* legiſſes attentius, didiciſſes, vel ex eo, quod de additore Irnerio proditum eſt, argumentum ſuffici pro Irnerio, qua illius Authenticæ auctore unico.

Secundus locus Azonis, quem protuli, eſt in *Comment.* ad *Tit. C. de SS. Eccl.* in *Auth. Hoc jus porrectum.* ubi Irnerium ait *de authentica una quædam poſuiſſe in aliam, & ita ex duabus hanc compilaſſe.* Ego equidem non video, quid poſſit dici clarius ad Authenticam, quanta quanta eſt, Irnerio adſerendam. Sed tu: *an de authentica una quid decerpere, & ad alteram quid ponere, eſt authenticæ hujus integræ authorem* (ſcribe in poſterum *auctorem*) *eſſe? immo qui de duabus unam compilat, is profecto nullius ex aſſe author eſt.* Concludis: *ergo talis compilator non eſt author niſi talis additamenti aut adjectionis.* Miror ſtupiditatem illius ſesquiaſini, nam ſi legere vel intelligere potuiſſet, quæ dixi eo loco, non ita rurſus ineptiret. Non mihi ſemper vacat imperitiæ tuæ morem gerere; & eadem denuo inculcare; dicam tamen adhuc ſemel in tui ſolius gratiam, arrige igitur aures: de *duabus Authenticis* quod ait Azo, non ait, ut perperam tu exiſtimas, de Novellarum compendiis illis, ſed de ipſis Novellis. Vult, Irnerium *d. authenticam, Hoc jus porrectum*, compilaſſe, ut revera compilavit, ex *Novell.* 7. *C.* 1. & *Novell.* 120. *C.* 6. & 7. non ſecus ac idem *authenticam, Quas actiones. C. Eod.* ex duabus itidem Novellis tractam eſſe prædicat. Per *Authenticas* & *Authenticarum Corpus* Veteres etiam Novellas intellexiſſe monuit te *Diatriba*: Strauchius hoc ignorans aliquoties erravit, tu ſtatim hic in ipſo limine voluiſti videri alienus ab illo errore, & tamen vide miſer, qui etiam heic loci in eundem prolabaris. Apud Azonem per *Authenticas* intelligis brevia illa, ex Novellis Codici inſerta, & ex hujusmodi duobus Irnerium vis conflaſſe unum. Dic, ſi potes, cujus fide hæc ſomnia nitantur? ego dixi, cur per *duas authenticas* apud Azonem debeas intelligere *duas Novellas*. Quod cum ſit, jam non ultra negabis, eum totam *auth. Hoc jus porrectum*, Irnerio tribuere. *Compilare Authentecam ex duabus Novellis* quid eſt quam earum excerpere compendium? etenim, ut hoc addam, falleris fallisque alios, dum concludis, Irnerium igitur *Compilatorem* dici ratione *additamenti vel adjectionis*, præter ea namque, quæ jam diſputata ſunt, nihil ibi Azo de adjectione quadam Irnerii ſed de compilatione Authenticæ, ut nobis repræſentata eſt. Evincunt itaque hæc, Irnerium etiam quarundam Authenticarum ex aſſe auctorem eſſe, & tuam, adhuc dico, pellucere calumniam, qui eum miſere detorques alio.

Tertium Azonis locum, ubi is dicit Irnerium *duas authenticas aſſignaſſe*, exaudit homo lepidus de loco, quem Irnerius iis dediſſet in Codice. Quaſi vero *aſſignandi* vocabulum ad materiem Authenticæ non pertineret. Hanc argutiam ſuppeditavit tibi *Diatriba*, ibi quippe prævidens eam, quam nunc moves, cavillationem, in tranſitu ei reſpondendum duxi. Tu ad hæc nihil: eo igitur te rurſum ablego, ut & ad ea, quæ de *aſſignandi* voce in *ſeqq.* notabuntur.

Nunc ingenti machina adgrederis Gloſſas, quas pro Irnerio adduxi; has autem ubi ex me fideliter deſcripſiſti, jubes inſpici: ego ſimul jubeo adeſſe lorarios, qui te agant, ut dementiæ tuæ pœnas des. In nonnullis Gloſſis diſtingui inter *verba Legis & Irnerii* certa res eſt, ſed in eo multum peccas, quod per *Legem* intelligi velis Authenticam Codicis; equidem non nego, authenticas καταχρηστικῶς *Conſtitutionum* nomen quandoque ſortitas eſſe, ut probas ex fragmento Juliani, quod retuli *Cap.* II. & ipſus conceſſi liberalis *Cap. ult.* ſed cur in Gloſſis per *Legem* non authentica, at Novella intelligatur, expedivi ſatis *Cap. III.* nec opus eſt, ut ea præter tibi aliud reponam. Næ tu naris valde es obeſæ, qui non legiſti. Veteres, quum ajunt, verba quædam Irnerii eſſe, non Legis, ratione uti non alia, quam quod illa Irnerii non reperiantur in *Corpore Authenticarum*, hoc eſt *Novellis*, ut te jam habeo reum confitentem. Igitur vel nega rurſus per *Authenticarum Corpus* intelligi Novellas, vel herbam porrige. Hinc conſtare opinor, quam jejune ex illa gloſſarum diſtinctione inferas, nil niſi Authenticarum additiones quasdam Irnerio concedendas eſſe; ita enim tibi colligendum eſſet: de ſuo quia Irnerius nonnihil addidit, ergo reliquum Authenticæ ex Novella non excerpſit, non ita ſolent argumentari, qui utuntur mente integra, quemadmodum alias abun-

abunde dixi. Quod ſi vero ex iis, quæ ita diſtinguunt, Gloſſis conſtaret liquido, ut non conſtat, Irnerium iis, quibus de agunt, authenticis non niſi emblemata quædam ſua intruſiſſe, utique ſtaret nihilominus ſententia noſtra, quæ hujusmodi interpolationes non negat. Si tibi memoria, æque ac mens, deficiat, vid. *Cap.* III. *Diatr.* §. *ſed quid ſi.*

Cæterum ne ſis ſollicitus; ſiquidem enim Gloſſas, quæ Legis inter & Irnerii verba diſtinguunt, non ſatis putes conſulere Irnerio, qua auctori illarum Authenticarum unico, non probabis, me tibi has in hanc ſententiam obtruſiſſe, ſed tantum, quo efficerem, eum compoſitionis Authenticarum, uti nunc occurrunt, fuiſſe participem & συνεργόν. Addidi tamen, quia hujusmodi emblematum facinora inter componendum admittuntur crebrius & melius, naſci hinc fortiſſimum argumentum pro Irnerio, qua ſolo auctore illius Authenticæ, ad quam notantur & arguuntur illius τὰ οἰκεῖα. Et tum demum hanc præſumtionem eiides, ſi docueris, quod docebis nunquam, alium eam ſcripſiſſe Authenticam, Irnerium vero eandem de ſuo, vel, quia tu id mavis, ex Novella dediſſe locupletiorem.

Verum non adeo mihi curta eſt ſuppellex, ut non ex eodem Accurſio adduxerim alia, quibus Irnerium, etiam ex aſſe Authenticarum quarundam auctorem, vindicaverim. Non placet ſingula perſequi; adhuc lege Gloſſam ad *auth. Quod fieri C. de dilation.* ubi ita: *Hæc authentica non bene aptatur ad l. Codicis, prout Irnerius eam poſuit.* Quid ultra pugnas homo effrons? an non ibi *ſimpliciter* dicitur, quod tu negas, Irnerium *poſuiſſe illam Authenticam ad l. Codicis*? non *additamenta* quædam ſua, quemadmodum tu vis ex neſcio qua occulta ſignificatione voculæ *prout.* Evolve Calepinum tuum, & reliquos, quos ſoles conſulere, aſellorum pontes, & explica nobis hæc orgia; ego, qui hujusmodi ſacris initiatus non ſum, exaudiebam hanc voculam de concepta, ut nunc legitur, Authentica; nec quisquam, te præter, caligabit in tanta luce.

Ad Odofredum poſtquam perveneris, mox eum dimittis, ne imperitiam tuam prodas. *Expreſſe*, inquis, *ille ſeparat verba Irnerii ab authentica*, vellem dixiſſes, *ab authenticarum Corpore*; ita Odofredi verbis fuiſſes uſus, & palam attuliſſes tecum corium & flagellum: nam quod ad hunc ipſum Odofredi locum in *Vers. Porro ad hanc*, præciſe negaveras, te per *Authenticarum Corpus* intelligere *Authenticas Codicis*, & tamen adeo fungus & ſtipes es, ut tui oblitus id nunc facias, quo velificeris ſententiæ tuæ de Irnerio Authenticarum interpolatore tantum. Scilicet hoc eſt, quod in *Vers. Stomachatur*, dixeram, ni cum Strauchio *Authenticarum Corpus* idem eſſe fingas cum *authenticis Codicis*, deſtituere te Odofredum, Gloſſas & quicquid de additore Irnerio tibi usquam eſt præſidii. Cæterum homo obſcurus ferre non poteſt lucem, quam dedi Odofredo. Is enim cum ait ad *auth. Qui res. C. de SS. Eccleſ. Quosdam habere plus in iſta authentica*, hoc ſuperdicit: *ſed iſta verba non ſunt Juſti, quia non ſunt in Corpore Authenticarum.* Quid ſint *verba Juſti* dixi mihi non liquere, adeoque forte reponendum eſſe *juſta*, ut ſenſum, licet barbarum, eliciamus; vel dicendum, quod magis placebat, & placet adhuc, *Juſti* dimidiate ſcriptum eſſe pro *Juſtiniani*: verba videlicet, quibus de agit, Juſtiniani non eſſe, quia in Novellis non reperiuntur. Hæc conjectura tibi tenebrioni probetur, nec ne, parum refert mea; alii viderint. Sed, Domine inluſtris, quid ſunt *verba Juſti* apud Odofredum? vel adfer quid melius, vel tace; ſin autem tacere non poſſis, noli tunc damnare, quod non intelligis, & quia libros manuſcriptos legiſti nunquam, & quia Criticam non noviſti, niſi forte nomine tenus.

Miror, te nondum percepiſſe mentem Abbatis Urſpergenſis, ubi Wernerium ait *Libros legum renovaſſe, & paucis forte verbis alicubi interpoſitis diſtinxiſſe.* Interpretatus ſum Abbatem, refutatis omnibus, qui hactenus eum peſſime acceperant, nec quicquam tu contradicis interpretationi meæ, & tamen audes pronunciare, mihi hic aquam hærere; nondum genæ tuæ rubent? *pauca verba*, quæ Abbas dicit Irnerium interpoſuiſſe, nunquid ea interpoſuit *Authenticis*? minime gentium, ſed *Libris legum.* An Authenticæ tibi ſunt *Libri legum*? An Authenticas *diſtinxit* paucis interpoſitis? Faceſſant nugæ. Vult Abbas, Irnerium diſtinxiſſe Codicem, interjectis, quas fecerat, authenticis, ut latius diſces ex *Diatriba.*

Pergit inſanientis ſapientiæ conſultus ad Martinum & Azonem, quos *Cap.* IV. *Diatrib.* probo Authenticis quoque fuiſſe operatos. Sed hic rurſus crepat nil niſi eorum additiones & loci, quem habent, aſſignationes. Quaſi vero Gloſſa, cum ad *l. Fratres* 27. *C. de inoffic. teſtam. in fin.* notari vult, Martinum ibi *poſuiſſe quandam authenticam*, id tantum accipi oporteret de loco, quo ipſe alterius Authenticam digeſſiſſet. Advoca medicum, qui tibi venam pertundat, ut inſanias quietius. Quum ajo, te poſt Diſputationem quandam vulgarem *poſuiſſe* vegrande, quod exhibui, *Corollarium*, an non hoc ipſo te ejus auctorem eſſe profiteor? *ponendi* vocabulum de ſola loci adſignatione tum demum recte intelliges, ſi nobis auctorem illius Authenticæ dederis alium; vel aliunde probes, Martinum, Irnerium, Azonem, reliquos id ætatis, Authenticas locasſe ſede ſua, neque, excepta forte interpolatione, aliud quicquam fuiſſe molitos. Tu autem neque hoc facis, neque vel hujus vel cujusquam alterius Authenticæ laudare ſcis auctorem, & tamen opponis te luci tam claræ. Ut taceam, Martini Authenticam, qua de loquitur Gloſſa, in Codice poſt *d. l.* 27. nec hodie exſtare, nec etiam exſtitiſſe ævo Accurſii, ut ſatis ibi ſuo prodit teſtimonio; utque ita abſurdum ſit *ponendi* verbum cum Iavernione Groningano heic reſtringere ad locum, quem huic Authenticæ in Codice dediſſet Martinus.

Eſt igitur ille omnino auctor integræ, Q. D. A. authenticæ; eſt etiam, fateor, additor Authenticæ aliorum, non ſecus ac Azo: de utroque plura loca protuli, quæ non repetam, cum hoc largiatur bellus Profeſſor. Velim tamen ex iis illud diſcat, additiones & Martini & Azonis conſtituere aliquando Authenticarum, ut nunc ſunt, partem potiſſimam, atque adeo hæc omittere nec potuiſſe, nec debuiſſe, qui inquirit in earum auctorem auctoresve. Porro & hoc declarant illa teſtimonia, non ſimpliciter Martinum & Azonem *quid adjeciſſe*, *appoſuiſſe*, *pinguius & latius extraxiſſe*, at his quandoque additis, *ultra quam eſt in libro Irnerii*, *latius quam Irnerius authenticam extraxit*, & quæ ſunt ſimilia. Quin & Alexander de ſancto Egidio ad *auth. Niſi rogati. C. ad SCtum Trebell.* refert, *Dominum Y.* (Yrnerium) *breviter eam aſſignaſſe, ſed Dominum ſuum* (Azonem) *quia plerumque quæritur de materia iſta, & quia plene tractatur in Corpore Auth. adjeciſſe* &c. Vides ex iis, ſi quid tibi oculorum eſt, acutiſſime Anteceſſor, Irnerium, quod tu is inficias, integras quoque Authenticas extraxiſſe,

xiſſe, hasque ab aliis nonnunquam interpolatas eſſe. Vides in his locis Irnerium non aliis quid addidiſſe, ſed ei, qui Authenticas illas repræſentavit primus, ab aliis additum quid eſſe. Vides etiam, *aſſignandi* vocabulum, quod miſere captabas, aperte non ad locum, ſed Authenticæ materiam pertinere.

Sic ſatis noſter Arnoldus videtur excuſſus ſomnio de ſola tituli adſignatione, ſolisve Authenticarum additionibus, quas tribuit Irnerio & reliquis id ætatis JCtis. Recalcitrat tamen adhuc, at uulla parte tutus. Ex eo nempe, quod ipſe dixi probavique, Irnerium, Martinum & Azonem etiam ad Authenticas exaraſſe Gloſſas, ex eo, inquam, colligit Vir ſagaciſſimus, triumviros illos nil niſi additamenta quædam ſua Authenticis alleviſſe. Ita Gloſſæ, incontinenti Authenticis adjectæ, iis inerunt, dum aliæ extra eas adhuc oberrant. Sic, credo, tu vis; nec eſt, quod ego magnopere intercedam, qui non emblema aliquod, ſed vel integram Authenticam *Gloſſellæ* nomine venire ex Joanne Boſiano oſtenderim *Cap. I. Diatr.* at, obſecro, quid inde in rem tuam? ego potius: qui Gloſſas & Gloſſellas ſcripſerunt, præſumendi ſunt & Authenticas ſcripſiſſe, quæ ea appellatione occurrunt. De Authenticis integris loquor, nam de earum partibus vellem ne id ipſum tibi fuiſſem largitus, donec tibi præſto eſſet auctoritas, qua etiam Authenticarum partes adjectas *Gloſſarum* aut *Gloſſellarum* nomine denotari vinceres. Itaque adgnoſce meam erga te liberalitatem, ſed ea ne abutaris; quin potius ſic habeto: qui Gloſſas ſcripſit, præſumendus eſt non gloſſas duntaxat (hoc enim dabo nunquam) ſed etiam Authenticarum ſcripſiſſe emblemata, egiſſe interpolationes.

Tandem pervenio ad id, quod magnus Alexander habebat præcipuum in *Proluſione* ſua ad expellendum ab Authenticarum compoſitione Irnerium. Ajebat, eum ſcripſiſſe Gloſſas, adeoque verum videri, non ſcripſiſſe Authenticas, vel ſaltem iis non niſi Gloſſas ſuas induxiſſe. His in *Diatriba* recitatis *amicos riſum tenere* volebam (quam ipſam formulam tertio quoque verbo oggannit, adeo etiam verborum egenus eſt) ſed, parcat mihi gravitas tua, Alexander, vix adhuc vultum meum ad modeſtiam compono. An, qui Gloſſas ſcripſit, ex Novellis non potuit excerpere Authenticas? aut non intelligo, quid ſit, quod velis lepidiſſime Diſputator, aut valde ſtultum eſt. Videbar mihi in *verſ. præced.* ſatis ſubvertiſſe, quicquid eſt ejus argumenti, ſed te audio ita reluctantem: *Probari poteſt, Irnerium gloſſas ſcripſiſſe; at probari nequit, eum integras authenticas ſcripſiſſe, ergo præſumtio eſt, Irnerium non eſſe authenticarum nonnullarum integrarum authorem, ſed duntaxat earum gloſſatorem atque conferruminatorem.* Tolle hæc, *at probari nequit eum integras authenticas ſcripſiſſe*, namque ea nec faciunt *ad Rhombum* (ut tuo & ſequioris ævi verbo utar) nec niſi ridicule huc transferuntur; interferis tamen hæc, quamquam falſa, quamquam aliena a doctrina argumentandi, ne ſuaviſſima, quam inde elicis, conſecutio Lectori moveret riſum. Hoc agis: gloſſas ſcripſit Irnerius, ergo nullius ex aſſe Authenticæ videtur auctor. Quidni vero? profundum ſilentium. Et tu hanc conſecutionem, bone Vir, vocare audes *legalem* (hæ ſunt ſermonis tui deliciæ) &, ut videaris JCtus, iterum provocas ad *l.* 22. *de Probat.* ſed nunquid erubeſcis? quare non adiviſti Collegam tuum, Virum, ut fama eſt, Juris peritiſſimum, qui te moneret, non ita profanandas eſſe Leges Romanas, qui te doceret, fruſtra te illius legis argumento defendere cerebrinam illam præſumtionem & inaneis conſequentias. ita futilitatem tuam non proſtituiſſes publice: ſed jacta eſt alea, in poſterum ſæpe. Interea ſi nondum percipis, te garrire incaſſum, lege, quæ *Commate proximo* diſputata ſunt, & hinc diſce, eum, qui Gloſſas dedit, præſumendum videri etiam integras Authenticas dediſſe, collectione, quam tu uteris, contraria.

Redis denuo ad Azonem (ita miſces omnia) & oſtendis te nondum poſſe concoquere, quod Irnerium Authenticas *compilaſſe* dixerat. Id tu homo difficilis ſtomachi dictum putas *reſpectu* 1. *Aſſignationis* & 2. *Additionum*; ſed erras. Azo, ubi hæc enarrat, nec *additionum*, nec *aſſignationis* meminit, at ſimpliciter ſcribit Irnerium ex duabus Novellis unam *compilaſſe* Authenticam, verum de eo dictum eſt ſatis.

Turbata tibi mens eſt, blatero, ubi tam horrendum grunnis de loco, qui eſt *Cap III. Diatrib.* ubi hæc dico: *Unde magis miror, Strauchium & Pagenſtecherum, alibi in eo totos, ut authenticas Inerii interpolas negent, nunc, ne videatur actum de eorum ſententia*, LOCA VETERUM NON ALITER INTERPRETARI, AC ADVERSUS SEMET IPSOS. Ita ibi ſcriptum eſt, non vero, quemadmodum hæc detorquet miſellus Doctor, illud Germanorum par nunc adferere, quod negarant, dari Authenticas Irnerii interpolas. Hæc quo pertineant clarebit, poſtquam mentem *Diatribæ*, quam alii intelligunt, in ſolius vervecis, quicum mihi res eſt, gratiam denuo explicuero. Dicit *Diatriba*, & verum eſt, Gloſſam, Odofredum, alios, cum ajunt, in Authenticis *verba quædam Irnerii eſſe, non Legis*, eo ipſo accuſare illud Irnerii facinus, quod Recentiores Libris ſingularibus perſecuti ſunt, atque adeo vos, qui negatis Irnerii authenticas dari interpolas (ea videlicet ratione, quæ jamjam præceſſerat) Veterum auctoritates adverſus voſmet ipſos conſciſcere. Utique vos negatis Irnerium ita Authenticas interpolaſſe, ut ab ſententia Novellarum diſcrepent, & hoc ipſum, quod vos negatis, quia Veteres adfirmant, nonne eſt verum, eorum teſtimonia, qua proba, qua ſecus, ſententiæ veſtræ officere? igitur quod de Authenticis Irnerii interpolis dixeram, tu accipis præciſe ſine ulla præcedentium ἀλληλεχία, ut ſolent illi, a quibus cavendum eſſe monet Alphenus apud Paulum in *l. pen. ff. ad Exhib.* Sciebas ſane, me id ſimpliciter ſcribere non potuiſſe, qui, etiam in *Diatriba*, toties refello figmentum tuum (ſi *tuum* dici mereatur, quod aliis debes) de ſolis Irnerii interpolationibus. Quam tamen tu tibi blandiris ex hac calumnia? quam altum clamas, me ne quidem controverſiæ ſtatum intelligere? quas pugnas cies cum larva tua? Arnolde, ſæpe mihi riſum, ſæpe bilem moves.

Supereſſet *lemma*, quod tibi propoſueras, *tertium*: ſed illud quia tranſilis, video tibi animum deficere. Exiſtimabis tamen fortean te feciſſe ſatis, ubi ad originem, quam oſtendi, græcam & Juſtiniano æqualem *auth. Quas actiones. C. de SS. Eccleſ.* ſimpliciter ingeminas, NON DEFENSORIBUS ISTIS *Irnerius eget.* Rationem quia non addis, vides te oracula pronunciare ex tripode, ſed ita, Alexander, nodum ſecas, non ſolvis. Sin aliter non poſſis, Juliani Anteceſſoris Conſtantinopolitani auctoritas, quam in hanc rem extuli *Cap.* II. *Diatr.* apud me valebit; auctoritas Pagenſtecheri, Anteceſſoris Groningani, non valebit. Ego, qui dixe-

ram.

ram, quod tu reponis, *non defenſoribus iſtis egemus*, jam ſatis illic loci iveram probatum, Ivonem non Authenticas, earumque verba recitare, ſed alia Novellarum compendia. Quod ſi non credas adhuc, lege, quam ibi laudo, Juliani Epitomen Novellarum *Lib. I. Tit. XV.* & diſce, Ivonem *P. III. C.* 184. retuliſſe non alicujus Authenticæ, at vero illius Epitomes verba κατα πόδας.

Vides, dulciſſime Magiſter, te inanes turbas dediſſe; nam quamvis in refutanda *Diatriba* ea tantum ſelegeris, quæ tuto videbaris laceſſere, nihil tamen eorum eſt quicquam, quod te non jubet plorare. Vides, te undique noxium eſſe, atque adeo fruſtra monere, *innocuos ne rodam.* Abi igitur nunc, & victoriam cane in corona auditorum tuorum; quin potius quære laqueum, quo te perdas miſer, nam dignitatem ſtationis tuæ tueri non potes. Sin, an id expediat, nondum queas conſtituere, rurſus, ſi quid tibi animi eſt reliquum, bella move, & illa *plura*, quæ ſervaſti, ut gulæ tuæ parceres, quæſo ut prodeant. Diem nunc perdidi ſolidum in refutandis nugis tuis, in poſterum, ut te perdam, bini ſatis erunt. At ſcias, te, ni ſcribas melius, ni non perſonatus, vix reſponſionem eſſe impetraturum: ſin tamen mihi videatur aliter, nec ita, ut nunc equidem, me tædeat ineptiarum tuarum, retundam te, ut dignus es, per ſatyram videlicet; ſatis nunc tecum ſerio egi & clementer. Vale & reſipiſce.

F I N I S.



COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

AD

L. ΑΞΙΩΣΙΣ IX. D.

DE

LEGE RHODIA
DE JACTU

LIBER SINGULARIS.

ET

DE DOMINIO MARIS

DISSERTATIO.

VIRO CLARISSIMO

CORNELIO VAN ECK,

JCto & Anteceſſori,

S. D.

CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK,

Quoniam & Jurisprudentiæ addiſcendæ mihi fuiſti auctor, &, cum in eo eſſem, ingenio me & eruditione tua reddidiſti meliorem, mitto & inſcribo tibi hunc libellum. Iis, per quos profecimus, debemus multa, ſed iis, per quos ex animo, vel, quod mihi tantundem eſt, beatiſſime vitam tranſigimus, debemus omnia. Meminiſtine, quum me & ſtudia mea alio deſtinaſſent Parentes, te adfuiſſe ΘΕΟΝ, ut ajunt, ΑΠΟ ΜΗΧΑΝΗΣ, & me ſervaſſe incolumem? ego ſane tanti beneficii non ero immemor unquam, & donec aliud ſit, quod digne reponi poſſit, hoc interea opuſculum penes te eſſe volo coronae civicae inſtar. Sed & ſimul qualecunque redhoſtimentum collatæ in me olim operæ, ſemper amicitiæ: alta quippe & grata mente manet repoſtum, quod mihi, ut ſoles auditoribus tuis, ea omnia præſtiteris, per quæ lubens adſentior Majoribus,

Qui Præceptorem ſancti voluere Parentis
Eſſe loco — — — — — — — —

quod Jurisprudentiam Romanam commendaveris, non tralatitiam illam, ſed germanam, ſed maſculam; quod hanc ipſam, ut nemo diſertius, expoſueris non Anteceſſor duntaxat auditori, at amicus amico, & denique quod audendi aliquid ſpem mihi addideris & animum. Neminem, te præter, vitæ Ducem & Præceptorem laudabo unquam, neminem etiam magis amicum. ecce teſtimonium publicum! Utere igitur, quod in me habes, jure Præceptoris & Amici, & ſi quid errem, mone, doce, & te audiam. Plura adderem, ni tua modeſtia vetaret. Itaque vale, & te qui amat, ama. Hagæ Batavorum XII. Kal. Oct. CIↃ. IↃ CCII.

AD LECTOREM.

Explicare adgredior *L.* Ἀξίωσις IX. *D. de Lege Rhod. de jact.* famoſam Eudæmonis, ſed magis Interpretum naufragio, & tamen, cur famoſa, mirum; neque enim difficultas aliqua, at exile verba captandi ſtudium videtur eam celebraſſe & bonam mentem egiſſe transverſam. Veteres Interpretes, cum vulgo ab ea abſtinuerint, nihil fere peccaſſe certum eſt; abſtinuerunt autem non tam, ut mihi videtur, ex litterarum & telluris ignorantia, quam quod Legem breviſſimam facillimamque tuto interprete carere ſint rati. Nec aliter in animum induxiſſe putem JCtorum præſtantiſſimos, qui, etiam poſt renatas literas, tam facile eam transmiſerunt, atque ſi nihil omnino ibi eſſet, quod quemquam poſſet remorari, alieni ab inanibus tricis in re certa, alieni quoque a Παρέργοις, quibus Veteres delectabantur. Sed proximo, quod abiit, ſæculo prodiere quidam e Republica Grammaticorum, qui innoxiam legem magno ſupercilio, majori impetu adorti, miſere eam afflixerunt, & nullum non moverunt lapidem, quo involverent, quæ alioquin videntur ſimpliciſſima. Exinde, quaſi agmine facto, in eam irruit quicquid JCtorum & Grammaticorum erat, & qui non Criticam in illa ſuam jactabat, nullus erat. Varie rupta, fracta, lacerata vix tandem evaſit petulantias etiam nequiſſimorum hominum optuma Lex. Adeo nihil tutum eſt, ubi Grammatici, audax plerumque genus, obrepſere, ubi pervertitur ſententia, ut ſit, quod corrigatur, ubi damnatur ſilentium, ut præſto ſint irritamenta malorum. Erit igitur pretium operæ interpretari hanc Legem, & vindicare ab his & geminis aliorum injuriis. Nihil in ea mutandum eſſe cenſeo, quum omnia ſibi conſtent? ſin tamen videatur aliter, Obſervationes in hanc rem addo Quæ alii dixerunt, & late Jacobus Gothofredus in Ὑπομνήματι ad *b. l.* ego non dicam; nunquam vacat mihi deſcribere, ſcribere vacat aliquando. De *Dominio maris* placuit etiam hic agere Interpretibus, quaſi ſede propria; perperam, ut ſuo loco enarrabimus: dignitas tamen ejus argumenti me movit, ut peculiari id *Diſſertatione* interpretarer. Vale.

AD LECTOREM.

Ita te dimittere potuiſſem, *Lector*, *quin vel ita dimiſſus es*, *niſi tua etiam ſcire referat*, *quid mihi negotii ſit cum Alexandro Arnoldo Pagenſtecher*, *Anteceſſore Juris Groningano. Cum illo mihi lis fuit*, *an adhuc ſit neſcio*, de Auctore Auctoribusve Authenticarum. *Litis originem alias rettuli; hoc ſatis conſtat*, *Arnoldum*, *quem ego edita* Diatriba *inter cæteros refutaveram*, *juſto prælio me fuiſſe aggreſſum*, *adverſarium objeciſſe auditorem quemdam ſuum*, *& nihil non egiſſe*, *quo is me*, *aſperis facetiis depexum*, *duceret in triumphum. Impetum illum repreſſi*, *& non hominem illum innexium*, *ſed magiſtrum ejus pœnas dare volui*, *dignas cachinnis*, *quibus homo lepidus me viſus eſt perſequi. Præſtitit hoc*, *ni fallor*, Contentio, *quam dedi*, literaria. *Adverſus hanc vel nihil vel verba duntaxat repoſiturum eſſe Profeſſorem Groninganum certus eram*, *tantum mihi de re ipſa fuit ſecuritatis. Nec aliter ſe res habuit*, *nam ecce haud ita pridem prodiit Arnoldi* Irnerius injuria vapulans, *& ad frontem vapulans Cornelius mali libri peſſima præfatio! in ea autem argumenta rerum non exſequitur*, *nec vel quicquam de Auctore Auctoribusve Authenticarum*, *& quamvis opportuno ibi loco*, *ante Irnerium videlicet ſuum*, *hanc*, *ſi quid ſpei eſſet*, *pugnam pugnaſſet*, *ipſe tamen magis mutus eſt*, *quid ergo? ad preces & lachrymas confugit. Nunquid dixeram*, *mi Arnolde*, *in* Contentione mea, *te ploraturum? audio querelas*, *quas ſingultiente calamo effudiſti*, *video*, *qui tibi verba ſorbillent. Deorum hominumque tribunalia obteſtaris*, *& iis cauſam commendas tuam*, *igitur tu hanc ipſe deſeris? igitur tu fateris*, *Irnerium quarundam Authenticarum etiam ex aſſe auctorem eſſe? bene quidem*, *nec eſt*, *quod de eo te amplius obtundam.*

Tranſeo ad querelas & lachrymas, *quibus tu vinces*, *cum Ariſtophanis* ἐκκλησιαζοῦσαι *judicabunt. O hominem puſilli animi! inultus ut flebis puer? hæc tibi ſacra erit anchora? an neſciebas*, *ſi tibi maledixiſſem*, *remaledicere jus fasque eſſe: tuliſſem te*, *ſi pudorem tuum purgaſſes. Nunc toto animo concidis & injuriarum me expoſtulas*, *ut ſolent vel* γυναῖκες *vel* γυναικοκρατούμενοι; *idque non alia cauſa*, *quam quod acerbius tecum egerim. Sed age*, *rationem ſcribendi*, *qua uſus ſum*, *probabo*, *& probata erit*, *ſi memineris*, *te mihi ex auditorio tuo aliquem per contumeliam oppoſuiſſe. Indignitas ejus rei fecit*, *ut ſeverius in te animadverterim*, *ut larvam illam defricarim*, *& eduxerim*, *qui nunc prodis*, *Alexandrum Arnoldum Pagenſtecher. Diſce non ita agier inter bonos*, *utique non impune*, *& eum me eſſe*, *qui nolim te ferocem animum ſumere ab taciturnitate mea vel diſſimulatione. Sin ipſus prodiiſſes maſcule*, *reſpondiſſem placide & conſuluiſſem tuæ*, *ſi quam habes*, *dignitati: nunc neceſſe erat*, *ut exemplo Cujacii* Mercatorem *tibi aliquem immitterem*, *vel ipſe te durius haberem*, *ut tamen mille nominibus meres.*

Præterea qui tu perſonatus ſcripſiſti? an alienus a ſcommatibus & convitiis: ipſe non dices. Voluiſti facete ridere Cornelium, *& Cornelius facete voluit ridere Arnoldum*, *ergo ſumus pares: ſi enim vel in eo genere ſuccumbas*, *dandum illud eſt imbecillitati tuæ*, *quum de animo perfecte conſtet. Igitur ut mihi & iis*, *quæ de animi magnitudine a Philoſophis accepi*, *facerem ſatis*, *erat mihi vel contemnendus Pagenſtecher*, *vel ſtylo faceto*, *ſubinde & atroci*, *caſtigandus. Et hoc placuit*, *& placuit*, *ut mihi videtur*, *ſatis modeſte pro rei indignitate. Tu contra quiritaris*, *ſed fruſtra; qui contumeliam facit*, *contumeliam audiat oportet: ſi tamen recte contumelia ſit dicenda*, *quod jure tuo tibi debetur. Cum res exigit*, *homines ſoleo æſtimare quanti ſint*, *vel mihi eſſe videantur. odii ac metus juxta ſecurus; nec ſane erat*, *cur te demulcerem*, *qui nihil bonæ frugis extruſiſti unquam*, *niſi quod forte aliis nefarie ſurripueris.*

—— adulandi gens prudentiſſima laudet
Sermonem indocti —— —— ——

Si te ſtupidiorem dixi, *ſi mendaciorem*, *dixi quod res eſt*, *& dicere non contentus*, *liquido probavi*, *nec tu audes contra hiſcere. Non merebaris*, *ut te errantem delirantemque benigne ferrem;*

rem; multa, *inquit ille*, donanda ingeniis puto, ſed vitia, non portenta, *& jam ſatis, credo, ipſe intelligis, portenta eſſe, quæ per auditorem tuum deblateraſti, portenta item, quæ tua* Proluſio *contra Irnerium præter deſcriptos Molinæum & Strauchium habebat præcipua. His tam contumacibus ulceribus ſi acriora remedia adhibuerim, factum eſſe ſcito ex auctoritate principum Medicorum; ſcito etiam, me non promiſcuis, ut exiſtimas, dicteriis te exagitaſſe, ſed ſingulis, quas adverſus me jeceras, periodis ſimpliciter culpas adſcripſiſſe, culpas, inquam, te & rumoribus tuis digniſſimas. Non hæc ſunt, O bone* ἱμονιοστρέφων μέλη, *ut ex Ariſtophane mihi objicis, ſed illa potius, quæ idem Ariſtophanes alicubi recitat* ἐν Νεφέλαις. *Quin ſi vel has tibi promiſcue delicias dixiſſem, quales ibi me legere memini, & tu mihi, ut ille in Comœdia, nimiam audaciam objeceris, ego viciſſim, ut alius ibidem, nimiam tibi ſtoliditatem objecero, atque ita Ariſtophanica tua Ariſtophanicis commutavero.*

Sed ut tuam illam Præfationem, quantum mihi adverſa eſt, propius excutiam, dic mihi, ſodes, ex quo tibi advenerit illa modeſtia, illa pietas & manſuetudo, qua te ibi tantopere extollis? ſolebas ſane Viris, etiam honeſtiſſimis, truculenter inſultare, & in eo ccrviculam tuam jactare. Scio, quid apud Vos fiat, & novi mores tuos; ipſe oppido machæram tuam reformidaſſem, niſi mihi domi fuiſſet vervina: nunc, ubi vides robora roboribus oppoſita, intra viſcera tua confugis, & muliercularum inſtar fremis frendesque. Huc pertinet ſilentium tuum de Irnerio, libelli famoſi vecors exprobratio, & injuriarum lamentabilis querela.

Nec tamen vel eo nomine te quiſquam audiet, ſatis enim probavi, libellum, quem tibi oppoſui, famoſum non eſſe, &, ne quid amplius dicam, ſola fides veri me abſolvit. Idem eſto judicium de injuria, nam, ſi neſcis, veritas etiam juſti convitii excuſat; qui erit injuria, quod jure optimo fit? legiſti, credo, l. 18. pr. ff. de Injur. *&* l. un. C. de Famoſ. libell. *hæc tibi, quod dixi, perſuadebunt; legiſti etiam* l. 5. C. de Injur. *ſed hanc, ſat ſcio, non intelligis, aliud ibi agitur, quod te nunc non doceo. Faceſſat igitur injuriarum actio, immo & retorſio, quam hic crepas; injuriarum tenetur, qui, ubi actio non eſt, injuriam retorquet. Ita vulgo placet, auctoritates non addo, non ſemicrudos Doctores, ut ſunt inter eos, quos heic loci tu recitas. Veſanus ſim, ſi tuo exemplo* Conſilia, Concluſiones, Judiciorum formulas, *& nugas his ſimiles producam, ubi ex jure manum conſerimus. Sunt hæc tædia fori, quorum animus meminiſſe horret: in eo pulvere ſeptennium fere trivi; prudenter igitur utere his pontibus, ne tibi accidat, quod iis, qui Cujacium adibant ſylveſcentibus in ore eorum Conſiliis, Opinionibus, Deciſionibus Doctorum innumeris, hiſtoriam habes ejus* Conſult. XXIII. *quin jam tibi tale quid accidit, ſed tædet referre. Attamen patior, te hæc recitare, qui voluiſti Fiſcum edocere, quo jure mecum experiri oporteat judicio publico, ſed non patior te formulas retorquendæ injuriæ ex Struvio aliisque corradere, & has elegantias lectoribus tuis inculcare. Germanice etiam quædam hic effers, ſed, ſi ita pergas, cum mihi tecum res eſt, Japonenſium aut Chinenſium lingua te ſum aggreſſurus.*

Redeo ad querelas injuriæ, perſuaſurus tibi, ſi potero, me, quod dixi, non injuriæ faciendæ cauſa dixiſſe, ſed monendi & docendi cauſa. Quæſtio eſt, ut noſti, ſolius animi; ejus ſecreta liceat mihi ſemel obteſtari, cum tu obteſteris ſæpe; & par eſt, ut mihi credas, quia bonæ fidei ſum, & ſimul credas, injuriarum tibi non competere ob rationem, quam rettuli & refert l. 5. in fin. ff. ad L. Aquil. *Quinimo nec alio nomine competit: etenim* in Sapientem non cadere injuriam *Seneca Libro ſingulari exſecutus eſt; non quod opiner te ſapientem eſſe, ſed quod ita opineris ipſe: id enim magno molimine agit tua illa Præfatio. Quam ſapiens eſt, e cujus Schola, velut equo Trojano, tot heroës prodiere! tot Juris Antiſtites, ut ea re vel Papinianus noſter tibi adſurgat! quam ſapiens eſt, qui ab laudatis Viris laudatur! teſtimonia enumeras & carmina, quæ mox ſuppreſſa voles. Interea quum tibi, ut ſapienti, applaudas, recte colligo, injuriæ te capacem non eſſe, ſi vel maxime quis tibi maledixerit. At vero me quod attinet, tantum abeſt, ut maledicta in te jecerim, ut benedicta fuerint; non equidem benedicta, qualia olim Caſcellius, & tu ſcilicet nuper ſcripſiſti, ſed quæ Comœdia intelligit, cum ait;* Indignis ſi maledicitur, maledictum id eſſe dico, verum ſi dignis dicitur, BENEDICTUM eſt.

Vides qua uſurus ſim depulſione, ſi mecum injuriarum agas; ſed alia minaris. Potuiſſem, *inquis*, accuſatione extraordinaria criminali adverſus Bynkershoekium procedere, potuiſſem ad fuſtigationem aut virgas publicas huic delinquenti infligendas juxta Criminaliſtarum unanimem ſententiam concludere, &c. *Horridæ orationis horridior ſententia! itane tibi ſedet, dulciſſime magiſter? parce, precor, precor. Sin autem plenus irarum calidæque rixæ certum immotumque eſt non parcere, agedum, ſubſcribe in crimen; ſi nullo jure te caſtigaverim, ipſe caſtigandus ſim, ſi jure optimo, jam bona fide te compone ad plagas: ego interim lictorem cum præcone adeſſe jubebo, illum, qui te fuſtibus large cedat, hunc, qui ſuperdicat:* ἐσυκοφάντησας. *Ita quæ te diu manuit infamia facti, etiam infamia juris in poſterum manebit ex ſententia* L. 16. C. Ex quib. cauſ. infam. irrog. *Men' ut impune accuſes? ut judicio publico? neſcis te de corio tuo ludere? ſed bono ſis animo, ſubſcriptione in crimen amplius non*

uti-

utimur: adſis modo huc, exſpectat te Procurator Fiſci, collaturus tecum conſilia de cauſa & titulo accuſationis, adſis, inquam, huc, ſed marſupii tui ne oblíviſcaris. Ego qui bona, ut dixi, non mala in te carmina ſcripſi, ſecurus ſum, nam, poſtquam in me peroraveris,

Solventur riſu tabulæ, mox miſſus abibo.

Qua tamen es inconſtantia, judiciorum & actionum minas remittis, & injuriam, ſolemniter oppido, retorques. Utique ſcis, retorta injuria, injuriarum agi non poſſe; putem te ea de re legiſſe Feltmannum tuum, & quos ille dedit alios. Putem quoque, eo ipſo te injuriarum reum eſſe, quum tuæ expoſtulationes nullæ ſint, uti ſatis jam docui. Pro facilitate tamen mea hac mitto, & te retorquentem audio. Conceptis igitur verbis hanc formulam ordiris: Ego Alexander Arnoldus Pagenſtecher, *& quæ ſequuntur. Hoc autem agis formularie, ut eas, quas tu loqueris, impuritates, evomenta, eructationes in gluttum meum refundas, retorqueas, rejicias. Sed tantum abeſt, ut illam glutto poſſim ſorbere ſalivam, ut ad hos fœtores vel recitandos fere nauſeem. apage quantocyus ſordes & latrinas. Nihil quicquam dixi, quod te non ſit dignum; qui te ſtylo inſectatur, eum neceſſe eſt inſectari imprudentiam, levitatem animi, hypocriſin, &, ut verbo abſolvam, ſtellionatum. Salem, quem adſperſeram, tu ferre non potes, & quia ulcera tua hunc horrent, & quia inſulſus es. Ubi tamen latebas, conſtat te voluiſſe ſarcasmis pungere & facetiis, quæ acrem ſui memoriam relinquunt; nunc, poſtquam te perſonatum ex latebris eduxi, & jocis, cum innoxiis, tum, ubi res exigebat, aſperis vapulatum dimiſi, animo toto fractus es, & ſimulata mox gravitate incipis concionari de tutela honoris tui, ineptire de honeſto & decoro, atque etiam (tantum tibi deſperationis eſt) provocare me ad tribunal Dei ter optimi maximi. Flebiles elegi!*

Tranſis ad laudes tuas, quas non ſecus ac illi, qui pyxides & pharmaca hianti popello vendunt, longe lateque decantas. Si Plutarchi libellum de laude ſui *legiſſes, & ſic te in ſpeculo vidiſſes alterum, a milite glorioſo, os humeroſque tibi ſimili, ipſus horreres. Sed facis hoc eo, ut non eſſe te* dubiæ ſanitatis, *quemadmodum ego dixeram, ires probatum: ignarus ſcilicet, non aliunde magis effici, te uti mente non integra, quam ex hoc laudum tuarum præconio. Enarras Principes & Ordines, quibus ais te placere, & hinc petis teſtimonium, quod tibi tua virtus dare nequit. Noli, moneo, nimium turgere, ſcio, ut qui optime, apud eos, quos commemoras, non eodem te loco eſſe, quin apud aliquos ſatis mediocri, ne dicam infimo. Ad hæc teſtimonium denuncias iis, quorum auctoritatem nemo non magis admiſerit in re publica, quam literaria.*

Addis tamen te etiam laudatum eſſe ab Viris laudatis, ab Ulrico Hubero, ab Feltmanno, & quibus non? at vero quo pretio tu ſis apud literatos, & olim fueris apud Ulricum Huberum, me non latet. Quid ille de te ſenſerit, non ſemel mihi præſens præſenti ſignificavit, ſi tanti eſſet, manes ejus in te teſtes adducerem; ſed ſcin', quid te fallat? diſces, ubi rem altius repetiero. Scilicet ut initia & famam tuam explicares, per literas ambiiſti, vel potius emendicaſti amicitias virorum, qui in Belgio, etiam alibi, eruditione clarebant. Alii te deſpicere, alii, vexati toties, tralatitia humanitate reſpondere; ex his autem ſi quis vel animum ſuum vel morem ſequutus blande te compellaſſet, mox tu tolli humo & criſtas erigere. Atque hæ ſunt literæ, de quibus tu usque adeo gloriaris: nam certus ſum te non extorſiſſe teſtimonia ab Viris doctis, niſi eo, quo dixi, turpi modo emendicata. Acceſſit aliud: laudabas enim in quisquiliis tuis omne genus Doctos, quo ipſi te laudarent viciſſim, & ita aliquando pro longis, quæ illiberali more adſcripſeras, elogiis impetrabas tenuem & frigidam mentionem tui, qua te jam extollis.

Huc refer Ulricum Huberum, qui in Eunomia Romana *te, ſed ſine encomio, adducit, refer & alia, quæ narras. Si hunc ipſum Huberum in eodem Opere me non illaudatum, neque ſemel, commemoraſſe oſtenderem, armatura, qua tu, levi pugnarem, & ſimul eſſem vanus, id eſt, tui ſimilis. Vera virtus pretio ſui contenta arbitrio popularis auræ non regitur, neque adeo præcones quærit, neque indiget teſtimoniis. Tu contra, quæ animi tui egeſtas eſt, undecunque ea corradis, & tamen prava ambitione videri vis ante* Irnerium tuum *non omnia nobis repræſentaſſe carmina, quæ prodige in laudes tuas effuſa eſſent.* Nec finem, *ais ad tuos,* nec modum me amandi & honorandi habere voluiſtis. *Deſine ampullas, & dic, quod res eſt, te laureolam, quam non meres, ex hoc muſtaceo quærere, ſpernunt hæc animi magni, puſilli vel pretio redimunt. Sed quo magis Amicorum tuorum effuſa encomia intueor, eo minus mirari ſubit, te ipſum tua tam altum prædicare;* Quis non, *inquit Seneca* de tranq. Anim. C. I. inter laudantium blandientiumque poſitus greges, plurimum tamen ſibi ipſe aſſentatus eſt? *id tu, Thraſo, exemplo tuo luculenter probaſti.*

Nunc, ut animum nonnihil remittas, notas typorum vitia, immo & tua, & mox acrior inſtas. Itaque bello ordine redis ad me, vel potius ad te: nam neſcio quæ non garrias, non ut me petas (hoc enim apparet) ſed ut laudes tuas porro abſolvas. Inter alia facinora ais te re-

ſpon-

ſpondere de jure, & , ne quis dubitet, cauſam addis & conſilium. Atque hæc eo, putem, ut rurſus vincas, te dubiæ ſanitatis *non eſſe. perperam, nam Plinius* Lib. VI. Epiſt. 15. *de Priſco Javoleno hæc refert:* Eſt omnino Priſcus dubiæ ſanitatis, intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, ATQUE ETIAM JUS CIVILE PUBLICE RESPONDET. *quare nihil vetat, te de Jure reſpondere, & tamen minus ſanum eſſe. Deinde, quod nos facimus quotidie, tu ſemel vel bis feciſſe, adſcripto die & Conſule, gloriaris inepte. Attamen neceſſe eſt, ut hoc addam, te peſſime aliis cavere, qui tibi ipſe cavere non potes; prudentiam vel amici in te deſiderant.*

Pergis te laudare ad nauſeam. De literis, quibus tibi blanditias dicunt Viri docti, monui jam ſatis; nunc moneo, uti ne in poſterum mutire velis de L. 69. ff. Pro ſoc. *ſin minus ... aſt laudes præſtat compeſcere inaneis. Interea ſi ſcire aves veram ſententiam* d. L. 69. *diſcere potes ex Diſputatione, quam ante annos jam octo* de variis Capitibus Juris *ſcripſit Petrus Tronchin, animæ, dum viveret, dimidium meæ: dedit eam Franequeræ Friſiorum, cum in ordinem JCtorum adſcriberetur. Ne putes, me juvenilia narrare, jam tunc ſupra te & ſexcentos tui ſimiles eruditus erat; nunc ſurdus jacet pulvis, elapſo proxime anno fati invidia, dicam, an injuria exſtinctus; hæc mitto, quamvis invitus. Quid tu porro? ter quaterve buccam inflas, & tibi gratularis de facinoribus tuis in re Academica, jactas auditores tuos, jactas Profeſſores a te Profeſſore prognatos, eosque non alia fini mihi videris extollere, quam ut contra fidem proverbii credamus, mali corvi etiam bona ova eſſe. Imo vero, inquis, ipſe ſum optimus, & Academiæ Groninganæ reſtaurator & ſoſpitator maximus, hoc enim vis multo verborum ſtrepitu. Sed quo non abit vanitas & ambitio? ita tu Corybantis inſtar te efferes, & ridendum præbebis Collegis tuis? miſeret me tam inflatæ buccæ, quam, ſi vel depalmes, non depreſſeris. Neque etiam proderit, ſi liquido oſtendam, famam tuam apud Eruditos laborare, auditoria decreſcere, & quo magis innoteſcis, eo minus te ſtatione, quam habes, dignum cenſeri. Tum demum hæc ſenties, ubi virtutis præmia te deſtituerint, ubi crumenæ tuæ (cui in primis te ſtudere, & non ſine levis notæ macula dudum ſtuduiſſe ex idoneis auctoribus intellexi) ubi, inquam, crumenæ tuæ cœperint languere proventus, ubi denique inter cathedras ploraveris ſolus.*

Poſt tua, quæ recitaſti, encomia, & res bene geſtas ſcilicet, ita porro infis: Si id uſſerit invidos, ſi id elicuerit dentes Theonis &c. *Sed vero hæc tua recitatio non invidos, non Theones urere potuit, at benignam iis præbere ridendi materiem: quin & hanc præbuiſſe ſcio amicis, tibi alioquin blandientibus. Neu tamen credas, me invidere iis, quæ tu unquam præſtiteris, cum ſancte adfirmem, neſcire me, te quicquam præſtitiſſe, quod invidiæ dare poſſet locum: ſi præſtitiſſes, laudarem, nunc, quicquid a te profectum eſt, damno. Nemo eſt me facilior ad expediendas magnis ingeniis laudes, nemo difficilior ad extollendos tenebriones & verveces; hæc animi mei difficultas apud te audiat invidia, æmulatio, nec ne, parum refert mea. Nec tamen eſt, cur tibi inviderem, qui neque familiam habes mecum erciſcundam, neque eandem, quam ego, ſtationem vitæ, id enim, ut in Heſiodo legiſti, cumprimis alit æmulationem. Nec etiam eſt, cur innuas, me ad famam aucupandam tecum congreſſum fuiſſe, qui hanc, ſi creſcat, malim creſcere occulto velut arbor ævo, qui denique, ſi hoc ſediſſet, adverſarium ſelegiſſem magis utique illuſtrem, & quem viciſſe gloria eſſet. Placet mihi pueri Aſcanii ſententia, ut, ſi experiundæ vires ſint, cum eo optem non* iners pecus.

Sed vel aprum aut fulvum deſcendere monte leonem.

Anteceſſor Juris es, fateor, ſed ex ordine, ut ita dicam, Fratrum Minimorum; *de te enim, ſi de quoquam, recte exauditur illud* Anthologiæ Lib. I. Tit. εἰς τύχην. 80.

Οὐκ ἐθέλουσα τύχη σε προήγαγεν, ἀλλ' ἵνα δείξῃ,
Ὡς ὅτι καὶ μέχρι σοῦ πάντα ποιεῖν δύναται.

vertam in tui gratiam, ſed Jambis, te dignis:

Fortuna ſponte te ſua non extulit,
Sed usque te quo cuncta poſſe ſe probet.

Adeo præſtat, non eſſe Anteceſſorem Juris, quam Pagenſtecherum eſſe. Eo tamen titulo mire ſuperbis, & ipſo jure infamem eſſe vis, qui tantum Juriſprudentiæ columen aggreditur, vel potius qui te delirantem non fert, adducta in hanc rem perperam, ut ſoles, Auth. Habita *C.* Ne fil. pro patr. *Cave exiſtimes, nunc tibi licere impune peccare, quin contra peccat gravius, qui in illuſtri poſitus eſt loco. Si valerent hæc ignorantiæ privilegia, & ego tenuitatis meæ, quæ his indigeret, fuiſſem conſcius, jam uti potuiſſem aliquamdiu; ſed, ut nunc eſt, diſcere quam docere paratior, facile te audio prædicantem provinciæ beatitudinem tuæ. Dignum te digno munere præſta.* Cæ-

Cæterum tu memor mei, & ut Poëta ait, κακῆς μεμνήμενος ἄτης, *ea, quæ tua Præfatio effutiverat, lenire cupis, oratione ſatis ſubmiſſa me monens, ne in me quicquam dictum ſcriptumve velim exiſtimare, niſi quod nomine meo palam addito dictum ſcriptumve eſſe conſtet. Laudo hunc animi tui pudorem, laudo etiam quod cætera permittas Divis, & ea præter nihil laudo, niſi forte ſilentium tuum de Irnerio, hoc eſt, de lite, quam mecum per auditorem quemdam tuum conteſtatus es. Salva tamen res eſt, cremodicii contracti pœnas ſcis hic nullas eſſe, certe nullas ratione rei pecuniariæ, quam te tantum non unice curare norunt omnes, qui te norunt.*

Arrepta mox occaſione interſeris dulce πάρεργον *de ſermone latino, quo hoc agis, ut probes, etiam Legum argumento, JCtis integrum eſſe aliquando non latine loqui. Opportune admodum, cum tu nec Romane, nec Latine loquaris: ſi ſolœciſmos tuos, ſi reliqua ſtyli vitia increpare animus eſſet, nemo non te damnet ad triſtes ferulas, ſceptra pædagogorum. Te igitur præceptore male ſe habet latina eruditio, cum non ſolum ipſe pecces, ſed aliorum, ut peccent, animum obdures. Non ego quidem ſum rigidus orationis latinæ exactor, nec a quoquam poſtulem, uti loquatur, quemadmodum Lælia, ſocrus Craſſi, aut Gracchorum mater, Cornelia, ſed nolim tamen te tantum & toties peccare, ut nunc in oculos incurrit, nolim te priſtinam barbariem Scholis inducere, & ea peſſimo exemplo docere auditores tuos, quæ, ſi ſcirent, omnino eſſent dediſcenda. Denique nolim te in eam rem advocare præſidium* L. 101. pr. & L. 103. ff. de V. S. *rurſus enim calumniaris Jus Civile, more tuo, ita me Dî ament, nequiſſimo. Si, qui id oſtendat, deſideres, ex dupondiis tuis aliquem ocyus accerſe.*

Non ita potes valedicere Lectori tuo, niſi cum eo nonnihil adhuc fueris confabulatus de retorſione injuriæ, & Doctores formulaſque ſuggeſſeris, queis diſcat injuriam regerere; de his jam dixi ſatis. Unum addo, ne quem videlicet fallat ille retorſionum apparatus, meque adeo exiſtimet læſiſſe non læſum prius. Contra ſe, ut retuli, res habet. Juſto agmine & indignis modis me adortus eſt perſonatus Pagenſtecher. Indignatus ſum, & hominem pari jure defricui. Nunc verba edit & voces & ſegnes planctus. In poſterum, mi Pagenſtechere, quid ſis acturus, an nihil, an animam, neſcio; hoc ſcio, me neque inimicitias tuas deprecaturum, neque amicitiam (tantum mihi comitatis eſt) detrectaturum. Vale non tua, nec Juriſprudentiæ, ſed uxoris, ſed liberorum cauſa.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

AD

L. A Ξ I Ω Σ I Σ IX. D.

DE

LEGE RHODIA DE JACTU

LIBER SINGULARIS.

VERBA LEGIS:

VOLUCIUS MÆCIANUS, EX LEGE RHODIA.

ΑΞΙΩΣΙΣ ΕΥΔΑΙΜΟΙΝΟΣ ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΣ ΠΡΟΣ ΑΝΤΩΝΙΝΟΝ ΒΑΣΙΛΕΑ. ΚΥΡΙΕ ΒΑΣΙΛΕΥ ΑΝΤΩΝΙΝΕ, ΝΑΥΦΡΑΓΙΟΝ ΠΟΙΗΣΑΝΤΕΣ ΕΝ ΤΗ ΙΤΑΛΙΑ, ΔΙΗΡΠΑΓΗΜΕΝ ΥΠΟ ΤΩΝ ΔΗΜΟΣΙΩΝ ΤΩΝ ΤΑΣ ΚΥΚΛΑΔΑΣ ΝΗΣΟΥΣ ΟΙΚΟΥΝΤΩΝ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ ΕΙΠΕΝ ΕΥΔΑΙΜΟΝΙ, ΕΓΩ ΜΕΝ ΤΟΥ ΚΟΣΜΟΥ ΚΥΡ ΟΣ, Ο ΔΕ ΝΟΜΟΣ ΤΗΣ ΘΑΛΑΣΣΗΣ, ΤΩ ΝΟΜΩ ΤΩΝ ΡΟΔΙΩΝ ΚΡΙΝΕΣΘΩ ΤΩ ΝΑΥΤΙΚΩ, ΕΝ ΟΙΣ ΜΗΤΙΣ ΤΩΝ ΗΜΕΤΕΡΩΝ ΑΥΤΩ ΝΟΜΟΣ ΕΝΑΝΤΙΟΥΤΑΙ. ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΑΥΤΟ ΚΑΙ Ο ΘΕΙΟΤΑΤΟΣ ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ ΕΚΡΙΝΕΝ.

Vetus Interpres.

DEPRECATIO EUDÆMONIS NICOMEDIENSIS AD ANTONINUM IMPERATOREM. DOMINE IMPERATOR ANTONINE. NAUFRAGIUM IN ITALIA FACIENTES DIREPTI SUMUS A PUBLICANIS CYCLADES INSULAS HABITANTIBUS. RESPONDIT ANTONINUS EUDÆMONI: EGO QUIDEM MUNDI DOMINUS, LEX AUTEM MARIS, LEGE ID RHODIA, QUÆ DE REBUS NAUTICIS PRÆSCRIPTA EST, JUDICETUR, QUATENUS NULLA NOSTRARUM LEGUM ADVERSETUR. HOC IDEM DIVUS QUOQUE AUGUSTUS JUDICAVIT.

CAPUT I.

Voluſius Mæcianus ex Lege Rhodia.

Ita eſt inſcriptio in libro Florentino. Utque ita ejus fide credamus, Voluſium Mæcianum hujus *Legis nonæ* auctorem eſſe: alioquin non deſunt Codices, qui Labeoni eam tribuunt, idque ſimpliciter, non adſcripto libro, unde petita eſſet, & ita etiam *Manuſcriptus* meus. Illi autem hæc, *Voluſius Mæcianus ex Lege Rhodia*, rejiciunt ad finem Legis præcedentis; quod Accurſio, ut moneret nonnullos Legem hanc in verſiculo primo Legis proximæ locare, anſam dediſſe vero eſt ſimile. Sed vincit auctoritas Libri Medicei, quæ omnino perſuadet, eſſe hanc Legem Voluſii Mæciani,

ni, Voluſii illius, quem ſub Antoninis, Pio & Marco, vixiſſe certum eſt, an & quamdiu ante vel poſt eos vixerit, non comperio, non certe, quod tuto dici queat. Ejus vitam qualemqualem dederunt alii.

Ait, *ex Lege Rhodia.* Hoc eſſe nomen libri, in quo apud Mæcianum hæc referebantur, omnium aliarum legum, quæ in Pandectis ſunt, inſcriptiones ſatis arguunt, utpote in quibus perpetuum eſt, ut auctoris nomen excipiat nomen libri, unde petita lex eſt. Simpliciter autem Florentiæ legitur *ex Lege Rhodia*, Haloander, ne quid deeſſe videretur, maluit *ad Legem Rhodiam*, & ita etiam alii. Plures tamen, interque hos Robertus Stephanus anno MDXXVII. ediderunt, *Libro Epitomarum ex Lege Rhodia.* ſed quicquid ejus rei ſit, nihil refert magnopere. Nobis ex lectione Tuſca, quam ſervamus, licet intelligere, Mæciani librum *ex Lege Rhodia* fuiſſe collectionem quarundam legum Rhodiarum, forte magis quæ in uſu erant, & ad jactum pertinebant, quasque hoc libro Voluſius vel collegit tantum, vel commentariis annotavit: quales fuerunt aliorum JCtorum libri, qui inſcribuntur, ex Caſſio, Poſterioribus Labeonis, Minucio; Claudii item ex Scævolæ Digeſtis *inſcript. l.* 17. *ff. de fideicomm. libert.* Pomponii ex Sabino *l.* 17. §. 3. *ff. de furt.* & alii, præter Florentinum, libri in *l.* 21. §. 2. *eod.* & liber Florentinus in *l.* 14. §. 8. *eod.* & præter eum rurſus alii in *d. l.* 14. §. 6.

Poterant hæc perſuaſiſſe Jacobo Gothofredo, ne crederet, quod credit *Cap.* II. *ad h. l.* Mæcianum hæc ſcripſiſſe *libris Publicorum*, & verbis *ex Lege Rhodia* indicari, hunc locum ex jure, quod nobis ſupereſt, Rhodio eſſe deſcriptum. Illud Seldeno in *Mari cl.* C. XXV. hoc & Mornacio probatum eſt in *Obſerv.* ad *h. l.* Et quidni verum ſit, ſi aſſentiamur Gothofredo, Mæcianum librum ex lege Rhodia non ſcripſiſſe? Sed ne quæras, quibus indiciis, quo teſte probarit; horum enim nihil. Neque unus eſt quiſquam adeo ad ſtultitiam ſimplex, qui loco probationis ſibi obtrudi patietur, nullum eſſe Mæciani librum ex Lege Rhodia, cum nullus in Indice Florentino enumeretur, eſſe quidem ejuſdem libellum de *Aſſe*, qui in eo Indice etiam non memoratur, ſed hunc ad jus non pertinere. Nemo, inquam, hoc ſibi obtrudi patietur, quum nec vulgus Eruditorum ignoret, illum Juſtiniani canonem longe lateque imperfectum eſſe, & quam plurimos dari JCtorum libros, & de jure, & ex quibus Pandectæ compoſitæ ſunt, quorum ille Index non meminit; aliquam multos recenſuit Cujacius *Lib.* II. *Obſerv. C.* 21. Quin ipſius Voluſii *Quæſtionum liber* Papiniano commemoratur in *l.* 86. *ff. de acq. vel. omitt. hæred.* & tamen hunc in Indice fruſtra quæras, & fruſtra cum ejuſdem *Fideicommiſſorum libris* confundas, quamvis ita videatur Menagio *Amoenit. Jur. cap. V.* & Gothofredo *d. C.* II. Sane ſi aliquo *Publicorum* libro hanc ſpeciem retuliſſet Mæcianus, non eſt, cur eum Tribonianus non inſcripſiſſet *Legi nonæ*; ſin fingas, Mæcianum ibi hæc transſcripſiſſe *ex Lege Rhodia*, continuo etiam debebis fingere, non veterum Auctorum libros, ut ſemper alias, ſed laudatam in iis legem inſcriptioni heic cauſam dediſſe. Oportebit etiam, ut Gothofredus illa *ex Lege Rhodia* ejus eſſe dicat, qui Pandectas compoſuit, nam Mæciani, hæc ibi in rem præſentem adducentis, eſſe nequeunt, ſi, ut vult *Cap.* VI. *verſiculus* Τοῦτο δὲ etiam ſit Mæciani, niſi rurſus fingeres, nunc aliquam periodum latinam, deinde aliam græcam in illo *Publicorum* libro Mæcianum ſcripſiſſe. Deinde ſi proponas Tribonianum ἐπιγραφῇ latine dixiſſe, quæ ipſe græce dixerat, cum ex eo, tum ex ſcholio Mæciani, ut ait, græco apparebit tamen, græce ibi fuiſſe loquutum, qui in reliquo *Publicorum* opere, ut teſtantur ejus ἀποσπάσματα, ſemper loquitur latine. tantum operæ eſt, ut hæc componamus. Nec movet, quod *Legis* IX. bona pars exſtare dicatur in jure Rhodio, cum nihil vetet, in *librum ex Lege Rhodia*, referre, quod ipſe ſine libro ex ea deſumtum credit. Addo tamen, quod mox ſum probaturus, neque certum, neque probabile eſſe, Mæcianum ex jure Rhodienſi, quod ille aliique hodie circumferunt, depromſiſſe hanc, qua de agimus, legem, atque adeo eo ſenſu τὸ *ex Lege Rhodia* nec Mæcianum dixiſſe videri, nec Tribonianum. Scripſit Voluſius omnino librum *ex Lege Rhodia*, ni fallat inſcriptio, & nihil agit Jacobus Gothofredus, dum ſollicite diſquirit, qua occaſione Legis noſtræ auctor in libris *Fideicommiſſorum* vel potius *Publicorum* (nam alia ejus, quæ ad jus pertinent, non agnoſcit) Eudæmonis cauſam memoraſſet & commodum intruſiſſet.

Ille autem liber *ex Lege Rhodia*, ſive nullum præterea, ſive *Epitomarum*, ſive quod aliud ei nomen fuerit, ille, inquam, liber, ſi quid conjicimus, ſingularis fuit, quia numerus non additur, ut alioquin fieri adſolet; is enim, ut opinor, conſtanter exprimitur in inſcriptionibus, ubi libri ſunt plures, ubi unus, omittitur, vel addita *ſingularis* nota, vel commemorato ſimpliciter libri titulo; ita hic, ita alibi exemplorum abunde eſt.

Cæterum hic Mæciani libellus græce fuerit conſcriptus, an latine, ex *h. l.* 9. intelligi non poteſt. Latina quidem eſt inſcriptio, ſed etiam earum legum, quæ ex Herennii Modeſtini *Excuſationum libris* petitæ; in oratione continenti idem non liceret, ut jam diſputavimus. Neque eſt, ut cum Menagio *Amœnit. Jur Cap. V.* græcum fuiſſe ex eo colligas, quod lex Ἀξίωσις, ex illo libro petita, græca ſit, nam id non Mæciano tribuendum videtur, ſed actis, de quibus mox latius. Neque etiam græcus erit ob *verſiculum* Τοῦτο δὲ, nam is, cujus ſit, non liquet, quemadmodum dicemus *Cap. ult.* Non rurſus latinum efficies ex eo, quod acta, quæ apud Imperatorem Romanum in cauſſarum cognitione fiebant, conciperentur latine, nam neque id perpetuum fuiſſe, ſed pro locorum differentiis variaſſe nonnullis recte obſervatum memini; certe in Reſcriptis, quale eſſe videtur hic Antonini, etiam alias græce reſponſum conſtat. Eſt igitur res incerta; neque certior reddi poteſt, ſi dicas cum Jacobo Gothofredo, Mæcianum hunc locum exſcripſiſſe ex *Auctoritate*, quam vocant, *Legis Rhodiæ*; quamvis enim id verum eſſet, tamen, quum omnia ibi græca ſint, nihil vetaret, quominus Mæcianus libro latino locum originis græcæ inſeruiſſet. Et magis eſt, ſi conjectura rem finire placet, hunc Voluſii *ex Lege Rhodia* librum, non ſecus ac alios ejuſdem, fuiſſe latinum, at vero hanc legem apud eum græce legi, quia in actis Imperialis auditorii ita exſtabat: forma namque hujus loci videtur arguere, ex ejusmodi actis reliquias, quas interpretamur, fuiſſe excerptas. Plura in Pandectis occurrunt ex actis Sacri auditorii, quæ hic adferre nihil attinet, aliqua ſuo loco dicentur. Quod autem in hiſce actis cauſa Eudæmonis græce fuerit relata, non mirabitur, qui eum Nicomedienſem fuiſſe meminerit,

nerit. Sed jam nimium tricis, fere inutilibus, immoramur.

Eſt, quod nolim omitti: ipſum videlicet Mæcianum hanc legem deſcripſiſſe videri ex actis, quæ diximus, Imperialibus, non vero, ut exiſtimat Jacobus Gothofredus 'Υπομν. ad *h. l.* ex *Auctoritate* ſive *Præfatione Legum Rhodiarum.* Perperam, ni fallor, quamvis id probet Mornacius ad *h. l.* de Legibus illis Rhodiis, quæ dicuntur, videbimus infra *Capite Peculiari*, & digna res erit. Præfationem illam quod attinet, verum eſt, ejus auctorem omiſſo Eudæmonis libello recitare eadem, quæ heic habemus a *verſiculo* 'Εγὼ μὲν, ſed hæc ille, ut opinor, vel ex Mæciano noſtro, vel etiam, quod equidem fieri potuit, ex eisdem actis auditorii Imperialis. Non, inquam, ex eo Mæcianus, quippe antiquior. Recenſet ille Legum Rhodiarum compoſitor ſtatim in *Principio Auctoritatis* ſuæ & Pertinacem & Septimium Severum Imperatores, qui Leges Rhodias confirmaſſent; poſt eos igitur vixit ille *Auctoritatis* auctor, vel utique eorum fuit æqualis. Mæcianus autem noſter quum jam Antonini primi ævo floruerit, vix eſt, ut eo perveniſſe credi poſſit, niſi cum addere placeat Luciani μακάριον. Neque, ut hæc evites, licebit denuo fingere cum Gothofredo, *Auctoritatem* illam ab aliis neſcio quibus poſtea auctam fuiſſe Conſtitutionibus inſequentium Imperatorum, quibus Leges Rhodias iviſſent confirmatum, ſiquidem in ipſa ejus ἐπιγραφῇ Pertinax & Severus occurrant. at miror neque hanc emblematis fuiſſe poſtulatam. Denique apud Mæcianum hic & deprecatio Eudæmonis & reſcriptum Antonini cum re judicata Auguſti exſtant, apud Præfatorem illum duntaxat actorum pars, quæ ſententiam Antonini & præjudicium Auguſti continet; & quis ex parte totum dabit? & non potius ex toto partem? Sin dicas, *Auctoritatis* illius duntaxat eclogam nobis eſſe reliquam integram legis Rhodiæ *Auctoritatem* forte reliquum ex actis illis ſuppeditaſſe, rurſus dices, quod utrumque incertiſſimum eſt. Tantum laborat ille, ut τι ex *Lege Rhodia* interpretetur perperam *ex integra legis Rhodiæ Auctoritate.* Quanti porro ſit, vel nobis eſſe videatur illa *Auctoritas*, indicabimus *Cap.* VIII.

CAPUT II.

'Αξίωσις Εὐδαίμονος Νικομηδέως πρὸς 'Αντωνῖνον Βασιλέα.

Deprecatio Eudæmonis Nicomedienſis ad Antoninum Imperatorem.

Hæc libelli ſupplicis inſcriptio, qua latinam vides, in libris autiquis fere præmittitur græcis, ſed non uſque adeo recte. Illud præter nihil variantis ſcripturæ mihi datum eſt obſervare in hiſce Mæciani vel græcis, vel ex veteri interpretatione latinis. Haloander ἀξίωσιν vertit *libellum ſupplicatorium*, Jacobus Gothofredus *Cap.* I. ad *h. l. libellum ſupplicem* ſeu *deſiderium* & *poſtulationem*, alii *ſupplicationem*, alii *preces*, alii *expoſtulationem*, quæ omnia fere nullo diſcrimine habentur. Ego tamen puto non eſſe recedendum a veteri Interprete, qui ἀξίωσιν tranſtulit *deprecationem*; ita malim, quam *libellum*, ſiquidem certe non conſtet, Eudæmon noſter querelam ſuam Imperatori expoſuerit viva voce, an ſcripto? utroque modo adibantur Principes Romani, ſed tamen quia magis porrecto libello, quam adlocutione non ſatis quandoque opportuna, non damnem, qui ex eo, quod ἐπὶ τῷ πλεῖστον fiebat, *libelli ſupplicis* hic meminerunt.

Melius autem, ut dixi, & tutius vetus interpretatio. Nec utimur Jacobi Gothofredi, Jacobi Andreæ Cruſii ad *h. l.* aliorumque ſententia, qui eam non ferunt, quod *deprecatio* eorum duntaxat eſſet, qui veniam remiſſionemque flagitant. Fuit hoc, fateor, procul ab animo Eudæmonis, ſed verum non eſt, *deprecandi* vocabulum ea ſemper ſignificatione accipi; eſt omnino *deprecari* etiam eorum, qui rogant & flagitant ſimpliciter, & *deprecatio* idem quod παραίτησις apud Græcos, hoc eſt, & ignoſcendi poſtulatio (ut *deprecationem* alicubi Tullius definit) & ſine venia poſtulatio quælibet, ſed vehemens, ſed fervida. Libelli & ſupplicationes, quibus ad Imperatores itur, *preces* appellantur in *Tit. C. de Precib. Imper. offer. precatio* in *l. ult. eod. l.* 3. *C. de LL.* & apud Spartianum *in Hadriano Cap.* VIII. *deprecatio* hic, eoque forte ſenſu Græcorum *deprecatio* & *ſupplicatio* ad Pontificem, cujus titulus eſt apud Correctores Romanos ad *Cap. V. Diſtinct.* XCIX. & aperte ita *deprecatio* in *l.* 6. *C. Theod. de Accuſat. & inſcript.* quod ipſum cum Jac. Gothofredus ad *d. l.* 6. adnotaverit, miror eum veteri Interpreti hic iniquiorem eſſe. *Deprecari* in hanc ſententiam dicimus pro *valde precari*, *de* augente ſignificationem, ut in *depoſiti* voce Ulpianus obſervat in *l.* 1. *ff. depoſit.* & in *detineo* aliisque verum eſt. Scio, A. Gellium *Noctibus Attic. Lib.* VI. *Cap.* 16. ſomniare, *deprecandi* verbum ea notione ſolius fere vulgi eſſe, ſed ſomniare tantum; Latinorum præſtantiſſimi, mox & alii, eo vocabulo ita uſi ſunt: quæ hoc probet, adeſt turba teſtium, ſed ne in re Grammatica nimium vager, ſuffecerint domeſtica teſtimonia in *l.* 1. *pr. C. de Offic. Præf. Prætor. Afr.* & *l.* 14. *C. de pact.* neque aliter Paulus *Frag. Lib.* IV. *Tit.* 1. §. 6. cum *deprecor* fideicommiſſi eſſe verbum dixit. Recte igitur 'Αξίωσιν reddidit *deprecationem* Interpres, quisquis ille fuerit, non recte eum hic Gothofredus ut alias pleraque ejus omnia ſemidocti quidam Græculi notarunt.

Fuit hæc deprecatio cujusdam Εὐδαίμονος Νικομηδέως. Νικομηδεὺς an Nicomedem, an Nicomedenſem, an Nicomedienſem vertas (ut fieri video) parum refert, dummodo aliquem e Nicomedia Bithyniæ intelligas. Eudæmon homini nomen fuit: neque enim naufragii & direptionis cauſa, in qua verſamur, permittit, ut εὐδαίμονα transferamus *felicem*, quo Nicomedienſis aliquis lautus ac beatus intelligatur; niſi quis ex Zoſimi *Lib.* I. argutari velit Nicomediam appellatam fuiſſe ΕΥ'ΔΑΙ'ΜΟΝΑ διά τε πλοῦτον, καὶ τὴν εἰς ἅπαντα εὐπορίαν ὀνομαστοτάτην, FORTUNATAM *ob divitias celebratamque omnium rerum copiam*, atque hinc illud Εὐδαίμονος epitheton Nicomedienſibus adhæſiſſe jure proprio. Sed hæc tanti non ſunt; per me licet Εὐδαίμων porro ſit nomen in Italia naufragi vel mercatoris, vel navarchi, vel alterius cujusquam: ignoramus quippe, Eudæmon ille quam vitam egerit, & pariter ignoramus, an & quare patriam libello adſcripſerit. Utque adeo Jacobus Gothofredus fruſtra heic tam

tam profunde egerit de privilegiis Mercatorum, & de addita Patria ad emerendum favorem Principis, quem non probat Nicomedienſes in cauſa naufragii, quin vel ulla re, habuiſſe præcipuos. Si patriam non actorum ſcriba, ſed Eudæmon libello appoſuerit, unice illud dandum videtur conſuetudini, & tunc aliquando, & nunc ubivis Gentium receptæ, quo is, qui aditur, in reſcribendo habeat rationem αὐτονομίας forte ejus loci, unde ei qui ſupplicat, origo eſt.

Ait, κύριε Ἀντωνῖνε Βασιλεῦ. Quis hic fuerit Antoninus, non eſt, unde ſciri poſſit. Sane ſimpliciter poſito Antonini nomine Pium intelligimus, ut puta qui, cum primus Antoninorum Principum fuerit, illud nomen quaſi præcepit, ſicuti Julius Cæſar, Octavianus Auguſtus, Tiberius Claudius Nero aliique, Cæſaris, Auguſti, Tiberii aliaque nomina, quæ inter ὁμωνύμους ſuos primi geſſerunt. Sed non utique illud ſemper verum eſt, & nunc vulgo negatur de Antonino in *l.* 17. *ff. de ſtat. homin.* non tamen, ut mihi equidem videtur, ratione ibi ſatis idonea. Quamvis autem generaliter obtineat, ut per Antoninum intelligatur Antoninorum primus, tamen hoc non aliter eſt ſervandum, quam ubi diſtinctionis ratio haberi poteſt; hæc quando ceſſat, non eſt, cur pro Antonino primo pronunciemus, quia tunc dubitari nequit, de quo verba fiant. Cauſa illa diſtinctionis cum alibi, tum hic ceſſat: quod enim nomen diſtinctionis ergo Eudæmon addidiſſet ad Imperatorem Antoninum, cui ſupplicabat, quique ibi unus erat duntaxat? quod etiam Actorum ſcriba? Antoninum igitur hic ſimpliciter dici, ut ab aliis diſtinguatur, ne veri quidem habet ſpeciem. Quinimo & in deprecatione facile utrobique omiſſum eſſet ipſum Antonini nomen, & ſimpliciter dictum *Imperator* vel *Cæſar*, quemadmodum in actis, quorum pars exſtat in *l.* 7. *ff. ad L. Jul. de vi priv.* & *l.* 13. *ff. Quod met. cauſ.* neque enim in ſupplicatione, cognitione cauſſæ, actiſve, quæ de iis fiebant, de quo ageretur, potuit ambigi. Pertinent hæc eo, ut ſciamus, per Antoninum, ubi ad præſentem ſermo eſt, non neceſſario Pium intelligi, quum ita ceſſet, quæ id induxit, ratio. Hujus rei fortiſſimum argumentum eſt in *l.* 3. *ff. de his quæ in teſt. delent.* namque ibi eſt exemplum actorum, quo non aliud eſt illuſtrius ullibi; omnia in rem præſentem concipiuntur, ſimpliciter memoratur Antoninus, nullo diſcrimine, unde ab aliis dignoſci poſſit, adjecto, & tamen ibi non Pium, ſed Marcum eſſe intelligendum ex Pudente & Pollione, additis Conſulibus, conſtat. Ex noſtris autem actis nihil conſtat omnino; uter igitur Antoninorum, Pius Marcuſve, ab Eudæmone hic fuerit aditus, non tuto definiveris, certe alterutrum fuiſſe ex eo credi poſſet, quod Mæcianum, qui hæc nobis refert, ad Antonini Caracallæ vel Antonini Heliogabali tempora perveniſſe vix eſt, ut dici queat.

Attamen Joannes Seldenus *Lib.* II. *Maris Clauſi C.* 25. & Jacob. Gothofredus ad *h. l. Cap.* VI. per Antoninum omnino volunt Pium intelligi in hac ſpecie; ille nulla, hic non alia ratione, quam quod in *fine h. l.* per θειοτάτου Αὐγούστου ſit exaudiendus Marcus, cujus ſi etiam rationem quæras, habebis eam, quod ſupra per Antoninum oporteat intelligere Pium. Eſt hoc valde lepidum. Sed vero θειότατος Αὔγουστος non eſt Marcus, ut ſic inde nihil concludas; alia ratio Gothofredi, quam diximus, ratio non eſt, & quas ille porro habet in hanc rem, nihil magis efficere dicemus *Cap. ult.*

Non rurſus cum eodem Gothofredo *Cap.* V. & XI. placet prolixe cauſam fingere peculiarem, cur in re præſenti naufragus Eudæmon ipſum Imperatorem adierit: non enim liquido conſtat de qualitate cauſſæ, perſonarumque, contra quas Eudæmon ſupplicavit, ut ſuo loco dicetur; quin ſi hoc conſtaret, non continuo (ut ille putabat) cauſa ſingularis fuerit neceſſe eſt, quæ ad Imperatorem præbebat aditum: Romani enim Principes ante Conſtantinum, qui *Magnus* dici ſolet, a quolibet in rebus quibuslibet adibantur, non dico a mercatoribus vel nautis, ſed vel a ſervis & ſi quid ſervis minus eſt. Atque illi κόσμου κύριοι, tantum iis erat comitatis gnavitatiſque, earum rerum cognitionem vel ipſi ſuſcipiebant, vel etiam pro re nata delegabant aliis, vel remittebant ad ordinarios Judices. Quod ſi quis ignoret, legat libellum *Sententiarum D. Hadriani*, & *l.* 8. & 9. *ff. de Offic. Præſid.* & quæ nos ea de re diximus in *Libro ſingulari* ad. *l. Lecta* 40. *ff. de reb. cred. Cap.* II.

CAPUT III.

Κύριε Βασιλεῦ Ἀντωνῖνε. Ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ.

Domine Imperator Antonine. Naufragium in Italia facientes.

D*omini* appellatio, quam Auguſtum Tiberiumque, Imperatorum Romanorum optumos maxumos, tantopere exhorruiſſe legimus, ita mox eviluit, ut de ævo jam ſuo Seneca in *Epiſtolis* prodiderit, etiam obvios quoſque, ſi nomen non ſuccurreret, ſalutatos fuiſſe *Dominos.* Non eſt igitur, cur miremur, hanc vocem Imperatori vel Pio vel Philoſopho adſcriptam eſſe, cum maxime tunc ea ſolemnis fuerit in adlocutionibus, quæ ad Principem fiebant. Quod hic Eudæmon græce dixit κύριε Βασιλεῦ, Vivius Zeno ad Antoninum, forte eundem latine extulit in *l.* 3. *ff. de his quæ in teſt. delent. Rogo*, inquit, DOMINE IMPERATOR, *audias me patienter.* De Βασιλέως vocabulo nihil moneo, neque enim id quemquam offendet, qui novit, Græcos non alio fere *Imperatores*, & eodem olim vel *Magiſtratus* nonnullos exprimere conſueviſſe. Sed aliud agimus.

Compellato Principe rem geſtam exponit Eudæmon. Ναυφράγιον, ait, ποιήσαντες, & quæ ſequuntur. Ita Florentiæ editum; Alciatus *Lib.* II. *Diſpunct.* 5. & Salmaſius *de modo Uſurarum Cap. V.* exhibent ναυάγιον, atque ita & alii ex ſua, ut videri volunt, emendatione, cum tamen hæc lectio ſit antiqua; ναυάγιον jam edidit Ludovicus Blaublommius Pariſiis anno 1523. & Robertus Stephanus ibidem anno 1527. & qui præfuit editioni apud Sennetonios Lugduni 1549. ita autem omnes illi, ut græca ναυαγίῳ, non latina ναυφραγίῳ voce videatur uſus Eudæmon. Sed Tuſci Codicis auctoritas facile obtinebit, retinendum eſſe ναυφράγιον; nam ut translato Byſantium Imperio Romana lingua mere fere Cecropis facta deinde eſt, ita & Græci cum hoc, tum aliis temporibus multa ex latino, Principis Populi, ſermone traxe-

traxerunt, & paſſim Latini Græca, Græci Latina ſuis linguis miſcuerunt. Ipſam quoque ναυφραγία vocem nonnullos Græculos uſurpaſſe aliis obſervatum ſcio, ſed Græculos ævi ſequioris &, ut ita dicam, latini; alioquin qui ναυφράγιον dixit, & græce loquutus eſt, opinor fuiſſe neminem. Cæterum non illa tantum ναυφραγία vox mihi videtur latina, ſed tota loquutio ναυφράγιον ποιεῖν, *Naufragium facere*, hanc enim apud Auctores Græcos me legere, vel qui legerint videre, non memini; illi pro ναυφράγιον ποιήσαντες, quod hic eſt, ſimpliciter dicerent ναυαγήσαντες, vel etiam, ναυαγίᾳ χρησάμενοι, vel ſi quid his eſt ſimile. Sed, ut diximus, ſæculi hæc vitia ſunt, quæ fruſtra aliter tuemur.

Ait Eudæmon, ſe ſociosque navales naufragium feciſſe ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, *in Italia.* De hac ſcriptura penitus ſeditioſe tumultuantur, non tantum qui Juriſprudentiam, ſed & qui Grammaticam profitentur, in hoc tantum concordes, delendam eſſe *Italiam.* Rationes, cur de ea tam graviter decernant, omnino duæ ſunt, altera naufragii locum perſequitur, altera direptionis, utraque ingentem, ut Græci vocant, ἀτοπίαν. Exiſtimant itaque, ut de prima dicam primo, non niſi abſurde dici poſſe ναυφράγιον ποιεῖν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, Italiam videlicet naufragiis ſatis commodam non eſſe, quærenda maria, ſcopulos, ſyrtes, nihil his eſſe negotii cum Latio, regionum cauſam procul heic eſſe habendam, &, ut breviter dicam, non magis opportune in Italia naufragium fiere poſſe credunt, quam, ut opinor, in mediis Alpibus aut ſilvis Lybiæ. Deinde, quæ ſecunda eorum & princeps ratio eſt, non ſibi conſtare putant hanc orationem, qua Eudæmon *in Italia* dicitur naufragium paſſus, & in Græcia direptus fuiſſe ὑπὸ τῶν δημοσιῶν τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων, duobus ſcilicet maribus, & potiſſima Græciæ parte interjacentibus; direptionem utique factam volunt in locis naufragio proximis, aut ſi in remotis aliquamtulum, non tamen quaſſas Eudæmonis rateis tam longum, tanta maria navigaſſe ex Italia ad uſque Cyclades. Quod ſi verum ſit, fabuloſam quamque navigationem huic uni cedere vulgo perſuaſum eſt.

Ego tamen *Italiam* ſervari cupio, & ſalva erit bonis avibus. Nihil equidem illa locutio ναυφράγιον ποιεῖν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ habet abſurditatis, nihil aut certe parum καταχρήσεως, poteſt namque eâ variis modis accipi ſine vi majore. Igitur ἐν τῇ Ἰταλίᾳ erit in mari circa Italiam Hadriatico, vel Tyrrheno, vel Tarentino, vel etiam in Italiæ flumine aliquo aut lacu; locus enim peculiaris, ubi naufragium paſſus eſt Eudæmon, non exprimitur, neque forte præciſe exprimere potuit homo peregrinus ex Nicomedia, ſufficere ratus, ſi ἐν πλάτει diceret ἐν τῇ Ἰταλίᾳ. Potuit autem omnibus iis in locis Eudæmon naufragium feciſſe, eaque nomine *Italiæ* intelligi. Si in lacu aut flumine, qualia in Latio plura naufragiis ſufficiunt, jam recte naufragium *in Italia* factum fuiſſe dicetur; ſi in ſinu Tarentino, eum utrimque cingit Italia, & idonea rurſus erit locutio; ſi in mari, ut diximus, Supero vel Infero, exigua ſane καταχρήσει mari Italiæ proximo *Italiæ* nomen dederis, hoc eſt, mare, qua terram alluit, ejus terræ vocabulo intellexeris per figuram Rhetorices neſcio quam; & quidni, ſi proximæ Italiæ inſulæ, Italiæ & quarumcunque, quibus adjacent, Provinciarum partes eſſe credantur, ut creduntur vulgo, etiam Ulpiano in *l.* 9. *ff. de Judic.* Si enim inſulæ, multo magis mare, quod medium eſt & inſulas Italiæ conjungit, cenſebitur pars Italiæ.

Quod ſi nihil horum placeat, nec quicquam plane improprii in appellatione maris admitti, nec lacum aut flumen aliquod intelligi poſſe pertinaciter defendas, attamen & alia ratione *Italiæ* conſultum eſt: poteris quippe τὸ ἐν interpretari *ad*, *apud*, vel *prope*, ἐν τῇ Ἰταλίᾳ *ad Italiam*, in mari prope Italiam, quodcunque tandem illud fuerit. Ita Græci τῷ ἐν, & Latini ſuo *in* quandoque utuntur. In Chronico Euſebiano ad Olymp. LXXVI. Græcorum contra Perſas prælium, quod *ad Platæas & Mycalen* dici ſolet, ab Divo Hieronymo vocatur *bellum in Platæis & Mycale;* & quod vulgo diceremus *ad tertium lapidem*, Proſper Aquitanicus ad annum Mundi 5589. *Theodoſio* II. *& Cynegio Conſſ.* dixit *in tertio lapide.* Sed quia proprie deſpiciendum eſt de Græcorum ἐν, hoc agamus. Bis illa particula in hanc ſententiam uſus videri poſſet Homerus *Iliacorum Lib. II.* ſemel in oratione Junonis ad Minervam *verſ.* 161. iterum in oratione Minervæ ad Ulyſſem *verſ.* 178. utrobique:

—— —— πολλοὶ Ἀχαιῶν
Ἐν Τροίῃ ἀπόλοντο —— ——
—— —— *magnus Achivûm*
Ad Trojam periit numerus. —— ——

Sed eſt oratio ibi ambigua, quia Troja, ut ut etiam pro Ilio, ſæpius tamen pro regione Trojana accipitur, quemadmodum notat Scholiaſtes, qui dicitur Servius, ad *princ. Lib. III. Æneid.* Magis igitur id probabit Xenophon in Ἑλληνικ. *Lib. VII. p. m.* 645. ubi τὸ ἐν rurſus bis, ſed palam, ea ſignificatione occurrit: Ἡττηθεὶς μὲν, inquit, ἐν Λακεδαίμονι σὺν πολλῷ ὁπλιτικῷ ὑπ' ὀλίγων, ἡττηθεὶς δὲ ἐν Μαντινείᾳ ἱππομαχίᾳ; *Victus ad Lacedæmonem cum multo peditatu a paucis, & iterum victus ad Mantinæam equeſtri prælio;* utrobique ἐν Λακεδαίμονι & ἐν Μαντινείᾳ eſt *ad Lacedæmonem & ad Mantinæam.* Et aperte etiam Lucianus in libello ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος Magni Alexandri prælium ad Iſſum appellat μάχην ἐν Ἰσσῷ. Satis eſt auctoritatum; ſi quis tamen plures deſideret, ex Latinis & Græcis Auctoribus plures dabit Cl. Perizonius *Not.* ad Æliani *var. Hiſtor. Lib. II. c.* 25. Igitur ſi apud Mæcianum ἐν τῇ Ἰταλίᾳ eo modo vertas aut explices *prope Italiam*, nihil eſſe quod offendat, nihil etiam, ſi ſerves *in Italia*, modo eam loquutionem, ut par eſt, intelligas, neque inde efficias, Eudæmonem forte navem fregiſſe in via Appia aut Capitolio Romano, aut ſi quid ſimilis eſt calumniæ. Sic impetum primum in *Italiam* repulimus.

Supereſt alia, quam diximus, & major difficultas, qua omnino in perniciem ejus *Italiæ* Interpretibus conſpirare placuit. In Italia naufragium, & apud Cyclades rapinam pati adeo iis viſum fuit ἀσύστατον ob eas, quas jam enarravi, rationes, ut lectioni, conſtanti alioquin apud Latinos Græcosque, nemo pepercerit, niſi forte in rebus Coſmographicis qui caligabat, ut fere Interpretum priſca Gens, taciturna heic & ſecura, vel etiam Accurſius, & quibus cum eo tantæ molis non erant omnes Cyclades, quin eas continuo in Italiam transtulerint. Ita ille, ut *Italiam*, patriam ſcilicet ſuam, ſervaret, Græcorum *Cyclades* perdidit, vel potius in Italia fabricavit novas; ridendus eo nomine, ut fit, an aliquatenus excuſandus, quod exemplo peccarit, diſcutietur *Cap.* V. Sane beatioris ſæculi Interpretes uno omnes ore *Italiam* evertunt, & aliquid ad inſtar ejus quærunt, &, ſi non repererint, minori, ut putant, negotio locant ipſi apud Cyclades. Videbimus, poſtquam *Italiam* & ſitum orbis, ut eſt, fuerimus tuiti.

Inter Italiam & Cyclades ingentem eſſe loco-

rum intercapedinem facile agnoſcimus, ſed ut de loco naufragii conſtat, ita negamus conſtare de loco direptionis; ait quidem mox Eudæmon διηρπάγημεν, *direpti ſumus*, & ait a quibus, ſed non quomodo, aut ubi terrarum vel marium; apud Cyclades, vulgo inquiunt, at quum ſimpliciter dicat, *rapinam paſſi ſumus*, non eſt prudentis locum determinare, neque, ſi vel longinquum a naufragio determines, ideo vim facere receptæ lectioni. Potuit Eudæmon diripi in loco, quo navis periit, idque quadantenus ſubindicat vox ποιήσαντες, quæ ad hanc διηρπάγημεν relata non abſurde innuere videri poterat, in ipſo facto naufragii direptionem eſſe factam; ſed tamen inde nihil probatur, utique nihil ſolidi, ut novit, qui græce novit. Potuit igitur direptus fuiſſe vel in Italia, vel Inſula aliqua, vel Epyro, Dalmatia, vel alibi, quinimo vel in Gallia, vel Hiſpania, vel Africa, vel in ipſis Cycladibus, nam plurimis eorum locis ne veroſimilitudo quidem nobis conſtat, cum neſciamus, qua in parte Italiæ naufragium ſit factum. Dicet quis, ubicunque factum eſt, non eſſe ſimile vero, direptionem eſſe factam in locis tam longe ab Italia remotis; ſed vero hoc omnino perſuadere non licet: Εἰκὸς γὰρ γίνεσθαι πολλὰ καὶ παρὰ τὸ εἰκός, *veroſimile enim eſt multa fieri, quæ veroſimilia non ſunt*, ſi, ut credere dignum eſt, credas Ariſtoteli de *Re Poëtica Cap.* XVIII. Et quis legem tempeſtati ponet, ubi naufragii reliquias expellat? naufragos ad loca vel remotiſſima adpellere, & adpuliſſe quondam rerum nauticarum annales paſſim loquuntur. Quare ſi Cycladenſes Eudæmonem deprædati eſſent apud Cyclades, & vel in ultima Thule, non erat Interpretibus diſſimulandum aut negandum, naufragio, verbi gratia, in ſinu Tarentino, aut alibi ad Italiam facto, merces aut ſcaphæ impoſitas, aut ſine ſcapha ſolas eo potuiſſe deferri, & porro diripi.

Neque etiam, ſi liqueret de loco direptionis, noſtrum eſſet definire, qua occaſione Publicani vel alii, qui in Cycladibus habitabant, ibi fuerint, vel quam citiſſime & facillime eo pervenerint: nihil enim vetat homines, qui mox dicuntur οἰκεῖν τὰς Κυκλάδας, etiam alibi locorum verſari, & ibi dirpere naufragos. Potuit hoc fieri omnibus, quos dixi, locis, & vel in Italia, ubi naufragium factum erat, niſi cui fingere ſit volupe, iſtos δημοσίους extra Cyclades eſſe nec debuiſſe, nec potuiſſe. Fac igitur, eos fuiſſe glebæ Cycladenſi adſcriptitios, aut alias res immobiles, quæ Cycladibus excedere non poterant. Et tamen vel ita illorum facilitati indulgere potuiſſent Interpretes, & credere ὑποδημοσίους fuiſſe; qui in Italia, vel ſi quis alius fuerit factæ direptionis locus, ſtationes habebant, & in iis publicum exercebant nomine ἀρχιδημοσίων, qui in Cycladibus erant. Ita illi ἀρχιδημόσιοι Cyclades non egredientur, at domi ſuæ ſedentes prædabuntur ex ratione juris, quæ per alium qui facit, ipſum feciſſe videri vult. Nec ſane difficilem hæc res explicationem habet, ſi τοὺς δημοσίους vertas *publicanos*, ut verti poſſe dicemus *Cap.* V. nam utique non omne publicum per ſe publicani exercent *l. un. C. de conduct. vectig. Fiſc.* quæ eſt in aliis Libris *l.* 2. & pars *Tit. C. quibus muner. excuſ. hi, qui poſt impl. milit.* ſed vel præſentes vel abſentes *l.* 8. §. 1. *ff. de vacat. & excuſat. mun.* omnino enim *præſentes*, ut legitur, legendum eſt in *d. l.* 8. §. 1. quamvis id non probet Cujacius in *Comment. ad d. l. un.* Abſentes autem exercent vel per alios, vel ſublocant ὑποδημοσιώναις, ipſi ἀρχιδημοσιῶναι; cujusmodi fuiſſe poteſt Zachæus ille ἀρχιτελώνης, quem D Lucas memorat *Evang. Cap.* XIX. §. 2. eoque id magis credo, quod τελωνάρχης apud Judæos fuerit in uſu, & eorum lingua vulgo audiat ראש המוכסים. Igitur per me licet publicanorum Principes, habitatores Cycladum, manſerint domi, & eorum ſervitia vel ὑποδημόσιοι Eudæmonem diripuerint in Italia, vel ſi quis alius fuerit deprædationis & redempti ab illis ἀρχιδημοσίοις vectigalis locus. Atque ita ubicunque tandem facta ſit hæc ἁρπαγή, prope locum naufragii, an procul ab eo, in Cycladibus, an extra eas, in mari, an in terra, recta ſemper eſt hujus loci ſententia, & recte, quamvis non manu, poſſumus impedire, quominus in poſterum abſurda videatur ejus ſcriptura.

CAPUT IV.

Quam varie Ἰταλία *afflicta ſit. Criticorum in eam impetus redarguuntur. Si quid mutandum videretur, qui aliter mutari poſſet; aliquot in hanc rem conjecturæ & emendationes.*

Poſtquam laboranti *Italiæ* ſuccurſum eſt, placet *hoc capite* intercalari Criticorum ad τὰ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ obſervationes referre, & nunquid iis amplius & melius adduci poſſit, conjecturam facere & periculum. Explicita & vindicata receptæ lectionis auctoritas ſatis equidem emendationem omnem refutat, ſed tamen, ſi cui nequeant ſatisfacere, quæ ea de re jam diſputavimus, & *Italiam* vel nullo jure placeat delere; non erit abs re enarrare paucis, quid ejus loco ſubſtituerint alii, & quid porro ſubſtitui poſſit.

Samuël Petitus *Miſcellan. Lib.* III. *Cap.* 11. Coſmographiam *hujus Legis*, ut nunc legitur, aliquid monſtri inſtar habere perperam ratus, ſed ratus tamen, pro ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ſcribit ἐν τῇ Τηλίᾳ, quo ex *Italia* faceret inſulam *Telum*, ex Sporadibus unam, ſeu potius, quo inde efficeret novum mare, *Tellum* videlicet. Probat hanc reſtitutionem Seldenus in *Mari clauſo Lib.* I. *cap.* 25. Sed eam, quod ſatis eſt, refutavit Salmaſius *de Modo Uſurarum Cap.* V. *p. m.* 205. & Jacob. Gothofredus ad *h. l. Cap.* III.

Claudius Salmaſius illo, quem notavit, emendatore heic pejor reponit ἐν τῇ παραλίᾳ, *in littore, in ora maritima*, & nonnihil Juriſprudentiæ adfingit ad tuendam hujus emendationis elegantiam; ſed næ valde illud eſt παράλογον ſimul ac παράνομον. Reſpondit infelici JCto Jacob. Gothofredus ad *h. l. Cap. ult. in fin.* nihil addo.

Innocentius Cirionius ad V. *Coll. Decret. p.* 18. reſtituit ἐν Ἀτταλίᾳ, urbe Pamphyliæ maritima, ſed hæc cum inter Cycladas non ſit, vel eo rurſus Δημοσίους illos direpturos oportebit deferre, vel naufragos diripiendos hinc ad Cycladas. Quod ut fieri poſſe non nego, ita id ipſum de *Italia* quominus dicamus nulla eſt ratio; ſin ajas, hanc ab Cycladibus longius diſtare, quam Attaliam; eſto longius navigaſſe vel τοὺς δημοσίους, vel naufragum Eudæmonem. Denique qui *Italiam* hic ſublatam volunt, etiam ea utuntur ratione, quod non apte ibi dicatur ναυφράγιον ποιῆσαι, neſcio tamen, an aptius ἐν τῇ Ἀτ-

Ἀτταλίᾳ *in urbe Attalica*; etenim eo loci naves non facilius, credo, perdas, quam Romæ aut alibi in medio Latio. Proinde ſalva eſſe nequit Cirionii reſtitutio, niſi decurras ad eam ſignificationem voculæ ἐν, quam nos dedimus *Capite proximo*, ne quid *Italia* detrimenti caperet.

Jacobus Gothofredus *Cap.* III. & paſſim ad *h. l.* Hugo Grotius in *Flor. ſparſ.* ad *eandem*, Lucas Holſtenius ad Stephani, quæ dicuntur, Ἐθνικά, in *verbo* Ἰκαρία, Jacobus Andreas Cruſius ad *h. l. C.* 5. & hos qui ſequuntur longa ſerie, legendum contendunt ἐν τῇ Ἰκαρίᾳ, ſcilicet, inquiunt, θαλάσσῃ, *in mari Icario.* Quis e tribus illis prioribus hoc primum dixerit, cum fere æquales fuerint, non potui animadvertere; hoc ſatis conſtat, eam emendationem tantum non omnibus ſe probaſſe, cum quia leviſſima eſt, tum quia mare Icarium Cycladibus proxime eſt vicinum, &, ut hoc addam, vel Ἴκαρος ſit μία νῆσος τῶν Κυκλάδων, *ex Cycladibus una*, κατὰ τὸν Στέφανον. Accedit, quod mare Ægæum, &, quod ejus pars eſt, Icarium tempeſtatibus & naufragiis adeo fuerit infame, ut vetuſtas paſſim illud teſtetur & deteſtetur; teſtimonia recitarunt alii, omiſſa tamen de mari Icario parœmia Homeri *Iliad. Lib.* II. *vſ.* 144.

Κινήθη δ' ἀγορὴ ὡς κύματα μακρὰ θαλάσσης
Πόντου Ἰκαρίοιο. ——— ——— ———
Fluctus ut Icarii commota eſt concio. ———

Et profecto, ſi proba & ſibi ubique conſtans lectio mutanda eſſet, fere eſt, ut perſuaderet hæc Critica, ſed perſuaderet magis, ſi ejus auctores docerent, Ἰκάριον πέλαγος apud Græcos ſimpliciter appellari Ἰκαρίαν, hoc nemo eorum unus docuit, nec puto verum eſſe. Ipſa inſula dicitur Ἰκαρία Straboni, Ἴκαρος Stephano, at ita nuſpiam, quod ego adſequi potui, ipſum mare. Jacobus Gothofredus Petito non concedit Τηλίαν, quod mare Telium antiquis non memoretur, & recte illud, ſed ipſe interea Ἰκαρίαν ſubſtituit, æque, ut opinor, ignotam, ſi pro mari accipiatur. Vicina quidem inſula mari nomen dedit, ut refert Strabo *Lib.* XIV. ſed nomen non Ἰκαρίας, quemadmodum vocatur ipſa, at πέλαγος Ἰκαρίου, θαλάσσης Ἰκαρίης, & quæ ſunt ſimilia, non licet ſubintelligere, quod hic ſubintelligunt tres, quos diximus, Viri, & tamen Græcis ſubintelligitur nunquam, alioquin nova vitreo daturi nomina ponto. Quare ſi cui omni modo ſedeat Ἰκαρίαν ſubſtituere, oportet eum non mare, ſed ipſam inſulam denotare, ac porro τὸ ἐν interpretari *ad*, *apud*, *prope*, ad inſulam Icariam; ea nimirum ratione, quam ἐν τῇ Ἰταλίᾳ nos ſumus exſecuti, & in Cirionii τῇ Ἀτταλίᾳ quoque obtinet, ſi obtinere queat illa emendatio.

Sane ſi inſularum, urbium locorumve nomina maribus vicinis dare licet, vel ea formare κατ' ἀναλογίαν, audire videor Criticorum ingentem turbam, qui alia mox & alia commenti *Italiam* varie affligent. Nam ecce ſin hodie tu legas ἐν τῇ Τηλίᾳ vel ἐν τῇ Ἰκαρίᾳ, & inde fabrices maria, cras forte prodibit alius, qui legere volet ἐν τῇ Ἰτανίᾳ, videlicet θαλάσσῃ, ab Itano, ſi credas, urbe Cretæ maritima non procul ab Cycladibus, ubi & promontorium Stephano celebratum, & Plinio *Lib.* IV. *Cap.* 12, & perendie rurſus alius, qui ἐν τῇ Τολίᾳ, in mari nempe, quod eſt ad inſulam Tolon, Cycladibus vicinam; quippe conſtat, veteres ι μικρὸν iis, quibus nos ſubjicimus, literis incontinenti appoſuiſſe. Atque ita alius denuo nulla mutatione ἐν τῇ Ταλίᾳ, a Talo Cretæ, de quo Voſſius in *Obſerv.* ad Catullum, *Epigr. ad Camerium p.* 122. Neque forte indignabimur iis, qui Criſi tam placida rem tranſegerint, at vero ſi quis e ſecta Grammaticorum JCtorumve audacius inſurgat, neſcio quæ non alia, mox & alia ſit reperturus. Ecce enim leget vel *Mycalia*, a *Mycali* promontorio e regione inſulæ Sami juxta Cyclades, vel *Mimalia* a *Mimali*, apud Heſychium namque legitur Μίμαλις, ἡ νῦν Μῆλος, vel etiam *Melia* ab eadem *Melo*, una ex Cycladibus, vel *Delia* a *Delo*, inſula inter Cycladas media & facile principe; vulgo enim Delus inter has numeratur, etiam Stephano in Epitome Ἐθνικῶν, quamvis Strabo *Lib.* X. *Cap.* 19. eam a Cycladibus diſtinctam, & has illi circumfuſam eſſe videatur exiſtimare. Sed id tanti non eſt, quum utique ſit perſpicuum, ſive Delus fuerit una Cycladum, ſive non fuerit, ſatis tamen ibi, ut raperent, ad manum fuiſſe τοὺς δημοσίους τῶν Κυκλάδων. Et ſane quocunque modo ex his, quos dixi, *Italiam* tranſmutes, dicet emendatorum quisque, Eudæmonem omnibus illis locis & commode naufragium potuiſſe pati, & ſic ſtatim quaſi calente adhuc negotio a Cycladenſibus diripi.

Hæc autem nemini placuerint, niſi qui nova marium appellatione delectetur. Hanc porro ſequi ſi cui decretum eſt, ſed ſervatis inſularum urbiumque nominibus, is ſuo periculo legat vel *Matalia* ab urbe ejusdem nominis in ora maritima Cretæ, vel *Pſytalia* ab inſula ejusdem rurſus nominis, quæ eſt ad Salamin, & a Pauſania aliisque ſatis celebrata eſt. Secundum hæc οἱ δημόσιοι iterum ſedibus ſuis excedere non tenebuntur; ſi vero ſit, qui hos audebit Cycladibus locisque proximis educere, & eſt cur audeat, vel etiam naufragos non ex Italia uſque, ſed ex ipſa Græcia ad Cyclades deferre volet, is mox ſcribat Αἰτωλίᾳ hoc eſt, θαλάσσῃ, quæ Ætoliam alluit, ſinu forte Corinthiaco: vel potius ſi ab regionibus, inſulis, urbibus nolit condere θαλάσσας ὁμωνύμους, ajat τὸ ἐν explicari poſſe & omnino hic debere *ad*, *apud*, ad Mataliam, ad Phytaliam vel ad Ætoliam. Denique ſi ſit, qui Publicanos raptores audebit vel ipſa Græcia educere, & alio terrarum raptum mittere, is tamen τὸ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, utpote generalius dictum, faſtu deſpiciet critico, & aliquid ad inſtar Italiæ quæſiturus eſt, ultra Garamantas licet & Indos. Sic larga enaſcetur emendationum ſeges, & benigna, ſi luberet, materies ex Geographis, qua Græcis, qua Latinis, prolixe ediſſerendi de omnibus, quos dixi, & hi deſcribunt, locis

Nec tamen ita emendator, ſi in garrulum incideris, te dimittet, ſed Cycladum viciniam relegens *Maleam* adpellit, eamque ex cineribus dirutæ hic *Italiæ* reponet. Et primo quidem multa profunde dicet de affinitate literarum I & T cum M, & facile hanc in eas mutari potuiſſe, vel, ſi primam *Italiæ* literam rejiciamus ſub ultimam voculæ præcedentis, facilius adhuc ſimplex M migraſſe in T, dabitque ejus rei exempla ex Gulielmi Canteri *Syntagmate de ratione emendandi Græcos Auctores.* Mox audies, librarium neſciviſſe, quid rei eſſet *Malea*, & hinc *Italiam* ſubſtituiſſe. Deinde addet, tam bene Eudæmonem navim ſuam *ad Maleam* potuiſſe perdere, ut nuſquam melius; tantum enim abesſe, ut quicquam de naufragiorum gloria concedat mari Icario, ut longe id etiam poſt ſe reliquerit, ejus rei teſtes eſſe Strabonem *Lib.* VIII. *Cap.* 31. Plinium *Lib.* X. *Epiſtol.* 16. & Poëtas tantum non omnes, quin vel in proverbium abiiſſe tam apud Græcos, quam Latinos, ut auctor eſt Strabo *dict. loc.* & Symmachus *Lib.* VIII. *Epiſt.* 60. Narrabit porro, adeo periculoſum fuiſſe illud Peloponneſi promontorium,

rium, ut titulo res digna ſepulchri fuerit habita, derepente adducet & exſcribet antiquam Inſcriptionem, in Hierapoli Phrygiæ haud ita dudum inventam, in qua Flavius quidam, ut grande miraculum, bis & ſeptuagies impune Maleam ſuperaſſe memoratur. Dederunt hanc inſcriptionem cum alii, tum Voſſius in *Obſerv.* ad Catullum, *Epigr. ad Thallum p.*62. qui tamen Μαλέα vel Μαλεια (promiſcue enim ſcribitur, ut eſt in *Epitome* Stephani) promontorium illud Laconiæ, quo de nos agimus, non videtur diſtinxiſſe a τῇ Μαλίᾳ, itidem promontorio, ſed inſulæ Lesbi in mari Ægeo, de quo Strabo *Lib.* XIII. c. 14. Hinc ſtatim emendator: immo Μαλίαν legendum eſſe potius quam Μαλέαν, cum alias ne jota quidem ex *Italia* ſervetur, idque haud difficulter perſuadebit iis, qui ſciunt, quid ſit *Ægeum navigare.* Addet denique, ſeu Μαλέαν velis, ſeu Μαλίαν, ab utroque promontorio Eudæmonem longe citius ad Cyclades pervenire potuiſſe, ut ibi diriperetur, quam ex Italia usque, aut, ſi tantum non indulgeat τοῖς δημοσίοις, ut domi ſuæ ſocordes manſerint, facilius eos ex Cycladibus ad Maleam, vel etiam Maliam, rapinam acturos mittet, quam ad diſſitam procul Italiam. Tandem, inquiet, ſi ita legas, nihil tum moliendum eſſe καταχρήσεως, nihil novæ appellationis, & quæ alia ſunt rumpendis legibus velamenta.

Si quibus autem tantum deſperationis eſt, ut de *Italia* heic omni modo actum eſſe velint & conclamatum, per me licet tunc *Æthaliam* reſtaurent. Tres omnino reperi Αἰθαλίας. Prima eſt inſula in mari Tyrrheno prope Tuſciam, quam Plinius *Lib.* III. *Cap.* 6. & Strabo *Lib.* II. C. 29. & *Lib. V. C.* 9 & Stephanus in Αἰθάλη, commemorant; non diſputo, hæc Æthalia eadem ſit, nec ne, cum Ilva, Ilva illa, quæ Maroni *lib.* X. *Æneid. v.* 174. dicitur:

Inſula inexhauſtis chalybum generoſa metallis.

Plinius ait, Strabo negat, utrumque graves Auctores ſequuntur. Sed quicquid ſit, hanc Æthaliam hic intelligere non licet, cum fuerit, ut Strabo ait, πρόσγειος *ad continentem*, & quidem Italiæ, adeoque tantum, quantum hæc, a Cycladibus abfuerit, niſi quis conceſſa facilitate ad loca vel remotiſſima perveniendi, *Æthaliam* ideo præferat *Italiæ*, quod ſibi non videatur probabile, Eudæmonem, navarchum forte, in exprimendo loco naufragii, hoc eſt, in re, cujus peritiam profitebatur, locutione tam larga fuiſſe vagatum, idque ad Imperatorem Romanum, cujus reſcripturi fortaſſe intererat ea de re accuratius edoceri. Secunda Αἰθάλια vel Αἰθάλεια eſt inſula Lemnos; refert enim Stephanus in *d. Voc.* Αἰθάλη, a Polybio *Lib.* XXXIV. Αἰθάλειαν τὴν Λῆμνον καλεῖσθαι, *Lemnum dici Æthaliam.* Confirmat hoc Etymologicum magnum, ut recte notavit Holſtenius, ſed loquitur illud de Αἰθάλῃ, qua Lemno. Cæterum ſi Lemnus vocata fuerit *Æthalia*, cur non hanc, ne a Cycladibus nimium recedant, heic loci reponunt Critici? unum ſcilicet mare Ægeum, idque continens, ab Lemno ad Cyclades nos ducit & duxit forte naufragas Eudæmonis rateis. Quod ſi nec tantum maris vel has emetiri potuiſſe credas, vel etiam δημοσίους illos, en tertiam *Æthaliam*, apprime opportunam juxta ipſas Cycladas! hanc reperi, ſed in uno Livio. Verba adſcribam, quamvis ab hoc inſtituto alienus, quia ſitum inſulæ exponunt, ut nemo poſſit brevius, melius; is igitur de Romana Rhodiaque claſſe adverſus Antiochum *Lib.* XXXVII. *Cap.* 13. ita infit: *Polyxenidas Samum petituros ratus hoſtes, ut ſe Rhodiæ claſſi conjungerent, ab Epheſo profectus, primo ad Myonneſum ſtetit, inde ad Macrin, quam vocant, inſulam trajecit; ut prætervehentis claſſis, ſi quas aberrantes ex agmine naves poſſet, aut poſtremum agmen opportune adoriretur. Poſteaquam ſparſam tempeſtate claſſem vidit, occaſionem primo aggrediendi ratus, paulo poſt increbeſcente vento, & majores jam volvente fluctus, quia pervenire ſe ad eos videbat non poſſe, ad* ÆTHALIAM *inſulam trajecit, ut inde poſtero die Samum ex alto petentes naves adgrederetur.* Mox ipſe & alia de hæc Æthalia, ſed quæ deſcribere nihil attinet; conſtat hinc abunde, Æthaliam fuiſſe inſulam prope Samum, quæ inter Icariam & Epheſum fere media eſt, eamque Samo in tantum vicinam, ut Polyxenidas, cujus claſſis ibi ſtabat in anchoris, poſtero die commode poſſet aggredi Romanos, Samum petentes, & ut eſt in hiſtoria, tenentes adhuc eodem die. Apud Geographos veteres, fateor, me hanc *Æthaliam* non inveniſſe, ſed in Auctoribus, & vel in ipſo Livio, ſexcenta ſunt, de quibus illi ſilent. Quin hoc arripiet emendator, dicetque librarium, quod *Æthalia* in mari Icario eſſet obſcura ſibique incognita, leviſſimo motu ſubſtituiſſe celebratam toto orbe *Italiam*, & multa deinceps concionabitur de librariorum imperitia, & facinoribus hic illic admiſſis. Utque hic pro *Æthalia*, *Italiam* ſubſtituerunt, ſic pro *Æthalis*, apud Ovidium *de Pont. Lib.* II. *Ep.* 3. *v.* 84. vulgo editum eſt *Italis.* Omnino perperam, quod recte obſervavit & emendavit N. Heinſius, Rutgerſium ſecutus, probante quoque L. Holſtenio ad *Stephanum* in Αἰθάλη. Id nolim hic celare, virum Cl. Gerardum Noodt, Juriſconſultum & Anteceſſorem, quum nuper me inviſeret, & ſermones cæderemus de hac, quam interpretor, *lege* IX. iſque *Italiam* ſervari non poſſe ſibi haberet perſuaſum, ſignificaſſe mihi, hanc ſe, quæ in Livio eſt, *Æthaliam* reſtituere in Obſervationibus, quas exſpectamus, Criticis. Eadem me, ſi quid mutandum videretur, inter cæteras uti conjectura fidem illi faciebant Adverſaria mea.

Atque ita tandem remediis laborabimus, & emendationum neque finis neque modus erit ullus, legunt omnes libri in *h. l. Italia*, quod multis, ut dictum eſt, modis recte intelligitur. Melius facerent Critici: ſi ſe conatibus inanibus non vexarent, cum obtinere ſpem non habeant, ubi receptæ lectioni ſuus conſtat ſenſus, ſin aliter exiſtimemus, artem nobiliſſimam exponimus ludibrio.

CAPUT V.

Διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν Δημοσίων τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων.

Direpti ſumus a Publicanis Cyclades inſulas habitantibus.

Naufragium, ut vulgo fieri adſolet, excipit naufragorum direptio. Διηρπάγημεν, ait Eudæmon, *direpti ſumus*, & ait id ſimpliciter. Locum quia non addit, fruſtra de eo diſputari ſatis dixi *Cap. III.* nunc dico, etiam non minus fruſtra diſputari de genere deprædationis & colore;

 mul-

multis in hanc rem argutatur Jacobus Gothofredus *Cap.* IV. ad *h. l.* ſed argutari de re incerta, quam certam reddere non poſſumus, argutari leviſſimum eſt: equidem plurima fingit ille, quo de cauſſæ qualitate conſtet, ſed fingit tantum, neque enim vel ex perſonis, contra quas ſupplicatum eſt, vel ex reſponſo Antonini, certum quid de ea licet intelligere, ut dicemus in *ſequentibus* reliqua, quæ habet Gothofredus, hic perſequeremur, niſi turpe eſſet ſingulis tam exilibus commentis immorari. Videmus Eudæmonem ἁπλῶς dixiſſe, ſe & naufragium in Italia, & deinde rapinam paſſum eſſe; an plura dixerit, unde accuratius de facto conſtare poſſit, aut an ea Actorum ſcriba, vel Auctor *Præfationis Legum Rhodiarum*, vel Voluſius Mæcianus ex negligentia, vel quia ad jus non pertinebant, omiſerint, definire non poſſumus, neque etiam quicquam ad nos. Talibus atque aliis ſi luxuriare fas eſſet, confeſtim quoque liceret prolixe divinare, quamobrem numero plurium efferatur διηρπάγησαν? qui & quot præter Eudæmonem direpti ſint? & ſi quid præterea nugarum eſt. In iis usque & usque quamvis deſudes, nihil tamen profeceris, & has dabis nimiæ diligentiæ pœnas.

Direptio facta fuit ὑπὸ τῶν δημοσίων, *a Publicanis*, ut habet translatio vetus. Gregorius Haloander vertit *ſervis publicis;* Taurellius, quaſi incertus, utrumque poſuit. Non igitur niſi Haloandrum ſequitur Jac. Gothofredus *Cap. IV.* cum omni opere δημοσίους hic transferri vult *ſervos Civitatum publicos*, non *publicanos*. Multa debemus priſcis Interpretibus, multa variis Lectionibus & Editionibus, quæ quaſi ex ingenio ſuo peſſime ſibi arrogant plurimi. Sane apud Græcos ſervos publicos ſimpliciter δημοσίους appellari conſtat, multa de his Mauſſacus ad Harpocrationem in *verb.* Δημόσιος. Dici poſſet & apud Latinos, nam Juvenalis *Satyra* X. *verſ.* 40 & 41. quem primo ſimpliciter *publicum* nominavit, mox *ſervum* dicit:

Quippe tenet ſudans hanc Publicus, *& ſibi Conſul*
Ne placeat, curru ſervus portatur eodem.

Sed etſi alioquin inſolitum non eſſet ſimpliciter *publicum* dici, tamen ille locus id probando ſolus omnino non ſufficit, cum etiam ſinat, *ſervum publicum* ibi conjunctim intelligi, quamvis disjuncta videri poſſet oratio. Addo igitur Livium *Lib.* XXVI. *Cap.* 47. *Scipio victa Carthagine nova, opifices ad duo millia hominum* publicos *fore Populi Romani edixit;* plane enim ibi *publicorum* in eandem ſententiam meminiſſe videtur. Cæterum tamen neque ſi *Publicanos* vertas improbarem, quamquam Jacobus Gothofredus neget, ſe ſcire, ullibi δημοσίους pro *publicanis* accipi, & Salmaſius *de modo Uſur. C. V. p.* 206. ut hi intelligantur in *h. l.* velit legi & corrigi δημοσιωνῶν, quia in Gloſſis Publicanus eſt Δημοσιώνης, τελώνης, non Δημόσιος. Hugo quoque Grotius in *Flor. Sparſ. ad h. l.* exhibet δημοσιωνῶν, iisdem, ut opinor, motus rationibus. Quod ſi quis ita velit omni modo, non eſt, cur refragemur multum, cum ſine detrimento id fieri posſit, duplicatis duntaxat duabus poſterioribus literis, ſic ex δημοσιΩΝ proveniet δημοσιωνῶν; literas enim in Pandectis Florentinis & alias duplicari, & duplicatas bis legi qui neſcit nemo eſt, ac ita parcimus correctionibus.

Neque vero, ſi vel *publicanos* ſerves, mox usque quaque neceſſe eſt vel δήμοσ.ΩΝ legere vel δημοσιωνῶν, utique ſi verum ſit, quod Budæum probare video, δημόσιον ſimpliciter a Demoſthene vocari ἀντιγραφέα, *obſervatorem pecuniæ vectigalis*, qui nempe id operam dat, ne qua fraus fiat Reipublicæ ab his, qui cogendis tributis præſunt: habentur illi, ut novimus, publicanorum inſtar. Suidas etiam in τῷ δημόσιος non dubitavit de Publicanis agere, & pronunciare, quatenus publico proſint vel noceant. Nec Græcis iterum hac in parte concedunt Latini, cum *publicanos* ἁπλῶς dicunt *publicos;* ipſe Marcus Tullius non aliter locutus videtur in *Orat. pro Domo cap.* 74. *Proximus eſt*, inquit, *huic dignitati ordo equeſter, omnes omnium* Publicorum *ſocietates de meo conſulatu, ac de meis rebus geſtis ampliſſima atque ornatiſſima decreta fecerunt;* habent hic, ſcio, quidam Codices *publicanorum*, ſed meliores *publicorum;* ita teſtantur αὐτόπται. Plautus etiam in *Truculento* ſimpliciter *Publicos* dixit pro iis, qui publica redemerunt.

Sed ut ſecuri ſimus, τοὺς δημοσίους licebit hic ex proprietate vocabuli ſimpliciter vertere *homines publicos*, eosque, ne erremus, interpretari vel publicanos, qui in Cycladibus habitabant, vel ſervos publicos, qui pro civitate Cycladenſium, vel privatos, qui pro publicanis publicum exercebant; vectigalia enim per ſervos fere exercebantur *l.* 1. *pr.* & §. 5. *l.* 3. *ff. de Public. & vectig.* illos autem ſervos, quamvis privatos, publicanorum ſcilicet, non abſurde tamen δημοσίους appellaveris, quia τὰ δημόσια curant & exercent. Præter eos, quos dixi, homines, publicos ſi quis adhuc alios, qui circa τὰ δημόσια verſantur, longa ſerie numerare velit & heic intelligere, neque verbi proprietas, neque obſcura, in qua verſamur, facti ſpecies obſtabit quicquam; neque adeo & ego intercedam. Nam hoc ſatis demirari non poſſum, Interpretes non aliunde magis eos, qui Eudæmonem diripuerunt, velle dignoſcere, quam ex propoſita ab Mæciano facti ſpecie, quæ tamen unice abſolvitur in mentione τῆς διαρπαγῆς. Sin hoc non præſtet vis & uſus vocabuli δημοσίων, nihil præſtiterit. Audi, quam inanes conjecturas ducant. Sententia communis vel ideo δημοσίους transfert *Publicanos*, quia vetus lex erat, naufragia ad Publicanos pertinere, τὰ ναυάγια τῶν τελωνῶν εἶναι. Imo contra Jacobus Gothofredus: hujusmodi legem nec eſſe, nec fuiſſe ſcriptam niſi in ſcholis Rhetorum, ficta ad declamandum themata nihil argumenti ſufficere, quin tantum abeſſe, ut dicto huic Scholaſtico in jure noſtro ſit locus, ut temporibus Antoninorum, quibus de agimus, ipſe quoque fiſcus a naufragiis abſtinere juſſus ſit, probare hoc varias, quas recitat, leges, probare exteros Auctores, non igitur heic agi de Publicanis. Ineptæ utrimque conſequentiæ! namque ut alia transeam, ſeu fuerit ejusmodi lex, ſeu non fuerit, quod illi ajunt, hic rectius negat, nihil tamen quicquam ex eo proficimus; etenim cum ex *h. l.* IX. ſciri nequeat, illi δημόσιοι jure an injuria Eudæmonem diripuerint, quid juvat de eorum jure tam altum perorare, & hinc vel dicere vel negare, δημοσίους verti oportere *publicanos*. Si jure venerint, injuſte queritur Eudæmon; ſi injuria, contra jus fasque Publicanos multa molitos fuiſſe omnium temporum conſtans querela eſt, *quantæ audaciæ, quantæ temeritatis ſint Publicanorum factiones, nemo eſt qui neſciat*, inquiunt etiam noſtri in *l.* 12. *pr. ff. de Public. & Vectig.* Quare fac Eudæmonem revera, ut proponit, direptum eſſe jure ullo, ſatis utique Publicani rapinis ſunt idonei; Suidas eorum mores deſcripturus vel maxime ἁρπαγὴν illis tribuit in verbo Τελώνης. Verum ſi, Gothofrede, *publicanos* hinc arceas, quod eis non licuerit naufragiis inhiare, nunquid igitur magis licuit tuis, quos hic intelligis, *ſervis publicis*? quæ lex iis per-

permiſit naufragos diripere? de ſervis Principis cum contra placuerit Senatui in *l.* 7. *in. fin. ff. de incend. ruin. naufr.* de ſervis Reipublicæ, & quidem Cycladenſium, multo magis idem erit dicendum.

Non etiam magis vincet Gothofredus, *ſervos publicos* ideo præciſe intelligendos eſſe, quod illi δημόσιοι dicantur τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων, *eorum qui Cycladas inſulas incolunt*, non ipſi οἰκοῦντες; eſt enim ea verſio ſic ſatis incerta. Et quidem non ſubſiſtet, ſi largiamur, quod nonnemo dixit, δημοσιωνῶν ſcribendum, conflatumque id eſſe ex δημοσίων τῶν, ita enim vocula τῶν *eorum*, ut ipſe transfert, plane abſorberetur. Sed hoc non placet ob ea, quæ jam diſputavimus, nam quocunque modo legas, per ἀναδίπλωσιν, quam vocant, an etiam ſine ea, ſervari poteſt litera T, vel potius totum illud τῶν. Ideo autem hanc interpretationem ſatis dixi incertam, quia oratio græca in primis eſt ambigua: poſſunt hæc ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων ex genio ſermonis græci æque referri ad δημοσίους habitantes, quam ad δημοσίους eorum, qui habitant Cyclades, puderet id probare, diſſimulatum quamvis Gothofredo. Deinde ſi δημοσίους non inſulanos, ſed inſulanorum Q. D. A. exaudiri concedamus faciles, haud ſcio, cur *ſervis publicis* hæc magis, quam *publicanis* conveniant. De publicanis ſi exponas, poterunt illi ſignificari, qui vectigalia a Cycladenſibus redemerant, vel etiam illi, quibus Cycladenſes ἀρχιδημόσιοι ea, eorumve partem ſublocaverant, vel denique illi, per quos νησιωταὶ τῶν Κυκλάδων vectigalia exercebant in Cycladibus aut Gentium alibi. Atque id impenſe juvaret, quæ *in fine Cap.* III. diximus de publicanis minoribus, præſertim ſi τὸ ὑπὸ per ἀναδίπλωσιν legatur, repetaturque hoc modo: δηλονότι γίνεται ὑπὸ τῶν ὑποδημοσίων, & reliqua. Sed quominus id commode fiat, intercedit nonnihil articulus, qui δημοσίοις præponitur: eo ſervato, quod palam non legitur, nihil tamen vetat intelligere, ut *d. Cap.* III. plenius & planius exſequutus ſum.

Quemadmodum autem Gothofredus hic ferre non poteſt *publicanos*, ita nec Cl. Salmaſius *de modo Uſur. C.* 5. *p.* 206. *ſervos publicos*. Ratione utitur non una; cur, inquit, hi Civitatibus ſuis naufragiorum reliquias vindicarent? quia, reponit Gothofredus, Cyclades inſulæ hoc jus ſibi adrogabant κατὰ νόμον τῆς θαλάσσης. Vellem ipſe auctorem ſuum laudaſſet, nam, ni fallor, eſt hic ſplendide mendax, cum nemo unus id dixerit de Cycladenſibus. Ego, qui non ibo inficias, hujuſmodi ſervitia publica recte hic etiam intelligi, ſimpliciter pronunciabo, mihi non liquere, quo jure Eudæmonem invaſerint illi ἁρπακτοί; forte nullo, & quid tum? non repetam, quæ mox in hanc rem adverſus Gothofredum attuli. Reliqua Salmaſii magis frivola ſunt; ex eo, quod δημόσιοι non ſimpliciter dicantur τῶν Κυκλάδων, ſed οἱ τὰς Κυκλάδας οἰκοῦντες, ipſe elicit orgia, at quæ refutentur non ſatis digna. Conſtituamus nos, ut ab initio conſtituimus, per δημοσίους recte intelligi poſſe *homines publicos* quicunque tandem fuerint, neque quicquam referre, quo jure quave injuria raptum venerint, ſi quidem nihil eſt, unde nobis conſtare queat de æquitate vel iniquitate querelæ Eudæmonianæ; & denique ſuperdicamus, laboris eſſe inutilis cum Jacobo Gothofredo recenſere ordines eorum, qui vulgo naufragiis inhiant; quis omnes enumeret, qui, ubi res locusque ferunt, in naufragia involare prompti ſunt?

Illi vero δημόσιοι, vel ad quos hi pertinebant, dicuntur οἰκοῦν τὰς Κυκλάδας νήσους. De inſulis Cycladibus multi multa dixerunt; nihil addo, cum nemo ignoret vel ignorarit unquam, quid & ubi terrarum ſint Cyclades. Accurſium excipio, quia eas facit *Italiæ inſulam*, ſoi to in rebus Coſmographicis acumine. dictum eſt ea de re aliquid *Cap.* III. Sed quidni excuſandus, ſi non & alii deſint, per quos Cycladibus Cycladibus eſſe non liceat? certe Jornandes *Hiſt. Roman. Cap.* XI. ſcribit, *Rhodum, totius Adriæ inſularum metropolim cum omnibus Cycladibus*, arma reformidantem Romana P. Servilio Iſaurico, piratas debellanti, adfuiſſe; neque enim ibi præciſe Cyclades, ſed & cæteras Rhodum circumjacentes inſulas videtur intelligere: & Rhodum Adriæ inſularum facit metropolim. Et *Hiſtor. Getic. Cap.* I. poſtquam tripartitam Orbis terrarum diviſionem retulerat, ita pergit: *Inſulas quoque marinis fluctibus intermixtas, tam majores, quam etiam minores, quas* Cycladas *vel Sporadas cognominant, in immenſo maris magni pelago ſitas determinant.* qui locus anſam quibusdam dedit, ut ſcriberent, inſulas generali nomine *Cyclades* dici; ita annotator ad Jornandem *d. loc.* Sed nec illud vel in Jornande verum videtur, niſi de inſulis minoribus; de magna κατάχρησις interim conſtat. Quapropter ſi ſuſpicari par eſſet, *Cycladum* vocabulo ea quoque ratione fuiſſe abuſos, qui hanc Ἀξίαν nobis referunt, ſubſiſteret ſatis conjectura Accurſii; putantis inſulam neſcio quam Italiæ ſignificari. Utique plures ſunt diſperſæ circa Italiam inſulæ, vel in mari natæ, vel a continenti divulſæ, ut hæc narrat Strabo *Lib.* VI. *Cap.* 6. at vero ſive Eudæmonem, ſive, quod minus credimus, ipſum Mæcianum, ſive etiam Actorum ſcribam ita καταχρηστικῶς loquutos fuiſſe vix eſt, ut perſuaderi poſſit; de Jornande res videtur eſſe liquida. Quin vel ea ejus hominis licentia eſt, ut *Hiſtor. Getic. Cap.* II. dicat, *Daciam eſſe ad coronæ ſpeciem arduis Alpibus emunitam*, quum tamen nemo unquam, niſi leviſſimus, quosque montes, etſi aliquam regionem terminent, ut Italiam Alpes, propterea auſurus ſit *Alpes* dicere.

CAPUT VI.

Ἀντωνῖνος εἶπεν Εὐδαίμονι: Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος.

Reſpondit Antoninus Eudæmoni: Ego quidem mundi dominus.

In quibusdam libris lego: Ἀντωνῖνος μὲν εἶπεν, & ita exhibet Alciatus *Lib.* II. *Diſpunct. Cap.* 5. ſed illud μὲν abundat & vitioſum eſt, cum mox ſequatur & aliud μὲν. In quibusdam rurſus: Ἀντωνῖνος εἶπεν ſimpliciter, omiſſo Eudæmonis nomine; quod bene eſt, at non tanti, ut a librorum optimo recedamus. Varie quoque vertitur ſimpliciſſima, ſi quæ unquam, vox εἶπεν. Alius *reſpondit*, alius *dixit*, alius *reſcripſit*. Non probo *reſcripſit*, quamvis Jacobi Gothofredi ſit, quia, ut dicere nos meminimus, incertum eſt, Eudæmon libello, an præſens præſenti Imperatori querelam expoſuerit; ſi præſens præſenti, non utique tum reſcripſit Antoninus, ſed coram re-

reſpondit viva voce: igitur melius eſt *reſpondit*, & optimum *dixit*. Utrumque vocabulum, quocunque ſe res habuerit modo, rectum eſt, aſt ideo rectius *dixit*, quia ſolemne & legitimum eſt in actis, quibus ab eo qui cognoſcit & partibus prolatæ opiniones continentur & ſententiæ. Sic eſt in actorum reliquiis, quas habemus in *l.* 3. *ff. de his quæ in teſtam. delent. l.* 13. *ff. quod met. cauſſ. l.* 7. *ff. ad L. Jul. de vi priv. l.* 21. *ff. de auctor. & conſ. tut. l.* 3. *C. de Quæſtion. Inſcript. l.* 12. *C. de pœn. l.* 2. *C. de excuſat. muner. Inſcript. l.* 6. *C. de uſucap. pro empt.* Superſunt & Declamatorum DICTA, quæ Seneca in X. *Controverſiarum Libris*, & *Suaſoriarum ſingulari* ad actorum, quibus vera litigia referebantur, exemplum digeſſit.

Quæ Antoninus dixit, hæc ſunt: Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος &c. Cauſam, quam ad eum detulerat, non finit Imperator, ſed de gloria imperii magnifice præfatus incertum Eudæmonem ad Legem Rhodiam remittit, non quo fiet incertior, ſed quo lex maritima, quæ maris ſunt, definiat. Ex eo autem, quod non certi quid reſponderit Antoninus, recte inferri putat Jacob. Gothofredus, de Publicanis hic agi non poſſe, utpote de quibus res definitionis eſſet certæ. perperam. Nemo dixerit, certi incertive juris eſſe, de quo queritur Eudæmon; nemo, æqua an iniqua ſit ἀξίωσις, ut *Capite proximo* abunde dictum eſt. De Publicanis ſi agatur, non continuo, ut ille putabat, neceſſe eſt eos raptum veniſſe, quod exiſtimarint τὰ ναυάγια τῶν τελωνῶν εἶναι; potuerunt alio, & meliori jure naufragis negotium faceſſere. Finge, nihil enim vetat in re tam obſcura, publicanos repetiiſſe ſimpliciter impenſas in naufragii collectionem factas, vel ipſum Eudæmonem naufragium collegiſſe ſuum, ſed ut ejus damnum aliquatenus reſarciret, merces, quamquam naufragas, profeſſum non fuiſſe, vel ſi quid his eſt ſimile, quod litium materiem ſolet ſufficere: nihil ad has ſpecies Antonini Conſtitutiones, quibus cum alias, tum in *l.* 1. *C. de naufr.* publicanorum aut fiſci avaritiam fregit. Deinde ſi vel naufragos ſint adorti, quia adoriebantur, ſi unice venerint more prædonum, ſi mera fuerit Διαρπαγὴ, ut eam appellat Eudæmon, deque illa liquido conſtiterit Antonino, quidni in re certa ad jus certum, ad Legem Rhodiam, ſupplicantem Eudæmonem ablegaſſet Imperator? ita præſtabat, quam magno ingenio de jure aperto reſpondere. Ut taceam, δημοσίους illos tamen fuiſſe audiendos, nec ſemper vacaſſe Principibus Romanis de cauſſis cognoſcere, aliquando illi: *Vos habetis Judices veſtros*, quemadmodum Marcus Antoninus Advocatis fiſci dixit in *l.* 3. *ff. de his quæ in teſtam. delent.*

Ait, ſe eſſe κόσμου κύριον, *mundi dominum*. Eudæmon ſimpliciter dixerat Κύριε Βασιλεῦ, addito etiam, ut familiarius videretur agere, *Antonini* nomine; quid dicemus? neſciviſſe hominem peregrinum, adulationem ambitionemque jam conceſſiſſe in cauſam Romanam, neſciviſſe κυρίου vocabulum vulgare nimis eſſe & protritum, quam ut eo utendum ſit in compellando Imperatore Romano? an ideo Antoninum, quaſi indignabundum, ut hominis ruſticitatem notaret, ſeſe equidem κύριον dixiſſe, ſed τοῦ κόσμου κύριον? ſunt hæ inſpectiones ſatis incertiſſimæ, & ſane hujusmodi, ut longius illis immorari & bonas horas perdere indignum ſit. Id utique conſtat, Antoninum ſibi adſcribere τὸ κόσμου κύριον; ita nempe, quamvis tantum abfuerit, ut orbem totum unquam victor Romanus habuerit, ut ne decimam quidem ejus poſſederit partem: tamen quod potentia armorum non potuit; verborum procacia Orbis imperium ſibi arrogavit. Hanc vanitatem in Conſtantio Imperatore reprehendit Ammianus Marcellinus *Lib.* XV. *p. m.* 60. dum adeo eum a vero & honeſto declinaſſe prodidit, *ut ipſe dictando ſcribendoque propria manu* ORBIS TOTIUS *ſe* DOMINUM *appellaret, quod dicentibus aliis indignanter admodum ferre deberet*, & quæ ſequuntur. At in Conſtantio ſi quis id ferat, non ideo feret in Antonino vel Pio vel Philoſopho, de quorum alterutro tamen heic eſt ſermo. Vellem liceret, quod non licet, intelligere potius Antoninum aliquem nequam, Caracallam vel Heliogabalum, quibus digna vox eſſet: Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος; vix enim eſt, ut ſententia illa proficiſci queat niſi a mera inſania, aut nequitia adulantium, quæ ſuperba illa nomina peperere. Sed an hæc exſpectabimus ab his, quibus nemo gravius, ſanctius, modeſtius rei Romanæ præfuit? fere eſt, ut mores D. Pii vel Marci ejusmodi ad ſupplicantem reſponſum non videantur admittere. Et profecto, ni ea animi magnitudo, dicam an ſuperbia Romanis eſſet propria ac ita velut innata, ut vel optimos quosque infecerit, fruſtra ſimus, ſi hunc in his Principibus tumorem defendamus: ſed non unus hodie nummus viſitur, qui repræſentat & D. Pium, & Marcum, Orbem terrarum manu tenentes ſua. Quin & Reipublicæ tempore de terrarum Orbis omniumque Gentium imperio jactitarunt Romani; vide Tullium in *Orat. contra Rullum ad Pop. Cap.* XXXIII. & *pro Domo Cap.* XC.

Temperabitur tamen ille faſtus, ſi per *mundum* & *orbem* intelligamus *Romanum* duntaxat, quo orbis Romanus non ſit, qua mare, qua tellus, qua ſidus currit utrumque, ſed qua Romanum Imperium ſiſtitur. Sic *Orbis Romanus* occurrit in *l.* 17. *ff. de ſtatu homin. l.* 1. *C. de Eunuch.* apud Ammianum Marcellinum *Lib.* XVI. *a princ.* & XVII. *p. m.* 174. & XIX. *p.* 244. & 270. Caſſiodorum *Epiſt.* III. *ad Fauſt. Præp.* & denique apud Leonem Magnum *ſermone* II. *de Quadrageſima.* Immo *Orbis* & τῆς Οἰκουμένης appellatio ſimpliciter non ſemel Romano Imperio tribuitur. Grotius *de J. B. & P. Lib.* II. *Cap.* XXII. *n.* 13. & alii eum qui præceſſerunt & ſequuti ſunt, tam ſæpe id egerunt, ut ea de re verba facere ſupervacuum eſſet. Attamen tutius & melius D. Chryſoſtomus *Homilia in magn. Hebdom.* Imperatores non ἁπλῶς vocat Βασιλεῖς τῆς οἰκουμένης, ſed vero τῆς καθ' ἡμᾶς οἰκουμένης, *Imperatores Orbis noſtri*, vel *Orbis qui circa nos eſt*, vel, ut Juſtinianus id extulit, *Orbis terrarum, qui Romano Imperio ſuppoſitus eſt l.* 2. *C. de jurejur. propter calumn.* An autem Κόσμος *Mundus*, qua voce utitur Mæcianus noſter, ullibi accipiatur pro Orbe Romano, non ſcio a quoquam probatum eſſe. Rarior eſt ea illius verbi ſignificatio, uſurpata tamen ab Imperatore Diocletiano in edicto, quod pro tuenda religione antiqua contra Manichæos, nobis ſervavit Judaicarum & Romanarum Legum Collator *Tit.* XV. *Quoniam*, inquit, *audivimus eos nuperrime velut nova inopinata prodigia in hunc* MUNDUM *de Perſica, adverſaria nobis Gente, progreſſa vel orta eſſe*; ab orbe Perſico in orbem Romanum venerit illa hæreſis, & hunc ſimpliciter vocat *mundum.* Apud Græcos ejus locutionis exemplum mihi haud ſuccurrit, quin nec aliud apud Latinos.

Illud vero Imperatoris Romani imperium & τὸ κύριον quemadmodum interpretari oporteat quærunt hic, ſed otioſe, Interpretes. Vidi, qui eum *mundi*, ſed *muliebris* tantum dominum eſſe adfirmet. Sed abſit Satyra. Quam recte *Mundi*

dominus dicatur, & quid ſit illud κύριον unus Seneca docuerit, vulgari loco, *Lib.* VII. *de Benefic. Cap.* IV. *&* V. Otioſe rurſus quærunt, an qui ſe κύριον τοῦ κόσμου dicit, eo ipſo maris quoque dominium ſibi adſerat? ſtulti, qui dubitent, & ſtulti magis, qui hæc exiſtiment adverſarier iis, quæ incontinenti ſequuntur de νόμῳ τῆς θαλάσσης, quam profunde delirent, dicetur *Capite proximo.* Denique & hæc, qua de agimus, oratio veteribus juris utriusque Magiſtris primo anſam præbuit ſerio diſputandi, fueritne unquam Romanorum, vel ſitne hodie Germanorum Imperator revera totius orbis dominus? mox ab Imperatore tranſeunt ad Imperium Pontificis eccleſiaſticum, ab utroque ad utriusque Vaſallos, ab his ad alios, & ita, ne nihil agant, agunt ἀπροσδιόνυσα. Has veterum digreſſiones ſolemnes non libet mirari, ſed hoc potius, Didacum Covarruviam ad *Cap. Peccatum* II. §. 9. *n.* 5. *& ſeqq.* Grotium de *J. B. & P. Lib.* II. *C.* XXII. *n.* 13. aliosque principes Viros refutaſſe quicquid erat Interpretum, qui Imperatori, etiam Germano, totum terrarum Orbem vindicant. Romani ex uncia, & quod excedit, ejus erant domini, ergo Imperatores Germanorum ex aſſe? & illi ex aſſe, quibus neſcio quæ portiuncula Imperii, olim Romani, eſt reliqua? illi tandem, penes quos non niſi per mendacium eſſe dicitur Imperii Romani majeſtas? nam, ſi verum amamus, eam, utpote exſtinctam, fruſtra quærimus ullibi Gentium. Hoc ſufficiat dixiſſe de re plusquam ridicula, & tantum non unice petita ex prodigalitate titulorum, ſeu potius ex illo Antonini male intellecto, Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, aliis contra hanc ſententiam ſi delecteris, adi, quos diximus, & quos illi dicunt porro; vaſtæ ibi; ſed & indignæ diſputationes.

Cæterum tamen cum ſemel placuerit Interpretibus ex ſola titulorum ſuperbia imperium concedere in univerſum orbem, non deerunt fortaſſe, qui id ipſum ſint daturi Turcorum Imperatori, aliisque Orientis Regibus, longe enim illi in titulis ſuis etiam Romanis Germanisve Imperatoribus liberaliores ſunt. Turcorum Imperatoris tituli exemplum habes in privilegio, quod Achmet Turc. Imper. anno MDCXII. Belgis fœderatis dedit, & in variis indictionibus belli, & præcipue in epiſtola Solymanni ad Imperatorem German. apud Busbequium *p.* 453. ait in ea epiſtola, ſe dominum omnium terrarum eſſe, *nullis exceptis*, ne forte quem angulum ſuffurari tentes, inter ditiones ſuas pro minima haberi Imperium Alexandri Magni, & quæ ſimilis ſunt inſaniæ. Sed ſi terra ſe contineret vanitas hominum, etiam modeſtia eſſet, Cœlum ipſum petunt ſtultitia; neque majores duntaxat κόσμου κύριοι, ſed & qui aliis tributa præſtant. Ita Regem in Siam cœli terræque imperium ſibi adſcribere tradit Joannes Baptiſta Tabernarius *Indicorum Lib.* III. 18. *p. m.* 360. & Soldani Babylonienſes & Ægyptii Diis ſe imperare, ac Imperatorem Germanorum una cum Regulis Francorum Anglorumque vaſallos eſſe ſuos palam profitentur: hinc eos ad Curiam ſuam evocant, capitis ſui vectigal ſoluturos, ſin minus. . . . & quæ ibi porro prodige & inſane effuſa ſunt. Quin neque inferna Dæmonibus relinquunt invidi, & horum quippe præfecturam ſibi tribuunt. Vidi quædam eorum edicta, plena ejusmodi ſtultitiæ, interque ea unum, quod ſervatur in Archivis Curiæ Feudalis Hollandiæ, **in het oud regiſter van allerhande Sententien/ Vonniſſen en Submiſſien /** factum, ut habebat ſubſcriptio, anno Mundi 6015. ætatis ſuæ 91. Nazareni autem, filii Joſeph, ex Gente David, cognati, ut ait, ſui 1415. 14. *Jul.* in eo inter titulos bis etiam inferni imperium enumeratur. Sed apage verborum portenta, apage hominum protervias & furores.

CAPUT VII.

Ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης, τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ.

Lex autem maris, Lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis præſcripta eſt, judicetur.

Conſtans eſt in editionibus, quas vidi, omnibus horum verborum ſcriptura. Utque ita ſine auctoritate librorum in ſecundo *verſiculo* videatur legere Gothofredus τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων ναυτικῷ κρινέσθω. ſed hoc leve eſt. Non æque eſt conſtans illius *verſiculi* verſio latina. Vulgata eſt, quam exhibuimus. Duæ antiquæ: *Lege Rhodiorum judicetur nautica.* Haloander & alii: *Lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis perſcripta eſt, diſceptetur.* Alciatus *Lib.* II. *Diſpunct. Cap.* 5. *qua Lege Rhodiorum nautica judicetur.* Grotius in *Flor. Sparſ.* ad *h. l. Lege igitur Rhodiorum navali res dijudicetur.* Ita illi, qui in Græcis vulgarem lectionem & interpunctionem ſervant, & omnes non uſque adeo male, magis tamen κατὰ πόδας eſt translatio in duabus illis antiquis. Quum autem varie a variis uterque *verſiculus* affligatur, alii, prout aliter verba interpungunt, vel emendant, vertunt etiam aliter, ſed de his mox per ſatyram videbimus.

Nos utimur recepta lectione, ni magna cauſa in contrarium vocet; nihil hic eſt ejusmodi. Verba equidem, in quibus verſamur, nonnihil ſunt implicita, at de ſententia perfecte conſtat. Eſt autem hæc: mihi quidem, quippe Principi, de omnibus, quæ in Orbe Romano fiunt, conſtituendi jus & poteſtas eſt, ſed habent quæſtiones maritimæ legem ſpecialem, nempe Rhodiam, quam de iis valere placet, quatenus Juri Romano non adverſatur, ex ea jus tuum perſequere. Sæpe accidit in eorum etiam ſermone, qui diligentiſſime loquuntur, ut ſententiam perfecte intelligamus, verba non æque: non ſemper contingit hominibus æque eſſe accuratis & facundis. Quæ heic implicita ſunt, explicemus, ne eo quoque nomine, ut fit, Lex obſcuritatis arguatur.

Ait, Ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. Ut autem in prima periodo Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος intelligis εἰμὶ non expreſſum, ſic & non expreſſum ἐστὶ intelligere potes hic in ſequenti, eo ſenſu: *Ego quidem mundi ſum dominus, ſed eſt Lex maris*; quaſi dicat, eſt jus conſtitutum receptumve de rebus nauticis, me igitur, quamvis terræ marisque dominum, de his noli interpellare. Non repetimus vocem κύριος, ſed ita conſtituimus ſeparatam ſententiam hujus & præcedentis periodi, locutione nec inconcinna, nec torta. Divi tamen Interpretes, tantum non omnes, contra ſcripſerunt, rati ſcilicet, ex his Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης omnino effici,

 Le-

Legem eſſe dominam maris, intellectu τοῦ κύριος ex præcedentibus repetito, &, quod pejus eſt, porro rati, Antoninum ſuo ipſius teſtimonio ſemet hic imperio maris excludere, Legi id & in Legem concedere, & denique pro modeſtia ſua contentum eſſe dominio κόσμου *terræ* ſeu *continentis*. Sed hoc nobis dicere non licet, qui ea ſententia non utimur, & vel minime agnoſcimus illud diviſum Imperatoris cum Lege Imperium. In *Diſſertatione*, quæ ſequetur, peculiari omni opera id agemus, ut mare & imperio teneri poſſe, & illud, quo de hic verba fiunt, Principes Romanos aliquando imperio tenuiſſe liquido vincamus. Quare nos largimur faciles, quod Jac. Gothofredus *Cap. VII.* contendit, κόσμου vocabulum etiam maria complecti, faciles item, quod Princeps Romanus & legibus & maribus imperaverit, quemadmodum ipſe *ibidem* & Salmaſius *de modo Uſurarum Cap. V. p.* 200. multis diſputant, ſed negaverim ex lectione vel interpunctione contrariam illis ſententiam ſequi, ſi videlicet, ut par eſt, interpreteris Antoninum. Quin etſi κυρίου vocabulum transferas ad νόμον τῆς θαλάσσης, poterit nihilominus id recte explicari, ſalvo Principis Romani imperio maritimo, ut mox audies. Utique ſecundum ea, quæ diximus, omni modo illud ſalvum eſt; ſin enim ajat Imperator, quemadmodum ait, ego quidem, utpote ſupremus Orbis Romani dominus, de cauſa etiam maritima cognoſcere & pronunciare poſſum, ſed leges ſunt navales, ex iis judicator, ſin, inquam, hoc ajat, non video eum hoc ipſo magis ſeſe exuere imperio maris, quam imperio terræ, cum ait, *vos habetis Judices veſtros*, ut eſt illud Marci Antonini, quod adduximus *Cap. proximo*. Ita heic ſimpliciter reſpondet, exſtare Legem nauticam, & ſimul Eudæmonem ſupplicantem ad eam ſimpliciter remittit.

Poſſumus etiam, ut ſic indicavimus, aliter hæc intelligere, nec peccare contra Principis in mare Imperium. Sane, ſi, ut vulgo, poſt τῆς θαλάσσης, verbum κυρίου, ut repetitum, ſubaudires, non eſt cur magnopere intercederem, dummodo ne hæc explices cum vulgo. Accipienda tunc eſſet κυρίου vox pinguius, neque eo præciſe ſenſu, quo in proximo *verſiculo*, unde repeteretur; alia eſt & latior ejus ſignificatio. Νόμος κύριος apud Græcos occurrit pro *lege rata validaque*; ſexcenta ſunt exempla, unum dediſſe ſufficiat ex *Oration.* Demoſthenis *contra Midam*, plane *in fin.* Τίς, de Legibus loquitur, αὐτῶν ἡ δύναμις ἐςί. Ὑμεῖς ἐὰν βεβαιῶτε αὐτοὺς, καὶ παρέχητε κυρίους ἀεὶ τῷ δεομένῳ. *Quæ earum poteſtas eſt? ſi Vos eas confirmetis, & ſemper ratas præſtetis iis, qui has implorant*. In hanc ſententiam Antoninus: mihi quidem in meos ubique competit Imperium ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης κύριος, *ſed rata receptaque eſt lex maris*, hanc ſequere. Habemus ſic πλοκὴν (ita putem appellare Rhetores) at variantem utriuſque verbi ſignificationem, quales in Auctoribus, tum noſtris, tum aliis non ſemel licet obſervare. Imo, ſi τὸ κύριον ſemper exiliter vertere velis *dominum*, ne tunc quidem verum eſt, quicquam derogari Imperatori Romano, ſi Alciatum, Amayam & Duarenum audias. De illorum ſententia dicam *hoc Capite*. Quocunque igitur hæc intelligas modo, nihil eſt, quod maris Imperium ſubvertat, vel, quod Cæſaris eſt, tribuat legi, niſi hoc fieri exiſtimemus, quum leges jubeantur duntaxat ſervari, ut heic lex, quæ maris eſt, Lex Rhodia.

Tantopere tamen hæc Antonini reſponſio nonnullos turbavit, ut ad partes emendandi conſugerint, & imperium maris, legi ſcilicet invidentes, ventis dederint. Itaque legunt: ὁ δὲ ἄνεμος τῆς θαλάσσης, *ventus autem maris eſt*. Sic Samuel Petitus *Lib.* III. *Miſcellan. Cap.* 11. laudante id & probante Cl. Salmaſio in libro *de modo Uſurarum Cap. V. p.* 204. quaſi vero Imperator Eudæmonem, de facto naufragio conquerentem, fuerit ſolatus θεοῦ βίᾳ. Serio hoc confutat Jac. Gothofredus *Cap.* XIII. §. 4. ad *h. l.* quod factum nollem cum τὸ ἄνεμος hic ſit aura levius, vel potius penitus abſurdum. Sane quum Methymnæorum juvenum (qui navem, qua in Lesbon advenerant, vimine alligarant) canes Daphnis capras terruiſſent, & hæ confugiſſent ad mare, ibique vimen illud arroſiſſent, atque ita ſoluta navis fluctibus abrepta periiſſet, ac Daphnim ideo Methymnæi rapuiſſent in jus ad Philetam bubulcum, bubulcum eum Judicem apud Longum ποιμενικ. *Lib.* II. *p. m.* 61. legimus pueri, abſolutis cum Caprario capris, pronunciaſſe ventos damnum injuria dediſſe videri, ſed in eos poteſtatem ſibi non eſſe: Φιλητᾶς, inquit, ὁ δικαςὴς ὤμνυε Πᾶνα καὶ Νύμφας, μηδὲν ἀδικεῖν Δάφνιν, ἀλλὰ μηδὲ τὰς αἶγας; τὴν δὲ θάλασσαν καὶ τὸν ἄνεμον, ὧν ἄλλους εἶναι δικαςὰς. idque ibi non illepide fingitur, ſed itane etiam Antoninum reſpondiſſe dicemus? nihil ineptius. Non petierat Eudæmon rerum, quas naufragio amiſerat, reſtitutionem, ſed quas rapina & injuria τῶν δημοσίων. *Quis adeo iniquus*, ait ille apud Tacitum *Lib.* XIV. *Annal. Cap.* 3. *ut ſceleri aſſignet, quod ventus & fluctus deliquerint.* Apprime in rem præſentem eſt illud Epicteti apud Arrianum *Lib.* III. *Cap.* 13. Εἰρήνην μεγάλην ὁ Καῖσαρ ἡμῖν δοκεῖ παρέχειν . . . . . . μὴ τι οὖν δύναται ἡμῖν εἰρήνην παρασχεῖν καὶ ἀπὸ ναυαγίου; οὐ δύναται. *Imperator magnam equidem pacem nobis præſtare videtur . . . . . . ſed nunquid eam & ab naufragio præſtare poteſt! non poteſt.* Et conſtat palam, Eudæmonem ſupplicaſſe, non ut ventos coërceret Imperator, ſed ut δημοσίους illos, qui eum diripuerant; dicit enim uno ſpiritu, ναυφράγιον ποιησάντες διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων, & ſic porro. Ejusmodi ſunt profecto hæc commenta, ut ſeria diſputatione illa tranſigere ſit nefas. Nec minus ridicula erit Antonini reſponſio, ſi legas non ὁ δὲ νόμος, ſed ὁ γόμος τῆς θαλάσσης, ut ad *merces* referatur, quemadmodum legit Petrus Baptiſta Burgus, libro *de dominio Genuenſium in mari Liguſtico*.

Joannes Seldenus, ſtrenuus in primis Dominii maritimi aſſertor, *Lib.* I. *de Mari clauſo Cap.* 25. mirum ſe torquet in enarranda hic ſententia Antonini, neque tamen, ubi multum ſudavit & alſit, ſeſe adhuc ſatis recte expedivit. Verba, quæ præſcripſimus, legit ipſe bifariam, vel ſeparatim, adhibita, ut vulgo, interpunctione, vel ſine ea conjunctim. Hæc autem ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης, accepta ſeparatim, ita transfert: *hujusmodi lex ſeu mos eſt maris*; ac ſi dixerit Antoninus, ſi direptus ſis, ita jus vel mos eſt. Male quamvis, ut ille, de publicanis id exaudias, utique enim, ſi *jus* vertas, Romanum intelligis; ſed quam lepide? ut repulſo Eudæmone Imperator rem definiverit & bonum factum pronunciaverit? ut dixerit, naufragos diripere licere ex optimo Jure Quiritum? ita oportet conſtituas ſecundum hanc ſententiam. At cui bono cauſam, jam finitam, iterum juberet dirimi? & quidem ex Jure Rhodio? num igitur ex eo judicabitur νόμος τῆς θαλάσσης, ſi Legem Romanam putes? adverſatur, quæ mox ſequitur, exceptio ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. Ad hæc ſi τὸ νόμον hic *jus* transferas, idque, ut ille, intelligas de hujusmodi deprædandi licentia, mox

eo ipſo ais, Publicanis illorum temporum naufragia conceſſiſſe Leges Romanas, invita illius ævi juriſprudentia, uti nemo non dixit & probavit ad *b. l.* Multis in contrarium laborat Juris, ſed præſertim Judaici, conſultus Seldenus; verum bene eſt, quod ipſe, ubi nihil proficit vel ſuo ipſius teſtimonio, a jure tranſeat ad morem, injuſtum quidem, ſed tamen morem. Equidem video hominibus græce eruditis placere, ut νόμος etiam *mos* ſit, video etiam, quæ vulgo in hanc rem adferantur, neque impræſentiarum libet contradicere, ſed ſcire velim, quid hoc eſſet dicere? Ego quidem Mundi Dominus ſum, veruntamen *ex more maris* vel *ex more maritimo* tu direptus es; an ex more, quæ legis inſtar obtinet? nemo dicet, ex more igitur nequiſſimo, ſed ita vix eſt ut reſponderit, cujus eſt cavere, ne vanæ ſint ſine moribus leges. Fac autem ita eſſe, ecquid tunc rurſus erit, *judicetur ex Jure Rhodio navali?* idque nulla tranſitione vel idonea ἀκολουθίᾳ? judicabitur mos ille maritimus, nequiſſimus ille mos? non audet adfirmare, ſed fingit potius, illud judicium, etſi non conſtituatur de τῷ νόμῳ τῆς θαλάσσης, conſtituendum tamen eſſe de neſcio quibus circumſtantiis, in deprecatione omiſſis. Longæ ambages, nihil ſolidæ rationis vel Juriſprudentiæ.

Eſt & alia, ut diximus, Seldeni interpretatio, qua, ſublata diſtinctionis nota, quæ vulgo ſcribitur poſt voculam θαλάσσης, ita legit conjunctim: ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, *ſed vero lex ſeu mos ille maris ex Lege Rhodiorum nautica judicetur ſeu decernatur.* Niſi mentiamur, hæc ipſa plane eſt cum interpunctio, tum explicatio, qua Gothofredi Pater & Filius, ille in *Not.* hic in *Comment.* an *b. l. Cap.* VI. & VII. ſeſe extollunt. Jacobus equidem contra argutatur *Cap.* XIII. ſed, ni fallor, parum ingenue: nam quod νόμον τῆς θαλάσσης ſignificare velit *jus prætenſum maris*, non differt a Seldeni *jure* vel *more*, cum illud jus prætenſum *d. Cap.* VII. ipſus definiat, *quod vel ex more vel ex lege deſcendit*, quodque ſibi adſerebant inſulæ Cyclades. Quo autem magis perſuadeat Gothofredus, conjunctim hæc ita legenda eſſe, vel maxime id agit *Cap.* VI. ut probet, alioquin ſententiam hujus loci non ſubſiſtere. Si, inquit, ſeparatim hæc accipias, & τελείαν στιγμὴν apponas verbo θαλάσσης, nihil reperies, quod referatur ad τὸ κρινέσθω; deerit igitur ex ejus ſententia, quod Rhetores in Scholis vocant τὸ κρινόμενον. Et obſervat, ne hoc verum ſit, Interpretes, qui illa ſeparatim legunt, ſenſui ſuſtentando inſarcire *illud*, *id*, *ea res* & ſi quid his eſt ſimile; contra quam tamen eſt in græco. Nunc, ut ipſe ait, τὸ κρινόμενον eſt νόμος τῆς θαλάσσης, & hanc rationem Gothofredus habet præcipuam.

Negat hæc ita recte explicari Cl. Salmaſius *de modo Uſurarum Cap.* V. *p.* 201. 202. & 203. ſive νόμον vertas *legem*, ſive *conſuetudem.* Νόμον νόμῳ κρίνεσθαι, balbuties ipſi eſt & ſtribiligo, præſertim ſi νόμος κρινόμενος a νόμῳ, ᾧ δεῖ κρίνεσθαι, diverſum quid denotet, idque in eadem ῥήσει. multa deinde addit, aliqua etiam per calumniam, quæ omnia tædet referre. Ubi autem pervenit ad rationem, quam dixi, Gothofredi præcipuam, tanti hæc ipſi eſt viſa, ut mutata ſcriptura ita legat: τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τὰ ναυτικὰ, *res nauticæ decidantur ex Rhodiorum legibus.* Video id alios & ante Salmaſium obſervaſſe; ſed tamen non placet, quoniam, ne nihil dicam aliud, contra omnium eſt librorum fidem. At quid tunc nobis faciendum eſt, qui diximus in *princ. b. Cap.* illa Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης, ut diſtinctam ſententiam conſtituant, recte accipi poſſe? ecquid referetur ad τὸ κρινέσθω? nimirum non ſum, qui anidmadvertam; cur illa vox ſtare nequeat ſine fulcimento alterius vocis, κρινέσθω ἐν οἷς μή τις & reliqua, in hunc ſenſum: *Judicetur in iis, quæ Juri noſtro adverſa non ſunt, ſecundum Leges Rhodias.* ſatis apte hoc ita dicitur. Quod ſi tamen id fieri non patiaris, ecce commodum legetur, τὸ νόμῳ τῶν Ῥοδίων &c. *Illud Lege Rhodiorum dirimatur*, τὸ enim pro τοῦτο Græcos quandoque uſurpare demonſtrandi gratia ſatis eſt certum. Neque etiam τὸ a τῷ in elocutione differt quicquam, in ſcriptura parum. Ad hunc modum expreſſa erit quæ in verſionibus vulgo additur, vocula *illud*, *id*, *ea res*, & ſic porro.

Ut vero arbitraria eſt interpunctionis ratio, ſic non negaverim, verba Q. D. A. conjunctim quoque legi poſſe. Locutio illa νόμος νόμῳ κρινέσθω, ſi abrupte eam accipias, nonnihil quidem offendit, ſed non æque offendet, ſi νόμος τῆς θαλάσσης dijudicari jubeatur νόμῳ τῶν Ῥοδίων τῷ ναυτικῷ; præcipue, ſi dicamus τὸν νόμον, qui primo loco occurrit, non differre a τῷ νόμῳ, qui occurrit loco ſecundo. Neſcio, cur Seldenus, cur item Gothofredus alia atque alia ſignificatione hæc obtrudant, & hic quidem, ut magis obtineat, *Cap.* VII. alio rurſus ſenſu νόμου vocabulum efferri putet in hiſce, ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων νόμων αὐτῷ ἐναντιοῦται. Difficiles, ſi dicere liceat, nugæ, quibus inſultat Salmaſius, taciturus fortaſſe, ſi νόμον ubique transferamus *jus*, hac ſententia, &, ni fallor, plana: *jus maritimum ex jure Rhodiorum navali petatur, in quibus juri noſtro adverſum non eſt.* Ita non eſt opus, ut multa comminiſcamur de *jure* publicanorum, aut de *jure prætenſo*, quod vel hi, vel inſulæ Cyclades, miniſterio ſervorum, ſibi adſeruiſſent in perſequendis naufragiis. Scimus, Prætores, etiam cum inique decernant, tamen *jus* dicere, ſed rapinas Cycladenſium quis dixerit *jus*, quis νόμον τῆς θαλάσσης? eane eſt paupertas ſermonis Græci, ut perverſis vocabulis utendum ſit? ut hariolandum de trina, ut ipſe putat, ſignificatione unius verbi in eadem oratione? ſatius eſt interpungere verba, quam ita compungere. Aperta eſt, quam nos dedimus, conjunctio & interpretatio, nec quicquam ibi occultæ notionis aut figuræ.

Poſſes præterea aliter explicare illa ὁ δὲ νόμος &c. cum ſequenti quoque periodo intelligenda; ut cum dixit ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, perinde ſit, atque ſi dixiſſet, τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων, τῷ τῆς θαλάσσης νόμῳ, & ita deinceps. Eſt ille loquendi modus paſſim vulgaris apud Græcos, Latinos & in vernacula; eo uſus eſt Horatius, *Lib.* I. *Satyr.* 2. *pr.*

Ambubaiarum collegia, Pharmacopolæ,
Mendici, Mimi, Balatrones, hoc genus omne.

pro *omne genus Ambubaiarum &c.* neque abludit Virgilius *Æneid. Lib.* I. *pr.*

Arma Virumque cano. ———

& mox:

——— *multum ille & terris jactatus & alto.*

etiam in Jure noſtro exemplum eſt ejus locutionis in conceptione primi Capituli Legis Falcidiæ, quod in *l.* 1. *pr. ff. eo tit.* ita exhibetur: *Qui cives Romani ſunt, qui eorum poſt hanc legem rogatam teſtamentum facere volet &c.* pro *Qui civium Romanorum poſt hanc legem* &c. Fabius ea de re nonnihil adnotavit *Lib.* IX. *Inſtit. Orat. C.* 3. In hunc, ut diximus, modum, disjunctis licet verbis, una tamen efficietur ſententia, quæ heic

hcic recte ſubſiſtit; recte etiam, ſi ſeparatam velis, utrum libet.

Fere omiſeram eſſe, qui legit: ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης τῶν Ῥοδίων, τῷ νόμῳ κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, *Lex autem maris eſt Rhodiorum, lege nautica res judicetur*, verborum non mutatione, ſed trajectione tantum. Si ita ſcriptum eſſet, ego non mutarem; quum non ſit, non eſt, cur mutemus: neque enim, ſi hæc trajicias, ſenſus redditur planior & rotundior eo, quem variis modis jam repræſentavimus.

Ita aliquando finem ſcriptionum fictionumque de his verbis reperire licet, variarum interpretationum, quæ de iis circumferuntur, non licet. Aliquas commemorat Jac. Gothofredus *Cap.* XIII ad *h. l.* non tamen omnes. Earum autem nonnullas, quin & alias, quas non recenſeo, ferri poſſe non eſt ut negari debeat. Cunctas equidem damnat Gothofredus, ſed ideo præſertim, quod *verſiculum*, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης diſtinguant a ſequenti τῷ vel τὸ νόμῳ τῶν Ῥοδίων; verum hinc non effici ſcopas diſſolutas, ut ipſe rebatur, at ſententiam Antonini perfecte ſtare, ſatis, ut opinor, expeditum eſt. Si caveas ab iis, qui dominium maris *his verbis* ita Legi tribui exiſtimant, ut ſimul adimatur Imperatori Romano, & ab iis, qui ſequuntur Forcatulum in *Cupid. Juriſper. C.* IX. & alterum quendam hominem, æque fere lunaticum (Michaël de Luna ei nomen eſt) ſi, inquam, ab iis caveas, vix auſim contra alios pronunciare, utique non contra Accurſium ad *h. l.* vel Alciatum *Lib.* II. *Diſpunct. C.* 5. vel Amayam *Lib.* I. *Obſerv. C.* 1. & cum his qui eadem cenſent. Ait quidem Accurſius: *maris* i. e. *eorum qui per mare vadunt & rerum ipſorum*, quo ipſius maris dominium non videatur admittere, ſed cætera recte, hunc ei ſcrupulum eximet *Diſſertatio de* DOMINIO MARIS. Alciatus autem & Amaya cum κυρίῳ verbum ex præcedentibus repetitum transferant ad Legem, quam *Dominam & Reginam* maris vocant, non hoc agunt, ut Romano Principi auferant, quod ejus eſt, ſed ut ea locutione nihil ſignificetur aliud, quam jus in quæſtionibus maritimis ex Lege Rhodia reddendum eſſe: & eo ſenſu Lex Rhodia dicetur *dominari*, at oratione figurata, ut Duarenus admonuit in *Comment.* ad *L. Rhod. de Jact. Cap.* I. nec quicquam etiam jure reprehendas. Longum eſſet occurrere minutiis, quas adverſus hæc congeſſit Jac. Gothofredus *d. Cap.* XIII. rationes deſidero; dedit etiam aliquas, ſed queis jam ſupra defuncti ſumus. Sine figura, ſine ulla quoque difficultate Antoninus recte intelligitur, ſi, ut nos, nihil omnino repetieris, vel, ſi repetas, aliam τοῦ κυρίου ſignificationem dederis in repetitione, aliam prima collocatione ejus verbi, ſuavi ἀμφιβολίᾳ; recte etiam, ſi, quæ disjuncta videntur, conjungas & ſano ſenſu explices. Omnia enim hæc, ni moroſi ſimus, bene ſubſiſtunt non uno latere.

Quomodocunque vero accipias cum verba, tum ſententiam Legis in *hoc verſiculo*, conſtat, ineptiſſime inde confici, Imperium maris ad Imperatorem Romanum non pertinere, aut neque alterius cujusquam dominium admittere. Contrarium ex ſingulis fere periodis ſollicite collegit Jacobus Gothofredus. Sed quid dubitamus? palam hic jura Imperii Antoninus in mari exercet, cum decernit, de rebus maritimis judicium conſtituendum & ex Legibus Rhodiis finiendum eſſe, perinde enim hoc eſt, atque ſi ipſæ eæ Leges conſtituerentur novæ. Deinde in iisdem rebus maritimis ſupra eas valere jubentur Leges Romanæ; quo ita Rhodiæ tantum obtineant, ubi deficiunt Romanæ. Sed illa diſputatio non ſecus eſt aliena ad *h. l.* quam aliæ Veterum, an imperium Principis cedat imperio Legis? an conſuetudinem nauticam ſervari oporteat, ſi vel lex ſcripta obſtet? & quæ ſunt præterea, in quibus hic prodige opera luditur.

CAPUT VIII.

De Legibus Rhodiorum navalibus, quæ dicuntur.

Rhodus & Rhodiorum gloria navalis ab Joanne Meurſio in *Rhodo*, aliisque abunde eſt celebrata. Dedit hæc Rhodus Leges nauticas, in quas accuratius inquirere operæ erit pretium. Antoninus hic jubet eas adiri, idque ſimpliciter; infinita enim videntur eſſe verba, ut ſane de hac ipſa obſervatione Legum Rhodiarum infinita ſunt Harmenopuli *Lib.* II. *Tit.* XI. §. 1. & Docimi, & Michaëlis Attaliatæ, quibus, ſi videre placet, teſtimonium denunciavit J. Gothofredus *Cap.* I. *ad h. l.* Et tamen id valde mirum eſt, ſiquidem ex Jure Rhodio nihil frequentari videas, quam Legem *de jactu* duntaxat. Laudabitur igitur Rhodiorum eunomia navalis, & apud Romanos, apud quos de jure nautico nihil præcipuum conſtitutum eſt, probata legetur tot Principum Conſtitutionibus, quot in *Præfatione Legum Rhodiarum* memorantur, & unicum ſolummodo Capitulum, nempe *de jactu*, inventum erit, quod reciperetur? eane fuit reliqui juris Rhodii vel ſtultitia vel ſterilitas? ſane ſi ejusmodi fuerit, cujus ea, quæ vulgo venditatur ſub nomine *Legis Rhodiæ*, non eſt, cur valde mireris, iſtac enim ecloga nihil eſt abſurdius. Profectam dicas ex eodem penu, ex quo illæ *Leges Georgicæ*, quæ ſub Juſtiniani Imper. nomine circumferuntur, & quarum ſtultitiam dicere nemo poteſt. *Incidi aliquando*, inquit Balduinus *de Lege Rhodia*, *in quosdam Commentarios Græcos MSS. quorum inſcriptio erat* ΝΟΜΟΣ ΡΟΔΙΟΣ. *Sed incondita erat farrago de rebus nauticis*, & ſane vix quicquam proferas, quod magis eſt inconditum.

Illa autem ecloga, quam dixi vulgo pro *Jure Rhodio* obtrudi, excerpta dicitur ex *Libro undecimo*, ut in *Jure Græco-Romano Tom.* II. *in fin.* & Amſterdami anno 1647. editum eſt, vel *quarto decimo Digeſtorum*, ut Pariſiis anno itidem 1647. *Lib.* LIII. *Tit.* VIII. Βασιλικῶν. Quæ *Digeſta* intelligantur, nemo facile divinaverit, cum ea vox ſit generalis. Significantur forte quædam *Digeſta Legum Rhodiarum*, variis diſtincta Libris, e quorum binis, *undecimo* ſcilicet & *quarto decimo* illa ἀποσπασμάτια deſumta eſſent: nam ex uno aliquo Digeſtorum libro vix hujusmodi ῥαψῳδία provenerit. Niſi dicamus τὸ *ex Lib.* XI. quod illi edunt, mendoſum eſſe, & per *Libr.* XIV. *Digeſtorum*, quod hic edidit, intelligi *Digeſta Juſtiniani*; in his quippe cum *Lib* XIV. ex veteribus JCtis aliquid de Jure nautico agatur, mendacio fortaſſe originem præbuit, iſtas quisquilias inde eſſe. Magis eſt, ut illa farrago, in qua de rebus omnino quibuscunque diſſeritur, videatur eſſe ex *Digeſtis* ejusmodi *nugarum*, ex quibus illæ, quas diximus, *Leges Georgicæ*.

Sane has, quas loquimur, Civitatis Rhodienſis Leges nauticas a Græcis eſſe confictas jam ſub-

ſuboluit Antonio Auguſtino in libro *de Legibus & SCtis p.* 131. & Jac. Gothofredo ad *h. L. C. I.* Cujacius vero ad *Libr.* XXXIV. *Pauli ad edictum, in l.* 2. *ff. ad L. Rhod. de jact.* non quidem eas ſuppoſitæ fraudis arguit, at, deperditis vetuſtiſſimis, noviſſimas quasdam eſſe ait, nec ea præter quicquam adfirmat. Ego puto verum, ne quidem Leges Rhodiorum novellas eo fragmento contineri, ſed fucum nobis feciſſe mendacem Græciam, quo etiam ineptias illas veneremur. Itane Rhodiorum εὐνομία, tantopere laudata veteribus, evileſcet, & repente ejus loco κακονομίαν amplectemur? hanc Jurisprudentiam Romani amaverint, præ qua nemo non laudaturus eſt Platonici Juris præſtantiam? de hac farragine vaticinatum fuiſſe reor, qui gloſſam ſcripſit ad *C. Rhodiæ ult. Diſtinct.* II. cum inquit: *iniquiſſima eſt illa Lex*, loquitur autem de Rhodia. Veteres Rhodiæ a Strabone perhibentur fuiſſe ἀνεπίληπτοι, nec quisquam earum, niſi adſcripta laude, meminit; in hac Collectione nihil eſt, quod non reprehendas, ſeu dicendi modum, ſeu rem ipſam ſpectes. Quis πεγίδαν dixit, & Rhodius fuit? ſunt ejusmodi plura, ſed a Græculis poſterioribus profecta. Deinde ſi genuinæ Leges Rhodiæ eſſent ſcriptæ in illo fragmento, non poſſet in eo quippiam reperiri, quod non conveniat cum illis de Jactu Capitibus, quæ Romani a Rhodiis mutuati ſunt. Sed vero plurima deprehendas in ficta illa Legum navalium ſatyra, quæ frontibus adverſis pugnant cum *Lege Rhodia de Jactu*, ut hæc nobis eſt tradita a JCtis Romanis; quædam ex his alii obſervarunt, mihi reliqua non placet perſequi, quum pugna illa ſit vulgaris. Sunt hæc argumento fraudem eſſe factam a minus attento minusque docto impoſtore: nam ipſos Rhodios veteres bonasque leges abrogaſſe, & novas malasque iis ſurrogaſſe, id vero dicere abſurdiſſimum eſt. Suſpecta porro & fides eſt illius Eclogæ navalis ex varia interpolatione; nunc enim major, nunc minor, nunc his, nunc illis emblematibus referta exſtat, pro vario, opinor, eorum ingenio, qui fucum fuco addebant. Alia exaggerandæ fraudi non conquiro, pellucet νόθευσις fragmenti, ut *pretioſum* tamen, ſi Dis placet, nobis commendati a Mornacio ad *h. l.*

Sed ſi tantum a communi ſapientia & Jure Romano abhorruerint Leges Rhodiæ, nunquid eſt credibile, eas totiens confirmaturos fuiſſe Romanos, atque eos feciſſe legimus in *Auctoritate*, quam, Juri Rhodio vulgo præmiſſam, exhibet Gothofredus ad *h. l. Cap.* VIII. Scilicet difficile non erat, commentis Legibus Rhodiis, etiam comminiſci *Auctoritatem*, quam addere e re videbatur tam inepti fragminis. Et eſt certe illa *Auctoritas* non una ratione auctoritatis dubiæ; dudum eſt, ex quo ad eam ſcripſi culpas, quas heic non deſcribo, notabit aliquid ea de re *Caput proximum.* Sed valeat, ut quod maxime valet, modo ne nugemur, Voluſium Mæcianum inde nobis dediſſe *h. l.* IX. ſed dictum eſt de eo ſatis *Cap.* I. Quum autem concedamus, probe recte ſe habere illam *Auctoritatem*, non illico concedimus, ea confirmatum fuiſſe Jus, quod exploſimus, Rhodium, ſed potius genuinum illud, quod Romani Græcique ab εὐνομίας θαυμαστῇ commendant, & deperditum fruſtra quærimus. Imo non aliud, ſi quid confirmatum eſt, confirmari potuit; at potuit ea *præfatio* detracta fuiſſe Juri Rhodio, veteri veroque, &, ubi hoc periit, præſcripta illi, quod nobis ſupereſt ex ſterquilinio poſterioris ævi.

Interea hoc videri poſſet largiendum, Romanos olim generaliter in cauſſis maritimis Jure Rhodio, ſed vero, fuiſſe uſos, confirmat quippe id generaliter illa *Præfatio*, confirmat hic Antoninus, & ſimpliciter, hoc eſt, καθόλου receptum fuiſſe Græcorum, quos dixi, teſtimonio videtur conſtare. Quod ſi verum eſt, opportune admodum ſubmovimus jus illud Rhodium, quod neſcio quis Græculus eſuriens finxit; imponeret enim nobis hodieque, &, quod turpius eſt, auctoritate Juris, etiam apud nos, ſeſe oſtenderet. Utimur nos Jure Romanorum, niſi patrium obſtet, illi Rhodiorum, niſi Romanum obſtet; utroque igitur nobis utendum eſſet, cum Rhodium ſit pars Juris Romani. Sed quamvis vulgo placeat Antoninum hic non ſecundum ea, quæ proponebantur, aſt in omni re nautica, valere voluiſſe Leges Rhodias, quæcunque tandem illæ fuerint, & quamvis cum hac, tum aliis, quas dixi, auctoritatibus omnino perſuaſum ſit, Jus Rhodiorum navale apud Romanos ſemper & ubique obtinuiſſe, ſi nihil contra eſſet cautum, ægre tamen id admiſerim, utpote qui ſciam, veteres JCtos ne quidem Legum Rhodiarum unquam meminiſſe, niſi in ſolo *de Jactu* Capite. Sciunt hoc omnes, nec tamen minus videas, omnes ſecurum agere ævum. An dicemus, Auctores noſtros ignoraſſe, Leges Rhodias tam laute confirmatas eſſe & a Principibus, & a Senatu Romano, ut hæc retulit illa *Præfatio*? an reliquas, præter hanc de Jactu, non potuiſſe reſcire, quod Rhodienſes hic, ut in navalibus, multa haberent κρυπτὰ καὶ ἀπόῤῥητα, quæ revelare capitale erat, ut auctor eſt Strabo *Lib.* XIV. *Cap.* 9.? an putaſſe, rem nauticam, quanta quanta eſt, abſolvi jure, quod circa jactum verſatur? an ſpreviſſe quicquid erat earum confirmationum, & *de exercitoria*, verbi cauſa, agentes ſemper ad Prætorum Edicta, nunquam ad Leges Rhodias provocaſſe? nihil horum.

Forte verius eſt, illas confirmationes non pertinuiſſe niſi ad ſolius Rhodi αὐτονομίαν, quam omnibus fere Græciæ Civitatibus Romanos conceſſiſſe Inſcriptionum Nummorumque fides demonſtrat. Certe Ῥόδος αὐτονόμος διετέλεσε, ut eſt apud Strabonem *Lib.* XIV. *C.* 8. *in fin.* & libertatem ſæpe ei datam, ſæpe ademptam ſcribit Tacitus *Lib.* XII. *Annal. C.* 58. & Tranquillus in *Claudio Cap.* XXV. eoque etiam refer, quæ de repetitis aliquoties confirmationibus, hoc eſt, ſi quid conjicimus, de conceſſa iterum iterumque Rhodiorum αὐτονομία leguntur in illa, cujus ſic memini, *Præfatione* vel, ſi mavis, *Auctoritate Legum Rhodiarum.* Nihil, quod obſtet, video, ne quidem, ut ibi occurrit, particula *hujus L.* IX. nullus illic Eudæmon Nicomedienſis, nulli δημόσιοι τῶν Κυκλάδων, nulla denique facti ſpecies: ſimpliciter Antoninus dixit τῷ ἀξιωθέντι, *ſupplicanti cuidam*, Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος &c. Permittunt igitur hæc, ut ad Rhodienſem quendam in cauſa Rhodia Antoninum dicamus reſcripſiſſe. Sed obſtabit fortaſſe, ubi ex Voluſio Mæciano didicimus, & Nicomedienſem fuiſſe, qui ibi ad Imperatorem ſupplicavit, & Cycladenſes, qui ſupplicantem diripuerant; non igitur cauſa Rhodia, nec locus idoneus, quem de Rhodiorum αὐτονομία intelligere poſſis. Adhuc tamen ſubſiſto. Quid enim ſi Rhodii Eudæmonem deprædati ſint? & quidni, ſi Rhodus inter Cycladas fuerit inſula princeps, quemadmodum obſervat Cujacius ad *Novell.* XLI. & Duarenus in *Comment. ad L. Rhod. de jactu Cap.* I. & Antonius Faber in *Ration. ad h. l.* idque, ut ipſe ait, *ex conſenſu omnium*, & ſane ita nunc vulgo placere animadverti: quod cum ſit, Rhodii non minus tunc fuerunt Cycladenſes, quam Naxii,

Naxii, Delii, Parii & reliqui. Siri autem exiſtimaveris, & eſt nonnihil, cur exiſtimes, appellationem *Cycladum*, ævo Antoninorum, non fuiſſe extenſam ad *Rhodum*, nihil tamen prohibet, quominus credamus Cycladenſes Eudæmoni rapinam feciſſe in Rhodo vel ad Rhodum, ſiquidem de loco direptionis nihil conſtet omnino, ut ſatis hoc videmur probaſſe *Cap.* III. Atque ita, quamvis Eudæmon fuerit Νικομηδεύς, cauſa nihilominus, qua de agitur in *h. l.* IX. erit Rhodia, & dijudicanda illius Civitatis Legibus.

Secundum hæc Antonini reſponſum accipimus non καθόλου, ſed, ut Græci ajunt, κατά τι, & ita valuerunt Leges Rhodiæ, ſed in Rhodo; alibi vim nullam habuerunt, niſi forte caput aliquod ſpeciale aut lege aut conſuetudine eſſet receptum, veluti apud Romanos illud, quod de jactu erat, & præterea, ut videtur, nihil. Sic Amſterdammenſes a Duce Albano Leges ſuas transmittere juſſi, de Legibus nauticis Wisbuycenſibus (quæ ex Rhodo Gottica oriundæ multam ſui auctoritatem propagarunt) anno 1570. 9. *Januar.* in §. 20. *Conſuet. Civil. Amſterd.* reſcripſerunt, eas in rebus nauticis, quatenus uſu & conſuetudine receptæ ſunt, ſervari; quanquam verum ſit, Juris Wisbuycenſis, nunc certe, majorem eſſe auctoritatem videri, ut id fere ſequamur, ubi reprobatum non eſt. Et ita quoque deinceps, vel ex errore, qui non ſemel jus facit, vel ex conſuetudine etiam ad cauſſas non Rhodienſes Leges Rhodiæ potuerunt fuiſſe porrectæ; quomodo fortaſſe accipiendi Harmenopulus, Docimus & Attaliata, quos memoravimus in *princ. h. Cap.* veteris enim Jurisprudentiæ tempore id ita ſe habuiſſe difficile eſt, ut videatur propter ea, quæ diximus.

Sed quicquid ejus rei ſit, hoc certum eſt, poſſe nos tuto carere Legibus illis, quas hodie habemus, Rhodiorum nauticis, & tuto etiam caruiſſe Romanos. Ego nolim ad eas amplius nauſeare, & ſciſcitari, ecqua propria Lex ſit in illa farragine, ſecundum quam cauſa præſens judicari oporteret? primum *Capitulum* eo quidem transfert Antonius Mornacius ad *h. l.* at illud quum de rapina anchorarum agat, haud ſcio, an recte. Naufragio facto vix eſt, ut querelæ de direptis anchoris ſit locus; ſed tunc demum, ἐὰν πλοῖον ὁρμῇ ἐπὶ λιμένα ἢ ἐν ἀκτῇ. at balbutire incipit illud *Capitulum.* Non unum eſt direptionis genus, de quo autem Eudæmon conqueſtus ſit, cum neſciamus, uti ſupra dicere nos meminimus, in eam præciſe, quæ id vindicaſſet, legem vel legis potius inane nomen fruſtra inquirimus.

CAPUT IX.

Ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. Τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν.

Quatenus nulla noſtrarum Legum adverſetur. Hoc idem Divus quoque Auguſtus judicavit.

Revertamur ad *l.* IX. Superſunt adhuc duo, quos coram videmus, *verſiculi.* Primus, ut eum græce exhibuimus, ubique ſibi conſtat, niſi quod μήτις Charondas & Stephani editio 1527. malint ſecare in μή τις; nullo diſcrimine, quamvis verum ſit, μήτις uno verbo pro οὔτις apud Græcos rarius dici; dicitur tamen, ſed non eſt tanti, ut auctores addam. In eo autem commate latine transferendo varie tricantur Interpretes; quod factum non oportuit: nemo non recte vertit, ſententiam quod attinet, κατὰ πόδας optime, quisquis ex antiquis ita: *in quibus nulla noſtrarum ei lex adverſatur*; cætera non moror.

Habuimus regulam de obſervatione Legum Rhodiarum, nunc habemus exceptionem, qua placuit non aliter eas ſervari, quam ſi non obſtet lex dignior, lex Romana ſcilicet. Eſt illa exceptio a Græcis certatim quoque expreſſa in eundem ſenſum. Harmenopulus in Προχείρῳ *Lib.* II. *Tit.* περὶ ναυτικῶν XI. §. 1. Ὅπου μὴ ἄλλος νόμος ἐναντιούμενος τοῖς τῶν Ῥοδίων νόμοις εὑρίσκηται, *quum non alia lex contraria reperiatur Rhodiorum Legibus*; quæ ipſa eſt & Docimi annotatio in *jure Græco-Romano* poſt Leges, quas vocant, Rhodias. Et Michaël Attaliates in *Synopſi Tit.* XLVIII. ἐν οἷς αὐτῷ (*puta* τῷ Ῥοδίων νόμῳ) μὴ ἕτερος ἐναντιοῦται νόμος, *in quibus Legi* Rhodiæ *non adverſatur alia lex.* Ille ἄλλος καὶ ἕτερος νόμος Antonino hic eſt ἡμέτερος νόμος, Lex videlicet Romana; inter hanc & Rhodiam ſi pugna ſit, prævalere volunt Romanam. Video nonnullos id exemplis illuſtraſſe, ſed petitis ex fuligine illa Legum Rhodiarum, quas non equidem tali dignamur honore. Quin ſi vel genuinæ hodie exſtarent, & cum his conferremus Romanas, quicquid ibi eſſet contrarium, ad Rhodios tamen & cauſas Rhodias pertinere nos videmur probaſſe, quo ita Rhodii jure ſuo uti non potuiſſent adverſus leges Romanas.

Sed quod hic ait, Legem Rhodiam cuſtodiri, niſi obſtet Romana, difficultatem habet, ſi de confirmata Rhodiorum αὐτονομίᾳ hunc locum accipias ex noſtra conjectura, non habiturum, ſi ex interpretatione vulgari. Namque, ſi hanc ſequamur, Leges Rhodiæ navales non alia conditione tranſibunt in jus commune nominis Romani, quam ea, quæ vulgo placet in recipiendis aliorum legibus, ni ſcilicet obſtet lex patria. Ita nos utimur Jure Romano, ita Wisbuycenſi nautico, neque etiam alii aliter. Sed ſi populus Romanus Leges Rhodias, niſi de jactu, non receperit, ſi Antonini reſponſio non niſi ad cauſam Rhodiam pertinuerit, ut id utrumque nos fuimus ſuſpicati, quomodo ſtabit ea in qua verſamur, exceptio? an Romani quid proprium habuerunt de jactu, quod cum Legibus Rhodiis committi poterit? an, ſi habuerint, de jactu heic eſt ſermo? neutrum facile dixerim. An igitur, quod unice ſupereſt, ea erit Rhodiorum αὐτονομία, ut ſuccumbat Legibus Romanis? & tamen jus ſingulare adverſus generale, qua prius, qua poſterius, ſervari adſolet, atque ita etiam ſingularia Civitatum jura contra Codicem ſuum confirmavit Juſtinianus in §. *ſi quæ* 4. *Conſtit. de confirm. cod.* ad quam videndæ JCtorum diſputationes, & quæ in hanc rem Mornacius obſervavit. Nec alio temere argumento Rhodii αὐτονομίᾳ ſua videntur potuiſſe uti, nequicquam forte obſtante Jure Romano in his illiſve particulis. Non tamen id auſim liquido adfirmare; nam quamvis de privilegiis, quod dictum eſt, verum ſit, non continuo verum erit de cunctis legibus, quibus Civitates αὐτόνομοι utuntur, cum illis,

illis, quam his, ſemper magis fuerit indultum. Ipſe Jacobus Gothofredus, qui alioquin Leges Rhodiorum nauticas a Romanis generaliter eſſe receptas juxta cum aliis totiens nobis inculcat, ipſe, inquam, ille Gothofredus *Cap.* XI. ad *h. l.* non difficulter admittit, nemini licuiſſe αὐτονομίᾳ ſua uti adverſus Legem Romanam; adducit eo *l.* 1. *pr. ff. de Uſur.* ſed nolim dicere, quam bene in rem præſentem. Illo autem præſidio quanquam deſtituamur, non tamen ægre crediderim, Civitates, quas liberas, fœderatas & αὐτονόμους eſſe Romani permiſerunt, Jure proprio, ſi Romanum obſtaret, non fuiſſe uſas. Movet me, quod legerim, Amiſenorum Civitatem, & liberam & fœderatam, Plinio, ut liceret Eranos habere, ſupplicaſſe, & Trajanum ab eo conſultum reſpondiſſe, non aliter illud largiendum eſſe, quam *ſi legibus iſtorum, quibus de officio fœderis utuntur, conceſſum eſt Eranos habere*, hoc eſt, ſi quid judico, tunc demum Eranos habere Amiſenis permittendum eſſe, ſi illud actum & pactum ſit in fœdere mutuo, in fœdere αὐτονομίας, hujus quippe conditiones ſervari jus fasque eſſe. Sin autem illud actum non ſit, non eſſe permittendum, utpote in cæteris Orbis Romani Civitatibus prohibitum; rem geſtam ſuggerit Plinius *Lib.* X. *Epiſtol.* 97. & 98. Quod ſi vero illa Plinii aliter interpretari & poſſis & velis, animadvertendum omnino eſt, in Imperio Romano fuiſſe, qui αὐτονομίᾳ minus plena ſunt uſi. Fuerunt, verbi gratia, qui non alia conditione utebantur legibus propriis, quam ſi inter ſe diſceptarent invicem, aut is, unde petitur, ex Civitate eſſet αὐτονόμου; cæteroquin Romani Prætoris Edicto parebant. Exemplo ſint Siculi & Græci Aſiatici, qui, legibus ſuis cum Romanorum commiſſis, extra eas, quas dixi, ſpecies non aliter ſuis utebantur, quam ἐν οἷς μήτις τῶν Ῥωμαίων αὐτοῖς νόμος ἐναντιοῦται. de his, ut & de omni αὐτονομίας jure non ita pridem docte ſcripſit Ezechiel Spanhemius *Exercitat.* II. *ad l.* 17. *ff. de Stat. homin.* §§. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & 19. Tantum eſt de primo *verſiculo*, nam Interpretes ad quæſtiones de pugna Juris communis & municipalis, & Legum municipalium invicem hac occaſione divertentes ſequi nec placet, nec vacat.

Succedat alter. Ait is, Τοῦτο δὲ αὐτὸ &c. In græcis libri non variant, ut neque in iis latine reddendis, niſi quod alius τὸ ἔκρινεν malit vertere *conſtituit*, alius *judicavit*, alius *decrevit*, alius alio verbo, ſed quæ hic omnia non differunt niſi nominis ſono. Attamen Jacobus Gothofredus θειότατον non transfert *divum*, ut alii omnes, ſed *ſacratiſſimum*: quam ob rem & quam recte mox erit dicendum.

Cæterum non liquet, cujusnam ſit ultimus hic *verſiculus*; poteſt enim eſſe auctoris *Præfationis Legum Rhodiarum*, poteſt Voluſii Mæciani, poteſt & pars eſſe reſponſionis Antonini, idque veroſimillimum videtur, ſi in re incerta conjecturam fieri placeat. Imperatores eo modo in Reſcriptis, Reſponſionibus, & cum interloquuntur, anteriorum Principum conſtitutiones ſolent adducere; exempla ſunt in *l.* 2. *C. de impub. & al. ſubſtit. l.* 5. *C. de repud. l.* 5. *C. de his qui numer. liber. vel paupert. l. un. C. de reis poſtul. l. un. C. de peric. eorum qui pro magiſtr. interv. l.* 3. *ff. de his quæ in teſt. del.* & alibi. Ille autem, quem toties laudo, in Ὑπομνήμ. ad *hanc* Ἀξίωσιν *Cap.* I. contendit, verba hæc finalia eſſe ex obſervatione Mæciani, hoc ſcholio reſcriptum Antonini confirmantis, ſed contendit tantum, nihil quippe probat. At vero cum illud ἐπίβλημα ſit græcum, jam Mæcianus in *Libris Publicorum* (inde enim ipſe putat eſſe *h. l.*) loquutus erit græce: quod tamen ne conſtat quidem de Voluſii libro *ex Lege Rhodia*, ut ſumus exſequuti *Cap.* I. Ad hæc Mæcianus vel ille *Præfationis* auctor, qui hic quaſi hiſtoriam ſcriberent, ipſum potius Auguſti decretum retuliſſent, & quidem, ut credibile eſt, loco ſuo; præſertim ſi, quod ille vult, id eſſet decretum Auguſti, qui tum imperabat. JCti raro, Imperatores ſæpe ita ſolent ſimpliciter auctoritates ſacras advocare.

Hoc autem ipſum, quod Antoninus dixerat, hic conſtituiſſe fertur θειότατος Αὔγουστος. Plane ſicuti alibi ſimplici Auguſti nomine neminem niſi Octavianum Auguſtum intelligimus ex ratione, quæ dicta eſt *Cap.* II. ita & heic eundem intelligimus. Quem enim alium? Marcum Antoninum, inquit Gothofredus *Cap.* VI. ad *h. l.* qui, quod Antoninus Pius εἶπεν, hic etiam ἔκρινεν. Tuetur hoc duplici ratione, ſed utraque minus idonea, ut ſtatim videbimus; interea non euntes inficias θειοτάτου vocabulum, quod *ſacratiſſimum* ille transtulit, Imperatoribus etiam vivis tribui poſſe, neque divis duntaxat. *Auguſti* quoque appellationem eſſe communem ut ut concedamus, nihilominus ſi auctor *hujus verſic.* eum intellexiſſet, qui tum imperabat, dixiſſet *Auguſtus noſter*, *Princeps noſter*, quomodo JCti Imperatorum, ſub quibus vivebant, Conſtitutiones ſolent adferre. Quin etiamſi locus quis produceretur, in quo, qui tunc rerum potiebatur, ſimpliciter *Auguſti* nomine ſignificaretur, ubi commemoratur aliquod ejus dictum factumve, quod Octaviano Auguſto etiam adſcribi poſſet? nam ſi eo loco verba fierent ad eum, qui rei Romanæ tunc præerat, aut de re præſenti eſſet ſermo, hoc eſt, ubi ullo modo alius, quam qui imperabat, intelligi poſſet, nihil is locus ad rem pertineret; utique illo abutendum non eſſet ex vulgari ratione *l.* 114. *ff. de R. J.*

Quod igitur ait Jac. Gothofredus *d. Cap.* VI. graviter Cujacium aliosque erraſſe, qui hic per *Auguſtum* Auguſtum intellexerunt, non video qui poſſit defendi. Non hunc tamen, ſed D. Marcum eſſe exaudiendum ex eo ſibi videtur conficere, quia Tiberius in fragmento *Præfationis LL. Rhodiarum* primus memoratur eorum, qui Leges Rhodias confirmaſſent. Eandem quoque rationem facit ſuam Jacobus Andreas Cruſius, Jacobi Gothofredi imitator perpetuus, *Comment. Hiſtor. Philol. Jurid.* ad *h. l. C.* 14. ſed ea ratione nihil poteſt dici levius. Fragmentum illud non eſſe integram Præfationem earum Legum, & id ipſum, & argumentum, quod ei præmittitur, demonſtrat. Sed & quod ſupereſt, ſeu partem, ſeu partis eclogam dicas, hiatibus varie ruptum eſt,

——— *lacerum crudeliter ora*
Ora manusque ambas . . .

Deinde ſi tota exſtaret Præfatio, & in ea Auguſtus non memoraretur, quid tum? falſum eſſet, quod ait *verſic.* Τοῦτο? diceret Tiberium, exempli gratia, confirmaſſe, non negaret Auguſtum, quod dicit ille *verſiculus*, & verum erit, donec ſit, qui probet contrarium. Immo nec primus Legibus Rhodiis auctoritatem dedit Tiberius, ſed ex *l.* 2. *pr.* & §. 3. & *Inſcript. l.* 7. *ff. de Lege Rhod. de jact.* cognoſcimus, etiam ante Tiberium eam auctoritatem Leges Rhodias habuiſſe, quam deinceps habuiſſe videmus in Digeſtis. Nam ſicut in aliis JCti, qui poſt Tiberium

berium vixerunt, de Legis Rhodiæ Capite, quod de jactu eſt, ut jure recepto, diſputant, ita Servius, Alphenus Varus, Ofilius & Labeo in *d. l.* 2 *&* 7. *d. Tit.* Quod porro ait Gothofredus in *h. l.* Αὔγουστον memorari, poſtquam jam actum eſt de Antonino, ideoque poſt Antoninum imperaſſe, plus quam ridiculum eſt, quamvis ille *verſ.* non ſit pars reſponſi Antoniniani, quod tamen eſt probabile. Auctoritates rei firmandæ gratia tantum non ſemper ſequuntur id, quo de agitur, nec, etſi, ut vulgo, antiquiores ſint, commode aliter fieri poteſt, in hunc modum ſexcenties Auctores cum noſtri, tum alii.

Atque ita Auguſti nomine hic Auguſtum Octavianum intelligimus, & ejus ſimile aliquod præjudicium de obſervatione, vel, ſi mavis, confirmatione Legum Rhodiarum. Quo recte referri poteſt Philonis Judæi locus ex libro *de Legatione ad Cajum p. m.* 846. ubi inſigne Auguſti ſtudium notat in aliarum Gentium inſtitutis, quæ in Romanorum poteſtatem redactæ erant, conſervandis. Τοσαύτην, inquit, ἐποιεῖτο τῆς βεβαιώσεως τῶν παρ' ἑκάστοις πατρίων, ὅσην καὶ τῶν Ῥωμαϊκῶν ἐπιμέλειαν. Sigiſmundus Gelenius vertit *ritus & ceremonias.* Hugo Grotius ad librum *de Jure B. & P. Lib.* III. *C.* 15. *n.* 10. & Ezechiel Spanhemius *Exercit.* II. *ad l.* 17. *ff. de Stat. homin.* §. 15. vertunt *leges*; melius forte, ſi ſimpliciter *avita cujusque Gentis*, quorum appellatio vel maxime leges cujusque proprias complectitur. Plura ibi habet illuſtriſſimus Spanhemius, quibus illud Auguſti ſtudium luculenter confirmavit. Utque ita hujus Legis clauſula commodum pertinere poſſit ad datam confirmatamve ab Auguſto Rhodiorum αὐτονομίαν, cum ſatis ſit certum, Rhodios illius ævo jam doctos fuiſſe parere nomini Romano.

Unum eſt, quod addo, licet πάρεργον. Nempe ut Auguſtum pro Auguſto hic non agnoſcit Gothofredus, ſic nec Tiberium pro Tiberio in *Auctoritate*, quam dixi, *Legum Rhodiarum*: ejus nomine ibi Claudium intelligi vult *Cap.* IX. ad *h. l.* & id quia ſub eo Tiberio memoratur Antoninus Conſul, quem fuiſſe ait Quintum Haterium Antoninum ſub Claudio, & deinde quidam Nero, quem putat Domitium fuiſſe, qui Claudio ſucceſſit. Si, quod neſcit, utrumque ſciret, mox & ego crederem, per Τιβέριον Καίσαρα σεβαστὸν intelligendum eſſe Claudium. At quid ſi non fuerit Antoninus Conſul ſub Tiberio? non dicam, quod dicit Petrus Faber *Lib.* III. *Semeſtr. C.* 12. eum καὶ περὶ λῆψιν occurrere, neque etiam dicam, ſub Tiberio fuiſſe ſuffectum, ſed vero duntaxat, nullum nos indicem Conſulum habere, cui tuto fidamus; idque non potuit non admonere Conſulatus Lauri & Agrippini, quem memorat eadem *Legum Rhodiarum Auctoritas*, & tamen alibi fruſtra quæras. Nec enim tanti ſunt, qui reperiuntur, Faſti Conſulares, ut iis creduli *Laurum & Agrippinum* cum Petro Fabro *d. loc.* transmutemus in *Taurum & Criſpinum*, vel cum Jac. Gothofredo *Cap.* X. in *T. Aurelium & Atratinum*; multo minus tanti, ut alio loco cum nugatore quodam Gallo D. Auguſti Edictum, quod exſtat in *l.* 8. *ff. de Quæſtion.* factum fuiſſe negemus ex eo, quod Vivius Avitus & Lucius Apronianus, quibus Conſulibus factum oportuerat, non appareant in faſtis, nituntur hæc leviſſimo vel potius nullo argumento, cum fere nulli ſint, ut diximus, illi Conſulum catalogi. Ecquis itaque fuerit Antoninus ille Conſul æque incertum eſt, ac quis ille Nero, qui ibi ditur ἐπικριθεὶς τῷ Τιβερίῳ Καίσαρι σεβαστῷ; omnes Nerones nemo facile enumeret.

Atque ita abſolvimus *L.* IX. e cujus interpretatione ſatis, puto, apparet, multis modis eam omni difficultate carere, & fruſtra eſſe, qui, ut altius videantur ſapere, tantos fluctus in ſimpulo excitant.

ΕΠΙΒΛΗΜΑ.

Poſtquam hæc ſcripſeram, ad me perlata eſt *Diſſertatio* ad *h. l.* ſcripta Lugduni Batavorum anno MDCXCVIII. & ſane non uno nomine digna, quam memoremus, & hic illi ἐπικρίσεις noſtra annotemus. Liceat ad calcem hujus opuſculi de ea aliquid dixiſſe, ne opus ſit turbare, quæ ſerie continua modo ſumus commentati.

Obſervat auctor *Diſſertationis Cap.* III. ab ſpecie facti, quam nobis Eudæmon retulit, non neceſſario alienam eſſe omnem inſpectionem de jactu; nec illepido themate illud ivit probatum. Eum adi, & videbis nihil quicquam obſtare fictioni de rapina jactarum mercium, neque etiam quicquam obſtaturum, ſi jactus, quem ille ſecutum eſſe vult, naufragium anteceſſiſſe credamus. Quod non eo dictum velim, ut cum ipſo efficiam, Legem hanc non eſſe ab inſcriptione Tituli, in quo digeſta eſt, alienam (*fugitivas* appellant) ſed ut quid majus: ſcilicet confirmationem Antonini in *h. l.* non ad Leges καθόλου Rhodias, ſed ad eam, quæ de jactu eſt, pertinere poſſe, & fortean pertinuiſſe; quo ita confirmaverit non νόμους τῶν Ῥοδίων, numero plurium, ſed, ut eſt in *h. l.* νόμον τῶν Ῥοδίων, puta νόμον περὶ τῆς ἐκβολῆς, præter quam non alia Lex Rhodia frequentabatur: & obſervabitur illa de jactu lex, quatenus diſputationibus JCtorum ab ea receſſum non eſt, hoc eſt, ἐν οἷς μέτις, & cætera. Sic recte ſubſiſtunt, quæ *de Legibus Rhodiorum navalibus* diſputavimus *Cap.* VIII. quamvis hunc Mæciani locum non accipias de cauſa Rhodienſi.

Probo, quod idem *Cap.* IV. defendat Voluſii librum *ex Lege Rhodia*, non probo, quod græce ſcriptum fuiſſe neget ex titulo latino. Eſt etiam, etſi ille contradicat, cur conjecturæ indulgeamus, librum hunc fuiſſe *ſingularem*. Sed de his ſatis diximus *Cap.* I.

Toto *Cap.* V. id agit, ut laudet verbum ναυφραγίῳ, non equidem græcum, ſed, ut exiſtimat, de induſtria ejus, qui libellum Eudæmonis concepit, latinum. Ναυάγιον ſignificare ait navim fractam ſimul & perditam, *naufragium* etiam perniciem minorem. Quod utcunque ſit, quis genus & modum hujus naufragii definiverit? quin ſi de minori intelligendum ſit, nihil tamen prohibebat eum græce loqui, & pluribus verbis efferre, quod uno non poterat.

Cap. VI. Ἰκαρίας emendationem ex eo etiam refellit, quod Ἰκαρία ſimpliciter pro *mari Icario* accipi poſſe non videatur. Id quia ille dixit, vellem ne nobis eſſet dictum *Cap.* IV. at nos uno verbo, quod ille longum facit, recenſens nomina maris Icarii, quo Ἰκαρίας vocem, pro mari intellectam, ſine exemplo eſſe oſtenderet. Magis turbat, quod idem pro ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ex ſententia Viri, ſcio cujus, Clariſſimi legendum cenſeat ἐν τῇ Μαλίᾳ. Inter conjecturas criticas, quas *d. Cap.* IV. de loco naufragii proponebam, hæc ipſa eſt, quam ibi dedi *loco penultimo*; deleatur igitur, cæteris ſalvis. *Pereant*, inquit ille, *qui ante nos noſtra dixerunt*, ego vero eos ſalvere jubeo. Næ valde bonæ frugis egenus eſt, qui unam ſibi obſervationem perire non patitur facile: de calumnia ſecurus ſum, ſua quis, an aliena ſcribat, ex auctore dignoſcitur. Cæterum, ni ad alia

alia digrediar, deletum nolim, quod deleri ſic ſic prodige conceſſeram. De Malia Lesbi nihil illa *Diſſertatio*, quin & de Malia Laconiæ multa ibi ſunt, quæ habemus præcipua. Hæc quoque promontoria, exemplo Iſaaci Voſſii, minus hic diſtincta eſſe ſuſpicor.

Caput VII. Sententiam Jac. Gothofredi de δημοσίοις τῶν τὰς Κυκλάδας οἰκούντων obſcuritatis poſtulat, neque tamen video ea, quæ ibi dicuntur, magis illuſtrare vel δημοσίους vel Κυκλάδων, generale nomen. Si pro οἰκούντων legas διοικούντων, vel διοικοῦντες intelligas, parum, mea ſententia, profeceris. Magis etiam in facili eſt reperire Gothofredi *ſervos publicos*, quam illius *homines, nominatim ut periclitantibus & naufragis ſubſidio ſint conſtitutos*; hujusmodi homines aluiſſe Cyclades dicere citius, quam probare licet. Lego hic lubens Inſcriptionem, quam ſuggerente Aldi Manutii *Orthographia*, nobis repræſentat *d. Cap.* VII. & in qua *publicus* occurrit ſimpliciter: confirmat id, quod diximus *Cap.* V.

Reſponſum Antonini ejus Principis, non JCtorum verbis proponi omnino eſt dicendum. Ἀντωνῖνος εἶπεν, non alii; multa in hanc rem liceret adferre, niſi *Caput* VIII. illius *Diſſertationis* nullis auctoribus diſſentiret, nam nulla eſt, quam dedit, auctoritas vel Capitolini, vel, quod exhibet, marmoris; nullam dico, cum id non probent. Miror porro, Virum Cl. mirari, Interpretes conſtanter legere Εὐδαίμονι, dandi caſu, cum ipſe vocandi caſum præferat, hoc modo: Ἀντωνῖνος εἶπεν; Εὔδαιμον ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος &c. ait in Libro Florentino hujus ambiguitatis ſigna apparere, ſed quomodo aut qua fide non addidit; certe Taurellus Εὐδαίμονι expreſſit ſatis clare. Si quintus caſus palam exſtaret in librorum optimo, non eſſet, cur tertium adſciſceremus, & eo, per me licet, referantur, quæ pro quinto caſu adduxit *d. Cap.* VIII. nunc quia ibi non exſtat, vel potius contrarium ex fide Taurelli, & etiam Haloandri, nihil puto mutandum. Non erat etiam quærendus ſingularis aliquis Eudæmon, cujus nominis Græcia quam plurimos tulit; nec intelligendus præciſe Eudæmon ille ſub Hadriano, utique non ob eas rationes, quas ille enarrat, nec, ut opinor, pro ſeriis haberi vel vult vel poteſt. Alium Eudæmonem Suidas refert in Εὐδαίμων.

Caput IX. potentiam Principis Romani extollit, quo eum faciat κόσμου κύριον. Dum tamen concedit & aliorum in Orbe imperia, locutionis κατάχρησιν, quam modo amoliebatur, oportet agnoſcat: & agnoſcit ſane is, qui eam Romanorum, cum maxime Imperatorum, faſtui fert acceptam. Quum tamen Princeps, cætera modeſtus, ita loquatur, pro Imperio Romano τὸν κόσμον accipi nihil eſt quod vetat.

Ut ſciamus veram lectionem verborum ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης &c. illa *Diſſertatio Cap. ult.* ad Italiam Florentiamque nos remittit; nec tamen, ſi, ut hæc exhibuit, in Codice Tuſco ſcriptum eſt, quicquam ibi reperies, quod non dederunt Taurellus, Haloander, Ruſſardus, Charondas, alii. Nihil etiam præſtitum video ad tollendam, quæ præcipua eſt, hujus loci difficultatem. Aliquid *eo Capite* dicitur ad inſtar ejus, quod de data confirmatave ab Auguſto αὐτονομίας Rhodiorum a nobis actum eſt *Cap.* VIII. In Imperio Romano Leges Rhodienſes nauticæ an & quatenus receptæ fuerint, non definit; neque vel de eo quicquam. Cycladenſes tamen argumento *hujus l.* palam ſubmittit Rhodiorum Legibus; nec dubitat liquido pronunciare, Civitates αὐτονόμους jure ſuo adverſus Leges Romanorum non fuiſſe uſas. Vellem id probaret monumentum fœderis, quod habet ex Manutio: apprime eſſet in rem noſtram, tuendæ ſcilicet interpretationi, quam *Cap. ult.* dedimus ad *verſic.* ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. Tantum eſt.

CONSPECTUS CAPITUM.

Cap. I.

Voluſium Mæcianum Legis IX. *auctorem eſſe. Libros quosdam fruſtra diſſentire, & quomodo. De Mæciano nonnihil.* Ex Lege Rhodia *quid ſit? quam varie legatur. Significare his verbis Mæciani librum, qui ita inſcribebatur. Quid eo libro videatur egiſſe. Jacobum Gothofredum aliosque perperam exiſtimare, eſſe* h. l. *ex Mæciani* Libris Publicorum, *inque eos relatam ex Jure, quod habemus, Rhodienſi. Pro ea ſententia nihil argumenti eſſe in Indice Florentino; probare hoc ipſius Voluſii aliud opus. Enarrantur rationes, quare* h. l. *non videatur eſſe ex* Libris Publicorum, *nec ex* Jure Rhodio. *Varie in hanc rem occurritur Gothofredo. Mæciani librum* ex Lege Rhodia *videri fuiſſe* ſingularem. *Non conſtare, utrum is latine, an græce fuerit conſcriptus. Ex Inſcriptione latina nihil poſſe educi: ut nec ex græca conceptione Legis contra Menagium: nec ex* Verſic. τοῦτο δέ: *nec ex actis Imperialis auditorii, vulgo latinis: nec ex* Auctoritate Legis Rhodiæ, *quamvis largiamur,* h. l. *inde eſſe. Conjicitur tamen, eum librum fuiſſe latinum, & quam ob rem. Quod* h. l. *græce legatur, unice tribuendum videri actis Imperialibus, unde excerpta eſt, & cur in actis illis græce fuerit relata. Diſputatur contra Jac. Gothofredum* & *Mornacium, qui hanc putant Mæcianum deſcripſiſſe ex* Auctoritate *ſeu* Præfatione Legum Rhodiarum. *Cur hæc potius ex Mæciano vel ex iisdem actis? Defenditur, Voluſium auctore illius* Præfationis *antiquiorem fuiſſe. Reliqua ſententiæ noſtræ expediuntur, refutatis Gothofredi interpolationibus, & quicquid ibi fictionum eſt.* 98

Cap. II.

Libros antiquos fere perperam locare principium h. l. *Quam varie vertatur* Ἀξίωσις. *Quamvis recte etiam aliter, veterem Interpretem tamen optime transtuliſſe videri* deprecationem. *Cur id non patiatur Jac. Gothofredus?* Deprecationem *ſatis intelligi poſſe ſine poſtulatione veniæ. Idem quandoque eſſe, quod* preces, precationem *&* ſupplicationem. *Auctoritates in eam rem adducuntur. Ipſum Gothofredum illud agnoviſſe ad* Cod. Theodoſ. *Voculam* de *ſæpe augere ſignificationem. A. Gellium non recte damnare verbum* deprecari *pro* valde precari. *Etiam Auctores noſtros ita ſæpe loquutos eſſe, & Paulum in* Fragm. *cum* deprecor *dixit eſſe ex formula fideicommiſſi. Veterem Interpretem ſæpius vapulare nullo jure.* Εὐδαίμων *eſt hic nomen Viri proprium. Cur id non transferamus* felicem? *aliquid tamen ad inſtar ejus ex Zoſimo. Ignorari, quam vitam egerit Eudæmon, & cur patriam libello adſcripſerit. Fruſtra de his profunde egiſſe Jac. Gothofredum. Patriam vulgo addi ad habendam rationem* αὐτονομίας. *Incertum eſſe, quis hic fuerit Antoninus. Id nomen fere* Pium *præcepiſſe, at illud tamen non ſemper eſſe ſervandum, utique non, ſi diſtinctionis ratio haberi nequeat. Eam hic ceſſare & quam ob rem? Per Antoninum intelligendum eſſe Marcum in* l. 3. ff. de his quæ in teſtam. del. *Hic intelligi vel eundem vel Pium. Ad alios Antoninos Mæcianum vix ac ne vix quidem perveniſſe. Quare Jac. Gothofredus, Seldenum ſecutus, omnino velit ſignificari Pium? Quam nihil proficiat. Cauſas non ſingulares, ſed vel vulgares ad Imperatores aditum præbuiſſe, contra quam rurſus ille exiſtimat. De cauſæ Eudæmianæ qualitate nihil nobis conſtare. Quam varie Principes Romani rebus agendis ſe dederint, vel aliis eas demandarint, vel ad ordinarios Judices remiſerint.* 100

Cap. III.

De appellationibus Κυρίου *&* Βασιλέως *quædam. Pro* ναυφράγιον *quosdam edere, quosdam, ut videri volunt, emendare* ναυάγιον. *Retinendam eſſe* ναυφραγίου *vocem, quamvis latinam. Græcos latinis, Latinos græcis vocabulis quandoque uſos fuiſſe. Totam loquutionem* ναυφράγιον ποιεῖν *videri latinam, & qui Græci id efferant. Interpretes ad unum omnes conſpirare ad delendam hic* Italiam. *Enarrantur duæ rationes, cur de ea tam graviter decernant. Utrique occurritur, &, ut ſalva ſit Italia, varie laboratur. Quare Eudæmon* ἐν πλάτει *dixerit* ἐν τῇ Ἰταλίᾳ? *eo ſignificari poſſe mare, flumen, lacum, vel ſinum aliquem Italiæ, & quam commode. Sine ulla* καταχρήσεως *hæc etiam recte explicari, ſi* τὸ ἐν *vertas* ad, apud *vel* prope. *Probatur, Latinos ita aliquando uſos eſſe ſuo* in; *& quod ad* τὸ ἐν *Græcis denunciatur teſtimonium. Quomodocunque accipias, nihil metuendum eſſe a prima ratione Interpretum, modo abſit calumnia. Plus difficultatis eſſe in ſecunda. Quid ad hanc amoliendam Accurſius excogitaverit? quid Interpretes beatioris ſæculi? Nihil ab ea periculi eſſe, cum neſciamus, ubi terrarum vel marium Eudæmon fuerit direptus; quin nec, ſi ſciamus, & locus direptionis a loco naufragii fuerit remotiſſimus. Utrumque late defenditur. Non poſſe definiri, Cycladenſes an & qua occaſione extra Cyclades fuerint.* Δημοσίους *non fuiſſe res immobiles aut glebæ Cycladenſi adſcriptitios. Potuiſſe* ἀρχιδημοσίους, *qui in Cycladibus erant, alibi terrarum diripere Eudæmonem per ſuos* ὑποδημοσίους. *Publicanos etiam abſentes publicum exercuiſſe, aſſerta contra Cujacium lectione* l. 8. §. 1. ff. de vacat. & excuſat. mun. *De Zachæo apud D. Lucam annotatio.* 101

Cap. IV.

Qui Italiam *evertunt, quid ejus loco ſubſtituant. Referuntur emendationes Samuelis Petiti, Claudii Salmaſii & Innocentii Cironii; refelluntur etiam tum nobis, tum, quos diximus, aliis. Gothofredi, Grotii & Holſtenii* Ἰκαρία *pro* mari Icario. *Quam ſe commendet illa reſtitutio. Cur tamen ſtare non videatur poſſe?* Ἰκαρίαν *eſſe nomen Inſulæ, non maris Icarii. Qua ratione, ſi probari poſſit, probanda ſit lectio* Ἰκαρίας. *Si liceret maribus vicinis dare nomina inſularum, urbium, locorum, vel ab his condere* θαλάσσας ὁμωνύμους, *quam largam hæc Criticis emendationum materiem ſufficere poſſent. Repertum forte iri, qui legere volet* ἐν τῇ Ἰωνίᾳ, *vel* ἐν τῇ Τολίᾳ, *vel* ἐν τῇ Ἰαλίᾳ, *vel etiam* Mycalia, *vel* Mimalia, *vel* Melia, *vel* Delia, *vel denique* Matalia, *vel* Pſytalia, *vel* Ætolia. *De omnibus hiſce, qua Cycladibus proximis, qua ab his remotioribus, probabilia adferuntur. Nonnulla ex his recte ſubſiſtere ſine mutatione vel interpretatione, quæ ſit* κατ᾽ ἀναλογίαν. *Importunos emendatores alia & alia adhuc eſſe repoſituros. Et quid ſi* Maleam *vel* Maliam? *Diſtincta hæc eſſe promontoria. Quid pro utroque in hanc ſententiam dici poſſet. Quid ſi* Æthaliam? *Tres reperiri Ætha-*

Æthalias. Primam eſſe inſulam in mari Tyrrheno ad continentem Italiæ. Hanc intelligi non poſſe; imo poſſe, ſi quis pertinaciter ita velit. Secundam Æthaliam *eſſe* Lemnum. *Si hanc intelligamus, non nimium recedi a Cycladibus. Quin adhuc minus, ſi tertiam* Æthaliam *putemus. Fuiſſe hanc inſulam Cycladibus omnino proximam. Quam pro ea varie diſputari poſſet. Conſenſus Viri Cl. Gerardi Noodt. Nihil prorſus tamen videri mutandum; & cur ita videatur.* 103

CAP. V.

Jacobum Gothofredum fruſtra argutari de genere deprædationis & colore. Nihil quicquam de his ſciri poſſe. Quam ſit facile, etiam in hac ſpecie, hujusmodi commentis, nihil profuturis, luxuriare. Δημοσίους *quosdam vertere* publicanos, *quosdam* ſervos publicos. *Apud Græcos ſervum Civitatis ſimpliciter vocari* δημόσιον. *Apud Latinos ſimpliciter etiam* publicum. *Teſtimonia in eam rem.* Publicanos *tamen & hic verti poſſe, quamvis* δημοσιώνης, *non* δημόσιος, *ſit publicanus. Illud fieri, ſi* δημοσιῶν *legas, ex quo provenit* δημοσιωνῶν. *Simplex* δημόσιος *qui ſignificare poſſit* publicanum. *Eadem notione Marcum Tullium dixiſſe* publicos. *Tutius & melius* δημοσίους *hic transferri* homines publicos; *& quam hi variis modis explicari posſint. Ut* publicani *intelligantur, nihil prodeſſe vel obeſſe; naufragia ex lege veteri ad eos pertinuerint, nec ne. Expediuntur hæc contra ſententiam communem & ſingularem Gothofredi. Utrum* τῶν οἰκούντων *vertas* habitantes, *an* eorum, qui habitant, *ut Gothofredo placet, nihil inde colligi poſſe pro ejusdem* δημοσίοις, *qua* ſervis publicis. *Translationem ex ejus ſententia eſſe nullam, vel certe dubiam. Neque, ſi hanc ſequamur, id quidquam officere publicanis. Exponuntur hæc in rem noſtram, tentata etiam* ἀναδίπλωσις *in vocula* τῶν. *Salmaſii rationes nullas eſſe, quibus hinc arcet* ſervos publicos; *nullas etiam Gothofredi, quibus illi occurrit. Quid in ſumma conſtituendum ſit. De Cycladibus Accurſii error Cosmographicus. Nunquid is exemplo Iornandis defendi poſſit? aliæ* καταχρήσεις *in eodem Iornande. Non eſſe probabile hujusmodi quid excidiſſe vel Eudæmoni, vel Mæciano, vel actorum Scribæ.* 105

CAP. VI.

Variæ lectiones & interpretationes verſiculi, *qui præſcribitur.* Τὸ εἶπεν *optime verti* dixit. *Eſſe eam vocem ſolemnem in actis Imperialibus. Eo quoque referenda eſſe Declamatorum* dicta. *Cur Antoninus Eudæmonem remittat ad Legem Rhodiam? Ex eo, quod ipſus cauſam non finiat, perperam colligere Jac. Gothofredum, de Publicanis heic agi non poſſe, & quam ob cauſam.* Δημοσίους *illos non uno nomine naufragis potuiſſe negotium faceſſere; idque vel jure vel injuria. Nihil prohibere, quominus vel in liquida injuria Imperator Eudæmonem ablegaſſet ad jus liquidum, ad Legem Rhodiam. Aliud ejus ablegationis exemplum. Cur Eudæmon ſimpliciter* κύριον, *& Antonius ſe* τοῦ κόσμου κύριον *dixerit aliquot conjecturæ, ſed incertæ. Totius orbis imperium ſibi arrogaſſe Principes Romanos, quamvis vix decimam ejus poſſederint partem. In Conſtantio Imperatore hæc vanitas notata ab Ammiano Marcellino. Magis etiam hanc convenire Antonino alicui nequam, quam piis & gravibus illius moribus, de quo heic ſermo eſt. Eam tamen ſuperbiam optimis Romanorum fuiſſe velut innatam: etiam Reipublicæ tempore. Temperari illum faſtum, ſi per* mundum *&* orbem *intelligamus duntaxat* Romanum. *Exempla ejus locutionis. Omitti quandoque* Romani *vocabulum. D. Chryſoſtomum meminiſſe* τῆς οἰκουμένης τῆς καθ' ἡμᾶς, *& id dici tutius.* Κόσμον, Mundum *raro occurrere pro* Orbe Romano; *in eam tamen ſententiam hanc vocem extuliſſe Imp. Diocletianum apud Collatorem Legum Judaicarum & Romanarum. Aliquot veterum Interpretum otioſæ quæſtiones ac digreſſiones. Ridetur ea, quæ Germanorum quoque Imperatori totius orbis dominium tribuit. Si quid juris ſufficeret prodigalitas titulorum, Turcorum Imperatores facile univerſum Orbem deglutituros. Alios in Oriente Reges Titulis ſuis non minus luxuriare: etiam qui tributa præſtant potentioribus. Nonnulla in hanc rem de Rege in Siam & Soldanis Babylonienſibus & Ægyptiis. Hos ſibi & inferni imperium aſcribere.* 107

CAP. VII.

Græca lectio verſiculi ὁ δὲ νόμος *&c. ubique ſibi conſtat, & fruſtra ſollicitatur a Jac. Gothofredo. Ejusdem latina verſio quam ſit varia, & quæ bona, quæ ſit optima. Conſtituitur ſententia ejus* verſiculi, *& quæ implicita ſunt, explicantur. Hæc* ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης *ſeparatim intelligi poſſe. In ſequenti periodo* ἐστὶ *non expreſſum ſubaudiendum eſſe, & quomodo. Sic* νόμον *non effici* κύριον τῆς θαλάσσης, *intellectu ex præcedentibus repetito. Quam late & peſſime Interpretes id porrigant ad alia. Abſtinere nos eorum ſententia; neque tamen quicquam metuere ab rationibus Jac. Gothofredi & Salmaſii contra receptam lectionem vel ſeparatam ſententiam. Deducuntur hæc in rem præſentem, ſalvo Principis Romani Imperio maritimo. Nihil quoque ei derogari, ſi* κυρίου *verbum repetas, ſed alia ſignificatione; quin nec ſi eadem.* Νόμοι κύριοι *quid ſint apud Demoſthenem. Samuelis Petiti* ἄνεμος *pro* νόμος. *Expellitur ea emendatio, adducta fabella ex Longo. Non petiiſſe Eudæmonem rerum, quas naufragio amiſerat, reſtitutionem, ſed quas rapina. Taciti & Epicteti apud Arrianum loca de* τῇ βίᾳ *in naufragio. Petri Baptiſtæ Burgi ridicula emendatio. Seldeni duæ interpretationes, altera, qua ſeparatim, altera, qua conjunctim accipit dictum Antonini. Prima varie refutatur, ſive* νόμον *transferas* legem *ſive* morem. *Secunda quam nihil differat ab ea, quam tradiderunt Gothofredi Pater & Filius. Fruſtra Jacobum contra argutari. Eſſe tamen rationem, quam ille habet præcipuam. Salmaſii adverſus hæc inductio & minus proba correctio. Sine ea occurritur Gothofredo. Tentatur & reſtitutio pro* τῷ *in* τῇ. *Conjunctim etiam legi & intelligi poſſe ſententiam Antonini, ſed omiſſis Seldeni & Gothofredi tricis in vertendo* νόμου *vocabulo. Quam commode id ubique transferatur* jus. *Ita parci commentis, notionibus & figuris occultis. Alia exhibiti* verſiculi *explicatio, ſi conjunctim accipias. Ejusmodi loquendi genus familiare eſſe cum Poëtis, tum etiam Auctoribus noſtris. Nonneminis nova verborum trajectio, ſed cur nihil mutandum videatur. Quam varie a variis Antoninus heic intelligatur. Quare omnes aliorum interpretationes Jac. Gothofredus damnet? ſi a quibusdam caveamus, vix contra alios pronunciandum videri, non contra Accurſium, vel Alciatum, vel Amayam, vel Duarenum, & quam ob rem.* Ἀνακεφαλαίωσις *ſententiæ noſtræ. Male ex propoſito* commate *confici, imperium maris non pertinere ad Imperatorem Romanum. Veterum aliquot ſolemnes excurſiones.* 109

CAP. VIII.

De obſervatione Legum Rhodiarum hic, ut alibi,

hi, orationem videri infinitam. Mirum hoc eſſe, cum a Romanis unicum de Jactu caput duntaxat ſit frequentatum. De reliquo Jure Rhodio. De ſtultitia ejus fragmenti, quod ſub nomine Legis Rhodiæ hodie occurrit. Inſcriptio ejus Legis, prout varie exſtat, varie exponitur. Aliquid de Legibus, quæ dicuntur, Juſtiniani Georgicis. Fidem illius Eclogæ Rhodiorum navalis jam aliis fuiſſe ſuſpectam. Cujacii de ea hæreſis. Arguitur apertæ fraudis, & quod ad dicendi modum & quod ad rem ipſam. Has ineptias a Mornacio perperam commendari ut pretioſas. An & cur eas tam laute confirmarint Romani? Quid dicendum videatur de Auctoritate, quæ vulgo præmittitur Juri Rhodio. Romani nunquid generaliter in cauſſis maritimis Jure Rhodio, ſed veteri veroque, fuerint uſi? vulgo ita perſuaſum eſſe, & quibus argumentis. Grande præjudicium contra hanc ſententiam, & fruſtra nos illud amoliri. Confirmationes Legum Rhodiarum forte non pertinuiſſe niſi ad ſolius Rhodi αὐτονομίαν. Nihil eſſe, quod obſtet, in illa Auctoritate: nihil etiam hic apud Voluſium Mæcianum. Qui ipſe poſſit verſari in cauſa Rhodia, idque ſeu Rhodus, inter Cyclades fuerit numerata, ſeu non fuerit. Leges Rhodias non valuiſſe niſi in Rhodo. Apud Romanos non fuiſſe receptas niſi eam, quæ de jactu eſt. De uſu Juris Wisbuycenſis nautici apud Amſterdammenſes. Leges Rhodias potuiſſe deinceps, etiam extra ſpeciem de Jactu, fuiſſe extenſas. Ita forte Græcos quosdam JCtos eſſe intelligendos. Non conſtare, ecqua lex ſit in quisquiliis illis Juris Rhodii, quæ vindicaſſet Διαρπαγὴν τῶν δημοσίων. De primo capitulo quid videatur cenſendum. 112

Cap. IX.

Quosdam libros μήτις, ſecare in μή τις nullo diſcrimine. Verſiculum ἐν οἷς &c. recte transferunt omnes, ſed optime aliquis ex antiquis. Legem Rhodiam non ſervari, ſi obſtet Romana. Illam exceptionem a Græcis quoque traditam eſſe in eundem ſenſum. Habere difficultatem, ſi hanc accipias ex noſtra, non habere, ſi ex vulgari ſententia. Utrumque probatur. Non facile quid reponi poſſe, quam Rhodios αὐτονομίᾳ ſua non fuiſſe uſos adverſus Legem Romanam. Quam tamen id ſit difficile dictu. Videri nihilominus probabile, cunctis Civitatibus αὐτονόμοις non licuiſſe uti jure proprio, ſi Romanum obſtaret. Conſentire Jac. Gothofredum, nobis alioquin adverſum. Minus bene eum advocare l. 1. ff. de Uſur. Magis eo prodeſſe Plinii locum in Epiſtolis de Civitate Amiſenorum, qui recitatur & enarratur. Αὐτονομίας minus plenæ interpretatio: ubi & de Siculis & Græcis Aſiaticis. Hæc quo pertineant. Interpretum πάρεργα. In Verſiculo τοῦτο δ' nihil variantis ſcripturæ eſſe, ut nec fere interpretationis latinæ. Jac. Gothofredum tamen θειότατον vertere ſacratiſſimum non divum. Non liquere, cujus ſit hic verſiculus. Videri partem eſſe reſponſionis Antonini. Qui Imperatores anteriorum Principum Conſtitutiones ſoleant adducere. Cur illud ἐπίβλημα non videatur eſſe ſcholium Mæciani. Per Αὔγουστον hic intelligi Octavianum Auguſtum. Jacobum Gothofredum perperam intelligere Marcum Antoninum. Verbum θειοτάτου Imperatoribus & divis & vivis tribui poſſe: appellationem quoque Auguſti, ſed quomodo, ſi ſignificetur, qui tum imperabat. Utraque Gothofredi ratio pro Marco Antonino memoratur ac refutatur. Multa ibi de Præfatione LL. Rhodiarum, & tempore, quo Romani Legem de Jactu receperunt. Auguſti ſtudium in conſervandis aliarum Gentium legibus & moribus. Philonis Judæi locus illuſtratus. Ejusdem Gothofredi ſimilis hallucinatio de Tiberio, qui occurit in Auctoritate LL. Rhodiarum. Non tuto fidendum eſſe Faſtis Conſularibus. Exempla ejus rei ex eadem Auctoritate, & l. 8. ff. de Quæſtion. Peroratio. 114

ΕΠΙΒΛΗΜΑ.

Occaſio ejus ἐπιβλήματος. Auctorem cujusdam Diſſertationis ad h. l. recte obſervaſſe, inſpectionem de jactu non eſſe ab ea alienam: & quid inde effici poſſit in rem noſtram. De Voluſii libro ex Lege Rhodia quid idem recte, quid ſecus videatur ſtatuiſſe. De verbis ναυφραγίῳ & ναυαγίῳ quam fuerit tricatus. De τῇ Ἰκαρίᾳ & τῇ Μαλίᾳ quid ille dixerit vel omiſerit, quod nobis dictum eſt. Quædam ea de re admonitio. Obſcuritatis eum poſtulare ſententiam Jac. Gothofredi de δημοσίοις τῶν τὰς Κυκλάδας οἰκούντων; neque tamen videri quicquam adferre clarius vel melius. Reſponſum Antonini ejus Principis, non JCtorum verbis proponi. Diſſentire Auctorem illius Diſſertationis nullis auctoribus. Contra eundem omnino legendum eſſe Εὐδαίμονι, dandi caſu, non Εὔδαιμον, vocandi caſu. Singularem aliquem Eudæmonem ſub Hadriano fruſtra eum quærere & hic intelligere. Antoninum vere dici τοῦ κόσμου κύριον quî contendat; nec tamen minus agnoſcat locutionis κατάχρησιν. De lectione verborum ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης aliquid eum indicaſſe; ſed quam nihil profecerit. Quid circa illum verſiculum præſtiterit, vel potius non præſtiterit. De Civitatibus αὐτονόμοις nonnihil dixiſſe ad inſtar ejus, quod nos probavimus. 116

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

DE

DOMINIO MARIS

DISSERTATIO.

AD LECTOREM.

Argumentum adgredior, quod non unius belli cauſa fuit, & de quo etiam a Viris eruditis vario Marte certatum eſt. Et tamen de dominio maris magis, quam terræ quærere ſupervacuum eſſet, ſi non multorum inanes tricæ multum ei tenebrarum offudiſſent. Quare nunquam magis ſum miratus, quam Viros in Juriſprudentia & re literaria primos, proximo, quod abiit, ſæculo potuiſſe hic tam ſerio ſcindi in contraria ſtudia, & ingenteis adeo turbas dare de re, cujus definitio non videtur eſſe in difficili: utique ſi rem putes, non auctoritates, forte ſemicrudas alicujus Poetæ, aut ſi quis ei ſimilis eſt. Sed ſcin', cur tam varie? aliquos amor Patriæ, aliquos adblandiens commerciorum libertas, aliquos adulatio, aliquos tandem indicta publice præmia ſeduxere. Nos citra ſpem metumque, citra affectum agere decrevimus, tuituri maris cum libertatem, tum dominium; ita quippe cenſeo: mare in dominium redigi poſſe, ut quod maxime, neque tamen hodie ullum mare imperio alicujus Principis teneri, niſi qua forte in illud terra dominetur. Video obſtantes catervas: at per eas non difficile erit nos explicare, ubi de origine cujuſcunque dominii conſtiterit. ab ea rem repetemus; ita machinæ, quas ſubvertere oporteret, mole ruent ſua. Si animus eſſet cuncta perſequi, enaſceretur mihi non Diſſertatio, ſed juſtum volumen: liceat igitur, quod res eſt, breviter & quam fieri poteſt ſimpliciſſime dicere, moribusque Gentium probare, vel, ſi contradicant, damnare; liceat aliorum ſententias nec prolixe narrare, nec niſi parce & oblique refutare. De dignitate ejus argumenti fruſtra ſim, ſi quid amplius præfarer. Placuit Interpretibus id tractari ad l. ἀξίωσις IX. ff de Lege Rhod. de jact. loco non ſuo, ut ſcire licet ex iis, quæ in libello ad d. l. IX modo diximus in hanc rem. Sed nihil vetat morem gerere huic παρέργῳ, quum noſtra, & forte tua, Lector, nihil referat, hic an alibi dicantur, quæ de Dominio Maris dicere conſtituimus. Vale.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

DE

DOMINIO MARIS

DISSERTATIO.

CAPUT I.

De origine Dominii.

Quoniam ante dominiorum diſtinctionem, ex qua duntaxat ſingulorum in omnia poteſtas, naturæ regula fuit, & adhuc eſt, nihil moveri niſi a magis valido, *ex naturali poſſeſſione dominium rerum cœpiſſe* recte Nerva obſervat in *l.* 1. §. 1. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* ex eo enim conſtabat, in pari cauſſa conditionem poſſidentis eſſe meliorem; ideoque rem detentam adimi non poſſe, niſi ab eo, qui in ea plus juris habebat, hoc eſt, a nemine, omnium quippe hac in re æqualis conditio fuit, cum proprie telluris herum natura nec illum, nec me, nec quemquam ſtatuit. *Dominium d.* §. appellat jus præcipuum habendi, a quo quis, niſi injuria, depelli nequit. Utque id jus *cœpit* ex naturali poſſeſſione, ita non aliter duravit quam re poſſeſſa. Dominium & poſſeſſio ambulabant paſſu pari, neque aliud præſtabat antiqua illa apprehenſio quam jus detinendi, quod a jure ſeparatim habendi nihil omnino differebat. Id autem jus quum ultra detentationem non extenderetur, ea remiſſa res in antiquam cauſam recidebat, quod & Nerva & Paulus videntur animadvertiſſe in *d.* §. 1. non obſcure enim ibi videas occupationem veterem ſecerni a nova, ita ut hodie res nullius occupatæ in occupantis dominium cedant, uti plene fiant ipſius, olim vero per apprehenſionem naturalem non aliter apprehendentium cenſerentur præcipuæ, quam ſi tenerentur corporaliter, & quamdiu illa detentio durabat. Atque hujus juris veſtigium remanſit in iis, quæ uſu Civitatis in dominium redacta non ſunt: ſi caſam in littore exſtruxero, ſoli dominus efficior, ſed diruta caſa, & remiſſa ſic poſſeſſione, quaſi jure poſtliminii revertitur locus in priſtinam cauſam *l.* 5. §. 1. *& l.* 6. *pr. ff. de rer. diviſ. l.* 14. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* Ut autem alicujus jus etiam ultra extenderetur, ex apprehenſione fieri non potuit, quia æque ad omnes eadem res pro indiviſo pertinebat; ad illud igitur conventio fuit neceſſaria, qua quis juri, quod naturaliter habebat, renunciaret, quoque alioquin protinus occupaturo, cui alius poſt apprehenſionem non continuo incumbebat. Cujusmodi pactum aliquando iniviſſe univerſum genus humanum ſcio qui dicant; at illud cum perquam ſit abſurdum, nihil putem ſupereſſe, quam ut dominium adſcribamus Juri Civili, civium enim eſt conventio, ut quisque ſua habeat tuita ſeparatim, etiam citra poſſeſſionem præciſe naturalem.

Perſpicue illud quoque comprobat D. Auguſtini diſputatio in *Cap. I. Cauſ.* XXIII. *Quæſt.* VII. & præſertim in *Cap.* I. *Diſtinct.* VIII. de quo ad alia detorquendo tantum laboratum eſt. in partes laboris venerunt Gœdeus in *Comment. ad l.* 42. *ff. de V. S.* & Lyclama *Opin. Lib.* II. *Eclog.* 13. ſed irrito conatu. Recte Auguſtinus dominia rerum jure humano, & quidem Civili, ſubſiſtere, & hoc ſublato illa quoque tolli diſputavit: etenim veriſſimum eſt, dominia, Gentium occupatione quæſita, non niſi legibus cujusque Gentis rata eſſe, in tantum ſcilicet, ut res, etiam non detentæ, ſolo animo retineri poſſint. Quapropter ſi res mea extra Civitatem meam reperiatur, me abſente & ei non incumbente, cedet rurſus primum occupanti, ceu res nullius, vel potius ceu res communis &, ut inquit ille, *in medio poſita.* Neque aliter Auctores Juris Romani ſenſiſſe conſtat ex Pomponio in *l.* 5. §. 2. *ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* & Proculo in *l.* 7. *pr. eod.* dum ad neminem rerum ſuarum dominium extra Civitatem ſuam

ſuam pertinere liquido ſatis pronunciant; non alia ratione, quam quod communis Civitatis ſponſio Gentibus exteris non præjudicet, ſed teneat duntaxat illius Civitatis membra, juri ſuo dum renunciarunt. Ad exteros itaque, ad quos nihil Civitatis noſtræ juſſa, ubi bona noſtra pervenerint, dominorum eſſe deſinunt *d. l.* 5. §. 2. & *d. C.* I. *Diſt.* VIII. niſi, quod recte excipit *d.* §. 2. inter eos Populos amicitia ſit contracta: per eam enim alterius Civitatis conventio alteri rata habetur, quum, niſi id fiat, nullo modo amicitia inter homines rerum ſuarum amantes poſſit conſiſtere.

Ea etiam Jurisprudentia Turcos uti ſignificat §. 2. & 5. *Privilegii*, quod Achmet anno MDCXII. Belgis fœderatis dedit; ait enim, ſi quis in ditiones ſuas adpellat, cujus populus neque fœdus neque amicitiam ſecum habeat, ejus bona publicari, ipſumque in ſervitutem redigi; a quo Belgæ, etſi in peregrina nave adpellant, virtute ejus privilegii eximuntur *d.* §. 5. nituntur hæc jure, quod diximus. Peccat tamen in eo hæc Jurisprudentia Turcorum, quod liberos homines ea ratione dominio ſuo addicat, nam Pomponium, qui id ipſum videtur velle in *d. l.* 5. §. 2. *in fin.* intelligimus de homine libero, ob juſtam cauſam capto. Quin & ita fortaſſe intelligere poſſes Turcorum Imperatorem, & *d.* §. 5. ſecundum principia religionis Turcicæ interpretari de Chriſtianis, hoc eſt, ipſo jure hoſtibus. Sin contra eſſet, mihi equidem cum illius, tum Pomponii ratio non videtur contraria; neque enim, ut rerum, ita hominum, Jure Naturæ Gentiumve commune dominium fuit: & tamen illud, quod diximus, jus tribuendum eſt unice communioni, a qua ictis de amicitia fœderibus receſſum non fuit.

Fœdera autem accipimus, præeunte Pomponio, quibus vel amicitia vel hoſpitium contrahitur: aliud, ſi tantum placuerit, ut bello abſtineatur, tunc enim de reliquis nihil pactum; quo caſu ſupererit locus Galli ſententiæ apud Feſtum in *Voc. Poſtliminium*, cum ait, etiam *cum Populis liberis & confœderatis poſtliminium eſſe.* Quum vero hujusmodi fœdera, extra bellum, inter Gentes eſſe ſoleant, jam apparet, quod non putem hucuſque apparuiſſe, quo ſenſu ex Jure Gentium dicatur eſſe dominiorum diſtinctio in *l.* 5. *ff. de Juſt. & Jur.* eo quippe jure pactis fœderibusque agnitum eſt & probatum illud jus, quod dederat antiqua occupatio, ſeu potius illud jus, quod amiſſa poſſeſſione amittebatur, extenſum eſt ad eas regulas, quibus in Civitate reguntur rerum domina.

Secundum hæc interpretamur M. Tullii Ciceronis locum *Lib.* I. *de Offic. Cap.* 21. a Grammaticis, ni fallor, male habitum. Ita legitur vulgo: *Sunt autem privata nulla natura; ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt; aut victoria, ut qui bello potiti ſunt; aut lege, pactione, conditione, ſorte; ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur: Tuſculanus Tuſculanorum.* Opinor mendum eſſe in finalibus, reſtituendum, ſi ita legas & interpungas: *aut lege, pactione conditione; ex quo fit, ut ager forte Arpinas Arpinatum dicatur*, & reliqua. Hoc vult, rerum dominia quæri vel occupatione vel conventione. Occupatione bifariam: aut rerum nullius, per apprehenſionem vacuæ poſſeſſionis, aut alicujus, jure videlicet belli. Conventione rurſus bifariam; aut publica, quum ex lege, aut privata, quum ex contractus cauſſa dominium transfertur, hoc eſt, *pactione conditione*, ſi, ut oportet, conjunctim accipiatur. Legendum videri poterat *condictione*, ſiquidem *condictum* pro *convento* & *conventione* eſt, etiam Cæcilio JCto apud Gellium *Lib.* XX. *Cap.* 1. ſed nec male pro eo & *conditio* uſurpatur. Sæpius quoque in libris antiquis hæc verba commutata reperiuntur, vel ſcripturæ errore, vel quod utriusque par ſit ſignificatio, utique par, cum *pacti* verbum additur, quemadmodum & Cujacius obſervat ad Pauli *Sentent. Lib.* I. *Tit.* I. §. 1. Atque ita apud Tullium *pactio conditio* ſunt duo ejusdem notationis verba, quomodo apud noſtros hac ipſa in re *pactum conventum*, *pactum conventio.* Qui in Cicerone hæc ſeparatim legunt, interpretes ſunt non interpretes; neque meliores, qui voculam *ſorte*, eamque eo loco ſervant. Hic enim quærendi dominii modus, utcunque eum explices, vel a *lege*, ſi qui publice ſortiantur, vel a *pactione conditione*, ſi privatim, diſtingui nequit, cum utique, ſi ſorte dominia dividantur, ſemper oporteat præcedere ſponſionem vel privatam vel publicam Civitatis. Sed jam reſtitui voculam, quæ videbatur legi mendoſa, nec ſuo loco. *Ager forte Arpinas* recte dicitur; in hunc ſenſum *forte* exemplum notat, ut in *l.* 9. §. 7. *ff. de uſur.* & paſſim alibi. Nullius oppido pretii ſunt, quæ hic legunt & adferunt Lambinus & Turnebus, nullius item, quæ prolixe ad hunc locum effudit Lyclama *Opinion. Jur. Civ. Lib.* II. *Ecl* 13.

In explicanda origine dominii alii aliter inſtituerunt; ſed nolim in eo argumento heic vagari. Communionem antiquam ſunt etiam, qui negant fuiſſe, non gnari ſcilicet, per communionem intelligi ſtatum, quo res nondum iverant in proprietates ſingulorum, at omnibus ad omnia æquale jus erat. Recte illi, ſi, quod facere videntur, communionem negent, qualem Plato in Rempublicam ſuam induxit; de ea vero nemo ſenſerit. Satis hoc claret ex iis, quæ Hugo Grotius exſequutus eſt *Cap.* V. *Maris liberi*, & *de Jure B. & P. Lib.* II. *Cap.* 2.

Hoc omnino probare non poſſum, quod de ſeceſſu ab illa communione, & modis quærendi dominii utroque loco idem diſputat. Utilitas rerum, quibus ſe ſuosque exhiberet quisque, occupationi cauſam dedit; utilitas, inquam, non tantum neceſſitas. Illam autem metiebantur primi mortales ex uſu rerum & abuſu, & prout quæque res majorem minoremve uſum ſui præbebat, eo magis minusve appetebatur. Atque adeo ſi ea, quæ uſum omnibus præſtare poterant, magis tamen eſſent utilia, ſi haberentur ſeparatim, non poteſt non inde conſtare de animo cujusque ad ea ſibi applicanda. Docent hoc τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, docet, quam Græci proprio vocabulo appellant, mortalium πλεονεξία, quæ ſemper fuit, & erit, donec homines, maxima. Hæc vero tum neceſſaria, tum utilia non aliter ſibi applicabant, quam naturali occupatione, id eſt, rerum, quarum ſatagebant, apprehenſione corporali, nam animo ſolo vel univerſum orbem facile unus deglutiverit. Non difficulter id omnes dabunt, hoc nemo, jus corpore & animo quæſitum in re occupata, non niſi eadem ratione, corpore puta & animo, ſervari: & tamen illud verum eſt de primæva occupatione, qua ventum eſt in vacua. Videor id jam ſatis probaſſe ex naturali jure omnium ad omnia; ne addam, ex remiſſa poſſeſſione tunc non potuiſſe præſumi niſi animum habendi rem pro derelicta ſecundum Jurisprudentiam illorum temporum naturalem; poſſeſſionem animi lex tuetur Civilis, quæ tunc nulla erat. Utque adeo Grotius *d. C.* V. *Mar. lib.* neceſſitatem *perpetuæ*, quam vocat, occu-

occupationis male videatur ad ea duntaxat referre, quæ ſua natura poſſeſſioni renituntur, ut ſunt feræ beſtiæ, male ſcilicet, ſi hæc ad veterem occupationem, non autem ad Jus Civile ſolum pertinere credamus.

Si non ſubſiſtant, quæ *hoc Capite* diſputavi de origine dominii ex jure Naturæ Gentiumque, etiam ſubſiſtere nequeunt, ex iis quæ collegi effecique toto hoc libello. Ultra poſſeſſionem dominium non durare in rebus occupatis Naturæ, ut puto, regula eſt, jure Gentium confirmata, & ex utroque jure a JCtis Romanis deſcripta. Sed poſtquam hæc edideram anno 1703. Chriſtianus Thomaſius, magnum inter Germanos & omnes eruditos nomen, modeſte ſe iis oppoſuit *Notis ad Ulricum Huberum de jure Civitatis Lib.* II. *Sect.* IV. *C.* 2. *n.* 43. Auctoritas ejus Viri non pateretur, ut, quæ ipſe objecit, iterata nunc editione ſilentio transmitterem, niſi præveniſſet induſtria Viri Conſultiſſimi Theodori Graver, hic enim *diſſertatione de Mari natura libero, pactis clauſo*, *Sect.* I. *C.* 3. *n.* 5. *& ſeqq.* adeo ſtrenue & feliciter cauſam meam egit, & ad ſingula Thomaſii reſpondit, ut, ſi quid adderem, videri poſſim actum agere & bonas horas perdere. Ne tamen litem, quæ mea eſt, plane ſuam feciſſe videatur, non poſſum prætermittere, quin uno verbo animadvertam, Thomaſium, tantum non invitum, delabi ad Juriſprudentiam naturalem, quam ipſe extuli, remiſſa nempe poſſeſſione remitti dominium, ſi merum jus Gentium putemus. Agnoſcit utique eam Juriſprudentiam in rebus mobilibus, agnoſcit & in rebus immobilibus, in occupatione forte inſulæ incultæ, ſi poſt deſeratur corpore, etiam non deſeratur animo. Mox ipſe palam: *Res immobiles, quæ ſunt nullius, occupatæ eſſe cenſentur, ſi cœptæ ſunt cuſtodiri, aut ſi cœperim ſolo uti ad id, ad quod deſtinatum eſt natura, & uſus durat. V. G. ſi ædificaverim in ſolo, ſi ſolum vallo & foſſa vel ſepibus circumdederim. Conſervatur*, inquit, *poſſeſſio, quam diu continuatur cuſtodia, etiamſi non incumbam poſſeſſioni, ſed abeam V. G. ſi ager conſitus ſit, & fructus a me ſatos ferat, ſi ager circumſeptus ſit, ſi ædes exſtructæ maneant, ſi clavem ad ædes habeam, ſi alios arceam ab uſu rei* &c. Hæc ille & recte, nam omnibus his, quos recenſet, modis poſſeſſio, ex apprehenſione cœpta, porro continuatur, & continuata poſſeſſione continuatur dominium. Cultura utique & cura agri poſſeſſionem quam maxime indicat. Neque enim deſidero, vel deſideravi unquam, ut tunc demum videatur quis poſſidere, ſi res mobiles, ad inſtar teſtudinum, dorſo ferat ſuo, vel rebus immobilibus incubet corpore, ut gallinæ ſolent incubare ovis. Præter animum poſſeſſionem deſidero, ſed qualemcunque, quæ probet, me nec corpore deſiiſſe poſſidere.

Cetera dixit Theodorus meus. Et probo, quod Juriſprudentiam illam naturalem, quam inter varias Gentes, nullo fœdere conjunctas, obtinere Pomponius docuit in *d. l.* 5. §. 2. *ff de Capt. & poſtlim. reverſ.* & Proculus in *l.* 7. *pr. eod.* quod, inquam, illam Juriſprudentiam naturalem inter diverſas Gentes non prolixius ſit exſequutus, nam ipſe Thomaſius eas LL. ſilet. Sed non ſilet Titius, Anteceſſor haud ita pridem Lipſienſis, qui etiam huic liti ſe obtulit, nam is *Diſſertatione de Dominio in rebus occupatis ultra poſſeſſionem durante* §. 31. *&* 32. intelligit *d.* LL. de iis, qui nullo plane jure latrocinantur & prædas agunt, quosque ideo *latrunculos* & *prædones* appellamus. Omnino perperam, ecce enim Pomponius in *d. l.* 5. §. 2. exponit, quid juris ſit inter Gentes, quas nullum fœdus conjungit. *Hi*, inquit, *hoſtes quidem non ſunt, quod autem ex noſtro ad eos pervenit, illorum fit, & liber homo noſter ab eis captus ſervus fit & eorum.* Et ne putes, ut Titius putabat, injuria id fieri, mox addit, etiam Romanos eo jure Gentium uti. *Idemque*, ait, *eſt, ſi ab illis ad nos aliquid perveniat.* Igitur quicquid dicat Titius, quicquid Mævius, ex poſſeſſione Jure naturali & Gentium ſuſpenditur dominium, niſi pacta dominium, citra poſſeſſionem, defendant, ut defendit jus cujusque Civitatis proprium. Reliqua Titii ex iis, quæ ipſe dixi, & quæ dixit Doctiſſimus Graver, mole ruent ſua.

CAPUT II.

Mare terræ proximum an & qua ratione occupari & dominio teneri poſſit.

Cum, ut inquit ille, *pervium cunctis iter, & communis uſus omnium rerum fuit*, non eſt, cur iter ad mare magis quam ad terram præcludi placeat. Iter ad terram fuit pervium, quo, tanquam præmium induſtriæ, occupanti cederet; iter ad mare & eo fini patuiſſe dicemus, ſive privatus, ſive populus occupet. Nihil in medio relictum eſt, quod ſeparatim haberi poterat: tanta erat priſcorum mortalium aviditas & habendi cupido, ut, quo hanc exprimeret, Cœlos ipſos affectaſſe fabuletur antiquitas, non eſt igitur, ut mari parcitum dicamus. Is autem illud occupaſſe cenſeri debet, qui navi una vel pluribus eo animo in vacuam ejus poſſeſſionem venit. Sed quemadmodum ſimpliciſſima ſunt cunctarum rerum initia, occupatis terris, non aliud mare occupatum videri poteſt, quam quod terras illas alluebat: oras quippe tantum legebant veteres, non auſi ulterius fragilem committere truci pelago ratem. Igitur in mare littoribus proximum quum deſcenderent animo ſibi hoc habendi præcipuum vel piſcationis, vel transvectionis, vel qua alia cauſa, ejus dominium poſſeſſione quærebant, utique ex noſtra ſententia quæſiviſſe ſunt exiſtimandi.

Sed vero dominium quia non agnoſcimus Gentium jure citra poſſeſſionem, diſpiciendum eſt, quam late maris proximi dominium videatur patuiſſe. Dicimus equidem ex *l.* 3. §. 1. *ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ.* parte fundi poſſeſſa, dummodo is ſit poſſidentis animus, univerſum poſſideri ad usque terminum, ſed ſine certo termino, atque ita incertæ partis, nulla eſt poſſeſſionis acquiſitio *d. l.* 3. §. 2. hic autem, ſi mare ſpectes ἀόριστον, certus terminus vel penitus nullus erat, vel certe ignotus. Quin ſi aliquem conſtituere velles poſſesque, conſiderandum eſſet, meri Juris Gentium non eſſe, quod ait *d.* §. 1. eo enim poſſeſſio non capitur, niſi totum Q. D. A. in ejus, qui poſſidere vult, poteſtatem redigatur, ut diximus *Capite proximo*; neque etiam mero Gentium Jure aliam ea res explicationem habet, uno quoque alioquin univerſum occupaturo.

Quum igitur eo Jure terrarum Domini nequeant imperare mari, niſi qua poſſident, & poſſeſſione remiſſa remittatur quoque dominium, res exigit, ut porro videamus, quousque a Populo vel

vel Principe Civitatis, in quam coierunt ſinguli, mare terris vicinum perpetua poſſeſſione videatur teneri; de maribus exteris poſt acturi. Et quidem his, quæ modo diſputavimus, omnino conſequens eſt, in tantum mare intelligi poſſeſſum, in quantum navigatur, & navigatur perpetuo. Sed quis perpetuo naviget & legat littora? quis animo ſemper domini & eadem ab terris intercapedine? Vix illud, niſi valde ἐν πλάτει, admittendum eſt. Exiſtimem itaque, eo usque poſſeſſionem maris proximi videri porrigendam, quousque continenti poteſt haberi ſubditum; eo quippe modo, quamvis non perpetuo navigetur, recte tamen defenditur & ſervatur poſſeſſio jure quæſita: neque enim ambigendum eſt eum poſſidere continuo, qui ita rem tenet, ut alius eo invito tenere non poſſit. Unde dominium maris proximi non ultra concedimus, quam e terra illi imperari poteſt, & tamen eo usque; nulla ſiquidem ſit ratio, cur mare, quod in alicujus imperio eſt & poteſtate, minus ejusdem eſſe dicamus, quam foſſam in ejus territorio.

Qualem autem poteſtatem ſit intelligendum, ut mare ſit ſubditum, ob periculum ejus, quod Græcis Σωρίτης dicitur, ambiguæ eſt definitionis: nec minima ſufficit, nec ſane maximam deſideramus, ſed quæ intellectu magis percipi, quam elocutione explicari poteſt, ut alias de iis, quæ certam terminationem non habent, Julianus ait in *l.* 13. *ff. de ſolution.* Hinc videas, priscos Juris magiſtros, qui dominium in mare proximum auſi ſunt adgnoscere in regundis ejus finibus admodum vagari incertos. Sunt, qui id extendant ad milliaria centum, ſunt, qui ad ſexaginta, de utrisque Bodinus *de Republica Lib.* I. *C.* 10. Seldenus in *Mari* Cl. *Lib.* I. *C.* 22. &, ut hunc etiam addam, Pacius in *Diſcept. de Dominio maris Hadriatici p. m.* 22. ſunt etiam, qui ad duorum dierum iter, ut, ſi tanti ſit, diſcere potes ex Hieronymo Brixiano *de Finibus reg. C.* VII. *n.* 12. *&* 13. alii rurſus aliter, de quîs Gryphiander *de Inſulis* C. XIV. *n.* 20. *& ſeqq.* Sed rationem, qua hæc omnia nituntur, nemo facile probaverit: ut nec eam, qua placet, dominium in mare extendi, quousque extenditur oculorum acies. Attamen & ita definire videtur Philippus II. Hiſpaniarum Rex in *Legibus Nauticis*, quas anno MIↃLXIII. *ult. Octobr.* Belgis dedit: nam *Tit.* I. §. 27. *earum LL.* externi hoſtibus ſuis vim facere vetantur, quo e terra proſpici poteſt; eatenus igitur mare ſubditum proponi conſtat: verum & hoc nimis laxum eſt vagumque, vel utique non ſatis certum. An enim, quo longiſſime patet proſpectus? idque ex qualibet terra? littore? arce? urbe? an quo quis nudis oculis proſpicit? an quo repertis nuper teleſcopiis? an quo vulgus? an quo qui cernit acutus? ſane non quo acutiſſimi, apud Veteres enim memorantur, qui ex Sicilia Carthaginem usque viderunt; fluctuant ergo etiam hæc in incerto.

Quare omnino videtur rectius, eo poteſtatem terræ extendi, quousque tormenta exploduntur, eatenus quippe cum imperare, tum poſſidere videmur. Loquor autem de his temporibus, quibus illis machinis utimur: alioquin generaliter dicendum eſſet, poteſtatem terræ finiri, ubi finitur armorum vis; etenim hæc, ut diximus, poſſeſſionem tuetur. Neque alia ſententia uſi videntur Ordines fœderati Belgii, qui anno MIↃCLXXI. 3. *Jan.* decreverunt, navium Præfecti ad oras externorum Principum in mari ſalutarent, quousque tormenta urbium & arcium exploduntur, prout Princeps ejus oræ, qua de agitur, voluerit; ut autem reſalutare velit, ejus arbitrio relinquendum; hoc addito, eſſe quemque in ditione ſua pleniſſime dominum, & advenam quemque ſubditum. Recte, ſi quid judico, non recte in hac ſpecie alii Principes; ſed de his nonnihil dicemus, ubi de occupatione maris exteri actum erit.

CAPUT III.

Mare exterum an & qua ratione occupari & dominio teneri poſſit.

Mare exterum appello, in quod Civitas e terra dominari nequit. Poſſe autem & illud occupari, & occupatum fuiſſe aliquotiens, negandum non videtur. Evenit hoc, ex quo fluctibus ignotis inſultavere carinæ, certe evenire potuit, ſi is fuerit navigantis animus. Totum, qua patet, mare non minus Jure Naturali cedebat occupanti, quam terra quævis, aut terræ mare proximum. Sed difficilior occupatio, difficillima poſſeſſio; utraque tamen neceſſaria ad aſſerendum dominium, jure videlicet Gentium, ad quod ea diſputatio unice exigenda eſt. Nam ex iis, quæ *Cap.* I. enarravimus, certum eſt conſequi, dominium maris prima ab origine non fuiſſe quæſitum niſi occupatione, hoc eſt, navigatione eo animo inſtituta, ut qui libera per vacuum ponit veſtigia princeps, ejus, quod navigat, maris eſſe velit dominus; certum eſt & porro conſequi, non aliter id dominium retineri, quam poſſeſſione perpetua, hoc eſt, navigatione, quæ perpetuo exercetur ad cuſtodiam maris, ſi exterum eſt, habendam: ea namque remiſſa, remittitur dominium, & redit mare in cauſam priſtinam, atque ita rurſus occupanti primum cedit. Utque hæc fuerunt prima ab origine, ita adhuc ſunt, cum ſola lex Civitatis, ut dixi probavique, dominia rerum defendat etiam ſine poſſeſſione; lex vero Civitatis quum extra Civitatem ſit nulla, ſatis eſt liquidum, quæſtionem de dominio maris, ſi, ut vulgo, diverſi Principes ex jure manu conſertum veniant, meri eſſe Gentium Juris, & ex regulis de poſſeſſione, eo Jure ratis & probatis, dijudicandam. Secundum hæc ſi Civitas mare aliquod frequentet animo ſibi habendi ſeparatim, & tamen poſt frequentare deſinat, ejus quidem Civitatis ſubditi non recte illud mare ſibi occuparint, ſed recte exteri, qui Civitatis illius legibus non reguntur; his quippe omnibus ex Naturali Gentiumque Jure æque patet maris imperium, ſimulatque amiſſa eſt occupatione quæſita poſſeſſio, niſi tamen qui occuparat, ab exteris, ut eo abſtinerent, pactis fœderibusque obtinuiſſet: tunc enim illud jus, quod relicta poſſeſſione intercidebat, ad Jus Civitatis cenſebitur redactum, eritque adeo ſalvum, deſerta quamvis poſſeſſione: ſalvum ex pactione quod ad exteros, ex lege quod ad ſubditos.

Hujusmodi autem pacta & fœdera de conſervandis rerum dominiis cum inter Gentes eſſe ſoleant, ut diſſeruimus *Cap.* I. dicendum videbatur, occupato ſemel mari, ejus dominium tam diu occupantis eſſe, quam diu is jure ſuo non ceſſerat. Sed tantum abeſt, ut, quod de cæteris rebus placuit inter Populos fœderatos, amicos, ſocios, id pertinere credamus ad occupatum mare, uti, quando ita res tulit, contra diſpu-

diſputatum pactisque proſpectum ſit. Quod ea fœdera nec intervenerint, nec interveniſſe posſint intelligi, arguit ſuo quæque Gens exemplo, dum omne mare, olim licet occupatum, non ex conceſſione alterius, at ſuo jure navigat; etiam illud mare, quod conſtat animo non eſſe habitum pro derelicto: non alia ratione hæc defendimus, quam quod ſecundum regulas Juris Naturalis mare, deſitum poſſideri, redeat ad communionem priſtinam; neque enim hic locus eſt ſententiæ Proculi, exiſtimantis, non deſinere rem eſſe domini, niſi ab alio poſſeſſa fuit, ſed potius Juliani, deſinere quidem omittentis eſſe, non fieri autem alterius, niſi fuerit poſſesſa, *& recte*, inquit recte Paulus in *l.* 2. §. 1. *ff. pro derelict.* Etiam Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 3. *n.* 11. & *de Mari libero C. V.* mare, qua occupari poſſe concedit, non diutius occupantis eſſe, quam durat occupatio, bene obſervat, ſed male, ut videtur, ejusce rei rationem arceſſit a natura maris, quæ, ſi credere dignum eſt, poſſeſſioni reluctatur, verum ſuo hæc loco.

Tantum igitur ſi præſtet poſſeſſio, ſummo opere intereſt ſcire, mare exterum qua ratione occupetur poſſideaturque. Intelligimus vero occupari a ſingulis pluribusve, qui, ut ſibi quærant, vacuum mare navi vel navibus ſecant ſuis. Vacuum mare dicimus, in quod nemo, occupandi animo, deſcendit, vel, ſi deſcenderit, poſſidere iterum deſiit; deſinit autem poſſidere, qui illud mare domini animo non frequentat amplius. Unde conſequitur, Hannonem, verbi gratia, in Periplo ſuo nullum mare occupaſſe, nam, ut ex eo diſcimus, non hic illi fuit animus, ſed duntaxat πόλεις κτίζειν Λιβυφοινίκων. Quin ſi occupaſſet, reverſo Carthaginem Hannoni nihil juris fuiſſet reliquum, remiſſa utpote poſſesſione. Occupandi & poſſidendi animus non ſtatim colligitur ex ſola navigatione; fac enim non tantum condendarum urbium, ut Hanno, ſed mercaturæ cauſa, ſed peregrinandi voluptate aliquem navigare, nec ea præter aliud cogitare, non is maris, quod navigat, efficietur dominus poſſeſſorve, cum utique palam deſit animus, & ſine animo titulus. Immo ſi quis vel piſcationis ergo mare ingreſſus ſit, niſi de animo aliunde conſtet, occupaſſe non cenſebitur, ut nec poſſidere, ſi quis idem mare quotannis, quotmenſibus vel etiam quotidie ad piſcandum pergat ingredi: quotus enim quisque eſt piſcatorum, qui imperium maris animo verſat ſuo, & non optet piſces magis quam illud nanciſci? apparet inde, vix mare, ut occupetur ac poſſideatur, frequentari, &, ſi fiat, difficilem eſſe probationem animi.

Non tamen aliunde magis pellucet ille animus, quam ſi quis poſt occupationem mare ita pergat poſſidere, ut vires ſuas explicet ad tuendum, quod nactus eſt, dominium. Illuſtre ejus rei exemplum eſt in mari Mediterraneo, quo de agit *L.* IX. quam interpretati ſumus. Fuisſe id aliquando Romanorum, non puto dubitandum, quippe quod ipſi, qua Europam, Africam Aſiamque alluit, imperio ſuo complectebantur; ut ita nemo fuerit, qui juxta poſſidebat, & inde quid juris in eo ſibi aſſereret poteſtate terræ. Nec id duntaxat, ſed poſtquam occupaſſent vel Jure Naturæ, vel Jure Belli, quatuor claſſibus, quas habebant perpetuas, perpetuam quaſi detentationem habuiſſe exiſtimandi ſunt: quo, ſi ullo, modo maris imperium jure optimo tenetur. Prima claſſis ſtetit ad Miſenum, ſecunda ad Ravennam, tertia ad Forum Julium, quarta ad Byſantium; de his ab aliis ſatis & ſuper dictum eſt. Illis autem claſſibus Romani non tantum ſubmovere poterant mari, ſed & quadam indagine includere & opprimere quicquid erat peregrinarum navium: idque ita præſtitum eſt, ut tandem Mediterraneum mare, niſi a Romanorum ſubditis & claſſibus publicis, non navigaretur, nec quisquam adeo eſſet, qui eorum poſſeſſionem jure vel injuria turbaret. Cæterum & alia adhuc ratione illud mare poſſediſſe Romanos ejus conditio videtur domonſtrare, nam ecce ab aliis non niſi per anguſta Herculeum & Thracium freta adiri poterat, eademque freta utrimque Romani poſſidebant: qua fere ratione freta in poteſtatem rediguntur, ut porro dicemus *Cap. prox.* Qui freto perfecte imperat, etiam mari, quod eo limine aditur, imperare dicimus, ſi is ſit ejus animus, nec alii juxta poſſideant. Hoc cum ſit, & mare ejus reperiatur magnitudinis, ut facile alios, qui occupent, admittat, etſi fretis imperetur, adhuc tamen claſſium cuſtodia ad tuendam poſſeſſionem neceſſaria erit. Juxta mare Mediterraneum autem orbis erat ubicunque Romanus, & ſi quid minus fretis imperaſſent, ſupplebat claſſium cuſtodia, qua, ut diximus, perpetua utebantur; argumento hæc ſunt, quam recte id mare ab Mela & Romanorum aliis *noſtrum* appelletur.

Romani quoque eam Oceani partem, quæ Britanniam & continentem intereſt, imperii jure tenuerunt, & quia utrimque poſſidebant, & quia ipſum illud fretum etiam claſſe Britannica tutabantur. Meminit hujus & *l.* 46. *ff. ad SCtum Trebell.* & victa hinc Brittannia dicitur allui *aqua Romana* in verſu apud Scalig. *Catal.* I. *Tit.* 7. *p.* 210.

Illa procul noſtro ſemota excluſaque cælo,
Alluitur NOSTRA *victa Britannis* AQUA.

conſtaret etiam verſus, ſi legeres *Britannia*; neſcio, an, ſicut Illyridem & Perſidem dicimus, alius quoque ſit, qui *Britannidem* dixerit. Romanos alibi in Oceano claſſem habuiſſe perpetuam, quin vel unius navis cuſtodiam, non ſcio memoriæ eſſe proditum: adeoque ſi reliquum Oceanum, quamvis totum, qua navigatur, iis etiam attribui videas, non ulterius tamen ditione ſua tenuerunt, quam continenti, ab his posſeſſæ, erat ſubditus; nec enim continentis poteſtas ulterius extenditur, ut late defendimus *Cap.* II.

Nec tamen eſt, quod quis credat, præcipuum in mari jus dare nos præcipuæ armorum claſſiumque potentiæ; ea Jurisprudentia non utimur, ſed naturali illa, quæ æquale jus reddit omnibus, armatis juxta ac inermibus. Dominii maritimi titulum diximus eſſe occupationem. Hæc autem juſta non eſt, niſi quæratur aut juſto bello, aut navigatione maris, cujus poſſeſſio non occupata eſt vel derelicta. Unde ſi quis vel una ſcapha occupet mare non occupatum & poſſeſſum prius, isque eadem ſcapha, domini animo, pergat navigare idem mare, non ille niſi injuria eo ſubmovebitur, non ſecus ac ſi quis occupato poſt primam communionem fundo invitus depellatur. Ut quisque poſſidet, ita quominus poſſideat, vim fieri veto; ſi deturbetur, & injuriæ par ſit, poterit vim vi repellere, cum ita a natura ſit comparatum, & omnes leges omniaque jura permittant. Sed quod de claſſibus diximus, eo pertinet, ut ſciamus, non alio fere modo, ſane non illuſtri magis, de retenta maris poſſeſſione conſtare poſſe. exſtructis ad tutelam maris claſſibus nemo de eo dubitaverit, quum ita ipſo facto dominium exerceatur: alias vulgo navigatur animo plane diverſo, alieno certe ad tuendam poſſeſſionem.

C A-

CAPUT IV.

Quædam adhuc de occupatione & poſſeſſione maris, utraque quid præſtet, & inde quid ſequatur.

Quæ hactenus de dominio Maris indicavimus, procul ſunt ab auctoritatibus & teſtimoniis, repetita unice ab origine dominii & receptis Jure Gentium de acquirenda vel amittenda poſſeſſione regulis. Et has fere in Jure Civili Romanorum habemus ſcriptas, niſi quod eo Jure poſſeſſionem retineamus ſolo animo *l.* 4. *C. de acquir. & retin. poſſeſſ.* probantibus illud cujusque Civitatis legibus, quarum ratio, utique reſpectu maris, inter diverſos Populos habenda non eſt: cæteroquin quæ de occupatione, quæ de poſſesſione cum animi tum corporis attulimus, tam ſpiſſe a JCtis Romanis ſunt prodita, ut, ſi hæc proferam, mihi & aliis moleſtus ſim. Poſſeſſio autem cum in uſu conſiſtat, imo ſit ipſe uſus, ut Cujacius probavit in *Parat ad Tit. C. de acq. & ret. poſſ.* ſatis intelligimus, uſum maris, ſi adſit affectio domini, pro poſſeſſione eſſe habendum. Atque ille uſus cum unice abſolvatur navigatione, quemcunque demum ea fructum fert, conſtat, ſolam navigationem heic fungi vice poſſesſionis, uti Cæpolla, Gryphiander aliique Juris Magiſtri recte obſervarunt. Non recte ab his diverſi abeunt Strauchius *Diſſert. de Imperio Maris C.* V. VI. & VII. & paſſim Seldenus, qui creatis domi archigubernis, propoſitis Edictis, aliisque vanis & tralatitiis jubendi imperandique modis poſſeſſionem maris ſervari ſibi perſuadent. Præter & ſupra animum deſideramus incubationem, &, quæ Græcis audit, κατοχὴ tam in adipiſcenda quam retinenda poſſeſſione, nam, ut breviter dicam, diſputationis noſtræ ſumma hæc eſt: non continuo maris dominum effici, qui illud intraverit, quamvis vacuum, cum deeſſe poſſit animus, neque tamen, ſi non intretur, ejus dominium potuiſſe quæri, cum ſine occupandi facto non obtingat; rurſus, ſi corpore & animo quæſitum eſt, non niſi eadem ratione ſervari, requiri igitur poſſeſſionem continuam, & hanc, ni etiam corporalis ſit, nullam eſſe, cenſeri autem corporalem poteſtate terræ, ſi mare proximum ſit, ſi exterum, navigatione perpetua vel ſtatione perpetuæ claſſis. His modis incumbendum eſt mari, animo nudo nihil hic poſſidetur, certe nihil, quod exteris, rurſus occupantibus, præjudicet.

Hinc velim colligi, maria ſive nunquam occupata, ſive occupata olim & poſt relicta vel animo ſolo, vel corpore ſolo, vel utroque, nunc denuo cedere occupanti, quemadmodum res plane nullius. De maribus ab his olim occupatis, quorum hodie vix nomen & memoria ſuperſunt, dubitari nequit, dabimus ſuo loco Gentium ea de re exempla, ab his autem, qui hodieque rerum potiuntur, difficilior eſt inſpectio. Sed vero, quantumvis nunc Gentes dari largiremur, quæ mare aliquod jure olim occuparant, injuria tamen hodie ſe illius dominos prædicare puto verum: cedo enim mihi nunc aliquod mare, quod domini animo poſſidetur, hoc eſt, perpetua detentione ſervatur? nullum, hercle, nullum eſt. Solam mentem & affectionem domini agnoſco, at incubationem corporalem exquiro, nec invenio. Quin vel illa perfecta poſſeſſio maris Mediterranei, quod olim Romanorum fuit, cum majeſtate Imperii remiſit. De Anglis Venetisque quid dicemus? illine mare ſuum poſſident? ubi vero eorum non interrupta detentio, ubi claſſes perpetuæ? non ſane in Britannico vel Adriatico. Sed de his aliisque, qui imperium Maris ſibi hodie adrogant, dicam *Capitibus* aliquot *proximis.* Interim hoc ſervemus, omne mare, quod in littorum vicinia non eſt, vacuum eſſe, utpote vel nunquam poſſeſſum vel poſſideri deſitum; me igitur, æque ac quemvis alium, ejus herum eſſe, ſi occupem, herum manere, ſi inſidere pergam.

Præterea ſcire refert, quid præſtet occupatio maris & poſſeſſio; id videlicet, ut mare occupatum poſſeſſumque tranſeat in dominium, in proprietatem occupantis poſſidentisque: adeo ut non ſecus de eo poſſit ſtatuere, ac quilibet ſolutus legibus Princeps de ditione aut paterfamilias de re ſua. Neque enim Hugoni Grotio *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 3. *n.* 13. concedendum eſt, ſine proprietate ſolum imperium acquiri in neſcio qua maris parte occupata, eoque referenda eſſe Antiquorum de dominio maris teſtimonia, nam ſi probetur, ut probabitur deinceps, nihil quicquam obſtare, quominus mare cenſeatur eſſe proprietatis capax, utique nihil etiam vetat, cur idem jus, quod occupatis rebus cæteris, mari quoque tribuamus. Imperium & proprietas in Civitate differunt ea ratione, quam expedivit Seneca *Lib.* VIII. *de Benefic. C.* 4 & 5. in mari non differunt, niſi eos, qui occupatum mare transmittunt, ſub imperio occupantis eſſe placeret contendere, quamvis ne hoc quidem ad ipſum mare. Si plures occupaſſent, hique unum, qui imperio emineret, electum iviſſent, mox proprietatem adgnoſcerem diſtinctam; nunc, quia nihil horum eſt fuitve unquam, unum eundemque & Principem maris renuncio & vere dominum; ſimulque ei hanc poteſtatem tribuo, qualem optimam maximam JCti ſolent adſcribere dominio. Itaque, ut quisque rei ſuæ liber eſt moderator & arbiter, ita dominus maris poterit id ipſum vendere, permutare, donare, in ſolutum dare, aliisve modis ex animi ſententia de eo ſtatuere. Quod tamen ita verum eſſe accipimus, ut is, qui jure ſuo ceſſit, ex regula vulgari non transferat plus juris, quam ipſe habet, hoc eſt, citra poſſeſſionem nullum.

Cauſam dominii maritimi ſequuntur & alii effectus, non æque quidem omnibus probati, ſed tamen ex definitione proprietatis neceſſarii. Animadvertas etiam eos, qui maris dominium conceſſerint, in aſſignandis ejus effectibus valde eſſe ſollicitos, & vel exiguos admittere vel nullos, quod factum non oportebat. Non eſt, cur dominium hic minus efficiat, quam in terra, aut terræ quavis parte; ac proinde dicimus, qui mare poſt juſtam occupationem detinet, poſſe etiam ejus navigatione aliis vel pure interdicere, vel ſub conditione. Pure, ut ſi quocunque modo jubeat eo abſtineri, piſcandi, transeundi, vel qua alia cauſa. Etenim tranſitum, quamvis inermem & innoxium, a domino recte prohiberi omnino eſt dicendum, licet rurſus contradicat ὁ Μέγας *de J. B. & P. Lib.* II. *C.* 3. *n.* 12. de terra marique illud ipſe negat, ſed nullo jure. Nemo, me invito, re mea recte utitur fruitur, alia eſt humanitatis, alia juris regula, aſt longum eſſet id argumentum digne perſequi. Sub conditione navigatio prohibebitur, quum maris uſus, cætera conceſſus, in hac vel illa ſpecie negetur, ut

ſi quis piſcari velit, ſi eo vel eo transmittere, ſi has illaſve merces portare, ſi non ſalutare, vel non eo, quo imperatum eſt, modo, ſi non vectigal ſolvere, & quæ ejus generis ſunt ſexcenta; hæc enim recte imperat, qui imperat mari, ſeu extero, ſeu proximo.

Quo jure, ut olim Byſantini Byſantino, ita barbaricis ſæculis freto, quo mare Balticum aditur, tributa impoſuerunt Danorum Reges, cum utrimque Selandiam & Scaniam poſſiderent. Illud autem amiſiſſe videbantur, poſtquam Suedorum Reges Scaniam habere cœperunt, ſi non iis id pactis cum Suedo conſervatum eſſet; nam ut olim totum Danorum erat, qui utrimque poſſidebant, & freto tantum non perfecte imperabant, ita dimidium Suedis ceſſurum videbatur, poſtquam totum alterum latus jure victoriæ occuparant. Sicuti enim urbe capta, etiam territorium ejus urbis victori cedit, ita & mare, quod jure terræ, ei mari aſſitæ, qui victus eſt, habebat. Sed hac in re, ut diximus, pactis eſt proſpectum. Cæterum mirum eſt, reſtituta forte Hiſpanorum potentia, ſi non hi eodem jure Gaditanum fretum ſubjiciant, primo quidem levi tributo (difficillimum alioquin ea res initium haberet) prætextu ſi non luminum, ſaltem tutandi mare Mediterraneum a piratis, qui ex vicina Africa excurrunt, deinde gravi & usque graviori. Et ſane in ultima Hiſpania & Africa (quippe utrimque poſſident) munimento aliquo exſtructo, additoque pauciſſimarum navium præſidio vectigal illud non nimis difficilem explicationem haberet, utilitatem vero immenſam.

Ut ſalutetur, & quo modo ſalutandum ſit, recte etiam diximus imperare, qui imperat maribus fretisque. Atque inde conſtat, Ordines Hollandiæ anno MDCLXX. 16. *Maji* optimo jure decreviſſe, in freto Baltici maris Regis Daniæ arcem *Kronenburg* ſalutandam, ut Danus Rex voluiſſet, dummodo ne Belgis, quam aliis inferatur iniquior conditio; quo ſpectat etiam, quod anno ſequenti ab fœderatis Belgis generaliter decretum & a nobis relatum eſt *Cap.* II. Neque igitur probandum, quod conſtituit Philippus II. Hiſpaniarum Rex in §. 23. *Tit.* I. LL. *nauticarum*, quas anno MDLXIII. *ult. Octobr.* Belgis dedit, cum primum apluſtre, quo Hiſpaniarum inſignia expreſſa ſunt, ſubmitti ſalutandi arces & urbes externorum Principum ergo vetuit. Neque ſimiliter probandum, quod claſſis Francicæ Præfecti anno MDCLXVIII. a Duce Florentino extorſerunt, ut arx Liburnenſis prior exploſis tormentis claſſem ſalutaret, in cæteris Italiæ locis idem factum dictitantes. hiſtoriam habet Aitzema, *Lib.* XLVIII. *p. m.* 754. Non oportet in mari, alterius Principis continenti proximo, leges dare, ſed accipere, quum ibi ſimus ſubditi, non ſecus ac in ejusdem territorio, ut ſatis oſtendimus C. II. Sed proficiſcuntur hæc a ſuperbia dominantium, quæ ſolet juſtitiam metiri armorum potentia &, ut Poëta ait,

Jura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis.

CAPUT V.

Oceanus Britannicus an Anglorum ſit, fueritve unquam?

Nullum mare hodie teneri dominio alicujus Principis ſupra diximus, & ex regulis dominii probavimus. Ex iisdem non erit difficile Anglos, Venetos & Januenſes, qui in primis hodie contradicunt, ſubmovere, & pro libertate vel, ut propius dicam, pro communione omnium nunc marium cauſam dicere. Anglorum partes multi egerunt, ſed primas Joannes Seldenus toto *Libro* II. *Maris Clauſi.* Is *Capite* I. ſe probaturum recipit dominium maris Britannici perpetua occupatione in ſua usque tempora obtinuiſſe, qui Britanniæ imperitarunt, ſive antiqui Britanni, ſive Romani, ſive Angloſaxones, ſive Dani, Normanni, & qui eos exceperunt, Reges. Hoc ſi præſtiterit, herbam dabimus, ſed non præſtitit; ſingulas ejus rationes, etiam ex Arabia petitas, refellere non conſtitui, at ea duntaxat ſuggerere, quæ ſubvertendis omnibus videri poſſunt idonea.

Largitur ille, & verum eſt, occupationem poſſeſſionemque maris, neque aliud, occupanti poſſidentique imperium tribuere ſive dominium, his enim vocibus hic utimur promiſcue. Ego vero non largior, has, quas recitat, ſubacti maris probationes in hanc rem ſufficere, utique ut credamus, Britannos ab eo tempore, cujus exſtat memoria, ad ætatem usque noſtram perpetuo fuiſſe dominos Oceani, quo de agitur. Non diſputem, quousque ille Oceanus quaquaverſum porrigatur, facile patior Seldenum de amplitudine Britannici certantem, modo ne vincat in eo, quod res eſt. Putat tamen de priſcis Britannis ſe id confeciſſe *Cap.* II. & III. quid autem ibi? docet eos navigaſſe mare ſuum, docet piſcatos fuiſſe, atque ita omnimodo habuiſſe maris uſum, ſine quo occupatio, ut neque poſſeſſio poſſunt intelligi. At vero ex ſolo maris uſu neutram recte colligi in præcedentibus abunde me dixiſſe recordor; ecquis enim non navigat & piſcatur ſine ulla imperii deſtinatione? vel, ut verius dicam, quotus eſt quisque, qui eo animo navigat & piſcatur? Iterum cum alicubi Solinus ait, *Britannos dentibus mari nantium belluarum inſigniviſſe enſium capulos*, quis, niſi partium ſtudio abreptus, ex eo maris imperium Britannis vindicet? deducit hoc Seldenus longis conſequentiis, ſed, ut conjicere eſt, ſic ſatis levibus; ceperint ipſi Britanni has belluas, trans mare usque & usque cucurrerint, animum occupantis poſſidentisque deſidero. Hunc ipſe elicit ex hiſce Julii Cæſaris *de Bello Gall. Lib.* IV. *C.* 5. *Neque temere præter mercatores ad illos adit quisquam, neque iis ipſis quicquam, præter oram maritimam atque eas regiones, quæ ſunt contra Galliam, notum eſt.* Seldenus tam cernit acutum, ut ex eo ſolo conſtare exiſtimet, Britannos mari ſuo ſubmoviſſe, certe prohibuiſſe, quicquid erat exterorum præter mercatores, neminem, iis invitis, adpuliſſe ad littus ſuum, quin vel eos, quos ex Gallia in Britanniam trajeciſſe prodidit antiquitas, tale quid non fuiſſe auſos, niſi impetrata a Regulis Britanniarum maritimis venia. Hæc, inquam, omnia ille ex Cæſare, quem tamen certum eſt non de interdicto maris uſu agere, ſed unice de non frequentata temere ab Gallis Britannia. Sic ultimam Thulen paucis aditam, nemini interdictam accepimus.

Longum eſſet, neque mihi decretum, per omnes ætates Populi Anglicani ſingulatim Seldeno occurrere. Navigaverint illi mare Britannicum ad hæc usque tempora, navigarunt id ipſum

ipſum Franci, Belgæ, Suedi, Dani, alii: ergo & hi ſunt domini maris Britannici? quidni, cum eorum eadem ſit occupatio, eadem poſſesſio? ſed Angli magiſtratus maritimos crearunt, Comitem littoris Saxonici per Brittanniam, deinde Præfectum maris ſive claſſium, imperarunt vectigalia, permiſerunt vel negarunt tranſitum piſcationemve, mari terminos poſuerunt, & quæ alia ſunt dominii maritimi argumenta. Denique acta publica Gentis, Scriptorum fides, Populorum teſtimonia illud maris imperium agnoſcunt. Nihil tamen hæc, ſi vel liquidiſſima ſint, quicquam proficiunt ſine occupatione perpetua; facile eſt claſſium Præfectos creare domi, vectigalia imperare, ſed ſuis, imo vel aliis ex formula Edicti; facile item Interdictis tralatitiis prohibere exteros mari, piſcationi, & ex tabella regere Oceani fines, ſed nunquid hæc jure fiant, una nobis lis eſt. Et negamus, ſi non adſit præſens ſubacti maris argumentum, animi corporiſque poſſeſſio: non quod opinor, qui Britanniæ imperarunt, non aliquando occupaſſe & animo ſibi habendi tenuiſſe mare Britannicum, at quod remiſſa posſeſſione mox remiſerit imperium. Romanos, cum Inſulæ potirentur, lubens adſentior aliquamdiu freti Britannici fuiſſe dominos, incubante ei claſſe Britannica, ſed cedo mihi alias Saxonum, Anglorum, Normannorum, Regumque Britanniæ inſequentium claſſes, quæ eo animo navigarunt & poſſeſſionem ejuſce maris ſunt tuitæ. Seldenus equidem ambitioſa eruditione hæc eorum imperia maritima extollit, ſed perſuaſus ſum, non aliud fere exemplum occupati & posſeſſi maris ab eo ſuppeditari, quam Edgari Regis, qui *omni æſtate, emenſa ſtatim Paſchali feſtivitate, naves per omnia littora coadunari præcipiebat*, & inſulam circumvectus mare explorabat, *ne quid piratæ turbarent, viriliter hoc agens ad defenſionem contra exteros regni ſui*, ut hæc ex monacho Malmesburienſe aliiſque narrat *Lib.* II. *C.* 10. Quicquid ad inſtar ejus protulit, ad continuam præſentemque maris poſſeſſionem non pertinet, ut nec forte illud Edgari exemplum, annua, bima, trima, ut ita dicam, mare inſidentis claſſe, quantumvis numeroſa. Perpetuo oportet poſſidere, cum intermiſſa alioquin poſſeſſione intermittatur quoque dominium. Quinimo ſi vel olim Angli poſſederint, cedo mihi hodie, ne verba perdam, vel claſſem, vel navim unam, quæ Populi Anglicani nomine mare Britannicum navigat, & tamen hoc agimus, ut mare hodie pronunciemus liberum & commune. Si nihil ejusmodi quæras vel invenias, & ſolius animi poſſeſſio heic ſit nulla, ſententiæ noſtræ ſua utique conſtat ratio.

Quod cum ſit, intelligimus Anglos in eo mari non habere aliquod jus præcipuum, niſi qua e terra poſſident; neque tantum non habere in Oceano Britannico, qualem nobis latiſſime oſtentat Seldenus, ſed nec in freto illo, quod Franciam Angliamque interluit. Utrimque nec poſſident, nec poſſederunt unquam, niſi cum olim bello Franciæ partem occuparant; ab uno latere Angliam habent, ab altero Franci & Belgæ perpetuo dominati ſunt, non minus quam Angli in Britannia. Sed etſi utrimque poſſediſſent, ne in freto quidem ipſo id jus haberent, niſi, ut olim Romani, claſſe id perpetua, aliave navium cuſtodia tenuiſſent, nam propter introitus & exitus latitudinem jure terræ utrimque poſſeſſæ mare hic dici nequit poſſideri. Attamen & ea ratione illius freti dominium Anglis ſuis arrogat Temple *Introduct. Hiſtor. Angl. p. m.* 220. a temporibus ſcilicet Guilielmi, qui *Conqueſtor* dicitur, & Normanniæ dux erat; ridicule, quum ſic vel tantundem Normanniæ, ac ita hodie Francorum Regi accederet. Sed poteſtas continentis non ultra extenditur, quam mare haberi poteſt ſubditum; abſque eo ſi eſſet, repente quis Hiſpaniarum Reges dicat eſſe dominos Oceani, qui Hiſpaniam intereſt & Americam, utrimque quippe poſſidentes; & vulgo etiam ajunt, hos ſibi Oceani imperium adſcribere, verum rectius id negabimus *Cap.* VII.

De re ipſa cum ſic ſatis, ut opinor, clareat, non eſt, cur Seldeno invideamus ſplendida teſtimonia, quibus ille ad tuendam Gentis ſuæ gloriam longe lateque ſuperbit; apparatum eruditionis agnoſco ingentem, vim probandi non æque. Non refutavero teſtimonia vel domeſtica, uti ſunt pleraque, vel etiam extranea, nam ut ut illa ſint, nolim dominium maris arceſſi ab errantium teſtimoniis. Scriptores, barbari præſertim ſæculi, quibus ille non ſemel utitur, in deſcriptione urbium, marium, locorum mire cæcutiiſſe videas. Geographus, neſcio quis, Arabs apud Seldenum *Lib.* II. *C.* 1. *Maris cl.* commemorat *mare Anglorum*, ello; ſed idem *eod. loc* ita infit: *a Toleto ad S. Jacobum, quod ſitum eſt ſuper mare Anglorum, novem ſtationes* &c. mox locum, ubi ſita eſt S. Jacobi urbs, appellat *promontorium maris Anglorum*, locata ſic urbe, quam Hiſpaniæ eſſe conſtat, ad mare, ut ipſe vocat, Anglorum. In ipſo Zoſimo licet hujusmodi plura deprehendere. *Libro* III. *Pariſios* dicit *Germaniæ oppidulum* & *Bononiam inferioris Germaniæ civitatem. Lib. eod.* ait *Rhenum in Oceanum Atlanticum effluere.* Non placet tricari de appellatione Oceani Atlantici, cum ſciam, Veteres hunc vel eo usque exporrexiſſe; ſed *Rhenum* dicit, & vel *Scaldim* intelligit, vel *Moſam*, quemadmodum obſervat Eyndius noſter in *Chron. Zeland. Lib.* I *C.* 5. adductis auctorum locis, quos Rheni appellatione ſimiliter abuſos probat; hæc & id genus alia peperit Geographiæ ignorantia & locorum, in quibus vivebatur, grande ſæpe intervallum ab his, de quibus habendus erat ſermo. Deinde vel vera nomina, maribus impoſita, dominium non tribuere plusquam manifeſtum eſt: etenim non aliunde fere hæc ſortiuntur, quam a vicinis, quas alluunt, Gentibus, & hinc bina quandoque a binis populis, utrimque accolis, non dominis. Ipſum Oceanum Britannicum aliquando *Gallicum*, & *fretum Gallicum* dici ſcio aliis obſervatum, nihil tamen inde juris eſſe Galliarum Regi haud difficulter Angli fatebuntur.

Plus momenti adferre videntur Gentium teſtimonia, quæ illud Anglorum imperium agnovere. De confeſſionibus loquor, non injuria extortis, ſed liberis & ſponte factis, eſſe autem hujusmodi quorundam confeſſiones neutiquam negari poterit. At ſi, cum poſſiderent Angli, imperium ſit agnitum, nihil, cum non poſſideant, agnitum videbitur, ſiquidem id quisque præſumitur cogitaſſe, quod juris eſt, atque a deo id, quod modo enarravimus. Aliud eſt, ſi his non poſſidentibus agnitum vel pactis conventis id palam fuerit actum, tunc enim, non ſecus ac ipſius Angliæ ſubditi, intelliguntur renunciaſſe juri, quod naturaliter habebant, admiſſo, quod in Civitate eſt, dominio ſecundum ea, quæ *Cap.* I. acta probata ſunt, ſed id agnoſcentibus præjudicat, & agnoſcentibus duntaxat ex Juris regula, quæ rem inter alios actam aliis nec prodeſſe, nec nocere ſæpe definivit. Oportet autem, ut illa agnitio dominii mariti-

mi ſit aperta, nec eliciatur per conſequentias, quales non ſemel leviſſimas nobis obtrudit Seldenus. Satis tamen videtur aperta, ſi quis paciſcatur, ne ſibi, altero inconſulto vel invito, liceat tot naves exſtruere, ea magnitudine, ultra hunc illumve terminum navigare, ut ſunt nonnulla fœdera, quæ nobis antiquitas ſervavit & refert Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 3. *n.* 15. & toties laudatus *Maris clauſi* auctor *Lib.* I. *C.* 11. ita namque paciſcimur, ita diſerte profitemur, maritimo aliorum imperio accurate nos fore ſubditos.

Videant igitur Franci, qui ſe tueantur adverſus Britannos, ſi, quod ipſi ajunt, etiam a Britannis placuerit petendum, quantum navium liceret exſtruere. Eandem quidem hi ſervitutem fœderatis Belgis, cum de pace componenda anno MDCLIII. Londini inter Anglicæ & noſtræ Reipublicæ Proceres ageretur, imponere conati ſunt, ſed nequicquam. Ut tamen regiis Britannorum navibus, tanquam Principi, reverentia haberetur, obtinuerunt in Pacis pactionibus, quæ illis nobiſcum interceſſerunt anno MDCLIV. MDCLXII. MDCLXVII. & MDCLXXIV. & in §. 4. Pacis inter Carolum II. Angliæ Regem & Ordines fœderati Belgii illo anno MDCLXXIV. 19. *Febr.* factæ expreſſum eſt, Ordines agnoſcere, jus eſſe regiis Anglorum navibus, ut iis Ordinum etiam totæ claſſes ſummum apluſtre & ſupparum ſubmittant in omni iſto mari, quod Septemtriones & promontorium, quod *Finis terræ* dicitur, interjacet. Sed quod ita accipiendum eſt, ut omnes pactiones, quas, ut bello abſtineatur, paciſcimur, nempe Anglis id competere, quia in id convenit, per ſe enim nihil in eo mari habent præcipuum. Porro & ita hoc accipi velim, ut ne credamus Belgas eo ipſo Anglis conceſſiſſe illius maris dominium, nam aliud eſt ſe ſubditum profiteri, aliud majeſtatem alicujus Populi comiter conſervare, ut hæc explicat Proculus in *l.* 7. *ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* ſit hoc, ut intelligamus, alterum Populum ſuperiorem eſſe, non ut intelligamus, alterum non eſſe liberum. Valent quidem & valuerunt diu navibus Batavi, ſed tamen eorum claſſes Anglicis inferiores ſunt. Quin ſi nec eſſent, ita nihilominus moribus Gentium obtinet, ut Reſpublicæ Regnis aſſurgant, & qui invicem repræſentant, eodem jure utantur. Quare hoc dedimus Anglis in illo mari, quod ſine macula nominis Belgici forte dari poſſet in quibuſcunque aliis, nec tantum Anglis, ſed vel Francis, quos potentia navali præſtamus, utique olim præſtitimus, nam multum poteſtatis, ſub hoc præſertim Rege, in mari habere cœperunt. Itaque, ut finiam, Anglorum majeſtatem terra marique comiter obſervamus, ſed negamus ex eo, quod mari obſervemus, adverſus nos recte illius imperium jactare, & vel generaliter de dominio Britannici recte ſibi blandiri, & præterea magis negamus, quod tertio quoque verbo inculcat Seldenus, imperium Inſulæ comitari ac perpetuo comitatum fuiſſe imperium maris; aſt jam nimis etiam diu de ſolis Anglis exſpatiati ſumus.

CAPUT VI.

Mare Adriaticum an Venetorum ſit vel fuerit unquam? an mare Liguſticum Genuenſium? an quid Franciæ juris in mare Mediterraneum?

Civitas Venetiarum vel maxime ſibi vindicat maris Adriatici imperium. Vindicare negat Graswinkel in *Vindiciis maris liberi* Burgo oppoſitis; ſed quid hominem laudo, quem, multa licet effutiverit in eo genere argumenti, quod tractamus, adverſus Seldenum, Burgum, Welwodum, illaudatum tamen transmittere conſtitueram, tam ipſe, ut omnia, neſcit, tam paraſitum agit. Quid igitur ajat vel neget, perinde eſt; ſat ſcio, vos ipſos, illuſtriſſimi Veneti, non negaturos, quod animo ſemper toto feciſtis teſtatum. Nemo veſtrum eſt, qui non improbo iracundior Adria ſit diſceſſurus, ſi vel nullum vel alium ejus arbitrum putemus; & quamvis Viri docti vobis applaudant libris ſingularibus, ut applauſit Joannes Palatius *de Dominio maris*, quamvis applaudant Commentariis & Conſiliis, liceat tamen mihi pace veſtra ab his vobiſque diſſentire. Auctoritatibus nolim pugnare, rationes deſidero; & video, qui vos optime defendunt, eas ita inire: Venetos maris Adriatici dominium, etſi id imperio ubique ſuo non ambiant, recte ſibi adſerere, dummodo modicum quid ad littus vicinis Principibus relinquatur, neminem alium id mare occupaſſe, nec quemquam juxta poſſidere, qui mare frequentat adeo; Venetos id jam per ſæcula aliquot poſſediſſe neque vi, neque clam, neque precario; lapſo Imperio Romano quaſi in vacuam poſſeſſionem veniſſe, ac perpetuo quaſi tenuiſſe vicinis videntibus, & invidentibus nonnunquam inſulis, caſtellis, regibus, claſſibus; præſcriptione igitur, ne quid aliud dicatur, undiquaque tutos eſſe; de poſſeſſione conſtare ex condita Venetiarum urbe in ipſo, quo de agimus, mari Adriatico, ex decantata illius deſponſatione annua, ex continua navigatione, ex præliis & victoriis navalibus, quibus hoſtes ſuos mari toto non ſummovere tantum, ſed ipſam aliquando Rhodum, illam olim maris dominam, ſubegere. Et dubitamus adhuc?

Repetenda & conſtituenda res eſt ex principiis de origine dominii. Quouſque poſſident, eo uſque imperant ſine dubio; ſed fac, eos aliquando occupaſſe mare, qua patet, Adriaticum, fac & aliquo tempore poſſediſſe, attamen verum eſt, nunc non poſſidere niſi has maris partes, quibus ex continenti imperant. Qualis poſſeſſio intelligenda ſit, ſatis, credo, *Cap.* III. evicimus; non igitur ſufficit ea, quæ dicis cauſa fit, non mare quotannis deſponſare, ſed quotidie ei incumbere oportet. Incumbimus equidem, ubi claſſes noſtræ, aliis jure fugatis, animo domini navigant, ſed has ubi domum revocavimus, deſinimus poſſidere, & cum poſſeſſione amittimus dominium & quotquot ſunt dominii compendia. Aliud dicendum eſſet, ſi vel quævis navis, navicula, ſcapha, cymba ad tuendam poſſeſſionem maris vela dare atque iterare curſus pergat relictos, ſic enim nec mari, nec dominio excedimus. Non tamen quævis navigatio in hanc rem idonea eſt, ſed inſtituta eo animo, ut quæſitum dominium ſervetur, quemadmodum *eod. Cap.* III. ſumus exſequuti: alioquin nulla dies abit, qua non Veneti naves conſcendant, & mare Adriaticum, ſed alio animo, frequentant; hic quo mores hominum multorum noſcat & urbes, ille indocilis pauperiem pati quo ſe exhibeat, tertius denique, quo merces devehat, advehat una lucelli cauſa.

Ne-

Negotiatio maritima multa multis impertit, inquit Cicero *de Offic. Lib.* I. & ſane non uno nomine habet ea res panem, habet dapes, ſed qui ita navigant, ut fere ſunt omnes, de imperio maris parum ſunt ſolliciti, ad quæſtus uberrimos unice animum adpellentes. Nec mihi compertum eſt Venetos alia fine navigare, utique non memini relatum, perpetuam eos maris ſui cuſtodiam adhibere vel adhibuiſſe unquam, nam victoriæ navales, de quibus ſumus locuti, non pertinent niſi ad ſolam occupationem, & ne id quidem, niſi bello juſto mari potiamur; vi enim injuſta ſi alios expellamus, non maris dicendi ſumus domini, ſed piratæ.

Scio Julium Pacium *de Dominio maris Hadriatici* aliosque, qui & ex profeſſo & aliud agentes pro maritimo Venetorum imperio verba faciunt, præſcriptionem longi temporis advocare, eique fulcro large inniti. Sed Hugo Grotius, & Vasquius Grotio repræſentatus *Cap.* VII. *Maris liberi*, docuerunt, longa poſſeſſione non quæri marium dominia. Et quî poteſt modus acquirendi, qui duntaxat eſt a Jure Civili, diverſos Principes obligare? utitur etiam ea ratione Grotius, ſed bene eſt, quod parcius, quia id ipſum rurſus conceſſit *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 4. & ita nunc vulgo placet, ſi adſint, quas ille perſequitur, tacitæ conceſſiones, indicia, præſumtiones aliaque adminicula, per quæ ipſa magis, quam per longi temporis capionem extraneos excludi jus fasque eſſet. At vero, per me licet, excute quicquid eſt earum præſumtionum, & ſi quid conjecturis dandum, reperies Gentium animos adverſus præſcriptionem maris omnimodo militare & nihil reliqui facere, quominus voluntatem ſuam enixe declarent: teſtantur id acta Populorum publica, teſtatur quotidie ſuo quisque exemplo, dum, quod alius mare in dominium ſuum transſcribit, alius eo vel invito ingrediatur & alterius poſſeſſionem, ſi quam prætendat, continua navigatione turbet. Quod non eo dictum velim, ut, ſi juſta ſit poſſeſſio, jure turbatum exiſtimem; ſed quo probem aliena hinc eſſe indicia, præſumtiones, conjecturas, quibus placuit præſcriptionem dari inter diſtincta invicem Imperia. Quinimo ſi ex edicto Prætoris hæc finienda eſſent, tantum abeſt ex noſtra ſententia, ut alicui Principi poſſeſſionem maris continuam, & quæ ad præſcriptionem ſatis eſt, largiamur, uti contra a nobis dictum & doctum ſit, ne quidem hodie quemquam mare aliquod videri poſſidere, multo autem minus poſſediſſe eo tempore, cujus non exſtaret memoria: & tamen poſſeſſionem, longævam adeo, illi ipſi deſiderant, qui hoc iniquitatis præſidio potentioribus adulantur. Cæterum ne plura addam, Grotius & Vasquius in cauſa ſunt, namque hi maris uſucapionem ſubmoverunt eis rationibus, quas meas facere non dubitem, ſi demas, quæ ipſi ajunt de natura maris præſcriptioni adverſa, utpote re communi ex legibus Naturæ & Gentium, & quæ nec in bonis eſſe poſſet, nec poſſideri, nec quaſi poſſideri, nec alienari, & cætera, de quibus nonnihil dicam *Cap. ult.*

De Genuenſibus eadem fere dicta ſunto, cum pro eorum cauſa eadem fere dixerit Petrus Baptiſta Burgus libro *de Dominio Sereniſſimæ Genuenſis Reipublicæ in mari Liguſtico.* Quam præclare, etiam contra ipſos Venetos, rem geſſerint pro imperio maris, loquuntur annales; ſed mare Liguſticum, quod *ſuum* appellant, ac ſi libra eſſent mercati & ære, poſſideant, nec ne, videndum eſt. Et ſane poſſidere videntur, ſi verum eſt, quod rerum Genuenſium Scriptores narrant, ad tutelam maris Liguſtici habere eos claſſem triremium perpetuam, qua Barbaros ex Africa, & quos placet, alios arceant, ſeque ſuasque inſulas tueantur, re ſic comparata ad exemplum Romanorum in toto Mediterraneo. Bonum factum! & niſi remiſerit illa gnavitas & ſtudium poſſidendi, fere eſt, ut Januenſes maris Liguſtici renunciem dominos, & mutem ſententiam, qua nullum hodie mare imperio teneri dixeram. Sed illa triremium ſtatio ubi & an ſemper excubet, refert plurimum, nam ſi in actis & portubus ea ſervetur minus inſtructa, vereor, ut remiſerit poſſidendi accuratio. Atque ita ſe nunc rem habere idoneis auctoribus intellexi; habent triremes, ſed domi, non in Liguſtico, cætera eas non armant, niſi e re publica eſſe videatur mare a vicinis Afris purgare, vel ſi quid his eſt ſimile. Sed nec aliter Veneti inſtituunt, nec Pontifex maximus, infeſtantibus mare piratis; neque tamen propterea velim maris audire dominos; non qualiscunque navigatio ad poſſeſſionem ſufficit, nec qualiscunque poſſeſſio ad dominium; hæc cur non ſufficiat, ſatis & ſuper ex præcedentibus intellectum eſt.

Cum vero ultra poteſtatem terræ maris imperium non extendatur, niſi occupatio & poſſeſſio accedat, facile dabitur, injuria Francorum Regem imperium ſibi arrogare in mari Mediterraneo, quo de anno MDCLVII inter Ludovicum XIV. nunc Franciæ Regem, & fœderati Belgii Ordines aliquid actum eſt; ille ſuum eſſe id mare, horum legatus commune omnium adſerebat. Sed conſtat, tantulum terræ, quantum ad mare Mediterraneum Franci poſſident, minime ei rei ſufficere, neque tantum navium eſſe, quantum ei mari occupando & poſſidendo eſt ſatis, neque, ſi eſſet, profuturum in præjudicium aliorum, qui etiam latiſſime ad id mare poſſident, & ejus ex terra pro parte domini ſunt.

CAPUT VII.

An qua maria pareant Belgis fœderatis? in vaſto Oceano nihil cuiquam eſſe juris, niſi propter continentem.

Non ſum, qui mentiar in gratiam Gentis meæ. Diu eſt, ex quo Belgæ gloria navali præſtiterunt, ſed mare exterum poſſidere, vel animo domini poſſediſſe unquam, non memini me legere. Quin tantum illis modeſtiæ eſt, ut uſu maris & fructu contenti, nec dominium ſibi adſciscant, nec aliis invideant, qui ſola nominum ſuperbia delectantur. Maribus tamen fretisque proximis ſemper imperarunt; adque hunc modum Belgii olim Principes mari, quod vulgo *Auſtrale* vocamus, dominati videntur, utpote quod circumjecto undiquaque in inſulis & continente imperio complectebantur. Quam in rem notari poteſt Philippi Burgundi privilegium, quo anno MCCCCLII. 16. *Maji* Amſterdammenſibus conceſſit aliquam pecuniam exigere ab his, qui per id mare adveniunt, Phari, luminum & indiciorum nomine, quæ Amſterdammenſes in eo mari habebant: quod deinde iis, quia contra Philippum II. Hiſpaniarum Regem arma capere nolebant, ademptum,

Enchuſanis ſuo & Philippi nomine Orangius Dynaſta anno MIↃLXXIII. 9. *Febr.* dedit; quo de deinceps multum turbarum factum eſt. At cum poſtea excuſſo Regis Hiſpaniarum imperio Friſii, qui ab altero latere ejus maris dominantur, ipſi imperare cœpiſſent, quæſitum eſt, an & ipſi in eam pecuniam tenerentur, & quum in arbitros compromiſſum eſſet, anno MIↃCI. 4. *Septembr.* abſoluti ſunt, niſi merces ſuas in Hollandiam vendendas adferrent. Notandum & Maximiliani, Cæſaris Germanici, quod ut tutor Philippi Auſtrii anno MCCCCXCII. 20. *Decembr.* Enchuſanis dedit, privilegium, quo iis per milliare quadratum in mari territorium datum eſt, conceſſa eo usque juris dicendi facultate, quemadmodum in ipſa urbe Enchuſana. Rectius, ni fallor, quam Cæpolla, qui in toto Adria Venetis idem jus tribuit, quod in Civitate Venetiarum, libro de *Servit. præd. ruſt. Cap.* XXVI. ſed de eo dictum eſt ſatis *Cap. proximo.*

Equidem proprie vis terræ dominium maris proximi definit, ſed quia alia alia fortior eſt & latior, ἐν πλάτει & cum amplitudine aliqua illud acceptum conſtat. Sic utique accepit Maximilianus, ſic & Auguſtus, cum Civitati Tarſenſi ſimpliciter dedit ἐξουσίαν τοῦ ποταμοῦ καὶ τῆς θαλάσσης τῆς κατ᾽ αὐτὴν, ut Dion refert Chryſoſtomus *Orat.* XXXIV. Nec aliter intelligo, quod ait §. 4. *Tit.* I. *Conſuetud. Middelburg.* eſſe videlicet Ballivii aquarum (qui dicitur) jurisdictionem ad usque ultimos Flandriæ fines. Atque ea latitudo videtur placuiſſe ad expediendas argutias tricasque, quæ de continentis imperio moveri poterant, ſed aut fallor, aut magis ita res involvitur: quod enim alias ſic ſatis eſt certum, ſi hujusmodi laxamentis indulgeas, protinus redditur incertiſſimum.

De maribus Mediterraneis hactenus loquuti ſumus; liceat aliquid addere de vaſto Oceano. Hunc non occupari, certe poſſideri non poſſe res eſt oppido manifeſta: omnes quippe omnium Principum naves ei poſſidendo vix ac ne vix quidem ſuffecerint. Quin vel mare Atlanticum, magni Oceani exiguam partem, nemo hodie Princeps claſſibus ſuis recte cuſtodiverit. Quare nihil juris proprii in eo quisquam vindicare poteſt; vindicat tamen cum alias Oceani partes, tum Atlanticum Luſitana Gens, ut ſcire licet ex iis, quæ dedit Seldenus *Lib.* I. *Maris cl. Cap.* 17. Et de Hiſpanis vulgo fertur, Oceani imperium ſibi adſcribere. Sane Hugo Grotius *Annal. Lib.* XVI *p. m.* 733. Heemskerkium, Belgarum architalaſſum, loquentem inducit, ac ſi Oceani imperium in Regum ſuorum titulis Hiſpani jactarent, & Seldenus *d. Cap.* 17. eo refert, quod inter titulos Caroli Imp. V. legitur, *Koning van Caſtille, van Leon, van Grenade. . . . van de eylanden en vaſte landen, van de Zee Oceaan* &c. ſed perperam, cum illud *van de Zee Oceaan* pertineat ad præcedentia, atque ſi ſcriptum eſſet, ut in Regum inſequentium titulis ſcriptum eſt aliquando, *van de eylanden en vaſte landen der Zee Oceaan.* Prava eſt aliorum interpunctio, ut intelligimus ex Hiſpanicis, quæ vulgo occurrunt: *Rey de las Islas, y terra firma del mar Oceano.* quin & in lingua, Belgarum vernacula, illud *van de Zee Oceaan* aliquoties non interpunctum vidi. Arguunt hæc, arguit & ſatis Vasquius *Controv. illuſtr.* II. 89. §. 30. Hiſpaniarum Reges maris titulo abſtinuiſſe, & Seldenus poſtmodum in id pronior fuit. Heemskerkii oratio apud Grotium exaggerandæ eſt Hiſpanorum ſuperbiæ, & quum id fieri ſoleat in procinctu, nihil inde probatur.

Sed qualiacunque hæc ſint, nihil quicquam ad nos, qui unice diſputamus, Oceanum in nullius dominium tranſſcribi poſſe, id enim cum nequeat præſtare poſſeſſio, nihil præſtiterit. Et quidem univerſum poſſidere non poſſumus, partem poſſumus, at quis ejus rei periculum fecit? Romani forte Britannico, ſed hos præter nemo, ex quo Oceanus geminos interluit orbes. Loquor autem de Oceano, qui terris Principum vicinus ſubditusque non eſt, ubi non niſi pontus & æther, neque illud, quod in proximum mare competit, imperium. Hunc, inquam, Oceanum nemo unus poſſedit unquam; nec, ut poſſidere intelligantur, Caſtellanis quicquam prodeſt hic Hiſpania, illic America: tunc demum poſſeſſio utrimque mare ſubigit, cum ita utrimque poſſidetur, ut a terra in poteſtate contineri videatur poſſe, ſicuti in anguſtis fretis accidit, & de Baltici maris freto dictum eſt, ut & de Byſantino & Herculeo, quorum poteſtate Romani dominabantur & Herculeo, quorum poteſtate Romani circumfuſo ubique imperio ambiebant, &, ne quid deeſſet, claſſium frequentia poſſidebant, & potentia tutabantur. Quare nec ultra columnas Herculis his ipſis Romanis quicquam juris erat, hoc eſt, nullum in Oceano imperium: unde de Romanis rerum dominis, ſeu, qui hos repræſentabat, Cæſare Julio non Virgilius, non Jupiter aliquis, ſed oraculum juris pronunciaſſe videtur: *Lib.* I. *Æneid. vſ.* 291.

Imperium Oceano, Famam qui terminat aſtris.

Et in eandem ſententiam Marcus Acilius Glabrio ad milites apud Livium *Lib.* XXXVI. *C.* 17. *Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare rubrum Oceano fines terminemus?* utrobique Oceanus, quem ita per eminentiam dicimus, imperio excluditur. Certum equidem eſt apud auctores rei Romanæ Oceanum non ſemel ſubditum proponi, at fere de Oceano Britannico, ſive freto illo, quod Gallias & Britannias intereſt, verba fieri colligas ex locis, quos congeſſit Seldenus *Lib.* II. *Maris cl. C.* 4. Quin ſi quod Poetæ vel Oratoris, aliter ſentientis, teſtimonium adduci poſſet, non id probaret ſine probata ipſius Oceani poſſeſſione.

Hæc autem poſſeſſio cum nullius unquam Gentis fuerit, hodieve ſit, ſatis eſt apertum, Oceanum nulli paruiſſe vel hodie parere domino, niſi his ſui particulis, quæ orbem terrarum proxime adluunt, & propter continentem in dominio ſunt. Atque ea ratione nulla fere Gens eſt, quæ non tantillum poſſidet, nam ex ſententia Dionyſii Afri, eaque vera,

——— Ὠκεανὸς περιδέδρομε γαῖαν ἅπασαν.

reliqua nec poſſidetur, nec habetur dominio. Suaves ſunt, qui contradicunt, Luſitani, & ſuavis, qui his contradixit, Hugo Grotius in *Mari libero*; illi quia ſtrenue ineptiunt, hic ineptientes dum refellit, qui ad omne ſimpliciter mare transfert, quod duntaxat de Oceano dicere oportuerat & dixiſſe ſuffecerat. Non eſt opus longo molimine. Quum ajo Oceanum Septentrionalem, Atlanticum, Æthiopicum, Indicum, exque his nullum a Luſitanis poſſideri, ſatis ajo, libera eſſe maria, queis Belgæ eunt ad Indiam Eoam. Et vero conſtat, posſeſſionem ab illis ne quidem per mendacium obtendi, nedum ut poſſideant, ſimulque conſtat, ſi ſubſiſtant, quæ ſubſiſtere diſputavimus, ex eo ſolo recte defendi libertatem quaquavorſum in Oceano navigandi ad Indos, & tuto nos carere Grotii rationibus, prolixe aliunde quæſitis, nec, ut videtur, usquequaque veris; cur ita videatur, dicet *Cap. ult.*

Ex-

Explicitum eſt, qui hodie ſibi maris dominium adſcribant, & quam jure nullo. Sunt & alii, qui de eo gloriantur, ſed Aſiæ tumores vel minorum in Europa Gentium faſtus compeſcere non eſt tanti; abunde etiam iis refutandis eſt dictum. Nihil addo, quam ſententiæ noſtræ hanc conjectionem: Oceanus, qua patet, totus imperio ſubjici non poteſt, pars poteſt, poſſunt & maria mediterranea, quotquot ſunt, omnia. Nullum tamen mare mediterraneum, neque ulla pars Oceani ditione alicujus Principis teneatur, niſi qua in continentis ſit imperio. Pronunciamus MARE LIBERUM, quod non poſſidetur vel univerſum poſſideri nequit, CLAUSUM, quod poſt juſtam occupationem navi una pluribusve olim poſſeſſum fuit, &, ſi eſt in fatis, poſſidebitur poſthac, nullum equidem nunc agnoſcimus ſubditum, cum non ſufficiat id affectaſſe, quin vel aliquando occupaſſe & poſſediſſe, niſi etiamnum duret poſſeſſio, quæ Gentium hodie eſt nullibi; ita libertatem & imperium, quæ haut facile miſcentur, una heic ſede locamus.

CAPUT VIII.

Teſtimonia, quibus maris imperium adſirmatur. De gentibus, quæ maris potitæ ſunt.

Tantum opinio præjudicata poteſt, ut etiam ſine ratione valeat ejus auctoritas: ſic olim fuit, & ſic etiam nunc vivitur; perperam tamen, ſi rem cernimus. Sunt loca Auctorum, Poëtarum quoque, ne quid deeſſe videatur, qui ſimpliciter vel ajunt vel negant, mare dominio ſubjici poſſe: his illiſve nihil fere tribuo, quamvis ab antiquitate commendentur. Auctoritatem non defugio, ſi rationes expediantur, abſque iis enim nihil quicquam facile movebit; qui aliter in animum inducit, ingenio ſuo utatur. Exiſtimen autem, ſatis nos expediviſſe rationes, quibus id, quod agimus, queat obtineri: ſin tamen præterea ſcire attinet, ubi Principibus, interque eos Romanis, imperium maris adſcribatur, ea loca, ex Jurisprudentia etiam Hebraica, ſedulo collegit Joannes Seldenus toto opere *de Mari clauſo*, Petrus Baptiſta Burgus *de Dominio Genuenſium in mari Liguſtico*, Hugo Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 3. *n.* 13. & in *addit. ibidem.* Jacobus Gothofredus ad *l.* 9. *ff. de L. Rhod. de jact. Cap.* XII. queis ſi delecteris, addere potes Philonem Judæum variis locis in libro *de Legatione ad Cajum p. m* 829. 834. & 845. Herodianum *Lib.* II. *C.* 36. *in Oratione Severi*: Τὴν δὲ γῆς καὶ θαλάττης τοσαύτην ἀρχὴν ἀποσαρθρός τις αἰσχρῶς, *tale autem terræ marisque imperium* (Romanum intelligit) *turpiter quis auctionatus &c.* iterum *eod. Lib. C.* 38. . . ἐν ὅπλοις Ἰταλιῶται πάντες ἦσαν, καὶ γῆν καὶ θάλατταν ἐκτήσαντο, *in armis erant omnes Itali, terramque & mare obtinebant*; ſtatim iis & tribuit πᾶν κλίμα οὐρανοῦ, *omnes cæli tractus*, quo ita nihil ſit exceptum. Polybius quoque maris imperium aliquoties commemorat *Lib.* I. *Cap.* 3. 7. 16. 20. 25. & 39. non vacat loca deſcribere, ut neque, quod in hanc ſententiam habet Erinna Lesbia apud Stobæum Λόγ. περὶ Ἀνδρείας; ſed ſuaviſſimum eſt de Romanis Alphæi Mitylinæi epigramma *Lib.* I. Ἀνθολογ. *Cap.* 5. *n.* 19.

> Κλεῖε θεὸς μεγάλοιο πύλας ἀκμῆτας Ὀλύμπου,
> Φρούρει Ζεῦ ζαθέαν αἰθέρος ἀκρόπολιν:
> Ἤδη γὰρ καὶ πόντος ὑπέζευκται δορὶ Ῥώμης
> Καὶ χθών. οὐρανίη δ' οἶμος ἔτ' ἐστ' ἄβατος.

Geminum eſt Alcæi Meſſenii de Philippo *ibid. n.* 17.

> Μακύνου τείχη, Ζεῦ Ὀλύμπιε ῥέξε Φίλιππος
> Ἀμβατά, χαλκείας κλεῖε πύλας μακάρων,
> Καὶ γὰρ χθὼν καὶ πόντος ὑπὸ σκήπτροισι Φιλίππου
> Δέδμηνται, λοιπὰ δ' ἁ πρὸς Ὄλυμπον ὁδός.

Oratione verſa peſſime utrumque tranſtulit Florens Chriſtianus, primum ita verti poteſt:

> *Claude, Deus, magni portas ſublimis Olympi,*
> *Cuſtodi cælum, Jupiter, ipſe tuum:*
> *Namque mare & tellus Romano ducta triumpho,*
> *Nunc ſupereſt cæli Regia ſola tui.*

alterum ſic verto:

> *Macyni muros potuit ſuperare Philippus,*
> *Claude fores cæli nunc, Deus alme, tui:*
> *Ecce mare & terræ ſceptro ſubjecta Philippi,*
> *Ad tua jam tantum ſydera reſtat iter.*

Vide & aliud de Philippo *ibid. num. ult.*

> Κοίρανος Εὐρώπας, ὁ καὶ εἰν ἁλὶ καὶ κατὰ χέρσον,
> Τόσσον ἄναξ θνατῶν, Ζεὺς ὅσον ἀθανάτων. &c.
> *Qui regit Europam, terris dominator & undis,*
> *Non ſecus ac cælo Jupiter, imperitat.* &c.

Sed ne a Romanis abeamus, eos fuiſſe *undarum terræque potentes*, ut Domitianum Stat. Papinius *Theb. Lib.* I. *verſ.* 31. alloquitur, paſſim Scriptorum locis conſignatum eſt. Hinc Lucanus *Pharſ. Lib.* I. *verſ.* 110.

> *Quæ mare, quæ terras, quæ totum poſſidet Orbem,*
> *Non cepit fortuna duos* ——— ———

Hinc Claudianus *de* III. *Conſulatu* Honorii:

> *Te tuus Oceanus natali gurgite laſſum*
> *Excipit, & notis Hiſpania proluit undis.*

& mox:

> *Unanimi Fratres, quorum mare terraque fatis*
> *Debentur* ——— ——— ——— ———

Hinc etiam Inſcriptio Thyatirena, quam Georgius Wheler, doctiſſimus Anglus, dedit in *Græciæ Itinerario P.* I. *Lib.* III. *p. m.* 213, Imperatorem Romanum appellat Δεσπότην γῆς καὶ θαλάσσης; habet autem ſe ita;

> ΤΟΝ ΤΗΣ ΚΑΙ ΘΑ
> ΛΑΣΣΗΣ ΔΕΣΠΟΤΗΝ
> ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΑΥΡ. ΣΕΟΥΕΡΟΝ.
> ΑΝΤΟΝΕΙΝΟΝ ΠΑΡΘ. ΜΕ. ΒΠΙΤ. Μ.
> ΤΕΡΜ. ΜΕ. ΜΗΤΕΡΑ ΡΑΤΡΙΔΟΣ
> ΕΑΥ ΤΟΥ ΚΑΙ ΤΗ ——
> ΠΟΔΕΟΣ ΕΥΕΡ ——
> ΑΡΙΤΝΩΤΟΣ ΤΟ
> ΤΡΙΤΟΝ ΧΕΙΑΙ ——
> ΟΙΕΡΕΥΣ ΤΟΥ Θ ——
> ΚΑΙ ΝΕΩΚΟΡΟ ——
> ΤΟΥ ΣΕΒ
> ΚΑΙ ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ Σ ——
> ΒΑΣ ΤΟΥ ΑΡΧΗΣ Α

Inſcriptionem, quamvis mutilam, repræſentare placuit, cum quia pro ΤΗΣ, ut nunc a principio legitur, vel typi vel marmoris vitio, legendum ΓΗΣ, tum quia ille γῆς καὶ θαλάσσης δεσπότης Antoninus eſt, ut Antoninus erat, qui ſe τοῦ κόσμου κύριον eſſe profitebatur in *lege*, quam explicavimus, IX. *ff. de lege Rhod. de jact.*

Haud difficile eſſet adhuc alia adferre pro imperio maris, etiam magis proba, quam ſunt nonnulla Seldeni, at cui bono, dicat Caſſius? habet & mare liberum, quibus ſe tueatur, auctorita-

ritates, diverſas diverſis denunciavit Grotius; ſed ſeu numeremus ſententias; ſeu ponderemus, ſemper illi vincent, qui maris dominium agnoſcunt. Non quod opiner, ea maria continuo ſubdita fuiſſe, de quibus, ut ſubditis, recitantur tiſtimonia, ſed quod, Oceanum ſi excipias, ſubjici potuerint; ſubdita vero fuerint, nec ne, occupationis & poſſeſſionis cauſa docuerit, ut hæc affatim probavimus. Ex ea & porro diſcimus; quid cenſendum ſit de vulgari illo dicto Dionyſii Halicarnaſſenſis, ubi populum Romanum ait πάσης κρατεῖν θαλάσσης, οὐ μόνον τῆς ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν, ἀλλὰ καὶ τῆς Ὠκεανίτιδος, ὅση πλεῖσθαι μὴ ἀδύνατός ἐστι, *maris imperium habere, non ejus duntaxat, quod inter Herculis columnas eſt, ſed & Oceani, in quantum navigatur.* Eſt id falſum de Oceano, qua navigatur vel tunc navigatum eſt, nunquam Romani tam late poſſederunt, quin extra columnas Herculis nihil quicquam, præter mare Britannicum, intra columnas autem totum Mediterraneum, ſic *Oceano terminantes imperium*, ut melius & verius dixerunt Romani, quorum meminimus *Cap.* VII. immo ne quidem ipſum Mediterraneum poſſederunt ſemper, atque adeo ejus nec ſemper domini. Simus memores ejus, quod modo retulimus de claſſium excubiis tam in illo, quam Britannico, & habeamus perſuaſum, Romanos eo, neque alio tempore, mari ultra continentem fuiſſe dominatos, & denique ſecundum hæc accipiamus teſtimonia, quæ de maritimo Romanorum imperio occurrunt: alioquin, ſin hoc fieri nequeat, profecta credamus vel ab ignorantia, vel ſuperbia, vel, quæ Poëtarum maxime propria eſt, adulatione.

In exemplis Gentium, quæ maris potitæ ſunt, conſtat plus eſſe ponderis: nam ſi vincatur, mare a nonnullis rite occupatum, rite poſſeſſum eſſe, de dominio ejus non eſt quod amplius dubitemus. Et quidem Caſtor Rhodius primus perhibetur fuiſſe, qui ſcripſit περὶ θαλασσοκρατησάντων: ex quo opere ſunt, qui ajunt Euſebium depromſiſſe, quæ in *Chronico* memorat de his, qui per varias mundi ætates imperium maris obtinuere. Seriem Euſebii exhibet fere Seldenus *Lib.* I. *Mar. cl. C.* 10. recenſens ordine maris dominos Cretenſes, Lydos, Pelaſgos, Thraces, Rhodios, Phryges, Cyprios, Phœnices, Ægyptios, Mileſios, Cares, Lesbios, Phocæenſes, Corinthios, Iönes, Naxios, Eretrienſes & Æginetas. De Cretenſium imperio maritimo plura habet Meurſius in *Creta Lib.* III. *C.* 3. de Cypriorum in *Cypro Lib.* II. *C.* 23. de Rhodiorum in *Rhodo Lib.* I. *C.* 17. Exinde Seldenus *eod. Lib. C.* XI. XII. & *ſeqq.* Lacedæmoniorum, Athenienſium, aliorumque exercita mari imperia percenſet, teſtantibus id priſci ævi auctoribus. De Lacedæmoniis addi poteſt, quod refert Plutarchus *Apophtegm. Lacon. p. m.* 414. & *de Animi tranquillit. p. m.* 254. & 264. ſed quid opus eſt quicquam addere, cum Seldenus Burgusque per mille currant exempla & auctoritates, quibus ex omni memoria confirmatum eunt dominium maris penes Græcos Romanosque; recentioris ævi exempla nec moror, nec Burgum, late ea deprædicantem, audio. Satis nobis eſſe negotii videtur cum ipſis Romanis, quos mari aliquando perfecte imperaſſe probavimus, utique ſatis cum Græcis, ſi vocabulum θαλασσοκρατεῖν, quo Scriptores Græci plerumque utuntur in rebus cum ſuis tum Romanorum tradendis, non ſignificet *maris obtinere imperium*, ſed duntaxat *præſtare copiis navalibus, mari potentiſſimum eſſe*, ita contra vulgum diſputat Caſaubonus ad *Lib.* I. Polybii *p.* 209. Et ſane verum eſt, θαλασσοκρατεῖν quandoque non aliud eſſe quam ναυαρχεῖν *præſtare navibus*, nec tamen minus verum, eam vocem ſæpius uſurpari ad denotandum maris imperium, ut optimum maximum eſt vel eſſe poteſt. Hujus rei argumentum eſt in pactis & fœderibus, quibus θαλασσοκρατοῦντες ex formula imperii vetabant huc vel illuc navigare, hac vel illa navi, & quæ reliqua ſunt perfecti dominii indicia; pacta ejusmodi & fœdera Grotio, Seldeno, Burgo certatim dicta ſunt. Accedit, quod verbum θαλασσοκρατεῖν, ut ut vulgare in hoc argumento, non tamen ſemper frequentetur, aliquando ἄρχειν τῆς θαλάσσης, κυριεύειν τῆς θαλάσσης, κύριον γίνεσθαι τῆς ἀρχῆς τῆς κατὰ θάλασσαν, & quæ ſimilia obſervavi, unice arguendo maris imperio idonea. Denique Romani Romane loquentes & ſuum & aliorum ante ipſos in mari imperium non ſemel rotunde adeo expreſſerunt, ut ex vocabulo ambiguæ apud Græcos ſignificationis hæc ſubvertere ſit nefas.

Cæterum de his Gentium exemplis ita habeto: οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Veroſimile eſt, imo verum, quibusdam populis adſcriptum eſſe maris dominium, qui illud vel nunquam, vel non tam diu, quam vulgo fertur, obtinuerunt. Sæpe creditum eſt, potentiam navalem a dominio maris non differre, atque adeo nec latrones maritimos a maris dominis: quare habiti ſunt aliquando κύριοι τῆς θαλάσσης, qui ne quidem mare occuparant, hoc eſt, animo ſibi habendi erant ingreſſi, vel qui non juſte occuparant, ſed vi majori turbatis depulſisve aliis. Rurſus, ſola occupatio, ſine poſſeſſione continua, & olim & nunc etiam magnis Viris credita eſt ſufficere ad maris imperium adſerendum, vel poſſeſſionem ſi deſiderent, ſolo eam animo ſolove corpore tutantur. Hinc tam ſpiſſa teſtimonia, quæ pro captu quisque ſuo depromſit. Neque tamen licet ea temere falſi poſtulare, cum in tanta obſcuritate veteris ævi neſciamus, Cretenſes, Lydi, Pelasgi & qui deinceps memorantur, mare revera poſſederint eo tempore, quo ipſis dominium tribuitur, nec ne. Scimus Romanos vere poſſediſſe ac jure ſuo habuiſſe mare Mediterraneum & Britannicum, ſed ecquando præciſe poſſidere cœperint, poſſeſſionemve remiſerint, nemo facile dixerit, neque adeo præciſe vindicaverit vel refutaverit, qui cum Caſſandra apud Lycophronem iis occinunt,

Γῆς καὶ θαλάσσης σκῆπτρα καὶ μοναρχίαν.

quæſtio ejus rei vertitur in facto. Id autem, quemadmodum nos ſæpe latet in hiſtoria temporis antiqui, ſic non eſt, ut ætate noſtra aliquod maris exteri dominium nobis obtrudi patiamur, utpote quibus palam conſtat, nullum hodie mare ab ullo poſſideri, certe pro poſſeſſione habendum non eſſe, quod ad inſtar ejus nonnullis fingere placuit.

CAPUT IX.

In jure Naturæ vel Gentium nihil eſſe, quod obſtet dominio maris; nihil etiam in Jure Romano.

Ne cum turba nobis res ſit, maris liberi patronum ſeligemus, & quem potius quam Hugonem Grotium? is in libello ſingulari, quem de libertate maris ſcripſit, ſimpliciter contendit, mare dominio ſubjici non poſſe, nullæ ibi ambages, nullæ tricæ. Nonnihil tamen mutatus ab illo in opere *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 3. §. 8. largitur, mare occupari poſſe ab his, qui terras ad latus utrumque poſſident, *dummodo non ita magna ſit pars maris, ut non cum terris comparata portio earum videri poſſit.* Sed quis illam portionem definiverit? ſunt hæc incerta, & forte ἄπειρα, niſi redigantur ad regulas, quas de mari terris proximo tradidimus *Cap.* II. Iterum ille §. 13. maris exteri quoque partem occupari poſſe concedit maritimo exercitu, qui claſſe conſtat, ſed partem duntaxat, & id non ut proprietas quæratur, at ſine proprietate imperium. Equidem non video, cur, ſi exigua maris pars claſſe exigua queat occupari, cur inquam, major pars non poſſit occupari claſſe majori, atque ita pluribus claſſibus vel totum mare Mediterraneum; eadem ſane juris ratio, quæ illud ſuaſit extorſitve, etiam hoc comprobat. Quod autem maris imperium a proprietate diſtinctum introducat Grotius, eo jure nititur, quod ſibi quisque homo conſtituit, alieno certe ab hoc, quod occupantibus larga manu datum eſt a Natura, receptum a Gentibus, confirmatum a Jure Civili; notavimus ea de re aliquid C. IV. Videbatur e re ſua imperium aliquod admittere, ut in hunc ordinem cogeret Veterum ſibi adverſa teſtimonia, quamvis inter ea ſint, quæ verum maris dominium luculenter ſatis exprimunt. Negat vero proprietatem, ut defendat principia ſua, quæ *eod. Lib. C.* 2. & *Mar. Liber.* C. V. de communione maris exhibuerat, ſalva enim hac maris imperium aliquatenus ſalvum videri poterat, proprietas non poterat.

Atque illa principia ipſe, ut par eſt, repetit à ratione naturali, nam Jus Civile cujuscunque tandem Gentis nihil hic efficit. Mare, inquit, ad quemvis uſum omnibus ſufficit, ad aquam hauriendam, ad piſcatum, ad navigationem; neceſſitas autem rerum dominia diſtinxit, cum una res cunctos exhibere non poſſit: igitur omnia cenſenda ſunt in priſtina communione manſiſſe, quæ ita comparata conſtat, ut ſemper uſum ſui præbere poſſint omnibus, ceſſante tunc cauſa, ob quam a communione diſceſſum eſt. Sed verum non eſt, jus occupandi a ſola neceſſitate promanaſſe; utilitas, utilitas, juſti prope mater & æqui, & heic vocanda eſt in partes. Neceſſitas occupationem imperabat, utilitas ſuadebat: ut ita quisque ſecundum Naturæ regulam occupaſſe videatur, quod ſibi & neceſſarium erat & utile. Utilitas vero non una eſt ſpecies: res communis promiſcuo uſu fere inutilis reddi poteſt, ut ſæpe accidit in mari piſcationibus exhauſto; quin ſi res communis utilitatem omnibus præſtet perpetuam, præſtabit tamen majorem, ſi propria eſt. Si mihi ſoli, verbi gratia in hoc illove mari piſcari datum ſit, magis utique erit utile, quam ſi inter cæteros, & illa major utilitas, ut nunquam non expetitur, ſic & haberi potuit occupato mari. Quemque commodi ſui vel maxime ſatagere ex *primis*, quæ dicuntur, *naturalibus Cap.* I. eduximus; illa perſuadent, recte nos fieri locupletiores cum alterius detrimento, dummodo ne cum alterius injuria.

Denuo Grotius: At vero mare occupari nequit, utpote res non terminata, & ſine termino quis dominium ſtatuerit? non dicam, quæ dixit in hanc rem Welwod *de Dominio Maris Cap.* I. Strauchius *de imperio Maris Cap.* II. & præcipue Seldenus *Lib.* I. *Maris cl. Cap.* 22. ſed hoc velim obſervari, eundem ex ſententia noſtra eſſe dominii terminum, qui poſſeſſionis. Poſſeſſionis terminus quis eſſe videatur in partibus terræ proximis ſupra vidimus, certus ſane & definitus undiquaque; quis autem ſit in partibus exteris minus dubitari poteſt, dum hunc indicat naturalis detentio & illa, quæ per excubias navaleis fit, incubatio perpetua, ſeu, quæ vicem ejus obtinet, non interrupta navigatio per has, quas occupavimus, maris partes. Sed fruſtra ſumus, ſi nec mare, ut ipſe ait, poſſideri queat propter fluxam ejus & inſtabilem naturam. Nodus in ſcirpo! corporalia poſſideri poſſe auctor eſt Paulus in *l.* 3. *pr. ff. de acq. vel amitt. poſſ.* & eſt omnino mare inter ea, quæ tangere vel tangi poſſunt. Quin ipſus admittit, maris partem occupari poſſe, cum tamen nulla occupatio ſine arrepta poſſeſſione procedat, & eadem, quæ in partibus, etiam in toto ſit juris ratio. Non igitur ferenda ſunt, quæ auctore Grotio nunc vulgo circumferuntur de natura maris varia & mutabili ſemper: nam ea propter ſi dominium refutare decretum ſit, rerum noſtrarum bona pars cito eheu! nobis peribit. Et de fluminibus quid dicemus? ea in bonis populi eſſe facile dabit Grotius, nec minus facile, curſu hæc celerrimo agitari ferrique, imo vel pleraque maria eo nomine poſt ſe relinquere. Denique littorum eadem eſt, quæ maris, cauſa, ſi JCtos Romanos audias, ad quos ipſe Grotius provocat; communia igitur? eſto, ſtatim videbimus. At quare? quod in dominium redigi nequeant? ἀόριστα forte & ſine termino, ut mare? nemo dicet. An quod poſſeſſionis capacia non ſint? obſtante ſcilicet eorum natura fluxa quoque & vaga? nec Grotius hanc rationem in littoribus probaverit. Aliam nos dabimus, quæ ipſa & mari conveniet, nec tamen occupationi poſſeſſionive erit impedimento. Rogo interea rationes illæ faceſſant, ut & aliæ, quas, ceu ex naturali Jure, pro mari libero adferre placet de commerciorum libertate, de facultate transeundi per mare cuivis licita, & quæ alia ſunt ſequioris notæ. Sed vero miror, cur non eodem acumine etiam terram dominio ſubjici poſſe negent, vel ſane iter, viam, actum ſine pactis & ſtipulationibus per fundos omneis omnibus permittant, ita quippe, abolitis tributis & vectigalibus, commerciorum libertas pateret latius latiusque, vel, ut verius dicam, ad ſimulacrum priſtinæ communionis res ocyus eſſet compoſita. Hæc viſum eſt addere iis, quæ longe lateque declamavit Seldenus *Lib.* I. *Maris cl. Cap.* 20. 21. & 22.

Proximum eſt, ut videamus de Gentium Jure; nec de eo eſt etiam, quod laboremus. Ratio hic familiam ducit, & tantum abeſt, ut hæc principiis noſtris quicquam adverſetur, uti contra non aliud ſit, quod me magis moveat, quanto nobis hæc ſit præſidio, ſatis puto me abſolviſſe. Populorum autem conſenſum ab origine rerum, quam a majoribus accepimus, ad hæc usque tempora perpetuum & conſtantem adeo nobis paſſim ſuggeſſit expreſſitque vel unus Seldenus, ut ver-

bum non amplius addam.

Succedat Jus Romanum. Ejus auctoritas, fateor, non deciderit, quæ Juris Gentium ſunt; ſed ecquis hominum neget, ſemper valuiſſe, hodieque plurimum valere teſtimonia eorum, qui Juris publici privatique conſulti veram Philoſophiam ſcriptis dictisque conſignarunt, abſit, ut nos, qui Jurisprudentiam profitemur, Auctores noſtros cum Welwodo traducamus, velut *Jus naturale ignorantes*, vel cum Seldeno, velut *oſcitanter tradentes, non ſolum quæ receptiſſimis Gentium per omnia fere ſecula moribus, ſed etiam, quæ invicem ſibi adverſantur.* Eorum memoria ſemper nobis fuit, eritque, donec nos erimus, ſancta; ſed Angli illi dum non adſequuntur, quæ noſtri ajunt de communione maris, acerbius, ut fit, exagitant. Videamus, ſeu potius perſtringamus quæque, neque enim nobis ſedet,

Juris in Oceanum plenis deſcendere velis,
Sive aliis trita turpiter ire via.

Eſt autem veriſſimum, Jus Romanum, cum rerum diviſionem & qualitatem exſequitur, maris communionem identidem ingeminare, & in eo illuſtrando ſæpe totum eſſe. Ita *Inſtitutiones*, ita Marcianus in *l.* 2. §. 1. *ff. de Rer. diviſ. Naturali Jure*, inquit, *omnium communia ſunt illa: aër, aqua profluens & mare, & per hoc littora maris.* Mox idem in *l.* 4. *pr. eod.* de villis, & ædificiis, & monumentis, *quia non ſunt Juris Gentium, ſicut & mare.* Gemina ſunt, quæ de communione maris dixit Celſus in *l.* 3. §. 1. *ff. Ne quid in loc. pub.* &, qui Seldeno maxime crucem figit, Ulpianus in *l.* 13. *ff. Commun. prædior.* & *l.* 13. §. *ult. ff. de Injur.* Sunt & alia in eandem ſententiam, etiam apud Juris Græci conſultos, quæ tamen nec conquiro, nec deſcribo.

Interpretes, qui pro ingenio ſuo aliquod maris dominium agnoſcunt, offendas hic incertos, quo ſe conſilio ſint expedituri. Alii mare, cum *commune* dicitur, ita hoc accipi volunt; quaſi commune ſit Civium Romanorum; alii uſum maris communem admittunt, nec minus imperium alicujus populi; alii mare eſſe quidem commune, ſed quemadmodum Marcianus ait, *Jure naturali*, quo vel terram communem eſſe haud difficulter concedunt; alii JCtos veteres recte pronunciaſſe, at mores Gentium, & ipſius Populi Romani, ſenſim ſubegiſſe ſubtilitatem juris; alii illorum auctoritates deſpicere; alii ſibi non liquere. Habent & leges rationesque, quibus, ita ut credant, ab animo ſuo impetraſſe ferunt, ſed has adſcribere, & qui abuſi ſint, edocere cœpta vetat brevitas. Nos exiſtimamus, mare non aliam ob rem a JCtis noſtris vocari *commune*, quam quod illorum ævo maxima ſui parte occupatum poſſeſſumve non erat, imo forte nulla, ſi exterum ſpectes. Quod cum ſit, ut eſſe mox dicam, rectiſſime illi: mare omnium hominum commune eſſe, natura omnibus patere, Jure naturali piſcationem eſſe liberam, & quæ alia ſunt in eundem ſenſum: etenim in mari nunquam occupato durat, & in occupato ante, ſed poſt poſſideri deſito redit illa naturæ regula, *occupanti cedere*, ut hæc ſupra monui. Nec intereſt, me interprete, utrum mare dicatur *commune* & κοινὸν πάντων ἀνθρώπων, an vero in medio poſitum eſſe primum occupanti; apparebit hoc, poſtquam diſpexerimus, qua ſignificatione Auctores noſtri *maris* vocabulum efferre conſueverint. Et quidem dubitari videtur non poſſe, quin *maris* appellatio & ad Oceanum pertineat, & vel maxime ad Oceanum, ſi non ſit, quod addatur, apud Græcos Latinosque id venit uſu, cum *mare* dicunt, & rem vaſtam atque infinitam intelligunt. Solum Catullum audiamus, non ut nequitiæ, ſed ut rei Latinæ magiſtrum, is *Epigr. in Formianum de mentula:*

Mentula habet inſtar triginta jugera prati,
Quadraginta arvi CÆTERA SUNT MARIA.
Quur non divitiis Crœſum ſuperare potis ſit,
Uno qui ſaltu tot moda poſſideat?
Prata, arva, ingentis ſilvas, ſaltusque, paludesque
Uſque ad Hyperboreos & MARE AD OCEANUM.

Ita & πόντος apud Callimachum in verſu, quem annotavit Iſaacus Voſſius ad illa Catulli *p.* 342. Sane quum Oceanus omnia maria interna magnitudine ſua immenſum ſuperet, quum omnes fere omnium Principum terras ambiat, &, ut verbo dicam, quum κατ' ἐξοχὴν ſit mare, non eſt, cur eum a veterum JCtorum mente ſecludamus. Oceanus autem ille, ut jam ſumus edocti, nec a Romanis, nec ab aliis fuit occupatus unquam; unam tantæ molis particulam Romani tenuerunt claſſe Britannica, ſed neſcio, an poſt Principem Trajanum ejus claſſis ulla quoque fiat mentio, quin nec fortaſſe ſub eo: Priſcus equidem Javolenus, qui tum vixit ſcripſitque, in *l.* 46. *ff. ad SCtum Trebell.* meminit archiguberni cujusdam ex claſſe Britannica, at ex facto, quod an ſua, an Majorum memoria acciderit, incertum. Utque ita nec de Britannico freto auſim affirmare, Romanam claſſem id inſediſſe ævo JCtorum noſtrorum, eorum certe, qui, ut plerique, poſt Trajanum vixere; & fac inſederit, καθόλου tamen Oceanus recte dicetur *communis*, potiſſima quippe ac fere omni ſui parte non poſſeſſus. Fuit igitur communis, eſtque adhuc, & erit deinceps, donec ſit, qui eum occupare navibus poterit ſuis, & quemadmodum de univerſo nemo id exſpectet, ita de partibus quominus exſpectari poſſit nulla eſt ratio.

Sin vero credamus, Auctores noſtros, cum de mari loquuntur, Mediterraneum intelligere, ut quod ipſis erat proximum, continuo ſuſpicabimur, illa tempeſtate jam remiſiſſe ſollicitam ejus maris cuſtodiam, quam olim quaterna claſſe ſervabant Romani. Et, ut verum fatear, de claſſibus eorum in mari Mediterraneo perpetuis non memini me quicquam reperire apud rerum Romanarum Scriptores, JCtis noſtris æquales, utique æquales Marciano & Ulpiano, qui illud de communione maris benedictum toties nobis prodiderunt, neque etiam apud poſteriores de eo tempore id traditum recordor. Claſſes frumentarias in hunc cenſum non refero, ſiquidem alia fini navigarint, quam poſſidendo mari. Sub Valente tamen in *l. un. C. de Claſſic.* memoratur claſſis Seleucena *ad auxilium purgandi Orontis*, ſed nunquid a ſordibus, an a latrunculis maritimis? in hoc proclivior ſum. At vero de claſſibus maritimis nobis ſermo eſt, non de fluvialibus, flumina noſtri non dixerunt communia, ſed mare; ad hæc, cum poſſeſſio ſit facti, probandum eſſet, claſſem, illam prope Seleuciam non tantum ſub Valente excubaſſe, verum & ſub Principibus, quorum ætate noſtri de jure reſponderunt; & vel ſic, quamvis maritima claſſis eſſet, una unius maris tuitio non prohiberet, quominus mare ἐπὶ τὸ πλεῖστον diceretur commune. Nomine quidem tenus dominium maris ab Romanis jactatum fuit aliquamdiu poſt amiſſam maris poſſeſſionem, ſed JCti noſtri, ubi id agunt, non adulatores ſe, at Juſtitiæ ſacerdotes præſtant; bene ſcilicet gnari, poſſeſſionem Oceani nullam eſſe, & maris Mediterranei ſua jam ætate remiſſam. Illorum exemplo nos, probe etiam gnari, nullum nunc a quoquam poſſideri, mare hodieque liberum vocamus & commune.

Sic ſatis conſtat ratio ejus, quod JCti Romani ajunt de communione maris, & ſimul conſtat, per-

perperam id ita accipi, ac ſi mare omnino non poſſet fieri proprium: plane enim eos aliter ſapuiſſe vario argumento defendi poteſt. De dominio Romanorum maritimo, qua publico, qua privato, etiam ex Libris noſtris, multa conquiſivit Seldenus *Lib.* I. *Mar. cl. C.* 24. *&* 25. quæ non repeto; nec opus eſt de eo amplius cavillari, cum adeo rotundum ſit, quod ſcribit Paulus in *l.* 14. *ff. de Injur. Sane*, inquit, SI MARIS PROPRIUM JUS AD ALIQUEM PERTINEAT, *uti poſſidetis interdictum ei competit, ſi prohibeatur jus ſuum exercere: quoniam ad privatam jam cauſam pertinet, non ad publicam hæc res.* Etiam Grotio is locus expreſſit confeſſionem de proprietate maris, qua occupari poteſt & occupatum eſt. Rectiſſime, ſi non exciperet de neſcio quibus maris particulis, quas occupationis duntaxat eſſe capaces ſine populi ſuffragio decernit, & ſi non promiſcue adderet, in mari occupato uſum tamen publicum impediendum non eſſe; utrumque, quamvis αὐτὸς ἔφα, mihi nequit probari, cur non illud, ſupra expoſui, & hoc quatenus verum ſit vel eſſe videatur, incontinenti exponam. Interea liquet, jus proprium maris quæri poſſe, neque adeo mare dici *commune*, quam cujus dominium quæſitum non eſt. Quæritur autem dominium iis, quos oſtendimus, modis, idque vel a populo vel a privato, ut ſi a populo mare occupetur, ad Rempublicam pertineat, ſi a privato, ad privatum. Unde ſi privatus, verbi cauſa, partem maris ædificio ſuo occupet, ejus erit dominus *l. pen. ff. de Rer. divis.* non ſecus ac Lucullus ejus maris nactus eſt dominium, quod apud Neapolim ad villam ſuam admiſiſſe vulgo eſt notum. Si populus occupet, mare erit publicum *d. l. pen.* de utraque occupatione rem confecimus *Cap.* II. *&* III.

Atque ita hanc doctrinam eſſe conſtituendam clarebit exemplo littorum, quorum eadem, quæ maris, cauſa eſt, ut diximus, & dicit *l.* 2. §. 1. *ff. de Rer. diviſ.* & conſentiunt aliæ. Littora igitur ſunt communia, vel, quod idem eſt, publica Jure Gentium, non publica Jure Civitatis, non in patrimonio populi, ut docet Neratius in *l.* 14. *pr. ff. de Acquir. rer. domin.* ſed hoc non prohibere, quominus dominio ſubjiciantur, idem *eod. loc.* obſervat his verbis: *Nec diſſimilis conditio eorum eſt, atque piſcium & ferarum, quæ ſimul atque adprehenſæ ſunt, ſine dubio ejus, in cujus poteſtatem pervenerunt, domini fiunt.* Quapropter ſi quod littus occupem, meum erit, cum alioquin, ex regula Juris, meum eſſe non poſſit, quod in littore ædifico, & tamen utrumque mihi præſtat certa Juris ratio, & auctoritas in *d. l.* 14. *pr. &* §. 1. *l.* 6. *pr. ff. de rer. diviſ.* Quemadmodum vero privatus occupatione ſibi ſubjicit littora, ita non eſt, cur populus eadem ratione ſubjicere nequeat. Exemplum ſit in Populo Romano, qui mihi videtur ea littora occupaſſe, in quæ colonos ad tuendas imperii oras miſit, ut auctor eſt Siculus Flaccus: hæc enim, & ſi qua præter hæc alia ratione occupata erant & poſſeſſa, non dubitem appellare littora, in quæ Populus Romanus imperium habuit, & quæ propterea *Populi Romani eſſe* aperte ſcribit Celſus in *l.* 3. *pr. ff. Ne quid in loc publ.* Celſus ille, in cujus ſententia pervertenda tantum, qui diſſentiunt, operæ poſuere. Quod autem veteres Prudentes littora vocarint *communia*, non alia cauſa mihi factum videtur, quam quod maximam partem occupata non eſſent, τὰ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται, inquit alicubi ex Theophraſto Paulus noſter; ne dicam, præteriiſſe non eſſe cenſendos, qui de imperio littorum & dominio id tradidere, quod retulimus & referemus adhuc. Cæterum quod pleraque littora dixerim fuiſſe communia & Romanis non occupata, neminem offendet, qui animum ad amplitudinem Imperii Romani adverterit, & ſciverit, hæc maris limina fere eſſe ſterilia, & quæ occupaſſe non erat tanti; *littus arare* quid ſit, nemo neſcit unus. Hæc tandem de communione littorum obſervatio ſi ad mare transferatur, confirmabit id, quod modo dicebam, mare commune eſſe & audire, quod ævo illorum, qui hæc nobis ſuggerunt, ſubditum non fuit: nonnihil tamen ex eo vel tunc ſubditum fuiſſe, & publicum Populi Romani non negabit, qui partes terræ proximas & poſſideri ſemper & per hoc dominio teneri haud invitus concedet. Loquor de terra, quæ ipſa ſubdita eſt, cum ſatis ſit certum, nihil juris proprii in quemquam transire poſſe virtute littorum, quæ ipſa adhuc communia, id eſt, in poteſtatem redacta non ſunt.

Si quod ergo mare vel littus a Populo Romano occupatum ſit, apparet hoc ejus Populi eſſe, eoque non aliter quem uti poſſe, quam ſine injuria cæterorum. Ita in fluminibus, ita in viis publicis obtinere Ulpianus ait in *l.* 24. *pr. ff. de Damn. infect.* & paſſim in hanc rem ſunt Tit. Pandectarum, *Ne quid in loco publico vel itinere fiat*; *De via publica, & ſi quid in ea factum eſſe dicatur? De fluminibus, ne quid in flumine publico, ripave ejus fiat, quo pejus navigetur*, & aliquot ſequentes; eſtque id perpetuo ſervandum in iis, quæ uſu Civitatis publica ſunt, ut alter alteri non noceat. *Quamvis*, inquit Pomponius in *l.* 50. *ff. de Acq rer. domin quod in littore publico vel in mari exſtruxerim, noſtrum fiat, tamen decretum Prætoris adhibendum eſt, ut id facere liceat, imo etiam manu probibendus eſt,* SI CUM INCOMMODO CÆTERORUM ID FACIAT. Non *Prætoris*, ſed *Principis* legendum eſſe miror in mentem veniſſe Bachovio ad Πρῶτα *FF.* in *l.* 5. *de R. D.* & miror quoque inventos, qui id probent; ſed hoc jam non agimus. Id agi conſtat, in littore vel mari, quod Populi Romani eſt, Prætoris partes eſſe cognoſcere, ſi citra incommodum publicum recte ædificetur, palam quippe loquitur Pomponius de re publica, non de re communi, ut Grotius putabat *Cap.* XIII. *Maris lib.* in publico cavendum eſt, ne quid ſingulis obſtet, cæteroquin ſi uſus publicus impediret, ſique deterior foret littoris mariſve uſus, etiam manu prohibendum eſſet *d. l.* 50. *l.* 3. §. 1. *l.* 4. *ff. Ne quid in loc. publ.* Proinde qui uſui publico officit in re publica, qui me vetat piſcari vel everriculum ducere in mari, quod eſt Civitatis meæ, rurſus Pomponius, imo *plerique* perhibent, *eſſe huic ſimilem eum, qui in publicum lavare, vel in cavea publica ſedere, vel in quo alio loco agere, ſedere, converſari non patiatur, aut ſi quis re mea,* id eſt, cujuslibet e populo, *uti me non permittat; nam & hic injuriarum conveniri poteſt*, uti commemorat Ulpianus in *l.* 13. §. *ult. ff. de Injur.* ſuo hæc teſtimonio luculente proſequens in *l.* 2. §. 9. *ff. Ne quid in loc pub. Si quis*, inquit ibi, *in mari piſcari aut navigare probibeatur, non babebit interdictum, quemadmodum nec is, qui in campo publico ludere, vel in publico balneo lavare, aut in theatro ſpectare arceatur. Sed omnibus bis caſibus injuriarum actione utendum eſt.* Quin nec ei denegabitur ea actio, qui ante ædes meas vel ante prætorium meum piſcari a me fuerit prohibitus *d. l.* 13. §. *ult. de Injur.* nam in publico quum verſetur, recte notat Ulpianus, *nullo jure uſurpari*, ut liceat eum arcere a mari proximo, a re Civitatis publica. Neque tamen hæc in cauſſa ſunt, quominus qui Civitati præſunt illud, cui imperant, mare ex jure dominii elocent;

& quominus conductori interdictum ſit dandum; ſiquidem *vis ei prohibenda eſt, quominus conductione ſua fruatur*, quemadmodum ex ſua & veterum ſententia hæc enarrat idem Ulpianus in *d.* §. *ult.*

Ex quibus intelligimus, id, quod de non impediendo uſu publico profeſſi ſunt Auctores noſtri, non pertinere vel ad Civitates vel ad privatos, quibus jus proprium maris vel littoris occupati competit, ſed duntaxat ad eos, quos re publica, tanquam publica, uti decet, non abuti, ut privata. Ita lacu, qui dominii mei eſt, alios piſcari utique prohibere poſſum *d. l.* 13. *in fin.* poſſum & in mari, cujus jus proprium ad me pertinet, & ſi quis jus meum exercere me non ſinat, ecce paratum eſt, interdictum *Uti poſſidetis*, quod, ut ad privatas cauſas accommodatum eſt, ita & heic cauſam meam tuebitur *l.* 14. *ff. eod.* In mare, quod Populi Romani eſt, molem mihi projicere non licet, ſi cui forte hæc res nocitura ſit *l.* 2. §. 8. *ff. Ne quid in loc. publ.* nec vel quicquam facere in eo, inve littore, quo portus, ſtatio, iterve navigio deterius ſit *l.* 1. §. 17. *ff. de Flumin.* in mari privato licebit procul dubio, & vel ita illud jactis in altum molibus operire, ut contracta piſces æquora ſentiant. De re ſua ut quisque ſtatuerit, ita jus eſto, atque adeo ſi mihi placuerit eo aliove modo ſtatuere de re mea, ſtatuo citra alicujus injuriam, & ut dixi, Prætor Romanus interdictis ſuis mihi præſto eſt.

Sed ne longius abeam, quæſtionem Juris Romani de dominio maris abſolvamus ea animadverſione, quam attigimus *Cap.* I. nimirum etiam eo jure verum eſſe, poſſeſſionem littorum, atque ita maris, dominum unice dare, unice defendere, adeoque ubi poſſeſſio præſens non eſt, neque jus dominii eſſe ſecundum ea, quæ hactenus diſputavimus. Exemplo caſæ in littore exſtructæ, & poſt dirutæ illuſtrat hoc *l.* 5. §. 1. & *l.* 6. *pr. ff. de Rer. diviſ.* nec aliter de ædificio *l.* 14. §. 1. *ff. de Acq. rer. domin.* puta locum, quem diruto ædificio poſſidere deſinimus, ad cauſam priſtinam reverti, perindeque publicum eſſe, ac ſi in eo nunquam ædificatum fuiſſet, εἰ καταπέσῃ τὸ κτισθὲν, πάλιν κοινὸς ὁ αἰγιαλὸς γίνεται, inquiunt Baſilici *Lib.* L. *Tit.* I. recte, ut *publicum* verterent, in *d.* §. 1. uſi vocabulo κοινοῦ, hoc enim ibi eſt *publicum*, non δημόσιον vel πούβλικον. Papinianus quoque, ut omnia dicam, ad hunc modum nos erudivit in *l.* 45. *ff. de Uſurp. & uſucap. Præſcriptio*, inquit, *longæ poſſeſſionis ad obtinenda loca Juris Gentium publica concedi non ſolet, quod ita procedit: ſi quis ædificio funditus diruto, quod in littore poſuerat, aut dereliquerat ædificium, alterius poſtea eodem loco exſtructo occupantis datam exceptionem opponat.* Sic vulgo legitur & interpungitur, ſed conſtat nonnihil turbatum eſſe, reſtituendum forte, ſi ita legas interpungasque: *ſi quis ædificio funditus diruto, quod in littore poſuerat ac dereliquerat, ædificio alterius poſtea eodem loco exſtructo occupanti datam exceptionem opponat.* Cujacius in *Comment.* ad *h. l.* legit etiam *occupanti* & *ædificio*, aſt utrumque ante Cujacium Editiones habuere, & vel Roberti Stephani Pariſienſis anni MIↃXXXVII. cætera ipſe aliique non ſatis videntur adſecuti. Id autem agit Papinianus, ut loca communia vel, quod ille ait & tantundem eſt, Juris Gentium publica non quæri probet præſcriptione, utpote, ſi recte interpretamur, ſupervacanea, nam ſimulac quis ea occupavit, continuo ſua facit ex eodem Jure Gentium, in Jus Civile tranſſcripto. Bino id exemplo ediſſerit; alterum, quod repræſentavimus, eum defendit, qui in littore ædificium exſtruit eo loco, quo alius extruxerat, ſed diruerat, tribuens *occupanti datam exceptionem*, hoc eſt, defenſionem, quæ jure occupationis datur ad tuendum poſſeſſorem in dominio Jure Gentium quæſito; alterum eſt: *vel ſi quis, quod in fluminis publici diverticulo ſolus pluribus annis piſcatus ſit, alterum eodem jure uti prohibeat.* Ex eo, quod primum propoſuerat, apparet agi de eo, qui in piſcatione non eſt, & alium, ſed nullo jure, ſubmotum vult: periit ejus poſſeſſio, periit ejus jus, & patet cunctis piſcatio. Contra vero in *l.* 7. *ff. de diverſ. temp. præſcript.* quæ in primis ſolet committi cum *d. l.* 45. agitur de eo, qui reapſe adhuc in piſcatione eſt, & alium eo Jure uti prohibet, & recte, quia ejus, utpote poſſidentis, melior eſt conditio. Animadverterunt id modo Interpretes vetuſti, & ex recentioribus Duarenus, Cujacius, Donellus, Grotius,

Hæc ſunt, quæ DE DOMINIO MARIS indicare potius, quam commentari viſum fuit. Singularis, qua utimur, ſententia, ubertas argumenti, & grandes turbæ, quas de eo dederunt Viri docti, ſpiſſius volumen videbantur poſtulare, ſed remota ambitione ſufficiat dixiſſe & forte abſolviſſe, quod res eſt.

CONSPECTUS CAPITUM.

CAP. I.

Dominium rerum cœpiſſe ex naturali poſſeſſione & quare. Qui illa jus præcipuum dederit? Ex Naturæ regula dominium & poſſeſſionem in eadem cauſa eſſe; hac remiſſa illud quoque remitti. Veſtigium hujus Juris remanſiſſe in iis, quæ uſu Civitatis in dominium redacta non ſunt. Explicitæ l. 1. §. 1. ff. de Acq. rer. dom. l. 14. §. 1. eod. l. 5. §. 1. & l. 6. pr. ff. de Rer. divis. *Vetus occupatio quid præſtiterit; quid nova præſtet? Ultra detentionem corporalem dominium non extendi niſi ex conventione. Eam eſſe Civium in quaque Civitate. Dominia citra poſſeſſionem non videri rata niſi ex ſolo Jure Civili. D. Auguſtinus in hanc ſententiam aſſertus* Cap. I. Cauſ. XXIII. Quæſt. VII. *&* Cap. I. Diſtinct. VIII. *Si res mea ſine me extra Civitatem meam reperiatur, occupanti cedere. Auctores noſtros etiam ea Jurisprudentia uti in* l. 5. §. 2. *&* l. 7. pr. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ. *Non alia ratione hæc ſubſiſtere, quam quod communis noſtræ Civitatis ſponſio Gentibus exteris non præjudicet. Secus ſe rem habere, ſi amicitia inter Gentes ſit contracta, & quam ob rem. Turci qui eo quoque Jure nitantur. Enarratur privilegium, quod Achmet anno* MIↃCXII. *Belgis dedit. In cauſa liberorum hominum videri tamen eum peccare, defenſo circa id Pomponio in* d. l. 5. §. 2. ff. de Capt. & poſtl. reverſ. *quin & Turcorum Imperatore ſecundum principia religionis ſuæ. Quibus fœderibus receſſum videatur a communione rerum non poſſeſſarum. Illuſtrata Galli ſententia apud Feſtum. Inter Gentes tantum non omnes ejuſmodi fœdera intercedere. Hinc Juri Gentium attribui dominiorum diſtinctionem in* l. 5. ff. de Juſt. & Jur. *Marci Tullii locus* Lib. I. de Offic. C. 21. *in rem præſentem deducitur, & varie cum emendatur, tum explicatur. Communionem antiquam fuiſſe quam perperam negetur. De receſſu ab illa communione Grotium non ſatis recte diſputaſſe videri. Originem*

nem dominii æque ab utilitate, atque a neceſſitate repetendam eſſe. Argumenta in eam rem. Ex vetuſta apprehenſione nihil eſſe juris tam in adipiſcendo, quam retinendo rerum dominio, niſi animo ſimul & corpore perpetuo iis incumbamus. Ἐπιείκεια in Grotium. Objectiones Thomaſii & Titii contra ea, quæ de origine dominii diſputavi, expenduntur. 124

CAP. II.

Nihil relictum fuiſſe in medio, quod haberi potuit ſeparatim. Terris occupatis an & quod mare potuerit occupari. Veteres duntaxat oras legiſſe; neque aliud igitur mare tenuiſſe, quam quod terris erat proximum. Id ſibi proprium quæſiviſſe, ſi is fuerit occupantium & poſſidentium animus. Dominium maris proximi non eſſe æſtimandum ex regula l. 3. §. 1. ff de Acq. vel amitt. poſſeſſ. & cur ita? Eouſque illud præcipuum haberi, quouſque revera poſſidetur. Quemadmodum poſſideatur continua navigatione? quemadmodum poſſeſſum intelligatur imperio continentis? in tantum poſſeſſionem videri porrigendam, in quantum mare e terra poteſt haberi ſubditum. Periculoſæ definitionis eſſe, quouſque id præciſe videatur extendendum. Priſcos Juris magiſtros varie hic hallucinari: nec minus Philippum II. Hiſpaniarum Regem in Legibus nauticis, Belgio datis anno MIƆLXIII. Sententiam de eo, quo e terra poteſt proſpici, nec certam eſſe, nec juſtam. Poteſtatem terræ proprie finiri, ubi finitur armorum vis. Mare igitur nunc intelligi ſubditum, quouſque tormenta exploduntur. Ea mente uſos videri Ordines fœderati Belgii in decreto anni MIƆCLXXI. 3. Jan. quod expenditur & laudatur. 126

CAP. III.

Mare exterum quid appellem. Poſſe & ejus dominium quæri occupatione, & ſervari poſſeſſione perpetua. Utraque quomodo peragatur. Si hac excedimus, excedi dominio, & mare in cauſam priſtinam reverti. Etiamnum ſe ita rem habere inter diverſos Principes, non inter ſubitos ejusdem Civitatis, vario argumento evincitur. Aliud eſſe, ſi inter Principes convenerit, dominium maris citra poſſeſſionem fore ratum. Nihil ejusmodi interveniſſe, neque inter Populos, alioquin fœderatos, amicos, ſocios, interveniſſe poſſe fingi. Rationes ejus rei expediuntur. Mare deſitum corpore poſſideri, quamvis non animo, qui rurſus ſit commune. Etiam Grotium id largiri, ſed minus recte probaſſe. Exterum mare occupari, ſi cum vacuum ſit, eo animo intratur. Mare vacuum quid ſit. Occupandi animus quis intelligatur, & quotusquiſque ſit, qui huc non pertineat. De animo conſtare, ſi quis, ut dominus mare occupet, &, ut dominus, occupatum tueatur. Ita Romanorum aliquando fuiſſe mare Mediterraneum. Imperio id ſuo perfecte fuiſſe complexos; ad hæc poſſediſſe quaterna claſſe, & poteſtate fretorum Herculei & Thracii. Late hæc exiguntur ad jus dominii. Romanos & freti Britannici fuiſſe dominos. Alibi in Oceano nihil juris habuiſſe. Præcipuum in mari jus non quæri præcipua armorum claſſiumque potentia. Poſſeſſionem inermem ſufficere, & quam vel una ſcapha tuetur. De Jure vel injuria cum occupationis, tum poſſeſſionis. De claſſibus armatis quod diximus, quo ſit referendum. 127

CAP. IV.

Regulas de acquirenda vel amittenda poſſeſſione Jure Naturali & Civili fere eaſdem eſſe. Poſſeſſionem tamen ſolius animi defendere Legem Civilem, non Legem Naturæ. In uſu conſiſtere poſſeſſionem, imo ipſum eſſe uſum. Hinc ſola navigatione eam abſolvi, ſi mare ſit exterum. Seldenum & Strauchium minus recte conſtituere, etiam aliis, qui recitantur, modis poſſeſſionem maris ſervari. Diſputationis noſtræ ea de re conjectio. Omnia nunc maria occupanti cedere, ut res nullius. Ea quoque, quæ ſibi hodie nonnulli Principes adſcribunt. Nullum dari mare, quod perpetua detentione cuſtoditur. Solam mentem & affectionem domini non ſufficere retinendo imperio. De Anglis & Venetis ἐν παρόδῳ. Occupatio maris & poſſeſſio quid præſtet. Grotio non eſſe concedendum, imperium in eo acquiri, proprietatem non acquiri, & quam ob cauſam. Qui hæc differant in Civitate, & in mari occupato differre queant, nec tamen differant unquam. Maris occupati eam videri proprietatem eſſe, qualem JCti ſolent deſcribere optimam maximam. Cauſam dominii maritimi qui effectus ſequantur, enumeratur. Maris dominum poſſe ejus navigatione interdicere vel pure, vel ſub conditione. Utriusque modi exempla. Tranſitum vel innoxium terra marique prohiberi poſſe contra Grotium. Qui fretis imperat, recte tributa imperare tranſeuntibus. Danorum Reges eo jure uti in freto Baltici maris. Suedis in eo nihil juris eſſe, & quare. Hiſpanos forte Gaditanum fretum ſibi aliquando ſubjecturos eſſe, & quomodo. Dominum maris jure præſcribere ſalutationem & ſalutandi modum. Ordinum Hollandiæ æquiſſimum Decretum de ſalutanda arce Kronenburg. Minus æqua conſtitutio Philippi II. de non ſubmittendo navium Hiſpanarum primo apluſtri. Ducis Florentini iniqua conditio, illata ab Præfecto claſſis Franciæ anno MIƆCLXVIII. Quamobrem hæc nullo jure ſubſiſtant, & unde proficiſcantur. 129

CAP. V.

Nullum hodie mare teneri ditione alicujus Principis. Anglos contradicere, & eorum cauſam in primis egiſſe Seldenum. Qui Britanniæ imperitarunt, ad ſua uſque tempora mare Britannicum inſediſſe qui probandum receperit, ſed non probarit. De priſcis Britannis quam laboraverit incaſſum. Solam navigationem vel piſcationem adſerendo imperio non eſſe idoneam. Locum quemdam Solini obtorto eum collo huc rapere. Nihil quicquam conſtare de animo & dominii deſtinatione in illa ætate. Perperam hæc educi ex Cæſare Julio, de Bello Gall. Lib. I. Cap. 5. & quæ ejus vera ſit ſententia. Seldeni argumenta colliguntur per ſatyram, atque ita iis quoque reſpondetur. Animi corporiſque poſſeſſionem unice eſſe probandam. Hanc non negari aliquando fuiſſe penes eos, qui Britanniæ potiti ſunt. De Romanis exemplum. Aliud de Edgaro Rege, ſed quid circa illud Seldeno poſſit reponi. Nihil protuliſſe videri, quod præſentem poſſeſſionem arguat. Quicquid veteris ævi ſit, nullam hodie vel claſſem vel navem eſſe, quæ Populi Anglicani nomine mare Britannicum navigat. Ne quidem in freto, quod Franciam Angliamque intereſt, Anglis quicquam eſſe juris ultra poteſtatem continentis. Qua ratione id neget Temple. Refutatur is affatim. Auctoritates, queis utitur Seldenus, nullas eſſe. Ut ut tamen ſint, ab errantium teſtimoniis dominium maris arceſſendum non eſſe. In rebus coſmographicis Scriptores exteros ſæpius peccaſſe. Argumento eſſe Geographum Arabem apud ipſum Seldenum: etiam Zoſimum variis locis. Veras marium appellationes nihil quoque juris tribuere. De freto Gallico obſervatio in hanc rem. Gentes, quæ maritimo Anglorum imperio teſtimonia dederunt, ſibi, non aliis, præjudicare. Quæ & quando teſtimonia heic valeant. Franci num id ſint profeſſi? num fœderati Belgæ? Pacis pactiones, quæ his cum Anglis intercedunt, excutiuntur. Habere nos Regiis Britannorum navibus, ut Principi, reverentiam. Illorum maritimum imperium minime eo agnitum videri. Explicatur §. 4. Pacis anni MIƆCLXXIV. Regis Anglici Majeſtatem comiter conſervamus,

& quare. Sine macula nominis Belgici poſſe id ipſum & Francis dari. Quam nullo tamen jure de eo ſibi blandiantur Angli. 130

CAP. VI.

Venetos ſibi adſcribere maris Adriatici dominium. Graswinkelium id negare, ſed, ut ſemper alias, nihil agere. Quid pro Venetorum cauſa dictum ſit, & porro dici poſſet. Ex regulis de origine dominii rem eſſe finiendam. Secundum has Adriatici non eſſe dominos, niſi qua poſſident. Non videri nunc poſſidere, niſi has maris partes, quibus ex continenti imperant. Poſſeſſionem, quæ fit dicis cauſa per deſponſationem maris annuam, procul hinc habendam eſſe. Nullam navem, naviculam, ſcapham, cymbam in Adriatico navigare ad tuendam ejus poſſeſſionem. Promiſcuas navigationes non ſufficere, & qua de cauſa. Julium Pacium aliosque pro Venetis in primis advocare præſcriptionem longi temporis. Ea expellitur, ſi inter diverſos Principes res agatur. Grotii quædam nutatio. Quamvis præſcriptio obtinere queat inter diſtincta invicem imperia, attamen ratione maris id admittendum non eſſe. Quin nec ex Edicto Prætoris eam hic procedere. Deeſſe poſſeſſionem, & magis eam, cujus non exſtet memoria. Grotius & Vasquius quid ea de re recte, quid ſecus videantur ſtatuiſſe. Pro dominio maris Liguſtici Genuenſium partes egiſſe Burgum. Hunc fere eadem dixiſſe, quæ pro Anglis & Venetis alii. Quî Genuenſes mare ſuum videantur poſſidere, nec tamen, ut nunc eſt, poſſideant. Hæc cur ita ſint, prolixe enarratur. Injuria Francorum Regem mare Mediterraneum ſibi adrogare. Qua ratione ſit ſummovendus. 132

CAP. VII.

Belgas, uſu maris & fructu contentos, nullius imperium ſibi vindicare. Maribus tamen fretisque proximis ſemper imperaſſe. Quî & quare mari Auſtrali dominati ſint, & adhuc dominentur. Philippi Burgundi privilegium in eo datum Amſterdammenſibus, & exortæ circa id turbæ. Etiam Friſios turbaſſe, & quemadmodum ea res ſit compoſita. Maximiliani privilegium, quo Euchuſanis in mari territorium dedit per milliare quadratum. Poteſtatem continentis ibi accipi ἐν πλάτει. Alia ejus locutionis exempla apud Dionem Chryſoſtomum de Auguſto, ut & de Ballivio aquarum in Conſuetud. Middelburg. Cur ea latitudo videatur placuiſſe, & quam ita res intricetur. Vaſtum Oceanum poſſideri non poſſe. Omnes omnium Principum naves ei rei non ſufficere. Ne mare Atlanticum quidem recte claſſibus cuſtodiri. Hoc ſibi adſcribere Luſitanos. Quin Hiſpanos ſibi, ut vulgo fertur, univerſum Oceanum. Ne hoc verum ſit, eorum tituli varie explicantur & interpunguntur. Jure utique neminem univerſum Oceanum in dominium transſcribere poſſe, partem poſſe, & quid ita. Caſtellanos ab utroque latere Oceani poſſidere, nec quicquam id iis prodeſſe. Ultra columnas Herculis nihil juris fuiſſe Romanis. Oceanum eorum imperio excludi apud Virgilium & Livium. Apud alios ſi ſubditus proponatur, Oceanum fere Britannicum intelligi. Nullam hodie Oceani partem a quoquam poſſideri. Ex eo ſolo contra Luſitanos aſſerta libertas navigandi ad Indiam Eoam. Grotii longum molimen, & rationes in hanc rem non ſatis aptæ. Quod mare appellemus liberum, quod clauſum, brevis enaratio. 133

CAP. VIII.

Veteres Auctores maris dominium nunc adfirmare, nunc negare. His illiſve quatenus tribuendum videatur. Pro imperio maritimo qui loca congeſſerint. Alia ex aliis, quæ indicantur; alia, quæ recitantur ex Herodiano, Ἀνθολογίᾳ variis locis, Lucano, Claudiano &c. Inſcriptio quædam Thyatirena; & cur hanc repræſentemus. Non deeſſe etiam, qui pro libertate maris teſtimonia dixerint: ſed qui pro dominio, ſemper vincere, ſeu numeremus ſententias, ſeu ponderemus. Auctoritates pro mari ſubdito quandoque ſuſpectas eſſe. Qui id ſit diſcernendum. Locus Dionyſii Halicarnaſſenſis de Romanorum imperio maritimo poſtulatur falſi. Quomodo, quando & quousque illi maribus imperaverint. Secundum hæc Scriptorum teſtimonia eſſe intelligenda vel refutanda. Exempla Gentium, quæ maris potitæ ſunt. Caſauboni objectio de vocabulo θαλασσοκρατεῖν. Late defenditur aliquando id uſurpari ad denotandum maris imperium. Non promiſcue tamen admittenda eſſe illa Gentium præjudicia. Obſcuritatem veteris ævi in cauſa eſſe, quominus liquido de his pronunciemus, & quam ob rem. De Romanis illuſtri alioquin Populo, ne quidem præciſe conſtare. Quæſtionem ejus rei unice verti in facto. 135

CAP. IX.

Grotium modo ſimpliciter negare, mare dominio ſubjici poſſe, modo id concedere de parte maris, qua proximi, qua exteri. Qui ipſe partem illam definiat, nec proprietatem in ea, ſed imperium largiatur. Ex his cur nihil omnino videatur ſubſiſtere. Quare illa ſententia Grotio placuerit. Excutiuntur ejus rationes ab Jure Naturali petitæ. An mare, quod omnibus ſufficiat, propterea nequeat occupari? A priſtina communione receſſum eſſe neceſſitate imperante, & utilitate ſuadente. Utilitatem a Grotio minus recte tranſmitti. Mare magis eſſe utile, ſi mihi ſoli proſtet, quam ſi omnibus. Alia Grotii ratio, quod maris non ſit terminus, neque adeo dominium. Huic occurritur, & probatur eundem eſſe dominii terminum, qui poſſeſſionis, & ecquis ille ſit. Alia rurſus Grotii ratio, quod mare nequeat poſſideri ob fluxam ejus & inſtabilem naturam. Varie ea refutatur, appoſito de fluminibus exemplo. Littora quoque dici communia, nec tamen eſſe ſine termino vel naturæ vagæ rapidæve. De naturali commerciorum libertate & facultate tranſeundi quæ dicuntur, nulla eſſe. In Jure Gentium nihil quicquam reperiri, quod adverſetur maris dominio. Juris Romani auctoritas an & quatenus heic valeat. Illius Juriſconſultos paſſim ingeminare, mare eſſe commune. Loca in hanc rem. Quî hæc accipiant aſſertores dominii maritimi. Nobis videri, non alia ratione mare vocari commune, quam quod occupatum non erat vel poſſeſſum. Verum id eſſe de Oceano, & quomodo ille κατ' ἐξοχὴν dicatur mare. Quin & ætate JCtorum noſtrorum verum videri de mari Mediterraneo. Nonnihil difficultatis ex l. un. C. de Claſſic. movetur & removetur. Maris jus proprium ad aliquem pertinere poſſe ex Libris noſtris probatur. Etiam Grotium id agnoviſſe, ſed mox varie tricatum eſſe. Occupatio maris & a populo & a privato qui procedat. Littorum eandem eſſe, quæ maris, cauſam. Neque hæc communia appellari, quam quæ occupata non ſunt. Poſſe tamen in dominium redigi, & redacta eſſe nonnunquam. Quæ Auctores noſtri de his dixerint, adferuntur & exponuntur. Ut & quæ ipſi ex condicto tradidere de non impediendo maris uſu, explicitis circa hæc variis capitibus Juris in l. 50. ff. de Acquir. rer. domin. l. 2. §. 8. & 9. l. 3. §. 1. l. 4. ff. Ne quid in loc. pub. l. 13. §. ult. l. 14. ff. de Injur. l. 1. §. 17. ff. de Flumin. &c. Grotium & Interpretes tantum non omnes perperam ea intellexiſſe videri. Poſſeſſionem & maris & littorum etiam Jure Romano dominium unice dare, unice defendere. Ex Baſilicis illuſtratur l. 14. §. 1. ff. de Acq. rer. dom. Mendoſam eſſe l. 45. ff. de Uſurp. & uſuc. Hæc reſtituitur, in rem præſentem explicatur, & porro componitur cum l. 7. ff. de Divers temp. præſcript. Epilogus de tantulo rei tantæ compendio. 137

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

DE

FORO LEGATORUM

TAM IN CAUSA CIVILI, QUAM CRIMINALI,

LIBER SINGULARIS.

AMPLISSIMO GRAVISSIMOQUE

VIRO

CASPARO VAN CITTERS,

ILLUSTRIUM AC PRÆPOTENTIUM ZELANDIÆ ORDINUM SYNDICO,

S. D.

CORN. VAN BYNKERSHOEK.

Ad Te, Vir Ampliſſime, venit hic libellus, nomini tuo inſcriptus. Et cui potius inſcribam, quam Tibi? Zelandus Zelando? &, quod magis eſt, & per Te dicere licet, amicus amico? oportunum quoque eſt, de re Legati, Legati filium adire, & eum quidem, qui de quaeſtione, quam hic tracto, & qua non alia magis illuſtris eſt in omni, quod de Legatis exſtat, argumento, etiam de plano pronunciare poteſt. Si ex Jure Romano manus conſerenda, Tu JCtus, & Senatus Flandrici Exſenator, copias tuas explicare potes; ſi ex Jure Publico, & moribus Gentium, praeſto Tibi ſunt Edicta & Decreta Principum & Ordinum, praeſto illa perpetuo uſu inter diverſos ſui juris Populos obſervata conſuetudo, quam ſolida & maſcula ratio iis perſuaſit, & *Jus Gentium* appellamus. In eo jure nunc totus verſaris, poſtquam relicto jus dicentis officio, Reipublicae per varios gradus admotus, nunc tandem prudens Gubernator ſedes ad clavum Zelandiae noſtrae, ſolicite cavens, ne quid Reſpublica detrimenti capiat. Si exponam, qua fide, diligentia, & peritia, id agas, quod agendum eſt, Tibi, pro modeſtia tua, gravis eſſem, nec quicquam dicerem, quod non etiam in vulgus notum ſit: nemo enim eſt, qui neſcit, Te ita agere rem publicam, ut diligentiſſimus quisque Paterfamilias ſolet agere rem privatam. Sed haec mitto, & Te potius cauſae, quam hic ago, arbitrum eſſe volo, Tu decerne, an quae de foro Legatorum diſputavi, Juri Gentium conveniant, utque ea de re publice potes dicere ſententiam ex facto, quod apud Ordines Foederati Belgii adhuc finiendum eſt, ſic, ſi privatim dicas, & me moneas doceaſque, ſemper Te audiam. Diu vive & vale, Vir Ampliſſime, & me amicitia tua dignari perge. Hagae Batavorum ipſis Calendis Auguſti CIƆIƆCCXXI.

AD LECTOREM.

N*on puto ullum Juris Publici argumentum plus agitatum eſſe, quam id, quod circa Legatos verſatur. Veteres, Recentiores in eo illuſtrando certatim Symbolam contulere. Vis eorum nomenclaturam? prolixam exhibet Joannes Hotmanus poſt libellum, quem Gallice ſcripſit* de l' Ambaſſadeur, *prolixam quoque Chriſtophorus Beſoldus in* Prolegom. Diſſertationis de Legatis eorumque jure. *Nec tamen penitus elaboratum, vel exhauſtum eſſe, quicquid eſt ejus argumenti, tot poſteriora Opera ſignificant, & ſignificabit Opuſculum, quod nunc edo,* de Foro Legatorum. *Ex facto mihi nata eſt ejus ſcribendi occaſio. Quærebatur apud eos, qui rem publicam Fœderati Belgii curant, an & Legatus mercator, ex cauſa mercaturæ, apud nos conveniri poſſet? Curia Hollandiæ, ſententiam rogata, poſſe reſpondit, ut prolixius enarro* Cap. XIV. *Quid mihi, quid aliis videretur, cum inter amicos quæſitum eſſet, ſententiam meam, quam tunc privatim dicebam, publice me dicturum promiſi, & ecce fidem datam libero. Cauſa civilis, quæ tunc inciderat, non aliam diſputationem deſiderabat, quam de foro Legati in cauſa civili, ſed quia magis laboratur de foro Legati in cauſa criminis, ne quid deëſſet huic argumento, utrumque forum hac Diſſertatione complexus ſum.*

Curia Hollandiæ, ab Ordinibus Hollandiæ etiam alias conſulta, de foro Legatorum varie reſpondit. Tandem ad Jus Gentium, quo olim plane exciderat, tantum non reverſa eſt. Vix tamen dici poteſt, eam ſibi in hoc argumento vel olim ſatis conſtitiſſe, vel hodie ſatis conſtare. Quum vero ad ſolam Curiam pertineat, quæcunque tandem ſit, de Legatis cognitio, poſtulabat rei dignitas & magnitudo, poſtulabat ipſa Reipublicæ tranquillitas, ut in cauſa Legatorum eodem ſemper jure uteretur, nec exteri, quin & quandoque ſubditi ei exprobrarent Juris Publici ignorantiam. Curiam, hac parte, defendo Cap VII. *ſic tamen, ut ſententiis ſæpe variaſſe non negem. Si placere poſſint, quæ hic ſcripſi, ſemel erit, quod ſequamur, ſi non poſſint, ſequamur aliud, & melius, ſed id operam demus, ut in controverſia, quæ de Jure Gentium eſt, ſequamur conſuetudinem Gentium, nec ſoli ſapiamus ex noſtro ingenio. Scio, ex ſola ratione, aliud & aliud de foro Legatorum placere poſſe, at ſcio, eam rationem vincere, quam uſus Gentium probavit, & hoc eſt, quod hic vel maxime defendo. Quid ipſe ſentiam, leges, ſi commodum eſt, in hoc exiguæ molis libello, ſi non eſt, heic loci non audies.*

Conſtitueram etiam diſputare de foro civili & criminali eorum, quos ſingulæ Civitates ſeu Provinciæ (quas vocant) mittunt ad Collegium Ordinum Fœderati Belgii, vel ad alia Collegia, quæ terra marique Fœderis curam habent, conſtitueram de his addere, qui ex ſingulis Urbibus ad Comitia Ordinum cujusque Provinciæ, vel ad Collegia, quæ ab his pendent, mittuntur, nam & omnes illi ſunt Legati, ſæpiſſime de his quæſitum eſt, & belliſſime quæri poteſt. Sed abſtinui, quia ea tractatio non tam pertinet ad jus Gentium, de quo hic ago, quam ad Jus Publicum & ſingulare Fœderati Belgii, & quia ſic hoc Opuſculum excreviſſet ad majorem molem, quam ut ſcribere potuiſſem tam feſtinante calamo, ut nunc ſcriptum vides, ſi rationem putare velis ejus temporis, quod effluxit ab exorta quæſtione, quæ etiamnum apud Ordines indeciſa pendet, ad usque hunc, qui labitur diem. Memineris etiam, me non aliter ſcribere, quam ſolent occupatiſſimi. Ita, Lector, vale.

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

DE

FORO LEGATORUM TAM IN CAUSA CIVILI, QUAM CRIMINALI,

LIBER SINGULARIS.

CAPUT I.

Legatorum varia nomina, nec una conditio, ſed nihil hæc pertinere ad Forum competens.

Legati varia nunc nomina, rem ipſam idem ſunt. Apud Veteres diſtinctum non invenias; una fere ibi legati vox vel Oratoris. Hodie ex pompæ magis, vel ſtipendii magnitudine, quam alia ratione appellationibus diſtinguuntur. Ipſæ appellationes aliis enumeratæ, & vulgo notæ ſunt. *Oratoris* nomen, apud antiquos Romanos frequentiſſimum, tantum non obſolevit, niſi quod Ordines Generales Fœderati Belgii in veterioribus Decretis ſuum ad Turcorum Imperatorem legatum, *Oratorem* appellant. Ne quidem apud Veteres obtinuit illa legatorum diſtinctio, quæ cum maxime celebratur, ut alii ſint extraordinarii, alii vero ordinarii. Extraordinarii, quales olim erant omnes, mittuntur cum mandato certæ alicujus rei agendæ, ordinarii non unius, ſed omnium rerum, atque adeo & explorandi ergo in Amicorum Aulis habentur. Sane mutata Europæ conditio ordinariorum uſum & utilitatem introduxit. Romani Veteres iis uſi non ſunt, quia parum commercii cum exteris exercebant, neque ab hoſte tantum ſibi metuebant, Imperii magnitudine & limitaneis caſtris tuti, interdicto & quandoque cum exteris commercio, ac ſi arcana alterius Imperii ſcrutari diſpliceret *l.* 4. *C. de Commerc. & Mercator.* Sed alia rerum facies eſſe cœpit, cum poſt Imperii Romani finem plurimi Principes, quique ſui juris, & plurimæ minutæ Reſpublicæ exortæ ſunt; & cum late cœperunt fervere commercia, in alio fere Imperio exercita, ubi vix tutum eſt agere ſine magnæ auctoritatis Patrono, qui mercatorum defenſorem agat. Ne dicam, metum quoque auctum, & frequentes nomine publico querelas perpetuam fere legationis materiam præbere. Atque inde iis ordinariis legationibus nihil eſt frequentius, quibus ſolis ii Principes non utuntur, quorum ſubditi, ut olim Romani, magis ſeſe Imperii ſui limitibus continent. Quin Belgis Fœderatis expediant, propter ea, quæ dixi, non video, cur dubites. De eo tamen quæſitum eſt in extraordinariis Ordinum Generalium comitiis anno 1651. ſed nihil definitum, re ablegata ad ordinaria eorundem Ordinum Comitia.

Quæcunque autem legatorum nomina ſint, & quæcunque legatio, ſive ordinaria, ſive extraordinaria, quamvis & pro mittentis, & pro miſſi dignitate & titulo alius atque alius legatis habeatur honor, id tamen conſtare debet, ſi, ut oportet, ex Jure Gentium cauſam æſtimemus, legati perſonam ſemper æque ſancte habendam, ſemper æque cuſtodienda jura, quæ legatis, tanquam legatis, debentur. Inter legatos certe, ubi de tuitione eorum adverſus vim injuſtam agit, non diſtinxit Ulpianus in *l.* 7. *ff. ad L. Jul. de vi publ.* cum ait, lege Julia de vi publica teneri, *quod ad Legatos, Oratores, Comitesve ali-*

attinebit, ſi quis eorum quem pulſaſſe, ſive injuriam feciſſe arguetur. Nec etiam, in eadem cauſa, diſtinxit Pomponius, & Veteres Juris Auctores, ab eo laudati, in *l. ult. ff. de Legation.* nimis ſcilicet juris publici, quod etiam profitebantur, periti, quam ut in legato, qui codicillos habet a Principe, vel populo, qui ſui juris eſt, quicquam facerent diſcriminis in iis, quæ ex Jure Gentium deſcendunt.

Hollandiæ Ordines, id jus ſequuti, etiam omnes ſpecies legatorum, qui nunc ſunt in uſu, recenſuerunt, cum vim injuſtam a legatis arcendam decreverunt, nam ecce anno 1651. 29. Mart. Edicto facto graviſſimam indignationem ſuam minati ſunt, ſi quis legatis eorumve comitibus, domui, cæterisve rebus aliquam injuriam feciſſet, *Ambaſſadeurs*, ajunt, *Reſidenten, Agenten, of andere Miniſters van Coningen, Princen, Republycquen, of andere, de naam van publicque Miniſters dragende.* Neque etiam Ordines Generales Fœderati Belgii diſtinxerunt inter Legatos in *Edicto* 9. *Sept.* 1679. & *Decreto* 19. *Jun.* 1681. de quo utroque deinde plenius agemus, ſed vel conjungunt *Ambaſſadeurs* en *Miniſters*, vel de his ſolis loquuntur, generali appellatione.

Hæc eo pertinent, ut ſciamus, in quæſtione, quam nunc excutimus de foro competenti legatorum, diſtinguendum non videri, cujus conditionis vel nominis legati fuerint, nam jus revocandi domum, quod legatis debetur, debetur ex jure Gentium, ejusque participes ſunt non tantum legati primæ, ſed & ſecundæ & inferioris dignitatis. Utque adeo neſciam, quo jure Curia Hollandiæ Anno 1644 & manifeſtius Anno 1659. reſponderit, illa legatorum privilegia, quibus jurisdictioni eximuntur eorum, apud quos degunt, ad eos duntaxat pertinere, qui, ut ajunt, *cum eminenti & ſumma dignitate* mittuntur, & *Ambaſſadeurs* appellantur. Reſponſa illa narrat Aitzema *Libr.* XXIV. *p. m.* 792. & *Libr.* XXXIX. *p. m.* 680. Atque ea ratione ipſa illa Curia Hollandiæ, cum 25. Oct. ejusdem anni 1644. Edictum promulgaſſet adverſus eos, qui ad legatorum ædes concurſum, turbam, vim faciunt: non eſt loquuta niſi de ſolis ædibus *Ambaſſadeurs*, ac ſi aliis minorum Gentium legatis ſatis cautum eſſet jure communi, vel his non deberetur ea tuitio, quæ majorum Gentium legatis debetur, cum tamen utrique veniant æque fide publica, æque a Principe ſui Juris, nec quicquam mutet, ſi, vel ut ſumptibus parcatur, ſive alia de cauſa, alio atque alio nomine eos appellemus. Sunt Principes, qui nunquam mittunt *Ambaſſadeurs*, eorum igitur legatos à Jure Gentium excludemus? ea Juris Publici prudentia nos non utimur, & eam etiam merito damnarunt Wicquefort *en ſon Ambaſſadeur L.* I. *Sect.* 5. *princ.* & *Sect.* 27. *p.* 813. & Aitzema *d. Lib.* XXIV. *p. m.* 799. & 800. & ante eos alii.

CAPUT II.

Forum competens unde æſtimari oporteat.

Igitur qualeſcunque legati diſputationi noſtræ argumentum præbent. Priusquam, ubi hi conveniantur, vel accuſentur, porro inquiram, intererit ſcire, quæ fori competentis origo & natura ſit. Omnis jurisdictio, cum in cauſa civili, tum criminali, ſolius Principis eſt, hancque vel ipſe exercere poteſt, vel alteri mandare. Utcunque placuerit, extra perſonas vel res, Imperio ejus ſubditas, neutiquam ea extendi poterit: nam ut Juris Civilis decretum eſt, *extra territorium jus dicenti impune non pareri*, ita Juris Gentium vox, *impera, ſed in ſubditos.* Pendet ea res a ſola ſubjectione, & absque ea ſi ſit, irrita eſt omnis jurisdictio, & irrita, quæ eam præcedit, in jus vocatio. Si quis in jus vocatus non iverit, mulcta tenetur *l.* 2. §. 1 *ff. Si quis in jus vocat. non iver.* at quis mulctam dicet in non ſubditum? qui in jus vocatus fidejuſſorem dedit, ſed non ſubjectum jurisdictioni ejus, ad quem vocatur, pro non dato fidejuſſor habebitur *l.* 1. *ff. eod.* Omnibus Magiſtratibus *ſecundum jus poteſtatis ſuæ* conceſſum eſt Jurisdictionem ſuam defendere judicio pœnali *l.* 1. *pr. ff. ſi quis jus dicenti non obtemp.* at quæ poteſtas in perſonas vel res, jurisdictioni Magiſtratus non ſubditas? quis judex non ſubditum cogat ad id, quod extremum eſt in Juriſdictione? Nempe ubi ſumus, convenimur, quia ſubjecti ſumus; ubi contraximus, convenimur, quia, dum ſubjecti eramus, contrahentes, nos ei Juriſdictioni obligavimus. Cum lex ait, ne quis contrahat, niſi & impleat contractus fidem, de ſubjectis loquitur; & id jubet, quia ſubjecti ſumus, inutilis alioquin eſt ea juſſio, ut eſt omnis lex, in non ſubditum ſcripta.

Subjectio autem, ut modo indicabam, duplex eſt, altera perſonæ, altera rei, in Imperio, quo de agitur, ſitæ, & ex utraque forum ſortimur. Perſona forum ſortitur ex loco domicilii, quia niſi privilegium obſtet, Magiſtratui ſuo ſubjecta eſt. De arreſtis, ut verbo forenſi, ubique nunc recepto, utar, ex ſola ſubjectione etiam æſtimandum eſt. An arreſta apud Romanos fuerint in uſu, & forum competens tribuerint, ut hodie ubique fere Gentium tribuunt, non eſt, ut prolixe inquiram. Omnino non fuiſſe in uſu, non auſim adfirmare. Cum eo, qui, cum Provincia abiret, pecuniam, quæ penes ſe eſſet, ad ærarium profeſſus retinuerit, non eſſe quidem reſiduæ pecuniæ actionem Paulus ſcripſit in *l.* 9. §. *ult. ff. ad L. Jul. pecul.* ſed tamen poſſe eum, qui hoc imperio utitur, eam pecuniam exigere, *pignus capiendo*, CORPUS RETINENDO, *mulctam dicendo.* Et adverſus peregrinos, utique in cauſa criminali, juriſdictionem eſſe ſignificat Proculus in *l.* 7. *ff. de Captiv. & poſtlim. reverſ.* nam cum in *princ.* dixiſſet, liberos & fœderatos nobis exteros eſſe, addit in §. 2. *At fiunt apud nos rei ex Civitatibus fœderatis, & in eos damnatos animadvertimus.* quod ipſum, in eandem ſententiam, adfirmat Paulus in *l.* 3. *ff. de Offic. Præſid.* Fruſtra ſimus, niſi id jus derivemus ex ſola ratione ſubjectionis, ut inde quoque derivanda eſt omnis origo Arreſtorum, quibus hodie tam prolixe utimur. Cur bona detinemus, niſi quod ſubſint Imperio ejus, qui injecta manu, detinere jubet, ſive mobilia, ſive immobilia ſint? cur ea detentio juriſdictionem tribuit, niſi quod judex bona rei, a ſe damnati, poſſit executioni dare? Pragmaticorum verſuta natio etiam detentionem rei viliſſimæ putat ſufficere ad forum tribuendum, etiamſi nulla in eam fieri poſſit executio ejus, quod juſſit vetuitve judex, ſed quo jure id dicatur, nunc non diſputo, modo conſtet, ſolam ſubjectionem arreſto cauſam dare poſſe. De perſonis eadem in-

inſpectio eſt, nam ſive peregrinos detineamus, ſive, ubi id licet, ejuſdem Imperii ſubditos, ſed in alieno territorio, non aliam ob cauſam detinemus, quam quod ubicunque quis invenitur, ibi & ſubjectus eſſe intelligatur, & quia ſubjectus eſt, cogatur parere juriſdictioni ejus, qui eum in jus vocavit. Quapropter non ſatis animadverto, quid ſibi velit Neoſtadius *Deciſ. Supr. Cur.* 83. cum ait, *Sequeſtrandi*, ut ipſe vocat, *jus ſoli Curiæ dari ex cauſis in jure expreſſis*, & *eo etiam Civitates ex privilegio uti*, *Pagis vero idem jus a Principibus conceſſum non eſſe.* Nullæ ſunt cauſæ expreſſæ in jure, ob quas Curia arreſto detinere poſſit, nulla ſunt privilegia, quibus id Civitatibus datum eſt, denique ubicunque Magiſtratus loci juriſdictionem & imperium habet, recte fiunt arreſta, etiam in agro, niſi ſpecialis lex ſit, quæ vetat, vel mutua pactio, vel privilegium, quod a jure communi eximat. Hujuſmodi leges, pactiones & privilegia quam plurima ſunt, ſed quæ nunc non recenſeo. Abſque his ſi ſit, ſequemur jus commune, nec quicquam curabimus illam, quam memoravi, verborum balbutiem.

De origine Arreſtorum mirum eſt, quam varie diſputet vulgus. Poteris animum his deliciis paſcere, ſi legeris, quæ habet Peckius *de jure ſiſtend. C.* 2. Buſius ad *l.* 1. *ff. de Judic. n.* 7. Hilliger ad Donellum *Lib.* XVII. *C.* 15. *lit.* Q. Groenewegen *ad l. un C. Ubi conven. qui cert. loc. dare prom.* & Voet ad *Tit. ff. de in jus voc. n.* 22. & 23. Sed & poteris ea omnia pro non ſcriptis habere, & animum duntaxat applicare ad diverſa, quæ nunc ſunt, Imperia, & diverſas, quæ inde naſcuntur, perſonarum & rerum ſubjectiones. Imperium Romanum cum ab uno regeretur, injuria arreſti adeo placere non potuit, incommoda quippe ſubditis, ſed poſtquam Imperium Romanum in tot diſtincta Imperia eſt diviſum, quin diſſectum in tot particulas, easque ſingulas ſui juris, etiam ſingulæ ſibi ſuorumque commoditatibus proſpexerunt, maxime adverſus exteros. Et quamvis plurima Imperiola poſtmodum coaluerint, & invicem coiverint, retinuiſſe tamen videntur jus antiquum, quo, cum diviſa eſſent, utebantur. Utebantur autem primum contra peregrinos, nec ſine aliqua rationis ſpecie, quia eorum commoditati non ita proſpicit lex, ac proſpexit utilitati ſubditorum & incolarum. Atque ita diviſæ olim Hollandiæ Ditiunculæ jure arreſti uſæ ſunt adverſus exteros, ut variæ earum antiquæ leges demonſtrant. Sed deinde, quamvis coaluerint, & contra ſe invicem uſæ ſunt, & generale jus eſſe cœpit, ubi quis invenitur, recte eum conveniri poſſe, &, ſi abeundi metus eſt, detineri, cum tot cenſeantur ſubjectiones, quot ſunt territoria, etiam ſub uno eodemque Principe. Et hoc jure nos utimur, niſi, ut diximus, ſpecialiter ſecus ſit conſtitutum.

CAPUT III.

Princeps in alterius Imperio quo jure cenſeatur, quod ad forum competens.

Antequam de legato, qui faciem Principis adfert, videamus, de ipſo Principe ejusve bonis primum meretur deſpici. Ita autem in hoc, & reliquo, quod executuri ſumus, argumento verſabimur, ut ſemper rationes Imperii a rationibus juris diligenter diſtinguamus, nec tam quæramus, quid proſit, quam quid liceat, ſi quis jure ſuo uti velit. Sunt, qui exiſtimant, ejuſmodi eſſe Principum in Ditionibus ſuis poteſtatem, ut quicunque in iis ſunt, eorundem ſubditi intelligantur, idque eo etiam usque, ut ipſi Reges, quum in alterius Imperio morantur, jura Principum amiſiſſe credantur, habeanturque ut alia privata ejus Imperii membra, atque adeo vivant eorum locorum, in quibus agunt, legibus moribusque. Neque, ajunt, hoc fieri poteſt aliter, quum ea ſit tacita & neceſſaria in alicujus ditionem veniundi conditio. Ipſum Imperatorem in alterius Imperio eſſe *tanquam privatum*, etiam teſtibus advocatis, dixit Arthurus Duck *de uſu & autbor. Jur. Civ. Lib.* II. *C.* 5. *n.* 9. & Principes in alterius territorio forum ſortiri, ſicut quoslibet privatos, additis quoque auctoritatibus, ſcripſit Mollerus *Semeſt. Lib.* IV. *c.* 20. *n.* 2. nec fere alia ſententia utitur Richardus Zoucheus *Jur. Fecial. inter Gent. Part.* II. *Sect.* 2. *q.* 6. duo triave exempla adferens Principum, qui in alieno Imperio damnati ſunt. Sed vero cur Princeps in alterius Imperio, quod ad ſuum Principatum, jura quæ Majeſtatis vocantur, exercere non poſſit, minime animadverto, & omnino falluntur, ſive rationem, ſive conſenſum Gentium exploremus, qui eo etiam usque Principis, in alieno territorio morantis, auctoritatem demittunt. Quod ad Imperium ejus, in quo moratur, jura Majeſtatis Principem exercere non poſſe, res eſt liquida: quumque juriſdictio ad Jura Majeſtatis pertineat, jure merito ægre acceptum eſt in Francia, quod Chriſtina, Sueciæ Regina, anno 1657. ibi hominem quemdam ſuum, quod ſecreta ejus eliminarat, juſſerit interimi. Poſſe tamen Principem in Imperio non ſuo quædam exercere, & quæ illa ſint, commodum explicat Zoucheus *d. Part.* II. *Sect.* 2. *q.* 9.

Cæterum ego ne quidem de privato auſim adfirmare, quod illi, quos dixi, tam prolixe largiuntur de Principe, qui alterius Imperium ſubivit. Quid enim, an privatus, qui nec civis nec incola eſt, ſed fortuito moratur in alia Ditione, ex eo, tanquam ſubditus, mox forum ſortietur? ſi quis peregrinus ſeceſſerit in Hollandiam, & hanc transiens, ut vel amicos inviſat, vel res ſuas cum Mercatoribus componat, vel ut multorum hominum mores videat & urbes, in ſingulis urbibus jus dicenti parebit? non puto, quia advena eſt, non ſubditus. Veriſſima & æquiſſima eſt Pauli diſputatio in *l.* 19. §. 2. *ff. de Judic. Nunquid dicimus*, inquit, *eum qui a mercatore quid comparavit advena, vel ei vendidit, quem ſcit, inde confeſtim profecturum, non oportet ibi bona poſſidere, ſed domicilium ſequi ejus? at ſi quis ab eo, qui tabernam vel officinam certo loci conductam habuit, in ea cauſa eſt, ut illic conveniatur? quod magis habet rationem. Nam ubi ſic venit, ut confeſtim diſcedat, quaſi a viatore emptis, vel eo qui transvehebatur, vel eo qui* παραπλεῖ, *id eſt, præternavigat, emit, duriſſimum eſt, quotquot locis quis navigans, vel iter faciens, delatus eſt, tot locis ſe defendi.* Idque Jure Romano placuit, quo etiam forum competens eſt ex loco contractus, ſecus atque hodie ubique fere Gentium. Aliud eſt, ſi quis domicilium transferat, atque ita ſubditi conditionem, quam alibi habuit, exuat: nam apud omnes populos, Chinenſes, Moſchos & Anglos ſi excipias, ſemper fuit, & adhuc eſt liberum, ſubditi conditionem exuere, in eamque ſenten-

tiam prolixe Ordines Generales contra Anglos diſputant in Decreto anni 1688. 13. Mart. quod eſt in *de Holl. Mercur.* 1688. *p.* 188. 189. & 190. & recte diſputant, etiam conſentiente Grotio *de J. B. & P. Lib.* II. *C.* 5. *n.* 24. nec quemquam novi, qui contradicat, niſi Ant. Matthæum *de Crimin. ad L.* XLVIII. *ff. T.* II. *C.* 1. *n.* 9. illi nempe in mentem venit adfirmare ſemper aliquem, quantumvis deceſſerit, manere ſubditum, fruſtra huc advocata, quam non intellexit, *l.* 29. *ff. ad Municip.* Ubi igitur non eſt lex ſpecialis, quæ id vetet, licet ſubditi conditionem mutare, mutato ex animi ſententia domicilio, ſed ubi mutatum non eſt, ut peregrinantes, etiam privati, mutare non ſolent, ex brevi commoratione non naſcetur forum competens. Excipio delicti cauſam, nam & Jure Romano, quamvis Præſes in ſuæ Provinciæ homines tantum imperium habuit, habebat tamen & adverſus extraneos, ſi quid manu commiſiſſent *l.* 3. *ff. de Offic. præſid.* neque aliter moribus Gentium, qui nunc ſunt, ubi quis deliquit, ibi judicatur, utique ſi, ubi deliquit, fuerit apprehenſus, quod legibus quibusdam additur, ſed ea eſt hujus argumenti magnitudo, ut de eo ſilere præſtet, quam parum dicere. Excipio denique cauſam arreſti, nam peregrinum nunc, ubicunque moratur, detineri poſſe, & ex illa detentione forum eſſe competens, nemo negaverit.

Nunc propius agamus de Principe, qui liber & ſui juris, in alterius tamen Imperium ſecedit, ſive ut res ſuas ipſe agat, quæ alioquin per legatos ſolent explicari, quod ad fœdera, commercia, & id genus alia, ſive ut litem obortam ipſe transactione componat, ſive ut diſcat ex rationibus alieni Imperii, quod ad ſuum transferat, ſive ſolius animi & oblectationis gratia. Quacunque autem cauſa ſeceſſerit, nemo dicet, eo animo ſeceſſiſſe, ut alterius Imperio ſe ſubmittat, utque fiat ſubditus, translato domicilio. Advena eſt, ut quicunque privatus, & quemadmodum hic non tantum non ſubjicitur muneribus loci, quo de agitur, perſonalibus vel patrimonialibus, ſed nec foro, ita nec Principem ſubjici res eſt oppido manifeſta. At vero exceptiones, quæ in privato obtinent, an & in Principe obtineant, ambiguæ magis, & arduæ inſpectionis eſt. Fac, Principem homicidia & rapinas perpetrare, irruere in quosvis homines, non ſuos tantum, ſed ejus Imperii, in quo moratur, fac, eum hoſtile quid moliri in Principem, hoſpitem ſuum, an dicemus, quia deliquit, detineri & judicari poſſe a Principe, cujus Majeſtatem læſit? Et rurſus, fac, Principem, ubi eſt, grande æs alienum contraxiſſe, fac, ex antiqua cauſa plurimum æris alieni debere ſubditis ejus, apud quem moratur, vel etiam aliis extra ſubditos, an dicemus, arreſto poſſe detineri, & inde foro ſubjici, & ad ſolutionem cogi? ſubſiſto. Pendet ea quæſtio, ut omnis alia inter diverſos Principes, a Jure Gentium. Id quale ſit & unde ſit, quibus regulis contineatur, & quas diſtinctiones patiatur, integris Libris pertractatum eſt. Non erraverit, qui veteres Juris Auctores ſecutus id eſſe dixerit, quod ratione præeunte inter Gentes ſervatur, ſi non inter omnes, inter pleraſque certe & moratiores. Duo igitur ejus quaſi fulcra ſunt, ratio & uſus. Id ipſum mihi deſcripſiſſe videtur Seneca *Epiſt.* 120. *Nobis*, inquit, *videtur obſervatio collegiſſe, & rerum ſæpe factarum inter ſe collatio, per analogiam noſtro intellectu & honeſtum & bonum judicante.* Et ea ratione a Jure Naturæ diſtinxiſſe videtur, quod non uſui adſcribit *Epiſt.* 121. nam poſtquam inſtinctum naturalem, qui in animalibus eſt, expoſuiſſet, mox addit: *ex quo apparet, non uſu ad hoc pervenire, ſed naturali amore ſalutis ſuæ.* Quicquid autem, & quam varie, & quam anxie de Jure Gentium diſputetur, eo ſemper cauſa recidit, ut quod ratio dictavit Gentibus, quodque illæ rerum ſæpe factarum collatione inter ſe obſervant, unicum jus ſit eorum, qui alio jure non reguntur. Si omnes homines homines ſint, id eſt, ratione utantur, haud fieri poteſt aliter, quin ratio iis quædam ſuadeat & imperet, quæ mutuo quaſi conſenſu ſervanda ſunt, & quæ deinde in uſum converſa Gentes inter ſe obligant, & ſine quo Jure nec bellum, nec pax, nec fœdera, nec legationes, nec commercia intelliguntur.

Secundum hæc ſi quæramus, an Princeps, qui in alterius Imperio deliquit vel contraxit, ibi puniri poſſit, & an detineri ob æs alienum, ad rationem primum, deinde ad uſum recurrendum erit. Solam rationem ſi in conſilium adhibeamus, multa in utramque partem dici poſſunt. Quid enim ſi Princeps in aliena Ditione Principem exuat, latronem & homicidam induat, ſi res novas moliatur, factiones concitet, & perduellem agat, nunquid id ei impune erit? rurſus, ſi cives pecuniis emungat, grandi ære alieno conflato, an ſic abibit, ſpolia hæc opima domum referens? difficile dictu eſt. Nec tamen deſunt, quæ, conſulta ratione, contra diſputes. Si enim legati, qui Principem repræſentant, nec in contractibus, nec in delictis foro ſubjiciantur ejus, apud quem legatione funguntur, ut plena fide deinde oſtendam, an in Principe contra ſtatuemus? an quod ratio & omnium Gentium conſenſio in legatis recepit, quia Principem repræſentant, & ejus mandata explicant, non recipiemus in Principe, qui ipſe adeſt, & res ſuas forte per ſe agit? an ejus ſanctitas non eſt major ſanctitate legatorum? an hunc igitur, injecta manu, in jus rapiemus, ut cauſam dicat? vel an ideo in Principe licebit, quod in legato non licet, quod legatus habeat, quem repræſentat, & ad quem domum revocet, ipſe Princeps non habeat? ea forte ratione, qua Chriſtinæ in Suecia Miſſam celebrare permiſſum non fuit, quamquam omnibus legatis permitteretur, ut refert Aitzema *Lib.* XLVII. *p.* 406. & 407. etiam hoc difficile dictu eſt. Si de uſu quæramus ex ſecundo præcepto Juris Gentium, adhuc incertiores erimus, quam dudum. Quin fere eo deveniendum eſt, ut negandum videatur, hanc rem Jure Gentium definitam eſſe, vel definiri poſſe, ut enim Jus Civile præterit, quæ accidunt ἐκ παραλόγου, vel τὸ ἅπαξ ἢ δὶς, ut JCti loquuntur in *l.* 3. & 6. *ff. de LL.* ſic vel maxime Jus Gentium ea non finivit, quia id ſe tuetur exemplis, & comparatione rerum, a diverſis Gentibus ſæpe eodem modo judicatarum. Non adeo frequentes ſunt ipſorum, qui imperant, Principum in alienis Imperiis peregrinationes, minus frequentia crimina vel debita, quæ huic diſputationi cauſam præbere poſſint, &, quicquid ſit, ob perſonæ ſanctitatem, eo ſemper temperamento utimur, ne ob minima quæque magnum exemplum ſtatuamus.

Cum autem, ut dixi, rariſſime illæ ſpecies incidant, & ſi quandoque inciderint, & illa Gens, ubi quæſtio diſceptatur, cenſuerit, Principem, ubi deliquit vel contraxit, detineri poſſe, vel non poſſe, nemo, credo, dicet, ex eo ſtatim Jus Gentium eſſe intelligendum. Zoucheus *de Jure Fecial. inter Gent. Part.* II. *Sect.* 2. *q.* 6. duo habet exempla Principum, qui, ut ipſe putat, in alieno Imperio damnati ſunt, & tertium habet in *Notis*, ſed dubito, an bene hæc conve-

niant

hiant huic diſputationi, verum id largiamur; nam ſingula excutere longioris operæ eſſet, nec tamen continuo inde efficiamus, ita placuiſſe omnibus, vel plerisque Gentibus, ex quo ſolo cenſetur Jus Gentium. Carolus Emanuel, Sabaudiæ Dux, poſtquam factiones tacitas aluiſſet in Francia, ipſe ad Henricum IV. advenit, prætexta honoris & ſalutationis cauſa, ſed revera, ut præſens aptius velificaretur conſilio ſuo. Rex Franciæ, re detecta, Carolum Emanuelem dimiſit impunitum, non ex ſententia Conſilii ſui, ſed ex ſua, quam Juri Gentium magis aptam putabat. Nec Franciscus I. Carolum V. per Franciam tranſeuntem, detinuit & coëgit Ducatum Milanenſem reddere, quem ſe redditurum ſæpe promiſerat, ut ut eſſent, qui ut detineret & cogeret, auctores erant. Et Regina Sueciæ, cum, ut ſupra innuebam, Anno 1657. Marchionem Monaldeſchium occidiſſet in Francia, ſic ſe tuita eſt: *Reginam ſe eſſe, nemini ſe, etiam in Francia, niſi Deo ſubditam, neque enim captivam eſſe, & in homines ſuos ſupremum Imperium habere*, ut eſt apud Aitzema *Lib.* XXXVII. *p. m.* 1064. quod factum Galli, quamvis indignabundi, impune transmiſerunt, ex impotentia muliebri, dicet alter, alter vero, ex Jure Gentium, ut optumum maxumumque eſt.

Nihil igitur in hoc argumento proficies rebus ſimiliter a Gentibus judicatis, atque ita ſola ſupereſt ratio, quam conſulamus. Et hac conſulta ego non auſim plus juris tribuere in Principem non ſubditum, quam in legatum non ſubditum, quamvis plus tribuerint, qui pro Eliſabetha, Angliæ Regina, contra Mariam, Scotiæ Reginam, diſputant apud Camdenum *Annal. Angl. ad annum* 1586. *p. m.* 443. propter neceſſitatem ſcilicet legationis. Sed inde major non eſt ſanctitas mandatarii, quam mandantis, ſi res ſuas ipſe velit agere. Quare ut extremum eſt in legato, ut jubeatur Imperio excedere, ſic & in Principe ſtatuerem, ſi jus hoſpitii violet. Sed nec ſine cautionibus ea res tranſigenda eſt. Quid ſi enim more latronis in vitam, in bona, in pudicitiam cujusque irruat, nec ſecus atque hoſtis capta graſſetur in urbe. Poterit utique detineri, forte & occludi, quamvis per turbam malim, quam conſtituto judicio. Etiam in Imperio ſimpliciter delato, hanc poteſtatem, in ea ſpecie, ipſis ſubditis adverſus Principem tribuunt, qui alioquin Principum cauſæ iniquiores non ſunt, ut ſcilicet inſurgere liceat in tyrannum, qui Principis perſonam depoſuit. Sic Huberus *de Jure Civit. Lib.* I. *Sect.* 3. *C.* 4. *pr.* ſic alii. Si Princeps in alieno Imperio manu rem agat, vel per ſe, vel per comites, quin manu repelli poſſit, non puto dubitandum. Si vero quid machinetur adverſus Principem hoſpitem, ejusve Imperium, ſi aliud commune delictum perpetret, ſatis, puto, fiet rationi & Juri Gentium, ſi quod hic Jus Gentium eſt, ſi jubeatur finibus Imperii excedere, nec amplius turbare Rempublicam noſtram. In cauſa æris alieni idem dixerim, nam arreſto detinere Principem, ut æs alienum expungat, quamvis forte ſtricti juris ratio permitteret, non permittit tamen analogia ejus juris, quod de legatis ubique Gentium receptum eſt. Si neges, ubi de Jure Gentium agitur, ex analogia diſputari poſſe, ego negaverim, hanc quæſtionem ex Jure Gentium expediri poſſe, cum exempla deficiant, quibus conſenſus Gentium probetur, nec quicquam adeo ſuperſit, quam ut ad legatorum exemplum ipſos Reges & Principes, & quidem magis, ab arreſto dicamus immunes, & in eo a cæteris privatis differre. Audio equidem Curiam Hollandiæ Anno 1693. ob æs alienum, in Hollandia arreſto detinuiſſe Ducem Meklenburgenſem, Principem ſui juris, ſed, ſi vel veriſſimum id eſſet, quamvis ſit, cur dubitem, ob ea, quæ dixi, inde non licet efficere Jus Gentium.

CAPUT IV.

Principis bona in alterius Imperio, an per arreſtum forum tribuant.

Dixi de Principibus, nunc de eorum bonis dicamus; & ut dicamus, neceſſe eſt, quia non modo corporis, ſed & bonorum ratione ſubjicimur poteſtati ejus judicis, ubi bona noſtra ſunt, & quia ſubjicimur, ibi conveniri poſſumus, arreſto incluſis iis bonis. In cauſa civili cum id inter privatos obtineat, ubicunque arreſta frequentantur, ego nullus animadverto, cur non idem obtinere oporteat quod ad bona externorum Principum. Si ab arreſto Principis temperemus ob ſanctitatem perſonæ, quis bona Principis in alieno Imperio æque ſancta eſſe dixerit? uſu Gentium invaluit, ut bona, quæ Princeps in alterius Ditione ſibi comparavit, ſive hæreditatis, vel quo alio titulo acquiſivit, perinde habeantur, ac bona privatorum, nec minus, quam hæc, ſubjiciantur oneribus & tributis. Quia ſubdita ſunt bona, ſubditorum conditionem ſequuntur in omnibus & per omnia. Sin ajas, Imperatoris Romani equos & canes, & ſi quid his minus eſt, olim etiam *ſanctos* audiviſſe, & ea ratione velis contradicere, riſum dabis & jocos, nec ut ſerio reſpondeatur, impetrabis. Ne dicam, vel illam ſanctitatem, quæ tantopere, prædicatur de legatis, mihi cauſam eſſe non videri, cur eximantur foro ejus, apud quem degunt, ſed aliam & longe diverſam, quam *Capite proximo* exponam.

Quod ad bona externorum Principum non una tamen omnium ſententia eſt. Ego adſentior Hilligero *ad Donell. Lib.* XVII. *C.* 17. *lit. A.* cum ait: *Ratione rei etiamſi, qui poſſidet, honore ſuperior ſit, inferioris jurisdictionem ſubit, eoque reſpectu ſubditum quem tradunt, etſi Regia dignitate emineat.* Subditum vocat ratione fori, & executionis, quam Judex forte decrevit in rem ſibi ſubjectam, ſive mobilem, ſive immobilem, ſive pecuniam, ex quacunque tandem cauſa debeatur; utique, ſi me ſequaris, ſic ea interpretor. Et tamen Huberus *Prælect. ad Tit. ff. de in jus voc. Loco, de Arreſto reali n.* 1. ita cenſet, atque ſi ea, quæ Principibus exteris debentur ex publica conventione, non reciperent arreſta, laudans cum ibi, tum *de Jure Civit. Lib.* III. *Sect.* 2. *C.* 2. *n.* 21. Curiæ Friſicæ ſententiam, qua 1681. 7. Nov. judicavit, pecuniam apud Quæſtorem Friſiæ, Imperatori Germanico debitam, pro obligatione, qua Imperator aliis ad aliquot Imperialium millia tenebatur, arreſto includi non potuiſſe, quia, ait *d. n.* 21. legitima ejus denunciatio fieri non poterat. Sane illam rationem nullius eſſe momenti palam eſt, cur enim denunciatio fieri non poterat ex clauſula Edicti, tranſmiſſis, ut ſolet, eam in rem literis. Et an nemo Imperatoris mandatarius eam pecuniam a Quæſtore Friſico erat exactu-

actꝰrus? & ſi eſſet, cur non ei recte denunciari poſſet? Magis probo, quod ipſe deinde *d. n.* 21. eam ſententiam improbet, & magis *politicam*, quam *juridicam* appellet, additis rationibus, quas ibi, ſi commodum eſt, leges. Quid liceat, non quid utile ſit & expediat, ad jus dicentis officium pertinet. In conſilio Principis de utilitate Imperii cum maxime deliberatur, in Tribunalibus judicum, quid legibus conſtitutum ſit, decernitur, nec timetur vultus inſtantis tyranni. Sæpe cum injuria ſubditorum Ordines decreverunt, quod e re publica eſſe videretur. Quo refero hanc ſpeciem: Anno 1668. privati quidam Regis Hiſpanici creditores tres ejus Regni naves bellicas, quæ portum Fliſſingenſem ſubiverant, arreſto detinuerant, ut inde ipſis ſatisfieret, Rege Hiſpan. ad certum diem per epiſtolam in jus vocato ad Judices Fliſſingenſes, ſed ad legati Hiſpanici expoſtulationes Ordines Generales 12. Dec. 1668. decreverunt, Zelandiæ Ordines curare vellent, naves illæ continuo dimitterentur liberæ, admoneretur tamen per literas Hiſpaniæ Regina, ipſa curare vellet, ut illis creditoribus, in cauſa juſtiſſima, ſatisfieret, ne repreſſalias, quas imploraverant, largiri tenerentur. Vide Aitzema *Lib.* XLVIII. *p. m.* 1023-1027. Non quidem metui, ſed unice commiſerationi tribuendum eſt, quod Anno 1654. creditores Comitis Palatinæ, quæ hic vulgo Bohemiæ Regina audiebat, ut ejus bona arreſto includere liceret, ab Ordinibus & Curia Hollandiæ obtinere non potuerint, quemadmodum auctor eſt ipſe ille Aitzema *Lib.* XXXIV. *p. m.* 76.

Sic ſolent Principes, cum Reſpublicæ intereſt, alios Principes non offendi, vel cum commiſerationis ex inopia, vel qua alia ratio movet, ſed id ex officio humanitatis potius, quam ex Edicto Prætoris, ſeu potius ex Jure Gentium æſtimandum eſt; nam ſi ex eo rem putemus, ſepoſitis rationibus Imperii, nihil eſt, quod arreſtum & jurisdictionem impediat. Idque ipſi illi Ordines Generales ſignificarunt Anno 1628. cum enim Elector Brandeburgicus non ſatisfaceret creditori cuidam ſuo, qui ea de re ad Ordines Generales conqueſtus erat, illi menſe Decembri ejusdem anni decreverunt, creditor arreſto includeret, quæ Elector ſub Senatu Brabantino & Flandrico habebat, & coram his cum eo litigaret, ut narrat Aitzema *Lib.* VIII. *p. m.* 672. & 673. & litigatum deinde eſt coram Senatu Flandrico, de quo Elector per legatos Anno 1631. apud Ordines Generales expoſtulavit, ut habet ipſe ille Aitzema *Lib.* XI. *p. m.* 445. Etiam mercator Amſterdammenſis anno 1670. Amſterdami arreſto detinuit pecuniam, quæ Reipublicæ Venetæ debebatur, indignante quidem plurimum Republica, ſed relaxationem pecuniæ non obtinente, niſi per tranſactionem, cujus meminit Decretum Ordinum Hollandiæ 3. Dec. 1670. Rurſus Anno 1689. creditor quidam Ducis Meklemburgenſis ejus bona in Hollandia arreſto Curiæ incluſit, de quo ipſe, atque ſi jus Gentium læſum eſſet, prolixe quidem quiritatus eſt ad Ordines Generales, ſed relaxatum eſſe ad ejus preces non comperi. Simpliciter ea de re cum ipſa Curia deliberari juſſerunt Ordines Hollandiæ Decreto 19. Oct. 1689. utrumque, quod dixi, Decretum reperies inter inedita Ordinum Hollandiæ Decreta ad eos annos. Poſſum plurima exempla addere, quæ vel mea memoria inciderunt. Jacobus, Dux Courlandiæ, multa millia debebat Mercatori Amſterdammenſi ex laudo & ſpontanea condemnatione Senatus Supremi. Quum non ſolveret, & ejus hæredes, Principes Courlandiæ, in Hollandia & Zelandia haberent naves & merces, Senatus Supremus Anno 1696. & ſæpe deinceps, eas arreſto detinuit, inſerta Mandato clauſula Edicti, & conſtituto etiam Curatore, qui Principes defenderet. Ipſe Senator quibusdam ex his cauſis judicandis interfui, nam maxima pars debiti adhuc exſoluta non eſt. Quin paucis abhinc annis Rex Boruſſiæ, qui nunc rerum potitur, ex Mandato Curiæ in jus vocatus eſt cum clauſula Edicti, arreſto incluſa parte hæreditatis Wilelmi III. de qua pluribus litibus actum eſt, & nondum tranſactum. Offendebat Regem non tam in jus vocatio, quam clauſula Edicti, per campanam, ut fit, populo ſignificata, & forte ea carere poſſumus, ubi Princeps legatum habet, qui velit recipere literas. Litigavit tamen Rex Boruſſiæ apud Curiam aliquamdiu, & cum in cauſa quadam 15. Jul. 1716. victus eſſet, appellat ad Senatum Supremum, & litem ibi conteſtatur. Sed cum revocato mandato litem nollet perſequi, nec appellationi renunciare, hæres Wilelmi III. ſolus per advocatum cauſam oravit, ſed 18. Jul. 1719. victus eſt qui vicerat, defenſus ab indefenſo. Scio & in Geldria, & alibi, Principes externos, interpoſito arreſto, in jus vocari, & adeo ea res in mores tranſivit, ut, tanquam de re liquida, nunc equidem inter omnes videatur conſtare. Cavendum autem eſt, ne res ad injuriam vergat, nec quod inter privatos ſummum jus eſt, ex iniquis forte Pragmaticorum Decretis, id ſumma injuria ad Principes porrigamus. Ajunt illi, vel rem minimam, arreſto detentam, ſufficere ad ſubjectionem fori. Largiamur inter privatos, ſic enim obtinuit, ſed an ita Principis equus, per alterius Ditionem tranſiens, poterit includi, ut cauſam præbeat foro? ſi me auctorem ſequaris, non poterit, nec quicquam magis erit contra præſumtam, ſi non teſtatam mentem Gentium.

CAPUT V.

De Sanctitate Legatorum, & an hæc, an quid aliud præſtet privilegium fori.

Qui de legatis & legationibus ſcripſerunt, in eo prolixe verſati ſunt, ut ex omni antiquitate, Græca & Romana, legatos, ſanctos eſſe & inviolabiles oſtenderint, & quo quis eruditior fuit, eo plures auctoritates attulit ad rem, quam nemo negat, probandam. Si Benedicta in hanc rem referam, vetera, nova, ſi exſcribam, quæ toties totiesque exſcripta ſunt, ſi addam, quæ ipſe addere poſſem, ſi recenſeam, quam varie apud varias Gentes, etiam barbaras, animadverſum ſit in eos, qui ſpreto Jure Gentium, in legatos irruerunt, ſi commemorem, quo opprobrio fuerit Principibus, legatos carcere, vinculis, & morte multaſſe, & quam ea res non unius belli cauſa fuerit, ſpiſſior mihi libellus naſceretur, quam nunc ſcribere conſtitui. Ad ſatietatem ſufficere poſſunt, quæ in hanc rem congeſſerunt Jacobus Cujacius *Lib.* XI. *Obſerv. C.* 5. Alberticus Gentilis *de Legationibus Lib.* II. *C.* 1. & 14. Hugo Grotius, princeps Juris Publici Magiſter, *de Jure B. & P. Lib.* II. *Cap.* 18. §. 1 & 6. in *not.* adque

cum

eum locum tantum non omnes Grotii Interpretes. Carolus Paſchalius in *Legato C.* 22. 23. 24. 25. & 26. Fredericus de Marſelaer in *Legato Lib.* II. *Diſſert.* 13. Jean Hotman *en ſon Traité de l' Ambaſſadeur C.* 4. Chriſtophorus Varſevicius *de Legato & legatione p. m.* 44. 68. & 69. Hermanus Kirchnerus in *Legato Lib.* II. *C.* 1. *n.* 28. *& ſeqq.* Abrahamus Wicquefort *en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *C.* 27. & 28. & *dans ſes Memoires touchant les Ambaſſadeurs*, *variis locis.* Chriſtophorus Beſoldus in *Diſſertatione de Legatis, eorumque jure C.* 5. §. 9. *& ſeqq.* Henricus Coccejus in Diſſertatione *de Legato ſancto, non impuni C. I.* Franciſcus Albertus Pelzhoffer in *Arcan. Stat. Lib.* IV. *C.* 2. *n.* 8. aliique quam plurimi, nam vix quiſquam eſt, qui non in locum hunc communem excurrit, ſi de legatis ſermo incidat. Idque adeo inter omnes peræque Gentes obtinet, ut *legatorum non violandorum religionem* nominatim ad jus Gentium retulerit *Cap.* 11. *Diſtinct.* I. Plus ſcire attinet, qua ratione legati apud omnes, ut dixi, Gentes habeantur *ſancti.* Et, ſi ſanctum id ſit, *quod ab injuria hominum defenſum atque munitum eſt*, ut eſſe dicit Marcianus in *l.* 8. *pr. ff. de Rer. divis.* utque ex proprietate verbi deducit Feſtus in *V. Sanctum*, dicendum videbatur, ſanctitatem id legatis præſtare, ne dicto factove offendere liceat, quia imaginem Principis ſui ubique circumferunt, quia pacis & fœderum nuncii ſunt & proxenetæ, & ſine his Gentium ſocietas & beata quies ſalva eſſe nequit. At, inquies, nec alium quemvis licet offendere dicto factove, nam præſto ſunt leges, quæ etiam privatorum corpora, bona, & famam defendunt; quid igitur eſt præcipuum in legatis? hoc videlicet, ut in eos, qui legatos male habent, ſeverius animadvertatur, utque ita ob perſonarum ſanctitatem pœna atrocior ſtatuatur, quam ſolet ſtatui in eos, qui privatum quemcunque læſiſſent. Pomponius certe in *l. ult. ff. de Legation.* contra jus Gentium committi exiſtimat, ſi quis legatum hoſtium pulſaſſet, quia ſanctus habetur, & ex ſententia Mucii addit, qui pulſaverit, hoſtibus dedendum eſſe, quorum erant legati. Exemplum ejus pœnæ exercitæ mox adfert, & plura alia exſtant in Annalibus Romanorum. Extraordinarium eſt id pœnæ genus, & ea forte ratione placuit, quia, ut mox dicam, finguntur legati quaſi extra territorium ejus, ad quem legati ſunt, & adhuc ſubditi ejus Principis, qui miſit, cujusque adeo Majeſtas in legato læſa dici poſſet. Eſt etiam ſingulare, quod mox in Legem Juliam de vi publica incidat, qui vel injuriam feciſſe arguetur legatis, eorumve comitibus *l.* 7. *ff. ad L. Jul. de vi publ.* Atque ita ſanctitatem legatorum interpretantur Ordines Hollandiæ in Edicto 29. Mart. 1651. nam poſtquam illam ſanctitatem, etiam apud Barbaros receptam, prolixe prædicaſſent, inde efficiunt, & continuo ſanciunt, ne quis quacunque ratione legatos, eorumve comites, ædes, rhedas penſiles, aliave, ad legatum pertinentia, lædere ſeu violare velit, ſin autem, habeatur pro turbatore Juris Gentium, & quietis publicæ, &, qua talis, corpore pœnas luat. Extraordinaria, ut vides, violati legati pœna, ſed & antea ſemper extraordinaria fuit. Quum 14. Apr. 1647. legati, Imperatoris Muſcoviæ, ædes veſperi lapidibus eſſent impetitæ, & vitra excuſſa, Curia Hollandiæ 1647. 20. Apr. (*Placat.* II. *Append. Fol.* 2387. *& ſeqq.* vide & Aitzema *Lib.* XXVII. *p. m.* 400.) Edictum propoſuit, quo, ſi quis denuo noctu ſive interdiu ejus legati ædibus vim feciſſet, capitis bonorumque pœnam ſtatuit, arbitraria inſuper decreta, qui clamando, aliave ratione, ejus homines injuria affeciſſet. Adde Edictum Curiæ Hollandiæ 5. Sept. 1642. *Repert Ordd. Gener. p.* 57. & ſemper offendes ſeveritatem legis adverſus eos, qui quovis modo tranquillitatem legatorum turbaverint.

Habes, in quo vertatur, & quo ſolo, ut opinor, abſolvatur ſanctitas legatorum. Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 4. ex ſacroſancto illo legationis jure etiam derivat privilegium fori, quod mox legatis adſerit, & Grotium ſequitur Wicquefort *dans ſes Memoires, touchant les Ambaſſadeurs & les Miniſtres publics p. m.* 39. dubito, an recte. Perſona, quantumvis ſancta, ſola in jus vocatione non violatur. Divi Marci Reſcripto, quod extat in *l.* 13. *ff. Quod met. cauſ.* & *l.* 7. *ff. ad L. Jul. de vi privat.* continetur, *vis eſt & tunc*, *quotiens quis id, quod deberi ſibi putat, non per judicem repoſcit.* Si ergo per judicem repoſcat, nulla vis eſt. Sacerdotes, Virgines Veſtales, Tribuni plebis apud Romanos ſancti, & tamen in jus vocatos legimus. Pontificem quidem in jus vocare nefas, ſed dum ſacra faciebat, ut eſt in *l.* 2. *ff. de in jus vocand.* cæteroquin fas fuit, & jure optimo licuit. Sanctitas perſonæ neminem exemit unquam jurisdictione Magiſtratus, cui ſubditus eſt is, de quo agitur.

Alia igitur quærenda eſt ratio, quæ legatis tribuat privilegium fori, & hanc reperis, ſi memineris, eam eſſe legatorum conditionem, ut moribus conſtanter videatur receptum, legatum non eſſe ejus, ad quem miſſus eſt, ſubditum, ſed manere ejus, qui miſit, ideoque nullo ejus, apud quem legatione fungitur, judicio, ſive de debito, ſive de crimine agatur, cenſeri obnoxium. Ex Gentium conſenſu, cum expreſſo, tum tacito, deinde oſtendam, ex eo, quod quis legationis cauſa abeſt, domicilium mutatum non videri. Unde & de legatis intelligo, quod ait §. 94. *Formæ*, quam Carolus Audax Anno 1462. 4. Sept. Curiæ Hollandiæ præſcripſit, & §. 8. *Formæ*, quam eidem Curiæ dedit Carolus V. 20. Aug. 1531. memorantur enim in iis, præter incolas & ſubditos, alii, qui morantur in Hollandia, nec ſubditi tamen ſunt. Et Ordines Hollandiæ Anno 1657. 22. Mart. certamine ſingulari non duntaxat ſuis ſubditis, ſed & cæteris in Hollandia interdixerunt. Neque enim ea de advenis intelligi videntur poſſe, utique non *d.* §. §. 94. & 8. qui in eos non ſubditos ſoli Curiæ largiuntur jurisdictionem, cum tamen non minus Urbium, quam Curiæ ſit jurisdictio in advenas, interveniente ſcilicet arreſto, ſine quo nec ipſa Curia de his cognoſcit. Neque etiam de Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus licet eos §. §. intelligere, quamvis enim hi, ubicunque terrarum, ſolius Papæ cenſeantur ſubditi, in eos tamen non convenit Curiæ jurisdictio, cum & hæc ſolius Papæ ſit. Sed, inquies, nec in legatos convenit: ſic eſt, ſi me audias, non vero, ſi ipſam Curiam, nam ecce in §. 89. & 90. ejus *Formæ*, quam Anno 1670. ipſa ſibi compoſuit, quamque Hollandiæ Ordines nunquam probarunt, *p.* 12. ſibi jurisdictionem eſſe dicit in externorum Principum legatos, eorumque homines, in iis nempe cauſis, in quibus locum non habet fori privilegium. Quæ illæ cauſæ ſint, non exponit, nec in eo eodem ſemper jure uſa eſt, ut deinceps audies, ſufficit nunc ſcire, Curiam, quod de legatis dicit, dicere videri ad interpretationem *d.* §. 8. *Formæ judicandi*, qua etiamnum utitur. Poſſes & *d.* §. §. intelligere non de quacunque actione,

ſtione, adverſus legatos exercenda, ſed de interdictis, ad prohibendam ἀναρχίαν, quæ & adverſus legatos videntur competere, ut latius dicam *C.* XVII. Et quid ſi nulla Curiæ in legatos eſſet jurisdictio, tamen adita de privilegiis legatorum cognoſceret, nec quicquam ajunt *d.* §. §. 94. & 8. quam Curiam de privilegiis ſubditorum, & peregrinorum, qui ſubditi non ſunt, eſſe cognituram. Forte & ut arceant a legatis vim & injuriam, ut ſæpe Edictis propoſitis arcuerunt, vel ut puniant, ut ſeveriſſime aliquando punierunt, qui legatorum perſonas, homines, ædes, res, quocunque modo ſunt aggreſſi. Utque ita nec ex *d.* §. §. 94. & 8. præjudicium haberi poſſit contra immunitatem a foro communi, ſi vel eos de legatis intelligas, ut ipſe intelligo.

CAPUT VI.

De Foro competenti legatorum quid Jure Romano cautum ſit, & de quibus legatis id ſit intelligendum.

Quamvis non de Populi Romani, ſed de Gentium jurisprudentia agamus, non abs re tamen erit de Jure Romano quædam præmonuiſſe, cum qui id audit, vocem fere omnium Gentium videatur audire, cumque etiam id jus, quod certa ratione in quibusdam legatis conſtitutum eſt, ad omnes alios imprudentia quorumdam traduxerit. De cauſa civili primum, poſt de criminali videbimus. Ulpianus in *l.* 2. §. 3. *ff. de Jud.* recenſet, qui jus revocandi domum habeant, interque hos, legatos *in eo quod ante legationem contraxerunt.* In omnibus, qui domum revocare poſſunt, ea communis ratio eſt, ab Ulpiano mox addita, ne qui ob aliam cauſam veniunt, ob aliam cogantur judicium ſuſcipere. Eſt & alia peculiaris ratio in legatis, quæ paſſim pellucet, ubi ſpecies excutiuntur ejus argumenti, *ne ab officio ſuſcepto legationis avocentur l.* 24. §. 2. *in fin. ff. de Judic.* vel, quod tantundem eſt, *ne impediatur legatio l.* 26. *ff. eod.* vel, quod rurſus eodem redit, *ne probibeantur publico munere fungi l.* 27. *ff. eod.* Veriſſima privilegii ratio, ſed quæ æque militat in eo, quod legati tempore legationis contraxerunt, nam & ob eam rem conventi avocantur ab officio legationis. Et tamen ἐξ ἀντιδιαστολῆς ſubjicit Ulpianus in §. 4. *d. l.* 2. *Omnes autem iſti domum revocant, ſi non ibi contraxerunt, ubi conveniuntur; cæterum ſi contraxerunt ibi, revocandi jus non habent.* Etiamſi ſcilicet ibi contraxerint, priusquam Romæ negotii ſui cauſa hærerent, quod apertum eſt ex ea, quæ de legatis additur, exceptione, *qui*, inquit, *licet ibi contraxerunt, dummodo ante legationem contraxerunt, non compelluntur ſe Romæ defendere, quamdiu legationis cauſa hic demorantur. Quod & Julianus ſcribit, & D. Pius reſcripſit.* Utque adeo, quod ad id, adhuc luculentius ſit legatorum privilegium, a Paulo etiam expoſitum & probatum in *l.* 32. §. 9. *ff. de Recept. arbitr.* Et tamen hi eodem, quo alii, jure utuntur in iis, quæ tempore ipſius legationis, adhuc durantis, contraxerunt. Ita videlicet Juris Romani auctoribus viſum eſt, magnam quidem eſſe rationem, quæ pro legatis facit, in iis, quæ ante legationem acta geſta ſunt, ſed majorem & fortiorem, quæ iis opponi poſſet, dum legati, ubi ſunt, contrahunt. Hanc rationem eleganter expedivit Julianus in *l.* 25. *ff. de Judic.* *Si*, ait, *legationis tempore quis ſervum, vel aliam rem emerit, aut ex alia cauſa poſſidere cœperit, non inique cogetur ejus nomine judicium accipere:* ALITER ENIM POTESTAS DABITUR LEGATIS SUB HAC SPECIE RES ALIENAS DOMUM AUFERENDI. Hæc vera & una ratio eſt, ne ſub ſpecie legationis occaſio præbeatur delinquendi, nam quam alii adferunt, ita nempe placuiſſe in ipſorum legatorum gratiam, ut in ipſa legatione haberent, quibuscum, ad ſe & homines ſuos alendos, contrahere poſſent, eſt oppido ſatis inepta.

Sed & alia Jure Romano, in civili cauſa, ad legatos pertinent. Poſtquam Ulpianus in *d. l.* 2. §. 4. *ff. de Judic.* expoſuiſſet, in quibus negotiis domum revocare liceret, & quam magis id in legatis obtineret, pergit §. 5. *Item ſi extra Provinciam contraxerunt, licet non in Italia, quæſtionis eſt, an Romæ conveniri poſſint? & Marcellus, in eo ſolo, privilegio eos uti domum revocandi, quod in Civitate ſua, vel certe intra Provinciam contraxerunt, quod eſt verum.* Cujacius *Comment. poſtum.* ad *d. l.* 2. hunc §. 5. intelligit de omnibus aliis, qui domum revocant, præter legatos, nam hos etiam revocare, ſi vel ante legationem Romæ contraxerint, & id probo, ne evertatur exceptio, quæ præceſſit. Similiter probo, quod ſequentem ſententiam, *ſed & ſi agant, compelluntur ſe adverſus omnes defendere*, ad legatos non transferat, quamvis videam plurimos Interpretes, & ipſos quoque Baſilicos, hæc omnia de ſolis legatis exaudire; perperam. In aliis omnibus, qui domum revocant, verum eſt, ſi ipſi agant, cogere etiam excipere actiones, ut eſt in *l.* 22. *ff. eod.* ſed in legatis verum non eſt, quia Romana æquitas non permiſit, ibi quem agere poſſe, ubi conveniri non poteſt, maxime ſi eadem ratio, ob quam conveniri nequit, etiam agenti obſtaret. Non potuit igitur legatus, ne impediatur legatio, vel alienis, vel propriis negotiis ſe interponere, nec quicquam in rem ſuam agere, antequam legationis officio functus ſit, niſi tamen ſuam ſuorumve injuriam perſequatur *l.* 8. §. *ult. l.* 9. 10. 11. & 15. *ff. de Legation.* Quod moribus quidem Gentium non convenit, ſed rationem habet ſummam, ideoque ipſe non dubitem adfirmare, cum legatus hodie ubicunque Gentium agere & experiri poſſit adverſus quoscunque, oportere etiam eum quorumcunque mutuas actiones excipere, ſi ipſi agant prius, ut forte latius ſuo loco dicam. Summam quoque rationem habet, quod ſuum ſuorumque damnum & injuriam legatis licitum ſit perſequi, id enim & aliis omnibus, qui vocandi domum jus habent, licet, etiam ſine metu mutuæ petitionis, quam hodie *reconventionem* dicimus, & ideo licet ſine metu, quia, ut eleganter ex Juliano ſubjicitur in *d. l.* 2. §. 5. *ff. de judic. aut impune contumeliis & damnis adficientur, aut erit in poteſtate cujusque, pulſando eos, ſubjicere eos jurisdictioni, dum ſe vindicant.*

Quæſitum eſt & Jure Romano, an in rem actio adverſus legatum exerceri poſſit, quoniam ex præſenti poſſeſſione hæc actio eſt? Paulus hanc ſpeciem tractat in *l.* 24. §. 2. *ff. de Judic.* & Caſſius apud eum reſpondet, *ſic ſervandum, ut, ſi ſubducatur miniſterium ei, non ſit concedenda*

actio:

actio: ſi vero ex multis ſervis de uno agatur, non ſit inhibenda. Fac, ex familia ſervorum unum vindicari, quo legatus commodum carere poſſit. Sed Juliano placuit, *ſine diſtinctione negandam actionem. Merito*, inquit Paulus, *ideo enim non datur actio, ne ab officio ſuſcepto legationis avocetur.* Sententia Juliani placet, ſi de ſervis, aliisve agamus, quæ ad legationem pertinent, & de quibus proxime egerat Caſſius; an ratio Pauli æque placere poſſet, nondum conſtitui. Si diſtinctionem Caſſii ſequamur, utique periculum eſt a figura Rhetorices, neſcio qua, Σωρείτην credo, appellant, & metus eſt, ne quid decori legationis decedat, neve minus expediri poſſint, quæ per ſuos homines expedit legatus, & quæ alia in hanc ſententiam dici poſſent. Sed hoc, quod dixi, ex regulis Juris Romani, accipiendum eſt de poſſeſſione, quam legatus nactus eſt, antequam fungatur officio, nam ſi nactus fuerit in ipſa legatione, cogetur judicium accipere, ut Julianus ſubjicit in *l.* 25. *ff. eod.* unde & Baſilici utramque legem uno themate clauſerunt. Utile autem erit rem ipſam notaſſe, ubi de actionibus in rem, & detentione bonorum, ex uſu Gentium, dicendum erit. Poſſem de cauſis civilibus alia addere ex Jurisprudentia Romana, ſed ea magis pertinent ad apices Juris, quam ad illuſtrandum argumentum, quod proprie eſt Juris Gentium.

De foro criminis paucis rem abſolvit Paulus in *l.* 24. §. 1. *ff. de Judic. Legati*, inquit, *ex delictis, in legatione commiſſis, coguntur judicium Romæ pati, ſive ipſi admiſerint, ſive ſervi eorum.* Nec legatum Provincialem accuſare licet, ex ſententia Venuleji in *l.* 12. *ff. de Accuſat.* ſed *ejus duntaxat criminis, quod ante commiſerit, quam in legationem venerit.* Sane ſi ob ea, quæ in legatione contraxerint, domum non revocent, multo minus revocabunt ob ea, quæ deliquerint: nam ex delicto non minus obligamur, quam ex contractu, & *omnem honorem reatus excludit*, ut in cauſa non abſimili Conſtantinus reſcribit in *l.* 1. *C. ubi Senat. vel Clariſſ.* Servatur tamen iis honos, & revocandi privilegium, ſi ante legationem deliquerint, ut ex Paulo colligimus, & ex Venulejo aperte conſtat. Quod de ſervis delinquentibus additur in *d. l.* 24. §. 1. non niſi de noxali actione, quæ in legatum competit, intelligi oportere, res eſt liquida ex *l.* 1. *ff. de Noxal. action.*

Supereſt, ut dicamus, de quibus legatis intelligendum ſit, quod Romani, in cauſa fori, ſtatuerunt, idque eo magis neceſſe eſt, ut amoliamur præjudicium, quod ex Jure Romano contra Jus Gentium induxit quorundam ignorantia. Legati mittuntur vel a Principe ſui juris ad alium Principem ſui juris, ſive is fœderatus ſit, ſive hoſtis, vel a Provinciis & Municipiis, hoc eſt, ab ipſis ſubditis ad Principem, qui Provincias & Municipia imperio ſuo complectitur. Si legamus fragmenta veterum JCtorum, ſi Reſcripta Imperatorum, quæ exſtant ſub utroque *Titulo Pand.* & *Cod. de Legationibus*, mox largiemur, quicquid ibi traditur, non eſſe exaudiendum niſi de legatis Provincialibus & Municipalibus, ſi unam forte *l. ult. ff. de Legation.* excipias, quæ eſt de legato hoſtium. Alibi quoque, cum de legatis ſermo incidit, fere Provinciales & Municipales intelliguntur, qui ad exſequenda mandata Reipublicæ ſuæ, ad Principem Romanum mittebantur. Poſſem varia loca in hanc rem adferre, ſi non plena fide conſtaret etiam tunc, cum de eorum foro competente agitur, & quo ſolo noſtra abſolvitur diſputatio. Apparet, quod dico, ex integro tractatu Ulpiani in *d. l.* 2. §. 3. 4. & 5. *ff. de Judic.* ex *l.* 8. & 9. *eod.* addita *l.* 5. §. 1. *ff. de Conſtit. pecun. l.* 34. *pr. ff. de Judic. l.* 35. §. 2. *ff. de Jurejur.* Et Cujacius, & Mornacius ad *d. l.* 2. §. 3. & Grotius de *Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 10. *in fin.* & alii quam plurimi totiens id obſervarunt, ut mirer, eam rem non obſervatam, fraudi fuiſſe quinque magni nominis JCtis, qui Anno 1571. in Anglia, ſententiam rogati, ex Jure Romano reſponderunt de judicio Joannis Leslæi, Epiſcopi Roſſenſis, qui legatus erat Mariæ, Reginæ Scotiæ, & in Anglia res novas moliebatur. Conſultationem exhibet Camdenus *Annal. Angl. ad annum* 1571. *p. m.* 201. *& ſeq.* Etiam alios incautos decepit illud Juris Romani Decretum, ut plus ſemel monet Wicquefort *en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *Sect.* 27. *p.* 817. 821. *& ſeqq.*

Quin & ſi, quod Romani dixerunt, palam & rotunde dixiſſent de legatis externarum Gentium, non inde continuo efficeretur Jus Gentium. Sic illi ſaperent, rationem ſuam ſecuti. Si aliter ſaperent aliæ Gentes, aliam rationem ſecutæ, earumque conſenſus prævaleret, id eſſet Jus Gentium, ex quo de foro legatorum finienda eſſet quæſtio. Sed ſatis animadvertis, quæ Romani de legatis, qua ſubditis, caverunt, non ſtatim eſſe porrigendum ad legatos, non ſubditos. Inter utroſque fuit aliqua ſimilitudo, & inde, quod de illis prædicatur, ſæpe & de his prædicari poterat, at non ſemper & ubique. Quis ajat ſubditum unius ejusdem Principis tam prolixe revocare domum poſſe, quam non ſubditum? quis Princeps, cum ab eo ſit omnis jurisdictio, legatum, ſibi ſubditum, non puniat, ubicunque deliquerit? & ſic erat in illis Romanorum legatis. In cauſa civili etiam proſpectum, ne quod ad ea, quæ in ipſa legatione acta geſta erant, ſubditus ſubdito conditionem nimis gravem & iniquam inferret, ſed ſi hæc transferamus ad externarum Gentium legatos, non ſubditos, & ubi ex tacito Gentium conſenſu res agitur, omnino prolixe fallimur. Provinciales illi & Municipales legati tantum non erant procuratores & mandatarii, & hoc tamen iis, ad inſtar legatorum, qui vere ſic dicuntur, datum erat, ut quod ad ea, quæ ante legationem contraxerant, domum revocare poſſent, ſic ut legatio creditoribus nec noceret, nec prodeſſet. Alia etiam Romani de legatis ſuis Provincialibus dixerunt, quæ fruſtra ad legatos externarum Gentium transferas. De numero legatorum nemo ex Jure Gentium, aut uſu, quæſtionem exſpectabit. Et ante Veſpaſianum Imperii quoque Romani Civitates, quot vellent, legatos videntur miſiſſe; certe legationem Judæorum ad Caligulam, cui & Philo Judæus interfuit, quinque obivere, vid. Philonem Jud. *de legation. ad Cajum p. m.* 870. ſed Veſpaſianus, diligentiſſimus Paterfamilias, Edicto omnibus Civitatibus præcepit, ne plures, quam ternos legatos mittant *l.* 4. §. 6. *ff. de Legation.* ſcilicet ſumptuum coërcendorum cauſa, cum quæque, ut majore cum apparatu Principem adirent, in ejus honorem, ut credibile eſt, modum excederent: honori enim Principibus datur, ſi ad eos major legatorum numerus mittatur, ut & ex Plutarcho intelligimus, in Libro *de Garrulitate p. m.* 314. Novo ambitionis genere Ludovicus XIV. Franciæ Rex, cum ad pacem Neomagenſem convenirent legati, defendit, Electori Brandeburgico jus non eſſe, niſi unum legatum mittendi. Quod palam Juri Gentium re-

pugnat, eo enim licet negotia ſua expedire per tot legatos, quod libuerit, nec puto ulli antea Principi de eo controverſiam fuiſſe motam. Poſſem & alias differentias exſequi de utroque genere legatorum, ſed ſic longius digrederer, quam oportet.

CAPUT VII.

Ex ſola ratione in utramque partem diſputari poſſe, & diſputatum eſſe de foro legatorum.

Ubi legati conveniri, vel accuſari debeant, ſi rationem, eamque ſolam, ſequamur magiſtram, definire non eſt in facili. Quod Juris Romani eſſe dixi, id & Juris Gentium, poſſe oportere, & revera eſſe, diſputat Albericus Gentilis *de Legation. Lib.* II. *c.* 16. 17. & 18. ut ſcilicet tam civilis, quam criminalis in legatum ſit jurisdictio, eorum nomine, quæ tempore legationis egit vel deliquit. Nec, in cauſa civili, inter legatos ſubditos & non ſubditos diſtinguit Carolus Paſchalius in *Legato cap.* 33. in omnibus ſecutus rationem Juris Romani. Multa poſſunt in eam ſententiam dici. Legatus equidem Principem repræſentat, ſed, ut mandatarius mandantem, in iis, quæ mandata ſunt. Cavendum igitur, ne qua mora, neve aliud impedimentum objiciatur legato, quominus mandata, in rem Principis ſui, commodum exſequi poſſit, ſed cum non contineatur mandatis, ut ipſe in rem ſuam contrahat, multo minus ut delinquat, an ſine offenſa Principis non ſubjiciemus legatum jurisdictioni ejus, apud quem vel contraxit, vel deliquit? an patiemur legatum, qui delicto Jus Gentium violavit prius, eodem Jure Gentium uti frui ad eludendam pœnam, quam meruit, vel ſane ad eludendum judicium ejus, apud quem, & in quem, vel in cujus ſubditos ipſe, rupto Jure Gentium, deliquit? an patiemur legatum alios obligare, cum ipſe non obligetur, vel potius alios convenire, ob quamcunque cauſam, cum ipſe ob nullam conveniri poſſit? an patiemur legatum contractibus privatis, qui nihil quicquam pertinent ad cauſam legationis, civibus noſtris, more prædonis, imponere, eorumque res & pecunias domum auferre? idque nulla ſæpe ſpe repetitionis, ob difficultates & impenſas itineris, ob periculum litigandi in alieno Imperio adverſus duriorem adverſarium? Et color quæſitus ei rei erit, ne quicquam impediatur legatio? Atque ſi ſcilicet legatis commodum eſſet contractus celebrare, & pecuniis cives emungere, ſed non eſſet commodum litem ſequi. Abſtineant contractibus, ſi lites metuant, aut litigent, ſi contrahant & meminerint in eo, quod notiſſimos legationis terminos excedit, jure privatorum ſe, ac foro ſubditorum uti. Nec moremur judiciorum occupationes, quibus, ſpatiis excluſi iniquis, a legatione avocarentur, cum perpetui legati, quales fere nunc ſunt, vix habeant, quod agant, & tempus fere tranſigant epulis, ſpectaculis, aliiſque rebus ludicris, ſatis contenti, Principem quandoque epiſtolis monere, ſe adhuc vivere illius memores.

Sane Curia Hollandiæ has rationes, quaſi Juris Gentium eſſent, olim probavit, nam anno 1644. 19. Decembr. contra legatum Sueciæ, apud Ordines Hollandiæ quiritantem, iiſdem Ordinibus reſpondit, ſibi jurisdictionem eſſe in legatos, quod ad ea, quæ ejus officium non concernunt (legationis enim nomine ſoli, qui eum miſit, teneri) dummodo ne ipſi legati perſona cogatur, affligatur, eique relinquatur, ne egeat, & ita ſe ſemper uſam, idque convenire conſuetudini plerarumque Gentium, præſertim Europæarum, vid. Aitzema *Lib.* XXIV. *p. m.* 790—799. Ipſa querela legati, & ad eam Curiæ reſponſio eſt apud Bort *de Arreſtis C.* IV. *n.* 14. Et eadem Curia Luſitaniæ Regis legatum, ob æs alienum, durante legatione contractum, non tantum in jus vocavit, ſed & arreſto detinuit, ut memorat Wicquefort *en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *Sect.* 27. *p.* 838. & 839. tametſi vulgo, qui legatos etiam foro alieno ſubjiciunt, ab arreſto tamen immunes pronuncient, quemadmodum uno ore pronunciant Auctores, quos laudat Bort *d. C.* IV. *n.* 15. 16. 17. & 18. Rurſus eadem Curia, ex contractu locationis conductionis legatum Hiſpanicum ad ſe in jus vocavit, ut eſt apud Aitzema *Lib.* XLVIII. *p.* 1059. Quin & hæc ipſa Curia legatum Regis Angliæ, huc miſſum ad rationes quaſdam cum Ordinibus componendas, arreſto detinuit; ſed reſciſſum eſt id arreſtum Decreto Ordinum Hollandiæ 14. Aug. 1681. quod exſtat inter Ordinum Decreta adhuc inedita.

Habes rationes, & Curiæ auctoritatem contra jus revocandi domum. Neque tamen deſunt rationes, quibus pro jure revocandi domum, legatis per omnia & in omnibus competente, diſputari, & aliis rationibus contradici poſſit. Quanti Gentium tranquillitas & amica quies, tanti legatorum neceſſitas & utilitas æſtimanda eſt. Sine his quis pacem & fœdera conciliaverit? quis Gentes inimicas, dum in mutuam perniciem ruunt, placide compoſuerit? & quis non his pacis fœderumque nunciis id dabit, ut, ubi ſunt, tuto eſſe liceat? ſi quid ea res habeat ex iniquo, ut omne magnum exemplum, utilitate publica rependetur. Si in delicta inquiri, & ob ea puniri vis legatos, maxime ſi quid moliantur adverſus Principem, ad quem miſſi ſunt, nullus, nullus inquam, legatus ſatis tutus erit. Excute officium legatorum, ut nunc eſt, & olim fuit, & abſolvitur hoc uno, ut Principi ſuo quam maxime proſint. Sæpe autem nequeunt prodeſſe, niſi Magnates in Imperio, ubi ſunt, dividant, & vel prece vel pretio in ſententiam ſuam trahant; niſi arcana Imperii explorent & detegant, corruptis forte amanuenſibus; niſi ſimultates & factiones ferant ac alant; niſi denique vino & Venere, gratia & ſordibus rerum ſuarum ſatagant. Mox igitur parata erit accuſatio & pœna? tolle omnem legationem, ſi hæc ſublata cupis. In crimine communi an non carcer, an non alia, quæ incidunt, turbabunt literarum commercia, & impedient executionem mandatorum. In cauſis civilibus fere tantundem dicimus, nam cui jurisdictionem damus, ea quoque damus, ſine quibus jurisdictio explicari non poteſt. *l.* 2. *ff. de Jurisdict.* fruſtra eſt omnis in jus vocatio, fruſtra & inanis judicis ſententia, cui parere non eſt neceſſe. Niſi igitur pareat legatus, eum damnabimus ad malam manſionem, ut fiat carceris inquilinus, quod extremum eſt in jurisdictione? ſin minus, quid proderit ſententia? ſin autem, an non legatio impedietur? Ait quidem Gentilis eo loco, quem initio *hujus Capitis* adferebam, ſi legatis tribuas jus revocandi domum, neminem

fore,

fore, qui cum ipſo contracturus eſt, commercio quodammodo eis interdicto, & ſic ait, atque ſi JCti Romani ita ſaperent; quam rationem etiam Curia expreſſit in Epiſtola, quam 19 Dec. 1644. ad Ordines Hollandiæ miſit in cauſa legati Suecici. Sed nulli veterum JCtorum hoc in mentem venit, de minoribus & fœminis alicubi id traditur, ſed, quod ad legatos, abunde reſponſum eſt a Grotio *de Jure B. & P. Lib.* II. *c.* 18. §. 16. Sane ipſorum eſt cavere, ne, quod habent privilegium, ſibi noceat, & poſſunt cavere, ſi vel præſenti pecunia contrahant, vel, ut vulgo nunc fieri ſolet, dato fidejuſſore vel pignore. Ipſorum quoque civium eſt cavere, ne cum legatis vel omnino contrahant, vel diſcant caute mercari, ipſorum eſt ſcire, ſi qua lis oriatur, ſe conveniri poſſe, legatos non poſſe, niſi apud Judices fori ſui, *qui cum alio contrahit, vel eſt, vel debet eſſe non ignarus conditionis ejus*, ex præcepto Ulpiani in *l.* 19. *pr. ff. de R. J.* ſibi igitur imputent, qui cum legatis contrahunt, nec ante ſibi proſpexerunt; ſi proſpexerint, non eſt metuendum ab his, quæ ſupra dicebamus de opimis ſpoliis civium, a legato domum reportandis.

Atque has poſtremas rationes, quaſi illæ nunc Juris Gentium eſſent, probavit ipſa illa Curia Hollandiæ; nam cum Anno 1651. contra alium Luſitaniæ legatum, cui Ordines Fœderati Belgii jam ſignificarant, ſe eum deinceps pro legato non habituros, creditores a Curia poſtulaſſent Mandatum arreſti, id ipſum impetrare non potuerunt, ut refert Aitzema *Annal. Lib.* XXXI. *p. m.* 506. & addit Wicquefort *en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *Sect.* 27. *p.* 856. & 857. Curiam ea de re conſuluiſſe Ordines Hollandiæ, & hos reſpondiſſe, Decretum Ordinum Generalium, quo ſignificaverant, ſe eum pro legato deinceps non habituros, non pertinere niſi ad cauſam legationis, nec impedire jus Gentium in perſona legati. Huc etiam ſpectat, quod eodem anno 1651. Ordines Generales reſponderunt, cum Hiſpaniæ legatus inquiri in legatum Franciæ poſtularet, quod epiſtolam ſuam intercepiſſet, aperuiſſet, publicaſſet, (quam Franciſcus fingebat ſibi miſſam eſſe apertam, a neſciebat quo) ejus rei cognitionem non pertinere, niſi ad utrumque utriusque legati Regem, *dat ſy beide in dat cas niet reſponſabel waren, als aan hare Koningen*, vid. Aitzema *Lib.* XXXI. *p. m.* 493.

Sic habes rationes in utramque partem, habes auctoritatem Curiæ, quæ nunc his, nunc illis plus tribuendum cenſuit. Cur tam varie? reſponderet Wicquefortius, Curiam ab Ordinibus Hollandiæ, quos conſuluerat, forte edoctam, poſtremis rationibus in ea ſpecie ceſſiſſe, at vero priores antea & ſæpe poſtea prætuliſſe ex mera ignorantia Juris publici, quam ipſe totiens Curiæ exprobat, & exprobraverat etiam Sueciæ legatus in libello, quem Ordinibus Hollandiæ porrexit 6. Sept. 1644. Wicquefortius, qui putabat a Curia Hollandiæ ſe male eſſe habitum, de quo deinceps dicam, nihil prætermiſit, quo Curiæ auctoritatem in his, quæ ad jus Gentium pertinent, minueret & rideret. Cum Anno 1676. ſuppreſſo nomine ederet *Memoires, touchant les Ambaſſadeurs & les Miniſtres publics p.* 57. de Curia Hollandiæ id dixit, quod ego malim ipſius verbis Gallice, quam meis Latine efferre: *La Cour de Juſtice de Hollande eſt compoſée d' un grand nombre d' illuſtres perſonnages: mais je crois, que je ne leur fais point d' injure, quand je dis, qu'il n'y en a pas un, qui ſe puiſſe piquer d' une connoiſſance fort particuliere du Droit Public, qui ne fait pas partie de* L'UTROQUE. Sequenti anno prodiit altera ejus libelli editio, aucta nonnihil & interpolata, addito etiam Auctoris nomine, ubi *p.* 58. præcedentia ſic mitigantur: *La Cour de Juſtice de Hollande eſt, ſans doute, compoſee de pluſieurs grands perſonnages, mais je m' aſſure, que les plus habiles ne feront point de difficulté d'avouër, que les regles au Droit public ne ſe tirent point du Code n'y des Digeſtes, & encore moins des Decrets & des Decretales. De tous les Gloſſateurs du Droit Civil & Canon, il n'y en a pas un, qui s'etende ſur le Droit Public, ou qui y applique les Loix ou les Canons, parce que ce ſont deux profeſſions, qui ont des objets differens, & qui agiſſent ſouvent ſur des principes, & des maximes contraires.* Quod ipſum, paucis mutatis, repetit *en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *Sect.* 27. *p.* 908. hoc de Curia ſuperdicto: *Elle faiſoit voir, qu'elle n'avoit pas fort étudie un droit, qui ne fait pas partie de ſa profeſſion.* Prima ſententia effluxit ab ægritudine offenſi animi, ſecunda oppido eſt veriſſima. Negari non poteſt, quin Curia, ubi de foro legatorum diſputatum eſt, alio ſæpe atque alio jure uſa ſit, ut plus ſemel audies etiam in ſequentibus, ſed ſi vel in cauſis privatis id accidat, mutatis Senatoribus, quid miremur, id accidere in cauſa Juris Publici, quæ, ut ait Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 4. VARIE *a claris hujus ſeculi ingeniis eſt tractata*, & ubi, ſi unquam, ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Jus Romanum & Pontificium vix ſuppetias ferunt, ratio & mores Gentium rem totam abſolvunt. Rationes pro utraque ſententia expedivi, quæ prævaleant, nunc quæſtionis eſt, illæ autem prævalebunt, quas uſus probavit, nam inde Jus Gentium eſt. De cauſa civili primum dicamus, deinde de criminali, commodior enim de minori ad majus erit tranſitus, & complectamur Diſputatione noſtra, ut vulgo fit, legatorum perſonas, comites, bona, ædes, & quicquid ad eos pertinet.

CAPUT VIII.

Singularis ratio pro jure revocandi domum, Unde ſciamus, an hanc, an alias Gentes probaverint. Teſtimonia & exempla pro eo jure in cauſa civili.

Si quis probe excutiat rationes generales, quas ſupra attuli, proclivior, opinor, erit in eas, quæ legatum eximunt a jurisdictione ejus, apud quem degit. Sed eſt & alia ratio, quæ in hanc rem plus valet, & tam in contractibus, quam delictis obtinet. Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 4. *n.* 5. eam expreſſit his verbis: *Quare*, inquit, *omnino ita cenſeo, placuiſſe Gentibus, ut communis mos, qui quemvis in alio territorio exiſtentem ejus loci territorio ſubjicit, exceptionem pateretur in legatis, ut qui ſicut fictione quadem habentur pro perſonis mittentium, ita etiam fictione ſimili conſtituerentur quaſi extra territorium; unde & civili jure Populi, apud quem vivunt, non tenentur.* Id ipſum agnoſcit Voet ad *Tit. ff. de LL. n.* 12. qui tamen, quod mireris, ad *Tit. ff. de in jus voc. n.* 43. de foro competente legatorum ex Jure Gentium non auſus eſt ſententiam ipſe ſuam dicere. Sed quid foro tuo ſubjicies non ſubditum? nulla eſſe poteſt in non ſub-

ditum juriſdictio, ut *C.* II. jam probavi. Legatus non eſt civis noſter, non incola, non venit, ut ad nos domicilium, hoc eſt, rerum ac fortunarum ſuarum ſedem transferat, peregrinus eſt, qui apud nos moratur, ut agat rem Principis ſui. Peregrinos, qui forte apud nos ſunt, non ſubjicimus juriſdictioni noſtræ, niſi interveniente arreſto, a quo perſonas legatorum omnis Jurisprudentia excepit, ut eſt apud Peckium *de Jure ſiſtend C.* 5. *n.* 9. Berlichium *Concluſ. Pract. Part.* I. *Concl.* 75. *n.* 26. & 27. Mævium *de Arreſt. C.* 8. *n.* 114. *& ſeqq.* Bort *de Arreſt. C.* 4. *n.* 17. & 18. & quos illi alios longo ordine laudant. Mævius quidem *n.* 117. arreſto exponit legatos, qui in ipſa legatione contraxerunt, ſed id ex eo, quod neſciverit diſtinguere Jus Romanum a Jure Gentium. Ex ratione igitur ſic habeamus: legatum, in cauſa civili, ita conveniendum, atque ſi ibi, ubi legatus eſt, neque eſſet, neque contraxiſſet, neque bona, tanquam legatus, haberet. Ex ratione, inquam, qua legatus ſubditus eſſe non cenſetur, ſecus atque erat in Provincialibus illis & Municipalibus Romanorum legatis, in quibus illa ratio non valebat, neque adeo illo legatorum jure uti poterant. Non aliam enim ob cauſam poteſtati ejus, ad quem miſſi ſunt, legati obnoxii non ſunt, quam ne, dum officio funguntur, conditionem mutent, & alteri, dum alterius, & fere adverſarii, vicem repræſentant, ſubjiciantur. Fortiſſima eſt ea ratio, & facile alias omnes, quas ſupra occupavi, vincit, quamvis & hæ, quæ ſuum habent pondus, non videantur vinci ab illis, quæ contra adferuntur.

Verum ut, ſalvo Jure Gentium, nec omnes legatos, nec quibuscumque conditionibus tenemur recipere, ita nihil vetat, hanc iis legem dicere, ne recipiantur, niſi prius ſeſe ſubjecerint foro noſtro. Si hac lege venerint, conſenſiſſe videntur in eum, cujus alioquin jurisdictioni ſubjecti non ſunt *l.* 2. *pr. ff. de Judic.* Sed ſi nihil convenerit, nullaque in eam rem lex ſit, quid tacite inter Gentes exteras actum videatur, id eſt, de quo quærimus. Et defendo, tacito conſenſu id actum videri, ne legati in cauſa civili apud nos litigare cogantur, & tandem Gentes hanc ſententiam, & rationes, quibus illa nititur, palam probaſſe. Ut hoc ſciamus, recurrendum eſt ad teſtimonia & exempla, non unius Gentis, ſed plerarumque; nam quamvis Lex Spartana furtum permiſerit, Jure Gentium tamen prohibitum dicemus, & quamvis ſacra legationum hic illic violata ſint, Jure Gentium tamen ea violare nefas eſſe ducimus. Si teſtimonia audiamus, non ſatis olim & nunc inter ea convenit. Quid Gentilis, quid Paſchalius exiſtimaverint, ſupra dixi, & exhibet Zoucheus *Jur. Fecial. Part.* II. *Sect.* 4. *n.* 20. ubi & habes Grotii ſententiam, Gentili & Paſchalio oppoſitam. Quid ipſe ſentiat, non addit. Sed malo Grotii ſententiam ipſius verbis referre. Is magni Operis *Lib.* II. *C.* 18. §. 9. ita infit: *Bona quoque legati mobilia, & quæ proinde habentur perſonæ acceſſio, pignoris cauſa, aut ad ſolutionem debiti, capi non poſſe, nec per Judiciorum ordinem, nec, quod quidam volunt, manu regia, verius eſt: nam omnis coactio a legato abeſſe debet, tam quæ res ei neceſſarias, quam quæ perſonam tangit, quo plena ei ſit ſecuritas. Si quid ergo debiti contraxit, &, ut fit, res ſoli eo loco nullas poſſideat, ipſe compellandus erit amice, &, ſi detrectet, is qui miſit; ita ut ad poſtremum uſurpentur ea, quæ adverſus debitores, extra territorium poſitos, uſurpari ſolent.* Prius dixerat de criminibus, de quibus nos poſtremum dicemus. De debitis nec perfecta ſatis eſt ejus ſententia, nec etiam ſatis clara, ut deinde per partes oſtendam. Satis autem ſignificat ex modo, quem præſcribit, ſi legatus debitum ſolvere detrectet, ſe legatum in cauſa civili eximere foro ejus, apud quem degit. Non, opinor, refutabis teſtem legatum in cauſa legatorum, & ſi vel refutaveris, tantum valet Grotii auctoritas, ut hunc præëuntem facile alii ſequantur. *De legatis ſummarum Poteſtatum*, ait Huberus *Prælect.* ad *Tit. ff. de in jus voc. Sect. de Arreſto perſon. n.* 6. *varie noſtro tempore diſceptatum & obſervatum; prævaluit tandem ſententia Grotii &c.* Sed & ante apud alios prævaluit. Antonius Mornacius ad *l.* 2. §. 3. *ff. de Judic.* eamdem ſententiam ita expreſſit: *In legatis majoribus, cujusmodi ſunt, qui a Regibus, Ducibus & Rebuspublicis mittuntur, defendit eos usque adeo jus Gentium, ut ſeu in civilibus negotiis, ſeu in capitalibus, judicium inviti, vel ſibi, vel ſuis non accipiant.* Idque ipſum exemplis Gentium illuſtrat, quæ, ſi commodum eſt, ibi leges. Et Wicquefort in libello, quem inſcripſit *Memoires des Ambaſſadeurs*, & in majori Opere *de l' Amdaſſadeur*, ſingulis fere paginis inculcat, legatos non uti foro ejus, apud quem degunt, tam in civilibus, quam in criminalibus. Non æque quidem mihi probantur omnes rationes, quas in hanc rem adfert, nam, verbi gratia, nihil ea ratio valet, qua toties utitur, eum qui Eccleſiæ, Militiæ, Academiæ nomen dedit, juriſdictione ordinaria eximi, & forum proprium ſortiri, id enim ex privilegio eſt apud unum eumdemque Principem, cui Eccleſiaſtici, milites, ſtudioſi non minus ſunt ſubditi, quam alii quicunque, ſed vero hic agimus de eo, qui, cum ſubditus non ſit, cuncta tribunalia rejicit ejus Principis, ad quem legatus eſt. Plus valet, quod ait majoris Operis *Lib.* I. *Sect.* 27. *p. m.* 824. pro exemptione legatorum omnes Principes cenſuiſſe, ſapientes certe & prudentes, eamque ſententiam rebus ſæpe judicatis probaſſe.

Sed non dicere contentus, ut dixerunt plurimi, innumera, fere dixerim, exempla adfert *d. Sect.* quin & *Sect.* 28. & 29. quibus illam Gentium conſenſionem probet, maxime quidem in delictis, ubi major poteſt eſſe dubitatio, ſed & in contractibus. Cum autem uſus ſit optimus, ſi non unicus earum rerum interpres, neſcio, cur Huberus *de Jure Civit. Lib.* III. *Sect.* 4. *C.* 2. *perpetuam illam exemplorum texturam* in Wicquefortio non concoxerit. Ego in primis ejus diligentiam in recenſendis non tam veteris, quam novi ævi monumentis laudo proboque, nec tamen a me exigi velim, ut quæ ipſe recenſuit, ego deſcribam; non hic meus eſt mos. Addam potius, ubi res uſu venerit, quædam ex recentioribus Annalibus, & ex ipſis legibus, poſtea latis. Sane ipſe Huberus, quamvis & *d. C.* 2. in utramque partem diſputet, ſed iis rationibus, quas ſcire non multum intereſt, in eo tamen convenit, legatos Jure Gentium privilegio fori tutos eſſe. Et ſane, quod ad cauſam civilem, ubi de ære alieno, de teſtimonio dicendo, aliisve id genus litigatur, auſim dicere, inter Europæas Gentes nullam eſſe, utique nullam me ſcire, quæ legatos ordinariæ jurisdictioni ſubjicit. Idque ipſum fori privilegium eſt, cui palam teſtimonium dederunt Ordines Generales Fœderati Belgii eo Edicto, quod *Cap. ſequenti* exponam.

CAPUT IX.

Annotatio ad Edictum Ordinum Generalium, quo in cauſa civili legatis permittitur domum revocare, & ad ſententiam Grotii de eodem jure.

Illuſtre in primis eſt Edictum, quod Ordines Fœderati Belgii propoſuerunt 9. Sept. 1679. non ex occaſione pacis Neomagenſis, ut quidam fabulatur, ſed ex facto, quod tunc inciderat, ut mox audies. Edixerunt autem, externorum Principum legatos, veniuntes, morantes, vel tranſeuntes, eorumve comites vel bona pro debito hic contracto arreſto detineri non poſſe, idque, dum cum his contrahunt, ſcire & animadvertere oportere ſubditos ſuos. Verba ipſa, lingua Belgarum vernacula, exhibebo, quia hic illic interpretatione egent: *Dat de Perſonen, Domeſtiquen of goederen van uitheemſche Ambaſſadeurs of Miniſters, hier te lande komende, reſiderende of paſſerende, ende eenige ſchulden contracterende, nog op hare aankomſte, nog gedurende haar verblyf, nog op haar vertrek van hier, ſullen mogen werden gearreſteert, gedetineert of aangehouden voor eenige ſchulden, die ſy alhier te lande ſouden mogen hebben gecontracteert, en dat de Ingeſetenen hare onderhandelinge met de voorſchr. uitheemſche Ambaſſadeurs en hare Domeſtiquen daar na konnen reguleren.* Nihil ait Edictum de in jus vocatione legatorum, ſed cum non agat de arreſto, quod ad exſequendam rem judicatam intervenire ſolet, ſed de eo, quo lites ſolemus ordiri, ſatis intelligimus, in jus vocatione ſubditis interdici, quæ fit interveniente arreſto, quod ad eos, qui ſubditi non ſunt. Si legati, qui apud nos legatione funguntur, ipſo jure in jus vocari poterant, ne quidem arreſti mentio fuiſſet neceſſaria. Agit autem de legatis externarum Gentium, eosque vocat *Ambaſſadeurs of Miniſters*; an de omnibus indiſtincte id verum ſit, quocumque titulo hic morentur, poſtmodum videbimus. De comitibus, reliquisque legatorum hominibus, qui hic *Domeſtiquen* audiunt, etiam alias dicendi locus erit, in primis vero *de bonis*, quæ elocutio, ut ut generalis ſit, generaliter tamen, ex mente Ordinum, accipienda non eſt, niſi ego prolixe fallar. Deinde id privilegium tribuit Edictum legatis *veniuntibus*, *morantibus & tranſeuntibus*. De *morantibus* non eſt, ut quæratur. De *veniuntibus* quæri poſſet, an nempe, ſi apud eum, ad quem legantur, recepti nondum ſint pro legatis, jure legatorum uti poſſint; ex facto pendet hæc quæſtio, multumque in ea valet arbitrium: nam ſi vix advenit legatus, palam eſt, & antequam recipiatur, agnoſcatur, pro legato habendum. Contra, ſi diutius egerit, neque etiam ut legatus, etſi legatio ei mandata ſit, difficilius erit id dicere, nam poſſunt & privati eſſe externorum Principum procuratores. Ait *tranſeuntibus.* Benigna Ordinum erga legatos voluntas; vulgo alioquin dici ſolet, jus legationis non valere niſi inter utrumque Principem, qui mittit legatos, & ad quem miſſi ſunt, cætera privatos eſſe. Atque ea ratione ſunt, qui defendunt, Carolum V. utique jus legationis non violaſſe, cum duos Franciſci I. Franciæ Regis, legatos, per Ducatum Mediolanenſem tranſeuntes, occidi juſſerit. Probroſum id Carolo fuiſſe ſcribit Gentilis *de Legation. Lib.* II. *C.* 3. ſed alia quæſtio eſt de jure legationis, alia de jure honeſtatis, quamquam non etiam deſint, qui negant id ſciente & annuente Carolo factum. Quinimo ipſi illi Ordines Fœderati Belgii, qui hic in cauſa civili legatos tranſeuntes ab arreſto immunes videntur pronunciare, Sueciæ legatum in cauſa criminali, in gratiam Principis Fœderati, in Geldria, haud ita pridem detinuerunt, non alia ratione, quam quod codicillos ſuos ſibi non exhibuerat. Et ſane privilegia legatorum non valere, niſi apud eum, ad quem miſſi ſunt, recte defendit Gentilis *de Legation. Lib.* II. *C.* 3. & ex eo, iisdem exemplis allatis, Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 5. & ita Recentiores plerique, vid. Zoucheum *Part.* II. *Sect.* 4. *n.* 18. Huberum de *Jur. Civit. Lib.* III. *Sect.* 4. *C.* 9. *n.* 20. & Wicquefortium variis locis; Antiquiores enim magis contra ſentire videntur apud Bartachinum in *Repertor. V. Ambaſiator.* & Antiquiores ſecutus videtur Kirchnerus in *Legato Lib.* II. *C.* 1. *n.* 1—28. Sed quia illa privilegia voluntatis tacitæ ſunt poſt admiſſum legatum, & legatum etiam repellere licet, neque legatio inter alios, quam qui miſit, & ad quem mittitur, verſatur, haud dubie Recentiorum ſententia vera eſt. Et ſecundum hanc, quod Edictum ait de legatis *paſſerende*, non interpretor de legatis *tranſeuntibus*, ſed *abeuntibus*, idque indicat ordo verborum, *komende*, *reſiderende*, *paſſerende*, ut & qui mox ſequitur, in eandem ſententiam *nog op haar aankomſte*, *nog gedurende haar verblyf*, *nog op haar vertrek van hier.* Atque ita Edictum duntaxat erit de legatis, qui hic legationem acturi ſunt, re ipſa agunt, aut egerunt, nec quicquam pugnabit cum veriori ſententia, quam uſus Populorum recepit.

Ait præterea id Edictum, *pro debito*, HIC *contracto*, *hier te lande*, an ergo pro eo, quod alibi legatus contraxit, detineri poterit? ſic verba ea videntur velle, ſed dicendum, propoſitum eſſe id. Edictum ex facto, cum Curia Holl. ſecundum eam Jurisprudentiam, quam ſupra narravi, & ſæpe eſt tuita, ſupellectilem & ſarcinas legati Regis Daniæ arreſto hinc incluſiſſet. Quod cauſam dediſſe Edicto memoratur *in de Hollandiſche Mercur.* ad Annum 1679. *p.* 278. Ad hæc dici poſſet, eſſe id Edictum conceptum de caſu magis dubio, ac ſi certum ſatis eſſet, pro debito, quod legatus ante legationem contraxit, hic conveniri vel detineri non poſſe. Exſtat etiam epiſtola Hollandiæ Ordinum Anno 1642. 18. Jan. ad Curiam Hollandiæ ſcripta, ne ea vellet *Proviſie van Juſtitie verleenen jegens Miniſters van Princen, hier te lande reſiderende, ten aanſien van ſchulden, buiten deſe Provincie met vrienden gemaakt.* Argumentum ejus epiſtolæ exhibet *Repertorium Curiæ Holl. p.* 192. *B.* Ordines Hollandiæ tunc videbantur adhuc uti diſtinctione Juris Romani, ſed nunc utuntur Jure Gentium, poſtquam ita edixerunt Ordines Generales d. Anno 1679. & poſtquam iidem Ordines 19. Jun. 1681. ſatis ſignificarunt, externos legatos, ratione fori, ſubditos non eſſe, ut eſt in ejus diei Decreto, quod interpretor C. XI.

Quia vero id Edictum 9. Sept. 1679. haud multum recedit a ſententia Grotii, quam *Capite proximo* repræſentavi, de ea etiam nonnihil addamus. Ait ille, legati *bona mobilia* pignoris cauſa, aut ad ſolutionem debiti capi non poſſe, quia

hæc

hæc conſiderantur, ut perſonæ acceſſiones. Et ſecundum hæc Mornacius refert ad *l.* 2. §. 3. *ff. de Judic.* Regi Galliarum placuiſſe, Anno 1608. male pro locario Pariſiis Venetæ Reipublicæ legati mobilia fuiſſe retenta; & conſtanter ita uſu eſt ſervatum deinceps ubique Gentium. Sed forte dices, id nimium eſſe, quia ea mobilium detentio non tam fit ex cauſa perſonæ, quam jure in re, quod locatori competit in invectis & illatis, quodque jus, lege quæſitum, legatis auferre non poſſit. Sed tantum abeſt, ut nimium dicamus, ut vel *bona*, quorum meminit *d. Edictum anni* 1679. non aliter interpretemur, quam *bona mobilia*, id eſt, *utenſilia*, quemadmodum plenius dicam, ubi de bonis legatorum diſputandum erit. Hæc utenſilia nego, ex Jure Gentium, pignori eſſe, vel unquam fuiſſe, quin nec capi poſſe, vel ad ordiendum judicium, vel ad ſervandum, quod nobis debetur, vel ad exſequendam rem judicatam. Et facile adſentior Grotio, ſi de *utenſilibus* accipias, quæ ipſe dixit, ea nempe pignoris cauſa capi non poſſe, *nec per judiciorum ordinem, nec manu Regia*, exploſa ſic diſtinctione, quæ aliis olim, ſed ſine ratione, placuerat. De immobilibus legati minus perfecta eſt Grotii ſententia, ſed & hanc reſervabimus ſuo loco.

Poſt ait, omnem coactionem a legato abeſſe oportere, tam quod ad perſonam, quam quod ad res ei neceſſarias. Quod ut generaliter dictum, ita generaliter multoties eſt deſcriptum, nec tamen ſatis explicatum, quid, vetita coactione, vetetur. An & in jus vocatio? nam & hæc fit ſine coactione & læſione perſonæ, nec amplius, ut olim, obtorto collo: ita tamen, ne poſt ſententiam perſona legati affligatur, carceri mancipetur, eique relinquatur, ne egeat? ſic Curiæ Hollandiæ viſum eſt Anno 1644. ut dixi *Cap.* VI. ſed ita non ſedet Grotio, neque enim in jus vocatio inter modos eſt, quos mox creditori præſcribit, ſi quid debiti contraxerit legatus. Primus eſt, ut, ſi res ſoli eo loco non habeat (quod nunc tranſeo) ipſe compelletur amice, quod & in aliis aliorum debitis exigendis ſervari adſolet. Secundus eſt, ut, ſi detrectet, compelletur, qui miſit, quod etiam quandoque ſervatur, & hic Anno 1721. Ordines Fœderati Belgii ſervarunt in compellando Duce Holſatiæ, quod ad æs alienum, quod ejus legatus in Hollandia contraxiſſe dicebatur. Sed quid debita legati ad Principem, qui miſit? nihil plane. Poteſt ea res habere utilitatem, ſi forte Princeps legatum moneat officii ſui in expungendo ære alieno, ſed ut ipſe judex ſedeat in cauſis controverſis, nemo jure poſtulaverit. Extremum remedium, quod Grotius proponit, non ſatis intelligo, quale ſit. *Ita ut*, inquit, *ad poſtremum uſurpentur ea, quæ adverſus debitores, extra territorium poſitos, uſurpari ſolent.* Quæ hæc ſint, non exponit, nam cum nec in jus vocationem, nec detentionem, ex cauſa arreſti, intelligat, ipſe vix adſequor, quid ſibi velit, niſi id velit, quod ipſe verum puto, & *Cap. ſeq.* latius interpretor.

CAPUT X.

Ubi & quemadmodum legatus, in cauſa civili, ſit conveniendus? & ubi Conſules, *qui dicuntur?*

Si conveniri nequeat legatus apud judicem, ubi degit, intereſt ſcire, ubi conveniendus ſit. Ipſum autem Principem, qui miſit, ab hac inſpectione arceo, niſi, ſi miſſus non eſſet legatus, ipſe Princeps de ejus cauſa fuiſſet judicaturus; quæ judicia raro ipſi Principes exercent. Cæteroquin generaliter exiſtimo, legatum ita conveniendum, atque ſi ibi, ubi legatus eſt, neque eſſet, neque contraxiſſet, neque bona, tanquam legatus, haberet. Quia legatione domicilium non mutavit, nec forum mutaſſe intelligendus eſt, atque adeo convenietur in loco, unde in legationem profectus eſt, ſi judex ejus loci, ante profectionem, legati fuerit judex competens, vel quicunque alius ejus fuerit judex in Imperio Principis, qui legatum miſit. Quod ſi nullibi ante profectionem habuerit vel domicilium, vel judicem, non eſt niſi ad ſupremum judicem Principis, a quo miſſus eſt, recurſus. Neque legatus, ibi conventus, excipiet, ſe Reipublicæ cauſa abeſſe, atque adeo ſe invitum in jus vocari non poſſe, cum, fictione judicis habeatur pro præſente, ne ulli cæteroquin ullius judicis, foro ſubjici poſſit. Quod quam inutile eſſet, maxime in iis qui perpetua legatione funguntur, res ipſa loquitur. Non, inquam, excipiet legatus, niſi ſpeciale privilegium habeat; quale Anno 1643. Ordines Generales uni legatorum ſuorum, quos tunc mittebant in Angliam, dederunt, ne ſcilicet lites inchoatas contra eum perſequi liceret, ſed manerent in ſtatu, in quo erant, neve etiam novæ inſtituerentur, quamdiu ipſe abeſſet, & ſex poſt reditum ejus ſeptimanas, vid. Aitzema *Lib.* XXIII. *p. m.* 614.

Quod ſic dico, legatos, dum legati ſunt, forum novum non ſortiri, ſed ſervare vetus, quod ante legationem habuerunt in Imperio Principis ſui, & legatorum conditio, quam ſupra expoſui, demonſtrat, & palam ſignificarunt Ordines Generales *Decreto* 13. *Octob.* 1679. quod eſt in *Formulario Tom.* II. *C.* I. *p.* 19. Quæſiverat apud Ordines Generales creditrix quædam vidua, *Conſulem*, ut vocant, Ordinum Generalium, qui tunc Ulyſſipone degebat, & antea Rotterdami habitarat, ubi conveniret, aut apud Curiam Hollandiæ, aut apud Scabinos Rotterdammenſes? Ordines vero Anno 1679. 13. Oct. decreverunt, ibi conveniret, ubi conveniri poſſet, ſi adhuc Rotterdami habitaret, *dat ſe hem ſouden convenieren voor ſodanigen Regter* HIER TE LANDE, *voor den welken hy ſoude hebben konnen werden geconvenieert, indien hy nog tot Rotterdam wonagtig was.* Creditrix, viduarum privilegio uſa ex §. 8. *Formæ Curiæ Holl.* Conſulem ad Curiam vocavit *d. Formul. Tom.* I. *C.* I. *n.* 11. Adjicitur autem in eo decreto, *hic*, *hier te Lande*, cujus, ſi qua ſit, hæc ſententia eſt, extra has Regiones quoque conveniri poſſe, ubi, cum Rotterdami habitaret, non poterat, id eſt, in loco Conſulatus Conſulem poſſe conveniri, & in loco domicilii, ut de Senatore in *l.* 11. *ff. de Senator.* ſcriptum eſt. Niſi malimus illa, *hier te Lande*, ut ſupervacanea accipere, ut multa ſupervacanea Edictis & Decretis Ordinum ſolent inſeri, non, ut ille dicebat, *dubitationis tollendæ gratia*, ſed augendæ potius, & turbandæ magis ſententiæ.

Si, ut ſupervacanea accipimus, ſenſus erit, Conſules jure legatorum uti, & vetus forum ſervare, non conſtituto novo. Si, ut quid ſignificent,

cent, ſenſus erit, Conſules, ut ut in loco Conſulatus conveniri poſſint, tamen & hic poſſe, quia non intelliguntur mutaſſe vetus forum, ſed potius novum ei adjeciſſe. Et, ſi verum amamus, Conſules illi non ſunt niſi Mercatorum Nationis ſuæ defenſores & quandoque etiam judices, quin fere ipſi Mercatores, non miſſi, ut Principem ſuum repræſentent apud alium Principem, ſed ut Principis ſui ſubditos tueantur in iis, quæ ad mercaturam pertinent, ſæpe & ut de iis inter eos jus dicant. Scio, Ordines Fœderati Belgii quandoque Jus Gentium iis tribuiſſe, ſed etiam Wicquefortius, acerrimus alioquin legatorum patronus, *dans ſes Memoires des Ambaſſadeurs p.* 60. 61. & 62. *& en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *Sect.* 5. p. 132. 133. & 134. eam Ordinum ſententiam damnat, & ut aliquem his honorem haberi vult, ſic negat, vel Juris Gentium eſſe participes, vel, quo de nunc agimus, eſſe exemptos jurisdictione ejus, apud quem degunt, tam in cauſa civili, quam criminali. Secundum hæc etiam in §. 11. *Pactorum*, quæ ineunte Julio Anni 1612. inter Imperatorem Turcicum & Ordines Fœderati Belgii facta ſunt, convenit, ne quidem Conſules, eorumve bona detinerentur, ſed tamen in jus vocarentur ad tribunal Imperatoris Turcici. Idemque in §. 32. *Pactorum* inter Ordines Generales & Algerienſes convenit de Conſule, qui Algerii eſſet. Priora pacta habes *Placat. Tom.* III. *Lib.* I. *Tit.* 13. *n.* 36. poſteriora apud Aitzema *Lib.* I. *p. m.* 353. Vides honorem, qui Conſulibus habetur, at non usque eo, ut plane immunes ſint ab omni jurisdictione ejus, ubi commercii promovendi cauſa hærent.

Supereſt, ut quæramus, quomodo legatus abſens in foro, quod ſervavit, conveniendus ſit, hoc eſt, quemadmodum faciendæ ſint judicii denunciationes. Et quidem ſi legatus etiam domicilium retinuerit apud Principem ſuum, quin judicium ad ædes denunciari, & dies dici poſſit, non eſt ambigendum. Si non retinuerit, in jus vocabitur, ut ſolent abſentes, per Edictum, & miſſa, quæ diem dicit, epiſtula. Major difficultas eſt, quemadmodum apud nos legatus conveniri debeat, quæ forma denunciationis ſervanda ſit, in his nempe, in quibus jurisdictioni noſtræ ſubeſt, ſed de eo commodius dicetur, ubi de bonis legatorum ſermo erit.

CAPUT XI.

Ubi conveniri debeat legatus, qui in loco, ubi legationem obit, habitabat, antequam legatus eſſet?

Magnis animis hæc quæſtio tractata eſt, præſertim a Wicquefortio, qui, ut Poëta ait, κακῆς μεμνημένος ἄτης, omni ſtudio contendit, ſubditum noſtrum, dum apud nos legatione fungitur, noſtra jurisdictione eximi, & concedere in jurisdictionem Principis legantis. Sæpe utuntur Principes legatis exteris, quin & civibus & ſubditis noſtris apud noſmet ipſos, niſi quod hodie Franciæ Reges ſubditos ſuos, qua legatos, non amplius admittant, ut auctor eſt M. de Callieres *en ſa maniere de negocier avec les Souverains*, *Chap.* 6. *p.* 72. Olim admiſerunt, & etiamnum admittunt reliquæ Gentes; in Hollandia quoque quum ea de re deliberaretur decretum eſt 3. Dec. 1638. ſed nihil definitum. Nec ratio ulla eſt, cur ſubditi arceantur, niſi forte quod ad Gentes, quæ prohibent ſubditum ſubditi conditionem mutare poſſe, ſi nempe largiamur, quod nos non largimur, ea conditione exui, qui, apud nos habitantes, exteri Principis legationem obeunt. Satis autem apparet, de aliis legatis hanc quæſtionem intelligendam non eſſe, quam de his, qui, ſi ſubditi noſtri antea non fuiſſent, omnino haberent jus revocandi domum, & apparet, ſi id jus in criminibus æque probandum ſit, quam in contractibus, quod hic de cauſa civili dico, de criminali deinde eſſe repetendum, ut in plurimis aliis hæc pari paſſu ambulant. Wicquefortius *en ſes Memoires* variis locis, & *en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *Sect.* 11. magis contendit, quam probat legatum, eo ipſo quod legatus ſit, fieri ſubditum ejus qui legavit, & Principis ſui forum ſequi in omnibus & per omnia, damnato Decreto Ordinum Hollandiæ, ſine die & Conſule, quod in ſubditis ſuis contradicit, & quod ipſe neſcio, quale ſit, niſi intelligat Decretum Ordinum Fœderati Belgii, de quo dixi *Cap. præced.* vel aliud eorumdem, de quo mox dicam. Ipſe non animadverto, quid ad rem, de qua agitur, pertineat apparatus ille exemplorum, quo *d. Sect.* 11. ivit probatum, Principem etiam recte mittere legatum peregrinum, vel eligere Civem noſtrum, ut apud nos legatione fungatur, & minus ad rem pertinet, ſi, ut in plurimis exemplis eſt, civis noſter antea civitatem & domicilium mutaverit, &, qua ſubditus, conceſſerit in Imperium ejus, qui legavit. Nos quærimus de foro ejus, qui, cum ad nos legatur, ſubditus noſter eſt, ſive civis, ſive incola, & an hic forum novum ſortiatur, an vetus ſervet? novum ſortitur, inquit Wicquefortius, quia, ex formula jurisjurandi, novo Principi eſt obligatus, quia duorum Principum ſubditus eſſe nequit, quia inutilis eſſet Principi leganti, ſalvo priori foro, & quæ aliæ ſunt ratiunculæ, magis adhuc leves.

Certe apud me parum illæ valent, nam quicquid Jacobus Gothofredus *de Salario C.* IV. *n.* 9. quicquid alii contradicant, ego non video, cur quis pluribus Principibus non poſſit eſſe in ſacramento & officio, dummodo eorum rationes non pugnent, vel ſi pugnent, in his operam ſuam non præſtet. Neque etiam video, quicquid contradicat Zoucheus *Jur. Fec. Part.* II. *Sect.* 2. *n.* 13. cur quis plurium civitatum, quarum ſingulæ ſui juris ſunt, civis eſſe non poſſit. Secus utique apud Græcos cæteroſque ſe rem habuiſſe, Romanis ſolis exceptis, teſtatur Cicero *Orat. pro Balbo C.* 28. 29. & 30. Duorum Principum ſubditus ſingulis præſtare poteſt obſequium, ſingulis tributum, & bonam fidem, & quid ultra deſideramus? quin, etiamſi quis ſubditus noſter ſit, non mox eſt in officio & ſacramento noſtro, nec etiam, dum legatur, mox ejus Principis civitatem acquirit, hoc enim eſt, de quo quæritur, & quod Wicquefortius proponit, atque ſi controverſum non eſſet. Principi autem poteſt eſſe utilis in mandato exequendo, quamvis foro noſtro maneat ſubditus, modo non delinquat, nec fidem datam violet. Quotuscunque legatus apud nos agit, ſine ulla ullius querimonia, non tantum ſine crimine, ſed & ſine ſuſpicione criminis; quotusquisque legatus eſt, qui fidem, pacto datam, religioſiſſime ſervat, nec, ſi vel ſubditus ſit, a carcere vel judiciis ſibi quicquam metuit. Ne igitur dixeris, legationem impediri, vel plane inutilem eſſe, ex ſola ſubjectione; ad ſum-

ſummum dicendum eſt, poſſe quandoque impediri, ſi caſus incidat. Quod ſi metuat legatus, fragilitatis ſuæ ſibi conſcius, antea civitatem mutet, vel Princeps, qui ejus opera utitur, mutare jubeat. Alioquin qui ſubditum noſtrum eligit legatum, *non videtur hoc agere, ut hominem, ſed ut officium ejus eximat*, ut recte Huberus *de Jure Civit. Lib.* IV. *Sect.* 4. *C.* 2. *n.* 28. Quod autem ille diſtinguat, & ajat, legatum, ſi in officio conſideretur, non eſſe ſubditum, alias eſſe, veriſſimum quidem eſt, ſed vix illa diſtinctio ullum habet pondus, cum nemo negaverit, legatum Principi leganti oportere reddere rationem legationis, bene vel male geſtæ, quemadmodum omnis mandatarius tenetur mandanti reddere rationem mandati, quod ſuſcepit. Egimus de eo legato, qui ſubditus noſter eſt, & extra cauſam legationis contraxit vel deliquit, & contra Wicquefortium defendimus, hunc, niſi palam civitatem vel domicilium mutaverit, ſubeſſe Imperio ejus, cujus antea fuit.

Wicquefortio nempe ſedebat alta mente repoſtum, quod ipſe, qui Amſterdami natus erat, Hagæ habitaverat, & in fide & ſtipendio fuerat Ordinum Generalium, etiam poſtquam Ducis Luneburgenſis actor eſſe cœperat, titulo *Reſidentis*, a Curia Hollandiæ apprehenſus, & 20. Dec. 1675. damnatus erat ad perpetuos carceres, publicatis bonis. De ipſa ſententia nihil dicam, quam Curiam eum, quamvis legatum, damnaſſe, quod ſecreta Reipublicæ, quæ celare oportuerat, illicitis literarum commerciis revelaſſet. Hinc illæ lachrymæ, hinc jus Gentium violari acerbe queſtus, primum ſuppreſſo, deinde aperto nomine jura legatorum vindicavit, & poſt, quicquid eſt ejus argumenti, expoſuit juſto opere, cui non eſt aliud, quod præferamus. Cæterum ut ipſe in ſua cauſa judex eſt incompetens, ſic nec rationes ejus me moverint in aliam, quam ſupra defendi, ſententiam, legatum ſcilicet manere ſubditum, ubi ante legationem fuit, atque adeo, ſi contraxit aut deliquit, ſubeſſe Imperio, cujus antea ſuberat. His autem conſequens eſt, noſtros ſubditos, quamvis alterius Principis legationem accipiant, ſubditos noſtros eſſe non deſinere, neque forum, quo ſemper uſi ſunt, jure ſubterfugere. Et tantum abeſt, ut Wicquefortius vel ullum ullius Gentis exemplum in contrarium adferat *d. Sect.* 11. ut potius duo vel tria adduxerit, quæ, quod dixi de ſubjectione ſubditi, apud nos legati, palam confirment. Prodeſt quoque in hanc ſententiam Decretum Ordinum Generalium 13. Oct. 1679. cujus memini *Cap. præced.* nam ſi legatione domicilium non mutetur, quod etiam de Conſulibus ait *d.* Decretum, & de aliis legatis adhuc magis verum eſt, apparet, legatum ibidem loci eſſe conveniendum, ubi, ante legationem, domicilium habebat, hoc eſt, civem noſtrum apud judices noſtros.

Sed quid moror adferre Decretum Ordinum Generalium, factum 19. Jun. 1681. quod rem totam abſolvit quod ad legatos in Belgio Fœderato, qui antea ibi larem foverunt. Exhibet id Decretum *Formularius Tom.* II. *C.* 25. *p. m.* 299. & 300. & dignum eſt, ut memoretur. Judæus quidam, qui Amſterdami multos annos habitarat, ibique mercaturam exercuerat, plurium creditorum debitor factus, ad Judices Amſterdammenſes in jus vocatur, damnatus exſequutioni contradicit ex Edicto Ordinum Generalium 9. Sept. 1679. ex eo enim neque ſe, neque bona ſua ob debitum, hic contractum, conveniri vel detineri poſſe, eſſe ſe legatum (*Reſidentem* vocant) Ducis Meklemburgenſis, atque ita uti poſſe jure legatorum. Creditores Ordines Generales adeunt, petuntque, Ordines declarare vellent, illud Edictum locum non habere, ubi debitum ab incolis harum Regionum, tanquam mercatoribus, aliiſve privatis, non tanquam ab externorum Principum legatis, contractum eſt; poſſe etiam, ſi quid iſtiuſmodi legatis debeatur, id compenſari cum eo, quod ipſi ex alia cauſa debent ſuis *debitoribus* (*creditoribus* dicere voluerunt, certe debuerunt.) Ordines autem Generales. d. 19. Jun. 1681. decreverunt, ſi creditores probare poſſent, Judæum illum, antequam ut legatus Ducis Megalopolitani ab Ordinibus Generalibus agnoſceretur & acciperetur (*erkent en aangenomen is*) Amſterdami aliquot annos habitaſſe, ibique mercaturam exercuiſſe, eo caſu illum eo Edicto 9. Sept. 1679. gaudere non poſſe, addita ratione generali: *dewyl haar Hoog. Mog. geene Ingeſetenen van den Staat in qualiteit van Miniſters van eenige Coningen, Princen, of andere Potentaten erkennen en aannemen, als onder deſe expreſſe conditie, dat de ſelve daar door niet werden geeximeert van de pligten van onderdanigheid reſpectivelyk, ook ten reguarde van de jurisdictie over hare perſonen en goederen, ſoo in het crimineel, als in het civil; en dat ook ſodanige perſonen, die verſwegen ſouden mogen hebben Ingeſetenen van den Staat te ſyn, en by ſub- en obreptie ſonder eenige limitatie of conditie tot* (debet eſſe, *voor*) *Miniſters ſouden mogen weſen erkent en geadmitteert, niet konnen of vermogen te jouisſeren van het regt van de prærogativen, die* (debet eſſe, *dat*) *alleen aan ſodanige uitheemſche Miniſters, die geen ingeſetenen van den Staat ſyn, wert geaccordeert en toegeſtaan.* Quorum ſumma huc redit, neminem ſubditum, ut legatum alterius Principis admitti, niſi ea lege, ne ſubditi conditionem exuat, etiam quod ad forum, tam in cauſa civili, quam criminali, & ſi quis legatus, ſuppreſſa mentione ſubditi, fuerit admiſſus, hunc non uſurum jure, quod externorum Principum legatis duntaxat competit. Neſcio, id ſit jus novum, an vetus: nam cum Anno 1658. Actor Epiſcopi Monaſterienſis, qui & aliorum Principum actor fuerat, in carcerem conjectus, & ad Epiſcopi preces dimiſſus eſſet, de eo jure ne cogitatum quidem invenias, vid. Aitzema *Lib.* XXXVIII. *p. m.* 137-139. Sed non certo mihi conſtat, quod aliis videtur conſtare, hunc Actorem hic antea fuiſſe ſubditum, &, ſi fuiſſet, non una illa ſpecies me dimoverit a ſententia, quam, vel ſine auctoritate legis, veriorem & æquiorem eſſe puto.

Atque hæc ſcripſeram anno 1721. præcipue uſus exemplis, quæ ad Fœderatum Belgium pertinent, ſed quemadmodum Rex Franciæ ſubditis ſuis interdixit apud ſe legatione alterius Principis fungi, ut dicebam initio *hujus Cap.* ſic & Ordines Fœderati Belgii 10. Oct. 1727. decreverunt, ne quis in Belgio Fœderato natus, ibive antea ſubditus, penes ſe legationem obire vellet, niſi forte alibi natus, hic militaſſet & habitaſſet, liberoſque ſuſtuliſſet: hi enim omnes excipiuntur eo Decreto, non ſecus atque ipſi liberi Legatorum, hic nati. Quod ſummam rationem habet. In Francia igitur & Belgio Fœderato de his, quæ hic ago, non eſt amplius exſpectanda quæſtio, ſed nolim, quæ ſcripſi, pro non ſcriptis habere, quia, ubi ſimilis prohibitio non eſt, res habet uſum frequentem.

CAPUT XII.

Variæ inſpectiones de foro competenti pro varia conditione legatorum.

Si Princeps ex alieno Imperio, ſed non noſtro, legatum elegerit, & ad nos miſerit, ecquod ille forum ſortietur? ejus, opinor, Principis, cujus ante legationem fuit ſubditus. Externus ille quidem legatus eſt, quod ad nos, neque adeo noſtro foro ſubjicitur, ſed ſervabit forum vetus, non mutato domicilio. Qui legatum eligit peregrinum, eligit induſtriam hominis, & fidem bonam in obeunda legatione, cætera hominem relinquit Principi & foro ſuo, niſi conſtet, legatum priſtinam ſubditi conditionem exuiſſe, & induiſſe novam Principis legantis.

Sed quid ſi legatus externi Principis, ratione officii, nobis ſit ſubditus, ut Charnacé & Deſtrades, ambo Regis Franciæ ad Ordines Generales legati, & ambo ſub iiſdem militantes? defendit Wicquefort majoris Operis *Lib.* I. *Sect.* 11. *p.* 266. ne quidem eos judicio militari fuiſſe ſubjectos, in delictis pure militaribus. Sed ea ſententia nos non utimur. Sacramento legibus militiæ obligatus eſt, quicunque militat, nec ea religione, iisve legibus militem ſolvit ſuſcepta legatio. Plus dico, ſi miles ante ſuſceptam legationem noſtri fori homo fuerit, manet, qui fuit, etiam poſt ſuſceptam legationem, ſed ſi, dum legatus eſt, militiæ noſtræ nomen dederit, foro militari erit ſubditus, in cauſa militari, in reliquis omnibus habebit jus revocandi domum. Sibi imputet Princeps, quod militem noſtrum, atque ea ratione nobis ſubditum, legatum eligat, ſin autem, patiatur nobis ſubeſſe in his, quæ ad rem militarem pertinent.

De Cardinalibus, qui legati mittuntur, dubitari poſſet, quia ex jure Pontificio conſtat, hos utique in cauſa criminali, nulli Principi eſſe ſubditos, ne illi quidem, qui Cardinalem legatum miſit. Expedita res eſt, ſi alibi, quam apud Papam, legatus degat, tunc enim revocabit ad forum Eccleſiaſticum, cui ſubeſt, ſed ſi ad Papam legatus delinquat, ſi cum ipſo Papa audacius agat, ut in Cardinale Borgia, Hiſpaniarum Regis legato, & aliis, ejusmodi exempla circumferuntur, an Papa ei judices dabit? eſſet hoc exemplo pernicioſum, &, ut puto, contra Jus Gentium, quod legatos defendit. Et cum res incidit, inciderunt autem ſæpe, Pontifices a judicio abſtinuerunt, ne legati officium pereat, & Principi leganti omnino fiat inutile, nequit enim Cardinalis forum mutare, ut alius legatus poteſt, mutata prius Civitate. Poſt finitam vel renunciatam legationem nihil impedit, quominus Cardinalis accuſari vel damnari poſſit a judicibus fori ſui, ſi non in his, quæ ad legationem & exſequutionem mandati pertinent, in aliis certe, quæ deliquit, etiam durante legatione.

Sed quid ſi dicamus, fruſtra de eo diſputari, cum Cardinalis nunquam videatur damnari poſſe, utique ſi Jus Canonicum audiamus in *C.* 2. & 3. *Cauſ.* II. *Quæſt.* 4. Ait *C.* 2. *Præſulem*, id eſt, Cardinalem Epiſcopum, *non damnari, niſi cum* 72. *teſtibus, Presbyterum Cardinalem, niſi cum* 44. *teſtibus, Diaconum Cardinalem, niſi cum* 27. *teſtibus, atque ita porro;* quod ipſum de 72. teſtibus repetitur in *C.* 3. Si enim illi nunquam damnentur, niſi tot teſtibus convicti, de ſtupro forte vel adulterio, vel alio etiam crimine, quod palam fit, nunquam damnabuntur ex præſcripto Canonum, nam nunquam ad delinquendum tantus populus congregari ſolet a delinquente, & raro etiam, vel nunquam tantus populus fortuito ſolet adeſſe. Peſſime ſe ex illis extricavit Gloſſa ad *d. C.* 2. & 3. & alii hanc Jurisprudentiam Eccleſiaſticam rident, etiam ideo, quod & alias Canones, præeunte Evangelio, duobus tribusve teſtibus ſint contenti, ut eſt eadem *Q.* 4. *princ.* & ſæpe alibi. Riſit ſane eam jurisprudentiam Matthæus *de Crimin. ad Lib.* XLVIII. *ff. Tit.* 15. *C.* 3. *n.* 7. refutato omni ejus juris colore ab aliis prætexto, riſit Wiſſembachius *Contradict. Juris Canon. n.* 55. & quidni & nos rideamus, ſi ea ſit horum Capitum ſententia, quam vulgo eſſe credunt. Sed, quantum in nobis eſt, Juris Pontificii auctoritatem & dignitatem abſolvamus a deridiculo, & per *teſtes* potius intelligamus ipſos *judices*, qui delictum eſſe videri, teſtantes condemnant, teſtantes, inquam, & ſententiæ ſubſcribentes, ut vulgo fieri adſolet. Ita eſſe interpretandos *teſtes*, ipſa Capitulorum verba ſignificant, nam poſtquam *C.* 2. dixerat, Præſulem non damnari, niſi 72. teſtibus, mox addit, *nec Præſul ſummus a quoquam* Judicabitur, neque adeo vel a 72. judicibus, & apertius *C.* 3. *probata ſententia per* 72. *teſtes*, & de iiſdem, *ſi inter eos, quos damnandos eſſe dixerint homines, fuerit Epiſcopus . . . nullus ſuper illum definitivam præſumat dare ſententiam &c.* Eſt hoc judicum, qui ſententiam, non eorum, qui teſtimonium dicunt. Capituli ſecundi ſententia quoque expreſſa eſt *Capitul. Caroli M. Lib.* I. *C.* 139. niſi quod teſtium numerus variet in omnibus aliis, qui præter Præſulem enumerantur, & Cujacius *Lib.* XVII. *Obſerv. C.* 9. quamquam nonnihil obſcurus, quod in Capitulari Caroli Magni legitur, ad ipſos judices videtur transferre, utique in exauguratione Epiſcopi 72. judices deſiderat, quod judicium 70. Epiſcoporum appellatur numero rotundo, ut 70. Interpretes dicimus, & 70. Seniores Synedrii Judaici, ad cujus Synedrii exemplum forte hoc judicium ex tot judicibus compoſitum fuit. Chronopium quemdam 70. Epiſcoporum judicio damnatum refert *l.* 20. *C. Theod. Quorum appell. non recip.* & Jacobus Gothofredus ad *d. l.* 20. memorat, cautum fuiſſe Synodo Romana, & Epiſtola Nicolai, *ne Epiſcopus niſi ſub conſpectu* 72. *teſtium damnaretur.* Ad judices id pertinere ex actis Marcellini Papæ conſtat, ut qui *a libra occidua*, id eſt, 72. Epiſcopis eſt damnatus. Ipſa acta, & alia, quæ huc pertinent, habes apud Gothofredum & Cujacium *d. locis.* Si plura deſideras *de libra occidua*, & 72. judicibus, & de ratione hujus appellationis, ſatisfacere poterunt Joſephus Scaliger *de Re nummaria p.* 65. & *Scaligerian.* II. in V. *Occidua*, & ipſe ille Jacobus Gothofredus *de Mutat. & augm. monet. aur. p.* 11. & 12. In antiquis etiam Hollandorum legibus judices vocantur *getuigen* en *tuigen*, & inde judicium ſeptemvirale, *Seventuig*, quo de eſt Philippi Burgundi lex, Anno 1447. 9. Aug. Hollandis data, *in de Handveſten van Monnikendam p. m.* 28. & 29. Digreſſionis, opinor, veniam impetrabit occaſio & dignitas argumenti.

CAPUT XIII.

An domum revocent omnes legati, cujuscunque dignationis?

Ex ſolis legatorum titulis, quibus vulgo appellantur & diſtinguuntur, hanc quæſtionem finiendam non putaverim. Legatos dicimus generali verbo, ut *Afgeſanten* en *Miniſters*, ſpeciali vero *Ambaſſadeurs*, *Envoyés*, *Reſidenten*, *Nuncii* vel *Internuncii*, *Agenten*, *Gedeputeerde*, *Commiſſariſſen*, atque illi omnes vel ordinarii vel extraordinarii. *Envoyés* olim minus frequentabantur, hodie magis; *Reſidenten* olim magis, hodie minus; *Agenten* æque nunc, ac olim, ſed olim dignius habiti, quam nunc. Fere ad ſolemnia legationum hæ appellationes pertinent; unde, cum Belgæ Fœderati ſæpe uſi ſint *extraordinaris Gedeputeerde*, minus nota aliis Gentibus voce, ſæpe quæſitum eſt, quibus ſolemnibus ſalutandi eſſent ac recipiendi. Ut ut nominibus differant, rem ipſam non differunt, quemadmodum *Cap.* I. dicebam; quodcunque nomen Principi placuerit adſcribere mandato, omnino perinde eſt quod ad jus legationis. Veriſſime dixit Wicquefortius *en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *Sect.* 5. ex mandato pendere omnem ejus rei inſpectionem, & inde æſtimandum, iis, de quibus agitur, privilegia legatorum competant, nec ne; nam quod Curia Hollandiæ dicebat annis 1644. & 1659. ſolos legatos, qui *Ambaſſadeurs* vocantur, & majoris commatis ſunt, uti privilegio juris Gentium, & legatorum habere prærogativas, nec rationem habet, nec auctoritatem ullam. Sed id jam occupavi *d. C.* I. Quin *Ambaſſadeurs*, *Envoyés* & *Reſidenten*, quod ad forum attinet, eodem jure habeantur, & ſemper fuerint habiti, præter Curiam, neſcio, an quiſquam alius dubitaverit unquam. In Epiſtola Curiæ, ad Ordines Hollandiæ miſſa 1644. ait, ſe τοῖς *Reſidenten* non largiri legatorum privilegia, & anno 1659. aperte negavit. Atque hinc, cum Luſitaniæ Rex Alphonſus VI. Reſidenti ſuo apud Ordines Generales Didaco Lupo d'Ulloa nihil pecuniarum mitteret pro exſolvendo ære alieno, quod Hagæ contraxerat, anno 1666. utenſilia ejus, auctoritate judicis, pignori capta & diſtracta ſunt, vid. Aitzema *Lib.* XLVI. *p. m.* 919. Idemque cum anno 1668. in Luſitaniam ire conſtituiſſet ad componenda ea, de quibus Luſitani & Ordines Generales inter ſe diſputabant, a creditoribus auctoritate Curiæ Hollandiæ arreſto detentus eſt, primum domi ſuæ, deinde *in de Caſtelenye*, & 26. Apr. 1668. *op de Poort*, & quidem *op de gemeene Gyſel-kamer*, poſtea tamen ſeparatim, in eodem carcere. Luſitanus legatus apud Ordines Generales petiit, permitteretur Reſidenti iter ſuum perficere. Ordines Generales eam rem Ordinibus Hollandiæ commiſerunt, hi Curiæ ſuæ, ubi allegatum legatorum privilegium nihil profuit. Ulloæ cauſam deteriorem facere videbatur, quod argenteam ſupellectilem, heri emptam, hodie pignori poneret, ut præſentem pecuniam haberet, Aitzema *Lib.* XLVIII. *p. m.* 1042. 1043. *&* 1059. quaſi ſcilicet improbus eſt, qui mutuum ſumit, mox expenſurus, nec reſtiturus. Ex cuſtodia autem dimiſſus non eſt, niſi 1. Jul. 1669. poſtquam cum creditoribus ſuis tranſegiſſet, ut lego *in de Hollandſche Mercur. anni* 1669. *p.* 122. Sed hæc omnia nullo jure, &, ut mihi videtur, contra Jus Gentium, etiamſi improbitas legati acceſſerit. Anno 1657. Reſidens Brandeburgicus in Anglia ob debitum arreſto detentus, ſed, ut vitio detentus, dimiſſus eſt, contra detentis, qui ipſum detinuerant, creditoribus & Officialibus, vid. Aitzema *Lib.* XXXVII. *p. m.* 997. *& lib.* XXXIX. *p. m.* 655. & hoc juſtum eſt.

De actoribus, qui *Agenten* vocantur, plus dubitatur, & hodie quidem magis, quam olim, quia, ut dixi, olim dignius habebantur. Legatis, quod ad tuitionem publicam, eos annumerat Edictum Ordinum Hollandiæ 29. Mart. 1651. Actor Regis Marocani Anno 1633. ad Curiam Hollandiæ in jus vocatus, præſcriptione fori ſe defendit, Curia quidem præſcriptionem rejecit, ſed Senatus Supremus, cum appellatum eſt, admiſit, reſciſſa Curiæ ſententia, 5. Jul. 1633. nec dubitandum, quin recte admiſerit, ſi, ut narrat Aitzema *Lib.* XXIV. *p. m.* 800. Ordines Fœderati Belgii illi Actori conceſſerint jura legatorum, quod tamen ex Actis Supremi Senatus ipſe non comperi, &, ſi quid ejusmodi accidiſſet, non video, qua ratione quidam Senatores contra ſententiam reſpondiſſent, & qua ratione alii Ordines Generales adeundos eſſe cenſuiſſent, quo illi ſententiam ſuam de privilegiis hujus Actoris explicare vellent, quod utrumque mihi conſtitit ex Actis Senatus. Rurſus, ut cauſæ civili criminalem invitus quoque miſceam, Actor Epiſcopi Monaſterienſis, qui Ordinum Generalium juratum Amanuenſem, ad ſecreta Ordinum eliminanda corrupiſſe dicebatur, cuſtodia quidem detentus, ſed repetente Epiſcopo, ſuumque legatum eſſe aſſerente, dimiſſus eſt Anno 1658. ut ad finem *Cap.* XI. alia occaſione monui. Ad privilegia legatorum unice provocabat Epiſcopus; & ſane jura Actorum tunc erant prolixiora, & latior eorum poteſtas, ſic ut etiam Principem repræſentarent, non minus atque alii legati. Deinde fere obtinuit, ut illi Actores non eſſent niſi privati Principum procuratores, cum mandato ad certas res, neque adeo haberentur jure legatorum, quemadmodum nec hodie habentur tot tantique fungi & ſtipites, qui emendicato hoc titulo ſuperbiunt. Plerique etiam eorum ſunt ſubditi ejus, apud quem res alterius Principis agunt, nec admittuntur, niſi ea lege, ut ſubditi conditionem non exuant. Si tamen Princeps hodie vel Actorem leget, ſed addat codicillos adeo prolixos, ut cuicunque legato conveniant, minus auguſtum nomen, ſi me audias, Actorem a jure legatorum non excluderet.

Idem repetitum eſto de his, qui *Commiſſariſſen* audiunt. Imperator Germanorum, hoc titulo, ſæpe legatos mittit, pleniſſima poteſtate præditos, de quibus nefas eſſet dubitare, an jure Gentium habendi eſſent. Alii, hoc titulo mittuntur ad exſequendam rem ſingularem, ſibi mandatam, neque hi utuntur jure legatorum. Ordines Generales Anno 1629. Rotterdami arreſto detinuerunt ejusmodi *Commiſſaris* Regis Anglici, neque dimiſerunt, niſi poſtquam ſatisfeciſſet debito. Rem narrat Aitzema *Lib.* IX. *p.* 934. & 935.

Inter Scribam legationis & Scribam legati ſcio diſtingui, ſed an quod ad forum diſtinguendum ſit, nondum potui animadvertere. Uterque domum revocat, ille forte jure ſuo, hic

qua comes legati. Scriba legationis Venetæ Amſterdami navim conduxerat, qua milites in Cretam, jam diu magnis viribus a Turcis oppugnatam, transveherentur. Deinde placuit, milites non mitti. Contractui nondum ſubſcripſerat Scriba, neque, ut conveniſſe ajebat, adhuc erat verſus in linguam Italicam; negat igitur, ſe domino Navis teneri. Hic eum vocat ad Curiam Hollandiæ, & arreſto detinet *in de Caſtelenye*, unde, cauſa per aliquot dies cognita, Curia Hollandiæ 9. Nov. 1668. eum non demiſit, niſi poſtquam cautionem præſtitiſſet, ut habet Aitzema in Annalibus *Lib.* XLVIII. *p. m.* 557. ſed nec in eo Curiam auctorem ſequar.

Forum contractus & criminis adeo conjunctum eſt, ut, dum hic ago de minoribus legatis, promiſcue notem, quæ promiſcue occurrunt. Cromwellus, Angliæ Protector, Advocatum quemdam Hagæ Batavorum conſtituerat, ut Anglicæ Nationis, hic mercaturam exercentis, Advocatus ſive Conſul eſſet. Hunc Ordines Generales admiſerunt, ſic tamen, ut, ubicunque ageret, ordini judiciorum pareret, neque ullam præ reliquis Advocatis prærogativam haberet, Aitzema *Lib.* XXXVIII. *p. m.* 261. Cum ille Advocatus noctu quemdam aggreſſus eſſet, & vulneraſſet, a Curia Hollandiæ in carcerem conjectus eſt; intercedit pro eo Angliæ legatus, & defendit, etiam hunc Jure Gentium tutum eſſe oportere. Contradicit Curia, nam legatorum privilegium non tueri niſi τοῖς *Ambaſſadeurs*, non reliquos minores legatos, quin hunc non eſſe admiſſum, quam ne prærogativam haberet præ aliis Advocatis, ut hæc refert Aitzema *d. loc.* & *Lib.* XXXIX. *p. m.* 679. & 680. Ordines tamen Generales petierunt 23. Jun. 1659. Curia hominem dimittere vellet; at illa non paruit, quinimo 1. Jul. 1659. (*Hollandſche Mercur. Anni* 1659. *p.* 74. & 75.) damnavit in multam 1000. florenorum & ſexennale exilium. Sed tandem Ordines Hollandiæ ſententiam exſequi vetuere, ad Ordinum Generalium & legati Anglici petitionem, Decreto eam in rem facto 12. Jul. 1659. (*Hollandſche Mercur. p.* 75.) & ſic dimiſſus eſt, Aitzema *d. Lib.* XXXIX. *p. m.* 682. Jure, an injuria, quæritur? jure, inquit Aitzema *d. p.* 682. quamvis nec rationes Imperii, diſtinctas a rationibus juris, hic ſubeſſe negaverit; injuria, inquit Wicquefort *dan ſes Mémoires p.* 58. 59. & 60. & ſane ejus rationes facile vincunt, quamquam non omnes, nam in facto hic illic erravit; & quod ille ait, Curiam exiſtimaſſe, Jus Gentium ceſſare in legato delinquente, ſolis vulgi ſermonibus adſcribit Aitzema *d. p.* 679. Ipſe addo, Advocatum, qui hic ante habitaverit, forum mutaſſe non cenſeri, quamvis id ſpecialiter cautum non eſſet, ut tamen hic erat, & quam conditionem nunquam revocarunt Ordines, etiam poſt exhibitum denuo titulum, & alteram admiſſionem, cujus meminit ipſe ille Aitzema *d. p.* 682.

CAPUT XIV.

De Legato Mercatore.

Quamvis Paulus in *l.* 8. §. *ult. ff. de Legation.* reſponderit, *eum, qui legatione fungitur, neque alienis, neque propriis negotiis ſe interponere debere*, & quamvis id rationem habeat ſummam, utrumque tamen non ſervatur. Bertachinus in *Repertor. V. Ambaſiator. n.* 8. jure quidem putat, legatum non poſſe alia curare, quam quæ mandavit, qui eum miſit, ſed, inquit, *hodie non ſervatur*, nec adhuc aliter ſapiunt legati, nec ſpes eſt reſipiſcendi, quamdiu amor ſui plus valet, quam amor Principis. Vacant igitur Principi, vacant amicis, vacant ſibi, & facile patior legatos etiam res ſuas agere, dummodo Principis ſui agant primo loco. Legatum mercatorem præſcripſimus *huic Capiti*, quia quæſtus legatorum ex mercatura nunc multo eſt uberrimus ex non ſolutis vectigalibus mercium, quas in uſum ſuum ſibi neceſſarias fingunt, at mox divendunt. Verum hæc mittamus, & quæramus potius, an legatus, qui mercaturam exercuit, & in eam rem contraxit cum ſubditis noſtris, quod ad eos contractus, poſſit etiam domum revocare. Incidit ea res Anno 1720. & 1721. & mihi hujus libelli ſcribendi occaſionem præbuit, nam vix ulli erant, qui non de hoc argumento ſermones cædebant, & pro ingenio quique ſuo judicabant. Cum Anno 1720. immodice ferveret ſtudium aliquod mercaturæ, quod ne hic, vel alibi unquam ferbuiſſet, ipſius mercaturæ intererat, legatus Ducis Holſatiæ Haga Amſterdamum ſe confert, & ſtrenue mercatorem agit. Plurium debitor factus Hagam revertitur; ſed & plures Curiam Hollandiæ adeunt, & impetrant Mandatum arreſti & in jus vocationis. Curia arreſtum fuerat largita, quod ad omnia, quæ legatus ſub ſuo Imperio habebat, & creditores reperire poterant, exceptis tamen utenſilibus, & reliquo legationis apparatu, & citaverat legatum, primum ad ædes, ſed, cum judicio non adeſſet, iterum, non ad ædes, at per Edictum, correcto ſic, ut videbatur, errore primæ denunciationis. Queritur ille 16. Dec. 1720. ad Ordines Generales de violato Jure Gentium. Cumque ea res pertineret ad Curiam Hollandiæ, Hollandiæ Ordines 9. Jan. 1721. ejus ſententiam rogant, quam ipſa Ordinibus exponit 21. Jan. 1721. grandi Epiſtola, qua de foro legatorum ita diſputat, ut non tantum Mandata ſua, de quibus unice querebatur, defendat, ſed & alia addat, de quibus meretur deſpici. Ipſi Ordines, cum Fœderati Belgii, tum Hollandiæ ea de re adhuc deliberant, incertum, quid decreturi ſint.

Defungebatur, ut ego quidem arbitror, Curia, ſi probaſſet, bona legati, jurisdictioni ſuæ ſubdita, quæ ad exercendam legationem non pertinent, a ſe arreſto detineri, & per ea legatum in jus vocari poſſe, denunciationem quoque judicii recte fieri ad ædes legati, ut prima denunciatio facta fuerat. Utroque probato, nihil ultra probandum erat, & utrumque ego facile largior, ut dicam, ubi de bonis legatorum dicetur. Neutrum tamen probavit Curia, quin vel de eo nihil quicquam in illa Epiſtola, ſed ulterius progreſſa de foro legatorum ita reſcripſit, atque ſi in his ſolis, quæ qua legati egerunt & contraxerunt, jus revocandi domum haberent, atque ſi Edictum Ordinum Fœderati Belgii 9. Sept. 1679. duntaxat pertineret ad æs alienum, quod legatus conflavit ad exhibendam familiam, & tuendam dignitatem legationis ſuæ, non vero ad id, quod, qua mercator, debet aliis mercatoribus, & addit, niſi id dicamus, legatum alios poſſe convenire, ab aliis conveniri non poſſe, quin

 ipſos

ipſos Principes, dum contrahunt, haberi privatorum loco. Exſtare etiam exempla, quæ probant, legatos in cauſa civili, quæ ad legationem non pertinebat, fuiſſe damnatos, & ſe etiam 10. Nov. 1710. damnaſſe legatum quemdam, foro ſuo non contradicentem, ad tradendam adverſario cautionem contra Ordines, quam ipſe poſſidebat, & alius vindicabat. Addit Curia & alia ad defendendum forum ſuum, quæ in illa ſpecie militabant contra legatum, quod ſcilicet actione quadam, de qua litigandum erat, ei ceſſerant alii, cives & ſubditi noſtri, & quod ipſe privilegio fori renunciaverat.

De his, quæ ſpecialia erant in eo facto, nihil dicam, maxime cum ea quæſtio, an legatus fori privilegio poſſit renunciare, alibi operam noſtram occupabit. Nequidem quæram, an non ille legatus, qui & proxime ante legationem plurimos annos Hagæ fuerat commoratus, ad Curiam vocari potuiſſet, etiam poſt legationem, ut ante legationem poterat, ex Edicto Ordinum Generalium 19. Jun. 1681. quod exhibui *Cap.* XI. & cujus Curia non meminit. Oſtendam potius, in legato mercatore, quod ad forum, non aliud ſtatuendum videri, quam in alio quovis, qui æs alienum, ex quacunque cauſa contractum, non exſolvit. Quod Curia ait, legatos foro noſtro in his duntaxat non ſubeſſe, quæ, ut legati egerunt & contraxerunt, deſumptum eſt ex Diſputatione quorumdam apud Bort *de Arreſtis C.* IV. *n.* 13. & ex epiſtola Curiæ ad Ordines Hollandiæ in cauſa legati Suecici 19. Dec. 1644. *ibidem n.* 14. Sed adeo id Juri Gentium adverſatur, ut duo duntaxat exempla repererim, quibus vel in Imperio Turcico, extra cauſam legationis, legati in cauſa civili & pecuniaria reſpondere apud Judices coacti ſint, non ſine indignatione ipſius Præfecti Prætorio, qui ibi erat, & hæc deteſtabatur. Ipſos Principes contrahentes obligari, quod eſt ex eadem Diſputatione apud Bort *d. n.* 13. & ex eadem Epiſtola *d. n.* 14. veriſſimum quidem eſt, ſed alieniſſimum ab hoc argumento, nam & legati contrahentes obligantur, nec de eo quærimus, at ubi ex contractu conveniri debeant. Quod autem Curia d. Edictum 9. Sept. 1679. reſtringat ad æs alienum, quo ſe ſuoſque exhibeat legatus, contractum, non animadverto, quemadmodum Edicto, generaliter concepto, convenire poſſit, & quemadmodum ei, quod ibi dicitur *de legatis transeuntibus*, in quibus id vix obtinet; ſi nempe, ut vulgo, de legatis *transeuntibus*, id Edictum interpretemur, & non potius de *abeuntibus*, ut ipſe conjeceram *Cap.* IX. Denique ratio, quæ Ordinibus hanc legem perſuaſit, eadem eſt in quocunque legati debito, cum non tam legati, quam ipſius Principis cauſa agatur. Rationes & conſenſum Gentium ſupra expedivi *C.* VII. & VIII. & ſimul refutavi rationem plebejam de ſublato uſu fori mutui ex cauſa unius ejuſdemque negotii. Nec moveret, etiamſi Curia aliter judicaſſet d. 10. Nov. 1710. quamquam, ut ipſa explicat, ſic judicaverit in actione in rem, quam legatum pati oportere extra omnem controverſiam eſſe Curia ad Ordines reſcripſit d. 19. Dec. 1644. & ipſe poſtea obſervabo.

Niſi igitur arreſtum rei alicujus interveniat, quo jurisdictio nitatur, ut intervenire poſſe deinde dicam, nihil proderunt illæ rationes. Ex Jure Romano velim in hanc rem obſervari *l.* 4. *C. de Commerc. & mercator.* negat illa, Romanis Perſisve ultra quædam loca, ibidem expreſſa, mercaturam facere licere, *exceptis videlicet his, qui legatorum Perſarum quolibet tempore ad noſtram Clementiam mittendorum iter comitati, merces duxerint commutandas: quibus humanitatis & legationis intuitu extra præfinita etiam loca mercandi copiam non negamus.* Agit de comitibus legatorum, qui eodem jure cenſentur, quo ipſi legati; his legationis intuitu permittit etiam ultra ea loca commercia ſua promovere, ſed audi, quid addat: *niſi ſub ſpecie legationis diutius in qualibet Provincia reſidentes, nec legati reditum ad propria comitentur. Hos enim mercaturæ inſiſtentes non immerito cum una his, cum quibus contraxerint ſeu reſederint, pœna hujus ſanctionis perſequetur.* Poſtremus Verſiculus videbatur indicare, comites mercatores non diſtingui a reliquis mercatoribus, ſed eamdem utroſque ejus legis pœnam manere. Et quidni idem dicemus in cauſa fori? Idem dicerem, ſi ageretur de comitibus, de quibus ibi ſermo eſt, de his nempe, qui ſub ſpecie legationis apud nos hærent, *nec legati reditum ad propria comitantur*, hoc eſt, qui abeuntem legatum ſequuti non ſunt. Omnis legatio olim extra ordinem decreta & peracto negotio exſtincta fuit. Perſæ legati redeunt ad ſuos, comites ut rem faciant, in Provinciis hærent, mercaturæ ſtudentes, quæſitum eſt, an & illi uterentur privilegio illius Conſtitutionis? negant Imperatores, & recte negant, quia exſtincta legatione etiam privilegia legatorum & comitum exſtinguuntur. Videri tamen poſſet ἐν πλάτει id eſſe accipiendum, neque ita, ut, ſi hodie legatus proficiſcatur, poſtridie comites privilegiis cadant, ſed, ut ait Lex, *diutius reſidentes* & *mercaturæ inſiſtentes.* Anno 1689. legati Anglici uxoris, quæ maritum ſequutura nondum abierat, bona in arreſto detenta ſunt, idque, illa nequicquam reluctante, probatum, vid. *Hollandſche Mercur. anni* 1689. *p.* 272. quia, ut ibi additur, Ordines jam ante ei legationi obnunciaverant. Sed nihilominus diſpliceret ea feſtinatio in uxore, quæ remanſerat ad exſolvendum mariti ſui æs alienum & confeſtim erat diſceſſura. Utile eſt in hanc rem expendiſſe *l.* 19. §. 2. *ff. de Judic.*

In Fœderato Belgo etiamſi legatus mercaturam in loco legationis exerceat, non tamen ideo & ibi conveniri poſſe, perſuaſiſſimum habeo ex eo ejus Ordinum Decreto, quod recitavi *Cap.* XI. Petierant ſcilicet Amſterdammenſes creditores, ne legatorum privilegio uterentur, qui ſubditi & incolæ eſſent, & tanquam Mercatores contraxiſſent. Ordines reſpondent, ſubditos & incolas, ut ut legationem ſuſceperint, jure legatorum non uſuros, de mercatura parum ſolliciti. Non ajunt, ſi quis hanc exerceat, privilegium fori non habiturum, qua de re etiam aditi erant, ſed ſi quis ſubditus & incola fuerit, non gaviſurum eo privilegio. Id Decretum etiam ſilentio prætermiſit Curia in ſua Epiſtola, & tamen id liquido probat, quamvis mercatura ad legationem non faciat, ut nec faciunt mille cauſarum figuræ, ex quibus obligationes & actiones naſcuntur, in omnibus illis, id eſt, in quacunque cauſa civili, legatum externi Principis recte domum revocare.

CAPUT XV.

De Comitibus Legatorum.

Qui legatos comitantur, iiſque ab officio ſunt, vocantur *comites*, ut ſcribæ, medici, aruſpices, & reliqui, quos recenſet Tullius *Orat.* 3. *in Verr.* Hi pari, quo legati, jure cenſeri videntur in *l.* 7. *ff. ad L. Jul. de vi publ.* & paſſim, non tantum legatorum, ſed & omnium Magiſtratuum comites, eodem cum his privilegio uti Gentilis probavit *de Legation. Lib.* II. *C.* 15. Certe quod ad legatorum comites id ubique moribus receptum fertur, vid. Huberum *de Jure Civit. Lib.* III. *Sect.* 4. *c.* 2. *n.* 30. Et Hollandiæ Ordines in lege, quam de tuitione legatorum edixerunt 29. Mart. 1651. etiam eorum comites complexi ſunt, quodque de legatis in Edicto Ordinum Generalium 9. Sept. 1679. ſtatutum eſt, etiam de comitibus eorum (*domeſtiquen*) ſtatuitur, ne ſcilicet pro debito hic contracto detineri poſſent. Servi in delictis jure Romano ſequebantur legatorum conditionem, hoc eſt, ſi in legatione delinquebant, cogebantur judicium Romæ pati *l.* 24. §. 1. *ff. de Judic.* Ex conſuetudine, quæ nunc vicit inter Gentes, veri legati, non Provinciales & Municipales, quales fere Romæ, domum revocant, tam in contractibus, quam delictis. Igitur in utriſque etiam domum revocabunt comites, ſive majores, ſive minores, nam & lixæ, ſcoparii, ſtabularii ſequuntur forum legati, ut quicunque famulus ſequitur forum heri ſui. Sed cum his non convenit, quod Curia Hollandiæ edixit 25. Oct. 1644. (*Placat.* I. I. 22. 1.) vetat ſcilicet eos, qui a comitibus legatorum ſe læſos eſſe putaverint, ad legatorum ædes concurſum, turbam, vim facere, *ſed ſi quis ab his ſibi injuriam eſſe factam exiſtimaverit, eos conveniret apud Curiam Hollandiæ, in gevalle iemand ſoude meenen of juſtineren door de Domeſtique Dienaars van Ambaſſadeurs eenigſints verongelykt te weſen, dat de ſelve gehouden ſal ſyn dienaangaande hem te addreſſeren aan den Hove, en aldaar te requireren regt en juſtitie als na behoren.* Secundum hæc, quum Anno 1665. ageretur de puniendo comite, quem hic ſe aſſumpſiſſe dicebat legatus Anglicus, noſtri fori hominem eſſe reſponſum eſt apud Aitzema *Lib.* XLVI. *p. m.* 165. 166. & 167. quamquam non ſatis ibi conſtaret, an in officio legati Anglici, an vero Principis Orangii eſſet.

Sed, quicquid ejus rei ſit, Juriſprudentia Curiæ non convenit Juriſprudentiæ Gentium, nec in hanc rem exemplum ſufficeret, litem quod lite reſolvit. Non magis id probarem, quam aliud apud Gentilem *de Jure Belli Lib.* II. & Bodinum *de Republ. Lib.* I. *C.* 5. quo ſervus legati Hiſpaniarum Regis in Gallia liber judicatus eſt; quam Senatus Pariſienſis ſententiam merito quoque damnat Kirchnerus in *Legato Lib.* II. *C.* I. *n.* 233. Omnes legatorum homines paris ſunt, cujus legati, conditionis, tam quod ad leges, quam quod ad forum, exempti Imperio ejus, apud quem degunt. Et niſi exemptos dicas, inutilis eſt diſputatio inter Auctores Juris Publici, utrum ipſi legato, an Principi, qui miſit, juriſdictio competat in familiam legati? ſibi arrogavit Sueciæ legatus Hagæ Anno 1644. negavit Curia Hollandiæ, niſi dediſſet Regina, & permiſiſſent Ordines, ut eſt in Aitzema *Lib.* XXIV. *p. m.* 791. & 792. & in Epiſtula apud Bort *de Arreſtis C.* IV. *n.* 14. Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 8. id pendere exiſtimat ex conceſſione ejus, apud quem legatus agit, quod non invitus conceſſerim, ubi de pœna publice infligenda ſermo eſt, vel de pœna capitali, quam per ſuos privatim infligeret legatus, exemplo enim grave eſt, in alterius Imperio jura Majeſtatis exercere. Unde & *Cap.* III. obſervavimus, quam ægre id tulerint Franci in Regina Sueciæ, apud ſe degente. Modicam autem coërcitionem legato non denegamus, ut, ad exemplum cujusque patrisfamilias, non denegavit Huberus *de Jure Civit. Lib.* III. *Sect.* 4. *C.* 2. *n.* 30. eaque cuivis docenti in diſcipulum eſt conceſſa *l.* 5. §. *ult. ff. ad L. Aquil.* Sed quemadmodum in criminibus conſuetudo hanc rem finiverit, deinde dicemus. De juriſdictione civili ſi quæratur, ego in totum a Grotio, & ex parte a Curia receſſerim, nam cum obtinere videatur, juriſdictionem civilem, quod ad exteros, etiam in alterius Imperio recte exerceri poſſe, ut quotidie exercent Conſules quod ad homines ſuæ Nationis, inter ſe litigantes, ipſe putem, ubi de familia legati agitur, id non pendere a conceſſione ejus, apud quem agit legatus, ſed ejus, qui miſit, qui legatus ejusque familia non ſunt ejus, apud quem agunt, ſubditi, ſed ejus, qui miſit: is igitur eſt, & is ſolus, qui in eos juriſdictionem dare poteſt. Quare ſi, qui miſit, dedit, recte exercet, quia id nihil ad eum, apud quem agit, quique adeo non magis eam juriſdictionem in ſubditos non ſuos impedire poterit, quam prohibere, ne legati exſequantur reliqua Principum ſuorum mandata, quæ ad ſe nihil quicquam pertinent.

Sed quid ſi legatus ſubditos noſtros ſibi comites & famulos adſciverit, ut ſæpe ſolet fieri, an adhuc dicemus, eos forum legati ſortiri, an vero noſtro foro ſubjectos manere? Ipſos legatos ſupra dicebamus forum non mutare, ſi ante legationem ſubditi noſtri fuiſſent, multo magis igitur id de eorum Officio videbatur dicendum. Sed vero ut contra ſtatuamus, exigit Familiæ conditio, quæ hæc eſt, ut omnes, quæ ad eam pertinent, ſubjiciantur foro patrisfamilias, atque adeo ut famulus quot heros diverſi fori fuerit nactus, totidem ipſe foris ſubjiciatur. Senatoris famulus forum Senatoris ſequitur. Cum Magiſtratus Haganus famulum Senatoris ad ſe in jus vocaſſet, ei, qui Supremæ Curiæ res judicatas conſcripſit, *Deciſ.* 117. in mentem venit, læſæ Majeſtatis crimen a Magiſtratu eſſe commiſſum ex *l.* 3. *ff. ad l. Jul. Majeſt.* ac ſi privatus pro poteſtate Magiſtratuve quid ſciens dolo malo geſſiſſet. Quod eſt Jus Civile calumniari, non ſine magna ineptia. Majeſtatis crimen committi, ſi quis ad forum non competens vocetur, inauditum prorſus eſt. Ne dicam, cauſam fori competentis ibi potuiſſe eſſe dubiam; ſed hoc jam non agimus. Quamvis igitur, ut dixi, ſubditus noſter fuerit, qui nunc eſt in officio legati, a ſubjectione noſtra eximetur, & tranſibit in forum legati. Homo Eccleſiaſticus, Sylvæ Ducis natus, Thuano, legato Franciæ erat a Divinis; cum legatus jam in Franciam receſſiſſet, & ille, tanquam legati *Domeſticus* (ut vocant) in Ordinum Generalium Imperio hæreret, & rem divinam ageret, Anno 1661.

ap-

apprehenſus fuit, ſed ad legati petitionem dimiſſus, vid. Aitzema *Lib.* XLI. *p. m.* 31. & 32. Et tamen ibi exſtinctam legationem poſſes arguere, utique finitum, quod ad legatum, officium hominis, qui nunc alia agebat in Imperio Ordinum. Nihilominus vix ſibi temperavit Rex Franciæ, quin, ut Aitzema narrat, ipſa relaxatione non contentus, durius quid decerneret.

Wicquefort *en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *Sect.* 28. *p.* 890. Principem, qui ſubitos ſuos permittit in legati officio eſſe, eo ipſo ait permittere, ut alterius juriſdictioni ſubſint, & id probo. Sed tota illa *Sectio* 28. potiſſimum agit de re criminali, de qua ipſe dicam peculiari loco.

Uxores cum maxime inter legatorum comites numerandæ. De uxore ſecum ducenda egit Zoucheus *Jur. Fec. inter Gent. Part.* II. *Sect.* 4. *n.* 11. de quo vide & *l.* 4. §. 2. *ff. de Offic. Proconſ. & leg.* In perpetuis illis & exploratoriis legationibus, quales fere nunc ſunt, uſu obtinuit, ut legati mariti uxores ſuas apud ſe habeant. Cum Philippi IV. Hiſpaniarum Regis ad Ordines Generales legatus ordinarius, ipſe Belga, cum uxore ſua Anno 1649. huc veniſſet, Francicus legatus *Hermaphroditicam* eſſe *legationem* inepte cavillatus eſt apud Aitzema *Lib.* XXIX. *p. m.* 724. aliquo enim legationis officio functam eam mulierem, ne calumniari quidem potuit. In Gallia uxores legatorum venientes & abeuntes apud ipſum Regem, honoris cauſa, audiuntur. Sed ſunt, ut dixi, inter comites, & *comitum optimas* recte dixit Marſelaer in *legato Lib.* II. *Diſſert.* 18. unde nec bona earum recte arreſto detinentur, ſi detenta aliquando fuerint, ut Anno 1689. accidit, id improbavi *Cap. præced.* Legatorum liberos, in legatione ſuſceptos, jure originis cenſeri, inter omnes conſtat, & ita quoque Ordines Hollandiæ decreverunt 25. Jun. 1686. ut eſt in Decretis non editis.

Sed ſæpe quæſitum eſt, an comitum numero & jure habendi ſint, qui legatum comitantur, non ut inſtructior ſit legatio, ſed unice ut lucro ſuo conſulant, inſtitores forte & mercatores. Et quamvis hos ſæpe defenderint, & comitum loco habere voluerint legati, apparet tamen ſatis, eo non pertinere, qui in legati legationisve officio non ſunt. Quum autem ea res nonnunquam turbas dederit, optimo exemplo in quibuſdam Aulis olim receptum fuit, ut legatus teneretur exhibere nomenclaturam comitum ſuorum, ſed peſſimo exemplo id nunc ubique Gentium negligitur.

CAPUT XVI.

Quibus ex cauſis legatus poſſit conveniri in loco, ubi legatione fungitur, & quemadmodum tunc facienda ſit judicii denunciatio.

Legatum, ut inſtructus & cum inſtrumento eſt, liberum eſſe volo. Nego igitur eum conveniri poſſe, quia pati non poteſt id, quod extremum eſt in Juriſdictione, niſi ſubducatur officio Principis ſui, & id eſt, quod dixi, conſenſum Gentium probaſſe. Nolim tamen quiſquam ita exiſtimet, nullo plane modo conveniri poſſe legatum, ubi degit, quin, ſi me audias, poterit aliquando. Wicquefortius, qui privilegia legatorum acerrime propugnavit, *en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *Sect.* 28. *p.* 899. legatum ex contractu, quem ipſe coram Notario & teſtibus celebravit, ſubjicit Juriſdictioni ordinariæ, ſed vix animadverto, cur magis ex ejuſmodi contractu ſolemni, quam ex alio quovis conveniri poſſit. Hic, ſi ullibi, manes ſuos paſſus eſt legatorum ille vindex & ſtator. Sed, ut juris privati minime conſultus fuit, potuit in eo labi, potuit & alia præterire, ut præterivit omnia, quæ nunc exſequar. Scilicet in Regionibus, ubi ob bona convenimur, & ex eorum arreſto forum ſortimur, nullus dubito, quin & legatorum bona arreſto detineri, & per hoc ipſi in jus vocari poſſint. Bona, dico, ſive immobilia, ſive mobilia, dummodo neque ad perſonam ejus pertineant, neque, tanquam legatus, poſſideat, uno verbo, ſine quibus legationem recte obire poteſt. Hoc tamen, ob perſonæ ſanctitatem, temperamento, ne quid plus capiatur, quam legatus debet, & ne quid, quod ille non civiliter poſſidet, & ſi, quod captum eſt, quæratur, ad legati perſonam munusve pertineat, nec ne, ſemper pro legato benignior fiat interpretatio. Excipio igitur triticum, vinum, oleum, omnem penum, ſupellectilem, aurum, argentum, mundum, ornamenta, unguenta, veſtimenta, rhedas ſive carrucas penſiles (*dormitorias* forte appellat Scævola in *l.* 13. *ff. de Aur. arg. leg.*) equos, mulos, & quæ alia prolixo nomine legati inſtructi & cum inſtrumento comprehendi poſſunt. Supellectilem me enumeraſſe, & cum maxime enumerandam fuiſſe, non mirabitur, qui ex *l.* 7. *pr. ff. de Supellect. leg.* didicerit, originem ſupellectilis ab his eſſe, qui olim in legationem proficiſcebantur. Hæc autem omnia tunc demum excipio, ſi ad uſum legati ejusve Familiæ pertineant, non triticum, vinum, oleum, quod legatus in horreis repoſuerit ad mercaturam, non equos & mulos, quos legatus hippocomus alit, ut vendat. Merces legati, ut ut res mobiles ab arreſto non magis immunes erunt, quam res immobiles, quia ſine illis recte exercetur legatio, neque adeo earum detentio ullis legatis, qua legatis, impedimento eſt.

Ipſa Principis externi bona in Imperio noſtro recte arreſto ſubjici, & eam ſubjectionem forum tribuere, *Cap.* IV. probabam, nec animadverto, cur legatorum bona potiori jure habenda ſint. Ipſe legatus ſubditus noſter non eſt, ſed ejus bona, ſi forte apud nos reperiantur, nobis ſubdita ſunt, & ſubditorum conditionem ſequuntur. Ubi is, qui bona habet, etſi ipſe extra territorium ſit, vi eorum bonorum conveniri poteſt, ibi & legatus conveniri poterit, ſi immobilia habeat, vel mobilia, quæ ad legationem non pertinent. Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 9. res ſoli duntaxat pignoris capioni ſubjicit, ſed ejus diſtinctionis rationem deſidero. Ubi arreſta non frequentantur, neque immobilia legati pignori capi poterunt ad tribuendum forum, ubi frequentantur, poterunt & mobilia, quia mobilia, quam diu in eo territorio ſunt, non minus ſunt ſubjecta, quam immobilia, ut ita in mobilibus, quæ habet tanquam legatus, duntaxat aliter ſentias. Ipſum legatum, quamvis apud nos legatus ſit, & apud nos contraxerit, fictione Juris, quam uſus Gentium introduxit, habemus pro abſente, homines, quibus ille utitur, habemus pro abſentibus, utea-

utenſilia ejus, ut hoc generali verbo utar, perſonam legati ſequuntur, atque adeo habemus, ac ſi in territorio noſtro non eſſent, ſed quid vetat abſentis bona arreſto detinere, & inde forum derivare? & quid vetat in legatis idem dicere, ſi ſola, quæ dixi, utenſilia excipias? Si ad nos nunquam legati fuiſſent, ſed adhuc hærerent apud Principem ſuum, ob bona tamen, apud nos reperta, forum ſortirentur, quidni igitur, cum & apud nos degant, cum nihil innovetur? Quod legati fori præſcriptione utantur, una ratio eſt, ne impediatur legatio, hoc eſt, ne legati perſona Principi ſuo fiat inutilis, at inutilis non erit, bonis detentis, inutilis non erit, quamvis in foro noſtro litiget, quamvis vincatur, quamvis ea ipſa bona, pignori capta, in cauſam judicati, diſtrahantur, & inde ſatisfiat creditoribus. Non ex perſonæ, ſed ex bonorum ſubjectione id judicium ſubſiſtit, idque perinde agetur, atque ſi legatus apud nos legatus non eſſet. Quare omnino probo, quod Curia Hollandiæ 11. Jan. 1638. legati Suecici bonis immobilibus prius arreſto incluſis, legatum ad ſe in jus vocaverit, ut eſt *in de Deciſien van Loenius Caſ.* 82. Quidam Senatores, ut ipſe ibi refert, arreſtum probabant ſecuritatis, ſed non jurisdictionis obtinendæ ergo, at plurimis id merito diſplicuit. Probo etiam, quod eadem Curia, ut ipſa memorat in Epiſtula, quam ad Ordines Hollandiæ ſcripſit 21. Febr. 1721. & de qua ſupra dicebamus *Cap.* XIV. legatum Ducis Holſatiæ ad ſe in jus vocaverit, conceſſo prius arreſto *op ſodanige goederen, penningen, en effecten, als by onder de jurisdictie van den Hove ſoude mogen hebben, met die reſtrictie nogtans, dat het ſelve arreſt niet ſoude mogen werkſtellig werden gemaekt op deſſelfs meubilen, equipagie, of ietwes tot deſſelfs character ſpecterende.* De pecunia numerata poterat quæri, an & hæc recte arreſto includatur, quia utique ſine ea nemo legationem obiverit? ſed puto Curiam ſenſiſſe de pecunia, quæ legato, qua mercatori, debebatur, & apud mercatores, quibuscum ille contraxerat, adhuc erat reliqua, non de ea, quæ forte legato debebatur ex literis, ut vocantur, Cambii, ad eum transmiſſis, ut ſe ſuosque exhiberet: nam ea pecunia, quæ ad exhibendum legatum deſtinata eſt, non minus ab arreſto immunem eſſe dixerim, quam alias ejus res, ad uſum cottidianum neceſſarias. Fateri tamen oportet, cui uſui pecunia deſtinetur, difficulter diſtingui poſſe; etiam lucrum ex mercatura, etiam pecuniam in hæreditate, quæ legato obvenit, repertam, in alimenta poſſe adhiberi certum eſt, &, quia hæc præſto erat, de alia conquirenda legatum non cogitaſſe dici poterit. Fortaſſe æquius melius erit, quia in cauſa dubia, ut hæc eſt, pro legato ſolemus reſpondere, omnem pecuniam arreſto eximere, & hanc referre inter res, ad obeundam legationem cum maxime neceſſarias.

Cæteroquin, ut dixi, probo Curiæ Mandata, & rationes, cur probem, ſatis jam expedivi, quamvis nullam ex his expediverit Curia in eo ad Ordines Reſcripto. Minime autem probo, quod Curia adjecit de legatis mercatoribus, aliisve, quibus defunctus ſum *d. Cap.* XIV. Supereſt difficultas ex Edicto Ordinum Fœderati Belgii 9. Sept. 1679. quod exhibebam *Cap.* IX. negat illud *bona legatorum*, ob æs alienum, hic contractum, detineri poſſe, & ſimpliciter negat, non adhibita ulla diſtinctione, ſive immobilia, ſive mobilia fuerint, ſive ad legationem pertineant, nec ne. Sed ipſa res diſtinguendum eſſe monet, nec quicquam Ordines ſanciverunt, quam ne quovis modo impediatur legatio. Quin cum *bona* comitibus addat Edictum, ſatis apparet, de his bonis agi, quæ legatum, qua legatum, ſequuntur, non de his, quæ plane ſunt extra cauſam legationis, quæque adeo jure communi reguntur. Intelligit igitur utenſilia, ſuppellectilem, ſarcinas, aliave, quæ adferunt legati venientes, vel hic degentes ſibi comparant, ut inſtructior ſit legatio, quæque abeuntes domum ſolent auferre. De bonis, quæ hic perpetuo ſunt, vel quæ ad tempus, ſed ſine ullo reſpectu legationis, ut eſt in fundis, mercibus, hæreditate obveniente, & quæ ſimilia ſunt, nihil illo Ordinum Edicto definitum erit putem.

Quod ad comitum bona eadem diſtinctione utimur, quam in legatorum bonis indicavimus. Quæ ad perſonam comitum, qua talium, pertinent, quæ ad ipſum Comitatum ornandum, ab arreſto libera eſſe exiſtimaverim, reliqua non item. Sed vero bona comitum indiſtincte arreſto videtur ſubjicere ipſum illud Edictum 9. Sept. 1679. nam liberat duntaxat legatos, eorumque comites & bona, non bona comitum, quin ἐξ ἀντιδιαστολῆς ea diceres excluſa. Verum Lex illa eſt imperfecta, ut omnes fere leges hodie minus perfecte ſcribuntur, atque adeo ſi nova ſpecies incidat, ad rationem & conſenſum Gentium eſt recurrendum, ſi, ut hic, cauſa inde eſt definienda. Audio etiam, Curiam Hollandiæ Anno 1695. comitum bona ab arreſto exemiſſe, ſed quæ illa fuerint, & proinde an jure, an injuria judicaverit, nondum ſcire potui.

In rem actione legatos conveniri poſſe, ubi degunt, ubique receptum eſſe, & neminem, qui vel prolixe legatos defendit, contradicere, Curia Hollandiæ 19. Dec. 1644. Ordinibus Hollandiæ reſpondit, vid. Aitzema *Lib.* XXIV. *p. m.* 792. & ipſam Epiſtulam Curiæ apud Bort *de Arreſt. C.* IV. *n.* 14. idque ideo, quia res ipſa convenitur, neque aliter legatus, quam poſſeſſor rei, cujus poſſeſſio cum probanda ſit *l.* 9. *ff. de Rei vindic.* vix aliter probari poterit, quam ubi res eſt. Et hoc quidem in fundo, qui vindicatur, dubium non eſt, contra quam in re, legationis cauſa huc transducta, vel empta, equo forte, carruca, vel alia qua ſimili, nam ſic miniſterium ei ſubduceretur, quod non eſſe ſubducendum etiam in Provincialibus legatis reſpondit Caſſius in *l.* 24. §. 2. *ff. de Judic.* De actione in rem, quod ad Jus Romanum, ſatis dixi *C.* VI. & probavi Juliani ſententiam, qui diſtinctionem Caſſii rejecit, ſed in his, quæ ad legationem pertinent, nec, ſi vel de legatis externis agamus, a Juliani ſententia recedendum eſt. In aliis omnibus non ſubducitur miniſterium, nec propterea actio in rem denegabitur. Poterit etiam, ut modo probabam, per arreſtum fundi, aliarumque rerum quarumlibet, dummodo ne inſtrumenti ſui, quæcunque adverſus legatum exerceri actio, etiam actio in perſonam, quum idem ſit, ſi non hic, ſed apud Principem ſuum moraretur. Utque ita minus dubitandum ſit de actione in rem, ſi non ad inſtructionem legati pertineat, quam exceptionem vellem Curia adjeciſſet.

Vulgo creditur, legatum, ſi agat prius, cogi etiam ſuſcipere actiones, & *reconventionem*, quam vocant, pati, & vulgo creditur, in Provincialibus legatis id definitum eſſe ab Ulpiano in *l.* 2. §. 5. *verſ. Sed & ſi agant ff. de Judic.* vide Bertachinum in *Repert. V. Ambaſiatores p. m.* 145. Sed ille *Verſ. Sed & ſi agant*, ad legatos non pertinet, ut ex Cujacio *C.* VI. obſervavimus, quia illi Romæ actiones exercere non po-

poterant. Sed nunc quia poſſunt, ubicunque degunt, per me licet etiam cogantur excipere actiones, ob generalem regulam, quam Paulus præſcribit in *l.* 22. *ff. de Judic. Qui*, inquit, *non cogitur in aliquo loco judicium pati, ſi ipſe ibi agit, cogitur excipere actiones, & ad eundem judicem mitti.* Et ſane reconventio non eſt niſi defenſionis quædam ſpecies, quemadmodum & appellatur in *C.* 5. *in fin.* X. *de Exception.* Tu a me decem petis, recte, ſed decem, & amplius, mihi debes, æquumne igitur eſt, ut damnatus tibi ſolvam, & tu non damneris? æquumne, ut compenſationis utilitas, reo invito auferatur? & quid ſi non per mutuam petitionem, ſed per exceptionem reus ſe defendat, & ajat, non decem, ſed quinque duntaxat ſe debere, quia legatus ſibi viciſſim debet quinque? excipere utique licet contra actionem legati. Sed ſi vel mutua petitio ipſam actionem vincat, adhuc dicerem, quod Paulus indiſtincte dicit in *d. l.* 22. qui ipſe agit, fori privilegio non uſurum apud eundem judicem.

Magis etiam dixerim, ſi ipſe legatus egit, & obtinuit, & reus victus appellavit, appellationis judicium in legatum recte exerceri, nam & appellatio eſt defenſio, & unum idemque judicium, quod ipſe legatus inchoavit. Notanda eſt & hæc ſpecies. Legatus Suecíæ in Hollandia, litigat cum Fratre ſuo in Suecia, & eum vicit. Frater, qui Delphis habitabat, ſententiæ non paret. Regina Sueciæ Anno 1651. datis ad utramque Curiam Hollandiæ & Magiſtratum Delphenſem epiſtolis ſententiam exſequi petiit. Qui damnatus erat, a Curia Hollandiæ Mandatum pœnale contra exſequutionem ſententiæ petiit, ſed nihil obtinuit, provocavit igitur ad Senatum Supremum, qui Mandatum appellationis conceſſit. Cum id deferret apparitor ad ædes legati, a quodam ejus famulo contumelioſe redditum eſt, ut hæc refert Aitzema *Lib.* XXXI. *p. m.* 515. & *Lib.* XXXII. *p. m.* 747. Non diſputo, an res, in Suecia judicata, hic executioni dari poſſit, ſed ſi incola Hollandiæ, in Suecia damnatus, velit defendere, non poſſe, utique contra legatum, in Hollandia agentem, ei licebit implorare auxilium Judicis Hollandici, apud quem legatus & poterit, & debebit litigare, jure, an injuria ſe defendat.

Alia etiam ſunt, etiamſi legatos non ſubditos dicamus, in quibus forum noſtrum non recte ſubterfugerint, quin & in quibus poteſtas quædam in eos exerceri poterit, ſed ejusmodi poteſtas, quæ noſtros cives magis defendat, quam legatos cogat. Multis aucti ſunt privilegiis, ut ipſi commodius degant, nec quicquam turbentur in obeunda legatione, non ut, vi illata, alios turbent, & res eorum auferant. Quod ſi fiat, fortaſſe recte utemur iis actionibus, quæ interdictionum naturam magis ſapiunt, quam juſſionum. Certe Supremus Senatus adverſus legatum Sueciæ, ejusve homines (quod perinde eſt) dedit *Mandament van Complainte*, quæque vi & clam facta erant, reſtitui juſſit. Contra eundem legatum, ejusve homines, Curia Hollandiæ conceſſit Mandatum pœnale, quin & publice edidit *een Mandament van Sauvegarde*, eaque Mandata ſcripto ad Ordines Hollandiæ defendit Anno 1644. Habes hæc omnia apud Aitzema *Lib.* XXII. *p.* 451. & *Lib.* XXIV. *p.* 790—799. & ipſum ſcriptum Curiæ ad verbum recitavit Bort *de Arreſto* C. IV. *n.* 14. ut & legati querelam ad Ordines, quæ ibidem præcedit, & quam, quod ad *Mandament van Sauvegarde*, ipſe damnat Wicquefort *Lib.* I. *Sect.* 28. *p.* 890. Et ut dicamus, etiam adverſus legatos interdictis experiri licere, *in cas van nieuwigheid of ongebruik*, proſunt §. 94. *Formæ Curiæ Holl.* 4. *Sept.* 1462. & §. 8. *Formæ ejusdem Curiæ* 20. *Aug.* 1531. nam Curiæ in his tribuitur jurisdictio, etiam adverſus non ſubditos, & illos non ſubditos non alios eſſe videri, quam ipſos legatos, conjecimus *C.* V. quo pertinet & Edictum Ordinum Hollandiæ 22. Mart. 1657. laudatum *d. C.* V. quo & non ſubditis interdictum eſt certamine ſingulari. Scilicet omnem ἀναρχίαν vetare jus fasque eſt, &, ut injuriam a noſtris arceamus, illa interdictione etiam recte comprehendimus eos, quorum cogendorum poteſtatem non habemus, conſtat enim in mera defenſione, quam vel adverſus legatos illicitam eſſe nemo dixerit. Et ſic nonnulla Interdicta, quæ nempe prohibent quid fieri, adverſus legatos probanda videntur, non quaſi in rem eſſent, quæ ſola Curiæ ratio eſt in eo libello ſeu reſcripto ad Ordines, ſed quod ἀναρχίαν prohibeant: quamvis enim Interdicta in rem videantur concepta, vi tamen ipſa perſonalia ſunt, ſi auctorem ſequamur Ulpianum in *l.* 1. §. 3. *ff. de Interdict.*

Poſſem ex Jure Romano etiam alias cauſas arceſſere, ob quas legatus, quamvis externi Principis, etiam foro noſtro recte videtur ſubjici. Atque ita dixerim, legatum ædium nomine damni infecti promittere debere, aut vicinum admittere in poſſeſſionem *l.* 28. §. 3. *ff. de Judic.* JCti Romani quidem id tradunt de Provinciali legato, ut veriſſime dicit Gentilis *de Legation. Lib.* II. *C.* 16. ſed, ut recte ſuperdicit, *explorata ratio facit jus iſtud & majoribus legatis commune.* Alia ibi addit, quæ & ad majores legatos transfert, quorum quædam probarem, quædam non æque. Sed ocii mei non eſt, omnes has ſpecies excutere, & ſunt etiam pleræque ejusmodi, ut hodie vix uſum habeant.

Plus ſcire attinet, in his cauſis, in quibus legatus foro noſtro ſubjicitur, ubi ei dies dici debeat per apparitores ſive officiales judicum. Advocatus Regni Suecici apud Aitzema *Lib.* XXII. *p. m.* 451. multum quiritabatur, legato Suecico ad domum ſuam diem eſſe dictum per apparitorem Senatus Supremi, quia ſancta eſt domus legati, nec profananda per Officia judicum. Ejusdem legati famulus etiam alias contumelioſe rejicit judicii denunciationem, a Supremo Senatu factam, ut mox referebam. Rejecit & Anno 1651. ejusdem legati cum famulus, tum uxor, aliam judicii denunciationem, ab Amſterdamenſibus, ex cauſa arreſti, tranſmiſſa epiſtula, legato factam, apud Bort *de Arreſt. C.* VI. *n.* 12. Sæpe enim ille legatus & ejus homines Rempublicam turbarunt. Curia Hollandiæ in ea Epiſtula, quam ad Ordines dedit 21. Febr. 1721. cujus ſupra memini *C.* XIV. olim ſe legatum, qui actione in rem conveniebatur, in jus vocasſe ſcribit *cum clauſula Edicti*, & ſic ei legato, de quo agit illa epiſtula, ubi primum ad ædes judicium denunciaverat, deinde comperto, ut videbatur, errore per Edictum denunciavit, ut ipſa ibi narrat. Ob ſanctitatem, opinor, domus, ſed & forte, ſi vel hæc ſancta non eſſet, quod legatus habeatur abſens, nec videatur domicilium mutaſſe. Unde diceres, citationem faciendem eſſe in loco domicilii, quod antea habuit; & forte id ſibi vult quod lego apud Bertachinum in *Repert. V. Ambaſiator p. m.* 149. *quod Ambaſiator debeat citari ad domum.* Sed vero illam ædium ſanctitatem, quæ tantopere prædicatur, tanti non eſſe habendam, peculiari loco dicam C. XXI. Non violatur domus, quam legatus ha-

habitat, ſi apparitores judicum ibi denuncient quod denunciandum eſt. Quod autem legatum fingamus abſentem, in his eſt, quibus domum revocandi jus habet, nunc de his cauſis agimus, ob quas judicio noſtro ſubeſt, atque adeo habetur pro præſente. Si clauſulam Edicti adhibeas, utique nihilominus verum eſt, epiſtula diem judicii eſſe ſignificandum, & hanc mittendam, ubi legatus eſt, per tabellarium forte, aliumve hominem, quo is utitur, & qui ne quidem ejus dignitatis eſt, cujus apparitor Curiæ. Cui bono ambages in re, quæ, ſi veram animi magnitudinem, non minutias ſectemur, nec dignitatem minuit, nec quicquam habet ponderis? Sin aliud eſſe dicas, per epiſtulam de judicio moneri, aliud in os legati, per apparitorem Curiæ, diem dici, ecce Εὕρημα, quod poſſumus adhibere, ubi, ut in Hollandia, duplex eſt judicii denunciatio, altera per apparitorem, altera per epiſtulam. Per Epiſtulam in jus vocantur Magiſtratus Urbium, adoptati in Nobilitatem Hollandicam, & pauci præterea alii, reliqui omnes per apparitorem. Igitur demus hoc legato, ut ejus honori, quam fieri poteſt maxime, conſulatur, ut & hunc recta in jus vocemus per epiſtulam, non per ambages, mittendam ad locum priſtinæ habitationis, ſed ubi nunc eſt, absque ulla Edicti clauſula, quæ, ſi me audias, legationis decori magis oberit, quam proderit. Etiam Curia Hollandiæ olim Edicti clauſula non eſt uſa, ſed recta per apparitores ſuos legatis diem dixit. Anno 1668. *liet het Hof* (ait Aitzema *Lib.* XLVIII. *p. m.* 1059. *door een Deurwaarder een exploit doen aan den Ambaſſadeur van Spanjen over een quæſtie van huuring van een huys by den Haag. Hy liet de Deurwaarder in ſyn kamer komen, en beginnende te leſen ſyn exploit, de ſtok in de hand, greep hem d' Ambaſſadeur by den hals, en ſoude hem qualyk hebben getracteert, maer hy ontliep het, en 't Hof ſelve ſeide, hy had het behooren t' exploiteren aan een van ſyn dienaars.* Vides, Curiam diſtinguere inter legatos eorumque comites, & apparitorem accuſare, quod ipſe, ne quidem monitus, ita non diſtinxerit. Sed, ut dicam, quod res eſt, nihil proderit illa diſtinctio, & perinde eſt, ſive legato, ſive ejus comitibus diem judicii denuncies, quia eodem plane jure habentur. Adhuc malim per epiſtulam diem dici, prætermiſſa Edicti clauſula.

CAPUT XVII.

Si legatus deliquerit, ubi de delicto agendum ſit, difficulter ex ſola ratione expediri poſſe, prævalere tamen videri ſententiam Grotii.

Qui in hoc argumento verſati ſunt, & verſati ſunt quam plurimi, non omnes æque τὸ κρινόμενον, quod Græci appellant, adſecuti ſunt. Nihil hic prodeſt prolixe philoſophari de officio legati, & monere, eum eſſe oportere integrum vitæ, ſcelerisque purum, nec quicquam vel dicto vel facto committere contra Principem ejusve populum, ad quem legatus eſt. Honeſta oratio, ſed ſi quid commiſerit, ubi accuſari debeat, hoc eſt, de quo quærimus. Nec rurſus proficies in hoc argumento, ſi legatum, qui deliquit, non impunem eſſe oportere pronunciaveris & probaveris, quin &, quo magis in illuſtri poſitus eſt loco, eo graviori illum pœnæ ſubjeceris, nam impunitatem legati non defendimus, nec ſcio, an quisquam alius defendat, ſed ſi, dum in legatione eſt, deliquerit, ubi accuſari vel puniri debeat, unice quæſtionis eſt. Aliena quoque hinc eſt inſpectio, an non legatus, qui adverſus mandata Principis ſui commiſit, apud Principem ſuum accuſari debeat, nam & antea hoc lubentes largiti ſumus. Aliena demum hinc eſt quæſtio, an non legatus, qui manu agit, manu repelli poſſit, ſive publice agat, armatus forte inter hoſtes noſtros ſeu rebelles, ſive privatim, cives noſtros pulſando, occidendo, & ſi quid his eſt ſimile. Quicunque vim intulerit, ſemper vi repellere licuit, nec ulla in legatis eſt exceptio. Cum apud Euripidem *Heraclid. verſ.* 272. Copreus legatus dixiſſet:

Μὴ πρὸς θεῶν κήρυκα τολμήσεις θένειν.

Ne per Deos legatum audeas percutere.

Demophon reſpondit *verſ.* 273.

Εἰ μή γ' ὁ κῆρυξ σωφρονεῖν μαθήσεται.

Niſi ille legatus diſcat modeſte agere,

hoc eſt, niſi vim non inferat, quam Copreus minabatur. Recte etiam Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 4. *n.* 7. hanc repulſionem permittit, non per modum pœnæ, ſed per modum naturalis defenſionis, ut nos ab imminenti periculo ſervemus, laudato quoque, ſed non bene verſo illo Euripidis loco. De Fabiis legatis ad Gallos & inter Cluſinos contra Gallos pugnantibus dicam *C.* XXIV. quam hiſtoriam etiam recte huc transfert Grotius. Et jure optimo coërceri legatos, qui manu agunt, dum agunt, etiam Zoucheus conſentit *Jur. Fecial. inter Gent. Part.* II. *Sect.* 4. *Q.* 22. *in fin.* & Wicquefort *Lib.* I. *Sect.* 29. *p. m.* 909. 922. & 923. nec quemquam novi, qui contradicat: nam non de forma judicii, ſed de propulſatione quoque vis injuſtæ intelligo, quod Paſchalius dixit in *Legato C.* 27. *Hoſtili animo accedis? hoſtili excipiere. Pugnas? repugnabo. Feris? referiam*, & quæ ibi porro ſequuntur in eandem ſententiam. Sed noſtra diſputatio eſt de legato, qui crimen commiſit, quod non ex tempore, at conſtituto judicio perſequendum ſit, ubi tunc accuſari, ubi puniri debeat.

In hac quæſtione crimina legatorum bifariam conſideranda ſunt, aut enim ſimpliciter committuntur contra ſocietatem civilem & tranquillitatem publicam, ut crimen homicidii, adulterii, & reliqua fere omnia, quæ licet appellare delicta communia, aut committuntur contra Principem, vel Imperium ejus, ad quem miſſus eſt legatus, quæ vulgo Majeſtatis & Perduellionis crimina audiunt. De utroque genere, ſi ſolam rationem ſequamur magiſtram, eſt, quod in utramque partem diſputari poſſit, ut in utramque partem tam de foro delicti, quam debiti, non una ratione prælusimus *C.* VII. De foro delicti nunc preſſius agendum eſt. Grotius varias hac de re ſententias, earumque rationes recenſuit magni Operis *Lib.* II. *C.* 18. §. 4. & merito illam rejecit, quæ a legatis non arceri vult, niſi vim injuſtam, nullo ſic iis privilegio relicto, nam & a quocunque privato arcemus vim injuſtam. Alii legatum privilegiis exuunt, ſi ipſe jus Gentium læſit prius, & in hanc rem laudant benedictum Theodati ad Byzantinos Oratores apud Procopium *de Bell. Goth. Lib.* I. *C.* 5. *Magna quædam*, ait, *& inclyta Oratorum dig-*

dignitas eſt, & apud omnes Mortales alioquin honorabilis. Sed tamdiu id in ſe muneris retinent, quoad ipſi ſuæ legationis officium ſervent. Ni ſervent, ad utrumque genus delicti pœnam porrigit his verbis: *nam hominem occidere, qui legatione fungatur, tunc quidem & jure pro humanis legibus licet, cum Regem videbitur contumelia affeciſſe, vel ſi cum muliere cubuerit, alteri cuiquam nupta.* Legati hoc negant, ſed ad rem non reſpondent, cum ajunt: *Orator qualiacunque a Principe, ſe delegante, acceperit, profert; quæ ſi minus proba vel rectiora videntur, non ipſe propterea jure eſt incuſandus, ſed, qui miſerit, forte culpandus; Oratoris quippe officium eſt, ſuum cum fide miniſterium exſequi.* Non, inquam, ad rem reſpondent, nam legati non mittuntur ad contumeliam Principi dicendam, vel ſubigendas aliorum uxores, & tamen id fit aliquando. Ex mandato quod agit, ad Principem mittentem & mandantem pertinet, at ſi delinquat, quod citra mandatum fere ſemper eſt, an legatorum privilegia amittere dicemus? Sane amittere, ſi ſeditionem moliantur, & Rempublicam turbent, etiam Ordinum Hollandiæ eorumve Delegatorum ſententia eſt apud Aitzema *Lib.* XLVI. *p. m.* 747. Si dicas, Jure Gentium læſo, tolli legatorum privilegium, jam ex omnibus delictis puniri poterunt, ut recte obſervat Grotius, niſi quæ ex mero Jure Civili oriuntur; quæ Hermanni Kirchneri ſententia eſt *in Legato Lib.* II. *C.* I. *n.* 125. *& ſeqq.* Atque hæc cum durior nonnullis videatur, reſtringunt ad crimina læſæ Reipublicæ, vel læſæ Majeſtatis ejus, ad quem legatus mittitur. Et quamvis id videatur habere magnam rationem, tamen Kirchnerus, qui mox legatum ſubjiciebat omni pœnæ in quibuſcunque delictis, *n.* 138. *& ſeqq.* excipit crimen Majeſtatis, quia Majeſtas non læditur, niſi a ſubdito. Atque ſi legatus magis eſſet ſubditus in aliis criminibus, quam in eo, quod excepit. Sed cum hac non ſucceſſit, alia rem aggreditur via, & ait, crimen Majeſtatis ſolo fere animo committi, & Juris Civilis eſſe, animum punire, non Juris Gentium. Atque ſi, plebe forſan concitata, effectu deſtitutus fuerit animus, & non in omnibus delictis, ſi diſtinguendum ſit, hæc diſtinctio pari ratione obtineret. Kirchnero tamen eadem ſententia præiverat Albericus Gentilis *de Legation. Lib.* II. *C.* 19.

Vides, quam ſententiæ, quam rationes diſcrepent. Gentilis *d. C.* 19. & Grotius *d.* §. 4. eſſe ſcribunt, qui, ſi res incidat, de ineundo Gentium conſilio ſolliciti ſunt, ſed hoc nugari eſt. Ipſe Grotius utilitatem pœnæ exigendæ & utilitatem legationis, tuto obeundæ, invicem committit, & quæ potior ſit, ex voluntate Gentium derivandum eſſe, recte cenſet, ſed *hoc* inquit, *ex ſolis exemplis evinci non poteſt: exſtant enim ſatis multa in utramque partem. Recurrendum igitur tum ad Sapientum judicia, tum ad conjecturas*, & mox depromit illa judicia, illasque conjecturas, tanquam totidem ſententiæ ſuæ, quam *n.* 5. exponit, prænuncios. Ego vero, cum de Jure Gentium ſermo eſt, non tam teſtibus & conjecturis, quam exemplis crediderim. Teſtes, ſi ullibi, hic variant, & poſſem ex priſcis & novis Annalibus adferre magnas auctoritates, quæ in utramque partem ſtant, & victoriam tantum non dubiam reddunt. Grotius non denunciavit teſtimonium, niſi Livio & Salluſtio, de quibus dicam, cum ad exempla Gentium perventum erit. Quod ad conjecturas attinet, nihil illæ ſunt, niſi rationes, ex præſumta mente Gentium petitæ, & quibus tantum tribui non poteſt, ut inde jus potius æſtimemus. Hoc ipſum eſt, quod ipſe ille dicebat *d.* §. 4. *n.* 2. poſt varias variorum ſententias recitatas: *Rationes, quæ pro ſe quisque afferunt, nihil definite concludunt, quia jus hoc, non ut jus Naturale, ex certis rationibus certo oritur, ſed ex voluntate Gentium modum accipit.* Ad judicia igitur Gentium cum maxime provocandum eſt, ubi quæritur, an legatus, qui deliquit, & an in omni genere delicti, utatur præſidio Juris Gentium? & ea judicia exemplis abſolvuntur, tantaque eorum ſeges eſt, ut his conſultis non difficulter de re ipſa pronunciari videatur poſſe, prætermiſſo etiam omni reliquo levis armaturæ apparatu.

Ex his igitur ſolis, quantum ſufficit ad probandum conſenſum, atque adeo Jus Gentium, opinor effici, poſſe legatum ex nullo delicto, in loco legationis accuſari vel puniri oportere, ſed rem eſſe tranſigendam his cautionibus, quas Grotius *d.* §. 4. *n.* 5. & 6. præſcribit: *Si*, inquit, *tale ſit delictum, quod contemni poſſe videatur, aut diſſimulandum erit, aut e finibus jubendus excedere legatus. Si crimen ſit atrocius, & ad publicum malum ſpectans, mittendus erit legatus ad eum, qui miſit, cum poſtulato, ut eum puniat aut dedat.* Permittit etiam *d. n.* 6. *ut obviam eatur imminenti periculo, ſi nulla alia eſt ratio idonea, & retineri, & interrogari legatos poſſe.* Non dubitamus hic Grotium præeuntem ſequi, niſi quod etiam in gravioribus delictis ſolam expulſionem legati præferamus, &, dum exſpectamus exempla Gentium, quæ *Caput ſequens* ſuggerit, credamus etiam rationes, quæ hanc ſententiam ſuadent, eſſe æquiores meliores. Utilitatem legationis utilitati pœnæ præfert Grotius, & recte, quia pœna etiam per eum haberi poteſt, qui legatum miſit, quin & ab eo peti, & ſi res tanti ſit, bello exigi. Si vero legatum permittas carceri & pœnæ ejus, apud quem degit, mox in legato delinquente intercidit omnis legationis utilitas, &, quamvis non deliquerit, vel maxime eum exponis promiſcuis accuſationibus: *nam*, ut optime ſubjungit Grotius, *cum plerumque diverſa, ſæpe & adverſa ſint conſilia eorum, qui mittunt legatos, & qui accipiunt, vix eſt, ut non ſemper aliquid in legatum dici poſſit, quod criminis accipiat ſpeciem.* Neſcio, cur in hac quæſtione Principes, qui legatos miſerunt, monſtra eſſe hominum putemus, qui legatos, pœnam meritos, magis impunitos transmittere vellent, quam vellent ii ipſi, apud quos legatione funguntur. Fateor, ſi forte ex mandato conſilia ceperint contra Rempublicam, ubi degunt, non ſibi metuendum eſſe a Principibus ſuis, ſed vel in hac ſpecie, ſi quid ex iniquo habeat magnum exemplum, utilitate publica ſatis repenſum erit.

Princeps ratio, quæ Grotium movit, etiam me movet, legatum nempe, ex unanimi conſenſu Gentium, non cenſeri ſubditum ejus, apud quem legationem obit, ſed cum & ſupra eam rationem prolixe exſequuti ſimus, non eſt, ut de ea amplius dicamus. Neque obeſt ea ipſa ratio, quominus legatum, ſi quid deliquerit, etſi puniri nequeat, jubeamus tamen excedere vel Aula, vel Imperio noſtro, quia hæc interdictio non tam pœna eſt, quam ſola defenſio, ne ultra nobis vel rebus noſtris noceat, & defenſionem contra legatos licitam eſſe nemo negavit unquam. Unde interdictionem damus, cui neque juriſdictio, neque ullius pœnæ conſtituendæ jus eſt, ut de Rationali ſcribit Calliſtratus in *l.* 3. §. 1. *ff. de Offic. Procur. Cæſar.* Ut non quosvis legatos tenemur accipere, ſic nec quosvis retinere, non turpius ejicitur, quam non admittitur, qui ipſe

eji-

ejiciendi cauſam præbuit, dum apud nos verſatur; ſola ea ratio ſupereſt, ut noſtræ ſaluti, legatorum dignitati conſulamus. Et ſi cuilibet Patrifamilias in domu ſua liceat homines habere, vel non habere, ut libuerit; quidni idem largiamur Principi in Imperio ſuo, & id largiendum eſſe, nemo dubitabit, qui mores Gentium in hanc rem exploraverit.

CAPUT XVIII.

De moribus Gentium quod ad forum legatorum in criminibus.

Quia Grotii ſententiam de foro legatorum in criminibus, tantum non noſtram fecimus, cum maxime intereſt, ut hanc uſu Gentium probemus. Sed prius amoliamur aliquot præjudicia, quæ huc vulgo transferuntur, & tamen huc non pertinent. Qui de legatis & legationibus ſcripſere, prolixe de prædicata legatorum ſanctitate ex Jure Gentium, mox ad eos transeunt, qui ſpreto illo jure, legatos, etiam mandata ſua explicantes, vinculis, verberibus, & morte ipſa multarunt. Sæpe Princeps, plenus irarum calidæque rixæ, in legatos irruit, & eorum ſanguine explevit vindictam, quam aperto Marte ſumere non poterat. Si recenſerem Gentes, cum barbaras, tum etiam moratiores, quæ tale quid nonnunquam auſæ ſunt, multa ſcribenda & deſcribenda eſſent, nihil quicquam profutura ad rem præſentem. Omnes conſentiunt, legatis male habitis, vel ob odium Principis, qui miſit, vel ob explicata ejus mandata, quamvis acerbiora, violari jus Societatis humanæ, quod ex pactis tacitis inducitur. Sed eo non pertinent crimina, quæ legatus extra cauſam legationis commiſit, ut nec pertinet quæſtio, an ea crimina ipſe Princeps, ad quem miſſus eſt legatus, manu Regia, an per judices ſuos punire poſſit.

Quemadmodum igitur hæc exempla tranſimus, ſic & transeamus ea, quibus manu repulſus & coërcitus legatus, qui manu agebat, nam & hanc ſpeciem hinc rejecimus *C. præced.* & eandem ob cauſam Imperator Germanorum rejecit querelas de arreſto Principis Furſtembergii, quamvis revera legatus fuiſſet, quo de tantopere turbatum eſt, vide *Hollandſche Mercur. Anni* 1674. *p.* 62. & 63. & Wicquefortium variis locis; ſed prolixior eſt hæc cauſa, quam ut de ejus jure vel injuria hic ſtatuamus, & plurima ibi inciderunt, quæ ad Diſputationem noſtram non pertinent. Anno 1658. Hafnia obſeſſa cum Sueciæ legatus, qui ibi erat apud Daniæ Regem, arma parare iisque homines ſuos induere diceretur, in loco publico militari cuſtodiæ datus eſt, ut refert Aitzema *Lib.* XXXVIII. *p. m.* 100. ſed & hæc ſpecies defenſionis fuit, ad propulſandam vim injuſtam imminenti periculo.

His omnibus rejectis, fatendum tamen eſt, exſtare judicia in legatos eorumve comites exercita ab his, apud quos agebant & delinquebant. De Pelopida Nepos in *ejus vita* hæc retulit: *Quum Theſſaliam in poteſtatem Thebanorum cuperet redigere, legationisque jure ſatis tutum ſe arbitraretur, quod apud omnes Gentes ſanctum eſſe conſueſſet, a Tyranno Alexandro Pheræo, ſimul cum Iſmenia comprehenſus, in vincula conjectus eſt.* At Pelopidas duntaxat in vincula ductus, non etiam punitus fuit, ut apparet ex iis, quæ mox addit Nepos. Sed vis exemplum pœnæ? illuſtre habet Livius *Lib.* XXV. *C.* 7. de Philea Tarentino, qui, cum legatus Romæ eſſet, obſides Tarentinos, corruptis æditui duobus, cuſtodia eduxit, & comes itineris factus cum his profugit, ſed a fuga retracti & deducti, inquit, *in comitio, virgisque, approbante Populo, cæſi, de ſaxo dejiciuntur.* Atrocitatem ejus rei excuſat Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 4. *n* 5. excuſant alii, quod Tarentini victi ſub Romanis eſſe cœpiſſent, vel potius, quod eorum Urbs præſidio Romanorum teneretur; ſed dubito an recte, cum Phileas Tarentinus, qua legatus, Romæ egerit, &, cum egerit, jus legationis ei ſartum tectum eſſe oportuerit. De comite legationis, qui inſidias paraverat, Salluſtius *Bell. Jugurth. C.* 35. ita infit: *Fit reus magis ex æquo bonoque, quam ex Jure Gentium Bomilcar, comes ejus, qui Romam fide publica venerat.* Vides, factum fuiſſe reum, nam quod Salluſtius ſuperdicit, *ex æquo & bono magis, quam ex Jure Gentium* id æſtimandum, rem ipſam non mutat, ſed oſtendit, Salluſtio ita viſum, & quamvis religio Juris Gentium Bomilcarem dimittendum ſuaderet, id tamen diſplicuiſſe *ex æquo & bono*, quod homines, præſertim juris imperitiores, ſibi fingunt, & hic fingebant, quodque videbatur flagitare, ut ſine ullo perſonarum diſcrimine, delictum pœna ſequatur. Sic explicandus eſt locus Salluſtii, quem Interpretes plerique peſſime habent.

Etiam recentior ætas exempla ſuppeditat. Paulus IV. Pontifex Maximus Garcilaſſum Vegam, Regis Hiſpaniarum legatum, quod Romæ res novas moliretur, in carcerem conjecit, & ad Ducem Albanum, de eo conquerentem, ita reſpondit: *Si Vega intra mandati fines & legati munus ſe continuiſſet, nihil damni paſſurum, ſed cum conſiliorum, ſeditionum, machinationum clam in eum Principem, ad quem fuerat miſſus, initarum particeps ſit, tanquam privatum improbe egiſſe, atque ut talem ſupplicium meruiſſe*; quemadmodum hæc narrat Paulus Sarpius *Hiſtor. Concil. Trident. Lib.* V. *p. m.* 364. & 365. ſed ſubſtitit ea res intra ſolam cuſtodiam, qua poſt dimiſſus eſt. Alii Principes ultra progreſſi ſunt. Regis Perſarum legati, quod laſcivius egiſſent, inter ſacra menſæ, in Macedonia trucidati. In Luſitania legatus, quod adulterium commiſiſſet, ultimo ſupplicio affectus. Mediolani Galliæ legatus, ob homicidium perpetratum, capite punitus, ut ex idoneis auctoribus hæc omnia retulit Kirchnerus in *Legato Lib.* II. *Cap.* I. *num.* 115. *& ſeqq.* quamvis in primo exemplo tumultuaria pœna magis exacta fuerit, quam ſervatus judiciorum ordo, & in tertio non defuerint rationes dubitandi, an pro legato habendus fuiſſet, qui capite pœnas luit. Rationes dubitandi habet Wicquefort *dans ſes Memoires p. m.* 47. *& ſeqq.* Legatum Venetum, adulterii reum, Mediolani quoque capite plexum narrat Gentilis de *Legation. Lib.* II. *C.* 17. Aliud exemplum legati, qui rebellionem concitarat, puniti habet Teſmarus ad Grotium *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 4. *n.* 1. Frater legati Luſitani Londini hominem occidit, & fugit in domum fratris, in cujus comitatu erat, ſed Cromwel, Angliæ Protector, eum extraxit, & ſecuri percuſſit, vide Aitzema *Lib.* XXXIV. *p.* 75. & 132. & *Hollandſche Mercur. Anni* 1674. *p.* 62. & 63. quod damnat Wicquefort *Majoris Operis Lib.* I. *Sect.* 28. *p.* 885. & 886. Nec minus damnat, quod ſibi accidit

dit Anno 1675. cum Hagæ Batavorum eſſet Ducis Luneburgenſis legatus, & ſimul in fide Ordinum Generalium, *in den eed van ſecreteſſe*, nam cum pro pecunia conſilia publica cum amicis, aut certe nondum hoſtibus communicaſſet, Curia Hollandiæ eum damnavit, ut ſupra dixi *C.* XI. ſed, ut ibi obſervabam, ante legationem hic habitaverat, qua ſubditus, nec ſubditi conditionem mutaverat.

Sic punita vides crimina legatorum & communia, & turbatæ Reipublicæ, & quamvis forte diſputari poſſet, eſſe in his exemplis facta quædam dubia, quæ ad hanc de foro quæſtionem non pertinent, largiamur tamen, omnia pertinere, quin & plura forte addi poſſe, ſed ne inde efficiamus, his exemplis Jus Gentium induci. Utique nemo negat, contra Jus Gentium committere, qui legatos violaverit, & nihilominus conſtat, plurimas Gentes legatos violaſſe, ſed id ipſis fuit opprobrio, ut ſunt qui opprobrio duxerunt illa ipſa, quæ recenſui, pœnarum exempla. Hoc auſim adfirmare, exempla, quæ in adverſam partem proferuntur, ſive numeremus, ſive ponderemus, ſemper & ubique vincere, & viciſſe etiam apud illas Gentes, quæ alias impetu abreptæ puniverant legatos. Populus Romanus, ipſa infantia ſua, nobili exemplo præivit; nam cum legati Tarquinii, jam ejecti, Romæ aliud agerent, aliud ſimularent, & non tam de recuperandis bonis Tarquinii, quam ipſo Tarquinio reducendo conſilia iniviſſent, & juventutem Romanam concitaſſent, *proditoribus*, inquit Livius *Lib. II. C.* 4. *extemplo in vincula conjectis, de legatis paululum addubitatum eſt, & quamquam viſi ſunt commiſiſſe, ut hoſtium loco eſſent, jus tamen Gentium valuit.* Nemo, in hoc argumento verſatus, hoc exemplum prætermiſit, nec prætermitti debuit ob atrocitatem delicti. Majores ſuos, ita præeuntes, poſteri Romani tantum non ſemper ſequuti ſunt. Grotius de *Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 4. *n.* 5. ex Polybio recitat exemplum legati, Roma abire juſſi, quod obſidibus fugiendi cauſam præbuiſſet; quod crimen alias imprudenter Romani in legato Tarentino morte multaverant. Kirchnerus minus recte duas has ſpecies confudit. In *Notis* habet Grotius aliud exemplum de Carthaginenſium legatis, qui Romæ contumelioſe egerant, Romæ non punitis at Carthaginem remiſſis. De Scipione Africano qui legatum, ut ut peſſime meritum, dimiſit & ſimpliciter abire juſſit, ex Appiano Alexandrino exemplum ſuppeditat Antonius de Vera *en ſon parfait Ambaſſadeur*, *Lib.* I. C. 41. Etiam alias Romanis ſolemne fuiſſe, jubere legatos Urbe & Italia excedere, diſco ex Polybii *Excerpt. legation. n.* 68. Nec aliter aliæ Gentes ſapuerunt. Lampſaceni Verrem, quamvis virgini vim intuliſſet, dimiſerunt, quia legatus erat, idque ex conſilio Romanorum, qui apud eos mercaturæ cauſa hærebant, quique putabant, levius peccatum fore, ſi homini ſcelerato pepercisſent, quam ſi legato non pepercisſent, ut Cicero retulit *Orat.* 3. *in Verr.* Demochares, Athenienſium legatus, Regi Philippo, ad quem miſſus erat, interroganti, ecqua re Athenienſibus prodeſſe poſſet? potes, reſpondit, ſi te ſuſpenderis. Dignam diceres laqueo reſponſionem, ſed Philippus, Juris Gentium memor, hominem impunitum dimiſit, ut hæc & alia legatorum contumelioſe dicta, & impune transmiſſa, commemorat Kircherus in *Legato Lib.* II. *C.* I. *n.* 198. *& ſeqq.* Sed & Teſmarus ad Grotii *Lib.* II. *C.* 18. §. 4. *n.* 5. ex veteri & recentiori memoria plures legatos recenſet, haud aliter multatos, quam ut finibus Imperii juſſi ſint excedere.

Novi ævi exempla de legatis, qui varie deliquerant, non punitis, tot ubique in Annalibus occurrunt, ut ipſa copia laboremus. Sæpe diſſimulata ſunt crimina; ſæpe transmiſſi ad Principem ſuum legati, ut punirentur; ſed ut plurimum ſimpliciter abire juſſi. Fit illa interdictio, etiam non conſulto, nec conſentiente Principe, qui miſit, quamvis ratio interdictionis aliquando per literas reddatur, & hoc expedit, ſi pacem illæſam volumus. Grotius in *Not. ad d. n.* 5. ex Thuano refert exemplum ejusmodi interdictionis in Stephano, Poloniæ Rege, quod ad legatos Moſchos, & duo alia in Eliſabetha, Angliæ Regina, alterum quod ad legatum Scotum, alterum quod ad Hiſpanum, qui apud ſe factiones ſuſcitaverant. Scotus erat Joannes Leslæus, Epiſcopus Roſſenſis, legatus Mariæ, Scotiæ Reginæ, de cujus judicio & pœna prolixe diſputatum eſt, ſed demum poſt carcerem biennii, ſimpliciter ex Anglia excedere juſſus, vid. Camdenum *Annal. Angl. ad Annum* 1571. *p. m.* 201-203. & *ad Annum* 1573. *p. m.* 241. Hiſpanus erat Bernardinus Mendoza, cujus interdictionem tamen Rex Hiſpaniæ ægerrime tulit, vide illum ipſum Camdenum *ad Annum* 1584. *p. m.* 355. & 356. Quin & cum Galliæ legatus vitæ Eliſabethæ Angliæ Reginæ, eſſet inſidiatus, *& noluiſſet in fraudem Regis ſui & legatorum præjudicium accuſationem quamcunque audire*, leniter nonnihil increpitus, cætera impune tulit, ut lego apud eundem Camdenum *ad Annum* 1587. *p. m.* 449. & 450. Et cum Maria, Scotiæ Regina, ad mortem eſſet damnata, erant, qui cum ea durius actum exiſtimabant; *quod in Majeſtatem peccare non potuiſſet, quia ſubdita non fuerat, & quod legati, Principum adminiſtri, ſi in Reges, apud quos legatione funguntur, conjuraverint, Majeſtatis crimine non teneantur, multo minus ipſi Principes.* Defendebant igitur Reginam ad exemplum legatorum, quam recte, nunc non diſputo. Angli etiam haud ita pridem Sueciæ legatum, qui in perniciem ſuam conſpiraſſe dicebatur, navi impoſitum, ad Regem ſuum remiſerunt. Alia ſolius interdictionis exempla alii retulerunt. De Friderico I. Imperatore, quod ad Pontificios legatos, Kirchnerus *d. Lib.* II. *C.* I. *n.* 138. De Venetis, quod ad legatos Francicum & Hiſpanum, ipſe ille Kirchnerus *n.* 175. & 176. Sed quid moror in partes advocare commune legatorum aſylum, Abrahamum Wicquefortium, qui ex profeſſo id egit *majoris Operis Lib.* I. *C.* 27. 28. & 29. ut legatos, ſive Rempublicam turbaverint, ſive aliud commune delictum commiſerint, abſolvat a jurisdictione ejus, apud quem legati ſunt. Hanc ſententiam, ut par eſt, exemplis defendit, & fere ſolis exemplis, ex recentiori ævo petitis, veteris enim non usque adeo gnarus erat. Si omnes rationes, quæ eo pertinent, attuliſſet, ego potuiſſem hac opera ſuperſedere; egregias tamen, in enumerandis exemplis, ſuppetias tulit, vellem modo laudaſſet auctores, quorum fide narrat, quæ narravit, ne forte ſit, qui ei fidem abroget, ut ipſe abrogavit Antonio de Vera, ſcriptori Hiſpano in re Hiſpanica, *en ſon Ambaſſadeur Lib.* I. *Sect.* 29. *princ.* Sed auctorem ſuum laudare, quamvis & in aliis id Jus Civile deſideret, fere hodie cenſetur ſupervacui laboris. Ex Francia ille mos invaluit, & apud eos, qui Gallice ſcribunt, altas radices egit, quin & alios contagio quodam infecit. Sed ego nolim Wicquefortium teſtem refutare, cum repererim plurima exempla, quæ

ipſe

ipſe adfert, revera in Annalibus exſtare, & de paucis aliis ipſe ſecurus ſim. Lege hæc omnia (nam ego nolim deſcribere) confer cum his, quæ ipſe dixi, & adhuc dubita, quæ ſit dicenda conſuetudo Gentium. Imo vero non dubitabis, ſed palam affirmabis, tacito Populorum conſenſu placuiſſe, ne legatos, ut ut pœnam meritos, ipſi puniamus, ſed Princeps, qui miſit.

CAPUT XIX.

Rurſus de exemplis, ex uſu Gentium, & quæ contra dici poſſint.

Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 4. *n.*6. ut obviam eatur imminenti periculo, putat, legatos *& retineri*, *& interrogari poſſe*, quod plus eſt, quam Aula, Urbe, vel Imperio interdicere. Adſentior, ſi res urgeat; & uſus Gentium hoc probat. Quod ipſe ait de legatis Tarquinii comprehenſis, ex Livio non ſatis mihi liquet, ſed ſi liqueret, non improbarem. In ſeditione concitata res ſæpe moram non refert, & auctores, ne ſerpat malum, quam primum ſolicite cuſtodiendi, ut Epiſcopus Roſſenſis, ut alii, quos memoravimus, quam primum cuſtoditi, ſed poſt dimiſſi ſunt. Henricus IV. Franciæ Rex, Juris Gentium fuit peritiſſimus, & ſimul tenaciſſimus. Cum is ſcribam legati Hiſpanici, hoſtilia molientem, detinuiſſet, ad querelas legati reſpondit, ipſos etiam legatos in ea ſpecie detineri poſſe. Reddidit deinde ſcribam legato, ſed ea lege, ut quantocyus eum juberet Imperio excedere. Duos alios, ejuſdem criminis reos, at ſibi non ſubditos, idem Franciæ Rex, poſtquam interrogaſſet, cum *Notoriis*, ut vocant, ad Principem ſuum remiſit, quemadmodum hoc tradit Wicquefort *en ſon Ambaſſadeur Lib* I. *Sect.* 27. *p. m.* 828.

Conſultius eſt, ſi res moram ferat, Principem rogare, ut is legatum, ſi deliquerit, domum revocare velit, ſed id ſemper prius eſſe rogandum (ut Philippus II. Hiſpaniarum Rex contendebat, cum de ejus legato Mendoza ageretur) priusquam Imperio interdicatur, nec rationem, nec auctoritatem habet ullam. Huic ſententiæ recte contradixit Wicquefort *Lib.* I. *Sect.* 29. *p.* 903. & 904. Eliſabetham, Angliæ Reginam, defendens adverſus Philippi II. querelas, ut ut alias eadem Eliſabetha eidem Philippo denunciaverit, legatum ſuum, ſibi noxium, revocare vellet, ut eſt apud Wicquefort *d. Sect.* 29. *p.* 909. & 910. ratione magis humanitatis, quam juris. Ordines Fœderati Belgii legatum Luſitanum abire juſſerunt, & pro legato amplius habere detrectarunt. Hic reſpondet, poſſe quidem eos hoc in Imperio ſuo ſed non ſine bello, Aitzema *Lib.* XXXI. *p. m.* 505. & 506. perperam. Cromwel, Angliæ Protector, illæſa pace, Franciæ legatum, qui adverſus ſe conſpiraverat, intra 24. horas ex Anglia juſſit excedere, ut lego apud Aitzema *Lib.* XXXIV. *p. m.* 125. Veneti quidem, pro prudentia ſua, Regem Hiſpaniarum rogarunt, uti legatum, qui Rempublicam ſuam turbaverat, domum revocare vellet, Wicquefort *d. C.* 27. *p.* 828. & 829. & ſic Ordines Generales quod ad Sueciæ legatum Anno 1657. Aitzema *Lib.* XXXVII. *p. m.* 1020. ſed uſu id non ſemper ſervari, neque neceſſarium eſſe, docent exempla apud Aitzema *Lib.* XXXIX. *p. m.* 642. *Lib.* XLI. *p. m.* 294. *Lib.* XLII. *p. m.* 340. & *Lib.* XLVII. *p. m.* 673. Huc pertinet contentio, quæ inter Regem Hiſpaniarum ex una, & Regem Angliæ & Ordines Generales ex altera parte Annis 1695. & 1696. agitata eſt. Is qui abſente Regis Angliæ & Ordinum legato, eorum res agebat apud Hiſpaniarum Regem, homo, ſi verum fama ſuſurrat, viliſſimus, contumelioſos libellos Regi Hiſpaniarum porrexerat. Rex eum Madrito excedere juſſit, & contumacem Præfectus Urbi manu Madrito eduxit. Queritur ille ad Regem Angliæ & Ordines. Rex Hiſpanum legatum, qui Londini erat, etiam ſtatim Urbe ejiciendum cenſuit, ſed qui aderant, hunc impetum mitigarunt. Deinde Rex & Ordines ad Regem Hiſpaniarum ſcripſere, ſatisfaceret ſibi de injuria, res ſuas agenti facta; ſin autem, & ſe ejus legatos ſtatim ejecturos, minus conſulta, ut mihi videtur, Juris Gentium prudentia. Sed tandem conveniſſe relatum, actorem rurſus in Urbem admitteret Hiſpaniarum Rex, deinde eum revocarent domum, ut revocarunt, Rex Angliæ & Ordines.

Cæterum nec deſunt alii modi, quibus legati, cum legibus non teneantur, neque iis volentes pareant, commodum coërceri vel deterreri posſunt. Noſtra memoria Prorex Neapolitanus præcipuum quemdam ex familia Nuncii Pontificis Maximi falſe ludibrio expoſuit. Officiales eum, in proſtibulo deprehenſum, ad omnes Judices ducunt, ut puniretur: quibus rei gnaris, nihilque, niſi ſibi in eum jurisdictionem non eſſe, dicentibus, hominem dimittunt. Nuncio de hac infamia ſuo homini, per cuncta tribunalia transducto, conquerente, Neapolitanus Prorex hanc pœnam Officialibus conſtituit, ut & ipſi per Urbem deducerentur, hoc ſuperdicto: pœnæ cauſa ita eos transduci, quod illum Titium vel Sempronium, ex comitatu Nuncii, ſcortari non ſiverant. Fere convenit, quod de Chiis refert Plutarchus, *Apophtegm. Lacon. p. m.* 405. cum nempe Spartam veniſſent, & poſt cœnam ſellas Ephororum vomitu & oleto repleſſent, hos edixiſſe, Chiis permiſſum eſſe turpiter agere. Ælianus *Variar. Hiſtor. Lib.* II. *C.* 15. de Clazomeniis id ipſum tradit, niſi alia hiſtoria ſit dicenda, cum ſellas hi ἀσβόλῳ, *fuligine* reſperſiſſe dicantur, ſed idem per præconem proclamatum eſt, ſcilicet, ἐξέστω Κλαζομενίοις ἀσχημονεῖν, *liceat Clazomeniis indecore facere.*

Verum hæc remedia valde extra ordinem adhibentur, nec ſemper citra majorem indignitatem, vel belli metum ſucceſſerint. Tutius eſt ſolam interdictionem ſequi ex recepta Gentium conſuetudine. Sed quid receptam dico, ſi tota Gens Hiſpana contradicat? Memoriæ nempe prodidit Antonius de Vera *en ſon parfait Ambaſſadeur Lib.* I. *C.* 43. Madriti ex ædibus legati Veneti, vi & vi armata reſiſtentis, facinoroſos quosdam eſſe extractos & damnatos, gratiam quidem criminis deinde eſſe factam damnatis, iis ſimpliciter Regno excedere juſſis, ſed Regem Hiſpaniarum ea occaſione literas dediſſe ad omnes Principes Chriſtianos, quibus ſibi placere ſignificavit, ut, ſi legati ſui penes eos delinquerent, cecidiſſe viderentur privilegiis ſuis, & judicarentur ſecundum leges Imperii, ubi eſſent. Qui id tradat, præter Veram, neminem eſſe, atque adeo Veram verum non dicere, ſuſpicatur Wicquefort eo loco, quem *Cap. præced. in fin.* indicabam. Quid ejus rei ſit, ipſe non dixerim, & fidem quoque penes auctorem eſſe velim; quam-

vis

vis & id ipſum memoriæ prodiderit Fredericus de Marſelaer in *Legato Lib.* II. *Diſſert.* 13. Sed una unius Regis ſententia, ſemel prolata, non efficit Jus Gentium. Quin alias ipſi Hiſpani, cum durius egiſſent adverſus legatum Franciæ, ejusve comites, quos captivos habebant, ope conſilio Pontificis Maximi vix a bello liberati, jure dicundo tamen ſuperſederunt, dimiſeruntque captivos, ut habet Wicquefort *Lib.* I. *Sect.* 28. *p.* 883. *& ſeqq.* Plurimi etiam Principes contra Regis Hiſpaniarum legatos, male meritos, ſola interdictione uſi ſunt, punitione procul dubio uſuri, ſi vel Hiſpani aliarum Gentium legatos ipſi punirent, vel punitionis veniam dedisſent.

Belliſſime quæri poteſt, ſi de illa Hiſpanorum contra legatos ſententia plena fide conſtaret, quo jure hæc eſſet habenda? res inde pendet, an qua Gens privilegia legatorum, quibus utuntur ex jure communi Gentium, poſſit tollere? & puto, poſſe tollere, ſi palam id teſtetur, quia nullo jure competunt, niſi tacito & præſumpto. Gens Gentem non obligat, nec vel omnes Gentes obligant aliam, licet ſolam, quæ ſui juris eſt, & aliis legibus uti decrevit. Hugo quoque Grotius magnus pro legatorum immunitate patronus, ea privilegia refert ad pactionem tacitam ejus, qui legatum recipit, & hanc voluntatis eſſe certiſſimum eſt. Legatum poſſe etiam prorſus non admitti conſtat, & rurſus admitti poſſe certis legibus, ex voluntate ejus, qui recipit, definiendis. Si qua Gens igitur noluerit legatum recipere, niſi foro ſuo ſe ſubjiciat, ſubſiſtet legatio ea lege, nec quicquam eſt, cur non etiam legatio citra illam immunitatem fori poſſit ſubſiſtere. Veriſſimum tamen eſt, quod Hollandiæ Ordines ajunt in eo libello, quem Anno 1651. ediderunt, & inſcripſerunt *waaragtig en nodig berigt* &c. (apud Aitzema *Herſtelde Leeuw p. m.* 617.) legatum, etiamſi deliquerit, ex jure Gentium detineri non poſſe, id enim ut ſervemus, æquitas exigit, ſi non contraria obnunciatione tollatur. Jus Gentium nihil eſt, niſi præſumptio ſecundum conſuetudinem, nec quicquam valet præſumptio, ubi expreſſa eſt voluntas ejus, de quo agitur. Præſcriptione legatos jus ſuum quærere vel tueri non poſſe exiſtimat Huberus *de Jure Civitatis Lib.* III. *Sect.* 4. *C.* 2. *n.* 32. ſed id reſtringit ad ſubditos Principis, qui, invito Principe, jure aſyli uti velint apud legatos. Ego generaliter verum dixerim de omni privilegio legatorum, id nempe non prodeſſe, ſi contraria acceſſerit conteſtatio, quia voluntas expresſa tacitam excludit, nec ullum, ut dixi, jus Gentium eſt, niſi inter volentes ex pacto tacito.

CAPUT XX.

Si quis e familia legati deliquiſſe dicetur.

Qui ad comitatum familiamve legati pertinent, ejus forum ſortiri, ſatis videor probaſſe *C.* XV. In cauſa criminali non minus id verum eſt, quam in cauſa civili; quare eos nec accuſat, nec punit Magiſtratus loci, ubi degunt. Si comites quandoque rei facti, ſi in eos animadverſum, etiam gladio, ſi alias jurisdictio exercita, vel adrogata, ut exempla attulimus *d. C.* XV. & *C.* XVIII. id, quod ad forum, eo jure factum puta, quod Prætor reddere dicitur, etiamſi inique decernat. Grotius *de Jure B. & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 8. comites legatorum etiam foro ordinario exemit, & ex Pauſania oſtendit, Romanos putaſſe, Jus Gentium lædi, ſi vi abſtrahantur. Quin & inter præcipuas belli cauſas id aliquando relatum eſſe Teſmarus ex Camdeno obſervat ad *d. loc.* Vult igitur Grotius, a legato poſtulandum, ut comites, ſi deliquerint, dedantur, & ſi dedere nolit, ea eſſe facienda, quæ de ipſo legato præſcripſerat. Sane legatus ſuos homines dedere poteſt, quia ipſe illos aſſumit dimittitque pro arbitrio; quod ſi alterius conditionis ſint, ab ipſo forte Principe lecti, ut eſt ſcriba legationis, dedere non poteſt. Sæpe etiam legati homines, qui mere erant arbitrii ſui, Magiſtratui dediderunt, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi, & quia illa occaſio cum maxime eſt, ubi legati conveniunt ad pacem pangendam, ſi tanta eorum hominum multitudo, ſi non impune ſe delinquere, utique a præſenti pœna ſe immunem crederet, ſæpe ſolent legati invicem paciſci, ut homines ſui ſint ſubditi foro Magiſtratus ejus, ubi de pace agendum eſt. Sic Monaſterii, ſic Neomagi factum refert Wicquefort *Lib.* I. *Sect.* 28. *p.* 893. & 894. & ſæpe alias id obſervatum memini.

Si nihil tale convenerit, nulla Magiſtratus in eos erit jurisdictio; neque adeo dubitandum eſt, quin recte Hiſpaniarum Rex prohibuerit, ne vel apprehendere liceret homines legati Veneti, qui duos Hiſpanos occidiſſent, ut eſt apud Wicquefort *d. Sect.* 28. *p.* 885. Imo, ſi apprehenſi eſſent ejusmodi homines ab Officialibus, in flagranti forte delicto, recte eos legatus repetet, & varia ejus rei exempla exſtant. Legati Franciæ famulus Hagæ Batavorum noctu vim fecerat mulieri, & captus erat; petiit legatus, eum ſibi tradi, ut ipſe jus diceret, & Ordinum Hollandiæ Conſiliarii Anno 1657. tradiderunt, vid. Aitzema *Lib.* XXXVII. *p. m.* 791. & Wicquefort *d. p.* 885. & de aliis *p.* 883. & 884.

Recte deditus eſt ille famulus legato Franciæ, ſed an ipſe de eo jus dicere potuerit, alia quæſtio eſt, de qua dicere occupavi *d. C.* XV. Franci ita fere cenſent. *In capitalibus cauſis legati per ſe in ſuos judicia ferre ſoliti ſunt*, ait Mornacius ad *l.* 2. §. 3. *ff. de Judic.* & exempla quædam pœnæ, a legatis Francicis exactæ refert, etiam apud Turcarum Imperatorem, qui id paſſus eſt, quia, ut mox audies, etiam Turcarum legati ſolent ipſi pœnas exigere a ſuis hominibus. Sed omnino ea res eſt tranſigenda iis diſtinctionibus, quas recenſui *d. C.* XV. Si legatus jurisdictionem habeat ab eo, qui miſit, & conſentiat is, ad quem miſſus eſt, pœnam jure optimo exiget; ſi alterutrum deficiat, non exiget. Jure legati nihil poteſt agere, niſi ex mandato, & mandato non ſolet ei dari jurisdictio in homines ſuos, quin, ſi data fuerit, non recte hanc exercebit in Imperio alterius Principis, invito eo Principe. Poterit autem, ne impune effugiant rei, eos vincire, & vinctos tranſmittere ad forum ſuum. Familiæ vinciendæ poteſtatem vulgo Cardinalibus tribuunt apud Clarum *Lib.* V. §. *fin. Q.* 68. *n.* 32. & niſi hanc tribuas legatis, fruſtra de pœna ab hominibus ejus exigenda cogitabis. Ipſe legatus modice ſuos caſtigabit, ſi res majorem animadverſionem deſideret, vel dedet Magiſtratui non ſuo, vel,

ſi

ſi ita videatur, vinctos remittet ad Magiſtratum ſuum. Scio ægerrime accepiſſe Pontificem, quod legatus Imperatoris Germanorum haud ita pridem Romæ quemdam ex ſuis hominibus, ipſum legatum ejusque filiam necare voluiſſe ſuſpectum, domi ſuæ vinctum detinuerit, atque ſi carcerem privatum exercuiſſet. Sed ſi Magiſtratus nec delinquentem apprehendere, nec legatus cuſtodire poſſit, ut ſcilicet deinceps tradat puniendum, jam actum eſt de omni pœna, & familia legati vitæ, bonis, exiſtimationi civium noſtrorum tuto inſultabit. Cardinalis Bullonienſis, Regis Franciæ ad Pontificem legatus, Anno 1699. alterius famulum, quem domina ei tradiderat, ut exquireret de auctore injuriæ cujusdam, cum ex Cardinalis arbitrio non reſponderet, aliquamdiu domi ſuæ captivum habuit. Quo non immerito Pontificis auctoritatem læſam opinati ſunt Juris Publici Conſulti, duplici de cauſa, altera, quod id auſus fuiſſet in hominem non ſuum, altera, quod in delicto, quod ad legationem non pertinebat, cum ipſe legatus, qua Cardinalis, tum ejus homines Papæ fuerint ſubditi, atque adeo Romæ, ubi erant, judicandi. Utque ipſe id improbo, ſic probo factum legati Hiſpanici, Emanuelis de Lira, qui apud Ordines Fœderati Belgii legationem præclare obivit. Cum quidam ejus famulus puellam quamdam ex legati Domeſticis, qui vocantur, Hagæ in domo legati, vi conſtuprare aggreſſus eſſet, legatus hominem vinctum in Hiſpaniam miſit, ut ibi puniretur & remis daretur. Et ſic oportebat; nec ab ea Jurisprudentia receſſit ipſe Wicquefort *d. Sect.* 28. *p.* 889. & 890. niſi quod imprudenter addat, legati tamen jurisdictionem eſſe in homines, quos ſibi adſcivit ex ſubditis noſtris, ſed hos ab aliis nihil quicquam differre *Cap.* XV. exſequuti ſumus.

Sæpiſſime tamen legati contra homines ſuos ſententiam dixerunt. Apud Wicquefort *d. Sect.* 28. *p.* 886. & 887. legatus Francicus apud Anglos capitis ſententiam dixit contra comitem ſuum, homicidii reum, ſed Angliæ Rex gratiam criminis fecit. Probavit id factum Henricus IV. Franciæ Rex, ſed indignante Conſilio ſuo, quod Regis Anglici eſſe non putabat, ejus criminis gratiam facere. Et ipſe puto, id certiſſimum eſſe, ſi de jure quæramus, quia comes ille ſubditus erat Regis Franciæ, & ſubditus manſerat, etiam in Anglia. Jurisdictio quoque erat exercita a legato, ſed nullo jure, niſi poſtquam hanc Rex habuerat ratam. Legimus quoque, Turcicum legatum Anno 1700. Viennæ quemdam ex familia ſua, qui cum aliis ejusdem familiæ ſe inebriarat, multaque inſolenter egerat, ante ædes ſuas ex arbore, appenſa pectori lagena, ſuſpendiſſe, & cæteros 50. fuſtium ictibus multaſſe. Alia legatorum in homines ſuos exercita judicia recenſet Jean Hotman *en ſon Traité de l' Ambaſſadeur C.* 4. *n.* 14. & alia etiam alii. Sed hæc, & duo adhuc alia, quæ Mornacius attulit, exempla non me moverint, ut inde jus Gentium æſtimemus. Huberus *de Jure Civitatis Lib.* III. *Sect.* 4. *C.* 2. *n.* 30. ex eo, quod comites legatorum exempti ſunt eorum, ad quos mittuntur, poteſtate, *parum eſt*, inquit, *quin jurisdictio legatis in comites ſuos tribui poſſit*, ſed mox reſipiſcit, modicam duntaxat legatis tribuens coërcitionem, ad exemplum patrisfamilias, cætera, & recte, contendens, ablegandos eſſe comites, ut puniantur, ad Principem legati, ſive ut ego malim, ad forum legati, quod ipſe ante ſuſceptam legationem habuit. Et ſane id jus facile vincet, ſive rationem, ſive mores Gentium conſideremus. Cum enim omnis jurisdictio ſit a Principe, nemo, cui non mandaverit, hanc recte exercet, & cedo mihi legatos, quorum mandatis id continetur, &, ſi vel contineretur, cedo mihi plurium populorum cenſenſum, qui legatos, quibus neque imperii, neque territorii ullum jus eſt, ſcientes volentes paſſi ſunt homines ſuos intra privatos parietes trucidare, vel exſtruere ferale pegma ante ædes ſuas, vel alibi in loco publico, in quo de his ſupplicia ſumant, vel per ſuos, vel conducta ad id carnificis opera. Refragantur etiam mores, dummodo paucos excipias, ex quibus jus Gentium efficere non licet.

Carolus Paſchalius in *Legato C.* 76. ſingulari loco egit, *an legatus habeat jurisdictionem in ſuam familiam*? ille legatis non permittit ergaſtula, neque vincula & compedes, multoque minus carnificem & laqueum. Ego vincula & compedes permitto, ut homines ſuos cuſtodiant & tranſmittant, non ut puniant temporali vel perpetuo carcere. Ille mox diſtinguit inter majores & minores legatos, illis largies poteſtatem in ſuos, æqualem priſcæ; *quæ fuit civili ac regali imperio prædita*, his non item. Ego inter legatos, niſi mandata differant, hac parte non diſtinguo, nec, ſine auctoritate, admitto illud incertæ & ambiguæ orationis imperium. Major in Paſchalio eſt eruditionis apparatus, & pompa verborum, quam appoſita ad rem diſputatio, & judicii bene ſubacti pondus. Quamvis autem comites ad forum legati pertineant, non tamen eo pertinent ſubditi noſtri, qui adverſus legatum, ejusve homines deliquiſſe dicuntur. Forum ejus, qui deliquit, inſpicimus; nec adhuc potui animadvertere, quo jure contradixerint Franci apud Aitzema *Lib.* VI. *p. m.* 98. niſi forte jure antiquo deditionis, quo hodie tamen Gentes non utuntur.

CAPUT XXI.

Ædes legati an præbeant aſylum?

Jam de domu legati videamus. Recte Grotius dixit magni Operis *Lib.* II. *C.* 18. §. 8. an jus Aſyli habeat legatus pro quibusvis, eo confugientibus, ex conceſſione pendere ejus, apud quem agit, neque enim Juris Gentium eſſe. Legatus, comites legati ſancti ſunt, ſed an & domus ſancta? imo ſancta, inquit Wicquefort *Lib.* I. *Sect.* 28. *p.* 875. ſed ſoli legato ejusque comitibus, facinoroſis domum legati non prodeſſe, quia ſubditos Principis, apud quem degit, nullo jure ejus jurisdictione eximit. At ſcire velim, quid tunc præſtet illa ſanctitas? ut ſcilicet legato ejusque hominibus domus ſua tutiſſimum ſit refugium atque receptaculum? atqui omnes ædes, omnia loca id ipſum legato præbent, nam qui nec conveniri, nec accuſari, nec puniri poteſt, inter medios Officialium cohortes tutus obambulat. Eo igitur, ex plurium ſententia, illa ſanctitas non pertinet, ſed ne ex ædibus legati liceat exrahere vel ſceleſtiſſimum quemque. Paſchalius in *Legato C.* 76. *improbat eum, qui apud pleroſque adolevit, mo-*

rem, ut domus legatorum ſint Aſyla improborum. Et addit: *Id quod cui rei inventum dicam, tuendo decori legationis? ridicule. Potius ad proponendam & vere præſtandam ſceleribus impunitatem; quæ utique provocantur hoc perfugio, ubi homini ſceleſto non ſolum tuto eſſe; ſed & Magiſtratus cohortem inridere, eive probra jacere, & minas manusque intendere licet, oppoſito nomine & auctoritate legati, res eſt, ſi verum fateri licet, peſſimi exempli.* Sed honeſtam hanc orationem mox conſpurcat inepta diſtinctione inter crimina Majeſtatis, aliave atrociora, & quæ minus atrocia ſunt, ut in illis, non in his extrahere liceret facinoroſos; quæ diſtinctio nec rationem, nec auctoritatem ullam habet. Zoucheus *Jur. Fecial. inter Gent. Part.* II. *Sect.* 4. *n.* 21. ſententias Grotii & Paſchalii, & Abundii hiſtoriam, quæ exemplo fuerit, recitaſſe contentus, nihil ipſe definit, ut parum ſolet ex ſuo ingenio ſapere. Sane, ſi ex ratione agamus, dubito, an quicquam magis fatuum excogitari poſſit, quam jus Aſyli legatorum ædibus tribuere. Pauca ſunt adeo abſurda, ut non aliqua ſaltem ratione nitantur, hoc autem qua nitetur? dic aliquem ſodes hic Quintiliane colorem. Legatine, ut latrones recipiant, mittuntur? vel an ſine receptione commode legationi vacare non poſſunt? dices fortaſſe, inquiſitione ædium legatum turbari. Nugæ: nec enim magis turbantur, quam alii receptatores, &, ſi legati non ſint receptatores, ad eum cur magis, quam ad alium, confugiunt facinoroſi? deinde quis erit exitus? ut ipſe legatus facinoroſum puniat vel dimittat. At punire nequit, quia ipſe, & qui eum miſit, apud nos jurisdictionem non habent, utique, ut inter omnes conſtat, non in ſubditos noſtros, qui apud nos delinquunt. Si dimittat, exuit nos jurisdictione noſtra in ſubditos noſtros, in re, quæ nec ad legatum, nec ad legationem quicquam pertinet, & cui ſe importune immiſcet. Omnia legatorum privilegia, quibus utuntur ex tacito Gentium conſenſu, non alio ſine comparata ſunt, quam ut tuto ſine remora, ſine impedimento cujusquam officio ſuo fungantur. Poſſunt autem tuto fungi, etiamſi facinoroſos non recipiant, nec occultent, nec Principi, apud quem ſunt, intervertant jurisdictionem, non in ſui vel ſuorum, at tertii, ad ſe non petinentis, gratiam. Sed ejusmodi hæc ſunt, ut vix feriam diſputationem deſiderent.

Attamen is furor ſæpe legatos, eorumve Principes occupavit, ut non tantum ædibus legati, ſed & integris circa eas regionibus & vicis jus Aſyli tribuant. Tacitus *Annal. Lib.* III. *C.* 62. non modo templis quibusdam, ſed duobus millibus paſſuum ſanctitatem, quæ templis debebatur, tributam memorat. Idem legati ſibi arrogarunt circa eas Urbis regiones, in quibus ipſi habitant. Franci potiſſimum id jus Aſyli non tantum magnis animis, ſed & armis defenderunt, & Romæ Seculo ſexto decimo & ſeptimo decimo ſæpe ea res agitata eſt inter legatos Franciæ & Pontifices Maximos. Innocentius XI. jus illud Aſyli abolere conſtituerat, ſed quemadmodum legatus Francicus Anno 1687. ſeſe oppoſuerit, reliquis haud multum Papæ reluctantibus, relatum eſt *in de Hollandſche Mercur. ad annum.* 1687. *p.* 191—197. Sixtus V. cui tantum animi erat, & antea id tentaverat, ſed cupidum, pater optime, vires deſtituebant. Hoc ipſum jus Aſyli, quod ad totas Urbis regiones, olim Madriti obtinebat, at Anno 1684. legatis denunciatum eſt, ne ea immunitas in poſterum extenderetur ultra limina ædium; neque ei Decreto nimium contradixerunt legati, niſi quod, qui ibi erat Belgii Fœderati nomine, plus rationis eſſe reſponderet, ſi jus Aſyli in Hiſpania Eccleſiis adimeretur, ut eſt *in de Hollandſche Mercur. ad d. Annum* 1684. *p.* 277—279.

Sed recte regionibus ceſſerunt, qui etiam ædibus cedere debebant ad inquirendos & apprehendendos facinoroſos: neque enim dubitamus, quin optimo jure Hiſpani Francorum legati domum vi intraverint (ſi non diripuiſſent) apud Mornacium ad *l.* 2. §. 3. *ff. de Judic.* quod facinoroſum domu ſua extrahi paſſus non erat. Magnas ea res turbas dedit, quas Papa deinde compoſuit, ut narrat Wicquefort *Lib.* I. *Sect.* 28. *p.* 885. Neque etiam dubitamus, quin recte Veneti Francici legati domum oppugnare conſtituerint, niſi Abundium & reliquos proditores, qui ad ipſum fugerant, dedidiſſet. Rem geſtam narrat Vera *en ſon parfait Ambaſſadeur Lib.* I. *C.* 42. Zoucheus *d. P.* II. *Sect.* 4. *n.* 21. & Wicquefort *Lib.* I. *Sect.* 28. *p.* 873. & 874. Cum legatus Regis Luſitaniæ Hagæ Batavorum Anno 1642. Hippocomum, qui ipſum deceperat, domi ſuæ captivum detineret, atque ita carcerem privatum exerceret, ædes ejus a furioſa plebecula direptæ ſunt, nec tamen, quantacunque earum ſanctitas eſſet, quicquam pœnarum exactum, ut refert idem Wicquefort *d. Lib. I. Sect.* 28. *p.* 882. & 883. & Aitzema *Lib.* XXII. *p. m.* 452. 453. Et cum quidam ex officio legationis Muſcoviticæ aufugiſſent, eosque legati omni modo repeterent, & in domo legati Poloni latere crederentur, Ordines Generales Anno 1663. 25. Jun. Decreto complexi ſunt, *dat de Huyſen of Logementen van Reſidenten alhier in den Hage geenſints ſyn exempt van recherche, ſoo wanneer men aldaar d' een of d' andere perſoon met goed regt en fundament van wegen de Overigheid, of juſtitie ſouden willen attraperen*, vid. Aitzema *Lib.* XLIII. *p. m.* 756. & *Hollandſche Mercur. ad Annum* 1663. *p.* 78. & 79. Secundum hæc Anno 1665. Hollandiæ Ordinum Conſiliarii quemdam ex Reſidentis Anglici ædibus per Officialem ſuum expoſtularunt, idque Ordinum Generalium Decreto comprobatum eſt, ut teſtatur Aitzema *Lib.* XLV. *p. m.* 796. Factum igitur Cromwellii, quod memoravi *C.* XVIII. non ideo improbem, quod homicidam extraxerit ex ædibus legati Luſitani, ut alii id ea ratione improbant, ſed quod comitem legati extraxerit, in quem, utpote ſibi non ſubditum, nulla ejus erat jurisdictio.

Si non immunes ædes, quas ipſe legatus habitat, minus immunes erunt, ſi ſcriba legationis habitet. Defecerat ad Hiſpanos Luſitaniæ legatus, qui Hagæ Batavorum erat, ſcriba, qui manſerat in fide, & eadem, quam legatus habitaverat, domo, contendit, ſe in locum legati ſucceſſiſſe, legationis ſe eſſe ſcribam, non legati, Curiæ nullam in domum legati jurisdictionem eſſe, in eam tamen immiſiſſe Officiales ſuos, & ſic jus Gentium læſiſſe. Scribæ adſtipulabantur Franciæ & Angliæ legati, ac ſi de communi legatorum cauſa ageretur. Sed reſponſum eſt, Curiam recte officio ſuo functam, non invito legato, qui ipſe domum conduxerat, & adhuc conductam habebat, ad preces creditorum, rei ſervandæ cauſa, Officiales fuiſſe miſſos; legationem eſſe extinctam; nec quicquam ſcribæ juris eſſe vel in domum vel in ſuppellectilem; quin hac legatum vel nuper legatum, creditoribus ſuis cedere, & iis ea ratione conſultum vel-

le.

le. Rejectis querelis vicit Curia, ut eſt apud Aitzema *Lib.* XXXIX. *p. m.* 655. 662. & 663. & recte vicit.

Longo uſu legatum jus Aſyli quærere non poſſe, & alii obſervarunt, vid. Huberum *de Jure Civit. Lib.* III. *Sect.* 4. *C.* 2. *n.* 32. Etiam ideo id verum eſt, quod actuum frequentia & patientia, quæ ad præſcriptionem ſuffecerint, vulgo deficiant. Ipſi Pontifices Maximi, apud quem legati potiſſimum eam rem peccant, ſæpe vi & vi armata imperium & jurisdictionem ſuam ſunt tuiti, interrupta ſic poſſeſſione nefariæ conſuetudinis. Atque hæc forte addi poterunt iis, quæ audio Thomaſium ſcripſiſſe *de jure Aſyli, legatorum ædibus non competente*, ſed quam Diſſertationem occulis meis uſurpavi nunquam.

CAPUT XXII.

An quæ ſpecies ſint ſingulares, ex quibus legatus detineri poſſet?

Quamvis legatum nec ex contractu conveniri, nec ob crimen accuſari poſſe defendamus, an tamen nullo plane caſu ei manus injici poſſit, res eſt, quæ meretur inſpici. Quid enim ſi exul, & in pœnam proſcriptus, ad nos legetur, an legatorum jura ei competent? & ſunt, qui putant apud Bertachinum *Repertor.* in *V. Ambaſiator p. m.* 147. & ſunt, qui non putant, Gentilis *de Legation. Lib.* II. *C.* 10. & Zoucheus *Part.* II. *Sect.* 4. *Q.* 19. idque eſt veriſſimum, quia non omnem legatum recipere tenemur, ut Grotius *Lib.* II. *C.* 18. §. 3. & Zoucheus *d. P.* II. *Sect.* 4. *Q.* 13. & omnes fere Juris Publici Auctores conſentiunt. Recte itaque exul non accedere, &, ſi jam acceſſerit, finibus noſtris excedere jubebitur, &, niſi exceſſerit, injecta manu educetur. Ut plectatur tamen, humanitas & bona fides, quæ præſertim inter Gentes exuberantior deſideratur, vix admittunt. Etiam ideo, quod ea res videatur dubia, & in dubio contra non ſubditum, qui ex mandato venit, quamvis contra mandatum noſtrum, nihil atrocius ſtatuendum. Neque tamen vetandus quisquam jure ſuo uti, ſi velit, ſummo, nam interdictio noſtra Principis ſui mandatum præceſſit, & alius Princeps ſuo mandato ſententiam noſtram nequit reſcindere. Recte clementiæ Romanæ imputatum apud Tacitum *Annal Lib.* I. *C.* 57. quod Segeſtis filium, antea ad rebelles profugum, legatum recepere. Hæc juris & æqui pugna. Quidam hic damnatus, ut lingua ejus perforaretur, ad Regem Angliæ fugit, qui eum huc legatum mittit. Poſtquam adveniſſet, Hagæ carceri includitur, ſed poſtea impunis dimiſſus eſt, vid. Aitzema *Lib.* XVI. *p. m.* 277. & 278. accidit id Anno 1636. eo ſcilicet tempore, quo hujus Reipublicæ quam maxime intererat, Anglos non offendi. Prudentius Gravio in Portland, Wilhelmi III. Angliæ Regis legatus ad Ludovicum XIV. Franciæ Regem, antequam Anno 1697. in Franciam abiret, a Franco petiit, & obtinuit, ut liceret quibusdam, e Francia exulibus, inter comites ſuos esſe. Abſque eo fortaſſe, ut exules, eos habuisſet Rex Franciæ; idem quippe, cum Anno 1673. Utrechtum teneret, etiam Utrechtanum recuſavit, qui Ordinum Generalium legatus eſſet, ut eſt *in de Hollandſche Mercur. ad Annum* 1673. *p.* 54. quia ſcilicet ſibi ſubditus erat, ut multo magis comitem exulem arcuiſſet.

Hic quoque videndum eſt de talione. Negat Grotius *de Jure B & P. Lib.* II. *C.* 18. §. 7. ejus legatos, qui noſtros male habuit, a nobis male haberi poſſe, & quamvis ejusmodi talionis quam plurima exempla ſint, laudat tamen contraria exempla, quæ & ipſa non deſunt, & a variis varia recitata ſunt. *Jus Gentium*, inquit, *non tantum mittentis cavet dignitati, ſed & ejus, qui mittitur, ſecuritati: quare cum hoc quoque tacite contrahitur. Huic ergo fit injuria; etiamſi ei, qui miſit, nulla fiat.* Optime; ſed ut injuriam diſtinguimus, ſic & jus talionis diſtinguamus. Ὑπεροχὴ juſtitiæ negari poteſt, juſtitia non etiam, quia illa voluntaria eſt, hæc autem neceſſaria. Quare ejus legatis, qui noſtros male habuit, vim inferre non licebit, ſed forte habere licebit ut ſubditos, negatis legatorum privilegiis, quæ moribus Gentium vulgo introducta ſunt, & ad ὑπεροχὴν juſtitiæ pertinent. Atque hoc mihi juſtum videtur, cum ſic ipſi legato nulla fiat injuria, ſed ſoli, qui miſit. Alii aliter ſapiunt.

De repreſſaliis & omni jure retorſionis tantundem dicimus. Repreſſalias tolli, eorum, qui non uni Principi ſubſunt, improbitas non patitur. Variis quidem Gentium pactis earum licentia coërcita, ſed cui bono hæc pacta, ſi vel nihilominus jus, mutuo promiſſum, nec dicatur, nec præſtetur. Ita rebus exigentibus neceſſarius eſſe cœpit repreſſaliarum uſus; ſed ſi Eccleſiaſticos, ſi Studioſos, ſi alios nonnullos repreſſaliis eximimus, utique eximendi videbantur legati eorumque comites, qui & per ipſa bella tuti ſunt. Sin ajas, legatorum privilegia nulla lege vel Gentium vel Civili eſſe definita, neque neceſſitatem habere moralem, atque adeo Principes non obligare, ſi eorum, a quibus miſſi ſunt, potentia non defendantur, id ais, quod omne jus Gentium tantum non ſubvertit. Quod ratione, quod uſu & humanitate nititur, & ita apud pleraſque Gentes receptum eſt, ut pro Jure Gentium obſervemus, placuit. Legatos repreſſaliarum eſſe immunes omnis ævi ratio, omnium Populorum uſus probavit, ſed quemadmodum id obtinuit, ita & obtinuit exceptio, niſi ſcilicet injuriam, legato noſtro antea factam, vindicemus; quam exceptionem prolixe defendit Kirchnerus in *Legato Lib.* II. *C.* I. *n.* 69. *& ſeqq.* Et ſic Anno 1665. Hagæ in carcerem conjectus legati Anglici ſcriba, quum Angli prius Ordinum Generalium in Anglia legati ſcribam carceri incluſiſſent, vid. Aitzema *Lib.* XLV. *p.* 1017. & XLVI. *p.* 167. Omnes, qui Hagæ aderant, legati id factum probaſſe dicuntur *d. p.* 167. Sed minus probabant Zelandi, quod ſoli Hollandiæ Ordines, inſciis reliquis Fœderatis, ſcribam legati Anglici detinuiſſent *d. p.* 1017. & jure merito indignabantur Zelandi, quia belli occaſionem præbere ſingulis Provinciis interdictum eſt. Ipſi tamen Zelandi non ſemel alias alia ſententia uſi ſunt; ſed hoc jam non ago.

Sæpe & ultra progreſſum eſt, & repreſſaliæ etiam ad alias cauſas porrectæ. Cum Cardinalis Haſſus, ob non reſtituta Equitum Melitenſium bona, omnes Belgarum Fœderatorum naves in Anglia arreſto detinuiſſet, Ordines Generales 15. Jun 1662. petierunt, Ordinum Hollandiæ Conſiliarii Cardinalis Actorem, quamvis pro legato habitum, tam apud Ordines Genera-

les,

les, quam Hollandiæ, etiam hic arreſto detinere vellent. Quod & factum eſt, & militari cuſtodia detentus ille Actor, donec illud navium arreſtum in Anglia ſolveretur, Aitzema *Lib.* XLII. *p. m.* 365—367. Addunt Ordines in Decreto, quod d. 15. Jun. 1662. fecerunt, ſecundum Jus Gentium repreſſalias dari non poſſe, niſi pro ſubditorum ſuorum jure, non autem, cum eorum nihil interſit, & ſic tamen Anglos feciſſe. Dubito, an recte; ſi enim recipias repreſſalias pro ſubditis, eſſe non videtur, cur pro exteris neges. Nam juſtæ ſunt, vel injuſtæ; ſi injuſtæ, & ſubditis per injuriam conceduntur, ſi juſtæ, non poſſunt ſine injuria peregrinis negari, in ratione juris enim Tros Tyriusve fuat, nullo diſcrimine habetur. Et omnium judiciorum uſu, ubi ex arreſtis forum ſortimur, comprobatum eſt, bonis debitoris arreſto incluſis, non ſubdito duntaxat, ſed & peregrino jus dici. Niſi tamen ſpeciali lege cautum ſit, ut ſunt ejusmodi leges, ne duo peregrini in alterius Imperio invicem arreſtis utantur. Igitur illa Actoris detentio vix eſt, ut defendi poſſe videatur, nec ex jure communi, nec ex cauſa legati, ante detenti, quæ alioquin vulgaris exceptio eſt.

Orto bello an legati tuti ſint, video quæri, & tutos eſſe reſponderi, ita certe reſpondet Gentilis *de Legation. Lib.* II. *C.* 13. De legatis, belli cauſa miſſis, ea de re non eſt dubitandum, ſed ſi pacis vel aliarum quarumlibet rerum ergo miſſi fuerint, quid dicemus? liberos manere, nec captivos fieri etiam Pomponius reſpondet in *l. ult. ff. de Legation.* Sed an non ſenſerit de ſolis belli legatis, quales fere externi ad Populum Romanum, eſt, cur dubites, cum & in ſequentibus de his ſolis agatur. Perpetui legati, qui fere explorandi cauſa habentur, rationem ſi ſpectes, non meliore, quam quilibet alii, fato comprehendi videbantur poſſe, ſed tamen humanius eſt, ut contra dicamus, & iis etiam adverſus jus belli privilegium tribuamus. Franciæ Rex Anno 1667. legatum ſuum Madriti manere juſſit, donec Hiſpani id paterentur, quaſi ſalva pace Belgium Hiſpanicum occupaturus, Aitzema *Lib.* XLVII. *p. m.* 540. ſed Hiſpani mox abire juſſerunt *d. Lib.* XLVII. *p. m.* 673. nec, quamvis peſſime habiti, quicquam ultra auſi ſunt. Sane ſi nos ipſi bellum indicamus, incolumis dimittendus erit, etiam pacis legatus, ut Hiſpani quoque Anno 1683. dimiſerunt Franciæ legatum, & ut vulgo fit apud omnes Gentes, Eois & Afris quibusdam exceptis. Sed & ſi bellum nobis indicatur, ſi non juſtius, adhuc æquius melius eſt legatorum omnimodæ ſecuritati conſulere, & ſic etiam vulgo obtinet, ſola denunciatione, ut abeant, interpoſita. An Danis aliud ſederit, vide apud Aitzema *Lib.* XXXVIII. *p. m.* 98.

Legatos, ſi ex mandato faciant, quamvis perperam faciant, detineri tamen vel puniri non poſſe, inter omnes Juris Publici Scriptores conſtat. Ut mirari liceat, in legatis Provinciarum & Urbium eam rem in Fœderato Belgio totiens tantas turbas dare potuiſſe, ſed, quia de legatis externarum Gentium duntaxat agimus, malumus hæc prætermittere, quam eorum memoriam refricare.

CAPUT XXIII.

Legatus an jurisdictionem prorogare, & Fori privilegio renunciare poſſit.

Regula eſt Juris Romani in *l.* 1. *ff. de Judic. Si ſe ſubjiciant aliqui jurisdictioni, & conſentiant, inter conſentientes cujusvis judicis, qui tribunali præeſt, vel aliam jurisdictionem habet, eſt jurisdictio.* Quod ita verum eſt, ſi, qui conſentiunt, de jure ſuo, non de jure Principis ſui decernant: nam vulgo, nec ſine ratione, placuit, jurisdictionem prorogari non poſſe in judicem extra Imperium, cui ſubeſt is, quo de agitur; & ita quoque Senatum Pariſienſem judicaſſe refert Mornacius ad *d. l.* 1. Atque id ipſum eſt, quod Senatus Mechlinienſis ult. Aug. 1553. ad Curiæ Hollandiæ conſultationem reſcripſit. Exſtat Reſcriptum *Plac. T.* II. *Append. p.* 2987. & *Repert. Curiæ Holl. p.* 78. & recte in Reſcripto additur, ita in Belgio ſemper fuiſſe ſervatum. Quo pertinet Philippi Auſtrii Edictum 22. Maj. 1497. (*Plac.* II. 5. 5. 18. 1.) quo interdicitur, ne quis ex Reſcriptis Apoſtolicis extra Hollandiam, Zelandiam, & Friſiam in jus vocaretur, & ne cautiones exponerentur *ſub pœnis Cameræ*, quæ & ipſæ vetantur LL. *Friſic Lib.* III. *T.* 1. §. 5. Sed quod ſubditis non licet, in præjudicium ſui Principis, utique ipſis Principibus licet. Illi poſſunt, & ſæpe ſolent controverſiam, inter ſe exortam, aliis extra Imperium ſuum Tribunalibus judicandam dare. Sic olim Philippus & Alexander, Macedoniæ Reges, litem inter ſe & exteros motam non in Macedonia, ſed ab Amphictyonibus judicari voluerunt, ut auctor eſt Pauſanias *Lib.* VII. Sic etiam Ordinibus Fœderati Belgii & Electori Brandeburgico Anno 1665. placuit, ſeſe in quæſtione quadam pecuniaria ſubmittere magno Mechlinienſi Senatui, qui in eos, tanquam ſubditos, jus diceret, ut eſt in Aitzema *Lib.* XLV. *p. m.* 1080. *& ſeqq.* Similia vide apud Aitzema *Lib.* XLVII. *p. m.* 303. 362. 447. 452. *&* 579. & *Lib.* XLVIII. *p. m.* 760. 802. 1088. *& ſeqq. &* 1207. *& ſeqq.* Si hodie ita ſaperent Principes, præcideretur non unius belli cauſa.

Legatus autem, quum Principis, qui eum miſit, ſit ſubditus, neque ejus vel Imperium vel jurisdictionem mutet, an prorogatione mutare poſſit, ambiguæ ſane inſpectionis eſt. Privatus utique eſt, quod ad Principem ſuum, & qua privatus intervertere videri nequit jurisdictionem, quæ Principi competit in omnes ſubditos & privatos. Ut ut igitur recte proroget jurisdictionem in omnes judices Principis ſui, ſic non videtur recte prorogare in judices alieni Imperii, quæ prima contra prorogationem ratio eſt.

Sed quid diſputo, ſi vel omnis prorogatio hodie ſit illicita. Ita cenſet Wiſſembach ad *Pand. Part.* I. *Diſp.* 16. *n.* 7. ita alii, quos ille laudat, & auctoritatem præbet huic ſententiæ *Cap.* 12. X. *de Foro compet.* Andreas Gail *Lib.* I. *Obſerv.* 40. diſtinctione quadam, quæ plurimis placuit, nonnullis diſplicuit, hanc litem diremit. Sed tamen is quorundam ſtupor eſt, ut ſimpliciter, ordinario repudiato, alium judicem eligi poſſe negent. Hogerbeetſius, qui & in Supremo Senatu judex ſedit, *Inleiding tot de Pract.* §. 1. *verſ.* 5. id etiam §. 9. *LL.* Mariæ Burgundæ Anni 1476. vetitum eſſe nugatur; clementer ſane, quod non idem dixerit de §. 220. *Formæ Curiæ Holland.* eo abrogatum fingens §. 8.

8. *ejuſdem Formæ*, qui prorogationes permittit. Zelandi dudum contendiſſe dicuntur (*Formul. Lib.* I. *C.* I. *p. m.* 25.) etiam prorogatione in Curiam Hollandiæ facta, Zelandum tamen ad Curiam evocari non poſſe; quod quid ſibi velit, non ſatis intelligo, quia, niſi duo Zelandi eidem jurisdictioni ſubſint, prorogationem jam conceſſerat §. 3. *Conventionis inter Hollandos Zelandosque Anni* 1607. ut &, iisdem verbis, concedit §. 15. *Conventionis inter eosdem Anni* 1674. Et generaliter dicendum eſt, ſi non ſit lex, quæ prohibeat, omnem prorogationem permitti. Prohibet *d. Cap.* 12. & ideo ſequendum eſt, ex ratione juris alioquin haud immerito diſplicet Hilligero *Donell. Enucl. Lib.* XVII. *C.* 10. *lit.* I. Lex Hollandica etiam prohibet prorogationem in cauſa aſſecurationis §. 8. *Ampliat. Form. utriusque Curiæ*, ſed recte ante eam Legem Senatus Supremus cenſuit, etiam jurisdictionem in ea cauſa prorogari poſſe, ut eſt apud *Formularium Lib.* I. *C.* I. *p. m.* 26. quamvis jam Anno 1613. lege imperfecta, Amſterdammenſes id impedire fuerint conati. Quin fere aſſentior Hilligero *Donell. Enucl. Lib.* XVII. *C.* 20. *lit. K.* optimis rationibus diſputanti, etiam ſtudioſos renunciare poſſe fori Academici privilegio, quamvis non neſciam, tantum non omnes Interpretes contradicere, & eorum ſententiam obtinuiſſe, cum Academicus quidam Leidenſis in Curiam Hollandiæ prorogasſet, ut narrat van Leeuwen ad Peckium *de Arreſt. C.* 12. *p. m.* 255. Integris libellis ante aliquot annos ea quæſtio agitata eſt. Hollandiæ Ordines Decreto 24. Mart. 1662. (*Placat.* III. 3. 7. 13.) hanc rem ita temperarunt, majores 25. annis poſſent jurisdictionem prorogare in alium judicem, intra Hollandiam tamen, dummodo prorogarent *expreſſe* & *ſpecialiter*.

Faceſſat igitur maleſana quorundam opinio, ipſorum ſcilicet Magiſtratuum intereſſe, ne prorogationes fiant, & hi ſic jurisdictione, quam Princeps dedit, excidant. Jurisdictiones diſtributæ non ſunt in gratiam judicum; ſed eorum, qui judicibus egent. Si partes conſentiant, ipſius Prætoris conſenſum neceſſarium non eſſe aperte dixit Ulpianus in *l.* 2. §. 1. *ff. de Judic.* &, ſi ſecus dixeris, jam de nulla amplius controverſia in arbitros compromitti poſſet, quum omni compromiſſo minuatur jurisdictio, eaque a judice ad privatum transferatur. Si verum amamus, an quis ſuo judici renunciare, & alium eligere poſſit, ex eo ſolo pendet, an, qui id agit, rem agat ſui juris & arbitrii, an vero alterius cujusquam præjudicium vertatur. Privilegio ſuo renunciare omnes leges omniaque jura permittunt, ſi renunciatio ſoli renuncianti noceat, nec ad alterius injuriam pertinere poſſit: *omnes licentiam habere his, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare*, regula juris antiqui eſſe fertur in *l.* 29. *C. de Pact.*

Quare & de legatis dicendum videbatur, poſſe hos privilegiis, in gratiam ſuam, ut commodius degant, introductis, pleno jure renunciare, habere quidem jus revocandi domum, ſed non etiam teneri domum revocare. Quin ſi tenerentur, ne ipſos quidem agere poſſe, quia, ſi agerent, pati poſſent & deberent mutuas actiones. Curiæ Hollandiæ forte ita viſum in legato Luſitano, eum nempe, quod deceſſoris ſui debita ſolvenda ſuſceperat, fori privilegio renunciaſſe videri. Anno certe 1651. cum per Scribam admonuit, ut ſolveret, ſe alioquin officio ſuo litigantibus non defuturam, Aitzema *Lib.* XXXI. *p. m.* 506. Et legatum Electoris Brandeburgici, qui privilegio fori renunciaverat, ab ipſo arreſto immunem non eſſe, Ordines Hollandiæ decreviſſe relatum eſt 10. Febr. 1688. 27. Oct. 1689. & 6. Febr. 1694. Sed creditor in eo facto etiam arreſto incluſerat bona legati, ſic ut neſcias, an arreſtum, an renunciatio fori Curiæ jurisdictionem tribuerit. Etiam me Senatore memini Senatum Supremum in legatos, qui privilegio fori renunciaverant, jus dixiſſe, ſed nec ipſis, nec Principibus ſuis judicio contradicentibus. Vidi & pacta conventa, quorum noviſſima parte legati ſeſe ſubmittebant voluntariæ condemnationi Senatus Supremi, quod utique pro tacita renunciatione eſt accipiendum. Ego vero, quicquid earum rerum ſit, non auſim dicere, legatum, inconſulto Principe, juri ſuo renunciare poſſe. Ad quid enim legatorum privilegia, quam ut ipſi Principibus ſuis magis utiles ſint, & eorum legatio nulla re impediatur? Magis igitur hæc privilegia pertinent ad cauſam Principis, quam ipſius legati; ſibi renunciatione ſua legatus nocere poteſt, Principi non poteſt. Atque ita, conſulta ratione, forte dicendum eſt, legatum in cauſa delicti nunquam privilegio fori renunciare poſſe, in cauſa civili non aliter, quam ut adverſus eum jus dicatur, non ut ſententia executioni mandetur, ſi quid per eam impediretur legatio, ut in cauſa criminali tantum non ſemper impediri ſolet. Sed ad manum non ſunt ea Gentium exempla, ut ex jure Gentium ea de re poſſim conſtituere. Rationi, quam dixi, argumentum præbet *l.* 24. §. *ult. ff. de Judic.*

CAPUT XXIV.

Variæ variorum ſententiæ de foro legatorum.

Quid nonnulli dixerint & ſcripſerint de foro legatorum, hic illic indicavi, ubi locus id poſtulabat, quid præter eos alii ſenſerint, quaſi per ſatyram hic colligam. Veteres Juris Interpretes, in cauſa civili, diſtinctionem Juris Romani ſequuti ſunt, de Jure Gentium, quin & de veris Gentium legatis parum ſolliciti. De cauſa criminali fere tacent, niſi quod Petrinus Bellus *de Bello Part.* II. *Tit.* 9. legatos, hoſtilia molientes, ideo coërcitioni noſtræ ſubjiciat, quod fines mandati egreſſi ſint; atque ſi ſcilicet hos non egrederentur in quocunque crimine, cum nemo unus ad nos accedat cum mandato delinquendi. Agnoſcit Bellus in legatis Tarquinii aliter placuiſſe, ſed hoc, inquit, *erat primis illis ſeculis*, a quo jure tamen nec poſteriora ſecula deſciverunt. Ita olim ſervatum eſt, ita & nunc ſervamus, niſi legatos in perniciem noſtram armatos deprehendamus, ut erant Romani inter Cluſinos in acie verſantes, ad quod exemplum ille provocat, tunc enim hoſtium numero eſſe habendos, nemo dubitaverit unquam. Hinc & Q. Fabio ab C. Marcio Tribuno Plebis dicta dies eſt, *quod legatus in Gallos, ad quos miſſus erat Orator, contra Jus Gentium pugnaſſet*, cui judicio eum mors ſubtraxit, ut narrat Livius *Lib.* VI. *C.* I. qui hujus & aliorum Fabiorum inter Cluſinos pugnam narraverat & damnaverat *Lib.* V. *C.* 36. ſoli Fabio Ambuſto hanc legationem & pugnam adſcri-

ſcribit Plutarchus in *Numa p. m.* 121. Recte Fabio dies dicta eſt; ſed aliud eſt a ſuis, aliud ab his, ad quos mittitur legatus, judicari, & aliud judicari, aliud in acie occidi. De ſecunda ſpecie quærimus duntaxat, prima & tertia huc non pertinent.

Caroli Paſchalii ſententiam de foro legatorum in cauſa civili ſupra expoſui. De cauſa criminali agit in *Legato C.* 74. & 75. ſed dum ex Hiſtoricorum, Philoſophorum, & Rhetorum hortis omne genus florum excerpit, & in rem ſuam vertit, vix eſt, ut ſua ipſi mens conſtiterit. *Cap.* 74. legatum proditorem nunc ferro & igne perſequendum cenſet, nunc dimittendum, ad exemplum veteris ævi, ita tamen, ut liceat *ſceleratam conjurationem detegere, disjicere, opprimere intercipiendis literis, deprehendendis coetibus clandeſtinis, qui forte habentur apud legatum, vincienda & aſſervanda familia ejus, talibusque uſurpandis, quorum ductu ad rem perveniri poteſt.* Neſcias etiam, utrum dimiſſionem legati ſoli prudentiæ, an Juri Gentium adſcribat. Juri Gentium, dixeris, cum *Caput* 75. ita ordiatur: *Vix illi quæſtioni locus relinquitur, an vulgaris criminis ea ſit vis, ut ejus pœna a legato expetatur, cui ne perduellionis quidem recte dies dicitur.* Attamen neque in communi delicto ſic ſatis ſibi conſtat, magis quidem, ut videtur, propenſior in id, ne a legato ejusve comitibus ſupplicium ſumatur, ſed jubeantur excedere finibus, addito interdicto, ne redeant, verum hoc, *ſi legatus ab illo miſſus eſt, cujus maxime intereſt jugi veneratione benevolentiam noſtram demereri.* Quod iterum prudentiæ Politicæ eſt, cujus cauſam a Jure Gentium ſemper diſtinguendam eſſe reor. Prout plus minusve metuimus a Principibus, plus minusve legatis dari ſolet, &, ut detur, omnino expedit, ſed qui de jurisprudentia Gentium acturus eſt, aliis & certioribus regulis uti oportet, ſin autem, ſemper vagabitur pede incerto, ut fere ſolet Paſchalius.

Fredericus de Marſelaer in *Legato Lib.* II. *Diſſert.* 14. in cauſa civili adhibet diſtinctionem Juris Romani, ante a nobis refutatam, & *Diſſert.* 13. in cauſa criminali legatum ſubjicit jurisdictioni ejus, apud quem deliquit, remiſſionem humanitati & prudentiæ, non juri tribuens, cum maxime in crimine læſæ Majeſtatis. *Parcere*, inquit, *hic crimen exiſtimes, niſi plus legati nomen, quam ſcelus proditoris timeas, verum enim vero deſinit eſſe legatus, qui eſſe proditor incipit*, & reliqua. Habet ſane ea ſententia magnam rationem, ſi Princeps, qui miſit legatum, ejus criminis fuerit conſcius. Hanc rationem in præcedentibus expoſuerat his verbis, *num remittetur, puniendus ab iis, quorum ea propter laudem præmiumque exſpectat? connivebit veriſimiliter, qui & ipſe culpæ reus, nec ultor erit, qui auctor.* Non ait, ut ajunt quidam male feriati, in omni crimine, remiſſo legato, criminis impunitatem præſto eſſe, ſed ait, in ea, quam tractat, ſpecie id exſpectandum eſſe, & ſic atrox crimen inultum transmiſſum iri. Scio, Principes per legatos ſuos ſæpe rebelliones excitaſſe, atque ita iis ipſis delinquendi cauſam præbuiſſe, ſed vel ſic, ſola interdictione contentus, cætera legatis parcerem: nam, ne dicam, ſcientiam & auctoritatem Principis difficulter probari poſſe, ſic, ea probata, legatus mandato ſatisfecit, nec ab ejusmodi mandatario, etiam in re illicita, quisquam recte pœnas exegerit, qui non omne jus legationis interverſum cupit. Non nego, ſi præſens periculum immineat, legatum milite & excubiis poſſe cingi, ſive ſponte, ſive ex mandato agat, ſic cinctum poſſe transmitti, & pœnam poſci, ſed ordine judiciario apud nos accuſari punirique non oportere, id eſt quod defendo.

Jean Hotman *en ſon Traité de l'Ambaſſadeur C.* 4. in crimine læſæ Majeſtatis dubius hæret, & variis diſtinctionibus rem potius intricat, quam extricat, ſed tandem §. 4. eum videas acquieſcere exemplis Gentium, quæ legatos, etiam in hac cauſa, impunitos dimiſerunt. Attamen §. 13. rurſus excipit crimina quædam, non cogitata, ſed perpetrata, quæ ipſe non exciperem, niſi forte ſolam cædem Principis, apud quem agit, auctore Principe ſuo factam. Sed quis credat, hanc legato mandari poſſe? certe mandatam legato unquam fuiſſe ex Annalibus non comperi, & animus meminiſſe horret. In delicto communi etiam varie diſtinguit, & præcipue ad rationes Imperii attendi jubet, ſed ea diſtinctio, ut ſupra dicebamus, nobis, qua JCtis, nec cordi, nec curæ eſſe debet. In cauſa civili *C.* 5. *n.* 8. & 9. prolixe fallitur, dum non Judices, ſed Principem, nec qui miſit, ſed ad quem miſſus eſt legatus, adeundum cenſet, ut ille de debito legati cognoſcat, non alia ratione, quam quod alioquin nemo cum legatis eſſet contracturus; malæ ſententiæ pejor ratio.

Antonius de Vera *en ſon parfait Ambaſſadeur Lib.* I. §. 45. in omni crimine legatum ſubjicit foro Principis, ubi degit, hac una ratione, quod *delinquens* privilegio cadat. Vellem addidiſſet, *etiam contrahens*: nam, ſi nugemur, oportet ſtrenue nugari. Sed, ſat ſcio, nemo auctoritate ejus hominis movebitur contra rationem, quam in legato non ſubdito uſus Gentium probavit.

Felicianus de Oliva *de Foro Eccleſiæ Part.* III. *Quæſt.* 12. *n.* 6. *& ſeqq.* jus revocandi domum, tam in cauſa civili, quam criminali, legatis concedit in his, quæ ante legationem, negat in his, quæ in legatione acta geſta ſunt. Ex Jure Romano ſcilicet ſic didicerat, nec ultra ſapiebat.

In Dominici Arumæi *Jure Publico* aliquot ſunt de Legatis & Legationibus Diſputationes, in quibus etiam id, quod nunc certo, certamen cernitur. De ſanctitate legatorum quæ ibi occurrunt, tranſeo, de foro varie diſputatum eſt. *Tom.* I. *Diſcurſ.* 14. *ad* §. 16. defenditur quoque diſtinctio Juris Romani, & transfertur ad legatos externarum Gentium. Sed nihil ibi præcipuum eſt, quod refutari mereatur. Repetitur & laudatur ea diſtinctio *Tom. I. Diſcurſ.* 29. *ad Concl.* 12. damnata Gentilis & Kirchneri ſententia, quæ crimen Majeſtatis excipit. Et ſane damnanda eſt in primis ea ſententia, ſi in reliquis delictis legatum jurisdictioni ordinariæ ſubjeceris, ut illi ſubjiciunt. Ego in omnibus exemi, nec adhuc muto ſententiam. *Tom.* II. *Diſcurſ.* 21. *n.* 48. & 49. legatus delinquens ſimpliciter judicio loci ſubmittitur, ſed nulla, vel non idonea ratione. Exſtat ejusdem Arumæi Commentatio *ad Auream Bullam*, in cujus *Diſcurſ.* I. §. 21. proponit, *an legatus in Principem, ad quem miſſus eſt, conjurans, puniri poſſit?* & poſſe puniri contendit, quamvis res in ſolo conatu ſubſtiterit, oportune ex epiſtula Marci ad Verum (non, ut ait, Veri ad Marcum) hæc recitans: *Scis ipſe, quid avus tuus Adrianus dixerit: miſera conditio Imperatorum, quibus de affectata tyrannide, niſi occiſis, non poteſt credi. Ejus autem exemplum ponere, quam Domitiani, qui hoc primus dixiſſe fertur, malui, tyrannorum enim etiam bona dicta non habent tan-*

tum auctoritatis, quantum debent. Quamvis autem Arumæus potiſſimum diſputet contra eam, quam mox dixi, Gentilis & Kirchneri ſententiam, plurimas tamen habet rationes, quæ generaliter militant pro foro delicti. Pleraſque ipſe jam recenſui, utique quæ alicujus ſunt ponderis, reliquas ſcire nihil attinet. Sed & plurimæ ſunt, quæ contra militant, quas & ipſe recenſui, & quæ, ſi alias non omnino vincant, victoriam utique reddunt dubiam. Quare confugiendum eſt ad exempla Gentium, & hæc, ubi maximam partem ſibi obſtare ſentit Arumæus, non juri, ſed animi magnitudini adſcribit. Quaſi vero interſit, ecquid moverit Gentes, cur pro dimittendo magis, quam puniendo legato judicaverint, modo pleræque ita judicaverint, ut ut rationes in utramque partem fuerint dubiæ.

Chriſtophorus Beſoldus in *Diſputatione de Legatis & Republica augenda n.* 11. & 15. diſtinctionem Juris Romani ſequutus eſt, at in *Diſſertatione de Legatis eorumque jure* (ubi, quicquid eſt hujus argumenti, prolixe tractavit) *C.* 5. §. 21. in foro criminis aliam diſtinctionem tentat, an non puta, ſi delinquat legatus *contra officium hominis*, ut ipſe loquitur, adulterium forte vel homicidium perpetrando, ad Principem ſuum ſit remittendus? Sin autem *contra officium legati*, & ejuſmodi crimen ſit, quod non puniret, qui legatum miſit, tunc in eum tanquam in hoſtem, animadverti poſſit? & in prima ſpecie pro transmiſſione legati palam reſpondet, in ſecunda dubius animi eſt, & varias variorum ſententias narraſſe contentus, nihil ipſe definit. In foro contractus *d. C.* 5. *n.* 25. antiquum obtinet; ſed his omnibus ſupra defuncti ſumus.

Legi Diſputationem *de Legato ſancto, non impuni*, quam Anno 1699. ſub auſpiciis Henrici Cocceji Francofurti ad Viadrum habuit Fredericus Wilelmus de Luderitz, & qua obviam itur ſententiæ, quam nos defendimus de utroque foro legatorum. Digna eſt Diſputatio, quæ legatur & excutiatur. Quod ait Auctor, apud Veteres extra controverſiam fuiſſe, legatos in loco, ubi degunt, forum ſortiri, ſola ejus fide dictum crede, nam contradicunt tot auctoritates, quot ipſe attuli, & ipſe mox adfert. Hoc largior, ex ſanctitate legatorum, quæ tantopere prædicatur, quæſtionem de foro non videri æſtimandam, ſed non largior, ex jure Naturali, ut ille putat, de ea conſtitui oportere. Jus Naturale nec homines diſtinguit, nec dominia, nec Imperia; jus Gentium diſtinguere docuit, & qui in Imperio noſtro ſunt, juriſdictioni noſtræ ſubjecit, ſed an & legatos ſubjecerit, an vero exceperit, ex ratione & uſu Gentium derivandum eſt. Fallimur, ſi aliud eſſe Jus Gentium putemus, quam putaverunt veteres JCti, quodque ratione & uſu totum abſolvitur. Ut Juris Civilis pars eſt, populi conſuetudo, quæ ſingulos obligat, ſic Gentium conſuetudo, ex præſumpta voluntate, ſingulas Gentes obligat, niſi palam ei obnunciaverint, ut, re integra, obnunciare poſſunt. Quicquid ex uſu Gentium adfertur, ut legatum non ſubditum dicamus, Auctor Diſputationis, præeunte Arumæo, ad ſolam animi magnitudinem refert, ego ad Jus Gentium, quod voluntarium appellamus, refero. Nec interea legatum, qui deliquit, pronuncio impunem, nec nego, manu repelli poſſe, ſi manu agat, nec etiam, ſi res exigat, cuſtodiri poſſe, quæ omnia ipſe tantopere urget, ſed nego, conſtituto judicio de legati vita, bonis, exiſtimatione quemquam decernere poſſe, niſi Principem, qui miſit, eumve, cujus juriſdictioni antea ſuberat, Magiſtratum. Nec eſt, quod metuamus ab imminenti periculo, ut ille metuit, cum vel expulſione legati, vel cuſtodia nos eo liberemus, judicio ſemper ad ejus Principem rejecto. Idem Auctor in contractibus, quandocunque celebratis, legatum ſubjiceret foro loci, ubi eſt, niſi diſtinctio Juris Romani, quæ olim quod ad legatos obtinebat, nunc quod ad alios quosvis in mores Gentium tranſiviſſet: quam & ideo ſervandam præcipit. Probo, quod moribus Gentium nunc ſtare velit, quibus mox ſtare nolebat, ſed vero in aliis quibusvis, ſi vel alibi antea contraxerint, arreſtis utimur, & inde forum derivamus, contra rationem Juris Romani; idem igitur adverſus legatos licebit? ipſe non dicet. Quare domum revocant legati, absque ulla diſtinctione, ex ſolo privilegio, quod Jus Gentium introduxit. Ex eadem Diſputatione didici, etiam Richardum Zoucheum librum ſingularem ſcripſiſſe *de Legati delinquentis judice*, ſed quem habere vel videre mihi non licuit. Si non alia ibi dixerit, quam de eodem argumento dixit in libello *de Jure Feciali inter Gentes*, facile eo poterimus carere. Hunc librum, poſtquam ſuperiora ſcripſeram Anno 1721. deinde mihi contigit videre & legere, & quamvis non omnes rationes, quas ipſe adfert pro tuenda ſententia Grotii, ego meas facere velim, in primis tamen mihi placent exempla legatorum delinquentium & non punitorum, quæ ex veteri & recentiori memoria profert, ut conſenſum Gentium in eam rem efficiat, ſimul reſpondens exemplis quibusdam, quæ in contrarium proferuntur. Et hac parte utilis eſt ille libellus, quod ad alia, tuto carebimus.

Poſſum alios addere, qui ſententiam ſuam dixerunt de foro legatorum, vel etiam de uſu Gentium teſtati ſunt, ſed & poſſum præterire, quia plerique ſimpliciter reſpondent, quid ſibi videatur, rationibus hic illic aſperſis, quas ſupra occupavi, vel de moribus Gentium pronunciant, ſine ullis populorum ſuffragiis. Franciscus Albertus Pelzhoffer *Arcanor. Stat. Lib. IV.* §. 10. 13. & 14. inter privilegia legatorum recenſet immunitatem fori tam civilis, quam criminalis, excepto crimine læſæ Majeſtatis. Ulricus Huberus *de Jure Civit. Lib.* III. *Sect.* 4. *C.* 2. in utramque partem de utroque foro legatorum diſputat, ſed tandem agnoſcit, *utilitatem tacitum inter Gentes pactum de univerſa illorum exemptione produxiſſe videri.* Ita tamen rem temperavit *n.* 19. ut per modum defenſionis & interdictionis legatus cohiberi poſſit, quod ipſum nos uberius ſumus exſequuti. Simon a Groenewegen ad *l.* 2. §. 3. *ff. de judic.* generalem quoque legatorum exemptionem tuetur, ex aliorum penu quædam in hanc ſententiam depromens. Petrus Bort *de Arreſt. C.* 4. *n.* 6. & *ſeq.* ajentium & negantium ordines ex curta, quam habebat, ſupellectile expromit, & *n.* 13. & 15. ipſe cenſet, in Hollandia diſtinctionem Juris Romani, etiam in legatis externarum Gentium, ſequendam videri. Quid ejus rei ſit, ex profeſſo in ſuperioribus explicavi, ſed de noſtra hac ætate, quod ille ait, utique verum non eſt. M. de Callieres, qui & ipſe Regis Franciæ legatus fuit, *en ſa maniere de negocier avec les Souverains C.* 9. legatorum partes recte egit in cauſa fori, ex ratione defendens, quod alii plurimis exemplis Gentium defenderant. Jean Barbeyrac in *Not.* ad Puffendorf *de Jure Nat. & Gent. Lib.* VIII. *C.* 9. *n.* 12. negat quoque, legatos delinquentes a Principe, apud quem agunt,

gunt, puniri poſſe, & poſtquam modum, qui ſervandus ſit, ex Grotio præſcripſerat, mox addit: *Lors même que la choſe preſſe, il eſt permis de ſe ſaiſir d'abord de ſa perſonne, comme d'un ennemi déclaré, de le tenir en priſon, & de le faire même mourir, ſi cela eſt néceſſaire pour notre conſervation.* Non intercedo, ſi aliter res ſalva eſſe nequeat; ſalus Populi, ſalus Principis, ſuprema lex eſto. Sed fere ſemper res aliter ſalva eſſe poteſt, ſi non manu agat legatus, & tumultuaria cæde ſuccumbat. Expulſio vel cuſtodia legati alioquin ſuffecerit, ut ſaluti noſtræ conſulamus. Vides, Lector, quot capita, tot fere ſententias, tuum erit in hoc depræliantium hominum certamine diſcernere, quis juſtius induit arma.

CONSPECTUS CAPITUM.

CAP. I. *Legatorum varia nomina, nec una conditio, ſed nihil hæc pertinere ad forum competens.* Pag. 147

II. *Forum competens unde æſtimari oporteat.* 148

III. *Princeps in alterius Imperio quo jure cenſeatur, quod ad forum competens.* 149

IV. *Principis bona in alterius Imperio, an per arreſtum forum tribuant?* 151

V. *De ſanctitate Legatorum, & an hæc, an quid aliud præſtet privilegium fori.* 152

VI. *De foro competenti legatorum quid Jure Romano cautum ſit, & de quibus legatis id ſit intelligendum.* 154

VII. *Ex ſola ratione in utramque partem diſputari poſſe, & diſputatum eſſe de foro legatorum.* 156

VIII. *Singularis ratio pro jure revocandi domum. Unde ſciamus, an hanc, an alias Gentes probaverint. Teſtimonia & exempla pro eo jure in cauſa civili.* 157

IX. *Annotatio ad Edictum Ordinum Generalium, quo in cauſa civili legatis permittitur domum revocare, & ad ſententiam Grotii de eodem jure.* 159

X. *Ubi & quemadmodum legatus, in cauſa civili, ſit conveniendus? & ubi* Conſules, *qui dicuntur?* 160

XI. *Ubi conveniri debeat legatus, qui in loco, ubi legationem obit, habitabat, antequam legatus eſſet?* 161

XII. *Variæ inſpectiones de foro competenti pro varia conditione legatorum.* 163

XIII. *An domum revocent omnes legati, cujuscunque dignationis?* 164

XIV. *De legato Mercatore.* 165

XV. *De comitibus legatorum.* 167

XVI. *Quibus ex cauſis legatus poſſit conveniri in loco, ubi legatione fungitur, & quemadmodum tunc facienda ſit judicii denunciatio.* 168

XVII. *Si legatus deliquerit, ubi de delicto agendum ſit, difficulter ex ſola ratione expediri poſſe, prævalere tamen videri ſententiam Grotii.* 171

XVIII. *De moribus Gentium quod ad forum legatorum in criminibus.* 173

XIX. *Rurſus de exemplis, ex uſu Gentium, & quæ contra dici poſſint.* 175

XX. *Si quis e familia legati deliquiſſe dicetur.* 176

XXI. *Ædes legati an præbeant aſylum?* 177

XXII. *An quæ ſpecies ſint ſingulares, ex quibus legatus detineri poſſet?* 179

XXIII. *Legatus an jurisdictionem prorogare, & fori privilegio renunciare poſſit?* 180

XXIV. *Variæ variorum ſententiæ de foro legatorum.* 181

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

QUÆSTIONUM JURIS PUBLICI

LIBRI DUO,

QUORUM PRIMUS EST

DE REBUS BELLICIS,

SECUNDUS

DE REBUS VARII ARGUMENTI.

AMPLISSIMO GRAVISSIMOQUE

V I R O,

WILELMO VAN CITTERS,

JCto, URBIS MIDDELBURGENSIS SAEPIUS, ET CUM MAXIME CONSULI, CURATORI SOCIETATIS INDIAE ORIENTALIS IN STATIONE ZELANDICA, ETC. ETC. ETC.

S. D.

CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK.

Ut Tibi, Vir Ampliſſime, has *Juris Publici Quaeſtiones* inſcriberem, non una ratio me movit. Si circumſpiciendum eſſet nomen illuſtre, tuo quid illuſtrius? nam Gentem tuam, ipſis natalibus illuſtrem, adeo meritis ipſe tuis ornaſti, ut eorum ſplendor usquequaque ſe exſerat, ſive deliberandum ſit de communi Foederati Belgii bono, ſive de proprio Zelandiae noſtrae. Utriusque ſalus Tibi cordi & curae eſt, ſed quia perſona, quam ſuſtines, magis Te Zelandiae addicit, ejus in primis ſalus Tibi ſuprema lex eſt, atque adeo Te haec ſollicitum habet, ut ab aliquot retro annis fere totum occupaverit. Quare, ſi recte auguror, Zelandia noſtra, Te ſalvo, ſalva erit, ſatis utique illa ſibi conſultum exiſtimat, ſi Te uti frui liceat in rebus arduis & ambiguis, & nemo invidet, niſi qui minor eſt. Singulari autem cura ita Middelburgenſibus tuis conſulis, ut eorum opes, publicae ac privatae, creſcant, mercatura, aliquamdiu intermortua, reviviſcat, & aedificia, collapſa olim vel deſerta, ſurgant altius & ornatius. Horum ſane haud ita pridem emptores & conductores deſiderabantur, nunc deſiderantur venditores & locatores. Quicunque Te novit, ſimul novit, ita Te agere rem publicam, ut optimus quisque Paterfamilias ſolet agere rem privatam, absque ſordibus, absque omni avaritia. Sed nolim in ſingulas virtutes tuas excurrere, ne ipſa earum copia obruar, & pudori tuo gravis ſim. Quod in iis admirentur, habent omnes, quod imitari poſſit, nemo. Animi tamen tui moderationem & aequalitatem, quae in rebus agendis undique pellucet, ſilentio non transmittam, quia haec in Zelandis rara virtus eſt. Si *Mattiaci* apud Tacitum *de Moribus Germanorum C.* XXIX. fuerint

Zelandi, ut nonnullis quidem videtur, ſcis, quid de illis ibi dixerit Tacitus, eſſe nimirum *ſimiles Batavis*, *niſi quod ipſo adhuc terrae ſuae ſolo & cœlo acrius animantur.* Tu hac parte non Mattiacus, vel Mattiaci non Zelandi. Majus igitur & dignius nomen, quod huic Operi inſcriberem, non ſuccurrebat, non quod ex ea inſcriptione Fortunae meae blandiar, vel auctoritatem Operi conciliem, cum nihil ſit, quod ultra expetam, & probe ſciam, Opus ex ipſo Opere ſtare vel cadere oportere, ſed quod velim nomen meum publice profiteri inter eos, qui virtutum tuarum majeſtatem comiter obſervant.

Si circumſpiciendus eſſet amicus, ecquem Tibi praeferam? nam ex quo me amicitia tua dignatus es, tot & tanta ejus argumenta voluiſti exſtare, ut ingratus ſim, niſi publico teſtimonio id agnoſcam. Amicitia noſtra, patere, ut dicam, per plurimos annos ſtetit, & adhuc ſtat, integra & illibata, non tralatitia illa urbanitate, quae verborum lenociniis abſolvitur, & ſaepe fallit, cum ad rem ipſam perventum eſt, ſed ſine dolo, ſine fraude & fuco. Animi candidi & vere Zelandi eſt aperte agere, nec ſubdole latebras quaerere, quibus abdatur amicitia, ſemel bona fide contracta. Scio, qui Viri etiam egregie cordati haberi volunt, & tamen his latebris ſe totos involvunt, qui verbis demulcent amicos, ſed, ubi ratio amicitiae reddenda eſt, ſolidae rei nihil quicquam praeſtant. Tu ſollicite primum quaeris, an, qui amicitiam tuam ambiunt, ſatis Tibi videantur digni, &, ſi ſint, & donec ſint, eorum commodis promovendis prolixe ſtudes, nec ab aliis, male feriatis, pateris Te avelli & transvorſum agi. Expertus loquor, neque enim ceſſaſti mihi meisque ex animi ſententia favere, ex quo in amicitiam me tuam recepiſti. Ego vicem reddidi, ſed exiguam, nam exiguum eſt, quod rebus tuis, tam alto loco collocatis, poſſum adferre.

Si circumſpiciendus eſſet Judex competens earum rerum, quas his Libris ago, Tu certe de his ipſis etiam de plano pronunciare potes. Ut Juris Romani prudentia proprium Scaevolarum patrimonium fuit, ſic Juris Publici Scientia Gentis tuae hereditaria dos eſt. Loquor de ea ſcientia, quae non in umbratili profeſſione, ſed in rebus publice agendis conſiſtit. Unde ex Gente tua prodierunt Conſules, Legati, Ordinum Syndici, & qui non alii ad Rempublicam nati factique? Hanc gloriam, a Majoribus tuis acceptam, ſedulo propagaſti, omnibus undique conquiſitis, & magno aere comparatis, quae Te ad Rempublicam adminiſtrandam reddere poſſunt doctiorem & meliorem. An quid igitur in his Libris praeſterim, quod in utilitatem Reipublicae redundare poſſit, tui in primis judicii erit, ſatis enim operae pretium me tuliſſe putabo, ſi Tibi, paucisque aliis, Tui ſimilibus, placuerim. Sed ne videar Te in os laudare, qui non meus eſt mos, manum de tabula. Vale, Vir Ampliſſime, nec niſi ſerus in Cœlum redi, publico & privato Tuorum bono. Hagae Batavorum pridie Calend. Maji CIↃ IↃCC XXXVII.

A D

AD LECTOREM.

Cum quatuor *abhinc annis ederem* Obſervationum Juris Romani libros quatuor poſteriores, *ſignificabam, me tunc ſatis dediſſe Jurisprudentiæ Romanæ, & animum eſſe, ſi quid in poſterum molirer, tranſire ab his, quæ in ſolis fere JCtorum Cathedris aguntur, ad ea, quæ in Conſiſtoriis Principum, vel Auditoriis Judicum tractari ſolent. Quare tunc fidem dedi, me, ſi quid vitæ ſupereſſet, id eſſe impenſurum Juri Publico vel Patrio. Non quod conſtituiſſem edolare Commentarios Juris Publici vel Patrii, ſic enim plurima eſſent dicenda, quæ ab aliis jam dicta ſunt prius, ſed quod animus eſſet ſeligere & excutere illuſtres aliquot Quæſtiones, quæ & prodeſſe & delectare poſſent. Ex parte nunc fidem datam libero, exorſus a Jure Publico: ecce enim hic habes* Quæſtionum Juris Publici Libros duos, *quorum alter eſt* de Rebus bellicis, *alter* de Rebus varii argumenti. *Et cum Jus Publicum bifariam accipiatur, vel de eo jure, quod, ratione magiſtra, inter Gentes obtinet, vel de eo, quod ad adminiſtrationem cujusque Civitatis pertinet, hæ Quæſtiones utrumque complectuntur. Sic autem in his ſum verſatus, ut magis quotidiana me magis habuerint ſollicitum, utque in definiendis controverſiis rationi, ſanæ, inquam, rationi primas tribuerim. Addidi deinde Pacta Gentium, Ordinum noſtrorum Edicta & Decreta, ſæpe & exempla, quæ hic & alibi Gentium exſtant, quia Jus Publicum etiam exemplis ſe ſolet tueri, & de ſingulis modeſte ivi in conſilium.*

Ut vero, quæ hic ago, ad omnes ubique Civitates pertinere poſſunt, ita cum maxime pertinent ad Rempublicam Fœderati Belgii, nulla enim quæſtio eſt, quæ non eo referatur, nulla, ad quam non attuli leges, ea de re latas per omnes ætates noſtræ Reipublicæ, ab ipſis ejus incunabulis ad noſtra usque tempora. Singulis Quæſtionibus ſententiam meam adſcripſi, idque liberum eſſe exiſtimavi, in libera præſertim Republica. Prudens tamen eam omiſi in his, quæ ad meam ætatem propius accedebant, ne me invidiæ exponerem, neve cujusquam, adhuc vivi, auctoritatem, ſi forte ab eo diſſentirem, viderer oppugnare. Multo magis abſtinui a ſententia dicenda, ſi ea occurrerent, de quibus adhuc ſub judice lis eſt, nolui enim, ne cui res ſit præjudicio, ſententia mea definire, quæ nondum definita ſunt. Ubi de Dominio eminenti, *ubi de aliis ago, paſſim id obſervabis.*

Quod ad cauſas præteritas utique ſentire, quæ velis, & quæ ſentias, dicere licet eamque libertatem nemo cuiquam hominum negaverit. Scio non ſemper Ordinibus Fœderati Belgii, vel etiam Ordinibus ſingularum Provinciarum, idem ſediſſe in Juris Publici prudentia, quod mihi ſedet, & ſæpe me id eſſe profeſſum, ſed in his, quæ ex ſola ratione definiuntur, non ſemper æquum videtur Titio, quod videtur Mævio, ſuum hic cuique judicium eſt, cum cuique placeat ſua ratio. Quin nec ipſi Ordines ſemper una eademque ſententia uſi ſunt, nunc hoc, nunc aliud rurſus placuit, & in his, quid ſequendum videatur, libera cujusque eſt electio. Quamvis autem omnium Rerumpublicarum intereſſet, ne in cauſis Juris Publici aliud atque aliud placeret, atque hæc varietas Principibus exteris bilem moveret, nulla tamen adeo beata eſt, vel unquam fuit, ut ſemper & ubique id obtineri poſſit. Ea ſane Reipublicæ noſtræ ratio eſt, ut membra, ex quibus Ordinum Collegia conſtant, in tempus mutentur, & mutatis membris ecquis mirabitur etiam ſententias mutari? Ipſæ Curiæ Supremæ, quæ vice ſacra jus dicunt, quamvis ex formula Jurisjurandi teneantur legibus, de una tamen eademque quæſtione, quæ meri juris eſt, ſæpe aliud atque aliud judicant, etiam membris nulla parte mutatis, poſſunt enim, qui minus ante ſapuerunt, reſipiſcere, poteſt prior ſententia memoria excidiſſe in quæſtione, quæ in utramque partem recte defenditur, poteſt nunc hæc lex, nunc alia magis perſuadere, poſſunt & alia incidere, quæ non commemoro.

Quin ſi vel Ordinum auctoritas in cauſis publicis ſemper ſibi conſtaret, ſic tamen integrum eſſet ab ea diſſentire, non equidem in facto, quod ex ea auctoritate definiendum eſt, ſic enim utimur jure conſtituto, ſed ubi duntaxat quæritur, ut fere hic quærimus, quid, ſola ratione conſulta, æquius melius ſit? & quid conſtituere optimum eſſet, ſi de jure conſtituendo ageretur? Nulla ullorum hominum auctoritas ibi valet, ſi ratio repugnet. Non Grotius, non Pufendorfius, non Interpretes, qui in utrumque commentati ſunt, me convicerint, ſi non convicerit ratio,

 quæ

quæ in Jure Gentium definiendo fere utramque paginam facit. Inde eſt, quod auctoritatibus coacervandis fere abſtinuerim, non difficulter alioquin earum mole potuiſſem implere & onerare hos Libros. Sæpe quidem Grotio & Pufendorfio teſtimonium denunciavi, ſed non alia ratione, quam quod illi in Jure publico principatum teneant, & aliorum omnium familiam ducant, ſilentio fere præteritis minorum Gentium Interpretibus. Ab utriusque tamen ſententia receſſi, ubi ipſa ratio videbatur recedere. Hanc præcipue in conſilium adhibui, &, niſi illa vincat, nihil vicerit in omni Quæſtione Juris publici.

Attamen non intercedo, quominus rationi poſſit accedere auctoritas, quæ rationi pondus addat, ſed hanc malim arceſſere a perpetua conſuetudine hoc illove modo paciſcendi inter Gentes, & ab exemplis, hic illic frequentatis, quam a teſtimonio veteris alicujus Poëtæ vel Rhetoris, qua Græci, qua Latini: næ enim illi ſunt peſſimi Juris Publici Magiſtri. Ad oſtentandam eruditionem hæc magis pertinent, quam ad conciliandam auctoritatem Juri Publico. Plus me movet auctoritas eorum, qui, in media luce hominum verſati, ad Rempublicam adhibentur, & ab exemplis, quæ inciderunt, didicerunt ſapere. Hi Pacta Gentium, ex uſu Gentium, ſolent componere; non quod illorum auctoritati ſine ratione aſſurgant, ſed quod, ubi ratio ſuffragatur, illis plus tribuam, quam aliquot Poëtis vel Rhetoribus. Vetera exempla & vetera Gentium Pacta, quæ apud Hiſtoricos, Græcos & Latinos, exſtant, habent ſane ſuum pretium, ſed, ut mores Gentium mutantur, ſic & mutatur Jus Gentium. Ratio equidem ſemper eſt eadem, ſed ubi hæc ambigua eſt, ut ſæpe eſt in utramque partem, ex perpetuo fere uſu Jus Gentium æſtimandum eſt. Plurima olim Juris Gentium fuerunt, quæ nunc non ſunt, ut eſt in Ratihabitione Pactorum, etiamſi ex mandato Principis inita fuerint. Atque inde eſt, quod exempla, quod Pacta Gentium, quibus hic utor, maluerim depromere ex recentiori, quam antiquiori memoria, quia enim, quæ hic ſcribo, ad uſum pertinere volui, major ratio erat habenda noſtri, quam veteris ævi. Non omnia quidem omnium Gentium Pacta excuſſi, nam id nimiæ diligentiæ eſſet, ſed ex his, quæ hic attuli, ſatis intelliges, ecquid in argumentis, quæ tracto, plerisque Populis Europæis placuerit. Habes, qua mente acceſſerim ad Jus Publicum; recte, an ſecus, publici judicii erit.

Auctoritates, quibus uſus ſum, addidi, quia nolebam mihi ſine ſponſore credi, addidi & loca, ubi exſtabant, ſed ea fere rejeci ad calcem cujusque paginæ, ne Lectorem morarentur. Quæ ubique exſtabant, & cuivis ad manum erant, indicare ſupervacuum duxi. Uſus ſum Aitzema's Hiſtorien, *ejusque* Herſtelde Leeuw *in 4*to. *earumque Editionum Tomos & paginas allegavi. Libros vulgatos Edictorum & Decretorum, vulgo* Het Groot Placaat-Boek, *ſimpliciter indicavi hoc ſigno* Plac. *adjectique numeri ſignificant* Tomum, Librum, Titulum, Partem, *& cujusque partis ſingularem* Numerum. *Sed in omnibus Tomis, quin & in uno eodemque non ſemper diſtinctiones ſibi conſtant, aliquando partes, aliquando partium numeri omittuntur, aliquando etiam Tituli. In Tomo V. rurſus nihil habes, quam Libros & Titulos, omiſſis numeris, unde ad Paginas indicandas recurrendum fuit, ut & in* Appendice *Tomi* II. *ubi nulla alia fere diſtinctio eſt. Sed qui hos Libros ſolent verſare, ſatis intelligent, quid ſibi velint numeri, ſingulis Tomis adſcripti, etiamſi non intelligant, ut ipſe non intelligo, cur in adhibendis diſtinctionibus tantum variaverint Editores. Magis quidem commodum fuiſſet cujusque Tomi paginas adducere, ſed ſi, reſectis ſuperfluis, & his, quæ bis terve totidem verbis repetita ſunt, ipſa quoque eorum Librorum editio repeteretur, inter paginas utique utriusque Editionis non conveniret. Edicta Ordinum Hollandiæ,* Placaten van Holland, *Amſterdami edita anno* 1645. *ſic indicavi* Plac. Holl. De Sententien van den Hoogen en Provincialen Rade, *Rotterdami apud Næranum* 1662. *appellavi* Deciſiones mixtas, *hoc indicio*, Deciſ. mixt. Het Repertorium van de Placaten, beruſtende ter Griffie van den Hove van Holland, *ſic exhibui* Repert. Cur. Holl. *&, ubi ſermo erat de Edictis Ordinum Generalium*, Repert. Ordd. Gener. De Papegaay of het Formulier-boek *ita notavi* Formul. *quod Formularium ſignificat.* De Hollandſche Conſultatien en Adviſen *ita deſcripſi* Conſil. Holl. *vel* Conſil. H. *en* het Nederlandſch-Advis-boek *ita* Conſil. Belg. *vel* Conſil. B. *Reliqua ſcribendi compendia nemo eſt, qui non intellexerit. Attuli aliquando Edicta & Decreta Ordinum, quin & alia nonnulla, quæ Libris, nunc editis, nondum inſerta ſunt, & tunc provocandum fuit ad* Acta Ordinum, *vel ad* Collectanea mea, *in quibus exſtabant. Uſus ſum* de Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit, *in folio editis anno* 1672. *ejusque Editionis paginas reperies. Quod autem verba quædam Edictorum vel Decretorum non expreſſerim Lingua Latina, ſed propria & Belgarum vernacula, non alia fere cauſa factum puta, quam quod de ſenſu eorum non usque quaque conſtaret, quodque adeo maluerim ea Lectoris arbitrio relinquere, quam mea verſione definire, ecquis eorum ſenſus eſſet. Tantum eſt, quod ſcire tua forte intererat. His itaque vale.*

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

QUÆSTIONUM JURIS PUBLICI,

LIBER PRIMUS.

DE REBUS BELLICIS.

CAPUT I.

Definitio Belli, ejusque explicatio.

Q uum Cicero dixit *L.* I. *de Offic. C.* 11. eſſe *duo genera decertandi, alterum per diſceptationem, alterum per vim*, per genus poſterius intellexit *Bellum*; non quod bellum ita definire voluerit, ut eum voluiſſe cenſet Grotius *de Jure B. & P. L.* I. *C.* 1. §. 2. *n.* 1. nam imperfecta eſſet ea definitio, non ſecus atque imperfecta eſt alia Alberici Gentilis *L.* I. *de Jure Belli C.* 2. qui bellum eſſe ait, *Publicorum armorum juſtam contentionem.* Utramque definitionem, quamvis prima probetur Grotio, minus tamen eſſe perfectam, intelliges ex ea, quam ipſe addo, & omnes, niſi fallor, belli numeros implet. *Bellum eſt eorum, qui ſuæ poteſtatis ſunt, juris ſui perſequendi ergo, concertatio per vim vel dolum.* Videamus ſingula.

Ait definitio, *eorum, qui ſuæ poteſtatis ſunt.* Sive nempe Gentium, ſive ſingulorum hominum, ubi nulla eſt Civitas: iidem quippe tunc utrique ſunt, neque, quod ſingulorum hominum eſt, recte dixeris privatum bellum, quia privatum nihil eſt, niſi ratione publici, quod, ubi Civitas non eſt, nullum eſt. Hoc bellum ſingulorum in Civitate ceſſat, & ideo ſi debitori meo, qui mihi decem debet, decem extorſero, incido in Legem Juliam de vi privata, quia non ſolum vis eſt, ſi homines vulnerentur, ſed & tunc, quoties quis id, quod deberi ſibi putat, non per judicem repoſcit *l.* 7. *ff. ad L. Jul. de vi privata.*

Ait definitio, *juris ſui perſequendi ergo.* Scilicet noſtri defendendi vel recuperandi cauſa, ſola belli ratio eſt, ſed cave exiſtimes, belli finem eſſe. Gens, quæ Genti injuriam intulit, & ipſa, & omne ejus imperium Genti, injuriam paſſæ, in commiſſum videtur cadere. Is certe belli finis eſt, ſi ita videatur Genti, injuriam paſſæ, neque enim ubi hæc recuperavit tantum, quantum alia ademerat, bellum ceſſat, vel ceſſare debet. Ad Principem, contra quem bellum gerimus, univerſa Reſpublica pertinet, tam perſonæ, quam res; ſicuti igitur debitorem noſtrum & omnia ejus bona exigimus, ita & in bello Principem & univerſam ejus Rempublicam. Debitorem quidem non ultra exigimus, quam nobis debetur, ſed in bello, diſſoluto quodammodo generis humani fœdere, ad hoſtem ejusque omnia ſubigenda accingimur, occupando omne id jus, quod ipſe Princeps in Rempublicam eam habuit, hoc eſt, omnium hominum rerumque, qui quæve in ea Republica ſunt, dominium: generalis nempe belli conditio eſt, ut ad menſuram non geratur.

Dixi, *concertatio.* Quo verbo non duntaxat certandi actum ſignificamus, ſed & ipſum belli ſtatum, re enim expreſſa facile qualitas ſequitur. Sic JCti, cum ſervitutem definiunt, non ſolam actionem, qua liberi homines alterius imperio ſubjiciuntur, intelligunt, ſed & ipſam conditionem & ſtatum ſervitutis. Etiam Grotius id animadvertit in definitione belli, quam ipſe ex Cicerone ſuam fecit.

Dixi, *per vim.* Non per vim *juſtam*, omnis enim

enim vis in bello juſta eſt, ſi me audias, & ideo juſta, cum liceat hoſtem opprimere, etiam inermem, cum liceat veneno, cum liceat percuſſore immiſſo, & igne factitio, quem tu habes, & ille forte non habet; denique cum liceat, ut uno verbo dicam, quomodocunque libuerit. Scio Grotium de veneno contradicere *de Jure B. & P. L.* III. *C.* 4. §. 15. & inter percuſſorem diſtinguere ibidem §. 18. Scio Zoucheum, ut nihil fere ſolet ipſe definire, animi quoque dubium hærere *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 10. *Q.* 5. & 6. Sed ſi rationem, Juris Gentium magiſtram, ſequamur, in hoſtes, qua hoſtes, omnia licet. Bellum alicui facimus, quia putamus, eum, per injuriam nobis illatam, ſui ſuorumque perniciem meruiſſe, isque armorum noſtrorum finis eſt, quem, qua forma adſequaris, quid refert? Ne judicem injuſtum dicas, qui ad mortem damnatum, licet vinctum & inermem, a carnifice gladiato jubet necari, nam ſi damnatum ſolvas armesque, jam erit fortitudinis fortunæque periculum, non injuriæ factæ punitio. Quin ſi putes, te vi ſola uti poſſe, qua hoſtis tuus utitur, ſimul putabis, ejusdem juris eſſe eum, cujus tu es, & tamen ob injuriam, quam tibi fecit, eum debellare conſtituiſti. Hoſtis tuus apud te damnati loco eſt, & ita tu quoque apud hoſtem tuum, ſed apud tertium, utriusque amicum, par utriusque cauſa eſt, & ambo eſtis juſti.

Ne quidem *dolum* in definiendo bello excipere volui, cum nihil omnino interſit, dolo, an virtute in hoſtem agas. Alii aliter ſapiunt. Si auctoritates, ſi exempla in utramque partem deſideres, magno numero ſuggeret Grotius *de Jure B. & P. L.* III. *C.* 1. §. 6. & *ſeqq.* Ego omnem dolum permitto, ſola perfidia excepta, non quod contra hoſtem non quodlibet liceat, ſed quod fide data, quatenus data eſt, hoſtis eſſe deſinat. Et ſane cum ratio belli omnem perdendi hoſtis modum probet, cur dolo faciendo ſe opponant tot auctoritates & exempla, non alia cauſa eſt, quam quod juſtitiam, de qua ſola nos quærimus, cum animi magnitudine, nonnunquam in bellis frequentari ſolita, peſſime confundant tam Scriptores, quam ipſi belli Duces. Juſtitia in bello omnino neceſſaria eſt, animi vero magnitudo a mera voluntate proficiſcitur. Illa hoſtem perdi ſinit quocunque modo, hæc quodcunque ſibi adrogat & fieri vult in propria cauſa, hoſti concedit in ſua, ac fere bellum geri deſiderat, quemadmodum duella, olim in nonnullis Civitatibus recepta. Juſtitia permittit plures habere milites, permittit & aliarum machinarum igniumque uſum, quam habent hoſtes, animi magnitudo non permittit. Juſtitia omnem dolum, excepta, ut dixi, perfidia, admittit; animi magnitudo non admittit, forte ne tunc quidem, cum eo utatur hoſtis, dolo enim uti metuentis eſt, animus vero magnus nunquam metuit. Ad juſtitiam pertinet, quod Auguſtinus dixit *Quæſt.* X. *in Joſuam*: *Cum juſtum bellum ſuſcipitur, vi aperta pugnet quis, aut ex inſidiis, nihil ad juſtitiam intereſt.* Vides, de *Juſtitia* ſermonem eſſe. Ad animi magnitudinem refero, quod Conſules Romani ad Regem Pyrrhum ſcribunt apud Gellium *L.* III. *C.* 8. *Nobis non placet pretio, aut præmio, aut dolis pugnare.* Sæpe & aliæ Gentes animi magnitudinem prætulerunt juſtitiæ, ſæpe & hanc illi, quin ipſi quoque Romani nunc has, nunc illas partes ſequuti ſunt. Si ita, ut modo dicebam, concilies auctoritates & exempla, nihil erit pugnæ in modo pugnæ, modo memineris juſtitiam exigi poſſe, animi magnitudinem non æque.

CAPUT II.

Ut bellum ſit legitimum, indictionem belli non videri neceſſariam.

Qui de Jure publico commentati ſunt, ut bellum ſit legitimum, varia deſiderant, interque ea, ut bellum publice denuncietur, aut Edicto in hanc rem propoſito, aut Feciali miſſo. Atque ea ſententia moribus Gentium, certe Europæarum, recepta creditur. Sane, priusquam manu & ferro res agatur, petendum, quod nobis abeſt aut abeſſe querimur, ſed an facta duntaxat petitione, eaque negata, citra indictionem vim inferre liceat, hoc eſt, de quo quæritur? non licere exiſtimat Albericus Gentilis *de Jure Bell. L.* II. *C.* 1. publice enim renunciandum eſſe amicitiæ, ne clam res agatur. Jure quidem Naturæ nulla eſt indicendi belli neceſſitas, ut & Grotius conſentit magni Operis *L.* III. *C.* 3. §. 6. *n.* 1. eo referens teſtimonia, quæ ſine indictione bella eſſe juſta pronunciant, at vero Jure Gentium *interpellationem* deſiderat, *qua conſtet, alio modo fieri nequire, ut noſtrum aut nobis debitum conſequamur*, ibidem *n.* 2. De publica denunciatione hæc addens *d. C.* 3. §. 11. *ut certo conſtaret, non privato auſu, ſed voluntate utriusque Populi, aut Populi Capitum geri bellum.* Et ſic quoque, tanquam ex Jure Gentium reſpondet Pufendorf de *Jure N. & G. L.* VIII. *C.* 6. §. 9. & 15. & Huber *de Jure Civitatis L.* III. *Sect.* 4. *C.* 4. *n.* 27. eadem uſus ratione, qua utitur Grotius. Non deſunt tamen, qui exceptiones quasdam addunt, ut ipſe ille Gentilis *d. L.* II. *C.* 2. & Zoucheus *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 10. *Q.* 1. Quin Joannes Nicolaus Hertius in *Adnot.* ad Pufendorfium *d. L.* VIII. *C.* 6. §. 9. non negat quidem, indictionem belli in mores Gentium tranſiviſſe, at putat, eos mores vim obligandi non habere, nec aliter habendos, qui eos negligunt, quam ne cenſeantur inter Gentes, quas *moratiores* dicimus.

Chriſtianus Thomaſius, ſani judicii homo, ad Huberum *de Jure Civitatis d. n.* 27. belli indictionem recte mihi videtur referre ad ſola officia humanitatis, ad quæ præſtanda nemo unus cogi poteſt, & opportune rogat, quid interſit, & quid unquam interfuerit inter bellum indictum vel non indictum? hujus, an illius aliud unquam jus fuerit? Quare negat ad ſolum Jus Naturæ pertinere, quod ex Dione Chryſoſtomo adducit Grotius *d.* §. 6. *n.* 1. *pleraque bella ſine denunciatione ſuſcipiuntur*, imo & ad Jus Gentium ipſe refert, & mox ſuperdicit, *Digna eſt quæſtio, ut peculiari Diſſertatione latius explicetur.*

Ego ei explicandæ non *peculiarem Diſſertationem*, ſed hoc *Caput* deſtinavi. Puto autem, nullam eſſe rationem, quæ indictionem belli exigit, atque adeo eſſe ex iis, quæ recte præſtantur, ſed nullo jure petuntur. Poteſt bellum incipere ab indictione, at etiam poteſt a vi mutua. Id videntur ſignificare Ordines Generales, cum 17. Januar. 1665. edixerunt (1), naves noſtras, ab

(1) *Plac.* III. 1. 7. 1.

ab Anglis captas, poſſe vindicare, quia captæ erant ante indictionem belli, *aut vim a Belgis illatam.* Sed & poteſt bellum recte incipere a negata petitione, quid enim a vi diſtat negata petitio? Peti oportere, quod nobis debetur, ad ſummum concedo, ſed non æque, ut additis belli minis, aut ipſa indictione petatur. Quod Grotius de *interpellatione* dixit, ad ſolam petitionem referre poſſes, ſed non potes, quod mox dixit de *publica denunciatione.* Illius tamen & aliorum præjudiciis, quamvis nulla ratione defendantur, res, alioquin liquida, obſcurior eſſe cœpit. Conſtare autem debebat, ubi judicia ceſſant, ut ceſſant inter Principes, quemque recte poſſe manu repetere rem ſuam, quam alius ei nullo jure abſtulit, & negat reſtituere. Quod ſi ſit, indictio belli non pendet niſi a voluntate ejus, qui indicit, aut eſt ſolemnitas quædam, quæ non niſi conventione, quæ inter Gentes nulla eſt, introduci potuit.

Attamen majoris animi Principes Populique, ut vi manifeſta honeſtius & glorioſius vincant, bella, niſi indicta, non facile gerunt. Repetenda hic eſt animi magnitudinis & juſtitiæ diſtinctio, de qua dixi *Capite proximo*; hæc & ſine indictione vim permittit, illa animoſius expendit omnia, neque ſatis glorioſum exiſtimat hoſtem inermem atque imparatum opprimere, & cenſet indignum, eos forte, qui fide pacis publicæ ad nos advenere, illa, nulla ipſorum culpa, repente ſublata, mox adgredi & ſpoliare. Unde Polybius *L.* XIII. *C.* 1. belli indicendi morem, quem peculiarem Achæi & Romani habebant, impenſe laudat, quemadmodum & laudat, quod in bello a dolo & inſidiis abſtinuerunt; ſed utraque laus ad animi magnitudinem pertinet. De Achæis addit Polybius *d. C.* 1. eos etiam locum pugnæ ſolitos conſtituere, plane ut & antiquos quosdam Hollandiæ Comites, bella geſturos, legimus, non duntaxat ea indixiſſe, ſed & pugnæ locum & tempus condixiſſe. Hanc condictionem utique neceſſariam non eſſe etiam Grotius conſentit *L.* III. *de Jure B. & P. C.* 3. §. 11. & tamen indictionem ipſe urget, atque ſi neceſſaria eſſet. Differentiæ rationem ſi quæras, non habebis aliam, quam quod in Europa nunc locus & tempus pugnæ conſtitui non ſoleant. Ex quo apparet, Grotium Libros ſuos *de Jure Belli ac Pacis* non tam ſcripſiſſe de Jure Gentium univerſo, quam potius de moribus, apud pleraſque Gentes Europæas receptis, qui tamen mores Jus Gentium non conſtituunt, ut ipſe Grotius nos docet ejusdem Operis *L.* II. *C.* 8. §. 1. *n.* 1. & 2. Sed, ut in hoc argumento, ita & ſæpe alias ex ſolis moribus Jus Gentium effecit, & ideo, ubi mores diſcrepant, vix quicquam auſus eſt definire.

Ex eo autem, quod Polybius dixit, Achæorum & Romanorum propriam laudem eſſe, bellum indicere, ſatis intelligimus, non tantum Jure Naturæ, ſed & moribus Gentium veriſſimum eſſe, quod exſtat apud Dionem Chryſoſtomum, bella indicta geri ἐπὶ τὸ πλεῖστον, *ut plurimum.* Sane, exceptis Achæis & Romanis, apud ceteras Gentes non æque frequentabatur indictio: neque enim alii Græci adverſus Græcos aut Barbaros bellum geſturi, aut hi adverſus illos, bellum publice edicebant. Quin nec Judæos, ex mandato Dei olim pugnantes, bellum hoſtibus ſuis indixiſſe legimus. Sed neque Macedones, qui tanta cum gloria Perſarum Imperium deleverunt, ulla belli indictione uſi ſunt. Etiam hodie, quantum comperi, belli indictione non utuntur niſi Gentes Europææ, neque omnes tamen, neque ſemper, utuntur autem ad exemplum Romanorum, non aliam forte ob cauſam, quam quod ab his fere proceſſerint. Tanta certe Romanorum dignatio fuit apud Populos Europæos, ut non tantum eorum leges, ſed & mores receperint, quamvis eorum mores fuerint diſtincti a moribus reliquarum Gentium, ut eſt mos indicendi belli, de quo nunc agimus. Quare, ſi quis Princeps in Europa, ut ſuperiori ſæculo contra Germanos Guſtavus Adolphus, ſine indictione bellum gerat, contra vulgarem Europæarum Gentium morem gerere credendus eſt, ſed contra Jus Gentium gerere, eorum tantum eſt dicere, qui, quod domi ſuæ fere ſervare vident, ubique locorum legem eſſe putant.

Sed excutiamus rationem, cujus tanta vis eſt in Jure Gentium definiendo. Hæc autem, ut modo dicebam, non alias ſolemnitates deſiderat, quam ut amice repetamus, quod nobis manu ademptum eſt; quin forte nec amica repetitio deſiderabitur, quia vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittunt, nec ſcio, an ullas ſolemnitates, quibus vis repellatur, Jus Gentium noverit. Sed largiamur, inter bonos bene agier oportere, & repetitionem deſiderari, an, ea negata, vim mutuam fieri vetabis? ego non veto, ſed vetat Grotius, vetant alii, niſi præceſſerit indictio. Rationes autem, quibus vulgo defendunt neceſſitatem indicendi belli, oppido ſunt nullæ. Quam dedit Gentilis, improbavit ipſe Grotius *d. L.* III. *C.* 3. §. 11. ipſe vero aliam dedit, quam ſupra repræſentavi, ſed ſi non deteriorem, deterrimam certe. An, ſi inter Principes, absque prævia indictione, vi armata agatur, dubitabimus utriusque Principis voluntate bellum geri? ſi non dubitemus, cui bono indictio? utique certo conſtat, quod publice agitur. Quare hæc ratio ratio non eſt, & tamen ea defungi maluit Grotius, quam neceſſitatem indictionis palam arceſſere ab eo, quod plures Europæi indictionem eſſe neceſſariam crederent, ſatis gnarus, inde Jus Gentium non effici. Ratio, ipſa, inquam, ratio, Juris Gentium eſt anima, &, ſi de ea diſputes, nihil omnino eſt, quod indictionem urgeat, ſed plura, quæ dixi, urgent, ne neceſſariam putemus.

Sed quidni quædam addam de moribus Gentium, etiam Europæarum, ſi vel iis ſolis res eſſet definienda? Veteris quidem ævi exempla commemorare infinitum eſſet. Bellum illud internecinum, quod inter Hiſpanos & Belgas Fœderatos a condita eorum Republica ad annum 1648. geſtum eſt, cœpit a vi mutua, absque ulla indictione. An quod indictum non ſit, dubitabis de jure ejus belli, de jure victoriæ, de jure pacis, anno 1648. ſequutæ? ego non dubito. Sed aliud videtur ſediſſe Ordinibus Hollandiæ, cum 4. Mart. 1600. edixerint, (2) dominis navium, quas in Hiſpania Philippus III. anno 1598. publicaverat, daretur vindicatio, quod, cum antea Belgæ libere in Hiſpaniam commeaſſent, nulla denunciatione præcedente, naves illæ eſſent publicatæ. Si me hujus Edicti patronum quæras, non invenies: quis enim jure ab Hiſpaniarum Rege deſideraverit, ut ipſe bellum indiceret, utpote cui Belgæ ab anno 1581. non deſtiterant bellum palam facere? nam a vi mutua recte incipit bellum, ne quid de aliis dicam, quæ forte hic incidebant, & ob quæ indictionem non eſſe neceſſa-

(2) *Plac.* II. 4. 2. 2. 1.

ceſſariam JCti conſentiunt apud Zoucheum *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 10. *Q.* 1.

Deinde Ordines Hollandiæ ajunt in *Præfatione*, & in ipſo *Edicto*, antea liberum fuiſſe Belgarum in Hiſpania commercium, ante annum nempe 1598. Sed id verum eſſe, neque potui animadvertere, neque, ſi ſit, ad cauſæ juſtitiam quicquam pertinet, quemadmodum mox dicam. Ut ſi ita commeaverint & mercati ſint Belgæ, precario vel per Magiſtratuum negligentiam potius commeaverint & mercati ſint, quam jure belli. In *Præfatione* ſane *Edicti*, quo 4. Apr. 1586. (3) Leyceſtranus Comes ex ſententia Ordinum Generalium, eorumque Conſiliariorum commercia Belgarum Fœderatorum cum Hiſpanis vetuit, continetur, Hiſpaniarum Regem in Hiſpania & Lyſitania naves Belgarum jam tunc publicaſſe. Et in §. 1. *d. Edicti* 1586. ut & in alio *Edicto* 18. Jul. 1586. (4) omne cum Hiſpanis commercium vetuit Leyceſtranus. Id quidem in §. 1. *Edicti* 4. Aug. 1586. reſtrinxit ad loca Belgii, quæ tenebat Hiſpanus, permiſſo ſic in ipſam Hiſpaniam commercio, ſed non alia de cauſa, quam ad utilitatem mercantium Batavorum; quod jus belli non mutat, nec mutare potuit ſine conſenſu Hiſpanorum.

Quin ſi indictio fuiſſet neceſſaria, Belgis ad evitandam navium publicationem nihil omnino profuiſſet. Quid enim ſi Hiſpanus eo anno 1598. ſolemniter bellum indixiſſet Belgis, & mox eorum naves publicaſſet, eodem forte die? jure belli hoc potuit: neque enim vel Belgæ vel alii Principes, cum bellum ſubito exarſit, hoſtium ſuorum ſubditis ſolent denunciare, ut res ſuas, alioquin publicandas, avehant. Nemo id deſideraverit, imo contra reſpondet Tryphoninus in *l.* 12. *pr. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* Atque ita omnes Gentes obſervant, niſi expreſſe aliter pactum ſit, ut aliquando paciſci ſolent. Ecce exempla aliquot ejusmodi Pactorum. In §. 4. Fœderis Utrecht. cum Muyd. & Weeſp. 1. Jul. 1463. placuit (5), pacem illam duraturam 14. dies, *na dat wy Stad en Steden voorn. dat die een de andere opdoen ſchryven*, intra quos 14. dies ſubditis earum Urbium liceret ſe ſuaque bona ex hoſtium poteſtate ſubducere. In §. 16. Pacis inter Regem Lyſitan. & Ordd. Gener. 6. Aug. 1660. convenit (6), ſi lites inter Regem & Ordines orirentur, id edicendum, atque ex eo intra biennium alterutrius ſubditorum bonis damnum inferre nefas eſſe. Quumque inter Regem Franciæ & Ordines Generales anno 1662. conveniſſet, oriente bello, utriusque ſubditis in alterius Imperio intra 6. menſes avehendi bona ſua facultas eſſet, Rex Franciæ, indicto Belgis bello anno 1672. conventionem illam anni 1662. Hollandis præſtandam eſſe ſpecialiter edixit 14. Apr. 1672. (7). Iidem eidem juri avehendi ſex menſes præſcripſerunt §. 15. Pacis Neomagenſis 10. Aug. 1678. (8) & novem §. 39. Pacti marini 10. Aug. 1678. (9) & rurſus 9 menſes §. 14. Pacis 20. Sept. 1697. (10) Iterumque 9 menſes §. 36. Pacis 11. Apr. 1713. (11). Et in §. 32. Pacis inter Angl. & Ordd. Gener. 31. Jul. 1667. (12) placuit, ſi bellum inter eos exarſiſſet, ne alterius ſubditorum bona, apud alterum inventa, publicarentur, ſed ea intra ſex menſes liceret avehere. Si non exemplorum ſatis eſſet, poſſem & alia addere, & alia quoque habet Zentgravius *de Orig. verit. & Oblig. Jur. Gent. Art.* VII. §. 9. Ubi autem ejusmodi pacta de ſtatu belli ſuſpendendo non intercedunt, quicquid dicant alii, bellum ſtatim inferri poteſt. Grotius, qui indictionem deſiderat, poſt eam nullum aliud tempus requirit, quominus vis inferatur *L.* III. *de Jure B. & P. c.* 3. §. 13. & ita quoque ſapit Zoucheus *de Jure Fec. Part.* II. *Sect.* 3. *Q.* 10. & Zentgravius *d. loc.* Quare Rex Hiſpaniarum eo anno 1598. potuiſſet & bellum indicere, & mox occupare naves Hollandorum, cum nullum, quod prohibeat, pactum interceſſerit, nec intercedere potuerit inter Principem & eos, quos pro ſubditis ſuis habebat Princeps.

Habes exemplum illuſtris belli, ſine ulla indictione quam longiſſime geſti. Neſcio etiam, cur ab Hiſpanis indictionem exigere potuiſſent Belgæ, utpote, qui ipſi Hiſpanis neque ab initio, neque poſt inducias unquam bellum indixerint. Imo, ſi vel indictio Jure Gentium eſſet neceſſaria, Hiſpani forte objeciſſent, ei utique locum non eſſe niſi inter Principes, qui utrimque ſui juris ſunt, in bello civili nunquam fuiſſe frequentatam, in eo Principi rebellantium ſubditorum bona occupare nefas non eſſe. Sed hanc rationem non urgeo, ſufficit aliunde conſtare, non jus belli, at ſolam mercantium utilitatem Hollandis expreſſiſſe id Edictum 4. Mart. 1600. Atque ea ipſa utilitas anno 1639. creditur Hollandos egiſſe transverſos, & nullo jure commiſiſſe cum Ordinibus Generalibus in alia cauſa, quæ non minus ad jus belli pertinebat. Cum enim Canariarum Inſularum Præfectum, dolo illectum, quidam huc avexiſſent, & Ordinibus Generalibus magis placeret, Præfectum, optimo jure avectum, juſtæ prædæ eſſe, contradixerunt Hollandi, ſed, ut ait Aitzema (13), ob ſolum mercaturæ ſuæ favorem. Ego vero putem, ſatis fuiſſe cauſæ, cur ob rem ipſam contradixerint Hollandi: erat enim hoc factum longe turpius, quam Philippi III. publicatio, anno 1598. facta, nam quamvis poſt indictionem bona hoſtium vulgo capiantur, & hoſtis in hoſtem ſtatim recte agat, ſi pacta non obſtent, utique amico amicum prodere non licet. Belgæ ad Fortunatas Inſulas acceſſerant amici, & ultra acceſſerant, ſola mercaturæ cauſa, ut liberum utrimque commercium eo usque erat exercitum. Navarcha Hollandus, ſic ad mercaturam admiſſus, ſimulat, ſe Præfectum ab una Inſula ad aliam eſſe transvecturum, & avehit Roterodamum, ut prædæ eſſet. Quod perinde mihi videtur, ac ſi quis cum caduceo & ſagminibus ad hoſtem accedat, mox, ubi occaſio erit, eum occiſurus.

Sed tranſeamus ad alia bella, ſine indictione quoque geſta. De Guſtavo Adolpho, Germaniam invadente, res nota eſt (14), & inde quoque notum, Ferdinando II. de omiſſa indictione quiritanti, a Guſtavo reſponſum eſſe, ipſum etiam Imperatorem, absque ulla belli denunciatione, antea Boruſſiam invaſiſſe. Sic Principes, qui nullis Prætorum Edictis tenentur, ſæpe tamen utuntur Edicto, *quod quisque juris* &c. Accidit

(3) *Plac.* I. 2. 22. 1. 2.
(4) *Ibidem* I. 2. 22. 1. 4.
(5) *Handveſten van Weeſp* p. m. 18.
(6) *Plac.* II. *Append.* p. 2859.
(7) *Hollandſche Mercurius* 1672. p. 31.
(8) *Plac.* III. 1. 13. 33.
(9) *Ibidem* III. 1. 13. 34.
(10) *Ibidem* IV. 1. 13. p. 315.
(11) *Ibidem* V. 13. p. 456.
(12) *Ibidem* III. 1. 13. 28.
(13) *Hiſtor. L.* XIX. p. 172.
(14) *Ex* Armis Suecicis, p. 54.

cidit id etiam anno 1657. nam, cum media pace Franci Belgarum bona, penes ſe reperta, detinuiſſent, Belgæ deinde & Francorum bona detinuerunt, de quo exſtat Hollandiæ Ordinum Edictum 26. Apr. 1657. (15) & Ordinum Generalium Decretum 6 Maj. 1657. (16). Ajunt quidem Ordines Generales *d. Decreto*, ex Jure Gentium manifeſtum eſſe, eam detentionem inter non hoſtes eſſe illicitam, niſi ex juſta cauſa, petitaque ante & negata ſatisfactione. Sed nemo Princeps detinet, niſi ex cauſa, quam ipſe juſtam putat. Sane quia injuria vix aliter cognoſci poteſt, præviam quoque petitionem admiſerim, ſed ob vulgarem, qui nunc eſt, Legatorum uſum de ea parum eſt laborandum, frequentiſſimæ enim ſunt Legatorum querelæ, ſi vel minimum incidat, quod Principem ſuum poſſit offendere. Sed pergamus. Etiam Lyſitanos eodem anno 1657. ante bellum & ullam vim Belgarum naves detinuiſſe legimus (17). Et in bello, quod inter Angliæ Regem & Ordines Generales actum, & anno 1667. pace mutua tranſactum eſt, plurima a ſe ſuisque, non indicto bello, capta eſſe conqueruntur Ordines Generales in Epiſtola, ad Angliæ Regem ſcripta 16. Sept. 1666. (18) perperam, ajunt Ordines, quia indictio non præceſſerat, ſed de eo judicabis ex iis, quæ hic diſputo. Ludovicus quoque XIV. anno 1667. Hiſpanis bellum non indixit, & tamen, quaſi ſalva pace, Regem Hiſpaniarum conſtituerat exuere Ditionibus, quas habebat, cauſatus, ſuum repetentibus belli indictione non eſſe opus. At vero, ſi alias indictio neceſſaria ſit, quis, obſecro, hunc colorem ferat? neque enim bellum gerere quicquam aliud eſt, quam id, quod quis ſibi deberi exiſtimat, manu extorquere ab invito & retinente Principe vel Populo. Ad hæc prolixa eſt Ordinum Generalium querela in Edicto contra Francos 9. Mart 1689. (19) eundem Franciæ Regem, bello nondum indicto, anno 1688. Belgas, eorumque naves & merces detinuiſſe, & mox belli indictione vix Pariſiis publicata, arma eſſe illata & bona ſubditorum ſuorum direpta. Prior pars querelæ utique juſta eſt, nam ea detentio adverſabatur §. 15. Pacis Neomagenſis, & §. 39. Pacti marini 10. Aug. 1678. nondum enim elapſis menſibus, quos ſupra dixi fuiſſe præſcriptos juri avehendi, quod ad hoc ſuſpenſus erat ſtatus belli, atque ita injuſta occupatio eorum, quæ intra præſcriptum tempus ex hoſtium poteſtate ſubduci poterant. Quod ad alia autem nullum pactum interceſſerat, & ſic dubitem, an poſterior pars querelæ æque fuerit juſta. Sed, quicquid ejus rei ſit, ſufficit, exempla, quæ attuli, ſatis probare, nihil cauſæ eſſe, cur vel de moribus Europæorum tam benigne ſentiamus, atque ſi nempe ex his conſtaret de neceſſitate indicendi belli.

CAPUT III.

De Statu belli inter Hoſtes.

Diceres, belli conditionem magis oportere pellucere inter ipſos Principes, quorum plerumque ſola res agitur, quam inter ſubditos, qui utique, ſi ipſorum cauſa non vertatur, animo tam hoſtili non cluent. Cum autem inter hoſtes hoſtiliter agi oporteat, nemo exſpectasſet, ut hoſtibus bene precemur, & ſalutem dicamus. Sane Populi Romani majeſtas, plena gravitatis, pelluxit in Cajo Popilio, qui, quamquam ſalutatus ab Antiocho Rege, tunc hoſte, eum, niſi poſtea amicum, reſalutare noluit, ut eſt apud Plutarchum *Apophtegm. p. m.* 364. Idem de porrecta Antiochi, & negata Popilii dextra narrat Livius *L.* XLV. *C.* 12. & Polybius *Excerpt. Legat. C.* XCII. Conſules tamen Romani, cum ita res Romanorum ferret, Pyrrho hoſti *ſalutem dixere* in Epiſtola apud Gellium *L.* III. *C.* 8. Et adeo adulandi ferax fuit ſæculum præteritum, & eſt hoc noſtrum, ut Principes neque adulationis oblivifcantur inter ipſa arma. Unde nunc hoſtes hoſtibus precantur omnia proſpera, ſeque invicem vocant *amicos*, & hoſtium damno quaſi indolent. Atque ita eſt in Epiſtolis Ordinum Generalium ad Angliæ Regem 10. Jul. 16. Sept. & 26. Nov. 1666. (1) & rurſus Angliæ Regis ad Ordines Generales 4. Aug. & 4. Oct. 1666. (2) Quamvis autem Utrique tunc temporis in mutuam perniciem accingerentur, attamen inter Jus belli & officia amicitiæ ſatis convenire ſcribunt Ordines in d. Epiſtola 10. Jul. 1666. Quin & Gallorum Rex, qui tunc quoque bellum gerebat contra Anglorum Regem, anno 1666. ad eum miſit Legatum, qui conflagrationi Urbis Londinenſis indoleret (3). Humanitatem, clementiam, pietatem, ceterasque animi magni virtutes in bello exercere glorioſum eſt, ſed oppido putidum, ſolis verbis ludere, quid enim niſi verbis ludis, cum indoles conflagrationi Urbis, quam ipſe cuperes incendere?

Quia in victum victori licent omnia, jus quoque vitæ & necis penes victorem eſſe, nemo dubitaverit. Exſtant de eo jure in veteri memoria tot ac tanta apud omnes peræque Gentes teſtimonia & exempla, ut iis colligendis & deſcribendis vel ſpiſſus Liber non ſufficeret; & Scriptores Juris Publici in eo argumento jam induſtriam ſuam exercuerunt. Quamvis autem jus occidendi fere obſoleverit, id tamen ſoli victoris voluntati ac clementiæ tribuimus, neque adeo negamus, adhuc exerceri poſſe, ſi quis omnino jure ſuo uti velit. Reliquias ejus juris hic illic exſtare, plena fide comperi: eo ſane modo accipiendum & defendendum puto Ordinum Generalium Edictum 1. Oct. 1589. (4) quo hoſtes, qui cum Sanctæ Gertrudis Montis proditoribus invenirentur, capitis pœnas dare voluerunt, & aliud eorundem Ordinum Edictum 24. Febr. 1696. (5) quo capitis quoque pœnam poſuerunt hoſtibus, qui intra indicia, navigantibus conſtituta, ad littus accedunt, aut in continentem deſcendunt, ibi rapinam acturi: neque

(15) *Plac.* II. 4. 28. 3. 1.
(16) *Hollandſche Mercurius* 1657. p. 42. & *ſeqq.*
(17) *Ibidem* 1657. p. 85.
(18) *Hollandſche Mercurius* 1668. p. 170-172.
(19) *Plac.* IV. 1. 6. 1.
(1) Sunt *in de Hollandſche Mercurius* 1666. p. 111. 112. 170-172. & 176-178.
(2) *Ibidem* 1666. p. 112. 113. & 172-176.
(3) *Ibidem* 1666. p. 154.
(4) *Plac.* I. 1. 17. 5.
(5) *Plac.* IV. 1. 7. p. 216.

que enim ſi hoſtis cum commilitone ſuo, quamvis proditore, ſit, Jure belli quicquam delinquit, ut nec delinquit, qui terram hoſtilem, in ſpem prædæ, invadit. Arce eum, ſi potes, ſin autem, cur alio loco habebis, quam reliquos hoſtes? Ex eodem jure vitæ & necis defendo, quod Belgæ quandoque Hiſpanos, quia non redimebantur, ſuſpenderint, ſic enim memoriæ proditum eſt (6). Pœnam laquei in captivos exercere licet, ſed, ſi non liceret, ideo exercere, quia non redimuntur, nec rationem, nec ullam auctoritatem habet, imo contra obſervatur, ut mox audies.

Juri occidendi hoſtes ſucceſſit jus ſervitutis, diutiſſime olim exercitum. Sed & in ſervitutem redigendi conſuetudo moribus plerarumque Gentium nunc exolevit. Scripſit quidem Cujacius *Comment. poſt.* ad *l.* 5. *ff. de Juſt. & jur.* etiam inter Chriſtianos adhuc captos fieri ſervos, ſervitutem duntaxat eſſe mitiorem, eamque ſententiam non aliunde probat, quam ex jure redimendi. Sed conſuetudinem redimendi captivos, &, donec redimantur, detentionem, unde magis exiſtimes ſervitutem eſſe, quam quaslibet alias detentiones, quibus hodie adverſus exteros debitores utimur ad conſequendum, quod nobis debetur? neque enim illæ detentiones remitti ſolent niſi ſoluta pecunia, aut præſtita cautione, plane ut in cauſa captivorum. Quin & captivi, ſi non redimantur, ſæpe & ſine lytro dimiſſi. Atque ita Supremus Belgii militaris Senatus 14. Dec. 1602. quatuor & viginti hoſtes, in obſidione Boſcana captos, quia non redimebantur, dimittendi poteſtatem fecit, ne ſcilicet carceris miſeriis perirent (7). Valde autem fuiſſet inexſpectatum, & moribus, qui nunc frequentantur, alienum, ſi Senatus juſſiſſet illos captivos vel laqueo punire, vel etiam in ſervitutem diſtrahere. Unde, cum Gravio Solmenſis, qui in Hybernia militabat 1690. conſtituiſſet captivos in Americam in ſervitutem deportare, Dux Berwycenſis ei denunciavit, hoc ſi fieret, ſe, quoscunque caperet hoſtes, ad remos in Franciam transmiſſurum (8). Sed quia ipſa ſervitus inter Chriſtanos fere exolevit, ea quoque non utimur in hoſtes captos. Poſſumus tamen, ſi ita placeat, imo utimur quandoque adverſus eos, qui ea in nos utuntur. Quare & Belgæ, quos Algerienſes, Tunitanos, Tripolenſes in Oceano aut mari Mediterraneo capiunt, ſolent in ſervitutem Hiſpanis vendere, nam ipſi Belgæ ſervos non habent, niſi in Aſia, Africa & America. Quin & anno 1661. ipſi Ordines Generales Admiralio ſuo mandarunt, piratas captos in ſervitutem venderet (9). Idemque obſervatum eſt anno 1664. (10).

Servituti igitur ſucceſſit vel captivorum, qui ejusdem gradus & conditionis ſunt, permutatio, vel detentio, donec redimantur. Et redimendi neceſſitas nonnunquam pactis exprimi ſolet, certa, pro dignitate cujusque perſonæ, ſi capiatur, conſtituta pecunia; quæ ſi ſolvatur, ceſſat ſummum illud jus, quod alioquin victori in victos & captos competit. Captura autem, quamvis apud Romanos etiam exercita ſit adverſus eos, qui tempore belli exoriuntis in alterius Imperio inveniebantur *l.* 12. *pr. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* hodie, quamvis exerceri poſſit, raro tamen exercetur. Quin & ipſe Franciæ Rex Ludovicus XIV. quum 26. Januar. 1666. (11) Anglis bellum terra marique indixiſſet, omnique interdixiſſet commercio, & inde Angli, qui erant in Francia, ſibi bonisque ſuis metuerent, 1. Febr. 1666. (12) rurſus edixit, metum illum utique vanum eſſe, Edicto enim eo 26. Januar. 1666. duntaxat bellum indici Anglis, qui deinde in mari invenirentur, aut in Imperio Francico hoſtem agerent; non iis privatis, qui in Francia domicilium fixiſſent, placere tamen, Angli, qui in Francia habitabant, nec adepti erant jus ſubditorum (*ongenaturaliſeert zynde*) intra tres menſes abirent, quocunque videretur. Sed hoc ſoli humanitati tribuendum eſſe, ſi non intercedant pacta, quæ ſtatum belli ſuſpendunt, *Capite proximo* diſputavi. Quia vero plerumque ejusmodi pacta intercedunt, rarius jus belli exercetur in eos, qui in pace ad alteros pervenerunt, & ibi deprehenduntur, ſi bellum ſubito exarſerit. Ceterum elapſo tempore, quod abire volentibus vel humanitas dedit, vel pactis definitum eſt, jure belli recte capiuntur, qui ultra remanſerunt, vel non impetrata venia advenerunt. Et ſecundum hæc Ordines Generales edixerunt 4. Apr. 1674. (13) ſi qui hoſtes hærerent in Belgio Fœderato aut in Imperio Ordinum Generalium, non impetrata accedendi venia, recte caperentur, nec, niſi redempti, redderentur.

Quamvis autem jus occidendi captivos obſoleverit, quærunt tamen, an non, etiam ſine levis notæ macula, eo jure uti liceat adverſus eos, qui obſtinatius ſe defenderint? & ſunt qui putant. Turpiſſime, niſi & imbellem forte virgunculam, ſi pudorem ſuum adverſus robuſtum ſtupratorem, unum pluresve, pertinacius defenderit, pœna dignam exiſtimes. Licent in hoſtem omnia, ſed ſi ob fortitudinem, nihil crudelius. Quin & ipſi hoſtium noſtrorum fortitudine gaudemus, atque indignamur ignaviæ. Memini me legere, Algerienſes Prædatores ignavum quemdam Navarcham, qui navem ſuam prævalidam, libertatem ſibi ſoli pactus, ignaviſſime dediderat, non aliam ob cauſam miſerrime, & per ludibrium excarnificaſſe. Scilicet apud hoſtes quoque gloriam fortitudo, ignavia contemptum ferunt. Si, quid alii de hoc argumento ſcripſerint, ſcire deſideres, ſatisfacient deſiderio Gentilis *de Jure Belli L.* II. *C.* 16. Grotius *de Jure B. & P. L.* III. *C.* 4. §. 13. & Zoucheus *de Jure Fecial. Part* II. *Sect.* 10. *Q.* 9.

Expoſuimus, quid hoſtibus in hoſtes vivos liceat, ſed de cadaveribus hoſtium quid dicemus? Olim quidem feris & avibus projiciebantur, ſed nunc vel victores ſepeliunt, vel victis ad ſepulturam concedunt. Quinimo & plus datur humanitati. Ordines Generales 16. Sept. 1666. (14) cadaver vicarii Architalaſſæ Angli, quod in eorum poteſtate erat, medicatum in Angliam miſerunt, quum ipſi antea, nempe 10. Jul. 1666. (15) ab Rege Angliæ exquiſiviſſent, id in Angliam transmitti, an in Hollandia ſepeliri vellet,

(6) *Apud* Aitzema *Hiſtor. L.* VI. p. 16.
(7) Van Dalen *Notabile Krygs-beſoignes* p. 145.
(8) Sic eſt in de *Hollandſche Mercurius* 1690. p. 245.
(9) Aitzema *Hiſtor. L.* XLI. p. 238.
(10) Idem *L.* XLIV. p. 278.
(11) *Hollandſche Mercurius* 1666. p. 6. & 7.
(12) *Ibidem* p. 7. & 8.
(13) *Plac.* III. 1. 8. 5.
(14) *Hollandſche Mercurius* 1666. p. 70.
(15) *Ibidem* p. 111. & 112.

let, isque illud præoptaſſet 4. Aug. 1666. (16) Simile quid & Franci factitarunt anno 1692. (17).

Ex natura belli commercia inter hoſtes ceſſare non eſt dubitandum. Et quid valebunt commercia, ſi, ut conſtat, bona hoſtium, quæ apud nos inveniuntur, vel ad nos adferuntur, Fiſco cedant? & an quis, quamdiu jus occidendi hoſtis obtinuit, cum mercibus ad hoſtem acceſſerit, & inter commercia hoſtis eum trucidaverit? id diceres recte factum? ſed omnino ceſſant commercia: unde & in belli indictionibus plerumque mutuis commerciis interdicitur, ſæpe & Edictis, poſtea ſecutis. Ex §. 11. Edicti Comitis Leyceſtrani de interdicto cum Hiſpanis commercio 4. Apr. 1586. (18) ſubditi, contra illam legem cum hoſte commercia exercentes, patibulo & navibus rebusque, quibus ad hoſtem commeabant, puniuntur, exteri vero tantum navium merciumque publicatione. Idemque juris eſt ex §. 12. Edicti ejusdem Comitis 4. Aug. 1586. (19) Quin ex §. 13. d. Edicti 4. Apr. & ex §. 14. d. Edicti 4. Aug. conſilium quoque commercia cum hoſte exercendi perinde punitur, atque ipſum factum, & ita etiam Hollandiæ Ordines antea edixerant 27. Jul. 1584. (20). Inſuper additum omnibus his Edictis, ut accuſatio eorum, qui contra ea cum hoſte commercia exercuiſſent, eſſet æterna, ſive in ipſo facto deprehenſi fuiſſent, ſive non fuiſſent. Et ex d. Hollandiæ Edicto 27. Jul. 1584. pecuniariæ, ei delicto ſtatutæ pœnæ, perſecutio porrigitur quoque adverſus eorum, qui deliquerunt, heredes. Quod non putem eſſe ex Jure Romano: nam iis Edictis, ſi verum amamus, non agitur de crimine, quod in læſam Majeſtatem incidit, ſed de extraordinario quodam, quod non tam ex perduelli animo, quam cupiditate lucri proficiſcitur.

Quamvis autem nulla ſpecialis ſit commerciorum prohibitio, ipſo tamen jure belli commercia eſſe vetita, ipſæ indictiones bellorum ſatis declarant, quisque enim ſubditus jubetur alterius Principis ſubditos, eorumque bona aggredi, occupare, & quomodocumque iis nocere. Utilitas vero mercantium, & quod alter populus alterius rebus indigeat, fere jus belli, quod ad commercia, ſubegit. Hinc in quoque bello aliter atque aliter commercia permittuntur vetanturque, prout e re ſua ſubditorumque ſuorum eſſe cenſent Principes. Mercator Populus ſtudet commerciis frequentandis, & prout quisque alterius mercibus magis minusve carere poteſt, eo jus belli accommodat. Sic aliquando generaliter permittuntur mutua commercia, aliquando quod ad certas merces, reliquis prohibitis, aliquando ſimpliciter & generaliter vetantur. Utcunque autem permittas, ſive generaliter, ſive ſpecialiter, ſemper, ſi me audias, quod ad hæc ſtatus belli ſuſpenditur. Pro parte ſic bellum, pro parte pax erit inter ſubditos utriusque Principis. Licita utrimque halecaria piſcatio ex Edictis Francorum & Belgarum anni 1536. (21) & olim ex Edicto 22. Dec. 1552. (22) non vetita commercia, ſed ſub quibusdam cautionibus permiſſa. His adde, quæ acta ſunt toto Bello Hiſpanico, & Lyſitanico & Anglico annis 1653. 1665. & 1672. atque etiam Francico annis 1672. 1689. & 1702. nam omnia commemorare longum eſſet.

Hoſtium nomine an & amici noſtri intelligantur, qui victi apud hoſtes ſunt, urbe eorum forte occupata, dubitari poſſet? non putat Petrinus Bellus *de Re militari Parte* II. *Tit.* 11. *n.* 5. & nihil definit Zoucheus *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 4. Ego putarem, etiam eos intelligendos eſſe, certe quod ad bona, quæ ſub hoſtium Imperio habent, atque adeo ea bona jure belli probe recte a nobis occupari, ſi hoſtes antea ab amicis occupaverint. Quæcunque hoſtium ſunt, recte capimus, ea autem bona pars ſunt Imperii hoſtilis, quæque ita hoſti prodeſſe, nobis nocere poſſunt. Si vero bona amicorum in noſtro Imperio ſint, licet ipſi, jure belli victi, apud hoſtes ſint, aliud dicerem, quia verum eſt, neque hoſtium eſſe ea bona, neque hoſtibus utilitatem præſtare poſſe. Hoſtibus quomodocunque nocere belli ratio flagitat, quidni igitur iis eripiamus bona, quæ ipſi jure belli occupaverant, & quibus in rem ſuam utuntur? Scio, qua ratione contradicant alii, amicos nempe noſtros, quamvis apud hoſtes ſint, hoſtili in nos animo non eſſe, nam, quominus ibi ſint, eorum liberi arbitrii non eſſe, & ex ſolo animo rem æſtimandam. Sed res non pendet ex ſolo animo, quia neque omnes reliqui hoſtis noſtri ſubditi, utique pauciſſimi, in nos feruntur hoſtili animo, at res pendet ex jure, quo illa bona apud hoſtes ſunt, & ex utilitate, quam illis præbent in necem noſtram.

CAPUT IV.

Ecquando res hoſtium mobiles, & præſertim naves, fiant capientium?

De Perſonis hoſtium ſupra diximus, nunc dicamus de eorum bonis & actionibus. Bona autem cum ſint mobilia, vel immobilia, conſtat, utraque jure belli recte occupari. Quibus occupata cedant, & an præda privatis cedat, ſi absque auctoritate publica prædatum iverint, nunc non diſputo, quædam de eo argumento dicturus *C.* XX. Quæro potius, nam quotidiana, nec minus digna quæſtio eſt, ex quo tempore dominium mutet occupatio? inter res mobiles, de quibus nunc agimus, nihil quicquam diſtinguo, ſive homo ſit captus, ſive capta navis, ſive merx, ſive ſupellex, ſive aliud quid, quod in prædam cadere poſſit. Jure Romano, ut recte obſervat Grotius *de Jure B. & P. L.* III. *C.* 6. §. 3. *n.* 1. tunc capta capientium fieri dicuntur, ubi intra præſidia fuerint perducta; cujus juris non alia ratio eſt, quam quod tunc omnis rei perſequendæ & recuperandæ ſpes decollaverit. *Cui*, inquit Grotius *d. loc. n.* 2. *conſequens eſſe videtur, ut in mari naves & res aliæ captæ cenſeantur tum demum, cum in navalia aut portus, aut ad eum locum, ubi tota Claſſis ſe tenet, perducta ſunt: nam tunc deſperari incipit recuperatio. Sed*, addit,

(16) *Hollandſche Mercurius* 1666. p. 112. & 113.
(17) *Ibidem* 1672. p. 189.
(18) *Plac.* I. 2. 22. 1. num. 2.
(19) *Eodem loco* num. 4.
(20) *Ibidem* num. 5.
(21) *Repertorium Cur. Holl.* p. 23. A.
(22) *Ibidem* p. 71. B. & 72. A. & B.

dit, *recentiori Jure Gentium inter Europæos Populos introductum videmus, ut talia capta cenſeantur, ubi per horas viginti quatuor in poteſtate hoſtium fuerint.* Quod in *Notis* etiam ad ea transfert, quæ terra capiuntur. Grotium bona fide deſcripſit Zoucheus *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 1. & Loccenius *de Jure Marit. L.* II. *C.* 4. *n.* 4. Quod Grotius ait de 24. horis, nunc ſervari apud omnes Populos citra ullam diſtinctionem, an capta navis in portum a victore fuerit perducta, nec ne, olim quoque reſpondit, qui apud Admiralitatem Amſterdammenſem Fiſci cauſam egit (1), & ſic etiam alii ſapiunt (2).

Sed ego illud uſu ſervari nunquam potui animadvertere. Reperi quidem, Judices militares ita judicaſſe 24. Dec. 1624. (3) & eosdem etiam alias ita cenſuiſſe (4), verum quis audiat homines, juris plerumque imperitiſſimos, nulla plane auctoritate uſos, & forte ſolius Grotii auctoritate ſeductos? in ipſo Belgio Fœderato Leges moresque repugnare, abunde perſuadebunt, quæ *hoc & ſequenti Capite* proxime dicentur. Scio, Ordinum Generalium apud Anglos Legatum anno 1631. deſideraſſe (5), ut Ordines eam Jurisprudentiam, quæ 24. horas juſtæ occupationi præſcribit, ſua auctoritate probare vellent, ſed probatam non invenio. Omni etiam ratione deſtituitur, ſi enim ex ea rem æſtimes, ſola mutati dominii ratio in vera occupatione conſiſtit; vera autem occupatio eſt, quam tuta retentio excipit, cui quid faciunt horæ 24. quum & ultra eas res poſſit eſſe non vere occupata, atque etiam citra eas occupata veriſſime? Sane ob factorum differentiam generale quid, quod certum ſit, ea de re conſtitui non poterit, ſed ſingula facta conſideranda ſunt, & de ſingulis hoc habendum, aliter rem hoſtis factam non videri, niſi ita facta ſit, ut eam retinere & defendere poſſit. *In bello capta ejus fiunt, qui primus eorum poſſeſſionem nactus eſt l.* 1. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* & *non videtur poſſeſſionem adeptus is, qui ita nactus eſt, ut eam retinere non poſſit l.* 22. *ff. Eod.* Hæc vera JCtorum philoſophia eſt, ab ipſo Jure Gentium dictata. Quando autem ita adepti videamur poſſesſionem, ut retinere, vel non retinere poſſimus, cauſarum, ut dixi, varietas definire non permittit. Tunc tamen retinere videmur poſſe, ubi rem hoſtilem, ut Jus Romanum loquitur, *intra præſidia* deduximus, *præſidiorum* autem nomine, & Caſtra, & Portus, & Urbes, & Claſſes intelligimus, eorum enim omnium eadem cauſa eſt in tuta defenſione rei occupatæ.

Sed quid ſufficiant 24. horæ, cum ne quidem, mutando dominio, ſufficiat, rem hoſtilem intra præſidia eſſe deductam? ſi nempe credas, quæ aliis male ſana ratio ſuggeſſit, etiam iis, quorum alioquin auctoritati adſurgere jus fasque eſt. Exiſtimant autem, naves captas non aliter hoſtium fieri, quam ſi & in portum hoſtilem deductæ ſint, & ibi publicatæ, & inde poſtea liberæ enavigarint in portum non hoſtilem. De mercibus & aliis prædis, quarum tamen eadem ratio eſt, idem dicendum eſſet, ſed dicere, credo, puduit. Audi, quid de navibus captis Ordines Generales decreverint 27. Nov. 1666. (6) *dat Schepen, by den vyand genomen, en in Engeland en de Ryken, daar onder horende, opgebragt, en aldaar geconfisqueert, en by Neutralen gekogt, dog in t'uytkomen van de vyandelyke havenen* in ipſo actu, *of vervolg van's Lands Schepen verovert, eer zy in haar eigen of andere vrye havens geweeſt zyn, als nu en in 't toekomende zullen verklaard werden voor goeden prinſe, gelyk van ouds altyd gebruikelyk is geweeſt, en zoo als ook het diſpoſitief op 't vierde point van de Caſus poſitie van* 26. *Juny* 1630. *onder anderen* mutatis mutandis *dicteert.* Ipſa verba exhibui, ne putes, me incredibilia narrare. Miraberis autem, ego certe miror, quid ad rem faciat, utrum naves in proprium emtoris, vel in amicum portum pervenerint, nec ne. Ille portus proprius vel amicus, modo neſcio quo, dabit neſcio cui, neſcio quid. Dominium dare non potuit hoſti, qui jam occupaverat & vendiderat, neque emptori, qui ita rem noſtram emiſſet a non domino, eamque rem nobis eriperet portus quidam proprius vel amicus. Fingendum potius erat, navim, hoſtis factam, hoſtilem eſſe, & hoſtilem manere, donec eo vitio purgetur, & non purgari, niſi proprium emptoris vel amici portum ſubierit, ideoque antea recte capi. Sed id quoque fingere non licet, cum ex emptione res ad emptorem pertineat, nec quicquam interſit, an venditoris fuerit ab initio, an ex occupatione & publicatione.

Animadverte autem, quam male provocetur ad antiquam conſuetudinem, & aliud Ordinum Generalium Decretum 26. Jun. 1630. (7), quod illi conſuetudini cauſam præbuiſſet. Factum eſt id Decretum ad Conſultationem Admiralitatis Amſterdammenſis, quæ varia habebat capita, & ad quartum ſic reſpondent Ordines: *Op 't vierde point verklaren haar Hoog Mogende de Schepen, by den Vyand genomen, in Vlaanderen ingebragt, en by Neutralen gekogt, maar in 't uytkomen van de Vyandelyke havenen* in ipſo actu *of vervolg van 's Lands Schepen verovert, eer zy in haar eigen of andere vrye havens geweeſt zyn, voor goeden prinſe, gelyk van ouds altoos is gebruykelyk geweeſt, in kragte van het regt, hier vorens op het eerſte point geallegeert; als ook zodanigen, welke zoo genomen en gekogt, en uyt de voorſchrevene Vlaamſche Havenen geloopen, in andere Havenen onder den Coning van Spanjen gearriveert, van daar komende op Zee van's Lands Schepen verovert werden.* Eſſe id Decretum valde alienum ab hac cauſa, ex ipſa Conſultatione apparet, quin & ipſi Ordines, provocantes ad Caput primum Decreti, ſatis ibi ſignificant, quæ ejus condendi fuerit ratio. Scilicet commercii intercludendi ergo Ordines Generales portus Flandriæ navibus bellicis obſederant, adeoque omnes quorumcunque naves, eo deſtinatas, indeque exeuntes, publicabant, quemadmodum ex ratione & Gentium uſu Urbibus obſeſſis nihil quicquam licet advehere, vel ex his evehere. Atque inde dicebat Admiralitas, ut & Ordines decreverunt, idem quoque juris eſſe in navibus, quæ antea nobis ereptæ & deinde venditæ erant, cum, obſeſſis portubus, etiam amicorum naves liceat intercipere. Quod ita verum eſt, ſi capiantur itinere nondum abſoluto, dum navarchæ verſantur in re illicita, abſolutum autem iter non intelligi, niſi

(1) *Conſil. Belg. T.* II. Conſil. 46. p. 161.
(2) *Ibidem* Conſil. 151. v. mits.
(3) Apud Van Dalen *Notabile Krygsbeſoignes* p. 158.
(4) Apud *Eundem* p. 48.
(5) Sic refert Aitzema *L.* XI. p. 461.
(6) *Conſil. Belg. T.* II. Conſil. 61.
(7) *Append. Conſil. Holl. Amſterd.* p. 57.

niſi hæ naves proprium emptoris vel amicum portum ſubierint. Id vero, neque aliud Ordines Generales complexi ſunt illo Decreto 26. Jun. 1630. ex quo ad eam, de qua nunc diſputo, quæſtionem recte argumentaberis, ſi & anno 1666. Angliam, Scotiam, Hiberniam, & omnia illa, quæ in Aſia, Africa & America habebant Angli, Claſſibus ſuis obſeſſa habuerint Ordines Generales. Relatum quidem eſt, eosdem Ordines anno 1652. quod ad Anglos, tale quid jactitaſſe, omnibus ſic interdicto cum Anglis commercio (8), ſed quo jure jactitarint, nunc non quæro, contentus monere, eosdem Ordines anno 1663. Hiſpanis, cum hi Lyſitaniam obſeſſam habere videri vellent, id ipſum negasſe, quod contra Anglos antea ſibi arrogaverant, ſic enim proditum eſt in Annalibus (9).

Ex his apparet, defendi non poſſe d. Decretum Ordinum Generalium 27. Nov. 1666. Et ſane, ſi ejus rationem ſequi placeat, mox præſto erunt immania monſtrorum portenta, nam, ut inquit ille,

——— ——— *Si prava eſt regula prima,*
Omnia mendoſe fieri atque obſtipa neceſſe eſt.

Manifeſtum enim inde, omnia hoſtium bona eodem loco eſſe habenda, quum quicquid hoſtes ex occupatione habent, non minus eorum eſſe conſtet, quam quod habent ex hereditate, emptione vel alio quocunque titulo. Idem igitur dicendum erit non tantum, ut ſupra indicabam, & de mercibus, & de aliis rebus, quas nobis eripuerunt hoſtes, ſed etiam de navibus, & ceteris omnibus, quæ aliunde, quam a nobis habent, & amici noſtri apud eos compararunt. Quod ſi admittas, admittis quoque, Principibus jus fas eſſe, hoſtibus ſuis tanquam aqua & igni interdicere, ſimulque iis tribuis poteſtatem vetandi cujuscumque commercii, quod tamen hactenus duntaxat eſt exercitum in iis, quæ *Contrabanda* dici obtinuit: ſic enim, quæcunque ab hoſtibus comparabunt amici, in commiſſum cadent, niſi in portum liberum fuerint perducta.

Sed ex iis, quæ contra rationem in una ſpecie conſtituuntur, grave eſt regulam generalem condere, cuique tamen Principi inde injuriæ faciendæ præbebitur occaſio. Eam utique, nec aliam rationem habet Edictum Ludovici XIV. Francorum Regis, quo 17. Sept. 1672. omnes naves, etiam ab amicis ſuis in Belgio Fœderato emptas, & inde primum exeuntes, capi & publicari juſſit, quemadmodum & die ſequenti publicata eſt navis quædam, quam Hamburgenſes, in Hollandia ædificatam & emptam, & Hamburgenſibus epibatis inſtructam, ex Hollandia Hamburgum ducebant, quæque in eo itinere a Francis capta erat. Ad quod Edictum Regis Franciæ Ordines Generales, ne minus injurioſi viderentur, etiam adverſus amicos ſuos (nam in amicorum caput cuditur hæc faba) in hunc modum edixerunt (10): *dat alle Schepen, in plaatſen onder den Coning van Vrankryk by Neutralen ingekogt, zoo zy, ſchoon met neutraal bootsvolk bemant, de eerſtemaal uyt vyandelyke Havenen varende, en nog in geen neutralen, waar na toe zy gedeſtineert waren, geweeſt, in handen der Commiſſie-vaarders vervielen, goede prinſen zouden weſen.* Diceres id Edictum jure retorſionis ſubſiſtere, ſed retorſio non eſt niſi adverſus eum, qui ipſe damni quid dedit, ac deinde patitur, non vero adverſus communem amicum. Quare nec illud Edictum Ordinum Generalium 29. Nov. 1666. inde defendi poterit, quod Angli antea & ulterius & adhuc injuſtius fuerint progreſſi, cum nempe eorum Legatus 23. Dec. 1664. Hanſeaticis Civitatibus, & Anglorum & Ordinum Generalium tunc amicis, denunciaverit, quaſcunque naves, ſine diſtinctione itineris, in Ordinum Generalium Imperio comparaſſent, ut amicas ſe non eſſe habituros; ut hæc retulit Aitzema (11). Qui injuriam non fecit, non recte patitur.

Ceterum ex iis Decretis Ordinum Generalium 1630. & 1666. id tamen conſtare exiſtimares, ea, quæ ab hoſtibus noſtris amici noſtri compararunt, iis eripi non poſſe, ſi ſemel in portum amicum fuerint deducta, cum ajunt, recte publicari, *eer zy in hare eigen of andere vrye Havens geweeſt zyn*, ſed ne id quidem ſatis conſtat. Conſuluerat (12) quidem Admiralitas Amſterdammenſis etiam ea de re Ordines Generales, at nihil definitum eſt, ſimpliciter quippe Ordines reſponderunt per epiſtolam 26. Jun. 1630. (13). *Of Schepen, op de Ingezetenen dezer Landen by den vyand genomen, in Vlaanderen opgebragt en geconfiſqueert, en zonder gedepredeerd te zyn, in Engelandt, Vrankryk of elders gebragt, en van daar op andere vrye reiſen by Schepen deſer Landen genomen, ook van goeden prinſe behoorden verklaart te werden, zullen wy als nog een korten tyd in bedenken houden, begerende, dat UL. ondertuſſchen ons laten toekomen de ſententien, hier over geweſen, en de beſcheiden, wat deſen aangaande in andere Landen gepractiſeerd word.* De hac ipſa quæſtione anno ſequenti 1631. etiam Curiam Hollandiæ conſultam legimus (14), ſed an & quid reſponderit, me latet. Quamvis autem JCti Hollandi, de ea ſententiam rogati, 25. Jan. 1636. vere & ex ratione juris reſponderint (15), noſtras naves, ab hoſtibus captas, & ab amicis emptas, per occupationem plane hoſtium eſſe factas, atque ita & eorum, qui eas ab illis emiſſent, tamen & deindeps ea de re turbatum eſt (16). Ne tamen in poſterum aliis cauſis præjudicio ſit illa Ordinum dubitatio anni 1630. repetendum eſt, quod ſupra dicebam, cauſam, de qua tunc agebatur, fuiſſe ſpecialem, agebatur enim de portubus Flandriæ obſeſſis, quod non animadverſum tenebras peperit, ſed unde non recte argumenteris ad eos portus, quorum aditus & exitus liber eſt. Satis, ut dixi, iniquum eſt d. Decretum 27. Nov. 1666. ne igitur aliam, quæ ex facto ſpeciali eſt, iniquitatem addamus.

Sed ſi ea Ordinum Generalium mens ſit, navis dominium non tranſire, niſi ab hoſte capta & in portum deducta ſit, & inde rurſus libera enavigarit, atque in portum amicum advenerit, quæ ratio erit eorum Edictorum, quibus Ordines navis, ab hoſtibus captæ, & a noſtris recuperatæ, certam partem recuperatori tribuunt, certam priſtino domino? ſi ſola occupatio dominium transferat, quid juris priſtino domino? ſi non transferat, quid juris recuperatori in certam partem, quum domino ſuperſit vindicatio? & quid attinet navem in portum amicum adveniſſe,

(8) Aitzema *L.* XXXII. p. 774-777.
(9) Apud eundem *L.* XLIII. p. 858.
(10) *Plac.* III. 1, 7. 8.
(11) *L.* XLIV. p. 681.
(12) *Append. Conſil. Holl. Amſterd.* p. 57.
(13) *Ibidem* p. 53.
(14) Apud Aitzema *L.* XI. p. 526.
(15) *Conſil. Holl. T.* V. 161. *Q.* 6.
(16) Videatur Aitzema *Lib.* XXI. p. 275. & 276. & *Lib.* XXIII. p. 533. & 534.

niſſe, vel non adveniſſe, ſi priſtino domino nihil quicquam juris ſuperſit adverſus recuperatorem, poſtquam navis in portum hoſtilem deducta & ibi publicata eſt? utique nihil tunc juris ſupereſſe ipſe putem, & putant alii (17), & perpetuo uſu obſervatur apud omnes peræque Gentes. Sunt hæc ejusmodi, quæ nec cum d. Decreto 27. Nov. 1666. nec cum ratione, nec cum Jurisprudentia componi poſſunt.

CAPUT V.

Res mobiles, & præſertim naves, an & quousque recuperatori cedant?

Quæ attigi *ad finem proximi Capitis*, prolixius diſputanda & excutienda ſunt. Quam in rem obſervandum eſt, ut immobilia, quandocunque recuperata, poſtliminio redeunt ad priores dominos, ſic mobilia, de quibus hic agimus, non redire, & hoc eſt, quod Labeo ait in *l.* 28. *ff. de Capt. & poſtlim. reverſ. Si quid bello captum eſt, in præda eſt, non poſtliminio redit.* In navibus tamen, quamvis eæ rebus mobilibus accenſeantur, diſtinguit *l.* 2. *pr. ff. Eod.* ut nempe iis, quæ in bello uſum præſtant, poſtliminium ſit, reliquis non ſit, ſed hanc & alias Juris Romani inter res mobiles differentias moribus Gentium obſoleviſſe, recte obſervat Grotius *de Jure B. & P. L.* III. *C.* 9. §. 15. Unde nunc mobilia, ſine diſtinctione omnia, in præda ſunt, ſine ullo jure poſtliminii. His conſequens eſſe videbatur, ab hoſtibus capta, & deinde recuperata recuperantibus cedere, quia occupatio, quæ in bello fit, dominium tranſtulit, &, ut tranſtulit occupatio, ſic & transfert & recuperatio. Sed non recuperamus nobismet ipſis, niſi quæ jam pleno jure hoſtium facta ſunt, nam, ſi non fuerint, priſtino domino vindicandi jus erit. Ecquando autem res mobiles cenſeantur pleno jure hoſtium factæ, pendet ex iis, quæ *Capite præcedenti* diſputavimus.

Quamvis vero incerta ſit ejus rei definitio, id tamen certiſſimum, res mobiles, intra præſidia hoſtium deductas, plene & plane hoſtium fieri, atque ita ex aſſe cedere recuperatoribus, ſi poſtea deprehendantur. Tantundem dicimus de navibus, in portus hoſtiles deductis, & deinde recuperatis, ſic ut priori domino nihil quicquam in eas juris ſuperſit, ut monebam *in fin. præced. Cap.* Secundum hæc quum inter Regem Angliæ & Ordines Generales, tunc belli ſocios, 22. Oct. 1689. conveniſſet (1), ut alter alterius naves recuperatas, ſub certa mercede, reſtitueret priſtino domino, id tunc demum obtinere volunt, ſi non alterius naves jam fuerint intra præſidia hoſtium deductæ, tunc enim recuperatoribus totæ cederent.

Id quidem ſatis liquidum eſt, ſed non æque liquidum, quæ præſidia, quos portus intelligamus? eorum, qui naves ceperunt, an & ſociorum? diceres, ſociorum ſufficere, utique ſi ſint belli ſocii, atque ita & hoſtes eorum, quorum naves captæ ſunt. In portu ejusmodi ſocii æque tuta eſt navium captarum retentio, ac in portu proprio, & nulla recuperandi ſpes, niſi rurſus inde enavigaverint. Sed cum Franci duas naves Hamburgenſes cepiſſent 28. Dec. 1675. in quibus erant mercatorum Amſterdammenſium bona, & in poteſtate ſua habuiſſent 14. dies, ac deinde eas perduxiſſent in portum Hullenſem, qui eſt in Anglia, aliud video placuiſſe Ordinibus Generalibus, etiam tunc, cum Admiralitas Duinkerkenſis, ante reverſos Francos, eas naves earumque merces publicaſſet, atque etiam Franci bonorum partem vendidiſſent Hulli: nam ecce naves cum reliqua præda, nondum diſtracta, Duinkerkam repetentes, a Zelandis capiuntur, & ibi cum reliquo onere publicantur. At vero Ordines Generales, ea de re aditi a mercatoribus Amſterdammenſibus, 23. Oct. 1676. decreverunt (2), recuperata bona priſtinis dominis eſſe reſtituenda, quod nempe in portum hoſtis nondum fuiſſent perducta, & ibi publicata & diſtracta. Per *portum hoſtis* intelligunt hoſtem, cujus navis cepit, ajunt enim, *den voorſchreve vyand*, ut ſic non ſuffecerit ſubiiſſe alium portum, vel amici, vel belli ſocii. Zelandi jure, Ordines Generales auctoritate mihi videntur viciſſe.

Hoſtium igitur fiunt naves, ab iis captæ, & in portus ſuos perductæ. Sed quid ſi nondum perductæ fuerint, hæſerint tamen aliquamdiu in portu amici vel ſocii, vel navigaverint per aliquod tempus cum nave victore? Sane, ſi Leges patrias conſideremus, ſi auctoritates JCtorum, qui de moribus ſcripſerunt, vix eſt, ut diuturnitas temporis, ex quo naves captæ ſunt, vel ſtatio, etiam tutiſſima, dominium transferant, niſi & perductio, ad portum accedat. Unde, qui de jure reſpondent, ſimpliciter ſcribunt (3), quæcunque, antequam in hoſtium portum perducerentur, recuperata ſunt, poſtliminium habere, etſi per menſes aliquot fuerint capta, atque etiam hæſerint in portu communis amici, niſi enim hoſtes in ſuum portum deduxerint, hoſtium non fieri. Suavis ibi ſermo eſt de poſtliminio, nam, qui ſciunt, quid *poſtliminium* ſit, ſciunt quoque non eſſe, niſi ejus, quod in hoſtium dominium ante tranſierat. Dicendum erat, ante deductionem in portum res non eſſe factas hoſtium, ſed remanſiſſe prioris domini, recuperatas igitur ei cedere, & non recuperatori.

Sed utile erit Leges Patrias ea de re conſuluiſſe, ſervato, quia varia exſtant, temporis ordine. Eſt qui putat ex Edicto Ordinum Hollandiæ 4. Mart. 1600. (4) priſtinis dominis jus fuiſſe vindicandi naves ſuas, etiam in portum hoſtilem deductas & ibi publicatas, ubicunque eas deprehendiſſent. Recte, ſed loquitur id Edictum de navibus, quas Ordines Hollandiæ exiſtimabant contra jus belli fuiſſe publicatas, ut ſupra dixi *C.* II. atque ita id Edictum ad hanc rem non pertinet. Si jure fuerint captæ, deductæ & publicatæ naves, ceſſat omnis vindicatio, & ſi rurſus enavigaverint, ſupereſt ſola recuperatio, & quicunque tunc recuperaverit, dominus erit ex aſſe. At ſcire refert, ante deductionem in portus, & publicationem, ſic ſequutam, quid juris ſit priſtinis dominis in navem recuperatam, & quid recuperatoribus? Si nove-

(17) Groenewegen *de LL. Abrogat.* ad *l.* 2. ff. de Capt. & Poſtl. reverſ.

(1) *Plac.* V. 1. 13. 2.

(2) *Formul. T.* II. *C.* 24. p. m. 295. & ſeqq.

(3) *Conſil. B.* III. 68. & 69.

(4) *Plac.* II. 4. 2. 2. 1.

verimus, quid his competat, ſimul novimus, reliquum illis deberi. Antiquiſſima, quod ſciam, in hanc rem eſt Lex Ordinum Generalium 4. Jul. 1625, (5) ex qua, ſi intra 24. horas navis recuperetur, privatis recuperatoribus cedit pars octava; ſi intra binas 24. horas, quinta; ſi poſt binas 24. horas, tertia. Quod ipſum iidem Ordines 22. Jul. 1625. (6) tranſtulerunt & ad naves bellicas, quæ privatorum naves recuperant. Succeſſit deinde alia eorundem Ordinum Lex 11. Mart. 1632. (7) ex qua, ſine ulla temporis diſtinctione, privati recuperatores (*particuliere uytreeders*) habebant eorum, quæ recuperaverint, beſſem. Sed aliud rurſus iisdem Ordinibus placuit 1. Sept. 1643. (8) nam ex §. 58. Edicti, tunc facti, ſi intra 24. horas navis recuperetur, cedit recuperatori octava pars, ſi intra binas 24. horas, quinta ex §. 57. ſi poſt binas 24. horas, tertia ex §. 56. d. Edicti, plane ut in Edictis anterioribus, quæ ſic memoravi, factis 4. & 22. Jul. 1625. Mox iterum ad beſſem, ſublata omni temporis diſtinctione, recurſum eſt in τῶς *Kruyſſers*, nam ſecundum id Edictum anni 1632. iis recuperatoribus beſſem dedit §. 16. Edicti Ordinum Generalium 8. Febr. 1645. (9) qui §. 16. addit, de pretio navis & oneris inter recuperatorem & dominum recte privatim tranſigi, &, ſi transactio non ſuccedat, Admiralitatis ea de re eſſe jurisdictionem. Rurſus alia eorundem Ordinum mens fuit 19. Apr. 1659. nam ex Decreto ejusdem diei recuperatoribus, ſive bellicæ naves recuperaverint, ſive privatæ, nihil quicquam debetur, niſi pars nona cum ex navibus, tum ex bonis recuperatis, abrogata ſic iterum omni temporis diſtinctione. Id Decretum publicé quidem editum non eſt, ſed reperi inter Acta Ordinum Generalium, & memoratur quoque alibi (10). Tandem Ordines Generales, ſalvis, ut ajunt, Legibus antiquis quod ad naves bellicas (quas Leges antiquas intelligant, neſcio, cum variaverint) de privatis recuperatoribus ita edixerunt 13. Apr. 1677. (11) iis nempe cederet, *voor bergloon*, quinta pars rerum & navium, ab hoſtibus recuperatarum, ſi in eorum poteſtate res navesve fuiſſent nondum 48. horas; ſi 48. horas, & nondum 96. horas, tertia pars; ſi ultra 96. horas, pars dimidia. Atque ea ipſa temporis diſtinctio, eædemque partes inter Regem Angliæ & Ordines Generales placuerunt 22. Oct. 1689. ea conventione, quam ſupra attuli, ſi ſcilicet alterius ſubditus privatus ab hoſte recuperaverit alterius ſubditi naves mercesve, ſin autem navis bellica recuperaverit, recuperatori, ſine diſtinctione temporis, non cedit niſi pars octava.

Cur tam varie? & quæ ratio temporis, diverſimode diſtincti? & cur diſtinctio temporis partes, nunc majores, nunc minores dabit? Unde iterum, ſi diſtinctio temporis placeat, tanta partium varietas? & unde etiam, rejecta omni temporis diſtinctione, modo bes, pars longe maxima, modo nona, pars longe minima, recuperatoris erit? Sane difficile eſt rationem reddere eorum, quæ fere ſine ratione idonea conſtituuntur; hic, ſi ullibi, provocare licet ad *l. Non omnium*, noviſti cetera. Exigit tamen publica Gentium tranquillitas & ipſa ſubditorum noſtrorum beata quies, ut ſemel, conſulta ratione, certi quid ſtatuamus. Ex eo res tota pendet, ecquando exiſtimemus, naves mercesve captas pleno jure hoſtium eſſe factas? jure quidem definitum eſt, hoſtium eſſe factas per veram plenamque occupationem, ſed rerum & factorum varietas non permittit, ut ſemper ſciri poſſit, an vera & plena ſit occupatio, id eſt, an hoſtis ita ceperit, ut, quæ cepit, retinere & defendere poſſit. Quæ hoſtis cepit medio mari, procul a finibus ſuis, poteſt amittere, & ſæpe amittit per alterius recuperationem. Si, quæ cepit, deduxerit ad fines & portus ſuos, nemo dubitaverit, pleno jure capientis eſſe facta. Tantundem dicerem, ſi vel in portum amici vel ſocii deduxerit, ſed ſi id, ut ſupra dicebam, obtinere non liceat, largiamur, quæcunque mari capta ſunt, in portum proprium vel in Claſſem propriam eſſe deducenda, & non antea pleno jure quæſita videri.

Quid igitur, ſi antea recuperentur? Priſtinis dominis utique vindicandi jus erit, utpote dominio in hoſtem, atque adeo in recuperatorem nondum translato; *priſtinos* dico, quia qualiscunque occupatio interceſſit. Sed an dominus vindicabit a recuperatore, non ſoluto ſervaticio ſive præmio recuperationis? absque ulla mercede pro operis & impenſis, in recuperationem factis? id vero æquitas, Juris Gentium magiſtra, non patitur. Hæc poſtulat, ut detur ſervaticium, ſive præmium, ſive merces, quocunque nomine appellare placet. Recuperator ſervavit navem & merces, alioquin domino perituras; cur ſine ſpe mercedis ſe objiciet periculo? cur pro re aliena pugnabit, tanquam pro aris & focis? cur arma viroſque adhibebit, atque oleum & operam perdet? utiliter utique geſſit negotium domini, & pro impenſis in recuperationem factis, ipſa negotiorum geſtorum actio ipſi præſto erit. Aliam actionem, quæ recuperatori competeret, ipſe non novi, ſi ex regulis Juris Romani res eſſet definienda, & cum hæc actio etiam hodie ad mercedem porrigatur, ut recte obſervat Jacobus Gothofredus *de Salario C. V. n.* 10. & eo quoque jure utamur, hac ſola etiam hodie defungi licet cum ad impenſas, tum ad mercedem. Sed quo jure placuerit partem rei recuperatæ recuperatori dare, ipſe non intelligo, & minus intelligo, quemadmodum illa pars vel major vel minor ſit pro ratione temporis, quo res capta penes hoſtem fuit. Quid hic horæ 24? quid 48? quid 96? major minorve hoſtis poſſesſio, dummodo res capta in tuto non fuerit, recuperatori, ſi me audias, nequit tribuere plus minusve juris.

Quare, ſi ex ratione rem placet æſtimare, ipſe putarem, omnem temporis diſtinctionem eſſe abolendam, ejusque loco habendam rationem operarum & impenſarum, quas recuperator fecit, habendam rationem periculi, quod in recuperando ſubiit, habendam rationem pretii navium & mercium recuperatarum, & ex his omnibus, boni viri arbitrio, ſtatuendum, quid pro operis, impenſis, mercede recuperatori tribuendum ſit, neque id parca, ſed liberali manu ad excitandam recuperatorum induſtriam. Nihil putabis intereſſe, magno, an facili, imo nullo negotio quis recuperaverit capta? nihil, an fortiter pugnaverit? nihil, an plurimum impen-

(5) *Plac.* I. 2. 14. 3. 2.
(6) *Ibidem* I. 2. 14. 3. 4.
(7) *Ibidem* I. 2. 14. 3. 3.
(8) *Ibidem* I. 2. 7. 3. 1.

(9) *Ibidem* I. 2. 15. 1. 1.
(10) *Conſit. B.* III. 68. & 69.
(11) *Plac.* III. 1. 17. 16.

penderit? recuperata minimi, an maximi pretii fuerint? Sin autem exiſtimes, eorum omnium æſtimationem eſſe adeo incertam, ut de his diu multumque litigandum eſſet, repono, non minus diu multumque litigari poſſe, & ſæpe litigatum eſſe de pretio navium & mercium, & quid ex his detrahendum ſit, priusquam verum pretium iniri poſſit.

Sed age, ſi placeat partem dare, partem dato, non autem pro modo temporis, quo res apud hoſtem fuit, ſed pro modo impenſi laboris, quemadmodum & in aliis rebus recuperatis ad operas & impenſas ſolet attendi. Sic Lex Rhodia iis, qui naufragium ſervarunt, mercedem dedit, & pro mercede partem naufragii, ſed variam pro modo impenſi laboris, ut eſt apud Harmenopulum Πεϱχ. *L.* II. *T.* 11. §. 18. & ſecundum hæc interpretor *het redelyk bergloon*, quod iis, qui res naufragas ſervarunt, conſtituit Maria Burgunda in §. 24. LL. quas Hollandis & Zelandis dedit 14. Nov. 1476. Naufragii quoque ſervati partes tribuit Edictum, quod 15. Maj. 1574. Philippi II. nomine Wilelmus Orangius edidit, & ſæpe deinceps, noviſſime autem repetitum eſt 2. Apr. 1676. (12) ſed tribuit ſervatori majores etiam partes, quam ibi expreſſæ ſunt, ſi nempe plus operarum & ſumptuum fecerint navarchæ. Ad hæc etiam reſpexiſſe opinor Ordines Hollandiæ, cum 22. Jul. 1677. (13) conſtituerunt *een redelyk bergloon*, ſi quis ligna, quæ ſine cuſtode & prono flumine natant, deferret ad Corpus Lignariorum, quod Dordrechti eſt. Non diſtinguunt illæ Leges, quamdiu res naufragæ & illa ligna natarint, & in poteſtate marium, fluminum & ventorum fuerint, ut nec ulla ejus diſtinctionis eſt ratio, ſed ex boni viri arbitrio conſtituitur merces pro modo operæ & impenſæ; neque aliter puto conſtituendum eſſe in recuperatis ab hoſte & navibus & mercibus.

Sane in Libro, qui inſcribitur *Conſulatus maris*, *C.* 287. ita, ut modo dicebam, res definita eſt: nam is, qui navem & onus ab hoſte recuperavit, jubetur navem & onus reſtituere priſtino domino, ſalvo tamen ſervaticio, idque ſervaticium, ut juſtum ſit, conſtituitur pro modo operæ & impenſæ, in recuperationem factæ, præterita omni diſtinctione, quamdiu navis onusque in poteſtate hoſtium fuerint. Recte autem ibi additur, eam reſtitutionem duntaxat obtinere, ſi navis nondum fuerit deducta in locum tutum, ſed ſi in locum tutum, dominio ſic plane & plene in hoſtem translato, navem mercesque, deinde recuperatas, ex aſſe recuperatori cedere. Quæ apprime conveniunt cum his, quæ *hoc Capite* diſputavimus. Vellem omnia, quæ in illa farragine Legum Nauticarum reperiuntur, æque proba recta eſſent, ſed non omnia ibi ſunt tam bonæ frugis.

CAPUT VI.

Quousque extendatur immobilium poſſeſſio, bello quæſita.

Videndum, nam res digna eſt, quousque extendatur immobilium poſſeſſio, bello quæſita, & ex poſſeſſione dominium. Grotius *de Jure B. & P. L.* III. *C.* 6. §. 4. ſimpliciter dixit, non qualemcunque poſſeſſionem ſufficere, *ſed firmam*, quod mox explicat, *ſi ager manſuris munitionibus ita includitur, ut niſi iis expugnatis parti alteri palam aditus non ſit.* Quid ergo? an capta Urbe etiam ager captus cenſebitur? & quousque? nihil quicquam de eo Grotius; & tamen in locorum poſſeſſionibus & occupationibus ſæpe id quæſtionem facit. Res exemplo fiet clarior. Occupaverant Franci Caſalem Taurinumque in Pedemontio, pactis autem induciis convenerat, uti quisque bello poſſidebat, ita & induciarum tempore poſſideret. Quæſitum eſt de agris & pagis, qui Urbibus illis, quas Franci tenebant, obnoxii munera & functiones præſtabant, Francisque etiam tempore belli præſtiterunt? Et ſunt JCti, qui hanc cauſam definiverunt contra Francos, quia Jure Gentium deſideratur poſſeſſio, naturaliter acquiſita, neque occupata pars non occupatam trahit, rati etiam, Francis non prodeſſe præſtitas illas incolarum functiones, quum & ipſi incolæ inviti poſſideantur a dominis ſuis. Ita fere diſputat Petrinus Bellus *de Re Militari Part. V. T.* 3. *n.* 7. *& ſeqq.* cui neſcio an ſuffragium ſuum addat Zoucheus *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 9. *Q.* 48. Sed ſatis perperam Bellus, certe ſi de induciis agatur, ut agebatur in ea ſpecie, quum illud generale, Uti possidetis, utique & quaſi poſſeſſionem complectatur, etiamſi veram neges. Illa autem quaſi poſſeſſio conſtabat in præſtandis & accipiendis muneribus & functionibus, non niſi Domino præſtari ſolitis, ſed & de vera poſſeſſione judicabis ex iis, quæ ſic dicam.

Ex ratione igitur deſpiciendum eſt, quæ proprie ſit immobilium poſſeſſio, bello occupata, conſtat autem, parte occupata, etiam totum occupari & poſſideri, ſi is ſit occupantis animus, & ita quoque Paulus noſter definit in *l.* 3. §. 1. *ff. de Acquir. vel Amitt. poſſeſſ.* neque id civile magis, quam naturale eſſe, & res ipſa, & uſus, optimus docendi magiſter, ſatis oſtendunt. Poſſeſſio conſiſtit in occupato, &, quod occupatur, Jure Naturali in poteſtatem noſtram redigitur; occupatum autem intelligitur etiam id, quod manibus, vel pedibus noſtris undiquaque contrectatum non eſt, ſi nempe ita ſedeat occupanti, & natura rei exigat, ut in agris & fundis. Si putes aliter, non facile dixeris, quid occupatum poſſeſſumve ſit: nam, ſi omnia contrectari velis, neque ſuperficiem fundi contrectaſſe ſufficiet, ſed neceſſe erit omnes glebas non tantum circumambulare, ſed & effodere.

Quamvis autem verum ſit, parte apprehenſa, etiam totum apprehendi, ſi quis hac mente apprehenderit, id tamen non aliter obtinebit, quam ſi ejus totius, de quo agitur, nemo alius partem poſſidet, ſi enim & alius partem poſſideat ejusdem totius, idem ex eadem ratione totum poſſideret. Quod dicere non licet, cum duo eandem rem in ſolidum poſſidere nequeant ex veriſſima Pauli Philoſophia in *d. l.* 3. §. 5. nam ſic alterius dominatio dominationem alterius in eadem re excluderet. Si ergo & alius poſſideat, & alius partem, quam aliter corporaliter non detinet, apprehendat, nihil ultra occu-

(12) *Plac.* III. 6. 2. 4.

(13) *Ibidem* III. 4. 5. 7.

cupavit, quam quod naturaliter apprehendit: neque enim, pro ſemiſſe, aut pro rata partium, quam quisque occupavit, cetera, quæ non detinentur, poſſidere licebit, quia in illis ceteris prioris occupantis dominatur poſſeſſio, quæ ab alia, ſimili duntaxat, excludi nequit, earundem quippe virium utraque. Et in ea, quam detinet, parte non aliam ob cauſam alterius poſſesſionem, quam *civilem* vocant, obolevit poſterior occupans, quam quod eam naturaliter teneat, naturalis enim poſſeſſio civilem ſuſtulit. Idque ipſum eſt, quod Celſus ait in *l.* 18. §. 4. *ff. Eod. Si cum magna vi ingreſſus eſt exercitus, eam tantummodo partem, quam intraverit, obtinet.* Cum ait, *magna vi*, ſignificat eſſe, qui reſiſterent, poſſeſſionemque, quam priores domini habeant, vi quoque tuerentur. Non ulterius igitur hoſtium exercitus agrum occupavit, quam noſtrum cedere coëgit. Forte & ſic intelligendus Paulus in *d. l.* 3. §. 1. cum ait, parte occupata, dum ea mente ſit, totum equidem occupari, ſed *usque ad terminum*, quod accipio usque ad eam partem, quam alius poſſidet, ſive vicinus in ſuo fundo proximo, ſive quis alius in hoc eodem fundo, de cujus poſſeſſione occupanda agitur.

Unde in Regione occupata non eſt difficile animadvertere, quid proprie occupatum videri debeat. Scilicet jus Metropolitanum per ſe in hoc argumento nihil quicquam ad rem pertinet, id enim eſt civile Imperium, quod victus Princeps conſtituit, ubicunque placet. Quod ſi ſit, facile intelligimus, ſi ex pago forte aliquo Imperium in univerſam Regionem exerceatur, eo occupato non etiam Urbes, Oppida, Arces, quæ adhuc Princeps detinet, occupata videri, ſed ex ipſo facto occupationis & poſſeſſionis hæc omnia æſtimanda eſſe. Secundum hæc dicimus, parte Regionis occupata, totam occupatam videri, ſi nullam aliam partem victus retinuerit; ſi retinuerit, nihil occupatum eſſe, quam quod vi extortum eſt victo, & a victore poſſeſſum. Sed circa unius Imperii plures diſtinctas regiones belle quæri poteſt, an ea utendum ſit diſtinctione, qua uteremur in privatorum fundis contiguis? Si Titius fundos contiguos habeat Cornelianum, Mævianum & Sempronianum, Gajus, parte Corneliani occupata, totum Cornelianum poſſidere intelligitur, Mævianum vero & Sempronianum non æque, fundo enim poſſeſſo ad terminum quidem, ſed ad terminum duntaxat, neque ultra poſſidemus *d. l.* 3. §. 1. *ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſſ.* Qui partem fundi Corneliani intravit, non alio animo intraſſe cenſetur, quam ut poſſideat totum ejus, cujus partem occupavit, de Mæviano autem vel Semproniano fundo ne cogitaſſe quidem videtur. Parte occupata in toto, quod ab aliis rebus diſtinctum eſt, conſiſtit terminus poſſidendi, neque ultra progredimur, ſive domus ſit, ſive fundus, ſive horreum, ſive aliud quid, quod in Civitate rei immobilis appellatione venit. At, ſi me audias, alia ratio eſt immobilium, quæ occupantur jure victoriæ. Animus victoris eſt non duntaxat unam Regionem, ſed totum Imperium hoſtile invadere, & ſuas facere cunctas ejus Imperii Regiones, nec alius hic eſt terminus, quam in ea Regione, quam victus adhuc retinet. Si nihil intercedat, quod poſſidere non poteſt occupator, ſi velit, dic, quid poſſeſſionem victoris ſiſtat, &, quominus progrediatur, impediat? nulla autem Regione retenta, etiam una a victore occupata, vel occupata ſola Metropolis totius Imperii poſſeſſionem dabit. In hanc ſententiam veriſſimum eſt, quod ad Coſroëm, Perſarum Regem, Imperatoris Juſtiniani Legatus dixit apud Menandrum Protectorem *Hiſtor. Byzant. Tom.* I. *p.* 143. Ὁ γὰρ δεσπόσας Ἡγεμονικοῦ, πῶς οὐκ ἔχει τὸ ὑποβεβηκός? *Qui enim dominus eſt ejus, qui imperat, quomodo nec dominus erit ejus, quod ei ſubeſt?* Ceterum ſi aliquid adhuc retineat victus neque τὸ ὑποβεβηκὸς videbitur, quod ille Imperio Metropolitano exemit, & vi armata defendit. Merito igitur irriſi ſunt Principes, qui, quod Romam vel Conſtantinopolim haberent, univerſi Orbis Romani Imperium ſibi arrogarunt, etiam tunc, cum alii Principes magnas ejus Imperii partes occupatas tenebant. Similis eſt arrogantia Beliſarii apud Procopium *de Bello Vandal. L.* II. *C.* 4. nam is, cum Carthaginem ipſumque Regem Gelimerem in poteſtatem redegiſſet Juſtinianus, palam jactavit, etiam cuncta ad eum pertinere, quæ Gelimer in Sicilia habebat. Omnino perperam, neque enim jus, quod in Carthaginem vel perſonam Regis habebat, eorum, quæ in Sicilia erant, poſſeſſionem transferre poterat. Sicilia proprio Marte ſe defendebat, nec, capto Rege, eo ipſo capitur univerſum ejus Imperium. Occupatio neceſſaria eſt, vel ceſſio, ſi in pace ita convenerit.

Nunc videamus, quid Ordines Fœderati Belgii in hanc rem decreverint & edixerint. Quum in §. 3. *Induciarum* inter Archiducem Auſtr. & Ordines Gener. 9. Apr. 1609. conveniſſet, ut quisque induciarum tempore poſſideret, ut tunc poſſidebat, & Archidux Edicta ſua in agro Kuykenſi affixiſſet, Ordines Generales 20. Aug. 1609. edixerunt (1), agrum Kuykenſem ad ſe pertinere, quia poſſidebant Urbem *de Grave*, cui ager ille erat ſubditus, ne quis igitur alius in eo ullum imperium exercere vellet. Quumque Ordines Generales expugnaſſent Arces *in den Lande van Overmaze*, & tamen Hiſpani incolis interdixiſſent, ne ſeſe jubjicerent jurisdictioni Senatus Brabantini, qui eſt Hagæ Comitis, jure retorſionis huic interdictioni ſeſe oppoſuerunt Ordines, ut eſt in eorum Edicto 8. Mart. 1634 (2). Rurſus, cum Buſcoducum ad Ordines Generales pertineret, & Hiſpani multum turbarent quod ad agrum Buſcoducenſem, variis Ordinum Edictis iis obviam itum eſt, nempe 20. Januar. & 3. Aug. 1630. 13. Maj. 1631. 20. Jun. 1634. 2. Febr. & 2. Dec. 1636. (3) & iterum 24. Dec. 1642. (4) in quibus Edictis 8. Mart. 1634. & 2. Febr. 1636. memoratur quoque Edictum Regis Hiſpaniæ, factum 10. Jul. 1628. quo ipſe ille Rex prolixe aſſeruit, agrum ſubjectum Urbis victorem ſequi. Atque eo jure etiam Ordines uſi ſunt in illis Edictis, & recte uſi ſunt, quia agrum occupaſſe cenſentur, qui in illum pro arbitrio imperant. Si qua Arx tamen ſit in agro, nondum occupata, quousque illa in agrum imperat, alterius poſſeſſio & dominium non porrigitur.

Si, quæ diſputavimus, recta ſint, ut mihi quidem eſſe videntur, recte etiam Senatus Brabantinus, qui Hagæ Comitis jus dicit in eas Brabantiæ Regiones, quas Ordines jure belli occuparunt, recte, inquam, ille Senatus 26. Oct. 1629.

(1) *Plac.* II. 5. 5. 2. 1.
(2) *Ibidem* II. 5. 5. 2. 4.
(3) *Plac.* I. 1. 4. 2. n. 1. 2. 3. 4. 5 & 6.
(4) *Ibidem* I. 3. 2. 1. 2.

1629. edixit, Feudorum, quæ in agro Buſcoducenſi ſita erant, inveſtituram a ſe eſſe petendam, non a Senatu Brabantino, qui Bruxellis eſt, & ſimul apparet, nullo jure contra edixiſſe Hiſpanorum Regem 15. Nov. 1629. ut hæc omnia narrat Aitzema (5). Buſcoduco quippe expugnata, omnis ager circumjacens ad Ordines Generales pertinebat, atque ita & Feudorum, quæ ibi erant, erant quoque Domini; vaſallus autem victus debet fidem & officia victori, non Principi victo.

Minus dubitabitur, ſi qua Provincia ceſſum ſit, omnibus ejus partibus ceſſum eſſe, qua de re circa *Twent*, parte Tranſiſulaniæ, extat Ordinum Generalium Edictum 22. Dec. 1610. (6).

CAPUT VII.

Hoſtium actiones & credita, quæ apud nos inveniuntur, an exorto bello recte publicentur?

Si Pacta inter Principes intercedant de ſubducendis intra certum tempus bonis, ſiquidem bellum exardeat, quemadmodum plura ejusmodi pacta commemoravi ſupra C. 2. verum eſt, ut reliqua bona, ſic & actiones creditaque ſubduci poſſe. Sin autem non intercedant, vel intra conſtitutum tempus bona & actiones non ſubducantur, quæſitum, quid juris? Et ſane, cum ea ſit belli conditio, ut hoſtes ſint omni jure ſpoliati proſcriptique, rationis eſt, quascunque res hoſtium, apud hoſtes inventas, dominum mutare & Fiſco cedere. Solet præterea in ſingulis fere belli indictionibus conſtitui, ut bona hoſtium, tam apud nos reperta, quam capta bello, publicentur. Exſtant quandoque & ſeparata in eam rem Edicta, ſive indictio belli præceſſerit, ſive non præceſſerit. Orangius Dynaſta 25. Aug. 1572. formæ, quam tunc edidit de regimine Hollandiæ (1), inſeruit: *dat de goederen van die gene, die hen openbaarlyk voor vyanden dragen, terſtont by de Magiſtraten, waar onder die gelegen ſyn, geannoteert ſullen werden, en die vrugten ontfangen tot vordering van de gemeene ſaak.* De immobilibus hæc intelligo, quæ moris eſt annotari, ut eorum fructus, tempore belli, cedant publico. Si merum jus belli ſequamur, etiam immobilia posſent vendi, & eorum pretium in Fiſcum redigi, ut in mobilibus obtinet, ſed in omni fere Europa ſola fit immobilium annotatio, ut eorum fructus, durante bello, percipiat Fiſcus, finito autem bello ipſa immobilia, ex pactis, reſtituuntur priſtinis dominis. Rurſus de omnibus indiſtincte bonis ubicunque repertis, Ordines Generales edixerunt 2. Apr. 1599. (2) in hæc verba: *Verklaren voor goeden prinſe alle perſonen en goederen, geſeten onder het gebied van den Koning van Spangien, tot alle plaatſen, daar men die zal mogen bekomen.* Exſtat & epiſtola Ordinum Hollandiæ ad Curiam Hollandiæ 25. Nov. 1672. (3) qua ſimpliciter etiam detineri publicarique jubentur bona eorum, qui apud hoſtes morantur, *zig onthouden*; in quam ſententiam & editum eſt ejusdem diei Edictum Curiæ Holl. (4) ex quo nec poſt diem editi edicti dominis reddi poſſunt. Quod an ſatis conveniat Pactis, anno 1662. inter Regem Franciæ & Ordines Generales initis, nunc non diſputo. Cum autem inter bona vel maxime ſit hereditas, conſtat neque hoſtem acquirere poſſe hereditatem, apud nos jacentem, etſi ex teſtamento vel ab inteſtato ei debeatur. Secundum hæc quum anno 1695. quidam in Hollandia deceſſiſſet inteſtatus, cujus cognati proximi & heredes in Francia erant, hereditatem eſſe publicatam memini.

Quemadmodum illa, quæ recitavi, Edicta loquuntur generaliter, ſic & generaliter videntur accipienda de quibuslibet bonis, ſive corporalibus ſive incorporalibus. De incorporalibus tamen, ut ſunt actiones & credita, dubitari video, & dubitaſſe, quin & aliquando contradixiſſe noſtros Ordines. Cum Francorum Rex & Epiſcopi Colonienſis & Monaſterienſis anno 1673. etiam actiones publicaſſent, & exigi juſſiſſent, quod ſubditi ſui debebant Belgis Fœderatis, Ordines Generales Edicto 6. Jul. 1673. (5) id improbarunt, edixeruntque, ſolvi non poſſe niſi vero creditori, ideoque ſe eam exactionem, ſive vi, ſive conſenſu factam, ratam non eſſe habituros. Sed profecto videtur eſſe Jus commune, ut & actiones publicentur, ex eadem nempe ratione, qua corporalia quælibet. Actiones utſque ſive credita non minus Jure Gentium ſunt in dominio noſtro, quam alia bona, eccur igitur in his Jus belli ſequamur, in illis non ſequamur? & cum nihil ſuccurrat, quod diſtinctioni idoneæ locum præbere poſſit, etiam ſola ratio Jus commune defendit. Sed nec deſunt exempla & auctoritates, quæ defendant. Conſtat ex Polybio *Excerpt. Legat.* C. XXXV. *n.* 4. inter Romanos & Antiochum conveniſſe, ut non minus actiones, quam alia quæque, tempore belli publicata, reſtituerentur, idque præbet argumentum, etiam actiones utrimque fuisſe publicatas. Id ipſum jus Franciæ & Hiſpaniæ Reges invicem quoque exercuiſſe, indicat §. 22. Pacis, inter utrumque initæ 17. Sept. 1678. (6) namque eo §. cavetur, ne reſtituerentur credita, ante publicata. Et Daniæ Rex, bello Suecis indicto, 9. Mart. 1676. (7) publice edixit, bona Suecorum in Imperio Danico, *& quod quis cui Sueco deberet*, intra ſex ſeptimanas Fiſco deferrentur publicanda, arbitraria & dupli pœna non parentibus ſtatuta. Simile quid anno 1667. contra Anglos edixerat Danus, ut eſt relatum apud Aitzema (8).

Neque ab hac doctrina ſemper tam alienos fuiſſe Belgas apparet ex Edicto 18. Jul. 1536. (9) & ex Edicto Philippi II. contra Francos 27. Mart. 1556. (10) & ex Edicto Ordinum Hollandiæ 29. Januar. 1591. (11). Exſtat & Edictum, quod 7. Dec. 1577. (12) ficto Philippi

(5) *Hiſtor. L.* IX. p. 882.
(6) *Plac.* II. 5. 5. 2. 2.
(1) *Ibidem* III. 1. 1. 23.
(2) *Ibidem* II. 4. 2. 1. 2.
(3) *Bello Juridico* Caſu 52. n. 2. & Caſu 99. n. 2.
(4) *Plac.* III. 1. 8. 2.
(5) *Ibidem* III. 1. 8. 4.
(6) *Francia anti Hiſpan.* p. m. 218.
(7) *Hollandſche Mercurius* 1676. p. 47.
(8) *L.* XLVII. p. 390.
(9) *Repert. Cur. Holl.* p. 32. B.
(10) *Ibidem* p. 88. A.
(11) *Deciſ. Mixt.* 143.
(12) *Plac.* II. *Append.* p. 2147.

lippi II. Hiſpan. Regis nomine, Orangius Dynaſta & Curia Hollandiæ promulgarunt, quo non duntaxat eorum, qui ad Joannem Auſtriacum tranſierant, ſed omnia hoſtium ſuorum bona, mobilia & immobilia, actiones quoque & credita, publicari juſſerunt. Ordines etiam Generales 4. Jun. 1584. (13) Bruggenſes & Vryenſes, quod ad Hiſpanos deſciverant, hoſtes ſuos eſſe declararunt, & juſſerunt eorum bona, actiones creditaque, tam publica, quam privata, publicari. Atque ita deinde, cum Venloënſes quoque ad Hiſpanos tranſiiſſent, Comes Leyceſtranus Edicto 9. Jul. 1586. (14) eos crimen perduellionis commiſiſſe complexus eſt, eorum bonis mobilibus & immobilibus, actionibus & creditis, publicari juſſis. Ne autem credas, de Bruggenſibus, Vryënſibus & Venloënſibus id duntaxat edici, quod non tam hoſtes, quam perduelles eſſent, ex eo nempe, quod antea Fœderi Utrechtano ſeſe obligaſſent, obſervari velim, in d. Edicto 4. Jun. 1584. *vſ. Ordonneren*, hæc etiam porrigi ad omnes, *houdende onſe tegenpartye, wie dat de zelve zyn*, plane ut in d. Ed. 7. Dec. 1577. tam perduelles, quam hoſtes, quod ad hanc ipſam rem, conjunguntur.

Notanda etiam ſunt in hanc rem Ordinum Generalium 2. Oct. 1590. & Ordinum Hollandiæ 29. Oct. 1590. facta Decreta (15), quibus, ut ſunt ejusdem anni & menſis, in eandem quoque ſententiam continetur: *Dat die uyt Vyanden Landen, ook voorſien met behoorlyk paſpoort, in deſe Provincien komen, niet gequalificeert ſyn in regten in deſe Landen iets te mogen eyſchen by actie perſonele of reële, ten petitoiren of poſſeſſoiren, maar dat men de zelve* a limine judicii *zal repelleren, op dat de hoſtiliteit tegen de vyanden, en de confiſcatien van goederen en* REGTEN DER ZELVER, *mogen blyven in haar geheel.* Ex his Decretis neque actiones perſonales exercere licet, & adjecta ratio palam ſignificat, ideo exerceri non poſſe, quia hoſtium non tantum bona, ſed & actiones Jure Belli publicantur. Et quum olim Rex Franciæ Belgarum bona arreſto incluſiſſet, Ordines Hollandiæ 26. Apr. 1657. (16) idem de bonis Francorum conſtituerunt, vetueruntque quicquam iis ſolvi, &, ſi quis ſolviſſet, alterum tantum ſolveret, unde iis, qui in Francia damnum paſſi eſſent, id damnum reſarciretur, & præterea dimidium pœnæ nomine, juſſeruntque, pœna poſita, bona creditaque Francorum deferre delegatis ad hanc rem in quaque Urbe. Credita igitur recte publicare tunc Ordinibus placuit, &, ni fallor, recte. Quapropter ſi ſubditus Principi, qui credita publicavit, ſolverit, quod hoſti debebat, liberationem contingere, optimo jure reſponſum eſt *Conſil. Holl. T.* I. *Conſil.* 297.

Hæc autem non ſubſiſtunt, ubi ea benignitate bella geruntur, ut commercia utrimque licita ſint: neque enim commercia ſine contractibus, neque contractus ſine actionibus, neque actiones ſine judiciis, neque judicia ſine perſonis, quæ jure litigant, explicari poſſunt. Quis merces vendat, & ad hoſtem devehat, ſine ſpe recuperandi pretii? & quæ ſpes recuperandi, ſi adverſus emptorem eundemque hoſtem judicio experiri non liceat? Quamvis igitur hoſtis perſonam ſtandi in judicio non habeat, ut ſimpliciter conſtitutum eſt in d. Decretis 2. & 29. Oct. 1590. atque ita quoque reſponſum & judicatum ſit *Conſil. Holl. T.* I. *Conſil.* 289. & *T. V. Conſil.* 168. & apud Groenewegen ad *Tit. C. Qui legit. perſon. ſtand. in judic. hab.* commercii tamen cauſam recte excipit *d. Conſil.* 289. & Groenewegen *d. loc.* ſi nempe mutua ſit commerciorum libertas, ſi non ſit, actiones, etiam ex commerciis natæ, recte publicabuntur. Sed an cauſam commerciorum diſtinguemus a reliquis omnibus cauſis, ut ſcilicet in his negemus, in illa ſola hoſti largiamur perſonam ſtandi in judicio? ſic diſtinxit *d. Conſil.* 289. &, ſi recte, ſic quoque in ipſa publicatione actionum eſſet diſtinguendum. At ſi hoſti ſemel permittas actiones exercere, difficile eſt diſtinguere, ex qua cauſa oriantur, nec potui animadvertere, illam diſtinctionem unquam uſu fuiſſe ſervatam.

Ceterum ſi hoſtem arceas a judicio, neque adverſus hoſtem, ſi forte in tuo Imperio hæreat, recte experieris in judicio; atque ita iniquum eſt, quod confirmata inferioris judicis, & Curiæ Hollandicæ ſententia, Supremus Senatus judicavit 18. Sept. 1590 (17) hominem nempe, qui cum libero commeatu in has Regiones venerat, per arreſtum hic conveniri poſſe; manifeſte enim impium eſt, hoſtium actiones hic præcludere, ut præcluſæ ſunt d. Decretis 2. & 29. Oct. 1590. & non idem jus hoſtibus permittere. In Jure belli quod quis ſibi ſumit, hoſtibus quoque tribuendum eſt.

Quod dixi de actionibus recte publicandis, ita demum obtinet, ſi, quod ſubditi noſtri hoſtibus noſtris debent, Princeps a ſubditis ſuis revera exegerit. Si exegerit, recte ſolutum eſt, ſi non exegerit, pace facta reviviſcit jus priſtinum creditoris, quia occupatio, quæ bello fit, magis in facto, quam in poteſtate juris conſiſtit. Nomina igitur, non exacta, tempore belli quodammodo intermori videntur, ſed per pacem, genere quodam poſtliminii, ad priorem dominum reverti. Secundum hæc inter Gentes fere convenit, ut nominibus bello publicatis, pace deinde facta, exacta cenſeantur periiſſe, & maneant extincta, non autem exacta reviviſcant, & reſtituantur veris creditoribus. Ita ſane convenit in §. 5. Pacis inter Fredericum III. Daniæ & Carolum II. Angliæ Reges 31. Jul. 1667. (18) & §. 37. Pacis inter Hiſpaniæ & Angliæ Reges 21. Sept. 1667. (19) & §. 22. Pacis inter Franciæ & Hiſpaniæ Reges 17. Sept. 1678. quem §. 22. ſupra *hoc Capite* attuli, ut probarem, quod & probant *d.* §§. 5. & 37. non minus actiones, quam alia quæcunque hoſtium, tempore belli fuiſſe publicatas, & ſæpe etiam exactas.

Noli autem exiſtimare, de actionibus duntaxat verum eſſe, eas ipſo jure non publicari, nam nec alia quæque publicantur, quæ apud hoſtes ſunt, & ibi forte celantur. Unde & ea, quæ apud hoſtes ante bellum exortum habebamus, indictoque bello ſuppreſſa erant, atque ita non publicata, ſi a noſtris denuo recuperentur, non fieri recuperantium, ſed priſtinis dominis reſtitui, recte reſponſum eſt *Conſil. Belg. T.* III. *Conſil.* 67.

(13) *Plac.* II. 4. 1. 1. 1.
(14) *Ibidem* II. 4. 1. 1. 2.
(15) *Ibidem Append.* p. 2209.
(16) *Ibidem Plac.* II. 4. 28. 3. 1.

(17) *Deciſ. mixt.* 170.
(18) Aitzema *L.* XLVII. p. 405.
(19) Idem *d. L.* XLVII. p. 653.

CAPUT VIII.

An hoſtem liceat aggredi vel perſequi in amici territorio vel portu?

Jure belli adverſus hoſtem duntaxat utimur in noſtro, hoſtis, aut nullius territorio. In noſtro ſi hoſtem deprehendamus, nihil utique prohibet, quominus, ſi ſine libero commeatu ad nos pervenerit, hoſtiliter eum excipiamus. Ipſum hoſtis territorium ingredi, & ibi prædam agere, ratio belli permittit. In medio mari, utpote nullius territorio, id ipſum licet. Sed in territorio utriusque amici qui hoſtem agit, agit & adverſus Principem, qui ibi imperat, & omnem vim, a quocunque factam, legibus coërcet. Quare nec Pœni, quamvis triremibus ſuperiores, aggredi Romanos auſi ſunt in portu Regis Numidiæ, ut ex Livio narrat Grotius *L.* III. *de Jure B. & P. C.* 4. §. 8. *n.* 2. & ex Grotio tranſcripſit Zoucheus *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 9. *Q.* 7. Movet ibi quidem Zoucheus nonnulla in contrariam ſententiam, ſed hæc ipſa Grotius & dixerat & refutaverat.

Cum autem omnes Juris Publici Scriptores, nemine, quod ſciam, excepto, vim fieri vetent in alterius Imperio, meretur deſpici, an huic ſententiæ conveniant mores Gentium, Edicta & Decreta noſtrorum Comitum vel Ordinum, & an in hoc argumento jus perſequendi a jure aggrediendi oporteat diſtinguere? Ut a Comitibus ordiamur, Philippus II. Hiſpan. Rex *Tit.* I. §. 27. *LL. Nauticarum*, quas Belgis dedit ult. Oct. 1563. (1) conſtituit, poſita capitis pœna, ne qua in mari vis fieret vel ſuis ſubditis, vel ſociis, vel *peregrinis*, ſive belli, ſive alterius rei cauſa, *intra conſpectum a terra vel portu.* Intellexit igitur, Continentis imperium porrigi, quousque e terra proſpici datum eſt, ut ſunt Auctores, qui ſic ſentiunt. Sed id nimis laxum vagumque eſſe oſtendi *Diſſertatione de Dominio maris C.* II. ratus, imperium terræ finiri, ubi finitur armorum poteſtas. Nec alia ſententia fuiſſe uſos Ordines, cum Generales, tum Hollandiæ, ex duobus Decretis, de ſalutatione Principum factis, mihi viſus ſum probaſſe *d. C.* II. & etiam *C.* IV.

Sane in ipſo amici portu, hoſtem, amici non hoſtem, aggredi vel capere nequaquam licet. Si quis capiat, amici illius eſt efficere, ut capta reſtituantur, vel ſumptu ſuo, vel ſumptu ejus, qui damnum paſſus eſt. Ut hujus ſumptu id efficeretur, convenit §. 22. Pacis inter Rempublicam Angliæ & Ordines Generales 5. Apr. 1654. (2) & §. 21. Pacis inter Regem Angliæ & Ordines Generales 14. Sept. 1661. (3) & rurſus §. 29. Pacis inter eosdem 31. Jul. 1667. (4). Id Ipſum dicit §. 48. Pact. Commerc. inter Regem Franciæ & Ordines Generales 27. Apr. 1662. (5) ſed non injecta mentione ſumptus, quem ille, qui damnum paſſus eſt, facere teneretur. Quod mihi etiam videtur ſatis iniquum, cum ipſius Principis ſit injuriam, ſibi factam, vindicare, nam & ipſius injuria eſt violare portum, qui omnibus amicis æquo jure patet. Et quid ſi, qui vim fecit, mox abeat? ille privatus, cujus forte navis capta eſt, bella geret ſuo ſumptu? recte igitur etiam ſumptus mentio omiſſa eſt §. 35. Pact. Commerc. quo inter eosdem idem convenit 1. Aug. 1678. (6) & §. 40. Pact Commerc. inter eosdem 20. Sept. 1697. (7) & iterum §. 39. Pact. Commerc. inter eosdem 11. Apr. 1713. (8) ſolent enim pacta poſteriora, ſine ullo fere examine, ex prioribus deſcribi, ut & de Anglis modo vidimus. Simpliciter ajunt omnes illi §§. Pactorum inter Francos & Ordines Fœderatos, Dominum portus, ſinus, fluvii, in quo præda agitur in amicum, omni ope curaturum, ut, quod ibi captum eſt, probe recte reſtituatur. Si Principis eſt hoc curare, & quidem omni ope, curabit ſumptu ſuo, quin & bello, ſi alia ratio non ſuppetat. Eſt hoc jus, quod inter omnes peræque Gentes cuſtoditur, & ejus non alia ratio eſt, quam quod vim inferre non liceat in alieno territorio, & quod in Principis territorio quoque ſint portus, ſinus, fluvii. Secundum hæc Dux Tuſciæ anno 1695. curavit, ut Gallus, qui prope portum Liburnenſem navem Fœderatorum contra Gallos, ſed Magni Ducis amicorum, occupaverat & in portum Liburnenſem adduxerat, quantocyus reſtitueret; ea enim, quæ portubus proxima ſunt, ejusdem, ut dixi, Ditionis eſſe exiſtimantur.

Ex his licet intelligere, quo jure quave injuria cenſenda ſint ſequentia exempla. Cum anno 1639. Archithalaſſus Tromp Claſſem Hiſpanorum, qui Anglorum amici erant, obſediſſet in portu Anglico, qui dicitur *Duyns*, Ordines Generales, 21. & 30. Sept. 1639. factis decretis, Archithalaſſo ſuo mandarunt *de Spaanſche Vloot te vernielen, ſonder eenige aanſchouw of reguard te nemen op de Havenen, Reeden of Baayen van de Coningryken, waar de zelve zouden zyn te bekomen*, etiamſi Angli aliique reſiſterent, quemadmodum & mox Archithalaſſus id mandatum exſequutus eſt, laudantibus & probantibus Ordinibus Generalibus, ut hæc omnia variis locis commemorat Aitzema (9). Vix eſt, ut hæc defendi poſſint, ut nec defendi poteſt, quod Angli 12. Aug. 1665. Bergæ in Norvegia oppugnaverint naves Societatis Indiæ Orientalis, non ſine indignatione Danorum, qui & omni ope Anglos repulere (10). Ne autem illud Trompii factum nimis injurioſum videatur, duo animadvertenda ſunt; alterum, quod & Angli anno 1627. navem Regis Franciæ, tunc Anglorum hoſtis, ſed Ordinum Generalium amici, ex Hollandia rapuerant (11); alterum, quod & ipſi Hiſpani anno 1631. adverſus Ordinum Generalium naves in portubus Regis Dani, communis

(1) *Plac.* I. 2. 7. 1. 2.
(2) *Plac.* II. 4. 28. 2. 2.
(3) *Ibidem* II. *Append.* p. 2879.
(4) *Ibidem* III. 1. 13. 28.
(5) *Ibidem* II. *Append.* p. 2918.
(6) *Ibidem* III. 1. 13. 34.
(7) *Ibidem* IV. 1. 13. p. 321.
(8) *Ibidem* V. 1. 13. p. 483.
(9) *L.* XIX. p. 215-217. 222. 233. & 234. 240. & 242.
(10) Prolixe hæc ſunt apud Aitzema *L.* XLV. p. 981. 986. 1012. & 1165. *L.* XLVI. p. 115-119. & *L.* XLVII. p. 376.
(11) Sic narrat ipſe ille Aitzema *L.* VII. p. 360. De quo vide & *L.* IX. p. 764. & *L.* XIX p. 240. & 242. & his omnibus adde *L.* XX. p. 17-21.

munis amici, vim bellicam feciſſe arguebantur, ut lego apud Aitzema (12). Alioquin, ſi nihil proponatur, quod retorſioni locum dare poſſit, injuſtum eſſe hoſtem aggredi in communis amici portu, plusquam manifeſtum eſt; & ſic ad Legati Anglici petitionem anno 1623. ipſi quoque Ordines Generales decreverant (13). Atque inde, cum anno 1666. Ordinum Generalium Navarchi naves Anglorum hoſtiliter excepiſſent in Albi, amico flumine, multum ea de re querelarum eſt factum non tantum ab Anglis, ſed & ab Hamburgenſibus variisque Imperii Germanici Legatis (14). Anglis quidem quiritantibus facile os obturari poterat ex iis, quæ anno præcedenti Bergæ in Norvegia acciderant, reliquis non poterat, ex ſola enim retorſione ſubſiſtebat illa aggreſſio. Neque igitur dubitandum eſt, quin ſatis quoque injuſtum ſit, quod Franci anno 1693. quasdam Zelandorum naves in portu Lisbonnenſi, utrisque amico, cum Lyſitaniæ Rex eas neque extrahi, neque tormentis peti paſſus eſſet, igne immiſſo ſuccenderunt. Quod mea memoria factum memini.

Magis dubitari poſſet, an hoſtem, in mari aperto deprehenſum, dum oppugnamus, & cædimus, perſequi liceat usque ad amici flumen, ſtationem, portum, ſinum? Et magis eſt, ut liceat, adhibitis cautionibus quibusdam, quas ſic enarrabo. Sane ea fuit Ordinum Generalium ſententia anno 1623. cum Legato Anglico reſponderint (15), non quidem licere vim facere in portu communis amici, *met dien verſtande nogtans, dat men boopte zyne Majeſteit zoude niet qualyk nemen, dat men in Zee opdoende en vervolgende eenige Duynkerkers, de zelve zoude mogen inveſtieren en coſtoyeren tot in zyne Konings havenen.* Ea eorundem Ordinum ſententia videtur expreſſa in Decreto 10. Oct. 1652. (16) ita tamen, quemadmodum opportune ibi additur, ut Caſtellis amicorum parcatur, etſi ex iis vis fiat, utque etiam parcatur hoſtibus, ſi ipſos amicorum portus jam ſubierint. Utraque exceptio habet rationem, nam juſtius eſt in alterius Imperio pati, quam agere, &, ſi agamus, omni modo cavendum eſt, ne vis, hoſti facta, etiam amico noceat. Si igitur duæ Claſſes confligant in mari aperto, & altera cedat, non intercedo, quominus victor recte perſequatur Claſſem victam, quamvis hæc ad territorium amici pellatur. Probo tamen, quod Ordines Generales in d. Decreto 10. Oct. 1652. intra ipſum portum a vi temperandum cenſuerint, quia absque amicorum periculo ibi vis fieri nequit. Secundum hæc in mari, terræ proximo, quousque tormenta Caſtellorum explodantur, vim quidem inchoare non licet, ſed inchoatam licebit perſequi, dum perſequimur hoſtem in mari παρακτίῳ, etiam ſub terram, aut in flumine, aut in ſinu forte aliquo, dummodo Caſtellis, etiam hoſtem juvantibus, parcamus, & omne amicorum periculum abſit.

Ex factis, quæ poſtea inciderunt, etiam hæc videntur probaſſe Ordines Generales: quum enim anno 1654. Navarcha Hollandus navem Anglicam, in mari deprehenſam, & ad portum Liburnenſem fugientem, occupaſſet, etiam tunc, cum navis Anglica jam funem in terram projecerat, Dux quidem Tuſciæ ea de re queſtus eſt ad Ordines Generales, ſed nequicquam queſtum eſſe legimus (17). Vide tamen, an non ipſe Dux id poſtea vindicaverit; publicata nempe nave, quæ opportunitatem præbuerat occupandæ iſtius Anglicæ (18). Rurſus cum Oſtendenſes tormenta ſua exploſiſſent in navem Hollandicam, quæ Anglicam perſequebatur usque ad Oſtendam, Ordines Generales anno 1665. de ea re, atque de re illicita, queſti ſunt apud Hiſpanos (19), etiam ideo, quod navis Hollandica in Anglicam ſub Oſtendam tormenta non exploſiſſet. Sed ea ratio nihil quicquam valet niſi ad exaggerandam Oſtendenſium injuriam, neque enim intereſt, qua vi hoſtem petas, ſed an petas hoſtiliter. Interea vides, utramque, quam dixi, perſequutionem probaſſe Ordines Generales, quod vis, ante cœpta, non niſi continuata eſſet.

Quod juris eſt in mari, idem eſt & in terra, ut nempe & hic in alterius Imperio recte perſequamur hoſtem, ex recenti prælio fugientem. In hanc ſententiam accipio, quod Ordines Generales anno 1653. decreverunt (20), eos milites Lotharingos, qui Ordinum Generalium Ditionem populaſſent, etiam in Imperio Regis Hiſpaniarum liceret perſequi; id enim defendi nequit, niſi intelligas de flagranti perſequutione ex conflictu vel populatione, qui quæve præceſſit. Alioquin non magis amici territorio, quam portu, uti licet ad cædendum hoſtem. Et recte Ordines Generales, ad petitionem Regis Franciæ, inter quem & Hiſpanos pax erat, capitis pœna poſita vetuerunt (21), ne quis ex Ditione Regis Franciæ prædam in Hiſpanos ageret. Juſta quoque Ordinum Generalium contra Hiſpanos querela, quum anno 1666. ex eorum territorio Monaſterienſes prædati eſſent in Imperio Ordinum Generalium, repetito ab Hiſpanis damno, a Monaſterienſibus dato; juſta, inquam, ſi Hiſpani volentes & ſcientes fuiſſent paſſi, Monaſterienſes, prædam acturos, per ſuum territorium tranſire, de eo enim non usquequaque videbatur conſtare (22). ſi ſciviſſent, eorum erat impedire, ne qua vis amicis fieret ex ſuo territorio. Quare nec probo, quod anno 1700. Guelferbytienſes, qui neutrarum partium fuiſſe perhibentur, ex ſuo territorio Saxonibus permiſerint Luneburgenſes deprædari, itemque Luneburgenſium fœderatis Saxones cædere. Ad ſummum largiendum eſt, prælio recens commiſſo, hoſtem fugientem perſequi licere in alterius Imperio, ea ipſa ratione, qua in flagranti delicto eum, qui deliquit, in continenti in territorio non noſtro perſequi permittit Philippus II. Hiſpan. Rex in §. 76. Edicti de Criminibus anni 1570. Sed aliud eſt vim inchoare, aliud, calente negotio, vi inſtare. Scilicet novum non eſt, valere quid, etiamſi in eam cauſam deductum ſit, unde incipere non poſſet. Uno verbo: territorium communis amici valet ad prohibendam vim, quæ ibi inchoatur, non valet ad inhibendam, quæ, extra territorium inchoata, dum fervet opus, in ipſo territorio continuatur.

Atque ita quidem non abſurde diſputari & diſtin-

(12) *L.* XI. p. 455.
(13) Aitzema *L.* III. p. 560.
(14) Sic eſt *in de Hollandſche Mercurius* 1666. p. 131-134. & apud Aitzema L. XLV. p. 1321-1341. & *L.* XLVI. *p.* 686. *&* *L.* XLVII. p. 88. 99. & 101.
(15) Aitzema *L.* III. p. 560.
(16) Idem *L.* XXXII. p. 739. 740. & 778.
(17) Aitzema *L.* XXXIV. p. 106. & 107.
(18) Apud eundem *d. L.* XXXIV. p. 202.
(19) Apud eundem *L.* XLV. p. 911. & 912.
(20) Apud eundem *L.* XXXIII. p. 1012.
(21) Apud eundem *L.* II. p. 114.
(22) De his omnibus Aitzema *L.* XLVI. p. 637. 645. *& ſeqq.* p. 665. 835. *& ſeqq.*

ſtingui, videtur poſſe: neque tamen in ejusmodi quæſtionibus ullam hujus diſtinctionis mentionem factam video, vel apud Scriptores Juris publici, vel apud Gentes Europæas, ſi Belgas Fœderatos excipias. Nihilominus ratio hanc diſtinctionem ſuadet & imperat, nec ab ea alienus eſt uſus in aliis juris articulis. Si hanc ſequamur, etiam de plano ſententiam dicemus de hoc facto: Cum navis Francica perſequeretur Hiſpanam hoſtilem, hæc fugit *in Torbay, en ſet het op ſtrand, en bergt zyne touwen, takels, zeilen &c. in de huyſen der inwoonders.* Franci epibatæ deſcendunt in terram, & iſta navis armamenta ex domibus illis extrahunt, & conferunt in ſuam navem. Quid dices? an licuit Francis Anglorum domos aggredi, & quæ ibi ſervata erant, auferre? non licuit citra Anglorum injuriam. Optimo igitur jure Rex Angliæ anno 1668. omnia capta reſtitui juſſit, reliqua injuriæ perſecutione Legato ſuo in Francia mandata, ut auctor eſt Aitzema (23). Narrat ipſe ille (24) & alias Anglorum querelas de portubus Angliæ a Francis violatis, & de damno, ab his reſtituto, ſed hæc omnia non exſequor, quia de iis ipſe judicabis, adhibita diſtinctione, quam modo ſuggeſſi, ſi hæc & tibi æque placeat, quam mihi.

CAPUT IX.

De Statu belli inter non hoſtes.

Non *hoſtes* appello, qui neutrarum partium ſunt, nec ex fœdere his illisve quicquam debent; ſi quid debeant, Fœderati ſunt, non ſimpliciter amici. *In Bello medios* dixit Grotius *L.* III. *de Jure B. & P. C.* 17. De his quæritur, quid facere vel non facere poſſint inter duos hoſtes? omnia, forte inquies, quæ potuerunt, cum pax eſſet inter eos, quos inter nunc bellum eſt, belli enim conditio non videbatur porrigenda ultra eos, qui invicem bellum gerunt. An, inquies, ratio admittit, ut hoſtes noſtros etiam amicorum hoſtes eſſe putemus? quidni igitur amici noſtri ad amicos ſuos, quamvis noſtros hoſtes, ea adferunt, quæ ante adtulerunt? arma, viros, reliqua? utilitas equidem noſtra non admittit, ſed de ratione, non de utilitate omnis diſputatio eſt. Sola injuria belli cauſa, & diceres injuriam non egredi perſonam ejus, qui injuriam paſſus eſt, niſi, ſi Princeps injuriam patiatur, quod ea quoque pertineat ad omnes ſubditos, non vero ad eos, qui ſubditi non ſunt. Atque inde efficeretur, amici mei hoſtem meum hoſtem non eſſe, verum integram cum eo omnem amicitiam conſtare, plane ut ante bellum conſtabat.

Hanc doctrinam videntur probaſſe Ordinum Generalium Conſiliarii, cum, iis referentibus, Ordines Generales 3. Mart. 1640. edixerint (1), *naar alle oud gebruik, en naar de ordre van neutraliteit*, liberum eſſe non hoſtibus (*neutrale Luyden*) & nobis & hoſti noſtro, ex animi ſui ſenſentia militare. Et quum Hiſpani 30. Mart 1639. edixiſſent, ſi quis Leodienſis Ordinibus Generalibus militaret, intra menſem reverteretur, præſtito jurejurando, ſe non amplius contra Hiſpanos aut Domum Auſtriacam militaturum, ſin autem, omnis gratia ei negaretur, Ordinum Generalium nomine eo 3. Mart. 1640. factum eſt ſimile Edictum ἀντιστρεπτικὸν, cujus ſic memini, tamdiu valiturum, quam valeret illud Hiſpanicum, quod in d. Edicto 3. Mart. 1640. ut penitus novum, & ab omni ratione alienum traducitur, his fere formulis, *onredelyk Placaat, zoodanige nieuwigheid, en onredelykheid, zoo lange die vande Spaanſche Regering in de voorſz. heure onredelykheid zullen blyven continueren &c.* Non alia quoque fuit Hollandorum quorumdam ſententia, dicta in Comitiis Ordinum Hollandiæ 26. Febr. 1684. (2) cum urgebant, Hiſpanis, quibus contra Francos uterentur, auxiliares Copias a Belgis Fœderatis eſſe mittendas, id enim fieri poſſe ſalva pace & amicitia cum Francis.

Sed profecto ea ſententia probanda non eſt, ſi de his agamus, qui ſimpliciter ſunt amici. Horum officium eſt, omni modo cavere, ne ſe bello interponant, & his, quam illis partibus ſint vel æquiores vel iniquiores. Id ipſum eſt, quod apud Livium lego *L.* XXXV. *C.* 48. *Bello ſe non interponant*, hoc eſt, in cauſa belli alterum alteri ne præferant, & eo ſolo recte defunguntur, qui neutrarum partium ſunt. Neſcio, an ſatisfaciant, quæ Grotius dixit *L.* III. *de Jure B. & P. C.* 17. §. 3. *Eorum, qui a bello abſtinent, officium eſt, nihil facere, quo validior fiat is, qui improbam fovet cauſam, aut quo juſtum bellum gerentis motus impediantur.* Si recte judico, belli juſtitia vel injuſtitia nihil quicquam pertinet ad communem amicum, ejus non eſt, inter utrumque amicum, ſibi invicem hoſtem, ſedere judicem, & ex cauſa æquiore vel iniquiore huic illive plus minusve tribuere vel negare. Si medius ſim, alteri non poſſum prodeſſe, ut alteri noceam. Sed, ajes, utrique mittam, quicquid mihi videbitur, & ſic poſtulat ratio amicitiæ; ſi quod alteri miſeram, ille utatur in necem alterius, quid ad me? At tu noli ſic ſapere, quin potius crede, amicorum noſtrorum hoſtes bifariam conſiderandos eſſe, vel ut amicos noſtros, vel ut amicorum noſtrorum hoſtes. Si ut amicos conſideres, recte nobis iis adeſſe liceret ope conſilio, eosque juvare, milite auxiliari, armis, & quibuscunque aliis, quibus in bello opus habent. Quatenus autem amicorum noſtrorum hoſtes ſunt, id nobis facere non licet, quia ſic alterum alteri in bello præferremus, quod vetat æqualitas amicitiæ, cui in primis ſtudendum eſt. Præſtat cum utroque amicitiam conſervare, quam alteri in bello favere, & ſic alterius amicitiæ tacite renunciare.

Et ſane id, quod modo dicebam, non tantum ratio docet, ſed & uſus, inter omnes fere Gentes receptus. Quamvis enim libera ſint cum amicorum noſtrorum hoſtibus commercia, uſu tamen placuit, ut *Capite proximo* latius oſtendam ne alterutrum his rebus juvemus, quibus bellum contra amicos noſtros inſtruatur & foca-

(23) *L.* XLVIII. p. 29. & 30.
(24) *Ibidem loci.*
(1) *Plac.* II. 4. 8. 4.
(2) *In de Conſideratien van Staats ſaken, ſtukken, raakende de binnenlandſche ſaken*, n. 14. p. 75.

veatur. Non licet igitur alterutri advehere ea, quibus in bello gerendo opus habet, ut ſunt tormenta, arma, &, quorum præcipuus in bello uſus, milites, quin & milites variis Gentium pactis excepti ſunt, excepta quandoque & navium materia, ſi quam maxime ea indigeat hoſtis ad exſtruendas naves, quibus contra amicos noſtros uteretur. Excepta ſæpe & cibaria, quando ab amicis noſtris obſidione premuntur hoſtes, aut alias fame laborant. Optimo jure interdictum eſt, ne quid eorum hoſtibus ſubminiſtremus, quia his rebus nos ipſi quodammodo videremur amicis noſtris bellum facere. Igitur ſi hoſtes ſimpliciter conſideremus ut amicos, recte cum iis commercia exercemus, & merces quaſcunque ad eos mittimus, ſi conſideremus ut amicorum noſtrorum hoſtes, excipiuntur merces, quibus in bello amicis noſtris noceatur, & hæc ratio priorem vincit, quomodocunque enim alteri contra alterum ſuccurramus, bello nos interponimus, quod ſalva amicitia non licet. Ex his ipſe judica, an juſtius fuerit illud Edictum Hiſpanorum 30. Mart. 1639. an vero Ordinum Generalium 3. Mart. 1640. de quo utroque ſupra dixi.

Expoſui compendio, quid mihi videatur de officio eorum, qui ex fœdere nihil quicquam debent, ſed perfecte ſunt neutrarum partium. Hos ſimpliciter *amicos* appellavi, ut a Fœderatis & Sociis diſtinguerem. Si recte diſputavi, placere non poteſt, quod video placere plerisque, qui de Jure Publico ſcripſerunt, alterum nempe amicum, cujus cauſa potior & juſtior mihi videtur, a me juvari & poſſe & debere, neque tantum rebus bellicis, ſed & aperto bello, ſi res poſtulat. Improbe, rebus enim alienis ſe immiſcere nequaquam probum eſt. Cum uterque amicus in me non compromiſerit, eccur Principes, qui ſui juris ſunt, meo judicio ſtabunt cadentve? mearum partium non eſt, omnes omnium Principum injurias vindicare, ſufficit, ſi vindicem, quæ ad me meosque Fœderatos pertinent. Sin autem tam manifeſta ſit alterius injuria, ut ab ea etiam mihi metuam, neque alia ſpes ſit, quam ut poſtremus devorer, admitti forte poſſet, oppreſſum amicum eſſe defendendum, ſed non niſi amicitia cum altero diſſoluta, manente enim amicorum nomine bellum gerere, non poteſt non eſſe impium.

De Fœderatis & Sociis longe alia inſpectio eſt. Si duo, quibuscum fœderatus ſum, contra exteros bella gerant, utrique præſtabo, quod ex legibus fœderis præſtandum eſt, ſed ſi invicem bella gerant, an utrique ſuccurram, an uni & cui potius? de hac quæſtione non minor pugna eſt inter Interpretes, quam inter ipſas Gentes; varias variorum ſententias recenſet, & ſuam adjicit Gentilis *L.* III. *de Jure Bell. C.* 18. Non una diſtinctione cauſam tranſigit Grotius *L.* II. *de Jure B. & P. C.* 15. §. 13. & ex eo Zoucheus *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 4. *Q.* 28. Sane utrique Fœderato non mittat Copias Auxiliares, ſi vel ex fœdere debeantur, quia perabſurdum eſſet utrique mittere milites meos, ut invicem pugnent & ſe mutuo confodiant. Qui milites ſuos locant, ſæpe quidem ſunt in pari cauſa, ſed ea huc non pertinet. Ego vero, ſive fœderati mei adverſus exteros agant, ſive adverſus ſe invicem, unice diſtinguendum reor, an & uter ex his juſtam belli gerendi cauſam habeat. Si uterque juſtum bellum gerat contra exteros, utrique præſtabo, quod ex fœdere debeo, ſi alter tantum, alteri negabo. Si duo mihi fœderati ſe invicem aggrediantur, ex fœdere ſatisfaciam ei, qui juſtiorem cauſam habet, & ipſe ejus rei arbiter ero, ut mox audies. Atque ita commode poſſumus carere aliorum ſententiis & diſtinctionibus.

Sed quid ſi Fœderato & Socio auxilia promiſſa ſint, & ei res ſit cum amico meo? Puto promiſſis ſtandum eſſe, & ſtari poſſe, quia Fœderati hactenus conſtituunt unam civitatem, communi auxilio defendendam. Sed & hic diſtinguendum eſt, an Fœderatus meus injuriam patiatur, an ipſe inferat; ſi patiatur, promiſſa implebo, ſi inferat, non implebo, quia in cauſa improba non teneor adeſſe Fœderato. Cauſa autem proba ſit, an improba, ejus rei arbitrium erit penes promittentem. Vellem equidem, quod de cauſæ probitate vel improbitate dixi, perſpicue & rotunde pactis Gentium eſſent inſerta, ſed his, quæ ipſe vidi, ſimpliciter ſolet exprimi, Fœderatum Fœderato, *qui bello petitur*, miſſurum tot forte vel tot Copias terreſtres vel maritimas, & præterea nihil. Sed cum pacta ajant, *qui bello petitur*, eorum alia interpretatio eſſe nequit, quam ei Fœderato auxilia præſtitum iri, qui nullo jure laceſſitur bello, qui ab hoſte petitur, non qui hoſtem ipſe petit. Verum nec alia ratione ſatis perſpicua eſt illa locutio, *qui bello petitur*, quid enim ſi is, qui petitur, antea injuriam fecerit, & ſic cauſam belli præbuerit? an vel ſic improbo Socio auxilia mittam? non mittam. Præſtaret dicere, *qui INJUSTO bello petitur*, auxilia miſſum iri, atque ita ei, qui cauſam belli non dederit, cujus culpa vel injuria bellum non incipit. Quamvis autem palam non exprimatur, ſemper tamen intelligitur hæc tacita pactorum exceptio, quam & Grotius probavit *d. L.* II. *de Jure B. & P. C.* 15. §. 13. *n.* 1. & *L.* II. *C.* 25. §. 4. nec ſcio eſſe, qui diſſentiant.

Qui auxilia promiſit, & is ſolus, ut modo dicebam, æſtimat quoque de juſtitia vel injuſtitia cauſæ, & an *caſus fœderis*, ut vulgo loquuntur, exſtet, necne, neque enim partes contrahentes ea de re in arbitros ſolent compromittere, ut equidem par eſſet, ne, ut fit, fœdera exponamus ludibrio. Quotusquisque alioquin eſt, qui non fœdera interpretabitur, ut e re ſua eſſe putaverit? qui non fallaci interpretatione pacta eluſerit? Veteres Græci & Romani, etiam in negotiis publicis, judicium de cauſæ juſtitia vel injuſtitia ſæpe aliis permiſerunt, ut probant exempla apud Grotium *d. L.* II. *C.* 25. §. 4. & ſic oportebat. Sed id nunc eſt Juris Gentium abrogati, & inde omnium pactorum hodie fere inane nomen. Atque hæc quidem de fœderibus, quibus ante bellum auxilia promiſſa ſunt, nam bello jam exorto, ſi me audias, neutri amico auxilia recte vel promittuntur, vel mittuntur, qui promiſerit vel miſerit alteri, alterius amicitiam violabit.

Hi, qui ſub tuitione ſunt (*die onder contributie ſitten*) conſtituunt etiam genus quoddam intermedium, nam ex natura tuitionis non conſiderantur tanquam hoſtes, neque etiam tanquam ſubditi, cum ad alium Principem pertineant. Poſſunt igitur ſuum Principem, quamvis noſtrum hoſtem, juvare, ſed non armis viriſque, quibus contra nos bellum gerat. Quapropter Ordinum Generalium Conſiliarii 17. Mart. 1641. (3) optimo jure edixerunt, ne qui ex territorio Luxemburgenſi & Namurcenſi militarent Regi Hiſpa-

(3) *Plac.* II. 4. 8. 5.

ſpaniarum, & rurſus 18. Jul. 1646. (4) ne qui ex territorio Luxemburgenſi, cum nempe utrique eſſent ſub tuitione Ordinum Generalium, & generaliter 14. Aug. 1645. (5) ne quisquam, qui ſub tuitione eſſet (*neutrale, onder contributie ſittende*) Hiſpaniarum Regi militare vellet, etiamſi antea militaſſet, & ne quisquam, relicta militia, in eam denuo revocaretur. Iidem quoque eorundem Ordinum Conſiliarii 23. Febr. 1636. (6) edixerunt, ne quis eorum, qui ſub tuitione eſſent, caſtra hoſtium juvaret equis, curribus, navibusve; recte, quia ſic in cauſa belli hoſtibus operam præſtaret. Aliud juris eſt in his rebus, quas, extra uſum belli, ad hoſtes noſtros deferunt, & ideo Ordines Generales, quamvis antea generaliter frumentum exportari vetuiſſent, edixerunt tamen 23. Maj. 1631. (7) eos, qui ſub tuitione ſunt, frumentum ſuum tam ad Hiſpanos, quam ad Belgas Fœderatos, prout voluiſſent, deferre poſſe. Frumentum ſcilicet etiam non hoſtis ad hoſtem recte advehit, excepta obſidionis famisve cauſa.

Ordines Generales in §. 3. Edicti 26. Sept. 1590. (8) non hoſtem, ejusve naves & bona, etſi in hoſtili loco, hoſtili modo excipi vetuerunt, ſi nempe ea in Belgium Fœderatum deſtinata eſſent, vel ex eo in alias Regiones. Et tamen ſcribi video (9), atque ſi Ordines Generales generaliter edixiſſent 15. Dec. 1672. etiam non hoſtium naves, ex hoſtium portubus venientes, recte publicari. Sed ne credas tabulis illis forenſibus, qui id ſcripſerunt, eſt enim d. Edictum 15. Dec. 1672. ſingulare, & non niſi jure retorſionis factum contra publicationem captæ navis Hamburgenſis, ut ſupra expoſui C. V.

CAPUT X.

De his, quæ ad amicorum noſtrorum hoſtes non recte advehuntur.

Barbaris arma vendere Romæ olim capitale fuit *l.* 2. *C. Quæ res export. non deb.* capitale ſcilicet in ſubditis, de quibus ſolis Romani leges ferebant. Et conſtat etiam hodie, ubique Gentium capitale eſſe, ſi quis ſubditus arma ad hoſtes vehat. Quin ex §. 1. ſacerrimi Edicti Ordinum Generalium contra Anglos 5. Dec. 1652. (1) pro hoſte habetur, qui ullas omnino merces ad Anglos veheret, nec ſubditus tantum, ſed & peregrinus. Quod in §. 2. Ed. Ordinum Generalium contra Lyſitanos 31. Dec. 1657. (2) juſtius reſtringitur ad *τὰ contrabanda*, nam eam vocem, uſu receptam, ſervamus. Ex §. 1. Ed. Ordinum Generalium 14. Apr. 1672. & 11. Apr. 1673. contra Francos & Anglos, & ex §. 1. Ed. 19. Mart. 1665. (3) contra Anglos, tanquam hoſtis *van den Staat* punitur, ſi quis ad hoſtem vehat *eenige munitie van Oorlog, vivres, of eenige materialen, dienende tot uytrusting van Schepen, of eenige andere verbode Waren.* Idemque juris eſt in peregrino, qui ea ex his Regionibus ad hoſtes advehit.

Sed de ſubditis Ordinum & cujuscunque Principis eſt ſtatuere, ut lubet, de peregrinis non etiam. Unde belle quæritur, quid jure Gentium liceat nobis ad amicorum noſtrorum hoſtes advehere, vel, quod tantundem eſt, quid amicis liceat ad noſtros hoſtes? Quicquid non licet, ſi amicus deprehendat, optimo jure publicatur, & eo ſolo abſolvitur pœna mittentis amici. Grotius *de Jure B. & P. L.* III. *C.* I. §. 5. *n.* 1. 2. *&* 3. in eo argumento occupatus, diſtinguit inter res, quæ in bello uſum habent, & quæ nullum habent, & quæ promiſcui uſus ſunt, tam in bello, quam extra bellum. Primum genus non hoſtes hoſtibus noſtris advehere prohibet, ſecundum permittit, tertium nunc prohibet, nunc permittit. Si ſequamur, quæ *Capite præcedenti* diſputata ſunt, de primo & ſecundo genere non eſt, quod magnopere laboremus. In tertio genere diſtinguit Grotius & permittit res promiſcui uſus intercipere, ſed in caſu neceſſitatis, ſi aliter me meaque tueri non poſſim, & quidem ſub onere reſtitutionis. Verum, ut alia prætercam, quis arbiter erit ejus neceſſitatis, nam facillimum eſt eam prætexere? an ipſe ego, qui intercepi? Sic, puto, ei ſedet, ſed in cauſa mea me ſedere judicem omnes leges omniaque jura prohibent, niſi quod uſus, Tyrannorum omnium princeps, admittat, ubi fœdera inter Principes explicanda ſunt. Nec etiam potui animadvertere, mores Gentium hanc Grotii diſtinctionem probaſſe, magis probarunt, quod deinde ait, neque obſeſſis licere res promiscui uſus advehere, ſic enim alteri prodeſſem in necem alterius, ut latius intelliges ex *Capite ſeq.* Quod autem ipſe ille Grotius tandem addit, diſtinguendum eſſe inter belli juſtitiam & injuſtitiam, ad Fœderatos, certo caſu, pertinere poſſe, ſed ad eos, qui neutrarum partium ſunt, nunquam pertinere, *Capite præced.* mihi viſus ſum probaſſe.

Jus Gentium commune in hanc rem non aliunde licet diſcere, quam ex ratione & uſu. Ratio jubet, ut duobus, invicem hoſtibus, ſed mihi amicis, æque amicus ſim, & inde efficitur, ne in cauſa belli alterum alteri præferam. Uſus intelligitur ex perpetua quodammodo paciſcendi edicendique conſuetudine: pactis enim Principes ſæpe id egerunt in caſum belli, ſæpe etiam Edictis contra quoscunque, flagrante jam bello. Dixi, *ex perpetua quodammodo conſuetudine*, quia unum forte alterumve pactum, quod a conſuetudine recedit, Jus Gentium non mutat. Inter omnes fere Gentes convenit, ne amico liceat ad hoſtem vehere arma, aliave, quæ veniunt appellatione τῶν *contrabande goederen*, ſed tamen §. 10. Pacis Weſtmonaſt. inter Anglos & Lyſitanos initæ anno 1654. pactum eſt, Anglis ea liceret advehere Lyſitanorum hoſtibus, ut obſervat Zentgravius *de Orig. Verit. & Oblig. Juris Gentium Art.* 7. §. 8. *p. m.* 296. *&* 297. Utque id ipſum Belgis Fœderatis liceret, ab iisdem Lyſitanis obtinuerunt §. 12. Pacis inter eos-

(4) *Plac.* II. 4. 8. 7.
(5) *Ibidem* II. 4. 8. 6.
(6) *Ibidem* II. 4. 8. 3.
(7) *Ibidem* I. 2. 23. 2 1.
(8) *Ibidem* II. 4. 6. 1. 4.
(9) *Bello Juridico Caſu* 52. n. 2. *& Caſu* 99. n. 2.
(1) *Plac.* I. 2. 22. 4. 2.
(2) *Ibidem* II. 4. 28. 1. 2.
(3) *Sunt ea Edicta ibidem* III. 1. 9. 1.

eoſdem 6. Aug. 1661. (4). Ceteroquin regula eſt, pactis fere perpetuis probata, ne non hoſtes ad hoſtes noſtros vehant *contrabande goederen*, ſi vehant & deprehendantur, in commiſſum cadant, exceptis autem his libere utrimque mercantur, & quæcunque alia ad hoſtes vehunt impune.

Secundum hæc liberum erat Belgis cum Francis quarumcunque rerum commercium, quemadmodum cum nondum bellum eſſet inter Hiſpanos & Francos §. 3. Pacti marini inter Hiſpan. & Ordines Gener. 17. Dec. 1650. (5) ita tamen, ne Belgæ ex Ditionibus Hiſpanis ea veherent ad Francos, *die tegen Spangien zonden konnen dienen* §. 4. ad alios autem Hiſpanorum hoſtes Belgæ τὰ *contrabanda* vehere vetantur §. 5. *ibid.* &, quæ eo nomine veniant, expreſſum eſt §. 6. Rurſus in §. 2. d. Ed. Ordinum Generalium contra Anglos 5. Dec. 1652. non hoſtibus interdicitur Anglis advehere *eenige Munitie van Oorloge, of eenige Materialen, dienende tot uytruſting van Schepen.* De *contrabandis* idem cautum eſt §. 2. d. Edictorum 1665. 1672. & 1673. enumeratis variis ejusmodi rerum prohibitarum ſpeciebus, iisque hoc adjecto, *ende alle andere toeruſtingen, ten gebruyke van den Oorlog geſatſoeneert en gemaakt.* Similia fere ſunt in §. 27. & 28. Pact. commerc. inter Gallos & Ordines Gener. 27. Apr. 1662. (6) & in §. 3. Pacti marini inter Carolum II. Angliæ Reg. & Ordines Gener. 1. Dec. 1674. (7) & in §. 3. Pact. commerc. inter Regem Suecorum & Ordines Gener. 26. Nov. 1675. (8) & in §. 15. Pacti marini inter eoſdem 12. Oct. 1679. (9) & in §. 15. Pact. commerc. inter Gallos & Ordines Gener. 10. Aug. 1678. (10) & in §. 11. Edicti Ordinum Generalium *de Contrabandis* 28. Jul. 1705. (11) aliisque aliarum Gentium Pactis, quorum quædam etiam recenſet Zentgravius *d. Art.* 7. §. 8.

Ex his fere intelligo, *contrabanda* dici, quæ, uti ſunt, bello apta eſſe poſſunt, nec quicquam intereſſe, an & extra bellum uſum præbeant. Pauciſſima ſunt belli inſtrumenta, quæ non & extra bellum præbeant uſum ſui. Enſes geſtamus ornamenti cauſa, gladiis animadvertimus in facinoroſos, & ipſo pulvere bellico utimur pro oblectamento, & ad teſtandam publice lætitiam, nec tamen dubitamus, quin ea veniant nomine τ *contrabande Waren.* De his, quæ promiſcui uſus ſunt, nullus diſputandi eſſet finis, & nullus quoque, ſi de neceſſitate ſequamur Grotii ſententiam, & varias, quas adjicit, diſtinctiones. Excute pacta Gentium, quæ diximus, excute & alia, quæ alibi exſtant, & reperies, omnia illa appellari *contrabanda*, quæ, uti hoſtibus ſuggeruntur, bellis gerendis inſerviunt, ſive inſtrumenta bellica ſint, ſive materia per ſe bello apta: nam quod Ordines Generales 6. Maj. 1667. contra Suecos decreverunt (12), etiam materiam, bello non aptam, ſed quæ facile bello aptari poſſit, pro *contrabanda* eſſe habendam, ſingularem rationem habebat, ex jure nempe retorſionis, ut ipſi Ordines in eo Decreto ſignificant.

Atque inde judicabis, an ipſa materia rerum prohibitarum quoque ſit prohibita? Et in eam ſententiam, ſi quid tamen definiat, proclivior eſſe videtur Zoucheus *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 8. Ego non eſſem, quia ratio & exempla me moveant in contrarium. Si omnem materiam prohibeas, ex qua quid bello aptari poſſit, ingens eſſet catalogus rerum prohibitarum, quia nulla fere materia eſt, ex qua non ſaltem aliquid, bello aptum, facile fabricemus. Hac interdicta, tantum non omni commercio interdicimus, quod valde eſſet inutile. Et §. 4. d. Pacti 1. Dec. 1674. & §. 4. d. Pacti 26. Nov. 1675. & §. 16. d. Pacti 12. Oct. 1679. amicos hoſtibus, quibus arma non licet, permittunt advehere ferrum, æs, metallum, materiam navium, omnia denique, quæ ad uſum belli parata non ſunt. Quandoque tamen accidit, ut & navium materia prohibeatur, ſi hoſtis ea quam maxime indigeat, & abſque ea commode bellum gerere haud poſſit. Quum Ordines Generales in §. 2. Edicti contra Lyſitanos 31. Dec. 1657. (13) iis, quæ communi Populorum uſu *contrabanda* cenſentur, Lyſitanos juvari vetuiſſent, ſpecialiter addunt in §. 3. ejusdem Edicti, quia nihil niſi mari a Lyſitanis metuebant, ne quis etiam navium materiam iis advehere vellet, palam ſic navium materia a *contrabandis* diſtincta, ſed ob ſpecialem rationem addita. Ob eandem cauſam navium materia conjungitur cum inſtrumentis belli in §. 2. d. Edicti contra Anglos 5. Dec. 1652. & in Edicto Ordinum Generalium contra Francos 9. Mart. 1689. (14). Sed ſunt hæ exceptiones, quæ regulam confirmant.

Quæſitum eſt, an vaginæ pro armis & inſtrumentis belli ſint habendæ? & habendas eſſe a Judicibus militaribus judicatum refert Petrinus Bellus *de Re militari Part.* IX. *n.* 26. 27. *&* 28. quam tamen ſententiam ipſe improbat. Zoucheus *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 9. rationes in utramque partem ex Bello deſcripſiſſe contentus, nihil ipſe, pro more ſuo, definit. Ego Judicum militarium ſententiam probarem, Belli non probarem, quia vagina, utcunque promiſcui uſus, paratum tamen eſt bello inſtrumentum. Sine vaginis nullus enſium uſus, & ſine enſibus nulla bella. Quin & *holſters, zadels, draagbanden* inter τὰ *contrabanda* numerantur in *d.* §§. 2. *&* 3. *&* 5. eorum Edictorum Pactorumque, quorum ſupra memini. *Holſters*, quod ad uſum, nihil quicquam a vaginis differunt; illa ſclopetorum, hæc enſium reconditoria ſunt. Sane ob numerum exiguum earum aliarumque mercium prohibitarum res forte excuſari poſſet; & *d.* §. 3. Pacti 26. Nov. 1675. hanc quoque habet exceptionem, niſi ea inſtrumenta adeo pauca fuerint, ut inde judicari poſſit, ad uſum belli non eſſe deſtinata.

Quid dicemus de τοῖς *hengzels tot degens?* idem puto, quod de vaginis, ſunt enim inſtrumenta bello parata & apta, & recenſentur quoque inter merces prohibitas in quibusdam Edictis & Pactis, quæ ſupra attuli. De nitro, *ſalpeter*, magis dubitari poſſet, quia per ſe materiam belli non præſtat, & tamen *ſalpeter* continetur omnibus fere, quos indicavi, catalogis rerum prohibita-

(4) *Plac.* II. *Append.* p. 2850.
(5) *Ibidem* I. 1. 2. 5.
(6) *Ibidem* II. *Append.* p. 2913.
(7) *Ibidem* III. 1. 13. 31.
(8) *Ibidem* III. 1. 13. 32.
(9) *Ibidem* III. 11. 10.
(10) *Ibidem* III. 1. 13. 34.
(11) *Ibidem* V. 1. 9. p. 352.
(12) Aitzema *L.* XLVII. p. 466. *& ſeqq. & Conſil. Belg. T.* II. Conſil. 64.
(13) *Plac.* II. 4. 28. 1. 2.
(14) *Ibidem* IV. 1. 9. 1.

tarum, nam ex nitro maxime fit pulvis bellicus, præcipuus nunc belli fomes. Quin animadverti, nitrum ſæpe exprimi, omiſſa mentione pulveris bellici, ſæpe etiam ea addita. Ubi omiſſa eſt, ipſum nitrum ſuccedit loco pulveris bellici, ubi addita, pro ſynonimis habentur, niſi nitrum ob præcipuum ejus in bello uſum, exceperint Gentes a materiis, per ſe bello non aptis. De Tabaco magnis animis inter Hiſpanos & Anglos quæſitum eſſe refert Zoucheus *Part.* II. *de Jure Fec. Sect.* 8. *Q.* 12. & ab Hiſpanis judicatum, inter res vetitas eſſe, adeo propterea indignantibus Anglis, ut etiam contra Hiſpanos repreſſalias conceſſerint. Sed an ea controverſia de tabaco tandem in fumum abierit, neſcio; hoc ſcio, me Hiſpanis non conſentire, quia verum eſt, tabaci nullum eſſe uſum ad cædendum hoſtem. Quin & non hoſtis ad amicorum hoſtem recte tabacum veheret ex *d.* §§. 3. 4. 15. *&* 16. licet enim ſecundum eos §§. amicorum hoſtibus omnia advehere, quæ, ita uti ſunt, bello non ſunt apta, & nominatim inter licitas merces tabacum numeratur in *d.* §. 4. Pacti 1. Dec. 1674.

Si pignus publicetur, jus pignoris non exſtingui, certum eſt ex *l.* 22. §. 1. *ff. de Jure Fiſc.* Unde, cum amici *τὰ contrabande goederen* ad hoſtes noſtros deſtinaſſent, eaque pro mercede transvectionis nautis obligaſſent, ſi in itinere deprehenderentur, & *contrabanda* publicarentur, nautas, tanquam itinere perfecto, mercedem ſuam inde habituros reſponſum eſt *Conſil. Belg. T.* IV. *Conſil.* 208. *n.* 1. *&* 2. & relatum, ita judicaſſe Admiralitatem Noord-Hollandicam 6. Maj. 1665. & Friſicam 12. Jul. ejusdem anni, quia ſcilicet res tranſit cum ſuo onere, quia Fiſcus cedit creditoribus, & quæ alia ſunt ejusdem farinæ. Sed contra judicavit Admiralitas Amſterdammenſis 9. Jul. 1666. *verſtekende de Eyſchers van haar vragten in quæſtie, gereſerveert hun regt, daar zy meinen te behooren*, ut habetur *d. Conſil.* 208. *n.* 3. Idque longe veriſſimum eſt, nam mercedes non debentur, niſi itinere perfecto, &, ne perficeretur, hoſtis jure prohibuit. Deinde publicantur *contrabanda* vel ex delicto, & ita nihil minus commiſerunt navarchi, quam ipſi mercium vetitarum domini, vel, quod magis eſt, ex re, ex ipſa nimirum transvectione: quamvis enim amico noſtro non poſſimus commercio interdicere cum hoſte noſtro, poſſumus tamen prohibere, ne in bello illi proſit in necem noſtram. Atque ita, quod publicatur, publicabitur citra ullum ullius hominis reſpectum, & habebitur, ac ſi vi divina periiſſet, exſtincto ſic jure pignoris. Sed illis Conſultoribus placuiſſe, navarchos in publicatis *contrabandis* præferendos, non miror, miror potius, quod non & dominos mercium vetitarum prætulerint, nam & hi jus in re habent, proprietatem nempe, quod omnium validiſſimum eſt.

Negant (15), Fœderati & ſocii noſtri ſubditum, ad communem hoſtem commeantem, a nobis puniri, vel res ejus publicari poſſe, quemque enim Principem ſua ipſius Edicta exſequi, adeoque nullas hic eſſe Fœderatorum partes. Sed ratio, uſus atque ipſa utilitas eam ſententiam evertunt. Excute, ſi commodum eſt, quæ ea de re habet Aitzema *L.* XLVI. *p.* 629. *&* 630. nam ipſe abſtineo, quia, ſi dicamus, quod res eſt, ad *τὰ contrabanda* hæc quæſtio proprie non pertinet.

CAPUT XI.

Obſeſſis Urbibus, Caſtris, Portubus an quicquam liceat advehere?

Ex ratione communi & Gentium uſu Urbibus obſeſſis nihil quicquam licet advehere, ut alia occaſione ſupra dicebam *C.* IV. Id ipſum quoque dixit Grotius *de Jure B. & P. L.* III. *C.* I. §. 5. *n.* 3. improbat enim ſubvectionem, *ſi juris mei exſecutionem rerum ſubvectio impedierit, idque ſcire potuerit, qui advexit, ut ſi oppidum obſeſſum tenebam, ſi portus clauſos, & jam deditio aut pax exſpectabatur.* Sola obſidio in cauſa eſt, cur nihil obſeſſis ſubvehere liceat, ſive *contrabandum* ſit, ſive non ſit, nam obſeſſi non tantum vi coguntur ad deditionem, ſed & fame, & alia aliarum rerum penuria. Si quid eorum, quibus indigent, tibi adferre liceret, ego forte cogerer obſidionem ſolvere, & ſic facto tuo mihi noceres, quod iniquum eſt. Quia autem ſciri nequit, quibus rebus obſeſſi indigeant, quibus abundent, omnis ſubvectio vetita eſt, alioquin altercationum nullus omnino eſſet modus vel finis. Hactenus Grotii ſententiæ accedo, ſed vellem, ne ibidem addidiſſet, tunc demum id verum eſſe, *ſi jam deditio aut pax exſpectabatur*, & mox, eum, qui ſic tamen ſubvexit, *teneri de damno, culpa dato*, vel, *ſi damnum nondum dederit, ſed dare voluerit, jus eſſe rerum retentione eum cogere, ut de futuro caveat obſidibus, pignoribus, aut alio modo.* Vellem, inquam, ne hæc addidiſſet Grotius, nam nec rationi conveniunt, nec pactis Gentium, quæ mihi ſuccurrerunt. Quæ ratio me arbitrum conſtituit de futura deditione aut pace? &, ſi neutra exſpectetur, jam licebit obſeſſis quælibet advehere? imo nunquam licet, durante obſidione, & amici non eſt cauſam amici perdere, vel quoquo modo deteriorem facere. Et, qui advexit, non ultra tenebitur, quam de damno culpa dato? atquin in ſubditis id ſemper capitale fuit, quin & in amicis, Edicto ante monitis, ſæpe & in non monitis. Cumque privati ſint, qui, lucro inhiantes, laborantibus obſeſſis ſoleant ſubvenire, fac privatum ſua ſubvectione effeciſſe, ne Urbs capiatur, vix putem, ulli privato tantum eſſe in arca, ut damnum Urbis, ſua culpa non captæ, reſarcire poſſet. Rurſus, ſi quis nondum advexit, ſed, dum advehere voluit, deprehendatur, ſola rerum interceptarum retentione erimus contenti, idque donec caveatur, nihil tale in poſterum commiſſum iri? Ego ea ſententia non utor, uſu edoctus, ad minimum res interceptas publicari, ſæpe & pœnam exigi, ſi non capitalem, aliam certe corporalem.

Nunc accipe pacta quædam in hanc rem: in §. 7. Pacti marini inter Regem Hiſpan. & Ordines Gener. 17. Dec. 1650. (1) ſimpliciter convenit, etiam non *contrabanda* non licere advehere Urbibus locisve obſeſſis. Idem eſt in §. 29. Pact. commerc. inter Regem Galliæ & Ordines

(15) *Conſil. Belg. T.* IV. Conſil. 214.

(1) *Plac.* I. 1. 2. 5.

dines Gener. 27. Apr. 1662. (2) & §. 4. Pacti marini inter Regem Angliæ & Ordines Gener. 1. Dec. 1674. (3) & §. 16. Pact. commerc. inter Regem Galliæ & Ordines Gener. 10. Aug. 1678. (4) & §. 16. Pact. commerc. inter Regem Sueciæ & Ordines Gener. 12. Oct. 1679. (5) aliisque quam plurimis. Simpliciter autem ajunt omnes illi §§. illicitas eſſe ejusmodi ſubvectiones, nulla adjecta pœna, ſed, ſi illicitæ ſint, omnes utique res, obſeſſis ſubvectæ, habendæ ſunt pro *contrabandis*; quicquid enim contra Pacta & Edicta ſubvehitur, *contrabandum* eſt. Atque his eſt conſequens, ejusmodi ſubvecta, ut modo dicebam, ad minimum publicari, eadem plane ratione, qua publicantur omnia, quæ proprie *contrabanda* audiunt. Et ſic uſus ſervat, ut ex ſequentibus intelliges, & ſervat quoque, ut in eos, qui ſubvehunt, pœna capitis aliave mitiori, ut res exigit, animadvertatur.

Non tantum Urbes, ſed & Caſtra poſſunt milite cingi & quaſi obſideri. Quod ſi factum ſit, non magis obſeſſis Caſtris, quam Urbibus licebit quid advehere. Si obſeſſa non ſint, non animadverto, cur amici, qui neutrarum partium ſunt, iis non recte advehant, quæ advehere licet Urbibus, Portubus, aliisque hoſtium locis non obſeſſis, hoc eſt, omnia, quæ *contrabanda* non ſunt. Et tamen Ordinum Generalium nomine eorum Conſiliarii, absque ulla diſtinctione, edixerunt 9. Aug. 1622. (6) ut hoſtes eſſe habendos, qui quid veherent in Hiſpanorum Caſtra ad *Bergen op den Zoom*. Idemque iidem ſimpliciter 2. Sept. 1624. (7) qui quid veherent in Caſtra Hiſpanorum, & rurſus in eandem ſententiam 21. Mart. 1636. (8). Quod haud dubie iniquius eſt, quam ut defendi poſſit, ſi nempe Caſtra obſeſſa non ſint, neque vectura fiat per noſtrum territorium. Priora duo Edicta ſunt & de Ordinum ſubditis, & de non hoſtibus, & de iis, qui ſub Ordinum tuitione erant. Quod ad ſubditos quicquid imperat Princeps, recte imperatum habetur, ſed quod ad non hoſtes, eosque, qui ſub tuitione erant, illa Edicta non ſubſiſtunt, niſi ad ſola *contrabanda* reſtringas. Tertium Edictum 21. Mart. 1636. eſt de non hoſtibus, qui cibaria aut inſtrumenta belli ad Fortalitia Hiſpanorum veherent, ſed factum, ut eſt in Edicto, jure retorſionis, quum Hiſpani tanquam hoſtes accepisſent eos, qui Trajectum ad Moſam commeatu & armis juviſſent. Retorſio igitur duritiem Edicti tollit quod ad cibaria, quæ alioquin non hoſtibus advehere licet, ſi non contra pactum ſit, arma non licet, etiam citra cauſam obſidionis, & eatenus undequaque juſtum eſt id Edictum. Quod ad reliqua, an recte Hiſpani, an recte Ordines noſtri decreverint & edixerint, a ſola, ni fallor, obſidionis cauſa pendet.

Quod in Urbibus vere obſeſſis obtinet, & ad Caſtra, quaſi obſeſſa, idonea ratione tranſlatum eſt, pertinet quoque ad Portus hoſtiles, qui navibus cincti pro obſeſſis habentur. Illuſtre in hanc rem eſt Decretum Ordinum Generalium 26. Jun. 1630. (9) factum ad Conſultationem Admiralitatis Amſterdammenſis, ex ejusdem & aliarum Admiralitatum conſilio, quin &, ut probabile eſt, ex conſilio privatorum, quod conſtat *Conſil. Holl. T.* V. *Conſil.* 161. Quum illo anno 1630. Ordines navibus bellicis oram Flandriæ maritimam haberent obſeſſam, quæſitum eſt, an non hoſtes ad eam poſſent applicare, & merces advehere vel evehere? decretum autem: *dat Schip en goed van neutralen, in of uyt vyandelyke havenen in Vlaanderen komende, of zoo na dezelve zynde, dat ongetwyfelt is, dat zy daar in willen loopen, geconſisqueert zullen werden, om dat haar Hoog Mogende de voorſchr. havenen met Oorlog ſchepen continuelyk beſet houden, om de commercie met den Vyand aldaar te beletten, 't welk van ouds in gebruyk is geweeſt, op 't exempel van alle Princen, die ook gelyk regt in zodanige gevallen gebruyken.* Hæc eſt prima Decreti ſanctio; ſecunda etiam naves mercesque publicat, *indien uyt de vragtbrieven, of andere beſcheiden bleek, dat de ſchepen na de zelve Vlaamſche havenen gedeſtineert waren, niet jegenſtaande zy nog verre daar van daan zynde wierden agterhaalt, ten ware zy* proprio motu, *eer zy in 't geſigt of gevolg van 's Lands ſchepen raakten*, re adhuc integra *poeniterende*, *veranderden, 't geen* pro re nata ex conjecturis & circumſtantiis *zoude geöordeelt worden*. Tertia ſanctio naves quoque cum onere publicat, *welke uyt de voorſchr. havenen komen (ſonder nood daar in geraakt zynde) al wierden de zelve verre daar van daan genomen, zoo lang zy van die reyſe in geen vrye havenen van haar of een neutraal geweeſt zyn, maar geweeſt zynde, niet, ten ware zy in 't uytkomen der voorſchr. havenen van 's Lands Schepen gevolgt, en in een andere haven, als haar eigen, of daar de reyſe gedeſtineert was, gejaagt, en wederom uyt komende op zee verovert wierden.* Additur & quarta ſanctio, quam ſupra C. IV. alia occaſione exhibui & interpretatus ſum; quare eam nunc tuto tranſmitto.

Sed neque negligenda eſt interpretatio priorum ſanctionum, nam & in his quædam occurrunt, quæ interpretem deſiderant. Non alia autem eſt prima ſanctionis ratio, quam palam in ea exprimitur, quamque jus belli omnino exigit. Porro ait eadem ſanctio: *of zoo na de zelve zynde, dat ongetwyfelt is, dat zy daar in willen loopen.* Scilicet bona, hoſtibus advehi vetita, ſi in confiniis hoſtium deprehendantur, præſumuntur hoſtibus advehi, non tantum ex frequentiori JCtorum ſententia apud Zoucheum *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 10. Sed & ex mente Ordinum Generalium, aperte teſtante cum hic, tum etiam in §. 4. Edicti contra Anglos 5. Dec. 1652. (10) & rurſus contra eosdem §. 4. Edicti 19. Mart 1665. & contra eosdem & Francos §. 4. Edicti 14. Apr. 1672. & 11. Apr. 1673. (11) niſi tamen probent, ſe tempeſtate eo eſſe abreptos, ubique §. 4. d. Edd. Quæ exceptio & mox ſubſequitur in ſanctione ſecunda. Sed ne ab ora Flandriæ maritima diſcedam, idem plane quod ad hanc ipſam rem, jam olim tempore naſcentis Reipublicæ ſancitum fuerat; ex Edictis quippe Comitis Leyceſtrani, quibus omni commercio cum Hiſpanis interdicit tam ſubditis, quam exteris, 4. Apr. 1586. (12) & §. 9. Edicti 4. Aug. 1586. (13) & ex Edicto Ordinum

(2) *Plac.* II. *Append.* p. 2910.
(3) *Ibidem* III. 1. 13. 31.
(4) *Ibidem* III. 1. 13. 34.
(5) *Ibidem* III. 11 10.
(6) *Ibidem* I. 2. 22. 3. n. 1.
(7) *Ibidem* n. 2.
(8) *Ibidem* n. 3.

(9) Aitzema *L.* X. p. 177. & 178. & *Append. Conſil. Holl. T.* III. *Amſterd.* p. 54-57.
(10) *Plac.* I. 2. 22. 4. 2.
(11) *Ibidem* III. 1. 9. 1.
(12) *Ibidem* I. 2. 22. 1. n. 2.
(13) *Ibidem* n. 4.

dinum Hollandiæ 27. Jul. 1584. (14) exteri non hoſtes, ad portus Flandriæ commeantes, puniuntur navium merciumque publicatione, hoc expreſſe addito: *die binnen de banken van Vlaanderen of op de kuſten van eenige verbodene havenen gevonden worden, zullen geoordeelt worden tegen deſe Ordonnantie gedaan te hebben, ten ware zulks gebeurde door treffelyke en wel bekende nood.* Non igitur probanda eſt Cyni ſententia, qui tunc demum, ut ad hoſtes euntes, puniendos ſcripſit, quum eo jam ſint progreſſi, unde locus redeundi non eſt. Non, inquam; probanda eſt ea ſententia, quamvis probata Alberico Gentili *Advoc. Hiſpan L.* I. *C.* 20. *p. m.* 86.

Hæc de prima ſanctione, ſecundam primæ ratio defendit, quæ enim proxima locis obſeſſis deprehenduntur, non alia ratione publicantur, quam quod ex facto tacite ad hoſtem commeandi propoſitum colligatur, idemque eſſe, ſi id ex inſtrumentis perſpicue conſtet, non eſt, cur dubitemus. Sed quod de pœnitentia additur, difficilem inſpectionem habet, ſi tamen mutati itineris exſtent idonea argumenta, ab ea ſententia non abiverim.

In tertia ſanctione eleganter diſtinctum eſt, in quem portum naves exeuntes fuerint compulſæ, ut nempe in ipſo actu deprehenſæ videantur, nam ſi in eum portum, in quem deſtinarant, pervenerint, abſolutum iter intelligitur, & ceſſat publicatio. Sed ait disjunctim, *haar eigen of daar de reyſe gedeſtineert was*, de quorum ſenſu & jure dubitari poſſet. Sane ſi proprius portus, & in quem deſtinatum erat, iidem ſint, res quidem caret omni dubio. Sed ſi Anglus, qui ex Flandria deſtinarat in Daniam, in portum Anglicum compellatur, & enavigans, iter ſuum proſecuturus, deprehendatur, antequam portum Danicum ſubierit, mihi quidem in itinere & ipſo actu videretur deprehendi, nec quicquam intereſſe, portus proprius ſit, nec ne, quem ante ſubierat, ſi non iter, quod inſtitutum erat, plane fuerit finitum. Unde in d. ſanctione, quia disjuncta ſæpe pro conjunctis habentur, *proprium portum* intelligo, in quem ſimul iter deſtinatum erat, & τὸ *van die reyſe* de abſoluto itinere. Ecce exemplum: navis Zierikzeënſis capitur à Duinkerkanis, & Duinkerkæ publicatur. Hanc emit Scotus. Ex quarta ſanctione hujus Decreti 26. Jun. 1630. quam expoſui *C.* IV. integrum erat eam exeuntem, priusquam *ſuum* vel alterius Principis portum ſubierat, *eer het in ſyn eigen of andere vrye havenen geweeſt was*, intercipere & publicare, non autem poſtea. Navis illa Scoti, Duinkerka exiens, deprehenditur, ſed non apprehenſa fugit in *Jarmouth*, quo non deſtinarat, & inde rurſus exiens capitur. Quæſitum eſt, an hæc navis jam ſubiiſſet proprium portum? & non dixerim, quia non eum ſubiit, in quem deſtinarat. Ad Conſultationem quoque Admiralitatis Zelandicæ, factam 27. Jan. 1631. de hac ipſa ſpecie, Ordines Generales reſcripſerunt, publicandam eſſe navem, & ſic jam decretum fuiſſe d. 26. Jun. 1630. quemadmodum hæc in Annalibus refert Aitzema (15). Ceterum, quod tertia ſanctio ait de libero portu, *vrye haven*, ex quarta ſanctione interpretationem capit, liberum nempe portum non intelligi, qui eſt ſub eodem Rege.

Quum id Decretum 26. Jun. 1630. aliquamdiu non eſſet exercitum, & interim libere in Flandriam commeatum, anno 1642. incidit, ut quædam non hoſtium naves, eo commeantes, a noſtris fuerint captæ & in Zelandiam deductæ; ibi autem, retentis & publicatis ſolis *contrabandis*, cetera omnia fuerunt dimiſſa & reſtituta. De contrabandis quæſitum, an jure? Et ſunt, qui negant Conſil. *Holl. T.* II. *Conſil.* 121. Sed omnino adfirmandum eſt, cum enim ſegnius oræ illæ obſervatæ eſſent, remiſſum quidem videri poterat illud obſidionis jus, quo non hoſtium quæcunque bona recte occupantur, ſed non etiam jus commune belli, quo τὰ *contrabanda*, ad non obſeſſos quoque vecta, recte publicantur.

Quamvis autem ita, ut dixi, ſatis defendi poſſit rigor ejus Decreti 26. Jun. 1630. remitti tamen, ſi ita videatur, poteſt, & aliquando etiam remiſſus eſt. Cum Archithalaſſus Tromp etiam anno 1645. claſſe Ordinum Generalium obſideret Flandriæ portus, & rogaret Ordines, ecquid moliretur contra naves eorum, qui neutrarum partium eſſent, 1. Jul. ejusdem anni decreverunt, omni modo impediretur, ne quisquam portus Flandriæ intraret, ne tamen publicarentur, quæ non eſſent *contrabanda*, ut eſt apud Aitzema (16). Mutati igitur tunc Ordines Generales ab iis, qui fuerant anno 1630. Sed mutatis hominibus ſententias mutari quid obſtat?

Si vera ſint, quæ *hoc Capite*, & duobus præcedentibus diſputavi, his adhibitis etiam de plano pronunciabis de illis, quæ inter Anglos & Polonos, aliosque Populos inciderunt, & commemorata ſunt a Zoucheo *Part.* II. *de Jure Fecial. Sect.* 8. *Q.* 7.

CAPUT XII.

An licitum ob illicitum publicetur?

Si is, qui neutrarum partium eſt, & licitas & ſimul illicitas merces ad hoſtem vehat, & navis capiatur, quæſitum eſt, an ipſa navis, & an licitæ quoque merces propter illicitas publicentur? Idemque quæri poteſt, ſi alia quacunque cauſa merces fuerint illicitæ, & licitis mixtæ? Inter varias Quæſtiones & hanc Ordinibus Generalibus propoſuit Admiralitas Amſterdammenſis anno 1631. ad interpretationem nempe Edicti 1. Apr. 1622. Sed quamvis ad alias Quæſtiones reſponderint Ordines, de hac tamen amplius deliberandum cenſuerunt, ut eſt apud Aitzema (1). Ut ut autem nihil tunc, vel aliquamdiu poſtea, definitum repererim, attamen iidem Ordines 6. Maj. 1667. palam Admiralitatibus ſuis interdixerunt, ne cum illicitis mercibus etiam licitas, vel ipſam navem publicare vellent, ut narrat idem Aitzema (2). Sic ille ſimpliciter; & ſic etiam ex variis Ordinum Generalium Edictis ſimpliciter reſponſum eſt 18. Sept. 1665 (3).

Sed omnino diſtinguendum putem, ut ſunt qui di-

(14) *Plac.* I. 2. 22. 1. n. 5.
(15) *L.* XI. p. 350.
(16) *L.* IV. p. 822. & *L.* XXV. p. 195. & 196.

(1) *L.* XI. p. 455. & 456.
(2) *L.* XLVII. p. 469. & 470.
(3) *Conſil. Belg. T.* IV. Conſil. 206. Q. 2.

diſtinguunt apud Zoucheum *de Jur. Fecial. Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 3. an licitæ & illicitæ merces ad eundem dominum pertineant, an ad diverſos, ſi ad eundem, omnes recte publicabuntur, ob continentiam delicti, ſi ad diverſos, qui navi impoſuerunt, alteri alterius factum non nocebit, & ſecundum hanc diſtinctionem recte reſponſum eſt 31. Jul. 1692 (4). Atque huic ſententiæ fortiſſimum argumentum præbet *l.* 11. §. 2. *ff. de Public. & vectig.* ubi, in domino navis, Paulus diſtinguit, an ſciverit, illicite aliquid in nave fuiſſe impoſitum, an ignoraverit; ſi ſciverit, eo forte præſente, navim quoque fiſco vindicandam, quod ſi eo abſente a magiſtro id factum ſit, atque ita ignoraverit, navim domino eſſe reſtituendam, quia ſic nihil ipſe peccavit. Zoucheus tamen *d. loc.* ex Petrino Bello refert, ſimpliciter licita propter illicita fuiſſe publicata, ſed inſpecto Belli loco, quem ipſe non indicat, & exſtat *de Re militari Part.* IX. *n.* 26. 27. & 28. apparebit, tam licita, quam illicita in ea ſpecie pertinuiſſe ad unum eundemque mercatorem, fraudis gnarum, & ideo utrisque fuiſſe mulctatum, ſed de omnibus his mox plenius agemus.

Excutiamus prius Pacta & Edicta, quæ in hanc rem occurrunt, & ad Rempublicam noſtram pertinent. In Pacto de Navigatione, quod interceſſit inter Hiſpanos & Ordines Generales 4. Febr. 1648. (5) & in §. 12. Pacti marini inter eosdem 17. Dec. 1650. (6) ſimpliciter convenit, nefas eſſe alterutrius ſubditis ad hoſtem alterius vehere τὰ *contrabanda*, ſi vehantur, publicarentur, minime autem publicarentur naves & alia non *contrabanda*. Id ipſum, ſine ulla diſtinctione, placuit §§. 24. & 36. Pact. commerc. inter Gallos & Ordines Gener. 27. Apr. 1662 (7). Nec forte alia eorundem Ordinum mens eſt in §. 2. Edicti ſui contra Anglos, & contra eosdem & Francos 19. Mart. 1665. 14. Apr. 1672. & 11. Apr. 1673. (8) cum, enumeratis longa ſerie *contrabandis*, ea ſanciunt publicari, de reliquis autem non *contrabandis* tacent. Sed aperte in §. 7. Pacti marini inter Carolum II. Angliæ Regem & Ordines Generales 1. Dec. 1674. (9) licitæ merces ab illicitis diſtinguuntur, & hæ, non illæ publicari jubentur; quinimo ſi illicitæ continuo tradantur iis, qui naves occupaverant, naves & omnia reliqua jubentur etiam continuo dimitti, ut deſtinatum iter proſequantur; contra quam eſt in §§. 4. d. Edd. 1665. 1672. & 1673. ex his enim, ſi vel qualiscunque pars mercium fuerit illicita, naves captæ ad Admiralitates victorum transmittuntur, ut de iis ſententiam dicant. Simpliciter rurſus ex §. 7. Pact. commerc. inter Regem Suecorum & Ordines Gener. 26. Nov. 1675. (10) τὰ *contrabanda* publicantur, naves & non *contrabanda* non publicantur. Cum *d.* §. 7. Pacti marini 1. Dec. 1674. plane conveniunt §§. 21. & 26. Pacti marini inter Suecos & Ordines Gener. 12. Oct. 1679 (11) & §§. 21. & 26. Pact. commerc. inter Gallos & Ordines Gener. 10. Aug. 1678. (12) & rurſus §§. 26. & 31. Pact. commerc. inter eosdem 20. Sept. 1697. (13) & iterum §§. 25. & 30. Pact. commerc. inter eosdem 11. Apr. 1713. (14) ex omnibus enim his §§. non tantum liberæ ſunt naves & merces licitæ, ſed traditis a navarcho illicitis, continuo naves dimittuntur, & navigant ad portum deſtinatum.

Hæc eſt ſententia Pactorum & Edictorum; ſi ex iis Jus Gentium metiamur, dicendum videbatur, nunquam naves, nunquam merces licitas publicari ob merces illicitas, quæ eadem nave vehuntur. Sed non autem ex his Jus Gentium efficere, quia ratio, Juris Gentium magiſtra, non patitur, ut omnino generaliter & indiſtincte hæc intelligamus: nam, quod ad navim, diſtinguendum puto, an hæc ad ipſum navarchum, an ad alios pertineat. Si ad ipſum navarchum, iterum diſtinxerim, an ſciverit, ut plerumque ſcit, res illicitas navi ſuæ imponi, an ignoraverit, ut ſi nautæ, navarcho forte abſente, aliquid illicitum in ea condiderint. Si ſciverit, ipſe eſt in dolo, quod navim ſuam locaverit ad uſum rei illicitæ, & navis publicabitur, ſecus ſi ignoraverit, quia ſic dolo caret. Hæc Pauli Jurisprudentia eſt, quam ei ſana ratio dictavit in *d. l.* 11. §. 2. *ff. de Public. & vectig.* Tantundem dicimus, ſi ad alios pertineat navis, ſimpliciter enim *de domino navis* Pauli ſermo eſt in *d. l.* 11. §. 2. Si navarchus igitur navi imponat merces illicitas, inſciis dominis, navis eorum non publicabitur, aliud autem juris, ſi ipſi imponi ſciverint, atque ita quoque verſati fuerint in re illicita. Improbum eſt, dominos damnum pati ex facto navarchi, ſed ut ex ſuo patiantur, juſtum & æquum eſt. Ceterum ea diſtinctio inter navarchum ſcientem & ignorantem hodie non tam frequentem uſum habet, quam olim, quia, ut nunc ſunt mores nautici, navarchus ſolet ſubſcribere catalogo mercium, navi ſuæ impoſitarum, & promittere, ſe has probe recte curaturum ad eos, quibus miſſæ ſunt. Poteſt tamen habere uſum, ſi quid illiciti, ut modo dicebam, clam navarcho, fuerit impoſitum. Sed quod ad alios navium dominos res etiam hodie poteſt habere uſum frequentiſſimum.

In dominis mercium, ex eadem ratione, iterum diſtinguendum reor, ut ſupra dixi & alios diſtinguere, an licitæ illicitæque merces ad unum eundemque dominum pertineant, an ad diverſos. Si ad unum eundemque, omnes puto recte publicari, plane ut Jure Romano, in cauſa vectigalium & tributorum, ſi quis prohibitas & ſimul permiſſas merces vehat, & has profeſſus ſit, illas vero celet, utræque committuntur propter dolum vectoris, ut ex *d. l.* 11. §. 2. & *l.* 3. *C. de Naut. fœn.* recte colligunt Commentatores ad *Tit. ff. de Public. & vectig.* Aliis alia diſtinctio placet, an ſcilicet licitæ merces ab illicitis commode poſſint ſeparari, ſi non poſſint, utrasque committi, ſi poſſint, has committi, illas non etiam, neque intereſſe, ad eundem dominum pertineant, nec ne. Sed hæc diſtinctio, cum ſemper ſeparationi locus ſit, neque rationem habet, neque ullam auctoritatem Juris. Majorem habet, an licitæ merces ad alium, quam ipſum fraudatorem pertineant, tunc enim rationis eſt, ne alter ob fraudem alterius bonis ſuis

(4) *Conſil. Belg. T.* IV. Conſil. 210.
(5) *Plac.* I. 1. 2. 4.
(6) *Ibidem* I. 1. 2. 5.
(7) *Ibidem Append.* p. 2914. & 2915.
(8) *Ibidem* III. 1. 9. 1.
(9) *Ibidem* III. 1. 13. 31.
(10) *Ibidem* III. 1. 13. 32.
(11) *Ibidem* III. 11. 10.
(12) *Ibidem* III. 1. 13. 34.
(13) *Ibidem* IV. 1. 13. p. 315.
(14) *Ibidem* V. 1. 13. p. 476.

ſuis privetur. Auctoritas quoque juris præſto eſt in cauſis ejusdem fere argumenti: nam ſi unus ex pluribus heredibus rem munem cauſa vectigalis ſubripiat, portiones ceteris non auferuntur *l.* 8. §. 1. *ff. de Public. & vectig.* Et ſi coloni vel ſervi ejus, qui dominus eſt alicujus prædii, ferrum illicite in prædio fecerint, ſi quidem *ignorante domino*, nulla pœna dominus tenetur *l.* 16. §. 11. *Eod.* Nec creditori fœnebris pecuniæ quicquam nocet, ſi dolo debitoris, illicitis comparatis mercibus, cuncta, quæ navis contine at, Fiſcus occupaverit *d. l.* 3. *C. de Naut. fœn.*

Sed quid ſi licitarum mercium domini ſimpliciter ſciverint, ab aliis etiam illicitas in nave imponi? hanc ſimplicem ſcientiam licitarum quoque mercium publicationi locum faciet? ſic velle videtur Conſultor quidam (15); ſed ejus ſententia ego non utor, nec reperi etiam, quod ei auctoritatem præbeat. Poterat forte provocare, quamvis non provocet, ad *d. l.* 16. §. 11. *ff. de Public. & vectig.* ubi domino non nocet, ſi *eo ignorante* ferrum in ſuo prædio illicite fabricaverint coloni vel ſervi, ut ſic nocere dixeris, ſi quid ejusmodi fiat *domino ſciente*, ſed ideo, ſciente domino, ei nocebit, quia ejus erat prohibere, & colonis ſervisque ſuis imperare, ne quid illicitum in prædio ſuo facerent. At ſi plures domini, ut fit, navi onerariæ merces ſuas imponant, alius alii nihil poteſt imperare, quin nec ipſi navarcho, qui merces transvehendas conduxit. Quod igitur licitarum mercium dominus prohibere non poteſt, ne ipſi noceat; poterit quidem merces ſuas retinere, ſed ſi retinere commodum non eſt, aliorum dolum vel culpam præſtare non tenebitur.

Sic quidem mihi videtur, & vellem, ſecundum hæc, Pacta & Edicta, quæ commemoravi, eſſent ſcripta & diſtincta. Si tu putes, diſtinctiones, ibi non expreſſas, tacite eſſe intelligendas, & ſic Pacta & Edicta explicari poſſe pro varia ſpecie, quæ incidit, vellem, ſi poſſem, huic ſententiæ accedere, ſed vereor, ne obſtent verba nimis generalia. Confuſa & obſcura ſunt, quæ de his omnibus ſcripſit Albericus Gentilis *Hiſpan. Advoc. L.* I. *C.* 20.

CAPUT XIII.

De amicorum bonis, in hoſtium navibus repertis.

Cum poſt ſubactam ab Hiſpanis Lyſitaniam, Batavi anno 1602. multas Lyſitanorum naves cepiſſent, ſcribit Grotius *L.* XI. *Hiſtor. Belg. ad d. Ann. Illud obſcurius, an quæ captis in navibus, Italorum bona inveniebantur, in prædam cederent? Res inter æquitatem & jus belli media tranſigendo deciſa eſt.* Igitur tunc dubitavit Grotius, an bona amicorum, in hoſtium navibus reperta, pro hoſtilibus eſſent habenda, ſed non dubitavit in Libris *de Jure Belli ac Pacis*, quos edidit anno 1625. nam poſtquam *L.* III. *C.* 6. §. 5. dixiſſet, jure belli non acquiri, niſi quæ hoſtium ſunt, non quæ amicorum, licet apud hoſtes deprehendantur, in oppidis forte eorum, aut intra præſidia, inde mox efficit §. 6. ex Jure Gentium non eſſe parœmiam vulgarem, *hoſtiles cenſeri res, in hoſtium navibus repertas*, ſed pro hoſtilibus, ex præſumtione quadam, eſſe habendas, donec contrarium liqueat. *Atque ita*, pergit, *in Hollandia noſtra jam olim, anno ſcilicet* 1338. *flagrante cum Anſiaticis bello, frequenti Senatu judicatum, & ex judicato in legem tranſiiſſe comperi.* Eandem quæſtionem tractavit idem Grotius *Not. ad L.* III. *de Jure B. & P. C.* 1. §. 5. *n.* 4. laudata eadem Senatus Hollandici ſententia.

Plane ego inſcitiæ meæ indignor, quod hanc anni 1338. ſententiam nec repererim, quin nec intelligam, quis Senatus id judicare potuerit: conſtat enim plena fide, integro fere ſæculo poſt, Curiam Hollandiæ demum inſtituiſſe Philippum Burgundum. Idem quidem Grotius *Not. ad d. L.* III. *C.* 1. §. 5. *n.* 4. in nova Editione habet annum 1438. Sed & noviſſima, & anni 1632. Editio in Forma octava (quam ipſe Grotius 8. Apr. 1632. accuratiſſimam eſſe teſtatus eſt) in *d.* §. 6. exhibent annum 1338. & hunc etiam ſequuntur, qui Grotium exſcripſerunt, quemadmodum Zoucheus *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 5. & Conſultores Belgæ *Conſil. Belg. T.* III. *Conſil.* 253. Eundem quoque annum 1338. ſervavit Clariſſimus Barbeyrac, amicus meus, in Grotii verſione Gallica *d.* §. 6. ratus forte, aliam hanc eſſe ſententiam, quam quæ laudatur in *Not. ad d.* §. 5. *n.* 4. quamque ibi, in verſione Gallica, Ordinibus tribuit, cum tamen hi neque jus dixerint, neque *Senatus* nomine appellentur unquam. Sed omnino una eademque eſt ſententia, & in *d.* §. 6. reſtitui debet annus 1438. ut ſenſerit Grotius de bello Hanſeatico, de quo eſt Liber, qui ſervatur in Archivo Curiæ Hollandicæ, quique inſcribitur OOSTERLINGEN.

Ad rem ipſam quod attinet, quamvis illa anni 1438. ſententia diligentiam meam fugerit, Grotio tamen, id adfirmanti, etiam ſine ſponſore credo, & facile etiam mihi perſuadeo, alios, ſine ulla alia auctoritate juris, Grotii præëuntis fidem & ſententiam ſequutos eſſe. Ita ſane, tanquam de jure recepto, ſcribit Loccenius *de Jure maritimo L.* II. *C.* 4. *n. ult.* & ita quoque reſpondet turba ſex advocatorum *d. Conſil. Belg. Tom.* III. *Conſil.* 253. maxime, ajunt illi, ſi publice denunciatum non ſit, ne quis amicus navi hoſtili merces ſuas imponere velit, vel is, qui impoſuit, belli ignarus ſit. In eandem ſententiam reſponſum eſt *Conſil. Belg. T.* IV. *Conſil.* 207. Sed non animadverto, ſi Jure Gentium liceat amico hoſtilem navem adhibere ad transvehendas merces ſuas, cur illud illicitum fieri poſſit alterius Gentis publica in contrarium denunciatione. Inter duos Populos, mihi amicos, ſed invicem hoſtes, commercia mihi exercere licet, niſi pacta expreſſa vel tacita id quodammodo impediant, ut fere obtinet in *contrabandis*; quod ſi tamen altera Gens ſine alterius conſenſu omnimodo mihi commerciis interdicat? injuſta utique erit interdictio quod ad ſubditos non ſuos. Ita quoque ſenſiſſe videtur Grotius *Not. ad L.* III. *de Jure B. & P. C.* 1. §. 5. *n.* 4. ubi id argumentum plena manu exſequutus eſt. Dico *videtur*, quia *d. n.* 4. publicis Gentium denunciationibus nonnihil tribuit, quibus tamen impune non pareri, in *Notis* recte indicat. Deinde quid intereſt, utrum

(15) *d. Conſil. Belg. T.* IV. Conſil. 210.

utrum is, qui merces ſuas navi hoſtili imponit, belli fuerit gnarus, an ignarus? fac, gnarum fuiſſe, & omnino etiam ſciviſſe, navim fuiſſe hoſtilem, ſupererit utique eadem adhuc quæſtio, an nempe verſatus fuerit in re licita, an illicita? Sed hæ ſunt Pragmaticorum lautitiæ, quibus indoctum vulgus excipiunt.

Priusquam autem, quid mihi videatur, exponam, operæ pretium erit, pactiones Gentium conſuluiſſe. Et, quantum intelligo, hæ fere conveniunt Juri Francico, quod relatum eſt apud Mornacium ad *l. pen.* §. 1. *ff. Locat. cond. que la robbe de l'ennemi confiſque celle de l'ami*, quod ob navem, quæ hoſtilis eſt, publicatam, etiam publicentur res amici. Grotius in *Not. ad L.* III. *de Jure B. & P. C.* 6. §. 6. Leges Gallicas recenſet, quæ ex rebus naves, & ex navibus res prædæ ſubjiciunt, ſed, ne nimium iniquæ ſint, ita accipit, ſi conſenſu dominorum navis in eam illatæ ſint res hoſtiles, tunc ſcilicet ipſam quoque navem, licet amicam, publicari. Sed de ea ſpecie nunc non agimus, acturi *Capite proximo.* Sin autem conſenſus domini navis, prædæ navis locum facit, quidni & amicorum bona publicamus, in navi inventa hoſtili, ſi mercium domini conſentiant, navi eas hoſtili imponi? de ea ſpecie nihil quicquam dixit Grotius, & tamen eadem reciprocationis ratio idem jus videbatur flagitare.

Sed his pauliſper ſepoſitis audi Pacta Gentium. In §. 13. Pacti marini inter Hiſpanos & Ordines Gener. 17. Dec. 1650. (1) convenit, amicorum qualiacunque bona, in hoſtium navibus inventa, publicari. Idem placuit §. 35. Pact. commerc. inter Regem Galliæ & Ordines Gener. 27. Apr. 1662. (2) & aliis Pactis commerciorum, inter eosdem deinde factis, nempe §. 22. Pacti 10. Aug. 1678. (3) §. 27. Pacti 20. Sept. 1697. (4) & §. 26. Pacti 11. Apr. 1713. (5) Similiter convenit inter Carolum II. Angliæ Regem & Ordines Gener. §. 8. Pacti marini 1. Dec. 1674. (6) & §. 8. Pact. commerc. inter Carolum, Suecorum Regem, & Ordines Gener. 26. Nov. 1675. (7) & rurſus §. 22. Pact. commerc. inter eosdem 12. Oct. 1679. (8).

Vides, ſimpliciter ſecundum Jus Francicum amicorum bona publicari eo ipſo, quod in navi hoſtili deprehendantur, quod non convenit ei, quod Grotius in Hollandia Senatum judicaſſe, & in legem verſum eſſe ſcripſit. Sed hæc pacta, quæ recenſui, poſteriora ſunt, non tamen, ut puto, ſequenda niſi inter eos, quos inter ita convenit. Ex ratione utique ejusmodi jus defendi non poterit: nam cur mihi non liceat uti nave amici mei, quamquam tui hoſtis, ad transvehendas merces meas? Si pacta non intercedant, licet mihi, ut ſupra dicebam, cum hoſte tuo commercia frequentare; quod ſi liceat, licebit quoque cum eo quoscunque contractus celebrare, emere, vendere, locare, conducere, atque ita porro. Quare, ſi ejus navem operamque conduxerim, ut res meas trans mare vehat, verſatus ſum in re, omni jure licita. Tibi, qua hoſti, licebit navem ejus occupare, ſed quo jure res meas, id eſt, amici tui occupabis? ſi nempe probem, res meas eſſe, alioquin Grotio adſentior, ex præſumptione quadam pro rebus hoſtilibus eſſe habenda, quæ in navi hoſtili inveniuntur.

Sed quid dicemus, ſi mercium domini ſciverint & conſenſerint, res ſuas imponi navi, amici quidem ſui, & tui hoſtis? ego exiſtimem, eam ſcientiam & conſenſum prædæ locum non facere. Res ex eo pendet, an mercium domini, onus inferentes navi hoſtili, rem fecerint licitam, an illicitam? Diſputavi autem, rem licitam feciſſe, quia cum iis, quibuscum commercia recte exerceo, mihi quoque licet omne genus contractus celebrare, & pro mercede, ejus uti nave ad utilitatem meam. Cape, ſi potes, quodcunque eſt hoſtis tui, ſed mihi redde, quod meum eſt, quia amicus tuus ſum, & impoſitione rerum mearum nihil ſum molitus in necem tuam.

Atque his, quæ dixi, fere convenit, quod definitum eſt in *Conſulatu Maris C.* 273. §. 3. nempe navem hoſtilem captam eſſe capientis, ſed mercium dominos, capientis amicos, ſi præſentes ſint, de pretio navis poſſe tranſigere, & ſic iter ſuum proſequi. Sin autem tranſactio non ſucceſſerit, navem perduci poſſe in portum capientis, & ita tamen dominis reſtitui merces ſuas, modo ſolvant mercedes ſive vecturæ pretia, perinde atque ſi navis iter ſuum abſolviſſet. Quod additur de vecturæ pretiis ſolvendis, ejus juris rationem non adſequor. Satis intelligo, qui navem hoſtilem occupavit, etiam occupaſſe omne jus, quod navi, ſive navarcho debebatur, ſed navi ſive navarcho non debebantur mercedes, niſi ob merces translatas in portum deſtinatum. Proponitur autem, navem in ipſo itinere fuiſſe captam, eccur igitur capienti ſolvam mercedes? ſi, qui cepit navem, eam cum mercibus in locum deſtinatum perducere paratus ſit, ejus juris rationem intelligerem, ceteroquin non intelligo. Imprudentiæ meæ, quod navi hoſtili res meas impoſuerim, ſatis pœnas dabo, quod meo periculo meisque ſumptibus merces meas repetere & avehere habeam neceſſe. De vecturæ pretiis ſæpe ineptiunt, quibus ſanum ſinciput non eſt; alio exemplo id ſupra oſtendi *Cap.* X.

CAPUT XIV.

De hoſtium rebus, in amicorum navibus repertis.

Si navis amici mei hoſtium res vehat, & capiatur, duplex erit inſpectio; altera, an ipſa navis amica, altera, an res hoſtiles recte publicentur? Quod ad primam, ſi antiquas Francorum leges ſequamur, ob res hoſtiles vectas etiam amica navis publicabitur. Sane ita olim in Francia juris fuiſſe, inde quoque apparet, quod a legibus, quæ id ſanciunt, fuerint exemptæ Civitates Hanſeaticæ ex §. 3. Pacti marini inter Regem Franciæ & Civitates Hanſeaticas

(1) *Plac.* I. *t.* 2. 5.
(2) *Ibidem* II. *Append.* p. 2916.
(3) *Ibidem* III. 1. 13. 34.
(4) *Ibidem* IV. 1. 13. p. 315.
(5) *Ibidem* V. 1. 13. p. 476.
(6) *Ibidem* III. 1. 13. 31.
(7) *Ibidem* n. 32.
(8) *Ibidem* III. 11. 10.

cas 10. Maj. 1655. (1) Grotius *eo loco*, quem *Capite proximo* indicabam, id Jus Francicum non aliter obtinere cenſet, quam ſi conſenſerit dominus navis amicæ, hoſtiles ei res imponi, eo adferens *l.* 11. §. 2. *ff. de Public. & vectig.* ubi, ut *Cap.* XII. quoque dicebam, in domino navis, diſtinguitur, ſciverit, an ignoraverit, illicite aliquid in ſua navi fuiſſe impoſitum, priore ſpecie navem publicari, poſteriore non etiam, & ſic quoque in hac ipſa quæſtione diſtinguit Loccenius *de Jure maritimo L.* II. *C.* 4. *n. ult.* Habet ſane illa Pauli diſtinctio inter dominum navis ſcientem & ignorantem magnum momentum, & jure Romano habuit quoque magnum uſum, ſed hodie vix ullum habet, ſi ad ipſum navarchum pertineat navis; ſolet enim ipſe navarchus merces recipere, & id teſtari chirographo, quod vulgo *Cognoſſement* appellatur. Majorem uſum habet ea diſtinctio, ſi ad alios dominos navis pertineat, & iis inſciis magiſter merces receperit, quemadmodum id jam expoſui *d. C.* XII. Dubitari tamen poſſet, an non alii domini, ſi receptionem magiſtro mandaverint, & ille illicitum quid receperit, ex ejus facto teneantur de mala receptione? Vulgo obtinet, ut, qui hominem minus idoneum, rei cui præponit, ex ejus dolo vel culpa teneatur, & ſi inter magiſtrum & alium navis dominum diſtinguas, haberet utique ea res obſervationem ſic ſatis difficilem.

Sed hæc non urgeo. Fac, alios dominos ex receptione magiſtri etiam ſine mandato receptionis, omnino teneri, fac, ipſam receptionem magiſtro mandatam fuiſſe, fac, eum ſemper ſcire, quid in nave ſua condatur, & ne ſic quidem navem publicaverim, etiamſi dominus ſciverit vel conſenſerit, res hoſtiles ei fuiſſe impoſitas. Non largior Grotio, eam ſpeciem, de qua Paulus agit in *d. l.* 11. §. 2. porrigi poſſe ad id, de quo nos quærimus. Non quod in iis, quæ ſola ratio commendat, a Jure Romano ad Jus Gentium non tuta ſit collectio, ſed quod Paulus agat de magiſtro, qui ſciens vel ignorans merces, vectigali obnoxias, vehit, & ibi verum eſt, ſi ſciens vehat, eum operam dare rei illicitæ, nam fraudem facit publico, qui merces, quas profiteri oportebat, celaverit, & ſciens earum transvectioni navem ſuam locaverit vel commodaverit. Atque ita hodie ex omnibus omnium Principum Edictis naves, fraudandi vectigalis cauſa adhibitæ, publicantur, non alia ratione, quam quod inſerviant rei illicitæ. Ex eadem Pauli diſtinctione, qua & ipſe uſus ſum *d. C.* XII. publicabam quoque naves amicas, ſi, ſcientibus dominis, *contrabanda* ad hoſtes deferrent, &, niſi pacta impediant, omnino publicandæ ſunt, quia earum domini operantur rei illicitæ. Sed nunc ſubſiſte, & mecum quære, an Jure Gentium peccet, qui nave ſua rem amici ſui, quamquam tui hoſtis, transfert? quo jure tu, qui etiam amicus meus es, invades navem meam, licet vehat res tui hoſtis? Ego, utrique amicus, utrique operam præſtabo in his, quæ neutri veſtrum nocent, & ſic uterque etiam mihi operam præſtabit in rebus promiſcuis. Hoſtis tuus recte locabit mihi navem ſuam, & ego rurſus meam hoſti tuo locabo. De his, qui ſine dolo vel culpa agunt, prolixius in hanc rem diſputavi *Capite præced.* quæ ſi ſubſiſtant, non eſt etiam laborandum de hac quæſtione, ſed omnino dicendum, navem amicam non publicari ob res hoſtiles, ei impoſitas, ſive ſciverit, ſive ignoraverit dominus navis, utcunque enim ſciverit, ſimul ſcivit, ſe verſari in re licita. At ſic non eſt in eo, qui ſciens res munes vel *contrabandas* vehit. Quare in hac quæſtione non probo diſtinctionem Pauli in *d. l.* 11. §. 2. probo potius, quod navem amicam, quamvis rebus hoſtilibus onuſtam, non publicari, ſimpliciter reſponſum eſt *Conſil. Belg.* *T.* IV. *Conſil.* 206. *n.* 2.

Succedat altera inſpectio, an nempe ipſæ res hoſtiles, in navi amica deprehenſæ, recte publicentur? quid, inquies, dubitabis, cum recte occupem, quicquid hoſtium eſt? Et tamen in §. 14. Pacti marini inter Hiſpanos & Ordines Gener. 17. Dec. 1650. & in *d.* §. 35. & ambobus illis §§. 22. & *d.* §. 27. & *d.* §. 26. & ambobus illis §§. 8. quorum omnium memini *Capite proximo*, ſimpliciter convenit, liberas fore hoſtium merces, in amicorum navibus repertas, *vry ſchip, vry goed*, ut Belgæ lingua vernacula id efferunt; exceptis tamen mercibus vetitis, inſtrumentis nempe belli, nam hæc ſecundum *d.* §§. publicari jubentur, & hæc duntaxat. Quod non aliter intelligo, quam ſi ad hoſtes vehantur, alioquin præ reliquis nulla publicationis cauſa eſt. Ita, inquam, ſimpliciter convenit, etiam, quod mireris, quatuor illis Pactis, quæ *d. Cap.* commemoravi, & inter Reges Franciæ & Ordines Generales interceſſerunt annis 1662. 1678. 1697. & 1713. nam ſi, ſecundum hæc, neque res hoſtiles publicentur, quæ in navi amica ſunt, multo minus publicabitur ipſa navis amica. Igitur dicendum eſt, aut ab antiquo jure Francico, de quo ſupra dixi, plane eſſe receſſum, aut, quod eſt verius, hæc Pacta exceptionum loco eſſe habenda.

Sed quicquid ſit, de ipſa ratione magis, quam de Pactis laborandum eſt. Ea autem conſulta non ſum, qui videam, cur non liceret capere res hoſtiles, quamvis in navi amica repertas, id enim capio, quod hoſtium eſt, quodque jure belli victori cedit. Sin ajas, me non recte occupare res hoſtiles in navi amica, niſi prius occupem navim amicam, atque ita vim faciam rei amici, ut deprehendam rem hoſtis, idque non magis licere, quam hoſtes noſtros aggredi in amici portu, vel deprædari in territorio amici, velim animadvertas, eatenus utique licitum eſſe amicam navem ſiſtere, ut non ex fallaci forte apluſtri, ſed ex ipſis inſtrumentis, in navi repertis, conſtet, navem amicam eſſe. Si id conſtet, dimittam, ſi hoſtilem eſſe conſtiterit, occupabo. Quod ſi liceat, ut omni jure licet, & perpetuo obſervatur, licebit quoque inſtrumenta, quæ ad merces pertinent, excutere, & inde diſcere, an quæ hoſtium bona in nave lateant, &, ſi lateant, quidni ea jure belli occupem? de eo ſane non dubitat Conſultor *d. Conſil. Belg. T.* IV. *Conſil.* 206. *n.* 2. nec dubitant Leges maritimæ in *Conſulatu Maris C.* 273. *pr.* ſecundum has enim navis amica dimittitur, res hoſtiles, in portum victoris perductæ publicantur. Sed rurſus rationem non habet, quod ibi additur, oportere victorem magiſtro navis amicæ ſolvere mercedes ſive vecturæ pretia, quia hæc non debentur, niſi perductis mercibus ad locum deſtinatum. Si cauſeris, per magiſtrum non ſtetiſſe, quominus eo perduxerit, verum dicis, ſed magiſter ſuo periculo merces hoſtiles navi ſuæ impoſuit, gnarus, eas capi, & ſic in portum capientis perduci

(1) *Plac.* II. 4. 28. 3. 4. & *Hollandſche Mercurius* 1657. p. 48.

duci poſſe. Nihil igitur habebit querelarum, ſi ſola navis dimittatur, niſi inter eum & victorem convenerit, ut ipſe merces hoſtiles deferat ad locum deſtinatum, translata ſic in victorem cauſa locationis conductionis. Secundum hæc etiam *Cap. præced.* diſputavi in ſpecie oppoſita, ſi nempe navis hoſtilis, & merces fuerint amicæ.

Non excurram nunc in ſingula facta, quæ inciderunt: nam ſi probes, quæ ego probo, & jam exſequutus ſum, ipſe judicabis, juſtum, an injuſtum ſit, quod reperies apud Alber. Gentilem *Hiſpan. Advocat. L.* I. *C.* 28. & ipſe quoque judicabis de omnibus his, quæ habet Zoucheus *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 6. & præſertim de ea quæſtione, quæ ſub initia hujus Reipublicæ Anglos & Zelandos tantis animis commiſit. Ipſe Zoucheus naves amicas dimittit, res hoſtiles publicat, ſed ſolvit etiam magiſtro naulum, in his ſequutus *Conſulatum Maris d. C.* 273. Naulum tamen non ſolvit, niſi pro menſura itineris peracti, quod, ſi rationem haberet, ut non habet, difficillimam utique haberet explicationem.

Poſtquam hæc ſcripſeram, in manus meas pervenit Clariſſ. Heineccii *Opuſculorum Variorum Sylloge*, in qua etiam exſtat ejus Diſſertatio *de navibus ob vecturam vetitarum mercium commiſſis*, ubi C. II. §. 9. paucis exponit utramque ſpeciem, de qua *hoc* & *præced. Cap.* actum eſt. Sed tantum abeſt, ut, his lectis, mutem ſententiam, ut eam potius confirmaverit Viri magni auctoritas. Cur tamen nihil delendum cenſuerim, ipſe videbis, ſi, quæ uterque noſtrum dixit, conferre commodum ſit.

CAPUT XV.

An res, ab hoſtibus captæ, in non hoſtis imperium delatæ, poſtliminio revertantur?

Putares, quæſtionem hanc definiviſſe Pomponium in *l.* 5. §. 1. *ff. de Captiv. & poſtl. reverſ.* cum ait, aliquem ex noſtris, antea ab hoſtibus captum, poſtliminio reverſum intelligi, *ſi aut ad amicos noſtros perveniat, aut intra præſidia noſtra eſſe cœpit.* Quod juris eſt in perſonis, idem eſt & in rebus, quarum poſtliminium eſt. Ait Pomponius *ad amicos noſtros.* Id eſſe diceres *ad non hoſtes noſtros*, nam qui non hoſtes ſunt, pro amicis videbantur habendi. Sed aliter hæc explicat Grotius *de Jure B. & P. L.* III. *C.* 9. §. 2. *n.* 1. & 2. ratus, & recte, ſi quid judico, per *amicos* intelligi *non ſimpliciter, quibuscum pax eſt, ſed qui partes in bello easdem ſequuntur.* Atque ita etiam Paulum interpretatur in *l.* 19. §. 3. *ff. Eod.* cum ibi ait, poſtliminio rediiſſe videri, non tantum qui in fines noſtros intraverit, *ſed & ſi in Civitatem ſociam amicamve, aut ad Regem ſocium vel amicum venerit*, hac addita ratione, *quia ibi primum nomine publico tutus eſſe incipiat.* Si *ſocium amicumve* conjunctim accipiamus, ut ſæpe disjuncta conjungimus, Grotio favebit Paulus, nam ſic intelligimus *amicum*, qui & *ſocius*, id eſt, fœderatus noſter eſt. Si vero accipiamus disjunctim, ſuffecerit *amicum* eſſe, quamvis ſocius non ſit; & hoc ſufficere, diſputat Albericus Gentilis *Hiſpan. Advoc. L.* I. *C.* 1. Sane ratio, quam addit Paulus, *quia ibi primum nomine publico tutus eſſe incipiat*, æque, & magis etiam, ad amicum ſocium referri poteſt, quam ad amicum ſolum. Non erat igitur, cur ex Pauli addita ratione rem totam conficeret Gentilis.

Quæ Grotii ſententia eſt, eadem & ante fuit Antonii Gaminæ *Deciſ. Luſitan.* 384. quem propterea ſibi refutandum ſumpſit Gentilis. Zoucheus de *Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 2. contentus ſententias diverſas retuliſſe, ipſe, pro more fere ſuo, judex ſedere noluit, quamvis tamen in ſententiam Gentilis mihi videatur proclivior. Grotius autem id, quod dicit, ſolis exemplis defendit, nihil quicquam rationis adferens. *Apud eos*, inquit *d. n.* 2. *qui amici ſunt, ſed non earundem partium, bello capti ſtatum non mutant, niſi ex ſpeciali pacto*, quale mox adducit ex fœdere II. inter Romanos & Carthaginenſes, ſed recte obſervat Zoucheus *d. loc.* non ſatis conſtare, an, quod illi pacti ſunt, ſit habendum pro Jure publico, an pro exceptione, qua a Jure publico diverſi abeunt. In variis Pactis, & antiquioribus, & recentioribus, id adeo ſæpe eſt incertum, ut ex ſolis Pactis, non conſulta ratione, de Jure Gentium pronunciare periculoſum ſit. Addit Grotius in *Notis*, ex Thuano conſtare, ut ipſe ſentit, ſenſiſſe quoque Regem Maroci & Feſæ, ſed his Magiſtris in Jure publico nemo facile utetur. Grotio conſentit Ulricus Huberus *de Jure Civitatis L.* III. *Sect.* 4. *C.* 5. *n.* 11. dum *reverſum* intelligit, qui revertitur in præſidia noſtra, *vel ad Populos partium noſtrarum.* Conſentit & Hertius *Adnot. ad Pufendorfium de Jure Nat. & Gent. L.* VIII. *C.* 6. *n.* 25. poſtliminium derivans, ut multi derivarunt, non ex Jure Gentium, ſed ex jure, quod ipſi Principes ſubditis ſuis indulſerunt. Et inde definit *quæſtionem, non ſemel inter Populos diſceptatam, an ſi perſona vel res capta in Civitatem, quæ neutrarum eſt partium, deveniant, libertatem poſtliminio conſequantur? quod*, inquit, *haud dubie negandum, quoniam illi, qui in bello ſunt medii, factum pro jure accipiunt, adeoque captivitatem improbare non poſſunt.*

Sed profecto, ſi ex ſola ratione diſputare placeat, adeo mihi nugatoria videtur hæc quæſtio, ut mirum ſit, eam multorum ingenia exercuiſſe. Qui revertitur ad fœderatos, jus poſtliminii habet, quia ad ſuam Civitatem videtur reverſus, fœderati enim nobiscum unam quodammodo Civitatem conſtituunt. Certe in cauſa belli, quod communi auxilio gerunt, eorum rationes ſeparandæ non ſunt. Quapropter per *amicos* in *d. l.* 5. §. 1. intellexerim quoque, qui cum maxime *amici* ſunt, id eſt, qui mutuo fœdere in hoſtem agunt, & per *Regem ſocium vel amicum* in *d. l.* 19. §. 3. qui *amicus* & ſimul *ſocius* eſt, ſuffecerat alioquin *amicum* dixiſſe. Apud hos ſolos verum eſt, ex cauſa ſocietatis, jus poſtliminii eſſe, ſed apud eos, qui utrimque ſimpliciter amici ſunt, ſtatus rerum hominumve noſtrorum non mutatur, cum nulla ſit mutandi cauſa. Unde miror, Gentilem aliosque exiſtimaſſe, poſtliminio reverti, quæcunque in non hoſtis Imperium delata ſunt, &, quod ei conſequens eſt, captivos, in territorium amici deductos, fieri liberos. Quod de captivis dixi, rotunde ſcribunt Joannes de Immola *Conſil.* 50. & Petrinus Bellus *de Re militari Part.* II. *T.* 18. *n.* 12. quibus ſuffragium ſuum addere videtur Zoucheus *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 9. *Q.* 8. Res utique in contrarium adeo manifeſta eſt, ut de veritate ne Sceptici quidem ſerio dubitaverint: uno enim ore con-

conſentiunt omnes, captura in bello dominium quæri, & apud amicos noſtros dominium noſtrum, noſtrum manere. Quod ſi ſit, res a nobis captæ, noſtræ quoque manent, & captivus noſter, captivus noſter; quo alioquin jure Princeps, nobis amicus, res, pleno jure noſtras, nobis auferet, & aliis, quantumvis æque amicis dabit? ſine injuria noſtra id fieri non poſſe ſatis eſt certiſſimum. Ne conſtituto quidem judicio id ei licet, nam inter me & hoſtem meum non recte judicat niſi ex compromiſſo. Cum igitur, quod captum eſt, apud amicum maneat in eadem cauſa, perperam anno 1657. Sueciæ Legatus literas ſuas, a Danis hoſtibus interceptas, & Ordinibus Generalibus, amicis ſuis datas, ſuas iterum eſſe factas contendit (1).

Conventiones quandoque aliæ fiunt inter Principes, ut olim inter Romanos & Carthaginenſes Fœdere II. cujus ſententiam ex Polybio Grotius exhibet *d. loc.* Atque ita in §. 20. Pacis inter Regem Lyſitaniæ & Ordines Gener. 6. Aug. 1661. (2) convenit, ut res, quas alterius hoſtis cepiſſet, & in alterius portum detuliſſet, prioribus dominis, ſi intra certum a captura tempus petitæ eſſent, reſtituerentur. Sed ejusmodi pacta non ineuntur ſine injuria ejus, qui res hoſtiles cepit, & ad amicum, ut in locum tutum, detulit. Quare nec rationem, nec Jus Gentium mutant. Qui plura in eandem ſententiam deſiderat, reperiet apud Cunæum ſingulari Diſſertatione *de cauſa poſtliminii*, & apud Loccenium *de Jure maritimo Lib.* II. *C.* 4. *n.* 6—10. ubi Cunæi rationes compendio deſcripſit.

Hæc autem ita vera ſunt, ſi, qui cepit, juſto bello ceperit, nam ſi piratæ ceperint, capta omni modo prioribus dominis ſunt reſtituenda, & ita etiam placuit §. 4. Fœderis inter Imperatorem Maroci & Ordines Gener. 24. Sept. 1610. (3) & *d.* §. 20. Pacis Lyſitanæ 6. Aug. 1661. & §. 45. Pact. commerc. inter Francos & Ordines Gener. 27. Apr. 1662. (4) & §. 11. Pacis inter Anglos & Ordines Gener. 14. Sept. 1662. (5). Idque eſt Juris communis, quo apud omnes Gentes receptum eſt piratas dominium non mutare; quod argumentum alii prolixe exſequuti ſunt, ut latius dicam C. XVII.

Secundum hæc ſi res mea, ab hoſtibus capta, ad ſocium & fœderatum pervenerit, mihi redditur, & perinde habetur, atque ſi ſocius & Fœderatus eam ab hoſte communi liberaverit. Et tamen in ea ſpecie Franci olim alio jure uſi ſunt, unde & contra eos mutuam injuriam eſſe exercendam Ordines Generales decreverunt 4. & 5. Dec. 1637 (6).

Plus habet dubii, an hoſtis noſter rem, quam a nobis cepit, in amici territorio poſſit diſtrahere, & pretium exigere? Sed non poſſe, &, ſi diſtrahat, rem, nullo ſoluto pretio, ad priſtinum dominum reverti cautum eſt §. 12. d. Pacis Anglicæ 14. Sept. 1662. quem §. in facto quodam, quod incidit, ſervari voluiſſe Ordines Generales, narrat Aitzema (7). Scire autem velim, quæ ſit ejus pacti ratio? an quod, ſi diſtrahere liceret, hoſtis noſter ea diſtractione juvaretur? ſin hoc ajas, ais, quod incertum eſt; quin licet amicos noſtros, quamvis invicem hoſtes, juvare, modo ne juvemus bellico apparatu, & his, quam illis, æquiores vel iniquiores ſimus. Noli igitur a me deſiderare, ut amicis portus meos claudam, iisque cum ſubditis meis commercio interdicam. Quare exiſtimem, *d.* §. 12. eſſe referendum inter pacta ſpecialia, quorum ratio ſæpe nos latet, generaliter enim liberum eſt apud non hoſtes rerum noſtrarum dominium, utroque tam Gentium, quam Civili Jure quæſitum.

Quamvis autem ratio permittat, ut rem ab hoſte captam, in amici Imperium licite deferam, ibique, ſi placeat, diſtraham, ne tamen id liceret, plus ſemel conſtitutum fuit. Sane Ordines Generales 9. Aug. 1658. (8) edixerunt, ne quis exterus prædator navim captam, inque ſuos portus ex cauſa ſontica delatam, diſtraheret vel exoneraret, ſed adventum ſuum Ballivio loci denunciaret, isque poſita cuſtodia prædam obſervaret, usque dum denuo abeundi poteſtas eſſet, ſtatuta, præter pœnam arbitrariam, mille florenorum mulcta ei, qui aliquid ex ea præda emiſſet, aut exonerari navim juviſſet. Quod Edictum iidem Ordines 7. Nov. ejusdem anni 1658. (9) ita auxerunt, ne navim in ipſum portum deducere liceret, ſed tantum *in de Zee-gaten*, ubi a periculo tuta eſſet, ne quicquam ex ea alienaretur vel exoneraretur; ſi quis ſecus feciſſet, præda tanquam non capta redderetur ei, cui adempta eſſet, ipſe prædator detineretur, & cauſa cognita ejus navis publicaretur. Cetera conveniunt cum illo edicto 9. Aug. 1658. An metus, an qua alia cauſa Ordinibus hæc Edicta extorſerit, neſcio, ſed ne rationi in poſterum præjudicio ſint, temporalia potius, quam perpetua eſſe credamus.

CAPUT XVI.

De jure poſtliminii varia.

Recte dixit Grotius *de Jure B. & P. L.* III. *C.* 9. §. 9. *n.* 1. poſtliminium etiam in integris Populis locum habere, *ut*, inquit, *qui liberi fuerunt, ſuam recipiant libertatem, ſi forte eos vis ſociorum eximat hoſtili Imperio;* & ſic quoque diſputat Hotomanus *Quæſtione illuſtri* V. Quod tamen an in Belgio Fœderato ſemper usquequaque ſit obſervatum, eſt cur ambigas. In Urbe quidem Groninga ambigendum non videbatur, quamvis enim Groninga, ab Hiſpanis occupata, Fœdere Utrechtano excidiſſet, ab Orangio tamen Dynaſta rurſus victa, ad id rediit, & ita expreſſe cautum eſt §. 2. Legum, quibus dedita eſt Groninga 22. Jul. 1594 (1). Sed vero Groninganos Fœderi Utrechtano ſubſcripſiſſe, fruſtra quæſivi, de Ommelandenſibus comperi,

(1) Apud Aitzema *L.* XXXVII. p. 1022.
(2) *Plac.* II. *Append.* p. 2861.
(3) *Ibidem* II. *Append.* p. 2264.
(4) *Ibidem* II. *Append.* p. 2917. & 2918.
(5) *Ibidem Append.* p 2873.
(6) Sunt hæc apud Aitzema *L.* XXI. p. 192. & 193. & *L* XXIV. p. 713. & 803.
(7) *L.* XLIV. p. 402.
(8) *Plac.* II. 4. 26. 2. 1.
(9) *Ibidem* II. *d. loc.* n. 2.
(1) *Ibidem* I. 1. 1. 1. 4.

peri, Georgius van Lalaing, Gravio Rennenbergenſis, qui Gubernator erat Friſiæ, Tranſiſulaniæ & Groningæ, ſubſcripſit quidem Fœderi 11. Jun. 1579. ſed non exprimit, ſe, qua Gubernatorem, ſubſcripſiſſe, ut ſic putares, pro ſe ſolo ſubſcripſiſſe, ut 3. Maj. 1579. pro ſe ſolo quoque ſubſcripſerat Wilelmus Orangius, ejus nominis primus. Si non ſubſcripſerint Groningani, potuiſſent jure belli occupari, & ita Urbs non recuperata, ſed occupata videri poſſet, & ad Fœdus non pertinere ex jure poſtliminii, ſed ex legibus deditionis. Conſtat ſane ex Annalibus, Groninganos fere eſſe ſequutos partes Hiſpanorum, quin & poſt deditionem iis fuiſſe propenſiores, quam oportebat. Ita tamen habet *d.* §. 2. atque ſi Groninga ad Fœdus eſſet reverſa, & non primum admiſſa, & magis eſt, ut reverſam dicamus, quia ex Actis publicis didici, Groninganos eodem 11. Jun. 1579. delegatos ſuos miſiſſe, ut Collegio Ordinum Generalium intereſſent, & cum reliquis Fœderatis de Republica deliberarent. Quod ſi ſit, Groninga utique reverſa non eſt æquo fœdere, nam ſi inter hanc & Ommelandenſes non conveniat, ex §. 5. earundem Legum de eorum controverſiis judicant Ordines Generales, quod non licebat ex §. 1. Fœderis Utrechtani. Sed de his forte plenius dicam *L.* II. *C.* 23. Interea velim animadverti, Groningam, utcunque ad Fœdus reverſa fuerit, non tamen eſſe reverſam integro jure poſtliminii. Sed quicquid ſit, Groningani in Ordines Generales compromiſerunt in *d.* §. 5. Compromiſerunt & Ommelandenſes, ob ſolam, opinor, potentiam Urbis vicinæ.

Drenthani 11. Apr. 1580. in Fœdus Utrechtanum recepti ſunt, ſed deinde victi ſub Hiſpanis fuere. Ut autem Hiſpani receſſerunt, in priſtinam conditionem rediiſſe videbantur. Atque inde etiam anno 1618. ut ſocii, pari jure, in Fœdus admitti petierunt. Ordines Generales 27. Oct. & 21. Nov. 1618. ea de re deliberari jubent, & ad ſingularum Provinciarum Ordines cauſam remittunt. Hi, ut reciperentur, inclinabant, & Delegatis ſuis fere poteſtatem in hanc rem dederunt, ſed tamen vel ita nihil decretum eſt. Rurſus Drenthani id ipſum petierunt anno 1633. at Ordines Generales 19. Febr. 1633. idem decreverunt, quod anno 1618. Tertio petierunt anno 1643. ſed Ordines Generales 9. & 13. Oct. 1643. tantundem fecerunt, quod antea (2). Ceterum Epiſtola, Ordinum Generalium nomine ſcripta 6. Nov. 1650. & cui eorum Præſes per errorem ſubſcripſerat, vocati quoque ſunt Drenthani ad extraordinaria Ordinum Generalium comitia, ſed, cum adeſſent, ſunt repulſi (3). Admitti tamen poſtularunt, ſin autem, remitti ad æquos Judices, ſed menſe Julio anni 1651. cauſa ſimpliciter remiſſa eſt ad Ordinum Generalium Collegium ordinarium. At vero admiſſi nondum ſunt, nec etiam, quod ſciam, plane rejecti. Iniquum ſane videri poſſet, nullam, cur non recipiantur, rationem reddi in illis tam Generalium, quam ſingularium Ordinum Decretis, neque tamen recipi. Forte dici poſſet, Drenthanos non abdicaſſe Hiſpaniarum Regem, ut abdicarunt reliqui Fœderati 26. Jul. 1581. manſiſſe igitur ſub Imperio Hiſpanorum, & ita, ut hoſtes, fuiſſe occupatos. Sed neque ea ratione eos excluſerim, cum mihi non conſtet, eo ipſo, quod non abdicarint Regem, in Fœdus commiſiſſe; neque etiam eam rationem ipſis objectam invenio. Neſcio igitur, quid obſtet, quominus Drenthanis jus poſtliminii fuerit ſalvum.

Illi quoque Brabantini, qui ſub Rege Hiſpaniarum fuerant, ſed deinde a Belgis Fœderatis occupati ſunt, anno 1648. in Fœdus Utrechtanum admitti petierunt, ſin autem, iis ſaltem res ſuas agere permitteretur. Quarundam Provinciarum Ordines Delegatis ſuis ea de re agendi poteſtatem dediſſe memorantur, ſed nihil effectum eſt. Rurſus iidem idem petiere in extraordinariis Ordinum Generalium comitiis 22. Mart. 1651. ſed & tunc nihil quicquam profecerunt. Rationes eorum tam anni 1648. quam anni 1651. exſtant apud Aitzema (4). Sed hæc ad cauſam poſtliminii non pertinent, nam ex his Brabantinis ſola Breda in Fœdus recepta fuerat 15. Sept. 1579. Quare & de ſolis Bredanis tantundem dicimus, quod de Drenthanis.

Ad cauſam poſtliminii magis pertinent Gelria, Utrechtum, Tranſiſulania, tres Provinciæ ex ſeptem Fœderatis, quæ anno 1672. a Gallis occupatæ, ſed poſt derelictæ & recuperatæ ſunt. Poſtquam illæ in hoſtium poteſtatem conceſſerant, jus quidem Fœderis amiſerunt, & recte tunc earum Delegatis imperatum eſt, ne amplius Collegio Ordinum Generalium intereſſe vellent (5), ſed iis denuo recuperatis, in eandem ſocietatem, eodem, quo antea, jure ex cauſa poſtliminii rediiſſe videbantur, cum ſic redeant non tantum partes Reipublicæ avulſæ, & mox redditæ, ut erat in ea ſpecie, ſed & omnes illi, qui ab hoſtibus capti *in Civitatem ſociam amicamve venerint. l.* 19. §. 3. *ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* Decreverunt quidem Ordines Generales 20. Apr. 1674 (6). iis Provinciis reſtitueretur ordo & ſeſſio, quemadmodum ante captivitatem habuerant, ſed tamen Gelriæ unum ſuffragium in Conſilio Ordinum Generalium ademptum eſt, & plura alia per pactiones elicita, priusquam in Fœdus reciperentur, quin & illis denunciatum, ut de novo in Fœdus jurarent, atque ſi jam primum admitterentur, ut hæc ſunt in illo Decreto 20. Apr. 1674. Quod ſi autem jure poſtliminii perinde omnia reſtituantur, ac ſi captivitas non interceſſiſſet, ut id ubique definitum & in mores Gentium verſum eſt, oportuerat iis Provinciis cuncta reſtitui, quæ ante occupationem habebant. Ipſo jure poſtliminium competit, &, ſi competat, cur partem retines; ſi non competat, cur quicquam tribuis? Scio, quæ contra jus poſtliminii mota ſint, ſed res eſſet invidiæ plena hæc referre, & refellere multo magis. Noli etiam tu putare, quod putavit quidam Advocatus Fiſci (7), ea, quæ ſociorum ſunt, hoſtibus erepta, poſtliminio non reverti, quia nempe Ordinum Generalium Decreta 19. Apr. 1659. & 5. Febr. 1666. quæ ibi laudat, duntaxat loquuntur *van ingeſetenen van deſen Staat.* Largior de ſociis ſermonem non eſſe in iis Decretis, ſed non alia ratione, quam quod de ſociis tunc quæſitum non ſit. Quin ſi ex his ipſis Decretis res eſſet definienda, utique pro ſubditis hujus Reipublicæ eſſent habendi, qui eorum tam magnam partem conſtituunt. Rectius alii (8) judicant, in cauſa poſt-

(2) Inſtrumenta, quæ huc pertinent, & Drenthanorum rationes ſunt apud Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 255-305. & *L.* XXIII. *Hiſtor.* p. 563.

(3) Aitzema *H. L. d.* p. 255. & *ſeqq.*

(4) *Herſtelde Leeuw* p. 313-335.

(5) *Hollandſche Mercurius* 1672. p. 140.

(6) *Plac.* III. I. I. 39.

(7) *Conſil. Belg. T.* II. Conſil. 66.

(8) *Ibidem T.* III. Conſil. 68. & 69.

poſtliminii & ſocios & noſtros nullo diſcrimine eſſe habendos. Unde & Decretum Ordinum Generalium 23. Oct. 1676. cujus memini ſupra *C.* V. non modo poſtliminium tribuit iis, quæ in noſtrorum navibus capta & recuperata ſunt, ſed & quæ capta & recuperata eſſent in navibus ſociorum vel amicorum, *geallieerde of neutrale.* Etiam alias ita ſapuiſſe Ordines Generales, damnata Francorum, qui aliter ſapiebant, ſententia, ſupra obſervabam *C.* XV. *vſ. Secundum hæc.*

Quum varia in Braſilea & alibi loca Ordines Generales occupaſſent, quæ olim ad Lyſitanos pertinuerant, ſed quæ Ordines Hiſpanis, tunc Lyſitaniæ regnum habentibus, ademerant, in §§. 21. *&* 22. Induciarum decennalium inter Regem Lyſitaniæ & Ordines Gener. 12. Jun. 1641. (9) expreſſum eſt, non poſſe pati Ordines Generales, ut quicquam ex iis jure poſtliminii vel quaſi a Lyſitanis repeteretur. Sed reſuſcitata eſt illa quæſtio anno 1657. cum contra id, quod induciis illis placuerat, Rex Lyſitaniæ quædam Americæ loca Belgis ademiſſet, eo enim anno Legatos ſuos in Lyſitaniam clarigatum miſere Belgæ Fœderati. Lyſitani reſponderunt, elapſo decennio nullam *d.* §§. eſſe poteſtatem, illa etiam loca ſe reſtituere nec poſſe, nec velle, paratos tamen eſſe pro iis pecuniam quamdam Ordinibus numerare. Sed cum eam Ordinum Generalium Legati accipere noluiſſent, bellum Lyſitanis indictum 22. Oct. 1657 (10). Tandem hæc quæſtio compoſita eſt Pace, quæ inter Lyſitanos & Ordines Generales interceſſit 6. Aug. 1661 (11). Sane non injuria Lyſitani repetiiſſe videntur loca ſua, ab Ordinibus Generalibus occupata, quia Ordines fatebantur, Regnum Lyſitaniæ non pertinere ad Hiſpaniarum Regem. Addo, quod & Lyſitani fuerint ſocii Ordinum Generalium in bello contra Hiſpanos, ut ſic ipſo jure Lyſitanorum loca, quæ in Ordinum Generalium poteſtatem venere, poſtliminio redierint ad Lyſitanos ex *d. l.* 19. §. 3. *ff. de Capt. & poſtlim. rev.* Eo quidem tempore, quo in poteſtatem Ordinum venere, non erant Reges Lyſitaniæ, poſtea tamen in eorum poteſtatem, quin & in ipſum Lyſitaniæ Regnum recidere debuerunt, quæ a ſociis occupata erant, ſalvo Ordinibus jure repetendi ſumptus, in iis locis occupandis impenſos; & eo forte pertinet §. 1. d. Pacis 6. Aug. 1661.

CAPUT XVII.

De Piratica, & an Barbari in Africa ſint piratæ.

Intereſt ſcire, qui piratæ ac latrones ſint, nam ab his capta dominium non mutant, neque adeo poſtliminio egent. Sic docet ratio, ſic auctoritas Juris in *l.* 19 §. 2. *l.* 24. *& l.* 27. *ff. de Capt. & poſtlim. rev.* & ſic ex Pactis quarundam Gentium ſupra probavi *C.* XV. Non eſt igitur, ut addam auctoritates Grotii *de Jure B. & P.* L. III. *C.* 9. §. 16. Alberici Gentilis *de Jure belli L.* I. *C.* 4. Zouchei *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 15. aliorumque plurium in eandem ſententiam. Qui autem nullius Principis auctoritate, ſive mari, ſive terra, rapiunt, piratarum prædonumque vocabulo intelliguntur. Unde, ut piratæ, puniuntur, qui ad hoſtem deprædandum enavigant ſine mandato Præfecti maris, & non præſtitis, quæ porro præſtari deſiderant §§. 5. *&* 69. Formæ Admiralitatum 13. Aug. 1597. (1) Exſtant præterea Ordinum Generalium Edicta 27. Jul. 1627. & 26. Apr. 1653. (2) quibus continetur, ne quis Fœderati Belgii incola cum mandato externi Principis enavigaret ex Belgio, vel alia qua Regione; & ne quis mandato Præfecti maris Fœderati Belgii aliud externi Principis adjungeret ſine Ordinum Generalium conſenſu; ſi quis ſecus feciſſet, capite boniſque puniretur, & ea inſuper pecuniæ ſumma, pro qua ante enavigationem caverat. Ex ipſa ratione ſatis intelligo, qui externi Principis, aut plurium Principum, qui diverſos hoſtes habent, mandato ad prædandum exeunt, piratarum nomine cenſendos eſſe, quia ſic poſſent & non hoſtes deprædari, & alios Principes contra ſuum ſuſcitare. Sed & Ordines Generales eos pro piratis eſſe habendos ſpecialiter edixerunt 29. Jan 1658. (3) cui Edicto forte cauſam præbuerunt, qui menſe Novembri 1657. rapinam exercuere *op dobbele Commiſſie van Vrankryk en Portugal*, de quibus lego in Annalibus Hollandiæ (4).

Sed quid dicemus de iis, qui utuntur *dobbele Zeebrieven*, quemadmodum ſæpe utuntur navarchi, ut tutius τὰ *contrabanda* vehant, vel alias fraudes agant? non quidem illi tantum delinquunt, quantum piratæ, ſed tamen eorum, qui id fecerint, naves & merces publicari jubet §. 5. Edicti Ordinum Gener. contra Lyſitanos 31. Dec. 1657. (5). Id vero non nocere, ſi in noſtram fraudem non fiat, Pragmatelli quidem argutantur *Conſ. Belg. T.* IV. *Conſil.* 203. ſed argutantur tantum, publice enim expedit, ut inter Principes eorumque ſubditos bona fides ſervetur, & ne quiſquam cuiquam fraude ſua noceat.

Sunt & alii nonnulli, qui proprie quidem piratæ non ſunt, ob atrocitatem tamen criminum, ut piratæ puniuntur. Atque ita eſt in his, qui contra interdictionem, a Principe factam, propius ad terram accedunt. Ordines ſane Generales 24. Febr. 1696. (6) edixerunt, qui ſine Claſſe propinqua, navi Francica prædatoria veniret *onder 't land*, *binnen de tonnen*, capite plecteretur, quod in Francos exercuere Groningani 14. Mart. 1696. quo jure hæc fiant, ſupra diſputavi *C.* III. Ut piratæ quoque puniuntur, qui in contractibus aſſecurationum dolo malo agunt ex §. 22. Edicti Philippi II. de Aſſecurationibus 20. Jan. 1570. (7). Itemque illi, qui retia, ad piſcandos halecces expoſita, ſecant ex §. 23. Edicti ejuſdem Philippi 9 Mart. 1580. (8).

Quod autem Albericus Gentilis *L.* I. *Advoc. Hiſpan.*

(9) *Plac.* I. 1. 2. 6.
(10) Tota res eſt *in de Hollandſche Mercurius* 1657. p. 83-91. *&* 1658. p. 117-123.
(11) *Plac.* II. *Append.* p. 2849.
(1) *Ibidem* II. 5. 8. 1. 1.
(2) *Ibidem* II. 4. 13. 4.
(3) *Ibidem* II. 4. 26. 1. 1.
(4) *In de Hollandſche Mercurius* 1657. p. 107. *& ſeqq.*
(5) *Plac.* II. 4. 28. 1 2.
(6) *Ibidem* IV. 1. 7. p. 216.
(7) *Ibidem* I. 2. 7. 1. 3.
(8) *Ibidem* I. 2. 5. 1. 1.

Hiſpan. C. 15. aliique eos, qui *Barbari* in Africa vocantur, jure piratarum cenſent, & eorum occupatione dominium mutari negant, nulla ratione defendi poterit. Algerienſes, Tripolitani, Tunitani, Zaleënſes piratæ non ſunt, ſed Civitates, quæ certam ſedem, atque ibi Imperium habent, & quibuſcum nunc pax eſt, nunc bellum, non ſecus ac cum aliis Gentibus, quique propterea ceterorum Principum jure eſſe videntur. Sæpe cum iis fœdera pangunt alii Principes, ſæpe & Ordines Generales, quemadmodum 30. Apr. 1679. & 1. Maj. 1680. (9) & ſæpius deinceps. Cicero *Philippic.* IV. *C.* 14. juſtum hoſtem deſcribit, *qui haberet Rempublicam, Curiam, ærarium, conſenſum & concordiam Civium, rationem aliquam, ſi res ita tulisſet, pacis & fœderis.* Quæ omnia ſunt penes Barbaros illos in Africa, habent etiam *rationem aliquam pacis & fœderis*, ut ſolent habere reliquæ Gentes, ſui commodi, quam fœderum plerumque ſtudioſiores. Ut *ſummam* habeant, nemo exigat, quia & hæc fruſtra exigitur ab aliis Populis. Quin ſi vel injuſtius agant, propterea tamen Civitatis nomen & jus non amittere recte obſervavit Huberus *de Jure Civitatis L.* III. *Sect.* 4. *C.* 5. *n. ult.* Sane, quia Algerienſes Rempublicam conſtituunt, etiam Legati ad eos mittuntur, & qui in bello ab illis capti ſunt, ſtatum mutant & fiunt ſervi. Atque hinc non privatim tantum, ſed & aliquando publice redimuntur ab Algerienſibus capti. Hollandiæ utique Ordines 25. Sept. 1681. (10) ſtatuerunt, Ballivii referrent, qui ex ſuo territorio ab Algerienſibus capti eſſent, ad Magiſtratus Urbium; quibus, quod ad tributa, ſubſunt, illi ad Conſiliarios Ordinum Hollandiæ, ut hi eorum rationem haberent in redimendis captivis. Hiſpani forte illos Barbaros juſtorum hoſtium numero non habent, ſed, quamvis id verum ſit, extra Hiſpaniam tamen porrigere non licet. Solent quidem & Belgæ eos captos in Hiſpaniam advehere, & ibi, jure talionis, in ſervitutem vendere, at illud eſt ex Jure belli, quod contra quemlibet hoſtem, ſi ita videatur, recte exercetur, modo ea ſubſiſtant, quæ in hanc rem ſupra diſputavi C. III.

Ex facto tamen quodam, quod olim incidit, dicendum videbatur, illos Afros pro piratis eſſe habendos, neque adeo, quæcunque ceperint, dominium mutare. Ita profecto intelligi poſſet, quod 15. Jul. 1664. Admiralitas Amſterdammenſis ſine ſervaticio reddiderit navim, quam Anglis eripuerant Algerienſes, & rurſus Algerienſibus Ordinum Generalium Archithalaſſus, idque juſſu Ordinum Generalium, ad Legati Anglici petitionem, ea ſpe, ut additur, Anglos in cauſa ſimili ſimiliter eſſe facturos, quemadmodum hæc variis locis commemorat Aitzema (11). Sed ne hæc cauſa aliis præjudicet, ſciendum, Algerienſes, qui cum Anglis & Ordinibus proxime pacem fecerant, media pace navim hanc Anglicam occupaſſe, & ea, non alia ratione placuiſſe, dominium navis Anglicæ mutatum non videri. Hæc ipſa certe Legati Anglici ratio eſt apud Aitzema (12); an ſatis fuerit idonea, nunc non quæro, contentus obſervaſſe, id factum esſe habendum, & ab utraque parte etiam fuiſſe habitum pro facto ſingulari.

De foro piratarum quæri poteſt, & ſæpe quæſitum eſt. Prima quæſtio eſto, an piraticæ judicium fori communis ſit, an vero ad Admiralitates pertineat? Si de Belgio Fœderato quæras, nam eo fere redit omnis noſtra diſputatio, accipe verba §. 3. Formæ, quam Admiralitatibus ſuis præſcripſerunt Ordines Generales 13. Aug. 1597. *De Raden ſullen jurisdictie hebben over alle buyten en pryſen, die van de Schepen van Oorloge of andere by particuliere toegeruſt, en op des Admiraals beſtelling uytgevaren, agterhaalt en ingebragt ſullen worden, mitsgaders ook van alle quæſtien en geſchillen, die tuſſchen eenige van de voorſchreve Schepen van Oorlog of op de voorſchreve beſtelling uytvarende, ſullen mogen ryſen over alle misbruiken en misdaden, die by eenige van dien zouden mogen worden gecommitteert, mitsgaders over den geenen, die van eenige Zeerovery zullen worden betigt of agterhaalt.* Hæc deſcribendi tædium devoravi, ut de ſenſu ipſe judicares, nam hæc poſtrema, quæ de piratica agunt, forte referri poterunt ad præcedentia, in quibus verba fiunt de navibus belli publicis, vel de privatis, quæ mandato Admiralii ad prædam enavigant, ut nempe harum utrarumque piraticæ accuſatio ad Admiralitates pertineat, ceteris judicio communi relictis. Sed etiam generaliter & disjunctim accipi poſſunt, &, ut accipiantur, ſuadet ſeparata quodammodo oratio, *mitsgaders over den geenen* &c. ſuadet etiam §. 18. d. Formæ, qui ait: *Wanneer eenige Zeerovers, of andere Vyanden van den Landen ingebragt zullen weſen, zal den Luytenant Admiraal, zoo veel mogelyk, op alle regtdagen hem præſent vinden, en inſonderheid, wanneer de ſententie definitive gegeven zal worden.* Hæc utique diſtincta ſunt, & aliis non cohærent.

Cum Anglus, qui navim ſuam injuria a tribus Ordinum Generalium navarchis captam ajebat, unum ex his apud Judices Amſterdammenſes arreſto detinuiſſet, Judices, abolito arreſto, cauſam ad Admiralitatem remiſerunt, idque juris eſſe notiſſimi Ordines Generales profitentur in Decreto quodam anni 1662. quod eſt apud Aitzema (13). Recte, ſi, ut in illa ſpecie, navarchus in officio deliquiſſe dicatur, vel de eo agatur, qui cum mandato ad prædandum exiit, de his enim ſolis Admiralitatis jurisdictio eſt ex *d.* §. 3. Cum autem ad alios nihil quicquam pertineat ille §. 3. omnes actiones, quæ contra alios de damno, per injuſtam capturam illato, inſtituuntur, fori ſunt ordinarii; per incuriam tamen non ſemper id obſervatum eſt.

Si quis, quamquam exterus, noſtros ſit deprædatus, & capiatur, non dubitaverim, quin apud nos recte accuſari & puniri poſſit, non tantum ſi in rapiendo captus & ad nos translatus ſit, ſed & ſi alia quacunque occaſione apud nos deprehendatur. Et nemo contradixerit, ſi ſine codicillis Principis ſui in noſtros rapinam egerit, ſed ſi ex mandato, cujus fines egreſſus dicitur, ſimile quid fecerit, magis dubitari poſſet. Anno 1667. ea de re quæſitum eſt inter Anglos & Ordines Generales, cum ageretur de iis, qui ex Repreſſaliis, quas tempore diſſidii impetraverant, etiam poſt pacem eſſent prædaturi. Angli contendebant, Principis, qui Repreſſalias dedisſet, de his judicium eſſe oportere. Ordinum Ge-

(9) Exſtant ea Pacta *Plac.* III. 1. 13. 35. & rurſus, ſæpe enim in his Libris eadem iisdem verbis repetuntur, III. 11. n. 12.

(10) *Ibidem* III. 11. 18.

(11) *L.* XLIV. p. 155. 236. 237. & 261.

(12) d. p. 155.

(13) *L.* XLII. p. 347.

Generalium Legati urgebant, pro pirata eſſe habendum, qui ſine legitimo Principis mandato hoſtile quid moliretur, omniumque Gentium jus eſſe, eum puniri poſſe a quocunque Principe, in cujus poteſtatem fuiſſet redactus, ejusque rei quam plurima etiam exſtare exempla. Idem quoque Francicis Legatis tunc temporis viſum eſt, & ita inter Anglos & Ordines Generales etiam tunc obtinuit (14). Sed pirata quis ſit, nec ne, inde pendet, an mandatum prædandi habuerit, ſi habuerit, & arguatur id exceſſiſſe, non continuo eum habuerim pro pirata. Vulgo de mandatis ſuis judicant ipſi Principes, quia capta ad eos deferuntur, facile tamen patior, eum Principem, cujus ſubditi de rapina queruntur, de ea ipſa judicare, ſi, qui eam fecit, ad eum advectus, vel apud eum deprehenſus fuerit. Simpliciter in §. 22. Pacis inter Regem Franciæ & Ordines Generales 27. Apr. 1662. (15) convenit, de navibus ab iis, qui mandatum Principis haberent, occupatis ne ageretur alibi, quam apud eum, qui mandatum dediſſet.

In extero, qui exteros deprædatus eſt, plus eſt difficultatis, an nempe is, apud nos deprehenſus, a nobis judicari poſſit? Anno 1661. dubitatum eſt in eo, qui a Rege Lyſitaniæ habebat prædandi mandatum, & amicis quibusdam noſtris, quibuscum Regi Lyſitaniæ nullum quoque bellum erat, in mari rapinam fecerat, ſed prædone interim mortuo, nihil tunc definitum eſt (16). Rex tamen Angliæ anno 1668. navim Oſtendenſem, cum mandato Regis Hiſpaniarum prædantem, quæ navim Hollandicam occuparat, ad petitionem Legatorum Ordinum Generalium, detineri, & leges contra Navarchum exerceri juſſit (17). Plane ſi legibus cautum ſit, ut cautum eſt duobus Ordinum Generalium Edictis, quæ retuli ad finem C. XV. ne quis ex mandato exteri Principis captas naves mercesve hic vendat, niſi in ſuum, unde prædatum enavigarit, portum deductas, ibique publicatas, iniquum videri poſſet, contra eum, qui cepit, vel Fiſco hic actionem dare de crimine, vel exteris navium merciumque dominis de damno dato. Utriusque exteri conditio in pari cauſa ſit oportet, aut contra prædatorem hic agi poterit, aut non poterit, ſi poſſit, etiam is, qui prædatus eſt, hic agere poterit jure ſuo, & contendere, prædam, quam cepit, recte captam eſſe. Et tamen durum, & ſine exemplo eſſet, navium rerumque dominis res ſuas hic apud peregrinum quem, mox neſcias quo abiturum, deprehendentibus jurisdictionem negare; quam ſi non neges, quemadmodum prædatori negabis? ſic ut vel ea ratione mihi non ſatis placeant duo illa, quæ dixi, Ordinum Generalium Edicta.

Vulgaris piratarum pœna eſt capitis bonorumque ſupplicium, quod ſatis indicant omnia illa Edicta, quæ ſupra recenſui, facta de iis, qui ob atrocitatem delicti piratarum loco habentur. Sed vero contra ipſos piratas, eorumque receptores & adjutores ſpeciale exſtat Ordinum Generalium Edictum 25. Aug. 1611. (18) ex quo puniuntur *aan lyf en goed*, parte tertia bonorum, quæ publicarentur, delatori data. Capitalis igitur pœna eſt, nec judicis eſt minorem ſtatuere; ea autem vel durius vel mitius ſolet exerceri pro frequentia piraticæ, aliisque factis, quæ incidunt. Et ſane, modo capitalis ſit, judicis arbitrio ea res relinquitur, ut in ceteris fere criminibus obtinet, in quibus ſimpliciter pœna capitis ſtatuta eſt.

CAPUT XVIII.

De Prædatoria privata.

Prædatoria privata ad Jus publicum quoque pertinet, non tantum, quod eam exercere non liceat ſine publica auctoritate, ſed & quod controverſiæ, inde natæ, ſæpe turbent Rempublicam, & Principes invicem committant. Romæ quidem olim obtinuit, qui miles Populi Romani non eſſet, eum neque jure hoſtem Populi Romani cædere poſſe, ut Catonem cenſuiſſe auctor eſt Cicero *de Offic. L.* I. *C.* 36. & 37. & Plutarchus *Quæſt Rom.* 39. ſed deinde apud Romanos recepta videtur Lex Solonis, a Gajo memorata in *l.* 4. *ff. de Colleg. & corpor.* ex qua valet privatorum ſocietas, ad prædandum contracta. Diu ſane eſt, ex quo nunc Principes non publicis duntaxat, ſed & privatorum opibus adverſus hoſtes ſuos utuntur. Olim in Belgio Fœderato fuerunt privati, qui ipſi naves bellicas exercebant, quibusque, præter præmia, ex captis & recuperatis navibus redacta, ex publico ærario numerabatur certa pecunia pro modo expenſarum, & pro modo temporis, quo operam bellicam præſtabant. Illæ naves privatorum dicebantur *Kruyſſers*, iisque adverſus Hiſpanos cum maxime uſi ſunt Ordines Generales. Varia de his ſunt Ordinum Generalium Edicta, quæ referre nihil attinet. Alii & olim, & nunc, cum bellum exarſit, ſuis ipſi navibus, nautis, militibus, ſumptibusque in hoſtem agunt, ſola ſpe prædæ maritimæ, quam capturi ſunt, atque illæ naves vocantur *Kapers*, *Vrybuyters*, vel honeſtiore nomine *Commiſſie-vaarders*. An de eo hominum genere intelligi poſſit *l.* 6. *ff. de Capt. & poſtlim. rev.* ubi *latrunculi* appellarentur, ſubſiſto, nec eſt, unde tuto ſciri poſſit. Quod autem Albericus Gentilis in Libris *de Advocatione Hiſpanica*, variis locis, etiam cum de jure, quod uſu ſervatur, ipſi ſermo eſt, ejusmodi homines paſſim appellat *piratas*, nec alio, quam piratarum, loco habet, utique abſurdius eſt, quam ut conſtituta Diſputatione refutari oporteat, quicquid enim illi agunt, agunt auctoritate publica, neque enavigant niſi ex mandato Ordinum Generalium vel Præfecti maris, adjuncto diplomate Vicarii, *Attache van den Luitenant Admiraal van 't Quartier*, & præſtito jurejurando, præſtitaque cautione idonea, non hoſtibus damnum datum non iri. Hæc & alia, quæ ad prædatoriam maritimam pertinent, continentur Forma Admiralitatum variis Ordinum Generalium Edictis, quin & ſpecialibus legibus (*Reglementen op de Commiſſie-Vaarders*) quas non ſemel prædatoriis navibus dederunt Ordines Generales, cum variæ Gentes de iniqua earum rapina eſſent queſtæ. Sed hæc omnia, quæ cui-

(14) Narrat hæc Aitzema *L.* XLVII. p. 97.
(15) Aitzema *L.* XLII. p. 310.
(16) Sic refert idem *L.* XLI. p. 97.
(17) Ita eſt apud eundem *L.* XLVIII. p. 18.
(18) *Plac.* I. 2. 14. 1. 3.

cuilibet ad manum ſunt vel eſſe poſſunt, recitare & deſcribere nec vacat, nec lubet.

Quæro potius, nam operæ pretium eſt, an navarchi, navibus illis prædatoriis ab exercitoribus præpoſiti, & ad prædandum conducti, cum aliis navarchis poſſint paciſci de ſocietate prædæ, quam ſeparatim capturi ſunt? Et ſi ad prædandum duntaxat ſint conducti, nec quid aliud iis ſit mandatum, verius eſt, citra conſenſum exercitorum nullam eorum eſſe poteſtatem, & proinde pactiones, de ſocietate ſive communione prædæ initas, eſſe nullas. Noli objicere, quod ex Lege Solonis refert Gajus in *d. l.* 4. *ff. de Colleg. & corp.* valere pacta τῶν ἐπὶ λίαν οἰχομένων, *eorum, qui ad prædam exeunt*, ut hæc vertenda & explicanda eſſe exiſtimabam *L.* I. *Obſerv. C.* 16. nam ſatis apparet, Solonem eſſe intelligendum de iis, qui ſui juris ſunt, atque ita ad prædam exeunt, utputa ſi ipſi navium domini exeant, & navibus, nautis, militibusque ſuis ipſi utantur, cujus conditionis ſunt exercitores, quos Belgæ vocant *Reeders*. Eorum initæ ſocietates pactaque de præda erciſcunda, & quæcunque alia, utique valent, quia de rebus ſuis ex animi ſententia cuique licet ſtatuere, ſed hæc non recte transferas ad navarchos, niſi ipſi quoque ſint navium domini, ut fere nulli ſunt. De his quærimus, quorum opera non eſt conducta, niſi ad prædandum, & ea abutuntur ad paciſcendum. Magni momenti lis ea de re incidit, & ad ipſum Reviſionis judicium pervenit. Titii navis prædatoria, & alia Mævii hoſtis navem ſimul occupant, & deinde, ut Mævius ajebat, utriusque navis prædatoriæ navarchi paciſcuntur, reliquam quoque, quam capturi eſſent, prædam communem fore. Mox diſcedunt, Titiique navis ſola aliam hoſtium navem occupat, quam Mævius ex eo pacto communem eſſe contendit. Negat pactum eſſe Titius, ut etiam ea præda communis eſſet, quam ſeparatim quisque caperet, &, ſi eſſet, ait id pactum jure non ſubſiſtere. Obtinuit etiam apud Judices Vliſſinganos. Sed quum Mævius provocaſſet ad Senatum Supremum, vincit ibi Titium 3. Mart. 1696. eaque Senatus ſententia in judicio Reviſionis probata eſt 4. Oct. 1697. Et ita quoque in alia cauſa reſponderunt alii (1), & olim etiam judicavit Admiralitas Amſterdammenſis anno 1665 (2).

Sed, excepta Vliſſinganorum ſententia, puto perperam reſponſum & judicatum eſſe, utcunque pactum eſſet, ut Mævius ajebat. Miror me legiſſe in Actis Supremi Senatus, quibus ſingulæ ſingulorum Senatorum & Reviſorum ſententiæ inſeruntur, in ea ſpecie, quam propoſui, unice laboratum eſſe, an nempe inter utrumque navarchum conveniſſet, ut omnis præda eſſet communis, etiam ſeparatim capta, an ea duntaxat, quam alter caperet, altero præſente; de quæſtione autem Juris, quæ me in primis ſollicitum habet, ſollicitum fuiſſe neminem. Sed fac omnem prædam ex pacto fuiſſe communem (nam de quæſtione facti nihil dicam) adhuc putem, navarchi ſui pactum Titio nihil nocuiſſe. Titius navarchum emiſit, ut lucrum vel damnum ferret ſolus, & nihil ei quicquam mandavit, quam ut prædaretur, minime vero, ut ſocietatem vel in damnum vel in lucrum ſuum contraheret, ipſo Titio pacturo, ſi Mævium voluiſſet habere ſocium. Quicquid igitur ejus rei egit Titii navarchus, egit ſine mandato; quod ſi ſit, neque exercitores ſuos obligare potuit. Scio, ſi navis Mævii prædatoria aliam hoſtilem cepiſſet ſola, Titio non difficulter perſuaderi potuiſſe, ut in partem prædæ veniret, ſed nec Mævio difficulter, ut tunc defenderet id ipſum, quod nunc Titius defendit. Prima navis hoſtilis communibus viribus capta, cummunis erat ex cauſa ſocietatis, caſu incidentis, ſed non æque ſecunda, quam Titii navis prædatoria cepit ſola, quamque ideo ſibi ſoli habebit, ſi, ut ego quidem opinor, pactum navarchi ſui præſtare non teneatur. Atque ita ex ratione Juris, ſepoſita quæſtione facti, Vliſſinganorum ſententiam aliis omnibus prætulerim.

Ceterum diligentius quærendum eſt de communione prædæ, ſi una pluresve naves navem hoſtilem ceperint, aliis, cum caperetur, præſentibus, ſed non pugnantibus. Quod ad naves bellicas Decreto Ordinum Generalium 28. Jan. 1631. (3) continetur, *dat men een van een ander geabordeert ſchip ook wel mag aborderen, dog niet als den abordeerder roept, geen hulp van noden te hebben.* Sed illud mihi ſpeciale eſſe videtur in navibus bellicis, alioquin nihil impedit, quominus hoſtem communem, nondum captum, & ipſe aggrediar & ſimul capiam. Ob eandem rationem ſpeciale quoque videtur, quod ſtatuit §. 6. Formæ, quam Ordines Generales 15. Jul. 1633. (4) dederunt privatis, in America prædaturis contra Hiſpanos, navem ſcilicet prædatoriam prædæ, quam ſimul cepit cum nave Societatis Americanæ, partem non eſſe habituram, niſi expreſſe in auxilium fuerit vocata. Rurſus ſpeciale eſſe dixerim, quod ait §. 7. ejusdem Formæ, *dat Commiſſie-Vaarders, op ſlag komende, moeten afſtaan van 't exploit, dat des Compagnie's ſchepen willen doen, op verbeurte van ſchip en goed.* Sin autem navis prædatoria, in auxilium vocata, cum nave Societatis Americanæ ſimul prædam ceperit, inter eos præda dividitur, ſed, quod nunc Juris communis eſſe opinor, pro utriusque magnitudine & viribus *d.* §. 6. *d.* Formæ 1633. Si vires fuerint æquales, cuique præda cedit pro ſemiſſe, alioquin *geometricam*, quam vocant proportionem ſervari æquius melius eſt.

Sed quid dicemus, ſi duæ pluresve naves prædatoriæ navem hoſtilem perſequantur, & una ceperit? vel, ſi plures forte adſint, ſed ſpectatores tantum, non actores, ſi quidem una ceperit? Ex d. Decret. 28. Jan. 1631. cujus ſic memini, *word de prys verdeelt over alle de Oorlog-ſchepen, die de prys vervolgt hebben, maar die dezelve verovert heeft, heeft de Vivres, handgeweer en plunderage.* Sed vides rurſus agi de navibus bellicis, de quarum præda Ordines pro arbitrio ſuo decernunt; ceteroquin ſi de privatis ageretur, ego potius prædam adjudicarem ei ſoli, qui navem hoſtilem oppugnavit & vicit, quotquot aliæ naves ſint perſequutæ, vel ſpectatores adfuerint. Sunt tamen, qui & prædæ ſocios admittunt, quicunque ſimpliciter adfuerunt, vel in conſpectu, e longinquo. Quod largiendum non eſt. Scio, aliorum vel ſolam præſentiam efficere potuiſſe, ut hoſtilis navis facilius vel caperetur, vel dederetur, ſed non quærimus, quamobrem capta vel dedita ſit navis, ſed quis occupaverit: neque enim Arcem, Urbem vel Claſſem, in quarum conſpectu præda capta eſt, in ſocietatem prædæ admitteremus, etſi vel maxime earum metu præda capta dici poſſet. Plane ſi & alia navis oppugnaverit

(1) *Conſil. Belg. T.* IV. Conſil. 204.
(2) Ita relatum eſt *d.* Conſil. 204. n. 3.

(3) *Plac.* II. 5. 8. 2. 1.
(4) *Ibidem* I. 2. 3. 3. 1.

verit hoſtilem, contracta videbitur fortuita ſocietas, & ejus ratio flagitat, ut pro ratione virium commune ſit, quod communibus viribus captum eſt. Neque etiam in hac ſpecie diſtinguimus, quantum quisque oppugnaverit, hoc enim uſum haberet difficillimum, ſed an oppugnaverit, & re ipſa victoriæ quoque cauſam præbuerit. Non abſimilis eſt hæc cauſa ei, quod de feris dicitur in §. 13. *Inſt. de Rer. diviſ.* eas ſcilicet non perſequentibus, ſed occupantibus cedere.

Si, ut inter mercatorum naves ſæpe ſolet, inita fuerint pacta mutuæ defenſionis (*Admiraalſchappen* dici obtinuit) quæro, ſi una ex his navibus hoſtilem ceperit, an præda ſit communis, an propria capientis? Et, cum ex facto res incidiſſet, ſoli, quæ cepit, prædam cedere reſponſum eſt *Conſil. Belg. T.* II. *Conſil.* 200. neque obeſſe damni communionem, quia hæc non cenſetur ex jure quodam ſocietatis univerſalis, ſed *als avarie groſſe.* Puto recte reſponſum, atque inde eſſe, quod in §. 54. Edictorum, quæ Ordines Generales variis temporibus promulgarunt *van Admiraalſchappen* (5), prædam publicandam ſanciverint *ten profyte van die hulp en aſſiſtentie gedaan hebben*, & ita quoque ſancitum eſt in §. 9. Edicti Ordinum Generalium 4. Jun. 1622. (6). Eſt ſane veriſſimum, ejusmodi pacta nullius lucri faciendi, ſed ſolius damni vitandi gratia iniri. Inde damnum quidem commune eſt, ut & Grotius hæc explicat *L.* III. *Introductionis ad Juriſpr. Holl. C.* 22. ſed id eſſe ex natura ipſius pacti recte obſervavit Loccenius *L.* II. *de Jure marit. C.* 2. *n. ult.* De lucro nihil actum eſt vel expreſſe, vel tacite, neque enim tacita pacta intelliguntur, ſi ipſius negotii indoles impedimento eſt. Attamen poſſes credere, ut damnum, ita & lucrum communicari, quia, cum in §. 48. *d.* Edd. ſancitum eſſet, damnum, ab hoſte illatum, communiter, pro pretio ſingularum navium eſſe ferendum, mox additur in §. 49. naves eſſe æſtimandas, *om zoo wel in ſchade, als VOORDEEL, daar na gerekent te worden.* Quid ſibi vult illud *Voordeel*, niſi prædam quoque eſſe communem? Sed potes & debes id intelligere de iis navibus, quæ in occupando auxilium tulerunt, ut ſic ſocietatem ex auxilio metiaris, ut totidem verbis ajunt *d.* §§. 54. & 9. proportione, ut modo dicebam, geometrica, non arithmetica.

Supereſt, ut de iis dicamus, qui de præda terreſtri vel maritima judicare poſſint. Ex Edicto Comitis Leyceſtrani 4. Apr. 1586. (7) *of de gevangens van goeden prinſe zyn, of niet*, cognoſcit proximi loci Magiſtratus, *of de daar toe gecommitteerde.* Sic ibi generaliter de captivis, quod exiſtimaverim & in reliquis rebus captis obtinuiſſe. Sane Leyceſtranis temporibus ſingulæ Provinciæ diligentiores, quam poſtea, fuerunt, ne nimiam poteſtatem Ordines Generales, eorumque Collegia, ſibi adrogarent. Quod Leyceſtranus conſtituit, adhuc defendamus, quantum ejus fieri poterit, ſed, quod ad prædam maritimam, intercedit §. 3. Formæ Admiralitatum 13. Aug. 1597. cujus §. verba, alia occaſione, ſupra exhibebam *C.* XVI. iis autem probe conſultis ſatis apparet, ut ibi quoque indicabam, non aliam Admiralitatibus jurisdictionem dari, quam de prædis, quæ mari captæ eſſent a navibus bellicis, aut a prædatoriis privatis, quæ cum codicillis Admiralii enavigant. Hæc Admiralitatum jurisdictio non eſt niſi delegata, & in omni jurisdictione delegata regula eſt, omni exceptione major, quicquid ſpecialiter delegatum non eſt, ad ordinariam Jurisdictionem pertinere. Quæcunque igitur naves ſine mandato Admiralii enavigant, ut ſunt onerariæ, ſolis mercibus transvehendis deſtinatæ, ſi naves hoſtiles, ſibi obviam factas, occupaverint, de his prædis judicabit Magiſtratus, cui ordinaria jurisdictio mandata eſt. Si milites forte deprehendant naves hoſtiles, Judicum militarium erit jurisdictio. Et tamen, cum Comes in *Styrum*, tunc Præfectus Muydenſis, naves quaſdam cepiſſet in Gelria prope *Nieuwkerk*, & de his judicandum ſtatuiſſet apud militarem Senatum in *Muyden*, Hollandiæ Ordines Decreto ſuo 14. Apr. 1673. (8) complexi ſunt, ejus rei cognitionem ad Admiralitatem Amſterdammenſem pertinere, juris enim eſſe certiſſimi notiſſimique, Admiralitatibus jurisdictionem competere de rebus, *op wateren of ſtroomen genomen of aangehaalt.* Sed ego non animadverto, quemadmodum ejus rei cognitio ad Admiralitatem pertinere potuerit, cum nec naves bellicæ prædam ceperint, nec etiam aliæ ex mandato Admiralii. Conſtituamus ita: de præda, quam Admiralitatum mandatarii capiunt, Admiralitates judicant *d.* §. 3. de ea, quam milites, ſive terra, ſive mari, Judices militares, quorum de factis militum propria jurisdictio eſt, de ea, quam pagani, Judices pagani. Per *paganos* intelligo, qui nec milites ſunt, nec Admiralitatum mandatarii, per *judices paganos*, qui utuntur jurisdictione ordinaria. De præda, quam milites in terra cepiſſent, olim judicabant Ordinum Hollandiæ Conſiliarii ex §. 10. antiquæ eorum Formæ 22. Jan. 1590. (9). Sed id non reperi in nova eorundem forma 4. Oct. 1670. (10) & uſu quoque non ſervatur.

CAPUT XIX.

Quousque exercitores navis prædatoriæ teneantur de damno injuria dato?

Ex §. 5. & 69. Formæ Admiralitatum 13. Aug. 1597. (1) naves prædatoriæ, a privatis exercitæ, non enavigant, niſi præſtita cautione idonea *voor haare handelinge*, hoc eſt, non hoſtibus damnum datum non iri, quemadmodum id explicat §. 5. Formæ, qua Ordines Generales 15. Jul. 1633. (2) prædatoriam in America contra Hiſpanos permiſere. Simpliciter autem ajunt illi §§. 5. & 69. cautionem eſſe præſtandam, neque exprimunt, a quibus, ſive a navarcho, ſive ab exercitoribus, ſive ab utrisque. Id ipſum quoque non exprimitur in Edicto Ordinum Ge-

(5) Exſtant *Plac.* I. 2. 7. 3. 1.
(6) *Ibidem* I. 2. 9. 1. 1.
(7) *Ibidem* II. 4. 6. 1. 1.
(8) *Ibidem* III. 10. 3. 55.
(9) In Vander Hoeve *Handveſt-Chron. L.* I. *C.* 16.
(10) *Plac.* III. 1. 3. 3.
(1) *Ibidem* II. 5. 8. 1. 1.
(2) *Ibidem* I. 2. 3. 3. 1.

Generalium 1. Apr. 1622. (3) nam ex eo ſimpliciter cavendum eſt ad uſque decem millia florenorum, *boven het ſchip en al dat daar by is, alleen om te præſteren, dat de prinſen zullen werden gebragt ter judicature van de Admiraliteit, daar de cautie geſtelt is*, ſalva actione eorum, qui damnum injuria paſſi eſſent contra navarchos aliosque, qui damnum dediſſent. Vides hic in aliam plane cauſam caveri, quam caveri jubent *d.* §§. 5. & 69. Quamvis autem neque hic exprimatur, a quo in hanc ſummam cavendum ſit, probabile tamen mihi videtur, a ſolo navarcho præſtandam fuiſſe illam cautionem decem millium; non tantum quod ejus ſit prædam deducere in portum, unde enavigavit, ſed & quod in Decretis Ordinum Generalium 9. Aug. 1624. & 22. Oct. 1627. (4) memoretur, navarchum cavere ad uſque 10000. florenos, exercitores ad uſque 12000. florenos, & hos 12000. florenos eſſe pro damno, quod navis prædatoria daret. His additur in d. Decreto 22. Oct. 1627. ſi illi 12000. floreni ad damni reparationem non ſuffecerint, pro ea etiam excuti poſſe cautionem illam 10000. florenorum, quam navarchus publico præſtitit. Atque hæc quidem olim, ſed ex §. 3. noviſſimæ Formæ, quam Ordines Generales navibus prædatoriis dederunt 28. Jul. 1705. (5) ſimpliciter cavetur ad 30000. florenos, nulla mentione vel diſtinctione facta inter exercitores & navarchum. Poſſem his addere varia Pacta, quibus inter Ordines Generales & alios Principes convenit, ut & exercitores & navarchi ad certas ſummas caverent, ne quid contra Pacta maritima committerent, ſed quia de navibus prædatoriis dixi, & præter eas nemo hodie caveat vel exercitor vel navarchus, tuto hæc transmitto.

His ita præmiſſis, quæro nunc, ſi navis prædatoria, dum inique prædatur, damnum dederit, an a navarcho, an a fidejuſſoribus, an ab exercitoribus, &, ſi ab his, quouſque ſit reſarciendum? Et reſponſum eſt *Conſil. Belg. T.* IV. *Conſil.* 205. cum magiſter navis prædatoriæ navim amicorum injuria occupaſſet, & qui eam ſervarent & ducerent, hominibus imperitis commiſiſſet, navisque periiſſet, poſſe navis occupatæ dominos magiſtrum prædatoriæ, fidejuſſores, exercitores, prout vellent, & quemque eorum in ſolidum convenire, quanti navis unquam fuit plurimi. Videamus de ſingulis. Et quidem dubitandum non eſt, contra ipſum magiſtrum ſive navarchum de omni damno, quod injuria dedit, actionem eſſe in ſolidum. Mandatum ei eſt, ut hoſtes deprædaretur, non ut amicos, ſi igitur hos deprædatus ſit, exceſſit mandatum, & tenebitur, quanti amicorum intereſt. Id palam quoque ſignificant Ordines Generales in d. Edicto 1. Apr. 1622. nam præter cautionem 10000. florenorum pro deducenda præda in portum, unde enavigatum eſt, nominatim addunt: *behoudelyk niet te min den genen, die prætenderen zullen buyten de commiſſie van den Capitein t'onregt beſchadigt te ſyn, hun actie perſoneel tegen de Capitein en andere, die hun beſchadigt hebben.* De fidejuſſoribus perperam reſponſum eſt *d. Conſil.* 205. niſi fidejuſſerint, pro omni dato, alioquin ſi in certam ſummam fidejuſſerint, ut in re prædatoria moris eſt, non tenentur ultra eam ſummam, & ex ea cauſa, in quam fidejuſſum eſt, ſi enim fidejuſſerint pro præda deducenda in portum, unde enavigatum erat, præda eo deducta liberantur, nec quicquam ad eos, jure an injuria præda capta ſit, niſi & in hanc cauſam fidejuſſerint. Sed quia plerorumque magiſtrorum res eſt domi adeo anguſta, ut damnum, quod dederunt, reſarcire non poſſint, & quia fidejuſſores vulgo non ſunt obligati niſi ad certam ſummam, & quia hanc, a ſe ſolutam, actione mandati ab exercitoribus repetere licet, ad ſolos exercitores tandem res devenit. De his igitur in primis quæramus, an nempe teneantur in ſolidum damni dati, an vero duntaxat, ad inſtar actionis de pauperie aut noxalis, quod ad navis, quæque in ea fuerunt, pretium? Agitata olim eſt ejuſmodi cauſa apud Supremum Senatum in Hollandia. Quinque naves Hollandicæ unam Venetam ceperant, ſed ceperant nullo jure. Venetæ navis domini primum egerunt contra navarchos, & obtinuerunt ſententiam, qua hi ſolam navem reſtituere damnati ſunt. Quum ne ſic quidem ipſa navis reſtitueretur, deinde egerunt contra ipſos quinque illarum navium exercitores, contendentes, ut quiſque eorum navem captam cum onere reſtitueret, & damnum reſarciret in ſolidum. Senatus ult. Jul. 1603. damnat exercitores in ſolidum ad reſtitutionem navis oneriſque, & his non exſtantibus, ad eorum æſtimationem, ſed nominatim addit, executionem ejus ſententiæ eſſe faciendam in quinque illas naves, quæ Venetam ceperant, neque exercitores ultra teneri. Sententiam narrat Coren in *Nota* poſt *Obſervationem* XL. & præëunte Senatu Supremo ſic poſtea reſponderunt alii *Conſil. Holl. T.* III. *Conſil.* 221.

Sed ego hanc ſententiam nolim meam facere, ratus, ſi exercitores magiſtrum emiſerint ad prædandum, & ille perperam prædetur, exercitores in ſolidum damni dati teneri. Magiſter, qui ex mandato prædatur, prædatoriæ præpoſitus eſt, & qui præpoſuit, ex ſola præpoſitione conveniri poteſt, quod ad omnia illa, quæ præpoſitus geſſit, ſive bene, ſive male. Sic inſtitoriam damus contra dominum tabernæ, qui inſtitorem præpoſuit, ſi quid ille contraxerit, nec diſtinguimus, quemadmodum contraxerit, & ſic exercitoriam damus contra dominum navis ex facto magiſtri, modo id negotium egerit, cui præpoſitus eſt, ſi enim aliud egerit, dominum non obligat, ut prolixe id exſequitur Ulpianus in *l.* 1. §. 12. *ff. de exercit. act.* Sola præpoſitio in cauſa eſt, cur tabernæ navisque domini teneantur, ſi, quod actum eſt, ad cauſam præpoſitionis pertineat, non ad aliam, ab ea diverſam. Qui navarchum prædatoriæ præpoſuit, novit, ejus officium in prædando conſiſtere, quo ſi male fungatur, etiam exercitoris culpa eſt, quod imperito vel improbo homine in hanc rem uſus ſit. Si magiſter ad reficiendam navem mutuatus, nummos in ſuos uſus converterit, recte ait Ofilius in *l.* 1. §. 9. *ff. Eod. teneri exercitorem, imputaturum ſibi, cur talem præpoſuerit.* Quocum convenit, quod & Ordines Generales ajunt in fine d. Decreti 22. Oct. 1627. *dat de Reeders ſorg moeten draagen, dat zy goede Capiteinen employeren.*

Si ex facto inſtitoris vel magiſtri tabernæ navisque domini teneantur, conſtat teneri, quanti ea res eſt, nec liberari, ſi tabernam vel navem dedere parati ſint. Eam Jurisprudentiam me nuſquam legere memini, nec etiam rationem haberet, cum, qui factum ſuorum hominum præſtare debent, præſtare debeant ex aſſe. Igitur exercitores ex improba navarchi ſui rapina tenebuntur

(3) *Plac.* I. 2. 14. 2. 1.
(4) *Ibidem* II. *Append.* p. 2297.
(5) *Ibidem* V. 1. 7. p. 306.

tur in ſolidum, eique ſententiæ etiam argumentum præbet, quod, ut ſupra dicebam, olim exercitorum fuerit cavere ad usque 12000. & noviſſime ad usque 30000. florenos, navem prædatoriam nemini vel amico vel ſocio damnum eſſe daturam. Si naves prædatoriæ minus valerent, quam hæc aut illa ſumma, utique iniquum eſſet plus cautionis exigere ab exercitoribus quam naves, eorum reſpectu, dare poſſent. Cavendum tunc fuiſſet ad navium, prius æſtimatarum, pretium. Sed plus adhuc argumenti præbet, quod additur in *d.* 3. d. Formæ 28. Jul. 1705. præter cautionem illam 30000. florenorum, pro damno injuria dato etiam obligatos eſſe ipſos exercitores, & ſpeciali hypothecæ obligata cenſeri omnia, quæ ad exercitoriam navis prædatoriæ pertinent. Quumque ex his appareat, exercitores etiam ultra navis ſuæ pretium teneri, apage, quæ ex Jure Romano huc transferuntur ex actione de pauperie aut noxali, quæque rationem longe aliam habebant.

Quod igitur Senatus Supremus d. ult. Jul. 1603. judicavit, male judicavit, nam, ſi exercitores navarchos ſuos, qui navem Venetam ceperant, prædatoriæ præpoſuerint, atque ita mandatum prædandi dederint, in ſolidum eſſent obligati, non ſecus ac in ſolidum tenerentur ex eorum contractu, ſi negotiationi præpoſuiſſent, atque ita mandatum negotiandi dediſſent. Forte tamen probabis Senatus ſententiam, quia non exprimitur apud Coren, quinque illæ naves fuerint prædatoriæ, nec ne; ſi non fuerint, dici nequit, exercitores prædatoriæ præpoſuiſſe magiſtros ſuos. Sed alia tunc parte laborat illa ſententia, nam, ſi non interceſſerit mandatum prædandi, ſcire deſidero, cur Senatus exercitores damnaverit ad navis Venetæ, ejusque oneris reſtitutionem, executione etiam decreta contra naves ipſorum exercitorum, ſic enim damnarunt ex facto, cui magiſtros ſuos non præpoſuerant, aperte contra *d. l.* 1. §. 12. Nihil quicquam tunc ea res ad exercitores pertinebat, hi quidem ſui loco magiſtrum ſubſtituunt, ſed quod ad factum, quod implere jubent, & ſi in eo facto dolum vel culpam commiſerit magiſter, illi præſtant, ceteroquin non præſtant. Si vas tibi reficiendum dederim, tuque id diſcipulo tuo commiſeris, isque corruperit, tu teneberis, ſed ſi diſcipulus, tuo licet inſtrumento, Stichi caput comminuerit, tu utique non teneberis. Quare nec inſtar de pauperie adverſus exercitores recte agetur, non magis quam adverſus dominum, ſi mula vel canis culpa mulionis aut ductoris damnum dederit *l.* 1. §. 4. *ff. Si quadr. paup. fec. dic.*

Secundum hæc, quæ diſputavi, exercitores plane non tenebuntur, ſi magiſtrum prædatoriæ exercendæ non præfecerint, ſin autem, tenebuntur, non duntaxat ad usque navium ſuarum pretia, ſed & ad usque illos 12000 vel noviſſime 30000. florenos. Nec hoc tantum, verum & hi, qui damnum paſſi ſunt, ex d. Decreto 22. Oct. 1627. poterunt agere in decem millia, ad quæ cavet navarchus, ſe cum præda reverſurum, unde egreſſus eſt. Quamvis autem id palam contineatur eo Decreto, eſt tamen longe iniquiſſimum, ſi fidejuſſoribus non denuncietur, & hi quoque in eam cauſam conſentiant. Si ſimpliciter fuerit fidejuſſum, ut fere ſolet, navarchum cum præda, ſi quam ceperit, eo rediturum, unde enavigavit, fidejuſſores ex alia cauſa excutere, vix credi poteſt, quam ſit male conſultum & conſtitutum; quod & ſupra attigi, ubi de cauſa fidejuſſorum ſermo erat. Sin autem omnia illa, quæ commemoravi, ad damnum reſarciendum non ſufficiant, quid dicemus? an & ultra exercitores tenebuntur? & puto teneri, donec omne damnum reſarciverint, conſtat enim fidejuſſorem aut pignus non liberare debitorem, niſi ſuffecerint *l.* 9. §. 1. *ff. de Diſtract. pign.*

Ceterum ſi navis, qua de agitur, prædatoria non ſit, id eſt, codicillos prædatorios non acceperit, mandato tamen exercitorum prædetur, idem puto dicendum, quod de vera prædatoria: jus enim hoc ex mandato & præpoſitione naſcitur, & quod ad eos, qui damnum paſſi ſunt, nihil quicquam refert, an a vera, an a quaſi prædatoria patiantur.

CAPUT XX.

Si navis, non ad prædandum emiſſa, prædam tamen ceperit, ad quem ea pertineat?

Belle quæritur, ſi navis, non ad prædandum emiſſa, ſed dum ab hoſte premitur, aut alia quacunque occaſione navem hoſtilem occupaverit, præda ad quem videatur pertinere? an ad dominum navis, qui eam locaverat? quia ejus navi tormentisque occupata eſt navis hoſtilis, isque magiſtrum nautasque habebat conductos, quo ſic ſuis armis, navi, hominibusque occupata videatur; non autem ad magiſtrum nautasque, quia præter mercedes operarum nihil eſt, quod jure exigant; non etiam ad conductorem navis, quia navem conduxit ad vectionem mercium ſuarum, nec aliam quamcunque cauſam. An vero præda pertinebit ad magiſtros nautasque? quia eorum fortitudine capta eſt, non autem ad navis merciumve dominos, quia ex his nemo eorum operam ad prædandum conduxit, & quia tota prædatio eſt extra cauſam locationis conductionis. An potius ad conductorem præda pertinebit? quia navim, tormenta, nautas, eorumque operam in conducto habebat, non tantum ad vehendas merces ſuas, ſed ad navem, mercium ſuarum ergo, defendendam, quo ſic defenſio accipienda ſit cum omni cauſa, non mera depulſio, ſed & occupatio hoſtis, ne nocere poſſit; non autem ad dominum navis, non ad magiſtrum & nautas, quia omnes illos mercedibus, quas pacti ſunt, contentos eſſe oportet. Habes rationes, quibus ſuam quisque ſententiam defendere, & aliorum oppugnare poſſet.

Antequam, quid mihi videatur, dicam, obſervo, Novemdecim Viros Societatis Americanæ ita decreviſſe: *een gebuurt Schip met ingelade goederen een prys veroverende, keert uyt aan de Compagnie* 50. *ten* 100, quod Decretum Ordines Generales commemorarunt, & ſimul inſeruerunt §. 17. Formæ, quam prædaturis in America præſcripſerunt 15. Jul. 1633. (1). Societas, ut vides, ſibi conſuluit, nec etiam Ordines quicquam decreverunt niſi in rem Societatis, de aliis, quorum res vel maxime agebatur, nihil definitum eſt, &, ſi eſſet, pro ſingulari Decreto,

(1) *Plac.* I. 2. 3. 3. 1.

to, in ſpeciali cauſa eſſet habendum, quod aliis non præjudicat.

Generalem legem ea de re nec vidi, nec putem exſtare, ex ſola ratione cauſa definienda eſt. Et, qui Jove judicat æquo, prædam adjudicabit magiſtro & epibatis, qui ceperunt, minime vero vel navis, vel mercium dominis. Sane de mercium dominis nemo cogitabit, niſi tardiſſimus. Domini navis cauſa eſſet potior, ſed & huic prætulerim magiſtrum & epibatas. Comperi tamen alios aliter ſenſiſſe in hoc facto: navis, cui mercium domini curaverant *een commiſſie van de Nederlandſche en Franſche Weſtindiſche Compagnie*, anno 1667. intra limites Societatis Americanæ occupavit navem Anglicam. Magiſter & epibatæ victores decernunt, victam navem, etſi tardius, quam ſua, navigantem penes ſe retinere, id enim convenire *aan hare Reeders en Bevragters, als mede aan haar Zeelieden, en het Schip op te brengen aan de Eylanden, te verkoopen, en daar van goede rekening te houden.* Quæſitum eſt deinde de præda erciſcunda? Et *Conſil. Belg. T. I. Conſil.* 162. *&* 163. reſponſum eſt, *dat het volk, om dat het op maandgeld, en niet op prys voer, behoorde een thiende te geworden, en de reſt tuſſchen de Reeders en Inladers elk voor de helft gedeelt te worden.* Quo jure illi Conſultores epibatis decimam tribuerint, neſcio, nec forte ipſi ſciunt. Ad ſemiſſem eorum, quæ, deducta illa decima, ſuperſunt, non difficulter quidem admittunt navis dominos, ſed quod ad alterum ſemiſſem etiam mercium dominos admittant, inde eſſe ajunt, quod non parum contulerint ad prædam, utpote qui illo diplomate effecerant, ut ei navi ibi navigare liceret, ideoque exiſtimant, deterioris conditionis eſſe non oportere mercium, quam navis dominos. Id etiam probant ex illo, quod retuli, epibatarum Decreto, quo ſignificant, ſe prædam non navis duntaxat, ſed & mercium dominis cepiſſe. Adferunt illi Conſultores nonnullas etiam juris ratiunculas, at perquam, ut mihi quidem videtur, inutiles: utputa non modo per noſmet ipſos, ſed & eos, quorum miniſterio utimur, res nobis acquiri; ipſos quoque navis dominos, cum navis hoſtilis caperetur, præſentes non adfuiſſe; ſi res ſecius cecidiſſet, merces etiam periculum fuiſſe ſubituras.

Sed hæ rationes nihil me movent, ut nec illæ, quas ſupra attuli pro navis victricis dominis, nam conſtat, prædam, quicunque ceperit, ſolius capientis eſſe, niſi ex præpoſitione & mandato aliorum ceperit. Quis igitur cepiſſe videatur, unice laborandum; & magiſtrum nautaſque cepiſſe, ſine ulla aliorum præpoſitione vel mandato, res eſt manifeſta. Conducta quidem eorum opera fuit, ſed ad merces transvehendas, neque ad aliud quicquam: quæcunque igitur ex ea transvectione redundabit utilitas, illorum erit, qui eorum opera hac in re uſi ſunt, ſed de præda nihil quicquam habebunt vel illi, vel navis domini, quia eam propter non navigabant epibatæ, ſed, dum alii rei, ſoli ſcilicet navigationi operam inſumebant, fortuna aliud dedit, ut in cauſa non abſimili elegans Tryphonini ratio eſt in *l.* 63. §. 3. *ff. de Acquir. rer. dom.* Atque ea ipſa ratione mercenario, qui, dum terram fodiebat, theſaurum invenit, theſaurum adjudicabam *L.* II. *Obſerv. Jur. Rom. C.* 4. Mercenarii conditio ultra id, ad quod conductus eſt, non porrigitur, plane ut nec epibatarum in ſpecie propoſita. Quæcunque extrinſecus, id eſt, extra cauſam contractus contrahentibus accidunt, ſive lucra ſint, ſive damna, ipſi ferunt ſoli. Accipe exemplum in mandato: mandatarius utique mandatori non imputabit, quod ſpoliatus ſit a latronibus, aut naufragio res amiſerit, vel languore ſuo ſuorumque adprehenſus, quædam erogaverit, nam hæc magis caſibus, quam mandato imputanda eſſe Paulus dixit in *l.* 26. §. 6. *ff. Mand.* Hæc damna & incommoda ſequuntur mandatarium. Ut igitur lucra & commoda, quæ occaſione mandati obveniunt, eum quoque ſequantur, *ſecundum naturam* eſſe, ejuſdem Pauli philoſophia eſt in *l.* 10. *ff. de R. J.* Si Sempronius Titio, ut quid ad Mævium ferret, mandaverit, & Titius in via pecuniam inveniſſet, aut quid latroni, qui eum ſpoliare conſtituerat, extorſiſſet, nemo utique, niſi valde fatuus, eam pecuniam, aut id, quod Titius extorſit, ad Sempronium pertinere exiſtimabit, quamvis & in via periclitari potuerit, quod mittebat Sempronius. Ille Titio non mandavit, ut pecuniam inveniret, aut quid latronibus extorqueret, ſed ut transferret rem, quam transtulit, & finito ſic mandato, nihil eſt, quod Sempronius ultra exigat.

Minutiæ ſunt, quas in facto, quo de agitur, captant illi Conſultores. Diploma illud, quod mercium domini obtinuerunt a Societate Americana, ad prædam iis prodeſſe non potuit, profuit duntaxat, ut navi ibi navigare liceret. Neque etiam eſt, ut de illo epibatarum Decreto multum laboremus, quum alia atque alia ejus ſententia eſſe poſſit. Ego opinor non aliam fuiſſe, quam prædam penes ſe retinere, ad quemcumque demum pertineret, ſive ad navis, ſive ad mercium dominos, ſive ad ſe ipſos, idque potius ſignificare verba, quam quod voluerint trientes facere, & cuique trientem dare. Salvo etiam Decreto potuiſſent credere, prædam ad ſe ſolos pertinere, ut ſi navis victa onerata eſſet rebus, ad vitam ſuſtentandam neceſſariis, quibus ipſi indigebant, & ſic etiam, ad proſequendum iter, navis merciumque dominis prodeſſe, ſi navem penes ſe retinerent, & quæ plura ſunt ejusmodi. Et quis audebit fingere, epibatas ſingula Decreti verba tam diligenter expendiſſe & probaſſe, iisque, ſi præda ad ſe pertineret, ſuum jactare voluiſſe? Quin etſi non ad ſe, ſed ad navis merciumque dominos pertinere credidiſſent, quis non ſimplicitati fidei tam bonæ ignoſceret? qui ſuum, cum Titii eſſe putaret, Titio tribuit, errore detecto, ſibi non nocet. Noli etiam hominibus his nauticis objicere errorem juris, cum ob alia, tum quod in ipſo Decreto nihil quicquam definiverint, & ſatis conſtet, donandi voluntatem penes ipſos nullam fuiſſe. Plane, ſi navis mercesve, cum pugnaretur, ultra quam defenſio poſtularet, damnum patiantur, epibatas ex locato conducto teneri palam eſt.

Similis fere cauſa eſt, quam in eandem ſententiam olim judicavit Curia Bruxellenſis, Præfecto nempe turmæ equeſtris, qui equiti pugnaturo equum commodaverat, prædæ, quam miles ceperat, partem non deberi. De cujus ſententiæ jure ego non dubitaverim, licet dubitaverit & contra reſponderit PetrinusBellus *de Re militari Part.* IV. *T.* 8. *n.* 8. *& ſeqq.* ut & Zoucheus narrat *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 8. *Q.* 17. Major tamen ibi æquitatis ratio, ut & in partem prædæ veniret Præfectus, cum commodantis nihil quicquam interfuerit, commodatarius pugnaret, nec ne. Et tamen non magis vindicabit prædam, quam piſcem Titius, a Mævio captum reti, quod ei commodaverat Titius.

Sed forte fruſtra verba perdo, occupatus in

 quæ-

quæſtione inutili, cum nemo recte prædetur ſine codicillis prædatoriis Ordinum Generalium vel Præfecti maris, & tantum abſit, ut, qui ſecus fecerit, prædam faciat ſuam, ut potius pro pirata ſit habendus, ſecundum ea, quæ diſputabam C. XVIII. Si ſic putes, erras. Per privatos actus etiam privatis prædam quæri, recte dixit Grotius L. III. *de Jure B. & P. C.* 6. §. 10. atque ita nulli dubitamus, quin præda, caſu obvia, & a privatis capta, fiat capientium. Contradicere creditur Pufendorf *de Jure N. & G. L.* VIII. *C.* 6. §. 21. ſed non contradicit, agit enim de his, qui ſine auctoritate publica ſolius prædæ cauſa exeunt, non de his, qui, dum ab hoſte premuntur, ipſi hoſtem premunt, vel de his, qui caſu in prædam incidunt; quæ ſpecies ſunt, quas hic tracto. In alterutra ſpecie ſi neges, res hoſtiles occupare licere, negabis quoque eum ſpoliare licere, qui te alioquin ſpoliaturus eſt, quin & negabis defenſionem ſui ipſius, quia hæc permittit, ut & quæcunque belli indictiones permittunt, hoſti quocunque modo nocere, hoc eſt, non tantum avertere periculum, quod tibi ab hoſte imminet, ſed & eum deprædari, & bonis omnibus exuere. Aliud dicendum eſt de iis, qui ſine codicillis, nec præſtitis, quæ ante præſtanda ſunt, prædatum enavigant, quod ipſum prohibent varia Ordinum Generalium Edicta. At quis auctoritatem publicam deſiderabit, ubi ſolius mercaturæ ergo navigans, hoſtem obvium repello, &, ſi poſſum, vinco? Secundum hæc ſi Grotium & Pufendorfium explicaſſent, ab utriusque reprehenſione potuiſſent abſtinere, qui nunc utrumque reprehendunt.

CAPUT XXI.

An res hoſtium liceat aſſecurare?

In Regnis & Rebus publicis, quæ commerciis exercendis ſtudent, contractu aſſecurationis nullus hodie eſt frequentior, excepta emptione venditione, locatione conductione. Adeo tamen ille contractus olim fuit incognitus, ut nec nomen ejus, nec rem ipſam in Jure Romano deprehendas; non alia forte cauſa, quam quod commercia tam late non frequetarentur, vel quod publicæ Claſſes marium ſecuritatem a prædonibus præſtarent, vel quod magnitudo Imperii Romani univerſo mari, in quo potiſſimum mercatura exercebatur, circumfuſi, hoſtium metum expelleret. A furore etiam maris non tantum olim, atque hodie periculum erat: neque enim nunc littus legimus, aut per hyemem navibus facimus otium, ſed media maria, quantumvis infida, quovis tempore noſtræ puppes decurrunt, incertum, quo fata ferant. Apud Suetonium tamen lego in *D. Claudio C.* 18. eum tempore arctioris annonæ, convitiis & panis fragminibus petitum, non tantum naves, mercaturæ cauſa, fabricantibus magna commoda dediſſe, ſed & negotiatoribus quædam lucra propoſuiſſe, *ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet.* Ea erat ſpecies aſſecurationis, quum hæc, ut hodie frequentatur, nihil aliud ſit, quam pro rerum alienarum ſecuritate fidei ſuæ interpoſitio, qua, ſublata domini perſona, earum periculum fidejuſſor ſuſcipit pro certo pretio. Claudius non certo pretio, ſed gratis in ſe ſuſcipiebat periculum maris, neque etiam damnum, quod per piratas accidiſſet, ſuſcipiebat, & hinc eſt, quod dixi, *ſpeciem* aſſecurationis fuiſſe.

Præmiſi, quemadmodum aſſecuratio ſit definienda, ut vel ex definitione conſtaret, rationem belli omni modo exigere, ne naves, ne merces, ne alia hoſtium bona liceat aſſecurare. Hoſtium periculum in ſe ſuſcipere quid eſt aliud, quam eorum commercia maritima promovere? inventa enim ſunt illa ἀσφαλίσματα, ut minori damno magis commodum eſſet operam dare rei maritimæ. Unde & Ordines Generales, quum cum Hiſpanis bellum eſſet, 1. Apr. 1622. edixerunt (1), nullæ eſſent aſſecurationes, quas Fœderati Belgii incolæ vel antea feciſſent, vel poſtea facturi eſſent pro bonis, ad Hiſpanorum ſubditos pertinentibus, poſita contra facientibus centum Librarum Flandricarum pœna. Juſtiſſimum id videri poterat, quia in ſingulis belli indictionibus quisque tantum hoſtibus damni inferre jubetur, quantum poteſt. Quod ſi ſit, etiam vetatur quoquo modo hoſtium utilitati conſulere. Id exigit jus belli generale, & exigebat quoque jus belli Hiſpanici ex Edicto Ordinum Generalium 2. Apr. 1599 (2). Sin ajas, ex ejusmodi aſſecurationibus plus lucri, quam damni ferre aſſecuratores, adeoque noſtris, quam hoſtibus plus prodeſſe, id ais, quod eſt incertiſſimum, & de quo vix ipſa experientia judicare poterit, cum interim ſit certiſſimum, ſic hoſtibus cauſam præberi commercia ſua latius promovendi. Quod, quia hoſtibus eſt utile, & fere redundat in noſtram necem, omni ratione prohibendum eſt. Atque hæc ſola ratio ſuffecerit, ſed eveniebat præterea ex iis aſſecurationibus, quemadmodum & d. Edicto 1. Apr. 1622. continetur, ut res hoſtium, a noſtris captæ, ab iſtis fidejuſſoribus vindicarentur, &, ſi recte fidejuſſum eſt, quidni vindicari poterant? eorum enim quodammodo ſunt, qui illorum ſecuritatem ſpoponderunt, & quod ad naves merceſque aſſecuratas, dominos eosque fidejuſſores pro iisdem eſſe habendos, intelligimus ex formulis τῶν ἀσφαλισμάτων, publice editis & ubique obviis. Si fidejuſſores recte vindicarent res hoſtiles, ſubditorum noſtrorum damnum erat, qui eas ante optimo jure ceperant, & qui ſic deterrebantur, ut ait d. Edictum, ab exercendis navibus, quibus hoſtes oppugnarent. Id autem adverſari belli legibus, plusquam manifeſtum eſt.

Hactenus nihil eſt, quod nos offendat, ſed comperi, eosdem Ordines Generales 13. Maj. ejusdem anni 1622. (3) illud Edictum 1. Apr. reſtrinxiſſe ad eas aſſecurationes, quæ fierent factæque eſſent poſt publicationem d. Edicti 1. Apr. atque ſi hic locus eſſet regulæ *l.* 7. *C. de LL.* Ex ea interpretatione apparet, Ordines tunc probaſſe aſſecurationes rerum hoſtilium, ſi non ſpeciali lege ſint vetitæ, nam alioquin & quæ ante ſpecialem prohibitionem factæ ſunt, eſſent nullæ, ut & eas nullas eſſe edixerant illo 1. Apr.

(1) *Plac.* I. 2. 7. 2. 1 & *Repert. Curiæ Holl.* p. 173. *B.* & *Repert. Ordd. Gener.* p. 28. B.

(2) *Plac.* II. 4. 2. 1. 1.

(3) *Ibidem* I. 2. 7. 2. 1. & *Repert. Curiæ Holl.* p. 140. B.

1. Apr. 1622. Quumque id Edictum ratio belli tueatur, & non ſit jus aliquod novum, dicendum eſt, illam interpretationem, qua prior ejus ſententia mutata eſt, pro errore magis, quam pro jure eſſe habendam. Quod de pœna additum eſt in Edicto, recte ad futurum, res ipſa, ex interpretatione, non recte ad futurum refertur, niſi forte dicamus, adeo antea hoſtilium rerum aſſecurationes invaluiſſe, ut præcedentium temporum uſus perpetuus eas receperit. Et tamen, ſi vel plurima rerum hoſtilium, quæ aſſecuratæ eſſent, exſtitiſſent exempla, ne ſic quidem conſuetudinem, quæ jus faciat, inde efficerem, niſi rerum perpetuo judicatarum, quæ eas probaſſent, accederet auctoritas.

Igitur ſecundum jus belli eſt, quod Ordines Generales 31. Dec. 1657. (4) edixerunt, ne aſſecurarentur res Lyſitanorum, tunc hoſtium, ſed dubito, an ſecundum jus belli ſit, quod generaliter addunt, ne quæ etiam res aſſecurarentur, quæ ad Lyſitanos, quæque ex Lyſitania veherentur, nam ſi illæ res ad ſubditos Ordinum, vel ad exteros pertineant, nulla ratio eſt, quæ earum aſſecurationem impediret, quia eo Edicto ſubditis noſtris non interdicitur commercio cum Lyſitanis, ſed in §. 2. duntaxat τοῖς *contrabande* juvari vetantur, cum a noſtris, tum ab exteris. Si ad alterius Principis ſubditos res pertineant, multo magis dicemus, a noſtris aſſecurari poſſe, quia exteris utique non licet omni commercio cum hoſtibus noſtris interdicere. Quare ad τὰ *contrabanda*, cum noſtrorum, tum exterorum oportuiſſet reſtringere illam interdictionem. Attamen generaliter, iisdem pene verbis, ſimilis interdictio ad Anglos, tunc hoſtes, & naves mercesque, ad eos euntes, vel ab iis redeuntes, porrecta eſt Edicto Ordinum Generalium 9. Mart. 1665 (5). In §. 13. Edicti, quo bellum Francis indixerunt Ordines Generales 9. Mart. 1689. (6) non tantum naves mercesque Francorum aſſecurari prohibentur, ſed & additur eadem generalis interdictio, quæ utique, quia generalis eſt, etiam ad exteros pertinet, & ad licita tam eorum, quam noſtrorum commercia. Sic ſolent Edicta, alia ex aliis, transſcribi, & ubi ſemel error contra Jus Gentium irrepſit, continuo repetitur, nec de eo emendando ſollicitus eſt quisquam.

Interea apparet, etiam ex poſterioribus Ordinum Generalium Edictis, res hoſtium aſſecurare non licere, &, quia res uſum quotidianum habet, vellem id quoque eſſet inſertum Legibus tam generalibus, quam ſpecialibus, quas Belgæ huic contractui variis temporibus præſcripſerunt, & vellem, ne Stracha, Santerna, aliique ſemibarbari, qui *de Aſſecurationibus* ſcripſerunt, hoc argumentum plane intactum prætermiſiſſent, contenti monuiſſe, merces illicitas, puta *contrabandas*, aſſecurari non poſſe. Nos ita conſtituamus: naves mercesque, quas jure belli occupare & publicare licet, quæcunque demum fuerint, aſſecurare non licet, ſin autem occupare & publicare non liceat, non animadverto cur de iis prohibita dicamus τὰ ἀσφαλίσματα.

Audiamus & quid homines quidam noſtri dixerint de rebus, quas occupare & publicare licet. Qui ignorans aſſecuravit *op contrabande*, de damno non teneri, Grotius reſpondit *Conſil. Holl. T.* III. *Conſ.* 175. Et, qui aſſecuravit ei, quicunque dominus ſit rerum, de quibus agitur, ſive, ut formula Juris Romani utar, ei, ad quem ea res pertinet, isque hoſtis ſit, verbis illis generalibus hoſtes non contineri, neque adeo aſſecuratorem obligatum eſſe, ſecundum mercatorum quorundam Antverpienſium & Middelburgenſium ſententiam duo Pragmatici reſponderunt *Conſil. Holl. T.* II. *Conſil.* 322. Ego adderem, ſi vel nominatim expreſſum ſit, τὰ *contrabanda* vel res hoſtiles aſſecurari, ne ſic quidem aſſecuratorem teneri, quia nullus eſt contractus, & contractum, qui nullus eſt, implere vel non implere pendet a mera voluntate contrahentium. Quod autem meræ voluntatis eſt, in judicio defendi nequit.

CAPUT XXII.

An liceat militem conducere in amicæ Gentis Populo?

Quæſtionem aggredior, quæ noſtra ætate magnam Europæ partem turbavit, & adhuc turbat. Sed noli exiſtimare, ſi vel liceret in Principis amici Imperio militem conducere, ideo & licere militem, qui Principi amico militat, vel prece vel pretio ad deſerendam Principis ſui militiam ſollicitare, & in noſtram militiam transſcribere. Militiæ deſerendæ auctores non minus puniuntur, quam ipſi deſertores, & ſunt Gentes, quæ id crimen habent pro crimine Majeſtatis læſæ, ſed alia & diſtincta quæſtio eſt, an Princeps amicus in Imperio Populi amici, eos, qui milites non ſunt, poſſit conducere, & eorum opera in bello uti adverſus hoſtes ſuos? Sane ſi quis Princeps ſubditis ſuis interdicat, ne Civitatem mutent, neve ſub aliis Principibus militent, neque alii Principes recte eos ſubditos ad militiam conducunt, ſed ubi ea prohibitio non eſt, ut non eſt apud pleraſque Europæ Gentes, ſubditis licebit, ut ipſe quidem opinor, Civitatem ſuam relinquere, in aliam migrare, & ibi ſub alio Principe militare.

Si, ut modo dicebam, non ſit lex, quæ prohibeat, utique licet ſubditi conditionem exuere, & Civitatem, ut lubet, mutare. Juris publici Scriptores uno ore in id conſentiunt, neque diſſentit Grotius *L.* II. *de Jure B. & P. C.* 5. §. 24. apud Moſchos tamen illud non licere, addit ibi Grotius; non licere etiam apud Chinenſes & Anglos, earum Gentium ſententia eſt, plus ſemel publice teſtata. Ludovicus quoque XIV. Franciæ Rex Edicto 13. Aug. 1669. (1) capitis bonorumque pœnam ſtatuit, ſi quis Francus, venia ab ipſo non impetrata, Franciam relinqueret animo non revertendi. Ante eum annum ibi licuit, & ubique licet, ubi Civitas carcer non eſt. Cum autem liceat in alterius Principis Imperium tranſire, licebit & ibi quavis honeſta ratione victum quærere, & quidni etiam militia terreſtri vel maritima? in Belgio certe Fœderato non eſt lex, quæ impediat, & plurimi Belgæ & olim & mea memoria ſub aliis Principibus militarunt terra marique.

Loquor autem de Principibus amicis, nam hoſtibus

(4) *Plac.* II. 4. 28. 1. 2.

(5) Exſtat apud Aitzema *L.* XLV. p. 880.

(6) *Plac.* IV. 1. 6. 1.

(1) *Hollandſche Mercurius* 1669. p. 123. & 124.

ſtibus operam militarem, ſive terreſtrem, ſive nauticam locare, nemini licet, & variis quoque Ordinum Generalium Edictis eſt vetitum. Diceres quidem quam plurima eorundem Ordinum Edicta, quæ prohibent ſub extero Principe militare (2), generaliter eſſe accipienda, ſed iis probe excuſſis intelliges, vel temporalia eſſe, gliſcente nempe bello, cum ipſi Ordines hominibus ſuis indigerent, vel etiam interpretanda eſſe de iis, qui hoſtibus militant, vel de iis, qui deſerta Ordinum militia apud alios Principes militatum eunt; de quo utroque genere nonnulla etiam palam loquuntur. Sane cum navis Francica, cujus epibatæ, exceptis ſex Francis, omnes 80. erant Hollandi Zelandique, navem Hollandicam cepiſſent, Ordines Generales 23. Jul. 1674. edixerunt (3), ut, qui ex hujus Reipublicæ ſubditis nauticam militiam hoſti militaret, ſubmergeretur. Idemque ab iisdem edictum eſt 4. Apr. 1676. (4). Vides, verba fieri de his, qui hoſtibus militant, ſed ut hoc porrigamus ad eos, qui Principibus amicis vel ſociis militant, nec ratio, nec jus pacis & fœderis patiuntur.

Si igitur ſubditi noſtri, quorum ope in bello non indigemus, quibusque, ut Civitatem mutent, nulla lex obſtat, militarem operam recte exhibeant Principi amico, cur Princeps ille amicus hanc non recte conducat in amicæ Gentis Populo? ubi locare licet, licet & conducere. Cur æque integrum non eſſet in Imperio amici Populi militem conducere, quam quasque emptiones venditiones, locationes conductiones celebrare, ceteraque commercia exercere? Neque obeſt, ſi forte, qui milites conducit, iis utatur adverſus ejus, in cujus Imperio conduxit, amicos, cum quibus ei bellum eſt, forte etiam in poſterum uſurus adverſus noſmet ipſos, conſtat enim, quod ad primam ſpeciem, utriusque amico & hanc & illam partem oportere juſtam videri. Idque in inſtrumentis bellicis comparandis vulgo ſervamus, ut ut enim ea ad utrumque amicum non recte vehamus, ſine fraude tamen vendimus utrique amico, quamvis invicem hoſti, & quamvis ſciamus, alterum contra alterum his in bello eſſe uſurum. Quod ad ſecundam ſpeciem attinet, oportet ſane præſentem Reipublicæ ſtatum intueri, nec tantum proſpicere in futurum, neque enim Principi amico interdicimus apud nos comparare pulverem bellicum, arma militum, & reliqua, quorum in bello uſus eſt. Poſſet utique ille Princeps, nunc amicus, poſtea hoſtis, eo pulvere, iis armis, aliisque inſtrumentis bellicis etiam in poſterum uti adverſus noſmet ipſos, ſed, ut dixi, præſens Reipublicæ ſtatus intuendus eſt, &, niſi hoc fiat, neque leges amicitiæ conſtabunt, neque Fœdera, quæ inter pleroſque Fœderatos intercedunt.

Quod juris eſt in inſtrumentis bellicis, idem eſſe puto in militibus apud amicum Populum comparandis, niſi in pace convenerit, ne vel uni vel utrique id facere liceret. Sic in Fœdere Romanorum cum Antiocho, Antiocho lex impoſita, militem in Imperio Romano conducendi jus ne eſſet, ut eſt apud Livium *L.* XXXVIII. *C.* 38. & Polybium *Excerpt. Legat. C.* XXXV. *n.* 4. quod alioquin jure æqui fœderis ei licuiſſet, neque prohibere ſine injuria potuiſſent Romani. In Imperio certe Antiochi militem conducere Romanis interdictum non erat. Initio Fœderis convenerat, ne alter alterius hoſtem commeatu juvaret, æquo ſcilicet fœdere, ſed hic ſoli Antiocho præſcriptum, ne id faceret, quod alioquin Jure Gentium omnibus Principibus licet.

In Hollandia tamen & reliquo Belgio Fœderato & olim videtur obtinuiſſe, & nunc obtinet, ne quis, absque Ordinum conſenſu, ibi militem legat. Exſtat antiquum in eam ſententiam Edictum 8. Jan. 1529. (5). Et quum Dani, Sueci & Moſchi ſine Ordinum conſenſu in Belgio Fœderato milites conducerent, Ordines Generales 1. Aug. 1612. edixerunt (6), ne quisquam, & nominatim Danus, Suecus, Moſchus id feciſſe vellent, niſi habito ſcripto Ordinum conſenſu, &, ſi vel ſcriptum haberent, ne vellent extendere ad ipſos Ordinum milites a ſignis ſuis avocandos, ſtatuta, ſi quis contra faxit, capitis aliave arbitraria pœna. Cum illo Edicto anni 1612. conveniunt alia Ordinum Generalium Edicta, facta vel repetita 16. Dec. 1622. 3. Mart. 1627. 30. Mart. 1646. 21. Jul. 1648. 27. Maj. 1650. 20. Jan. 1652. & 18. Mart. 1658. (7). Ordines etiam Hollandiæ Edictis 27. Mart. 1652. & 16. Mart. 1656. (8) ſi quis in Hollandia milites ſine ſcripto Ordinum Hollandiæ eorumve Conſiliariorum conſenſu conduxiſſet, non arbitrariam, ſed ſimpliciter & omnino (*ſonder eenige genade*) mortis pœnam ſtatuerunt. Habes ea de re ſententiam Ordinum, cum Generalium, tum Hollandiæ, cui meam, ut par eſt, lubens ſubmitto.

His adde, quæ anno 1666. inter Ordines Generales & Præſidem Belgii Hiſpanici acta geſta ſunt (9). Illi apud hunc queſti ſunt, Epiſcopum Monaſterienſem, quocum ſibi bellum erat, in Belgio Hiſpanico milites conſcripſiſſe. Reſpondit Præſes ejus Belgii, ſe ejus rei poteſtatem non dediſſe, &, ſi dediſſet, nihil prohibere, quominus dare potuiſſet, quia neutrarum partium erat Rex Hiſpaniæ, atque ideo & ſimilem poteſtatem ſe obtuliſſe Belgis Fœderatis. Sed quid liceat ſine ejusmodi conſenſu, &, ſi petatur, an negari poſſit, id proprie eſt, de quo quærimus, & proinde, an recte Epiſcopus in Belgio Hiſpanico militem legerit, ſi ſine conſenſu Præſidis legiſſet? De eo nunc ipſe judica ex iis, quæ dicta modo & diſputata ſunt.

CAPUT XXIII.

An ſingulis Belgii Fœderati Provinciis jus ſit belli gerendi.

Ex Annalibus aliisque Actis publicis plena fide conſtat, eam veterum Belgarum fuiſſe libertatem, ut non duntaxat Princeps, ſed & Populus, neque Populus tantum, ſed & Urbes & oppida ſuo ære ſua bella geſſerint. Ut autem poſteriorum Comitum in Belgio crevit poteſtas,

(2) Exſtant *Plac.* II. 4. 13. *& alibi.*
(3) *Ibidem* III. 1. 7. 13.
(4) *Plac.* III. 1. 7. 14.
(5) *Repert. Curiæ Holl.* p. 20. A.
(6) *Plac.* II. 4. 13. 3. 1.
(7) *Ibidem* II. 4. 13. 3. 2.
(8) *Ibidem* II. 4. 7. 4.
(9) Aitzema *L.* XLVI. variis locis.

teſtas, hæc quoque jura paulatim minuta ſunt auctoritate, fraude, dolo, & quandoque vi. Sed excuſſo poſtremi Comitis Imperio non abſurde dixeris, in antiquam libertatem rediiſſe Belgas, niſi ſi quid eam coërceat Fœdus Utrechtanum 23. Jan. 1579. & ſequuta deinde Imperii Comitatenſis abrogatio 26. Jul. 1581. Vulgo placet, eo ipſo Fœdere ſingulis Provinciis ademptum fuiſſe jus belli gerendi, & adeo quidem ea opinio invaluit, ut ſi quis audeat contra hiſcere, ipſa fundamenta illius Fœderis concutere, & totam Rempublicam præſenti periculo exponere videri poſſet. An & quemadmodum id verum ſit, audi me patienter, &, niſi te convicero, agnoſces ſaltem, Ciceronem alicubi recte dixiſſe, *nihil eſſe tam incredibile, quod non docendo fiat probabile.*

Hugo Grotius, quaſi aliud agens, *Apologetici C.* X. ſimpliciter ſcribit, Fœdere Utrechtano eſſe vetitum bellum ſuſcipere, niſi communi omnium Provinciarum conſenſu, licere tamen cuique Provinciæ ſeſe defendere contra tumultum populi. Si, quod de bello dicit, de bello omnium Provinciarum communi intelligat, me conſentientem habebit, ſi de omni bello, ut mihi quidem videtur ex addita exceptione, an conſentire poſſim, exſpecta pauliſper. De omni quoque bello intellexerim, quod lego apud Antonium Matthæum *de Criminibus ad L.* XLVIII. *Dig. T.* 2. *C.* 5. *n.* 1. nam ibi probaturus, jus ſummæ Poteſtatis eſſe penes ſingulas Provincias, nonnulla in hanc rem profert, & mox iis, quæ dixerat, non obeſſe ait, *quod de Pace, Bello, Religione non niſi communibus conſiliis atque ſuffragiis ſtatuant, id enim*, inquit, *non propterea fit, quod una ſit Reſpublica, ſed quod fœdere ſit exceptum.* Quod additur de *Religione*, rem totam ſuſpectam facit, manifeſtum quippe eſt, ex illo Fœdere ſingulis Provinciis de *Religione* ſtatuendi jus plane integrum fuiſſe & illibatum. Sed de eo jam non agimus, ex profeſſo acturi *L.* II. *C.* 18. De pace & bello quod ait, judicandum eſt ex §. 9. d. Fœderis, qui ſic habet: *Men zal geen accoord van Beſtant of Peis maken, nog Oorlog aanveerden, nog eenige Impoſten of Contributien inſtellen, die Generaliteit van deſen Verbande aangaande, dan met gemeen advis ende conſent van de voorſz. Provincien, maar in andere ſaken*, & reliqua. Vides placuiſſe, neque inducias, neque pacem pangi, neque bellum commune decerni, neque tributa indici poſſe, niſi unanimi omnium Provinciarum conſenſu. Mox tamen additur, ſi Provinciæ de his diſſentirent, res Gubernatorum, qui tunc erant, arbitrio relinqueretur, inter quos ſi etiam non conveniret, alii arbitri adjungerentur, quorum arbitrio diſſentientes Provinciæ ſtare tenerentur.

Nunc non quæro, an quæ ibi dicta & pacta ſunt de communi omnium Provinciarum conſenſu in cauſis pacis bellique, peræque ſemper obſervata fuerint? Si putes, falleris. Pax Monaſterienſis anno 1648. invitis Zelandis, facta & deinde probata eſt (1), ut & iisdem & Utrechtanis invitis pax Lyſitana anno 1661 (2) quemadmodum & anno 1657. contra Lyſitanos, invitis Friſiis, bellum decretum eſt, etiam Friſiorum ære, tantum quod ceteris Fœderatis utile eſſet, ut auctor eſt Aitzema (3). Poſſem, niſi præſtaret tacere, plura addere, in quibus, licet communis conſenſus deſideretur, uni Provinciæ tamen diſſentire non fuit integrum. Quæ exempla æternitatem illius Fœderis, tantopere ab initio jactatam, falſi coarguunt. Ne autem, quod dixi de Fœdere non usquequaque obſervato, temere dixiſſe videar, ipſos Hollandiæ Ordines teſtes appello; nam cum Groningani 9. Oct. 1663. Ordinibus Generalibus propoſuiſſent, placeretne decerni, omnes, qui Comitiis Ordinum Generalium intereſſent, inter alia jurarent, ſe ſervaturos Fœdus Utrechtanum, Hollandiæ Ordines 27. Nov. 1663. decreverunt (4), quicunque id peteret, antequam quicquam ea de re ſtatueretur, exhiberet novam Formulam Unionis, in quam juraretur, veteris enim magnam partem obſoleviſſe, *alzoo*, inquiunt, *de voorſchr. Unie niet alleenlyk verſcheide paſſagien, articulen en perioden vervat, die niet gepractiſeert werden, maar ook eenige, die ſommige van de andere Provincien niet genegen zyn in haren reguarde na te komen.*

Sed plus ſcire attinet, quæ ſit ſententia *d.* §. 9. Fœd. Utrecht. Et quidem inter omnes nunc ſatis conſtat, poſtquam id plene probavit Grotius *Apologetici C.* I. jus ſummæ poteſtatis eſſe penes ſingulas Provincias, nunquam enim id Ordinibus eſt delatum, quin in §. 1. d. Fœd. expreſſe ſeſe ſingularum Provinciarum controverſiis immiſcere vetantur. Ordines Generales curant commune bonum totius Reipublicæ, Ordines ſingularum Provinciarum commune bonum ſuæ cujusque Provinciæ; ſi pro bono communi totius Reipublicæ bellum gerendum ſit, gerunt Ordines Generales, ſed non niſi ſingularum Provinciarum communi conſenſu, ſi, ut oportet, leges Fœderis ſequantur. Numquam igitur ſingulæ Provinciæ recte bella gerent? videamus. Aut bellum gererent adverſus exteros pro cauſa communi omnium Fœderatorum, aut quorundam ex his, aut pro cauſa ſua, id eſt, pro jure ſuo defendendo, & vindicanda injuria, uni forte Provinciæ illata. Et parum abeſt, quin dicamus, in omnibus hiſce cauſis cuique Provinciæ jus belli eſſe ſalvum. Liberi Populi eſt ex arbitrio ſuo bellum gerere, utque id proprium eſt cujusque Gentis, quæ ſui juris eſt, ſic & olim obtinuit apud Belgas, nunc fœderatos. Quod olim ſingulis Provinciis licuit, adhuc licet, niſi juri ſuo renunciaverint. Summa Poteſtas, quæ penes ſingulas Provincias eſt, non tollitur, nec minuitur, niſi expreſſa in contrarium renunciatione. Quod maxime conveniens eſt ei ſententiæ, quam Ordines Hollandiæ data opera 25. Jul. 1654. exſequuti ſunt in Libello *de excludendo Orangio* (5). Si quid Fœdere ſit exceptum, alia res eſt, ſed de eo mox videbimus.

Pro cauſa igitur communi omnium Fœderatorum cuique Provinciæ, ceteris conſentientibus, integrum erit bellum gerere, quid enim impediret? nihil aliud deſiderat *d.* §. 9. quam communem conſenſum, non etiam communes ſumptus, ſi hos in ſe ſuſcipere una Provincia ſit parata, eſt, quod aliæ ſibi gratulentur. Etiam ſingulas Provincias, ſuo ære, pro cauſa communi pugnaſſe, & Mandatis, & Caſtris, & Imperatore a Fœ-

(1) Aitzema *L.* XXVI. p. 278. & 279. & *L.* XXVIII. p. 509-531.

(2) Idem *L.* XLI. p. 104-118. 137. 146. & 150. & *L.* XLIII. p. 704.

(3) *L.* XXXVII. p. 948.

(4) *Reſolutien van Conſideratien ten tyde van de Wit* p. 765.

(5) *Ibidem* p. 30-206.

Fœderato exercitu diverſis, prolixe demonſtrarunt Ordines Hollandiæ in Libello, quem *de Jure Militiæ* ediderunt 17. Maj. 1657. (6). Idque etiam accidiſſe ſub initia Fœderis, atque adeo ſententiam ipſius Fœderis non obſtare, ibi, ſi commodum eſt, leges. Sane pro cauſa communi vel unam Provinciam, reliquis conſentientibus, recte bellum gerere, adeo verum eſt, ut non facile reperturus ſis, qui huic rei ſerio contradicat. Nonnullos quoque ex Fœderatis, etiam non defendentibus ceteris, defendere licere, & vindicare injuriam, ipſis illatam, ſatis intelliges, ubi intellexeris, ſingulas Provincias pro ſua etiam cauſa recte arma induere. Quod ut probem, non alia ratione utor, quam modo præmittebam, ſingulas nempe Provincias, ut olim, in bello gerendo fuerunt ſui juris, ſic & manſiſſe poſt Fœdus Utrechtanum, niſi eo jure ſe abdicaverint. Quæque igitur Provincia, ab extero Principe laceſſita, ſi reliqui Fœderati communibus viribus ei non ſuccurrant, ſive quod nolint, ſive quod non poſſint, pro jure ſuo defendendo vel vindicando, recte arma ſumet, niſi ſit, qui probet, juri ſuo renunciaſſe, & renunciaſſe non memini me uſpiam legere. Imo, inquies, legitur in *d.* §. 9. *Men zal geen Oorlog aanveerden, dan met gemeen advis en conſent van de voorſchr. Provincien.* Sed velim animadvertas, illum §. 9. Fœderi eſſe inſertum pro jure ſingularum Provinciarum conſervando, non pro tollendo vel minuendo, ideoque ait, ceteros Ordines, in cauſa communi, alios non recte ad bellum cogere, ne ſcilicet inviti oneribus belli implicentur. In cauſa, inquam, communi, nominatim enim cautum eſt, bellum, *die Generaliteit van deſen Verbande aangaande*, ſuſcipi non poſſe, niſi conſenſu communi. Sed id non prohibet, quominus ſingulæ Provinciæ, ſuis ſumptibus, pro ſe recte bellum gerant.

Atque his, quæ diſputavimus, fere convenit ſententia eorum, qui anno 1684. bellum Francicum detrectabant. Cum enim eo anno ageretur de 16000. militibus conſcribendis, quibus Francorum Regi bellum fieret, ac diſſentirent Friſii, & quidam ex Hollandis Zelandisque, non quidem diſſentientes negabant, bellum fieri poſſe, ſed negabant fieri poſſe ſuo ſumptu. Ea utique videtur Ordinum Friſiæ ſententia in Epiſtola ad Ordines Generales ſcripta menſe Martio 1684. (7) nec aliter ſapiebant Amſterdammenſes & Middelburgenſes, qui & ipſi diſſentiebant, in Conteſtationibus ſuis, ea de re editis (8); ad exemplum fere antiqui Hollandorum ſtatus, quo plurimæ Civitates in unam magis Societatem, quam Rempublicam coïvere.

Sed jam obmurmuras, exemplo grave eſſe, ſi ſingulæ Provinciæ ſua bella gerere poſſint, ſic enim alios Fœderatos præſentiſſimo periculo exponi, cum exteri Principes inter Provincias non diſtinguant, & quemcunque ex Fœderatis deprehendant, aggreſſuri ſint. Qui, ſi adoriantur eam Provinciam, quæ bello ſe accinxit, metus utique juſtus eſt, ne eam occupent, a ceteris divellant, atque ita Fœderi reddant inutilem. Sic omnino eſt, ſed tu de conſequentiis ſollicitus es, ego de jure. Sin autem apud te plus valeant conſequentiæ, cogita, quam durum ſit, ſi vel una Provincia, quantumvis injuriam paſſa, a reliquis deſeratur, nec tamen ipſa ſuam injuriam vindicare poſſet. Ut ab inito Fœdere nulla unquam Provincia ſingulare bellum geſſit, ſic optandum eſt, ne gerat unquam, cum tantum urgeant conſequentiæ in utramque partem. Sed, quicquid ſit, de jure quærimus. Verum & tu, eo conſulto, objicies, tantum abeſſe, ut ſingulæ Provinciæ ſua bella recte gerant, ut ne quidem iis facere liceat quicquam, quod bello ſuſcitando occaſionem præbere poſſit. Unde in §. 17. Fœd. Utrecht. conſtitutum eſt, ne quis Fœderatus extero Principi cauſam belli præbeat, ideoque probe recte jus dicat, ſin autem, a reliquis Fœderatis coërceretur. Sed belli cauſam non præbet, qui patitur injuriam, at ille, qui facit; qui patitur injuriam, juſtum bellum gerit, quia jus ſuum defendit adverſus alterius injuriam, vel recuperare conſtituit, quod nullo jure ſibi ademptum eſt. Utcunque igitur jus competat belli gerendi, non competit tamen, ſi quis ipſe injuſte egerit, & ſic bello cauſam præbuerit. Sed & difficultatem habet hæc exceptio, cum non ſatis conſtet, eccui de juſtitia vel injuſtitia belli competat judicium. Utique ipſis Provinciis, inter ſe diſſentientibus, non competit; ſed ut in aliis cauſis, ita & in hac ſervabitur ordo placandi diſſidii, præſcriptus in *fine* §. 1. d. Fœd. Utrecht.

Supereſt quæſtio, an, ut ſingulæ Provinciæ volentes pro cauſa communi recte bellum gerunt, ita & nolentes cogi poſſint ad bellum, pro cauſa communi ſuſcipiendum. Et, ſi verum amamus, non poſſunt cogi, quia & hæc res eſt meræ voluntatis. Si dicas, in §. 1. & 2. d. Fœd. Utrecht. inter Fœderatos pactam eſſe defenſionem mutuam, etiam bello, quia utrobique additur, *met lyf*, *goed en bloed*, & ſi porro dicas, nominatim cautum eſſe in §. 3. d. Fœder. quamque Provinciam, quæ vim aut injuriam patitur contra quemcunque, exterum vel indigenam, communibus viribus eſſe defendendam, idem dices, quod & Friſiis, bellum Lyſitanum detrectantibus, a reliquis Fœderatis objectum eſt anno 1657. (9) ſed audies & quod ait ille λόγοι καθόλου κενώτεροι, & quod Celſus in *l.* 24. *ff. de LL. incivile eſt, niſi tota lege perſpecta, una aliqua particula ejus propoſita, judicare vel reſpondere*, his enim, quæ modo dicebam, generaliter præmiſſis, ſpecialiter additum eſt in *d.* §. 3. *beheltelyk, dat die aſſiſtentie by de Generaliteit van deſe Unie gedecerneert zal worden met kenniſſe ende na gelegentheid van der ſake.* Hoc eſt, tunc demum ad defenſionem alterius ceteros cogi, ſi Ordines Generales ita decreverint; quod non aliter intelligendum, quam ſi omnes velint, bellum quippe non decernunt Ordines Generales, niſi velint omnes, ut mox ſequitur in *d.* §. 9. d. Fœd. Una igitur Provincia poterit diſſentire, & prohibere, ne bellum geratur commune, id eſt, omnium nomine, vel quia exiſtimat, ad ſe non pertinere injuriam, aliarum Provinciarum uni vel pluribus illatam, vel quia injuſtam eſſe putat aliarum de injuria querelam, nam injuſte querentibus a Fœderatis non ſuccurritur, ceſſante ſic omni obligatione, ut hæc ſupra expoſui C. IX. *vſ. Sed quid.* Vel tandem, quia Provincia, quæ diſſentit, ſumptus belli tollerare nequit, ut poteſt incidere, & ſæpe incidit. Sin autem vires bello gerendo ſufficiant, & juſta fuerit querela, non ſatis amicum eſt, aliis, injuriam paſſis,

(6) *Reſolutien van Conſideratien ten tyde van de Wit* p. 309-342.

(7) *In de Conſideratien van Staats-ſaken*, Titul, *Copyen van Brieven*, n. 15. p. 76.

(8) Exſtant *ibidem* n. 10. p. 54. & n. 27. p. 63.

(9) Apud Aitzema *d. L.* XXXVII. p. 948.

ſis, non ſuccurrere, hac forte cauſa, quod injuria ad Provinciam, quæ diſſentit, non pertineat, vel alia quacunque, longe deteriori. Societas jus quodammodo fraternitatis in ſe habet, & inde eſt, quod etiam in hoc Fœdere Socii ſibi invicem promiſerint defenſionem mutuam, ex qua utique promiſſione tenerentur, ſi juſta ſit Sociorum cauſa, niſi eam obligationem mox tolleret libera cujusque Provinciæ in bello gerundo voluntas. Multa ſic ſatis ſunt juſta, quæ non ſatis ſunt amica.

CAPUT XXIV.

De Repreſſaliis nonnulla, & an earum quoque jus ſit penes ſingulas Provincias?

R*epreſſaliarum* nomen ſervo, quia nullum aliud magis aptum occurrit, quod rem ipſam ſignificet. Alii utuntur voce *pignorationis*, alii *clarigationis*, ſed neutram convenire ſatis eſt manifeſtum. Operam ludunt, qui rem, apud Romanos incognitam, Latino vocabulo conantur exprimere. Apud Romanos fœderati & liberi libertatem ſuam, rerumque ſuarum dominium æque, atque apud ſe, retinebant, eademque Romanis apud fœderatos & liberos contingebant, ſi, ut par eſt, Proculo credas in *l.* 7. *pr. ff. de Capt. & poſtl. rev.* Diſplicuit igitur ibi, ſalvo amici nomine, hoſtem agere, & bona amicorum terra marique occupare. Cum autem ejus improbitatis in toto Jure Romano nec vola exſtet, nec veſtigium, quomodo explicabimus, & quomodo, ſi res ita tulerit, obſervabimus, quod inter Hiſpanos & Belgas Fœderatos convenit, non tantum §. 11. Induciarum 9. Apr. 1609. ſed & §. 22. Pacis Monaſterienſis 30. Jan. 1648? Verba utrobique hæc ſunt; *dat geen brieven van Marque of Repreſſalien ſullen geaccordeert worden, ten zy met kenniſſe van ſaken, in dewelke ſulks is toegelaten by de KEISERLYKE WETTEN EN CONSTITUTIEN, en na de ordre geſtelt by deſelve.* Sed tantum abeſt, ut formam, ſecundum quam licitæ eſſent Repreſſaliæ, conſtituerint Leges Cæſareæ, ut res ipſa plane fuerit incognita, ſi nempe per *leges Cæſareas* intelligamus *Juſtinianæas*, ut vulgo intelligimus, ubi de partibus agitur, nullius Imperio ſubjectis. Ut viros ſapientiſſimos, qui hiſce pactis ſcribendis præfuerunt, ab ignorantia abſolvam, nihil habeo, quod dicam, niſi forte in *d.* §§. 11. & 22. per *leges Cæſareas* eſſe intelligendum *Jus commune*, quo vulgo utimur. Sive leges Cæſareas dicas, ſive Jus Juſtinianæum, idem dicis. Ut autem obtinuit, Jus Juſtinianæum appellari *Jus commune*, ita viciſſim Jus commune, genere quodam reciprocationis, appellabitur *Jus Cæſareum.* Nihil quidem aliud nunc ſuccurrit, quo defendam illas locutiones, &, ſi ſic intelligas, earum ſententia erit, Repreſſalias non eſſe largiendas niſi cum plena cauſæ cognitione, nec in his cauſis perſonisve, quæ vulgo a Repreſſaliis habentur immunes, nec niſi ſervato eo ordine, quem uſus recepit. Is ordo eſt, ne Repreſſaliæ concedantur, niſi palam denegata juſtitia. Unde & in §. 31. d. Induc. & §. 60. d. Pac. inter eosdem Hiſpanos & Belgas Fœderatos convenit, ſi quid citra mandatum Regis, Archiducum aut Ordinum contra ea, quæ ibi placuerant, fuiſſent commiſſa, non ideo mox pacem rumpendam, neque ad arma veniendum eſſe, *maar ſal wel toegelaten weſen, IN GEVALLE VAN OPENBARE WEIGERING VAN JUSTITIE, hem te voorſien, gelyk gebruykelyk is, by Brieven van Marque of Repreſſalien.* Atque hoc eſt Jus commune, quo diu uſæ ſunt Gentes, &, denegata juſtitia, adhuc utuntur, quodque convenit receptæ ſententiæ eorum, qui *de Repreſſaliis* commentati ſunt. Interim obſerva, Repreſſaliis locum non eſſe, niſi in Pace, & tamen ſcribere Mornacium ad *Auth. Sed omnino C. Ne uxor pro marit.* ut iis locus ſit, bellum deſiderari. Perperam.

Denegatam igitur juſtitiam Repreſſaliæ ſolent excipere, eas enim accipimus pro licentia, a Principe conceſſa, occupandi aliorum perſonas bonaque, ob vim & injuriam, antea ſuis ſubditis illatam, & negatam de eo facinore juſtitiam; quo ſic manu reparetur damnum, quod manu datum, nec a Magiſtratu coërcitum eſt. Ne quis autem temere de juſtitia denegata conqueratur, variis Gentium Pactis proſpectum eſt. Unde non niſi ſub modo Repreſſaliarum uſus placuit in §. 24. Pacis inter Anglos & Ordines Generales 5. Apr. 1654. (1) eo enim §. convenit, Repreſſaliæ ne concederentur, niſi Princeps, cujus ſubditus ſe læſum putat, prius adeat Principem, cujus ſubditus læſiſſe exiſtimatur, & is intra tres menſes non curet, læſo jus dici. Quod inter eosdem repetitum eſt §. 31. Pacis 31. Jul. 1667. (2). Sæpe & diligentius ea de re agitur, nam poſtquam §. 17. Pact. Commerc. inter Regem Galliæ & Ordines Generales 27. Apr. 1662. (3) conveniſſet, ne ullus eſſet Repreſſaliarum uſus, niſi denegata juſtitia, mox additur, hanc denegatam non cenſeri, niſi libellus, quo Repreſſaliæ petuntur, etiam porrigatur Legato ejus Principis, contra cujus ſubditos iis uti conſtitutum eſt, ut nempe is inquirere poſſet, an preces veritate nitantur, &, ſi nitantur, curare, ut intra quatuor menſes læſo jus dicatur. Sic, manente Pace, ipſius Principis eſt judicium de jure vel injuria querelæ, & ſic Princeps, qui judicavit, litem ſuam facit. Utile ſane eſt ejusmodi Pactis Repreſſaliarum uſum reſtringere, in totum enim tollere, eorum, qui non uni Principi ſubſunt, improbitas non patitur. Convenit quidem in §. 9. Pactorum inter Imperatorem Marocorum & Ordines Generales 24. Sept. 1610. (4) nullas Repreſſalias vel Imperatorem Marocanum vel Ordines Generales eſſe daturos, verum invicem Jus & Juſtitiam adminiſtratum iri, ſed cui bono ejusmodi conventio, quid enim ſi non adminiſtretur? utique tunc alter Princeps ad Repreſſalias recurret, & ajet, earum uſum, rebus ita exigentibus, neceſſarium eſſe cœpiſſe. Si convenerit, jus eſſe reddendum, pacti fides eſt ſervanda, ſed non minus jus exteris eſt reddendum, etiamſi de eo nihil quicquam convenerit, & in utraque ſpecie Repreſſaliis locus non eſt, niſi denegata prius juſtitia. Ut quoque in totum tollerentur, diceres eſſe ſententiam §. 16. d. Pac. inter Anglos & Ordines Generales 5. Apr. 1654. quia

(1) *Plac.* II. 4. 28. 2. 2.
(2) *Ibidem* III. 1. 13. 28.
(3) *Ibidem* II. *Append.* p. 2909
(4) *Ibidem* II. *Append.* p. 2261.

quia ibi convenit, ſi quis aliquid contra eam Pacem commiſiſſet, ſolum eum, qui commiſit, puniendum eſſe, ac jus ea de re dictum iri intra certum tempus, *d.* §. 16. præfinitum, ſed non tam facile, ſi quid ejusmodi incidat, facto explicatur, quam conventione exprimitur, quid enim ſi non puniatur, vel ea, quæ vi ablata ſunt, non reſtituantur? Repreſſalias tunc ſuccedere poſſe, ipſa contrahentium mens eſt in ſequenti §. 24. ubi, ut jam expoſui, præſcribunt modum, quem in concedendis Repreſſaliis ſervari volunt. Poſtquam autem Repreſſaliæ invaluere, & hæ, & ſecuta mox bella, ſola nunc ſunt remedia Principum, qui ſui juris ſunt, injuſtas coërcendi manus, judiciis enim experiri non poſſunt, & aliorum Principum judicio ſe ſubmittere, non aliud eſt, certe eſſe putant, quam Majeſtatem ſuam turpiter proſtituere.

Repreſſalias concedere ſolius Principis eſſe videtur, egreditur enim ea res legitimam Magiſtratus poteſtatem, & ſic nunc ubique ſervatur, etiam in Gallia, ubi olim Repreſſaliarum diplomata ab ipſis Curiis Superioribus impetrabantur. In Belgio quum ſingulæ olim Urbes ſua bella geſſerint, etiam ſingulæ Repreſſalias exercebant. Exſtat antiqua Amſterdammenſium lex (5), qua continetur, ſi cui civi Amſterdammenſi extra Principis ſui Imperium damnum daretur, ſive manu, ſive etiam, quod obſervari velim, injuſto judicio, ſive querelam ſuam deferret ad Magiſtratum Amſterdammenſem, qui ea de re ſcriberet ad Magiſtratum loci, ubi damnum datum eſt, & ſi, accepto reſponſo, etiam tunc Magiſtratus Amſterdammenſis judicaret, injuriam civi ſuo eſſe factam, ea ei judicis auctoritate reſarciretur ab ipſis illius Principis ſubditis, eorumve bonis, qui quæve in territorio Amſterdammenſi deprehenderentur. Ait lex, *ſive injuſto judicio*, ut ſic non ſufficiat jus dixiſſe, niſi recte dicatur, de quo ipſe Magiſtratus judicaret, nam aliorum judicio ea res ſubmitti non ſolet. Pacta Gentium ſimpliciter ajunt, non eſſe dandas Repreſſalias niſi *ob denegatam juſtitiam*, ſed & juſtitiam denegari Principes, quorum ea res eſt, facile interpretabuntur, ſi perperam fuerit judicatum, & perperam judicatum cenſebunt, quicquid ſibi non placet. Interea vides, meras eſſe Repreſſalias, quas lex Amſterdammenſis deſcribit. Reperi & alia complura Repreſſaliarum exempla, ab Urbibus & Oppidis exercita. Sed veſtigia hæc ſunt antiquæ Hollandorum libertatis, quando quæque Ordinum membra magis ſui juris erant, quam nunc ipſi Ordines: ipſi enim Ordines ſingularum Provinciarum, quamvis ſui juris quique, etiam poſt Fœdus Utrechtanum, non tamen generaliter & promiſcue Repreſſalias dare poſſunt. Quin nullo plane modo dare poſſe, forte quis dixerit, quia ſunt belli quædam ſpecies, belli autem occaſionem præbere exteris Principibus, ſingulis Provinciis nominatim interdixit §. 17. d. Fœd.

Attamen, ſi me audias, eo caſu, quo ſingulæ Provinciæ recte bellum gerunt, etiam recte Repreſſalias concedunt, & contra. Pendet igitur id ab eo jure, de quo *Capite proximo* prolixe diſputabam. Quæ ibi dixi, hic non repeto, ſed ſi hæc ad Repreſſalias transferre non graveris, ſatis apparet, earum jus non eſſe penes ſingulas Provincias in cauſa communi Fœderati Belgii, neque enim tunc licet exercere, niſi omnes Provinciæ conſenſerint. Quominus autem ſingulæ Provinciæ in cauſa ſua, dummodo juſta ſit, recte exerceant, nec rationem, nec auctoritatem novi. Belli cauſam non præbet, qui nolentibus ceteris, injuriam, civibus ſuis illatam, ipſe vindicat. Singulis Provinciis id jus eſſe ademptum, quære, quantum potes, ſed non invenies.

Ex his nunc intelliges, injuſte olim Zelandos contendiſſe, ſe pro cauſa communi, invitis etiam aliis Fœderatis, Repreſſalias dare poſſe (6); injuſte etiam eosdem Zelandos fuiſſe minitatos, ſi Ordines Generales Repreſſalias negare pergerent Americanæ Societati adverſus Lyſitanos, ſe eſſe daturos (7). Adde tertiam Zelandorum injuriam in hac cauſa: Cum ſæpe Ordines Generales Middelburgenſibus quibusdam Repreſſalias negaſſent contra Bremenſes, quia ipſi Middelburgenſes ſua ipſorum mora litem, apud Bremenſes pendentem, trahebant, atque ita Repreſſaliis locus nondum ullus erat, Zelandiæ Ordines 21. Mart. 1659. decreverunt, denuo urgeretur apud Ordines Generales, Repreſſalias dare vellent, *en dat by proviſie verleent wiert arreſt in de Provincie van Zeeland op al dat daar gevonden wierd, aankomende die van Bremen* (8). Quod decretum duplici cauſa mihi videtur iniquum, altera, quod ex ſententia Curiæ Hollandicæ ipſi Middelburgenſes litem, Bremæ inchoatam ibi, ut dixi, traxerant, altera, quod Bremenſes non tantum non negasſent juſtitiam, ſed etiam deinde ſecundum Middelburgenſes jus dixiſſent, adverſariis, citra culpam Bremenſium, ad Cameram Spirenſem appellantibus. Hollandi etiam anno 1665. cauſam communem ſoli vindicarunt auctoritate ſua, ob injuriam, Ordinibus Generalibus magis, quam ſibi factam. Angli Scribam Legati Ordinum Generalium in Anglia in carcerem conjecerant. Hollandi, jure retorſionis, Scribam quoque Legati Anglici apud Ordines Generales in publico apprehendunt & carceri mancipant (9). Alii aliarum Provinciarum Ordines, & cum maxime Zelandi, Hollandis propterea indignati, ajebant, ſingulis Provinciis jus fas non eſſe decernere de injuria, Ordinibus Generalibus facta, idque ipſis inconſultis, & non conſentientibus. Et ſic quoque ipſe putarem, vellem modo, Zelandos meos tunc non fuiſſe immemores eorum, quæ in contrariam ſententiam ipſi antea defenderant.

CAPUT XXV.

Variæ Quæſtiunculæ.

I. Quum Ordines Generales promiſiſſent, ſe milites ſuos eſſe dimiſſuros ex Arce *Lieroort*, quæ eſt in Ooſt-Friſia, non dimiſere, ſed Arcem tenuere occupatam, hac ſcilicet ratione, ne Hiſpani eam invaderent, & contra ſe uterentur. Male, & contra Mauritii Orangii, Ooſt-Friſiis quidem parum amici, in hac tamen cauſa animoſi, ſententiam. Etiam id impro-

(5) *Handveſten van Amſterdam* 1663. p. 283.
(6) Apud Aitzema *L.* XLII. p. 455.
(7) Apud eundem *L.* XXIX. p. 717.
(8) Prolixe hæc ſunt apud eundem *L.* XL. p. 1083. & *L.* XLII. p. 278.
(9) Apud Aitzema *L.* XLV. p. 1017. & *L.* XLVI. p. 167.

probarunt Ordinum Generalium Conſiliarii anno 1621. & ſæpius deinceps, ut hæc omnia narrat Aitzema (1). Sunt tamen, qui JCtorum nomen ferunt, qui ejusmodi injurias eunt probatum, inter quos vellem ne eſſet Grotius *de Jure B. & P. L.* II. *C.* 2. §. 10. Patior eſſe Zoucheum, qui ſua tamen ex Grotio deſcripſit, *Parte* II. *de Jure Feciali Sect.* 5. *Q.* 10. & patior eſſe Buddeum, ut hunc etiam addam, *Philosoph. Pract. C.* V. *Sect.* 6. §. *ult.* Ut, quod ajunt, probent, ſimiles aliorum rapinas adferunt, ac ſi juvaret exemplum, litem quod lite reſolvit. Neque omnino idem eſt, quod addunt de vulgari navium, quæ dicitur, *angariatione*, naves enim, in alterius Principis Imperio inventæ, quodammodo ſubditæ ſunt, eaque *angariantur* ex recepta palam conſuetudine, qua Civitates & Imperia continentur. Alienas Ditiones, Urbes, Arces invadere vel retinere nullibi, niſi per injuriam, receptum eſt.

II. Rex Hiſpaniarum fundum pignori dederat pro pecunia, quam mutuam ſumpſerat a quodam & Regis & Ordinum Generalium amico. Fundum illum bello occupant Ordines Generales. Reſponſum eſt *Conſil. Holl. T.* III. *Conſil.* 1. pignus eſſe exſtinctum. Perperam, neque enim Ordines occuparunt, niſi quod Regis erat, hoc eſt, dominium, ut ipſe habebat, & imperium. Ipſe autem Rex fundum non habuit, niſi pignori obligatum, & ſic quoque occuparunt Ordines. Si partem fundi Rex Ordinibus vendidiſſet, utique creditor pignus retinuiſſet in toto, tam contra Regem venditorem, quam Ordines emptores, quia res tranſit cum jure pignoris, quod creditori amico ſemper ſalvum eſt. Nunc totum fundum occupant Ordines, & in rem ſuam publicant. Recte, modo meminerimus, nihil potuiſſe vel occupare vel publicare, niſi quod Regis erat, non quod erat amici ſui. Si ad hoſtem quoque pertinuiſſet pignus, jure belli quoque occupatum, atque ita exſtinctum eſſet.

III. Quæſitum eſt de rebus, quæ ab hoſtibus derelictæ vel redemptæ ſunt, & præſertim de navibus mercibusque, an nempe iis, qui pecuniam trajectitiam dederunt, vel naves mercesque aſſecurarunt, in derelictas vel ab hoſte redemptas naves mercesque, aliquid, an nihil juris ſuperſit? Et ſunt *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 52. qui volunt, ſi navim hoſtis dereliquerit, vel eam dominus redemerit, quia in hoſtium poteſtatem redacta erat, quaſi totam eſſe deſiiſſe, &, ſi redempta ſit, pro nova eſſe habendam, adeoque creditores pecuniæ trajectitiæ & aſſecuratores in ſolidum teneri, ſic ut nihil juris iis ſuperſit in navim, ſic reverſam. In eandem ſententiam reſponſum eſt *Conſil. B. T.* III. *Conſil.* 248. Quod nec æquum, nec juſtum mihi videtur, quia illi creditores non tenentur niſi ad damnum datum, atque ita non niſi ad expenſas ſervatæ, vel ad lytrum redemptæ navis. Philippus II. Hiſpaniarum Rex in §. 27. Legum de Aſſecurationibus 20. Jan. 1570. (2) vetat, ne cum piratis de lytro ageretur, concedit igitur, ut cum veris hoſtibus agatur, non alia, opinor, ſententia, quam ut oſtenderet, aſſecuratores ad lytrum, neque ultra, teneri, fruſtra alioquin id conſtitueret, ubi de legibus aſſecurationis omnis ſermo eſt. Veriſſime dixit Pomponius, *redemptionem facultatem redeundi præſtare, non Jus poſtliminii mutare l.* 20. §. *ult. ff. de Capt. & poſtlim. reverſ.* Poſtrema etiam clauſula inſtrumenti aſſecuratorii, quo vulgo utuntur mercatores, ſatis ſignificat, redemptionem quoque permitti, ſed non minus in rem aſſecuratorum, quam ipſius domini. Tantum igitur damni datum intelligimus, quantum ex nave vel mercibus periit, vel in lytrum expenſum eſt. Sane ſi navis capta jam fuerit in portum deducta & publicata, redemptionem, deinde ſecutam, pro nova emptione eſſe habendam facile largior, & ita quoque reſponſum eſt *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 11.

IV. Ordines Generales juſſerant, milites ſui, qui tenebant Arcem *Reyd* in Agro Juliacenſi, parerent domino Arcis, Florentio van den Boetſeler. Dominus Præfecto Arcis exhibet illud Ordinum mandatum, & Arcem Hiſpanis appropinquantibus dedi imperat. Dedit Præfectus 30. Aug. 1621. Sed Mauritius Orangius, plenus irarum, eum capite punivit 14. Sept. 1621. quaſi parendi mandatum ad res Politicas, non Militares pertineret (3). Dubito, an recte: nam, cum ea Arx ad Ordines Generales non pertineret, mandato illo nihil actum videtur, quam ut jus domini, receptis quamvis militibus, ſervaretur ſartum tectumque, defenſuris Arcem militibus, ut domino videretur, ne ſcilicet iisdem difficultatibus involveretur dominus, quibus Ooſt-Friſiæ Comes quod ad Arcem *Lieroort*, de qua dixi *hoc Cap.* §. 1.

V. Eo tempore, quo de deditione tractatur, licere munitiones perficere exiſtimat Albericus Gentilis *de Jure belli L.* II. *C.* 18. & ex eo Zoucheus *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 10. *Q.* 10. Sed aliter olim viſum eſt Ferdinando, qui, recepto Regio, ob eam rem Gallos e mœnibus præcipitavit, ut ex Jovio memorat Gentilis *d. loc.* Et cum Hiſpani Bergas obſiderent, & pactæ eſſent induciæ ad cæſos ſepeliendos, & interim Hiſpani opera ſua perficerent, conſcenſisque munimentis ſuis inſpectarent munitiones Urbis, contra uſum formamque belli inducias eſſe ruptas 19. Aug. 1622. Belgæ quiritati ſunt (4). Attamen anno 1664. ad *Bylerſchans* obſervatum eſt ab utraque parte, atque ſi armorum induciæ non impedirent, quominus opera & munitiones exſtruere & perficere liceret (5). Sed magis eſt, ut, pactis induciis, omnia in alterius necem ſuſpendantur, hæc enim pactorum ſententia videtur, &, ſi ultra pergas, vix eſt, ut res certam definitionem poſſit accipere.

VI. Cum Epiſcopus Monaſterienſis anno 1665. & 1666. quædam loca in Tranſiſulania occupaſſet, vaſtaſſet, expilaſſet, nec multo clementius ibi egiſſent Franci, qui Ordinibus Generalibus auxilio venerant, Tranſiſulani, ut omnia illa ſibi repararentur, Ordines Generales adeunt, ſed eorum Conſiliarii, ea de re ſententiam rogati, 15. Oct. 1666. reſponderunt, nihil horum reparari oportere, *als de ſchade in hare gemeene middelen en Verpondingen geleden na proportie van de tyd, dat de plaatſen van de vyand geoccupeerd ſyn geweeſt*, reliqua fato imputanda, & belli eſſe calamitates, quas ſoli ferunt, quibus accidunt (6). Deinde iidem Conſiliarii, mutata nonnihil ſententia, etiam aliorum quorundam rationem eſſe habendam cenſuerunt, præcipue exactionum, quibus incendia hoſtium erant redempta (7), & ſecundum hanc poſteriorem ſententiam Hollandiæ

(1) *L.* II. p. 312. & multis ſeqq.
(2) *Plac.* I. 2. 7. 1. 3.
(3) Sic refert Aitzema *L.* I. p. 111-113.
(4) Ita eſt apud eundem *L.* I. p. 279.
(5) Apud eundem *L.* XLIV. p. 61.
(6) Hæc habet idem *L.* XLVI. p. 372.
(7) Idem *L.* XLVI. p. 381. 383. & 384.

diæ quoque Ordines ſuffragium ſuum dixerunt 22. Febr. 1667. (8). Perperam, utique quod ad exactiones ob redempta incendia. Fateor per exactiones iſtas ab igne vindicata fuiſſe illa Tranſiſulanorum loca, ſed id injuſte imputatur ceteris Fœderatis, quibus nullus ab incendio metus: neque enim quisquam adeo eſt male conſultus, ut credat, totam Claſſem contributuram, ſi vel una navis, ut ſe ipſam ſervaret, jactum fecerit.

VII. Singulæ Provinciæ, ſi pro ſua cauſa recte bellum gerant, pro ſua etiam recte pacem pangunt. Quin & quicunque quæcunque fœdera recte ineunt de his rebus, quæ ſui juris ſunt. De antiquiſſimis quidem temporibus nulla eſt dubitatio. Singulæ Civitates tunc recte bellum gerebant, & ideo quoque recte pacem pangebant. Exſtat ejusmodi pax inter Utrechtanos & Muydenſes & Weeſpenſes facta 1. Jul. 1463. (9). Alia exempla habet Grotius *Apolog. C.* I. & longe plura Ordines Hollandiæ in Libello (10) de ſecludendo Orangio *Part.* I. *C.* 5. Vetat quidem §. 10. Fœderis Utrechtani, ne quæ Provinciæ, Urbes, membra fœdus ineant cum finitimis Principibus, niſi conſenſu reliquorum Fœderatorum, ſed quemadmodum ille §. 10. ſit intelligendus, recte explicatur *d. C.* 5. Hollandiæ etiam Ordines 17. Jul. 1584. decreverunt (11), ageretur inter ſe, Zelandos & Utrechtanos de Fœdere, quod erat, augendo vel alio conſtituendo. Et 21. Sept. 1662. Ordinum Hollandiæ & Zelandiæ delegati inter alia pacti ſunt (12), eos Ordines non paſſuros, ut Ordines Generales quicquam de magiſterio utriusque militiæ ſtatuerent, niſi omnibus conſentientibus. Quam plurima ſunt Pacta, ſeparatim inter Provincias invicem facta, & inter unam ex his & vicinas Civitates vicinosve Principes, quæ omnia optimo jure ſubſiſtunt, ſi modo facta ſint de rebus, quarum poteſtas ad paciſcentes pertinet. His adde, quæ dixi ſupra *C.* 23. *&* 24. & quæ dicam *L.* II. *C.* 4.

VIII. Si hoſti, in hoſticum venturo, ſecuritas data ſit, an a creditoribus conveniri detinerique poſſit, dubitari video. Et poſſe, inferior judex, & Curia Hollandiæ anno 1588. & ex appellatione Senatus Supremus 18. Sept. 1590. judicarunt (13). Recte, hoſti enim, qua hoſti, datur ſecuritas, id eſt, ut ea ei proſit, ne quid hoſtile patiatur, non hoſtes autem etiam pro debito conveniuntur & detinentur. At ſi hoſtes conveniri poſſint, juſtum non eſt, eorum actiones contra nos præcludere, ut plenius diſputavi *hoc Libro C.* 7.

IX. Securitas, quæ in bello datur, non alio fine datur, quam ut tuto in hoſticum venire & ibi degere liceat. Unde miror, JCtos dubitare, an is, cui per hoſticum tranſeundi ſecuritas data eſt, in ſuo territorio capi poſſit jure belli? Agitata ea res eſt in cauſa Marchionis Meſſarani, qui ab Hiſpanis acceperat ſecuritatem e Caſtro ſuo abeundi Venetias, ſed, dum moratur, capto ab Hiſpanis Caſtro, & ipſe captus erat. Quærebatur, an ſecuritas ei prodeſſet citra ullum redemptionis pretium? Bellus, qui ipſe Judex in ea cauſa ſedit, nihil auſus eſt definire, ut ipſe refert *de Re militari Part.* IX. *T. Unic. n.* 15. *& ſeqq.* nec quicquam etiam, pro more ſuo, definit Zoucheus *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 9. *Q.* 19. Menochius autem *de Arbitr. Judic. Quæſt. L.* II. *Cent.* 4. *Caſu* 336. *n.* 19. *& ſeqq.* diſtinguit, utrum Marchio jam itineri fuerit accinctus, nec ne; ſi fuerit, ſecuritatem prodeſſe, ſin autem, non prodeſſe. Dubitatio Belli & Zouchei æque inepta mihi videtur, quam diſtinctio Menochii. Invaſo & capto ab Hiſpanis Marchionis agro & Caſtro, & ipſe jure optimo captus eſt, quia ſecuritatem in hoſtico, non in ſuo territorio impetraverat Marchio, neque enim pacem vel inducias pepigerat, ſed tranſitum duntaxat & per Ditionem Mediolanenſem Venetias verſus ſecurum. Quicquid extra eam cauſam erat, ex jure belli definiendum eſt.

X. Ut iniquum eſt, Principem invitum ad bellum cogere, ita & ad pacem. Cum tamen Ordines Generales ſibi a Francis metuerent, & Franciæ quoque magnitudo luminibus Anglicis videretur officere, Angliæ & Sueciæ Reges, itemque Ordines Generales 23. Jan. 1668. inierunt Fœdus, quo inter alia cautum eſt, ut Hiſpani, quos inter & Francos bellum erat, quasdam conditiones, illo Fœdere præſcriptas, tenerentur accipere, &, iis acceptis, ſi Franciæ Rex pergeret Regi Hiſpaniæ bellum facere, ſe armis interceſſuros, coactis ſic ad pacem Franciæ & Hiſpaniæ Regibus (14). Rurſus, cum publice non expediret, Sueciæ Regem etiam Daniam habere, Sueciæ Regem cum Dano pacem facere coëgerunt Franci, Angli & Ordines Generales 21. Maj. 1659. (15) erepto ſic Daniæ Rege mediis ex faucibus Orci, in quas ſe præcipitaverat, vicino potentiore in ſe concitato. His injuriis prætexitur ſtudium conſervandæ pacis, quod & ipſum prætexitur injuriis, longe adhuc majoribus. quæ potiſſimum ab aliquot retro annis invaluerunt, quum nempe Principes mutuis Pactis de aliorum Principum Regnis & Ditionibus ex animi ſententia ſtatuunt, atque ſi de re ſua ſtatuerent. Has injurias peperit, & adhuc parit *Ratio*, quam vocant, *Status*, quam ipſe definio,

Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Huic monſtro ſi ſemel cedas, ſemelque tibi indulgeas, aliena non alio loco habere, quam tua, jam fruſtra eſt omnis Diſputatio de Jure Gentium & Publico.

(8) Aitzema *L.* XLVII. p. 179.
(9) *Handveſten van Weeſp* p. m. 17. & ſeqq.
(10) *Reſolutien van Conſideratien ten tyde van de Wit* p. 32. & ſeqq.
(11) Grotii *Apolog. C.* 19. p. m. 242. & 243.
(12) *Reſolutien van Conſideratien ten tyde van de Wit* p. 628.
(13) *Deciſion. mixt.* 170.
(14) Uberrime hæc omnia exſtant apud Aitzema *L.* XLVIII. p. 11. & ſeqq. p. 31. & ſeqq. p. 748. 943. & p. 1127-1162.
(15) Apud eundem *L.* XXXIX. p. 407.

FINIS LIBRI PRIMI.

COR-

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

QUÆSTIONUM JURIS PUBLICI

LIBER SECUNDUS,

DE REBUS VARII ARGUMENTI.

CAPUT I.

Comitum poteſtatem in Belgio Fœderato non ceſſaſſe niſi poſt 26. *Jul.* 1581.

Claudius Civilis apud Tacitum *L.* IV. *Hiſtor. C.* 14. ut Batavos ad rebellionem contra Romanos excitaret, dixiſſe fertur: *victoriæ rationem non reddi.* Si non victoriæ, minus profecto mutati Imperii ratio exigenda eſt, nam, ne exigatur, neceſſario poſtulat Gentium tranquillitas & beata quies. Non diſputo igitur, quo jure Comitum poteſtas ſublata ſit, conſtat utique ſublatam eſſe 26. Jul. 1581. tunc enim Ordines Fœderati Belgii Philippum II. Hiſpaniarum Regem, *ipſo jure* (hoc verbo utuntur) Imperio ſuo excidiſſe edixerunt (1), narratis prolixe rationibus abrogati Imperii. Neſcias fere, quid ſibi velit illud *ipſo jure*, utrum nempe *ipſo facto*, quod ſententia videbatur velle, Imperium ſuum perdidiſſe crediderint Ordines, ſtatim ſcilicet atque privilegia ſua violaverit, quemadmodum de Regnis, ſub ea conditione delatis, JCti exiſtimant, & fere contineri videtur verbis jurisjurandi (2), quod 25. Oct. 1555. Ordinibus Philippus præſtitit; ſed ita futurum eſt, ut cunctæ Leges, Formæ, Conſtitutiones, Prærogativæ, non duntaxat quas poſt diem 26. Jul. anni 1581. Philippus II. dedit, ſed & dudum antea, ſint nullæ & plane irritæ, conqueruntur enim Ordines in eo Edicto, per aliquot decennia jam tunc jura ſua fuiſſe violata: utimur autem, & utimur abſque ullo ſcrupulo variis Philippi Legibus & Formis, per illa decennia latis & datis, quarum tamen ſic futura eſſet vis nulla.

Ut ſemel aliquid certi ſtatuamus, ut oportet in re tam gravi, omnino dicendum eſt, ab anno tantum 1581. & præciſe a die tantum 26. Jul. Philippi legitimum Imperium in Belgio Fœderato ceſſaſſe, non modo quia id ipſum Edictum anni 1581. in poſterum duntaxat ei Imperium abrogat (*voortaan*, ajunt Ordines) ſed & quod antea, ut legitimus Comes, fuerit habitus, & cuncta ejus, ut Principis, nomine explicata & rata habita, ut apparet ex Rebus, a Curia Hollandiæ judicatis 5. Nov. 1579. 21. Maj. & 19. Oct. 1580. (3) & ex nummis, proxime antea in Belgio Fœderato cuſis cum inſignibus Philippi II. & ex precibus tunc temporis pro ejus ſalute publice fuſis, & ex Legibus, ut modo dicebam, a Philippo, tanquam legitimo Comite, non tantum latis, ſed palam receptis. Igitur Ordinum illud *ipſo jure*, ſi quid ſignificet, de quo dubitem, nihil aliud videtur ſignificare, niſi efficaciam omnigenæ abdicationis.

Neque iis, quæ diximus, obſtat, quod & antea contra Hiſpanos bella geſſerint Ordines, nam eo tamen usque ipſi Comiti erat parcitum. Aliud eſt Principi Imperium abrogare, aliud adver-

(1) Paſſim exſtat id Edictum, etiam *Plac.* I. 1. 1. 3.

(2) Eſt in Oldenburger's *Theſaur. Rerumpubl.* Part. III. p. 210.

(3) Inter *Deciſiones Mixtas* 50. 71. & 158.

verſus ejus Præſides, quamvis ab ipſo conſtitutos, bellum gerere, quod plura ſub Hiſpaniarum Regibus bellorum Civilium exempla declarant. Anno 47. Sæculi XVI. itemque anno 47. Sæculi XVII. Neapolitanos, ſalva erga Hiſpaniarum Reges fide, adverſus Proreges ſuos, a quibus ſe, ut a Gubernatoribus Belgæ, opprimi querebantur, arma ſumpſiſſe conſtat, advocato etiam Gallorum, Hiſpaniarum Regis hoſtium, auxilio. Neque alius fuit ab initio Meſſanorum motus anno 1675. & antea Panormitanorum.

Hæc ipſa controverſia, ex quo ſcilicet tempore Philippi Imperium ceſſaſſe cenſendum ſit, inter Dynaſtam Orangium & Amſterdammenſes anno 1689. ingentibus animis fuit agitata, cum quæreretur de Privilegio quodam, quod Philippus II. Amſterdammenſibus dederat 3. Febr. 1581. Amſterdammenſes id Privilegium defendebant, Orangius oppugnabat. Puto, recte defenſum, & male oppugnatum eſſe. Libellus (4) quidam Anonymi anno 1690, ea de re editus, & pro Orangio conſcriptus, in manus meas pervenit, quo hæc ſequentia contra illud Privilegium adferuntur: Fœdere nempe Utrechtano anni 1579. Imperium Philippo fuiſſe abrogatum, id liquere ex Legibus, quas ipſi Ordines tulerunt annis 1579. & 1580. & inde eſſe, quod Ordines Hollandiæ in Edicto de Forma Judiciorum in Oppidis & agris 1. Apr. 1590. palam dixerint, ſe *Gravionatum* repræſentare: *de Ridderſchap, Edelen en Steden van Holland, repræſenterende de Staten en Graafſchappen van den zelven Landen.* Potuiſſet Anonymus addere aliud eorundem Ordinum Edictum, quo eodem 1. Apr. 1580. *Leges*, ut vocant (5), *Politicas* præſcripſerunt, & ampliatam Curiæ Hollandicæ Formam 22. Dec. 1579. quemadmodum & Formam, qua Curia utitur in cauſis minoris momenti, ejusdem diei & Conſulis (6); in quibus omnibus, omiſſo tamen Gravionatus vocabulo, idem Ordinum titulus exhibetur. Nec tantum, quod Ordines Leges tulerint, ſed &, pergit Anonymus, quod iidem Ordines Hollandiæ in §. 1. d. Formæ ampliatæ derogaverint §. 8. Formæ Judiciariæ, quam Carolus V. Curiæ Hollandicæ dedit 22. Aug. 1531. Tandem ait, ultimam Comitis Legem eſſe latam 21. Febr. 1564. neque enim poſteriorem exſtare.

Sed hæc, quamvis Auctorem ejus Libelli moverint, me tamen non movent. Fœdere Utrechtano non magis, quam Gandavenſi, Philippo II. Imperium eſt abrogatum, Gandavenſi autem eſſe abrogatum illi Scriptori nondum in mentem venerat, etſi venerit Conringio *de Republ. Belg. n.* 29. & 30. Sed perperam, contrarium quippe ex utroque Fœdere apparet, & ex aliis quam plurimis, quæ nunc non exſequor. Veriſſimum ſane eſt, quod Conſiliarii Ordinum Hollandiæ dixerunt in quodam Reſponſo ad Ordines Friſiæ 27. Jun. 1663. (7). *Dat by de Unie de Coning van Spaigne nog erkent, immers gepræſupponeert werd te weſen Hertog, Grave en Heere reſpective van deſe Provincien, als kennelyk zynde, dat den zelven Coning daar van, by de geſamentlyke Provincien van de Unie eerſt verklaart is vervallen te weſen in den Jare* 1581. *gelyk dan ook by het* 5. *art. van de Unie de Domeinen van de Provincien nog genoemt werden de DOMEINEN VAN DE CONINGLYKE MAJESTEIT.* Si dicas, utroque Fœdere bellum decerni contra Hiſpanos, jam ſupra reſponſum eſt. Licuit vero per §. 15. LL. Mariæ Burgundæ 14. Mart. 1476. Ordinibus tam inter ſe, quam cum aliarum Provinciarum Ordinibus conſulere & coïre. Sic illa ſimpliciter, ſed addita, ne contra Gravionem conſulant, clauſula Joannes Bavarus in §. 14. Privilegii, quod Dordrechtanis dedit 20. Jun. 1418. (8) ex quo Joannis Privilegio forte defendi poterit ſententia Curiæ Hollandiæ, qua 1482. Scultetum & Conſulem quemdam Dordrechtanum, quod cenſuiſſent, Urbes eſſe convocandas, ut peregrini milites ex Hollandia expellerentur, ad gladium damnavit. Hugo Grotius *Conſil. Holl. T.* III. *Conſil.* 226. *n.* 86. aliique, qui Grotium ſimpliciter ſequuntur, hanc Curiæ ſententiam, ut valde injuſtam, non ſine opprobrio exagitant, etiam ideo, quod contra Hollandorum Privilegia eſſet, externum militem ibi eſſe, ſed ejus rei ratio & auctoritas me plane fugit.

Præterea ad Leges Ordinum provocat Auctor ejus, quem dixi, Libelli. At vero Ordines tempore Gravionum Leges ferre potuiſſe, & revera tuliſſe, plurima earum exempla demonſtrant. Sunt etiam ultimorum Comitum Conſtitutiones, interque has Edictum ipſius Philippi II. factum 2. Mart. 1557. (9) quibus ſubditi jubentur obedire Legibus, quas Ordines eſſent laturi. Quod autem 1. Apr. 1580. in *Præfatione* Formæ Judiciariæ quod ad Oppida & agros Ordines Hollandiæ ajunt, ſe *Gravionatum* repræſentare, id, ſi de ipſo Gravione intelligendum eſſet, non aliter intelligerem, quam quod Gravionem, tunc abſentem, referrent, cujus nomine totiens, ut Leges ferrent, conſtitutum & probatum erat; nunc nihil ajunt, quam ſe repræſentare Ordines *Comitatus* Hollandiæ, quod eſt veriſſimum. Strenue ad illa Edicti verba nugatur Commentator quidam auris Batavæ. Ipſi quoque Ordines antiquam aliquam Comitis Legem potuiſſent abrogare, ſalvo ejus, ſi abrogatio diſpliceret, interdicto, hic autem in *d.* §. 1. Ampliatæ Formæ 1579. ne abrogatio quidem ulla eſt, verum interpretatio duntaxat, quam JCto vel Judici nemo negaverit unquam. Quod idem Diſputator tandem ait, Leges Philippi tantum fuiſſe receptas ad usque 21. Febr. 1564. plane ridiculum & ſupra refutatum eſt, quin & mox, ubi de aliis & poſterioribus Philippi Legibus dicam, plenius refutabitur. Sed non noverat homo lepidus alias Leges Philippi, quam quæ occurrunt in Farragine illa Legum miſcellarum, quæ a prima Lege appellatur *de Inſtructie van den Hove van Holland.* In ea farragine poſtrema Philippi lex eſt Edictum de fidejuſſoribus ante excuſſas hypothecas non conveniendis, editum 21. Febr. 1564. nec ultra ſapiebat Anonymus.

Generaliter igitur in omni Fœderato Belgio Comitis poteſtas ceſſavit a die 26. Jul. anni 1581. Hollandiæ vero Ordines 19. Apr. ejusdem anni abolendum Philippi nomen jam decreverant, fide ejus Vaſallis illisque, qui munera publica adminiſtrabant, exſolutis, & adactis in verba

(4) Inſcriptus, *Juſtificatie van de ſwevende Proceduren tuſſchen de Prince van Orange en Amſterdam.*

(5) *De Politicque Ordonnantie.*

(6) *Inſtructie voor den Hove van Holland in kleine ſaken.*

(7) *In de Reſolutien van Conſideratien ten tyde van de Wit* p. 685.

(8) Van der Eyck *Handveſten van Zuyd-Holland* p. 151.

(9) *Repertor. Cur. Holl.* p. 91. B.

verba ſua, ut Decreto Ordinum (10) ejus diei continetur. Nihilominus tamen quibusdam in locis Philippo poſt abdicationem Ordinum, reverentia, Comiti debita, remanſit, & in Zelandia etiam poſt annum 1581. Magiſtratus erant in fide Regis Hiſpaniarum, cujus rei admonendos eſſe Zelandos Hollandiæ Ordines decreverunt 9. Apr. 1582. (11).

Etiam utilitas publica exigit, ut vera ſint, quæ modo diſputavimus. Quod enim Romæ de ratis habendis Barbarii Philippi judiciis, quum legitimus Prætor haberetur, traditum eſt in *l.* 3. *ff. de Offic. Præt.* multo magis in ipſis Principibus eſt obſervandum, etiam tunc, cum nullo jure Imperium invaſerint, ut latius exſequar infra *C.* 25. §. 3. Cuncta Philippi Regis nomine acta geſta ſunt, fere ad abdicationem uſque, & quid dicemus? omnia quæ edixit, quæ decrevit, nullius fore momenti? ego non dixerim. Sic Gubernator & Curia Hollandiæ 15. Maj. 1574. promulgarunt Edictum de naufragiis (12), factum, ut habet ſubſcriptio, *apud Regem referente Gubernatore.* Nempe, quamvis Orangium abſentem jam anno 1568. Dux Albanus Majeſtatis damnaſſet, palam tamen erga Regem, qua Comitem Hollandiæ, priſtina remanſit reverentia, hoc colore, atque ſi omnia illa, quæ perperam perpetrata erant, ignaro Rege eſſent perpetrata. Eodem fere modo factum eſt diploma de inſtituenda Academia Leidenſi 6. Jan. 1574. (13) ficto nomine ſolius Philippi II. & hoc inſerto, *by advis van onſen lieven Neve, Ridder van onſe Ordre, Willem Prince van Orange.* Dilectus Wilelmus Regi, ut dilecta erat ipſa Urbs Leida, cui ſcilicet privilegii loco dabatur Academiam ibi habere, quod Duci Albano fortiter reſtitiſſet; & tamen Orangius, ipſe ille Orangius, in *Præfatione Legum Academicarum* de ipſo illo Rege ſic ait *den Coning van Spanjen, onſen Genadigen Heere*, adhuc clemens, adhuc gratioſus ipſe Rex, quamvis in ipſo illo diplomate anni 1574. Orangius Ducem Albanum, & omnes, qui ab ejus partibus ſtabant, pronunciaſſet hoſtes, *vyanden van den Lande van Holland en Zeeland.* Atque ita Orangius, ſolius Philippi II. nomine, bona Pontificiorum Eccleſiaſtica in Hollandia & Zelandia publicavit, Edicto in eam rem edito 17. Apr. 1577. (14) non minus ridicule, quam quod ejuſdem Philippi nomine 7. Dec. 1577. Joannem Auſtriacum, quique ejus partes ſequerentur, hoſtium numero eſſe habendos, publice edixit (15).

Sed innumera, fere dixerim, ſunt Edicta, poſt damnationem Orangii ad uſque annum 1581. nomine Philippi II. facta & edita, quorum & plerisque inſertum, ut in diplomate Academiæ Leidenſis, *met advis van onſen lieven Neve, den Prince van Orange*, & hæc omnia dicemus eſſe nulla & irrita? utique poſt Fœdus Gandavenſe vel Utrechtanum? ſic multa ſubverterentur ex his, de quorum auctoritate nec Orangius, nec Comes Rennenbergenſis, nec ipſi Ordines dubitarunt unquam. Quinimo non aliter Orangius Utrechtanum Fœdus probavit 3. Maj. 1579. & Comes Rennenbergenſes 11. Jun. 1579. (16) *als voor ſeker agtende, dat in het zelve de Overheid, en de authoriteit der hoogheid van den Eerts-Hertoge niet verkort nog vermindert word.* Per *Overheid* intelligo Comitem Philippum Hiſpaniarum Regem, per *authoriteit der hoogheid van den Eerts-Hertoge*, Defenſorem Matthiam, nam & in ea ipſa probatione Comitis Rennenbergenſis Orangius appellatur *Lieutenant Generaal van den Eerts-Hertoge Matthias, Gouverneur Generaal van de Nederlanden.*

Ex hiſce apparet, cum quæreretur de privilegio teſtandi de Feudis Zelandicis, quod Philippus II. dederat 17. Jun. 1580. recte reſponſum eſſe *Conſil. H. T.* II. *Conſil.* 46. *dat te meermaal verſtaan is, dat teſtamenten, gemaakt uyt Kragte van Octroyen, van den Coning van Spangien, als Grave van Holland verkregen na de Pacificatie van Gend, maar eer de Staten hem abandonneerden, effect ſorteren zouden, als wel en te regt gemaakt zynde*, & ſimul apparet, privilegium illud Amſterdammenſium 3. Febr. 1581. de quo hic quærimus, plena auctoritate juris eſſe cenſendum. Satis etiam ex iis ipſis conſtat, omnino fruſtra Scriptores quosdam exteros dubitaſſe de auctoritate Academiæ Leidenſis, utpote a non Principe inſtitutæ. Sane poſt pacem Monaſterienſem ea de re dubitare, ut ſunt qui dubitarunt, ineptum prorſus eſt.

CAPUT II.

Ex conſilio non fraudulento neminem Reipublicæ obligari, nec etiam quemquam recte puniri, quod mandatum Principis ſui exſequutus ſit.

Sunt Politicorum filii, qui conſilii datorem ex eventu puniunt. Digni profecto, quibus omnia eveniant peſſime! Inter hos etiam eſt, qui ſcripſit *Diſquiſitiones Politicas*, ſive Boxhornius, ſive quis alius, nam latere voluit Auctor; ſed, quisquis fuerit, in eo me adſentientem non habebit. Probat ille *Caſu* XIV. iniquiſſimum Arcadum judicium, quod nempe ſummo ſupplicio affecerint, qui Thebanis auxilii adverſus Alexandrum M. mittendi auctores fuerant. Male, inquit, illi conſuluerant, nec doli tantum, ſed & temeritatis luenda pœna eſt. De temeritate quod ait, ait ex eventu, &, quicquid ſit, nemo utique tenetur præſtare niſi bonam fidem. Quod aliis temeritas, aliis fortitudo eſt, & qui ex eventu ſolent judicare, ſæpe virtutes & vitia commutant. Et, ſi tu temerarium putes conſilium, cur ſequeris? Sane, qui temerarium conſilium ſequuntur, nihilo ipſis auctoribus ſunt prudentiores. Arcadum, qui auxilium Thebanis mittendum ſuaſerant, nullus arguebatur dolus & hoc ſufficiebat. In omnibus publicis privatisque cauſis valere debet illud Ulpiani in *l.* 47. *ff. de R. J. Conſilii non fraudulenti nulla obligatio eſt.*, etiam tunc, quum conſilium ei, cui datur, non expediat, ut recte addit Gajus in *l.* 2. §. *ult.*

(10) Extat *agter de Deductie van Holland over de Seccuſſie van den Prince van Orange.*
(11) *Ibidem.*
(12) *Plac.* II. *Append.* p. 2117.
(13) *Ibidem* III. 3. 7. 1.
(14) *Ibidem* II. *Append.* p. 2143.
(15) *Ibidem* p. 2147.
(16) Utriusque probationes exſtant poſt *Fœdus Utrechtanum*, *Plac.* I. 1. 1. 2.

§. *ult. ff. Mandat.* Si quis rebus in arduis conſilium deſideret, plures ſunt, qui dare poſſunt, ſed nemo unus eventum præſtiterit; ſi & hunc exigas, ecquis erit, qui conſilio ſuo tibi adeſſe velit? vel duo, vel nemo.

Secundum hæc, ſi quis bona fide de Republica conſulat, non modo ei impune eſt, quando res ſecius cadit, ſed & omne damnum, quod ex conſilio ſuo patitur, ei a Republica reſarciendum eſt. Atque ita in Fœdere, quod inter varias Hollandiæ Urbes pro Wilelmo Bavaro factum eſt anno 1351. (1) nominatim cautum eſt, ut ſi qua earum Urbium, aut ex incolis quiſpiam, pro eo Gravione quid faciens vel conſulens, damnum pateretur, id inter omnes eſſet commune. Ordines etiam Hollandiæ 19. Jul. & 3. Aug. 1663. (2) præfati, de Republica libera eſſe oportere Ordinum ſuffragia, porro decreverunt, ſi cui ex Comitiis Ordinum Hollandiæ, eorumve Conſiliariorum, aut Ordinum Miniſtris, eorumve viduabus, liberis heredibusque, ſive vi, ſive per ſpeciem juris, adverſi quid acciderit, illatum corpori, famæ bonisque illorum, ob conſilium de ſtatu Reipublicæ defendendo, vel ob Decretum, factum de quolibet negotio, vel ob exſequutionem ejusmodi Decreti, ex cujuscunque demum id factum eſſet conſilio, omni modo id damnum illi illisve Ordines reſarcirent, atque ſi ipſis Ordinibus accidiſſet, ſubducta plane perſona ejus, qui damnum paſſus eſſet, *ſonder dat aan dezelve zal konnen obſteren eenigen laps van tyd of præſcriptie van jaren, om hare actien en prætenſien, dewelke zyluiden dienthalven ſouden mogen hebben, te inſtitueren en te vervolgen;* quibus verbis actionem æternam dari manifeſtum eſt, ad inſtar accuſationis de læſa Republica, quam eſſe quoque æternam JCti Græci ſcribunt, & fere omnes Latini conſentiunt.

Probo æquitatem illius decreti, quia veriſſimum eſt, id, quod factum eſt, non tam eos, qui conſuluerunt, quam totum per ſingula membra Collegium feciſſe videri, ſed non æque probo, quod Ordines clauſula, ei Decreto nominatim ſubjecta, expreſſerint, ad futura duntaxat negotia pertinere, neque ullam ex eo de præteritis actionem eſſe, nam ea clauſula additur ſub finem Decreti, non ut editum eſt in Libris vulgatis Edictorum & Decretorum (3), ſed ut editum eſt in *de Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit*, & apud Aitzema. Id, inquam, non probo, quia Decretum, quantumcunque eſt, non legem aliquam novam, ſed Jus commune complectitur, ut mox dicam latius.

Recte etiam ait Decretum, ei quoque eſſe ſubveniendum, qui damnum patitur *ob executionem* ejus, quod Ordines juſſerint: nihil enim verius eſt, quam eum, qui Principis ſui mandatum exſequitur, non modo non puniendum, ſed & ei reſarciendum eſſe, quicquid nomine mandati abeſt. In omni mandato id obtinet ſecundum notiſſima Juris Romani decreta, quæ referre pudet. Atque inde, cum rurſus ea de re ageretur apud Ordines Hollandiæ anno 1667. facta eſt propoſitio in eandem plane ſententiam, quam Ordines 15. Dec. ejusdem anni, conſultationis ergo, ad Supremum Senatum & Curiam Hollandiæ transmiſerunt, & ſecundum quam utraque Curia reſpondit anno 1668. (4) optime, ſi quid judico. Peſſime igitur conſultus eſt, qui *Diſquiſit. Polit. Caſu* IX. impenſe probat, quod Magnus Largitionum Comes, qui ſub Juliano, ex ejus mandato, templum Beriſtiorum incenderat, mox ſub Joviano damnatus ſit, ut templum ſua ipſius pecunia reſtitueret. Sane peſſimi rerum arbitri ſunt, qui facta ab eventu æſtimant. Quod Juliano placuit, Joviano potuit diſplicere, ſed ejus Principis, qui imperat, juſſa capeſſere fas eſt. Comes templum incendit, ſed incendere juſſerat Julianus. Etiam Jure Barbarico mandatum Principis excuſat. Qui juſſu Regis occidit, impune occidit, ut eſt in *Capitul. Caroli M. C.* 215. *quia*, inquit, *lex & juſſio Dominica occidit eum, & ipſe non potuit contradicere. Princeps vero & Succeſſores ejus defendant eum, & totam progeniem ejus, ne ob hoc pereat, aut malum patiatur.* Specie auctoritatis publicæ fallere vel falli omnino impium eſt.

Rationes, quæ contra Magnum Largitionum Comitem adferuntur, apud me nihil quicquam valent. Si dicas, in ſe ipſo, ex natura rei non licere templum incendere, me Judice erras; poteſt enim quam maxime, quia Principis eſt, neque alius eſt quiſpiam, cui magis rerum publicarum tribuas dominium. Si is, de quo agitur, Principem ad rem ſuam perdendam incitaverit, referre putem, an dolo malo incitaverit, an, quod egit, bona mente egerit? neque enim promiſcue heredi actio danda eſt in Titium, quod forte defuncto donationis, Mævio faciendæ, auctor fuerit, nam quamvis *donare* & *perdere* fere pari paſſu ambulent *l.* 7. *pr. ff. de Donat.* bona mente tamen conſilium donandi intervenire potuit, cum in ipſa donatione plus ſæpe lucri ſit, quam damni. Sed hoc ab eventu pendet. Si porro dicas, tanti non eſſe Principem, ut ad usque templi incendium ejus pareas mandato, etiam ſic falleris. Ut te ipſum ſerves, hominem occidi permittis, quid ergo metuis perdere templum jubentis Domini? *Principis indignationem exitii prænuncium* qui dixit, vere dixit, & apud Tacitum *L.* IV. *Hiſtor. C.* 42. Curtius Montanus *tolerandas* cenſet *iſtorum defenſiones, qui perdere alios, quam periclitari ipſi maluerunt.* Noli præterea objicere, quod objecit Diſquiſitor ille Politicus, reſciſſis Principis Actis id etiam mandatum reſcindi, nihil igitur eſſe, quo ſe tueri poſſit, quicquid enim fecit mandatarius, fecit ex mandato, quod tunc erat, & tunc ſubſiſtebat, eo autem tempore, quo mandatum non erat, nihil quicquam fecit, & iniquiſſimum eſt, ſi ei imputes, quod vates non fuerit. Scio, in delictis mandatum non excuſare, neque mandatum eſſe niſi rei licitæ, ſed hæc in cauſis privatis valent, apud Principem autem mandatorem nihil habendum eſt pro illicito, etiamſi illicitum ſit, alioquin nulla Summi Imperii ratio conſtare poterit. Si Princeps bellum gerendum decreverit, & ad milites conſcribendos, armamentaria inſtruenda, commeatum parandum, & id genus alia, mandata ſua dederit, an hi, quibus cura earum rerum demandata eſt, prius deliberabunt, bellum juſtum ſit, nec ne, & parebunt, ſi juſtum, non parebunt, ſi injuſtum putent? Vides, ſic omnem Imperii auctoritatem convelli, nec Principi amplius jubendum, ſed cum ſubditis ſuis diſputandum eſſe.

Ex

(1) *Plac.* III. 1. 1. 3.

(2) Exſtat Decretum *Ibidem* III. 1. 3. 5. & in de *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 696. & apud Aitzema *L.* XLIII. p. 686. & 687.

(3) *Het Groot Placaat-boek.*

(4) Habet hæc Aitzema *L.* XLVII. p. 363. & ſeqq. & *L.* XLVIII. p. 334. & ſeqq.

Ex his facile efficies, quæcunque in Hollandia annis 1618. & 1619. contra Barneveldium, Hoogerbeetſium & Grotium acta & judicata ſunt, non alio jure niti, quam quod Prætor jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit. Excute omnia capita, quæ illis crimini imputata ſunt, & reperies, non aliam fere ob cauſam damnatos eſſe, quam ob conſilium Reipublicæ vel Magiſtratibus ſuis datum, vel ob exſequutionem eorum, quæ illis ab Ordinibus vel Magiſtratibus mandata erant, procul ab omni dolo malo. Ipſo jure igitur ſinguli habebant actionem mandati adverſus mandantes ſuos, ad reſarciendum damnum, ſibi datum, quatenus reſarciri poterat, nam contra Barneveldii maximam capitis diminutionem nulla erat reſtitutio, ſed Grotius, homo prudentiſſimus, qui Syndicus atque ita mandatarius erat Magiſtratus Rotterdammenſis, tempeſtatem prævidens, inſuper ſibi proſpexerat cautione indemnitatis, a Magiſtratu ſibi datæ. Ex qua cautione Magiſtratus Rotterdammenſis a Curia Hollandiæ 3. Nov. 1651. fiduciaria ſententia damnatus eſt viduæ Hugonis Grotii ſolvere ſalarium Syndici annuum, usque dum ei alibi alia ſtatio obvenerat; quam ſententiam Supremus Senatus, ut ex Actis comperi, non tantum definitiva ſententia probavit 21. Dec. 1652. ſed & ſimul Magiſtratum damnavit in omne id, quod ex cauſa mandati & geſti olim muneris Grotio aberat. Heredes quidem Grotii & illis ſententiis, & omni Grotii hereditati, ut & uxoris ejus, atque omnium aliorum quocunque nomine renunciarunt 6. Dec. 1662. probantibus eam renunciationem Ordinibus Hollandiæ Decreto ſuo 9. Dec. 1662. (5). Sed ne puta, gratis renunciatum eſſe, quemadmodum enim illis heredibus ſubvenerint Ordines, malim te legere apud Aitzema *L.* XLIII. *Hiſtor. p.* 685. quam ex me audire. Idem *eodem loco* ſcribit, etiam heredibus occiſi Barneveldii fuiſſe ſubventum, ſed id alibi fruſtra quæſivi. Sane cum heredes Hoogerbeetſii ab Ordinibus Hollandiæ petiiſſent, ut ipſi Ordines de ſua cauſa cognoſcere vellent, aut ſibi integrum eſſet de ea apud Judicem experiri, decretum eſt 20. Dec. 1663. (6) ut tribus ſtirpibus Hoogerbeetſii conſtituerentur tres reditus annui, quorum quisque eſſet 1066. Carolinorum; hoc addito, ita ſe decernere, quia & Leidenſes Hoogerbeetſio ſpecialem indemnitatem promiſerant, & præterea, id Decretum nulli omnino præjudicio fore judiciis & ſententiis, annis 1618. & 1619. actis latisque, quietis enim publicæ intereſſe, ut hæc omnia ſarta tectaque maneant. Neſcio, an non præſtitiſſet publicam iniquitatem publice reſcindere; nulla certe ratio eſt, cur Ordines æquiſſimum ſuum Edictum maluerint promiſſæ indemnitati, quam Juri communi adſcribere, nam & ſine indemnitate promiſſa mandatarii ex cauſa mandati indemnes ſunt ſervandi, nec quisquam, qui JCtus eſt, ea de re dubitaverit.

CAPUT III.

Qui recte Legatos mittant.

Inter Scriptores Juris Publici fere convenit, ejus duntaxat eſſe Legatos mittere, qui Summum Imperium habet. Vulgo utique Princeps vel Populus, qui ſui juris eſt, Legatos mittit ad alium Principem vel Populum, qui non minus eſt ſui juris, & inter hos jura Legatorum perfecte conſtant, ſed non æque conſtant, ſi ſubditi forte vel rebelles ad Principes ſuos Legatos mittant. Cœptante apud Belgas rebellione contra Hiſpanos, duos ex Belgis Nobiles, Joannem Montigniacum, & Joannem, Marchionem Bergarum ad Zomam, anno 1566. ad Regem Philippum in Hiſpaniam miſerunt Margareta Parmenſis & Ordines Generales (1). Rex eos, cum in Belgium remitti non expediret, in Hiſpania retinuit, quemadmodum & anno 1634. ibi retentus eſt Dux Aarſchotanus, eo quoque, qua Legatus, miſſus (2). Duo autem priores non tantum retenti, ſed & juſſu Regis interemti gladio vel veneno, publicatis etiam bonis, ut non tantum fama nunciavit, ſed & Ordines teſtantur in Edicto, quo 26. Jul. 1581. Regis Imperium Comitatenſe abrogarunt. Regem eo ipſo jura Legatorum violaſſe vulgus Belgarum jactitavit, quin & Ordines in d. Edicto id factum ajunt pugnare *tegen alle gemeene Regten, ook onder de wreedſte en tyrannigſte Princen altyd onverbrekelyk onderhouden.* Unde & hanc quoque inter Imperii abrogati cauſas memorant.

Sed recte Wicquefort animadvertit *en ſon Ambaſſadeur L.* I. *Sect.* 2. *p. m.* 38. quamvis id Philippi factum non ſit laudandum, pro tam injuſto tamen & improbo non eſſe habendum, atque habent illi, qui ſolo partium ſtudio aguntur transverſum: neque enim duo illi Nobiles ullo Legatorum jure uti potuere, ſi jus ſtrictum æquitati præferas, ut prætulit Philippus. Non aliam ob cauſam poteſtati ejus, ad quem miſſi ſunt, Legati obnoxii non ſunt, quam ne, dum officio ſuo funguntur, conditionem mutent, & alteri Principi ſubjiciantur, cum alterius, & ſæpe adverſarii, vicem repræſentant. Quorum nihil omnino erat in iſtis quaſi Provincialibus Legatis, qui æque, atque ante legationem, Philippo ſubditi erant, quique non repræſentabant niſi Margaretam, æque Philippo ſubditam, vel ceteros Belgas, non minus ſubditos, ſi non, ut Philippo equidem videbatur, rebelles. Retenti autem fuerunt in Hiſpania, ne, quod jam tentarant, effugerent in Galliam, & ſic in Belgium reverterentur, res novas molituri. Quia tamen bona fide, & conſentiente Margareta, advenerant, a cæde abſtinere æquiſſimum erat. Ceteroquin ſubditos & rebelles jure Legatorum non uti, etiam Grotius docet *L.* II. *de Jure B. & P. C.* 18. §. 2. *n.* 1. & ex eo Zoucheus *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 9. *Q.* 16. niſi tamen Princeps ſubditorum & rebellium conditionem remiſerit, conceſſeritque cum iis agere, ut cum externo & ſui juris Populo, quemadmodum in §. 1. Induciarum inter Hiſpanos & Ordines Generales 9. Apr. 1609. expreſſum eſt, cum Ordinibus agere Regem, atque cum Populo ſui juris.

Ut legatio pleno jure utrimque conſiſtat, ſtatus

(5) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 646.

(6) *Ibidem* p. 771. & 772. & Aitzema *L.* XLIII. p. 685.

(1) Grotii *Annales L.* I. p. m. 29.

(2) Aitzema *L.* XIV. p. 542. & 543.

tus utrimque liber deſideratur, qui ſi ab una duntaxat parte liber ſit, ab ea miſſi tantum jure Legatorum utuntur, ab alia miſſi ad externum Principem, habentur pro nunciis, ad ſuum, pro ſubditis, ſic ut in eos Princeps exercere poſſit id jus, quod in reliquos ſubditos exercet. Quum contra Romanos rebelles Batavi ad Petilium Cerealem miſiſſent Legatum cum literis, nullo iis reſponſo dato, quibus neque legationis jus erat, ipſum Legatum Romam miſit Cerealis, puniendum ſcilicet, ſi & ipſe reus deprehenderetur, ut hæc habet Tacitus *L.* IV. *Hiſtor. C.* 75. Et Ludovicus Bavarus anno 1327. Piſanorum, qui ipſum in Urbem ſuam recipere detrectabant, Legatos, ad introitum redimendum miſſos, comprehendi juſſit, ut eſt apud Burgundum *Hiſtor. Bavar. L.* II. *p. m.* 102.

Sciſſa in factiones Republica, intereſſe putem, penes quam partem ſtet rei agendi poteſtas, ſi penes unam, ut ante ſtetit, nec aliorum, ad res agendas, deſideretur conſenſus, etiam hæc ſola recte Legatos mittit, & his competit, quicquid veris Legatis. Eo jure cenſendi, quos a Vitellio ad Veſpaſianum miſſos Tacitus memorat *L.* III. *Hiſtor. C.* 80. Unde recte de his Legatis ſuperdicit Tacitus: *ni dato a Duce præſidio defenſi forent, ſacrum etiam in exteras Gentes Legatorum jus, ante ipſa Patriæ mœnia, civilis rabies usque in exitium temeraſſet.* Vitellium enim & Senatum, a quibus illi legati erant, Veſpaſiano non ſubditos, ſed antequam vincerentur, ſui juris Principes fuiſſe, negari non poterat. Longe aliter, atque ſi Veſpaſianus ad Vitellium Legatos miſiſſet, qui nullo jure Legatorum prærogativas ſibi adrogare potuiſſent, quum nulli alii fuiſſent, quam rebellium nuncii.

Ceterum qui Summam Poteſtatem deſiderant in iis, qui Legatos mittunt, non ſolent diſtinguere, nec etiam diſtinguendum eſt, an eorum Imperia ex juſto titulo, an ex ſola injuria originem traxerint, ſufficit enim, quod ad illos, ad quos Legati mittuntur, Suprema Poteſtate utantur. Recte Paſchalius dixit in *Legato C.* 12. *Pauciſſima Regna Dominatusque memorari poſſunt, quorum initiis libera Gentium ſuffragia cauſam dederint, quale fuit Dejocis, primi Regnatoris Medorum. Plura Imperia vis enixa eſt, quam electio.* Et mox: *Prima fere fundamenta Imperiorum ſunt turbæ & factiones.* Nec abſimile eſt illud Carneadis apud Lactantium *L* V. *Divin. Inſtit. C.* 16. *Omnibus Populis, qui florerent Imperio, & Romanis quoque ipſis, qui totius Orbis potirentur, ſi juſti velint eſſe, hoc eſt, ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum.* In cauſis publicis utique expedit, *uti poſſidetis, ita poſſideatis*; alioquin omnium Imperiorum origines eſſent excutiendæ, juſtæ nempe ſint, nec ne, & ſic demum pronunciandum, qui Legatos mittunt, jure an injuria mittant. Quod valde eſſet inutile, & Gentium tranquillitati turbandæ inſignem cauſam præberet.

Simpliciter autem ego non auſim dicere, ut ſunt qui dicunt, neminem recte Legatos mittere, niſi qui Summum Imperium habet, ſic enim actum eſſet de Legatis Provincialibus, Municipalibus, aliisque, quorum magna ſeges & olim fuit, & nunc eſt. Dixerim potius, omnes recte Legatos mittere ejus rei ergo, cujus agendæ poteſtatem habent, ſed pro mittentis dignitate alio atque alio jure cenſeri, & alium atque alium iis honorem haberi. Si Princeps ſui juris mittat, miſſi habentur pleno jure Legatorum, ſi mittat alius, ejus, ad quem miſſi ſunt, arbitrio tota res relinquitur, ſed id non perimit ipſum legandi jus, ſi penes eum, qui legat, rei, propter quam legat, agendæ poteſtas ſit. Aliquando & victarum Brabantiæ Urbium Legati apud Ordines Generales auditi ſunt, exhibitis *Credentiæ*, quas vocant, *Litteris.* Quod ipſum & tentarunt Senatus militaris Legati, ſed tam hi, quam Præfecti Urbium militares, ut & victarum in Brabantia & Flandria Urbium Magiſtratus non per Legatos Ordines adire, ſed per libellum Ordinibus ſupplicare juſſi ſunt menſe Decembri anni 1645. (3). Mittunt & Legatos Deputati Ordinum Gelriæ ex §. 38. eorum Formæ (4), mittit & in India utraque Societas Indica Fœderati Belgii, quin & Francica ex §. 27. Privilegii ſui 31. Maj. 1664. (5) & qui non alii?

Scio, Eliſabetham, Anglorum Reginam, cum pecuniam, a Rege Hiſpaniarum ad Ducem Albanum miſſam, anno 1569. occupaſſet, noluiſſe agere cum Albani Legato, utpote miſſo a non Principe (6), ſed ſatis eo ipſo Regina oſtendit, frivola ſe exceptione uti quam ſuum cuique reddere maluiſſe. Huic exemplo & aliud addidit Zoucheus *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 4. *Q.* 7. de duobus nempe Nobilium Genuenſium Legatis ad Philippum, Hiſpaniarum Regem, miſſis, at, reclamante apud Genuenſes contraria factione, non admiſſis. Sed hos recuſare potuit Philippus, non quia, qui miſerant, alterius Imperio erant ſubjecti, ſed quia, cum ad factiones perventum eſt, de Republica conſtituere nequit pars Reipublicæ, niſi, ut antea dicebam, penes eam ſolam adhuc ſubſiſtat τὸ κύρ*ιο*ν, alioquin niſi ſimul conſulant & decernant, quibus ſimul conſulendi & decernendi poteſtas competit, irritum eſt omnino, quicquid ſeparatim agitur. Secundum hæc ex §. 1. Arbitrii Ordinum Hollandiæ (7) reſciſſa ſunt omnia, quæ tempore diſſidii ab 8. Apr. 1654. duæ factiones Ordinum Tranſiſulaniæ, prætexto Tranſiſulaniæ Ordinum nomine, altera in alterius præjudicium, fecerant. Diſtinctio, quæ placuit Grotio *L.* II. *de Jure B. & P. C.* 18. §. 2. *n.* 3. de magnitudine nempe factionum, & an fere æquales ſint, huic rei definiendæ minus apta eſt, neque enim ea, ut mihi quidem videtur, quicquam ad rem pertinet, ſed ſola rei agendæ poteſtas. Minus quoque aptum eſt exemplum, quod Grotius attulit de Vitellii Legatis, cum, ut jam monui, penes Vitellium & Senatum tunc ſteterit ſumma rei Romanæ poteſtas. Recte igitur diſtinctionem Grotii rejecit Wicquefort *en ſon Ambaſſadeur L.* I. *Sect.* 2. vel utique recte reſtrinxit ad ea, quæ utraque factio invicem habet diſcutienda, hoc eſt, ad ea, quorum penes ſingulas factiones poteſtas eſt.

(3) Aitzema *L.* XXV. p. 194.
(4) Exſtat apud eundem *L.* XXIII. p. 623.
(5) Apud eundem *L.* XLIV. p. 572.
(6) Sic refert Strada *de Bello Belg. Dec.* I. *L.* 7. p. m. 479.
(7) Exſtat *in eorundem Decreto* 21. *Sept.* 1657. *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 381.

CAPUT IV.

An ſingulæ Provinciæ Fœderati Belgii Legatos poſſint mittere, vel accipere?

Reſpublica Achæorum, ex ſeptem Civitatibus conflata, multa olim habuit ad inſtar Reipublicæ Fœderati Belgii. Jacobus Gothofredus *Oratione*, quam *Achaicam* inſcripſit, inter Leges Achaici Fœderis etiam hanc refert: *ne cui Achaici Concilii Civitati ſeorſim Legatos ad externa mittere fas eſſet*, & exiſtimat, ſalva ea Lege, ſemper bona fide in commune fuiſſe conſultum, ea autem labefactata, labefactatam quoque fuiſſe Achæorum Rempublicam. Achaici Fœderis ſocios ſeparatim jus legationis non habuiſſe ex eo eſt, quod apud Achæos ſummum Imperium in omnibus & per omnia ſteterit penes commune Concilium, & quod perfecta legatio non cenſeatur, niſi ex ſummo Imperio. Sed hæc non recte transferas ad ſeptem Civitates Belgii Fœderati, quarum ſingulæ ſummum Imperium retinuere, exceptis nonnullis rebus, ſine quibus cauſa Fœderis explicari non poterat. Regula eſt, ab Hollandis ſæpius inculcata reliquis Fœderatis, & oppido veriſſima, ſingulas Provincias eſſe ſui juris, niſi quatenus in Fœdere ei juri fuerit renunciatum. Cautum quidem eſt §. 10. Fœderis Utrechtani, ne quæ Provinciæ, Urbes, Membra Fœdus inire vellent cum finitimis Principibus, niſi conſenſu aliorum Fœderatorum, ſed id omnino intelligendum eſt de iis, quæ ad cauſam communem ſocietatis pertinent, hactenus enim juri ſuo renunciarunt, non autem de iis, quæ ſingulæ Provinciæ ſibi reſervarunt ſalva & integra. Quod in Fœderibus, idem in Legatis obtinet, utrorumque enim par eſt cauſa.

Igitur rudi Minerva dictum eſt, quod dixit Huberus *de Jure Civit. L.* III. *Sect.* 4. *C.* 2. *n.* 5. Gentes liberas Belgarum recte Legatos mittere. Recte ſane mittunt Ordines Generales, & hi vulgo mittunt, quia res, ob quas mittunt, omnium Sociorum fere ſunt communes, ſed an ſingulæ Provinciæ, ob res quæque ſuas, recte mittant, id vero eſt, de quo cum maxime quæritur. Si me audias, tota hæc res pendet a Fœdere, ut, ſi rei agendæ poteſtas ad ſolam Provinciam pertineat, utique illa Provincia ea de re recte ſeparatim paciſcatur cum externis Principibus, & ad hos ea ipſa de re recte Legatos mittat, ſin autem pertineat, ut vulgo pertinet, ad Ordines Generales, & commune Belgii Fœderati bonum, aliud omnino juris ſit, neque enim commune bonum curant, niſi ſoli Ordines Generales.

Magnis animis hæc res agitata fuit anno 1654. Ordines Hollandiæ 4. Maj. 1654. (1) ad pacem obtinendam, ſeparatim Anglis promiſerunt, ſe Wilelmi II. poſteris nullum Imperium terra marive in Hollandia collaturos, neque pro iis, ut Ordines Generales conferant, apud eos ſe ſuffragium dicturos. Contra eam pactionem ad ravim uſque declamarunt Zelandi, Friſii, Groningani, libellis aliquot in eam rem editis, quibus tandem Ordines Hollandiæ juſto volumine reſponderunt (2). Vides autem, duas eſſe partes ejus Decreti, quod Wilelmi II. poſteros excludit. Prima pars excludit a dignitatibus, quas Hollandi, ſecunda a dignitatibus, quas Ordines Generales conferre poterant, quantum nempe attinebat ad ſuffragium Hollandiæ. Ut utramque Decreti partem defendant Hollandi, magno apparatu id agunt, ut oſtendant, rem, de qua cum Anglis pacti ſunt, omnino eſſe poteſtatis ſuæ, & licere cum ſibi, tum aliis Provinciis de rebus, quæ ad ſe pertinent, & Legatos mittere, & Fœdera inire, prolatis *Parte* I. *C.* 5. ejus Reſponſionis quam plurimis exemplis, ex quibus conſtare putant, ſingulas Provincias, etiam proxime poſt Fœdus Utrechtanum, eo jure fuiſſe uſas. Non diſputo, an omnia exempla, quæ ibi exſtant, ſatis apta ſint in hanc rem, & an ſatis ſubſiſtant & componi poſſint cum *d.* §. 10. ejus Fœderis, nam fatendum eſt, naſcente Republica, multa tumultuarie magis, quam legitime geſta eſſe, ſed tamen mihi perſuaſum eſt, cum *d.* §. 10. ſatis ſubſiſtere & componi poſſe illud Decretum 4. Maj. 1654. quia utrumque, quod Anglis ibi promiſſum eſt, revera pependit a ſola poteſtate Hollandorum. De prima parte Decreti nemo unus dubitaverit, ſed cur dubites de ſecunda? nihil enim quicquam Hollandi parte ſecunda obligarunt, quam ſuffragium ſuum, & libera eſſe quarumque Provinciarum ſuffragia apud Ordines Generales, qui contradicat, nemo eſt.

Quamvis autem ea ratione ſatis juſtum videatur d. Decretum 4. Maj. 1654. pars tamen ejus ſecunda non eſt ſatis amica. Hæc diſtinctio, quam & ſæpe alias obtinere ſupra dixi *L.* I. *C.* 23. *in fin.* etiam hic eſt obſervanda: nam, ut de re, quæ ad libertatem pertinet, libere dicam, incivile, nec ſatis amicum eſt, ignaris & inconſultis ſociis de cauſa Societatis ſeparatim deliberare, & alteri Principi ſuffragium ſuum obligare. Ordines quoque Friſiæ in Decreto 24. Jun. 1654. (3) id ipſum Hollandis objiciunt, ſed, quod addunt, manifeſte eo peccari adverſus Fœdus, manifeſte verum non eſt. Reſpondent quidem Ordines Hollandiæ *d. Parte* I. *C.* 2. *n.* 3. ſui juris eſſe ſuffragium ſuum, & ſic omnino eſt, ſed tamen, ut dixi, illud jus fraternitatis, quod quodammodo in Societate eſt, vix admittit, ut ſocius, ne audito quidem ſocio, ſuffragium ſuum obliget. Etiam Hollandiæ Ordinum quæque membra liberum ſuffragium habent, & tamen Nobiles aut Urbes in rebus, ad Rempublicam pertinentibus, ſuffragium ſuum cuiquam addicere adeo diſplicuit, ut neque Legatos de rebus, quæ apud Ordines Hollandiæ tractantur, accipere poſſe placuerit. Anno utique præcedenti 1653. 2. Aug. (4) Ordines Hollandiæ decreverant, ſi Ordines Generales aut ſingularum Provinciarum ad Nobiles aut Urbes Hollandiæ aliquos mitterent *over ſaken, den gemeenen ſtaat der Landen betreffende, of daar toe reflexie hebbende*, ne Nobiles Urbesque iis auditorium præberent, ſed continuo ad Ordines Hollandiæ remitterent, idque, ut no-

(1) By de *Acte van Seclusie rakende het employ van den Heere Prince van Orange.*

(2) Ea reſponſio vocatur *Deductie of Declaratie van de Heeren Staten van Holland tot juſtificatie van de Acte van Seclusie.* Exſtat ſeparatim Belgice & Latine, & iterum Belgice *in de Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 30-206.

(3) *In de Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 144.

(4) *Ibidem* p. 1.

nominatim additur, ut in ipſis Comitiis libere conſulere & ſuffragium dicere liceret. Quam ſententiam Ordines ajunt in d. Decreto ſe latius eſſe exſequutos Libro ſingulari (5) quem anno 1651. ediderunt adverſus libellum, inſcriptum *Redenen en motiven, die ſyne Hoogheid den Heere Prince van Orange bewogen hebben* &c. In eo autem Libro ſingulari toti ſunt Ordines, ut probent, non tantum injuſtas eſſe ejusmodi legationes, ſed & tollere ſingularum Provinciarum jura, & cum maxime libertatem ſententiæ dicendæ in Ordinum Comitiis.

Sed ego non auſim tam large hæc admittere, ſi lex non intercederet. Qui recte Legatos mittunt, etiam recte accipiunt, ut autem mittendorum, ita & accipiendorum Legatorum jus ab rei, de qua agitur, faciendæ poteſtate dependet. Igitur, ut ante dicebam, ſingulæ Provinciæ quod ad ea, quæ ſui juris ſuæque poteſtatis ſunt, publice Legatos mittunt & accipiunt, ſed non æque quod ad ea, quæ ad commune Fœdus pertinent, neque enim ejus leges patiuntur, ut, ſalva forma legationis, ſinguli ſocii ſeparatim audiant, qui de re omnium communi verba ſunt facturi. Atque ita neque ſingula cujusque Provinciæ membra, quod ad formam publicam attinet, recte Legatos accipiunt de rebus, quæ apud ipſos Ordines ejus Provinciæ ſunt agendæ. Sed hæc non prohibent, quominus Legati ad Ordines Generales miſſi, aut eorum aliqui, cum ſingulis Provinciis, earumve membris ſermones cædant de re publica, nam ut ſuum ſingularum Provinciarum, ſic & ſuum ſingulorum membrorum liberum eſt ſuffragium, nec niſi de re poteſtatis ſuæ agunt, qui de ſuffragio ſuo cum Legatis agunt. Nolim, ut obligent, vel propter τὸ πρέπον, quod inter ſocios ſervare oportet, ſed ſi velint, cur non poſſint, nulla ratio eſt. Privatim utique licet colloqui de rebus publicis, & licet ea audire, per quæ quis doctior & melior ad publica conſilia accedat, quin &, ſi ita videatur, licebit ſuffragium ſuum addicere, ut in munerum collatione paſſim obtinet, & ſine fraude cujusquam eſt. Si hæc neges, defende, ſi potes, illud Hollandiæ Decretum 4. Maj. 1654.

Patior Legatos privatim audiri, non patior publice audiri, niſi ab his, ad quos ea res pertinet. Sed aliter atque aliter in Belgio Fœderato ea res eſt accepta & ſervata. Friſiorum Ordines anno 1587. Legationem Comitis Leiceſtrii ad ſingula Friſiorum Ordinum membra ſeparatim factam, ut novam, & non niſi diſcordiis fovendis aptam, improbarunt (6). Et Amſterdammenſes Ordinum Generalium Legatos, anno 1639. ad ſe miſſos, inauditos dimiſerunt (7), cujus repulſæ rationes Hollandiæ Ordinibus reddiderunt eodem anno 1639. (8). Rurſus, quum tot milites, quot ceteris Provinciis placebat, Hollandi alere nollent Ordines Generales 5. & 6. Jun. 1650. (9) præter Gelros (10), & contradicentibus Hollandis (11), legationem ad Urbes Hollandiæ miſerunt, quæ ab aliis recepta fuit, ab aliis repulſam tulit inaudita (12). Amſterdammenſes, quod ne quidem Orangium, qui etiam inter Legatos erat, tanquam Gubernatorem Hollandiæ, in concilium Urbis ſuæ admittere voluerant, ad Orangii expoſtulationem, ea de re factam 30. Jun. 1650. (13) apud Ordines Hollandiæ prolixe ſe defenderunt (14), & ii, qui ad cauſæ cognitionem ab Ordinibus delegati erant, reſponderunt quoque, non placere ejusmodi legationes a Magiſtratibus recipi (15). Quæ & ipſorum Ordinum ſententia fuit, longe lateque diſputata in eo, quem dixi, Libro ſingulari, quo Orangii libellum, anno mox ſequenti, publice oppugnarunt.

Sed hæc quidem acta geſta ſunt ante annum 1653. eo autem anno 2. Aug. ut alia occaſione ante commemoravi, ſpeciali Decreto improbata fuit legatio Ordinum Generalium aut ſingularum Provinciarum ad ſingula Ordinum Hollandiæ membra, atque ſi libertatem ſententiæ, in ipſis Comitiis dicendæ, impediret. Sed an hæc tantopere jactata ſuffragiorum libertas ſatis conveniat cum eorundem Ordinum Decreto, quo ſequenti anno 1654. ſuffragium ſuum Anglis obligarunt, judicent, quibus jus liberi ſuffragii eſt.

Hactenus autem nihil cautum erat de externorum Principum Legatis, id vero poſtea acceſſit: quum enim anno 1662. Hiſpanorum Legato, diſſerenti de pacto mutuæ defenſionis cum Rege ſuo ineundo, Magiſtratus Dordrechtanus auditorium præbuiſſet, Ordines Hollandiæ Decreto ſuo 28. Sept. 1662. (16) illud Decretum 2. Aug. 1654. etiam eo porrexerunt, nam, improbato illo Dordrechtanorum facto, decreverunt, ne Nobiles aut Urbes ſeparatim *aan eenige Miniſters audientie vergunnen zouden over ſaken, den gemeenen ſtaat van den Lande betreffende, of daar toe reflexie hebbende, en waar op de deliberatie ſpecteert tot haar Ed. Gr. Mog. Staatsgewyſe Vergadering*, ſed eos Legatos continuo remitterent ad ipſos Ordines, *om niet gepræoccupeert te werden*, apud Ordines enim ea tractari. Quod verum eſt ex §. 1. Formæ, quam Ordines Hollandiæ Comitiis ſuis præſcripſerunt 19. Febr. 1585. (17) ſed non minus verum eſt, etiam apud ipſos Urbium Magiſtratus ea tractari, quod ad ſuffragium ſuum.

Ceterum id Decretum 28. Sept. 1662. intelligendum eſt de auditorio Legatis *publice* præbendo, id enim ne quidem ſingulis Provinciis licet, ſi de cauſa communi omnium Fœderatorum agatur, ſed cave exiſtimes, per illud Decretum iis, qui ipſi Nobiles vel Urbium Magiſtratus, vel eorum ad Comitia delegati ſunt, non licere externorum Principum Legatos *privatim* audire, aut cum iis ſermones commutare de ſalute Reipublicæ, neque enim ulla lege id eſt prohibitum, vel, ſalva Reipublicæ dignitate, prohiberi poteſt, modo, quæ celanda ſunt, celent, nec temere pronuncient de his, quæ non ſunt poteſtatis ſuæ, ſervato etiam decoro, quod in ſocietate

(5) Ille liber ſingularis vocatur *Waaragtig en nodig Berigt van de Staaten van Holland*, & exſtat apud Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 486.

(6) Memoratur in eodem *Berigt* p. 507. & 508.

(7) Aitzema *Hiſtor. L.* XIX. p. 177. & 197. & in eodem *Berigt* p. 509.

(8) Earum mentio eſt in Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 58.

(9) Idem *ibidem* p. 9. & 10.

(10) *Ibidem* p. 11. & apud eundem in eodem *Berigt* p. 507.

(11) *Ibidem* d. pagg. 11. & 507.

(12) Rem totam habet Aitzema *H. L.* p. 13-37.

(13) Idem *ibidem* p. 37. & ſeq.

(14) *Ibidem* p. 56. & ſeqq.

(15) *Ibidem* p. 40-45.

(16) *Plac.* III. 1. 1. 34. & *in de Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 643.

(17) *Plac.* I. 1. 3. 1.

te ſervari convenit. Probe recordor, Amſterdammenſibus, quorum Delegati cum Galliarum Regis Legato ſermones de Republica habuerant, eo nomine crimen Majeſtatis fuiſſe objectum, eorumque inſtrumenta Hagæ Batavorum domi ſuæ fuiſſe obſignata, ſed quam nullo jure, ſatis oſtendit epiſtola Amſterdammenſium ad Urbes Hollandiæ ſcripta 19. Febr. 1684. (18) & ad ipſos Ordines Hollandiæ 8. Mart. ejusdem anni (19). Sed Hollandorum libertati tunc imminebat Orangius, ipſe Amſterdammenſium accuſator, qui & alia occaſione alios Magiſtratus, ob eandem cauſam, criminis reos egit, & ut punirentur, auctoritate ſua effecit. Læſa ſcilicet erat Majeſtas Orangia, ſi quis contra hiſcere auderet, quominus ex ejus ſolius nutu penderet Reſpublica, tantum enim Magiſtratibus faciebat reliqui, quantum Bibulo Cæſar. Di meliora piis! Tempore autem liberæ Reipublicæ cum Legatis Principum privatim colloqui, ad promovendam boni publici ſalutem, ſemper ſine fraude fuit, & adhuc eſt.

CAPUT V.

Qui Recte Legati mittantur.

Ut non omnes recte Legatos mittunt, ita non omnes Legati recte mittuntur: *non enim omnes admitti præcipit Gentium Jus, ſed vetat ſine cauſa rejici*, ut veriſſime dixit Grotius *de Jure B. & P. L.* II. *C.* 18. §. 3. *n.* 1. Cauſam rejiciendi triplicem ille ſtatuit, ex eo, qui mittit; ex eo, qui mittitur; ex eo, ob quod mittitur. De media nunc agimus, & ex ea Theodorum ἄθεον repulit Lyſimachus, ut ex Diogene Laërtio ibi narrat Grotius. Sed quemadmodum Principes fere ſtudent, ut Principibus, ad quos mittunt, gratioſos mittant, id e re ſua eſſe rati, ſic ii, ad quos mittuntur, fere quoscunque Legatos accipiunt, etiam viles & minus dignos, neque id minus e re ſua eſſe putant, non modo ne Principem mittentem offendant, ſed & ne major Legati dignatio & auctoritas rebus agendis impedimento ſit. Vel ſic tamen non recipit Princeps viles animas, ſi in ſuam contumeliam miſſas interpretetur.

Unde quæri video, an exuli, ſi Legatus mittatur, Legatorum jura competant? Exulem intelligo, qui mittitur ad eum, a quo exulat, cuique, ad tempus vel quandocunque reverſuro capitis aliave pœna ſtatuta eſt. Ipſe Princeps poteſt exulem ſuum, ſententiam paſſum, reſtituere, poteſt & exulem ex alieno Imperio rebus ſuis adhibere, & utrosque Legatos mittere, ut ſunt exempla Legatorum exulum apud Paſchalium *in Legato C.* XIX. Sed de his non quæro, verum de illis, qui redeunt ad Principem, a quo proſcripti erant, decreta quoque in reverſuros pœna. Veteres quidem Juris Magiſtri etiam ejusmodi exulibus videntur jura Legatorum tribuere, ut didici ex Bertachino (1), eamque ſententiam tuetur *Cocus* quidam apud Zoucheum *de Jure Feciali Parte* II. *Sect.* 4. *Q.* 19. Sed ego tam difficilis ſtomachi ſum, ut eam ſententiam concoquere non poſſim, neque etiam concoxit Albericus Gentilis *L.* II. *de Legationibus C.* 10. neque Zoucheus *d. loc.* Conſtat utique inter eos, qui de Legatis ſcripſerunt, Principem non teneri omnem Legatum recipere, & quæ juſtior cauſa rejiciendi Legati, quam ſi is mittatur ad Principem, qui, antea ſubditus, ejus forte Majeſtatem læſit? quæ major contumelia eſſe poteſt, quam mittere hominem, qui vel ipſum Principem, vel ejus ſubditos indigno facinore aggreſſus, & ob id proſcriptus eſt? is homo Principis oculis obverſabitur, & cum eo ejusve concilio aget de ſumma utriusque Reipublicæ. Noli ſic ſapere, & alteri Principi in ſuo Imperio legem adeo inquam ſcribere. Quare Princeps ejusmodi exulem aut arcebit a finibus ſuis, aut, ſi jam intraverit, jubebit quantocyus iis excedere. Ut tamen plectatur pœna, reverſuro ſtatuta, bona fides, quæ inter Principes exuberare debet, vix patitur. Quin & ideo id improbraverim, quod hæc res inter JCtos dubia ſit, & quod in re dubia contra non ſubditum nihil durius ſit ſtatuendum. Non tamen auſim damnare Principem, qui jure ſuo, licet ſummo, uti velit; nam recte imputatum clementiæ Romanorum apud Tacitum *L.* I. *Annal. C.* 57. quod pepercerint Segimundo Legato, qui antea ad rebelles profugerat. Hæc juris & æqui pugna.

Quidam, qui in officio fuerat Societatis Indicæ Orientalis, & in India damnatus, ut lingua ejus perforaretur, fugit in Angliam, & ab Rege huc mittitur ad componendas controverſias, quæ inter Regem & Societatem Indicam intercedebant. Simulac autem ille anno 1636. Hagam Batavorum advenerat, ad preces Societatis Indicæ, carceri mancipatur, ſed tamen mox dimiſſus eſt (2). Eo ſcilicet tempore, quo Rex Angliæ ſic ſatis jam offenſus erat, & hujus Reipublicæ intererat, ne magis offenderetur. Prudentius noſtra memoria Regis Angliæ ad Regem Franciæ Legatus, antequam anno 1697. in Franciam abiret, ab Rege Franciæ petiit & obtinuit, ut liceret quibusdam, ex Francia ob Religionem profugis, inter Comites ſuos eſſe, nam, niſi id petiiſſet & obtinuiſſet, eos forte, ut reverſos exules, habuiſſet Rex Franciæ.

Quæſitum eſt, an & mulieribus Legatis uti jus fasque ſit? Hanc quæſtionem tractat Zoucheus *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 4. *Q.* 9. & Kirchneri negantis, & Paſchalii ajentis ſententiam, eorumque in utramque partem rationes adducit, ipſe, pro more ſuo, nihil definiens. Sane, quod ex Jure Romano in hanc rem adfertur, ſatis eſt inutile, feminas nempe non recte poſtulare *l.* 1. §. 5. *ff. de Poſtul.* & quibus jus poſtulandi non eſt, neque legatione fungi poſſe *l.* 4. §. 1. *ff. de Legation.* & quod generaliter definitum eſt in *l.* 2. *pr. ff. de R. J.* feminas ab omnibus officiis civilibus vel publicis removeri, nam de ſuis ſubditis Princeps ſtatuit pro arbitrio ſuo, de alienis non etiam. Ad hæc ſatis probavi *Libro ſingulari de Foro Legatorum C.* VI. quicquid Jure Romano traditur de Provincialibus & Municipalibus Legatis, de quibus ſolis fere ibi ſermo eſt, non recte transferri ad Legatos, quibus nunc utuntur diverſi Principes, qui

(18) *Hollandſche Mercurius* 1684. p. 31. & in Libro, *Conſideratien van Staats-zaken* p. 31.
(19) *Ibidem* 1684. p. 64. & in *eodem Libro* p. 77.

(1) Voce *Ambaſiator*, prope finem.
(2) Aitzema *L.* XVI. p. 277. & 278.

qui ſui Juris ſunt, horum enim cauſa non ex Jure Civili, ſed ex ſolo Jure Gentium eſt æſtimanda. Unde nec ad eos pertinent alia Juris Romani Decreta de feminis aliisve a publicis officiis arcendis. Vis exemplum? Romæ ad Rempublicam adminiſtrandam ante viceſimum quintum ætatis annum nemo admittebatur, ex definitione Ulpiani in *l.* 8. *ff. de Muner. & honor.* Sed quis hodie Principi legem ponat, ne Legato minore utatur? Quin nec ratio Juris Romani ſemper hic obtinet; ſi omnes feminæ ad poſtulandum admitterentur, ſæpe incideremus in Cajas Afranias, ſed ſatis cavebit Princeps, ne his Legatis utatur.

Ut in omni argumento, quod de Jure Gentium eſt, ita & hic ratio & uſus utramque paginam faciunt. Ratio utique feminas a legationibus non arcet, in feminis enim reperies, quicquid in Legatis jure deſideraveris. Non equidem cum Platone in omnibus & per omnia viris feminas æquaverim, ſcio utriusque ſexus virtutes eſſe proprias, ſcio eſſe communes. Infeliciter feminis arma tribuuntur, nam rarius in muliere, quam viro, eſt invictum animi robur, quod in rebus adverſis maximo præſidio eſt. Lenitas, clementia, miſericordia propriæ fere mulierum virtutes ſunt, ſed hæ in bello, etiam feliciſſimo, ſæpe periculoſæ. Quod vi & poteſtate agendum eſt, virorum proprium eſt, at in legationibus manu res non agitur, ſed ingenio, induſtria, promptitudine, minis, blanditiis, quæ omnia & in feminas cadunt, ſæpe & magis, quam in viros. Eruditio quidem propriam virorum gloriam conſtituit, ſed in Legatis quis hanc exigat? Ut olim legationibus functi ſunt, ſic & hodie funguntur, qui ne quidem Linguæ Latinæ, eruditorum vernaculæ periti ſunt, qui rem Populi tractarunt nunquam, quin vel nihil quicquam, niſi ſola forte arma, vel ſolas forte res ludicras. Cedo, cedo, ſi potes, qua parte viri mulieribus potiores ſint, in his nempe, quæ in Legatis deſideramus? ingenium, induſtria, & reliqua, quæ modo dicebam, utriusque ſexus communia ſunt.

Falleris, ſi putes, ſolos eſſe, qui ſapiunt, viros. Apud Celtas mulieres adhiberi conſultationibus de bello ac pace, Plutarchus ſcripſit in Libello de *Virtutibus Mulierum n. 6.* &, ſi Celtæ quoque Germani, nihil mirum, quod Tacitus *de Moribus Germanorum C.* 8. Germanos ajat *nec feminarum conſilia aſpernari, nec reſponſa negligere.* Plura feminarum in rem publicam egregia conſilia & facinora laudat Connanus *Comment. Jur. Civil. L.* I. *C.* 8. *n.* 4. Sed ne mulieribus, ſatis ut plurimum criſtatis, criſtas videar erigere, plura non addo; rogo potius, ſi permittas privatis res ſuas, per quemcunque voluerint, explicare, quo jure id Principibus negaveris? Imo, inquies, indecorum eſt, feminas legationes obire, atque ita ſe virorum immiſcere conſortiis. Audio, at quæro, an magis decorum ſit, feminas Regnum obtinere, ſi id patiaris, ut patiuntur multæ Gentes, cur non etiam pateris ad Reginam feminam, feminam in legationem mitti? Sola igitur ratione conſulta vix eſt, ut mulieres a legationibus obeundis excludas.

Sed vero ſi ratio mulieribus non obſtet, forte uſus obſtabit, nam & ex uſu Jus Gentium æſtimandum eſt. At noli credere. Non repetam exempla, quæ in hanc rem congeſſit Paſchalius in *Legato C.* XX. & quæ plena fide probant, tam apud Græcos, quam Romanos, bene utique moratos Populos, feminis legationes fuiſſe mandatas. Non, inquam, hæc repetam, addam potius, matres quoque Archivorum, qui ad Thebas ceciderant, pro liberorum cadaveribus cum Adraſto legationem obiviſſe ad Theſeum, ut eſt in Euripidis *Supplem. vſ.* 173. Amazones denique, ſi unquam fuerint, quales Legatos miſiſſe credendæ? Quod ſalva ſexus muliebris verecundia olim licuit, non animadverto, quamobrem hodie non liceret. Recordor etiam Regem Daniæ anno 1700. viduam quamdam Amſterdamimenſem, ejusque filium, rebus ſuis, Amſterdami agendis, præpoſuiſſe eo titulo, quo minoris commatis Legati vulgo audiunt, & *Agentes* appellant, neque ulla ratio eſt, cur in majoribus Legatis obtinere non poſſit, quod in minoribus obtinet. Minus frequentari mulierum legationes res certa eſt, ſed non minus certa, etiam olim minus fuiſſe frequentatas. Sed plus minusve ſint fuerintve frequentatæ, jus Principis non tollit, ejus igitur voluntas, etiam in hac cauſa, ſuprema lex eſto.

CAPUT VI.

Legati quid rerum olim egerint, & nunc agant, cum publice audiuntur.

Nolim enarrare cerimonias, quibus olim Legati accepti ſunt, aut nunc excipiuntur, vel ante adventum, cum iis obviam itur, vel ipſo adventus ſui tempore, vel tunc, cum publicum iis auditorium præbetur. Certum eſt majorem minoremve iis honorem haberi pro Principis mittentis dignitate, & pro ipſius Legati varia conditione, magni enim refert, in exhibendis cerimoniis, cujus commatis ſit ipſe Legatus. Unde &, priusquam publice audiatur, edere oportet Codicillos ſuos, *Credentialen* appellant, & ita etiam Ordines Generales decreverunt 19. Aug. 1658. (1). De illis honoribus multi multa ſcripſerunt, ſed quia omnes Principes non ſervant eosdem honores, quin & ſæpe mutant, ſæpe etiam, ob ſumptuum magnitudinem, prorſus negligunt, iis quisquiliis recenſendis non placet bonas horas perdere. Varia etiam in hanc rem exſtant Ordinum Generalium Decreta, quæ nec ipſa commemoro; quamvis me non lateat, ejusmodi nugas apud ipſos Legatos ejus eſſe pretii, ut quanto quis earum ſit peritior, tanto habeatur doctior & melior. Sed miſſis his frivolis plus ſcire attinet, in auditoriis publicis an & quid rerum feriarum olim egerint Legati, & nunc agant. Lege autem Gabinia apud Romanos cautum erat, *ut ex K. Febr. usque ad K. Mart. Legatis Senatus quotidie daretur.* Plerumque Conſules in Senatum introducebant Legatos, qui ibi mandata ſua exponebant, & per Senatores, percontandi arte peritos, interrogabantur de iis, quæ expoſuerant, & apud Senatum agenda erant. Mox Legatis Senatu excedere juſſis, de his omnibus deliberatum & itum eſt in ſuffragia, & quod Senatui placuiſſet, ejus nomine Legatis, denuo admiſſis, reſpondebat Princeps Senatus, quemad-

(1) *Plac.* III. 1. 2. 7.

admodum hæc omnia narrat & idoneis teſtimoniis probat Zamoſcius *de Senatu Romano L.* II. *p. m.* 179. *& ſeqq.* & *in Theſauro* Grævii *T.* I. *p.* 1015.

Quum autem Romæ Legatis Senatus dabatur, nihil eorum, quæ ipſi poſtulabant, antea editum fuiſſe comperi apud quemquam Auctorem rerum Romanarum, etiamſi tantum non incontinenti fere reſponſa ferrent Legati. Apud Achæos alia lex erat, ne ſcilicet Legatis auditorium daretur, niſi id, de quo apud Concilium acturi erant, ſcripto prius edidiſſent, quam legem etiam adverſus Romanorum Legatos conſtanter fuiſſe exercitam lego apud Polybium *Excerpt. Legat.* C. XLIX. *n.* 6. & C. XLVII. & apud Jacobum Gothofredum *Oratione Achaica p. m.* 91. Periculoſum nempe videbatur, rudes ſæpe & imparatos animos Legatorum orationibus permittere, & ſic anſam præbere, ne quid forte perſuadeant in detrimentum Reipublicæ. At vero, ut nunc ſunt mores, antea nihil quicquam editur eorum, quæ Legatus dicturus vel petiturus eſt, neque etiam, ut edatur, ulla ratio eſt, quia Legatis ſtatim reſponderi nunquam ſolet. In auditoriis publicis apud Principes aut concilium Reipublicæ nihil rerum ſeriarum hodie agitur, quicquid ibi ex Legatis audis, nihil fere aliud eſt, quam ſua Majeſtas, Serenitas, Celſitudo, Dominus meus, fecit mihi honorem, me ad Majeſtatem, Serenitatem, Celſitudinem veſtram mittendi, ut ſignificarem, quam prolixe ſit amicus veſter, Uxorem ſe duxiſſe, filium filiamve ſibi eſſe natum natamve, ut & veſtra Majeſtas, Serenitas, Celſitudo hujus gaudii eſſet particeps, vel uxorem ſuam, aliquemve ex liberis ſuis deceſſiſſe, ut veſtra Majeſtas, Serenitas, Celſitudo ejus fato indoleret, & hiſce fere ſimiles nugas, vulgi ſermonibus jam diu tritas, atque ideo fere indignas, ut lippis & tonſoribus confabulandi argumentum præbeant. Qualis autem Legati oratio, ejusdem farinæ ſolet eſſe reſponſio, nec quicquam præterea agitur in tanti momenti auditoriis, & ſic aliquando tota legationis cauſa abſolvitur. Si quid autem rerum ſeriarum agendum ſit, ſolet Legatus porrigere libellum, quem *Memorie* appellant, & ejus cognitio remittitur ad Principum Miniſtros, aliosve a Republica in hanc cauſam Delegatos, qui cum Legatis longe lateque diſputant, & poſt multas licitationes & temporis moras vel re infecta diſcedunt, vel cum Legatis tranſigunt, & ſic ad Principem referunt.

Quæſitum eſt & de loco, quo illæ diſputationes & licitationes ſint habendæ. Et ex Ordinum Generalium cerimoniali Decreto 26. Nov. 1639. (2) & ex alio eorundem Ordinum ſimili Decreto 7. Febr. 1657. (3) deliberationes cum externis Principum Legatis fiunt in loco publico, ſi quid ipſi habeant, quod proponant, ſin autem Ordines, in Legatorum ædibus. Addit vero d. Decretum 7. Febr. 1657. Legatos Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Daniæ hoc jure uti, ut, quamvis ipſi quid habeant, quod proponant, cum iis tamen agatur in eorum ædibus. Scio & cum Sueciæ Legato actum eſſe domi ſuæ anno 1684. ſed ob morbum. Quin & illi ipſi Legati, qui, ut ita dicam, jus habent revocandi domum, ſolent tamen, honoris cauſa, ipſos Ordinum Delegatos adire in loco publico, niſi de jure præcedentiæ quæſtio incidat cum aliis aliorum Principum Legatis, quibuscum ſimul deliberandum eſt. Ceterum non omnes cujuscunque commatis Legati illos Ordinum Generalium Delegatos adeunt, ſed qui & quas ob cauſas, & qui rurſus per libellum ſupplicare debeant, non usquequaque definitum reperi.

Quoniam igitur, ut dixi, hodie nihil ſolidæ rei agitur cum Legatis primo illo congreſſu, ſed tralaticiis cerimoniis omnia abſolvuntur, ſatis animadvertis publica ejusmodi auditoria vel a parte Legatorum, vel a parte eorum, ad quos legati ſunt, nullam ſcientiam, nullam induſtriam deſiderare. Atque inde eſt, quod ea nunc celebrentur apud quoscumque, ſine ullo ſexus vel ætatis diſcrimine, promiſcue enim Legati audiuntur apud viros, mulieres, pueros, puellas, quin vel apud ipſos infantes, in cunis adhuc vagientes. Alia olim rerum facies. Cum Nero audiendis Armeniorum Legatis præſideret, & Agrippina, mater Principis, ipſa quoque ſuggeſtum aſcenſura metueretur, præſentiſſimæ infamiæ pavore attoniti hæſere Romanorum animi, tanquam extremum ſubituri dedecus, niſi Senecæ artibus, ſpecie honoris, depulſa fuiſſet intempeſtiva mulieris ambitio, ut hæc retulit Tacitus *L.* XIII. *Annal. C.* 5. & juſtus utique Romanorum metus, cum & alia occaſione ſuggeſtum aſcenderit ambitioſa mulier, ut auctor eſt idem Tatitus *L.* XII. *Annal. C.* 5. Unde & Nero poſt necatam matrem, apud eundem Tacitum *L.* XIV. *Annal. C.* 11. ad Senatum inter alia ſcribit, Agrippinam conſortium Imperii adfectaſſe, dedecus Senatus & Populi procuraſſe, & ſe magno labore effeciſſe, *ne Gentibus externis reſponſa daret.* Sed hi quidem Romanorum mores, qui, ut vides, Legatos, ad viros miſſos, a feminis audiri ſummum dedecus exiſtimabant. Nunc autem, exſtinctis fere ubique Gentium animi magni virtutibus, viri patiuntur, ut feminæ, non multum apud ſe potuiſſe contentæ, tantum non palam imperium ſibi adrogent. Quum Ordinum Generalium Legato apud Angliæ Regem anno 1644. auditorium præberetur, etiam Regis uxor cum marito ſuo audiendæ legationi præſedit (4). Alioquin moris eſt, etiam apud eas Gentes, quæ mulierum Imperia non patiuntur, ut Regum uxores ſeparatim Legatis præbeant auditoria, in quibus orari ſolet Domina, ut auctoritate ſua apud virum ſuum cauſæ, de qua agendum eſt, favere velit. Et habent illæ commendationes ſuum pondus, quin ſæpe rem totam faciunt, apud eos præſertim Principes, qui, dum ſubditis imperant, uxoribus parent.

Sed ejus apud uxores auditorii ſaltem aliqua ratio conſtat, quod autem Legati etiam nunc accedant ad pueros Principum, bimulos forte vel trimulos, & ad ejusdem ætatis puellas, ejus ratio me plane fugit. Apud eos tamen easve orationem habent ſeparatam, an de nucibus vel pyris, vel qua alia re ludicra agant, non ſatis mihi conſtat, hoc ſatis conſtat, Legatos ſæpe incondito infantium vagitu fuiſſe exceptos & ſic dimiſſos. Principes quidem Romani etiam paſſi ſunt, ut filii ſui Legatorum auditoriis intereſſent, ſic enim ſignificat Claudianus *de Conſulatu* VI. *Honorii vſ.* 69-72. at non alia cauſa quam ut Imperio adminiſtrando aſſueſcerent, vel ſpectatores eſſent ſolemnis apparatus, quo Legatos excipi moris erat, ſed hos ad illos unquam verba feciſſe, vel eorum gratiam prenſaſſe, non me-

(2) Apud Aitzema *L.* XIX. p. 247. & ſeq.
(3) *Plac.* III. 1. 2. 36. §. *Woit.*

(4) Aitzema *L.* XXIV. p. 729.

memini me legere. Quamvis autem ipſis Principibus ea res indecora ſit, ita tamen in legem tranſiit, ut has ſolemnitates omittere prope nefas habeatur. Mea ætate Leopoldi, Imperatoris Germanici, Legato dictum erat certo die auditorium apud Ludovicum XIV. Franciæ Regem, ſed cum pridie forte Legato excidiſſet, apud Delphinatium Dynaſtæ pueros ſe auditorium non eſſe petiturum, etiam apud Regem ei auditorium negatum eſt, quamquam proxime Francicus Legatus apud Leopoldum neque auditorium petiiſſet apud Carolum Auſtrium, Leopoldi filium. Legatus tamen Imperatoris morem mori gerere neceſſe habuit, & quum 1. Dec. 1699. quod primum habuit, apud Regem haberet auditorium, habuit & apud pueros iſtos. Audio tamen, poſtea conveniſſe, ut eodem jure cenſeretur Carolus Auſtrius, & apud hunc quoque auditorium peteret Francicus Legatus.

CAPUT VII.

An valeat, quod Legatus egit contra arcanum mandatum?

Falleris, ſi putes, Legatum eſſe aliud quicquam, quam mandatarium Principis ſui. Ut revera ſunt *Procuratores*, ſic & olim appellabantur, & eorum mandata, quæ nunc *Volmagten* dicuntur, olim apud Belgas dicebantur *Procuratien.* Ita ſane audit mandatum, quod Ordines Generales Legatis ſuis, ad pacem Hiſpanicam pangendam profecturis, dederunt 22. Mart. 1646. (1). Si igitur regulas mandati ſequamur, Principi contra Legatum non duntaxat competet legationis male geſtæ, actio, ſed &, ſi mandati fines exceſſerit, Principem mandantem non obligabit. Sed nemo de his recte judicaverit, qui non edoctus eſt, quæ mandata Legatis dari ſoleant. Et quidem, ſi Legatus mittatur ad res ſerias agendas, duplex fere ejus mandatum eſt, alterum, quod exhibet Principi, ad quem mittitur, & nunc obtinuit vocari *een Volmagt of Credentiaal*, alterum, quod non exhibet, & vocatur *een Inſtructie.* Primum mandatum eſt publicum, quia communicatur cum iis, quibuscum agendum eſt, & fere nihil continet, quam agendi poteſtatem; ſecundum, quia non communicatur, arcanum eſt, & præcipua continet legationis capita, & quemadmodum de iis licitandum ſit; rerum agendarum formam recte dixeris. Poteſtas autem eorum, quæ Legati agunt, ex utriusque mandati amplitudine æſtimanda eſt. Vulgaris & apud alios Principes, & apud Ordines Generales, primi mandati formula eſt, id, quod cum illis Legatis actum erit, ita valiturum, atque ſi cum ipſis Principibus eſſet actum, idque omni modo ratum ſeſe eſſe habituros. Secundi mandati nulla formula eſt, naſcitur enim ex variis cauſarum figuris, & aliud atque aliud datur pro re nata.

Unde belle quæritur, an valeat, quod Legatus egit ex ejusmodi publico & generali mandato, & quod ipſum tamen adverſatur mandato ejus arcano? valere putat Gentilis *de Jure Belli L.* III. *C.* 14. ne ſcilicet decipiatur Princeps, quocum actum eſt. Ipſe quoque Grotius eadem ſententia videtur uti *L.* II. *de Jure B. & P. C.* 11. §. 12. *In generali*, inquit, *præpoſitione accidere poteſt, ut nos obliget, qui præpoſitus eſt, agendo contra voluntatem noſtram, ſibi ſoli ſignificatam, quia hi diſtincti ſunt actus volendi: unus, quo nos obligamus, ratum habituros, quicquid ille in tali negotiorum genere fecerit, alter, quo illum nobis obligamus, ut non agat niſi ex præſcripto, ſibi, non aliis, cognito.* Quod ipſum idem repetit, & exemplo actionis inſtitoriæ illuſtrat *L.* III. *C.* 22. §. 4. *n.* 1. Priori autem loco ſuperdicit: *Quod notandum eſt ad ea, quæ Legati promittunt pro Regibus ex vi inſtrumenti procuratorii, excedendo arcana mandata.* Vult igitur valere, quod actum eſt cum Legato, etiam contra mandatum arcanum, ſalva adverſus eum actione legationis perperam geſtæ. Zoucheus *de Jure Feciali Parte* II. *Sect.* 4. *Q.* 15. deſcribere contentus, quæ Gentilis & Grotius dixerunt, ſuffragium ſuum ipſe non addit; ſed quid refert, cum tanti non ſit, accipe, quid mihi videatur.

Non placet autem ſequi Auctores, qui ita, ut dixi, præiverunt, nam quod illi ajunt, ex Jure Gentium, quod nunc obtinet, non usquequaque verum puto: quodcunque enim Legatus contra mandatum agit, male agit, adeoque mandantem obligare nequit, quia hic non obligatur niſi ex conſenſu ſuo, qui nullus eſt, ubi nullum vel contrarium eſt mandatum. Tunc demum adſentior illis Auctoribus, ſi mandatum publicum, quod editur, forte ſit ſpeciale, & præſcribat leges eorum, quæ agenda ſunt, nam ſi tunc ſecundum eas actum ſit, Princeps ex voluntate ſua obligatur, neque ei proderit, ſi arcanum mandatum, quod forte poſtea dedit, publico adverſetur, quia in publico utique fictus conſenſus eſt, & fictus conſenſus veri poteſtatem habet, ut eleganti exemplo Ulpianus demonſtrat in *l.* 1. §. 1. *ff. de Pignorat. act.* Nemo præſumendus eſt, duo mandata, ſibi invicem contraria, dediſſe, &, ſi dederit, in dolo malo eſt, & ejus pœnas ipſe luat. Sed rarum eſt, quod publica mandata ſint ſpecialia, rarius, quod arcanum mandatum publico ſit contrarium, rariſſimum vero, quod Legatus arcanum poſterius ſpernat, & ex publico priori rem agat.

Verum ſi ea tranſeamus, quæ, ut ait *l.* 6. *ff. de LL.* Legislatores tranſire ſolent, vulgo habebimus Legatum, munitum mandato publico, quod generale, & arcano, quod ſpeciale eſt. Quantacunque autem Legatus præditus fuerit poteſtate, etiam ampliſſima, ex mandato ſcilicet publico & generali, non tamen, ſi me audias, Principem ſuum obligabit, ſi mandati arcani & ſpecialis limites ſit egreſſus. Conſtat etiam Jure Romano mandata generalia non ſemper ſufficere ad omnia, ex arbitrio mandatarii, agenda, ſed, ex mente mandantis, habere exceptiones tacitas, quemadmodum eſt in tranſactione, de qua Paulus agit in *l.* 60. *ff. de Procurat. Et ideo*, inquit, *ſi poſtea is, qui mandavit, transactionem ratam non habuit, non poſſe eum repelli ab actionibus exercendis.* Tantundem dicerem in Legato, nam utcunque mandatum publicum ſit generale, quia generale eſt, ex mente mandantis refertur ad ea, quæ ſpecialiter mandata ſunt; utque adeo hæc videatur publici mandati tacita exceptio. Ajes fortaſſe, eam exceptionem, ut valeat, publi-

(1) *Plac.* I. 1. 2. 3.

blicandam eſſe, ut de inſtitore præſcribit *l.* 11. §. 2. *ff. de Inſt. act.* Sed aliud eſt in inſtitore, aliud in Legato. Qui inſtitorem præponit, ex ipſa præpoſitione tenetur, ſi de re, cui præpoſitus eſt, cum eo fuerit contractum, ſed qui Legatum mittit, non tenetur, niſi is mandata, quæ Princeps dedit, vel in poſterum daturus eſt, bona fide ſit exſequutus. Mandata illa generalia, ut nunc ſunt Gentium mores, nihil fere, ut dixi, præbent, quam poteſtatem agendi, minime vero agendi ex arbitrio contra ipſa Principis mandata ſecretiora. Ut hæc ſollicite exſequantur, omnibus legationibus tacite ineſt, & inde fortaſſe, qui Legatos mittunt, mandatis publicis inſerere ſolent, eos, quos mittunt, eſſe homines aptos, peritos, probos, fidos, quaſi ſic data poteſtate probe recte contrahendi & paciſcendi, *probe recte*, inquam, hoc eſt, ex mandato, neque amplius. Probi & fidi non ſunt, qui mandata ſua excedunt, &, ſi excedant, forte recte quis dixerit, Legatos ipſo Jure legatione cecidiſſe. Huc referri poteſt illa pars Decreti, qua Ordines Generales 10. Aug. 1651. (2) ſtatuerunt, ſi Legatus donum munus acceperit, ipſo facto omnibus dignitatibus & beneficiis caderet. Si cadat, neque amplius erit Legatus, quaſi revocato mandato, cum fides ejus dono munere corrupta eſſe præſumatur.

Quinimo non erraverit, qui omnia, quæ cum Legatis acta geſta ſunt ex generali mandato, ſine ratihabitione Principum nihil hodie valere exiſtimet. Valent illa quod ad formam, ſed quod ad materiam vim nullam habent, niſi ratihabitionum acceſſerit auctoritas. Etiam in aliis quibusdam cauſis mandata generalia, abſque ratihabitionibus, non ſufficere probavit Bodinus *de Republ. L.* III. *C.* 2. certe in cauſa legationum non ſufficere, ſatis indicant quotidianæ ratihabitionum promiſſiones, mandatis generalibus inſeri ſolitæ: neque enim quiſquam eſt Principum, qui ſatis tutum putat cum Legatis egiſſe, niſi ſecutis ab utraque parte iſtis ratihabitionibus. Atque ita ſemper licet reſcindere acta, ſi contra vel præter mentem contrahentium quædam iis fuerint inſerta. Attamen Wicquefort *en ſon Ambaſſadeur L.* II. *Sect.* 15. diſputat, illas ratihabitiones minime eſſe neceſſarias. *Comme*, ait, *les Loix Civiles, obligent le particulier à ratifier ce que ſon mandataire a fait en vertu de ſa procuration, ainſi le Droit des Gens oblige le Prince à ratifier ce que ſon Miniſtre a fait en vertu de ſon pouvoir: ſur tout, ſi le pouvoir eſt plein & abſolu, ſans clauſe & ſans condition, qui le limite ou le reſtreigne*, & mox objurgat nonnullos Principes, qui fœdera & pacta, a Legatis ſuis inita, noluerunt habere rata. Sed inter mores Gentium, qui olim fuerunt, & nunc ſunt, ſollicite diſtinguendum eſt, nam moribus cenſetur præcipua pars Juris Gentium. Apud Romanos Senatus populuſque rata habebat fœdera, quæ Conſules cum exteris iniverant, ſed inita ab his, qui mandatum contrahendi & paciſcendi nullum habebant, & ita eſt apud Polybium *L.* I. *Hiſtor. C.* 62. & 63. & *L.* III. *C.* 21. & 29. & *L.* VI. *C.* 12. & 13. & *L.* XV. *C.* 1. & 18. & *L.* XVII. *C.* 9. & apud eundem *Excerpt. Legat. C.* VI. §. 5. & *C.* VII. & XXI. & XXIV. & XXV. §. 7. Sic, inquam, erat, ubi nullum contrahendi & paciſcendi intercedebat mandatum, ſin autem interceſſerat, ut apud Livium *L.* XXX. *C.* 43. quum Senatus decrevit, *ut P. Scipio pacem cum Populo Carthaginenſi, quibus legibus ei videretur, faceret*, nulla opus fuit ratihabitione, neque tunc poſt pacem factam, neque alias in ſimili cauſa, ea uſos eſſe Romanos mihi compertum eſt.

Sed quod olim obtinuit, nunc non obtinet, ut mores Gentium ſæpe ſolent mutari, nam poſtquam ratihabitionum uſus invaluit, inter Gentes tantum non omnes receptum eſt, ne fœdera & pacta, a Legatis inita, valerent, niſi ea probaverint Principes, quorum res agitur. Ipſe Wicquefort *eodem Opere L.* I. *Sect.* 16. neceſſitatem ratihabitionum ſatis agnoſcit hiſce verbis: *Que les pouvoirs, quelque amples & abſolus qu'ils ſoyent, ayent toujours quelque relation aux ordres ſecrets, qu'on leur donne, qui peuvent être changés & alterés, & qui le ſont ſouvent, ſelon les conjonctures & les revolutions des affaires.* Non tamen negaverim, ſi Legatus publicum mandatum, quod forte ſpeciale eſt, vel arcanum, quod ſemper eſt ſpeciale, examuſſim ſequutus, fœdera & pacta ineat, juſti Principis eſſe ea probare, &, niſi probaverit, malæ fidei reum eſſe, ſimulque Legatum exponere ludibrio; ſin autem mandatum exceſſerit, vel fœderibus & pactis nova quædam ſint inſerta, de quibus nihil mandatum erat, optimo jure poterit Princeps vel differre ratihabitionem, vel plane negare. Secundum hæc damnaverim vel probaverim negatas ratihabitiones, de quibus prolixe agit Wicquefort *d. L.* II. *Sect.* 15. In ſingulis cauſis, quas ipſe ibi recenſet, ego nolim judex ſedere, nam plurimum facti habent, quod me latet, & forte ipſum latuit. Non immerito autem nunc Gentibus placuit ratihabitio, cum mandata publica, ut modo dicebam, vix unquam ſint ſpecialia, & arcana Legatus in ſcriniis ſuis ſervare ſoleat, neque adeo de his quicquam reſcire poſſint, quibuscum actum eſt.

Ex his, quæ hactenus diſputata ſunt, judicare licet de cauſa quadam, quæ anno 1667. Regem Sueciæ cum Ordinibus Generalibus commiſit. Legatus Suecicus antea litis cujusdam nomine ab Ordinibus pactus erat 140000. Imperiales, & ſic renunciaverat ei liti, & locis quibusdam in Guinea, ut & juri ad ea loca amplius navigandi. Quum eo anno 1667. rurſus ea de re ageretur inter Ordines Generales & alios Regis Sueciæ Legatos, hi ei tranſactioni ſtare recuſabant, cauſati, illum Legatum contra ſecretum Regis mandatum ita tranſegiſſe. Ad hæc Ordines Generales: ad ſe hæc non pertinere, habere Regem contra Legatum actionem legationis male geſtæ, ſe cum Legato, qui generali Regis mandato erat inſtructus, contraxiſſe, & ſuarum partium non eſſe ſecreta ejus mandata excutere. Sed quum Rex ratam non habuiſſet Legati ſui tranſactionem, Regis cauſa videbatur juſtior. Obtinuerunt tamen Ordines Generales in §. 5. Pacti inter Regem Sueciæ & Ordines Generales 28. Jul. 1667. (3).

(2) *Plac.* III. 1. 12. 6.

(3) Omnia illa habet Aitzema *L.* XLVII. p. 447. 487. 491. 496. & 497.

CAPUT VIII.

An Legatis donum munus accipere liceat? & alia ejusdem argumenti.

Vides ex inſcriptione *Capitis*, ſermonem non eſſe de donis muneribus, quæ Princeps mittit Principi ad conciliandam ſibi ejus amicitiam, hæc enim omni jure licita, & ſolim & nunc etiam frequentata ſunt inter Gentes, cum maxime Orientales; ſed an ipſis Legatis dona munera accipere liceat, id vero eſt, de quo nunc quæro. Sane Legatis advenientibus, commorantibus & abeuntibus munera olim fuiſſe data, & ab his ſine fraude accepta, prolixe teſtantur Annales. De advenientibus apud Perſas dixit Ælianus *L.* I. *Hiſtor. C.* 22. de aliis alii.

Apud ipſos Romanos, qui quam maxime integritati hominum ſuorum ſtudebant, atque ideo & Præſides & Proconſules ſuos a donis arcebant, non reperi legem, quæ Legatis interdixit donum munus accipere. Spreta quidem ab iis ſæpe munera comperi, nec aliter exſpectaſſes a progenie maſculi Populi, ſed de ipſa interdictione fruſtra legem quæro. Legati Romani ad Ptolemæum Regem *munera, quæ ab eo privatim acceperant, in ærarium, & quidem prius, quam ad Senatum legationem referrent, detulerunt: de publico ſcilicet miniſterio nihil cuiquam, præter laudem bene adminiſtrati officii, accedere debere judicantes.* Id Legatorum factum dictumque memorat Valerius *L.* IV. *C.* 3. *Exemp. Rom.* 9. Sed quid ad hæc Senatus Populusque Romanus? audi Valerium, *eodem loco: Data, inquit, ſunt Legatis, quæ in ærarium repoſuerant, non ſolum Patrum Conſcriptorum Decreto, ſed etiam Populi permiſſu, eaque Legatis Quæſtores prompte unicuique diſtribuerunt.* Vides magni animi exemplum ab utraque parte, ſed nullam vides mentionem legis, quæ Legatos a donis prohibuiſſet, quin, ſi hæc exſtitiſſet, Valerius id factum non retuliſſet inter magni animi exempla. Satis ſcio, Lege Julia Repetundarum etiam eum teneri, qui pecuniam accipit *in legatione l.* 1. *pr. ff. de Leg. Jul. Repetund.* Sed qui accipit, ut prævaricator, quo magis vel minus quid ex officio ſuo faciat, nam ad eum ſolum pertinet Lex Julia, non ad eum, cujus dolus malus non arguitur, & forte ex more accipit, quod ex more datur. Neque etiam apud Græcos legem novi, quæ Legatis dono munere interdixit: ſolos Corinthios excipio, quorum νόμος οὐκ εἴα δῶρα λαμβάνειν παρὰ Δυνάστου πρεσβεύοντας, *lex non permittebat, a Principe dona capere Legatos*, ut auctor eſt Plutarchus *Apophtegm. Regg. & Impp.* in voce Διονυσίου τοῦ πρεσβυτέρου.

Quæ dona Legati accipere & retinere poſſint vel non poſſint, ut olim inter omnes Gentes non convenit, ſic nec hodie convenit. Apud pleraſque autem nunc obtinet, ut Legati abeuntes dona accipiant, majora vel minora pro dignitate Principis vel Legati, vel pro officiis magis minusve præſtitis, vel ſi qua alia ratione magis minusve gratioſi fuerint Principi, apud quem legatione functi ſunt. Isque mos adeo invaluit, ut Veneti indignentur, ſi Legatus ad ſe redeat ſine ullo munere, utque a Duce Sabaudiæ pacto extorquere voluerint, ut munus, quod Legato ſuo abeunti non dederat, adhuc mitteret, ut narrat Wicquefort *en ſon Ambaſſadeur L.* I. *Sect.* 30.

Alia & Corinthiacæ ſimilis lex eſt, quam Ordines Generales ſanciverunt 10. Aug. 1651. (1) eo enim die decreverunt, ne quis Legatus ſuus ullum donum munus, etſi minimum, quovis modo accipere vellet, poſita, ſi quis contra fecerit, infamiæ & arbitraria pœna, ipſo denique facto dignitatibus ſuis caderet, neque ad alias unquam admitteretur. Id Decretum non ſine convicio increpat Wicquefort *d. L.* I. *Sect.* 30. etiam ideo, quod munera, quæ dantur, nunc dari ſoleant Legatis abeuntibus, nec abeuntes, finito jam officio, poſſint prævaricari, & cauſam Principis ſui prodere. Sed ea ratio apud me parum valet, quis enim negaverit, Legatos, dum officio ſuo funguntur, ob ſpem majoris doni, poſſe vel magis vel minus officium ſuum facere? Id facile largior, ſi nihil detur, quam quod quibuscunque aliis dari moris eſt, auſteræ ruſticitatis videri ea dona adſpernari, atque ita Principis, qui offert, bonam fidem ſugillare. Quapropter & anno 1660. agitatum fuit apud Ordines Generales de mutandis aliquatenus verbis d. Decreti 10. Aug. 1651. manente tamen ejus ſententia, & manente ſententia jurisjurandi, quod in id Decretum præſtatur. Qua de re Ordines Hollandiæ 9. Oct. 1660. decreverunt (2), ſuo nomine apud Ordines Generales ſuffragium diceretur, nihil quicquam mutari placere. Attamen gratiam ejus Decreti 1651. ſæpe eſſe factam memorat aliud Ordinum Decretum anni 1675. de quo mox dicam. Privilegia hæc erant, quibus gaudebant Legati potentes & gratioſi, alii non gaudebant. Erant etiam, qui, quod lex vetabat, ſibi tamen ſumebant, ut ille Ordinum Generalium ad Moſchos Legatus, qui anno 1666. Imperatori valedicens, ſine ullo privilegio varia munera accepit (3). Ut autem auſteræ, quam dixi, ruſticitati, & ſimul illis privilegiis, & temerariis Legatorum auſis obviam iretur, rigor ejus Decreti 10. Aug. 1651. anno 1675. nonnihil mitigatus eſt, Ordines quippe Generales 29. Apr. d. anni 1675. decreverunt (4), liceret Legatis ſuis ea accipere, quæ reliquis Legatis transeuntibus & abeuntibus ex more præſtantur a Principibus, per quorum Imperium tranſeunt, vel a quibus, finita legatione, abeunt, dummodo reverſi ea dona exhibeant Ordinibus Fœderati Belgii, probato, quod ad cetera dona, d. Decreto 10. Aug. 1651. & ne jurisjurandi, in id præſtiti, ulla in poſterum fieret gratia. Etiam Veneti Legati, domum reverſi, dona ad Senatum deferunt, qui, ut ait Wicquefort *d. loc.* ſerio deliberat, an reſtituenda ſint Legatis, an vero convertenda in uſum Reipublicæ, ut aliquando fit; hic autem fere dicis gratia exhibentur, neque enim puto exſtare exemplum, quo non mox ipſis Legatis ſunt reddita.

Quod Legatis interdictum eſt, idem & eorum comitibus interdictum puto; quare nec hi recte dona capient, quæ Legatis capere non licet, cenſendos enim eſſe pari jure, quo Legati cenſen-

(1) *Plac.* III. 1. 12. 6. & apud Aitzema *L.* XLI. p. 18.

(2) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 507.

(3) Aitzema *L.* XLV. p. 1191.

(4) *Plac.* III. 1. 12. 7.

ſentur, ſatis videor probaſſe *Libro ſingulari de Foro Legatorum C.* XV. Sane Lege Julia Repetundarum non tantum Judices, ſed & eorum comites continentur *l.* 5. *ff.* & *l.* 1. *C. de Leg. Jul. Repetund.* Et quamvis nihil nominatim de comitibus cautum ſit in d. Edd. 10. Aug. 1651. & 29. Apr. 1675. ſententia tamen legis contineri non eſt ambigendum. Conſtat utique aliunde, prohibitionem donorum, factam iis, qui in publico miniſterio ſunt, etiam ad eorum comites eſſe porrigendam, non tantum Jure Romano, ut ſic vidimus, ſed & Patrio. Ita ſane palam eſt in Edicto Ordinum Hollandiæ 24. Mart. 1644. (5) quo Senatoribus utriusque Curiæ interdictum eſt donum munus accipere. Quod magnam rationem habet, poſſunt enim & ipſi Comites prævaricari, poſſunt & eos, in quorum miniſterio ſunt, ad prævaricationem ſollicitare, poſſunt cum iis dona partiri, & quis omnes nequitiæ latebras dixerit? Officia igitur Legatorum non recte capient dona, ipſis Legatis capere vetita. Aliter tamen viſum eſt Legatis Ordinum Generalium, a Rege Galliarum abeuntibus 27. Maj. 1662. (6). Recuſabant illi dona, a Rege ſibi oblata, ob rigorem d. Decreti 10. Aug. 1651. ſed Officia ſua accipere paſſi ſunt dona, a Rege ipſis oblata. Atque ita quoque viſum eſt alii Ordinum Generalium ad Regem Franciæ Legato 1. Jun. 1678. (7).

Antiqua multorum querela fuit (8), ſolam, quæ donis & pecunia exercetur, ambitionem legibus coërceri, ceteros modos non coërceri. Sed quod de donis, quibus Judices corrumpuntur, ſtatutum eſt, etiam ad dignitates, quæ a Collegiis non conferuntur, porrexit Curia Hollandiæ §. 15. Formæ (9), quam ſibi præſcripſit anno 1670. ſed quæ ab Ordinibus Hollandiæ probata non eſt. Si quicquid ea Forma continetur, æque placuiſſet Ordinibus, probata fuiſſet dudum, nihil enim intereſt, oblata pecunia, an oblata dignitate corrumpas, qui miniſterio publico funguntur. Ipſa munerum prohibitione etiam dignitates ab eo, ad quem miſſi ſunt Legati, prohibitas eſſe accipere nemo probus negaverit. Quam in rem notandum eſt Hermolai Barbari fatum, cui Patriarchatus Aquilejenſis, inconſulto Senatu ſuſceptus, quum Reipublicæ Venetæ ad Pontificem Maximum eſſet Legatus, exitio fuiſſe tradit Joannes Pierius Valerianus *de Literatorum infelicitate*, & ex eo Voſſius in *Addit.* ad *L.* III. *de Hiſtoricis Latinis C.* 8. & Thomas Pope Blount in *Hermolao Barbaro*.

Hac ipſa de re anno 1660. hic incidit ejusmodi ſpecies: Unius ex Ordinum Generalium ad Angliæ Regem Legatis filio Rex contulerat beneficium 14000. vel 15000. florenorum. Pater, ut hoc comperit, ad Ordines Hollandiæ ſcripſit, ſignificare vellent, filiusne ſuus per illud Decretum 10. Aug. 1651. retinere poſſet? ſi non, ſe a legatione porro obeunda excuſare vellent, interim, dum deliberarent, ſe legatione eſſe abſtenturum. Ad quæ Ordines Hollandiæ 9. Dec. 1660. Decreto ſuo complexi ſunt (10), quia filius ille jam dudum, etiam ante legationem patris, apud Regem fuerat gratioſus, id beneficium filii, non patris contemplatione collatum videri, etiam ideo, quod ſe ignaro datum fuiſſe filio parens epiſtola, ad Ordines data, ſignificaverat, non igitur id adverſari d. Decreto 10. Aug. 1651. quare curaretur, Ordines quoque Generales idem decernerent. Sed Friſii, rigidus Populus, aliter ſuffragium dixerunt 15. Febr. 1661. (11) rati nempe, huic beneficio omnino adverſari d. Decretum 10. Aug. 1651. Quod, ſi contemplatione patris datum fuerit, veriſſimum eſſe puto, etiam ubi nulla eſt *l.* 79. *ff. de Acq. vel omitt. hæred.* Sin autem datum fuerit ſola affectione filii, aliud diceret Papinianus in *l.* 28. *pr. ff. de Teſtam. tut.* Utque ita jus in facto verſetur, ſed in facto, quod fere pendet a ſecreto animi. Facillimum utique eſt eludere d. Decreta 10. Aug. 1651. & 29. Apr. 1675. ſi nimium indulgeamus ejusmodi cauſis donationum, fingi enim poſſunt quam plurimæ, & vera, quæ movit, cauſa interim poteſt latere.

Quæ Legatorum noſtrorum, quod ad dona, conditio eſt, ea quoque ſit oportet eorum, qui a nobis ſpecialiter delegantur, ut apud nos cum aliorum Principum Legatis agant & contrahant. Aliter tamen ſapuerunt Ordines Generales 7. Oct. 1636. ut ex eorum Decreto (12) ejusdem diei apparet. Reſipuerunt autem 2. Febr. 1651. tunc enim decreverunt (13), ejusmodi Delegati jurarent, neque ante, neque pendente, neque abſoluto tractatu, ullo modo ullum donum munus ſe accepturos, &, ſi offerretur, continuo id ſe bona fide Ordinibus Generalibus ſignificaturos, contra facientibus infamiæ & arbitraria pœna ſtatuta.

Priſca Gens Interpretum tumultuoſe diſputat, an, quod Legatis donatur, ſibi retineant, an vertant in rem Principis, qui eos miſit? Et fere cauſam definiunt ex qualitate doni muneris, nam *ſi*, inquiunt, *donatur unus leo*, ad Principem pertinet, *ſi veſtes*, olim enim & veſtes Legatis donari ſolitas ſcribit Ælianus *d. L.* I. *C.* 22. ſi, inquam, veſtes, ipſis Legatis addicunt. Si his Diſputationibus intereſſe velis, utile erit conſuluiſſe Bertachini *Repertorium*, verbo *Ambaſiator n.* 14. Ceterum hodie, ubi nulla eſt in contrarium lex, munera, quæ Legati accipiunt, ſibi ſolis retinent. Apud Venetos, ut dixi, Senatus, quotiescunque res incidit, de ea deliberat. Deliberant & Ordines Generales, ſed, ut Veneti plerumque, ſic hi ſemper Legatis, ut ſibi habeant, permittunt. Sane ex mente donantis ipſis Legatis cedunt, neque enim aliis data intelligi ipſa munerum conditio ſatis indicat, indicat & modus conferendi illa munuscula, quoties nempe Legatus recedit ab eo Principe, apud quem proxime legationis officio functus eſt, in præmium rei bene geſtæ.

Non intercedo, ſi ipſis Legatis donatum fuerit, & res modum non excedat, ſi vero donatum fuerit iis, qui in Collegium, ut Principem repræſentent, delegantur, an hi delegati ſibi capere poſſint, eſt, cur dubites. Cum tamen anno 1663. Moſchorum Imperator Ordinibus Generalibus munus pellium Siberiarum miſiſſet, illi, qui tunc erant in Ordinum Generalium Collegio, ea de re non dubitarunt, ſed id munus, ut ſibi retinerent, inter ſe partiti ſunt ex Decreto in

(5) *Nader ampliatie van de Inſtructien van beide de Hoven*, in medio.

(6) Aitzema *L.* XLII. p. 331. & 332.

(7) *Hollandſche Mercurius* 1678. p. 120.

(8) Apud Aitzema *L.* XXXI. p. 279-281.

(9) Extat ſeparatim.

(10) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 511. & 512. vide & Aitzema *L.* XL. p. 903. & 909.

(11) Idem Aitzema *L.* XLI. p. 50.

(12) Idem *L.* XVI. p. 322.

(13) Sententiam Decreti refert Idem *H. L.* p. 253. & 254.

in hanc rem facto 12. Maj. 1663. (14). Et cum Petrus, alius Moſchorum Imperator, noſtra memoria, ſimile munus pellium iisdem Ordinibus per Legatos ſuos obtuliſſet, non tantum acceperunt, ſed & menſe Octobri 1697. inter ſe partiti ſunt. Cum denique haud ita pridem Princeps Tripolitanus ſeptem equos Arabicos iisdem Ordinibus Generalibus dono miſiſſet, Ordines 18. Mart. 1735. decreverunt, inter ſeptem Provinciarum Delegatos ſorte dividerentur. Quamvis autem hæc ita placuerint, neſcio tamen, an ſatis jure ſubſiſtant: nam quod Ordinibus Generalibus donatur, Principi donatum intelligeres, neque adeo illis perſonis, quæ non niſi pro tempore Principem repræſentant. Nunc hi, nunc alii eo munere funguntur, nec erga perſonas, ſibi plerumque ignotas, ulla Principis donantis affectio præſumi poterit. Quod Principi relinquitur, perſonæ relictum non intelligi, Gajus nos docuerit in *l.* 56. *ff. de Legat.* II. nam Principe defuncto, antequam dies legati cedat, ſucceſſori legatum tribuit. Et minus forte probabis, quod Ordinibus Generalibus placuit, ſi tibi ſuccurrat, donationes, quas illi faciunt, facere ex ærario publico: contemplatione autem unius ejusdemque officii donationem accipere in rem privatam, & facere de publico, habet neſcio quid injuſti, certe non convenit regulæ Juris in *l.* 10. *ff. de R. J.* Abſtine commodo, ſi damnum metuis, ipſa Juris Gentium, non ſola Ulpiani vox eſt in *l.* 23. §. 1. *ff. Pro Soc.* Tune ferres procuratorem tuum, qui donationum, quas faciebat, pretia tibi imputaret, remunerationes autem, quas percipiebat ab his, in quos de ære tuo munera contulerat, ſibi retineret ſoli? ſi ferres, benignus eſſes. Ne vero ſis ſollicitus, quid ſtatuendum eſſet de iis, quæ Ordinibus Generalibus donantur, ſi non dividerentur, & diviſa in rem cujusque privatam cederent. Poſſem variæ tuæ ſollicitudini occurrere, ſed patere, ut quæram, an majus ſit opprobrium publice vendere, quam privatim? nonnulli ſane Ordinum Generalium Delegati equos illos Arabicos quantocyus vendiderunt, pretio in rem ſuam verſo, ſatis ſcilicet gnari, quæcunque Ordines Generales ſolent dono mittere Barbaris in Africa, continuo etiam vendi ſine ullo Ordinum opprobrio. Quisque de re ſua ſtatuit ex animi ſui ſententia, ſive eam donationis, ſive alio quocunque titulo quæſiverit.

CAPUT IX.

Quædam de prærogativa Ordinis inter Legatos, & inter Principem minorem præſentem & majoris abſentis Legatum.

Legati, ſi ejusdem commatis ſint, ſervant inter ſe eundem honorem, quam habent Principes, qui eos miſerunt, ſed de prærogativa ordinis inter ipſos Principes non ſatis conſtat. Multis retro ſeculis ea de re certatum eſt, ſed cum nullus ſit Judex competens inter diverſos Principes, nec de honoratiore loco in arbitros ſoleant compromittere, adhuc fere incertiores ſumus, quam dudum. Neque etiam certiores nos reddunt tot numero Auctores, qui vel ex profeſſo, vel ex occaſione *de jure præcedentiæ*, quam vocant, inter ipſos Principes, aliosve aliorum ordinum homines ſatis multa ſcripſerunt, nam excute omnia, & reperies, ſic ſatis eſſe incertum, ecquid proprie controverſiam de prærogativa ordinis definire oporteat. Si tamen ſcire deſideres, quid alii, in eo argumento occupati, dixerint & ſenſerint, ingentem eorum catalogum exhibebit Jacobus Gothofredus *de Jure Præcedentiæ* in *προθεωρίᾳ*, quibus addere licet, in Libris *de Legato*, Chriſtophorum Varſevicium variis locis, Carolum Paſchalium *C.* 38. *&* 39. Wicquefortium *L.* I. *Sect.* 24. *&* 25. & Zoucheum *de Jure Fecial. Part.* II. *Sect.* 4. *Q.* 1-5. & quos non alios? Sed quum nulla ullorum hominum hic valeat auctoritas, & quum ipſi Principes, apud quos de prærogativa aliorum Principum, eorumve Legatorum, quæſtiones incidunt, eas non ſoleant definire, noli a me exſpectare, ut ipſe definiam. Neque etiam, ſi velim, poſſem, quamvis adhibeam omnes regulas, quas adhibuit Jacobus Gothofredus *Diatriba de Jure Præcedentiæ*, quamvis valde dubitem, an id argumentum ullis regulis comprehendi & explicari poſſit. Alius Princeps provocabit ad majorem Gentis vel Generis ſui antiquitatem, alius ad majores Imperii fines, alius ad majores vires, alius ad digniorem, qua utitur, appellationem, alius ad alia, at vero, ſi tollas conſuetudinem, & inde natam præſcriptionem, quæ & inter Gentes jus facit, cedo alias regulas, de quibus inter Gentes convenit, &, ſi non conveniat, cedo auctoritatem, qua eas obtinere liceat.

Poſt abdicationem Caroli V. inter Reges Franciæ & Hiſpaniæ de prærogativa ordinis ſæpe certatum, & magnis utrimque animis in eo certamine perſtitum eſt. Quid Venetiis, quid in Concilio Tridentino, quid Romæ inter utrorumque Legatos acciderit, prolixe narrat Wicquefort *d. L.* I. *de ſon Ambaſſadeur C.* 24. neque ea hic repeto, addo potius, pertinaciam tuendæ inter eos prærogativæ ſæpe in inſaniam abiviſſe. Franciæ & Hiſpaniæ Regum Legati, hic in carruca penſili, a duobus equis tracta, ille in alia, a ſex equis tracta, 11. Aug. 1657. Hagæ Batavorum in proxylo ſibi obviam facti, hora poſt meridiem ſexta, neuter via cedit. Poſt inconditos clamores certamen fere cernitur ingens. Franci, præter gladios, bombardas enchiridias proferunt; ſed intervenientibus Optimatibus quibusdam Hollandis, qui ibidem forte ambulabant, induciæ fiunt. Tractatur ad usque horam nonam, circumſtantibus militibus, qui ad Aulam excubias agere ſolent, & ab iis, qui intervenerant, huc evocati erant; ſed neque tunc quisquam retro aut via cedit. Tandem Hiſpanico Legato ſepta proxyli aperiuntur, per quæ dextrum latus, quod habebat, retinendo, juxta Galli latus excedit (1).

Inter alios eorundem Regum Legatos & aliud funeſtius quid accidit, quod controverſiæ de prærogativa ordinis finiendæ cauſam præbuiſſe, Galli exiſtimant. Quum 10. Oct. 1661. Londini publice reciperetur Succiæ Legatus, & Legatorum

(14) Aitzema *Hiſtor. L.* XLIII. p. 749.

(1) Idem *L.* XXXVII. p. 975. & 976. *Hollandſche Mercurius* 1657. p. 92. & 93. Amelot de la Houſſaye *dans ſes Memoires*, verbo *Ambaſſadeurs* p. m. 78. & ſeqq.

rum Galliæ & Hiſpaniæ carrucæ penſiles eſſent invitatæ, ut cerimoniis receptionis intereſſe vellent, utra alteram præcedere oporteret, inter Gallos & Hiſpanos, qui ibi aderant, non tantum diſputatum, ſed & ſtrenue pugnatum eſt, non ſine multorum ab utraque parte cæde & ſanguine, vincentibus tamen Hiſpanis. Rex Galliæ ægerrime id factum tulit, & bellum Hiſpanis minitatus eſt. Hiſpaniæ Rex, cujus tunc intererat amicitiam cum Francis ſartam tectam ſervare, ad Regem Franciæ Legatum miſit, qui ejus indignationem leniret, ſignificavit certe, Regem Hiſpaniæ Legatum ſuum, qui Londini fuerat, domum revocaſſe, & præterea teſtatus eſt, placere Regi ſuo, in poſterum ejus Legati abſtinerent publicis cerimoniis, quibus intereſſent Legati Franci. Quum ea teſtatio eſſet facta 24. Mart. 1662. præſentibus multorum Principum Legatis, ex ea Rex Galliæ effecit, Hiſpanos tunc ſibi prærogativam ordinis ceſſiſſe, Legatos enim, qui aderant, ſic compellavit: *Vous avez ouy la declaration, que l'Ambaſſadeur d'Eſpagne m'a faite, je vous prie de l'écrire à vos Maîtres, afin qu'ils ſçachent, que le Roy Catholique a donné ordre à tous ſes Ambaſſadeurs de ceder le rang au mien en toutes occaſions* (2). Sed recte Wicquefort animadvertit *d. L.* I. *Sect.* 24. *princ.* ex ea Regis Hiſpanici teſtatione, id effici non poſſe, nec alios etiam Principes effeciſſe, ejusque rei fortiſſimum argumentum eſſe, quod apud Imperatorem Germanicum, ut olim, ita & nunc Hiſpanicus Legatus Francicum præcedat. Sane nihil quicquam tunc fecit Hiſpanus, niſi quod & Philippus II. Tridenti, Legato ſuo abire juſſo, priusquam Legatus Francicus adveniret, ut eſt apud Paulum Sarpium *Concil. Trident. L.* VI. *p. m.* 459. Imperavit ſcilicet Hiſpanus Legatis ſuis, & nihil aliud imperavit, quam ut omni modo publice caverent, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi. Quantopere inter hos & aliorum Principum Legatos etiam alias de honoratiore loco tumultuatum ſit, aliquot exemplis probavit Amelot de la Houſſaye *dans ſes Memoires*, verbo *Ambaſſadeurs*.

Sed non tantum inter majores Principes, verum & minores, de hac ordinis prærogativa ad ravim usque vociferantur & inſaniunt. Inter Principes Italos cum maxime turbatum eſt; ſi horum turbis intereſſe velis, plus ſatis tibi ſatisfaciet Wicquefort *d. L.* I. *C.* 25. Ego intereſſe nolim niſi arbiter, & cum nihil ſuccurrat, ex quo motos fluctus tuto componam, vel arbiter ſententiam dicam, duntaxat vim fieri veto, & quemque Principem res ſuas ſibi habere jubeo. Sed quo minor eſt auctoritas, qua nitaris, eo major inſania eſt, de lana caprina tantas animis cœleſtibus eſſe iras. Inter Legatos, qua mandatarios, eadem contentio eſt, quæ inter Principes mandantes. Duos Italorum Principum Legatos, Pragæ ſibi invicem obviam factos, ne alter alteri via cederet, par totum fere diem ſupra pontem quemdam, omnium riſui expoſitos conſtitiſſe ex Varſevicio refert Zoucheus *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 4. *Q.* 1. alia aliorum ludibria tranſeo.

Diſputari video, an ſuperioris Principis, ſed abſentis, Legatus præcedat inferiorem Principem, ſed præſentem? Et Legatum præcedere exiſtimat Paſchalius in *Legato C.* 38. & *C.* 39. Legato enim eundem honorem habendum, qui habetur Principi, a quo miſſus eſt, atque ita minorem Principem majoris Legato cedere, ſi ſimul concurrant in alieno Imperio, præponendum tamen Principem inferiorem, ad quem majoris Legatus miſſus eſt, in ſuo territorio, ex jure ſcilicet ſummi Imperii. Nec de poſteriore ſpecie quisquam dubitaverit; ſed ego apud exteros etiam Principem inferiorem, modo Supremam Poteſtatem habeat, majoris Principis Legato prætulerim, & præferunt quoque Jacobus Gothofredus *de Jure Præcedentiæ Part.* I. *C.* 7. *n.* 47. & alii quam plurimi, in *Notis ibidem* laudati. Eadem etiam ſententia utitur Wicquefort, magnus alioquin Legatorum patronus, *d. L.* I. *C.* 26. *p. m.* 765. & 766. Nec ſcio inter Scriptores eſſe, qui contradicat, excepto Paſchalio. Ipſi Legati ſæpe contradixerunt, & inde jurgium inter Ducem Holſatiæ & Angliæ Legatum 13. Apr. 1664. (3). Quin & alius Angliæ Legatus, etiam, quod indignius erat, apud ipſos Ordines Generales, ſe illis exæquavit, juſte indignantibus propterea Ordinibus 9. Febr. 1665. (4). Inter Dynaſtam Orangium & Legatum Franciæ ſæpe quoque rixatum eſt de prærogativa ordinis (5). Sed magnam rationem habet, ut Legatus, quantæcunque ſit dignitatis, cedat Principi præſenti, qui plane ſui juris eſt, & inde Electores præſentes abſentium Legatis præferuntur ex Caroli IV. *Aurea Bulla T.* XXV. & inde quoque in Comitiis Norimbergenſibus anno 1542. Caroli V. Imperatoris Legatis Ferdinandus Auſtrius prælatus memoratur. (6). Princeps etiam Nieuburgenſis Legato Brandeburgico antepoſitus eſt anno 1629. (7). Et ſane, ſi Legatum mandatario compares, ut potes & debes, quis Nobilis, nedum Princeps, mandatario, forte viliſſimo, primas dabit, quia hic a Principe, forte majore, mandatum habet vel ad negotia vel ad lites? Rurſus, ſi legationem comparare placeat locationi conductioni operarum, quis eundem honorem famulo exhibendum judicabit, qui exhibetur domino? Abſit comparationis invidia, neque enim eſt; unde efficias, quemque famulum dominum ſuum minus repræſentare, quam Legatum, a quo miſſus eſt, Principem ſuum. Dominorum dignitas famulis inter ſe locum potiorem dabit, ſed inter dominum & alterius domini, etiam majoris, famulum nulla utique eſt comparatio.

Plane ubi ordinarium quoddam eſt ipſorum Principum Collegium, ejus, qui abeſt, procurator eundem, quem ipſe præſens haberet, tuebitur locum. Secundum hæc non alium haberent locum ipſi Provinciarum Ordines, in Ordinum Generalium Comitiis præſentes, quam nunc habent eorum Delegati inter ceteros Delegatos, atque ita Gelriæ Delegati præcederent ipſos Ordines Hollandiæ, ſi comitiis Ordinum Generalium intereſſe vellent. Sic & totus alicujus Urbis Magiſtratus, ſi, ut poteſt, ita vellet adeſſe Collegio Ordinum Hollandiæ, non alium ibi locum occuparet, quam nunc occupant

(2) Aitzema *L.* XLII. p. 293. & ſeqq. ubi habes ipſa Acta, & Wicquefort *L.* I. *de ſon Ambaſſadeur Sect.* 24. p. m. 721. & ſeqq.
(3) *Hollandſche Mercurius* 1664. p. 64.
(4) Aitzema *L.* XLV. p. 716.
(5) *Hollandſche Mercurius* 1664. p. 97. & Aitzema *L.* XLV. p. 558-560. *ubi & libellus contra Legatum.* Adde & Amelot de la Houſſaye *dans ſes Memoires*, *verbo* Ambaſſadeurs p. m. 81. & 82.
(6) Apud Jac. Gothofredum *de Jure præced.* Part. I. C. 7. n. 47. in Notis, & apud Zoucheum *de Jure Fecial.* Part. II. Sect. 4. Q. 4.
(7) Aitzema *L.* XLV. p. 159.

pant eorum Delegati inter alios Delegatos. Quicunque delegantur in Collegium, ibi tuentur delegantium ſuorum prærogativam, idque & ratio ſuadet, ne qua confuſio oriatur, & uſus ubique, ni fallor, Gentium probavit. Sed ubi in locum exterum actor dimittitur, res quasque, ut expediet, curaturus, non animadverto, ut ipſe, qui domi ſuæ ſubditus eſt, aliis Principibus, qui perfecte ſui juris ſunt, dignitate & ordine poſſit antecedere.

Sed & ulterius evagatur ineptia. Etiam inſtrumenta Legati eo honore, quo ipſe Legatus cenſetur, ſunt, qui cenſenda putant. Rheda penſilis, quæ Comitem Straatman, Imperatoris Germanici Legatum, Ryswicum, ubi anno 1697. de pace inter Fœderatos & Gallos agebatur, vexerat, & vacua Hagam rediit. Quumque tunc forte Legatis Ordinum Generalium, eodem tendentibus, obviam eſſet facta, me præſente & adſpectante, via cedere noluit. Legati mittunt ad Comitem, ut mandaret, rheda via cederet, & id confeſtim mandat. Sunt tamen, qui illud mandatum humanitati magis, quam juri tribuunt. Mirum ſane, quod non & calceis dignioris Principis Legati majorem honorem deberi credant, quam ipſi Principi, qui minor eſt.

CAPUT X.

De ſervanda fide pactorum publicorum, & an quæ eorum tacitæ exceptiones?

Pacta privatorum tuetur Jus Civile, pacta Principum bona fides. Hanc ſi tollas, tollis mutua inter Principes commercia, quæ oriuntur e pactis expreſſis, quin & tollis ipſum Jus Gentium, quod oritur e pactis tacitis & præſumptis, quæ ratio & uſus inducunt. Ne hæc omnia tollas, fidem pactorum eſſe ſervandam, etiam illi facile largientur, qui non didicerunt niſi fidem fallere, ſed regulam ſervandæ fidei ſexcentis exceptionibus tantum non eludunt. An autem pacta publica ſemper & ubique ſint ſervanda, moleſta in primis eſt diſputatio. De antiquis Parthis Juſtinus dixit *L.* XLI. *Hiſtor. C.* 3. *fides dictis promiſſisque nulla, niſi quatenus expedit;* & generaliter de Genere humano Seneca *de Tranquill. animi C.* XV. *Vix unquam, niſi cum expedit, fides.* Id ipſum licere Principibus inculcat nequitiæ Magiſter in *Principe C.* VIII. cum ait, omnem rationem expediendæ ſalutis publicæ honeſtam eſſe, modo honeſti ſpeciem præ ſe ferat. At vero eam ſententiam, dudum exploſam, excepit alia, verecundior quidem nonnihil, ſed neſcio, an juſtior. Hæc pactis omnibus ineſſe credit clauſulam ſalutarem, *rebus ſic ſtantibus*, atque adeo a pactis recedi poſſe I. Si qua nova cauſa, ſatis idonea, obveniat. II. Si res eo deducta ſit, unde incipere non poſſet. III. Si ipſa pactorum ratio ceſſet. IV. Si neceſſitas ac utilitas Reipublicæ aliud flagitent. Exſtat *de illis exceptionibus tacitis in pactis publicis Diatribe* Chriſtiani Otthonis a Boekelen, doctior ſane & elegantior, quam a Juvene ejus ætatis exſpectaſſes. Sed quamvis adhibeas eas cautiones, quibus exceptiones ſuas circumſcribit Boekelen, vix tamen vel ita cavebis a Machiavelliſmo, ſi his perfidiæ latebris ſemel adrepas prurientibus Principum auribus & animis.

Poſtrema utique exceptio, quæ ex neceſſitate atque utilitate Reipublicæ fidem fallere permittit, quid, obſecro, aliud eſt, quam *ratio*, quam vocant, *ſtatus*, bellua illa multorum capitum, cui nemo fere Princeps eſt, qui reſiſtat? & quid tres priores exceptiones niſi totidem ruptæ fidei velamenta? Quisquis una ex his omnibus utitur, mox exiſtimat, a pactis recedi poſſe, ſi eorum ſervata fides, rebus mutatis, in Reipublicæ detrimentum vergat, & qui ſic exiſtimat, incedit per ignes ſuppoſitos cineri doloſo: id enim ſi ſemel largiaris, nulla omnino cauſa eſt, ob quam non impune fallas fidem datam. At, inquies, cum in eo ſtatu Reſpublica eſſet, id pactum conducebat, ideoque tunc inivi, nunc autem, mutata rerum facie, pactum nocet, ceſſat igitur paciſcendi cauſa, neque adeo, ex eventu, putandus ſum in id conſenſiſſe. Quicquid paciſcitur Princeps, paciſcitur ad utilitatem Reipublicæ ſuæ, & ex hac ejus mente obligatur, ſi ſecus res cadat, non obligatur, quia revera non conſenſit, deficiente autem conſenſu deficit ipſa obligatio.

Si ita diſputes, diſputas ſubtilius, quam verius, & ſimul quæcunque Acta, quacunque libuerit occaſione, reſcindes: nulla enim pactio ſine conſenſu eſt, conſenſus nullus ſine cauſa conſentiendi, mutatio voluntatis nulla, quæ cauſam non habet eam, quæ tempore contrariæ voluntatis non adfuit. Ita fiet, promiſſionem quamcunque non obligare, niſi quæ ex eventu utilis ſit. Ita, ſi bellum utilius ſit, pax facta diſplicebit. Ita emptor mercium, imminuto earum pretio, emptionem reſcindet, mutata voluntate ob mutatum pretium. Sed & ita fiet; ut obligatio, quæ omni jure cogat, in rebus cum publicis, tum privatis, omnino nulla ſit.

Inter diverſas quidem Gentes, quæ ſui juris ſunt, nihil eſt, quod jure cogat, ſilent enim leges, & ex legibus ſola vis cogendi, ſed ut inter Gentes promiſſis ſtetur, ſuadet bona fides & utilitas publica, & utrique tantundem tribuendum, quantum obligationi validiſſimæ, & ſane nulla eſt validior, quam quæ nititur ſola animi magnitudine. Hæc virtus, omnium princeps, in primis principem ornat & commendat, & hac exſtincta, cuncta ab imis turbari neceſſe eſt. Quis Princeps contraxerit cum Principe, cujus Punica fides innotuit? Quid valebunt pacta de mutuis commerciis, de auxiliis præſtandis, de permutatione & redemptione captivorum? hæc alioquin etiam inter hoſtes valent, ſed quid rei eſt hoſtem fallere, ſi & amicum fallas?

Quin & in ipſa Societate Civili, ſi adeo moroſum te præbeas, contradices forte omni obligationi, nam, ſi dixero, obligationi civili parendum eſſe, quia lex jubet, mox rogabis, cur legi parendum ſit, & ejus rei certam demonſtrationem deſiderabis. Si dixero, ſuum cuique eſſe tribuendum, quia dominus eſt, quia ſic in Civitate habetur, mox rogabis, cur ſic habeatur, & in originem dominii inquires. Titio, ajes, non magis eum fundum natura dedit, quam Mævio, ſi occupavit Titius, quia occupavit rem communem, urgebis, Titium ſine facto Mævii ei non potuiſſe eripere ſuam partem. Ad ſummum forte concedes, quamdiu fundum naturaliter poſſidet Titius, Mævium ejus occupandi jus non habere, quod tantundem juris, quantum Mævio, etiam Titio competat, & in pari cauſa melior ſit conditio poſſidentis, quod etiam nihil moveatur, niſi a potiori, quodque ideo, ubi par eſt

cauſa

cauſa ejus, qui petit, & ejus, qui defendit, nihil oporteat innovari. Sed quid ſi nec hoc concedas, verum ad diviſionem provoces? Profecto, ſi ita philoſopheris, vix quicquam erit certum in dominiis & obligationibus, omni denique juſtitiæ cauſa.

Craſſius igitur hæc rem tractandas eſt, nam poſtquam lex certos dominii acquirendi modos præſcripſit, hos ſequemur, quia ſine legibus nulla Civitas ſubſiſtit, &, ut iis pareamus, jubet ipſa utilitas, juſti prope mater & æqui. Atque hæc ipſa utilitas diverſos Principes obligat ad fidem ſervandam, etiamſi ſileant leges, neque enim Imperia ſine Principe, neque Princeps ſine pactis, neque pacta ſine fide intelliguntur. Promittendum, quia placet, & ſervandum, quia promiſſum eſt. At, inquies, promiſſi præſtatio Reipublicæ detrimentum, ſæpe & perniciem ſecum trahet. Eſto, forte & tunc utile erit fidem ſervare. Lapſam Rempublicam Civium fortitudo Fortunæque benignitas reſtituere poſſunt, ſed fides animam imitatur, unde exiit ſemel, nunquam revertitur. In publicis privatisque cauſis veriſſimum eſt, quod dixit Cicero *L.* II. *de Offic. prope fin. Nulla res vehementius Rempublicam continet, quam fides.* Promiſſum igitur, ſi me audias, etiam tunc ſervandum, cum id ſervari Reipublicæ non expediat, imo periculoſum ſit. Ita ipſe ſentio, & ita quoque ſenſit Cyriacus Lentulus in *Auguſto p. m.* 292. *& ſeqq.* ubi eandem ſententiam rationibus, & cum maxime exemplis maſcule defendit.

Non tamen rejecerim omnes exceptiones tacitas, ſunt enim, quas omnium Gentium conſenſus probavit, ut, ſi Fœderato Principi, *qui bello petitur*, auxilia promiſero, ea non præſtem, ſi ille ipſe Princeps nullo jure cauſam belli præbuerit, de qua exceptione dixi ſupra *L.* I. *C.* 9. Non, inquam, rejecerim omnes exceptiones tacitas, ſed neque admiſerim omnes pactorum exceptiones & reſtrictiones, quas difficili cura admiſit Grotius *de Jure B. & P. L.* II. *C.* 16. §. 32. *& ſeqq.* & ex quibus ſuas exceptiones tacitas fere adornavit Boekelen *d. Diatribe.* Neque etiam admiſerim, quod placet aliis, magis quidem, ut videatur, religioſis, ſed non minus improbis, qui nempe pacta publica violari quidem poſſe negant, ſed, ſi damnoſa ſint Reipublicæ, fraude eludi poſſe facile patiuntur. Hac ſententia utitur Auctor *Diſquiſitionum Politicarum Caſu* XXII. Sed, quia eam rationibus tueri non poteſt, unice tuetur ſcelerum exemplis.

Scio & alios Juris publici Magiſtros iisdem fere veſtigiis inſiſtere, ſed hos Duces ſi ſequamur, omnes Principes mox intelligent, quam facile ſit non tantum fallere, ſed & falli. Quod ne fiat, omni modo cavendum eſt, & hinc præcludendæ excuſationes, quibus perfidiam ſuam tegunt improbi Principes. Veteres Romani ſatis ſciebant, intereſſe inter debitorem, *qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidine aut alea abſumpſit, & eum, qui incendio, aut latrocinio, aut aliquo caſu triſtiore aliena cum ſuis perdidit*, & tamen inquit Seneca *L.* VII. *de Benefic. C.* 16. *nullam excuſationem receperunt, ut homines ſcirent, fidem utique præſtandam.* Hoc ſuperdicto: *Satius enim erat a paucis etiam juſtam excuſationem non recipi, quam ab omnibus aliquam tentari.* Atque ita cum pactis publicis comparatum eſt, ut fere ſatius ſit, nullam exceptionem accipere, quam earum numerum in tantum augere, ut regulam, quæ fidem datam præſtare jubet, tantum non evertant.

Quid igitur dicemus? una forte vel altera exceptio ſuffecerit. Juſta utique erit, ſi per eum ipſum Principem, cui promiſi, ſteterit, quominus promiſſum præſtem, ut in ſpecie, quam modo attigi, & *d. L.* I. *C.* 9. latius enarrata eſt, quamvis forte quis dixerit, non tam hanc eſſe exceptionem, quam uſu receptam pactorum interpretationem, ſed nihil refert, quo nomine appelles, ſi exceptionem dicas, alteram addo, Principem ſcilicet non ultra obligari, quam in quantum facere poteſt, &, an poſſit, permittendum alterius Principis, qua boni viri, arbitrio. Quemadmodum privatis, qui, ut cum Seneca loquar, *aliquo caſu triſtiore aliena cum ſuis perdiderunt*, largimur id *beneficium*, quod *competentiæ* vocari obtinet, multo utique magis id Principibus largiemur, ſi bona fide agant. Ab his omnis vis & coactio abeſſe debet, quum enim vis inferri nequeat niſi ſolis armis, quid proderit Principem armis aggredi, ut præſtet, quod præſtare non poteſt? Si nihilominus cogas, conſtituiſti eum debellare ob cauſam non juſtam. Sed an Princeps pactis ſtare poſſit vel non poſſit, & an per alium Principem ſteterit, quominus promiſſum præſtetur, non permitto eorum, qui pacti ſunt, arbitrio, neque enim poſſunt judices ſedere in cauſa ſua, at aliorum, qui neutrarum partium ſunt, deſidero arbitrium, ut & olim in cauſis publicis ad aliorum judicium decurſum eſſe intelliges ex Grotio eo loco, quem adducebam ſupra *d.* L. I. *C.* 9. *vſ. Qui.*

Deſcripſi rudi penicillo ſententiam meam de argumento, quod non unius belli cauſa fuit. Si hanc cum cura edolare, & aliorum ſententiis occurrere vellem, librum ſcriberem, cum maxime ſi adderem, quemadmodum olim Principes ea in re verſati ſint, & adhuc verſentur. Humani generis ea labes eſt, ut *violare fidem, non ſervare pacta vix quiſquam ſit, qui religioni ſibi ducat, modo id utile eſſe intellexerit*, verba ſunt Buddei, ſi hæc deſcribi permittas, *Elem. Philoſoph. Pract. Parte* II. *C.* 3. §. 21. Sic forte, inquies, viles animæ, ſed non Principes, qui altius ſpirant. Audi, quid de his ipſe ille Buddeus ajat *d. C.* 3. §. 30. *Pacta violare crimen eſt in privatæ ſortis homine; in Principibus aut iis, qui rerum ſummæ præſunt, frangere fœdera pars prudentiæ eſt.* Horreſco referens, ſed tamen eſſe veriſſimum, ut probem, per mille poſſem currere exempla. Quia vero, quæ his libris ago, cuncta fere refero ad Rempublicam Fœderati Belgii, ſcire attinet, quid ei hac parte ſederit.

Opportune autem hic ſuccurrit, quod Ordines Generales anno 1595. Eliſabetham, Anglorum Reginam, monuerunt, fidem anno 1585. ſibi datam, ſervaret, ſi exiſtimationi ſuæ conſultum vellet. Cui ſatis abſurdiſſime Mulier reſpondit: *bonæ fidei eſſe Principum contractus, neque eos iis teneri, ſi in detrimentum publicum cedant*, & reliqua ejuſdem farinæ, ut hæc narrat Camdenus in *Eliſabetha Part.* IV. *p. m.* 649. & ex eo totidem verbis Boekelen *d. Opuſculo p. m.* 174. Rem ipſam quoque habet Zoucheus *de Jure Feciali Part.* II. *Sect.* 4. *Q.* 25. Honeſta & religioſa Ordinum Generalium oratio, ſed non minus religioſos dixeris Ordines Hollandiæ, nam quum prodiiſſet liber, cujus inſcriptio erat, *Aanwyſing der Heilſame Politicque gronden en Maximen van de Republicq van Holland en Weſt-Friesland*, cujusque Auctor defendebat, pacta publica eatenus duntaxat eſſe ſervanda, quatenus expedit, mox eum Librum damnarunt, Edicto in

hanc rem facto 28. Maj. 1669. (1) eoque palam teſtati ſunt, periculoſam, abominandam & deteſtabilem eſſe ſententiam, fidem datam non ulterius obligare, quam id patitur bonum publicum, & ab ea hanc Rempublicam, quæ ſummam ſui gloriam ponit in religioſa Fœderum obſervatione, ſemper abhorruiſſe, & adhuc abhorrere. Verba profecto optima, bene, ſi res tam bonæ ſemper; an autem ſemper tam bonæ, conſtitueram excutere ſingulari *Capite*, & excurrere per omnes ætates hujus Reipublicæ, facto initio ab eo Fœdere, quo circa primam infantiam Reipublicæ inter Eliſabetham, Angliæ Reginam, & Ordines Generales inter alia convenerat, ut Reginæ Legatus Conſilio Status hic perpetuo intereſſet, de quo pacto diſputat *Diſquiſitio Politica d. Caſu* XXII. an recte, ipſe videris. Conſtitueram, inquam, ab eo Fœdere initium facere, & ſic tandem pervenire ad Fœdus, inter Imperatorem Germanorum & Ordines Generales de præſtandis mutuo auxiliis initum 20. Febr. 1732. de cujus obſervatione haud ita pridem acerrime quæſitum, at nihil definitum eſt. Sed prudentiæ erit hæc omnia omittere, hoc duntaxat ſuperdicto: omnium Rerumpublicarum hanc fere indolem eſſe, ut neque grandem perfidiam iis recte objeceris, neque ſingularem animi magnitudinem ab iis facile exſpectaveris.

CAPUT XI.

An peregrini ab adminiſtratione Reipublicæ ſint arcendi?

Peregrinos intelligo, non qui re ipſa adhuc peregrini ſunt, atque ita ſub alio Principe habitant, nam quis eos arceſſat ad capeſſendos alibi honores? ſed eos, qui origine quidem peregrini ſunt, in noſtrum tamen Imperium conceſſerunt, eo translata rerum ac fortunarum ſuarum ſede. De his quæro, conſulta prius ratione, deinde lege, an apud nos muneribus & honoribus fungi poſſint. Et, conſulta quidem ratione, non animadverto, ſi linguæ, ſi legum, ſi morum, ſi univerſæ denique Reipublicæ, in quam tranſierunt, ſatis periti ſint, cur ab ejus adminiſtratione ſint arcendi. Arcent tamen eos plerique Juris Publici Magiſtri, ſed ob rationes, quæ me non moverint. In indigenis ajunt majorem, in peregrinis minorem Civitatis amorem præſumi, ſed quis ſiniſtre præſumat de eo, qui totus cum omni familia, cum omni fortuna in noſtram Civitatem conceſſit, cujusque adeo ſalus ab ipſa ſalute publica pendet? quis perperam conſulat Reipublicæ, ut, ea perdita, ejus ipſius res & fortuna perdantur? At ratio & lex ditiorem & digniorem quemque ad Remplicam adminiſtrandam invitant. Probe novi, ſed in peregrinis hæ dotes forte magis pellucebunt, quam in indigenis. Quod ſi ſit, ego utique peregrinum ditiorem & digniorem prætulerim indigenæ minus diti & minus digno, nec eſt, quod ægre ferat indigena, ſi, qui opibus & virtute vincit, etiam honore vincat. Noſſe debet Rempublicam, qui eam recte adminiſtraverit, largior, ſed ejus peritia ſæpe magis peregrini cenſentur, quam ipſi indigenæ, qui cum lacte materno ſe hanc peritiam imbibiſſe rati, fugiunt induſtriam, quæ reipublicæ addiſcendæ neceſſaria eſt. Nihil ego deſideraverim, niſi ut is, qui Magiſtratu fungitur, Tros Tiriusve fuat, præſtet bonam fidem, cum diligentia & peritia conjunctam. Sed tantum abeſt, ut in Rebuspublicis, quæ peregrinos ab omnibus dignitatibus plane excludunt, adhibeantur indigenæ, ex omni parte idonei, ut, delectu habito, quod ad munera, in ipſos collata, ſerio potius cogitandum ſit *de his, quæ ut indignis auferantur*. Adeo Parentum Propinquorumve dignatio vel potentia omnes alias bene gerendæ Reipublicæ rationes exſtinxit.

Non tamen omnes peregrinos promiſcue admiſerim, ſed, ex ipſa ratione, repulerim eos, a quibus metus eſt, ne ſalus publica periclitetur. Quod tunc maxime obtinet, ubi alter Populus alterius Populi libertati imminet, & per honores peregrinorum cuncta ad ſe trahit. Eaque ratione anno fere 1400. Trevirenſes, qui Gallorum patrocinium agnoverant, veriti, ne per hos libertas ſua ſalva eſſe poſſet, facto Decreto Gallos ceterosque peregrinos a dignitatibus arcuerunt, ut eſt in *Diſquiſitionibus Politicis Caſu* XLVII. Et, ſi verum amamus, non alia fuit ratio, cur Hollandi Zelandique variis privilegiis, a Gravionibus ſibi datis, obtinuerunt, ne cui extero ad honores pateret aditus, quod ſcilicet Hollandis Zelandisque jam ex arbitrio dominari cœperant Principes Burgundi & Auſtriaci, &, ut facilius dominari poſſent, Burgundos & Auſtriacos muneribus adhibebant. Non ſane ſibi metuebant Hollandi Zelandique ab aliis peregrinis, qui ab ipſis meritisque ſuis ad honores promoverentur, ſed, impetratis privilegiis, cunctos arcere placuit, quia ſolos Burgundos & Auſtriacos excludere res fuiſſet oppido invidioſa apud Principes, a quibus privilegia illa erant impetranda. Atque ita, invidiæ vitandæ ergo, generale quoque fuit Trevirenſium Decretum, de quo modo dicebam, quamvis revera ſolos Gallos tangeret.

Non aliam utique ob cauſam, quam dixi, impetrata fuiſſe illa de arcendis peregrinis privilegia, affatim docet hiſtoria eorum temporum. Huc refero, quod a maximis dignitatibus usque ad Sculteтum peregrinos excluſerit Maria Burgunda in §. 4. Legum, quas Hollandis Zelandisque dedit 14. Mart. 1476. (1) refero & alia anteriora privilegia, quæ recenſuit Merula *Praxi Civili L.* IV. *T.* 9. *C.* 1. Sed præter hæc generalia, erant & adhuc ſunt ſpecialia privilegia, quæ Magiſtratus Urbium ſibi impetrarunt, quibusque libertati ſuæ adhuc magis proſpectum exiſtimabant. Secundum hæc quibusdam in Urbibus neque omnes Hollandi Zelandique ad Magiſtratum vel Conſulatum admittuntur, ſed duntaxat, qui certo terrarum tractu nati ſunt, vel in ipſa Urbe, de qua agitur, ut de Bithynicis Civitatibus memorat Plinius *L.* X. *Epiſtol.* 115. vel qui nuptiis vel aliquot annorum habitatione Civitatem ſunt nacti, vel quæ alia ſunt ſingularia privilegia, a Gravionibus prece vel pretio extorta, ut omni modo peregrini excluderentur.

Rationem habuerunt illa privilegia eo tempore, quo data ſunt, nunc nullam habent, quamvis

(1) *Plac.* III. 3. 4. 11.

(1) *Ibid.* II. 5. 1. 1. 2.

vis etiam nunc ea ſervent Hollandi Zelandique: nullus enim hodie ab ullis peregrinis metus, nulla Burgundorum, Auſtriacorum vel Hiſpanorum adverſus Rempublicam machinatio. Neque etiam multi peregrini admitterentur, etſi lege non eſſent excluſi, quum, ſublatis Comitibus, apud ipſos Hollandos Zelandosque nunc ſit rerum ſumma. Quin ſi vel multi admitterentur, non tamen ab his metuendum, cum non ſit Princeps peregrinus, qui in rem ſuam Reipublicæ obtrudat, & per eos res novas moliatur. Peregrini etiam, ſi vel promiſcue admitterentur, non eſſent ex uno eodemque loco, utque ita ceſſet metus, qui olim fuit, ne forte conſpiraturi eſſent in unius ejusdemque Principis gratiam. Quum, ut olim Comites, ſic poſtea Gubernatores, Reipublicæ libertati imminerent, etiam peregrini in hanc rem adhibiti ſunt, &, quæ Gubernatorum auctoritas erat, ſæpe fruſtra iis ſunt objectæ Leges Patriæ.

Quod autem Trevirenſes eo, quod dixi, Decreto etiam Gallos, qui tempore facti Decreti in dignitate erant, ea ſpoliaverint, omnino diſplicet. Dignitas ne quæratur, recte ſtatuitur, ut quæſita absque crimine auferatur, non ſine injuria. Benignius propter utilitatem publicam ad Plinium reſcripſit Trajanus (2), ne e Senatu Civitatis Bithynicæ ejiceret Cives alienos, quamvis contra legem adſcriptos. Et benignius Carolus V. in privilegio, Hollandis dato 7. Maj. 1555. (3) quum enim eo, ut mox plenius dicam, quibusdam peregrinis dignitatibus in Hollandia fungendis interdixiſſet, iis tamen, qui dignitatibus tunc fungebantur, vim fieri vetuit. Benignius etiam Hollandi, qui, quum anno 1658. Syndicos, Scribas, aliosque Miniſtros, quos Urbes adducunt ad Comitia Ordinum Hollandiæ, peregrinos eſſe vetuiſſent, ſimul tamen ſanciverunt, ut, qui tunc eſſent peregrini, officium ſuum retinerent §. 7. Decreti Ordinum Holl. 14. Maj. 1658. (4). In tranſitu noto, quod notari meretur, id Decretum duntaxat loqui de Syndicis, Scribis, aliisque Urbium Miniſtris, ſic enim cautum eſt §. 1. quid ergo dicemus de ipſorum Ordinum Syndico, Scriba vel Scribis, aliisve Miniſtris? Eadem plane, ſi non major in his, ſi peregrini ſint, arcendis ratio eſt. Sed, ut dixi, nulla ratio eſt, neque enim Barneveld deterius Syndici munus geſſit, quam alius quisquam.

Ceterum generalia illa de omnibus peregrinis excludendis privilegia ipſis poſtea Hollandis diſplicuerunt, mitigato enim eorum rigore, ſucceſſit jus quaſi talionis: nam ecce petentibus Hollandiæ Ordinibus Carolus V. 7. Maj. 1555. conceſſit, neminem, extra Hollandiam natum, *ubi Hollandi excluduntur*, neminemve extra Belgium natum, aut Belgicæ linguæ imperitum, ad ullam dignitatem in Hollandia admittendum, exceptis Gubernatoribus & Equitibus aurei Velleris. Quod privilegium confirmavit Philippus II. Hiſpan. Rex 17. Dec. 1556. (5). Vides, peregrinos excludi, ſed jure talionis, vides Belgas omnes in Belgio admitti, & vides, Belgis duntaxat admiſſis, Auſtriacos & Hiſpanos, a quibus tunc metus erat, adhuc excludi, ſed excludi inter ceteros. Ut ut autem ſana ratio nullum peregrinum, niſi periculoſum, arceat, iniquum tamen non eſt, ut etiam illi ex cauſa peregrinitatis arceantur, qui inde oriundi ſunt, ubi noſtrates lege vel more Civitatis arcentur. Idque ſervari jubetur Decreto Ordinum Hollandiæ 19. Apr. 1631. aliisque quam plurimis, quæ mihi, Acta Ordinum evolventi, occurrerunt. Habet & de his quædam Grotius *Apolog. C.* XIII. & Groenewegen *de LL. abrog. ad l. ult. C. de Crimine Sacrileg.* ſed nec ſatis diligenter, nec laudatis auctoritatibus.

Igitur peregrini, qui Hollandos non excludunt, neque in Hollandia ab honoribus excluduntur. Hæc eſto regula, ſed ab hac excipe Syndicos & Scribas, quos Magiſtratus Urbium Comitiis Ordinum intereſſe volunt, hi enim, origine peregrini, ſemper excluduntur ex d. Decreto 1658. nec quicquam refert, ubi nati ſint, & an ibi Hollandi excludantur, nec ne. Addo aliam exceptionem, quam ſuggerunt varia Urbium privilegia, quæ ſupra compendio commemorabam. Hæc privilegia tollere, ut in Comitum poteſtate non fuit, ſic nec eſt in poteſtate Ordinum. Fac igitur, privilegia arcere a Magiſtratu vel Conſulatu, qui non certo tractu Hollandiæ, vel in ipſa Urbe, de qua agitur, natus eſt, utique ibi ſecundum ea non admittemus peregrinum, licet natum, ubi Hollandi non excluduntur, nam jus generale*, quod ex lege talionis eſt, quodque Ordinibus Hollandiæ poſtea placuit, anteriora Urbium privilegia non abrogare & ratio docet, & Juſtinianus conſtituit in §. 4. *Conſtitutionis* II. *de Confirmando Codice.*

Sed quid dicemus de iis, quibus Ordines Hollandiæ nativitatis peregrinæ gratiam faciunt, conceſſis diplomatibus, quæ vocantur *Brieven van Naturaliſatie?* Scribunt Hollandi (6), hæc diplomata, ſimpliciter conceſſa, nihil quicquam præbere niſi jus ſubditi, ut ſcilicet peregrinus habeatur pro ſubdito, & apud nos forum ſortiatur, non vero prodeſſe ad honores, niſi ſpecialiter hoc iis ſit inſertum. Frequentiſſima ſunt ejusmodi diplomata, ſed cui bono, dicat Casſius? Sane mihi videntur exigui plane uſus, ſi leges, quas dixi, revocemus in memoriam. Si ea diplomata, ſimpliciter conceſſa, non præbeant niſi jus ſubditi & fori, utique quisque peregrinus & advena id nanciſcitur, ubi a Magiſtratu Urbis, in quam Penates ſuos tranſtulit, in numerum Civium eſt receptus, quemadmodum Magiſtratus ſingularum Urbium quosque peregrinos & advenas ſic recipiunt quotidie. In hanc rem igitur privilegio Ordinum opus non eſt. Si diploma conceſſum ſit ad honores, ad honores proderit, ſed & peregrinis, etiam ſine diplomate, eos capeſſere licet, modo nati ſint in eo Imperio, ubi noſtrates non excluduntur. Sin ajas, privilegia tamen Urbium plurimos arcere, vel non natos in iis ipſis Urbibus, vel non natos certo terrarum tractu, largior, ſed ea diplomata peregrinis non plus præſtabunt, quam ipſis Hollandis, ibi non natis. Quæ igitur privilegia ipſos Hollandos excludunt, etiam excludent peregrinos, cum Ordinum nec mens, nec etiam poteſtas ſit, conceſſis illis diplomatibus, tollere privilegia Urbium. Si quid video, illa diplomata, ſimpliciter conceſſa, nihil quicquam tribuunt, quod non Magiſtratus dare poſſit, ſin autem ad honores concedantur, duplicem præbent uſum; alte-

(2) Apud Plinium *L.* X. *Epiſt.* 116.
(3) *Plac.* II. *Append. Edict. Carol.* V. *n.* 15. p. 2072. & *Plac.* III. 1. 1. 20.
(4) *Plac.* III. 1. 3. 4.
(5) *Repert. Curiæ Holl.* p. 86. B.
(6) Van Zurck *Cod. Bat.* Verbo *Naturaliſatie* §. 2. & in not. ad §. 1.

alterum, ut etiam illi peregrini ad honores admittantur, qui ibi nati ſunt, ubi noſtrates arcentur, nam legis ſuæ gratiam facere poſſunt Ordines; alterum, ut Syndici & Scribæ, qui ex cauſa peregrinitatis plane arcentur ex d. Decreto anni 1658. conceſſis illis diplomatibus, nunc liceat eſſe Syndicis & Scribis. An alium præbeant uſum diplomata ad honores, nondum potui animadvertere, id autem ſatis animadverti, ſæpius nullam, quam aliquam ſubeſſe cauſam implorandi hæc diplomata, &, quod legis eſt, perperam gratiæ tribui. Varia exempla ad manum ſunt, quibus id oſtendere poſſim, ſed res tanti non eſt.

CAPUT XII.

Imperium & Jurisdictio an poſſint mandari?

Ad Jus publicum pertinet quæſtio, an & quemadmodum Magiſtratus & Judices Imperium & Jurisdictionem, ſibi datum datamve, aliis mandare poſſint? Conſtat, Jure Romano Imperium, quod in gladii poteſtate conſiſtebat; & *merum* appellabatur, mandari non potuiſſe, ſed potuiſſe Jurisdictionem, & illud Imperium, quod Jurisdictioni cohærebat, & *mixtum* dici obtinuit *l.* 1. *pr.* & §. 1. *ff. de Offic. ejus cui mand. eſt jurisd.* Rationem differentiæ dedit Papinianus in *d. l.* 1. quod nempe mandata Jurisdictione non transferantur, quæ ſpecialiter Lege, vel SCto, vel Conſtitutione Principum tribuuntur, ut eſt in mero Imperio, ſed ea tantum, quæ Magiſtratibus competunt jure ſuo. At vero, inquies, etiam Jurisdictio, quæ Magiſtratibus competit, ex Lege aliqua deſcendit, & ejus partes Lege definitæ ſunt, & ſic rationem rationis deſiderabis. Si dixero, merum Imperium verſari circa res majoris, mixtum circa res minoris momenti, non loquar, ut Papinianus loquutus eſt. Sed hoc jam non agimus, & ne hoc quidem, cur Romanis, ſecus ac pleriſque Gentibus, placuerit, Jurisdictionem mandari poſſe. An propter nimiam negotiorum molem, quibus Magiſtratus Urbani & Provinciales ſæpe obruebantur? an propter morbum aliamve cauſam ſonticam, qua forte impediebantur officio ſuo ſupereſſe? an propter ignaviam, cui ſic conſulere poterant Magiſtratus? an propter imperitiam, tranſlata ſic Jurisdictione in eos, qui plus ſapiebant? Non erraverit forte, qui has ſimilesve cauſas mandandæ Jurisdictioni originem præbuiſſe credat, & ſimul credat, inde quoque eſſe, quod Magiſtratus Romani & judices dederint, & adſeſſores adhibuerint. Quemadmodum autem a judice dato vel a mandatario Jurisdictionis fuerit appellatum, prolixe exſequutus ſum *L.* VI. *Obſerv. C.* 23.

Sed, his miſſis, nihil puto eſſe verius, ſi Leges Patrias conſulamus, quam omnes Magiſtratus & Judices, ſive a Principe creatos, ſive ab his, quibus Princeps eorum creandorum poteſtatem dedit, per ſe fungi officio ſuo, & ipſos ex formula jurisjurandi, antea præſtiti, cognoſcere & judicare de omni cauſa, tam criminali, quam civili. Sane nullum officium Magiſtratumve mandari permittit Philippus II. in §. 8. Edict. de Crimin. 5. Jul. 1570. & hoc jure utimur, ut mox per ſpecies utriusque Jurisdictionis oſtendam.

Quid igitur eſt, quod ſcripſit Gudelinus *de Jure Noviſſimo L.* V. *C.* 13. *in fin.* & exſcripſit Groenewegen *de LL. abrog. ad l.* 3. *ff. de Jurisd. Quod nempe hodie poteſtas gladii non meri Imperii ſit, verum pars ordinariæ Jurisdictionis, atque etiam mandata Jurisdictione tranſeat, & per vicarios, non ſecus quam ceteræ partes Jurisdictionis, exerceatur.* Sed, ſi reliqua Gudelini addidiſſet Groenewegen, mox apparuiſſet, hæc eum referre ad Toparchas aliosque, qui vice ſacra Judices creant, at ſi vel ad eos referas, ne ſic quidem res ſalva eſt: nam illi Toparchæ, ſecundum codicillos inveſtituræ, *non judicandi, ſed tantummodo Judices creandi poteſtatem habent, nec ſubdelegare, ſed potius vice Principis Judices creare videntur*, ut ipſe Groenewegen recte animadvertit ad *l. ult. ff. de Offic. ejus cui mand. eſt jurisd.* Illi Toparchæ nec judicant, nec ipſi judicare poſſunt, &, cum agimus de mandata Jurisdictione, agimus de eo, qui ipſe, ſi velit, juris dicundi officio fungitur, ſed, ſi nolit, in alium Jurisdictionem, ſibi propriam, transferre poteſt. Summæ igitur imprudentiæ eſt dicere, poſſe quem hodie mandare Jurisdictionem, id eſt, ſua vice alium ſufficere, qui jus dicat, quod alioquin ipſe mandans fuiſſet dicturus.

Omnes Magiſtratus & Judices hodie ſunt quaſi mandatarii Jurisdictionis, ipſe Princeps, vel qui ejus vice fungitur, quaſi mandans. Utque manifeſtum eſt, mandatam ſibi Jurisdictionem alteri mandari non poſſe *l. ult. pr. ff. de Offic. ejus cui mand. eſt jurisd.* ſic nec poſſunt Magiſtratus vel Judices, electa eorum, qui ipſi officiis ſuis fungantur, fide & induſtria. Et, ut de criminibus primum exordiar, tantum abeſt, ut ii, qui jurati de his judicant, aliis non juratis Jurisdictione ſua poſſint cedere, ut ne ii quidem id poſſint, qui Accuſatorum partibus, quocunque nomine, funguntur, quorumque adeo officium abſolvitur ſolis criminum perſequutionibus. Quare jubentur illi Accuſatores ibi habitare, ubi jura Principis tuentur, & prohibentur alios ſubſtituere, quos vulgo vicarios ſive *Stadhouders* appellamus. Ita generaliter conſtituit Philippus II. in *d.* §. 8. Edicti de Crimin. anni 1570. Et ita olim quoque fuit: nam ait §. 40. *LL.* quas anno 1299. Hollandis & Friſiis dedit Joannes I. (1). *In onſen vryen Ambagte, daer wy Schouts ambagt verleent hebben, die Schout, die van ons is, en mag niemant onder hem ſetten.* Secundum hæc quoque Ordines Hollandiæ, petente Magiſtratu Heusdano, decreverunt 17. Jul. 1662. (2) ne quis eſſet Heusdanus *Droſt, Caſtelein en Dykgraaf*, niſi qui in Urbe Heusdana fixum domicilium haberet, ut ſic per ſe officio ſuo fungeretur. Scio, earum prohibitionum ſæpe gratiam eſſe factam, & adhuc fieri, ſive palam, dato in hanc rem privilegio, ſive clam, per ſolam diſſimulationem, ſed ipſos Judices, qui de criminibus judicant, unquam vicaria opera fuiſſe uſos, vel in eam rem privilegium impetraſſe, non memini me uſpiam legere.

De cauſis civilibus ſive pecuniariis idem puto di-

(1) *In de Handveſten van Enckuyſen* p. m. 3. A.
(2) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 786.

dicendum. Atque ideo, cum in §. 33. Edicti Ordinum Hollandiæ 20. Decemb. 1595. *op het Slachturven* (3), Heemradii de cauſis, ibi memoratis, judicare juſſi eſſent, & hi ſua Jurisdictione ceſſiſſent Scabinis, recte reſponſum eſt *Conſil. B. T.* IV. *Conſil.* 164. *n.* 1 & 2. Scabinos de iis cauſis judicare non poſſe, Principem enim ſolum Judices facere, & ejus ſolius eſſe Jurisdictionem dare, augere, minuere: neminem igitur Jurisdictionem, ſibi datam, ad alium transferre poſſe, ad inſtar ſcilicet mandatarii Jurisdictionis apud Romanos. Non eſt hodie quisquam, ſi accurate loquamur, qui Jurisdictionem propriam exerceat, quicunque exercent, exercent Jurisdictionem Principis, neque adeo alteri recte mandant, quod ſuum non eſt. Ad hæc qui eligit Magiſtratum vel Judicem, creditur elegiſſe hominem, de cujus peritia, induſtria, probitate certus eſt vel eſſe debet, quique Spartam, quam nactus eſt, ornare poſſit. Sin autem hanc transferat ad alium, longe forte deteriorem, Principem, ſecurius cogitantem, fallit, & bono publico peſſime conſulit. Ne dicam, aliud eſſe, juratum fungi munere ſuo, ut jurati funguntur omnes, quibus data eſt Jurisdictio, aliud, non juratum fungi, ut fungerentur mandatarii Jurisdictionis. Unde, cum in locis, quæ ab Hiſpanis occupaverant Ordines Generales, uſu invaluiſſet, ut per alium officio ſuo fungi liceret, relatum eſt apud Aitzema (4), Ordines anno 1645. decreviſſe, etiam in iis locis quisque per ſe fungeretur officio ſuo, ſive Politico, ſive Militari, ſive Eccleſiaſtico, niſi forte ex ſpeciali cauſa privilegium impetraſſet. Quamvis autem in rebus Politicis ab eo Decreto ſæpe receſſum fuerit, & adhuc recedatur, non comperi tamen, unquam eſſe receſſum quod ad eos, quibus juris dicundi provincia ibi mandata eſt.

Sane ſi Judicibus in Hollandia & Zelandia liceret Jurisdictionem, ſibi datam, alteri mandare, utique & liceret Senatoribus utriusque Curiæ, quæ Hollandiæ, Zelandiæ Friſiæque nomine Hagæ Batavorum jus dicit. Sed tantum abeſt, ut iis id liceat, ut Comes Leiceſtranus 28. Jul. 1586. ſpeciali privilegio (5) Senatoribus Supremæ Curiæ conceſſerit, ſi legitimo minor numerus ſupereſſet, unum pluresve Senatores, non unde vellent, ſed ex Curia Hollandiæ adſciſcerent. Ordinibus Hollandiæ id privilegium tribuit Groenewegen *de LL. abrog. ad Tit. C. Qui pro ſua jurisd. judic. dare darive poſſ.* ſed perperam.

Noli autem putare, ex mandata Jurisdictione eſſe, quod majorum apud Nos Urbium Magiſtratus variarum rerum, quarum alioquin cognitio ad Scabinos pertineret, alios & fere minores Judices conſtituant, ut in cauſis minoris momenti, in cauſis matrimonialibus, maritimis, & id genus aliis, quos Judices appellare ſolent *Commisſariſſen*, noli, inquam, putare, id eſſe ex mandata Jurisdictione, nam ejus rei poteſtatem ab Ordinibus fere petiiſſe videas Magiſtratus, petierunt certe Amſterdammenſes, cum alias, tum etiam 17. Jul. 1612. (6). Sed quid ſi ex abundanti petierint? ut ſe ex abundanti petere ajebant Amſterdammenſes d. 17. Jul. 1612. poſſe enim ſe ſuo jure ejusmodi Judices minores conſtituere. Eſto, nec ipſe ab ea ſententia ſum alienus, ſed non alia ratione, quam quod omnes omnium Urbium Magiſtratus creandorum Judicum poteſtatem habeant ab Ordinibus, & inde creënt ſive majores, qui dicuntur *Schepenen*, ſive minores, qui *Commiſſariſſen*, ut e re Urbium ſuarum eſſe videtur, non vero ea ratione, quod Magiſtratus mandatam ſibi Jurisdictionem alteri mandare poſſit, quamvis & ea ratione uſi ſint Amſterdammenſes d. 17. Jul. 1612. Non ſatis recte, nam quia omnes, qui ad Magiſtratum alicujus Urbis pertinent, ipſi non judicant, ſic nec aliis Jurisdictione ſua cedere dici poſſunt. Deinde illos minores Judices non eſſe Scabinorum mandatarios, inde apparet, quod ipſi ſuam, non vero Scabinorum Jurisdictionem exerceant, ab illis enim minoribus Judicibus appellatur ad ipſos Scabinos, non ad eos, qui Scabinis ſuperiores ſunt, ut eſt in omni mandata Jurisdictione, quemadmodum expoſui *d. L.* VI. *Obſerv. C.* 23.

Ad mandatam quoque Jurisdictionem pertinere dixeris, quod, cum de magnæ quantitatis fideicommiſſo lis penderet apud Scabinos Amſterdammenſes, hi, ut ſe extricarent moleſtiis longæ & difficillimæ litis, ſententia interlocutoria, 1. Febr. 1729. lata, juſſerint, ut cauſa peroraretur coram tribus Advocatis, a ſe in hanc rem delegatis, qui poſt cauſam peroratam & lecta litis inſtrumenta, ſententiam ſuam Scabinis reſcriberent. Titius, ſimulac id reſcivit, libello adit Scabinos, queſtus, hanc interlocutionem non convenire Formæ judicii, quam ſibi Amſterdammenſes præſcripſerunt 27. Apr. 1656. nam ex §. 8. *Capitis* VI. ad arbitros non remitti niſi cauſas, in quibus agitur de redditione rationum, & has duntaxat remitti ad tentandam tranſactionem, quæ ſi non ſucceſſerit, etiam eas cauſas Scabinos definire, ceterum deſiderare *d.* §. 8. ut cauſæ, quæ juris ſunt, ut erat hæc cauſa, apud ipſos Scabinos perorentur, rogare igitur ſe, ut id fieri liceat, vel ſaltem ut poſt cauſam, coram Advocatis illis peroratam, lis non finiretur, niſi & apud Judices, in hanc rem electos & juratos, rurſus perorata & inſtrumenta litis ab his lecta eſſent. Quum Scabini illum libellum cum indignatione rejeciſſent, Titius ab interlocutoria illa ſententia appellationem tentat ad Curiam Hollandiæ, ſed Mandatum appellationis ei negatum eſt 7. Apr. 1729. Ab ea negatione implorat Mandatum appellationis a Senatu Supremo, quod ne Senatus largiri vellet, per epiſtolam 6. Maj. 1729. datam, petunt Scabini Amſterdammenſes, rati, quicquid eſſent interloquuti, id ad ſolam ipſorum cognitionem & jurisdictionem pertinere, nec utriusque Curiæ eſſe, ei rei ſeſe immiſcere. Senatores Supremi Senatus, auditis prolixe partibus, etiam de more apud Amſterdammenſes recepto, non quidem ſolemniter ſententias ſuas dicebant, ſed tamen ad unum omnes ſignificabant, integrum eſſe Judicibus, mediocritatis ſuæ ſibi conſciis, non tantum in Oppidis & Pagis, ſed & in Urbe Hollandiæ principe, peritiores conſulere, at vero ſic integrum eſſe, ut apud ipſos Judices, in hanc rem electos & juratos, plene audiantur partes, & ſuam quisque cauſam, adhibitis Pragmaticis, defendat, atque ita in Hollandia ubique locorum ſervari. Quare exiſtimabant, cauſam, de qua agebatur, apud ipſos Scabinos eſſe perorandam, ut & deſiderat *d.* §. 8. non apud eos, qui Adſeſſorum vice fungebantur, id enim omnino ſapere mandatam jurisdictionem, quæ legibus & moribus exolevit. Si liceat Scabinis Amſterdammenſibus, licere & omni-

(3) *Plac.* I. 2. 43. 1. 3.
(4) *L.* XXV. p. 193. & 194.
(5) *Formul. T.* I. *C.* 50. p. m. 678. & 679.
(6) *Plac.* I. 2. 7. 2. 2.

omnibus in Hollandia Judicibus cauſas ad arbitros remittere, & jubere, ut apud illos perorentur, tranſmiſſa ad ſe, quam pronuncient, ſententia, promptiſſimo ſane imperitiæ vel deſidiæ velamento. Videbatur igitur Senatus proclivior ad largiendum Mandatum appellationis, idque etiam, permittente Senatu, ſignificavi Syndico Urbis Amſterdammenſis, qui me ob eam rem adivit. Sed Mævia, de mente Senatus certior facta, interlocutoriæ, quam dixi, Sententiæ renunciavit. Qua renunciatione audita negatum quoque eſt Mandatum appellationis 22. Sept. 1729. Prolixius hanc cauſam enarravi, ne aliis in poſterum ſit præjudicio.

Mandatæ igitur Jurisdictioni apud Nos leges moresque repugnant, ſed non definio, an non præſtaret mandare Jurisdictionem, quam exercere, ſi, qui exercere tenetur, ad judicandum non magis aptus ſit, quam aſinus ad lyram, ſi bipedum ſit imperitiſſimus, ſi ignaviſſimus, nam ſola probitate Judicis officium non abſolvitur, ut ſunt, qui ſibi perſuadent. Judices minores posſunt & ſolent peritiores conſulere, ſed de majoribus quid fiet? hi ſibi reputant dedecori, non tantum peritiores conſulere, ſed & eos præeuntes ſequi. Solius Principis eſt, qui fere majores Judices creat, etiam hac parte conſulere, ne quid Respublica detrimenti capiat.

CAPUT XIII.

An ob debitum Univerſitatis ſingula membra conveniri & damnari poſſint?

Recte diſputat Seneca *L.* VI. *de Benefic. C.* 20. quæ Univerſitas debet, a ſingulis non deberi niſi pro portione ſua. Totum igitur debitum a ſingulis non recte exigitur, nec etiam, quæ reciprocationis ratio eſt, creditum Univerſitatis ſinguli recte exigunt. Si utrumque a JCto, quam Philoſopho audire mavis, accipe hæc Ulpiani in *l.* 7. §. 1. *ff. Quod cujusque Univerſ. nom. Si quid*, ait, *Univerſitati debeatur, ſingulis non debetur, nec, quod debet Univerſitas, ſinguli debent.* Quicquid Univerſitas mutuum dedit vel accepit, æs ſuum vel alienum eſt ipſius Univerſitatis, & quia ſingulos pro parte ſua agere vel conveniri difficillimum explicatu eſt, nulli permittitur experiri, niſi ei, cui lex permittit *l.* 3. *ff. Eod.* Syndico ſcilicet Univerſitatis, per quem, quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat *l.* 1. §. 1. *Eod.* Ille repræſentat arcam communem, & ſi quid ei debeatur, exigit, & ſi quid ea debet, ille convenitur, nam a ſingulis membris exigere, quicquid nomine publico eſt contractum, durum eſſet & avarum.

Secundum hæc in Sententia, a Curia Hollandiæ 19. Nov. 1441. contra Enchuſanos lata (1), nominatim additum eſt, ne ea executioni daretur contra cives & incolas Enchuſanos, ad quos ea res non pertinebat. Et Philippus Burgundus in Diplomate, quod 12. Oct. 1464. dedit (2), actionem contra Civitates Hollandiæ Borealis, adverſus Enchuſanos executioni mandatam, ſuſpendit, convocarique juſſit omnes, ut ab omnibus pro rata debitum exigeretur. Philippus etiam II. Hiſpan. Rex, in §. 11. Edicti, quod pro Flandris edidit 12. Jan. 1586. (3) agricolas pro debito Univerſitatum conveniri vetuit, pro toto nempe, ſingulos enim conveniri permiſit pro parte ſua, *zoo veel hun contingent, quote en portie bedraagen zal.* Quod non aliter probo, quam ubi arca communis non eſt. Et quum Admiralitas Hollandiæ Borealis ad Supremum Senatum in jus vocata, & ibi damnata eſſet in cauſa pecuniaria, unus quidem ex ea Judex, ut ſatisfaceret Sententiæ, arreſto detentus, ſed anno 1659. dimiſſus eſt (4): de qua in jus vocatione etiam poſtea acriter eſt diſputatum (5). Memini etiam, me Præſide, Conſulem Harderovicenum, ob debitum ipſius Urbis, arreſto eſſe detentum, ſed repulſo Adverſario, Sententia Supremi Senatus dimiſſum 30. Jun. 1730. cum alias ob cauſas, tum etiam ob *d. l.* 7. §. 1. *ff. Quod cujusque Univerſ. nom.* Atque hæc probant, quod Univerſitas debet, ſingulos non debere. Id vero eſt certiſſimum, quod ſinguli debent, ad Univerſitatem non pertinere, neque adeo ab ea exigendum eſſe. Privata arca expungit debitum privatum, publica publicum. Multo minus tenebitur Univerſitas, ſi quid delinquat, qui membrum Univerſitatis eſt. Unde Ordinum Generalium Conſiliarii 22. Jul. 1666. recte reſponderunt Ordinibus Generalibus, ob delictum monachi perperam apud Senatum Brabantinum arreſto detenta eſſe bona ipſius Monaſterii (6).

Quamvis autem hæc ita ſint, & jure ſubſiſtant, vereor tamen, ne per injuriam vel imperitiam ſemper & ubique ita obtinuerint. Non loquor de ea ſpecie, qua privatus pro Univerſitatis debito, per modum Repreſſaliarum, detentus & damnatus eſt, nam quia Repreſſaliis non eſt locus, niſi denegata juſtitia, ea ſpecies huc non pertinet. Loquor de ea ſpecie, qua contra Univerſitatem experiundi poteſtas eſt, & vel ſic, quod Univerſitas debebat, ſingulis ſæpe extortum eſt. Si ob ſalutem publicam tale quid fiat, defendi quodammodo poteſt, ſi hæc non verſetur, omnino improbum eſt. Salus utique publica Ordinibus Hollandiæ cordi & curæ fuit, cum in notiſſimo illo Edicto, quod de exactione tributorum editum eſt ult. Mart. 1588. palam ſanciverint, pro non ſolutis tributis Urbium, Pagorum Collegiorumque, etiam ſingula membra & quosque incolas eorum locorum conveniri, & ab iis tributa exigi poſſe. Atque ea ipſa ratio effecit, ut & eorum, quæ ſinguli debent, etiam contra Univerſitatem ſit actio ex Decreto eorundem Ordinum 16. Jul. 1657. (7) eo quippe jubentur Magiſtratus Pagorum Fiſco ſolvere milleſimam bonorum, quam incolæ debent, ſecundum catalogum, ea de re factum. Et ſic adhuc ſervatur in exactione centeſimæ & ducenteſimæ, etiamſi nulla Magiſtratuum in exigendo culpa arguatur. Sed hæc, inquam, in cauſa publica, ob favorem Fiſci, & ſi quid ex iniquo habeant ea exempla, contra ſingulos utilitate publica rependitur. Etiam Jure Romano, in ſimili cauſa, ſimile quid placuiſſe, indicat *l.* 7. *vſ. Qui ſi C.* de

(1) *Deciſ. mixt.* 119.
(2) *Handveſten van Enchuyſen* p. 121.
(3) Extat ſeparatim inter *Collectanea mea.*
(4) Aitzema *Hiſtor. L.* XXXIX. p. 601.
(5) Idem *eodem Libro* p. 1084. & 1085.
(6) Aitzema *Hiſtor. L.* XLVI. p. 665.
(7) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 373.

ne Exactor. tribuit. At vero generaliter in quacunque cauſa ſæpe obtinuit, ut pro debito Civitatis privatus quiſque fuerit detentus & damnatus. Quin ne id fieret, impetratis privilegiis ei injuriæ aliquando occurſum eſt. Ejusmodi eſt privilegium, quod Philippus Burgundus Dordrechtanis dedit anno 1424. (8) iis largiens *vry geley, om niet gearreſteert te werden voor Staas ſchulden, voor den tyd van vier jaren.* Et cum ei, qui Urbi Brunswycenſi pecuniam crediderat, non ſatisfieret, ſecundum eum morem, quamvis peſſimum, Ordines Generales 9. Nov. 1640. decreverunt, creditor arreſto includeret civium Brunswycenſium bona, ubicunque reperta, ut refert & ſimul recte damnat Aitzema (9). Ipſa quoque Hollandiæ Curia, mea memoria, Monachum quemdam ex Monaſterio prope Gandavum, ob æs alienum ipſius Monaſterii, Hagæ Batavorum arreſto detinuit, &, quod Monaſterium debebat, ſolvere damnavit. Quam Sententiam ego nolim facere meam, quamvis non ignorem, quam plurimos eſſe Juris Interpretes, qui ſic ſapiant. Ita ſane ſapit Peckius *de Jure ſiſtendi C.* IV. *n.* 17. ita & alii. Sed plures, quæ contradicant, auctoritates poſſem adducere, ſi non nauſearem ad ſterquilinia Doctorum, ſine ſolida ratione juris id, de quo agitur, vel ajentium vel negantium.

Ceterum JCti, qui ex ratione & lege didicerunt ſapere, adhuc putant eſſe ſequendam regulam *d. l.* 7. §. 1. *ff. Quod cujusque Univerſ. nom.* ſingulos nempe non debere, quod debet Univerſitas, ſed ſunt (10), qui hanc exceptionem addunt: *niſi Univerſitas ſe ipſam AC CIVES SUOS nominatim obligavit.* Conſentio, ſi ita paciſcatur ipſe Princeps, ex dominio eminenti, quod habet in ſubditos eorumque bona; diſſentio, ſi ita paciſcantur Magiſtratus ſingularum Urbium, vel Curatores alterius cujusque Univerſitatis, ſine conſenſu Principis, nam ea eorum poteſtas non eſt, ut contra Decreta juris ſingula Civitatis vel Univerſitatis membra, eorumque bona, in ſolidum obligare poſſint. Niſi igitur a Principe impetraverint privilegium, quo id facere liceat, vel omnium membrorum in hanc rem conſenſum adhibuerint, adhuc ſtabimus *d. l.* 7. §. 1. Principis imperium eo usque, ut dixi, porrigo, & neſcio, an quisquam alius de eo dubitaverit. Recte itaque Ordines Fœderati Belgii, ex mandato vel ratihabitione ſingularum Provinciarum in §. 23. Fœderis Utrecht. 23. Jan. 1579. inter ſe pacti ſunt, ſi qui Ordines in id Fœdus quid commiſiſſent, eorum Ordinum ſubditi, eorumque bona pro eo ubique locorum caperentur & exigerentur. Succeſſit deinde ſpecialis Conſtitutio, a quibusdam Gubernatoribus & plerisque Provinciis Fœderati Belgii facta 13. Jul. 1579. (11) qua illud ipſum placuit, ſi nempe Ordines tributa, in quæ conſenſere, non ſufferant. Atque id anno 1586. ſuis accidiſſe Hollandi commemorant in §. 4. Reſponſi ad Leyceſtrium 4. Oct. 1587. (12) & aliis quoque Provinciis ſæpe idem accidiſſe usque ad annum 1639. Conſiliarii Ordinum Generalium prolixe expoſuerunt in epiſtula, ad eos Ordines ſcripta 14. Dec. 1716. (13).

Optime conſultum eſſet rationibus Reipublicæ, ſi etiam poſt annum 1639. ii Conſiliarii non ceſſaſſent tributa exigere ſecundum illam Conſtitutionem, vel Ordines ſingularum Provinciarum ei exactioni non reſtitiſſent, ut, ex fide data, reſiſtere non debebant. Sed ceſſatum eſt ab eo anno 1639. maximo Reipublicæ detrimento. Quod cum animadverterent Ordines Hollandiæ, 2. Maj. 1663. decreverunt (14) curaretur apud Ordines Generales, ut *d.* §. 23. Fœderis Utrecht. & ea Conſtitutio 13. Jul. 1579. denuo in uſum revocarentur. Sed quum plurimi Ordinum ſint reliquatores, nunquam, credo, id obtinebitur apud Ordines Generales, & minus adhuc apud ſingulas Provincias. Præſtitiſſet forte exercere *d.* §. 23. & d. Conſtitutionem, quam rogare, ut de novo quid ſanciretur, neque enim liquet, abrogatum eſſe id jus, quo Reſpublica ex mutuo pacto conſtanter uſa eſt, & ſine quo, ſi verum amamus, vix eſt, ut ipſa Reſpublica ſalva eſſe poſſit. Tantum quoque temporis non effluxerat ab anno 1639. ut non uſu abolitam poſſis credere illam Conſtitutionem anni 1579. Sed quid prodeſſet voluntas exercendi ejus juris, ſi, rupta pactorum fide, reniterentur Ordines ſingularum Provinciarum, &, quo magis reliquatores ſunt, eo magis reniterentur. Juſtus ſic metus erat, ne ipſi illi Ordines, eorumve apud Ordines Generales delegati, pro debito Provinciæ ſuæ exigerentur. Nemo quoque Ordinum pateretur ſubditos ſuos in ſua Provincia exigi, quin nec alios ex alia Provincia, ne ſibi ſcilicet ſuisque ſimile quid accideret in ea Provincia, cujus ſubditus apud ſe exigeretur. Et quis exigeret Ordines reliquatores? Conſiliarii, inquies, Ordinum Generalium, quibus cura Ærarii publici, & ipſa quoque exactio tributorum, in quæ conſenſerunt Ordines, demandata eſt. At illi in ſingulis Provinciis neque Imperium habent, neque jurisdictionem ullam, & arma viroſque adhibere, invitis Ordinibus, nunc non licet. Quoquo igitur te vertas, ſi reluctentur Ordines, difficilis, quin potius nulla eſt tributorum executio, & nulla erit in poſterum, niſi ſinguli Ordines jure exigendi, ſecundum illam Conſtitutionem 13. Jul. 1579. cedant Conſiliariis Ordinum Generalium, ſed, cum hæc Conſtitutio ob has, quas dixi, rationes ſenſim ſine ſenſu exoleverit, & nunc majus, quam olim, ſit æs alienum, quod ſingulæ Provinciæ arcæ communi debent, ea ceſſio magis ſperanda, quam exſpectanda eſt. De jure exigendi tributa, in quæ conſenſum eſt ab Ordinibus, exſtant tres elegantes epiſtulæ (15), quas Conſiliarii Ordinum Generalium ad eosdem Ordines ſcripſerunt 14. Dec. 1716. & 18. & 27. Jan. 1717. grandes quidem, non tamen verboſæ, ut & exſtat nova executionis formula, a delegatis Ordinum Generalium, eorumque Conſiliariorum compoſita 12. Apr. 1721. (16) & eodem die ad ſingulas Provincias transmiſſa. Sed quamvis ea formula ſic ſatis juſta ſit, ut tamen ab Ordinibus probaretur, nondum obtineri potuit. Nihil igitur adhuc ea in re profectum eſt.

Interea vides, Ordines ſingularum Provinciarum pro debito communi cujusque Provinciæ ob-

(8) Oudenhoven *Zuyd Holland* p. 610.

(9) *Hiſtor. L.* XX. p. 126.

(10) Buſius & Groenewegen ad *d. l.* 7. §. 1.

(11) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 671. & ſeqq.

(12) Exſtat ſeparatim inter *Collectanea mea* hac inſcriptione: *Antwoorde van de Ridderſchap, Edelen en meeſte Steden van Holland op de Remonſtrantie van den Grave van Leyceſter.*

(13) Separatim & inter *Acta Ordinum.*

(14) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit.* d. p. 671.

(15) Separatim & inter *Acta Ordinum*

(16) Rurſus ſeparatim & inter *Acta Ordinum.*

obligaſſe ſubditos ſuos, eorumque bona in ſolidum. Et recte, quia Ordines, quod ad tributa, vel erant ſui juris, vel utique præ ſe ferebant. Sane Principi id licere, nemo diffitebitur, niſi qui neſcit, quæ ſit ratio ſummi Imperii. Sed quod Principi licet, non continuo licebit Curatoribus alterius cujusque Univerſitatis, ut ſunt Magiſtratus ſingularum Urbium. Et tamen his idem licere, ex facto ſe reſpondiſſe memorat Buſius ad *d. l.* 7. §. 1. *ff. Quod cujusque Univerſ. nom.* & ſic quoque alius, de jure conſultus, reſpondet *Conſil. Holl. T.* II. *Conſil.* 84. Quin & Judices Leidenſes 1. Sept. 1578. & ex appellatione Curia Hollandiæ 5. Nov. 1579. (17) quemdam, pro debito Civitatis detentum, in ſolidum damnarunt, non alia ratione, quam quod Magiſtratus, Univerſitatis nomine, obligationem contraxerat. Similiter eadem Curia judicavit anno 1588. & etiam, in cauſa appellationis, Senatus Supremus 18. Sept. 1590. (18). Sed puto vitioſa eſſe illa Reſponſa, & vitioſas quoque eſſe illas Sententias, quia Magiſtratus ſuo jure non recte obligat Cives ſuos, & privata eorum bona. Et ſic etiam alii rectius reſponderunt *Conſil. B. T.* IV. *Conſil.* 57. *Suo*, inquam, *jure*, nam ſi Princeps id iis conceſſerit, aliud dicerem, quia ex ejus auctoritate obligatio tunc cenſenda eſt. Aliud quoque dicerem, ſi Cives, in hanc rem coacti, ejusmodi obligationi conſenſerint, ſic enim naſcitur ſponſio Civitatis, & ex ea ſponſione ſinguli obligantur. Atque id ipſum eſt, quod non obſcure indicant Conſultores *d. Conſil. B. T.* IV. *Conſil.* 57.

CAPUT XIV.

An liceat Urbes, earumque mœnia exſtruere, reficere, extendere, munire ſine conſenſu Principis?

Muros exſtruere non licet ſine auctoritate Principis, adeo ut neque apud Præſidem ſit ejus rei poteſtas inconſulto Principe, ut eſt apud Modeſtinum in *l.* 6. *ff. de Oper. publ.* de reliquis Operibus publicis tantundem dicit in *d. l.* 6. Quod ſic intelligendum, ſi ſumptu publico exſtruantur *l.* 3. §. 1. *ff. Eod.* alioquin ſub quibusdam cautionibus permittit *d. l.* 3. *pr.* Quæ *mœnium*, eadem & aliorum *Operum publicorum* eſt ratio: unde & apud varios Auctores promiſcua eſt earum vocum ſignificatio, ut obſervavit Salmaſius ad *Hiſtor. Aug. Scriptores* in *Commodo C.* 17. Atque inde templum, ut in Colonia Tarraconnenſi ſtrueretur Auguſto, non niſi petentibus Hiſpanis conceſſum eſſe ſcribit Tacitus *L.* I. *Annal. C.* 78. & Pruſenſibus a Trajano data poteſtas exſtruendi novum balneum, ut refert Plinius *L.* X. *Epiſt.* 24. & 25. Nec aliter obtinuit apud antiquos Hollandos. Quare Philippus Burgundus Weſterwoudanis Curiam exſtruere permiſit 29. Nov. 1444. (1). Idemque idem permiſit τοῖς in Sybekarſpel en Benningbroek 27. Sept. 1462. (2). Exſtat etiam privilegium Philippi II. Hiſpan. Regis, quo Alkmarianis 4. Nov. 1557. novam Zugoſtaſiam habere conceſſit (3). De novis Eccleſiis exſtruendis varia quoque ſunt Hollandiæ Gravionum privilegia, quæ nunc non recenſeo.

Sed hæc quidem de Operibus novis, ſemel enim exſtructa, ſine conſenſu Principis, reficere licere, ecquis dubitare auſit? Ædes labantes Deorum, muros Urbium, ruinam minitantes, reficere, fulcire, & quovis modo tueri, ad Magiſtratuum curam cum maxime pertinet. Quemadmodum olim Ædiles Romani, quemadmodum alibi alii Magiſtratus varie appellati, Opera publica ſarta tecta conſervarint, & adhuc conſervent, non eſt, qui ignorat, ullus. Eam Magiſtratuum eſſe curam ſola ratio perſuaſerit, ſed, ſi auctoritatem deſideres, ecce Impp. in *l.* 5. *C. de Oper. publ.* poſtquam negaverant, ſumptu publico Opera nova, ſine auctoritate ſua, exſtrui oportere, nominatim addunt: *ea tamen inſtaurandi, quæ jam deformibus ruinis intercidiſſe dicuntur, univerſis licentiam damus.* De muris tamen contradicere diceres Ulpianum in *l.* 9. §. 4. *ff. de Diviſ. rer. & qual.* cum ait, *muros Municipales nec REFICERE licere ſine Principis aut Præſidis auctoritate.* Scrupulum habet ille locus, ſed vulgo non animadverſum, quæſivi ejus Interpretem idoneum, at non inveni. Quidni muros, qui collabuntur, reficere liceret ſine auctoritate Principis vel Præſidis? Cave exiſtimes, in *muris* vel in *muris Municipalibus* eſſe hic aliquid, quod ſingularem notionem deſideret. Quid igitur? ego per *muros reficere* in *d. l.* 9. §. 4. potius intellexerim muros, ex qua cauſa antea dejectos, rurſus exſtruere: ut licuerit quidem muros labantes *reparare*, καταρτίζειν, ſed non licuerit deſtructos *de novo facere*, ἀνιστᾶν, absque auctoritate Principis aut Præſidis. Vox ἀναστάσεως hic eſt cum in Baſilicis, tum in Scholiis, & *inſtaurationem* ſignificat. Fac igitur muros auctoritate Principis dirutos, vel ex Pacto cum alio Principe, qualia Pacta inter finitimos Principes ſæpe intercedunt, vel jure victoriæ, ut muri Hieroſolymorum diruti apud Tacitum *L.* V. *Hiſtor. C.* 9. vel in modum pœnæ, contra Urbes rebelles exercitæ, eos non licebit ἀνιστᾶν, *rurſus exſtruere*, niſi adhibito Principis aut Præſidis conſenſu.

Sic interpretor *reficere* in *d. l.* 9. §. 4. & ſic, quod Ulpianus dixit, rationem habet, quam alioquin non haberet. Exemplum, ex recentiori hiſtoria, præbeant Alkmariani noſtri in Hollandia Boreali. Hi a Philippo Burgundo, ob rebellionem, olim damnati ſunt, ne portas vel munitiones habere vellent. Cum tamen invadi metuerentur, Curia Hollandiæ 8. Jul. 1445. (4) ejusdem Philippi nomine, Magiſtratui conceſſit, Urbem ſuam portis claudere & munire liceret, manente tamen condemnatione, ut nempe rurſus tollerentur portæ & munitiones, ſimulac imperatum eſſet. Quod autem de Præſide ait *d. l.* 9. §. 4. forte accipiendum eſt de eo caſu, quo id Alkmarianis permiſit Curia Hollandiæ (quæ & ipſa putat ſe Præſidis officio fungi) ſi ſcilicet hoſtium metus urgeat, ceteroquin ea res Præſidis

(17) *Deciſ. mixt.* 71.
(18) *Ibidem Deciſ.* 170.
(1) *Handveſten van Weſtwoude* p. 37.
(2) *Handveſten van Sybekarſpel en Bennigbroek* p. 44. A.
(3) *Handveſten van Alkmaar* p. 45.
(4) *Ibidem* p. 22.

dis poteſtatem excedit, ut modo dicebam ex *d. l. 6. ff. de Oper. publ.* Atque illa Philippi Burgundi ſententia contra Alkmariam, tanquam Urbem rebellem, lata mihi videtur cauſam dediſſe, quod in Edicto Caroli V. 11. Oct. 1531. (5) & in alio ejusdem 18. Jan. 1549. (6) §. 12. ea, quæ clauſis Urbibus ibi tribuuntur, nominatim quoque porrigantur ad Hagam & *Alkmariam*, & ipſa *Alkmaria* poſt Hagam commemoretur. Ut ſic non tam jure ſuo, quam precario Haga & Alkmaria jura Urbium exerceant, neque ſcio, an meliore jure nunc Alkmaria exerceat, cum abolitam eſſe illam Philippi ſententiam nondum compererim. Hoc comperi, Alkmariam, non ſecus atque alias Hollandiæ Urbes, jura Urbium perfecte exercere.

Sane extendere & proferre Urbium & Oppidorum mœnia, injuſſu Principis, Magiſtratibus non licet; idque & in Hollandia obſervari JCti Hollandi ſcribunt (7). Duplex ejus rei mihi videtur eſſe ratio, altera, quod non recte proferamus mœnia, quin ſimul occupemus privatorum fundos, mœnibus vicinos, quod Magiſtratuum poteſtatem longe lateque excedit; altera, quod ſolius Principis ſit curare, ne vetera Urbis munimenta, prolatis mœnibus, abſorbeantur, ſin autem, exſtruantur nova ad arcendos, ſi ingruant, hoſtes vel latrones. Privilegiis igitur Principum in hanc rem opus eſt, quemadmodum & hæc in Hollandia variarum Urbium Magiſtratus imploraſſe & impetraſſe, ex Actis publicis conſtat. Sic Albertus Bavarus Amſterdammenſibus anno 1386. poteſtatem dedit (8), ſi neceſſitas poſtularet, *de vryheid van haar Stede te mogen meeren en uytſetten tot honderd garden toe.* Unde & Statutis Amſterdammenſium continetur (9): *zoo wes huyſinge en erve die Raden hebben willen ter Stede behoef, of ter Kerken behoef, dat zullen die Raden van der Stede hebben tot 's Geregts ſeggen.* Etiam recentiora quædam privilegia Amſterdammenſes in hanc ipſam rem obtinuerunt ab Ordinibus Hollandiæ, ut 10. Maj. 1594. (10) & 7. Aug. 1609. (11) quo poſtremo privilegio generaliter & indiſtincte id iis permiſſum eſt. Idem Albertus Bavarus Leidenſibus quoque 15. Jun. 1386. privilegium dedit (12), ut iis occupare liceret privatorum fundos extra Urbem, ad eam ſcilicet muniendam & cingendam, ſed ſimpliciter ad extendendam Ordines Hollandiæ 6. Maj. 1611. (13). Unde & Legum Leidenſium §. 47. idem iisdem fere verbis continetur, quod Statuto Amſterdammenſi, cujus verba ſic exhibui. Alkmariano Magiſtratui Ordines Hollandiæ idem permiſere 17. Mart. 1598. (14) & id ipſum quoque habet §. 44. Conſuetudinum Alkmar. (15) Atque ille ipſe Albertus Bavarus, qui Amſterdammenſibus & Leidenſibus priora illa privilegia dedit, Weeſpenſibus etiam anno 1401. conceſſit (16), *der Stede vryheid te mogen meeren en langen 50. Roeden.* Quum tamen Haarlemenſes anno 1671. urbem ſuam extenderent, nullam ullius privilegii mentionem factam vidi (17).

An inconſulto & invito Principe Arces exſtruere vel Urbes munire liceat, non uſquequaque videtur conſtare. In mandato criminali, quo Dynaſta Orangius 19. Jan. 1567. (18) ad tribunal Ducis Albani vocatus eſt, inter alia ei objectum, quod Comiti Brederodio Vianæ muniendæ auctor fuiſſet. Cui Orangius Apologia ſua, anno 1568. edita (19), reſpondit, in Belgio ſemper licuiſſe Toparchis loca ſua munire, & quam plurima ejusmodi munitionum exempla exſtare. De Viana nihil definio, quia hæc tunc & deinceps, donec ab Hollandis empta eſt, ſui juris eſſe dicebatur, ſed quod Orangius ait de univerſo Belgio, forte referendum ad antiquiora tempora, quibus ipſa Hollandia erat ſciſſa in diverſa Imperiola, quæ ſingula erant ſui juris, & proprio Marte bellum gerebant, atque ita & ſe muniebant contra vicinos ingruentes. Poſtquam autem hæc Imperiola coaluerunt & in unum Principem conceſſerunt, ego non auſim, injuſſu ejus Principis, Magiſtratibus & Toparchis tribuere poteſtatem muniendi Urbes vel alia quæcunque loca. Quid enim ſi muniant adverſus ipſum Principem? id utique nullo jure licet, & de eo conſtituere ſolius Principis eſt. Vix etiam fiunt munitiones, niſi occupatis privatorum ædibus vel fundis, atque hæc occupare ſolius quoque Principis eſt, vel, ut ſupra dicebam, Magiſtratus ex ſolo Principis privilegio.

Inde eſſe opinor, quod apud Romanos in Provinciis non licuerit niſi proprios fundos muro cingere *l. 10. C. de Ædif. priv.* & quod & his tantum fas ſit poſſidere Caſtella, quibus adſcripta ſunt, neutiquam vero privatis *l. 2. C. de Fund. limitr.* & quod Magiſtratus ſæpe prece, ſæpe & pretio ab Imperatoribus obtinuerint poteſtatem Urbes ſuas muniendi. Judæi certe, *per avaritiam Claudianorum temporum, empto jure muniendi, muros ſtruxere in pace, tanquam ad bellum*, ut auctor eſt Tacitus *L. V. Hiſtor. C. 12.* Et inde eſt, quod Ludovicus Bavarus Imper. IV. anno 1322. Godefrido, Comiti Chiniacenſi, ſingulari privilegio, in rei fortiter geſtæ præmium, permiſerit Arcem condere intra fines Imperii (20). Huc quoque refero, quod Stephanus, Anglorum Rex, Nobilibus in Anglia, per modum privilegii, conceſſerit Caſtella exſtruere, quibus tamen deinde adverſus ipſum Regem uſi ſunt. Quo periculo cautior factus Henricus II. illa, permiſſu Stephani, exſtructa Caſtella, iterum evertit (21). His convenit privilegium, quod Wilhelmus Bavarus 15. Maj. 1355. Dordrechtanis dedit in hæc verba (22): *dat niemand binnen onſen Lande van Zuyd-Holland Veſten ofte Borgten maken mag, voorder dan twee Roeden voeten dicke, 't en ware op die palen of op die kant van onſen Lande, en dat by onſen wille, en tot onſer behoef.* Cui privilegio ſimillimæ ſunt *d. l. 10. C. de Ædific. priv.* & *d. l. 2. C. de Fund. limitr.* quod nempe liceat proprios fundos muro cingere,

(5) *Plac.* I. 2. 47.
(6) *Ibidem* II. *Append.* p. 2060.
(7) Van Leeuwen ad Peckium *de Arreſtis C.* VI. n. 6.
(8) *Handveſten van Amſterdam Edit.* 1663. p. 6.
(9) *Ibidem* p. 197. n. 7.
(10) *Ibidem* p. 98. n. 3.
(11) *Ibidem* p. 104. n. 9.
(12) Van Leeuwen ad Peckium *de Arreſtis* d. C. VI. n. 6.
(13) *Plac. Holl. T. I.* p. 371.
(14) *Handveſten van Alkmaar* p. 69.
(15) *Ibidem* p. 77. A.
(16) *Handveſten van Weeſp* p. 3.
(17) *Hollandſche Mercurius* 1671. p. 121-125.
(18) Bor *Nederl. Oorlogen*, *Append. van Authentique Stukken T. I.* p. m. 15.
(19) Idem *Ibidem* p. m. 11.
(20) Apud Burgundum *Hiſtor. Bavar. L. I.* p. 16.
(21) In *Floro Anglico* p. 21. 22. & 27.
(22) Oudenhoven *Zuyd-Holland* p. 414.

re, ſed non habere Caſtella in uſum privatum. Quum vero, ut jam indicavi, extenſiones & munitiones Urbium ſæpiſſime occupent privatorum ædes & fundos, jus illud occupandi, ſoluto ex arbitrio boni viri pretio, privilegiis, quæ Magiſtratus impetrant, fere inſertum eſt, ut privilegio Leidenſium 15. Jun. 1386. & Amſterdamenſium 10. Maj. 1594. cujus utriusque ſupra memini. Si privilegio indigeant Urbes, quæ jus ſuffragii habent in Comitiis Ordinum, ecquid judicabis de iis, quæ jus ſuffragii non habent? ſæpe tamen & de harum munimentis tumultuoſe turbatum eſt, ſed hæc omnia commemorare longum eſſet.

CAPUT XV.

De Dominio eminente nonnulla, & de refundendo pretio eorum, quæ jure ejus dominii occupantur.

Illa poteſtas, qua Princeps ſupra ſubditos eminet, *dominium eminens* vel *ſupereminens* appellant Scriptores Juris Publici, ſequuti Grotium, qui ita præivit *L.* I. *de Jure B. & P. & C.* 3. §. 6. *n.* 2. & *L.* II. *C.* 14. §. 7. & 8. Adſentior tamen Thomaſio ad Huberum *de Jure Civitatis L.* I. *Sect.* 3. *C.* 6. *n.* 38. exiſtimanti, rectius dici *Imperium eminens*, quam *dominium eminens*: nam quicquid ejus juris exercent Principes, proficiſcitur a ſuprema eorum poteſtate. Unde Seneca, cum hoc jus exprimeret, *poteſtatis* voce uſus eſt *L.* VII. *de Benefic. C.* 4. *Ad Reges*, inquit, *poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas.* Poteſtas illa eminens porrigitur ad perſonas & bona ſubditorum, & facile largientur omnes, ea ſublata, Civitatem ſalvam eſſe non poſſe. Ex ea poteſtate bellum indicitur, pax pangitur, fœdera ineuntur, tributa & vectigalia imperantur, ſubditi eorumque bona, etiam in ſolidum, obligantur, quin & occupantur res ſingulorum, ſi ita viſum fuerit Principi. De ea Principis poteſtate nemo, qui ſapit, dubitavit unquam, ſed de finibus ejus regundis omnis diſputatio eſt. Si fingas Principem, cui, quod libet, licet, fruſtra diſputamus, ſed de eo agimus, qui bono publico conſulit, & eorum, quæ decernit & imperat, rationem reddere poſſet, ſi deberet. Juſtus Princeps ipſe Imperio ſuo terminum ſtatuit, nec extimeſcit aliorum de finibus ejus regundis judicium. Priusquam autem hos recte regas, recenſendæ omnes ſpecies Imperii eminentis, de ſingulis deliberandum & caute pronunciandum eſt. An id præſtiterit Jacobus Andreas Cruſius, Reipublicæ Mindenſis Syndicus, *Tractatu Hiſtorico-Politico-Juridico de Præeminenti Dominio Principis & Reipublicæ in ſubditos, eorum bona ac jus quæſitum*, malim te ibi legere, quam ex me intelligere. Exſtat ille libellus inter ejus *Opuſcula varia*, quæ Mindæ prodierunt anno 1668. Si excuterem, quæcunque ille dixit, modum, quem mihi præſcripſi, excederem, & ſimul Augiæ ſtabulum purgarem.

De ea ſpecie duntaxat agere conſtitui, qua Princeps, ex Imperio eminenti, ſubditis aufert jus quæſitum, ſive id conſiſtat in re mobili, ſive immobili, ſive in actione. Id Principi licere inter omnes conſtat, ſed non æque conſtat, ex qua cauſa liceat. Pufendorfius *L.* VIII. *de Jure Nat. & Gent. C.* 5. §. 7. ubi de eo jure Principis agit, exiſtimavit, *dominio eminenti locum non eſſe, niſi Reipublicæ NECESSITAS requiſiverit*, ita tamen, ut poſtremum neceſſitatis gradum non deſideret. Grotius ſola *utilitate* contentus eſt *L.* II. *de J. B. & P. C.* 14. §. 7. nam, ut jus quæſitum ſubditis auferatur *ex vi ſupereminentis dominii, primum*, inquit, *requiritur, UTILITAS publica, deinde, ut, ſi fieri poteſt, compenſatio fiat ei, qui ſuum amiſit, ex communi.* Et mox §. 6. *Subditorum jus ei dominio ſubeſt, quatenus publica UTILITAS deſiderat.* Sane veriſſimum eſt, ex utraque cauſa, tam neceſſitatis, quam utilitatis id jus & olim exercuiſſe Principes, & nunc paſſim exercere. Sed & ſæpe utilitas in neceſſitatem incidit, ut non facile hanc ab illa diſtinxeris; quodque alius utilitatem, alius neceſſitatem appellabit. Ipſe non intercedo, nec ſcio quemquam intercedere, quominus Princeps ex utraque cauſa eo jure uti poſſit. Quia autem res eſt invidiæ plena, jus quæſitum cuiquam hominum auferre, oportet Principi ſemper ſuccurrat,

Non modo quid liceat, ſed quid feciſſe decebit.

Succurrat & modeſtia Auguſti, qui, ut narrat Suetonius in *ejus Vita C.* 56. *forum anguſtius fecit, non auſus extorquere poſſeſſoribus proximas domos.* Succurrat etiam moderatio Senatus Romani, qui, cum Reſpublica ſolvendo non eſſet, maluit agros publicos vendere, quam Creditoribus ſuo die non ſolvere penſiones, quas debebat, ut eſt apud Livium *L.* XXXI. *C.* 13. Denique ſuccurrat, eo jure Imperii eminentis prudentiſſime utendum, non temere abutendum eſſe, temere autem abuti Principem, ſi non idonea ratio in hanc rem cogat, & ſi plus auferat, quam omnino neceſſarium eſt vel utile in rem publicam. Sin autem urgeat ratio idonea, quicquid aufert, auferet quam minimo ſubditorum detrimento, & ſoluto, ex arca communi, pretio. Qui aliter in animum induxerit ſuum, prædo potius eſt, quam Princeps.

Quod dixi de ratione idonea, interpretationem deſideraret, ſi jam non intelligeres, quicquid ejus rei eſt, ad neceſſitatem vel utilitatem publicam eſſe redigendum. Si, ut Grotius ait, id jus exercere liceat ex utilitate publica, multo magis licebit ex neceſſitate publica, ſalus enim populi ſuprema lex eſt. Viæ publicæ utique neceſſariæ ſunt, cum ſine his nec commeare, nec commercia frequentare liceat. Quid igitur, ſi via publica vel fluminis impetu vel ruina amiſſa ſit? Vicinum proximum viam præſtare debere, ex Caſſio ſcribit Javolenus in *l.* 14. §. 1. *ff. Quemadmodum ſervit. amitt.* Tantum fundo vicini proximi detrahetur, quantum ad viam ſufficit, idque exigit neceſſitas publica. Sed utilitatis publicæ appellatio quousque porrigetur? Procul dubio ejus rei arbitrium penes ipſum Principem eſt, ſed quærimus, quousque, ſalvo viri boni officio, porrigere poſſit? nolim commemorare mille ſpecies utilitatis publicæ, quæ incidere poſſint, & de ſingulis ire in conſilium, ſuffecerit quaſdam indicare, de quibus inter omnes conſtat, & ab his diſce reliquas. Poteſtas eminens utique exerceri poteſt ad occupanda ea, ſine quibus Opera publica, templa forte & fora, exſtrui non poſſunt. Atque inde eſt, quod privati, etiam inviti, ad ejusmodi Opera, domos ſuas teneantur vendere *l.* 9. *C. de Oper. publ.* Si id noluerit Auguſtus, ejus modeſtiæ tribuendum eſt. Nulla Civitas eſt, quæ non Opera publica deſiderat,

derat, & ſi ad hæc exſtruenda liceat privatorum domos occupare, multo magis licebit per eorum fundos canales fodere, ad uſum navium, & ad extendenda vel munienda Urbium Oppidorumque mœnia privatorum ædes diruere, agros vindicare, &, quicquid obſtat, amovere. Ex iis ſane cauſis non tantum ipſe Princeps recte exercet jus Imperii eminentis, ſed & eo, datis privilegiis, recte cedit Urbium Oppidorumque Maſtratibus, ut declarant exempla, quæ attuli *Capite proximo*. Hæc autem omnia an ad neceſſitatem, an ad utilitatem publicam referas, nihil quicquam ad me, qui ex utraque cauſa Principi id jus largior; tricentur de eo alii, quibus placet verbis ludere, nam, ut dixi, in re ipſa conſentiunt omnes. Munimenta utique exſtruimus, non tantum appropinquante hoſte, ſed & media pace, & utroque tempore pari jure licet. Etiam media pace id exigit neceſſitas Reipublicæ tuendæ, quia tumultuaria munimenta, quæ appropinquante hoſte fiunt, ei repellendo non ſolent ſufficere.

Sed, ut factorum, ita & judiciorum magna eſt diverſitas. Quod aliis neceſſarium, aliis ne quidem utile videbitur. Fac, Principis libertatem periclitari, ſi non exerceat Imperium eminens? & ſic ipſi ſedere, aliis non ſedere? In Zelandia haud ita pridem hæc res magnis animis acta, neque inter Provincias Fœderati Belgii adhuc tranſacta eſt. Zelandiæ Ordines ex hæreditate Wilelmi III. Dynaſtæ Orangii, jus aliquod Feudale, quod ipſe habuerat in Veram & Vliſſingam, occuparunt, Decreto in hanc rem facto 17. Nov. 1732. (1). Verebantur ſcilicet Ordines, ne Wilelmi heredis heres, ſi Vaſallus esſet, exercendo illud jus Feudale, libertati ſuæ obreperet. Ille contra cenſebat, & quum pretium, quod Ordines pro abolito eo jure ei numerare parati erant, nollet accipere, depoſitum eſt. Interim poſſident Zelandi, quo exitu, dicat, qui vates eſt. Zelandorum partes ſequuntur Hollandi, & ex Fœderatis alii. Alii rurſus de injuria Zelandorum prolixe queruntur, & in utramque ſententiam exſtant libelli, ſatis animoſe conſcripti. Prudentiæ erit, ne hic exponam, an in ea cauſa ratio ejus juris occupandi ſatis fuerit idonea, nec ne, neque etiam caperet hic locus, quicquid eſt ejus argumenti.

Qui, ut Imperium eminens exerceri poſſit, neceſſitatem vel utilitatem publicam deſiderat, ut ipſe deſidero, reliquas cauſas, ſine exceptione omnes, excludit. An igitur, ut ſubditus re ſua carere tenetur ex utraque, quam dixi, cauſa, ita quoque tenebitur ex cauſa voluptatis vel amœnitatis publicæ, vel etiam ex cauſa ſolius ornatus publici? non putaverim, neque etiam putavit Senatus Romanus in cauſa M. Licinii Craſſi, nolentis per fundum ſuum derivari aquæductum, quem moliebantur Prætores, quique non aliam, quam voluptatis & ornatus cauſam habere dicebatur. Rationes in utramque partem & Decretum Senatus retulit Auctor *Diſquiſitionum Politicarum Caſu* XXXI. Ita quidem cenſuit Senatus Romanus, ſed alia ſententia uſus eſt Wilelmus I. Dynaſta Orangius, in Diplomate, ſub nomine Philippi II. Hiſpaniarum Regis, edito de inſtitutione Academiæ Leidenſis 6. Jan. 1574. (2) eo quippe conceſſit Magiſtratui Leidenſi ædes, aliaque loca publica privatave, ſoluto dominis privatis pretio, quocunque tempore deſtruere & occupare, non modo ad Academiæ exſtructionem, ſed & ad ornamentum aut Studioſorum voluptatem, *tot cieraat der zelve, en de recreatien der Studenten eenigſints dienlyk, behoudelyk dat zy luiden gebouden worden de particuliere eigenaars of beſitters van de private huyſen alleenlyk te vergenoegen tot ſchattinge van Schepenen.* Hac Juris publici prudentia ego non uterer, nec uſus eſt Senatus Romanus in cauſa Craſſi, nec etiam uſus fuiſſet Auguſtus, non auſus, ut dixi, dominis extorquere domos, ubi longe major erat ratio.

Ex quacunque autem cauſa res vel actiones ſubditorum ad bonum publicum occupantur vel deſtruuntur, æquum & juſtum eſt, quod addit Grotius *d. loc.* pretium dominis e publico eſſe reſarciendum. Atque ita Tiberius ſubvenit Pio Aurelio Senatori, queſto, mole publicæ viæ, ductuque aquarum, labefactas ædes ſuas, ut memorat Tacitus *L.* I. *Annal. C.* 75. Et in *d. l.* 9. *C. de Oper. publ.* definitum eſt, ſi qua domus ad Opus publicum diruatur, ad quam ſummam ejus pretium æſtimare poſſit Magiſtratus, ſin autem major ſumma impendenda ſit, ipſius Principis eſſe æſtimationem. Quin omnibus fere Privilegiis & Conſuetudinibus, *Capite præced.* enumeratis, inſertum eſt, ſi Magiſtratus ad neceſſitatem vel utilitatem publicam privatorum ædificia vel prædia occupaverit, dominis pretium esſe refundendum æſtimatione Judicum, vel boni viri arbitratu; plane ut in diplomate Wilelmi I. cujus ſic memini.

Tantundem dicerem, ſi, ad hoſtem arcendum, ædificia ſuburbana comburantur vel proſternantur, & ita quoque judicavit Curia Friſiæ 17. Maj. 1611 (3). Perperam contradicitur ex *l.* 49. §. 1. *ff. ad L. Aquil.* quia nihil ait ille §. 1. quam ceſſare Aquiliam in ea ſpecie, ubi damnum non eſt datum *injuria*, & id habet rationem, cum Aquilia ſit pœnalis; Aquilia igitur excluditur, deſtructis ob bonum publicum privatorum rebus, ſed non excluditur actio in factum ad verum rerum deſtructarum pretium.

Quare nec indiſtincte probarem aliam ejusdem Curiæ Friſicæ ſententiam, latam 20. Dec. 1623. (4) qua pretium pomarii ſuburbani, ne hoſtis in eo lateret, exſtirpati, negavit dominis, eædem namque rationes, quæ militant pro pretio domus combuſtæ, militant quoque pro pretio exſtirpati pomarii. Sed hoc ſolo forte juſta eſt d. ſententia 1623. quod pomarium, de quo agebatur, tunc temporis pertinuerit ad eum, qui deſerta Patria ad hoſtes tranſierat. Scio Peckium ad *C.* 18. *& C.* 79. *de Reg. Jur. in* VI. ubi ea ratio ſingularis non erat, ſic tamen ſapuiſſe, & in alia cauſa reſpondiſſe, ut judicavit Curia Friſiæ d. 20. Dec. 1623. Scio & hanc ſententiam probaſſe Cruſium *de Dominio præëminenti Principis C.* 5. quod nempe, qui ædificia vel pomaria ſuburbana exſtruunt, verſentur in re illicita, atque ita damnum, quod ſentiunt, ſua culpa ſentiant. Sed ego Legem non novi, quæ generaliter prohibeat ædificia ſuburbana exſtruere, nam *l.* 14. *C. de Oper. publ.* ad quam provocari video, eſt de *parapetaſiis*, hoc eſt, de iis, quæ Operibus publicis annexa & affixa ſunt, ut recte explicavit Jacobus Gothofredus ad *l.* 39. *C. Theod. d. Tit.* Hæc exſtrui vetantur propter metum incendii, aliasque rationes quas ibi, ſi commodum eſt, leges.

Si

(1) Exſtat ſeparatim & inter *Acta Ordinum.*
(2) *Plac.* III. 3. 7. 1.
(3) Apud Sande *Deciſ. Friſic. L. V.* 7. 3.
(4) Apud eundem *L.* V. 7. 4.

Si qua vero lege vetitum ſit prope Urbem ædificare, & tamen ædificatum ſit, ædificia, quandocunque placuerit, recte deſtruuntur, non modo non refuſo pretio, ſed & commiſſa pœna, contra facientibus ſtatuta, ut palam cautum eſt §. 79. LL. Leidenſ. Et cum Alkmariani petiiſſent, ædificia intra 200. perticas a munimentis ſuis ne exſtruerentur, & exſtructa tollerentur, Carolus V. conſtituit 15. Sept. 1528. (5) ne quis exſtrueret intra 100. perticas, ſed, quæ exſtructa eſſent, manerent. Rurſus Wilelmus I. Dynaſta Orangius, 26. Oct. 1573. conſtituit (6), ne quis intra 600. perticas a mœnibus Alkmarianis ædificia exſtrueret, ſin autem, Magiſtratui, quando videretur, liceret deſtruere. Si deſtructio pendeat ab arbitrio Magiſtratus, neque præſcriptio in hac cauſa proderit, quemadmodum neque hanc in ſimilibus prodeſſe, ſatis intelligimus ex *l.* 6. *C. de Oper. publ.* Quin & ſæpe permittuntur exſtructiones prope Urbem, ſed ea lege, ut ædificatores eas teneantur tollere ſuo ſumptu, ſimulac Magiſtratus juſſerit; & ſic eſt in privilegio quodam, quod Philippus II. Amſterdammenſibus dedit anno 1556. (7). idque apprime convenit antiquis Amſterdammenſium Statutis 22. Apr. 1399. & ult. Mart. 1401. Huc etiam pertinet privilegium Schoonhovenſium 14. Mart. 1549. (8) ex quo pretium arborum, quæ exſtirpandæ erant, ſolvitur iis dominis, qui tunc arbores habebant prope molas aquarias, ſed qui poſtea plantarent, eorum ſumptu eruerentur, addita etiam contra facientibus pœna.

Atque hæc quidem in hiſce cauſis. Sed quidni generaliter ſtatuamus, omne damnum, quod privati ferunt pro neceſſitate vel utilitate communi, commune, & proinde ex arca publica reſarciendum eſſe? Ita ſane reſponſum eſt *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 182. *in fin.* Sed quum anno 1672. ruptis aggeribus aqua in Hollandiam eſſet immiſſa ad arcendos hoſtes, metuebat ille Conſultor, ne Ordines damnum, agris datum, non reſarcirent, quia, inquit, agris ad munitiones captis, nullum dominis pretium refunditur. Res ipſa vera eſt, ratio minus vera. De damno, per aquam immiſſam dato, non fruſtra metuit, non modo, quod ne tantum quidem Ordinum fuerit in loculis, unde aquæ illud damnum reſarcirent, ſed quod id damnum videatur damnum belli vulgare, ut ſi placuerit ibi potius, quam alibi cum hoſte confligere, caſtra metari, & quæ ſunt id genus alia. Damnum, quod oritur ex calamitate belli, oportet, ut omnes ſubditi æquo animo ferant, nec ejus ulla unquam fit reſtitutio. Sed quod ait Conſultor, non refundi pretium agrorum, qui muniendi ergo capiuntur, fortaſſe verum eſt fervente bello, quamdiu legibus ſilentium imponunt arma, aut cum munitiones fiunt tumultuariæ, & ad tempus, ſed cum exſtruuntur in perpetuum, id verum eſſe nondum potui animadvertere. Repugnant leges, quas *hoc & præcedenti Capite* attuli, repugnant mores, hic & alibi Gentium recepti. Hiſpani certe anno 1667. agris quorundam prope Bruxellas, muniendi cauſa, captis, publice edixerunt (9), quantum damni quisque cepiſſet, ex Ærario publico reciperet. Recordor & Francos anno 1699. Argentorati idem edixiſſe. Sed ubique exemplorum abunde eſt.

CAPUT XVI.

Ut ſolius Principis eſt crimina remittere, ſic ejus ſolius eſſe videri, criminum impunitates publice promittere.

Ne ulla crimina remitterentur, publicæ Diſciplinæ vigor exigebat, ſed hunc, ob bene merita forte, aliasve cauſas, ſæpe ſubegit Reipublicæ utilitas, quam nec moroſe nimis aſpernatus eſt Populus Romanus, virtutis alioquin veræ cuſtos rigidusque ſatelles. Sed turpiſſime deinde Gentes, tantum non omnes, eo jure ſunt abuſæ. In Belgio ſane olim in perniciofam Reipublicæ frequentiam abivit remiſſionum licentia, inde fere nata, quod quam plurimi id jus exercuerint, ut obſervat & ſimul increpat Philippus II. Hiſpan. Rex, in §§. 15. 20. & 24. Edicti de Criminibus 5. Jul. 1570. Exercuerunt utique varii Toparchæ, quin & Abbatiſſa Rynsburgenſis, etiam 29. Aug. 1560. (1). Quod autem plurimi exercuerint, tribuo diverſis Ditiunculis, ex quibus olim Belgium, & ipſa Hollandia conſtabat, & quarum pleræque ſui juris erant; ſed poſtquam hæ in unum Principem ceſſere, ejus ſolius eſſe videbatur ea exercere, quæ ſupra Leges ſunt, & ad jura Supremæ Poteſtatis pertinent. Unde & Philippus II. in *d.* §§. 20. *&* 24. Ed. de Crim. 1570. generaliter conſtituit, ne cuiquam liceret crimina remittere, niſi Comiti, Gubernatori Generali, vel denique ei, cui id ſpecialiter conceſſum eſſet.

Sed ex quo Principatus Hollandiæ & Zelandiæ ad ipſos Ordines ex aſſe pervenit, eorum eſt crimina remittere, & diplomata in hanc rem largiri, atque ita etiam utrique Ordines invicem pacti ſunt 11. Jul. 1674. (2). An autem & quemadmodum olim Ordines hanc remittendi poteſtatem cum Dynaſtis Orangiis, qua utriusque Provinciæ Gubernatoribus, communicaverint, & an hi, ſecundum Codicillos ſuos, eam exercuerint, non vacat nunc inquirere, contentus monere, exſtinctis Gubernatoribus, præter ſolos Ordines in Hollandia & Zelandia neminem eſſe, qui ullius delicti gratiam cuiquam facere poſſit. Et ideo videntur errare Magiſtratus, qui, cum juris duntaxat habeant exercitionem, imprudenter quandoque ſeſe in Principem erigunt. Huc pertinet, quod de Magiſtratu quodam relatum eſt (3), eum pœnam mortis, antea decretam, mutaſſe, & reum duntaxat ad triremes damnaſſe, nam, qui pœnam mitiorem ſtatuit, quam Leges imperant, delicti gratiam facit, idque ſolius Principis eſt. Huc quoque refero, quod Magiſtratus Groninganus anno 1662. propoſito Amneſtiæ Edicto, ſeditioſis quibusdam pœnam remiſerit, nam Amneſtia non recte proficiſcitur niſi a Summa Poteſtate, & ideo etiam

(5) *Handveſten van Alkmaar* p. 32. *&* 33.
(6) *Idem* p. 60. *&* 61.
(7) Hooft *Nederl. Hiſtor. L. II.* p. 63 *&* 64.
(8) *Plac.* II. 5. 9. I. 98.

(9) Aitzema *Hiſtor. L. XLVII. p.* 635.
(1) Pars *Catti Batav. aborig.* p. 402.
(2) In §. 34. *van het nader Proviſioneel Accord.*
(3) *Conſil. Holl.* III. *Amſterd. Append.* p. 10.

etiam Groningæ & Omlandiæ Ordinum delegati Judices illam Amneſtiam, utpote a non Principe profectam, anno 1663. inſuper habuerunt (4).

Sed an dicemus, Magiſtratuum quoque poteſtatem excedere, ſi ad detegendos forte facinoroſos impunitatem promittant conſciis & ſociis delicti? non excedere tam extra, quam intra Hollandiam ſcribi video (5). Et poſtquam JCti auctoritate ſua ſic præiverunt, facile ſequuti ſunt Judices, majores minoresque, hanc poteſtatem ſibi promiſcue adrogantes. Curia ſane Hollandiæ, cum Enchuſæ adverſus Rempublicam ingens concitata eſſet ſeditio, 22. Oct. 1653. edixit (6), ſi quis ex ſeditioſis detegeret illos & illos, haberet præmium 2000. florenorum, & inſuper impunitatem delicti, ſi ejus fuiſſet particeps. Rurſus cum quidam criminis reus, ope quorundam, ex carcere evaſiſſet, eadem Curia 19. Mart. 1660. edixit (7), tantum eſſet ejus, qui reum detegeret, præmium pecuniarium, &, ſi delicti eſſet ſocius, impunitas. Etiam mea memoria, in cauſa libelli famoſi, eadem Curia menſe Novembri 1695. conſciis & ſociis delicti, præter alia nonnulla, impunitatem quoque promiſit. Sexcenta forte Curiæ in hanc ſententiam Edicta exſtant. Quin ipſi Urbium Magiſtratus hæc exempla ſequuntur, atque ita Magiſtratus Amſterdammenſis Edicto 16. Aug. 1650. propoſito (8), præmium pecuniarium ſtatuit, ſi quis detegeret auctorem vel impreſſorem libelli famoſi, in Amſterdammenſes compoſiti, promiſſa etiam impreſſori impunitate, ſi auctorem intra octiduum indicaret. Ipſe Magiſtratus Haganus Edicto contra quoſdam ſicarios edito 21. Octob. 1699. impunitatem quoque videtur inſeruiſſe; *videtur*, inquam, promiſit enim nomen delatoris, etſi criminis ſocii, celatum iri, nomen certe ejus, qui in exemplum punitur, celari nequit. Alia ejusmodi exempla publicæ Ephemerides quotidie ſuggerunt.

Dubito tamen, an hæc ullo jure ullave ratione defendi poſſint. Ego ſane didici, omnem delicti gratiam, ex quacunque demum cauſa fiat, proficiſci oportere a ſolo Principe, is & is ſolus eſt, qui gratiam facere poteſt, ſive ex aliqua cauſa, ſi ex nulla. Magiſtratus gratiam facere non poteſt, ne quidem ſi is, de quo agitur, patriam ſervarit. Judicis poteſtas non conſiſtit niſi in jure dicundo, atque ita abſolvitur ſolo exercitio Legum, in quas juravit. Unde & Ordines Hollandiæ 27. Sept. 1668. decreverunt (9), ne qui Judices in poſterum ſententiis ſuis infererent, *præfererende gratie voor rigeur van juſtitie*; cui ſimile quid in Francia eſſe obſervatum refert, & ſimul damnat Mornacius ad *l.* 11. *ff. de Jurisdict.* Non me latet, auctorem *Authenticæ, Hodie C. de Judic.* de obſervatione Legum neſcio quam differentiam ſtatuere inter majores minoresque Judices, ſed illam *Authenticam*, ſine ulla auctoritate, eſſe confictam dudum ab aliis eſt animadverſum. Apud nos utique omnes omnino Judices, etiam utriusque Curiæ Senatores, ex formula jurisjurandi, in hanc rem præſtiti, Legibus obligantur. Et ſecundum hæc, cum quæſtio incidiſſet de Senatu Supremo & Curia Hollandiæ, Hugo Grotius recte dixit (10), non poſſe niſi abſolvere & condemnare, Ordines autem, ex majore Poteſtate, poſſe uti aliis quibuscunque remediis, quæ tranquillitati publicæ magis conducunt. Qui impunitatem promittit & præſtat, abrogat Leges, quæ facinoroſos punire jubent, ex cauſa enim privilegium largitur; quod ſi Judici liceat ex cauſa detecti facinoris, cur non & ex alia licebit? Poterit Judex indicii præmium promittere, ſed pecuniarium, aliudve, quod ejus poteſtatem non excedit. Crimina autem remittere ſolus poteſt Princeps ex quacunque, quæ eum movet, cauſa, ſed ex nulla Magiſtratus, niſi prævia Principis auctoritate, quam, ſi ſapit, implorabit, &, ad indicandos facinoroſos, haud difficulter impetrabit.

Si qua vero Lex ſit, quæ ipſa, ob difficultatem indicii, conſciis & ſociis criminum impunitatem pollicetur, ne quidem prævia auctoritate Principis Magiſtratus indigebit, neque enim tunc intercedo, quominus publice hoc impunitatis præmio invitet & excitet quoscunque delatores, quibus forte ea Lex non innotuit. In cauſa furti crimen remittitur furi, ſi furem detegat ex §. 6. Edicti Ordinum Hollandiæ 12. Mart. 1614. facile igitur patior, ut Magiſtratus hanc impunitatem, quæ ex Lege eſt, publice edicat, & pecuniaria quoque indicii præmia addat. In binis Decretis Ordinum Hollandiæ, 28. Nov. 1733. & 1. Jul. 1735. factis contra varios libros famoſos (11), quibus non tantum privati, ſed cum maxime Proceres præcipuæ dignationis acerbe traducebantur, præmium pecuniarium, primo Decreto 2000. altero 4000. florenorum promittitur iis, qui auctores vel impreſſores eorum librorum indicaturi eſſent, & ſimul additur indemnitas, ſi, qui indicarent, eodem crimine ſe polluiſſent. Neſcio, cur Ordines, hæc decreviſſe contenti, non etiam publice edixerint. hoc ſcio, ſecundum hæc Magiſtratus potuiſſe publice promittere, quod privatim decretum erat: nam ſine promulgatione quemadmodum hæc præmia innoteſcerent Populo? Edicta tamen in hanc rem a Magiſtratibus facta vel propoſita eſſe non comperi, Curia ſane Hollandiæ nihil quicquam edixit, forte quod Ordines curam exſequutionis mandaverint Advocato Fiſci aliisque in Hollandia Accuſatoribus publicis, quorum non eſt publice quid edicere, ſed ſolius Curiæ & Magiſtratuum, quibus tamen ea cura d. Decretis mandata non erat.

Si non præcedat vel ſequatur Principis auctoritas, quæ indemnitati robur addat, vel indemnitas ex ipſa lege non deſcendat, puto nullas eſſe impunitates, vel ab utraque Curia, vel a Magiſtratibus Urbium promiſſas. Quam in rem obſervari velim hoc exemplum: Cum Amſterdami enorme & in hiſce Regionibus inauditum facinus eſſet perpetratum, Magiſtratus Amſterdammenſis, ſine prævia auctoritate Ordinum, propoſito Edicto, præmium pecuniarium promiſerat, ſi quis ejus facinoris auctores indicaſſet, promiſerat & impunitatem, ſi, qui indicaſſet, flagitii eſſet particeps. Sed quia metuebat Magiſtratus, ne valeret impunitas, a non Principe promiſſa, mox adiit Ordines Hollandiæ, petiitque, Ordines eam promiſſionem ex Summa Poteſtate confirmare vellent. Ordines autem facto Decreto 3. Mart. 1661. (12) jure Principis illam habuerunt ratam, quoniam, inquiunt, periculum fuerat

(4) Aitzema *Hiſtor. L. XLIII.* p. 714.
(5) Valdaura *Obſerv. V. C.* 1. §. 6. n. 187. & Bort *Tractaat Crimineel* T. XII. 1. n. 28.
(6) *Hollandſche Mercurius* 1653. p. 90. & 91.
(7) *Ibidem* 1660. p. 31.
(8) *Ibidem* 1650. p. 40. & 41.
(9) *Plac.* III. 1. 2. 44.
(10) *Conſil. Holl. T. III.* Conſ. 226. n. 98.
(11) Appellabantur *Keur-Digten.*
(12) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 517. & 518.

rat in mora, neque tempore Edicti propoſiti Ordines erant congregati, ſatis eo ipſo ſignificantes, quicquid eſt ejus juris, ad ſe ſolos pertinere. Et memini Magiſtratum Amſterdammenſem menſe Februario anni 1696. Edictum promulgare, quo 6000. florenorum præmium conſtituerunt ei, qui auctorem ſeditionis, proxime Amſterdami agitatæ, detuliſſet, hoc addito, operam datum iri, ſi & delator inter eos auctores fuiſſet, id ei impune foret. Vides, quæ Amſterdammenſium fuerit ſententia annis 1661. & 1696. alia & forte melior, quam quæ fuerat anno 1650. & de qua ſupra dixi. Sed noli dubitare, cum ipſi Ordines poſteriorem ſententiam probaverint d. Decreto 3. Mart. 1661.

Reſipuerunt deinde & alii nonnulli Magiſtratus. Haganus certe, multum mutatus ab eo, qui fuerat d. anno 1699. cum multis perſonis graſſantibus exemplo opus eſſet, anno 1724. ab Ordinibus Hollandiæ petiit, ut præter indicii præmium pecuniarium, ſibi quoque liceret impunitatem promittere conſciis & ſociis eorum maleficiorum, quæ tunc frequentabantur. Quibus precibus annuerunt Ordines Decreto ſuo 15. Mart. 1724. (13) cui & inſertum, ut eandem indemnitatem etiam Curia Hollandiæ, ex auctoritate Ordinum, promitteret, ne forte putes, utramque Curiam id jure ſuo facere poſſe. Admiralitas quoque Amſterdammenſis anno ſequenti 1725. ab iisdem Ordinibus petiit, liceret Magiſtratui Amſterdammenſi impunitatem promittere quod ad eos, qui incendium Operum publicorum ibi moliti erant, ſi ſocios ejus criminis deferrent; quod & ipſum conceſſum eſt Decreto 28. Jan. 1725. (14). Et quum Conſiliarii Ordinum Hollandiæ, Ordinibus non coactis, Ballivio Kennemerlandiæ permiſiſſent, impunitatem liceret promittere iis, qui publicanis quibusdam mortem erant minitati, ſi conſcios & participes delicti detuliſſent, Ordines Decreto ſuo 14. Maj. 1727. (15) eam indemnitatis promiſſionem juſſerunt eſſe ratam. Ad hæc ipſi illi Ordines 22. Jul. 1729. (16) Rotterdammenſibus & Ballivio Schielandiæ indemnitatis promittendæ poteſtatem dederunt, ſi quis, criminis ſocius, detuliſſet fures & effractores ædium & hortorum in Schielandia, & ſimul decreverunt, conſuleretur Curia Hollandiæ, an non expediret, in ſimilibus delictis eandem poteſtatem dare omnibus Magiſtratibus quod ad agrum, ſibi ſubjectum. Curia conſulta reſpondit 12. Aug. 1729. Sed quid reſponderit, & an quicquam ejus rei ſequutum ſit, ex Actis Ordinum non potui animadvertere. Satis autem hæc exempla declarant, quam prolixe errent Magiſtratus, qui proprio Marte promittunt impunitatem, quam præſtare non poſſunt.

CAPUT XVII.

Judices extra territorium ſuum non recte exilium indicere, niſi ex privilegio Principis.

Non tantum promiſſione indemnitatis Judices ſæpe egrediuntur notiſſimos Jurisdictionis ſuæ terminos, ut modo probabam, ſed multo etiam frequentius indictione exilii, ut nunc probabo. Optandum ſane eſſet, ut omnes exilii indictiones ubique Gentium ceſſarent, nam, ſi verum amamus, quæ eas defendat, nulla ratio eſt. Ut quis certo loco interdicatur, ubi forte metus eſt, ne ob potentiam, per conſanguineos vel amicos, quos ibi habet, res novas moliatur, rationem habet, ſic enim præſtat eum alibi, quam ibi, commorari, ſed nullam habet, ut quosque facinoroſos ex Imperio vel territorio meo expellam, ne ibi in poſterum delinquant, & tamen patiar eos delinquere in alieno vel Imperio vel territorio. Ego hominem nequam ejicio ex mea Ditione, qui ſic abit in Ditionem vicini Principis vel Judicis, nam alicubi morandum eſt, dum vivit, & civis mundi eſt, & rurſus vicinus Princeps vel Judex hominem nequam ejicit ex ſua Ditione, qui ſic ſecedit in meam, ubi degat. Ita uterque hominem nequam expulit, ſed & uterque alium recepit. Quin fortaſſe unum ejicio, & ex vicino Imperio vel territorio, quod meo longe majus eſt, tres recipio. Quod utique inutile eſt, & contra cognationem, quam inter omnes Gentes ipſa natura conſtituit, ſi nempe, quod in una Civitate delictum eſt, delictum quoque ſit in altera. Præſtaret ejusmodi facinoroſos ergaſtulis includere, quam, quia ab his mihi metus eſt, aliis obtrudere.

Sed quia hoc jure utimur, quæſitum eſt, an Judex ex ſuo duntaxat territorio, an & ex toto Principis ſui Imperio exilium ſtatuere poſſit? & poſſe ex toto, multis, qui JCti nomen ferunt, viſum eſt, eaque ſententia, quamvis ratione & auctoritate Juris deſtituatur, plerisque (1) tamen Hollandis placere potuit. Illuſtre ſane exemplum auris Batavæ! Nec JCti tantum, ſed & Judices ita ſapiunt. Judices certe Hagani 24. Jun. 1679. quemdam, per contumaciam abſentem, qui alium, ut inde moreretur, vulneraverat, ex tota Hollandia relegarunt, revertenti capitis ſupplicio ſtatuto (2). Et ſic quoque Judices fori Academici, quod Leidæ eſt, anno 1679. Studioſum quemdam inter alia damnarunt, non tantum ex Univerſitate exularet, ſed & ex tota Hollandia (3). Sed, ut omnis jurisdictio, ſic & omnis interdictio, extra territorium exercita, nullius plane momenti eſt. Tu putas, tibi paritum iri, ſi extra territorium jus dicas? non putat Paulus in *l. ult. ff. de Jurisdict.* Sed forte putabis, ſi non Magiſtratus alieni territorii, ex quo relegaſti, tibi pareat, pariturum certe ipſum facinoroſum. Falleris, Magiſtratus alieni territorii te contemnet, & ipſe facinoroſus ridebit albis dentibus, uterque, quod poteſtatem tuam porrigas, ubi omnino nulla eſt. Sed quid ex ratione diſputamus, ubi ipſa juris auctoritas præſto eſt? ecce enim Juris Romani regula eſt, Reſcripto D. Fratrum probata in *l.* 7. §. 10. *ff. de Interd. & releg. Interdicere quis ea Provincia poteſt, quam regit, alia non poteſt*, niſi, ut ibi additur, & mox plenius dicam, aliud Principi placuerit. Id ipſum & in Belgio obtinere, palam ſignificat Philippus II. Hiſpan. Rex, in

§. 63.

(13) Exſtat inter *Acta Ordinum Hollandiæ.*

(14) *Ibidem.*

(15) *Ibidem.*

(16) Decretum in hanc rem exſtat *ibidem.*

(1) Van Leeuwen ad §. 3. *Conſuetud. Rynland.* & ad §. 3. *Edict. de Crimin. anni* 1570. Cabeljaauw in *Bello Jurid.* Caſu 25. Conſil. 2. Van Zurk *Cod. Batav. Verbo*, Ballingen, in not. ad §. 2.

(2) Sententia exſtat in *Bello Jurid.* d. Caſu 25. in fin.

(3) *Hollandſche Mercurius* 1679. p. 278. & 279.

§. 63. Edicti de Criminibus 5. Jul. 1570. Hollandi, qui diſſentiunt, ſuaviter philoſophantur. Ajunt nempe, quemque Judicem, qui reum in exilium damnat, nomine & auctoritate Ordinum ſententiam dicere, & cum horum in univerſam Hollandiam ſit Poteſtas, etiam recte ex univerſa Hollandia relegare. Digna ipſorum acumine ſubtilitas! Omnes Judices ab Ordinibus jus dicunt; optime, ſed ſi alter in alterius territorio jus dicat, repulſam laturus eſt procul omni dubio. Competit juriſdictio ab Ordinibus, ſed ſingulis Judicibus in eo territorio, quod iis adſignatum eſt, ultra non competit. Quod cum in ceteris rebus ſit certiſſimum, de ſolo exilio cur nugas agunt? probent, ſi poſſint, in cauſa exilii Judicibus in Hollandia majus imperium eſſe tributum, quam in aliis quibuſcunque cauſis. Apud Mediolanenſes quidam relegatus ex una Civitate cenſetur quoque relegatus ex toto Ducatu, quemadmodum teſtatur Julius Clarus *L.* V. §. *Final. Quæſt.* 71. *n.* 11. ſed in Hollandia id verum eſſe probabunt nunquam. Provocant quidem ad nonnullas Leges, ſed eas mox ipſe recenſebo, ut oſtendam, quæ ibi ſtatuuntur, non pro regula, at pro exceptionibus eſſe habenda.

Nempe ut apud Romanos quibuſdam permittebatur etiam extra territorium ſuum relegare, ut Præſidibus Syriarum & Daciarum *l.* 7. §. 14. *ff. de Interd. & releg.* ſic & olim, & hodie Magiſtratibus nonnullis indultum eſt, ſive generaliter in omnibus omnino cauſis, ſive ſpecialiter in atrocioribus & magis frequentatis, ut etiam ultra quam jus dicunt, relegare vel deportare liceat; ſed hæc eſſe ex privilegio ipſius Principis, exempla ſequentia ſatis ſuperque perſuadebunt. Philippus Burgundus diplomate ſuo 14. Sept. 1447. Judicibus Hornanis permiſit (4), *die rebellen, die daar toen waren, die werf om deſer ſake wille, drie jaar te bannen uyt Holland en Vriesland.* Et Carolus Audax privilegio, quod 2. Sept. 1462. Enchuſanis (5), & eodem die Hornanis (6), & Grootebroekanis (7) dedit, iisdem largitus eſt, ut quosdam, ibi commemoratos, in exilium dare poſſent, *niet alleen uit die Steden en haar vrydom, maar ook uyt het Ooſterballiuſchap van Weſt-Vriesland.* Sed hæc quidem ſunt privilegia temporalia, quæque unice pertinent ad noxios, de quibus ibi agitur, alia autem exſtant privilegia generalia & perpetua, quibus Magiſtratibus nonnullis datum eſt, ut etiam extra fines territorii ſui quoscunque noxios poſſint proſcribere. De Leidenſibus memoratur (8) Alberti Bavari privilegium, quo iis anno 1343. conceſſiſſe dicitur, ut, quibus ipſi Urbe ſua interdixiſſent, vel in perpetuum, vel ad tempus, univerſo Comitis Imperio interdictum eſſet. Quod ſi ſit, inutile videbatur Philippi Burgundi privilegium, quo 14. Jul. 1434. iisdem permiſit (9), ut non duntaxat ex ſuo territorio, ſed & ex tota Rynlandia & territorio Hagano exilium poſſent ſtatuere. Quod poſterius privilegium confirmavit Carolus V. 19. Jul. 1541. (10). Utile eſt privilegia augere & extendere, ſed reſtringere non licet, niſi in modum pœnæ. De re ipſa interim conſtat. De Amſterdammenſibus hæc obſervavi. Quum eorum territorium olim valde eſſet anguſtum, Albertus Bavarus anno 1387. iis conceſſit (11), ut illud porrigere liceret ad usque centum perticas. Deinde Maximilianus & Philippus 6. Febr. 1488. Amſterdammenſibus privilegium dederunt (12), *voor ſonderlinge gratie* (ſic enim habent verba) ut facinoroſos in exilium dare poſſent ultra perticas mille & centum extra Urbem ſuam, mille perticis ſic additis priori privilegio. Tandem Amſterdammenſes ab Imperatore Carolo V. petierunt, ut ſibi liceret facinoroſos in exilium damnare ad usque tria milliaria, ſed non obtinuerunt niſi ad unum milliare, idque ex ſpeciali gratia, ut rurſus habet Caroli privilegium 6. Febr. 1544. (13). An quæ ſimilia aliarum in Hollandia Urbium privilegia exſtent, nec ſcio, nec ſcire multum intereſt.

Moneo autem, ne in animum tuum inducas, ut nonnulli (14) induxere in ſuum, illa Urbium privilegia duntaxat eſſe intelligenda de iis, quos proprie *interdictos* appellamus, & quidem ejusmodi interdictos, quibus, ne forte turbas excitent, non Judices, ſed Conſules vel Magiſtratus Urbium imperant, ut, ſalva exiſtimatione, ex Hollandia, aut quo alio territorio, abeſſe velint, omnino enim loquuntur illa privilegia de facinoroſis, in quos ſola Judicum, non Conſulum vel Magiſtratuum eſt poteſtas. Deinde, quæcunque privilegia ipſe vidi, concepta ſunt de exilio, proprie ſic dicto, *van bannen, ballingen en banniſſementen*, quæ utique ab interdictione differunt. Interdictio illa Conſulum vel Magiſtratuum potius eſt coërcitio, ut ita dicam, civilis, ob metum vel ſuſpicionem delicti, quam pœna criminalis, ob ipſum delictum. Excute illa Urbium privilegia, & miraberis, homunciones, male conſultos, tantum ineptire potuiſſe, ut ſententiæ ſuæ, alioquin labanti, ſuccurrant, id eſt, ut Judicibus maneat integra ex univerſa Hollandia deportandi facultas.

Regula igitur eſt, neminem extra territorium ſuum cuiquam noxio exilium indicere poſſe, eamque regulam tam in Provinciali, quam inferiori Judice probavit Philippus II. in *d.* §. 63. Edict. de Crimin. Habuimus jam aliquot exceptiones ex ſpeciali privilegio, alias ſuggerunt aliæ Leges, maxime in atrocioribus & magis frequentatis delictis. Atque ita in Majeſtate læſa & hæreſi quibuſcunque Judicibus, quorum ea de re juriſdictio eſt, ſi rei per contumaciam abſentes eſſent, ex toto, quod Rex Hiſpaniarum habebat, Belgio deportandi facultatem dedit ipſe ille Philippus II. in *d.* §. 63. & addit, ſiquidem exilii pœnam ex toto Belgio alicui delicto Lex ſtatuerit, omnes Judices, qui merum imperium habent, ex toto Belgio deportare poſſe. Et recte, quoniam illud exilium non tam ex poteſtate Judicis, quam ex generali Legis imperio valet. Perpetuo quoque uſu receptum eſt, ut Judicis poteſtas, in decernendo exilio, comitetur poteſtatem Legis in adſignandis exilii finibus; plane ut Judex recte impunitatem criminis promittit, ſi hæc ex ipſa Lege deſcendat, quemadmodum

(4) *Handveſten van Hoorn* p. 91. & 92.
(5) *Handveſten van Encbuyſen* p. 33. & 34.
(6) *Handveſten van Hoorn* p. 95. & 96.
(7) *Handveſten van Grootebroek* p. 24. & 25.
(8) Apud Matthæum *de Criminibus L. XLVIII.* T. 20. C. 3. n. 7.
(9) Exſtat id privilegium apud van Leeuwen ad §. 3. *Conſuet. Rynland.*
(10) *Repertor. Curiæ Holl.* p. 42. A. & B.
(11) *Handveſten van Amſterdam* 1663. p. 6.
(12) *Ibidem* p. 42.
(13) *Ibidem* p. 62.
(14) Van Leeuwen & alii, quos dixi n. 1.

modum id exſequutus ſum *Capite præced.*

Quæ hactenus dixi, ad tempora Gravionum pertinent. Ex quo autem Summum Imperium in Hollandia penes ſolos Ordines fuit, etiam hi Magiſtratibus & Judicibus in nonnullis cauſis poteſtatem dederunt, vel, ob turbas, interdicendi tota Hollandia, vel, ob crimina, extra eam deportandi. Exſtat Ordinum Hollandiæ Edictum, factum 17. Apr. 1585. (15) & ſæpiſſime deinceps repetitum (16), quo, quiqui a Magiſtratu Urbe ſua erant interdicti, etiam in univerſa Hollandia morari vetabantur. Sed id non aliter intelligo, quam ſi interdictio fieret ex cauſa, quæ ad univerſam Hollandiam pertinebat; qualis iſtis temporibus erat metus Hiſpanorum, qui non unam duntaxat Urbem, ſed totum Belgium afflaverat. In primis vero in hanc rem notanda ſunt Ordinum Hollandiæ Edicta, contra fures, vagabundos & validos mendicantes compoſita & edita 16. Dec. 1595. (17) & 19. Mart. 1614. & 4. Mart. 1630. & 12. Maj. 1649. (18) in quorum §§. 17. 8. & 18. omnibus Judicibus, qui merum imperium habent, ſpecialiter conceditur, ejusmodi fures, vagabundos & validos mendicantes deportare poſſe ex univerſa Hollandia. Dixi *ſpecialiter*, ne forte credas, quod argumento eorum §§. male ſanis quibusdam in mentem venit, id ipſum in Hollandia eſſe jus generale de quibuslibet delictis, refutat enim eos clauſula finalis, omnibus illis §§. nominatim addita, *daar toe wy de zelve* (Regters) *by deſen ſpecialyk authoriſeren, ſonder dat 't zelve getrokken zal worden in conſequentie*, ut nempe diſcamus, de exceptione ſermonem eſſe, non de regula. Quia autem Ordines Zelandiæ eandem clauſulam inſeruerunt Edictis, quæ & ipſi compoſuerunt contra fures, vagabundos & validos mendicantes 19. Jul. 1607. & 16. & 17. Sept. 1614. (19) ſatis intelligimus, in Zelandia idem jus eſſe, quod in Hollandia obtinet in deportatione, extra territorium non porrigenda, niſi ex ſpeciali auctoritate ipſorum Ordinum. Tandem Ordines Hollandiæ in Edicto, contra Venerem maſculam facto 31. Jul. 1730. (20) omnibus omnino Judicibus, quorum de criminibus jurisdictio eſt, poteſtatem dedere, tota Hollandia interdicendi iis, qui ob ſuſpicionem Veneris maſculæ abeſſent, nec ad judicium vocati abſentiam ſuam purgarent. Non addunt quidem, id ſpeciale eſſe in eo crimine, & in ea, quam dixi, ſpecie, ſed res ipſa id ſatis ſuperque arguit.

Pro exceptione quoque habendum, quod continetur §. 3. *Conſuetud. Rynland.* Ballivium nempe Rynlandiæ eſſe in *antiqua poſſeſſione* homicidas ceterosque delinquentes in exilium damnandi extra fines totius Hollandiæ. Quod an ex aliquo privilegio ſit, nondum comperi; niſi forte ea illius §. 3. mens ſit, ſolere Judices Rynlandicos ejusmodi exilia extra univerſam Hollandiam ſententiarum ſuarum formulis inſerere, absque ulla definitione, jure id fiat, an injuria. Quod autem ajunt §§. 10. & 17. *Tit.* IV. *Conſuetud. Middelburg.* Judices Middelburgenſes quoscunque reos in exilium dare poſſe non tantum ex tota Zelandia, ſed & Hollandia & Friſia, omnino petitum eſt ex privilegio Wilelmi Bavari ult. Maj. 1355. quod & ab aliis (21) obſervatum eſt. Ubi ceſſant illa privilegia, auctoritas Principis eſt imploranda, ſi placeat exilium extra fines territorii porrigere. Atque ita Judices Utrechtani 12. Maj. 1682. quemdam ex tota Ditione Utrechtana deportarunt, ſed poſtquam iis, ut id facere liceret, ſpecialem poteſtatem dederant Ordines Utrechtani 15. Apr. 1682. (22). An & quo jure Curia Hollandiæ ex Ditione Utrechtana, & rurſus Curia Utrechtana ex Hollandia deportet, latius intelliges ex iis, quæ dicam C. XXV. §. 2.

CAPUT XVIII.

An jus Religionis, ut olim fuit, ita nunc quoque ſit penes ſingulas Provincias?

Quia Jus publicum etiam in Sacris conſiſtit, ut admonet Ulpianus in *l.* 1. §. 2. *ff. d. Juſt. & jur.* inde recte efficitur, Sacrorum quoque curam ad eum pertinere, ad quem pertinet ſumma totius Reipublicæ poteſtas. Scio, de eo argumento integris Libris eſſe diſputatum in utramque partem, alios pro Principe, alios pro Eccleſia ſuffragium dediſſe, quin & eſſe, qui inter Jovem & Cæſarem imperium diviſerint, ſed quicquid illi dixerunt, dixerunt de Religione jam conſtituta, de conſtituenda autem & verum eſt, & utile, eum, qui rerum Civilium imperio potitur, etiam Sacrorum eſſe potentem.

Quum inter Ordines Fœderati Belgii de conſtituenda Republica ageretur, & in cauſa Religionis non una omnium eſſet ſententia, non viſum eſt ſufficere, ſi invicem conveniret, ut convenit §. 1. Fœderis Utrechtani 29. Jan. 1579. nulli Provinciæ jus fas eſſe, rebus alterius Provinciæ ſe immiſcere, niſi nominatim adderetur §. 13. ejusdem Fœderis, ſingulas Provincias, in cauſa Religionis, ſui juris eſſe, atque adeo, ut ſibi videretur, de ea poſſe decernere: expreſſum enim eſt *d.* §. 13. Hollandi Zelandique ſervarent, quod inter eos de Religione placuerat (reſpicit id ad pactionem (1), qua 25. Apr. 1576. inter eos jam convenerat de ſervanda Religione, quam vocant, *Evangelica*) reliquæ vero Provinciæ de cauſa Religionis prorſus ſtatuerent ex animi ſui ſententia. Et tanquam ne ſic quidem ſingulis Provinciis ſatis proſpectum eſſet de libertate Religionis, mox 1. Febr. 1579. (2) acceſſit Ordinum interpretatio ad *d.* §. 13. qua palam cautum eſt, *dat de meening niet is, dat d'eene Provincie of Stad hem 't ſait van de andere in 't point van de Religie zal onderwinden.* Unde apparet, quam cæcutiat ille, qui ſcripſit (3), ex Fœdere Utrechtano etiam de Religone ſtatue-

(15) Bort *Tractaat Crimineel* Tit. XI. Part. 9. n. 19. & *Plac. Holl.* Part. I. p. 513. Exſtat & Decretum ejuſdem diei in eandem ſententiam *ibidem* p. 512. quod tamen ab edicto nonnihil diverſum eſt.

(16) Etiam 24. *Jun.* 1598. *Plac. Holl.* Part. I. p. 515. & 516. Adde & Grotii *Apolog.* C. 12.

(17) *Plac. I.* 1. 20. 1. n. 5.

(18) Exſtant *ibidem* n. 6. & 7.

(19) *Ibidem Plac. Zeland.* n. 1. 2. & 3.

(20) Exſtat ſeparatim & inter *Acta Ordinum.*

(21) Verſluys *in Not. ad d.* §. 10. *T. IV. Conſuetud. Middelburg.*

(22) *Bello Jurid.* Caſu 84.

(1) *Unie en Verbond tuſſchen de Staten en Steden van Holland en Zeeland* Parte II. §. 15.

(2) *Plac. I.* 1. 1. 2. p. 17.

(3) Matthæus *de Criminibus* ad L. XLVIII. FF. T. 2. C. 5. n. 1.

ſtatuere ſingulas Provincias, ſed omnes Fœderatas ſimul paribus ſuffragiis.

Hanc libertatem Religionis penes ſingulas Provincias ad usque annum 1618. & 1619. ſtetiſſe integram & illibatam ex publicis monumentis adeo ſolide probatum ivit Grotius *Apolog. C.* 2. ut fere neſcias, qua fronte Judices delegati Ordinum Generalium anno 1619. auſi fuerint ſententiis ſuis, quibus Barneveldium, eundem Grotium & alios ad mortem vel perpetuos carceres damnarunt, hanc principem damnandi cauſam inſerere, quod exiſtimaverint, & publice profeſſi ſint id ipſum, quod tam rotunde ait illa interpretatio 1. Febr. 1579. & quod ipſi Ordines Hollandiæ proxime antea, nempe 5. Aug. 1617. palam teſtati ſunt (4), quodque uſu perpetuo ad ea usque tempora fuerat obſervatum. Invenio equidem in §. 11. eorum, de quibus inter Provincias ageretur 21. Maj. 1587. fuiſſe ſuggeſtum, deliberarent Fœderati Ordines, num, quia jam omnes Provinciæ Religionem Euangelicam receperant, placeret conſtitui, ne ea, niſi unanimi Fœderatorum conſenſu, mutaretur, & etiam Ordinibus Hollandiæ 14. Jun. 1583. placuiſſe, conſtitueretur, ut ſola, quæ tunc palam exercebatur, Euangelica Religio defenderetur, neque ulla alia publice admitteretur in Provinciis, quæ tunc erant in Fœdere (5). Sed generalem ea de re legem vel conventionem inter omnes Provincias eſſe factam, nec ipſe reperi, nec reperit quoque Grotius *d. Cap.* 2. Et, quum facta non ſit, recte etiam inde efficit Grotius, neque ipſos Hollandos obligare d. Decretum 14. Jun. 1583. cum ſcilicet aliarum Provinciarum conſenſus defecerit. Puto tamen, id ipſum eſſe Decretum, ex quo finxit rerum noſtrarum peregrinus Scriptor (6), anno 1585. unanimi Provinciarum conſenſu placuiſſe, ne qua alia Religio, quam Euangelica, in Fœderato Belgio publice doceretur. Quamvis autem exſtaret ejusmodi lex aut conventio generalis, ea profecto unice pertineret ad defendendam Religionem Euangelicam, & arcendam Romanam, neque adeo quicquam prodeſſet iis, qui anno 1619. ſubverſo Arminianismo, tot eminentia papaverum capita decuſſere, æque enim Arminianismum, atque Calvinianismum, ad Religionem Euangelicam pertinere, & utrumque æque in Hollandia tunc temporis fuiſſe receptum & Grotius adſtruxit *Apolog. C.* 3. & ipſi Ordines Hollandiæ ſignificarunt in d. Decreto 5. Aug. 1617.

Plus ſcire attinet, an & quatenus ſingulæ Provinciæ receſſerint a jure Summæ Poteſtatis circa Sacra, Fœdere Utrechtano tam ſolemniter ſibi reſervatæ? Ab Eccleſiaſticis ſæpe quidem tentatum eſt, ut non niſi una Religio, & ſolus quidem Calvinianismus, in omnibus Provinciis doceretur & admitteretur, ſed ante annum 1651. legem aut pactionem ea de re generalem inter Ordines Foederati Belgii interceſſiſſe, non potui animadvertere. Poſtquam uſu invaluiſſet Calvinianismus, continuo quidem Pontificiorum leges Eccleſiaſticæ ſunt abrogatæ, nec major fuit veterum Conciliorum auctoritas, ſed eorum omnium loco nihil quicquam ſucceſſit, quod publica auctoritate valebat. Apud Calvinianos, jam ſuperiores, protinus ceſſare debebant jura veteris Eccleſiæ, quum Romanam Religionem, Doctrinæ antiquitate & univerſæ Eccleſiæ Decretis ſubnixam, hoc fere ſolo oppugnarint, nullam plane eſſe eorum, quæ homines conſtituerunt, auctoritatem. Unde & §. 7. *Confeſſionis Belgicæ*, ubi agitur de antiquiſſimis Eccleſiæ moribus & Conciliis, hæc leguntur: *omnes homines eſſe mendaces ex ſe ipſis, ipſaque vanitate vaniores.* Sed cum ventum eſt ad verum, facile etiam Calviniani intellexerunt, eam eſſe Religionis conditionem, ut absque Decretis hominum conſiſtere nullo modo poſſit. Laboratum igitur eſt de Legibus & Canonibus Eccleſiaſticis. Prodiit *Confeſſio* illa *Belgica*, prodiit & *Catecheſis Palatina*, ſed neque hæ publica omnium Provinciarum auctoritate probatæ, niſi poſt annum 1651. Prodierunt Synodorum Canones quam plurimi, prodierunt & in Hollandia Leges Eccleſiaſticæ, partim a Secularibus, partim ab Eccleſiaſticis compoſitæ, ſed quid refert ea omnia recenſere? de eorum auctoritate & olim fuit, & nunc eſt prolixa diſputatio. Sufficit in rem noſtram, ab omnibus omnium Provinciarum Ordinibus nihil eorum publice eſſe receptum & habitum pro norma fidei, quam ſubditi ſequerentur.

Tandem poſt duas Synodos Dordrechtanas, alteram anni 1574. alteram anni 1578. ſucceſſit & tertia, habita 1618. & 1619. quæ probavit illam, quam dixi, *Confeſſionem Belgicam*, & *Catecheſin Palatinam*, &, damnato Arminianismo, pura puta conſtituit Religionis Calvinianæ dogmata. Sed nec hujus Synodi omnia Decreta ab omnibus Provinciis ſtatim arrepta ac probata ſunt, quinimo Friſii Leges Eccleſiaſticas, ibi conditas, non tantum rejecerunt, ſed & 10. Jul. 1622. decreverunt (7), qui eas obtrudere vellent, habendos eſſe pro perturbatoribus quietis publicæ. Tandem vero molliora Calvinianis affulſere tempora anno 1651. Certe relatum eſt in §. 2. Libelli, qui dicitur *de nadere Unie*, inter Fœderatos Ordines tunc placuiſſe, quæque Provincia defenderet Calvinianismum, ut ejus capita anno 1619. Dordrechti conſtituta erant. Sed illud poſterius Fœdus, quod Hagæ Batavorum initum eſſet 21. Aug. 1651. quodque ibi publice editum eſt annis 1651. & 1652. nullam omnino habet auctoritatem juris, eſt enim, ſi me audias, farrago quædam, conſcripta ab homine, neſcio quo, & compoſita ex ſententiis, a ſingulis Provinciis tunc dictis in extraordinariis Ordinum Generalium Comitiis. Miror ſane Editoris impudentiam, qui in cauſa, adeo recenti, lectori fucum facere voluit. Complecteretur illud Fœdus, ut auctor fingit, §§. 33. ſed nullum ejusmodi Fœdus exſtat inter Acta Ordinum Generalium, certe a me & ab aliis, qui invenire debebant, fruſtra quæſitum eſt. Comperi autem, omnes illos §§. 33. partim bene, partim male eſſe deſcriptos ex illis, quas dixi, ſingularum Provinciarum ſententiis, etiam his, de quibus inter omnes non convenerat. Dubiam ejus libelli fidem etiam alius olfecit (8), & tamen dudum eſt, ex quo ille ſtellio homines, etiam rerum publicarum peritos, ludificatus eſt.

Sed apage illum libellum. Ex ipſis nihilominus fontibus operæ pretium erit audire ipſorum Ordi-

(4) Declaratio Ordinum in hanc rem exſtat in de *Handveſten van de Graven van Holland* n. 39.

(5) Propoſitio illa, & Decretum Ordinum Hollandiæ, poſt ſequutum, exſtant *Plac.* II. *Append.* p. 2157. & ſeqq. ubi & utrique temporis numeri ſcribuntur, ut exhibui, ſed vitium eſſe in numeris res ipſa loquitur.

(6) W. Temple *Aanmerkingen over de Nederl. Provincien* C. 5.

(7) Decretum exſtat poſt *Præfationem* Grotii *Apolog.*

(8) Auctor van het *Publicq Gebed* Parte III. Sect. 7.

Ordinum ſententias, & inde diſcere, quid tandem placuerit in re tam gravi, qua ſingularum Provinciarum poteſtas in cauſa Religionis primum, ut opinor, imminuta eſt. Ordines Hollandiæ in Epiſtula, qua anno 1650. ſingularum Provinciarum Ordines ad Comitia extraordinaria vocarunt, & in propoſitione eorum, quæ agenda erant, palam ſignificarunt, ſe defenſuros Religionem *Reformatam*, quam vocant, ut Dordrechti ſtabilita erat (9). Gelri §. 23. eorum, quæ ipſi in Comitiis 20. Januar. 1651. propoſuerunt, ajunt, ſibi placere, Religio Reformata, ut recepta & Dordrechti anno 1619. elucidata eſt, in omnibus Fœderatis Provinciis & locis ſubditis, & apud Socios (*geäſſocieerde Landen*) ſervaretur, & poteſtate publica (*met magt van 't Land*) defenderetur (10). Idemque Zelandi teſtati ſunt 22. Januar. 1651. (11) & Utrechtani ſine die & Conſule (12), & Friſii 27. Januar. 1651. (13) & Groningani eodem 27. Januar. 1651. (14) & ita præeuntibus Hollandis, in Comitiis illis extraordinariis Ordinum Generalium decretum eſt d. 27. Januar. 1651. (15). Additum vero, iisdem fere verbis, quibus id propoſuerant Utrechtani, ut ea defenſio fieret in quaque Provincia ab ejus Provinciæ Ordinibus; *elks in den haren*, & in Ordinum Generalium Imperio ab Ordinibus Generalibus. Cur additum ſit, *elks in den haren*, forte intelliges, ſi memineris, eo tempore adhuc ſuperfuiſſe, quos nondum ceperat oblivio annorum 1618. & 1619.

Diceres, ſic tandem definitam eſſe cauſam Religionis, ſed eſt, qui putat (16), Ordines illo 27. Januar. 1651. duntaxat *declaraſſe* non etiam *promiſiſſe*, ſe Calvinianismum eſſe defenſuros, at vero hæc mera cavillatio eſt; ei tamen cauſam præbuit aliud quid, quod ipſe ille narrat, ſed hic omitto, quia in Actis Ordinum de eo nihil comperi. Quicquid autem ejus rei ſit, perſuaſiſſimum mihi eſt, &, ni fallor, aliis quoque erit, non aliam Ordinum Fœderatorum fuiſſe mentem, quam id Decretum 27. Januar. 1651. habere pro mutua promiſſione, invicem facta de defendendo Calvinianismo, absque eo enim nihil quicquam actum eſſet.

Ceterum alia quæſtio eſt, quamvis Ordines Fœderati ſibi invicem promiſerint, Calvinianismum ſe eſſe tuituros, an tamen aliis, in cauſa aliorum, jus fas ſit æſtimare & judicare, ſi qua Provincia recte tueatur Calvinianismum, nec ne, &, ſi non tueatur, an reliquæ Provinciæ vi & vi armata uti poſſint, quo fides promiſſionis præſtetur? Et adhuc puto dicendum, ejus rei arbitrium penes ſingulas Provincias eſſe, non autem penes ceteros Fœderatos, atque ita id Decretum non eſſe habendum niſi pro lege, quæ dicitur, *imperfecta*, ſive pro ſponſione inter amicos, cujus fides ex viri boni officio præſtanda, non autem jure exigenda eſt. Quin ipſi Ordines, cum ajunt, *elks in den haren*, manifeſte ſignificant, Ordinum Generalium alteriusve Provinciæ poteſtatem in Religione defendenda neutiquam placere. Neque eſt, ut dicas, in eo Decreto gradum quemdam eſſe, quosque nempe Ordines in ſua Provincia Religionem eſſe defenſuros, eosque aliarum Provinciarum Ordinibus præferendos, ſed iis id negligentibus, vel Calvinianismum ut aliis videtur, non defendentibus, aliarum Provinciarum Ordinibus locum fieri: nam eam non fuiſſe Ordinum ſententiam, inde apparet, quod Friſii, Tranſiſulani, Groningani & Zutphanienſes (17), & ſeparatim deinde Tranſiſulani 7. Febr. 1651. teſtati ſint (18), ſibi videri, id Decretum 27. Januar. 1651. non ſufficere, ſed ſanctiones eſſe conſtituendas, quibus obviam iretur Provinciis, quæ fidem ejus Decreti non ſervarent, non enim ſufficere, quod Ordines promittant, ſe id Decretum eſſe obſervaturos, niſi & coërcitio accedat, ſi pacto non ſtetur; verum ea de re nihil quicquam conſtitutum invenio, & inutiliter quoque conſtitueretur, quum nulli Provinciæ, quin nec pluribus ſimul, in aliam aliasve competat imperium, & diligenter ſingulæ curaturæ ſint, ne in vim, ſibi faciendam, conſentiant. Latiſſimus etiam turbarum pateret campus, ſi de modo defenſionis invicem diſſentirent.

Sic igitur habeamus: defenſionem Calvinianismi eſſe promiſſam illo 27. Januar. 1651. ſed ſine pœna, ſi promiſſis non pareatur, hanc promiſſionem eſſe præſtandam, cum inter bonos bene agier oporteat, ſed, ut præſtetur, vim adhibendam non eſſe, de modo defenſionis nihil definitum, at eum cujusque Provinciæ arbitrio eſſe relictum. Quapropter non auſim dicere, ut nonnemo dixit (19), ſingulas Provincias etiam poſt id Decretum, in cauſa Religionis manſiſſe ſui juris, plane ut erant antea, dixerim potius, manſiſſe, quatenus eo Decreto, quod ſeptem capita continet, a jure ſuo non receſſerint. Nec mihi liquet, alio pacto poſtea receſſum, vel quicquam inter Fœderatos eſſe conſtitutum, quod ſingularum Provinciarum jus ultra minuerit. Propoſuerunt quidem Groningani 9. Oct. 1663. (20) quo cauſa Calvinianismi magis tuta eſſet, placeretne decerni, omnes, qui in Ordinum Generalium Collegium mittuntur, jurarent, ſe Calvinianismum eſſe tuituros, ſed nihil decretum eſt. Ordinum quidem Hollandiæ in illud Collegium Delegati jurant (21), ſe Calvinianismum, ut nunc eſt, eſſe tuituros, ſed quod ad Ditionem Ordinum Generalium, nominatim enim jurijurando additur, ſe non permiſſuros, quod ad ſingulas Provincias, ut quicquam in iis de Religione ſtatuant Ordines Generales, *ſonder my*, ait jurans, *eenigſints ontrent het ſtuk van de Religie, over of in de ſtemmende Provincien eenige de minſte diſpoſitie aan te matigen, of ook te gedoogen, dat by of op de naam van haar Hoog Mog. zulks in eenige Provincie, of eenig Lid van dezelve ondernomen werde.* Non reperi etiam, ab omnibus Provinciis ullam Ordinibus Generalibus poteſtatem eſſe datam in cauſa Religionis, quamvis repererim, eos ſæpiſſime fuiſſe aditos ab Eccleſiaſticis, ſi nempe his minus placerent ſuæ Provinciæ Ordines; ſed ne id Synodorum in Hollandia Deputati facere vellent, Ordines Hollandiæ decreverunt 25. Sept. 1670. (22). Verum

(9) Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 102. & 103.
(10) Idem *ibidem* p. 137. & ſeqq.
(11) Idem *ibidem* p. 144.
(12) Idem *ibidem* p. 169.
(13) Idem *ibidem* p. 158. & ſeqq.
(14) Idem *ibidem* p. 163.
(15) Idem *ibidem* p. 156. & 157.
(16) Auctor van het *Publicq Gebed* Part. III. Sect. 7.
(17) Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 155.
(18) Idem *ibidem* p. 228. & 229.
(19) Auctor van het *Publicq Gebed* d. Part. III. Sect. 7.
(20) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 765.
(21) Id jusjurandum exſtat poſt §. 19. *eorum Forma* 23. *Jul.* 1669. *Plac.* III. 1. 3. 2.
(22) *Plac.* III. 1. 1. 38.

Verum equidem eſt, aliquando Ordines Generales nonnulla conſtituiſſe, quæ ad Religionem in Belgio Fœderato pertinent, ſed non minus verum, quod ajunt Ordines Hollandiæ in §§. 132. 133. 134. & 135. Deductionis de jure Militiæ 17. Mart. 1657. (23) ea non eſſe conſtituta niſi unanimi omnium Provinciarum conſenſu, nec valere in ea Provincia, cujus Ordines in hæc non conſenſiſſent.

CAPUT XIX.

Optimo jure Ordines Hollandiæ 13. *Mart.* 1663. *Eccleſiaſtis præſcripſiſſe novam orandi formulam cum pro ſe, tum pro aliis Magiſtratibus.*

Ex iis, quæ *Capite præcedenti* dicta & diſputata ſunt, facili, imo nullo negotio explicari & definiri poteſt quæſtio, quæ ante aliquot annos non tantum Eccleſiam, ſed & Rempublicam, ultra quam exſpectaſſes, turbavit & concuſſit. Quum apud Ordines Hollandiæ 9. Dec. 1662. propoſita eſſet nova formula, ſecundum quam Eccleſiaſtæ ad Deum preces funderent, primum pro Ordinibus Hollandiæ, qua Summa in Hollandia Poteſtate, deinde pro reliquis Fœderati Belgii Ordinibus, mox pro Ordinibus Generalibus & eorum Conſiliariis, tandem pro Conſiliariis Ordinum Hollandiæ, & Magiſtratibus majoribus minoribusque, hanc formulam Ordines Decreto 13. Mart. 1663. (1) probarunt, ſervarique juſſerunt Epiſtula, ad Magiſtratus Hollandiæ ſcripta 21. Mart. 1663. (2), & quum ſatis ab Eccleſiaſtis obtemperatum non eſſet, rurſus alia ad eoſdem Magiſtratus data 27. Apr. 1663. (3). Si quæras, an Ordinibus Hollandiæ licuerit ejusmodi formulam condere & Eccleſiaſtis præſcribere, non dubitabis; ſi & tu putes, ut ego puto, ſingularum Provinciarum Ordines in cauſis Eccleſiaſticis manſiſſe ſui juris, quemadmodum erant ex Fœdere Utrechtano, ſalvo tamen, quod modo expoſui, Decreto de ſervando Calvinianiſmo, atque adeo ſalvis Decretis Synodi Dordrechtanæ, modo memineris, iis Decretis nuſpiam eſſe definitum, qua forma quove ordine pro Ordinibus & Magiſtratibus orandum ſit.

Ut plus dicamus, res ipſa non poſtulat, effecit tamen quorundam contumacia vel ignorantia, ut plus dicendum ſit. Quæ ipſi Ordines Hollandiæ, eorumve Conſiliarii pro cauſa ſua dixerunt, ego non repetam, nec etiam ea, quæ Anonymus quidam (4) integro & ſpiſſo ſatis Libro pro Ordinibus ſcripſit, contentus monere, uno illo, quod modo dicebam, argumento, omnem controverſiam abſolvi & definiri poſſe, cetera vel nihil ad rem pertinere, vel, ſi quid pertineant, aliis quoque rationibus refutari poſſe, quam hactenus refutata ſunt.

Simulac autem nata eſt nova illa formula, plures adverſarios eſt experta. Eccleſiaſtici in Hollandia fere clam, exteri vero palam ſeſe ei oppoſuere: ecce enim Synodus Snecana 16. Jun. 1663. (5) decrevit, mandaretur Emiſſariis ſuis (*Correſpondenten* appellant) ad Synodos Zuyd-Hollandiæ & Noord-Hollandiæ, omni modo id agerent in iisdem Synodis, ut ſtudioſe novæ huic formulæ iretur obviam. Scin, quare? quia, inquit Synodus Snecana, alia formula olim uſu recepta erat, & quia aliam illam formulam Synodus Dordrechtana probavit. Si quid valeat prima ratio, metuo Pontificios, quorum ſacra, quamvis uſu olim recepta, rejecimus. Secunda autem ratio aperte falſa eſt, cum, ut dixi, nullam pro Magiſtratibus orandi formulam illa Synodus definiverit, ut nihil quoque ea res pertinebat ad cauſam Calvinianiſmi. Unde & Ordines Hollandiæ, intellecto Patrum Snecanorum Decreto & ipſi decreverunt 17. Jul. 1663. (6). Emiſſarius Friſiæ ad Hollandiæ Synodos ne admitteretur, niſi ante fuiſſet teſtatus, ſe de ea re nihil eſſe propoſiturum.

Sed & ipſi Friſiæ Ordines illam Hollandorum formulam oppugnarunt, facto in hanc rem Decreto 23. Maj. 1663. (7). Eo autem Decreto complexi ſunt & easdem rationes, quas deinde Synodus Snecana ſuas fecit, & alias nonullas adjecerunt, ſed has tranſeo, quia omnibus illis 27. Jun. 1663. (8) ampliſſime reſponderunt Ordinum Hollandiæ Conſiliarii, eorumdemque Ordinum Delegati apud Ordines Generales. Illud tranſire non poſſum, Friſios in ſuo Decreto non tantum provocare ad antiquam orandi formulam, qualis tamen formula nunquam ulla auctoritate, vel Seculari vel Eccleſiaſtica, probata fuit, ſed &, quod mireris, hanc derivare ex Fœdere Utrechtano, cum tamen id Fœdus, ut *Capite proximo* dicebam, omnem cauſam Religionis ſoli ſingularum Provinciarum arbitrio reliquerit.

Quod Friſii cauſantur in ſuo Decreto, ex nova formula primum orari pro Ordinibus Hollandiæ, qua Summa Hollandiæ Poteſtate, deinde pro Ordinibus Generalibus, cum tamen hi illos præcedant, & vicem quoque Principis obtineant, vellem, ne Friſiis excidiſſet. Atque ſi nempe in ſuo territorio quisquam ſit major vel prior ipſo Principe, id eſt, ſingulis cujusque Provinciæ Ordinibus. Præcedunt Ordines Generales in rebus, quæ ex Fœdere ad commune bonum Fœderati Belgii pertinent, ut ſi cum externis Principibus, eorumve Legatis agatur, ſed cedunt Ordinibus ſingularum Provinciarum in iis, quæ ad ſingulas Provincias pertinent, ut pertinet cura, qua forma, & qua prærogativa ordinis pro Magiſtratibus ſit orandum. Sed non ſolis Friſiis, verum & aliis Fœderatis, ut mox audies, id excidit; ſi olim excidiſſet, forte concoquere poſſet, qui non difficilis eſt ſtomachi, nam fuit aliquando tempus, quo nonnullis placuit, Ordines Generales in omnibus Provinciis une Jove eſſe minores, fuit tempus, quo illi, qui Ordinum Hollandiæ Majeſtatem defendebant, hoc ipſo læſæ Majeſtatis damnati ſunt, ac ſi Ordinum Generalium Majeſtatem læſiſſent, ſed hæc qui-

(23) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 329.
(1) *Ibidem* p. 658.
(2) *Ibidem* p. 660.
(3) *Ibidem* p. 662.
(4) Auctor van het *Publicq Gebed.*

(5) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 676. & 677.
(6) *Ibidem* p. 676-679.
(7) *Ibidem* p. 679. & 680.
(8) *Ibidem* p. 680-696.

quidem anno 1619. acciderunt, concuſſa per factiones Republica. At vero omnes quarumque Provinciarum Ordines, ne dicam omnes homines deinde reſipuerunt, & reſipuerant jam anno 1663. ſatis gnari, mandatarios mandantibus ſuis non eſſe majores, & Ordines Generales, quicquid agunt, paucis exceptis, agere ex ſolo mandato Ordinum, quos repræſentant. Imprudenter igitur plerique Fœderati eo anno 1663. quo jam omnes cordatiores veternum excuſſerant, ad antiquas fabulas reverſi ſunt. Si Ordines Generales, itemque Ordines Hollandiæ externo Principi adventum in Hollandiam gratulentur, utros præcedere oporteat, diſputabo hoc Libro *C.* 25. §. 8.

Ceterum de nova illa precum publicarum formula inter Hollandos & Zelandos quoque actum fuit, ſed an hæc juſto certamine illos commiſerit, non potui intelligere ex Decretis Ordinum Hollandiæ 3. Aug. & 20. Sept. 1663. (9). Arma tamen utrimque fuiſſe induta, plena fide comperi ex actis Ordinum Zelandiæ 22. Sept. 3. & 13. Nov. 1663. didicique ex iisdem Actis, Zelandos cum maxime turbaſſe, ut turbavit Friſios, quod in nova formula prior locus non fuerit datus Ordinibus Generalibus, ſed Ordinibus Hollandiæ. Atque ea ipſa ratione novæ huic formulæ contradixerunt Gelri, Utrechtani, Tranſiſulani & Groningani, ad quos, ut & ad Friſios exſtat Ordinum Hollandiæ grandis Epiſtola, ſcripta 4. Oct. 1663. (10) qua omnem omnium Fœderatorum impetum videntur fregiſſe.

Sed Eccleſiaſtici, tam ſubditi, quam exteri quieſcere nondum potuerunt. Subditi quidam, male feriati, cavillabantur, novam illam precum publicarum formulam eſſe præludium mutandorum quandoque eorum, quæ in Synodo Dordrechtana decreta erant. Quamvis autem per nullas conſequentias id inde efficere potuerint, cum de nulla plane formula in ea Synodo actum ſit, Ordines tamen Hollandiæ Decreto 18. Sept. 1663. (11) & illa, quam dixi, Epiſtola 4. Oct. 1663. (12) conteſtati ſunt, de mutandis ſacris ſe nihil unquam animo ſuo volviſſe, quin paratos eſſe, Poteſtate publica defendere Religionem Calvinianam, ut in Synodo Dordrechtana erat conſtituta, & porro uſu recepta. Quoniam vero illa Ordinum conteſtatio nondum videbatur ſufficere ad inhibendas turbas, quæ nihilominus metuebantur tam ab exteris, quam ſubditis, ſucceſſit aliud Ordinum Hollandiæ Decretum 14. Mart. 1664. (13) quo Inſpectoribus (*Commiſſariſſen Politicq*) qui Ordinum nomine delegati eſſent ad Synodos Zuyd-Hollandiæ & Noord-Hollandiæ, mandatum eſt, diligenter inquirerent, ſi qui eſſent, ſive ex Hollandis ſive ex Emiſſariis, qui quid contra illam formulam, vel contra quodlibet aliud Hollandiæ Ordinum Decretum propoſituri eſſent, & ejus rei ſuſpectos ut a Synodis arcerent, niſi ſe nihil ejusmodi propoſituros ſpopondiſſent, & generaliter illi Inſpectores curarent, ne quidquam in Synodis proponeretur contra illam formulam, ullumve aliud Ordinum Hollandiæ Decretum.

Sed ne ſic quidem res erat in vado. Ringebantur quam plurimi, in nova illa formula mentionem non eſſe factam Wilelmi Orangii, quamvis tunc adhuc pueri, & in Hollandia privati, ſed quia nullo jure ringebantur, ut ab aliis (14) abunde eſt probatum, muſſitabant tantum, non auſi palam prodire. Certe in Decretis & Actis publicis, ſive ea ediderint Politici ſive Eccleſiaſtici, hæc ratio expreſſa non eſt. Ut autem, quæ magis tecta ſunt, ſolent majores radices agere, ſic manebat alta mente repoſtum illud Ordinum ſilentium, ſpretæque injuria Gentis Orangiæ, apud Eccleſiaſticos præſertim, quorum plerique tunc Orangio longe plus favebant, quam ipſi Ordines. Quamvis enim, ut recte obſervant Ordines Hollandiæ in Decreto 17. Jul. 1663. (15). Eccleſiaſticorum ſit, ſecundum ipſos Canones Synodi Dordrechtanæ, ſubditis inculcare reverentiam & obedientiam, Magiſtratibus ſuis debitam, & hac ipſa re aliis præire, ea tamen quorundam pertinacia fuit, ut, pacatis dudum Politicis, ipſi Ordinibus Hollandiæ per integrum adhuc triennium fuerint reluctati. Apparet id ex Decreto eorundem Ordinum 7. Oct. 1666. (16) quo placuit, Eccleſiaſtæ, qui eam formulam non ſequeretur, nomen Magiſtratus loci, de quo agebatur, tranſcriberet ad Ordines, ut ejus ſtipendium Eccleſiaſticum ceſſaret, quamdiu Ordinibus fuiſſet viſum. Et ſic tandem Eccleſiaſtici, crumenæ ſuæ non minus ſtudioſi, quam reliqui Mortales, & pecuniæ non minus, quam alii, indigentes, ad bonam frugem redierunt omnes. Haud multo poſt Wilelmo Orangio, ejus nominis tertio, rerum rurſus potito, hæc formula, uſu nonnihil quidem mutata eſt, ſed poſt ejus mortem revixit, & ea ipſa adhuc placide in Hollandia utuntur Eccleſiaſtæ. Dolo utique malo, quod ſciam, non ſolent omittere; cum tamen, ſpatiis excluſi iniquis, aut alias per negligentiam ſæpe eam tranſmitterent in precibus, poſt orationem ſacram ad Deum fuſis, idque animadvertiſſent Conſiliarii Ordinum Hollandiæ, ipſe, tunc Presbyter Eccleſiæ Haganæ, ab eorum Scriba in hanc rem aditus & rogatus, Eccleſiaſtas Haganos officii ſui amice admonui; teſtati autem tunc ſunt prolixe, dolum malum a ſe abeſſe abfuturumque eſſe, ſcire ſe, ſolam obſequii gloriam ſibi eſſe relictam, & operam daturos, ne in poſterum hujus formulæ obliviſcantur, ut fere nunc obliviſci non ſolent.

CAPUT XX.

Interpretatio §. 4. *Pacis Monaſterienſis* 30. *Januar.* 1648.

Longum eſſet exponere, quæ Pontificiorum fuerit conditio in Belgio Fœderato ab initio Reipublicæ ad hæc usque tempora. Ne quidem animus eſt commemorare, quæ in Imperio Ordinum Generalium, & quæ in ſingulis Provinciis contra ſolos Eccleſiaſticos, qui Pontifici Romano adſurgunt, conſtituta & decreta ſunt. In rem noſtram ſufficit ſcire, ut Laicis Pontificiis

(9) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 707. & 712.
(10) *Ibidem* p. 718-733.
(11) *Ibidem* p. 711. & 712.
(12) *Ibidem* p. 728.
(13) *Ibidem* p. 772. & 773.
(14) Vide Auctorem van het *Publicq Gebed* Part. I. a C. V. ad C. IX.
(15) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 678.
(16) *Ibidem* p. 791. & 792.

ciis in Belgio Fœderato libere morari ſemper licuit, ita Clericis, etiam ante pacem Monaſterienſem, non licuiſſe. Jeſuitis quidem, qui in Belgio Fœderato invenirentur, 600. florenorum mulctam Ordines Generales conſtituerunt in Edictis 26. Febr. 1622. 8. Sept. 1629. & 30. Aug. 1641. (1) ceteris omnibus Eccleſiaſticis Belgio Fœderato ſimpliciter interdicto, exceptis duntaxat iis, qui ante annum 1622. hic habitaſſent, dummodo intra dies octo nomina ſua ad Magiſtratum loci, ubi degunt, deferrent, & ſecundum leges Ordinum viverent.

Recte ſe habebant ea Edicta tempore belli Hiſpanici, quo facta ſunt, ſed quæro, an recte ſe habeat Edictum, quod Ordines Generales poſt pacem Monaſterienſem promulgarunt 14. Apr. 1649. (2) quo priora illa Edicta, quorum ſententiam retuli, repetita & ſervari juſſa ſunt? vel potius quæro, an non ſæviora illa Edicta reſtringi & temperari debeant quod ad Eccleſiaſticos, qui ex Imperio Regis Hiſpaniarum, Belgio forte tunc Hiſpanico, nunc Auſtriaco, hic adſunt? Quæſtionem facit §. 4. Pacis Monaſterienſis 30. Jan. 1648. quo inter Regem Hiſpaniarum & Ordines Generales convenit, ut olim quoque convenerat §. 4. Induciarum 9. Apr. 1609. alterius ſubditis & incolis, absque ullo perſonarum diſcrimine, in alterius Imperium recte licere advenire, ibi manere & agere, & commercia ſua exercere. Verba Belgice ſic habent: *de Onderſaten en inwoonderen van de Landſchappen van de voorſchr. Heeren Koning en Staten . . . zullen ook mogen komen en blyven in de Landſchappen de een van de andere, en daar doen hare trafique en commercie in alle verſekertheid, zoo ter Zee, andere Wateren, als te Lande.*

Sane plerique Belgæ Fœderati videntur crediſſe, ſalva ea pace, duriora illa Edicta explicari non poſſe, atque ita Eccleſiaſticis Pontificiis omnino prodeſſe *d.* §. 4. Gelri (3) quidem, & Hollandi (4), & Friſii (5), & Groningani (6) in extraordinariis Ordinum Generalium Comitiis, proxime poſt illam pacem habitis anno 1650. & 1651. propoſuerunt, exercerentur Ordinum Edicta contra effrenem Eccleſiaſticorum in has Regiones veniendi licentiam, ſed hoc nominatim addito, *quatenus ſalva pace fieri poſſet*, cujus nomine non aliam, quam illam Monaſterienſem, intelligo, & ita quoque, addita hac ipſa clauſula, Ordines Generales decreverunt 27. Jan. 1651. (7). Quia autem illa clauſula parum certitudinis habebat, idcirco in iisdem Comitiis menſe Aprili 1651. propoſitum eſt, habita ratione eorum, quæ tempore induciarum acta geſta erant, certa ei rei forma daretur, ſed traditum invenio (8), eam non eſſe conſtitutam, verum ad ordinarium Ordinum Generalium Collegium rejectam ejus rei curam, atque adeo tacite ſubſtitum eſſe in illo Decreto 27. Jan. 1651. nihil enim quicquam poſtea definitum eſt.

Nondum igitur extricata res erat. Zelandi, ut extricarent, 22. Jan. 1651. (9) in iisdem extraordinariis Comitiis alia rem adgreſſi ſunt via. Exiſtimarunt illi, non obſtante eo §. 4. omnes Eccleſiaſticos, qui Pontificia Sacra ſequuntur, expelli, nec ullos alios admitti poſſe, quod nempe illi Eccleſiaſtici, utut ex Imperio Hiſpanico advenientes, non eſſent Regis Hiſpaniarum ſubditi, ſed Papæ Romani. Addebant, id ipſum Regis Legatos eo tempore, quo pax illa pangebatur, fuiſſe teſtatos, quin etiam Ordines in deliberationibus, quæ pacem præceſſerunt, decreviſſe, nihilominus Edicta, contra Eccleſiaſticos Pontificios facta, effectum eſſe habitura. Quas rationes Synodorum Legati (10) per libellum, iisdem Comitiis porrectum, deinde ſuas fecerunt. At prima ratio apud me parum valet, Eccleſiaſtici utique etiam ſunt ſubditi, & pro ſubditis habentur in omnibus Imperiis Pontificiis. Si tamen, qua ſunt Eccleſiaſtici, ſubditos Regis eſſe neges propter jurisdictionem Eccleſiaſticam, non negabis certe, qui ex Imperio Hiſpanico ad nos advenere, Regis Hiſpaniarum eſſe incolas, *inwoonderen*, pax autem loquitur de ſubditis & incolis, *onderſaten en inwoonderen.* Legatos Regis aliud fuiſſe teſtatos, & Ordines in præviis deliberationibus modo decreviſſe, etiam poſt pacem factam tuenda eſſe ſæviora illa Edicta, non comperi, etſi diligenter quæſiverim, neque adeo de duabus illis rationibus, quæ facti ſunt, quicquam habeo, quod dicam, nec etiam de his quicquam dixerunt Gelri, Hollandi, Friſii & Groningani, nec poſtea etiam Tranſiſulani (11), quamvis in Pontificios adhuc magis acerbi. Et tamen illæ rationes, in cauſa adeo recenti, omnes illos latere non potuerunt. Hoc unum comperi, Ordines, priusquam Legatos ſuos ad pacem pangendam mitterent, ſimpliciter decreviſſe (12), ſe tuituros puriora Sacra, publice recepta, ſed aliud eſt Sacra illa tueri, aliud duriora illa Edicta exſequi. Neque etiam animadverto, quid prodeſſet, ſi Legati Regis ante pacem pactam vel tale quid garriviſſent, vel ipſi Ordines decreviſſent. Quid in ipſa pace convenerit, unice quærendum, & ex ejus legibus, ſi quid inter Principes incidat, definiendum eſt.

Fuit, cum putarem, *d.* §. 4. duntaxat eſſe intelligendum de ejusmodi ſubditis & incolis, qui commercia exercerent, ajunt enim verba finalia, quæ exhibui, *en daar doen hare trafique en commercie.* Sed bona fides illam interpretationem reſpuit, nam, quod de mercatura additur, non aliam cauſam habet, quam quod eo plerumque fine alterius ſubditi alterius Principis Imperium frequentent, non quod interdicatur alterius ſubditis in alterius Imperium advenire, & ibi forte otiari, philoſophari, & procul negotiis ſecurum agere ævum. Hac igitur ſententia nunc non utor, maxime quum alia, &, ni fallor, verior ſuccurrat. Nempe Clericatus Pontificius, poſtquam emendatior Religio publice recepta fuit, in hiſce Regionibus criminis ſpeciem quamdam habebat, neque enim cuiquam hic impune Clerico eſſe licebat, quibusdam Clericis poſita mulcta, & omnibus, ut dixi, advenis Belgio Fœderato interdicto, quin & indigenis ſub certo modo. Sic leges moresque ferebant, etiam ante pacem Monaſterienſem; criminoſis autem, ex mente *d.* §. 4. quamvis in alterius Imperio habitarent, in alterius Imperium, ubi criminoſi ſunt, advenire nequaquam licet. Factus eſt *d.* §. 4. belli finiendi ergo inter Regem & Ordines, ut

(1) *Plac.* I. 1. 4. 1. *Plac. Ordd. General.* 3.
(2) *Ibidem* eodem loco.
(3) Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 137.
(4) *Ibidem* p. 156. & 157.
(5) *Ibidem* p. 160.
(6) *Ibidem* p. 164.
(7) *Ibidem* p. 217.
(8) *Ibidem* p. 380. & 381.
(9) *Ibidem* p. 145.
(10) *Ibidem* p. 152.
(11) *Ibidem* p. 228. & 229.
(12) Idem *Hiſtor. L.* XXV. p. 92. & 93.

ut ſic, quemadmodum ibi palam expreſſum eſt, inter utriusque ſubditos ceſſet, quicquid antea hoſtile fuit, ſed non ut ceſſaret perſequutio criminum, quæ, etiam extra cauſam belli, leges publicæ vindicabant. Quare *d.* §. 4. prodeſſe nequit Eccleſiaſticis, quamquam Hiſpaniarum Regis ſubditis, quia & ante illam pacem proſcribebantur, & proſcribebantur non tanquam Regis Hiſpaniarum ſubditi, ſed tanquam Eccleſiaſtici, omnium enim Principum Eccleſiaſticos Pontificios, etiam eorum quibuscum pax erat, eadem lex arcebat. Unde manifeſtum eſt, antequam Eccleſiaſtici, ut Regis Hiſpaniarum ſubditi, etiam hic admitterentur, nova opus fuiſſe pactione, ex qua, quos circa belli cauſam lex repellebat, hic adeſſe liceret, ejusmodi pactio nunquam interceſſit. An tu putas, qui non propter bellum, ſed propter crimen aliquod, ex Belgio Fœderato relegati deportative in Ditionem Regis Hiſpaniarum conceſſerant, & ibi, qua ſubditi vel incolæ, aliquamdiu egerant, an, inquam, tu putas, iis, ſi animum revertendi haberent, per *d.* §. 4. in Belgio Fœderato eſſe licere? ego non puto. Exemplo res fiet clarior. Omnes Judæos impia pietate, & in manifeſtam Imperii ſui perniciem Hiſpani proſcripſerunt, & in aliis etiam Imperiis inclementius habentur, ſed aliter Hollandi, mercator Populus, ſentiunt, apud hos enim Judæi, Gens ad Rempublicam commerciis frequentandam utiliſſima, adeo benigne recepti ſunt, ut utantur iisdem Legibus & Privilegiis, quibus utuntur ceteri Hollandiæ ſubditi & incolæ. Quæro igitur, an Judæus ex Hollandiâ, Judæorum nutricula, poſt *d.* §. 4. in Hiſpaniam commeare, ibique libere morari poſſit? Si me audias, non poterit, nam, qua Judæus, diu ante *d.* §. 4. proſcriptus eſt, nec proſcriptis favet ille §. 4.

Quamvis autem illa, quam dedi, interpretatio *d.* §. 4. videatur veriſſima, dubito tamen, an Ordines Hollandiæ ea uti poſſint. Quum enim Judæos quosdam Hollandos male accepiſſent Hiſpani, & Judæi ea de re eſſent queſti apud Ordines Hollandiæ, hi 12. Jul. 1657. decreverunt (13), Judæos illos, male acceptos, habendos eſſe pro ſubditis & incolis Fœderati Belgii, ideoque & gaudere oportere eodem jure & privilegiis, quæ ex Pace, cum Hiſpanis pacta, aut ex Pacto marino, vel ex quibusque aliis Conventionibus, cum aliis Regibus, Rebuspublicis, Principibus, Ordinibus, Urbibusve factis, hujus Reipublicæ ſubditis & incolis competunt, addito inſuper mandato, ſui in Ordinum Generalium Collegium Delegati & in hac, & in aliis omnibus cauſis curarent, Judæi ſecundum id Decretum omnino defenderentur. Si credas, illud Decretum duntaxat pertinere ad bona, non etiam ad perſonas Judæorum, falleris, nam quod ad bona nullus ab Hiſpanis metus: ecce enim ſeptennio ante id Decretum, anno nempe 1650. Hiſpaniarum Regis Legatus apud Ordines Generales jam erat teſtatus (14), Judæis, qui in Belgio Fœderato eſſent, in Hiſpania liceret res ſuas agere per homines ſuos, & eorum bona non aliter haberentur, quam reliquorum ſubditorum Fœderati Belgii, modo ne ipſi in Hiſpaniam venirent.

Igitur amplius deliberandum eſt de juſtitia ejus Decreti 12. Jul. 1657. ſed, dum deliberamus, tenendum eſt, reliquos Ordines Fœderati Belgii, nunquam ſimile quid decreviſſe, per eos igitur recte ſubſiſtere illam interpretationem *d.* §. 4. &, hac admiſſa, ſatis intelligimus, duriora illa Edicta contra immoderatam Eccleſiaſticorum Pontificiorum multitudinem, in has Regiones irruentem, repeti potuiſſe illo 14. Apr. 1649. & poſtea etiam optimo jure ſæpius fuiſſe repetita. Noviſſimum Ordinum Hollandiæ Edictum ea de re promulgatum eſt 21. Sept. 1730. (15). Sed hoc & alia ejusdem argumenti prætereo, contentus probaſſe, nullâ ratione *d.* §. 4. plerosque Ordines Fœderati Belgii habuiſſe ſollicitos, atque ſi nempe obſtaret interdictioni Clericorum, huc advenientium ex Imperio Hiſpanico.

CAPUT XXI.

Quando & quorum navibus præſtanda ſit reverentia? & an damnum, quod ob reverentiam non præſtitam accipitur, commune ſit, ut in jactu?

Ut belli occaſio evitetur, tractandum quoque, quando & quorum navibus præſtanda ſit reverentia? Res tota fere pendet a quæſtione de dominio maris, nam ſi quod mare ſit in dominio & Imperio alicujus Principis, ejus eſt ibi leges dare, & aliorum, quia ibi ſubditi ſunt, leges accipere. Quare ſi juſſerit Princeps in mari ſuo navibus vel arcibus ſuis reverentiam exhibere, exhibenda erit, ſed ſi ſimile quid juſſerit in mari non ſuo, impune ei non parebitur. De dominio maris quid mihi videatur, expoſui ſingulari *Diſſertatione de Dominio maris*, edita anno 1703. nec adhuc muto ſententiam, Adverſariis enim, quos poſtea nactus ſum, reſpondi repetita ejus libelli editione inter *Opera* mea *minora*, quæ Lugduni Batavorum prodierunt anno 1730. Diſtinxi in eo Opuſculo inter mare terræ proximum & mare exterum, mare terræ proximum appellavi, quousque poteſtas e continenti, tormentis forte exploſis, porrigitur, mare exterum, in quod Princeps e terra dominari nequit. Mare proximum ſubjeci dominio Principis, qui in terra imperat, mare exterum exemi omni dominio, niſi dominii animo occupatum poſſeſſumque ſit, nam, remiſſa poſſeſſione ex ſtimabam, remitti quoque dominium, & inde efficiebam, nullum mare exterum nunc eſſe in cujusquam Principis dominio, cum nullum a quoquam Principe poſſideatur. Si vera ſint, quæ ibi diſputavi, præſertim *C.* II. III. & IV. his omnino conſequens eſt, qui imperat mari proximo, recte etiam imperare, ut & quemadmodum ibi ſalutetur.

Secundum hæc Ordines Hollandiæ 16. Maj. 1670. (1) optimo jure decreverunt, in Freto maris Baltici Regis Daniæ Arcem *Cronenburg* eſſe ſalutandam, ut Rex Daniæ voluiſſet, nec minus recte Ordines Generales 3. Januar. 1671. (2) decreverunt, navium ſuarum Præfecti in mari proximo, quousque tormenta exploduntur,

binnen

(13) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 372. & 373.

(14) Aitzema *Hiſtor. L.* XXX. p. 178.

(15) Exſtat ſeparatim & inter *Acta Ordinum.*

(1) *Plac.* III. 1. 2. 4.

(2) *Ibidem* III. 1. 2. 5.

binnen of onder 't canon van de Forten, ſalutarent, ut Principi ejus oræ videretur, an autem reſalutare vellet, ipſius arbitrio relinquendum, hac addita ratione, quemque enim eſſe dominum in ſuo Imperio, & quemque advenam ibi ſubditum. Quod ſi ſit, ut revera eſt, non recte Philippus II. Hiſpaniarum Rex, in §. 23. *T.* I. *Legum Nauticarum* ult. Oct. 1563. (3) etiam in portu alterius Principis vetuit, ſalutandi cauſa, ſubmittere primum apluſtre, in quo Regis Hiſpaniarum inſignia depicta & expreſſa ſunt. Neque etiam probandum eſt, quod triremis Gallica, anno 1671. Arcem quamdam Genuenſium prætervecta, eam ſalutare noluerit (4). Hæc de mari proximo.

Sed quod ad mare exterum, quod in nullius Principis dominio eſt, nullius quoque eſt reverentiam aliis imperare, & ſalutem, navibus ſuis præſtandam, exigere, & cum de mari extero quoque loquatur *d.* §. 23. *T.* I. *LL. Nautic.* hactenus, ni fallor, bene ſe habet. Sunt quædam, quæ, tametſi honeſte præſtentur, inhoneſte tamen petuntur. Inter ea refero, ſi quis minor dignitate majorem, in publico ſibi obviam factum, ſalutet vel non ſalutet, & ſi quæ minorum Principum naves in mari extero navibus majorum Principum, quaqua etiam dignitate ſint, ſalutem dicat vel neget. Et ideo Superior Judex in Gallia, reſciſſa Inferioris Judicis ſententia, recte abſolvit & dimiſit navem Hamburgenſem, quæ in mari Hiſpanico navi Gallicæ Regiæ vela non ſubmiſerat (5).

Attamen per plurimas Principum injurias id ſemper obtinere non licet. Sane quiqui maris alicujus imperium & dominium ſibi adrogant, ut Franci maris Mediterranei: Angli maris Britannici, Veneti maris Adriatici, Genuenſes maris Liguſtici, in iis maribus Majeſtatem ſuam comiter obſervari volunt, & ob reverentiam non præſtitam vi & vi armata agunt. Exempla non adfero, quia ipſa eorum copia laboramus. Sin autem illis, quas dixi, Gentibus, præ aliis quibuscunque, nihil quicquam juris ſit in illa, quæ ſibi adrogant, maria, ut ſatis mihi videor probaſſe *C. V. & VI. d. Diſſertat.* nihil etiam cauſæ eſt, ut ab aliis aliorum Principum navibus exigant reverentiam, ſibi in illis maribus præſtandam. Pactis effici poteſt, ut, quod jure non competit, aliorum concedat metus vel ignavia, & ſic ex Pactis Gens Genti debebit, quod alioquin non debebat, quod & circa velorum demiſſionem recte obſervavit Zentgravius *de Orig. Verit. & Oblig. Jur. Gent. Art.* 7. §. 10. Atque ita in §. 13. Pacis inter Reſpublicas Angliæ & Fœderati Belgii 28. Apr. 1654. (6) convenit, ut ex antiqua, ut ibi dicitur, conſuetudine, quæcunque naves Fœderatorum Belgarum navi Bellicæ Regiæ in mari Britannico ſubmitterent ſummum apluſtre & ſupparum. Verba, nam de verbis mox diſputandum erit, ſic ſe habent: *Dat de Schepen en Vaartuigen der Vereenigde Provincien, zoo wel van Oorloge, als andere, dewelke eenig ſchip van Oorloge van deſe Republicq in de Britanniſche Zeen zullen komen te ontmoeten, de vlagge van de top van de maſt zullen ſtryken, en het mars-zeil laten vallen, invoegen als oyt in vorige tyden gebruykelyk is geweeſt.* Quæ ipſa verba etiam deſcripta & repetita ſunt in §. 10. Pacis inter Regem Angliæ & Ordines Generales 14. Sept. 1662. (7) & in §. 19. Pacis inter Eosdem 31. Jul. 1667. (8)

Quod ad illam conventionem quæſitum eſt, an etiam tota Claſſis Ordinum eam reverentiam teneretur exhibere vel uni navi Regis Anglici, quæcumque illa fuerit? Magnis animis ea de re actum & pugnatum eſt annis 1671. & 1672. Cum Claſſis Ordinum menſe Auguſto anni 1671. prope terram Belgicam ſtaret, Carolus II. Rex Angliæ in eam immiſit navem quamdam luſoriam, *een Jacht* tormentis tamen munitam, ut illæ naves luſoriæ muniri ſolent. Mox navicula illa Regia ab Archithalaſſo Ordinum exegit reverentiam ſecundum ea pacta; quam cum non præſtaret Archithalaſſus, ejus navem tormentis petiit Anglica (9). Carolus, Ordinibus jam infenſus, ea occaſione arrepta, iis bellum indixit menſe Martio anni 1672. eam enim potiſſimum editæ indictionis cauſam memorat, reliqua ſane frigidiſſima ſunt. Ordines, prolixo Decreto (10), integram illam indictionem refutarunt, & ad *d.* §§. 13. 10. & 19. reſponderunt, eos pertinere non videri ad totas Ordinum Claſſes. Subſiſto. An non pertinerent, quod naves Ordinum fuerint plures, ſed una tantum Regia? At vero illi §§. loquuntur de navibus Fœderatorum Belgarum, numero plurium, & mox de una tantum Regia. Nihil quoque refert, naves noſtræ fuerint bellicæ, an aliæ, ut expreſſe cautum eſt *d.* §§. Unde effeceris, nec numerum nec conditionem navium excuſaſſe a præſtanda reverentia.

Sed velim animadverti, naves illas bellicas conſtituiſſe integram Claſſem, & integras navium Claſſes poſſe comparari, ut & vulgo comparantur, Præſidiis, Arcibus & Portubus, quibus omnes advenæ primum ſolent & debent exhibere reverentiam. Addo, Claſſem, quæ ſtat in anchoris, eam maris partem, cui incubat, videri occupaſſe, eatenus nempe, quatenus & quamdiu incubat. Si occupaverit, tranſit in imperium & dominium occupantis, ſecundum ea, quæ diſputavi *C.* III. & IV. *de Dominio maris*; domino autem in ſuo ipſius territorio primus ubique terrarum datur honor. Deinde memoratur tunc Ordinum Claſſis ſtetiſſe *onder 't Landt*, prope Zelandiam, neque adeo in mari Britannico, ſi qua fides epiſtulæ (11), quam Syndicus Ordinum Hollandiæ 22. Sept. 1671. de eo facto ſcripſit ad Legatum Ordinum Generalium, qui tunc in Anglia erat. Si non in mari Britannico, ceſſat conventio. Quod ſi prope terram ſteterit Claſſis, dici poterit, recte Archithalaſſum apluſtre & ſupparum non ſubmiſiſſe, quia communi Populorum uſu, quem latius probavi *C.* II. *de Domin. mar.* marium pars, terræ proxima, ejusdem imperii cenſetur, cujus & terra, in terra autem, hoc eſt, in ipſa Zelandia nullum jus aut Rex Angliæ vindicavit unquam, aut conceſſit quisquam. Scio, mea memoria, navem Anglicam, juxta portum Vliſſingenſem, hoſtiliter excepiſſe navem Zelandicam, quod ſe non ſalutaverat, ſed cum Zelandica ibi, hoc eſt, in Imperio Ordinum Zelandiæ, in anchoris ſteterit,

(3) *Plac.* I. 2. 7. 1. 2.
(4) *Hollandſche Mercurius* 1671. p. 114.
(5) Apud Zoucheum *de Jure Feciali* Part. II. Sect. 8. Q. 14.
(6) *Plac.* II. 4. 28. 2. 2.
(7) *Ibidem Append.* p. 2873.
(8) *Ibidem* III. 1. 13. 28.
(9) Sylvius *Vervolg van* Aitzema *L.* III. p. 180. & 181.
(10) Tam indictio, quam refutatio exſtant apud Sylvium *vervolg van* Aitzema *L.* III. p. 193. & ſeqq.
(11) Eam ſeparatim penes me ſervo.

rit, ſatis manifeſtum eſt, id fuiſſe iniquiſſimum. His omnibus, quæ dixi, accedit, quod in *d.* §§. 13. 10. & 19. nihil aliud convenerit, quam vel unam *navem bellicam* Regis Angliæ a noſtris navibus in mari Britannico eſſe ſalutandam, navem autem illam luſoriam pro *bellica* eſſe habendam, non ſatis adhuc mihi conſtat, certe earum navium, quas *Jachten* vocamus, ullum in præliis navalibus eſſe uſum, nec legere, nec audire me memini.

Quomodocunque autem illa Pacta interpreteris, ea, quam dixi, cauſa bellum indicere ſic ſatis eſt iniquum, præſertim quum Ordines id Claſſis ſuæ factum non tantum non probaverint, verum & Legato Regis, ad ſe eam ob rem miſſo, ſignificaverint (12), in poſterum, ſi ita Regi videretur, totas Ordinum Claſſes vel uni navi Regiæ vela & inſignia ſua eſſe ſubmiſſuras: invitiſſimos quippe Ordines in id bellum traxit Rex, ipſis Anglis, qui cordatiores erant, cauſam belli ridentibus. Ceterum compoſito eo bello, omnis diſputandi cauſa in poſterum præciſa eſt, nam in §. 4. Pacis inter Carolum II. Angliæ Regem & Ordines Generales 19. Febr. 1674. (13) convenit, quotquot Ordinum ſive ſeparatæ ſive conjunctæ naves, bellicæ aliæve, Regis Anglorum vel uni navi, quæ Regium velum (*jack*) aut apluſtre haberet, obviam factæ eſſent, ſupparum (*Top-zeil*) & ſummum apluſtre (*Top-wimpel van de grote maſt*) ſubmitterent & demerent, idque omni in mari, quod Septemtriones (*'t midden van 't punt*, *geſegt*, *het Staten-land in Noorwegen*) & Promontorium, quod dicitur *Finis Terræ*, interjacet. Atque id jus Regi competere Ordines in *d.* §. 4. teſtantur ſe agnoſcere. Uſu ſcilicet maris & fructu contenti Ordines, aliorum ambitioni, ſibi non damnoſæ, haud difficulter cedunt.

Hac occaſione quæro, ſi qua navis, ob reverentiam alii non præſtitam, hoſtiliter excepta, patiatur damnum, an id damnum ſit commune, atque ſi jactus eſſet factus? Et refert Weitſen *de Avariis* §. *voorts zoo heb ik* 29. ſic obtinuiſſe anno 1545. cum navis Bellica Regis Franciæ navi Zelandicæ, quod apluſtre ſuum non ſubmiſerat, ingens damnum dediſſet, & ſic obtinuiſſe, quia id damnum cenſebatur acceptum pro ſalute navis & oneris; quod, inquit Weitſen, deinde ita cautum eſt §. 28. Legum Nauticarum Caroli V. 19. Jul. 1551. (14). Sed ego ea ſententia non utor, neque enim damnum commune eſt, niſi quod accipitur pro ſalute communi, & quod accipitur, ſi neceſſitas urgeat, præſentiſſimo navis onerisque periculo. Si Francis apluſtre ſuum ſubmiſiſſet navis Zelandica, non minus, opinor, imo magis navis bonaque ſalva fuiſſent, atque ſi cum Francis pugnatum eſſet. Dices forte, pro dignitate Reipublicæ Francis reſtitum fuiſſe, quin & ſine culpa apluſtre ſubmitti non potuiſſe, cum id vergeret in opprobrium Reipublicæ. Sed ea ratio valet, ut probes, eum, qui aliam navem aggreſſus eſt, non teneri de damno iis, qui & ipſi in oppugnatione damnum paſſi ſunt, ſi, qui aggreſſus eſt, jure licito aggreſſus ſit, non autem valet, ut probes, ad alterius damnum reparandum etiam alios contribuere oportere, cum non pro iis, ſed pro dignitate Principis pugnatum eſt. Navarchus navis Bellicæ recte exigit reverentiam Principi ſuo ex Pactis aut alia ratione debitam, &, niſi exigat, in dolo vel culpa eſt. Navarchus autem navis onerariæ aut debet reverentiam, quam alius exigit, aut non debet. Si debeat, & non præſtet, utique ejus ſolius eſt damnum, quod accipitur, nec minus ejus ſolius eſſe putem, ſi malit pugnare, quam exhibere reverentiam, etiam non debitam. Ejus non eſt pro dignitate Principis ſui pugnare, ſed pro defenſione navis onerisque. Præſtat apluſtre ſubmittere, quam navem onusque pugnæ periculo exponere, quid enim ad navis onerisque dominos, quorum rebus præpoſitus eſt Navarchus, reverentiam exhibeat, an neget? & quid ad eos damnum, ob ſolam contumaciam navarchi illatum?

Non igitur erit contributio communis, niſi lex ſit aliqua, qua id conſtitutum, aut ob reverentiam præſtitam pœna poſita eſſet. Ut puta, ait §. 28. *T. I.* Legum Nauticarum Philippi II. ult. Oct. 1563. (15) ſi qui fecerint contra ea, quæ in præcedentibus aliquot §§. ibi dicta erant, eorum naves capi & publicari poſſe. Si ejusmodi quoque Sanctio exſtaret, quæ apluſtria & vela ullis aliorum Principum navibus ſubmittere prohiberet, ſin autem, naves, quæ id feciſſent, earumque onera publicarentur, jam defendi poſſet, ad reparationem damni, ob reverentiam negatam dati, ab omnibus eſſe contribuendum, quia ſic pro ſalute navis bonorumque communi pugnatum eſſet. Quod autem Weitſen *d. loc.* addidit, id, quod ipſe ſentit, poſtea eſſe cautum *d.* §. 28. *LL. Nauticarum* Caroli V. verum non eſt. Non aliud ibi conſtituitur, quam damnum, quod ad defenſionem navis contra piratas hoſtesque acceptum eſt, commune futurum, quod ipſum quoque repetitum eſt in §. 2. *T. IV. LL. Nauticarum* Philippi II. & inſertum Legibus Friſicis *L. I. T.* 24. §. 2. Sed ejus rei longe alia ratio eſt, nam pugna cum hoſtibus & piratis ſemper fit pro ſalute communi navis onerisque.

CAPUT XXII.

Varia de tributis, vectigalibus & publicanis.

Ad Reipublicæ adminiſtrationem cum maxime pertinet cauſa tributorum & vectigalium, quia *neque quies Gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt*, ut res ipſa docet, etiamſi non diceret Tacitus *L. IV. Hiſtor. C.* 74. Quamvis autem tributorum & vectigalium fere indiſtincta ſit ſignificatio, diſtinguendi tamen ergo *tributa* dicimus, quæ rerum, quas habemus vel acquirimus, & quæ perſonarum nomine præſtantur, *vectigalia* vero, quæ invectionis evectionisque, & rerum fungibilium, quas emimus, nomine indicuntur. Inter *tributa* & *portoria* ſeu vectigalia ea ipſa diſtinctio eſt apud Tacitum *L. XIII. Annal. C.* 50.

Vegrandes in Belgio Fœderato, & præſertim Hollandia, contributiones eſſe, vetus querela eſt. Sunt, qui id Rerumpublicarum, quæ a plu-

(12) Sylvius *Vervolg van* Aitzema *L.* III. p. 202.
(13) *Plac.* III. 1. 13. 29.
(14) *Ibidem* I. 2. 7. 1. 1.
(15) *Ibidem* I. 2. 7. 1. 2.

pluribus adminiſtrantur, commune malum eſſe cenſent, hi enim, quo plures ſunt, eo &c. ad eos, ut totidem, fere dixerim, Principes exhibendos, plus contribuendum eſſe ſibi perſuadent, ſed an ſub Imperio unius hac parte beatior ſubditorum conditio ſit, nunc non diſputo. Id veriſſimum eſt, quicquid olim apud alias Gentes tributarium ac vectigale fuit, etiam apud nos eſſe, quinimo plus eſſe ſi quis largiatur, non erraverit. Romæ, Reipublicæ frequentandæ cauſa, cœlibatui tributum impoſitum, in Hollandia & Zelandia etiam nuptiis, ſed ne mori quidem ibi licet impune. Alia etiam hic illic in ipſos mortuos exercetur rapacitas: templa enim, præter quæ cadavera, alibi ſepelienda, vehuntur, ab iis vectigal quoddam exigunt. Hunc morem, atque ſi nullo jure exerceretur, graviter increpuit Peckius *de Jure Siſtendi C. V.* §. 23. apud Romanos tamen obtinuiſſe videri poſſet ex *l.* 37. *pr. ff. de Relig. & ſumpt. fun.* ubi inter ſumptus funeris referuntur, *ſi qua vectigalia ſunt.* Sed magis eſt, ut ſine alia auctoritate expreſſa, quæ, quod ſciam, alibi non exſtat, benignius præſumamus de Romanorum in mortuos pietate, utque illa vectigalia potius intelligamus de iis, quæ præſtantur pro equis, navibus, hominibus, aliisque, quæ cadaver, alibi ſepeliendum, comitantur, ut hæc ſcilicet non minus vectigalia ſint, quam ſi alterius cujusque rei cauſa commeaverint. Lectio quoque in *d. l.* 37. *pr.* non ubique eſt eadem; ſed hoc jam non ago. Sane in Belgio Fœderato ille mos utique improbandus eſt, neque enim ibi pro mortuis in Eccleſia, quam cadaver prætervehitur, preces funduntur, aut ex lege Religionis Calvinianæ fundi poſſunt, quæ tamen ſola ejus exactionis origo videtur, ut ab aliis jam eſt obſervatum. Sed dudum eſt, ex quo Calviniani, operarum negligentes, eadem tamen emolumenta ſectati ſunt, quæ ex operis habent Pontificii (1). Hanc autem rapinam & ego circumſcriberem argumento §. 39. *Legum*, ut vocant, *Politicarum*, quas Ordines Hollandiæ ediderunt 1. Apr. 1580. nam ad inſtar jurisdictionis haberi poteſt illud qualecunque jus, quod Eccleſiæ exercent. Idque magis probandum eſt ob facilitatem exactionis, neque enim quisquam patietur, propter victigal non ſolutum, mortuum ſuum in itinere detineri. Hæc rapina fere convenit rapinæ plebis Polentinæ apud Suetonium in *Tiberio C.* 37.

In cenſu ineundo bonorum deſcriptionem fieri, Jure Romano conſtat *l.* 4. *pr.* §. 1. *& ſeqq. ff. de Cenſib.* ſed id, cum alibi, tum in Hollandia improbatum eſt. Exſtat Decretum Ordinum Hollandiæ 22. Jan. 1675. (2) quo, ob difficillima tunc tempora, continetur, etiam eorum nomine, quæ hic non poſſidentur, ducenteſimam eſſe ſolvendam, & quo ipſo tamen prohibetur bonorum deſcriptio, quemadmodum & Curia Hollandiæ Mandato cum clauſula pœnali hanc inhibuit 21. Oct. 1677. (3). cum quidam bona ſua perperam profeſſus argueretur. Ajunt Ordines in illo Decreto 22. Jan. 1675. ſecundum harum Regionum conditionem nefas eſſe bonorum deſcriptionem fieri, ideoque totam rem committi jurijurando ejus, a quo cenſus exigitur, jubentur tamen Urbium Conſules & Ordinum Conſiliarii eam, quam commode poſſunt, habere bonorum cujusque notitiam, & curare, ut, qui perperam profeſſi ſunt, nomine publico accuſentur. Quod jurijurando ea res committitur, non abſimile eſt antiquæ Germanorum conſuetudini, quam ut ſingulare veræ probitatis exemplum laudat Machiavel *L. I. Diſput. de Republ. C.* 55. Germanos nempe, tributi loco, ſolvere bonorum ſuorum centeſimam, unam duasve, eosque, præſtito ante jurejurando, tantum ſeſe ſoluturos, quod debent, revera etiam tantum ſolvere, absque ulla alia probatione vel exactione. Sed & longe glorioſius eſt, quod ſæpe in Hollandia liberæ Reipublicæ temporibus accidiſſe audio, quam plurimos nempe ſubditos, quum cenſus qualiter qualiter iniretur, cum indignatione fuiſſe quiritatos, a ſe minus exigi, quam oportebat, atque adeo plus obtuliſſe & publico ſolviſſe. Utque in Germanis id, quod dixi, ſtudio libertatis adſcribit Machiavel, ſic in Belgis Fœderatis veriſſimum eſt, quo quique libertatis ſtudioſiores ſunt, eo promptius & lubentius tolerare tributa, etiam graviſſima, ſatis gnari, libertatem neminem bonum niſi cum anima amittere, parum igitur eſſe, ſi ei tuendæ partem bonorum impendant.

Loca publica a tributis immunia ſunt, &c. cum olim Monetæ Ordinum Hollandiæ (*de Muntbuyſen*) tributa quoque præſtitiſſent, iidem Ordines decreverunt 25. Febr. 1667. (4) Monetæ, quia ad ſe pertinebant, a tributis eſſent immunes. Sed quæſitum eſt, an & loca publica, quæ ad Ordines Generales pertinent, a tributis ſingularum Provinciarum ſint immunia? Et quum Admiralitas Rotterdammenſis armamentarium exſtruxiſſet *te Hellevoetſluis*, & 19. Mart. 1658. ab Ordinibus Hollandiæ petiiſſet, id a tributis Hollandiæ immune & eſſe, & in poſterum manere ſinerent, iidem Ordines contra decreverunt 1. Apr. 1658. (5) Decreto enim ejusdem diei complexi ſunt, omnia Ordinum Generalium armamentaria tributis ſubjecta & eſſe & in poſterum manſura. Quod vix convenit eorumdem Ordinum Decreto 5. Aug 1667. (6) nam cum Ordines Hollandiæ tributum impoſuiſſent carrucis penſilibus, navibus luſoriis (*Jachten*) aliisque ſimilibus, & conductor ejus tributi id quoque Rotterdami exigere conſtituiſſet earum navium luſoriarum nomine, quæ ad Ordines Generales eorumve Collegia pertinebant, Ordinum Generalium Conſiliarii Epiſtula 21. Jul. 1667. ad Ordines Hollandiæ data, petierunt, curare vellent Ordines, ne id fieret, *aangeſien die Jachten en andere Vaartuygen, daar toe geborende, niet waren toekomende eenige particuliere Ingeſetenen van haar Edele Groot Mogende, maar abſolutelyk aan den Staat behoorden*, & ſecundum hæc Ordines Hollandiæ eo 5. Aug. 1667. decreverunt. Vis rationem? *om dat*, ajunt, *de voorſchr. Jachten geen Speeljachten ſyn, nogte ook eenige particuliere aankomen, maar ter contrarie alleenlyk ten dienſte van den gemeenen Staat gebruykt werden.* Armamentaria igitur Ordinum Generalium, quæ ex illo Decreto 1. Apr. 1658. tributum pendunt Ordinibus Hollandiæ, ſunt privatorum? & non ſunt exſtructa in uſum communis Reipublicæ? Vix eſt, ut ea Decreta ſimul ſubſiſtant. Si merum jus ſequamur, defendi poterit d. Decretum

(1) Exemplum eſt in *Deciſ. mixt.* 176.
(2) *Formul.* II. 26. p. m. 384. *&* 385.
(3) *Ibidem* II. 26. p. m. 382. *&* 383.
(4) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit Tom.* II. p. 795. *&* 796.
(5) *Ibidem* p. 428.
(6) *Ibidem* p. 802. *&* 803.

cretum 1. Apr. 1658. quia Princeps, quæcunque in ſuo Imperio ſunt, recte tributis ſubjicit, ſed animadverte, an ſatis amicum ſit, res ſocii tui, quæ ultra ſemiſſem ad te ipſum pertinent, & ſine quibus ſocietas ſalva eſſe nequit, in rem tuam tributis ſubjicere? in vectigalibus quod ad ea, quæ ad commeatum, & ad debellandos hoſtes evehuntur, hæc quæſtio poteſt habere uſum longe frequentiſſimum.

Romæ non Principi duntaxat, verum & Civitatibus quibusdam tributa & vectigalia ſolvebantur; plurimis quidem Civitatibus vectigalia ademit Tiberius, ut narrat Suetonius in *ejus vita C.* XLIX. ſed rurſus *ad proprias fabricas* iis conceſſit Alexander Severus, ut eſt apud Lampridium in *ejus vita C.* XXI. Quin & generaliter a' Juliano Civitatibus reſtituta eſſe vectigalia memorat Ammianus Marcellinus *Hiſtor. L.* XXV. *p. m.* 530. Apud Hollandos etiam non modo Ordinibus, ſed & Civitatibus quibusdam vectigal ſolvitur, ex Privilegiis ſcilicet, quæ in hanc rem obtinuerunt, ut enim apud Romanos nemo vectigalia indicebat niſi Princeps *l.* 10. *pr. ff. de Public. & vectigal.* ita & Carolus V. 6. Jul. 1515. (7) & rurſus 8. Sept. 1518. (8) edixit, ne qua Urbs vel Pagus in Hollandia vino, cereviſiæ aliisque rebus nova tributa vel vectigalia imponeret, aut antiqua emendaret ſine ſpeciali Comitis privilegio. Quinimo poſteriores Graviones adeo cuncta ad ſe traxere, ut neque Ordines, ſine eorum privilegio, tributa vel vectigalia indixiſſe videantur, etiam tunc, cum ipſis Gravionibus eſſent ſolvenda. Ejusmodi ſane ſunt privilegia, quæ Ordinibus Hollandiæ conceſſit Carolus V. 5. Januar. & 16. Apr. 1543. (9).

JCti diſputant (10), an Urbibus vel Pagis ad æs alienum diſſolvendum, ad Opera publica exſtruenda, vetera reficienda, aliasque impenſas neceſſarias, tributa vel vectigalia Civibus aut Incolis ſuis imperare liceat? Sed id ex cujusque Reipublicæ forma judicandum eſt. Antiquiſſimis quidem temporibus in Hollandia etiam minores locorum Domini videntur ea imperaſſe; unde totiens ab iis pacti Incolæ, ut modus quidam iis poneretur. Varie id jus etiam hodie exercetur; qui aggeribus exſtruendis & conſervandis præſunt, in hanc rem nunc quoque tributa quædam indicunt, ceteri minores Domini ex nulla fere cauſa indicunt: ex quo enim ambitio & potentia Gravionum crevere, non niſi ex eorum privilegio tributa vel vectigalia imponere licuit, utique non poſt illa, quæ dixi, Caroli V. Edicta annorum 1515. & 1518. Secundum hæc quum Dominus Brederodenſis Coronationi Caroli V. Aquisgrani adfuiſſet, atque ob impenſas, ibidem factas, tributum quoddam impoſuiſſet τοῖς *in Bodegraven*, hique contradicerent, contendentes, nemini in Hollandia jus eſſe tributum imponere ſine auctoritate Gravionis, apud Curiam Hollandiæ 25. Febr. 1524. obtinuerunt (11). Cum olim multas exactiones, etiam tributi vectigalisve nomine, ſibi vindicarent Ballivii aliique, nullo jure, at ſolo uſu ſe tuentes, & uſum inde derivantes, quod cuique privato, de pecunia ſæpe non magna, litigare commodum non eſſet, Ordines Hollandiæ his rapinis obviam iverunt §. 39. *Legum Politicarum* 1. Apr. 1580. Sed nihilominus etiam hodie prolixe in hanc rem peccatur.

Sicuti Romæ in ceterarum rerum conductionibus, ob caſum inopinatum, promiſſæ mercedis diminutio concedebatur *l.* 15. §. 1. & *l.* 25. §. 6. *ff. Locat. cond.* ita & in tributis & vectigalibus. Ulpianus certe in *l.* 4. §. 1. *ff. de Cenſib.* cauſas quasdam enumerat, ob quas cenſus vel remittebatur, vel minuebatur, & Senatum Romanum, ob calamitatem, publicanis partem mercedis remiſiſſe, lego apud Polybium *L.* VI. *Hiſtor. C.* 15. Ea autem remiſſio vel diminutio tunc in primis rationem habet, ſi damnum, quod publicanis obvenit, ex ipſius locatoris parte obveniat, utpute ſi quosdam a vectigalium, jam locatorum, præſtatione exemerit, vel merces quasdam, vectigali obnoxias, invehere vel evehere prohibuerit, vel rerum quarundam, quæ tributum pendebant, uſu interdixerit. Quæ ratio fuiſſe ſcribitur, quod anno 1694. Innocentius XII. Pontifex Maximus, leges de luxu coërcendo non pertulerit, quoniam nempe Theologi & JCti damnum, ex ea re publicanis obventurum, a Pontifice reſarciendum eſſe, conſentiebant omnes.

Plus ſcire attinet, quid juris ſit in Hollandia. Conſiliarii quidem Ordinum Hollandiæ publicanis nihil quicquam poſſunt remittere ex §. 11. eorum Formæ 4. Oct. 1670. (12) non quod nullæ in Hollandia remiſſiones obtineant, ſed quod illi Conſiliarii dare nequeant. In §. 16. Formæ, quam Ordines Hollandiæ 19. Febr. 1585. Collegio ſuo præſcripſerunt (13), continetur, de remiſſionibus mercedum, quas publicani Ordinibus debent, ſolos Ordines eſſe cognituros, & inde ſatis apparet, etiam tunc remiſſionibus fuiſſe locum, ſi qua Ordinibus juſta remittendi cauſa videretur. Nulla autem cauſa juſtior, quam ſi, ut modo dicebam, poſt locationem ipſi Ordines ſuo facto iis, qui publica conduxerunt, damnum dediſſe conſtet. Quare miror, ex §. 33. & 35. Formæ Vectigalis publici (14) nullam in Hollandia publicanis remiſſionem dari, ſi vel exportatio mercium aliarumque rerum, quæ vectigal debent, prohibeatur, aut nonnullis, quamvis poſt factam locationem, immunitas a vectigalibus concedatur. Una remittendi cauſa eſt ex *d.* §. 33. ſi loca quædam, quorum reditus ad publicanos pertinebant, ab hoſtibus occupata ſint, pro rata nempe temporis, quo occupata fuere. Ob eandem quoque cauſam annis 1640. & 1668. Ordinibus Generalibus placuit, ſingularum Provinciarum Ordinibus remitteretur damnum, quod in vectigalibus paſſi erant, dum loca quædam eorum ab hoſtibus occupata aut vaſtata eſſent (15). Juſta cauſa, & quis negaverit? Sed non minus juſtæ duæ aliæ, quas hic commemoravi. Tandem Ordines Hollandiæ in §. 23. noviſſimæ Formæ Vectigalis publici 11. Mart. 1723. (16) alteram ex his duabus cauſis receperunt,

(7) *Plac.* II. *Append.* p. 2048.
(8) *Ibidem* II. *Append.* p. 2052.
(9) *Repert. Curiæ Holl.* p. 46. A.
(10) Apud Peckium *de Jure Siſtendi C.* IV. n. 17. *& Conſil. B. T.* III. Conſil. 78.
(11) *Deciſ. mixt.* 78.
(12) *Plac.* III. 1. 3. 3.
(13) *Ibidem* I. 1. 3. 1.
(14) *Generale Ordonnantie op de gemeene Middelen, ibidem* III. 7. 4. 11. & *Bello Jurid.* Caſu 60.
(15) Sic refert Aitzema *L.* XLVI. p. 372. 381. 383. & 384. *& L.* XLVII. p. 179.
(16) *Nieuwe generale Ordonnantie op de gemeene Middelen*, quæ exſtat ſeparatim, & inter *Acta Ordinum.*

runt, ſi ſcilicet invectio quarundam mercium prohibeatur (cui par ſit oportet cauſa evectionis) ſed alteram, quæ de conceſſa immunitate eſt, omiſerunt, addiderunt autem tres novas remiſſionum cauſas, nempe inundationis, majoris incendii & peſtis, reliquis omnibus plane excluſis. Unde refutandum eſt, quod quidam in Hollandia vectigalium conductores, quod ad remiſſionem, quarumcunque aliarum rerum conductoribus comparaverint (17). Ne quidem peſtis antea in Belgio juſta remittendi, ſed duntaxat ſolutionis differendæ cauſa fuit, ut eſt in *Diſquiſitionibus Politicis Caſu* XLIII. Si Ordines novis Edictis publicanis noceant, damnum iis reſarciri oportere, generaliter reſponſum eſt *Conſil. H. T.* III. *Conſil.* 105. & 106. & *Conſil. B. T.* IV. *Conſil.* 167. *n.* 1. 2. & 3. optime, ſi quid judico. Præſtaret in hoc argumento ſequi jus Romanum, quod in conductoribus publicis vel privatis nihil quicquam diſtinguit, quam ſine ratione excludere cauſas, ibi expreſſas, & non admittere æque graves vel graviores. Juri Romano fere conveniunt cauſæ, enumeratæ in §§. 15. 25. & 95. Formæ, quam Ordines Hollandiæ Rationalibus patrimonii ſui dederunt 12. Mart. 1593. (18).

CAPUT XXIII.

An Ordines Generales recte ſeſe immiſceant controverſiis ſingularum Provinciarum?

Quum penes ſingulas Provincias jus ſit ſummæ Poteſtatis, quicquid ad ſummam Poteſtatem pertinet, ipſæ quoque exercent, niſi renunciarint juri ſuo, ut renunciarunt in quibusdam cauſis, ſine quibus Fœdus Utrechtanum 23. Jan. 1579. explicari non poterat. An & quatenus renuntiarint in jure belli gerendi, excuſſi ſupra *L.* I. *C.* 23. an & quatenus in jure Repreſſaliarum *d. L.* I. *C.* 24. an & quatenus in jure Legatos mittendi vel accipiendi *hoc Libro C.* 4. an & quatenus in jure Religionis *hoc ipſo Libro C.* 18. Sed quid ſi inter Provincias invicem controverſiæ incidant de juribus & privilegiis, ſibi propriis? & quid ſi de iisdem controverſiæ incidant inter Magiſtratus, Urbes, aliave membra unius ejusdemque Provinciæ? Et palam cautum eſt in §. 1. d. Fœder. Utrecht. omnes illas controverſias eſſe definiendas vel ordinario judicio, vel apud arbitros, vel amica transactione, hoc nominatim addito, *ſonder dat de andere Landen of Provincien, Steden of Leden van dien (zoo lange zig beide Partyen 't regt ſubmitteren) hen des zullen hebben te bemoeyen, ten ware hen geliefde te intercederen tot accord.* In nonnullis cauſis, quæ, ut modo dicebam, ad explicandum Fœdus pertinebant, & ſine quibus Reſpublica ſalva eſſe videbatur non poſſe, alia componendi diſſidii ratio præſcribitur in §§. 9. 16. & 23. d. Fœder. Utrecht. ſed de his omnibus §§. latius ſum dicturus *Cap. ſeq.* Interea apparet, in cauſis ordinariis regulam eſſe, Ordines Generales non recte ſeſe immiſcere controverſiis ſingularum Provinciarum, addita hac una exceptione, niſi Partes ſe judicio non ſubmittant. Quæ exceptio magnam rationem habet: ſi enim partes judicium ſubterfugiant, quid ſupereſt, quam ut in mutuam perniciem armentur, & Fœderi defendendo ſic reddantur inutiles. Quod, ne fieret, omni ope erat cavendum.

Sic eſt in Fœdere Utrechtano; ſed & ante id Fœdus placuit, ne Ordines Generales judicare vellent de rebus, quæ ad ſingulas Provincias pertinebant. Unde & §. 23. Pactorum inter Amſterdammenſes & Dynaſtam Orangium 5. Febr. 1578. (1) continetur, Amſterdammenſes quidem promiſiſſe, ſe de Civitatis ſuæ adminiſtratione accuſatoribus ſuis apud Ordines Generales, eorumve Conſiliarios eſſe reſponſuros, ſed Ordines Hollandiæ cenſuiſſe, earum rerum, quæ in Hollandia acta geſta ſunt, hominumque ibi degentium accuſationes extra Provinciam peragi non oportere, adverſari enim id Privilegiis & ipſi Fœderi Gandavenſi, placuiſſe igitur Orangio & Ordinibus Hollandiæ, omnes eas accuſationes eſſe ſuſpendendas, donec Ordines Generales de jurisdictione Senatus Mechlinienſis conſtituiſſent.

Ille autem §. 1. Fœder. Utrecht. ad controverſias inter Groninganos & Ommelandenſes nunc non pertinet, quamvis tunc pertinuerit. Ommelandenſes ſubſcripſerunt Fœderi, &, quamvis non ſubſcripſerint Groningani, in Fœdere tamen fuiſſe, videor recte probaſſe *L.* I. *C.* 16. Groningani quidem, Groningam habentibus Hiſpanis, Fœdere exciderunt, ſed recuperata ab Orangio Groninga, ad id redierunt ex §. 2. Legum, quibus dedita eſt Groninga 23. Jul. 1594. (2). Sed non redierunt æquo fœdere, ut obſervabam quoque *d. C.* 16. ecce enim §. 5. earundem Legum ita expreſſum eſt: *dat het different tuſſchen de Stad Groningen en Omlanden* (3) *gereſen, ende zoo nog ſoude mogen ryſen, zal ſtaan tot determinatie en diſpoſitie van de Heeren Staten Generaal, of hare gecommitteerde.* Groningani in hiſce controverſiis ſe ſubmiſerunt arbitrio Ordinum Generalium, ſive ex Legibus deditionis, ſive ex compromiſſo, Ommelandenſes ex ſolo compromiſſo, ne cum duriore adverſario ſibi perpetuo eſſet confligendum. Secundum hæc certe inter Groninganos & Ommelandenſes ſæpe judicarunt vel ipſi Ordines Generales, vel alii, ab his delegati, quemadmodum 21. Jan. 1597. 8. Mart. 1599. & 10. Apr. 1600. (4) & rurſus 18. Aug. & 4. Dec. 1610. & 3. Jul. 1615. (5). Dixerunt quidem Groningani 3. Mart. 1677. *d.* §. 5. tantum pertinere ad controverſias, quas tunc, anno nempe 1594. invicem habebant, ſed contradixerunt Ommelandenſes, & ſecundum hos decreverunt Ordines Generales 3. Aug. 1677. (6) Recte: nam & de controverſiis, in poſterum oriundis, diſerte cautum eſt in *d.* §. 5. Ceterum in eo §. 5. duntaxat ſermo eſt de quæſtionibus, inter Groningam & Ommelandiam ortis vel oriundis, & inde apparet, ultra eas quæſtiones porrigendum non eſſe. Si igitur ipſi Groningani inter

(17) Van Leeuwen *R. H. R. L.* IV. 40. 4.

(18) *Plac.* III. 6. 1. 1.

(1) Satisfactie aan die van Amſterdam, exſtat *in de Handveſten van Amſterdam* 1663. p. 141.

(2) *Plac.* I. 1. 1. 1. 4.

(3) Hæc verba, *en de Omlanden*, perperam omiſſa ſunt d. n. 4. Sed alibi leguntur, & omnino legi debent.

(4) Exſtant illæ ſententiæ ſeparatim, & memorantur quoque *Repert. Ordin. Gener.* p. 16. A.

(5) *Ibidem* p. 21. A. & p. 23. A.

(6) *Hollandſche Mercurius* 1677. p. 113. & p. 149.

inter ſe, vel ipſi Ommelandenſes inter ſe diſſentiant, nullæ plane partes erunt Ordinum Generalium, niſi forte ex novo compromiſſo, de illis controverſiis tunc interpoſito. Cum Ommelandenſes ſæpiſſime invicem ſint tumultuati, & adhuc tumultuentur, ex eorum præcedenti compromiſſo ſæpiſſime etiam jus dixerunt Ordines Generales, ſed ſi nullum ſit compromiſſum, quod in ſingulis cauſis diligenter obſervandum eſt, ceſſabit omnis eorum jurisdictio, & locus erit regulæ, quod ad omnes Provincias præſcriptæ in *d.* §. 1. Fœd. Utrecht.

Quid autem eſt, quod Ordines Generales eorumve Delegati aliquando etiam contra Utrechtanos nonnullos judicarunt? de illo judicio exſtat epiſtula 17. Mart. 1610. (7) & eo quoque videntur referenda Edicta, tam a Conſiliariis Ordinum Generalium ult. Maj. 1610. quam ab ipſis Ordinibus Generalibus promulgata 15. Aug. 1612. (8). Perperam, inquies, judicarunt, nam ex *d.* §. 1. ſingularum Provinciarum, earumve partium quæſtiones, niſi de iis tranſigatur, aut ad ordinarium judicem, aut ad arbitros deferendæ ſunt. Imo non perperam, non quod in ea ſpecie locus fuerit exceptioni, quam habet *d.* §. 1. excludi ſcilicet Ordines Generales, *niſi partes nolint ſe judicio ſubmittere*, neſcio enim, an id tunc obtinuerit, ſed quod ex auctoritate Ordinum Utrechtanorum cenſendum ſit illud judicium. Ne igitur ea cauſa aliis præjudicio ſit, ſciendum eſt illas ſententias, quas Delegati Ordinum Generalium anno 1611. contra ſeditioſos quosdam Utrechtanos dixerunt, eſſe dictas *op autboriſatie van de Heeren Staten 's Lands van Utrecht, en den Geregte der Stad Utrecht*, ut didici ex Præfatione d. Edicti 15. Aug. 1612. Atque ita recte judicarunt, qui alioquin judicare non poterant.

Quum 8. Apr. 1654. magni motus inter Ordines Tranſiſulaniæ eſſent excitati, qui totam illam Provinciam concuſſerunt, Ordines Hollandiæ 18. Sept. 1654. decreverunt (9), ageretur apud Ordines Generales, quo mandarent militibus, qui erant in Tranſiſulania, ne cui partium parerent, dummodo id paterentur Tanſiſulani, ad Comitia Ordinum Generalium delegati. Qui ſi id nollent, ſe id ſuis militibus, qui erant in Tranſiſulania, mandaturos, usque dum ceſſarent illæ ſeceſſiones, ac tunc rurſus milites parerent, ut juraverant ſe parituros, Ordinibus Tranſiſulaniæ. Sed cum ea apud Ordines Generales proponerentur, contradixerunt Tranſiſulaniæ Delegati, atque ita nihil quicquam decreverunt Ordines Generales. Tandem de iis quæſtionibus, tentatis fruſtra tranſactionibus, Ordines Tranſiſulaniæ compromiſerunt in Arbitros quosdam, qui eas ſententia ſua definirent Ordinum Hollandiæ nomine; quæ ſententia etiam ſequuta eſt 20. Aug. 1657. quemadmodum hæc omnia uberrime exſtant in Ordinum Hollandiæ Decreto 21. Sept. 1657. (10) cujus alia occaſione etiam ſupra memini *hoc Libro C.* 3.

Exceptis igitur controverſiis inter Groninganos & Ommelandenſes, de aliis, in aliis Provinciis exortis, Ordines Generales, quod ſciam, nunquam judicarunt, niſi qua Arbitri ex compromiſſo partium, vel ex delegatione, atque adeo ex auctoritate ipſorum Ordinum. Sæpe quidem, miſſis etiam Delegatis ſuis, conati ſunt fluctus, hic illic motos, componere, ſed, ſi tranſactio non ſucceſſit, a judicando plane abſtinuerunt. Quum anno 1668. inter Proceres Friſiæ magnis animis diſputaretur de quibusdam, quæ ibi inciderant, & forte adeſſent Ordinum Generalium Delegati, alia occaſione miſſi, pars inferior apud eos prolixe queſta eſt de injuria, ſibi facta. Delegati has querelas ad Ordines Generales tranſcripſerunt 24. & 25. Febr. 1668. (11). Quo intellecto Deputati Ordinum Friſiæ & ipſi literas dederunt ad Ordines Generales 29. Febr. 1668. (12) enixe rogantes, ne illi Ordines ſeſe immiſcere vellent rei, ad ſe non pertinenti, ſe jam de controverſiis, apud ſe exortis, judicaſſe, & ſibi ſolis de his judicandi jus eſſe. Qua Epiſtula moti Ordines Generales nihil quicquam ſibi adrogarunt (13).

Quamvis autem mihi non ſuccurrat exemplum rei apud Ordines Generales, ſine compromiſſo vel delegatione, judicatæ inter diſſentientes unius ejusdemque Provinciæ partes, judicare tamen poſſunt, ſi partes judicio ſe ſubtrahant, ut ſæpe ſe ſubtraxerunt. Exſtant in Annalibus exempla, & mea quoque memoria exſtiterunt, eo usque ſæpe in nonnullis Provinciis eſſe turbatum, ut partes non tantum ad arma, ſed & ad cædem & ſanguinem venerint, utque ad perfectam ἀναρχίαν nihil fere fuerit reliquum. Ut antiquiora tempora prætercam, anno 1702. & aliquot ſequentibus, poſt mortem Wilelmi III. Gelria & Zelandia adeo in contrarias factiones fuerunt ſciſſæ, ut in his ſiluerint leges & judicia. Simulac pars inferior judicem, qui neutrarum partium erat, adiret, mox ſuperior auctoritate ſua interceſſit, & curavit, ut judicium vel ſuſpenderetur vel aboleretur. Et ne ſic quidem Ordines Generales vel ſingularum Provinciarum partes ſuas interpoſuerunt niſi per modum tranſactionis, minime vero per modum judicii. Scin', quid impediverit? ſolus, ni fallor, metus, ne, quo jure in aliis Provinciis uſi fuiſſent Ordines Generales, in poſterum in ſuis quoque uterentur; quod ne fieret, ſingularum Provinciarum æque intererat.

Sed, ajes, nunquamne Ordines uſi ſunt eo jure, quod ipſis dedit exceptio in *d.* §. 1. Fœd. Utrecht.? meminiſtine annorum 1618. & 1619. quibus Ordinum Generalium delegati Judices ſententiam dixerunt de capite & bonis eorum, qui tunc ſedebant ad clavum Reipublicæ Hollandicæ? Probe memini; ſed cave putes, eam cauſam incidiſſe in exceptionem *d.* §. 1. Exceptio ait, *niſi partes ſe judicio non ſubmittant*, tantum autem abeſt, ut, qui tunc judicati ſunt, Judici ſuo ſe ſubtraxerint, ut potius, ſimulac obtorto collo ad Judices delegatos rapti eſſent, magno convitio ad Judicem ſuum provocaverint, ejusque ſententiam nec ſubterfugerint, nec reformidaverint. Si quæras, quo igitur jure Ordinum Generalium delegati Judices in ea cauſa judicaverint, peritiores conſule, nam non eſt, ut ego tibi dicam.

(7) *Repertor. Ordinum Generalium* p. 20. B.
(8) *Plac.* I. 1. 17. *Edict. Ord. Gener.* n. 6. & 7.
(9) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 216. & ſeqq.
(10) *Ibidem* p. 381-421.
(11) *Hollandſche Mercurius* 1668. p. 43-46. & Aitzema *L.* XLVIII. p. 211. & ſeqq.
(12) *Hollandſche Mercurius d.* p. 46. & Aitzema *d. L.* XLVIII. p. 222.
(13) *Hollandſche Mercurius d.* 1668. p. 49. & Aitzema *d. L.* XLVIII. p. 220. & p. 273. & 274.

CA-

CAPUT XXIV.

De modis conciliandi diſſentientes Provincias.

Si quæ controverſiæ incidant inter ipſas Provincias, quæ fœderatæ ſunt, quemadmodum conciliandæ ſint, meretur deſpici. Intricatiſſima ſane eſt hæc quæſtio, ſed tamen utiliſſima, ne Reſpublica, quæ ſola fere concordia crevit, diſcordia aliquando dilabatur. Dicam autem de modis conciliandi diſſentientes Provincias, primum ex Fœdere Utrechtano, deinde ex iis, quæ poſt id Fœdus ſequuta ſunt, & his conſultis judicandum, an rei, adeo neceſſariæ, ſatis proſpectum ſit. Quod continetur §. 1. d. Fœderis, etiam ad diſſentientes Provincias videbatur porrigendum, nam ait, *dat de quæſtien, die EENIGE VAN DE VOORSCHR. PROVINCIEN, Leden ofte Steden van de Unie weſende, met den anderen hebben, ofte namaals zouden mogen krygen, nopende haar lieder particuliere en ſpeciale privilegien, vryheden, exemptien, regten, ſtatuten, loffelyke en wel hergebragte Coſtuimen, uſantien en andere haar lieder geregtigheden, dat dezelve by ordinaris Juſtitie, Arbiters of minnelyk accord beſliſt zullen werden.* Et tamen verum eſt, inter diſſentientes Provincias, quarum ſingulæ ſui juris ſunt, nullum eſſe judicem competentem, nedum Judicem ordinarium, atque ita, quantum ad has attinet, tentata ante tranſactione, ſtatim recurrendum videri ad Arbitros, nec, ut ſequitur, ullas Ordinum Generalium eſſe partes, ſi Provinciæ, quæ diſſentiunt, in Arbitros compromittere paratæ ſint. Sed hæc quidem ibi generaliter, at in §. 9. d. Fœder. poſtquam placuerat, in cauſis Induciarum, Pacis, Belli & Contributionum non niſi omnium Provinciarum unanimi conſenſu decerni poſſe, ſpecialiter cavetur, ſi in his, quæ dixi, cauſis Provinciæ diſſentiant, *dat 't geſchil zal gerefereert en geſubmitteert werden by proviſie aan de Heeren Stadhouders van de voorſchreve geünieerde Provincien, nu ter tyd weſende, die 't voorſchreve geſchil tuſſchen partyen zullen vergelyken, of daar van uyt ſpreken, zulks zy luiden bevinden zullen in der billykheid te behooren.* Quod ſi & ipſi Gubernatores diſſentiant, ex eodem §. 9. Arbitri adſciſcuntur. Rurſus in §. 16. d. Fœd. ſi qua contentio oriatur, quæ ad unam duntaxat Provinciam pertinet, ejus arbitrium fore penes omnes reliquas, ſin autem ad omnes Provincias pertineat, Gubernatores de ea eſſe arbitraturos ſecundum *d.* §. 9. Tandem in §. 21. d. Fœder. ſi quid dubiæ quæſtionis naſcatur ex ipſo Fœdere, omnes Fœderatos paribus ſuffragiis Fœdus eſſe interpretaturos, ſed ſi diſſentiant, Gubernatorum, ut ante dictum erat, partes ſuccedere.

Vides, quam varie? & quis hæc componat? Diceres ex *d.* §. 1. de omnibus controverſiis inter diſſentientes Provincias ad Arbitros eſſe eundum, & ex *d.* §. 16. ſecundum diſtinctionem, ibi factam, vel judicant reliquæ Provinciæ vel Gubernatores, remotis plane Arbitris. An *d.* §. 1. referendus erit ad jus ſingulare quarumque Provinciarum, *d.* autem §. 16. ad jus commune Fœderis? ſed non diſtinguit *d.* §. 16. & ſi ſic interpreteris, tantundem diceret, quod dicit *d.* §. 21. ibi namque agitur de iis, quæ ad explicandum Fœdus pertinent, & alia quoque ibi ſanctio eſt, quam in *d.* §. 16. Iterum in *d.* §. 9. cauſæ quædam graviores relinquuntur arbitrio Gubernatorum, qui tunc erant, ſed duntaxat *by proviſie.* Quid autem ſi illi fato ſuo fuerint functi? Quid ſi nulli ſint? & quid ſi unus tantum? nihil definitum eſt. Fere idem quæri poteſt quod ad *d.* §§. 16. & 24. ubi de Gubernatoribus ſermo eſt. Arbitri etiam adſciſcuntur ex *d.* §. 9. ſi inter Gubernatores non conveniat, ſed an & quomodo eorum arbitrio ſtandum ſit, non exprimitur.

Sunt hæc adeo obſcura & tantum non pugnantia, ut anno 1651. inter Fœderatos ſerio quæſitum ſit de eorum omnium interpretatione, & ſimul laboratum de nova ratione conciliandi diſſentientes Provincias. Quod dicitur in *d.* §. 9. de cauſis quibusdam arbitrio Gubernatorum, qui tunc erant, relinquendis, & quidem *by proviſie*, Friſii de omnibus deinceps Gubernatoribus intellectum voluerunt in his, quæ in Ordinum Generalium extraordinariis Comitiis propoſuerunt 27. Jan. 1651. (1) verbis *by proviſie* in *d.* §. 9. ita acceptis, *dat haar Uytſpraak proviſionele executie zoude obtineren*, & verbis, *nu ter tyd weſende*, relatis ad *de geünieerde Provincien.* Quæ peſſima interpretatio eſt, ab Hollandis recte refutata in his, quæ & ipſi in iis Comitiis propoſuerunt menſe Februario 1651. (2). De mente ejus §. 9. ſi per ſe non conſtaret, liquido conſtare poterat ex Conſtitutione Joannis Naſſavii, Georgii van Lalain, ut & Gelrorum, Zutphanienſium, Hollandorum, Zelandorum, *Friſiorum* quoque, itemque Utrechtanorum & Ommelandenſium, facta 13. Jul. 1579. (3) proxime poſt Fœdus Utrechtanum, qua inter alia continetur, ſi quæſtio incideret de executione tributorum, inchoata contra ſubditos alicujus Provinciæ, *dat die queſtie ſtaan zal by proviſie tot deciſie van de Heeren Stadhouders van de Provincien, nu ter tyd zynde, in der forme, als van andere Differenten, die tuſſchen deſe Provincien zullen mogen vallen, by nader Unie geſeit is.* Quæ utique, quod ad arbitrium Gubernatorum, id ipſum ajunt, quod ait *d.* §. 9. & tamen, ut Friſii interpretati ſunt illum §. 9. nullo modo accipi poſſunt. Quamvis autem ea parte mihi dubium non videatur Fœdus, aliis tamen partibus eſſe dubium, quin & ſibi contrarium, ex iis, quos dixi, §§. ſatis mihi videor probaſſe.

Summo igitur jure eo anno 1651. actum eſt de aliis modis conciliandi diſſentientes Provincias, idque magis neceſſarium eſſe cœpit, ex quo Provinciæ nonnullæ carebant Gubernatoribus, quorum auctoritas defendebat Fœdus, nec etiam impenſe deſiderabant alios. Utinam de re tam utili, quam neceſſaria non tantum actum, ſed & tranſactum eſſet! Et quamvis tranſactum non ſit, magni tamen intereſt ſcire, quid de cauſa tanti momenti cenſuerint ſingulæ Provinciæ. Indicabo autem loca, unde id ſcire liceat, nam ſingularum ſententias deſcribere nunc quidem mihi nec vacat, nec lubet. Gelri, quid ſibi videa-

(1) Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 160. & 161.
(2) Idem *ibidem* p. 226. & 227.
(3) Eſt in de *Reſolutien van Conſideratie tentyde van de Wit* p. 671. & ſeqq.

deatur, in extraordinariis Comitiis apud Ordines Generales propoſuerunt 20. Januar, 1651. (4) Hollandi 26. Jul. 1651. (5) Zelandi 22. Januar. 1651. (6) Utrechtani ſine die & Conſule (7) Friſii 20. Jul 1651. (8) rurſus iidem 22. Jul. 1651. (9) & iterum poſtea (10). Tranſiſulani 7. Febr. 1651. (11) & Groningani 20. Jul. 1651. (12).

Hollandi autem ſuam conciliandi formam non aliter valere voluerunt, quam ſi de reliquis cauſis diſſentirent Provinciæ, non etiam de cauſa contributionum, *buyten materie van Conſenten.* Gelri, Zelandi, Utrechtani & Tranſiſulani hanc exceptionem rejecerunt, probata ceteroquin in omnibus Hollandorum forma 19. Aug. 1651. (13) ſed neque tunc (14), neque antea (15) Hollandi, quamvis enixe rogati, ab exceptione ſua receſſerunt. Attamen Ordines Hollandiæ 2. Maj. 1663. decreverunt (16), apud Ordines Generales curaretur, ut ſua forma reciperetur ſimpliciter, etiam cum de contribuendo agitur, ſed ad ſex annos duntaxat. Verum quum neque Friſii, neque Groningani eo anno 1651. in eam conſenſerint, neque Hollandorum limitatio ad ſex annos reliquis Fœderatis videatur placuiſſe, etiam d. anno 1663. nihil profectum eſt.

Sane Hollandi non abſque ratione urgebant illam, quam dixi, exceptionem, ſatis enim intelligebant, liberum in tributa conſenſum fortiſſimum eſſe libertatis propugnaculum, ab iis pendere & bellum & pacem, & alia magni momenti capita, quin ipſos milites non ſolutis ſtipendiis, in perniciem Principis fuiſſe conſpiraturos. Atque hinc eſt, quod ipſi illi Ordines Hollandiæ in libello, quem contra Orangianos ediderunt anno 1651. cujus ſupra memini *C.* 4. prolixe defendant etiam Ducum Gravionumque temporibus quasque Provincias libere de tributis conſuluiſſe, eaque, ſi ita videretur, nulla reddita ratione, quotannis negare potuiſſe. Et quum Ordines Generales 18. Aug. 1650. decreviſſent, ſi qua de dimittendis militibus inter Provincias eſſet quæſtio, ea Gubernatorum arbitrio ſubmitteretur, Hollandi, Zelandi, Utrechtani, Friſii, Tranſiſulani & Groningani adnotarunt (17), *behoudens de vryheid in 't ſtuk van de Conſenten,* ſatis gnari, fruſtra Gubernatores milites retinere, ſi Ordines ex tributis non ſuggerant ſtipendia. Etiam ea adnotatio ſatis ſignificat, inter illas ſex Provincias tunc conveniſſe, mortuis, qui tempore Fœderis Utrechtani erant, Provinciarum Gubernatoribus, ceſſare §. 9. ejus Fœderis, nam ex eo tributorum quoque cauſa Gubernatorum arbitrio relicta erat: ſic ut Friſii tunc aliter ſapuerint, ac ſapuerunt 27. Januar. 1651. De Groninganorum ſententia etiam aliunde conſtabat, hi quippe, ſibi habentes perſuaſiſſimum, nunc ceſſare arbitrium *d.* §. 9. in iis, quæ in extraordinariis Comitiis apud Ordines Generales propoſuerunt 27. Januar. 1651. (18) ea ipſa ratione videntur petiiſſe, ut, quod ait *d.* §. 9. de Gubernatoribus tunc vivis, in poſterum decerneretur de omnibus aliis.

Etiam Ordinum Generalium Delegati 21. Jul. 1651. formam conciliationis propoſuerunt, quam Gelri, Zelandi, Utrechtani & Tranſiſulani *op het welbehagen van hare Principalen*, & Hollandi ſimpliciter & abſolute probaſſe dicuntur (19). Sed quia in ea forma contributionum cauſa excepta non eſt, cui, ut dixi, mordicus inhæſerunt Hollandi usque ad annum 1663. Auctoris, qui ita ſcripſit, fide id eſſe jubeo. Et ſi vel eam formam probaſſent Hollandi, probaſſent ſoli, deficeret igitur omnium aliarum Provinciarum conſenſus, qui, quod ſciam, etiam poſtea ſequutus non eſt. Quare nec illa, nec ulla alia alicujus Provinciæ forma unanimi conſenſu probata vel unquam recepta fuit.

Ceterum ſi qua forma exſtaret, etiam omnibus numeris perfecta, & a cunctis Fœderatis laudata, ea utique non pertineret niſi ad componendas controverſias, quæ ex communi Fœdere proficiſcuntur, cum nempe quæritur, quid ſocium ſociis dare vel præſtare oporteat, & in ejusmodi tantum cauſis valere, nominatim §. 1. ſuæ formæ inſeruerunt Hollandi, & Friſii quoque ei formæ, quam poſtremum ediderunt, quamvis reliquarum Provinciarum formæ, vitio ſcripturæ, fere latius pateant. Sed in cauſis, quæ ad ſingulas Provincias pertinent, Ordinum cujusque Provinciæ ſola poteſtas eſt, nulla vero Ordinum Generalium, niſi membra Ordinum & Magiſtratus unius ejusdemque Provinciæ invicem diſſentiant, & judicio ſe nolint ſubmittere. Quæ una exceptio eſt, de qua *Cap. præced.* plenius diſputabam.

Caremus igitur adhuc formula conciliationis, paribus omnium Fœderatorum ſuffragiis probata & recepta. Præſtaret ſane qualem qualem habere, quam nullam. Hollandica præ cæteris placet, & ſi forte hic illic emendaretur, non eſt, ut eam moroſi rejiciamus. Neceſſitatem novæ formulæ diligenter expoſuerunt Ordinum Generalium Conſiliarii in tribus Epiſtulis, ad Ordines Generales miſſis 14. Decemb. 1716. & 18. & 27. Januar. 1717. (20) quemadmodum & exſtat nova ejusmodi formula, prioribus auctior & emendatior, ab utrorumque Delegatis compoſita 12. Apr. 1721. (21). Quamvis autem hæc eodem die ad Ordines ſingularum Provinciarum transmiſſa ſit, nihil tamen adhuc effectum eſt, nec forte efficietur unquam. Quapropter, ut nunc eſt, relabimur ad Fœdus Utrechtanum, ſed & ita relabimur ad ſtatum, longe deteriorem, quam erat tempore conditæ Reipublicæ, tunc enim, ad placanda diſſidia, in rebus graviſſimis variæ erant Gubernatorum partes, nunc nullæ ſunt, etiamſi in plerisque Provinciis non ſublata eſſet Gubernatorum poteſtas, ut revera eſt. Dum ſupererant Gubernatores, poſteriorum ſola auctoritas ſæpe effecit, quod priorum poteſtas, & ſic quodammodo explicati ſunt *d.* §§. 9. 16. & 21. Fœder. Utrecht. Sed exſtinctis vel ad unum redactis Gubernatoribus, quomodo explicabuntur *d.* §. §.? Si deſit poteſtas, & ſimul omnis auctoritas, quæ invitos & diſſentien-

tes

(4) Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 136. & 137.
(5) Idem *ibidem* 126-128.
(6) Idem *ibidem* p. 141-144.
(7) Idem *ibidem* p. 171. & 172.
(8) Idem *ibidem* p. 520. & 521.
(9) Idem *ibidem* p. 522. & 523.
(10) Idem *ibidem* p. 525-527.
(11) Idem *ibidem* p. 229. & 230.
(12) Idem *ibidem* p. 521. & 522.
(13) Idem *ibidem* p. 534. & ſeqq.
(14) Idem *ibidem* p. 536.
(15) Idem *ibidem* p. 531.
(16) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 669. & ſeqq.
(17) Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 82-85.
(18) Idem *ibidem* p. 165.
(19) Idem *ibidem* p. 518. & 519.
(20) Exſtant ſeparatim & inter *Acta Ordinum.*
(21) Separatim & inter *Acta Ordinum.*

tes Socios in ordinem cogat, quid ſupereſt, quam ut ſingulæ Provinciæ, ſicuti ſunt ſui juris in rebus Provinciæ ſuæ, ita etiam ſint in rebus, ad commune Fœdus pertinentibus. Quod quam ſit inutile, & ad Rempublicam perdendam vergat, nemo eſt, qui non intelligat. Apage Gubernatores, ſi absque iis Reſpublica ſalva eſſe poſſit, ſed, ut poſſit, ſemel omnibus Fœderatis placeat nova conciliandi formula, quæ poteſtatem auctoritatemve Gubernatorum ſuppleat. Si tu putes, hanc magis ſperandam, quam exſpectandam eſſe, ego putem, non ſemper adfuturum Θεὸν ἀπὸ τῆς μηχανῆς, qui Rempublicam ſervet incolumem.

CAPUT XXV.

Variæ Quæſtiunculæ.

I. Recte dixit Grotius *de Jure B. & P. L.* II. *C.* 9. §. 3. jus Populi non deficere, niſi deficiat ipſe Populus. Forma autem Regiminis mutata non mutatur ipſe Populus. Eadem utique Reſpublica eſt, quamvis nunc hoc, nunc alio modo regatur: alioquin diceres, Rempublicam in ſtatu, quo nunc eſt, exſolutam videri pactis & debitis, in alio ſtatu contractis. De debitis id dicere non licere, conſentit Grotius *d. L.* II. *C.* 9. §. 8. *n.* 3. De pactis ut idem dicamus, eadem, quæ in debitis obtinet, ratio perſuaſerit. Cum tamen inter Henricum VII. Angliæ Regem, & Philippum, Archiducem Auſtriæ §. 14. Pacis 24. Febr. 1495. (1) tam pro Anglis, quam Belgis conveniſſet, ut utriusque ſubditis liceret *ubique ire*, *navigare*, *PER MARE SECURE PISCARI absque aliquo impedimento*, *licentia ſeu ſalvo Conductu*, Angli deinde, liberam piſcandi libertatem Belgis invidentes, huic Paci ſtare noluerunt, atque ſi facta eſſet cum alio Principe, cum Archiduce nempe Auſtriæ, non vero cum Ordinibus Generalibus. Omnino perperam; & tamen ſæpius ita Angli adverſus *d.* §. 14. cavillati ſunt, mota identidem hominibus noſtris de piſcatione controverſia (2). Cumque alias plurimi §§. ex ea Pace 1495, in ſequentium temporum Paces cum Angliæ Regibus factas, fuerint tranſcripti, ille tamen §. 14. nunquam deinde repetitus fuit. Nihilominus Belgæ, ut par eſt, utuntur ea libertate piſcandi, & utentur in poſterum, quamdiu Fœderibus ſua conſtabit fides. Etiam Daniæ Rex Ordinibus Generalibus ſervare noluit Pactum Spirenſe, cum Imperatore Carolo V. pro Belgis initum (3), eadem prorſus ratione, qua Angli ſtare nolebant *d.* §. 14. Quæ ideo omni quoque colore veri deſtituebantur, quia ambo illa Pacta non erant inita niſi pro ipſis ſubditis: neque enim Philippus Auſtrius, piſcatum enavigaturus, ſibi libertatem piſcandi pepigerat, aut Carolus V. per Fretum Balticum mercaturus, ſibi proſpexerat, ne nimiis vectigalibus oneraretur. Illud tamen Pactum Spirenſe obtineri deinde non potuit, ſive ob hanc, ſive ob alias ratiunculas, æque perperam ei obmotas.

II. Quemadmodum utraque Curia Hollandiæ facinoroſos ſuos etiam deportat ex Ditione Utrechtana, ſic & Curia Utrechtana deportat ſuos ex tota etiam Hollandia. Cum autem nemo ex alieno Imperio vel territorio poſſit deportare, quæſitum eſt, quo jure id utrimque fiat? Et video provocari (4) ad Legem Caroli V. qua 17. Apr. 1534. (5) Hollandiam cum Ditione Utrechtana unire, & ſub uno Imperio conjungere conſtituerat, & ſane hoc ibi totidem verbis ſancitur. Sed quum illa conjunctio non ſucceſſerit, oportet etiam ceſſet ejus conjunctionis effectus, ut ceſſant reliqua omnia, quæ de illa conjunctione ibi ſancita ſunt. Inde igitur arceſſere illum morem, ſatis tutum eſſe non videtur. Quid ſi potius id jus derivemus ex Lege Maximiliani Auguſti, qua anno 1483. (6) Utrechtanis interdixit, ne eos, quos Curia Hollandiæ in exilium damnaſſet, in Urbem ſuam reciperent? Sed fortaſſe ex ea Lege recte effeceris, Curiam Hollandiæ etiam ex Ditione Utrechtana poſſe deportare, ſed non recte effeceris, etiam Curiam Utrechtanam recte deportare ex Hollandia. In Fœdere Romanorum cum Antiocho convenit, Romanos exules Antiochus ne reciperet, ut eſt apud Polybium *Excerpt. Legat. C.* XXXV. *n.* 4. Sed cum ea pactio non eſſet mutua, Romani utique poterant recipere exules Antiochi. Nihil igitur adhuc ſuccurrit, quo defendam Hollandorum & Utrechtanorum parem hac in re poteſtatem, quam ſolo uſu.

III. Ut non omnium Imperiorum, ſic nec omnium Principum juſtus eſt titulus. Unde quæſitum eſt, an valeant acta geſta ejus, qui forte Imperium invaſit, deturbato legitimo Principe? Et forte, quod Jure Romano placuit de ſervandis actis geſtis Barbarii Philippi, ſervi fugitivi, & tamen Prætoris, ob utilitatem publicam in ipſis Principibus quoque placere poteſt. Quin & ita forte intelligendum, quod exſtat in *fine l.* 3. *ff. de Offic. Præt. Quod jus multo magis in Imperatore obſervandum eſt.* Subditorum eſt etiam injuſtis Principibus parere, & eorum juſſa capeſſere. Recte ad Tiberium M. Terentius apud Tacitum *L.* VI. *Annal. C.* 8. *Tibi ſummum rerum judicium Dii dedere, nobis obſequii gloria relicta eſt.* Similis eſt oratio, ſed perfida, Huſæi ad Abſalonem *II. Samuel. C.* 16. §. 18. ſe ſcilicet ejus eſſe, quem Deus & Populus elegerit. Publice igitur expedit, ut acta & pacta quorumcunque Principum habeantur rata, exceptis his, quæ occupando vel defendendo impie Imperio cauſam præbuerunt. Secundum hæc in plerisque Legibus ſub *Titulo Cod. Theod. de infirmandis his, quæ ſub Tyrannis aut Barbaris geſta ſunt*, non omnia injuſtorum Principum acta reſcinduntur, ſed ea duntaxat, quæ per ſolam injuriam conſtituta ſunt. Sic eſt in *l.* 2. 3. *&* 5. *d. Tit.* nam quod omnia Heracliani reſcindat *l.* 13. *Eod.* in Heracliano omnino ſingulare eſt. An Cromwelliani in Anglia apud Carolum II. ex forma nuperrimi tunc Imperii recte ſe defenderint, nec diſputo, nec definio; certe iis anno 1660. defenſionem ſuam

(1) *Corps Diplomatique* Tom. III. Part. 2. n. 171.
(2) Vide Aitzema *Hiſtor. L.* I. p. 26. & 32. & *L.* XVI. p. 277. & 278. & alibi.
(3) Apud eundem *L.* XXIV. p. 659-660.
(4) a. Mattheo *de Criminibus L.* XLVIII. T. 20. C. 3. n. 7. & van Zurk *Cod. Batav. verbo* Ballingen §. 1.
(5) *Plac.* III. 1. 1. 17.
(6) Memorat eam Legem Mattheus *d. loco.*

ſuam non profuiſſe teſtantur Annales (7).

IV. Peregrini, etiam Doctiſſimi, in rebus noſtris aliquando plane cæcutiunt: didici id non uno exemplo, & ecce aliud illuſtre. Jacobus Gothofredus Diatriba *de Jure Præcedentiæ Part. I. C.* 3. §. 24. inter Populos Fœderatos non ſemper Potentioribus honoratiorem locum tribuit, ſed primis ſæpe libertatis auctoribus, *&* *ideo*, ut mox ibi addit in *Notis*, *in Belgicis Provinciis confœderatis Geldri primas tenent.* Res ipſa vera eſt, ratio minus vera. Gelri jam ante abrogatos Comites primas tenuerunt inter Provincias, deinde Fœderatas. Neque Gelri, ſed Hollandi Zelandique prima libertatis ſigna extulerunt. Inter Ordines Generales non alia cauſa præcedunt Gelri, quam ex titulo Ducali, qui Comitatenſi & Dominico ſemper eſt prælatus. Gelria a multis retro ſæculis eſt Ducatus, reliquæ Provinciæ non niſi Comitatus, vel Dominia, vel Diœceſes. Inter Utrechtanos & Friſios, etiam ab initio Reipublicæ, de prærogativa ordinis fuiſſe turbatum memorant Ordines Generales in Decreto 20. Apr. 1674. (8) Sane in titulis Caroli V. & Philippi II. Friſii præponuntur, neque aliter proxime poſt recuperatam libertatem, nam & præponuntur in Edicto, quo Comitibus Imperium abrogatum eſt 26. Jul. 1581. Utrechtani tamen præceſſerunt in Comitiis Ordinum Generalium, forte ob honorem Regiminis Eccleſiaſtici. Sed poſt occupatam a Francis, & mox recuperatam a noſtris Ditionem Utrechtanam, rurſus Friſii de prærogativâ Ordinis Utrechtanis controverſiam moverunt, ad quam finiendam in Gubernatores Hollandiæ & Friſiæ utrimque compromiſſum eſſe narrat d. Edictum 20. Apr. 1674. Sed uti poſſederunt Utrechtani, ſic adhuc poſſident.

V. Quærunt Politici, & quærere dignum eſt, ecquid ſervare oporteat, ſi in unum locum convenire neceſſe ſit, qui de jure præcedentiæ diſputant? Fac de rebus Publicis vel de rebus Eccleſiaſticis ſimul deliberandum eſſe, &, qui contendunt, conſtituiſſe locum priorem pertinaciter tueri? De ea ſpecie varias variorum ſententias recitat Auctor *Diſquiſitionum Politicarum Caſu* XII. Nihil ſane melius & æquius, quam quod inter Utrechtanos & Friſios convenit? cum, ut modo dicebam, anno 1674. invicem turbarent de prærogativa ordinis, ut nempe alternis vicibus præcederent, & utri primum, forte definiretur, ſic enim inter eos placuiſſe, ait id ipſum Decretum 20. Apr. 1674. Nullum εὕρημα æque commodum eſt, alia omnia laborant ſuis difficultatibus. Probandum utique non eſt, quod in Concilio Tridentino, poſt plurimas altercationes, de digniore loco, probarunt Galli Hiſpanique, illos ſcilicet præceſſuros, qui ſingulis vicibus priores digniorem locum occupaſſent, interpoſita toties ab iis, qui poſteriores veniſſent, conteſtatione de non præjudicando. Id, inquam, probandum non eſt, quamvis probet ille Diſquiſitor Politicus *d. Caſu* XII. inde enim metuendum, ut, ſi non ſponte, per vim & vim armatam quisque primus occupet digniorem locum. Et quid ſi ambo concurrant, horam, conventui præſtitutam, exſpectantes? & quid ſi ambo pugnare parati ſint? & non niſi cædem & ſanguinem redolent hæc εὑρήματα.

VI. Quod generaliter ſcribit Zoucheus *de Jure Feciali inter Gentes Part.* II. *Sect.* 2. *Q.* 17. ſubdito non licere, Patria relicta, in alterius Principis Imperium ſe conferre, atque ita ſubditi conditionem mutare, generaliter verum non eſt. Probat id ille exemplo Angli cujusdam, anno 1571. in Angliam, ex qua effugerat, abducti & ibi pœna perduellium damnati. Sed ſi nulla lex ſit, quæ prohibeat, omnino licet ſubditi conditionem mutare, &, veteri exuta, novam induere, pauciſſimis Populis exceptis, quos indicavi ſupra *L.* I. *C.* 22. Inter hos ſunt & Angli, nam & hi defendunt, natum in Anglia, Majeſtati Anglicæ manere obnoxium, etiamſi in alterius Principis Imperio diu moratus ſit. Secundum hæc Parlamentum Anglicum anno 1644. quosdam Anglos, qui diu in Hollandia habitaverant, quaſi & tunc ſibi obnoxios, Majeſtatis damnarunt. Quæſitum quidem eſt de eo facto, primum apud Ordines Hollandiæ, deinde apud Ordines Generales, ſed nihil quicquam decretum, niſi ut in Leges moresque Angliæ inquireretur (9). Et cum Ordines Generales, gliſcente bello Anglico ſecundo, militibus, natione Scotis, ſi & tunc ipſis mereri nollent, abeundi poteſtatem feciſſent, quidam remanſerunt in Ordinum Generalium fide & ſtipendio, adverſus quoscunque hoſtes, etiam Anglos, merituri. Hos autem Carolus II. Angliæ Rex, publicato Edicto, tanquam rebelles, proſcripſit; ſed bello cum Anglis compoſito, illa ab Ordinibus Generalibus petierunt, operam dare vellent apud Angliæ Regem, ut id Edictum revocaretur, ſibique liceret jure ſucceſſionis, aliisque modis, in Anglia receptis, bona ibi acquirere. Annuerunt precibus Ordines Generales 24. Oct. 1668. ſed ipſi ſatis dubii, an quicquam obtineri poſſet (10). Contra eam ſententiam Anglorum, putantium, ut dixi, quoscunque, in Anglia natos, quocunque extra Regnum Anglicum abiverint, ſemper Imperio Regis Anglici manere ſubditos, prolixe ſeſe oppoſuerunt Ordines Generales in Decreto ſuo 13. Mart. 1688. (11). Sed tamen veriſſima eſt illa ſententia, ſi qua fides Camdeno, narranti (12), antiquis Angliæ Legibus cautum eſſe, nemini ſubdito Regno exire, & apud Exteros morari jus fasque eſſe, niſi Magnati aut Mercatori, idque ex juſta cauſa, & ſpeciali Regis venia. Poteſt Princeps, ſi velit, hanc ſubditis ſuis legem dicere, ſed, ſi non dixerit, impune licebit abire.

VII. Vellem, ne ſic dixiſſem *impune* licere abire, quamvis enim generaliter liceat ſubditi conditionem mutare, mutato ex animi ſententia domicilio, & in id conſentiant tantum non omnes JCti, non tamen id ſemper licet impune. In §. 41. Pacis inter Regem Hiſp. & Ordines Gener. 30. Januar. 1648. expreſſum eſt, cuique ex alterius Imperio in alterius Imperium ſecedere licere, ſoluto tamen, quod diſcedentibus impoſitum eſt, tributo, *mits betalende de regten, daar toe ſtaande*, varia quippe ſunt in Belgio & alibi Urbium privilegia, ex quibus illi, qui inde diſcedunt, aliquam bonorum ſuorum partem *voor exue of iſſue*, ut vulgo appellant, tenentur ſolvere. Quoniam vero aliquid hoſtile ſpirant ejusmodi exactiones, ſæpe Civitates inter ſe paciſcuntur, ne ab utriusque Civibus, domicilium mu-

(7) Aitzema *L.* XL. p. 896-900.
(8) *Plac.* III. 1. 1. 39.
(9) Aitzema *L.* XXIV. p. 714. & 715.
(10) Idem *L.* XLVIII. p. 548.
(11) *In de Hollandſche Mercurius* 1688. p. 186. & ſeqq.
(12) *Annales Angl. in Eliſabetha* p. m. 47.

mutantibus, tale quid exigatur; ſæpe etiam Civitates non aliter eo jure utuntur, quam per modum talionis, ut nempe tantum ab iis, qui ex ſua Civitate diſcedunt, exigant, quantum illi, ad quos proficiſcuntur, ab illis exigere ſolent, qui ipſorum Civitatem petunt. Quum autem in §. 19. Fœderis inter Electorem Brandeburgicum & Ordines Generales 16. Febr. 1666. convenerit (13), *dat van het regt van Iſſue of Decimatie, 't welk by vertrek van Familien, of verval van hereditciten komt te ontſtaan, wederzyts Onderdanen vry en exempt zullen zyn en blyven, gedurende deſe Alliantie*; quum, inquam, ita convenerit, belle quæri poteſt, an eo ipſo ceſſent omnia privilegia, a Gravionibus variis Urbibus, ſive ex liberalitate data, ſive ab his ſuo ære empta, quibus obtinuerunt, ut a diſcedentibus certum tributum exigere liceret? Difficile dictu eſt, ideo præſertim, quod id jus non competat niſi ex privilegiis, quodque ea auferre non ſit in poteſtate Ordinum vel Generalium, vel etiam Singularium. Quid igitur dicemus, ſalvo Fœdere, nam ejus fides omnino eſt ſervanda? mihi quidem ita videretur: ſi Urbes ejusmodi Fœdera viderint & probaverint, priusquam inirentur, tacite eas, quod ad hoc tributum, renunciaſſe privilegiis ſuis; ſi non viderint vel probaverint, ab abeuntibus quidem exigi non poſſe, quia prohibet fœdus, ſed Ordinum eſſe, eas Urbes, quarum intereſt, hoc nomine præſtare indemnes.

VIII. Quum anno 1660. ageretur de Rege Angliæ in Hollandia publice excipiendo, vel ab Ordinibus Generalibus, vel ab Ordinibus Hollandiæ, vel ab utrisque, Ordines Hollandiæ 24. Maj. 1660. Decreto ſuo (14) complexi ſunt, Ordinibus Generalibus jus non eſſe ſeſe in ſuo Imperio præcedendi, ſed quia ſimilia quædam antea in præjudicium Ordinum Hollandiæ acta erant (15), nunc omnino ageretur, ſoli Ordinum Hollandiæ Delegati Regem publice exciperent, in quam rem & Ordines Generales conſenſiſſe memorentur. Fortaſſe tamen eſt, quod & pro Ordinibus Generalibus dici poſſet, nimirum, quum agitur cum externis Principibus eorumve Legatis, quamvis agatur in Hollandia, ſemper tamen agi nomine totius Reipublicæ, non vero nomine alicujus partis, qualis eſt Hollandia. Scio, novæ orandi formulæ, 13. Mart. 1663. conſtitutæ, Ordines Hollandiæ in Epiſtola, ad omnes Magiſtratus ſcripta 21. Mart. 1663. (16) hanc quoque rationem reddere, quod abſurdum ſit in antiqua formula, prius orari pro Ordinibus Generalibus, atque ita iis, non ſibi, primas dari in ſuo Imperio. Optime, ſed in precibus publicis agimus cum Deo ter O. M. & is in primis ipſi Principi eſt conciliandus, & ſubditos ſcire oportet, ecquis ſit ille Princeps. Cum autem adventum gratulamur externo Principi, oportet, ut tota Reſpublica gratuletur, atque ita primæ videntur dandæ iis, qui totam Rempublicam repræſentant, ſine reſpectu alicujus territorii. Forte melius Hollandi a gratulatione Regis abſtinuiſſent, & eam permiſiſſent ſolis Ordinibus Generalibus. Cum Legati externorum Principum Hagam Batavorum adveniunt, patiuntur Hollandi, ut in ſuo territorio a ſolis Ordinum Generalium Delegatis publice recipiantur, nec aliud mihi videtur eſſe obſervandum in ipſis Principibus. De nova illa orandi formula prolixe dixi *hoc Libro* C. 19. ubi & alia quædam reperies, quæ huc pertinent.

IX. An Nobilitas, ab externo Principe conceſſa, in noſtra Civitate proſit, JCti quærunt (17). Exſtat Joannis Bavari Edictum 27. Apr. 1422. (18) quo Nobilium immunitate uti vetantur, qui Nobilitatem a Rege Romanorum impetraverant, *quia*, inquit, *ille quidem Nobiles facere, Hollandiæ autem Comiti, non conſentienti, præjudicare non poteſt.* Ordines etiam Hollandiæ 11. Dec. 1666. decreverunt (19), & eodem die edixerunt (20), ne Nobilitas, ab externis Principibus impetrata, quicquam in Hollandia prodeſſet, vel ad venationem, vel ad aliud quodcunque jus. Summam rationem habet, ut Nobiles Diplomatici, & ſic appello, qui ex ſolo diplomate Nobiles ſunt, ſollicite diſtinguantur a Nobilibus indigenis, & ne illi admittantur ad adminiſtrationem Reipublicæ, ullasve alias dignitates, quæ Nobilibus indigenis competunt. Si admitterentur, non fumum emerent, ut nunc fere magna inſania emunt, qui ab externis Principibus Diplomaticas Nobilitates obtinent, iisque ſæpe, magno ſuo dedecore, ſuperbiunt. Non tamen probaverim, quod Eliſabetha, Anglorum Regina, dignitatis titulum, quem duobus Anglis Rex Galliarum dederat, itemque alium, ab Imperatore Germanico alii Anglo ob virtutem, collatum, eos uti noluerit (21). Et quidni uterentur illis titulis, cum uti liceat citra ullum aliorum præjudicium? miror ſane quod non eadem Regina crediderit, Doctorem alicujus Scientiæ, in alio Regno creatum, in Anglia Doctorem eſſe non poſſe. In Hollandia quidem anno 1656. tentatum, ne quis ullum dignitatis titulum, ab externis Principibus ſibi collatum, inconſultis Ordinibus accipere, eoque uti vellet, ſed nihil quicquam decretum eſt (22). Sane Comitum & Baronum tanta nunc apud nos ſeges eſt, ut ipſa copia obruamur, & tamen æquo animo ferimus hæc laſcivientis fortunæ ludibria, & quid ad nos, etiamſi terræ filii ſint! Ceterum a diplomaticis illis Nobilibus longe differunt, qui alibi Nobiles nati in Hollandiam penates ſuos tranſtulerant. Hi cum Nobilibus indigenis nec ſemper eodem jure utuntur, nec ſemper diverſo. Privilegium, quod de redemptione bonorum Nobilibus dederunt Ordines Hollandiæ 9. Febr. 1593. (23) idem, quod de Nobilibus Hollandis, ſtatuit quoque de Nobilibus externis, qui in Hollandia bona Familiamque haberent.

X. Ad quæſtionem, ſimpliciter propoſitam, utrum nempe damnum, quod Cives direptione ædium ſuarum paſſi ſunt, a Magiſtratu ſit reſarciendum? ſimpliciter reſpondet Conſultor quidam (24), reſarciendum eſſe. Non intercedo, ſi qua lex ſit, ut eſt apud Populos quosdam in Orien-

(13) *Hollandſche Mercurius* 1666. p. 33.
(14) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 499. & 500.
(15) Vide in hanc rem Aitzema *L.* XLIII. p. 629.
(16) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 660.
(17) Apud Zoucheum *de Jure Feciali* Part. II. Sect. 2. Q. 10.
(18) Van der Hoeve *Handveſt Chronyk L.* I. C. *Tom.* II.
10. in fin.
(19) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 792. & 793.
(20) *Plac.* III. 4. 4. 16.
(21) Apud Camdenum *Annales Angl. in Eliſabetha* p. 630. & 679. & 1682.
(22) Aitzema *L.* XXXVI. p. 624.
(23) *Plac.* II. 5. 2. 10.
(24) *Conſil. B.* T. I. 182.

Oriente, quæ ſanciat, damnum, rapina uni Civi datum, omnium commune fore. Prudentius alioquin reſpondent alii (25), tunc demum Magiſtratum teneri, ſi, cum direptionem prohibere poſſet, non prohibuerit. Sed an Magiſtratus poſſit prohibere, nec ne, facti quæſtio eſt, quam definire non ſemper eſt in facili. Huic autem quæſtioni locus non eſt in his, qui, dum Leges, dum Sententias exſequuntur, plebis odium incurrerunt, atque ita direpti ſunt, hi enim omni modo indemnes ſunt ſervandi, ſive Magiſtratus culpa intervenerit, ſive non intervenerit. Ballivii Rotterdammenſis ædes anno 1690. direptæ ſunt, an, quia officio ſuo fungebatur, an ſua ipſius culpa, non definio; id auſim adfirmare, Magiſtratum Rotterdammenſem omnem tunc lapidem moviſſe, ut quovis meliori modo motos fluctus componeret, ſed fruſtra, Magiſtratus igitur dolum & omnem culpam abfuiſſe (26). In ea tamen ſpecie, atque ſi odium natum eſſet ex officio functo, Ballivio indemnitas eſt præſtita ex tributo quodam, a Magiſtratu Civibus indicto. Quum anno 1696. Amſterdami direptæ eſſent ædes cujusdam, qui Ordinibus Hollandiæ ſuggeſſerat tributi genus, etiam alibi Gentium frequentatum, ſed quod ipſe novum jactitabat, direptus Magiſtratum Amſterdammenſem, ut ſe indemnem præſtaret, Amſterdami apud Scabinos convenit, ſed ibi repulſus eſt, ex appellatione autem obtinuit apud Curiam Hollandiæ. Cum rurſus appellatum eſſet, apud Senatum Supremum reſciſſa eſt Curiæ, & probata Amſterdammenſium ſententia 12. Januar. 1708. Ei judicio ipſe Senator interfui, & ſcio, Senatum non moviſſe, quod poſt direptionem glorioſo novæ rei inventori præmium annuum, donec viveret, fuerit conceſſum, ſed quod, in ſedanda ſeditione, nulla plane Magiſtratus Amſterdammenſis culpa argueretur, & ſine culpa Magiſtratum non teneri etiam Grotius conſentit *L.* II. *de Jure B. & P. C.* 17. §. 20. *n.* 1. Quin, ut modo dicebam, difficillimum eſt culpam Magiſtratus arguere, cum expeditum non ſit dicere, ecquid facto opus ſit, cum furit bellua multorum capitum. An ſtatim milites armatos immittes in tumultuantem plebem? ſæpe expedit, ſed & ſæpe integram Civitatem exponis præſentiſſimo periculo. Romanos, Mortalium prudentiſſimos, non ſemper vi & vi armata, ſed dolo bono ſæpius fuiſſe uſos ad ſedandas ſeditiones perſuadebunt exempla apud Machiavellum *L.* I. *Diſputat. de Republ. C.* 13. & ab initio leniora quoque remedia præſcribit Lipſius, *L.* VI. *Politic. C.* 4. Prudentiæ uniuscujusque Magiſtratus ea res eſt relinquenda, nam ipſius eſt pro re nata conſtituere, ut quam minimum detrimentum capiat Civitas, fidei ſuæ commiſſa.

(25) *Conſil. H.* T. V. 169.
(26) *Europiſche Mercurius* 1690. *Menſe Decembri* p. 79. & ſeqq.

FINIS LIBRI SECUNDI.

CON-

CONSPECTUS CAPITUM.

LIBRI PRIMI.

Cap. I. *Definitio Belli, ejusque explicatio.* Pag. 191
II. *Ut bellum ſit legitimum, indictionem belli non videri neceſſariam.* 192
III. *De Statu belli inter Hoſtes.* 195
IV. *Ecquando res hoſtium mobiles, & præſertim naves, fiant capientium?* 197
V. *Res mobiles, & præſertim naves, an & quouſque recuperatori cedant?* 200
VI. *Quouſque extendatur immobilium poſſeſſio, bello quæſita?* 202
VII. *Hoſtium actiones & credita, quæ apud nos inveniuntur, an exorto bello recte publicentur?* 204
VIII. *An hoſtem liceat aggredi vel perſequi in amici territorio vel portu?* 206
IX. *De Statu belli inter non hoſtes.* 208
X. *De his, quæ ad amicorum noſtrorum hoſtes non recte advehuntur.* 210
XI. *Obſeſſis Urbibus, Caſtris, Portubus an quicquam liceat advehere?* 212
XII. *An licitum ob illicitum publicetur?* 214
XIII. *De amicorum bonis, in hoſtium navibus repertis.* 216
XIV. *De hoſtium rebus, in amicorum navibus repertis.* 217
XV. *An res, ab hoſtibus captæ, in non hoſtis imperium delatæ, poſtliminio revertantur?* 219
XVI. *De Jure poſtliminii varia.* 220
XVII. *De piratica, & an Barbari in Africa ſint piratæ?* 222
XVIII. *De Prædatoria Privata.* 224
XIX. *Quouſque exercitores navis prædatoriæ teneantur de damno injuria dato?* 226
XX. *Si navis, non ad prædandum emiſſa, prædam tamen ceperit, ad quem ea pertineat?* 228
XXI. *An res hoſtium liceat aſſecurare?* 230
XXII. *An liceat militem conducere in amicæ Gentis Populo?* 231
XXIII. *An ſingulis Belgii Fœderati Provinciis jus ſit belli gerendi?* 232
XXIV. *De Repreſſaliis nonnulla, & an earum quoque jus ſit penes ſingulas Provincias?* 235
XXV. *Variæ Quæſtiunculæ.* 236

LIBRI SECUNDI.

Cap. I. *Comitum poteſtatem in Belgio Fœderato non ceſſaſſe niſi poſt 26. Jul.* 1581. Pag. 239
II. *Ex conſilio non fraudulento neminem Reipublicæ obligari, nec etiam quemquam recte puniri, quod mandatum Principis ſui exſequutus ſit.* 241
III. *Qui recte Legatos mittant.* 243
IV. *An ſingulæ Provinciæ Fœderati Belgii Legatos poſſint mittere, vel accipere?* 245
V. *Qui recte Legati mittantur.* 247
VI. *Legati quid rerum olim egerint, & nunc agant, cum publice audiuntur.* 248
VII. *An valeat, quod Legatus egit contra arcanum mandatum?* 250
VIII. *An legatis donum munus accipere liceat? & alia ejusdem argumenti.* 252
IX. *Quædam de prærogativa ordinis inter Legatos, & inter Principem minorem præſentem, & majoris abſentis Legatum.* 254
X. *De ſervanda fide pactorum publicorum, & an quæ eorum tacitæ exceptiones?* 256
XI. *An peregrini ab adminiſtratione Reipublicæ ſint arcendi?* 258
XII. *Imperium & Jurisdictio an poſſint mandari?* 260
XIII. *An ob debitum Univerſitatis ſingula membra conveniri & damnari poſſint?* 262
XIV. *An liceat Urbes, earumque mœnia exſtruere, reficere, extendere, munire ſine conſenſu Principis?* 264
XV. *De Dominio eminenti nonnulla, & de refundendo pretio eorum, quæ jure ejus dominii occupantur.* 266
XVI. *Ut ſolius Principis eſt crimina remittere, ſic ejus ſolius eſſe videri, criminum impunitates publice promittere.* 268
XVII. *Judices extra territorium ſuum non recte exilium indicere, niſi ex privilegio Principis.* 270
XVIII. *An jus Religionis, ut olim fuit, ita nunc quoque ſit penes ſingulas Provincias?* 272
XIX. *Optimo jure Ordines Hollandiæ 13. Mart. 1663. Eccleſiaſtis præſcripſiſſe novam orandi formulam cum pro ſe, tum pro aliis Magiſtratibus.* 275
XX. *Interpretatio §. 4. Pacis Monaſterienſis 30. Januar.* 1648. 276
XXI. *Quando & quorum navibus præſtanda ſit reverentia? & an damnum, quod ob reverentiam non præſtitam accipitur, commune ſit, ut in jactu?* 278
XXII. *Varia de tributis, vectigalibus & publicanis.* 280
XXIII. *An Ordines Generales recte ſeſe immiſceant controverſiis ſingularum Provinciarum?* 283
XXIV. *De modis conciliandi diſſentientes Provincias.* 285
XXV. *Variæ Quæſtiunculæ.* 287

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JURISCONSULTI & PRÆSIDIS,

QUÆSTIONUM JURIS PRIVATI

LIBRI QUATUOR,

QUARUM PLERISQUE INSERTÆ SUNT UTRIUSQUE IN HOLLANDIA CURIÆ RES DE HIS IPSIS QUÆSTIONIBUS JUDICATÆ.

AD LECTOREM.

Hoc opus minus perfectum eſt, quam conſtitueram; Centum Capita ei deſtinaveram, quæ continerent totidem Quæſtiones Juris Privati: ſed ab anno ætatis ſexageſimo ſexto deficere cœpit oculorum acies, & in dies magis magisque defecit, ſic ut ad candelam nullus aut exiguus eorum fuerit uſus. Anno ætatis ſexageſimo nono acceſſit Aſthma, contractum, ut mihi quidem videtur, ex vita nimis ſedentaria, & adeo pectus meum obſedit, ut vix ad neceſſarios labores, quos ſtatio, quam gero, mihi imperat, ſuffecerim, & tunc comperi, recte Aretæum *de Morbis L. III. C.* 11. inter ſigna Aſthmatis retuliſſe *tarditatem ad opus ſolitum & ad aliud quodlibet gerendum.* Quia autem quicquid edo, malo ipſe edere, quam opus poſtumum alteri edolandum dare, & quia ſingulæ Quæſtiones per ſe ſubſiſtunt, de velis contrahendis cœpi cogitare, exſpectaturus, an vires debilitatæ nonnihil quandoque exſurgant, & ſic poſſim præſtare, quod nunc non poſſum.

Ita præfari cœperat ipſe Bynkershoekius, paucis ante mortem diebus. Utinam ei datum fuiſſet, quod ſperaverat, atque ipſe hunc partum, minus licet perfectum, quam conceperat, in lucem mittere potuiſſet! ſic certe in ipſo limine pulchra multa de occaſione conſcribendi hujus Operis, de remediis minuendarum ac præcidendarum litium, de controverſiis dubiis, de quibus in utramque partem diſputari poteſt, & quantopere ſit exoptandum, ut auctoritate ſua eas aliquando componat Princeps, habuiſſemus, uti ex iis, quæ breviter in chartam conjecerat Vir Ampliſſimus, animadvertimus. Sed non licuit nobis eſſe tam beatis. Cum vero eorum, quæ modo memoravi, primas tantum lineas duxerit, malui his abſtinere, contentus nonnulla hic ſubjicere, circa opus ipſum, ex ipſo fere opere petita.

Pertinent hæ Quæſtiones magis ad Forum, quam ad Academiam, & pleræque ad Forum Batavicum. Eas autem præcipue excuſſit Auctor, de quibus alia ipſius, alia aliorum eſt ſententia: plerisque etiam adſcripſit res, ipſo Senatore, vel Præſide, a Supremo Senatu judicatas. Sicubi vero non ejusdem ſententiæ fuerit, cujus Senatus, modeſte addidit rationes, quæ eum in contrarium moverunt. Quid Viro Ampliſſimo de amico hoc diſſenſu in dicenda ſententia ſemper ſederit, ejus verbis malim dicere, quam meis. Conſtat, *ait*, me non ſemper ejusdem ſententiæ fuiſſe, cujus Senatus, hoc eſt, cujus plurium ſententia, nec fieri poteſt aliter, & conſtat, me his caſibus opinari, male fuiſſe judicatum; ſed tamen, ut Pontificii omnia ſua Eccleſiæ judicio relinquunt, etiam quæ a judicio Eccleſiæ ſciunt diſcrepare, ſic mea relinquo judicio Senatus. Nec ita me amo, ut auſim affirmare, me ſemper in eo, quod mihi viſum eſt, juſtum & æquum adſecutum. *Adſcripſerat hæc Vir Ampl.* Tom. I. Obſervat. Tumultuar. in fin. *quæ, quia elegantia ſunt, & ad rem præſentem faciunt, operæ duxi hoc loco inſerere. Auctoritates Doctorum & Interpretum parciſſime hic apparent, neque enim multum his ſolebat tribuere Bynkershoekius, idem fere de iis ſentiens, ac olim Cujacius, cujus elegans non minus quam verum de his extat judicium* Conſultat. XXIII. *Ratio & Lex hic primas tenent, deinde res judicatæ, quibus judicandis ipſe interfuit. Ubi autem memorat Auctor res, a Senatu, ipſo præſente, judicatas, ſemper iis adſcripſit diem, quo lata, non quo pronunciata eſt ſententia, nam, decreta ſententia, incertus eſt dies pronunciationis, nec operæ pretium viſum fuit, eum diem poſtea addere. In recenſendis rebus judicatis nomina partium non addidit, ut addiderunt Faber, Sande, Stokmans, Neoſtadius, Coren & alii, & ſane cui ea res bono? Sufficit omnino, ad exemplum JCtorum Romanorum, nomina adhibere, quæ exemplis ſerviunt. De rebus ſolis agitur, de litigantium perſonis inutilis & vana eſt curioſitas; cumque ex his, quorum rebus judicandis interfuit Auctor, multi adhuc vivant, ſatius erat nominibus parcere, quam ea publice exponere: prudens autem abſtinuit ab iis rebus judicatis Senatus Supremi, in quibus biennium, quod reviſioni datur, nondum effluxerat, ne ex rationibus, quæ hic proferuntur, de ſucceſſu reviſionis conjectura capi poſſet.*

Cum

Cum paſſim in his Libris provocetur ad Obſervationes Tumultuarias T. . . N. . ., monendum eſt, hoc nomine ſignificari Commentarios, in quos retulit Vir Ampl. non tantum res, ipſo Senatore vel Præſide, id eſt, per ſpatium quadraginta fere annorum, a Supremo Senatu judicatas, ſed quidquid per totum illud tempus ab ipſo Senatu memoria dignum actum geſtumque eſt. Tumultuarias has Obſervationes vocat, quod ex Senatu domum redux, quotidie, prout quæque res incidebat, tumultuarie eas conſcripſerit. Compoſuit hoc opus Ampl. Bynkerhoekius ad uſum privatum, non in memoriam poſteritatis, & ne unquam in publicum ederetur, ultimo elogio vetuit: unde & nonnullis mirum fortaſſe videbitur, has Obſervationes ad partes vocari, cum vulgo fere teſtes citari ſoleant ea monumenta, quæ poſſunt adiri & conſuli, & manibus hominum teruntur: ſed cum ipſe Auctor ubique eas adhibuerit, religio fuit, ut in omnibus, quæ hic apparent, ſic & hac in parte, aliquid mutare. Quod ad certas auctoritates quæ hic adferuntur, nemo eſt, qui non intellexerit ſcribendi compendia, quibus eæ deſignantur: ſi quæ tamen ſunt, quæ explicationem deſiderant, peti ea poteſt ex Præfatione, quam præmiſit Auctor Quæſtionibus Juris Publici, eaſdem enim ibi, quas hic, notas adhibuit in deſignandis Auctoritatibus, quibus uſus eſt, neque adeo hoc loco hæc repetere eſt neceſſe.

Quid mihi ſumſerim in edendo hoc Opere, vix tanti eſt, ut ejus rationem reddam. Dicam verbo In quatuor Libros hoc Opus diviſerat ipſe Auctor, cui cum centum Capita deſtinaſſet, ſinguli Libri XXV. Capita fuiſſent complexi: At Liber Primus XVI. tantum continebat Capita, Secundus X. Tertius XII. Hi Libri ut inter ſeſe convenirent, & ad eandem molem Capitum exſurgerent, Libro Secundo adjeci VI. Libro Tertio alia IV. Capita miſcellanei argumenti, quæ & his ipſe inſeruiſſet Auctor loco maxime commodo, ut in ſchedula adnotaverat. Quod ad Caput penult. Libri II. quod eſt de Annuis penſionibus, non videtur illud ad umbilicum perductum; cum tamen plene ſatis contineat ſententiam, quam ea de re fovit Vir. Ampl. malui illud, quale quale eſt, repræſentare, quam totum in ſpongiam incidere. Eſt etiam quod moneam circa ejusdem Libri Caput ultimum, quod varias complectitur Quæſtiunculas. Mos erat Ampl. Bynkershoekio, ut ex ejus Libris Obſervationum Juris Civilis Romani, itemque Quæſtionum Juris Publici apparet, ad calcem cujusque Libri referre & in unum Caput conjicere varias Obſervationes, quæ ipſi non tanti videbantur, ut aliquot Capita implerent. Idem & hic præſtare conſtituerat, & jam tria Capita, quæ tres priores Libros clauderent, inchoaverat; ſed cum ſingula paucas tantum Quæſtiunculas comprehenderent, eas congeſſi, & in unum Caput contuli. Hactenus de his Quæſtionibus.

Ceterum nullum poſt hoc Bynkershoekii opus eſt exſpectandum: reliquas enim, quæ ſuperſunt, ejus lucubrationes, quæque unice ad jus hodiernum cum Hollandicum tum Zelandicum pertinent, ſibi ſcripſit Vir Ampl. non publico, idemque de his, quod de Obſervationibus tumultuariis ſupra monui, ſtatuit, ne unquam aliqua earum pars luci daretur. Sed vel ſine his ſatis Bynkershoekiano nomini debet Jurisprudentia, qua Patria, qua Romana. Quin potius nemo non mirabitur, qui Vir, a prima juventute tot tantisque negotiis diſtractus, tantum præſtare potuerit, editis in publicum tot varii argumenti operibus, neque iis vulgaribus, qualia nunc paſſim in lucem protruduntur, & quibus compilandis vel triduum ſufficeret, ſed exquiſita eruditione plenis. Sed non eſt hic locus excurrere in laudes Ampl. Defuncti. Quare manum de Tabula. Tu lector vale.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

QUÆSTIONUM JURIS PRIVATI,

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Juriſdictione Curiæ Hollandiæ in Nobiles & Subditos ſuos.

Quæ Curiæ Hollandiæ ſit juriſdictio, & quæ alterius cujuſque Collegii poteſtas, non aliunde tutius licet intelligere, quam ex Codicillis, & præcipue ex Formis, quas ſingulis Collegiis Princeps præſcripſit, ſed cave exiſtimes, ex iis ſolis rem confici poſſe. Plurima ibi prætermiſſa, quæ uſus ſupplevit, abrogavit, mutavit, ſed & plurima ſunt, quæ ſibi arrogarunt ſingula quæque Collegia, ut induſtrii ſolent eſſe homines ad proroganda auctoritatis ſuæ pomœria. De juriſdictione Curiæ Hollandiæ, de qua nunc tantum ago, varii ſunt §§. in Forma, quam ei præſcripſit Carolus Burgundus 4. Sept. 1462. & in alia, quæ nunc fere ſola frequentatur, quam ei præſcripſit Carolus V. 20. Aug. 1531. Ex iis ſolis ſi ſapere, & definire velis, quæ de controverſa juriſdictione Curiæ incidunt, multum laborabis & proficies nihil. Quin §. 94. Formæ 1462. & §. 8. Formæ 1531. qui enumerant cauſas, de quibus Curia cognoſcit, adeo obſcure & abſurde conſcripti ſunt, ut fere neſcias, quid dicant, & quid habendum ſit de concurrente, & quid de ſeparata juriſdictione illius Curiæ.

Ea obſcuritas effecit, ut fere ante ſeſquiſeculum magnis animis inter Curiam & Magiſtratum Haganum diſputatum ſit de perſonis quibuſdam, Hagæ habitantibus, an ad Curiæ, an ad Magiſtratus Hagani juriſdictionem pertinerent, & quid quantumque eſſet Curiæ Hollandiæ territorium. Nonnihil quidem definiverunt Ordines Hollandiæ 27. Sept. 1614. *fiduciaria*, ut vocant, *juſſione*, (1) ſed tantum abeſt, ut omnes controverſias, earumque cauſas ſuſtulerint, ut potius, ſi quid judico, immane quantum auxerint. Sunt etiam, qui putant, in §. 9. & 10. *d. Fiduc. juſſ.* quod ad perſonas, de quibus in primis quæritur, id duntaxat eſſe conſtitutum, de quo inter partes conſtabat, ſed de quo non conſtabat, nihil eſſe conſtitutum. Quamvis autem id adfirmare non auſim ob rationes, quas mox exſequar, ſatis tamen apparet, illos §§. utrique parti rurſus præbuiſſe novam & largam litigandi materiam.

Certe ex eo anno 1614. plures, quam antea, controverſias vidimus repullulaſſe, majoribus etiam animis agitatas, & de quibus plus ſemel juſtus metus fuit, ne ſine cæde & ſanguine tranſigerentur. De omnibus controverſiis, quæ inter ſe & Magiſtratum Haganum intercedunt, Curia Hollandiæ (2) verboſam & grandem epiſtolam ſcripſit ad Ordines Hollandiæ 15. Apr. 1707. precata, ut ſecundum ſententiam ſuam vellent decernere Ordines. Cui Magiſtratus Haganus oppoſuit libellum, a Scriba ſuo conſcriptum (3), &

(1) *Proviſionele Ordre op de Differenten tuſſchen den Provincialen Rade en de Magiſtraat van 's Gravenhage. Plac.* II. 5. 5. 17. 2. *Bell. Jurid. Caſu* 31. *Formul.* II. C. 1. p. 41. *& in Farragine poſt Formam Cur. Holl. & Plac. Holl.* II. p. 317. Sed neſcio, curi ti ſcriptum ſit 27. *Sept. vel* 30. *Nov.* 1640.

(2) *Ampel Berigt van den Hove van Holland over de juriſdictiequeſtien tuſſchen het Hof en den Hage*, quæ epiſtola cum aliis, quæ *n.* 3. 4. & 5. commemoro, Delphis eſt edita 1738.

(3) *Opſtel tegen het Ampel berigt:* etiam ſine die & Conſule.

& deinde alium, ab Advocato jam defuncto, compoſitum (4), etiam precatus, ut ſecundum ſe decernere vellent, ſed, quamvis lite tam prolixe conteſtata, & inſtrumentis hinc inde exhibitis, nihil tamen definiverunt Ordines, quod turbis componendis ſufficit. Quicquid hic illic occurrit, magis pertinet ad differendam, quam ad tollendam litem, excogitato in ſingulis cauſis ὁρισμῷ, quo vis & vis armata prohiberetur, ſalvo cujusque jure in poſterum.

Optandum ſane eſſet, ut Ordines tandem auctoritate ſua intercederent, & quomodocunque potius lites finirent, quam ut, iis non finitis, cauſa detur majoris tumultus. Vereor enim, ne res aliquando in nervum erumpat, ut non ſemel erupit, apprehenſis & in carcerem ductis Officialibus, qui jurisdictionem Haganam tuebantur, qua occaſione ſcio deliberatum eſſe, an non vim vi repellere liceret. Auctoritate igitur præſente opus eſt, ne partes ad arma, quæ ſæpe minitatæ ſunt, aliquando proſiliant. Atque hæc auctoritas a ſolis Ordinibus præſtanda eſt, nam ſi inter eos, qui jurisdictionem nomine Principis exercent, de finibus jurisdictionis contentio oriatur, ſolius Principis eſt eos fines regere, & nominatim quoque Ordines Holl. in *d.* §. 13. *d. Fiduc. juſſ.* ſibi reſervarunt cognitionem eorum, quæ inter Curiam & Magiſtratum Haganum in poſterum controverterentur.

Prodiit haud ita pridem Collatio (5) inter libellos, tam a Curia, quam a Magiſtratu Hagano editos, &, lecta inſcriptione, exſpectaveram *collationem amicam*, quæ tranſactioni anſam dare poſſet, ſed comperi, ejus Auctorem fere pedibus ire in Curiæ ſententiam, variis etiam adlatis rationibus, quas neſcio, an Curia ſuas facere vellet. Imo tantum ex ſuo penu, contra ipſius Curiæ ſententiam, ibi addidit Collator, ut Curia hunc fœtum noluerit tollere, aperte teſtata, etiam apud Delegatos Ordinum Hollandiæ, ſe pro ſpurio habere, quicquid eſt ejus libelli. Mihi quoque animus eſt, reſectis iis, quæ plane ſuperflua, incerta, & longiſſime petita ſunt, paucis inquirere, an iis, quas dixi, controverſiis componendis vel decidendis aliquam lucem affundere poſſim, prolatis nonnullis, quæ in hoc argumento necdum prolata vidi.

Ordior a perſonis, & ab his, quæ nunc certa ſunt, progrediar ad incerta, & ad regulam, ex qua, quæ incerta ſunt, certiora effici poſſint. Cautum eſt §. 9. *d. Fiduc. juſſ. Curiam Hollandiæ jurisdictionem eſſe retenturam in Nobiles & Subditos Curiæ, non exercentes artes Mechanicas vel tabernas, itemque alias perſonas, quæ fori privilegium habent, quocunque loco Hagæ habitaverint.* Verba Belgica hæc ſunt: *Die van den Rade Provinciale zullen blyven behouden de privative jurisdictie over alle de Edelen en Suppooſten, niet exercerende eenige neeringe of handwerken ten dienſte van de Burgeren, en onder andere geprivilegeerde perſonen, ſonder onderſcheid, of die woonen op het Hof of in den Haag.* Pro *onder andere*, ut legitur in quibusdam Editionibus, omnino legendum eſt *over andere*, calami vel typi manifeſtus error eſt, *onder andere*, nam dolo malo id mutatum eſſe, & quamobrem mutatum eſſet, nondum potui animadvertere. Porro cautum eſt §. 10. *Judices Haganos eſſe retenturos jurisdictionem in eos, qui exercent artes Mechanicas vel tabernas, ubicunque Hagæ habitaverint.* Ecce verba Belgica: *Die van den Haag zullen houden de jurisdictie over alle perſoonen, exercerende gemeene Handwerken en Neeringen, zoo wel ten dienſte van de Burgers van den Hage, als van de Edele en Suppooſten, ſonder onderſcheid, of de zelve perſonen, doende alſulke nering of handwerk, woonen op het Hof of in den Haag.* Sic habemus duo genera hominum, alterum Curiæ, alterum Judicibus Haganis ſubjectum, primum complectitur Nobiles & Subditos Curiæ, itemque alios, qui jus habent revocandi ad Curiam, ſecundum complectitur quoscunque fabros & tabernarios Haganos. Sed Hagæ habitat tertium genus hominum, qui nec Nobiles ſunt, nec Curiam frequentant, nec privilegio fori ſe tueri poſſunt, nec etiam fabri vel tabernarii ſunt. Quæro id genus hominum, ut ſunt Sacrorum Interpretes, Notarii, Doctores Medicinæ; Procuratores, qui apud ſola Collegia Fœderati Belgii, vel apud Conſiliarios Ordinum Hollandiæ, vel apud Rationales Orangiorum operas ſuas locant, ſtipendiorum militarium exactores, vel denique homines, vel ex India Orientali vel aliunde reduces, Judæi magnates, aliive Hagæ nati, vel ibi advenæ, qui, poſitis in fœnore nummis, ſe ſuo ære exhibent, & reliqui, quos commemorare longum eſſet, id, inquam, tertium genus, an ad Curiæ, an ad Magiſtratus Hagani jurisdictionem pertinebit? ſilent Ordines in *d.* §§. 9. & 10. & hinc illæ lachrymæ.

Sed priusquam de tertio illo genere hominum agam, nonnihil præmittendum eſt de his, qui in *d.* §§. enumerati ſunt, ut ſciamus, an, quemadmodum nunc de iis conſtat, ſic etiam olim conſtiterit, ſic enim proclivius erit etiam de aliis judicare. Nunc conſtat ex *d.* §. 9. Curiæ jurisdictionem eſſe in *Nobiles*, hi quippe primo loco occurrunt. An olim Curiæ generalis fuerit jurisdictio in Nobiles, eſt cur dubitem. Quid, inquies, dubitas? nam ait *d.* §. 9. Curiam eſſe *retenturam* &c. ergo habuit ante annum 1614. Largior, ſed quamdiu ante d. annum 1614. habuerit, mihi non conſtat, & minus conſtat, an olim quoque habuerit, nam §. 94. *Formæ Curiæ Holl.* 1462. ait Curiam cognoſcere *van obligatien van Edelmannen, te weten Brieven van eere, daar ſy henluyden onder heuren ſegele mede verbonden ſullen hebben op trouwe, eere en ſekerheid ſekere ſommige van penningen te betalen, of andere dingen te doen.* Rurſus §. 8. *Form. Cur. Holl.* 1531. *Ende aangaande obligatien van Edele Mannen, zullen daar van mogen kennen by præventie.* Ex utroque §. Curia non cognoſcit de qualibet actione, quæ contra Nobilem quem competit, ſed de ſola cautione, qua Nobilis promiſit ſe aliquid eſſe daturum vel facturum. De criminibus Nobilium judicandis nihil quoque ibi expreſſum eſt. Addit *d.* §. 8. *by Præventie.* Quod non aliter intelligo, quam Nobiles, ob dignitatis & potentiæ eminentiam, etiam apud Curiam conveniri poſſe, ſed poſſe quoque, ſi actor velit, apud Judicem, in cujus territorio habitant, ut de Senatoribus eſt in *l. penult. ff. de Senator.* & in *l. un C. ubi Senator. vel Clariſſ.* Poſſunt igitur ad Curiam ſtatim vocari, ſicut & alii, qui parte ſua adverſa imbecilliores creduntur, ex *d.* §. 8. recte quoque ibidem agunt. Curia Hollandiæ in Forma, quam conjecit 28. Mart. 1670. ſimpliciter ſibi jurisdictionem tribuit (6) *over alle Edelen van onſen Landen.* Recte, nam *d.*

(4) *Remarques en ſolutien op het Ampel Berigt*: etiam ſine die & Conſule.

(5) *Collatie van het Ampel Berigt van den Hove met tweederley Schrifturen van den Haag.*

(6) *P.* 12. *vs. Over alle Edelen.*

d. §. 9. *Fiduc. juſſ.* data eſt Curiæ generalis jurisdictio in Nobiles, quam olim non habebat, certe non niſi concurrentem. Unde & in Legibus Ordinum, poſt *d. Fiduc. juſſ.* latis, Curiæ tribuitur generalis & ſolitaria jurisdictio in Nobiles, ut in Edicto de injuriis 22. Mart. 1657. &, quod ad crimina, Hagæ commiſſa, in Decreto de militari jurisdictione 30. Sept. 1654. (7).

Sic ut, quod ad Nobiles, non alia nunc ſuperſit quæſtio, an, quod de Nobilibus ſancit *d.* §. 9. de Nobilibus Hollandis duntaxat ſit intelligendum, an & de peregrinis, qui in Hollandia hærent? de Nobilibus Hollandis cenſuit Curia in Forma conjecta 1670. ait enim, *alle Edelen van onſen Lande*, & alii (8) quoque *d.* §. 8. intelligunt *van Hollandſche Edelluyden, uyt oude Hollandſche Edele Stammen geboren*, & ſecundum eos quoque judicaſſe videtur Curia 3. Mart. 1676. (9). Sed vero cum antea tum poſtea ſæpe aliter ſapuit Curia Hollandiæ, arrogata ſibi jurisdictione etiam in exteros Nobiles. Sic Curia jam anno 1663. defendit (10). Sic ſæpe deinceps, etiam mea memoria, Mandatis pœnalibus actoribus interdixit, ne quis externum Nobilem niſi ad ſe in jus vocare vellet, & ſic de uſu teſtantur JCti Hollandi (11). Sed, quod ad Nobiles exteros, qui Hagæ habitant, Magiſtratus Haganus Curiæ ſemper contradixit, adhibito in hanc rem Ordinum Hollandiæ Decreto (12) & Edicto (13) 11. Dec. 1666. Quum vero id Decretum & Edictum duntaxat ſanciat, Nobilitatem, ab externis Principibus Hollandis conceſſam, in Hollandia non prodeſſe, non recte id transferas ad eos, qui alibi Nobiles nati in Hollandiam Penates ſuos tranſtulerunt, & de his ſolis ſunt Curiæ Interdictiones pœnales. Attamen ne ſic quidem auſim exteris Nobilibus forum tribuere, quod indigenis ex privilegio competit: nam uti Magiſtratus in quaque Regione, ita & Nobiles accipimus, qui quod ad Regionem, de qua agitur, Nobiles ſunt. Nobiles Hollandi quaſi pars Principatus cenſentur, & ideo Ordinibus placuit, ut non niſi eorum Judici Supremo ſubeſſent: quamvis autem in Regimine per paucos quosdam repræſententur, hoc tamen omnibus relictum eſt, ut, quod ad forum, eodem cum aliis jure utantur. Horum nihil exteris Nobilibus datum eſt, conveniuntur igitur ut plebeji, quales utique hic ſunt. Unum eſt privilegium, quod etiam externis Nobilibus, qui hic familiam bonaque habent, Ordines Hollandiæ dederunt 9. Febr. 1593. (14) quo eorum, ſi, præterquam Majeſtatis, damnentur, bona redimi datum eſt 80. Florenis, ſed imprudentiæ eſt id, absque ulla auctoritate, producere ad omnia alia privilegia, quæ Nobilibus Hollandis competunt, ſed ſublata nunc in Hollandia bonorum publicatione, id privilegium nullius affis eſt. Ceterum in Nobiles exteros, qui Hagæ habitant, etiam aliunde jurisdictionem ſuam derivat, quod nempe hi Nobiles utique pertineant ad tertium illud genus hominum, de quo ſupra dixi, ſed quia Nobilitas nihil tunc efficit, aliena hinc eſt ejus rei inſpectio.

Præterea Curiæ jurisdictio eſt, ex dicta *Juſſione Fiduciaria anni* 1614. *over de Suppooſten, met exercerende enige neringen of handwerken ten dienſte van de Burgeren.* Igitur ſi artes mechanicas vel tabernas exerceant Subditi Curiæ in utilitatem Civium, privilegio fori cadunt, & ad Magiſtratum Haganum pertinent. Qui, quod ad exemptionem a tributis Haganis, pro *Suppoſitis* ſint habendi, definivit Carolus V. 21. Mart. 1516. (15). Sed qui pro *Curiæ ſuppoſitis*, quod ad forum, ſint habendi, ego non auſim definire, cum auctoritas expreſſa deficiat. Nubes Advocatorum id auſa eſt definire 15. Dec. 1654. (16) & definivit ipſa Curia in *haar Concept-Inſtructie* 1670. *p.* 12. *&* 13. ſed inter catalogum ab illis Advocatis, & a Curia, compoſitum non ſatis convenit. Forte generaliter dici poſſet, omnes, qui olim in officio Gravionum fuerunt, ad jurisdictionem Curiæ pertinuiſſe, & nunc pertinere, qui in officio Ordinum ſunt. Unde in Decreto Ordinum Hollandiæ 12. Jul. 1659. (17) Curiæ ſubeſſe dicuntur *de Edelen, Suppooſten, en de Domeſtique Dienaars van haar Edele Groot Mogende.* Sed quum non conſtituerim de his omnibus agere, qui jurisdictioni Curiæ ſubſunt, & quos, generali verbo, etiam *Suppooſten* vocant, de iis ſolis quædam addamus, qui in officio ipſius Curiæ ſunt, & proprie *Suppooſten* appellantur, & de his quæramus, an in eos Curiæ olim competierit omnimoda jurisdictio. Procul dubio *Suppooſten* dicuntur Advocati & Procuratores, qui apud Curiam poſtulant, & ſicut jure Romano ſolis Præfectis Prætorio competebat jurisdictio in ſui fori Advocatos *l.* 6. *&* 18. *C. de Advoc. diverſ. judicior.* idem de Advocatis, qui apud Curiam cauſas agunt, videbatur dicendum, & omnino dicendum eſt poſt illam *Fiduciariam juſſionem*, ſed an olim ita obtinuerit, eſt cur dubitem. Neutra Curiæ Forma jurisdictionem ei tribuit in Advocatos, imo vero §. 73. *Formæ* 1531. ſimpliciter ait, Advocati & Procuratores apud Curiam ſe defenderent, *als men haar vervolgt ten cauſe van hare officien*, & ibidem quoque agerent de ſalario. Non ergo in omnibus utique conveniuntur apud Curiam, quin &, ſi præterquam de officio ſuo conveniantur, ex *d.* §. 73. Curiæ jurisdictionem recuſare poſſunt. Sed deinde, ut dixi, id latius extenſum eſt. Interea vides, quam arcta olim fuerit Curiæ jurisdictio, quod ad eos, in quos nunc ampliſſima eſt.

Pragmatici (18) inter *Suppoſitos*, ut vocantur, *Curiæ* etiam numerant eos, qui Curiam adeunt, ut quantocyus cauſas litigantium definire velint, *Sollicitatores litium* ſolent appellari. Sed quia, quod illi agunt, agunt qua privati, nec a Curia conſtituti, vel in numeros relati ſunt, poſſes de eorum foro dubitare: Curia tamen 10. Dec. 1677. (19) quemdam, rejecta, quam propoſuerat, exceptione declinatoria, apud ſe cauſam dicere damnavit. Ceterum & *Sollicitatores* vocantur, qui ſtipendia militum promu-

(7) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 218.

(8) *Bello Jurid. Caſu* 19. *n.* 2.

(9) *d. Caſu* 19. *in fin.*

(10) *Ampel Berigt.* p. 120. & 121.

(11) *In Notis* ad Merulæ *Praxin L.* IV. *Tit.* 2. *C.* 13.

(12) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 792. & 793.

(13) *Plac.* III. 4. 4. 16.

(14) *Idem* II. 5. 2. 10.

(15) *Repertor. Cur. Holl.* p. 4. *A. & B.*

(16) Apud Bort *van de Arreſten C.* IV. *n.* 37.

(17) *Reſolutien van Conſideratie ten tyd van de Wit* p. 489.

(18) W. de Groot *Inleid. L.* I. *C.* II. *n.* 17.

(19) *Bello Jurid. Caſu* 70.

mutuò præſtant, & a publico deinde exigunt. Sed hos Curiæ non eſſe ſubjectos, eorum officium declarat, & cum quis appellationis ſimilitudine, ut opinor, deceptus, ſtipendiorum ejusmodi exactores ad Curiam vocaſſet, Curia 11. Jul. 1667. (20) exceptionem declinatoriam ad Magiſtratum Haganum admiſit. Et tamen Curia tam in Forma, quam ſibi concepit anno 1670. *p.* 13. quam ſæpe deinceps (21), palam ſibi adrogat jurisdictionem in omnes eos, qui Hagæ habitant, & non exercent artes mechanicas vel tabernas. Referendi igitur videbantur ad tertium genus hominum; de quo *Capite proximo* dicam.

Quæſitum eſt, an ea Curiæ ſit jurisdictio in Suppoſitos ſuos, ut neque alibi, ad forum ſortiendum arreſtari poſſint? ſic ait, & multis Curiæ judiciis defendit eadem illa nubes Pragmaticorum 15. Dec. 1654. (22) & hoc poſtea alii ſcripſerunt, ſed rationes, quas adferunt, adeo mihi videntur inutiles, ut nolim referre, refellere multo minus. Omnes poſſunt arreſtari, qui ex privilegio immunitatem non habent, nec ullum vidi privilegium, quo Subditi Curiæ ſe tueri poſſunt. Habet quidem Curia in eos jurisdictionem ſeparatam, ſed non niſi contra Magiſtratum Haganum, certe de ea ſola ſermo in *d.* §. 9. *Juſſionis Fiduciariæ* anni 1614.

CAPUT II.

De foro eorum, qui Hagæ habitant, quosque nec Curiæ, nec Magiſtratui Hagano ſpecialiter addicit Ordinum Fiduciaria Juſſio anni 1614. *& ea occaſione prolixa diſputatio, Curiæ, Hagæ ſedentis, an Magiſtratus Hagani prior & antiquior Hagæ fuerit jurisdictio.*

Eſt tertium quoddam genus hominum, quod Hagæ domicilium habet, de quo *C.* I. dixi, & de his hominibus quæritur, ad jurisdictionem Curiæ, an ad Magiſtratus Hagani pertineant? Quumque hi homines forte tertiam eorum, qui Hagæ habitant, partem conſtituant, creberrima eſt de iis quæſtio. Unde hæc finiri debeat, non ſatis conſtat; plurima ex utraque parte in hanc rem adferuntur, quæ me non moverint. Curia jurisdictioni ſuæ illos homines ſubjicit ex ipſa illa *Juſſione Fiduciaria*, & ex eadem rurſus contradicit Magiſtratus Haganus. Curia ait, ex §. 10. *d. Fiduc. juſſ.* Haganis competere jurisdictionem in omnes eos, qui ex opificiis ſe ſuosque exhibent, & nihil porro addi, ſibi vero ex §. 9. non duntaxat competere jurisdictionem in Nobiles & Subditos Curiæ, ſed etiam *over andere gepriviligeerde perſonen*, & per hos intelligit tertium illud genus hominum. Sed ego non intellexerim, agit enim de iis, quibus ex *privilegio* datum eſt, ut ad Curiam revocare poſſint, & fruſtra quærimus privilegium, ex quo illud tertium genus jurisdictionem Curiæ implorare poſſet, ſed poſſunt ex privilegio pupilli, viduæ, aliique qui *miſerabiles* audiunt, & præter hos nonnulli, de quorum cauſis ſtatim cognoſcit Curia, ut ex §. 8. aliisque Form. 1531. palam expresſum eſt, & hos placuit addere Nobilibus & Subditis Curiæ, ne excluſi viderentur.

Rurſus eandem *Juſſionem Fiduciariam* in rem ſuam vertit Magiſtratus Haganus, ait enim ex §. 9. forum Curiæ ſortiri ſolos Nobiles, Curiæ Subditos, & eos, qui, dato privilegio, ad Curiam revocant, reliquos omnes apud ſe forum ſortiri, non quod §. 10. id expreſſum, ſed quod de eo dubitatum nunquam fuerit. At ſcire velim, cur *d.* §. 10. duntaxat loquatur de iis, qui ex opificiis vivunt, non etiam de aliis, qui Hagæ habitant. Si me audias, per oblivionem hi omiſſi ſunt, & nihil in utramque partem ex ea Conſtitutione effici poteſt.

Non potui etiam animadvertere, quid ad rem præſentem faciat, quod Curia tantopere urget, Magiſtratui Hagano fas non eſſe exteros Hagæ arreſtare, ut id liceret, a Magiſtratu petitum, ſed a Philippo II. negatum fuiſſe 20. Januar. 1561. (1). Res ipſa vera eſt, exterorum bona arreſtare licet, perſonas non licet. Cur, inquies, cum Magiſtratus Haganus & jurisdictionem & imperium habeat? Sed curæ Principibus fuiſſe videtur, ut quam liberrime Hagæ eſſe liceret, vel ipſius Principis adeundi, vel judicii, ibi agendi, cauſa. Huc refero, quod Carolus Imperator 19. Jul. 1541. conſtituit, (2) a Leidenſibus relegatum ex officio Hagano & Haga, Hagæ tamen eſſe poſſe pendente cauſa appellationis. Sed, quicquid ſit, difficile eſt inde definire quæſtionem de foro eorum, qui Hagæ habitant, &, ut dixi, tertium genus hominum conſtituunt.

Magis ad rem pertinet illuſtris controverſia, inter has ipſas partes agitata, utrius jurisdictio Hagæ fuerit prior & antiquior. Curia Hollandiæ defendit, ſuam jurisdictionem ibi fuiſſe priorem & antiquiorem, & fuiſſe omnimodam, quod ad omnes homines, Hagæ hærentes, Magiſtratus igitur Hagani eſſe probare, quid Curiæ ademptum & ſibi datum ſit, nihil autem ademptum probari, quam jurisdictionem in eos, qui artes mechanicas vel tabernas exercent. Imo, inquit Magiſtratus Haganus, noſtra jurisdictio eſt prior & antiquior, & pertinet ad omnes incolas, haud ſecus atque jurisdictio omnium in Hollandia Urbium, & proinde Curiæ eſt probare, quid Magiſtratui ademptum, & ſibi datum ſit, nec probari quicquam ademptum eſſe, quam jurisdictionem in Nobiles, Curiæ Subditos, aliosque quosdam ex privilegio, Curiæ Formis inſerto.

Curia jurisdictionem ſuam derivat ex anno 1250. quo Wilelmus II. Rex Germanorum, XV. vel ſecundum alios, XVIII. Comes Hollandiæ Hagæ exſtruxit Palatium, quod etiam nunc exſtat, & tanti fecit Joſephus Scaliger, ut ſoli Palatio Pariſienſi poſtponeret (3). Et de Aula, tunc vel circa id tempus ædificata ex Annalibus Hollandorum perfecte conſtat, ſed non ſatis conſtat, an, ut Curia exiſtimat, tunc quoque inſtituta fuerit illa Curia, quæ Hagæ adhuc jus dicit, & ibi perpetuam ſedem habuit, niſi forte ad tempus motuum Civilium cauſa alio ſeceſſerit.

(20) *Bello Jurid. Caſu* 70.
(21) *Ampel Berigt variis locis.*
(22) Apud Bort *d. loc.*

(1) *Ampel Berigt.* p. 101. *& ſeqq.*
(2) *Repertor. C. H.* p. 42. *A. & B.*
(3) Scaliger II. *in Verbo* Palatium.

rit. Eandem hanc eſſe Curiam ejus Senatores contendunt, & amant appellare *het Hof-gerigt*, vocabulo, quod in antiquis monumentis, niſi fallat memoria, mihi non occurrit. Ecquando autem Scabini Hagæ fuerint creati, non ſatis liquet. Sculteti & Scabinorum mentio exſtat in privilegio, quod Albertus Bavarus Haganis dedit 1370. (4) & ex quo pœnarum quarumdam exactio permittitur Sculteto & Scabinis, niſi tamen Comes, Comitiſſa, eorumve ſucceſſores Hagæ fuerint præſentes, tunc enim ea exactione iis interdicitur. Ante annum 1260. Scabinos Hagæ fuiſſe creatos nemo facile dicet, nam adeo tenuia fuerunt Hagæ initia, ut ejus, qua pagi, nomen neque tunc, neque antea usquam occurrat. Prima Scabinorum mentio, quæ ad manus meas pervenit, eſt in inſtrumento, apud Scabinos Haganos confecto anno 1311. (5) ubi Haga jam vocatur *Stede*, quamvis aliquamdiu poſtea etiam *pagi* nomine occurrat.

Quod Curia ait, ſe ab anno 1250. Hagæ judicaſſe, non aliter intelligit, quam de judiciis, quæ ipſi Graviones exercebant. Graviones ſcilicet, ut olim Principes Romani, in conſilium adhibebant Adſeſſores, quorum ſententias explorabant in publicis privatisque cauſis. Hi Adſeſſores dicebantur *Raden*, quemadmodum Adſeſſores & jure Romano audiunt *Conſiliarii* in *l.* 3. *&* 10. *C. de Adſeſſor.* & comitabantur Gravionem, ubicunque erat, & quocunque proficiſcebatur, ut conſiliis ſuis preſto eſſent. Eorum tamen ſententiæ non numerabantur, ſed, cum judicandum eſſet, ipſe Gravio judicabat ex arbitrio ſuo. Audiebantur illi Conſiliarii, ut in Cognitione Principis Romani eleganti exemplo illuſtrat Marcellus in *l.* 3. *ff. de His, quæ in teſtam. delent.* ſed, ut ex animi ſui ſententia decernebant Imperatores Romani *d. l.* 3. *& l. ult. ff. de Jure Fiſc.* ſic & Graviones Hollandi. Hunc Gravionum cum Conſiliariis ſuis conſeſſum *Curiam* appellari poſſe, & ſic quoque appellatum fuiſſe, nullus plane dubito. Ipſa Machteldis, Wilelmi, Romanorum Regis, mater in quodam diplomate (6) meminit *Curiæ*, quam Gravio habuit Arenæ Comitis (7), & multi rerum Hollandicarum Scriptores (8) tradunt, Wilelmum, mutato domicilio Hagam tranſtuliſſe judiciorum ſedem, quam Arenæ habuerat. Erat autem ea Curia, ut ſatis animadvertis, non tam Curia Hollandiæ, quam ipſius Gravionis.

Sed intereſt ſcire, de quibus cauſis olim Graviones judicaverint. Et quamvis de eo plena fide non conſtet, facile tamen largior, Gravionem judicaſſe de Nobilibus, Conſiliariis, aliisque Officialibus, qui erant in Aula & Comitatu ſuo. Hos Gravionem alterius jurisdictioni ſubjeciſſe quis credat? atque hi Officiales, ſive majores, ſive minores, uno vocabulo appellati ſunt Subditi Gravionis, vel Subditi illius Curiæ, quam Gravio in conſilium adhibebat, *Suppooſten van den Grave of van den Hove.* Ad hæc Gravio judicabat de cauſis appellationum, & aliis quibusdam, quæ majoris momenti erant, & eam, puto, ob cauſam ſæpe adibat Provincias & Urbes Imperii ſui, ut de his cauſis cognoſceret, & reliquas audiret querelas, quæ ad eum deferebantur. De Carolo Burgundo hæc memoriæ prodit Pontus Heuterus: (9) *Liber hac hyeme Pugnax a Bello, Brabantis Hannoniisque jus dicebat, ter ſingulis hebdomadibus inter Conſiliarios præſidens, ac pro infimo quocunque, ut jus ſuum obtineret, curam agens. Menſe Aprili eadem de cauſa in occidentalem Flandriam eſt profectus, Menſe Majo Gandavi, Julio Brugis, Auguſto in Hollandia ac Zelandia, mirum in modum, hoc facto, Popularium erga ſe amorem ac reverentiam excitans.* Adibat, ut dixi, ipſe Gravio Provincias ſuas, ne eum, bellis ſæpe occupatum, hic illic fruſtra quærerent litigantes, & adibat cum *Conſiliariis* ſuis, quos ſecum ducebat, quocunque proficiſcebatur, ut iis conſultis tutius & melius decerneret. Hi Conſiliarii ejus *Curiam* conſtituebant, & hæc Curia erat, ubicunque erat Gravio. Etiam Philippus Burgundus, ut in ejus Vita retulit Pontus Heuterus, (10) poſtquam anno 1455. Supremum Juſtitiæ Concilium inſtituiſſet, *ſuam ſemper Senatores aulam ſequi voluit, hac ratione Subditorum lites, appellatione cogniturus; ac quæ alicujus forent momenti, ſuo judicio finiturus.* Recte ut Heuterus, *ex appellatione*, neque enim Gravio, jus dicturus, occupavit, ubicunque morabatur, jurisdictionem eorum, qui ibi lites definiebant, non ibi omnem jurisdictionem ſibi adrogabat, ſed ſuperiorem duntaxat, inferiore relicta iis, qui eam exercebant. Et tantum abeſt, ut Graviones omnem jurisdictionem ſibi tribuerint, ut Maria Burgunda in §. 5. *LL. quas Hollandis & Zelandis dedit* 1476. huic ipſi Curiæ, quæ Magiſtratui Hagano omnimodæ jurisdictionis controverſiam movet, interdixerit, ne ſtatim, *ter eerſten inſtantie*, cognoſcere vellet de cauſa, quæ ad Urbium Pagorumque jurisdictionem ab initio pertinet. Dubitavi aliquando, an non etiam Gravio, ubicunque eſſet in Hollandia vel Zelandia, judicaverit de cauſis criminalibus, quo ſic, ipſo præſente, ceſſaverit Ballii vel Sculteti officium, qui alioquin eum repræſentabant. Movebat, quod Graviones, ſine appellatione, ſæpe de criminibus judicarint, cujus rei illuſtre exemplum exſtat in Carolo Burgundo, (11) & quod in privilegio, Haganis dato 1370. Sculteti officium ſuſpendatur, ſi forte Gravio ibi hæreret: & quod Albertus Bavarus in quadam ſententia, 25. Oct. 1399. lata, (12) dixerit, *dat de Heere de Vrederaat beregten zal, of zynen Bailliu.* Sed in re incerta nihil certi auſim pronunciare.

His ita conſtitutis revertamur ad Hagæ initia, quæ ſane adeo tenuia fuerunt, ut ante exſtructam a Wilelmo aulam non appareat ulla ibi exſtructa fuiſſe ædificia. Unde quidam tradunt Aulam illam fuiſſe exſtructam *in deſerto*, quidam juxta *Hagam*, quo vocabulo forte appellatum eſt nemus, quod Hagæ adhæret; nam ex ſede Gravionis deinde acceſſit appellatio *Hagæ Comitis* ſive *Hagæ Comitatenſis*. Et, ſi ſedes ibi electa ſit ad venandum, ut ſunt, qui ſcribunt, locus utique deſertus quam maxime venationi eſt opportunus. Sed quicquid ejus rei ſit, adſentior iis, qui exiſtimant, ædificia demum, poſt conditam

(4) *Ampel Berigt.* p. 99.
(5) Apud de Riemer, *Beſchryv. van 's Hage Part.* I. *Tom.* II. p. 832.
(6) *Ibidem Part.* I. *T.* I. *C.* 4. p. 107.
(7) *'s Gravenjande.*
(8) Apud de Riemer *d. loc. in Notis.*
(9) *Rerum Burgund. L.* V. *in Carolo Pugnace ad Annum* 1469.
(10) *Rerum Burgund. L.* II. *in Philippo Bono ad Annum* 1455.
(11) Pontus Heuterus *Rerum Burgund. L.* V. *in Carolo Pugnace ad Annum* 1469.
(12) Oudenhoven *Zuyd-Holland* p. 530.

ditam Aulam, ibi fuiſſe collocata, uſu ſic exigente. Forte non omnes Aulicos capere poterat Aula, certe non omnes eos, qui rerum ſuarum cauſa Aulam ſequebantur. Diverſoria igitur exſtructa, ſed & plurima deinde ædificia, quæ habitabant homines, qui Aulicis eſculenta & potulenta, qui veſtimenta, qui alia, ad vitam neceſſaria vendebant, & quæ habitabant alii, qui Principis præſentiam, vel amœnitatem loci, animi gratia, adfectabant.

Id puto eſſe certiſſimum, in agro, ſive in tractu ejus agri, in quo ædificata eſt Aula, vixiſſe homines, agriculturæ deditos, & ante adventum Wilelmi, hos homines habuiſſe ſuos Judices tam in cauſis civilibus quam criminalibus. Quemadmodum appellati fuerint illi Judices, neſcio, ſed nihil intereſt, ſive appellati fuerint *Geſworens*, ſive *Welgebore Mannen*, ſive alio quocunque nomine; Scabini certe vocati non ſunt, utique non Scabini Hagani, cum facile credam, Hagam nequidem *pagi* nomine tunc innotuiſſe. Eorum Judicum agreſtium omnimoda tunc fuit jurisdictio quod ad omnes, qui agrum illum colebant. An tu putas, Wilelmum, huc advenam, abrogaſſe omnem illam jurisdictionem, eamque ſibi ſoli tribuiſſe? ego non putem. Non tantum de eo nihil conſtat, ſed nec conſtare poteſt, ſi vera ſint, quæ de judiciis, a Gravione actis, modo diſputabam. Poſtquam vero Haga in pagum excreverat, his Judicibus agreſtibus ſucceſſerunt Scultetus & Scabini, ſed incertum, quo tempore creati. Sunt, qui eorum mentionem jam exſtare ajunt anno 1307. ſed id non comperi, de anno 1311. conſtat, ut ſupra dicebam. Quandocunque autem fuerint creati, nihil refert, creatos eſſe apparet. Et quis dubitet, illos ſucceſſiſſe in omnimodam jurisdictionem, quam Judices Agreſtes olim exercuerant, excepto uno caſu, quem ſupra retuli: una enim exceptio duntaxat memoratur. Et ſi apud Gravionem non fuerit omnimoda jurisdictio, ut videor ſatis probare, cedo, apud quos fuiſſet? Si Scabini habuerint, utique habuerunt in omnes incolas, qui ibi habitabant, cujuscunque nominis, ordinis vel conditionis, ut, fatente Curia, habent omnes Hollandiæ Urbes, Oppida, Pagi in ſuos incolas, niſi ſit, qui exemptionem probet.

Ex his conſequens eſt, quod & Magiſtratus Haganus contendit (13), etiamſi Curiæ jurisdictio ſua eſſet prior & antiquior, non tamen fuisſe omnimodam, cum ipſius Gravionis non fuerit omnimoda, nec aliam vel potiorem habuerit Curia, quam ipſe Gravio. Sed operæ pretium erit de prærogativa temporis, quod ad jurisdictionem Curiæ, & Magiſtratus, accuratius deſpicere. Cum Curiam appello, intelligo Curiam, quæ Hagæ adhuc ſedet, & perpetuo ſedit ab ipſa inſtitutione, niſi, ut modo dicebam, ob motus civiles ad breve tempus ſeceſſerit, at non intelligo Conſiliarios Garvionis, ſive Curiam illam ambulatoriam, quæ ſemper Gravionem comitata eſt, quocunque proficiſceretur. Intelligo Curiam, cujus Senatores ipſi ſententiam dicebant, ex plurium ſuffragiis, non eam, quæ, a Gravione conſulta, eum conſiliis ſuis inſtruebat, quæque adeo non fungebatur niſi officio Adſeſſorum. Prioris ſedes perpetua fuit Haga, poſterioris ſolus locus, in quo Princeps hærebat. Quum vero Principes Hollandi & bellis exteris, propter ditiones, quas alibi habebant, & bellis inteſtinis, propter factiones exortas, non diu uno loco morari poſſent, nec, gravioribus negotiis occupati, tantum, quam antea, vacare litibus definiendis, idque cum maxime obtineret in Philippo Burgundo, is ad Curiam inſtituendam, cujus in Hollandia perpetua ſedes eſſet, animum applicuit, & ſic nata eſt Curia Hollandiæ, cujus jurisdictione adhuc utimur. Hæc de cauſis appellationum judicavit, & de aliis quibusdam, ſed de quibus non ſatis conſtat, cum Philippus ſpatiis excluſus iniquis, Formam huic Curiæ non præſcripſerit. Sic Hollandis ſuis ſubvenit, ne neceſſe eſſet ipſum, peregre abſentem, quærere, & magnis ſuis ſumptibus adire. Fecit hoc eo animo, quo poſtea Supremum Senatum Mechliniæ inſtituit, ad quem ex Hollandia & aliis Provinciis ulterior eſſet provocatio.

Quod dixi de Philippo Burgundo, qui Curiam Hollandiæ inſtituiſſet, etiam alia occaſione mihi excidit, nempe *L.* I. *Quæſt. Jur. Publ. C.* 13. ubi rotunde pronunciavi, *plena fide* hoc conſtare. Ægre id tulit quidam, qui Curiæ partes ſequebatur, & MScripto quodam, cum amicis communicato, & mihi deinceps tradito, rogat, unde mihi illa ſcientia & plena fides? Nolim reſpondere, eam eſſe famam communem, ab Anteceſſoribus noſtris ad nos propagatam, Philippum Burgundum demum inſtituiſſe Curiam Hollandiæ, quamvis in anno varient Auctores; ſunt (14), qui aſſignant annum 1428. alii (15) aſſignant annum 1429. alii (16) annum 1434. Nolim, inquam, urgere hanc famam communem, & nolim addere, quod nec ipſa Curia diffitetur, nullas ſententias, nulla alia illius Curiæ monumenta vel acta exſtare ante annum 1428. ſcio enim hæc plenam fidem non facere, ſed id, quod dixi, didici ex epiſtula, quam ipſe Philippus Burgundus ad Magiſtratum Haganum dedit 6. Oct. 1428. (17) in qua ait, *laten weten onſen Scout en Geregte van den Hage, hoe onſen getrouwen Raade, BY ONS GESTELT ter ſaaken aanroerende die Landen van Hollant, van Zeeland, en van Vrieslant, getoont en te kennen gegeven is &c.* ubi, de proprio facto locutus, ait, ſe Curiam inſtituiſſe; ſed id, quod dixi, porro didici ex Præfatione Formæ, quam Carolus Burgundus Philippi Filius, ex mandato Patris, tunc adhuc vivi, huic Curiæ præſcripſit 4. Sept. 1462. nam hanc formam, jam abſolutam, mittit, ut habet Præfatio, Gubernatori & Senatoribus Curiæ, Hagæ ſedentis, & in Hollandia Zelandiaque a Patre ſuo inſtitutæ, verba ipſa ſunt: *Aan onſen lieve en beminde den Stadhouder en Luyden van der Camere van den Rade, reſidentie houdende in den Hage, geordineert by myn genadige Heer en Vader in ſyne Landen van Holland, Zeeland en Vriesland.* Vides ad eam Curiam verba fieri, quæ Hagæ *ſedebat*, & a Patre ſuo *inſtituta* erat, nam *Ordineeren* ibi eſt *inſtituere*, *creare*, neque enim ad Formam, quam Pater non dederat, ea verba referri poſſunt. Exſtat etiam Conſtitutio Mariæ Burgundæ

(13) *In ſecundo Libello contra Curiam* p. 376.

(14) Van Leeuwen *Batavia Illuſtr. Part.* I. *C.* 13. p. 1469. *&* *Gravel. Reger. in Holl. C.* 27.

(15) Magiſtratus Haganus paſſim in *Libellis ſuis contra Curiam;* adde van Zurk *in Notis ad Cod. Batav. verbo* Hof *n.* 1.

(16) *Begin, Voortgang en einde der vrye en gewaande Erfgravelyke bediening C.* 20. *in pr.*

(17) De Riemer *Beſchryv. van 's Hage Part.* II. *in Append.* p. 310.

gundæ 26. Mart. 1476. (18) qua Curiam illam nonnihil emendavit, & in cujus Præfatione ait, Avum & Patrem ſuum, id eſt, Philippum & Carolum Burgundos Hagæ Comitis habuiſſe illam Curiam, quam tunc emendabat. *Alzoo*, inquit, *by voorleden tyden onſe welgeminde Heer en Vader en Oud-Vader zalr. gedagteniſſe, als Graven van Holland, Zeeland en Vriesland onder andere ſaken gebad hebben binnen hare Landen voorſchr. eenen Stedebouder en Raad-kamer, met ſekere andere Dienaren en Officieren, reſiderende in den Hage &c.* Cur de Patre & Avo verba facit, non etiam de aliis Gravionibus? Non aliam novi cauſam, quam quod ſermo ſit de Curia, quæ Hagæ *ſedebat*, & quam anteriores Graviones non ibi perpetuo habuerant.

Atque hæc, & alia, quæ mox addam, mihi videntur plenam fidem facere, nam quod Auctor illius MScripti, ad cujus aures nonnihil ex his, quas dixi, probationibus pervenerat, ſplendidi mendacii arguit Carolum & Mariam, id ut ipſe faciam, religio mea non patitur. Verſamur in re facti, & quod Carolus dixit anno 1462. dixit eo tempore, quo plurimi homines vivebant, memores anni 1428. atque ita memores ejus inſtitutionis, & quis credat Carolum, quamquam audacem, ejus audaciæ fuiſſe, ut ſe publico ludibrio exponeret?

Memorantur tamen in illo MS. & alibi nonnullæ rationes, quæ in contrarium moventur, ſed, ſi alios, me certe non moverint. Urget MS. ante Philippum Burgundum jam notos fuiſſe Conſiliarios Gravionum, *Raadsluiden* vel *Raden*, ſed ei jam reſponſum eſt. Addo duntaxat, ex ipſo §. 90. Form. Curiæ Holl. 1462. aperte conſtare, alios fuiſſe Senatores ejus Curiæ, alios vero Conſiliarios Principis, nam in cauſis arduis, quæ ibi recenſentur, Senatores ejus Curiæ jubentur ſibi adſciſcere Conſiliarios Principis, *die andere Raadsluyden van mynen Heere en Vader*, ſi qui in Hollandia ſint, ut ſimul deliberent & decernant. Alibi memoratur, (19) Albertum Bavarum anno 1357. Hagæ inſtituiſſe Noſocomium in gratiam Subditorum Aulæ vel Curiæ, *voor de Hovelingen en andere tot Armoede geraakt zynde Suppooſten*, & inde conſtare, quam pro his curam habuerint antiqui Graviones. Neſcio, cur non potius inde effecerit Curia, ut effecit alius, (20) ſe utique anno 1428. priorem & antiquiorem exſtitiſſe. Si diploma inſtituti Noſocomii exſtaret (ſed id fruſtra quæſivi, ubi inveniri debebat) ex eo forte ſciri poſſet, an non duntaxat inſtitutum fuiſſet in gratiam eorum, qui Aulam frequentabant, quin ſi vel Curiæ meminiſſet, nemo ignorat *Curiam* Latine, & Belgice *het Hof*, accipi & pro Aula, & pro loco, in quo jus redditur. Dubia quoque ſunt verba Auctoris (21) neque enim iis utitur, quibus utitur Curia, ſed ait *voor Suppooſten en Dienaren van den Hove*, quod etiam de ſolis Aulicis licet intelligere. Ad hæc non nego, ante Philippum Burgundum etiam fuiſſe Curiam, quæ cum Gravione jus dixit, nam ejusmodi *Curiæ* meminit Machteldis in diplomate anni 1466. de quo ſupra dicebam, ſed hanc Curiam diſtinguo, ut omnino diſtinguenda eſt ab ea Curia, quæ ſine Gravione poſtea jus dixit, & Hagæ perpetuum commorata eſt. Anno 1711. prodiit libellus, (22) cujus Auctor Anonymus Curiæ ſententiam de priore & antiquiore ſui inſtitutione fulcit duobus argumentis, altero, quod Graviones e Gente Bavarica, qui Hollandiæ præfuerant ante Graviones e Gente Burgundica, in ſubſcriptione diplomatum & privilegiorum ſæpe dixerint, eo die & eo anno, *ſtilo* vel *ſecundum ſtilum*, vel *ſecundum curſum Curiæ*, vel *Curiæ noſtræ*, vel *Curiæ Hollandiæ*, altero, quod antiquiores Graviones, ante *Burgundos*, in quæſtionibus juris definiendis ſæpe adhibuerint Conſiliarios, quos appellarunt *Conſiliarios Hollandiæ*, & qui cum hodierna Curia eſſent iidem. Sed, quod ad primum, ſi per *Curiam* intelligas Curiam Zuyd-Hollandiæ, quæ antiquior fuit Curia Hollandiæ, vel ſi per *Curiam* intelligas Aulam Principis, ut potes, nihil ponderis eſt in eo argumento, nec etiam eſt, ſi per Curiam intelligas Concilium, quod conſtabat, ex Adſeſſoribus juris, & *Hollandicum* dici poterat, quia Graviones e Gente Bavarica fere in Hollandia ſunt morati, & ideo præcipue Hollandos conſiliis ſuis intereſſe voluerunt. Tantundem dico de ſecundo argumento, Conſiliarios utique adhibuerunt Graviones, non tantum in rebus publicis, ſed & privatis, in quibus jus ſuum cuique erat tribuendum, & adhibuerunt non tantum Hollandos, ſed & alios, etiam in cauſis Hollandicis, ut apparet ex duobus exemplis, quæ Auctor ejus libelli ipſe ſuggerit *p.* 37—44. Hannonii nempe Conſiliarii etiam ibi ſunt adhibiti in cauſis Hollandicis, forte tamen in his ſoli aliquando Hollandi conſulti, & inde formula, *by onſen Rade van Holland.* Sed quicquid ſit, aliam fuiſſe hanc Curiam, & aliam, quam Philippus Burgundus inſtituit, inde manifeſtum eſt, quod prior Curia ipſa ſine conſenſu Gravionis, non judicaverit, ſed Gravio ex ejus conſilio, & ſic eſt in duobus, quorum hic memini, exemplis, & quod prior Curia certam ſedem non habuerit. Quod utrumque aliter obtinuit in Curia poſteriore, & quamvis ejus poſterioris inſtituti expreſſum diploma non exſtet, habemus tamen, quod æquipollet, nam in Conventione inter Jacobam Bavaram & Philippum Burgundum 3. Jul. 1428. (23) Jacoba Philippum, qua Ruardum, præficit Hollandiæ & Zelandiæ §. 3. & Philippus §. 6. promittit, *dat hy ſal ordonneren en ſtellen negen perſonen, omme te verſtaan de ſaken, roerende den Lande van Holland, van Zeeland en Vriesland.* Quod procul dubio fecit, & inde origo Curiæ poſterioris, quæ nunc exſtat. Promittit igitur, ſe inſtituturum Curiam, quæ antea non erat, & utitur verbis *ordonneren en ſtellen*, quibus etiam uſi ſunt Philippus & Carolus Burgundi, cum ille ait, *by ons geſteld*, & hic, Curiam a Patre ſuo inſtitutam eſſe, *geordineert*. Nec ullum eſt Concilium, ad quod ea verba referri poſſint, quam ad Curiam Hollandiæ, & eo etiam retulit Auctor libelli, qui, ut ſupra dicebam, editus eſt anno 1711. *pag. m.* 33. & 34. Hæc Curia procul dubio nova fuit, & longe recentior Scabinis Ha-

(18) *Plac.* III. 5. 1. 3. Sed ubi male legitur annus 1466. ut ex ipſa Conſtitutione liquet, & 1476. etiam legitur *in de Handveſten der Graven van Holland* n. 4.

(19) *Ampel Berigt* p. 12.

(20) Van der Schelling ad van Zurk *Cod. Batav. verbo* Hof, §. 1.

(21) Bor *Oorſpr. der Nederl. Beroerten L.* IX. *fol.* 141. *verſ. Col.* 2.

(22) Inſcriptio libelli eſt, *Brief, behelſende twee preuven, dat het Hof van Holland voor den Jare* 1429. *is opgeregt.*

(23) *Plac.* III. 1. 1. 11.

Haganis, & longe alia, quam antiqua Gravionis, ad quam Auctor ille provocat. Qui Curiæ inſtitutioni aſſignant annum 1428. forte aſſignant ex ea Conventione, atque ſi Philippus mox præſtitiſſet quod promiſerat. Qui aſſignant annum 1429. forte eum anno ſequenti id demum præſtitiſſe rati ſunt. Et qui aſſignant annum 1434. ideo forte aſſignant, quod eo anno Philippus demum ſumpſerit Gravionis titulum, obliti, quod ante ſexennium Philippus Ruardi titulo, omnia eadem auctoritate egerit, qua poſtea Gravio. Forte & annum 1434. aſſignant, quod tunc, neque antea, primus Senator Curiæ commemoratur (24). Novem, ut dixi, Senatores conſtituit, ſed repullulantem Senatorum numerum rurſus ad novem reduxit Carolus Burgundus in §. 1. Form. 1462.

Si recte diſputavi, Curiam illam ſedentariam duntaxat cœpiſſe anno 1428. aperte conſtat, Magiſtratus Hagani jurisdictionem antiquiorem eſſe, cum utique anno 1311. ut ſupra dicebam, jam memorentur Scabini Hagani. Ex quo efficitur, illos judicaſſe de omnibus, qui Hagæ habitabant, antequam ibi ulla eſſet Curiæ, poſtea ſedentariæ, jurisdictio, quin, ſi me audias, neque ulla Curiæ, olim ambulatoriæ, fuit jurisdictio, ſed ſolius Gravionis, ex conſilio ejus Curiæ, quin nec ipſius Gravionis, niſi in cauſis appellationis, & aliis forte majoris momenti, abſit, ut omnem minorum Judicum jurisdictionem, tam Hagæ, quam alibi, ſubegerint. Ex his decerne de tertio illo genere hominum, quod Curia jurisdictioni ſuæ ſubjicit, (25) & de quo nihil cautum eſt in utraque Curiæ Forma, cum tamen §. 94. prioris, & §. 8. poſterioris Formæ diligenter exponant, quibus de cauſis & perſonis Curia ſtatim cognoſcere poſſit.

Poſtquam hæc ſcripſeram, prodiit libellus Anonymi, lingua Belgarum vernacula conſcriptus, & anno 1740. Delphis editus hoc titulo: *Het Hoge Geregts-Hof van Holland, mitsgaders Braband en Vlaanderen, den Huyze van Bourgondien toegekent.* Quamvis autem non omnia, quæ in eo libello dicta & ſcripta ſunt, mea facere velim, negari tamen nequit, ſi verum amamus, Auctorem multa ibi egregie dixiſſe & ſcripſiſſe ad refutandam Curiæ ſedentariæ præpoſteram antiquitatem, quin & uſum fuiſſe nonnullis rationibus, quibus & ipſe ſupra in eandem ſententiam uſus ſum. Sed quia & alias rationes dedi, & omnia ſimul compendio exhibui, nolui quicquam delere. Ille Auctor præciſe non definit annum inſtitutæ a Philippo Burgundo Curiæ, ſed tamen refert ad id tempus, quo Philippus, qua Ruardus, Hollandiæ & Zelandiæ præfuit, cum ejus mentio jam exſtet anno 1433. (26). Ego, ut ſupra vides, definivi annum 1428. ratus, quod Philippus Jacobæ promiſit in tranſactione 3. Jul. 1428. ſe nempe conſtituturum eſſe Novem-viros, qui Hollandiam & Zelandiam regerent, de inſtituenda Curia eſſe intelligendum, & id, quod promiſerat, jam impleviſſe 6. Oct. ejusdem anni, nam, ut dixi, etiam tunc exſtat aperta mentio ejus Curiæ. Scio, auctorem ejus libelli, quod de Novem-viris legitur in illa tranſactione, referre ad Rationales, qui inter Jacobam & Philippum ſtatuerent de mulctis, & aliis Hollandiæ reditibus, utrimque dividendis, & eorum officio etiam hoc fuiſſe comprehenſum, palam expreſſum eſt §. 6. *d. Tranſactionis.* Sed eo ſolo eorum officium fuiſſe abſolutum, non patitur, ut dicamus, oratio generalis, quæ præcedit, *negen perſonen, omme te verſtaan de Saken, roerende den Lande van Holland, van Zeeland en van Vriesland*, qua ipſa locutione de Curia, jam inſtituta, utitur Philippus Burgundus in Epiſtula ad Magiſtratum Haganum 6. Oct. 1428. cujus verba ſupra recitavi. Atque ea vel non abſimilis locutio, cum de Curia ſermo eſt, aliquamdiu duravit (27). Quin ipſe Auctor anonymus ejus, quem dixi, libelli varia loca profert, in quibus ea Curia appellatur *de Rade van Bourgondien, gecommitteert ter ſaken van Holland*, vel ſimpliciter *den Rade gecommitteert ter ſaken van den Lande van Holland*, (28) & quæ ſimiles ſunt formulæ, de ſola Curia Hollandiæ uſurpatæ, & quæ omnes me movent, ut de ea ipſa Curia intelligam, quod exſtat in illa tranſactione inter Jacobam Bavaram & Philippum Burgundum, etiam ideo, quod nemo ſit, qui ignorat, Curiam Hollandiæ olim etiam tractaſſe res Politicas, unde ab initio latior fuit ejus Curiæ appellatio. Utut igitur inter me & Auctorem ejus libelli non conveniat in definiendo anno inſtitutæ Curiæ, inprimis tamen laudo, quod eam inſtitutionem ad Philippum Burgundum referat, & plurima etiam in hanc rem extulerit, quæ induſtriam meam fugerunt, & quod argumentum *de Stilo Curiæ*, & alia, longius adhuc arceſſita, diligenter refutaverit.

CAPUT III.

Quid Senatus Supremus vario tempore judicaverit de Foro eorum, qui Hagæ habitant, neque Nobiles, neque Forenſes Curiæ ſunt, neque etiam ex opificiis ſeſe exhibent.

Addo varias res, a Supremo Senatu judicatas de eodem argumento. Quum Judæus quidam Magnas, qui rerum ſuarum ſedem Hagæ collocaverat, ad Scabinos Haganos eſſet in jus vocatus, Curia pœnali judicio litem illam abolevit, & cauſam apud ſe agitari juſſit 12. Jul. 1696. Sed quum Magiſtratus Haganus appellaſſet ad Senatum Supremum, reſciſſa eſt 21. Nov. 1696. illa Curiæ ſententia, & revocata interdictio (1).

Sed malo referre res, quibus judicandis ipſe interfui, ut ſimul referam, quid Senatum in quaque cauſa moverit. Huic, quam dixi, Supremi Senatus ſententiæ forte objicies aliam ejusdem Senatus, latam 19. Jan. 1708. nam cum Uxor militis abſentis Judæum quemdam Magnatem ad Curiam vocaſſet, & ille ibi exciperet de foro non competenti, remitti ſe poſtulans ad Judices Haganos, Curia 30. Mart. 1707. exceptionem rejecit, & ego, mecumque alius Senator, qui ad

(24) Gouthoeven *in Append. ad Chron. Holl.* p. 104.
(25) Paſſim *in het Ampel Berigt, en in de Concept-Inſtructie van* 1670. p. 13.
(26) Vide *eum libellum* p. 119.
(27) Vide de Riemer *Beſchr. van 's Hage Part.* II. p. 312. 313. 315. & 320.
(28) Vide *eum libellum* p. 121. 123. 127. & 128.
(1) Exſtat ſententia Senatus poſt ſecundum libellum Curiæ p. 418.

ad Rotulam ſedebamus, Curiæ ſententiam probavimus, & cum ad integrum Senatum eſſet provocatum, etiam Senatus probavit d. 19. Jan. 1708. (2). Sed noli id objicere, quia Senatus putavit, in ipſo quidem Judæo nihil eſſe præcipuum, quo ad Curiam vocari poſſit, ſed quia agebatur de cauſa minoris. Judæus ſcilicet Hagæ Comitis puerulum militis, in publico ludentem, carruca penſili, qua vehebatur, obruerat, & mater eo nomine agebat ad certam pecuniæ ſummam, ex arbitrio Judicis ſolvendam pro vulneribus & cicatricibus inflictis, pro toleratis doloribus, & pro ſumptibus in curationem adhibitis. Et agebat ex privilegio minorum in §. 8. *Form. Cur. Holl.* 1531. nam ex eo §. Curia cognoſcit *van ſaken onbejaarde kinderen aangaande*, atque illi minores ibi diſtinguuntur a pupillis, ne forte eosdem putes. Apage igitur illam objectionem.

Sæpe ſolet Senatus de plano judicare de foro eorum, quorum bona vel hereditates ſolvendo non ſunt, nam ex §. 23. *Form. Senat. Sup.* ſolus quidem Senatus Supremus, vice ſacra, largitur diplomata Ceſſionis & Inventarii, ſed hæc nihil quicquam valent, niſi probentur apud Magiſtratum, ubi habitant, qui bonis cedunt, vel quorum hereditates ſuſpectæ ſunt. §. 5. & 6. *Ampliatæ Form. Curiæ Holl.* 21. *Dec.* 1579. Unde plus ſemel quæſitum eſt de tertio illo genere hominum, qui Hagæ ἄπορι vivunt vel moriuntur. Cum Titius, qui dicebatur fuiſſe Nobilis Gallus & olim apud Ordines Generales militaverat, deinde, qua emeritus, Hagæ vixerat & deceſſerat, relicta hereditate ſuſpecta, ejus heredes Senatum adeunt & implorant diploma Inventarii, probandum apud Curiam, *met committimus aan 't Hof*. Deliberatum eſt, an non diploma probari oporteret apud Scabinos Haganos? Et ita plerisque Senatoribus viſum eſt 5. Maj. 1722. (3) quia, ſi vel Nobilis fuiſſet Titius (de quo tamen non conſtabat) peregrina Nobilitas hic non utitur privilegio fori, ut probabam ſupra *C.* I. & quia milites, qua milites, in cauſa civili non eximuntur foro domicilii, niſi aliud pactum vel ſtatutum ſit, ut jure noviſſimo eſt in quibusdam cauſis, ſed quæ huc non pertinent. Nihil igitur proponebatur, ex quo Titius vivus forum Curiæ ſortiri poterat. Verum equidem erat, Titium, dum vixerat, Hagæ non exercuiſſe artes Mechanicas, ſed qui ejusmodi artes non exercent, ad jurisdictionem Curiæ pertinere, Curiæ quidem placuit, ſed Senatui ſemper diſplicuit. Quare d. 5. Maj. 1722. conceſſum quidem eſt diploma Inventarii, ſed probandum apud Judices Haganos.

Mævia, quæ Hagæ Comitis ludis ſcenicis operam dabat, mandato Curiæ a Creditoribus ſuis arreſtata, implorat diploma Ceſſionis, probandum apud Curiam, ſed Senatus id largitur, probandum apud Judices Haganos. Curia 14. Apr. 1723. per Graphiarium ſuum apud Senatum conqueſta eſt de probatione, ad Haganos remiſſa, quia Mævia Hagæ non exercebat artes Mechanicas, & quia detinebatur ex arreſto Curiæ. Prior ratio ob ea, quæ dixi, nihil Senatum movit, ſed nec poſterior, quia locus arreſti nihil valet in hoc argumento, ſed ſolus locus domicilii & jurisdictionis, quemadmodum & Ordines Hollandiæ decreverunt 23. Sept. 1688. (4). Et viſum eſt Senatui, hanc fœminam pertinere ad jurisdictionem Magiſtratus Hagani, idque Curiæ Hollandiæ ſignificatum eſt 15. Apr. 1723. (5).

Sed ei, quod dixi de Judæis, Hagæ habitantibus, & de non attendendo loco arreſti, adverſa fronte putabis adverſarier, quod Judæus quidam, ob metum fugæ ex Curiæ arreſto detentus, Senatum Supremum adiverit menſe Apr. 1721. & imploraverit diploma Ceſſionis, probandum apud Curiam, ad cujus jurisdictionem ſe ajebat pertinere, & quod Senatus 23. Apr. 1721. (6) id diploma conceſſerit & ad Curiam remiſerit. Sed animadvertendum eſt, Judæum illum fuiſſe vagabundum, neque adeo ullum fuiſſe Magiſtratum, ad cujus forum pertineret, & priusquam illud diploma obtineret, ei a Senatu fuiſſe imperatum, libello ſuo inſereret, nullibi ſe fixum domicilium habere, & non niſi correcto in hunc modum libello diploma Ceſſionis impetrasſe, Curiam autem Provincialem etiam vagabundorum eſſe Judicem, nemo unus Magiſtratus vel negat, vel invidet.

Sempronius, qui Signifer erat in Legione, quæ excubias agebat Namurci, cujusque mater, nunc vidua, nupta fuerat Senatori Curiæ Hollandiæ, pecuniam quamdam debebat Gajo. Gajus, ut ſuum conſequeretur, per Magiſtratum Haganum bona nonnulla Sempronii arreſto includit, eumque, ut ſolveret, in jure convenit, apud eundem Magiſtratum. Sempronius excipit de foro non competenti, & partes remitti poſtulat ad Curiam, Judices Hagani eam exceptionem rejiciunt cum expenſis 21. Jul. 1728. *ordonnerende de ged^e.* ut perperam addunt, *ten tween finen te antwoorden*, ideo autem perperam, quia, ut dixi, exceptionem jam rejecerant, quo caſu ſimpliciter reſpondendum erat ad libellum, non vero *ten tween finen*, ut Pragmaticorum pueri norunt. Cum appellatum eſſet ad Curiam, duo Senatores ad Rotulam delegati 25. Jan. 1729. ſententiam Haganam reſcindunt, exceptionem admittunt, & Gajum condemnant in expenſas utriusque judicii, eamque ſententiam in *reauditione*, quam vocant, integra Curia probavit 16. Mart. 1729. Gajus appellat ad Senatum Supremum, & ibi quæſitum eſt, utra ſententia eſſet præferenda. Sempronius excipiens Curiæ jurisdictionem defendebat, quod ante plurimos annos ejus Pater albo Advocatorum apud Curiam eſſet inſcriptus. Et ſic erat, ſed poſtea ille ipſe Pater, translato Amſterdamum domicilio, ibi aliquamdiu habitaverat, primum officio aliquo, deinde fato ſuo ibi functus. Addebat Sempronius, matrem ſuam deinde fuiſſe nuptam Senatori Curiæ Hollandiæ, & per has nuptias ſe transiiſſe in eam Senatoris familiam: nec, quominus id verum fuerit, quicquam interceſſit Senatus, ſed, Senatore illo defuncto, vidua Hagam reliquit, & alio habitatum conceſſit. Poſtea quidem cubicula aliquot Hagæ conduxerat, ut negotiorum cauſa Hagam excurrens in ea ſe ſuosque reciperet, ſed non ſolverat ulla onera, quæ, qui Hagæ habitant, ſolent & debent ſolvere, ſi animus eſt ibi domicilium conſtituere. Quin nec probabat Sempronius, ſe fuiſſe partem familiæ Maternæ, nam ecce major erat ætate, Signifer ele-

(2) *Obſervat. Tumult. Rerum Judic. Tom.* II. *n.* 365.
(3) *Obſervat. Tumult. Rer. Judicat. T.* VIII. *n.* 1844.
(4) *Plac.* IV. 4. 1. p. 463.
(5) *Obſervat. Tumult. Rer. Judic. Tom.* VIII. *n.* 1918.
(6) *Ibidem T.* VII. *n.* 1732.

electus, & adſcriptus Legioni, quæ excubabat Namurci. Unde intelligendus erat ibi habitare, niſi de duplici domicilio conſtaret, quod non conſtabat. Cum ea ratio Sempronio non prodesſet, rurſus aliam addebat, in cauſis nempe civilibus Curiæ jurisdictionem eſſe in Milites, & ea ſententia Merula (7) præivit, adducto quoque in hanc rem Ordinum Generalium Edicto 29. Apr. 1589. (8) & ſequutus eſt Groenewegen (9) ex eodem Edicto, quod tamen perperam Ordinibus Hollandiæ tribuit, ſed & alia multa ibi perperam effutivit de foro Militum, de quo deinceps conſtitui ſeparatim agere. Interea noli putare, quod illi putant, de cauſis pecuniariis Militum, ubique degentium, Curiæ jurisdictionem eſſe, idque probari eo Edicto. Id Edictum permittit omnibus Judicibus, qui gladii poteſtatem habent, atque ita & utrique Curiæ, punire non omnia, at quædam duntaxat delicta militaria, quæ ibi recenſentur, nihil vero quicquam ibi eſt de cauſa civili vel ordinario Militum foro. Nec aliud mihi videtur id Edictum, quam temporale, nec etiam aliam jurisdictionem in Milites ſibi unquam arrogavit, quam ſi Hagæ habitaverint, (10) & quum nihil quicquam eſſet, quo Signifer probaret, ſe Hagæ habitare, etiam nihil proderat ea defenſio. Senatus igitur Supremus Haganam ſententiam prætulit, quia ille Magiſtratus Militum, aliorumque bona recte arreſto includit ad reos ſuæ jurisdictioni ſubjiciendos, ſed quia, ut modo dicebam, erravit in ordine judiciario, Senatus, reſciſſa utraque ſententia, de novo jus dixit 28. Mart. 1730. (11) & exceptionem, a Sempronio propoſitam, ſimpliciter rejecit.

Quum Hagæ Comitis deceſſiſſet Amanuenſis quidam Graphiarii apud Ordines Generales (12), Exſequutor teſtamenti, ſuſpectam habens defuncti hereditatem, a Senatu imploravit Diploma Inventarii, probandum apud Curiam, ſed quæſitum eſt, an non probari oporteret apud Judices Haganos? Res ex eo pendet, an Curiæ, an Magiſtratus Hagani jurisdictio ſit in eos, qui tertium illud genus hominum conſtituunt, neque adeo vel Subditi Curiæ ſunt, neque ex opificiis vivunt? Et ſecundum ea, quæ ſupra expoſui, Senatui viſum eſt, omnes, qui Hagæ habitant, ad jurisdictionem Magiſtratus Hagani pertinere, ſi non Curia probaverit, ſuæ jurisdictioni eſſe ſubditos. Juſſit igitur Senatus 11. Jul. 1737. (13) ut diploma probaretur apud Judices Haganos, & ea occaſione, excuſſis Senatus Supremi Actis compertum eſt, ſimile diploma 12. Jun. 1708. ad Haganos fuiſſe transmiſſum, quum deceſſiſſet Amanuenſis, qui eo ipſo officio functus erat.

Sed, inquies, quo hæc pertinent? An ut ſciamus, ea ſententia uſum fuiſſe Senatum Supremum? Atqui Curia utitur contraria ſententia, & ſuum cuique judicium. Probe novi, ſed ex his diſces, quam inutile ſit, quod Curia in grandi Epiſtola ad Ordines 15. Apr. 1707. totiens inculcat, ſuam eſſe oportere jurisdictionem de controverſiis inter ſe & Magiſtratum exortis, nam ſi id largiamur, quod tamen largiendum non eſt, non alius ejus rei eſſet exitus, quam ut Curia ſententiam diceret, quam, ex appellatione, Senatus mox reſcinderet, ut in cauſa Judæi, quam commemoravi initio *hujus C.* Supereſt, ſcio, reviſio, ſed uſus docet, quam plerumque fruſtra ſint, qui ea ſpe ſe lactant.

CAPUT IV.

Nonnulla de Foro Minorum, Viduarum & Miſerabilium apud Hollandos.

Sunt nonnulli, qui ex privilegio forum ſortiuntur. Apud Romanos viduæ, pupilli, aliique miſerabiles, ſi contra adverſarios ſuos agere conſtituiſſent, poterant ipſum Imperatorem adire, ut is de eorum cauſis cognoſceret. *l. un. C. Quando Imperator inter pupillos vel viduas vel alias miſerabiles perſonas cognoſcat.* Sed diu eſt, ex quo Principes, qui nunc ſunt, gravioribus, ut putant, negotiis occupati, ipſi jus non dicunt, ſed cauſas omnes ad Judices, ſive majores, ſive minores remittunt. Quum autem ejus privilegii, quod ex Jure Romano deſcendit, & tantum non ubique in Europa receptum eſt, una ratio ſit, ut viduæ, pupilli, aliique miſerabiles ſumptibus litium, & appellationum moleſtiis liberentur, recte obſervavit Huberus *Prælect. ad Tit. ff. de Judic. n.* 60. quod de Imperatore dixit *d. l. un.* hodie de Supremis Curiis eſſe intelligendum. Sed an in Hollandia ita quoque obtinet? Nihil quidem de foro viduarum & pupillorum expreſſum eſt in §. 94. Formulæ, quam Carolus Burgundus Curiæ præſcripſit 1462. ſed in ea, quam Carolus V. 1531. conſtitutum eſt §. 8. viduas, pupillos & alios miſerabiles eam Curiam ſtatim adire poſſe; poſſe, inquam, non debere, unde non aliam, quam concurrentem jurisdictionem ſibi recte tribuit Curia (1). Sed, inquies, ea Curia non eſt Suprema in Hollandia, atque ita earum perſonarum cauſæ non judicantur a Judice Supremo, ut alibi Gentium obtinet, atque ita etiam non liberantur a ſumptibus & moleſtiis appellationum. Sed cogita, quum id conſtitueret Carolus anno 1531. eam Curiam tunc fuiſſe Supremum in Hollandia tribunal, & multa alia egiſſe, quæ non agunt, niſi illi Judices, qui vice ſacra judicant. In ipſa Hollandia deinde anno 1582. inſtitutus quidem eſt Supremus Senatus, & ratio, ſana, inquam, ratio cauſas miſerabilium tunc quidem ad eum Senatum tranſtuliſſet, ſed nulla mutatio facta eſt, ut tamen debebat, & factum eſt in reſtitutionibus in integrum, & in largiendis diplomatibus Inventarii & Ceſſionis, quæ ante inſtitutum Supremum Senatum largita eſt Curia, ſed poſtea ſolus largitus eſt Senatus ex §. 23. Formæ ult. Maj. 1582. Receptum ubique morem redolet §. 7. LL. quas Joannes Hannonius Zuyd-Hollandis dedit (2), qui cauſas pupillorum judicari præcipit *ter Hooger Vyerſchare*, quique ipſe §. fere totidem verbis repetitus eſt §. 12. Conſuetud. Zuyd-Holl. anni 1571. (3). Sed citius Herculi clavam extorſeris, quam Curiæ jurisdictionem, qua ultra duo

(7) *Prax. Civil. L.* IV. *T.* 40. *C.* 3. *n.* 5.
(8) *Plac.* II. 4. 6. 1. 3.
(9) *de LL. Abrog. ad L. 6. C. de Jurisdict. omn. Judic.*
(10) *Concept-Inſtructie* 1670. p. 13.
(11) *Obſerv. Tum. T.* XI. *n.* 2576.
(12) *Een Clercq in de Griffie van haar Hoog Mogende.*
(13) *Obſerv. Tumult. T.* XIII. *n.* 3032.
(1) *Concept-Inſtructie* 1670. p. 11.
(2) Oudenhoven *Zuyd-Holland* p. 465.
(3) Idem *eod. Libro* p. 532.

duo ſecula, ſine ulla ullius contradictione, uſa eſt, & auctoritas Ordinum in contrarium ſperanda potius, quam exſpectanda eſt.

Frequens autem Interpretum Senatus eſt, quousque, quod ad forum, *viduarum* & *pupillorum* appellatio porrigenda ſit, & qui, in hoc argumento, pro *miſerabilibus* ſint habendi. Si his deliberationibus intereſſe velis, adi Covarruviam *Pract. Quæſt. C.* 6. & 7. Andream Gail *L.* I. *Practic. Obſerv. C.* I. *n.* 40. 41. 42. 43. & 44. Hilligerum *Donello Enucl. L.* XVII. *C.* 20. *B.* Joannem Sande *L.* I. *Deciſ. Friſ. Defin.* 2. Ulricum Huberum *Prælect. ad Tit. ff. de Judic. n.* 60—66. & quos illi magno numero ad partes vocant. Ego nolim de omnibus, quæ illi tractant, in conſilium ire & judex ſedere, ſed pauca nonnulla duntaxat delibabo, quæ ad forum Hollandicum magis pertinent.

Diſputant, an privilegium fori, quod pupillis datum eſt, etiam porrigi poſſit ad minores, ſed de eo, quod ad Jus Hollandicum, diſputari non debebat. Scio, quid inter pupillos & minores interſit. Scio privilegia de perſonis ad perſonas extendere non oportere, quamvis in utriſque eadem ſit ratio, ſed lingua Belgarum vernacula *Weeſen* dicuntur, quicunque, amiſſis parentibus, nondum majores facti ſunt. Ad hæc Curia Hollandiæ ex §. 8. Formæ ſuæ 1531. judicat *van ſaken, onbejaarde Kinderen, Weduwen en Weeſen, ofte andere miſerabele perſoonen aangaande*, atque ita *onbejaarde Kinderen* diſtinguit a τοῖς *Weeſen*, & utriſque idem fori privilegium tribuit, amputata ſic omni ratione dubitandi.

Quin ex iiſdem verbis amputata eſt quæſtio, magnis alioquin animis agitata, an pupilli vel minores, quorum parentes ſunt ſuperſtites, vel certe pater, eo fori privilegio uti poſſint? Si conſideres verbum *Weeſen*, largior, eorum appellatione, qui parentes habent, vel patrem ſolum, nequaquam eſſe intelligendos, ſi enim matrem amiſerint, non animadverto, quo minus defenderentur vel opprimerentur magis. Sed præter *Weeſen* enumerat quoque *onbejaarde Kinderen*, hoc eſt eos, quorum parentes vivunt. Ut ſenſus ſit, quoscunque minores uti eo privilegio, ſive eorum parentes ſunt ſuperſtites, ſive defuncti. Unde apparet id privilegium eſſe datum minori ætati, qua tali, neque adeo recte derivari ex eo, quod in pupillis non ſit pater defenſor, nam ſi is non ſit, ſupereſt tutor defenſor, & quisquis ſit, privilegium, minori ætati datum, ſemper competit, etiamſi vel ſexcenti adeſſent idonei defenſores.

Ex his alia occaſione effeci *Capite proximo verſ. Sed malo*, etiamſi uterque parens ſupereſſet, matrem, abſente marito, recte apud Curiam egiſſe de cauſa filii minoris, & in judicio contradictorio ſic recte judicaſſe utramque Curiam. Et ſic quoque Curia Hollandiæ 19. Januar. 1677. (4) cenſuit, patrem tutorem nomine liberorum, qui matrem amiſerant, adverſarium recte ad Curiam vocare. Sed nihil intereſt, matrem amiſerint, nec ne, cum nihilominus fuerint *onbejaarde Kinderen*. Sed neſcio, quemadmodum cum his Curiæ ſententiis componi poſſit alia ejusdem Curiæ in hoc facto: Liberi, qui & patrem & matrem habebant, ab extraneo bona acceperant, quibus etiam extranei tutores erant dati. Inter ea bona, erat actio, ex qua tutores apud Curiam conveniunt debitores minorum. Hi excipiunt, non eſſe pupillos, quorum nomine agebatur, eorum enim parentes vivere, & ſecundum hæc Curia exceptionem admiſit 13. Oct. 1656. (5). Sed non eſt novum, unam eandemque Curiam in eadem ſpecie aliter atque aliter judicare.

Diſputant, an quod de viduabus dicitur, porrigendum eſt ad puellas innuptas, quæ jam ſui juris ſunt? Hic autem, ſi unquam, ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus, ſed ſcindi non debebat, nam quicquid ex privilegio perſonæ eſt, ad aliam perſonam extendere religio mea non patitur, nequidem cum in alia perſona ratio eſſet æque idonea, Principis eſt extendere privilegia, non JCti vel Judicis. Extenſio tamen ex uſu fori fere recepta eſt, & ſic de foro Hollandico teſtantur decem lætioris famæ Forenſes Curiæ 6. Maj. 1679. (6). Sed cum vetula quædam monialis depoſitarium ſuum, depoſitum reſtituere tergiverſantem, ad Curiam vocari petiiſſet, Curiæ Auditores 22. Maj. 1679. ſupplicationi reſcripſerunt NIHIL HIC (7). Sed alios forte non moverit conſenſus Forenſium, cuilibet fere venalis, nec alios illud Reſcriptum, profectum forte ex Catholicorum odio, & quidem tanto, ut rem ſaltem cauſæ cognitioni non commiſerint. Sed quicquid ſit, verior eſt ſententia, extenſionem non eſſe admittendam, & ſunt Hollandi, qui ita quoque ſapiunt (8), ſed tamen addunt, recte famulam dominum ſuum ad Curiam vocare, atque eam, quæ ex ſtupro infantem peperit, idque multis Senatus præjudiciis eſſe definitum. Ipſe vero non aliter id amiſerim, quam ſi, quæ ita agunt, perſonæ miſerabiles ſunt, minime autem ex cauſa porrecti privilegii. Si innupta ſui juris puella, quæ alioquin ſatis beata eſt, pro ſe duntaxat agat ad pretium occiſæ virginitatis, & ſumptus puerperii, infante forte defuncto, repellerem, ſi apud Curiam ageret, ſed admitterem, ex continentia cauſæ, ſi ſimul agat ad alimenta, infanti præſtanda, quia omnium minorum cauſæ, atque ita etiam ejus infantis, ad juriſdictionem Curiæ pertinent. Famulam, quæ contra herum ſuum experitur, inter perſonas miſerabiles facile retulerim, & ea ſola cauſa ad forum Curiæ admiſerim.

Qui appellatione *miſerabilium* comprehendantur, vix eſt, ut in definitionem cadere poſſit, unde Curia in quadam ad Ordines Hollandiæ epiſtula recte dixit (9), miſerabiles quidem apud ſe litigare, ſed qui ad hanc claſſem pertineant, ſui arbitrii eſſe. Deſiderat tamen *d. l. un. C. Quando Imper. inter pupill. vel vid.* ut ſint *fortunæ injuria* miſerabiles, quare excludit, qui ſua culpa vel flagitio ad miſeriam redacti ſunt, & ego quoque excluſerim, quamvis ſciam, uſu fori non usquequaque id ſervari, ſervandum tamen eſt ex auctoritate legis. Ceteroquin meri arbitrii ea res eſt, & quæ meri arbitrii ſunt, pro captu mutantur in horas. Milites autem, etiam gregarios, quod ad forum, miſerabilium loco non eſſe habendos, & ſic ſæpiſſime eſſe judicatum, Pragmatici noſtri tradunt (10).

Placet quibusdam, privilegium fori, minoribus & viduabus datum, locum non habere, niſi cum ſtatu minoris ætatis aut viduitatis aliqua miſeria, adverſarii gratia, potentia vel oppreſſio con-

(4) *Bello Jurid. Caſ.* XI.
(5) *Formul. Tom.* I. *C.* I. p. 61-63.
(6) *Bello Jurid. Caſu* LXVII.
(7) *Ibidem.*

(8) Groenewegen *ad Tit. C. Quando Imper. inter pupill. vel vid. n.* 3. & 4.
(9) Apud Aitzema *Hiſtor. L.* XLVIII. p. 341.
(10) *Formul. Tom.* II. p. 87.

concurrant, & ait *d. l. un.* Principis cognitionem eſſe de cauſis pupillorum, viduarum &c. *Præſertim cum alicujus potentiam perhorreſcunt*, & ajunt §. 85. Form. Cur. 1462. & §. 12. Form. 1531. ad officium Curiæ pertinere, ne viduæ, pupilli, aliique miſerabiles a potentioribus opprimantur. Sed, conſulta ratione, ſatis animadvertis, privilegium quod dixi, eſſe privilegium ipſius viduitatis minorisve ætatis, quamvis nihil aliud accedat, & ſi aliud deſideres, parum erit, ſi non miſeriæ, potentiæ vel oppreſſionis probatio viduas & minores majore, quam ipſum judicium, afficiat moleſtia. Quamvis igitur viduæ & pupilli vivant & agant more beatorum hominum, non amittent privilegium, quod conditio ſtatus, neque aliud quicquam, extorſit, &, ſi aliter dicas, ejus privilegii uſum ego nullum novi. Sufficit quoque ex *d.* §. 8. Form. Cur. 1531. ſi, qui agunt, minores ſint & viduæ, nec aliud eſt, quod ibi deſideretur. Ait quidem *d. l. un. Præſertim cum &c.* ſed id non excludit ſpeciem, quæ præceſſit, & in qua nihil eſt de potentia adverſarii. Illi autem §§. 85. *&* 12. ad forum minorum, viduarum aliorumque miſerabilium nihil quicquam pertinent, ſed præcipiunt duntaxat, ut Curia ex officio miſerabiles illas perſonas defendat contra potentiorum vim iniquam. Unde in Forma 1531. diverſi ſunt §§. de oppreſſis viduabus &c. & de iis, qui priores ad Curiam ex privilegio provocant, quemadmodum & diverſi ſunt in Forma, quam ſibi Curia compoſuit, 1670. *p.* 8. *&* 11.

Sed parum eſt, quin privilegium fori, minoribus datum ſubverterit Philippus II. Petierant Ordines Hollandiæ, ne Curia bonis pupillaribus, eorumque diviſioni ſeſe immiſcere vellet, & ſic interpretaretur vel mutaret Philippus §. in Forma Curiæ, neſcio quem, nam expreſſus non eſt ille §. Philippus præfatur, mutationem ejus §. ſibi non placere, velle tamen, ut Curia moderate utatur auctoritate, quæ ei competit quod ad pupillos, tandem ad Curiam 5. Jan. 1607. (11) in hæc verba reſcribit: *Hebben u wel willen adverteeren, dat gy de voorſchr. authoriteit zult uſeren, alleenlyk wanneer na qualiteit der twiſtende partyen, in de ordre die men houd in de ſterfhuyſen, gy redelyke conjecturen zult mogen nemen, dat het regt van den Weeſen niet wel bewaart zoude ſyn, latende in contrarie gevallen de kenniſſe den Wethouderen, onder welke de voorſchr. ſterfhuyſen vallen.* Quæ ſit ejus Reſcripti ſententia, non ſatis mihi liquet, neſcio, an de foro pupillorum intelligi poſſit, ſi poſſet, non aliter intelligerem, quam pupillos non promiſcue & in omnibus cauſis apud Curiam contra adverſarios ſuos experiri poſſe, ſed ubi de hereditate dividenda agitur, ſequendam eſſe *l. un. C. Ubi de heredit. agat.* vel, ubi de rationibus reddendis agitur, ſequendam eſſe *l.* 1. *C. Ubi de Ratiocin.* Sed quia Curiæ duntaxat tribuitur jurisdictio, ſi idoneis conjecturis mota exiſtimaverit, pupillos opprimi, magis eſt, ut reſcripſerit, ne curia prætextu §. 12. *Form.* 1531. omnibus quæſtionibus pupillaribus ſe immiſceat, ſed ita duntaxat, ſi de vera oppreſſione Curiæ conſtiterit. Sic Philippus reſtringeret non tam §. 8. qui de foro ipſius pupilli agit, quam *d.* §. 12. qui de omni oppreſſione, atque adeo de omni injuria, pupillo illata, videbatur verba facere.

CAPUT V.

Ecquando viduitatis & minoris ætatis privilegium, quod ad forum, ceſſet.

Sunt multi caſus certi & jure Hollandico definiti, quibus illud pupillare, viduarum, aliorumque miſerabilium privilegium palam ceſſat, & ſunt multi, de quibus anxie diſputatur. Palam ceſſat; ubi illi, quos dixi, apud Curiam experiuntur ea actione, quam ex ceſſione habent. Ita Ordines Hollandiæ ſtatuerunt in §. 1. Ampl. Form. Cur. Holl. 21. Dec. 1579. idque eodem die ab iisdem repetitum eſt in alia Lege (1), ſed quæ fuerit ratio repetitionis, me latet. Neque etiam Hollandi privilegio ſuo utuntur contra Zelandos, ſi experiantur actione ceſſa ex §. 4. *van het Nader Proviſ. Accoord tuſſchen Holl. en Zeel.* 11. *Jun.* 1674. Quod ita ſimpliciter acceptum, utique durum eſt. Quare & uſu fori nonnihil eſt mitigatum. Antonius Faber (2) refert, Senatum Sabaudiæ 13. Cal. Aug. 1593. judicaſſe, tunc demum ceſſare privilegium, ſi actio ceſſa ſit ex cauſa lucrativa, non vero ſi ex oneroſa. Forte æquius & melius eſt, quod Curia generaliter definivit 10. Sept. 1602. (3) privilegio locum eſſe, ubi viduæ & pupilli ſine omni fraudis ſuſpicione actionem, quam exercent, acquiſivere, forte ex venditione, Decreto Judicis facta. Sane nemo dubitaverit, quin privilegio locus ſit, ſi is, cui ſucceſſerunt vidua pupillusve, per ceſſionem acceperit, dummodo agant vidua pupillusve, quibus ceſſum non eſt, & ita ſæpe Curiam Hollandiæ judicaſſe Pragmatici referunt (4). Ita quoque ceſſat omnis fraudis ſuſpicio, ſed & Leges nominatim loquuntur de iis, qui ipſi ex ceſſione acquiſivere. Sunt, qui generaliter volunt (5), ceſſionarium privilegio, quod ipſe habet, nunquam uti poſſe. Perperam, ni fallor, ceſſionarius, qui agit, non agit niſi ex jure ejus, qui ceſſit, ſed quatenus ex obligatione agit, fori autem privilegium non ex obligatione, ſed jure perſonæ ducit originem.

Privilegium, de quo agimus, ceſſat quoque in cauſis minoris momenti, ex agro ſcilicet, ſi ſumma non excedat 50 florenos, ex urbibus, ſi non excedat 100. florenos. Sed hoc ita, ſi partes eodem foro utuntur ex §. 2. *van de Ordonnantie tot vorderniſſe van de Juſtitie voor den Hove in kleine ſaken* 21. *Dec.* 1579. quin & ſi diverſo §. 7. junct. §. 6. *Form. Ampl.* 24. *Mart.* 1644. In cauſis aſſecurationum ceſſat quoque privilegium ex §. 8. *d. Form. Ampl.* & olim ceſſabat in cauſis Zelandicis ex §. 1. *van het Proviſioneel Accoord tuſſchen Holland en Zeeland* 7. *Mart.* 1607. quod tamen mutatum eſt §. 3. *&* 4. poſterioris Conventionis inter eosdem 11. Jun. 1674. niſi cauſa 250. florenis minor eſt *d.* §. 4. Unde & Curia Hollandiæ 26. Nov. 1682. judica-

(11) *Plac.* II. 5. 7. 1. 3. & *Repert. C. H.* p. 90. *B.*

(1) §. 1. *Van de Ordonn. op de Vorderniſſe van de Juſtitie in Kleine ſaken.*

(2) *Cod. Sabaud. L.* III. *Tit.* 12. *Defin.* 22.

(3) *Formular. Tom.* II. *Cap.* 1. p. 34.

(4) Groenewegen *ad l. un. C. Quando Imperat. inter pupill. vel viduas &c.* & *Formul. d. loc.*

(5) Sande *de Action. Ceſſ. C.* IV. *n.* 30.

(6) *Formul. Tom.* II. *C.* 25. p. 313.

cavit (6), viduam Hollandam duos Zelandos recte ad ſe vocaſſe, rejecta exceptione declinatoria.

Viduarum & minorum privilegio locum non eſſe, ubi agitur de adipiſcenda poſſeſſione hereditatis ex *l. fin. C. de Edict. D. Hadr. toll.* aut ubi pupillus ad rationes reddendas contra tutorem agit, Curiæ Hollandiæ placuit anno 1585. (7) quod utrumque unde deſcendat, meretur deſpici. Et putem, quod ad primum, interdicta, quibus nos utimur, antiquo fori uſu, non fuiſſe porrecta ad acquirendam poſſeſſionem hereditatis, ſed de eo argumento commodius agetur *Cap. ſeq.* Et, quod ad ſecundum, obſtare putant *l. 1. C. Ubi de Ratioc. ag.* ex qua, qui aliena negotia adminiſtravit, ſive ex tutela, ſive alio quocunque titulo, rationes non reddit, niſi eo loco, quo negotia geſta ſunt. Sed forte dices, in eo Diocletiani & Maximiani Reſcripto nihil eſſe præter regulam, antiquiorem exceptione Conſtantii, quæ eſt in *l. un. C. Quando Imper. inter pupill. vel vid.* nihil igitur obſtare, quominus pupillus, quive eum repræſentat, tutor forte honorarius, vel Curator, in hanc rem datus, tutorem, qui adminiſtravit, ad rationes, apud Curiam reddendas, compellat. Magis tamen eſt, ut dicamus, *d. l. un.* duntaxat valere, ubi actio, a pupillo mota, æque apud ſupremum Judicem, quam inferiorem, explicari poteſt. Sin autem alibi tutela geſta eſt, fortior ratio impedimento eſt, quominus tutor apud ſuperiorem judicem rationes reddat, nam in loco geſtionis *& inſtructio ſufficiens, & nota teſtimonia, & veriſſima poſſunt documenta præſtari*, ut in ſimili ſpecie reſcribunt Imperatores in *l. 2. C. Ubi de ratioc. ag.* Uſu quoque fori obtinuit, ne tutor alibi rationes reddat, quam ubi negotia geſta ſunt, ſed Pragmaticorum verſuta natio (8) pupillis permittit, ut tutores apud Curiam conveniant, quo damnentur rationes reddere in loco tutelæ geſtæ. Conſentio, ſi quis nomine pupilli, adhuc minoris, in hanc rem agat, ſed ſi, qui minor fuit & nunc major factus eſt, ipſe agat, non animadverto, qua ratione id defendi poſſit, nam ſimulac quis major factus eſt, privilegio minoris ætatis excidit, ſed tamen alio jure utimur.

De Vidua quæſitum eſt, an, ſi diploma ceſſionis impetraverit, ejus cognitio apud Curiam Hollandiæ ventilari poſſit? Et cum quædam Amſterdammenſis vidua in cauſa ceſſionis probandæ creditores ſuos ad Curiam Hollandiæ vocaſſet, iis exceptionem fori opponentibus, exceptionem admiſit curia 29. Jun. 1675. (9) quia, ut relatum eſt, vidua ex §. 8. Form. Cur. Holl. debitores ſuos ad Curiam vocare poteſt, creditores non poteſt, ſed qui ceſſionem petit, ipſe agit, atque ita creditoris partes in eo judicio ſuſtinet, & de viduabus, quæ agunt, loquitur *d.* §. 8. *C.* 2. Et dubito, an id privilegium ad cauſam crediti reſtringi poſſit, nam generaliter ait, de *cauſis* viduarum Curiam eſſe judicaturam, non vero, ſi quam crediti actionem habeant. Unde & de cauſa reſtitutionis in integrum, a vidua Amſterdammenſi petita, Curia citra ullam cognitionem cognovit 12. Oct. 1682 (10). Et ſane viduæ, ſi unquam, certe miſerabiles ſunt, cum neceſſe habent implorare miſerabile beneficium ceſſionis. Quidni igitur, inquies, etiam in cauſa ceſſionis, ſtatim Curiam adeant, quia ceſſare privilegium nusquam expreſſum eſt? Recte ſic diſputari ante annum 1677. ſatis mihi perſuaſum eſt, ſed 10. Jul. ejusdem Anni (11) Ordines Hollandiæ decreverunt, ne Curia, qua primus Judex, ſe immiſcere vellet ullis quæſtionibus, quæ moventur de bonis vel hereditatibus eorum, qui in Urbibus ἄκροι vivunt vel moriuntur, quod haud difficulter transtuleris ad ipſum judicium, ubi de probanda ceſſione agitur, & ubi Magiſtratus de vita & moribus civis ſui rectius cognoſcit, quam Judex ſuperior. Sed vel ſic quæri poteſt, an, quod ibi decretum eſt, ne Curia ob continentiam cauſæ ſibi has quæſtiones adroget, etiam valere poſſit ad abrogandum fori privilegium, quod viduabus competit in *d.* §. 8. & vix putem ſine alia, & magis expreſſa auctoritate.

Supereſt illuſtris quæſtio, an, ſi duo ſint qui idem fori privilegium habent, alter adverſus alterum eo uti poſſit? Sunt, qui affirmant, ſunt, qui negant, &, ſi auctoritates numeres, neſcio, affirmantium, an negantium numerus vincat. Sande, utrisque enumeratis, negantium partes ſequitur, & ita apud Friſios judicatum refert. (12). Et de recentiore uſu apud eosdem ita quoque teſtatur Huberus (13). Alia aliorum Tribunalium judicia non addo. Contraria etiam ad manum ſunt, ut Senatus Sabaudici, quod recitat & probat Antonius Faber (14), & conſtanter quoque tradunt Pragmatici Hollandi (15), apud Curiam Hollandiæ obtinere, ne ceſſet privilegium, quamvis contra eum agatur, qui idem privilegium habet. Sed malo ſententias ponderare, quam numerare. Qui negant privilegio locum eſſe, ſi par ſit privilegium rei, adhibent parœmiam vulgarem, cui tamen auctoritatem præbet *l. 11. §. 6. ff. de Minor.* & *l. 8. ff. de Excuſat.* quod nempe *privilegiatus contra æque privilegiatum privilegio ſuo non utatur.* Dico *æque privilegiatum*, quia ſunt qui diſtinguunt inter magis & minus privilegiatos, ſed nolim has minutias ſectari, quia de majori vel minori privilegio plus ſæpe litigandum eſſet, quam de re ipſa. Ego putem, privilegio locum eſſe, quamvis reus ſimili privilegio gaudeat, ſed vellem, qui eadem ſententia utuntur, eam ipſam parœmiam refutaſſent, & non attuliſſent ratiunculas, quæ in hanc rem nihil quicquam probant, ut cum ajunt, privilegium fori adverſario non tam grave eſſe, quia lites minuit, & liberat a moleſtiis inferioris judicii (16). Si ita diſputes, cur non & omnibus licebit ſtatim Curiam adire, & adverſarios ſuos ab ordinario Judice avocare. Apage igitur illas ratiunculas, quæ merum rus ſapiunt.

Ego potius dixerim, privilegia, perſonis data, in perſonis ſubſiſtere, & ſeparatim eſſe conſideranda. Pupillus ex privilegio poteſt adverſarium ad Curiam vocare, ſed an & viduam? Quidni? Sed habet & ea ſimile privilegium. Recte,

(7) Neoſtad. *Deciſ. Cur. Holl.* LV.

(8) Merula *Prax. Civil. L.* IV. *T.* 2. *C.* 9. *n.* 2. & Groenewegen *ad Tit. C. Quando Imper. inter pupill. vel vid. n.* 10. *&* 11.

(9) *Formul. T.* II. *C.* 19. p. 224. *&* 225.

(10) *Ibidem Tom.* II. *C.* 44. p. 552. *& ſeqq.*

(11) *Ibidem Tom.* II. *C.* 18. p. 221. *& ſeqq.*

(12) *Deciſ. Friſ. L.* I. *T.* 1. *Defin.* 2.

(13) *Ad Tit. ff. de Judic. n.* 65.

(14) *Cod. Sabaud. L.* III. *T.* 13. *Definit.* 1.

(15) Groenewegen *de LL. Abrogat. ad Tit. Cod. Quando Imper. inter pupill. vel vid. n.* 7. Van Leeuwen *R. H. R. L.* V. *C.* 6. *n.* 5. Vromans *de Foro competenti L.* I. *C.* 3. *n.* 18. Notator ad Merulam *L.* IV. *T.* 2. *C.* 9. *n.* 16. Loenius *Caju* CXI. *& ad eum* Boel.

(16) Groenewegen & alii *d. locis.*

ćte, ſed an & habet privilegium, ne ipſa ad Curiam vocetur? Nusquam id ſcriptum eſt. Utatur pupillus, quod habet, privilegio, vidua, quod non habet, ne utatur. Major, qui Reipublicæ cauſa abfuit, ex privilegio reſtituitur, ſi quid damni ſit, ſed an & reſtituitur adverſus eum, qui pariter Reipublicæ cauſa abfuerit? Non dubitat Marcianus in *l. ult. ff. Ex quibus cauſ. maj.*, nec dubitandum eſt, quia, qui pariter abfuit, non habet privilegium, ne contra ſe reſtitutio petatur, ſed ut ipſe, ex cauſa abſentiæ, reſtitutionem obtinere poſſit. Eccleſiæ datum eſt, ne res ejus Epiſcopus alienet, ſed nolim propterea dicas, eundem eſſe acquirendi favorem, qui eſt retinendi, ideoque in aliam Eccleſiam Epiſcopum alienare poſſe, nam verum non eſt *C. 1. X. de Rebus Eccleſ. alien. vel non.* quia conſtat, jus Eccleſiæ eſſe retinendi, quæ habet, non autem alterius Eccleſiæ aquirendi, quæ altera non poteſt alienare. Adverſam partem jus privilegio contrarium non habere in omnibus cauſis ſufficit.

CAPUT VI.

Quæritur de aliis quibusdam perſonis ac cauſis, an ad jurisdictionem Curiæ pertineant.

Non conſtitui Commentarium ſcribere ad §. 8. *Form. Cur. Holl.* 1531. neſcio enim, an quisquam ſit, qui eam cloacam purgare poſſit. Elegantiora quædam proponere contentus, reliqua Oedipos tractare permitto. Quæſitum eſt, an Eccleſiaſtæ, qui in Hollandia munere ſuo funguntur, apud Curiam conveniri poſſint? Sunt, qui ajunt, ſunt, qui negant. De foro Clericorum quid Jure Romano conſtitutum ſit, intelligimus ex *l.* 25. *& l.* 33. *pr. &* §. 1. *C. de Epiſc. & Cleric.* Sed alia nunc eſt, & olim fuit Eccleſiaſticorum conditio. Quia tamen noſtri Eccleſiaſtæ in Pontificiorum Sacerdotum, qui Curiæ ſuberant, locum ſucceſſere, apud Curiam recte conveniri, & ita Senatum Friſicum 15. Jul. 1607. judicaſſe relatum eſt (1). Eodemque modo in Hollandia quidam argumentatur (2), cui alii contradicunt, adlata quidem ea ratione, ſed non refutata; contradicunt autem, quia vulgare domicilii forum, ubi quis degit, ſervari & publice & privatim expedit, multisque Legibus ejus auctoritas conſtituta eſt. Unde alius dixit (3), id in Friſia tantum verum eſſe, & rurſus alius (4), Eccleſiarum Paſtores moribus noſtris nullum habere Fori privilegium, ſed, ut Laicos, apud ordinarios Judices eſſe conveniendos. Sane veriſſimum eſt, ad Curiam vocari non poſſe, nec, qui extra Hagam munere ſuo funguntur, unquam vocatos fuiſſe. An Pontificii Sacerdotes olim Curiæ ſubfuerint, mihi non ſatis liquet, nam nihil Curiæ tribuitur in §. 8. *Form. Cur. Holl.* 1531. quam ut vindicent injurias, Eccleſiaſticis illatas, idque duntaxat, ſi cunctentur vindicare Ballivii §. 12. *ibid.* An, inquam, olim Eccleſiaſtici ſubfuerint, non ſatis mihi liquet, ſed hoc liquet, Eccleſiaſticos noſtros in Pontificiorum jus non ſucceſſiſſe, nullam enim immunitatem Eccleſiaſtici noſtri præ Laicis habent. Et ait §. 7. LL. Eccleſiaſt. Holl. 8. Mart. 1591. (5) ſubſint Eccleſiaſtæ legibus loci, de quo agitur, & pareant Magiſtratibus, quatenus officium eorum non adverſatur. Curia tamen Hollandiæ ait (6), ſuam olim fuiſſe jurisdictionem in Eccleſiaſticos Pontificios, & ſimul noſtros in eorum jus ſucceſſiſſe. Sed de jurisdictione nihil quicquam probat, at de immunitate duntaxat, quam veteres Eccleſiaſtici habuiſſent a tributis Haganis, & qui veterum & noſtrorum parem cauſam dixerit, juris Eccleſiaſtici, veteris & novi parum conſultus eſt. Auctor tamen *amicæ Collationis* (7) adhuc urget privilegium fori in Eccleſiaſtis Haganis, quamvis fateatur, id uſu obtineri non poſſe, in Haganis, inquam, nam quod ad alios aliarum Urbium Eccleſiaſtas, nunquam, quod ſciam, Curia jurisdictionem ſuam defendit, & tamen defendere debebat, ſi, quod generaliter de Eccleſiaſticis dixit, tueri poſſet. De Haganis ſolis aliam quoque rationem advocat Curia, quod nempe illi pertineant ad tertium illud genus hominum, Hagæ habitantium, in quos Curiæ eſſet jurisdictio, ſed ita debuiſſet illam ſolam rationem urgere, reliquis omiſſis, at neque eam rationem Curiæ prodeſſe, ſatis mihi videor ſupra probaſſe.

De Notariis, qui Hagæ habitant, quid dicemus? Et cum ea de re quæreretur, reſponſum invenio, (8) apud Curiam recte conveniri, quia ab Ordinibus Hollandiæ, prævio Curiæ examine, creantur, ad Magiſtratuum loci, ubi officio ſuo functuri ſunt, propoſitionem. Quæ ratio oppido eſt inepta. Notarium tamen Haganum, apud Curiam de foro excipientem, Curia, rejecta exceptione, apud ſe cauſam dicere damnavit 10. Dec. 1677. (9). Sed forte ideo, quod & idem erat *Sollicitator*, quem vocant *litium*, & quod, qui ex duplici, quo fungitur, officio, duplex forum habet, apud ſuperius, & dignius forte duntaxat conveniendus ſit. Sed an illi *Sollicitatores*, etiamſi nihil aliud agant, ad jurisdictionem Curiæ pertineant, merito dubitari oſtendi ſupra *C.* I. *vſ. Pragmatici.* Ceterum de Notariis, qui Hagæ habitant, anno 1734. inter Curiam & Magiſtratum Haganum apud Ordines Hollandiæ nova lis conteſtata eſt, nec ibi Curia eos ſibi vindicavit, quod conſtituant tertium illud genus hominum, de quo ſupra aliquoties dixi, ſed ex alio capite, ſi nempe Notarii ſint, & ſimul fungantur aliis muneribus, quæ eos Curiæ foro ſubjiciunt, & ejusmodi Notariorum Curia 14. Sept. 1734. prolixum Catalogum compoſuit, & Ordinibus tradidit. Verbi gratia, ſi ſimul ſint Advocati, Procuratores, aliive, Curiæ ſubditi, & facile conſentio, ſi qui ſunt ejusmodi, ſuperiori & digniori foro eſſe adſcribendos, ſed quia Curia Catalogo ſuo plurimos inſeruit, quos Magiſtatus negat ex aliis, quibus funguntur, officiis ad Curiam pertinere, Ordines nihil quicquam adhuc definiverunt. Interea vides, ex eo ſolo, quod Notarii ſint, nihil ſibi nunc tribuc-

(1) Sande *Deciſ. Friſ. L.* I. *T.* I. *Defin.* 1.
(2) *Bello Juridico Caſu* XXXVII. *n.* 1.
(3) Van Leeuwen *R. H. R. L.* I. *T.* II. *n.* 5.
(4) Groenewegen *de LL. Abrog. ad l.* 29. *C. de Epiſc. aud.*
(5) *Kerken-Ordening Plac.* III. 2. 3. 4.
(6) *In grandi Epiſtola ad Ordines Holl. data* 15. *Apr.* 1707. p. 11. & *in Collat. amica* p. 439. & 440.
(7) *d.* p. 439. & 440.
(8) *Bello Juridico Caſu* 90.
(9) *d. Caſu* 90.

buere Curiam, & ſane nihil tribuendum eſt, nam examen Curiæ utique forum non tribuit, neque ullam Notarii operam forenſem præſtant apud ipſam Curiam, duntaxat adhibentur propter lubricam ſcripturæ privatæ fidem, & inſtrumenta, quæ ſcribunt, publica ubique auctoritate cenſentur, & maxima eorum pars nequidem ad judicia pertinet: ſi tamen apud Curiam lis eſſet, in qua inſtrumentum, a Notario compoſitum, eſſet exhibendum, ad exhibitionem ibi Notarium conveniri poſſe, nullus ambigo, alioquin, ſi in loco domicilii conveniendus eſſet, per ambages appellationum lis ipſa principalis in infinitum trahi haud difficulter poſſet. Quare miror, cum apud Curiam Hollandiæ litigaretur, an ibi Notarius recte conveniretur de teſtamento, quod ſcripſerat, exhibendo, isque de foro exciperet, Curiæ Delegatos exceptionem ad Magiſtratum admiſiſſe (10).

Non ſatis mihi liquet, an Procuratorum, qui apud Curiam poſtulant, Protographi (11) ad forum Curiæ quoque pertineant? Sane nec primus, nec reliqui Procuratorum amanuenſes partem eorum familiæ conſtituunt, nec ullam, niſi ipſis Procuratoribus operam præſtant. Sed quid, inquies, dubitas? Curia in prolixa ad Ordines Hollandiæ epiſtula 15. Apr. 1707. *p.* 11. rotunde dixit, illos amanuenſes dici *Clercquen* a Latino *Clerici*, & idem forum ſortiri, quod olim ſortiti ſunt Eccleſiaſtici apud ſe, ut putant. Sed Curia aut errat, aut ludit, nec enim quisquam forum, quod olim Eccleſiaſtici habuerunt, ad illos amanuenſes tranſtulerit, nec etiam Curia in omnes amanuenſes ſibi jurisdictionem adrogat. Si immunitas ab oneribus oppidi eſſet quoddam conſequens exemptionis a Magiſtratu, ut videtur indicare *l.* 6. *C. de Advoc. diverſ. Judicior.* De protographis Procuratorum habemus exemplum, quo ſe Curia tueri poſſet, nam cum Hagani protographum cujusdam Procuratoris, ut inter cuſtodias oppidi eſſet, adigere vellent, is Curiæ interdictum petit, niſi aliud probarent. Pergunt illi urgere, hic interdictum rurſus petit, & Curia ult. Nov. 1682. (12) pœna, ſi contrafeciſſent, ſtatuta interdixit, ut petitum fuerat. Succeſſit deinde conventio, inter Curiam Hollandiæ & Magiſtratum facta 29. Mart. 1688. (13) qua placuit, ſi primus & reliqui Procuratorum amanuenſes apud eos Procuratores habitarent, & ſic partem ipſorum familiæ conſtituerent, ad ſolam Curiæ jurisdictionem pertinerent, ſi non habitarent, primus, quamdiu eo officio fungitur, ad cuſtodias oppidi ne adigeretur, & reliqui amanuenſes, ſi non ſint Cives Hagani, ſed aliunde huc advenæ, eodem jure uterentur. Sin autem primus officium defereret, & reliqui, mutato domicilio, fixum Hagæ domicilium conſtituiſſent, pro Civibus Haganis haberentur, & inter cuſtodias oppidi redigerentur.

Curia Hollandiæ etiam Senatores Curiæ Supremæ, ejusque Officiales jurisdictioni ſuæ adſcripſit (14), & inde eſt, quod duos Senatores Curiæ Supremæ anno 1687. officii male geſti accuſavit, & ad ſe vocavit *by Mandement van dagvaarding in perſoon.* Quumque Curia Suprema per Epiſtulam, ad Ordines Hollandiæ 4. Jun. 1687. ſcriptam, ea de re eſſet queſta, hi Decreto 17. Jun. 1687. totam illam accuſationem aboleverunt (15). Scilicet Curia Suprema defendit, ſibi jus eſſe, tam in cauſa criminali, quam civili, judicare de Senatoribus & Officialibus ſuis; quod negat Curia, quia non probat Senatus, hanc jurisdictionem ſibi datam eſſe, ſequendum igitur eſſe §. 18. Form. Cur. Suprem. qui interdicit Senatui, ne de ullis cauſis ab initio cognoſcat, quam de iis, quæ in *d.* §. 18. *& ſeqq.* nominatim expreſſæ ſunt. Sed quid ſi id largiamur, ſuperiorem judicem apud inferiorem conveniri poſſe, quo tunc jure Curia jurisdictionem ſuam tuebitur? Senatores certe Curiæ Supremæ, qui nunc ſunt, neque Nobiles ſunt, neque ad Claſſem *Suppoſitorum Curiæ* referri posſunt, & de tertio genere hominum, quorum ſupra ſæpius memini, nolim amplius verba perdere. An ergo Senatores Supremæ Curiæ cum ſuis hominibus ad Magiſtratum Haganum pertinebunt, ut Magiſtratus Spirenſis olim contendit, a ſe judicari oportere Imperialis Cameræ Adſeſſores? Non id, quod ſciam, Magiſtratus Haganus unquam in animum induxit ſuum. Semel tamen ille Magiſtratus famulum ejus, qui Curiæ Hollandiæ Senator erat, ad ſe in jus vocavit, quod opificium, ſolis Civibus permisſum, apud Herum exercuiſſet, ſed tam triſti eventu, ut apparitor Magiſtratus, qui eum in jus vocaverat, ad panem & aquam per triduum ſit damnatus a Curia, utque Senatus Supremus in ea cauſa appellationem negaverit. Clementer ſane, ſi credas ei, qui Senatus Supremi res judicatas conſcripſit (16), nam fingit ille, Magiſtratum eo facto læſæ Majeſtatis crimen admiſiſſe. Riſum teneatis Amici. Sed nolim in eo argumento diutius verſari, cum inter utramque Curiam de variis controverſæ jurisdictionis capitibus anno 1725. tranſactum ſit, ejusque tranſactionis §. 1. Curia tam in cauſis criminalibus, quam civilibus, Senatui Supremo conceſſerit jurisdictionem in Senatores & Officiales ſuos, quam tranſactionem Ordines Hollandiæ ratam habuerunt 9. Maj. & 15. Jun. 1725. Ordines autem Zelandiæ 5. Jun. ejusdem anni (17).

A perſonis tranſeamus ad cauſas nonnullas, de quibus Curia cognoſcit. Cognoſcit autem ex §. 94. Form. 1462. *van injurien die gedaan werden den geeſtelyke perſoonen.* Quibus addit §. 8. Form. 1531. *Officiers of andere gepriviligeerde perſonen.* Curia vero in Forma, quam ſibi deſtinaverat (18), illos additos duntaxat ſervat, & Eccleſiaſticos, quos ſolos nominaverat Carolus Burgundus, rurſus expedit, non alia, opinor, ratione, quam initio hujus *Capitis* dicebam, quod ſcilicet tunc putaverit, noſtros Eccleſiaſticos non uti iis privilegiis, quibus olim utebantur Pontificii. Qui ſint illi *andere gepriviligeerde perſonen*, licet diſcere ex §. 12. d. Form. 1531. & ex §. 85. anterioris Formæ 1462. ex quo *d.* §. 12. tranſcriptus eſt. Præter Eccleſiaſticos in *d.* §§. enumerantur *Weduwen, Weeſen, arme Landsluyden*, utque illi ibi defenduntur contra omnem potentiorum vim iniquam, ita hic contra omnem, quicunque intulerit, injuriam, ibi ex officio, hic autem conſti-

(10) *Formul. T.* II. *C.* 1. p. 34.
(11) *Opper-Clercquen.*
(12) *Formul. T.* II. *C.* 26. p. 451-453.
(13) *Exſtat ſeparatim & inter Acta Curiæ.*
(14) *In haar Concept-Inſtructie* 1670. p. 12.
(15) *Hollandſche Mercurius* 1687. p. 162-171.
(16) Neoſtad. *Supr. Cur. Deciſ.* 117.
(17) *Exſtat tranſactio inter Acta Ordinum, & ſeparatim quoque edita eſt.*
(18) *Concept-Inſtructie* 1670. p. 11.

ſtituto judicio. Plura de illis §§. dixi ſupra *C.* IV. §. *Placet.* & *hoc Cap. in princ.*

Interea obſervari velim, eos, quos dixi, non niſi ex privilegio apud Curiam agere contra eos, qui injuriam fecerunt. Ceteroquin regula Juris Hollandici eſt ex Edicto Ordinum Hollandiæ *de Duellis* 22. Mart. 1657. qui injuriam paſſi ſunt, injuriam deferrent ad Judicem competentem, *daar onder zy reſorteren*, aut ad Judicem loci, ubi injuria illata eſt, ſalvo tamen jure Nobilium, aliorumque omnium, qui ſimile privilegium habent, ne niſi apud ſolam Curiam aut Judicem ſuum ordinarium conveniri poſſint. Quæ exceptio totam fere regulam de foro illatæ injuriæ inutilem reddit propter §. 120. Form. Cur. Holl. 1531. & notiſſimum Ordinum Holl. Edictum 15. Sept. 1677. (19) ſi nempe de iis agatur, qui locum factæ injuriæ exceſſerunt, aut calente negotio delati non ſunt. Sed, ne inutilis ſit exceptio, malim eam intelligere de iis, qui ſpeciale privilegium habent, ne perſonali actione apud alium quem, quam apud ſuum, id eſt, domicilii ſui Judicem, conveniri poſſint, quale Maximilianus Auſtriacus anno 1477. Delphenſibus dedit (20). Friſones *Libro* II. *LL. Friſic. Tit.* 2. §. 31. hanc rem ſimpliciter ita definiverunt: Judices loci, ubi, qui injuriam fecit, habitat, & ubi facta eſſet, de ea injuria jurisdictionem concurrentem haberent jure præventionis.

Cognoſcit & Curia de patrimonio Hollandiæ, quod olim Comitum peculium fuit, ſed, iis ſublatis, nunc ad Ordines Hollandiæ pertinet. *Domeinen* vocantur. Non placuit autem de iis jus dici, niſi advocatis & auditis prius Rationalibus §. 70. & 94. Form. Cur. Holl. 1462. §. 11. Form. Maximiliani 1510. (21) §. 6. & 8. Form. 1531. §. 2. Form. Curiæ Feud. 1661. (22) & quod ad patrimonium Zelandiæ advocatis & auditis Rationalibus Zelandiæ §. 12. Conventionis inter Holl. & Zel. 11. Jun. 1674. Quod advocentur Rationales, forte originem traxit ex *l.* 1. *C. de Offic. Com. rer. privat.* & ſimile eſt ei, quod in cauſa Fiſci Trajanus Plinio præcepit *L.* X. *Epiſt.* 88. Sed tamen habet plurimum ex iniquo, cum Princeps in judiciis privatorum loco ſit. Sunt, qui id abrogatum ajunt (23). Et ſane exſtat Hollandiæ Ordinum Epiſtula 19. Jan. 1592. ad Curiam Hollandiæ data (24), qua vetitum eſt, ne cum Rationalibus communicentur ea inſtrumenta, quæ inter alias partes communicari non ſolent. Sed quod tunc decreverunt Ordines, uſu receptum non eſſe, arguit Epiſtula Curiæ Hollandiæ, 22. Dec. 1613. ad Ordines Hollandiæ ſcripta (25), cum quidam, qui contra Holl. Ord. Domanii Rationales litem habebat, ab Ordinibus petiiſſet, ne Rationales ad eam vocarentur, eaque de re Curiam Hollandiæ Ordines conſuluiſſent. Ait autem in eo Reſponſo, hactenus uſitatum fuiſſe, ut, antequam lites de Domanio finiantur, omnia litis inſtrumenta Rationalibus prælegantur, iique rogentur, nunquid porro habeant, quo Domanii cauſa juvari poſſit, & addit Curia, ſecreta quoque Partium inſtrumenta Rationalibus exhiberi, quod tamen illi, quos dixi, §§. non ajunt, nec æquum, nec juſtum eſt, quamvis id Curia in ea Epiſtula concoxerit in cauſis, a quibus appellare licet, in aliis vero ſe ad arbitrium Ordinum retulerit, nihil quicquam definiens. An & quid Ordines in ea cauſa decreverint, mihi non liquet. Quum Curia anno 1670. ſibi conficeret novam formam, ſed nondum, ut ſæpe monui, ab Ordinibus probatam, ei inſeruit (26), advocandos & audiendos quidem eſſe Rationales, ſed ſecreta partium inſtrumenta iis non eſſe prælegenda, ſed ſi non prælegantur niſi inſtrumenta, quæ inter Partes communicari ſolent & debent, quid Rationalium præſentia efficere poſſit, non ſum, qui videam. Probo igitur, quod Curia in Epiſtula, qua novam illam Formam ad Ordines Hollandiæ transmiſit 28. Mart. 1670. conſuluerit, delendam potius eſſe clauſulam de advocandis & audiendis prius Rationalibus, quo ſic ex æquo omnibus jus dicatur. Durius ſane eſt, quam ut ferri poſſit, quod ait §. 101. Form. Senat. Brabantini 13. Apr. 1604. (27). Rationales etiam in cauſa Domanii cum Senatoribus judicare. Sed quid mireris, ſi vel ſoli Rationales de cauſa Fiſci judicent ex *l.* 5. *C. ubi cauſ. Fiſcal. ag.*? Ceterum apud Curiam adhuc, ni fallor, obtinet ille mos, quem Curia Formæ, ſibi præſcriptæ, inſeruit.

An, ut apud utramque Curiam recte agimus ad defendendam & recuperandam poſſeſſionem, ita quoque adipiſcendæ poſſeſſionis judicium ſtatim ad alterutram Curiam deferri poſſit, olim dubitatum fuit, & relatum (28), Curiam Hollandiæ anno 1585. & ſæpe alias judicaſſe, non poſſe. Quod diceres adverſarier §. 8. Form. Cur. Holl. nam poſtquam ibi actum eſſet de judicio turbatæ poſſeſſionis, *in cas van nieuwigheid of ongebruyk*, ſubjicitur nova ſanctio, qua Curiæ tribuitur jurisdictio *van ſaken, roerende poſſeſſie van beneficien, leenen of erven*, quod putares eſſe remedium acquirendæ poſſeſſionis, quia tuendæ & recuperandæ poſſeſſionis remedium præceſſerat. Diceres quoque eam ſententiam adverſari §. 19. Form. Senat. Supr. qui ait, eum Senatum recte cognoſcere de *omni* cauſa poſſeſſoria. Diceres etiam uſum adverſarier, cum variæ exſtent res, ab utraque Curia judicatæ, quibus hæredes in poſſeſſionem vel totius hæreditatis, vel in partem ejus immiſſi ſunt ex *l. ult. C. de Edicto D. Hadr. toll.* De tota hæreditate exſtant exempla apud Coren *Obſerv.* X. & XXXVII. & de parte hæreditatis *Conſil. H. T. V.* 181. *q.* 4. & mea memoria ſæpiſſime ita quoque judicavit Senatus Supremus.

Cæterum tamen eſt illa ſententia anni 1585. quæ magnam rationem habet. In antiqua Curiæ Holl. Forma 1462. §. 94. non datur jurisdictio Curiæ Hollandiæ niſi de turbata poſſeſſione, nec aliter Præfecto Urbi in *l.* 1. §. 6. *ff. de Offic. Præf. Urb.* Turbatæ etiam poſſeſſionis meminit §. 8. Form. Cur. Holl. 1531. multis quidem aliis interjectis in *d.* §. 8. adjecta eſt alia quoque conſtitutio, ſed quæ nominatim nihil exprimit, & plurima in illo §. 8. inepte ſcripta & abſurde repetita ſunt. Illud autem *in alle materien poſſeſſoir*, quod occurrit in §. 19. Form. Sen. Supr. intelligi poſſet, cum Senatum non modo cognitu-

(19) *Plac.* III. 11. 7.
(20) *Formul. T.* II. *C.* 26. p. 398.
(21) *Handveſten van de Graven van Holland n.* 6.
(22) *Plac.* II. *Append.* p. 2646.
(23) Merula *Prax. L.* IV. *T.* 2. *C.* 2. *n.* 4. & Groenewegen *de LL. Abrog. ad l.* 7. *ff. de Jure Fiſc.*
(24) *Plac.* II. 5. 6 59.
(25) *Formul.* II. *C.* 1. p. 33. & 34.
(26) *Concept-Inſtructie* p. 6.
(27) *Plac.* II. 5. 2. 5. 1.
(28) Neoſtad. *Decif. Cur. Holl.* LV.

turum de cauſa poſſeſſionis ſeculari, ſed & eccleſiaſtica & feudali, quæ cauſæ etiam nominatim expreſſæ ſunt in *d.* §. 8. Form. Cur. Holl. Accedit, quod apud inferiores Judices, quamvis rariſſime exerceant actiones poſſeſſorias, cum maxime tamen frequentetur Interdictum, quod vulgo *Inleiding* appellatur, & ad poſſeſſionem hæreditatis acquirendam pertinet, de eo eſt §. 56. Conſuet. Rynland. & varia variarum Urbium Statuta (29). Adhibetur & de rebus ſingularibus, (30) quam recte, nunc non diſputo. Neque etiam eſt, ut uſus difficulter obſtet, ſi memineris, ſolere Judices quaſcumque poſſunt lites quam avidiſſime ad ſe attrahere. Quin etiam conſtat ex illa Curiæ Holl. ſententia 1585. antea contrarium fuiſſe uſum, neque, ut opinor, ſine ratione; nam olim turbarum coërcendarum ergo Curia Hollandiæ cum maxime inſtituta eſt, & ad eam cauſæ, præſertim turbulentæ, judicandæ relatæ. De veterum Hollandorum, maxime Potentiorum, ἀναρχία variæ ſunt Leges *van niet by wege van feiten te procederen*, eaque ratio, quod Curia ex *d.* §. 94. antiquiſſimæ Formæ non niſi de turbata poſſeſſione cognoſcat, neque id mutatum dici poſſit, de reliquis ratio eſt, ut ſecundum *l. un. C. Ubi de poſſeſſ. agi oport.* cognoſcat Judex loci. Præterea quum in Formis Curiæ Hollandiæ 1462. & 1531. & Senatus Supremi 1582. & Senatus Brabantini 1604. & Flandrici 1661. de cauſis poſſeſſionis, quæ in iis Curiis agitantur, conſtituantur non pauca, nihil quicquam tamen ibi invenias de remediis vel judiciis adipiſcendæ poſſeſſionis. Et ſi de ea quoque alterutram Curiam adire liceat, metus eſt, ne, deſolatis inferiorum Judicum tribunalibus, de quibusque fere rebus apud utramque Curiam agatur, ut nunc fere agitur, uſu Interdictorum porrecto ad ea, quæ non niſi actione petitoria apud Judicem ordinarium expediri poſſunt. Quod adeo etiam olim diſplicuit, ut neque Supremus Senatus 25. Nov. 1622. apud ſe inſtitutam de poſſeſſione emphyteuſis caducæ adipiſcenda actionem ideo admiſerit (31). Et in Flandria, etſi ibi, quia *le mort ſaiſit le vif*, apud Senatum Flandricum agebant de hæreditatis poſſeſſione, quaſi turbatæ poſſeſſionis judicio, Carolus tamen V. 25. Jan. 1524. Lege Edictali ſancivit, hæres de poſſeſſione hæreditatis apud Judicem ageret, non vero apud Senatum Flandricum (32). In Hollandia ſimilem Legem exſpectamus, & absque ea ego nolim cum utraque Curia contendere interdicto Uti poſſidetis.

CAPUT VII.

De territorio Curiæ, & an & quæ jurisdictio inde Curiæ competat?

Curia Hollandiæ in Forma (1), quam ſub ſpe ratihabitionis ſibi compoſuit, ſuam eſſe jurisdictionem ait in omnes eos, qui Hagæ habitant *in fundo Fiſcali*, modo ne tabernas vel opificia exerceant. Sed eo non contenta, ſibi ſoli quoque arrogavit cognitionem de omnibus criminibus, in eo fundo commiſſis, quicunque commiſiſſent, & inde eſt, quod anno 1676. (2) conceſſa interdictione pœnali prohibuerint, ne Magiſtratus Haganus puniret furem, a Ballivio Hagano in ædibus Semproniæ, exſtructis in fundo Fiſcali, apprehenſum, & inde quoque eſt, quod, cum anno 1699. Vicarius Ballivii Hagani cadaver hominis occiſi, in περιξύλῳ inventum, inde abſtuliſſet, ut a Judicibus Haganis inſpiceretur, Curia ob eam rem & Ballivium, & ejus Vicarium, in carcerem duxerit, & huic, prælecta publice ſententia triennale exilium indixerit (3). Anno 1697. de ſimili ſpecie ſimilis quæſtio incidit inter Curiam & Magiſtratum Haganum (4), quin & ſæpe alias, ſed non tanto impetu; quid autem intereſt hæc omnia referre, de ipſa potius controverſia videamus.

Ut recte intelligamus id, de quo quæritur, ſciendum eſt, *fundos Fiſcales* dici, quorum proprietas & reditus olim apud Graviones fuit, & nunc eſt apud Ordines, pertinent illi ad Domania Principis, & cum aliis multis, quæ eo ſpectant, adminiſtrantur a Rationalibus Hollandiæ, & iis abolitis, a Conſiliariis Ordinum Hollandiæ, nec in eo diſcrepant Curia & Magiſtratus Haganus. Quid autem ſibi velit Curia, cum ſimpliciter ait, ut paſſim ait, *in illis fundis* vel *de illis fundis* ſuam eſſe jurisdictionem, non usquequaque conſtat. Si intelligat, ſuam eſſe jurisdictionem, ſi de illis fundis controverſia incidat inter Ordines & privatos, recte cenſet, nam de Domaniis ubicunque ſitis, Curiæ jurisdictio eſt ex §. 6. & 8. Form. Cur. Holl. Sed nec Magiſtratus Haganus, nec quisquam alius Curiæ de eo controverſiam movit unquam.

Quemadmodum autem per univerſam Hollandiam, ſic & olim Hagæ Comitis plurimi fuerunt ejusmodi Fundi Fiſcales, quorum terminos, ut nempe olim fuerunt, accurate deſcribit Curia, nec, quominus ea deſcriptio vera ſit, quicquam intercedo. Sed magna pars eorum fundorum nunc ædificiis occupata eſt, ut cernere licet in *het Voorhout*, *Kneuterdyk*, *Vyverberg*, *Plein &c.* & occupata eſt juſto titulo; nam primum Graviones, deinde Ordines, & hi quidem mea memoria, plurimos ejusmodi fundos vendiderunt privatis, alios in Emphyteuſin, Cenſum, ſpeciemque Feudi aliquam dederunt. Unde multi ex his, qui olim Fiſcales, nunc privatorum ſunt fundi, adeo ut hos non facilius nunc diſtinxeris, quam olim Myſorum Phrygumque terminos. Idem tamen jus Fiſcale manſit quod ad vias juxta ædes, & quod ad planities, quæ ædes diſcernunt, eademque auctoritas uſu quoque retenta fuit in fundis venditis, & in his, qui onera redemerunt. Ipſi Graviones de his locis Fiſcalibus multa edixerunt, quæ ad res Politicas pertinent, ne quid forte in iis fieret, quod publice noceret, vel quietem publicam turbaret, & poterant de iis ſtatuere, ut de patrimonio ſuo. Gravionibus ſucceſſerunt Ordines, quorum æqua poteſtas fuit, ſed quia Magiſtratibus fere permittuntur, quæ ad

(29) Van Leeuwen *ad d.* §. 56.
(30) *Bell. Jurid. Caſ.* XCIX.
(31) Coren *Obſerv.* V.
(32) *Plac. Flandr. Tom.* I. *L.* III. *Rubr.* 2.
(1) *Concept-Inſtructie.* p. 13.

(2) Rem geſtam narrat *Libellus Secundus Haganorum contra grandem Curiæ Epiſtulam* p. 389. *& ſeq.*
(3) *Ampel Berigt* p. 151. & 152.
(4) *Ibidem* p. 147. *& ſeqq.*

ad res Politicas pertinent, Curia, conniventibus Ordinibus, vario tempore multa quoque edixit, quæ ad defendenda ea loca pertinebant. Rationalium enim illorum, quos dixi, nullum erat imperium, nulla jurisdictio, & Magiſtratus diligentius excubat pro quiete publica, in ſingulis locis ſervanda, quam excubare poſſunt ipſi Principes. Quia autem Hagæ Comitis duo erant Magiſtratus, alter Curialis, alter Urbicus, rationis erat, ut Magiſtratus potius Curialis, quam Urbicus, Edictis ſuis tueretur loca Ordinum. Si quod conniventibus Ordinibus Curia edixit de rebus politicis eorum locorum, Curiæ jurisdictioni adſcribere velis, per me licet, &, ni fallor, per Magiſtratum Haganum quoque licebit, nihil enim eorum, quod ſciam, ſibi arrogavit unquam. Atque adeo id quoque extra controverſiam eſt.

Quia apud Magiſtratus Urbium in Hollandia annotari debent ceſſiones & hypothecæ bonorum immobilium, & quia iidem Magiſtratus judicant de quæſtionibus finium regundorum, de ſervitutibus, & aliis, ad fundum pertinentibus, quæſitum eſt, cum Hagæ reperias duos Magiſtratus, utri id competat? Quod ſi hanc rem ex mero jure & ſana ratione finire velis, dicendum eſſet apud eum Magiſtratum hæc eſſe agenda, cujus auctoritas in eo fundo valet, atque ita apud Curiam, ſi agatur de ædibus, quæ in fundo Fiſcali ſunt, venditis vel oppignoratis, vel de finibus earum ædium regundis, de ſervitutibus, & aliis quæſtionibus realibus, apud Magiſtratum vero Haganum, ſi de his ædibus agatur, quæ in fundo Hagano ſunt, absque ulla diſtinctione, ecquis eas ædes habitet, cum ex jure fundi omnis ejus rei ſit auctoritas. Quam in rem obſervandum eſt Curiæ Holl. Decretum 17. Jan. 1639. (5) quo, cum viæ quædam Haganæ eſſent ſtratæ, Magiſtratui Hagano poteſtatem dedit de tributo, ejus rei ergo domibus impoſito, Nobiles & Curiæ Suppoſitos parate exſequendi. Credo tunc temporis melius conveniſſe inter utrumque Magiſtratum, quam multis abhinc annis convenit. Ita, inquam, ex mero jure & ſana ratione dicendum eſſet, ſed & ita tunc inquirendum, fundi, quibus ædes ſuperſtructæ ſunt, adhuc ſint Fiſcales, ut olim fuerunt, an vero privati: ſi Fiſcales, apud Curiam, ſi privati, apud Judices Haganos res expedienda eſt. Quia autem illa inquiſitio maximæ erat difficultatis, ideo, ut mihi quidem videtur, Ordines Hollandiæ in §. 12. Fiduciariæ juſſionis anni 1614. maluerunt hanc rem ἐν πλάτει definire, quam pluribus controverſiis cauſam dare, definiverunt autem ita, ut illæ annotationes & quæſtiones Curiæ relinquerentur, ſed duntaxat quod ad *Buyten- en Binnen-Hof*, aliæ vero omnes in reliqua Haga cederent Magiſtratui Hagano. Aliam, quam dixi, rationem ejus §. 12. ipſe non adſequor, ſed, quæcunque ſit, etiam hæc res nunc extra controverſiam eſt.

Hæc de rebus, ſed de perſonis omnis quæſtio & olim fuit, & nunc eſt, nec de iis quicquam eſt definitum vel in Formis Curiæ, vel in illa Fiduciaria juſſione. Lege & relege omnia, quæ Curia vario tempore edidit, & certus eris, Curiam omnes eos jurisdictioni ſuæ adſcribere, qui in fundo Fiſcali habitant, exceptis tabernariis & opificibus, & eo ipſo ſibi adſcribere, quod ibi habitent. Unde efficeres, Hagæ ſolam habitationem in fundo Fiſcali omnes habitatores ejus fundi ſubjicere jurisdictioni Curiæ, tam in cauſis criminalibus, quam civilibus. Quum Magiſtratus Haganus rogaſſet, an & Curia omnes, qui extra Hagam habitant in fundis Fiſcalibus, ſuæ jurisdictioni adſcriberet, Curia, id adfirmare non auſa, ſtatum quæſtionis nonnihil mutavit, & omnes fundos Fiſcales, qui olim Hagæ fuerunt, conſideravit tanquam partes & ſequelas ipſius Aulæ vel Curiæ, utque in omnes Aulicos & Curiales ſua fuit jurisdictio, ſic ſuam manſiſſe, licet alii homines deinde illos fundos occupaverint; ſed ſic ſatis animadvertis, non ex qualitate fundorum, at vero ex qualitate hominum, in illis olim habitantium, jurisdictionem arceſſi. Quod ſi olim fuerit, mutata rerum facie, hodie non eſt. Eſto, Curia olim judicaverit omnes, qui intra terminos Aulæ & Curiæ habitabant, & termini eo usque fuerint porrecti, quo porrigit Curia, certa nihilominus res eſt, plerosque fundos, qui Comitum utilitati & voluptati olim ſerviebant, iis abrogatis, ceſſiſſe aliis & privatis emptoribus. Ceſſante Aula ceſſabant Aulici, atque ita veteres migrabant Coloni. Quare, ſine ullo reſpectu ad ipſum fundum, Fiſcalis ſit, nec ne, unice quærendum, an homines, qui ædes ibi exſtructas habitant, ad Curiæ, an ad Magiſtratus jurisdictionem pertineant.

Quod autem Curia ſibi arroget jurisdictionem de criminibus, in omni fundo, olim Fiſcali, commiſſis, id cum maxime eas turbas dedit, de quibus ſupra dixi, ſed quo jure ea ſententia nitatur, nondum potui animadvertere. Si eam reſtrinxiſſet Curia *tot het binnen- en buyten-Hof*, quod ad *binnen-Hof* conſentientem haberet Grotium *Apolog.* 13. *vſ. de Plaatze*, & forte pro ea ſententia nonnihil diſputari poſſet, ſed quum lege expreſſa deſtituamur, verius eſt, nullam fundi qualitatem ordinariam jurisdictionem ſubvertere, & quemadmodum id obtinet in omnibus fundis Fiſcalibus, in univerſa Hollandia ſitis, ſic nulla ratio eſt, cur non & hic obtineat. Sane idem juris eſt in Feudis meris, Magiſtratui enim Feudali jurisdictionem eſſe de criminibus, in fundo Feudali commiſſis, inauditum eſt. Quin & Magiſtratus Haganus recte mihi videtur exſequutionem facere in ipſos prope Curiam fundos, Feudum & Feudalis jurisdictio territorium non tribuit (6), & judex communis recte etiam exſequutionem facit in Feuda ex §. 180. Form. Cur. Holl. modo tranſlationum ſolemnia fiant apud Pares Curiæ.

Ceterum mihi ſemper ita ſedit, duos Hagæ eſſe Magiſtratus, qui de criminibus cognoſcunt, & utriusque certis quibusdam caſibus per univerſam Hagam concurrentem eſſe jurisdictionem. Una exceptio eſt in Magiſtratu Curiali, qui ſolus judicat Nobiles & Curiales, quicunque demum ea appellatione comprehendantur, hos enim ſi vel in flagranti delicto apprehendat Magiſtratus Urbicus, Curiæ tradit judicandos. Alias exceptiones non reperi, nam de præcipua & privata Curiæ jurisdictione, extra eam cauſam, nihil usquam ſcriptum vel pictum eſt, & tamen ſcribi vel pingi debebat, ſi Magiſtratum Urbicum excluderes. Curiæ jurisdictio Hagæ eſt de omnibus delictis, ibi commiſſis, ſi delinquentes in flagranti delicto apprehendantur, ſive ea delicta commiſerint Nobiles & Curiales, ſive Cives, ſive peregrini, ſive advenæ, ſive incolæ, ſive honeſtiores, ſive humiliores, ſic ut nullos excipiam, niſi qui jus habent revocandi domum. In

(5) *Repert. Curiæ Holl.* p. 189. *A.* & *B.*

(6) *Conſil. Holl. T.* V. *Conſ.* 97.

In eos autem omnes, quos modo recenſebam, præter Nobiles & Curiales, etiam competens eſt Magiſtratus Urbici jurisdictio criminalis, & quum duo de criminibus ſimultaneam jurisdictionem habeant, & pari jure concurrant, præventioni omnino locus eſt, prævenit autem, qui prior apprehendit, ubicunque apprehenderit, neque enim video, cur non Ballivius Haganus æquo jure apprehendat in fundo Fiſcali, quin vel *op het Binnen- en Buyten-Hof*, quam Advocatus Fiſci in fundo Hagano, neque quicquam auctoritatis prolatum eſt a Grotio, vel ab ipſa Curia, quo arceatur Ballivius a fundo Fiſcali, modo ne manum injiciat in Nobiles & Curiales, ſin autem id fiat in flagranti delicto, confeſtim eos tradat Curiæ. Si locus apprehenſionis nihil mutet, utique nihil mutabit locus commiſſi delicti vel cadaveris reperti, cadaver occiſum cedit quoque primum occupanti, ſed ſi alius prævenerit in apprehendendo facinoroſo, rationis eſt, ne corpora delictorum a delinquentibus ſeparentur, atque adeo cadaver occiſum tradatur ei, qui in homicidam animadverſurus eſt, ſi vero ſepultum ſit, ei tradatur inſtrumentum inſpectionis, de nece illata compoſitum.

Cum his, quæ ſic diſputavi, ſic ſatis conveniunt, quæ nunc addo. Quum Curia, ut ſupra dicebam, anno 1676. conceſſiſſet interdictionem pœnalem, ne Magiſtratus Haganus punire vellet furem, a Ballivio ſuo apprehenſum in fundo Fiſcali, & Ballivius appellaſſet ad Senatum Supremum, Senatus 3. Nov. 1676. mandatum revocavit & interdictum reſcidit (7), non multum reluctante auctore *Collationis amicæ* (8) qui alioquin Curiæ partes ſequitur; nam fatetur, Advocatum Fiſci in ea cauſa forte animoſius fuiſſe verſatum, & Senatum Supremum conſideraſſe, Ballivio Hagano jus fas eſſe fures etiam in Fiſcali fundo apprehendere. Sic utique Senatus conſideravit, & ſic nunc conſiderare videtur ille Auctor, quam ſententiam an Curia nunc ſuam facere velit, mihi non conſtat. Sed ſi Ballivius ibi recte fures apprehendat, cur non & alios, qui ad jurisdictionem Magiſtratus pertinent? Nobiles & Curiales ibi non recte apprehendet, ſed nec recte in fundo Hagano, niſi utrobique in flagranti delicto apprehendantur, & confeſtim tradantur Curiæ. Et quum Curia, ut ſupra quoque dicebam, anno 1699. Ballivium ejusque Vicarium, propter ablatum ex παρξύλῳ cadaver, in carcerem duxiſſet, & Vicarium in triennale exilium damnaſſet, Ordines Hollandiæ fiduciario Decreto 21. Oct. 1699. (9) ſententiam contra hunc latam vetuerunt exſequutioni mandari (nam erat adhuc in carcere, donec expenſas exſolveret) & utrumque ſtatim dimitti juſſerunt, hoc addito, *ſi quid ſimile in poſterum incideret*, *aut quæ delicta perpetrarentur in fundo Fiſcali*, *aut delinquentes ibi deprehenderentur*, inter Curiam & Magiſtratum Haganum præventioni locus eſſet, ſalva tamen Curiæ jurisdictione in Nobiles & Curiales, cæteroquin nec locus, nec alia perſonarum conditio prærogativam facit. Quod Decretum, cum ſit æquiſſimum, & ſolida ratione videatur niti, injuſti erga Haganum Magiſtratum favoris accuſari non debebat. Eſt quidem id Decretum duntaxat *fiduciarium*, ſed, ut auguror, mutabitur nunquam, & magis pro lege eſt habendum, quam ſpecies in *l.* 12. *C. de Leg.*

CAPUT VIII.

De foro eorum, qui ab exteris Provinciis in Hollandiam mittuntur ad Ordines Generales, Conſiliarios Ordinum Generalium, eorumve Rationales, ſive ad Collegia marina.

Qui miſſi ſunt ad ea, quæ dixi, Collegia, in Hollandia commorantur, & ibi pro partibus ſibi demandatis, curant, quæ pro ſalute publica agenda ſunt ad explicandas res Fœderis Utrechtani. Si illi Delegati vel ante legationem, vel durante legatione, deliquerint vel contraxerint, ex quo accuſandi vel conveniendi ſunt, ubi, dum in Hollandia commorantur, accuſari vel conveniri debeant, elegantiſſime quæritur, & ſæpe quæſitum & ſententiis variatum fuit. Cum anno 1721. ederem Librum Singularem *de Foro Legatorum*, conſtitueram, ob affinitatem argumenti, de foro eorum Delegatorum, quid mihi videretur, etiam exponere, ſed cur ſententiam mutaverim, dixi in *Præfatione* ejus Opuſculi. Sed quum haud ita pridem ea res rurſus incidiſſet, & Hollandiam cum Gelria & aliis nonnullis Provinciis commiſiſſet; in utramque partem multa ſcripta & edita ſunt, quæ diligentius examen deſiderant.

Non recenſebo, quæ manu acta ſunt, & primam reſuſcitandæ hujus controverſiæ cauſam præbuerunt; contentus memorare, quid in cauſa civili acciderit, & occaſionem dederit, ut & de cauſa criminali, & de toto hoc, qua patet, negotio pleniſſime fuerit tractatum. Titius, qui dicebatur actionem perſonalem habere contra Semproniam, qua coheredem patris ſui, eam non inſtituit niſi poſtquam Sempronia nupta erat Mævio, qui ab Ordinibus Gelriæ tunc miſſus erat Amſterdamum, ut intereſſet Collegio Admiralitatis, quod ibi officio ſuo fungitur. Titius Mævium, nomine Uxoris, in jus vocat apud Judices Amſterdammenſes. Mævius de foro incompetenti ibi non excipit, ſed recta adit Ordines Generales, queſtus, ſe ad Judicem non ſuum eſſe vocatum. Ordines Generales decernunt, ſcriberetur ad Ordines Hollandiæ, ut ſcriptum eſt 31. Aug. 1737. curare vellent Ordines Hollandiæ, ne qui, ab exteris Provinciis miſſi ad Ordines Generales aut Collegia, quæ ab his pendent, apud Judicem Hollandicum accuſarentur vel convenirentur. Ad hæc Ordines Gelriæ 29. Oct. 1737. literas dederunt ad Ordines Generales, ut hi ſua auctoritate in eandem rem intercedere vellent apud Ordines Hollandiæ. Tandem omnes Gelriæ nomine Delegati ad Comitia Ordinum Generalium, ibi propoſuerunt 7. Dec. 1737. Hollandiæ Ordines quantocyus ſibi fidem darent de ſecuritate fori ſui apud ſuos, & teſtarentur, neminem ex Delegatis Gelriæ vel aliarum Provinciarum, ſive eſſet Delegatus ad Ordines Generales, ſive ad alia Collegia, quæ ab his pendent, ulla in re, ſive criminali, ſive ci-

vi-

(7) *Remarques en Solutien op het Ampel Berigt* p. 391. & 421.

(8) *Collatie van het Ampel Berigt met de tweederley Schrifturen van den Haag.* p. 449.

(9) *Ampel Berigt* p. 157. *& ſeqq.*

vili, ſubjectum iri foro Hollandico, quamvis in Hollandia officii ſui cauſa degeret. Quæ cum relata eſſent ad Ordines Hollandiæ, hi decernunt 14. Dec. 1737. quidam ex ſuis ea de re deliberarent cum Delegatis utriusque Curiæ, ſed 15. Jan. 1738. addunt, utraque Curia potius ſententiam ſuam de toto hoc argumento in ſcriptis exponeret & ad Ordines transmitteret. Poſt hæc Titius, metuens exitum ejus querelæ, e re ſua eſſe putavit renunciare illi liti apud Amſterdammenſes motæ, & arreſto prius incluſis omnibus mobilibus, veſtibus, jocalibus, auro, argento, numerata pecunia, & reliquis bonis, quæ Sempronia in territorio Amſterdammenſi habebat, novam litem orditur apud eosdem Judices, ratus, arreſto utique eorum jurisdictionem recte defendi. De quo arreſto cum iterum queſtus eſſet Mævius, etiam de eo utriusque Curiæ ſententiam explorandam decernunt Ordines Hollandiæ. Et exſtant duo Reſponſa Juris, ea de re data & ad eosdem Ordines transmiſſa, alterum Senatus Supremi 18. Mart. 1738. alterum Curiæ Hollandiæ 10. Mart. 1738. (1).

Vides de foro ipſorum Delegatorum nunc unice quæri, non de foro (2) Officialium vel Amanuenſium, quorum opera illi Delegati utuntur ad deſcribenda Acta & alia inſtrumenta, & de quorum foro non minus operoſe, quam animoſe variis temporibus ſæpe etiam quæſitum & diſputatum eſt, & vides, illos Delegatos, quod ad forum, in omnibus & per omnia ſibi adſcribere jura Legatorum. Quin forte plus ſibi adſcribunt, quam, ſi vere Legati eſſent, ſibi adſcribere poſſent. Omnino enim ſe eximunt omni jurisdictione Fori Hollandici, & tamen Curia in ſuo ad Ordines Reſponſo recte animadvertit, eſſe nonnullas cauſas, ex quibus illi Delegati hic forum ſortiuntur, ut ſi agatur actione in rem, hic ſitam, ſi de hæreditate, hic jacente, ſi de aliis quibusdam, quæ enumeravi *de Foro Legatorum* C. 16. & quæ in veris Legatis non minus obtinent, quam in his Delegatis. Non tamen admiſerim omnes ſpecies, quas admiſit Curia, nec excluſerim alias, quas attuli *d. C.* 16. Sed nolim nunc in eas exceptiones excurrere, contentus monere, ſatisfactum iri illis Delegatis, ſi ea iis tribuas, quæ veris Legatis tribuuntur, & forte præter mentem iis excidiſſe generalem nimis de omni exemptione ſententiam.

Recte etiam animadvertit Curia, cum de Delegatis ſermo eſt, non alios videri intelligendos, quam Delegatos ordinarios, vel ejusmodi extraordinarios, qui a Provinciis mittuntur, ut de Republica conſultent, ſi quæ forte cauſæ extra ordinem inciderint: ſunt enim & alii extraordinarii, qui magno ſæpe numero Hagam excurrunt, non Reipublicæ, ſed ſuarum rerum ergo, adductis tamen Codicillis, ut ſibi Collegio Ordinum Generalium intereſſe liceat, ſed ut eorum ſuffragia non numerantur, ſic nec ulla eorum ratio in hoc argumento haberi poteſt.

Priusquam de re ipſa agam, præmittam auctoritates nonnullas & exempla, quæ olim inciderunt in ſimilibus cauſis, ſi quid forte eorum te movere poſſit. Groenewegen ait (3): *Hodie quicunque Hollandiæ*, NEC NON UNITARUM PROVINCIARUM SENATORES, *eorumque Miniſtri*, *Hagæ Comitis commorantes*, *nonniſi coram Hollandiæ Curia conveniri poſſunt*, *tam in civilibus*, *quam criminalibus cauſis*. Per *Senatores unitarum Provinciarum* non alios intelligit, quam Delegatos, de quibus nunc quærimus. Ita quoque ſapit Vromans (4), nam inter Curiæ Suppoſitos recenſet *de Heeren van de reſpective Collegien van haar Hoog Mogende*, *Groot Mogende*, *de Hoven van Juſtitie*, *en andere Gedeputeerdens in publique bedieningen*, *in den Hage reſiderende*. Sic illi, ſed nulla ratione addita. In alia omnia abivit Bort (5), poſtquam enim Delegatos Fœderatarum Provinciarum, exemiſſet arreſto & foro noſtro, mox addit, in omnibus & per omnia eos eſſe habendos pro veris Legatis, quia mittuntur a Principibus ſui juris. Wicquefort (6) non quidem in omnibus & per omnia eos habet pro veris Legatis, ſed, quod ad forum, ait, *ils jouiſſent pourtant d'une ſeureté entiere*, *& ſont inviolables en leurs perſonnes*, *jusques là meſme*, *que la Juſtice du Lieu ne peut eſtendre ſa jurisdiction ſur elles*, ſic ille, ſed absque ulla ratione. Voet (7) pro Legatis eos habet, ſed de foro tamen nonnihil dubitat, *ſed non meum eſt*, inquit, *tantas componere*, *aut temere definire lites*; *quapropter abſtineo*. Ergo peritiores conſulamus.

Forte magis intererit ſcire, quid ipſi Ordines vel Generales vel Hollandiæ de foro Delegatorum olim dixerint vel decreverint. Quum anno 1637. Gelrus, Utrechtanus & Tranſiſulanus, qui a Provinciis ſuis Amſterdamum miſſi erant, ut intereſſent Collegio, quod ibi res maritimas curat, in officio deliquiſſe dicerentur, Ballivius eos in jus vocavit apud Scabinos Amſterdammenſes, & Ordines Hollandiæ eam in jus vocationem omni ope defendebant, ſed qui a ſex reliquis Provinciis Delegati erant ad Ordines Generales, ejus rei cognitionem Ordinibus Generalibus tribuebant, vel iis, quos ipſi ad hanc rem delegarent, (8) & ſecundum eam ſententiam ab aliis reſponſum eſt (9). Non tunc Ordines Generales urgebant, ut nunc urgent, illos tres eſſe remittendos ad forum, quod ſinguli habebant in ſua Provincia, at vero ſuam in eos eſſe jurisdictionem, ſi in officio deliquiſſent, eamque ſe vel exercere vel aliis mandare poſſe: ſed nihil quicquam tunc definitum eſſe comperi. Rurſus, quum de cauſa pecuniaria & actione perſonali ageretur, Ordines Generales 27. Jul. 1635. decreverunt (10), ne quis ex iis Delegatis, venientibus, morantibus vel revertentibus, ob debitum, ante delegationem contractum, conveniretur vel arreſto detineretur, ſed haberet jus revocandi domum. Cui Decreto poſtridie ſe oppoſuerunt Hollandi, ſed ſe oppoſuiſſe contenti ſententiam ſuam non explicant.

Quærendum igitur eſt, quid Ordinibus Hollandiæ vario tempore ſederit. De delictis in officio, quid anno 1637. cenſuerint, ſic ſic exponebam. Sed an ſemper eadem ſententia uſi fuerint, diſce ex ſequentibus. Sane, ſi putes, hos, de quibus agimus, Delegatos non minori jure ac loco eſſe, quam ſunt Nobiles aut Delegati Urbium ad Comitia Ordinum Hollandiæ, ex Decretis eorundem Ordinum 4. Oct. 1588. & 23. Jul.

(1) *Exſtant inter Acta Ordinum*, *& Separatim quoque edita.*

(2) *Commiſen of Clercquen.*

(3) *De LL. Abrogat. ad Tit.* C. *Ubi Senat. vel Clariſſ.*

(4) *De Foro Competenti* C. 1. n. 28.

(5) *Van de Arreſten* C. 4. n. 20. *&* 21.

(6) *En ſon Ambaſſadeur T.* I. *C.* 2. *in fin.*

(7) *Ad T.* 2. *ff. de in jus vocando* n. 44.

(8) Aitzema *Hiſtoriar. L.* XVII. p. 625-635.

(9) *Conſil. Holl. T.* V. *Conſil.* 117.

(10) Bort *van de Arreſten* C. 4. n. 22. & 23.

Jul. 1653. (11) illos Nobiles & Urbium Delegatos neque in itinere, neque durantibus Ordinum Comitiis arreſto detineri, vel executione urgeri poſſe. Et quum Dynaſta Orangius anno 1650. quosdam ex his Urbium Delegatis, tanquam criminis reos, detinuiſſet, Ordines Hollandiæ anno 1651. ediderunt libellum (12), in quo palam profeſſi ſunt, ejusmodi Urbium Delegatos eſſe habendos pro veris Legatis, & in illorum perſonis jus Gentium eſſe læſum. Atque hæc, ſi utrosque Delegatos, quod ad forum, comparemus. Quum autem de Delegatis, de quibus nunc ſermo eſt, ageretur, & duo Nobiles ex Tranſiſulania, adſcripti Conſiliariis Ordinum Generalium, metuerent, ne forte ob actiones perſonales in Hollandia convenirentur vel detinerentur, Ordines Hollandiæ adiverunt, quo ſibi hic liceret libere officio ſuo fungi, & ad eorum preces Ordines 3. Maj. 1680. & iterum 3. Apr. 1723. (13) decreverunt, ne quis, durante Delegatione, eos hic convenire vel arreſto detinere vellet. Generaliter, ut vides, & indiſtincte in cauſa civili. Rurſus quum Utrechtanus, qui interer at Collegio Admiralitatis apud Rotterdamenſes, in officio deliquiſſe diceretur, Ordines Hollandiæ 26. Jan. 1686. juſſerunt (14), ut Notoria, de crimine confecta, ad Ordines Utrechtanos transmitterentur, & hominem in foro ſuo ibi accuſarent, &, ſi deliquiſſet, punirent. Exſtat quidem adhuc epiſtula, ab Hollandis ad Ordines Tranſiſulaniæ ſcripta 23. Mart. 1729. quemadmodum & exſtat Decretum Ordinum Hollandiæ 15. Sept. 1730. (15), ex quibus exteræ nonnullæ Provinciæ quædam, quod ad forum, in rem ſuam vertunt, ſed iis diligenter perlectis animadvertes, multa quidem ibi diſputari, ſed nihil definiri, & in ipſa diſputatione quæri, an non, ſi delictum ſit in officio, diſtinguendum ſit inter Delegatos ad Comitia Ordinum Generalium, & Delegatos ad alia Collegia; præcipue autem hoc ibi agunt Hollandi, ut a ſe amoliantur ſententiam, ſibi perperam adſcriptam, atque ſi nempe eo ipſo, quod amanuenſes (16) Ordinum Generalium ſubjicerent foro Hollandico, exiſtimaſſent ipſos Ordines Generales etiam eſſe ſubjiciendos. Sed quum, ut dixi, nihil ſit in epiſtula vel Decreto, quod certum quid definiat, nolim inde efficere ipſorum Ordinum qualemcumque ſententiam.

Nunc accipe, quid Curiæ Hollandiæ olim placuerit. Quum Officiales ejus Curiæ, ex mandato, arreſto includere vellent ſuppellectilem, quæ pertinebat ad uxorem Titii, Gelri, ad Ordinum Generalium Collegium tunc miſſi, & Titius Officialibus reſiſteret, vi & vi armata eos domo ſua expellens, Curia 30. Sept. 1653. (17) propterea eum damnavit in mulctam 1200. florenorum, & ſimul in carcerem honeſtiorem duci juſſit, donec mulctam ſolveret. Et deinde ſolvit, ſine ulla, quod ſciam, conteſtatione, vel ulteriore querela ipſius Gelriæ. Et apud Curiam Hollandiæ anno 1656. adulterii accuſatus eſt Rationalis quidam Ordinum Generalium (18), ſed quia comperi, Zelandum fuiſſe, nihil fere proderit id exemplum, quia Zelandi ad vitam delegantur, & in Zelandia non ſolent retinere domicilium, & quia Curiæ jurisdictio etiam in Zelandos eſt. Eadem Curia Hollandiæ anno 1670. (19) ſibi jurisdictionem arrogavit in omnes Delegatos, qui ab exteris Provinciis mittuntur, & Hagæ hærent ad curandam cauſam Fœderis Utrechtani, ita tamen, ut iis integrum ſit allegare privilegium fori, ſi quod ſe habere putaverint. His convenit, quod Supremus Senatus nupero ad Ordines Reſponſo 18. Mart. 1738. complexus eſt, Delegatorum nempe eſſe, ſi hic in jus vocentur, de foro excipere, vel pœnali judicio litem inhibere, & Judicum eſſe, ea de re ſtatuere ex animi ſui ſententia. Sed ita ne latum quidem profeceris unguem, nam & Judices variabunt ſententiis, & Provincia, de cujus ſubdito agitur, ſi a te diſſentiat, judicio tuo non parebit. Anno tamen 1712. Ultrajectinus quidam, qui erat inter Conſiliarios Ordinum Generalium, ad Curiam vocatus, exceptionem fori declinatoriam ibi propoſuit, & Curia, quod obſervari velim, eam admiſit 4. Mart. 1712. (20) etiam cum ageretur de debito, durante Delegatione hic contracto, ut ex inſtrumentis ejus litis didici. Quid utraque Curia nunc ſentiat, deinde audies. Interea, quod ad præteritum, tot vides ſententias, quot capita.

CAPUT IX.

Rurſus de eodem Argumento.

Nolim auctoritatibus & exemplis de tota hac re conſtituere, quin nec poſſem, quia, ut intellexiſti, ſibi plane non conſtant; ut igitur in omni jure publico, ita & hic ratio utramque paginam facit. Hac autem conſulta primum excutiamus, an hi Delegati, quod ad forum, pro veris Legatis ſint habendi, nam, ſi ſint, tam in cauſa criminali, quam civili eximuntur a jurisdictione ejus, ad quem miſſi ſunt, & ceſſat omnis diſputatio. Si veros Legatos eſſe neges, forte agnoſces quaſi Legatos eſſe, ſed hoc perinde, dummodo, quod ad forum, ejusdem ſint conditionis, hoc eſt, ſi ea ipſa ratio, quæ veros Legatos a jurisdictione eximit, in his Delegatis æque pelluceat. Nolim te turbet nominis ſonus, noſtri Delegati vulgo audiunt *Gedeputeerden* vel *Gecommitteerden*, veri Legati aliis, certe nunc temporis, aliis fere appellationibus ſuperbiunt, ſed id rem ipſam non mutat, utrique a Principe mittuntur peregre, ad rem Principis ſui agendam, quin & olim veri Legati apud nos appellati ſunt, *extraordinaire Gedeputeerden*, & eorum mandata *Procuratien*, ut dixi *Quæſt. Jur. Publ. L.* II. *C.* 7.

Quæramus potius, quid Legatos exemerit a jurisdictione Principis, apud quem officio ſuo fun-

(11) Bort *ibidem* C. 4. n. 5.
(12) *Waaragtig en Nodig Berigt*, *&c. in de Herſtelde Leeuw van* Aitzema p. m. 668.
(13) *Utrumque Decretum exſtat inter Acta Ordinum.*
(14) *Exſtat ibidem.*
(15) *Utrumque ibidem.*
(16) *Clercquen.*
(17) Bort *van de Arreſten* C. 4. n. 24. & 25.
(18) *Form.* II. 39. p. 521. & 522.
(19) *In haar Concept-Inſtructie* p. 12.
(20) Van Zurk, *ad Cod. Batav.* V. *Gecommitteerden* §. 1. n. 3. & *in Libro de controverſa Jurisdictione inter Curiam & Magiſtratum Haganum* p. 417. & 418.

fungantur. *Sanctitas*, inquies, atque hæc in Legatis major & abundantior eſt, quam in noſtris Delegatis. Vide, quid dicas. Agnoſco ſanctitatem in Legatis, ſed hæc non aliunde proficiſcitur, quam quod Legati fingantur quaſi extra territorium ejus, ad quem miſſi ſunt, & adhuc ſubditi ejus Principis, qui miſit, ut mihi videor probaſſe *Libro ſingulari de Foro Legatorum C.* 5. Nulla jurisdictio eſt ſine ſubjectione perſonæ vel rei, Legati non ſunt ſubditi Principis, apud quem morantur, neque adeo ex perſona ſua ibi forum ſortiuntur. An aliud dicemus de noſtris Delegatis? Si dicas, contradicunt Ordines Hollandiæ, nam in Decreto circa vigeſimam hereditatum 3. Apr. 1664. (1) aliarum Provinciarum Delegatos omnes eximunt a ſolutione ejus vigeſimæ, quia, inquiunt, intelliguntur domicilium ſuum retinuiſſe in Provinciis ſuis. Utraque quoque Curia in nuperis Reſponſis palam profeſſa eſt, Delegatos, in Hollandiam miſſos, eſſe & manere ſubditos ejus Provinciæ, quæ miſit. Atqui hæc ipſa ratio eſt, quod Legati, qui alibi officio ſuo funguntur, ibi nec accuſari, nec conveniri poſſint.

At, inquies, nihil ex eo efficitur, quam Delegatos illos eſſe habendos pro peregrinis, ſive non ſubditis, quod ſi largiamur, cur non etiam largiemur, idem in eos licere, quod licet in omnes peregrinos? Peregrinos autem, in criminalibus foro noſtro ſubjicimus eo ipſo, quod apud nos deliquerint, nam judex loci delicti etiam, quod ad peregrinos, judex competens eſt, &, in civilibus, ex arreſto perſonæ vel rei, etiam peregrinus apud nos forum ſortitur. Sic eſt, ſed tamen ſunt peregrini, qui apud nos morantur, & foro noſtro ſubjecti non ſunt. De veris Legatis nemo dubitaverit, ſed quæ in his ratio? Plures redduntur, at una apud Scriptores Juris Publici prævaluit, tam in cauſa criminali, quam pecuniaria, ne per coäctionem Principi ſuo reddantur inutiles. Unde Grotius *de Jur. B. & P. L.* II. *C.* 18. §. 9. *Omnis*, inquit, *coäctio a Legato abeſſe debet, tam quæ res ei neceſſarias, quam quæ perſonam tangit, quo plena ei ſit ſecuritas.* Si, commiſſo crimine, Legatus fiat carceris inquilinus, cogitur ejus perſona, & Principi, qui miſit, redditur inutilis, ut & cogitur, ſi, in cauſa civili, patiatur id, quod extremum eſt in jurisdictione. Exemplo igitur perniciosum eſt, ſi Legatus alteri ſubjiciatur, dum officio ſuo fungitur, & Principis ſui mandata explicat. Hæc Juris Gentium ratio eſt, ſed & ea ipſa Principibus Romanis perſuaſit, ut in quibusdam cauſis Legatis ſuis Provincialibus & Municipalibus tribuerint jus revocandi domum, *ne* ſcilicet *ab officio ſuſcepto Legationis avocentur, ne impediatur Legatio, ne prohibeantur publico munere fungi*, & quæ ſunt ſimiles ſententiæ. Sed hæc latius non exſequor, quia exſequutus ſum *de Foro Legatorum C.* 6. 7. & 8.

In veris Legatis quominus hæc obtineant, utraque Curia non intercedit, ſed negat, illos Delegatos pro veris Legatis eſſe habendos, quia veri Legati ab altero Principe mittuntur ad alterum, & conſtat, quamvis noſtri Delegati mittantur a Principe, non tamen mitti ad Principem. Fatendum ſane eſt, ne quidem eos Delegatos, qui a ſingulis Provinciis mittuntur ad Ordines Generales, mitti ad Principem, utut Ordines Generales apud exteros habeantur pro Principe Fœderati Belgii, neque enim alii ſunt illi Delegati, quam mandatarii ipſarum Provinciarum. Sed ſi tu putes, jus legationis non ſubſiſtere, niſi ad Principem Legati mittantur, id putas, quod forte aliis non perſuadebis. Vulgo mittitur Legatus a Principe ad Principem, ſed noli inde efficere, jus Legationis non ultra valere. An non, ut olim, ſic & noſtra memoria, Principes ſæpe Legatos ſuos mittunt ad certum locum, acturos de induciis, de pace, de aliis? An non Principes Germaniæ Legatos ſuos mittunt Ratisbonam, & ibi perpetuo habent, ut conſultent invicem de bono publico totius Germaniæ? Iis Legatis tu negabis jus revocandi domum, quamvis ad non Principem mittantur? Ego negare non auſim. Congreſſus, ut appellantur, Legatorum ſunt frequentiſſimi, & intereſt ſalutis publicæ, ut, ubicunque ſunt Legati, ſint tuto loco, & ea habeant ſarta tecta, ſine quibus Legatio explicari non poteſt.

Sufficit, ſi ubicunque ſint, prolatis Codicillis probent, ſe ibi eſſe, ut Principis ſui cauſam agant. Atqui, regerit utraque Curia, noſtri Delegati non agunt cauſam Principis ſui, ſed conveniunt in certum locum ad explicandam cauſam Fœderis communis. Sic eſt, at quæro, nunquid aliud ſit fœdus commune, quam cauſa Societatis, quam ſingulæ Provinciæ, per Delegatos ſuos, pro parte ſua regunt & defendunt? Socius, qui cum aliis ſociis agit cauſam ſocietatis, utique etiam agit cauſam ſuam, nam omnium ſociorum intereſt, ut bene ſit ſocietati: nec refert, an ſocius Princeps per ſe agat, an per mandatarios ſuos. Si judicio criminali vel civili ſubtrahas Delegatos, vel ex his unum, ſocietati regendæ eos, eumve, inutilem reddis. Imo vero, inquit Senatus Supremus, res ſocietatis etiam per alios, qui ſuperſunt, explicari poſſunt. Sed ſi ſubducas perſonam Legati, qui fere ſolus eſt, res Principis explicari non poteſt. At cum ſinguli Delegati habeant ſuffragium ſuum, utique unius perſona ſubducta, ſimul ſubducis ejus ſuffragium. In Collegio Ordinum Generalium ſæpe unus duntaxat Delegatus ſupereſt, qui totam, ex qua miſſus eſt, Provinciam repræſentat. Si hunc apprehendas, Provincia illa amittit jus ſuffragii, quod exemplo perniciosiſſimum eſt. Quod ſi plures ex una Provincia ſuperſint, uno dempto, aliter forte res cadet, quam ſi ejus quoque ſuffragium numeres. Et ſic etiam eſt in aliis Collegiis, quæ, in partibus ſibi demandatis, curam Fœderis habent. Poſſem nunc prolixe exponere, ſi vel unum unius Provinciæ Delegatum rebus agendis ſubtrahas, quanti ipſius Reipublicæ, & quanti ejus ipſius Provinciæ, quæ eum miſit, intereſſe poſſit, ſi non, quicunque naſum habet, id ſatis animadverteret. Ex uno ſæpe ſuffragio pendet, an in Titium, an in Mævium ſit conferendum munus maximi momenti, an res, quæ moram non patitur, hoc an illo modo ſit agenda, & quæ ſexcenta ejusmodi incidere poſſunt. Quanti igitur Principis intereſt, ne, per coäctionem, Legatus ſuus ei ſubducatur, tanti etiam unius Provinciæ intereſſe poteſt, ne ſimile quid fiat in Delegato ſuo.

Si ſana ratio in Juris Publici prudentia familiam ducat, hæc & hæc ſola, quod ad forum, inter Legatos, & noſtros, de quibus agimus, Delegatos non diſtinguet. Et ad *rationem* quoque

(1) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 773.

que provocant Ordines Generales Decreto ſuo 31. Aug. 1737. (2) quo Delegatorum cauſam Ordinibus Hollandiæ commendant. Si aliam, quam dixi, rationem urgeant, ego eorum cauſam nolim meam facere. Sed provocant quoque ad ipſum jus, ſed quod *jus* intelligant, neſcio, nam ipſa Legatorum prærogativa non eſt niſi ex tacita inter Gentes pactione, quam Gentibus ſana ratio perſuaſit. *Uſu* quoque ſe defendunt in eo Decreto, ſed conſultis iis, quæ dixi, de uſu & exemplis *Capite proximo*, nihil quicquam ex iis proficies. Eloquentia forenſis, quæ hodie in dicendo & ſcribendo obtinet, & qua etiam utuntur Ordines Generales, ſolet abundare ſynonimis & epithetis, & multo verborum agmine nihil aut parum explicare. Unde & Senatus Supremus in ſuo Reſponſo belle quærit, an, ut exemptio Legatorum eſt ex uſu inter Gentes, exteræ Provinciæ ſimili uſu ſe poſſint tueri? Et negat poſſe. Quin ait, ſi uſum mutuum deſideres, eum ne quidem fingi poſſe, cum Hollandia non mittat Delegatos ſuos in reliquas Provincias, ut reliquæ mittunt in Hollandiam, & ſic eſt, niſi quod Hollandi etiam ſuos Delegatos mittant in Collegia Admiralitatum, quæ ſunt in Zelandia & Friſia, ſed quum in cauſa criminali vel civili nihil ibi turbaverint, de uſu, quod ad forum, nihil omnino licet diſcere.

Sed tamen hæc me non moverint, ſi ratio, Juris Publici magiſtra, reſiſtat. Ad exempla provocare non ſemper eſt integrum. Propone inter duas Gentes Legatos, invicem miſſos, alterum in alterius imperio, nunquam deliquiſſe vel æs alienum contraxiſſe, an ideo corruet jus revocandi domum, quia nunquam inter eas Gentes eſt exercitum? Nemo dicet. Propone, exterum Principem ad nos mittere Legatum, qui nunquam antea miſit, an huic, ſi res incidat, negabimus prærogativam fori, quia nunquam inter nos interceſſit mutuus Legatorum uſus? Nemo dicet. Ex iis, quæ alibi obtinent, res definienda eſt, ſi rationem habeamus conſentientem. Quinimo tantum apud me valet ratio in hoc argumento, ut, etiamſi nullum exemplum exſtaret in alterutram ſententiam, vel duo vel plura in eandem, vel aliquot, ſibi invicem contraria, ſola ratio hæc omnia facile ſubigeret, nec quicquam me retraheret, niſi perpetua in contrarium conſuetudo, quæ cum non ſit, inanis ad eam eſt provocatio in utramque partem.

Si igitur in Delegatis noſtris eadem plane ſit ratio revocandi domum, quæ eſt in veris Legatis, cur non ea quoque uterentur noſtri Delegati? Sed vero, eadem ratione magiſtra, contra hæc alii ita inſurgunt: Delegatos eſſe oportere Viros bonos, ſceleriſque puros, repræſentare quidem Principem ſuum, ſed ut mandatarii mandantem, in iis nempe quæ mandata ſunt, mandatis non contineri, ut delinquant in alterius Imperio. An patiemur Delegatos in homines noſtros irruere, homicidia & adulteria committere, & violato prius jure publico, eodem jure uti ad eludendam pœnam, quam meruit, vel ſane ad eludendum judicium ejus, apud quem, & in quem, vel in cujus ſubditos ipſi deliquerint? An patiemur, Delegatos, in cauſa civili, alios ſibi obligare, cum ipſi non obligentur, alios ob quamcumque cauſam convenire, cum ipſi ob nullam conveniri poſſint? An patiemur, Delegatos contractibus privatis, qui nihil quicquam pertinent ad cauſam Delegationis, Civibus noſtris, more prædonis, imponere, eorumque res & pecunias domum auferre? Idque nulla ſæpe ſpe reſtitutionis, ob difficultates & impenſas itineris, ob periculum litigandi in alieno Imperio adverſus duriorem adverſarium? Et color quæſitus ei rei erit, ne quicquam impediatur Delegatio? Atque ſi ſcilicet Delegatis commodum eſſet contractus apud nos celebrare, & pecuniis Cives noſtros emungere, ſed non eſſet commodum litem de his rebus apud nos ſequi. Addo, quod Jure Romano, cujus vox ipſa Juris Gentium vox eſſe creditur, in Legatis Provincialibus & Municipalibus diſtinguatur, in legatione an ante legationem deliquerint vel contraxerint; ex delictis, in legatione commiſſis, coguntur judicium Romæ pati *l.* 24. §. 1. *ff. de Judic.* ex aliis non item *l.* 12. *ff. de Accuſat.* Similiter ſi ante legationem contraxerunt, non compelluntur Romæ ſe defendere *l.* 2. §. 4. *ff. de Judic.* cæterum ſi contraxerunt ibi, revocandi jus non habent *d.* §. 4. Rationem habes in *l.* 25. *ff. Eod. Aliter enim*, inquit Julianus, *poteſtas dabitur Legatis ſub hac ſpecie res alienas domum auferendi.* Atque hæc & alia etiam veris Legatis, in cauſa fori, objecta eſſe intelliges ex iis, quæ diſputavi *C.* VII. VIII. & XVII. *de Foro Legat.*

Habent profecto hæ rationes ſuum pondus; ſed ſimulac conſideraveris, in prærogativa fori, quam Legati habent, & Delegati ſibi vindicant, non tam ſpectari perſonam ipſius Legati vel Delegati, quam Principis, qui eos miſit, ſimul conſiderabis, aliam & longe fortiorem eſſe rationem, quæ eos eximit ab imperio & jurisdictione ejus, apud quem morantur. Non mittuntur, ut res ſuas agant, ſed ut agant res Principis ſui, quare placuit, ne delinquendo vel contrahendo Principi ſuo noceant, ut ſane nocerent, ſi ſubjicerentur foro alterius Principis. In crimine communi an non carcer, an non alia, quæ poſſunt incidere, turbabunt literarum commercia. In cauſis civilibus cui jurisdictionem damus, ea quoque damus, ſine quibus jurisdictio explicari non poteſt, & ſic tandem, niſi pareatur ſententiæ, parata eſt coactio, quin ipſa mala manſio, qua legationem impediri, & miniſterium Legati ſubduci ſatis eſt certiſſimum. Ne hoc fieret, in veris Legatis Jure Gentium placuit jus revocandi domum, ut in Opuſculo *de Foro Legatorum* plena manu exſequutus ſum, & donec ſit, qui, in cauſa fori, inter Legatos & Delegatos noſtros intereſſe probaverit, de his, quam de illis tantundem dicimus. Noli cauſari, ſic Cives noſtros, incautos & ignaros, emungi poſſe, nam reſpondebit Ulpianus in *l.* 19. *ff. de R. J.* &, ut Cives noſtri cum Legatis fere contrahunt dato fidejuſſore vel pignore, ſic & contrahant cum Delegatis, in Hollandiam miſſis. Et ſi metuas Civium, bona fide agentium, ignorantiam, Edicto propoſito fac eos certiores, ut, quod ad exteros Legatos, fecerunt Ordines Generales 9. Sept. 1679. (3).

Si Principis, non Legati perſona privilegio fori locum dederit, inanis eſt omnis declamatio contra ipſos Legatos, vel delinquentes vel contrahentes. Atque ex eo etiam facile intelliges, Legatos vel Delegatos foro Principis ſui renunciare non poſſe, vel ſe ſubmittere voluntariæ condemnationi ejus Judicis, apud quem morantur,

(2) *Exſtat ſeparatim & inter Acta Ordinum Generalium.*

(3) *Plac.* III. 1. 12. 8.

tur, quamquam ita viſum fuerit Curiæ in Reſponſo ſuo 10. Mart. 1738. Privilegia Legatorum competunt, ut ipſi Principibus ſuis magis utiles ſint, & eorum legatio nulla plane re impediatur. Pertinent igitur hæc privilegia ad cauſam Principis, non ad cauſam ipſius Legati; ſibi renunciatione ſua Legatus nocere poteſt, Principi non poteſt. Sed hæc jam dixi *de Foro Legat. C.* XXIV. *in fin.* & quum refutata non ſint, cur repetam?

Quod ex Jure Romano attuli de criminibus & contractibus, ante legationem vel in ipſa legatione commiſſis & celebratis, alienum plane eſt ab hoc loco, quia ibi agitur de Provinciis & Municipiis, Principi Romano ſubjectis, qui Legatos ſuos Romam mittebant ad eundem Principem. Agitur igitur de Legatis ſubditis, & Principis eſt de foro Subditorum ſuorum ſtatuere, ut ſibi videtur. Si diſtinxerit Princeps Romanus inter ea, quæ ante legationem vel in ipſa legatione acta geſta ſunt, ſic potuit diſtinguere, & forte ejus diſtinctionis aliqua ratio reddi poſſet, ſed hæc non pertinent ad Legatos, quos mittunt Principes ſui juris, quique ſemper manent Subditi eorundem Principum, ut ante legationem fuerant. Neque adeo hæc pertinent ad Provincias Fœderati Belgii, quæ ſingulæ ſunt ſui juris, & quarum Delegati, in Hollandiam miſſi, Subditorum conditionem mutarunt nunquam. Sed ſatis hæc excuſſi *de Foro Legatorum C.* VI.

Atque his conſequens eſt, quod Ordines Hollandiæ 3. Maj. 1680. & 3. Apr. 1723. decreverunt, ne, qui Conſiliariis Ordinum Generalium adſcripti eſſent, ob actiones perſonales hic convenirentur vel arreſto detinerentur, ut memoravi C. VIII. & quod Curia Hollandiæ, ut *ibidem* probavi, exceptionem fori declinatoriam, a Conſiliario eorumdem Ordinum apud ſe propoſitam, admiſerit, etiamſi ageretur de debito, durante delegatione hic contracto.

CAPUT X.

Iterum de eodem argumento.

Si, quæ hactenus diſputavimus, vera ſint, noſtri Delegati, ad inſtar Legatorum, jus habent revocandi domum tam in cauſa criminali, quam civili. Sed de foro criminis preſſius agamus *hoc Capite*, de foro contractus acturi *Capite proximo.* Scio, plurimos altum intonare de metu & periculo noſtrorum Civium, ſi Delegati apud nos delinquentes, non ſubjicerentur foro noſtro, iisdem uſi rationibus, quibus forum Legatorum oppugnari ſolet, ſed jam ſupra dixi, nihil eas valere ad ſubvertendam aliam rationem, quæ longe potentior eſt, & ſuadet, jubet, Delegationem nullo modo eſſe impediendam. Addo, de metu & periculo tantum non eſſe laborandum, ſi, ut oportet, in Delegatis admittas, quæ in ipſis Legatis obtinent. Poſſe nempe ſi vim & vim armatam minitentur, cuſtodia prohiberi, poſſe, ſi manu agant, manu repelli, poſſe finibus noſtris ejici, poſſe, ſi fugæ periculum ſit, apprehendi & ad Principem ſuum transmitti, ut ibi puniantur: noli enim putare, nos ſolos recte jus dicere, alibi monſtra hominum eſſe, qui reos impunitos dimittunt, ſed hæc jam occupavi C. XVII. XVIII. *&* XIX. *de Foro Legator.* neque adeo hic repeto.

In delictis diſtingui ſolet inter ea, quæ in officio, & quæ extra officium committuntur, & hæc quidem appellantur delicta *communia*, ut homicidium, adulterium, ſtuprum violentum, & plura ejusmodi. Atque inde quæri poteſt, an, quod ad forum Delegatorum, quicquam interſit, quomodo deliquerint? Ego quidem non diſtinxerim, non equidem quod delictis, in officio commiſſis, tribuam aliquod præcipuum, ſed quod Judex competens eorum Delegatorum, in communibus delictis, etiam ſit Judex competens eorum, quæ in officio delinquunt, niſi Fœderati Belgæ mutua conventione certum Judicem elegerint, ut de ejusmodi electione mox dicam. Cæteroquin quamvis quis in officio Ordinum Generalium delinquat, ſubditus eſt Judici ſuo Ordinario, quemadmodum Ordines Hollandiæ recte decreverunt 16. Sept. 1654. (1) in quam ſententiam exſtat quoque egregium Curiæ Hollandiæ Reſponſum 8. Oct. 1654. (2) idque ipſum eſt, quod Ordines Hollandiæ & decreverunt & edixerunt 3. Oct. 1656. (3) ſub iis tamen cautionibus, quæ in Decreto prolixius enumerantur.

Senatus Supremus in Reſponſo ſuo ad Ordines Hollandiæ in delictis communibus, in Delegatione vel ante Delegationem in Hollandia commiſſis, Delegatos ſubjicit foro Hollandico, quia nullam rationem habent, qua ſe eximant, at in delictis, in officio commiſſis, proclivior eſt, ut domum revocare poſſint. Videamus qua ratione, & quo jure nitatur diſtinctio. Delegati ad Collegium Ordinum Generalium varie poſſunt delinquere in officio, plerique habent Formam, a Provincia ſua ſibi præſcriptam, ſecundum quam officio ſuo funguntur, ſunt & qui non habent, ſed mandata accipiunt pro re nata. Si quid illi Delegati delinquant contra mandata, ſive generalia ſive ſpecialia, ſummam rationem habet, ne niſi mandantibus, iisque ſolis, eo nomine teneantur. Si mandata ſua exequantur, nihil eſt, quod iis imputes, etiamſi quod ad alias Provincias mandato crimen inſit. Et ea ipſa ratione etiam Curia in Reſponſo ſuo 10. Mart. 1738. iis Delegatis tribuit jus revocandi domum. Sed cur utraque Curia hæc transferat ad omnia delicta, in officio commiſſa, nondum potui animadvertere. Fac Delegatos ad Ordines Generales deliquiſſe ſine mandato, fac pecuniam accepiſſe, quo magis vel quo minus officium ſuum facerent, fac cum Legatis exterarum Gentium fuiſſe prævaricatos, fac per gratiam vel ſordes corruptos Reipublicæ nocuiſſe, cedo, cur in his omnibus unam Provinciam in judicando aliis præferas? me latet ea ratio. Habent quidem omnes illi Delegati Codicillos a Provinciis ſuis, ut iis intereſſe liceat Collegio Ordinum Generalium, ſed Codicilli forum non præbent, ſed ſola mandata, ſi eorum fines egreſſi ſint mandatarii. Absque eo ſi ſit, neſcio, cur non ex loco delicti, etiam foro Hollandico ſubjiciant, qui in Hollandia in officio deliquerunt.

Quin ultra progreditur Senatus, & omnibus etiam

(1) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 214.

(2) *Ibidem* p. 219.

(3) *Ibidem* p. 276.

etiam aliis, qui ab exteris Provinciis delegantur ad Conſiliarios Ordinum Generalium, ad eorundem Rationes & Collegia marina, largitur jus revocandi domum, ſi modo in officio deliquerint. Scire velim, quam ob cauſam, ſi non eam, quam ipſe præmiſi: Utique enim nemo eorum mandatum accipit vel accipere poteſt a Provincia, quæ eum miſit. Ordines Generales iis Codicillos præbent, ut in partibus, ſibi demandatis, res agant Fœderati Belgii ſecundum Formas, ab ipſis quoque Ordinibus Generalibus iis præſcriptas, & ſi quid committant, committunt in Leges vel Formas ſibi datas, nec eorum quicquam ſpecialiter ad ſingulas Provincias pertinet. Unde & Curia jus revocandi domum, quod largita eſt Delegatis ad Ordines Generales, non auſa eſt porrigere ad alios, quos modo dixi, Delegatos. Curia ſuadet, ut quædam in hanc rem excutiantur, ſed ſi ea excuſſeris, nihil invenies, niſi hoc unum, quod nunc proferam. Nempe in §. 32. *veteris Formæ*, quam Ordines Generales dederunt Conſiliariis ſuis 12. Apr. 1588. (4) cautum eſt, ſi quis ex iis Conſiliariis in officio deliquerit, & ſi quis ex primis, ut vocantur, Miniſtris, *den Treſaurier Generaal*, *Ontfanger Generaal*, *Fiſcaal en Secretaris*, eorum delicta, per delegationem, examinarentur & judicarentur ab his, qui Hagæ Comitis jus dicunt, in unum Collegium coactis. Quod ita mutatum eſt in §. 40. novæ Eorundem *Formæ* 18. Jul. 1651. (5) ut omnes illi, ſi accuſandi ſint alicujus criminis, in officio commiſſi, accuſarentur apud Supremam Curiam ejus Provinciæ, in qua illi Conſiliarii, de Republica acturi, conveniunt, utque eadem Curia etiam judicaret de primis illis, quos dixi, Miniſtris, ſin autem accuſatio eſſet inſtituta contra aliquem ex Conſiliariis, ut accuſatio, & inſtrumenta, eo pertinentia, transmitterentur ad Ordines Provinciæ, unde, qui accuſatur, miſſus eſt, & Ordines curarent, intra ſex hebdomadas ibi ſententiam dictum iri. An autem, quod ibi dicitur, pertineat ad omnia crimina, in officio commiſſa, an ad quædam duntaxat, diſputabo C. XII.

Eſt id, quod Formis illis inſertum eſt, omnino ſpeciale, & ſequendum, quia Fœderatis Belgis ita placuit, in aliis Delegatis nihil ejusmodi conſtitutum eſt. Et ſane, excepta cauſa mandati, quæ unice pertinet ad Ordines Generales, quicquid in officio delinquunt Delegati, delinquunt contra Rempublicam Fœderati Belgii, & quum ipſi Ordines Generales ex Fœdere Utrechtano jus non dicant, eorum non eſt, ſe his accuſationibus immiſcere, vel eos aliis mandare. Quid igitur? an eas judicabit Provincia, unde miſſus eſt, qui deliquit. Si me audias, judicabit, ſed quia in omnibus delictis, qui deliquit, ibi retinuit forum, quod ante habebat. Sin hoc neges, quo jure una Provincia judicabit de delictis, contra totam Rempublicam commiſſis? Ego certe ejus rei rationem non ſatis adſequor. Quare dicendum videbatur, ſi in delictis jus revocandi domum neges, etiam negandum eſſe in delictis, in officio commiſſis, ſi, ut plerumque fit, ad læſionem totius Reipublicæ pertineant. At quis tunc ea vindicabit? Judex loci delicti, nam is, ex ſententia Senatus Supremi, etiam eorum Delegatorum judex competens eſt in communibus delictis, & eo certe delabimur, ſimulac probatum ſit, delicta in officio nihil habere præcipui.

Igitur quod *d.* §. 40. Formæ Conſiliar. Ordd. Gener. placuit de transmittendis illis Conſiliariis ad Provinciam ſuam, ego non auſim extendere ad alios Delegatos, de quibus nihil ejusmodi conſtitutum eſt, niſi ex cauſa fori ordinarii, quod ibi retinuerunt. Ordines quoque Hollandiæ, quum in d. Decreto & Edicto 3. Oct. 1656. Hollandos ſuos, etiamſi deliquerint contra Ordines Generales, foro Hollandico ſubjiciunt, de iis Hollandis loquuntur, qui in Hollandia ſunt, & ibi Judicem ordinarium habent. Atque iidem Ordines, anno 1637. ut ſupra *C.* VIII. dicebam, ex loco commiſſi delicti tres Delegatos ab exteris Provinciis, etiamſi in officio Admiralitatis deliquiſſe dicerentur, foro Judicum Amſterdammenſium adſcribebant. Sed rurſus iidem Ordines, quum Utrechtanus anno 1686. in officio Admiralitatis apud Rotterdammenſes deliquiſſet, 26. Jan. ejusdem anni decreverunt, cauſa ad Ordines Utrechtanos transmitteretur, ut retuli *eodem C.* VIII. Tu forte putabis, quia in officio deliquerat, ego puto, quia jus habebat revocandi domum in omnibus delictis, nam crimen, quod commiſerat, non plus ad Utrechtanos pertinebat, quam ad reliquas Provincias, pecunia quippe corruptus officium aliquod vendiderat. Ex Epiſtula Ordinum Hollandiæ ad Ordines Tranſiſulaniæ 23. Mart. 1729. & ex Decreto Ordinum Hollandiæ 15. Sept. 1730. nihil effici poſſe, ſatis oſtendi *d. C.* VIII.

Sed nihil me movent auctoritates & exempla, nam in utramque partem adferuntur, & nihil minus ex iis effeceris, quam uſum perpetuum, qui remittendis reis, ſi in officio deliquerint, auctoritatem præbere poſſit. Unde nec Curia Hollandiæ inter delicta, quomodocunque commiſſa, diſtinguit, niſi quod Delegatis ad Comitia Ordinum Generalium, ſi in officio deliquerint, omni modo largiatur jus revocandi domum, ſive deliquerint contra mandata, ſive alio quocunque modo. Quod rationem non habere ſupra animadverſum eſt. Cæterum inter utramque Curiam convenit, quod ad communia delicta, omnes Delegatos eſſe habendos pro peregrinis, ſine ullo plane privilegio, retinuiſſe quidem forum priſtinum in Provincia ſua, atque ita & ibi accuſari & puniri poſſe, ſi Judex ejus fori prævenerit, ſed hoc iis non prodeſſe, ſi prævenerit Judex loci, in quo delictum eſt admiſſum, peregrinos, qui in Hollandia delinquunt, ibi peccare contra Majeſtatem Ordinum Hollandiæ, atque adeo ibi apprehendi & puniri poſſe. Si quid tamen Delegati deliquerint extra Hollandiam, utraque Curia conſentit, ad forum Hollandicum id non pertinere, ſic enim læſam non eſſe Majeſtatem Hollandicam, & poſſe tunc Delegatos revocare domum. Aliter forte reſponderent in vagabundis, qui nullibi domicilium vel forum habent. Quin ſi ipſi illi Delegati in Hollandia ſeſe invicem, vel alios peregrinos, occidant, pulſent, aliove modo lædant, dubitat Curia, an foro Hollandico ſubjici poſſint? Nihil quidem ipſa definit, ſed ad Ordines Hollandiæ eas cauſas putat eſſe remittendas, ut in ſingulis pro re nata decernant, & interea vim eſſe prohibendam.

Poſſim de his omnibus in conſilium ire, & quid mihi videatur, exponere, ſed cui bono, cum ipſe alia ſententia utar, & jus revocandi domum Delegatis noſtris nec minus, nec magis tribuam, quam ipſis Legatis. Scio, Delegatos non

(4) *Plac.* IV. 1. 3. p. 120.

(5) *Ibidem* p. 125.

non mitti ad delinquendum, & ſi delinquant, citra mandata delinquere, ſed hæc & alia ejuſdem farinæ centies dicta & refutata ſunt, ubi de Foro Legatorum ſermo incidit. Unice quærendum eſt, an non eadem ratio, quæ Legatos exemit a jurisdictione ejus Principis, apud quem legatione funguntur, etiam oporteat eximere noſtros Delegatos, qui, ubi morantur, ibi, ut ipſa Curia ait, neceſſario morantur, & quidem, ut mihi videtur, ad rem Principis ſui agendam. Neque adeo moror auctoritates & exempla, quibus præluxi *C.* VIII. Sunt & auctoritates ajentium, ſunt & negantium, &, quod ad delicta communia, duo duntaxat exempla commemoravi, nec ſcio plura exſtare, quibus Curia Hollandiæ duos Delegatos, alterum Gelrum, alterum Zelandum apud ſe accuſavit, ſed cur exemplum Zelandi in exemplum trahi non poſſit, jam monui *d. C.* VIII. Certe nemo auſit dicere, tot numero exſtare exempla, ut pro diuturna conſuetudine & tacita lege haberi poſſint.

Sed quid dicemus de illis Delegatis, qui derelicto priori domicilio, in ſola Hollandia perpetuo habitant, ut fere omnes Zelandi, qui ex Zelandia ad Ordines Generales, & alia, quæ ab his pendent, Collegia, ad vitam delegantur, non vero ad certos annos, ut ſolent frequentare reliquæ ſex Provinciæ? Et putem, hos eſſe accuſandos & conveniendos, ubi accuſantur & conveniuntur veri Legati, qui, antequam a Principe ſuo profecti ſunt, nullum habuerunt domicilium, vel plane deſeruerunt, nam qui retinuerunt, accuſantur & conveniuntur in foro priſtini domicilii. Utile eſt in hanc rem excutere, quæ diſputavi *de Foro Legatorum C.* X. *princ.* & §. *Supereſt*, & *C.* XVI. *vſ. Plus ſcire attinet.* Sed quid ſi exteræ Provinciæ utantur Delegatis, qui Hollandi ſunt, & ante Delegationem in Hollandia perpetuo habitarunt, ut utuntur ſæpius? Sane, quia eorum Delegatorum non eſt major dignitas vel prærogativa, quam ipſorum Legatorum, etiam in illis obtinebit Decretum Ordinum Generalium 19. Jun. 1681. (6) quod expoſui *d. Opuſculo C.* XI. Habebuntur igitur illi Delegati pro ſubditis Hollandiæ, niſi tamen ante Delegationem domicilium mutaverint, & habitatum iverint in ea Provincia, ex qua mittuntur, & quia, quantum intelligo, id fere ſolet uſu frequentari, non eſt, ut de ea quæſtione multum ſimus ſolliciti.

Famulos Delegatorum uti eodem foro, quo utuntur ipſi Delegati, dubitandum eſt. Sed inde nova querela. Famuli, laſcivum & petulans fere genus hominum, an homines noſtros impune poterunt laceſſere? An vitæ, bonis, exiſtimationi civium noſtrorum tuto inſultabunt? An delicto commiſſo, impune abibunt, vel apud nos manebunt, ut magis iis commodum eſt? Si legeris, quæ dixi *de Foro Legatorum C.* XX. a famulis Legatorum non tantum metues, & minus metues, ſi intellexeris, uſu fere invaluiſſe, ut etiam veri Legati famulos dedant Magiſtratui, ubi deliquerunt, quo Magiſtratus eos accuſet & puniat, & ubi Legati conveniunt ad pangendam pacem, ſæpe invicem ita quoque ſolent paciſci. Aliquando Legati famulos delinquentes mox ex officio dimittunt, quo poteſtas detur Magiſtratui eos apprehendendi & puniendi, & ſcio, mea memoria, nonnullos ad Ordines Generales Delegatos id exemplum fuiſſe ſequutos. Noli exſpectare, ut Delegati famulos ſuos quietem publicam turbantes, defendere & impunitos dimittere vellent.

CAPUT XI.

Tandem de eodem argumento.

Supereſt, ut dicamus de Foro Delegatorum in cauſa civili, & quum in ea quoque Delegatis tribuam jus revocandi domum, ut amoliar invidiam, quam video ex eo jure arceſſi, præmitto, etiam in veris Legatis eſſe quasdam exceptiones ab illa regula & rationis eſſe, ut illæ exceptiones tam in Delegatis, quam in Legatis obtineant. Curia in Reſponſo ſuo quinque ejusmodi exceptiones ſuggeſſit, ſed eas omnes nolim meas facere. Si agatur actione in rem, hic ſitam, ſi de hæreditate hic jacente, quæ & in rem actio eſt, recte hic conveniuntur Legati, ut jam oſtendi *de Foro Legator. C.* XVI. Sufficit, ut in rem agamus, ut ipſa res Judici ſit ſubdita, etiamſi perſona, ad quam pertineat, ſubdita non ſit. Tantumdem eſt, ſi de hæreditate agamus. Executio ſic fieri poteſt in rem, in hæreditatem, nec perſona Legati vel Delegati ſubducitur miniſterio Principis ſui, & ſic habes duas primas Curiæ exceptiones. Tertia eſt, hic recte conveniri ex iis cauſis, ex quibus abſentes conveniri poſſent. Sed neſcio, quid id ſibi velit, niſi intelligas de actione in rem, de qua jam dictum eſt, vel de cauſa Arreſti, de qua deinde agit Curia, & nos quoque mox agemus. Quarta apud Curiam exceptio eſt, ſi Legati vel Delegati pacto ſe ſubmiſerint Judicio Hollandico, ſed hanc exceptionem probare non poſſum, quia non poſſunt renunciare, niſi Juri ſuo, minime vero Juri Principis ſui, & in ſolius Principis gratiam obtinet jus revocandi domum: ſed nolim repetere, quæ in hanc rem jam dixi *C.* XXIV. *de Foro Legator.* Quinta Curiæ exceptio eſt in his, quæ in Hollandia contrahuntur *ad communem uſum vitæ.* Sed neque eam exceptionem probo, niſi arreſtum accedat, & quidem ejusmodi arreſtum, de quo mox audies, nam locum contractus per ſe hodie forum non tribuere, ſatis eſt certum. Si alias exceptiones deſideres, ſuppeditavi *C.* XVI. *de Foro Legator.* nam cui bono hic repetam, quæ ibi ſcripta ſunt?

Sed operæ pretium eſt, diligentius agamus de Foro civili. Senatus Supremus in ſuo Reſponſo fere nihil extricat. Delegatos ait conveniri poſſe, ubi morantur, ſalva exceptione fori, ſed ſatis animadvertis, ſic nihil eos reſpondere ad ea, de quibus rogati erant ſententiam, & ſic Ordines dimitti incertiores, quam dudum. Addunt tamen, extraneorum perſonas & bona, ad conſequendum æs alienum, hic arreſto detineri poſſe, & quosdam Senatores, quod ad arreſta perſonalia, illos Delegatos habuiſſe pro plane extraneis, neque adeo ab arreſto exemptis, quosdam tamen eorum perſonis gratiam arreſti feciſſe, & collidentibus pari numero ſuffragiis, nihil definiri potuiſſe, ſed rationes dubitandi in utram-que

(6) *Apud Formul. T.* II. *C.* 25. p. m. 299. & 300.

que partem adductas, non addunt, monent tamen, etiam eos Senatores, qui de jure conſulti reſpondebant, Delegatorum perſonas ab arreſto non eſſe immunes, ſatis fuiſſe proclives, ut ex benignitate & gratia eximerentur. Sed quod ad bona eorum Delegatorum, quæ in Hollandia ſunt, ſive immobilia, ſive mobilia, ſive uſui quotidiano ſerviant, ſive non, Senatus Supremus ſimpliciter arreſta permittebat, ſalvis tamen Conventionibus, quæ ea de re inter Hollandos Zelandoſque intercedebant. Atque ex his efficiebant, Titium bona Semproniæ, de quibus dixi ſupra *C.* VIII. in territorio Amſterdammenſi recte arreſtaſſe, & recte Mævium, Semproniæ maritum, ex cauſa arreſti conveniſſe apud Judices Amſterdammenſes.

Sic breviter Senatus, ſed Curia prolixius de Foro Hollandico in cauſis pecuniariis diſputavit, & plures ſpecies enarravit, de quibus quæri poteſt. Videamus de ſingulis. Certum eſt, ut narravi *d. C.* VIII. ipſos Ordines Generales, ſolis Hollandis diſſentientibus, 27. Jul. 1735. nihil aliud decreviſſe, quam ne de debito, ante Delegationem contracto, in Hollandia convenirentur vel arreſto detinerentur, & ait Curia, quia Delegati, de quibus agitur, hic neceſſario morari debent, & quia eorum delegatio non eſt impedienda, ſe id Decretum probare poſſe, ſalvis tamen quinque exceptionibus, de quibus modo dicebam. Sed ſi rationes, cur probant Decretum, ſubſiſtant, cur non & eas probabimus in debito, durante Delegatione hic contracto? Nam ſi ob debitum, hic contractum, conveniri & arreſtari poſſunt, &, ſi patiantur, quod extremum eſt in jurisdictione, utique non minus impedietur Delegatio, quam ſi id fiat ob debitum antiquius. Unde & in veris Legatis inter debita, in Legatione, an ante Legationem contracta jus Gentium non diſtinxit. Jus Romanum diſtinxit, & hanc diſtinctionem adoptaſſe videntur Ordines Generales, & forte ex æquitate adoptare poſſet Princeps, cujus in Delegatos eſt imperium & jurisdictio, ut erat Principis Romani in Legatos Provinciales & Municipales, ad quos ſolos referenda eſt Juris Romani diſtinctio, ut plus ſemel monui, ſed quo jure eam transferas ad Delegatos exterarum Provinciarum, qui non ſunt ſubditi Hollandiæ, ſed manent, ut ante fuerunt, ſubditi earum Provinciarum, quæ eos, rerum ſuarum cauſa, huc miſerunt? Sed toties id inculcavi, ut pudeat repetere.

Quamvis autem Curia ajat, ſe nunc probare poſſe diſtinctionem Juris Romani ab Ordinibus Generalibus anno 1735. adoptatam, non probavit tamen 4. Mart. 1712. admiſſa tunc exceptione fori, quam Delegatus Ultrajectinus, apud Curiam conventus, ibi propoſuerat, etiamſi conveniretur de debito, durante Delegatione in Hollandia contracto, ut hæc retuli *C.* VIII. Et ſi Curia nunc probet eam diſtinctionem, probanda utique erat, ut Jure Romano conſtituta eſt, ut nempe ex omni contractu, qui Romæ contraxit, Romæ conveniri poſſit, ſed Curia mox jurisprudentiam ſuam reſtringit ad contractus, de iis rebus initos, quæ pertinent *ad communem uſum vitæ*, & multas difficultates enumerat, quibus premerentur Cives noſtri, ſi neceſſe haberent cum Delegatis illis peregre litigare, ſed hæ ipſæ difficultates obtinent, ſi contractus ineantur etiam de iis rebus, quæ ad communem vitæ uſum non pertinent.

Sed ſive in omnibus, quæ contrahunt Delegati, ſive in his, quæ ad communem vitæ uſum pertinent, eos ſubjicias foro Hollandico, operæ pretium eſt ſcire, per quam regulam ea ſubjectio fiat. Utraque Curia illos Delegatos habet pro non ſubditis, & quidem ſine privilegio, atque ita habet eodem loco & jure, quo reliquos omnes peregrinos. Quod ſi ſit, in eis licet, quod in peregrinis licet: ubi autem arreſtis utimur, ut utimur apud nos, peregrinos foro noſtro ſubjicimus, ſive eorum perſonas, ſive eorum quaſcunque res auctoritate Judicis apprehendamus & detineamus. Alia ratio, qua non ſubditum jurisdictioni noſtræ adſcribamus, non ſuppetit, certe ego aliam non novi. Secundum hæc, ſi Delegati ſint absque ullo fori privilegio, quemadmodum utraque Curia plus ſemel teſtata eſt, recte videntur ſenſiſſe illi Senatores ex Supremo Senatu, qui Delegatorum perſonas, & quæcunque eorum bona arreſto ſubjiciebant, hoc enim jure utimur adverſus exteros, nec quiſquam, de jure conſultus, de jure aliter reſponderit.

Attamen alii Senatores ex eodem Senatu Delegatorum perſonas ab arreſto pronunciabant liberas, & ſic quoque pronunciat Curia in ſuo Reſponſo, quia, inquit Curia, Delegati, facto arreſto, redderentur inutiles obeundo muneri, ad quod obeundum miſſi ſunt, in præjudicium Provinciæ, quæ eos miſit. Atque ob eandem rationem Curia etiam bona mobilia Delegatorum, ſine quibus Delegatio obiri nequit, arreſto eximit. Eccur, ſcire velim, illæ exemptiones, ſi Delegatos habeas pro extraneis, absque ullo privilegio? Sane illæ ipſæ rationes, quæ Curiam movent, etiam me moverint, ut Delegatis, ad exemplum Legatorum, tribuerim jus revocandi domum, & ſi tribuas in cauſa civili, quidni & in criminali, ubi eædem rationes militant? Curiæ ſententia, in cauſa civili, a mea nihil quicquam diſcrepat. Agnoſcit, exceptis iis, quæ ex re ipſa ſtatim forum tribuunt, etiam in veris Legatis, arreſto opus eſſe, ut Delegati, ob actiones mere perſonales, apud nos conveniri poſſint, ſed ſimul prohibet ea arreſta, quæ obeundæ Delegationi impedimento eſſent, hoc eſt, arreſta perſonalia, & ejusmodi realia, quæ efficerent, ne Delegatis inſtructis & cum inſtrumento eſſe liceret. Quæ autem illa bona mobilia ſint, quæ ad Legationem pertineant, vel non pertineant, in veris Legatis excuſſi *de Foro Legatorum C.* XVI. & in Delegatis habeo pro repetitis.

Si Delegatorum perſonas ab arreſto eximas, ut eximit Curia, & exemerunt Ordines Hollandiæ binis Decretis, quæ commemoravi *C.* VIII. ſcire deſidero, quemadmodum id fieri poſſit, niſi per modum privilegii? Exteri, ut apud nos forum ſortiantur, arreſto detineri poſſunt, Delegati ſunt exteri, & tamen detineri nequeunt, ecce privilegium, & ecce eandem rationem, a Curia expoſitam, quæ in veris Legatis privilegium extorſit. Sed cum ea ratio ceſſet, ſi arreſto includamus ea, per quæ Legatio vel Delegatio nullo modo impediatur, ut ſunt res immobiles, actiones, credita, hæreditates, ejusmodi arreſta cum in Legatis tum in Delegatis omni jure permittimus. Ex bonis immobilibus, quæ apud nos ſunt, etiam ipſos Principes exteros, ad quos ea pertinent, foro noſtro ſubjicimus, ſi recte diſputavi *de Foro Legatorum C.* IV. Multo magis igitur ſubjicimus Legatos, arreſto captis bonis eorum immobilibus, ſive ejusmodi mobilibus, quibus ad obeundam Legationem non indigent, ſi nempe hæc apud nos deprehendantur, ſi indigeant vel ipſi Legati, vel eorum Uxores, ut ſunt, verbi gratia, ſupellex, aurum, argentum, lapides pretioſi, rhedæ penſiles, & ſi quid eſt ejusmodi, aliud dicerem, ut hæc latius ex-

explicavi *d. Libro C.* XVI. Tantundem dico de Delegatis noſtris, & tantundem de his etiam dixit Curia in ſua ad Ordines Hollandiæ epiſtula 10. Mart. 1738.

Ex his apparet, ex ſententia Curiæ, quam & noſtram facimus, in cauſa civili nihil quicquam intereſſe inter Legatum & Delegatum. Uterque ſubditus non eſt, uterque apud nos forum non ſortitur niſi ex arreſto, ſed ab arreſto immunis utriusque perſona, immunia utriusque utenſilia, & quæcunque ad utriusque exhibitionem & inſtructionem pertinent, benigna, ſi de his quæſtio incidat, erga utrumque interpretatione. Utriusque bona immobilia arreſto ſubjicimus, quin & mobilia, ſi ad Legationem vel Delegationem non pertineant, nam ſic non prohibentur ſuo munere fungi, & ſi ejusmodi arreſto forum ſortiantur, poſſunt & debent in foro noſtro nobiscum litigare, &, ſi vincantur, ea ipſa bona executioni dari poterunt, modo abſtineamus ab eorum perſonis & ejusmodi rebus, ſine quibus Legatio vel Delegatio nequit ſubſiſtere. Fac igitur utrumque in Hollandia bona immobilia non poſſidere, ut plerumque non poſſident, fac utrumque nihil ad nos attuliſſe, quam ea, quæ ad ſe exhibendum & inſtruendum pertinent, ut plerumque nihil aliud adferunt, jam deficit cauſa arreſti, atque adeo fori, neque ulla perſonalis actio adverſus utrumque exerceri poterit.

Igitur cauſam non video, cur tam anxie diſputemus de debito ante Legationem vel Delegationem, vel durante ea, contracto, & an quid Legati vel Delegati apud nos contraxerint de his, quæ pertinent vel non pertinent ad communem vitæ uſum, inanis enim eſt, ſi me audias, omnis ea diſputatio. Ubi quis ex ſola ſubjectione perſonæ forum ſortitur, ut in cauſis perſonalibus apud Romanos, uſu arreſtorum ibi incognito, poterat Princeps in quibusdam Subditos ſuos, quales erant Legati Provinciales & Municipales, ſubjicere foro contractus, & in quibusdam, ſi ibi contraxiſſent, rurſus eximere & tribuere jus revocandi domum. Sed ubi conſtat ex ſolo arreſto forum eſſe derivandum, ſi valeat arreſtum, de omni debito, ubicunque & quandocumque contracto, recte agitur in foro arreſti, ſi non valeat arreſtum, fruſtra de debito, veteri, an novo, ſumus ſolliciti. Debitum, quod Delegati durante Delegatione apud nos contraxerunt, non parit niſi obligationem & actionem perſonalem, & fatetur Curia, quod nemo diffitebitur, adverſus non Subditum non recte agi niſi interveniente arreſto. Rejecto igitur arreſto, quod ſpectat ad perſonam vel ſupellectilem Legati Delegative, ſi apud nos ſuperſint immobilia, vel mobilia, quorum in Legatione vel Delegatione nullus uſus eſt, hæc arreſto capiantur, & ex eo uterque ſortiatur forum in omnibus cauſis, ubicumque & quomodocumque, ut dixi, contractis, ſic enim non impeditur utriusque munus, neque ulla ratio eſt, cur de debito, ante Legationem vel Delegationem contracto, non etiam recte experiantur illi, quorum intereſt, poterant quippe, accedente arreſto, etiam contra eos abſentes experiri. Interim recte etiam monuit Curia, quæ de arreſtis dicta ſunt, non oportere ſubvertere Conventiones, quæ inter Hollandos & Zelandos de utrorumque Subditis exſtant.

Quum, ut ſupra dixi *C.* VIII. Ordines Hollandiæ etiam rogaſſent utriusque Curiæ ſententiam de arreſto, quo Titius in territorio Amſterdammenſi incluſerat omnia mobilia, veſtes, jocalia, aurum, argentum, numeratam pecuniam, & reliqua Semproniæ bona, an non ſcilicet ex cauſa ejus arreſti defendi poſſet jurisdictio Judicum Amſterdammenſium contra Mævium, qua maritum Semproniæ, Senatus Supremus reſpondit, utique defendi poſſe, nec aliter reſpondere potuit, quia, ut ſupra dicebam, omnium Delegatorum quascumque res, absque ulla diſtinctione, arreſto, aque ita foro noſtro ſubjecerat. Et Curia reſpondit, ſibi quoque videri, ex arreſto, poſtea facto, ſubſiſtere jurisdictionem Amſterdammenſium, ſi tamen Mævius e re ſua putaret, fori præſcriptionem ibi proponere, Scabinos, &, ſi appellatum eſſet, ſe quoque de ea judicaturos ex animi ſui ſententia. Sed quia Curia inter bona Delegatorum diſtinxerat, alia arreſto ſubjiciens, alia non item, forte ea diſtinctio hic erat repetenda, & ſuadendum, ut Scabini Amſterdammenſes ſecundum eam judicarent, eo magis, quod ex inſtrumentis, ad utramque Curiam transmiſſis, non ſatis conſtaret, quæ Semproniæ bona arreſto incluſa eſſent, quod tamen intererat ſcire, ſi, ut Curia opinatur, & ego quoque opinor, ſecundum illam diſtinctionem ſententia eſſet dicenda. Quum Ordines Hollandiæ etiam Judices Amſterdammenſes rogasſent, quid ſibi videretur de ſua jurisdictione in hoc facto, illi reſponderunt 17. Sept. 1737. (1). Si Mævius de foro incompetenti excipere paratus ſit, ſuarum tunc partium eſſe æſtimare, an ſua ſit jurisdictio, movent tamen, eorum Delegatorum utique non majorem eſſe eminentiam, quam eſt ipſorum Legatorum, & quod ad ipſos Legatos Ordines Generales decreviſſe, in iis quæ ante Legationem hic acta geſta ſunt, Legatos ſtatum non mutare, atque ita ſubditos manere veteri foro, hanc autem Titii actionem natam fuiſſe, antequam Sempronia nuberet Titio. Credo, illos Judices reſpexiſſe ad Decretum Ordinum Generalium 19. Jun. 1681. (2). Sed quis ex eo effecerit, viduam, quæ Amſterdami habitabat, ut habitavit Sempronia, poſtea nuptam Mævio Gelro, forum priſtinum retinuiſſe, nec tranſiiſſe in poteſtatem & forum mariti ſui? Ut id dicamus, leges moresque repugnant. Sempronia, poſt ſecundas nuptias, amiſerat perſonam ſtandi in judicio, & omnino ſtatum mutaverat, quare ipſa amplius conveniri non poterat, ſed conveniendus erat maritus, qui eam repræſentabat, & ubi conveniendus, niſi in foro ſuo, quod & forum uxoris erat. Conveniendus igitur in Gelria, niſi arreſtum aliud quoque forum tribuiſſet.

Transmiſſis ad Ordines Hollandiæ utriusque Curiæ Reſponſis Hi decreverunt, Delegati ſui cum Delegatis utriusque Curiæ ea de re amplius deliberarent. Quod cum factum eſſet, urgentibus in primis Gelris, 11. Febr. 1739. quibusdam Hollandiæ Delegatis viſum eſt, eam teſtationem, quam ab Hollandis flagitabant reliquæ Provinciæ, ſimpliciter negandam eſſe, hoc ſuperdicto, Ordines Hollandiæ in ſingulis factis, quæ inciderent, eſſe decreturos pro re nata. Sed alii Hollandiæ Delegati, & quidem plures numero, exiſtimabant, rogandos eſſe utriusque Curiæ Delegatos, ut quid excogitare & componere

(1) *Exſtat Reſponſum Separatim & inter Acta Ordinum.*

(2) *Eſt in Formulario Tom.* II. *C.* 25. p. m. 299. & 300.

re vellent, quod Majeſtatem Hollandiæ quam minime læderet, & tamen reliquis Provinciis, per modum transactionis, ſatisfacere poſſet. Quod quum placuiſſet, eſt aliquid ejusmodi excogitatum, compoſitum, ab utraque Curia probatum, & Ordinibus Hollandiæ porrectum. Quem res habitura ſit exitum, dicat, qui vates eſt. Ipſa capita tranſactionis, ut nunc concepta & præparata ſunt, nolim recenſere, nam ſi diſplicuerint, ſcire nihil attinet, ſi placuerint, & quicquid ex his placuerit, mox publici juris erit. Interim habes hic, quid utraque Curiæ & quid mihi ſedeat de illuſtri hoc argumento.

CAPUT XII.

De Foro Quæſtoris Generalis Fœderati Belgii, ſi in Officio deliquerit.

Quod ſupra dixi *C.* X. ſi quid in officio deliquerint Conſiliarii Ordinum Generalium, vel eorum primi, ut vocantur, Miniſtri, id, quod ad illos Miniſtros attinet, judicari a Suprema Curia ejus Provinciæ, in qua id Collegium officio ſuo fungitur, videamus, an generaliter verum ſit, an vero reſtringi oporteat ad quædam duntaxat crimina? Inſigne factum, quod anno 1722. incidit, huic Quæſtioni cauſam præbuit. Præfectus Ærario Ordinum Generalium (*den Ontfanger Generaal van de Unie*) qui inter primos Miniſtros ejus Collegii eſt, ad Conſiliarios illos in jus vocatur *by Mandament van dagvaarding*, *in perſoon over ſaken*, ut ajebat Mandatum, *ſyn ampt en adminiſtratie concernerende*. Præfectus, ſic in jus vocatus, adit Supremum in Hollandia Senatum, & ait, ſi quid ipſe deliquiſſet in officio, ejus rei jurisdictionem a Fœderatis Belgis eſſe delegatam Senatui Supremo, ita enim de Præfecto Ærario & aliis majoribus Miniſtris cautum eſſe §. 40. novæ Formæ Conſiliariorum Fœderati Belgii 18. Jul. 1651. (1) & ea ratione implorat a Senatu Mandatum, quo Conſiliariis illis interdiceretur accuſationem, apud ſe inſtitutam, proſequi. Quum res hæc eſſet magni momenti, nec minoris exempli, utpote quæ & ad alios majores Miniſtros ibi officio ſuo fungentes ſpectaret, quin & ad ipſos Conſiliarios, quod ad formam accuſationis, Senatus, priusquam quicquid ſtatueret, 27. Maj. 1722. partes audiri jubet, *met ſurcheance*. Conſiliarii Ordinum Generalium nihilominus pergunt, & 28. Maj. ad Senatum Supremum ſcribunt, ſe recte pergere, nam ex §. 35. & aliis ſequentibus ad usque §. 40. ejusdem Formæ 1651. ſatis liquere, non aliam jurisdictionem Senatui eſſe delegatam, quam ſpecialem, reſpectu eorum criminum, quæ in *d.* §. 35. enumerata ſunt, & ſancte ſe adfirmare, accuſationem, apud ſe inſtitutam, ad illa crimina non pertinere, ſed ordinem judiciorum non pati, ut alia, quorum nomine accuſabatur, adhuc liceat revelare.

Præfectus interea non tantum a Senatu Supremo implorat *Mandament van Attentaten Pœnaal*, ſed & ſimul adit Ordines Hollandiæ, porrecto libello, ut ſe adverſus illos Conſiliarios tueri vellent, nam quamvis in officio deliquiſſet, & quicquid deliquiſſet, ejus rei cognitionem ad Conſiliarios illos non pertinere, non tantum argumento *d.* §. 40. ſed & quod eſſet Hollandus, nam de Hollandis, in Hollandia morantibus, certum eſſe, etiamſi deliquerint in officio Ordinum Generalium, accuſari vel puniri non poſſe niſi a Judice Hollando, cujus foro ſunt ſubditi, atque ita cautum eſſe notiſſimo Ordinum Hollandiæ Decreto & Edicto 3. Oct. 1656.

Quum Ordines decreviſſent, Delegati ſui & Delegati utriusque Curiæ de eo libello ſimul deliberarent, & ei deliberationi dictus eſſet dies 11. Jun. 1722. pridie ejus diei in Senatu Supremo actum & prolixe diſputatum eſt, quid Ordinibus, Senatus nomine, eſſet ſuggerendum. Quidam Senatores exiſtimabant, & in eo adſentientes habebant reliquos, ſupremum tribunal, cujus meminit *d.* §. 40. utique nunc eſſe Supremum in Hollandia Senatum, deinde exiſtimabant omnia omnino delicta, quæ in officio perpetrarent primi Conſiliariorum Miniſtri, nullis exceptis, pertinere ad Delegationem, Supremæ Curiæ factam, eſſe quidem nonnulla crimina ſpecialiter enumerata in §. 28. veteris Formæ Conſiliariorum Fœderati Belgii 12. Apr. 1588. (2) & *d.* §. 35. novæ Formæ 18. Jul. 1651. ſed ſibi videri, ea crimina exempli duntaxat gratia enumerata eſſe, cum nulla plane ſit ratio, cur alia exciperentur, quin in §. 32. veteris Formæ has Delegationis rationes reddi, ne ſcilicet Conſiliarii Ordinum Generalium, illis deliberationibus nimium occupati, avocarentur a conſiliis de re publica ineundis, & ne inter Conſiliarios de his rebus aliqua contentio oriatur, quæ duæ rationes utique omnibus criminibus perſequendis conveniunt, eas quidem rationes non eſſe expreſſas in *d.* §. 40. novæ Formæ, ſed ex veteri pro repetitis eſſe habendas.

Alii vero Senatores his rationibus fortiter reſtitere, rati, omnes Delegationes eſſe ſtrictiſſimæ interpretationis, & in eo convenire, quiqui de Delegationibus commentati ſunt, in §. 28. veteris Formæ quædam duntaxat crimina recenſeri, quæ ad duo capita referri poſſunt, alterum, ne quis ex Conſiliariis, primis Miniſtris vel minoribus Officialibus particeps eſſe velit ullius rei, de qua apud Conſiliarios deliberandum eſt, & ne dona munera, etiam eſculenta & potulenta a quoquam, qui apud Conſiliarios illos aliquid agendum habet, habuit vel habiturus eſt, accipere velint, ſtatuta, ſi quis contra feciſſet, pœna, hæc, inquiebant, crimina duntaxat recenſeri in *d.* §. 28. & de his ipſis ſolum ſermonem eſſe in §§. 29. 30. & 31. atque ita ſuccedere Delegationem in §. 32. & hanc referri *tot de exceſſen*, IN DE VOORSCHREVE ARTICULEN GEMELD, & rurſus *tot zodanige exceſſen*, ALS HIER VOREN GEMENTIONEERT ZYN, & ea delicta eſſe punienda *agtervolgens het diſpoſitif* VAN DE VOORSCHREVE ARTICULEN. Addebant illi Senatores, non aliter ſe rem habere in nova Forma, nam poſtquam de his ipſis criminibus actum eſſet in §§. 35. 36. 37. 38. ſic incipere §. 39. *En op dat* DE VOORSCHREVE EXCESSEN *behoorlyk mogen werden gerecherchеert*, & porro tunc præcipi, quemadmodum minores officiales accuſandi ſint, ſi ſuſpicioni cauſam dederint, & ſic mox addi in §. 40.

(1) *Plac.* IV. 1. 3. p. 135.

(2) *Plac. ibidem* p. 120.

§. 40. *En zoo de ſuſpicie valt tegen iemand van den Raad, Theſaurier Generaal, Ontfanger Generaal, Secretaris van den Raad* &c. Atque ex his efficiebant, omnia, quæ de Delegatione dicuntur in *d.* §§. 32. *&* 40. eſſe referenda ad præcedentes §§. & crimina, ibidem expreſſa, nam ſi de omnibus criminibus, in officio commiſſis, jurisdictionem delegare voluiſſent Ordines Fœderati, potuiſſe & debuiſſe tunc uno verbo dicere, *de exceſſen in officio begaan*, in delegata jurisdictione non licere argumentum ducere a paritate rationis, vel a ſimili, vel a rationibus, ipſi Delegationi adjectis, idque in re tam odioſa, ut eſt omnis Delegatio, & minus licere contra aperta Ordinum Delegantium verba.

Hæc pleroſque Senatores & etiam me moverunt, ut 10. Jun. 1722. (3) decretum ſit, per Delegatos noſtros Ordinibus Hollandiæ ſignificaretur, Senatum Supremum ſibi jurisdictionem non adrogare de his, quæ Conſiliarii Ordinum Generalium, accuſatione inſtituta, moliebantur contra præfectum Ærario, ea tamen lege, ut, ſi poſtea appareret, accuſationem verſari circa crimina, Senatui delegata, de his ſalva eſſet Senatus jurisdictio, & porro ſignificaretur, quod ad alia crimina, in officio commiſſa, & controverſam de his jurisdictionem, utrum nempe judicanda ſint a Conſiliariis Ordinum Generalium ex eorum Forma, an vero a Curia Hollandiæ, an ab aliis Judicibus, ex d. Decreto & Edicto 3. Oct. 1656. eos diſputare poſſe, ad quos ea res pertinet. Delegati autem Curiæ cenſuerunt, priusquam Curia ſententiam ſuam diceret, rogandos eſſe Conſiliarios Ordinum Generalium, ut exponere vellent rationes, quibus moti ſibi adrogarent cognitionem de criminibus, Senatui non delegatis, & ſecundum eos decreverunt Ordines Hollandiæ 11. Jun. 1722.

Igitur Conſiliarii Ordinum Generalium duabus Epiſtulis, ad Ordines Generales ſcriptis, exponunt rationes ſuæ jurisdictionis, & de his utriusque Curiæ ſententiam explorari jubent Ordines 19. Jun. 1722. Deliberatum ea de re eſt in Senatu Supremo 22. Jun. ejusdem anni, ſed ita deliberatum ut ex Hollandorum ſententia, expresſa in eorum Decreto 16. Sept. 1654. & d. Edicto 3. Oct. 1656. (de quo utroque plenius dixi ſupra *C.* X.) Senatus agnoverit, ſi contra Hollandos, in Hollandia hærentes, agendum ſit, etiam quod ad crimina, in officio Ordinum Generalium commiſſa, apud Judicem Hollandicum eſſe agendum, ſed quia Ordines Hollandiæ in prooemio d. Ed. 3. Oct. 1656. ajunt, eo Edicto non præjudicatum iri Formæ, quam Conſiliarii Ordinum Generalium a Fœderatis Belgis accepere, ii Conſiliarii, duabus illis Epiſtulis, primum id operæ dederunt, ut probarent, ſibi competere jurisdictionem civilem in omnes Quæſtores, atque ita & in Quæſtorem Generalem Fœderati Belgii, hos ſe adigere ad rationum redditionem, & ſi de rationibus controverſia incidat, de ea ſe judicare ex animi ſui ſententia. Eſtque id ſatis liquidum tam ex §. 18. eorum novæ Formæ, quam ex variis ſententiis, contra illos Quæſtores latis, & exſtant quoque Ordinum Hollandiæ Decreta, quibus id eorum jus, tanquam jus certum, continetur, nec ſcio, quemquam eſſe, qui de cauſis civilibus iis unquam litem moverit. Atque inde efficiebant, etiam de cauſis criminalibus adverſus illos Quæſtores ſuam eſſe oportere jurisdictionem, neque enim pati negotiorum naturam, vel judiciorum ordinem, ut hæ cauſæ dividantur, & cauſa civilis judicetur ab altero, criminalis, circa eandem rem, judicetur ab altero Judice, nam alium Judicem, quisquis ille ſit, de crimine non recte judicare, niſi ex ſua delatione, & ex iis inſtrumentis, quæ in cauſa civili ſibi comperta & exhibita ſunt, a ſe exſpectari non poſſe, ut ſoli ſint Delatores, & eo officio fungantur apud Curiam Hollandiæ, vel forte etiam apud Scabinos alicujus Urbis vel Pagi, quorum in Quæſtores ordinaria eſſet jurisdictio. Ad hæc ſe Libros ſuos, Edicta, Decreta, Rationes, & alia inſtrumenta, quæ penes ſe ſunt, & ex quibus ſæpe accuſatio peragenda eſt, ad alios Judices deferre nec poſſe, nec debere ſine maximo Reipublicæ detrimento. Addebant & alias rationes ab utili, ab abſurdo, quin & ab impoſſibili petitas, & ex his omnibus rebantur conſtare, jurisdictionem criminalem contra Quæſtorem Generalem a ſe avocari non poſſe.

Erant & apud nos Senatores, qui has rationes probabant, & porro provocabant ad jus commune in *l.* 3. *C. de Ordine Judic.* ubi Imperatores ita reſcribunt; *Cum civili diſceptationi, principaliter motæ, quæſtio criminis incidit, vel crimini, prius inſtituto, civilis cauſa adjungitur, poteſt judex eodem tempore utramque diſceptationem ſua ſententia dirimere.* Et ajebant id jus etiam uſu eſſe receptum, & ſic Senatum Supremum ſervare, & ſemper ſervaſſe, ſi, verbi gratia, cauſa civilis, etiam ex appellatione, apud Senatum pendeat, & appareat, teſtes in ea cauſa falſum teſtimonium dixiſſe, ipſos enim teſtes tunc etiam a Senatu judicari. At vero Senatores, qui ea ſententia utebantur, vix numerum faciebant, reliqui omnes, &, ni fallor, recte adverſus hæc inſurgebant, & cum maxime urgebant, ipſos illos Conſiliarios Ordinum Generalium non uti niſi mandata, ſive, ut loquuntur, delegata jurisdictione, & poſſe vel omnem jurisdictionem mandari, vel unam duntaxat ſpeciem *l.* 16. *ff. de Jurisd.* & in omni Delegatione veriſſimum esſe, quicquid ſpecialiter delegatum non eſt, ad Judicem delegatum non pertinere, atque inde §. 50. novæ eorumdem Conſiliariorum Formæ eſſe inſertum *dat alle ſaken, ter diſpoſitie van den Raad niet expreſſelyk geſteld, zullen blyven ter diſpoſitie van de Staten Generaal, de Staten van de particuliere Provincien, de Magiſtraten van de Steden en andere Wettelyke Overigheden, elk in haar reguard;* criminalem igitur jurisdictionem in Quæſtores Conſiliariis non competere, niſi ſibi delegatam probent, & id probaturos eſſe nunquam, fruſtra quoque diſputari a conſequentiis, ab utili, ab abſurdo, ab impoſſibili, & ſi quid his eſt ſimile, nam in Delegatione, quæ ſtrictiſſimæ eſt interpretationis, Senatum has rationes ſupra jam rejeciſſe, etiam cum de ſua ipſius jurisdictione ageretur, neque etiam valere regulam ex *d. l.* 3. *C. de Ordin. judic.* niſi in judice ordinario, cujus in reum omnimoda jurisdictio eſt, minime autem in judice delegato, qui ſolam habet jurisdictionem civilem. Placuit igitur, 22. Jun. 1722. (4) Senatus nomine, Ordinibus reſponderetur, Conſiliariis Ordinum Generalium nullam eſſe jurisdictionem de delictis, quæ in officio commiſiſſet Præfectus Ærario, ſed nihil reſponderetur de alio foro, ad quod remittendus eſſet; cum quod de eo ſententiam rogatus non

(3) *Obſervat. Tumult. T.* VIII. *n.* 1855.

(4) *Ibidem n.* 1859.

non eſſet Senatus, tum quod in facto quædam Senatum latebant, quæ ſcire neceſſe erat, priusquam de alio foro quicquam definire poſſet. Simpliciter ait d. Edictum 3. Oct. 1656. eum, qui in officio Ordinum Generalium deliquiſſet, judicatum iri ab eo, qui Judex ejus competens erat, antequam eo officio fungeretur.

Deliberatum ea de re eſt cum Delegatis Ordinum & Curiæ 24. Jun. 1722. & ita, ut dixi, a Delegatis Senatus reſponſum. Delegati Curiæ dixerunt, ſi de ſummo jure quæratur, ſe a Delegatis noſtris non diſſentire, ſibi tamen videri, oportere Ordines Fœderati Belgii hanc contra Quæſtorem Generalem cauſam criminalem de novo mandare Conſiliariis Ordinum Generalium, tantam enim eſſe cauſæ civilis & criminalis continentiam, ut revera ſeparari non poſſent, & tam prægnantes præterea eſſe alias Conſiliariorum rationes, ut hoc εὕρημα ſuaderent. Delegati Ordinum, qui huic deliberationi intererant, ſententiis diſcrepabant, plures numero ſecundum illos Conſiliarios reſpondebant, ſed alii ſecundum noſtros Delegatos, exploſo illo εὑρήματι Curiæ, utpote de quo interrogata non erat, interrogatam eſſe de Jure, & de Jure reſpondendum fuiſſe, fruſtra hic quæri de novis legibus, & has utique futuris negotiis duntaxat formam dare, non præteritis vel jam exſtantibus. Poſtquam autem eodem die hæc omnia ad Ordines Hollandiæ eſſent relata, Delegati Urbium, ex quibus Ordinum Collegium conſtat, noluerunt ſententiam dicere, niſi conſultis prius Urbium ſuarum Magiſtratibus, atque ita nihil tunc definitum eſt, nec comperi, quicquam etiam poſtea definitum eſſe. Quæſtor autem, ratus, ſe molliores deinde Conſiliarios eſſe nactum, facile paſſus eſt, judicium apud illos Conſiliarios ageretur, & actum eſt eo eventu, ut Quæſtor ab illis Conſiliariis fuerit abſolutus 19. Apr. 1724. Recte, an ſecus, non eſt, ut dicam. De ſolo foro apud Ordines erat quæſtio, & quid tibi, Lector, de ea videatur, decerne ex iis, quæ in utramque partem diſputata ſunt.

CAPUT XIII.

De Foro Militum in cauſa delicti.

Quousque Judicum militarium jurisdictio porrigatur, tam in cauſa criminali, quam civili, difficilis ſane eſt inſpectio, eoque difficilior, quod aliud lex & ratio, aliud uſus videatur probare, in nonnullis utique cauſis, de quibus deinde plenius erit agendum. Interea hoc putem ſatis conſtare, omnem jurisdictionem militarem, quæcunque apud nos exercetur, ſive a judice inferiori, ſive a Supremo Senatu militari, ſive ab ipſis Conſiliariis Ordinum Generalium, ſi a Jure Romano recedat, non eſſe habendam niſi pro jurisdictione *delegata*, utque jurisdictionis delegatæ proprium eſt, ne quis alia utatur, quam quæ ſpecialiter in his illisve cauſis conceſſa eſt, recte deſideramus a judice, qui ejusmodi delegata jurisdictione utitur, ut probare velit, quid ordinario Judici ademptum & ſibi datum ſit; absque ea enim probatione omnis jurisdictio pertinebit ad eum, qui alioquin a Principe habet omnimodam jurisdictionem, & ſic etiam expreſſe cautum eſt §. 50. Form. Conſiliar. Fœder. Belg 1651. ut plenius dixi *ad finem Capitis proximi.*

Ut a cauſa delicti primum ordiamur, Jure Romano quidem delicta militum bifariam diſtinguebantur, nam *aut propria erant*, *aut cum ceteris communia*, ut Arrius Menander hæc expreſſit in *l.* 2. *pr. ff. de Re milit.* & proprium militare delictum mox definit, *quod quis uti miles admittit*, & inde diſcimus, commune delictum cenſeri, quod miles admittit ſine ullo militiæ reſpectu. Poſtquam autem Arrius militum delicta diſtinxiſſet in *d. l.* 2. *pr.* mox addit, *unde & perſecutio aut propria aut communis eſt*, id eſt, aut pertinet ad judicem militarem, ſi delictum ſit militare, aut ad judicem communem, ſi delictum ſit commune. Deſertorem igitur militiæ Præſes Provinciæ cum elogio remittet ad ſuum Ducem, niſi ille deſertor gravius delictum commune admiſerit in ea Provincia, tunc enim ipſe Præſes in eum animadvertet *l.* 3. *pr. ff. de Re milit.* Quare prolixe falluntur, qui apud Romanos omnia militum crimina a ſolo militari judice vindicanda cenſent (1), ſed illis hominibus os obturare eſſet otio abuti, & hoc jam non agimus.

Dicamus Jure Romano conſtare, militem in delictis militaribus a militaribus, in communibus a civilibus judicibus eſſe judicandum, ſed eam diſtinctionem communiter eſſe obſoletam teſtatur Julius Clarus (2), & receptum, ut militares judices de quibuscunque militum delictis judicent, quin &, ut in communi delicto a civili judice deprehenſi, ad militarem transmittantur. Sed in Belgio Fœderato id usquequaque verum eſſe, non potui animadvertere. Ex §. 68. Edicti de Criminibus 5. Jul. 1570. de militaribus militum delictis, aut aliis, quæ in Caſtris admittuntur, vel ſi res ſit inter duos milites, Senatus Militaris cognoſcit, de criminibus autem communibus cognoſcit Judex communis. Sic ibi generaliter, & ſic olim curia Hollandiæ de communibus militum delictis judicavit (3). Sed quod ad milites Prætorianos & Cives Bruxellenſes Carolus V. 29. Mart. 1548. (4) ſpecialiter conſtituit, ut militaris judex civem captum ad Magiſtratum remitteret, & Magiſtratus militem quomodocumque delinquentem, ad militarem judicem. Quam conſtitutionem confirmavit & auxit Philippus II. in §§. 69. 70. & 71. d. Edict. de Crimin. Anno quoque 1632. 1. Maj. (5) inter Orangium Dynaſtam & Magiſtratum Haganum convenit, ut miles, quamvis in communi delicto a Magiſtratu apprehenſus, militari judici traderetur, & civis, a militaribus captus, traderetur Judici Civili; idque jus eſſe commune Supremus Senatus militaris tunc eſt teſtatus (6). Curia Friſiæ, quamvis anno 1606. militem, in communi delicto a Civili Judice apprehenſum, etiam ab eo ju-

(1) Quemadmodum Voet *de jure milit. C.* VII. *n.* 8.
(2) §. *fin. Quæſt.* 35. *n.* 24.
(3) Loenius *Caſu* 51.
(4) Apud Leeuwen *poſt* §. 71. *Edict. de Crimin.*
(5) Van Dalen *notab. Krygs-beſoign.* p. 77. 78. & 79.
(6) Idem *ibidem* p. 78.

judicandum eſſe cenſuerit, anno tamen 1632. ſi miles a Militari Judice prius fuerit apprehenſus, ab eodem judicandum, atque ita præventioni locum eſſe probavit, & ita, tanquam ex jure Hollandico, ſcripſit Groenewegen *de LL. Abrog.* ad *l.* 6. *C. de Jurisdict. omn. Judic.* & ad *l.* 1. *C. de exhib. & tranſmit. reis.* & Conſultores apud Bort *Tractaat Crimineel T.* I. §. 50. *vſ. Maar wat. & ſeq.* & Voet *de jure milit. C.* 7. *n.* 9. & præventioni locum eſſe, quamvis nulla facta fuerit apprehenſio, anno 1630. contra Curiam Hollandiæ etiam Orangius defendit (7). Sed hæc nec Juri Romano conveniunt, nec *d.* §. 68. Edict. de Crimin.

Ceterum liberæ Reipublicæ temporibus hic revocata fuit illa, quam dixi, militarium communiumque delictorum diſtinctio, ſic ut propria militum crimina proprios, communia communes judices nacta fuerint. Ita ſane quod ad Urbes, quæ jus ſuffragii habent, Gelris placuit in iis, quæ 30. Jan. 1651. (8) & 24. Mart. ejusdem anni (9) in extraordinariis Ordinum Generalium Comitiis propoſuerunt, militaria crimina, quæ tutius & melius Arrii brevitas expreſſit in *d. l.* 2. *pr. ff. de Re milit.* per enumerationem ſic definientes, *nalatigheid en overtreding in togten en wagten*, *overgaan aan de vyand*, *deſertie van Compagnien*, *of verloop van de eene Compagnie onder de andere ſonder paſport*, *mitsgaders over exceſſen en delicten, die de Officieren en Soldaten, of de eene tegen de andere zullen komen te begaan*, EN VORDER NIET, hoc addito, *invoegen dat over alle andere ſaken, 't zy criminele, 't zy civile, de militaire perſonen apprehenſibel, convenibel, juſticiabel en executabel zullen zyn by den Civilen of Politiquen Regter.* Eadem in iisdem Comitiis totidem verbis propoſuerunt Utrechtani menſe Januario ejusdem anni (10). Tranſyſulani 7. Febr. 1651. (11). Atque ita etiam, quod ad milites in Gelria degentes, decreverunt Ordines Generales 25. Mart. 1651. (12) & id Decretum, tanquam jus commune, Conſiliarii Ordinum Generalium in Decreto ſuo, quod de jurisdictione militari, & præcipue de Supremo Senatu militari compoſuerunt 9. Febr. 1703. (13) transmitti juſſerunt ad omnes judices militares in Urbibus, jus ſuffragii habentibus, degentes, quo diligenter & examuſſim id obſervarent. Perperam id Decretum 9. Febr. 1703. a quibusdam (14) adſcribitur Ordinibus Generalibus, &, cum omnino debeatur Conſiliariis Ordinum Generalium, non miror, unum (15) ex his id fruſtra quæſiviſſe inter Acta ipſorum Ordinum. Ceterum id Decretum plena manu agit de his, quorum in milites eſt jurisdictio, & potiſſimum de inſtitutione & officio Supremi Senatus militaris, & de appellationibus, & de aliis quibusdam, quæ ab his, quæ nunc tractamus, aliena, quod ad cauſas autem, de quibus cognoſcunt, ſimpliciter inhærent Decreto Ordinum Generalium 25. Mart. 1651. & quemadmodum alii id Decretum accipiunt generaliter, atque ſi ad univerſum Belgium Fœderatum pertineret (16), ſic & acceperunt Conſiliarii Ordinum Generalium, & inde tanquam jus commune ſuggeſſerunt, ſed quiqui ita ſapiunt, niſi ipſe fallor, prolixe falluntur, nam, ut modo dicebam, non niſi Gelri & Utrechtani id jus propoſuerunt, utque plurima in illis extraordinariis Ordinum Generalium Comitiis propoſita, ſed pauca definita ſunt, ita nihil quoque quod ad hanc rem definitum eſt, niſi quod ad iteratam petitionem Gelriæ Ordines Generales 25. Mart. 1651. decreverint, ſecundum eam petitionem ſcriberetur ad Præfectos & milites, in Gelria, ut dixi, degentes, non vero ad Præfectos & milites in aliis Provinciis, quorum Ordines, exceptis Utrechtanis, de his rebus deliberaſſe vel decreviſſe nihil quicquam liquet.

Sed quamquam ejus Decreti major eſſet auctoritas, quam mihi eſſe videtur, non omnia tamen, quæ ibi occurrunt, probaverim, quia ſunt quædam, quæ nec rationem habent, nec cum jure Hollandico, poſtea facto, ſatis conveniunt. Illud probo, quod in uſum revocaverit diſtinctionem Juris Romani inter delicta militum propria, aut cum cæteris communia, & quod hæc, ut & omnes cauſas civiles ad Civilem Judicem rejecerit, ſublata præventione, quæ hic illic olim obtinebat, & quam nec jus Hollandicum agnoſcit, niſi uno caſu, quem mox proferam ex Decreto 30. Sept. 1654. Sed rationem non habet, quod illud Ordinum Generalium Decretum 25. Mart. 1651. reſtringatur ad Urbes, jus ſuffragii habentes, cui bono enim ea reſtrictio? Et quid ſi non habeant jus ſuffragii? Quod jus tunc illic obtinebit? Idem, puto, quod in aliis Urbibus, & ſic, ut mox audies, eſt in Hollandia, & ſic quoque eſt Jure Romano. Improbant etiam illam reſtrictionem Conſultores Hollandi (17), improbat Voet (18) *ſi modo*, inquit, *delicta perpetrata fuerint in tali Provincia, quæ in Comitiis Ordinum Generalium Fœderati Belgii ſuffragii jus habet*, quod ipſum nec rationem habet, nec legem, cui nitatur. Puto, etiam uſum improbare illam reſtrictionem, nam cum Senatus militaris inferior, qui Silvæducis eſt, anno 1703. detineret civem, qui ibi deliquiſſe dicebatur, Ordines Generales 14. Jan. 1704. juſſerunt (19), civis ille dederetur Scabinis ibidem, & ab his judicaretur, addunt quidem, ſalvo cujusque jure *ten principalen*, ſed hæc fere clauſula ſalutaris eſt, quæ nihil ſignificat. Quod porro ait d. Decretum 21. Mart. 1651. de omnibus delictis, quæ Præfecti & milites invicem committunt, atque adeo etiam de delictis communibus, Judices militares cognoſcere, etiam non placet, & adverſatur Decreto Ordinum Hollandiæ 16. Maj. 1668. uti mox referam.

Sed progrediamur ad jus Hollandicum, & inprimis in hanc rem notandum eſt Hollandiæ Ordinum

(7) Loenius *Caſu* 51.
(8) Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 190.
(9) Idem *ibidem* p. 404.
(10) Idem *ibidem* p. 237.
(11) Idem *ibidem* p. 315.
(12) Idem *ibidem* p. 404. 405.
(13) Eſt inter *Acta eorum Conſiliariorum* & exſtat quoque *Separatim*, typis deſcriptum cum deliberationibus, ea de re habitis.
(14) Van Zurk *Cod. Batav. vſ. Militie* §. 57. & Boel ad Loen. *Caſ.* 51.
(15) Bort *d. loc.*
(16) Forte ipſi Ordines Hollandiæ *in Decreto* 30. *Sept.* 1654. de quo mox dicam, certe Conſultores apud Bort *Tractaat Crimineel* §. 50. *vſ. Maar by Reſolutie*, & Voet *de jure milit.* C. 7. *n.* 9. & 11. *Secund. Edit.* Van Zurk & Boel *d. locis.*
(17) Apud Bort *Tractaat Crimineel T.* I. §. 50. *in Conſilio vſ. Welke reſolutie.*
(18) *De foro militari C.* 7. *n.* 9. *Edit. ſecund.*
(19) Decretum exſtat inter *Acta Ordinum Generalium.*

dinum Decretum 30. Sept. 1654. (20) quo placuit, militum delicta non pure militaria, ſed quæ lædunt tranquillitatem publicam & ſocietatem civilem (*chocquerende de gemeene Ruſt of Borgerlyke Societeit*) omnino ad Judicem civilem loci, in quo delictum eſt admiſſum, pertinere, addita exceptione, quam Ordines ajunt ex uſu deſcendere, nempe militem, qui actu militat, Hagæ *in Guarniſoen*, ibique delinquentem delictum commune, & calente delicto a Judice militari apprehenſum, ab eodem etiam judicari, *by preventie*, ſed hæc duntaxat Hagæ, & in non Nobilibus, Nobiles enim, ut eſt in eodem Decreto, nihilominus judicantur a ſola Curia Hollandiæ.

Quamvis autem manifeſtiſſimum ſit id Decretum, attamen non eſt negligenda interpretatio ejus. Loquitur de communibus delictis, absque ulla diſtinctione, ſecus atque in d. §. 68. Edict. de Crimin. nam hoc ibi ad delicta capitalia videtur reſtringi, quod rationem non habet. Et delictum, quod ante militiam commiſſum eſt, procul dubio pro communi eſt habendum, unde id ad Judicem ordinarium, non militarem pertinet *d.* §. 68. & §. 71. d. Edict. de crimin. idque ſive is, de quo agitur, jam in numeros ſit relatus, ſive actu militet, hi enim comparantur in *d.* §. 71. ſecus atque apud Ulpianum in *l.* 42. *ff. de Teſtam. milit.* Si quid igitur deliquerint ante militiam, quamvis poſtea milites, a Judice ordinario recte apprehenduntur *d.* §. 68. Edict. de crimin. Cum his convenit *LL. Friſic. L.* II. *Tit.* 13. §. 10.

Sed quid ſi delictum commune miles contra militem commiſerit? & quidem *d.* §. 68. & Gelri, & Utrechtani, & Ordines Generales omnibus illis locis, quos ſupra attuli, ea de re jurisdictionem militari Judici concedunt, ſed aliter Ordinibus Hollandiæ viſum eſt, quum enim Monnickendami miles militem occidiſſet, atque etiam homicidam Judex militaris apprehendiſſet, qui ſibi ex illo Ordinum Generalium Decreto 25. Mart. 1651. jurisdictionem competere adſerebat, de eo tamen dubitaret Magiſtratus Monnickendamenſis, Ordines Hollandiæ 16. Maj. 1668. (21) Decreto facto complexi ſunt, militaris Judex ſineret ea de re Magiſtratum judicare, ad Magiſtratum ejus rei jurisdictionem pertinere, tam ex rei natura, eſſe enim delictum commune, quam ex ſuo Decreto 30. Sept. 1654. Atque ita & Ordines Hollandiæ in alio facto decreverunt anno 1671. (22). Ad Gelros igitur duntaxat, ut ſupra dicebam, pertinet illud Ordinum Generalium Decretum 25. Mart. 1651. & ſane, Gelris ita petentibus, ad eos ſolummodo factum & transmiſſum eſt.

Quid ſi miles vectigal fraudarit? Plane id delictum commune eſt. Forte contradices ex *l. un. C. in quib. cauſ. milit. fori præſcript. uti non poſſ.* Sed neque ex ea id recte effeceris, neque juſtum eſt. Et Hollandiæ Ordines 17. Jan. 1659. (23) contra Senatum militarem, contrariam conſuetudinem prætexentem, decreverunt, vectigalis, ſive a milite, ſive a pagano fraudati cauſam apud Scabinos loci, ad vectigalia delegatos, omnino eſſe ventilandam. Quod ut generaliter probo, an tamen in illo facto probandum ſit, eſt, cur dubitem. Miles ibi abſens per contumaciam a Scabinis damnatus erat, exſequutioni contradicitur, quaſi ſententia a non competente judice dicta, eamque ideo exſequutioni mandari Senatus Militaris vetat. Res ad Ordinum Hollandiæ Conſiliarios, deinde ad ipſos Ordines defertur. Hi d. 17. Jan. 1659. decreverunt, & ſineret, &, ſi res exigeret, juvaret Senatus Militaris eam ſententiam exſequutioni dari. Sane cauſa ipſa ex integro videbatur cognoſcenda, ſicuti & alias in re non abſimili Ordinibus Hollandiæ placuit 3. Dec. 1661. (24). Nec enim eſt, cur dicas, venire militem debuiſſe, ut cognoſceretur de foro competenti, quia inter ſe & Militarem Judicem Magiſtratus Judex idoneus non eſt. Quum igitur jurisdictio ibi incerta fuerit, maxime ob contrariam anteriorem conſuetudinem, & contradictionem Senatus Militaris, militem bona fide abfuiſſe intelligendum eſt, & ſimul credendum, Ordines Hollandiæ incertum jurisdictionis demum definiviſſe d. 17. Jan. 1659. quod etiam generalis illius Decreti ſanctio ſatis indicat.

Quæcunque autem Militaribus Judicibus competit jurisdictio, in milites eſt duntaxat: nam ſingulare eſt, quod Ordines Generales Edictorum ſuorum exſequutionem, etiam quod ad pœnam infligendam, militibus ſuis mandaverint 13. Nov. 1626. (25) ſed quam exſequutionem tantum habent contra eos, quos in facto apprehenderunt, ut habet Edictum. Singulare etiam eſt, quod Carolus V. 29. Mart 1548. & Philippus II. in §§. 69. & 70. Edict. de Crimin. conſtituerunt, ut etiam aliqua nonnunquam militum eſſet jurisdictio in paganos peregrinos. Alioquin regula eſt, militis in non militem nullam eſſe jurisdictionem, & ſecundum hanc quum milites quidam Hiſpani 25. Nov. 1668. Templum quoddam Calvinianum invaſiſſent, multa ibi crudeliter agentes, & Ordines Generales Militum Præfecto Yſendikenſi mandaſſent, Religionem Calvinianam tueretur, atque hic quosdam non milites, nec in crimine deprehenſos, carceri incluſiſſet, Judices Vryenſes eos ſibi dedi apud Ordines Generales petierunt, & obtinuerunt 2. Dec. 1668. (26). De quibusdam tamen delictis dubitari poſſet, quid enim ſi paganus quaſi militariter delinquat, ut puta ſi muros tranſcendat, & a militibus apprehendatur? Cauſa hæc agitata fuit anno 1658. Rationalis Domaniorum Niervaartenſium, quæ ad Dynaſtam Orangium pertinebant, & Scriba ejus Oppidi, quia per glaciem vallum Oppidi tranſcendiſſe dicebantur, a Præfecto militari ejus loci detinebantur manu militari. Detenti contra illum Præfectum 28. Febr. 1658. a Curia Hollandiæ impetrant Mandatum Pœnale (27). Cauſa cognoſcitur. Curia recte mandatum judicavit. Parum efficitur. Iidem detenti cum Magiſtratu Niervaartenſi Ordinibus Hollandiæ libellum offerunt 15. Mart. 1658. Curia quoque judicium ſuum apud Ordines Hollandiæ defendit 20. Mart. 1658. Conſiliarii Ordinum Hollandiæ contradicunt. Ordines rem cognoſcendam iisdem diebus mandant. Fit relatio 6. Apr. 1658. & denique 11. Apr. ejusdem anni ſequutum eſt Decre-

(20) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 218.

(21) *Ibidem* p. 809.

(22) Vide *Conſil. Belg. T.* IV. p. 633.

(23) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit Tom.* II. p. 478. & 479.

(24) *Ibidem* p. 579.

(25) Edictum in hanc rem exſtat *Plac.* II. 5. 5. 15. 3.

(26) Aitzema *Hiſtor. L.* XLVIII. p. 1018-1023.

(27) *Formul. T.* II. *C.* 26. p. 462. & 463.

cretum (28), quo Ordines conſtituerunt, quia non conſtat, Judicibus Militaribus ullam delatam eſſe in Cives (*Borgerlyke Standsperſonen*) jurisdictionem, placere, quæ Judex Militaris ea in re fecerat, pro infectis haberentur. Quam cauſam deinde Curia Hollandiæ judicavit (29), non ut ordinarius Judex, ſed ex eo Ordinum Holl. Decreto 11. Apr. 1658. ſpecialiter conſtitutus, quia, ut ait d. Decretum, id tunc temporis ob graves rationes apud Magiſtratum Niervaartenſem commode fieri non poterat.

Ait quidem id Decretum 11. Apr. 1658. quia non conſtat, ullam militibus in Cives jurisdictionem eſſe conceſſam, & preſſius *nullam in Provinciales* iis competere declarat *l.* 1. *C. de Offic. Magiſtr. milit.* & inde dixeris, Cives nullo caſu jurisdictioni militari eſſe ſubditos. Quid ergo, ſi in caſtris deliquerint? Et tunc ſubditos eſſe, inde forte effeceris, quod caſtra novam quaſi univerſitatem conſtituant. Sic utique Julio Claro, ſic aliis apud Clarum videtur *L. V. Sentent.* §. *final. Q.* 38. *n.* 4. Verum id d. Decretum non admittit, & in §. 80. LL. Militarium, quas Ordines Generales dederunt 13. Aug. 1690. & 9. Maj. 1705. (30) ſpecialiter conſtitutum eſt, calones, in caſtris calonian exercentes, Judici militari ſubeſſent. Fredericus quoque Henricus, Orangius Dynaſta in §. 12. Edicti 7. Maj. 1650. (31) ab Ordinibus Generalibus totidem verbis repetiti 8. Dec. 1665. (32) conſtituit, ne quis in caſtris alium arreſtaret, aut in jus vocaret ob actionem antiquam, aut debitum, extra caſtra contractum, ſed hoc, & reliqua ibidem, magis videntur eſſe referenda ad ſolos milites. Anno tamen 1638. Judices Militares Maaſtrichtani, ex Ordinum Generalium auctoritate, quosdam Laicos & Clericos, qui prodendi oppidi conſilium ceperant, ad ſupremum ſupplicium damnarunt (33). Scio, quo colore in ea cauſa militaris jurisdictio ſit defenſa, ſed tam de jurisdictione, quam de ipſa pœna, in Clericos exercita, ſatius eſt tacere, quam parum dicere.

Quod igitur dicimus, Caſtra novam quaſi univerſitatem conſtituere, quod ad ſolos milites, eosque, qui pro militibus habentur, verum eſt. Milites in Caſtris commune delictum delinquentes, etiam ibi puniuntur, & valde inutile eſſet eos ad Civilem Judicem remittere. Idemque obtinet in Claſſe, namque & in ea, tanquam univerſitate quadam, Senatus Militaris & Nauticus de quocunque crimine judicat. Secundum hæc Judices Militares anno 1665. in Claſſe, quæ adhuc in Hollandia hærebat (nondum enim in mare excurrerat) etiam de delicto communi jus dixerunt (34). Si extra Claſſem ejusmodi delictum eſſet commiſſum, Magiſtratus de eo recte judicaret, idque ipſum eſt, quod ait §. 3. Formæ Admiral. 13. Aug. 1597. (35) *dat de Delicten, buiten Scheepsboort gepleegt, en niet weſende militair, geſtraft zullen mogen werden by de Magiſtraten, in welkers jurisdictie de zelve geperpetreert, of de delinquantem gevonden zullen werden.* Ignavia, in mari commiſſa, ſi reverſa nave hic accuſatio fiat, quæſitum eſt, ad Admiralitatem, an ad judicium militare pertineat? Sed anno 1665. placuit, ad judicium militare pertinere (36).

Sed hoc non aliter verum eſt, quam ſi rei, antequam reverterentur, etiam judicio militari fuerint ſubditi, quod in militibus obtinet, non in paganis, qui peregre officio civili functi ſunt. Cum, qui male rem geſſiſſe dicebantur in Braſilia, apud Conſiliarios Ordinum Generalium judicarentur, petierunt Ordines Generales, ut Middelburgenſes Civem quemdam ſuum, qui in Braſilia officio civili functus erat, ejusdem criminis accuſandum, tranſmitterent, præſtita 22. Oct. 1625. de non præjudicando cautione. Nequicquam, ut tamen interrogaretur contra alios, transmiſerunt, iisdemque, finita quæſtione remitti poſtulantibus, remiſerunt. (37). Rurſus cum aliquot militum Præfecti, & duo Politici, ut vocant, qui in eadem Braſilia contra Ordines Generales deliquiſſe dicebantur, in Hollandiam eſſent reverſi, Ordines quidem Generales, permittentibus Hollandis, Judices delegatos dederunt, ſed quod ad Politicos, Ordines Hollandiæ, ſecundum id, ut ajunt, quod Curia Hollandiæ 21. Jul. 1648. in ſimili cauſa reſponderat, 16. Sept. 1654. (38) decreverunt, alterum ex his, qui Hollandus erat, apud Curiam Hollandiæ eſſe accuſandum, & ſimul petendum ab Ordinibus Groninganis, concedere vellent, ut alter, qui Groninganus erat, & cum ceteris in Hollandia detinebatur, ob continentiam cauſæ etiam a Curia Hollandiæ judicaretur. Sed quum plurimæ Provinciæ etiam in Politicos ſibi jurisdictionem arrogarent, Ordines Hollandiæ 1. Oct. 1654. (39) decreverunt, Curia Hollandiæ prolixo Reſponſo excuteret, an non ii, qui contra Ordines Generales deliquerunt, etiam in eorum territorio, in Belgium Fœderatum reverſi, reciderent in jurisdictionem ejusdem Judicis, quem ante habebant? Et ſecundum Hollandorum ſententiam exſtat prolixum Curiæ Reſponſum 8. Oct. 1654. (40). optime ſane conſcriptum, nec niſi frivolis rationibus contra diſputavit nubes Pragmaticorum 1. Sept. 1654. (41). Quæ porro in hac cauſa variis temporibus acta geſta ſunt, alibi relatum eſt (42).

Ceterum Ordines Hollandiæ eandem, quam dixi, ſententiam etiam deinceps mordicus defenderunt, nam alia occaſione, quam non commemoro, 3. Oct. 1656. decreverunt (43), & eodem die edixerunt, (44) Hollandos in Hollandia delictorum in officio, quod ab Ordinibus Generalibus habent, contra Ordines Generales commiſſorum, duntaxat accuſari poſſe apud ſuum Judicem Hollandicum, idque etiamſi in Hollandiam

(28) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 436. Bort *Tractaat Crimineel Tit.* I. *n.* 50.
(29) *Formul. d. T.* II. *C.* 26. p. 463.
(30) Vulgo *den Articul-Brief.*
(31) *Plac. Ordd. General. Tom.* II. p. 216.
(32) Aitzema *Hiſtor. L.* XLV. p. 1388.
(33) Idem *ibidem L.* XVIII. p. 131-133.
(34) Idem *ibidem L.* XLV. p. 934.
(35) *Plac.* II. 5. 8. 1. 1.
(36) Aitzema *Hiſtor. L.* XLV. p. 932. 933. 934. 942. 946. 949-961.
(37) Idem *ibidem L.* VI. p. 207. & 208. *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 225.
(38) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 214. & 215. & *Bello Jurid. Caſu* 40. *in fin.*
(39) *Ibidem* p. 219.
(40) *Ibidem* p. 219. & *Bello Jurid. Caſu* 40. ubi tamen perperam legitur 8. *Sept.* pro 8. *Oct.*
(41) *Bell. Jurid. Caſu* 40. *Princ.*
(42) Aitzema *Hiſtor. L.* XXXIV. p. 187. 188. 251. & 252. & *L.* XXXV. p. 440-443.
(43) *Reſolutien van Conſideratie ten tyde van de Wit* p. 276. & *Plac.* II. *Append.* p. 2461.
(44) In de voorſchr. *Reſol. d.* p. 276. & *Plac.* II. 5. 5. 1. 2. & *Bell. Jurid. Caſu* 37. *in fin.* & in Farragine, quæ dicitur, *d'Inſtructie.*

diam redierint, ut rationes eorum, quæ egerunt, Ordinibus Generalibus reddant. In Decreto additum eſt, placere legem, eodem anno 25. Jul. factam, ſecundum quam Hollandi, qui eſſent in officio Ordinum Generalium, judicarentur, & prudenter quoque additum, ea nihil derogari jurisdictioni, quam habent Conſiliarii Ordinum Generalium, Admiralitates maritimæ, aut Senatus militaris, terreſtris vel maritimus. Vellem, ea limitatio etiam Edicto fuiſſet addita, neque enim tunc tot lectoribus impoſuiſſet, ut nunc impoſuit. Secundum hanc exceptionem Conſiliariis Ordinum Generalium ex §. 30. junct. §. 32. Formæ ſuæ 12. Apr. 1588. & ex §. 37. novæ Formæ 18. Jul. 1651. competit jurisdictio in eos, qui illos Conſiliarios, eorumque Officiales donis muneribus adeunt, & ſecundum hanc ipſam exceptionem Senatus nauticus militaris, Hagæ Batavorum extra ordinem convocatus, Navarcham Delphenſem, qui non eam, quam debebat, operam navaſſe in prælio maritimo dicebatur, miſſis militibus anno 1695. Delphis extraxit & poſtea damnavit, & recte Ordines Generales Delphenſem Magiſtratum, hac de re conquerentem, neglexerunt.

Anno 1663. inter Curiam Hollandiæ & Magiſtratum Haganum apud Ordines Hollandiæ quæſitum eſt, an id Decretum 30. Sept. 1654. in cujus interpretatione hactenus verſatus ſum, etiam pertineret ad Ordinum Hollandiæ Prætorianos Præfectos, qui Hagæ excubant? Et quidem Ordines 3. Aug. 1663. (45) rem, de qua tunc agebatur, ad Curiam Hollandiæ remiſerunt, juris deciſione interim dilata. Poſtea, nempe 12. Mart. 1733. inter Curiam Hollandiæ & Magiſtratum Haganum, quod ad Prætorianos & alios milites, Hagæ excubantes, convenit, eorum Præfecti, *tot Cornets en Vendrigs incluſive*, in communibus delictis ſubeſſent jurisdictioni Curiæ Hollandiæ, minores Præfecti & gregarii milites ſubeſſent jurisdictioni Magiſtratus Hagani, quam conventionem Ordines Hollandiæ 13. Maj. 1733. (46) habuerunt ratam, ſalvo in omnibus d. Decreto 30. Sept. 1654.

Fere omiſeram, Wilelmum III. Dynaſtam Orangium, Anno 1675. ſcripſiſſe literas ad varias Provincias, earumve Curias Supremas, interque has unam ad Curiam Hollandiæ 16. Maj. 1675. (47) de jurisdictione in milites, in cives, & inter utroſque, & quid ſibi in ſingulis cauſis, quas proponit, ſequendum videatur, ſed nihil quicquam tunc definitum eſt, & cum nonnulla in his literis occurrerent, quæ legibus, in Hollandia latis, eſſent contraria, Curia Hollandiæ 30. Maj. 1675. ad illas literas reſpondit, ſuarum partium non eſſe Leges novas condere, ſed conditas in judicando obſervare.

CAPUT XIV.

De Foro Militum in cauſa debiti.

Ex *l.* 6. *C. de Jurisd. omn. Judic.* conſtat, militem, ſive ab actore milite, ſive a privato conveniatur, in quæſtionibus civilibus non eſſe conveniendum niſi in ſuo militari foro. Sed Gelris (1), Utrechtanis (2), Tranſiſulanis (3), aliud viſum eſt, & Ordinibus Generalibus (4), quod ad milites ſcilicet, in Gelria hærentes, etiam placuit, militem in cauſa civili apud Judicem civilem eſſe conveniendum. Forte non errabit, qui dixerit, de jurisdictione in milites ſtatuendi poteſtatem penes Ordines eſſe ſingularum Provinciarum, ſi ipſius militiæ cauſam excipias, hæc enim magis pertinet ad Ordines Generales. Et ſecundum eam ſententiam, quum anno 1651. in extraordinariis Ordinum Generalium Comitiis variarum Provinciarum Ordines de militari jurisdictione quædam ibi agenda propoſuiſſent, Ordines Hollandiæ 13. Febr. 1651. (5) ſignificarunt, ſibi placere, ne ea de re in illis Ordinum Generalium Comitiis ageretur, jurisdictionem enim in milites, in rebus non pure militaribus, ad cujusque Provinciæ Ordines pertinere, nec diſplicere, quominus Ordines Generales ad Præfectos militares ſcriberent, in omnibus, non pure militaribus, ſubeſſent ſingularum Provinciarum Ordinibus, qui eo, quo Hollandi, jure uti vellent. Idque jus Hollandi, quamdiu plene ſui juris fuerunt, conſtanter exercuerunt.

Quod Gelris & Utrechtanis placuit, milites nempe in cauſis civilibus apud civilem Judicem eſſe conveniendos, etiam in aliis quibusdam Provinciis receptum eſt. Scio, Senatus militares, ſcio Conſiliarios Ordinum Generalium ſæpe cauſas civiles judicaſſe inter milites & milites, quin & inter milites & cives, ſed quo jure nondum potui animadvertere. Certe Jus Romanum ubique obſolevit quod ad milites, in Urbibus collocatos. Quare, quod de cauſa civili ſcripſit Sande *Deciſ. Friſic. L.* I. *T.* I. *Defin.* 4. ad Jus Romanum refero, non ad jus, quo utimur in Fœderato Belgio. In milites, qui in caſtris ſunt, largior eſſe videtur jurisdictio, ut a nemine, niſi militari Judice, quacumque in cauſa judicentur, & in iis, quæ Gelri & Utrechtani propoſuerunt, & Ordines Generales decreverunt, quæque ſupra retuli, Judicum militarium jurisdictio duntaxat reſtringitur quod ad eos milites, qui ſunt in Urbibus, quæ jus ſuffragii habent, de jurisdictione, quæ in caſtris exercetur, nihil ſic definientes. Quin ne in ipſis quidem Caſtris ex quavis cauſa civili contra milites obtinet militaris jurisdictio, nam ex duobus Edictis, Frederici Henrici, Dynaſtæ Orangii, 7. Maj. 1630. itemque Ordinum Generalium 8. Dec. 1665. quæ *Capite proximo* commemoravi, miles in caſtris in jus vocari nequit ob debitum antiquum, aliudve extra caſtra contractum.

Sed ſi apud civilem Judicem conveniantur, apud qualem, ſupereſt quærere. Et putem apud ordinarium Judicem loci, ubi morantur, neque enim novi privilegium, quod eos ordinaria jurisdictione eximat. Eſt tamen, qui ait (6), quia multi in creditorum fraudem ſe militiæ da-

(45) In de voorſchr. *Reſolutien* p. 710.
(46) Exſtat Decretum *inter Acta Ordinum.*
(47) Exſtat *inter Acta Conſiliariorum Fœderati Belgii poſt deliberationes, habitas de Decreto* 9. *Febr.* 1703.
(1) Aitzema *Herſtelde Leeuw* p. 109. & 404.
(2) Idem *ibidem* p. 237.
(3) Idem *ibidem* p. 315.
(4) Idem *ibidem* p. 405.
(5) Idem *ibidem* p. 317. & 318.
(6) Merula *Prax. Civil. L.* IV. *Tit.* 40. *C.* 3.

dabant, Ordines Generales 29. Apr. 1589. edixiſſe, in cauſa non militari omnes milites, cujuscunque conditionis, convenirentur apud Curiam Hollandiæ &c. Alius (7) deinde ſcripſit, *dat Krygsluiden om gemeene Saken, den Oorlog nog haren dienſt niet rakende, voor het Hof van Holland geroepen mogen werden volgens 't Placaat van de Staten van Holland van den* 29. *Apr.* 1589. Edictum, quod Ordinum Generalium eſt, perperam tribuit Ordinibus Hollandiæ, meliusque hic in re ſapit in *Not. ad* §. 68. *Edict. de Crimin. n.* 2. ubi tamen, rurſus perperam, ut mox audies, id Edictum 29. Apr. 1589. ad cauſas civiles reſtringit (8). Iterum alius tam in cauſa criminali, ſi in flagranti delicto præveniat, quam in cauſa civili Curiæ Hollandiæ adſcribit jurisdictionem in milites, Edicto tamen illo 29. Apr. 1589. ad civilia quoque reſtricto. Rurſus alius (9) id Edictum ad communia militum crimina refert, atque ſi ſanciverit, in illis delictis præventioni locum eſſe. Neſcio, his an aliis Magiſtris uſa ſit Curia Hollandiæ, cum ait in §. 91. Formæ, quam ſibi compoſuit anno 1670. Curiæ jurisdictionem eſſe *over alle militaire*, Hagæ degentes, *zig onthoudende en gehuiſt zynde*, niſi in cauſis militaribus.

Miror ſane, tantam Pragmaticorum turbam pronunciare potuiſſe de illo Edicto 29. Apr. 1589. vel non lecto, vel certe non intellecto. Eſt autem id Edictum (10) ab Ordinibus Generalibus ex conſilio ſuorum Conſiliariorum factum, &, ſicuti multa alia iisdem de rebus facta, jubet, milites, qui iis, qui Ordinum Generalium ſecuritate publica utuntur, vim faciunt, vel a captivis hoſtibus plus, quam oportet, exigunt, puniri ab utriusque Militiæ Magiſtro, qui ſi officio ſuo deſit, puniri poſſe a Conſiliariis Ordinum Generalium aut ſingularum Provinciarum, vel a Curiis Supremis in quaque Provincia, aliisve Judicibus, qui de criminibus cognoſcendis poteſtatem habent, ceſſare enim hic militare privilegium. Nihil quicquam ibi exſtat de cauſis civilibus, nihil etiam quicquam de cauſis indiſtincte criminalibus, nam de communibus plane tacet, & quod ad duo delicta militaria, ibi commemorata, præventioni locum facit, ut ſic retuli. Singulare igitur eſt id Edictum, & omnino nugas agunt, qui, quod tempore belli ſancitum eſt de duobus criminibus militaribus, transferunt ad cauſas civiles vel quascunque criminales, vel qui Curiæ Hollandiæ hic præcipuum quid largiuntur.

Sed forte alia ratione defendi poterit Curiæ Hollandiæ jurisdictio in cauſa debiti, quod nempe ex §. 8. *Formæ Cur. Holl.* 1531. Curiæ cognitio competat *van Obligatien van Officiers, daar by zy hen onder haren Zegel of Handteeken verbonden ſullen hebben ſekere ſomme van penningen te betalen, of andere dingen te doen.* Ita ſane Curiæ Hollandiæ jurisdictionem in Præfectum quemdam militarem defendit Conſultor quidam Hollandus (11), & ea quoque veſtigia videtur premere alius quidam Hollandus (12), quia ſcilicet militum Præfecti ſimpliciter quoque *Officiers* vocantur. Perperam, appellatione enim *Officiers* ibi Ballivios intelligi res certa eſt, hi, ſi ex contractu ſcripto conveniantur, ob metum potentiæ, apud Curiam vocari poſſunt, & ſic eſſe intelligendum illum §. 8. alius Conſultor jam animadvertit (13), & Curia Hollandiæ etiam judicavit 3. Mart. 1676. (14). De delictis quoque, in officio commiſſis, a Curia Ballivii judicantur *d.* §. 8. *&* §. 12. *Form. Cur. Holl.* 1531. & ad ea *d.* §. 8. reſtringit poſtremus Conſultor, ſed verba, quæ exhibui, ad cauſas civiles pertinent.

In primis autem hic notari velim, quod ait §. 43. Formæ, quam Ordines Generales Conſiliariis ſuis dederunt 12. Apr. 1588. (15) quodque ipſum repetitum eſt §. 50. eorum novæ Formæ 18. Jul. 1651. (16). nempe Ordines Generales & ſingularum Provinciarum poſſe, ſi neceſſitas urgeat, etiam de iis ſtatuere, quæ Conſiliariis illis mandata ſunt, utpote delectum militum habere, diſciplinam militarem exercere, punire delicta militum, & alia ejus generis, ſed in iis, quæ mandata non ſunt, nullam eorum Conſiliariorum eſſe poteſtatem, quod longo verborum agmine ibi exprimunt, & ſupra alia occaſione retuli *C.* XII. Ex quibus intelligimus, eorum Conſiliariorum non aliam eſſe jurisdictionem, quam delegatam, & quicquid delegatum non eſt, ad Ordines, Magiſtratus & Judices ſingularum Provinciarum pertinere. Sed quemadmodum cum his componi poſſint tot eorum Conſiliariorum judicia, de cauſis matrimonialibus, & aliis ſexcentis, ſine ulla delegatione exercita, forte alius, me doctior & peritior, explicare poterit, ipſe enim explicare non poſſum. Idem dico de tot ſententiis, a Senatu militari latis in rebus, quæ non ſunt ſui fori. Scio, omnium Judicum commune vitium eſſe pomœria jurisdictionis ſuæ omni ope extendere, ſed exceptio fori, quæ reliquis Judicibus opponitur, militaribus & præcipue illis Conſiliariis opponi non ſolet, non alia forte cauſa, quam quod rei, qui conveniuntur apud Judices militares, & præcipue apud Conſiliarios Ordinum Generalium, metuant indignationem eorum, qui ſibi in aliis tantum prodeſſe & tantum nocere poſſunt. Illud ſilentio præterire non poſſum, ipſos Conſiliarios Ordinum Generalium, tam in celeberrimo illo Decreto 3. Febr. 1703. quam in deliberationibus ſuper eo habitis, rotundo ore & ſe, & inferiores Senatus militares, quin & ſuperiorem, & ante & poſt annum 1650. non duntaxat de militaribus delictis, ſed & de cauſis civilibus, & matrimonialibus, & hæreditatibus, quæ ſolvendo non ſunt, jus dixiſſe, ſed in Libello, quo deliberationes continentur, & præcipue complectitur Edicta & Decreta Ordinum, ex quibus deſcendit auctoritas jurisdictionis, in eo, inquam, libello nihil quicquam memorari, quod cauſam præbeat jurisdictioni militari, in tantum porrigendæ, ut ante & poſt annum 1650. porrecta eſt, & adhuc porrigitur. Ajunt quidem illi Conſiliarii, jurisdictionem militarem primum eſſe coërcitam Decreto Ordinum Generalium 25. Mart. 1651. cujus ſupra aliquotiens memini, & quod in poſterum ſequendum eſſe illi ipſi Conſiliarii juſſerunt eo Decreto 9. Febr. 1703. Sed ſcire velim, cur etiam poſt annum

1703.

(7) Van Leeuwen ad Peckium *de Arreſt. C.* 5. *n.* 6.
(8) Groenewegen *de LL. Abrog. ad L.* 6. *C. de Jurisd. omn. judic. & ad L.* 1. *C. de Exhib. & transmitt. reis.*
(9) Voet *de Jure milit. C.* 7. *n.* 9.
(10) *Plac.* II. 4. 6. 1. 3.
(11) *Bell. Jurid. Caſ.* 19. *n.* 1.
(12) Van Leeuwen *R. H. R. L.* V. *C.* 6. *n.* 4.
(13) *Bell. Jurid. Caſ.* 19. *n.* 2.
(14) *Ibidem.*
(15) *Plac.* IV. 1. 3. 1.
(16) *Ibidem n.* 2. & Aitzema *Herſt. Leeuw* p. 537.

1703. & inferiores Senatus militares, & ſuperior, & cur illi ipſi Conſiliarii ſexcenties ſe immiſcuerint, & adhuc immiſceant cauſis civilibus cujuscunque fere indolis. An non animadvertunt, Judices militares, ſe inferiores, ſic juſſa ſua ſpernere? Et quid in aliis reprehendant, quod ipſi factitant? Exſpecto igitur alias auctoritates, quam adhuc vidi, aut Judices militares, inferiores & ſuperiores pomœria jurisdictionis ſuæ longe latius extendunt, quam par eſt & leges permittunt.

CAPUT XV.

Magnarum Urbium in Hollandia Cives, eorumque bona, etiam in agro arreſtari poſſe.

Quemadmodum alibi, ſic & in Hollandia Arreſta uſu palam recepta ſunt. Quia autem ex Arreſtis forum ſortimur, omnino intereſt ſcire, an verum ſit, quod vulgo jactatur, magnarum Urbium in Hollandia Cives, eorumque bona, in agro arreſtari non poſſe. Arreſtandi facultas ex ratione ſubjectionis petenda eſt, ideoque, quia ubicunque quis invenitur, ibi & ſubjectus intelligitur, ibidem quoque arreſtari auctoritate publica poteſt, niſi ſpeciale privilegium habeat. Eſt tamen Hollandus (1), qui ſoli Curiæ jus arreſtandi tribuit, non Urbibus, niſi ex privilegio Principum, Pagis vero nunquam, quia privilegium non habent. Quæ aut non intelligo, aut valide ſtulta ſunt, ſed latius hæc refutavi *Libro Singulari de Foro Legator. C.* 2. Quisquis jurisdictioni præeſt, recte arreſtat quemcunque, niſi qua lex vel pactio impediat.

Arreſtorum vero moleſtiis variarum Urbium privilegiis occurſum eſt, & hæc omnino ſervanda ſunt, ſed cum nulla ſint privilegia, vel non pertineant ad agrum, cujus Magiſtratus arreſtum largitus eſt, puto fabulam eſſe, quam vulgo narrant, magnarum Urbium in Hollandia Cives, eorumque bona, in agro arreſtari non poſſe. Vulgo utique arreſtis utimur, & nemo ab his immunis, niſi qui immunitatem probet. Quæro igitur, qua auctoritate ſe defendant magnarum Urbium Cives? Audiamus eorum Patronos. Eſt, qui id efficit ex Edicto Ordinum Hollandiæ 17. Jan. 1647. (2). Sed id Edictum, poſtquam mulctam indixiſſet iis, qui in agro ceremonias Pontificias colunt, nihil aliud ait, quam delinquentes, donec mulcta ſolvatur, in agris arreſto detineri poſſe, ſalvis privilegiis Urbium, quarum cives in agro arreſtare non licet, & ſunt ejusmodi quarumdam Urbium privilegia, ſed quæ cum maxime pertinent ad certas cauſas, vel ad certa loca, nullum vero generale eſt, majoribus Urbibus indiſtincte datum, ne eorum cives ullibi in agro arreſtare liceret.

Nullus autem dubito, quin huic fabulæ originem præbuerit Reſponſum quoddam juris, quod quinque Advocati Hagani, ea de re ſententiam rogati, dederunt 23. Apr. 1638. (3) rotunde illi ajunt, magnarum in Hollandia Urbium cives eorumve bona, in agro non recte arreſtari, & ex eo Reſponſo idem deinde alii, tanquam jus certum tradidere (4). Sic grus gruem ſequitur. Sed quia noſtrorum JCtorum Reſponſa nulla auctoritate juris cenſentur, videndum quibus rationibus hanc ſententiam defendant. Ait Reſponſum juris, ex §. 9. *LL.* quas Maria Burgunda Hollandis & Zelandis dedit 14. Mart. 1474. & ex §. 220. Form. Curiæ Hollandiæ quemque eſſe vocandum ad ſuum Judicem ordinarium, & inde efficiunt, non recte in agro arreſtari, qui cives Urbium ſunt, habere enim Scabinos, qui de eorum cauſis judicant. Deinde ait, arreſta catenus tantum valere, quatenus judicio contradictorio recepta ſunt, arreſta civium magnarum Urbium in agro judicio contradictorio nunquam eſſe recepta, pro jure igitur vel conſuetudine eſſe habendum, ne ejusmodi arreſtis utamur.

Sed fere indignum eſt id Conſilium, contra quod diſputes. Si valeat ea ratio, quemque eſſe vocandum ad Judicem ſuum ordinarium, nemo non tantum ex majoribus, ſed & minoribus Urbibus, quin nec ex Pagis alibi arreſtari vel conveniri poſſet, niſi cogitaverint illi Conſultores, nullibi ordinarios eſſe Judices, quam in magnis Urbibus, ſi enim hi & alibi ſint, unde magnarum Urbium cives id præcipuum habent? Nam utique generaliter loquuntur *d.* §§. 9. *&* 220. ne quis quem in Hollandia, Zelandia & Friſia ad alium, quam ordinarium Judicem vocare velit. Vetant *d.* §§. quem evocari, non ibi, ubi eſt, detineri convenirive. De cauſa arreſti nihil quicquam ſancitum eſt, id *d.* §§. nec ſancire conſtitutum erat. Rem ipſam expreſſit §. 15. Conſuetud. Amſterd. 1570. *Dat men niemand van de onderſaten van Holland ter eerſter inſtantie mag evoceren buiten den zelven Lande, en dat men elk moet aanſpreken voor zynen dagelykſen Regter, uytgeſondert in cas van Arreſt.* Vides regulam, & ſimul vides exceptionem. De regula accipiendi illi §§. 9. *&* 220. Sed quia arreſtum tribuit forum in patria arreſti, recte additur exceptio in *d.* §. 15. Quod porro ajunt Conſultores de judicio contradictorio, vix ſeriam reſponſionem meretur. Ubi quæſitum unquam, an magnarum Urbium cives in agro arreſtari poſſint? Et ubi, ſine privilegio, judicatum, non poſſe? Si rerum perpetuo judicatarum in hanc rem exſtaret auctoritas, licet res ex fabula trahat originem, ea forte in contrarium me vocaret, ſed cum non exſtat, ne patiamur nos rationibus, adeo frivolis, transvorſum agi.

Ceterum quarumcunque Urbium cives, quæ ſpeciale privilegium non habent, & in agro, ubi inveniuntur, detineri & in jus vocari poſſe, vel ex ipſis quarundam Urbium privilegiis ſatis apparet. Cui bono privilegia, ſi id in Hollandia jus commune ſit? Et quid ſi ne ipſa quidem privilegia, utique pleraque, tantum non tribuam civibus, quantum tribuunt Auctores ejus Jurisprudentiæ? Igitur beatiores erunt Urbes, quæ privilegium non habent, quam quæ habent? Sed, prius-

(1) Neoſtad. *Deciſ. Supr. Cur.* 83.

(2) Van Zurk *Cod. Batav. V. Arreſt.* §. 5. ipſum Edictum exſtat *Plac.* I. 1. 4. 1. 4.

(3) Exſtat *in Formulario T.* I. *C.* 24. p. m. 350. & apud Bort *de Arreſt. Part.* IV. *n.* 39.

(4) Van Leeuwen *R. H. R. L.* V. *Part.* 7. *n.* 16. & *in Not. ad* Peckium *de Arreſt. Part.* IV. *n.* 21. p. 136. *& Part.* VIII. *n.* 1. p. 215. & *Inleiding tot de Coſtuimen van Rynland n.* 23. *vſ. Ten anderen, & ad* §. 44. *van de zelve Coſtuimen.* Bort & van Zurk *d. locis. Manier van Proced. voor 't Hof T.* V. *C.* 6. *n.* 5. *& ſeqq.*

priuſquam de ſingulis videamus, ſcire velim, quas Urbes intelligant, ubi de majoribus in hoc argumento ſermo eſt. An duntaxat *ſex magnæ*, quæ eo nomine ſæpiſſime occurrunt in antiquis Hollandorum monumentis, nempe Dordrechtum, Harlemum, Delft, Leida, Amſterdamum & Gouda? An addemus Rotterdamum, ut additur in Edictis Ordinum Hollandiæ, quibus definitur, ad quas ſummas cum inhibitione appellare non licet, quemadmodum in §. 2. Edicti 24. Mart. 1644. & in Edicto 8. Maji 1674? Sic quidam cenſet (5), ſed alii, in hoc argumento occupati tacent. Alias tamen Urbes, opinor, excludent, cum pro majoribus nunquam habeantur.

Sufficerit igitur harum, quas recenſuimus, Urbium privilegia, quæ ad manum ſunt, excutere, & ſic de re ipſa pronunciare. Qui illa, quod ad immunitatem arreſti, privilegia comportarunt, de Dordrechto ſolent ſilere, quod factum non oportuit. Florentius certe Dordrechtanis privilegium dedit anno 1284. (6) ne quis eos, eorumve bona *intra Zuyd-Hollandiam* arreſtare vellet, quod & ipſum §. 21. Conſuetudinum (7) ejus Urbis inſertum eſt. De Zuyd-Hollandia ſola vides, extra eam igitur in reliqua Hollandia arreſtare licebit. An quod Harlemenſium ſit privilegium in hanc rem, mihi non conſtat, ſed de Delfenſibus exſtat privilegium Maximiliani & Mariæ, datum menſe Auguſto 1477. (8) quo continetur, ne quis Delfenſis, ex actione perſonali, in agro in jus vocari poſſit, ſed duntaxat apud Judices Delfenſes. Quod privilegium generale eſt, &, ut mihi quidem videtur, excludit cauſam arreſti, abſque ea enim inutilis eſſet quæſtio, an Delfenſis ad Judicem non ſuum in jus vocari poſſet. Simile eſt privilegium, Leidenſibus datum a Wilelmo III. annis 1306. 1315. & 1338. (9) ne ſcilicet a quoquam Leidenſes judicarentur, quam a Scabinis ſuis. Scio eſſe, qui ad cauſas criminales id privilegium referunt, ſed, ut generale eſt, largiamur, generaliter eſſe accipiendum, Quod ad Amſterdammenſes exſtant duo privilegia Wilelmi Hannonii, & tertium Alberti Bavari (10), quibus cavetur, ne eorum incolas bonave in agro arreſtare liceret ad latus Boreale Moſæ, *benoorden de Maſe*, quod & ipſum expreſſum eſt §. 16. Conſuetud. Amſterd. 1570. Vides, interdictionem reſtringi ad Borealem tractum Moſæ. Goudanorum nullum, quod ſciam, privilegium commemoratur, ſed Rotterdammenſes ex privilegio Wilelmi Hannonii 1340. (11) non arreſtantur *van onverplogen ſchuld*, ſive *onverwillekeurde ſchuld*, ut habet §. 22. *LL.* quas idem Wilelmus Hannonius Amſterdammenſibus dedit 9. Dec. 1342. Ut ita arreſtare liceat, ſecundum hæc privilegia, *over verploge of verwillekeurde ſchuld*, quod videtur eſſe æs alienum, apud Scabinos contractum.

Habes ſententiam Privilegiorum, & ex iis intelliges, etiam illum (12) ineptire, qui iis Privilegiis utitur ad ſtabiliendam Juriſprudentiam de non arreſtandis in agro magnarum Urbium civibus, quin potius ex iis ipſis Privilegiis intelliges, quicquid eſt ejus juris, ex gratia Principis fuiſſe profectum, nec omnia Privilegia eſſe indefinita, ut jus indefinitum comminiſcuntur alii, ſed quædam reſtringi ad certos terrarum tractus, & quædam diſtinguere inter naturam æris alieni. Atqui ſecundum Auctores novæ Juriſprudentiæ ſublata erit omnis terrarum tractus & omnis æris alieni differentia, & omnino pinguius jus habebunt Urbes majores, quæ ſine privilegio vivunt, quam quæ ob bene merita nactæ, vel grandi ære ea mercatæ ſunt.

Satis denique deſtruit illam Juriſprudentiam, quod Urbes, etiam majores, ex conventione partium, vel alia qua cauſa, utantur *het regt van afſchryving*, ut appellari ſolet, utuntur eo jure Urbes adverſus Magiſtratum, qui in agro arreſtavit, ut arreſtum relaxare, & reum ad ſe remittere velit, ſi forte convenerit, ne incola alicujus Urbis in eo pago conveniri vel arreſto detineri poſſit. Cui bono illa conventio de non utendis utrimque arreſtis, quod ad majores ſcilicet Urbes, ſi ipſo jure tutæ ſint? Satis id animadverterunt quinque illi Conſultores, ſed ajunt, quamvis ſint Urbes, *die tegen het platte Land regt van afſchryving gebruyken*, eas tamen olim numero Urbium non fuiſſe habitas, utique non fuiſſe habitas pro majoribus & antiquis Urbibus. At vero ejuſmodi conventio anno 1532. etiam interceſſit inter Leidam & varios Pagos Rynlandiæ (13), & nemo negaverit, Leidam ſemper fuiſſe habitam pro Urbe, & quidem pro Urbe majore & antiqua. Attamen Leida ſatis videtur fuiſſe tuta privilegio, ut, quod ad cives ſuos, non opus fuerit illa conventione, niſi putaverint, id privilegium ceſſare in cauſa arreſti, vel ad crimina duntaxat pertinere, ſive alio quocumque modo ei diffiderint.

CAPUT XVI.

De domicilio impuberis vel minoris & an ſuperſtes parens vel tutor id mutare poſſet, & quo effectu circa ſucceſſionem ab inteſtato?

Intereſt ſcire, ecquid ſit domicilium impuberis vel minoris, ſic enim ſcimus, quo foro utantur, & quo jure iis ſuccedatur ab inteſtato. Sane liberos impuberes & minores, ſi parentes habeant, eorum foro uti res certa eſt, nam quod ajunt, filios etiam ſine conſenſu patrum domicilium mutare poſſe, admiſerim in iis, qui in poteſtate non ſunt, non iis, qui adhuc ſub cura ſunt vel parentum, vel tutorum. Et cum quidam Vliſſinganus minor cum quadam Amſterdammenſi, nuptiarum contrahendarum ergo, Vianam conceſſiſſet, ibique impetraſſet civitatem, & ſic nuptias contraxiſſet, proclamationibus, quas vocant, Vianæ duntaxat factis, quæ ex §. 3. *Ordonn. Polit. Holl.* & ex §. 6. *Ordonn. Pol. Zeland.* fieri debebant in loco domicilii, eaque ratione tutores juvenis nuptias reſcindi petiiſſent, Curia Hollandiæ ult. Jul. 1629. ſecundum tutores ſen-

ten-

(5) *Auctor Ordinis judiciarii apud Curiam T.* V. *C. 6. n. 6.*

(6) Oudenhoven *Zuyd-Holland.* p. 109.

(7) Apud Oudenhoven *d. Libr.* p. 83. & *ſeqq.*

(8) *In Formul. L.* II. p. 398. & 399.

(9) Van Leeuwen *Inleid. tot de Coſtuimen van Rynland* §. 22. & *ad* §. 44. *earundem Conſuetud.*

(10) Memorantur in *Formul. L.* II p. 391.

(11) Van Leeuwen *Inleid. tot de Coſtumen van Rynland* §. 23.

(12) Idem *R. H. R. L.* V. *Part.* 7. *n.* 16.

(13) Idem *ad* §. 44. *Conſuet. Rynl. n.* 3.

tentiam dixit (1), ſcilicet quum neque Amſterdami, neque Vliſſingæ proclamatæ eſſent nuptiæ. Juvenis, Vliſſingæ natus, a tutoribus, Vliſſingæ habitantibus, ſtudiorum cauſa, Harderovicum miſſus, feriarum tempore Amſterdamum excurrerat, & ibi Venerem Minervæ prætulerat.

Addo aliam ſpeciem, quæ Hollandos JCtos exercuit. Quidam Juvenis, Heusdæ natus, ibi utrumque parentem amiſit. Ejus tutor, qui Hagæ Batavorum habitabat, miſit juvenem nunc huc, nunc illuc, & tandem Amſterdamum mercaturæ addiſcendæ cauſa. Quum ibi nuptias facere conſtituiſſet, vocat tutorem, ſi contradicere vellet, Amſterdamum ad Delegatos cauſarum matrimonialium. Reſponſum eſt (2), minorem neque in cauſa matrimoniali recte agere adverſum tutorem ſuum. Perperam, ſed hoc jam non agimus. Deinde reſponſum eſt, Heusdæ, ubi parentes defuncti erant, matrimonium fuiſſe publicandum, & ibi litigandum, ſi tutor ei contradicere vellet, nam ex Epiſtola D. Hadriani ne eum quidem, qui alicubi ſtudiorum cauſa moratur, domicilium ibi habere credendum eſſe, niſi decem annis transactis, & fortunis ſuis eo translatis, *l.* 2. *C. de incol.* multo minus igitur eum, qui mercaturæ diſcendæ cauſa alicubi moratur, cum major ſit ſtudiorum, quam mercaturæ favor, quin, ſi Heusdæ litigandum non eſſet, tutorem, qua Rationalem Hollandiæ, non niſi ad Curiam vocari poſſe: ſic, inquam, reſponſum eſt, ſed rurſus perperam. Quod ajunt ſtudiorum vel mercaturæ cauſa domicilium pupilli non mutari, id utique non aliter verum eſt, quam de eo, qui alibi domicilium habet, qui alibi non habet, ubi moratur, ibi habitat. Parentes, ſed mortui, quod Heusdæ habitarunt, nihil quicqam refert, cum morte ſua, quod nemo continuavit, domicilium ſuum exſtinxerint. Et ubi nuptiæ celebrantur, recte citantur omnes, ſi velint contradicere, generale judicium ſequuturi, nec, ſi proprie loquamur, citabatur hic tutor, ſed ſi contradicere vellet, ei denunciabatur, acturus in loco, ubi agendum eſt.

Poſſe tutorem pupilli ſui domicilium mutare, perinde ut poteſt parens ſuperſtes, neſcio, quisquam ſerio dubitaverit, ſi ſucceſſionis legitimæ cauſa non verſetur, nam, ſi hæc verſetur, multa diſputatio eſt, ut mox audies. Quicunque impuberum vel minorum educationi præpoſiti ſunt, ſive ſint parentes ſuperſtites, ſive tutores, exploratis omnibus, quid iis expediat, deliberant, & de eo ſtatuunt ex animi ſui ſententia. De cauſa matrimoniali audi, quid me Senatore inciderit apud Senatum Supremum. Pater Amſterdammenſis & Matrem, & Titium, qui Amſterdami habitabat, liberis ſuis tutores dedit, ſub auctoritate, *onder Oppergeſag*, ut ajebat, *van Weesmeeſters van Amſterdam.* Mater eademque vidua, menſe Maj. 1714. cum liberis quinque, quos penes ſe habebat, Amſterdamo abit, & Leidam domicilium transfert, ut minori ſumptu ibi ſe ſuosque exhiberet, nihil quicquam contradicente tutore Amſterdammenſi. Menſe Novembri ejusdem anni Titia, quæ erat ex quinque liberis, Amſterdamum redit, & ibi educanda traditur Matronæ cuidam in ſchola puellari. Menſe Auguſto anni 1713. illa Titia, Leidam reverſa, moliebatur nuptias cum Mævio. Cum mater diſſentiret, a Titia & Mævio vocatur ad Magiſtratum Leidenſem, ut redderet diſſenſus ſui rationes. Superveniunt Magiſtri pupillares, qui Amſterdami ſunt, & contendunt, illas rationes apud ſe eſſe reddendas. Titiam enim minorem nunquam domicilium mutaſſe. Quum ea res unice penderet a mutatione domicilii, placuit partibus de illa, prætermiſſis aliis judicibus, ſtatim litigare apud Senatum Supremum. Inter partes non erat tutor Amſterdammenſis, teſtamento conſtitutus. Soli Magiſtri pupillares agebant, qua *Oppervoogden*, ut præ ſe ferebant, ſed illud *onder oppergeſag*. quo verbo uſus erat teſtator, neſcio an aliam tutelam inferat, quam honorariam. Certe, quod ad rem ipſam attinet, Senatus nihil verius eſſe putavit, quam viduam, quinque liberorum matrem, eandemque tutricem, potuiſſe, quo vellet, domicilium transferre, & revera cum Titia minore, & reliquis fratribus & ſororibus tranſtuliſſe Leidam, ubi ſimul adhuc habitabant. Patris domicilium morte exſtinctum erat, & mater, nunc ſui juris, parſimoniæ conſulens, cum liberis ſuis Leidæ edere, quam Amſterdami eſurire maluit. Quod autem Titia, ad ſcholam puellarem frequentandam, novem fere menſes Amſterdami morata fuerit, eo ipſo domicilium mutaſſe, nemo facile dixerit, & contra quoque reſponſum eſt (3). Atque ita Senatus 21. Jul. 1716. judicavit (4), Titiam Leidæ habitare, & ibi, ſi vellet, matrem poſſe matrimonio contradicere.

Sed an hæc quoque valebunt, ſi ſuperſtes parens vel tutor domicilium minoris tranferat, ut ejus, inteſtati mortui, alia ſit ſucceſſio, quam ante fuit? Inanis, inquies, quæſtio, quia jure Hollandico quisque intelligitur deceſſiſſe jure loci, in quo mortuus eſt, inde enim cautum eſt §. 9. *Formæ Juris Aasdomici & Scabinici* (5), Pueri, qui habitabat in loco, ubi utebantur jure Aasdomico, ludentis & caſu morientis in loco, ubi utuntur jure Scabinico, hæreditatem deferri ſecundum jus Scabinicum. Quamvis enim nonnulli ſcribant, atque ſi id jus adhuc obtineret, ab aliis (6) tamen dudum animadverſum eſt, *d.* §. 9. nec rationem, nec auctoritatem juris habere. Sane illa Forma non eſt niſi incondita Farrago, quæ multa habet ſic ſatis inepta, & eam nulla auctoritate juris eſſe habendam inde apparet, quod, cujus ſit, ignoratur, & quod nullum præ ſe ferat diem vel Conſulem, a privato forte JCto conſcripta in uſum ſuum, privatum certe hominem redolent tres appendices, huic Formæ additæ. Non longe abit a *d.* §. 9., quod reſponſum eſt (7), ejus, qui ex Ditione Utrechtana, ob bellum & aquæ diluvium, in Hollandiam fugerat, & ibi mortua erat, hæreditatem Jure Hollandico deferri.

Ceterum, quod ait *d.* §. 9. extremum eſt, ut & quod in contrarium retulit Faber *L.* I. *Cod. Sab. Tit. V. Defin.* 3. & 4. Leges domicilii ſequendum eſt, ſed ubi domicilium eſt, pro varietate factorum non tuto definire licet, interea probo diſtinctionem Ulpiani in *l.* 19. §. 2. *ff. de Judic.* a loco domicilii longe alienum eſſe locum,

(1) *Deciſ. mixt.* 74.
(2) *Conſil. Belg. T.* I. *Conſil.* 249.
(3) *Conſil. Holl. T.* IV. *Conſil.* 174.
(4) *Obſerv. Tum. T.* V. *n.* 1259.
(5) Vulgo *Inſtructie van 't Aasdom en Schependoms Regt.*
(6) Van Leeuwen *R. H. R. L.* III. *C.* 12. *n.* 9. Voet *Comm. ad Tit. ff. ad SC. Tertull. & Orphit.* ibique *Append. de Succeſſione ab inteſtato n.* 34.
(7) *Conſil. Belg. T.* I. *Conſil.* 185.

cum, in quo quis fortuito moratur, & ſecundum hanc diſtinctionem facile eſt in conſilium ire de ſingulis cauſis, quæ incidunt, etiam de his, quæ commemorantur *Conſil. H. T.* I. *Conſil.* 8. & 112. rurſus *T.* II. *Conſil.* 38. & 173. ut & de aliis, quas retulit Voet ad *Tit. ff. ad SC. Tertull. & Orphit.* ibique Append. *de Succeſſ. ab inteſtato n.* 34. nam longum eſſet, has omnes excutere, & de iis ſententiam meam addere. Omnino igitur intereſt ſcire, non tam ubi quis deceſſit, quam ubi decedens domicilium habuit, nam, ſi hoc ſciamus, ſecundum leges ejus domicilii hæreditas inteſtati defertur, ſive major ſive minor deceſſerit, quod ad mobilia nempe, & quæ pro mobilibus habentur; immobilia enim deferri ex jure, quod obtinet in loco rei ſitæ, adeo recepta hodie ſententia eſt, ut nemo auſit contra hiſcere.

Sed eſto, recte mutet ſuperſtes parens vel tutor domicilium impuberis vel minoris, ſed an eo effectu, ut ſucceſſionis cauſam mutet? Ut bona, quæ a patre vel matre obvenerunt, & ex Jure Scabinico ad eorum hæredes pertinebant, nunc, translato a ſuperſtite vel tutore domicilio in Urbem vel agrum Juris Aasdomici, ad ſuperſtitem, quin vel ad ipſum tutorem pertineant? Sic puto. Scio impuberem vel minorem proprio Marte non recte domicilium ſuum mutare, ſed quid ni poſſet, qui eum repræſentat & quid ni poſſet cum omni effectu, niſi qua lex ſit, quæ impediat? Sin ajas, parentem, in loco Juris Scabinici defunctum, de liberorum ſuorum ſucceſſione legitima ſecurum, Cognatos ſuos iis non ſubſtituiſſe, atque ita, mutato poſtea domicilio, ejus voluntatem circumveniri. Sin hoc, inquam, ajas, id ais, quod neſcis. Potuerunt Parentes, ſi ita videretur, pacto antenuptiali vel teſtamento, alterutrius juris ſucceſſionem eligere, ſed, ſi non elegerunt, ſibi imputent, quod mutandi domicilii & ſic mutandæ ſucceſſionis cauſam præbuerint. Et forte primum defunctus Conjux non elegit jus Scabinicum, ut ſuperſtes, in rem ſuam, domicilium transferre poſſet? Magis ſcilicet ſuperſtitem diligens, quam cognatos ſuos, & ſatis gnarus, liberos ſuos poſt pubertatem, mutato quamvis domicilio, de rebus ſuis teſtamento ſtatuere poſſe ex animi ſui ſententia.

Sunt tamen, qui impuberis, ab inteſtato defuncti, ſucceſſionem ex priſtino parentis domicilio deferunt, & ſic defert Mornacius *ad Tit. C. ubi de Hæred. agat.* & quem illaudatum ad verbum deſcripſit Chriſtinæus *Deciſ. Vol.* II. *Deciſ.* 166. & ſic reſponſum eſt (8), ne quidem ipſam cum filio, cujus nulli tutores memorantur, matrem, domicilium transferentem ex loco, ubi pater obierat, efficere potuiſſe, ut non jure loci originis paternæ moreretur. Et in eandem ſententiam alii quoque ſapiunt (9). Omnes illi provocant ad domicilium originis, quod patre defuncto in liberis continuatum videri debet. Et ſic eſt, ſi liberi, ex conſenſu tutorum, ibi habitare pergunt, ſed ſi aliud domicilium præferant, cedo, cur non poſſint. Ipſe utique pater morte domicilium ſuum exſtinguit, & inter omnes nunc conſtat, domicilium originis hodie non frequentari, quin nec Jure Romano de domicilio originis tam præclare eſſe ſentiendum ab aliis jam animadverti cœptum (10), ſed non ſatis adhuc expeditum eſt.

Mediam ſententiam extulit Rodenburg *de Jure Conjug.* Tract. *de Jure, quod oritur e Statut. diverſ. Tit.* II. *Parte altera C.* 1. *n.* 6. & *C.* 2. *n.* 2. & 3. eumque ſecutus Voet ad *Tit. ff. de Judic. n.* 100. Permittunt illi, ut ſuperſtes parens vel tutor domicilium impuberis vel minoris mutet, ſed non permittunt, ſi mutet in fraudem tertii, ut forte intervertat hæreditatem & ad alios hæredes transferat, quam in antiquo domicilio ab inteſtato ſucceſſuri eſſent, & ex facto ajunt, definiendum eſſe, quo animo domicilium mutetur. Sed quam difficile eſt, de ſecreto animi ſententiam ferre, & quam infinitis ea indagatio cauſam præberet litibus? Imo, inquiunt, ex eo animum fraudulentum licet intelligere, ſi pater vel mater languentem forte & ægrotantem impuberem ex loco Juris Scabinici in locum Juris Aasdomici transferat, nam ſi valentem & ſanum tranſtulerit, largiuntur, fraudis ſuſpicioni locum non eſſe. Sed quem vocas *languentem & ægrotantem*, non, putem, ſi caput, ſi dentes doleant. Sed quid ſi febricula comes adſit? Neſcio & lubrica res eſſet, gradum morbi definire. Si ſimile quid placeret, mallem, omnem translationem domicilii, quæ ſucceſſionem inteſtati mutat, habere pro fraudulenta, niſi probetur, aliam fuiſſe mutandi domicilii cauſam. Sed difficillima eſt ejus rei probatio, & forte tunc deſiderabis idoneam mutandi cauſam, &, ſi minus idoneam exiſtimes, reſpondebis pro animo captandæ hæreditatis. Adeo ſcilicet vagamur pede incerto, ſi abſque ulla auctoritate juris, regulæ, quæ ſuperſtiti parenti vel tutori permittit domicilium impuberis vel minoris mutare, neſcio quas exceptiones affingas, ut evites, quod, ut dixi, ipſe defunctus, ſi ita ei videretur, evitare potuiſſet.

Sed quum ſexcenta exſtent mutati a parente ſuperſtite vel tutore domicilii, nunquamne, inquies, ea de re litigatum vel judicatum eſt? Litigatum ſcio, judicatum non auſim dicere. Ecce, quæ mihi nunc ſuccurrunt. Patre defuncto mater, quæ Medioburgi Zelandorum habitabat, cum filio, qui ἐπιληψίᾳ laborabat, Leidam domicilium transfert, quo, ut apud plures vicinos erat profeſſa, filii morientis ab inteſtato hæres eſſet, neque enim ſatis videbatur fidere teſtamento, quo filius, proxime pubertatem egreſſus, matrem ex aſſe hæredem ſcripſerat, quia agnati prætexebant, filium ad condendum teſtamentum, mente ſatis integra non uti. Nondum elapſo anno poſt domicilium mutatum filius Leidæ fato ſuo fungitur. Agnati, facto apud Middelburgenſes arreſto, ibi contendunt, ſe defuncti ab inteſtato hæredes eſſe. Imo ſe hæredem eſſe contendit mater, cum ex teſtamento, tum etiam ab inteſtato, defuncto quippe filio in loco Juris Aasdomici. Pro matre judicarunt Judices Middelburgenſes 9. Jul. 1725. & Curia Hollandiæ 18. Jul. 1727. ſed incertum, an ex cauſa teſtati, vel inteſtati. Quum appellatum eſſet ad Senatum, primo quæſitum eſt, an filius tantum habuiſſet mentis, quantum ſufficit ad condendum teſtamentum? Sane difficile dictu eſt, ſi mens undequaque perfecta conſtet ex XII. unciis, quot deſiderentur, ut teſtamentum, qua ſani hominis, ſubſiſtat. Sed & in facto teſtes magno utrimque numero modo affirmabant, modo negabant tantum judicii habuiſſe filium, quantum ad teſtamentum faciendum ſufficit, recitatis,

(8) *Conſil. Holl. T.* II. *Conſ.* 21.

(9) *Ibidem T.* I. *Conſil.* 152. & *Conſil. Belg. T.* IV. *Conſil.* 93.

(10) Huber. *Prælect. ad Tit. ff. de Judic. n.* 47.

tis quam plurimis animi magis minusve integri exemplis. Sed quum nulla teſtimonia eſſent redacta in *formam*, quam vocant, *probantem*, Senatus tuto ea de re judicare nec potuit, nec debuit. Inanis, inquies, ea opera, cum nihil interſit, ſi mater etiam ab inteſtato filii ſui hæres eſſet. Sic eſt, ſi non quidam JCti diſtinguerent, ut & hic nonnulli Senatores diſtinguebant, qua mente ſuperſtes parens domicilium mutasſet, ut liberorum hæreditatem aucupetur, an mente alia & longe diverſa, nam ſimulac huic diſtinctioni locum facis, rurſus habes quæſtionem facti, de mente nempe ſuperſtitis, & ſic iterum recurrendum eſt ad teſtimonia, quæ & hic de mente occurrebant, ſed etiam non redacta in formam probantem, quin ſi vel redacta fuisſent, mater ex aſſe ſe filii hæredem eſſe contendebat, cum tamen ab inteſtato hæres eſſe non poſſet ratione bonorum immobilium, quæ jure Scabinico regebantur, ſi quæ forte ejusmodi in hæreditate eſſent, & ad quæ etiam nominatim contenderant Agnati. Sic ut cauſa teſtati neceſſario hic eſſet definienda ante cauſam inteſtati, quia in cauſa inteſtati bonorum diſtinctio erat adhibenda, ſi vel ſecundum matrem jus diceretur. Atque hæc Senatum moverunt, ut 20. Jul. 1728. (11) decreverit, interloquendum, omnia utrimque teſtimonia in formam probantem eſſe redigenda. Quamvis autem ſic dicere non liceat, deciſam hic eſſe quæſtionem, quam propoſui, negari tamen nequit, pleroſque tunc Senatores videri procliviores fuiſſe ad amplectendam diſtinctionem, ecqua mente ſuperſtes parens vel tutor domicilium impuberis vel minoris mutaverit. Sed erant, qui alia ſententia utebantur.

Multo minus illa, quam dixi, quæſtio deciſa eſt in hoc facto. Sempronius, qui Hagæ Batavorum cereviſiariam exercebat, ex uxore defuncta unum habebat filiolum, adhuc impuberem. Ut ejus ab inteſtato heres eſſet (ſic enim facile mihi perſuadeo) 3. Mart. 1731. conducit, ad tres annos, prædiolum aliquod ruſticum in Rhenolandia, prope Leidam, ubi jus Aasdomicum obtinebat, & eo frivola quædam transfert. Hagæ interea habebat domum, ſupellectilem, officinam cereviſiariam, molam, cereviſiariæ deſtinatam, habebat equos & currus, ſolvebatque tributa & vectigalia, quæ a civibus exiguntur. Filiolus ille 24. Mart. 1731. Hagæ, ubi cum patre habitaverat, decedit. Titius, qui nomine uxoris heres legitimus erat illius filioli ex jure Scabinico, quod Hagæ obtinet, a Senatu Supremo impetrat Interdictum *quorum bonorum* ad adipiſcendam poſſeſſionem hereditatis, a puero illo relictæ. Pater Sempronius ait, ſe domicilium ſuum tranſtuliſſe in prædiolum illud, quod ſub jure Aasdomico erat, atque ita ſe filioli ſui legitimum heredem eſſe. Sed ex iis, quæ dixi, de ipſo domicilio patris non magnopere erat laborandum, nam qui per æſtatem, voluptatis cauſa, aliquod tempus in Tuſculanis ſuis tranſigunt, domicilium, quod ante habuerunt, non mutant, ut nec mutaverat Sempronius, quod eum docere potuiſſet *l.* 17. §. 13. *ff. ad Municip.* & *l.* 7. *C. de Incol.* Ipſe filiolus ne ſemel quidem pernoctaverat in illo prædio, & forte ne pater quidem, cum puer decederet. Paribus igitur ſuffragiis Titio adjucata eſt fiduciaria poſſeſſio 31. Oct. 1731. ex cauſa ſcilicet non mutati domicilii, ſed id non definit, ſi revera mutatum ſit, an quod ad ſucceſſionem inteſtati, mutare potuerit ſuperſtes parens vel tutor. Memini me Senatore vel Præſide bis terve id alias quæſitum eſſe: ſed cum tentata transactione, ut tentari ſolet in cauſis dubiis, ea ſucceſſerit, nihil quicquam deciſum eſt.

(11) *Obſerv. Tumult. T.* X. *n.* 2452.

FINIS LIBRI PRIMI.



CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

QUÆSTIONUM JURIS PRIVATI,

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De Pacto nuptiali, quo mulier ſibi ſervavit optionem, an lucrum damnumque, an ſua duntaxat, quæ attulit, ſalva habere malit.

In cauſa dotium, etiam hodie mulieribus competere privilegia dotium, & hypothecas tacitas, res eſt oppido certiſſima. Sed quum in Hollandia pauciſſima ſint pacta, quæ cauſam vere dotalem continent, quumque de bonis paraphernis, an hypothecam habeant, dubitetur, & de receptitiis multo magis, ignorantia eorum, qui pacta nuptialia ſolent conſcribere, effecit, ut aliud εὕρημα placuerit, non minus tamen perniciosum, quam injuſtum. Solent ſcilicet mulieres, pacta bonorum ſeparatione, finito matrimonio optionem ſibi ſervare, ſive lucrum damnumque, ſive duntaxat ſua ſalva habere malint. Atque ita, ſi res bene ceſſerint, lucrum eligunt, ſi male, damno renunciant, & præferuntur omnibus mariti creditoribus in iis, quæ ſe ad nuptias attuliſſe probaverint. Sæpe ita reſponſum & judicatum eſt (1), etiam aliquoties a Senatu Supremo, me Senatore & Præſide. Et ſane ejusmodi pacta mores tuentur, quamvis, ſi recte judico, jure non ſubſiſtant. Hæc conditionalis, & a voluntate mulieris, lucrum captantis, hypotheca ab improbitate abſolvi nequit, & plane incidit in ſocietatem, quæ *Leonina* dicitur. Talis ſocietas coiri non poteſt, ut alter lucrum tantum, alter damnum ſentiat, ut ex Ariſtone & Caſſio Ulpianus definit in *l.* 29. §. 2. *ff. Pro Soc.* Mulieres ex ejusmodi pactis, ſi lucrum ſit, ejus partem rapiunt, ſi damnum, id non metuunt, quin ſolius mariti eſt, *Abſtine commodo, ſi damnum metuis*, ſic enim legendum videtur in *l.* 23. §. 1. *ff. Eod.* Quid Leoninum, ſi non, *ſocius ero, ſi feliciter res ceſſerit, ſi ſecus, ipſe damnum feres ſolus*? Quod quidam (2) ajunt, Leoninam ſocietatem non eſſe, *qua res ad normam Juris Civilis redacta eſt*, ſordet in ore JCtorum. Jure Romano mulier lucri damnique, quod maritus fecerat, ſocia non erat, ut nec hodie eſt, quæ ei communioni renunciavit, ſed neque mulier Jure Romano, pro libidine ſua, ſi res mariti proſpere ceſſiſſent, lucrum rapiebat; idque eſt, quod Leoninum inducit. Hugo tamen Grotius (3) operoſe diſputat, præſertim in matrimoniali cauſa, pro Leonina ſocietatem non habendam, in qua duntaxat unus de ſuo nihil amittere poteſt, ſed acquirere duntaxat, eique ſententiæ putat argumentum præbere *l.* 29. §. 1. *ff. Eod.* cum ait, *ita coïri ſocietatem poſſe, ut nullius partem damni alter ſentiat, lucrum vero commune ſit*, ſed mox additur, ita demum id valere, *ſi tanti ſit opera, quanti damnum eſt*, quod in uxore, in quæſtu faciendo fere otioſa, vix aut raro obtinet. Unde Grotius eam clauſulam, ſibi incommodam, aliter interpretatur, ſed contra manifeſtam Sabini & Ulpiani ſententiam. Quod porro ait, Leoninam ſocietatem non eſſe, niſi alter ſocius omne lucrum, alter omne damnum ſentiat, maritum autem, ſi lucrum ſit, in partem lucri venire, id vero me non movet in contrarium, nam, niſi mulieris ope-

(1) *Conſil. B.* I. 74. II. 90. & III. 75. & 76.
(2) Neoſtad. *de Pactis antenupt. Obſerv.* IX. & *Conſil. H. Tom.* VI. *Part.* II. *Conſil.* 178.
(3) *Conſil. H.* III. 203.

opera vel induſtria accedat ad exercendam ſocietatem, ſive omne lucrum ſtipuletur, ſive ejus ſemiſſem, ſive aliam quamcunque partem, modo ſimul ſtipuletur, ut ab omni damno ſit immunis, res incidit in pactionem Leoninam, tunc enim & *commune lucrum* improbat *d. l.* 29. §. 1. Quod tandem Grotius addit, eam demum eſſe ſocietatem Leoninam, in qua neque acceptum lucrum damno minuitur, in eo quoque me adſentientem non habebit, in omni quippe ſocietate verum eſt, neque lucrum intelligi, niſi omni damno deducto, neque damnum, niſi omni lucro deducto *l.* 30. *ff. Eod.* de reliquo omnis diſputatio eſt, ſi enim in alia re lucrum, in alia damnum illatum ſit, compenſatione facta, ſolum, quod ſupereſt, intelligitur lucro eſſe §. 2. *in fin. Inſt. de Societ.*

Recepta tamen moribus eſt iniquiſſima illa mulierum optio, & hanc cum maxime defendit Grotius ob matrimonii favorem, ſed nullus matrimonii favor apud me tantus eſt, ut aut rationem vincat, aut legem. De lege vidimus, conſulta autem ratione, improbum omnino & exemplo peſſimum eſt, pro libidine mulierum maritorum creditores emungere, nam in eorum fere caput cuditur hæc faba. Mulieris ex hac optione non omnis fortunæ cum viro participis, ſed proſperæ duntaxat, non item adverſæ, ſi hæc acciderit & maritus ad ἀπορίαν pervenerit, non cum viro amplius, ſed cum ejus creditoribus res eſt. Sua, quæ ad nuptias attulerunt, auferunt jure πρωτοπραξίας, & utinam ſua tantum! Sæpe fraudem fraudi addunt, confictis, privata ſcriptura, inventariis, ex quibus mulieres tempore initi matrimonii longe ditiores, quam revera fuerunt, non alio fine, quam, ſi maritorum res infeliciter ceſſerint, poſt ἀπορίαν non ſua tantum, ſed & maritorum bona rapiant in necem creditorum, & ex his rapinis deinde beate vivant ambo. Ne creditores, ejusmodi pactorum ignari, fallerentur, quodammodo proſpectum eſt Ordinum Hollandiæ Edicto 30. Jul. 1624. Sed hanc, quamvis optimam Juris Hollandici partem, uſus ſubegit, in favorem, puto, mercaturæ. Creditum ſcilicet eſt, commerciis frequentandis prodeſſe, ſi quis non ſua tantum, ſed & aliena lubrico mercaturæ exponat. De pecunia credita, de pretio rerum emptarum, & de aliis quibuscunque rebus facile fides habebitur ei, qui beatam uxorem duxerit domum, ubi tamen fortuna deluſerit mercatorem maritum, mox deluſi erunt creditores mariti, ecce enim præſto eſt conventio Leonina, quæ uxorem præſtet indemnem, & ſimul creditorum res evertat. Poſſem plures addere ſpecies, quibus improbum mercaturæ promovendæ ſtudium Reipublicæ plus nocet, quam prodeſt, ſed quid ſurdis narro fabulam.

Solent autem mulieres hanc optionem paciſci non ſibi tantum, ſed & heredibus ſuis. Cum heredis mentio facta non eſſet, & mulier filium reliquiſſet heredem, reſponſum eſt (4), & hunc optionem habere, & ita Curiam Hollandiæ contradictorio judicio cenſuiſſe. Contra quidem judicavit Senatus, me Senatore, 8. Dec. 1717. ſed in ſpecie, qua mulier ſibi optionem erat pacta, *ſi Viro ſuperſtes eſſet*, deceſſerat autem ante virum. Generalis eſt quæſtio, an optio transmittatur? de qua vide Duarenum ad *l.* 132. §. 4. *ff. de V. O.* &, ſi tranſeat, tranſibit & ad quemlibet extraneum. Quamvis autem dotis privilegium non tranſeat, §. 29. *Inſt. de Action.* pignus tamen placet tranſire (5).

Cum mulier, ejusmodi optionem ſibi heredique ſuo ſtipulata, deceſſiſſet relicto filio ex priori matrimonio, privignus ille apud Curiam Hollandiæ contra vitricum contendit, non modo tradendum ſibi eſſe, qui traditus erat, inventarium bonorum, quæ mater, ſed & quæ vitricus ad nuptias attulerat, quin & inventarium omnium bonorum, quæ, defuncta matre, ſupererant, absque iis enim ſe optare non poſſe, an lucri velit eſſe particeps. Egit igitur ad omnes illos inventarios ſibi exhibendos, ſed fiduciaria Curiæ ſententia 27. Jul. 1708. repulſam tulit. Appellat ad Senatum Supremum. Elegantiſſima ſane quæſtio eſt, quæ ſæpe poteſt incidere. Omnes autem apud nos Senatores, uno excepto, putabant, Curiam perperam judicaſſe, pacta enim optione etiam ea pacta cenſeri, ſine quibus optio explicari non poterat. Optio mulieris ejusve heredis beneficium eſt, ſed quis beneficium eſſe dicat, ſi mulier ejusve heres de optione ſtatuere debeant, non inſpectis inventariis, libris mercantilibus, rationibus, aliisque inſtrumentis, ex quibus de inventariorum fide conſtare poſſit. Ita mulier ejusve heres ſe præſentiſſimo periculo exponerent, cui ne ſe exponerent, optionem ſtipulata erat mulier. Jure Romano nihil quidem ejus rei definitum eſt, utpote incognitis ibi ejusmodi pactis, ſed tamen eo jure verum eſt, mandata jurisdictione, etiam ea mandata cenſeri, ſine quibus jurisdictio explicari nequit, & optione legata, exhibendas eſſe res, quarum optio relicta eſt. Hæc privigni actio, ex natura rei, nihil erat, quam ipſa actio ad exhibendum, atque hæc datur iis, quorum ex juſta cauſa intereſt rem exhiberi; hic autem omnino intererat privigni inventarios & libros exhiberi, ne, ſolis conjecturis cauſam tranſigens, imprudens læderetur. Quin ſi mulieri ejusve heredi optandum eſſet ſine ullo, quod præcedat, bonorum examine, utique ea res cauſam præberet continuis in integrum reſtitutionibus ex læſione, deinde reperta. Ego, qui ea quoque ſententia utebar, addebam tamen, mulieris ejusve heredis non eſſe, exhibitis inventariis & libris, optionem differre, donec inventarii eſſent refutati, lites pendentes definitæ, & omnia ad liquidum perducta. Rem hanc eſſe ſummariæ cognitionis, & poſſe, qui optavit, adhuc periclitari, ſi forte debitores minus ſint idonei, vel alia quæcunque damna fatalia ingruant. Unus, qui diſſentiebat, exhibitionem negabat, quia hanc ſtipulata non erat mulier, ſed ei jam reſponſum eſt. Præcipue autem eum movebat, ſi facienda eſſet ea exhibitio, mulierem ejusve heredem nihil quicquam periclitari, ſic enim de lucro & damno palam conſtare poſſe, nec lucrum repudiatum, nec damnum electum iri, atque ita hanc pactionem incidere in ſocietatem Leoninam, quæ jure non ſubſiſtit. Sed quid ſi largiamur, ut omnino largiendum eſt, ejusmodi pactis ſæpe induci ſocietates Leoninas, illa tamen moribus defenditur, ut ſcilicet mercaturæ bene ſit? Inducuntur ſocietates Leoninæ, ubi de lucro vel damno ſtatim conſtare poteſt, aliquando tamen facta optione mulier ſe quodammodo periculo exponit propter incertos litium eventus & debitorum ἀπορίας, ſi, ut dixi, optionem differre

(4) *Conſil. B.* II. 263.

(5) *Vid. Conſil. H.* II. 96. & 240.

re non poſſit. Reſciſſa igitur a Senatu eſt Curiæ ſententia 12. Jul. 1709. (6) & vitricus fiduciaria ſententia damnatus omnes illos inventarios privigno ſuo exhibere. Sed quum deinde exhibiti eſſent, & privignus optionem differre vellet, donec inventarii refutati, & omnia ad liquidum perducta eſſent, Senatus 1. Apr. 1710. (7) ob rationes, modo occupatas, privignum illico optare juſſit.

Quum mulier, in alia cauſa, 10. Jun. 1718. ſibi heredibusque ſuis pacta eſſet optionem, utrum lucri vel damni, quod ſtante matrimonio obveniret, particeps eſſe vellet, nec ne, &, ut optare poſſet, *dat 'er zoude gegeven worden behoorlyke ouverture van ſaken*, maritus, defuncta uxore, ejus heredibus quidem obtulit inventarium bonorum, quæ cum ipſe, tum defuncta Uxor ad nuptias attulerat, oblato etiam jurejurando, quo utriusque fidem probaret, ſed Senatus Supremus 7. Oct. 1735. judicavit, utriusque inventarii exhibitionem non ſufficere, niſi ſimul exhiberentur libri, aliave inſtrumenta, ex quibus compoſiti eſſent inventarii. Habebat utique maritus ad manum, unde exſcripſerat utrumque inventarium, habebat, qua mercator Amſterdammenſis, libros mercantiles, habebat forte alia, ſed quæ celabat, ex memoria quippe ſua hanc utriusque bonorum deſcriptionem eſſe factam quis credat? Heredes mulieris de optione lucri vel damni non poterant decernere, niſi inſpectis iis, unde de veritate utriusque inventarii conſtare poſſet. Nemo ſane a mulieris heredibus exigat, ut ſimplici mariti adfirmationi fidem habeant. Ajebat quidem ille, liberum esſe utrumque inventarium refutare, ſed non exhibitis inſtrumentis, unde petiti erant, cedo, quemadmodum refutari poſſint. Juſſus igitur eſt maritus eo 7. Oct. 1735. (8) ea inſtrumenta prius exhibere, ſalva deinde heredibus utriusque inventarii refutatione.

CAPUT II.

Pacta communione bonorum inter Conjuges, quorum alter, vel qui ambo liberos habent ex priori matrimonio, non impingi in l. Hac Edictali 6. C. de ſecund. nupt. *etiamſi alter plus bonorum ad nuptias attulerit, quam alter.*

Seculo demum XVI. Hollandos uti cœpiſſe *l. 6. C. de ſecund. nupt.* ſunt qui tradunt (1), ſed qua auctoritate, nondum comperi. Quod ſi ſit, forte deſiderares aliam legem, quæ hanc novam induxiſſet, ut in Gallia factum Mornacius memorat (2), ſed quum omnes JCti Hollandi nunc ſimpliciter ſecundum eam legem reſpondeant, ego nolim ejus auctoritatem defugere. Vulgo autem ajunt, conjugalem bonorum communionem, etiam in liberorum, ex priori matrimonio prognatorum, præjudicium ex conſuetudine prodeſſe contra *d. l. 6.* quod ſi vero pacta fuerit bonorum communio, non prodeſſe, quia, inquiunt, qui paciſcitur, videtur renunciare juri conſuetudinario, & reverti ad Jus Civile Romanorum, ideoque ex eo jure ad Conjugem duntaxat pervenire eam partem, quam permittit *d. l. 6.*

Poſtquam in eam ſententiam præiverat Grotius *Introd. ad Juriſpr. Holl. L.* II. *C.* 12. *vſ. Staat te letten*, facile ab aliis recepta, & ut communis probata fuit, etiam in judiciis. Eam certe amplexi ſunt Neoſtadius & Coren iis locis, quos indicavit Groenewegen ad Grot. *d. L.* II. *C.* 12. & ipſe Groenewegen ad *d. l. 6. C. de ſecund. nupt.* van Leeuwen *R. H. R. L.* IV. *C.* 24. *n.* 8. & *Cenſur. Forenſ. Part.* I. *L.* IV. *C.* 23. *n.* 9. Et ita quoque reſponſum eſt *Conſil. Holl. T.* I. *Conſil.* 41. & 42. & *T.* II. *Conſil.* 80. 242. & 301. & *T.* III. *Conſil.* 62. & rurſus *T.* III. *Amſterd. Conſil.* 86. ubi & refertur ſententia Senatus Supremi 22. Dec. 1612. quæ id ipſum definiviſſet. Idem quoque reſponſum eſt *Conſil. H. T.* IV. *Conſil.* 205. & 227. & *Conſil. Belg. T.* III. *Conſil.* 154. *Q.* 3. Communi tunc opinioni ſuffragium ſuum addit Voet ad *Tit. ff. de R. N. n.* 122.

Sed quot & quantæ auctoritates ſint, iis non aſſurgo, ſi lege aut ratione deſtituantur, ut hic deſtituuntur. Lex omnis ſilet. Et tantum abeſt, ut ratio huic ſententiæ ſuffragetur, ut, ea conſulta, malim defendere, ſi prohibitum ſit ſecundo Conjugi plus dari, quam quod minimum datur uni ex liberis prioris matrimonii, eo ipſo quoque prohibitam videri ſtatutariam bonorum communionem, etiamſi ante nuptias de ea nihil pactum ſit. Quid enim, qui nequit dare expresſe, dabit tacite? Tacite enim dat, qui dives cum paupere ſecundas nuptias contrahit absque pactis antenuptialibus, & ſic matrimonii ſui ſemiſſem perdit. Atqui *l. Hac Edictali* ultra portionem cum liberis virilem quicquam perdere vetat. Si ea Juriſprudentia uſu invaluiſſet, ego non mirarer, ſed poſtquam invaluit inter ſecundos Conjuges, qui liberos habent ex priori matrimonio, ſubſiſtere communionem bonorum, ſi nihil quicquam ante nuptias pactum ſit, ſatis mirari non potui, cur non id ipſum obtineat, ſi de communione nominatim convenerit, quum eo pacto duntaxat declaretur, Conjuges uti velle ea communione, quam conſuetudo invexit. Satis etiam abſurdum eſt, non licere pacto convenire ea de re, quam Jus Publicum probat, & inducit etiam tacite, & magis abſurdum erit, ſi credas, quod vulgo creditur, introductam eſſe bonorum communionem ex frequentia pactorum, quibus ea communio placuit, niſi fingas, tacitum valere, qua de re expreſſum pactum non valet. Romæ ex conventionum frequentia introductum fuit, ut, etiamſi in emptione nihil eſſet expreſſum, tamen de evictione foret actio, ſed ſi de evictione palam conveniſſet, ſecus ſeſe rem habituram, nemo, qui diceret, ullus erit.

Videtur autem ejusmodi pactum de communione bonorum nihil aliud eſſe, quam expreſſa voluntas jure conſuetudinario utendi, quoniam in pactorum interpretatione ita verſandum eſt, ut

(6) *Inter Acta Senatus*, & *Obſervat. Tumult. Rer. judicat. T.* III. *n.* 537.

(7) Ibid. *in margine d. n.* 537.

(8) *Inter Acta Senatus*, & *Obſervat. Tumult. Rer. judicat. T.* XIII. *n.* 2916.

(1) Neoſtad. *de Pact. antenupt. Obſerv.* IV.

(2) *Ad Tit. C. de Inoff. teſtam.*

ut ea intelligamus, quæ vulgo fiunt. Inter Conjuges, etiam binubos, eſt conſuetudinaria bonorum communio, & largiuntur hanc non incidere in donationes, quas ſolas, ultra certum modum prohibet *l. Hac Edictali*, cur igitur incideret pacta communio? Neque dici poteſt, ſocietatem ſic contrahi in fraudem juris, quum ipſo jure, ſi nihil pactum eſſet, eam ſocietatem ſubſiſtere, pleno ore concedant omnes. Ea, quæ ab agentium arbitrio pendent, ita ſemper acta videri, ut agentibus utiliſſima ſint, JCti exiſtimant. Atque ita militem, Juris vulgaris teſtamentum, ut putabat, conditurum, ſi declarata ſententia decedat, antequam ea, quæ Jus Civile deſiderat, adhiberentur, jure militari credendum teſtamentum feciſſe & Ulpianus ait, & D. Marcus reſcripſit in *l.* 3. *ff. de Teſtam. mil.* quoniam, inquit, genus teſtamenti ad evertendum judicium ſuum elegiſſe non videtur. Quis itaque credat, ut ſibi nocerent, pactumque ſuum everterent, Conjuges nuptiales tabulas conſcripſiſſe? Pactum facere, & ſine pacto bonorum communionem habere, utique voluntatis erant. Sæpe etiam contractibus inſeruntur, quæ ipſo jure cauta ſunt; quod ſi fiat, dubitationis tollendæ cauſa fieri, neque jus commune lædere, Papinianus reſpondet in *l.* 81. *ff. de R. J.*

At, inquiunt, quo bonum eſt communionem paciſci, quam quis ex ipſa lege habet? Atque ſi non & alia intervenire poſſint, quæ pacta antenuptialia deſiderant, & de quibus non ante paciſcuntur Conjuges, niſi moneatur, quid de bonorum communione placuerit, cujusmodi pacta mox ſuggeram. Atque ſi etiam, quæ abundant, vitiarent ſcripturam. Quod porro urgent, qui communionem paciſcitur, a conſuetudinaria communione receſſiſſe videri, perinde apud me valet, ac ſi dicas, eum, qui ait, negare, & aliam eſſe hominum mentem, quam verba rotunde præ ſe ferunt. Longe melius ſapit JCtus Utrechtanus, qui *Conſil. H. Tom.* III. *Conſil.* 54. *n.* 1. 2. 3. & 20. reſpondet, ſecundos Conjuges, qui communionem bonorum ſtipulantur, non alio animo ſtipulari, *quam ut ſe conforment Juri Patriæ*, laudata in hanc ſententiam magna Doctorum turba. Alius Utrechtanus, Someren *de Jure Noverc. C.* III. *n.* 1. ea ipſa ſententia utitur, & neſcio, an idem quoque ſentiat alius, nempe Anthonius Matthæus *de Crimin. ad L.* XLVIII. *ff. T.* 3. *C.* 7. *n.* 24. cum ait de pacta communione, *ſi Conjuges pactis dotalibus ſtatuta confirment, ſeu, ut vulgo fieri ſolet, ſecundum ſtatuta contrahere ſe velle profiteantur, non erit locus d. l. Hac Edictali, ut recte jam pridem Hollandis placuit.* Neſcio, inquam, an id ipſum velit, quod nos defendimus, an duntaxat, id demum obtinere, ſi *ſtatuto*, non ſola *conſuetudine* introducta ſit communio, ſive in ea tantum ſpecie, ubi nominatim ſtatuti confirmati incidit mentio. Sed nihil intereſſe puto, utrum jus, quo utimur, Statuto an Conſuetudini originem debeat, & utrum ſtatutum nominatim confirmetur, an enarretur & probetur, quod ſtatuto comprehenſum eſt. De *praxi Hollandica*, quod addit Matthæus, ex iis, quæ dixi, judicare licet.

Quare verum non eſt, quod identidem inculcant, pacta communione, eam eſſe ex facto hominis, non ex lege. Imo eſt ex lege, ſed, ut modo dicebam, pacto confirmata. Quod ſi ſit, fruſtra etiam huc advocant parœmiam vulgarem, *quod proviſio hominis faciat ceſſare proviſionem legis*, ejus enim parœmiæ non alia ſententia eſt, quam ceſſare curam legis, ſi ipſe paterfamilias ſtatuerit de his, quæ ab arbitrio ejus pendent. Quum Lex XII. Tabb. ait, *Paterfamilias uti ſuper pecunia tutelave legaſſit, ita jus eſto*, ſatis ſignificat, legitimam ſucceſſionem, quæ ex lege deſcendit, cedere teſtamentariæ, quæ eſt ex facto hominis, & ſic omnino eſt *l.* 39. *ff. de Acquir. vel omitt. hæred.* & *l.* 89. *ff. de R. J.* & ſatis quoque ſignificat, tutelam legitimam cedere teſtamentariæ, & ſic Ulpianus ſcribit in *l.* 9. §. 1. *in fin. ff. de Tutel. & ration. diſtrah.* Atque ita obtinet in multis aliis, quæ enumerare longum eſſet. Sed hæc transfer, ſi potes, ad argumentum, quod hic tractamus. Non alia utique hæc quæſtio eſt, quam de poteſtate ejus, qui, quod lege ſive conſuetudine conſtitutum eſt, ipſe quoque tabulis antenuptialibus conſtituit, quod, ſi me audias, æque licet, quam Patrifamilias licet hæredem teſtamento ſcribere, quem alioquin ab inteſtato lex vocaret.

Sed & alia ineptia hic prætereunda non eſt. Ex his, quibuscum nobis res eſt, Auctoribus, nonnulli reperiuntur, qui audent adfirmare, eo ipſo, quod in ſecundis nuptiis tabulæ nuptiales intervenerint, ceſſare communionem bonorum, etiamſi de ea nihil quicquam convenerit. Qua ſententia ego pejorem nunquam vidi, certe ſi exiſtimes factum hominis in cauſa eſſe, cur ceſſet communio, ubi enim de communione nullus plane ſermo interceſſit, ea res juri communi relicta eſt. Poſſunt utique Conjuges de ſucceſſione liberorum & aliis quam plurimis rebus paciſci, quæ ad communionem bonorum nihil quicquam pertinent, & exempla ſic audies. Sin ajas, ſolas tabulas nuptiales efficere, ut communio bonorum cenſeatur excluſa, ais, quod abſurdiſſimum eſt, & quod, ſi verum eſſet, etiam in primis nuptiis obtineret.

Satis diſputatum eſt contra opinionem communem, ſed quia communes opiniones habent ſua fata & viciſſitudines, accipe res, me Senatore & Præſide, de hoc argumento judicatas, & ex his decerne, an non ea ſententia, quam ſupra defendi, nunc ſit dicenda communis. Inter Cajum & Cajam, quæ ex priori matrimonio unam filiam habebat, pactis nuptialibus excluſa eſt bonorum, quæ ad nuptias adferrent, communio, hæreditates autem, quæ utrimque ſtante matrimonio obvenirent, eſſent communes, & maritus ſuperſtes ex bonis uxoris ſuæ una cum reliquis liberis haberet portionem virilem. Defuncta uxore relictis aliquot liberis, & illa, quam dixi, filia ex priori matrimonio, hæc adverſum vitricum defendit, pactum de hæreditatibus utrimque communicandis incidere in *l. Hac Edictali* 6. *C. de Secund. nupt.* adeoque ſibi ſoli deberi ſemiſſem cujusdam hæreditatis, quæ ſtante matrimonio obvenerat. De ea quæſtione ex conventione partium apud Senatum Supremum litigatum eſt. Si ſimpliciter excluſa fuiſſet bonorum communio, tunc anxie diſputari poſſet, an hæreditas veniret in ſocietatem lucri & damni? ſed vero in hac ſpecie nominatim convenerat, hæreditates communicatum iri, &, ſecundum nonnullos Senatores, poterant convenire, omnia bona communicatum iri, atque adeo & hæreditates, quidni igitur & ſolas hæreditates, excluſa aliorum bonorum communione? Quod licet in totum, licet & pro parte. At mox obſtabat eorum Jurisprudentia, qui negant, pactum de communione bonorum valere, quamvis valeat pactum de communione lucri & damni, & quamvis utraque communio ſit ex jure conſuetudinario. Rationes, quas jam ſupra occupavi, prolixe in utramque partem adlatæ

 ſunt,

ſunt, ſed ex novem Senatoribus, qui liti judicandæ interterant, 4. Nov. 1719. (3) quinque reſpondebant pro veteri ſententia, quatuor pro nova, & pro nova deinde ſemper judicatum eſſe, intelliges ex ſequentibus.

Cajus, qui neptim ex filio prædefuncto habebat, uxorem ducit Cajam. Ante nuptias autem paciſcuntur, nulla eſſet bonorum communio, at lucrum & damnum, quod ſtante matrimonio obveniret, eſſet commune, ita tamen, ut Cajæ, ſoluto matrimonio, ſalva eſſet optio, utrum lucri damnive particeps eſſe vellet, nec ne. Poſt nuptias contractas, Cajus ex ſemiſſe hæredem ſcribit illam neptim ex filio prædefuncto, & ex altero ſemiſſe Cajam, uxorem ſuam. Moritur Cajus, plurimum lucratus ſtante matrimonio. Tutores neptis, adhuc minoris, conſulunt duos Advocatos hilarioris famæ, quemadmodum dividenda eſſet hæreditas. Illi reſpondent, lucrum, quod ſtante matrimonio obvenerat, utpote commune, æquis partibus eſſe dividendum, & poſtquam Caja recepiſſet bona, quæ attulerat, æquis quoque partibus eſſe dividendam reliquam mariti hæreditatem. Secundum id reſponſum fit diviſio. Sed quum tutores nepti, jam majori, rationes redderent, illa apud Judices Edammenſes contra tutores contendit, male diviſam eſſe hæreditatem, nam Cajam non potuiſſe conſequi ſemiſſem lucri, quod ſtante matrimonio obvenerat, impingere id in *l. Hac Edictali*, quia lucri communio pacto erat introducta. Ad hæc tutores, Cajam hunc ſemiſſem percepiſſe ex jure conſuetudinario, pactis confirmato. Judices Edammenſes 21. Jan. 1718. ſecundum neptim ſententiam dixerunt, & ſic etiam Curia Hollandiæ, cum appellatum eſſet, 31. Jul. 1722. Cum iterum appellatum eſſet, apus Nos ſententiis variatum fuit. Scio quæri, an pacta communione bonorum, quæ alioquin ex conſuetudine obtinet, id pactum incidat in *l. Hac Edictali*, ſed nemo, quod ſciam, eo unquam traxit pactionem de communione lucri & damni, quod utriusque induſtria creditur obvenire. Ita ſane Someren *de Jure Noverc. L.* III. *n.* 3. ita & alii ſentiunt, nec ſcio, qui diſſentiat. Quin, ut nunc erat, nemo unus Senatorum pactum de communione lucri & damni, imo nec pactum de communione bonorum referebat ad ea pacta, quibus adverſatur *l. Hac Edictali*, illi enim quinque Senatores, de quibus dixi *Verſiculo proximo* mutaverant ſententias. In hoc tamen facto quatuor Senatores exiſtimabant, Cajam plus eſſe pactam, quam ex jure conſuetudinario poterat conſequi, pactam quippe eſſe optionem lucri & damni, quod notiſſimos conſuetudinis patriæ terminos excedit, atque ea ratione efficiebant, id pactum non valere, quemadmodum & Someren videtur velle *d. L.* III. *n.* 2. Quatuor alii Senatores (nam octo intererant judicio) haud inviti id largiebantur, ſed negabant ad pactam optionem attendi poſſe, niſi ſtante matrimonio damnum obveniſſet, plurimum nunc lucri obveniſſe, atque adeo optionem eſſe habendam pro non ſcripta. Cum ita pari numero colliderentur ſuffragia, Edammenſium & Curiæ ſententia probata fuit 13. Nov. 1725. (4).

Inter Cajum & Cajam, quæ tunc quatuor liberos habebat, ante nuptias convenit, ut bona utrimque eſſent communia, excepta ſumma 2000. florenorum, quos Caja ex ſuis bonis ſibi præcipuos ſtipulata eſt. Caja primum defuncta, tutores, quos liberis minoribus dederat, incipiunt hæreditatem dividere ſecundum pacta dotalia, atque ſi nempe, exceptis illis bis mille florenis, reliqua omnia eſſent communia: ſed, conſultis Advocatis, mutant ſententiam, & lite ad Senatum Supremum translata contendunt, pactam communionem incidere in *l. Hac Edictali*, & ſimul petunt reſtitutionem in integrum adverſum diviſionem, ac ſi bonorum communio fuiſſet, jam inchoatam. De reſtitutione in integrum laboratum non eſt, nam quia minorum cauſa agebatur, ſi hi fuiſſent læſi, etiam adverſus factum tutorum eſſent reſtituendi. De re ipſa excuſſæ ſunt illæ rationes, quas ſupra dixi, nec hic repeto. Omnes autem Senatores pleno nunc ore reſpondebant, pactam communionem bonorum nihil quicquam obſtare *d. l. Hac Edictali*, etiam ideo, quod communionis mentio non aliunde profecta fuerit, quam quod mulier ſibi præcipuos ſtipulata fuiſſet illos 2000. florenos, de exceptione enim nihil dici potuiſſe, niſi regula præceſſiſſet. Unus Senatorum, ſpeciali ratione motus, ab aliis diſſentiebat, quod nempe Jus Conſuetudinarium non ſimpliciter hic pactis fuiſſet introductum, ſed nonnihil ab eo receſſum per ſtipulationem bis mille florenorum, communionem bonorum vel generaliter eſſe inducendam, vel generaliter excludendam, pro parte id fieri non poſſe, niſi impingatur in *d. l. Hac Edictali*, ſed ejus ſententiæ rationem & auctoritatem deſidero, modo ſtipulatio, quæ ultra conſuetudinariam bonorum communionem accedit, non plus adimat liberis prioris matrimonii, quam per legem licet. In hac ſpecie potuiſſet Caja omnem ſuam fortunam cum marito communicare, ſed noluit, 2000. florenos ſibi præcipuos ſtipulata eſt, in rem oppido ſuam & liberorum ſuorum. Ecquid ejusmodi pacto peccatum eſt contra *d. l. Hac Edictali*. Repulſi igitur ſunt tutores, & ſecundum Cajum judicatum 16. Nov. 1728. (5).

Bataviæ Indorum ex Conſuetudine vel Statuto inter conjuges etiam obtinet communio bonorum, niſi contra pactum ſit. Cajus, qui non erat in re admodum lauta (vix enim ad nuptias quicquam attulit, niſi duos filios ex priori matrimonio) uxorem ibi ducit Cajam, viduam ſine liberis, & ſatis beatam. Nuptias præcedunt pacta, quibus convenerat, ut bona, utrimque adlata, eſſent communia, ea tamen lege, ut, ſi Cajus primum moreretur, Caja ex bonis, a ſe adlatis, præcipuos haberet 25000. Imperiales. Poſt contractas nuptias illi Conjuges aliquamdiu adhuc hærent Bataviæ, & magnam ibi rem faciunt. Poſtquam in Hollandiam eſſent reverſi, Cajus primum fato ſuo fungitur, & mox unus privignorum Novercam adoritur, de variis controverſiis litem minatus. In eo uno tamen conveniebant, ut omnes controverſias, quas invicem haberent, ſtatim ad Senatum Supremum deferrent. Inter alia capita, quæ ibi controvertebantur, privignus contendit ſecundum ea pacta, quæ retuli, Cajæ nihil quicquam deberi, quam bona, quæ ad nuptias attulerat. Scin, quo jure? quia, inquiebat, ante nuptias pacta erat communio bonorum, & id pactum incidebat in *l. Hac Edictali*. At ſi incidiſſet, ad bona utique id pactum pertineret, quæ utrimque

(3) *Obſerv. Tumult. T.* VII. *n.* 1571.
(4) *Obſerv. Tumult. T.* IX. *n.* 2208.
(5) *Obſerv. Tumult. T.* XI. *n.* 2478.

que adlata erant, minime vero ad lucrum, quod ſtante matrimonio obvenerat, quodque omnino erat commune, quia de eo nihil cautum fuit. Commune autem patrimonium tantum non ex lucro conſtabat, poſſederant enim Conjuges, moriente Cajo, 1200000. florenos, cujus ſummæ vix ſeſquiunciam ad nuptias adtulerant. Quidni igitur Cajæ ex eo lucro cedat ſemis? Quin inter Senatores nunc omnes conſtabat, jus faſque eſſe bonorum communionem, quæ jure patrio obtinet, etiam pactis ſtipulari absque metu *l. Hac Edictali*, idque etiam licere, etiamſi non ſimpliciter, ſed addita exceptione communio placuerit, Senatus judicavit 16. Nov. 1728. ut *præcedenti vſ.* retuli. Alia autem ibi exceptio erat, alia hic eſt. Hanc tres Senatores rejiciebant, atque ſi omnino eſſet in necem liberorum ex priori matrimonio, quia non is, qui liberos habebat, ſibi quædam præcipua ſtipulabatur, ut erat in alia ſpecie, at ille, qui non habebat, quod, inquiebant, ſemper obeſt, prioribus liberis, atque ita ſemper incidit in *l. Hac Edictali.* Sed alii ſex Senatores putabant, (unus enim aberat) hanc quæſtionem facti potius eſſe, quam juris, ex eo enim pendere, an facta exceptione, is, qui quædam excepit, omnia reliqua in communionem adferens, non etiam adhuc plus adferat, quam adfert is, qui liberos habet ex prioribus nuptiis? Prohibet *d. l. Hac Edictali*, ne ex pacto, teſtamento, aliave quacunque ratione a Conjuge, qui liberos habet, plus perveniat ad Conjugem ſecundum, quam pervenit ad unum ex liberis, qui quam minimum nanciſcitur. Id modo ne fiat, nulla, quod ſciam, pacta improbantur. Ergo conjux, qui longe plus habet in bonis, quam conjux, qui liberos adfert, poterit paciſci, ut ſibi quædam habeat præcipua, ſi enim poſſit pacto antenuptiali excludere omnem communionem bonorum, ut poteſt absque dubio, cur non & poſſit quædam excipere? Sed audio, eſſe id pactum in præjudicium liberorum ex priori matrimonio, quum, ſi id pactum non eſſet, illi liberi ex omnimoda communione plus eſſent habituri, quam nunc habent. Intelligo, at ſi communio bonorum plane fuiſſet excluſa, adhuc minus habuiſſent liberi, & cui plus licet, non debet non licere, quod minus eſt. Id unice quæritur, an id pactum vergat in necem liberorum contra *l. Hac Edictali*? & ajo non vergere, ſi non eo pacto is, qui liberos habet, plus conferat in conjugem, quam per *d. l.* licet. Quod adeo in ſpecie propoſita non obtinuerat, ut, ſalva etiam exceptione, uxor ad communionem quadruplo plus adtulerit, quam adtulit maritus. Et quicquid pactis antenuptialibus exceptum non eſt, commune eſſe, etiam Grotius reſpondit *Conſil. H. T.* III. *Conſil.* 132. *n. ult.* quod neſcio an componi poſſit cum alia ejus ſententia, quæ exſtat *Introd. ad Juriſp. Holl. L.* II. *C.* 12. *vſ. Staat te letten.* Hæc & aliæ, quæ controvertebantur, quæſtiones judicatæ ſunt 28. 29. & 30. Jun. 1731. Quum autem ab hac ſententia petita eſſet reviſio, ex XVII. Judicibus, qui huic judicio intererant, quod ad hoc caput de pacta communione non niſi unus ex Reviſoribus a reliquis omnibus diſſenſit, ſic ut tres, quos dixi, Senatores in hoc judicio etiam ſententias mutaverint. Sententia in Reviſione lata eſt 16. Nov. 1734.

CAPUT III.

De Sponſalibus minorum in Hollandia.

Si quis quæve minor alteri fidem matrimonii dederit, an Jure Hollandico ad nuptias cogi poſſit, res quæſitu digna eſt. Loquor de minore, qui duntaxat tutores habet, non de eo, qui parentes, nam, ſi parentes, res ſic ſatis eſt liquida ex §. 3. & §. 13. *Polit. Ordonn. Holl.* Sane Jure Romano ad officium curatoris non pertinet, nubat puella, an non *l.* 20. *ff. de R. N.* ſed non alia ratione, quam quod, ut ibi additur, *officium curatoris in adminiſtratione negotiorum conſtat.* Atquin, inquies, ea ratio hodie ceſſat, cum, ſublata inter tutorem & curatorem differentia, omnes peræque minores, tam quod ad perſonas, quam quod ad bona, tutoribus ſubſint ad usque annum vigeſimum quintum. Sic omnino eſt, ſed parentum, non tutorum conſenſum deſiderat §. 3. *d. Polit. Ord. Holl.* & ea ratio eſt, quod & tutorem excludamus Jure Hollandico, ut excluſit Grotius *Introd. ad Juriſprud. Holl. L.* I. *C.* 8. *vſ. 't Huwelyk*, & excludunt omnes, qui Jurisprudentiam Hollandicam profeſſi ſunt (1), neque enim *Parentum* vocabulo in *d.* §. 3. tutores contineri 9. Aug. 1646. & 31. Jul. 1671. Ordines Hollandiæ decreverunt. Loquor de jure, non de honeſtate, multa quippe honeſte præſtantur, quæ inhoneſte petuntur, interque ea eſt conſenſus tutorum in minorum nuptiis. Scio, in *Canone* 81. Synodi, Dordrechti habitæ anno 1578. ſponſalia minorum, etiam ſine conſenſu tutorum facta, damnari, ut irrita, ſed bene eſt, quod Eccleſiaſtici legum ferendarum poteſtate deſtituantur, alioquin & ſequendus eſſet *Canon* 79. ejusdem Synodi, qui omnia ſponſalia, ſi non duo teſtes adhibiti fuerint, habet pro clandeſtinis & nullis.

Magis turbat, quod ex §. 17. *Edicti Caroli* V. 4. *Oct.* 1540. is, qui puellam XX. annis minorem, citra parentum non duntaxat, ſed & citra cognatorum aut Magiſtratus conſenſum uxorem duxit, nihil ab ea acquirere poſſit, quodque idem ſit in muliere, quæ iisdem non conſentientibus juveni, annis XXV. minori, nupſit. De tutoribus quidem ibi ſermo non eſt, ſed de propinquis & Magiſtratibus, quorum neque ullus conſenſus deſideratur in *d.* §. 3. Unde diceres eo §. 3. abrogatum eſſe *d.* §. 17. ut ſunt qui exiſtimant, ſed id vetat dicere §. 13. *d. Ord. Pol. Holl.* ex quo eadem pœna manet minores, contra *d.* §. 17. nuptias contrahentes. Alii ad abſurdas *d.* §. 17. interpretationes delabuntur. Simpliciter dico, ex *d.* §. 13. locum habere illum §. 17. in matrimonio, cui parentum voluntas non acceſſit, de ſolis enim parentibus intelligo *d.* §. 13. quia eorum tantum, non etiam cognatorum aliorumve conſenſum deſiderat *d.* §. 3. *ibid.* Aliter quidem habet *d.* §. 17.

(1) Groenewegen *de LL. Abrog. ad l.* 8. *C. de Nupt.* Van Leeuwen *Cenſura Forenſ. Part.* I. *L.* I. *C.* 13. *n.* 10. Idem *R. H. R. L.* I. *C.* 14. *n.* 7. Voet *ad Tit. ff. de Nupt* 16. Van Zurck *Cod. Bat. verbo Houwelyk* §. 5. *in not. n.* 2. & Boel ad Loenium *Caſu* IV. p. 18. & *ſeqq.*

§. 17. quem ſervare jubet *d.* §. 13. Verum ita confirmatio intelligenda eſt, ne ſubvertatur lex, quæ nova conditur. Prudentius Friſii, qui, cum eundem §. 17. *Libro* I. *Tit.* I. §. 6. & 7. *Legum Juarum* confirmarent, expunxerunt illa verba, quæ ibi exſtant, *of van de meeſte Vrienden en Magen*, quorum tamen loco ratio Juris Friſici poſtulabat, ut tutores inſeruiſſent.

Ceterum *d.* §. 17. omnino lex imperfecta eſt, quæ non reſcindit, ſed duntaxat punit nuptias, ſine conſenſu eorum, qui ibi memorantur, factas, nihil igitur pertinet ad cauſam ipſius matrimonii. Attamen poſt *d.* §. 3. *Polit. Ord.* neglectis tutoribus, etiam, ut ſupra indicabam, pœnas ceſſare arbitror. Contradices forte ex ſententia, quam 21. Maj. anno 1580. hoc eſt, cum jam eſſet jus novum *d.* §. 3. Curia Hollandiæ dixit, & qua ei, qui minorem mulierem ſine cognatorum tutorumque voluntate duxerat, ab ea quicquam acquirere interdictum eſt (2). Sed dicta fuit ea ſententia in re, quæ jam anno 1577. acciderat, & in qua jure antiquo uſam fuiſſe Curiam qui mirabitur, nemo eſt. Deinde in illa cauſa maritus fatebatur, ſeſe ante nuptias pactum interpoſuiſſe, nihil ſe ab illa muliere esſe acquiſiturum.

Igitur Jure Hollandico in nuptiis minorum auctoritas tutorum plane non deſideratur, & ex ea regula olim efficiebam, minores, quod ad nuptias, plane ſui juris eſſe, & pro majoribus habendos, atque ita ex ſponſu obligari, & ad implendam matrimonii fidem cogi poſſe. Sed ea ſententia amplius non utor. Verum equidem eſt, ex ſponſu hodie ad nuptias agi poſſe, ſed ſi ſpondeant majores; Si minores, habent illi, quo ſe defendant, privilegium ætatis, nec puto id amiſiſſe in matrimonio, re tanti momenti, eo ipſo, quod in eo contrahendo conſenſu tutorum non egeant. Novimus, quam ſit lubricum & fragile minorum judicium, quam ſit ea ætas expoſita illecebris, inſidiis & machinationibus. Minor, ſic ſic pubertatem ingreſſus, haud difficulter tibi nuptias promittet, ſi tu ei promittas poma & pyra, aliasque quiſquilias. Si in bonos tutores inciderint, & majori molimine opus ſit, animum juvenis præſenti pecunia, puellæ ornamentis muliebribus expugnabis. Parata mox ſponſio eſt. Ejus conſilii minor pœnitere non poterit, ſi e re ſua eſſe exiſtimaverit? Quidni poſſit? Minor utique eſt, & quicquid agunt minores, ipſo jure nullum eſt; neque enim perſonas vel res ſuas obligare poſſunt, excepta cauſa delicti. Sic de Jure Hollandico reſpondet Grotius *Introduct. ad Jurispr. Holl. L.* I. *C.* 8. *vſ. de Minderjarige*, & ideo verum eſt, quia ſub perpetua tutela ſunt ad annum XXV. Quare non magis obligantur, quam impuberes apud Romanos: puberes an & quemadmodum apud Romanos obligarentur, ſive curatorem haberent, ſive non haberent, quin vel de ſola *l.* 101. *ff. de V. O.* prolixa diſputandi materies eſſet, ſed ad Jus, quo hodie utimur, hæc non pertinent, & peſſime vulgo confunduntur. Si, quæ minor nunc contrahit, abſque auctore tutore, in rebus pecuniariis aliisque minoris momenti nulla ſint, an dicemus ſubſiſtere in ſponſalibus, re quam maximi momenti? Ego non auſim dicere, cum expreſſa auctoritate juris deſtituamur, & ea exceptio nuſquam, quod ſciam, tradita ſit. Sin ajas, in ſponſalibus contrahendis minorem non indigere conſenſu tutoris, agnoſco, ſed eo magis ſe tuebitur beneficio ætatis, ſi ſe læſum putet. Noli objicere, etiam teſtamenti factionem maximi momenti rem eſſe, & eam tamen permitti minoribus ſuo ipſorum arbitrio, nam in teſtamento minor ſe non obligat, & de rebus ſuis non ſtatuit niſi poſt mortem ſuam, & quandocunque velit, teſtamentum ſuum revocat. Pubertas in maſculis & femellis teſtamento condendo ſufficit, ſed ſi aliquanto majorem ætatem, quæ maturius judicium adfert, leges Hollandicæ deſiderarent, magis repellerentur corvi hiantes, & tot clauſulis derogatoriis non interverterentur libera minorum judicia. Verum id optandum potius, quam exſpectandum eſt.

Sed fac minorem, ut decet, conſuluiſſe tutorem de ſponſalibus contrahendis, & ipſo auctore ea contraxiſſe, adhuc, ſi læſus ſit, utetur privilegio ætatis: nam Jure Romano ſalva eſt minori reſtitutio in integrum, etiamſi tutor vel curator intervenerit, & ita quoque Jure noſtro. Unde Grotius ſcripſit *Introd. ad Jurisprud. Holl. L.* III. *C.* 48. *vſ: Dit is niet*, ipſo quidem jure nullos eſſe contractus, a minore ſine tutoribus initos; ſed ſi hi auctores fuerint, non niſi petita in integrum reſtitutione reſcindi posſe. Quod & ad ſponſalia transfero, niſi quis exceptionem probet. Quum autem nulla ſit reſtitutio in integrum abſque læſione, fateor, in ſponſalibus hanc difficulter probari poſſe, nam non niſi per conſequentias in iis agitur de re pecuniaria. Diſpar conditio perſonarum, diſpar fortuna, vix hodie nuptiis impedimento ſunt, ſed quicquid ejus rei eſt, Judicis arbitrio relinquendum. Quamvis autem de Jure Romano hic non agam, tamen non animadverto, cur non eo jure, quo auctoritas curatoris ad nuptias plane neceſſaria non eſt, minor adverſus ſponſalia, ſi ſe læſum probet, æque, beneficio ætatis, posſit reſtitui, atque adverſus omnes contractus, ſibi damnoſos.

Sed hæc, quæ dixi de Jure Hollandico, an per auctoritates & res judicatas obtineri poſſint, videamus. Sunt Hollandi (3), qui ſponſalia, a minore contracta, ſimpliciter, beneficio reſtitutionis in integrum reſcindi poſſe cenſent, non diſtinguentes, utrum curator intervenerit, nec ne. Alius (4), ſponſalia, a minore, non adhibito tutoris conſenſu, contracta, eſſe nulla, quemadmodum & Senatus Supremus in ea cauſa judicavit 11. Febr. 1676. etiam cum id partis adverſæ advocatus non invitus videretur conſentire, nam qui pro puella agebat contra minorem, petiit nuptias aut virginitatis occiſæ pretium, ſi ad nuptias valida non eſſet actio, & nuptias petiit frigide (5). Eſt, qui exiſtimat (6), Jure Hollandico etiam in nuptiis minorum deſiderari conſenſum tutorum, & ſi is non exigatur, locum eſſe pœnis, quas commemorat §. 17. *Edict. Caroli* V. 4 *Oct.* 1540. Sed hæc jam refutata ſunt, & ſane ille homo *de Jure Connubiorum* multa comportavit, ſed adeo plerumque ſine ullo judicio, ut, ſibi quoque aliquando contrarius, quid ſcripſerit, vel non ſcripſerit, neſciviſſe

(2) *Deciſ. Mixt.* 158.

(3) Groenewegen *de LL. Abrog. ad l.* 1. *C. de Sponſal. in fin.* & Van Leeuwen *Cenſ. Forenſ. L.* I. *C.* 11. *n.* 13.

(4) Van Leeuwen *Bell. Jurid. Caſu* 93.

(5) Tota res eſt in *Bell. Jurid. d. Caſu* 93.

(6) Brouwer *de Jure Connub. L.* I. *C.* 14. *n.* 2. & 6.

ſciviſſe putem; utque adeo ejus auctoritas apud me non unius aſſis ſit. Relatum quoque eſt (7), Scabinos Amſterdammenſes, &, cum appellatum eſſet, Curiam Hollandiæ 10. Febr. 1622. judicaſſe, minorem a ſponſalibus, quæ contraxerat clam tutoribus, poſſe reſilire, & contradicentibus tutoribus obſequi, ſed non alia ejus ſententiæ redditur ratio, quam quod ſponſalia fuerint clandeſtina, & ea improbat *d.* §. 17. *Ed. Caroli V.* 4. *Oct.* 1540. Quæ ratio parum valet, ſi me audias, ut mox audies. Sola, ſola minor ætas eſt, ob quam pœnitere licet. Poſſunt minores, ſi velint, promiſſis ſtare, ſed & poſſunt, ſi velint, ab his recedere, & privilegio ætatis ſe defendere.

Addo illuſtrem ſpeciem, haud ita pridem, me Præſide, a Senatu Supremo judicatam. Sempronia, puella XV. annorum, luculenter dotata, morabatur apud unum ex quatuor, quos habebat, tutoribus, & hujus filio dicebatur nuptias promiſiſſe. Quum haud diu poſt alibi moraretur, etiam ad alium transfert amores ſuos, & Titio nuptias promiſit. Titius mox tutorem Semproniæ ejusque filium convenit apud Curiam Hollandiæ, & contendit, ut ſponſalia, ſi quæ dediſſet Mævio, tutoris filio, haberentur pro nullis. Contradicit Mævius, & in reconventione petit nuptias Semproniæ. Secundum Titium eſt judicatum, repulſo Mævio, 6. Maj. 1740. Ex appellatione apud Senatum Supremum quæſitum eſt, an probata eſſent ſponſalia inter Semproniam & Mævium, &, ſi eſſent, an jure ſubſiſterent? de quæſtione facti pauca dicam. Sempronia non auſa eſt negare, ſe fidem matrimonii Mævio dediſſe, ſed probationes ab eo exigebat. Mævius etiam plurima in hanc rem attulit, &, ſi quid probationibus deeſſet, jurejurando ſupplere paratus erat; quin & jurejurando ipſius Semproniæ expurgatorio cauſam commiſit. At vero nonnulli Senatores de quæſtione facti ſententiam non dicebant, ſufficere rati, ſi ex jure Mævium repellerent. Qui de facto reſpondebant, ſententiis variabant, quidam dubitabant, an ſponſalia ſatis probata eſſent, quidam plena fide probata eſſe adfirmabant, & unus jusjurandum ſuppletorium vel expurgatorium deſiderabat. Sed quid attinet hæc omnia, quæ facti ſunt, recenſere? De jure magis quæſitum eſt, & de eo tres quæſtiones tractari poterant. Prima erat, an ſubſiſterent nuptiæ inter pupillam ſeu minorem & tutoris filium? de quo eſt *Titulus Codicis de Interdicto matrimonio inter pupillam & tutorem ſeu curatorem, filiosque eorum*, ſed hæc quæſtio tractata non eſt, quia vulgo perſuaſum eſt (8), quod & Advocati, qui Semproniæ operam forenſem præſtabant, ſibi perſuaderi facile paſſi erant, id jus hodie non obtinere, ſed quam prolixe fallantur, hic exponerem, ſi per Advocatos licuiſſet. Secunda quæſtio erat, an non hæc ſponſalia, quæ contracta erant clam tribus tutoribus, habenda eſſent pro clandeſtinis, atque adeo pro nullis? nam quartus tutor in rem filii ſui auctor eſſe non poterat. De clandeſtinis ſponſalibus plurima hic dicebantur, quæ nihil quicquam ad rem pertinebant, neque enim ſponſalia recte dixeris *clandeſtina*, niſi quæ fiunt inconſultis iis, quorum conſenſus ad nuptias neceſſarius eſt. Quod tutore invito, quidni & eo ignorante factum valet? Neque eſt, ut dicas, tacite id actum videri, ſi tutores conſentiunt, cum, quod ad hoc, qui contraxit, tutore non egeat. Neque etiam ea præſumptio cadit in animum ejus, qui nullo cum tutoribus communicato conſilio, ſuo Marte ſponſalia fecit. Fecit igitur Sempronia, quod facere potuit, non conſuluit tutores, quia eorum conſenſu non indigebat, non forte ſatis decore, ſed ſatis juſte, ſecundum ea, quæ ſupra diſputavimus. Quin & ſecundum ea ipſa hodie clandeſtinum non eſt, quod erat ex §. 17. *Ed. Caroli* V. 4. *Oct.* 1540. & quod ibi clandeſtinum erat, ne nuptias quidem reſcindebat. Tertia quæſtio erat de minore ætate Semproniæ, an non propter eam nullum eſſet, quod contraxerat Sempronia, ni nullum eſſe vellet, poterat enim, ſi ita videretur, etiam invitis tutoribus, Mævio nubere, ſed ſi nollet, an non beneficio ætatis pœnitentiæ locus eſſet? Negabat unus Senator, isque non infimæ auctoritatis, eadem uſus ratione, qua ipſe quoque olim eram uſus, cum ita mihi ſederet, ſed adfirmabant omnes reliqui Senatores, iisdem uſi rationibus, quas & ſupra in hanc ſententiam adhibui, adeo quidem, ut putarent ne quidem reſtitutione in integrum egere Semproniam, quod nempe ſponſalia ſine auctoritate tutorum contraxiſſet, atque ita, quicquid egiſſet, eſſet ipſo jure nullum. Unde Curiæ ſententia ſimpliciter probata fuit 26. Jul. 1740.

CAPUT IV.

An pœnæ, Jure Romano conſtitutæ adverſus ſecundas nuptias, ſive intra, ſive poſt annum luctus contractas, in Hollandia adhuc obtineant?

Quum maritus Titiæ uxori legatum reliquiſſet, eaque intra annum ſecundas nuptias contraxiſſet, & apud Curiam Hollandiæ ea de re lis penderet, relatum eſt, Curiam 24. Febr. 1586. in hæc verba decreviſſe (1): *dat een Vrouw haar begevende*, ad ſecunda vota intra tempus luctus, *de poenen van infamie en andere in* l. 1. & 2. C. de ſecund. nupt. *niet onderworpen is*, Cap. penult. & ult. X. de ſecund. nupt. *wel verſtaande, dat de poenen, die naar regten gegeven zyn ten faveur van de Kinderen, als een Vrouw haar ten huwelyk begeeft, 't zy* intra aut poſt annum luctus, de quibus *l.* Fœminæ *en andere, houden zullen haar geheel en volkomen effect.* Secundum hæc ceſſaret pœna infamiæ, ceſſarent & aliæ pœnæ Jure Romano ſtatutæ adverſus viduas, intra annum luctus novum maritum inducentes, de qua ſola ſpecie litigabatur apud Curiam, ſed non ceſſarent pœnæ, quæ eo ipſo jure obtinebant contra binubos, quandocunque nuptias repetentes, de quibus eſt *d. l. Fœminæ* 3. *& 6. C. de Secund. Nupt.* De utraque parte Decreti videamus. Prima pars eſt de ſolis mulieribus, nam virorum nullus eſt luctus, qui

(7) Loenius *Caſu* IV.

(8) Groenewegen *de LL. Abrog. ad d. T.* Brouwer *Tom.* II. *de Jure Connub. L.* II. *C.* 20. *n.* 12. *plurimique alii.*

(1) *Conſil. H. T.* III. *Amſterd. Append.* p. 8.

qui nuptiis impedimento eſt, poſſunt hi, amiſſa uxore, aliam adſciſcere, quandocunque velint, ut ſatis videor probaſſe *L. V. Obſerv. Jur. Rom. C.* 12. Sed an idem nunc mulieribus licebit? An hæ a tumulo prioris viri mox tranſibunt ad thalamum ſecundi? etiam ſi uterum ferant ex priori marito. Hæc creditur eſſe Juris Pontificii ſententia in *C.* 7. *Cauſ.* II. *Quæſt.* 3. & in *d. C. penult. & ult.* X. *de ſecund. nupt.* Sed hanc infamiam a Jure Pontificio removi *d. C. V.* eam Canonum mentem eſſe ratus, non integrum annum, antequam nubat, viduæ eſſe exſpectandum, ſi modo conſtiterit, ex priori marito gravidam non eſſe, & id convenire ſanæ rationi, & antiquæ Romanorum juriſprudentiæ.

Luctus, qui nuptias viduarum impediat, non alia ratio eſt, quam turbatio ſanguinis & ſeminis, & incertitudo, utri marito partus debeatur, nec puto fuiſſe ullam Gentem, adeo obſcœnam, quæ *plena nave* alium rectorem, id eſt, ſecundum maritum admiſerit. Narrat ſane Hiſtoria Judaica (2), Davidem, Judæorum Regem, uxorem hominis, quem ejus potiundæ cauſa occidi curaverat, quamque vivo etiam marito adulterio polluerat, ad ſe non traduxiſſe, niſi *finito luctu*, ſed non auſim adfirmare, eum luctum tam diu fuiſſe protractum, ut conſtare poſſet, an vacua eſſet mulier, nec id quoque deſiderabat anterior Davidis concubitus, & poſtea etiam videtur edidiſſe, quod ex Rege adultero conceperat. Sed ab ipſis Regibus, amore faſcinatis, nolim exempla ſumere. Romani certe ſumma ope caverunt, ne, repetitis nuptiis, de prole dubitaretur. Viduæ intra tempus luctus non convolabant ad alia vota ſub pœna infamiæ, ſic enim conſtare poterat, an ex priori marito uterum ferrent, ſed ſi maritus, peregre profectus, & per annum & ultra abſens, fato ſuo fungeretur, ceſſat ratio turbandi ſanguinis & ſeminis, & nihil prohibet, quominus mulier ſe ſtatim nuptiis collocaverit, ut ſtatim poteſt, quæ intra legitimum tempus partum ediderit, ut ex Pomponio Ulpianus retulit in *l.* 11. §. 2. *ff. de His qui not. infam.* Sed quicquid ejus argumenti eſt ex Jure Romano, jam exſequutus ſum *d. C.* XII. neque enim ſatisfecerat Curtius *L.* III. *Conjectural. C.* 9. Video autem quæri, ſi intra tempus luctus vidua nupſerit, & intra id tempus pepererit, cui marito debeatur infans? Jocatur de eo Alciatus *Parerg. Jur. L.* IX. *C.* 12. ſed manifeſtum eſt, ſequendam eſſe *l.* 12. *ff. de LL.* & *l.* 3. §. 12. *ff. de ſuis & legit. hered.* Et Nero quoque Druſus tertio poſt menſe, quam Livia Auguſto nupſerat, editus, non Auguſti, quamvis & ante adulterii ſuſpecti, ſed Tiberii Neronis fuit filius, vide Suetonium in *Auguſto* C. 69. & in *Claudio C.* 1.

Quæ Curiæ Hollandiæ ſententia eſt, viduam intra annum luctus ſine infamia aliiſque pœnis ad ſecundas nuptias feſtinare poſſe, adeo ex Jure Pontificio invaluit, ut annum luctus ubique Gentium obſoleviſſe, vulgi ore feratur, ſed vellem, ne ex eo jure, perperam intellecto, nonnulli effeciſſent, mulierem ſtatim a funere primi mariti alium ſibi inducere poſſe; ita ſane effecerunt Conſuetudines Antwerpienſes, nam *Tit.* XLI. §. 80. cautum eſt, *een weduwe mag na haar mans dood hertrouwen, als 't haar belieft, ſonder iet te verbeuren.* Sed quid ſi prægnans ſit, & quid ſi dubitetur, an ſit? turpe eſt, id dicamus. Ipſe quidem exiſtimaverim, annum integrum non eſſe exſpectandum, ut tamen Curia Hollandiæ in alia cauſa (3) videtur judicaſſe, ſed usque dum conſtet, gravida ſit, nec ne. Unde plurimis variarum Gentium & Urbium legibus obviam itum eſt tantopere feſtinatis viduarum nuptiis, nonnullas alii recenſuerunt (4), & plures addere nihil attinet. Leges quidem illæ fere minus quam perfectæ ſunt, quia pœnam non ſtatuunt, ſi contra eas commiſſum ſit, ſed contra committi non facile poteſt, cum Magiſtratus, qui matrimoniis adnotandis & proclamandis præeſt, ſollicite curet, ne in hanc partem peccetur. Id tamen non laudaverim, nec probaverim, quod quædam ex his leges non ſolam reſpexerint turbationem ſanguinis & ſeminis, quam ſolam reſpicere debebant, ſed ſanctiones nonnullas addiderint, quæ ad τὸ πρέπον viſæ ſunt pertinere, & cauſas matrimoniales magis inhibent, quam promovent, ſed contra rationem Juris Romani. Viduis quandoque in his interdicitur, tepenti, ut ita dicam, thalamo ſecundam uxorem inducere: ſex menſes iis a nuptiis abſtinendum præſcripſit §. 17. *L.* I. *Tit.* I. *LL. Friſic.* aliæ aliud tempus definiverunt, quæ ſupervacua in viris cura eſt. In ipſis mulieribus aliud atque aliud tempus Leges ſingulares præſtituerunt, quædam ſimpliciter poſt partum permiſerunt; quod rationem habet. Etiam Eccleſiaſtici Calviniani ſeſe huic rei immiſcuerunt, Synodus Dordrechtana anni 1578. in §. 86. viduæ quatuor menſes & dimidium abſtinendum præſcripſit, rata, quamvis perperam, annum luctus jure Cæſareo fuiſſe menſium novem. Cum *d.* §. 86. convenit §. 56. Synodi Middelburgenſis anni 1581. ſed noli putare, ſecundum illos §§. & ſecundum alia Urbium Statuta, quæ ſex vel ſeptem menſium vacationem deſiderant, omnibus viduabus, etiam uterum ferentibus, mox permiſſas eſſe ſecundas nuptias, falleris, ſi ita putes, non alia ſcilicet mente illæ leges conſtitutæ ſunt, quam ut interea ſciatur, mulier prægnans ſit, nec ne, ſi ſit, ante partum utique non recte nubit alteri viro. Sed Leges nuptiales, quas ipſe vidi, non ſatis accurate ea de re perſcriptæ ſunt, niſi forte placeat excipere legem Enchuſanorum, ab aliis in hoc argumento præteritam, hi enim omnium optime 18. Febr. 1667. (5) conſtituerunt, viduabus, ſi prægnantes ſint, non eſſe largiendas matrimonii denunciationes, neque etiam aliis, quarum mariti nondum ſex menſibus fato ſuo functi ſint, niſi liquido probaverint, ſe per ſex menſes cum maritis, peregre abſentibus, non concubuiſſe.

Pergo ad ſecundam partem Decreti, qua Curia Hollandiæ occaſione alterius litis, apud ſe pendentis, profeſſa eſt, adhuc obtinere pœnas, ſecundis nuptiis ſtatutas in *l. Feminæ* 3. *C. de ſecund. nupt. & aliis:* ſi per *alias* intellexerit *l. Hac Edictali* 6. *C. Eod.* nihil verius eſt, quam eam legem, quamvis ſerius, in Hollandia tamen receptam eſſe. Sed quod Curia ait de *l.* 3. nunquam potui concoquere, adeo difficilis ſtomachi ſum. Sententia *d. l.* 3. eſt, viduam, quæ ex priori matrimonio liberos habet, ad ſecundas nuptias tranſeuntem, amittere proprietatem omnium bonorum, quæ quocunque titulo, a priori marito accepit, ſalvo duntaxat uſufructu, eamque proprietatem cedere vel omnibus vel uni e liberis

(2) *Samuel. L.* II. *C.* XI. §. 26. & 27.

(3) Resta apud Coren *Conſil* XI.

(4) Groenewegen *de LL. Abrogat. ad l.* 1. *C. de ſecund. nupt.* Brouwer *de Jure Connub. L.* II. *C.* 19. §. 25. & Voet *de R. N. n.* 98.

(5) *Handv. van Enckhuyſen* p. 168.

ris prioris matrimonii. Ad patrem binubum pleraque hujus legis tranſtulit *l.* 5. *C. Eod.* nec intercedo, quia in patre eadem ratio eſt, quominus in eo idem quoque juris ſit, ut & in Friſia judicatum refert Sande *L.* II. *Deciſ. Friſic.* *T.* III. *defin.* 2. Quamvis autem alibi Gentium adhuc obtineat *d. l.* 3. in Hollandia tamen uſu tam ignota eſt, quam ignotiſſima. Scio, Hollandos (6) quosdam, quum loquuntur de illa *l.* ita loqui, atque ſi in Hollandia adhuc obtineret, ſcio & ſecundum eam reſponſum eſſe (7), & alium (8) ſignificaſſe, aliquot retro annis in uſum eſſe revocatam; ſed his magiſtris noli credere. Unus (9) ex his tot exceptionibus, ex ſcriniis Interpretum conquiſitis, illam regulam circumſcribit, ut fere officium ſuum perdiderit. Unde alius recte effecit (10), apud nos non ſervari *d. l.* 3. addita, ex ſuo tamen cerebello, unica exceptione, niſi ſuperſtes parens indignas nuptias contraxerit. Melius ſapiunt, qui 22. & 25. Nov. 1623. ſimpliciter reſponderunt, *d. l.* 3. hodie in Hollandia exoleviſſe, nam ex mille & mille repetitis nuptiis nullum mihi ſuccurrit exemplum, quo binubus vel binuba ceciderit bonis, a priori conjuge acquiſitis, tentatum id eſſe memini, & mox dicam, ſed vel unam rem, pro liberis prioris matrimonii judicatam, nemo ſuggeſſerit. Una liberorum, eorumve, qui eos repræſentant, cura eſt, ut ante ſecundas nuptias parens ſuperſtes liberis aſſignet, a defuncto parente profecta, atque id, neque aliud, deſiderant omnium, quas ego vidi, Urbium Leges pupillares. Solus igitur uſus, absque ulla lege contraria, ſubegit *d. l.* 3. & ſexcentæ ſunt Leges Romanæ, quæ ſine expreſſa Ordinum auctoritate, in deſuetudinem abiverunt, ut eſt ipſa illa lex de anno luctus, de qua modo dicebam. Fruſtra igitur vulgo jactatur, omnes Leges Romanas valere, ſi non abrogatas conſtet, niſi, ut oportet, etiam abrogatum credas, quod uſu perpetuo ſervatum non eſt.

Nunc habe, quæ me Senatore inciderint. Vir & uxor ſe invicem heredes ſcripſerant, inſtitutis liberis ex legitima, ſive ex 3000. Imperialibus, æſtimata ad hanc ſummam legitima. Viro defuncto uxor ad ſecundas nuptias tranſit, & liberorum legitimam auget ad 6000. Imperiales, ex mera, ut plene conſtabat, liberalitate. Poſtquam ſecundæ nuptiæ aliquamdiu ſtetiſſent, tutores liberorum ex priori matrimonio uxorem & ſecundum maritum in jus vocant apud Curiam Hollandiæ, petuntque, uti uxor, ſolis fructibus ad vitam contenta, ſibi pro pupillis ſuis traderet, quicquid a priori marito acceperat ſecundum *d. l. Feminæ* 3. *C. de ſecund. nupt.* vel, ſi bona penes ſe retinere vellet, eo nomine idonee caveret. Curia 23. Maji 1707. contra tutores eosdemque actores pronunciavit, compenſatis tamen, quaſi in re dubia, expenſis. Appellatum eſt ad Senatum, & ibi rurſus quæſitum, ſequenda eſſet *d. l.* 3. nec ne. Auctoritates ajentium & negantium, quas ſupra attuli, etiam hic magnam partem adlatæ ſunt, ſed per ea, quæ dixi, nec repeto, paribus ſuffragiis probata eſt Curiæ ſententia 11. Oct. 1707. (11) quin erant, qui tutores, tanquam in re liquida, damnare volebant in expenſas, proprio ære ſolvendas, quod tamen plerisque diſplicuit, quia tutores, quamvis male conſulti, agebant bona fide in rem pupillorum ſuorum. De re ipſa nemo Senatorum dubitabat, nonnullos tamen turbabat id, quod ſupra retuli, Curiæ Decretum 24. Febr. 1586. Decretum, inquam, neque enim ſententia eſt, in judicio contradictorio inter partes lata, quando cuncta diligentius perpenduntur, ſed Decretum, quod Curiæ, aliud agenti, excidit, nam aliud agenti excidiſſe memorat Auctor *Appendicis.* Conſtat etiam, Curiam in ejusmodi cauſis nulla decernendi auctoritate valere, certe non ea, quæ ſucceſſores ſuos obliget, quemadmodum & hic contra judicavit Curia. Ad hæc ab idoneo auctore accepi, Curiam Hollandiæ, cum apud ſe penderet illa cauſa tutorum, in Actis ſuis diligenter inquiſiviſſe in id Decretum 1586. ut exploraret rationes, quæ, ut ita decerneret, Curiam tunc moverant, ſed ejus Decreti nihil quicquam eſſe repertum.

Duo Conjuges 10. Jul. 1673. mutuum teſtamentum condunt, & liberos, quos habebant, ex legitima, & ſe invicem ex reliqua hereditate inſtituunt, in legitimam aſſignantes alimenta, quæ ſuperſtes præſtaret. & certam pecuniæ ſummam, liberis ſolvendam, cum ad nuptias vel vigeſimum annum perveniſſent. Marito defuncto uxor aliquot annos liberis alimenta præſtat, & inducto deinde vitrico, hunc & liberos, cum ex priori, tum ex ſecundo matrimonio æquis partibus heredes ſcribit, optione data liberis prioris matrimonii, eorumve tutoribus, viriles portiones habere vellent, an pecuniam quandam, in teſtamento expreſſam, quam ajebat viriles portiones longe excedere. Tutores poſt mortem feminæ pecuniam eligunt, & ſinguli liberi, majores facti, data apocha hanc optionem habent ratam. Vitricus deinde aliam uxorem ducit, & ex ea quoque liberos tollit. Vitrico dudum defuncto liberi illi ex priori matrimonio ejus heredes prolixa lite adoriuntur apud Curiam, &, atque ſi neque ex patris, neque ex matris ſuæ hereditate integram habuiſſent legitimam, primum contendunt ad ſupplementum utriusque legitimæ, deinde ad omnia bona, quæ a patre ad matrem ſuam quocunque titulo profecta erant, & quibus mater per ſecundas nuptias ceciderat ex *l. Feminæ* 3. *C. de ſecund. nupt.* & tandem ad omnia ea, quæ Vitricus a matre ſua perceperat contra *l. Hac Edictali* 6. *C. Eod.* Quia vero, quod ad utramque legitimam, datæ apochæ iis obſtabant, læſionem prætexentes, adverſus has imploraverant reſtitutionem in integrum. Sed Curia 28. Jul. 1724. rejecta reſtitutione in integrum, actores in omnibus & per omnia repulit & in expenſas damnavit. Cum appellatum eſſet, Senatus de ſingulis capitibus litis diligenter in conſilium ivit, & quamvis in omnibus non una omnium Senatorum ſententia fuerit, in eo tamen convenerunt omnes, *d. l.* 3. contrario uſu penitus exoleviſſe, perperam igitur actum eſſe ad bona paterna, quibus mater cecidiſſet, ſed &, ex plerorumque ſententia, perperam quoque actum eſt ad reliqua capitula, ſed hæc a quæſtione, quam nunc tracto, aliena ſunt. In omnibus probata eſt Curiæ ſententia 29. Maj. 1726. (12).

(6) Groenewegen *de LL. Abrog. ad d. l.* 3. & Van Leeuwen *Cenſur. For. Parte* I. *L.* I. *C.* 13. *n.* 29. & Voet *ad Tit. ff. de R. N. n.* 109.

(7) *Conſil. Holl. T.* IV. *Conſil.* CCCXCVI. *Princ.*

(8) *Conſil. Holl. T.* I. *Conſil.* XLVII. *vſ. Ende ten laaſten.*

(9) Groenewegen *d. loc.*

(10) Brouwer *de Jure Connub. T.* II. *C.* XIX. *n.* 18.

(11) *Obſervat. Tumult. Tom.* II. *n.* 325.

(12) *Obſerv. Tumult. T.* X. *n.* 2267.

CAPUT V.

De Legibus Hollandicis, ex quibus in cauſa matrimoniali vetita eſt appellatio, & aliquot in hanc rem utriusque Curiæ Decreta & Sententiæ.

Ex §. 3. Legis Miſcellæ ab Ordinibus Hollandiæ latæ 1. Apr. 1580. (1) in nuptiis liberorum Magiſtratus explorare debet conſenſum Parentum, *Magiſtratus*, inquam, tunc enim ea res magis videtur pertinuiſſe ad cauſas, quas *politicas* vocant, quam ad ordinarium judiciorum ordinem. Et quia in cauſis Politicis a Decreto Magiſtratus nulla eſt provocatio, hinc forte natum, quod olim in cauſis matrimonialibus aliquo caſu provocare vetitum ſit. Quum cujusdam puellæ, annorum XXIV. mater, in filiæ nuptias, redditis rationibus, conſentire nollet, easque Magiſtratus Delfenſis probaſſet, ad Curiam Hollandiæ provocatum eſt. Curia 8. Aug. 1597. Mandatum reformationis conceſſit; Magiſtatus Delfenſis id agnoſcere noluit. Res ad Ordines Hollandiæ delata eſt. Hi autem 5. Dec. 1597. decreverunt (2), ne in cauſis matrimonialibus provocare liceret a ſententia Magiſtratus (*de Verklaring*, ajunt) qua parentum ſententiam probavit, & ut Curia mandatum ſuum revocare vellet. Nolim diſputare de æquitate vel iniquitate ejus Decreti, etiam ſerioribus temporibus, ut mox dicam, ab Ordinibus probati, ſed quo jure id etiam in præteritum extenderint, non ſatis animadverto. Ratio Decreti hæc redditur, *dat by de Magiſtraat van Delft alleenlyk Verklaring was gedaan volgens 't Placaat van Politie, om daar in te voorſien naar behooren, daar de Ouders in de ſaak opiniatreren.* Neſcio, an hæc intelligam, niſi voluerint Ordines, quod voluiſſe credo, eſſe hanc extraordinariam quamdam cognitionem, non autem vulgare judicium. Sed hoc non ſatis apparet ex *d.* §. 3. *Ordinat. Polit.* atque etiam Ordines Hollandiæ 9. Aug. 1646. decreverunt (3), ſub voce *Magiſtratus* in *d.* §. 3. eſſe intelligendos *Burgemeeſters en Schepenen, die gewoon zyn over zodanige Geregtſzaken te zitten.* Judicia igitur hinc arcere non licet, & millies olim acta ſunt, & aguntur quotidie. Et, ſi appellationem neges, quod politica ſit ejusmodi cognitio, cedo rationem, cur licita eſſet provocatio, ubi Parentum rationes improbantur? tunc enim licitam eſſe, conſentiunt omnes.

Ceterum de illo Decreto denuo deliberari juſſerunt Ordines Hollandiæ 20. Jul. 1662. & 27. Sept. anni ſequentis 1663. decreverunt, id Decretum 5. Sept. 1597. explicaretur & augeretur in hanc fere ſententiam: *dat de quæſtien over Huwelyks-zaken tuſſchen Ouders en Kinderen ten aanſien van de Edelen en Suppooſten by den Hove, en ten aanſien van andere, onder de jurisdictie der beſloten en bemuurde Steden (den Haag daar onder begrepen) behoorende, by de Wet of Geregte der zelve Steden, en te Delf by Schepenen, ten minſten twee derde parten van 't Collegie of Schepenen præſent zynde, met behoorlyke kenniſſe van Zaken* ſummarie & de plano *zouden werden afgedaan, en zoo der zelver diſpoſitie of verklaringe overeenkomt met het goedvinden van de Ouders, dat van de zelve niet geappelleert, gereformeert, geprovoceert, reviſie of eenige andere proviſie van Juſtitie verleent zal mogen werden.* Hoc quoque Decretum in formam Edicti perpetui, eundem diem 27. Sept. 1663. (4) præferentis, redegerunt Ordines, quod in utraque Curia & Urbibus publicaretur. Ipſa fere verba exhibui, quia de eorum interpretatione mox aliquid dicendum erit.

Ex hoc Edicto Curia, Magiſtratus, vel Judex ordinarius de ejusmodi cauſis cognoſcit, & recte jam ab aliis (5) eſt obſervatum, id variare ſecundum variantia Civitatum jura, & ſic temperabis Decretum Ordinum 9. Aug. 1646. quo de modo dicebam. Quicunque autem cognoſcit *ſummarie & de plano*, ut habet Edictum, & ſic oportet in cauſa matrimoniali, ſed cave putes, ut nonnemo (6) videtur putaſſe, iis verbis excludi præviam litis conteſtationem, imo hæc plerumque, etiam in Urbibus, adhibetur, & apud Curiam ſemper, ubi de Parentum conſenſu controverſia eſt. Deſiderat quoque Edictum *behoorlyke kenniſſe van zaken*, & plenior cauſæ cognitio eſſe nequit, niſi in judicio contradictorio, ubi, lite conteſtata, ex actis & probatis jus dicitur. Vulgo ſervatur, ut Delegati, qui cauſis matrimonialibus præſunt, auctoritate ſua partes diſſentientes componant, ſin autem, ad ordinarios Judices remittant. Sic ut in Hollandia nihil ſit ſingulare, quam quod provocatio, quæ ſemper parentibus patet, certo caſu liberis denegetur, & id jus alibi Gentium obtinere, mihi non ſuccurrit. Sane Ordines Generales ſimpliciter omnibus, quorum ea res eſt, ad ſuperiorem Judicem provocare permittunt §. 40. *Legum Nuptialium* 18. Mart. 1656. (7) tam ſi de minoris *d.* §. 40. quam ſi de majoris nuptiis agatur §. 46. *ibid.* & ex utroque §. etiam conſtat, tentata prius transactione, hanc rem eſſe ordinariæ jurisdictionis.

Sed quia in Hollandia eo, quod dixi, jure utimur, intererit ſcire, quæ quæſtiones, me Senatore & Præſide, ex eo Edicto natæ & quemadmodum definitæ ſint. Quum Judices Delfenſes 10. Mart. 1706. Parentes Semproniæ damnaſſent, ut ejus cum Mævio nuptias fieri paterentur, ad Curiam appellatum, atque hæc 6. Jul. 1706. illam Delfenſium ſententiam reſcidit, & ſecundum Parentes judicavit. Cauſa, ex appellatione, ad Senatum Supremum delata, Parentes primum defendunt, appellationi locum non eſſe ex d. Edicto 27. Sept. 1663. quod nempe ſuum & Curiæ judicium de his nuptiis prohibendis conveniret, ſed non auſi hac ſola exceptione uti, de re ipſa etiam litem conteſta-

ti

(1) Vulgo *Ordonnantie van de Policien.*
(2) *Formul. T. I. C.* 23. p. 309.
(3) *Manier van Procedeeren voor 't Hof* p. m. 129.
(4) Exſtat *in de Reſolutien ten tyde van de Wit* p. 717. & in *Formul. T. I. C.* 23. p. 310. & *Plac.* II. *Append.* p. 3089. & *Plac.* III. 3. 2. 3. & apud Van Leeuwen *ad* §. 3. *Polit. Ordonn. n.* 10. & etiam in Farragine *LL. poſt formam Curiæ Holl.*
(5) Voet *ad Tit. ff. de R. N. n.* 12. *in fin.*
(6) Brouwer *de Jure Connub. L.* II. *C.* 24. *n.* 22.
(7) *Echt-Reglement Plac.* II. *Append.* p. 2429.

ti? ſunt. Mævius & Sempronia ajunt, id Edictum non pertinere niſi ad Parentes, qui liberos ſuos primo judicio (*ter eerſter inſtantie*) vicerunt, in cauſa vero appellationis idem utriſque jus eſſe. Et cum manifeſtiſſima ſint verba Edicti, Senatus 7. Oct. 1706. (8) exceptionem non recipiendæ appellationis rejecit, ſed & ſimul, reſciſſa Curiæ, Delfenſium ſententiam probavit. De re ipſa nihil attinet hic dicere.

Pater procum filiæ ſuæ apud Curiam vicit, negatis, quas ambiebat, nuptiis, ſed metuens appellationem, Senatum Supremum adit libello, quem *antidotalem* vocant, & rogat, ne appellatio ſuſciperetur contra id Edictum, non quidem Curiam judicaſſe inter ſe & filiam ſuam, at perinde eſſe, utrum procus filiæ ſuæ egerit, an ipſa filia, quæ proci ſui partes ſequebatur, ſi ſecus dicas, id Edictum facili, imo nullo negotio eluſum iri, & in hac ſententia pater conſentientem habebat Senatum. Sed vero id Edictum, ne provocationi locus ſit, deſiderat, ut ad minimum duæ tertiæ partes eorum, quorum ea de re notio eſt, ſententiam ſuam dixerint, & huic ſententiæ dicendæ duntaxat ſeptem Senatores adfuerant, cum Curia conſtet ex Præſide & undecim Senatoribus, & non impleto beſſe licita eſt appellatio, ut & Senatus ob eam rem mandatum appellationis conceſſit. Pater mox adit Ordines Hollandiæ, & de conceſſo Mandato queſtus, rogat, Ordines interpretatione ſua declarare vellent, omnino perinde eſſe, utrum ipſe egerit contra procum filiæ, an contra ipſam filiam. Ordines, datis ad Senatum literis 21. Dec. 1707. jubent, Senatus ad ſe reſcriberet, & interim lis ſiſteretur. Reſcripſit Senatus 22. Dec. & prolixa ſatis epiſtola oſtendit, patrem obrepſiſſe Ordinibus, cum mandatum appellationis fuerit conceſſum, non quod contra procum egiſſet pater, ſed quod, ut exigit Edictum, duæ tertiæ partes Senatorum ſententiæ dicendæ non adfuiſſent. Deinde Ordines Hollandiæ juſſerunt, de hac cauſa rurſus deliberaretur inter Delegatos Ordinum & Delegatos utriusque Curiæ, quod factum eſt 23. Febr. 1708. noſtris Delegatis, recte appellatum eſſe defendentibus, neque etiam contradicentibus Delegatis Curiæ, qui ipſi quoque facta, quam vocant, *intimatione*, appellationi ſe non oppoſuerant. Cuncti autem Ordinum Delegati in alia omnia ibant, rati, quod Edictum ait de duabus tertiis partibus, pertinere ad ſolas Urbes, in quibus, inquiebant, ſæpe imperiti homines judicant, ſed non pertinere ad Curiam, magis ſapientem. Quam vera ſit hæc ratio, non diſputo, dicere contentus, Edictum verba facere de beſſe *Collegii*, & Senatum ſemper exiſtimaſſe, Curiam etiam *Collegii* nomine venire, & ſi aliud Ordinibus ſedisſet, in Edicto palam excepiſſent Curiam. Attamen Ordines Hollandiæ, ita ſuggerentibus Delegatis ſuis, 25. Febr. 1708. decreverunt, *in hac cauſa* ne provocare liceret a ſententia Curiæ, etiam invita, quod mirum eſt, ipſa Curia. Fallitur (9), qui putat, id Decretum eſſe generale, imo vero pro privilegio eſſe habendum ipſa verba ſignificant (10).

Cajus, qui Cajæ fidem matrimonii dederat, & conſenſum parentum obtinere non poterat, eos vocat ad Magiſtratum Rotterdammenſem, quo conſentirent in nuptias, aut juſtas diſſentiendi rationes allegarent. Allegant rationes, & eas probat Magiſtratus 6. Aug. 1735. Deinde Caja, ſine qua hæc geſta erant, adit Curiam Hollandiæ, & implorat mandatum in jus vocationis contra Cajum, ut ſe uxorem duceret, & contra parentes, ut has nuptias ſieri paterentur. Curia, auditis prius partibus, quod ad Cajum reſcribit nihil *voor als nog*, & quod ad parentes, ſimpliciter nihil. Caja ab hoc Reſcripto implorat Mandatum reformationis, ſed Senatus, auditis rurſus partibus, ex meritis cauſæ eam 1. Febr. 1736. (11) repulit a limine judicii, neque enim Cajus, diſſentientibus recte parentibus, ad nuptias damnari poterat, & parentes recte diſſenſiſſe judicaverat Magiſtratus Rotterdammenſis, & quidem ex illo Edicto 1663. *by arreſt*, ut vulgo loquimur. Si deinde conſentirent parentes, aut forte poſt eorum fata, alia res eſſet, & forte ſalva contra Cajum actio, & ideo duntaxat negata *voor als nog*. Neque etiam Parentes damnari poterant, quia filium vicerant apud Magiſtratum Rotterdammenſem. Ne dicas hic aliam perſonam agere, Cajam nempe, cum antea egerit Cajus, nam utriusque cauſa erat individua, & ſic quoque Senatus cenſuit in ſpecie, de qua dixi *præced. verſ.* Poterat Caja, ſi ita placuiſſet, una cum Cajo contra parentes egiſſe apud Rotterdammenſes, ſed a parentibus nemo exigat, ut, victo Cajo *by arreſt*, contra Cajam novo judicio litigent. Si enim Cajus nequeat ducere Cajam, neque Caja recte poterit nubere Cajo. Res eſt liquida (12).

Quum Titius Mæviæ nuptias promiſiſſet, nec impleret, quod pater Sempronius iis reluctaretur, Mævia apud Scabinos Rotterdammenſes egit contra Titium ad nuptias, & contra Sempronium ad conſenſum. Titius filius judicio non adeſt, ſed pater Sempronius libello contradicit *voor als nog*, eo innuens, ſe prius a filio apud Magiſtratum, *de Wet*, eſſe conveniendum ex Edicto 1663. & ſecundum patrem Scabini pronunciant 29. Apr. 1739. *ontſeggende den Eyſch voor als nog*, & filio interea ex contumacia, probata fide matrimonii, ad nuptias damnato. Mævia appellat ad Curiam, & hæc 21. Mart. 1740. quod ad patrem, illam Rotterdammenſium ſententiam reſcidit, & eum, ut nuptias fieri pateretur, damnavit. Pater appellat ad Senatum Supremum, & ait, ſe adhuc paratum eſſe apud Magiſtratum Rotterdammenſem exponere rationes, quibus motus nuptiis contradiceret, & poſtea paratum ſe eſſe apud Senatum porro litigare. Quum Mævia nollet uti ea ſententia, in judicio appellationis lis conteſtata eſt, & quæſitum, an Mævia patrem Sempronium recte conveniſſet apud Scabinos Rotterdammenſes? & verum erat, ſi perperam conveniſſet, Sempronium ibi non excepiſſe de foro incompetenti, quod tamen oportebat, quin, ſi excepiſſet, Senatus uno ore reſpondebat, exceptionem defendi non potuiſſe, quia Edictum 1663. quicquid de Magiſtratu ait, non aliter ait, quam ſi inter parentes & liberos res agatur, hic autem agitur inter Mæviam actricem, & Sempronium reum. Mævia Titium filium convenit apud Scabinos, nec potuit alibi, & ex continentia cauſæ ibi quoque convenit Sempronium patrem, ut in nuptias, a ſe pe-

(8) *Obſervat. Tumult. T.* I. *n.* 210.

(9) Van Zurck *in Not. ad Cod. Batav.* V. *Appell* §. 59. *n.* 1.

(10) *Obſervat. Tumult. T.* II. *n.* 349.

(11) *Ibidem T.* XIII. *n.* 2947.

(12) Memorat & hanc cauſam Van der Schelling *in Notis ad* Van Zurk *Cod. Batav. V. Appell* §. 59.

petitas, conſentire vellet. Atque hæc cauſa utique eſt fori ordinarii, & per mille poſſem currere exempla, ut probem, conſtanti judiciorum uſu ita eſſe receptum, neque enim recte dividas cauſam patris & filii, ut contra illum hic, contra hunc alibi agatur. Mævia utique patrem apud Magiſtratum convenire non poterat, & ſi filius ibi patrem convenire nollet, an dicemus, Mæviam ad nuptias nunquam agere poſſe? Ego ſane ea ſententia non utor. Quod ad rem ipſam attinet, pater Sempronius neque apud Scabinos Rotterdammenſes, neque apud Curiam, neque apud Senatum ullas rationes adtulerat, quibus nuptias impedire vellet, ſimpliciter urgebat, ex promiſſione nuptiarum, a filio profecta, Mæviæ adverſus ſe nullam actionem eſſe, filio eſſe ex §. 3. *Polit. Ordin.* & ex *d. Ed.* 1663. Sed filium non agere adverſus ſe, Mæviam ſolam agere, & ſe ei obligatam non eſſe neque ex vero, neque quaſi contractu, neque ex alio quocunque jure, ex quo actiones naſcuntur, & ſic quoque ſapit Brouwer *de Jure Connub. L.* I. *C.* 13. §. 9. Sed quam plurimi, quamvis ex contractu non obligati, ſi tamen eorum in aliqua cauſa interſit, quotidie conveniuntur & damnantur, ut hoc vel illud fieri patiantur, & ea actio oritur ex variis cauſarum figuris. Atque ita pater a Mævia conveniri poterat, ut has nuptias fieri pateretur, & illa actione in Hollandia nihil eſt frequentius. Neque igitur ea defenſio, ut paribus ſuffragiis viſum eſt, patri prodeſſe potuit. Sed quid tunc? An recte Curia patrem damnavit ad patientiam? ſic exiſtimabant quatuor Senatores. Atqui pater nullas adhuc diſſentiendi rationes adtulerat, & forte ad manum habebat, quas adferre poſſet; ſed reſpondebant illi quatuor Senatores, eſſe, quod pater ſibi imputet, quod rationes, ſi quas juſtas haberet, non adtulerit, quicquid enim defenſionum eſt, ſimul & ſemel eſſe proponendum. Verum tres alii Senatores (nam ſeptem rei judicandæ intererant) magis inclinabant, ut utraque, quam dixi, ſententia reſciſſa, Sempronius juberetur ad libellum Mæviæ Rotterdami porrectum, apud Senatum reſpondere, & ibi diſſentiendi rationes adhuc allegare & probare. Eos movebat, quod Sempronius exiſtimaverit, ſibi ſufficere generalem, qua uſus eſt, defenſionem, *tibi adverſus me non competit actio*, &, cum ea nunc exciderit, reliquas defenſiones præcidere, & Sempronium, eatenus inauditum damnare. Eorum, qui litigant, hunc fere morem eſſe, ut ſingulares defenſiones non adferant, ſi generalem, quam habent, putent ſufficere, ne ſcilicet videantur generali defenſioni diffidere. Sed ex plurimorum ſuffragiis 11. Nov. 1740. (13) ſimpliciter probata eſt Curiæ ſententia.

Advocatus, cujus parentes Rotterdami habitabant, Hagam advenit, foro operam daturus, ſed vino & Veneri ſe totum dedit, atque ob hos & alios diſſolutos mores Cuſtodiæ cujusdam Delphenſis fit inquilinus. Poſt aliquot menſes ex ea evaſit, & cum Seja, cauponis cujusdam filia, quam impraegnaverat, Vianam aufugit. Seja inde redux Advocatum ejusque parentes in jus vocat apud Curiam Hollandiæ, & contra Advocatum contendit ad nuptias, & contra parentes ad conſenſum. Advocatus ait, ſe Sejam ducere paratum eſſe, & ſecundum hæc Curia 8. Dec. 1740. voluntariam condemnationem interponit, mox urgetur cauſa adverſus parentes, qui nuptiis ſeſe opponebant, & Senatores (quorum octo intererant judicio) ſecundum parentes judicarunt 15. Nov. 1740. Seja appellationem tentat ad Senatum Supremum, ſed parentes appellationi contradicunt ex illo Edicto 1663. Seja, ut effugeret Edictum, id reſtringebat ad Magiſtratuum juſſa politica, Curiam autem hic Judicum officio fuiſſe functam, & tunc licitam eſſe appellationem. Addebat, Edicto tunc demum locum eſſe, ubi agitur inter parentes & liberos, & ubi Magiſtratuum & parentum de prohibendis nuptiis eadem ſententia, hic vero actum eſſe inter Sejam & Advocati parentes. Sed utramque rationem jam ſupra refutavi, & hic prætereo. Id tamen præterire non poſſum, Curiæ Delegatos in hoc facto inter Sejam & Advocatum ſatis præmature interpoſuiſſe voluntariam condemnationem, cum ex ea Advocatus ad nuptias compelli poſſet, cum tamen univerſa Curia ſequenti menſe judicaverit, parentes recte impedire poſſe nuptias, de quibus agitur, quæ ſimul non ſubſiſtunt. Sed de eo nunc quæſitum non eſt, ſola quæſtio erat, an a ſententia Curiæ provocari poſſet? & quum utraque, quam dixi, ratio nihil valeat, Mandatum appellationis negatum eſt 28. Apr. 1741. (14).

CAPUT VI.

An pro nuptiis conciliatis proxeneticum peti poſſit?

Ex Cicerone, variis locis, apparet, JCtos olim conciliandis nuptiis fuiſſe adhibitos, ſed his poſſeſſione ſua dejectis, Eccleſiaſtici ubique fere Gentium eorum locum occuparunt. Quiqui autem ſint nuptiarum proxenetæ, eleganter quæritur, an pro præſtita opera proxenetica poſſint petere? Sunt, qui ajunt, ſunt, qui negant, & ex ſola ratione in utramque partem diſputare potes. Diceres ſane, ejusmodi proxenetas in re licita verſari, & quo magis Reipublicæ intereſt, eam adjectione hominum frequentari, eo magis laudandum eſſe eorum officium, qui conciliandis matrimoniis honeſte operantur, non tam facile cuique aditum patere ad expugnandos parentum liberorumque animos, quin, ſi pateret, turpem eſſe commendationem ſui ipſius vel ab ingenio, vel a forma, vel a fortuna, vel a bonis moribus, hæc omnia melius proficiſci ex ore proxenetæ, imo & hunc melius agere de conditionibus nuptiarum, quam ſi de his mercatura exerceatur inter futuros Conjuges eorumve parentes. Si igitur utilis, ſi & ſæpe neceſſaria proxenetæ opera, rationem habere, ut in re tanti momenti proxeneticum capere poſſit.

Hiſce, ex ratione etiam, contradicet ſeverior Cato, & ajet, ubi a puellis non arceantur juvenes, & ubi ipſis virginibus procum venandi libertas eſt, non poſſe non turpiſſimam eſſe mercenariam proxenetæ operam, nihil enim ſic ei intereſſe, quod agat, niſi ut amicitiæ falſæque fidei prætextu teneros plerumque innocentesque ani-

(13) *Obſerv. Tumult. T.* XIV. *n.* 3210.

(14) Ibid. *T.* XIV. *n.* 3240.

animos circumveniat & perducat, quo perduci non debebant; honeſti amoris quodcunque eſt, neminem, quam amatorem ipſum, perficere melius; tantumdem dicendum eſſe in conciliandis Parentum animis, cum in his eadem ſit ratio; in omni re, quæ æſtimationem nullam recipit, turpe eſſe cujusque mercedis nomen, maxime quum omnes illæ conciliationes peragantur ſpecie amicitiæ, in qua de mercede nemo, niſi ſceleſtiſſimus, cogitavit unquam.

Si, quæ ſit optima ratio, inter omnes homines conveniret, facile eſſet carere legis auxilio, ſed quia Titio videtur æquum, quod Mævio iniquum, ejus auctoritas neceſſaria eſſe cœpit, ſic enim Princeps definit, quod ſibi æquius melius videtur, & ſubditis nihil relinquit niſi obſequii gloriam. Sepoſitis igitur paulisper rationibus de lege quæramus, & hæc inventa erit, ſi per proxenetam *conditionis* apud Ulpianum in *l.* 3. *ff. de Proxenet.* intelligamus proxenetam *nuptiarum*, nam huic pro opera præſtita ibi ſalarium permittitur. *Conditio* ſimpliciter pro *nuptiis*, ut apud alios Auctores ſæpe accipitur, ita & apud noſtros, apud eundem quoque Ulpianum in *l. ult. ff. de Sponſal.* & apud Marcianum in *l.* 19. *ff. de R. N.* & apud Diocletianum & Maximianum in *l.* 1. *C. de Sponſal.* Eſt etiam Græca Lex, quam e Baſilicis extulit Cujacius *L.* XI. *Obſervat. C.* 18. in Ecloga Baſilicorum, & apud Harmenopulum quoque partim relata, quæ vulgo nunc pro *l. ult. C. de Sponſal.* protruditur, quamque Perezius ad *d. Tit. num. pen.* Juſtiniano adfingit, Pancirolus autem *L.* II. *Variar. Lect. C.* 207. Romano Capeno, vel potius, ut putem, *Romano Lacapeno.* Eſt, inquam, etiam Græca Lex, quæ vetuit quidem nuptiale proxenicon accipere, ſi tamen expreſſe promiſſum ſit, ad modum permittit, modum non deſcribo, quia ejus Legis auctoritate non utimur; quamvis autem non utamur, ad inſtar tamen ejus Hollandos quosdam JCtos 16. Oct. 1626. reſpondiſſe video (1): *Een hylik-maker*, inquiunt, *werd zyn Hylik-maker geld toegewesen, zoo hy by eede verklaart hem zulks belooft te zyn, en gequalificeert is.* Unde ſit illa farrago Reſponſorum, cui id quoque Reſponſum inſertum eſt, neſcio, nec etiam ſcio, an ad Sybekarſpel & Benningbroek duntaxat pertineant illa Reſponſa, an ad totam Hollandiam, & in hoc proclivior eſſem, quia de his proxenetis ſermo eſſe videtur, qui in album proxenetarum relati ſint, quod certe his pagis non recte videtur conveni-re.

Antonius Hotmanus *de Veteri Ritu Nupt. C.* II. ubi de proxenetis nuptiarum agit, de eorum ſalario nihil quicquam definit, contentus provocare ad *l.* 2. *ff. de Proxen.* ubi de proxenetis nuptiarum nullus ſermo eſt, quin & nullus de ſalario. Si ex ſola ratione res eſſet conficienda, proclivior eſſem in ſententiam Cujacii, putantis *d. L.* XI. *Obſerv. C.* 18. facilius jus eſſe dicendum de parariis nuptiarum, quam de his, qui emptionibus, venditionibus, commerciis, contractibus & nominibus faciendis adhibentur. Si ex jure malis manum conſerere, præſto eſt *d. l.* 3. ita, ut dixi, a me explicata, quam vellem etiam in partes ſuas advocaſſet Cujacius, & ſic carere poſſumus Conſtitutione illa Græca & illo JCtorum Reſponſo, & vel ideo magis carere, quod diſtinguant inter proxenetica promiſſa vel non promiſſa, illa largientes, hæc negantes. Quod promiſſum eſt, exigi poteſt, quia promiſſum eſt, nec amplius, quam promiſſum eſt, ſed qui ex mandato parandis nuptiis operam dederit, cur non ex æſtimatione Judicis mercedem exiget pro ratione adhibiti laboris, temporis contriti, & ſumptuum, in eam rem honeſte factorum? Ex mandato utique hodie actio eſt ad mercedem, ſalarium vel honorarium, quocunque nomine appellare placet, modo mandatum ſit rei licitæ, ut quam maxime eſt hoc mandatum, & quum opera præſtita eſt cauſa obligationis, promiſſum ſit proxeneticon, necne, nihil refert, & ea quoque Cujacii ſententia eſt *d. loc.* neque enim diſtinguit niſi inter nomen & genus actionis, quæ diſtinctio in foro obſolevit.

Verum illud moribus, qui nunc ſunt, nullo modo probandum eſſe, bona fide alii (2) contendunt, rati, proxenetica nuptialia moribus quidem Italorum, Hiſpanorum, aliarumque Gentium, quæ Virgines ſuas occluſas ſervant, convenire, ſed non convenire moribus Hollandicis, quibus ad prenſandas puellas haud adeo difficilis ſolet eſſe aditus. At qui ſic ſentiunt, erroris coarguunt alii (3), dummodo ne proxenetici promiſſio quidquam turpis aut iniqui contineat, & ſic ipſe quoque exiſtimarem propter utiliſſimam etiam hodie in conciliandis nuptiis proxenetarum operam. Nec moveor in contrarium, quod τῶν *Coppelaars en Coppelareſſen*, loco mercedis pecuniariæ, corporalis pœna, ſæpe etiam capitalis, ſtatuta ſit §. 34. *&* 35. Polit. Ordonn. van Zeeland 8. Febr. 1583. & §. 3. *&* 4. Ampliat d. L. 18. Mart. 1666. quum ex omnibus illis §§. ſatis conſtat, ibi ſermonem eſſe non de honeſta conciliatione nuptiarum, ſed de procuratoribus ſtupri vel adulterii, quo & quidam referunt, quod eſt in *Pervigilio Veneris*, non procul ab initio:

Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
Implicat &c.

Sed quod ibi dicitur, de ſola Venere intelligendum. Sane de largienda, ob nuptias conciliatas actione proxenetica directa non dubitarunt, qui contrariam, de qua diſputaretur, propoſuerunt. Quærit nempe Jacobus Curtius *L.* III. *Conject. C.* 12. an proxeneta teneatur de ſponſa non virgine, vel de ſponſo morboſo, obærato? & ait, de virginitate actionem non eſſe, neque de morbo, etiam Gallico, quum corpus liberum æſtimationem nullam recipiat, & habere quemque, quod ſtultitiæ ſuæ acceptum ferat, qui rem adeo ſeriam tam ſtulte egit, ſed neque de ære alieno acturum, niſi dolo fecerit proxeneta. Res breviter expedienda eſt: de turpitudine ſua nemo actionem habet, quare, ut proxeneta, turpiter mandatum exſequutus, non agit, ita neque adverſus agetur, ſi, qui ejus operam conduxit, ipſe quoque in turpitudine verſatus ſit. Sin autem Conjugum alter a proxeneta indignis plane nuptiis in ſuam perniciem fraude mala eluſus ſit, non animadverto, cur non actione mandati conveniri poſſit ad id, quod ſua intereſt eluſum non eſſe. Imo nec dubitem, quin ejusmodi proxeneta publice coërceri & poſſit & debeat.

Accipe nunc cauſam, quæ apud Curiam Hollan-

(1) *Handveſten van Sybekarſpel en Benningbroek* p. m. 47. *A.*

(2) Groenewegen *ad l.* 19. *C. de Inoff. teſtam.* & *l.* vulgo 6. *C. de Sponſal.*

(3) Cyprianus Regnerus ab Ooſterga. *Cenſur. Belg. ad d. l.* 6. *C. de Sponſal.*

landiæ, &, ex appellatione, apud Senatum Supremum incidit. Cajus Titiæ & Mæviæ, dato chirographo promittit, ſe illis daturum 1600. florenos, ſi, voti ſui, compos Cajam duceret uxorem. Poſtquam Cajam duxiſſet, ſolutionem detrectat, &, ut ſolveret, convenitur apud Curiam Hollandiæ, implorata reſtitutione in integrum contra illud chirographum, ſed abſolvitur 30. Jul. 1717. *ſonder reguard te nemen op de Requeſte Civile, als die by Sempronius van geenen noode bad.* damnatis etiam Titia & Mævia in expenſas litis. Defuncta Titia, ſola Mævia appellat ad Senatum Supremum, & quo effugeret argumentum adverſarii, id, quod dixi, chirographum non habere cauſam debiti, eam aliunde probare nititur, *verſoekende onder beneſice van Requeſte Civile, om nieuwe feiten te moogen poſeren en verifieren*, porrecto etiam tunc Senatui trium teſtium optimæ notæ teſtimonio, quibus ipſe Cajus adfirmaverat, Mæviam ſibi plurimum operæ præſtare in conciliandis, quas tunc ambiebat, nuptiis. Hæc ſcilicet fuerat cauſa debiti, ſed non inſerta chirographo, ob metum forte inanem, ne ſatis idonea videretur. Quæſitum eſt, *of de voorſchr. laatſte Requeſte Civile behoorde te werden geinterineert?* & ſic viſum eſt Senatui 5. Decemb. 1720. (4) nam cauſa debiti ſic ſatis idonee videbatur probata, & eam cauſam eſſe adeo turpem, ut de ea jus dici non poſſet, Senatui non tam liquido conſtabat, ut, rejecto libello Mævia continuo eſſet repellenda.

Quum demum ea cauſa Senatum occuparet, & Mævia pro defuncta jam Titia interveniret & de rato caveret, omnibus Senatoribus placuit, neminem exterum pro defunctis recte intervenire, & ne pro vivis quidem, niſi propinqui eſſent. Ajebat quidem Mævia, ſe Titiæ eſſe creditricem, ſed non probabat, & quid ſi probaſſet? Alios Titia habebat hæredes, qui non appellaverant, & qui tamen ſoli recte eam repræſentabant. Igitur quod ad ſemiſſem Titiæ repulſa fuit Mævia. De alio ſemiſſe plus dubitatum eſt. Cajus quidem adfirmabat, dolo malo ſibi extortum eſſe illud chirographum, ſed nihil ejus rei probabat; utque adeo nihil plane eſſet, quod reſtitutioni in integrum, apud Curiam imploratæ, cauſam dare potuerit. Nonnulli Senatores, ad condemnandum Cajum, ſufficere putabant, quod ſimpliciter promiſiſſet illam pecuniam, *ſi Cajam duxiſſet uxorem*, quæ conditio exſtiterat, conditionem enim eſſe pro cauſa, ut Jure Romano, *ſi navis ex Aſia venerit*, *ſi Sempronius Conſul factus fuerit*, & his ſimilia. Sed alii dubitabant, an illa Jurisprudentia adhuc hodie obtineret, & an non ejusmodi ſtipulatio, ſi nihil quicquam ſtipulatoris interſit, conditionem impleri, vel non impleri, incideret in ſponſiones, quas *weddingen* appellamus, & de quibus jus dici raro ſolet, quia & quibusdam legibus prohibitum eſt, non magis ac de quolibet luſu. Plerique autem Senatores de ea Jurisprudentia hic non erant ſolliciti, exiſtimantes, illam inſpectionem ab hac lite valde alienam eſſe, abunde enim conſtare, etiam ex ore ipſius Caji, hoc proxeneticon fuiſſe promiſſum pro opera, in conciliandis ejus nuptiis præſtita & adhuc præſtanda. Et quum non minus conſtaret, Mæviam, bonis avibus, ei rei operam ſuam accommodaſſe, ſola quæſtio erat, an ejusmodi proxeneticon jure exigi poſſet? & poſſe jam ſupra diſputavi, & cum res licita ſit matrimoniis conciliandis operari, apud omnes Senatores plus valebant rationes, quas jam attuli pro ſententia affirmante, quam pro negante. Provocabant etiam ad auctoritatem Juris Romani, hodie non mutati, & ad alia, quibus jam defunctus ſum, neque enim placet apponere crambem recoctam. Atque hæc moverunt Senatum, ut, reſciſſa Curiæ ſententia, & rejecta reſtitutione in integrum, apud eandem Curiam implorata, Mæviæ proxeneticum addixerit ad usque 800. florenos. Ita judicatum eſt 21. Oct. 1723. (5).

Ut autem nihil ejus litis omittam, porro quæſitum eſt, *of ook Cajus moeſt gecondemneert werden in de boete van de gerejecteerde Requeſte Civile, tegen zyn handſchrift verſogt?* & rejectis ejusmodi libellis pœnam ſtatuerunt Ordines Hollandiæ in §. 18. Ampliatæ Formæ utriusque Curiæ anni 1644. Quidam Senatores negabant, pœnæ locum eſſe, quia apud Curiam, pendente ibi lite, imploratus erat libellus, & a Curia præteritus, atque ſi eo opus non habuiſſet Cajus, ſed plerisque Senatoribus placuit 26. Oct. 1723. (6) nihil referre, in quo judicio petitus eſſet libellus, nunc a Senatu rejectus, Ordines in *d.* §. 18. ſimpliciter pœnam ſtatuere, rejectis ejusmodi libellis, & a Senatu eſſe faciundum, quod Curiam facere oportuerat.

CAPUT VII.

Ex hæreditate deducendum eſſe Doarium pactis antenuptialibus conſtitutum, priusquam ratio portionis legitimæ ineatur.

Doarium fere ad inſtar ejus eſt, quod Græci JCti ὑπόβολον appellant. Vocem Gallicam ſervamus, quia Latina, quæ idem dicit, non eſt ad manum. Eſt autem donatio quædam, quam primum moriens Conjux in alterum, qui ſuperſtes futurus eſt, confert, mortis ſuæ die ſolutioni aſſignata. Unde manifeſtum eſt, quod a dote, donatione ante vel propter nuptias, & ſponſalitia liberalitate differat, cum quibus tamen ſunt, qui perperam confundunt. Conſtituitur Doarium vel pacto antenuptiali vel teſtamento, ſi pacto antenuptiali, contractus eſt, & præſtandi habet neceſſitatem, ut reliquæ conditiones, ſub quibus nuptiæ contrahuntur, & ſine quibus forte contractæ non fuiſſent: Si teſtamento, Doarium non ſecus atque alia quæcunque liberalitas revocari poteſt, & tunc eædem regulæ in Doario valent, quæ in hæredes inſtitutionibus, legatis, aliisve liberalitatibus, a defuncto relictis.

His conſequens eſt, nec de eo quisquam ambigat, ſi teſtamento Doarium relinquatur, partem hæreditatis facere, atque ita eo legitimam augeri. Sed ſi pacto antenuptiali conſtitutum ſit, plerique exiſtimant, Doarium, perinde ac omne æs alienum, ex hæreditate deducendum eſſe,

(4) *Obſervat. Tumult. T.* VII. *n.* 1693.
(5) *Obſerv. Tumult. T.* VIII. *n.* 1974.
(6) *d. n.* 1974. *in marg.*

eſſe, & eo deducto demum ineundam eſſe rationem portionis legitimæ. Sed tamen habet ea ſententia difficultatem, certe ſunt, quæ in utramque partem dici poſſunt, & dici merentur. Si non deducendum putes Doarium, ante nuptias promiſſum, urgere potes, Doarium, quomodocunque conſtitutum, nihil aliud eſſe, quam liberalitatem, quam Conjux Conjugi poſt mortem ſuam præſtari vult, ad exemplum fere donationis mortis cauſa, mavult enim Conjux, ſi ipſe ſuperſtes ſit, ſibi retinere, quod in cauſam Doarii promiſſum eſt, quam tranſmittere ad hæredes prædefuncti Conjugis, & rurſus Conjugem ſuperſtitem habere, quam hæredes ſuos, cum maxime ſi liberos non habeat, nam eo fere caſu Doaria promittuntur, quamvis & exiſtentibus liberis ſtipulari nihil vetet. Sic, inquies, Doarium ſemper eſt & manet liberalitas, ſive mutua & reciproca ſit, ſive ab una tantum parte proficiſcatur, mutuam enim conſtituere, vel non conſtituere, pendet a mera voluntate paciſcentium, nulloque id fit jure cogente. Nec minus liberalitas cenſenda eſt, quamvis pactis antenuptialibus conſtituatur, origine ſcilicet ſua, verum quidem eſt, ſi contractu ita placuerit, id, quod ad Conjugem ſuperſtitem, parere obligationem & actionem, ſed nihil ad liberos, de quorum legitima hic agitur, horum enim reſpectu manet, ut ab initio fuit, donatio poſt mortem præſtanda. Generaliter quoque receptum eſt quæcunque de ſucceſſionibus aguntur pactis antenuptialibus, ad inſtar ultimæ voluntatis redigi, & ſic in omnibus haberi, excepta obligatione & præſtandi neceſſitate. Sin aliter dicas, an non erit in poteſtate Conjugum, conſtitutis per pacta luculentis Doariis, hæreditatem exhaurire, & effuſo amore integra patrimonia effundere in ſuperſtitem Conjugem? Et ſic aperiemus januam legitimam minuendi, quin vel totam abſorbendi? Atqui conſtat, etiam donationes inter vivos, ſi immodicæ ſint, & in præjudicium legitimæ vergant, ut inofficioſas reſcindi, imo &, eadem ratione, ipſas dotes, *tott. Titt. C. de Inoffic. donation.* & *de inoffic. dotib.*

Sed quod de mera liberalitate audio, fateor obtinere in Doariis, quæ teſtamento conſtituuntur, ſed non in iis, quæ ante nuptias mutuo pacto promittuntur. Ob ea fere nuptiæ contrahuntur, & tantum abeſt, ut ſola liberalitas hic ſubſit, ut fere vel nuptiis, quas quis ambit, vel Doario carendum ſit. Ut virorum ſagittæ ſæpe a dote veniunt, ſic & mulierum ab amplis Doariis. Ut equum obtineam, licebit promittere pecuniam, poſt mortem ſolvendam, ſine ulla, quod ad legitimam, liberorum querela, & cur non licebit, ut obtineam uxorem? Habet ea res cauſam & æſtimationem pecuniariam, & falleris, ſi putes, eam incidere in meram liberalitatem. Cum Doario compenſantur mulieris elegans forma, molle ingenium, terſi mores, lauta dos, & reliqua quæ vitam ſolent reddere beatam. Sunt, qui Doarium habent pro ſolo lucro, & inde efficiunt, etiam ex eo legitimam deberi, (1) ſunt, qui habent pro ſolo ære alieno, & inde diſputant, detrahendum eſſe, antequam ratio legitimæ ineatur (2). Si præciſe loquamur, quicquid ſuperſtiti promittitur ultra quam ejus intereſt, nuptias eſſe factas, in veram donationem incideret. Sed tantum non impoſſibile eſt id æſtimare, tam varia in ſingulis cauſis occurrunt, quæ in utramque partem movere poſſent, & ideo conſultius & tutius eſt ſtare æſtimationi, quam ipſi Conjuges pactis antenuptialibus inſerunt, tantum, quantum promittunt, ſua intereſſe rati. Et re ipſa Doarium haberem pro ære alieno, quod deducendum eſſet ante computationem legitimæ. Atque hac ſola ratione probo, quod reſponſum eſt (3), Doarium poſſe capi, etſi ita patri legitima non eſſet ſalva, nam alia ratio, quæ ibi additur, parentibus ſcilicet non æque ac liberis hereditatis paternæ legitimam deberi, *l.* 7. §. 3. *ff. Unde liber.* quæ refutetur, indigna eſt.

Titius, qui habebat in bonis X. nuptias facturus, ſponſæ in Doarium promittit III. Sublatis ex eo matrimonio liberis duobus, facultatibus lapſus, moriens reliquit non niſi V. Quid dicemus? Reſponſum video (4), liberorum legitimam Doario præferendam, eſſe enim debitum, cui cedunt Doaria ex §. 6. *Edict. Caroli* V. 4. *Oct.* 1540. ex mortis tempore æſtimationem bonorum ineundam eſſe, & Doarium pro ſolo lucro habendum. Sed ego ea ſententia non utor, ſcio improprie aliquando *lucrum* appellari, ſed revera non eſt, ſi ſubſiſtant, quæ ſupra diſputavi. Si pro ſolo lucro habenda eſſent Doaria, cur in iis Falcidiæ non eſſet locus, ut in omni eo, quod ex teſtamento & mera liberalitate proficiſcitur, etiam in donationibus mortis cauſa *l.* 27. *ff. de Mort. cauſ. donat.* & tamen Falcidiæ in Doariis locum eſſe res eſt ſæclis inaudita prioribus. Et, ſi pro ſolo lucro habeas, quidni ſubeſſent vigeſimæ hereditatum, quæ & Jure Romano & Jure Hollandico ſolvitur ex omni lucro, quod poſt mortem obvenit, ſi bona vigeſimæ obnoxia ſint? & res quoque ſine exemplo eſt, ex Doariis vigeſimam ſolvi. Noli objicere jus ſingulare in *d.* §. 6. *Edict.* 4. *Oct.* 1540. quo ob ſingularem, quam ibi vides, rationem duntaxat conſtitutum eſt, uxores & viduæ Mercatorum pro Doario adverſus maritorum ſuorum creditores jure crediti ne uterentur. Dimiſſis utique creditoribus pro Doario mulieri ſupereſt actio adverſus hereditatem mariti. Et *Creditorum* numero in *d.* §. 6. liberos nemo JCtus habebit, quemadmodum etiam nunquam, quum cum creditoribus concurrunt, eo jure cenſentur. Legitima quoque non capit originem aut ſubſtantiam, niſi ex bonis, quæ parens, ære alieno deducto, relinquit, unde ex iis & Doarium deducendum, ſi æs alienum putes, ut ipſe puto. Noli etiam objicere, Doarium, ſecundo Conjugi promiſſum, utique computari, ſi quæratur, an plus ſecundo Conjugi datum ſit, quam licet per *l. Hac Edictali* 6. *C. de Secund. nupt.* nam ex *d. l.* computandum eſt, quicquid, qualicumque titulo, ad ſecundum Conjugem pervenerit; idque longe alienum eſt a quæſtione, quam hic tractamus.

Sed fac, Doaria pro donationibus, etiam meris, eſſe habenda, & vel ſic tibi ſuccurrat, donationes non reſcindi niſi inofficioſas, & *inofficioſas* non dici, niſi quæ fiunt in liberorum fraudem, in præjudicium legitimæ, ut eſt in *l.* 1. & *ſeqq. C. d. inoffic. donat.* in fraudem vero eorum, qui nulli ſunt, quicquam fieri cui ſano veniat in mentem? Atque ita eſt, ſi pacta intercedant ante primas nuptias, vel etiam ſecundas, ſi liberi non exſtent. Quinimo ſi exſtent, an in fraudem legitimæ donatum dicimus, cum, quan-

(1) *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 134.
(2) *Conſil. B. T.* II. *Conſil.* 14.
(3) *d. Conſil. B. T.* II. *Conſil.* 14.
(4) *d. Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 134.

quando donatur, deducto Doario, ad legitimam ſufficeret liberis, ſi qui naſcerentur, parentis patrimonium? grave eſt, ut dicamus. Sane ſi Jus Græcum ſequamur in ὑποβόλῳ, quod, ut dixi, cum Doario fere idem eſt, diminutio patrimonii uxori vel viduæ nihil quicquam præjudicat. Sic eſt apud Harmenopulum Πρόχ. *L.* IV. *Tit.* X. §. 11. ex Leonis *Novell.* XXII. etiamſi τῷ ὑποβόλῳ in tantum minutæ ſint facultates viri, ut liberis nihil ſuperfuturum ſit.

Non quidem quod ad legitimam, ſed alia occaſione acerrime diſputatum eſt inter celebriores Advocatos, an Doarium pro lucro, an pro ære alieno eſſet habendum? Cum Titii bona pro ſemiſſe fideicommiſſa eſſent, ita tamen, ut de omnibus ei liceret ſtatuere, *te veralieneren, verhandelen, verteeren, maar niet by gifte onder de levende of teſtament*, & ſponſæ ſuæ, adhibita voce *veralieneert*, dediſſet in Doarium omnia, quæ relinqueret, ſervatis ſolis ſibi, ex facultatibus longe ampliſſimis, 100000 Florenis, quæſitum eſt, an recte, quod ad ſemiſſem? de hac quæſtione aliter atque aliter reſponſum eſt. Quam plurimis placuit, valere (5), ſed aliis, non valere (6). Si rationes in utramque partem excuterem, & de his omnibus ſententiam adderem, mox exſurgeret grande volumen, grande, ut ait ille, malum. Dixi ſupra compendio, quid mihi ſedeat, nec repeto, quæ jam occupata ſunt.

Potius quæro, an non alia ratio ſuppetat, qua obviam iri poſſit Doario omnium bonorum etiam futurorum? Sane, quod ad legitimam, adhuc dicendum eſt, valere, ſi quis univerſa ſua in Doarium dederit, nam, quod ita dedit, non dedit in fraudem liberorum, qui, ut modo dicebam, nulli erant, quibusque ideo legitimam deberi fingi nequit. Nulli utique erant in ea ſpecie, quam ſic retuli. Sed qui Doarium habent pro mera donatione, etiam inde tam poſſent reſcindere, quod inter JCtos vulgo placeat, præſentium ac futurorum donationem nullius eſſe momenti, ut recte diſputat Julius Clarus §. *Donatio Quæſt.* 19. quod & Hollandi probant (7). Unde magis miror, nihil ejus rei veniſſe in mentem iis, qui Titii Doarium omnium bonorum tantis animis impugnabant (8). Sed hoc forte ab iis transmiſſum eſt, quod vulgo placeat; parte bonorum reſervata, ceterorum omnium donationem valere, ſic enim ſcribit ipſe ille Julius Clarus *d. Quæſt.* 19. *n.* 8. & ſic alii, quos ibi Auctores laudat. Verum non aliter id admittendum eſt, quam de parte incerta, nam non aliam ob cauſam non ſubſiſtit omnium bonorum, etiam futurorum, donatio, quam ne quis, ad ſervitutis ſpeciem redactus, dempta omni rei bene gerendæ ſpe & emolumento, cogatur obtorpeſcere, ſoli donatario laboraturus, quodcunque acquiſiverit. Neque adeo etiam magna excepta ſumma proderit, ut magna ſumma erit, quam ſibi reſervaverat Titius in ea, quam dixi, ſpecie, nam & eam integram habebit piger, neque majorem, ſi ſtrenuus inſtet.

Anno 1641. promiſerat Dynaſta Orangius pacto nuptiali Mariæ Anglæ in Doarium 10000. Libras Sterlingicas (9), cui teſtamento addidit 5000. ut ſic quotannis caperet 15000. Libras Sterlingicas. Curia Hollandiæ 31. Jan. 1653, & Senatus Supremus 4. Apr. 1653. illas 10000. Libras adjudicarunt ſimpliciter, illas vero 5000. Libras, *quatenus legitima pateretur* (10), etſi filius eſſet obæratus, & parum ex bonis ſuis perciperet, & præterea aviæ deberet 50000. florenos annuos, atque ita abſorpta eſſet tota legitima (11). Vides, utramque Curiam Doarium, ex pacto profectum, æri alieno, ex teſtamento profectum, liberalitati imputaſſe ſecundum ea, quæ jam ſupra diſputavi.

Sponſus ſecundas nuptias contracturus, ſponſæ, ſi ei eſſet ſuperſtes, in Doarium promittit 11500. florenos. Stante matrimonio duos, quos habebat, filios ex ſola legitima ſcribit heredes. Hi, patre defuncto, de legitima diſputant apud Senatum Supremum, & cum obtinuiſſent, in judicio executionis, nova quæſtio exorta eſt, an nempe illud Doarium 11500. florenorum habendum eſſet pro parte hereditatis in computanda legitima, an vero ex hereditate, qua æs alienum, detrahendum? Hereditas, de qua hic agebatur, erat oppido luculenta, ſic ut viduæ ex Doario nihil quicquam decederet, in quam partem illa quæſtio definiretur, ſed ſi ſecundum filios judicatum eſſet, id decederet reliquis ſcriptis heredibus. Me Senatore hæc cauſa occupavit Senatum, & prolixe diſcuſſæ ſunt rationes, quas ſupra in utramque ſententiam attuli, ex novem autem Senatoribus, qui rei judicandæ intererant, tres exiſtimabant Doario augendam eſſe hereditatem, & ſic computandam legitimam, ſed ſex alii alia ſententia utebantur, & ſecundum hos judicatum 2. Nov. 1712. (12).

Quum partes inter varias quæſtiones, quas ex contentione ad Senatum judicandas deferebant, etiam hanc tractaſſent, rurſus ſententiis diſcrepatum eſt, ſed plerisque Senatoribus 12. Maj. 1718. (13) iterum placuit, Doarium, ad inſtar æris alieni, ex hereditate prius eſſe deducendum, & deinde computandam legitimam.

CAPUT VIII.

An Ὑπόβολον ſive Doarium Conjugi ſuperſtiti pactis antenuptialibus promiſſum, exigi poſſit, quamvis ſeparatio quod ad thorum & menſam intervenerit.

Quemadmodum apud alias, Barbaras potiſſimum Gentes (1), ita & apud Hollandos fuit olim, & nunc quoque eſt, Pactorum antenuptialium poteſtas longe maxima, adeo ut vix ullam tam validam obligationem invenire liceat, & quid mirum, iis enim, quæ ibi placuerunt, conditionibus ipſum matrimonium, res tanti momenti, contrahitur, quod absque iis

(5) Illorum Reſponſa habes *Conſil. B. Tom.* II. *Conſil.* 20-29.

(6) Horum Reſponſa exſtant *d. Tom.* II. 30. & 31.

(7) *Conſil. Holl. Tom.* I. *Conſil.* 169.

(8) *Conſil. B. Tom.* II. *Conſil.* 30. & 31.

(9) Aitzema *Hiſtor. L.* XXI. p. 168.

(10) Idem *Hiſtor. L.* XXXIII. p. 895 897.

(11) Idem *L.* XXXVII. p. 989. *in fin.* & 990. *princ.*

(12) *Obſerv. Tumult. T.* IV. *n.* 902.

(13) *Obſerv. Tumult. T.* VI. *n.* 1440.

(1) Zypæi *Hiatus Caſſani obſtructus L.* I. *C.* 4. §. *In dotem datione.* Sande *Deciſ. Friſ. L.* II. *T.* II. *Defin.* 4.

iis forte contractum non fuiſſet. Quid igitur, inquies, dubitas de quæſtione propoſita? & tamen dubitandum eſt. Sane ſi intervenerit divortium, cui adulterium ſuperſtitis cauſam præbuit, certum eſt, Doarium exigi non poſſe, cadunt enim adulter & adultera omni lucro nuptiali, tam dato quam promiſſo. Inſontem, qui ſuperſtes eſt, exigere poſſe nulla dubitandi ratio, & eſt Hollandus, qui ſic ſcribit, ultra tamen progredi non auſus (2): ſed quid ſi nec divortium, at ſola ſeparatio quod ad thorum & menſam intervenerit? & quid, ſi alia, præter divortium, cauſa?

Ut hanc quæſtionem digne exſequamur, præfanda ſunt quædam de cauſis divortii apud nos uſitatis, & de ſeparatione quod ad thorum & menſam, quæ fit auctoritate Judicis. Apud Romanos, quæ jure noviſſimo juſtæ fuerint divortii cauſæ, conſtat ex *l.* 8. *C. de Repud. Novelli* XXII. *C.* 15. & *Novell.* CXVII. *C.* 8. & 9. ſed ſimul conſtat, multas, easque graviſſimas, ibi relatas hodie obtinere non potuiſſe. Quo jure, quave injuria nolim diſputare, quia ea res non pertinet ad ſolum Edictum Prætoris, & inveteratas opiniones ex animis hominum evellere ſemper difficile, ſæpe etiam periculoſum. Poſtquam apud Pontificios matrimonium *Sacramentum* eſſe cœpit, id violare nefas, & hinc nulla ſatis idonea cauſa diſſolvendi matrimonii fuit. Sed quum illa ſententia multis difficultatibus urgeatur, quæſita ſunt remedia, quibus illis difficultatibus eatur obviam. Quæritur Jure Pontificio, *ſi quæ viro, cui nupſerit, adeo arcta eſt, ut nunquam ab eo valeat deflorari, ſi ab eo ſit per judicium Eccleſiæ ſeparata, & nubat alteri, cui arcta non ſit, & per frequentem uſum ſecundi reddatur etiam apta primo, cum quo prius fœdus inierat conjugale*? & redeundum eſſe uxori, niſi votum eccleſiæ, quod ante fecerat, impedimento ſit, ſatis aperte reſcribitur in *C.* 6. X. *de Frigid. & Malefic.* Egregium vero εὕρημα, ut ſacramento ſua conſtet dignitas! Qui a Pontificiis ſacris receſſerunt, ut multas ſuperſtitiones, ſic & matrimonii Sacramentum abrogarunt, aliquid tamen divini matrimonio ineſſe crediderunt, & ideo apud eos quoque difficilis eſt matrimonii diſſolutio. Habent & hi auctoritates alias, quibus contra divortia, Jure Romano probata, moventur, rati, Jure Chriſtiano matrimonium ſolvi non poſſe, niſi ob adulterium deſertionemque malitioſam, ſed animadvertentes, hanc ſententiam etiam non carere ſuis difficultatibus, ad εὑρήματα quoque delabuntur, ac primum quidem malitioſam deſertionem adeo benignam faciunt, ut, quoque fere libuerit, ſeſe protrahi patiantur. Utuntur & alio εὑρήματι, a Pontificiis quam maxime frequentato, & ad ſe translato, cum quid melius non ſuppeteret. Videbant, inter juſtas cauſas divortii apud Romanos eſſe eas, quæ refutari non poterant, & quæ, ſi verum amamus, etiam adulterio & malitioſa deſertione erant graviores, nam quis maritus non malit uxorem pudicitiam ſuam proſtituere vel ſe invitum relinquere, quam venenum ſibi propinari, aliove modo vitæ ſuæ inſidias ſtrui, quæ juſtiſſima apud Romanos divortii cauſa fuit. Viderant, inquam hoc, & quo ſe extricarent, ſi æque graves vel graviores cauſæ, quam hæ duæ, inciderent, generale emplaſtrum placuit ex Jure Pontificio, ſeparatio ſcilicet quod ad thorum & menſam, Jure Romano incognita, ſed ex neceſſitate adinventa, ne Conjuges, inter quos divortium non eſt niſi ex adulterio & malitioſa deſertione, durante cohabitatione ſe invicem lacerarent, quin & necarent, ſi tantæ animis ardentibus iræ. Quæ cauſæ ſint ſeparationis, definire non eſt in facili, & ideo inter arbitraria Judicum hæ cauſæ recenſentur, ſed id omnino tenendum eſt, etiam in cauſis graviſſimis, quæ duas, quas dixi, etiam ſuperant, non aliud ſupereſſe εὕρημα, quam illam thori & menſæ ſeparationem.

De qua, ut etiam nonnihil dicam, hoc in primis obſervandum eſt, eam hodie non fieri niſi Judicis auctoritate, & adhibita cauſæ cognitione. Judicis auctoritate fit vel fiduciaria tranſactione inter ipſos Conjuges, quam Judex ratam habet, ſi cauſa ſeparationis Judici ſatis idonea videatur, vel fiduciaria ſententia, ſi inter Conjuges non convenit, ſemper autem fiduciariæ, *by proviſie*, & ſub ſpe reconciliationis. Sic vinculum matrimonii durat, ſed corpora, ne ſibi noxia ſint, ſeparantur, nec quicquam eſt ſollicitus Judex, ne Conjux ſeparatus, qui donum continentiæ non habet, alio amores vertat. Atque hæc eſt ſeparatio, quam Jure Romano incognitam eſſe dixi. Eo quidem jure, etiamſi divortium non interceſſerit, etiam friguſcula exercebantur inter Conjuges *l.* 32. §. 12. *ff. de Donat. inter V. & U.* eo usque, ut ſæpe ſeorſim habitaverint, & id inter Conſulares perſonas etiam uſitatum fuiſſe refert Ulpianus in *d. l.* 32. §. 13. conſtante tamen matrimonio ejusque invicem honore; ſed noli exiſtimare, quamvis ſic ſeparati, neque concumbant, neque cohabitent, eo tamen jure habendos, quo noſtri ſeparati quod ad thorum & menſam. Romani bona gratia ſic ſecedebant, & ſic, mutata voluntate, invicem redibant, poſtquam alter alterius offenſam conjugali ſermone placaſſet, & ejusmodi ſeparatio etiam apud nos obtinet, ſine ulla Judicis auctoritate, nam & ego ſcio Virum & Uxorem Senatoriæ dignitatis thoro & menſa abſtinuiſſe, mutuo conſenſu, & tamen easdem ædes habitaſſe, in quibus alter ad orientem regnabat, ad occidentem alter, ſervato ceteroquin in omnibus aliis matrimonii honore, & ſi in eo conveniant Conjuges, nemo unus eſt, qui impedire poſſit. Exemplum ejusmodi ſeparationis Ulpiani ætas vidit in Antonino Magno & Plautiani filia, de quo Herodianus *L.* III. *Hiſtor. C.* 35. quod ſignificaſſe quoque potuit Ulpianus in *d. l.* 32. §. 13. *ff. de Donat. inter V. & U.* magis generali, minusque invidioſa *Conſularium* appellatione. De ejusmodi ſpontanea ſeparatione hic non agimus, ſed de ea, quæ fit ex cauſa, adhibito Judicis Decreto, & tunc quæro, ſi hic intervenerit, an nihilominus Doarium debeatur. Lex Romana ſilet, nam res ipſa ſilet. Lex Patria ſilet, nam novæ ſeparationi nulla eſt, quæ novam formam dederit. Et quum nec auctoritates, nec res judicatæ ad manum ſint, e quibus tuto hanc quæſtionem definire liceat, rationem advocemus; eaque conſulta ego intereſſe puto, ob quam cauſam facta ſit ſeparatio, & cujus Conjugis culpa verſetur. Si facta ſit ob gravem, quæ vitam vel exiſtimationem petit, & Conjux ſuperſtes in culpa ſit, me judice cadit Doario, quod ſtipulatus eſt. Vita & exiſtimatione quid carius? Has prodere neque adulterium neque malitioſa deſertio eſt, nullus igi-

(2) Voet *ad Tit. ff. Solut. matrim. n.* 23.

igitur divortio locus, ſed ſeparationi quod ad thorum & menſam duntaxat, eo ſi res perveniat, tu auctorem ejus ſeparationis mactabis beneficio, quod amor & ſpes mutuæ benignitatis extorſere. Ego vero ei, ut indigno, auferam. Sin autem cauſa levior ſeparationi cauſam dederit, jurgium & querela, quæ ſpernenda potius, quam ad animum revocanda erat, Doario, non obſtante ſeparatione, locum eſſe velim. Si non conſtet, vel conſtare non poſſit utra pars noxior ſit, debebitur Doarium, ſi ob leviorem cauſam etiam debebitur, ſi ob graviorem, quam ſuperſtes præbuit, Doarium pro non ſcripto habuerim. Quæ autem gravior, quæ levior in hoc argumento cauſa ſit, Judicis arbitrio relinquo.

Exemplis, ex Jure Romano petitis, hanc rem illuſtremus. Si pater liberis tutorem dederit, amici officium implorat, quo liberis ſuis bene ſit, ſed ſi deinde inimicitiæ capitales inter patrem pupillumve intercedant, nec reconciliatio interveniat, tutor ſe excuſare, quin &, ut ſuſpectus removeri poteſt §. 11. *Inſt. de Excuſat.* res enim incidit in eum ſtatum, a quo incipere non poterat. Ab inimico quis officium amicitiæ expectabit?

Plus dico, idque ad rem magis. Donationes inter V. & U. Jure Romano nullæ ſunt, factæ tamen morte donatoris confirmantur, niſi tamen mutatæ voluntatis luculenta exſtent documenta. Unde Ulpianus in *l.* 32. §. 10. 11. 12. *&* 13. *ff. de Donat. inter V. & U.* conſtituta diſputatione quærit, quæ hic argumenta valeant? & ait, ſi Conjuges bona gratia diſcedant, ſtare donationem, ſed ſi *cum ira ſui animi & offenſa*, cadere, *d.* §. 10. Quare ſi divortium intercedat, pro mutatæ voluntatis argumento id eſſe habendum Ulpianus ait *d.* §. 11. niſi reconciliatio & matrimonii reſtauratio interceſſerit, & hoc ipſum Hermogenianus ſcribit in *l.* 62. §. 1. *ff. Eod.* Pergit mox Ulpianus ad leviores cauſas in *d.* §. 12. *&* 13. & his non obſtantibus donationem putat valere; plane ut in hac ſpecie reſpondi.

Rurſus, ſi Cognati primum morientis deficiant, lex ſuperſtiti hereditatem defert, niſi divortium interceſſerit, tunc enim, amicitia in odium verſa, ceſſat id, quod ſucceſſioni cauſam dedit, ut plenius dicam *L.* III. *C.* 12. quod ſic intelligendum, ut cum hic, tum alibi ſemper ſartum tectumque ſit jus partis læſæ.

Quid mores ſervent, non auſim dicere. Me Senatore ſemel ea quæſtio Senatum occupavit. Cajus & Caja nuptias contrahunt anno 1685. hac lege, ne inter eos eſſet bonorum communio, ſed lucri & damni duntaxat, ita tamen, ut Caja *'t zy by afſterven of ſcheiden des huwelyks*, optare poſſet, lucri & damni particeps eſſe vellet, nec ne; porro Caja ſuperſtes Doarium haberet 50000. florenorum, & dimidiam partem ſupellectilis mariti, Cajus vero ſuperſtes haberet Doarium 2[illegible]000. florenorum. Id matrimonium non diu fuit concors, nam poſt decem menſes Caja adivit Judices Amſterdammenſes, queſta de malis moribus, quin & de ſævitia mariti, & implorans ſeparationem quod ad thorum & menſam, & quod ad utriusque bona. Cajus ait, ſe idoneis rationibus & juſta indignatione motum id ipſum implorare. Quare Judices Amſterdammenſes 13. & 14. Dec. 16[illegible]6. *zonder*, ajunt, *regt te nemen op de* [illegible] *van d'eene of d'an*[illegible], utrosque ſeparant quod ad thorum, menſam & bona. De bonis & utriusque inventario apud arbitros deinde eſt litigatum, ſed nihil decretum, nec usquequaque eam litem perſequutæ ſunt partes. Cajus prior deceſſit 10. Febr. 1714. inſtitutis, quod ad legitimam, filia unica, quam habebat ex priori matrimonio, & quod ad reliqua bona, ejus filiæ liberis, ni fallor, quatuor. Caja ſuperſtes, quæ 28. annos ſeparatim vixerat, non tentata interim reconciliatione, mox defuncti filiam filiæque liberos in jus vocat apud Curiam Hollandiæ, petens Doarium 50000. florenorum, & dimidium ſupellectilis mariti, & ſimul inventarium bonorum, quæ Cajus ad nuptias attulerat, & quæ moriens reliquerat, ut deliberare poſſet de optione lucri & damni. Heredes his omnibus contradicunt, &, ex conventione partium, a Curia, ubi pendebat, transfertur ad Senatum Supremum. Prima quæſtio in eo vertebatur, an, ſi vel recte ageret Caja ad Doarium, eo nomine recte agere poſſit contra filiam Caji, utpote inſtitutam duntaxat ex legitima. Filia negabat, hereditatem patris minuendam eſſe Doario, & ſic demum computandam legitimam. Caja adfirmabat, eſſe enim legitimam loco æris alieni. Ex profeſſo Senatus eandem quæſtionem tractavit, & definivit 2. Nov. 1712. ut ſupra retuli *L.* II. *C.* 7. tunc ratus, Doarium eſſe deducendum ante computationem legitimæ, ſed diſcrepantibus ſententiis, quemadmodum & nunc diſcrepantibus ſententiis idem definivit, ut memini me notare ad finem *d. C.* 7.

Secunda & majoris momenti quæſtio erat, an poſt ſeparationem, quam dixi, adhuc præſtandum eſſet Doarium, tabulis antenuptialibus promiſſum, an vero tacite & ipſo facto ei renunciatum videri debeat? Tres hic numeravi ſententias, invicem diſcrepantes. Quidam Senatores ſimpliciter reſpondebant, vinculum matrimonii, per ſeparationem, non fuiſſe ruptum, ſed ejus cum poteſtatem, tum honorem ſubſtitiſſe. Omnia ibi agi fiduciarie, & ſub ſpe reconciliationis. Doarium hic ex contractu proficiſci, & quod ibi ſimpliciter & ſine ulla conditione promiſſum eſt, ſimpliciter quoque præſtandum, præſertim cum nec Cajus vivus ad ejus reſciſſionem egerit. Alii Senatores exiſtimabant, ſeparationem quod ad thorum & menſam, etiam in gravioribus cauſis ſucceſſiſſe in locum divortii, poſt ejusmodi ſeparationem nihil quicquam eſſe reliquum, niſi inane nomen matrimonii. Doarium promitti ob mutuam & individuam vitæ conſuetudinem, & ob benevolum erga ſe animum, quæ omnia ubi ceſſant, ceſſare tacitam conditionem, quæ omnibus nuptiis ineſt, perinde ut in donatione propter nuptias donatio deficit, ſi nuptiæ non ſequantur §. 3. *Inſt. de Donation.* Saltem, ſi cum ratione eamus in conſilium (ut oportet, ſi lege certa deſtituamur) diſtinguendum videri, quæ pars fuerit nocens, & ſeparationi cauſam præbuerit, ut ea ſcilicet lueret pœnas ſuæ culpæ & temeritatis, iniquiſſimum enim videri, ut, quiqui innocentes ſunt, mulctentur Doario in gratiam nocentis. Ajebant & ſimile quid ſtatui Jure Romano iis locis, quæ modo indicabam, & quæ porro indicat Berlichius *Concluſ. Pract. Parte* III. *Concl.* 36. *n.* 28. ibi verſatus in ſimili quæſtione, an nempe, facta ſeparatione quod ad thorum & menſam, ſuperſtiti debeatur ea portio, quam ex bonis primum morientis ei tribuit jus Saxonicum, & quam definit Berlichius, ut hanc definiendam reſpondebant. Atque hi ipſi Senatores interlocutione volebant jubere, partes probarent, uter Conjugum ſeparationi cauſam dediſſet, & deinde hanc de Doario quæſtionem finire. Rurſus alii Senatores: nihil quicquam hic allegari, quam domeſticas diſſenſiones & rixas, ex diverſitate animorum fere ortas, [illegible]

[illegible]

difficulter probari, uter iis cauſam dederit, remotis arbitris hæc jurgia exerceri, quin in lectulo, ubi aliud agendum erat, ſæpe haberi ejusmodi Collegium diſputantium, Cajam hic alqua teſtimonia exhibuiſſe, ſed quæ non probabant, quod probandum erat, & Caji heredes nihil quicquam probare ad arguendam mulieris culpam, & poſt elapſos hos 28. annos fruſtra deſiderari probationem ejus rei, quæ etiam vix ab initio probari poteſt, nec ſufficere, ſi rixæ & friguſcula probentur, niſi gravior cauſa accedat, quæ primum morienti imputanda ſit, revera enim nihil dici, vel unquam hic probari poſſe, quam inter Cajum & Cajam non bene conveniſſe. Quare priorum & poſteriorum ſententia conjuncta Doarium Cajæ adjudicavit Senatus.

Poſtrema quæſtio de Inventario inde pendebat, an poſt ejusmodi ſeparationem communio lucri & damni cenſeatur durare, nec ne? Sed quia de ea *ſequenti Capite* dicere conſtitui, hic abſtineo, monere contentus, plurimos Senatores, inſuper habitis omnibus, quæ de hoc argumento in utramque partem diſputari poſſunt, exiſtimaſſe, ſi ſeparatione facta, etiam ipſa bona ſepararentur, ut hic ſeparata erant, eo ipſo extingui communionem lucri & damni. Contra Cajam igitur hæc res cecidit. Atque hæc acta & judicata ſunt 12. & 13. Maj. 1716. (3).

CAPUT IX.

De effectibus matrimonii, quod ad thorum & menſam ſeparati.

Aurem mihi vellit *præcedens Caput*, ut etiam hoc addam. Loquor autem de effectibus, qui inter ipſos Conjuges obtinent, non quod ad alios. Id quidem conſtat, Conjuges ſeparatos abſtinere eodem lectulo, & eadem menſa, & ſic vivere, donec mors vel conciliatio intervenerit. Sed quid interea dicemus de conſuetudinaria bonorum communione, & de communione lucri & damni, & de poteſtate maritali? Mirari licet, cum in Hollandia & Zelandia frequentiſſimæ ſint ſeparationes quod ad thorum & menſam, de his omnibus tamen tot eſſe ſententias, quod capita. Beatioris fortunæ homines fere excludunt bonorum communionem, & inde, cum ſeparantur, quæ quisque ad nuptias attulit, ſolet ſecum auferre, tenuiores, quos inter plus rixarum & querelarum eſt, vix tantum habent, ut de bonis litigare operæ pretium ſit, &, ſi inter ſeparatos de his rebus conveniat, id ſequendum eſt, ſi non conveniat, Judicis officio ſolet tranſigi inter partes. Si quis tamen jure ſuo velit uti, ecquod jus eſt?

Vulgo creditur, quia ſeparatio vinculum matrimonii non ſolvit, ſubſiſtere etiam effectus matrimonii, niſi contra pactum ſit; pacto antenuptiali excludi poſſe communionem bonorum, itemque lucri & damni, poſſe mulierem paciſci, ut adminiſtrationem bonorum ſibi ſalvam habeat, & his pactis ſtabitur. Ceteroquin etiamſi divortium intervenerit, ut ait Neoſtadius in *Not. ad Obſerv.* VII. *de Pact. antenupt.* & *Obſerv.* VIII. cum in ipſa *Obſerv.* tum in *Not.* ſubſiſtit poteſtas maritalis, quamdiu ſubſiſtit matrimonium; *per divortium*, quod vocat, intelligit ſeparationem quod ad thorum & menſam, id etiam verum eſſe ratus, ſi vel bona pacto fuerint ſeparata; Curiam, & ex appellatione Senatum Supremum 12. Jul. 1594. ita judicaſſe *d. Obſerv.* VIII. quod nempe, ut in *Not.* ait, *bonorum, lucri & damni communio ſemel* matrimonio incluſa, amplius *excludi nequeat*, & quod *bonorum diviſio non alia mente fieri intelligatur, quam ut mulier mariti ſævitiam effugiat, vel ne egere incipiat, non vero ut communionis ſubſtantia ſolvatur.* Inepta ſententia ineptior ratio. Sic ille, etiam de poteſtate maritali, donec mors intervenerit.

Ego vero rata habuerim omnia pacta, quæ ſeparationi, auctoritate Judicis factæ, adjiciuntur, quod ad ipſos Conjuges pertinet, quæ & Grotii (1) ſententia eſt, & qui nunc aliter ſapiat, novi neminem. Ejusmodi pactis Judex quotidie non tantum auctoritatem ſuam impertit, ſed & publicat, ne aliis ſint præjudicio. Sed quid ſi Conjuges paciſci nolint? Sic quidem jus conſuetudinarium in omnibus ſervaverim, nec tantum tribuerim matrimonio, cujus nihil ſupereſt quam inane nomen. Ut hoc efficiam, in memoriam revocanda ſunt, quæ *Capite proximo* prolixius diſputavi. Ob leviores cauſas ſeparationis nolim matrimonii jura turbare, optarem potius, ne, per facilitatem Judicum, adeo frequentes eſſent ſeparationes, ut nunc ſunt, in primis enim in hanc partem peccabis, ſed ſi cauſæ, adulterio & malitioſa deſertione graviores, vel ſaltem æque graves, Conjuges colliſerint, nihil aliud quoque ſupereſt, quam ſola thori & menſæ ſeparatio. Fac igitur palam conſtare, vel etiam probari poſſe, uter Conjux ſe indignum præſtiterit, ut altero utatur & fruatur, ego hunc quoque indignum pronuncio, qui utatur & fruatur ullis matrimonii beneficiis: Tu, marite, bona uxoris retinebis, in ea imperium exercebis, & ex his lucrum capies, ut, cujus perpetua vox fuit:

'*Uxor vade foras aut moribus utere noſtris.*

At cur non defendis, in eam ipſam, licet ſeparatam, tibi adhuc imperium eſſe ſalvum, hac ipſa ratione, quod maritalis poteſtas durat, donec durat matrimonium.

Et tu, uxor, quæ blanda maritum excipere debebas, quotidianis conviciis eum proſcindes, & vitam, quam ei acerbam reddidiſti, quovis modo etiam ſtudebis adimere? Sic merito a Viro ſeparata es, & ſic ex continuata vel bonorum vel lucri damnique communione nolim te locupletiorem fieri, cecidiſti jure, quod habebas, & maritus res ſuas, & lucrum, quod poſtea ſolus facit, ſolus ſibi habebit.

Atque ita, licet lege deſtituamur, ratione magiſtra, puto ſtatuendum, ſed nec auctoritatibus deſtituimur. Quum ſecundum ea, quæ proponebantur, Hugo Grotius *Conſil. H. T.* III. *Conſil.* 342. reſpondiſſet, maritum adulterium feciſſe videri, addit, ſi tamen plenæ probationi nonnihil deficeret, poſſe Uxorem impetrare ſeparationem quod ad thorum & menſam, & poſſe diviſione facta, bona ſua ſibi retinere, & curare, ut eorum adminiſtratio viro interdicatur. Sed inde dicere, quod alius Hollandus dixit (2), ſeparatione facta intercidere omnia beneficia, quibus alter alterum mactavit, religio mea non

la

(3) *Obſervat. Tumult. T.* VI. *n.* 1440.

(1) *Introd. ad Juriſpr. Holl. L.* III. *C.* 21. *vſ. ult.*

(2) Brouwer *de Jure Connub. L.* I. *C.* 29. *n.* 17.

patitur. Quid enim, nocens & innocens pari paſſu ambulabunt? Et quid ſi ſeparatio facta ſit ob cauſas leviſſimas, vel potius nullas, nam eo fere hodie diventum eſt, ut ad ſeparationem thori & menſæ ſufficiat utriuſque Conjugis conſenſus, quod Romani *bona gratia* vocabant. Ego deſidero cauſam, eamque graviſſimam, eique ſoli imputandam, qui culpam admiſiſſe probabitur. Omnia loca, quæ ex Jure Romano Hollandus attulit, loquuntur de divortio, & plura loca in hanc rem extuli *Cap. proximo.* Ad ſeparationem thori & menſæ non transfero niſi cauſas, quæ tantundem valent, ac Jure Romano cauſæ divortii.

An ſententiæ noſtræ aliquid auctoritatis accedere poſſit ex rebus, me Senatore, a Senatu judicatis, nunc accipe. Pactis antenuptialibus 14. Jul. 1708. inter Cajum & Cajam convenit, ne inter eos eſſet communio bonorum, ſed lucri & damni duntaxat, ita tamen, ut mulier, quæ viro longe erat locupletior, ex reditibus ſuis ſibi præcipuos haberet 600. florenos, ut porro ipſa mulier adminiſtraret bona ſua, fructus ex his exigeret, & de iis ſtatueret pro arbitrio ſuo, nec quicquam eorum vir ſibi adrogaret. Id matrimonium non diu fuit concors, ſed adeo inter utrumque turbatum eſt, ut a verbis itum ſit ad verbera, deinde ad lites. Maritus apud Curiam ſignum extulit, & petiit, fiduciaria ſententia quod ad thorum & menſam a muliere ſepararetur, & donec lites durarent, mulier ſemiſſem fructuum communicaret, & ipſe eos adminiſtraret. Mulier, inſtituta reconventione, fiduciaria ſententia etiam ſibi quædam adjudicanda cenſuit, interque alia, non tantum ſeparationem thori & menſæ, ſed & cohabitationis, maritus enim, qui laute adhuc apud uxorem vivebat, ſponte ſua abſtinens a communione thori & menſæ, non ante a cohabitatione volebat ſeparari, quam poſtquam deciſæ eſſent lites, quas prolixas habebat de ſeparatione fructuum cum in præteritum, tum in futurum. Egit mulier & ad plura alia, & cum maxime, ut ſuos ipſa fructus adminiſtraret. Curia 4. Mart. 1711. fiduciaria ſententia in his, quæ dixi, ſecundum maritum & contra uxorem judicavit. Cum appellatum eſſet a muliere, ſatis conſtabat, eas hic eſſe diſcordias, ne quid pejus dicam, ut utriuſque partis intereſſet, quam citiſſime ſepararetur etiam a cohabitatione præter thorum & menſam. Deinde & Senatus putavit, lites de ſeparatione fructuum nihil commune habere cum fiduciaria ſeparatione quod ad thorum & menſam, poſſe has exerceri, poſtquam ſeparati eſſent, qui ſine periculo ſimul habitare non poterant. Senatus etiam concoquere non poterat, qua ratione maritus apud Curiam obtinuerat, ut fructus uxoris in poſterum ipſe adminiſtraret, contra tabulas antenuptiales, cum ne certum quidem ſit, an poſt ſeparationem duret maritalis poteſtas, quæ, quod ad adminiſtrationem, hic abrogata erat, etiamſi matrimonium quam maxime fuiſſet concors. Senatus igitur, reſciſſa Curiæ ſententia, 14. Jul. 1711. in Conventione contra maritum, & in reconventione, *by proviſie* pro uxore judicavit. (3)

Deinde litigatum eſt inter ipſas partes apud Senatum judicio principali, & ibi de variis controverſiis tranſactum, & de variis, quæ ad propoſitam quæſtionem non pertinent, judicatum fuit. Sed ardua, nec minus anceps quæſtio Senatum colliſit, num ſcilicet fructus utriuſque bonorum, poſt ſeparationem, invicem eſſent communicandi, an quiſque ſuos ſibi haberet. Vir, quia Uxor longe erat locupletior, communicandos eſſe contendebat, ſtare enim matrimonium, atque adeo ſtare hunc matrimonii effectum, etiam pactis antenuptialibus invicem promiſſum. Addebat etiam poſt ſeparationem durare communionem lucri & damni utramque Curiam judicaſſe apud Neoſtadium *Obſerv. Antenupt.* VII. *&* VIII. & Senatum Friſicum apud Sande *Deciſ. Friſ. L.* II. *T.* 5. *Definit.* 7. & ſic reſpondiſſe magnam Pragmaticorum nubem *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 73. 74. *&* 75. Uxor contendebat, non alio fine communicari fructus, quam ad ſuſtentationem matrimonii, hoc eſt, illius conjunctionis, quæ individuam inter virum & uxorem vitæ conſuetudinem continet, hæc ubi ceſſat, ceſſare videri illam fructuum communicationem; tunc enim quemque conjugem oportere ſuum ipſius onus ferre, & ſua ipſius lucra percipere, ſe alioqui, quæ antea more beatorum hominum vixerat, ad anguſtias redigi, & vix & ne vix quidem pro dignitate ſe exhibere poſſe; & ſeparatione thori & menſæ etiam ſeparari communionem lucri & damni, plurimorum ſententia, probata Argentræo *ad Conſuet. Britann. Art.* 418. *Gloſſa* 4. *n.* 3. aliiſque quos laudat Sande *d. Defin.* 7.

Plerique Senatores diſtinguebant, nec immerito, utra pars familiam concuſſerat & ſeparationi cauſam dederat, utque pars nocens Jure Romano in cauſa divortii, amittit vel donationem propter nuptias, vel dotem, ad inſtar ejus juris, qui nocens eſt, amittere oportere omnia lucra, quæ ex matrimonio & habere & ſperare poterat, ceſſura ſcilicet parti innocenti: alioquin, ſi omnes fructus æquis partibus ſemper eſſent dividendi, poſſe virum vel uxorem de induſtria domum rixis, ſeditionibus & vulneribus implere, mox ſeparationem implorare, & cum ipſe vel ipſa nihil haberet, illico ſemiſſem auferre ex alterius innocentis vel bonis vel fructibus. In hac cauſa alter in alterum prolixe derivabat cauſam malorum, & in hanc rem ingentia probationum volumina edebantur, ſed quibus, ut nunc erant, tuto credi non poterat. Plerique tamen Senatores in maritum culpam rejiciebant, & ſecundum eum cecidiſſet ſententia, ſi non alii excepiſſent, de culpa mariti ſibi ſatis non liquere, alii minus liquere, an culpa ſatis ſit idonea, ob quam caderet jure conſuetudinario & pactis antenuptialibus. Unde & nonnulli de interlocutione erant ſolliciti. Unde & nihil definitum eſt, quam ut tranſactio inter partes tentaretur, & deinde ſtatueretur pro re nata. Ita placuit 19. Dec. 1716. (4) Tranſactio autem, quæ ſucceſſit, omnibus litibus finem dedit.

Duo Conjuges, qui plurima bona poſſidebant, ex ſtatuto communia, in diſcordias & lites prolapſi ſunt. Maritus ab uxore ſe ſeparari petiit apud Judices Haganos. Uxor in eam ſeparationem conſentit, modo & bona communia dividerentur, & quiſque ſemiſſem auferret. Secundum uxorem judicarunt Judices Hagani. Maritus appellat ad Curiam, & ibi petit, ut fiduciaria ſententia ſepararentur quod ad thorum & menſam, ſed abſque ſeparatione bonorum, ita tamen ut, pendente lite, uxori alimenta annua præſtaret; ſed repulſam tulit 18. Mart. 1718. & quum ap-pel-

(3) *Obſerv. Tumult. T.* III. *n.* 753.

(4) *Obſerv. Tumult. T.* VI. *n.* 1305.

pellaſſet, etiam apud Senatores, ad rotulam delegatos 24. Maj. 1718. Maritus deinde apud Curiam litigare pergit judicio principali, & 15. Febr. 1719. ibi obtinet definitivam ſententiam, qua partes ſeparantur quod ad thorum & menſam, & jubentur, quod ad ſeparationem bonorum, litem in ſcriptis redigi, ea tamen lege, ut maritus uxorem pendente lite exhiberet. Uxor tentat appellationem ad Senatum, maritus defendit, ab ea ſententia appellari non poſſe, & Curia ei auctoritatem ſuam accommodat, ſed fruſtra, nam appellationi locum eſſe Ordines decreverunt 17. Mart. 1720. Unde maritus apud Senatum contendit *tot approbatie illico van de Sententie van 't Hof.* At Senatus decrevit 20. Dec. 1720. *dat 'er geen approbatie illico viel*, non tantum ex re ipſa, quod nempe non liquido conſtaret, Conjuges ſine ſeparatione bonorum eſſe ſeparandos, ſed vel maxime, quod jam ſemel marito negata eſſet fiduciaria ſententia quod ad hanc ipſam rem, & Senatum nunc dare non poſſe, quod d. 21. Maj. 1718. negaverat. Sed & ſimul placuit, illi, qui marito operam forenſem præſtabant, a Senatu increparentur ob defenſionem cauſæ adeo iniquæ. (5)

Magnis deinde animis ea cauſa judicio principali perorata eſt in auditorio majori Senatus, ſed inter partes non convenit, quid in appellatione eſſet τὸ κρινόμενον. Uxor poſtularat, reſcindi Curiæ ſententiam, & ſibi ſemiſſem bonorum adjudicari. Maritus ajebat, de ſeparatione bonorum Senatum ex appellatione judicare non poſſe, quia de ea nondum judicaverat Curia, Uxoris fuiſſe agere ad reſciſſionem ſententiæ, & ut de ſeparatione perſonarum & bonorum ſimul & ſemel judicaretur; & de eo ſolo quærendum eſſe inter omnes Senatores, uno excepto, conſtabat. Tranſeo igitur, quæ pro ſeparatione & contra ſeparationem prolixe diſputata ſunt. Ad hæc uxor negabat, disjungi poſſe, quæ conjungi & ſimul finiri debebant, ſe quidem conſenſiſſe in ſeparationem perſonarum, ſed ita, ut ſimul bona ſepararentur, & quiſque eorum ſemiſſem haberet, ad inſtar confeſſionis, quam vocant *qualificatam*, quæ dividi non poteſt. Sed ſi aliunde conſtet, ut hic conſtabat non ſine præſenti periculo conjuges cohabitare poſſe, quidni Judex recte jubeat ſeorſim habitare, pendente lite de ſeparatione bonorum? & ſic juſſerat Curia, quia non verbera & vulnera, ſed & ſuſpiciones veneni præparati jactabantur. At tunc ſimul jubendum eſſe, ut etiam bona dividerentur, omni opera mulier contendebat, plurimis in hanc rem laudatis auctoritatibus, quas maritus refutabat contrariis adlatis. Senatus exiſtimavit, &, ni fallor, recte, eſſe hanc quæſtionem facti potius, quam juris, inde enim pendere, utra pars juſtam ſeparationi cauſam dediſſet? Si enim intolerabiles uxoris rixoſæ mores, nunquid illa adminiſtrationem univerſi patrimonii, quod marito jure conſuetudinario competit, ipſi innocenti adimit? nequidem mulier, bene morata, marito poteſt intervertere adminiſtrationem bonorum, & ſibi ſemiſſem petere, an igitur poterit male morata? Sane, ſi hoc jure utamur, mulieribus larga præbebitur occaſio divertendi, non alia forte mente, quam ut ipſæ habeant ſemiſſem patrimonii communis, & de eo pro lubitu ſtatuant. Hæc quidem mulier, de qua agebatur, paratam ſe eſſe dicebat, pendente lite, bonis, quæ acciperet, inſcriberetur, ea alienari non poſſe, ſed vel ita marito adimeretur, quod mariti eſt, ſi ipſe culpa vacet. Recte igitur Curia cenſuit, litem de culpa in ſcriptis eſſe redigendam, ut inde conſtaret, quod nunc conſtare non poterat, uter Conjugum domum, ad ſanguinem uſque, turbaverit. Sed quod Curia addidit, mulieri, pendente lite, certam ſummam a marito ad alimenta & ſumptus litis ferendos quotannis eſſe præſtandam, id merito diſplicuit. Semis bonorum cuique debebatur, mariti ſolius erat adminiſtratio ex poteſtate maritali, cumque hactenus non conſtaret, an ſua culpa maritus eo jure cecidiſſet, cur non, ea ſalva, ſemis fructuum communis patrimonii utrique cedat? alter in alterum, ut fiat, rejiciebat culpam, Senatus, quid ejus rei eſſet, ignorabat, rationis igitur eſſe videbatur, ut, confecto inventario, fructus, pendente lite, quotannis dividerentur, idque eo magis, cum mulier ex eo matrimonio etiam aleret filium, qui matris partes ſequebatur, & multis præterea argumentis liqueret, maritum lites trahere & alias ex aliis ſerere. Et cum ambo Conjuges ſic ſatis provectæ jam eſſent ætatis, facile fuiſſe marito hanc litem, quæ altiſſimæ erat indaginis, protrahere ad alterutrius mortem, & ſic mulier in diem viveret ex luculento patrimonio, quod ad aliquot centena millia exſurgebat; id ſcilicet viſum eſt duriuſculum, maxime cum & nunc mulier, poſt receſſionem mariti, tantum non fame periret. Correcta igitur, quod ad hoc, eſt Curiæ ſententia, & maritus damnatus quotannis uxori tradere ſemiſſem fructuum, & ob illam correctionem partes juſſæ ſunt litem de ſeparatione bonorum in ſcriptis agere apud Senatum Supremum. Unus vero Senatorum, qui ſententia ſua reliquis præibat, etiamnum paratus erat uxori adjudicare ſemiſſem bonorum, quia non conſtabat, nec, ut ajebat, in poſterum conſtare poſſet, utrius culpa ſeparatum eſſet matrimonium. Sed id definire, priuſquam lis in ſcriptis redacta, & teſtes, qui fidem facere poſſent, auditi erant, ſic ſatis lubricum & omnino præmaturum fuiſſet. Sex alii Senatores, una, quam dixi, ſententia utebantur, quæ & placuit 23. Jul. 1721 (6).

CAPUT X.

Non eſſe connubium inter adulterum & adulteram, etiamſi præter adulterium nihil accedat, & an adulterii damnatus, ſolutisque ex ea cauſa nuptiis, aliam uxorem recte ducat?

Negari nequit, quin etiam ex cauſis matrimonialibus aliqua in foro noſtro ſit Juris Pontificii auctoritas, caveamus modo, ne major ſit, quam oportet. Pragmatici ſane noſtri ex eo jure olim definiverunt quæſtiones, quas hic præſcripſi. Elegans quidem regula eſt, quam proponit *C.* I. *Cauſ.* XXXI. *Q. I. Nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio.* Sed non

(5) *Obſerv. Tumult. T.* VI. *n.* 1613. & *T.* VII. *n.* 1696.

(6) *Obſerv. Tumult. T.* VII. *n.* 1764.

non diu hæc ſtetit integra illibataque, adeo enim eam incruſtaverunt poſteriores Pontifices, ut tantum non vires ſuas perdiderit. Non aliter quippe regulæ locum fecerunt, quam ſi, præter adulterium, contra priorem conjugem quid machinatum ſit, aut eo vivo alter alteri fidem matrimonii dederit, & ſic a variis Pontificibus reſcriptum in *C.* 1. 3. 5. *&* 6. X. *de eo, qui duxit in matrimonio, quam polluit per adulterium.* Atque ſi nempe nihil aliud regulæ locum dediſſet, & non alia quoque eſſent metuenda, quæ recenſere longum eſſet. Incruſtata tamen ea opinio adeo invaluit, ut relatum ſit, inferiores Judices, & utrumque Senatum, & ex Supremi Senatus conſilio, Ordinum Generalium Conſiliarios cenſuiſſe (1), tunc demum inter adulterum & adulteram nuptias non eſſe, ſi contra prioris conjugis vitam quid machinatum ſit, aut ſponſalia, durante priore matrimonio, interceſſerint. & ita anno 1611. ab uno Pragmatico reſponſum eſt *Conſil. H. T.* IV. *Conſil.* 282. *in fin. &* 1638. a multis aliis *Conſil. Holl. T.* III. *Conſil.* 71. *A. & B.* & *Conſil.* 72. quæ & exſtant *Conſil. H. T.* III. *Amſterd. Conſil.* 52. 53. *&* 54. & rurſus ab aliis annis 1649. & 1688. *Conſil. B. T.* II. 174. *&* 175. Atque hæc ſententia tunc temporis in Hollandia vulgo recepta dici poteſt, non item ea, quam addunt nonnulli Pragmatici *d. Conſil. H. T.* III. *Conſil.* 72. & *T.* III. *Amſterd. Conſil.* 54. ſimplex adulterium, citra machinationem vel ſponſalia, eſſe quidem *impedimentum impediens*, ſed quod tolleret conſenſus Magiſtratus loci, de quo agitur. Si enim licitum ſit, cui bono Magiſtratus conſenſus? Si illicitum, privilegium dandi ea in re Magiſtratui nulla poteſtas.

Sed peſſime factum videtur regulam, quæ per ſe ſufficit, circumſcribere tot reſtrictionibus, quando enim ita utilis erit? Mille, puto, adulteria committuntur, ex quibus vix puniuntur decem, ſunt enim probationis longe difficillimæ, ut vere dicitur in Decreto Ordinum Hollandiæ 29. Jul. 1679. (2) quo de adulterio tranſigere permiſſum. Hoc autem etiam probato, quomodo nuptiarum promiſſio probabitur? neque enim facile inſtrumentum publicum ea de re confecturi ſunt, & quotaquæque Meſſalinæ non ridebit ſimplicitatem, quæ & vivo D. Claudio, quum non niſi legitime vellet nubere, pactum & ſponſalia, quin & nuptias palam parabat, ne quid clandeſtinum moliri videretur. Nec etiam animadverto, promiſſio nuptiarum interceſſerit, nec ne, quid ad rem faciat? Denique illud de machinatione etiam ſic ſatis ineptum eſt, deſiderant enim eam, quæ majoris momenti eſt, & quæ probetur, & quæ capitale mereatur ſupplicium. Fac igitur probatam & punitam eſſe, adhuc metuis, ne forte poſt mortem nuptias faciant? Utique nullam aliam interdicti inter adulteros matrimonii rationem video, niſi ipſum adulterium, idque ſolum exprimunt Leges, quas mox memorabo, & per quas, opinor, receſſum eſt a reſtrictionibus, olim perperam receptis. Legem, ſimpliciter latam, optimum eſt ſimpliciter accepiſſe, præſertim ubi ſua ratione ſibi ſufficit. Plane verum eſt, rationem aliquam eſſe, ne quid adulter vel adultera in alterius Conjugis vitam moliatur, ſed ſufficit generalis præſumtio, ut vel ita adulterio, quamdiu alter Conjugum vivit, abſterreantur; recte matrimonium contracturi, ſi alterius mortem exſpectarint. Catoni omnis adultera venefica apud Quintilianum *L.* V. *Inſtit. Orat. C.* II. & in hanc fere ſententiam philoſophatur Leo *Novell.* XXX. *in fin.*

Hæc autem conſilia & reſponſa, quæ ſupra attuli, data ſunt ante latas Leges Patrias, & nunc ceſſare, neſcio, an quis dubitet; ego certe non dubitem, & inde etiam abrogem, quæ de moribus noſtris, ante has leges, ſcripſit Groenewegen ad *l.* 27. *C. ad L. Jul. de Adult.* & per has Leges Patrias etiam voti ſui compos erit Brouwer *de Jure Connub. L.* II. *C.* 18. *n.* 10. *in fin.* Signum extulerunt Ordines Generales, nam in §. 83. *LL. Nupt.* 18. Mart. 1656. (3) ita ſtatuerunt: ne adulter adulterave cum eo eave nuptias contrahat, cum quo quave ante mortem, aut nuptias innocentis Conjugis ſecundas, conſuetudinem habuit. Sequuti ſunt Zelandiæ Ordines, hi enim §. 12. *van de Ampl. van de Politique Ordonn.* 18. *Mart.* 1666. (4) ita quoque conſtituerunt, ne ſcilicet connubium eſſet inter adulterum & adulteram, aut cum qua ante nuptias, etſi jam obierit conjux innocens, aut alias nuptias contraxerit. Atque hæc tandem ſomnum excuſſerunt Hollandis, qui eodem anno 1666. 25. Jun. (5) decreverunt, ne in poſterum nuptiæ contraherentur inter adulterum & adulteram, ſive alteruter ſit cælebs, ſive uterque in alterius matrimonio, utque Curia Hollandiæ id Decretum in Edictum mutare vellet, quo publicaretur & affigeretur. Quod tunc quidem factum non invenio, ſed 18. Jul. 1674. ipſi (6) Ordines Hollandiæ Edictum compoſuerunt & promulgarunt, quo iterum nuptiis inter adulterum & adulteram interdixerunt, arbitraria etiam, præter Juris ſcripti pœnam, ſtatuta. Quæ autem *Juris ſcripti* pœna fuerit, Ordines forte ſciverunt, ego neſcio.

Apage igitur omnes illas reſtrictiones, a Pontificibus inventas, & vulgo adoptatas, & ſolum, ſolum, inquam, adulterium dicamus cauſam ſatis idoneam præbere, ne inter adulteros licitæ ſint nuptiæ. Inde vero alia naſcitur quæſtio, an ſcilicet cum eo, qui adulterii damnatus eſt, connubium eſſe poſſit? Si ex Jure Civili, ex Jure Canonum, ex ſententiis Theologorum & Juriſconſultorum in hoc argumento verſarer, rem facerem, tædii plenam, & obtunderem Lectorem innumeris diſtinctionibus. Tentemus potius, an, poſt conſtitutum jus patrium, ipſe quid adferre poſſim, quod magis placeat, quam aliorum farragines (7). Sunt, qui illicitum cenſent in cauſa matrimoniali, quod expreſſe prohibitum non invenitur, ſed niſi convertas regulam, & licitum pronuncies, quod prohibitum non invenitur, me conſentientem non habebis. Cedo nunc legem, quæ adulterii damnato nuptias negat, ego eam fruſtra quæſivi. Varias habemus adulterii pœnas, ſed inter has nulla eſt, ne adultero cum quavis uxore jus connubii ſit. Soluto penitus matrimonio, quacunque demum ex cauſa, uterque Conjux ſolutus lege matrimonii, ſi alter ob crimen, plectatur ob eam cauſam, ſed ne provoca ad leges matrimonii, jam ſoluti. Audi

nunc,

(1) *Conſil. H. T.* III. *Conſil.* 71. *in fin. & Conſil. H. T.* III. *Amſt. Conſil.* 52. *in fin.*

(2) *Formul. T.* II. p. 523.

(3) *Echt-reglement. Plac.* II. *Append.* p. 2430.

(4) *Plac.* III 4. 1. 13.

(5) *Reſolutien ten tyde van de Wit* p. 789.

(6) *Plac.* III. 3. 2. 6.

(7) Etiam apud Brouwer *de Jure Connub.* L. II. C. 18.

nunc, quid Leges patriæ dicant tribus illis, quæ attuli, Edictis. Prohibent ſcilicet nuptias inter adulterum & adulteram, ſed non prohibent inter adulterum & aliam quamvis, receptum autem eſt, ſpecialem prohibitionem regulæ contrariæ eſſe argumentum, & ita in *l.* 18. *ff. de Teſtib.* ex eo quod ſpecialiter adultera teſtimonium prohibere vetetur Lege Julia, Paulus efficit, mulieres teſtes eſſe poſſe. Ita etiam, quod cum adultera ſua ex illis Edictis vetitum eſt, cum alia qualibet videtur permiſſum. Eoque magis id dixerim, quia cum adultero ſuo cur non ſit connubium, idonea ratio eſt, cur autem adultero cum ea, quæ ipſius adultera non eſt, non etiam.

Atque id forte præſtat dicere, quam in hoc argumento tantum pœnitentiæ tribuere, quantum tribuunt Canones, & ex noſtris etiam Eccleſiaſticis quam plurimi. Alii varie diſtinguunt, ſunt (8), qui putant tunc demum adultero licere, alias nuptias contrahere, quando alter ex olim Conjugibus innocens prius alias nuptias contraxit, quaſi nempe, facto etiam vero divortio, ut de ſeparatione quod ad menſam thorumque dici ſolet, exſpectanda foret reconciliatio, quum tamen verum divortium fiat in perpetuum. Alii exiſtimant, eum, cujus adulterio nuptiæ ſolutæ ſunt, exſpectare debere quinquennium: ſed neque id ſatis placet, quum ea de re lex non ſit, neque ex aliqua ratiuncula, quamvis alioquin non abſurda, nuptiæ videantur impediendæ. Brouwer (9), qui fœtore canonum fere ſuffocatus erat, tandem aliquantiſper reſpiravit, & multa dixit, ſatis egregia, ſi modo recte applicaſſet, ſed relabitur mox ad ſententiam, quæ nunc fere communis eſt, quæque adultero non permittit novas nuptias, niſi poſt mortem aut priores læſi læſæve conjugis nuptias, quia ſcilicet ſic decollavit omnis ſpes reconciliationis, quam ne ipſe adulter abrumperet, Reipublicæ intereſt. Deſiderat & ipſe pœnitentiam, deſiderat & alia, quæ ſive deflere ſive ridere magis placeat, me non difficilem habebis arbitrum.

Sed ſi recte diſputavi, ſoluto ob adulterium matrimonio, ambos Conjuges integro juri cælibatus reſtitui, ſcire velim, cur id omnibus ſententiis, quæ de adulteriis feruntur, non inſeratur? nihil enim ſolet inſeri, quam conjugem non adulterum, qui matrimonii diſſolutionem petit, ad alteras nuptias admitti (10). Sed ea clauſula & alterius libertatem involvit, nec aliunde trahit originem, quam ex libello, quem Judices, ſi nihil impediat, ſequuntur.

Attamen aliud eſt, quod te forte magis turbabit, quod nempe adultero, ſolutis ex ea cauſa nuptiis, rurſus alias concedam. Idne erit pretium ſceleris, quid, inquies, hoc aliud eſt, quam provocare ad adulteria? Eſt mihi domi uxor moleſta, quæ vitam mihi acerbam reddit. Quid conſilii? occidere non licet, & ut eam deſeram, res domeſticæ non patiuntur. Igitur adulterium cum alia committam, & palam quidem, ut facile probari poſſit, ſic uxor ad divortium contendet, & ego voti mei compos ero, liberatus a veteri, & beatus nova uxore. Sed hunc, opinor, metum depones, ubi pœna adulterii capitalis eſt, & quæcunque ſit, ſatis ubique magna eſt ad deterrendos homines, ſimile quid auſuros, etiam ſola infamia apud viros graves in hanc rem ſufficit, dignitatum amiſſio multo magis, & tandem te cohibebit exigua ſpes melioris matrimonii, quomodocumque damneris.

CAPUT XI.

Si qua cautio producentis nomine ſit concepta, an ex ea recte agat quilibet poſſeſſor?

Inter JCtos de hac quæſtione non magis convenit, quam inter tres convivas de cibo. Et magis eſt, ut dicamus, recte agere quemlibet poſſeſſorem, ſi ſolo producentis nomine conceptum fuerit inſtrumentum, *te betalen aan den houder of toonder deſes*, quin & tunc, ſine ulla ceſſione, recte agere poſſeſſorem, ſi ſolutio promiſſa ſit *aan Mævius of aan den houder en toonder deſes*, non autem ſi ſolutio promiſſa ſit *Mævio, eive ad quem ea res pertinebit*, quæ formula eſt in *l.* 40. *ff. de R.* C. tunc enim non recte ſolvitur niſi ei, qui probaverit, rem ad ſe pertinere. Poſteriori formulæ convenit noſtra *den wettigen houder of toonder deſes.* Tantum ſcilicet intereſt, poſſeſſorem, an *legitimum* poſſeſſorem adjeceris. Sin hoc, jus actoris excutiendum eſt, ſive ex ſucceſſione, ſive ex ceſſione, ſive ex alia qua cauſa; ſin illud, etiam fur recte exiget, ſi furem eſſe debitor ignoravit. Atque ita jam olim diſputavi *Libro ſingulari ad d. l.* 40. *C.* 6. Sed digna res eſt, quæ accuratius extricetur, & cum legibus & moribus noſtris componatur.

Si promiſſio facta ſit ei, qui chirographum exhibebit, puto, pro eo rem eſſe habendam, atque ſi ceſſio quædam generalis interceſſerit, qua cuicunque, qui illud inſtrumentum poſſederit, ſolvi mandatur. Unde manifeſtum eſt, ei recte ſolvi, nec minus manifeſtum, eum recte agere, quum alii, qui pecuniam credidit, nulla ſupereſſe poſſit actio, ſed ſi promiſſio facta ſit creditori vel *juſto* poſſeſſori, titulus probandus eſt, ut ſciatur, an, qui poſſidet, recte poſſideat. Sed quum olim ejusmodi cauſa apud Curiam ageretur, & chirographum eſſet conſcriptum ſimpliciter *aan den houder 's briefs*, aliter creditur fuiſſe ejus ſententia (1), placuit enim in ea cauſa recte Amſterdammenſes Judices fuiſſe interloquutos, ſequeſtraretur petita pecunia, quum chirographum ſuum agnoviſſet debitor. Sed fertur ſermonibus fuiſſe aptatum, aliud obtinere oportere, ſi de judicio principali ageretur, nam pro ſententia fiduciaria cavendum, & hinc procliviorem eſſe ad condemnandum judicem, & ita quoque alii (2) ſapiunt. Sed ego inter utrumque judicium non diſtinxerim, quum non recte agat, qui jus agendi non habet, & cautio nequeat ſupplere, quod ei juri deeſt. Refertur quidem & alia ſententia, menſe April. 1652. a Senatu Supremo lata, qua, in ſimili cauſa, non

(8) Simon van Leeuwen *R. H. R. L.* I. *C.* 15. *n.* 1. *Conſil. H. T.* 1. *Conſil.* 307. & *Conſil. B. T.* III. *n.* 265. quam in rem etiam adde, quæ ex legibus Ordd. Gener. & Zelandiæ attuli ſupra *vſ. Hæc autem.*

(9) *De Jure Connub. L.* II. *C.* 18. *n.* 9.

(10) *Conſil. H. T.* III. *Amſter. Append.* p. 48. & *paſſim.*

(1) Neoſtad. *Deciſ. Cur. Holl.* X.

(2) Voet *ad Tit. ff. de Solution. n.* 6.

non admiſit actorem, niſi titulum probaſſet, ſed, qui eam ſententiam refert (3), ut ſorex, ſuo petit indicio, addit enim, inſtrumento, de quo tunc judicatum eſt, *Lucius Titius of den* WETTIGEN *houder*, ex qua ſcriptura manifeſtum eſt, neminem ne ad namptiſationem quidem agere poſſe, niſi qui debitum legitime probat: quisque enim jus, unde agit, ex qualitate, quam ſuſtinet, tenetur probare, cur etiam *een wettigen houder* tenetur probare poſſeſſionem legitimam, *een houder* ſimpliciter, præter poſſeſſionem, nihil quicquam, poſſeſſio enim ex mente inſtrumenti arguit, in poſſeſſorem per ceſſionem delegationemque tranſiiſſe jus obligationis, atque ita eum, qui inſtrumentum exhibet, pro principali creditore eſſe habendum, quia verum eſt, ei promiſſum eſſe, quod ſi ſit, non minus verum eſt, eum recte accipere, perinde atque ſi ipſe fuiſſet ſtipulatus.

Sic puto ex ratione diſputandum eſſe. Nunc videndum, an his conveniant Leges noſtrates, & mores quoque aliarum Gentium. Ait §. 38. *Conſuet. Zuyd Holl. anni* 1571. Si obligationis inſtrumentum producentis nomine ſcriptum ſit, etiamſi ceſſionem factam eſſe non probetur, jus ea de re dici, *ſonder procuratie of transport.* Similis eſt §. 19. *Conſuet. Dortam.* Idem plane juris eſt in Chirographis Trapeziticis, nam & ea ejusdem ſententiæ ſunt, atque inſtrumenta, de quibus hic agitur. Ei autem, qui ea profert, pignora reſtituuntur, ſive domino, ſive non domino, niſi conſtet de dolo malo §. 6. *LL. Trapezit. Amſterd.* 25. *Apr.* 1614. ut & Rotterdamm. 18. *Apr.* 1635. Quin in ipſis literis Cambii, quarum in mercatura tantus eſt uſus, recte ei ſolvitur, cujus nomine inſcriptæ ſunt literæ, licet de legitima ceſſione non conſtiterit, imo etiam ei, qui literas exhibet, etiam ſuo nomini non inſcriptas, poteſt enim ipſe ille, qui poſſidet, eas nomini ſuo inſcribere. Zelandiæ quoque Ordines 31. Maj. 1679. decreverunt & edixerunt (4), poſſeſſorem inſtrumenti, *'s Toonders briefs* nomine concepti, id juſte accepiſſe cenſeri. Admonentur idcirco in eo Edicto ejusmodi inſtrumentorum (qualia ſunt cautiones contra Ordines, *Obligatien ten laſte van de Provincie van Zeeland*) poſſeſſores, prudentes eſſe velint in iſtis inſtrumentis ſervandis, aut cui alteri permittendis, ne quid damni patiantur. Sententia Edicti eſt, qui tenet ejusmodi inſtrumentum, recte tanquam rerum creditorem agere, ſed vellem, aliquanto accuratius eſſet conſcriptum. In Gallia & Britannia etiam frequentantur chirographa, ſolo nomine producentis conſcripta, & absque ulla probatione tituli recte ſolvitur ei, qui ejusmodi chirographum exhibet. Et ait *Conſued. Oſtendan. Tit.* VIII. §. 14. ex clauſula *van den Houder of Thoonder 's Brief* recte agi, niſi ratio ſit, cur judici aliter videatur, ut ſi forte chirographum furto ſit ſubreptum vero domino, & ſic quoque πραγματικῶς per varios caſus cautum eſt §. 6--9. *Conſuet. Antwerp. T.* LIII.

Scio, vero creditori ſolvendum eſſe, & debitorem non liberari, ſi nullo mandato intercedente alii pecuniam numeraverit *l.* 34. §. 4. *ff. de ſolut.* ſed manifeſtum eſt, non ei, a quo pecunia profecta eſt, at vero ei, cui facta eſt promiſſio, obligationem & actionem eſſe quæſitam. Ei, cujus nomine conceptum eſt inſtrumentum, obligatus eſt debitor, quod probat exemplum in *l.* 53. §. 2. *ff. de Donat.* Sed ajes, nomen Detentoris in inſtrumento non eſt expreſſum. Fateor, at expreſſum intelligitur, quod æquipollens clauſula explicat *l.* 2. *ff. de liber. & poſtum.* & *l.* 90. *ff. de Legat.* III. Qui inſtrumentum detinet, eo ipſo creditor eſt, quia detinet, niſi ejus mala fides arguatur, & ideo creditor eſt, quia ei ſolutio promiſſa eſt. Noli objicere, Jure Romano alii per alium obligationem non quæri, & ex nuda ſcriptura non magis, quam ex quolibet nudo pacto, actionem naſci, conſtat enim moribus, qui nunc ſunt, nulla verborum ſolemnia deſiderari, & promiſſionem recte fieri abſenti, ignoto, quin & incerto, qui ex poſtfacto certus erit.

Sed his, quæ hactenus diſputavi, non usquequaque convenire videtur, quod apud Labeonem relatum narrat Ulpianus in *l.* 52. §. 11. *ff. de Furt. Apud Labeonem*, inquit, *relatum eſt, ſi ſiliginario quis dixerit*, UT, QUI NOMINE EJUS SILIGINEM PETIISSET, EI DARET, *& quidem ex tranſeuntibus, cum audiſſet, petiit ejus nomine & accepit, furti actionem adverſus eum, qui ſuppetet, ſiliginario competere, non mihi: non enim mihi negotium, ſed ſibi ſiliginarius geſſit.* Florentiæ eſt *ſubpetet*, pro quo Haloander *ſic petet*; alii *ſubpetere* explicant *clanculum petere*, vel *ſubjecta ſua perſona pro alio petere*, quæ ſane hujus loci ſententia eſt, quamvis *ſubpetendi* vocem ea ſignificatione alibi occurrere non memini, ſed quia, etiam apud veteres JCtos, agnoſco ἅπαξ λεγόμενα pro *ſubpetet* malim *ſubpetit*, hoc eſt *ſubpetiit*, quæ & vulgata lectio eſt. Quod ad rem ipſam, miraberis fortaſſe, quod ſiliginarius furti agat, quum ejus intereſſe non videatur, qui ſiliginem dedit, cui Titius juſſerat, quicunque enim petiiſſet, juſſiſſe intelligitur, qui mandavit dari, *quisquis ejus nomine petiiſſet:* Sibi hoc mandato proſpexit Titius, ne quemcunque miſiſſet, teneretur probare, ſuum procuratorem eſſe, quem in finem ſecurum eſſe juſſit ſiliginarium, ſi cuicumque, nomine Titii petituro, ſiliginem dediſſet. Non poteſt igitur non & in ejusdem damnum eſſe, quodcunque detrimentum eſſe capitur, & tamen relatum eſt, ſiliginarium non Titii, ſed ſuum negotium geſſiſſe, atque ita non Titio, ſed ſibi competere furti actionem. Sed ſola ibi quæſtio eſt, quis furti agat? & quamvis ex regula *l.* 10. *ff. de Furt.* is actionem furti habeat, cujus intereſt non ſubripi, & Titii in hac ſpecie intereſſe videatur, ſiliginem, quam dari mandaverat, non eſſe datam, ſiliginarius tamen agit, quia ei furtum factum eſt, in ejus enim adhuc dominio & poſſeſſione erat res, de qua agebatur. Non ait, in ſiliginarium actionem dandam eſſe, quod is nomine Titii ſiliginem petenti dediſſet, bona fide enim mandatum ſequutus eſt, neque negat ſiliginario actionem eſſe contra Titium ad pretium ſiliginis, nam ſic omnino eſt, ſi a fure ſuum conſequi non poſſit. Quare nihil quicquam eſt in *d. l.* 52. §. 11. quod ſententiæ, quam hic defendo, adverſetur.

Si nunc excurrerem in auctoritates Doctorum ajentium & negantium, ſi in rationes, quas in rem ſuam vertunt, librum ſcriberem, & ſimul bonas horas prederem. Qui ajunt, ex inſtrumento, nomine Titii & cujuscumque poſſeſſoris concepto, poſſeſſorem agere poſſe, absque ulla probatione tituli, ut ait Peckius *de Jure ſiſtendi C.* III. *n.* 7. Rebuffus, Gallus, Böerius, ali-

(3) Van Leeuwen *R. H. R. L.* IV. *C.* 2. *n.* 4.

(4) *Plac.* III. 4. 1. 20.

aliique, quos ipſe laudat, vellem id rationibus ſatis idoneis probaſſent, ſic enim opera, hic præſtita, potuiſſem ſupereſſe. Similes Heroes, qui titulum deſiderant, paribus armis diffident; Hos alii recenſuerunt (5), nec inter eos minimus eſt Præſes Everardus *Conſil.* 219. Sunt, qui mediam viam eligunt, rati, ei, qui inſtrumentum exhibet, nomine poſſidentis conceptum, ſolvi quidem poſſe, tanquam adjecto, exigere tamen eum non æque poſſe, a qua ſententia nec alienus eſt Sande *de Action. Ceſſ. C.* II. *n.* 17. & 18. ſed ejus diſtinctionis neque rationem, neque auctoritatem potui animadvertere. Qui clauſulam *ei, qui chirographum feret*, inter mercatores pro ceſſione habent, inter alios non habent, jam refutavit Everardus *d. Conſil.* 219. nec quicquam ei repoſuit Sande, qui eo etiam inclinat *d. C.* II. *n.* 17.

His ita diſputatis res eo cedit, ut dicamus, poſſeſſorem inſtrumenti, nomine poſſidentis conſcripti, ſi ejus fraudem demonſtrare non poſſis, non recte excludi, utque optimo jure agit contra debitorem, ſic & optimo jure ei ſolvi. Si ſic mecum ſentias, non difficulter dijudicabis quæſtiones, quas propoſuit Curtius Εἰκας. *L.* I. *C.* 11. & 35. & *L.* III. *C.* 3. 18. & 42. & quas habet Loenius *Deciſ. Cur. Holl. Caſu* V. & *Caſu* XCVIII. quæque ad utrumque caſum diſputat Loenius, nam ut ipſe omnes illas ſpecies & rationes excutiam, & in iis judex ſedeam, nolim a me deſiderari.

Sollicite autem cavendum eſt, ne, quæ de cautionibus, nomine producentis conceptis, ſupra ſunt dicta & diſputata, transferamus ad alias cautiones vel inſtrumenta, quæ certum creditorem habent. Quam in rem notanda eſt hæc cauſa, a Senatu Supremo judicata. Titius, Mercator Dordracenus, qui a longo tempore lignum vendiderat Præfecto aggerum & Aſſeſſoribus *van de Breede watering*, ut vocant, in Bevelandia Auſtrali ad conſervandos ibi aggeres, ex compromiſſo apud Senatum cum his inter alia litigat de ſumma 2463. florenorum, quos ex cauſa emptionis debebant Titio venditori. Sciendum autem eſt, illos aggerum Curatores, perinde ut reliqua Collegia, non ſolvere, quod debent, niſi per Quæſtores ſuos, nec hos ſolvere niſi ſibi exhibentur mandata ſcripta (*Ordonnantien*) eorum, quorum pecuniam adminiſtrant. Rei in hac cauſa ſolutionem allegabant, producta apocha, quam ejusmodi mandato ſubſcripſit Navarchus quidam (*de Marktſchipper van Goes op Dordrecht*) quo & alias uſus erat Titius ad exigendam pecuniam, quæ ſibi in Zelandia debebatur, & qui navarchus ob æs alienum poſtea aufugerat. Titius ajebat, ſe id mandatum, quo Quæſtor juſſus erat ſibi ſolvere illos 2463. florenos, nunquam vidiſſe, & apocham, mandato ſubſcriptam, non ſuam eſſe, ſed illius Navarchi, Curatores aggerum, Quæſtorem fidem Navarchi fuiſſe ſequutos, ei numerantes pecuniam ſine mandato vel ceſſione ſua, vero creditori ſolvendum eſſe, & mandato contineri, ſolutionem Titio eſſe faciendam, non liberari igitur Quæſtorem, niſi ſolverit Titio, eive qui a Titio mandatum habuerit vel ceſſionem. Præcipue autem laborabant Curatores aggerum, ut probarent, ipſi Titio, cui debebatur, traditum fuiſſe id mandatum, & ſi eſſet, inde efficiebant, Navarchum id habere non potuiſſe niſi ab ipſo Titio. Si habuiſſet e manu Titii, inde utique colligendum eſſe tacitum mandatum exigendæ pecuniæ, & erant Senatores, qui ſic reſpondebant. Alii vero, ſi vel Titius mandatum (*de Ordonnantie*) tradidiſſet Navarcho, perperam tamen ei ſolutum eſſe ſine mandato vel ceſſione ipſius Titii, & ſic omnino eſt, ſi ex jure ſapiamus. Excipiebant tamen rei, ea ſe conſuetudine uti, ut etiam ſine apocha ſolverent, recepto, quod dederant, ſolutionis mandato, *met intrekking alleen van de Ordonnantie.* Sed de ea conſuetudine nihil quicquam probabant, quod tamen, ſi verum eſſet, in facili fuiſſet probare. Neſcio etiam, ſi vel ejus rei aliquot exempla exſtarent, judicio contradictorio non probata, an ea ſufficerent ad abrogationem juris ſcripti. In primis autem urgebant rei, *dat ook de Ordonnantien van de Generaliteit betaalt wierden aan den houder ſonder eenige procuratie of ceſſie.* Quod ſi verum eſſet, neſcio an ad hanc cauſam porrigi poſſit, ſed an ſit, proximo loco diſputabo. Provocabant quoque Curatores aggerum ad d. Decretum & Edictum Ordinum Zelandiæ 31. Maj. 1679. ex quo poſſeſſor actionum contra Ordines habetur pro domino, ſed id, ut ſupra monui, non aliter obtinet, quam in actionibus (*Obligatien*), quæ etiam poſſeſſoris nomine conſcriptæ ſunt (*ten behoeve van den Thoonder*), quod non recte transferas ad inſtrumenta, quæ uno certo homini ſolutionem faciendam eſſe jubent. Igitur ſecundum Titium judicatum eſt 22. Jun. 1720. (6).

Quum Rex Poloniæ, qua Elector Saxoniæ anno 1716. magnam pecuniæ ſummam in Belgio Fœderato fœnebrem ſumpſiſſet, promittit ſe eam, quæ numerata eſſet Titio Amſterdammenſi, cum uſuris reſtituturum ſuo die. Conſiliarii Ordinum Generalium Quæſtori Generali Fœderati Belgii 6. Aug. 1716. mandant, ut hanc pecuniam, quam a privatis erat mutuatus, ſolveret Regi ejusve mandatario. Ille mandatarius erat Titius, nominatim a Rege ſolutioni adjectus. Sed Quæſtor partem ejus pecuniæ ſolvit Titio, partem Legato Regis apud Ordines. Legato defuncto nihil quicquam reperiebatur in ejus bonis. Unde Rex defendit, ut & defendunt Ordines Generales, qui pro pecunia fidejuſſerant, illam partem, quam Legato ſolverat Quæſtor, male ſolutam eſſe. Cauſa ex compromiſſo apud Senatum Supremum agitata eſt, non eſt animus eam integram referre, nam quam plurimis defenſionibus utebatur Quæſtor, quæ ad rem, quam hic tracto, nihil pertinebant, id pertinebat, quod magna fiducia contenderet Quæſtor, receptæ conſuetudinis eſſe, *dat by alle de Ordonnantien, by den Raad van Staten geſlagen, mag betalen aan de houders op derzelver Quitancien*, jubere quidem §. 17. *Formæ ſuæ, dat by geen Ordonnantie mag betalen, als aan die gene, ten wiens behoeve dezelve geſlagen is, of deszelfs procuratie hebbende*, & id quoque inſertum eſſe antiquis aliorum Quæſtorum Formis, ſed uſum jam olim ſubegiſſe illum §. 17. & per multitudinem rerum agendarum negotia aliter explicari non poſſe. Proferebat quoque plurima exempla ejusmodi ſolutionum, & offerebat plura adhuc alia. Probabat etiam Quæſtor, Rationales quidem Ordinum Generalium anno 1720. ſibi mandaſſe, obſervaret illum §. 17. ſed anno 1721. ob rationes, quas dixi, ab eo mandato iterum receſ-

(5) Van Leeuwen *R. H. R. L.* IV. *C.* 2. *n.* 4. *vſ. Dog ſlaat te letten.* & ad Peckium *de Jure ſiſt.* *Part.* III. *n.* 7.

(6) *Obſerv. Tumult. T.* VII. *n.* 1640.

ceſſiſſe. Unde inter Advocatos, qui hanc cauſam perorabant, ingens tumultus, lex ſcilicet ipſa eſſet ſequenda, an conſuetudo, ei contraria, & nunquid conſuetudo ſatis eſſet probata, & an pro conſuetudine ſit habenda, quæ nunquam judicio contradictorio eſſet firmata. Inter Senatores non minus variatum eſt, quam inter Advocatos. Duo conſuetudinem probatam rati, & eam ſequuti, Quæſtorem volebant abſolvere, duo alii, quibus deinde primi accedebant, interlocutione volebant jubere pluribus exemplis conſuetudo probaretur, ut nempe magis probatam & ipſi ſequerentur. Quinque alii (novem enim Senatores intererant judicio) omnes has de conſuetudine altercationes inutiles eſſe exiſtimabant, cauſam enim hanc verti in facto, ubi debitor expreſſe erat ſtipulatus, cui ſolutio eſſet facienda, non aliam ſummam ſe reſtituturum pollicitus, quam quæ Titio ſoluta eſſet. Ipſi privati poſſunt hominem idoneum ſolutioni adjicere, quidni igitur Reges, qui nunquam exigunt pecunias. Ex cautione, a Rege tranſmiſſa animadvertere poterat Quæſtor, eccui ſolutio eſſet facienda, ſed per culpam non animadvertit. Improbata igitur non minus eſt hæc, quam aliæ Quæſtoris defenſiones 8. Nov. 1726. (7).

CAPUT XII.

An ceſſio bonorum proſit adverſus mulctam pecuniariam, ex delicto debitam.

Ut omnes Leges Romanæ ſerius in Hollandia receptæ ſunt, ſic & Lex Julia de cedendis bonis, nam ex antiquioribus privilegiis, quæ Hollandiæ Graviones variis Urbibus dederunt, debitores, qui ſolvendo non erant, addicebantur creditoribus, donec ſolverent aut de debito tranſigerent, ea tamen lege, ne creditoribus liceret in corpus debitorum ſævire: ſed ea privilegia nunc non commemoro, quæro potius, an omnibus liceat bonis cedere? & vulgo fertur, iis duntaxat hoc beneficium competere, qui fortunæ, non ſua culpa facultatibus lapſi ſunt. Sane Jure Romano, qui alioquin non damnantur ultra quam facere poſſint, eo beneficio indigni ſunt, ſi dolo fecerint, quominus facere poſſint *l.* 63. §. 7. *ff. pro Soc. l.* 22. §. 1. & *l.* 51. *ff. de Re judic.* Sed quid ſi culpa fecerint? id beneficio non obſtare ſignificat *d. l.* 63. §. 7. ſed quod ad mores inter dolum & culpam non video diſtingui, *by fortuine, ſonder ſyn ſchuld*, ait §. 38. Edict. Caroli V. 19. Maj. 1544. & ſic quoque eſt in *LL. Friſic. L.* III. *Tit.* 30. §. 1. & ſic vulgo traditur. Sed tamen fatendum eſt, in Hollandia nunc benigniores eſſe Judices in probandis ceſſionibus, quam oportet, id ſcilicet credunt fovendæ mercaturæ favore, & non alia cauſa patiuntur creditores emungi.

Sunt tamen quædam ſpecies, contra quas ceſſio nihil quicquam prodeſt. Has recenſet *d.* §. 38. & addunt diplomata ceſſionem, non etiam prodeſſe adverſus debita, quæ Fiſco debentur, *de ſchulden nogtans van de Hoge Overigheid uytgeſlooten.* De his omnibus non agam, & fateor quoque *d.* §. 38. eſſe adeo obſcurum, ut interpretem, me ſapientiorem, deſideret, poſt ſpecies enim, ibi commemoratas, in quibus ceſſio negatur, ſequitur exceptio, NISI TAMEN *debitores fortunæ, non ſua culpa facultatibus lapſi ſint*, quæ exceptio, cum in omni ceſſione obtineat, totam regulam ſubvertit. Alia ſpecies eſt, de qua in utramque partem diſputatum & judicatum eſt, an ceſſio bonorum proſit adverſus mulctam pecuniariam, ex delicto debitam, & de qua diligentius quærendum eſt, quam adhuc quæſitum vidi. Si non proſit, nihil aliud inde efficimus, quam debitores ejusmodi mulctæ a carcere non liberari, non etiam, pœna corporali eſſe plectendos, ceſſio a carcere liberat *l.* 1. *C. qui bon. ced. poſſ.* nec aliud quicquam præſtat. Ubi autem leges definiunt, pœnam pecuniariam, ob inopiam debitorum, in corporalem mutari, ceſſionem ceſſare manifeſtum eſt, & ejusmodi exempla ipſum jus Romanum ſuggerit *l.* 1. §. *ult. ff. de Pœn.* præſertim in perſonis vilioribus *l.* 7. §. 3. *ff. de Juriſd.* & *l. ult. ff. de in jus voc.* Sed cave, ne id porrigas ad quoslibet honeſtiores, de his ſufficit dicere, a carcere non liberari, niſi Princeps vel Magiſtratus, cauſa cognita, pœnam remittat.

Si ex ſola ratione rem æſtimes, ecquis beneficium, quod *flebile* & *miſerabile* audit, iis dabit, qui ex delicto ad mulctam pecuniariam damnati ſunt? nullum fere delictum eſt ſine dolo, & qui in dolo ſunt, etiam ultra quam facere poſſunt, damnari ſolent *d. l.* 63. §. 7. *ff. pro Soc. l.* 22. §. 1. & *l.* 51. *ff. de Re judic.* ad minimum igitur ſint carceris inquilini, qui non habent, unde ſolvant. Quare miror, ſimpliciter Græcis placuiſſe, ut placuit Baſilic. *L.* LX. *T.* XXXV. *C.* 22. §. 4. utque etiam ex iis refert Cujacius in *Parat. ad Tit. C. qui bon. ced. poſſ.* plane *in fin.* ad pœnam pecuniariam damnatos etiam uti poſſe ceſſionis beneficio, & ſic Curia Hollandiæ judicavit 1. Mart. 1737. in cauſa, quam mox dicam. Aliter olim ſapuit eadem Curia 3. Dec. 1637. (1) & aliter quoque dicendum eſt. Exteras auctoritates, quæ ſane in utramque partem exſtant, prætermitto, & ne Hollandis quidem teſtimonium denuncio, ut ut hi fere Grotium (2) ſequuntur, nempe ceſſioni locum non eſſe *in ſchulden uyt misdaat*, in mulctis ex delicto, & ideo hos omnes prætermitto, cum in ipſo Jure Hollandico ad manum ſint, quæ ceſſionem in hac ſpecie ſatis refutent. Eſt ſane antiqua Curiæ Hollandiæ conſtitutio 1. Mart. 1545. (3) qua placuit, ſi quis damnatus in mulctam ex delicto (*vechteleſſen*) eam ſolvere non poſſit, virgis cæderetur. Et ipſe Carolus V. in §. 27. Ed. 19. Maj. 1544. ſtatuit, ne cui, niſi ex ſuo conſenſu & ob bene merita remitteretur mulcta, ob cædem indicta. Secundum hæc §. 224. *Form. C. H.* cautum eſt, Curia mulctam, in quam quis ob cædem damnatus eſt, juberet ſolvere intra certum tempus; ſi non ſolveret, corpore pœnas daret, ſed non ad mortem aut amiſſionem alicujus membri. Unde & Curia eum, qui remiſſionem impetrarat, pen. Maj. 1588. damnavit, mulctam intra XIV. dies ſolveret, ſin autem, palam virgis cæderetur, quam pœnam deinde 21. Jun. 1588. intercesſione

(7) *d. Obſerv. Tumult. T.* X. *n.* 2292.

(1) Apud Loenium *Caſu* LXXXI.

(2) *Inleid. tot de Holl. Regtsgel. L.* III. *C.* 51. *vſ. Wie vertrokken zyn.*

(3) *Repert. C. H.* p. 53. *B.* & *Plac.* II. *Append* p. 2981. & *ſeqq.*

ſiæ Orangiæ in cæſionem virgarum intra carcerem mutavit (4). Sed quid ceſſo addere §. 68. *Ord. Accuſ.* 9. *Jul.* 1570. ubi Philippus II. generaliter conſtituit, ſi quis pecuniariam pœnam exſolvere non poſſet, corporaliter puniretur, *ſecundum*, ait, *jus ſcriptum*, reſpiciens, ni fallor, ad *l.* 1. §. *ult. ff. de Pœn.* qui §. forte cauſam dedit parœmiæ, *qui non habet in ære*, *luat in corpore*, vel *in pelle*, vel *cute*. Quod ipſum repetitum eſt in §. 11. Edicti, quod Mauritii Orangii & Curiæ nomine editum eſt 20. Febr. 1589. (5). Generaliter quoque in LL. Friſ. *L.* II. *T.* IV. §. 4. ſtatutum eſt, qui mulctam pecuniariam non ſolvit, mitteretur in exilium, vel in carcere laboraret, donec ex labore mulctam ſolvat.

Ceterum, ut ſupra innuebam, attendenda eſt perſonarum qualitas, & non adeo difficulter pœnæ pecuniariæ vel in totum vel pro parte remittuntur, adeo ut & id Magiſtratui competat *l.* 6. §. 9. *ff. de Offic. Præſid.* & Magiſtratibus, ob paupertatem, moderari mulctas permittunt Leges Friſicæ *L.* II. *T.* XXII. §. 1. Et alibi, quod ad Hollandiam, relatum eſt (6), remiſſo crimine, Curiam ex cauſa aliquando partem mulctæ remittere. Quin & tota ſæpe remittitur, ſi qua ſit perſonarum dignitas. Ordines ſane Generales menſe Julio 1695. Navarcho militari, qualiter qualiter inopiam probanti, mulctam 3150. florenorum, in quam præter infamem miſſionem a Senatu maritimo militari damnatus erat, quod in prælio navali adverſus hoſtes ignave rem geſſiſſe diceretur, me Advocato petente, plane remiſit.

Nunc audi, quid haud ita pridem a variis Judicibus judicatum ſit. Quum Titius, ex cauſa adulterii, apud Leenmannos Voornenſes 12. Jul. 1734. inter alia damnatus eſſet ad mulctam 400. florenorum, ſolvendam Ballivio Voornenſi, & non ſolveret, Ballivius eum executione urget, & ex ejus bonis diſtractis nonnihil conſequitur, ſed vix dimidium mulctæ. Titius, ut reliquam ſolutionem evitaret, adit Senatum Supremum, & impetrat diploma ceſſionis, probandum apud Scabinos Geervlietenſes, ubi habitabat, citato quoque ibi Ballivio. Hic ceſſioni contradicit, ſed Judices Geervlietenſes, probata ceſſione, ſecundum Titium judicant 18. Jul. 1736. & ita quoque ex appellatione Curia 1. Mart. 1737. Ballivius implorat diploma appellationis a Senatu Supremo, & ibi primo quæſitum, an concedi oporteret? Titius quidem appellationi non contradicebat, ſed ex forma minuendarum litium (7) §. 10. a ſententia Curiæ non licet appellare ad Senatum Supremum, ſi ſententia Curiæ non excedat 400. florenos, etiamſi ab inferiore Judice ad Curiam appellatum, at vero habet ille §. 10. duas exceptiones, niſi ſcilicet ſententia continet ſequelam infamiæ, vel alias vegrandis ſit præjudicii, & Senatus putavit, poſtremæ exceptioni hic omnino locum eſſe, cum hæc res, in cauſa mulctarum, non tantum Ballivio Voornenſi, ſed & aliis omnibus magno præjudicio eſſe poſſit. Conceſſum igitur fuit mandatum appellationis 6. Jun. 1737. (8) ut ſemper concedi debet, etiamſi res ſit dubia, conceſſo enim mandato adhuc ſupereſt exceptio non recipiendæ appellationis.

Deinde, progreſſu litis, quæſitum eſt; quod maxime nunc volo; an ceſſio proſit adverſus mulctam Balliviis debitam? Quæſtio, ut vides, juris eſt, nam quæ ex facto, in hac certe cauſa, adferebantur, indigna ſunt, quæ memorem. Nolim repetere, quæ jam ſupra attuli, ſed ſi ceſſio non probetur, niſi, qui petit, ſine culpa ſua facultatibus lapſus ſit, utique prima fronte nemo non indignum eo beneficio pronunciabit, qui maleficio pœnam pecuniariam meruit. Aliter Geervlietenſes & Curiam hic judicaſſe certum, ſed contra tot alias ipſius Curiæ Conſtitutiones & res judicatas, & tot alias ex Jure Hollandico auctoritates, quas ſupra adferebam. Paribus igitur ſuffragiis ab hac poſtrema Curiæ ſententia receſſum eſt, & ut recederent, quosdam etiam Senatores apud nos movebat, ut olim quoque Curiam movit (9), ipſo diplomate ceſſionis contineri, ceſſionem, quæ implorabatur, non profuturam contra debita Fiſcalia, *tegen ſchulden van de Hooge Overigheid*, & Ballivium Voornenſem probare, ut ſane probabat, ſe mulctas, ex delicto debitas & ſolutas, Fiſco refundere. Sed ea ratio nec alios Senatores, nec etiam me movebat, utpote qui illam clauſulam intelligebam de debitis ex contractu, nam non ait *ſchulden uyt misdaat*, at ſimpliciter *ſchulden*, quod in materia ceſſionis, ubi de debitis pecuniariis agitur, perperam, ſi quid judico, transfertur ad debita ex delictis. Sed nihilominus aliæ rationes, quas plena jam manu exſequutus ſum, me movebant, ut cum aliis Senatoribus putarem, adverſus mulctam ex delicto ceſſionem objici non poſſe.

Si ex analogia Juris Hollandiæ verum ſit, ut verum eſſe ſupra oſtendi, ſi non omnes, plurimas utique mulctas, ex delicto debitas, corpore lui, ſi ære non luantur, nemo in his ceſſionem admiſerit, cum hæc non tantum a pœna corporali, ſed & ab ipſo carcere liberet. Non omnes quidem facinoroſos, in pecuniam damnatos, corpore velim plecti, ſi nihil habeant in loculis, ſimpliciter enim defendo, a carcere non eſſe liberandos, & reliquam quæſtionem Judicis arbitrio relinquo. Non immerito hic diſputari poſſet, an non Titius, qui erat homo abjectæ conditionis, non ſolvens mulctam, in quam, ex cauſa adulterii, damnatus erat, pœna corporali, forte ad virgas, ad exilium, vel ad vitam aliquamdiu pane & aqua ſuſtentandam potuiſſet puniri? id pertinet ad cognitionem Judicis, qui mulctam irrogavit. Simpliciter ajo, periculoſæ ſane conſequentiæ eſſe, ſi pauperes pœnam pecuniariam, adverſus ſe ex delicto decretam, implorata mox ceſſione poſſent eludere.

Ipſa Curia, ante viginti, & quod excurrit, annos, in ipſa quoque adulterii cauſa perſonarum diſtinctionem adhibuit, nam quum Leidenſes apud Ordines Hollandiæ hoc agerent, ut pœnæ, Jure Hollandico contra adulterium ſtatutæ, exaſperarentur, præſertim contra humiliores, Curia, ea de re ſententiam rogata, non exaſperandas reſpondit 2. Nov. 1719. eſſe enim ſatis graves, modo eas executioni darent Ballivii, & ſimul eſſent memores, id crimen pœnis pecuniariis cum maxime plecti, & has etiam a pauperioribus oportere exigi, &, ſi non ſolvant, ſecun-

(4) *Formul. T.* I. *C.* 36. p. 348. & aliis locis, quos indicavit Boel ad Loenium *d. Caſ.* LXXXI. ubi id ipſum retulit.

(5) *Plac.* I. I. 12. 1. *n.* 2.

(6) *Conſil. Holl. Append.* p. 17.

(7) *Reglement tot bekorting van de Proceſſen* 9. *Mart.* 1728.

(8) *Obſerv. Tumult. T.* XIII. *n.* 3026.

(9) Loenius *d. caſu* LXXXI.

cundum Jus Romanum pœnas pecuniarias in corporales eſſe mutandas. Quam Curiæ conſultationem Ordines probarunt 15. Nov 1719 (10).

His omnibus motus Senatus utramque, quam dixi, ſententiam reſcidit, & ceſſionem adverſus Ballivium, Titio negavit 21. Mart. 1738 (11).

CAPUT XIII.

Quid habendum ſit de pacto paratæ executionis?

Sunt inſtrumenta quædam publica, quæ plurimum privilegii habent, ſed cum alia deſcendant ex lege, alia ex pacto, de his omnibus agere longum eſſet. De his autem, quæ ex pacto deſcendunt, non una quoque inſpectio eſt, quædam pacta omnino ſunt licita, quædam prohibita, quædam dubia. Licitum eſt pactum, quod actionum promptius explicandarum ergo creditorum prudentia invenit, inſerunt quippe cautionibus voluntarias condemnationes, ex quibus, tanquam rebus judicatis, damnantur debitores, etiam ſimulac contraxerunt, ut ſic creditores non ex contractu, ſed judicati agant apud Judicem, qui ex conſenſu partium damnavit, quam in rem potiſſimum adhibent Supremi Judicis condemnatiodem, ne quis ab appellatione metus ſit. Iiſdem pactionibus nihil eſt frequentius, & idem jus ad quælibet inſtrumenta publica, non apud Magiſtratum duntaxat, ſed & Notarium facta, porrectum eſt, ſive altera pars, ſive utraque damnetur in id, quod actum geſtum eſt. Cur de hoc pacto quædam præmiſerim, mox audies, nam de aliis pactis, licitis vel illicitis, nihil nunc addam.

Sed quid dicemus de pactis paratæ exequutionis? Inter licita referrem, ſi non in Hollandia vulgo jactaretur, pactione paratam exequutionem acquiri non poſſe. Nunc liceat inter dubia referre, donec Lector, excuſſis omnibus, conſtituerit, an non licitis potius accenſenda ſint? Audi primum Hollandorum ſententias. Eſt, qui ait (1) pacta paratæ executionis per leges & Edicta Principum vel Ordinum (*van de Hoge Overigheid*) eſſe abrogata, ſed has leges diu quæſivi, ſed nullam, quæ id dicat, inveni, & donec ſit, qui indicet, ſola ejus hominis auctoritate me obrui non patiar. Idem tamen addit, eam eſſe Pragmaticorum ſententiam, ſi inſtrumento ſit inſertum, debitum, de quo agitur, exactum iri, ut ea, quæ ad Principis Domania pertinent, exiguntur, poſſe debitorem ſtatim apud Curiam conveniri, hunc enim ſaltem eſſe ejus clauſulæ effectum, ut prorogata ſit Curiæ jurisdictio. Scin, quare? quia ex §. 8. Formæ Curiæ Hollandiæ ad Curiam ſpectat *de Domaniis* cognitio. Quod quia menti Contrahentium adverſatur, neque ulla prorogatio niſi ex conſenſu eſt, ſatis abſurdum eſſe apparet: fingis enim, de quo cogitatum non eſt, nam quum in ejuſmodi inſtrumentis exemplum *Domanii* proponitur, id ad facultatem exſequendi, non ad Judicem refertur. Ex ea tamen ſententia forte originem traxit error quod ad dominos Heukelummenſes, de quo alibi relatum eſt (2).

Alius ait, (3) pactum paratæ executionis *Decreto* eſſe prohibitum, innuens Decretum Curiæ Hollandiæ, quod refertur *Conſil. Holl. T.* III. *Amſterd. Append. p.* 16. ſed quod ex facto, in quo interpoſitum eſt, forte non aliter intelligendum, quam de ſtipulatione illicita, cui pactum paratæ executionis adjectum erat, ut latius narrabo *Capite proximo.* Rurſus alius ait, (4) Curiam Hollandiæ in variis cauſis cenſuiſſe, paratam executionem neminem recte paciſci, ſed quæ illæ cauſæ fuerint, nec ipſe explicat, nec ipſe ſcio.

Sed quicquid ejus rei ſit, & quicquid ab aliis dictum vel a Curia decretum ſit, ſcire velim, eccur illicita eſſet pactio paratæ executionis? nemo autem de eo recte judicaverit, niſi edoctus, quemadmodum exerceatur parata exſequutio. Ea in primis utuntur Ordines Hollandiæ in tributorum exactionibus ſecundum formam Edicti ult. Maj. 1588. ad exemplum ejus, quod antea ea de re Leyceſtranus Comes promulgarat. Ordo, ibi præſcriptus, eſt, ut debitoribus denuncietur ſolutio, & niſi fiat intra XXIV. horas poſt primam denunciationem (*ſommatie*) eos in carcerem duci, & tunc bona exigi, ut latius ibi perſcriptum eſt, minoribus tamen ſolemnitatibus, quam in aliis executionibus obſervari ſolent. Præter Ordines Hollandiæ ſunt & alii, quibus ipſi Ordines, & antea Graviones jus paratæ executionis ſpecialiter largiti ſunt, quoſdam ex his alii recenſuerunt (5), & longe plures poſſem addere, ſi hoc jam agerem. Sufficit obſervare, omnes, qui eo jure utuntur, non eandem executionis formam ſervare, ſed ex privilegio, quod obtinuerunt, petendum, quis modus executionis ibi præſcribatur, ſi nullus, ut plerumque nullus, utimur norma Ordinum ex d. Edicto ult. Maj. 1588.

Cur vero ea norma pacto introduci non poſſet? An ratio, an lex impedimento eſt? De lege, ut modo dicebam, nihil quicquam mihi compertum eſt. Et quæ ratio improbaverit pacta, quæ nec pietatem, nec exiſtimationem, nec verecundiam noſtram lædunt, &, ut generaliter dixerim, contra bonos mores non ſunt? In decernendis *condemnationibus*, quas *voluntarias* appellamus, prima Judicum cura eſt, excutere, an, quæ inter partes placuerunt, contra bonos mores ſint vel contra leges? & ſecunda cura, an, ſi contra leges, iis renunciare liceat, nec ne? Si liceat, & nihil obſtet, condemnationes decernuntur. Nihil autem improbi habent hæc pacta paratæ executionis, nihil enim his agitur, quam ut amputentur longæ ambages, & prolixæ expenſæ ordinariæ executionis; ſæpe domuncula, ſæpe prædiolum aliquod exiguum executioni datur, cujus pretium plane abſorbetur ſumptibus ordinariæ executionis, ſic ut omnino nihil creditori exigenti ſuperſit. Et, ſi verum amamus, in toto ordine judiciario, quo hodie utimur, quam maxime diſplicent nimia executionis ordinariæ ſolemnia. Si iis renunciet debitor, & paratæ executioni ſe ſubmittat, utique de corio ſuo

(10) *Plac. T.* V. *L.* V. *Tit.* 5. p. 912. & 913.
(11) *Obſerv. Tumult. T.* XIII. *n.* 3080.
(1) Merula *Manier van Procederen L.* IV. *Tit.* 100. *Cap.* 1. *n.* 10.
(2) *Formul. Tom.* I. *C.* 32. p. 510. & 511.
(3) Van Leeuwen ad Peckium *de Arreſt. C.* V. *n.* 15. p. 170. & *Byvoegſel ad R. H. R. L.* V. *C.* 8. *n.* 3. *p. m.* 625.
(4) *Formul.* T. I. *C.* 32. p. 507.
(5) Van Zurk *Codex Batav. Verb. Executien* § 2. 3. 12. 13. & 14.

ſuo ludit, in nullius cujuſquam præjudicium, & creditor, paratam pactus, magis rebus ſuis conſulit.

Pragmatici, ſententiam rogati, quæ ratio pactum paratæ executionis rejiciat, reſpondent (6) ex paroemia vulgari, ab executione incipiendum non eſſe, ſed ab in jus vocatione, & ſic eſt, ſi nihil contra pactum ſit, at ſi contra paciſcatur debitor, paciſcitur de re, quæ in poteſtate ejus eſt, de jure privato, in quo nec res publica, nec alterius privata vertitur. Et ſi ob eam, quam dixi, rationem pacta paratæ executionis rejicias, rejiciendæ quoque omnes voluntariæ condemnationes, nam & in his ab executione res incipit, nec magis auditi rei, quam ſi parata executione urgeantur, & tamen illæ condemnationes uſu quotidiano frequentantur. Unde alius Hollandus (qui tamen & ipſe contra paratam executionem reſpondet) fateri tamen debuit (7), inter voluntariam condemnationem & pactum paratæ executionis parum intereſſe. Sed hic provocat ad Decretum Curiæ Hollandiæ, de quo mihi non ſatis liquet, &, ſi ſic decreverit Curia, decrevit ſuo periculo & quod ad forum ſuum. Etiam alibi probari video pacta, quæ, niſi iis ſtatur, cuſtodiam & carcerem permittunt. Quam in rem notandus eſt §. 57. LL. Middelharn. quas Ordines Hollandiæ confirmarunt 8. Apr. 1658. *Geen Gyſel-regt*, ait, *te gebruyken, dan tegen die zig 't zelve by een wettig inſtrument, of onder de band, ſubject gemaakt hebben, en dat ter eerſter inſtantie, maar op condemnatie van Schepenen of Leenmannen te procederen by ſommatie en renovatie volgens de Ordonnantie op 't ſtuk van de Juſtitie, blyvende het Gyſel-regt, daar 't deſe Ordonnantie geeft.* Deinde in §. 58. enumerantur quædam ſpecies, in quibus id jus etiam obtinet ſine pacto.

Noli cauſari adverſus pactum paratæ executionis, ita debitores præſentiſſimo periculo exponi, & non auditos bonis exui, nam uti adverſus quamque rem judicatam, ita & adverſus paratam executionem ſuperſunt remedia. Si parata executione plus petatur, quam oportet, ex d. Edicto ult. Mart. 1588. intra ſex hebdomadas querela defertur ad ipſos Ordines vel eorum Conſiliarios. Sic cum Ordinum res agatur, ſi aliorum, ajunt Pragmatelli (8), & verum eſt, *dat men daar tegen kan komen in oppoſitie of pœnaal verſoeken van 't Hof, en dat daar op doorgaans een comparitie wort geordonneert met of ſonder Surcheance.* Sed vulgo in privilegiis & formulis paratæ executionis adjicitur, eam, niſi facta ſolutione, non ſuſpenſum iri. In §. 56. *d. LL. Middelharn.* ita ſancitum eſt: *Die meent ten onregte gegyſelt te zyn, mag in oppoſitie komen, mits namptiſerende de gedane onkoſten*, quin integrum eſſe ſolvendum, tanquam jus commune, probant Conſultores *Conſil. H. T.* IV. *Conſ.* 399.

Si liceat paciſci paratam executionem, utique etiam debitori licet ſua ſponte ſe ſubjicere paratæ executioni, ſine prævia ſtipulatione. Hæc quæſtio utramque Curiam occupavit in hac ſpecie. Rationales Domaniorum, quæ Wilelmus III. reliquerat, quæque ipſi pro heredibus adminiſtrabant, Quæſtorem quendam ſuum annis 1718. & 1719. facta executione urſerant ad ſolvenda ea, quæ variis temporibus reliquatus erat, ſed urſerant *by ſommatie, renovatie en betekening van Gyſeling.* Quæſtor inducias executionis pactus, iis lapſis nihil quicquam ſolvit, & quum forte Hagæ hæreret, ex mandato Quæſtoris Generalis eorum Domaniorum per apparitorem Curiæ in cuſtodiam civilem ducitur. Cum ibi eſſet, adit Curiam, *verſoekende authoriſatie op een Deurwaarder, om de FACTO ontſlagen te worden, en poenaal tegen diergelyke proceduren*, duabus in hanc rem uſus rationibus, altera, quod nova executio adverſus eum non eſſet inchoata, altera, quod ſine ſententia ſive ullo Curiæ Decreto, per modum paratæ executionis, carcere clauderetur. Curia, auditis partibus, 2 Nov. 1719. ad libellum reſcribit *NIHIL.* Quæſtor ab eo Reſcriptio implorat Mandatum appellationis a Senatu, quo caſu, ut & in aliis, his ſimilibus, appellatio ſolet concedi vel negari ex meritis ipſius cauſæ.

De nova executione, quam deſiderabat Quæſtor, non magnopere laborandum videbatur, quia prior illa executio ſuſpenſa & dilata ſemper, nunquam perempta erat, ſed ſi hæc continuaretur, continuanda erat ſecundum poſtrema acta, ſed novam executionem inchoaverat Quæſtor Generalis, quam vulgo *paratam* dicimus, & ſi hanc haberent Rationales, non obſtare priorem opinor, poterant enim, ſi vellent, jure ſuo uti, & ejus rei fortiſſimum argumentum eſt in *l.* 3. *ff. de Teſtam. mil.* Hæc executio etiam quidem incipiebat a *Gyſeling*; ſed id verbum non tunc accipitur eo ſenſu, quo accipitur in ordinaria executione, *die geſchiet by ſommatie, renovatie, en betekening van Gyſeling*, at vero pro carcere, cui includitur debitor, donec quod debet, ſolverit, & ſecundum hæc §. 32. *Formulæ officii*, quæ Quæſtoribus Domaniorum dari ſolet, continetur, *dat een Rentmeeſter in juſtitie niet mag geboort werden, voor dat hy zyn ſloten heeft betaalt.*

Sed quia ipſi Rationales hanc formulam compoſuerunt, magis laboratum eſt, an his jus paratæ executionis competeret. Sane anno 1679. Wilelmus III. Orangius Dynaſta Ordinibus Hollandiæ propoſuit, ſe ſuosque Anteceſſores uſos jure paratæ executionis & hypothecæ legitimæ contra Quæſtores ſuos, eorumque fidejuſſores, & petiit, ſaltem in futurum, Ordines id quoque ſibi & ſucceſſoribus ſuis, ad majorem ſecuritatem, indulgere vellent. Non quæro, an preces veritate fuerint niſæ, an vero invidia juris novi, figmento veteris diſſimulata, contentus dicere, Ordines Hollandiæ 28. Mart. 1679. decreviſſe, haberet ipſe, & haberent ejus *Succeſſores het regt van parate executie en van legaal hypotheek op de perſonen en goederen van de Rentmeeſters harer Domeinen en der zelver borgen, ſonder præjudicie van het gepaſſeerde*, & opera daretur, idem decernerent Ordines Generales, ut etiam decreverunt 30. Mart. ejuſdem anni.

Igitur Wilelmo III. competit jus paratæ executionis ex d. Decretis, ſed quum ille jam anno 1702. fato ſuo functus ſit, difficultatem habet, an competat Rationalibus, qui ejus Domania adminiſtrabant pro heredibus ſeu ſucceſſoribus teſtamentariis. Bina, ut dixi, Decreta etiam id jus porrigunt ad Wilelmi III. *Succeſſores*; ſed quos intelligimus? Et quidem ſtricte interpretandum eſt jus, quod ex privilegio deſcendit, maxime cum vergat in præjudicium tertii,

(6) Merula *Manier van Procederen L.* IV. *Tit.* 109. *C.* 1. *§.* 1. & 2.

(7) Van Leeuwen ad Peckium *de Arreſt. C.* V. *n.* 15. p. 171. & *Byvoegſel ad R. H. R. L.* V. *C.* 8. *n.* 3. *p. m.* 625.

(8) *Formul. Tit.* I. *C.* 32. p. 508.

tii, ut omnino vergit jus tacitæ hypothecæ. Inde efficio, quod privilegium Ordines Hollandiæ dederunt non pertinere niſi ad Domania, quæ in Hollandia ſita ſunt, & quod Ordines Generales non pertinere niſi ad Domania, quæ in Ditione eorum Ordinum ſunt ſita, & utrobique ibi adminiſtrantur. Sed quosdam Senatores vel maxime contra paratam executionem movebat, quod per *Succeſſores* in d. *Edictis* non alii videantur intelligendi, quam qui ab Ordinibus Hollandiæ vel ab Ordinibus Generalibus in eorundem Imperio easdem dignitates gerebant, quas Wilelmus III. gerebat eo anno 1679. ideo, neque ulla alia ratione, apud ipſos gratioſus: nam ſi ſimpliciter heredes legitimos vel teſtamentarios intelligas, id privilegium etiam dabis Papæ Romano, aut alii in Italia, Gallia vel Germania Principi, qui in tota hereditate Wilelmo III. ſuccedit, ſic putat, qui haud ita pridem notas ſcripſit ad Merulæ *Prax. L.* IV. *Tit. C. C.* I. *lit. A.* quia Domania ad privatum patrimonium, non ad dignitates referenda ſunt. Quæ ratio an omnibus placitura ſit, eſt, cur dubitem.

Sed vero plurimi Senatores exiſtimabant, neceſſe non eſſe, ut hanc quæſtionem hic definiamus, ſufficere, ſi dicamus, hunc, de quo agimus, Quæſtorem eſſe citatum anno 1704. defuncto jam Wilelmo III. ei datam eſſe formulam officii, in quam juravit, & ea formula ſeſe ſubmiſiſſe paratæ executioni Rationalium, neque adeo ejus eſſe, nunc diſputare contra fidem, jurejurando datam. At objiciebatur, jus paratæ executionis pacto acquiri non poſſe, & in hanc rem exſtare multas auctoritates, quas jam attuli. Si de jure tacitæ hypothecæ ſermo eſſet, intelligerem, neque enim valent pacta, quæ tertio jus quæſitum auferunt, ſed aliud eſt in pacto paratæ executionis. Auctoritatibus refutandis jam functus ſum. Quid Curiam moverit, neſcio, ſed poſtrema ratio plurimos Senatores apud nos movit, ut mandatum appellationis negarent 7. Nov. 1719. (9).

Sed quia, absque pacto ſi fuiſſet, non omnes Senatores ſententiam dixerant, accipe nunc, quid Senatus in alia cauſa paribus ſuffragiis judicaverit. Cajus, qui qua Quæſtor bona quædam ex hereditate Wilelmi III. adminiſtraverat, decedit ἄπορος. Ejus vidua & heres ſub beneficio Inventarii bona mariti nuper ſui diſtrahit, interque eà prædium, quod maritus Sempronio ſpeciali hypothecæ dederat pro ſorte 4000. florenorum. Vidua ex pretio diſtracti prædii etiam ſolvit Sempronio illos 4000. florenos, data ab eo fide, ut redderet illam pecuniam, ſi in judicio prælationis ab aliis vinceretur. Rationales Domaniorum, hoc intellecto, Sempronii, jam defuncti, heredem in jus vocant apud Curiam, repetuntque illam pecuniam, atque ſi jus haberent hypothecæ tacitæ ex anno 1712. jus ſcilicet antiquius, quam creditor, cui deinde hypotheca ſpeciali cautum erat. Heres Sempronii varie ſe defendit, & tantum ejus rationes apud Curiam valuerunt, ut 27. Febr. 1733. Rationales repulerit, & etiam in expenſas damnaverit. Quum appellatum eſſet, Senatus putavit, non eſſe neceſſarium, ut ſententiam ſuam explicaret quod ad omnes heredis defenſiones, nam vel unam ſufficere ad repellendos Actores. Cum maxime autem dicebat heres, quæ & omnium Senatorum ſententia fuit, per *Succeſſores* in *d. Decretis* intelligi non poſſe omnes, qui quandoque in bona Wilelmi III. eſſent ſucceſſuri quocunque titulo, quin nec heredem, ſi forte privatum quempiam vel etiam exterum inſtituiſſet, multo minus legatarium, emptorem, aliosve ſucceſſores ſingulares, ſic enim verba Ordinum captari, nec animadverti, qua mente quid dicatur. Intelligebant igitur vel Succeſſores in dignitate Gubernationis, quam in Hollandia gerebat, vel, ut aliis potius videbatur, ſimpliciter *deſcendentes* & *poſteros*, quia in utroque Decreto nulla dignitatis mentio facta erat, & quia ab Ordinibus Generalibus ſimile privilegium acceperat, in quorum tamen Imperio nulla Orangii præfectura fuit. Sed quomodocunque intelligas, apparet ex privilegiis, quod non nemo valde urgebat, Wilelmum III. Ordinibus perſuaſiſſe, ſe *ſuosque anteceſſores* etiam privilegiis fuiſſe uſos. Si capias, qui fuerint *anteceſſores*, capies quoque, qui ſunt *ſucceſſores*, per *anteceſſores* autem *ſuos* non alios potuit intelligere, quam vel ſimpliciter *Adſcendentes* & *Majores* vel etiam, qui eum anteceſſerant in eadem dignitate: neque enim per *anteceſſores* intellexit omnes illos, a quibus bona ad eum, qua heredem, provenerant, & minus venditores & auctores ſingulares, a quibus forte quædam comparaverat, vel legati titulo acceperat. Quare per *ſucceſſores* non alios etiam intelligimus, quam ipſe intellexerat *per anteceſſores*, & mera vis eſt, ſi aliter interpreteris. De parata executione idem dicendum eſt, quod de tacita hypotheca, niſi ex pacto deſcendat, ut deſcendere poteſt, ſed in præjudicium tertii pacto inducere hypothecam tacitam, nullo jure licet, eſt enim hæc ex ſola lege. Non tamen adeo temere litigabant Rationales, ut apud Curiam in expenſas damnari debuiſſent, iis igitur compenſatis reliqua ſententia probata fuit 25. Nov. 1733. (10).

CAPUT XIV.

Stipulationes pœnales an & quatenus licitæ?

De Clauſulis pœnalibus, quæ teſtamentis & contractibus adjiciuntur, ut quod agitur, magis valeat, valde tumultuantur Interpretes, veteres novique, & dubito an ſit, qui verum dixerit. Non quicquid nomine pœnæ fit, vel probandum vel improbandum eſt. Sane quæ *de Legatis pœnæ nomine* ſcripta vidi, adeo mihi diſplicuerunt, ut extorſerint Opuſculum *de Legatis pœnæ nomine*, quod edidi inter *Opuſcula Varii argumenti*. Quid in contractibus liceat pœnæ nomine ſtipulari, quid non liceat, paucis nunc accipe. Id quod intereſt noſtra aliquid dari vel non dari, fieri vel non fieri, utique licet & ſemper licuit in ſtipulationem deducere, ſed ſi commiſſa eſſet ſtipulatio, acerrime inter veteres JCtos quæſitum eſt, quousque *id, quod intereſt*, porrigeretur? & ne in infinitum id porrigeretur, Juſtinianus effecit Conſtitutione ſua, quæ exſtat in *l. un. C. de Sentent. quæ pro eo quod intereſt, profer.* Ibi quidem Judicis arbi-

(9) *Obſervat. Tumult. Tom.* VII. *n.* 1572.

(10) *Obſervat. Tumult. Tom.* XII. *n.* 2798.

bitrio relinquit æſtimationem ejus quod intereſt, ut omnino relinquenda eſt, verum ea lege, ſi res ipſa ſit certi & definiti pretii, ne id quod intereſt alterum tantum poſſit excedere, ſin autem res ipſa ſit incerti & dubii plane pretii, ne excedere poſſit, quod revera ſtipulatoris interfuit, id eſt, ut damni illati, non lucri ceſſantis ratio habeatur. Falluntur, qui *d. l. un.* abrogatam eſſe putant, ſed non falluntur, qui putant, Juſtinianum ea Conſtitutione parum profeciſſe, ut rem incertam redderet certam. Difficillimum quippe eſt definire, an in cauſis certis ad alterum tantum adſcendere liceat, & an in cauſis incertis hæc vel alia ſit veri damni æſtimatio. Hinc illa lex tantas turbas dedit in Scholis & Judiciis, ut ad eam explicandam integrum opuſculum *de eo quod intereſt* edolaverit Carolus Molinæus.

Sed eo lecto fere incertior eris, quam dudum, certe ſi ea ſequaris, magis, quam olim, fervebunt judicia. Ut hæc evitentur, & ſemel certi quid ſtatuatur, inventa eſt certa pœna, pactis adjici ſolita, ſi non præſtetur id, de quo convenit. Ea pœna ſuccedit in locum ejus, quod intereſt, & rem ex incerta reddit certam. Si reus, etiam hodie, damnetur ad id, quod intereſt, quantæ litium ambages ad explicandam actoris indemnitatem? Quam vero expeditum, ſi id, quod intereſt, certa ſumma æſtimetur? Sic eſt, dices, ſed ſtipulationes pœnales ſunt illicitæ. At ſcire velim, unde id didiceris? In jure Romano utique ſexcenta earum exempla ſunt, & Lectori gravis eſſem, ſi ea commemorarem. Si nihil illiciti, nihil probroſi, contineant, quidni iis utemur, & ubi apud nos lex eſt, quæ intercedit? Si adhibeantur clauſulæ pœnales, ut leges eludantur, vel earum mens circumveniatur, ut extorqueatur, quod alioquin ſtipulari non licet, intelligo, rejiciendas eſſe, absque eo ſi ſit, exiſtimem omni jure ſubſiſtere.

In ſingulis autem factis id, quod dixi, excutiendum eſt. Sed quia innumeræ ſunt cauſarum figuræ, a lege uſuraria exemplum petamus. Quamvis enim nemo ignorare poſſit, ſi ſolam rationem ſequamur magiſtram, jure ſuo rem ſuam, cuique, qualicunque voluerit pretio, locare jus fasque eſſe, ſic & locare pecuniam quibuscunque uſuris, utilitatis tamen publicæ cauſa Leges exſtant, & ſemper exſtiterint, quæ uſuris modum ponunt, & is modus omnino eſt ſervandus. Quare ſi pœna in fraudem Legis uſurariæ ſit dicta, verum eſt, ultra uſurarum modum non deberi *l.* 13. §. 26. *ff. de Action. empt.* Uſurarum leges nomine ſiliquarum, ſportularum munerumve nomine eludere antiquum eſt, ſed & huic rei ſæpe proſpectum, etiam in *l.* 26. *C. de Uſur. vſ. Interdicta.*

Id vero quam maxime & olim quæſitum fuit, & hodie quæritur, an minoribus uſuris ſuo die non ſolutis, majores liceat ſtipulari, non modo in futurum, ſed & retro in præteritum? idque omnino licere, ſi modus legitimus uſurarum non excedatur, ex Jure Romano ſatis videor probaſſe *Libro Singulari* ad *l.* 40. *ff. de Reb. credit. C.* 14. In alia quidem omnia videtur ire Paulus in *l.* 17. *pr. ff. de Uſur.* ſed, ſi explices, ut eum explicavi *L.* VI. *Obſerv. Jur. Rom. C.* 19. Juri Romano ſua conſtabit ratio & auctoritas. Nec ab eo hodie receſſum eſſe nihil liquet. In contrarium tamen adducitur Curiæ Hollandiæ aliquod Decretum, cujus verba exhibenda ſunt, antequam de ſententia agam: *is gereſolveert, dat alle pœnale ſtipulatien, bedongen over mora of wanbetalinge van eenige penningen, excederende* modum legitimum uſurarum, *niet zullen gevolgt, nog regt daar op gedaan of condemnatie daar op gedecerneert worden, in den zaak van Pieter Bor, als Rentmeeſter van J. Jaſper van Treslong, die in het verhuuren van desſelfs thienden in de nieuwe Hoon geſtipuleert had, indien de Koopers de beloofde penningen niet precis betaalden op den geſetten dag of ten langſten ſes weken daar na, dat dezelve dan elken gulden zouden betalen met* 22. *ſtuivers, en zulks* 2. *ſtuiv. ter gulden in een pœne van wanbetaling over ſes weeken alleen. Item dat niemant met private ſtipulatien hem zelven mag acquireren regt van parate executie, in de zelve zaak.* Prima pars Decreti nullam habet difficultatem, nam veriſſimum eſt, ut modo dicebam, pœnales ſtipulationes excedere non poſſe modum uſurarum, legibus præſcriptum. Sed difficultatem habet, quod in ſpecie, ibi adjecta, id referatur ad decimas, in decimis enim & cenſibus, & aliis ejusdem argumenti nihil eſt notius & frequentius, quam his ſuo die non ſolutis, pœnam ſtipulari longe maximam. Exempla quædam habes apud Mornacium ad *l.* 32. *in fin. ff. de Uſur.* & cenſibus apud nos ſæpe lex dicta eſt, ut in alterum tantum pœna ſurgat, ſæpe & ultra creſcat, quod vocant *Toynſen, by Coevering op te loopen* (2). Sed aliud eſt, ſi quis fundum vendat, &, niſi emptor ſuo die pretium ſolvat, vel in futurum vel etiam retro ſtipuletur uſuras ultra quam lex permittit, & de ejusmodi ſpecie, confuſius forte ibi relata, intellexerim id Decretum, nam perſpicue agit & de *locatione* & de *venditione*, ut fundus forte ibi fuerit venditus exceptis Decimis, quas poſtea Quæſtor locavit. Si pretio ſuo die non ſoluto, poſt ſex hebdomadas pro 20. exigantur 22. nummi, id utique impingit in legem uſurariam, atque ita inutilis eſt ea ſtipulatio, & inutile quoque pactum paratæ ſtipulationis, de quo *C. prox.* dicebam.

Curiam ſane pœnales ſtipulationes non improbare, potes diſcere ex hoc exemplo: qui fundum locavit, locavit ea lege, ne conductori liceret jus conductionis in alium transferre, ſin autem, caderet conductione, & duplam mercedem ſolveret, & relatum eſt, Curiam 25. Mart. 1616. ejusmodi ſtipulationem habuiſſe ratam (3), & rationes, cur habuerit, mox intelliges.

Nunc recenſebo, quæ, me præſente, Senatum Supremum occuparint, quum ageretur de voluntariis condemnationibus vel largiendis vel negandis, neque enim eas largitur Senatus, ſi offendant legem, cui renunciare non licet. Quum de ſpeculis conficiendis & vendendis ſocietas eſſet inita inter Titium & Mævium, Titius, eorum conficiendorum apprime peritus, ſe hanc artem cum Mævio communicaturum promiſit, ea ſcilicet lege, ut, ſi Mævius ſe vivo arcanum ejus artis revelaret, pœnæ nomine daret 5000. florenos. Delegati ad Rotulam Senatum rogant, an, ob Clauſulam pœnalem, decernenda eſſet voluntaria condemnatio? Ratio dubitandi erat, quod Pragmatelli quidam omnes Clauſulas pœnales hodie vel abrogatas vel abrogandas cenſeant, & quod alii frivolis quibusdam diſtinctionibus cauſam expediant. Tutius & melius eſt jus Romanum ſequi, & credere, pœnas, ſtipulationibus faciendi vel non faciendi adjectas, non aliq fine eſſe

(1) *Conſil. Holl.* III. *Amſterd. Append.* p. 16. *Cenſur. Florenſ. L.* II. *C.* 17. *n.* 8. & 9.

(2) Van Leeuwen *R. H. R. L.* II. *C.* 12. *n.* 5. & *Tom.* II.

(3) *Conſil. Holl.* III. *Amſterd. Append.* p. 47.

eſſe inventas, quam ne id, quod intereſt, in incerto ſit, & dummodo ſervemus modum, quem definit *d. l. un. C. de Sentent. quæ pro eo quod intereſt profer.* nullus ab ejusmodi pactis metus. Certe ſtipulationem pœnalem, qualis hic occurrit, defendit §. *ult. Inſtit. de V. O.* & modica ſumma 5000. florenorum, hic pœnæ nomine adjecta, etiam altero tanto minor eſſe poteſt, quam revera Titii intereſt, artem hanc revelatam non eſſe, unde & Senatus 27. Jun. 1724. huic pacto auctoritatem ſuam accommodavit (4). Sin autem pœna, in ſtipulatum deducta, longe & late excedat id, quod ſtipulatoris intereſt, omnino ſervamus *d. l. un.* Quum in inſtrumento locationis conductionis conveniſſet, ne colonus fundum, ejusve partem alteri locare vellet, &, ſi locaſſet, quadruplum mercedis ſolveret locatori, ea ſtipulatio viſa eſt Senatui immane quantum excedere, quod revera locatoris intererat, vel intereſſe poterat, ideoque 15. Jun. 1731. ſuper ejusmodi pacto negata eſt voluntaria condemnatio (5).

Duo Socii ineunt ſocietatem conficiendi Sacchari in annos XII. tam pro ſe, quam heredibus ſuis, pœnam ſtipulati bis mille florenorum, pauperibus ceſſuram, ſi quis intra id tempus ſocietate abiret. Implorata eſt voluntaria condemnatio ſuper eo pacto, quærebatur an decernenda eſſet? Si id pactum jure ſubſiſteret, pœnalis ſtipulatio nemini, quominus decerneretur, impedimento fuit propter ea, quæ modo dicebam. Sed ut heres ſuccedat ſocietati, paciſci non licet *l. 59. pr. ff. pro Soc.* nam ſic alteri moroſus & ineptus ſocius obtrudi facile poſſet, & eo jure, non abrogato, adhuc utendum eſſe plerique Senatores reſpondebant, licet unus, magnæ auctoritatis, diſſentiret, quia hæc, de qua agitur, ſocietas propter impenſas, ab initio faciendas poterat defendi. Sed erant Senatores, qui etiam, quod ad ipſos ſocios, putabant, ne quidem jure ſubſiſtere pactum, ne intra certum tempus ſocietate abeatur *l. 14. ff. Eod.* longe tamen plures exiſtimabant, etiam in tempus, & quoad ſocii vivunt, recte ſocietatem iniri *l. 1. pr. ff. Eod.* verum ei renunciari poſſe, ſi cauſa incidat idonea, ut ſi injurioſus & damnoſus evadat ſocius, & ſic intelligebant *d. l.* 14. Quare 2. Jul. 1728. placuit, decerneretur, ſed ne porrigeretur ad clauſulam de herede inſertam. (6).

Rurſus Sempronius & Titia ſocietatem contrahunt, duraturam, dum viveret Titia. Ad hæc paciſcitur Sempronius, ut, ſi ipſe prius fato ſuo fungeretur, heredes ejus in ſocietatem ſuccederent, & paciſcuntur ambo, ut, ſi alter viva Titia ſocietati renunciaret, incideret in pœnam 6000. florenorum, & præterea alteri ſolveret, quod ejus intererat. Petierunt ſocii, ut hunc contractum voluntaria condemnatione corroborare vellet Senatus, ſed repulſi ſunt; non modo quod paciſci non liceat, ut heres in ſocietatem ſuccedat, ſed & quod non liceat ſtipulari & pœnam & ſimul id quod intereſt, quod in ſocietate etiam improbant *l. 41. & l. 42. ff. pro Soc.* negata igitur eſt condemnatio 20. Dec. 1729. (7) quemadmodum ob eandem rationem a Senatu negata eſt 3. Maj. 1732. (8) ubi alter, ſi alter pacto non ſtaret, pro pauperibus ſtipulatus erat 3000. florenos, & ſimul id, quod ſua intereſſet, fidem non eſſe ſervatam. Sin ajas, eum, qui contrahit, nihil ſibi ſtipulari, quam id, quod intereſt, pœnam pauperibus cedere, id quidem ais, quod res eſt, ſed memineris injuſtum eſſe, ab uno eodemque utrumque exigere.

Qui locaverat varias domunculas, ſatis amplam mercedem pactus, inſtrumento addit, ut ſingulis tribus menſibus ſibi ſolveretur quarta pars mercedis, utque mille floreni repræſentarentur, qui ſibi pœnæ loco cederent, quam primum conductor vel ſemel moraretur in trimeſtri mercede exſolvenda. Implorata eſt Senatus voluntaria condemnatio ſuper eo pacto, ſed 22. Dec. 1729. (9) negata quod ad clauſulam pœnalem, quæ longiſſime excedebat id quod locatoris intererat. In quantitatibus, ſuo die non ſolutis, prohibitum non eſt pœnam addere, ſed in uſuris, ut ſupra dixi, ne legitimus modus excedatur. Omni ope cavendum eſt, ne homines propter minimam moram emungantur & peſſundentur.

Quum in locatione conductione conveniſſet, ut ager conductus coleretur ad eum modum, qui præſcriptus erat, ſin autem, conductor præſtaret duplam mercedem, & *ſimul* id, quod locatoris intererat, eo modo cultum non eſſe, & ſuper eo inſtrumento imploraretur voluntaria condemnatio Senatus, 3. Febr. 1734. placuit condemnationem decernere, ſed hoc addito, ne porrigeretur ad utramque pœnam, inſtrumento inſertam (10). Dupla merces ſuccedebat in locum ejus, quod intererat, atque ita injuſtum, ſupra eam pœnam adhuc ſtipulari id ipſum, quod revera intererat, non patitur id *d. l. un. C. de Sent. quæ pro eo quod intereſt profer.*

Sempronia Titio in emphyteuſin dedit colles quosdam arenaceos, ſtipulatus annuum canonem 443. florenorum, & porro ſtipulatus, non ſoluto per triennium canone, Titius duplum præſtaret, atque etiam, ſi emphyteuſin venderet, ipſe vel emptor intra tres menſes id ſignificaret Semproniæ vel ei, ad quem directum dominium pertineret, & pro ſingulis alienationibus Domino præſtaretur unus Canon; ſi nihil ſignificatum eſſet intra illos tres menſes, mora illa non purgaretur, niſi ſolutione unius canonis. Præterea convenit, ſi quæ lites ex contractu emphyteutico orirentur, de iis, præteritis aliis judicibus, ſtatim judicaret Supremus Senatus. Quum Titius emphyteuſin vendidiſſet Mæviæ, nec intra tres menſes de ea venditione admonita fuiſſet Sempronia, hæc Mæviam convenit apud Senatum, & contendit ad triplicem canonem, fiduciaria ſententia ſolvendum, primum pro uno anno elapſo, ſecundum pro mutatione emphyteutæ, tertium pro mora, quod nempe illa mutatio intra tres menſes non fuiſſet ſignificata. Duos priores canones offerebat Mævia, utque ita ſola lis fiduciaria fuerit de tertio canone. Hunc autem exigebat ex contractu, in quo pro mora trimeſtri unus canon palam erat in ſtipulationem deductus. Objiciebatur quidem, ſtipulationes pœnales a Senatu non aliter probari, quam ſi ſuccedant in locum ejus, quod intereſt, ſi nihil interſit, ut in hac ſpecie nihil quicquam interfuit, pœnæ locum eſſe non videri. At vero plurimi Senatores dicebant, & recte, ni fallor, inter multa ſingularia, quæ in emphyteuſi obtinent, etiam id eſſe, ut pœnæ locus ſit, etiamſi pœna lon-

(4) *Obſervat. Tumult. T.* IX. *n.* 2044.
(5) *Obſervat. Tumult. T.* XI. *n.* 2640.
(6) Ibidem *T.* X. *n.* 2271.
(7) Ibidem *T.* XI. *n.* 2557.
(8) Ibidem *T.* XI. ad marginem *d. n.* 2557.
(9) Ibidem *T.* XI. *n.* 2558.
(10) Ibidem *T.* XII. *n.* 2819.

longe excedat id quod intereſt, & inde valere ſtipulationem, ut, ſi canon ſuo die non ſolvatur, emphyteuſis ad dominum redeat. Et ſane, quia exiguus fere canon præſtatur pro agnitione dominii, rationis eſt, ne dominus ullo pacto contemnatur. Sed movebant nonnulli, nec abs re, hic quidem, ſi nomen ſpectes, emphyteuſin eſſe, revera autem eſſe locationem conductionem, in perpetuum contractam, quia annuus canon, qui hic ſolvebatur, non tantum æquabat, ſed & ſuperabat annuum reditum illorum collium, & ſic ſervandas eſſe regulas locationis conductionis (11). Quod ſi ſit, ceſſare Clauſulas pœnales, ubi ceſſat id quod intereſt, neque enim in locatione conductione licere duplicem mercedem ſtipulari, ſi merces, de qua convenit, ſuo die ſoluta non ſit. Afferebantur & duæ aliæ rationes pro Mævia; altera, quod e contractu emphyteutico non conſtaret, commiſſa trimeſtri mora, venditoris, an emptoris eſſet denunciare tranſlatam eſſe emphyteuſin, ejus quidem eſſe denunciare, cujus eſt ſolvere canonem, ex negligentia debitum, ſed de eo nihil quoque cautum eſſe; altera ratio erat, quod Mæviæ nihil culpæ imputari poſſet, nam ignaram fuiſſe contractus emphyteutici & per nuptias, tum forte contractas non excuſſiſſe antiqua monumenta. At plerisque viſum eſt, neutram rationem Mæviæ prodeſſe poſſe, non primam, quia canon, qui ſolvitur pro tranſlata emphyteuſi, ſolvitur in agnitionem dominii, atque adeo ejus ſolutionem incumbere novo emphyteutæ; non ſecundam, quia in emptione venditione relatio fuerat facta ad contractum emphyteuticum, Mæviam igitur potuiſſe & debuiſſe eum inſpicere, & ſic ſibi a pœna cavere. Quinque Senatores primum reſpondebant pro fiduciaria adjudicatione illius canonis, ex negligentia debiti, quatuor alii (novem enim intererant judicio:) quia emphyteuſis degeneraverat in locationem conductionem, vel quia, ſi vel non degeneraſſet, ob magnitudinem canonis eadem hic eſſet ratio, malebant litem de uno illo canone principali judicio agitari apud Senatum, cui ſententiæ, cum ex quinque Senatoribus duo, ob eandem rationem, acceſſiſſent, ita decretum eſt 27. Dec. 1734. (12).

In locatione agri convenerat, ut colonus agrum probe recte coleret, præſcripta culturæ forma, & ne eum alteri ſublocaret, ſin autem, colonus duplicem mercedem ſolveret, & ſimul conductione caderet, ſi ita domino videretur. Quum ſuper eo inſtrumento imploraretur voluntaria condemnatio Senatus, quæſitum eſt, an decernenda eſſet ob Clauſulam pœnalem? Inter Senatores non ſatis conveniebat, an Clauſula pœnalis unice pertineret ad ſublocationem agri, an etiam ad pro.am culturam? Sed ſi vel ad ſolam ſublocationem, omnes Senatores, uno excepto, exiſtimabant, condemnationem eſſe decernendam, quia, ut ſupra dixi, ſic ſolet ſervare Senatus, ut, ſi id quod intereſt, poſſit adſcendere ad ſummam, ſtipulatione expreſſam, licita habeatur ſtipulatio, ſublocatio autem poteſt domino nocere ad duplicem mercedem, & longe plus, neque etiam dominus agri tenetur pati alium conductorem, ſibi fortaſſe adeo noxium. Qui diſſentiebat, ideo diſſentiebat, quia damnum, ſublocatione dandum, etiam poterat non adſcendere ad duplicem mercedem, ſed in re incerta nihil refert, dummodo adſcendere poſſit. Decreta igitur eſt condemnatio 22. Febr. 1741. (13). Quum de vetita ſublocatione ſub iisdem Clauſulis pœnalibus ſimile inſtrumentum in eundem finem Senatui porrigeretur 12. Dec. 1742. paribus ſuffragiis condemnatio decreta eſt.

Duo Socii a Societate diſcedunt ea lege, ut alter Socius ſolus eam mercaturam exerceret, quam antea ambo exercuerant, & alteri Socio diſcedenti quotannis numeraret 1000. florenos, quos ſi ſuo die non ſolveret, ſingulis hebdomadibus pœnæ loco daret 100. florenos. Hanc Clauſulam pœnalem, quia immane quantum excedebat id, quod intereſt, rejecit Senatus, decreta alioquin 22. Febr. 1741. voluntaria condemnatione ſuper reliquis capitibus ejus conventionis (14).

CAPUT XV.

Annuis penſionibus non ſimul & ſemel præſcribi, ſi ultra XXX. *annos in ſolutione ceſſatum ſit, ſed iis duntaxat, quæ ante* XXX. *annos exactæ non ſunt.*

Jus Hollandicum in præſcriptione actionum perſonalium trientem ſeculi deſiderare fabula eſt, ab aliis jam exploſa, &, me præſente, ſæpe & a Senatu Supremo exploſa, conſtanter enim judicavit, XXX. annos in hanc rem ſufficere. Id vero cum maxime controvertitur, an in penſionibus annuis, quæ per ſe ſubſiſtunt, ſi per totos XXX. annos nihil exigatur, ipſum jus exigendi ſit exſtinctum, an tantum quod ad eas penſiones, quæ XXX. annos excedunt? Sermo eſt, ut vides, de præſtationibus annuis, quæ per ſe ſubſiſtunt, ut eſt in annuis reditibus, nam præſtationes annuæ, quæ ſortem habent, unde pendent, præſcribuntur omnes, ſimulac ſorti præſcriptum eſt, ut palam definitum eſt in *l.* 26. *pr. C. de Uſur.* In aliis, quæ per ſe ſubſiſtunt, ſingulæ penſiones ſingulis annis naſcuntur, & poſt XXX. annos ſingulæ non exactæ pereunt. Martinum & Bulgarum olim hæc quæſtio colliſit. Ille ſingulis annis ſingulas præſcriptiones adſignabat, nec plus præſcriptum exiſtimavit, quam quatenus a die poſtremæ ſolutionis triginta annos ceſſatum eſſet, ſalvo jure earum penſionum, quæ vel in futurum debebantur, vel ubi a die veniente nondum elapſi erant anni XXX. Hic ſimulac XXX. in ſolutione ceſſatum erat, omne jus exigendi proſcribebat. Martinum ſequebantur Ultramontani, Bulgarum Citramontani. His auctoribus itum eſt in diverſas ſectas, quarum præcipuos Patronos recenſent & armis induunt Berlichius *Concluſ. Practic. Parte* II. *Concluſ.* IV. *per totum*, Goris *Adverſ. Tract.* III. *ſive Miſcell. C.* IX. *n.* 16. *& ſeqq.* Sande *Deciſ. Friſic. L.* V. *T.* VI. *Defin.* 1. Voet ad *Tit. ff. de Uſu & uſufr. leg. n.* 4. ubi & ſinguli ſuffragia ſua adſcribunt, & ad ea defendenda copias ſuas explicant, ſed quia non amo Commentatores, qui gregatim paſcuntur, malo dicere, quid mihi videatur, quam iis laudandis vel refutandis bonas horas perdere.

Ego

(11) Vide quædam in hanc rem *Conſil. H.* III. 231. & *Conſil. B.* II. 222.

(12) *Obſerv. Tumult. T.* XII. *n.* 2878.

(13) Ibidem *T.* XIV. *n.* 3230. *& in margine.*

(14) Ibidem *T.* XIV. *n.* 3231.

Ego Martini partes ſequor, & ut ſequar, ſola ratio juris evinceret, etiamſi non præſto eſſet manifeſta auctoritas. Nulla utique penſio debetur ante ejus nativitatem, nec ulla ad eam actio vel cedit vel venit, niſi die, ſingulis penſionibus præſtituto. Ubi nondum actio eſt, de præſcriptione fruſtra laboratur. Negligentia XXX. annorum exigitur in præſcriptione, ſed ejus, quod debetur, tunc igitur putabis, ſi per XXX. non exactæ ſint annuæ penſiones, etiam nonæ & vigeſimæ eſſe præſcriptum? Ego non puto, nam ante annum duntaxat ejus dies cedit & venit, & a die veniente triginta annorum negligentia præſcriptioni tantum facit locum. Pœna eſt rebus & actionibus ſuis cedere ſola præſcriptione, nec ea pœna exercetur niſi in ſupine negligentes, qui, quid ſibi debetur, non exigunt eo annorum intervallo, quod lex in ſingulis cauſis præſcripſit, & lex XXX. annos præſcripſit in actione perſonali, qualis eſt ad penſionem annuam, ſive ex promiſſione ſive ex teſtamento debitam. Meminiſtine etiam regulæ, in omni præſcriptione veriſſimæ, *agere non valenti non currit præſcriptio?* Prohibet regula, ne currat præſcriptio contra eum, qui nequit agere, dummode juſta cauſa impeditur, impeditur autem agere, cujus actio nondum nata eſt, vel, ut proprie loquamur, cujus dies, quamvis ceſſerit, nondum tamen venit, & inde eſt, quod Imperator Juſtinus in *l.* 7. §. 4. *C. de præſcript. XXX. vel XL. ann.* nominatim ſtatuerit, in eo, quod ſub conditione vel in diem debetur, præſcriptionem non currere niſi ab exiſtente die vel conditione.

Sic diſputarem ex ſola ratione, ſed non ſemper licet nobis eſſe tam beatis, ut expreſſa legis auctoritas concurrat. Hanc vero exhibet ipſe ille Juſtinus in *l.* 7. §. *ult. C. de Præſcript. XXX. vel XL. annor.* Et quamvis non ſoleam ipſas leges deſcribere, niſi Critica opus ſit, exhibenda tamen ſunt verba priva, ut os obturare poſſint iis, quibus legum reverentia cordi & curæ eſt. *In his*, inquit, *etiam promiſſionibus, vel legatis, vel aliis obligationibus, quæ dationem per ſingulos annos, vel menſes, aut aliquod ſingulare tempus continent, tempora memoratarum præſcriptionum non ab exordio talis obligationis, ſed ab initio cujuſque anni, vel menſis, vel alterius ſingularis temporis computari manifeſtum eſt.* De emphyteuta & conductore quod addit, proprie huc non pertinet, cum uterque, ut mox ſatis ſignificat Imperator, alieno nomine poſſideat. Quod autem ait *manifeſtum* eſſe, plurimis quidem, ſed non omnibus perſuaſit. In Baſilicis eadem ſententia, verbis æque rotundis, expreſſa eſt, & Cujacius, religioſiſſimus JCtus, de ejus veritate ne dubitavit quidem in *Parat. C. de Præſcript. XXX. vel XL. annor.* Antonius quoque Faber ea ſententia uſus eſt, *Cod. Sabaud. L.* VII. *T.* XIII. *Definit.* 19. niſi quod, ſed perperam, centum annos putet ſufficere, ad extinguendum omne jus, etiam in futurum. Martinum ſimpliciter ſequuntur Buſius & Coſtalius ad *l.* 28. *ff. quibus mod. uſusfr. amitt.* Itemque Buſius *de Ann. reditib. L.* II. *C.* 12. Uterque Simon, Groenewegen in *Not.* ad Grotii *Introduct. ad Jurisprud. Holl. L.* III. *C.* 46. *vſ. jaarlykſche*, & ad *d. l.* 7. §. *ult.* & van Leeuwen *R. H. R. L.* II. *Part.* 8. *n.* 7. ubi ait, etiam Curiam Hollandiæ, in redituum præſcriptione, 10. Maj. 1613. judicaſſe, primam penſionem tantum præſcribi 30. annis, integris manentibus reliquis 29. His Hollandis ſubſcribit & alius Hollandus *Conſil. Hol. Tom.* IV. *Conſil.* 49. quæſita magis, quam data occaſione.

CAPUT XVI.

Variæ Quæſtiunculæ.

I. Uſu receptum eſt, ut quilibet apud Curiam agere poſſit ex *l. Diffamari*, ita tamen, ut qui in eo judicio reus eſt, optare poſſit, an apud Curiam actionem principalem velit inſtituere, an apud Judicem ejus, qui agi petiit. Unde quæſitum eſt, an, ſi, qui agi petit, id privilegium habeat, ut Adverſarium ad Curiam poſſit vocare, an, inquam, is in cauſa *l. Diffamari* principalem litem quoque recte apud Curiam agi poſtulet? Atque ita Pragmatici ſine controverſia ſentire videntur (1). Sed id admittendum non eſt, quia id privilegium ex §. 8. Form. Cur. Hollandiæ omnino reſtringendum eſt ad eum caſum, quo is, qui id privilegium habet, ipſe actor eſt, hac autem in re omnino obtinuit, ut in lite principali ſit actor, qui diffamavit. Quare hic dicendum eſt, ad Curiam, ut principalis cauſa ibi agatur, viduas & pupillos neminem ex *l. Diffamari* vocare poſſe, ſed duntaxat poſſe, ut poſſunt alii omnes, ut in alterutro foro agatur.

II. Perperam reſponſum eſt *Conſil. B. C.* 104. *Quæſt.* 13. eum, qui in Hollandia habitabat, & ibi legitimatus erat, in bona, quæ in Gelria erant ſita, ſuccedere non poſſe, ut enim nuptiis, Jure Hollandico recte contractis, natus, legitimus eſſet & in Gelria, ſic etiam legitimatus in Hollandia, & in Gelria pro legitimato habendus eſt. Solemne eſt, quod ad ſtatum, ex lege loci rem æſtimare, & ſic ſapit Mornacius ad *l.* 1. *C. de Summa Trinit.* & ſic ſapiunt alii, quorum auctoritates non adſcribo.

III. Teſtatrix gravida inſtituit liberos, quos pareret & relinqueret ſuperſtites, ſi hi ante ſe decederent, inſtituit maritum. Nunquam peperit. Moritur. Dubitant (2), an inteſtata? indignæ inſpectionis quæſtio, maritum enim inſtituit, ſi liberi naſcituri ante ſe decederent, vel, quod perinde eſt, ſi moriens liberos non haberet, hos namque, & hos ſolos marito prætulit. Neque quicquam eſt, quod contra dicas, niſi forte, uxorem pluris feciſſe maritum, ſi ipſam matrem reddidiſſet. Sed id fingendum non eſt, nihil quippe in verbis, quod eam interpretationem deſiderat, & maritus, ex quo uterum ferebat, ſatis probavit, ſe virum eſſe. Non dixit mulier, ſi *pariam*, neque igitur ab eo liberalitatem ſuam ſuſpendit, &, cur ſuſpenderet, nulla ratio eſt.

IV. De Clauſula reſervatoria dixi, quod ſatis eſt *Libro* III. *C.* 4. & 5. Si hæc inſerta ſit teſtamento, & apud eum, qui ejuſmodi teſtamentum condidit, reperiatur ſcriptura aliqua circa ultimam voluntatem, anxie quærunt (3), an deliberandi animo, an ut effectum ſortiatur, ſcripta ſit? & ſane erat, cur dubitaretur in ſpecie, de qua ibi quæſitum eſt. Sed ſi ſcriptura poſt teſtamentum facta ſit, ſi teſtator dixerit, ut vulgo fit

(1) *Formul. T.* I. *C.* 5. p. 84. & 85.
(2) Coren *Conſil.* IV.
(3) *Conſil. H.* III. *Amſtel. Conſil.* 26. *v.* 1. & 2.

fit, ſe eam compoſuiſſe ex poteſtate ejus clauſulæ, & ſi ſubſcriptio teſtatoris acceſſerit, de ſerio animo noli dubitare, omnes quippe jure, quo poſſunt, deſtinato uſi creduntur, præſertim ſi ipſi id ſibi pepererint.

V. Titia Teſtamento cavit, ne tutor, liberis datus, teneretur de damno, quod hereditati ſuæ obveniret, *niet in te ſtaan voor ſchaden en banqueroeten*, *nog voor het ledig leggen van de penningen*, eidemque teſtamento inſerit Clauſulam reſervatoriam. Præterea imperat, ut tutor id teſtamentum probaret, & ſuper inſtrumento, ea de re confecto, imploraret voluntariam condemnationem Senatus Supremi. Quidam Senatores negabant, decernendam eſſe, ne Senatus, per voluntariam condemnationem probaret quæcunque chirographa, ex poteſtate ejus clauſulæ confecta, etiamſi jure non ſubſiſterent. Sed illi fallebantur, neque enim quicquam probaret Senatus, niſi uſum ejus clauſulæ, ut jure ſubſiſtit, reliqua legata arbitrio permittens. Rurſus alii negabant decernendam, propter remiſſionem damni, quod dolo & fato culpæ tutoris cauſam dare poſſet, ſed & illi fallebantur, nam illa verba, quantumvis generalia, ex Jure Romano interpretanda ſunt, ut docent exempla in *l.* 5. §. 7. & *l.* 41. *ff. de Adminiſtr. tut.* & *l.* 119. *ff. de Legat.* I. Igitur ex plerorumque ſententia decreta eſt condemnatio 13. Jan. 1729. (4) ut & quod ad remiſſionem damni, in ſpecie non abſimili 13. Nov. 1738 (5). & 5. Jun. 1742.

VI. Iis, quæ de Clauſula derogatoria exhibui *Cap.* 6. & 7. addo hoc factum. Cum Titius teſtamentum feciſſet cum Clauſula derogatoria, deinde aliud ſimplex, & juſſiſſet, ſi quis huic non pareret, pauperes heredes eſſent, & heredes non parerent niſi damnati, pauperes hereditatem petiere, ſed apud Curiam 26. Sept. 1613. repulſam tulere, quum dubitans non parere non videatur. (6) & ſane ſimpliciter verum eſt, qui de voluntate, quæ poſtrema jure ſit, litigat, non videri voluntatem teſtatoris impugnare. Si dicas id tamen eſſe contra ſententiam poſterioris teſtamenti, memineris, incertum eſſe, an ipſe teſtator hoc poſtremum eſſe voluerit, & metu nemo a jure ſuo perſequendo deterrendus, ut in cauſa non abſimili Paulus ait in *l.* 40. *in fin. pr. ff. de. Hered. petit.* Interea & hic obſervari velim, & ſimplex poſterius teſtamentum viciſſe prius cum Clauſula derogatoria.

VII. Cum mater filiæ nupturæ 2000. Florenos dediſſet, ad ſe reverſuros, ſi ante ipſam filia moreretur, mortua, ſed relictis liberis, ante matrem filia, Hugo Grotius *Conſil. H.* III. 184. non ſatis auſus eſt reſpondere, 2000. Florenos reverti, etſi dubitare non debuerit, idem in matre, quod in patre, eſſe dicendum, hic enim quid differunt? Cum indefinite pacta ſit mater, non animadverto, cur non indefinite agat, mortua ante ſe filia. Sane nepotes exteris prætuliſſe credimur, ubi donator, qui voluntatem ſuam declaret, jam nullus eſt *l.* 102. *ff. de Cond. & demonſtr.* Sed hic eſt, quæ ſibi declaravit, & adhuc declarat.

VIII. Ut inter Creditores hypothecarios prior poſteriorem præcedit, ſic & præcedit omnes, qui aliud jus in re, ſervitutem forte, poſtea acquiſivere. Et tamen fundo obligato cum debitor deinde ſervitutem impoſuiſſet, Hugo Grotius *Conſil. H.* III. 216. reſpondit, ratam eſſe ſervitutem, neque hypothecaria reſcindi poſſe, quia nempe ſervitus duntaxat eſt fundi qualitas, non ipſa pars fundi obligati, quæ hypothecaria vindicari poſſit. Quod imprudentiſſimum eſt, ab improbitate enim reſponſum liberat illibata Grotii exiſtimatio. Conſtat autem, rem, pignori obligatam, jure pignoris ita creditori conſervari, ut oppignerationis tempore erat. Interdum ſane, donec creditor jus ſuum exſequatur, conſtat alienationes & ſervitutes impoſitas, a domino factas valere, ſed non minus, creditori ſuum pignus exſequenti, horum, quæ poſt oppignerationem facta ſunt, nihil obſtare. Satis id docet Pomponius in *l.* 205. *ff. de R. J.* & plus ſatis Commentatores ad *d. l.* Sunt utique ſervitutes qualitates prædiorum *l.* 86. *ff. de V. S.* ideoque ante hypothecam conſtituta pignora non minuuntur, ſed qualitatibus, de quibus agit *l.* 16. §. 2. *ff. de Pignor. & Hypoth.* eas componere, mera imprudentia eſt.

IX. Si uxor, marito ab hoſtibus capto, aut aliter abſente, auctoritate Magiſtratus ſecundas nuptias contrahat, quæſitum eſt, marito revertente, uter cedere debeat, primus an ſecundus, & ſecundum oportere cedere, etiam JCti, Theologos ſequuti, crediderunt (7), quia, inquiunt, prius matrimonium, jure poſtliminii reſtituitur, & cur non, ſi & res longe minoris momenti poſtliminio reſtituantur, ut agri, domus, mancipia, & ita quoque argumentatur C. I. *Cauſ.* XXXV. *Q. I.* Sed ego reverſus equum meum recipere paratus eſſem, cui etiam decem hoſtes mei inſediſſent, ſed mulierem, ſi vel unus amiciſſimus, quis niſi fatuus? Unde & *d. C.* I. non videtur cogere maritum, ut mulierem recipiat, ſed mulierem, ut, ſi vir velit, redeat.

X. Ex *l.* 16. *ff. de Bon. auctor. jud. poſſid.* diſtractis bonis debitoris retrahit & creditor, cui plus debetur. Eſt, qui ſcribit (8), hanc legem moribus eſſe antiquatam: ſed fallitur. Similis fere eſt Conſuetudo Amſterdammenſis 9. Jan. 1570. (9) cum hac tamen differentia, ut duntaxat locum habeat in immobilibus & navibus, & præferatur is creditor, cui debetur *uyt de oudſte Schepen-brief*, ſi nempe ex diſtractis bonis ſuum conſequi non poſſit. Similes aliorum locorum Conſuetudines poſſem addere, ſi res tanti eſſet.

XI. Habet & Socius rei, de qua agitur, jus retractus ex §. 1. *Conſuet. Middelburg. Tit.* XI. præcedit autem Socium conſobrinus, quique venditori propiore gradu eſt ex §. 25. *Conſuet. Rynland.* & vicinos in Rynlandia jus retractus habere 13. Maj. 1526. teſtati quoque ſunt Judices Rynlandici (10). Socios & vicinos etiam admittunt §. 13. & 16. *LL. Friſic. L.* I. *Tit.* XII. in novis ſcilicet Statutis, nam in veteribus de Sociis nihil cautum erat, unde & tunc quæſitum eſt, an Socii retraherent? & reſponſum eſt (11), poſſe, & ita Curiam Friſiorum in illa cauſa judicaſſe, itemque antea 15. Jul. 1642. Plane, quum vicino competat, ac nemo Socium vicinitate poſſit præcedere, non eſt ea res, quæ dubitationem recipiat.

(4) *Obſerv. Tum. T.* XI. *n.* 2490.
(5) Ibidem *T.* XIV. *n.* 3101. & 3286.
(6) *Conſil. H.* III. *Amſterd. Append. p.* 41.
(7) Wiſſenbach *Emblem. Tribon. in l.* 6. *ff. de Divort. & repud.*

(8) Matthæus *de Auction. L.* I. *C.* 16. *n.* 41.
(9) *Hand. van Amſterd.* 1663. *Parte* II. p. 174. *n.* 1.
(10) Apud van Leeuwen *ad* §. 29. *Conſuet. Rynland.*
(11) Huber *ad Tit. ff. de Reſcind. Vendit. n.* 12.

FINIS LIBRI SECUNDI.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

QUÆSTIONUM JURIS PRIVATI,

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

An Pontificii Eccleſiaſtici vel Sacra eorum loca ex teſtamento capere poſſint?

Regula eſt Juris Romani, *quibus coire licet, licet & legare l.* 20. *ff. de Reb. dub.* quemadmodum id in Hollandia olim obtinuerit & nunc obtineat, quod ad Pontificios Eccleſiaſticos, & Collegia eorum Sacra, diligenter exponam: *Capite proximo* acturus, an & quatenus Pontificii Eccleſiaſtici teſtari queant, nam utrumque intereſt ſcire, quia res quotidiana eſt, & necdum, quod ſciam, plene tractata. Antiqui Hollandiæ Comites, cum eadem hic ſacra colerentur, quæ hodie Romæ coluntur, tanta ſæpe erga Eccleſias liberalitate fuiſſe leguntur, ut univerſa ſua patrimonia in eas effuderint, tantum abeſt, ut aliorum liberalitatem cohibuiſſent. Sed quum Eccleſiaſticorum opulentia ad invidiam usque creviſſet & propter immunitatem a tributis ærario eſſet damnoſa, Carolus Burgundus Delegatos conſtituit, qui in opes Monaſteriorum inquirerent, & cum eorum Præfectis agerent, quid quantumque iis relinqueretur ad Monachos honeſte exhibendos, ſed quum opes ſuas revelare & cum illis Præfectis agere nollent, 28. Oct. 1446. (1) edixit, ne qui Eccleſiaſtici in Hollandia vel Zelandia ex teſtamento ſive ab inteſtato bona immobilia acquirerent, vel etiam emerent, usque dum indicem bonorum ſuorum exhibuiſſent, & de iis cum Delegatis illis tranſegiſſent. Exſtat quoque Edictum Caroli V. 19. Oct. 1520 (2) quo bona feudalia, patrimonialia, & quæcunque immobilium jure cenſeri poſſunt, vetantur in jure cedi Collegiis & corporibus Eccleſiaſticis, inconſultis & invitis iis, qui ibi enumerantur; ſed quia id Edictum ad Barbantiam & Limburgum pertinet, ſola ejus mentio ſufficiat. Ad ſolam Hollandiam pertinet ejusdem Edictum 20. Mart. 1524. (3) quo ſimpliciter non tantum ejusmodi bona acquirere vetantur, ſed & jubentur relinquere, quæ jam habent, niſi fuerint *amortiſata*, ut loquuntur. Porro cavet id Edictum, ſi Monachis vel Monialibus hereditas a Cognatis obveniat, ea ne arriperetur a Præfectis, niſi facto hereditatis inventario, & præſtita cautione, poſt mortem Monachi vel Monialis hereditatem reſtitutum iri proximis heredibus, non Eccleſiaſticis. Rurſus ad Hollandiam & Zelandiam pertinet ejusdem Caroli Edictum 16. Oct. 1531. (4) quo & ad mobilia ea interdictio eſt porrecta, & pœna publicationis, ſi quis contra faxit, ſtatuta, revocatis etiam privilegiis, in contrarium impetratis.

Si ſic ipſi Principes Pontificii, an putas, mutatis in Hollandia Sacris, molliora tempora Pontificiis illuxiſſe. Noli putare, nam his omnibus deinde ſucceſſit Ordinum Hollandiæ Edictum 4. Maj. 1655. conſulta Curia per longas deliberationes compoſitum, & ab Ordinibus Generalibus 14. Oct. 1655. (5) in eandem ſententiam & eadem fere verba conſtitutum in locis, quæ imperio ſuo ſuberant. Si Edicti, quamvis maniſeſtiſſimi, non ſit negligenda interpretatio, ut non negligendam eſſe Ulpianus admonet in *l.* 1. §. 11. *ff. de Inſpic. ventr.* utique non eſt negligenda Edicti obſcuriſſimi, quale eſt illud Ordinum 4. Maj. 1655. De obſcuritate ejus mul-

(1) *Plac.* I. 3. 4. 1. 1.
(2) *Plac.* III. 9. 22.
(3) *Plac.* I. 2. 8. 3. 1.
(4) *Plac.* II. *Append.* p. 2974.
(5) *Plac.* II. *Append.* p. 2419.

multæ querelæ, nec eas eſſe inanes oſtendunt tot variantes utriusque Curiæ ſententiæ, quot *hoc & ſequenti Capite* recenſebo. Mens Edicti, ut ex præfatione apparet, potiſſimum duplex eſt, altera, ut occurratur Pontificiis, qui perverſo Religionis zelo bona ſua in Eccleſias & Eccleſiaſticos effundunt; altera, ut occurratur Pontificiis parentibus, qui liberos habent utriusque Sectæ, Pontificiæ nempe & Calvinianæ, ne, odio Religionis, his quam illis iniquiores ſint. Qui per Eccleſiam & Eccleſiaſticos intelligantur, magno verborum apparatu Præfatio exponit, & aliquoties repetit, enumerans loca & perſonas ſacras, quibus ex teſtamento capere non licet, additis rationibus, ne ἱεραρχία ſacra promoveatur, ne olla ſacra, quam vocant, locupletetur, ne bona perveniant ad manum mortuam, *onder andere dan publicque en geautboriſeerde adminiſtratie.*

Mox incipit prima ſanctio, quæ eſt de teſtamenti factione paſſiva, ſic enim vulgo appellant; ſive de his, qui capere non poſſunt quocunque modo, atque hi vocantur *geſeide geeſtelyke perſonen*, *Kloppen*, *Nonnen*, *of andere Pausgeſinde geordende perſonen*, *hoe die ook genaamt zoude mogen weſen*, *geſeide geeſtelyke armen*, *Geſtigten of Godsbuyſen.* Ipſa verba exhibui, quia de iis diſputandum erit. Quicquid autem iis relinquatur, vel expreſſe, vel tacite, per interpoſitam perſonam, cedit heredibus ab inteſtato. Poſt *geeſtelyke perſonen* ſequuntur *Kloppen*, unde diceres, eas Virgines eſſe recenſendas inter perſonas, quæ ad ſtatum Eccleſiæ ſive ad ordinem Eccleſiaſticum pertinent: ſed quum illæ Virgines, (*Sanctimoniales* appellabo) tria vota, caſtitatis, paupertatis & obedientiæ non præſtent, neſcio, an ad ſtatum Eccleſiaſticum referri posſint, neque etiam ulli ordini, aut Præfecto adſcriptæ ſunt, nec alio jure videntur habendæ, quam quæ apud Calvinianos pietatem præ reliquis affectant. Sane nec ex Jure Pontificio, nec ex ejus Interpretibus diſcere potui, virgines illas Sanctimoniales inter perſonas Eccleſiaſticas eſſe numerandas, & cur non ſint, multis argumentis probavit Anſelmus in *Triboniano Belg.* C. IV. §. 8. Sed quia inter eas numerarunt Ordines Hollandiæ, fruſtra ea de re eſt omnis diſputatio, & ſic quoque judicavit Supremus Senatus 29. Jul. 1740. (6) quum de eo controverſia incidiſſet. *Moniales* utique ſunt virgines Eccleſiaſticæ ſive religioſæ, & palam Edicto comprehenduntur, Beginæ non exprimuntur, & eas mixti fori eſſe ſcripſit Anſelmus *d. C.* IV. §. 6. quin tamen ſententia Edicti contineantur, ipſe non dubito, nec quisquam dubitavit, qui *Kloppen* albo religioſorum inſeri animadvertit.

Ait Edictum, *geſeide geeſtelyke armen*, *Geſtigten of Godsbuiſen.* Præfatio dixerat *Kloofters*, *Conventen*, *en andere genoemde geeſtelyke Geſtigten*, item *armen en Collegien.* Unde quæſitum eſt de hac ſpecie. Sempronia, quæ religionis erat Pontificiæ, heredem ex aſſe ſcribit Mævium, & Titiæ, ſorori ſuæ, legat minutam quamdam ſummam, hebdomadatim ſolvendam. Titia, poſt obitum Semproniæ, rata, Mævium fideicommiſſo eſſe gravatum in fraudem Edicti 4. Maj. 1655. Mævium in jus vocat apud Senatum Supremum, primum *Interdicto Uti poſſidetis*, deinde ex conventione partium in judicio petitorio, ut ſibi, qua hæredi ab inteſtato, omnem hereditatem reſtitueret. Mævius ait, ſe paratum eſſe jurare, nihil ſibi eſſe mandatum, quod impingat in *d. Edictum*, quin non alio mandato ſe eſſe inſtructum, quam ut hereditatem diſtribueret inter pauperes Pontificios, qui Rotterdami ſunt. Quæſitum eſt, an id per Edictum liceret? Mævius Titiam etiam ex eo repellebat, quod & ipſa eſſet Pontificiæ Religionis, & Edictum duntaxat videretur ſcriptum in gratiam eorum, qui emendatæ erant Religionis. Sed Edictum ſimpliciter vocat heredes ab inteſtato, ſi quis contra id Edictum fuerit teſtatus, ſola igitur quæſtio erat, an ſic teſtata eſſet Sempronia. Adfirmabat Titia, quia ex eo Edicto bona eſſe poſſunt niſi ſub publica & licita adminiſtratione, & nominatim caveri, ne relinquantur pauperibus Pontificiis. Ad hæc Mævius publicam & licitam adminiſtrationem in Edicto opponi *manui*, quam vocant, *mortuæ*, cujus nulla eſt alienatio, ſe publice adminiſtrare, & de hereditate ſtatuere poſſe in rem pauperum, Edictum non vetare, quominus legetur pauperibus Pontificiæ Religionis, ſed quo minus legetur *aan geeſtelyke armen*, & ita appellari, qui votum paupertatis voverunt, reliquos pauperes, qui Laici ſunt, publice ali Amſterdami, Rotterdami & alibi locorum in Hollandia, & publicos eſſe eorum pauperum curatores. Si iis non ſit licitum legare, prohibitum quoque non eſſe perſonam eligere, quæ de hereditate in rem pauperum ſtatueret, nam penes ipſos pauperes hereditatem non ſatis tuto loco eſſe. Senatus paribus ſuffragiis videbatur inclinare in ſententiam Mævii, ſed nonnihil hærebat, quia Mævius non omne mandatum, quod acceperat, videbatur explicuiſſe. Quod ut faceret, Senatus interlocutione juſſit 2. Mart. 1724. Explicatio deinde quam exactisſime omni mandato, & oblato in hæc omnia jurejurando, ſatis conſtabat, potuiſſe Mævium totam hereditatem erogare in cauſam pauperum, & porro conſtabat ex libris, in quibus bona pauperum deſcribuntur, eam hereditatem, quanta erat, eſſe erogatam in cauſam pauperum Laicorum, & ibi eſſe relatam primum inter accepta, deinde inter expenſa. Quod cum Edicto non obſtet, decretum eſt 16. Nov. 1724. (7) ſi Mævius juraret jusjurandum, quod obtulerat, repelleretur Titia. Recte judicatum eſſe ex eo apparet, quod curatores pauperum Rotterdamenſium, qui Pontificia Sacra colunt, 11. Jun. 1729. ab Ordinibus Hollandiæ obtinuerint privilegium, quo pauperibus ſuis, quia non pertinent ad Edictum, ex teſtamento capere liceret, modo Magiſtratus, quod relictum eſt, ſua auctoritate probaret. Ejusmodi plurima exſtant privilegia (8), ante & poſt data aliis pauperum Pontificiorum curatoribus, qui in aliis Urbibus eo officio funguntur, quin & omnibus promiſſa, ſi annueret Magiſtratus loci.

Cæterum Ordines Hollandiæ d. anno 1655. non absque ratione erant ſolliciti, ne id Edictum circumveniretur per eos, qui dicis cauſa ſcribebantur heredes, & tamen ſecretis mandatis erant juſſi vel rogati, quicquid ſibi relictum eſſet, reſtituere aliis, qui per id Edictum capere non poterant. Quod ne fieret, prolixum verſiculum ei Edicto inſeruerunt, qui incipit a verbis *Ende omme*, & porrigitur fere ad finem Edicti. Accurate ille verſiculus eſt ſcriptus, ut fraudibus occurratur, ſic ut Pontificii, qui præte-

(6) *Obſerv. Tumult. T.* XIV. *n.* 3194.
(7) *Obſerv. Tumult. T.* IX. *n.* 2018.

(8) Van der Schelling ad Van Zurk *Cod. Batav. Edit.* 1738. *Verbo Aalmoeſen* §. 3. *A.* & *in Not.*

teritis Calvinianis, ab inteſtato alioquin ſucceſſuris, heredes inſtituti ſunt, non tantum jurare cogantur, nihil fidei ſuæ eſſe commiſſum in fraudem d. Edicti, ſed &, fraude detecta, infamia & quadruplo multentur. Non tamen arripienda eſt occaſio, ut nimis in hanc rem ſimus creduli, & temere, quidquid occurrit, odio religionis in ſiniſtram partem interpretemur. Accipe exemplum, quod, me Præſide, Senatum Supremum occupavit. Virgo quædam ſanctimonialis (*een Kloppe*) quæ habitabat in cœnobio Religionis Pontificiæ in pago quodam Hollandiæ Borealis, 9. Nov. 1730. nullo ſcripto hærede, ſimpliciter conſtituit Titium & Mævium, Pontificios, qua curatores hereditatis ſuæ, & jubet, ſe mortuam ſepelirent, bona mobilia & immobilia poſſiderent, immobilia venderent, & ex eorum pretio retinerent eas ſummas, quas ipſa curatoribus debebat ſecundum chirographa, ea de re facta, & ne cuiquam hominum adminiſtrationis ſuæ rationes redderent. Defuncta illa Virgine curatores hereditatem occupant, ac prædium quoddam hereditarium vendunt, & in jure cedunt nomine heredum, non expreſſis heredum nominibus. Supervenit deinde Sempronius Calvinianus, proximus, ut ajebat, defunctæ cognatus, & contra illos curatores apud Senatum agit *Interdicto quorum bonorum*, & petit fiduciariam hereditatis poſſeſſionem. Curatores in reconventione contendebant, ut qua curatores defenderentur in eo officio, parati, ſimulac hereditatem ad liquidum perduxiſſent, adminiſtrationis ſuæ rationem reddere, & hereditatem reſtituere Sempronio, ſive ex aſſe, ſive pro ea parte, quæ ipſi deberetur, petita quoque fiduciaria poſſeſſione quod ad id officium. Quum Sempronius ſatis probaſſet, ſe eſſe cognatum defunctæ, & alii non ſupervenirent, non eſt laboratum de fiduciaria poſſeſſione in Conventione adjudicanda, etiamſi & in Reconventione adjudicanda eſſet, quia judicatum eſt, curatores ſive executores non poſſe heredes arcere ab hereditate, ſi non nominatim contra cautum ſit. Magis laboratum eſt de reconventione, nam quibusdam Senatoribus hæc cauſa adeo fraudis plena videbatur, ut etiam in pleno poſſeſſorio contra curatores jus dici poſſe exiſtimarent. Illis Senatoribus perſuaſum erat, ſimulate & clandeſtine id actum eſſe, ut bona Virginis pervenirent ad cœnobium, in quo habitaverat, ſatis id apparere, quia non alius hic erat ſcriptus heres, quia teſtata erat Virgo Sanctimonialis, quia curatores conſtituerat pontificios, quos etiam retinere juſſerat ex hereditate, quod ſibi debebatur, in quam rem facile erat falſa chirographa ſubjicere, & quia illos curatores voluerat eſſe aneclogiſtos, & quia hi, ſuppreſſo nomine heredum, prædium aliquod hereditarium vendiderant & in jure ceſſerant. Habebant ſane illæ rationes ſuum pondus, ſed tamen plurimi Senatores contra reſpondebant, rati, poſſe quem decedere ſine ſcripto herede, Virginem Sanctimonialem non eſſe inteſtabilem ob eas rationes, quas expediet *ſequens Caput*. Ex adjectis clauſulis ſuſpicionem quidem fraudis eſſe, ſed non probationem; juſſerat curatores retinere, quod ſibi debebatur, at ſi non juſſiſſet, idem utique fuiſſet juris, ſi curatores chirographa proferant ſuſpecta, quod adhuc erat incertum, ſi ſecreta mandata, ſi alia metuant, locus eſt jurijurando ex d. Edicto 1655, & eo præſtito, evaneſcet, quicquid eſt præſumptionum & ſuſpicionum. Voluerat Virgo, curatores eſſe aneclogiſtos, ſed & ſine fraude hoc velle poterat, tollitur enim, cæteris ſalvis, ea conditio *l.* 5. §. 7. *ff. de Admin. & peric. tut.* & ipſi curatores in libello ei conditioni renunciaverant. Vendiderant & in jure ceſſerant illud prædium *nomine heredum*, ſed forte quia ignorabant ubi laterent, ex eo ſane effici nequit, ipſum cœnobium fuiſſe inſtitutum. Igitur plerique Senatores, quia fiduciaria poſſeſſio, utrimque petita, ſibi invicem non adverſabatur, eam quoque utrique parti adjudicarunt 31. Maj. 1732. (9).

Priusquam finiam, quæro, an id Edictum 4. Maj. 1655. etiam pertineat ad illos Eccleſiaſticos, qui ſub Rege Hiſpaniarum degunt? Quid, inquies, dubitas, cum Ordines in eo Edicto non ſemel, ſed iterum iterumque dixerint, id etiam eſſe porrigendum ad Eccleſiaſticos, qui extra Hollandiam habitant? Sed quemadmodum in §. 33. *Induciarum inter Albertum & Ordines Generales* convenerat, ut utriusque ſubditi *cujuscunque conditionis aut qualitatis*, tam ex teſtamento, quam ab inteſtato, in alterius Ditione capere poſſent, ita & id repetitum 30. Jan. 1648. in §. 62. *Fœderis Monaſterienſis inter Hiſpaniarum Regem & Ordines Generales.* Conſtat autem, fœdus, utriusque voluntate conſtitutum, alterutrius Edictis tolli non poſſe, atque ita magis eſt, ut dicamus, d. Edictum exerceri non poſſe contra Eccleſiaſticos, qui Regis Hiſpaniarum ſunt ſubditi. Adde, quæ alia occaſione in hanc rem diſputavi *L.* II. *Quæſt. Jur. Publ. C.* 30. ſed quod ibi dicebam, hic dicere non licet.

CAPUT II.

An & quatenus Pontificii Eccleſiaſtici teſtari queant?

Si id, de quo quæritur, ex ſola ratione definiendum eſſet, non animadverto, cur Pontificii Eccleſiaſtici de bonis ſuis teſtari haud posſint. Si qua & hic lex eſſet, qualis in Gelria memoratur ex Edicto anni 1624. (1) ne Clericis liceret bona immobilia alienare, inde forte effeceris, de illis bonis iis quoque non licere teſtamento ſtatuere. Sed in Hollandia conſtat, Clericos bona ſua alienare poſſe, atque ita & conſtare debebat, etiam teſtamento ea relinqui poſſe, ut & ait *vſ. Cum Inſtit. de Lege Fuſ. Canin toll.* Reipublicæ, etiam Pontificiæ, intereſt, ne Eccleſiaſtici eorumque loca pia acquirant, & ejus rei non una ratio redditur in Edictis, quæ *Capite proximo* commemoravi, ſed ut amittant & alienent, Reipublicæ magis prodeſt, quam obeſt.

Sed quia habemus Edictum 4. Maj. 1655. quod ajunt Eccleſiaſticis interdicere teſtamenti factionem, & quia legis eſt non diſputare, ſed jubere, primum de veritate quæramus ex ipſo Edicto, deinde de varia ejus interpretatione. Id Edictum, ſimulac editum eſt, habuit hunc titulum, *tegen het teſteren ten behoeve van geeſtelijke of*

(9) *Obſerv. Tumult. T.* IX. *n.* 2698.

(1) *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 107.

of andere Pausgeſinde geordende perſonen of geſeide geeſtelyke armen, geſtigten of godsbuyſen, qui titulus ad ſolam teſtamenti factionem paſſivam pertinet, ſed in §. 52. *noviſſimi Ordinum Hollandiæ Edicti de charta ſigillata*, mutato titulo, id Edictum 4. Maj. 1655. vocatur *het Placaat, tegen het teſteren van de Pausgeſinde geëmaneert*, qui titulus pertinet ad teſtamenti factionem activam. Interea omnis præfatio, quæ longe exponit varias Edicti cauſas, unice refertur ad teſtamenti factionem paſſivam, & in ipſo Edicto de activa, quod ad Eccleſiaſticos Pontificios non niſi unus verſiculus eſt, cujus verba mox apponam. Poſtquam ſcilicet in ſecunda ſanctione ſtatuiſſent Ordines, ne parentes Pontificii, qui liberos habebant utriusque religionis, non Pontificios ſeu Calvinianos, & Pontificios, his plus relinquere vellent, quam illis, ſin autem, non Pontificii tantum haberent, quantum unus ex Pontificiis, cui plurimum relictum eſſet, poſtquam, inquam, ita ſtatuiſſent, his annectunt ſequentem verſiculum: *Ende belangende ſodanige van DESE kinderen, die haar tot eenige GESEIDE geeſtelyken ſtaat zullen hebben begeven, en binnen of buyten deſe vereenigde Nederlandſche Provincien wonen of reſideren, dat de goederen of erfportie, van haar Ouders gekomen, uyt kragte van deſen zullen ſubject weſen, om na der voorſchr. kinderen doot te koomen aan der zelver naaſte vrienden en erfgenaam ab inteſtato.* In tranſitu obſervo, cum ait Edictum, *tot eenige GESEIDE geeſtelyke ſtaat* &c. non alios hic intelligi Pontificios Eccleſiaſticos, quam eos, quos jam commemoraverat in teſtamenti factione paſſiva, atque ita & *Kloppen*, ut *præcedenti Capite* dictum eſt. Quod ad rem ipſam attinet, diligenter excuſſo, quem exhibui, *verſiculo*, ſtatim apparebit, Ordines in eadem ſpecie, ubi liberi erant utriusque religionis, porro cavere, ſi quis ex liberis Pontificiis ad ſtatum Eccleſiaſticum perveniſſet, ne ex ejus hæreditate, a parentibus profecta, etiam minus caperent Calviniani, quam Pontificii, ſed utrique pari jure ab inteſtato ſuccederent fratri vel ſorori Eccleſiaſticis. Vides igitur, quod de hereditate parentum dixerant Ordines, etiam porrexiſſe ad hereditatem liberorum, ſi quis ex Pontificiis Eccleſiam intraverit, ut Pontificiorum verbo utar, & vides, una eademque oratione *hunc verſic.* præcedentibus addi, nam ait *ſodanige van DESE Kinderen* &c. Quare Ordines telam, quam orſi erant, pergunt pertexere, atque ita continua oratione loqui de eadem ſpecie, ubi nempe fratres & ſorores ſunt, qui quæve alia atque alia ſacra ſequuntur, & odio religionis, etiam in bonis paternis, ſibi invicem facile præjudicarent. Præter eum caſum non alium novi, que Eccleſiaſtici teſtamentum facere prohibentur in toto, qua patet, Edicto.

Si vera ſit hæc interpretatio, erras, ſi putes, nihil conſtituiſſe Ordines in illo *verſ.* quam ne Eccleſia Clericis ſuccedat, abrogata ſic *Novella* V. *C.* 5. quam jam olim, quod ad immobilia, abrogaverat Carolus V. 20. Maj. 1524. & erras, ſi putes, ut conſulatur legitimis heredibus, ademptam illi eſſe Clericis teſtamenti condendi licentiam. Imo, ſecundum *d. vſ.* teſtari poſſunt, dummodo ne de ea patrimonii parte, quam a parentibus acceperunt, idque uno illo caſu, qui ibi expreſſus eſt, cæteroquin generaliter poſſunt. Palam quoque id ſignificat *vſ. Ende omne alle verdere quaat beleid*, cum ait heredem Pontificium, ab *Eccleſiaſtico* vel Laico inſtitutum in præjudicium heredum non Pontificiorum, qui alioquin ab inteſtato ſuccederent, teneri mandata ſua explicare, ut ſciatur, an quid forte in fraudem Edicti fideicommiſſum ſit. Si non ſit, Eccleſiaſticis non minus integra eſt teſtandi facultas, quam quibuslibet aliis, excepto, quod ſemper tenendum, uno illo caſu, qui præceſſit, & qui ipſe caſus probat, in ſtatu Eccleſiaſtico nihil eſſe, quod teſtandi licentiam impediat, alioquin enim non recte teſtarentur de iis, quæ a parentibus profecta non ſunt, quod tamen permittit *d. verſic.*

Quid igitur eſt, quod Hollandi, tanquam ex jure communi, ſcribant (2), Eccleſiaſticos teſtari non poſſe, & quid eſt, quod ipſa Curia Hollandiæ anno 1660. reſponderit (3), Sanctimonialibus non oportere concedi, ut de legitima, quam a parentibus acceperunt, teſtentur, & quod eadem Curia, ſententiam rogata ab Ordinibus Hollandiæ de privilegio teſtandi inter Cognatos Pontificios, quod imploraverat Virgo Sanctimonialis, 16. Jan. 1665. reſcripſerit (4), Eccleſiaſticos teſtamenti factionem non habere, & nihil eſſe, cur privilegium in hanc rem largiantur Ordines. Et quid eſt, quod ea ipſa Curia 24. Mart. 1679. legatario ex Sanctimonialis teſtamento legatum addixerit (5), ſi modo ex bonis, quæ non ex ſucceſſione parentum illa acceperat, redigi poſſet. Compone hæc, ſi potes, & compone cum alia ejusdem Curiæ ſententia, 24. Dec. 1730. ad Ordines Hollandiæ transmiſſa (6), qua ajunt, ante annos XL. dubitatum non fuiſſe, quin Eccleſiaſtici habuerint teſtamenti factionem activam, & ita quoque Curiam, de privilegio teſtandi conſultam, ſæpius deinde reſpondiſſe, ſed paratam ſe eſſe, de eo amplius deliberare cum Ordinibus. Hæc ſibi non conſtant, ſed poſtrema ſententia vera eſt, ſi unum, quem dixi, caſum excipias. Attamen & Senatus Supremus 30. Oct. 1685. & 7. Maj. 1697. (7) cum Sanctimonialis, præteritis agnatis & cognatis, exteros heredes ſcripſiſſet, agnatis & cognatis adjudicavit, quæ a parentibus Sanctimoniali obvenerant, reliquis negatis. Perperam, quamvis & ita, ut dixi, Curia judicaverit 24. Mart. 1679. & ideo perperam, quod hæc res aliena ſit a ſententia *verſiculi*, quem expoſui.

Sed alia & meliora ſequamur. Cum Virgo Sanctimonialis, præteritis quibusdam legitimis, alios ſcripſiſſet heredes, Senatus Supremus 27. Mart. 1722. fiduciaria ſententia pro teſtamento judicavit (8), ut ut inter præteritos etiam Calviniani numerarentur, & recte, cum non haberet fratres & ſorores utriusque religionis. Et cum rurſus alia cauſa apud Senatum incidiſſet, 2. Maj. 1725. (9), nonnulli Senatores non aliter quoque interpretabantur *d. vſ. Ende belangende*, quam ut duntaxat obtineret, ſi fratres & ſorores alia atque alia ſacra colerent, quamvis de eo tunc judicatum non fuerit, nam per imperitiam Advocati inter fratres & ſorores, unius, an diverſæ Religionis diſtinctum non fuerat. Rurſus, cum Begina Amſterdammenſis cognatum ſuum in-

(2) *Conſil. Holl. T.* V. *Conſil.* 113.
(3) *Formul. T.* II. p. 70.
(4) *Form. T.* II. p. 69. & 70.
(5) *Form. T.* II. p. 69.
(6) *Inter Acta Ordinum ad eum annum & diem.*
(7) *Utraque ſententia exſtat inter Acta Senatus.*
(8) *Obſervat. Tumult. T.* VIII. *n.* 1835.
(9) Ibid. *Tom.* IX. *n.* 2151.

inſtituiſſet heredem, & alium, pari gradu, alioquin ab inteſtato etiam ſucceſſurum, præteriſſet, teſtamentum ſubſiſtere Ordines Hollandiæ Decreto ſuo 1. Aug. 1731. (10) complexi ſunt. Probavit quoque Senatus Supremus 31. Maj. 1732. (11) teſtamentum Virginis, quæ inter Pontificios ſanctimoniam vitæ profeſſa erat, ſi non haberet fratres & ſorores, partim Pontificios, partim Calvinianos. Addo cauſam, quæ haud ita pridem eundem Senatum occupavit. Sanctimonialis ex aſſe heredem ſcripſerat Semproniam, plane exteram Pontificiæ tamen religionis, præterito fratre, qui ejusdem erat religionis. Frater præteritus totam ſororis hereditatem vindicat. Sempronia contradicit. Ex conventione partium litigatum eſt apud Senatum. Frater ait, ex Edicto 1655. Virgines Sanctimoniales de bonis ſuis teſtari non poſſe, ſed in ea ſuccedere heredes legitimos. Quod ſi ſit, vinceret frater, ſed defendit Sempronia, ejusmodi Virgines Eccleſiaſticis non eſſe adnumerandas, atque adeo ad id Edictum non pertinere. Male, ut ſupra dixi, ſi, ut oportet, verba Edicti ſequamur. Deinde defendit, *illo vſ.* duntaxat prohibitam eſſe teſtamenti factionem de bonis paternis & maternis, non de his, quæ aliunde quæſita erant. Quod nec negabat frater, ſed urgebat, nihil aliunde obveniſſe ſorori ſuæ, de quo tamen in hac lite nihil quicquam conſtabat. Si nihil ultra occurriſſet, fratri paterna & materna, Semproniæ, quæ aliunde quæſita eſſent, adjudicaſſet Senatus, ut in pari cauſa annis 1685. & 1695. adjudicavit Senatus, & ita apud nos unus adhuc Senator ſapiebat, ſed reliqui omnes exiſtimabant, nihil prohibere, quominus Eccleſiaſtici, etiam de bonis paternis maternisque, teſtamento ſtatuant ex animi ſui ſententia, ſive heredes ſcripſerint Pontificios, ſive Calvinianos, ſive ex parte hos, ex parte illos, modo ne incidant in *vſ. Ende aanbelangende*, & hunc interpretabantur, ut ipſe ſupra iuterpretatus ſum. Si Eccleſiaſticus omnes Cognatos haberet Pontificios, cur non aliis alios præferre liceret, ſi omnes capere poſſint? Si omnes Calvinianos, in his utique eadem ratio eſt. Si partim hos, partim illos, attendenda ſunt Edicti verba, & extra caſum, quem exprimunt, porrigenda non ſunt, ſi ſequamur regulas rectæ interpretationis. Quare frater etiam quod ad bona, a parentibus profecta, repulſus eſt. 29. Jul. 1740. (12).

Scio Virgines Sanctimoniales, ſcio alios Eccleſiaſticos, præcipue eos, qui votum paupertatis non præſtant, & propterea audiunt *Wereldſche Prieſters*, ſæpe adiiſſe Ordines Hollandiæ & imploraſſe privilegium, quo ſibi de bonis ſuis teſtari liceret. Scio id eos factitaſſe non eo tantum caſu, quem commemorat *vſ. Ende aanbelangende*; ſed & plurimis aliis, in quibus, ex interpretatione Senatus, privilegium utique neceſſarium non erat. Scio denique Ordines Hollandiæ 13. Maj. 1734. (13) decreviſſe, Eccleſiaſtici, qui absque voto paupertatis ordini vel regulæ Clericorum ſunt adſcripti, in poſterum quoque privilegium teſtandi implorarent, ut aliquot retro annis imploraverant. Hæc, inquam, omnia ſcio, ſed quod ex abundanti fit, ad neceſſitatem juris trahendum non eſt. Malunt homines, ad impetrandum privilegium, minutam quamdam pecuniam erogare in ſcribas & actores, quam heredes ſuos incertæ & periculoſæ judiciorum aleæ objicere. Sunt meticuloſi, qui omnia tuta timent, ſed ne id imputa iis, qui inter tot varietates rerum judicatarum prudentiæ conſulunt. Quod ad Decretum Ordinum 13. Maj. 1734. forte non alia eorum mens fuit, quam declarare, etiam eos Eccleſiaſticos, qui votum paupertatis non præſtant, nihilominus pro Eccleſiaſticis eſſe habendos, quod veriſſimum eſt, ſed inde neceſſitatem privilegii arceſſere non licet, neque etiam inde arceſſunt, verum ab exemplis, quæ aliquot retro annis exſtabant, & forte ad ſolam prudentiam pertinebant. Certe id Decretum non ſatis mihi videtur convenire cum alio, quod retuli, Ordinum Hollandiæ Decreto 1. Aug. 1731. quo probatum eſt Beginæ Amſterdammenſis teſtamentum, quod ſine privilegio fecerat. Non licet dicere, id Decretum 13. Maj. 1734. ab Ordinibus fuiſſe factum contra ſententiam Curiæ, quam rogaverant, quamque ipſa jam transmiſerat 24. Dec. 1730. nam Principis juſſa capeſſere fas eſt. Sed quicquid ſit, eo ipſo Decreto 1734. continetur, omnino ſervandum eſſe Edictum 4. Maj. 1655. & id ſervari omnino velim. Ne dicam, nondum ſatis conſtare, an Decreta Ordinum, quæ non publicantur, æque atque Edicta, quæ publicantur, auctoritate juris ſint habenda, certe quod in iis de una ſpecie ſtatuitur, ego, ex pari ratione, ad alias extendere non auſim. In Decreto de omnibus Eccleſiaſticis non eſt ſermo, ſed duntaxat de iis, qui votum paupertatis non præſtitere.

Transeo ad tertiam ſanctionem, ſive ad clauſulam finalem d. Edict. 1655, Primum ibi Ordines reſcindunt omnia privilegia, quibus teſtamenti factio de Feudis Pontificiis erat conceſſa, ſi in eo teſtamento heredes ab inteſtato non Pontificii eſſent præteriti, *uyt kragte van welke Octroyen*, inquiunt, *de naaſte erfgenamen ab inteſtato, niet zynde van de Pauſelyke religie, zouden mogen werden of weſen voorbygegaan en verkort*, & mox ſtatuunt, Pontificios, qui impetrato privilegio de Feudo teſtarentur, teſtari debere apud Curiam Hollandiæ, quæ de juſtitia rationis, qua proximi legitimi ſucceſſores præterirentur, cognoſceret. Illa autem rationem probandi neceſſitas duntaxat locum habere videtur, ubi alioquin ſucceſſuri non eſſent Pontificii, argumento ejus *verſiculi*, qui proxime præceſſit. Et ſane ea interpretatio mihi veriſſima videtur, non tantum, quod eam ſuggerat *vſ. uyt kragte*, ſed & quod ei uno tenore eademque ſententia addatur *vſ. Ordonnerende*. Scire etiam velim, quid ad curam Ordinum, utrum Pontificii ſucceſſores Feudales prætereantur, & utrum alter alteri in Feudo præferatur? & ſi id ad curam Ordinum in Pontificiis, quidni & in Calvinianis? Quis enim rationem dabit, cur majori favore lex cognatos Pontificiorum Pontificios complectatur, quam non Pontificiorum non Pontificios? Sed tamen invenio, Curiam Hollandiæ 23. Jan. 1665. (14) talem d. Edicti interpretationem pronunciaſſe *erroneam*, quia nempe generalis eſt *vſ. Ordonnerende*. Perperam, ſi quid judico, quia dependet is *vſ.* a *vſ. præcedenti*, & quia ipſius *vſ. Ordonnerende* verba, quæ cauſæ cognitionem deſiderant, illam interpretationem tuentur, cui enim bono cognitio in Pontificiis præteritis, vel ſibi invicem prælatis? nulla ſane, ut mihi quidem videtur.

C A-

(10) *Eſt inter Decreta Ordinum.*
(11) *Obſerv. Tumult. T.* XI. *n.* 2698.
(12) Ibid. *Tom.* XIV. *n.* 3194.
(13) *Inter Acta Ordinum.*
(14) *Plac.* III. 2. 1. *n.* 23.

CAPUT III.

Qui & quæ bona a minoribus nec inter vivos, nec ex teſtamento capere vel capi poſſunt.

Carolus V. poſt adventum in Belgium, Legem miſcellam compoſuit, qua varia varii argumenti capita complexus eſt; innuo ejus Edictum 4. Oct. 1540. Quia autem Reipublicæ, & ipſorum minorum intererat, ne lubrico ætatis a quoquam capiantur; ita & cum maxime intereſt, ne id fiat ab his, quibus ipſorum minorum cura demandata eſt, quorumque adeo auctoritas apud eos plurimum valet. Ut huic rei eſſet proſpectum, Carolus cavit in §. 12. *ejus Edicti*, cujus verba, quia interprete egent, hic deſcribo: *Dat alle giften by teſtamente; legaten, giften by levende lyve, of in gevalle de dood, gedaan by minre dan vyf en twintig jaren, van onroerlyke goederen, of by de welke onroerlyke goederen zouden belaſt weſen met ſommen van gelden of renten ten lyve, of eeuwiglyk, tot profyte van hare Curateurs, Bewaarders of andere hare Adminiſtrateurs ofte van hare Kinderen, of tot profyte van hare Peters ende Meters, of van hare Concubinen, zullen weſen nul en van onwaarden, bevelende allen Regteren dat alzoo te weren.* Recte reſponſum eſt (1), eum §. eſſe in uſu, & id palam evincent, quæ mox dicam; quin tanti *d.* §. fecerunt Friſii, ut eum, nonnihil tamen interpolatum, *Legibus ſuis* inſerere dignati ſint *L. I. T. VII.* §. *ult.* Quod autem relatum eſt (2), Curiam Hollandiæ 27. Sept. 1619. quod ad *tutorem* & *Liberos ejus* ſecundum d. Edictum judicaſſe, noli accipere, ac ſi in cæteris obſoleverit, tantum enim abeſt, ut id dicamus, ut potius alios, lege nominatim non comprehenſos, ejus ſententia contineri verius ſit, & ſic mox audies.

Loquitur Edictum de *immobilibus & iis, pro quibus immobilia ſunt obligata.* Quid igitur dicamus de mobilibus magni pretii? ut hæc quoque Edicto comprehendantur, ratio videbatur flagitare, & de iis quoque edixerunt Albertus & Iſabella in interpretatione Edicti Perpetui 28. Nov. 1611. (3) & recte, ſi credas Anſelmo ad §. 14. *Edict. Perpet. n.* 47. Sunt & Hollandi (4), qui & ad ea *d.* §. interpretatione ſua porrigunt, exemplo forte Veterum, qui margaritas, propter pretium, rebus mancipi adſcripſerunt, vel propter utilitatem, in legum interpretatione tantopere ab Ulpiano commendatam in *l.* 13. *ff. de LL.* Sed ego non auſim Edictum, ultra Leges Romanas conditum, tantum producere, etiam ideo, quod Curatores, quamvis immobilia absque Decreto Magiſtratus alienare nequeant, mobilia, etiam pretioſiſſima, non æque vetentur, & quod ipſe ille Carolus V. in Edicto ſuo 20. Mart. 1524. (5) cum Eccleſiis interdixerit immobilia acquirere, nemo usquam id porrexit ad mobilia, quantivis eſſent pretii. Alibi (6) quoque reſponſum & relatum eſt, ſæpius Curiam Hollandiæ judicaſſe, minorem, dummodo ne immobilia relinquat, recte Curatorem ſuum hæredem ſcribere, eique legare aut alio quovis modo prodeſſe. De iis, pro quibus immobilia ſunt obligata, nihil addo, quam ſententiam Senatus Supremi, qua judicaſſe fertur (7), tutori legari non poſſe *Kuſting-rentebrieven, waar voor het verkogte verbonden was, over reſtant van Cooppenningen*; has enim Cautiones immobilium loco eſſe habendas, & ſic habent verba Edicti. Cæterum quum minor tutorem heredem ſcripſiſſet, & is, qua heres, ab herede fideicommiſſario ex Edicto Ordinum Hollandiæ 28. Jul. 1674. repeteret centeſimas & ducenteſimas, pro prædio fideicommiſſario ſolutas, recte repetere Senatus Supremus judicavit, 1. Febr. 1726. (8), reſciſſa quod ad eas Curiæ Hollandiæ ſententia, quæ 26. Oct. 1717. contra judicaverat.

Qui ea, quæ dixi, a minoribus capere non poſſunt, vocantur *hare Curateurs, Bewaarders of andere hare Adminiſtrateurs*, hoc eſt, qui quocumque nomine minorum curam gerunt. Sunt (9), qui ex his verbis Edicto locum non faciunt, niſi in tutoribus, qui adminiſtrant, non etiam in honorariis ſive ephoris. Quæ mera eſt verborum captatio, a mente Edicti longe aliena, quum & qui bonorum adminiſtrationem non habent, auctoritate in minores valeant, & id ipſum, quod alii, poſſint efficere blanditiis, nimia indulgentia, aut etiam minis & ſeveriori admonitione. Et aliter quoque alii ſapuerunt (10). Sane pro *Bewaarders*, quod hic eſt, §. 14. *Edict. Perpet.* habet *Toeſienders*, qui & ipſi adminiſtrationem non habent; de his ſufficiunt, quæ dixit Anſelmus ad *d.* §. 14. *n.* 70. 71. & 72. & in *Tribon. Belgico C.* LXII. *n.* 8. Cæterum illi ipſi, qui ephoris legari poſſe cenſent, etiam aliam exceptionem fingunt, rati & quibuscunque tutoribus, bene meritis, recte legari, & ea ſententia alii quoque utuntur (11). Sed id admittendum non eſt, quis enim audeat credere, in *d. Ed.* tutores, ſimpliciter ſanctione comprehenſos, *improbos* accipiendum eſſe. Sufficit lege placuiſſe, ne tutor ab eo, qui ei ſubeſt, ullam meritorum, ſi quæ ſint, remunerationem extorqueret. Sin aliter interpreteris, actum eſt de toto Edicto. Juſtius quæritur, an in Edictum committat Titius, qui tutores fratres ex aſſe inſtituit, præterita ſorore? & non committere reſponſum eſt 13. Sept. & 22. Dec. 1690. (12) quia nempe adeo propinquos inſtituerat Titius. Ego ſubſiſto. Proximos inſtituerat, fateor, & hos inſtitui poſſe manifeſtum eſt, ſed præteriit ſororem, quæ, tutoribus non inſtitutis, æque ſucceſſiſſet, & forte dici poſſet, rationem Edicti fuiſſe, ne plus lucri tutores a minoribus acciperent, quam jure cognationis habebant. At durior eſt ea Edicti interpretatio. Habuit forte Titius, cur ſororem præteriret, an igitur fratres, quia tutores erant, inſtituere non poſſet? An ad remotiores erat recurrendum, excluſis fratribus? ex benignitate ego contradixerim, etiam ideo, quod, ut mox intelliges, in proximis tutoribus, quamvis minoribus ſucceſ-
ſuri

(1) *Conſil. H.* I. 114.
(2) *Conſil. H.* III. *Amſterd. Append.* p. 52.
(3) *Plac. Flandr. Tom.* II. *p. m.* 750.
(4) Van Leeuwen *R. H. R. L.* III. *C.* 3. *n.* 12.
(5) *Plac.* I. 3. 8. 3. 1.
(6) *Conſil. H. T.* III. *Amſt. Conſil.* 147. *n.* 1. & 2.
(7) *Conſil. B. T.* II. *Conſil.* 161.
(8) *Obſerv. Tum. T.* IX. *n.* 2234.
(9) *Conſil. B. T.* I. *C.* 114.
(10) *Conſil. H. T.* V. *Conſil.* 206. *Q.* I.
(11) *Conſil. H. T.* III. *Conſil.* 188. *n.* 5.
(12) *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 113. & 114.

ſuri non ſint, ceſſet Edictum.

Quæro, quid juris ſit, ſi cognatus, qui præteritus eſt, juſtam prætereundi cauſam præbuerit? item ſi minor, ante tutelam, tutorem ſuum jam ſcripſerit heredem? itemque ſi & pupillum vice mutua inſtituerit tutor? quæ omnia alii ut rationes, cur ceſſet Edictum, attulere (13). Sed prima ratio nihil quicquam valet, quid enim? Tu juſte præteris cognatum tuum, ergo recte dabis immobilia tutori, qui alioquin ea per leges capere non poteſt? vide, quid dicas. Secundam rationem facile admiſerim, quum id & verba & ſententia *d.* §. 12. ferre videantur; ait enim, *giften gedaan ten profyte van hare Curateurs* &c. quod tempus dationis reſpicit, ut, qui *ſuum* legat, id legare videtur, quod tempore teſtamenti ſuum fuiſſet *l.* 7. *ff. de Aur.* & *Arg. leg.* Et tutori non recte datum dicitur, quod ei datur, qui deinceps tutor eſt factus. Igitur hic locus eſt regulæ, quam exhibet *l.* 85. §. 1. *ff. de R. J.* & omnem fraudis ſuſpicionem in ea ſpecie ceſſare plusquam manifeſtum eſt. Poſtremam rationem ipſe rejicerem, quum nihil tribuendum ſit captatoriis illis inſtitutionibus, & fere argumento ſint, tutores etiam ea arte uti ad emungendos pupillos. Sæpe ſcilicet prædones ſunt, qui tutores eſſe debebant.

An & ad maritum, mulieris ſuæ, quæ adhuc minor, curatorem, Edictum pertineat, dubitari poſſet. Verba quidem Edicti & hunc complectuntur, generaliter enim ait, *ne quis minor* XXV. *annis Curatori ſuo* &c. neque forte oberit, ſi dicas, nuptias facere majores, qui ante fuerant minores, quum id utique in feminis non aliter obtineat, quam ut tutela exterorum liberentur, & in tutelam mariti tranſeant, ſed tamen ſententia Edicti eo pertinere non videtur, alioquin enim & bonorum communio inter ejusmodi Conjuges prohibenda fuiſſet. Et cum mulier ſit in perpetua tutela mariti, ad minorem ætatem id reſtringi non oporteret, ſi & in ea ſpecie Edicto locus eſſet. Addo, & mox probabo, etiam ceſſare Edictum in omnibus curatoribus, quos alia & fortior, quam tutelæ ratio, minoribus conjungit. Sed quid, inquies, diſputas, quum tutor minorem non recte ducat uxorem? Sic eſt jure Romano. Sed quicquid eſt Interpretum hoc abrogavit, & ſi his hominibus conſtitueris os obturare, tantum profeceris, ac ſi Baccho bacchanti velis adverſarier.

Edictum Curatoribus addit eorum *liberos*, & recte, quia cum parentibus iidem ſunt (14). Sed an nullos alios excludemus, qui ad curatores pertinent? & an non uxorem curatoris? Hanc nominatim excludit *d.* §. 14. *Ed. Perpet.* Et tamen uxorem curatoris a minore capere poſſe exiſtimat Cujacius *Conſult.* XLI. & H. Grotius *Conſil. H. T.* III. *Conſil.* 188. *n.* 2. & ſic quoque alii opinantur, qui cæteroquin & concubinam curatoris excludunt. Verius eſt, uxorem capere non poſſe, concubinam poſſe. Sed de concubina mox dicam loco ſingulari. Uxor autem videtur capere non poſſe, quia & ita caperet curator, maxime ſi inter curatorem ejusque mulierem ſit bonorum, vel ut plerumque eſt, lucri damnique communio, vetat enim Edictum immobilia dari *tot profyte*, in utilitatem curatorum, & immobilium fructus utique pro ſemiſſe marito cederent, ſi vel ſola lucri damnique communio obtineret inter eum ejusque uxorem. Friſiorum quidem Curia 27. Oct. 1607. & 20. Dec. 1625. (15) probavit heredem inſtitutam curatoris uxorem, ſed eandem quoque minoris materteram. Probo, ſed cognationis propinquitas improbitatis ſuſpicionem exiſtimandi non minus hic ratio, quam quæ eſt in *l.* 19. *C. de Epiſc. & Cler.* & ea ratione quoque probari poſſet Cujacii *d. Conſultatio* XLI. & Grotii *d. Conſil.* 188. nam & ibi uxores tutorum erant inter propinquos ipſorum teſtatorum. Si non ſint; etiam uxores tutorum arceo ob rationes, quas dixi, & nominatim quoque arcent Albertus & Iſabella in §. 14. Edicti Perpetui 12. Jul. 1611. (16) & arcent Friſii in ſuis Legibus *d. L.* I. *T.* VII. §. *ult.* nempe in noviſſima Editione anni 1723. nam in antiqua Editione anni 1628. de uxoribus curatorum nihil quicquam cautum eſt.

Excipimus igitur tutores & curatores, qui propinquitate minores contingunt, ſed an omnes & quo gradu? Tacet noſter §. 12. ſed Albertus & Iſabella in *d.* §. 14. excipiunt tutores, qui ſunt minorum *patres*, *matres*, *avi*, *aviæ*, *fratres & ſorores*, verum id Edictum ad forum noſtrum non pertinet, & fruſtra de *ſororibus* ſermo eſt, quum utique tutrices eſſe nequeant. In his autem ſolis an ſubſiſtemus? Nihil extricat Anſelmus, ad *d.* §. dicere contentus, ideo in his ceſſare prohibitionem, quia etiam ab inteſtato ſucceſſuri erant. Unde quæro, an remotiores arcendi, ſi & ipſi ab inteſtato ſucceſſuri eſſent? & an proximiores, qui ſuccedere non poſſent? Perezius ad *Tit. C. de Legat. n. ult.* verbis Edicti inhærens, hos omnes arceret, & Hollandi etiam hos ſolos videntur admittere, qui proximi ſunt inteſtatorum futuri heredes (17). Atque ita nec immobilia capere poſſent parentes curatores, liberis non ſucceſſuri. Quæ forte ſententia eſt §. 6. *Tit.* V. *LL. Pupill. Enchuſan.* cum ait, legari poſſe aſcendentibus *of zodanige Voogden, die evenwel en zonder de zelve making van de Weeskinderen, de zelve ab inteſtato zouden ſuccederen.* Potes tamen & ita *d.* §. accipere, aſcendentibus generaliter legari poſſe, & etiam aliis, præter aſcendentes, curatoribus, dummodo hi ab inteſtato ſucceſſuri eſſent; quæ interpretatio humanior eſt. Alia ſententia uti videtur, qui absque ulla diſtinctione ſcripſit (18), eſſe Caroli V. Edictum, quo omnimodo filii minores, in Parentes, cujus ſacris & tutelæ ſubſunt, liberales eſſe prohibentur. Sed ſi ſemel admittas exceptionem in tutoribus propinquis, ratio ſuadet, ut generaliter admittas in omnibus Agnatis & Cognatis, qui aliquando ab inteſtato ſuccedendi ſpem habent, quamvis, ut nunc eſt, exſtent proximiores, qui eos excluderent, ratio enim pietatis hinc removet quicquid interpretationis eſt ſiniſtræ, plane ut in marito, mulieris ſuæ curatore, jus ſanguinis & amicitiæ facile ſubigit ſuſpicionem, quæ alioquin ex auctoritate tutoris proficiſcitur, ſed exſpecto legislatorem, qui ita ſtatuat. Sane ſi tutori in immobilibus non plus relinquatur, quam ab inteſtato eſſet habitu-

(13) *d. Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 114.

(14) Vide & Sande *Deciſ. Friſ. L.* II. *Tit.* 9. *Definit.* 20.

(15) Sande *d. loc.*

(16) *Plac. Flandr. Tom.* II. *p. m.* 739.

(17) Groenewegen *ad L.* 17. *C. de Adminiſtr. tutor. n.* 2. *Conſil. H. T.* I. *Conſil.* 10. & 114. *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 113. & Van Leeuwen *R. H. R. L.* III. *C.* 3. *n.* 12.

(18) Neoſtad. *Deciſ. Supr. Cur.* CXI. *n.* 1.

biturus a pupillo ſuo, ceſſare ſanctionem *d.* §. 12. Senatus Supremus recte judicavit 10. Jun. 1715. (19) neque enim tutoris titulus obeſſe poteſt, quo minus ea capiat, quæ alioquin ex lege eſſet capturus.

Sequuntur in §. 12. *Peters en Meters.* Hi non memorantur in *d.* §. 14. *Edict. Perpet.* & expuncti quoque ſunt in Legibus Friſicis *L.* I. *Tit.* VII. §. *ult.* & ut, mutata Religione, in Hollandia quoque pro expunctis habeamus, ego non intercedo, inter parentes enim & infantes ſpirituales nulla jure noſtro eſt Cognatio ſpiritualis, & nulla illorum in hos auctoritas. Grotius tamen eos retinuit (20). Sed quid laboramus, ſi verum ſit, quod narrant (21), Carolum V. ſermone Gallico hic exhibuiſſe *paraitre & maratre*, *Vitricum & Novercam*, & id Belgice verſum eſſe *Peter en Meter*, atque ſi exſtaret *Perrain & Marraine?* & ut id credam, movent me rationes, quas Anſelmus attulit, nec hic repeto.

Porro ait *d.* §. 12. *of van hare Concubinen.* Galli in ſuo huic ſimili Edicto intelligunt concubinam curatoris, quod ſequi videntur Hollandi (22), & Friſii (23), præeunte Anſelmo (24). Quod vix probo, mallemque minorum concubinam intelligere, ne hæc minorem emungat fictis adulationibus, ut olim focariæ milites emungebant *l.* 2. *C. de Donat. inter V. & U.* Sane ut concubinam curatoris intelligamus, valde exilem rationem haberet, neque ſatis convenit verbis, *d.* §. 12. ait enim, *of tot profyte van hare Peters ende Meters* OF VAN HARE CONCUBINEN; per *hare* utrobique intelliguntur *minores*, ſed ſi legas, ut Friſii anno 1602. ediderant, *tot profyte van hare Curateurs of van heure Kinderen, of van heure concubinen*, curatoris concubinas intelligi poſſe non intercedo. Friſios tamen, quod ad concubinam, voluiſſe mutare ſententiam ejus §. 12. nequaquam vel conſtat vel credibile eſt. Quin & JCti Friſii, qui Gallorum interpretationem probant, ipſi fatentur (25), in concubinis curatorum d. Edictum vix rationem habere, nec alia forte cauſa Friſones in Legibus ſuis noviſſimis, quas anno 1723. ediderunt, *concubinas* ex §. *ult. T.* VII. penitus proſcripſerunt. Ceterum Enchuſani in §. 5. *T.* V. *LL. pupill.* ita recte exhibuerunt, *Voogden of der zelver Kinderen, nog ook hare concubinen*, τὸ *der zelver* & τὸ *hare* diſtincta ſunt, prius pertinet ad tutores, poſterius ad ipſos minores.

Addo ſententiam Senatus Supremi, de hoc argumento, me Senatore, latam. Procula heredes ſcribit liberos tutoris ejusdemque patrui ſui, ſin autem id, quod ad immobilia, per legem non liceret, in hæc ſubſtituit alium patruum, qui tutor non erat. Defuncta Procula apud Curiam Hollandiæ de immobilibus litigatum inter heredes legitimos ex una, & ſcriptos ex alia parte. Illi agebant ex *d.* §. 12. hi defendebant, illum §. obſoleviſſe, utique in perſonis adeo propinquis, quin & probandam eſſe inductionem ſiniſtram tutoris, priusquam *d.* §. 12. locus eſſet. Intervenit liti & ſubſtitutus patruus, immobilia ſibi vindicans, ſi non adjudicarentur fratris ſui liberis, ſed ſubſtitutionem in fraudem legis factam cauſabantur heredes legitimi, non abſque ſuſpicione transactionis tacitæ inter duos fratres. Curia Hollandiæ immobilia ſubſtituto patruo addixit, excluſis heredibus, tam legitimis, quam teſtamentariis, eamque ſententiam Senatus Supremus probavit 11. Febr. 1706. (26) Conſtabat enim, frequenti uſu receptum eſſe *d.* §. 12. conſtabat, ſecundum eum judicaſſe utramque Curiam, Hollandicam 13. Jul. 1646. & Supremam 4. Apr. 1648. etiam in tutoribus patruis, qui ab inteſtato ſucceſſuri non eſſent, nec probandas eſſe inductiones, quas lex præſumit. Denique hos patrui inſtitutos liberos, tempore facti teſtamenti, Proculæ ſuccedere non potuiſſe, utpote a proximioribus excluſos. Quod ad ſubſtitutum patruum Senatus exiſtimabat, eum utique, quia tutor non erat, heredem ſcribi, atque adeo & ſubſtitui potuiſſe, nec, ex præſumptione, pro una eademque perſona habendum eſſe cum fratris ſui liberis, tutoris liberos, non fratres legem arcere, quin & ſubſtitutum patruum, ſi inteſtatus moreretur, habiturum heredes non duntaxat fratris ſui filios, hic inſtitutos, ſed vel ipſos etiam actores. Noli de hac ſententia expectare ἐπίκρισιν meam, nam quid de his omnibus ipſe ſentiam, ex iis, quæ dixi, ſatis intelliges.

CAPUT IV.

De Clauſula, quam reſervatoriam *vocant.*

Quæſitum eſt, quid valeat ex teſtamento, quo teſtator ratum eſſe juſſit, quodcunque deinde privato chirographo, epiſtula, aliave quacunque ſcriptura circa ultimam voluntatem declararet? & ſemel definiendum, an poteſtate ejus clauſulæ liceat alium heredem ſcribere ex aſſe vel pro parte, an legare, an fideicommittere, & an quid aliud præcipere? Quum autem illa clauſula Juri Romano originem debeat, quid eo jure cautum ſit, meretur deſpici, etiam ideo, quod non ſatis intellecta quarundam legum ſententia plurimos Interpretes fefellerit. Ordiar a Papiniano in *l.* 77. *ff. de Hered. inſtit. Aſſe toto*, inquit, *non diſtributo, ita ſcriptum eſt*, QUEM HEREDEM CODICILLIS FECERO, HERES ESTO. *Titium Codicillis heredem inſtituit: ejus quidem inſtitutio valet, ideo, quod licet codicillis dari hereditas non poſſit, tamen hæc ex teſtamento data videtur. Sed hoc tantum ex hereditate habebit, quantum ex aſſe reſiduum manſit.* Quod Papinianus hic ait, Codicillis hereditatem dari non poſſe, ille ipſe *per manus traditum eſſe* affirmat in *l.* 10. *ff. de Jure Codicil.* ſive autem *codicillos* hic accipias pro codicillis propriis, ſive pro quibuscunque ſchedulis & epiſtoliis, a teſtatore tamen ſubſcriptis, quod ad heredis inſtitutionem uti-

(19) *Obſerv. Tumult. T.* V. *n.* 1106.
(20) *Introd. in Juriſpr. Holl. L.* II. *C.* 16. *vſ. Voogden.*
(21) Anſelmus *in Triboniano Belgico C.* LXII. §. 1. & Van Zurk *Cod. Batav. vſ. Memboirs in Not. ad* §. 12.
(22) Grotius *Introd. ad Juriſpr. Holl. L.* II. *C.* 16. *vſ. Voogden.*
(23) Sande *Deciſ. Friſ. L.* II. *T.* 9. *Defin.* 19.
(24) *Ad* §. 14. *Edict. Perpet. n.* 69.
(25) Sande *Deciſ. Friſ. L.* II. *T.* 9. *Defin.* 20.
(26) *Obſerv. Tumult. Tom.* I. *n.* 163.

utique perinde eſt, quum ad eam neque proprii codicilli ſufficiant, atque adeo haberi debeant pro ſcriptura ad capiendam hereditatem minus idonea. Sed quid ſi teſtamento inſertum ſit, *quem codicillis heredem fecero, heres eſto*, & codicillis heredem ſcripſerit Titium? Sane ſi Mævius teſtamento heres eſſet ſcriptus, ei per codicillos hereditas adimi & ad Titium transferri non poſſet, ſic enim teſtamentum, rite conditum, rumperetur per ſcripturam, quæ vel nullas habet ſolemnitates, vel non eas, quæ ad novam heredis inſtitutionem deſiderantur, quod leges ſubverteret contra *l.* 55. *ff. de Legat.* I. Sed propone, teſtatorem totum aſſem in teſtamento non diſtribuiſſe, nam de ea ſpecie agit Papinianus, & reſpondet, Titii quidem inſtitutionem, codicillis factam, valere, ſed duntaxat pro reſidua parte aſſis, quæ diſtributa non erat, eo enim referendam videri poteſtatem, quam teſtator ſibi reſervaverat, & valere *ex teſtamento* hoc eſt, codicillos per hanc reſervationem eſſe factos partem ipſius teſtamenti; quod ſi ſit, cenſentur conditi iisdem ſolemnitatibus, quibus teſtamenta conſtant. Ex his efficio, etiam partem hereditatis poſſe dari privato chirographo, ſi hanc ſibi poteſtatem teſtamento reſervaverit teſtator; ſed eam partem, quæ vacabat ex teſtamento. Quid igitur ſi totum aſſem teſtamento expleverit teſtator? Cujacius ad Papiniani *L.* XVII. *Quæſt. in h. l.* 77. ad dupondium recurrit, quod ego non admiſerim, ne evertatur pars teſtamenti ſcriptura minus ſolemni. Si quæ pars hereditatis vacaverit, ex poteſtate clauſulæ reſervatoriæ de ea ſtatui conceſſerim, & concedit Papinianus, etiam nova inſtitutione, ut hic, *quem heredem codicillis fecero*, ſed non patior, hereditatem, ejusve partem, teſtamento jam datam, revocari nudo chirographo vel epiſtolio. Quod de hereditate dixi, de fideicommiſſo univerſali velim repeti. Sed hæc nihil quicquam impediunt, quo minus legata vel fideicommiſſa particularia valeant virtute ejus clauſulæ. Scio, ſi argutari velis, etiam ea fieri contra teſtamentum, quia omnia alioquin ex eo ad eum pertinerent, qui ibi inſtitutus eſt, ſed qui clauſulam reſervatoriam adhibet, ſatis ſignificat, ſe adhuc deliberare de hereditate legatis minuenda, & ſi hæc dare decreverit, hæc decreta eſſe habenda, atque ſi teſtamento inſerta eſſent.

Imo, inquies, de tota hereditate codicillis ſtatui poteſt, ſi Ulpianum audias in *l.* 10. *pr. ff. de Condit. inſtit.* Sed falleris, probat ille inſtitutionem, teſtamento factam in hæc verba, *ſi codicillis Sejum heredem ſcripſero, heres eſto*, & ait hanc inſtitutionem facere conditionem, & impleta conditione, hoc eſt, Sejo in codicillis herede ſcripto, valere inſtitutionem, ſed valere ex teſtamento. Codicilli nihil hic probant, quam impletam eſſe conditionem, quam teſtamento adſcripſerat teſtator. Perinde valet, ſi teſtator, de herede adhuc dubius, eum teſtamento heredem ſcribat, cujus *nomen* codicillis eſſet expreſſurus, nam & ſic hereditas ex teſtamento datur *d. l.* 10. *pr.* multo magis valebit, ſi nomen legatarii poſtea exprimatur *l.* 21. §. 1. *ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* vel ſi teſtamento legetur Titio, quantum codicillis vel per epiſtolam adſcripſerit teſtator, qualia legata & apud Veteres frequentabantur *l.* 38. *ff. de Cond. & demonſtr.* nec mirum, cum ſimpliciter reſervata poteſtate legandi, per epiſtolam recte legat, cui & quantum velit, quod ſupra effeci ex *l.* 77. *ff. de Hered. inſt.* ubi aſſe toto non diſtributo, de reſidua parte hereditatis valet inſtitutio ex clauſula reſervatoria, quamvis in teſtamento nec nomen, nec partem vacantem adjecerit teſtator. Quin & ex teſtamento valebit, quod ibi valere juſſerit teſtator, licet non referatur ad ſcripturam, ſed ad id quod heredi viva voce mandaturus eſt *l.* 35. *ff. de Reb. dub.* At vero in his omnibus tenendum, de codicillis, de epiſtolis, de mandatis plena fide oportere conſtare, priusquam ex his ulla ſit actio, de manu & ſubſcriptione teſtatoris ſi non conſtet, nihil actum eſſe res ipſa docet, & probat Stokmans *Deciſ. Brabant. XII.*

Ex his, quæ dixi, melius definiveris quæſtiones de clauſula reſervatoria, quam ex variis tumultuantium Interpretum ſententiis. Veteres mitto, ne librum ſcribam, ſed novas auctoritates & res judicatas mittere non poſſum, ex his enim conſtabit, quid uſu videatur receptum. Stokmans *d. Deciſ. XII.* relatione facta ad ſchedulam privatam, ex ea non audet tueri novam heredis inſtitutionem aſſe jam diſtributo, pro ſemiſſe factam, nec fideicommiſſum univerſale, & ſane tueri non poſſet, ſi recte intellexiſſet *d. l.* 77. *ff. de Hered. inſt.* ſed nullus dubitat, quin ex ea ſubſiſtant legata, advocata etiam in hanc rem Senatus Brabantini ſententia 31. Aug. 1617. Sed quid Hollandi ſenſerint & judicaverint, plus ſcire attinet. Sane in Hollandia ejus clauſulæ uſum eſſe ſatis ſignificant ejus Ordines in variis Edictis de charta ſigillata, iis enim præſcribunt, cujus pretii ſigilla ſint adhibenda inſtrumentis privatis, quæ poteſtate ejus clauſulæ componuntur: quod fruſtra eſſet, ſi nihil quicquam valerent. Sed de ipſo uſu conſulamus JCtos. Clauſula reſervationis teſtamento addita, novam inſtitutionem, privato chirographo factam, nihil valere reſponſum eſt (1). Alii (2), nomen heredis poſſe exprimi in ſchedula, ſed eo ſemel expreſſo, aliam inſtitutionem, in ſchedula factam non valere, ſed ſolemni teſtamento opus eſſe, ut reſcindatur prius. De Legatis tamen illi Conſultores non dubitant, niſi reſervata ſit ſola poteſtas heredis nominandi, non autem legandi. Alii (3), quod ad legata duntaxat valere clauſulam, non etiam ad heredis inſtitutionem mutandam, & ita Curiam Hollandiæ judicaſſe. Alibi (4) relatum eſt, *dat by ſententie van de reſpective Hoven van Juſtitie alhier voor deſen is verſtaan, dat eenige geſchriften, cedullen en memorialen van teſtateuren, ſonder eenige andere ſolemniteiten, anders dan dat conſteerde, dat zulks hare uyterſte wille was geweeſt en gebleven, hebben moeten effect ſorteren ook buyten en tegen der zelver ſolemnele teſtamenten, zoo wanneer zy haar zelven zulks by de zelve hare teſtamenten hadden gereſerveert.* Sed per ea, quæ dicta ſunt, noli id porrigere ad novas inſtitutiones vel fideicommiſſa univerſalia, quibus tota vel pars hereditatis aufertur ei, qui priori teſtamento ſimpliciter heres ſcriptus eſt, ſed accipe de portione hereditatis, de qua nondum ſtatuerat teſtator, vel de legatis & fideicommiſſis particularibus, vel de aliis præceptis circa ſepulturam forte,

(1) *Conſil. H.* III. *Amſterd. Conſil.* 26. *n.* 1.

(2) *Conſil. H.* I. *Conſil.* 125. *q.* 1. & 2. & *Conſil. B.* IV. *Conſil.* 158. *n.* 1. p. 434. *in fin.*

(3) *Conſil. B.* III. *Conſil.* 259. & 260.

(4) *In Conſilio* 24 *Oct.* 1625. quod exſtat *Conſil. H.* III. *Amſterd. Conſil.* 26. & iterum *Conſil. H.* III. *Conſil.* 23. & rurſus *Conſil. H. Parte* II. *Conſil.* 195. p. 732.

te, vel exſequutionem teſtamenti, & ſi quæ ſunt ejusmodi. Rurſus alii (5), de jure dubii, ex Doctorum opinionibus ſaltem, legata, ita data, deberi putant, & ſic ab utraque Hollandiæ Curia judicatum referunt, etiam 21. Dec. 1664. nec de legatis alius (6) dubitat. Unus eſt (7), qui propter lubricam privatæ ſcripturæ fidem nihil tribueret Clauſulæ, de qua agimus, niſi in tenuibus quibusdam legatis in pios uſus aut ex commiſeratione relictis, ſed ejus diſtinctionis auctoritatem deſidero, neque enim ullam rationem habet, cum de ſcriptura agamus, de qua conſtat abunde, & ſi non conſtet, utique commiſeratio non patiatur, ut in pauperum, quam in divitum cauſis major ſcripturæ habeatur ratio. Utque inter legata majora vel minora non diſtinguunt Auctores, quos modo laudabam, ſic, quod ad uſum, nec S. van Leeuwen diſtinguit *Cenſura For. Part. I. L. III. C.* 12. *n.* 10. At ſcire cupio, ad quam ſummam majora legata a minoribus diſtinxeris? Pro dignitate & opibus ejus, qui legat, & eorum, quibus legatur, minus legatum erit, quod in aliis majus, & ſi his indulgeas, meri arbitrii res erit, & prolixa litium materies.

Inventi tamen ſunt, qui contra Clauſulam reſervatoriam magnis animis inſurgunt, & eam plane inutilem pronunciant, tam JCti (8), quam Formularii (9), adlatis etiam rebus, in hanc rem in Friſia, & Ultrajecti judicatis. (10) In Friſia, inquam, & Ultrajecti, neque enim in Hollandia ullam reperi ſententiam, quæ, utique quod ad legata vel fideicommiſſa particularia, illam clauſulam rejecerit. Sed excutiamus rationes. Satis frivolum eſt, quod occinunt ex *l.* 35. *ff. de Legat. I.* Leges, condendis teſtamentis præſcriptas ſervandum eſt, & quis negat? Una quæſtio eſt an non id, quod teſtator in teſtamento reſervavit, & poſtea explicavit privato chirographo, ſit habendum pro parte ipſius teſtamenti? Certe exempla, quæ ex Jure Romano attuli, ſatis probant, eam reſervandi clauſulam fuiſſe frequentatam, & ſic exiſtimaſſe veteres JCtos, quicquid deinde per chirographa & epiſtolia explicatur, iisdem ſolemnitatibus cenſeri, quibus cenſetur ipſum teſtamentum, omnes enim ajunt, *ex teſtamento* valere. Sed, inquiunt, in illis Juris Romani exemplis ipſa heredis inſtitutio, legatorumque datio facta erat in ipſo teſtamento, & ſolum nomen heredis, quantitasve legati rejecta in codicillos, & ſic eſt in *d. l.* 10. *pr. ff. de Hered. inſtit.* & in *d. l.* 38. *ff. de Condit. & demonſtr.* At vero ſi nomen deinde expreſſum non fuiſſet, nec quantitas legati deſignata, utique nihil quicquam deberetur ex teſtamento, nunc autem debetur, quia expreſſio nominis & quantitatis reſervata eſt, & ideo vires capit ex ipſo teſtamento. Noli autem putare, in deſignatione nominis & quantitatis ſubſiſtere jus Romanum: nam in *l.* 77. *ff. de Hered. inſtit.* nihil aliud eſt, quam in noſtris clauſulis reſervatoriis, *quem*, inquit Papinianus, *heredem codicillis fecero, heres eſto.* Ex his nihil conſtat, quam teſtatorem conſtituiſſe codicillis, inepta alioquin ad heredis inſtitutionem ſcriptura, hereditatem dare, & ſi hanc dederit, reſpondet Papinianus ex teſtamento, hoc eſt, ex clauſula reſervatoria deberi, quod ad partes nempe non diſtributas, ut ſupra explicavi. Nihil quicquam ibi ſtatutum eſt de partibus reſiduis, ſed quod ad eas teſtatio ſimpliciter reſervata. Sic, cum teſtator teſtamento ratum eſſe juſſerit, quicquid deinde legaturus eſt, legata, quamvis ſcriptura minus ſolemni data, valebunt, quoniam illa ſcriptura habetur, atque ſi teſtamento inſerta eſſet. Nec movet, de novo legata dari, cum & hoc, ut ſibi liceret, teſtator reſervavit, plane ut in *l.* 89. *pr. ff. de Legat. II.* Dubito igitur, an, qui clauſulam noſtram oppugnaverint, recte perceperint mentem Papiniani in *d. l.* 77. & dubito, an, quod Jure Romano de eo argumento traditum eſt, recte reſtrinxerint ad ſpecies ibi tractatas, nam hæ, ut plerumque fit, non proponuntur, niſi ut exemplo ſerviant, & ratio, qua utuntur veteres JCti, ſuadet, jubet, ut & ad alias ſpecies transferamus, ut transferuntur quotidie.

CAPUT V.

Res a Supremo Senatu, me Senatore vel Præſide, de clauſula reſervatoria *judicatæ*.

Nunc accipe, quæ mea memoria de hac clauſula apud Senatum Supremum inciderint. Et quidem Senatus Supremus 20. Oct. 1706. (1) probavit fideicommiſſum univerſale, quod privatim ſcriptum ex poteſtate ejus clauſulæ factum erat, ſed quia agebatur de ſcriptura privilegiata, aviæ nempe inter Neptes, malo hanc cauſam præterire & ſequentem ſubjicere.

Mævius 22. Dec. 1708. ſex Nepotes ex fratre ſcribit heredes, iisque ex fideicommiſſo ſubſtituit alios addita Clauſula reſervatoria. Biennio fere poſt conditum teſtamentum, ex poteſtate ejus clauſulæ componit chirographum privatum, quo varia variis legat, & fideicommiſſum ita reſtringit, ut Nepotes majores facti, de bonis, ſibi relictis, non quidem teſtamento, ſed inter vivos ex animi ſui ſententia ſtatuere poſſent. Quæſitum eſt, an valeret id chirographum? & Senatus 27. Febr. 1712. paribus ſuffragiis valere judicavit (2): atque ita exiſtimavit, poſſe ejusmodi privato chirographo & legata dari, & fideicommiſſum reſtringi.

Titia, quæ teſtamento ſuo inſeruerat illam clauſulam, rogat Mæviam, penes quam habitabat, ut ſe dictante legata quædam ſcriberet in ſchedula, ſcribit Mævia, & ſchedulæ ſubſcribit Titia. Legata illa data erant cum ipſi Mæviæ, tum aliis Titiæ propinquis. Defuncta Titia Sempronius, qui ejus hereditatem repræſentabat, legata ſolvere detrectat. Litigatum eſt ea de re apud Curiam, & Curia omnes legatarios repulit 22. Jan. 1711. Appellatum eſt ad Senatum. Quid Cu-

(5) *Conſil. B.* III. *Conſil.* 166. & 167.
(6) *Conſil. H.* I. *Conſil.* 154. *Q.* 3.
(7) Voet *d. Tit. ff. Qui teſtam. fac. poſſ. n.* 29.
(8) Herbajus *Rer. Quotidian. C.* VIII. & ex eo Zacharias Huber *Deciſ. Friſ. Obſerv.* LII. Rodenburg *de Jure quod oritur e Statut. diverſit. Tit.* III. *Parte* I. *C.* 3. & van Weſel *ad Conſtit. Ultraj. art.* 16. §. 16.
(9) Van Waſſenaar *Practyk Notar. C.* XVIII. §. 167.
(10) Herbajus & Huber *d. locis.*
(1) *Obſerv. Tumult. T.* I. *n.* 218.
(2) *Obſerv. Tumult. T.* IV. *n.* 828.

Curiam moverit, non eſt, ut dicam, forte quod de ſubſcriptione Titiæ non ſatis conſtaret, nam & id objectum eſt. Sed quum apud Senatum ſubſcriptio magis ad liquidum eſſet perducta, Senatus 8. Jul. 1712. (3) paribus ſuffragiis judicavit legata, poteſtate clauſulæ reſervatoriæ propinquis data valere, ſed non valere, quæ ſibi adſcripſerat Mævia.

Sequatur alia ſpecies. Sempronia 16. Jul. 1686. condito teſtamento legat Luciæ, cognatæ ſuæ, quæ in India Orientali tunc hærebat, decem millia, Mævio, Cognato ſuo, duodecim millia, & ex reliqua hereditate heredem ſcribit Titium, alium cognatum ſuum, ita tamen, ut ſupellex, quam relinqueret, inter Luciam, Mævium & Titium æquis partibus divideretur, ſi tamen Lucia tempore mortis ſuæ adhuc in India hæreret, ut triens ſupellectilis, quam ipſa præſens habuiſſet, cederet Titio, numeratis Luciæ pro illo triente 500. Mox omnium legatariorum & heredis ſui liberos parentibus ſuis vulgariter ſubſtituit, & teſtamento cavet, ut jure optimo valeret, quodcunque deinde, etiam privato chirographo, præciperet. Sempronia diu teſtamento ſuo ſupervivit, & ea viva defunctus eſt Titius heres, relictis liberis, defunctus Mævius legatarius, relictis etiam duobus liberis, ſed valde minore adhuc ætate, & reverſa ex India Lucia. Quæ cum accidiſſent, Sempronia 9. Maj. 1704. privato chirographo præcipit: *dat de Kinderen van haar Neef Mævius eens voor haar beiden zouden moeten te vreden zyn met* 500. *maar dat haar Nigt Lucia met de Kinderen van haar Neef Titius te ſamen zouden deilen*, in continenti tamen excipiens varias ſpecies ſupellectilis, quas variis legabat. Lucia, poſt mortem Semproniæ, defendit, hanc ſcripturam, quamvis privatam, pendere ex teſtamento, atque adeo ejus jure ſubſiſtere, & porro defendit, adempto Mævii liberis legato duodecim millium, ſe his, quæ exhibui, verbis, pro ſemiſſe coheredem eſſe datam liberis Titii, quia dixerat Sempronia, *dat zy te zamen zouden deilen*, quod non poſſet non intelligi niſi de integra hereditate, ſed liberi cum Mævii, tum Titii defendunt, ex ea, quæ illis verbis additur, exceptione, ſatis conſtare, illa duntaxat pertinere, ad diviſionem ſuppellectilis, Semproniam, quæ ipſa chirographum ſua manu ſcripſerat, minus accurate fuiſſe loquutam, ut & minus accurate loquuta erat in aliis illius chirographi partibus, ſed non excluſiſſe liberos Titii a tota hereditate, vel liberos Mævii, quibuscum ſemper amice vixerat, a legato duodecim millium, Semproniam duntaxat voluiſſe, ne liberi Mævii, qui, utpote valde minores ſupellectile non indigebant, ejus trientem haberent, ut teſtamento juſſerat, ſed loco trientis contenti eſſent 500. quos ipſos Luciæ, ſi in India manſiſſet, pro ſuo triente legaverat, & omnem ſupellectilem nunc dividerent Lucia & liberi Titii. Hæc Semproniæ mens etiam aliunde affatim conſtabat, at ſi de ea non ſatis conſtitiſſet, & palam Sempronia illo chirographo ſemiſſem hereditatis, liberis Titii ademptum, Luciæ cognatæ dediſſet, prolixe diſputatum eſt, ejusmodi ſcriptura, omni ſolemnitate deſtituta, partem hereditatis, non vacantem, nec adimi nec dari potuiſſe. Lucia copias ſuas contra explicabat, ſed minores numero & pondere. Repulſa igitur eſt apud Judices Rotterdammenſes, ubi primum lis acta erat, 24. Apr. 1710. & ex appellatione apud Curiam 9. Mart. 1716. & apud Senatum Supremum 6. Mart. 1720. (4). Omnes autem Senatores uno ore affirmabant, de Clauſula reſervatoria, niſi quod ad legatum ſupellectilis, hic laborandum non eſſe, & de legatis valere totiens nunc judicatum eſſe, ut fruſtra ſit ea de re amplius verba perdere, ceterum, ſi de parte hereditatis ageretur, omnes ſignificabant, eam non ſufficere ad coheredem dandum, ſed tanti eſſe non putabant, ut nunc rationes ſuæ ſententiæ explicarent.

Lucius Titius 27. Jun. 1719. coram Notario & duobus teſtibus, teſtamento condito, declarat, ſe eum eosve heredem heredesve ſcribere, *die by een nader Acte, uyt kragte van de Clauſule reſervatoir, hier na te inſereren, zoude komen te noemen.* Mox adjicit clauſulam reſervatoriam, & menſe ſequenti, nempe 26. Jul. 1719. privato chirographo, quod ipſe manu ſua ſcripſerat, cuique nomen ſuum ſubſcripſerat, Semproniam, Cognatam ſuam, nominat heredem, & aliis Cognatis, æque ceteroqui ab inteſtato ei ſucceſſuris, varias ſummas legat. Poſt mortem Lucii Titii alii illi Cognati, data apocha, legata ſua accipiunt, ſed poſt nonnullum temporis tractum ſibi perſuadent, eo privato chirographo heredem nominari non potuiſſe, & ſe, æque ac Semproniam, ab inteſtato ſuccedere oportere Lucio Titio. Ex conventione partium cauſa ad Senatum defertur, & reliqui illi Cognati contra Semproniam agunt ad partes, ſibi ab inteſtato debitas, & ſimul implorant reſtitutionem in integrum contra apochas, quibus privatum illud chirographum agnoverant, & legata ſua ſe accepiſſe profeſſi erant. Sempronia petitioni contradicit. Quæſitum eſt, quid juris? Hanc quæſtionem eſſe explicandam ex regulis Juris Romani probavi *Cap. præc.* & ex iis effeci, codicillis quidem & chirographis novum heredem ſcribi non poſſe, ſed poſſe exprimi nomen heredis vel legatarii, priori teſtamento ad hereditatem vel legatum vocati. In hac ſpecie nullus heres nominatim ſcriptus erat priori teſtamento, alioquin, quod ſolemniter actum eſt, reſcindi non poſſet privata ſcriptura, at ſimpliciter is erat inſtitutus, cujus nomen deinde exprimeretur, quod, ut ſupra dixi, licet, etiam non multum refragante Advocato partis adverſæ. Sed, inquiebat ille, & unus quoque apud nos Senator, id quidem obtinere in teſtamentis ſcriptis, de quibus ſolis intelligebant Leges Romanas in hoc argumento adductas, ſecus autem eſſe in teſtamentis nuncupativis, in quibus heres palam eſt nuncupandus, ſic ut a teſtibus exaudiri poſſit *l.* 21. *pr. ff. Qui teſtam. fac. poſſ.* & noſtra teſtamenta, non clauſa, pro nuncupativis eſſe habenda, ſic enim vulgo haberi, in nuncupativis teſtamentis fruſtra referri ad privatam ſcripturam, ut ex ea quid valeat, cum utique privata ſcriptura nihil plus poſſit efficere, quam ipſum teſtamentum, in quo, quicquid præcipitur, a teſtibus exaudiendum eſt, privatum autem chirographum ſolet ſcribi remotis teſtibus. Atque hæc nova contra Clauſulam Reſervatoriam objectio eſt. Nova fateor, ſed non bona. Non memini ſane, me unum Auctorem reperire, qui, quod de Clauſula Reſervatoria, ſive bene ſive male, placuerit, unice referat ad teſtamenta clauſa, nec, ſi verum amamus, ad ea unice referendum eſt, noſtra enim teſtamenta, etiamſi non clauſa, omnino ſunt mixti generis, unde & forma & jurejurando Notario-rum

(3) *Obſerv. Tumult. T.* IV. *n.* 870.

(4) *Obſerv. Tumult. T.* VII. *N.* 1611.

rum continetur extremas hominum voluntates in ſcripturam eſſe redigendas, & ſedulo curandum, ut iis recte ſubſcribatur. Etiam in teſtamentis noſtris, non clauſis, neminem ſibi adſcribere poſſe, infra audies C. VIII. *de his, qui ſibi adſcribunt in teſtamento:* ubi & plenius dixi de utroque genere teſtamenti, apud nos uſitati: non alia ſane ratione etiam in his adſcriptio ſui diſplicuit, quam quod teſtamenta, quæ Notarii ex ore vel ſchedula teſtatoris componunt, non tam nuncupata cenſeantur, & teſtium memoriæ commiſſa, quam, ut ſcribantur, dictata. Si dicas aliter, plane inutilis eſt Clauſula Reſervatoria in omnibus teſtamentis noſtris non clauſis, quod tamen nemo facile dixerit. Inutilem tunc eſſe, ex eo conſtat, quod in nuncupativo nihil ſubſiſtat, quod non palam nuncupetur, audientibus teſtibus, quod autem privato chirographo ſcribitur, extra omnem nuncupationem eſt. Putasne Jure Romano in teſtamento, vere nuncupato, teſtatorem referre potuiſſe ad privatam ſcripturam, ut hæc cenſeatur eadem ſolemnitate, qua nuncupata voluntas? ut hoc credam, me induci non patiar. Si tamen plena fide conſtiterat, illam ſcripturam eſſe compoſitam ex poteſtate reſervata, ſubſiſterem, ſed hoc jam non ago. Ex his, quæ dixi, conſequitur, noſtra teſtamenta, non clauſa, habere aliquid ad inſtar teſtamenti ſcripti apud Romanos, & ob eam rationem omnes Senatores, uno excepto, apud Nos reſpondebant, nomen heredis, in teſtamento hic non expreſſum, privato chirographo exprimi potuiſſe. Quumque hac ſola ratione reliqui heredes ab inteſtato repellerentur, fruſtra erat quærere de reſtitutione in integrum contra datas apochas ab illis implorata. Quæ, atque ſi neceſſaria non eſſent, prætermiſſa, ſimpliciter ſecundum Semproniam judicatum eſt 31. Maj. 1732.

Quum Teſtator Semproniam ex quadrante heredem inſtituiſſet, & dimidium ejus quadrantis fideicommiſſo ſubjeciſſet, deinde, privato chirographo, poteſtate ejus clauſulæ facto, totum quadrantem fideicommiſſo ſubjicit. An id liceret, ex compromiſſo partium apud Senatum Supremum quæſitum eſt. Perorata eſt in Senatu cauſa 5. Jun. 1726. plerisque Senatoribus ea ſatis anceps videbatur, quia agebatur de fideicommiſſo univerſali, non ſingulari; quare placuit tentandam eſſe transactionem, quæ etiam ſucceſſit. Quid mihi ſediſſet, ſi cauſa definienda, e præcedentibus ſatis intelliges.

Rurſus ex conventione partium apud Senatum litigatum eſt de legato 15000. florenorum, quod Caja, ex poteſtate ſibi reſervata, Mæviæ adſcripſerat in ſchedula, remotis arbitris facta. Quærebatur, an illi 15000. pure eſſent legati, an per fideicommiſſum, cujus dies nondum venerat. Advocatus, qui Executoribus teſtamenti contra Mæviam præſtabat operam forenſem, pro fideicommiſſo ſermonem habuit, & fere univerſum, ſed quum ad finem ejus perveniſſet, non nihil muſſitabat de ipſa illa ſchedula, ſignificans poſſe forte defendi, nequidem tantæ quantitatis legatum per Epiſtolam relinqui poſſe ex poteſtate ejus clauſulæ. Sed quum nihil rationis attuliſſet, neque adeo Adverſarius quidquam repoſuiſſet, Senatus poſt peroratam cauſam Advocatum rogavit, nunquid, de quo muſſitaverat, defendere vellet, paratum tunc eſſe Senatum, rationes in utramque partem audire, & de his decernere, ſed ille, conſultis Executoribus, reſpondit, ſe ea defenſione non uſurum (5).

Liceat his Senatus Supremi præjudiciis addere ſententiam, quam ipſe, qua Arbiter, dixi. Quum Lucia Titia, ſi quæ controverſiæ orirentur ex teſtamento ſuo, me earum Arbitrum elegiſſet, & præter 5000. florenos, quos teſtamento legaverat pauperibus Eccleſiæ Haganæ, privato chirographo, a ſe ſubſcripto, & compoſito ex poteſtate clauſulæ reſervatoriæ, adhuc alios 5000. florenos iisdem pauperibus legaſſet, & præterea poſt mortem heredis ſui, ſi ſine liberis moreretur, eosdem pauperes ex aſſe ſubſtituiſſet heredes, heres poſteriores 5000. florenos ſolvere detrectavit, atque ſi legatum tantæ quantitatis uni corpori vel perſonæ ita dare non licuiſſet, & ſimul fideicommiſſo univerſali contradixiſſet, cum hereditas ſemel ſimpliciter data, adimi non poſſit privato chirographo ex poteſtate ejus, quam dixi, clauſulæ. Partes me, qua Arbitrum, adeunt. Pronunciavi 3. Nov. 1740. etiam poſterius legatum pauperibus deberi, fideicommiſſariam hereditatem, etiamſi caſus fideicommiſſi exiſteret, non deberi. Rationes non dicam, quia in præcedentibus dictæ ſunt.

CAPUT VI.

De Clauſula, quam Derogatoriam *vocant.*

Non hic ago de Clauſula derogatoria, quæ, poſteriori teſtamento inſerta revocat prius, ante conditum, ſed quæ priori teſtamento inſerta revocat poſterius, adhuc condendum ut ſi priori ſit inſertum, per poſterius id reſciſſum non iri, niſi nominatim ejus fiat mentio, vel poſteriori adjiciatur formula aliqua, vel adagium, unde de ſincera teſtatoris mente conſtare poterit. De hac Clauſula multi multa diſputant, & circa hanc non una difficultas, nam ars deluditur arte. Certum equidem eſt, ſupremam ſani hominis voluntatem eſſe ſervandam, & neminem ſibi eam legem dicere poſſe, ne a priore voluntate ei recedere liceat, ſed omnis quæſtio in eo vertitur, quæ voluntas ſit habenda pro *ſuprema*, an quæ futuras omnes abrogat, niſi ea formula munitas, quam teſtator præſcripſit, an vero ea, quæ ſine illa formula noviſſime condita reperitur? Hanc prætulit Marcianus in *l.* 6. §. 2. *ff. de Jure Codicill.* licet enim in confirmatione Codicillorum paterfamilias adjecerit, ut non alios valere velit, *quam ſua manu ſignatos & ſubſcriptos*, tamen, inquit, valent facti ab eo codicilli, *licet neque ab eo ſignati, neque manu ejus ſcripti fuerint.* Rationem addit Marcianus: *nam ea quæ poſtea geruntur, prioribus derogant;* hoc eſt, ſi recte interpretor, eo ipſo, quod poſteriores Codicilli exſtent, quamvis non ſignati vel ſubſcripti, exiſtimandum eſt, patremfamilias quod ad hoc a priore voluntate receſſiſſe. Atque ita Hermogenianus in *l.* 22. *pr. ff. de Legat.* III. ſi teſtator in principio teſtamenti dixerit, *cui bis legavero, ſemel deberi volo*, & poſtea eodem teſtamento vel Codicillis *Sciens*, id eſt, deliberato animo bis legaverit, *Suprema*, inquit, *voluntas potior habetur.* Hactenus inter Marcianum & Hermogenianum con-

(5) *Obſerv. Tumult. T.* XIV. *n.* 3136.

convenit. *Sed hoc*, addit Hermogenianus, *ita locum habebit, ſi ſpecialiter dixerit, prioris voluntatis ſibi pœnituiſſe, & voluiſſe, ut legatarius plura legata accipiat.* Deſiderat igitur, ut teſtator palam ſignificet, ſe, pœnitentia ductum, poſteriorem voluntatem priori præferre, quid ſi non ſignificaverit, Clauſulæ derogatoriæ Patroni priorem poſteriori præferunt. Cujacius *L.* XIV. *Obſerv. C.* 7. ſpecialem ejusmodi teſtationem non requirit, Triboniano, non Hermogeniano adſcribens *d. verſiculum Sed hoc.* Perperam, ut mihi quidem videtur, ſed hoc jam non ago, contentus monere, ſi vel Triboniani eſſet *d. verſic.* non minori tamen auctoritate juris eſſe habendum, quam reliqua omnia, quæ in *Pandectis* exſtant. Probo potius, quod & alii obſervarunt (1), illum *vſ.* duntaxat eſſe referendum ad ſpeciem, ibi tractatam, ubi nempe uno eodemque teſtamento, vel codicillis, in continenti factis, teſtator contraria ſcribit: id enim cum non videatur cadere poſſe niſi in hominem dubiæ ſanitatis, in ea ſpecie, nec abs re, Hermogenianus deſideravit teſtationem ſingularem, ex qua conſtet de ſeria ejus voluntate, ſed hoc transferre non licet ad duo teſtamenta, diverſo tempore condita, ubi oblivio & alia quam plurima incidere poſſunt, quæ ſpecialem revocationem ſæpe moleſtam & ſæpe impoſſibilem redderent.

Sed ut de Derogatoria plenius cognoſcamus, ſciendum eſt, eam quidem a ſolo teſtatore proficiſci, ſi verba ſpectes, ſed ſi rem ipſam, ut plurimum ab herede ſcripto, qui teſtatoris libertati inſidiatur, ne quid in poſterum moliatur contra has tabulas teſtamenti, quo ipſe inſtitutus eſt. A teſtatore proficiſci poteſt vel bona vel mala mente, mala, ubi poſtea alium, nequicquam heredem inſtituendo, conſtituit decipere, & ſi non alius ejus eſſet uſus, memoriam ejus plane abolitam eſſe ecquis non optaverit? Bona mente, ubi teſtator metuit, ne dolo, metu, minis cogatur ad novum teſtamentum, contra animi ſui ſententiam condendum. Non addo gratiam & reverentiam, ſuaſiones, blanditias, adulationem & auctoritatem, ut ſunt, qui hæc larga manu addunt, quia nondum didici, hæc omnia damnare Leges. Ob gratiam & reverentiam vix poſterius teſtamentum anteriori dicemus cedere, nam & voluntas, quæ ſic obtinetur, vera voluntas videtur argumento *l.* 17. §. 1. *ff. de Uſur.* & *l.* 22. *ff. de R. N.* Et quamvis Solon improbaverit teſtamentum mariti, qui γυναικὶ πειθόμενος eam heredem ſcripſit, ut tradit Plutarchus in *Solone p. m.* 90. Jure Romano tamen rata eſt pietate & officio elicita & retenta Conjugum voluntas *l.* 3. *ff. Si quis aliq. teſt. probib. vel coëg.* Idque adeo etiam, ut ſuaſiones, blanditias, adulationes & auctoritates, dummodo non importunas vel moleſtas, excludere periculoſum videatur, niſi eorum cauſa agatur, quorum improbitas jure notata eſt, focariarum forte, Curatorum & ſimilium *l.* 2. *C. de Donat. inter V. & U.* & §. 12. *Edict. Caroli* V. 4. *Oct.* 1540. Sed quia certis & tutis definitionibus hæc complecti non licet, & quia difficillimum eſt probare dolum, metum, minas, præſtaret forte abolere omnem clauſulam derogantem, quam innumeris litibus cauſam dare, nam ſi aboleres, etiam tunc, cum ob juſtum metum unice ei locus eſt, quid, obſecro, perderes niſi ſumptus novi teſtamenti, ſi contra animi ſententiam fueris teſtatus, nam, quod hodie fit, cras revocare licet, & ſic corvos deludis hiantes.

Inutilem eſſe illam Clauſulam etiam magis intelliges, ſi ſciveris, eam plerumque proficiſci non a teſtatoribus, ſed a captatoribus hereditatum, qui teſtamenta merentur fraudibus. Aggrediuntur fere maſculos & femellas, ſic ſic puberes, aggrediuntur homines ſimpliciores, quorum animos nucibus, vel pyris & pomis expugnant, & ne teſtamentum, in ſui gratiam factum, mutent, teſtatoribus præſcribunt & ſuggerunt quamdam revocandi formulam, quam vel non intelligunt, vel cujus quantocyus obliti ſunt. Sic putant, rem eſſe in vado, ſed aliorum heredum rapacitas, vel etiam ipſorum teſtatorum maturior & prudentior ætas coërcendis illis fraudibus aliam cautionem excogitavit, revocant ſcilicet teſtatores quæcumque alia teſtamenta, quibuscunque derogatoriis Clauſulis munita, quarum nunc memoriam non habent, revocaturi alioquin, ſi meminiſſent. Satis argute, neque enim ea cautio per anterius teſtamentum eximi poteſt, cum nemo ſit, qui memoriæ ſuæ t[illegible]m noverit. Sic obliti creduntur Clauſulæ derogatoriæ, & poſterius teſtamentum valet, ut alibi (2) reſponſum eſt, & uſus fori ſervat. Sed, ſi verum amamus, neque ejusmodi abrogationi nimium tribuendum eſt, præſertim ſi utrumque teſtamentum tempore non multum diſtet, vel majore aliqua ſuſpicione heres poſterior laboret: neque ideo nimium tribuendum, quia, qui teſtamentum ſcribunt, hæc ſolent inſerere ignaris vel non intelligentibus teſtatoribus, ex more potius, quam ex neceſſitate revocandæ derogatoriæ. Et adhuc dubitas de inutilitate ejus Clauſulæ?

Sed quia in hanc rem Legislatore opus eſt, dum ea utimur, quo jure utendum ſit, paucis habe. Prudenter, ſi me auctorem ſequaris, inſpiciendum eſt, quodnam teſtamentum, prius, an poſterius, majoribus ſuſpicionibus urgeatur, & ſecundum id pronunciandum, quod minimis urgetur. Specialem Clauſulæ revocationem, ſive aliam quamcunque teſtationem, ex qua conſtet, id, quod tempore poſterius eſt, etiam intellectu poſterius eſſe, ego non deſidero, niſi in caſu, quem exhibet *l.* 22. *pr. ff. de Legat.* III. & quem ſupra jam expoſui. Neque etiam ſpecialem revocationem deſiderant, qui æquipollentem eo, quem mox indicabam, modo putant ſufficere. Quin & ſimplex teſtamentum a ſuſpicione liberum, priori, cui derogatoria inſerta eſt, prævalebit, & ſic Curia etiam Hollandiæ judicavit 26. Sept. 1613. (3) qua ſententia eo magis utor, quia longo uſu comperi, vix ſemel Clauſulam derogatoriam proficiſci a teſtatoribus, ubi decies proficiſcitur ab heredipetis, qui omni ope curant, ne hereditatem, malis artibus quæſitam, contraria teſtatorum voluntate, amittant, & quod in pari cauſa id ſequamur, quod plurimum accidit. Sed diligenter excuſſis factis, quæ in judiciis occurrunt, tantum non ſemper pellucebit, quo animo Derogatoria teſtamentis ſit inſerta, neque adeo anxius hærebit Judex, quam partem amplecti æquius melius ſit; quamvis enim JCti de effectu Clauſulæ derogatoriæ ad inſaniam usque digladientur, in eo tamen conveniunt, quæſtionem, quæ de ea incidit, facti potius, quam juris eſſe, & nemo unus eſt, qui non ſinceram patrisfamilias voluntatem præferat extor-

(1) Ulricus Huber *Prælect. ad Tit. ff. de Injuſt. rupt. irrit. fact. teſtam. n.* 5. *vſ. Videndum, & ſeq.*

(2) *Conſil. H.* III. *Amſterd. Conſil.* 41.
(3) Ibid. *in Append.* p. 41.

tortæ & improbis precibus emendicatæ. Interea, ſi ſcire velis, quid & quam varie alii de hoc argumento dixerint & ſcripſerint, conſule catalogum Auctorum, quem exhibuit Voet *Comment. ad Tit. ff. de Injuſt. rupt. irr. fact. teſtam. n.* 10. *in fin.* &, ſi eo non ſatieris, adde utrumque Huberum, patrem Ulricum ad *d. Tit. n.* 5. & Zachariam filium *T.* I. *Obſerv. rerum judic. C.* 80. *vſ. Rijlat. Conſil. H. Tom.* III. *Conſil.* 3. & *Conſil. Belg. Tom.* III. *Conſil.* 266. Si de his omnibus in conſilium ire & ſententiam meam apponere vellem, amphora, loco urcei, exiret.

Magis forte delectaberis rebus in Hollandia judicatis. Quum Titius teſtamentum feciſſet cum Derogatoria & ſpeciali forma revocandi, ibi præſcripta, & deinde aliud condidiſſet cum revocatione omnium aliorum, quæcunque Derogatoriæ iis eſſent inſertæ, ſed revocatione generali, non ſpeciali cum iſtis verbis, varie in utramque ſententiam diſputatum eſt, *Conſil. Belg. Tom.* II. *Conſil.* 74—79. & relatum *Conſil.* 75. *p.* 187. Judices Amſterdammenſes & Senatores Curiæ Hollandiæ pro primo judicaſſe, Supremum vero Senatum, reſciſſis eorum ſententiis, pro ſecundo, litem denique, in Reviſionem deductam, transactione ſopitam eſſe. Rurſus quum Mævius teſtamentum condidiſſet cum Derogatoria & certis verbis, & deinde aliud cum revocatione omnium aliorum, qualitercunque conditorum, quorum tamen non meminerat, profeſſus, ſi quandoque aliter fuiſſet teſtatus, ſe ex inductione aliorum eſſe teſtatum, Senatus Supremus 18. Febr. 1698. & Senatus & Reviſores 22. Sept. 1699. (4) pro ſecundo teſtamento judicaverunt.

Sed quia nemo recte ſcribit res judicatas, niſi qui iis judicandis ipſe interfuit, addam exempla, quæ, me Senatore vel Præſide, Senatum Supremum occuparunt. Quum clauſula derogatoria non eſſet revocata cum adſcripto carmine, & in auditorio majori Senatus animoſe diſputaretur, utrum teſtamentum magis eſſet ſuſpectum, & alterum etiam metu carceris extortum diceretur, Senatus 20. Mart. 1708. (5) juſſit, *dat de ſaak, als in facto beſtaande, zoude beſchreven worden.* Et ſane, ut dixi, magis facti, quam juris eſt hæc quæſtio. Sed quum nihil quicquam ſuſpicionis moveretur contra primum teſtamentum, quo Sejus, puer annorum XVII. adjecta Derogatoria, ſororem conſanguineam 26. Jul. 1703. ſcripſerat heredem, neque etiam contra ſecundum, quo 16. Apr. 1705. fratrem germanum inſtituerat, Senatus ex plurium ſuffragiis 1. Mart. 1710. (6) primum prætulit, quod nempe in ſecundo nulla plane eſſet revocatio, neque generalis, neque ſpecialis, nedum ad præſcriptam formulam.

Accipe aliam cauſam: Titius, ipſe egenus, uxorem duxit Semproniam, ſatis beatam, & 6. Mart. 1687. heredes ſcribit Cognatos ſuos, inſerta Derogatoria. Eodem anno 22. Aug. aliud teſtamentum condit, mutuum cum uxore, quo ſe invicem ex aſſe inſtituunt, nulla facta mentione prioris teſtamenti. Uxor decedit prior, atque ita Titius factus eſt ejus heres. Ille autem memor tanti beneficii, quo mactus erat ab Uxore Sempronia, codicillo, quem fecerat 10. Dec. 1705. legata quædam, ſic ſatis ampla, dedit uxoris prædefunctæ Cognatis, confirmato, ut ajebat, *in ceteris* teſtamento 6. Mart. 1687. Titii heredes, eo teſtamento inſtituti, negant ſe legata debere, quum in Codicillo ſpecialiter revocata non eſſet Clauſula derogatoria. Quare legatarii eos conveniunt apud Curiam, & legata, quæ petierant, obtinent 14. Nov. 1709. Appellatum eſt. Ad inducendum teſtatorem nulla ab utriusque Cognatis machinatio prætexebatur, nec anno 1687. quo vivebat Sempronia, ullus ab ejus Cognatis metus exſpectari poterat. Viſum igitur eſt, Titium, quod legaverat, libera voluntate legaſſe, ut beneficii, quod ab uxore acceperat, partem ejus Cognatis redderet. Ajunt etiam Interpretes, qui quam maxime Derogatoriæ favent, ſi nova cauſa inciderit, qua teſtator motus præſumitur a priore voluntate receſſiſſe, Derogatoriæ ſtandum non eſſe, & porro ajunt, etiam Grotius *Introd. ad Juriſprud. Holl. L.* II. *C.* 24. *vſ. Daar is*, poſt lapſum decennii pro eo habendum eſſe, atque ſi memoria ejus Clauſulæ teſtatoribus excidiſſet, hic autem Codicillus factus erat poſt annos XVIII. a priori teſtamento. Erant quoque Senatores, qui Clauſulam derogatoriam reſtringebant ad alia teſtamenta & alios heredes, poſt ſcriptos, non ad Codicillos & legata, iis relicta. Quam bene, nunc non diſputo, contentus monere, paribus ſuffragiis probatam fuiſſe Curiæ ſententiam 26. Sept. 1710. (7).

Ecce aliam ſpeciem, a Senatu judicatam. Cajus, conditis aliquot teſtamentis, rurſus aliud condit 6. Apr. 1694. & iterum aliud 14. Jan. 1699. Hoc poſteriore matrem, ut debebat, ex ſola legitima ſcribit heredem, & alium ex reliqua hereditate, ſed ingentibus legatis onuſta, eique teſtamento inſerit clauſulam derogatoriam. Haud ita poſt, nempe 5. Maj. 1699. denuo aliud teſtamentum facit, quo matrem ſuam ex aſſe heredem ſcribit, revocatis omnibus prioribus, & nominatim illo, quod fecerat 6. Apr. 1694. non injecta mentione teſtamenti, cui ante quatuor menſes clauſulam derogatoriam inſeruerat. Quæſitum eſt, utrum teſtamentum prævaleret, id cum clauſula 14. Jan. 1699. an poſterius 5. Maj. 1699.? Diceres prius, quia in poſteriori, quod brevi poſt ſignatum eſt, nulla erat Derogatoriæ revocatio, nulla repetitio verborum, quæ repeti juſſerat, neque ullum aliud indicium mutatæ voluntatis, eoque magis diceres, quia in poſteriori ſpecialiter revocaverat teſtamentum 6. Apr. 1694. ſtudio, ut videbatur, prætermiſſa mentione teſtamenti 14. Jan. 1699. Atque illa forte ratione, cum inter utriusque teſtamenti heredes de hereditate quæſtio eſſet, Curia 12. Nov. 1710. pro primo judicavit. Sed tamen, cum appellatum eſt, diſſentiente uno Senatore, qui cauſam ad Senatum referebat, reliqui omnes pro ultimo reſponderunt, reſciſſa ſic 23. Sept. 1712. (8) Curiæ ſententia, &, ni fallor, recte. Supra dixi, & verum eſt, de Clauſula derogatoria regulam generalem conſtitui non poſſe, cum res ex facto pendeat. Utque pleraque teſtamenta, Clauſulis derogatoriis munita, laborant prava ſuſpicione, ſic hoc, de quo agimus, laborabat quam maxime. Cajus, dum penes matrem habitabat, eam ſcripſerat ex aſſe heredem, ſed ad diſſolutos mores delapſus, & ob eos a matre increpitus, ex domo ejus aufugit, uſus conſuetudine hominum & peſſimæ notæ & infimæ plebis, quibuscum potabat dies noctesque, ſemper ebrius, & quam maxime prodigus. Atque eo tempore teſtamentum

(4) Utraque ſententia exſtat inter Acta Senatus.
(5) *Obſerv. Tumult. T.* II. *n.* 391.
(6) Ibid. *Tom.* III. *n.* 601.
(7) Ibid. *Tom.* III. *n.* 650.
(8) Ibid. *Tom.* IV. *n.* 890.

tum condit cum derogatoria, quo compotoribus ſuis relinquit maximam hereditatis partem. Sed ille Cajus tandem reſipuit, & dixit,

Edite lurcones, comedones, vivite ventres.

nam in via obviam factus amico, effuſis in ejus ſinum lachrymis, rogat, ut, ad ejus preces, cum matre in gratiam redire poſſet. Sic per amicum matri reconciliatus, ad ejus domum redit, & ibi aliquando vivit, gratus & acceptus matri, quam denuo heredem ſcribit poſtremo, quod dixi teſtamento. Quæ narravi, in facto probata erant, & vix ullus, de ejusmodi facto conſultus, aliter reſponderet, quam teſtamentum cum Clauſula a compotoribus malis artibus fuiſſe elicitum, poſtremum vero fuiſſe profectum ex vera & ſincera Caji voluntate. Erant & Senatores, qui ex defectu ſolemnitatum reſpondebant contra teſtamentum cum Clauſula, ſed alii, ſi ex eo res eſſet definienda, amplius deliberandum cenſebant.

CAPUT VII.

Res a Supremo Senatu, me Senatore vel Præſide, de Clauſula derogatoria *judicatæ.*

Pergo recenſere cauſas, quas Senatus Supremus, mea memoria, judicavit de ejusmodi Clauſula, & ne quam ex his omittam, ſimpliciter moneo, in cauſa conſobrini mei, cui judicandæ ipſe intereſſe non potui, Senatum 28. Jul. 1714. (1) judicaſſe pro teſtamento poſteriore, quo revocata erant omnia priora teſtamenta, etiam ea, quibus inſertæ eſſent Clauſulæ derogatoriæ, quorum tamen teſtator ajebat ſe non meminiſſe, idque contra teſtamentum, conditum cum ejusmodi clauſula ante annos XXI. a poſteriori, & conditum, cum teſtator tantum non exceſſiſſet annum ætatis XIV. Probo ſententiam, quamvis conſobrinus meus cauſa ceciderit.

Sed noli putare, non exſtare Senatus ſententiam, pro Clauſula derogatoria latam, exſtat enim utriuſque Curiæ, & Supremæ quidem paribus ſuffragiis, in hoc facto. Titius Calvinianus habebat proneptem, itidem Calvinianam, ſed pauperem, & per imbecillam valetudinem minus idoneam victui quærendo. Huic codicillo facto legat 6000. florenos, unde ſe exhiberet. Quia autem uxorem habebat domi, & ex ea liberos utriuſque ſexus, ſed omnes Pontificios, metuens forte, ut mox intelliges, ne ab his ad revocandum legatum induceretur, poſteriori codicillo 7. Oct. 1711. priorem probat, & addit Clauſulam derogatoriam. Haud diu poſt, nempe 25. Dec. 1711. Titius, ex morbo decumbens, cum uxore mutuum teſtamentum condit, quo, revocatis ſimpliciter omnibus aliis, uxorem & liberos ſcribit heredes, ſed uxor, metuens Derogatoriam, de qua forte nonnihil ei ſuboluerat, cum marito 26. Jan. 1712. componit aliud inſtrumentum publicum, quo omnes derogatorias, ſi quæ eſſent, abrogant, & valere jubent mutuum teſtamentum 25. Dec. 1711. Defuncto Titio proneptis Calviniana legatum petit apud Curiam ex Clauſula derogante, ſed vidua & liberi contradicunt ex mutuo teſtamento & inſtrumento mox ſequuto. Curia ſecundum proneptem ſententiam dicit 29. Maji 1716. reis etiam in expenſas damnatis. Appellatum eſt. Res pendet ex facto, & in eo vertebatur, an codicillus cum clauſula, an vero poſterius teſtamentum in malam fidem incideret? Si prius, exiſtimavit Senatus, etiam ſimplicem revocationem ſufficere, ſi poſterius, repetitionem formulæ eſſe neceſſariam. Prudentis Judicis eſt, omnia facta excutere, & ſecundum ea pronunciare, quod æquius melius eſt. Nemo autem Senatorum in hoc facto dubitabat, quin prævaleret codicillus cum clauſula, nam ecce plena fide conſtabat, Titium, qui alioquin uxoris ſuæ majeſtatem comiter obſervabat, Advocatos aliosque Juris peritos conſuluiſſe, quemadmodum poſſet pronepti ſuæ legare ſine metu contrariæ, quam prævidebat, inductionis. Quin ipſe Notarius teſtabatur, ſibi, cum Codicillum ſcriberet, id ipſum ſignificaſſe Titium, & enixe rogaſſe, ut omni ope curaret, ne ſine repetitione ſolemnis formulæ legatum revocare poſſet. Addebat idem Notarius, Titium, cum jam aliud poſteriusque teſtamentum & inſtrumentum feciſſet, apud ſe, ad ægrotum euntem, fuiſſe conqueſtum, extortum ſibi eſſe aliud quid, quod ignorabat, & tamen ſignaverat ad preces & minas uxoris ſuæ. Teſtabantur id & alii, ſed non undequaque idonei teſtes. Ad hæc vix tres menſes effluxerant a codicillo facto, cum Titiis mutuum teſtamentum conderet, neque tunc oblitus erat Codicilli cum clauſula, ſed revocare noluit, quod bona mente fecerat ad evitandam dulciſſimæ uxoris offenſam. Odium religionis eam afflaverat, & afflaverat omnes liberos, quos mater pro imperio, quod obtinebat, ſacris ſuis innutriverat. Erant & alia, quæ ſatis probabant, priorem Titii voluntatem fuiſſe ſinceram, poſteriorem non item, ſed tædii res plena eſſet, hæc omnia facta porro recitare, & de ſingulis in conſilium ire. Senatus igitur paribus ſuffragiis Curiæ ſententiam probavit 7. Febr. 1720. (2) Atque hæc unica cauſa eſt, in qua Senatus Supremus, me Senatore & Præſide, paribus ſuffragiis pro Clauſula derogatoria judicavit.

Accipe nunc aliam ſpeciem, & contrarium litis eventum. Mævius, juvenis annorum XVII. in Indiam Orientalem navigaturus, 22. Apr. 1703. Cognatum quemdam ſuum ſcribit heredem, addita Clauſula derogatoria & forma revocandi cum certis verbis. Mævius in India, munus aliquod adeptus, hæret, nuptias ibi contrahit, & cum uxore mutuum teſtamentum condit 24. Aug. 1720. atque ita XVII. & quod excedit, annos poſt prius teſtamentum. Poſteriori teſtamento illi Conjuges omnia priora teſtamenta revocant, ſed clauſula generali, & ſe invicem reciproco, ut ajunt, amore provocati, ex aſſe inſtituunt heredes. Defuncto Mævio Cognatus ex priori teſtamento hereditatem petit, uxor ex poſteriori, & de controverſia in Senatum Supremum compromittunt. Certum eſt, quod & ſupra obſervavi, Clauſulam derogatoriam bono conſilio fuiſſe introductam, ſed malo fere eventu, nam experientia, etiam ſtultorum magiſtra, teſtis eſt, ejus clauſulæ longe majorem eſſe abuſum, quam uſum. Sane in hoc facto facile omnes credent, ut credidit Senatus, poſterius teſtamentum prius vincere. Quem putabimus hic auctorem fuiſſe ejus Clauſulæ, Mævium, an ejus Cognatum? Cognatum procul dubio, qui, ut captaret hereditatem, hanc Mævio

(1) *Obſervat. Tumult. T.* V. *n.* 1067.

(2) Ibid. *Tom.* VII. *n.* 1602.

vio perſuaſit, ne in India voluntatem mutaret, Mævius certe, ad iter accinctus, prævidere non poterat, ſibi in India aliud teſtamentum, per minas vel vim metumque extortum iri. Nullum in India hominem noverat, neque album, neque atrum, & de nuptiis ne cogitabat quidem, & multo minus de importunis uxoris, ſi quam duceret, precibus, neque etiam de his, poſtea adhibitis, quicquam conſtabat, nam concors ſteterat matrimonium ſine ulla cujusquam querela, & ſine ulla ſuſpicione captatæ hereditatis. Peritior igitur ejus Clauſulæ ſuit Cognatus, quam juvenis XVII. annorum. Hic, ut eam insereret teſtamento, nullam cauſam habebat, Cognatus habebat, ut juvenem, oblitum forte Clauſulæ, circumveniret. Ne dicam, novam cauſam hic incidiſſe, cauſam nempe nuptiarum, propter quam Mævius, & recte, uxorem prætulit Cognato, & a priori teſtamento, cum poſterius conderet, effluxiſſe XVII. annos, & tantum non omnes Pragmaticos conſentire, alterutrum ſufficere, ne ſpeciali revocatione cum certis verbis opus ſit. Sed non repeto, quæ in hanc rem dixi *Cap. præced. vſ. Sed quia.* Atque his rationibus motus Senatus paribus ſuffragiis pro poſteriori teſtamento judicavit 22. Febr. 1724. (3).

Addo aliam cauſam. Sempronia octogenaria, nec legere, nec ſcribere docta, 17. Oct. 1717. liberos & nepotes ex aſſe heredes inſtituit, ſed 6. Aug. 1718. Codicillum componit, quo, probato in ceteris teſtamento, legatum aliquod Sejo relinquit, inſerta Codicillo clauſula, non aliud ejus teſtamentum in poſterum eſſe valiturum, niſi repetito adagio, quod ibi præſcribebat. Triennio fere poſt, ſcilicet 4. Jul. 1721. eadem vetula rurſus aliud teſtamentum condit, unice ut revocaret legatum, Sejo relictum, codicillum enim, a ſe factum noluit valere, profeſſa, ejus exemplar ſibi nunquam eſſe traditum, ſic ut ignoraret nomen Notarii, & ſimul diem vel Conſulem, quo compoſitus eſſet Codicillus, ſed quicquid ejus ſit, ſe, eo abolito, velle decedere eo teſtamento, quod fecerat 17. Oct. 1717. Defuncta vetula, quæſitum eſt, an poſterius teſtamentum prævaleret, an Codicillus cum Clauſula derogatoria? Codicillum prævalere Judices Leidenſes opinati ſunt 2. Apr. 1722. & opinata eſt Curia Hollandiæ 28. Jun. 1723. Cum appellatum eſſet ad Senatum Supremum, Sejus legatarius etiam poſterius teſtamentum oppugnabat ex defectu ſolemnitatum, & erant ſane, quæ in hanc rem non inepte dicebantur, ſed quia agebatur de teſtamento matris inter liberos, ex quo, etiam imperfecto, voluntas rata eſt *l.* 21. §. 1. *C. de Teſtam.* de Clauſula derogatoria præcipue eſt laboratum. Et, ut ſemper alias, ſic & in hac cauſa, Senatus exiſtimavit, rem ex facto pendere, utra ſcilicet voluntas, prior, an poſterior majoribus fraudis ſuſpicionibus urgeatur, ſi prior, etiam generalem revocationem ſufficere, ſi poſterior, opus eſſe repetita formula. Hic quidem repetita non erat, ſed fere ad repetitionem accedebat, quod vetula Codicilli quidem meminiſſet, & legati, eo relicti, ſed non meminiſſet Notarii, nec diei vel Conſulis, & ideo non meminiſſet, quod, ut alioquin fieri ſolet, ejus exemplar ſibi non eſſet traditum. Atque ſi diceret, ſi exemplar haberem, revocarem ſpecialiter, quæ ſpecialiter revocanda eſſent. Legatarius ſcilicet curaverat Clauſulam derogatoriam & clam teſtatrice habuerat Codicilli exemplar, ne revocare poſſet, & ne ſic a legato, ſibi relicto, metuendum eſſet. Probe noverat, vetulæ memoriam non adeo felicem eſſe, ut absque exemplari præſtare poſſet, quod in Codicillo ſe præſtituram promiſerat. An liberi nepotesque, inter quos plurimi minores, matrem aviamque importunis precibus induxiſſent, ut Codicillum, de quo ipſis nihil quicquam innotuerat, revocaret? An potius legatarius Octogenariam, litterarum imperitam, decipere voluit? Decipere voluiſſe, ne legatum adimeret, credidit Senatus, atque ita, reſciſſis Judicum Leidenſium & Curiæ ſententiis contra legatarium jus dixit 19. Oct. 1724. (4).

Attende ad aliam ſpeciem, magis, ut videbatur, benignam, ſed ejuſdem tamen eventus: Cajus & Caja, Conjuges, mutuo teſtamento 29. Jan. 1725. ſe invicem ex aſſe ſcribunt heredes, & addunt hanc Clauſulam: *ſonder de voorſchr. diſpoſitie te konnen revoceren in eeniger maniere, ten ware deſe navolgende woorden daar duydelyk in ſtonden uytgedrukt*, ONSE ZIELE WAGT OP DEN HEERE, HY IS ONSE HULP EN SCHILD. Octennio fere poſt, nempe 10. Nov. 1732. Caja, clam marito, aliud teſtamentum condit, *revocerende alle vorige teſtamenten, het zy alleen of met haar man gemaakt, wat clauſulen daar ook in mogten weſen vervat.* Hoc poſteriori teſtamento unam ex ſororibus ſcribit heredem, marito legat 7000. florenos, ita tamen, ut ex iis funeris ſui expenſas ferret, deinde fratribus, aliis ſororibus & propinquis ſuis quam plurima legat, legat & quædam in pios uſus, atque his legatis fere dodrantem hereditatis exhaurit. Defuncta Caja, inter Cajum, heredem ex primo teſtamento, & ſororem, heredem ex ſecundo, diſputatum eſt, utrum teſtamentum alteri eſſet præferendum? eamque quæſtionem Partes, ex pacto convento, ad Senatum judicandam deferunt. Dixi hanc ſpeciem magis videri benignam, quia mulier, inſcio viro, mutuum teſtamentum ruperat, quod facinus vix a perfidia abſolvi poteſt, ſi nihil aliud occurrat, quo defendatur. Quid enim? Duo Conjuges bona fide mutuo teſtamento ſe invicem heredes ſcribunt, alter, clam altero, aliud teſtamentum condit, & alium ſcribit heredem, nec ea de re certiorem facit Conjugem, ne & ipſe voluntatem mutet, inhians ſic hereditati, quam non niſi mutua benevolentia meruerat. Summo quidem jure id licet, & quotidiana ſunt in hanc rem exempla, ſed abominor hos mores, ſi non ſævitia aliave alterius culpa alteri voluntatis clam mutandæ juſtam cauſam præbuerit, quemadmodum & in hoc facto, ut mox audies, ſævitia mariti dicebatur uxorem moviſſe, ut mutato amore etiam teſtamentum mutaret. Senatus, ut in aliis cauſis, ſic & in hac exiſtimavit, de facto magis, quam de jure laborandum eſſe, nam de jure non ſufficere revocationem *omnium clauſularum*, niſi repetito, quod præſcriptum eſt, adagio, & rurſus de jure ſufficere quamcunque revocationem, ſi poſterior voluntas eſſet habenda pro vera ſinceraque. Perpendenda igitur eſt περίστασις facti, & diligenter hic perpenſa fuit, & quamvis de utroque teſtamento nullus minarum metus argueretur, nedum probaretur, vero tamen ſimillimum erat, Cajum hanc Clauſulam derogatoriam ſuggeſſiſſe, & non alia mente teſtamento inſeri curaſſe, quam ut Cajam, ejus clauſulæ ignaram, poſſet fallere, & ejus, etiam invitæ, hereditatem involare. Omnium heredipetarum perpetuus hic mos eſt. Sed nolim in eo ſub

(3) *Obſerv. Tumult. T.* VIII. *n.* 2013.

(4) Ibid. *Tom.* IX. *n.* 2080.

ſubſiſtere, nec etiam ſubſtitit Senatus, omnes quippe Senatores, uno excepto, Cajæ voluntatem poſteriorem ideo habebant pro vera & ſinceræ, quod nulla ſiniſtræ perſuaſionis ſuſpicio caderet in eos, in quorum gratiam conditum erat poſtremum teſtamentum, non certe in ſororem, nam ſi hæc improbe perſuaſiſſet poſterius teſtamentum, utique perſuaſiſſet in rem ſuam, & probe curaſſet, ut ſola ſcriberetur heres, nunc autem ad ſummum Falcidiam habebat ſalvam. Id ipſum dico de reliquis legatariis, præter maritum, neque enim fingere licet, omnes illos legatarios improbæ perſuaſioni operam navaſſe. Et quid dicemus de legatis ad pios uſus? an hæc etiam extorſit ipſorum pauperum, eorumve Curatorum ſiniſtra perſuaſio? cave, putes. Ad hæc proferebantur varia teſtimonia, ex quibus efficiebatur, Cajum, poſt prius teſtamentum, Cajam non aſperis modo verbis, ſed & ſæpe verberibus admonuiſſe, qui modus non ſolet numerari inter eos, quibus benevolentia retinetur. Sed quia hæc cauſa erat perorata in auditorio majori Senatus, teſtimoniis illis nihil tributum eſt, nec tribui poterat, cum lis non eſſet redacta in ſcriptis, nec teſtes auditi *in forma*, ut ajunt, *probanti.* Ut id fieret, Senatus putavit non eſſe neceſſarium, ratus, ex ſolis teſtamentis, & iis, quas recitavi, præſumptionibus cauſam contra Cajum definiri poſſe, ut etiam definivit 30. Jul. 1735. (5).

His, quæ de Clauſula derogatoria dicta & judicata ſunt, rite excuſſis, forte non alienus eris a ſententia, quam jam extuli, optandum nempe eſſe, ut Principis auctoritate omnis vis Clauſulæ derogatoriæ aboleretur, niſi, qui ea ſe defendit, probaret, præſentem metum, aliamve cauſam ſonticam ei cauſam dediſſe, ut etiam in facto, quod commemoravi *hoc Cap. vſ. Sed noli*, ceteroquin ſimpliciter ſtatueretur, poſterioris teſtamenti ſemper potiorem eſſe cauſam.

CAPUT VIII.

De his, qui ſibi adſcribunt in teſtamento.

Sibi quem in teſtamento quid adſcribere peſſimi exempli res eſt; adeo id diſplicuit Jure Romano, ut non tantum ſibi adſcripta pro non ſcriptis habeantur, ſed & is, qui ſibi adſcripſit, ex SCto Liboniano incidat in pœnam falſi. Ipſi ſcilicet teſtatores, ſimpliciores certe, teſtamenti ſui faciunt minimum, aſtutus & peritus ſcriba facit maximum, tanta vis eſt calami, quem regit docta manus, quæ, ſi ſimul ſit improba, a dolo & falſo ingens metus. Non omnes autem, qui ſibi adſcribunt, in pœnam falſi incidere, res oppido certa eſt. Si ſervus, mandante domino, ſibi libertatem adſcripſerit, inutilis quidem eſt adſcriptio, ſed ſervus, cujus eſt domini ſui juſſa capeſſere, a pœna falſi excuſatur *l. ult. C. de His qui ſibi adſcrib. in teſtam.* Excuſatur & miles *l. 5. C. Eod.* quia creditur *magis errore, quam malitia incidiſſe in legem Corneliam.* Et generaliter putaverim, nequidem Jure Romano pœnam falſi obtinuiſſe, ubi ſola eſt ſubſcriptio, ſed facta absque ullo dolo malo. Si dolus adfuerit, ut ſi teſtator minus dixerit, & ſcriba plus ſibi adſcripſerit, ob commiſſum falſum SCto locus erit. Sunt, qui ſcribunt (1) moribus pœnam falſi exoleviſſe, adſentior, ſi falſum non ſit commiſſum, ſi ſit, ſine ratione & auctoritate ego non auſim leges abrogare.

Quæri tamen video, an non hodie ſimpliciter valeant, quæ quis ſibi adſcripſit, abrogato, hac parte, omni Jure Romano? Et relatum eſt (2), ſic judicaſſe Curiam Hollandiæ 27. Jan. & iterum 3. Apr. 1648. & Senatum Brabantinum 8. Mart. 1641. Atque ita quoque in cauſa, ubi de mutuo Conjugum teſtamento agebatur, nubes Pragmaticorum de jure reſpondit 13. Sept. 1655. (3) Alibi relatum eſt (4), Senatum Supremum 16. Jan. 1664. judicaſſe pro non ſcriptis habenda, quæ quis ſibi adſcripſit, & ipſam quoque Curiam Hollandiæ 10. Sept. 1666. ad delegationem Ordinum Generalium, confirmata Senatus Flandrici ſententia. Atque ita quoque alia Pragmaticorum nubes reſpondit 1. 5. & 8. Mart. 1667. (5) rurſus in ſpecie mutui duorum Conjugum teſtamenti. Sed priusquam alias auctoritates addam, & quid uſu obtineat, porro exponam, in memoriam revocanda ſunt duo genera teſtamentorum. quæ cum maxime hodie frequentantur; alterum, quod a privato ſcribitur, ſive is ſit ipſe teſtator, ſive alius quis ex ejus mandato, quodque, a teſtatore ſubſcriptum, involvitur involucro, ſigillis clauditur & ſuperſcribitur, ſolemni formula, a perſona publica & duobus ad minimum teſtibus. Alterum genus eſt, quod ex ore teſtatoris exceptum, a tabellione vel ſcriba publico in ſcripturam redigitur, & redactum teſtatori prælegitur. cuique teſtator, tabellio vel ſcriba, & ad minimum duo teſtes ſubſcribunt.

Priora teſtamenta vocantur *clauſa*, & cum ex mandato teſtatoris quiqui privati ea ſcribere poſſint, in his quem adſcribere exemplo grave eſt, & eadem prohibitionis ratio, quæ Jure Romano valebat. Imo non eſt, inquiunt nonnulli Conſultores (6), quia ſola ſubſcriptio teſtatoris omnem fraudis ſuſpicionem excludit, & in hanc rem ex ipſo Jure Romano adferunt *l. 1. §. 8. ff. de L. Cornel. de Falſ.* ſed quam prolixe falluntur, intelliges ex verbis Marciani. *Inter filium*, ait, *& ſervum & extraneum, teſtamentum ſcribentes, hoc intereſt, quod in extraneo ſi ſpecialiter ſubſcriptio facta eſt*, QUOD ILLI DICTAVI ET RECOGNOVI, *pœna ceſſat & capi poteſt, in filio vel ſervo vel generalis ſubſcriptio ſufficit, & ad pœnam evitandam & ad capiendum.* Vides in extraneo ſolam ſubſcriptionem non ſufficere, niſi adjecerit teſtator, ſe, quod quis ſibi adſcripſit, & *dictaſſe* & *recognoviſſe*, quod non erat adjectum in ſpecie, de qua reſpondebant illi Conſultores. In filio vel ſervo ſolam, ſive generalem ſubſcriptionem ſufficere efficeres ex *d. l. 1. §. 8.* ſed nec ea in ſervo ſufficit ex Conſtitutionibus Principum, niſi adſcriptio fiat dictante, idque profitente teſtatore *l. 15. §. 2. & 3. ff. Eod.* in extraneo etiam recognitio deſideratur *l. 3. C. de His*

(5) *Obſerv. Tumult. T.* XIII. *n.* 2914.

(1) Groenewegen *de LL. Abrog. ad Tit. C. de His qui ſibi adſcrib.* & Voet *ad Tit. ff. de His quæ pro non ſcript. hab. n.* 3.

(2) *Conſil. B. Tom.* II. *Conſil.* 3.

(3) *d. Conſil.* 3.

(4) *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 15.

(5) Ibid. *Conſil.* 14. & 15.

(6) Ibid. *T.* II. *Conſil.* 3.

His qui ſibi adſcrib. in teſtam. In clauſis igitur teſtamentis, ubi ſola teſtatoris ſubſcriptio occurrit, nihil valebit, quod quis ſibi adſcripſit, & ſic quoque reſponſum eſt 31. Jul. 1628. (7). Tantundem dicimus de chirographis privatis, quæ componuntur ex poteſtate clauſulæ reſervatoriæ, ſi extraneus ſcribat, & in his ſibi adſcribat. Sola ſubſcriptio teſtatoris non eſt idonea ad ſubvertendam juris auctoritatem, nequidem ſi dictamen acceſſerit, & ita quoque, me Senatore, judicavit Senatus Supremus 8. Jul. 1712. in cauſa, quam ſupra retuli *C. V. vſ. Titia.*

Quod ad alterum genus teſtamenti, apud nos recepti, quod *nuncupativum* ſolent appellare, ſi revera nuncupativum eſſet, facile accederem Antonio Fabro *Cod. Sabaud. L.* IX. *T.* 14. *Defin.* 1. putanti, non nocere, ſi legatarius teſtamentum ſcripſerit, quo nuncupata voluntas continetur, ſi modo, ut Faber addit, id teſtamentum per teſtes, non per ſcripturam probetur. Nolim diſputare, id genus teſtamenti ſcriptis an nuncupativis Romanorum magis ſit accenſendum, an potius pro mixto genere ſit habendum, dummodo conſtet, quod opinor apud omnes conſtare, ea teſtamenta, quæ Scribæ publici hodie componunt, non tam nuncupata & teſtium memoriæ commiſſa eſſe, quam, ut ſcribantur, & ſic valeant, ex ore teſtatorum profecta. Eorum igitur fides unice pendet a ſcriptura, atque ita in his eadem omnino eſt ratio, quæ in Romanorum ſcriptis teſtamentis. Traditum quoque invenio (8), in utroque genere teſtamenti hodie idem obtinere. Sed, quamvis id largiar, tamen ſcire deſidero, quemadmodum obtinere poſſit in teſtamentis, quæ actuarii ſcribunt, ſive tabelliones ſint, ſive ſcribæ Judicum, & ſane non occurrunt mihi duæ ſpecies, in quibus obtinere poſſet adſcriptio ſui, ſi perſona publica ſit teſtamentarius ſcriba; prima eſt, ſi ejuſmodi perſona publica, ſibi ipſi adſcribat hereditatem vel legatum vel, ſi privatus id quod ſcripſit, & ſibi adſcripſit, tradat Notario, ut penes ſe in actis ſervet pro ſcriptura authentica, *voor de minute.* Unde probo, quod & alii ſcripſerunt & reſponderunt (9), tabellionem, qui teſtamentum conficit, in ſuum commodum nihil adſcribere poſſe. Nec eſt, ut putes in utraque ſpecie, ut video quemdam putaſſe (10), prælectionem, a Notario coram teſtibus factam, & ipſius teſtatoris ſubſcriptionem purgaſſe, quicquid ejus vitii eſt, neque enim purgatur, niſi præter ſubſcriptionem accedat teſtatoris profeſſio, ſe teſtamentum *dictaſſe & recognoviſſe.* Scriba potuit quædam adleviſſe in proprium commodum, quod in prælectione teſtatorem, forte in lectulo ex morbo decumbentem, & ideo forte minus attentum, fugit, ſed ſi ipſe teſtator dictaverit, idque recognoverit, & in ſubſcriptione adfirmaverit, fraudis ſuſpicio, ſi cum JCtis noſtris loquamur, ceſſat, ceteroquin non ceſſat. Nihil tamen prohibet, quo minus uxor marito, vel extraneus extraneo voluntatem ſuam ſcribendam committat, & qui ſic ſcribunt, etiam ſibi adſcribant, modo ea ſcriptura aliena manu tranſcribatur, & tranſcripta muniatur neceſſariis ſolemnitatibus. Hoc facto prima ſcriptura perit, & habetur pro inutili charta, ex qua jus non redditur, & ita quoque reſpondent alii (11). Non inficior, quamvis ita conſtanter obſervetur, poſſe, qui teſtamenta captant, ſic etiam obrepere teſtatoribus, ſed leges Romanæ non alias adſcriptiones damnant, quam quæ fiunt in ſcriptura, cujus fidem unice ſequimur, & providi teſtatoris eſt negotio tanti momenti probatæ fidei homines adhibere, & minus periculi eſt in apertis, quæ vocant, quam in clauſis teſtamentis.

Sic in genere definiveram, nonnullas tamen ſpecies, quæ hic illic occurrunt, excutiamus. Belle quæritur, an SCtum ceſſet in uno utriusque Conjugis teſtamento, in quo ſunt mutuæ inſtitutiones & mutua legata, & ceſſare ſæpiſſime reſponſum eſt (12), & ita Jure Roermondenſi cautum fertur (13). Atque ſi ita probatione juris ex eodem inſtrumento falſum refutari videretur, fere ut in filio, qui patris, cujus heres eſſet, teſtamentum ſcripſit *l.* 1. *C. de His qui ſibi adſcripſ.* & quod ob primum moriendi incertitudinem etiam excludi videatur dolus. Sed hæ rationes non ſufficiunt contra manifeſtam juris auctoritatem in *l.* 4. *C. Eod.* & hanc alii tutius ſequuti ſunt, tam in reſpondendo, quam in judicando (14). Mutuæ ſane inſtitutiones, ad quas provocant, me non moverint, cum facile ſit alteri conjugum aliud poſterius teſtamentum ſibi ſoli facere, & cum jus non ſubvertant beneficia, quæ alter conjugum in alterum contulit, ut eſt in ſpecie, quam refert Celſus in *l.* 48. *ff. d. Donat. inter V. & U.* Poſſet etiam alter alterius morbum, vel quid ſimile, captare, & ſic innocentiam circumvenire.

His addo cauſam, cui judicandæ ipſe interfui. Cajus & Caja, Conjuges, qui hærebant Bataviæ Indorum, clauſo, quod maritus ſua manu ſcripſerat, teſtamento, duos filios, quos ſuſtulerant, inſtituunt heredes ex legitima, & Conjugem ſuperſtitem ex reliqua hereditate. Teſtamento ſubſcribunt duo Conjuges, Notarius & duo teſtes. Mox Notarius, circumjecto involucro id claudit, & involucro inſcribit, factum eſſe id teſtamentum poſt amplam ſatis & diligentem deliberationem. Defuncta Caja teſtamentum aperitur, & Cajus ad ſecundas nuptias tranſiturus, filiis ſuis aſſignat bona materna, hoc eſt, legitimam ex matris hereditate, & ſic ducit Semproniam. Cajus & Sempronia in Hollandiam revertuntur, & ibi fato ſuo fungitur Cajus. Inter filios, ſeu potius unum ex his & Semproniam novercam plurimæ controverſiæ natæ ſunt, quas ad Senatum Supremum judicandas detulerunt. Omnia prolixæ litis capita non commemoro, contentus monere, unum fuiſſe, in quo quærebatur, an valeret, quod ſibi maritus adſcripſerat? & non valere plurimi Senatores reſpondebant, remota tamen falſi pœna, quia falſum & omnis ſuſpicio falſi aberant. Alii tamen Senatores contra nitebantur, quia *d. l.* 1. §. 8. *ff. ad L.*

(7) *Conſil. H. T.* II. *Conſil.* 147.

(8) Van Leeuwen *R. H. R. L.* III. *C.* 2. *n.* 5. & *Cenſur. Forenſ. Part.* I. *L.* III. *C.* 2. *n.* 5. ut ex Groenewegio *ad Tit. C. de His qui ſibi adſcrib.* & ex ſententia Curiæ *in Conſil. H. T.* II. *Conſil.* 147. ſed nec Groenewegen id dixit, nec Curia H. judicavit.

(9) Van Leeuwen *Cenſur. For. Part.* I. *L.* III. *C.* 4. *n.* 43. *Conſil. H. T.* VI. *Part.* II. *Conſil.* 43.

(10) *Conſil. H. T.* II. *Conſil.* 147.

(11) Ibid. *T.* V. *Conſil.* 188.

(12) *Conſil. Belg. T.* II. *Conſ.* 3. & *T.* IV. *Conſil.* 140. *Conſil. H. Tom.* VI. *Parte* II. *Conſil.* 134.

(13) *Conſil. H. d. T.* IV. *Conſil.* 140. *vſ. Derbalven.*

(14) *Conſil. Belg. T.* I. *Conſil.* 14-20. & *Conſil. H. T.* II. *Conſil.* 147. & 148. & *T.* IV. *Conſil.* 202. ubi *d. Conſil.* 147. & 202. memoratur ſententia Curiæ in hanc rem.

L. Cornel. de Falſ. tuetur ea, quæ quis ſibi adſcripſit, dummodo, præter ſubſcriptionem teſtatoris, accedat ejus profeſſio, *ſe teſtamentum dictaſſe & recognoviſſe*, & huic clauſulæ putabant parem eſſe profeſſionem Notarii, involucro factam, compoſitum fuiſſe id teſtamentum poſt amplam ſatis & diligentem deliberationem, vel certe ſubſcriptionem, in ipſo teſtamento a Notario & teſtibus factam. Sed neutrum ſufficere alii urgebant, quia deſiderat *d. l.* 1. §. 8. ut teſtamentum fuerit exceptum ex ore teſtatoris dictantis, ne calamus ſcribentis fallat, & deinde, ut fuerit lectum & recognitum ab ipſo teſtatore, ut ipſe animadvertat, an, ut dictatum erat, ſic etiam ſcriptum eſſet. Cui cautelæ, ſecundum leges neceſſariæ, non ſatisfacit vel teſtatoris ſeria deliberatio, vel Notarii & teſtium nudæ ſubſcriptiones. Rurſus alii Senatores, ſequuti Pragmaticos, quos retuli, exiſtimabant, Conjuges in mutuo teſtamento ſibi invicem adſcribere poſſe, non tantum ea, quam dixi, ratione, ſed & quod Jure Romano ea adſcriptio nominatim prohibita non ſit. Præterquam autem quod apud Romanos, certe antiquiores, vix unis iisdem tabulis Vir & Uxor teſtamentum conderent, ſatis utique conſtat, quamvis id hodie uſitatiſſimum ſit, ejusmodi mutuum teſtamentum, quod ad effectum juris, haberi pro duobus teſtamentis, atque ita & in eo valere, quæcumque in ſeparatis teſtamentis obtinent. His dictis mox duo Senatores ſententiam ſuam mutabant, & ſic plurima ſuffragia, quæ antea non erant, nunc reſpondebant pro filio actore, eique adeo adjudicatus eſt ſemis hereditatis maternæ, conceſſa etiam reſtitutione in integrum contra apocham, qua profeſſus erat, maternam hereditatem, accepta legitima, ſibi eſſe traditam, nam, cum hanc apocham ſcriberet, nondum ſibi innotuerat, teſtamentum mutuum patris ſui manu fuiſſe conſcriptum: ſic judicatum eſt 28. Jun. 1731. (15).

Si maritus in mutuo Conjugum teſtamento ſibi non recte adſcribat, haud difficile erit in conſilium ire de hac ſpecie. Mulier in teſtamento, quod *apertum* vocamus, marito legaverat 20000. florenos, deinde aliud facit, revocato priori, & marito totidem reliquit. Hoc maritus ſcripſerat, indeque facit teſtamentum clauſum. Mortua muliere nihil deberi marito ingens JCtorum turba anno 1667. vario tempore reſpondit (16), &, ni fallor, recte reſpondit, nam ex priori teſtamento, utpote revocato, agere non poterat maritus, neque etiam ex poſteriori, utpote quo ſibi adſcripſerat illos 20000. flor. Plura verba perdere in hanc rem non erat opus.

Quod autem ajunt (17), ſi teſtator teſtamento ſuperſcripſerit, *hoc meum teſtamentum eſt*, tunc ſibi adſcriptum valere, æque ac ſi dictaſſe & recognoviſſe ſe ſcripſiſſet, ea ſententia ego non utor, neque etiam ſubſiſtit cum iis, quæ modo diſputabam, neque hic repeto. Sunt etiam alii, qui ea non utuntur (18). Curiam Hollandiæ 23. Jan. 1648. famulo legatum codicillis, quos ipſe ſcripſerat, relictum, adjudicaſſe relatum eſt (19). Sed, ne hæc res aliis ſit præjudicio, monendum eſt, hanc ipſam eſſe cauſam, quam memorat Groenewegen *ad Tit. C. de His qui ſibi adſcrib.* & legatum, ut ipſe ait, fuiſſe relictum *teſtamento nuncupativo*, quo ſic famulus forte quidem ſcripturam conjecerit, ſed tranſcripſerit Notarius, & tranſcriptam habuerit pro authentica, tunc enim nihil obſtare adſcriptionem ſui, jam videor ſic ſatis probaſſe. Non intercedo, ſi his, quæ dixi, placeat addere Notas Boelii ad Loenium *Deciſ. Cur. Holl. Caſ.* CXXXVII. *p.* 796—809.

CAPUT IX.

Quibus cedant, quæ non capientibus relinquuuntur.

Non capientes appello, quibus per legem capere non licet, ut ſunt, quæ pro non ſcriptis habentur, vel quæ, ut indignis auferuntur. Illa Jure Romano ad heredes, hæc ad Fiſcum plerumque pertinebant. Grotius (1), jus Romanum ſequutus, quod ad ea, quæ pro ſcriptis habentur, adhuc hodie diſtinguit inter ea, quæ palam vel quæ clam incapacibus relinquuntur, ut illa heredibus, hæc Fiſco cedant. Sed vulgaris fama eſt, Jus Fiſci, utique in Hollandia, in omnibus & per omnia obſoleviſſe (2). Quod ſi ſit, non animadverto, cur non ſit certiſſimum, quod & alii ſcripſerunt (3), quæcunque non capientibus relinquuntur, pro non ſcriptis eſſe habenda, atque ideo cedere aut ſubſtitutis, ſi ſubſtituti reperiantur, aut ſcriptis heredibus, aut proximis ab inteſtato alioquin ſucceſſuris, ſive nempe illa palam, ſive clam relinquantur, nam hanc diſtinctionem non ſervari etiam illi Hollandi (4) cenſent, qui alioquin alias illicitis Collegiis relicta licitis addicenda exiſtimant (5), quod omnium maxime diſplicet, ut mox dicam plenius. Sed quod de heredibus ſic dicebam, credo eſſe veriſſimum, ideo præſertim, quod Ordines Hollandiæ in Edicto, quod 4. Maj. 1655. contra hereditates legatave, Pontificiis Collegiis aut Eccleſiaſticis relicta fecerunt, edixere, ut, quæ iis palam aut clam relinquerentur, ita haberentur, atque ſi ſcripta non eſſent, & cederent iis, qui alioquin in illa eſſent ſucceſſuri. Conſtat autem nullos fere eſſe tam exoſos, quam Calvinianis Pontificios. Ipſum Edictum 1655. ſupra, quod ſufficit, interpretatus ſum *C.* II. Si hæc ſubſiſtant, ſcire velim, quemadmodum defendi poſſit, quod Eccleſiaſtici Calviniani aliquotiens pauperibus Arminianorum Mennonitarumque relicta legata & hereditates invaſerint aut in jure petierint (6). Primum enim quæro, an hi pauperes capere poſſint, nec ne? & magis eſt, ut poſſint, quibus enim coire licet, licet & legare *l.* 20. *ff. de Reb. dub.* Igitur & precario capiunt, quibus & quamdiu precario coire licet, niſi lex intercedat, ut de Pontificiis quibusdam intercedit Edictum Ordinum Hollan-

diæ

(15) *Obſerv. Tumult. Tom.* XI. *n.* 2644.

(16) *d. Conſil. B. T.* I. *Conſil. C.* 14–20.

(17) *Conſil. B. T.* II. *Conſil.* 3. & *T.* IV. *Conſil.* 140. & *Conſil. H. T.* VI. *Part.* II. *Conſil.* 180. & 186.

(18) *Conſil. H. T.* II. *Conſil.* 147.

(19) *Conſil. B. T.* II. *Conſil.* 3.

(1) *Introduct. ad Jurisprud. Holl. L.* II. *C.* 24. *vſ. Alle bet gunt.*

(2) Wiſſenbach *ad Tit. ff. de His, quæ ut indign. n. ult.* Groenewegen *ad Tit. C. Eod.* van Leeuwen *Cenſur. Forenſ. Part.* I. *L.* III. *C.* 4. *n.* 42.

(3) Voet *ad Tit. ff. de His quæ ut indign. n.* 12.

(4) Groenewegen *ad Tit. C. de His qui ſe defer.*

(5) Idem *ad l.* 15. *C. de SS. Eccleſ.*

(6) *Formul. T.* II. *C.* 26. *n.* 40. Coren *Obſerv.* IX. & *Bell. Jurid. Caſ.* 69.

diæ 4. Maj. 1655. Et cum quæſtio incidiſſet, an Mennonitarum pauperibus legare liceret, reſponſum eſt licere (7), & pro eo adducta Mennonitarum Orphanotrophiis conceſſa vectigalium immunitas, & porro adductum, Magiſtratum Amſterdammenſem 10. Dec. 1670. & bis alias, quæ pauperibus iis legata erant, ſalva conceſſiſſe, eodem Magiſtratu intercedente Mennonitarum bona eſſe diviſa, quum in familia erciſcunda diſſiderent Galeniſtæ & Apoſtolici, hæreſes, in quas tum Amſterdammenſes Mennonitæ erant diſculſi. Alii Eccleſiæ Lutheranæ, quia per conniventiam toleratur duntaxat, legatum, pro non ſcripto habendum reſponderunt (8). Perperam, eo enim jure, quo eſt, capit, ſi igitur vel precario ſit, precario, ut modo dicebam, capit, donec eſſe vetetur. Quod ſi vetaretur, inter ſe, quod habebant, dividerent *l.* 3. *ff. de Colleg. & corpor.*

Sed fac, capere non poſſe Arminianorum, Lutheranorum & Mennonitarum pauperes, utique tunc capient, quibus ea jure cedunt, heredes nempe, ut, ſi Eccleſiæ Lutheranæ legare non liceat, recte reſponſum eſt (9), quodque alias, incertus conſilii, tamen ſuggerit (10), ſed quo jure capiet Eccleſia Calviniana, non eſt, ut tibi dicam. Huic tamen iniquitati patrocinari videtur antiqua quædam Senatus Supremi ſententia, lata 22. Apr. 1597. (11) nam quum olim 12. Mart. 1535. quidam Eccleſiæ, tunc Pontificiæ, agros quosdam dediſſet, ut inde ſacrificia pro animabus fierent, hac adjecta conditione, ut, ſi ſacrificia illa amplius non fierent, agri heredibus reſtituerentur, & deinde 9. Mart. 1589. vetita eſſet profeſſio Religionis Pontificiæ (12), atque ita heredes agros repeterent, Senatus Supremus d. 22. Apr. 1597. illos agros Eccleſiæ, tunc Calvinianæ addixit, reſciſſa Curiæ ſententia, quæ 12. Mart. 1596. heredibus agros reſtituendos judicaverat. Sane ſi Eccleſia Pontificia capere amplius non poſſet, poterant & debebant heredes, cum iis cedant, quæ pro non ſcriptis habentur, & ſic, in hac ſpecie, palam juſſerant teſtatores, & cedo, cur ita jubere non potuerint.

Sunt tamen (13), qui probant rapinam Eccleſiaſticorum, ſibi vindicantium, quæ aliis perſonis vel locis Eccleſiaſticis illicite relicta ſunt, quaſi nempe benignius intelligenda eſſent teſtamenta, aut, quod Deo ſacratum ſemel eſt, in uſum profanum converti non poſſet. Si teſtator in memoriam ſui, ſpectaculum in Civitate quotannis edi juſſerit, præſcripta forma, legibus prohibita, ad aliam formam recurrendum eſſe recte Modeſtinus reſpondet in *l.* 16. *ff. de Uſu & uſufr. legat.* quin legatam Civitati pecuniam in aliam rem, quam defunctus voluit, convertere non licet *l.* 4. *ff. de Adminiſtr. rer. ad Civit. pertin.* Spectaculo igitur ſervato, quantumvis alterius formæ, voluntatem defuncti ſervamus, & ſic oportet, ſed teſtatorem, Mahometanum forte, qui legavit Mahometo, ſi Mahometo per legem loci habere non liceat, Papæ Romano legaturum fuiſſe, quis ſanus credat?

Quod de conſecratione, ſemel facta, audio, non aliter verum eſt, quam ſi victor eundem, quem victus, Deum colat, nam ſi alium, victoria aboletur omnis conſecratio, & ſic intelligo Pomponium in *l.* 36. *ff. de Religioſ. & ſumpt. funer. Cum*, inquit, *loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinunt religioſa vel ſacra eſſe*, & Paulum in *l.* 4. *ff. de Sepulchro violat.* cum ait, *Sepulchra hoſtium religioſa nobis non ſunt.* Victorem quidem ſequuntur omnia, non humana tantum, publico privatove ſubjecta dominio, ſed & quæ Deo ſacrata, pro Divinis cenſentur, non autem ſequuntur, ut ſacra & divina, ſi apud victorem ex ſua religione ſacra & divina non ſint: quod victus adoravit, victor forte ridebit. Sane ſi princeps Pontificius alium Pontificium vincat, eadem, quæ ante fuerunt, ſacra manebunt, non ideo, quod non omnia victi victor in dominium ſuum redigat, ſed quia ſub omnibus Pontificiis eadem eſt conſecratio, facta nempe ex auctoritate ejusdem Pontificis Romani, unde, quod eo auctore ſacrum eſt, rurſus profanum fieri non poteſt, niſi forte ipſe Pontifex vincatur. Calviniani igitur Principes, jure victoriæ, recte ſibi arrogarunt bona Pontificiorum Eccleſiaſtica, ſed non recte, ex conſecratione ſemel facta, ſibi ea arrogarunt noſtri Eccleſiaſtici, qui omnes Pontificiorum conſecrationes magis habent pro impiis, quam pro ſacris. Mutato hic Principatu etiam ſacra mutata ſunt, & ſi quæ, mutatis ſacris, contra legem relicta ſunt, ea, vel pro non ſcriptis habita, vel ut indigna ablata, heredibus cedant, minime vero contra mentem teſtatoris referantur in uſum quem ipſe, ſi viveret, ut impium, damnaret.

Quum inter Hollandos Zelandosque 25. Apr. 1576. conveniſſet (14) de tuenda Religione, quam ibi appellant, *Euangelica*, mox in Hollandia Edicto 17. Apr. 1577. (15) bona Pontificiorum Eccleſiaſtica publicata ſunt, ut inde Eccleſiaſtæ & Ludimagiſtri Euangelici alerentur, ſtatuta contra eos, qui ea poſſidebant, neque deferrent intra menſem proximum, ſupra ipſius rei, etiam dupli pœna. Orangius id Edictum promulgavit mentito Philippi II. nomine, ut & ſæpe alias factitavit, quia nempe Imperium Comitatenſe nondum ei abrogatum erat, ſed ſatis abſurde in ejusmodi cauſis, quæ ipſum Philippum oppugnabant. Sed hoc jam non ago. Ceterum Orangius publicabat ea bona in rem ipſorum Ordinum, ea tamen aſtutia, ut inde exhiberentur Concionatores, quorum ope populus in officio continebatur. Hi certe, quam pauperiores erant, tanto ſtudioſiores credebantur futuri ad tuendum præſentem Reipublicæ ſtatum, occupatis Pontificiorum bonis, quibus ſolis alebantur, utique cárituri, ſi Reipublicæ Principatus mutaſſet. Sic Florentini, cum Petrum Medicæum ejusque fratres hoſtes judicaſſent, pretioſiſſimam eorum ſupellectilem furioſæ plebi diripiendam dederunt, aut ſub haſta vili pretio ad-

(7) *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 65. & 66.
(8) *Conſil. H. T.* V. *Conſil.* 100.
(9) *d. Conſil. H. T.* V. *C.* 100.
(10) Coren *in addit. ad d. Obſervat.*
(11) *Deciſ. Mixt.* 176.
(12) Id Edictum Ordd. Holl. memoratur in Sententia, & exſtat *Plac.* I. 1. 4. 1. *Edict, Ordd. Holl. n.* 2. ſed ea profeſſio jam ante erat vetita *Edict. Orangii* 20. *Dec.* 1581. & *alio Ordinum Holl.* 21. *Nov.* 1584. *Ibidem Ed. Ordd. Holl. n.* 1. & *in additionibus.*
(13) Groenewegen *de LL. Abrog. ad l.* 15. *C. de SS. Eccleſ.* & plures alii, in hanc ſententiam ibi laudati. Adde Huberum *Prælect. ad Tit. ff. de Condit. & demonſtr. n.* 10.
(14) *Unie en Verbond, tuſſchen de Staten en Steden van Holland en Zeeland Part.* II. §. 15.
(15) *Plac.* II. *Append.* p. 2143. & *ſeqq.*

addixerunt, *ut populus*, inquit ille (16), *illa auctione prædaque contactus nunquam poſtea ad voluntatem eos reducendi flecteretur.* Hac arte & olim Henricus VIII. Angliæ Rex, potentiſſimis Procerum bona Eccleſiaſtica diſtribuit, novam ita rerum conditionem, ſi non Religionis novæ, utilitatis ſaltem ſuæ ergo; probaturis, defenſuris. Quod exemplum & poſtea in Regis & Epiſcoporum bonis Cromwellius ſequutus novam dominationem firmavit (17).

Sed, ut ad quæſtionem Juris privati revertar, ne quidem auſim dicere, manentibus iisdem ſacris, quod ſemel Deo ſacratum eſt, nunquam ad uſum profanum redire poſſe, etiam apud ipſos Pontificios; fac enim ad certum uſum eſſe ſacratum, aut ſub conditione, quæ defecit; ut in illo facto, de quo Senatus Supremus judicavit d. 22. Apr. 1597. expreſſe ibi adjectum erat, ut ager ille heredibus cederet, ſi ſacrificia, ibi memorata, ceſſarent. Quidni pacto, quidni ultima voluntate liceret cavere, ut conditione, ſub qua quid conſecratum eſt, non ſervata, redeat res, de qua agitur, unde profecta eſt? id licere intelliges ex *C.* 4. *Decretal. de Condit. appoſ. Cum*, ait, *alicui Eccleſiæ poſſeſſio quælibet, interpoſita conditione, donatur, a donatore donum poſtea revocari non poteſt, niſi forte tali ſit conditione collatum, quod ea ceſſante, debeat revocari.* Deficiente conditione deficere ipſam conſecrationem; etiamſi auctoritatem juris non haberet, ſummam rationem habet.

Sic videor ſatis probaſſe, nihil cauſæ eſſe, cur a regula, quæ non capientibus relicta addicit heredibus, excipiamus ea, quæ propter religionem, legibus improbatam, capere non licet. Et tantum abeſt, ut Jus Romanum huic exceptioni auctoritatem præbeat, ut Papinianus videatur contra reſpondiſſe in *l.* 35. *ff. de Liber. cauſ.* nam ſervos ad templi cuſtodiam, quod ædificari Titio voluit, deſtinatos, heredis eſſe ſcribit; deſtinati quidem erant ſervi ad pium uſum, ſed templo non exſtructo, ad cuſtodiam alterius templi aliumve pium uſum ſervos non addicit, at heredis eſſe pronunciat. Tantundem dicerem, ſi vel templum fuiſſet ædificatum, ſed poſtea exuſtum, aut per novam religionem abolitum. Quin, ſi Jus Patrium conſulamus, eam exceptionem plane refutat Edictum Ordinum Hollandiæ 4. Maj. 1655. quod ſupra dicebam heredibus adjudicare, quæ relinquuntur his, qui per religionem vetitam capere non poſſunt.

Ea ſententia etiam alii uſi ſunt, nam quum Jeſuitis domus quædam Silvæ Ducis legata eſſet, quamdiu iis ibidem eſſe liceret, ſin autem ea Urbs ad Ordines Fœderati Belgii perveniret, atque ita iis ibidem eſſe non liceret, domus ad Cognatos reverteretur, judicatum referunt (18), cum eam Urbem Ordines occupaſſent, domum ad Cognatos reverti. Sed cum reditus eſſet conſtitutus Altari cuidam ad Miſſam, &, ſi Miſſa ibi non celebraretur, alii Altari, reſponſum eſt (19), loco in Ordinum Generalium poteſtatem redacto, non poſſe reditum alio transferri, quia, ob Religionem mutatam, jam publicatus erat. Quod probo, ſi in eadem Urbe occupata celebranda fuiſſet Miſſa, quod non ſatis expresſum eſt, ſic enim jure Victoriæ etiam Sacra ad Victorem, alia religione utentem, pertinent, ſed magis ſubſiſterem, ſi, & in aliam Urbem, ubi Miſſam celebrare licet, transferre eſſet integrum.

Fiſcum excludi ab his, quæ liberis adulterinis, ultra alimenta, relicta ſunt, non patitur Zelandiæ quidam Fiſci patronus (20), ſed animadverte, in qua ſpecie id contendat, ſi nempe cognati proximi intra duos menſes ſibi non vindicaverint ea, quæ adulterinis relicta ſunt, in hanc rem uſus, an abuſus *l.* 1. *C. de Natur. liber.* utque adeo & Cognatos prætulerit Fiſco, ſi jure ſuo uti velint, ſi nolint, tunc demum Fiſco locum faciat. Sed ne ſic quidem eam ſententiam auſim facere meam, ſed remotis proximioribus remotiores Cognatos admiſerim, ut in omni ſpecie, ex qua heredes proximi, ut indigni, repelluntur. Jure Romano indignus eſt, qui id egit, ut per negligentiam & culpam ſuam mulier, a qua heres inſtitutus erat, moreretur, multo igitur magis indignus erit, qui opem conſilium præbuit, ut Titius, cujus heres eſt, occideretur, occiſo enim Titio, neque ejus, neque ejus deſcendentium heredem eſſe poſſe, aperte cautum eſt §. 26. *Cap.* II. LL. *Zeland. Zoo wie handadig is over iemand, die doot geſlagen zy, of raad of daat daar toe gegeeven heeft, dat zy zelve erfgenamen af zyn, die zullen als erfgenamen geen deel hebben in des Dooden goede, nog die geene, die van heuren lyve gekomen zyn.* Sic ubique legitur, ſed pro *dat zy zelve*, omnino legendum eſt, *daar zy zelve* &c. Res ipſa etiam aliarum Gentium Statutis cavetur, & ex his nata eſt vulgaris Belgarum parœmia, quam explicat Matthæus *Parœmia* VI. qui ipſe obſervat, Statutis nonnullis nominatim inſeri, quod, excluſo hodie Fiſco, generaliter recipiendum eſt, herede homicida remoto, propiorem gradu defuncto ſuccedere, ſi nempe ex teſtamento nulli ſint conjuncti vel ſubſtituti.

CAPUT X.

Si Conjuges mutuo teſtamento ſe invicem heredes ſcribant cum plena poteſtate alienandi, ſed ea lege, ut bona, quæ ſuperſtes relinqueret, poſt ejus mortem inter utriusque heredes æquis partibus dividantur, an hereditates & legata, aliaque lucra, quæ ſuperſtes, ſua ipſius induſtria, acquiſivit, pro ſemiſſe etiam cedant heredibus Conjugis primum defuncti?

Uſu quotidiano receptum eſt, præſertim inter honeſtiores cives, qui ſalva communione bonorum nuptias contraxerunt, ut, ſi liberos non habeant, & habendi ſpes omnis decollaverit, ſe invicem heredes ſcribant, ea lege, ut poſt mortem ſuperſtitis, quæ ex utriusque patrimonio ſupererunt, etiam inter utriusque heredes pro ſemiſſe dividantur, addita prohibitione, ne,

(16) Gratianus *in Petro Medicæo* p. 109.
(17) Aitzema *L.* XXXIII. p. 981. & 982.
(18) *Conſil. B. Tom.* I. *Conſil.* 186.
(19) *d. Conſil.* 186.
(20) *Conſil. Holl.* III. *Conſil.* 91. *poſt n.* 23.

ne, qui primum morienti ſucceſſuri eſſent, a ſuperſtite exigant inventarium bonorum, vel pro his ullam cautionem, nec dubitare licet, quin rata ſint ejusmodi teſtamenta, toties certe id judicavit utraque Hollandiæ Curia, ut ipſa ſententiarum copia laboremus. Quæcunque quæſtiones de ejusmodi teſtamentis incidunt, fere pertinent ad poteſtatem alienandi, ſuperſtiti datam, quid nempe ea contineatur vel non contineatur. Sed deinde etiam dubitari cœptum eſt, an non ſoli ſuperſtiti cedant hereditates & legata, quæ, ſoluto matrimonio contemplatione ſuperſtitis ei obvenerunt, vel quæ ipſe non ex communi patrimonio, ſed ſua ipſius cura & induſtria acquiſivit? cauſa dubitandi inde nata eſt, quod Conjuges in his, quæ ſibi invicem relinquunt, aliis atque aliis formulis utantur, ſæpe ajunt, *dat ze malkander maken het volle vrye beſit*, ſæpe *het beſit en jouiſſance*, ſæpe, perinde habendum, *als of ze beide nog op ſtoel of op het kuſſen ſaten*, ſæpe *dat ze aan de langſtlevende lieten het vrugt-gebruyk*, quin & ſæpe, *dat ze malkanderen erfgenaam maakten*, addita tamen ſemper prohibitione Inventarii & cautionis, & addita clauſula de communi hereditate poſt mortem ſuperſtitis inter utriusque heredes æquis partibus dividenda. Hæ ſimilesque formulæ paſſim frequentantur. Sunt autem quædam ex his ejus ſignificationis, ut, ſi adhibeantur, nonnulli inde efficiant verum uſumfructum & verum fideicommiſſum, rati, de *uſufructu* dubitandum non eſſe, ſi de *uſufructu* relicto ſermo ſiat, nec de *fideicommiſſo*, ſi ſuperſtes ſcribatur *heres*, & poſt ejus mortem vocetur alius, ſic enim definiri fideicommiſſariam ſubſtitutionem. Mox recurrunt ad regulas, quas de uſufructu & fideicommiſſo præſcribit Jus Romanum, ab uſufructuario nempe & fiduciario non plus eſſe reſtituendum, quam accepit. Quod ſi ſit, negant, pro ſemiſſe ad heredes primum morientis pertinere, quod ſuperſtes hereditatis legative titulo accepit, vel ipſe induſtria ſua lucratus eſt.

De interpretatione voluntatis omnis quæſtio eſt, & in ea ita verſandum, ut non temere ſententiam dicamus, niſi conjunctis & conſultis omnibus, quæ ubique in teſtamento occurrunt, & id operam demus, ut his omnibus idoneus conſtet ſenſus. Omnes formulæ, quas recitavi, apud me ejusdem ſunt ſignificationis, nec differunt niſi nominis ſono, & quamcunque elegeris, non putem ex ea verum uſumfructum vel fideicommiſſum effici poſſe, id enim non convenit poteſtati alienandi, quam ſuperſtes accepit; non convenit, ſi fideicommiſſum urgeas, remiſſioni conficiendi inventarii, fruſtra enim ea remittitur in fideicommiſſo univerſali; neque etiam, ſi uſumfructum urgeas, convenit remiſſioni cautionis, quia & hæc in uſufructu fruſtra remittitur. Sæpiſſime tamen teſtatores, magis ad rem, quam verba attenti, iis vocabulis utuntur, quæ non niſi καταχρηστικῶς accipi poſſunt, cum ajunt, ſe *uſumfructum* ſuperſtiti relinquere, ideo ajunt, quod, ſi commune patrimonium neque augeatur neque minuatur, ſuperſtes ex bonis primum defuncti nihil quicquam habeat, quam fructus & omnem utilitatem. Cum ajunt, ſe ſuperſtitem *heredem* ſcribere, ideo ajunt, quod ſuperſtes de bonis primum defuncti ſtatuere poſſit, ut poſſet verus heres, modo cuſtodiat conditionem, mox adjectam.

Ego vero, diligenter excuſſo ejusmodi, quod præſcripſi, teſtamento mutuo, non aliam utriusque Conjugis mentem fuiſſe exiſtimaverim, quam inter heredes primum defuncti & ſuperſtitem, æqua conditione, ad usque hujus mortem continuare eam bonorum communionem, quæ inter ipſos Conjuges, ſtante matrimonio, obtinuerat. Tunc verum eſt, inventarii & cautionis exactioni nullum omnino locum eſſe, tunc verum eſt, quod aliter non eſt, ſuperſtitem de communi patrimonio ſtatuere poſſe ex animi ſui ſententia, & nihil dividendum, quam quod, ſuperſtite defuncto, ſupererit; intelligunt igitur, lucra & damna, quocunque nomine obvenerint, tam ad heredes primum defuncti, quam ad ſuperſtitem pertinere, quod, niſi durante communione, explicari non poteſt, cum maxime, quia uterque Conjux ſimul & conjunctim ſtatuit de omni eo, quod exſtabit poſt mortem ſuperſtitis. Poteſt utique ſuperſtes alios vocare heredes, quam vocaverat mutuo teſtamento, ſed fruſtra erit, ſi quid moliatur in præjudicium eorum, quos primum defunctus vocaverat, & cujus judicium ipſe probaverat.

Noli objicere, omnem ſocietatem morte diſſolvi, & ne quidem paciſci poſſe, ut heres ſocii in ſocietatem ſuccedat. Id obtinebat Jure Romano in ſocietate, quæ ex contractu deſcendebat, & ejus rei non alia ratio erat, quam ne ſocio invito forte obtruderetur ſocius minus idoneus, moroſus, negligens, improbus. Sed & hoc ipſum moribus abrogatum eſſe, plurima rerum judicatarum exempla demonſtrant, in ſocietate utique conjugali id non obtinere inde apparet, quod in ea continuata plane ceſſet ejus juris ratio, non enim hic novus ſocius, qui ſimul adminiſtrat, obtruditur, ſolus vel ſola ſuperſtes eſt ſocius vel ſocia adminiſtrans tam pro ſe, quam pro heredibus primum defuncti Conjugis, adminiſtrat autem pro ſuo ipſius arbitrio, nulli rationum redditioni obnoxius, & absque metu importuni ſocii, qui eum turbare poſſit.

Sed preſſius agamus de hereditatibus & legatis, quæ ſuperſtiti obveniunt. De his etiam quæritur, ſi communio bonorum continuetur inter liberos primum defuncti & Conjugem ſuperſtitem, ſed quia, quicquid ejus juris eſt, non deſcendit ex Jure communi, at vero vel ex ſpeciali voluntate alterutrius Conjugis, vel ex Legibus pupillaribus ſingulorum locorum, hiſce excutiendis nolim me immiſcere. Suffecerit notaſſe, in ſocietate omnium bonorum, ut eſt ſocietas Conjugalis, *& hereditatem, & legatum, & quod donatum eſt, aut quaque ratione adquiſitum, communioni acquiri l.* 3. §. 1. *ff. pro Soc.* & nullam rationem eſſe, ſi ex voluntate utriusque Conjugis illa ſocietas continuetur, cur non id ipſum obtineat poſt mortem primum defuncti: nam, quod dicitur, illam communionem non eſſe porrigendam ad alia bona, quam quæ communia fuerunt tempore primum morientis, &, ad ſummum, etiam ad eorum uſuras, fructus, & alios proventus, id vero dicitur ſine ulla auctoritate, imo contra apertam mentem ipſorum Conjugum, qui pro ſemiſſe heredes inſtituerunt cognatos ſuos *in his, quæ ſuperſtes relicturus eſſet*, nullo ſcilicet diſcrimine, unde ea bona venerint.

Ratione autem ſe defendunt, ſi nequeant auctoritate Juris, iniquum rati, ſi heredibus primum defuncti pro ſemiſſe cederent hereditates, & legata, quæ ſuperſtiti obvenerunt a Cognatis & amicis ſuis, vel lucra, quæ ſuperſtes ſua induſtria acquiſivit, poſtquam nempe primum defunctus nihil, quocunque titulo, amplius acquirere poterat, habere enim id nonnihil leoninum. Sed quid ſi primum defunctus ſtante adhuc matrimonio, commune patrimonium etiam auxerit hereditatibus & legatis? & quid ſi ſua induſtria plus attulerit, quam poſt ſuum fatum attulit ſuper-

perſtes? Cum ambo teſtarentur, incertum, quis primum moreretur, incertum forte, utri major ſucceſſionis ſpes affulgeret, & propter illam incertitudinem æquius melius viſum eſt, jure reciprocationis, ad usque mortem ſuperſtitis omnia invicem communicatum iri. Si ſuperſtes commune patrimonium augere poſſit, atque ita prodeſſe heredibus primum defuncti, poteſt & diminuere, atque ita iisdem nocere. Fac ſuperſtitem fidejuſſiſſe, & ex ea fidejuſſione plurimum debere, id damnum utique commune erit, fac ſuperſtitem pauperes cognatos habere, quibus alimenta præſtare neceſſe eſt, hæc utique præſtabuntur ex communi patrimonio. Quidni igitur & id patrimonium augebit, quod ſuperſtiti a cognatis beatis obvenerit? res ſic ſatis videtur liquida.

De auctoritatibus & rebus judicatis nonnihil addendum eſt. Et quidem Senatus Supremus ult. Maj. 1629. (1) judicavit, continuatam eſſe bonorum communionem inter ſuperſtitem & heredes primum defuncti, ubi duo Conjuges ſe invicem ſcripſerant heredes, ſed ea lege, ut, quod ſuperſtes relinqueret, poſt ejus mortem inter utriusque Cognatos divideretur pro ſemiſſe, idque verum eſſe, etiamſi ſuperſtes commune patrimonium admodum auxerit. Nec alia ſententia uſus eſt Senatus, cum, probata Curiæ ſententia, 3. Jun. 1623. (2) heredibus primum defuncti duntaxat adjudicaverit ſemiſſem communis patrimonii, *quemadmodum id erat tempore primum morientis*, nam Coren, qui eam ſententiam retulit, palam monet, illis heredibus non plus fuiſſe judicatum, quia non plus petierant. Idem Coren, ubi fere ſimile teſtamentum erat, alio loco (3) contendit, communionem continuatam non cenſeri, & multas inanes tricas in hanc ſententiam adfert, quæ neſcio an eum moverint, me certe non movent. Id vero quam maxime urget, quod in eo facto ſuperſtiti relictus duntaxat fuerit *uſusfructus omnium bonorum*, & ſic eſt, ſed cum poteſtate alienandi, cum remisſione inventarii, & cum inſtitutione utriusque heredum poſt mortem ſuperſtitis, quo caſu appellatio *uſusfructus* me non offenderit, ut jam ſupra dixi. Magis probo, quod ipſe ille Coren alio rurſus loco ſcribit (4), ubi reciproca eſt Conjugum inſtitutio, iterum cum poteſtate alienandi, & vetita inventarii confectio, ita tamen, ut utriusque heredes pro ſemiſſe ſuccederent in ea bona, quæ ſuperſtes eſſet relicturus, nec inventarium nec cautionem a ſuperſtite exigi posſe, magis, inquam, hoc probo, ſed ſine continuata communione defendi non poteſt. Non quidem eam rationem palam advocat, aliæ autem rationes, quas advocat, non ſunt unius aſſis.

Pergo ad ea, quæ mea memoria inciderunt. Cajus & Caja ſe invicem inſtituunt, ſed ea lege, *dat de goederen, die de langſt levende agterlaten zal, 't zy vermeerdert of vermindert, zullen moeten komen aan de Vrienden ten wederzyden, aan ieder voor de helft.* Utroque conjuge defuncto inter utriusque heredes de variis rebus litigatum eſt, & Caji heres inter alia defendit, Cajo, poſt mortem Cajæ obveniſſe duas hereditates, & has communi patrimonio eſſe eximendas. Sed contra judicavit Senatus 6. Dec. 1718. (5) ratus, communionem duraſſe ad mortem ſuperſtitis, atque adeo duas illas hereditates pertinere ad ea bona, quæ ſuperſtes reliquerat.

Vir & uxor in eandem ſententiam teſtamentum condunt 8. Maj. 1698. ita tamen, ut poſt mortem ſuperſtitis bes totius patrimonii cederet propinquis mariti, & triens duntaxat propinquis uxoris. Utroque Conjuge defuncto, uxoris heredes petunt trientem patrimonii communis, ut relictum erat a marito, nam plurimum id creverat poſt mortem uxoris. Heredes mariti inter alia, indigna, quæ memorem, ajunt, vires patrimonii eſſe ineundas, ut fuerant moriente primum uxore, reliqua commoda, quæ poſt obvenerunt, ſibi ſolis cedere. Id etiam in judicio defendunt, cum in jus vocati eſſent apud Judices in Nieuwen-Amſtel, ſed ibi ſecundum actores judicatum eſt 16. Maj. 1720. ut &, ex appellatione, apud Curiam, 9. Nov. 1725. nec quisquam Senatorum apud nos, cum rurſus appellatum eſſet, ab utraque ſententia diſſenſit 26. Jul. 1727. (6) Rationes jam expedivi, nec hic repeto. De lucro, quod ſolus ſuperſtes fecit, communicando ſi aliam auctoritatem deſideres, per me licet addas Voetium *Comm. ad Tit. ff. ad SC. Trebell. n. 56.*

Lectum eſt in auditorio Senatus Supremi teſtamentum, quo duo Conjuges 23. Aug. 1696. ſibi invicem reliquerant *het volle vrye beſit des gebeelen boedels*, & quod porro ejusdem plane erat ſententiæ, cujus ſunt reliqua teſtamenta, quæ hic interpretor. Vafrities Advocatorum Senatoribus perſuadere conata eſt, eſſe in hoc teſtamento multa ſingularia, quæ in rem ſuam vertebant, ſed ſi mihi adfirmanti credas, nihil quicquam occurrebat, quod cauſam mutare poſſet. Cavillationibus refutandis ſuperſedeo. Accipe igitur, quid acciderit. Maritus primum fato ſuo fungitur, Uxor commune patrimonium mox arripit & poſſidet, deinde Uxori ſuperſtiti obvenit ſic ſatis luculenta hereditas, & tandem ipſa quoque, aucto & alias communi patrimonio, decedit. Viri prædefuncti heredes ab herede mulieris apud Scabinos Amſterdammenſes petunt ſemiſſem bonorum, quæ mulier moriens reliquerat, atque ita & ſemiſſem ejus, quam dixi, hereditatis. Heres mulieris offert ſemiſſem bonorum ſive communis patrimonii, ut id fuerat moriente Viro, & ejus ſententiam probarunt Scabini Amſterdammenſes 14. Dec. 1735. & ex appellatione Curia Hollandiæ 25. Febr. 1739. Cum iterum appellatum eſſet, omnes Senatores reſpondebant, fructus & proventus, qui poſt mortem primum morientis ex communi patrimonio obvenerant, etiam eſſe communes, & perperam judicaſſe Amſterdammenſes & Curiam, quod hos actoribus negaſſent, ſed pauci inter illos erant, qui tamen exciperent hereditatem, victi a plurimis aliis, qui pro omnimoda communione ſententiam dicebant. Rationes in utramque partem audiviſti. Igitur ex plurium ſuffragiis 29. Sept. 1739. (7). reſciſſa eſt utraque, quam dixi, ſententia, & heredibus Viri adjudicatus ſemis omnium bonorum, quæ mulier reliquerat. Quum ab hac ſententia petita eſſet reviſio, & in judicio reviſorio lecta eſſent litis inſtrumenta, pridie antequam Senatores iisque adjuncti Reviſores ſententias dicerent, tentata, pro more, eſt transactio, eaque ſucceſſit 29. Sept. 1740. (8).

Zacharias Huber *Obſerv. rerum judicat. Parte* II. *C.* 4. in eadem, quam hic tracto, quæſtione

(1) Apud Coren *Obſervat.* XII.
(2) Apud eundem *Obſervat.* XI.
(3) *Conſil.* 15.
(4) *Conſil.* 23.

(5) *Obſerv. Tumult. T.* VI. *n.* 1498.
(6) Ibidem *T.* X. *n.* 2363.
(7) Ibidem *T.* XIV. *n.* 3154.
(8) Ibidem *d. n.* 3154. *ad marginem.*

he verſatus, largitur, eam pendere ex ſola voluntate Conjugum, & ſecundum hanc diverſimode judicaſſe Curiam Friſiæ, ſin autem hæc explorari nequeat, pronior eſt in eam ſententiam, quæ hereditates & legata non communicat, quod nempe putaverit, ejusmodi, qui dixi, mutuum teſtamentum incidere in fideicommiſſum & ſubſtitutionem fideicommiſſariam. Ipſe etiam largior, voluntatem Conjugum in ejusmodi teſtamento utramque paginam facere, ſed ſcriptura probe excuſſa, & conjunctis, quæ occurrunt, ſententiis, malim pro continuata communione, quam pro fideicommiſſo reſpondere, & quamvis in Hollandia, ubi ipſo jure obtinet bonorum communio, facilius id admittatur, quam in Friſia, ubi non obtinet, tamen & in Friſia inter ſuperſtitem & defuncti heredes introductam exiſtimaverim communionem bonorum, ſi ita verba ſint concepta, ut ſupra exhibebam, absque ea enim communione in interpretando teſtamento multum quidem laborabis, ſed proficies nihil. Sin autem omnino velis, ejusmodi teſtamentum incidere in cauſam fideicommiſſi, atque ita ſuperſtitem eſſe heredem fiduciarium, ſed quod ad ſemiſſem ejus, quod ſupererit, fideicommiſſo gravatum, neſcio, an adhuc res ſalva ſit, ſic enim diceres, ſuperſtitem ex aditione hereditatis primum defuncti, atque adeo ex quaſi contractu obligatum eſſe ſemiſſem communis patrimonii, quod ipſe relicturus eſſet, reſtituere heredibus conjugis prædefuncti, niſi forte malit ejus hereditatem ſtatim repudiare, & ſuum ſemiſſem cum lucro & damno, quod obventurum eſt, ſuis heredibus ſervare, ſi nolit, nihil prohibet, quominus primum moriens recte ſtatuat de re conjugis, heredis ſui.

CAPUT XI.

An, ut ſpurii ab inteſtato matri ſuccedunt, ſic & ſuccedant Cognatis maternis?

Spurium, etſi patrem jure, quo utimur, habere videatur, non tamen ei paternisque Cognatis ſuccedit, matri autem ſuccedere certum eſt, communis enim eſt regula, *matris non eſſe ſpurium*, *een moeder maakt geen baſtaard*, non, quod ad matrem ſpurius non ſit, qui ex juſtis nuptiis non naſcitur, ſed quod pro ſpurio non habeatur, ubi de matris ſucceſſione agitur, id enim, neque aliud, ſignificat parœmia. Ejusmodi aliquot parœmias, in Belgio apud JCtos receptas, collegit & poſtumas reliquit Antonius Matthæus, quarum prima, poſtremum tamen ſcripta, eſt: *een Wyf maakt geen baſtaard.* Imperfectus eſt ille partus, & neſcio, an publice exponi debuiſſet. De regula ipſa primum recenſebo veteres Hollandorum Zelandorumque leges, mox tranſiturus ad illuſtrem, quam propoſui, quæſtionem. Et primum Joannes Comes in §. 28. *LL.* quas anno 1303. Zuyd-Hollandis dedit: (1) *Die moeder wind geen baſtaarde Kinderen in Zuyd-Holland.* In §. 11. aliarum Conſuet. Zuyd-Holland. (2) & §. 12. Conſuetudinum Dordrechtan. ita cautum eſt (3): *dat een Moeder geen baſtaarden maakt, maar ſuccederen die Kinderen haar Moeder, ex quocunque coitu procreati*, & in alia Conſuetudine Zuyd-Hollandiæ, (4) *Geen baſtaarden zullen van iemands erven of goed deelen, dan van zynder Moeder.* Rurſus matris nullos eſſe ſpurios ajunt §. 30. *LL.* (5) quas Otto Arkelanus 11. Sept. 1382. Gorinchemenſibus dedit, & §. 30. *LL.* (6) quas idem eodem die Dalemmenſibus dedit. Et in eandem ſententiam eſt §. 16. *LL.* (7) quas Wilelmus Bavarus 24. Aug. 1412. dedit Gorinchemenſibus, qui tamen excepit adulterinos, ut & excipit §. 21. *LL.* (8) quas τῆς in Noordeloos en Grootewaard 1434. Gysbertus Vianenſis dedit, & fortius excipit §. 51. *LL.* (9) quas Jacobus Hoornenſis 18. Decemb. 1476. Workumenſibus & Altenaeis dedit, quasque confirmavit Maria Burgunda 2. Mart. 1477. (10) Cum his convenit §. 13. *LL.* (11) quas Jacobus Hoornenſis circa annum 1478. iisdem Workumenſibus dedit, ubi & pia ratio pro ea exceptione. Sine ea exceptione ſimpliciter a patris ſucceſſione ſpurios excludunt, ſed ad matris ſucceſſionem admittunt Leges Zelandicæ, tam generales §. 23. *Cap.* II. *LL. Zeland. anni* 1495. quam Middelburgenſium particulares §. 9. *Tit. XIV. Conſuetud. Middelb.* Omnes illæ Leges ſimplices ſpurios vocant ad hereditatem matris, quædam adulterinos excludunt, quod multo etiam magis de inceſtuoſis intelligendum, niſi quod *d.* §. 11. & 12. *Conſuetud. Dordrecht. & Zuyd-Holland.* ad ſucceſſionem matris admittant omnes liberos, *ex quocunque coitu* natos, quod admodum ſingulare eſt. Ceterum ſimplices ſpurii ubique in Hollandia admittuntur, nam novam Juſtiniani Conſtitutionem in *l.* 5. *C. ad SC. Orfic.* quæ arcet ſpurios, ſi mater ſit *illuſtris*, & legitimos liberos habeat, nemo unquam Judex, & nemo, quod ſciam, JCtus probavit; Curia quidem Hollandiæ 13. Jul. 1523. repulit ſpurium ab hereditate matris, quæ legitimum filium habebat, ſed non alia ratione, quam quod ex adulterio natus eſſet (12).

Quam maxime autem dignum eſt quærere, quod neſcio, an unquam plene quæſitum ſit, an maternis Cognatis etiam ſuccedat ſpurius? &, conſulta ratione, magis putarem, ſuccedere non poſſe. Omnis ſucceſſio legitima proficiſcitur ex præſumpta mente teſtatoris, lex enim vocat, quos præſumit teſtatores fuiſſe vocaturos, ſi de bonis ſuis ſtatuiſſent. Nunc lex vocat ſanguine proximos, eosque aliis omnibus præfert, alia lex vocat eos, a quibus, vel a quorum latere bona provenerunt, & inde duplex ſuccedendi ordo in Hollandia, & quamvis diſcrepent illæ leges, utraque tamen nititur præſumpta mente teſtatoris. Si hæc transferamus ad ſpurios, intelligo, matrem, quæ ſpurium peperit, ipſo concubitu in ejus nativitatem conſenſiſſe, & ſic eum æque diligere, atque filios legitimos, & utrisque pari jure ſuam hereditatem delatam velle, ſed nondum animadverto, quemadmodum ea præſumptio cadere poſſit in matris cognatos. Quisque quidem creditur familiam ſuam noſſe, ſed natam ex legitimis nuptiis, ſpurios autem, quos forte ſoror vel neptis mea peperit, non eſt, ut

(1) Van der Eyck *Zuyd-Holl.* p. 119.
(2) Ibidem p. 404.
(3) Oudhoven *Zuyd-Holl.* p. 87.
(4) Idem *ibidem* p. 500.
(5) (6) (7) (8) (9) (10) & (11) Exſtant omnes illæ LL. in Kemps *Beſchryving van Gorinchem en Arkel* ad eos annos.
(12) *Deciſ. Mixt.* XXVI.

ut cogar noſſe. Et quis non abominetur potius ſororis vel neptis illicitos amores, quam ut in eos conſentire, & ſic ſibi heredes quærere præſumendus ſit. Quin, ut furtivi ſunt illi concubitus, ſic ſæpe etiam partus ignoti. Et tamen mihi, qua matris cognato, ſuccedet ſpurius ex præſumpta mente, quam lex inducit? Cras credo, hodie nihil.

Si lex contradicat, noſtrum eſt tacere. Sed quidni, inquies, vulgo quæſiti maternis Cognatis non ſuccedant ex Edicto *Unde Cognati*? ſed id Edictum non competit niſi iis, quos lex ab inteſtato vocavit, & non occurrit lex, quæ, quod ad Cognatos maternos, ſpurios & legitimos eodem jure cenſet. Non eſt improbabile, quod Jacobus Cujacius *L.* XXVI. *Obſerv. C.* 23. ſcripſit, non aliis, quam quibus expreſſum, ſpurium ſuccedere, ideoque nec avo materno, niſi ex Conſtitutionibus Principum. Cum Leges Hollandicæ ajunt, *een Moeder maakt geen baſtaard*, ejus regulæ verba matris perſonam non egrediuntur, unde nec in ſucceſſione, quæ rationem offendit, ulterius extendenda ſunt, etiam ideo, quod non ex regula jus petendum ſit, ſed quod ex jure, quod eſt, regulæ conficiantur *l.* 1. *ff. de R. J.* Atque illud etiam de Jure Hollandico poſſet dici, ſpurium nempe matri duntaxat ſuccedere, neque enim legem invenio, quæ ait, eum etiam Cognatis ſuccedere, ſed contra potius aperte ſcriptum in Conſuetudine Zuyd-Hollandica, cujus verba ſupra repræſentavi (13): nam, cum dicit *geen baſtaarden zullen van iemands erven of goed deelen, dan van zynder Moeder*, nimis generalia ſunt hæc verba, quam ut iis ſignificari poſſit, ſpurium Patri Paternisque Cognatis non ſuccedere, ſed Matri Maternisque tantum. Quin Curia Hollandiæ 16. Febr. 1503. (14) judicaſſe videri poſſet, Filiam ſpuriam aviæ Maternæ non ſuccedere, ſed alia, ni fallor, decidendi ratio fuit, quod nempe illa filia eſſet adulterina, quo caſu ſæpe ita judicatum eſt, nam quod alii (15) ita Curiam judicaſſe exiſtimant, quia avia nepti ſpuriæ novem florenos annuos legarat, nugatorium eſt.

In Velavia, parte Gelriæ, idem jus eſt, quod in Hollandia obtinere volo. Nominatim enim *Reformat. Velav. Cap.* XXXVIII. §. 10. cautum eſt: ſpurios ſoli matri in allodialibus ſuccedere, minime vero Cognatis Maternis. Ubi etiam addit §. 11. Cognatos tamen matris ſuccedere in bona ſpuriorum, ſine liberis morientium, quod, ut iniquum, ſic & nullibi, quod ſciam, receptum eſt, reciprocorum enim eadem oportet ſit ratio. Probo tamen jurisprudentiam *d.* §. 10. etiamſi in Gelria, non minus, quam in Hollandia jactetur vulgare illud, *een Moeder maakt geen baſtaard.* Quod ad illum §. 10. etiam quæri video, an & ſpurii inter ſe poſſint ſuccedere (16). Id ipſum & de Jure Hollandico quæri poſſet, ſed quid dubitabis, ſi verum ſit, quod nonnulli (17) ajunt, & adulterinos ſibi invicem ſuccedere. Quamvis autem ita, ut dixi, cautum ſit *d.* §. 10. videas tamen & Gelros (18), ut certum, reſpondentes, ſpurium aliis matris ſuæ legitimis liberis ſuccedere, ſicuti & ſpuriis, eadem cognatione utrobique, naturali ſcilicet, ex Edicto *Unde Cognati.* Sed ibi de Neomagenſi, non Velavica ſucceſſione agebatur, & ne quidem in illa Edictum prodeſſet, ſi antea recte diſputavi.

Dixi de ratione & Legibus, quæ mihi ad manum ſunt, ſi ſolis auctoritatibus Pragmaticorum cauſa definienda eſſet, Hollandos ſine ulla hæſitatione ſcribere video, ſpurios etiam maternis Cognatis ſuccedere, quemadmodum & hi ſuccedunt ſpuriis. Poſtquam ita præiverat Grotius *Introd. ad Juriſpr. Holl. L.* II. *C.* 27. *Verſ. ult.* & *L.* II. *C.* 31. *vſ. van de niet gewettigde*, ea ſententia absque ulla auctoritate facile accepta eſt (19), & ſecundum hanc reſponſum *Conſil. H. T.* I. *Conſil.* 91. & *T.* II. *Conſil.* 187. & nominatim *Conſil. H. T.* IV. *Conſil.* 46. ſpurios ſuccedere materteræ, ut ſuccedunt ceteri ſororum liberi.

Conſtitueram nunc addere, an & quemadmodum materni Cognati ipſis ſpuriis ſuccedant, ſed reciprocorum eadem, niſi fallor, ratio eſt. Vulgo obtinet, ut ſpuriis ſuccedant liberi, ſi ſine prole legitima moriantur, bona ad eum, unde profecta ſunt, redeant, quæ autem ipſi quæſiverunt, inter Gravionem & Maternos Cognatos dividantur. Sic, inquam, vulgo obtinet, ſed ex privilegiis Gravionum, præcipue Alberti Bavari, quæ variis Hollandiæ Urbibus dedit, & ab aliis (20) enumerata ſunt, ſed non ea diligentia, quin plura adhuc ad manum ſint, quæ, ſi tanti eſſet, commemorare poſſem. Verum tanti non eſt, cum privilegia cauſam juris non mutent, nec mihi ſuccurrant leges, ex quibus Jure Hollandico reliqui præter matrem Cognati ſpuriis ſuccedant.

Hæc autem, quam præſcripſi, quæſtio, me Senatore & Præſide, bis Senatum occupavit, ſed ſemel deciſa tantum. Quum ſpurius ex Edicto *Unde Cognati* apud Senatum ageret ad partem hereditatis Cognati cujusdam Materni, & contenderet, ejus poſſeſſionem ſibi fiduciaria ſententia eſſe adjudicandam, *tot de recredentie*, tres quatuorve Senatores pro ſpurio reſpondebant, atque ita pro ea opinione, quæ poſt Grotium apud Hollandos nunc communis eſt. Alii, totidem numero, auctoritate Grotii & aliorum ſepoſita, ex ratione, quam ſupra attuli, contra ſpurium ſententiam dicebant. Tres alii amplius deliberandum cenſebant, ſibi enim non ſatis liquere, nec poſſe fiduciariam ſententiam dari in cauſa adeo dubia, utique non tam liquida, quam exigit judiciorum ordo, in fiduciariis adjudicationibus apud nos receptus. Si ſic res fuiſſet definienda, contra ſpurium definita eſſet, ſed quum hereditas exigui plane eſſet momenti, 24. Febr. 1724. (21) tranſactionem tentari placuit, & ſi hæc non ſuccederet, partes rogare, an non placeret, de cauſa apud Senatum litigare in judicio petitorio, ſic de quæſtione, quæ plane juris eſt, una ſententia Senatum defungi poſſe, cum alioquin duæ aliæ in judicio poſſeſſorio poſſent præcedere, diverſo fortaſſe exitu, & ſic etiam tempus ad deliberandum ſupereſſe. Atque huic ſententiæ omnes Senatores accedebant. Quo ſucceſſu tranſactio tentata ſit, me latet.

Accipe nunc rem, a Senatu judicatam. Pater, ex Gallia religionis ergo profugus, Hagæ Batavorum habitabat, & filio naturali legat 4000. flo-

(13) Exſtat in Oudhoven *Zuyd-Holl.* p. 200.
(14) *Deciſ. Mixt.* CXXVII.
(15) Auctor *Inſcript. d. Deciſ.*
(16) Goris *Adverſ. Tract.* III. *C.* 5.
(17) Curtius Εἰκας. *L.* III. *C.* 27.
(18) *Conſil. Belg. T.* I. *Conſil.* 106.
(19) Van Leeuwen *R. H. R. L.* I. *C.* 7. *n.* 4. & Voet & quos ille laudat, *ad SC. Tertull. n.* 8.
(20) Boel ad Loenii *Caſum* 121.
(21) *Obſervat. Tumult. T.* VIII. *n.* 2017.

florenos, ea lege, ut tutores, quos teſtamento dederat, filium cum legato mitterent ad Eccleſiam Calvinianam Montis Peſſulani, ibi educandum, ſin autem filius Calvinianam Religionem alia mutaret, & intra minorem ætatem moreretur, legatum pertineret ad propinquos ſuos, ſi poſt minorem ætatem, ſed ſine liberis, ad Eccleſiam Calvinianam Montis Peſſulani. Poſt mortem patris tutores bona tradunt Magiſtris pupillaribus, qui Hagæ Comitis erant, & hi filium, adhuc minorem, mittunt in Indiam Orientalem, ubi, jam major, 2. Nov. 1680. fato ſuo fungitur, poſtquam Bataviæ 18. Dec. 1661. teſtamento heredes ſcripſiſſet proximos heredes ab inteſtato *ſecundum eum Ordinem, quem præſcribit Edictum de ſucceſſionibus ab inteſtato.* Quum autem deceſſiſſet ſine liberis, prodit Titia, defuncti, ut ajebat, & probabat, ſoror naturalis ex eodem Patre & Matre prognata, & contra Magiſtros pupillares, qui id legatum & reliquam hereditatem filii naturalis adhuc ſervabant, contendit petitione hereditatis ad reſtituendas omnes res hereditarias, ſed 2. Aug. 1687. repulſam tulit apud Judices Haganos. Titia defuncta, ejus liberi, diu ſumma cum paupertate conflictati, tandem ad Curiam provocant, & ibi aliquot exceptionibus, quas referre nihil attinet, obruuntur, ſed his ſuperatis Curia 29. Jun. 1722. actoribus adjudicavit avunculi ſui hereditatem, excepto tamen legato 4000. florenorum, quod avunculus a patre naturali acceperat. Sed cum in eo tantum non conſiſteret univerſa hereditas, actores appellant ad Senatum Supremum, & ibi quoque ad id legatum contendunt. Magiſtri pupillares *proponeren Grieven a minima*, quod nempe reliqua hereditas actoribus fuiſſet adjudicata. Quæſitum eſt primum de hereditate filii naturalis ſive ſpurii, deinde de legato, quod ei a Patre obvenerat. Conſtabat, ut dixi, matrem actorum illius ſpurii ex utroque parente fuiſſe ſororem naturalem. Si ſpurius ſine teſtamento deceſſiſſet, & erant ſane Senatores, qui hanc ſucceſſionem volebant redigere ad cauſam inteſtati, ſi, inquam, ſine teſtamento deceſſiſſet, totam hereditatem actoribus addicebant illi Senatores, ſequuti regulam, ut ſpurius ab inteſtato ſuccedit matri, ſic & matrem maternosque Cognatos ſuccedere filio, ad totam, dico, hereditatem, quia paterni Cognati ſpurio non ſuccedunt. Sed quia hi non ſuccedunt, alii actores, qui maternos Cognatos, non vocabant niſi ex ſemiſſe, cum Hagæ olim habitaſſet ſpurius, & Bataviæ Indorum deceſſiſſet, & utrobique vigeat Hollandorum Lex Politica anni 1580. ex cujus §. 27. in binos ſemiſſes hereditas dividenda eſt, in tantum, ut deficientibus Conſanguineis ex uno latere, in vacantem ſemiſſem ipſe Fiſcus ſuccedat. Si de cauſa inteſtati ageretur, inter Grotium, qui & alias ſe Fiſci Patronum fuiſſe oſtendit, & plurimos alios lætioris famæ JCtos longe lateque diſputatum eſt (22). Rurſus alii Senatores, in cauſa inteſtati matrem quidem ſpurii ad ejus hereditatem admiſiſſent, ſed maternos Cognatos, ut erant actores, plane excluſiſſent, ſecundum ea, quæ jam dicta ſunt. Inter plurimos autem Senatores convenit, inteſtati cauſam procul hinc arcendam eſſe, & unice videndum, quid teſtator ſpurius teſtamento ſuo juſſerit, & conſtat non alios heredes vocaſſe, quam qui proximi eſſent ex Lege ſucceſſionis ab inteſtato, & per Legem ſucceſſionis videri intellexiſſe Legem Politicam anni 1580. Ex his nonnulli Senatores Actores vocabant in ſemiſſem, ſed plerique alii in aſſem, unus, quod teſtator per Legem ſucceſſionis intellexiſſet Edictum Ordinum Hollandiæ anni 1599. ex quo proximi ſanguine in totum aſſem ſuccedunt, alii & longe plurimi (quorum ſententia obtinuit) quod cauſa teſtati cauſam inteſtati excludat, quodque adeo defunctus, qui ſororem naturalem potuit ſcribere heredem, hic, heredes ſcribens proximos, etiam ſororem naturalem videatur ex aſſe inſtituiſſe. Recte, ſi non addidiſſet, ſecundum Legem ſucceſſionis ab inteſtato, per quam, ſi verum amamus, intellexit Legem generalem ſucceſſionis, quæ, ubi habitaverat olim, & ubi erat defunctus, plena auctoritate valebat. Sed plurimorum ſententia vicit, atque ita, quod ad hereditatem probata eſt Curiæ ſententia 22. Nov. 1724. (23). Quod ad legatum nihil addo, ne tractem, quæ ab hoc loco aliena ſunt.

CAPUT XII.

Ecqua ratione ſucceſſio inter Virum & Uxorem Jure Romano placuerit, Jure noſtro diſplicuit.

Apud Romanos deficientibus Cognatis Vir & Uxor ſibi invicem ſuccedebant, & de eo eſt uterque *Titulus ff. & C. Unde Vir & Uxor.* Sed id jus apud nos exoleviſſe, ſeu potius nunquam receptum fuiſſe, certa res eſt: quis enim de ea ſucceſſione unquam fando audivit, vel litem motam vidit? Auctoritates quoque, ſi forte his delecteris, de Hollandia quam plurimæ ſunt ad manum (1). Inter auctores abrogantes etiam ille (2) eſt, qui alioquin omnes Leges Romanas ſervandas contendit, quæ contraria lege abrogatæ non ſunt. Sed illa regula ſordet in ore ejus, qui ipſe tot Leges ſua ipſius auctoritate abrogat, quin & ipſa regula vera non eſt, ut occaſione *l. 3. C. de Secund. nupt.* ſupra oſtendi *L.* II. *C.* 4. Quin, ſi adhuc dubites, ſucceſſionem inter Virum & Uxorem in Hollandia nullam eſſe etiam alio argumento potes diſcere. Non aliter ſcilicet cum inventario adiri hereditas poteſt, quam ſi nulli ſint Cognati, qui ſimpliciter volunt adire, ſoletque ea clauſula diplomatibus inventarii inſeri; maritum autem, ſimpliciter adire volentem, Cognatis cum inventario adituris, non præferri, Curia Hollandiæ, &, cum appellatum eſſet, 16. Oct. 1592. Supremæ Curiæ placuit (3); non alia, putem, ratione, quam quod maritus Uxori nequeat ſuccedere, unde & Cognatos arceo, qui inteſtato ſuccedendi

(22) Vide Boel ad Loenii *Caſum* 21. p. 40. *vſ. Wat nu. & ſeqq.*
(23) *Obſerv. Tumult. T.* IX. *n.* 2091.

(1) Grotius *Introd. in Juriſpr. Holl. L.* II. *C.* 30. *vſ. Want.* Groenewegen *ad d. vſ. & ad Tit. C. Unde Vir & Uxor.* Bort *de Succeſſ. Feud. Edit. Belg. C.* XII. *Quæſt.* 2. *n.* 6. 7. & 8. Van Leeuwen *R. H. R. L.* III. *C.* 15. *n.* 7.
(2) Groenewegen *ad* §. 2. *Inſt. de Donat.*
(3) Neoſtad. *Deciſ. Supr. Senat.* VII.

di ſpem non habent, ut plenius forte alias probabo. Quod autem ajunt, aliquoties ſervatum, ut Fiſcus, deficientibus Conjugis defuncti Cognatis, cum Conjuge ſuperſtite commune patrimonium diviſerit, me plane latet, & multo magis, ita in judicio obtinuiſſe, ſolent enim, qui res judicatas ſcribunt, quasque Advocatorum rationes, etiamſi falſiſſimas, ut veras commemorare. Sed in re certa quid opus eſt ea ratione.

Si nunc quæras, qua ratione Conjux Conjugi ſucceſſerit apud Romanos, non aliam habebis, quam ex mutuo affectu, qui inter Conjuges præſumitur, ex majore enim vel minore affectione lex ab inteſtato ſolet deferre hereditates, & inde eſt, quod facto divortio Edictum *Unde vir & uxor.* continuo ceſſet, ut eſt in *l. un.* §. *ult. d. Tit.* divortium quippe dirimet amicitiam, quæ huic ſucceſſioni cauſam præbuit, pars læſa odit adulterum vel adulteram, qui quæve ſuum cuique non tribuit, & pars lædens odit læſum, quod furtivos amores detexerit, & nocentem publicis vindictis expoſuerit.

Eadem ratio valet & in aliis Juris Romani articulis. Donationes inter Virum & Uxorem eo jure non ſubſiſtunt, ſed tamen pro benigna & prolixa erga Conjuges voluntate morte donantis confirmantur, quod tamen fallit, ſi contraria voluntatis mutatæ argumenta exſtent, ut ſi divortium poſt donationem interceſſit *l.* 32. §. 10. *ff. de Donat. inter V. & U.* mala ſcilicet gratia. Unde & Ulpianus in *d.* §. 10. 11. 12. & 13. operoſe diſputat, quæ ſint argumenta mutatæ voluntatis. De quo etiam alia occaſione diſputabam *L.* II. *C.* 8.

Ex conjugali igitur affectione eſt legitima Conjugum ſucceſſio, eaque ceſſat ex ira & offenſa Conjugum. Sed ut moribus id jus exolevit, an ſic quoque exolevit amor Conjugalis, qui ei cauſam præbuit. Cave, ut dicas, & nemo etiam dixit. Et ſecundum hæc æquius & melius eſſet, ut Conjux Conjugi adhuc ſuccederet, ſi verum ſit, eam eſſe Cognatorum ſucceſſionis rationem, qua præſumitur, Cognatis ſuis defunctos optime voluiſſe, nemo enim, quam Conjux eſt, in quem hoc magis cadit, quin ſi ſola eſſet hæc ſuccedendi ratio, Conjux etiam Cognatos excluderet, quum generaliter negari nequeat, Conjugem etiam pro Cognatis diligi. Huc facere videri poſſet §. 22. *C.* II. *LL. Zeland.* qui ait, liberis ad Parentis defuncti hereditatem non venientibus, totum patrimonium Conjugi ſuperſtiti cedere, quaſi nempe Edicto ſucceſſorio in legitimis heredibus locus non eſſet, ſed potius eſt, ut dicamus, in *d.* §. 22. Conjugi ſuperſtiti totum relinqui, quaſi partem liberi ex defuncti hereditate jam haberent, accipiendus enim eſt *vſ. Ende of 't geen* §. 22. de caſu, quo liberi, ut bona, collationi obnoxia, ſervarent, primum defuncti hereditatem repudiant, & ſic malo explicare *d.* §. 22. quam *Edicto Unde Vir & Uxor* in Zelandia locum facere.

Sed quæ tunc ratio abrogati ſive uſu non recepti Edicti? Grotius (4) nullam reddit, & ſane præſtat nullam reddere, quam eam, quæ ratio non eſt. Sed quid diſputamus, ſi Ordines rem ipſam definiverint, & ſic vulgo placet (5), & eo adhibent §. 19. *Polit. Ordonn. van Holland.* Perperam, ſi quid judico. Abrogat quidem ille §. 19. omnia jura ſuccedendi, ſive ex Jure Romano, ſive ex Patrio profecta, quæ ea lege non continentur. Sed ſi illum §. 19. tam generaliter intelligas, vix eo magis fatuum invenies, tunc enim, præter alias ſucceſſiones non paucas, etiam Fiſci ſucceſſio erit abrogata, nam neque hæc §. 20. d. Edict. aut ſeqq. continetur, ſed abrogat ille §. 19. duntaxat cæteras Cognatorum ſucceſſiones, præterquam quæ *d.* §§. proponuntur, ſive derogat tantum ſucceſſionibus, quæ ei Edicto ſunt contrariæ. Quæ communis eſt Legum Hollandicarum clauſula, quæ etiam in §. 41. *d. Polit. Ordin.* poſita eſt, & ex quo *d.* §. 19. interpretandus. Denique ſi *d.* §. 19. *Edictum Unde Vir & Uxor* ceſſare jubeat, certiſſimum tamen eſſet, locum habere in Hollandia iis locis, ubi, abolita *d. Polit. Ordin.* ſervatur Edictum Ordinum Hollandiæ 18. Dec. 1599. quia, enumeratis ibi ſucceſſionibus, addit §. 14. omnes alias ſucceſſiones, de quibus nihil id Edictum ſtatuit, ex Jure Romano eſſe definiendas, *te zullen gereguleert worden na de wereltlyke beſchreven Regten.* Ex quo alius Hollandus (6) effecit, ſucceſſionem inter virum & uxorem adhuc ſervari, ubi ſervatur d. Edictum 18. Dec. 1599. ſed veriſſimum eſt, eam in nulla Hollandiæ parte fuiſſe frequentatam vel adhuc frequentari.

Inepta igitur eſt auctoritas, qua Groenewegen utitur ad abrogandum *Edictum Unde Vir & Uxor*, at longe ineptior ratio, quam in hanc rem adducit (7), *idque* ait, *propter conjugalem bonorum communionem, quam huic ſucceſſioni ſurrogaſſe videntur mores noſtri.* Quæ ratio & aliis placuit (8), ſed longe alieniſſima eſt ab hoc argumento. Non quærimus, quo patrimonio primum moriens deceſſerit, majori, an minori, & an ex communione bona ſua auxerit, an minuerit (utrumque enim accidere poteſt) ſed quærimus, ecqua ratione, quicquid reliquit, apud nos ad ſuperſtitem Conjugem pervenire nequeat, ut potuit apud Romanos deficientibus Cognatis? Sin ajas, quia ſuperſtes ex communione bonorum rem ſuam auxit, id ais, quod eſt incertiſſimum. Et quid ſi ex communione perdiderit, tunc ſucceſſio obtinebit? ſed ſeria refutatione hæc videntur indigna.

Alia ratione pro abrogato Edicto utitur alius Hollandus (9), nihil moratus *d.* §. 19. Ait ille, ſucceſſionem Conjugum hic nunquam eſſe receptam, & addit *neque etiam recipi debere*, ei enim adverſari utriusque de ſucceſſione Juris Hollandici regulas, & Aasdommici, *'t naaſte bloed, erft het goed*, & Schepensdommici, *'t goed gaat, daar 't van daan komt.* Quo neſcio an quicquam dici poſſit pejus. Jus utrumque in Hollandia, eſt de ordine ſuccedendi inter Cognatos, quum de his agitur, quæſitum eſt de præſumpta mente teſtatoris, jus Aasdommicum in omnibus defuncti bonis, undecunque provenerit, propiorem ſanguinem præfert, ex mente ſcilicet defuncti, ſed Jus Schepensdommicum præfert latus, unde bona profecta ſunt, ſi ex altero latere nihil defunctus acquiſivit, idque rurſus ex defuncti mente, & ſane inter Cognatos utraque ſententia habet rationem, & hic agimus de ſucceſſione, quæ obtineret deficientibus Cognatis. Fiſci utique ſucceſſio apud nos certo caſu obtinet;

(4) *Introd. ad Juriſp. Holl. L.* II. *C.* 30. *vſ. Want.*
(5) Groenewegen *ad Tit. C. Unde Vir & Uxor.*
(6) Boel ad Loenium *Caſ.* CXXI. p. 750. *vſ. En. Vervolgens.*
(7) *Dicto loco.*
(8) Van Leeuwen *R. H. R. L.* III. *C.* 15. *n.* 7.
(9) Bort *de ſucceſſ. Feud. Holl. Edit. Belg. C.* XII. *q.* 2. *n.* 6. 7. & 8.

net; ſed an Fiſcus propior ſanguis? aut inde bona profecta? Servata Fiſci ſucceſſione ſcire velim, cur Conjugalem aboleamus? Ex Lege XII. Tabularum proximus Agnatus familiam habebat, ſed Edictum Prætoris *Unde Vir & Uxor* ei adverſari cui unquam in mentem venit ſano?

Hæc ſufficiant de Jure Hollandico & Zelandico, nam aliarum Gentium Leges vel Conſuetudines hic recenſere res eſſet operoſæ & inutilis diligentiæ. Satis mihi videor probaſſe, nullo jure *Edictum Unde Vir & Uxor*, in Hollandia abolitum fuiſſe, nec eſſe rationem, cur aboleretur, & id eſt, quod mihi probandum ſumpſeram. Laudo igitur Lambertum Goris (10), qui tantum laboravit, ut id Edictum in Gelria vel ſervaretur, vel, ſi antiquatum, in uſum revocaretur.

CAPUT XIII.

De Retractu nonnullæ Quæſtiones.

De Origine & ratione retractus non ineleganter agit Jacobus Curtius *L.* II. Εἰκασ. *C.* 15. ingenue etiam profeſſus, retractum habere aliquid ex iniquo. Ego vero omnem retractum, quo hodie utimur, ex quacunque demum cauſa deſcendat, non dubitem pronunciare iniquiſſimum, quum jus quæſitum emptori auferat, minus utique idonea, quam eſt empti cauſa; ſi mihi non credas, credes forte Imperatoribus, id adfirmantibus in *l.* 14. *C. de Contrab. empt. & vendit.* Ex ea tamen *lege*, & aliis nonnullis efficiunt, etiam Jure Civili retractum obtinuiſſe, ſed, ut hodie frequentatur, profecto non obtinuit. Naſcitur hodie ex cognatione, vel ex communione ſeu ſocietate, vel ex vicinitate agrorum, & recte ab aliis eſt obſervatum, Conſtitutionem Friderici, quæ exſtat *L. V. Feud. C.* 13. juri retractus introducendo & propagando cauſam dediſſe.

Et, ſi me auctorem ſequaris, ex Jure Feudali omnis retractus videtur originem traxiſſe. Nempe Feuda, etiam quæ olim licebat vendere, non Vaſallis duntaxat videbantur data, ſed & ejus Cognatis, ut Inveſtituræ Codicillo fere ſolet inſeri, unde & iis jus qualecunque quæſitum, indeque retrahendi facultas conceſſa credebatur, quæ ſemel recepta vires quæſivit eundo, & a Feudalibus ad Allodialia extendi cœpit, etſi in his non eadem plane eſſet ratio, quam in illis. Unde Feuda ubique retrahuntur, Allodia non æque. Sane in ipſa quoque Hollandia omnium fundorum conditio olim clientelaris fuit, nam exceptis Nobilibus & qui bene Nati vocabantur, omnes fundorum poſſeſſores non tantum ad viliora ſervitia tenebantur, ſed erant quaſi vaſalli, ſervitiis Feudalibus obſtricti, quam in rem vide quoddam Florentis Pinguis privilegium, iis, qui Ouderkerk habitabant, datum 15. Jul. 1097. (1) cujus conditionis, cætera obſoletæ, mirum non eſt veſtigia ſupereſſe.

Quærunt, an jus retractus apud Hollandos habendus ſit pro jure communi, & prolixe in hanc rem diſputatum (2). Sunt qui ajunt (3). Sunt qui negant, etiam Grotius (4). Et magis eſt, ut horum ſententia vera ſit, atqui ita retractus tantum locum habeat, ubi per legem vel conſuetudinem obtinere probari poteſt. Idque & ideo, quia etiam generaliter JCtis placuit (5), totam retractus materiam eſſe conſuetudinariam & ſtatutariam. Atque ita hic quoque; neque enim tanti ſunt vel Græcorum vel Germanorum Leges vel Conſtitutiones, ut hæc *juris communis* nomine recipi poſſint. Nulla etiam Lex Generalis de hoc argumento lata eſt, ſed tot ſpecialia Statuta exſtant, quæ vel ad partes nonnullas Hollandiæ, vel ad ſingulas Urbes pertinent, ut ſi has recenſere, & Jus Zelandicum addere placeret, integer Commentarius eſſet ſcribendus, Amœniora quædam dilibabimus.

Miraberis forſan quæſitum eſſe, & tamen quæſitum eſt, an jus retractus etiam in Feudis obtineat? & ſunt teſtes, qui ajunt *Conſil. H. T.* I. *Conſil.* 185. ſe nunquam vidiſſe retractum Feudalium, quæ ſtolida ratio eſt, etiam a conſulentibus ibi refutata, ſed præter ea, quæ modo dicebam, per univerſam Hollandiam, conſuetudo eſſe fertur, ut Feudalia quam maxime poſſint retrahi (6), & anno 1593. teſtati ſunt homines Feudales (7), eſſe jus antiquiſſimum in Hollandia, ut Feuda, quæ a Gravionatu, Vaſallis aut Curtibus Gravionatus tenentur, a Cognatis intra annum, quo ſciverunt, poſſent retrahi. Idemque juris eſt apud Zelandos ex §. 10. *LL. Zeland. C.* II. ita tamen, ut annus ibi non computetur niſi a tempore, quo Cognati retrahentes nomen ſuum profeſſi ſunt *in der Graven of Rentmeeſters boek.* Speciales etiam quorumcunque fere locorum leges Feudorum retractum probant, & ſic §. 19. *Conſuet. Rynland.* Hugo tamen Grotius 9. Sept. 1613. reſpondit (8), neque ibi in Hollandia Feudalia poſſe retrahi, ubi Allodialia retrahuntur, niſi probatum ſit, uſu quoque ibi receptum eſſe Feudalium retractum. Non diſſentio, ſi Statuta duntaxat Allodialium meminerint, ſin autem ſimpliciter immobilium, huic ſententiæ nolim ſubſcribere. Ad hæc Grotius in facto conſultus erat, an Toparcha ſive dominus loci poſſit retrahere? & nunc non poſſe, mox dicam latius.

Etiam Toparchæ ſive locorum Domini, Ballivii & Sculteti multis in locis jus retractus ſibi vindicant intra hebdomadas ſex poſt annum, qui Cognatorum aliorumque retractui datus eſt, elapſum (9). Idque Balliviis & Scultetis in Rynlandia (*Officiers*) competere palam ait §. 35. *Conſuet. Rynland.* atque ita ſibi quoque judicandum videri 1. Mart. 1633. Judices Rynlandici reſponderunt (10). Certe Ballivio Rynlandiæ id jus palam quoque tribuit Grotius *Introduct. ad Juriſpr. Holl. L.* III. *C.* 16. *vſ. in Rynland.* In *d.* §. 35. ſimpliciter dicitur *den Officier*, de reliquis Balliviis & Scultetis Grotius tacet, memo-

(10) *Adverſar. Tract.* III. *C.* 12.
(1) *Plac.* II. 5. 9. 1. *n.* 32.
(2) Apud Coren *Obſerv.* XXXII.
(3) *Deciſ. Mixt.* CXI.
(4) Semel *Conſil. H. T.* III. *Conſil.* 148. & iterum *eod. Tom. Conſil.* 201. Van Leeuwen *ad* §. 19. *Conſuet. Rynl. n.* 4. *& ſeqq.*
(5) Sande *Deciſ. L.* III. *Tit.* 5. *Defin.* 1.
(6) *d. Deciſ. Mixt.* CXI.
(7) Apud Coren *d. Obſerv.* XXXII.
(8) *Conſil. Holl. T.* III. *Conſil.* 201.
(9) Grotius *Introd. ad Juriſpr. Holl. L.* III. *C.* 16. *vſ. in Rynland.* Coren *Obſerv.* 32. Neoſtad. *Deciſ. Supr. Senat.* 29. *Conſil. H. T.* III. *d. Conſil.* 201.
(10) Apud Van Leeuwen *ad d.* §. 35.

morare contentus, etiam Toparchas hic illic eo jure uti. His, quas dixi, perſonis jus retractus competere eſt, qui putat defendi poſſe (11), licet ille ipſe aliis locis (12) id jus appellet uſurpationem, ad vexandos homines introductam, & ſic quoque a Curia judicatum eſſe. Sic homines, qui ſibi non conſtant, ſolent variare ſententiis. Interea veriſſimum eſt, cum Scultetus *in Soetermeer* retractum ſibi peteret, Curiam 25. Apr. 1614. (13) cum repuliſſe, atque ſi nullo jure peteret. Quam ſententiam omnino probo eamque in rem obſervandum eſt, ex §. 39. *Ordin. Polit. Holland.* nulli Toparchæ, Ballivio vel Sculteto competere jus retractus, niſi cujus de eo privilegium illo anno 1580. fuiſſet confirmatum, de qua confirmatione nihil quicquam conſtat. Ubicunque autem res inciderit, utemur illo §. 39. neque enim eſt, unde eludatur ejus auctoritas. Vulgares ſcriptores ejus ſanctionis non meminiſſe, non eſt, cur mireris, ſed cur neque Grotius, haud liquet. Cæterum quamvis non eſſet illa ſanctio Ordinum *in d.* §. 39. adhuc verius putarem, jus retrahendi Toparchis, Balliviis & Scultetis non amplius competere, etiamſi largiamur, id jus olim fuiſſe commune. Utique jus ſanguinis, ſocietas vel vicinitas nihil illis tribuebat, ſed, ut modo dicebam, ſola agrorum ſubjectio. Inde forte Gravionibus & Toparchis jus retractus, inde & Balliviis, qui hos repræſentabant, & inde Scultetis, qui Ballivios ſuos. Nunc autem exolevit illa ſervilis conditio, & agris liberis, jus, ex ſubjectione ortum, dixerim ceſſare. Leges antiquas ea de re has reperi. Ait §. 35. *LL.* quas Gorinchemenſibus Otto Arkelanus dedit 11. Nov. 1312. (14) *De Heer zal de na-koop hebben van alle erffenis, huyſen en jaargeld, in 't Schependom van Gorinchem verkogt werdende*, 14. *dagen lang na dat den eigendom gegaan is.* Idem continetur in §. 14. *LL.* quas iisdem dedit Wilelmus 24. Aug. 1412. (15) niſi quod in *d.* §. 14. Poſt *Jaargelden* ſequantur *Rentebrieven.* Rurſus Otto Arkelanus in §. 35. *LL.* quas 11. Sept. 1382. (16) Dalemmenſibus dedit: *de Heer zal geen na-koop hebben van huyſinge, erffenis of jaargeld, dat in onſe Heerlykheid verkogt word.* Porro ait §. 2. *LL.* quas Arnoldus van Gent Hardinxveldanis dedit 1413. (17) *Ses weken na de weet aan de Schout gedaan is, en die tyd overſtreken, den Kooper hout het land, uytgeſeit die Poorter is of word.* His addo §. 21. *LL.* quæ Liesveldanis datæ ſunt 11. Jan. 1541. 17. Mart. 1570. & 14. Maj. 1637. (18) qui §. ſic habet. *Zoo wie nu voortaan enige landen koopt, die zal den Heer de na-koop gunnen en geven voor 't regt, daar toe ſtaande, zoo verre de Heer de naaſtinge van dien zelf niet begeerde.* Dominus in Ryswyk intra ſex hebdomadas poſt annum etiam retrahit ex §. 148. *LL. Ryswycenſ.* (19). Sunt & aliæ aliorum locorum Leges ſpeciales; ſed quid refert omnes recenſere.

In Hollandia & Zelandia retractus non duntaxat locum habet in rebus immobilibus, ſed & incorporalibus, quæ jure immobilium cenſentur; retrahuntur itaque reditus & cenſus, non tantum ex Grotii auctoritate *Introd. ad Jurispr. Holl.* *L.* III. *C.* 16. *vſ. Een beſitter*, ſed & id ipſum ſtatuitur §. 9. *Conſuet. Middelburg. T.* XI. & §. 19. *Conſuet. Rynland.* Itemque decimæ & emphyteuſis *d.* §. 19. Sed quid dicemus de terra paluſtri vendita, *Veenen?* & in ea retractui locum eſſe Friſiorum Ordines probarunt *LL. Friſ. L.* I. *Tit.* 12. §. 25. idque etiam quamvis fundus non eſſet venditus. Sed noli id protrahere ad omnem aliam ſuperficiem fundi venditam, ut ſunt grandes arbores ſilvæ non cæduæ, has certe retrahi non poſſe Senatus Pariſienſis 22. Apr. 1583. judicavit (20). Eſtque longe major ratio in *Veenen*, quam in arboribus, quod enim ex illis effoditur, ipſe fundus eſt, arbores, quæ exciduntur & eruuntur, non æque. Poſſunt & hæ, ſuo ſenſu, quamdiu excisæ non ſunt, pars fundi dici non tantum, ſed & fructus *l.* 44. *ff. de Rei vind.* Ubi autem *landen en erven* retrahuntur, poſſe & *Boomgaarden* retrahi, recte reſponſum eſt *Conſil. H. T.* IV. *Conſil.* 331.

Nunc qui potiores ſint in retrahendo, videamus. Et traditur (21) regula, remotiorem a propiore Cognato excludi, ſi ſimul petant, ſin autem alius poſt alium, eum, qui prius retraxit, præferri. Sed ex unius hominis teſtimonio nolim regulas petere, ad majores auctoritates transeo. Proximiorem remotiori, ſed qui prius actionem inſtituerat, cedere, quum de Feudo ageretur, tam inferior judex in Maaslandia 6. Mart. 1526., quam, cum de appellatione cognoſceret, Curia Hollandiæ judicavit 11. Oct. 1535. (22). Et rurſus minorem filiam, quæ prius agit, majorem repellere eidem Curiæ, & Supremo Senatui placuit anno 1645. (23) etiam in cauſa feudali. Sed in Zelandia idem juris eſſe, dicere non auſim, nam, quum de Feudo quoque ageretur, ex §. 10. *LL. Zeland. C.* II. proximior majorque, & mas, remotiori, minorique, & fœminæ ſemper præferuntur, nulla enim ibi prioris petitionis mentio. Quare generaliter admiſerim eos, qui jus potius habent, dummodo proximior, majorque & mas retractum petant ante ſententiam pro remotiore minoreque & fœmina dictam, atque ita palam eſt in §. 10. *Conſuet. Middelburg. T.* XI. In Hollandia, ut dixi, ipſa petitio videtur dare προτίμησιν, & inde ait §. 26. *Conſuet. Rynland.* ſi plures ejusdem gradus retractum petant, eum præferri, *die zyn regtdag eerſt debite heeft doen dienen.* Quod ſi omnes eodem tempore egerint, omnes admittuntur ex §. 27. *earundem Conſuet.* Et ait §. 34. *LL. Middelbarniſſ. onder meer die den Verkoper even na beſtaan, word gepræfereert, die eerſt ſpreekt, en de naaſting verſoekt*, & ita etiam §. 33. *LL. Puttenſ.* 1587. Ceterum ſi ex cauſa ſocietatis petatur retractus, etiam ex §. 12. *Conſuet. Middelb.* ſola petitio potiorem facit, alioquin inter ſocios omnino præfertur, qui ex majore parte ſocius eſt *d.* §. 12. usque ad ſententiam nempe, id enim ex *d.* §. 10. in hoc §. 12. ſupplendum videtur. Atque inde, ſicuti ſocium ex pari parte excludit ſola petitio *d.* §. 12. ita & videtur excludere ejusdem propinquitatis Cognatum *arg. d.* §. 12. proximiorem enim non excludit, niſi ſententia *d.* §. 10. in pari quippe cauſa quodlibet præ-

(11) Van Leeuwen *ibidem.*

(12) Idem *R. H. R. L.* IV. *C.* 19. *n.* 12. & ad Peckium *de Arreſt. L.* V. p. 190.

(13) *Conſil. H. T.* III. *Amſter. Append.* p. 43.

(14) Kemp *Beſchryving van Gorichem* ad eum annum.

(15) Idem *ibid.* ad annum 1412.

(16) Idem *ibidem* ad eum annum.

(17) Idem *ibidem* ad eum annum.

(18) Oudhoven *Zuyt-Holland.* p. 307.

(19) *Conſil. Holl. T.* V. *Conſ.* 160.

(20) Ann. Robertus *Rer. judic. L.* III. *C.* 9.

(21) a Neoſtadio *Deciſ. Supr. Senat.* XXIX.

(22) *Deciſ. Mixt.* CXI.

(23) In annotatione poſt *d. Deciſ.* CXI.

præcipuum prærogativum tribuit. Cum remotior petiiſſet & obtinuiſſet, & poſt appellationem Curia Hollandiæ ſententiam declaraſſet eſſe nullam, & de integro apud ſe agi juſſiſſet, proximiori ſalvum eſſe retrahere & remotiori præferendum, quia nulla eſt ſententia, reſponſum eſt *Conſil. H. T.* IV. *Conſil.* 386. Dubito, an recte, certe ubi ſola petitio proximiorem excludit, alioquin dicendum eſſet, ne quidem ſententiam, a qua appellatum eſt, quicquam efficere, neque enim, ſi proprie loquamur, ſententia, a qua appellatum eſt, adhucdum ſententia eſt. Qui autem duplex jus habet, unde retractus competit, ei præfertur, qui unum duntaxat §. 34. *Conſuet. Rynland.* Atque ita Curia Hollandiæ 9. Sept. 1619. cum ſocius & cognatus emiſſet, & alius cognatus retractum peteret, ſecundum emptorem litem dedit, *ob duplex vinculum*, ait ſcriptor ejus ſententiæ (24). Quum dominus in Middelharniſſe & ante Cognatos retractum peteret, apud Curiam Hollandiæ repulſam tulit, inque eandem ſententiam etiam Supremus Senatus inclinavit (25). Si ſcire cupis, quæ alii dixerint vel ſcripſerint de foro præcedentiæ inter plures retrahentes, adi Grotium *Introd. ad Juriſpr. Holl. L.* III. *C.* 16. *vſ. Maar indien.* Van Leeuwen *R. H. R. L.* IV. *C.* 19. *n.* 13. & ad *d.* §§. *Conſuet. Rynland.* Huberum poſt *Tit. ff. de Reſcind. vendit. n.* 18. & Voetium ad *Tit. ff. de Lege Commiſſoria n.* 30.

CAPUT XIV.

De Retractu aliæ adhuc Quæſtiones.

Vulgo jactatur, qui retrahit, in emptoris locum ſuccedere. Unde quæſitum, an & adjecti pretii præmium, quod emptor habuit, retrahenti teneatur reſtituere? Et non teneri, ſed emptori cedere, etiam alii recte ſcripſerunt (1): non enim ſuccedit, niſi in emptionem, a qua ſeparatum eſt id præmium, quod non eſt niſi donatio quædam, in eum collata, qui pretium licitandi auxit. Inventum eſt id præmium ad incitandos, ejus dulcedine, empturientium animos, nec quicquam refert, qui id obtinuit, rem emerit an non emerit. Quæ omnia, emptione jam tota abſoluta, in ipſo ceſſant, qui nullo, ne ſpei quidem beneficio, venditorem juvit.

Diſputari video, quæ in actionem retractus veniant. Ex §. 31. *Conſuet. Rynland.* quodcunque emptor diminuerit, antequam retractus fieret, judicis arbitrio reſtituit, ſed ex §. 16. *T.* XI. *Conſuet. Middelburg.* arbores cæſæ & omnia ruta cæſa, dummodo ante retractum denunciatum evecta, ad emptorem pertinent, ut ibi retractus reſolvat emptionem, quæ fuit perfecta & pure contracta, in Rynlandia autem ſub conditione. Rurſus ex §. 30. *Conſuet. Rynland.* meliorationes emptori refundit, qui retrahit, ex §. 17. *T.* XI. *Conſuet. Middelb.* neceſſarias impenſas duntaxat, nulla admiſſa fructuum compenſatione contra *l.* 48. *ff. de Rei vindic.* Sunt ſane illi §§. qui non ſatis defendi poſſunt, quum, qui retrahit, utique in emptoris locum ſuccedat, atque ſi ipſe emiſſet, ſubducta nempe prioris emptoris perſona: defendi, inquam, ſatis non poſſunt, niſi retractum addictioni in diem comparaveris, & ſic errorem errore diſſimulaveris. De fructuum reſtitutione ſic judicatum invenio. Curia Hollandiæ 14. Mart. 1537. (2) emptorem fructus a tempore litis conteſtatæ reſtituere damnavit, & rurſus 26. Apr. 1563. (3) ſed ult. Oct. 1550. (4) damnavit in fructus, quos emptor perceperat a tempore, quo retractor pretium conſignaſſet. Plane videbantur omnes fructus reſtituendi, quia retractus quædam eſt reſtituendi ſpecies, factoque retractu conſtitit, ex nulla cauſa poſſediſſe emptorem. Ex bono & æquo tamen rationem habet, non niſi a tempore conſignationis fructus reſtitui, ſic enim retractor habet fructus, ex quo pecunia caruit, & ita fere JCti ſentiunt (5).

Memoratur apud Cujacium *Conſultat.* CIX. Lex quædam Belgica, qua nullo tempore jus retractus perimeretur. Quod non animadverto, quemadmodum commode intelligatur, niſi de ſimili Lege, atque eſt ea Friſiorum *LL. Friſ. L.* I. *C.* XII. §. 5. ex qua ante tres proclamationes factas integrum manet jus retractus: Legem enim, qua nullo penitus modo jus retractus aliquando excludi poſſet, neque extare novi, neque eſſe facile crediderim. Statuta autem tempora, quibus retrahendi facultas circumſcribitur, varia ſunt, & quidam Hollandi exiſtimant, ſimpliciter durare annum vel annum diemque (6), ſed retractus præſcriptio diverſis locis valde diverſa eſt, & tempus, unde currat, quoque diverſum. Utrumque probarem, ſi tanti eſſet ſingulorum locorum leges ſpeciales commemorare (7).

Hollandi ſimpliciter ajunt, contra retractus præſcriptionem neque ex abſentiæ, neque ex ignorantiæ, neque etiam ex cauſa minoris ætatis, ullam reſtitutionem dari. Inter regulas, quas retractui dictat Neoſtadius, etiam hæc eſt *Deciſ. Curiæ Supr.* XXIX. & alii quoque ſic ſapiunt *Conſil. Holl. T.* IV. *Conſil.* 125. & *Conſil. Holl. T.* V. *Conſil.* 160. & ex Neoſtadio ſic quoque Voet ad *Tit. ff. Ex quib. cauſ. major. n.* 14. Quod parum rationis habet, neque eſſe putarem quicquam, unde probari poſſit, nam quod Neoſtadius *d. Deciſ.* XXIX. id ex eo efficit, *quod Retractus contra naturam & rationem juris ſit introductus*, cave, ut pro ratione tibi obtrudi patiaris, niſi conſtitueris in retractu omnia jura abolere. Ipſe ille Neoſtadius *Decad.* IV. *Obſervat. Feudal. C.* 8. poſtquam eandem regulam repetiiſſet contra lapſum fatalium, retractui præſcriptorum, nullam eſſe reſtitutionem, in hanc rem adfert ſententiam quamdam Curiæ Feudalis, latam 12. Sept. 1562. & ibi deſcriptam, & ea quoque auctoritate utitur Boxelius *Not. ad Neoſtad. de Succeſſ. Feud. Holl. C.* V.

(24) *Conſil. H. T.* III. *Amſterd. Append.* p. 51. & 52.
(25) Coren *Obſerv.* XXXII.
(1) Jacobus Curtius Εἰκασ. *L.* II. *C.* 6.
(2) *Deciſ. Mixt.* XCII.
(3) *Deciſ. Mixt.* CXXXVII.
(4) Neoſtad. *Decad.* II. *Obſerv. Feud. C.* 9.
(5) Wiſſenbach *ad ff. Diſputat.* XXXVI. *n.* 16. & Struv. *ad ff. Exercit.* XXIII. *n.* 63.
(6) Neoſtad. *Deciſ. Supr. Cur.* XXIX. & *Deciſ. Mixt.* CXI.
(7) Grot. *Introd. L.* II. *C.* 16. *vſ. de plaatſelyke.* Groenewegen *ad l.* 16. *ff. de reb. auctor. jud. poſſ.*

V. *n.* 75. Sed, ni fallor, perperam. Si vel id diceret una ſententia, me certe ad abrogandum Jus Romanum nequicquam moveret, ſed non dicit, video ibi, compenſatis expenſis, rejectum eſſe libellum, quem vocant. Civilem, quem impetraverat filius, qui nullam plane adſerebat cauſam reſtitutionis ad retrahendum Feudum, quod pater anno 1551. vendiderat, & *filio conſcio* anno 1555. in emptorem tranſcripſerat. Ecquis ſine idonea reſtitutionis cauſa reſtitutionem admiſerit? Deinde proponebatur, patrem Feudum tranſcripſiſſe *filio conſcio*, & vulgo traditur (8), qui in emptionem conſenſit, juri retractus renunciaſſe videri, cui ſententiæ etiam argumenta præbent *l.* 26. §. 1. *ff. de Pignor. & Hypoth. & l.* 8 §. 15. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ſolv.* Igitur, ſi me audias, in facto verſatur, danda, an neganda ſit reſtitutio in integrum, idque ſatis probat libellorum Civilium impetratio, etiam in hoc argumento recepta. Sane exempla ſunt reſtitutionum datarum, nam quum contra præſcriptionem, aliamque, ut metuebat, negligentiam, in retractu commiſſam, actor impetraſſet reſtitutionis diploma, Curia Hollandiæ 26. Apr. 1563. (9) id non rejecit, ut ſolet alioquin, ſi petitio iniqua videatur, ſed non neceſſarium eſſe Actori ſententia declaravit.

Ceſſat Retractus in re, quæ publice venditur, ita enim generaliter traditum eſt, (10) & ſic ſpecialiter §. 14. *Tit.* XI. *Conſuet. Midd.* ſive ea venditio ſit voluntaria, ſive neceſſaria ex Decreto Judicis.

Etiam Conſuetudo, quam Judices Rynlandici 16. Maj. 1551. teſtati ſunt (11), in hæc verba concepta eſt: *dat zoo wanneer eenige verkogte Landen zyn behoorlyke Kerkgeboden of Regtdaagſche geboden gehad hebben, dat inſchelyk noyt geuſéert is geweeſt, dat 'er als dan eenige ſinninge of naaſtinge valt.* Cujus juris non aliam rationem eſſe puto, quam quod in publica venditione jus retrahendi habentibus parum aut nihil præjudicatur, nam & iis, quemadmodum quibusque aliis venditio palam denunciatur, ita ut, quicunque in ea non emunt, juri ſuo renunciaſſe quodammodo videri poſſint. Aut hæc aut nulla ejus juris ratio eſt; quod enim quidam defendunt (12), ideo in publica venditione retractum ceſſare, quia Dominis & Scultetis ſolvitur *het pond-geld*; nihil eſt; eorum enim diverſa ratio eſt. Præſtatur illud tributum, quod *pond-geld* appellatur, quia auctionis publicæ commodo onus quoque adjungi placuit pro exhibitis Officialium operis, in auctione autem publica ceſſat retractus, quia ſic non eſt, ut circumventi videantur, qui jus retractus habent, quemadmodum ſi clam fiat venditio. Attamen Judices Rynlandici 29. Jan. 1591. conſuetudinem eſſe teſtati ſunt, ut ſoluto τῷ *pond geld* ceſſet retractus, ac ſi nempe datio τοῦ *pond-geld* eſſet retractus redemptio, & ita Curia Hollandiæ, ac, cum de appellatione cognoſceret, Supremus Senatus 22. Dec. 1657. judicaverunt (13). Sed perperam, etiam quod τὸ *pond-geld* non pertinet niſi ad dominos & officiales, non ad alios, qui jus *retractus* habent, & quod neque conſtat, dominos & officiales eo jure ſemper probe recte uti. Fortaſſe generale eſſe dicemus, quod ait §. 34. *LL. Middelharn. Land zal men verkoopen by drie Sondagſche geboden, en die binnen die tyd komt, en den Verkooper nader als den Kooper bejaat, zal der koop hebben.*

Si ceſſet retractus in publica auctione, utique etiam ceſſat in ea, quæ fit per ſubhaſtationem, ut judicato ſatisfiat, nulla enim eſt, quæ plures denunciationes & majores ſolemnitates deſiderat, & intereſt etiam creditorum, ne, propter metum retractus, ab haſta repellantur emptores, & ſic, tanquam in re liquida, reſponſum eſt *Conſil. H. T.* IV. *Conſil.* 195. *Quæſt.* 2. & traditum a Matthæo *de Auction. L.* 1. C. 16. *n.* 41. &, ut ſupra dicebam, in ſubhaſtatione quoque nominatim retractum excludit §. 14. *T.* XI. *Conſuet. Middelb.*

Secundum hæc decerne, an de cauſa, quam ſic audies, juſtius judicaverit Curia Hollandiæ, an Senatus Supremus. Quum Titius, facultatibus lapſus, plane ad ἀπορίαν perveniſſet, ejus bonis Curatores dederunt Scabini Harlemmenſes, ex quorum juſſu & auctoritate Titii bona publice diſtrahunt Curatores, interque ea, affixis programmatibus, tria prædia in territorio Sevenbergenſi. Quum ea veniſſent vili, ut dicebatur, pretio, Sempronia, Titii ſoror, ea retrahit, unum jure ſanguinis & communionis, duo alia jure ſanguinis duntaxat, id ſibi licere rata ex §. 2. & 4. *Statut. Sevenberg. Titulo van Naderſchap.* Negant emptores, retractui hac in ſpecie locum eſſe, primum, quod bona venierunt publice, tunc enim ceſſare id jus, quia conſanguineis & ſociis, ad emendum quoque invitatis, juxta cum aliis emere jus fasque eſt, quod fere aliter obtinet in emptione privata, quæ fit absque ulla denunciatione publica, & ſane per ea, quæ dixi, de eo jure vix dubitare licet, niſi in contrarium ſint quorumdam locorum ſingulares leges. Deinde ajunt emptores, ut in omnibus fere emptionibus publicis ceſſat retractus, ſic magis ceſſare in iis, quæ fiunt per ſubhaſtationem, ut judicato ſatisfiat; non inepte igitur Matthæum *de Auction. d. L.* I. *C.* 16. *n.* 41. diſtinguere inter auctionem voluntariam & judicialem, plane ut etiam diſtinguit §. 17. *Statut. Sevenberg.* Hanc, de qua agimus, venditionem, ſi cavillari animus eſt, non eſſe factam, ut judicato ſatisfiat, ſed tantundem valere, quia non erat voluntaria, utpote Judicis auctoritate facta, ut creditoribus, qui alias exſequerentur judicata ſua, quam minimo eorum detrimento poſſet ſatisfieri. Tandem ajunt emptores, propria hic bona Titii non veniſſe, nam Curatoribus datis ad ipſas Titii preces, ipſum bonis ceſſiſſe creditoribus, & curatores magis repræſentare creditores, quam debitorem, ſi audiamus Ulpianum in *l.* 2. §. 1. *ff. de Curat. bon. dand.* Scabini Sevenbergenſes, his rationibus non moti, ſecundum ſororem retrahentem judicarunt 14. Jul. 1714. & ita quoque, ex appellatione, Curia Hollandiæ 26. Nov. Quum rurſus appellatum eſſet ad Senatum, quinque apud nos Senatores alia ſententia utebantur, vel tribus, quas dixi, rationibus conjunctim moti, vel una atque altera ex his tribus. Duo alii Senatores (nam ſeptem intererant judicio) pro anterioribus ſententiis ſtabant, non quod hæc venditio non fuiſſet publica, quod etiam ſoror arguebat, de eo enim inter omnes conſtabat, ſed quod, ut unus ajebat, Statuta Sevenbergenſia publicam venditionem

(8) Huber. *Prælect. poſt Tit. ff. de Reſcind. vendit. n.* 22.

(9) *Deciſ. Mixt.* CXXXVII.

(10) Neoſtad. *Deciſ. Supr. Cur.* XXIX.

(11) Exhibet van Leeuwen, ſemel ad §. 20. & rurſus ad §. 29. *Conſuet. Rynl.*

(12) Grotius & Neoſtadius *d. locis.*

(13) Van Leeuwen *R. H. R. L.* IV. *C.* 19. *n.* 12.

nem a retractu non exciperent, & niſi id fiat, pro eo habendum eſſe, atque ſi valeret retractus in omni venditione, tam publica, quam privata. Sed noli ita ſapere, crede potius, ubi ſilet lex, JCtos, ratione magiſtra, eam ſolere interpretari, & ut hic, ita & alibi, ex communi interpretatione jus dici. Communis autem Hollandorum ſententia, quam ſupra attuli, non alia eſt, quam, niſi aliud Statutis caveatur, ceſſare retractum in publica venditione, & hoc quoque jure utimur. Imo, inquiebat alter Senator, qui diverſas partes ſequebatur, ex §. 8. & 9. *Statut. Sevenberg.* conſtare videri, etiam ibi jus retractus obtinere in publicis auctionibus. Sed omnino fallebatur, loquuntur enim illi §§. de venditione privata, quæ præceſſerat, & quæ non alio fine deinde publicabatur, quam ut ceſſaret retractus, quod utique erat in fraudem legis. Neque etiam duo hi Senatores hanc venditionem comparari volebant ei, quæ per ſubhaſtationem fit, & in hanc rem utriuſque differentias prolixe enarrabant, & ſane illæ differentiæ erant quam plurimæ. Sed unicæ quæſtionis erat, an non ea comparatio valeret κατὰ τὶ, atque ita, an non eadem hic eſſet ratio, quæ vulgo redditur, cur in rebus, per ſubhaſtationem diſtractis, ceſſat retractus, & de eo non videtur dubitandum. Tandem hi duo exiſtimabant, revera Titii, non ipſorum creditorum bona veniſſe, & in eo haud difficulter eorum ſententiæ acceſſerim. Quamvis autem illa ratio minus idonea ſit, ſubſiſtunt tamen, ut opinor, duæ aliæ. Victi igitur ſunt duo diſſentientes Senatores, & ſic, reſciſſa utraque ſententia negata eſt retrahendi facultas 5. Mart. 1718. (14).

CAPUT XV.

Re vendita & tradita, ſi ſolutio non ſequatur, an venditori competat vindicatio.

Quum turpe ſit errare in re quotidiana, videamus, quid de argumento, quod præſcripſi, ex Jure Hollandico & Zelandico habendum ſit, ſic enim ſimul intelligemus, non æquo ſemper Jove de eo reſponſum & judicatum eſſe. In *l.* 19. *ff. de contr. empt.* hæc juris Romani regula eſt: *Quod vendidi, non aliter ſit accipientis, quam ſi aut pretium nobis ſolutum ſit, aut ſatis eo nomine factum, vel etiam fidem habuerimus emptori ſine ulla ſatisfactione.* Quum ait *accipientis*, traditionem interveniſſe ſatis arguit, & nihil tunc deſiderat, ad dominium in emptorem transferendum, quam ut pretium ſolvat, vel quod perinde eſt, eo nomine ſatisfaciat, vel de pretio fidem habuerit venditor, ſic enm in creditum ivit. Quid autem ſi non ſolverit emptor, nec fidem de pretio habuerit creditor, poteſt hic omnino rem venditam & traditam vindicare, quia dominium non tranſivit, nam quod lego §. 3. *T.* VIII. *Conſuetud. Middelb.* ob ſolutionem non ſequentem emptionem non reſolvi, Middelburgenſium jus ſingulare eſt, ſi præſenti pecunia res venierit, vel, quod perinde eſt, de differenda ſolutione nihil convenerit.

Quid ſit *fidem emptoris ſequi*, vel fidem habere de pretio, docuerunt Interpretes ad *d. l.* 19. & ad §. 41. *Inſt. de Rer. diviſ.* & conſtat, inter alia, eſſe, ſi dies adjecta ſit ſolutioni *l.* 3. *C. de Pact. inter empt. & vendit.* Scio etiam quæri, ſi venditor rem tradiderit, & de die ſolutionis nihil quicquam convenerit, an cenſeatur de pretio fidem habuiſſe, ſed verius eſt, ne cenſeatur habuiſſe, & eo jure nunc utimur (1), rejecta Middelburgenſium ſententia.

Ut autem Jure Romano ſimpliciter traditum, ita ſimpliciter verum eſt, pretio vel non ſoluto, vel fide de pretio non habita dominium rei venditæ non transire, nam quod excipi video, niſi emptor fraudandi animum habuerit, Jure Romano ſcriptum non eſt: nam argumentum, quod adducitur ex *l.* 3. *ff. de Pignorat. act.* ideo non convenit, quia ibi agitur de eo, qui pecuniam accepturus erat *cominus*, id eſt, ſtatim, non in diem, ſi enim in diem, in creditum iri habetur.

Sed priusquam excutiamus, quid de jure reſponſum, vel hic illic judicatum ſit, intereſt ſcire, quid ipſis Legibus caveatur, has enim ſequimur primo loco. Antwerpiæ Juris Conſuetudinarii eſt ex *T.* 58. §. 7. *Conſuet. Antwerp.* ſi quis rem vendat & tradat, ſive præſenti pecunia, *ſive in diem* vendiderit, & emptor mox foro ceſſerit, ſic ut inde dolus emptoris argui poſſit, venditori vindicationem rei venditæ competere. Sed an ſic quoque Leges Patriæ? Si emptor *parata pecunia promiſſa* non tamen ſolverit, venditor rem venditam illico (*binnen der vorſcher daad*) arreſto detinere poteſt ex §. 34. *C.* II. *LL. Zeland.* Atque hanc ipſam exceptionem eſſe puto, de qua inter Hollandos & Zelandos convenit §. 5. *Pacti* 11. Jun. 1674. Amſterdami magna turba teſtium teſtata, ibi conſuetudinem eſſe, ne venditor, qui in diem vendidit, in re vendita, quamvis adhuc in emptoris bonis exſtante, aliis præferatur, idque etiam obtinere, licet emptor paulo poſt venditionem, biduum forte vel triduum, ad ἀπορίαν perveniat (2), & ſic in foro Amſterdammenſi obſervari 15. Apr. 1617. duo teſtes addunt (3). Atque ita ſi in diem venditum ſit, vel, quod perinde eſt, fide de pretio habita, ſed vero non habita, aut ſolutione non ſequente, rem venditam, atque ſi vendita non eſſet, venditori recipere integrum eſſe, 5. Febr. 1530. Amſterdammenſes ſtatuerunt (4). Sed an ſemper & a quovis poſſeſſore recipere licebit? Sunt, qui ajunt (5), communiter inter Mercatores ſervari, rem ſimpliciter venditam, etſi traditam, venditoris manere, quamdiu exſtat, & pretium ſolutum non eſt, ne vero ea res nimium vergat in necem aliorum, Amſterdammenſes 31. Jan. 1658. prudenter ſtatuerunt (6), venditor, qui parata pecunia rem vendidit & tradidit, intra ſex hebdomadas pretium exigeret, ſin autem, caderet vindicatione, atque ita haberetur, ac ſi in diem vendidiſſet, & fidem habuiſſet de pretio; id ſcilicet temperamentum temporis indulgendum rati, nec enim venditor emptorem ſtatim cum ſacco adire debet, ut alia occaſione Pauli admonitio eſt in *l.* 105. *ff. de Solution.* Noli ta-

(14) *Obſerv. Tumult. T.* VI. *n.* 1422.
(1) Voet *ad Tit. de act. empt. n.* 11.
(2) *Coſtuymen van Amſterd.* 1663. p. 185. *n.* 5. §. 1.
(3) Ibidem §. 2.
(4) Ibidem p. 276. *n.* 2.
(5) Vid. Van Leeuwen ad Peckium *de Arreſt.* C. IV. p. 69. & 70.
(6) *Coſtuymen van Amſterd.* 1663. p. 276. *n.* 3.

tamen putare, venditori nihil niſi vindicationem ſupereſſe, nam, ſi malit, poteſt contra emptorem etiam agere ad pretium rei venditæ, & ejus pretii uſuras beſſes, ut eſt in veteri Amſterdammenſium Statuto 28. Nov. 1609. (7) & in noviſſimo 30. Jan. 1665. (8) in quo noviſſimo prudenter additur, beſſes uſuras deberi *poſt traditionem mercium.* Quæ Statuta Amſterdammenſia in quotidiano uſu eſſe variis exemplis probatur *Conſil. B. T.* III. *Conſil.* 47 *vſ. Ten derden*, & memini, me Senatore & Præſide, Senatum Supremum ſæpius ita judicaſſe.

Sed neſcio, an rationi, juri communi & his Statutis usquequaque conveniant Reſponſa Juris & res vario tempore judicatæ. Vulgo ſcilicet creditur, etiamſi fides habita ſit de pretio, vindicationi tamen locum eſſe, ſi emptor, cum emeret, gnarus ſe ſolvere non poſſe, venditorem deceperit, & auſim dicere hanc ſententiam in Hollandia fere eſſe communem, ut efficere licet ex iis, quæ retulit Van Leeuwen *R. H. R. L.* IV. *C.* 17. *n.* 3. quæque hic non repeto, & ita Hagani quidam Advocati, etiam in cauſa Amſterdammenſi reſponderunt, cum ageretur de emptore ἀπορίας ſuæ non ignaro, quæ brevi poſt palam facta erat (9). Sed id admittendum non eſt, & neſcio, an aliam auctoritatem habeat, quam in illa, quam ſupra memoravi, Conſuetudine Antwerpienſi. Magna, fateor, Juris Antwerpienſis auctoritas etiam olim hic fuit, ſæpe & a Grotio in partes vocata, at quis eam ſibi obtrudi patietur contra rationem, Jus Commune, & ipſam Legem Amſterdammenſem in cauſa Amſterdammenſi?

An illis Conſultoribus plus præſidii ſit in Rebus judicatis nondum potui animadvertere, exſtant enim in utramque partem. Relatum eſt (10), Curiam Hollandiæ in duabus cauſis 30. Jan. 1617. judicaſſe, quod in diem venditum eſt, venditoris manere, ſi venditum ſit proxime ante ἀπορίαν emptoris, ſine nova emergente cauſa exortam, ſed cum neutra cauſa plene perſcripta ſit, grave eſt de ejusmodi ſententiis ſententiam ferre. Quod alibi relatum eſt (11), Curias ſæpe judicaſſe, rem venditam, non ſoluto pretio, recte vindicari, etſi emptor alii vendiderit, isque jam ſolverit venditori ſuo, utique referendum eſt ad ſpeciem, de qua ibi agitur, ſi nempe præſenti pecunia res venierit, nec reprehendo alios (12), ſic de jure reſpondentes, ubi ſimiles ſpecies occurrunt.

Sed pergamus ad res judicatas, plenius perſcriptas. Quum Titia, ex fide rerum cum aliis geſtarum, bonum nomen exiſtimaretur, neque tamen eſſet, & hac arte multa emiſſet, quæ rurſus diſtraxerat vel in ſolutum dederat, Curia Hollandiæ, &, cum de appellatione cognoſceret, Supremus Senatus, primis venditoribus rei vindicationem, atque ſi dolus contractui cauſam dediſſet, competere judicavit, etiam contra tertios poſſeſſores (13). Quod ſi verum eſt, non erit difficile omnes, quas ſolutio non ſequitur, venditiones reſcindere, quum emat nemo, qui ſe ſolvendo eſſe præ ſe non ferat, neque vendat quisquam niſi ſolutionis expectatione, atque ita quaſi conditione tacita. Sed ne hæc res aliis præjudicio ſit, dicendum potius, hanc cauſam fuiſſe Antwerpienſem, & utramque Curiam fuisſe ſequutam jus ſingulare, quod ibi obtinet.

Cum Socrus, genero comitata, ei argentum tricliniare emiſſet, neque ſolviſſet, & venditor, quod nondum ſolutum erat, a privigno peteret pretium, Curia Hollandiæ 31. Jul. 16[illegible]. (14) Privignum abſolvit, ſi juraſſet, ſe non emiſſe, neque ullam cum venditore conventionem ea de re feciſſe. Probo ſententiam, quia, re tradita, in creditum iverat venditor, & omnino ineptæ ſunt ratiunculæ, quas venditor in contrarium attulit.

Addo rem, me Præſide, a Senatu Supremo judicatam. Titius Mævio Judæo, Vliſſingæ, vendit merces quasdam 5. Apr. 1718. quumque eas tradidiſſet 8. Apr. Mævius mittit Amſterdamum ad Cajam, mandatariam ſuam. Mævius, medio Majo, foro cedit, non ſoluto earum mercium pretio. Quare Titius 19 & 20. Maj. eas merces penes Cajam arreſto includit, & apud Judices Amſterdammenſes vindicat, niſi Caja mallet pretium, a Judæo promiſſum, ſibi ſolvere cum uſuris. Illa vindicationi contradixit, ſed Judices Amſterdammenſes eam probarunt 1. Nov. 1719. quemadmodum & Curia, ex appellatione, probavit 6. Apr. 1723. Quum rurſus appellatum eſſet, quærebatur, quid juris? Titius agebat, ſe vendidiſſe *op Koopmans conditie*, ut Proxeneta teſtabatur, ſive, quod idem eſſe putabant, *voor contant*, nam ſic Titius venditionem adnotaverat in Libris ſuis. Atque inde efficiebat ſe fidem non habuiſſe de pretio, neque adeo per traditionem dominium tranſtuliſſe in Mævium Judæum ſecundum *d. l.* 19. *ff. de Contr. empt.* Non ajebat, emptionem venditionem ipſo jure fuiſſe nullam, ac ſi, propter inſtantem ἀπορίαν, Mævii Judæi dolus contractui cauſam dediſſet, qua jurisprudentia, ut modo dicebam, ſunt qui utuntur, ſed ego non utor, unice urgebat, dominium non tranſiiſſe, quia parata pecunia promiſſa, nec tamen ſoluta erat. Ea ratione probabat dominium ex ſua parte, & de poſſeſſione, ex parte Cajæ, videbatur conſtare.

Caja tamen varie ſe defendit, primum, quod merces, ad ſe transmiſſas eo ipſo die, quo Titius eas arreſto incluſerat, & quidem aliquot horis ante arreſtum, jam alteri vendidiſſet, quin & tradidiſſet ſymbolica traditione clavium ejus horrei, in quo merces erant repoſitæ, atque adeo has merces, utpote res mobiles, ſequelam non habere, ſed ad poſtremum emptorem pertinere. Omnibus vero Senatoribus ea defenſio diſplicuit, cum ſatis appareret, eam venditionem fuiſſe fictam, & a Caja, cui ἀπορία Mævii jam innotuerat, unice ſimulatam, ut ſecuritati ſuæ conſuleret; quin nec perfecta erat ea venditio, ut ipſa Caja eam ſuggerebat. Duo tamen Senatores exiſtimabant, Titium contra Cajam, quamvis mandatariam Mævii, agere non poſſe, quia Mævius multa millia Cajæ debebat (ſic enim ex rationibus, quas proferebat, videbatur conſtare) & quia ex jure Mercatorum, & ex Conſuetudine Amſterdammenſi verum eſt, mandatarium in rebus, quas a mandante ſuo poſſidet, πρωτοπραξίαν habere ante omnes alios Creditores. Nolim diſputare, an id generaliter verum ſit, an duntaxat quod ad merces, *waar op ſpeciaal cre-*

(7) Ibidem p. 280. *n.* 7.
(8) Ibid. p. 905.
(9) *Conſil. H. T.* III. *Amſterd. Conſil.* 2. & *T.* VI. *Conſil.* 2.
(10) *Append. Conſil. H.* III. *A.* p. 48.
(11) *Conſil. H. T.* I. *Conſil.* 245.
(12) *Conſil. H. T.* I. *Conſil.* 253. 285. & 286.
(13) Neoſtad. *Deciſ. Supr. Cur.* V.
(14) *Bello Jurid. Caſu* 54.

credit is gegeven, ſed ajo, quod etiam plerique Senatores ajebant, non aliter id obtinere, quam ſi merces jure proprio ad mandantem pertineant, quod hic negabatur. Poſſedit Caja nomine Mævii, atque adeo perinde eſt, ac ſi merces apud ipſum Mævium arreſto fuiſſent detentæ. Quod enim ſi Mævius, merces quasdam furatus, eas ad mandatarium ſuum mittat, ceſſabit ei vindicatio? nemo dicet.

Quam maxime autem quærebatur, an hæ merces præſenti pretio eſſent venditæ? nam ita, ut dixi, ſolet ſervari, ut, *op dag verkogt* idem ſit, quod habere fidem de pretio, *voor contant*, non habere. Iidem duo Senatores non ſatis de eo conſtare putabant. Sed præterquam quod Titius venditor id palam Libris ſuis adſcripſiſſet, utique juris eſt, non probato die, qui ſolutioni adjectus eſſet, præſenti pretio venditum videri. Sed ne ſic quidem duo illi Senatores partes ſuas deferebant, ſed ajebant, cui ſententiæ tertius quoque Senator accedebat, paſſum eſſe Titium venditorem, merces venditas Amſterdamum mitti, ibique penes Cajam remanere ad usque ἀπορίαν Mævii, tunc demum arreſto ſuperveniſſe atque ex eo præſumendum, utique ex poſt facto, habitam fuiſſe de pretio fidem, idque conſtare videri ex ipſis Legibus Zelandicis, ſecundum quas hic judicandum erat, ait enim §. 34. C. II. quem ſupra attuli, ſi emptor, parata pecunia promiſſa, non tamen ſolvat; venditorem rem venditam detinere poſſe *binnen der vorſcher daad*, hoc eſt, *incontinenti*, hic autem poſt traditionem fere exſpectatas eſſe ſex hebdomadas. Sed quinque alii Senatores (nam octo intererant judicio) illud *binnen der vorſcher daad* interpretabantur pro ſubjecto argumento, non ſcilicet ut poſt traditionem venditor rem venditam ſtatim perſequatur, ſed non ſoluto pretio, quum ſolvi moris eſt, id autem, ex uſu Mercatorum, fere non ſolvi, niſi intra ſex hebdomadas, intra quas, niſi pretium ſolvatur, ceſſare vindicationem etiam Amſterdammenſes ſtatuerunt 31. Jan. 1658. ut ſupra prolixe exſequutus ſum. Atque ita Lex Zelandica jubet, ne in infinitum protrahatur pretii exactio, ſed non etiam, ut pretium exigatur ſine ullo laxamento, & emptor ſtatim cum ſacco adeatur. Nec refert, quod illi tres Senatores etiam referre putabant, merces venditas, etiam ſciente Titio, in Hollandiam fuiſſe miſſas, nam fac, in Indiam fuiſſe miſſas, ex eo ſane non effeceris, fidem de pretio fuiſſe habitam. Simpliciter igitur utraque ſententia probata eſt. 28. Dec. 1725. (15)

CAPUT XVI.

De Contractu qui dicitur Bodemery.

Quæ de eo Contractu Grotius dixit *L.* III. *Introd. ad Jurisprud. Holl.* C. II. non ſufficiunt ad erudiendum Populum Nauticum. Ipſe contractus, poſt ætatem Grotii adolevit, & paulatim ad alia atque alia porrectus eſt, quum de eo leges tam paucæ & incertæ ſint, ex ipſa contrahendi forma & Mercatorum uſu quam plurima petenda ſunt. Hæc etiam adhibuit (1), qui ante aliquot annos hunc Contractum Commentariolo illuſtrare conatus eſt, ſed, ſat ſcio, manes ejus non offendam, ſi & ipſe ex penu meo aliquid proferam, ille Mercatorem egit, ego cum maxime JCtum agam, & ſine Jurisprudentia etiam hæc ſacra non conſtant.

Origo contractus ex Jure Romano eſt, ſed quæ ibi legimus *de Nautico fænore*, vix trientem abſolvunt totius argumenti. Adeo tenuia, etiam apud nos, fuerunt ejus contractus initia, ut non niſi mutuum ſignificaverit, quo Magiſtro, peregre agenti, permiſſum eſt navim ex cauſa neceſſitatis obligare, ita tamen, ut duntaxat de navi dominus teneatur, non ultra. Hunc Contractum jam olim *Bodemery* appellarunt, quaſi fundo ſive carina navis pignori data, ut recte jam ab aliis (2) obſervatum eſt. Et ex eo vulgaris exercitoria in ſolidum tantum non obſolevit. Ad ſolos Magiſtros, & ſolas, ut dixi, naves obligatas olim pertinebat hæc cauſa mutui, ſed deinde protracta eſt ad exercitores ſive dominos navium, & mox etiam ad dominos mercium, & de utroque genere contractus ubique exſtant formulæ vulgares (3).

Ut autem nunc obtinet *Bodemery*, definio *contractum, quo pecunia creditur magiſtris navium in exteris Regionibus, ſive dominis navium & mercium in his Regionibus, ea lege, ut, ſi navis pereat, creditor jus crediti amittat, ſi ſalva advenerit in locum deſtinatum, ſors reſtituatur cum uſuris nauticis, vel majoribus vel minoribus, ut pro ratione periculi inter creditorem & debitorem convenit.* Grotii definitio *L.* III. *Introd. ad Juriſpr. Holl.* C. II. nec legibus nec formulis ſatis congrua, & multis nominibus imperfecta eſt. Ipſe non addidi, naves, inſtrumenta navium, merces, & quicquid ex his ſalvum advenerit, pignori dari, quia, ut formulis id ſæpe inſeritur, ſæpe etiam in his omittitur, & quamvis omittatur, pro inſerto habendum ex natura hujus mutui.

Sed explicanda eſt definitio. Magiſter, ut dixi, recte navem obligat in *Regionibus exteris*, non vero in his Regionibus *Conſil. B. T.* II. *Conſil.* 115. ſin autem, tenetur tamen, quod ipſe Magiſter in navi habebat *Conſil. B. T.* II. *C.* 13. *n.* 1. 2. & 3. Secundum hæc Magiſtratus Amſterdammenſis 13. Aug. 1527. edixit (4), *dat geen Schipheer aan deſe zyde des Zees bodemery zal mogen plegen, dan by expres conſent van de meeſte Reeders.* Ratio eſt, ne Magiſter exercitores præſentes & forte invitos obliget, eorum enim res agitur, & quidni conſentiant, ſi præſentes ſint. Olim tamen ex §. 41. *LL. Nautic. Wisbuyſ.* promiſcue Magiſtro videtur permiſſum, etiam non in Regionibus exteris, neque adhibito exercitorum conſenſu, pecuniam mutuam ſumere, ſed ex §. 55. *LL. Naut. Hanſ.* 1591. ubi copia eſſet exercitorum, vetitum, duas exercitorum partes tertias cæteris præjudicare; ſed in Regionibus exteris, ubi eorum nulla copia, ipſi Magiſtro, quantum neceſſe eſt, id ſim-

(15) *Obſervat. Tumult. T.* IX. *n.* 2221.
(1) Adrianus Verwer *in Nederlands Zeeregten.*
(2) Timæus Faber *ad Inſtitut. Diſput.* XIII. *th.* 1.
(3) Apud Waſſenaer *Practyk Notar. Cap.* IX. §. 2. 3. & 4. *Conſil. H. Tom.* IV. *Conſil.* 110. Verwer *van de Hollandſche Bodemery* p. 223. 224. & 225.
(4) *Handveſten van Amſterdam* 1662. p. 281.

ſimpliciter permittit §. 57. *d. LL. Hanſ.* & *d. Edict. Amſterd.* quod autem ait *d.* § 57. exercitores in eam ſummam teneri, non aliter accipimus, quam quatenus ex navi ſervatum ſit ſecundum §. 40. *LL. Wisb.* Sed tandem ex profeſſo hanc rem conſtituit Philippus II. Hiſpan. Rex in §. 12. *Tit.* II. & præcipue in §. 19. *T.* VII. *LL. Naut.* ult. Oct. 1563. quo permiſſum eſt Magiſtro ex cauſa quadrantem oppignorare, ex magna etiam plus, in extera Regione ſcilicet, alias omnino vetitum. Quod & Friſii ſequuti ſunt *LL. Friſic. L.* I. *T.* XXVII. §. 2. & 3.

De Magiſtro quæſitum eſt, an ipſe quoque teneatur pro pecunia, peregre mutuo ſumpta? Et quidem in exercitoria actione ipſe etiam Magiſter tenetur *l.* 1. §. 17. *ff. de Exercit. act.* ſed ſecundum mores, qui nunc ſunt, id non probaverim, nam quicquid Magiſter fecit, fecit ex tacito mandato, & magis eſt ne contra Procuratorem hodie ſit actio, ut latius explicavit Sande *L.* III. *Deciſ. Friſ. T.* VII. *Defin.* 1. Sed ſi Magiſter ſit inter ipſos exercitores, vel onus pro parte ad ipſum pertineat, vel ſe præter exercitores quoque obligarit, puto teneri, non autem, ſi navis abſque ejus dolo vel culpa perierit, periculum enim itineris in ſe ſuſcepit creditor pro uſuris nauticis, quas ſtipulatus eſt. Quum inter alia, de eo etiam quæreretur, Magiſtrum quaſi defecta conditione, nihil teneri reſponſum & judicatum eſt *Conſil. H. T.* IV. *Conſil.* 111.

Dixi ſupra, & naves & inſtrumenta navium pignori dari, & inde apparet, quicquid ex navi & inſtrumentis ſupereſt, creditoribus cedere. Et tamen, quia ad locum deſtinatum non pervenerat navis, inſtrumenta, quæ ſervata erant, creditorum lucro ſervata non eſſe reſponſum & judicatum eſt *d. Conſil.* 111. & *d. T.* IV. *Conſil.* 124. niſi, quod addit *d. Conſil.* 124. ſpecialiter probetur, jure conſuetudinario receptum eſſe, exercitores teneri derelinquere, quicquid ex navi ſupereſt, ſin autem, trajectitiam pecuniam cum uſuris ſolvendam eſſe. Sed fruſtra ea probatio deſideratur, niſi forte putes, ſi pars pignoris perierit, totum pignus periiſſe: neque enim *Bodemery* mera ſponſio eſt, dabo tot, ſi navis tota ſalva & indemnis appulerit ibi, ſed contractus fœneratitius, quo tota navis, & partes, & ſi hoc actum eſt, etiam onus pro pecunia erogata pignori ponitur. Hæc omnia obligavit Magiſter & obligare potuit. Inſtrumenta ſalva creditoribus, non Magiſtro vel exercitoribus cedere etiam ab aliis animadverſum eſt (5).

Ait definitio, *ſi ſalva advenerit in locum deſtinatum.* Unde, ſi navigationem mutarit & perierit, nihil periclitatur creditor *l.* 3. *C. de Naut. fœn.* ut neque Aſſecurator, ſi exercitores mutare jubeant, quemadmodum plenius audies, *Libro* IV. variis locis. Sed ſi mutarit quidem deſtinatione, ſed navis perierit, dum eandem adhuc navigaret viam, quæ ad locum, de quo convenit, ducit, magis eſt, ut nulla ſit actio, & ita reſponſum & judicatum eſt *Conſil. H. T.* IV. *Conſil.* 110. plane ut in aſſecuratione, ſecundum ea, quæ dicam *L.* IV. *C.* 3. *vſ. Judices.* Sed ſi coeptam navigationem mutarit, ut Dionyſidorus ille apud Demoſthenem in *Orat. contra Dionyſidorum p. m.* 738. & *ſeqq.* & tamen ſalva navigavit navis, Mercatores Amſterdammenſes 26. Maj. 1602. reſponderunt (6), creditori non plus ſolvi, quam viæ, de qua convenit, navigatum eſt. Quod mihi ridiculum videtur. Quid ergo, ſi nihil navigatum ſit, nihil ſolvetur: Duorum voluntate contractum unius diſſolvi iniquum eſt. Et quid in aſſecurationibus? nihil præmii reddet Aſſecurator, ſi viam mutarit adverſarius? periculum enim ſuſceptum eſt, quod navi eveniret ea in via; ſi alio navigaverit, ſive ſalva, ſive perierit, quum via, de qua actum eſt, nihil damni factum ſit, manifeſtum eſt, recte agi. Sed mercatoriis ingeniis inquum viſum eſt, pretium periculi quem capere, quod non tulit, via enim, qua non ivit navis, nihil periclitata eſt.

Creditoris in trajectitia pecunia periculum eſt a primo loco, unde enavigatur, ad ultimum, ubi iter finitur. Si ergo plura loca ſint, contractu expreſſa, intelligimus non ceſſare periculum, niſi navis pervenerit eo, quo tandem deſtinatum eſt. Finge eum, qui Hoſtia navigaturus eſt Carthaginem, & inde Alexandriam, ibi ſolutionem promiſiſſe, non nocebit, Carthagine exoneraſſe, ſi inter Carthaginem & Alexandriam navis perierit, & ita reſponſum & judicatum eſt *Conſil. H. T.* IV. *Conſil.* 110. alioquin quot loca adeuntur, *tot Bodemeryen* eſſe poſſunt, in hac autem ſpecie navigatio una eſt, cujus partes plures, quarum omnium periculum ſuſceptum eſt, neque id finitum, niſi Alexandriæ. Neque, ut dixi, nocet, Carthagine exoneratum eſſe, quum alia Alexandriam eundi ratio non fuerit, nemo enim, Hoſtia Alexandriam navigaturus, Carthaginem ideo accedit, hoc igitur actum intelligitur, ut onus Hoſtienſe Carthagine, Carthaginenſe Alexandriæ exponeretur, & ſic quoque in ſpecie, de qua agitur *d. Conſil.* 110.

Mirum eſſe quidam Profeſſor juris (7) ait, cur poſteriores *Bodemery-Brieven* priores præcedant. Sed cur impenſæ in rem conſervandam, pacto pignore, antiquioribus præferantur, JCtorum miratur nemo, & rationem expedivit Ulpianus in *l.* 6. *pr. ff. Qui pot. in pig.* Id potius miror, quod ille ipſe ait, *dat een Byl-brief voor een Bodemery brief gaat*; nam ex ratione communi diceremus, τὸν *Byl-brief* cedere τῷ *Bodemery-brief*, nec aliter adhuc didici. Habet quidem quid præcipuum, qui in navem exſtruendam credidit, nempe privilegium inter chirographarios *l.* 26. & 34. *ff. de Rebus auct. jud. poſſid.* Per me licet habeat & pignus, ſi id pactus ſit, ſed quo jure & ei præferetur, qui in pignus ſuum ſervandum credidit? Ceterum de jure τῶν *Bodemery-Brieven*, in primis notanda eſt Magiſtratus Amſterdammenſis Epiſtula (8), quam 25. Jan. 1621. ad Judicum Enchuſanorum conſultationem reſcripſit, qua ait; *dat volgens Coſtuime aldaar Bodemery-brieven, verleden by den debiteur alleen, of benevens ſyne onderteekening beveſtigt en geteekent by de hand van een Notaris, voor loopende ſchulden worden gepraefereert op hare hypotheken, en vorder niet, en dat de laatſte Bodemery-brieven voor de eerſte worden gepraefereert, ten ware by den debiteur, met een ſchip op ſekere plaats leggende, binnen ſekere korten tyd van agt of thien dagen voor het vertrek van 't zelve ſchip, meer Bodemery-Brieven waren verleden van verſcheide datum, in welken gevalle de zelve Bodemery-Brieven moeten concurreren.* Herum pro-

(5) Voet *ad Tit. ff. de Naut. Fœnr. n.* 3.
(6) *Conſil. H. T.* IV. *Conſil.* 110. *n.* 2.
(7) Vinnius ad Peckium *de Re nautica in l.* 1. §. 7. *ff. de Exercit. Act. lit. A.*
(8) *In de Handv. van Amſterd.* 1662. p. 189.

priora & poſteriora multum habent dubii, unde enim ea ſolemnitas in *Bodemery-brieven*, eaque ſola, & ubique, etiam peregre, neceſſaria? Et an perſonalibus duntaxat actionibus præferuntur hi creditores, nihil enim reſcribitur, niſi τοῖς *loopende ſchulden* præferri? poſteriora autem, uno nempe loco brevi tempore factas plures *Bodemery-brieven*, concurrere ſine ulla prælatione mihi videntur admodum ſingularia, & eam Jurisprudentiam ſapere, qua idem ille Profeſſor ſcripſit (9), mercibus in navi pluribus diverſo tempore obligatis, omnes æquo jure concurrere, quod univerſo juri pignorum adverſatur. Sane poſteriorem, eodem loco intra breve tempus factam, priori non eſſe potiorem, aliquam forte rationem habet, quaſi non ita novo periculo navis poſteriore mutuo eſſet liberata, ſcilicet quod ad privilegium τῶν *Bodemery-Brieven* proprium, hoc autem ad vulgare pignus nihil.

De mutuo nautico, mea memoria, a Senatu Supremo hæc judicata ſunt. Titius, qui Curaſſoviæ habitabat, mandat Mævio Amſterdammenſi *by een Bodemery-Wiſſelbrief*; ſex hebdomadibus poſtquam merces, quas mittebat, ſalvæ adveniſſent, *na het behouden arrivement*, ſolveret Sempronio certam ſummam. Hanc exigit Sempronius poſt elapſum tempus, ſolutioni præſtitutum: Mævius etiam ſolvere paratus erat, ſed deducto damno, quod mercibus accidiſſet per aquam marinam. Hinc lis, quam Judices Amſterdammenſes ſecundum Sempronium definiunt 6. Sept. 1709. negata ſic detractione, & ita quoque Curia definivit 15. Oct. 1710. appellatum eſt ad Senatum Supremum. Mævius ait, merces non adveniſſe ſalvas, & literis Cambii inſertum eſſe, *na het behouden arrivement*, proferebat & teſtimonia Mercatorum & Judicum Amſterdammenſium ſententias, qui pro detractione in ſimilibus cauſis reſpondiſſent & judicaſſent. Ad hæc Sempronius, fœnoris nautici non aliam eſſe naturam, quam quod merces ſint pignori, pignoris autem cauſa ſi fiat deterior, deteriorem fieri domino, id eſt debitori, ut Paulus quoque diſputat in *l. 6. ff. de Naut. foen.* nec quicquam hanc mercium diminutionem ad creditorem pertinere, modo ei cauſa crediti ſalva eſſe poſſet ex reliquo pignore. Quod ut effugeret Mævius, fingebat, ipſum mercium dominium per hunc contractum ad Creditorem transiiſſe. Quod longe erat ineptiſſimum. Addebat Sempronius, quod & verum erat, longe ab hac ſpecie abeſſe teſtimonia & ſententias, de quibus ſupra dixi, & quiqui ſic ſentirent, juſto prælio haud ita pridem debellaſſe Adrianum Verwer *over het regt van Bodemeryen* §. 24. & *in not. ad d.* §. 24. *p.* 146. & *p.* 160. & *ſeqq.* Senatus, miſſis omnibus, quum partes in eo convenirent, litem hanc pendere ex dominio mercium, utrum ſcilicet ad creditorem transierit, an manſerit apud debitorem, certi juris eſſe putavit, manſiſſe apud debitorem, atque adeo ejus periculo diminutas eſſe merces, quarum æſtimatio longe adhuc ſuperabat æs alienum. Paribus igitur ſuffragiis utraque ſententia probata eſt 27. Jun. 1711. (10)

Sejus, dominus & magiſter cujusdam navis, cum ea appulit Amſterdamum, quumque ibi, ex variis cauſis, aliquot millia deberet duobus Mercatoribus, nec haberet, unde ſolveret, apud Notarium & binos teſtes 23. Aug. 1707. profitetur ſe iis debere 3800. florenos, quos ſuo die ſolveret *met een opgeld van* 10. *per Cento 's jaars*, & quo magis illis cautum eſſet, navem ſuam pignori obligat. Cautionem, ea de re interpoſitam, utraque pars appellabat *een Bodemery-brief*. Sejus cum navi ſua ſic navigat Chriſtianiam, & ibi eam vendit Cajo, ſed cum hæc rurſus Amſterdamum adveniſſet, arreſto eam detinent duo illi Mercatores, & a Magiſtro, qui tunc erat, in jure petunt, quod in cautione convenerat, & ſecundum eos ſententiam dixerunt Judices Amſterdammenſes 21. Apr. 1709. ſed Curia Hollandiæ 28. Oct. 1712. ſententiam illam reſcidit, & Mercatores repulit. Quæſitum eſt ex appellatione apud Senatum Supremum, utra ſententia præferenda eſſet? Quam maxime controvertebatur, an illa cautio, quæ *Bodemery-Brief* dicebatur, obligaſſet navem, atque ita effeciſſet, ut cum illo onere tranſiiſſet ad emptorem, eundemque tertium poſſeſſorem? Quatuor Senatores negabant, quia hæc cautio non erat celebrata coram lege loci, nec ſoluta, quæ Fiſco debebatur, quadrageſima, quod utrumque, etiam in oppignorandis navibus, deſiderat Ordinum Hollandiæ Edictum de XL. 22. Jun. 1695. Excipitur quidem pecunia credita *op Bodemery* in §. 36 *d. Edict*: ſed hæc cautio excedebat notiſſimos ejus contractus terminos, non tantum quod pecunia non eſſet erogata in neceſſitates itineris, quod recte etiam exigit *d.* §. 36. ſed & quod Creditores nullum itineris periculum in ſe ſuſcepiſſent, quod omnino poſtulat natura mutui nautici; & quia non ſuſceperant, Sejus aliam navis ſuæ aſſecurationem curaverat. Aſſumptum ſcilicet nomen *van Bodemery*, ne in quadrageſimam inciderent. Tres tamen Senatores (nam ſeptem intererant judicio) in contrariam ſententiam ibant, ſolo, ut videtur, nomine contenti. Sed erro, non ſolo nomine, nam & movebantur teſtimonio 25. Mercatorum Amſterdammenſium, qui, non jurati etiam, adfirmabant, ita moris eſſe, *dat de Correſpondenten van de Sweden en Denen te Amſterdam zig door het neemen van zodanige Bodemery-brieven ſecureren van haar agterweſen.* Sed quidni tunc etiam *de Correſpondenten van andere Natien*? Idque valebit in præjudicium tertii & in fraudem legis? Judicis utique eſt, cum res incidit, Edicta Ordinum tueri, nec pati, ut ea Mercatores, quæſtus ſui gratia, eludant, nec ulla ullius Judicis ſententia, proferebatur, quæ hanc fraudem probaſſet, & nemo non intelligit, quam fruſtra in ejusmodi cauſis philoſophemur de mercaturæ favore. Sic quatuor Senatores viciſſent, 10. Sept. 1718. (11) ſed quia non ſatis conſtabat de quibusdam, quæ facti erant, pluribus placuit de his interloquendum. Quod ubi partibus ſignificatum eſt, de tota lite transegerunt.

(9) Vinnius *d. loc.*
(10) *Obſervat. Tumult. T.* III. *n.* 746.

(11) *Obſerv. Tumult. T.* VI. *n.* 1467.

FINIS LIBRI TERTII.

CORNELII VAN BYNKERSHOEK,

JCTI ET PRÆSIDIS,

QUÆSTIONUM JURIS PRIVATI,

LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Leges de Aſſecurationibus latæ; & in quibus cauſis obtineant. Expreſſo loco, ubi jaceret navis, & unde periculum inciperet, ſi navis ibi non jacuiſſet, ſed eum locum prænavigaſſet, damnum tamen, poſtea factum, ad Aſſecuratorem pertinere. Si cui plus, quam per legem licet, aſſecuratum ſit, id quod ſupereſt, alteri non recte cedi. Etiam ſine ſpeciali mandato aſſecurationem valere. An contra piratas aſſecurare liceat. An libertas aſſecurari poſſit?

In Republica, quæ commerciis maritimis, quaquaverſum propagatis, originem debet & incrementum, quæque etiam nunc absque iis ſalva eſſe non poteſt, Juris nautici peritia in primis neceſſaria eſt. Huic explicandæ totum Librum deſtinavimus, initio facto ab *Aſſecuratione*. Si navibus, quæ trans mare currunt, ſi mercibus, quas vehunt per tempeſtates vel hoſtes fatale quid accidat, ut id damnum non unus, ſed plures ferrent, maximo commerciis promovendis commodo, aſſecuratio inventa eſt. De eo contractu nonnulla dixi *L.* I. *Quæſt. Jur. Publ. C.* 21. ſed plura ſuperſunt dicenda. Ecquando ille contractus invaluerit apud Hollandos, non eſt, ut tibi dicam. Hollandos jam olim commerciis maritimis floruiſſe, & ea de cauſa plurimas Regiones exteras frequentaſſe, Carolus Burgundus jam dixit in §. 33. Formæ, quam Curiæ Hollandiæ præſcripſit 4. Sept. 1462. ſed neſcio, an aliquis tunc apud Hollandos aſſecurationis fuerit uſus. Anno 1563. frequentatum & licitum fuiſſe illum contractum apparet ex legibus, quas Philippus II. ei dedit *Tit.* VII. *LL. Nautic.* ult. Oct. 1563. Sed poſtea ult. Mart. 1568. vetuit, usque dum novæ leges de eo fierent, his factis denuo permiſit fiduciario Edicto, quod edidit menſe Octobri 1569. (1) & tandem plene permiſit in §. 1. Formæ, quam huic negotio præſcripſit 20. Jan. 1570. & ex qua Forma quam plurima ſunt tranſcripta in Conſuetudines Antwerpienſes *T.* LIV. & in Leges patrias, de quibus mox dicam. Adeo autem apud Belgas Fœderatos contractus aſſecurationis placuit, ut ſæpiſſime fuerit deliberatum de inſtituenda ſocietate, quæ aſſecurationes, neceſſario faciendas, regeret & curaret, *een Compagnie van aſſurantie*. Sed non eſt, ut referam, quæ variis temporibus de ea ſocietate actitata ſunt (2), quia res ſucceſſu caruit, & aſſecurationes, ut olim, ita & nunc ſunt voluntariæ & inter commercia privatorum.

Leges de aſſecurationibus hæ ſunt: Philippi II. Hiſpan. Reg. Leges Nauticæ ult. Oct. 1563. *Tit.* VII. (3) & ejusdem Philippi Edictum poſterius 20. Januar. 1570. Exſtat id Edictum, ut ad Curiam Brabantinam tranſmiſſum eſt, in Libris

(1) Ita Philipppus II. narrat in *Præfatione Edicti de Aſſecurationibus* 20. *Jan.* 1570.

(2) Si ſcire aves, vide *Plac. Ordd. Gener. Tom.* II. p. 189. & Aitzema *L.* IX. p. 707. *L.* XIV. p. 295. *L.* XIX. p. 173. 177. 182. 193. 220. & *L.* XXXIII. p. 868. & 872.

(3) Exſtant *variis locis*, etiam *Plac.* I. 2. 7. 1. 2

bris vulgatis Edictorum & Decretorum (4). Sed & ibi exſtat Epiſtula Philippi nomine ad Curiam Hollandiæ ſcripta 20. Jan. 1570. (5) qua id Edictum in Hollandia publicari jubetur. Quod cum ſit, & in Hollandia, tam in reſpondendo, quam judicando, uſu perpetuo fuerit frequentatum, homunciones quosdam (6) de ejus auctoritate dubitaſſe miror, ſed tanti non ſunt eorum rationes, ut referam, ut refellam multo minus. Atque hæ leges univerſo Belgio ſunt communes, leges autem ſpeciales de aſſecurationibus condiderunt Amſterdammenſes ult. Jan. 1598. (7) quibus deinde varia augmenta ſive Statuta, ad interpretationem & emendationem, acceſſerunt, & nunc, ut audio, Amſterdammenſes leges plane novas parturiunt. Middelburgenſium leges ſpeciales ſunt 30. Sept. 1600. (8) Rotterdammenſium 12. Mart. 1604. (9) Sed leges omnino novas Rotterdammenſes rurſus condiderunt 28. Jan. 1721. (10) Vliſſingenſes quoque, conſtitutis ſpecialibus Judicibus, qui de aſſecurationibus judicarent, leges judicandi iis præſcripſerunt 12. Febr. 1661. (11) ſed illæ parum frequentantur, aliis autem, quas dixi, legibus, ſæpiſſime uſus ſum, easque compendii cauſa, ſic indicavi, Edictum Philippi II. 1570. *Ed. P.* Leges Amſterdammenſes *A.* Middelburgenſes *M.* Rotterdammenſes veteres *R. V.* Rotterdammenſes novas *R. N.*

Atque illæ leges valent tam in peregrinorum quam civium cauſis, dummodo negotium contractum ſit, ubi eæ leges obtinent §. 31. *Ed. P.* § 14. & 29. *A.* §. 28. & 33. *M.* §. 24. *R. V.* Omnino autem valent in rebus, quæ mari deferuntur, ſive in has Regiones, ſive ex iis deferantur §. 14. *A.* & §. 28. *M.* quamvis in §. *Ed. P.* id duntaxat reſtrictum ſit ad eas res, quæ ex his Regionibus mari exportantur. Ubi vero de iis rebus agitur, quæ terra aut fluminibus, aliiſve aquis mediterraneis, non mari deferuntur, quia earum minus periculum eſt, integra eſt paciſcendi libertas §. 29. *Ed. P.* §. 15. *A.* & §. 27. *M.* Idemque §. 30. *Ed. P.* ſtatuit de rebus, quæ mari in has Regiones deferuntur. Ceterum illi §§. 29. 15. & 27. nihil quicquam agunt de navibus, quæ aquas mediterraneas navigant, quare de iis idem videtur dicendum, quod de navibus ſimpliciter in illis legibus conſtitutum eſt.

Nunc expendimus aliquot Quæſtiones, quæ de aſſecurationibus inciderunt. Ex §. 5. *Ed. P.* & §. 3. *A.* nulla eſt aſſecuratio, ſi non inſtrumento inſertum ſit nomen loci, a quo & ad quem deſtinatum ſit iter, & ipſius rei natura id omnino poſtulat, ſciendum enim eſt, ex quo periculum ad aſſecuratorem pertineat, & quando ceſſet. Quum aſſecuratus ex literis, ad ſe datis, intellexiſſet, navem, Bilboa venientem Hamburgum verſus, jacere ad Inſulam D. Martini, idque aſſecurationis inſtrumento, Amſterdami confecto, eſſet inſertum, ut nempe ab Inſula D. Martini demum periculum inciperet, & navis, cum ventus faveret, illam Inſulam prætemavigaſſet, ibique non jacuiſſet, ſed poſtea periiſſet apud Duinkerkam, recte reſponſum eſt *Conſil. Belg. T.* I. *Conſil.* 43. *n.* 1. 2. 3. & 4. ad aſſecuratorem periculum & damnum pertinere. Sed cum eodem fere tempore ſimilis incidiſſet alia quæſtio, quidam ex iiſdem Conſultoribus (nam hi homines non ſemper ſibi conſtant) itemque alii quam plurimi contra reſponderunt *Conſil. Belg. T.* III. *Conſil.* 168. *n.* 1. & 2. & *Conſil.* 169. *n.* 1. & 2. aſſecuratores ſcilicet nihil teneri, ſtrictiſſime enim inhærendum verbis inſtrumenti, iisque expreſſum eſſe, ibi jacere navem, ut ita demum ad aſſecuratorem incipiat pertinere periculum, quod accidit, poſtquam ibi jacuiſſet navis, nunquam autem jacuiſſe, atque ita conditionem, unde inciperet, defeciſſe. Sic certo volunt multo verborum agmine, & advocatis aliquot auctoritatibus ſemibarbaris. Sed profecto iis rationibus nihil quicquam calumnioſius, nihil etiam ſtultius. Quam ſtricte de verbis ſit litigandum, ſatis indicat vulgaris inſtrumentorum, quæ de aſſecurationibus exſtant, poſtrema clauſula, & tantopere jactata bona fides in omnibus Legibus, de eo contractu, factis & editis. Quod autem adjectum eſt, *ſicuti nunciatum erat*, *ibi jacere navem*, manifeſtum eſt, non alia cauſa factum, quam ut termini ſtatuerentur, ex quo loco ad aſſecuratorem pertineret periculum: ſive enim ibi jacuerit, ſive non, cedo, quid ad rem? inutilem vero demonſtrationem falſam id, cui inſerta eſt, nihil vitiare, cui vel ignorare vel negare permittes? Plane ſi ideo damnum datum eſſet, quod navis ibi non jacuiſſet, quum ex lege loci, forte ob tributum, deberet, atque ideo, etiamſi jam prætemavigaſſet, eſſet publicata, aliud dicerem.

Dominus, ultra quam ejus intereſt, aſſecurari nequit. Unde quæſitum eſt de hac ſpecie. Titius cum plus quam partem ſuam aſſecuratam haberet, id quod ſupererat cedit Sempronio, ejusdem navis ſocio. Navis tunc adhuc credebatur eſſe ſalva, certe captam eſſe non conſtabat, ut poſtea conſtitit. Sempronium contra aſſecuratores nullam actionem habere reſponſum eſt *Conſil. B. T.* II. *Conſil.* 120. *n.* 1. & 2. Sane, ſi non ceſſiſſet Titius, inutilis eſſet aſſecuratio quod ad ὑπεροχὴν, & difficile eſt dicere, obligationem, quæ in Titio non ſubſtitit, in Sempronio, cui ceſſit Titius, ſubſiſtere. Eſt tamen, cur dubites, an non recte agi poſſet, quemadmodum ſi quis X. aſſecurari feciſſet pridie Cal. quum V. tantum in navi haberet, & ipſis Cal. alia V. comparaſſet, & navis poſtea periiſſet, recte ageret ad X. quia verum eſt tanti ſua interfuiſſe, quod non niſi ex eventu æſtimatur, neque enim ex tempore contractus rem cenſebimus, quum ex damno ſubſtantiam capiat. Si ὑπεροχὴν ceſſiſſet Sempronio, aut comparaſſet illa V. poſtquam jam navis fuiſſet capta, verum eſt, non recte agi, quia obligatio jam commiſſa eſſet, & certum in perſona Titii, quid debeatur, & tunc locus erit regulæ in *l.* 75. *ff. de R. J.* Attamen recte reſponſum puto, quia alia eſt perſona Titii, alia Sempronii, & quia in illo facto conſtabat, Titium pro ſe ſolo contraxiſſe, & pro Sempronio noluiſſe contrahere. Atque his adde ſpeciem, de ceſſione aſſecurationis a Senatu Supremo judicatam 13. Sept. 1725. de qua dicam infra *C.* XII. *vſ. Titius.*

Quæſitum eſt & de hac ſpecie. Is, ad quem mittebantur merces, eas aſſecurari fecit, pereunt, agit,

(4) *Plac.* I. 2. 7. 1. 3.
(5) *Plac.* II. *Append.* p. 2116. *Repert. C. H.* p. 141. A.
(6) *Conſil. H. T.* I. *Conſil.* 187. & Verwer *in Not. ad LL. Naut. Phil.* 1563. *T.* VII.
(7) *Plac.* I. 2. 7. 2. 3. & *ſeparatim cum augmentis.*
(8) Ibid. I. 2. 7. 2. 5. & *ſeparatim.*
(9) Ibid. I. 2. 7. 2. 4. & *ſeparatim.*
(10) Exſtant *ſeparatim.*
(11) *Separatim.*

agit, ſed repulſam tulit apud Judices Amſterdammenſes, qui de aſſecurationibus cognoſcunt, usquedum proferret ipſius Domini declarationem juratam, ſe, antequam aſſecuratio fieret, mandaſſe *Conſil. B. T.* III. *Conſil.* 17. atque ita videntur voluiſſe; neque ratihabitionem ſufficere, ſed quia in formulis fidejuſſionum nauticarum exprimitur, non tantum ei, qui fidejuſſionem curat, ſed & omnibus, ad quos ea res pertinet, fidejuberi, nihil ipſe deſiderem, quam aſſecurati teſtimonium juratum, rem forte ad Titium pertinuiſſe, ſi Titius probaverit, ſua tantum interfuiſſe, quantum revera aſſecuratum eſt. Cur ad aſſecurationem mandatum ſpeciale requiratur, cauſam non video, neque unquam id ſibi exhiberi poſtulant aſſecuratores. Etiam generales mandatarii vel cognitores, generaliter curare juſſi, quod ex re domini videatur, in hanc rem, videntur ſufficere, præſertim quum & ipſorum interſit, res, de quibus agitur, ſalvas eſſe. Admiſerim etiam eos homines, quos *Factoors* ſolemus appellare, quin &, quod magis eſt, etiam negotiorum geſtorem admiſerim, quid enim is in re amici ſui non verſetur ea prudentia, quam aſſidui patresfamilias adhibent in ſua? ſi negligat, non auſim eum a culpa leviſſima abſolvere. Quod autem ſancitum eſt, ne quis ultra pretium, aut ſupra quam dominus eſt, aſſecuretur, non aliam habet rationem, quam ut fraus excludatur, & ne, cum neminis interſit, damnum ſentiat aſſecurator. Quod manifeſtum eſt ceſſare, ubi tantum bonorum periit, quantum damni dominus paſſus eſt.

Philippus II. de aſſecurationibus multa conſtituit *Tit.* VII. *LL. Nautic.* 1563. quæ rurſus mutavit in Edicto 1570. Ex §. 8. *d. T.* VII. aſſecurare licet contra piratas, ſed rerum a piratis, aut ex detentionibus amicorum, non hoſtium, redemptorum lytrum ab aſſecuratore peti non poſſe, ſententia eſt §. 27. *Ed. P.* ſi recte diſputavi *L.* I. *Quæſt. Jur. Publ. C.* 25. *n.* 3. eo enim §. 27. ſtatuitur, res a piratis & non hoſtibus captas ex Jure Gentium aut pactis eſſe perſequendum, promiſſis inſuper Legatorum patrocinio, repreſſaliis, aliisque legitimis & honeſtis remediis; ſi quis ſecus fecerit, non modo amiſſurum, quod in lytrum impendit, ſed & extra ordinem coërcitum iri, ut qui piraticæ continuandæ occaſionem præbuiſſet. Nihil quidem horum invenitur in Legibus Amſterdammenſium, Rotterdammenſium & Middelburgenſium, nec tamen ideo inutile dicamus, ſi ea ſit Principum animi magnitudo, quæ eſſe debebat ad injuriam ſuam ſuorumque vindicandam, & quæ forte erat Hiſpanorum iis temporibus. Si non ſit, valde inutilis eſt illa ſanctio, & dubito, an moribus, qui nunc ſunt, obtinere poſſit. Jure Romano a piratis redimere licebat *l.* 2. §. 3. *ff. de L. Rhod. de Jact.* Sed Hollandi diſtinguunt in Edicto 3. Mai. 1621. (12) quatenus liceat, vel non liceat, at vero inter veros hoſtes & piratas ibi non diſtinguunt, ſed habentur pro unis, & iisdem. Ne tamen putes, illam ſanctionem jam eſſe abrogatam ex generali mandato rerum ſervandarum, quod inſtrumentis, quæ de aſſecurationibus fiunt, ſolet inſeri, nam & idem mandatum inſertum eſt formulæ, quam exhibet §. 35. *d. Ed. P.* Cæterum Algerienſes, Tripolitanos, Tunitanos, Zalienſes non pro piratis, ſed pro juſtis hoſtibus eſſe habendos ſatis videor probaſſe *L.* I. *Quæſt. Jur. Publ. C.* 17.

Quæſitum eſt, an civilis libertas recte aſſecuretur? ut puta cum tantum vel tantum promittatur ad redemptionem, ſi quis capiatur a Turcis. Et eſt, qui *Conſil. B. T.* II. *Conſ.* 170. *A.* reſpondet, promiſſionem valere, nulla quippe lege vetitam. Ego, an valeat, dubitem; expreſſa quidem lege, quæ ejusmodi aſſecurationes reſcindit, deſtituimur, ſed non deſtituimur rationibus & argumentis, quæ in aliis cauſis prohibitioni locum dederunt, & hic tantundem valent. Variis legibus vetantur aſſecurari mercedes nautarum, aurigarum, militumque, qui in navibus ſunt, non alia ratione, quam ad excitandam eorum hominum induſtriam & fortitudinem, ut ſcilicet magis excubent pro ſalute navium, curruum merciumque, nam aſſecuratione mercedum vetita, ſciunt, perditis navibus, currubus & mercibus, ſe quoque mercedes ſuas perdere. Atque ita pro libertate magis pugnabunt, qui hanc, ſine ulla ſpe recuperationis, amiſſuri ſunt. Nota alioquin eſt hominum ignavia, qui ex ignavis repente ignaviſſimi ſunt futuri, ſi alieno damno libertatem ſuam recuperaturos ſe norint. Erunt fortaſſe, qui & libertatem recte asſecurari negabunt, quia legibus, quibus utimur, prohibentur aſſecurationes de vita hominum, *vitæ* nomine & *civilem* intelligentes. Sed hac ſententia non utimur, etſi verum ſit, non deeſſe Interpretes, qui in Statutis *vitæ mortiſque* nominibus etiam *civilem* intelligi volunt, verum has interpretationes communis loquendi ratio refutat affatim. Quamvis autem aliæ, quas dixi, rationes contra aſſecurationem libertatis militent, non auſim tamen eam generaliter damnare, utpote qui ſciam, ipſos ſæpe Ordines multa pecunia redimere Belgas ſuos ab hoſtibus, præſertim Afris, captos, & quis inutilitatis ac turpitudinis nomine reprobabit negotia, ſi ex eadem Princeps agat? Quin non reprobarem, ſed laudarem potius Ordinum clementiam, ſi de iis redimendis agatur, qui fortiter pugnantes capti, & ſic in ſervitutem redacti ſunt. Quamvis autem expreſſa lex eſſet, quæ libertatem aſſecurari permitteret, Judicis tamen arbitrio relinquerem, an hi, quorum libertas aſſecurata eſt, pro incolumitate navium debitam operam navaſſent, nam ſi magiſter navis, ſi epibatæ per inertiam ſuam ſe dederint, negarem iis actionem, contra vim enim hoſtium aſſecuratur quis, non contra ignaviam ſuam. Plane ut contra aſſecuratores nulla eſt actio, ſi res aſſecuratæ per ſe corrumpantur aut pereant.

(12) *Plac.* I. 2. 21.

CAPUT II.

Ecquando naves merceſque Aſſecuratorum periculo eſſe incipiant & deſinant? Si plures ſint aſſecuratores, an aſſecuratus poſſit, quem velit, exigere, &, quem velit dimittere? An unius aſſecuratoris ἀπειρία reliquis noceat, vel proſit? Quemadmodum aſſecuratus, pendente periculo, poſſit cavere, ne ſibi noceat ἀπειρία aſſecuratoris. Contraria aſſecurationis actio eſt ad præmium, & quo tempore id ſit ſolvendum, & an, ſi ſtatim non ſolvatur, aſſecurationem reſcindat? Præmii actio non rem aſſecuratam, ſed perſonam duntaxat habet obligatam.

Ad interpretationem & effectum factæ aſſecurationis ſcire refert, ex quo periculum in aſſecurationem tranſeat, & quando deſinat. De mercibus primum dicamus, deinde de navibus. De mercibus ait §. 11. *R. V.* earum periculum ad aſſecuratorem pertinere ex tempore & ad tempus, quod expreſſum eſt, & mox definit, quid juris, ſi nihil ſit expreſſum. Reliquæ leges de aſſecurationibus pacto convento nihil quicquam tribuunt, ut neque Rotterdammenſium leges novæ §. 46. Si merces ſint aſſecuratæ ab altero portu ad alterum, ex §. 13. *LL. Nautic. Tit.* VII. periculum ad aſſecuratorem pertinet ex tempore, quo merces in navem impoſitæ ſunt, & ex §. 12. & 35. ex tempore, quo merces ſcaphæ, quæ ad navem deferuntur, impoſitæ ſunt, ſed ex §. 4. *A.* §. 11. *M.* ex tempore, quo in litore, ripa, vel crepidine urbis ſunt delatæ, & ita quoque, ſi nihil aliud convenerit, ex §. 11. *R. V.* & ſimpliciter ex §. 46. *R. N.* Deſinunt autem merces aſſecuratoris periculo eſſe XXIV. horas poſt appulſum navis in ſalvo *d.* §. 13. ſed ex *d.* §. 12. *Ed. P.* poſtquam merces ſalvæ tutæque in terram expoſitæ ſunt, & ita quoque *d.* §. 4. *A.* & *d.* §. 11. *M.* & *d.* §. 11. *R.* qui tamen §. 11. addit, niſi exoneratio, ſine juſta cauſa, poſt quartum ex adventu diem protrahatur. Simpliciter autem ait §. 47. *R. N.* periculum aſſecuratoris eſſe, donec navis merceſque in locum deſtinatum venerint, & merces ibi fuerint exoneratæ.

Hæc quidem de mercibus, ſed de navibus quid dicemus? De his nil exſtat in legibus, quas modo adduximus, niſi quod in *d.* §. 47. *R. N.* tam de navibus, quam de mercibus ſtatuatur, earum periculum penes aſſecuratorem eſſe, donec ſalvæ advenerint & exoneratæ ſint. Ecquando igitur periculum incipit, &, ſi tacent leges, ecquando deſinit? Ut, quid ſentio, libere dicam, ſi non obſtaret legum auctoritas, ego quod ad merces & quod ad naves non aliud damnum aſſecuratoribus imputarem, quam quod in itinere accidit, poſtquam nempe navis profecta eſt, & antequam ſalva advenerit in locum deſtinatum. Et quid dubitamus, conſultis aſſecurationum formulis? naves merceſque aſſecurantur ab uno loco ad alium, periculum igitur, quod aſſecuratorem manet, non incipit, niſi nave jam profecta, & poſtquam ſalva advenerit, mox deſinit. De verbis & ſententia contrahentium nemo ambigat, ſed nec de jure Romano, ſi ex eo res eſſet definienda, nam, cum ibi quæritur, ex quo die in nautica pecunia periculum ad creditorem pertineat, ex die navigationis reſpondet Modeſtinus in *l.* 3. *ff. de Naut. fœn.* nec dici poteſt inter aſſecuratorem & creditorem pecuniæ trajectitiæ, quod ad ſuſceptum periculum, quicquam intereſſe. In mercibus id per leges patrias obtinere non licet, ſed quid ni in navibus ſervemus, ubi illæ ſilent? Probo igitur, quod nonnulli reſpondent (1), ad aſſecuratorem non pertinere damnum, quod navis, antequam proficiſceretur, paſſa erat in loco, unde proficiſci deſtinatum erat, ſed non probo, quod alii tentarunt, etiamſi navis jam profecta ſit, ad aſſecuratorem non pertinere damnum, quod alibi in portu vel ſtatione navi accidit, atque ſi duntaxat aſſecuratum eſſet pro navi navigante, non vero pro navi jacente, idque etiam pleniſſime improbarunt alii *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 135 - 138. Abſolutum quoque iter, ſi me audias, liberat aſſecuratorem, ſi de navi agatur, ſed cum navis in loco hoſtili, quo deſtinata erat, vix dimidiam horam ſtetiſſet in anchora, & mox occupata & deinde publicata eſſet, reſponſum eſt *Conſil. H. T.* I. *Conſil.* 284. aſſecuratorem, qui ſecundum uſum Antwerpiæ aſſecuraverat, de eo damno teneri *arg.* §. 13. *LL. Naut. T.* VII. Male, aliud enim eſt in mercibus, aliud in nave, hæc iter abſolvit, ubi ad locum deſtinatum pervenit, illæ ex *d.* §. 13. aſſecuratoris periculo ſunt, etiam XXIV. horas poſt appulſum. Quin & male, ſi vel de mercibus eſſet quæſitum, navis ſine permiſſu Regis Hiſpaniæ advenerat in locum hoſtilem, & aſſecurator non aſſecuraverat contra poteſtatem juris. Aſſecurati, non aſſecuratoris erat impetrare veniam Regis Hiſpanici, ut hoſti in hoſtilem locum navigare liceret, ſi non impetraverit, eſt quod ſibi, non aſſecuratori imputet.

Belle quæri poteſt, an & quemadmodum dividenda ſit actio, ſi plures aſſecuratores ſubſcripſerint, & an damnum, quod datum eſt, a ſingulis repeti poſſit? Et, ſi merum jus ſequamur, dicendum videbatur, poſſe aſſecuratum, quem velit, exigere, &, quem velit, dimittere: neque id injuria, quum quiſque, in quam ſubſcripſit ſummam, ſi navis merceſque damnum facerent, ſeſe obligaverit, atque ita quiſque in eam ſummam debendi reus ſit. Sed inutile viſum eſt, ex aſſecurati odio, invidia, gratia, certe ex ſolo ejus arbitrio aliquem bonis ſuis exui, quum rei nauticæ plus proſit, quam noceat, ſi etiam grande damnum a multis feratur. Unde & aliquot Mercatorum nubes, jubente Curia, 13. Oct. 1599. apud Scabinos Amſterdammenſes teſtata eſt (2), ſecundum aſſecuratorem ſine conſenſu primi dimitti non poſſe, *omnes enim aſſecuratores, qui ſubſcripſerunt, pro rata fieri damni ſocios.* Quæ ratio forte & Philippum II. movit, cum in §. 13. Ed. conſtituerit, tam poſtremum, quam primum aſſecuratorem de damno vel lucro ex æquo teneri, quod ipſum inſertum eſt §. 23. *A.* & §. 25. *M.* quod illi §§. ajunt *ex æquo*, de proportione geometrica intelligendum puto, & ſic explicat illa teſtatio anni 1599. & hoc jure

(1) Straccha *de Aſſecurat. Gloſſ.* XII. *n.* 2.

(2) *Handveſten van Amſterdam* 1663. p. 173.

ſe utimur, quia ita conſtitutum eſt, ceteroquin, ſi merum jus ſequamur, ut modo dicebam, ex arbitrio aſſecurati penderet, quem ex debitoribus ſuis convenire & exigere vellet. Sed ſi jus merum æquioribus præceptis temperemus, civilius forte dicendum eſt, neminem ex primis aſſecuratoribus poſſe dimitti, niſi conſentiant omnes, qui poſt acceſſerunt: nam ſi primus forte ſubſcripſerit in mille, ſecundus, quia jure conſtitutum eſt, exactionem inter omnes dividi, non alia mente æque in mille ſubſcripſiſſe videtur, quam ſi navis damnum faceret in mille, ſe non eſſe laturum niſi 500. Idem eſt in tertio & ceteris, qui ſequuti ſunt. Ultimus autem, etiam nemine conſentiente, dimitti poſſet, eum enim nemo eorum, qui ante ſubſcripſerant, ſpectavit, in ſuam ſolam ſummam recipientes univerſum damnum. Ut igitur aſſecuratus ultimum adſumere vel non adſumere potuit, ſic & eum poſſet ἀσύμβολον dimittere citra ullum anteriorum conſenſum.

Neque me moverit illa Mercatorum ratio, ex ſocietate nempe proficiſci illam damni communionem, nam de ſocietate inter aſſecuratores nihil quicquam convenit, nec naſcitur ex intellectu tacito, qui, dum contraheretur, interceſſit, ut fit in iis, qui poſt ſubſcripſerunt, hi enim priores ſpectarunt, ſed qui ante ſubſcripſerunt, poſteriores non ſpectarunt, ignari, an qui acceſſuri eſſent. De conſuetudine neſcio, quid dicam, neque enim illi Mercatores eo anno 1599. conſuetudinem probarunt, quamvis in principio ea voce uſi ſint, ſed, quid ipſi probarent, magis reſpondiſſe videntur, neque enim ullam attulere rationem, quæ conſuetudinem argueret, ſed duntaxat, qua opinionem ſuam ex mente ſua ſtabilirent. Ob rei tamen mercatoriæ utilitatem valeat etiam ratio, quæ ratio non eſt, cum ei auctoritatem præſtent illi §§. abſit enim, ut dicamus, per illos §§. poſſe quidem aſſecuratum omnes pro rata exigere, neque tamen teneri, ſed poſſe vel ſolos priores, reliquis dimiſſis.

Si qui aſſecuratorum ſolvendo eſſe deſierint, antea tamen habiti pro aſſiduis, ex ratione juris eandem, quam diximus, diſtinctionem ſequi poſſumus, ſcilicet poſteriorum ἀπορίαν prioribus nocere, horum illis non nocere, hi enim ita ſubſcripſerunt, ut & priores, qui tunc obligati erant, cum ſubſcripſerunt, etiam pro parte, qua antea ſubſcripſerant, tenerentur, quod de prioribus dici nequit. Sed mercatoriis ingeniis hoc ſubtile magis, quam utile videbitur. Apud hæc ex regula dividendæ actionis etiam prioribus proderit poſteriorum ἀπορία, atque ita, ſi in mille damnum datum ſit, Titius, qui in mille ſubſcripſit, non niſi 500. feret, ſi Mævius, qui itidem in mille ſubſcripſit, factus fuerit ἄπορος, reliqui 500. aſſecurati erunt damno, quod ſic ſatis eſt iniquum. Ut huic iniquitati occurratur, Amſterdammenſes 30. Jan. 1626. conſtituerunt (3), aſſecuratore facultatibus lapſo, pendente rerum aſſecuratarum periculo, poſſe aſſecuratum per Notarium & teſtes bonorum curatoribus, aut ubi poſtremum habitavit aſſecurator, obnunciare aſſecurationem, & tunc res, de quibus agitur, ab alio aſſecurari poſſe, ſed præmium repeti non poſſe. Cujus Conſtitutionis rationem non ſatis adſequor, nam cui bono obnunciatio? ex §. 15. *LL. Nautic. T.* VII. bona fide, ac ſine ullius fraude hic eſſe plures aſſecuratores poſſent, quid enim vetat fidejuſſorem accipere pro eo, quod minus a Titio exigi poterit? & quam æquum eſt, præmium relinquere, ſi per ipſum aſſecuratorem ſteterit, quo minus aſſecuratio effectum ſortiatur?

Ex contractu aſſecurationis naſcitur actio directa & contraria. Directa datur aſſecurato contra aſſecuratorem ad reſarciendum damnum, pro quo fidejuſſit. Contraria datur aſſecuratori, contra aſſecuratum ad ſolvendum ſuſcepti periculi, de quo convenit, pretium. Id pretium ſimpliciter *præmium* vocari obtinuit, & vulgare eſſe apud Hollandos, ut VII. centeſimæ partes pro C. aſſecuratis ſolvantur, exteri quidam ſcribunt (4), & ſane ex §. 2. & 20. *LL. Naut. T.* VII. illud præmium legitimum fuiſſe videri poteſt, & nominatim quoque ejus, tanquam non infrequentis, mentio eſt in Statutis Amſterdammenſium 26. Jan 1610. & 5. Dec. 1620. de quibus mox dicam latius, ſed periculorum varietas, & itineris longitudo non permittunt, ut quicquam certi hac de re conſtitui poſſit. unde, libero contrahentium arbitrio relinquitur. Item, ſi præmium ſolutum nondum ſit, rebus deperditis, valeat actio directa, eſt, qui diſputat (5). Et vix hominis ſani eſt ea de re dubitare, quum culpa aſſecuratoris ſit ſuo tempore præmium non petiiſſe, & fuit vulgaris olim conventio, ut demum poſt III. menſes proximos præmium ſolveretur, ut apparet ex antiquis exemplis aſſecurationum, quæ Legibus Amſterdammenſium & Middelburgenſium ſubjiciuntur. Sed exempla, quæ in *d.* §. 2. *LL. Naut. T.* VII. & §. 35. *Ed. P.* exhibentur, apocham ſoluti præmii continent, ut tunc præmium ſtatim fuerit ſolutum, & ſtatim quoque ſolvendum eſſe jubet §. 7. *R. V.* Amſterdammenſes autem hac de re aliter atque aliter conſtituerunt. In §. 1. Statuti 26. Jan. 1610. (6) ſancitum eſt, præmium, quod VII. pro C. non excedit, ſtatim ſolveretur (cujus rei curam aliis ſtatutis etiam proxenetis Amſterdammenſes mandarunt) ſed quod excedit VII. ſolveretur intra menſes VI. Si vero pro itu & reditu ad uſque XIV. pro C. excedat, altera pars ſtatim, altera poſt VI. menſes ſolveretur, moræ poſt illos VI. menſes poſita uſura centeſima, ita §. 2. *d. Stat.* 1610. Sed 5. Dec. 1620. (7) rurſus ſtatuerunt, nullas eſſe aſſecurationes, quarum præmia, quantacunque ſint, non ſtatim eſſent ſoluta, ita tamen, ut præmia pro reditu demum ſolverentur eo tempore, quo navis appuliſſet.

Quod ait Statutum de pœna nullitatis, utique lex nova eſt, neque, ut putem, aliter intelligenda, quam, ſi aſſecuratus ſolutionem præmii differat, uſque dum de damno conſtet, contra aſſecuratorem nullam ei eſſe actionem, nam ad ſolutionem præmii conveniri & compelli poſſe, ſatis eſt liquidum, quin & Amſterdammenſes in §. 6. Statuti 30. Jan. 1603. (8) præſcripſerunt formam, ſecundum quam præmia ab aſſecuratis quantocyus in judicio exigi poſſint. Sin aliter dicas, poſt contractum aſſecurationis, omnibus numeris perfectum, in ſolo arbitrio aſſecurati

(3) *Plac.* I. 2. 7. 2. 3. *ad* §. 2. & *poſt LL. A. de aſſecurationibus.*

(4) Marquardus & Loccenius apud Struvium *Exercit.* XXV. *ad ff. n.* 47.

(5) Struvius *d. Exercit. n.* 48.

(6) *Plac.* I. 2. 7. 2. 3. p. 857. & *poſt LL. A. de Aſſecurationibus.*

(7) Ibid. p. 858. & 859. & *poſt LL. A. de Aſſecurationibus.*

(8) *Poſt LL. A. de Aſſecurationibus.*

curati fuiſſet, detrectando ſolutionem præmii, a contractu recedere, & totum pro lubitu reſcindere, quod a mente Statuti longe eſt alieniſſimum. Sed ne diutius ei argumento immoremur, facit conſtans fama, hanc, quam dixi, nullitatis pœnam deſuetudine exoleviſſe. Aſſecurationem certe ſubſiſtere, licet fides habeatur de præmio, jam olim judicavit Curia Hollandiæ 24. Nov. 1639. (9) nondum viginti annis poſt Statutum elapſis. Et vulgi ore fertur, apud Amſterdammenſes aſſecurationem non tantum non reſcindi, ſi in continenti præmium non ſolvatur, ſed non hodie moris eſſe, ut in continenti ſolvatur. (10) Quod cum ſit, inutilis eſt quæſtio, an illi Statuto 1620. renunciari poſſit, & an tacite renunciatum ſit, ſimulac differatur ſolutio præmii. Ita quidem reſponſum eſt 3. Maj. 1641. (11) atque ſi id Statutum adhuc obtineret. Si obtineret, ego haberem pro appendice Legum, quæ de aſſecurationibus apud Amſterdammenſes editæ ſunt, & eadem auctoritate cenſerem, qua ipſæ illæ leges, ut non temere dixeris de omnibus aliis augmentis. Sin autem quæras, an Legibus, quæ de aſſecurationibus latæ ſunt, renunciare liceat? magis eſt, ut negandum videatur, & ſic forte ipſe judicabis, ſi legeris, quæ dicam *Cap. V.* & VI. nam nihil attinet id nunc diſputare occaſione legis exoletæ.

Hæc præmii actio an rem aſſecuratam, an perſonam duntaxat habeat obligatam videndum? Et quæſitum ea de re eſt in hoc facto. Titius aſſecurari fecit navim mercesque ſuas, præmio poſt III. menſes ſolvendo. Cedit navim mercesque Gajo, & deinde foro. Nave cum mercibus ſalva reduce aſſecuratores & navim & merces arreſtant. Quidam, quia ad præmium non eſt niſi perſonalis actio, nullo jure id eſſe factum reſpondit. (12) Judices tamen Middelburgenſes ſecundum aſſecuratores litem dederunt, ſed horum ſententiam Senatus Supremus 30. Jul. 1605. reſcidit, & navim bonaque nihil teneri pronunciavit. Plane multum refert, quid actum ſit. Si Titius Gajo ſimpliciter ceſſit, per ceſſionem exſtincta videtur aſſecuratio, neque enim Gajus aget, qui non contraxit cum aſſecuratoribus, neque Titius, cujus poſt ceſſionem nihil quicquam intereſt, ſed ſi Titius ceſſerit cum omni cauſa, atque ita cum actione contra aſſecuratores, recte aget Gajus, ſi damnum datum ſit. Idemque eſt, ſi Titius, cum ceſſit, ipſe navim mercesque aſſecuraverit Gajo, ita enim Titius ſibi obligatos retinebit aſſecuratores ſuos, iisdemque ad ſolutionem præmii & ipſe obligatus erit, ſed utrique non niſi perſonali actione, neque enim ullum pignus eſt vel ex conventione vel ex lege.

CAPUT III.

Si res, ad tres menſes aſſecuratæ, rurſus indiſtincte aſſecurentur, & poſt tres menſes elapſos pereant, novos aſſecuratores in ſolidum teneri. Si navis iter mutare conſtituiſſet, ſed, antequam mutaret, periiſſet, damnum ad aſſecuratores pertinere. De uſuris ex mora in aſſecuratoribus.

Miſſis Reſponſis Juris, miſſis aliis quibuscunque auctoritatibus, conſtitui recenſere aliquot quæſtiones, quæ de aſſecurationibus inciderunt, & me Senatore vel Præſide, Senatum Supremum occuparunt, & res de iis omnibus judicatas. Mercatores quidam Hamburgenſes merces ſuas, quæ valebant 14000. florenos, & Genua Hamburgum erant transvehendæ, Genuæ aſſecurari juſſerunt ad tres menſes, & ad pretium 13000. florenorum. Deinde metuentes, ne exſpirarent illi tres menſes, priusquam navis Hamburgum adpelleret, Amſterdami iterum easdem merces aſſecurari juſſerunt ad pretium 12000. florenorum ab Illice (*Alikanten*) usque ad Hamburgum. Quum navis ab Illice proficiſceretur, nondum exſpiraverant tres menſes aſſecurationis Genuenſis, ſed iis jam elapſis capitur navis a Turcis in Freto Britannico. Aſſecuratores Amſterdammenſes negant ſe de damno teneri, quia nullæ res ulterius aſſecurari poſſunt, quam ad verum earum pretium §§. 10. 12. 14. & 15. *Tit.* VII. *LL. Naut. P.* 1563. §. 3. & 29. *Ed. P.* §. 2. & 15. *A.* neque aliter, quam ut decima pars domini periculo maneat, quarum nempe pretium 2000. Librarum Flandricarum æſtimationem non excedit, quod enim 2000. Libras Flandricas excedit, totum recte aſſecuratur ex *d.* §. 3. & 29. *P.* & *d.* §. 2. & 15. *A.* in ſpecie autem propoſita utramque aſſecurationem longe excedere verum rerum aſſecuratarum pretium, & ſecundum hæc Delegati Amſterdammenſes, qui de aſſecurationibus jus dicunt, 12. Jan. 1702. itemque Scabini ex appellatione 29. Jun. 1702. pronunciarunt, aſſecurationem Amſterdammenſem non valere, niſi quantum deeſſet pretio mercium, Genuæ aſſecuratarum, hac certe ratione, quod, cum Amſterdami aſſecuratum eſſet ab Illice, adhuc ſubſiſteret aſſecuratio Genuenſis, & quod binæ illæ aſſecurationes, mercium valorem fere alterum tantum excedentes, ſimul nequeant ſubſiſtere.

Sed Curia Hollandiæ, reſciſſa utraque ſententia, 16. Nov. 1706. aſſecurationem Amſterdammenſem, quanta quanta erat, ratam eſſe judicavit. Scin quare? quod navis eſſet capta poſt finitam aſſecurationem Genuenſem. Quod eſt veriſſimum: neque enim aſſecurati quicquam poterant conſequi ex aſſecuratione Genuenſi, finito ſcilicet periculo, quod Genuenſes in ſe receperant. Nemo poteſt merces aſſecurare ultra earum pretium, recte, atque adeo ſi navis fuiſſet capta durante illo trimeſtri ſpatio, quo durabat aſſecuratio Genuenſis, optime judicaſſent Amſterdammenſes, ſed poſt illos tres menſes ceſſavit ratio, cur merces in totum iterum aſſecurari non poſſent. Neque eſt, ut dicas, aſſecurationem Amſterdammenſem, utpote ab initio vitioſam, tractu temporis non potuiſſe convaleſcere, nam utique ſubſtitit, durante illo trimeſtri ſpatio, quod ad ὑπεροχὴν mercium, &, illo finitio, ſubſtitit in totum, hoc eſt, ſemper ſubſtitit ratione ejus

(9) Apud Lœnium *Caſu* 93.

(10) Roſenboom *Recueil der Keuren van Amſterd. C.* 36. *poſt n.* 36. *Conſil. B. T.* II. *Conſil.* 170. *A.* p. 456. Boel *ad d. Caſ.* 93.

(11) *Conſ. H. T.* III. *Conſil.* 80. *n.* 4. & 5.

(12) *Conſil. H. Tom.* I. *Conſil.* 282.

ejus periculi, quod aſſecurati ſubire poterant: id fieri non poſſe, minime negant *d.* §§. quin ajunt potius, quod ad ὑπεροχὴν, ratione ſcilicet damni, quod aſſecuratum manet.

His addo, Mercatorum Hamburgenſium bonam fidem in hac cauſa undequaque pelluxiſſe, & hanc in primis inſpiciendam jubet *d.* §. 15. *T.* VII. *LL. P.* 1563. literis enim ad mandatarios ſuos Amſterdamum datis ſignificaverant, ut ex inſtrumentis litis conſtabat, ſe primum conſtituiſſe, ut Amſterdami pacto aſſecurationis insereretur, ne valeret, quæ ibi fieret, aſſecuratio, niſi poſt finitum periculum aſſecurationis Genuenſis, ſed ſeſe metuere, ne id pactum litibus cauſam præberet, quia deſiderat §. 3. *A.* ut pacto exprimatur locus, ex quo aſſecuratio inciperet, quod utique per rerum naturam exprimi non poterat, cum ignoraretur, ubi navis ſit navigatura poſt elapſos tres menſes aſſecurationis Genuenſis; adduntque in eadem epiſtula, ſe certos eſſe, navem adhuc Illice hæſiſſe, cum ultimus jam menſis ageretur aſſecurationis Genuenſis, & inter Illicem & locum, ubi futura eſſet navis poſt tres illos menſes elapſos, exiguum fore diſcrimen. Optima ſane fides?

Quare Senatus, paucis admodum diſſentientibus, 19. Jul. 1707. (1) ex appellatione, Curiæ ſententiam probavit, damnatis etiam aſſecuratoribus in uſuras trientes a lite conteſtata. Erat etiam Senator, qui eos volebat damnare in centeſimas, ejus ſummæ, quæ a Delegatis Amſterdammenſibus adjudicata erat ratione ὑπεροχῆς, idque putabat convenire §. 3. Statuti Amſterdammenſis 26. Jan. 1610. quod forte aliis non diſpliсuiſſet, ſi operæ pretium fuiſſet, tam exiguæ ſummæ diſtinctas rationes inire.

Amſterdami 6. Sept. 1692. ad ſummam 24000. florenorum fidejuſſum eſt pro incolumitate navis, navigaturæ Maſſilia ad usque Albim, *geen plaats exempt, mits te mogen eſcaleren op alle en zodanige plaatſen, als de Schipper goedvinden zal.* Hæc navis a Turcis in mari Mediterraneo, *op de hoogte van Cabo de Gata*, deprimitur & tota comburitur, Aſſecuratus damnum reſarciri petit cum uſuris a mora. Contradicunt aſſecuratores, & quidem Amſterdami & apud Curiam hac una ratione, quod navis iter ſuum mutaverit, vel certe mutare conſtituerit: nam qui iter ſuum mutat, aliumve portum, quam in contractu placuit, ſubit, nullam habet actionem §. 6. & 7. *T.* VII. *LL. Naut. P.* 1563. §. 14. *P.* & §. 7. *A.* Plane ut Jure Romano in pecunia trajectitia iter mutare non licebat *l.* 3. *C. de Naut. fœn.* niſi tamen iter mutetur ex cauſa neceſſitatis §. 14. *P.* & §. 7. *A.* aut non aſſecurati, ſed nautæ culpa, ſic enim rata manet aſſecuratio, & aſſecuratus agit cum nauta §. 7. *A.* eademque ſententia videtur §. 14. *P.* qui ſimpliciter ait, nautam teneri.

Illud conſilium mutandi itineris probabant aſſecuratores, ex illis nautarum chirographis, quæ *Cognoſcementen* appellant, & ſane ex iis conſtabat, Magiſtrum Maſſiliæ merces quasdam navi ſuæ impoſuiſſe, quas perferret Duinkerkam, & rurſus conſtabat, eum Maſſilia navigaſſe Illicem, & ibi quoque merces recepiſſe, quas perferret ad portum, qui dicitur *Havre de Grace*, & hos locos in contractu aſſecurationis non eſſe expreſſos, duo igitur nova itinera eſſe cogitata, quamvis non perfecta. Aſſecuratus hæc quidem non negabat, ſed ajebat, aſſecuratam eſſe navem a Maſſilia ad Albim *nullo loco excepto*, & ex lege aſſecurationis potuiſſe navem *te eſcaleren op alle en zodanige plaatſen, als de Schipper goedvinden zal*, ejusque formulæ, ex recepto Mercatorum uſu, hanc eſſe ſignificationem, ut poſſit navis, etiamſi neceſſitas non urgeat, omnes portus ſubire, qui ſunt medii inter locum, a quo, & locum, ad quem aſſecuratio facta eſt, quique, ut Noſtrates ajunt, *in de zelve route leggen*, & a Maſſilia ad Albim prætemavigandos eſſe portus *van Alikanten*, *Havre de Grace* & *Duinkerken*. Et quod de recepto Mercatorum uſu dicebat aſſecuratus, teſtabatur quoque ingens turba Mercatorum Nautarumque Amſterdammenſium. Addebat aſſecuratus, navem a Turcis eſſe depreſſam & combuſtam in mari Mediterraneo, & id mare utique navigandum fuiſſe Albim verſus, de aliis urbibus & portubus, & an ad eas eosve deflectere licuiſſet, tunc demum recte quæri, ſi in iis vel circa eas eosve damnum paſſa fuiſſet navis. Ad hæc aſſecuratores: illam formulam, *te mogen eſcaleren op alle plaatſen*, non ſignificare, omnia loca, quæ præternaviganda ſunt, commercii cauſa, adire licere, ſed neceſſitatis ſolius cauſa, citra ullam omnino commercii contemplationem, producto etiam in hanc rem teſtimonio aliquot Mercatorum, ſed eorum præcipue, qui Amſterdami aſſecurationibus faciendis operam dabant. Deinde urgebant, omnino ex ſola deſtinatione animi iter mutatum videri, neque adeo referre, quo loco damnum paſſa fuiſſet navis, conſilium mutandi, non eventum mutati itineris ſpectandum eſſe.

Judices aſſecurationum Amſterdammenſes 25. Oct. 1696. & Scabini 31. Oct. 1697. ſecundum aſſecuratores ſententiam dederunt, ſed Curia, reſciſſis illis ſententiis, contra aſſecuratores judicavit 22. Dec. 1701. Sane ſi ex his, quas dixi, rationibus cauſa eſſet definienda, plerique Senatores non dubitaſſent, quin Curia recte judicaverit: nam ecce, inquiebant, expreſſa ſtipulatione hic erat cautum, ut Navarchus omnia loca adire poſſet *ex ſuo ipſius arbitrio*, quæ ſtipulatio utique fuiſſet inutilis, ſi Maſſilia ad usque Albim recta fuiſſet navigandum. Ne dicas, ita cautum fuisſe, quia ex neceſſitate iter mutare licet *d.* §. 7. *A.* idque, non aliud, ea verba ſignificare, plane enim tunc otioſa fuiſſet illa clauſula, nihil quicquam comprehendens, quam id, quod jam lege comprehenſum erat, & cui bono tunc illa itineris mutatio permitteretur ſoli arbitrio Navarchi, absque ulla mentione neceſſitatis? Senatum movit, quod navis ibi fuerit depreſſa & combusta, ubi, Albim verſus, navigandum erat, & utique ex loco damni dati æſtimandum eſſe de periculo, quod aſſecuratores in ſe receperunt, ſolum conſilium de mutando itinere aſſecuratoribus nihil nocere, eventum mutati itineris nocere poſſe, ſed inanem eſſe querelam de re plane infecta.

Sed quemadmodum aſſecuratores longe ſunt promptiores ad accipienda præmia, quam ad ſolvenda damna aſſecurationum, &, ut hæc evitent, ſolent eſſe ingenioſiſſimi, etiam noſtri aſſecuratores aliis rationibus in rem ſuam utebantur apud Senatum noſtrum, ſed fere ejusmodi, quæ in facto verſabantur. Ajebant, navem non pertinuiſſe ad aſſecuratum, ſed ille contra probabat, quin ſi non pertinuiſſet, quid rei? facta erat aſſecuratio, ut ſemper fieri ſolet, non tantum ei, qui aſſecurationem curaverat, ſed & ei, ad quem ea res pertineret, & in aſſecurato nec dominium, nec forte mandatum ſpeciale deſiderari diſputavi ſupra

(1) *Obſervat. Tumult. T.* II. *n.* 296.

ſupra C. I. Etiam de minori pretio navis cavillabantur; ſed præterquam quod aſſecuratus ſic ſatis probavit, id pretium longe excedere eam ſummam, pro qua fidejuſſum erat, etiam inſtrumento aſſecurationis hic erat inſertum, *dat by pacto expres, en met believen van de Aſſuradeurs het Schip was getauxeert op* 36000. *Guldens, 't zy minder of meerder waardig.* Scio, eam æſtimationem contraria probatione refutari poſſe ex §. 10. *T.* VII. *LL. Naut. P.* 1563. ſed nulla plane hic erat in contrarium probatio. Tricabantur quoque, inſtrumenta quædam, quæ appellant *Zee-brieven*, non fuiſſe idonea, at nihil omnino iis defuit, abſit, ut depreſſioni & combuſtioni navis cauſam dederit. Addebant & alia nonnulla, ſed adeo frivola, ut referre pudeat, refellere multo magis. Igitur 28. Febr. 1708. (2) confirmata fuit Curiæ ſententia, qua ſinguli aſſecuratores damnati erant ſolvere ſummam, ad quam quisque fidejuſſerat cum uſuris a mora.

Uſuras autem ſimpliciter Curia adjudicaverat, nec dixerat quas, ut nec actor eas expreſſerat, ſed ex *monitorio juris*, ut vocant, ſatis apparebat, actorem centeſimas intendere, idque ex §. 3. Statuti Amſterdammenſis 26. Jan. 1610. quo cautum eſt, eas ſummas, in quas aſſecuratores a Judicibus delegatis Amſterdammenſium damnati ſunt, in continenti eſſe ſolvendas, ſin autem, earum uſuras centeſimas eſſe pendendas, donec ſententiæ ſatisfiat, & erant Senatores, qui pro ea ſententia reſpondebant, ſed dicebam, legem duram non eſſe porrigendam ad ſpecies, ibi non expreſſas, non ſolvi centeſimas ex eo Statuto, niſi in ea ſpecie, ubi Judices aſſecurationem damnarunt, hic autem non damnaſſe, ſed abſolviſſe aſſecuratores, in mora igitur non fuiſſe, quo minus ſolverent, nam ipſum actorem ab illorum ſententia appellaſſe. Me igitur præëunte placuit, uſuræ tantum trientes, ex uſu vulgari, addicerentur, & id ſententiæ inſereretur, ut novæ litis præcideretur occaſio.

Cum uſuræ, ut petitæ, ſic & adjudicatæ eſſent *a mora*, inter partes apud Senatum deinde quæſitum eſt, ex quo tempore mora eſſet cenſenda? Aſſecuratores putabant, non antea moram a ſe commiſſam, quam a ſententia Curiæ, qua damnati erant, viciſſe enim ſe adverſarium ſuum apud Amſterdammenſes. Sed quum Curia & Senatus Amſterdammenſium ſententias reſciderint, Senatui viſum eſt, & recte, ſi quid judico, moram eſſe retrotrahendam, &, in hoc argumento, non, ut vulgo, æſtimandam a lite conteſtata, ſed a tribus menſibus poſtquam res vel naves pro derelictis ſunt habitæ, *na het gedane abandonnement*, nam tunc ſolvendum eſt ex Forma, quam ei rei dedit §. 25. *A.* Exſtant quidem variæ ſententiæ, quæ ad litem conteſtatam moram referunt, ut eſt illa Senatus 17. Jul. 1707. quam habes *hoc ipſo Capite*, ſed & Judices & partes fugere poteſt minus accurata ejus rei inſpectio, certe ſi non petitæ fuerint uſuræ, niſi a lite conteſtata, non ante adjudicari poſſe certum eſt.

CAPUT IV.

Variæ aſſecuratorum exceptiones rejectæ, & rurſus de uſuris ex mora præſtandis. Si aſſecuratum ſit ad inſulam D. Thomæ in Africa, aſſecuratorem non teneri de damno, facto ad inſulam D. Thomæ in America. An rata ſit aſſecuratio contra dolum culpamve Navarchi aliorumve nautarum. Navarchum iter mutare poſſe, ſi ejus arbitrio res relicta ſit, &, ſi non ſit, aſſecuratores nihilominus teneri, ſi abſque mandato aſſecurati mutet. Culpam Navarchi nunquam liberare aſſecuratores, dolum liberare, ſi cum exercitoribus agatur.

In litibus, quæ de aſſecuratione occurrunt, fere omnis quæſtio eſt de defenſionibus ſeu exceptionibus, quibus, ad evitanda damna, aſſecuratores utuntur, utuntur autem, in diverſis ſæpe cauſis, iisdem tamen exceptionibus, easque, quamvis decies rejectas, decies tamen repetunt. Amſterdami aſſecuratum eſt pro incolumitate mercium, quæ impoſitæ erant navi, a ſtatione Texelenſi navigaturæ ad *Tanger.* Exorta tempeſtate navis periit in illa ſtatione. Sempronia, cui aſſecuratum erat, agit ad reparationem damni dati cum uſuris a lite mota, & ait, merces, navi impoſitas, ſibi conſtitiſſe 4776. flor. eique ſummæ addit præmia, quæ ſolverat, aſſecurationum, & rurſus detrahit pretia rerum ſervatarum, atque ita damnum æſtimat *op* 81½ *pro C^to^.* quod in jure petit a ſingulis aſſecuratoribus pro rata ſubſcriptionum. Illi negant ſe quicquam debere, quia merces ad Semproniam non pertinebant, &, ſi pertinerent, navem non idonee fuiſſe inſtructam, *niet behoorlyk geëquipeert*, &, ſi idonee inſtructa fuiſſet, periiſſe culpa Navarchi & nautarum, neque adeo ſe teneri.

Judices aſſecurationum Amſterdammenſes 23. Jan. 1703. & Scabini 12. Jul. 1703. aſſecuratores plane abſolvunt, ſed Curia ex appellatione, 17. Apr. 1709. condemnat, ut petitum erat. Cum rurſus ad Senatum eſſet appellatum, 2. Oct. 1711. æquior viſa eſt Curiæ ſententia. Abunde conſtabat, tantum mercium ad Semproniam pertinuiſſe, quantum ei aſſecuratum erat, unde & poſt naufragium aſſecuratores ei, qua dominæ, mandaverant, ut res naufragas ſervare & curare vellet. Sed quid ſi ad alium pertinuiſſent merces? utique & ei aſſecuratum erat, ſed id jam occupavi *Cap. proximo.* Navem non legitime fuiſſe inſtructam ajebant quidem aſſecuratores, ſed ajebant tantum, nulla enim in hanc rem probatio, & multo minus, ſe propterea non teneri dominis mercium, qui utique navem non inſtruxerant. Navem periiſſe culpa Navarchi nautarumque nihil quicquam quoque conſtabat; imo potius contrarium, ſed ne de eo ſimus ſolliciti, nam mox audies, etiam ex culpa magiſtri nautarumve aſſecuratores omni modo teneri.

Curia uſuras non definiverat, nos, ne deinde ea de re litigaretur, trientes, id eſt, vulgares uſuras, adjudicavimus, minime vero centeſimas, ob eandem rationem, quam dixi *ad fin. Cap. prox.* & quæ nunc omnibus Senatoribus æque placebat. Apud nos autem omiſſa eſt damni æſtimatio *op* 81½ *pro C^to^.* nam & hanc iniquiſſimam eſſe aſſecuratores cauſabantur, ſed rationes, cur eſſet, nolebant expromere, & ſane fere uſu judiciorum receptum eſt, ut reus, qui ait ſe nihil debere, abſtineat a ſecunda defenſione, ſe nempe *tantum non debere*, ratus, hac ſecunda defenſione primæ nonnihil præjudicari, & qui ſic ſentiunt, non omnino falluntur. Significabant nonnulli Senatores, etiam ideo iniquam videri illam æſti-

(2) Ibidem *T.* II. *n.* 380.

æſtimationem, quod ex §. 3. & 29. *Ed. P.* & §. 2. & 15. *A.* decima pars oneris domini periculo manere debeat, quod heic factum non erat. Idque illi Senatores omnino ſervandum putabant propter §. 1. *A.* Alii vero non ſervandum, cum uſus id jam ſubegiſſet. Sed quia placuit de æſtimatione damni dati inter partes tranſactionem tentare, diſplicuit nunc de eo prolixius diſputare. An contra Leges aſſecurare liceat, plena manu *proximo Capite* agere conſtitui.

Amſterdami aſſecuratum eſt *op ½ in ſeker ſchip en lading, van Middelburg naar Angola in Africa, geen plaats uytgeſondert op de geheele Kuſt, en van daar naar het Eyland St. Thomas in Africa, en na gedane negotie weder van daar tot Middelburg.* Navis Angolam ſalva appulit, & inde ſolvit cum mercibus, navigans ad inſulam D. Thomæ, quæ eſt in America, & ibi a navi Francica capitur, & deinde publicatur. Aſſecuratus Amſterdami petit damnum, navi mercibusque datum; negat aſſecurator ſe quicquam teneri, quia navis contra inſtrumentum aſſecurationis, absque ulla neceſſitate, iter mutaverat, navigans ad Americam, ubi in Africa ſubſiſtendum erat, &, itinere mutato, aſſecurationem eſſe nullam ex §. 7. *A.* Reſpondet aſſecuratus, iter non eſſe mutatum, nam aſſecuratum eſſe ad inſulam D. Thomæ, *St. Thomas*, & per hanc intelligi inſulam D. Thomæ, quæ eſt in America, aliam inſulam, quæ in Africa eſt ſub linea Æquinoctiali, ſemper appellari *St. Thomá*, non *St. Thomas*, quod autem additum eſt, *in Africa* culpa vel ignorantia Proxenetæ eſſe additum, & falſam hanc adjectionem vel demonſtrationem non vitiare rem ipſam, & vel ideo non vitiare, quia aſſecuratione ſimpliciter facta *op de Kuſt van Africa*, inſula *St. Thomá*, etiam non expreſſa, ſub ea comprehenditur, ut plurimi Mercatores uno ore teſtabantur.

Ad hæc aſſecurator, utramque inſulam & in Africa & in America, uno eodemque nomine vocari, & eam, quæ in Africa eſt, in quibusdam tabulis Geographicis, etiam noviſſimæ editionis, vocari inſulam *St. Thomas.* Deinde, quæcunque tandem mens fuerit aſſecurati, ſuam utique fuiſſe, ſecundum aperta inſtrumenti verba, non aliter aſſecurare, *als op St. Thomas in Africa*, quæ inſula ab ore Africæ vix 40. aut 50. milliaribus diſtat, minime vero *op St. Thomas in America*, quæ inſula ad minimum 800. milliaribus, ab Africa diſſidet, & quamvis *St. Thomas* vulgo comprehendatur ea aſſecuratione, quæ fit *op de Kuſt van Africa*, ſi tamen exprimatur, abundantiorem cautelam non nocere; alios aſſecuratores quidem ſubſcripſiſſe eidem inſtrumento, *naer St. Thomas in America*, ſed & eosdem majus fidejuſſionis præmium accepiſſe, quam ipſe acceperat, & ſane cum in uno inſtrumento memorentur duæ aſſecurationes, altera ad inſulam D. Thomæ in Africa, altera ad inſulam D. Thomæ in America, quis hominum eas inſulas non habeat pro diverſis & ſeparatis? Si ſimpliciter dictum fuiſſet, *St. Thomas*, non addita mentione Africæ, fortaſſe potior fuiſſet aſſecurati cauſa. Nunc cum vicit aſſecurator apud Judices aſſecurationum Amſterdammenſes 2. Dec. 1694. apud Scabinos 6. Jul. 1696. & apud Curiam 13. Oct. 1698. quas ſententias confirmavit Senatus Supremus 7. Oct. 1711.

Pericula, pro quibus fidejuſſum eſt, ad aſſecuratores pertinent, ſed quæritur, an omnia? Et quid ſi contra dolum vel culpam Navarchi aliorumque nautarum aſſecuratum ſit, an valebit aſſecuratio? nolim hic excurrere in locum communem, an & quemadmodum quis teneatur, ſi homines improbos vel negligentes rebus agendis adhibuerit, habemus enim in hoc argumento leges ſpeciales, quas ſequi oportet. Philippus II. in §. 4. *LL. Naut.* *T.* VII. 1563. abrogato omni jure contrario conſtituit, nullæ eſſent factæ faciendæve aſſecurationes contra *baratariam, furtum aliamve culpam* (*of eenig misbruyk*) ipſius Navarchi cæterorumve nautarum, ſed anno 1570. in §. 35. *Ed.* omnes eas aſſecurationes denuo probavit, interea ſi neſcis, quid ſit *Barataria*, docebit te du Cange *Gloſſar.* in *ea voce.* Leges Rotterdammenſes veteres §. 5. & novæ §. 43. ita diſtinxerunt, ne exercitores (*Reeders*) aſſecurari facerent contra dolum (*Schelmerye*) Magiſtri, quem ipſi conſtituerunt, liceret autem contra dolum cæterorum nautarum, & contra imperitiam negligentiamque ipſius Magiſtri. Et, ni fallor, eſt id jus apud nos utique receptum in exercitoribus, in iis vero, qui duntaxat ſunt domini mercium, nihil diſtinguunt leges Rotterdammenſes, nec eſt, cur diſtinguerent, cum eorum non ſit, homines eligere, qui navem regant, quare & iis licebit contra navarchi dolum ſibi, facta aſſecuratione, proſpicere. Sic uſu eſſe receptum didici ex formulis ἀσφαλισμάτων, quæ apud Amſterdammenſes & Middelburgenſes typis editæ & Legibus aſſecurationum ſubjectæ ſunt, nam in exemplo, quod de navibus aſſecuratis exhibetur, & ad exercitores pertinet, aſſecuratio fit contra culpam navarchi & nautarum, atque etiam contra dolum nautarum, & in exemplo, quod de mercibus aſſecuratis exhibetur, & ad dominos mercium pertinet, aſſecuratio fit contra dolum & culpam tam navarchi, quam nautarum.

His ſubjicio hanc ſpeciem. Qui Amſterdami navem mercesque aſſecuraverant ab Embda ad inſulam D. Thomæ in America, & inde ad fortalitium *Arguin* in Africa, id fecerunt contra omnia pericula prolixe ibi narrata, quin etiam, ut habebat inſtrumentum de nave aſſecurata, *tegen de onagtſaamheid van Schippers en bootsgeſellen, ook ſchelmerye van de voorſchreve bootsgeſellen*, &, ut habebat inſtrumentum de mercibus aſſecuratis, *tegen de ſchelmerye en onagtſaamheid van Shippers en bootsgeſellen*, quæ, ut modo dicebam, formula vulgaris eſt in omnibus aſſecurationibus tam navium quam mercium. Præterea utrique inſtrumento erat inſertum, ut navarcho liceret ad omnes portus adpellere, eosque ex animi ſui ſententia ſubire. Quum navis, de qua agebatur, ſalva perveniſſet *in de Slapersbaay*, prope *Arguin*, ab epibatis, ſchapha in proximum continentem fugientibus, relicta, incenſa & combuſta eſt. Cauſa fugæ a metu trium navium, quæ hanc, ut caperent, inſequebantur, quæque Turcicæ eſſe credebantur, ſed Francicæ erant, non minus tamen hoſtiles. Aſſecurati damnum, navi mercibusque datum, apud Amſterdammenſes reſarciri ſibi petunt, ſed eos repellunt aſſecuratores duplici defenſione, altera, quod Navarchus portum vel ſinum ſubiiſſet, quem non debebat, nempe de *Slaapersbaay*, recta enim navigandum fuiſſe ad *Arguin*, & ſic iter eſſe mutatum; altera, quod navarchus, vano metu, navim incendere & nautas fugere juſſiſſet, ſine quo mandato navis capta non fuiſſet.

Judices aſſecurationum Amſterdammenſes 29. Sept. 1699. itemque Scabini 24. Mart. 1701. ſecundum aſſecuratores pronunciarunt, ſed Curia

tia Hollandiæ 5. Dec. 1709. ſecundum aſſecuratos. Quum iterum eſſet appellatum, Curiæ ſententiam Senatus, paribus ſuffragiis, probavit 8. Sept. 1712. & recte, ſi quid judico: licuit enim navarcho, ex inſtrumento aſſecurationis, quoscunque portus & ſinus ſubire, & ſi vel non licuiſſet, & tamen navarchus id feciſſet proprio Marte, absque ullo aſſecurati mandato, rata eſt aſſecuratio, ſalva actione contra navarchum ex §. 7. *A.* & ſic tranſeo alia omnia, quæ in hanc rem etiam pro navarcho adferebantur. Deinde nihil quicquam conſtabat de mandato fugæ & incendendæ navis, nam ipſi epibatæ, ne a Turcis capiantur & in ſervitutem redigantur, ſæpe ſolent fuga ſibi ſalutem quærere, & leges potius dare, quam accipere. Et ſi vel de mandato conſtitiſſet, quis auſit adfirmare citra neceſſitatem mandatum fuiſſe? Si tres naves, quæ hanc inſequebantur, Turcicæ fuiſſent, utique juſtus ab his metus. Et, ſi conſtitiſſet, Francicas fuiſſe, ſatius eſt navem & merces perdere, quam hoſti dedere. Quod tandem ajebant aſſecuratores de incolumitate navis, ſi incenſa & conbuſta non fuiſſet, non modo non probabant, ſed omnes fere præſumptiones & probationes in contrarium vergebant, capta ſane & publicata fuiſſet a Francis, & aſſecuratorum nihil intereſt, ſi pereat navis, quo pacto pereat, flammis, an occupatione hoſtis. Sed fac navarchum, fac nautas in culpa fuiſſe, utique ſecundum leges, quas recitavi, contra eorum culpam aſſecurare licet, & hic aſſecuratum erat. Quin &, quod ad dominos mercium, aſſecuratum quoque erat contra dolum navarchi, ut per leges licet. Sin ajas, exercitoribus non licere aſſecurare contra dolum navarchi, quem ipſi navi regundæ præponunt, largior, at repono de dolo navarchi nihil quicquam conſtitiſſe. Quis credat, navarchum dolo malo incenſurum navim, & ſimul ſuas ſarcinas & ſuum peculium? Sed quid de dolo ſolliciti ſumus, cum ne de culpa quidem conſtaret? Cum leges ajunt, recte aſſecurari contra *de onagtſaamheid van Schippers en bootsgeſellen*, per *onagtſaamheid* intelligunt omnem culpam, dolo oppoſitam, non culpam duntaxat omiſſionis, ut nugabantur aſſecuratores. Recte igitur, ut dixi, condemnati ſunt ad reſarciendum damnum, additis etiam uſuris trientibus poſt tres menſes, ex quibus navem habuerant pro derelicta, nam ad has uſuras, ampliato libello, apud Senatum quoque contenderant, & ſimulac de re ipſa conſtabat, de uſuris laboratum non eſt.

CAPUT V.

Lucrum, quod ſperatur, per Leges nauticas aſſecurari non poſſe. Iis Legibus an recte renunciatur? An ſit actio de damno, quod accidit ipſius aſſecurati dolo vel culpa? Iter non mutari, ſi pro forma, *ut ajunt, alius locus exprimatur* in het cognoſcement, *alius in pacto aſſecurationis, neque etiam mutari, ſi aſſecuratoris nihil quicquam interſit, quin nec mutatum iter aſſecurato nocere, ſi ipſe non mandaverit. Si generaliter aſſecuratum ſit, ut in Africa, & America omnia loca prohibita adire liceat, nihil referre, per quem Principem aditio prohibita ſit. In aſſecurationibus non admitti reſtitutiones in integrum ex cauſa imprudentiæ.*

Rotterdami aſſecuratæ erant exiguæ & nullius pretii merces, & cum maxime aſſecuratum erat lucrum, quod ſperabatur, *geimagineerde winſt*, quæ merces quodque lucrum æſtimabatur 2000. flor. *en dat van Nieuwcaſteel naar St. Malo, en van daar naar Rotterdam.* Quia autem lucrum, quod ſperatur, aſſecurare non licet per leges Rotterdammenſes, iis aſſecurator renunciaverat, & quia bellum intercedebat inter Reges Franciæ & Angliæ, aſſecuratus curavit, ut navis libere navigare poſſet ex Scotia in Galliam, & inde rurſus in Scotiam, *met paſport van de Koning van Vrankryk.* Ea navis in itinere ad Galliam occupatur a Duinkerkenſibus. Aſſecurator, ejus rei certior factus, & nihil ſiniſtri cogitans, aſſecurato mandat, ut ſuis ſumptibus navem cum onere Duinkerkæ vindicare vellet. Vindicat etiam aſſecuratus, ſed fruſtra, navis enim cum ſuo onere ibi publicatur. Poſtquam aſſecurator fato ſuo functus eſſet, aſſecuratus ejus liberos & heredes convenit apud Senatum Supremum (nam ſic inter partes convenerat) & ab his petit illos 2000. florenos, & ſumptus Duinkerkæ in rei vindicationem factos.

Contradicunt liberi, & heredes, & ajunt, hic præcipue aſſecuratum eſſe lucrum, quod ſperabatur, *geimagineerde winſt*, idque eſſe prohibitum ex *LL. Naut.* Philippi II. 1563. *T.* VII. §. 11. & §. 2. *R.* & ex Legibus novis §. 28. nec prodeſſe renunciationem, quia nullæ ſunt pactiones, quæ legibus, de aſſecuratione conſtitutis adverſantur §. 1. *R. V.* & §. 75. *R. N.* §. 1. *A.* & §. 1. *M.* etſi iis, etiam jurejurando, renunciatum ſit §. 2. *Ed. P.* habemus igitur hic Leges *perfectas*, ut JCti Romani olim loquebantur, ſive Leges, quæ habent clauſulam, quam Pragmatici vocant, *irritantem*, & ubi hæc eſt, nihil valet quævis renunciatio. Factæ ſunt Leges de aſſecurationibus, ut fraudibus occurratur, & niſi has religioſiſſime cuſtodiamus, nequitiis & fraudibus aperitur janua. Factæ ſunt præterea, ut aſſecurati ſerventur indemnes, non ut lucrum faciant, atque ita non ut de lucro, quod duntaxat ſperant, ſint certiores. Lucrum, quod ſperatur, utique incertiſſimum eſt, damnum, quod emergit, ſciri poteſt, lucrum ceſſans, ſciri non poteſt. Quare rationem habet ſummam, ut pro illo fidejuſſorem accipiamus, pro hoc non etiam. Ejusmodi leges, ob publicam utilitatem conſtitutæ, privatorum pactis ſubverti non poſſunt, & uterque, qui contra paciſcitur, verſatur in re illicita, & inde ipſa lex ejusmodi pacta reſcindit. Quod ſi non valeat renunciatio aſſecuratoris, utique mandatum, quod poſtea dedit, valere nequit, nam ſublata cauſa principali, tollitur & acceſſorium.

Contra hæc aſſecuratus: conſuetudinem, inter Mercatores receptam, dudum ſubegiſſe illas, quas dixi, leges; aſſecurationes de lucro, ut ita dicam, putativo, perpetuo uſu frequentari, &, ubi decollavit ſpes lucri, ſolvi, quod promiſſum & pro eo, quod intereſt, æſtimatum eſt; hanc conſuetudinem pro jure eſſe habendam, & Judicis eſſe in controverſiis, quæ incidunt, eam auctoritate ſua probare. Et plurimi quoque Se-

natores ita ſapiebant, rati, renunciationem valere, & ei omni modo ſtandum eſſe, turpiter facere aſſecuratorem, qui fidem datam fallat, & huic turpitudini velificandum non eſſe. Alii, ſed minores numero, negabant conſtare de conſuetudine, quæ illas leges ſubegiſſet, quamvis enim Mercatores ſæpe paciſcantur contra leges de aſſecurationibus latas, & quamvis ea pacta ſæpe ſervarint, ex eo tamen nihil effici, nam, cum de conſuetudine quæritur, primum illud explorandum eſt, an etiam contradicto aliquando judicio firmata ſit *l.* 34. *ff. de LL.* & deſiderabant illi Senatores vel unam rem judicatam, quæ eam conſuetudinem probaſſet, cæteroquin ſtabant regulæ in *l.* 2. *C. Quæ ſit longa conſuet.* Addebant, ex *l.* 33. *&* 35. *ff. de LL.* conſtare, cum de auctoritate conſuetudinis ſermo eſt, de ea agi, quæ, deficiente lege, nata eſt, non de ea, quæ legem ſubvertat, multo minus de ea, quam ipſa lex improbat & reſcindit. Laudo Mercatorem, qui fidem, etiam contra leges datam, ſervat, ſed & laudo Judicem, qui fraudes & nequitias Mercatorum non fovet, & reſcindit pactiones, quas lex reſcindi jubet. Judicis eſt leges ſequi, nec diſputare, an turpiter faciat aſſecurator, qui fidem datam violat. Eſto, turpiter faciat, ſed & turpiter facit, qui contra leges paciſcitur. Unde & illi Senatores, ſi non aliud interveniſſet, de quo mox dicam, non aliam actionem aſſecurato dabant, quam ad merces aſſecuratas, id eſt, ad damnum, quod paſſus erat, non ad lucrum; quod ſperabat, ſed alia, ut dixi, ſententia obtinuit.

Erat & aliud in hac lite, ex quo pellucebat fraus Mercatoris Rotterdammenſis, & ex quo, ſecundum nonnullos Senatores, irrita erat omnis aſſecuratio. Inſtruxerat nempe navim *met een paspoort van de Koning van Vrankryk* ex Scotia in Galliam, & inde rurſus in Scotiam, aperte contra mandatum navigandi, quod navarcho ſuo dederat, ſcilicet *van Niewcaſteel naar St. Malo, en van daar naar Rotterdam*, quodque ipſum etiam inſtrumento aſſecurationis erat inſertum. Et quia hæc pugnabant cum venia Regis Francici, ideo publicata fuit navis cum onere, ut nominatim ſententia Duinkerkenſi erat expreſſum, quin & ideo publicata fuiſſet, ſi vel ſalva adveniſſet *te St. Malo*, neque enim licuit navi aliud iter facere, quam conceſſerat Rex Franciæ. Forte & Mercator Rotterdammenſis, prævidens, navim, quamvis ſalvam, ſemper tamen publicandam fuiſſe, ſufficere ratus eſt, ſi de ſola fere ſpe lucri ſibi aſſecuratum eſſet. At urgebant diſſentientes Senatores, navim eſſe captam, dum navigabat *van Nieuwcaſteel naar St. Malo*, atque adeo eſſe captam in itinere non prohibito. Imo vero in prohibito, *Nieuwcaſteel* enim eſt in Anglia, & licuerat duntaxat ex Scotia navigare. Et quid refert, ubi capta ſit navis, dummodo conſtet, veniam Regis non conveniſſe mandato, quod navarcho datum erat, & propterea publicatam fuiſſe navim. Dolus, an culpa aſſecurati huic variationi cauſam præbuerit, non definio, nec quicquam intereſt. Aſſecurato etiam prodeſſe non poterat, quod contra *hoſtem* quoque aſſecuratum eſſet, id enim eſt intelligendum contra injuriam hoſtis, non contra id, quod hoſtis fecit jure optimo, ex ipſius asſecurati vel dolo vel culpa. Alia tamen, ut dixi, ſententia obtinuit 25. Nov. 1712. Quæ plura in hac lite adferebantur, indigna ſunt, quæ referam.

Quum Amſterdami aſſecuratum eſſet ab Uliſſipone ad Hamburgum, & navis periiſſet prope Angliam, negabant aſſecuratores ſe de damno teneri, quia conſtabat ex chirographis (1), quibus navarchus Uliſſipone profeſſus erat, ſe has illasve merces recepiſſe, navim non Hamburgum, ſed Tonningam in Holſatia fuiſſe deſtinatam, juris autem eſſe nautici, mutato itinere reſolvi aſſecurationem §. 6. *Tit.* VII. *LL. Naut. Philipp.* 1563. & §. 7. *A.* Aſſecuratus dicebat, ſic quidem in illis chirographis eſſe ſcriptum, ſed non niſi *pro forma*, ut ajunt, ad evitandum nempe periculum, quod imminebat a prædatoriis Gallicis (Tonningam enim tempore belli, quod tunc erat, neutrarum partium fuiſſe, non item Hamburgum) plurimasque ejus rei probationes adferebat, itemque teſtimonia celebrium aliquot Mercatorum, ſæpe hanc piam fraudem fuiſſe adhibitam ad eludendos hoſtes. Addebat aſſecuratus, ſi vel revera navarchus Tonningam deſtinaſſet, & ea deſtinatione iter mutaſſet, nihilominus tamen aſſecuratores teneri ex *d.* §. 7. *A.* niſi probaſſent, quod hic non probabant, ex mandato aſſecurati iter fuiſſe mutatum. Ad hæc negabat aſſecuratus, iter fuiſſe mutatum, cum navis periiſſet inter ea loca, quæ in pacto aſſecurationis expreſſa erant, nempe inter Uliſſiponem & Hamburgum.

Aſſecuratores, quod de pia fraude dixi, ſatis agnoſcebant, ſed urgebant inſtrumento aſſecurationis tunc inſerendum fuiſſe, nulli præjudicio futurum, ſi alia loca reperirentur in illis receptarum mercium chirographis, quam hic expreſſa eſſent, eumque uſum etiam teſtibus, & exemplis probabant. Sed hæc quidem aſſecuratus prudentiæ, non neceſſitati adſcribebat, &, quicquid ejus rei eſſet, nihil tamen, ex jure nautico, ſibi imputari poſſe, quum, mutato quamvis itinere, ipſe mandatum mutandi non dediſſet, & quum, ex eodem jure, ne quidem navarchus iter mutaverit, vel quicquam peccaverit, tunc enim duntaxat iter mutatum intelligi, ſi quid ejus rei fiat in præjudicium aſſecuratoris, quo ſcilicet plus periclitetur, quam ex deſtinato itinere periclitatus fuiſſet, & ſic eam rem explicare *d.* §. 6. *Tit* VII. LL. *Nautic. P.* 1563. licitam utique eſſe ſtipulationem, ut non totum iter, ſed vel pars aliqua itineris periculo ſit ejus, qui aſſecuravit; atque adeo nihil ad rem pertinere, ſi vel revera hæc navis Tonningam eſſet deſtinata, & ipſe aſſecuratus id mandaſſet, neque enim periit inter Hamburgum & Tonningam, ſed inter Uliſſiponem & Hamburgum. Quum partes hanc quæſtionem ſtatim ad Senatum Supremum judicandam detuliſſent, Senatus 12. Apr. 1714. ob eas rationes, quas jam repræſentavi, ſecundum aſſecuratum jus dixit.

Medioburgi navis merceſque aſſecuratæ erant in hæc verba: *van Middelburg naar de Kuſten van Africa en America, ſonder permiſſie van de Weſtindiſche Compagnie, voor alle perikel, geen uytgeſondert; zoo dat het Schip vermag* OVERAL *te zeilen, zoo op bekende, als onbekende, gepermitteerde, als ongepermitteerde plaatſen of havens, alles naar het goedvinden van den Commanderenden.* Quum hæc navis navigaſſet ad inſulas, quæ vocantur *Biſſages*, quas, ex privilegio Regis Francici, ſoli ſocietati Sinogallicæ adire & commer-

(1) *Cognoſcementen.*

merciis frequentare licet, capta eſt a navi Gallica, quæ ad illam ſocietatem pertinebat, &, quod illicitis commerciis operam daret, publicata 18. Jun. 1700. Aſſecuratus damnum, quod paſſus eſt, repetit, ſed negat aſſecurator ſe teneri, cum neſciviſſet, navim, de qua agitur, etiam ad colonias Franciæ eſſe navigaturam, bona enim fide ſe exiſtimaſſe, navim non alia loca adituram, quam quæ pertinent ad Societatem Belgii Fœderati Americanam, & id ſe effeciſſe ex verbis, *ſonder permiſſie van de Weſt-indiſche Compagnie*. Quin, ſi ſciviſſet, tantum periculi ſibi imminere, id ſe ſuſcepturum non fuiſſe pro præmio, etiam duplo vel triplo majore, quam nunc accepiſſet, atque adeo ſe eo caſu ultra dimidium fuiſſe deceptum, poſtulans quoque, ſi Judici neceſſaria videretur, reſtitutionem in integrum contra ſubſcriptionem, forte imprudenter a ſe factam.

Senatus 13. Sept. 1715. riſit & exploſit illam reſtitutionem in integrum, nam ſi hanc, ex cauſa imprudentiæ, in aſſecurationibus admittas, actum eſt de omni fide ejusmodi contractuum, nec ſcio, illas machinationes unquam ab aſſecuratoribus eſſe adhibitas, ut ut fallendæ fidei ſtudere ſoleant. De re ipſa igitur videndum eſt. Et tunc etiam Senatus exiſtimavit, generalia nimis eſſe ſtipulationis verba, quam ut reſtringi poſſint ad eas Ditiones, quæ ad Societatem Americanam Belgii Fœderati pertinent, generaliter enim dicitur, *naar de Kuſten van Africa en America, en overal te zeilen, zoo op gepermitteerde, als ongepermitteerde plaatſen*, ſine ulla diſtinctione, ſive per Gallos, ſive per alios ejusmodi loca adire non liceat; Galli utique excepti non ſunt, quod oportebat, ſi contra eos aſſecuratum non eſſet. Quod autem mentio inciderit Societatis Americanæ, non eo pertinet, ut ad alia loca prohibita appellere non liceret, ſed ut ſciret aſſecurator, id etiam periculum, quamvis ibi navigetur contra Edicta Ordinum Generalium, nihilominus ipſum manere, neque de eo, atque ſi contra leges navigatum eſſet, excipi poſſe. Contra aſſecuratorem pronunciaverunt Judices aſſecurationum Middelburgenſes 30. Apr. 1706. itemque Scabini 21. Jan. 1707. utrobique aſſecuratore in expenſas damnato. Eorum ſententias probavit Senatus d. 13. Sept. 1715. compenſatis tamen expenſis apud Judices aſſecurationum Middelburgenſes atque ſi in prolixa lite materies litigandi non defuiſſet.

CAPUT VI.

Quum ex duabus navibus colliſis altera periiſſet, aſſecuratoribus non prodeſſe, quamvis navem, quæ periit, annoſam fuiſſe dixerint, vel culpa navarchi damnum fuiſſe datum, vel ſalvæ navis magiſtrum, alibi conventum, fuiſſe abſolutum. Quousque Amſterdami naves aſſecurari poſſint, & an Statuto, ea de re facto, renunciare liceat? Sub appellatione urbis Amſterdammenſis etiam Texeliam contineri Aſſecuratione facta op de Spaanſche Weſtindien, *an & quando Jamaïcam liceat adpellere?*

Amſterdami 3. Nov. 1687. navis merceſque aſſecuratæ erant ab ea urbe ad Norvegiam, & inde ad Gades in Hiſpania, & poſtquam navis, exorta tempeſtate, in aliam illiſa, tantum non integra cum mercibus periiſſet, aſſecuratores apud Judices aſſecurationum Amſterdammenſes conveniuntur ad reſarciendum damnum, nec tantum conveniuntur ex contractu avertendi periculi, cui ſubſcripſerant, ſed & ex chirographo, quo, damnum ad ſe pertinere rati, exercitori & dominis mercium mandaverant, colligerent & venderent naufragium, ſe damnum, & expenſas, in hanc rem factas, eſſe laturos. Aſſecuratores, ut abſolverentur, tribus defenſionibus utuntur. Prima erat, navem aſſecuratam fuiſſe annoſam, nec ſatis aptam, quæ tempeſtatibus maris reſiſteret; ſecunda, navarchum navem, quæ perierat, dolo malo, latiſſima certe culpa, in aliam navem, quæ ſalva manſerat, immiſiſſe, non alio conſilio, quam ut eam perderet, tertia, magiſtrum navis, quæ ſalva manſit, Gadibus fuiſſe conventum, quo damnum lueret, quod ipſe, immiſſione navis ſuæ, dediſſet, ſed fuiſſe abſolutum, atque ita judicatum, ſolum magiſtrum navis, quæ periit, damno cauſam dediſſe. Judices aſſecurationum 29. Nov. 1689. & Scabini Amſterdammenſes 13. Sept. 1692. ſecundum aſſecuratores pronunciarunt, an omnibus illis defenſionibus, an una, & qua, moti, neſcio, hoc ſcio, Curiam Hollandiæ omnes illas defenſiones rejeciſſe, & reſciſſa utraque ſententia, ſecundum aſſecuratos pronunciaſſe 10. Oct. 1702

Ex appellatione quæſitum eſt apud Senatum, quid valerent illæ defenſiones? & primam non valere Senatus judicavit, præterquam enim quod in facto non conſtaret de nave annoſa, ſcire velim, quæ lex ætatem navium definiverit, ut nempe ex eo aſſecuratio vel caderet vel ſtaret? Sane ex Legibus Amſterdammenſibus ne quidem ætas navis exprimenda eſt. Poterant quoque aſſecuratores Amſterdami, ubi navis jacebat, & ipſi habitabant, eam inſpicere vel naupegis inſpiciendam dare, & ſic conſtituere, an periculum in ſe ſuſcipere vellent, nec ne, &, ſi vellint, poterant, ob majorem ætatem, majus periculi pretium paciſci. Quin &, quod caput rei, non perierat navis ſuo vitio, ſed vi externa, per tempeſtatem in aliam navem illiſa, quomodo etiam nova & vel maxime robuſta navis facile periret. Secunda defenſio nihil magis profuit aſſecuratoribus, quis enim credat, navarchum dolo malo ſuam navem in aliam immiſiſſe, ut ſua periret? Furente Oceano non tantum agitur de ſalute navis & mercium, ſed & de vita hominum, tu putas, navarchum, ut vita ſua magis periclitaretur, mandaſſe nautis, ut navim ſuam in aliam immitterent? Ego non puto. Tu putas, nautas, de quorum corio etiam ludebatur, tam ſtulto mandato fuiſſe parituros? Ego non puto. Noli igitur mirari, aſſecuratores, id, quod dicebant, non probaſſe, quia aſſecuratus fere contra probabat, hanc puta colliſionem mera Θεȣ͂ βίᾳ accidiſſe, navim enim ſuam, ob ingentem motum marium & ventorum, gubernaculo non fuiſſe audientem. Et quid ſi culpa navarchi interveniſſet? Etiam contra hanc asſecuratum erat & aſſecurare licet, imo & contra dolum navarchi dominis mercium caveri licet, ut hæc latius explicavi ſupra C. IV. Sed nec tertia defenſio ullum habebat pondus; de ſententia illa, Gadibus lata, nihil quicquam conſtabat,

bat, &, ſi conſtitiſſet, nihil inde poterat effici, quam magiſtrum navis, quæ ſalva manſit, Gadibus fuiſſe abſolutum, forte ideo, quod ipſe dolo vel culpa damnum non dediſſet, & quod ibi, ut jure Romano, damna fortuita quisque ſua ferat, nec, ut apud nos, pro ſemiſſe communicentur. Sed fac, Judices ibi perperam judicaſſe, quid hoc ad partes, quæ hic litigant, & damnandæ vel abſolvendæ ſunt ſecundum Leges patrias? Nihil igitur adferebatur, quo ſe aſſecuratores idonee defenderent & liberarent a contractu, cui ſubſcripſerant, & etiam a fide, quam poſtea dederant de reſarciendo damno, & refundendis expenſis, ne quidem reſtitutione in integrum contra illam promiſſionem petita, multo minus impetrata.

Sed aliud erat, quod hic Senatum nonnihil turbabat. Scilicet de aſſecuratione navium, & quousque eas aſſecurare liceat, varie cautum eſt. Ratione mercium diſtinguit Philippus II. in §. 8. *T.* VII. *LL. Nautic.* 1563. Sed idem ſimpliciter in §. 20. *Ed.* 1570. naves non niſi infra ſemiſſem aſſecurari permittit, & ſic quoque §. 4. *M.* infra beſſem vero §. 10. *A.* Rotterdammenſium Leges veteres §. 4. diſtinguunt ratione itineris, quod conficiendum eſt. Atque hæc quidem rationem habent manifeſtam, ſi curam navium agant ipſi domini, palam enim inutile eſt, ſi, navibus perditis, tantundem dominis eſſet ſalvum ex aſſecuratione. Quod ſi autem ii ſint navium domini, qui ipſi earum curam non agunt, non animadverto, cur iis totam navem aſſecurare non liceat. Unde forte *d.* §. 4. *R.* qui definit, quousque naves aſſecurare liceat, non loquitur niſi de navarchis & exercitoribus, *van Schippers en Reeders.* Quoniam autem penes navarchos potiſſima eſt navium cura, & hi ſecundum mores, qui nunc frequentantur, fere non ſunt navium domini, earum prohibitionum exigua nunc ratio eſt, & inde eſſe opinor, quod Rotterdammenſes in novis legibus §. 25. naves ſimpliciter aſſecurari permiſerint.

Sed ubi non eſt ejusmodi lex nova, ſequimur antiquas, & non ex ratione, ſed ex auctoritate juris, ſi ea præſto ſit, cauſas definimus. In hac ſpecie navis, tempore factæ aſſecurationis, æſtimata fuerat certo pretio, & conſtabat, hanc æſtimationem longe excedere beſſem pretii, quo valebat navis. Quod excedebat, reſcindendum eſſe plurimi Senatores reſpondebant ex *d.* §. 10. *A.* addita ex §. 1. *ibid. clauſula*, quam vocant, *irritante.* Sed erant in Senatu, qui urgebant, conſuetudinem, inter Mercatores receptam, ſubegiſſe illum §. 10. ejusque rei argumentum eſſe, quod contractibus aſſecurationum, ut typis deſcripti circumferuntur, ſæpe addatur clauſula manuſcripta, qua legibus, de aſſecuratione latis, ſi quid pactioni obſtent, partes renunciant, & quod etiam Judices Amſterdammenſes in judicando illas Leges, quibus renunciatum eſt, ſoleant negligere, de quo tamen, in hac certe lite, nihil quicquam conſtabat. Sed ubi lex eſt perfecta, & nullas eſſe jubet pactiones, quæ contra eam fiunt, nihil valere illas in contrarium probationes, *Capite proximo* plenius expoſui. Sententia igitur Curiæ in pleriſque probata fuit 11. Nov. 1726. ſed correcta quod ad aſſecurationem navis, facta ultra beſſem veri pretii, reſtituto tamen, quod ad illam ὑπεροχὴν, præmio aſſecurationis. (1) An hæc correctio ſatis conveniat ſententiæ, quam Senatus dixit 25. Nov. 1712. & quam commemoravi *d. Cap.* judicent, quibus jus ſuffragii eſt.

Navis merceſque Amſterdami aſſecuratæ ſunt in hæc verba: *van Amſterdam en de circumjacentien van dien naar de Spaanſche Weſtindien te mogen varen op alle Plaatſen, Eylanden, Baayen, Rheeden of Rivieren, geen uytgeſondert, en van daar weder naar Amſterdam.* Navis ſalva advenit in Americam, ibique commercia exercet ſua, & bis etiam appellit ad inſulam Sancti Jacobi, quam Jamaica appellant, & nunc eſt colonia Anglorum, eo autem appulit ad cibaria, & inſtrumenta quædam nautica, quibus indigebat, comparanda. Inde poſtremum navigans, ut Amſterdamum rediret, non procul ab hac Inſula periit. Aſſecuratores, ad damnum reſarciendum conventi, negant ſe teneri, duplici ratione; altera, quod navis, tempore factæ aſſecurationis, non amplius jacuiſſet Amſterdami, ſed in Statione Texelienſi, idque inſtrumento aſſecurationis expreſſum non eſſe, ut oportebat ex Statuto Amſterdammenſi 29. Jan. 1688. Altera, quod aſſecuratum eſſet *op de Spaanſche Weſtindien*, Inſulam autem, prope quam naufragium erat factum, non ad Hiſpanos pertinere, ſed ad Anglos. Judices Amſterdammenſes, vel utramque, vel alterutram rationem probantes, aſſecuratores abſolverunt, Delegati quidem ad cauſas aſſecurationum 6. Dec. 1696. Scabini vero 1. Nov. 1697. damnatis quoque actoribus in expenſas utriusque judicii, ſed Curia 5. Febr. 1703. utramque ſententiam reſcidit, & aſſecuratores, ut ſolverent, damnavit, additis quoque omnium judiciorum expenſis, tamquam in re liquida.

Quod ad rem ipſam attinet, juſtior erat Curiæ, quam Amſterdammenſium ſententia, quis enim ſanus adfirmaverit, Texeliam, quæ revera eſt ſtatio navium, quæ Amſterdamo abeunt, aut eo redeunt, non cenſeri *onder de circumjacentien van Amſterdam*? Illud autem Statutum 29. Jan. 1688. nihil aliud dicit, quam qui naves & merces, jam profectas, aſſecurare curat, etiam curare oportere, ut id ipſum, & quando profectæ ſint, inſtrumento aſſecurationis inſeratur, quod valde alienum eſt ab hac ſpecie, ſi ſub appellatione Amſterdami etiam Texelia comprehendatur. Quin exſtat aliud Statutum Amſterdammenſe 23. Jan. 1699. quod aperte definit, appellatione Urbium, ex quibus naves merceſque profectæ ſunt, etiam portus & ſtationes contineri. Erat quidem poſtremum illud Statutum hac aſſecuratione poſterius, ſed quum nihil declaret, quam Jus commune, portus nempe, urbibus adhærentes, appellatione urbium venire, miror fuiſſe homines Pragmaticos, qui in hac lite teſtabantur, aſſecurationes, Amſterdami factas, utique eſſe nullas, ſi iis inſertum non ſit, navem jam in Texelia jacere, & magis miror, Scabinos Amſterdammenſes, ut præ ſe ferebant, etiam in aliis cauſis ita judicaſſe.

Secunda aſſecuratorum ratio nihil magis valuit, nam qui dicit *Spaanſche Weſtindien*, intelligit Americam, cujus maxima pars ad Hiſpanos pertinet, inſula autem Jamaica ſita eſt in media America. Pactum quoque, navim adpellere poſſe *ad omnes inſulas*, ſine ulla diſtinctione, ad Anglos, an ad alios pertinerent. Ajebat quidem turba XI. Mercatorum Amſterdammenſium, aſſecuratione facta *op de Spaanſche Weſtindien* Hollandis integrum non eſſe ad Jamaicam adpellere, & ibi commercia ſua exercere; quod eſt veriſſimum,

(1) *Obſervat. Tumult. T.* VI. *n.* 1290.

mum, ſed non alia ratione, quam quod Angli ſuis ſolis permittunt, aliis omnibus Nationibus interdicunt commercia in ea Inſula exercere, at vero navis, de qua agebatur, ibi commercia non exercuerat, multo minus eo nomine publicata erat. Quin alia turba Mercatorum nautarumque teſtabatur, navigatione ex Hollandia inſtituta *op de Spaanſche Weſtindien*, ſolemne eſſe, ut navis ſemel iterumque ad Jamaicam applicet ad cibaria ibi comparanda, nec propterea iter mutatum intelligi. Sane, ſi vel mutatum iter eſſet, nihil obeſt, ſi ex neceſſitate mutetur §. 7. *A.* & quæ major neceſſitas, quam ſi navis egeat cibariis vel inſtrumentis nauticis? in hunc enim finem ad Jamaicam adpulerat. Ne repetam, quod ſupra ex eodem §. 7. aliquoties obſervavi, etiamſi iter mutatum eſſet, abſque ullo tamen aſſecurati mandato, quod hic ne prætexebatur quidem, aſſecurationem tamen valere, ſalva aſſecuratori actione contra navarchum. Atque ita Senatus, compenſatis tamen omnium judiciorum antea actorum, expenſis, Curiæ ſententiam probavit 19. Mart. 1717. (2).

CAPUT VII.

Navium merciumque, quæ tempore factæ aſſecurationis jam profectæ ſunt, vel jam perierunt, quando aſſecuratio valeat, & quando non item. Illuſtris ſpecies, de eo judicata apud utramque Curiam. Alia ſpecies, in qua aſſecurator tribus rationibus oppugnabat aſſecurationem, & diverſæ de ea ſententiæ, & quæ tandem obtinuerit. Diſcutiuntur illæ rationes, & an ea, quæ ob mutatum iter aſſecurationem reſciderit, ſatis fuerit idonea.

Ex §. 6. *A.* omnis aſſecuratio nulla eſt, quæ fit poſt tres menſes, vel, ſi vel longiſſime diſtent loca, ad ſummum poſt ſex menſes, poſtquam jam navis ex aliquo portu ſolvit, niſi aſſecuratus aſſecuratorem de eo fecerit certiorem, & aſſecuratio facta fuerit *in omnem eventum*, *op goede en quade tyding*. Quod ita interpretati ſunt Amſterdammenſes Statuto 29. Jan. 1688. (1) ut ſi res navesque jam profectæ ſint, aſſecuratus id teneatur exprimere inſtrumento aſſecurationis, & ſimul addere tempus, quo profectæ ſunt, ſin autem ignoret, etiam id teneatur exprimere, *op pœne van nulliteit*. Hæc de profectione, ſed quid ſi res navesque tempore factæ aſſecurationis jam perierint? Ejusmodi aſſecurationes ſimpliciter improbari videntur in §. 4. & 5. *in fin.* LL. *Naut.* T. VII. & ſane nullas eſſe, non inepte dixeris, niſi aliqua lex ſit, quæ eas ſuſtineat, nam ſi jam perierint, pro nulla re fidem interpoſitam eventus docuit. Sed ex lege id deinde diſtinctionem recepit, ſi enim aſſecuratus rerum interitum ignoraverit, recte fit aſſecuratio §. 11. *Ed. P.* §. 20. *A.* §. 20. *M.* §. 8. & 9. *R. V.* & §. 35. 40. *R. N.* Præſumitur autem ignorare, ſi res ibi perierint, unde id, etiamſi nuncius ſingulis duabus horis, tria milliaria perficeret, necdum tamen ſciri poſſet *d.* §. 11. *Ed. P.* §. 21. *A.* §. 23. *M.* §. 9. *R. V.* & §. 35. *R. N.* quod ſi ſciri poſſet, adeo ſcire præſumitur, ut neque in contrarium probatio admittatur. §. 21. *A.* & §. 23. *M.* niſi tamen aſſecuratio concepta ſit, *in omnem eventum, op goede en quade tyding*, quo caſu aſſecurator, qui ſcientiam aſſecurati non probaverit, omnino tenetur, ſi aſſecuratus ſe ignoraſſe jurare paratus ſit §. 21. *A.* §. 23. *M.* §. 9. *R. V.* & §. 36. & 37. *R. N.* addit *d.* §. 9. *R. V.* 38. 39. & 40. *R. N.* ſi aſſecurator aſſecuratum tempore fidejuſſionis damnum ſciviſſe probaverit, aſſecuratum in duplum præmii, id quod intereſt, & falſi damnandum.

His ita præmiſſis applicemus hanc ſpeciem. Titius Anglus per Mævium Hollandum Amſterdami aſſecurari fecit navim mercesque ab urbe Suratta ad usque Londinum, ſoluto præmio *van* 14. *pro Cto.* Deinde aſſecuratus inſtrumento aſſecurationis hæc verba inſeruit: *volgens rapport met de laaſt aangekomen Schepen lag het voorſchr. Schip nog te Suratte, voorts weet de geaſſureerde van geen vertrek, dus op alle goede en quade tyding.* Hæc aſſecuratio facta erat 31. Dec. 1711. poſtquam navis a portu Surrattenſi jam ſolviſſet 9. Febr. 1711. & a Francis jam capta eſſet 3. Apr. 1711. atque adeo facta erat & poſt ſex menſes a profectione navis, & tamdiu poſt captam navim, ut aſſecuratus ſecundum regulam, quam propoſui, de ea occupatione certior eſſe factus potuerit. Sed ajebat aſſecuratus, ex verbis, quæ exhibui, conſtare, aſſecurationem eſſe factam *op alle goede en quade tyding*, & ſic fidem ſuam eſſe liberatam, petebat igitur 8000. florenos, pro qua ſumma fidejuſſum erat. Quum aſſecuratores ſolutionem detrectarent, partes compromittunt in arbitros, in Judices nempe Delegatos, qui Amſterdami de aſſecurationibus jus dicunt. Hi 12. Sept. 1713. Anglo adjudicant 1200. florenos, id eſt, 15. *pro Cto. van de getekende ſomme.* Anglus ab hoc Laudo provocat ad Curiam, ſed hæc Laudum ſimpliciter probavit 12. Jul. 1715. Appellatum eſt ad Senatum. Et quidem nobis, quamvis diligenter quærentibus, conſtare non potuit, qua ratione arbitri Amſterdammenſes & Curia Anglo adjudicaverint 15. *pro Cto.*, ſi enim ideo, quod nulla eſſet aſſecuratio, atque ita reſtituendum eſſet præmium, jam ſolutum, id ex ſtipulatione duntaxat erat 14. *pro Cto.* a quo aſſecuratoribus adhuc detrahere licebat ½ *pro Cto. voor hare ſignature*, ut certi juris eſt, atque ideo, ut Senatui videbatur, ſi reſcindenda eſſet aſſecuratio, non alia ſupererat actio, quam ad 13 ½ *pro Cto.* Sed quia propoſita non erant *gravamina*, quæ ſolent appellare *a minima*, nihil id pertinebat ad controverſiam appellationis. Quare de re ipſa omnis quæſtio fuit.

Aſſecuratorum defenſio erat, ſignificaſſe aſſecuratum, & contractu quoque expreſſum eſſe, navim, ut proxime nunciatum erat, Surattæ adhuc hærere, &, niſi id ſignificatum eſſet, ſe omnino non fuiſſe fidejuſſuros, quia naves ex eo portu non poſſunt ſolvere niſi menſibus Novembri, Decembri, Januario & Februario, quibus ſolis ſpirant venti, ad profectionem apti, *de goede Mouſon* vocant. Sin autem navis, de qua

(2) *Obſervat. Tumult. Tom.* VI. *n.* 1332.

(1) *Poſt Leges A. de Aſſecurationibus.*

qua agebatur, ex eo portu jam ſolviſſet menſe Februario anni 1711. & nondum appuliſſet Londinum 31. Dec. 1711. tempore factæ aſſecurationis, ſe non fuiſſe dubitaturos, quin navis periſſet vel capta eſſet, ſciviſſe autem aſſecuratum, contra, quam in inſtrumento aſſecurationis teſtabatur, navim ex eo portu jam ſolviſſe, nec ignoraſſe, quod nemo ignorat, poſt finitum Februarium, ſolvere non potuiſſe. Illam ſcientiam probabant aſſecuratores ex ipſa epiſtula, qua Anglus 29. Nov. 1711. aſſecurationem curari juſſerat, in ea enim ad Hollandum ſcripſerat, *dat het ſchip moet komen van Suratte, en hier geweeſt zyn met de laatſte ſchepen, dog*, inquiebat, *is zyn paſſage gemiſt, zoo wy beſluiten, dog wert verwagt met de naaſte ſchepen van daar.* Ex his verbis efficiebant aſſecuratores, & fere omnes Senatores, aſſecuratum, tempore factæ aſſecurationis, profectionis fuiſſe conſcium, quid enim aliud eſt, *dat het ſchip met de laatſte ſchepen hier geweeſt moet zyn, dog dat hy beſloot, dat het zyn paſſage gemiſt was*? querebantur igitur aſſecuratores, ſe fraude mala eſſe deceptos, & hanc fraudem tantopere increpare §. 31. *A.* ut non modo nihil actum ſit, ſed & decipientes ad id, quod intereſt, & pœnam corporalem teneantur. Unus tamen apud nos Senator, non infimæ dignationis, ita conciliabat utramque ſcripturam: *Het ſchip lag volgens de laatſte rapporten te Suratte, voorts weet de geaſſureerde van geen vertrek*, hoc eſt, ut explicabat epiſtulam, *het ſchip is te Suratte blyven overleggen, om dat het met de laatſte Mouſon niet gereet kon zyn, en is daaron zyn paſſage gemiſt, anders zoude het met de laatſte Schepen al hier zyn geweeſt*, & ideo ſic explicabat, quia, ut ipſi quidem videbatur, aſſecuratus de ipſa profectione navis nihil quicquam ſcire poterat, teſtabantur enim nautæ captæ navis, *dat zy de laatſte waren vertrokken van het Saiſoen of Mouſon van den jare* 1711. Sed illi profecti erant 9. Febr. 1711. nec ſcire poterant, an non alia navis ex eo portu ſolviſſet menſe Februario poſt diem nonum. Et, quicquid ejus rei ſit, verba epiſtulæ, ut ſe lectoribus offerunt, nemo aliter intellexerit, quam de profecta jam nave, & alia, quam dixi, interpretatio ſubtilior eſt, quam verior. Sane ſi hæc ipſa, quæ retuli, epiſtulæ verba inſerta fuiſſent inſtrumento aſſecurationis, ut fieri debebat, ſi Anglus ejusque mandatarius Hollandus bona fide egiſſent, nemo aſſecuratorum, ut mihi quidem ſedet, pro tam modico periculi pretio fidem ſuam obligaſſet. Quare probata fuit arbitrorum & Curiæ ſententia 3. Jul. 1717. (2). Etiam alia nonnulla, ut fit, in hac lite adferebant aſſecuratores, ſed hæc omnia, reſciſſa aſſecuratione, ceſſabant, neque adeo, ut referam, operæ pretium eſſe puto.

Titius Amſterdami aſſecuravit merces Mævii ab Urbe Corcavia (*Cork*) in Hibernia & omni circumjacenti territorio ad usque Rotterdamum vel Brugas, hoc addito navim, 1. Dec. 1696. adhuc hæſiſſe Corcaviæ, & aſſecurationem fieri in omnem eventum, *op alle goede en quade tyding.* Navis illa 16. Decemb. 1696. Corcavia ad Kinſaliam, quæ Urbs quoque eſt in Hibernia, & inde ad Milfort, Pleimouth & Portsmouth, quæ Urbes ſunt in Anglia, & inde rurſus iter ſuum proſequens a Francis capitur, & deinde publicatur. Omnes reliqui aſſecuratores, excepto Titio, damnum ſolvunt. Mævius Titium reluctantem Amſterdami in jus vocat ad Delegatos, qui de cauſis aſſecurationum cognoſcunt, & hi Titium abſolvunt 21. Jun. 1701. abſolvunt & Scabini Amſterdammenſes 20. Maj. 1702. ſed Curia Hollandiæ, ex appellatione, 4. Dec. 1708. utramque ſententiam reſcidit, & Titium, ut ſolveret, damnavit, additis expenſis non tantum judicii, apud Curiam acti, ſed omnium aliorum, quæ præceſſerant. Senatus 23. Jul. 1717. (3) rurſus Curiæ ſententiam reſcidit, & Amſterdammenſium probavit, compenſatis ubique expenſis. Videamus. Tres rationes adferebat Titius, quibus aſſecurationem oppugnabat. Prima erat, quod navis, tempore factæ aſſecurationis, jam ſolviſſet e portu Corcaviæ, neque tamen id inſtrumento aſſecurationis fuiſſet inſertum, vel ſignificatum, id ignorari, ut debebat ex Statuto Amſterdammenſium 29. Jan. 1688. de quo proxime dixi. Sed hæc ratio plerosque Senatores non movit, quum id Statutum intelligerent de ea ſpecie, qua aſſecuratus de profectione certus eſt, de tempore profectionis incertus, in hac autem ſpecie aſſecuratus nec profectionem ſciebat, nec per rerum naturam ſcire poterat, expreſſit igitur, quod ſciebat, navim ſcilicet 1. Dec. 1696. adhuc Corcaviæ jacuiſſe, *en voorts op alle goede en quade tyding.* Secunda Titii ratio erat, quod merces, de quibus agebatur, ad Mævium non pertinuerunt, ſed ad fratrem ejus, cum ab initio, tum etiam ex ceſſione, poſtea facta, & in hanc cauſam multa utrimque disputabantur, ſed fere indigna, quæ memorem, adeo hæc res tricarum plena erat. Erant tamen Senatores, qui vel ob hanc cauſam pro Titio reſpondebant, ego vero minime, quia, ne quid aliud dicam, frater Mævii 25. Nov. 1702. ſi & quatenus neceſſarium videretur, Mævio mandaverat, ut hanc litem contra Titium ageret. Sed objiciebatur, Mævium contra Titium litem non fuiſſe conteſtatum nomine fratris, at nomine proprio, & ſic erat, ſed non aliam ob cauſam Mævius hoc mandatum acceperat, quam ex abundanti cautela, ut hanc Titii exceptionem eliderct, nam lite mandata Mævio, ejus frater utique, lite finita, contra Titium fruſtra egiſſet, & ſic res ſalva erat, ſive Mævius ſive frater ejus, mercium aſſecuratarum fuiſſet dominus, aſſecuratio enim facta erat Mævio, ſive ei, ad quem ea res pertineret. Tertia Titii ratio erat, quod iter fuiſſet mutatum, navigatum quippe eſſe ad omnia ea loca, quæ ſupra retuli, & in inſtrumento aſſecurationis expreſſa non erant, mutato autem itinere nullam eſſe aſſecurationem ex §. 7. *LL. A.* & ea in primis ratio plerosque Senatores movit, ut pro Titio reſponderent. Sed tamen non deërat, quod pro Mævio dici poterat, nam, ſi Milfort excipias, omnia alia loca erant media inter locum, a quo, & locum, ad quem deſtinatum iter erat, & ſi, ut in hac ſpecie, cautum ſit, ut Navarchus ad omnia loca poſſit appellere, loca intermedia adire licet ſine metu mutati itineris, ut latius ſupra expoſui *C.* III. & IV. Milfort quidem non erat juxta iter, ſed nonnihil ab eo remotum, neque etiam conſtabat de neceſſitate ad eam Urbem appellendi, alioquin, ſi neceſſitas urgeat, ad omnia loca appellere & curſum mutare licet §. 7. *A.* at vero eo ipſo §. 7. cautum eſt, valere aſſecurationem, ſi absque mandato aſſecurati iter mutaverit Navarchus, ſalva aſſecuratori actione adverſus ipſum Navarchum, ut & id plenius expo-

(2) *Obſervat. Tumult. Tom.* VI. *n.* 1357.

(3) *Obſervat. Tumult. Tom.* VI. *n.* 1363.

poſui ſupra *C.* IV. & V. De hoc mandato appellendi ad Milfort, quin & ad alia loca, quæ dixi, nihil quicquam conſtabat, & tamen aſſecuratoris erat id mandatum probare. Imo vero, inquiebant alii Senatores, conſtabat ex chirographo Navarchi, *uyt het Cognoſcement*, eum quoque iter deſtinaſſe Londinum, ſed dubitabatur, an illud chirographum ſatis id mandatum probaret, &, ſi probaret, nihil tunc conſtaret niſi de mandato appellendi Londinum, quo nunquam appulerat navis, non de mandato appellendi ad Milfort, de quo tamen quærebatur, & de hoc appulſu ad Milfort non niſi unus teſtis teſtabatur, ut ne id quidem fuerit probatum. Vicit tamen, ut ſolet, vis major.

CAPUT VIII.

Rurſus depulſæ aliquot aſſecuratorum defenſiones ex variis cauſis, & cum maxime ex mutato itinere. Quemadmodum intelligendus ſit §. 1. Statuti Amſterd. 23. Jan. 1699. *Bonam fidem in aſſecurato præſumendam, donec contrarium probetur. Mandantem & mandatarium, quod ad ſcientiam vel ignorantiam, in aſſecurationibus haberi pro una eademque perſona ex* §. 2. d. Statut. & *Senatus Supremi ſententia in eam rem.*

Titius, qui in Suecia habitabat, mandat Mercatori Amſterdammenſi, ut navim mercesque ſuas, quæ ex Suecia navigarent ad fretum Sundicum, faceret aſſecurari ex eo freto, ſive ab Elſingoburgo ad uſque Amſterdamum, ſed duntaxat pro periculo maris, & addit, *dan het ſchip het Convoy, dat in de Sond lag, nog wel zoude vinden, en daar mede vertrekken, dan indien het Convoy naar Noorwegen gedeſtineert was, dat het ſchip dan regt door moeſt ſeilen. Dat het ſchip uyt de Sond nog niet was vertrokken, en voorts op alle goede en quade tyding.* Secundum hæc facta eſt aſſecuratio, & ejus inſtrumento præterea inſertum, ut vulgo inſeri ſolet, aſſecurationem quoque fieri contra culpam navarchi. Cum navis appuliſſet in fretum Sundicum, inde cum nave tutelari deflectit ad Norwegiam, & ibi periit. Aſſecuratores apud Judices ad cauſas aſſecurationum, qui Amſterdami ſunt, ad reſarciendum damnum conventi, abſolvuntur 13. Apr. 1702. quam ſententiam Scabini Amſterdammenſes probarunt 3. Nov. 1703. ſed improbavit Curia, damnatis aſſecuratoribus 10. Oct. 1708. Appellatum eſt ad Senatum. Aſſecuratores, ut fit, non una defenſione utebantur. Primum ajebant, navim, tempore factæ aſſecurationis, jam ſolviſſe e portu Suecico, idque ſibi ſignificatum non fuiſſe, quare nec aſſecurationem ſubſiſtere ex Statuto Amſterdammenſi 29. Jan. 1688. Sed nihil hoc Statutum ad rem præſentem, quia periculum non manebat aſſecuratores a portu Suecico, ſed ab Elſingoburgo, eoque navis, tempore aſſecurationis, nondum pervenerat, certe inde non ſolverat, ut expreſſe ſignificatum erat. Deinde ajebant aſſecuratores, navim navigaſſe cum nave tutelari, &, ut hanc obtineret, aliquot dies hæſiſſe in freto Sundico, potuiſſe, vento tunc ſecundo, citius navigare, & ſic forte periculum maris ſuperare. Sed nec illa defenſio aſſecuratoribus profuit. Titius quidem periculum, quod ab hoſtibus imminebat, in ſe receperat, ſed non erant pacti aſſecuratores, ut navis quantocyus, & ſine tuitione navigaret, & ſimulac ventus faveret, e freto Sundico ſolveret, potuit igitur navis, ut a periculo, quod Titius receperat, tutior eſſet, etiam cum tuitione navigare, & aliquantiſper in eam cauſam morari, modo non ad Norwegiam navigaret.

Sed quod maxime urgebant aſſecuratores, erat cauſa mutati itineris, nam, ut dixi, navis Titii Norwegiam verſus navigaverat, & ibi perierat, nec, quicquid contradiceret Titius, negari poterat, iter fuiſſe mutatum, ut ſub tutela navis præſidiariæ navigaret, & inde efficiebant aſſecuratores, ſe non teneri ex §. 7. *A.* Sed plurimi Senatores exiſtimabant, quamvis mutatum fuisſet iter, nihilominus aſſecuratores teneri, quia ait *d.* §. 7. aſſecurationem ſubſiſtere, ſi Magiſter ſine mandato iter mutet, ſalva aſſecuratori actione adverſus ipſum Magiſtrum; hic autem non tantum non conſtare de mandato mutandi itineris, ſed contra potius, nam Titium, quum aſſecurationem fieri mandaret, palam ſcripſiſſe, *indien het Convoy naar Noorwegen gedeſtineert was, dat het ſchip dan regt door moeſt ſeilen.* Supra etiam aliquotiens obſervavi, ad finem quoque *præcedentis Cap.* mutatum iter aſſecuratoribus non prodeſſe, ſi Magiſter proprio Marte, & abſque aſſecurati mandato iter mutaverit. Contra hæc tamen quidam Senatores nunc inſurgebant, rati in *d.* §. 7. non agi, ut hic agitur, de exercitoribus ipſius navis, eorum enim eſſe Magiſtrum idoneum navi præponere, ſin autem, ex ejus facto hos ipſos teneri *l.* 1. §. 2. *ff. de Exercit. act.* Sed agi de illis ſolis, qui merces ſuas aliorum navibus imponunt, *van bevragters*, & inde eſſe, quod ait *d.* §. 7. *vermag de geaſſureerde den Schipper*, DIE HY BEVRAGT, *geen andere haven doen ingaan of aannemen* &c. Sed longe plurimi Senatores illum §. vel maxime intelligebant de ipſis exercitoribus, quia rotunde loquitur de iis, quorum eſt Navarchis navigaturis mandata dare, nam ex mandato ibi jus naſcitur; mandata autem ſoli dant exercitores, non illi, qui ſolas merces navibus imponunt. Et illi ipſi Senatores exiſtimabant, illa verba, *die hy bevragt*, ideo appoſita videri, quia exercitor, ſi ipſe nihil mercium navi ſuæ impoſuerit, mutationem itineris mandare non eſt præſumendus, cui enim bono ipſe iter trahat? ſed propter merces impoſitas, & alibi locorum vendendas, poterat trahere, & ideo mandare mutationem itineris. Exercitor quidem magiſtrum præponit, & ex ejus facto ipſe tenetur Jure Romano, ſed per leges, quibus nunc utimur, & quas ſupra recitavi *C.* IV. *vſ. Pericula*, exercitoribus quidem contra dolum Navarchi aſſecurare non licet, ſed contra culpam licet, quemadmodum & in hac ſpecie, ut dixi, contra culpam navarchi aſſecuratum erat. Nihil hic peccaverat navarchus, niſi ſola culpa, nam unice mutaverat iter, ut perpetuo ſub tuitione navigaret, parum idcirco deflectens a recto itinere, quo ſic tuto & ſine metu hoſtium Amſterdamum adpelleret.

Titius putabat, ſi hæ rationes non ſufficerent, etiam alia ratione aſſecuratores eſſe damnandos, quod nempe agnoviſſent damnum, tanquam damnum ſuum, atque ideo ſibi mandaſſent, ut res naufragas colligeret, venderet, & de ſumptibus, in eas ſervandas factis, tranſigeret, ne quidem con-

contra hæc petita reſtitutione in integrum. Sed quia conſtabat, aſſecuratores id mandaſſe, ſalvo jure, quod habebant, & plane tunc fuiſſe ignaros conditionis cum navis, tum damni, quin vel ignaros fuiſſe ipſius loci, ubi navis perierat, ea ratione nemo Senatorum motus eſt, ſed reliquæ ſufficere viſæ ſunt ad probandam Curiæ ſententiam, ut probata eſt 30. Sept. 1717. (1) ita tamen, ut quantitatem damni, quam definiverat Curia, non definiverit Senatus, aſſecuratores enim, nihil ſe debere rati, ad quantitatem, libello expreſſam, nihil quicquam reſponderant, unde placuit, de quantitate tranſactionem tentare, &, ſi hæc non ſuccederet, excutere, an & quæ aſſecuratorum defenſio eſſet. Præterea Senatus aſſecuratores damnavit in uſuras trientes a lite apud Amſterdammenſes mota, nam ad has Titius novo libello apud Senatum contenderat, venia in hanc rem impetrata.

Fere omiſeram, fuiſſe Senatorem, qui alia & ſingulari ſententia hic uſus fuit. Exiſtimabat ſcilicet ex §. 3. *A.* juncto §. 1. Statuti Amſterdammenſis 23. Jan. 1699. hanc aſſecurationem fuiſſe nullam, quia non erat expreſſus locus impoſitarum mercium, quod neceſſe eſt ex *d.* §. 1. ubi periculum incipit ex alio loco, quam ubi merces impoſitæ ſunt. Sed ne dicam, id Statutum ceſſare, ut ibi additur, in navibus aſſecuratis (nam & hic aſſecurata erat navis) ei utique, in hac ſpecie, ne quidem locus erat in mercibus aſſecuratis, palam enim expreſſus erat locus impoſiti oneris, nempe *Carelscroon.* Valde etiam dubitem, an ille §. 1. aliter obtineat, quam ſi aſſecuratio fiat poſt profectam navem, ad evitandas fraudes, quæ tunc poſſunt incidere, hic autem facta erat ante profectam navem ex freto Sundico, ex quo cum navis, tum oneris periculum ad aſſecuratores pertinebat, ſimul ſcilicet ex uno eodemque loco, non ex diverſo, & in qua ſpecie nulla fraudis ſuſpicio argui poterat.

Succedat alia cauſa. Mævius Rotterdammenſis mandat aſſecurationem Sempronio Amſterdammenſi. Sempronius eam curat 5. Maj. 1702. *van Amſterdam naar de Canariſche Eylanden, en wederom*, hoc addito, *dat het ſchip op den* 30. *Dec.* 1701. *uyt een haven van Engeland was vertrokken, en dat de geaſſureerde daar van geen ander advis had*, & porro, *dat de Aſſurantie geſchiede op alle goede en quade tyding.* Navis illa, incertum quando, periit, negat tamen aſſecurator ſe ad damnum reſarciendum teneri, cum ob alias rationes, quas, ut frivolas, tranſeo, tum quod mala fide inſertum eſſet aſſecurationis inſtrumento, *dat de geaſſureerde geen ander advis van het ſchip had*, quia Sempronius, qui aſſecurationem curaverat, eo tempore, quo contrahebatur, jam acceperat epiſtolam, cum Mævio Rotterdammenſi communicatam, qua ſignificabatur, *dat het ſchip op den* 3. *Maart* 1702. *op Teneriffe, eene van de Canariſche Eylanden, n g manqueerde*, quod celaverat aſſecuratorem, & ſic verſatus in mala fide, quæ, præter alia, aſſecurationem reſcindit ex §. 31. *A.* Amſterdami quippe hic contractus fuerat celebratus, & ea ratione, eaque, ut videbatur, ſola, etiam Delegati Amſterdammenſes 14. Sept. 1703. Scabini 6. Mart. 1705. & Curia 26. Nov. 1710. ſecundum aſſecuratorem ſententiam dixerunt. Quum cauſa, ex appellatione, apud Senatum Supremum penderet, Mævius Rotterdammenſis ibi obtulit jusjurandum, ſe nempe, quum mandaret aſſecurationem, quumque Amſterdami contraheretur 5. Maj. 1702. nondum accepiſſe illam epiſtolam, ſcriptam 3. Mart. 1702. adeoque recte dictum eſſe in inſtrumento aſſecurationis, *dat 'er van het ſchip geen ander advis was als van den* 30. *Dec.* 1701.

Sane aſſecuratoris erat probare, aliam tunc fuiſſe aſſecurati ſcientiam, quia aſſecuratum erat in omnem eventum, *op alle goede en quade tyding*, argumento ejus juris, quod exſtat in §. 20. & 21. *A.* cæteroquin videtur ſufficere jusjurandum contrarium aſſecurati *d.* §. 21. *in fin.* utque ita tota hæc lis fuerit facti. Duo Senatores, qui apud nos primum ſententiam dicebant, putabant quoque, aſſecuratorem probaſſe aliam aſſecurati ſcientiam, moti tamen leviſſimis conjecturis & ſuſpicionibus, quas hinc inde colligebant, ſed alii omnes exiſtimabant, non tantum aliam ſcientiam non probaſſe aſſecuratorem, at vero, ſepoſito pauliſper jurejurando, ipſum aſſecuratum variis teſtimoniis contrarium, atque ita ipſam, quam vocant, *negativam* probaſſe. Nolim minutias factorum recenſere, nam ea res tædii & longioris operæ eſſet plena. Sed tamen, quia, quod ad ſcientiam, in cauſa aſſecurationis mandatarius & mandans habentur pro una eademque perſona, ſic ut ſufficiat, etiam mandatarium ſciviſſe id, de quo quæritur ex §. 2. Statuti Amſterdammenſis 23. Jan. 1699. Placuit, etiam Sempronium Amſterdammenſem teneri ad præſtandum jusjurandum, quod obtulerat Mævius Rotterdammenſis, & ſi ita uterque juraret, diſſipatum videri, quicquid erat leviſſimarum ſuſpicionum, atque ita tres, quas dixi, ſententias reſcindendas, & ſecundum aſſecuratum eſſe pronunciandum, ſin autem uterque, vel alteruter jusjurandum ſubterfugeret, tres ſententias eſſe confirmandas, & ſic judicatum eſt 6. Octob. 1717. (2).

CAPUT IX.

De mutato vel non mutato itinere variæ inſpectiones, & contrariæ de his Amſterdammenſium & utriusque Curiæ ſententiæ. Nonnulla de Uſuris.

Sempronius Amſterdami curavit aſſecurari merces ſuas Riga Londinum verſus, ea lege, ut navis ſub tuitione navigaret ex mari Balthico Londinum. Cum navis perveniſſet ad anguſtias maris Balthici, pergit navigare ad Gottenburgum, ubi naves erant tutelares, quæ Anglicas naves Londinum ducerent. Prope veſperam autem ejuſdem diei, quo navis ex mari Balthico enavigarat, & fere ad portum Gottenburgicum pervenerat, gravi tempeſtate jactata, eum portum ſubire non poterat, ſed prætervehitur, & in Norwegiam appulit. Navarchus ibi exſpectat præternavigantem Claſſem Hollandicam cum tuitione ſua, & huic ſe jungens proficiſcitur in Hollandiam, ſubiturus Stationem Texelenſem, ut inde Londinum pergeret, ſed navis, in illa Statione in anchoris ſtans, ab alia nave obruta, periit. Aſſecuratus apud Judices aſſecurationum Am-

(1) *Obſervat. Tumult. T.* VI. *n.* 1374.

(2) *Obſerv. Tumult. T.* VI. *n.* 1375.

Amſterdammenſes petit reparationem damni, ſed repulſam tulit 12. Oct. 1706. ut & apud Scabinos 23. Mart. 1708. Curia vero, ad quam appellaverat, damnatis aſſecuratoribus, ſecundum aſſecuratum ſententiam dixit 29. Jul. 1712. Poſtquam aſſecuratores rurſus ad Senatum Supremum provocaſſent, aſſecuratus, moram litis metuens, impetrata in hanc rem venia, novo libello etiam petiit uſuras aſſecuratæ ſummæ poſt tres menſes, ex quibus merces ſuas habuerat pro derelictis.

Quæſitum igitur eſt primum de re ipſa, deinde de uſuris. Nihil dicam de variis rationibus, ab utraque parte adlatis, quæ Senatum nihil quicquam moverunt, quemadmodum, exempli gratia, aſſecuratores quibuſdam ex ſuis mandaſſe, ut cum aſſecurato de damno, ſi poſſent, vellent tranſigere, fruſtra enim eo argumento utebatur aſſecuratus, quia, ut & in aliis cauſis obſervavi, illa mandata ſemper præviam cauſæ cognitionem deſiderant, atque ita ſemper dantur, ſalvo cujuſquam jure. Aſſecuratores autem, poſt cauſæ cognitionem, putabant ſe habere rationes, quibus aſſecuratum repellerent. Prima erât, navim ſolviſſe ex mari Balthico ſine navi tutelari, contra quam convenerat, nullam igitur eſſe aſſecurationem, non ſervata ejus lege. Sed eam defenſionem Senatus non probavit, quia conſtabat ex variis teſtimoniis Mercatorum, & ex uſu ſubſecuto, perinde tunc fuiſſe, ſive dixeris, *uyt de Sond met Convoy*, ſive *uyt Gottenburg met Convoy*, Gottenburgi enim tunc erat ſtatio navium Anglicarum, & ibi quoque erant naves tutelares, navarchus autem vi majori impeditus erat Gottenburgum adpellere, ventis & undis jactatus in Norwegiam. Hactenus, unanimi omnium Senatorum conſenſu, nihil peccaverat navarchus. Sed vero inde Texeliam navigaverat, mutato ſic itinere, quod ipſum, ſecundum aſſecuratores, aſſecurationem reſcindit. Erant Senatores, qui bona fide dubitabant, an iter mutatum dici queat, ſi navis Londinum deſtinata ſub tuitione, cum ea ſtationem Texelenſem ſubit, rati ex Norwegia eundem fere curſum eſſe ſervandum, & ſi quid intereſſet, inter partes conveniſſe, liceret navi nonnihil divertere a recto itinere, *te mogen eſcaleren*, quin ſi iter mutatum ſit, mutatum eſſe ex cauſa neceſſitatis, convenerat enim, ut navis ſub navi tutelari navigaret, ut navigavit uſque ad Texeliam, ibi, Londinum verſus, exſpectans aliam navim tutelarem, ex neceſſitate autem licitum eſſe mutare iter, rata nihilominus aſſecuratione, ſcriptum eſt in §. 7. *A.* Addebant illi ipſi Senatores, ſi vel ſine neceſſitate mutatum fuiſſet iter, ſubſiſtere tamen aſſecurationem ex *d.* §. 7. ſi non ex aſſecurati mandato, ſed ex culpa nautæ iter mutetur, & nullum hic fuiſſe aſſecurati mandatum, & ſic omnino eſt, ut plenius dixi *Cap. præced. vſ. Sed quod.* Movebant nonnulli, neque hic mutandi itineris ſatis juſtam cauſam fuiſſe, ſed fallebantur, ut ſupra jam indicavi, & ſi non fuiſſet, quid ad aſſecuratum, qui nihil mandavit? Movebant etiam, *d.* §. 7. duntaxat eſſe intelligendum de mandato exercitoris, non ejus, cujus merces portabantur, & ſic ipſe quoque intelligerem, ut expoſui *d. vſ. Sed quod.* At ſcire velim, cur exercitori, ſi magiſter, quem ipſe præpoſuit, ſe inſcio, ita mutaverit, daretur aſſecurationis actio, & ea tamen negaretur ei, cujus merces duntaxat portantur? Ne dicam, plena fide hic etiam conſtitiſſe, eum, cujus merces portabantur, exercitorem quoque fuiſſe ipſius navis. Id ſatis concoquere non poteram, fuiſſe Senatorem, qui *d.* §. 7. intelligebat de mutato, nautæ culpa, itinere, &, cum nullam ejus culpam hic deprehenderet, nihilominus contra aſſecurationem reſpondebat. Si peccatum eſſet, & culpa nautæ verſaretur, contra eum, eumque ſolum ſalva actio eſt ex *d.* §. 7. obligatis interea aſſecuratoribus. Quinque Senatores numerabantur pro ſententia Curiæ, quatuor alii pro ſententiis Amſterdammenſium. Quum obtinuiſſet Curiæ ſententia, de uſuris fere deliberatum non eſt, nam aſſecuratorum moram definit §. 25. *A.* poſt tres menſes, poſtquam naves merceſque pro derelictis ſunt habitæ, & ſic etiam uſuras addixit Senatus, ut ſæpe alias, ſæpe tamen & a lite mota, cum ita petitæ fuisſent. Perperam, quia in hoc argumento Lex moram definivit. Ita autem, ut dixi, judicatum eſt 30. Jun. 1719. (1)

Addo cauſam, priori non abſimilem. Amſterdami 28. Aug. 1703. facta eſt aſſecuratio mercium in hæc verba: *van Bremen naar Londen; met Hollandſch Convoy te vertrekken naar d' Elve of deſe Landen, en van daar met Engelſch of Hollandſch verandering van Convoy per Londen.* Navis ſub navi tutelari Hollandica navigat Brema, ſive e flumine Viſurgi Albim verſus, inde ſub eadem navi tutelari Texeliam verſus, & rurſus inde ſub alia navi tutelari Londinum verſus, ſed, Londinum navigans, & vi majore divulſa a navi tutelari, capitur a Prædatoria Gallica. Aſſecurator detrectat damnum reſarcire, quia ex lege aſſecurationis, licebat quidem deflectere ad Albim, ſed inde recta navigandum erat Londinum, licuiſſe etiam a Viſurgi navigare in Hollandiam, & ſic Londinum, ſed non licuiſſe primum deſtinare ad Albim, deinde in Hollandiam, & tunc Londinum, ut nunc deſtinatum & navigatum erat, ſic mutari & augeri iter, & aucto itinere augeri periculum, & aſſecuratorem liberari, quemadmodum etiam Amſterdami Judices Delegati asſecuratorem abſolverunt 10. Febr. 1706. & ex appellatione Scabini 12. Nov. 1707. Sed Curia, ad quam iterum provocatum erat, utramque ſententiam reſcidit 6. Oct. 1710. atque ita ſecundum aſſecuratum, qui merces ſuas navi impoſuerat, jus dixit, adjudicatis etiam uſuris a lite mota.

Aſſecurator rurſus provocat ad Senatum Supremum, & ibi primo quæſitum, an iter eſſet mutatum, deinde, ſi mutatum, an id aſſecuratori prodeſſet. Mutatum eſſe iter dicendum videbatur, ſi verba aſſecurationis ſpectes, non autem, ſi mentem contrahentium: nam ecce aſſecuratus ajebat, & tantum non plene probabat, Albis mentionem non alio fine eſſe injectam, quam quod naves tutelares Hollandicæ, e Viſurgi ſolventes, ſi ventus faveat, ſoleant quidem recta Hollandiam petere, ſed ſi minus faveat, ſemper ad Albim divertere, & inde in Hollandiam navigare. Aſſecurati eam fuiſſe mentem palam conſtabat ex epiſtula, qua aſſecurationem fieri juſſerat, ſed non aliam quoque aſſecuratoris fuiſſe, inde conſtare poterat, quod navigatio ad Albim, niſi ex recepta illa conſuetudine, plane fuiſſet inutilis, neque enim merces erant exportandæ, ut nec ullæ fuerant exportatæ, at vento minus ſecundo, cum e Viſurgi ſolveret navis tutelaris, receptæ conſuetudini paruit, alioquin Albis remotior eſt ab Hollandia, quam Viſurgis. Quare

(1) *Obſerv. Tumult. T.* VII. *n.* 1542.

re verba aſſecurationis accipienda ſunt, atque ſi ita concepta fuiſſent: *Van Bremen of de Weſer na deſe Landen, of van de Weſer naar de Elve, en zoo naar deſe Landen, en voorts met verandering van Convoy naar Londen;* etiam ideo, quod nullæ naves tutelares, ſive Anglicæ ſive Hollandicæ recta ex Albi Londinum tenderent. Sed quid ſi mutatum fuiſſet iter? hic repetendum, quod aliquotiens ſupra inculcavi, ex §. 7. *A.* mutationem itineris aſſecuratori non prodeſſe, ſi ex neceſſitate fiat; hæc autem navis, Viſurgi ſtans in anchoris, a navi tutelari Hollandica non alia itineris indicia (*Sein-brieven*) acceperat, quam a Viſurgi in Hollandiam, & tamen navis tutelaris, ſub cujus præſidio navigare debebat, Viſurgim relinquens, Albim verſus navigare juſſerat, & ea juſſa capeſſere fas erat. Ne dicam, quod etiam aliquotiens inculcavi, aſſecuratorem, mutato itinere, non liberari, niſi aſſecuratus iter mutare juſſerit, quod hic non juſſerat, nec jubere poterat, quia non erat exercitor navis, cujus eſt Magiſtro imperare, ſed mercium dominus duntaxat, qui nullo plane modo tenetur ex facto Magiſtri. Multis igitur nominibus præſtabat Curiæ ſententia, a Senatu etiam probata 6. Dec. 1719. (2)

Sed quia Curia uſuras damni dati addixerat a lite mota, apud Judices ſcilicet aſſecurationum, & quia uſuræ duntaxat erant petitæ in judicio appellationis apud Scabinos, nequidem impetrata in hanc rem venia (*ſonder Requeſt Civil*) unus Senatorum exiſtimabat, has adjudicari non potuiſſe. Sed quia apud Judices aſſecurationum nulla fit litis conteſtatio in ſcriptis, ita ſolet ſervari, ut aſſecuratus, ad Scabinos adpellans, ibi petat uſuras, etiam non implorata in eam rem venia. Nec etiam aſſecurator apud Scabinos Amſterdamenſes exceperat, ſe cogi non poſſe ad hanc libelli partem reſpondere. Simpliciter igitur, ut dixi, probata fuit Curiæ ſententia, & recte, ſi ante litem motam tres menſes, ex quibus merces pro derelictis habuerat aſſecuratus, tunc fuerint elapſi (potuit enim minus petere) ſin autem, ſervanda lex erat, quæ moram definivit.

CAPUT X.

Mercibus aſſecuratis ex Hafnia in Galliam, an, quæ in freto Sundico prope Elſenoram navi ſunt impoſitæ, ſine mentione ejus freti, aſſecuratorum periculo navigent? Rurſus de mercibus, alibi in navem illatis, quam eo loco, ex quo navis profecta erat, & periculum ad aſſecuratorem pertinebat. Si navis usque ad Londinum aſſecurata, antequam ad Oſtium Tameſis perveniſſet, capta & ab hoſtibus redempta fuerit, aſſecuratores ad pretium redemptionis teneri, etiamſi navis Londinum non navigaverit, ſed ulterius deſtinata fuerit.

Aſſecuratores periculo ſuo recipiunt merces *te laden of nog te laden, van Coppenhage en de circumjacentien van dien tot Rouaan in Vrankryk.* Hafniæ mercibus quibuſdam navi impoſitis, navis porro navigat ad fretum Maris Baltici, *de Sond*, ibique prope Elſenoram, alias quaſdam merces recepit. Quum navis, iter ſuum ad Galliam proſequens, periiſſet, aſſecuratus ab aſſecuratoribus, qui Amſterdami, ubi aſſecuratio erat celebrata, habitabant, damnum ſuum reſarciri petit, negant aſſecuratores ſe teneri, quod ad merces nempe, in freto Sundico navi impoſitas, & ſecundum eos judicarunt Delegati ad res nauticas 10. Sept. 1709. & deinde Judices Amſterdamenſes 17. Dec. 1710. ſed utramque ſententiam reſcidit Curia 17. Jan. 1714. & has etiam merces aſſecuratorum periculo eſſe juſſit.

Appellant aſſecuratores ad Senatum Supremum, & negant, has merces ſuo periculo eſſe poſſe, quia ex §. 3. *A.* nulla eſt aſſecuratio, non expreſſo loco, ubi navis merces recepit, nec hic expreſſum eſſe fretum Sundicum ſive urbem Elſenoram. At vero omni opere urgebat aſſecuratus, illud fretum comprehenſum eſſe *onder de circumjacentien van Coppenhage*, eſſe enim ejuſdem Regni Danici, ejuſdem Inſulæ Zelandiæ, & ad idem Inſulæ latus. Sed, ſi verum amamus, inter Hafniam & Elſenoram nimia intercapedo eſt, quam ut altera Urbs dici poſſit eſſe in alterius confinio, aliquot enim milliaria interſunt, & non exigua pars maris Baltici inter utramque Urbem interjacet. *Circumjacentien* ſunt loca proxima, flumina, portus, ſtationes, ſed non loca, tantum ab ſe invicem diſſita. Addebat aſſecuratus, ex §. *ult. Statuti Amſterd.* 23. *Jan.* 1699. conſtare, *dat onder de circumjacentien van een plaatſe de Zeegaten of Havens begrepen zyn*, & ſic eſt, ſed quis auſit dicere, fretum Sundicum ſive urbem Elſenoram eſſe *een Zeegat of Haven van Coppenhage*? Neque ex eo id probaveris, quod omnes naves, Hafnia venientes, & in Galliam tendentes, fretum Sundicum transeant, & ibi vectigal aliquod ſolvant Regi Daniæ, nam id ipſum obtinet in omnibus navibus, in Galliam deſtinatis, quæ proficiſcuntur Regiomontio, Riga, Revalia, & aliis Urbibus ad Mare Balticum. Et tamen magna turba teſtium, tam Hafnienſium, quam Amſterdammenſium Mercatorum uno ore affirmabat, in argumento, quod de aſſecurationibus eſt, fretum Sundicum ſive Elſenoram ſub Hafnia comprehendi, ſed alia, nec minor turba Mercatorum Amſterdammenſium id ipſum uno ore negabat, & rogo, cui turbæ credere æquius melius ſit? plurimi Senatores tranſibant in ſententiam prioris turbæ, & nonnihil etiam tribuebant illis rationibus, quas modo refutavi, atque ita plurimi reſpondebant pro aſſecurato. Duo alii Senatores ea ratione non movebantur, ſed inhærentes verbis *d.* §. 3. *A.* contra aſſecuratum reſpondebant, quia non expreſſerat locum oneris, prope Elſenoram impoſiti, & id ſimpliciter jubere *d.* §. 3. ut fraudibus Mercatorum eatur obviam. Sed rurſus alii, qui nec ipſi movebantur ea ratione, quæ plurimos moverat, pro aſſecurato tamen ſententiam dicebant ex §. 1. *d. Statuti Amſterd.* 23. *Jan.* 1699. qui ait, locum impoſiti oneris tunc demum eſſe exprimendum, ſi merces alio loco imponantur, quam eo, unde periculum incipit, hoc eſt, ut illi interpretabantur, ſi majus periculum maneat aſſecuratores, per impoſitionem mercium, alibi factam, ut ſi, verbi gratia, locus

(2) *Obſerv. Tumult. T.* VII. *n.* 1579.

locus impoſiti oneris longius diſtet a loco, in quo navem ſolvere oportebat, hic autem longius non diſtare, quia navis, Hafnia in Galliam deſtinata, neceſſario fretum illud tranſire & in illo morari debet ob rationem, quam dixi, aſſecuratores igitur majus periculum non manere, non mutato itinere, imo minus, nam inter Hafniam & illud fretum aſſecuratorum periculo non navigaſſe merces, in freto poſtea navi impoſitas. Sed duo illi Senatores etiam ad has rationes ſurdebant, rati, Hafniam & Elſenoram eſſe diverſa loca, & ſic eſt, ſi verba ſpectes, non, ut alii putabant, ſi mentem Statuti, quod, ſecundum eos, unice videtur reſpicere majus vel minus aſſecuratorum periculum. Igitur variatum eſt ſententiis, ſed ita, ut duo duntaxat Senatores contra Curiæ ſententiam reſponderint, alii omnes pro ea ſententia, ſed alia atque alia ratione uſi. Prævaluit Curiæ ſententia 11. Ap. 1720. (1)

Haud diu poſt apud Senatum incidit alia quæſtio de nave, alibi onerata, quam eo loci, unde profecta erat & periculum incipiebat. Aſſecurator Amſterdammenſis in ſe ſuſceperat periculum mercium, *te laden of nog te laden*, *van Staden en alle circumjacentien van dien af naar America en de Spaanſche Weſtindien.* Navis in itinere periit. Aſſecurator, ad damnum reſarciendum interpellatur, negat ſe teneri, variis uſus exceptionibus, ſed quas non recenſeo, quia, una excepta, reliquæ omnes nullius plane erant pretii. Hæc una erat, locum, ubi impoſitæ merces erant, contractu non fuiſſe expreſſum, atque adeo contractum non ſubſiſtere ex §. 3. *A.* juncto §. 1. *Statuti Amſterd.* 23. *Jan.* 1699. Stadenam quidem expreſſam eſſe, ſed merces, de quibus agebatur, navi fuiſſe impoſitas ad *novam molam*, quæ dicitur prope Hamburgum, quod nec aſſecuratus negabat, eum vero locum comprehendi non poſſe *onder de circumjacentien van Staden*; ad minimum enim quinque milliaribus Germanicis ab ea diſtare ad Orientem, majus igitur aſſecuratoris periculum fuiſſe.

Delegati ad res nauticas 18. Dec. 1711. & Scabini Amſterdammenſes 18. Febr. 1713. ſecundum aſſecuratorem pronunciarunt, ſed Curia, reſciſſa rurſus utraque ſententia, ſecundum aſſecuratum 20. Dec. 1715. Senatus Supremus, ex appellatione, paribus ſuffragiis judicavit, quamvis Stadena prope Albim, & Hamburgum ad Albim ſitæ eſſent, ſitas tamen eſſe in diverſis Imperiis, & eo ab ſe invicem intervallo, ut altera Urbs in alterius confinio eſſe dici nequeat, ex §. 1. *Statuti Amſterd.* 23. *Jan.* 1699. non quidem neceſſe eſſe locum impoſiti oneris exprimere, ſi is locus idem ſit cum loco, ex quo periculum incipit, ſed hic loca plane eſſe diverſa, diverſa quidem etiam fuiſſe loca, de quibus dixi in præcedenti cauſa, ſed non majus periculum, & de majori periculo interpretandum videri *d.* §. 1. ſaniorum Senatorum ſententia erat. Sane hic majus fuiſſe periculum, ex duplici cauſa conſtabat, ex longiori nempe itinere, de quo jam dixi, & ex hoſtibus imminentibus, nam anno 1707. quo contracta erat hæc aſſecuratio, Galli & Hiſpani Hamburgenſes naves & merces, jure belli, capiebant, ſed non capiebant Stadenſes, quia Stadena pertinebat ad Regem Sueciæ, amicum Gallorum & Hiſpanorum. Atque ideo aſſecuratus, quamvis ipſe Hamburgenſis, quamvis navis & merces Hamburgenſes, quamvis prope Hamburgum navis onerata, de Hamburgo tacens, ſolam Stadenam expreſſerat inſtrumento aſſecurationis, procul dubio, ut minori pretio aſſecuratorem alliceret & falleret, ſtipulatus, etiam, quo malam fidem tegeret, ne, ſi navis periret, ulla inſtrumenta cogeretur exhibere aſſecuratori, quam unicum aſſecurationis inſtrumentum. Alia igitur hæc cauſa erat, atque ea, de qua proxime dixi, & aliter quoque judicatum, nam reſciſſa Curiæ ſententia, quemadmodum Amſterdami, ſic & apud nos repulſus eſt aſſecuratus 18. Apr. 1720. (2). Nec in contrarium movere debet, navim non periiſſe vel ex longiore itinere, vel ex prædatoria Gallorum Hiſpanorumve, quum enim aſſecurato ab initio non ſubſiſtat, ut hic non ſubſiſtebat, ad ea, quæ poſtea acciderunt, attendendum non eſt. Quia autem aſſecuratio erat nulla, aſſecuratoris erat pretium aſſecurationis reſtituere, detracta, ex lege & more, ducenteſima pro mercede operæ, quam aſſecuratus aſſecurationi fruſtra adhibuit, quod, quia Amſterdammenſes non expreſſerant, Senatus ſententiæ ſuæ inſeruit.

Quum navis Amſterdami aſſecurata eſſet *van Port a Port tot Londen*, in itinere a prædatoria Gallica capitur, ſed capta redimitur certo pretio. Poſtquam redempta erat, porro navigat in Angliam, & pervenit ad ſtationem, quæ dicitur *Roy de Nore*, quæ ſtatio eſt ad oſtium Tameſis. Inde autem non navigat Londinum, ſed Tameſin præternavigans pergit ad *Lynregis*, qui locus eſt ad Orientem Angliæ, & a Londino diſtat ducentis, & quod excurrit, milliaribus Anglicis, & conſtabat quoque ex inſtrumentis, eo, ut exoneraretur, deſtinatam fuiſſe navem. Aſſecurati petunt pretium redemptionis. Aſſecuratores negant ſe teneri, quia navis nunquam Londinum advenerat, qui tamen locus contractu aſſecurationis erat expreſſus. Judices aſſecurationum Amſterdammenſes 23. Oct. 1711. & Scabini 17. Febr. 1713. ſecundum aſſecuratores judicarunt, ſed Curia 3. Apr. 1716. ſecundum aſſecuratos.

Aſſecuratores, quo abſolverentur, in primis urgebant, non tantum hic cogitatum eſſe de mutando itinere, ſed revera mutatum fuiſſe, neque enim navem Londinum navigaſſe, ut debebat ex ſtipulatione, ſed ad *Lynregis*, qui locus contractu aſſecurationis expreſſus non erat, & non expreſſus contractum reſcindit ex §. 2. *A.* Aſſecurati ajebant *d.* §. 3. non jubere, ut locus exonerationis exprimatur, ſed locus, *daar 't ſchip zal willen varen*, ut conſtet ſcilicet de termino, ad quem periculum in ſe ſuſcepit aſſecuratus, poſſe autem & totum iter & partem itineris in ſtipulationem deduci, atque adeo navem, ex mari Mediterraneo Amſterdamum deſtinatam, poſſe aſſecurari vel ad uſque Amſterdamum, vel ad uſque Gades, & ſi ad Gades uſque, periculum eſſe aſſecuratoris *tot op de hoogte van Cadix*, nec deſiderari, ut navis ipſum portum ejus Urbis neceſſario ſubeat, quamvis, ſi velit, poſſit, ſi igitur navis pereat, priuſquam ad Gades pervenerit, periculo aſſecuratoris periiſſe. Atque ita in ſpecie propoſita navis non poterat navigare ad *Lynregis*, niſi præternavigaret Oſtium Tameſis, quare eo uſque navigabat periculo aſſecuratoris, & antequam eo perveniret, ab hoſtibus capta & redemta fuit. Poterat navis Londinum navigare ex contractu aſſecurationis: ſed qui periculum in ſe ſuſcipit uſque ad Londinum, utique & in ſe ſuſcipit uſque ad oſtium Tameſis, nec ex eo, quod navis Londinum non navigaverit, majus, imo vero minus periculum aſſecuratorem manere, res oppido certa eſt, nihil

(1) *Obſerv. Tumult. Tom.* VII. *n.* 1621.

(2) *Obſerv. Tumult. Tom.* VII. *n.* 1623.

hil igitur quicquam ad eum pertinet, etiamſi navis Londinum non navigaverit. Si capta fuiſſet navis, ab oſtio Tameſis navigans ad *Lynregis*, nulla procul dubio eſſet actio adverſus aſſecuratorem, ſed illa ulterior deſtinatio ejus periculum non auget. Atque has rationes, & ita Curiæ ſententiam probavit Senatus 27. Jun. 1720. (3) fere ut in alia cauſa, quæ judicata eſt 28. Febr. 1708. & quam ſupra commemoravi *C.* III. *vſ. Amſterdami*, utque in illa cauſa, ſic & in hac aſſecuratis adjudicatæ ſunt uſuræ trientes, a tribus medſibus, poſtquam naves pro derelictis fuerant habitæ ex §. 25. *A.* non quidem uſuræ hic petitæ erant ab initio, ſed, ut petere liceret, a Senatu Supremo impetratum erat. Non eſt, ut addam, aſſecuratores non quidem in prioribus judiciis, ſed nunc apud Senatum nonnihil fuiſſe tricatos, an ſatis fuiſſet probatum, navem ad aſſecuratos pertinuiſſe, at, quum de eo affatim conſtiterit, nolim in recenſenda re, quæ plene facti erat, bonas horas perdere.

CAPUT XI.

An conditio, inſtrumento aſſecurationis inſerta, in appendice, ubi de aliis actum eſt, cenſeatur repetita. De expenſis litis nonnulla. Tres ſententiæ reſciſſæ, & refutatæ rationes, quibus eas obtinuerat aſſecurator, præcipue ob mutatum navis nomen. Tres aliæ ſententiæ probatæ, & abſoluto aſſecuratore, quod aſſecuratus, tempore aſſecurationis, præſumeretur ſciviſſe interitum rei, aliis aſſecuratoris rationibus rejectis.

Mercibus aſſecuratis a Corcovia (*Corck*) ad Bilbaum (*Bilbao*) pro omni periculo, excepto duntaxat eo, quod a Chriſtianis immineret, navis ſolvit, & ſalva pervenit ad Ponte Vedra, quæ Urbs eſt in Gallicia. Quod cum intellexiſſet aſſecuratus, qui in Bilbao habitabat, ad amicum Amſterdammenſem ſcribit, ſibi nunciatum eſſe, navem non recta navigaſſe Bilbaum, ſed ad Ponte Vedra, ibi merces ſuas jacere ſalvas, at vero eſſe exonerandas, & minori navigio, (*met een Bark*) portandas ad Bilbaum, rogans, ut amicus id cum aſſecuratoribus communicare vellet, & curare, ut merces denuo aſſecurarentur *van Ponte Vedra naar Bilbao.* Aſſecuratores inſtrumento aſſecurationis, quod antea ſignaverant, nunc iterum ſubſcribunt, & ajunt, ſibi ſignificatum eſſe id omne, quod dixi, & mox addunt: *en nemen wy de riſico op ons, en alles tot onſen laſte, waar voor wy twee per Cento hebben genoten.* Quum merces tempore belli, quod tunc erat inter Hiſpanos & Belgas Fœderatos, in poſtremo, quod dixi, itinere a Chriſtianis eſſent captæ, aſſecuratores variis rationibus contendunt, ſe ad id damnum reſarciendum non teneri. Has rationes, ſive unam ex his, probarunt Judices aſſecurationum Amſterdammenſes 12. Jan. 1712. improbarunt vero Scabini 1. Mart. 1713. ſed rurſus probavit Curia 12. Sept. 1714. Quum iterum appellatum eſſet, has omnes rationes Senatus diligenter excuſſit, ſed, una excepta, reliquas omnes, ut plane frivolas rejecit, & ſane adeo erant frivolæ, ut ne ipſe quidem commemorare operæ pretium ducam. Illa una, quæ ad rem pertinere viſa eſt, in eo verſabatur, an ſcilicet exceptio, inſtrumento aſſecurationis inſerta de damno non præſtando, quod Chriſtiani inferrent, habenda eſſet pro repetita, an pro abolita in appendice ſeu noviſſima parte ejus? pro abolita eſſe habendam aſſecuratus urgebat, quia aſſecuratores illa, quam exhibui, clauſula in ſe receperant *de riſico, en alles tot haar laſte*, illa enim generali elocutione *alles* etiam comprehenſum eſſe periculum, quod a Chriſtianis immineret. Ad hæc aſſecuratores, imo exceptionem, quæ præceſſit, etiam in fine videri repetitam, quia eidem inſtrumento ſubſcriptum erat, & quia *de riſico* eſt id ipſum periculum, quod antea erat expoſitum. Hæc autem, *alles tot onſen laſte*, referebant ad digreſſionem itineris, ad minus navigium, cui merces imponerentur, & ad alia pericula, quæ in adjecta clauſula enumerabantur, *en waar voor zy twee per Cento hadden genoten.* Et hanc ſibi videri contrahentium mentem fuiſſe, lecto inſtrumento ejusque appendice, 28. Mercatores Amſterdammenſes teſtati ſunt 17. Oct. 1713. hoc addito, ſi & pro Prædatoriis Chriſtianis fidejuſſum fuiſſet de Ponte Vedra ad Bilbaum, *dat de præmie dan geen twee, maar wel 10 à 12. per Cento behoorde geweeſt te zyn.* Accedebat, quod ipſe aſſecuratus binis epiſtulis, quibus amico Amſterdammenſi mandaverat hanc aſſecurationis appendicem, nihil quicquam monuerat de exceptione, quam dixi, tollenda, ſed duntaxat de digreſſione itineris & minori navigio, utque ita tunc ipſe non videatur voluiſſe recedere a priori exceptione, & ſi vel voluiſſet, ejus utique erat legem apertius dicere, alioquin, ſecundum vulgares regulas, pactum adjectum contra eum interpretandum eſt, ut contra eum quoque interpretatus eſt Senatus 11. Jul. 1720 (1). Probata ſic Curiæ & priorum Judicum ſententia.

Quum autem aſſecuratus, qui apud Scabinos Amſterdammenſes vicerat aſſecuratores, per appellationem metueret moras litis, a Curia obtinet *Requeſt Civil*, ut vocant, ut ſibi liceret libellum augere & etiam uſuras petere, & impetrat, & petit. Nec male, ſi porro vinceret apud Curiam, nam cauſæ principali id erat conſequens. Sed Curia, reſciſſa Scabinorum Amſterdammenſium ſententia, etiam uſuras negavit, *de koſten in appel compenſerende, maar condemnerende den geaſſureerde in de koſten op de Requeſte Civile en den geamplieerden eyſch gevallen.* Quæ poſtrema de expenſis juſſio Senatui diſplicuit d. 11. Jul. 1720. compenſatis quoque his, quas dixi, expenſis, neque enim temere agit, qui uſuras petit ejus, quod judex, a quo appellatur, ei addixit, ut addixerant Scabini Amſterdammenſes, & ipſa cauſa, quam uſuræ ſequebantur, ſatis etiam erat dubiæ inſpectionis. Quare omnes expenſæ apud Curiam compenſatæ ſunt, probata reliqua ſententia.

Titius Amſterdami aſſecuravit merces quasdam, *geladen in het ſchip le Thomas, Capitein Pierre Guion, van Rochelle naar de Kuſt van St. Domingo of Hiſpaniola, op een of verſcheide plaatſen.* Navis ad illam Inſulam ſalva advenit, & navarchus ibi nonnullas merçes vendit, ſed oram Inſulæ legens ab hoſtili nave Anglica capitur, &

(3) *Obſerv. Tumult. Tom.* VII. *n.* 1641.

(1) *Obſerv. Tumult. Tom.* VII. *n.* 1647.

& cum reliquis mercibus publicatur. Quum aſſecuratus ab aſſecuratore damnum ſibi reſarciri peteret, repulſam tulit apud Judices rerum maritimarum Amſterdammenſes 14. Mart. 1713. apud Scabinos 26. Oct. 1714. & apud Curiam 5. Febr. 1717. Aſſecuratus appellat ad Senatum Supremum, & aſſecurator ibi, ut & in prioribus judiciis, non una ratione ſe defendit. Primum ait, ſe periculo fuiſſe liberatum, ſimulac navis ad eam Inſulam incolumis advenerat, ſed repugnabant verba contractus, ex quibus licebat varia loca ejus Inſulæ adire, *op een of verſcheide plaatſen*, & conſtabat, navem, ex quo advenerat, illam Inſulam non reliquiſſe, quin omnes ejus nautas, fuga ſalutem quærentes, ſe in eam ſcapha ſubduxiſſe. Deinde ait, merces, in Inſula ante captam navem venditas ſuperare ſummam, pro qua ſe obligaverat, & ea quoque cauſa ſe non teneri, ſed vero in facto conſtabat, aſſecurationem non fuiſſe factam in eas merces, quæ venditæ erant, at in alias & longe diverſas, hoc eſt, in eas, quæ revera captæ & publicatæ erant. Quod porro ajebat, navarchum & nautas navem ſuam ſine idonea cauſa deſeruiſſe, atque adeo eorum in hac ſpecie latam culpam, ſi non dolum, verſari, vix ſeriam reſponſionem merebatur, pugnando enim non poterat vi majori reſiſtere, &, ſi vel potuiſſet, aſſecuratum quoque erat contra dolum & culpam navarchi & nautarum, & in dominis mercium ejuſmodi aſſecuratio valet, ut plenius dixi ſupra C. IV. *vſ. Pericula.* Præterea ajebat, aſſecuratum non probare, ſocios mercium, quos ipſe habebat, vel aſſecurationem mandaſſe, vel tantam eorum utilitatem verſari, quanta debebat. Sed ex novis inſtrumentis, apud Senatum Supremum probatis, nemo dubitabat, quin id pleniſſime eſſet probatum.

Tandem ajebat aſſecurator, & id caput rei erat, nomen navis inſtrumento aſſecurationis eſſe inſerendum, ſin autem, nullam eſſe aſſecurationem ex §. 3. *A.* Hic quidem expreſſum eſſe nomen *le Thomas*, ſed, ut ex actis publicationis conſtabat, navis captæ nomen fuiſſe *la Dauphin Galere.* Et ſane antiquum navis nomen fuerat *la Dauphin Galere*, ſed id mutatum erat, quia non tempeſtive a Rege Franciæ advenerat diploma liberi commeatus (*het Paspoort*) quod imploratum erat *voor la Dauphin Galere*, & quia Rupellis forte ad manum erat aliud diploma, quod impetratum erat *voor le Thomas*, & ex cauſa ejuſmodi diplomatum ſæpe navium nomina mutari teſtabatur turba Mercatorum, qua Gallorum, qua Amſterdammenſium. Mutatum autem hic erat nomen navis ex ſpeciali venia Archithalaſſi Francici, & exinde omnia, quæ ad iter pertinebant, erant conſcripta ſub novo nomine Thomæ, *de Reys-inſtructie*, *het Pasport*, *de Zee-brieven*, *de Cognoſcementen*, *de Facturen*, & ſi quæ alia ſunt ejuſmodi, & exinde etiam aſſecuratio facta erat ſub eodem nomine Thomæ. De his omnibus conſtabat plena fide, ſed in puppi navis manſerat inſigne Delphini, & ei ſubſcriptum nomen *la Dauphin Galere.* Hinc illæ lachrymæ. Urgebat autem aſſecurator, ſi, ſe inconſulto, nomen mutare liceret, multis id fraudibus aperturum januam, nam duas ſic naves ſub eodem nomine poſſe navigare ſuo periculo, nec ſciri poſſe, utra ex his ſuo periculo naviget, ſtrictam eſſe aſſecurationis materiam, & id habendum eſſe pro nomine navis, quod inſigne præ ſe fert, quodque publice puppi inſcribitur, & ob has quoque rationes duo Senatores pro aſſecuratore reſpondebant. Sed alii omnes una voce: idcirco nomen navis deſiderari, ut, quæ aſſecurata ſit, conſtet, nunc conſtare, Thomam & Delphinum unam eandemque navem fuiſſe, & nomen non dolo malo eſſe mutatum, ſed ut navis cum reliquis, ad iter accinctis, inſtructa diplomate liberi commeatus, navigare poſſet, forte & pro vero nomine navis eſſe habendum, quod exprimitur in illis diplomatibus liberi commeatus, & in aliis inſtrumentis, quæ ſic enumeravi, quamvis ex incuria antiquum inſigne manſerit, idque, mutato nomine, ſæpe accidere, plurimi Mercatores Amſterdammenſes adfirmabant. Aſſecuratus utique hic erat in bona, imo optima fide, nam non tantum ab eo aberat omnis doli mali ſuſpicio, ſed & diſſentientes Senatores largiebantur, dolum malum in hac ſpecie ſubeſſe non potuiſſe propter adſcriptum navarchi nomen, & propter teſtimonium Admiralitatis Rupellenſis, non aliam navim inde navigaſſe ſub nomine Thomæ, quam eam, quæ ante appellata erat *la Dauphin Galere.* Poterat quidem ea mutatio fraudi eſſe, ſed quum hic fraudi non fuerit, & palam de ratione mutati nominis conſtiterit, pluribus Senatoribus videbatur, tres, quas dixi, ſententias eſſe reſcindendas, & damnandum Titium in eam ſummam, pro qua ſe obligaverat. Ita judicatum eſt 20. Febr. 1722. (2)

Sempronius, Mercatorum peregrinorum mandatarius, 8. Jan. 1712. Amſterdami curat aſſecurationem *op de vragten, die ſeker ſchip zoude verdienen van Bordeaux naar Amſterdam*, hoc adjecto, *dat het ſchip op of omtrent den* 17. *Dec.* 1711. *was in Zee geloopen, en dat de aſſurantie geſchiede op alle goede en quade tyding, renuncierende den Aſſuradeur aan alle Ordonnantien, die deſe aſſurantie zouden mogen contrarieren.* Quum autem navis eo ipſo 17. Dec. 1711. jam periiſſet in oſtio fluvii Burdigalenſis, atque adeo Sempronius ab aſſecuratore damnum ſibi reſarciri peteret, is contradicit, & varie ſe defendit. Potuiſſet quidem ex §. 10. *A.* qui palam ait, mercedes transvectionum aſſecurari non poſſe, ſed quia renunciaverat legibus, de aſſecuratione latis, quamvis iis renunciare non liceat §. 1. *A.* ne tamen videretur improbe facere, ea defenſione uſus non eſt. Audi nunc eas, quibus uſus eſt. Primum negabat, naufragium eſſe probatum, de quo tamen plene conſtabat. Deinde ait, contractu eſſe expreſſum, *dat het ſchip of omtrent den* 17. *Dec.* 1711. *was in Zee geloopen*, ſe igitur duntaxat ſuſcepiſſe periculum *maris*, non periculum *fluvii*, & navem periiſſe in oſtio fluvii. Atque ſi periculum non ſuſcepiſſet a Burdegala usque ad Amſterdamum, & illud *in Zee loopen* intelligendum non eſſet de ipſa enavigatione navis, & referendum æque ad fluvium, quam ad mare. Neque igitur ea defenſio aſſecuratori prodeſſe potuit. Sed & aliam adhibuit, magis idoneam, Sempronium ſcilicet non probare, Mercatores illos peregrinos pro ea parte, quam perhibebant, fuiſſe dominos & exercitores, atque ita mercedes pro ea parte ad ſe pertinuiſſe; & erat ſane, cur dubitari poſſet, an vel quicquam ejus rei probaſſent. Ad ſummum non probaverant niſi dimidium ejus partis, quam perhibuerant, & inde conſtabat, longe plus eſſe aſſecuratum, quam per legem licebat. Unde quæſitum

(2) *Obſervat. Tumult. Tom.* VIII. *n.* 1819.

ſum eſt, an tota aſſecuratio eſſet nulla, an duntaxat quod ad ὑπεροχὴν? Unus Senator, quum leges de aſſecuratoribus id expreſſe non definiant, ὑπεροχὴν tantum vitiari reſpondebat, tres quatuorve alii, imo totam aſſecurationem non ſubſiſtere argum. §. 2. *juncto* §. 1. *A.* reliqui Senatores ea de re ſententiam non dicebant, contenti poſtrema & præcipua defenſione aſſecuratoris, de qua mox dicam. Sic ut eam quæſtionem Senatus non definiverit, ſed ego non reſcinderem, niſi ὑπεροχὴν, quia ὑπεροχὴ duntaxat contra leges eſt, nec quicquam reſcindit *d.* §. 1. niſi id ipſum, quod contra leges eſt, eamque ſententiam jam ſuggeſſi ſupra *C.* 1. *vſ. Dominus.*

Poſtrema illa & præcipua aſſecuratoris defenſio erat, navem tempore factæ aſſecurationis jam periiſſe XXII. dies, & ſane Burdegalæ id naufragium jam innotuiſſe 28. Dec. 1711. & 29. Dec. inde literas Amſterdamum eſſe miſſas, quibus id ſignificabatur, conſtare autem ex teſtimonio eorum, qui epiſtulas curant, intra X. dies Burdegala epiſtulas perferri Amſterdamum, & quum aſſecuratio facta ſit 8. Jan. 1712. id eſt, die undecimo, non tantum mandanti, ſed & mandatario potuiſſe innoteſcere interitum navis, neque adeo aſſecurationem valere ſecundum ea, quæ prolixe diſputavi ſupra C. VIII. *in princ.* eſſe quidem hic aſſecuratum in omnem eventum, *op alle goede en quade tyding*, quo caſu, etiamſi navis perierit, ex §. 20 & 21. *A.* valet aſſecuratio, niſi probetur, aſſecuratum reſciviſſe interitum, ſed ita demum, ſi aſſecuratus præſtito jurejurando affirmare paratus ſit, ſe nihil ejus rei reſciviſſe. Mandatarius autem, qui cum mandante idem habetur ex noviſſimo Amſterdammenſium Statuto 23. Jan. 1699. litigans apud Judices aſſecurationum, ejusmodi jusjurandum non obtulerat, &, cum lis penderet apud Scabinos, fato ſuo erat functus. Atque hæc ratio omnes Senatores, nemine excepto, movit, ut contra aſſecuratum judicarent 30. Jul. 1722. (3) ut & judicaverant Judices rerum maritimarum Amſterdammenſes 23. Nov. 1713. & Scabini 3. Nov. 1714. & Curia 9. Mart. 1717. eo ubique in expenſas damnato, atque ſi, ut probabile eſt ex non oblato jurejurando, in mala fide fuiſſet verſatus.

CAPUT XII.

Si, profecta nave, tempus profectionis, vel, ſi ignoretur, ejus rei ignorantia contractu non exprimatur, aſſecurationem, Amſterdami factam, reſcindi. Aſſecuratæ navis nomen, inſigni fraude, ad aliam navem porrectum. Actioni aſſecurationis ad ſummum intra triennium præſcribi. Aſſecurationem non recte cedi, hoc effectu, ut nova aſſecurati perſona ſubſtituatur.

1. Octob. 1710. Amſterdami aſſecuratæ ſunt merces, navigaturæ, Dublino in Hibernia ad Lisbonam in Luſitania, idque ad ſummam 4000. Florenorum. Navis e portu Dublinenſi ſolvit 11. Oct. 1710. & quum nihil de ea audiviſſet aſſecuratus, qui Dublini habitabat, 28. Nov. 1710. atque ita XLVII. dies poſt inchoatum iter, literis ad Mævium Amſterdammenſem datis, ei mandat, ut adhuc pro mille aliis florenis easdem merces aſſecurari faceret, idque fit 30. Dec. 1710. & 2. Jan. 1711. nihil quicquam addito, quam navem jam fuiſſe profectam, & aſſecurato poſt profectionem nihil de ea fuiſſe nunciatum, *en voorts op alle goede en quade tyding.* Navis deinde periit, incertum quando & ubi. Solvuntur illi 4000. floreni, ſed quum aſſecuratus etiam peteret illos mille florenos, aſſecuratores objiciunt, aſſecuratum non probare, merces, ad ſe pertinentes, valere 5000. floren. Deinde ex Statuto Amſterdammenſi 29. Jan. 1688. (de quo ſupra dixi *C.* VII. *in pr.*) ſi naves merceſque jam profectæ ſint, & id ſciverit aſſecuratus, ejus eſſe id inſerere inſtrumento aſſecurationis, & ſimul ſignificare tempus, quo profectæ ſunt, ſi neſciat, etiam id inſerendum eſſe, ſi neutrum fecerit, aſſecurationem eſſe nullam. Nihil autem hic ſignificatum erat, quam navem eſſe profectam, reliquis omnibus omiſſis. Judices rerum nauticarum Amſterdammenſes aſſecuratum repulerunt 16. Maj. 1713. & Scabini 21. Apr. 1714. & Curia quoque 3. Maj. 1717. Nec Senatus ab his omnibus ſententiis diſſenſit. Prima defenſio facti erat, altera juris. Si de quæſtione facti pronunciandum fuiſſet, ſatis videbatur certum, aſſecuratum non probare, navis periiſſet, nec ne, & ſua interfuiſſe 5000. floren. Sed de quæſtione juris plerique Senatores duntaxat reſpondebant, Statutum enim, quod ſic memoravi, ſatis aperte loquebatur. Ei quidem ſe ſatisfeciſſe putabat aſſecuratus; quia, ecquando navis fuiſſet profecta, ignoraverat, & hanc ignorantiam contractu expreſſam præ ſe ferebat. At vero cui fiet probabile, Mercatorem, qui Dublini habitabat, & abſentiam ſuam ab ea Urbe non allegabat, ignoraſſe, ecquando navis ſua e portu Dublinenſi ſolviſſet? Et quid ſi ignoraſſet, & ſemper dormitaſſet, an contractu aſſecurationis expreſſit, ſe ignorare tempus profectionis? Minime gentium; ſimpliciter dixit, ſibi poſt profectam navem nihil de ea fuiſſe nunciatum, id eſt, ſe neſcire, quid navi poſt profectionem acciderit. Si his addas, navem jam XLVII. dies navigaſſe, quum aſſecuratus mandaret ſecundam aſſecurationem, & Dublino Lisbonam, & vice verſa, iter confici poſſe etiam dimidio ejus temporis, quod præterlapſum erat, graviſſima contra aſſecuratum militabat ſuſpicio, eum ſcilicet per literas ſciviſſe, navem non appuliſſe Lisbonam eo tempore, quo oportebat. Poterat quidem ſe hac ſuſpicione per jusjurandum liberare, quia aſſecuratum erat in omnem eventum ex §. 21. *A.* ſed non liberaverat, &, ſi ſe liberaſſet, ſolum, quod dixi, Statutum ad reſcindendam aſſecurationem ſufficere viſum eſt, quemadmodum & apud nos 9. Apr. 1723. (1) paribus ſuffragiis aſſecuratores fuerunt abſoluti.

Singularis ſpecies eſt, quam nunc dabo. Middelburgi 8. Aug. 1696. facta eſt aſſecuratio *van Porto Velo met de Gallioenen naar Cadix, op zodanige goederen en contanten, als geladen zouden zyn in het ſchip, genaamt de Admirante, wie het ook zoude mogen commanderen.* Quum navis quædam, quæ

(3) *Obſerv. Tumult. T.* VIII. *n.* 1873.

(1) *Obſerv. Tumult. T.* VIII. *n.* 1916.

quæ appellabatur *de Admirante*, periiſſet anno 1698. aſſecuratores anno demum 1710. conveniuntur Middelburgi apud Judices ad res maritimas delegatos, quo reſarcirent damnum, rebus aſſecurati illatum per illud naufragium anni 1698. Aſſecuratores, inter alia, negabant de damno aſſecurati conſtare, neque enim probari, quid & quantum mercium vel pecuniæ aſſecuratus in illa nave habuiſſet. Judices Delegati 11. Febr. 1711. facta interlocutione jubent, aſſecuratus juraret, ſe revera tantum damni fuiſſe paſſum, quantum petebat, & poſt præſtitum id jusjurandum, neque ſcientibus aſſecuratoribus, definitiva ſententia 17. Jul. 1711. aſſecuratores condemnant in reparationem ejus damni. Poſtquam ab utraque ſententia appellatum eſt, utramque probarunt Scabini Middelburgenſes 20. Dec. 1712. Quum ex ſecunda appellatione, omiſſo medio, cauſa hæc ad Senatum perveniſſet, rurſus quæſitum eſt, an aſſecuratus quidem ſemiplene probasſet, tantum mercium vel pecuniæ a ſe navi fuisſe impoſitum, ut earum pretium æquaret vel ſuperaret ſummas, pro quibus fidejuſſum erat, & ſi non ſemiplene probaſſet, an recte ei delatum eſſet jusjurandum, quod ſuppletorium appellant? ſed, quæ facti ſunt, ſoleo præterire, id tamen auſim dicere, ubi tanta eſt probationis inopia, quanta hic erat, in genere a me impetrari non poſſe, ut ad explendum defectum probationis, litem jurijurando actoris committerem, in hac autem ſpecie, quia ſolis Hiſpanis, nullis vero exteris, permiſſum eſt commercia exercere cum Claſſe, quæ ex Hiſpania in Americam, & inde rurſus in Hiſpaniam navigat, ideo Batavos, aliosque exteros, qui lege prohibente id faciunt, mutuari nomine Hiſpanorum, quorum fidem ſequuntur, & ideo facilius in hac, quam in aliis cauſis, recurri poſſe ad jusjurandum ſuppletionis.

Sed vero aliud erat, quod unice Senatum movit, ut paribus ſuffragiis utramque Middelburgenſium ſententiam reſciderit. Damnum utique aſſecurationis non recte petitur, niſi conſtet, periiſſe navem, in quam illata erant bona aſſecurata. Hic aſſecurata erant bona *in de Admirante*, non expreſſo ipſius navis vel navarchi nomine, quod alioquin exprimi deſiderat §. 9. *M.* Sed quid, inquies, opus erat exprimi, quum in ſingulis Claſſibus non naviget niſi una *Admirante*? Sic eſt. Verum, cum quotannis navigare ſoleat ejuſmodi Claſſis, ſcire velim, *quam Admirante* hic intellexerint partes? Aſſecuratum erat 8. Aug. 1696. & conſtabat 4. Aug. 1696. Claſſem Hiſpanicam ex America navigaſſe, cujus omnes naves, atque adeo *de Admirante*, ſalvæ pervenerant in Hiſpaniam anno 1697. ſed ex Claſſe, quæ ex America navigaverat anno 1697. perierat *de Admirante*. Vulgare autem eſt, eas res navesque aſſecurari, quæ ad iter paratæ, aut jam in itinere ſunt, non vero eas, quæ poſt annum demum profecturæ ſunt. Quare Senatus exiſtimavit, eam *Admirante* hic fuiſſe aſſecuratam, quæ quatuor dies ante factam aſſecurationem ex America navigaverat, non eam, quæ demum poſt annum navigatura eſſet. Accedebat, quod eodem illo 8. Aug. 1696. plures aliæ aſſecurationes, tam Middelburgi, quam alibi, ſimpliciter fuerint factæ *op de Admirante*, & quod nemo eorum, qui ſic aſſecuraverant, de damno præſtando fuerit conventus, nedum condemnatus, quia nempe illa *Admirante* ſalva advenerat, ſed aſſecuratus, qui hic agebat, poſtquam intellexiſſet, illam *Admirante*, quæ ſequenti anno navigaverat, & quæ forte merces ſuas portaverat, periiſſe, hoc inſtrumentum mala fide, ut quidem Senatui videbatur, eo porrigebat. Ne dicam, de damno ad ſummum eſſe agendum intra triennium, ex quo res navesque perierunt, cæteroquin actioni præſcribi ex §. 26. *Ed. P.* §. 13. *A.* §. 19. *M.* §. 16. *R. V.* & §. 96. *R. N.* Hic vero non eſſe actum niſi poſt annos XII. An pudor improbitatem in tantum diſtulerit, non ſum, qui dicam. Igitur ſecundum asſecuratores ſine ſcrupulo judicatum eſt 22. Febr. 1715. (2)

Titius merces ſuas Middelburgi aſſecurari fecit Dublino in Hybernia ad uſque Veram in Zelandia, compoſitis de ea aſſecuratione duobus inſtrumentis, ſed non adſcripto nomine, in cujus gratiam facta eſſet, hac forma, *ten behoeve van ..... of die het anderſints in 't geheel of ten deele zoude mogen aangaan.* Cum Titius poſtea intellexiſſet, ne dimidiam quidem mercium partem, quas exſpectaverat, eſſe tranſmiſſam, ad preces Mævii, qui in eadem quoque navi merces habebat, ei cedit unum ex his inſtrumentis, adſcripto etiam Mævii nomine. Navi ab hoſte capta, Mævius aſſecuratores in jus vocat ad Judices aſſecurationum Middelburgenſes, quo ſolverent ſummas, pro quibus ſinguli inſtrumento ſubſcripſerant, ſed ibi repellitur, additis etiam expenſis, 18. Jul. 1708. & ex appellatione repellitur quoque apud Scabinos Middelburgenſes 16. Jul. 1709. Appellatum eſt, omiſſo medio, ad Senatum Supremum. Inter partes erat in confeſſo, quamvis inſtrumento non eſſet inſertum nomen Titii, ad eum tamen ejuſque merces totam aſſecurationem ab initio pertinuiſſe, ſed quum merces non fuiſſent expreſſæ, aſſecuratione ſimpliciter facta *op ingelade Coopmanſchappen, ſonder onderſcheid van wat natuur de zelve zouden mogen weſen*, Mævius exiſtimabat, ſibi id inſtrumentum cedi potuiſſe, *om dat het op een open naam was*, & ex eo perinde agi poſſe, atque ex cautione, quæ nomen creditoris non continet, ſed ſcripta eſt *op een open naam.* Aſſecuratorum quoque nihil intereſſe, Titii, an Mævii merces fuerint aſſecuratæ, & in §. 9. *M.* qui deſiderat nomina quædam exprimere, de nomine aſſecurati altum eſſe ſilentium.

Ad hæc aſſecuratores; aliud juris eſſe *in een Obligatie op een open naam*, aliud in *een Police op een open naam*, nam in cautione nihil referre, cui ſolvat debitor, at in aſſecuratione ſpectari certas merces, & quidem merces ejus, in cujus gratiam facta eſt aſſecuratio, & hanc, inſciis & invitis aſſecuratoribus, non poſſe transferri ad alias merces, de quibus ab initio cogitatum non eſt, contra aſſecuratos multas eſſe exceptiones, quæ aſſecuratoribus proſunt, utpote de minori pretio mercium, de decima periculi non retenta, & ſi quæ ſunt aliæ, has opponi poſſe & debere iis ipſis, qui aſſecurationem curarunt vel mandarunt, non poſſe nec debere aliis, quibus ceſſa eſt aſſecuratio, recepti quidem moris eſſe, ut ejuſmodi inſtrumenta cedantur, ſed tunc ſemper cedi jus ejus, in cujus gratiam aſſecuratum eſt, nunquam vero, ut nova perſona ſubſtituatur, quod multum haberet abſurdi. Atque ea ratio ſola Senatum movit, ut 13. Sept. 1725. (3) utramque Middelburgenſium ſententiam probaverit. Erant tamen & aliæ, nam ne quidem Mævius probabat, an, quot & quas merces in navi ha-

(2) *Obſerv. Tumult. T.* IX. *n.* 2124.

(3) *Obſerv. Tumult. T.* IX. *n.* 2185.

habuiſſet, quod unum quoque ei repellendo ſuffeciſſet. Reliquas rationes, quæ minoris momenti ſunt, tranſeo. His velim addi, quæ de ceſſione aſſecurationis, ejuſve parte jam obſervavi ſupra *C.* I. *vſ. Dominus.*

CAPUT XIII.

Rurſus de ſcientia vel ignorantia profectionis, vel interitus rerum aſſecuratarum. Si plures aſſecurationes fuerint factæ, & plus aſſecuratum, quam per legem licet, an illud plus cedat poſtremis aſſecuratoribus, an inter omnes pro rata dividatur? Etiamſi, qui aſſecurationem curavit, fines mandati exceſſerit, ab eo tamen plus damni exigi non poſſe, quam revera paſſus eſt aſſecuratus. Qui ſpondet del credere, *non utitur beneficio ordinis. In negotio, Amſterdami contracto, aſſecuratores non obligat avaria, alibi locorum æſtimata.*

Duo Mercatores Galli 22. Jan. 1708. mandant Mercatoribus quibuſdam Amſterdammenſibus, ut ad ſummam 5000. florenorum curarent aſſecurationem mercium ſuarum, quæ navigarent Lisbona Rupellas verſus, *ſonder dat zy kennis badden van bet vertrek van bet ſchip, en voorts op alle goede en quade tyding.* Idem mandatum 29. Jan. 1708. repetunt ad alios adhuc 1000. floren. & iterum 1. Febr. 1708. ad alios 5000. flor. & tandem 12. Febr. 1708. adhuc ad alios 2000. floren. atque ita ſimul ad ſummam 13000. flor. Amſterdammenſes mandatum exſequuntur. Navis, quæ receperat merces Gallorum, Lisbona jam ſolverat 24. Dec. 1707. & cum omni onere perierat 1. Jan. 1708. Omnes aſſecuratores, de damno interpellati, ſponte ſolvunt, quod promiſerant, exceptis duobus, qui poſtremi ſubſcripſerant ad illos 2000. flor. ſed & hi, ad Judices aſſecurationum Amſterdammenſes vocati, ad ſolutionem damnantur 25. Jan. 1713. & ſic quoque damnant Scabini 17. Nov. 1714. additis uſuris centeſimis a tempore ſententiæ. Has ſententias Curia probavit 10. Mart. 1722. & apud Senatum Supremum, ex appellatione, quæſitum eſt, an recte? Aſſecuratores, ut fit, varie a ſe damnum amoliuntur, primum negantes, Gallorum merces valuiſſe 13000. flor. & deinde negantes quemque Gallum pro ſemiſſe fuiſſe earum dominum, ut pro ſemiſſe ſingulis aſſecuratum erat, ſed id poſtremum ſatis probatum eſſe cenſuit Senatus, & pretium mercium ſuarum probabant quoque Galli ad 13757. florenos, nec lubet, nec vacat his probationum tricis immorari. Duo alia, quæ etiam facti erant, majoribus animis controvertebantur. Scilicet ex Statuto Amſterdammenſi 29. Jan. 1688 non licet aſſecurare naves vel merces profectas, niſi aſſecuratus profectionem ignoret, & id inſtrumento aſſecurationis exprimat, & ex §. 21. *A.* nulla eſt aſſecuratio, etiam in omnem eventum facta, *op alle goede en quade tyding*, ſi probare poſſit aſſecurator, aſſecuratum ſciviſſe interitum rei, quum aſſecurationem mandaret. Ajebant autem aſſecuratores, aſſecuratos, tempore hujus aſſecurationis, & ſciviſſe profectionem navis, & ſciviſſe quoque ejus interitum. Galli utriuſque rei ignorantiam præ ſe ferebant, oblato quoque in eam rem jurejurando, &, quod ad ignorantiam interitus, jusjurandum etiam deſiderat *d.* §. 21. Sed aſſecuratores nitebantur contra probare, quin &, ſecundum nonnullos Senatores, ſatis contra probabant, at, ſi verum amamus, minus ſufficiebant illæ probationes, premebantur quidem aſſecurati quibuſdam conjecturis & præſumptionibus, quas enarrare longum eſt, ſed adeo levibus, ut, ſecundum pleroſque Senatores, oblatum jusjurandum has omnes facile diluerer.

Atque ita priores ſententias ſimpliciter confirmaſſet Senatus, verum quum ex §. 2. & 15. *A.* nullæ res ulterius aſſecurari poſſint, quam ut decima pars domini periculo maneat, ſi nempe earum rerum pretium non excedat 2000. libras Flandricas, nam quod excedit, totum recte aſſecuratur, quumque id jus uſu abrogatum non ſit, ut quod ad merces dixi ſupra *C.* IV. *vſ. Curia*, & quod ad naves *C.* VI. *vſ. Sed ubi*, nec etiam contraria pactione tolli poſſit §. 1. *A.* ut in hac ſpecie contra pactum erat, omnes Senatores putabant, per legem aſſecuratorum periculo manſiſſe 1200. florenos, atque aſſecurari non potuiſſe niſi ad 12557. flor. & quum aſſecuratum eſſet ad 13000. flor. plus, quam per legem licet, aſſecuratos eſſe 443. flor. & inde rurſus quæſitum eſt, illa ὑπεροχὴ cui cedat, an omnibus aſſecuratoribus pro rata, an poſtremis duntaxat? Ego putabam, ſolis poſtremis, nam ex *Legibus Nauticis Philippi* II. *T.* VII. §. 15. (quocum convenit §. 32. *M.*) plures aſſecurationes, ſine dolo malo factæ, ratæ ſunt ad juſtum rerum valorem, ſi hunc excedant, primæ valent, & poſtremæ quod ad ὑπεροχὴν reſcinduntur. Sed ita ſolus putabam, reliqui omnes Senatores exiſtimabant, id, quod ſupereſt, inter omnes aſſecuratores eſſe dividendum, & ſingulis cedere pro rata. Id efficiebant ex §. 13. *Edict. Philipp.* II. 1570. & §. 23. qui ajunt, tam poſtremum, quam primum aſſecuratorem de damno vel lucro ex æquo teneri, quod forte intelligendum eſt, ſi minus ſit aſſecuratum, quam aſſecurari poterat, alioquin frontibus adverſis pugnat cum *d.* §. 15. *LL. Nautic.* niſi dicamus *d.* §. 13. abrogaſſe *d.* §. 15. quod ego non auſim dicere, quum uterque §. ſit inſertus Formæ aſſecurationis, quam Middelburgenſes ſervant, alter in §. 25. alter in §. 32. ejuſdem Formæ. Imo, inquiebant reliqui Senatores, neque alia ratione ulla pugna eſt, nam in *d.* §. 15. ſermo eſt de aſſecurationibus, quæ diverſis locis factæ ſunt; & ſic eſt, ſed non alia forte cauſa, quam quod nemo præſumatur uno eodemque loco easdem res bis in aſſecurationem deducere, alioquin quid intereſt, diverſis locis, an uno, factæ fuerint aſſecurationes? nec inter loca quicquam etiam diſtinguunt *d.* §§. 13. & 23. & §. 25. Utile erit his addere, quæ ſupra diſputavi *C.* II. *vſ. Belle.*

Tandem etiam quæſitum eſt, an uſuris Centeſimis hic eſſet locus? Et locum eſſe plerique Senatores reſpondebant, ſic enim jubet §. 3. Statuti Amſterdammenſis 26. Jan. 1610. ſi nempe aſſecuratus, apud judices aſſecurationum damnatus, ſtatim non ſolvat, aliud eſt, ſi ibi vincat aſſecuratus, & deinde in judicio appellationis vincatur. Qua de re plura dixi *C.* III. *vſ. Uſuras*, & *C.* IV. *vſ. Curia.* De his Centeſimis

ab-

abrogatis multa quidem garriebant, ſed nihil ſolidi adferebant aſſecuratores. Igitur, detracto duntaxat eo, quod plus aſſecuratum erat, quam per legem licebat, quod ad alia omnia priores ſententias probavit Senatus 21. Sept. 1725. (1)

Duo Mercatores Auguſta Vindelicorum mittunt merces quaſdam ad duos Mercatores Amſterdammenſes, & mandant *de zelve voor haar rekening te verſenden naar Cadix aan zekere twee Spaanſche Coopluiden, na dat ze de zelve te Amſterdam hadden doen verſekeren, en dat ze voor de Verſekeraars wilden ſtaan* DEL CREDERE, ut vocant, *onder genot van ſekere proviſie.* Sic mandatum eſt & præterea nihil. Inter Galliam & Hiſpaniam tunc pax erat, ſed bellum inter Galliam & Belgium Fœderatum. Amſterdammenſes, quo tutius merces navigarent, eas imponunt navi Genuenſi, quia Genuenſes neutrarum partium erant, & chirographis receptarum mercium (*de Cognoſcementen*) inſerunt nomina Hiſpanorum, atque ita aſſecurationem curant. Navis, iter proſequens, capitur a Gallis, & longo tempore detinetur, ſed, quum perperam capta eſſet, deinde cum mercibus relaxatur. Relaxata Gades advenit, at multum damni paſſa per retardatum iter. Navarchus ibi petit, ut id damnum, *als avarie gros*, æſtimaretur & inter dominos navis & mercium divideretur. Judices Gadenſes æſtimant, & ſimul pronunciant, quantum ex ea æſtimatione ſolvere deberent domini mercium. Auguſtani, hoc intellecto, Amſterdammenſibus mandant, uti ſummam, quam ipſi ſolvere damnati erant, quantocyus ab aſſecuratoribus repeterent. Sed illi negant, ſe repetere poſſe, priusquam Amſterdamum eſſent tranſmiſſa inſtrumenta, ex quibus ibi damnum retardati itineris æſtimari poſſet, nam damnum, Gadibus æſtimatum, ab aſſecuratoribus Amſterdammenſibus exigi non poſſe, Amſterdami, ſecundum leges & conſuetudines nauticas, ineundum eſſe id damnum, & ſic exigendum ab aſſecuratoribus. Auguſtani, diffidentes mandatariis ſuis, quia pro aſſecuratoribus fidejuſſerant, Titio, itidem Amſterdammenſi, cedunt actione ſua adverſus mandatarios, & ſic eos convenit Titius apud Scabinos Amſterdammenſes ex ſuo *del credere*, contendens ad æſtimationem damni, Gadibus factam, ſed repulſam tulit 29. Jan. 1712. Poſtquam ad Curiam Hollandiæ appellaſſet, impetrata in hanc rem venia, libellum auget, & primum contendit ad omnes ſummas, pro quibus ſubſcripſerant aſſecuratores, ſin autem, ad eam ſummam, qua damnum Gadibus erat æſtimatum, ſed & ibi quod ad utrumque repellitur 2. Febr. 1722.

Titius rurſus appellat ad Senatum Supremum, & ibi anxie diſputatum eſt de nonnullis qualitatibus, ut appellant, quas ſibi Titius adſcribebat, ſed has omnes neglexit Senatus, cum, qua ceſſionarius, recte ageret, & ea qualitas ſola ſufficeret. Quod ad rem ipſam attinet, Titius omnes ſummas, pro quibus ſubſcripſerant aſſecuratores, a mandatariis Amſterdammenſibus petebat, quod ſcilicet fines mandati exceſſiſſent, & ideo exceſſerant, quod merces navi Genuenſi impoſuiſſent, & chirographis navarchi inſeruiſſent nomina Hiſpanorum. Sed mandatarii ajebant, de nave & nominibus, quibus uterentur, nihil quicquam ſibi mandatum eſſe, relictum id eſſe ſuo ipſorum arbitrio; idque erat veriſſimum. Ceterum, quicquid fecerant, ſe feciſſe ad majorem mercium ſecuritatem, & laudandos ſe potius, quam culpandos eſſe, quod prudenter mandantibus ſuis conſuluiſſent. Sed non eſt, cur diutius immoremur libello, hac parte, refutando, quia excepto damno, quod natum erat ex retardato itinere, Auguſtani utique merces ſuas habuerunt ſalvas, neque adeo ab aſſecuratoribus eorumve fidejuſſoribus plùs poterant petere, quam revera perdiderant. Omnis aſſecurationis actio eſt ad ſolam indemnitatem, nulla ad lucrum faciendum, & ſane lucrum facerent Auguſtani, ſi, ſalvis mercibus, etiam earum pretium recuperarent.

Damnum autem avariæ, quod petebatur ex τῷ *del credere*, duplici fere ratione amoliebantur mandatarii Amſterdammenſes. Altera, quod *del credere* ſit fidejuſſio, quodque non renunciato beneficio ordinis, ut in hac ſpecie renunciatum non erat, aſſecuratores primo loco eſſent conveniendi. Altera, quod avaria, a Judicibus Gadenſibus æſtimata neque aſſecuratores, neque adeo ſe, qua fidejuſſores, obligaret, apud Delegatos enim ad res maritimas, qui ſunt Amſterdami, ubi negotium contractum eſt, illam æſtimationem eſſe ineundam, & ſic quoque Scribam (*de Secretaris*) eorum Delegatorum, in hac cauſa de uſu conſultum, Scabinis Amſterdammenſibus reſpondiſſe 20. Jan. 1712. (2) Quin & putabant mandatarii, id ipſum ſatis effici poſſe ex §. 32. *LL. A.* & ex duobus Statutis Amſterdammenſibus, deinde promulgatis 4. Dec. 1598. & 14. Jun. 1607. (3) Prima ratio minus ſufficere viſa eſt, quamvis enim non auſim dicere, quod plurimi dixerunt, omnia fidejuſſorum beneficia ceſſare in foro Mercatorum, attamen in τῷ *del credere* id eſſe veriſſimum, mihi perſuaſum eſt, nam, qui ita ſpondet, ſpondet ut reus principalis, & ſolutionem in ſe recipit *als eige Schuld*, quo caſu beneficium ordinis ceſſare, Curia & Senatus Supremus etiam alias judicarunt. (4) Exteri Mercatores in eo *del credere* unice ſequuntur fidem mandatariorum ſuorum, quibus etiam pro ea fidejuſſione mercedem ſolvunt, namque ipſos aſſecuratores, quos mandatarii adhibent, tunc adhibent ſuo periculo, & nemo eorum exterorum eſt, qui eos novit, certe qui gnarus eſt eorum conditionis. Et ſic etiam uſu ſervari inter Mercatores, teſtantur, qui juris mercatorii & nautici peritiam apud nos profeſſi ſunt. (5) Magis pleroſque Senatores movebat ſecunda ratio, quia, ex jure communi, quisque præſumitur contrahere ſecundum leges loci, ubi contrahit, & quia nominatim cavetur *d.* §. 32. *LL. A.* actionem ex aſſecuratione, Amſterdami contracta, apud Judices, in eam rem delegatos, eſſe judicandam, quod verum eſt, etiamſi agatur ad partem damni, quam *avarie* appellant, nam ex duobus, quæ dixi, Statutis etiam de eo damno illi Delegati judicant. His accedebat, quod Avaria Gadibus perperam eſſet æſtimata, ſi ſequamur, ut ſequendæ ſunt, leges & conſuetudines Amſterdammenſes, quod etiam Scriba ille, harum rerum peritiſſimus, non modo affirmabat, ſed & exemplis prolatis probabat.

Duo tamen Senatores ſtabant æſtimationi Gadenſi, rati, ſi damnum minoris æſtimaretur Amſterdami, quam Gadibus æſtimatum erat, id damnum minus tunc pati ipſos aſſecuratos, & contra omne damnum aſſecurationem eſſe factam. Sed ea ratio nihil quicquam valet, nam aſſecuratis non aliud damnum reſarciendum eſt, quam quod

(1) *Obſerv. Tumult. T.* IX. *n.* 2191.
(2) Prolatum eſt Reſponſum inter inſtrumenta litis.
(3) Ambo extant poſt *LL. A.*
(4) Apud Neoſtad. *Deciſ. Supr. Cur.* XII.
(5) Phoonſen *Wiſſelſtyl C.* XXVII. *n.* 11. & Verwer *in Not. over Bodemerye* p. m. 172.

quod iis debetur ſecundum leges & conſuetudines Amſterdammenſes, has enim ſpectarunt contrahentes, & has ſpectari jubet *d.* §. 32. *A.* Dubitabatur quoque, an contra mandatarios, qua fidejuſſores, recte ageretur, quum actioni adverſus ipſos aſſecuratores præſcriptum videri poſſet ex §. 12. *A.* eo enim cavetur, de avaria agendum eſſe intra ſesqui annum, & plures anni hic, ante inſtitutam actionem, effluxerant, ſed apage dubitationem, quia tempus, quod effluxerat, effluxerat culpa ipſorum mandatariorum, his quippe mandaverant Auguſtani, ut quantocyus aſſecuratores convenirent, & reſcripſerant quoque Amſterdammenſes, ſe jam eos conveniſſe, de quo tamen ex aliis & prolatis nihil quicquam conſtabat.

Ex his apparet, duos Senatores ſecundum Titium reſpondiſſe, & voluiſſe mandatarios damnare ad æſtimationem, Gadibus factam, ſed alios omnes Senatores Titium repuliſſe, & ſic probaviſſe utramque ſententiam, hac tamen cautela, quæ & ſententiæ Senatus inſerta eſt, ut liberum eſſet Titio æſtimationem damni, quam vellet, conficere & mandatariis apud Judices delegatos Amſterdammenſes, de cauſa cognituros, adhuc porrigere, ſalva defenſione contra æſtimationem, libello comprehenſam, & ſalva mandatariis actione, ſi quid culpa vel negligentia Titii vel eorum, qui jure ſuo ceſſerant, commisſum eſſet, quominus mandatarii contra ipſos asſecuratores experiri poſſent. Quod poſtremum ideo additum eſt, quia Auguſtani & Titius, priusquam mandatarios convenerat, plurimum temporis abire paſſi erant, & interea nonnullli ex aſſecuratoribus foro ceſſerant. Hæc acta & judicata ſunt variis diebus & noviſſime 26. Febr. 1726. (6)

CAPUT XIV.

Magiſtri ejusdemque domini navis culpa, ab aſſecuratore objecta, ſed varie refutata. Rurſus de ignorantia profectæ navis, & de navigatione ſine tutela a loco profectionis, contra quam convenerat, & quid ſi ibi tutela præſto non fuerit? Rejectæ aliquot aſſecuratorum exceptiones, & quid habendum ſit de præſcriptione, quæ actioni de damno objicitur, & nunquid contra eam reſtitutio in integrum impetrari poſſit?

Titius Amſterdammenſis, ad ſummam 1300. florenorum, in ſe recipit periculum navis, ex mari Baltico navigaturæ Hamburgum verſus. Navarchus, qui navem ducebat, ipſe erat ejus dominus, emerat enim, ut inſtructa erat, 2600. florenis. Quum navis in itinere, vi ventorum littori impulſa, periiſſet, Navarchus, inſtrumentis quibusdam navis in loco naufragii venditis, navem ipſam derelinquit, & apud Judices aſſecurationum, qui Amſterdami ſunt, ab aſſecuratore repetit reliquum damnum, quod etiam illi adjudicant 9. Sept. 1723. ad ſummam 1040. florenorum, detracto ſcilicet pretio, ex inſtrumentis venditis redacto. Hanc ſententiam probant Scabini Amſterdammenſes 12. Sept. 1725. & Curia Hollandiæ 6. Oct. 1727. Appellatum eſt ad Senatum Supremum. Et quidem Titius, qui detrectabat ſolutionem, in Navarcho arguebat, quod navim, littori impactam, non reparaſſet, & rurſus in mare eduxiſſet. Negabat Navarchus, id fieri potuiſſe, & plurimis teſtimoniis id ipſum probabat. Affirmabat Titius, & ipſe quoque teſtimonia quædam in eam rem adferebat, ſed Navarchi teſtimonia longe vincebant, ſive numerarentur, ſive ponderarentur. Præterea Navarchus: ſi vel id fieri potuiſſet, impenſas in hanc rem adhibendas, immane quantum ſuperaturas fuiſſe pretium totius navis, quod & ipſum multi teſtes, earum rerum periti, uno ore affirmabant, nullis aliis contra teſtantibus. Poſtremum ajebat, petiiſſe ſe mandatum ab asſecuratore, ut ſibi liceret impenſas facere ad navim quoquo modo ſervandam, ſed repulſam tuliſſe, & de eo etiam conſtabat abunde. Omnibus igitur modis res navarchi ſalva erat. Et quis, obſecro, credat, navarchum culpam commiſiſſe in relinquenda navi, quum, ea relicta, ipſe ad minimum tantum damni fuerit paſſus, quantum aſſecurator? nam poſt emptionem, plus altero tanto ſactam, etiam plurima impenderat ad eam reficiendam & comparanda quædam nova inſtrumenta. Simpliciter igitur tres priores ſententias Senatus confirmavit 16. Jun. 1728. (1)

Mævius aſſecuravit merces Sempronii *van Coningsbergen en alle circumjacentien van dien tot Londen, te varen met Convoy.* Sempronius inſtrumento aſſecurationis exprimit, ſe ignorare, an navis jam Regiomontio eſſet profecta, *en dus op alle goede en quade tyding.* Et ſane navim fuiſſe profectam per rerum naturam ſcire non potuit Sempronius, quum demum profecta fuiſſet 30. Oct. 1716. & aſſecuratio facta fuerit triduo poſt, id eſt, 3. Nov. 1716. Quia autem Regiomontii non erat navis tutelaris, quacum hæc navis proficiſci poterat, navigavit Dantiscum, & inde cum navi tutelari, Londinum deſtinata, iter ſuum proſecuta eſt, ſed in mari Baltico, gravi tempeſtate exorta, periit. Mævius damnum reſarcire detrectat duplici ratione, altera, quod navis, tempore factæ aſſecurationis, Regiomontio jam eſſet profecta, altera, quod ab initio non navigaſſet cum navi tutelari. Secundum Mævium pronunciant Judices rerum maritimarum Amſterdammenſes 9. Sept. 1718. ſed ſecundum Sempronium Scabini 1. Febr. 1720. & Curia 22. Mart. 1724. Quum appellatum eſſet ad Senatum, omnium ſuffragiis exploſa eſt prima defenſio Mævii, quia notiſſima res ex Legibus Aſſecurationum Amſterdammenſibus, quas ſupra aliquoties recitavi, valere aſſecurationem, quamvis profecta fuerit navis, ſi ea formula, qua hic, aſſecuratum fuerit. Etiam ſecunda Mævii defenſio omnium ſuffragiis rejecta fuit, quia, inquiebat unus Senator, Dantiſcum eſt *onder de circumjacentien van Coningsbergen.* Sed vero ea ratione reliqui Senatores non utebantur, at longe alia, nempe navim, ut ut Regiomontio ſolviſſet ſine tutela, ſalvam tamen & incolumem perveniſſe Dantiſcum, & inde cum tutela fuiſſe profectam, & poſtea periiſſe. Inter Rgiomontium & Dantiſcum, quia ſine tutela navigavit, navigavit ſolo periculo Sempronii, utique ſi ab hoſtibus eſſet capta, nam an idem dicendum ſit, ſi per tempeſtatem mari eſſet hauſta, non eſt, ut

(6) *Obſerv. Tumult. T.* IX. *n.* 2242.

(1) *Obſerv. Tumult. T.* X. *n.* 2449.

ut hic definiam, ſed a Dantiſco, cum tutela navigans, navigavit periculo ſolius Mævii. Res videbatur ſic ſatis certa. Quare Scabinorum & Curiæ ſententiæ probatæ ſunt 8. Sept. 1728. (2)

Quum aſſecuratæ eſſent merces *van Morlaix in Vrankryk tot Cadix in Spanjen*, navis, quæ merces portabat, a prædatoria Hiſpanica capitur, & cum mercibus publicatur 29. Maj. 1720. ſententiam, de publicatione dictam, Rex Hiſpaniarum probavit 8. Jul. 1720. non obſtante rei vindicatione, quam domini navis & mercium inſtituerant. Rotterdami, ubi contracta erat asſecuratio, aſſecuratus ab aſſecuratoribus repetit damnum 23. Oct. 1722. apud Delegatos, nempe ad cauſas maritimas, & hi 29. Apr. 1724. aſſecuratores damnant ad ſolvendam intra menſem pecuniam, pro qua ſubſcripſerant, cum uſuris trientibus, ſi poſt illum menſem ſolutionem differrent. Aſſecuratores, præteritis Scabinis, ut ibi licet, appellant ad Curiam. Aſſecuratus, *by propoſitie van Grieven a minima*, ut vocant, etiam queritur de iniquitate ſententiæ, quia ſcilicet ei adjudicatæ non erant uſuræ poſt menſem, ex quo merces pro derelictis fuerant habitæ, ut in inſtrumento aſſecurationis convenerat, utque etiam apud Delegatos erant petitæ. Curia 22. Sept. 1729. ſententiam Delegatorum contra aſſecuratores probavit, & reparatis gravaminibus aſſecurato addixit uſuras trientes poſt menſem a derelictis mercibus elapſum. Ex appellatione ad Senatum, quæſitum eſt, quid juris?

Aſſecuratores tribus rationibus a ſe amoliebantur damnum. 1. quod navis, & quidem perperam, navigaſſet ſub apluſtri Anglico. 2. quod navis etiam merces illicitas portaſſet. 3. quod actioni de damno repetendo jam diu eſſet præſcriptum. Duas priores rationes nequidem in facto ſatis probabant aſſecuratores, &, ſi vel probaſſent, nihil quicquam ad rem pertinere videbantur. Si Navarchus oſtenderit apluſtre Anglicum, non alia cauſa oſtenderat, quam quod putaſſet navim Hiſpanicam fuiſſe Turcicam, nam inter Anglos & Barbaros in Africa tunc pax erat. De illicitis mercibus id ajebant aſſecuratores, quod nemo Senatorum ſatis intelligebat, tantum abeſt, ut putaſſent, has merces vel navi fuiſſe impoſitas, vel publicationi cauſam præbuiſſe. Ad hæc plena fide conſtabat, merces, hic aſſecuratas, non fuiſſe illicitas, quod unum, ut aſſecuratorum os obturetur, ſufficere viſum eſt. Et quicquid his rationibus peccatum eſſet, peccaſſet Navarchus, & contra ejus dolum vel culpam rotunde hic etiam erat aſſecuratum, & dominis mercium aſſecurare licet, ſi de legibus Rotterdammenſibus recte diſputavi ſupra C. IV. *v. Pericula*. Igitur Senatus duas priores rationes paribus ſuffragis rejecit.

Magis laboratum eſt de tertia ratione, nam ecce §. 16. *R. V.* & §. 69 *R. N.* deſiderant, ut actio de damno inſtituatur intra XVIII. menſes a damno, in Europa facto, alioquin præſcriptioni locum eſſe, hic autem ante actionem inſtitutam fere abiverant XXII. menſes, non tantum a damno facto, ſed a prima ſententia publicationis. Et Senatus etiam 22. Febr. 1725. judicavit, tempora præſcriptionis in hoc argumento diligenter eſſe obſervanda, ut memini me dicere ſupra *C.* XII. *v. Sed vero*, *in fin.* Adverſus lapſum ejus temporis reſtitutionem quidem in integrum concedunt *d.* §§. 16. *&* 69. ſed non niſi ex idonea cauſa. Petierat etiam reſtitutionem aſſecuratus, ſed non alia cauſa, quam quod ſæpius aſſecuratores de ſolutione interpellaſſet, quodque hi, variis prætextibus uſi, eam diſtuliſſent, atque eam cauſam, tanquam ſatis idoneam, probaverant Judices Delegati & Curia, verum de his omnibus nihil quicquam in facto conſtabat, & dubitari poſſet, an vel ſola interpellatio ſufficeret ad interrumpendam præſcriptionem, nam, ut ajunt *d.* §§. 16. *&* 69. ipſa actio inſtituenda eſt intra XVIII. menſes. Si tamen non tantum interpellaſſet aſſecuratus, ſed & ipſi aſſecuratores diem ad deliberandum petiiſſent, vel inſtrumenta, quæ ad hanc cauſam pertinent, ſibi exhiberi poſtulaſſent, vel de transactione interea eſſet actum, ut hæc omnia ſancte affirmabat aſſecuratus, ſatis hæ cauſæ ad reſtitutionem in integrum ſufficere viſæ ſunt, ſed has probare non eſt in facili, quia fere intra privatos parietes, remotis arbitris, ejusmodi ſermones cæduntur. Unde Senatus decrevit 15. Jan. 1729. (3) ſi aſſecuratores jurejurando affirmare parati eſſent, nihil horum interveniſſe, reſcinderetur utraque, quam dixi, ſententia, & aſſecuratus ob præſcriptionem repelleretur; ſin autem id jusjurandum jurare nollent, probaretur Curiæ ſententia, nam de uſuris illa ſola recte judicaverat, non tantum ex contractu, ſed & ex lege, quam præſcribit §. 68. *R. N.* Poſtea comperi, id jusjurandum ab aſſecuratoribus non præſtitum, ſed de tota lite inter partes transactum eſſe.

CAPUT XV.

Iterum diſcuſſæ & rejectæ aliquot aſſecuratorum defenſiones. Nonnihil de uſuris, an a lite mota, an a conteſtata adjudicandis? Aſſecuratione facta op bederffelyke en onbederffelyke goederen, *frumentum & hordeum iis vocibus recte comprehendi. An, ſi aſſecuratio facta ſit ad* fluvium Nannetis, *periculum aſſecuratorum ceſſet, ſi navis ſalva ad fluvium pervenerit, ſed merces perierint, antequam in Urbem Nannetem fuiſſent delatæ?*

Aſſecuratum eſt Rotterdami 18. Oct. 1721. *op ſchip en goed van Nerva en alle de circumjacentien van dien tot Amſterdam*, hoc addito, *dat de riſico zoude loopen van de uur en dag af, dat het ſchip zoude hebben beginnen te equiperen.* Navis, quæ Revaliæ jacebat, ſine onere navigat Nervam ſeu Narvam verſus, ut ibi onus ſuum reciperet. Quum perveniſſet ad fluvium ejusdem nominis, anchoras projicit *by de Zeemund.* Præparatio fit ad onus recipiendum, ſed poſtridie ejus diei, quo ibi ſtabat in anchoris, navis, ingenti procella ab anchoris depulſa, aliquot pedes in continentem ejicitur. Quum aſſecuratus, quicquid ejus rei eſſet, aſſecuratoribus ſignificaſſet, hi 20. Dec. 1721. aſſecurato mandant, is vellet navem vel in mare deducere, vel ven-

(2) *Obſervat. Tumult. Tom.* X. *n.* 2459.

(3) *Obſervat. Tumult. Tom.* XI. *n.* 2492.

vendere, vel alias ex animi ſui ſententia, de nave ejusque onere ſtatuere, ſe expenſas, in eam rem factas, quantocyus eſſe reſtituturos, quumque ita mandaſſent quod ad navem & onus, & poſtea intellexiſſent, navem fuiſſe vacuam, id mandatum 27. Dec. 1721. reſtringunt ad ſolam navem. Tota fere hyeme laboratum eſt, ut navis effoderetur & in mare deduceretur, & tandem effoſſa & deducta Amſterdamum appellit 12. Jul. 1722. Quum aſſecuratus ab aſſecuratoribus fruſtra repeteret expenſas, in effoſſionem & deductionem factas, eos eo nomine convenit apud Judices, qui de rebus maritimis Rotterdami jus dicunt. Rei, probe gnari, etiam ſibi obſtare duo illa mandata, & fidem ibi datam de refundendis quantocyus expenſis, adverſus ea implorant reſtitutionem in integrum. Sed illi Judices 27. Apr. 1724. rejecta reſtitutione in integrum, aſſecuratores condemnant ad reparationem damni, eamque ſententiam Curia probavit 28. Jan. 1728. Appellatione ad Senatum facta, aſſecuratus, animadvertens, aſſecuratores litem trahere, apud Senatum Supremum, impetrata in hanc rem venia, etiam petiit uſuras ejus pecuniæ, in quam aſſecuratores erant damnati, a mora, inquiebat, vel ſaltem a lite conteſtata. Etiam ei petitioni contradicitur, quia ipſi ſorti contradicebatur. Quæſitum eſt primum de re ipſa, deinde de uſuris.

Aſſecuratores tribus potiſſimum defenſionibus utebantur. Primum ajebant, vim majorem, de qua dixi, accidiſſe, antequam navis Narvam appuliſſet, ſcilicet *by de Zee-mund*, qui locus tribus fere Leucis a Narva diſtat, & ſe periculum non ſuſcepiſſe, niſi ab urbe Narva. Sed vero conſtabat, navem plenam, propter brevia, ad urbem Narvam applicare, neque inde etiam cum onere enavigare poſſe, onus igitur exponi & imponi in ipſo flumine *by de Zee-mund*, & ſic ibi perpetuo uſu ſervari. Quod ſi ſit, ſatis intelligimus, τὸν *Zee-mund* eſſe recenſendum inter loca Narvæ vicina, & aſſecuratum erat *van Narva en alle circumjacentien van dien.* Deinde ajebant, periculum ad ſe non pertinere, niſi priusquam navis onerari cœpta eſſet, ſed ajebat inſtrumentum aſſecurationis, poſtquam navis *inſtrui* cœpta eſſet, *na dat het ſchip zoude hebben begonnen te equiperen*, navis autem plene inſtructa nunc venerat prope Narvam, nec ultra progredi poterat, ſi cum onere revertendi animum haberet, ex eo igitur tempore periculum ad aſſecuratores pertinebat. Quin ſic illi ipſi quoque ſapiebant, profeſſi ſecundo mandato, ad navem ſolam, eamque adhuc vacuam, primum mandatum eſſe reſtringendum, ita enim putabant, ſeſe eſſe obligatos, antequam navis onerari cœpta eſſet. Poſtrema aſſecuratorum defenſio, qua tamen apud ſolum Senatum utebantur, erat ex §. 47. & 49. *R. N.* atque illi ajunt, periculum aſſecurationis durare, donec onus fuerit expoſitum in loco deſtinato, vel, ſi interea non exponatur, XIV. dies poſt appulſum navis. Unde efficiebant, ſi navis Revalia ad Narvam ab aliis aſſecuratoribus eſſet aſſecurata, horum periculo fuiſſe navem, & damnum, quod pateretur intra XIV. dies poſt appulſum ad Narvam, neque adeo ſe teneri de eo damno, quod accidit poſtridie poſt appulſum, quia inaudita res eſt, aſſecuratum adverſus diverſos aſſecuratores de uno eodemque damno experiri poſſe in ſolidum. Sed d. §§. 47. & 49. definiunt duntaxat, quando periculum deſinat, non quando incipiat, de quo ſolo hic quærebatur, & loquuntur de nave plena ejusve onere, & hic agebatur de nave vacua, ſi de ſola nave ſermo ſit, ſtatim poſt appulſum in locum deſtinatum periculum aſſecuratorum deſinit, ut ſupra diſputavi *C.* II. *vſ. Hæc quidem.* fruſtra igitur hæc adferebantur. Quin nec navis, nec merces hic erant aſſecuratæ Revalia ad Narvam, ſi fuiſſent, & diverſi aſſecuratores invicem de eo damno litigaſſent, potuiſſet aſſecuratus exſpectare eventum ejus litis, & tunc convenire, qui victus eſſet. Sed ſi vel illi §§. 47. & 49. ad hanc ſpeciem pertinerent, quicquid ibi dicitur, non aliter obtinet, quam ſi non contra pactum ſit, nam contra paciſci poſſe permittit intermedius §. 48. Hic autem nominatim pactum erat, periculum incepturum, poſtquam navis inſtrui cœpta eſſet, multo igitur magis poſt navem plene inſtructam.

Quare omnes illas defenſiones Senatus improbavit, & ſimul exiſtimavit, cum etiam ſine duobus, quæ dixi, mandatis aſſecuratores tenerentur, inutilem eſſe diſputationem de reſtitutione in integrum contra illa mandata. Si tamen de ea judicandum fuiſſet, plerisque Senatoribus videbatur, nullam, ſatis idoneam, reſtitutionis cauſam adferri, certe idonea non erat, quam ſolam adferebant aſſecuratores, ſe ex incuria ita mandaſſe. Quod ſi ſit, habent, quod ſibi imputent, & in poſterum diſcant cautius mercari. De uſuris, an ſcilicet deberentur, laboratum non eſt, quum uſuræ ſequantur ſortem, ſed quatuor Senatores putabant, eas non eſſe adjudicandas niſi a lite conteſtata, ſex alii a lite mota, ut etiam erant petitæ. Utrumque uſu ſervatur, prout concepta ſunt verba libelli, & ſane inter litem motam & conteſtatam non eſt tanta intercapedo temporis, ut de ea differentia diſputari oporteat, vel, quod ſciam, in Senatu unquam diſputatum ſit. Quatuor illi Senatores cenſebant, reum ſola contradictione conſtitui in mora, ideoque litem conteſtatam eſſe ſpectandam; alii ſex, imo interpellatione judiciali, &, ſi reus contradicat, ad eam tunc cauſam retrahi. Atque ita de omnibus judicatum eſt 5. *Nov.* 1729. (1)

Medioburgi 6. *Apr.* 1725. aſſecuratum eſt *op alle goederen en Coopmanſchappen, bederffelyk of onbederffelyk, die men behoorde te noemen, of niet te noemen, van de Stad Brugge en alle circumjacentien van dien* TOT DE RIVIER VAN NANTES. Quum navis, frumento & hordeo onuſta, ſalva perveniſſet ad fluvium Nannetis, nec propter brevia & vada ad ipſam Urbem appropinquare poſſet, ut nunquam poſſunt naves majores, onus exponitur in duas naviculas minores, ut hæ deferrent ad urbem Nannetem, ſed per tempeſtatem, ſubito exortam, naviculæ illæ naufragium paſſæ ſunt, corrupto maximam partem frumento & hordeo. Aſſecuratus apud Judices maritimos, qui Medioburgi ſunt, agit contra aſſecuratores ad reſarciendum damnum. Hi negant ſe teneri, quum navis fuerit onuſta frumento & hordeo, nec illas ſpecies in contractu eſſe expreſſas, ut oportet ex §. 7. *M.* Deinde ajunt, ſe non aliud periculum in ſe ſuſcepiſſe, quam quod merces maneret usque ad fluvium Nannetis, *tot de Rivier van Nantes*, & navem ibi perveniſſe ſalvam & incolumem. Judices maritimi 8. Jan. 1727. & Scabini Middelburgenſes 3. Maj. 1728. ſecundum aſſecuratum jus

(1) *Obſerv. Tumult. T.* XI. *n.* 2554.

jus dixerunt, ſed Curia Hollandiæ, reſciſſa utraque ſententia, ſecundum aſſecuratores 21. Dec. 1729. Quum appellatum eſſet ad Senatum Supremum, nova ibi judicii facies exſurgit, nam ecce aſſecuratus ibi in actis profitetur, tempore factæ aſſecurationis neque ſe, neque ipſos aſſecuratores quicquam diſtinxiſſe inter fluvium & urbem Nannetis, & ſe paratum eſſe cauſa cadere, ſi non aſſecuratores in libris ſuis ipſi notaſſent, ſe, absque ulla diſtinctione, usque ad Nannetem aſſecuraſſe, vel, ſi nihil notaverint, ſi jurare vellent, ſe, dum contraheretur, ea mente fuiſſe, ut ad fluvium duntaxat, non urbem aſſecuratio porrigeretur. Ad hæc aſſecuratores nihil reſpondebant, quam ſe neque ad exhibitionem librorum, neque ad jusjurandum teneri. Conteſtata ſic lis eſt.

Scio, ex *d.* §. 7. *M.* & ex aliis pleriſque legibus, de aſſecuratione latis, ita juris eſſe, ut mercibus aſſecuratis aſſecurata eſſe non cenſeantur frumentum, vinum, oleum & cætera, quæ tam facile corrumpuntur, & ſcio, id ſervandum eſſe, quamvis parvam, & forte nullam rationem habeat; quid enim ad aſſecuratores, ſi res per ſe corrumpantur, aut ſervando ſervari nequeant, nec ne? Sed quia lex ita ſcripta eſt, eam intelligimus, ut expreſſa eſt, de mercibus ſcilicet ſimpliciter aſſecuratis, non ubi additum eſt, ut hic erat, *op bederffelyke of onbederffelyke goederen, die men behoorde te noemen of niet te noemen.* Sane, quia ipſas ſpecies exprimere ſæpe eſt difficile, ſæpe etiam impoſſibile, uſu inter Mercatores receptum eſt, ut ſufficiat dixisſe, *op bederffelyke of onbederffelyke goederen*, & in hac ſpecie etiam plus dictum eſt. De eo uſu ex inſtrumentis litis conſtabat, & ſecundum eum Amſterdammenſes quoque 9. Maj. 1651. ſtatuerunt (2), ut verbis *bederffelyke en onbederffelyke goederen*, omnia mercium rerumque genera continerentur, exceptis admodum paucis, quæ in Statuto memorantur, & huc non pertinent. Omnibus igitur Senatoribus videbatur, aſſecuratoribus prodeſſe non poſſe *d.* §. 7.

Plus Senatum turbaſſet altera aſſecuratorum defenſio, ſi non acceſſiſſet nova illa, quam dixi, aſſecurati profeſſio. Absque ea ſi fuiſſet, tres Senatores pro aſſecuratoribus reſpondiſſent, quamvis enim, inquiebant, ex §. 11. *M.* periculum aſſecuratorum duret, donec merces ſalvæ tutæque in terram expoſitæ ſunt, id tamen non obtinere, ſi merces de portu ad portum fuerint aſſecuratæ, ut aſſecurare licet ex §. 13. *T.* VII. *LL. Nautic.* 1563. nam tunc periculum ceſſare, ſi navis per XXIV. horas in portu, ad quem deſtinata erat, ſalva ſteterit in anchoris, & hic diutius ſalvam ſtetiſſe in fluvio Nannetis, verba contractus palam præ ſe ferre, *tot de Rivier van Nantes*, & habere aſſecuratum, quod ſibi imputet, ſi legem non apertius dixerit, in ambiguo enim contra ſtipulatorem faciendam eſſe interpretationem *l.* 39. *ff. de Pact.* Sed vero alii omnes Senatores in contrariam ſententiam erant proniores, rati, ſi merces ad urbem Nannetem ſint portandæ, ut conſtabat hic portandas eſſe, plane eſſe ſynonyma, ſive dicas *ad Nannetem*, ſive *ad fluvium Nannetis*, ſive *ad urbem Nannetem*, fluvii enim mentionem eſſe injectam, non ut periculum aſſecuratorum ibi ceſſaret, ſed quia navis ultra navigare non poterat, & ipſe Proxeneta, qui contrahentes in hoc facto conciliaverat, teſtabatur, ſe etiam has voces pro ſynonymis habuiſſe. Quin & quamplurima proferebantur exempla aſſecurationum, in quibus, cum merces eſſent portandæ ad Urbem, tam Urbis, quam fluvii nomina reciprocabantur, nec ullum omnino exſtabat exemplum, quod in pretio aſſecurationis unquam fuerit diſtinctum inter Urbem & fluvium, ut nempe majus fuerit ſolutum, ſi ad Urbem, minus, ſi ad fluvium duntaxat aſſecuratum eſſet. Erant & Senatores, qui de urbe Nannete cogitatum inde efficiebant, quod fluvii Nannetis facta fuerit mentio, non fluvii Ligeris, quemadmodum ille fluvius, qua late patet, proprie appellatur, ſed ea ratio me non moverit, quum illa pars fluvii, quæ Urbem adluit, vulgo etiam dicatur fluvius Nannetis. Magis movebat, quod mercibus aſſecuratis, aſſecuratorum periculum ſemper duret, usque dum fuerint expoſitæ in Urbem, ad quam deſtinabantur, & quidni hic duraret? in fluvio utique exponi non poterant. Neque etiam fingebatur, merces alio fuiſſe deſtinatas, ut ſic de portu ad portum ſolummodo fuiſſet aſſecuratum, nam in ipſa Urbe eſſe exonerandas inter partes, ut dixi, conſtabat. In hac lite etiam adferebantur multa Mercatorum teſtimonia, quorum nonnulli pro aſſecuratoribus, nonnulli pro aſſecurato reſpondebant, ſed quum pari fere numero diſcreparent, & ſpeciem facti non ſatis accurate expreſſiſſent, ea omnia negligenda eſſe Senatus cenſuit.

Atque ita in utramque partem diſputatum eſt, non habita ratione illius, quam dixi, profeſſionis, apud Senatum factæ, ſed ex ea omnibus Senatoribus perſuaſum eſt, aſſecuratores in mala fide verſari, poterant enim adverſarium vincere, ſi exhiberent libros ſuos, ſi quid in his pro ſententia ſua notaſſent, vel ſi mentem, quam præ ſe ferebant, jurejurando vellent explicare. Erant tamen inter Senatores, qui contra exhibitionem librorum reſpondebant, atque ſi ex domo adverſarii non liceret inſtrumenta petere, ſed quum ea res in controverſiis & litibus Mercatorum quotidie frequentetur, nec absque eo ſæpe veritas explorari poſſit, id alios, plures numero, nequicquam offendit; in jurejurando tamen, asſecuratoribus deferendo, conveniebant omnes. Atque ita decretum eſt, ut aſſecuratores vincerent, ſi, prolatis libris, non refutarentur propria annotatione, vel, nulla annotatione habita, ſi jurare vellent, cum contraheretur, ea mente fuiſſe, ut ad fluvium Nannetis duntaxat aſſecurarent, & eorum fides eſſet liberata, ſimulac navis in fluvio anchoram projeciſſet. Et ſecundum hæc priores, quas dixi, ſententiæ vel reſciſſæ vel probatæ ſunt 18. Jul. 1731. (3) Poſtquam ab hac ſententia interpoſita eſſet reviſio, & asſecuratus, de ea proteſtatus, litigaret in judicio executionis, audio, inter partes de ipſa cauſa fuiſſe tranſactum.

(2) Eſt id Statutum poſt §. 17. *A. & in ſupplementis poſt LL. Amſterdammenſes, de Aſſecuratione* ſeparatim editas.

(3) *Obſervat. Tumult. Tom.* XI. *n.* 2646.

C A-

CAPUT XVI.

Quæ ſcientia in aſſecurato impediat aſſecurationem rerum, quæ jam perierunt? & an metus & ſuſpicio in hanc rem ſufficiant? Iter mutatum intelligi, ſi loca adeantur, in inſtrumento aſſecurationis non expreſſa, etiamſi ſint media inter portum a quo, & portum, ad quem deſtinatum iter eſt. An itinere ſic mutato, mutatum præſumatur ex mandato exercitorum? permittendum id videri exercitorum jurijurando. Qui pecuniam credidit magiſtro navigaturo, etiam conſenſiſſe videri, ut ex ea merces comparare liceret. An privati recte exerceant fœnus nauticum in Indiam Eoam?

Sempronius Dordracenus 14. Febr. 1723. per filium Titium literas mittit ad filium Mævium, qui Amſterdami habitabat, eique mandat, ut curaret aſſecurationem mercium quarundam, quas exſpectabat, Neoporto Dordracum usque. Id mandatum exſequitur Mævius 16. Febr. 1723. ea formula, *op alle goede en quade tyding*. Quum autem jam periiſſet ea nocte, quæ intercedit inter 9. & 10. Febr. 1723. aſſecuratores, ad damnum luendum interpellati, contendunt, Sempronium tempore mandati jam ſciviſſe interitum rerum ſuarum. Sempronius negabat, & aſſecuratores in jus vocat apud Judices delegatos ad res maritimas, qui Amſterdami officio ſuo funguntur. Illi Judices 31. Maj. 1724. aſſecuratores ad reparationem damni condemnant, ita tamen, quum pater Sempronius proxime ante ſententiam fato ſuo eſſet functus, ut uterque filius, tam qui literas patris pertulerat, quam qui acceperat, jurejurando affirmaret, ſe tempore contractus interitum rerum ignoraſſe. Quam ſententiam probarunt Scabini Amſterdammenſes 18. Apr. 1726. & Curia Hollandiæ 22. Mart. 1730.

Appellatum eſt ad Senatum, & ibi quæſitum, quid juris, ſi aſſecuratio fiat earum rerum, quæ jam perierunt, & ſi fiat ſub formula, *op alle goede en quade tyding*? Quicquid ejus rei eſt, ex legibus, de aſſecuratione latis, prolixe excuſſi ſupra C. VII. *in princ.* nec quæ ibi dixi, hic repeto. Summa huc redit ex §. 20. & 21. *LL. Amſterd.* ex quibus hæc cauſa erat definienda, ut aſſecuratio valeat, ſi rerum interitum ignoraverit aſſecuratus, præſcripto tempore, in quo ſcire vel ignorare præſumatur, ſin autem facta ſit aſſecuratio in omnem eventum, *op alle goede en quade tyding*, aſſecuratorem omnino teneri, niſi ſcientiam aſſecurati probet, dummodo aſſecuratus jurare paratus, ſe interitum rerum ſuarum ignoraſſe *d.* §. 21. quem §. Amſterdammenſes 23. Jan. 1699. (1) facto Statuto, ita interpretati ſunt, ut, ſi alii mandata fuerit asſecuratio, mandans ignorare debuerit tempore mandati, & mandatarius tempore contractus. His ita ſancitis, unus Senator apud nos exiſtimabat, reſcindendas eſſe illas omnes ſententias, quia Sempronius ante litem cœptam, vel illa inchoata, jusjurandum expurgationis non obtulerat, ſed reliqui omnes negabant, id deſiderare *d.* §. 21. Egerat Sempronius ſimpliciter ad reparationem damni, probe conſcius, ſe obtinendi ſpem non habere, niſi juraret, ſe interitum rerum ſuarum ignoraſſe, ſed morte præventus jurare non potuit; & quid juraret, ſi, ut in hac ipſa ſpecie, aſſecuratores ejus ſcientiam probare vellent? tunc prius judicandum erat, an probarent, nec ne, ſi non probarent, ita demum locus eſſet jurijurando.

Igitur cardo quæſtionis in eo vertebatur, an ſcientiam aſſecurati probaſſent aſſecuratores? & tam unus ille Senator, quam adhuc alius putabant, probatam eſſe, quia unus teſtis, præſtito jurejurando, affirmaverat, ſe eo ipſo die, quo aſſecuratio mandata erat, Sempronio ſignificaſſe, e re ſua fore, ut mercium ſuarum aſſecurationem quantocyus curaret, & Sempronium tunc interrogaſſe, an qua difficultas eſſet, ſe autem reſpondiſſe, quicquid ejus rei ſit, auctor tamen tibi ſum aſſecurationis curandæ, quæ etiam mandata eſt per literas, poſtquam Sempronius ſibi ſilentium commendaſſet. Ex eo teſtimonio illi Senatores ſcientiam aſſecurati efficiebant, atque adeo nolebant filiis Sempronii jusjurandum deferre. Sed quicquid ille teſtis affirmaverat, ajebat ſe accepiſſe a quodam Friſio, magiſtro minoris navigii, qui Dordracum advenerat, & ille Friſius, rurſus auditus, ajebat, ſe quidem prope Sluſam vidiſſe navem, ibi naufragium pasſam, ſed ſe plane ignoraſſe nomen vel navis vel magiſtri. Quod de ſcientia naufragii extat in Legibus, de aſſecuratione latis, non quidem ego intellexerim, ut nemo Senatorum intelligebat, de ſcientia, quæ plena fide conſtet, ut forte deſideres duos pluresve teſtes, qui naufragio adfuerunt, & id vel præſentes, vel abſentes per literas nunciarunt, unus ſuffecerit, & in eo Auctores, qui de re nautica ſcripſerunt, video conſentire, ſed tamen nolim ſufficere ſolos de naufragio rumores, quum fama ſæpe fallat, &, quod ad naufragia, ſæpe fefellerit, nolim ſolum periculi metum ſufficere, nam is metus plurimos movet ad curandas aſſecurationes, ſed tamen a ſcientia longe alienus eſt. Perſuaſiſſimum quoque habeo, penes Sempronium fuiſſe eam periculi ſuſpicionem, ut propterea aſſecurationem fieri mandaverit, & forte ſilentium teſti commendaverit, ne fruſtra aſſecuratores quæreret. At vero ſi teſtis auctorem ſuum laudaſſet, magiſtrum illum Friſium, & is de naufragio fuisſet conſultus, Sempronio utique ea ipſa narrasſet, quæ ſupra dixi eum reſpondiſſe, &, ſi ita narraſſet, Sempronius, ſi quid judico, bona fide mandaſſet aſſecurationem, nam Sempronii navem vel merces periiſſe cum ignorantiſſimis ignorabat ille Friſius. Plurima etiam adferebantur ad refutandum illum teſtem, ſed ea omitto, quum, eo etiam non refutato, plerique Senatores cenſerent, non eam in Sempronio fuiſſe ſcientiam, quæ mandatum aſſecurationis potuerit prohibere. Atque ita tres, quas dixi, ſententiæ probatæ ſunt 21. Jul. 1731. (2)

Aſſecuratum eſt Amſterdami 21. Aug. 172[illegible]. *op het caſco van ſeker ſchip van Port a Port en alle circumjacentien van dien tot Hamburg, en dat de Schipper tot Faro zoude mogen aanloopen, om ſyn verdere lading in te nemen.* Quum magiſter navis in portu Cale nullas reperiret merces, quas portaret Hamburgum, nonnullas alias ibi

(1) Extat *poſt LL. Amſterdamm. de Aſſecurationibus.* (2) *Obſervat. Tumult. Tom.* XI. *n.* 2647.

ibi recipit, Ulyſſiponem deſtinatas, & inde; ad alias recipiendas, navigaturus ad *Faro*. Ulyſſiponem appellit, & merces exponit, & ob ventum adverſum ibi aliquamdiu moratur. Deinde navigat ad *Faro*, ſed in eo itinere capitur a nave Turcica. Aſſecuratores ajunt, iter eſſe mutatum, & quidem, ut erat veriſimillimum, ex ipſo exercitorum mandato, ſeque adeo ad damnum reſarciendum non teneri, ſed tamen damnantur Amſterdami a Judicibus rerum maritimarum 22. Nov. 1726. & a Scabinis 18. Mart. 1729. & a Curia 7. Febr. 1732. ita tamen a Curia, ut aſſecuratoribus ſalva eſſet actio adverſus magiſtrum, ſi proprio Marte iter mutaſſet.

Quum appellatum eſſet, inter omnes Senatores nunc videbatur conſtare, nullos portus, in inſtrumento aſſecurationis non expreſſos, absque neceſſitate adiri poſſe, quamvis ſint intermedii inter locum, a quo, & locum, ad quem deſtinatum iter eſt, quum Ulyſſipo interjacet inter *Port a Port* & *Faro*. Id enim ſi liceret citra conſenſum aſſecuratorum, iter quam longiſſime poſſet trahi non ſine majori aſſecuratorum periculo in ſubeundis portubus. Unde & hi ſolent ſtipulari majus præmium, ubi in eodem itinere, *in de zelve route*, varii portus ſubeuntur. Si id expreſſum non ſit, & tamen loca intermedia adeantur, mutatum iter intelligi, omnes, ut dixi, Senatores nunc conſentiebant. Dico, *nunc* conſentiebant, quia non omnium Senatorum ea ſemper ſententia fuit, quam in rem conſulenda ſunt, quæ ſupra dixi C. III. *vſ. Amſterdami*, & *duobus ſeqq.* C. IV. *vſ. His ſubjicio*, & *ſeq.* C. V. *vſ. Quum*, & *ſeq.* C. VII. *vſ. Titius Amſterdami.* C. VIII. *vſ. Titius qui*, & *ſeq.* C. IX. *per totum.* & C. X. *vſ. Aſſecuratores.* Verum ſi quis hæc omnia perpendat, animadvertet, vel cauſas in facto variaſſe, vel alias fuiſſe decidendi rationes, cum maxime, quod aſſecuratoribus non proſit mutatum iter, ſi magiſter mutet ſine mandato. Sed quicquid ejus rei ſit, nunc, inquam, omnes Senatores exiſtimabant, loca ad eundem curſum ſita, ſi de iis ſileat ſtipulatio, adiri non poſſe, niſi ex neceſſitate vel conſenſu aſſecuratorum. De Ulyſſipone nulla mentio in ſtipulatione, nec ulla eam adeundi neceſſitas vel conſenſus aſſecuratorum. Mutato ſic itinere res expedita eſt ex §. 7. *A.* teneri nempe aſſecuratores, ſi magiſter absque mandato exercitorum iter mutet, ſalva illis actione contra magiſtrum, ut hanc quoque Curia reſervaverat, ſed non teneri, ſi mandantibus exercitoribus iter mutatum ſit. Quapropter de ſolo facto quæſitum eſt, & de eo ſolo quæri debebat, ſi ſubſiſtant, quæ alia occaſione Senatus judicavit 30. Sept. 1717. *d.* C. VIII. *vſ. Titius qui*, & *ſeq.* Sed difficilis probatu res, an & quid exercitores magiſtro navis mandaverint, id ſciri non poteſt niſi ex forma itineris, quam magiſtris ſuis enavigaturis exercitores dare ſolent, vel ex literis, ad eos peregre ſcriptis, quæ mandata illa comprehendunt. Nihil horum proferebatur, & utique celabunt exercitores, ſi ſibi obſtet. An dicemus, quicquid magiſter egit præſumendum eſſe ex mandato, vel etiam ſine mandato egiſſe? Utrumque difficile dictu eſſet. Erant tamen Senatores, qui onus probandi rejiciebant in aſſecuratores, ut hi nempe probarent mandatum mutandi itineris, ſed quum fere impoſſibile ſit ut mandata, ab exercitoribus magiſtris data, aſſecuratores nanciſci & proferre poſſint, plerisque Senatoribus id viſum eſt durius & iniquius. Media via placuit, ut nempe priores ſententiæ probarentur, ſi jurejurando affirmare parati eſſent exercitores, ſe magiſtro non mandaſſe, vel permiſiſſe, ut portum Ulyſſiponenſem ſubiret, vel alios contractus de perferendis mercibus iniret ex ſua ipſius ſententia, ſin autem exercitores id jusjurandum jurare nollent, reſcinderentur priores ſententiæ, & abſolverentur aſſecuratores. Ita judicatum eſt 7. Maj. 1735. (3)

Mercator Middelburgenſis mandat Proxenetæ Rotterdammenſi, ut curare vellet aſſecurationem *van Middelburg naar Batavia*, *met het ſchip 't Slo*[illegible]*ter Hooge*, *Schipper Willem de Smit*, *op* 10300. *ſilvere Ducatons en* 7320. *guldens aan getelde gelden op een Notariale Obligatie ten laſte van de voorn. Willem de Smit.* Varii aſſecuratores pro utraque ſumma in hæc verba fidejubent 22. Mart. 1732. Navis, iter ſuum proſequens, periit cum omnibus mercibus, ſalva tamen pecunia numerata, atque adeo ſalva illa ſumma 10300. Ducatonum. Alia autem ſumma 7320. florenorum data erat Navarcho ſub fœnore nautico, & ille Navarchus ex ea comparaverat merces, quæ una cum navi perierant. Mercator Middelburgenſis, ratus, ſibi aſſecuratum eſſe illud creditum 7320. florenorum, idque periiſſe cum nave perdita, aſſecuratores Rotterdammenſes apud Judices maritimos, qui ibi ſunt, convenit, ut ſibi reſarcirent damnum. Hi negant, ſe quicquam debere, quia non aſſecuraverunt merces, ſed pecuniam numeratam, ſcilicet 7320. *guldens aan getelde gelden*, & ſic quoque ſe eum contractum adnotaſſe in libris ſuis, omnem autem pecuniam numeratam, navi impoſitam, fuiſſe ſalvam, atque adeo ſe de damno non teneri. Judices tamen maritimi 7. Aug. 1734. ſecundum Mercatorem Middelburgenſem litem dederunt, & ita quoque ex appellatione Curia Hollandiæ 15. Jan. 1737.

Rurſus eſt appellatum ad Senatum, & is cenſuit, nihil quicquam referre, quid aſſecuratores in libris ſuis annotaviſſent, omnem enim cauſam pendere ex inſtrumento aſſecurationis, cui ſubſcripſerant, & quidem ibi diſtinctis periodis aſſecuratum erat op 10300. *ſilvere Ducatons*, *en op* 7320. *guldens*, *welke op Obligatie waren aangetelt aan den Schipper*, & plene conſtabat ex ea ipſa pecunia Navarchum comparaſſe merces, quæ cum nave perierant, & porro conſtabat ex teſtimonio plurimorum Mercatorum, Aſſecuratorum, & Proxenetarum, tam Middelburgenſium, quam ipſorum Rotterdammenſium, ſtilo, ut vocant, *mercantili* penes ſe eſſe receptum, ut, qui aſſecuravit *op gelden*, navigantibus data, aſſecuraſſe videtur *op contant geld*, ſi eam pecuniam navigantes ſecum ferant, *maar op goederen*, ſi navigantes ex ea pecunia merces comparent, & has ſecum ferant, tunc enim ſurrogatas videri merces loco pecuniæ numeratæ, & ſic perpetuo uſu ſervari. Addebant, hanc conditionem ſignificari, ſi aſſecuratio, ut hic, fiat *op aangetelde gelden*, *op Obligatie gegeven aan zoo of zoo een navigant*, eos navigantes tantum non ſemper eam pecuniam impendere comparandis mercibus, ſed & poſſe, ſi velint eam ſecum ferre. Ex eo uſu illi interpretabantur hæc, quæ dixi, aſſecurationum verba, nec aliter quoque Senatus, ſic edoctus, interpretatus eſt, præſertim cum nullum ullius hominis teſtimonium in contrarium adhiberetur.

Sed movebant quidam Senatores, quod tamen aſſe-

(3) *Obſerv. Tumult. T.* XII. *n.* 2900.

aſſecuratores non moverant, an non per privilegia, Societati Orientali data, aliave Ordinum Generalium Edicta illiciti eſſent contractus, quibus fœnus nauticum exercetur a privatis, qui pecunias mercesve trajectitias ad Indiam Eoam mittunt? Et ſi illiciti contractus, an non illicitæ aſſecurationes, quæ de his rebus fiunt argumento eorum, quæ diſputavi *L. I. Quæſt. Jur. Publ. C.* 21. Sed excuſſis Ordinum Generalium privilegiis & Edictis non comperit Senatus, ejusmodi contractus adhuc eſſe vetitos. Qui ſi vetiti eſſent, id utique porrigendum non eſſet ad eas pecunias mercesve, quas omni jure transvehere licet, ut ſi pecunia obvenerit ex hæreditate aliqua, vel eæ ſint merces, quæ navigantibus, etiam commercii cauſa, permittuntur, conſtat enim quasdam permitti, & potuit Navarchus etiam hanc pecuniam in comparandas ejusmodi merces impendiſſe. Quousque id permiſſum eſt, Navarchus fuiſſet verſatus in re licita, ſed, ut dixi, generaliter compertum non eſt, quicquam rei vetitæ verſari in contractibus, quibus fœnus nauticum exercetur. Superata etiam hac difficultate Senatus ſimpliciter utramque ſententiam probavit 19. Febr. 1738. (4)

CAPUT XVII.

Ex Statuto Amſterdammenſi non ſufficere, ut, profecta nave, profectio ſignificetur, niſi & addatur tempus, quo profecta ſit. Perinde tamen eſſe, aſſecuratores id ſciant ex inſtrumento aſſecurationis, an aliunde. Æſtimationem rerum aſſecuratarum ab aſſecurato eſſe probandam, nec ſufficere ſolam ejus adſertionem & jusjurandum de bona fide. Si, qui aſſecurationem mandavit, ſciverit, quando navis mercesque profectæ ſunt, mandatarius autem ex juſta cauſa ignoraverit, ſufficere, ſi hujus ignorantia in aſſecurationis inſtrumento exprimatur. Si aſſecuratum ſit van de Straat Davids naar Amſterdam, *pro periculo, quod in reditu accidit, aſſecuratum eſſe, & id incipere poſt finitam piſcationem, & hanc finitam intelligi, quando navis ex Freto recta navigat Amſterdamum.*

Sempronius, qui merces quasdam impoſuerat navi, Hullo Amſterdamum navigaturæ, aſſecuratoribus ſignificat, navem 17. Maj. 1724. adhuc jacere Hulli in Anglia, & ſic fit prima mercium aſſecuratio. Ipſe ille Sempronius 29. Maj. 1734. aliam epiſtolam accepit, Hulli ſcriptam 20. Maj. qua ſignificatum eſt, navem pridie ejus diei, id eſt 19. Maj. fuiſſe Hullo profectam, & mox eodem illo 27. Maj. easdam merces ab aliis quoque aſſecurari fecit in hæc verba: *dat volgens een brief van den* 20. *Mey het ſchip reets van Hul was vertrokken, dat hy geen nader tyding van het ſchip had, en dat de aſſecurantie geſchiede op alle goede en quade tyding.* Navis in itinere periit. Secundi aſſecuratores, ad damnum, in quod ſubſcripſerant, reſarciendum conventi apud Judices rerum maritimarum Amſterdammenſes, abſolvuntur 31. Aug. 1725. Sed apud Scabinos Amſterdammenſes, modo Sempronius juraret, ſe tempore factæ aſſecurationis ignoraſſe interitum navis, condemnantur 30. Mart. 1729. eamque ſententiam Curia confirmavit 13. Jul. 1733. additis etiam uſuris trientibus a lite conteſtata, quæ, implorata in hanc rem venia, apud Curiam erant petitæ.

Quamvis duæ illæ poſteriores ſententiæ viderentur latæ ſecundum §. 20. & 21. *LL. Amſterd.* ubi aſſecuratio erat facta, appellatum tamen eſt ad Senatum, & ab aſſecuratoribus laboratum, ut oſtenderent, Sempronium ſciviſſe interitum navis tempore ſecundæ aſſecurationis, ſed fruſtra laboratum, nihil enim adferebatur, ex quo id effici poterat, ſed iis, quæ facti ſunt, recenſendis ſuperſedeo. Magis ad rem pertinebat, quod ex jure addebant aſſecuratores, nempe ex Statuto Amſterdammenſi 29. Jun. 1688. nullam eſſe aſſecurationem, ſi, nave jam profecta, aſſecuratus profectionem & *tempus, quo profecta eſt*, non exprimat in inſtrumento aſſecurationis, niſi aſſecuratus id ignoret, & ignorantiam illam quoque profiteatur in eodem inſtrumento; hic autem nihil eſſe expreſſum, quam navem jam fuiſſe profectam, non addito tempore profectionis, & tamen Sempronium ipſum quoque diem ſciviſſe ex illa epiſtula 20. Maj. 1724. Ut hæc effugeret, aſſecuratus, ajebat, Statutum non deſiderare, ut *dies*, ſed ut *tempus* exprimatur, & quod ibi de tempore dicitur, ἐν πλάτει eſſe accipiendum, ex ipſo autem contractu conſtare, navem eſſe profectam inter 17. & 20. Maj. 1724. nec ipſius diei ſcientiam aſſecuratoribus quicquam prodeſſe potuiſſe, quin & in inſtrumento aſſecurationis expreſſum eſſe, navem fuiſſe profectam, & id videri referendum ad eum diem, quo miſſa eſt epiſtula, nempe 20. Maj. & navem forte non perveniſſe ad ipſum Oceanum, ſuperato flumine, niſi eo ipſo 20. Maj. conſtare autem ex alio Statuto, quod Amſterdammenſes ſanciverunt 3. Febr. 1699. naves non haberi profectas, niſi, relictis portubus & præternavigatis omnibus brevium indiciis, plenum mare intraverint. Erant duo Senatores, qui his rationibus multum tribuebant. Sed ne iis refutandis bonas horas perdam, ſufficit ſcire, aliam fuiſſe rationem, magis idoneam, quæ pro aſſecurato militabat, quod nempe ex inſtrumentis litis plena fide conſtaret, eam ipſam epiſtulam 20. Maj. 1724. qua nunciabatur, navem pridie fuiſſe profectam, aſſecuratoribus fuiſſe exhibitam, ab iisque lectam, priusquam inſtrumento aſſecurationis ſubſcripſerant, & ita eos diſcere potuiſſe, quo die navis profecta fuiſſet, ſic enim habebant eandem ſcientiam, quam aſſecuratus. Sive autem id ſciverint ex epiſtula, ſive ex contractu aſſecurationis, res plane eodem redibat. Et in eo omnes Senatores conveniebant, unde 7. Febr. 1739. (1) probatæ ſunt duæ poſteriores ſententiæ.

Nonnulli aſſecuratores Rotterdami aſſecuraverant duas ſarcinas mercium (*twee pakken cramery goederen*) quæ in mari Baltico deferrentur ab alio ad alium portum, quarumque pretium in inſtrumento aſſecurationis æſtimatum erat 6000. florenis. Duæ illæ ſarcinæ una cum nave, perierunt, & aſſecuratores ad ſolvendas ſummas, pro quibus ſubſcripſerant, in jus vocati, ex-

(4) *Obſerv. Tumult. Tom.* XIII. *n.* 3074.

(1) *Obſervat. Tumult. Tom.* XIV. *n.* 3122.

excipiunt, neque de ipſis mercibus, neque de earum pretio quicquam conſtare. Unde Judices Rotterdammenſes ad res maritimas 9. Mart. 1737. interlocutoria ſententia jubent, ut aſſecuratus tam de ipſis mercibus, quæ illis ſarcinis incluſæ fuiſſent, quam de earum pretio plenius edoceret. Aſſecuratus, ut ſatisfaceret interlocutioni, componit indicem earum mercium, non deſcriptum ex aliquo libro, vel alia ejus annotatione, ſed, ut ajebat, ex memoria ſua, quam, ut poterat, ſervaverat. Adjicit quoque ſingulis mercibus pretium, ſed, ut rurſus ajebat, ex ſua ipſius æſtimatione, abſque ulla alia probatione. Hunc indicem exhibet adverſariis, & ſimul offert jusjurandum, quicquid in eo notaverat, ſe bona fide notaſſe. Quum pretium, ibi adſcriptum, excederet illos 6000. florenos, iidem Judices maritimi, modo aſſecuratus juraret jusjurandum, quod obtulerat, ſecundum eum jus dixerunt, & eam ſententiam probavit Curia 13. Nov. 1738. Sane certi juris eſt ex §. 10. 12. & 18. *Tit.* VII. *LL. Naut.* 1563. quin & ex §. 19. *R. V.* & ex §. 70. *R. N.* ad damnum agi non poſſe, niſi conſtet de vero pretio rerum aſſecuratarum, idque ipſe aſſecuratus agnovit, quum interlocutionem Judicum maritimorum probaſſet, & ei ſatisfacere eſſet paratus, ſed Senatus putavit, eum non ſatisfeciſſe illo mercium catalogo, quem exhibuerat, & ex cerebro ſeu memoria labili fabricaverat, nec etiam ad pretium probandum ſufficere ſuam ipſius æſtimationem: ſic enim nunquam defuturam probationem, ſi ſola adſertione & jurejurando de bona fide res tranſigi poſſit. Rejecta igitur eſt ea probatio, ſed quia conſtabat, illas Sarcinas in Freto Sundico, ubi vectigal ſolvitur Danorum Regi, fuiſſe æſtimatas 1200. Imperialibus Danicis, & quia nihil aliud ad manum erat, ex quo pretium definiri poſſit, Senatus, reſciſſis prioribus ſententiis, damnum, ſarcinis datum, eadem ſumma æſtimavit, & aſſecuratores, pro rata ſubſcriptionis, in eam damnavit, 31. Jul. 1739. (2)

Mævius, qui Quebeci in America Septemtrionali habitabat, 28. Oct. 1736. ad Titium Rupellenſem literas dedit, quibus mandat, ut merces quasdem ſuas, quas propediem Quebeco Rupellam erat miſſurus, aſſecurari faceret ad usque certam ſummam. Titius, acceptis illis literis, quum Rupellæ nulla eſſet aſſecurandi occaſio, 27. Dec. 1736. ſcribit ad Sempronium Amſterdammenſem, ut in Hollandia illam aſſecurationem curare, & aſſecuratoribus ſignificare vellet, navem, quæ merces portabat, Quebeco eſſe profectam 3. Nov. 1736. cæterum, ſe nulla alia inſtrumenta habere, quam illam Mævii epiſtulam. Sempronius curat illam aſſecurationem Rotterdami 10. & 12. Jan. 1737. Sed, quia Titius ſcripſerat, ſibi nihil ad manum eſſe, quam illam Mævii epiſtulam, datam 28. Oct. 1736. Sempronius anxius hærebat, quemadmodum ex epiſtula, ſcripta 28. Oct. ſcire potuiſſet Titius, navem Quebeco deinde eſſe profectam, nempe 3. Nov. & metuens ea de re litem, prudenter inſtrumento aſſecurationis inſerit, *dat de riſico zou ingaan op den* 3. *Nov.* 1736. *als wanneer gemeent wierd, dat het ſchip zou zeilen, zulks geſchiet weſende of niet, of wel eenige dagen vroeger of later, dat de aſſuradeurs te vreden waren; alles ter goeder trouwe, en voorts op alle goede en quade tyding.* Habebat utique Sempronius, cur dubitaret, an non Titius erraſſet in aſſignando die profectionis, neſciebat enim, aliam navem Quebeco Rupellam adveniſſe, & ex ejus Navarcho Titium intellexiſſe, navem, quæ has merces vehebat revera Quebeco eſſe profectam 3. Nov. 1736. Quum autem hæc navis naufragium eſſet paſſa 13. Nov. 1736. & reparationem damni Sempronius poſceret apud Judices, qui de aſſecurationibus Rotterdami cognoſcunt, hi 14. Jan. 1739. aſſecuratores ad illam reparationem damnarunt, eorumque ſententiam Curia habuit ratam 20. Jul. 1736.

Provocatum eſt ad Senatum, & ibi aſſecuratores primum arguebant malam fidem Titii, atque ſi 27. Dec. 1736. cum aſſecurationem fieri mandaverat, jam ſciviſſet, merces, de quibus agebatur, periiſſe, ſed probationes in hanc rem minus erant idoneæ, & ſi quæ eſſent ſuſpiciones, has præſtito in contrarium jurejurando Titius jam diluerat. At vero quam maxime urgebant §§. 32. 33. & 34. *R. N.* ſecundum eos enim merces, jam profectæ, aſſecurari poſſunt, ſed non aliter, quam ſi aſſecuratus tempus profectionis, ſi noverit, exprimat, ſi non noverit, etiam id exprimat, alioquin aſſecurationem reſcindi. Qui §§. plane conveniunt cum Statuto Amſterdammenſi 29. Jan. 1688. Ajebant autem, Sempronium Amſterdammenſem ex literis, ad ſe datis 27. Dec. 1736. ſciviſſe, navem jam fuiſſe profectam 3. Nov. 1736. nec tamen id rotunde expreſſiſſe in inſtrumento aſſecurationis, ut exprimere debebat ex mandato, nullam igitur eſſe aſſecurationem ex ſpeciali §. 34. & ex generali §. 73. *earundem LL.* Non licet dicere, quod tamen nonnulli Senatores dicebant, aſſecuratores fuiſſe contentos ea circumſcriptione, quam de profectione navis adhibuerat Sempronius, idque eos palam inſtrumento aſſecurationis fuiſſe profeſſos, nam aliquoties jam Senatus judicavit, ut ſupra retuli, legibus, de aſſecuratione latis, renunciari non poſſe, & id ipſum continetur §. 1. *R. V.* & §. 75. *R. N.* turpe quidem eſſe fidem datam fallere, ſed in lege perfecta ſummo jure licere, ut plenius diſputavi *Hoc Libro C. V. vſ. Contradicunt, & ſeq.* Plurimi Senatores malebant reſpondere, Sempronium profectionis non plane fuiſſe conſcium, ſed dubitaſſe ob eam, quam dixi, rationem, & ob quam nemo non dubitaret, & ideo ſignificaſſe, ſibi non plene conſtare de tempore profectionis, quod verum erat. Addebant alii, ubi periculum incipit ex certo tempore, ut hic ex 3. Nov. 1736. ſcientiam vel ignorantiam profectionis nihil ad aſſecuratores pertinere, & iis §§. 32. 33. & 34. tunc locum non eſſe. Erant tamen Senatores, qui animoſius Sempronium increpabant, quod, qua mandatarius Titii, fines mandati non diligenter obſervaſſet, ſed quod hi culpæ, alii prudentiæ adſcribebant. Sane non erraſſet Sempronius, ſi tempus profectionis expreſſiſſet, ut in mandato ſimpliciter expreſſum erat, ſed maluit mandanti conſulere, ſi forte, ut ipſi quidem videbatur, diem profectionis perperam ſignificaſſet. Ad hæc, quod in *Legibus Rotterdammenſibus d.* §§. 32. 33. & 34. ſcriptum eſt, Sempronius referebat ad eum duntaxat, qui aſſecurationem mandavit, non ad eum, qui ex mandato curavit. Exſtat quidem Statutum Amſterdammenſe 23. Jan. 1699. quod in his rebus mandantem & mandatarium habet non pro una eademque perſona, ſed præterquam quod id Statutum non obtineat niſi in cauſis Amſterdammenſibus, ſano ſenſu utique non aliter intelligi poteſt, quam ſi uterque eandem vel ſciverit, vel ignoraverit. Si man-

(2) *Obſerv. Tumult. T.* XIV. *n.* 3148.

mandans ſciverit ante factam aſſecurationem, res periiſſe, mandatarius autem ignoraverit, ſcientia ſolius mandantis reſcindit aſſecurationem, in utroque enim requiritur bona fides. Hic autem in utroque fuit optima fides, mandans expreſſit profectionem navis, quam ſciebat, mandatarius, qui de ea anxius dubitabat, maluit ignorantiam exprimere, & quicquid expreſſum eſſet, aſſecuratoribus nec oberat, nec proderat. Utraque igitur ſententia probata fuit 15. Jan. 1740. (3)

Quum Gajus intellexiſſet, navem ſuam in Freto Davidis cepiſſe ſex balænas, Amſterdami 26. Jul. 1727. aſſecurari ſibi facit *op Walvisſpek en baarden van de Straat Davids naar Amſterdam.* Navis eas balænas ceperat prope inſulam Diſco, ſed revertens navigavit ad glaciem Occidentalem, *het Weſt-ys*, ut juxta eam in reditu piſcaretur, & caperet balænas, ſibi forte obvias. Sed per tempeſtatem ruptis & luxatis quibusdam navis inſtrumentis, nautæ inde divertunt & appellunt *in de Zuyd-baay* (qui Sinus eſt ad Orientem Freti) ut ibi reficerent inſtrumenta ſua, ea mente, ut poſt refectionem rurſus deflecterent ad glaciem Occidentalem, ibi iterum piſcaturi. Sed navis, exiens ex illo ſinu periit, ſalva tamen aliqua oneris parte. Aſſecurator, ut damnum, quod ibi acciderat, reſarciret in jus vocatus, abſolvitur a Judicibus rerum maritimarum Amſterdammenſibus 29. Mart. 1729. eorumque ſententiam probarunt Scabini 21. Mart. 1731. & Curia Hollandiæ 2. Nov. 1735.

Appellatum eſt. De eo autem inter partes conſtabat, quum ita, ut dixi, aſſecuratum eſt, aſſecuratum eſſe pro ſolo periculo, quod in reditu accideret, ſed inde quæſitum, quando navis rediiſſe cenſenda eſſet? Turba 18. Mercatorum Amſterdammenſium adfirmabat, reditum incipere, poſtquam finita erat piſcatio, & de eo etiam inter partes ſatis conveniebat. At vero Gajus contendebat; captis illis ſex balænis prope inſulam Diſco finitam fuiſſe piſcationem, navem quidem ſuam navigaſſe ad glaciem Occidentalem, & poſt rupta, & in illo, quem dixi, ſinu refecta navis inſtrumenta, rurſus eo navigare conſtituiſſe nautas, ſed recepti moris eſſe, ut naves redeuntes ex Freto Davidis deflectant ad glaciem Occidentalem, & juxta eam Amſterdamum navigent, non eo animo, ut ibi veram piſcationem exerceant, id eſt, ut easdem vias eant, redeant, & quaquaverſum oberrent, ſed ut, dum redeunt, unam alteramve balænam, ſibi forte obviam, ſui quoque juris faciant, & ſane de eo more teſtabantur 22. Mercatores, Navarchi, & alii, ejus piſcationis periti. Sed quærebatur, an id liceret periculo aſſecuratorum? Adfirmabant quidem illi 18. Mercatores, aſſecuratores de damno, in reditu accepto, teneri, quocumque loco id fuerit acceptum, ſed reditum interpretabantur, ſi navis, Amſterdamum deſtinata, finita piſcatione, recta Amſterdamum naviget, non vero ſi deflectat ad aliam piſcationem. Et ſecundum hæc plerique Senatores reſpondebant, ſi nautæ, exeuntes illo ſinu, conſtituiſſent recta Amſterdamum pergere, dici poſſe, finitam fuisſe piſcationem, etiamſi forte balænam, ſibi obviam, cepiſſent, ſed nunc conſtituiſſe ad Occidentem deflectere, ubi major eſt balænarum copia, non alia mente, quam ut obvias quasque balænas facerent ſuas, neque adeo dici poſſe finitam fuiſſe piſcationem, ex illo ſinu, ſi Amſterdamum deſtinaſſent, navigandum fuiſſe ad meridiem, & ſuperato Angulo, qui dicitur de *Staten-boek*, ad Orientem, quod periculo ſuo licuit facere, aſſecuratoris periculo non licuit. Ex his efficiebatur, navem periiſſe, priusquam abſoluta eſſet piſcatio, atque ita damnum ad asſecuratorem non pertinere. Hac una ratione omnes Senatores, uno diſſentiente, tres priores ſententias probabant, neque adeo excutiebant alias rationes, quas etiam in rem ſuam vertebat aſſecurator, & quæ tamen videbantur exigui ponderis. Ita judicatum eſt 10. Febr. 1740. (4)

CAPUT XVIII.

Si navis navi ejusque oneri damnum dederit, an & quemadmodum reſarciendum ſit?

Ab aſſecuratione tranſeamus ad alias ſpecies damni nautici, & primum ad eam, quæ eſt de damno navium. Hanc ex legibus, ea de re latis, explicare operæ pretium erit, etiam ideo, quod quædam in illis occurrant, quæ alium interpretem videntur deſiderare, quam hactenus nacta ſunt. Jure quidem Romano in damno navium merum jus ſequi placuit, merum jus eſt, ſi navis navi damnum dederit, animadvertendum, dolo, culpa, an caſu datum ſit, ſi dolo vel culpa, reſarciendum eſſe ab eo, qui dedit, ſi caſu, fato imputandum, negata omni reſtitutione. De dolo nemo ambigat, de culpa & fato eſt *l.* 29. §. 2. 3. & 4. *ff. ad L. Aquil.* ad quos §§. commentatus ſum *Lib. V. Obſerv. Jur. C.* 16. & 17. De dolo & culpa, ſi probari poſſit, eandem jurisprudentiam adhuc ſequimur, ſed quum facile quis ignoret, aut probare nequeat, quid alter in alia nave poſſit facere vel non facere, facile accidebat, ne ulla damni fieret reſtitutio, ut nec fiebat, ſi caſus fortuitus damno cauſam dediſſet. Ut ab eo jure recederetur ſola utilitas effecit, ſola, inquam, utilitas, nam alia ratio communicandi damni, quam dedit §. 28. *vſ. Het gevalt LL. Wisbuyc.* acuminis eſt nautici, quod ego non percipio. Ut navis, quæ damnum dedit, vel dederetur, vel damnum reſarciretur, ad inſtar ſcilicet actionis de pauperie ex Jure Romano huc transferre, mercaturæ favor non patiebatur, mollior jurisprudentia placuit, & media via electa eſt. In totum eſſe reſarciendum damnum, ſine culpa datum, durum & avarum eſt, ut nihil plane reſarciretur, ſi caſus damno cauſam dederit, juſtum quidem, ſed ob rationem, quam dixi, inutile viſum eſt. Ut ei rei ſuccurreretur, injuſta quidem, ſed utili ratione placuit, ut damnum, ſine culpa datum, ſimpliciter communicaretur, ſic enim Legibus conſtitutum, & judiciis receptum eſt. De judiciis quamplurimis ipſe teſtari poſſem, ſed teſtentur potius Neoſtadius *Deciſ. Supr. Cur.* 48. & 49. & Coren *Obſerv.* 40. & 41.

Sed utile erit ipſas Leges nauticas ea de re conſuluiſſe, ſive Wisbuycenſes, quibus nos fere utimur, ut Romani utebantur Legibus Rhodiis, ſive patrias, id eſt, univerſo Belgio communes, ut ſunt Leges Caroli V. 19. Jul. 1551. (1) & Phi-

(3) *Obſerv. Tumult. T.* XIV. *n.* 3168.
(4) *Obſerv. Tumult. T.* XIV. *n.* 3173.

(1) *Plac.* I. II. 7. 11.

Philippi II. ult. Oct. 1663. (2) ſive Friſicas, id eſt, Provinciæ vicinæ, ex aliis fere deſcriptas. Hæ autem de damno navium ita ſtatuunt. Si navis navigans alteri §. 71. *LL. Wiſbuyc.* jacenti §. 27. *d. LL.* §. 48. *LL. Naut. Caroli V*, §. 3. *Tit. V. LL. Philippi II.* §. 3. *T.* 25. *L. I. LL. Friſic.* naviganti §. 48. *LL. Wiſbuyc* §. 46. *LL. Carol. V.* §. 1. *T. V. LL. Philipp.* II. §. 1. *T.* 25. *L.* 1. *LL. Friſic.* vel ruptis vinculis ſoluta navis navi ſtanti ligatæ §. 49. *LL. Wiſbuyc.* §. 47. *LL. Carol. V.* §. 2. *Tit. V. LL. Philipp.* II. §. 2. *T.* 25. *L.* I. *LL. Friſic.* ſine culpa damnum dederit, commune eſt omnibus *d.* §§. ſi culpa interceſſerit, variis §§. additur, qui culpam fecerit, damnum lueret.

Supereſt alius caſus, quem nondum excuſſi, ſi nempe in anchoris ſtans ligatave navis alteri ſimiliter ſtanti vel ligatæ, non ruptis funibus, ſed ſolo attritu damnum dederit, quid dicemus? Et 5. Oct. 2. Nov. 1649. XXX. Mercatores Amſterdammenſes reſponderunt, (3) ſibi videri, *dat als Schepen vaſt ſitten en weer vlot worden, en d'eene d'andere door ſtorm of wind met het aanvryven beſchadigt, dat zulks moet gerekent werden als een ramp, en dat die ſchade heeft geleden, de zelve alleen moet dragen, ſonder vergoeding van den anderen.* Ad hunc caſum referri poſſent §. 29. *LL. Wiſbuyc* §. 5. *T. V. LL. Philipp.* II. & §. 5. *T.* 25. *L.* I. *LL. Friſic.* niſi quod in illis §§. damnum paſſus id repetat, ſi culpa dantis intercedat, quod rationem habet, ſed quid ſi nulla intercedat? Difficile dictu eſt, neque tunc damnum communicari. Ea autem XXX. Mercatorum reſponſio forte magis data eſt ex animi ſui ſententia, quod id ipſis bonum & æquum videretur, quam ex lege vel conſuetudine generali, quia multorum inter eos reſponſio non continet, eam eſſe vel legem vel conſuetudinem, ſed id ſibi bonum & æquum videri. Alii tamen inter eos id ita uſu ſervari rotundo ore adfirmant, ſed quia ea damna ex attritu ſæpe non magni momenti ſunt, fieri potuit, ut ea de re damnum paſſi litigare noluerint, quod in aliis jus non facit. Forte tamen ea reſponſio & hanc rationem habet, quod nempe damnum, quod ex attritu eſt, magis præcaveri poſſit, quam quod a navi datur, quæ eſt in medio curſu, poſſitque de hoc damno, magis quam de omni reliquo, an caſu, an culpa fiat, facilius conſtare, unde ceſſat communicandi damni ratio. Sed vero ſi nulla culpa ſit, vel argui poſſit, haud animadverto, cur non damnum, etiam attritu datum, communicandum ſit. Scio, *d.* §. 29. *LL. Wiſbuyc.* & *d.* §§. 5. 5. *LL. Philipp. & Friſic.* ex Jure Romano definire damnum, attritu datum, ſed, ut modo dicebam, ſi culpa dantis intercedat, & ſic eſt in omni damno navium, ſed nihil definiunt, ſi mero caſu fortuito attritus, & ex eo damnum fiat, nec mihi ulla ratio ſuccurrit, cur hunc caſum magis placeat definire ex jure Romano, quam ex reliquo jure Nautico, quo utimur, & quod ſine ulla diſtinctione omne damnum, mutua impulſione navibus datum, commune eſſe jubet.

Sed pergamus ad damni, ſine culpa dati, & ab utroque ferendi, explicationem. Apud Pragmaticos, hilarioris olim famæ ſcribi video, (4) damnum navium, ſine culpa datum, communicari ex Legibus nauticis, damnum vero bonorum ex ſola conſuetudine, rebus judicatis confirmata. Sed ſi eorum Pragmaticorum ſententia utaris, quisquis es, prolixe falleris. Antiqua fuit conſuetudo, & navis & bonorum damnum communicari, nec intercedo, quominus ex ea & aliis conſuetudinibus compoſitæ ſint Leges nauticæ, quibus utimur, ſed ſi per *conſuetudinem* intelligas conſuetudinem, illis Legibus poſteriorem, erras aut ludis, & hanc intelligunt Pragmatici, cum ajunt, nec jure Civili, nec jure nautico quicquam de bonis eſſe cautum. Jus Civile in *l.* 29. §. 2. 3. *&* 4. *ff. ad L. Aquil.* ſimpliciter loquitur de damno, quod culpa nautarum datum eſt, reſarciendo, quod utique potes & debes intelligere tam de damno navium, quam mercium, etiam ideo, quod de damno funium præciſorum ſermo ſit *d. l.* 29. §. 3. quam ſi vel de navi, damno adfecta, duntaxat loqueretur *d. l.* 29. §. 2. 3. *&* 4. omnes, qui JCti nomen ferunt, id etiam intelligerent de bonis, in ea navi repertis, nec ſcio eſſe quemquam, qui aliter intelligat. Leges Wiſbuycenſes fere ſimpliciter loquuntur de navibus, ſed idem juris eſſe de bonis manifeſta ſententia eſt §. 27. *&* 68. earundem Legum, utque ita in cæteris §§. naves intelligendæ ſint cum omni cauſa, id eſt, ut id, quod de damno navibus illato dicitur, etiam porrigatur ad bona, quæ iis navibus vehuntur. Leges Caroli V. §. 45. 47. 48. *&* 49. & Philippi II. *Tit.* V. §. 1. 2. 3. 4. *&* 5. & Leges Friſiæ *L. I. T.* 25. §. 1. 2. 3. 4. *&* 5. ſimpliciter fere loquuntur, ut loquitur Jus Romanum, de damno dato, quod æque ad bona, quam ad naves pertinet. Et quis credat, quod ſancitum eſt in *d.* §. §. 46. 1. 1. de damno communicando, ſi navis ſine culpa fuerit depreſſa, id non eſſe intelligendum de omni damno, quod depreſſione datum eſt, atque ita non de damno, quod bonis, ſed quod ſolis navibus accidit? recta interpretandi ratio id non patitur, & prohibet manifeſta auctoritas in *d.* §§. 27. *&* 68. Quod ergo de damno, navibus illato, hic illic ſancitur expreſſe, id & de onere, ex eadem poteſtate legis, omnino intelligendum eſt. Fuerunt tamen, qui damnum, oneri illatum, communicari negarunt, quorum opinionem & alii exploſerunt, (5) ſed velitatione potius, quam juſto prælio. At quum de jure, quo utimur, nemo ambigat, de auctoritate ejus juris, ex Legibus, an ex conſuetudine ſit, non eſt, ut multum laboremus. Addo duntaxat unam ſpeciem, me Senatore, a Curia Suprema judicatam de damno, caſu dato. Navis, quæ Hamburgo in Stationem Texelenſem venerat, inde ſub tuitione Admiralii Hollandici cum aliis plurimis enavigat, & poſtquam illa Claſſis aliquamdiu navigaſſet, Admiralius, ſigno dato, jubet Claſſem vela vertere, ſed navis Societatis Indicæ Orientalis, quæ Claſſem comitabatur, & propter onus gravius vel motum maris vehementiorem vela vertere non poterat, Hamburgenſem, contra ſe venientem, obruit, eaque impulſione navis Hamburgenſis periit. Hamburgenſes Curatores Societatis Indicæ in jure conveniunt, quo reſarcirent dimidium damni, caſu & ſine culpa dati, ex his, quas memoravi, Legibus nauticis. Societas culpam arguit, & hanc transfert in navem Hamburgenſem, nam ab hominibus ſuæ navis proclamatum eſſe, rurſus vela verteret Hamburgenſis, ſe enim vertere non poſſe. Ad hæc Hamburgenſes: proclamationem

(2) *Plac.* I. II 7. 1. 2.

(3) *Form.* II. C. I. p. 36-40. *& Conſil.* B. T. III. *Conſil.* 132.

(4) *Bello Juridico Caſu* 49. p. 381. *& ſeqq. & in libello* over het beſchadigen van Binnenlands-Vaarders *p.* 15. *& multis ſeqq.*

(5) *Conſil. H. T.* II. *Conſil.* 27.

nem illam ad aures hominum ſuorum non perveniſſe, illos eum curſum tenuiſſe, quem juſſerat Admiralius, navis Indicæ fuiſſe, eundem curſum tenuiſſe, nec ſcire ſuos homines potuiſſe, navem Indicam gubernaculo ſuo audientem non fuiſſe, illos ſingulis momentis exſpectaſſe, ut Indica curſum mutaret, &, ſi mutare non poſſet, ut alia ratione, quam ſuggerebant, ſibi & Hamburgenſi conſuleret. Sic alter, ut fit, in alterum culpam derivabat, ſed ſatis conſtabat, mero caſu, ſine ulla ullius culpa, de qua tuto liceret decernere, accidiſſe damnum, atque eapropter eſſe commune: nam quod Socius dicebat, cito nimis nautas Hamburgenſes navem ſuam reliquiſſe, ut vitæ ſuæ, quæ nondum periclitabatur, conſulerent, æque erat frivolum, ac aliud, quod addebant, ſe nempe, reſpectu Hamburgenſium, judicare non poſſe ex Legibus Caroli V. vel Philippi II. nam, ne dicam, ſub tuitione Hollandica hanc Claſſem enavigaſſe, id ipſum, quod illis Legibus ſancitum eſt, etiam ſancitur Legibus Wisbuycenſibus variis §§. & hæ tam Hamburgi, quam hic valent, ſi noſtræ iis non adverſentur. Recte igitur Curatores Societatis Indicæ, ut petierant Hamburgenſes, damnarunt Judices Amſterdammenſes 27. Aug. 1710. Curia Hollandiæ 19. Sept. 1713. & Senatus noſter 12. Febr. 1717. (6)

CAPUT XIX.

Damni communicatio an ad quaslibet naves & quælibet bona pertineat?

Jam videamus, ad quas naves bonaque illæ de damno communicando Leges Nauticæ pertineant? & conſulta ratione, conſultiſque, quas dixi, Legibus, ad omnes naves, &, quæ iis vehuntur, bona videntur pertinere, & ſic ipſe quoque putarem, ſi a recepta in contrarium ſententia diſſentire eſſet integrum. Vulgo diſtinguunt inter naves marinas, quas appellare licet θαλασσοπόρους (*Zeevaarders*) & naves fluviatiles, quas appello ποταμοπόρους (*Binnelandsvaarders*) & ajunt in illis damna navium & bonorum communicari, in his ſolarum navium. Exſtat pro ea ſententia Libellus, hoc titulo, *Advyſen*, *Certificatien en Gewysdens rakende het vergoeden van de ſchade*, *die de binnenlandſche Schepen malkander komen aan te doen*, qui iterata editione prodiit Amſterdami anno 1670. & rurſus 1730. *poſt jus nauticum*, Adriani Verwer. Libellus ille conſcriptus eſt, ut naves ποταμοπόρους a damno oneris abſolvat, & fato imputet, quod ſine culpa oneri accidit, utque adeo oneris domini ſoli ferant damnum, quod rebus ſuis illatum eſt. In hanc rem adferuntur plurima Advocatorum (1) & hominum nauticorum Reſponſa, & res vario tempore judicatæ, nempe apud Judices Amſterdammenſes anno 1611. apud Enchuſanos 29. Dec. 1648. (2) & Delphenſes 6. Nov. 1657. (3) & cum appellatum eſſet, etiam apud Curiam Hollandiæ ult. Jul. 1665. (4)

Reſponſa illa Advocatorum & nautarum ποταμοπόρων continent plurimas rationes, ſed fere indignas, quæ ſerio refutentur. Præcipua eorum ratio eſt, quod damna quidem navium ποταμοπόρων, ſine culpa data, communia eſſe conſueverint, de damno autem bonorum, quæ in iis navibus fuerunt, nunquam id audiverunt. Quod rei, de qua agitur, probandæ non ſufficit. Se id nunquam audiviſſe adfirmant, & forte neque multis annis ſemel accidit, ut peteretur. Et quamvis ſæpe acciderit, & ſæpe viderint, navium ποταμοπόρων damna communicari, bonorum non communicari, atque ita dominos res ſuas recepiſſe corruptas, earumque damnum ſolos ſine ulla contradictione tuliſſe, & quamvis præterea viderint, aliter fieri ſæpiſſime de bonis, quæ navibus θαλασσοπόροις vehuntur, quid, obſecro, inde? Si Titii rem ſatis minimam ſæpius interverteris, neque ille ideo toties tecum litigaverit, ne dicas propterea, neque eum te recte in jus vocaturum, ſi totum ejus patrimonium diripias. Minutias volentes negligimus, & utiliter negligimus, neque tamen ideo, ſi eas perſequi velimus, nobis præjudicium fiat, idque multo minus, cum de re majoris momenti incidat caſus. Navigiis ποταμοπόροις res quaslibet imponimus, etiam minutiſſimas, quæ forte per unum alterumve milliare vehuntur. His deperditis, ſi omnes earum rerum domini ad judicium provocarent, repetituri rerum ſuarum partem dimidiam, plus forte impenſarum facturi eſſent, quam amiſſarum totum eſſet pretium. Non igitur mirum eſt, ſi non frequenter videris, rerum in navi ποταμοπόρῳ ſubmerſa dominos ad dimidii damni reſtitutionem contra Magiſtros litigaſſe. Aliter eſt in navibus θαλασσοπόροις, quibus fere non imponuntur niſi merces magnæ quantitatis, & magni quoque pretii, de quarum damni dimidii reſtitutione operæ pretium eſt egiſſe. Ipſi nautæ ποταμοπόροι non ſemper de damno navium ſuarum agunt, ſed, ſi minimum ſit, negligunt, ſi vero tanti ſit, ut litigaſſe expediat, jus ſuum perſequuntur. Idem de bonis, quæ in navibus ποταμοπόροις perierunt, dicendum eſt, ſi earum pretium minimum ſit, negligitur, ſi tanti ſit, ut ejus dimidii ergo contra magiſtros, itemque rerum, quæ in navi ſalvæ ſunt, dominos litigaſſe expediat, nihil prohibet, quominus poſſint, ſi velint.

Illa autem Advocatorum de conſuetudine teſtimonia unice ſunt deſumta ex teſtimoniis nautarum, qui ita uſu ſervari reſpondent. Si dicas, ea Reſponſa utique alias valere ad conſuetudinem probandam, animadverte, quam periculoſum ſit credere nautis, adfirmantibus, de navi ſua ſe agere poſſe, mercium, quæ in ea navi perierunt, dominos non poſſe. Iis ſcilicet credes, ſi credas teſtibus in re ſua. Naves fluviatiles ad ipſos nautas pertinent, merces fere ad alios, de quorum damno parum ſolliciti ſunt. Ex his, puto, apparet, non multum illis Reſponſis hac in re eſſe tribuendum.

Quod ad ſententias, vario tempore, ut dixi, latas quæſtionis eſt, an non in iis litibus, quas definierunt illæ ſententiæ, mercium domini egerint contra nautas, qui jam naves ſuas exoneiarant, & an, ſaltem quod ad exoneratas merces, ulla adverſus eos ſit actio? in quam rem utile erit

(6) *Obſervat. Tumult. T.* VI. *n.* 1320.

(1) Quæ & ſunt in *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 7. & *T.* III. *Conſil.* 52--56.

(2) Quæ ſententia cum inſtrumentis litis conteſtatæ & Conſiliis Advocatorum in utramque partem etiam exſtat *in Bello Jurid. Caſu* 48. p. 369--373.

(3) Ibidem cum inſtrumentis & Conſiliis *Caſu* 49. p. 374--379.

(4) Exſtat & ea ſententia cum Conſiliis in utramque partem ibidem *eod. Caſu* p. 380--385.

erit conſuluiſſe Senatus Supremi ſententiam apud Neoſtadium *Deciſ.* XLIX. Sed, quicquid ejus rei ſit, mihi equidem videtur, neque conſuetudinem ex iis ſententiis recte probari, illæ namque ſententiæ, ex iis nautarum Reſponſis confectæ, non alio fundamento nituntur, quam conſuetudinem ex illis Reſponſis fuiſſe probatam, quæ tamen, ſi quid judico, probata non eſt. Quin, ſi vel probata eſſet, hic, ſi ullibi, valere velim illud Celſi in *l.* 39. *ff. de LL. Quod non ratione introductum, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtentum eſt, in aliis ſimilibus non obtinet.* Poſſem id illuſtrare aliis exemplis, ex Jure Hollandico petitis, ſi non ſatis in hanc rem ſufficeret ſolus §. 39. *Legum*, quas vocant, *Politicarum*, quas tulerunt Ordines Hollandiæ 1. Apr. 1580. Denique non ſatis intelligo, quid ad rem faciat illa Judicum Enchuſanorum ſententia anni 1648. eo enim in facto navis, quæ, avena onerata, apud *Durkendam* depreſſa erat, veniebat *Tonninga*, ego autem nullam Tonningam novi, niſi in Ducatu-Sleſvicenſi, & tamen Advocatus, qui pro reo reſpondet, eum inde defendit, Leges nauticas ad *Binnenlands-vaarders* non pertinere. An ergo putaſſet, ratione damni communicandi, pro navibus θαλασσοπόροις non haberi, niſi quæ mare vaſtum navigant, aut inde redeunt? vel redeuntes non cenſeri, quæ jam tam prope ad terram acceſſerunt. Utrumque perperam. Sane omnes reliqui Advocati conſentire videntur, omnes naves, quæcunque maria navigantes, pro θαλασσοπόροις eſſe habendas, easque, ubicunque navigent vel jaceant, Legibus iſtis nauticis ſubeſſe, & ſic quoque palam ipſis Legibus ſancitum eſt.

Aliæ argumentationes, quibus Advocati, & nautæ ex Advocatorum conſiliis utuntur, me quoque parum moverint. Ajunt, Leges Nauticas, quibus utimur, vocari *Zee-regten*, easque adeo ad naves ποταμοπόρους referri non poſſe; *dat de Binnenlands-vaarders geen avarye genieten, en daarom de ſchade aan de goederen opgekomen, niet moeten dragen*; quin & expreſſe in §. 50. *LL. Naut. Caroli* V. & §. 10. *T.* IV. *Philipp.* II. & §. 10. *T.* XXIV. *L.* I. *LL. Friſic.* conſtitutum eſſe, *dat de goederen, in een Ligter geloſt, en verongelukt, niet komen tot ſchade van het voorſchr. Ligter-ſchip.* De prima ratione mox dicam plenius, duæ aliæ prorſus ſunt alienæ a quæſtione, quam hic tractamus, & earum Conſtitutionum longe etiam alia ratio eſt. Sed his, & cæteris vociferationibus, quibus nimium alioquin gravari queruntur τῶς *Binnelands-vaarders*, ſi ſingulatim occurrerem, librum ſcriberem, & inani opera bonas horas perderem.

Sane ſi, quod de damno communicando dixi, duntaxat conſtitutum eſſet de navibus θαλασσοπόροις, de quibuslibet aliis tamen intelligerem, & dicerem, non ideo illas leges nominatim de θαλασσοπόροις eſſe ſcriptas, quod aliud juris eſſet in aliis, ſed quod Juris Nautici potiſſima pars ſit jus maritimum. Sola utilitatis ratio damni communicationem ſuaſit & extorſit, ut *Capite præced.* dicebam, eaque ratio generalis eſt, generaliter igitur accipiamus, & porrigamus ad ea, quæ tendunt ad eandem utilitatem ex præſcripto Pedii & Ulpiani in *l.* 13. *ff. de LL.* Sed tantum abeſt, ut Leges nauticæ, quæ de damno communicando agunt, id reſtringant ad naves maritimas, ut Carolus V. in §. 46. 47 & 48. *LL. Nautic.* loquatur *van Schepen*, *binnen of buyten 's lands ſeilende*, *leggende of komende*, & ſic quoque ipſiſſimis verbis §. 1. 2. & 3. *T.* V. *LL. Philipp.* II. & §. 1. 2. & 3. *T.* XXV. *L.* I. *LL. Friſic.* quod non aliter intelligeres, certe ego non aliter intelligo, quam de *buytenen binnenlands-vaarders*, generalis enim eſt oratio, &, ut dixi, generalis in utrisque ratio. Et tamen Advocati & Nautæ, qui diſſentiunt, hæc interpretantur, atque ſi ſermo eſſet de ſolis navibus θαλασσοπόροις, forte navigantibus *binnen de eerſte*, *tweede en derde ton*, quod mihi quidem videtur eſſe leges calumniari & verba captare. *Schepen*, *binnen 's lands ſeilende*, communi uſu loquendi, ſunt *binnenlands vaarders*, & abſurda eſt alia interpretatio, niſi conſtet, de navibus marinis unice verba fieri.

Accipimus igitur omnem navem, ſive marinam, ſive fluviatilem, ſive in aliquo ſtagno naviget, ſive ſchedia ſit, ut in exercitoria Ulpianus in *l.* 1. §. 6. *ff. de Exercit. act.* Atque ita etiam olim Cauſſidici Amſterdammenſes reſponderunt 20. Jan. & 23. Febr. 1641. & 17. Apr. 1643. (5) quorum poſtremus ait, ſe XL. annorum experientia compertum habere, Amſterdami, in damno navium, inter θαλασσοπόρους & ποταμοπόρους nunquam fuiſſe diſtinctum. Et de jure quid refert, in mari, flumine, lacu damnum datum ſit, ſi eadem ubique ſit ratio? Addo, quod in §. 20. *T.* VII. *LL. Nautic.* Philippus II. ſanciverit, quodcumque ex iis Legibus dijudicari nequit, ex jure ſcripto communi eſſe definiendum, abrogatis omnibus *conſuetudinibus* contrariis. Fac igitur, de navibus ποταμοπόροις nihil fuiſſe cautum in illis Legibus, tunc utique ad jus Civile erit recurrendum, & eo jure etiam ſcaphæ dominus de damno, ſibi dato, ſæpe recte experitur *l.* 29. §. 2. *ff. ad L. Aquil.*

Quum autem plena fide conſtet, eas Leges nauticas in navibus marinis, earumque oneribus eſſe ſervandas, quæro, an etiam pertineant ad naves piſcatorias, quæ in mari piſcantur, ut capiant balænas vel haleces, *Groenlands-vaarders* & *Haring-buyzen* vulgo dictas? & quid, inquies, dubitas, quia illæ naves etiam mare frequentant, & quia in §. 51. *LL. Nautic. Caroli V.* nominatim expreſſum eſt, eas Leges etiam ſervarent *de Viſſchers, en hen generende met de Viſſcherye*? dubitandum tamen eſt quod ad naves halecarias, nam in §. 22. Edictorum, quæ Carolus V. & Philippus II. de piſcatione halecaria ediderunt 1545. & 4. Aug. 1564. & 9. Mart. 1580. (6) & §. 21. Edictorum, quæ Ordines Hollandiæ de eodem argumento ediderunt 20. Mart. 1611. 12. Maj. 1620. & 12. Maj. 1629. (7) conſtitutum eſt, ſi quis *Haring-viſſcher* alteri inſcius ſine dolo malo damnum dediſſet, hac de re Judex loci, unde enavigarant, judicaret *naar diſcretie*, hoc eſt, pro arbitrio & animi ſui ſententia, quod diceres excludere ſemiſſem damni dati, in aliis legibus expreſſum. Sed quod de æſtimatione damni arbitraria ſtatuitur in iis Edictis, aut ſpeciale eſt in piſcatione halecaria, ut multa ſpecialia ibi occurrunt de vetita appellatione, & aliis quam plurimis, aut intelligendum de damno, retibus, funibus & aliis inſtrumentis piſcatoriis illato, in quam ſententiam proclivior eſſem, quia de his ſolis fere ſermo eſt in illis Edictis, & quia Carolus V. anno 1541. jam caverat de ejusmodi damno, & tamen in Legibus Nauticis 1551. piſcatores iis Legibus ſubjecerat, quod ad damnum ſci-

(5) *Conſil.* H. T. II. *Conſil.* 27. *n.* 1. 2. & 3.
(6) *Plac.* I. 2. 5. 1. *Ed. Reg.* 1.
(7) *Plac.* I. 2. 5. 1. *Ed. Ord. Holl.* 1. & 2.

ſcilicet, ut ipſe interpretor, ipſis navibus earumque oneri illatum. Atque ita inter utrumque Edictum bene conveniet. De damno retibus dato etiam eſt *l.* 29. §. 3. *ff. ad L. Aquil.*

CAPUT XX.

Damni præſtatio an ultra navis rerumque pretium porrigi poſſit? & qua proportione damnum utrimque communicandum ſit?

Damnum navibus mercibusque, quæ in iis erant, datum communicari ſi jam noveris, parum profeciſti, vix enim eſt, ut multo ſis certior, quam dudum. Quid enim? An dicemus, eum, qui ſine culpa ſua damnum dedit, ejus damni partem dimidiam utique laturum, atque ita & quandoque ultra navis, quæ damnum dedit, rerumque quæ in ea ſuperſunt, pretium? An vero navem merceſque earum domini recte relinquent & damnum paſſis cedent? Sane Leges Nauticæ fere ſimpliciter loquuntur, ubi nulla utriuſque culpa eſt, *dat de ſchade by ieder voor de helſt moet gedragen werden: dat de ſchade zal weſen half en half*, & quæ ſimiles ſunt formulæ in eandem ſententiam. His autem verbis totius dimidii præſtandi neceſſitas impoſita videri poſſet, idque eam æquitatem habere, ne damnum, quod nulla unius culpa datum eſt, unus magis ferat, quam alter. Poſſet hæc res conſiderari tanquam fatum aliquod, quod utrumque eorum æque deprehenderit, quodque adeo pari auxilio ſit ferendum. Sed tamen juſtius eſt, ne res noſtræ citra culpam noſtram ultra earum pretium nobis noceant, ut ita liceat navem, quæ damnum dedit, & res, quæ ſuperſunt, cedere utilitati eorum, qui damnum paſſi ſunt. Atque ita judicio contradictorio Supremus Senatus judicavit 21. Dec. 1629. (1) idque non eſt contra, ſed ſecundum jus Romanum in variis articulis, ut in actione de pauperie, in actione noxali, & in damno, ab ædibus ruinoſis dato, antequam caveatur *l.* 7. §. 1. & 2. *l.* 8. & *l.* 9. *ff. de Damno infect.*

Ex his conſequitur, neque in ſolidum dimidium actionem eſſe dandam contra unum ex pluribus dominis navis, quæ damnum dedit. Plus dico, neque dandam eſſe ad integram partem ejus, ſed duntaxat ad id, quod ejus pars, reliquarum partium contributione quoque computata, debebit, & ita etiam judicio contradictorio Supremus Senatus judicavit d. 21. Dec. 1629. (2) neque id etiam adverſatur Juri Romano, etſi eo jure ex contractu magiſtri quiſque exercitorum teneatur in ſolidum, id enim duntaxat obtinet in negotiis, quibus magiſtrum præpoſuerunt exercitores, ut latius exequutus ſum *L. I. Quæſt. Jur. Publ. C.* 19. certe magiſtri officium non eſt aliorum naves obruere, & nemo ſanus dixerit, huic rei ab exercitoribus fuiſſe præpoſitum.

Sed quia illæ Leges Caroli V. & Philippi II. ſimpliciter loquuntur de damno communicando, belle quæri poteſt, Geometrice an Arithmetice id computandum ſit? Quod ſi Geometrice, & mea navis 200. aſſium tuam, quæ erat 100. aſſium, obruerit, ego 66. aſſes & beſſem contribuam, tu vero tantum 33. & trientem. Quod ſi Arithmetice, ego 50. contribuam & totidem tu, ſed & ita quandoque depreſſæ navis ſemis ſalvam abſumet. Solam tamen rationem Arithmeticam videntur noviſſe in variis judiciis, quæ apud Senatum Supremum acta & edita ſunt, (3) Geometrica ratione ibi plane inaudita, & memini, me Senatore, & de Geometrica proportione perorante, reliquos Senatores 23. Nov. 1720. obſtupuiſſe, atque ſi Jovis ignibus icti eſſent. Et tamen ratio Geometrica videtur eſſe æquior & melior, quia damnum, nulla culpa datum, tanquam fatum, quod utrique evenit, conſiderandum, atque ita paribus auxiliis, prout cujuſque opes ſunt, propulſandum eſt. Qui ergo plus habet, plus periclitetur, qui minus, minus, pro opibus quisque ſuis, & ita nunquam depreſſæ navis ſemis totam ſalvam abſumet, quanto enim pretioſior eſt depreſſa navis, tanto & plus de ſumma, ex ejus computatione facta, deſumitur. Idque cum maxime conveniens eſt ei, quod dicitur apud Coren *Obſerv. XL. n.* 26. ideo abſurdiſſimum eſſe, ſi domini ultra navem, quæ ſalva eſt, convenirentur, *om dat zy dan ſomtyts meer zouden moeten uitkeeren, als zy gehaſardeert hadden*, hoc eſt, ſæpe plus tunc contribuendum eſſe, quam periclitari conſtituiſſent.

Secundum quantitatem igitur & navium & rerum, quas periclitati ſunt domini, videtur contribuendum, idque non tantum æquius & melius, ut modo dicebam, ſed & juſtius videtur. Videamus. Ait §. *Item het gebeurt* 27. *LL. Wisbuyc.* ſi navis altera alteri impacta effecerit, ut in altera dolia vini frangerentur, *die ſchade zullen zy deelen na den pryſe, dat daar wyn in beide ſchepen is.* Ergo qui plus pretii in vino habuit, plus contribuet, ſancit enim, reſarciendum eſſe damnum ſecundum pretium vini, quod uterque in navi habuit, quæ proportio eſt Geometrica. Præterea ait §. *Item het gevalt* 68. (in aliis Edd. 70.) ſi navis onuſta aliam navem cum onere depreſſerit, ineundam eſſe pretii utriusque navis, & oneris utriusque, antequam damnum hoc daretur, rationem, & ex conjuncta utriusque navis pecunia navis damnum eſſe reſarciendum, itemque oneris ex utriusque oneris pretio conjuncto, *pond ponde gelyk, mark mark gelyk*, quæ rurſus mera eſt Geometrica computatio, nam ſi ex meorum 200. tuorumque 100. conjuncta ſumma, 100. pro damno dato ſubtrahas, mihi decedunt $66\frac{2}{3}$, tibi vero $33\frac{1}{3}$. Et ſcire deſidero, ſi in jactu, qui caſu fit, ratio Geometrica obſervetur, cur non æque obſervanda ſit in damno navium, quod ſolo caſu accidit, eadem quippe utrobique eſt ratio. In jactu autem, ex ipſis Legibus Nauticis, proportionem Geometricam obſervamus, *penning pennings-waerde*, ſive *pennings gelyk*, §. 38. *LL. Wisbuyc.* §. 6. *Tit.* IV. *LL. Philipp.* II. §. 6. *T.* XXIV. *L.* I. *LL. Friſic.*

Rationem tamen Geometricam, quam ex jure Wisbuycenſi attuli, non obſervari, indicant ea, quæ exſtant apud Coren *d. Obſerv.* XL. *n.* 29. & 30. & eam rationem nimis ſubtilem eſſe homo Batavus, ſed auris ſat Batavæ, alibi ſcripſit. (4) Sed ut *Ruſtici quæſtiones per medium divi-*

(1) Coren *Obſervat.* XL. & apud Coren *Obſerv.* XL. & XLI.

(2) Coren *d. loco.*

(3) Apud Neoſtadium *Deciſ.* XLVIII. & XLIX.

(4) Verwer *in Not. ad d.* §. 27. & 68. *LL. Wisbuyc.*

dividunt, ex nota Gloſſæ ad *l.* 34. *in fin. ff. de Negot. geſt.* nec per *medium* aliud intelligunt, quam ſemiſſem ejus, quod in quæſtione eſt, ſic JCti Hollandi ſemiſſem damni dati non aliter didicerunt computare, quam Arithmetice, ut nempe ex damno τῶν centum, uterque 50. ferat. Huic opinioni cauſam & originem præbuit, quod in Legibus nauticis Caroli V. & Philippi II. itemque in Legibus Friſicis ſimpliciter damnum *commune* eſſe jubeatur. Sic eſt, & ita quoque ſimpliciter occurrit in §§. 49. 50. & 71. *LL. Wisbuyc.* ſed illud *half en half*, quomodo intelligendum ſit, uberius & ex profeſſo explicatur in *d.* §§. 27. 68. & huic explicationi ſtandum eſt, niſi dicas, has Leges ſibi ipſis contradicere. Ut autem Leges Friſicæ ex Legibus Caroli & Philippi, ſic Leges Caroli & Philippi ex Wisbuycenſibus ſunt deſcriptæ, ut, qui conferre non gravabitur, ſtatim animadvertet. Nihil igitur vetat, quod ſimpliciter occurrit de ſemiſſe in Legibus Caroli, Philippi & Friſiorum ita intelligere, atque intelligitur id, quod eadem de re ſimpliciter dicitur in *d.* §§. 49. 50. & 71. *LL. Wisbuyc.* id eſt, de ratione damni Geometrica ex interpretatione & præſcripto *d.* §§. 27. & 68. *LL. Wisbuyc.* ſane ſi *in abſtracto*, ut loquuntur, ſola conſideres, quæ in Legibus Caroli, Philippi & Friſiorum ſimpliciter conſtituta ſunt, videri poſſet, damnum Arithmetice eſſe dividendum. Sed ſi altius rem repetas, & Leges Legibus jungas, alia ſententia utique præferenda eſt. Nec ab ea etiam alieni videntur, qui de Jure Hollandico conſulti, reſponderunt, (5) damna navium, caſu data, perinde æſtimanda eſſe atque in jactu facto, in eo autem conſtat, omnem æſtimationem eſſe Geometricam. Sed tamen quia illi reſponderunt de quæſtionibus longe aliis, non auſim, quod illi dixerunt, forte præter eorum mentem, porrigere ad quæſtionem, quam hic tracto.

Quod ſi pro Geometrica proportione diſputanti contrariam conſuetudinem objeceris, vide an hanc ſatis probatam putes, quod mihi nondum liquet; ſi putes, nihil eſt, quod reponam, quam quod *Cap. præced.* ex *l.* 39. *ff. de LL.* reponebam ad communem errorem profligandum. Denique etſi alicubi eſſet ea conſuetudo, non tamen oneraret extraneum, qui in loco, ubi conſuetudo eſt, non habitat, neque enim conſuetudo extra locum, in quo eſſe probatur, extendi poterit.

Sæpe occurrit in hac quæſtione formula, luendum eſſe damnum *pond ponds gelyk*, *mark marks gelyk* ut in *d.* § 68. *LL. Wisbuyc.* quam ita intelligo, quamque libram pro rata libram damni eſſe luituram, ratione ſcilicet Geometrica, & ſic quoque in aliis computationibus accipitur, verbi gratia, in Judiciis de πρωτοπραξίας Creditorum, ubi poſt hypothecarios concurrunt chirographarii, qui privilegium non habent, *pond ponds gelyk*, hoc eſt, pro modo & quantitate cujuſque crediti. Eadem quidem formula adhibetur in teſtationibus conſuetudinis maritimæ apud Coren *Obſerv.* XLI. ubi altera navis alteram depreſſerat, *dat namentlyk de ſchade pond ponds gelyke gedragen en naar advenante van ſchip en goed omgeſlagen werd*. ſed obſervari velim, ibi duntaxat ſermonem eſſe de nave & mercibus ſalvis, navis ſcilicet dominos & mercium dominos proportione Geometrica reſarcire damnum depreſſæ navis pro ſemiſſe, ſed Arithmetice æſtimato. Damnum depreſſæ navis ibi erat 9850. florenorum, & ejus ſummæ ſemiſſem ſolvere damnati ſunt domini navis ſalvæ & mercium, quæ in ea erant, ſalvarum, *pond ponds gelyke*, recte, ſed eadem ratio Geometrica prius ineunda erat inter navem vacuam, quæ depreſſa erat, & navem, quæ depreſſerat, ejuſque merces ſalvas. Utique ſic mihi videtur.

CAPUT XXI.

De modo contributionis, & quæ res contribuant? & cujus damni actio non detur?

Superſunt adhuc aliquot quæſtiones de damno navium, ſine culpa dato. Prima eſt de modo contributionis, an nempe merces navisque conjunctim mercium navisque damnum, reparare teneantur, an ſeparatim merces mercium, navisque navis? Unde duæ rurſus naſcuntur aliæ quæſtiones, ut puta onuſta navis navem vacuam depreſſit, an navis vacuæ damnum quoque merces in navi, quæ damnum dedit, reparare teneantur? Vel vacua aliam cum onere obruit, an ſola ea navis ad dimidium damni, & navi & mercibus dati, teneatur? Et cum onuſta navis vacuam depreſſiſſet, ea res apud Supremum in Hollandia Senatum agitata eſt, & quædam Amſterdammenſium & Rotterdammenſium teſtium turbæ, de conſuetudine maritima conſultæ, uno ore teſtatæ ſunt, (1) *een gemeene Coſtuime te weſen, dat een geladen of ongeladen ſchip een ander geladen of ongeladen overſeilende, de halve ſchade, aan ſchip en goed toegebragt, gehouden is te dragen, al waren in het overſeilde ſchip geen goederen geweeſt, werdende niet te min de halve ſchade over het behouden ſchip en goed omgeſlagen.* Et ſecundum has teſtationes Supremus Senatus 17. Maj. 1630. & navis & mercium dominos in dimidum damni, navi vacuæ dati, pro rata damnavit (2) Sed hoc adverſatur §. 68. *LL. Wisbuyc.* qui ait, ſi onuſta navis onuſtam depreſſerit, onus oneris dimidium damni laturum, itemque navem navis. Quid dicemus? An *d.* §. 68. reſtringemus ad caſum, quo utraque navis onuſta eſt? ut aliter ſe res habeat, ſi onuſta depreſſerit vacuam, vel vacua onuſtam? Sed hoc illis teſtationibus non convenit, quæ inter vacuas & onuſtas naves nihil quicquam diſtinguunt. Quamvis autem ipſe illis teſtationibus tantum non ſoleam tribuere quantum alii, fatendum tamen eſt, magnam rationem habere, nec eſſe, cur ſola navis alterius navis, & ſolæ merces aliarum mercium damnum ferant. Simpliciter etiam poſteriores Leges Nauticæ Caroli & Philippi de damno communicando loquuntur, ſine ulla diſtinctione, navi, an oneri datum ſit, utque ita utriusque æſtimatio conjunctim ſit facienda, & conjunctim ferendum damnum, quod a navi mercibusque acceptum eſt. Igitur & ratio, & forte auctoritas juris poſterioris hac parte ſubegit Jus Wis-

(5) *Conſil. Holl. B. T.* I. *Conſil.* 244.
(1) Apud Coren *Obſerv.* XLI.

(2) Idem *d. Obſerv.* XLI.

Wisbuycenſe, uſum certe ſubegiſſe nec dubitabis, ſi credas ei, qui de uſu ex profeſſo ad hanc rem commentatus eſt. (3)

Diſtincta nihilominus eſt actio contra navis merciumque, in ſalva navi ſuperſtitum, dominos. Si ergo merces jam exonerarit nauta, non putem contra eum navisque dominum actionem eſſe, niſi probetur & detrahatur, quantum contribuere debebant, quæ ſuperfuerunt, & jam exoneratæ erant merces. Et cum, qui damnum paſſus erat, navem, quæ dederat cum mercibus, quæ in ea erant, arreſto incluſiſſet, ſolo navis domino in jus vocato, & Curia Hollandiæ reum in ſemiſſem damni damnaſſet, exſequutione in navem *mercesque* facienda, reus quidem a tota ſententia appellavit, ſed Supremus Senatus, reliqua ſententia probata, non probavit tamen exſequutionem in *merces* fieri, quarum domini in jus vocati non erant. (4) Optime, abſurdum enim eſſet, rem inter alios actam, mercium dominis præjudicare.

Quod ſi de bonorum contributione agatur, videndum eſt de pretio eorum, quæ perierunt, & quæ ſervata ſunt. Ita autem definiendum, videri poteſt, ut ſi de contributione, jactu facto, ageretur, neque enim animadverto, quid interſit, colliſione navium, an jactu, merces perierint. Jure Romano jacta in contributione æſtimantur, quanti empta, ſalva, quanti venire poſſunt *l.* 2. §. 4. *ff. de Lege Rhod. de jactu.* Ex §. 12. *&* 38. *LL. Wisbuyc.* tam jacta, quam ſalva videntur æſtimanda *na de markt, daar de behouden goederen verkogt zullen werden*; & ita palam definit §. 6. *Tit.* IV. *LL. Naut. Philippi* II. *&* §. 6. *Tit.* XXIV. *LL. Friſic.* & ita olim Judices Amſterdammenſes, &, cum appellatum eſſet, Curia Hollandiæ judicarunt. (5) Succeſſit deinde alia ſententia, quæ jacta æſtimavit, quanti eo in loco fuerunt, ubi jacta ſunt, quia revera tantum damni rerum jactarum dominum fuiſſe paſſum negari non poteſt, ratione nempe habita itineris, hactenus peracti, & ſuperati in eo periculi. Atque ita quoque Senatus Supremus, cum de æſtimatione mercium ineunda ageretur, nave ab alia obruta, judicavit, reſciſſa illa Amſterdammenſium & Curiæ ſententia, & ſæpe alias ita judicaſſe relatum eſt. (6) Rationem habet illa ſententia, ſed difficillimam explicationem, ut alia occaſione obſervabam *Lib.* I. *Quæſt. Jur. publ. C.* 14. Rurſus aliam ſententiam conſuetudo invexit, dimidio ſcilicet itineris perfecto æſtimanda bona, quanti in loco, quo deſtinabantur, ſi necdum dimidio, quanti, ubi empta ſunt, venire poterant; dixi *conſuetudo*, quia omne Jus nauticum ſoli conſuetudini originem debet. Quod autem de dimidio itineris, ad ineundam æſtimationem, modo notabam, totidem verbis ſcriptum eſt in Libro, qui inſcribitur, *Il Conſolato del mare C.* 94. ubi de jactu agitur, & de eodem jactu id ipſum exſtat §. 69. *&* 70. *LL. Wisbuyc.* ut Amſterdami editæ ſunt anno 1711. nam in aliis Editionibus alia eorum §§. ſententia eſt. Sed ita inter *d.* §§. 12. *&* 38. & *d.* §. 69. *&* 70. non conveniret. Servari tamen diſtinctionem inter iter, pro dimidio perfectum, nec ne, varii Auctores tradunt (7), idemque juris eſſe ſæpe reſponſum eſt. (8) Quod autem nonnulli Conſultores addunt, ita etiam apud Senatum Supremum judicatum eſſe, eorum fide eſſe jubeo, nam ex *Deciſ.* XLVIII. & ex Coren *Obſerv.* XLI. quæ loca adferunt, nihil ejuſmodi effici poteſt. Hæc ratio ineundi damni pinguior quidem eſt, ſed aliis, quas dixi, forte utilior, nec dubito, quin uſu ſit receptiſſima. Quare miror, nuperum Scriptorem (9) eam rejeciſſe, & ſine ulla ullius legis vel hominis auctoritate omnia omnino bona æſtimare voluiſſe, quanti empta ſunt. Bona utique ſervata ſemper æſtimata ſunt, quanti venire potuerunt, quod autem ait §. 7. *T.* IV. *LL. Philipp.* II. & §. 7. *L.* I. *T.* XXIV. *LL. Friſic.* pecuniam conferre *naar ſyn inwendige waardye*, non ſatis intelligo, niſi arcere voluerint numiſmata, & in his pretium affectionis.

Sed quænam ſervatorum bonorum nomine habebimus, ut contribuant? & putem omnia, quemadmodum ſi de jactu agatur. Sed an & Magiſtri nautarumque ſtipendia? Et quidem in teſtationibus Amſterdammenſium & Rotterdammenſium, menſe Julio 1628. apud Senatum Supremum factis, expreſſum eſt, (10) conſuetudinem eſſe, Magiſtri ſtipendium æque contribuere atque bona ſervata, ſic quoque ille Senatus judicavit 17. Maj. 1630. In una autem earum teſtationum adjicitur, id demum tunc obtinere, quando bona æſtimantur pretio loci, quo vehebantur, ut erat in illo caſu, contra vero, ſi pretio loci, quo empta ſunt. Nautarum quoque ſtipendia contribuere eæ teſtationes conſentiunt, in quibuſdam tamen additur, id fere ob minutum eorum pretium negligi ſolere. Supremus etiam Senatus eodem 17. Maj. 1630. Magiſtro contra nautas ſoluti ſtipendii nomine condictionem contributionis ſervavit. (11) Hæc in ſervata navi, ſed quid ſi perierit? Et 3. Apr. 1674. quidam Advocati, ex facto conſulti, reſponderunt, (12) Magiſtri nautarumque navis, quæ dimidio itineris perfecto depreſſa erat, ſtipendia, quippe quæ ita jam debebantur, contributione eſſe farcienda. Sed alii, eodem fere tempore, aliter ſapuere. (13) Non minus diſcrepant ac tumultuantur, (14) ſi navis, quæ aliam depreſſit, ejuſve merces fuerint aſſecuratæ, an, in earum pretio æſtimando, detrahi quoque debeat aſſecurationis præmium? Sed his aliiſque minutiis excutiendis nolim immorari.

Magis operæ pretium erit, ut de mutuo damno videamus: fere enim accidit, ut navis, quæ vel obruendo vel allidendo damnum dedit, accipiat quoque. In ſententia, qua Supremus Senatus d. 27. Maj. 1730. navem, quæ aliam depreſſerat, dimidium damni dati reſtituere damnavit, adjectum eſt, detraheret dimidium damni, quod ipſa deprimendo acceperat. Sed id ſemper & ubique non obtinet, omnino enim diſtinguendum eſt, utrum mutua facta ſit impulſio, & tunc admittenda eſt detractio, ſin autem, non etiam: ut puta mea navis navigans tuam contra navigantem

(3) Verwer *ad* §. 1. *T.* V. *LL. Nautic. Philippi* II.
(4) Apud Neoſtad. *Deciſ. Supr. Cur.* XLIX.
(5) Apud Neoſtad. *Deciſ. Supr. Cur.* XLVIII.
(6) Idem ibid.
(7) Weytſen *van Haverye* §. 22. Vinnius in *Not.* ad Peckium *de re nautica* in *l.* 2. §. 3. *ff. de L. Rhod. de jact.* Glins ad *d.* §. 6. *T.* IV. *LL. Philippi* II. & alii quam plurimi.
(8) *Conſil. B. T.* I. *Conſ.* 243. *&* *T.* III. *Conſ.* 251.
(9) Verwer *ad* §. 1. *Tit.* V. *LL. Philipp.* II. *n.* 7.
(10) Apud Coren *d. Obſerv.* XLI.
(11) Coren *d. loc.*
(12) *Conſil. B. Tom.* I. *Conſil.* 244. *Quæſt.* 3. *&* 4.
(13) *Conſil. B. T.* III. *Conſil.* 212. *Junct. Conſil.* 251.
(14) *Conſil. B. T.* I. *Conſil.* 244. *Quæſt.* 1. *&* *Conſil. B. T.* III. *Conſ.* 251.

tem depreſſit, & ipſa quoque damnum accepit, ego tui damni dimidium feram, & tu mei. Contra vero, ſi mea tuam, in anchora ſtantem, vel ligatam obruat, mea quoque damnum patiatur, ego damni, tibi dati, dimidium feram, tu mei non etiam. Idque rationem habet manifeſtam, ſi enim contra navigantem deprimam, & ego tibi damnum dedi, & tu mihi dediſti, qui autem damnum dedit, ex *Legibus Wisbuyc. Caroli*, *Philippi & Friſiorum* ejus dimidium fert, & hic uterque dedimus. Aliter atque ſi jacentem navem obruam, tunc enim, quod patior damnum, mihi ipſe dedi. Si bovem tuum aggreſſorem meus bos occiderit, conſtat actionem non eſſe *l.* 4. §. 11. *ff. Si quadr. paup. fec. dic.* nam ſi me teneri putes, non minus falleris, quam ſi, cum contra ſaxum meum incurriſſet, aut in foſſam meam, quam jure habui, bos tuus incidiſſet, tu me accuſares, ſaxum meum eſſe durum, atque ita bovi tuo non ceſſiſſe, aut aquam meam, in quam ſe præcipitavit, eum ſuffocaſſe, ut enim ſaxo durities, aquæ liquor, ita bovi naturale eſt cornu petentem repetere, de pauperie autem non eſt actio, niſi contra naturam ſit data *l.* 1. §. 7. *ff. Eod.* hic vero meus bos, quod fecit, ſecundum naturam fecit. Sic Ulpianum interpretor in *d. l.* 1. §. 11. Scio eſſe, qui Ulpiani jurisprudentiam reprehendant, ſcio eſſe, qui defendant, ſed quæ utrique ſcripſerunt, mihi videntur indigna, de quibus aliquid dicatur.

Sed nolim ſola ratione vincere, accedant auctoritates. Huc refero §. 47. *LL. Nautic. Caroli* V. §. 2. *Tit.* V. *LL. Philippi* II. & §. 2. *L.* I. *Tit.* XXV. *LL. Friſic.* quibus conſtitutum eſt, ſi navis ligata ſine culpa fluitare incipiat, & alii, itidem ligatæ, damnum dederit, damnum, quod dedit, commune futurum, quod paſſa eſt, ſolam laturam. Ait *d.* §. 47. *in fin. En of den genen, die dryvende is, hem ſchade dede aan een ander ſchip (leggende aan 't ancker of wel gemeert) zal de ſchade zelve lyden, ſonder den geenen, die aan ſyn ancker wel gemeert was leggende, iets daar van te mogen eyſſchen.* in aliis Edd. pro *hem ſchade dede* legitur *en ſchade dede*, ſed *hem* pro *zig* clarius eſt, niſi legas, *en ſchade lede*, quod verum videri poteſt, quia idem verbum, *lede*, ea de re exſtat in *d.* §. §. 2. *LL. Philipp. & Friſic.* qui §§. ex *eo* §. 47. confecti ſunt. Illa tamen lectio, *en ſchade dede*, etiam defendi poteſt, nam ut apud Latinos *damnum facere* eodem ſenſu, quo *pati*, accipitur, ita & apud Belgas *ſchade doen*. De re ipſa interim conſtat.

CAPUT XXII.

De damno navium, unius vel utriusque culpa dato; & quid damni appellatione veniat?

Culpæ vocabulo etiam dolum comprehendimus, nam magis tenetur, qui dolo damnum dedit, quam qui culpa. Hactenus autem diſputavimus de damno abſque culpa dato, ubi vero alterutrius culpa damnum datum eſt, & ea culpa probari poteſt, ad Jus Romanum revertimur, ejus nempe ſolius eſſe damnum, cujus culpa datum eſt. Si ergo navis navigans naviganti §. 1. *Tit.* V. *LL. Philippi* II. §. 1. *L.* I. *Tit.* XXV. *LL. Friſic.* in anchora ſtanti aut portum tenenti §. 27. 48. & 71. *LL. Wisbuyc.* §. 48. *LL. Caroli* V. §. 3. *Tit.* V. *LL. Philippi* II. §. 3. *L.* I. *Tit.* XXV. *LL. Friſ.* damnum culpa dederit, totum damnum fert *d.* §§. Idemque juris eſt, ſi navis culpa fuerit ſoluta, & ſic damnum dederit, tunc enim duntaxat damnum commune eſt, ſi abſque culpa fuerit ſoluta §. 2. *Tit.* V. *LL. Philippi* II. & §. 2. *L.* I. *T.* XXV. *LL. Friſic.*

Quid culpæ nomine veniat, difficile eſt definire, præcipue ea in re valet Judicis arbitrium. Culpa tamen damnum dediſſe videtur, qui, ne impediretur, obſtitit: utputa navis tua juxta meam, quæ fundo inſiſtit, fluitat, & metus eſt, ne meæ impellatur, tu quidem cogi nequis, ut navim tuam abducas, ſed humane introductum, pati tenearis, navim tuam a me abduci; quod ſi id non patiaris, de damno, quod tua navis dabit, teneberis §. 29. *LL. Wisbuyc.* §. 5. *Tit.* V. *LL. Philippi* II. & §. 5. *L.* I. *Tit.* XXV. *LL. Friſic.* Sed an in ſolidum actionem dabimus, ut neque navim, quæ ita damnum dedit, cedere & relinquere liceat? Et quidem ſimpliciter loquuntur *d.* §§. at etiam illi, qui loquuntur de dimidio, ubi citra culpam damnum datum eſt, in qua ſpecie tamen cedere & relinquere licet, ut ſupra *Cap.* 20. diſputavimus. Sed puto, hic in ſolidum actionem dandam eſſe, æque ac damus ei, quem damni infecti, non cauti, nomine a Prætore in poſſeſſionem miſſum, ædium dominus admittere noluit *l.* 7. *pr.* & *l.* 15. §. 36. *ff. de Damno infect.*

Si navis ligata fluitare cœperit, & alteri, in anchoris ſtanti, impulſa damnum acceperit, damnum ſuum ipſa fert, etiamſi proclamaverit, ut navis, in anchoris ſtans, funes anchorarum vellet latius extendere, & navis ligata id noluerit, & ſic, tanquam ex §. 47. *LL. Naut. Caroli V.* reſponſum *Conſil. H. Tom.* I. *Conſil.* 198. & *Conſil. H. Amſterd. T.* III. *Conſil.* 16. De proclamatione nihil ait *d.* §. 47. ſed tamen puto recte reſponſum eſſe, neque enim quisquam tenetur ipſe navim ſuam abducere, ſed duntaxat pati, ut alius abducat ſecundum *d.* §§. 29. & 5. 5. quos modo laudabam. Neque culpa eſt, funes anchorarum nos latius extendere, cum id vix fiat ſine periculo, ubi iratum mare eſt.

Culpam quoque conſiderandum eſt ejus, qui damnum paſſus eſt, nam ſi noctu ſit obrutus, cum neque ignem haberet, neque clamaret, ipſe ſibi damnum feciſſe videtur, ſic ait *l.* 36. ejus Farraginis, quæ Titulo *Juris Nautici Rhodiorum* circumfertur. Quamvis autem auctoritatem juris non habeat illa farrago, ut ſatis videor probaſſe *Libro ſingulari ad l.* 9. *ff. de Lege Rhod. de jact. C.* VIII. & quamvis Jure Nautico, quo utimur, nihil præciſe ea de re cautum ſit, magnam tamen rationem habet ea ſententia, & ſecundum hanc, me Senatore, Senatus Supremus 23. Nov. 1720. (1) abſolvit eos, qui navigantes aliam navem navigantem depreſſerant, quia navis depreſſa accenſo lumine navigaverat. Contra, ſi qui damnum dedit, neque ignem habuerit, neque clamaverit, in ſolidum videtur teneri, atque ita ineptum eſſe Pariſienſe Arreſtum, quod memorat Mornacius ad *l.* 29. §. *Si navis. ff. ad L. Aquil.*

Eſt & culpæ ſpecies anchoram, nullo ſupernatante

(1) Exſtat ſententia *inter Acta Senatus.*

tante indicio, notaſſe. Quapropter, ſi eo quis damnum acceperit, tenetur in ſolidum, qui anchoram ſine indicio habuit §. 49. *LL. Caroli V.* §. 4. *Tit. V. LL. Philippi* II. §. 4. *L.* I. *T.* XXV. *LL. Friſic.* niſi ſine culpa indicium, quod additum fuit, cum anchora ejiceretur, unda abſtulerit, neque adhuc novum indicium addere potuerit, tunc enim damnum commune eſt *d.* §§.

Supereſt alia inſpectio, quid enim ſi utriusque culpa damnum datum & acceptum ſit? Et cum uterque alterius culpam incuſaret, & utriuſque culpa par eſſe videretur, Curia Hollandiæ damnum commune eſſe cenſuit, & ita quoque, cum provocatum eſſet, Senatus Supremus. (2) Sed magis putarem, utriuſque culpa damno dato, nullam invicem eſſe actionem, & ſuum quemque damnum ferre oportere. Quemadmodum enim aget, qui ipſe in culpa eſt? Damnum ſentit, fateor, qui acturus eſt, ſed ſentiit ſua culpa, neque adeo damnum eſſe intelligitur, noviſti quippe regulam juris in *l.* 203. *ff. de R.* J. utique non damnum, niſi quod ſibi ipſi fecit, cujus nomine alterum convenire ſatis incivile eſt. Neque proderit, ſi dicas, & adverſarium in culpa eſſe, ut enim agas, jus tuum fortius ſit oportet, & ſic Paulus diſputat, ubi utriuſque turpitudo verſatur, in *l.* 8. *ff. de Condict. ob. turp. vel injuſt.* exceptionem ille largitur, quia exceptio, quod in pari cauſa ſit, defendit, ſed actionem negat, quia hæc non datur niſi ei, qui jus habet potentius. Qui omne damnum vel plus damni paſſus eſt, nihil repetet ab eo, qui nihil vel minus damni paſſus eſt, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis *l.* 126. §. 2. & *l.* 128. *pr. ff. de R.* J. parem autem cauſam facit utriuſque culpa, nam ſimulac ea acceſſerit, omnem actionem excludit. Si ædes tuæ meas lapſu oppreſſerint, aut tuas relinquere, aut damnum ſarcire debes, ſi nempe cautionem damni infecti exegerim, ſi vero per negligentiam non exegerim, aliud dicendum *l.* 8. *ff. de Damno infect.* ipſe enim in culpa ſum, quod mihi non proſpexerim.

Sed his poſſes objicere §. 3. *Tit. V. LL. Philippi* II. & §. 3. *L.* I. *Tit.* XXV. *LL. Friſic.* qui §§. ajunt, ſi navis navigans non naviganti damnum dederit, & damnum dantis nautæ jurent, non culpa feciſſe, commune futurum, niſi, qui damnum paſſus eſt, contrarium probet, & ipſe quoque extra omnem culpam ſit, tunc enim, qui damnum dedit, de toto teneri. Quæ duæ eſſe prioris regulæ exceptiones videri poſſunt. Si non contrarium probetur, regula habet locum, ſed an idem dicemus, ſi ſecunda ceſſet exceptio? Sane id ſequitur, ſi a ſenſu contrario diſputare liceat. Ex JCtorum Romanorum ſcriptis ſæpe ita recte diſputamus, ſed ubi parem prudentiam invenire eſt? In legibus poſterioribus non ſatis tutam eſſe a contrario diſputationem Interpretes obſervarunt ad *l.* 1. *pr. ff. de Offic. ejus cui mand. eſt juriſd.* Inter Leges, poſterioribus temporibus latas, prudenter ſane conſcriptæ ſunt, quæ nomine Philippi II. Hiſpaniarum Regis, prodierunt, ut puta quæ, ſi verum fama ſuſurrat, ex ſententia Viglii fere conſcriptæ ſunt, ſed cum ne Jure quidem Romano ſemper recte argumenteris a contrario, noli id exſpectare a juriſprudentia poſterioris ævi. Κατά τι convenit exceptio in *d.* §§. ut καθόλου conveniat, non requiritur. Hæc autem eorum §§. ſententia eſt: cujus culpa damnum datum eſt, de toto tenetur, non vero, ſi & qui paſſus eſt, in culpa ſit. Atque hæc dicendi ratio conſtat, etſi dicamus, damni, utriuſque culpa dati, actionem non eſſe. Quod vero obſcurum eſt in *d.* §§. 3. 3. interpretemur ex §. 46. *LL. Caroli V.* & §. 1. *T. V. LL. Philippi* II. & §. 1. *L.* I. *T.* *XXV. LL. Friſic.* Illi ajunt, tunc demum communicari, *zoo ſy elkanderen aan boort quamen*, *niet mogende* of *niet konnende ontſeilen of ontwyken*, deſiderant igitur, ut uterque ſit extra culpam, quod ſi uterque ſit in culpa, contra videtur dicendum, id eſt, contra neutrum damni actionem eſſe.

Quid damni appellatione contineatur, difficile eſt definire. Puto autem generaliter eſſe dicendum, id omne contineri, quod cauſa, de qua agitur, ei, de quo agitur, abeſt. Sed quum navis, quæ ab alia damnum acceperat, ideo Claſſem ſequi non poterat, & intra XXIV. horas a Prædatoribus Duynkerkenſibus capta eſſet, relatum eſt, (3) Senatum Supremum ult. Jul. 1633. judicaſſe, damni actionem non eſſe, niſi quanti deterior eſſet facta navis ipſo appulſu: quod alii ſunt, qui probant argumento *l.* 21. §. 3. *ff. de Action. empt.* (4) Sed neſcio, an utique probari debeat, & an non potius de tota nave directa actio ſit, quippe non modo occaſione, ſed & ex cauſa impulſus perdita, quamvis non in continenti, & ſic, in ſpecie non abſimili, Ulpianus cenſet in *l.* 7. §. 7. *ff. ad L. Aquil.* totam enim navem perdere eſt ita corrumpere, ut in mari, prædatoribus infeſto, hoſtibus ſola exponatur, atque ita capiatur & præda fiat, prædatoribus autem infeſtum fuiſſe mare etiam electa Claſſis tutela palam arguit. Plane quemadmodum diceremus de tota navi teneri, qui, cum naufragium timeretur, clavum abſtulit, ac ita navis periit *l.* 3. §. 8. *ff. de Incend. ruin. naufr.*

CAPUT XXIII.

An actio de damno, culpa dato, etiam competat adverſus exercitores navis, & an in ſolidum?

Dignum eſt hanc quæſtionem excutere, nam quotidiana eſt, ſed neſcio, an recte excuſſa. Id quidem manifeſtum eſt, actionem de damno, culpa Magiſtri dato, contra ipſum Magiſtrum in ſolidum competere, ſed an & contra exercitores dabimus? & quia Magiſtri fere non habent, unde ſolvant, ſæpe ea quæſtio incidit. Si farraginem *Legum Rhodiarum* ſequamur, ex ejus *l.* 36. ea diſces de damno navium, quæ, ſi ſcias, mox ſunt dediſcenda, ſed quia illa farrago nulla auctoritate juris cenſetur, tuto eam transmittimus. Ego vero, quicquid alii dicant, non auſim adfirmare, ſi dolo vel culpa magiſtri damnum datum ſit, id ab exercitore eſſe reſarciendum. Repetenda in hanc rem ſunt Decreta juris, quæ prolixe exequutus ſum *Lib.* I. *Quæſt. Jur. Publ. C.* 19. & ex iis conſtabit, ex facto quidem magiſtri teneri exercitorem, ſed non ex alio facto, quam cui præpoſitus eſt, ut variis exemplis id illuſtrat Ulpianus in *l.* 1. §. 12. *ff. de Exercit. act.* Omnis præpoſitio eſt ex mandato, ſive expreſſo, ſive tacito, & ſi quid delinquat magi-

(2) Neoſtadio *Suprem. Cur. Deciſ.* XLIX.
(3) Van Leeuwen *R. H. R. L.* IV. *T.* 39. §. 7.
(4) Ibidem *d. loc.*

giſter, dum id mandatum exſequitur, etiam exercitor tenetur. Ei autem mandatum non eſt aliorum naves dolo vel culpa obruere, quod ſi fecerit, ipſe damnum, quod dedit, luat, non exercitor.

Scio, ex §. 11. *T.* IV. *LL. Philippi* II. & ex §. 11. *L.* I. *T. XXIV. LL. Friſic.* Si magiſter naviget præter majoris partis nautarum ſententiam, & damnum ſit datum, non tantum magiſtrum teneri, ſed & in ſubſidium quoque exercitores in ſolidum, *voor hem*, ajunt *d.* §§. ut nempe eodem modo teneantur, atque ipſe magiſter, ſed animadverte, quibus teneantur, rerum ſcilicet, quæ vehebantur, dominis, & cur iis? quia cum iis contractum eſt. Sed quomodo id porriges ad eos, quibuſcum nihil contractum eſt? Sui loco vectoribus exercitor, qui locationem conductionem recte probe impleat, ſubſtituit Magiſtrum, ſui loco cauponem dominus cauponæ, ſui loco ſtabularium dominus ſtabuli. Si quid nautæ, caupones, ſtabularii cum aliis contrahant, & contrahunt ex mandato dominorum, & rationis, quin & juris manifeſti eſt, ut ex eorum actis & geſtis etiam domini teneantur. Atque ita quoque eſt in exercitoria actione, quo non alia ratione datur contra exercitorem navis, quam quod ex ejus mandato, ſaltem tacito, contractum eſt cum magiſtro de rebus, ad officium ejus pertinentibus. Sed nullum ejuſmodi mandatum, ſive expreſſum, ſive tacitum, nullus contractus, ſive verus, ſive quaſi, interceſſit, ſi magiſter obviam forte Titii navem dolo vel culpa corrumpat vel perdat. Noli objicere, damno nulla culpa dato, de damni tamen dimidio ad uſque navis pretium adverſus exercitorem agi. nam, ut ſupra dixi, jure ſingulari receptum eſt, ut damnum, nullius culpa datum, tanquam fatum, utriuſque commune æſtimetur, cætera juri communi relicta ſunt.

Sane in §. 21. Edictorum, quæ Carolus V. & Philippus II. de piſcatione halecaria ediderunt 1545. & 4 Aug. 1564. & 8. Mart. 1580. (1) & Hollandiæ Ordines 19. Apr. 1597. (2) conſtitutum eſt, *die ſyn medeviſſcher wetens en willens beſchadigt, zal de ſchade beteren; zoo verre zyn goed ſtrekt, en 't ſurplus te verhalen aan de Reeders van de Schepen, daar by by beſchadigt is, en de Stuurman zal boven dien verbeuren 60. guldens, en gepunieert werden ter arbitrage van de Wet.* Sed ut multa ſpecialia in illis Edictis continentur circa eos, qui haleces piſcantur, ut ſupra obſervavi *ad finem C.* 19. ita verius eſt, illum §. 21. duntaxat eſſe intelligendum de damno piſcatorio, de quo agitur in §§. *ibidem præcedentibus*, quibuſque certa quædam formula præſcribitur iis, qui ſimul uno loco piſcantur, qua formula eorum officium in eo ſocietatis genere continetur circa ſua & aliorum retia, & quæ plura ſunt ejus generis. Sed neque de damno actio ex *d.* §. 21. in ſolidum datur adverſus exercitores, quemadmodum utique daretur, ſi ex præpoſitione originem duceret, ut diſputavi *d. Lib.* I. *Quæſt. Jur. Publ. C.* 19. ſed ad inſtar de pauperie duntaxat ad uſque navis rerumque in ea pretium, *d.* enim §. 21. ita auctus eſt in §. 20. Edictorum, quæ Ordines Hollandiæ ea de re ediderunt 20. Mart. 1611. 12. Maj. 1620. & 12. Maj. 1629. (3) *te verhalen aan de Reeders van de Schepen, daar by by beſchadigt is*, TOT DE WEERDE VAN DE SCHEPEN, *en ingelade goederen toe.* Ita recte editum eſt Amſterdami anno 1645. (4) & ſæpe alias, non recte editum in Vulgatis Libris Edictorum, omiſſa fere una linea. Igitur, ſi me audias, contractus, aut inſtar contractus lex aut conſuetudo ſit oportet, antequam ex magiſtri dolo vel culpa hic ullatenus teneantur exercitores.

Addo nunc rem, quæ huc pertinet, a Supremo Senatu Hollandiæ, me Præſide, haud ita pridem judicatam. Quum navis, mercibus onuſta, Burdegala Rotterdamum navigaret, & ſub veſperam perveniſſet prope Goredam (*Goeree*) Navarchus portum illum ſubire conatus eſt, ſed navis, magna vi ventorum in littus ejecta, ibi ſubſtitit. Quod cum intellexiſſent domini mercium, merces ſuas, in minores naviculas translatas, Rotterdamum vehunt, ſed partim madidas, partim corruptas. Ipſa navis, magnis ſumptibus, e littore extrahitur, & tandem Rotterdamum deducitur. Inter dominos mercium & exercitorem navis, ex compromiſſo, deinde litigatur apud Senatum Supremum. Domini mercium in Conventione repetebant eam pecuniæ ſummam, quam impenderant in merces ſervandas, & minoribus naviculis Rotterdamum transvehendas, & porro exigebant aliam pecuniæ ſummam pro madidis ac corruptis mercibus, ita tamen ad hæc contendebant, ut exercitor ultra navis pretium non teneretur. Exercitor in Reconventione etiam quædam petiit, ſed cum hæc penderent a jure vel injuria Conventionis, nolim commemorare. Duplex quæſtio oborta eſt, altera facti, altera juris. Facti, an qua culpa magiſtri hic interceſſerit, altera juris, an exercitoris eſſet, eam luere. Domini mercium adfirmabant, ſola culpa navarchi id naufragium eveniſſe, multis nautarum teſtimoniis probantes, navarchum non debuiſſe ſub veſperam portum Goredanum ſubire ſine ductore (*ſonder Loots*) potuiſſe & debuiſſe ad diem ſequentem hærere in mari aperto, idque ventum, qui tunc flabat, ſatis permiſiſſe. Deinde, ſi vel portus fuiſſet ſubeundus, & navarchus, ſine ductore, brevia noſſet, oportuiſſe, ut navarchus in parato haberet duas anchoras & duos anchorarum funes, quibus projectis a naufragio ſervaſſet navem, neutrum feciſſe navarchum, atque ita peccaſſe commiſſione & omiſſione. Addebant, ex culpa & imperitia navarchi teneri exercitorem, idque variis legibus perſcriptum eſſe ſub *Titulo*, *Nautæ, Caupones, Stabularii*, & ſub *Titulo, de Exercitoria actione*, & ſic de jure Hollandico ſcripſiſſe Grotium *Introduct. ad Juriſprud. Holland. L.* III. *C.* 1. §. *Reeders* 32. idque convenire Legibus Nauticis Philippi II. ult. Oct. 1563. *Titulo*, *van Schipbrekinge* §. 11. & ſecundum hæc omnes fere Senatores ſententiam dicebant.

Unus erat, qui diſſentiebat, & naufragium caſui potius, quam culpæ, adſcribebat, quia nautæ, qui in nave fuerant, una voce teſtabantur, cum eſſet prope Goredam, tantam venti vim fuiſſe, & mare adeo concitatum, ut portum ſubire coacti fuerint, niſi ſe præſenti periculo expoſuiſſent, tentaſſe, ut funes anchorarum præpararent, ſed undas, quæ continuo undas ſuperveniebant, operuiſſe ſuperiorem navis partem, ſic ut funes expedire non potuerint, nautas, qui in continenti ſunt, ut fuerant omnes teſtes, non ſatis tuto judicare, quid nautæ, tanta tempeſtate obruti, poſſint vel non poſſint facere, pendere id e factis, quæ illi ſæpe ignorant, præſumendum eſſe, niſi evidenter contrarium

(1) *Plac.* I. 2. 5. 1. *Ed. Reg.* 1.
(2) *Plac.* I. 2. 5. 1. *Ed. Holl.* 1.
(3) *Plac.* I. 2. 5. 1. *Ed. Holl.* 2.
(4) *Plac. van Holland.* p. 366.

rium probetur, nautas, in mari hærentes, artis nauticæ fuiſſe peritos, & pro vita bonisque ſuis, ut oportet, excubaſſe. Ad hæc ille unus dubitabat; ſi vel culpa navarchi interveniſſet, an & ex ea teneretur exercitor? putabat ille, quod Jure Romano cautum eſt de Nautis, Cauponibus, Stabulariis, & de exercitoribus, exercitoria conveniendis, habere rationem juris & publicæ utilitatis, ſed eſſe reſtringendum ad ſpecies, ibi traditas, neque adeo porrigendum ad quæſtionem, ab his alienam, nec ſemper verum eſſe, quod vulgo jactatur, quaſi delictum videri, ſi quis utatur hominis improbis, imperitis, ineptis, negligentibus, neque enim vel Jure Romano vel Patrio id obtinere, niſi ubi lege ſpeciali id expreſſum eſt; quin in *l.* 52. §. 2. *ff. ad L. Aquil.* & *in l.* 1. §. 4. *ff. Si quadrup. pauper. fec. dic.* diſtingui inter culpam mulæ & mulionis, ut, ſi culpa mulionis damnum datum ſit, ſolus mulio, non dominus mulæ id reſarciat. Et, ſi culpa nautarum damnum datum ſit, contra nautas experiri jubet *l.* 29. §. 2. *ff. ad L. Aquil.* & inter actionem, qua tenetur ipſe dominus, & qua tenetur ipſe nauta, aperte diſtinguit, *d. l.* 29. §. 2. & 4. Grotius quidem, quod ad Jus Hollandicum, contradicit, ſed ejus auctoritas abſque auctoritate juris apud omnes non peræque valet: nam quod cavetur *d.* §. 11. *LL. Philippi* II. non eſt, inquiebat ille, niſi de uno & ſingulari caſu, qui ibi prolixius enarratur, & nunc in deſuetudinem abiit. Imo & eo ipſo caſu exercitor non tenetur niſi actione ſubſidiaria, ſi nauta ſolvendo non ſit, hic autem ſtatim agi adverſus ipſum exercitorem. Addebat quoque ille unus, ſe neſcire, an ex rebus judicatis, ſæpe ea de re actis, evinci poſſet, cum effectu contra exercitorem fuiſſe actum ex dolo, culpa vel imperitia navarchi, ſi nempe exercitor in eligendo navarcho culpam non commiſerit. Contra Aſſecuratores ſæpiſſime fuit actum & judicatum, ſi quod damni acciderit ex dolo vel culpa magiſtri, ſed non alia cauſa, quam quod formulis aſſecurationum palam contineatur, aſſecuratorem quoque teneri ex dolo vel culpa navarchi & nautarum. His rationibus motus ille unus exiſtimabat, nullam hic fuiſſe magiſtri culpam, ſed meram θεῦ βίαν, & ſi qua fuiſſet, ex ea non teneri ipſum exercitorem, verum contraria ſententia obtinuit 23. Dec. 1733. (5)

Liceat his omnibus hanc ἐπίκρισιν addere, non de quæſtione facti, quæ Senatum occupavit, ſed de quæſtione juris. Si nempe in hac ſpecie, ubi domini mercium contra exercitorem litigarunt, recte diſputaverit ille unus, multo magis vera eſſe, quæ præmiſi, nullam contra exercitorem actionem eſſe, ſi navarchus aliorum, quibuſcum nihil contractum eſt, naves corrumpat vel perdat, quin, ſi non recte diſputaverit, nihilominus eam, quam præmiſi, ſententiam ſubſiſtere, ubi nullus eſt contractus, vel verus vel quaſi. Sin autem prævaleant aliorum Senatorum rationes, ex his danda fuiſſet actio contra exercitorem in ſolidum, certe ſubſidiaria, ſi ſequamur *d.* §. 11. ſed in ſolidum dari non potuit ex forma libelli, ſupra memorati, alioquin non ambigo, quin in ſolidum dediſſent Senatores.

CAPUT XXIV.

De jactu & reliquo damno nautico.

Generaliter placere poteſt, damnum pro utilitate communi factum, commune eſſe, utque in variis ſpeciebus id obtinere aliunde conſtat, ſic, ex Lege Rhodia, cum maxime obtinet in jactu. Quæ Jure Romano de jactu cauta ſunt, hic non repeto, ut neque, quæ alius (1) ſpeciali libello ea de re commentatus eſt ex Jure Belgico. Nonnulla tantum delibabimus, quæ magis ex uſu, & minus forte diſcuſſa ſunt, quæque mihi, quam aliis veriora videntur.

Avariæ vox in hoc argumento ubique Gentium eſt frequentata, ſcribitur autem *avaria* & *havaria*, ſine vitio Zelandiſmi, ſcribitur & *averia*, & *averagia*, in eundem ſenſum. Avaria, de qua hic agimus, eſt damnum nauticum, pro ſalute communi tam navis, quam oneris recte factum, ſumitur & pro contributione ad id damnum reſarciendum, quin & pro quolibet damno nautico. Sunt & aliæ ejus vocis ſignificationes, quas hic non deſcribo. Origo fere ignota eſt, communi fato earum vocum, quæ ſequiori ævo natæ ſunt, & quarum ſignificationes tam late patent. Vulgo deducitur ab ἀ privato & βάρος, *onus*. Alii malunt ab ἀ & βάρις, navis. Alii Hebraicam, alii Perſicam, alii Cymbricam originem præferunt, quæ & ſimul alia in hanc rem deliria congeſſit M. de Vicq ad Weitſen *de Avariis* §. 2. Rurſus alius, (2) iis omnibus contemptis, per abſurdas ambages derivat ab *haven*, vel *havre*, quia contribuunt illi, quorum bona in portum venerunt, iis, quorum bona jacta ſunt. Quam etymologiam nonnulli (3) impenſe laudant. Alius (4) itidem ab *haven* deducit, ſed quia in portu fit contributio. Quod ſatis conveniret, ſi *havaria* accipiatur pro vectigali, ut ſemel atque iterum accipitur, ſic enim idem eſſet, quod Latine *portorium* dicimus, ſed vulgatæ ejus verbi ſignificationes neque huic, neque aliis etymologiis ſatis conveniunt. Si ludere liceat, quidni & nos ludamus? *Avertum* & *Averia*, ut Du Cange in *Gloſſario* obſervavit, verbum eſt infimæ Latinitatis, & ſignificat *bona*, unde Itali & Hiſpani, *avere*, *havere*, & *haver*, itidem pro *bonis*, eſtque ea vox forte uſu tranſlata ad bona, quæ conferunt. Et quid ſi derivemus ab Hiſpanico *aver*, quod venit a Latino *habere*; *habere* autem, præſertim temporibus collapſæ Latinitatis, accipitur pro *debere*, ut *averiæ* vel *avariæ* nomine intelligatur omne, quod conferri debet. Sed hæc reliquis, quæ dixi, vix certiora ſunt. Quia autem *averagia* apud Scriptores ſequioris ævi accipitur pro detrimento, quod in vectura mercibus accidit, ut Spelmannus in *Archæologo* notavit & probavit,

(5) *Obſerv. Tumult. T.* XII. *n.* 2808.

(1) Quintin. Weitſen *van het regt der Nederlandſche Avaryen.*

(2) M. Z. Boxhornius *in Epiſtula* ad Arnoldum Vinnium 1. *Apr.* 1647. ante Peckium *ad Rem nauticam*, a Vinnio editum.

(3) Vinnius ad Peckium *in l.* 1. *ff. de L. Rhod.* & Verwer ad Weytſen *de Avariis* §. 1.

(4) Huber. Prælect. ad *Tit. ff. de L. Rhod.* §. 3.

vit, mihi pluſquam veriſimile eſt, inde natum & contractum eſſe vocabulum *averiæ* vel *avariæ*, & in eo acquieſcimus, donec quis meliora adferat.

Ad res ipſas tranſeamus. Potiſſima autem Avariæ ſpecies eſt jactus, qui, ut recte fiat, deſideratur eorum, quorum bona in navi ſunt, conſenſus §. 20. 38. & 39. *LL. Wisbuyc.* §. 4. *Tit.* IV. *LL. Philippi* II. §. 4. *L.* I. *T.* XXIV. *LL. Friſ.* Quod ſi illi non adſint, vel diſſentiant, jactus nihilominus fieri poteſt, ſi tertia pars epibatarum (*van zyne geſellen*) juret, neceſſe fuiſſe *d.* §. 20. quod etiam velle videtur §. 39. *LL. Wisbuyc.* ubi periculi cauſa navis exarmata eſt, qui ait, diſſentientibus mercium dominis, ad jactum probandum ſufficere, ſi Magiſter navis juret *met ſyn derde* ſed §. 38. earundem *LL.*, bonis jactis contra dominorum ſententiam, ait ſufficere, ſi de neceſſitate jurent *twee of drie goede knapen*, qui adfuerunt. Omnino autem ſervandus eſt *d.* §. 4. *T.* IV. *LL. Philippi* II. qui palam definit, jactum modo recte fieri ex plurium epibatarum conſenſu. Cæterum ſi, qui jactum fieri noluit, probet, juſtum metum non fuiſſe, jacientium damno duntaxat jactum eſſe, non eſt, ut dubitemus. Ubi autem jactum ſit, in mari vel fluvio, & ex qua navi, marina vel fluviatili, non magis diſtinguimus, quam de reliquo damno Nautico, de quo diximus ſupra *Cap.* 19. & relatum eſt, (5) in judiciis quoque non diſtingui.

Contribuitur etiam, arbore aliiſve navis inſtrumentis, periculi removendi cauſa, dejectis *l.* 3. *l.* 5. §. 1. *ff. de L. Rhod. de jact.* non ſi exorta tempeſtas ea dejiciat, vel ipſam navem perdat *l.* 2. §. 1. *l.* 5. *pr.* & *l.* 6. *ff. Eod.* rationem differentiæ habes in *d. LL.* idem cautum eſt §. 12. 21. & 39. *LL. Wisbuyc.* & §. 4. *Tit.* IV. *LL. Philippi* II. & §. 4. *L.* I. *T.* XXIV. *LL. Friſ.* & in his omnibus eadem deſiderantur, quæ de bonis mox dicebam. Anchora, funibus reſectis, amiſſa, ut, cum tempeſtas eſſet, ſervaretur navis, bona nihil contribuere, Delegatos rerum maritimarum Judices, & Scabinos Amſterdammenſes 16. Nov. 1661. cenſuiſſe relatum eſt, (6) quia, ajunt, non voluntarie jactum eſt. Addunt & ob hanc cauſam, navi ſtudio in littus directa, nihil merces, ex navi ita littori inſidente exoneratas, contribuere, etiam ideo, quia nihil contribuitur; niſi ſalva nave *l.* 4. *in fine pr. ff. de L. Rhod. de jact.* Parum acute, nam ſemper res aliter ſalva eſſe nequit, periculo coacti jacimus, neque aliter navis ſalva deſideratur, jactis mercibus, quam ut ita ſervata nave etiam merces in ea ſalvæ ſint, merces etiam ſalvæ, damnumque ob eam rem factum, contributionem inducunt. Aliud eſt, ſi ſola tempeſtas navem littori impellat, & ibi frangat, vel armamenta navis, arborem, funes, anchoras dejiciat, tunc enim navita ſimilis videri poteſt Fabro, qui, dum officio ſuo fungitur, incudem vel malleum fregit *d. l.* 2. §. 1. *ff. de L. Rhod. de jact.* & ſic palam definit §. 8. *in fin. Tit.* IV. *LL. Philippi* II. & §. 8. *in fin. L.* I. *T.* XXV. *LL. Friſic.* aliud eſt, ſi ex plurium epibatarum conſilio, ut vita, ut merces ſalvæ ſint, navis in littus dirigatur, vel ex eorum conſilio arbor dejiciatur, anchoræ & funes reſecentur, quo vitæ & mercibus conſulatur. Unde rectius alii, (7) malo exciſo, anchoris funibuſque reſectis, ut a tempeſtate navis merceſque ſalvæ eſſent, contributioni locum eſſe reſpondent. Et ſane tam de navi, data opera in littus directa, quam de inſtrumentis, periculi cauſa dejectis, aperte ita ſancitum eſt *d.* §. 4. *Tit.* IV. *LL. Philippi* II. & *d.* §. 4. *L.* I. *T.* XXV. *LL. Friſic.* & de inſtrumentis eadem ſententia eſt *d.* §§. 12. 21. & 39. *LL. Wisbuyc.*

Unde quæſitum eſt, quid juris, ſi, cum navis, tempeſtate jactata, hæreret in vado, Magiſter merces exoneraverit ſalvas, & navis periiſſet. Sunt qui volunt, (8) mercium dominos contributuros, quaſi ob merces ſervatas navis periiſſet. Puto perperam, nihil enim hic damni factum, ut merces ſervarentur, quæ ſola ratio contributionis eſt, ſed in vado, dum navis exoneratur, periit, nihil ergo contribuetur *l.* 2. §. 1. *l.* 4. *l.* 5. *l.* 6. & *l.* 7. *ff. de L. Rhod. de jact.* Cæterum, quamvis navis perierit, Magiſtro tamen mercedes debentur, ſi aliis navibus vel naviculis merces ſuo ſumptu ad dominos pertulerit §. 3. *T.* IV. *LL. Philippi.* II. & ſic recte reſponſum eſt, (9) & a Senatu Supremo, me præſente, judicatum 16. Febr. 1707. (10) contra Mercatores quoſdam Amſterdammenſes, qui mercedes ſe debere negabant, utique ab his detrahenda eſſe ſervaticia, quæ impenderant ad merces conſervandas, omni ope contendebant, ſed cum nulla argueretur Magiſtri culpa, Judices delegati ad res maritimas, 21. Febr. 1686. ſervaticia, a dominis erogata, non eſſe detrahenda judicarunt, contra vero Scabini Amſterdammenſes 27. Nov. 1687. Curia ex appellatione 29. Apr. 1698. Senatus, eo, quo, dixi, die, Delegatorum ſententiam probarunt, quia ſervaticia impenſa erant ad ipſas merces conſervandas, nec ad nautam pertinent, non magis, quam corruptio mercium, quæ ſine culpa nautæ accidit.

Si res in ſcapham ex neceſſitate translatæ, cum nempe aliter navis portum intrare non poſſet, perierint, negat §. 50. *LL. Caroli* V. navitam, ſi extra culpam ſit, teneri. Sed an contribuetur? & contribuendum ait *l.* 4. *pr. ff. de L. Rhod. de jact.* quod ſequimur. Sed an navis quoque contribuet? Video eſſe, qui non dubitant. (11) Neque ego dubitarem, ſi hoc pro ſalute navis factum eſſe dicamus. Nihil definit *d. l.* 4. *pr.* Ubi ad hunc caſum deveniunt Interpretes, (12) diligentes ſunt, ut te doceant, quid rei ſit ſcapha, adductis etiam iis, quæ ante ſæculum, & quod excurrit, perſcripta erant. Proferunt & Harmenopulum Προχείρῳ *L.* II. *T. X.* §. 9. cui ſcapha dicitur βάλκα & κοντλάς. Quamvis autem βάλκα conſtanter ſcribatur, & hanc vocem etiam retineant, qui Gloſſas & Nomenclaturas ediderunt, quique Harmenopulo interpretando operam dederunt, magis tamen mihi placeret, ſi pro βάλκα reſcriberemus βάρκα, nam circa ea tempora *barcæ* vox in uſu fuit, & ſecundum Iſidorum *L.* XIX. *Origin. C.* 1. *barca eſt, quæ cuncta navis commercia ad litus portat.* Sequens vox Κοντλάς originem dedit Venetorum *Gondolis*, ad eas

(5) *Conſil. H. T. Conſ.* 65.
(6) *Conſil. B. T.* I. *Conſ.* 286. p. 662.
(7) *Conſil. B. T.* III. *Conſil.* 155.
(8) *Conſil. H. T.* II. *Conſil.* 153. *Q.* 1.
(9) *Conſil. H. Tom.* II. *Conſil.* 153. *Q.* 2.
(10) *Obſerv. Tumult. T.* I. *n.* 255.
(11) Weytſen *de Avariis* §. *Voorts zoo is de vrage* 30.
(12) Peckius *ad Rem. Nauticam in d. l.* 4. *pr.* & Vinnius ad Peckium *d. loc. lit. R.*

eas certe jam retulit Cujacius ad Pauli *Sentent. L.* II. *T.* 7. §. 4. & refert quoque Du Cange in *Gondola.* Venetorum Gondolæ jam olim celebratæ fuerunt, & inde Photius Venetos appellat κονδοστόλους. Neſcio, cur id epitheton non probaverit Iſaacus Voſſius *de Trirem. & Liburnic. conſtruct. pag.* 126. *&* 127. Quamvis enim olim & majoribus navigiis uſi fuerint Veneti, & adhuc utantur, non abſurde tamen κονδοστόλαι epitheton iis convenit, non ideo, quod ſolis Gondolis navigent, ſed quod præ reliquis Gentibus plus Gondolis utantur. Romani etiam aliis veſtibus utebantur, quam Toga, neque ideo tamen alii Romanos male dixerunt *Gentem Togatam.* Credo Voſſium magis voluiſſe locum, vulgo non notum, proferre, quam Photium reprehendere.

Sunt nonnullæ ſpecies, de quibus non ſatis conſtat, an, ſi incidant, contributioni locus ſit. Ita quæritur, ſi qua navis, ob reverentiam, alii non præſtitam, hoſtiliter excepta, patiatur damnum, an id damnum commune ſit? Sunt qui ajunt, ego negandum cenſeo, niſi lex ſit, quæ apluſtria & vela aliorum Principum navibus ſubmittere prohibeat, ſed nolim hic repetere, quæ ea de re ſcripſi *Quæſtion. Jur. Publ. L.* II. *Cap.* 21. *vſ. Hac occaſione*, & *vſ. Non igitur.* Rurſus quæritur, an contributioni locus ſit, ſi quid jactum vel dejectum ſit, quod culpa nautæ male onerata eſſet navis? & ajunt §. 8. *Tit.* IV. *LL. Philippi* II. & §. 8. *L.* I. *T.* XXIV. *LL. Friſ.* ſolius nautæ damno id futurum, *en niet gebragt werden in eenige avarie.* Quod ita intelligerem, ut tunc demum locum haberet, ubi jactarum rerum dominus a nauta jacturam conſequi poſſet, alioquin, ſi recte arbitror, ab omnibus contribuendum eſt. Ut ſolus nauta culpam ſuam præſtet, rationem habet, ſed ſi minus ſit idoneus, quia pro ſalute communi jactum eſt, jactus ratio contributionem deſiderat. Inter Magiſtrum idoneum vel minus idoneum non diſtinguunt *d.* §§. 8. 8. ut nec diſtinguit Taco van Glins ad *d.* §. 8. *LL. Philippi*, ſed conſulta ratione, ut dixi, diſtinguendum videtur.

Si navis a piratis redempta ſit, redemptionis pretium eſſe contribuendum conſtat ex *l.* 2. §. 3. *ff. ad L. Rhod. de jact.* nam pro ſalute navis & mercium ſit redemptio, quod ad inſtar jactus conſiderandum eſt. Nullo autem modo id porrigendum eſt ultra navium & mercium, de quibus agitur, dominos. Cum anno 1663. Legatus Ordinum Generalium navem quandam redemiſſet, Ordines 1. Dec. ejusdem anni decreverunt, (13) ea redemptionis ſumma ex novo tributo, omnibus, qui in Turcia negotiantur, imponendo redigeretur. Quod neſcio, an defendi poſſit, niſi injurioſa utilitate, neque enim ea navis redempta erat, ut ceteris ibi negotiari liceret, ſed avertendi majoris damni gratia. Et magis forte injurioſum id Decretum, quia ea navis ob delictum fuerat publicata. (14)

Contribuunt autem omnes, quorum res ex periculo, juſta ratione jactus, ſervatæ ſunt, etiam navis & res nautæ §. 12. 20. 21. *&* 39. *LL. Wisbuyc.* In §. 6. *T.* IV. *LL. Philippi* II. *& in* §. 6. *L.* I. *T.* XXIV. *LL. Friſ.* optio datur Mercatori, velitne contribuere navem, an integrum naulum, navitæ promiſſum. In *d.* §. 20. *LL. Wisbuyc.* nautis, ſi ſtrenue operam poſuerint, & officio ſuo functi ſint, datur unum dolium immune (*een vat vry*) quod accipitur de nautarum quaſi peculio, quod per conniventiam habent immune (15). In §. 30. *vſ. Item LL. Wisbuyc.* cavetur, eandem immunitatem habiturum Mercatorem, quam habet nauta.

Pecunia quoque quin contribuat, dubium non eſt *l.* 2. §. 2. *ff. de L. Rhod. de jact.* §. 18. *vſ.* 1. *Item waar. & duobus ſeqq. LL. Wisbuyc.* Olim aliud his juris fuiſſe traditum eſt, & rationes, quæ in utramque partem adferuntur, recenſuit Weitſen, (16) ſed longe potiores ſunt, quæ pro contributione pecuniæ militant. (17) Sed non eſt diſputandum, ubi expreſſa eſt juris auctoritas, ut nunc eſt in §. 7. *Tit.* IV. *LL. Philippi* II. &, quod ad Friſios, §. 7. *L.* I. *Tit.* XXIV. *LL. Friſic.* excipiunt tamen *d.* §§. 7. 7. eam pecuniam, quam quis in veſtimentis ſuis habere ſolitus eſt. Unde etiam contribuunt lapides, & ornamenta aurea ſive argentea, etſi ea geſtare ſolitus ſit nauta.

Cum Jus Romanum definiat, & uſu ſervetur, bona ſalva æſtimari quanti venire poſſunt, cur ex §. 38. *LL. Wisbuyc.* duntaxat ſemis pecuniæ numeratæ contribuat, non ſatis animadverto, neque etiam, cur ex *d.* §§. 7. 7. pecunia duntaxat contribuat *naar ſyn inwendige of intrinſique valeur*, qui vulgo opponitur valori publico, & ſic etiam *d.* §. 7. explicari ſolet. (18) Sed cur non valore publico, tanti enim eſt, quanti princeps eſſe voluit; niſi eum §. 7. referas ad numismata, & arcendum ab iis pretium affectionis, ut tentabam *Cap.* 21. *ſupra vſ. Quod ſi.* Quo ipſo verſiculo prolixe diſputavi, quemadmodum bona, tam perdita, quam ſalva ſint æſtimanda. Quæ omnia hic repetita ſunto, quia nihil intereſt, in æſtimatione ineunda, an colliſione navium, an jactu damnum fuerit datum & acceptum.

Ad contributionem bonorum Magiſtro datur retentio *l.* 2. *pr. ff. de L. Rhod. de jact.* §. 21. *LL. Wisbuyc.* ſed de actione diſputant. Locati conducti proponitur in *d. l.* 2. *pr.* & ſi ita diſtinguas, ut ibi diſtinctum eſt, non eſt, ut eam actionem longius petitam arguamus. Quin & alii actioni poſſet eſſe locus, nam naſcitur, quæ ex jactu ſit contributio, vel ex ſocietate, inita de ſalute rerum quarundam jactu redimenda, vel ex ſpeciali conſenſu, vel ex auctoritate juris. Sunt, (19) qui inter ſocietatem & jus contributionis quandam ſimilitudinem eſſe ajunt, quod alius (20) putat inſubtile eſſe, quia ſocietas non niſi lucri. Perperam, omnis rei honeſtæ ſocietas eſt, imo & minus damnum facere lucri ſpecies eſt. Atque etiam pro ſocio agi poterit, ubi revera ſocietas eſt, ſive ubi eorum, contra quos agitur, conſenſu jactus eſt, aut ubi jactum recte eſſe factum jam judicatum eſt, ſi non eſſet, præpoſtere ageres, perinde ac ſi empti judicio Titium velles cogere, ut viam ad ſepulchrum venderet, neque tamen dubitares, puto, poſtquam Judex Titium, viam venderet tanti, damnaſſet, quin emptio eſſet, & tu recte empti ageres. Sunt, (21) qui & mandati & negotiorum geſtorum recte agi poſſe exiſtimant. Sane ſieri poteſt, ut recte mandati agatur, ſi ejus, contra quem agitur, conſen-

(13) Aitzema *L.* XLIII. p. 855-857.
(14) *Hollandſche Mercurius* 1663. p. 75. *& ſeqq.*
(15) M. de Vicq ad Weitſen *de Avariis* §. 27.
(16) *Van Avarien* .. 23. 24. 25. *&* 26.
(17) de Vicq ad Weitſen §. 13. p. 39. 40. 41. *&* 42.
(18) Glins *ad d.* §. 7. & de Vicq ad Weitſen §. 13. p. 42.
(19) Peckius ad *l.* 2. *pr. ff. de L. Rhod. de Jact. n.* 7.
(20) Vinnius ad Peckium *d. loc. lit. F.*
(21) Buchnerus *de Jure Aquat. th.* 209.

ſenſu, atque ita mandato, jactum ſit, at negotiorum geſtorum vix putem, qui enim ſuum æque ac alterius negotium gerit, vix eſt, ut geſſiſſe videri poſſit. Sed quid de nomine actionis laboramus, cum & contributoria ex Lege Rhodia dari poſſet? utique hodie, cum omnes actiones ſint ad inſtar præſcriptis verbis.

Hactenus de Avaria, quam *extraordinarium* ſive *groſſam* appellant. Alia eſt *ordinaria* ſive *communis*, & quid ad hanc, quid ad illam pertineat, intereſt ſcire, quia ad groſſam navis & merces contribuunt, ad communem ſolæ merces, non etiam navis. Avaria communis conſiſtit in impenſis, quæ dantur Ductoribus navium (*Lootſen*) §. 60. *LL. Wisbuyc.* §. 9. *T.* IV. *LL. Philipp.* §. 9. *L.* I. *T.* XXIV. *LL. Friſic.* aliisque, de quibus indignum eſt tractare.

CAPUT XXV.

An contributioni locus ſit, nonnullæ quæſtiones, & de his res judicatæ.

Accipe nunc aliquot ſpecies, in quibus quæſitum fuit, an, ad inſtar jactus, ob navem mercesque ſervatas, contribuendum ſit, & quid de his judicaverint varii Judices, interque hos Senatus Supremus, me Senatore. Magiſter navis, quæ inſtructa & munita erat quadraginta tormentis bellicis, juſto epibatarum numero, quin & codicillis ad deprædandos hoſtes, affixo Amſterdami programmate publice denunciat, ſe certo tempore navigaturum Illicem, Genuam, Liburnum & Venetias, *ſonder na geſelſchap te wagten*, invitatque adeo Mercatores Amſterdammenſes, ut ſibi merces, eo locorum vehendas traderent. Magiſter, poſtquam onus ſuum receperat, Amſterdamo navigat ſub præſidio navis Bellicæ, quæ Porſtmudam deſtinata erat, & ubi hæc portum Porſtmudanum ſubit, eundem ſubiit navis mercatoria. Quum navis Bellica deinde alio navigare juſſa eſſet, plurimæ naves mercatoriæ, quæ in illo portu hærebant, ſine ullo præſidio trans mare currunt, ſed hæc, de qua ago, quia cum Francis bellum erat, non auſa iter ſuum proſequi, per integrum annum ibi moratur, exſpectans aliam navem præſidiariam, quacum ad Gades pergeret. Magiſter, ea comitatus, Gades pervenit, ibique rurſus per integrum annum hæret, præſtolatus aliam navim præſidiariam, quæ eum porro duceret per mare Mediterraneum. Hac accepta iter ſuum abſolvit, & Amſterdamum reverſus, a dominis mercium, *by wege van Avarie groſſe*, petit ſumptus retardati per biennium itineris, atque ſi expenſi eſſent pro ſalute navis merciumque. Ingens ſumma erat, quæ petebatur, ob increſcentes mercedes nautarum, & alimenta, per biennium illis præſtita. Et hanc ſummam, nonnihil tantum imminutam, contra quoſdam mercium dominos adjudicarunt Judices delegati ad res maritimas, qui Amſterdammi ſunt, 20. Nov. 1697. & rurſus contra alios 26. Nov. 1698. & ſic quoque, ex appellatione, Scabini Amſterdammenſes 22. Jul. 1700. Has omnes ſententias Curia reſcidit 27. Jun. 1710. negata omni petione. Cum appellatum eſſet ad Senatum Supremum, ibi ſententiis variatum eſt, ſed tamen plurimi Senatores, reſciſſa Curiæ, pro Amſterdammenſium ſententiis reſponderunt.

Multa in hac lite adferebantur & controvertebantur, quæ, ſi verum amamus, nihil quicquam ad rem pertinebant, quæque adeo poſſum transmittere. In eo ſolo vertebatur quæſtio, an Navarchus in hoc facto dominis mercium, pro ſua parte, poſſit imputare ſumptus retardati itineris? *leg-dagen* appellant. Non exſtat; quod ſciam ea de re jus certum & definitum, niſi quod §. 5. *Tit.* II. *LL. Philipp.* II. & §. 5. *L.* I. *T.* XXII. *LL. Friſic.* caveatur, ſi per culpam Mercatorum iter retardetur, Navarcho reſarciendum eſſe damnum retardati itineris, ſed cum in hac ſpecie nulla Mercatorum culpa argui poſſit, alienum id eſt ab hoc argumento. Qui pro Magiſtro dicebant ſententiam, hoc unum urgebant, Magiſtrum, tempore belli, prudenter exſpectaſſe navim præſidiariam, quæ navim ſuam, & Mercatorum merces tueretur contra naves prædatorias hoſtium, non debuiſſe pretioſiſſimam navim periculo exponere, dominis mercium etiam profuiſſe ſecuritatem navis præſidiariæ, rationis igitur eſſe, ut & pro parte ferant damnum retardati ob tuitionem itineris. Ad hæc alii Senatores, ſed pars minor (vide tu, an ſanior) agi hic de locatione & conductione inter Magiſtrum & dominos mercium, nec ex eo contractu Magiſtro aliam actionem eſſe, quam ad mercedes, quas pactus eſt, pro bonis eo & vel eo locorum transferendis, nec eſſe, quod, ſoluta mercede, ultra petat, niſi, quod tacite contractui, ineſt *de avarie commune*, nihil quicquam ad Mercatores; quamdiu iter duret, & quid quantumve Magiſter expenderit in alimenta vel mercedes epibatarum, illud duntaxat damnum commune eſſe, & omnium contributione ſarciendum, quod accidit præſenti & imminenti periculo, jactu forte facto, aut ſi quid ſimile eſt, *laborante nave*, ut Paulus loquitur in *l.* 2. *pr. ff. de L. Rhod. de jact.* & ut loquuntur omnes Leges nauticæ, quibus hic utimur, hoc addito, oportere de eo periculo teſtari majorem epibatarum partem, antequam contributioni locus ſit, & hic epibatas de retardando itinere nequidem fuiſſe conſultos, nullam eſſe legem, quæ navigationem ſine præſidio, quamvis tempore belli, ad præſens & imminens periculum referat, tutius equidem eſſe navigare cum præſidio, ſed & tutius per hyemem non navigare, quia majus ſubeſt maris periculum, & tamen neminem Magiſtro tribuiturum *leg-dagen*, ſi in portu aliquo per hyemem hæreat, & ibi æſtatem exſpectet; idque magis dicendum eſſe, ubi navis mercatoria, ut in hac ſpecie, in tantum inſtructa & armata erat, ut ſibi metuendum non eſſet niſi a Claſſe hoſtili, cum ex Codicillis, in hanc rem impetratis, facile unum duaſve prædatorias hoſtiles vincere potuiſſet; nec obſtare, quod etiam ſine periculo præſenti & imminenti contributioni ſæpe locus ſit, ut in ſpecie, a Grotio propoſita *Introd. L.* III. *C.* 22. *vſ. niet anders.* nam ibi ſermonem eſſe de *Admiraalſchappen*, & damnum, quod ſocietati navium per hoſtes illatum eſt, ibi communicari ex pacto ſocietatis, quod valde alienum eſt ab hac ſpecie. Addebant iidem Senatores, Magiſtrum hic publice proſcripſiſſe, ſe iter facturum, non exſpectato aliarum navium comitatu, quod & præſidiarias excludit, & ejuſmodi programma Magiſtrum obligare *l.* 11. §. 2. & 3. *ff. de Inſtit. act.* &, cum ita proſcriptum ſit, mercatores ea conditione etiam merces ſuas in na-

vim intuliſſe, & forte curaſſe earum aſſecurationes, ut ſic de prudentia Magiſtri, ad conſervandas ſcilicet merces non ſit philoſophandum; quin tantum damni hic eſſe paſſos Mercatores, illa biennii mora, ut contra Magiſtrum potius iis actio ſit de eo reparando, quod merces ſuas, & deteriores, & biennio duntaxat ſerius potuerint venum exponere, & putabant hanc publicam denunciationem vel ſolam ſufficere, ut Magiſter Mercatores eo nomine debuiſſet præſtare indemnes, tantum abeſſe, ut hac contributione invitandus ſit, quo in necem mercaturæ pergat ſimile quid audere.

Plurima quidem in hac lite rerum judicatarum & tranſactarum exempla proferebantur, in quibus varie diſputatum, varie deciſum, & tanquam dubio Marte tranſactum eſt, an damnum retardati itineris, dum exſpectabatur navis præſidiaria, quæ tuitioni eſſet, incideret vel non incideret in *Avarie-groſſe*. Sed Senatores, qui contra Magiſtrum reſpondebant, rati, illas facti ſpecies longe lateque variare, certe in nulla deprehendi ejuſmodi, quale hic erat, programma publicum, facile nihilominus patiebantur, omnes illas res judicatas, ſibi hic illic contrarias, compenſari, id eſt negligi. Non auctoritatibus, ſed rationibus vincendum eſt, niſi tam ſis craſſi ſincipitis, atque ille qui pro omni ratione dixit, Judices Amſterdammenſes peritiores eſſe Juris nautici, quam eſt utraque Curia, atque adeo, ſe in cauſis dubiis, illorum ſententias præferre. Dignus ſcilicet, qui Senator intraverit in Collegium, quod de appellationibus jus dicit. Reſciſſa igitur eſt Curiæ, & probatæ Amſterdammenſium ſententiæ 16. Mart. 1713 (1).

Succedat alia ſpecies, ſed priori non abſimilis, niſi quod in hac publice denunciatum non ſit, iter retardatum non iri, etiamſi aliæ naves non fuerint comites. Anno CIↃIↃCCCX. tempore belli Francici duo Magiſtri Surinamæ in naves ſuas recipiunt varias merces, certa mercede Amſterdamum tranſvehendas. Quum duæ illæ naves cum tribus aliis, quæ ſimul navigaverant, prope Angliam advenisſent, nullo hoſte inſequente, in portum Pleimuydanum deflectunt, &, quum ibi fama eſſet, mare hoſtibus eſſe infeſtum, navim Bellicam exſpectant, ſub cujus præſidio Amſterdamum navigarent. Et ſub tuitione quoque navigant, nunc ad hunc, nunc ad alium portum Angliæ, ut ſe offerebat occaſio tutionis, & ſic tandem Amſterdamum appellunt. Quia autem in Anglia hæſerant per ſex menſes, & ea mora ſtipendia & alimenta nautarum valde creverant, hos ſumptus extraordinarios, factos, ut ajebant, non tantum ad conſervationem navis, ſed & mercium, a mercium dominis pro ea porportione, quæ obtinet *in Avarie Groſſe*, apud Judices Amſterdammenſes repetierunt. Et, Judices quidem rerum maritimarum, diminutis nonnihil illis expenſis, ſecundum Navarchos ſententiam dederunt 16. Oct. 1711. ſed hanc retractarunt Scabini, dimiſſis mercium dominis, 26. Jan. 1713. Curia, retractata rurſus Scabinorum ſententia, priorem ſententiam probavit 16. Febr. 1717. cum iterum appellatum eſſet ad Senatum Supremum, uno excepto, paribus nunc ſuffragiis judicatum eſt 19. Jun. 1722. (2) ſumptus retardati itineris, quamvis retardetur ob metum hoſtium, dummodo non inſequentium, ad mercium dominos non pertinere. Detrimentum quidem propter metum aliquem factum, reſarciendum eſſe ait *l.* 2. §. 1. *in fin. ff. de L. Rhod. de jact.* ſed ejuſmodi metum nunc intelligebant Senatores, qui naſcitur ex præſenti & imminenti periculo, laborante forte nave, non vero, quæ naſcitur periculo, quod jam aderat tempore locationis, & conductionis, hoc eſt, commune periculum hoſtium, quod ſemper adeſt tempore belli, & quia aderat, nec de exſpectanda tuitione quicquam convenerat, domini mercium majori pretio curaverant mercium ſuarum aſſecurationes. Majora igitur illa pretia ſolvent, & præter ea ſumptus retardati itineris? Forte ſatius fuiſſet merces ſuas, jam aſſecuratas, in poteſtatem hoſtium perveniſſe, quam eas nunc tardius accipere, &, præter pretium aſſecurationis, tantum contribuere. Nunc cenſebant plurimi Senatores, nunquam contributioni locum esſe, niſi in caſu extraordinario, & qui præter opinionem accidit, & ſic de contributione loquuntur omnes Leges, cum Romanæ, tum Patriæ. Nec contra movere debet prudens ſcilicet conſilium ſubeundi portus Anglici, quod quinque Magiſtri navium, quæ ſimul navigaverant, conjunctim ceperant, nam eſto, eos prudenter conſuluiſſe navi ſuæ, de eo non quæritur, ſed an, ſine ulla neceſſitate, etiam recte conſuluerint mercium dominis? &, quicquid ſit, an, ſecundum ea, quæ proponuntur, ulla adverſus eos protracti itineris competat actio? Nec etiam proderit, ſi vel hi ſciverint, naves, de quibus agitur, portum Anglicum ſubiiſſe, neque contra fuerint conteſtati, nam præterquam, quod non conſtiterit niſi de ſcientia unius, ſcire velim, quid inde in rem Magiſtrorum? ſciverint, recte, ſed an ideo ſine ulla promiſſione tenebuntur ad id, ad quod ſine illa ſcientia non tenerentur? nemo dixerit. Rerum ſuarum fuerunt ſecuri, & ſatis gnari, nihil damni ex eo ſibi eſſe metuendum, niſi quod forte tardius & deterius merces ſuas eſſent accepturi.

Ecce nunc aliud factum, in quo Senatus mercium dominos, ex cauſa retardati itineris, iterum ad contributionem damnavit, ſed factum ab aliis, quæ memoravi, longe diverſum. Magiſter navis 10. Aug. 1712. in navem ſuam receperat merces, certa mercede vehendas Amſterdamo ad portum Calenſem (*Port à Port*) ſed ea lege, ut navigaret ſub præſidio navis Bellicæ Ulyſſiponem vel ad ipſum portum Calenſem. Navigat cum multis aliis ſub ea tuitione, & cum appropinquaſſet ad illum portum, forte ibi adſunt plurimæ naves prædatoriæ, quæ & aliquas ex his navibus occupant. Navis bellica, ſigno dato, reliquas naves Ulyſſiponem navigare juſſit, & ibi noſter Magiſter hæſit per ſex menſes & amplius, priuſquam pervenerit, vel tuto pervenire potuerit ad portum Calenſem. Retardatum iter in cauſa fuit, ut in ſtipendia & alimenta nautarum plus fuerit impenſum. Has impenſas, factas, ut ajebat Magiſter, ad conſervationem cum navis tum mercium, & factas propter præſens & imminens periculum, a mercium dominis, proportione Geometrica, repetit. Et obtinuit Amſterdami apud Judices rerum maritimarum 26. Jun. 1714. & apud Scabinos 13. Nov. 1715. & apud Curiam Hollandiæ 6. Jul. 1717. An recte, quæſitum eſt apud Senatum in judicio appellationis. De præſenti & imminenti periculo conſtabat, & conſtabat, non caſu fortuito, ſed voluntate & deſtinatione, ad evitandum periculum, hoc iter longius fuiſſe protractum. Jure quidem Romano in-

(1) *Obſerv. Tumult. Tom.* IV. *n.* 941.

(2) *Obſerv. Tumult. Tom.* VIII. *n.* 1858.

incognita eſt hæc ſpecies, nec ibi fere diſputatur de reſarciendo damno, niſi occaſione naufragii, ſed mores, qui nunc ſunt, ad omne genus periculi contributionem porrigunt (3), & damno, inde nato, ſæpe etiam comprehendunt ſtipendia & alimenta nautarum, longius præſtita (4). Sane, ubi eadem ratio idem jus facit, negari nequit, quin omnia, quæ in jactu deſiderat Jus Romanum, etiam hic occurrant. Sed quid ſi Magiſter navis, exorta forte tempeſtate, vel etiam admonitus, hic illic hærere piratas, conſtituerit portum aliquem ſubire, & ibi morari, an & hos ſumptus protracti itineris imputabimus dominis mercium? Difficile dictu eſt, & ea res immane quantum vergeret in necem mercaturæ, eoque argumento apud Nos Senator magnæ auctoritatis etiam hic contra contributionem reſpondebat. Reliqui tamen omnes pro contributione, prohibuerant quippe mercium domini ſine tuitione navigare, & ea neglecta, præſens imminebat periculum. Accedit, quod ipſo Jure Romano pretium redemptionis in contributionem veniat *l.* 2. §. 3. *ff. de L. Rhod. de jact.* redemptionis autem vice hic videbatur fungi protractum ex neceſſitate iter. Simpliciter igitur omnes anteriores ſententias probavit Senatus 5. Mart. 1721. (5).

CAPUT XXVI.

Variæ Quæſtiunculæ.

I. Recte fiunt aſſecurationes in inſtrumento publico aut chirographo privato, a contrahentibus aut teſtibus fide dignis, prout iis, quorum res agitur, viſum eſt, ſubſcripto §. 6. Ed. *P.* §. 18. *A.* §. 8. *M.* & §. 20. *R. V.* Chartam legitimam ſive ſigillatam, qua fieri debent, præſcribit §. 58. *Ed. Ord. Holl.* 23. Jul. 1677. & eorundem Ordinum publicatio 2. Dec. 1716. ut & §. 5. *Ed. Ordd. Gener.* 18. Maj. 1635 (1). An ergo ſine ſcriptura fieri non poſſunt? & puto, poſſe, & illis §§. 6. 18. 8. 20. 58. & 5. nihil aliud conſtitui, quam, ſi in ſcriptis fiant, qualis ſcriptura deſideretur, quod & ſatis indicat *d.* §. 5. & §. 57. d. Edict. 23. Jul. 1677. repetiti 28. Aug. 1716. quippe qui idem ſtatuunt de inſtrumentis, quibus fiunt rerum mobilium venditiones, quas tamen citra ſcripturam fieri poſſe manifeſtum eſt. Solent etiam Ordines, cum quid ſine ſcripto fieri nolunt, id ſpecialiter exprimere, uti de locatione conductione rerum immobilium expreſſum eſt §. 59. *d. Ed. Ordd. Holl.* 1677. qui §. 58. ſpeciali Edicto fuit promulgatus 3. Apr. 1677. (2) & addita pœna repetitus 22. Dec. 173..

II. Inter eos, quibus aſſecurare non licet, in §. 30. *A.* 29. *M.* & §. 82. *Legum Noviſſ. R.* recenſentur Judices, qui de Aſſecurationibus cognoſcunt, eorumque officia, & id habet magnam rationem. Sed nulla ratio eſt, cur ipſi aſſecurari non poſſint, neque etiam vetantur *d.* §. §. §. quin aſſecurari poſſe nominatim declaraverunt Amſterdammenſes menſe Februario 1600. & menſe Junio 1601. ut eſt in additionibus ad *d.* §. 30. *A.* In illis autem §§. 30. & 29. additum, etiam aſſecurare non poſſe *d'Officiers.* Scire velim, qui intelligantur. An officiales illorum Judicum? non putem, nam in *d.* §§. præponuntur Judicibus, & poſt Judices enumeratos ſequuntur eorum Officiales. Et quum de majoribus vel minoribus Præfectis militiæ ea vox intelligi nequeat, nihil ſupereſſe videtur, quam ut intelligamus Ballivios, ſed cur Ballivii magis vetarentur, quam Magiſtratus? neſcio. Si dictum eſſet, *Officiers van Havenen, Bruggen of Paſſagien*, ut illi prohibentur aſſecurare in §. 19. *Ed. P.* prohibitio haberet rationem, & magis eſt, ut hos ſolos etiam intelligamus. Vetantur & aſſecurare Proxenetæ *d.* §§. 30. & 29. & §. 80. *R.* quia ſcilicet id fere nunc eorum officium eſt, quod olim Curatoris Aſſecurationum Generalis, qui, cujusque vicarii olim quoque aſſecurare prohibiti §. 18. *P.*

III. Titius, damnum paſſus, varios aſſecuratores, qui habitabant Amſterdami, Rotterdami, & in tractu Borealis Hollandiæ ſimul omnes in jus vocat ad Curiam, quod nempe in variis territoriis habitarent, & metueret ſententiarum diverſitatem. Magiſtratus Amſterdammenſis, hoc intellecto, ad Curiam literas dedit, ut, quod ad Aſſecuratores Amſterdammenſes, revocare vellent Mandatum in jus vocationis, hos enim de negotiis, ibi contractis, conveniri non poſſe, niſi apud Judices in hanc rem delegatos ex §. 32. *A.* & hinc quoque in cauſis aſſecurationum prohibitam eſſe Juriſdictionis prorogationem ex §. 8. ampliatæ Formæ 1644. Titius porrecto Curiæ libello cauſam ſuam apud Curiam agi poſtulat, ſed Curia nihil quicquam reſcribit, & interea mandatum revocat. Titius adit Senatum Supremum, *en verſoekt van dat alles Mandament in cas d'appel.* Quærebatur, an concedendum eſſet? De re ipſa dubitatum eſt. Regula eſt, ut dixi, in *d.* §. 32. ſed nihil ibi definitum eſt, quid juris, ſi diverſis locis habitarent aſſecuratores? Verum quidem eſt, ſi Curia ſtatim adiri poſſit, ſimulac unus vel alter aſſecuratorum non Amſterdami, ſed alibi locorum habitaverit, inutilem ſic reddi *d.* §. 32. ſed non minus verum, ſi plures ſint aſſecuratores, & quiſque conveniatur coram Judice ſuo, evitari non poſſe ſententiarum diverſitatem, non tantum apud inferiores Judices, ſed & in caſu appellationis, cum hæc cauſa ſerius, illa ocyus finiatur, & ſic poſſet ſortiri alios atque alios Judices, qui forte non idem ſentirent. Mandatum tamen appellationis negatum eſt 13. Dec. 1710. (3) quia Titius nihil poterat exhibere, quod Curia in præjudicium ſuum ſtatuiſſet. Et quamvis ea ratio etiam alias Senatui placuerit, neſcio tamen, an ſatis ſit idonea. Si Pragmatici, qui Titio operam forenſem præſtabant, teſtarentur, a ſe exactum eſſe Mandatum, quidni appellationi eſſet locus? Sin aliter dicas, in poteſtate Curiæ eſſet prohibere, ne homines jus ſuum perſequi poſſint.

IV. Quæſitum eſt, ſi ob profeſſionem mercium aut nullam aut male factam res perierit, propter fraudem forte vectigalis commiſſo ſublata,

(3) Vinnius ad Peckium *de Re Nautica in l.* 2. §. 1. *ff. ad L. Rhod. de jact. Litt. A.* & Weitſen *de Avariis* §. *Waar door* 31.

(4) Verwer *ad Edict. Philipp.* II. 1563. *T.* 4. §. 12. p. m. 117. §. 1.

(5) *Obſerv. Tumult. Tom.* VII. *n.* 1720.

(1) *Plac.* I. 3. 9. 3. p. 2233.

(2) *Plac.* III. 7. 9. 9.

(3) *Obſervat. Tumult. T.* III. *n.* 676.

ta, an ad aſſecuratorem damnum pertineat? Sane ad creditorem pecuniæ trajectitiæ nihil pertinet, ſi prohibitæ merces comparatæ & a Fiſco publicatæ ſint *l.* 3. *C. de Naut.* Sed in aſſecuratore alia ratio eſt, hunc enim teneri ob malam Navarchi profeſſionem 3. Jun. 1636. reſponſum eſt (4). Adſentior ſi Navarcho ejus rei cura fuerit data, nam contra dolum & culpam Navarchi dominis mercium recte aſſecuratur, ut plenius dixi *hoc Libro C.* IV. *vſ. Pericula.* Sed ſi cura profeſſionis fuerit data ei, pro cujus facto aſſecurator non interveniſſet, aliud dicerem, & ut aliud dicamus, res ipſa poſtulat.

V. Nullas eſſe pactiones, quæ Legibus, de aſſecuratione conſtitutis, adverſantur, expoſui ſupra *C.* V. *vſ. Contradicunt.* Sunt, qui ajunt (5), ſi vel una pactio illicita addatur, totum contractum nihil valere. Sed id verum eſſe, nondum potui animadvertere. In §. 2. *LL. Nautic. P. Tit.* VII. 1563. ſimpliciter conſtitutum eſt, ne quis aliter res ſuas aſſecurari faceret, quam in *d.* §. 2. propoſita formula exhibetur, & in §. 20. *d. Tit.* VII. ſimpliciter reſcinduntur contractus, qui in fraudem illarum Legum facti ſunt. Attamen, ne utile per inutile vitietur, dicendum, reliquis ratis manentibus, iſtas duntaxat pactiones reſcindi, quæ legi adverſantur, & ita Rotterdammenſium leges veteres §. 1. ait enim, eas pactiones, quæ in illis Legibus ſpecialiter prohibitæ ſunt, pro non ſcriptis eſſe habendas, quamvis iis renunciatum ſit, reliqua vero omnia manere rata. Optime, ſi quid judico, & ſecundum hæc Carolus V. in §. 22. *LL. Nautic.* 19. *Jul.* 1551. non alias pactiones reſcindit, quam quæ factæ eſſent contra illas leges, non quidem de aſſecurationibus, ſed de aliis rebus factas.

VI. Ut ratæ ſint aſſecurationes, neceſſe eſt, ignorari ſtatum, in quo ſunt res, de quibus agitur. Unde Grotius *de Jure Belli L.* II. *C.* 12. §. 23. ita ſcripſit: *Contractus avertendi periculi, quem aſſecurationem vocant, omnino nullus erit, ſi contrahentium alter rem, de qua agitur, aut ſalvam, quo deſtinabatur, perveniſſe, aut periiſſe ſciverit.* Sane ſi aſſecuratus, tempore aſſecurationis, rerum interitum ſciverit, aſſecurator plane non tenetur, ut variis legibus, de aſſecuratione latis, conſtitutum eſt, iisdemque legibus expresſum, quando aſſecuratus interitum ſcire, quando ignorare præſumatur. Has leges recitavi *hoc Libro C.* VII. ſed miror illis legibus nihil eſſe cautum de alio caſu, quem habet Grotius, ſi nempe aſſecurator rem jam ſalvam perveniſſe ſciverit. Rotterdammenſium leges veteres §. 19. & novæ § 55. ſimpliciter ajunt, aſſecurationis præmium deberi, etſi tempore, quo contrahebatur, res, de quibus agitur, in locum deſtinatum jam pervenerant, ſed id non aliter intelligo, quam ſi aſſecurator res ſalvas perveniſſe ignoraverit, nam ſi ſciverit, in dolo eſt, celans, quod celare non debebat, quod ex jure communi non valere dicendum eſt *l.* 1. §. 1. *ff. de Act. empt.* aſſecuratio utique eſt contractus bonæ fidei, a quo omnem fraudem abeſſe &, ſi adſit, vindicari oportere, ajunt §. 22. *Ed. P.* §. 31. *A.* & §. 39. *M.*

VII. Mercibus aſſecuratis, variæ ſunt ſpecies, quæ non aſſecuratæ intelliguntur, niſi nominatim deſignentur. Has enumerat §. 17. *A.* §. 7. *M.* & §. 3. *M.* & circa quasdam exceptio eſt in Statuto Amſterdammenſi 9. Maj. 1654. Cur autem placuerit inter eas ſpecies recenſere res, quæ ſervando ſervari non poſſunt, non ſatis intelligo, & ejus rei rationem mihi non conſtare, jam profeſſus ſum ſupra *C.* XV. *vſ. Scio.* Si enim per ſe corrumpantur, corrumpuntur & pereunt ſuo domino, & hoc ipſum ait §. 29. *A.* §. 20. *M.* & §. 45. *R. N.* Si corrumpantur & pereant per tempeſtates & hoſtes, quidni id periculum, æque ac aliarum rerum, aſſecurator ſubeat? Ajunt (6) etiam, exprimendum eſſe *riſico op Bodemery*, idque Legibus Amſterdammenſium, de aſſecurationibus latis, contineri, ſed neque ejus rei rationem adſequor, neque exſtat in Legibus, niſi induſtriam meam fugerit. Si tamen aſſecuratus ignoret, merces eſſe miſſas *op Bodemery*, aſſecurationem valere, anno 1672. quam plurimi, ſententiam rogati, reſponderunt (7).

(4) *Conſil. H. Tom.* V. *Conſil.* 222.
(5) *Conſil. H. Tom.* I. *Conſil.* 187.
(6) *Conſil. B. Tom.* I. *Conſil.* 288.
(7) *d. Conſil.* 288.

FINIS LIBRI QUARTI.

CON-

CONSPECTUS CAPITUM.

LIBRI PRIMI.

CAPUT I.

De Juriſdictione Curiæ Hollandiæ in Nobiles & Subditos ſuos. pag. 297

CAPUT II.

De foro eorum, qui Hagæ habitant, quoſque nec Curiæ, nec Magiſtratui Hagano ſpecialiter addicit Ordinum Fiduciaria Juſſio Anni 1614. *& ea occaſione prolixa diſputatio, Curiæ, Hagæ ſedentis, an Magiſtratus Hagani prior & antiquior Hagæ fuerit juriſdictio.* 300

CAPUT III.

Quid Senatus Supremus vario tempore judicaverit de Foro eorum, qui Hagæ habitant, neque Nobiles, neque Forenſes Curiæ ſunt, neque etiam ex Opificiis ſeſe exhibent. 304

CAPUT IV.

Nonnulla de Foro Minorum, Viduarum, & Miſerabilium apud Hollandos. 306

CAPUT V.

Ecquando viduitatis & minoris ætatis privilegium, quod ad forum, ceſſet. 308

CAPUT VI.

Quæritur de aliis quibuſdam perſonis ac cauſis, an ad juriſdictionem Curiæ pertineant. 310

CAPUT VII.

De territorio Curiæ, & an quæ juriſdictio inde Curiæ competat? 313

CAPUT VIII.

De foro eorum, qui ab exteris Provinciis in Hollandiam mittuntur ad Ordines Generales, Conſiliarios Ordinum Generalium, eorumve Rationales, ſive ad Collegia marina. 315

CAPUT IX.

Rurſus de eodem argumento. 317

CAPUT X.

Iterum de eodem argumento. 320

CAPUT XI.

Tandem de eodem argumento. 322

CAPUT XII.

De Foro Quæſtoris Generalis Fœderati Belgii, ſi in officio deliquerit. 325

CAPUT XIII.

De Foro militum in cauſa delicti. 327

CAPUT XIV.

De Foro militum in cauſa debiti. 331

CAPUT XV.

Magnarum Urbium in Hollandia Cives, eorumque bona, etiam in agro arreſtari poſſe. 333

CAPUT XVI.

De domicilio impuberis vel minoris & an ſuperſtes parens vel tutor id mutare poſſit, & quo effectu circa ſucceſſionem ab inteſtato? 334

LIBRI SECUNDI.

CAPUT I.

De Pacto nuptiali, quo mulier ſibi ſervavit optionem, an lucrum damnumque, an ſua duntaxat, quæ attulit, ſalva habere malit. 338

CAPUT II.

Pacta communione bonorum inter Conjuges, quorum alter, vel qui ambo liberos habent ex priori matrimonio, non impingi in L. Hac Edictali 6. C. de ſecund. nupt. *etiamſi alter plus bonorum ad nuptias attulerit, quam alter?* 340

CAPUT III.

De Sponſalibus minorum in Hollandia. 343

CAPUT IV.

An pœnæ, Jure Romano conſtitutæ adverſus ſecundas nuptias, ſive intra, ſive poſt annum luctus contractas, in Hollandia adhuc obtineant? 345

CAPUT V.

De Legibus Hollandicis, ex quibus in cauſa matrimoniali vetita eſt appellatio, & aliquot in hanc rem utriuſque Curiæ Decreta & Sententiæ. 348

CAPUT VI.

An pro nuptiis conciliatis Proxeneticum peti poſſit? 350

CAPUT VII.

Ex hereditate deducendum eſſe Doarium pactis antenuptialibus conſtitutum, priuſquam ratio portionis legitimæ ineatur. 352

CAPUT VIII.

An Ὑπόβολον *ſive Doarium Conjugi ſuperſtiti, pactis antenuptialibus promiſſum, exigi poſſit, quamvis ſeparatio quod ad thorum & menſam intervenerit.* 354

CAPUT IX.

De effectibus matrimonii, quod ad thorum & menſam ſeparati. 357

CAPUT X.

Non eſſe connubium inter adulterum & adulteram, etiamſi præter adulterium nihil accedat, & an adulterii damnatus, ſolutiſque ex ea cauſa nuptiis, aliam uxorem recte ducat? 359

CAPUT XI.

Si qua cautio producentis nomine ſit concepta, an ex ea recte agat quilibet poſſeſſor? 361

CAPUT XII.

An ceſſio bonorum proſit adverſus mulctam pecuniariam, ex delicto debitam? 364

CAPUT XIII.

Quid habendum ſit de pacto paratæ executionis. 366

CAPUT XIV.

Stipulationes pœnales an, & quatenus licitæ? 368

CAPUT XV.

Annuis penſionibus non ſimul & ſemel præſcribi, ſi ultra XXX. *annos in ſolutione ceſſatum ſit, ſed iis duntaxat, quæ ante* XXX. *annos exactæ non ſunt.* 371

CAPUT XVI.

Variæ Quæſtiunculæ. 372

LIBRI TERTII.

CAPUT I.

An Pontificii Eccleſiaſtici vel Sacra eorum loca ex teſtamento capere poſſint? 374

CAPUT II.

An & quatenus Pontificii Eccleſiaſtici teſtari queant? 376

CAPUT III.

Qui & quæ bona a minoribus nec inter vivos, nec ex teſtamento capere vel capi poſſunt. 379

CAPUT IV.

De clauſula, quam Reſervatoriam *vocant?* 381

CAPUT V.

Res a Supremo Senatu, me Senatore vel Præſide, de Clauſula reſervatoria *judicatæ.* 383

CAPUT VI.

De Clauſula, quam Derogatoriam *vocant.* 385

CAPUT VII.

Res a Supremo Senatu, me Senatore vel Præſide, de Clauſula derogatoria *judicatæ.* 388

CAPUT VIII.

De his, qui ſibi adſcribunt in teſtamento. 390

CAPUT IX.

Quibus cedant, quæ non capientibus relinquuntur. 392

CAPUT X.

Si Conjuges mutuo teſtamento ſe invicem heredes ſcribant cum plena poteſtate alienandi, ſed ea lege, ut bona, quæ ſuperſtes relinqueret, poſt ejus mortem inter utriuſque heredes æquis partibus dividantur, an hereditates & legata, aliaque lucra, quæ ſuperſtes, ſua ipſius induſtria, acquiſivit, pro ſemiſſe etiam cedant heredibus Conjugis primum defuncti? 410

CAPUT XI.

An, ut Spurii ab inteſtato matri ſuccedunt, ſic & ſuccedant Cognatis maternis? 413

CAPUT XII.

Ecqua ratione ſucceſſio inter Virum & Uxorem Jure Romano placuerit, Jure noſtro diſplicuit. 415

CAPUT XIII.

De Retractu nonnullæ Quæſtiones. 417

CAPUT XIV.

De Retractu aliæ adhuc Quæſtiones. 419

CAPUT XV.

Re vendita & tradita, ſi ſolutio non ſequatur, an venditori competat vindicatio? 421

CAPUT XVI.

De Contractu, qui dicitur Bodemery. 423

LIBRI QUARTI.

CAPUT I.

Leges de aſſecurationibus latæ, & in quibus cauſis obtineant. Expreſſo loco, ubi jaceret navis, & unde periculum inciperet, ſi navis ibi non jacuiſſet, ſed eum locum præternavigasſet, damnum tamen, poſtea factum, ad Aſſecuratorem pertinere. Si cui plus, quam per legem licet, aſſecuratum ſit, id quod ſupereſt, alteri non recte cedi. Etiam ſine ſpeciali mandato aſſecurationem valere. An contra piratas aſſecurare liceat? An libertas aſſecurari poſſit? 426

CAPUT II.

Ecquando naves merceſque Aſſecuratorum periculo eſſe incipiant & deſinant? Si plures ſint aſſecuratores, an aſſecuratus poſſit, quem velit, exigere, &, quem velit, dimittere? An unius aſſecuratoris ἀπορία *reliquis noceat, vel proſit? Quemadmodum aſſecuratus, pendente periculo, poſſit cavere, ne ſibi noceat* ἀπορία *aſſecuratoris. Contraria aſſecurationis actio eſt ad præmium, & quo tempore id ſit ſolvendum, & an, ſi ſtatim non ſolva-*

vatur, aſſecurationem reſcindat? Præmii actio non rem aſſecuratam, ſed perſonam duntaxat habet obligatam. 429

CAPUT III.

Si res, ad tres menſes aſſecuratæ, rurſus indiſtincte aſſecurentur, & poſt tres menſes elapſos pereant, novos aſſecuratores in ſolidum teneri. Si navis iter mutare conſtituiſſet, ſed, antequam mutaret, periiſſet, damnum ad aſſecuratores pertinere. De uſuris ex mora in aſſecuratoribus. 431

CAPUT IV.

Variæ aſſecuratorum exceptiones rejectæ, & rurſus de uſuris ex mora præſtandis. Si aſſecuratum ſit ad inſulam D. Thomæ in Africa, aſſecuratorem non teneri de damno, facto ad inſulam D. Thomæ in America. An rata ſit aſſecuratio contra dolum culpamve Navarchi aliorumque nautarum. Navarchum iter mutare poſſe, ſi ejus arbitrio res relicta ſit, &, ſi non eſt, Aſſecuratores nihilominus teneri, ſi abſque mandato aſſecurati mutet. Culpam Navarchi nunquam liberare aſſecuratores, dolum liberare, ſi cum Exercitoribus agatur. 433

CAPUT V.

Lucrum, quod ſperatur, per Leges nauticas aſſecurari non poſſe. Iis Legibus an recte renuncietur? An ſit actio de damno, quod accidit ipſius aſſecurati dolo vel culpa? Iter non mutari, ſi pro forma, *ut ajunt, alius locus exprimatur* in het cognoſcement, *alius in pacto aſſecurationis, neque etiam mutari, ſi aſſecuratoris nihil quicquam interſit, quin nec mutatum iter aſſecurato nocere, ſi ipſe non mandaverit. Si generaliter aſſecuratum ſit, ut in Africa, & America omnia loca prohibita adire liceat, nihil referre, per quem Principem aditio prohibita ſit. In aſſecurationibus non admitti reſtitutiones in integrum ex cauſa imprudentiæ.* 435

CAPUT VI.

Quum ex duabus navibus colliſis altera periiſſet, aſſecuratoribus non prodeſſe, quamvis navem, quæ periit, annoſam fuiſſe dixerint, vel culpa Navarchi damnum fuiſſe datum, vel ſalvæ navis magiſtrum, alibi conventum, fuiſſe abſolutum. Quousque Amſterdami naves aſſecurari poſſint, & an ſtatuto, ea de re facto, renunciare liceat? Sub appellatione urbis Amſterdammenſis etiam Texeliam contineri. Aſſecuratione facta op de Spaanſche Weſtindien, *an & quando Jamaicam liceat adpellere?* 437

CAPUT VII.

Navium merciumque quæ tempore factæ aſſecurationis jam profectæ ſunt, vel jam perierunt, quando aſſecuratio valeat, & quando non item. Illuſtris ſpecies de eo judicata apud utramque Curiam. Alia ſpecies, in qua aſſecurator tribus rationibus oppugnabat aſſecurationem, & diverſæ de ea ſententiæ, & quæ tandem obtinuerit. Diſcutiuntur illæ rationes, & an ea, quæ ob mutatum iter aſſecurationem rejciderit, ſatis fuerit idonea. 439

CAPUT VIII.

Rurſus depulſæ aliquot aſſecuratorum defenſiones ex variis cauſis, & cum maxime ex mutato itinere. Quemadmodum intelligendus ſit §. 1. Statuti Amſterd. 23. Jan. 1699. *Bonam fidem in aſſecurato præſumendam, donec contrarium probetur. Mandantem & mandatarium, quod ad ſcientiam vel ignorantiam, in aſſecurationibus haberi pro una eademque perſona ex* §. 2. d. Statut. *& Senatus Supremi ſententia in eam rem.* 441

CAPUT IX.

De mutato vel non mutato itinere variæ inſpectiones, & contrariæ de his Amſterdammenſium & utriuſque Curiæ ſententiæ. Nonnulla de Uſuris. 442

CAPUT X.

Mercibus aſſecuratis ex Hafnia in Galliam, an, quæ in freto Sundico prope Elſenoram navi ſunt impoſitæ, ſine mentione ejus freti, aſſecuratorum periculo navigent? Rurſus de mercibus, alibi in navem illatis, quam eo loco, ex quo navis profecta erat, & periculum ad aſſecuratorem pertinebat. Si navis uſque ad Londinum aſſecurata, antequam ad Oſtium Tameſis perveniſſet, capta & ab hoſtibus redempta fuerit, aſſecuratores ad pretium redemptionis teneri, etiamſi navis Londinum non navigaverit, ſed ulterius deſtinata fuerit. 444

CAPUT XI.

An conditio, inſtrumento aſſecurationis inſerta, in appendice, ubi de aliis actum eſt, cenſeatur repetita. De expenſis litis nonnulla. Tres ſententiæ reſciſſæ, & refutatæ rationes, quibus eas obtinuerat aſſecurator, præcipue ob mutatum navis nomen. Tres aliæ ſententiæ probatæ, & abſoluto aſſecuratore, quod aſſecuratus, tempore aſſecurationis, præſumeretur ſciviſſe interitum rei, aliis aſſecuratoris rationibus rejectis. 446

CAPUT XII.

Si, profecta nave, tempus profectionis, vel, ſi ignoretur, ejus rei ignorantia contractu non exprimatur, aſſecurationem, Amſterdami factam, reſcindi. Aſſecuratæ navis nomen, inſigni fraude, ad aliam navem porrectum. Actioni aſſecurationis ad ſummum intra triennium præſcribi. Aſſecurationem non recte cedi, hoc effectu, ut nova aſſecurati perſona ſubſtituatur. 448

CAPUT XIII.

Rurſus de ſcientia vel ignorantia profectionis vel interitus rerum aſſecuratarum. Si plures aſſecurationes fuerint factæ, & plus aſſecuratum, quam per legem licet, an illud plus cedat poſtremis aſſecuratoribus, an inter omnes pro rata dividatur? Etiamſi, qui aſſecurationem curavit, fines mandati exceſſerit, ab eo tamen plus damni exigi non poſſe, quam revera paſſus eſt aſſecuratus. Qui ſpondet del credere, *non utitur beneficio ordinis. In negotio, Amſterdami contracto, aſſecuratores non obligat avaria, alibi locorum æſtimata.* 450

CAPUT XIV.

Magiſtri ejuſdemque domini navis culpa, ab aſſecuratore objecta, ſed varie refutata. Rurſus de ignorantia profectæ navis, & de navigatione ſine tutela a loco profectionis, contra quam convenerat, & quid ſi ibi tutela præſto non fuerit? Rejectæ aliquot aſſecuratorum exceptiones, & quid habendum ſit de præſcriptione, quæ actioni de damno objicitur, & nunquid contra eam reſtitutio in integrum impetrari poſſit? 452

CAPUT XV.

Iterum diſcuſſæ & rejectæ aliquot aſſecuratorum defenſiones. Nonnihil de uſuris an a lite mota, an a conteſtata adjudicandis? Aſſecuratione facta op bederffelyke en onbederffelyke goederen, *frumentum & hordeum iis vocibus recte comprehendi. An, ſi aſſecuratio facta ſit ad* fluvium Nannetis, *periculum aſſecuratorum ceſſet, ſi navis ſalva ad fluvium pervenerit, ſed merces perierint, antequam in Urbem Nannetem fuiſſent delatæ?* 453

CAPUT XVI.

Quæ ſcientia in aſſecurato impediat aſſecurationem rerum, quæ jam perierunt? & an metus & ſuſpicio in hanc rem ſufficiant? Iter mutatum intelligi, ſi loca adeantur, in inſtrumento aſſecurationis non expreſſa, etiamſi ſint media inter portum a quo, & portum, ad quem deſtinatum iter eſt. An itinere ſic mutato, mutatum præſumatur ex mandato exercitorum? permittendum id videri exercitorum jurijurando. Qui pecuniam credidit magiſtro navigaturo, etiam conſenſiſſe videri, ut ex ea merces comparare liceret. An privati recte exerceant fœnus nauticum in Indiam Eoam? 456

CAPUT XVII.

Ex Statuto Amſterdammenſi non ſufficere, ut, profecta nave, profectio ſignificetur, niſi & addatur tempus, quo profecta ſit. Perinde tamen eſſe, aſſecuratores id ſciant ex inſtrumento aſſecurationis, an aliunde. Aeſtimationem rerum aſſecuratarum ab aſſecurato eſſe probandam, nec ſufficere ſolam ejus adſertionem & jusjurandum de bona fide. Si, qui aſſecurationem mandavit, ſciverit, quando navis mercesque profectæ ſunt, mandatarius autem ex juſta cauſa ignoraverit, ſufficere, ſi hujus ignorantia in aſſecurationis inſtrumento exprimatur. Si aſſecuratum ſit van de Straat Davids naar Amſterdam, *pro periculo, quod in reditu accidit, aſſecuratum eſſe, & id incipere poſt finitam piſcationem, & hanc finitam intelligi, quando navis ex Freto recta navigat Amſterdamum.* 458

CAPUT XVIII.

Si navis navi ejuſque oneri damnum dederit, an & quemadmodum reſarciendum ſit? 460

CAPUT XIX.

Damni communicatio an ad quaslibet naves & quælibet bona pertineat? 462

CAPUT XX.

Damni præſtatio an ultra navis rerumque pretium porrigi poſſit? & qua proportione damnum utrimque communicandum ſit. 464

CAPUT XXI.

De modo contributionis, & quæ res contribuant? & cujus damni actio non detur? 465

CAPUT XXII.

De damno navium, unius vel utriuſque culpa dato, & quid damni appellatione veniat? 467

CAPUT XXIII.

An actio de damno, culpa dato, etiam competat adverſus exercitores navis, & an in ſolidum? 468

CAPUT XXIV.

De jactu & reliquo damno nautico. 470

CAPUT XXV.

An contributioni locus ſit, nonnullæ quæſtiones, & de his res judicatæ. 473

CAPUT XXVI.

Variæ Quæſtiunculæ. 475



INDEX
RERUM ET VERBORUM,

In quo numerus prior Tomum, poſterior paginam, littera columnam denotant.

A.

Abeſſe reipublicæ cauſa. Vide Reipubl. cauſa.
Abjicere pro *exponere*. I. 359. *a*.
Ablativi abſoluti aliquoties in Pandectis occurrunt. 261. *b*. 267. *b*.
Abortum procurare an patri, an matri, an aliis liceat. 357. *a*.
Aburnus Valens; & quam varie ejus nomen ſcribatur. 328. *a*.
Academici fori privilegio ſtudioſi renunciare poſſunt. II. 181. *a*.
Acceptilatio quid operetur. 48. *b*.
Acceſſio pecorum ad fructuarium pertinet, acceſſio hominum non item. I. 150. *b*.
—— fructus inſulæ in flumine natæ non pertinet ad uſufructuarium proximi fundi, ſed ad proprietarium. 151. *b*.
—— ex alluvione, vel etiam ex eo, quod vis fluminis adjecit, pertinet ad fructuarium. *ibid.*
Acceſſio temporis in uſucapione, quo res fuit apud teſtatorem, & quo fuit apud heredem, prodeſt legatario, ſi legatum vere fuit, vel fideicommiſſum. 240. *a*.
Acceſſionis eodem ſemper jure acceſſio non eſt. 338. *b*.
Accidere in aliquo, pro alicui. 54. *b*.
Accipere judicium quot modis dicatur. 67. *a*.
Accreſcendi jus unde ſit inter heredes legitimos & teſtamentarios. 46. *a*.
—— cur in teſtamento militis locum non habeat. *b*.
—— inter legatarios unde oriatur. *ibid.*
—— eſt inter verbis conjunctos tantum, ſi per vindicationem legatum ſit, & quare. *ibid.*
—— cur non ſit inter conjunctos legato damnationis, nec inter re tantum conjunctos. *ibid.* 47. *a*.
Accurſii auctoritas. II. 66. *a*.
Accuſatorum partibus qui hodie funguntur, jurisdictione ſua aliis cedere nequeunt. 260. *b*.
Achæi habebant morem peculiarem indicendi belli. 193. *a*.
—— locum pugnæ ſolebant conſtituere. *ibid.*
Achæorum reſpublica in multis fuit ſimilis Reipub. Fœderati Belgii. 245. *a*.
Achilleus tyrannus quando a Diocletiano fuerit debellatus. I. 421. *b*.
Achmet Turcarum Imperator quale privilegium Belgis fœderatis dederit. II. 125. *a*.
Acta principum, etiam qui imperium invaſerunt, ſunt ſervanda. 287. *b*.
Acte van Secluſie 9. *May* 1654. explicatur. 245. *a*.
Actio communi dividundo. vid. Communi dividundo.
—— Damni. Vide Damni.
—— ex pacto non oritur. 44. *a*. *b*.
—— incerti ex ſtipulatu pinguior eſt actione de dolo. 17. *a*.
—— in rem num jure Romano adverſus legatos detur. 154. *b*. 155. *a*.
—— mandati, pro ipſa mandandi facultate. I. 169. *b*.
—— negotiorum geſtorum hodie etiam porrigitur ad mercedem. II. 201. *b*.
—— non habitura effectum negari dicitur. I. 25. *b*.
—— oneris averſi competit, ſi nauta onus avertat culpa, non ſi dolo, vel dolo, ſed damni dandi, vel alterius cujuſque rei, quam lucri ſui cauſa. Si vero dolo & animo ſibi habendi, actio furti competit. 250. *a*. *b*.
Actio incerti & actio furti ejuſdem fuerunt poteſtatis, quod ad pœnam dupli. 251. *a*.
—— —— actione locati fuit pinguior. *ibid.* *b*.
—— —— & actio *de recepto* ex primo & ſecundo capite Edicti *Nautæ*, *Caupones & Stabularii* &c. ac denique actio locati conducti, quo differant. *ibid.*
Actiones Ædilitiæ, de dolo, in factum. vid. ſuis locis.
—— & credita hoſtium, quæ apud nos inveniuntur, exorto bello recte publicantur. 204. *a*. *b*.
—— varia hujus rei exempla. 204. *b*. 205. *a*.
—— non recte publicantur, ſi convenerit, ut commercia utrinque ſint licita. 205. *a*. *b*.
—— recte publicantur, ſi princeps a ſubditis exegerit, quod illi hoſtibus debebant. *ibid.* *b*.
—— Si non exegerit Princeps, pace facta reviviſcit jus priſtinum. *ibid.*
—— perſonales præſcribuntur ſpatio triginta annorum. 372. *a*.
Actionibus contrariis damnati cur non fiant infames, directis contra. I. 25. *a*. *b*.
—— contrariis non agi de perfidia, ſed de calculo, quid ſit. *ibid.*
Actio pro actu & negotio. 169. *b*.
Actores, *Agenten*, olim dignius habiti ac hodie. II. 164. *a*.
—— an jure legatorum habeantur. *ibid.* *b*.
Actori ſuccurritur, quoties favetur reo; ut conveniri non poſſit, ne quid præjudicii patiatur circa temporalem præſcriptionem. I. 273. *a*.
Actus eſt jus agendi jumentum vel vehiculum, quod manu agi, duci, trahive poteſt, non quod jumentis junctis trahitur, in quo differt a via. 108. *a*.
—— latitudo olim definita. *ibid.* *b*.
—— eſt, etiamſi jumentum tantum duci poſſit, non etiam vehiculum. 107. *a*. 108. *b*.
Ad pro *at* ſcripſerunt veteres. 199. *a*.
Addicti ob delictum vere & per omnia fiebant ſervi; ſecus qui ob debitum addicti ſervitutem ſerviebant. 88. *a*.
Addictio bonorum illius, qui non ſolvit tributum. Vide Tributum.
Addictionis debitorum ratio. 17. *a*.
Adfines. Vide Affines.
Adfinium. Vid. Affinium.
Adjectivis genitivus additur more Græcorum. 43. *b*.
Adipiſcendæ poſſeſſionis judicium an ſemper ad alterutram curiam pertinuit. II. 312. *b*.
A. D. L. in notam juris tranſiverunt & *ad locum* ſignificant. I. 163. *b*.
Admiraal-ſchappen, Admiralitatis juriſdictio an ad piraticam pertineat. II. 223. *b*.
Admonere & *monere* debitorem, pro interpellare debitorem, vel convenire apud judicem. I. 273. *b*.
Admonitio pro *interpellatione*. *ibid.*
Admonitio pro verberatione. Vide Monere.
Adoptandi vel non adoptandi conditio, adſcripta heredi, an faciat legatum pœnæ nomine? I. 455. *a*. *b*.
Adſeſſores olim in Conſilio Gravionum. II. 301. *a*.
—— vocabantur *Raden*. *ibid.*
Adjeſſorum ſalaria. I. 180. *a*.
Adulter occidi poteſt, non quovis modo, ſed in continenti. I. 153. *a*.

Adulter an in lupanari. I. 153. *a.*
——— occidi poteſt a patre, modo & filiam in continenti occidat. 350. *a.*
——— etiam a marito Lege Julia, & quatenus. 352. *a.*
——— An quem licet occidere, loris etiam cædere liceat. 152. *b.*
——— an etiam fame vel veneno. 153. *a.*
——— Si percutiatur gladio, qui veneno infectus eſt, etſi a veneno mors, jure cæſus videtur. *ibid.*
——— An eum occidere licet in domo ejus vel aſylo? *ibid. b.*
——— An adultera deprehenſa & occiſa, qui effugerat adulter in foro jure occiditur. *ibid.*
——— Ab eo variæ pœnæ exigebantur. 152. *b.*
——— Inter eum & adulteram connubium non eſſe, etiamſi præter adulterium nihil accedat. II. 359.
Adulterii damnatus, ſolutiſque ex ea cauſa nuptiis, aliam uxorem an recte ducat. *ibid.*
Advena an ſtatim ſubditus. II. 149. *b.*
Advocationem vel teſtimonia inſtruere etiam accepta pecunia licet, modo ſine dolo malo fiat. I. 91. *a. b.*
——— qui inſtruunt ad obligationem innocentium, falſi tenentur. *ibid.*
Advocati, curiæ Hollandicæ ſuppoſiti. II. 299. *b.*
Advocatos majores conſulebant ſæpe oratores. I. 325. *b.*
Ædes Legati. Vide Legati ædes.
Ædificia res mancipi, & quo jure. 333. *a. b.*
——— ſuburbana an liceat extruere. II. 267. *b.*
——— Si lege aliqua ſit vetitum, ſubvertere ea licet, etiam non refuſo pretio. *ibid.*
Ædiles jus dicebant, ſed in certis rebus. I. 147. *a.*
Ædilium Edicta tantum tria memorantur in Jure. 109. *b.*
Ædiles plebis, eorum origo & officium. 314. *b.*
Ædilitiæ actiones omnes ſunt temporales. 109. *b.*
Ægeon dictus ἑκατόγχειρ. 318. *b.*
Ægyptia ſacra, licet ſtultiſſima, Romæ tamen licita, ſed poſtea abolita. 415. *a.*
Ægyptii Soldani in titulis luxuriantur. II. 109. *b.*
Ægyptiorum odium erga vicinos in cauſa religionis. I. 413. *a.*
Ælia Capitolina non habuit jus Italicum. 170. *a.* 171. *b.*
Ælii (Sexti) Tripartita. 320. *a.*
Senatus cenſuit, formula, qua ſæpe SCta finiebantur. 420. *a.*
Æro, vaſis ſpartei genus. 256. *a.*
Æs inauratum nihil aliud eſt, quam æs ſub auro. I. 193. *b.*
Ærosa pecunia quæ? 75. *a.*
Ætas, quæ apta muneribus civilibus. 113. *b.*
Æthales, nomen gentile. 77. *b.*
Æthaliæ inſulæ quot ſint. II. 105. *a. b*
Affines proprie qui ſint. I. 149. *b.* 150. *a.*
——— ſunt etiam ſponſus & ſponſa, maritus & uxor, quamvis vulgo ea appellatione non veniant. 150. *a.*
——— Eorum gradus. Vide Gradus.
Affinium idem ac affinitas. 156. *b.*
——— pro confinio, id eſt, eo loco, quo termini agrorum ſeſe contingunt. 157. *a.*
in Africa pium fuit mactandi liberos impium facinus. 353. *b.*
Agere, in definitione actus, quid? 107. *a. b.*
Agere pro regere. 309. *b.*
Agitare pro regere. *ibid.*
Agnatorum & gentilium ſucceſſionis ab inteſtato ratio. Vide ſucceſſio.
Agnatus etiam dicitur filius, ſed non ex communi uſu, propter aliud ſpeciale & magis amicum nomen. 150. *b.*
Agnomina varia unius hominis. 319. *a.*
Agnoſcere liberos pater tenetur, ſive conſtante matrimonio, ſive poſt divortium editos. 358. *a.*
Agonothetici fundi qui dicantur. 187. *b.*
Ἄγυιαι, ἀγυιασμός. 71. *b.*
Ait, *inquit*, ſuperflue poſita. 95. *b.*
Alfenus. Duos ejus nominis fuiſſe. 323. *a.*
——— Varus quis. 247. *b.*
——— ——— Poſteritati reliquit Libros XL. *Digeſtorum*, nullos vero *collectaneorum*, ſive Conjectaneorum. *ibid.*
Alfeni Digeſta quid continuerint. I. 248. *a.*
Alfeni Libros Digeſtorum quoſdam, non vero omnes in epitomen redegit Paulus. I. 248. *b*
In Legibus ex Alfeni *Digeſtorum libris*, ubi eſt *reſpondit*, referri debet ad Servium Alfeni præceptorem, ubi vero in Epitome, referendum eſt ad ipſum Alfenum, cujus ſententiam Paulus Epitomator exhibet. 249 *b.*
In Alfeno Varo pellucet ſimplicitas & gravitas Romana, nihil in ea eſt imitationis, oſtentationis, ſcribit non aſpere, non vaſte, non hiulce, ſed leniter & æqualiter. 268. *a.*
Algerienſes, Tripolitani, Tunetani, & Zaleēnſes non ſunt piratæ. II. 223. *a.*
——— ſunt Civitates, quæ certam ſedem & imperium habent, & quibuſcum nunc pax eſt, nunc bellum. *ibid.*
——— ab Hiſpanis forte pro juſtis hoſtibus non habentur. *ibid.*
——— qui ab illis capiuntur, mutant ſtatum & ſunt ſervi. *ibid.*
Alienandi modi. I. 332. *a.*
Alienandi, vel non alienandi ſervi, conditio, adſcripta heredi, an efficiat legatum pœnæ nomine. 455. *a.*
Alienatio eſt omnis actus, per quem dominium transfertur. *ibid.*
——— Eaque duplex pro ratione dominii, pleni vel minus pleni. 339. *a.*
——— & Dominii translatio, reciprocantur. *ibid. b.*
——— ubi de ſervis agitur, comprehendit etiam manumiſſionem. 455. *a.*
——— an ſit in mutuo. 339. *b.*
Alkmaria, an & quo jure urbium jura exerceat. II. 265. *b.*
Ἀνηλοκληρονομία. I. 432. *b.*
ex Alluvione acceſſio. Vide Acceſſio.
Alter pro *alio*. 116. *a.*
——— non eſt uterque, nec duo ſimul, ſed alter duorum, vel ſecundus. 122. *a.*
Alternationis legatum. Vide Legatum.
Alvei luſus. 322. *a.*
Amanuenſes procuratorum an ad forum Curiæ pertinent. II. 311. *a.*
Ἀμείβειν ambiguæ ſignificationis. I. 432. *b.*
Amicos hodie ſeſe invicem vocant hoſtes. II. 195. *a.*
Amittere, pro *adimere*, tollere. I. 30. *a.*
Amneſtia non recte proficiſcitur niſi a ſumma poteſtate. II. 268. *b.*
ab Anchario familia eſt Ancharia. I. 179. *a.*
Angariatio. II. 237. *a.*
Angli num Oceani Britannici domini ſint. 131. *a.*
——— an eorum imperium maris a Gentibus agnitum ſit. *ibid. b.* 132.
Angularius ſive Anguillarius lacus. I. 202. *a.*
Anianiſmi quam plurimi in fragmentis veterum JCtorum. 161. *b.*
Animadvertere facinoroſos homines, pro *in homines*. 282. *a.*
Animalia quæ res mancipi. 335. *a.*
Animalium diſtinctio. *ibid. b.*
Animi motus pro ſententia. 162. *b.*
Animo an dominium naturaliter retineri poſſit. II. 125. *b.*
Annus *tempus legitimum* vocatur. I. 158. *a.*
——— luctus. Vide Luctus.
Anteceſſores non tantum ſunt, qui leges docent, ſed ii, qui *Pragmatici* dicebantur, & fere occupabantur componendis inſtrumentis, quæ ad rem judiciariam pertinebant. 179. *a. b.*
Antinomiæ non ſunt, cum diſcrepantes ſententiæ JCtorum referuntur, adjecta ea, quæ obtinuit. 23. *b.*
Antiqui uſus & moris vocabula. 326. *b.*
Antonini nomine non ſemper Pius intelligitur. II. 101. *a. b.*
——— Pii vel Philoſophi modeſtia an conveniat cum eo, quod ſe orbis dominum adpellavit. 108. *b.*
Ἁπλῶς pro *ſincere*, *ſine dolo*. I. 210. *a.*
Apotactitæ, Manichæorum Secta. 422. *a.*
Apotheca eſt quarumvis rerum in fundo promtuarium. 74. *a.*
——— librorum eſt eorum, qui commercii, aut alte-

ſerius rei, non uſus gratia habentur, & differt a bibliotheca. I. 74. *a.*
Appellandi tempore præterito quid juris ſit. Vide Revocatio judicati.
Appellatio quibus ex cauſis vetita ſecundum Leges Hollandiæ in cauſa matrimoniali. II. 348. *a.*
in Appellationibus ad Principem, quemadmodum ſummæ computandæ ſint. I. 147. *a.*
Appellatum ad Prætorem nunquam fuit a Magiſtratu, qui in cauſſa ordinariæ jurisdictionis infra Prætorem juri dicundo præfuit, ſed ad Principem. 146. *b.* 147. *a.*
——— fuit a Judicibus datis ad Prætores. *ibid.*
Appellari ad quam ſummam & in quibus negotiis ad Principem liceat. *ibid.*
Appellationis frivolæ pœna. *ibid.*
Appellandi facultatem eſſe in majoribus & minoribus negotiis, & quæ ſint ejus regulæ exceptiones. *ibid.*
Appellabitur is, qui judicem dedit, ut litem finiat, & inde a judice, quem Conſules dederunt, ad ipſos Conſules eſt provocatio. 205. *a.*
Appellandum non eſt a mandatario ad mandantem, ſed mandante. 206. *a.*
Appellatur tamen a Legato Proconſulis ad ipſum Proconſulem *ibid.*
in Appellationibus ad Principem ſummæ quemadmodum computandæ ſint. 146 *a.*
Appius Claudius Centemmanus, idem qui Cæcus, etiam Craſſus dictus. 318. *b.* 319 *a.*
——— R. litteram invenit. *ibid.*
——— Quot ejus nominis fuerint. *ibid.*
Appoſitio ſæpe interpretationis & explicationis vim habet. 85. *b.*
Apprehenſio naturalis quid juris tribuat. II. 124. *a.*
——— Ejus veſtigium remanſit in iis, quæ uſu civitatis in dominium non redacta. *ibid.*
Aquæ ductum per fundum domumve ſuam trajectum recidens cur non teneatur L. Aquilia. I. 118. *a.*
Aquilia Lex. V. Lex.
Aquiliana novatio cur neceſſaria. II. 48. *b.*
——— ſtipulatio. Vid. Stipulatio.
Aquiminarium, vel aquiminale, vel aquimanile, eſt pelvis ad aquam manibus lavandis ſubminiſtrandam. I. 217. *a.*
Arbitro & arbitror. 42. *a.*
Arcam communem habere collegiis licitis tantum permiſſum. 419. *a.*
Arces exſtruere inconſulto Principe non licet. II. 265. *b.*
Argentea ſuppellectili qui utebantur. I. 193. *b.*
Argumentum pro inſtrumento vel apparatu. 165. *a.*
Arma hoſtibus ſubminiſtrare in ſubditis etiam hodie capitale eſt. II. 210. *a. b.*
Arreſta: eorum origo. 148. *b.* 149. *a.*
——— Unde forum competens tribuerint. 148. *b.*
——— ex ſola ſubjectione æſtimanda. *ibid.*
——— num apud Romanos in uſu, & an forum competens tribuerint. *ibid.*
Arreſto an detineri queant Principis bona in aliena ditione. 151. 152.
——— ubi ad factum exempla. *ibid.*
ab Arreſto num Legati immunes. 156. *a. b.* 158. *a.*
Arreſtare exteros Hagæ magiſtratui Hagano cur non licet. 300. *b.*
Arreſtari an poſſint Cives. Vide Cives magnarum urbium.
Arrhæ, ubi interceſſerunt ſponſalia, ex quibus nata erat obligatio, & ex quibus juſtæ exſpectabantur nuptiæ, olim reddebantur quadruplicatæ I. 231. *b.*
——— in ſponſa provinciali, ut, ſi Præſes aliusve officialis eam deſponſavit, quam ducere non poterat, ſimpliciter erant reddendæ. Aliter atque aliter jure novo. 232. *a.*
Arrharum mentio, ubi de ſponſalibus agitur. *ibid. b.*
Arrogationis antiquæ formula expreſſit jus vitæ & necis Patrum in liberos. 347. *a.*
Arruntius, nobilis heredipeta. 431. *b.*
Aſinum habebant Gentiles pro Judæorum Deo 178. *b.*
ab Aſino familia eſt Aſellia. 179. *a.*
Aſſecurare res hoſtium an liceat. II. 230. *a.*
——— non licet naves merceſque, quas jure belli recte occupamus & publicamus. II. 230. *a.*
——— quibus non licet. 475. *a.*
——— an licet contra Piratas. 428. *a.*
Aſſecurari non poteſt lucrum quod ſperatur. 435.
——— an poſſit libertas civilis. 428. *b.*
——— an & quouſque poſſint naves. 437. *a.*
Qui Aſſecuravit res hoſtiles vel *op contrabande goederen* non tenetur de damno. 231. *b.*
Aſſecuratio veteribus & Jure Romano plane incognita. 230. *a.*
——— Ejus tamen aliqua ſpecies eſt apud Suetonium. 231. *a.*
——— hodierna eſt interpoſitio fidei pro rerum alienarum ſecuritate. *ibid.*
——— nulla eſt, ſi inſtrumento non ſit inſertum nomen loci, a quo, & ad quem deſtinatum eſt iter. 427. *a.*
——— nulla eſt ultra id, quod domini intereſt. *ibid. b.*
——— an rata ſit contra dolum, culpamve Navarchi, aliorumve nautarum. 434. *a.*
——— rerum, merciumque, quæ tempore factæ aſſecurationis jam profectæ ſunt, vel jam perierunt, quando valet. 438. *b.*
——— an admittat præſcriptionem actionis de damno, ac reſtitutionem in integrum. 453. *b.*
Aſſecuratione facta *op bederfelyke en onbederfelyke goederen*, an comprehendantur frumentum, & hordeum. 454. *b.*
——— facta ad fluvium, an periculum ceſſet, ſi navis ſalva ad fluvium pervenerit, ſed merces perierint, antequam in urbem fuiſſent delatæ. *ibid.*
——— facta *van de ſtraat Davids naar Amſterdam*, quodnam periculum præſtant aſſecuratores. 460. *a.*
Aſſecurationis actio directa & contraria. 430. *b.*
——— præmium ſi nondum ſolutum ſit, an rebus deperditis, valeat actio directa. *ibid.*
——— præmii actio an rem aſſecuratam, an perſonam duntaxat habeat obligatam. 431. *b.*
——— actioni ad ſummum intra triennium præſcribitur. 449. *b.*
——— inſtrumento loca non expreſſa ſi adeantur, iter mutatum intelligi. 456. *a.*
——— totus contractus an ſit nullus, ſi vel una pactio illicita addatur. 476. *a.*
Aſſecurationes quomodo & qua forma fiunt. 478. *a.*
——— an ſine ſcriptura fieri poſſint. *ibid.*
——— an admittant uſuras. 433. *a. b.* 448. *a.* 454. *a.*
Aſſecurationum leges. 426. 427.
——— An iis renunciare liceat. 431. *a.*
——— quæſtiones de mutato vel non mutato itinere. 442. 443.
——— uſuræ. 433. *a. b.* 442. *a. b.*
Aſſecuratores, ſi navis ab hoſtibus derelicta, vel a domino redemta fuerit, non tenentur in ſolidum, ſed tantum ad damnum datum. 237. *a.*
——— numquam liberantur culpa Navarchi. 434. *a. b.*
——— dolo Navarchi liberantur, ſi cum exercitoribus agatur. *ibid.*
——— quando male objiciant culpam Magiſtri ac Domini navis. 452. *a. b.*
——— tenenutr ob malam Navarchi profeſſionem. 476. *a.*
——— an teneantur, ſi ob profeſſionem mercium aut nullam aut male factam res perierit. 475. *b.* 476. *a.*
——— plures ſi ſint, an aſſecuratus poſſit, quem velit exigere, &, quem velit dimittere. 429. *b.*
——— an recte allegent ignorantiam profectæ navis. 452.
——— ſi diverſis in locis habitant, an ſimul ad Curiam vocari poſſint. 475. *b.*
Aſſecuratoris unius ἀπορία an reliquis noceat, vel proſit. 430. *a.*
Aſſecuratorum periculo quando merces, naveſque eſſe incipiunt & deſinunt. 429.
——— exceptiones. 433.
——— defenſiones aliquot depulſæ ex variis cauſis, & maxime ex mutato itinere. 441. 453.
Aſſecuratus quomodo pendente periculo poſſit cavere, ne ſibi noceat ἀπορία aſſecuratoris. 429. *b.* 430. *a.*

Aſſecuratus ſi ſciverit res aſſecuratas periiſſe, an valeat aſſecuratio, & an metus & ſuſpicio ſufficiant. 456. *a.*
Aſſecuratarum rerum æſtimatio ab aſſecurato probanda, & quomodo. 459. *a.*
Aſſecuratis mercibus, variæ ſunt ſpecies, quæ non aſſecuratæ intelliguntur, niſi nominatim ſint deſignatæ. 476. *b.*
Aſterius, Haſterius, Oſtorius, Auſterius, Auſterus, confuſa. I. 77. *b.*
Aſylum an præbeant ædes legati. II. 177. 178.
——— Exempla ea de re. *ibid.*
——— an præbeant ædes, quas ſcriba Legationis habitat. *ibid.*
Aterius, nobilis heredipeta. I. 431. *b.*
Atlanticum mare Luſitani ſibi vindicant. II. 134. *b.*
Avaria. 470.
——— communis. *ibid.*
Auditorium quid. 11. *a.*
——— in jure omnibus adſcribitur, qui cauſæ cognitionem habent. *ibid.*
——— Præfecti Prætoris & ipſius Principis unum idemque fuit. *ibid.*
Aufidius Namuſa octo libros, quos decem illuſtres Servii auditores conſcripſerunt, in CXL. libros redegit, cui operi forte inſcripſit Collectanea ſive Conjectanea. I. 247. *b.*
'Αυγισμὸς. 71. *b.*
Auguſti appellatio quem denotet. II. 115. *b.* 116. *a.*
Aula ubi Hagæ exſtructa fuit. 301. *b.* 302. *a.*
Aurea veteres appellabant *flores*, & eleganter dicta, ex aliorum ſcriptis, præſertim orationibus. I. 324. *b.*
Aurea ſtatua differt a ſtatua deaurata. 193. *b.*
Aureorum computatio ætate veterum JCtorum ad rem numariam pertinuit. 274. *a.*
Aureus & ſeſtert. num differant. II. 14. *a.*
Autem etiam tranſitiva particula. I. 30. *b.*
Authentica *Hodie C. de Judic.* eſt conficta. II. 269. *a.*
Authenticæ in Codice unde ſic dictæ. 56. *a. b.*
——— de iis ridicula non neminis opinio. 65. *a.*
——— qua de cauſa Codici infertæ. *ibid.*
——— a variis auctoribus collectæ. *ibid.* 66.
——— quid ſub iis intelligatur. *ibid.*
——— *Gloſſellæ* vocatæ. *ibid. b.* 87. *a.*
Authenticæ Fridericorum Impp. a quo Codici adjectæ. 67. *b.*
Authenticæ a quo collectæ & ſuo loco digeſtæ, & num id mandato & conſtitutione Imperatoris factum. 72. *b.*
——— non omnes ab Irnerio collectæ. 68. *b.* 86. *a.*
——— eæ tamen, quæ Irnerii non ſunt, ei adſcribuntur. 69. *b.*
——— veterum nobis incognitæ & contra. 71. 72.
Authenticarum auctor quo jure Irnerius eſſe negetur. 70. *a.* 73. *a.*
——— num idem auctor, qui translationem veterem Novellarum dedit. 74. *b.*
——— incertus numerus, incerta ſedes, & variantes lectiones. 471. 472.
——— quarumdam antiquitas uſque ad Juſtinianum aſcendit. 67. *b.*
Authenticarum Corpus quid. 70. *a. b.* 84. *a.* 85. *b.*
Authentica una eademque quandoque a variis fabricata. 70. *a.*
Authentici appellatio jam Irnerii ævo frequentata. 65. *b.*
Authenticum & Authenticæ quid veteribus tempore renaſcentis Juriſprudentiæ. *ibid.* 85. *b.*
'Αυτονόμοι Civitates. Vide Civitates.
Αυτοχειρία Jure Romano non prohibita, nec punita fuit, niſi in his, qui ob metum criminis ſe occiderunt. I. 103. *a. b.*
——— publicatione bonorum punitur, non in quibuſvis facinoroſis e ſola facti ſceleritate, ſed in his, qui rei poſtulati, vel in ſcelere deprehenſi, metu conſcientiæ ſe occiderunt. 104. *a.*
——— tentata, non perfecta, in militibus cur punita fuerit. 103. *b.* 104. *a*
——— ſervis naturaliter licita, non civiliter. 103. *a.*
Azzalum Indicum. 105. *a.*

B.

B & V ſæpe permutantur. I. 82. *a.*
Babylonica quæ. 105. *a.*
Babylonienſes Soldani in titulis luxuriantur. II. 109. *b.*
Bacchanalia, eorumque origo &c. I. 417. *a.*
——— ſublata Marciano SCto. *ibid. a. b.*
Bacbas, pro eo, *qui inter Bacchantes eſt.* 419. *a.*
Bacchi ſacris initiati, ex horrendo carmine, quo Pontifex præïbat, conjurabant in omne facinus ac libidinem. *ibid. b.*
Barbari in Africa non ſunt Piratæ. II. 223. *a.*
Βαρκα ſcapha. 471. *b.*
Barneveldius, Hoogerbeetſius & Grotius quamobrem ſint damnati. 243. *a.* 273. *a.*
——— Obtorto collo ad judices delegatos rapti. 284 *b.*
Baſilici ex jure poſteriorum Principum plurima addiderunt ſuæ vel Κατακρσει vel παραφρασει. I. 271. *a.*
Baſtaert: Parœmium de hoc. II. 413. *a.*
Belgæ quale privilegium ab Achmete acceperint. 125 *a.*
——— uſu maris & fluctu contenti nullius imperium ſibi vindicant. 133. *c.*
——— qui & quare mari Auſtrali dominentur. *ibid. a. b.*
——— ſervos non habent niſi in Aſia, Africa, America. 196. *a.*
Belgii Fœderati Reſpubl in multis eſt ſimilis Reipubl. Achæorum. 245. *a.*
——— ſingulæ urbes ſuo ære olim ſua bella geſſ... unt. 232. *b.*
——— pacem fecerunt. 238. *a.*
——— ſingulis Provinciis an jus ſit belli gerendi. 232. *a. b.*
——— Vide amplius in V. Ordines.
Belgis Fœderatis expediunt Legationes ordinariæ. 147. *b.*
Bellum quid ſit. 191. *a. b.*
——— gerere quid. 195. *b.*
——— ut ſit legitimum, indictio belli non eſt neceſſaria. 192.
——— recte incipit a vi mutua. 193. *b.*
——— Hiſpanorum contra Belgas uſque ad annum 1648. geſtum, cœpit ſine indictione. *ibid.* 194. *a.*
Belli indicendi mos Achæorum. Vide Achæi.
——— jus in actiones & credita hoſtium, quæ apud nos inveniuntur. Vide Actiones & credita &c.
——— ſtatus inter hoſtes. 195.
——— ſtatus inter non hoſtes. 208.
Bellum ſi oriatur, num legati tuti ſint. 180. *a.*
Bello ſubito oriente non ſolent denunciare Principes hoſtium ſubditis, ut res ſuas, alioquin publicandas, avehant, niſi expreſſe aliter fuerit pactum. 194. *a. b.*
In Bello omnis vis in hoſtem juſta. 191. 192. *a.*
——— dolo uti licet. *ibid.*
——— perfidia illicita. *ibid.*
——— quid juſtum ſit in bona amicorum vel hoſtis. Vide Bona.
——— non neceſſaria eſt conditio loci pugnæ. 193. *a.*
——— quid juris reſpectu commerciorum. Vid. Commercia.
Bella non niſi indicta gerunt magnanimi Principes Populique. *ibid.*
Bellorum ſine indictione geſtorum exempla. 194. *b.* Vide Hoſtis.
Benedicta quæ appellabantur. I. 324. *a. b.*
Benedictorum Liber Caſcelii qualis fuerit. *ibid.*
Beneficium, pro quocunque facto, vel cauſa, non lectum. 112. *a.*
Bergloon. II. 202. *a.*
Berytus jus Italicum habuit. I. 171. *b.*
Beſtiæ quæ. 336. *b.*
——— an ſint Elephanti & Cameli. *ibid.*
——— non aliud ſunt quam feræ. 336. *a.*
——— ſunt res nec mancipi. 337. *b.*
Bibliothecæ eſt librorum, qui uſus gratia habentur. 74. *a.* Vide Apotheca.
——— ſuppellectilis legato non continetur, inſtructi continetur. 106. *a. b.*
Bodemery. V. contractus.
Bona & res idem. 68. *a.*
——— Amicorum in hoſtium navibus reperta, an recte

ſte publicentur. II. 216. *a. b.*
Bona jure Francico publicantur. 217. *a.*
——— quid ea de re pactis variarum Gentium fuerit conventum. *ibid.*
——— ex qua ratione non recte publicantur. *ibid.*
——— damnatorum olim omnia publicabantur, quod deinde varie mutatum fuit. I. 60. *a.*
——— ——— etiam olim liberi plures interdum accipiebant e privilegiis, non ex L. Papia Poppæa. *ibid.*
——— ——— cur publicarentur *ibid. b.*
——— hoſtibus advehi vetita, ſi in confiniis hoſtium deprehendantur, præſumuntur hoſtibus advehi. II. 213. *b.*
——— legatorum arreſto ſubjacent, & quæ illa ſint. 168. *a. b.*
——— mobilia legati an pignoris cauſa capi poſſint. 159. *b.* 160. *a.*
——— principis in alieno territorio an arreſto detineri queant. 151. 152.
Bonorum communione pacta, an impingatur in *L. 6. C. de ſecund. nupt.* 340.
Bonorum poſſeſſio vulgaris & Carboniana, utraque anno perimitur, ſed utriuſque tempora ſeparatim currunt, & quomodo. I. 35. *a.*
——— utraque interdum eodem anno perimitur, interdum Carbonianæ petitio diutius durat. *ibid.*
——— Carboniana interdum competit, non petita vulgari. *ibid.*
Bonæ fidei contractus. Vid. Contractus.
Bonæ fidei poſſeſſor conſtituitur ſæpe in mala fide ex ſola editione inſtrumentorum ante litem conteſtatam. 262. *a.*
——— ——— per ſolam litis conteſtationem non ſemper conſtituitur in mala fide, quamvis id ſæpius pro regula habeatur. 262. *b.* 263. *a.*
——— ——— manere poteſt ad uſque rem judicatam. *ibid. b.*
Boni mores ſunt viri honeſti & probi. 210. *b.*
Bonitarium jus. Vide jus.
Boves an res mancipi. 336. *b.*
——— *Lucæ* pro Elephantis. 337. *b.*
Brabantini illi, qui ſub Rege Hiſpaniarum fuerant, ſed deinde a Belgis ſunt occupati, anno 1648. & poſtea fruſtra petierunt admitti in Fœdus Utrechtanum. II. 221. *b.*
Bredani 15. Sept. 1579. in Fœdus Utrechtanum ſunt recepti. *ibid.*
Breve lumen, *brevis ſuppellex*, *brevis focus*, de paupertino apparatu. I. 32. 33. *a.*
Brieven van naturaliſatie quid præſtent. II. 259. *b.*
Britannici freti Romani olim domini fuerunt. 128. *b.*
Britannicum mare num ab Anglis poſſideatur. 130. 131. *a.*
Brutis tribuitur coitus promiſcuus. I. 425. *a.*
Brutus (Junius) an fuerit Tribunus Celerum. 313. *a.*
Butea vel *butia*, βούτιον & βοῦτις eſt *cupa* vel *cupella.* 154 *a.*
a *Butia* forte *butiola*, id eſt, parvulæ cupæ. *ibid.*
——— cedunt ædibus diſtractis. *ibid.*
Buxis, ſive *Pyxis*, mundus muliebris. 164. *a.*
Byſantinum fretum Romani olim in dominio habuerunt. II. 134. *b.*
Byſſina vel *buſſina vaſa*, pro *buxeis.* I. 107. *b.*

C.

C S. & X. ſæpe permutantur. I. 71. *a.*
Cadavera hoſtium a victoribus ſepeliuntur, vel victis ad ſepulturam traduntur. II. 196. *b.* 197. *a.*
Cæci quatenus prohibeantur poſtulare. I. 114. *b.*
Cædere pignora, eſt *diſtrahere.* 18. *b.* 19. *a.*
Cæſarienſis Colonia non habuit Jus Italicum. 170. 171. *b.*
Caja, & *Cajus Sejus*, nomina exemplis ſervientia in Jure. 39. *a. b.*
Calcei olim in uſu vulgari non erant, nec veſtium nomine continebantur. 89. *a.*
Calceatus, pro eo, qui ad vim inſtructus eſt. *ibid.*
Calciatus pro eo, qui *inſtructus*, *expeditus* & *paratus* eſt. I. 281. *b.*
Calculi quæſtiones ſolo *indicio*, id eſt, indicatione erroris calculi, dirimi poſſunt. 25. *b.*
Calones in caſtris caloniam exercentes judici militari ſubſunt. II. 330. *a.*
Calumniæ jusjurandum. Vide jusjurandum.
Capilli dicuntur quicunque pili. I. 106. *b.*
Capilli indici, pili animalium ex India allati. *ibid.*
Cameli an beſtiæ 336. *b.*
——— an res mancipi, & quando ex Oriente advecti. 337. *b.*
Capito (Ateius) libros ſcripſit de Jure Pontificio. 412. *b.*
Capta quando fiant capientium. II. 197. 198. *a.*
——— a piratis omnimodo prioribus dominis ſunt reſtituenda. 220. *a.*
Captare hereditatem, & Captator hereditatis, quid ſit, & quæ captatio ad cauſam juris pertineat. I. 431. *a. b.*
Captatoriæ inſtitutiones qua lege fuerint prohibitæ. 430.
——— quæ non ſint. 432. 434. *a.*
——— quæ item ſint. 433.
——— etiam in teſtamentis militum nullius ſunt momenti. 439. *a.*
——— an in cauſis piis valeant. *ibid.*
——— differunt a mutuis conjugum aliorumve inſtitutionibus. *ibid.*
Captatoria inſtitutio quæ ſit reſpectu tertii. 436.
——— pro non ſcripta habetur, & quomodo hoc intelligendum. 439. *b.*
Captatoriæ ſcripturæ variæ formulæ, & quemadmodum his conditio hamata inſit, & quemadmodum rurſus non inſit aliis, quæ captatoriæ videntur. 433.
Captatoria ſtipulatio illicita. 436.
Captatoria ſubſtitutio etiam illicita. 439. *b.*
Captator a captato heres poſtea ſcriptus, an poſſit aliquid ex ejus teſtamento capere. *ibid.*
Captionem dirigere in aliam perſonam. 436. *a.*
Caput pro ſorte. 18. *a.*
Caput & locus paria ſunt, pro veterum JCtorum ſententiis, quibus etiam adſcribebatur numerus. 162. *b.*
Capitis pœnas dare dicitur debitor in LL XII. Tab. qui uſuras ſortis ſolvit. 18. *a.*
Captivi ſi non redimerentur, ſæpe ſine lytro dimiſſi. II. 196. *a.*
——— Vid. redemtio.
——— in territorium amici, qui ſimul non eſt Fœderatus, delati, non fiunt liberi. 219. *b.*
In Captivos an laquei pœnam exercere licet. 196. *a.*
Captura eorum, qui tempore belli orientis in alterius imperio inveniuntur, hodie raro exercetur. *ibid.*
Carboniana bonorum poſſeſſio. I. 35. *a.*
Carcer, pro his, qui coërcentur carcere. 39. *a.*
Cardinalis, num ob crimen damnari poſſit. II. 163. *a. b.*
Cardinalis legati forum competens. *ibid.*
Caſcellius an *Caſcelius* ſcribendum. I. 323. *b.* 324. *a.*
——— ejus *Benedicta.* *ibid. b.*
Caſſia Suriana. 105. *a.*
Caſſius Longinus Conſul fuit cum Quartino temporibus Tiberii. 327. *b.* 328. *a.*
Caſtella plumbea. 154. *a.*
Caſtris obſeſſis nihil quicquam licet advehere, non obſeſſis licet advehere omnia, quæ non ſunt *contrabanda.* II. 198. *a.*
Caſu pro *cauſa*, & *cauſa* pro *caſu.* I. 239. *a.*
Caſus fatales. Vid. Fat.
Catecheſis Palatina publica omnium Fœderati Belgii Provinciarum auctoritate non fuit probata, niſi poſt annum 1651. II. 273. *b.*
Cato (*Marcus*) Princeps Porciæ familiæ. I. 320. *b.*
Cavere, *Cautio*, quid. II. 12. *b.*
Cauſæ exheredationis, Vid. exheredatio.
Cauſa vectigalis, hoc eſt, fruſtrandi vectigalis ergo. Sic quoque *cauſa fideicommiſſi*, cauſa fœneratorum. I. 261. *a.*
Cauſa an differat a pœna. 449. *b.*
Cautio *vim non fieri.* 15. *b.*

Cautionum virtus quæ. II. 12. *b.*
Cautio ſi qua producentis nomine ſit concepta, an ex ea recte agat quilibet poſſeſſor. 361. *a.*
Cenotaphium non eſt religioſum, & diſſenſio JCtorum de ea re. I 23. *b.* 24. *a.*
Cenſendi vox ex formula SCtorum. 430. *a.*
Cenſus pro his, *qui cenſendi ſunt*, vel pro *tabulis cenſuum.* 313. *b.*
In Cenſu ineundo deſcriptio bonorum in Hollandia eſt improbata. II. 281. *a.*
——— ——— Jurijurando ſtatur. *ibid.*
——— in Hollandia ſubditi quamplurimum olim ſunt queſti minus a ſe exigi quam oportebat. 281. *b.*
Cenſus, Vide Tributum.
Centemmanus varie ſcribitur in MSS. I. 318. *b.*
——— ratio nominis. *ibid.*
Centenarii. 414. *a.*
Centeſima pro uſura. Vide Uſura, &c. II. 21. *b.*
Centumviri de teſtamentis inofficioſis cognoſcebant. I. 148 *a.*
Ceræ, vox ſolemnis in formulis. 94. *b.* 95. *a.*
Ceſſio bonorum an proſit adverſus mulctam pecuniariam ex delicto debitam. II. 364.
Ceſſio in jure. I. 336. *a.*
——— Communis, tam rerum mancipi, quam nec mancipi. 337. *a.*
——— ejus formulæ poſtea ſublatæ. 339. *b.*
Χάλκεα fortia robuſta. 310. *a.* *b.*
Χειρέμβολον quid proprie ſit, incertum. 57. *a.*
Chiliarchæ. 414. *a.*
Chirographi exhibitio potiſſimus creditorum probandi modus. II. 12. *b.*
Chriſtiani JCtos, veterum ſacrorum vindices, adverſarios ſuos experti ſunt. I. 413. *b.*
——— partim a Judæis orti, contra diſſentientes rabioſi potius quam religioſi. *ibid.* *a.*
——— quamobrem maxime Romanis inviſi. 416. *a.*
——— quo loco eorum res fuerint apud Principes Romanos ad uſque Conſtantinum Magnum. 415. *b.*
——— veteres non tam diſputationibus, quam ſuaſionibus, putarunt congrediendum eſſe cum adverſariis. 423. *b.*
——— ——— plurima Gentilibus exprobrarunt, quæ ipſi Gentiles palam deteſtabantur. 365. *b.* 366. *a.*
Chriſtina Sueciæ Regina quo jure in Francia Monaldeſchium juſſerit interimi. II. 149. *b.* 151. *a.*
Chryſanthianum certamen Sardianorum quale. I. 50. *a.*
Cicero (Marcus Tullius) an Juriſconſultus fuerit. 325. *a.* *b.*
——— an quid de jure ſcripſerit. 326. *a.*
——— tres libros urbane dictorum ſcripſit. 324. *b.*
Cillus idem quod *aſinus*, & hinc *Ciliorum* familia. 178. *b.* 179. *a.*
Cincia Lex. 234. *a.*
Cingere nummos eſt *circumcidere.* 123. *b.*
Circi limes pro *linea.* Vide *limes* & *linea.*
Circumciſio Judæis permiſſa. 415. *b.*
Circumvenire pro nocere. 145. *b.*
Cis pro *citra.* 317. *a.*
Citatio. Vide Judicii denunciatio.
Cives magnarum urbium in Hollandia, eorumque bona etiam in agro arreſtari poſſunt. II. 333.
Civis plurium civitatum num quis eſſe poſſit. 161. *b.*
Civitas, non, ut urbs, ſimpliciter *Romanam* ſignificat. I. 308. *b.*
——— id aliquando tamen verum eſt. *ibid.*
Civitatem non amittit a patre venditus. 347. *b.*
——— aut libertatem nemo amittit, niſi ipſe auctor factus ſit, & quomodo hoc intelligendum. 355. *b.*
Civitates ſub Imperio Rom. etiam *Reſpublicæ* dicuntur. 101. *b.*
Civitates *αὐτονόμοι* num uti potuerint olim jure proprio obſtante jure Romano. II. 115. *a.* *b.*
Claſſis, quæ ſtat in anchoris, eam maris partem, cui incubat, videtur occupaſſe, quatenus & quamdiu incubat. 279. *b.*
Claſſes integræ navium comparantur præſidiis, arcibus & portubus. *ibid.*
Clauſulæ reſervatoriæ vis in teſtamento. II. 372. *b.* 373. *a.* 381. *a.* *b.*
Clauſulæ derogatoriæ vis. 373. *a.* 385. *a.* *b.*
Clericis Pontificiis ante pacem Monaſterienſem libere in Belgio Fœderato morari non licuit. 277. *a.*
——— varia circa hanc rem Ordinum Gener. Edicta. *ibid.*
——— quominus Edicta illa exerceantur, non obſtat §. 4. pacis Monaſterienſis 30. Jun. 1648. 277. *b.* 278. *a.*
——— quid hac de re actum fuerit in Comitiis generalibus 1651. *ibid.* *a.*
Cludo, *cluſum*, pro *claudo*, *clauſum.* I. 254. *a.*
Codicilli, ſi eos ſequatur teſtamentum, habentur pro non ſcriptis, niſi ſpeciali voluntate ſint confirmati. 264. *a.*
——— priores an confirmati ſint ipſo teſtamento, an aliis codicillis, ſchedulis & his ſimilibus animi indiciis, multum intereſt. 265. *b.*
Cogitationis pœnam non eſſe, quod dicitur, non debet reſtringi ad Edictum, *Quod quisque juris in al.* 80. *a.*
Cogitationis pœna. V. Voluntas.
Cogitatio pro *caſu*, *exemplo*, *ſpecie.* 84. *a.*
Cognati proprie ſunt, qui a latere veniunt, ultra fratrem. 149. *a.*
Cognatos poſterior Juriſprudentia appellavit Collaterales, & maxime fratribus id nomen tributum. *ibid.*
Cognatio pro *fraternitate* & *conſanguinitate.* 145. *b.*
Cognatorum ſucceſſionis ab inteſtato ratio. V. ſucceſſio.
Coire religionis cauſa licuit, non tamen prætextu religionis illicitos cœtus agere. 416. *b.*
Coitus promiſcuus brutis tribuitur. 425. *a.*
Collateralis ordo non ſubſiſtit ſine ordine aſcendentium & deſcendentium, ſed ex utroque pendet 155. *a.*
Collegia & corpora quæ licita, quæ non. 414. *a.* 416. *b.*
Collegiis licitis tantum permiſſum communem arcam habere. 419. *a.*
Collegium, *Univerſitas*, *ſocietas*, pro eodem habentur. 230. *a.*
Collocare pro *expendere*, erogare. 245. *a.*
Coloniæ plures jure Latii donatæ. 333. *a.*
——— quædam Provinciales immunes fuerunt a tributis, quæ tamen jus Italicum non habebant. 170. *a.*
de Coloniis Juris Italici. *ibid.* *b.*
Colono remiſſio penſionis conceditur ex cauſa, quæ *θεῖ βίᾳ* accidit, non ex alia, quæ, cum fundum conduceret, jam exſtabat. 56. *a.*
Columna Lactaria. 367. *b.*
Comicorum auctoritate ſæpe non ſatis tuto probatur jus. 32. *a.*
Comitum poteſtas in Belgio Fœderato non ceſſavit niſi poſt 26 Jul. 1581. II. 239.
——— non abrogata eſt Fœdere Utrechtano, neque Gandavenſi. 240. *a.*
Commentitium jus quid. I. 163.
Commercia ceſſant inter hoſtes ex natura belli. II. 197. *a.*
——— mutua in belli indictionibus plerumque prohibentur, *ibid.* *b.*
——— aliquando ob utilitatem permittuntur vel in totum, vel quod ad certas merces. *ibid.*
——— ſi ſint permiſſa, quod ad hæc ſtatus belli ſuſpenditur. 197. *b.*
Commiſſariſſen, qui vocantur, an utantur jure Legatorum. 164. *b.*
Commiſſievaarders. 224. *b.*
Commiſſoria Lex. Vid. Lex.
Commoratio brevis in aliquo loco an forum tribuat. 150. *a.*
Communi dividundo actione repetit impenſas, ſi quis putans ſibi cum Titio fundum communem eſſe, ſumptum fecerit, cum tamen cum alio eſſet communis. I. 189. *a.*
——— ——— non repetit, qui impendit in rem communem, quam putat ſuam, ſed retentionem duntaxat habet. *ibid.*
Communicare pro *polluere.* 422. *b.*
Communicatio an pro pollutione dicatur. *ibid.*
Communio antiqua num recte negetur. II. 125. *b.*

Com-

Communio rerum non poſſeſſarum inter Gentes fœderibus tollitur. II. 125. *a.*
Communione bonorum pacta inter Conjuges, quorum alter, vel qui ambo liberos habent ex priore matrimonio, non impingi in *L. Hac Edictali* 6. *C. de ſecund. nupt.* etiamſi alter plus bonorum ad nuptias attulerit quam alter. 340.
in Communione nihil relictum eſt, quod potuit haberi ſeparatum. 126. *a.*
Componere & *proponere* leges, promiſcue uſurpat Pomponius. I. 310. *b.*
Concept inſtructie Curiæ Hollandiæ 28. *Mart.* 1670. II. 298. *b.*
Conditio quando & quomodo dicatur contractui ineſſe. 50. *a.*
—— omnis in futurum fere confertur. I. 449. *b.*
Conditionis in tempus præteritum, præſens, vel futurum relatæ quæ vis. 117. *b.*
Conditio de nuptiis & quocunque coitu. 116. *a. b.*
Conditiones pœnales. v. legata.
——— quæ a fato & fortuna dependent, fere ejusmodi ſunt, ut earum cauſa vel nulla ſit, vel ſi qua ſit, tamen ſciri haud quaquam poſſit. 450. *a.*
——— regit voluntas defuncti. 451. *a.*
Conditio illicita, probroſa, & impoſſibilis pari paſſu ambulant. *ibid.*
——— quid juris, ſi ejusmodi conditio appoſita ſit heredi, reſpectu hereditatis, vel legatario, reſpectu legati, & quid ſi ab herede vel legatario ſub illa legetur. 450. *b.* 457. *a. b.*
Conditiones, quibus omnino parere neceſſe eſt, nihil refert, heredi a quo, an legatario, cui legatur, teſtator adſcripſerit. 457. *b.*
an Conditio, an pœna, an translatio ſit, unde dijudicandum. 451. *a.*
Conditio, qua viduitas indicitur, illicita & probroſa eſt. 453. *a.*
Conditio de nuptiis contrahendis, vel non contrahendis, an efficiat legatum pœnæ nomine. 454. *a.*
——— de adoptando vel non adoptando. 455. *a.*
——— de alienando vel non alienando ſervo. *ibid.*
Confeſſio pro *declaratione ſui.* 233. *b.*
Confeſtim quid. 269 *a.*
Confinis dicitur ager agro conjunctus. 157. *a.*
Confuderant pro *Confunderant.* 249. *b.*
Conjecturæ Budæi, Alciati, Zoannetti, & aliorum, receptæ in Editiones Librorum juris; incertum an e MSS. 40. *a.*
Conjuges, ſi mutuo teſtamento ſe invicem heredes ſcribant cum poteſtate alienandi, ſed ea lege, ut bona, quæ ſuperſtes relinqueret, poſt ejus mortem, inter utriusque heredes æquis partibus dividantur, an hereditates, & legata, aliaque lucra, quæ ſuperſtes ſua ipſius induſtria acquiſivit, pro ſemiſſe etiam cedant heredibus conjugis primum defuncti. II. 410.
Conjunctio & disjunctio legatariorum, quod ad jus accreſcendi, quæ. I. 47. *a.*
Connubium pro *nuptiis.* 454. *a.*
Connubium non eſſe inter adulterum & adulteram etiamſi præter adulterium nihil accedat. II. 359.
Conſanguinei ſeparati ab agnatis ſunt, & tamen definitione agnatorum continentur. I. 150. *a. b.*
Conſignatio quid. 95. *a.*
Conſilia quæ puniantur. 81. *a.*
ex Conſilio non fraudulento nemo obligatur Reipublicæ. II. 241. 242. *a.*
——— omne damnum, quod inde quis patitur, a Republica ei eſt ſarciendum. *ibid.*
Conſiliaris pro *Conſiliarius.* I. 42. *b.*
Conſtitutio Caroli V. 19. Jul. 1541. II. 300. *b.*
Conſtitutiones Principum in jure laudatæ, non omnes ad nos pervenerunt. I. 456. *b.*
Conſuetudo Gentis unius quatenus Gentes obliget. II. 157. *a.*
Conſulares Faſti. Vide Faſti.
Conſulatio & *Conſulare*, pro *conſultatio* & conſulere. I. 48.*a.*
Conſules *pueri* ſæpe memorantur; ſi ſententiam dixerint jure Magiſtratus, auctoritatem rei judicatæ habuit. 198. *a.*
——— mercatorum qui ſint, quare mittantur & an jure legatorum utantur. II. 161. *a.*
——— ubi conveniendi in cauſa civili. *ibid.*
——— jurisdictionem exercent, quod ad homines ſuæ Nationis inter ſe litigantes. 167. *b.*
in *Continenti* in pactis quid, & quomodo intelligendum. 45. *b.* 46. *a.*
Continentis imperium finitur, ubi finitur armorum poteſtas. 206. *a.*
Contrabanda quænam dicantur. 211. *a.* 213. *a.*
——— ad hoſtes amicorum advehere non licet, & ſi deprehendantur, cadunt in commiſſum. 210. *b.*
——— quæ pro mercede transvectionis nautis ſunt obligata, ſi in itinere deprehendantur, non recte a nautis petitur merces. 212. *a.*
Contractus, qui vocatur *Bodemery.* 422.
Contractum ipſo jure nullum implere vel non implere pendet a mera voluntate contrahentium. 231. *b.*
in Contractibus quare formulæ præſcriptæ a juris peritis. 44. *b.* 45. *a.*
Contractus bonæ fidei pinguiores ſunt quam ſtricti juris. 46. *b.* 47. *a.*
——— ſtricti juris duo dantur nominati. 57. *b.*
Contractibus ſtricti juris an inſint pacta in continenti adjecta. 25. 31. *a.* 45. 46. *a.*
——— an pacta, quæ vocantur detrahentia. 45. *a.*
——— an pacta in iis, prout in b. f. ſervanda. *ibid.*
Contradictoria adjecta. I. 84. *a. b.* 85. *a.*
Contributionis modus, & quæ res contribuant. II. 465.
Contributioni an locus ſit, ſi malum exciſum, anchoræ, funesque reſectæ ſint, ut a tempeſtate navis, mercesque ſalvæ ſint. 471. *a.*
——— ſi navis data opera in littus directa, vel inſtrumenta periculi cauſa dejecta ſint. *ibid. b.*
——— ſi navis tempeſtate jactata, hæret in vado, & magiſter merces exoneraverit ſalvas, & navis perierit. *ibid.*
——— ſi res in ſcapham ex neceſſitate translatæ, cum nempe aliter navis portum intrare non poſſet, perierint. *ibid.*
——— navis ipſa an hoc caſu ſubjaceat. *ibid.*
——— ſi qua navis, b reverentiam alteri non præſtitam, hoſtiliter excepta, patiatur damnum. 472. *a.*
——— ſi quid jactum, vel dejectum ſit, quod culpa nautæ male onerata eſſet navis. *ibid.*
——— ſi navis a Piratis redempta ſit. *ibid.*
Contributioni an locus ſit ad inſtar jactus, ob navem mercesque ſervatas. *ibid.*
——— ——— propter ſumptus retardati itineris a Navarcho factos. *ibid. b.*
Contributioni quinam ſubjacent. 472. *a.*
——— an ſubjacet pecunia. *ibid. b.*
Contributoria actio ex Lege Rhodia. *ibid.*
Conveniendi verbum nudum pactum arguit. 21. *a.*
Conventio de plus condictione repetendo, quam numeratum fuit, cur non valeat. 55. *b.*
——— nuda. Vide Pactum nudum.
Coopertoria quid. I. 126. *a.*
Copäis lacus abundavit anguillis. 202. *a.*
Cophini ſunt corbes, propria Judæorum ſupellex. 256. *a.*
Coponius Procurator Judææ fuit cum Præſidiali poteſtate. 66. *a.*
Coquinaria vaſa olim fiebant etiam ex argento. 217. *b.*
Coquitare pro frequenter coquere *ibid.*
Corpora & collegia. Vid. collegia.
Corvi pro heredipetis. 431. *a.*
Cornelia Lex. Vid. Lex.
Cottidiana ſunt, quæ ſæpe incidunt & recurrunt, quæque etiam ſelecta ſunt & memorabilia. 209. *b.*
Craſſus (Publius) JCtorum diſertiſſimus, integro nomine dictus eſt, *Publius Licinius Craſſus Mucianus* 321 *b.*
Credi non raro apud Veteres pro ſimplici aſſertione occurrit. II. 25. *b.*
In Credita pecunia nuda promiſſio ſatis lubrica 12. *b.*
Creditæ pecuniæ fœnus. Vide Fœnus.
Creditorum potiſſimus probandi modus quis. *ibid.*
Crimina remittere ſolius eſt Principis. 268.
——— ——— ex Edicto Philippi II. de crim. 1570. tantum licet Comiti, Gubernatori Generali, vel ei,

 cui

cui id ſpecialiter eſt conceſſum. II. 268. *a.*

Crimina remittere in Hollandia & Zelandia ſoli poſſunt Ordines. *ibid b.*

—— —— non poſſunt Magiſtratus. *ibid.*

Criminum remiſſiones olim in Belgio frequentes. *ibid. a.*

—— impunitatem promittere ſolius eſt Principis 269. *b.*

—— —— non poteſt Magiſtratus vel judex. *ibid. a. b.*

—— —— poteſt, ſi acceſſerit prævia Principis auctoritas. *ibid. b.*

—— —— poteſt, ſi Lex aliqua conſciis criminum impunitatem polliceatur. 270. *a.*

—— —— ſi abſque his ſimpliciter promiſerit, impunitates ſunt nullæ. 269. *b*

—— varia hujus rei exempla. 270 *a. b.*

In Criminibus quatenus voluntas puniatur. Vid. Voluntas.

Crocuſantia quid. I. 165. *b.*

Culpæ nomine quid veniat. II. 467 *a. b.*

Cumcurrens pecunia. I. 454. *a.*

Cumnubere pro *nubere*, & *connubium* pro nuptiis. *ibid.*

Cumulatio duplicis muneris in una perſona num permiſſa ſit. II. 12. *a. b.*

Cunabula Juris quid apud Pomponium. I. 320. *a.*

Cupa & *Cuppa* promiſcue ſcribitur. 256. *a.*

Curare, fullonum verbum, pro *polire*, *lavare*, *cogere* & conciliare. 252. *a.*

—— tectorum verbum, pro incruſtare, obducere calce, cæmento, gypſo. *ibid.*

Curator in omnibus ſufficiebat, niſi ubi pupillo cum tutore lis erat, tutore opus fuerit 228. *b.*

Curatori locus erat, ſi vel tutor ſexus Reip. cauſa abfuerit, vel ad tempus excuſetur. 230. 231. *a.*

Curatores & Procuratores ſæpe ſine diſcrimine dicuntur. 64.

Curia Hollandiæ inſtituta a Philippo Burgundo integro fere ſeculo poſt annum 1338. II. 216. *a.*

—— —— quo jure deportet ex ditione Utrechtana. 287. *a.*

—— —— an & quam Juriſdictionem exerceat vi ſui Territorii. 313. *a.*

—— —— —— ratione rerum. *ibid. b.* 314. *a.*

—— —— —— ratione perſonarum. *ibid. a. b.*

—— —— —— ratione criminum. *ibid. b.*

Curiæ Hollandiæ Juriſdictio. 297.

—— —— in Nobiles. 298 *a.*

—— etiam in exteros Nobiles protracta. 299. *a.*

—— in Advocatos & Procuratores. *ibid. b.*

—— in cauſa debiti Præfectorum militum. 332. *a.*

Curiæ Hollandiæ ſuppoſiti, quoad forum quinam ſint. 301. *a. b.*

—— —— an alibi ad forum ſortiendum arreſtari poſſint. 300. *b.*

Curiæ Hollandiæ territorium. 313.

—— erectio. 302. *b.*

—— Hagæ ſedentis, an Magiſtratus Hagani prior, & antiquior Hagæ fuerit Juriſdictio. 300. *b.* 302. *a.*

—— & Magiſtratus Hagani conventio, quod ad Prætorianos & alios milites. 331. *b.*

—— Decretum *de pœnalibus ſtipulationibus quæ excedunt modum legitimum uſurarum.* 369. *b.*

—— Supremæ res Judicatæ, de quæſtionibus ex Edicto ordinum Hollandiæ 4. Maj. 1655. 375. *a.*

—— —— an, & quatenus actio de damno, culpa dato, competat adverſus exercitores navis, & an in ſolidum. 468. *b.* 469. *a.*

—— —— de foro Quæſtoris Generalis Fœderati Belgii, ſi in officio deliquerit. 325.

—— —— de domicilio impuberis, vel minoris, & an ſuperſtes parens, vel tutor id mutare poſſit. 335. *b.*

—— Hollandiæ res judicatæ de foro eorum, qui ab exteris Provinciis in Hollandiam mittuntur ad Ordines Generales. 317. *a.*

Curiæ utriuſque res judicatæ

—— —— de Foro eorum, qui Hagæ habitant, neque Nobiles, neque forenſes Curiæ ſunt, neque etiam ex opificiis ſeſe exhibent. 304 *b.*

Curiæ utriuſque res judicatæ

—— —— de *L. Hac Edictali 6 C. de ſecund. nupt.* II. 341. *b.*

—— —— de uſu *Leg.* 3. *C.* de *ſecund. nupt.* 347. *a.*

—— —— de Vetita appellatione in cauſa matrimoniali. *ibid. b.*

—— —— de Proxenetico. 351. *b.*

—— —— de Doario. 354. *a. b.*

—— —— de effectibus matrimonii, quod ad thorum & menſam ſeparati. 358. *a.*

—— —— de pacto nuptiali, quo mulier ſibi ſervavit optionem, an lucrum damnumque, an ſua duntaxat quæ attulit, ſalva habere malit. 339. 340.

—— —— de Cautionibus, vulgo *obligatien.* 361. *a.*

—— —— de aliis Cautionibus. 363. *a.*

—— —— de Ceſſione bonorum an proſit adverſus mulctam pecuniariam ex delicto debitam. 364.

—— —— de pacto paratæ executionis. 367. *a.*

—— —— de pœnalibus ſtipulationibus. 369. *b.* 370. *a.*

—— —— de teſtamenti factione activa Pontificiorum Eccleſiaſticorum, & ſanctimonialium. 377. *b.* 378. *a.*

—— —— de teſtamenti factione minorum in favorem tutorum & curatorum, eorumve liberos. 379. *b.* 381. *b.*

—— —— de clauſula reſervatoria. 383.

—— —— —— —— derogatoria. 386. *b.* 387. *b.*

—— —— de his, qui ſibi in teſtamento adſcribunt. 390.

—— —— de mutuo Conjugum teſtamento. 411. *b.*

—— —— de ſucceſſione ſpuriorum, & de jure ſuccedendi in illorum bona. 414. *b.*

—— —— de retractu. 419. 420. *a.*

—— —— an venditori, nondum ſoluto pretio, competat vindicatio. 421. *b.*

—— —— de mutuo nautico. 425. *a.*

—— —— de aſſecurationibus. 430. *b.* 431. *a.*

—— —— & variis quæſtionibus eo pertinentibus. 431. *a.* 460. *a. b.*

—— —— de aſſecurationum uſuris. 433. *b.* 443. *a.*

—— —— de damno a nave navi dato. 461. *b.*

—— —— de mercedibus magiſtro debitis, quamvis navis perierit, ſi aliis navibus, vel naviculis merces ſuo ſumptu ad dominos pertulerit. 471. *b.*

—— —— de Contributionibus ad inſtar jactus, ob navem merceſque ſervatas. 472. *a. b.*

—— —— de ſumptibus retardati itineris Navarcho præſtandis. 473. *a.* 474. *a. b.*

Curiæ tribuum. I. 113. *a.*

Curia movere quid. *ibid.*

Curioſus in malum, nonnunquam etiam in bonum accipitur ſenſum. 181. *b.*

Currax. 42. *b.*

Cuſtodia militaris differt a *carcere.* 21. *a.*

—— aliquando aperta & libera erat. *ibid.*

Cuſtodiæ, pro his, qui cuſtodiuntur. 39. *a.*

Cycladenſes an & qua ratione extra cyclades fuerint. II. 103. *a. b.*

D.

D & T. ſæpe permutantur. I. 126. *b.*

Pro D. Antiqui ſæpe uſu ſunt R. ut *arvorſum* pro *advorſum* &c. 418. *a.*

D. ſæpe in fine dictionis apud antiquos adjicitur. 419. *b.*

Dacia non utitur teſtamentis. 148. *a.*

Damnatorum bona. V. Bona.

Damnum mutuum navium quomodo ferendum. II. 466. *b.*

—— navibus, unius vel utriuſque culpa datum. 467 *a.*

Damnum quod cives direptione ædium ſuarum ſunt paſſi, an reſarcire teneantur magiſtratus. 289. *b.*

Damni, quod oritur ex calamitate belli, nulla fit reſtitutio. 268. *b.*

Damni actio culpa dati an etiam competat adverſus Exercitores navis, & an in ſolidum. 468.

—— ubi non datur. 466. *a.*

Damni appellatione quid veniat, ubi navis navi damnum dedit. 468. *a.*

—— communicatio an ad quaslibet naves, & quælibet bona pertineat. 472. *a.*

—— —— ſecundum Leges Nauticas Caroli V. &

& Philippi II. an Geometrice an Arithmetice computanda ſit. II. 464. *a.*
Damni infecti cautio ſi poſtuletur re integra, dominus vel cavere debet, vel totis ædibus carere. I. 110. *a.*
——— ——— cautione non præſtita, ſi ædes ruerint & dominus ruinam pro derelicto habere velit, nulla in eum actio eſt; ſi repetat, de damno infecto cavere debet, non de facto. *ibid. b.*
——— ——— ——— interpoſita non tenetur dominus de damno, quod caſu fortuito, vel vi majore, datum eſt. 111. *a.*
Damnum temporale, pro damno ex lapſu temporis. 273. *b.*
de Damno in ſuis finibus facto reſarciendo Leges plurimarum Gentium. 282. *a. b.*
Danorum Reges quo jure tributa exigant in freto Baltici maris. II. 130. *a.*
Dare, ſolvere, ſatisfacere, ſynonyma ſunt. 19. *a.*
——— *legare* eſt formula legatorum per vindicationem relictorum. I. 219. *a.*
——— *doti* pro *in dotem* 283. *b.*
Debitor pro eo, qui debiturus eſt. 28. *b.*
Debitorum ſectio ex L. XII. Tabb. Vide Sectio.
Debitoribus condemnatis certum tempus conceſſum ad conquirendam pecuniam. 18. *a.*
Decemviri. 316. *a.*
——— *litibus* vel *ſtlitibus judicandis.* *ibid. b.*
Decima quæque Veteres Diis ſuis offerebant. 192. *b.*
Declamare non eſt niſi *bene dicere.* 324. *b.*
Decreta explicata.
——— *Ordinum Generalium* 25. Mart. 1651. II. 329. *a.*
——— ——— *Hollandiæ* 30. Sept. 1654. *ibid.*
——— ——— *Hollandiæ* 12. *Jul.* 1659. 299. *b.*
——— ——— Hollandiæ 20. Jul. 1662. 348. *a.*
——— ——— Hollandiæ 13. *Mai.* 1734. 378. *b.*
——— Curiæ Hollandiæ de pœnalibus ſtipulationibus. 369. *a. b.*
Vid. Curia Hollandiæ.
Dedititius uſucapionem non habebat, ſed ſolum præſcriptionem. I. 340. *b.*
Defenſio ſui eſt juris naturalis. 144. *a.*
Defigere. 425. *b.*
Definire & *finire* promiſcue dicitur. 201. *a.*
Dei Peregrini. V. Peregrini, Religio, Sacra.
de Dejectis & *effuſis* actio unde ſit, & cur perpetua, etſi fere tota pœnalis. 32. *a. b.*
Delegati in aliquod Collegium, tuentur ibi prærogativam ſuorum delegantium. II. 255. *b.*
——— qui ab exteris Provinciis in Hollandiam mittuntur ad Ordines Generales Belgii Fœderati, Conſiliarios Ordinum Generalium, eorum Rationales, ſive ad Collegia marina, an quo ad forum pro veris Legatis ſint habendi. 318. *b.*
Delegatorum famuli an eodem foro utantur, quo ipſi Delegati. 322. *b.*
——— ——— forum in cauſa civili. *ibid.*
Delictum commune ſi miles contra militem commiſerit, cui ea de re jurisdictio competit. 329. *a.*
Delinquens, ubi deliquit, judicatur. 150. *a.*
Delus Inſula num a Cycladibus diſtincta. 104. *b.*
Δημόσιοι quid ſignificent. 106. *a. b.*
Dendrophori. I. 474. *a.*
Denotare, pro *damnare*, *punire.* 20. *b.*
——— pro *notare cum infamia* vel *valde notare.* *ibid.*
Denotatio, pro *ignominia*, *nota exiſtimationis.* *ibid.*
Denunciare teſtimonium. Vide Teſtimonium.
Denunciatio familiæ exhibendæ. 93. *b.*
Deponentia. Vide Verba.
Deportare non poteſt Præſes; ſed ſi quem deportandum putet, Imperatorem adit, cauſam exponit, ſententiam ſuam adſcribit, & hanc ſi comprobet Princeps, deportatio eſt, ante non eſt. 204. *a.*
Deportatio, ordinaria pœna Legis Corneliæ de ſicariis. 351. *b.*
——— Vid Præſides.
Depoſita pecunia ſcriba aliuſve publica auctoritate conſtitutus ſine fraude uti poteſt, itemque Magiſtratus, qui publice exercet tabernam argentariam, ſi ſcilicet pecunia ad quantitatem deponatur, ſecus ſi clauſa vel obſignata. 255. *b.*
Depoſiti duo ſunt genera. I. 255. *b.*
Deprecari, *deprecatio*, num ſine poſtulatione veniæ intelligi queat. II. 100. *a.*
——— idem quandoque eſt, quod *preces*, *precatio*, & *ſupplicatio.* *ibid.*
Derogatoria clauſula. V. Clauſula.
Deſidiæ deditus eſt vecors & rei privatæ incurioſus & negligens. I. 283. *b.*
Deſerendæ militiæ auctores non minus puniuntur quam ipſi deſertores. II. 231. *a.*
Δεσμὰ etiam lora & funes. I. 39. *a.*
Deteſtanda ſacra quæ. 413. *a.*
Devirginare. 42. *a.*
Deus idem quod *numen* vel *divinitas.* 178. *a.*
Deos plures non conſtituit Romana Gentilium religio, ſed unum duntaxat, cujus variæ qualitates diverſis nominibus cultæ. Vulgus plures eſſe credidit, nominum multitudine errans. *ibid.*
Dictatore creato ceſſabant omnes magiſtratus. 314. *a.*
Dictatoribus adjuncti Magiſtri Equitum, ſic, quomodo Regibus adjuncti Tribuni Celerum. 313. *b.*
Dies intercalaris. Vide Intercalaris.
——— ſtipulationis, utrum intelligendus ſit dies ſtipulatione comprehenſus, an ſtipulationis interpoſitæ. II. 31. *a.*
Digeſtorum vox, Veteribus JCtis pro titulo ſolemnis, quemvis librum denotat, quidcunque tandem eo contineatur. I. 248. *a.*
Δικαστὴς pro Præſide. 21. *a.*
Diocletianus inſolentioribus titulis delectatus. 421. *a.*
——— Achilleum debellavit & Alexandriam cepit, & quando. *ibid. b.* 426. *b.*
——— Poſt captam demum Alexandriam in Chriſtianos ſævire cœpit. 424. *a.*
Directum interdictum, Vid. Interdictum.
Diſcerniculum, acus comatoria. 165. *b.*
Diſputatio fori. 311. *a.*
Diſputationes injuſtæ Juriſperitorum quæ apud Lactantium. 413. *b.*
Diſtrabere rationes. Vid. rationes.
Divinæ res pertinent ad curam Legum, & quatenus. 412.
Doarium pactis antenuptialibus conſtitutum ex hereditate deducendum eſſe, priusquam ratio portionis legitimæ habeatur. II. 356. *b.*
——— pro lucro, an pro ære alieno habendum. 354. *a.*
——— ſive ὑπόβολον, Conjugi ſuperſtiti pactis antenuptialibus promiſſum an exigi poſſit, quamvis ſeparatio quod ad thorum & menſam intervenerit. 354. 355. *a.*
de Doario res judicatæ Curiæ Hollandiæ. 354. *b.*
qui *Dobbele Zeebrieven* utuntur, minus delinquunt, quam Piratæ, ſed tamen eorum naves & merces publicantur. 222. *b.*
Doctrina ſuperſtitionis. I. 423. *a.*
Dolabra inſtrumentum lanionis. 281. *b.*
Dolabris utebatur Præfectus Vigilum ad reſtinguenda incendia. *ibid.*
Dolia, in quibus ſub terra frumentum condebatur, an ædibus diſtractis cedant, facti potius eſt quæſtio quam juris. 154. *b.*
Dolus in bello eſt juſtus. II. 192. *a.*
——— excluditur formula *probe recte.* 14. 15.
Dolo uti metuentis eſt. 192. *b.*
Doli Actio cur non paſſim indulgeatur, in primis ſi modica ſumma ſit. I. 22. *a.*
——— ——— Vide Actio.
Domaniales quæſtiones pertinent ad cognitionem Curiæ. II. 312.
Domicilium impuberis, vel minoris, an ſuperſtes parens, vel tutor mutare poſſit, & quo effectu circa ſucceſſionem ab inteſtato. 334.
Dominia non diſtinguit jus naturale. 183. *a.*
——— Quo ſenſu eorum diſtinctio ex jure Gentium eſſe dici poſſit. 125. *a.*
Dominium eſt vel naturale, vel legitimum, ejusque diſtinctio in plenum vel minus plenum, Bonitarium vel Quiritarium, Provinciale vel Romanum. I. 339. *a.*
——— Omne illud diſcrimen per Juſtinianum ſublatum. *ibid. b.*

Dominii adquirendi modi in rebus, quæ mancipi erant. I. 336. b.
——— ——— modus jure Gentium, non alius quam apprehenſio & poſſeſſio. 45. a.
Dominium ex jure Gentium ſola voluntate defuncti non poteſt propagari in heredes. ibid.
——— ex naturali poſſeſſione ortum. II. 124. a. 125. b.
——— citra poſſeſſionem naturalem eſt ex jure Civili. 124. b.
——— ſolo animo ſecundum naturæ regulas retineri nequit. 125. b.
——— transferri in locatione conductione, poſtulante rei natura, inſolens non eſt. I 253. b.
——— transfertur in depoſito, ſi pecunia ad quantitatem eſt depoſita. 254.
Dominii acquirendi modi in rebus quæ mancipi erant. 336. a.
——— *translatio* & *alienatio* reciprocantur. 339. b.
——— jus origo Patriæ poteſtatis. 346. a.
——— inde derivandum ἀνυπεύθυνον Patrum Romanorum in liberos imperium. ibid.
Dominium eminens. II. 266. a.
——— rectius vocatur *Imperium eminens*. ibid.
——— an ſublato eo, civitas ſalva eſſe nequit. ibid.
——— prudentiſſime eo eſt utendum. ibid. b.
——— ex eo licet Principi jus ſubdito quæſitum in rem ſive mobilem ſive immobilem auferre. ibid. a.
——— ex cauſa *neceſſitatis* & utilitatis eo uti Principi licet. ibid. b.
——— *utilitatis* appellatio quousque ſit porrigenda. ibid.
——— recte exercetur ad occupanda ea, ſine quibus opera publica exſtrui non poſſunt. ibid.
——— non recte exercetur ex cauſa voluptatis vel amœnitatis publicæ, vel etiam ex cauſa ſolius ornatus publici. 267. a.
——— ſi ex eo res vel actiones ſubditorum ſint occupatæ vel deſtructæ, dominis pretium e publico eſt reſarciendum. ibid. b.
——— ſi qua Lege vetitum ſit prope urbem ædificare, ædificia recte deſtruuntur, etiam non refuſo pretio. 268. a.
——— ſi agri capiantur, ut ex iis fiant munitiones, pretium agrorum eſt refundendum. ibid b.
Dominium maris. 278. a.
——— Vid. Mare.
Dominus Orbis. Vid. Orbis.
Domini appellatio Senecæ ævo valde eviluerat. 101. a.
Dominorum in ſervos ἀνυπεύθυνον dominium refrænavit Lex Petronia ſub Nerone. I. 351. a.
——— ſuſtulit Hadrianus. ibid.
Domitius Ulpianus Reſcripta collegit, quibus obviam iretur novis ſectis. 413. b.
de Domo numeratio. Vid. numeratio.
Domum revocandi jus. Vid. Jus.
Donatio inter Vir. & Ux. facta, ſubſequuta traditione convaleſcit ex Oratione Severi & Antonini, ſi donator vivus eam non revocaverit. 166. a.
——— ——— ſecus ſi pacto vel etiam ſtipulatione duntaxat promiſſa ſit. ibid.
——— ——— annua, ſive promiſſio annui per ſtipulationem, ſi a conjuge conjugi facta ad certos annos, vel quoad vixerit, non poſſunt eæ penſiones, quarum dies ceſſit ante defunctum donatorem, ab ejus heredibus peti, quia traditio deſideratur; poſſunt tamen eæ peti, quarum dies cedit poſt defunctum donatorem. 167. a.
Donationes mortis cauſa fuerunt ad inſtar legatorum, formula vindicandi relictorum, redactæ, in quibus quarta Falcidia ipſo jure eſt hæredis, ejusque habet vindicationem. 219. b.
Donum munus. Vid. Legatus.
——— ——— collatum in delegatos, qui repræſentant Principem, an hi delegati poſſint capere. II. 253. b.
Dos eſt vel *adventitia* ſimpliciter, vel adventitia *receptitia*. I. 267. a.
——— mariti culpa deperdita ab heredibus ejus repetitur, ſed bonis mariti publicatis ab ærario. 95. 96.
Dos uxoris culpa publicata, nec ab heredibus, nec ab ærario. I. 96. b.
Dotes prædiorum non duntaxat ſunt aptæ qualitates, verum etiam omnia ea, quibus prædia inſtruuntur & dotantur. 186. b.
Drenthani 11. Apr. 1580. in Fœdus Utrechtanum recepti, ſed poſtea ab Hiſpanis occupati, cum hi receſſiſſent, ſæpe fruſtra petierunt in fœdus admitti. II. 221. a.
Δεινὰ fortia, robuſta. I. 310. a.
Ducator, *ducare*, pro *ductor*, ducere. 120. b.
Dulcis, vox ſolemnis de liberis. 36. b.
Dulci officio fungi quando dicantur parentes. ibid. a.
Duntaxat, particula ſæpe omittitur. 60. b.
Duplex pro *doloſo*. 210.
Dyrrachium Jus Italicum habuit. 171. b.

E.

E Pro *ae* ſæpe in Pandectis Florentinis occurrit. I. 171. a.
Eboreæ Tabulæ. 310. a.
In Ebore an ſcribi poſſit. ibid. b.
Eccleſiaſtæ, qui in Hollandia degunt, an apud Curiam conveniri poſſint. II. 310. a.
Eccleſiaſtici Pontificii, an & quatenus teſtari queant. 376.
Ecloga Rhodiorum navalis quam fidem mereatur. 112.
Edicta etiam dicuntur ſingulæ partes Edicti Perpetui. I. 35. b. 114. a.
Edicti perpetui ordo non ſemper ſervatus in Pandectis. 69.
Edicto quod quisque Juris &c. ſæpe utuntur Principes. II. 194. b.
Edictum Auguſti differt a Lege *Julia Judiciaria*. I. 197. a.
Edicta explicata.
—— Caroli V. 4. Octobr. 1540. II. 353. b.
—— §. 6. ibid.
—— §. 12. 379. a.
—— *Caroli V.* 19. Mai. 1544. 364. a.
—— §. 38. ibid.
—— *Ordinum Generalium* 29. April. 1589. 331. b. 332 a.
—— *Ordinum Hollandiæ* 9. Febr. 1593. 299. a.
—— 4. *Mai.* 1655. 374. b. 376. b.
22. Mart. 1657. 299. a.
11. Decemb. 1666. ibid.
Effocare partum. I. 358. b.
Ἡγεμὼν & ἡγεμονεύων recte vertitur *Præſes*, cum dicitur de Procuratore Cæſaris, cum Præſidiali poteſtate. 66. a.
Ei. & I. in Græcis permutantur. 34. a.
Εἴργειν, *exponere*. 346. b.
Ἐναταίχεις cur Ægeon dictus. 318. b.
Elaphonenſia metalla. 426. a.
Elephanti, an beſtiæ. I. 336. b.
—— an res mancipi. 337. b.
—— Romanis primum viſi bello Pyrrhi, & *boves Lucæ* appellati. ibid.
Emancipare filium, inclementius a ſe habitum, debuit Pater temporibus Trajani. 351. b.
in Emancipationibus imaginaria non vera celebrabatur venditio. 347. a.
Emblemata Salvii Juliani an ſint in Edicto perpetuo. 41. a.
Emblemata Triboniani rejecta. I. 32. b. 59. a. 84. 85. 91. b. 92. 94. a. 106. b. 160. a. 201. b. 209. a. 219. b. 221. b. 223. a. 225. b. 227. a. 229. a. 230. a. 231. a. 232. a. 234. b. 235. a. 237. 238. b. 240. a. 241. a. 243. a. 244. a. 264. a. 265. b. 267. a. 269. a. 270. a. 271. a. 274. a. 275. 277. b. 278. 283. II. 17. b.
Emblema Triboniani fingere in Legibus, ex Novellis interpolatis, vel ex Legibus Codicis, quæ Pandectis ſunt poſteriores, perquam eſt abſurdum. I. 223. 234. b.
—— —— cui ſola Latinitas cauſam præbet, valde lu-

lubricum eſt. I. 233. *b.* 244. *b.* 267. *b.* 268. *a.* 273. *b.* 283. *b.*
Emblema nullum eſt, niſi quod JCtis antiquis aliam ſententiam obtrudit, quam ipſi habuerunt, ſive quid addatur ex jure novo, ſive quid ob jus novum immutetur. 224. *b.*
—— —— ſi quid ob eandem rationem omittatur, niſi propter ea, quæ omiſſa ſunt, eorum, quæ ſuperſunt, alius nunc ſit ſenſus, alius olim fuerit. *ibid.*
—— —— ubicunque in Pandectis reperitur JCtorum diſſentientium ſententia, quam poſterior Conſtitutio vel Deciſio Juſtiniani probavit. 228. *b.* 233. *a.*
—— —— ubicunque in Legibus loquutio *ſupra modum legis* occurrit, vel ſimilis, in qua *legis* fit mentio. 234. *a.*
—— —— ubi *tempus legibus ſtatutum* & tempus legitimum repetitur. 238. *b.* 242. *b.* 243. *a.*
—— —— ubi pars, quæ Patronis a Libertis debetur, vocatur *debita*, ſive pars *certa* & legitima. 271. *b.*
—— —— ubi Tribonianus addidit voculas, quæ tranſitionibus ſerviunt, vel ubi quædam in Pandectarum locis retulit, quæ pertinebant ad ſuperiora, & quo lectorem remittit. 274. *a.*
Emendationes, peſſimo more, ſæpe in Pandectas translatæ. 423. *a.*
de Emendationibus pronunciare non inſpectis Libris antiquis etiam magnis nominibus fraudi fuit. 322. *b.*
Emphyteuſis num ſit ſtricti juris. II. 53. *b.*
—— num ei inſint pacta in continenti adjecta. *ibid.*
Emptio pro *mancipatione.* I. 337. *a.*
Emptor liberi hominis. V. Venditor.
Ἐν, *ad*, *apud*, *prope*, quandoque ſignificat. II. 102. *b.*
Enallage caſuum. I. 128. *b.*
Encratitæ, Manichæorum ſecta. 422. *a.*
Ἐργάστεις χάριν ἀμειβόμεναι, quæ ſint. 432. *a.*
Envoyés, Legatorum ſpecies, olim minus frequentati ac hodie. II. 164. *a.*
—— an quod ad forum ejusdem juris ſint, ac alii Legati. *ibid.*
Ἐπίτροπος recte vertitur *Curator* & *Procurator.* I. 64. *b.*
Ἐφόδιον, Vid. Viaticum.
Equi, an res mancipi. 337. *a.*
Eroſa pecunia, quæ. 75. *b.*
Ergaſtula, pro his, qui coërcentur ergaſtulis. 39. *a.*
Eſcarium argentum differt a *potorio.* 216.
Eſcario argento legato, id omne legato cedit, quod ad eſum potumque adhibetur, quodque paterfam. *ad epulandum* in miniſterio habuit. 217. *a.*
—— —— non debentur vaſa argentea, quæ ſolis ſerviunt potationibus, ſive compotationibus, quia inter epulandum nullus eorum eſt uſus. *ibid.*
—— —— continetur aquiminarium, quia propter eſcam paratur. *ibid.*
—— —— non continentur inſtrumenta, ſive vaſa cocitatoria. *ibid. b.*
Ἑταιρίαι. 416. *b.*
Evellerit pro *evulſerit.* 249. *b.*
Eventum nemo tenetur præſtare. II. 241.
de Evictione agens emtor fundi, qui eum ipſe venditori ſuo vendiderat, & ante alii obligaverat, exceptione doli mali repellitur. I. 82. *b.*
Evictionis nomine tenetur, qui liberum hominem, tanquam ſervum, ignoranti vendidit. 355. *b.*
Evicto in libertatem ſtatulibero, venditor, ſi expresſerit conditionem falſam, ſive ſciens ſive ignorans, non ſemper & ubique tenebitur, ſed ita demum, ſi falſa conditio damnum aliquod emtori attulerit. 215. *a.*
Evicto ſervo ab eo, qui ſervum ſuis ſumptibus artificium quoddam docuit, ſi poſſeſſor deducat ſumptus, an ratio ſit habenda lucri, quod ex artificio ſervi percepit. 282. *b.*
—— —— in ratione lucri ineunda non ſpectabitur pubertas ſervi. *ibid.*
—— —— ſi exceſſerit XXV. ætatis annum, poſt id tempus impenſarum & lucri ratio non inibitur, ſed artificium cum ejus ſumptu penſabitur. *ibid.*
Eunuchos facere in Imperio Rom. prohibitum, aliunde invehere non prohibitum. 105. *b.*
Excedere jungitur caſui quarto. 199. *a.*
Excedere pro *progredi.* I. 201. *a.*
Excuriare quid. 112.
Excuſare, pro *prohibere ſine nota.* 113. *a.*
Executionis paratæ pactum. II. 366. *a.*
Exemplis in Jure Gentium plus credendum eſt quam teſtibus & conjecturis. 172. *a.*
Exercitor quando de recepto teneatur. I. 58. *a.*
Exercitores navis an etiam recte conveniantur actione damni culpa dati, & an in ſolidum. II. 468.
—— navis prædatoriæ. V. Navis prædatoria.
Exheredationis cauſæ, præter quatuordecim expreſſas, æque graves vel graviores admittuntur. I. 148.
Exheredatio poſtumi neceſſaria. Vide Poſtumus.
Exiguus, pro *vili.* 56.
Exiguitas ſive vilitas fructuum non facit ad remittendam penſionem coloni. *ibid. a.*
Exilii indictiones ubique Gentium ceſſare, foret utile. II. 270. *a.*
Exilium indicere non poteſt Judex extra ſuum territorium. *ibid. b.* 287. *b.*
—— niſi Lex fines exilii deſignet. 271. *b.*
—— varia hac de re Ordinum Hollandiæ & Zelandiæ Edicta. 272. *a.*
—— niſi privilegio Principis id fuerit conceſſum, ſive generaliter in omnibus delictis, ſive ſpecialiter in atrocioribus & maxime frequentatis. 271. *a.*
—— varia ejus rei exempla in urbibus Hollandiæ. 271. 272.
Exilium, pro *loco exilii.* I. 24. *b.* Vide Exul.
Explicare pecuniam. 128.
Exponendi Liberos jus. V. Liberi.
Exponere & *abjicere* promiſcue ſumuntur. 359. *a.*
Expreſſa nocent, non expreſſa non nocent. 448. *b.*
Exul, cui reverſuro ſtatuta eſt pœna, an poſſit puniri, ſi tanquam Legatus mittatur ad eum, a quo exulat. II. 247. *a.*

F.

F & P. ſæpe permutantur. I. 26. *b.*
Fabia Lex. Vid. Lex.
in Factum actio datur ob furtum rei minimæ. 22. *b.*
—— —— intelligitur aliquando per actionem furti. *ibid.*
Falſi pœna. Vid. Lex Cornelia.
Falſus tutor, procurator &c. qua ratione dicantur. 84. 85. *a.*
Familia, ſive hereditas. Vid. hereditas.
Familia Ancharia ab Anchario. 179. *a.*
—— Aſellia ab Aſino. *ibid.*
—— Cillorum a Cillo. *ibid.*
Fanenſia, vel Fainenſia vel Phainenſia vel Fenenſia metalla. 126.
Faſtis Conſularibus non tuto fidendum. II. 116. *a.*
Fatales caſus, fatalia damna, quæ *in prudentibus* accidunt, ſive quæ nulla prudentia poſſunt evitari. I. 53. 54. *a.*
de Fato doctrina JCtorum eadem, quæ Philoſophorum. 117. *a.*
Fenenſia metalla. Vid. Fanenſia.
Feræ, modo domitæ & in dominio ſint, quadrupedum vocabulo continentur in L. XII. Tabb. 336. *b.*
Ferias extraordinarias dabant Præſides Provinciarum adventus ſui celebrandi cauſſa. 49. *b.*
Ferrum Indicum. 105. *a.*
Fideicommiſſa pœnæ nomine non recte olim relinquebantur. 447. *b.* 457. *a.*
in Fideicommiſſis plus licuit, quam hereditatibus vel legatis. *ibid.*
Fideicommiſſorum origo. 203. *a.*
Fideicommiſſum ab eo, qui neque liberos, neque cognatos habet, præſentibus amicis datum ſine alia ſolemnitate cur valeat. 45. *b.*
Fideicommittere olim nutu poterat, qui poterat loqui, ſed ob ſupervenientem morbum impediebatur. 275. *a.*
—— non poterat mutus natura talis, ſive caſu, & quid circa hæc jure novo ſit conſtitutum. *ibid. b.*
Fiduciaria juſſio 27. *Sept.* 1614. II. 217. *b.* 300.

Filii filius pro *Nepote.* I. 309. *a.*

Filiofamilias, procuratore poſt judicium acceptum mortuo, in eum, quem defendit, tranſlata actio datur, lite nondum finita; judicati, finita. 67. *b.*

Filiusfamilias in cauſis publicis habetur pro patrefamilias. 35. *b.*

——— ſine auctoritate patris ex voto non obligatur. 192. *b.*

——— ſubreptus qua actione peti poterat. 346. *a.*

Fingere nummos eſt *formare.* 123. *a.*

Finire & *definire* promiſcue dicitur. 201. *a.*

Fiſcales fundi quinam. II. 313.

Flagellis cædi pœnarum genus. I. 152. *b.*

Flavius (Gnæus) Appii Claudii Scriba, quis fuerit. 311. *b.*

Florentinus Librarius, calami compendio ſtudens, non repetiit, quæ geminanda erant. Taurellius quæ ſemel poſita, bis ſibi videbantur legenda, majusculis litteris expreſſit. 220. *a.*

Fluerat pro *fluxerat.* 249. *b.*

Focenſia, Fœnenſia, vel Fonenſia metalla. 126. *a.*

Fœdera quid. II. 225. *a.*

——— tollunt communionem rerum non poſſeſſarum. *ibid.*

Fœdus Utrechtanum non per omnia hodie obſervatur. 233. *b.*

——— explicatum. 220. 221. 232. *b.* 238. *a.* 241. *b.* 263. *a.* 272. 283. *b.* 284. *a.* 285. *a.*

Fœdera inita a Conſulibus, qui nullum habebant mandatum, rata habebat Senatus Populusque Romanus. 251. *a.*

——— inita intercedente mandato ratihabitione apud Romanos non indigebant. *ibid.*

Fœderatus, ſi duo communes ipſius Socii bellum gerant adverſus exteros, utrique debet præſtare, quod ex fœdere debet, ſi utriuſque cauſa ſit juſta, ſi alterius tantum, ei tantum præſtabit, cujus cauſa eſt juſta. 209. *a.*

——— ſi duo communes ipſius Socii inter ſe bellum gerant, ei ex fœdere ſatisfacere debet, qui juſtiorem habet cauſam. *ibid. b.*

——— de juſtitia vel injuſtitia cauſæ Socii ſolus jure Gentium hodierno eſt arbiter. *ibid.*

Fœnenſia metalla. V. Focenſia.

Fœnus integræ ſortis, cujus exactio ſola conventione ſiſtitur, an ipſo jure committatur. 34. *a.*

——— pecuniæ creditæ, quod ex pacto non debetur, an odio uſurarum conſtitutum ſit. 50. *b.*

——— nauticum in Indiam Eoam an recte exerceant privati. 458. *a.*

Folium Barbaricum, quid. I. 105. *a.*

——— pentaſphæreum, quid. *ibid.*

Forenſia metalla, an fuerint. 426. *a.*

Forma, pro modo & ordine verborum. 311. *b.*

Forma Ordinum Generalium 12. *April* 1588. II. 332. *b.*

——— §. 43. *ibid.*

——— *Curiæ Hollandiæ* 4. *Sept.* 1462. 297. *a.*

——— §. 94. *ibid. b.*

——— ——— ——— 20. *Aug.* 1531. 297. *a.* 299. *b.*

——— §. 8. 311. *b.* 332. *a.*

——— §. 73. 299. *b.*

Formare actiones quemadmodum dicantur pacta, quæ inſunt contractibus. 46.

Formula quid. I. 311. *b.*

——— *is ad quem ea res pertinet*, utilis eſt reſpectu heredis. II. 18. *a.*

——— & reſpectu creditoris, qui chirographum ſine ceſſione juſta habere deſiit. *ibid. b.*

——— *probe recte* dolum excludit. 14. 15.

Formulæ Manilii quid. 44. *b.*

——— venalium vendendorum leges vocantur à Cicerone. *ibid.*

——— Senatuſconſultorum. I. 418. *a.* 430. *a.*

——— in omne genus contractibus præſcribebantur a Juriſperitis, & quare. II. 44. *b.* 45. *a.*

Formularum ſignificationes ſciendæ ſunt. 12. *a.*

ex Formulis non æſtimandæ ſupremæ hominum voluntates, ſed ex re ipſa. I. 448. *b.*

Forum competens unde æſtimandum ſit. II. 148.

Foruum non naſcitur ex brevi commoratione in aliquo loco. II. 150. *a.*

——— ex delicto oritur. *ibid.*

——— arreſta tribuunt, & cur. 148. *b.*

——— num Princeps in alterius imperio, ſi ibi deliquit aut contraxit, ſortiatur. 150. *b.*

——— an Legati olim apud Veteres in loco legationis forum ſortiti. 183. *a.*

——— Legatorum variat pro varia eorum conditione. 163. *a.*

ad Forum non competens ſi quis vocetur, an Majeſtatis crimen committatur. 367. *b.*

Fori privilegium Legatorum ex qua ratione deducendum ſit. 153. *b.*

——— quouſque legatis competat. 158. *a.*

——— an eidem Legati renunciare poſſint. 180. 181.

de Foro competente Legatorum quid jure Romano cautum ſit, & de quibus Legatis id intelligendum. 154. *b.*

de Foro Legatorum ubi quæritur, non diſtinguendum cujus conditionis vel nominis Legati fuerint. 148. *a.*

——— in utramque partem ex ſola ratione diſputari poteſt. 156. *a.*

——— variæ variorum ſententiæ de illo. 181.

de Foro Legatorum in criminibus Gentium mores. 173 *a.*

——— quæſtio non ex jure Naturæ æſtimanda, nec ex Legatorum ſanctitate. 183. *a.*

Fori Academici privilegio ſtudioſi renunciare poſſunt. 181. *a.*

Forum minorum, Viduarum & miſerabilium perſonarum apud Hollandos. 306. *a.*

——— eorum, qui ab exteris Provinciis in Hollandiam mittuntur ad Ordines Generales, Conſiliarios Ordinum Generalium, eorum Rationales, ſive ad Collegia Marina 315.

——— ratione delictorum commiſſorum in officio. 316. *b.*

——— eorum qui Hagæ habitant neque Nobiles, neque Forenſes Curiæ ſunt, neque etiam ex officiis ſeſe exhibent. 304.

——— militum in cauſa delicti. 227.

——— nobilium exterorum in Hollandia. 299. *a.*

——— pagani militariter delinquentis. 329. *b.*

——— Quæſtoris Generalis Fœderati Belgii, ſi in officio deliquerit. 325.

Frangere, pro *tollere*, *auferre.* I. 101. *a.*

Frediani. 314. *a.*

Freti Britannici Romani olim domini. II. 128. *b.*

Fretum Byſantinum Romani olim in dominio habuere. 134. *b.*

——— Herculeum iidem tenuere. *ibid.*

——— ——— Hiſpani jure ſibi ſubjicere poſſunt. 130. *a.*

in Freto Baltici maris quo jure Danorum reges tributa exigant. *ibid.*

Fridericorum Imperatorum Authenticæ a quo Codici adjectæ. 67.

Friſii. V. Utrechtani.

Frivola pro *Supellectile*, quin & pro *omni patrimonio*, & pro *mundo.* I. 209. *b.*

Fructus acceſſio. 150.

——— non eſt, nec ad uſufructuarium pertinet partus ancillæ. 151. *a.*

——— inſulæ in flumine natæ non pertinet ad uſusfructuarium proximi fundi. *ibid. b.*

——— acceſſio ex alluvione, vel ex eo, quod vis fluminis adjecit, pertinet ad fructuarium. *ibid.*

——— *qui percipi potuerunt*, petere a quovis poſſeſſore, etiam bonæ fidei, valde lubricum eſt. 262. *b.*

Functio in mutuo, quid. 28. *b.* 29. *a.*

Fundi Italici ſtipendium vel tributum non pendebant, neque etiam illæ Provinciæ, quæ jure Italico erant donatæ. 170. *a.*

Fundorum Provincialium, quaſi ad Imperium pertinentium, ſtipendium vel tributum a Provincialibus Principi Populove Romano pendebatur. *ibid.*

Funebres ſumptus non repetit, qui humanitatis cauſa impendit. 124 *a.*

——— ad eos obligatur heres. *ibid.*

Funus V. Sepultura.

Fu-

Furor obeſt nuptiis contrahendis, non vero rite contractæ ſolvuntur, quamvis ab ea regula excipiatur caſus nonnullus. I. 267. *a.*

Furtum ſi ejusdem rei plures fecerint, unum duntaxat furtum eſt, & ſemel in quadruplo eſt actio. 153. *b.*

——— ſi omnes partem offerant, atque ita ſimul unam pœnam unius delicti, quod omnes commiſerunt, an id ſufficiat. 154. *b.*

——— an ceteri liberentur, ſi unus pœnam præſtiterit. *ibid. a.*

Furti actionem habet pater, ſi filiusfamilias ſubreptus ſit, non mater. 346. *a.*

Furtum pro *re furtiva.* 24. *b.*

——— etiam rei minimæ eſt, ſed ex eo non datur actio furti, verum in factum. 21. 22.

Furti non tenentur omnes, qui fures ſunt, & contra. 22. *a.*

per Furti actionem nonnunquam intelligitur actio in factum. *ibid. b.*

Furtum facit, non ſacrilegium, qui rem ſacram e loco profano, vel profanam e ſacro aufert, Jure civili non canonico. 27.

Furti nec manifeſti pœna dupli eſt ex lege XII. Tabb. non ex Edicto. 88. *a.*

—— manifeſti pœna capitalis & Lege XII. Tabb. unde & quænam fuerit. *ibid.*

—— —— pœnæ e Lege XII. Tabb. ſucceſſit Prætoria in quadruplum, ſervata pœna nec manifeſti. 88. *b.*

—— actio civilis in duplum & quadruplum; criminalis extraordinaria. 50. *a.*

—— actione criminali inſtituta, civilis tollitur, etiamſi fur nihil aliud, quam rem ſublatam *in ſimplum* reſtituere juſſus fuerit. 51. *b.*

—— pœna e Conſtitutionibus Juſtiniani & Friderici. 88. *b.*

Furtorum quorumcunque pœna dupli e Lege Solonis, Lege XII. Tab. tantum furto nec manifeſto. *ibid. a.*

de Furibus quibusdam cognoſcit Præfectus Vigilum. Vid. Præf. vigil.

Fuſcianus JCtus. 328. *b.*

Futura JCti per rerum naturam certa putant, ſed incerta habent, quod ad jus, propter noſtram ignorantiam. 117. *b.*

G.

Gabinia Lex. II. 248. *b.*

Gaditanum Fretum Hiſpani an ſibi ſubjicere poſſint jure. 130. *a.*

Gaius JCtus an ſcripſerit ad Legem Gliciam. I. 55. *a.*

Gallis, Syris & Phrygibus apud Romanos permiſſum pati muliebria, ſine infamia nubere, & genitalia ſibi præcidere. 414. *b.* 415. *a.*

Gelri jam ante abrogatos Comites primas tenuere inter Provincias. II. 288. *a.*

Gelria, Tranſiſulania, & Utrechtum anno 1672. occupatæ a Francis, jure poſtliminii redierunt ad Fœdus Utrechtanum, quo captæ exciderant. 221. *b.*

—— poſt diſceſſum Francorum anno 1674. unum ſuffragium in Conſilio Ordinum Generalium perdidit. *ibid.*

Geminæ locutiones paſſim reperiuntur apud JCtos, & alios auctores. I. 310. *b.* 315. *a.*

Geminationes litterarum vel ſyllabarum. I. 31. 84. *b.* 85. *a.* 95. *b* 110. *a.* 112. *b.* 118. *b.* 127. *a.* 128. *a.* 143. *a.* 184. *b.* 199. *a.* 220. 221. 238. *a.* 252. *a.* 259. *a.*

Geminationis ratio, ejusque uſus & abuſus. I. 122. *b.*

——— regula aliquot locis adhibenda, vel rejicienda. 220.

Gener pro *ſponſo filiæ.* 23. *b.*

Generales loquutiones ſæpe ſunt reſtringendæ ad ſpeciem propoſitam. 237. *a.* 257. *b.*

Genitivorum uſus quidam apud JCtos. 39.

Gens gentem non obligat, nec vel omnes Gentes obligant aliam, quæ ſui juris eſt. II. 176. *a.*

Gentilium ſucceſſionis ab inteſtato ratio. Vid. ſucceſſio.

Gentis unius teſtimonium non facit jus Gentium. 158. *a.*

Gentium conſuetudo quatenus ſingulas gentes obliget. II. 183. *a.*

——— Jus. vid. Jus Gentium.

——— mores quod ad forum Legatorum in criminibus. 173.

——— nomina maribus impoſita num maris dominium tribuant. 131. *b.*

——— omnium vocem audire videtur qui jus Romanum audit. 154. *a.*

Genuenſes quo jure Liguſtici maris imperium ſibi adſcribant. 133. *b.*

Georgicæ Leges Juſtiniani. 112. *a.*

Gerere Provincias, quid ſignificat. I. 312. *b.*

Glicia Lex, an ad eam ſcripſerit Gaius JCtus. 55. *a.*

Gloſſellæ pro Authenticis. II. 66. *b.* 87. *a.*

Gloſſemata non temere ſtatuenda. I. 41. *b.* 93. 253. *a.*

Gnoſtici cœtus nocturnos ſceleribus reddiderunt infames. 416. *b.*

Gradus adfinitatis nulli ſunt, ſed ſolis nominibus cenſentur. 156. *b.* 157. *b.*

——— ——— quare. *ibid.*

——— ——— ſi qui ſint, in primo eſſent Conjuges. 150. *a.*

——— non ſemper eſt agnatorum cognatorumve inter ſe diſtantia, ſed & quorumcunque Propinquorum ordo. 155. *a.*

Gradus & *ordinis* promiſcua appellatio. *ibid.* & 157. *a.*

Græcæ loquutiones multæ in Pandectis occurrunt. 233. *b.* 245. *a.* 268.

Græci fere immunes ab odio religionis. 413. *a.*

—— Latinis vocabulis interdum uſi. II. 102. *a.*

Gravida mulier quando morbo laborare cenſeatur. Vid. Morbus.

Graviones Hollandici de quibus cauſis olim judicaverint. 301. *a.*

——— ——— an olim ubicunque eſſent in Hollandia, vel Zelandia, judicaverint de cauſis criminalibus. *ibid. b.*

Gravionum judicia. *ibid. a.*

Groninga urbs cum ab Hiſpanis occupata Fœdere Utrechtano excidiſſet, ab Orangia Dynaſta rurſus victa poſtliminio ad id rediit. 220 *b.* 283. *b.*

Groningani an ſubſcripſerint fœderi Utrechtano. 220. *b.* 221. *a.*

——— fere ſequuti partes Hiſpanorum, & poſt deditionem propenſiores æquo iis fuerunt. *ibid.*

Grotius. Vid. Barneveldius.

——— libros ſuos de *Jure Belli* & *Pacis* non tam ſcripſit de Jure Gentium univerſo quam potius de moribus, apud plerasque Gentes Europæas receptis. 193. *a.*

Gubernacula duo in navibus antiquorum. I. 120. *b.*

Gutturoſus. 43. *b.*

H.

H mutatum in L J. I. 65. *a.*

Hæretici *Satoribus*, & hæreſes *Semini* comparantur. 425. *a.*

Hagæ quinam tertium genus hominum à nobilibus & iis, qui ſe opificiis exhibent, diverſum conſtituant. II. 300. *a.*

Hamis utebatur Præfectus Vigilum ad reſtinguenda incendia. I. 281. *b.*

Haſterius. Vid. Aſterius.

Haud & *haut* promiſcue ſcribitur. 199. *a.*

Heliopolitana Syriaca fuit civitas Juris Italici. 170. *b.*

Heliogabalus ſolum Deum ſuum Heliogabalum coli voluit. 415. *b.*

Hengzels tot Degens recenſentur inter contrabanda. II. 211. *b.*

Henricus IV. Franciæ Rex juris Gentium peritiſſimus & tenaciſſimus. 175. *a.*

Heredipetæ, & varia eorum nomina. I. 431 *a.*

Hereditas, ſive familia, primum locum obtinet inter res incorporales. 338. *a.*

——— mancipabatur per æs & libram, unde cenſenda eſt mancipi. *ibid.*

——— heredis non facit aliter res ſingulas, quam le-

legatum vindicationis dominium legatarii facit. I. 219. *a.*
——— non acquiritur hoſti, etſi ex teſtamento vel ab inteſtato ei debeatur. II. 204. *a.*
Hereditatem captare. V. Captare.
——— gratia & benevolentia mereri, etiam laudi datum fuit apud Romanos. I. 432. *b.*
in Hereditate pœnæ nomine idem juris obtinuit, quod in legatis pœnæ nomine. 447. *b.*
——— ut & in parte hereditatis. 457. *b.*
Hermaphroditica Legatio quæ vocatur. II. 168. *a.*
Hermogenianus JCtus in Libris Epitomarum Juris ordinem Edicti Perpetui ſequutus. I. 69. *b.*
——— plus ſemel novis & inſolitis uſus fuit vocabulis. *ibid.* *b.*
Hermolaus Barbarus. II. 253. *a.*
Hieronianus, nomen proprium. I. 78. *a.*
Hircus alarum & oris vitium. 96 *a.*
Hircoſi non ſunt morboſi. *ibid.*
Hiſpani an Fretum Gaditanum jure ſibi ſubjicere poſſint. II. 130. *a*
——— imperium Oceani ſibi adſcribere dicuntur. 134. *a.*
Hiſpaniæ univerſæ a Veſpaſiano Jus Latii fuit tributum. I. 172. *b.*
Hollandi recte joco dicerentur *Mergi Agrarii.* 202. *b.*
Hollandiæ Curia quo jure facinoroſos ſuos deportet ex ditione Utrechtana & contra. II. 287. *a.*
——— Ordinum decretum de ſalutanda arce Kronenburg. 130. *b.*
——— ——— Edictum de Legatorum privilegio revocandi domum. 159. *a.*
——— Ordinibus a quo & quo jure ignorantia juris Gentium exprobrata. 157.
Hollandici Graviones. V. Graviones.
Hoogerbeetſius. V. Barneveldius.
Homines non diſtinguit jus naturale. 183. *a*
Homicidium hominis liberi non differt ab homicidio ſervi apud Græcos. I. 350. *b.*
Hopia Indica. 105. *b.*
Horatii Tergemini Senatores cincti. 78. *b.*
Horreum eſt, in quo ſub terra in doliis frumentum condebatur, vel rerum quarumcunque ſervandarum cauſa habitum. 154. *b.*
in *Hortis* ſe oſtendere intelligendum eſt de privatis ludis, in hortis aliquando haberi ſolitis. 152. *a.*
Hoſtes bifariam intelliguntur. 172.
——— *perduelles* vocantur, hinc *hoſtium* & perduellium appellatio eſt confuſa. *ibid.* *b.*
——— vivi fuerunt exuſti. *ibid.*
Hoſtis non habet perſonam ſtandi in judicio, niſi commercii cauſa. II 205.
——— ſi arceatur a judicio, neque adverſus hoſtem, in Imperio noſtro forte degentem, recte experiemur. *ibid.* *b.*
——— impetrata ſecuritate per hoſticum tranſeundi, in ſuo territorio recte capitur. 238. *a.*
——— in hoſticum venturus, ſi ſecuritatem impetravit, an a creditoribus conveniri & detineri poſſit. *ibid.*
Hoſtem aggredi vel perſequi an liceat in Amici territorio vel portu. 206.
——— in amici portu, amici non hoſtem, non licet aggredi vel capere, & ſi quis capiat, amici eſt efficere, ut capta reſtituantur vel ſumtu ſuo, vel ſumtu ejus, qui damnum paſſus eſt. *ibid.* *a.*
Hoſtem in mari aperto deprehenſum dum oppugnamus & cædimus, perſequi licet usque ad amici flumen, ſtationem, portum, modo parcatur amici caſtellis, & hoſtibus ipſis, ſi amicorum portus jam ſubierint. 207. *a.*
——— in territorio alterius recte perſequimur ex recenti prælio fugientem. *ibid.* *b.*
Hoſtes hodie ſeſe invicem vocant *amicos.* 195. *a.*
Hoſtium nomine an etiam amici noſtri intelligantur, qui victi apud hoſtes ſunt, urbe eorum forte occcupata. 197. *b.*
——— Actiones & credita. V. Actiones.
——— res mobiles & præſertim naves quando fiant capientium. *ibid.*
in Hoſtium cadavera quid liceat. 196. *b.*
Hoſtibus *bene precari* & *ſalutem dicere*, adulatorum eſt. II. 195. *a.*
ad Hoſtes amicorum quasnam res non liceat advehere. 210. *a.*
——— an liceat advehere res promiſcui uſus tam in bello quam extra bellum. *ibid.*
——— an ipſa materia rerum prohibitarum quoque ſit prohibita. 211.
qui Hoſtes non ſunt. Vid. non hoſtes.
in *Hoſtico*, pro *in loco hoſtili*, vel *barbarico.* I. 122. *a.*
Humanitas eſt pietas, & communis benevolentia, quam homo homini debet. 124. *b.* 125. *a.*
Humanitati tribuitur gratuita ſepultura. *ibid.* *b.*
Humanitatis negotium gerere, quid. *ibid.*
Humatio, pro *reliquiis*, *quæ humantur.* 24. *b.*
Hydroparaſtatæ, Manichæorum ſecta. 422. *a.*
Hypothecaria actio an reſcindere poſſit ſervitutem fundo obligato impoſitam. II. 373. *b.*

I.

I. In antiquis ſcripturis paſſim adjicitur ante E. I. 418. *b.*
I. & EI. Vid. EI.
I. & T. facile permutantur. 78. *b.*
I. TA. non eſt nota indicans *primas tabulas.* 40. *b.*
Jachten an debeant haberi inter naves bellicas. II. 280. *b.*
Jactus nauticus. 470.
Idonior & idoneior. I. 43. *a.*
Ignotus ille, *ubi degit.* 245. *a.*
Ἰκαρία inſulæ nomen eſt, non maris Icarii. II. 104. *a.*
Ilienſes non tantum jure Italico beati fuerunt, ſed & aliis privilegiis. I. 171. *b.*
Illicita & probroſa conditio pari paſſu ambulat cum impoſſibili. 450. *b.*
Illicitum & *probroſum* an, & quando differant. *ibid.* *a.*
Imagines Imperatorum cultæ. 416. *a.*
——— iis ſacrificare nolebant Chriſtiani, unde læſæ Majeſtatis accuſabantur, damnabanturque. *ibid.*
Imbecilliores partem ſuam poſſunt ſtatim vocare ad Curiam. II. 298. *b.*
Immobiles res. V. res.
Immobilia recuperata poſtliminio redeunt ad priores dominos. 200. *a.*
——— hoſtium licet mero jure belli poſſint vendi, in omni tamen fere Europa eorum tantum fit annotatio, & fiſcus fructus capit; finito vero bello priſtinis dominis reſtituuntur. 204. *a.*
Immobilium poſſeſſio bello quæſita quousque extendatur. 202.
Immunis dicitur ea perſona, vel ea res, quæ onera, aliis indicta, præſtare non tenetur. I. 261. *b.*
Imo, particula, in notis Pauli ad Labeonem quid notet. 76. *a.*
Impedire caſui tertio jungitur 209. *a.*
Imperator in alterius territorio num ſit tanquam privatus. II. 149. *a.*
——— Romanorum vel hodie Germanorum fueritne umquam totius Orbis Dominus, diſputatum a veteribus juris magiſtris. 109. *a.*
Imperatores Romani an imperium maris habuerint olim. 112. *b.*
Imperatoribus delatum fuiſſe *Proconſulare Imperium*, quo ſenſu intelligendum ſit. I. 281. *b.*
Imperia non diſtinguit jus Naturæ. II. 183. *a.*
——— pleraque non ex libero Gentium ſuffragio, ſed ex vi originem traxerunt. 244. *a.*
Imperium & Juriſdictio an poſſint mandari. 260.
——— *merum* jure Romano mandari non potuit, *mixtum* potuit. *ibid.*
——— continentis finitur, ubi finitur armorum poteſtas. 206. *a.*
——— maris & proprietas maris, num differant. 112. *b.*
Implicare litibus. I. 92. *b.*
Impoſſibilis conditio. V. conditio.
Improles qui. 113. *b.*
Imprudens eſt *inſciens*, *non valde prudens.* 54.
Imprudentia, JCtis ſemper culpam & negligentiam notat. *ibid.* *b.*

Impuberis vel minoris domicilium, an ſuperſtes parens, vel tutor mutare poſſit. II. 334. *a.*
Impuberum appellatio ſæpe late ſumitur, eosque complectitur omnes, qui pleniſſime puberes non ſunt, id eſt, qui annum ætatis XVII. nondum impleverunt, quamvis attigerint. I. 198. *a.*
Impunitatis promiſſio. V. Crimina.
In ſæpe regit caſum accuſativum. 195. *a.*
In annos octo vel decem relictum quid. 86. *a.*
In diebus triginta vel centum, quid. *ibid.*
In facili, in difficili eſſe. 43. *a.*
Inauditus pro inobediens. 352. *b.*
Inaurata accipiuntur non tantum pro iis, quorum ſuperficies auro incocta vel illita eſt, ſed & pro iis, quæ vulgo aurea dicuntur. 194. *b.*
Incapacibus, ſive non capientibus relicta quibus cedant. II. 392.
Incerti actio. Vid. actio.
In continenti in pactis quid. 45. *a*
——— cum aliquo ſpatio intelligendum. 46. *a.*
Incorporalis res. V. res.
Incrementa quid. 21. *b.*
Incurioſus ſatis Latinum videtur. I. 181. *b.*
In Indiam navigandi libertas unde adferenda. II. 134. *b.*
Indicium, eſt *ſignum indicans*, & *indicatio*. I. 25. *b.*
Indicium profiteri. 26. *a.*
Indicium & *judicium* ſæpe commutantur. 264. *a.*
Indictio belli pertinet ad ſolam humanitatem. II. 192. *b.*
——— non pendet niſi a voluntate ejus qui indicit. 193. *a.*
——— apud Achæos & Romanos in uſu. *ibid.*
——— in uſu hodie apud plerasque gentes Europæas. *ibid. b.*
poſt Indictionem belli bona hoſtium vulgo recte capiuntur. 194. *b.*
Indictionibus belli ſolet fere conſtitui, ut bona hoſtium apud nos reperta, & bello capta publicentur. 204. *a.* Vide Bellum.
Induciis pactis ut de deditione agatur, an liceat munitiones reficere. 237. *b.*
Ineſſe contractui quid. 46. *b.*
Ineſſe ex parte rei & ex parte actoris quid ſit 54. *a.*
Infamia non notatur, qui operas ſuas, ut prodiret artis ludicræ cauſa, locavit, neque prodiit. I. 152. *a.*
——— notantur viduæ intra annum luctus nubentes. 158. *a.* 160. *b.*
——— non notantur parentes, liberi, nec alii propinqui, ſeſe invicem non elugentes. 159. *a.*
Infantes V. Liberi.
Infantes in terram deponebantur, & quo fine. 365.
Infanticidarum pœna quando cœperit eſſe capitalis. 359.
de Infantum nece, & nunquid de ea aliud prior, aliud poſterior ætas cenſuerit. 356.
——— de eorum venundatione. 360.
——— expoſitione. 362.
Inficere. 425. *b.*
Infigere non accuſandi, ſed dandi caſum deſiderat. *ibid.*
Infinitivus ſæpe pro genitivo, ſæpe etiam pro omni caſu. 149. *b.*
Injungere an pro *jungere* recte dicatur. 314. *a.*
Injunctum tignum differt a *juncto*. *ibid.*
Injuria levis non infamat. 22. *b.*
Injuriæ propulſatio. V. vis injuſta.
Injurien, die gedaen worden aen Officiers, of andere gepriviligeerde perſonen an ad jurisdictionem Curiæ pertineant. II. 311. *b.*
Inofficioſi querela non eſt e Conſtitutionibus Principum, nec ex Lege Glicia, nec ex ulla alia. I. 55. *a.*
——— moribus recepta, & Prudentum auctoritate probata eſt ex bono & æquo contra Legem XII. Tabb. & quo colore. *ibid.*
——— Vid. Querela & Teſtamentum.
Inſcriptionibus Legum interdum apponuntur Libri Capita, & Tituli, unde Leges ſumtæ ſunt. 115. *b.*
Ingerere pro *ingerere* optime dicitur de hæreſibus. 425. *a.*
Inſidiari pro *nocere.* 145. *b.*
Inſpectio & *inſpectatio*, pro *caſu*, *exemplo*, *ſpecie*. 84. *a.*
Inſtituit agere, non ſignificat *elegit*, ſed *cœpit agere*, vel ſimpliciter *egit*. I. 308. *b.*
Inſtitutio in alterius arbitrium collata non valet, ejusque ratio. 440. *a.*
Inſtitutiones captatoriæ. V. Captatoriæ.
——— mutuæ. V. mutuæ.
Inſtructi legatum. V. Legatum.
Inſtrumenta bellica quamvis advehere non liceat ad utrumque amicum, recte tamen venduntur utrique amico, quamvis inter ſe hoſti. II. 232. *a.*
Inſtrumentum domus differt a ſupellectile. I. 282. *b.*
Inſulæ in flumine natæ fructus non pertinet ad uſusfructuarium proximi fundi. 151. *b.*
Intelligeret pro *intellexerit.* 249. *b.*
Intendere pro *agere.* 268. *a.*
Intercalarius. 42. *b.*
Intercalaris dies naturaliter auget numerum dierum, civiliter non auget. 109. *a.*
——— auget in Lege Commiſſoria, niſi partes aliter ſignificaverint. 110.
——— an computatus fuerit inter 30. dies juſtos, qui e L. XII. Tabb. judicatis dabantur. 109. *a.*
——— non computatur in tempore judicati faciendi, quod datum eſt Conſtitutionibus. *ibid. a. b.*
Interdictum *quod Legatorum*, rem legatam poſſidente legatario, competit heredi, quod ad quartam falcidiam, ſi non vindicandi modo ſit legatum. 219. *b.*
——— ——— ceſſat, ſi vindicationis fuerit legatum, cum ex Lege Falcidia heres trium unciarum habeat dominium, quamvis non prohibeatur interdicto uti, ſi velit. *ibid.*
Interdictum de Liberis exhibendis an habeat pater, ſi filiusfamilias ſubreptus ſit. 346. *a.*
——— Salvianum. V. Salvianum.
Interdictorum diſtinctio in directum & utile non eſt ab eorum Auctoribus, ſed ab expoſitione JCtorum. 41. *b.*
Interpolationes Triboniani non facile agnoſcendæ, niſi aliter res ſalva eſſe non poſſit. 452. *a.*
Interpretatio & Lex ſæpe opponuntur. 99. *a.*
——— *Prudentum* pro Jure Civili. 311. *b.* 320. *b.*
——— reſtrictiva loquutionum generalium ad ſpeciem propoſitam. 237. *a.* 258 *b.*
in Interpretatione juris plurimum valuit Prudentum auctoritas. 320. *b.*
Interpunctio Legum. 213. *b.* 220. *a.*
Inteſtati cauſa potior fuit apud Græcos, teſtati vero apud Romanos. 203. *a.*
——— ſucceſſionis origo. Vid. Succeſſio.
Ipſo jure uſuras non committi, quid denotet. II. 33. *b.*
Irnerius num Novellas ut ſpurias rejecerit. 68. *a.*
——— num ſolus ſit auctor collectionis Authenticarum. 66. *b.* 68. 83. *a.* 85. *b.* 86.
——— ſi primas Authenticas non ſcripſit, num ideo nullas ſcripſiſſe dici poſſit. 84. *a.*
——— ſi gloſſas ad Authenticas ſcripſit, num propterea nullas integras Authenticas ſcripſiſſe dici poſſit. 87. *a.*
——— quarumdam Authenticarum ex aſſe auctor eſt. 85. *b.* 87. *b.*
——— nec tantum locum & titulum illis aſſignavit. 86. 87.
——— quo jure Authenticarum auctor eſſe negetur. 69. *b.*
Iſiaca ſacra, avide primum arrepta, mox pœnam meruerunt. I. 415. *a.*
Ita pro *tunc.* 41. *a.*
——— abundat. *ibid.*
Italia, an naufragiis commoda ſit. II. 102. *a.*
Italica & Italicenſia prædia. V. prædia.
Italici fundi ſtipendium non pendebant, neque etiam illæ Provinciæ, quæ jure Italico erant donatæ. I. 170. *a.*
Italici juris fuerunt.
——— Heliopolitana Syriaca. *ibid. b.*
——— Ilienſes. 171. *b.*
——— Laodicenſes. *ibid. a.*
——— Licitani. *ibid. b.*
——— Ptolemæenſes. *ibid. a.*
——— Trajanopolis. *ibid. b.*
——— Tyrus. 170. *b.*

Italici Valentini. I. 171. *b.*
Vid. Jus Italicum. Coloniæ.
Iter quid, & ut diſtinguatur ab actu. 107. *a.*
Judæa diviſa in plures Provincias & Præſides. 66. *b.*
Judææ etſi præerat Præſes Syriæ, tamen in ea Procurator Cæſaris cum Præſidiali poteſtate erat. *ibid.*
Judæi odium Religionis ex Ægypto deportarunt in Syriam. 413. *a.*
——— conſuetudinem virilia mutilandi, tanta pertinacia, omni ævo ſervare conati ſunt, ut ſine Gentis internecione haud facile tolli potuerit. 415. *b.*
——— Romæ proſeuchas ſuas habuere. *ibid. a.*
——— in Hollandia recepti. II. 278. *b.*
Judicati revocatio. V. Revocatio.
——— faciendi tempus varie olim definitum. I. 109. *a.*
Judices per excellentiam de *Præſidibus.* 21. *a.*
Judices, qui Conſtitutiones Principum negligebant, qua pœna tenerentur. 94. *a.*
Judex datus, qui cauſam terminabat, *Judex ſpecialis* dictus. 205. *a.*
——— qui ad certum tempus, vel intra certum tempus judicare juſſus eſt, ſi deceſſerit, & alius ei fuerit ſuffectus, rationis eſt, quantum temporis primo datum fuerat tantumdem ſecundo datum intelligi. 243. *a.*
——— id fallit in caſu, quo tempus excurrit in tempus novi magiſtratus, nam tunc judex ſubditus habebit tantum temporis, quantum magiſtratui veteri ſupereſt ad exercendam jurisdictionem. *ibid. b.*
Judici vitanda familiaritas cum hominum vulgo. 161. *b.* 162. *a.*
Judices ſi ſapiunt, & ſe ſibi priores probarunt, non habent, quod a familiaritate & contemtu metuant. *ibid.*
Judicem in cognoſcendo neque excandeſcere oportet adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum inlacrimari. *ibid.*
Judices eſſe poſſunt, qui annum ætatis 17. expleverunt, quamvis non cogantur, niſi 20. majores ſint. 197. 198.
Judices eſſe poſſunt omnes minores cujuscunque ætatis, ſi magiſtratum gerant, vel partes ſcientes & volentes in eos conſentiant. 198. *a.*
——— pedanei num auditorium habuerint. II. 11. *a.*
——— minores in cauſis minoris momenti, quarum cognitio alioquin pertineret ad ſcabinos, non ſunt mandatarii Jurisdictionis. 261. *a.*
——— agreſtes tempore Gravionum. 302. *a.*
Judices, qui de aſſecurationibus cognoſcunt, eorumque officia aſſecurare nequeunt. 475. *a.*
Judicii denunciatio quemadmodum legato fieri debeat. 170. *b.*
——— ——— in Hollandia duplex. 171. *a.*
Judicium legitimum, id eſt, actio legitima. I. 229. *a.*
Judicium & *indicium* ſaepe permutantur. 264. *a.*
Judicia ceſſant inter principes. II. 193. *a.*
Julia Lex. V. Lex.
Julianus (Salvius) Edicti perpetui auctor, non autem Didius Julianus Imperator, cujus ille, ut creditur, fuit Proavus. I. 328. *b.*
Juliani plurimi, ad quos Diocletianus & Maximianus reſcripſerunt, plures item Proconſules Africæ hoc nomine. 421.
Julianus aliquis ſub Diocletiano tyrannidem in Africa adfectavit. 422. *a.*
Jura prædiorum quatenus mancipi ſint, aut contra. 338. *a.*
——— ——— ſunt qualitates quædam, quæ prædiis inhærent. *ibid. b.*
Jurare lapidem. V. Lapidem.
in Jure conſtituto non valent rationes. 349. *a.* 365. *a.*
Juriſconſultus quis. 325. *b.*
Juriſconſulti non profani duntaxat juris, ſed & ſacri prudentiam profitentur. 412 *a.*
——— pro avita Romanorum religione defendenda novis ſectis fortiter ſe oppoſuerunt, præſertim ſi in Reipublicæ perniciem vel detrimentum viderentur vergere. 413. *a.*
——— eorum fœcunda meſſis, cur ſub Conſtantino M. & deinceps exaruerit. I. 413. *b.*
Juriſconſultos veterum ſacrorum vindices, adverſarios ſuos experti ſunt Chriſtiani. *ibid.*
Juriſconſulti libros ſuos non ſcribebant continua ſerie, ſed dividebant in Titulos, & hos iterum in *paragraphos* ſive *locos.* 162. *a.*
——— eorum auctoritatibus utebantur Veteres in cauſis controverſis. 163. *b.*
——— eorum ſententiæ libellis offerendis addebantur. *ibid.*
——— habuerunt loquutiones ſibi peculiares. 222. *b.*
——— Veteres rariſſime utebantur æqualium vel juniorum auctoritate. 173. *b.*
——— ſæpe fuerunt ſententiam rogati de rebus certis & liquidis, non ſemper de rebus incertis & dubiis. 198. *b.*
——— & Oratoris officium, Republica libera, fuit diſtinctum, poſtea conjunctum. 217.
——— olim ab Oratoribus interrogabantur. & vel domi ſedebant vel transverſo foro ambulabant. *ibid. a.*
——— *diſertiſſimi*, *diſertiſſimi Legum Oratores*, *Oratoresque maximi vocantur.* 218. *a.*
——— non ſolent uno loco expedire, quicquid ad plenam alicujus argumenti ſcientiam pertinet. 224. *a.*
——— juſta interpretatione ſæpe, quod in una ſpecie ſancitum erat, ad aliam transtulerunt, cum par eſſet ratio. 244. *b.*
Jurisdictio a ſola ſubjectione pendet. II. 148. *a.*
——— in non ſubditum nulla. 157. *b.*
——— civilis an Legalis in ſuam familiam competat. 167. *a.*
——— ——— a nemine, niſi cui a Principe mandata, recte exercetur. 177. *b.*
——— an prorogari poſſit in judicem extra imperium, cui ſubeſt is, quo de agitur. 180. *a.*
——— ne prorogetur, an magiſtratuum interſit. 181. *a.*
——— an eam Principes prorogare poſſint. 180. *b.*
——— ——— Legati. 181. *b.*
Jurisdictiones non ſunt diſtributæ in gratiam Judicum. *ibid. a.*
Jurisdictionis prorogatio an hodie omnis licita. 180 *b.*
Jurisdictio cur jure Rom. potuerit mandari. 260. *a.*
——— moribus Belgii mandari nequit. *ibid.*
——— Qui hodie eam exercent, jurisdictionem exercent Principis, non propriam. 261. *a.*
——— a Proconſule mandata Legato. V. Proconſul.
in Jurisdictione delegata quidquid ſpecialiter non eſt delegatum, pertinet ad Jurisdictionem ordinariam. 226. *b.*
Jurisdictio Curiæ Hollandiæ. 297.
——— Hagæ ſedentis, an Magiſtratus Hagani prior & antiquior Hagæ fuerit. 300.
——— quæ Militaribus Judicibus competit, eſt duntaxat in milites. 329. *b.*
Jurisperiti quare formulas in contractibus præſcripſerint. 44. *b.*
Jurisprudentiæ definitio, quod ad res divinas. I. 412. *a.*
Jus: Ejus præcepta. V. præcepta.
Jus accreſcendi. V. Accreſc.
Jus Civile pro *interpretatione prudentum.* 311. *b.* 320. *b.*
Jus Commentitium quid. 163.
——— generale privilegia anteriora non abrogat. II. 259. *b.*
——— Gentium, quale ſit. 150. *a.* 176. *b.*
——— an adverſetur maris dominio. 137. *b.*
——— an ab uſu & moribus Gentium pendeat. 157. *b.*
——— num a teſtimonio unius Gentis. 158. *a.*
——— a prudentia politica diſtinguendum. 182. *a.*
——— non aliud eſt quam quod putaverunt Veteres JCti. 183. *a.*
——— In eo non tam teſtibus & conjecturis, quam exemplis credendum. 172. *a.*
——— ——— eæ rationes prævalent, quas uſus approbavit. 157. *b.*
——— Ex eo vim injuſtam repellere licet. I. 144. 145.
——— Ejus ignorantia Hollandiæ Ordinibus exprobrata. 157.

Jus

Jus Gentium uno alterove pacto, quod a conſuetudi ne recedit, non mutatur. II. 210. *b.*
—— de eo ex ſolis pactis, non addita ratione, pronunciare, ſæpe eſt incertum & periculoſum. 219.
—— quæ ejus juris ſunt, non decidit Jus Romanum. 138. *a.*
Jus Italicum, de eo & coloniis quibusdam Juris Italici. I. 170.
—— —— omnino præſtat immunitatem a ſtipendiis & tributis, quæ alioquin Provincialibus indicuntur, ſive quod ad capita, ſive quod ad fundos. *ibid. a.*
—— —— non tamen ſola tributorum cauſa fuit circumſcriptum, ſed latius patuit. 171. *a.*
—— —— differt quam maxime a Jure Latii. 172. *b.*
Jus Juſtinianeum vulgo vocatur *Jus Commune.* II. 235. *a.*
—— Metropolitanum nihil pertinet ad occupationem totius. 203. *a.*
—— Naturale, nec homines diſtinguit, nec dominia, nec imperia. 183. *a.*
—— —— ex eo non æſtimanda quæſtio de foro Legatorum. *ibid.*
—— —— vim injuſtam repellere licet. I. 144. 145.
Jus Patrum in liberos. V. Liberi.
—— Quiritarium & mancipi erat fundorum Italicorum & Italicenſium, at Bonitarium duntaxat & minus plenum, fundorum Provincialium. 339. *a.*
—— repreſſaliarum an contra Legatos exercendum. II. 179. *b.*
—— revocandi domum Legatorum quibus rationibus impugnari queat. 156.
—— —— contra illud auctoritas Curiæ Hollandiæ. *ibid.*
—— —— rationes pro illo jure *ibid.*
Vid. & Privilegium.
—— Romanum non decidit quæ juris Gentium ſunt. 138. *a.*
—— illud qui audit, vocem omnium Gentium videtur audire. 154. *a.*
—— ſervitutis competit victori in victum. 195. *b.* 196. *a.*
Juris ſtudioſi quinam dicantur I. 179. *b.*
Jus vitæ & necis competit victori in victum. II. 195. *b.*
—— —— in captivos quamvis obſoleverit, an non tamen eo uti liceat adverſus eos, qui ſe obſtinatius defenderunt. 196. *b.*
in Jus vocatio. Vid. Judicii denunciatio.
Jusjurandum omne proficiſcitur ex fide & perſuaſione jurantis, & inutile eſt, niſi quis credat, Deum, quem teſtem advocat, perjurii ſui eſſe vindicem. I. 178.
—— per alium, quam ipſe putat Deum, animam jurantis non obligabit, nec pœnam Dei extimeſcet. *ibid. b.*
—— Ei ſtandum eſt, quod propria ſuperſtitione juratum eſt. *ibid.*
—— calumniæ tempore Pandectarum & a parte actoris & a parte rei in iis duntaxat cauſis obtinuit, in quibus Lex præſumebat faciles ad rixandum animos, vel ubi alia calumniandi, id eſt vexandi ſuſpicio incidebat: ſed jure novo in omnibus præſtatur. 222. *a.*
Juſti dies ſunt a jure conſtituti. 19. *b.*
Juſtiniani Leges Georgicæ. II. 112. *a.*
Juſtus Hoſtis quis. 223. *a.*

K.

Kalendæ futuræ quæ ſint. II. 15. *b.*
Kapers. 224. *b.*
Kariſſime vel *Kariſſime nobis*, formula ſalutationis. I. 423. *a.*
Kloppen. V. Sanctimoniales virgines.
Κοινόω *polluo*, κοινωνία turpitudo 422. *b.*
Κόσμος pro *Orbe Romano*, rarius occurrit. II. 108. *b.*
—— num etiam maria complectatur. 110. *a.*
Κόσμου κύριον cur ſe Antoninus adpellaverit. 108. *a.*
Κοιστολὸς 472. *a.*
Κυντελάς. 471. *b.*
Κράτος νόμος quid ſignificet. I. 347. *a.*
Kruyſſers. II. 224. *a.*

L.

Lo *Lo. loc.* notæ vocis *locus.* I. 123. *a.*
Labeo poſt Mucios vixit. 32.
—— Ejus libri Πιθανῶν quid continerent. 76. *a.* 83. *a.*
—— ſprevit Conſulatum ab Auguſto oblatum, & quam ob cauſam. 327. *a.*
—— ingenii qualitate qua valebat, & fiducia doctrinæ plurima innovavit. *ibid.*
—— Pater & filius JCti, & præter hos alius Labeo Theologus. *ibid. b.* 412. *b.*
in Lacunis ſupplendis fere fruſtra laboratur. 422. *b.*
Lælii plures perperam confuſi. 79. *b.*
Laodicæa maritima ad Orontem Jus Italicum a Severo accepit; Loadicæa vero ad Libanum dudum ante immunis erat reddita. 171. *a.*
Lapidem qui juravit perjurus. 178. *b.*
Lapides & *lapilli*, pro *lapidibus* pretioſis. 105. *b.*
Laquei pœnam in captivos exercere licet, ſed, ſi non liceret, ideo exercere, quia non redimuntur, non habet rationem. II. 196. *a.*
Latii jus Hiſpaniæ Univerſæ a Veſpaſiano Tributum. I. 172. *b.*
Latina eruditio apud JCtos, fere occupatos in priſcis Legum verbis exponendis, magis ſtetit incorrupta, quam apud alios quosvis auctores, quamvis ſæpe labes ſæculi pelluceat. 268. *a.*
Latini Græcis vocabulis interdum uſi. II. 102. *a.*
Latinitas Pandectarum defenſa. I. 42.
Latrunculi. II. 224. *b.*
Lavatio pro inſtrumentis quæ ad lavandum pertinent. I. 165. *a.*
Lautumiæ continentur appellatione vinculorum. 39. *a.*
Legatarius. V. Legatum.
Legatio ut pleno jure conſiſtat ſtatus utrimque liber requiritur. II. 244. *b.* 245. *a.*
—— *Hermaphroditica* quæ vocata. 168 *a.*
Legationes ordinariæ cur Belgis expediant. 147. *b.*
Legationibus ordinariis qui principes utantur. *ibid.*
Vid. Legatus.

Legatum.

Legati damnationis & vindicationis diverſus effectus, quod ad jus accreſcendi. I. 47. *b.*
Legatum generale, ſpeciale, Vid. ſpecies.
—— fundi inſtructi continet omnem inſtructionem. 73. *a.*
—— —— —— cum ſuis villicis & reliquis colonorum &c. tantum ſpecies enumeratas. *ibid.*
—— fundi, *ut inſtructus eſt*, *ut poſſedi*, *ſicut eſt*, idem. 74.
—— inſtructi continet etiam bibliothecam & ſupellectilem. 106.
—— ſupellectilis tantum continet ea, quæ habentur uſus domeſtici & quotidiani gratia, non quæ ſpeciali uſui ſunt deputata. *ibid.* 107.
—— veſtis & ſuæ veſtis. V. Veſtis.
—— uni relictum, ſi paribus rationibus concurrant duo, & ignoretur, utri teſtator legatum voluerit, cur neutri debeatur. 58. *a.*
—— duobus, v. g. Titiis, de quibus conſtat, recte relictum, deinde ſimpliciter uni ademptum; de quo non conſtat, utrique debetur, & quare. 59. *a.*
—— uſusfructus. Vid. Uſusfructus.
Legato *eſcario argento*, quid contineatur. V. eſcarium.
Legata fideicommiſſis per omnia æquata eſſe. 235. *a.*
Legato fundo *cum ſuis Entbecis*, vel, quod perinde eſt, *cum ſuis dotibus*, legatus cenſetur inſtructus. 187. *a.*
Legato alicui ſervo per vindicationem (nam ad alia legatorum genera id non pertinet) ſi forte locus ſit Legi Falcidiæ, partem incertam vindicat duntaxat. 219. *a.*
Quod Legatorum. V. Interdictum.
Legatum optionis an tranſmittatur ad heredes, ſi Legatarius non optaſſet. 452. *a.*

Legatum an differat a legato alternationis. I. 452. *b.*
Legata pœnæ nomine, nunc prohibita, nunc licita fuerunt. 446.
—— Quæ proprie fuerint, nec olim inter veteres ſatis conſtitit, nec hodie ſatis conſtat. *ibid. b.*
—— An jure Pandectis antiquiore fuerint vetita, an demum ab Antonino Pio. 446.
—— Quæ proprie ſint. 447. 448. 450. *a.* 457. *a.*
—— An, ut ea Veteres definiunt, differant a conditionibus, quæ a mero arbitrio pendent. 448. *b.*
—— cur prohibita. 451. *a.* 452. 455. *a.*
—— in eis, an aliquid novi ſit conſtitutum per *l. un. C. de his, quæ pœn. nom. relinq.* & in *§. ult I. d. legat.* 457.
—— quid moribus obtineat. 458. *a.*
—— Eorum exempla. 449. 454. *a.*
Legatum pœnæ nomine an efficiat adoptandi vel non adoptandi conditio adſcripta. 454. *b.* 455.
—— an alienandi vel non alienandi ſervi. *ibid.*
—— an conditio de nuptiis contrahendis. 454.
—— quid ſi dubitetur, an conditio ſit licita, vel illicita, turpis vel honeſta. 451. *a.*
—— nec in militum teſtamentis valuit. 456 *b.*
—— nec in cauſa libertatis. 447. *b.* 456. *b.*
—— nec in his, quæ Principi relinquuntur. *ibid. a.*
Quod Legatorum interdictum. V. Interd.
Legatario rem, non per formulam vindicationis legatam, poſſidente, heredi ad quadrantem conſequendum nulla eſt actio, ſed agere poteſt interdicto quod legatorum. 219. *b.*

Legatus.

Legatus Proconſulis nihil proprii habet, etiam poſt delegatam Juriſdictionem. 206. *a.*
—— cum Proconſule communem duntaxat habet Juriſdictionem, non vero in totum ea ſe abdicat Proconſul, quemadmodum reliqui mandantes. *ibid. b.*
—— an ſit ejus, apud quem mittitur ſubjectus. II. 153. *b.*
—— an judicio ejus, apud quem legatione fungitur, ſive de debito ſive de crimine agatur, obnoxius. *ibid.*
—— quouſque Principem repræſentet. 156. *a.*
—— ſi debitum ſolvere detrectet, an exemtus ſit foro ejus, apud quem degit. 158. *b.*
—— ubi & quomodo in cauſa civili conveniendus. 161.
—— ubi ex delicto conveniendus. 171.
—— qui in loco Legationis habitabat, antequam Legatus eſſet, ubi conveniendus. 161.
—— num quis eſſe poſſit apud eos, quorum ſubditus eſt, *ibid. a.*
—— qui mercaturam exercuit, & in eam rem contraxit cum ſubditis ejus, apud quem legatione fungitur, an domum revocare poſſit. 165. *a.* 166. *a.*
—— alicui ex ſuis privatim per ſuos pœnam capitalem infligere nequit. 167.
—— bene tamen ſuos modice coërcere poteſt. *ibid. b.*
—— an in ſuos jurisdictionem civilem exercere poſſit. *ibid.*
—— quibus ex cauſis poſſit conveniri in loco Legationis, & quomodo tunc facienda judicii denunciatio. 168.
—— ſi agat prius, an etiam ſuſcipere actionem teneatur. 169. *b.*
—— qui manu agit, manu repelli poteſt. 171. *a.*
—— delinquens an Legatorum privilegia amittat. 172. *a.*
—— etſi puniri nequeat, juberi tamen regione excedere poteſt. 175. *a.*
—— an ut domi revocetur Princeps rogandus. *ibid.*
—— qui rebelliones ex mandato Principis ſui excitat, an & quomodo puniendus. 182. *a.*
—— an jurisdictionem prorogare & fori privilegio renunciare poſſit. 180. 181. *b.*
—— Ejus perſona ſemper ſancta habenda. 147. *b.*
—— —— Hollandiæ Ordinum ea de re Edictum. *ibid.*
Legati bona mobilia num pignoris cauſa capi poſſint. II. 259. *b.*
—— Ejus ædes an & quatenus aſylum præbeant. 177. 178.
—— de ejus vita, bonis, exiſtimatione, nemo niſi princeps, qui miſit, decernere poteſt. 183.
—— Ordinarius & extraordinarius qui dicatur. 147. *a.*
—— cujuscumque dignitatis an domum revocet. 148. 164.
—— num actione in rem conveniri poſſit ſecundum jus Romanum. 154. *b.* 155. *a.*
—— num de jure Romano agere poſſit, ubi conveniri nequeat. *ibid.*
—— ex delictis in legatione commiſſis cogebatur olim Romæ judicium pati. 155. *a.*
Legati municipales & provinciales Romanorum an Legatorum jure frui potuerint. 158. *a.*
—— an ab arreſto immunes. 156. *b.* 158. *a.*
—— in loco Legationis, tacito conſenſu Gentium, litigare non coguntur. 158. *a.*
—— qui apud eum, ad quem legantur, recepti nondum ſunt pro Legatis, an jure Legatorum utantur. 159. *a.*
—— num propriis ſive a legatione alienis negotiis ſe interponere debeant. 165. *a.*
—— an in cauſa civili & pecuniaria extra cauſam legationis reſpondere apud judices cogi poſſint. 166. *a.*
—— exempla ea de re. *ibid.*
—— num actione in rem conveniri queant. 169. *b.*
—— an repreſſaliarum immunes ſint. 179. *b.*
—— ſi male, ex mandato tamen faciant, an detineri vel puniri poſſint. 180. *b.*
—— an bello orto tuti ſint. *ibid. a.*
Legatorum crimina duplicis generis ſunt. 171. *b.*
—— diſtinctio in ordinarios & extraordinarios num apud Veteres obtinuerit. 147.
—— jure an utantur in Belgio *Commiſſariſſen.* 164. *b.*
Legatorum & ipſorum Comitum privilegia qua ratione exſtingui dicantur Legatione exſtincta. 166. *b.*
—— Comites qui ſint, quo jure utantur, an domum revocent, & an eorum bona arreſto ſubjaceant. 167. *a.*
—— —— ſi deliquerint, quod forum ſortiantur. 176. *a.*
—— —— an in Capitalibus cauſis a Legatis puniendi. *ibid. b.* 177. *a.*
de *Legatorum* jure revocandi domum edictum Hollandiæ Ordinum. 159 *a.*
Legatorum jura non petenda ex jure Romano. 155.
—— —— an competant exuli & in pœnam proſcripto, qui pro Legato mittitur. 179. *a.*
de *Legatorum* foro in criminibus mores Gentium & exempla Legatorum ob crimina punitorum & non punitorum. 173.
Legatorum privilegium fori quo jure negatur Legatis minorum Gentium. 148.
—— privilegia ipſis ex jure Gentium debita an qua Gens poſſit tollere. 176. *a.*
—— quando non proſint. *ibid. b.*
—— ſanctitas quæ, & an inde privilegium fori. 152.
—— ſpecialia nomina. 163. *a.*
—— varia nomina nec una conditio. 147.
—— uxores an inter comites numerandæ. 168. *a.*
a *Legatis* quatenus coactio abeſſe debeat. 160.
Legatis eorumveComitibus qui injuriam feciſſe arguebatur, incidebat olim in L. Juliam de vi publica. 153. *a.*
—— ordinariis Romani veteres non uſi, & quare. 147. *a.*
de Legatis quæ occurrunt in jure Rom. non niſi de Provincialibus & municipalibus exaudienda. 155. *a.*
Legatos Princeps mittere poteſt, quot libuerit. *ibid. b.* 156.
—— ſalvo jure Gentium, nec omnes, nec quibuscunque conditionibus recipere neceſſe eſt. 158. *a.*
Legatus eſt mandatarius Principis ſui. 250.
—— quod egit contra arcanum mandatum, an valeat. *ibid.*
—— fines mandati egrediens non obligat Principem mandantem. *ibid.*
—— ſi mittatur ad res ſerias agendas, duplex habet

bet mandatum, publicum & ſecretum. II. 250.
de Legatis quod egit ex generali mandato, hodie vim nullam habet, niſi acceſſerit ratihabitio. *ibid. b.* 251. *a.*
——— quæ egit ſecundum mandata juſti Principis eſt probare. *ibid. b.*
——— Hiſpanicus Francicum præcedit apud Imperatorem Germanicum. 255. *a.*
——— ſuperioris Principis, ſed abſentis, an præcedat inferiorem Principem, ſed præſentem. *ibid. b.*
Legati munere an poſſit fungi mulier. 247. *b.* 248 *a.*
Legato major minorve honor habetur pro dignitate mittentis, & pro ipſius Legati varia conditione. 244. *b.* 248 *a.*
Legati quinam recte mittantur. 247.
——— non recte mittuntur exules ad eum, a quo exulant, ſtatuta in redeuntes pœna capitis. *ibid.*
——— quare non ſint obnoxii poteſtati ejus, ad quem mittuntur. 243. *b.*
——— quid rerum olim egerint & nunc agant, cum publice audiuntur. 248.
——— antequam publice audiantur, Codicillos ſuos, *Credentialen*, edunt. *ibid. a.*
——— cum audiuntur publice, hodie nihil edunt eorum, quæ ſunt dicturi. 249. *a.*
——— apud Achæos non audiebantur, niſi id, de quo apud Conſilium erant acturi, prius edidiſſent. *ibid.*
——— quonam in loco audiantur. *ibid.*
——— hodie promiſcue audiuntur apud viros, mulieres, pueros, puellas, etiam apud infantes. *ibid. b.*
——— cum audiebantur apud Romanos, non intererant feminæ. *ibid.*
——— cum audiebantur, Principes Romani interdum paſſi ſunt, ut filii ſuo intereſſent auditorio. *ibid.*
——— ad Ordines Generales miſſi cum ſingulis Provinciis, aut cum membris earum recte agunt de Republica. 246. *a.*
——— ejuſdem commatis, inter ſe ſervant eundem honorem, quem habent Principes. 254. *a.*
Legatorum cauſa non ex jure Civili, ſed ex ſolo jure Gentium eſt æſtimanda. 248. *a.*
——— inſtrumentis an idem honor ſit habendus, ac ipſis Legatis. 256.
Legatis Senatus ex L. Gabinia datus ex K. Febr. usque ad K. Mart. 248. *b.*
Legatis an donum munus liceat accipere. 252.
——— advenientibus, commorantibus & abeuntibus olim munera data. *ibid.*
——— apud Romanos non videtur interdictum fuiſſe accipere munus. *ibid.*
——— non etiam apud Græcos, exceptis ſolis Corinthiis. *ibid.*
——— abeuntibus apud pleraſque Gentes hodie dantur munera. *ibid.*
——— quid hac de re ſtatuerint Ordines Generales Fœderati Belgii. *ibid. b.*
——— Comitibus æque ac ipſis Legatis interdictum donum munus accipere. *ibid.*
——— ipſa munerum prohibitione etiam prohibitum accipere dignitates. 253. *a.*
——— quod donatur, an retineant ſibi, an vertant in rem Principis, qui eos miſit. *ibid. b.* 255.
Legatos quinam mittere poſſint. 243.
——— mittere eſt ejus, qui ſummum imperium habet. *ibid. a.*
——— neque intereſt, an imperium ex juſto titulo, an ex ſola injuria originem traxerit. 244. *a.*
——— mittere omnes recte poſſunt ejus rei ergo, cujus agendæ poteſtatem habent *ibid.*
——— mittere non recte poſſunt rebelles ad ſuum Principem. 243.
——— ſciſſa in factiones Repub. quænam pars recte mittat. 244. *a.*
——— mittere vel accipere an poſſint ſingulæ Provinciæ Fœderati Belgii. V. Provinciæ.
——— ſeparatim mittere non potuit aliqua Civitas Concilii Achaici. 245. *a.*
——— exterorum Principum Nobilibus vel Urbium Magiſtratibus in Hollandia privatim audire licet. 246. *b.*
Vide ſupra Legatio.
Legdagen, an & quando Navarcho præſtanda. 473.
Legitima, ſive portio patronis debita ex hereditate Liberti, fuit pro ratione temporis varia ac mutabilis. I. 270. *b.*
——— relinqui olim debebat ſine *conditione* & *dilatione.* 271. *a.*
——— non ſemper ex Lege Papia fuit æſtimanda, ſed tantum exiſtentibus liberis minus tribus, ſed ſi libertus ſine liberis deceſſiſſet, extraneo herede ſcripto, ſemis debebatur Patrono ex Edicto Prætoris. *ibid.* 272.
Legitimatus in Hollandia an & in Gelria pro legitimato habendus ſit. II. 372 *a.*
Legitimi Magiſtratus opponuntur extra ordinem creatis. I. 314. *a.*
Legitimum judicium, id eſt, actio legitima. 229. *a.*
Λειτουργία. 262. *b.*

Lex.

Lex omnis ſine ſanctione eſt imperfecta. 420. *a.*
Legis eſt jubere, non diſputare. 423. *b.*
In *Legis* ſententiam impingere, & in Legis verba impingere diſtinguuntur. 436. *a.*
Legibus obtemperare prima ſemper obſequii gloria fuit. 451. *a.*
Leges negligunt fere ea, quæ a ſolo ſecreto animi pendent 431. *b.* 439. *b.*
Leges ſæpe in præteritum quid indulgent, quod in futurum vetant. 281. *a.*
Legibus ut pareamus jubet ipſa utilitas. II. 257. *a.*
Leges ſive ſententiæ JCtorum, quamvis generaliter ſcriptæ, explicandæ ſunt ex ipſis libris JCtorum, unde deſumptæ ſunt. I. 236. *a.*
Legis mentio ſimpliciter apud JCtos pro ſubjecta materia intelligenda de ea lege, de qua agitur, ut pote ſemper ſibi aliiſque cognita. 234.
Legis actio eſt forma inſtituendi judicii, quam *Praxin* vocamus. 320. *b.*
Lege agere nihil aliud eſt quam experiri legis actione certa ſollemnique. 229. *a.*
Legum Inſcriptiones. Vid. Inſcriptiones.
Leges ad perpetuam rei memoriam æri incidebantur. 310. *b.*
Vid. Tabulæ.
Leges Veterum Romanorum rigidæ ut eorum mores. 346. *b.*
Lex Æbutia de Conſuetudinibus contra L. XII. Tabb. 55. *b.*
Legis Agrariæ fragmentum illuſtratum. 123. *a.*
de *Legibus* Annariis. 197. *a.*
Legis Aquiliæ ſecundo capite videtur cautum fuiſſe de dejectis & effuſis. 31. 32.
——— ——— tertio capite de omnibus animalibus læſis, & de occiſis, quæ pecudum numero non ſunt, datur actio directa, non in factum. 120. *b.* 121.
Lege Aquilia tenetur, qui ſuggrundam ſuper aream ſuam projectam recidit. 118. *a.*
Lege Aquilia quando teneantur Nautæ. Vid. Nautæ.
Leges Cæſareæ vulgo indigitant Juſtinianeas. II. 235. *a.*
Legi Cinciæ varie fuit ſubrogatum ab Auguſto, Nerone & Trajano, intervenientibus etiam SCtis, & tandem conſuetudine non utentium obſolevit. I. 235. *a.*
Lex Commiſſoria. Vid. Intercalaris.
in *Legibus* Conſtantini ſermo parum accuratus & oſtentatio verborum. 20. *b.*
Lex Cornelia de falſo teſtamentario interpretatione videtur producta ad omne genus falſi, quod judicio publico etiam alia Lege vindicari poterat. 89.
——— ——— ſenatuſconſultis confirmata & producta ad alia crimina. 90. ad 95.
——— ——— pœna adverſus quoſcunque compoſitores & ſignatores falſi teſtamenti reſtricta ad eos, qui dolo malo id fecerunt. 90. *b.* 91. *a.*
Lege Cornelia de ſicariis an vindicata liberorum cædes. 348. *a.*
Legis Fabiæ de plagiariis cognitio ſpecialiter data quibusdam Procuratoribus Cæſaris 65. *a.*
Lex Falcidia heredi quadrantem tribuit, ſed alio atque alio jure. 218. 219. *a.*
——— in Legatis formula vindicandi relictis, heredi ipſo jure quadrantem dabat. *ibid.*

Lex Falcidia quamvis nominatim tantum caverit de legatis per vindicationem relictis, ratio tamen Legis illud jus conſequendi quadrantis facile porrexit ad reliqua legatorum genera, at vero in his obligatio ad integra præſtanda, vi legis ſublata non erat, ut erat in legatis vindicationis. I. 219. *a.*

Legis Falcidiæ beneficio an poſſint uti, qui caverunt ſe daturos, quod per Legem Falcidiam retinere poterant. 233. *a.*

Lege Gabinia cautum eſt, ut ex K. Febr. uſque ad K. Mart. Legatis Senatus quotidie daretur. II. 248. *b.*

Leges Georgicæ Juſtiniani. 112. *a.*

Lex Glicia an fuerit, & an ad eam ſcripſerit Gajus, dubium. I. 55. *a.*

Lex Julia feminis a morte viri vacationem anni tribuit, ne incurrerent pœnam cœlibatus, ſed nihil ea Lex cavit de maribus, neque de propinquis. 158. *b.* 160. *b.*

Lex Julia, qua cautum eſt, ne minor XX. annis judicare cogatur, fuit Lex Auguſti, quæ alias *judiciaria* appellatur, & differt ab *Edicto Auguſti* 197. *a.*

Lege Julia patri data poteſtas occidendi adulteri, modo & filiam in continenti occideret. 350. *a.*

——— quatenus permiſſum occidere adulterum uxoris ſuæ. 352. *a.*

Legis Juliæ de adulteriis cognitio ſpecialiter data quibusdam Procuratoribus Cæſaris. 65. *a.*

——— eidem, vel Legi Juliæ de maritandis ordinibus nullo argumento adſcribitur, quod patres interdum coguntur liberos in matrimonium collocare. 115.

Lege Julia & Papia Poppæa an prohibitæ captatoriæ inſtitutiones, & an fuerit SCtum, an Lex proprie dicta. 430.

——— Ei non recte adſcribitur, quod plures liberi damnatorum integra bona accipiunt. 60. *a.*

Ex *Lege* Papia Poppæa patronus ex ſola legitima inſtitutus, & tamen ultra a liberto gravatus, non tenetur ultra ſolvere, quamvis promiſerit. 233. *a.*

Lex Papia patrono dedit portionem virilem in bonis liberti ſui, ſive teſtati, ſive inteſtati morientis, ſi nempe is plus quam centum haberet in bonis, & minus quam tres liberos. 271. *a.*

——— patronos a bonis libertorum, centenariis minorum, penitus excluſit. *ibid.*

Lege Petronia, ſub Nerone refrænata Dominorum poteſtas in ſervos. 351. *a.*

Leges Regiæ, quarum auctoritas pulſis Regibus exoleverat cum XII. Tab. rurſus conquiſitæ ſunt. 309. *a.*

Leges Rhodiæ. Vid. Rhod.

Lex Saupheia. 249. *a.*

Lege Servilia Glaucia fuit cautum, ne quis judex minor annis XXX. major annis LX. legeretur. 197. *a.*

Lex ſpecialis idem ac *jus ſpeciale.* 227. *b.*

Ad *Leges* XII. Tabb. petendas quot viri in Græciam miſſi. 310. *a.*

Lex XII. Tabb. de ſecandis debitoribus explicata. 17. *a.*

——— de ſucceſſione inteſtato illuſtrata. 45. Vid. Tabulæ.

Libellis Imperatoribus offerendis ſententiæ JCtorum addebantur. 163. *b.*

Liberalitas captioſa, quæ. 101. *a.*

Liberi omnes dicuntur, qui in patria poteſtate ſunt, cujuscunque ætatis vel conditionis. 348. *a.*

——— Jure antiquiſſimo, res mancipi. 335. *b.*

——— ſervorum loco parenti, idque tum poteſtate occidendi, tum vendendi, & exponendi, & hoc ex Lege Romuli. 346.

Liberis ſurreptis pater habebat furti actionem, & directam rei vindicationem ex jure Quiritium. *ibid. a.*

Liberi ſæpe etiam præclare meriti, a Patribus mactati, indignante & reluctante populo. *ibid. b.* 347. *a.*

——— Plus licuit Patri in venditione liberorum, quam domino in venditione ſervorum. *ibid.*

Liberi venditi an ingenuitatem amiſerint. *ibid. b.* 356. *b.*

——— an civitatem. 347. *b.*

Liberos occidendi poteſtas quamdiu duraverit. 347.

——— duraſſe videtur poſt legem Corneliam de ſicariis, quin & Pompeiam de parricidiis, & Juliam de adulteriis. 348.

Liberos occidendi poteſtas ceſſaſſe videtur temporibus Trajani, Adriani, Antonini Pii, reliquorumque deinceps Principum, primum moribus, mox Legibus. I. 351.

——— nulla Lex diſerte id prohibuit ante Conſtantinum M. 1.3 *b.*

Liberorum venditio quando obtinuerit, quando ceſſaverit. 354.

——— credibile eſt ceſſaſſe, poſtquam meratior ætas philoſophiam Jurisprudentiæ conjunxit. 355. *a.*

——— crimen fuit Diocletiani temporibus. [illegible] *b.*

——— niſi ex cauſa paupertatis Pater venderet. 356. *a.*

——— quatenus licita fuerit. 360. *a.*

——— alimentorum vel æris alieni cauſa etiam jure Judaico licita fuit. 356. *b.*

——— quid aliarum Gentium leges ea de re ſtatuerint. *ibid.*

Liberos pignori dare vel accipere non licuit, & quæ pœna ejus, qui filiumfamilias ſciens a Patre pignori acceperit. 355. *b.*

——— circa liberos nondum natos, quid juris patri, quid matri competierit. 356. 357. *a.*

——— recens natos, quamdiu occidere, vel exponere, vel vendere licuerit. 357. *b.*

Liberorum expoſitio quamdiu licita fuerit, & quæ pœna in expoſitores poſtea conſtituta. 362. *a.*

Liberos, ſive conſtante matrimonio, ſive poſt divortium editos, agnoſcere & alere Pater tenetur. 358. *a.*

in Liberos nunquam matri vitæ necisque poteſtas permiſſa. 362. *b.*

Liberi hominis venditor in crimen Plagii incidebat, ut & olim emtor, ſi ſciens dolo malo emiſſet. 355. *b.*

Libertas pœnæ nomine non recte olim legabatur. 447. *b.* 456. *b.*

Libertatem aut Civitatem nemo amittit, niſi ipſe auctor factus ſit, & quomodo hoc intelligendum. 355. *a.*

Libertati quo ſenſu a Principe proſpiciatur. 239. *a.*

Libertas navigandi. Vid. Navigandi libertas.

Liboniano SCo an prohibitæ fuerint captatoriæ inſtitutiones. 430. *a.*

Librarii retinere malebant vitia ſcripturæ, quam inductione, etiam minima, quidquam offendere elegantiæ. 322. *b.*

Libri Quæſtionum a reſponſorum libris quomodo diſcrepent. II. 10. *b.*

Libri a JCtis non ſcribebantur continua ſerie, ſed dividebantur in *Titulos*, & hi iterum in *Paragraphos* ſive *Locos.* I. 162. *a.*

Libripens hominem non imponebat libræ, ſed ſorte digito tangebat. 340. *a.*

Licinniæ C. Gracchi uxoris dos publicata ob luctum mariti. 95. 96.

Licitani, ſeu potius *Lucitani*, qui Licentiam urbem Hiſpaniæ Tarraconenſem, non procul a Valentia, habitabant, Jus Italicum habuerunt. 171. *b.* 172.

Licitæ & illicitæ merces ſi ad eumdem dominum pertineant, ob continentiam delicti recte publicantur, ſecus ſi ad diverſos dominos. II. 215. *a.*

——— quid hac de re Ordines Generales pacti ſint & edixerint. *ibid.*

Licitarum mercium Domini ſi ſciverint ſimpliciter, ab aliis etiam illicitas in navem imponi, ſimplex ſcientia non facit locum publicationi. 216.

Licitum quid vel illicitum non ex moribus, ſed legibus æſtimandum. I. 331. *a.*

Lieroort Arx. II. 236. *a.*

Liguſtici Maris an Genuenſes domini. 133. *b.*

Limes circi pro *linea.* I. 214. *b.*

Linea alba erat, unde quadrigis progredientibus certamen oriebatur. *ibid.*

Linea proprie dicebatur, qua ſpectantium ſedilia in circo diſtinguebantur, quamvis ea vox multis aliis ſignificationibus accipiatur. *ibid.*

a *Linea*, id eſt, *a circo*, uſitata loquutione, ire jus vocare licet. *ibid.*

Litem agere ſatis bene dicitur. 229. *b.* 230. *a.*

Litis conteſtatio facit temporales actiones perpetuas. 273. *a.*

Litium magnus, non tantum apud Pragmaticos ſed & ipſos Judices, eſt favor. 458. *a.*

Lit-

Littora in eadem, qua mare, cauſa ſunt. II. 139. *a.*
——— quomodo communia dicantur. *ibid.*
Locare etiam dicitur conductor operam ſuam. I. 83. *b.*
Locationis conductionis duo ſunt genera. 252. *b.*
——— & emtionis differentia *ibid.*
Loci pugnæ conditio non eſt neceſſaria in bello. II. 193. *a.*
Loci ſive *Loca* proprie erant veterum JCtorum diſtinctæ ſententiæ. I. 162. *b.*
Locus & *caput* paria ſunt, quibus adſcribebatur numerus. *ibid.*
Locus apud Oratores eſt *argumentum*, vel *ſedes argumenti.* 163. *a.*
Loci etiam dicebantur particulæ Legum, Edictorum & Conſtitutionum. *ibid.*
Loquutiones generales Vid. General.
——— geminæ. Vid. Gemina.
Loris cædi, ſervile fuit habitum & maxime contumelioſum, ſecus ac flagellis. 152. *b.* 153. *a.*
Lucius Titius ſuppoſitum nomen eſt, quo exempli cauſa utuntur JCti. I. 39. *b.* II. 13. *a.*
Luctuoſa hereditas quæ. I. 36. *b.*
Luctus propinquorum eſt voluntarius, commendatur a ſola honeſtate & moribus, ſed negligitur ſine ullo cujuſquam præjudicio. 159. 160. 161.
——— non impedit nuptias. 159. *a.*
Luctus viduarum. 158.
Luctus ratio in viduis eſt metus incerti partus, non reverentia defuncti mariti. *ibid. a.*
——— eadem eſt Jure Pontificio. 159. *a.*
——— viduarum urgetur a ratione civili, nec negligitur ſine metu intervertendæ hereditatis, & turbandi cum turbato ſanguine patrimonii. 160. *b.*
Lugendi viduarum tempus olim fuit X. menſes ex Legibus Romuli, nunc annus eſt. 158. *a.* 160. *b.*
Lugendi tempus nec viris, nec patribus, nec filiis ullum eſt. *ibid.*
Lugere quos non liceret. 96. *b.*
Luſitani mare Atlanticum ſibi vindicant. II 134. *a.*
Luſus Turrilis quis. I. 322. *a.*
Luxus, pro eo, quod *luxatum eſt*, & luxatione. 71. *b.*

M.

Mæciani liber ex Lege Rhodia utrum Latine an Græce ſcriptus. II. 100. *a.*
Mævius antiqui ſcribebant E ſimplici, & U. vocali. I. 435. *b.*
Magis, particula omiſſa ante *quam.* 29. *b.*
Magiſter equitum Dictatori adjunctus, ut Tribuni Celerum regibus adjuncti. 313. *b.* 314. *a.*
Magiſtro navis, quamvis navis perierit, mercedes debentur, ſi aliis navibus, vel naviculis merces ſuo ſumptu ad dominos pertulerit. II. 471. *b.*
——— navigaturo qui pecuniam credidit, etiam conſenſiſſe videri, ut ex ea merces comparare liceret. 457. *b.*
——— datur retentio ad contributionem bonorum. 472. *b.*
Magiſter navis prædatoriæ. V. Navis prædator.
——— univerſitatis idem ac Syndicus. I. 230. *b.*
Magiſtri bona debitorum, qui foro ceſſerant, diſtrahebant, poſtea *Curatores.* *ibid. a.*
Magiſtratus omnes ceſſabant creato Dictatore. 314. *a.*
——— Legitimi opponuntur extra ordinem creatis. *ibid.*
——— non dicuntur, qui non ſunt ordinarii. 318. *a.*
Magiſtratus, quo anno cum imperio ſunt, cauſam in judicio non agunt, vel defendunt, niſi actiones eſſent interituræ. 273. *a.*
——— Municipales de rebus non judicarunt, niſi uſque ad certam ſummam. 147. *a.*
——— ——— quamdam Jurisdictionem habuerunt. *ibid.*
Magiſtratus non ita ut Princeps ſingulorum bona poteſt obligare. II. 264.
Magiſtratus & Judices omnes hodie ſunt quaſi Mandatarii Jurisdictionis. 260. *b.*
——— omnes Urbium ab Ordinibus Fœderati Belgii habent poteſtatem creandorum judicum. 261. *a.*
——— an teneantur reſarcire damnum, quod cives direptione ædium ſuarum ſunt paſſi. II. 289. *b.*
Magiſtratus omnino indemnes ſervare debent eos, qui dum leges vel ſententias exſequuntur, ſunt direpti. *ibid.*
Magiſtratuum an interſit ne prorogetur Jurisdictio 181. *a.*
Magiſtratui Hagano exteros Hagæ arreſtare cur non licet. 300.
Majeſtas pro *Patria poteſtate.* I. 346. *b.*
Majeſtatis crimen an committatur, ſi quis ad forum non competens vocatur. II. 167. *b.*
Majore tempore quid ſignificet apud Pomponium I. 313. *b.*
Majori, qui Reip. cauſa abeſt, datur reſciſſoria, dabitur etiam exceptio, ſi ſcilicet ipſe res poſſideat 281. *a.*
Malabathrum. 105. *a.*
Malæ fidei poſſeſſor. Vid bonæ fid. poſſeſſ.
Mali mores ſunt inhoneſti & improbi viri. 210. *b.*
Maleficii crimen videtur pertinuiſſe ad Legem Corneliam de ſicariis & venef. 81. *b.*
in *Maleficiis voluntas ſpectari* quod dicitur, pertinet ad crimen Maleficii κατ' ἐξοχὴν ita dictum. *ibid.*
Manceps dicebatur totius vectigalis princeps redemptor, ἀρχιδημόσιος, iſque aliis ſæpe ſublocabat partem vectigalium, vel aliorum opera utebatur in exigendis vectigalibus, & hi dicebantur. ὑποδημόσιοι. 177. *b.*
Mancipare & *emancipare* promiſcue ſumuntur. 332. *a.*
——— & *nexu tradere* paria ſunt. *ibid.*
Mancipatio per æs & libram. 338. *a.*
——— rerum incorporalium quomodo fieret. *ibid.*
——— rerum nec mancipi an fuerit admiſſa. 334. *b.* 346. *a.*
——— non intelligitur, *niſi, ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo Jure Civili potuit.* 340. *a.*
Mancipationis ſolemnia. *ibid.*
——— formulæ a Juſtiniano poſtea ſublatæ. 339. *b.*
Mancipi res forte a *mancipiis*, ut præcipua ſpecie, dicuntur. 335. *b.*
——— ſi vel omnino non fuiſſet mancipata, neve ea in jure ceſſum, ſive non ut oportebat, Dominium ejus Quiritarium non tranſibat, at Bonitarium duntaxat, cum cauſa uſucapiendi, poſt uſucapionem etiam Quiritarium. 340. *a.*
——— rerum dominium quomodo ſtatim pleno jure quæreretur. 336. *a.*
——— Prædiorum jura quatenus ſunt mancipi. 338. *a.*
Mancipia quorum numero & præſtantia Veterum opes definiebantur, erant res mancipi. 334. *a.*
——— adeo ut ſub his nonnumquam cæteræ res mancipi intelligantur. 335. *a.*
Mancipia ruſtica an pro parte ruris habeantur, & prædio cohæreant. 340. *b.*
Mancipium pro *Lege emtionis & venditionis, quod ad ædes, rem mancipi, diſtractas*, & cur. 335. *b.*
Manen, gemaant & ter maniſſe unde. 273. *b.*
Manes, Manichæorum auctor, quis fuerit. 422. *b.* 424. *b.*
Mandata Legatorum. V. Legatus.
Mandatarius mandatori non imputat, ſi a Latronibus fuerit ſpoliatus. II. 229. *b.*
Mandati *actio* pro ipſa mandandi facultate. I. 169. *b.*
ex Mandato ſi faciant Legati, etſi male faciant, an detineri punirive poſſint. II. 180. *b.*
Mandatum principis an ſit licitum vel illicitum, non eſt privati examinare. 242. *b.*
——— Principis qui exſequitur, non recte punitur. 242. *a.*
——— ——— ſervandus eſt indemnis. *ibid.*
——— generale non ſemper ſufficit. II. 250. *b.*
Manichæi *Mannicheos* ſe vocabant. I. 31.
——— primum in Africa cœperunt. 422. *a.*
——— Edictum Diocletiani adverſus eos. *ibid.*
——— variæ eorum ſpecies. *ibid.*
——— non tantum habiti fuerunt Hæreticorum principes ſed & Rempulicam varie turbarunt, & Societati Civili multifariam nocuerunt. *ibid.*
——— ſecta impuriſſima, quamvis credibile ſit, Ortho-

thodoxos plurima iis adfinxiſſe, quae non uſquequaque vera erant, vel alia mente proferebantur. I. 424. *a.*
Manichæi excludebant vel prohibebant matrimonia, divinitus conceſſa, interdicebant uſu caſei, ovorum, lactis, vini, carnium &c. *ibid.*
—— paulo ante Diocletianum e Perſide prodierunt. *ibid. b.*
Manifeſtare, pro manifeſtum facere. 60. *b.*
Manifeſtus ille hoc vel illud facere. 245. *a.* 268. *a.*
Manu fieri quæ dicantur. 86.
Manu gubernare quid ſignificet. 308. *b.*
Marci Antonini clementia. 181.
Marcianum SCtum de Bacchanalibus tollendis. 417. *a.*
Marcianus quando Libros Inſtitutionum ſcripſerit. 24. *a.*
Mare Adriaticum an Venetorum dominio ſubſit. II. 132.
—— Atlanticum num claſſibus cuſtodiri queat 134. *a.*
—— Auſtrale dominio Belgarum quomodo ſubſit. 133.
—— Britannicum num ab Anglis poſſideatur. 130.
—— Liguſticum num a Genuenſibus poſſideatur. 133. *b.*
—— Mediterraneum num Romani olim tenuerint. 128.
—— quo jure ejus Dominium a Franciæ Rege adſertum 133. *b.*
—— exterum quo ſenſu accipiatur. 127. *a.*
—— an & qua ratione occupari & dominio teneri poſſit. 127.
Mare clauſum quid. 135. *b.*
——— *liberum* quid. *ibid.*
——— ſi corpore deſiit poſſideri, commune fit. 128. *a.*
——— hodie nullum in dominio alicujus principis. 129. *a.*
——— quomodo in dominio eſſe poſſit. 134. *b.*
——— quo ſenſu commune dicatur a JCtis. 138. *a.*
——— quomodo a populo, item quomodo a privato occupari poſſit. 139. *b.*
——— terræ proximum an & qua ratione occupari & dominio retineri poſſit. 126.
——— vacuum quid. 127. *a.*
de *Mari* ſubdito teſtimonia ſuſpecta ſunt. 136. *a.*
Maria nunquam occupata, vel relicta occupanti cedunt. 129. *a.*
Maris Dominium an præſcriptione longi temporis adquiratur. 133. *a.*
——— ——— ab auctoribus veteribus nunc adfirmatur, nunc negatur. 135. *a.*
——— ——— ab eo num differat potentia navalis. 136. *b.*
——— Dominus præſcribere poteſt ſalutationem & ſalutandi modum. 129. *b.* 130.
——— aliis navigatione ejus an poſſit interdicere, & tributa imperare tranſeuntibus. *ibid.*
Maris imperium an ad Imperatorem Rom. pertineat. 112. *b.*
——— libertas cur Grotio placuerit. 137. *a.*
——— littora quomodo communia. 139. *a.*
——— pars quam Claſſis incubat videtur occupata quatenus & quamdiu Claſſis incubat. 279. *b.*
——— poſſeſſio quomodo ſervetur. 129. *a.*
Maritimæ quæſtiones quatenus ex L. Rhodia deciſæ. 109. *b.*
Marium pars terræ proxima ejuſdem imperii cenſetur, cujus & terra. 279. *b.*
Margaritæ res mancipi. I. 334. *a.*
——— quando innotuerint Romanis. *ibid.*
Maritus, in id quod facere poteſt, ſi condemnatus ſit, & nomina ſint ad dotis quantitatem, ita tamen cedendæ mulieri ſunt actiones, ubi ſibi retineat victum. 213. *b.*
Mariti duo concurrentes. Vid. Uxor.
Marocorum lana. 106. *a.*
Martinus Authenticarum quarumdam Auctor eſt. II. 70. *a.*
——— interpolavit Authenticas Irnerii. *ibid. a.*
Maſſurius Sabinus ſcribitur, & Maſurius. I. 327. *b.*
Mater non habebat furti actionem ſi filiusfam. ſubreptus erat. 346. *a.*
Matri an licuerit abortum procurare. 357. *a.*
——— nunquam fuit in liberos vitæ necisque poteſtas. I. 362. *b.*
Mathematici ut exſtirparentur, ſæpius apud Romanos fuit laboratum. 183. *a.*
Matrimoniales cauſæ quibus in caſibus appellationi ſubjacent ex Legibus Hollandicis. II. 348.
Matrimoniale pactum. V. pactum.
Matrimonii effectus quod ad thorum & menſam ſeparati. 357.
——— libertati impenſe ſtudebant Veteres. I. 453. *b.*
Maximianus Herculeus an adfuerit Diocletiano adverſus Achilleum, & an ſimul auctor fuerit Edicti adverſus Manichæos. 421. *b.*
Maximus, communis Principum titulus. *ibid. a.*
Medii in bello. V. non hoſtes.
de Menſæ ſcriptura numeratio quid. II. 14.
Menſum in genitivo plurali pro *menſium.* 23. *a.*
Menſor adſignatus a venditore fundi, ſi intra dictum tempus non metiatur, tenetur de dolo, & debitor liberatur. I. 86. *b.*
Mentum pro *commentum.* 261. *a.*
Mercatorum fœnerationes cur hodie depoſita vocentur. 255. *a.*
Mergi agrarii recte Hollandi joco dicerentur. 202. *b.*
Metalla varia. 426.
Metalla pro *damnatis in metalla.* 39. *a.*
Metropoles ſæpe plures fuerunt in una Provincia, nam non imminuto jure alterius urbis, alteri quoque urbi jus Metropolitanum tributum fuit. 199. *b.*
Metropolitanum jus nihil pertinet ad occupationem totius. II. 203.
Meus aliquando mutatum in *Mævius*, & contra. I. 435. *b.*
Miles ſi vectigal fraudavit quale id delictum. II. 329. *a.*
—— ſi delictum commune contra militem commiſerit, ubi ſit conveniendus. *ibid.*
—— ſi in caſtris commune delictum delinquat. 330. *a.*
—— ſi in Claſſe vel extra claſſem. *ibid.*
Militare ſub extero Principe amico licet. 231.
—— hoſtibus non licet. 232. *a.*
Militare Officium judicis, pro *Apparitoribus* & *Officialibus Judicis.* I. 86. *b.*
Militaribus judicibus in quos competat juriſdictio. II. 329. *b.*
Militaris manus, pro apparitoribus & officialibus judicis. I. 86. *b.*
Milites quando adhibeantur in cauſis privatorum. 85. *a.*
—— in cauſis civilibus apud judicem civilem, conveniendi ubinam ſint, quibuſque in caſibus. II. 331.
—— qui in caſtris ſunt, ſoli militari juriſdictioni ſubjacent. *ibid. b.*
——— in caſtris in jus vocari nequeunt ex quavis cauſa civili. *ibid.*
——— ſi apud Civilem Judicem conveniantur, apud qualem conveniendi. *ibid.*
Militum forum in cauſa debiti. 331.
—— —— —— delicti. 327.
—— —— etiam aliqua nonnunquam Juriſdictio in paganos peregrinos. 329. *b.*
Militem conducere an liceat in amicæ Gentis populo. 231.
—— —— —— licet, ſi nulla Lex prohibeat, ne ſubditi mutent civitatem. 232. *a.*
—— —— —— niſi in pace convenerit, ne vel uni vel utrique id facere liceat. *ibid. b.*
—— —— —— in Hollandia & reliquo Belgio Fœderato non licet ſine conſenſu Ordinum. *ibid.*
Milites ſi forte naves hoſtiles deprehendant, judicum militarium eſt juriſdictio. 226. *b.*
Militiæ deferendæ auctores non minus puniuntur quam ipſi deſertores. 231. *a.*
Militum Romanorum magnus favor, præſertim in teſtamentis. I. 456. *b.*
——— non tamen illis licuit, quod erat contra bonos mores. *ibid.*
Minoris ætatis privilegium quando ceſſat quod ad forum. II 308. 309 *a.*
Minores quibus & quæ bona nec inter vivos, nec ex teſtamento donare, & relinquere poſſunt. 379.
Minorum forum apud Hollandos. 307. *a.*
——— ſponſalia in Hollandia. 343.

Minorum ſponſalia an requirant tutorum auctoritatem in Hollandia. II. 343.
——— ——— an pœnitentiæ locum dent. 344. *b.* 345. *a.*
Miſerabilium ſorum apud Hollandos. 306. 307. *b.*
[illegible] an vox Græca. I. 53. *a.*
Mobiles res. Vid. Res. item Bona.
Mobilia poſtliminio non redeunt. II. 200. *a.*
——— ſine diſtinctione omnia hodie ſunt in præda. *ibid.*
——— intra hoſtium præſidia deducta, ſi poſtea deprehendantur, cedunt recuperatori. *ibid.*
——— & immobilia jure belli recte occupantur. 197. *a.*
Mobilium rerum differentiæ juris Romani, jure Gentium obſoleverunt. 200. *a.*
——— & ſe moventium promiſcua ſignificatio. I. 334. 335.
Modi pœnales. 456. *b.*
Mohamedis III. Turcarum Imperatoris ridicula admiratio. 413. *a.*
Monere debitorem pro *interpellare* vel *convenire* apud judicem. 273. *b.*
Monere, admonere flagellis, &c. pro *verberare.* 38. *a.*
Monimentum de Cenotaphiis, & ſepulcris. 23. *a.*
Monſtroſos partus interfici Lex jubebat. 367. *a.*
Monumenta Manilii. 320. *a.*
Mora an fieri intelligatur ubi cum effectu nulla petitio. II. 34. *a.*
ex Mora uſuræ ſimpliciter non debentur in contractibus ſtricti juris. 35. *a.*
Morbus & vitium differunt. I. 70. *a.*
Morbus ſonticus quis. 99. *a.*
ob Morbum ſonticum L. XII. Tabb. dies judicii diffindebat ipſo jure. *ibid.*
Morbo ſontico cenſetur impediri puerpera, quominus judicio ſiſtat, & tuta eſt ipſo jure ex L. XII. Tabb. gravida exceptione per interpretationem. *ibid.*
Morbus aliter accipitur, cum de vadimonii deſerti pœna agitur, aliter in Ædilitio edicto. *ibid. b.*
Morboſi ſæpe dicuntur quod ad Edictum Ædilitium etſi alioqui ſani. 70. *a*
—— an ſint, quibus os olet. 96. *a.*
Mores boni ſunt honeſti & probi viri. 210. *b.*
—— *mali*, inhoneſti & improbi. I. *ibid.*
Motus animi pro *ſententia.* 162. *b.*
Motus ſæpiſſime in Codice judicibus adſcribitur. *ibid.*
Mucius (Quintus) & an duo ejus nominis fuerint Proconſules Aſiæ. 321. *a.*
Mucius Scævola (Quintus) Pontifex Maximus, ut & pater ejus Publius. 322. *a.*
——— ab utroque diſtinctus Q. Mucius Augur. *ibid.*
P. Mucius defenſus. 96.
Mulcta pecuniaria ex delictio debita an ceſſione bonorum averti poſſit II. 364.
Muli, an res mancipi. I. 336. *b.*
Mulieres prohibentur poſtulare. 114. *a.*
Mulieres an Legatorum munere poſſint fungi. II. 247. *b.*
Mulierum ſunt quædam virtutes propriæ, quædam cum viris communes. 248. *a.*
de Mundo & ornamentis muliebribus quædam. I. 164. 165.
Mundus aliud eſt Philoſophis & Grammaticis, aliud JCtis. 164. *a.*
——— & *ornamenta* differunt. *ibid.*
——— tamen & *ornamenta* comprehendit. 165. *b.*
——— pro imperio Romano. II. 108. *b.*
Municare pro *communicare* I. 261. *a.*
Municipales. Vid. Magiſtratus.
Municipales Legati. V. Legati.
Munis ſignificatio quæ, & an ſatis ſit latina. 262.
Munitiones an liceat reficere eo tempore, quo de deditione tractatur. II. 237. *b.*
Munus duplex in una perſona cumulari non permiſſum. 12.
Muros exſtruere non licet ſine auctoritate Principis. 264. *a.*
——— labantes reparare licet ſine conſenſu Principis. *ibid.*
——— ob rebellionem vel aliam quam cauſam dejectos reficere non licet ſine conſenſu Principis. *ibid. b.*
Mutus an teſtari poſſit, apud veteres dubitatum fuit. I. 276. *b.*
Mutua inſtitutio, nec inter virum & uxorem, nec inter alios quoſvis improbata fuit. 432. *b.* 459. *a.*
Mutuari in malam partem ſumptum. 432. *a.*
Mutuum eſt contractus ſtricti juris. II. 46.
—— in eo an ſit alienatio. I. 339. *b.*
—— cur tantum conſiſtat in rebus, quæ pondere, numero, & menſura conſtant. 29. *a.*
—— non reſpicit creditorum commoda, modo res functionem recipiat in genere, & malitia abſit. 28.
—— etiam in ſpecie reddi poteſt, ſed magis redditur in genere & quare. 29. *b.*
Mutuam pecuniam non neceſſe eſt reddi totidem corporibus, nec eadem materia, eademque moneta, ſed ſufficit eadem reddi quantitate. 28. *a.*
—— non cogitur debitor in aliam formam accipere, quam ei utile eſt, etiam ſi nulla præceſſerit ſtipulatio de forma nummorum. *ibid. b.*
Mutuum nauticum II. 425. *a.*

N.

N. & U. ſæpe permutantur. I. 25. *a.*
Nam hic illic apud poſteriores ſcriptores occurrit ſine ſignificatione cauſæ, ita ut tranſitioni tantum inſerviat. 318. *a.* 417. *a.*
Naturaliſatien brieven. II. 259. *b.*
Navalis potentia num differat a dominio maris. 136. *b.*
Navarchi navibus prædatoriis ab Exercitoribus præpoſiti, & ad prædandum conducti, an cum aliis navarchis poſſint paciſci de ſocietate prædæ, quam ſeparatim ſunt capturi. 225. *a.*
Navarcho an, & quando præſtandi ſumtus retardati itineris, ſive *legdagen.* 473. *a.*
Naufragiis an Italia commoda ſit. 102.
Navigandi libertas in Indiam Eoam ex quo fundamento adferenda. 134. *b.*
Navigatio maris num ſit loco poſſeſſionis. 129. *a.*
—— an tribuat dominium maris. 120.
Navigatione maris, qui ejus dominus eſt, aliis interdicere poteſt. 129. *b.*
Navis non ad prædandum emiſſa, ſi prædam tamen ceperit, ad quem pertineat. 228.
—— quæ vehit merces illicitas an recte publicetur. 215. *b.*
——— vectigalis fraudandi cauſa adhibita ex omnium Principum Edictis publicatur. 218. *a.*
——— amica vehens res hoſtiles an recte publicetur. 217. 218. Vid. bona.
——— ſi ob reverentiam alii navi non præſtitam patiatur damnum, ad quem illud pertinet. 280. *a.*
Navis hoſtilis præda. V. Præda.
Navis prædatoriæ Exercitores quouſque teneantur de damno injuria dato. 226. 227.
—— Exercitores ſi magiſtrum emiſerint ad prædandum, & ille perperam prædetur, tenentur in ſolidum. 227. *b.*
—— plane non tenentur, ſi magiſtrum prædatoriæ exercendæ non præfecerint. 228. *b.*
—— prædatoriæ magiſter, ſi navem amicorum occupaverit, tenetur de omni damno, quod injuria dedit. 227.
Navi ab hoſtibus derelicta vel redemta, pecuniæ trajectitiæ creditores & aſſecuratores non tenentur niſi ad damnum datum. 237. *a.*
Naves hoſtium quando fiant capientium. 197. 198.
—— in portus hoſtiles deductæ, & poſtea recuperatæ, cedunt recuperatori. 199. *b.* 200.
—— in portus hoſtiles nondum deductæ an fiant capientium. 200. *b.*
—— quid juris priſtinis dominis & recuperatoribus in naves ante deductionem in portus recuperatas. *ibid.* 201. *b.*
—— varia circa hanc rem Ordinum Generalium Fœderati Belgii Edicta. *ibid.*
Naves mercatorum ſi pactum inierint mutuæ defenſionis, & una ex his hoſtilem navem ceperit, ſoli quæ cepit, præda cedit. 226. *a.*
—— prædatoriæ duæ pluresve ſi navem hoſtilem per-

ſequantur & una ceperit, ea ſola quæ cepit, accipit prædam. II. 225. *b.*
Navibus quando & quorum præſtanda ſit reverentia. 278.
—— in mari proximo, quod ſubeſt dominio alicujus Principis, eſt præſtanda. *ibid. b.*
—— in mari extero, quod in nullius Principis dominio eſt, ut præſtetur reverentia, male exigitur. 279. *a.*
—— niſi pactis id fuerit conventum. *ibid.*
—— quid ea de re convenerit inter Anglos & Ordines Fœderati Belgii. *ibid. b.*
Navis rerumque pretium an damni præſtatio excedere poſſit. 464.
—— quamvis perierit, Magiſtro tamen mercedes debentur, ſi aliis navibus, vel naviculis merces ſuo ſumtu ad dominos pertulerit. 471. *b.*
—— navi ejusque oneri ſi damnum dederit an, & quemadmodum reſarciendum ſit. 460.
—— qua proportione damnum utrinque communicat. 464.
Nave profecta, ex ſtatuto Amſterdammenſi non ſufficere, ut profectio ſignificetur, niſi & addatur tempus, quo profecta ſit. 458.
—— perinde eſſe, utrum Aſſecuratores id ſciant ex Inſtrumento aſſecurationis, an aliunde. *ibid.*
Naves piſcatoriæ an etiam contineantur Legibus nauticis. 463. *b.*
Navis Magiſtro quid juris competat. Vid. Magiſter navis.
Navium bellicarum numero an ſint *Jachten.* 280. *a.*
Nauta, cujus navem mercium transvehendarum cauſa vector conduxit, vel qui ipſe merces transvehendas conduxit, quibus caſibus teneatur, vel non teneatur, ſi navigare impeditus fuerit, vel navis perierit. I. 83.
Nautæ tenentur Lege Aquilia, ſi eorum culpa navis in ſcapham alterius incurrens damnum dederit, non dominus. 118. *b.* 119.
nec Nautæ nec Dominus tenentur, ſi navis fune rupto, aut cum a nemine regeretur, impacta ſit. 119.
Nautæ vi ventorum in anchoras alterius navis impulſi, ſi eos præciderint, tenentur ſuo facto, etiam ſi aliter expedire ſe non potuerint. *ibid.*
Nauticæ Leges Caroli V. & Philippi II. I. 464.
Nauticus jactus. 470.
Nauticum mutuum. 425. *a.*
in *Necem* vel *occiſionem alicujus fieri* quid dicitur. I. 92. *b.*
Negari dicitur actio effectum non habitura. II. 25. *b.*
Negationes duæ ex communi uſu non negant, ſed affirmant, quamvis apud Græcos fortius negent, quod & in Linguam Latinam aliquoties tranſit. I. 145.
Negotiorum geſtor non dicitur de Procuratore. 26. *a.*
—— caſum quando præſtet. *ibid. b.*
Negotium pro *contractu.* 253. *a.*
Nexus eſt *obligatio; nexi, obligati.* 332. *a.*
Nexu tradere & mancipare paria ſunt. *ibid.*
Nitrum an recenſendum inter *contrabanda.* II. 211. *b.* 212. *a.*
Nobiles quinam accipiendi. 299 *a.*
—— Curiæ Hollandiæ ſubjecti. 298.
—— externi conveniuntur ut plebeji. 299. *a.*
Nobilibus externis privilegium datum de redimendis bonis. *ibid.*
Nobilitas ab externo Principe conceſſa an in Belgica civitate proſit. 289. *b.*
Nomina ſolemnia, quæ exemplis ſerviunt apud JCtos, vel Philoſophos. I. 39.
—— ſæpe confunduntur. 40. 53. *b.*
—— duo, & liberorum hominum, etiam Servis dantur in Jure. 40. *a.*
Nominum propriorum emendatio ſæpe ſola conjectura nititur, nec temere admittenda. 76. 77.
Nomine Gentilitio ſæpe auctores laudantur. 174. *a.*
in Nominum propriorum ſcriptura magna varietas. 319. *b.* 323. *a.*
Nomina Gentium maribus impoſita, num eorum dominium tribuant. II. 131. *b.*
Νόμοι Κύριοι quid. 110. *a.*
Non pro *non tantum.* I. 102. *b.*
Non hoſtes cenſentur, qui neutrarum partium ſunt, nec ex fœdere his illisve quicquam debent. II. 208. *a.*
—— quid facere vel non facere poſſint inter duos hoſtes. *ibid.*
—— omni modo debent cavere, ne ſe bello interponant, neque uni parti æquiores ſint vel iniquiores, quam alteri. *ibid. b.*
—— ex cauſa æquiore huic vel illi non debent plus minusve tribuere vel negare. *ibid.*
—— uni parti non debent ope conſilio adeſſe, nec milite auxiliari juvare. *ibid.*
—— non debent advehere alterutri ea, quæ bello gerendo ſunt neceſſaria. 209. *a.*
—— frumentum advehere poſſunt, excepta obſidionis famisve cauſa. 210. *b.*
Non hoſtes Fœderati & Socii. V. Fœderati.
Notarii Hagæ habitantes an apud Curiam recte conveniantur. 310. *b.* 311. *a.*
Notis fingendis & interpretandis ſæpe peccatur. I. 40. *b.* 67. *b.* 84. *b.* 240. *a.*
de Notis quæ fiunt conjecturæ fere omnes inanes ſunt & lubricæ. 317. *a.* 340. *b.*
Nova res, novum Jus, quid. 56. *b.*
Novatio Aquiliana cur neceſſaria. II. 48. *b.*
Novellæ num ab Auctoribus Authenticarum fideliter ſint excerptæ. 65. *b.* 66. *a.*
—— an Irnerius eas ut ſpurias rejecerit. 68. *a.*
—— an mortuo Ivone demum repertæ. 74 *b.*
—— Leonis & ipſius ætate, & poſt eum, in Oriente auctoritatem Juris habuerunt, non in Occidente. I. 100. *a.*
—— quando prodierint. *ibid. b.*
—— quando, & quibus caſibus in Oriente obſoleverint. *ibid.*
—— etiam nunc in quibusdam caſibus ſervantur. *ibid.*
Noxius, pro nocente. 20. *a.*
Nubere viduis non licet intra annum luctus propter metum incerti partus. I. 158. *a.*
Numa nulla propinquo majorem luctum indulſit, quam X. menſium, ſed nullum ulli imperavit. 160. *b.*
Numeratio de domo, vel *de menſæ ſcriptura*, quid. II. 14.
—— quare illud *de Domo*, cautionibus fuerit inſertum. *ibid.*
Numero ſeptenario num occultæ qualitates inſint. 25. *a.*
Numariæ rei doctrina lubrica & incerta. 14. *a.*
Nummi probi recte quid. *ibid.*
Nummi κατ' ἐξοχὴν pro *minoribus nummis*, ut ſeſtertiis. I. 56. *b.*
Nummos cingere, fingere. 123.
Nundinæ pro omni eo, quod ad nundinas pertinet. 165. *a.*
Nuptiis contrahendis furor obeſt, ſed rite contractæ non ſolvuntur, quamvis ab hac regula excipi poſſit caſus quidam. 267. *a.*
Nuptiarum conditio an efficiat legatum pœnæ nomine. 453. *b.* 454. *a.*
Nuptiæ favorabiles. 451. *a.*
—— conciliatæ an admittant petitionem proxenetici. II. 350.
Nuptiarum ſecundarum pœnæ. V. Pœnæ.
Nuptiale pactum, quo mulier ſibi ſervavit optionem, an lucrum damnumque, an ſua duntaxat, quæ attulit, ſalva habere malit. 338.

O.

Obligare liti, quid. I. 92. *b.*
ad *Obligationem innocentium coire*, quid. 92.
Obſeſſis urbibus, caſtris, portubus an quicquam liceat advehere. II. 212.
Obviat. I. 234. *a.*
Occidendi liberos jus. V. Liberi.
Occupatio bellica quando mutet dominium. II. 197. *a.*
—— an ad eam requiratur ſpatium 24. horarum. 198. *a.*
—— Vid. Parte occupata.
—— num dominium tribuat re amiſſa. 125. *a.*

Oc-

Occupatio maris quid præſtet. II. 129.
Oceanus vaſtus num occupari vel poſſideri queat. 134.
——— quomodo vocetur *Mare* κατ' ἐξοχήν. 138. *b.*
Vid. plura in voc. Mare.
Offendere cum Caſu Dativo. I. 209. *a.*
Officia pro *Officialibus*; *Officium judicis*, pro ejus officialibus vel apparitoribus. 85. *b.*
Officiales Curiæ Supremæ an ſubſint Curiæ Hollandiæ. II. 311.
Officiers:- qui aſſecurare nequeunt, quinam intelligendi. 475. *a.*
de Officio certiorem eſſe debere, & *officio fungi*, idem. I. 20. *b.*
Officiorum præcepta. V. præcepta.
Officioſus pro eo, qui officio publico obnoxius eſt. 262. *b.*
Οἴχεσθαι proprie de his, qui prædatum eunt. 34. *a.*
'Οπωρίκια. 106. *a.*
Omiſſiones in Legibus Pandectarum numero emblematum non ſunt habendæ. 223.
in Omnibus vel per omnia, pro *in plerisque*, *in multis*. 237.
Operis averſi actio. Vid. Actio.
Oneſipborus ſervorum nomen non tantum eſt, ſed & liberorum hominum. 146 *b.*
Opera publica ſumtu publico exſtruere non licet ſine auctoritate Principis. II. 264. *a.*
——— reficere licet etiam ſine conſenſu Principis. *ibid.*
Opinatores unde dicti. I. 205. *a.*
Opinio idem quod *ſynopſis*, ſive ejusmodi ſcripta commemoratio, quæ totam rem, de qua agitur, ſimul conſpectui exhibet, quo ſenſu a *ſententia* diſtinguitur. *ibid.*
Optionis legatum. V. legatum.
Opus quid. 323. *b.*
Orandi nova formula 13. Mart. 1663. ab Ordinibus Hollandiæ Eccleſiaſticis optimo jure fuit præſcripta. II. 275.
——— fruſtra a ceteris Provinciis & ab Eccleſiaſticis fuit oppugnata. *ibid.*
Num eam hodie omnes in Hollandia Eccleſiaſtæ ſequantur. 276. *b.*
Orator quis. I. 325. *b.*
——— quousque jus ſcire debeat. *ibid.*
Oratoris & JCti officium Republ. libera fuit diſtinctum, poſtea conjunctum. Oratores olim cauſas agebant, & ſi quid majoris momenti incideret, JCtos interrogabant. 217.
Orator pro Legato. II. 147. *a.*
Oratorem Ordines Fœderati Belgii ſuum ad Turcorum Imperatorem Legatum vocarunt. *ibid.*
Orbis & *Orbis univerſus* pro *Imperio Romano*. I. 424. *b.* II. 108. *b.*
——— pro majore parte terræ, ab aliis ſeparata, ut Britannia. I. 424. *b.*
Orbis dominum quod ſe adpellavit Antoninus Pius num conveniat cum ejus modeſtia. II. 108.
Orbis totius imperium Romani Principes quo jure ſibi arrogaverint. *ibid.*
Ordinatio Politica 1. *April* 1580. 348. *a.*
——— ——— §. 3. *ibid.*
Ordines Generales Fœderati Belgii curant commune bonum totius Reipubl. 233. *b.*
——— non præcedunt Ordines ſingularum Provinciarum in iis, quæ ad ſingulas Provincias pertinent. 275. *b.*
——— præcedunt in iis, quæ ad commune bonum Fœderati Belgii pertinent, vel cum agitur nomine totius Reipublicæ. *ibid.* 289. *a.*
——— paucis exceptis agunt ex mandato Ordinum, quos repræſentant. 276. *a.*
——— an recte ſe immiſceant controverſiis ſingularum Provinciarum. 283.
——— quid ea de re fuerit ſtatutum Fœdere Utrechtano. *ibid.*
——— exceptis controverſiis inter Groninganos & Ommelandenſes, de aliis in aliis Provinciis non judicarunt, niſi qua Arbitri ex compromiſſo partium, vel ex delegatione. 284.
Ordines judicare tamen de iis poſſunt, ſi partes judicio ſe ſubtrahant. II. 284.
Ordines Hollandiæ tempore Gravionum potuerunt Leges ferre. 240. *b.*
Ordinibus Hollandiæ tam inter ſe, quam cum aliarum Provinciarum Ordinibus conſulere & coïre licuit ex legibus Mariæ Burgundæ. *ibid.*
——— Idem ex privilegio Joannis Bavari licuit, modo ne contra Graviones conſulerent. *ibid.*
Ordinis & *gradus* promiſcua appellatio. I. 155.
Orientis Reges luxuriantur titulis, etiam ii, qui tributa præſtant potentioribus. II. 109. *b.*
Ornamentum. Vid. Mundus.
Oſtorius. Vid. Aſterius.
Otacilius, nomen in jure. I. 77. *a.*
Otium, ut multorum malorum ita etiam hæreſeos cauſa 422. *b.*
Oves & *pecora* convertuntur. 335. *b.*
——— an res mancipi. 337.

P.

P. & F. permutantur. I. 26. *b.*
P. V. & P. U. notat Præfectum Urbis & Præfectum Vigilum. 50. *b.*
Pacis Monaſterienſis §. 4. interpretatio. II. 277. *ad* 279.
ad Pacem Principem invitum cogere eſt iniquum. 238. *b.*
Pacta quælibet emtioni venditioni poſſunt adjici. I. 338. *a.*
——— Principum tuetur bona fides. II. 256. *a.*
——— publica an ſemper & ubique ſervanda. *ibid.*
——— ſunt ſervanda, licet Reipublicæ ſint damnoſa. 257. *a.*
——— inita cum populo aliquo ſubſiſtunt, licet mutetur forma regiminis. 287. *a.*
Pactis publicis an inſint tacitæ exceptiones, & quæ. 256. *a.*
Pactum nudum cur obligationem non producat. 44. *a.*
——— ——— num efficiat obligationem naturalem. *ibid.*
——— prius an per poſterius tollatur. 48. *b.*
——— an indicetur per *conveniendi* verbum. 21. *a.*
Pactum de non petendo vel in continenti ſtipulationi adjectum parit tantum exceptionem. 48. *b.*
——— ſive conventio nuda in ſolemnem non tranſit, licet partem ejus quod ſolemniter nuncupatum eſt, in ſe contineat. 56. *b.*
Pacti & ſtipulationis an aliqua cognatio. 57. *b.*
ex Pacto uſuras non deberi num odio uſurarum conſtitutum ſit. 50. *b.*
Pacta quamvis in continenti adjecta non inſunt contractibus ſtricti juris adeoque nec actionem producunt. 25. *a.* 30. *b.* 45. *b.*
——— an ſtipulationi inſint. *ibid. a.*
——— adjicientia & detrahentia. 54. *b.*
——— detrahentia num inſint contractibus ſtricti juris. 45. *a.*
——— actionem quando producant. *ibid.*
——— adjecta ſi inſunt, ejus ſunt efficaciæ ac contractus. 46. *b.*
——— quæ inſunt contractibus quemadmodum dicantur *formare* actionem. *ibid. a.*
——— in continenti facta bonæ fidei judiciis inſunt. *ibid.*
——— contractibus adjecta utrum nuda ſint an veſtita, λογομαχία eſt. *ibid. b.*
——— contractibus ſtricti juris adjecta nihil operantur, nec ex parte agentis, nec rei. *ibid.* & 48.
——— ex intervallo adjecta etiam inſunt contractibus realibus bonæ fidei. *ibid.*
——— interdum præcedebant, interdum ſequebantur ſtipulationes. 51. *b.*
de Pactis mutuo adjectis non multum reperitur in jure. 47. *a.* 53. *a.*
Pactum nuptiale, quo mulier ſibi ſervavit optionem an lucrum, damnumque, an ſua duntaxat, quæ attulit, ſalva habere malit. 338.
——— paratæ executionis. 368.

Paſtumejus, nomen frequens in Jure & apud alios auctores. I. 77. *a.*
Paganus ſi militariter delinquat, ubi ſit conveniendus. II. 329.
——— ſi in caſtris deliquerit. 330. *a.*
Παιδοφονία. Vid. Liberi, infantes.
Palmyra, in Provincia Phœnice, jus Italicum habuit. I. 171. *a.*
Pandectarum Florent. auctoritas prævalet in pari cauſa. 23. *a.* 28. *b.*
in Pandectis modo ordo Edicti Perpetui, modo Codicis veteris ſervatus. 69. *a.*
in Pandectarum archetypo Florentino non reperiri quæ concluduntur, hujuſmodi notulis [ ] vel etiam illis // // an hoc verum ſit. II. 27. *b.*
Pantonius, nomen proprium in Jure. I. 78. *a.*
Papia Poppæa Lex. 270. *b.* 271. *a.*
Papinianus JCtorum Princeps. II. 12. *a.*
——— ejus Præfectura. *ibid.*
——— ſub appellatione generali a Paulo quandoque confutatus. 32. *b.*
——— vapulat in ſcriptis Pauli. 33. *a.*
Parere uſuris idem ac *uſuras ſolvere.* I. 180. *b.*
Parœmium, *een moeder maekt geen baſtaert.* II. 413. *a.*
Parte occupata in bello, etiam totum occupatur & poſſidetur, ſi is ſit occupantis animus. 202. *b.*
——— niſi alius illius totius partem poſſideat. *ibid.*
per Partes quid ſignificet. I. 312. *a.*
Partim ſatis Latine ſemel tantum ponitur. 316. *a.*
Partus. V. liberi. monſtroſos, venter.
——— ancillæ in fructu non eſt. 150.
Partum abigere. V. abortus.
Pater agnoſcere & alere tenetur liberos, ſive conſtante matrimonio, ſive poſt divortium editos. 358. *a.*
Patrem filium, inclementius a ſe habitum, emancipare coëgit Trajanus. 351. *a.*
Patres familiarum ſuarum *Principes* vocantur, & *Patria poteſtas Majeſtas* audit. 346. *b.*
Patri Lege Julia data poteſtas occidendi adulteri, modo & filiam in continenti occideret. 350.
Patrum in liberos jus. Vid. Liberos.
Patris appellatio ad avos & proavos porrigitur. 148. *b.*
Patres. De his judicium. 378. *a.*
Patientiam accommodare, id eſt, pati, litem coram ſe agi. 159. *b.*
Patria poteſtas quare poſterioribus temporibus reſtricta. 351. *a.*
Patriæ poteſtatis origo repetenda ex jure Dominii. 346. *a.*
——— & inde ἀνυπεύθυνον Patrum Romanorum in liberos imperium. *ibid.*
Patriæ an Parentum prior ſit cura. 282. *b.*
Patrimonium Hollandiæ ſpectat ad cognitionem Curiæ. II. 312. *a.*
Patronus ex ſola legitima inſtitutus, & tamen ultra a liberto gravatus, non tenetur ultra ſolvere; quamvis promiſerit. I. 233. *a.*
Vid. Legitima.
Paulus JCtus quis fuerit. II. 9 *b.* 10. *a.*
——— ejus ſcripta. 10. *a.*
——— vapulat quaſi ſubtilis nimis & obſcurus. *ibid. b.*
——— in brevitate ſibi placet. 23. *b.*
——— Papinianum nominatim vellicare non ſemper auſus. 32. *b.*
——— & Ulpianus æmuli. *ibid.*
——— Ejus libri ad Plautium cujuſmodi fuerint. I. 62.
——— Ejus notæ ad Labeonis Libros Πιθανῶν quid continuerint. 76. *a.*
Paupertas idem ac *bona.* 209. *b.*
Peccata omnia paria eſſe non putant JCti. 22. *a.*
Pecudes, maximæ olim divitiæ. 337. *a.*
——— quæ proprie dicantur. 335. *b.*
——— an proprie dictæ res mancipi. 337. *a.*
Pecudum nomine quæ contineantur in L. Aquilia. 121. *b.*
Pecus omne quadrupes. 335. *b.*
Peculatus etiam tenetur, non tantum furti, qui pecuniam civitati ſubtraxit; & utrum ex L. Julia, an e Conſtitutionibus. 101.
Peculatu commiſſo poteſt agi ex Lege Julia, & furti. I. 102.
Peculiarius. 42. *b.*
Peculium idem quod *bona* quæ teſtatores relinquunt. 209. *b.*
Pecunia quid. 28. *a.*
——— a pecude dicta. 337. *a.*
——— an contribuat. II. 472. *b.*
in Pecunia credita nuda promiſſio ſatis lubrica. 12. *b.*
Pecuniæ creditæ fœnus. V. Fœnus.
——— veteris & hodiernæ collatio difficilis. 14. *a.*
Pecus. V. Pecudes.
Pedanei judices num habuerint auditorium. 11. *a.*
Pediculi quid. I. 125.
Pegaſianum SCtum. 203. *a.*
Pelles Babylonicæ, Parthicæ. 105. *a.*
Πένθος luctus dignorum maritorum. 159. *a.*
Πένθιμος luctus indignorum. *ibid.*
Penſio quid. II. 27. *a.*
Penſionibus annuis non ſimul & ſemel præſcribitur, ſi ultra 30. annos in ſolutione ceſſatum ſit, ſed iis duntaxat, quæ ante 30. annos exactæ non ſunt. 371.
Perduellium & *hoſtium* appellatio confuſa. I. 172. *b.*
Peregrinæ religiones. V. religio.
Peregrini De Civitate donati. 414. *a.*
Peregrinus an ex cauſa arreſti, ubicumque moratur, detineri poſſit. II. 150. *a.*
Peregrini an ſint arcendi ab adminiſtratione Reipublicæ. 258.
——— quominus admoveantur Reip. non prohibet ratio. *ibid.*
——— ex ipſa ratione ſoli arcendi ſunt ii, a quibus metus eſt, ne ſalus publica periclitetur. *ibid.*
——— ne muneribus adhibeantur, variis Comitum Hol. privilegiis impetrarunt Hollandi & Zelandi. *ibid. b.*
——— a dignitatibus poſſunt arceri, quæſita vero dignitas non recte iis adimitur. 259. *a.*
——— illi recte arcentur, qui inde oriundi ſunt, ubi Noſtrates lege vel more Civitatis arcentur. *ibid. b.*
——— qui Hollandos non excludunt, neque in Hollandia ab honoribus excluduntur. *ibid.*
Peregrini nobiles in Hollandia hærentes an ſubditi Curiæ Hollandiæ. 299. *a.*
Perfidia in bello eſt illicita. 192. *a.*
Perfocare partum. I. 358. *b.*
Perhibere & *præbere* teſtimonium recte dicitur. 95. *a.*
Perjurus eſt, qui *per Lapidem* juravit, & fidem fallit. 178. *b.*
Permutare pro *aliquid alicui reddere.* 256. *b.*
Perpetuum eſt, quod non ceſſat, quamdiu durat. 70. *b.*
Perſæ fere immunes ab odio religionis. 413. *b.*
——— in Romano Imperio non ſervabant Leges Rom. de inceſtis nuptiis. 414. *b.*
Perſonæ ſalientes. 155. *b.*
Petitione quomodo tota obligatio ſolvatur. 260.
Petrones quid. 256. *a.*
Petronia Lex. V. Lex Petronia.
Phryges. V. Galli.
Philippi II. Hiſpan. R. minus æqua conſtitutio de non ſubmittendo navium Hiſpanicarum primo apluſtri ſalutandi arces externorum Principum ergo. II. 130. *b.*
Philippus II. legitimus Comes Hollandiæ fuit habitus usque ad annum 1581. 240. *b.*
——— poſt annum 1564. usque ad annum 1581. varias leges edidit. *ibid.* 241.
——— quæ geſſit ad abdicationem usque, ut firma ſint, exigit utilitas publica. 241. *a.*
Philippo II. imperium non eſt abrogatum nec Fœdere Utrechtano, nec Gandavenſi. 240. *a.*
Philippus Burgundus cogitavit primus de inſtituenda Curia Hollandiæ. 302. *b.*
Philoſophiæ definitio. I. 412. *a.*
Phainenſia metalla. 426. *a.*
Pignora cædere. 18. *b.* 19. *a.*
Pignori dare vel accipere filiumfam. non licuit, & quæ pœna ejus, qui ſciens filiumfam. a parente pignori accepit. 355. *b.*
Pignoris cauſa an capi poſſint Legatorum bona. II. 159. *b.* 160. *a.*

Pi-

Pignus ſi publicetur, jus pignoris non exſtinguitur. I. 112. *a.*
—— non liberat debitorem, niſi ſuffecerit. 228. *b.*
Pignoris jus ſalvum eſt creditori amico, ſi res pignorata capiatur. 237. *a.*
Piratæ ſunt, qui nullius Principis auctoritate terra marique rapiunt. 222. *a.*
—— ſint, nec ne, inde pendet, an mandatum prædandi habuerint, nec ne. 224. *a.*
—— non ſunt Algerienſes &c. V. Algerienſes.
—— Dominium non mutant. 220. *a.*
Piratæ exteri, ſi *noſtros* ſint deprædati & capiantur, apud noſtros recte accuſari & puniri poſſunt. 223. *b.*
—— qui *exteros* ſunt deprædati, an apud nos deprehenſi a nobis judicari poſſint. 224 *a.*
Piratarum pœna vulgaris eſt capitis bonorumque ſupplicium. *ibid. b.*
—— more nonnulli puniuntur ob atrocitatem criminum, licet proprie Piratæ non ſint. 222. *b.*
a Piratis capta poſtliminio non egent. *ibid. a.*
Piraticæ judicium an fori communis ſit, an vero ad Admiralitates pertineat. 223. *b.*
Piſcationis ergo habentur etiam prædia. I. 187. *b.*
Placuiſſe JCtis dicitur, quod prō re certa fuit habitum. 152. *a.*
Plagii crimen. 355. *b.*
de Plagiariis Lex Fabia, cujus cognitio ſpecialiter data erat quibusdam Procuratoribus Cæſaris. 65. *a.*
Plumbatæ. 20. *a.* 38. *b.*
Pluverat ab antiquo *pluveo.* 249. *b.*
Pœna pro *uſuris.* I. 18. *a.* II. 19. *b.*
—— capitalis non tantum ob dolum irrogatur Jure civili. I. 91. *a.*
—— variæ ab adulteris privatim exigebantur. 152. *b.*
—— nomine legata. V. Legata, hereditas, fideicommiſſa, libertas.
an Pœna, an conditio, an translatio ſit, unde dijudicandum. 451.
in Pœnis fere diſtingui ſolet inter auctores & reliquos ejusdem delicti correos, inter honeſtiores & humiliores. 426. *a.*
Pœnalis, pro eo, *qui pœnam meruit.* 20. *a.*
Pœnales modi. 456. *b.*
Pœnalis conditio adjecta heredi vel legatario, a quo legabatur, vel ei, cui legabatur, an quod ad effectum Juris, interſit. 448.
Pœnales ſtipulationes. II. 368. 369.
Pœnitentiæ locum an dent minorum ſponſalia. V. Minorum.
Polire, *politus*, *politiones*, quid. I. 79. 80.
Politor, pro agricola, nusquam lectum. 80. *b.*
Politique Ordonnantie van Holland. II. 416.
—— §. 19. *ibid.*
Pollicitationis & voti differentiæ quam plurimæ. I. 191. 192.
Pondo ſemper *appendi*, non numerari dicuntur. II. 13. *b.*
Pontifices, qui jus ſacrum conſtituebant & interpretabantur, olim etiam jus civile moderabantur. I. 412. *b.*
Pontificis Maximi titulus adſcribitur Principibus in Edictis. 421. *a.*
Pontificem olim apud Romanos in jus vocare an ſemper nefas fuerit. II. 153. *b.*
Pontificii Sacerdotes, an olim Curiæ ſubfuerint Holland. 310. *a.*
—— Eccleſiaſtici, vel ſacra eorum loca an ex teſtamento capere poſſint. 374.
—— an, & quatenus teſtari poſſint. 376.
Pontius Pilatus Procurator Syriæ & Judææ fuit, ſed Judææ cum Præſidiali poteſtate, non Syriæ. I. 66.
Populus idem manet, licet mutetur forma regiminis. II. 287. *a.*
Portorium idem quod vectigal. I. 209. *a.*
in Portu Amici an liceat capere vel aggredi hoſtem, Amici non hoſtem. V. Hoſtes.
Portubus hoſtilibus, navibus cinctis & obſeſſis, nihil quicquam licet advehere. II. 212. 213.
—— quid hac de re decreverint Ordines Gener. 26. Jun. 1630. 213.
Poſſe pro *debere.* I. 86. *b.*
Poſſeſſionem manu militari transferre, quid. 85.
Poſſeſſio ut nanciſcatur omnium rerum, quæ in fundo ſunt, non neceſſarium videtur, ut ſingulæ quæque corporaliter apprehendantur, ſed ſufficit animus poſſidendi, cum poteſtate apprehendendi conjunctus. 211. *b.*
Poſſeſſio & dominium pari paſſu ambulant jure naturæ. II. 124. *a.*
—— ſi amiſſa eſt, etiam dominium amittitur. *ibid.*
—— ſolius animi ex jure civili eſt. 129. *a.*
—— in uſu conſiſtit. *ibid.*
Poſſeſſio maris quid præſtet. *ibid. b.*
—— immobilium. V. Immobilia.
Poſſeſſionis adipiſcendæ judicium an ſemper ad alterutram Curiam pertinuerit. 312. *b.*
Poſſeſſor ædium non poſſidet ſingulos lapides, tigna, cæmenta, quatenus tanquam res mobiles conſiderantur, ſed jure univerſitatis, quatenus hæc omnia inter ſe conjuncta ſunt, poſſidet dominus, & uſucapit tanquam res immobiles. I. 212. *a.*
—— malæ fidei, quod poſſedit, & ex hereditate poſſidere deſiit, ſive dolo, ſive culpa, ſive caſu, id omne victori reſtituere debet, etiam fructus, non tantum quos percepit, ſed & quos percipere potuit. 262. *a.*
—— bonæ fidei, nihil reſtituit, niſi quantum ex ea re locupletior eſt factus. *ibid.*
Poſtliminium cur ſit in bello. 37. *b.*
—— in pace non omnibus eſt, ſed his, qui bello ſubito orto apud hoſtes deprehenduntur, ſi nihil de iis cautum ſit legibus pacis. *ibid.*
—— ad res ſoli pertinet, non ad res mobiles in præda captas, quæ capientium fiunt. 76.
—— etiam his eſt, qui bello capti & pace reverſi, renovato bello iterum capiuntur, & ſic ad priſtinos dominos revertuntur. *ibid. b.*
—— non eſt ei, quem pater vendidit, & quare. 347. *b.*
—— etiam in integris populis locum habet. II. 220. *a.*
—— eo non egent capta a Piratis. 222. *a.*
Vide amplius voc. immobilia, mobilia.
Poſtula, *puſtula*, *puſula* promiſcue dicitur. I. 252. *a.*
Poſtulare qui prohibeantur. 112. *a.*
—— prohibentur cæci. 114. *b.*
Poſtulationibus prohibetur, qui operam ſuam ad beſtias in arena depugnandas locavit. 152. *a.*
Poſtumus, ne agnatione ſui rumpat teſtamentum, inſtituendus eſt, vel exheredandus. 276. *a.* 278. *b.*
—— inſtituendus eſt ex jure Civili ſive antiquo, vel ex Lege Junia Velleia. 276. *a.*
Poſtumi nepotes, ceterique mares, mortuo patre, nominatim erant exheredandi, quia ſui naſcebantur, ſed eo vivo, inter ceteros ſufficiebat exheredare. 278. *b.*
Potentia navalis a maris dominio an differat. II. 136. *b.*
Poteſtas, pro *Magiſtratu.* I. 35. *a.*
Potorium differt ab *eſcario.* 216.
Præcedentiæ jus inter Legatos. II. 254. *a.*
—— —— inter Principes. *ibid.*
—— —— de eo ſæpe certatum inter Reges Franciæ & Hiſpaniæ. *ibid. b.*
—— —— de eo qui diſputant, ſi in unum locum debeant convenire, qnomodo hoc terminandum. 288. *a.*
Præcedentiæ jus inter Ordines Fœderati Belgii. Vid. Ordines Fœd. Belg.
Præcepta officiorum quatenus diſtinguenda a præceptis & regulis juris. I. 359. *a.*
Præda navis hoſtilis, quam una pluresve naves ceperunt, aliis cum caperetur præſentibus, an ſit communis. II. 225. *b.*
—— capta a navi, non emiſſa ad prædandum, cui ſit adjudicanda. 228.
—— caſu obvia & a privatis capta ſit capientium. 230.
Prædæ maritimæ & terreſtris judicium ad quos pertineat. 226.

Prædatoria privata. II. 224.
——— ad jus publicum pertinet. ibid. a.
——— qui eam exercent, non ſunt Piratæ. 224.
Prædatoriam nemo recte exercet ſine Codicillis Ordinum Generalium vel Præfecti Maris. 230.
Prædatoria navis. V. Navis.
Prædia etiam habentur piſcationis ergo. I. 187. b.
——— Italica & Italicenſia ſunt res mancipi, Provincialia non item, niſi ex privilegio Jure Latii donata. 333.
——— Provincialia, ſtipendiaria dicta, ab Italicis olim diſtincta. 338. a.
——— ——— eorum poſſeſſores non habebant ipſam proprietatem, ſeu potius jus Quiritarium, & jus mancipii, quod erat fundorum Italicorum & Italicenſium, at Bonitarium duntaxat, & minus plenum. 339. a.
in Prædiis ruſticis potiſſimum Veterum divitiæ conſiſtebant. 333. a.
Prædiorum ruſticorum jura ſunt res mancipi, urbanorum non item. 338.
——— ratio differentiæ. ibid. b.
Præfectus Vigilum in quos, vel fures, vel alios, animadverteret. 50. 51. a.
——— vigilat cum *hamis* & *dolabris*. 281. b.
——— Annonæ & Vigilum. 318. a.
——— Feriarum Latinarum cauſa. ibid.
——— urbi. 317. a.
Præfocare partum. 358. b
ex Præpoſitione ſola tabernæ naviſque Domini tenentur, ſi quod actum eſt, ad cauſam præpoſitionis pertineat, non ad aliam, ab ea diverſam. II. 227. b.
Præpoſtera ſtipulatio. V. Stipulatio.
Præſcribi non ſimul & ſemel penſionibus annuis, ſi ultra 30. annos in ſolutione ceſſatum ſit, ſed iis duntaxat, quæ ante 30. annos exactæ non ſunt. 371.
Præſcriptio an locum habeat contra actionem de damno in aſſecurationibus. V. *Aſſecuratio.*
——— longæ poſſeſſionis olim valuit, etiam in his rebus, quæ ob defectum juris uſucapi non poterant, tam immobilibus, quam mobilibus. I. 340. a.
——— ex Conſtitutionibus Principum profecta. ibid. b.
de Præſcriptione fuſtra laborabatur, ſi uſucapio procederet. ibid.
Præſcriptio longi temporis an dominium maris tribuat. II. 133. a.
Præſides etiam vocantur *Judices*, Δικασαί. I. 21. a.
Præſides Provinciarum excipiebantur a Civitatibus oratione, quæ laudes ipſorum & Civitatum continebat. 49. a.
——— quam poteſtatem habeant in provinciis, cum quod ad alias res, tum quod ad pecuniam reprobam. 74.
——— merum imperium habebant, nec tamen deportare poterant. 65. b.
——— ne provinciales in ulteriorem familiaritatem admittant, in mandatis habebant. 161. b.
——— ſi quem deportandum putent, Imperatorem adeunt, cauſam exponunt, ſententiam ſuam adſcribunt, & hanc ſi comprobet Princeps, deportatio eſt, ante non eſt. 204. a.
——— relegare poſſunt, ſi inſulam ſub ſe habeant, ſi non habeant, Princeps adſignat. ibid.
Præſtavit pro *præſtitit.* 249. b.
Præterita Veteres ſæpe formarunt ad analogiam temporis præſentis. ibid.
Præteritum plusquam perfectum ſubjunctivi non indicat futurum tempus, ſed præteritum. 437. b.
Prætores fideicommiſſarii. 317. b.
Prætorum numerus. 317.
Prætorio præfectus, num ſolus habuerit auditorium. II. 11. a.
——— judicavit. ibid. b.
Prætorio præfecti plures in urbe Romana. ibid.
Præventie quo modo intelligendum in §. 8. Formæ Curiæ Hollandiæ 20. Aug. 1531. 298. b.
Pragmatici qui dicantur. I. 179. a.
——— eorum ſalaria. 180. b.
Pragmatici cautionibus ac formulis ſuperfluas verborum cautelas adjicere ſolent. II. 22. b.
Pretio nondum ſoluto, an venditori competat rei vindicatio. 421.
Principes citra appellationem recta ſæpe fuerunt aditi. I. 147. b.
——— de facto, quod incidit, ſæpe reſcribunt de jure conſtituto, quo & alii retro uſi erant. 269. a.
Principis imperio quæ cauſa in Romana Republica originem præbuerit. 312. b.
Princeps in alterius imperio & ditione quo jure cenſeatur quod ad forum competens. II. 149.
——— an ibi jura quæ Majeſtatis vocantur, quod ad ſuum principatum exercere poſſit. ibid. a.
——— qui ibi contraxit vel deliquit, an ibi puniri & detineri ob æs alienum poſſit. 150. b.
——— an in alterius ditione minus juris habeat quam Legatus. 151. a.
——— qui manu ibi rem agit, manu depelli poteſt. ibid. b.
——— ejus bona in alterius territorio an per arreſtum forum tribuant. ibid.
Principes num poſſint prorogare jurisdictionem. 180. a.
——— Romani ante Conſtantinum M. a quolibet in rebus quibuslibet adibantur. 101. b.
——— ——— totius Orbis imperium ſibi arrogarunt, quamvis vix decimam ejus poſſederint partem. 108. a.
Principum duorum ſubditus an quis eſſe poſſit. 161. b.
Princeps non ultra obligatur quam in quantum facere poteſt. 257. b.
Principi imperium abrogare & adverſus Præſides ab ipſo conſtitutos bellum gerere multum inter ſe differunt. 239. b. 240. a.
Principis mandatum an ſit licitum vel illicitum non eſt privati examinare. 242. b.
Vid. Mandatum Principis.
Principum, etiam qui imperium invaſerunt, acta & pacta ſunt ſervanda. 287. b.
Principium apud Rhetores eſt *præfatio* & *exordium.* I. 163. a.
——— fuit & prima ſententia legis vel JCti, ex qua ad §§. ſive ad Locos fuit tranſitus. ibid.
Prior, pro *proximior*, *propior.* 23. a.
Privatus quomodo partem maris occupare poſſit. II. 139. a.
——— qui fortuito moratur in alia ditione, num ex eo tanquam ſubditus forum ſortiatur. 149. b.
Privilegia anteriora jus generale non abrogat. 259. b.
——— reſtringere non licet, niſi in modum pœnæ. 271. a.
Privilegium revocandi domum quousque Legatis in jure Romano conceſſum. 154.
de Privilegio revocandi domum Legatorum Edictum Ordinum Hollandiæ. 159. a.
Privilegium Viduitatis, & minoris ætatis quando ceſſat quod ad forum. 308.
——— fori ſi duo habent, an alter adverſus alterum eo uti poſſit. 309. b.
Probandi modus potiſſimus creditorum. 12. b.
Probatio ſemiplena recte dicitur per κατάχρησιν adjecti contradictorii. I. 85. b.
Probi recte formula dolum excludit. II. 14. b.
Probroſum & *illicitum*, an & quando differant. I. 450. a.
Procedere pro *ex alicujus diſciplina* prodire. 319. a.
Proconenſia metalla. 426. a.
Proconſul, qui jurisdictionem Legato mandavit, non videtur, quemadmodum reliqui mandantes, ſe abdicaſſe jurisdictione, ſed hanc duntaxat cum Legato communicaſſe. 206. b.
Proconſules ex Conſulibus plerumque ſortiebantur Provincias. 321. a.
Proconſulare Imperium Imperatoribus fuiſſe delatum, quo ſenſu intelligendum. 281. b.
Proculus ſub Othone & deinceps floruit. 173. a.
Procuratien olim apud Belgas dicebantur Mandata Legatorum. II. 250. a.
Procurator, nomen generale eſt. I. 26. a.
Procurator & *Curator* ſæpe ſine diſcrimine dicuntur. 64.

de

de Procuratore filiofamilias. V. Fil. famil.
Procuratores Cæſaris extra cauſas fiſcales jurisdictionem non habebant. I. 64. *a.*
——— merum imperium non habebant, nec judicia publica exercebant, niſi quæ ſpecialiter iis conceſſa erant, inter quæ non erat jus deportandi. *ibid.* 65. *a.*
Procuratores Cæſaris, qui vice Præſidum funguntur, etiam dicuntur Præſides, & qui ſint. 65. 66.
——— etiam merum imperium habebant. 64. *b.* 65. *b.*
——— potuerunt eſſe in parte provinciæ, cui toti Præſes præerat. 66.
Procurator Cæſaris interdum unus erat plurium Provinciarum, interdum plures in una Provincia, ſed diverſarum rerum. *ibid. b.*
Procuratores Curiæ Hollandiæ ſuppoſiti. II. 299. *b.*
Procuratorum Amanuenſes an ad forum Curiæ pertineant. 311. *a.*
Proficere pro *progredi*, procedere. I. 319. *a.*
Promiſſio nuda in credita pecunia ſatis lubrica. II. 12. *b.*
——— annui inter V. & U. Vid. Donatio.
Promittere doti, pro *in dotem*. I. 283. *b.*
Propinquorum luctus. V. Luctus.
Proponere & *Componere leges* promiſcue uſurpat Pomponius. 310. *b.*
Proprietas verborum in formulis Legum quam maxime obſervabatur. 355. *b.*
Propulſio injuriæ. V. Vis injuſta.
Proretæ munus in navi. 120. *b.*
Prorogatio jurisdictionis. Vid. Jurisdictio.
Protelare ſatis latinum & antiquum eſt pro *propellere*, *proturbare*, ſed an Veteres dixerint pro *differre* & *producere*, dubitatur. 273. *b.*
Provincia quæque habuit ſuam Metropolin, præſidis Romani ſedem. 199. *b.*
Provinciæ cujusque Fœderati Belgii membra an recte Legatos accipiant. II. 246. *a.*
ſi Provincia aliqua ceſſum ſit, omnibus ejus partibus ceſſum videri. 204. *b.*
Provinciæ ſingulæ Fœderati Belgii habent jus ſummæ poteſtatis. 233. *b.*
——— ſunt ſui juris, niſi quatenus ei renunciarunt Fœdere Utrechtano. 245. *a.*
——— an habeant jus belli gerendi. 232.
——— quominus liceat, non obſtat §. 9. Fœderis Utrechtani. 233. *b.* 234. *a.*
——— modo ne ipſæ male agendo cauſam bello præbuerint. 234. *b.*
——— an cogi poſſint ad ſuſcipiendum bellum pro cauſa communi. *ibid.*
——— an habeant jus repreſſaliarum. 235.
——— pro cauſa ſua recte pacem & fœdera pangunt. 238. *a.*
——— recte Legatos mittunt pro cauſa ſua, non pro cauſa communi. 245. *a.*
——— Ex Fœdere Utrechtano in cauſa religionis ſunt ſui juris. V. Religio.
Provinciæ diſſentientes quibus modis ſint conciliandæ. 285.
——— quid ea de re ſtatutum fuerit Fœdere Utrechtano. *ibid.*
——— quid actum fuerit hac de re in Comitiis extraordinariis Ordinum Generalium 1651. habitis. 286. *a.*
——— nulla certa forma conciliationis unamini conſenſu unquam fuit probata vel recepta. *ibid. b.*
Provinciales Legati. V. Legati.
Provincialia prædia. V. prædia.
Proviſionele Ordre &c. V. *Fiduciaria juſſio.*
Proxenetæ vetantur aſſecurare. 475. *a.*
Proxeneticum pro nuptiis conciliatis an peti poſſit. 350. 351.
Prudentia politica a jure Gentium diſtinguenda. 182. *a.*
Ptolemenſium, ſive, ut Florentiæ legitur, *Ptolemeenſium*, id eſt, *Ptolemeenſium* colonia jus Italicum habuit. I. 171. *a.*
Pubertatem Caſſiani in maſculis æſtimabant ex habitu corporis, ſive potentia generandi, conceſſa inſpectione in cauſa nuptiarum, ſi de ea dubitaretur, non in aliis cauſis. 97. *b.*

Pubertatem Proculeiani ex anno XIV. quorum ſententiam Juſtinianus probavit, & ſolam in Pandectas retulit. I. 97. *b.*
——— Priſcus Javolenus & ejus ſectatores ex utroque. *ibid.*
——— in fœminis Caſſiani itidem videntur æſtimaſſe ex habitu corporis, ſed ſine inſpectione, & quare. 98. *b.*
——— Proculeiani ex anno XII. *ibid.*
Publica κατ' ἐξοχὴν dicuntur, quæ ſunt Populi Rom. 101.
——— etiam dicuntur, quæ ſunt *aliarum Rerum publicarum*, æque liberarum, & *Civitatum* ſub Imperio Romano. *ibid.*
Publicani etiam abſentes publicum exercuerunt. II. 103. *b.*
——— num naufragiis inhiaverint. *ibid.*
Publicanum & *publicum* unum & idem. I. 177. *a.*
——— idem eſt quod vectigal. *ibid. b.*
Publicatio an ſit licita propter illicitum. V. Licitæ merces.
——— bonorum damnatorum. V. Bona.
Publicii plures memorantur in Jure. 77.
Publicus ſimpliciter ſervum publicum denotat. II. 106. *a.*
Pueri qui habeantur, quod ad poſtulandum. I. 112.
Pupillarius. 42. *b.*
Puſillatum, id eſt, *purgatum*, & *puſillum* factum propter putredinem extractam. 252. *a.*
Puteal pro omni eo accipitur quod ſuper puteum extruitur, ſive ædicula ſit, ſive aliud quid ornatus gratia. 154. *b.*
Pyxis ſive *Byxis* mundus muliebris. 164. *a.*
——— e quacunque materia. 85. *a.* 107. *b.*
Pyrgus quid. 322. *a.*

Q

Q. & C. permutantur. I. 127. *b.*
Quadrupedes quæ res mancipi. 325. *a.*
Quadrupedum definitio. *ibid.*
——— appellatione etiam feræ continentur L. XII. Tabb. 336.
——— non tamen omnis quadrupes dici poteſt fera. *ibid. b.*
Quæſitum eſt, quæri poteſt, formulæ JCtorum. 59. *a.*
Quæſtionibus pluribus propoſitis JCti ſæpe tantum ad unam reſpondent. 52. *a.* 109. *a.*
Quæſtionum libri veterum JCtorum ab aliis quomodo diſcrepent. II. 10. *b.*
Quæſtiones maritimæ quatenus ex Lege Rhodia fuerunt deciſæ. 109.
——— publicæ an primum a Sylla conſtitutæ. I. 317. *b.*
Quæſtores Ærarii. 315. *a.*
Quæſtoris Generalis Fœderati Belgii forum, ſi in officio deliquerit. II. 325.
Quæſtuaria mulier. I. 43. *b.*
Qualitas, idem atque *bonitas*, aptitudo, ſalubritas, amœnitas, commoditas. 274. *b.* 275. *a.*
——— & *materia* ſive *ſubſtantia* differunt. 275. *a.*
Qualitas ingenii quid ſignificet. 327. *a.*
Quantitas quid ſit in pecunia. 28. *a.*
Quarta Falcidiæ ipſo jure ad heredem pertinuit, ſed non aliter, quam ſi per vindicandi formulam legatum fuiſſet. 219. *a.*
——— in reliquis legatorum generibus locum habuit, at in his obligatio, ad integra præſtanda, vi Legis ſublata non erat, ut erat in legato vindicationis, hinc ipſo jure illa reliqua legata ſubſiſtebant, ſed heres actione perſonali conventus, per exceptionem retinebat quartam. *ibid.*
——— obtinuit ipſo jure in donationibus mortis cauſa, quoniam ad inſtar legatorum, formula vindicandi relictorum, redactæ fuerunt. *ibid. b.*
——— ab herede ſoluta an repeti poſſit. 220. *b.*
Querelæ inofficioſi teſtamenti olim frequentes. 148. *a.*
——— ——— cur minus frequentes hodie. *ibid.*
——— omnibus promiſcue parentibus & liberis dantur, qui de jure pro iis habentur. *ibib. b.*

Querela non datur ſpuriis. I. 148. b.
—— olim competebat fratribus ſine ullo heredum reſpectu. 149. a.
Vid. amplius voc. Inoffic.
Quia & *qua* ſæpe locum mutarunt. 212. b. 245. b.
Quiritarium jus. V. jus.
Quo pro *in quem finem*. 315. b.
Quod ſi non eſt. 126. b.
Quotus a *quot*, & partem ſignificat. 144. b.

R.

R literam Appius Claudius invenit, & quomodo hoc intelligendum. I. 319. a.
R Antiqui ſæpe uſi ſunt pro D. ut *arvorſum* pro *advorſum*. 418.
Raden olim vocabantur Aſſeſſores in conſilium Gravionum adhibiti. II. 301. a.
Ratio ſtatus. 238. b.
Rationes idem quod patrimonium. I. 165. a.
Rationes diſtrahere eſt diſſipare & intervertere patrimonium pupillare, ſive id fiat turbatis rationibus, ſive alio quocunque modo. ibid. b.
Rebelles jure Legatorum non utuntur. II. 243. b.
Receptor dicitur fideicommiſſarius, quod hereditatem, ab herede ſuſceptam, ipſe recipiat. I. 204. b.
Recte quid, & cur hæc vocula in cautionibus & formulis Veteribus familiaris. II. 14. b.
Redactus ſec. & quart. declinationis. I. 43.
Redacta fructuum. ibid. b.
Redemtio & detentio captivorum non inducit ſervitutem. II. 196. a
Redimendi captivos neceſſitas interdum pactis exprimitur conſtituta certa pecunia ibid.
Reficere pro *reparare*. I. 191. a.
Reficere & refectus pro *redigere*, reditu, proventu, vel redactu. 209. b.
Refundere pro *reddere* ſatiſne Latinum. II. 22. a.
Regere jura pro reddere. I. 312. a.
Regio una a victore occupata, nulla ab alio retenta, totius imperii tribuit poſſeſſionem. II. 203. a.
Regulæ Veteribus conſtitutæ, earum ratio non æque ſemper patet, & ſæpe ex uſu vel facto ortæ ſunt. I. 57. b.
Regulus arte captatoria variis hominibus illuſit, ipſe etiam aliquando illuſus. 431.
Rei appellatio ſæpe defertur ad id, quod præceſſit, ſive unum ſit, ſive plura. I. 95. b.
Reipublicæ cauſa cenſetur abeſſe, ſtatim atque aliquis egreſſus eſt civitatem, ex qua mittitur, quamquam non exceſſerit Provinciam, ex cujus Metropoli mittitur, iſque tam diu abeſt, quamdiu in eandem urbem non redit. 199. b.
a Reipublicæ adminiſtratione an arcendi ſunt peregrini. V. Peregrini.
Rei vindicatione ex jure Quiritum liberi peti potuerunt. 346. a.
Relatum pro *apud JCtos in eorum ſcriptis probatum*. 245. a.
Relegare in inſulam Præſes poteſt, ſi quam ſub ſe habeat, ſi non habeat, Princeps adſignat. 204. a.
Relicta incapacibus quibus cedunt. II. 392.
Religio non poteſt cogi. I. 414. a.
Religiones peregrinæ quo loco apud Romanos fuerint, & an earum cauſa coire licuerit. ibid. a.
Religionis peregrinæ homines nunquam relegabantur, vel alia pœna puniebantur, niſi ſi Rempublicam turbarent, ut ſi peregrina ſacra inducant. 181. 182. a.
Religionis cauſa coire licuit, non tamen ſub prætextu religionis cœtus agere. 416. b.
—— odium magis infecit gentes, quæ erant puſillioris animi, quam quæ aliqua animi magnitudine cenſebantur. 413. a.
—— cura quatenus ad Leges & JCtos pertineat. 412. b.
Religione ſeu patria ſeu peregrina ſi quis abutatur ad promovendas ſeditiones & rebelliones, relegatione punitur. 182. a.
Religio abſque decretis hominum conſiſtere nullo modo poteſt. II. 273. a.
Religionis libertas ex Fœdere Utrechtano fuit penes ſingulas Provincias Fœderati Belgii. 272.
—— ea duravit adhuc anno 1618. & 1619. 273. a.
—— ante annum 1651. nulla Lex aut pactio interceſſit inter Ordines Generales, ut ſolus Calvinianiſmus doceretur in Belgio Fœderato. 273. a.
—— Synodi Dordrechtanæ, quæ ſolum probavit Calvinianiſmum, Decreta omnia ab omnibus provinciis non ſtatim fuerunt probata. ibid. b.
—— Decreto 27. Jan. 1651. Ordines Generales promiſerunt, ſingulos in ſua Provincia religionem reformatam defenſuros. 274.
—— An una Provincia recte tueatur Calvinianiſmum, nec ne, non pendet ab arbitrio ceterorum Fœderatorum. ibid. a.
—— modus defendendi Calvinianiſmi, D. Decreto cuique Provinciæ relictus. ibid. b.
—— ſingulæ Provinciæ ſalvo D. Decreto, in cauſis Eccleſiaſticis manſerunt ſui juris. ibid.
in Religionis cauſa nulla ab omnibus Provinciis poteſtas data eſt Ordinibus Generalibus. ibid.
Religioſus tantum eſt locus, ubi caput conditum eſt, ſi menbra per partes pluribus locis ſepulta ſint. I. 24. b.
—— etiam videtur locus, in quo una tantum qualiſcunque pars corporis ſepulta eſt, reliquis inhumatis. ibid. a.
—— non etiam cenotaphium. ibid.
Religioſum locum quando poſſit facere ſolus proprietarius. 30. b.
Remiſſio criminum. V. Crimina.
Rependere pro *reddere*, *reſtituere*. 246. a.
Repetere pro revocare, reſcindere. 176. b.
Repetitio ejus, quod ademtum eſt, an ſit neceſſaria ante introitum belli. II. 193. b.
Repræſentationis commodum eſſe in dote prælegata, ut recte dos relegetur, quamvis annua die præſtaretur. I. 238. a.
Repreſſaliæ an contra Legatos exerceri debeant. II. 179.
—— Romanis incognitæ. 235. a.
—— non conceduntur niſi in palam denegata juſtitia. ibid.
—— locum non habent niſi in pace. ibid. b.
Repreſſalias pactis reſtringi eſt utile. ibid.
—— in totum tolli non patitur improbitas. ibid.
—— concedere ſolius eſt Principis. 236. a.
—— in Belgio olim ſingulæ urbes exercebant. ibid.
—— recte exercent ſingulæ Fœderati Belgii Provinciæ in cauſa ſua, non in cauſa communi. ibid. b.
Res jure naturæ ſolo animo retineri non poteſt. 124. b.
Res hoſtiles in amicorum navibus repertæ recte publicantur. II. 218. b.
Res ab hoſtibus captæ, in non hoſtis imperium delatæ, an poſtliminio revertantur. 219.
—— revertuntur delatæ in imperium amici, qui ſimul eſt ſocius & fœderatus. ibid. a.
—— non revertuntur, ſi tantum delatæ ſunt in Imperium amici, qui non eſt fœderatus. ibid. b.
Res hoſtium an liceat aſſecurare. V. Aſſecurare.
—— an apud communes amicos liceat vendere. 220. a.
Res mobiles, & præſertim naves hoſtium, quando fiant capientium. 197.
Res an & quouſque recuperatori cedant. 200. b. 201. a.
quas Res ad hoſtes advehere non liceat. V. Hoſtes.
Rerum mobilium & ſe moventium promiſcua ſignificatio. I. 334. a.
Res immobiles quomodo mancipari poſſint. 340. a.
—— mobiles quomodo. ibid.
—— incorporales an, & quæ ſint res mancipi. 338. a.
—— tam mobiles, quam immobiles, quæ ob defectum juris uſucapi non poterant, præſcribi poterant. 340. a.
Res judicatæ. V. Curiæ.
—— divinæ. V. Divinæ.

Re-

Reſciſſoria data ei, qui reipublicæ cauſſa abeſt. I. 281. *a.*
ob Reſcriptorum Principalium ignorantiam non debent reprehendi JCti, & cur. 24. *a.*
——— in Reſcriptis interpretandis ſæpe diſſentiunt veteres JCti. *ibid.*
Reſervatoria clauſula. V. *Clauſulæ.*
Reſidenten olim magis frequentati ac hodie. II. 164. *a.*
——— an quoad forum ejusdem juris ſint ac alii Legati. *ibid.*
Reſpondere & *reſponſitare de jure*, *eſt reſponſa dare* conſulentibus. I. 113. *b.*
Reſpondent ſæpe JCti interrogando. 350. *a.*
Reſpondere bonoribus majorum quid ſignificet. 321. *a.*
Reſponſorum libri a libris Quæſtionum quomodo diſcrepent. II. 10. *b.*
Reſtitutio in integrum an poſſit impetrari contra præſcriptionem, quæ in aſſecurationibus actioni de damno objicitur. 453.
Reſtructa domus pro *domo denuo ædificata.* I. 282. *a.*
Retentio datur magiſtro navis ad contributionem bonorum. II. 472. *b.*
Reticulum ornamentum capitis muliebre. I. 125. 165. *b.*
——— pro faſcia. *ibid.*
Retorſio adverſum quem obtineat. II. 199. *b.*
Retractus jus an ſocius habeat. 373. *b.*
——— nonnullæ quæſtiones. 417.
——— an ceſſat in re, quæ publice venditur. 420. *a.*
——— an admittat præſcriptionem. 419. *b.*
Revocandi domum jus. V. jus, item privilegium.
Revocatio judicati in duplum videtur fuiſſe, quum tempus appellandi præteriſſet, & nulla contra ſententiam reſtitutio in integrum ſupereſſet, poteſtas, qua cauſa denuo in judicium reduceretur, promiſſa dupli pœna, niſi obtinuiſſet, qui revocabat. I. 188. *a.*
Reid Arx in agro Juliacenſi. II. 237. *b.*
Rex Franciæ Henricus IV. juris Gentium peritiſſimus & tenaciſſimus fuit. 175. *a.*
Rex in Siam cœli terræque imperium ſibi adſcribit. 109. *b.*
Reges Orientis luxuriantur titulis. *ibid.*
——— quum in alterius territorio morantur, an jura principium amittant. 150. *b.*
Rhetores dicuntur JCti. I. 218. *a.*
Rhodia Lex de quibus quæſtionibus maritimis valuerit. II. 110. *b.*
——— ejus fragmentum, quod hodie occurrit num genuinum ſit. 112. *a.*
——— Lege iis, qui naufragium ſervarunt, pro mercede datur pars naufragii. 202. *a.*
Rhodiæ leges an valuerint extra Rhodum. 114. *a.*
——— ita demum obtinent, ubi deficiunt Romanæ. 112. *b.* 113. *b.*
——— ex iis valuerat apud Romanos duntaxat Lex de jactu. *ibid.*
——— quem in finem confirmatæ a Romanis Principibus. *ibid.*
——— an iis Tiberius auctoritatem dederit. 115. *b.*
Rhodii jam Auguſti tempore Romanis parebant. 116. *a.*
——— eorum eunomia navalis quam fidem mereatur. 113.
Rhodus inſula num inter Cycladas inſulas. *ibid. b.*
Riſcus pro *ciſta.* I. 165. *a.*
Romani de terrarum orbis omniumque Gentium imperio jactitarunt. II. 108. *b.*
——— quid juris in Oceano habuerint. 128.
——— Principes. V. Pricipes.
Romanis etiam optimis ſuperbia velut innata. 108. *b.*
Romanorum Leges non tantum, ſed & mores receperunt plerique populi Europæi. 193. *b.*
——— veterum Leges rigidæ ut eorum mores. 346. *b.*
Romanum jus qui audit, Gentium omnium vocem audire videtur. 154. *a.*
Romulus viduabus præſcripſit decem menſium luctum. I. 158. *a.* 160. *b.*
Ruſticum & *ruſticanum* apud bonos auctores eſt unum & idem. 177. *a.*

S

S*Abathenes Lacus* quis. I. 202. *a.*
Sabatia vada. V. Vada.
Saccofori Manichæorum ſecta. 422. *a.*
Sacerdotes Pontificii an olim Curiæ Holland. ſubfuerint. II. 310. *a.*
Sacrilegium. V. Furtum.
Sacra pertinent ad curam Legum. I. 412. *b.*
——— *deteſtanda* quæ. 413. *a.*
——— peregrina aliquando recepta. 414. *b.*
Sacrorum cura pertinet ad eum, qui ſummæ rerum præeſt. 412. *b.*
de Salariis adſeſſorum & pragmaticorum. 180. *b.*
Salientes perſonæ. 155. *b.*
Salpeter an recenſendum inter contrabanda. II. 211. *b.*
Salvii JCti plures. I. 41. *a.*
Salvianum interdictum antiquius Salvio Juliano fuiſſe videtur. *ibid.*
Salutem dicere hoſti adulatorium eſt. II. 195. *a.*
Sanctitas perſonæ an eximat jurisdictione magiſtratus. 153. *b.*
ex Sanctitate Legatorum num quæſtio de eorumdem foro æſtimanda. 183. *a.*
Sanctimoniales Virgines an inter perſonas Eccleſiaſticas numerandæ. 375. *a.*
ſine Sanctione omnis Lex eſt imperfecta. I. 420. *a.*
Sanctus & *Sanctianus*, nomina propria. 77. *a.*
Sanguinolentus, & ſanguinolenti liberi. 359. *b.*
Satisfacere, *dare*, *ſolvere*, ſynonyma. II. 19. *a.*
Saturninus (Quintus) quando vixerit. I. 353.
Saupheia Lex. 249. *a.*
Saupheii fuerunt quamplurimi. *ibid.*
Scabini Hagæ quando creati. II. 301. *a.*
——— Eorum prima mentio. *ibid.*
Scabro, vox nuſquam lecta. I. 96. *b.*
Scævola defenſus. *ibid.*
Scapha Βάρκα. II. 471. *b.*
S C. A R F. pro *ſcribendo adfuerunt.* I. 418. *a.*
Scotatio Dacica. 340. *a.*
Scriba Legati a ſcriba Legationis an diſtinguendus ratione fori. II. 164. *b.* 165. *a.*
Scribere, pro ſe ex cauſa crediti obligare. 13. *a.*
Scriptura, pro *teſtamento.* I. 73.
Sculteti & ſcabini ſucceſſerunt judicibus agreſtibus. II. 302. *a.*
Scurriles luſus pro *jocularibus* an recte dici poſſit. I. 322. *a.*
Secare, eſt in auctione vendere. *Sectio* auctio. 18. *b.*
Secare debitores in L. XII. Tabb. eſt eos in auctione publica vendere, ut nulli imputetur, ſi non ſuo pretio ſint venditi. *ibid.*
Secreta judicia pro Teſtamentis. Secretum alienæ voluntatis quid. 433. *a.*
Sectio debitorum L. XII. Tabb. concedebatur pluribus creditoribus non uni. 18. *b.*
Sectio corporum debitorum nunquam facta fuit. *ibid.*
Sectis novis JCti ſe fortiter oppoſuerunt. 413. *a.*
Sed & *ſet* promiſcue ſcribitur. 199. *a.*
Sed &, particulæ, interdum minuunt ſignificationem. 93. *a.*
ad Seditiones ſedandas non ſemper vi armata, ſed dolo bono ſæpius uſi fuerunt Romani. II. 290. *b.*
Selinus vel Trajanopolis eadem eſt urbs, & jus Italicum habuit. I. 171. *b.*
Semper & *ubique* pro plerumque. 237. *a.*
Senatoribus Curiæ ſupremæ an Curiæ Hollandiæ ſubditi ſint. II. 311.
——— utriuſque Curiæ in Hollandia interdictum eſt donum munus accipere. 253. *a.*
Senatus Conſultum Pegaſianum quid præſtiterit. I. 203. *a.*
——— ——— de aſſignandis libertis ſub Claudio factum. 430. *b.*
——— Marcianum de Bacchanalibus tollendis. 417. *a.*
——— quod captatorias inſtitutiones prohibuerit quale fuerit. 430. *a.*
Senatuſconſultorum formulæ. 418. *a.* 430. *a.*
Seneca Philoſophus heredipeta. I. 431.

Sententia diſtinguitur ab opinione. I. 205. *a.*
Sententiæ diſtinctæ JCtorum proprio nomine dictæ fuerunt *Loci* ſive *Loca.* 162. *b.*
Septenario numero an occultæ qualitates inſint II. 25. *a.*
Sepulcra inter & ædificia aliena legitimum ſpatium ſtatutum. I. 124. *b.*
Sepulcrorum luxuria apud Romanos. *ibid.*
Sepultura, pro cadavere. 24. *b.*
Sepultura gratuita humanitati tribuitur. 125. *b.*
——— cadaverum hoſtium. II. 196. *b.*
Serraculum pro *clavo*, vel gubernaculo navis. I. 118. *b.*
Servi. V. mancipia.
—— apud Romanos vix hominum numero habebantur. 351. *a.*
—— quomodo apud Prætorem mancipati. 340. *a.*
—— Eos exponere Dominis non licuit, poſtquam his interdictum fuit non tantum ſervos occidere, ſed vel ultra modum in eos ſævire. 365. *b.*
—— a Belgis non habentur niſi in Aſia, Africa & America. II. 196. *a.*
Servi corrupti actio non videtur eſſe ex L. Aquilia, & cur perpetua, cum ſit prætoria. I. 31. *b.*
Servilia Lex. 197. *a.*
Servilius JCtus mutandus videtur in *Cervidius*, quo Scævola ſignificetur. 173.
Servitutis definitio, a JCtis tradita, continet & ipſam conditionem & ſtatum ſervitutis. II. 191. *b.*
——— jus competit victori in victum. 196. *a.*
in Servitutem redigendi hoſtes conſuetudo moribus plerarumque gentium exolevit. *ibid.*
Servituti ſucceſſit captivorum, qui ejusdem gradus & conditionis ſunt, permutatio, vel detentio, donec redimantur. *ibid.*
Servitute poſſumus uti adverſus eos, qui ea in nos utuntur. *ibid.*
in Servitutem duo petunt eundem hominem, uterque ſeparatim & pro parte dimidia, alter judicio liberali vincit, alter vincitur; hac de re veterum JCtorum ſententiæ exploſæ. I. 225. *a.*
Servitus pro *Servis.* 85. *b.*
Servitutem imponere poteſt proprietarius diſſentiente fructuario, qua conditio fructuarii deterior non fiat. 30. *a.*
Servitus fundo obligato poſtea impoſita, an hypothecaria reſcindi poſſit. II. 373. *b.*
Vid. jura prædiorum & prædia.
Servius Sulpicius a Mucio reprehenſus. I. 322. *a.*
—— de ſacris deteſtandis libros ſcripſit. 413. *a.*
Seſtertium & aureus num differant. II. 14. *a.*
—— & mille ſeſtertii paria ſunt. *ibid.*
Set pro *ſed.* I. 112. *b.*
Sic, pro *tunc.* 41. *a.*
—— abundat. *ibid.*
Sicarii Lege Cornelia deportati. 351. *b.*
Sigilla. 155. *b.*
Simplicitate gaudens, pro eo, qui rudis & ignarus eſt. 283. *b.*
Simpliciter pro *ſincere*, *bona fide*, *ſine dolo.* 210. *a.* II. 30. *a.*
Singularia JCtorum & aliorum auctorum non temere damnanda. I. 58. *a.* 84. *a.* 104. *a.*
Singularius. 42. *b.*
Smyrna, Metropolis fuit ſub Imperatoribus Romanis. 200. *a.*
So & *ſos*, pro *ſuo* & *ſuos* antique. 123. *b.*
Soceri & *Socrus* adpellatione continentur etiam pater & mater ſponſi ſponſæque. 23. *b.*
Societas, *univerſitas*, *collegium* pro eodem accipiuntur. 230. *b.*
Societas privatorum ad prædandum. II. 224. *a.*
Sociorum quæ ſunt, hoſtibus erepta poſtliminio redeunt. 221. *b.*
Socius jus retractus an habeat. 373. *b.*
Sodalitia nautarum. I. 34. *a.*
—— prædæ agendæ cauſa conſtituere licet. *ibid.* *b.*
Vid Collegia.
Soldani Babylonenſes & Ægyptii ſupra modum luxuriantur in titulis. II. 109. *b.*
non Solet, his verbis ſignificatur, hanc eſſe regulam. I. 252. *b.*
Solidi æſtimatione imminuta, decreſcere etiam pretia ſpecierum, quid ſit. 66.
Solitarii, Manichæorum ſecta. 422. *a.*
Sollicitatores, qui ſtipendia militum pro mutuo præſtant, an ſuppoſiti Curiæ ſint. II. 299. *b.* 300. *a.*
—— litium an pro *Suppoſitis* Curiæ habendi. 299. *b.*
Soluere: pro *ſoliti ſunt*, a *ſoleo.* I. 250. *a.*
Solvere, *dare*, *ſatisfacere*, ſynonyma ſunt. II. 19. *a.*
Solummodo pro *tantummodo* ſatis latinum videtur. I. 143. *b.* 144. *a.*
Sors ſi dilata eſt, differuntur & uſuræ. II. 31.
Sortis univerſæ fœnus an jure debeatur, quum conventio ſtipulationem ſortis immutaverit. 32. *a.*
—— integræ exactio etiamſi ſolummodo exceptione ſiſtatur, nihilominus ejus fœnus ipſo jure non committitur. 34. *a.*
Soter, nomen proprium. 77. *b.*
Spadones pro *eunuchis.* 105. *b.*
Sparteoli cum *hamis* vigilarunt ad reſtinguenda incendia. 281. *b.*
Specialis enunciatio generali ſubjecta quando reſtringat generalem. 72. *a.*
Species, pro minoribus nummis, ſive partibus ſolidi. 66.
Species in genera dividere apud JCtos inſolens non eſt. 254. *b.*
Specierum enumeratio legato generali ſubjecta in legato duplici, minuit generale, ſi certi numeri ſpecies nominatim expreſſæ ſint. 72.
—— non minuit, ſi ſpecies nominatim expreſſæ non ſint. *ibid.* *b.*
Specierum enumeratio legato generali una & continenti oratione ſubjecta cum unum eſt legatum, reſtringit legatum generale ad ſpecies enumeratas. *ibid.*
Spectare, pro *exſpectare*, an dicatur. 84. *a.*
Specula & *ſpecularia* perperam confunduntur. 184. *b.*
Specula ſunt etiam *pictæ tabulæ*, quibus olim & nunc quoque integri parietes teguntur, quin & vera ſpecula, ad ornamentum, in parietes immittebant Veteres. *ibid.*
Sponſalia minorum in Hollandia. II. 348.
Sponſalia pro his, quæ ad ſponſalia requiruntur. I. 165. *a.*
Sponſare & *deſponſare* dixerunt Auctores JCtorum æquales. 232. *b.*
Sponſi nomine etiam gener continetur. 23. *b.*
Spurii an, ut ab inteſtato matri ſuccedant, ſic & ſuccedant cognatis maternis. II. 413.
SS. ſæpe ſcribitur pro X. I. 107. *b.*
Statua aurea differt a ſtatua *deaurata.* I. 193. *b.*
Statulibero in libertatem evicto, venditor, ſi expreſſerit conditionem falſam, ſive ſciens, ſive ignorans, non ſemper & ubique tenetur, ſed ita demum, ſi falſa conditio damnum aliquod emtori attulerit. 215. *a.*
Statum tenere an Latine dicatur. 423. *b.*
Statutum Amſterd. 23. Jan. 1699. II. 442. *a.*
Stilus JCtorum Veterum, quamvis generaliter ſit Latinus, ſæpe etiam Romanus, varius tamen eſt pro JCtorum ætate & origine. I. 268. *a.*
—— Atticus periit cum libertate Romana, ſucceſſit Rhodius, quo plerique JCti utuntur, poſtea Aſiaticus, quo in Legibus ſuis tumet Conſtantinus Magnus. *ibid.*
Stipendiaria prædia. V. prædia.
Stipendium pendebatur Provincialibus Principi Populove Romano. 170. *a.*
—— non pendebant Fundi Italici, neque etiam illæ Provinciæ, quæ jure Italico erant donatæ. *ibid.*
Stipulatio Aquiliana non perimit ea, de quibus non eſt cogitatum. 101. *a.*
—— —— cur neceſſaria. II. 47. *a.*
Stipulatio captatoria illicita. I. 438.
——— an præſumatur, ſi in inſtrumento ſimpliciter ſcriptum promiſiſſe aliquem. II. 16. *a.*
—— conditionalis ab eventu pendet. 34. *b.*
Sti-

Stipulatio præpoſtera, inutilis. II. 35. *b.*
—— de uſuris retro a die contractus initi præſtandis an præpoſtera ſit. *ibid.*
—— an & quo uſque cum pacto conveniat 57 *a.*
—— ei num inſint pacta. 49. *b.* 50. *a.*
—— circa ejus ſolemnia quid jure novo mutatum. 17.
—— ejus placita ſervanda ſunt, quævis licet conditio accedat. 35. *a.*
Stipulationes calumniam & lites præcidunt. 23. *b.*
Stipulationis dies. V. Dies.
Stipulationes pœnales, an & quatenus licitæ. 368.
—— quatenus admiſſæ in voluntariis condemnationibus Curiæ ſupremæ Hol. 369 *b.* 371. *b.*
ex Stipulatu actio pinguior eſt actione de dolo. 15. *a.*
Stricti juris contractus quot dentur 46 *a.*
—— majorem habent ἀκρίβειαν quam bonæ fidei contractus. *ibid. b.*
Striverit a veteri *ſtrigo* pro *ſtrinxerit.* I. 249. *b.*
Studioſi juris qui. 179 *b.*
Studioſi privilegio fori Academici renunciare poſſunt. II. 181. *a.*
Subditus an ſit is, qui fortuito moratur tanquam peregrinus, ab alterius ditione. 149. *b.*
—— duorum Principum an quis eſſe poſſit. 161. *b.*
—— Fœderati & Socii noſtri, ad communem hoſtem commeans, an a nobis puniri, vel res ejus publicari poſſint. 212. *b.*
Subditi conditionem exuere & civitatem mutare licet pro lubitu, niſi ſpecialis Lex id prohibeat. 231. *b.* 288. *b.*
—— ex privilegiis multarum Urbium in Belgio & alibi, diſcedentes tenentur ſolvere certam bonorum ſuorum partem. 288 *b.*
Subjectio quotuplex ſit. 148. *a.*
Succeſſionis inteſtati ex XII Tabb. origo & ratio *ex univerſitate familiæ* unde excluduntur cognati, & mulieres, quæ e familia enupſerant. I. 44. *a.*
Succeſſio inteſtati Jure Gentium cui debeatur. 45. *a.*
—— cur jure civili definita; & jure poſteriori etiam cognatis data ſit. 44. *b.*
Succeſſionis in cauſa teſtamenti origo. Vid. Teſtamentum.
—— inter virum & uxorem ecqua ratione Jure Romano placuerit, Jure noſtro diſplicuit. II. 415.
Succeſſionem ab inteſtato jure adgnitatis nullam eſſe juris civ. eſt regula, quamvis aliter aliquando jure honorario. I. 149.
Sufficere pro *ſubſtituere* accuſandi non dandi caſum r dabat. 315 *b.*
Sufficit actio, pro *competit.* 120. *b.*
Suffragiis judicum utrinque paribus, humanius erat eam partem ſequi, quæ ſecundum teſtamentum pronunciaverat. 203 *a.*
Suggrundam ſuper aream ſuam projectam qui recidit, cur teneatur lege Aquilia 118. *a.*
Summæ quemadmodum computandæ ſint in appellationibus ad Principem. 147. *a.*
Superbia Romanis etiam optimis innata. II. 108. *b.*
Superſtitio vocatur omnis religio, quæ ab avita & publice recepta diſſidet. I. 181. *a.*
Superſtitionis doctrina. 473. *a.*
Supellex differt ab Inſtrumento domus. 282. *a.*
Supellectile argentea utebantur veteres, tenuiores vero argentata vel argento incluſa & obducta. 193. *b.*
Supellectilis Legatum. V. Legatum.
Suppoſiti, ſive qui in officio ipſius Curiæ Hol. ſunt. II. 299.
—— an olim omnimodo ſubjecti fuerint Jurisdictioni Curiæ Hol. *ibid.*
—— dicuntur Advocati & Procuratores, qui apud Curiam poſtulant. *ibid. b.*
—— quod ad exemptionem a tributis Haganis quinam habendi. *ibid.*
—— Curiæ an ſint ſollicitatores litium. *ibid.*
Suppoosten van den Grave. 301. *a.*
Surdus quis intelligatur eſſe quod ad poſtulandum. I. 114. *a.*
Suſcipere hereditatem dicitur heres. 204. *b.*
Suus heres cur ita dicatur. I. 44.
Sui appellatio continet omne id, quod eſt in alicujus dominio, ſed interdum ad certas res reſtringitur. 62. *a.*
Suæ veſtis Legatum. V. Veſtis legat.
Sylla an primum Quæſtiones publicas conſtituerit. 317.
Symbolica traditio. 340 *a.*
Symphonia pro ſymphoniacis. 85 *b.*
Syndici & Scribæ, quos Magiſtratus urbium Comitiis Hollandiæ intereſſe volunt, ſi origine ſint peregrini, ſemper arceantur. II. 259.
Synodi Dordrechtanæ omnia decreta ab omnibus Provinciis non ſtatim fuerunt probata. 273 *b.*
Syntheſis eſt plurium agrorum conjunctio, qui forte ab uno colono coluntur. I. 187 *a.*
—— agrorum & veſtium. 106 107.
Syri. V. Galli.
—— ſolos haberi Deos volunt, quos ipſi colunt. 415. *b.*

T.

T. & D. item T. & I. facile permutantur. I. 106. *b.* 78. *b.*
Tab. nota *tabularum*, non TA. 40. *b.*
Tabacum an habendum inter *contrabanda.* II 212. *a.*
Tabulæ, *ceræve*, verba ſolemnia formularum. I. 94. *b.* 95. *a.*
Tabulæ proponebantur, *ubi facillime gnoſci vel legi poſſent*, & hæc vel ſimilis formula LL. inferebatur. 420. *a.*
XII. Tabulæ ex qua materia primum fuerint confectæ. 310.
XII. Tabb. Leges quando latæ. 316 *a.*
—— Pueri olim Romæ eas, ut neceſſarium carmen, diſcebant. 320. *a.*
—— an unquam oratione verſa prodierint. 326. *b.*
Θαλασσοκρατεῖν quid. II. 136. *b.*
Tali an non ſint in homine. I. 71. *a.*
Talum excutere. *ibid.*
Tam, omiſſum aute *quam.* 29. *b.*
Tangi contumelia pro *moveri opprobrio.* 323. *a.*
Τάξις, gradus apud Latinos, nunquam vero apud Græcos, ſed βαθμός. 155. *a.* 157. *a.*
Tarquinius Superbus Priſci filius, non nepos. 309. *a.*
Θειότητος vocabulum num Imperatoribus etiam vivis tribui potuerit. II. 115. *b.*
Θεῖα, ἱερὰ, quid. I 84. *a.*
Temporale damnum, pro *damno ex lapſu temporis.* 273. *b.*
Tempore majore quid ſignificet apud Pomponium. 313 *b.*
Terra contineri proprium JCtorum verbum. 155. *b.*
Territorio bona mobilia & immobilia regulariter ſubjecta. II. 168. *a.*
in Territorio alieno quo jure cenſeatur Princeps, Legatus & Privatus. Vid. Princeps, Legatus, Privatus.
Territorium communis amici valet ad prohibendam vim, quæ ibi inchoatur, non valet ad inhibendam, quæ extra territorium inchoata, in ipſo continuatur. 267. *b.*
in Territorio amici recte perſequimur hoſtem fugientem *ibid.*
Territorium Curiæ Hollandiæ. 313. *a.*
Teſtamenta noſtra Hol. qualia ſunt. 385. *a.*
—— & ſucceſſiones ex iis videntur eſſe ex Jure Civili. I. 45. *a.*
—— calatis comitiis apud Populum Rom. & deinde apud ſeptem teſtes cur fierent. *ibid.*
—— parentum inter liberos qualiacunque cur valeant. 46. *b.*
Teſtamenti an ea vis ſit jure Gentium, ut dominium defuncti propaget in heredes. 45. *a.*
Teſtamentum mutuum conjugum. V. Conjuges.
Teſtamento qui ſibi adſcribunt. II. 390.
Teſtamentum factum ab eo, qui heredes ab inteſtato non habet, valet etiam non adhibitis ſolemnitatibus Juris Civilis, modo de voluntate defuncti conſtet. I. 45. *b.*
Teſtamento poſteriore imperfecto, quo cognati proximi

mi heredes ſcripti ſunt, prius perfectum, quo extranei ſcripti erant, rumpitur. I. 46. b.
Teſtamentum tam ſcriptum quam nuncupativum poteſt fieri quinque verbis. 143. a.
——— poteſt fieri & tribus, quin & duobus. ibid.
Teſtamenti Romæ major, quam heredum ab inteſtato habebatur ratio. 148. a.
Teſtamentum dicunt inofficioſum non modo filius patris, ſed & avi nepos & proavi pronepos, & ſic vice verſa. 148. b.
Teſtamentis non utitur Dacia. ibid. a.
Teſtamentum ſuſtinetur ſecundum quod pars dimidia judicum pronunciavit. ibid.
Teſtamentariæ ſolemnitates per æs & libram. 338. a.
in Teſtamentis totum facit voluntas defuncti. 450. a.
Teſtamentorum jura per ſe firma eſſe debent, non ex alieno arbitrio dependere. 440. a.
——— libertati Romani ſollicite ſemper proſpexerunt. 438. b.
Teſtamenti factionem cur Lex permiſerit. 45. a.
——— concedit Juſtinianus omni muto, ſive natura fuerit mutus, ſive caſu obmutuerit dummodo litteras noverit. 275. b.
——— vetus Juriſprudentia omni muto negat, atque ita & muto, qui ſcribere poteſt, hoc uno excepto, niſi ob morbum, qui ſupervenit, uſus linguæ impediatur. ibid.
——— factio activa Pontificiorum Eccleſiaſticorum & Sanctimonialium. II. 377.
——— minorum in favorem tutorum & curatorum eorumve liberorum. 379.
Teſtari ſignificatione paſſiva. I. 143. b.
Teſtati cauſa apud Romanos fuit potior, inteſtati vero apud Græcos. 203. a.
Teſtatio varia ſignificat. 90. a.
Teſtatores ſolebant bona ſua variis nominibus appellare. 209. b.
Teſtatrix gravida inſtituens liberos, quos pareret, & relinqueret ſuperſtites, & ſi hi ante ſe decederent, inſtituens maritum, an inteſtata ſit dicenda, ſi nunquam peperit. II. 372. b.
Teſtimonium & *teſtamentum* conſuetudine ſermonis commutata. I. 90. b.
Teſtimonium denunciare, *remittere*, quid. 93. b.
——— quot teſtibus denunciare liceret, lege definitum. ibid. a.
——— qui denunciare poſſent. ibid.
Teſtimonium inſtruere. Vid. Advocatio.
Teſtis in teſtamento per æs & libram potuit eſſe heres, non vero familiæ emtor. 279. b.
——— an potuerit eſſe in teſtamentis, quæ vel calatis comitiis vel in procinctu fiebant. ibid.
——— non potuit eſſe in teſtamentis Prætoriis vel mixtis. 280. b.
Teſtes qui ob gratiam vel inimicitiam teſtimonium dixerunt, qua pœna teneantur. 94. b.
Theſaurus, ſi inveniatur, quid juris in eo habeat mercenarius. I. 247. II. 229. a.
Theſauri poſſeſſio quemadmodum acquiratur, non una veterum juris Auctorum ſententia fuit. I. 211. a.
——— ——— quæritur ſine omnigena contrectatione, modo adſit poſſidendi animus, & præter eum contrectandi poteſtas. 212. a.
Theſaurus etiam appellatur id, quod quis deponit, & cuſtodiæ cauſa, terræ viſceribus commendat. ibid. b.
Θιασῶται qui. 34. a.
Tiberius an primus Legibus Rhodiis auctoritatem dederit. II. 115. b.
Tignum junctum differt ab injuncto. I. 314. a.
Tingere nummos. 123. a.
Tituli non ſemper addebantur JCtorum libris, neque ſemper omittebantur. 162. a.
——— ſive adeſſent, ſive abeſſent, diſtinctionis tamen cauſa adhibebantur ſectiones in modum §§. ibid.
Titulos ipſos in allegationibus laudare moris fuit. 186. b.
Titulis inſolentioribus Diocletianus eſt delectatus. 421. a.
Titulis luxuriantur Orientis Reges. II. 109. b.
Titulorum prodigalitas majus jus non tribuit. ibid.
Tolli & tolliſſe, pro *ſuſtuli* & *ſuſtuliſſe*. I. 42. b. 43. a. 249. b.
Toparchæ nec judicant, nec ipſi judicare poſſunt. II. 260. b.
——— varii olim in Belgio exercuerunt criminum remiſſionem. 268. a.
Tot & *totus* partem denotat, ubi ſequitur *quotus*, & tunc prima ſyllaba corripitur. I. 144. b.
Tractus pro *menſe*. II. 28. a.
Traditio eſt rerum nec mancipi, ut mancipatio rerum mancipi. I. 334. b.
——— duplex, ſolemnis & formularia, & nuda, & quis utriusque effectus. 339. a.
——— ſolemnis poſtea ſublata. ibid. b.
——— ſymbolica. 340. a.
Trajanopolis ſeu *Selinus* eadem eſt urbs, & Jus Italicum habuit. I. 171. b.
Trajectiones litterarum, ſyllabarum, & vocum in Pandectis Florentinis frequentes. 30. b. 52. b. 58. b. 71. a. 75. 103. b.
——— litterarum frequentiores in nominibus propriis, quam communibus. 77. a.
——— ſyllabarum & vocum. 146. b. 184. a. 190. b. 191. b. 195. b. 253. 260. b.
Tranſiſulania anno 1665. ab Epiſcopo Monaſterienſi vaſtata, perperam Ordinum Generalium Conſiliarii cenſuerunt, rationem eſſe habendam exactionum ob redemta incendia. II. 237. b.
Tranſitus innoxius terra marique num prohiberi poſſit. 129. b.
Tranſlatio, pro *tranſlatione judicii*. I. 67.
an Tranſlatio legati, an conditio, an pœna ſit unde dijudicandum. 451. a.
Trebatius de religionibus ſcripſit. 412. b. 413. a.
Tribonianus defenſus. 121. b.
add. Emblemata Triboniani.
——— non ſolet, cum JCti uno loco, quicquid ad plenam alicujus argumenti ſcientiam pertinet, expediverint, ea omnia referre uno loco, ſed alia atque alia diſtinctis libris & capitibus 224. a.
——— ſæpe in ſcriptis JCtorum quædam accommodavit ad rationem novi juris, quamvis in ſingulis verbis, quæ non ſatis elegantia videntur, ejus manus non ſit quærenda. 267. b.
——— multa omiſit, quæ vel palam abrogata erant, vel uſu contrario obliterata. 224. b.
——— ſæpe obtruſit nobis jus vetus, atque ſi novum eſſet. 272. b.
——— addidit voculas hic illic, quæ tranſitionibus ferviunt, vel in Pandectarum locis retulit, quæ pertinebant ad ſuperiora, quo lectorem remitit. 274. a.
——— ſæpe quædam omiſit, ſæpe etiam *principiis legum* quædam addidit, ut fragmenta, invicem avulſa, cohærerent. ibid.
Triboniani interpolationes non ſunt probandæ ex Baſilicis. Vid. Emblemata.
Tribonianus omnia Edicta & Reſcripta, Chriſtianis adverſa omiſit. 416. a.
——— ejus emblemata vulgo jactata. 452. a.
——— plus ſemel ceſpitavit in exponenda veterum JCtorum ſententia. ibid. 455. b.
——— ad commendationem Principis ſui non ſemel voluit videri novus juris auctor. 453. a.
Triboniani cauſa miſera eſt, ubi hærent interpretes. II. 17. a.
——— emblemata plerumque nulla. ibid. b.
Tribuni Celerum Regibus adjuncti. I. 313. b. 314. a.
——— militum Conſulari poteſtate quot fuerint. 316. a.
Tributaria prædia. V. prædia.
Tributa exigentium acerbitas. 20. a.
——— non ſolventium bona non addicuntur aliis cum onere ſolvendi tributi. 21. a.
Tributorum non ſolutorum cauſa pignora capiuntur, unde fiſco ſatisfiat. ibid. b.
Tributum. V. Stipendium.
Tributa per mare tranſeuntibus imperari poſſunt a maris domino. II. 129. b.

Tributa. II. 280.
V. Veſtigalia.
a Tributis in Hollandia immunia ſunt loca publica. 281. *b.*
—— an eodem jure utantur loca publica, quæ ad Ordines generales pertinent. *ibid.*
Trinum nundinum æque dicitur ac *trinundinum.* I. 420. *a.*
Tripertita Sexti Ælii. 320. *a.*
Troas habuit Jus Italicum. 171. *b.*
Trophimus, *Trophimas*, *Trophima*, nomina propria. 77. *b.*
Tubero (Quintus) Stoicus. 321. *a.*
—— Ligarium accuſavit. 324. *b.*
φιλαρχαῖος. 326. *b.*
qui ſub Tuitione ſunt, Principem ſuum, quamvis noſtrum hoſtem, poſſunt juvare, ſed non armis viriſque, quibus contra nos bellum gerant. II. 209. *b.* 210. *a.*
Turarius vicus Romæ. I. 420. *b.*
Turci, aliorum impatientes ſibi ſolis, ne religione quidem excepta, omnia vindicant avidi. 413. *a.*
—— eos, qui non ſunt ex populo cum ipſis Fœderato, in ſuas ditiones venientes in ſervitutem redigunt. II. 125. *a.*
Turcorum Imperator in titulis liberalior. 109. *b.*
—— quale privilegium Belgis fœderatis dederit. 125. *a.*
Turrilis-luſus eſt *luſus alvei*, a turri, vel turricula, ſive pyrgo. I. 322. *a.*
Turtures pro *heredipetis.* 431. *a.*
Tuſcianus JCtus. 328. *b.*
Tutela ſexus perpetua ætate veterum JCtorum ceſſaverat. 231. *a.*
Tutor a matre datus liberis inſtitutis confirmari omnino debet ex inquiſitione. 61.
—— datus liberis non inſtitutis confirmari *ſolet*, non *debet.* *ibid.*
Tutore in ſolis Legis actionibus legitimiſve actibus, ubi pupillo cum ipſo tutore res erat, opus fuit ad expediendam litem: in reliquis curator ſufficiebat. 229. *a.*
Tutores olim petendi a matribus intra annum: quarum negligentiæ pœnæ recenſentur. 269. *b.*
Tutor ſuperſtes an domicilium impuberis vel minoris mutare poſſit, & quo effectu circa ſucceſſionem ab inteſtato. II. 334.
Tyro jus Italicum dedit Septimius Severus, & Antoninus Caracalla. I. 170. *b.*

V.

V. & B. item U. & N. permutantur. I. 82. *a.* 25. *a.*
Vada Sabatia ſic dicta ab oppido Sabata, reperiuntur prope Savonam, & plane diſtincta ſunt a lacu Sabatio, qui eſt in Hetruria. 202. *a.*
Vaginæ an pro armis & inſtrumentis bellicis ſint habendæ. II. 211. *b.*
Valentini Jus Italicum habuerunt. I. 171. *b.*
Vaticinatores relegari voluit D. Marcus; quomodo & a Curia Hollandiæ judicatum eſt. 183.
—— capitali pœna puniti ſunt, ſi nempe de ſalute Principis vel ſumma reip. reſponderint. 183. *a.*
Ubique & *ſemper* pro *plerumque.* 237. *a.*
Ὕβρις nunc injuriam, nunc contumeliam ſignificat. 148. *a.*
Udones. Vid. Calcei, & Veſtium legat.
—— quid præciſe, & e qua materia fuerint, non ſatis conſtat. 89. *b.*
Udones, faſciæ pedules, & impilia, non ſunt ſynonyma. *ibid.*
Vectigal fraudantis militis quale ſit delictum. II. 329. *a.*
—— quod ſolvitur templis præter quæ Cadavera, alibi ſepelienda vehuntur, eſt improbum. 281. *a.*
Vectigalia & Tributa. 280.
—— immenſa ſunt in Belgio Fœderato. *ibid.*
—— Romæ non Principi duntaxat, ſed & Civitatibus nonnullis pendebantur. 282. *a.*
Vectigalia in Hollandia non modo Ordinibus, ſed & Civitatibus quibusdam ſolvuntur, quibus id Privilegii datum eſt. II. 282. *a.*
—— an Urbibus vel pagis ad æs alienum diſſolvendum, vel ad alias impenſas neceſſarias, liceat imperare Civibus vel incolis ſuis. *ibid.*
Vectigalium & Tributorum remiſſiones ob caſum inopinatum conceſſæ apud Romanos. *ibid. b.*
—— id maxime locum habet, ſi damnum obveniat ex ipſius Locatoris parte. *ibid.*
—— quid juris ſit in Hollandia. *ibid.*
Vehiculum, quid. I. 108. *b.*
Vel pro etiam. 318. *b.*
Vellet, *vellent*, communis & benigna Legum formula. 418. *b.*
Vendere liberos. V. Liberi.
Venditio, ſi in materia vel ſubſtantia erratum ſit, non valet, quamvis id non ſemper, ſed ſæpe procedat. 193. *a.*
Venditionibus fundorum ſolebant adjici pacta de iis metiendis. 86.
Vendito fundo, cujus certus modus dictus eſt, cum pacto, ut emtor eum intra certum tempus metiretur, ſi emtor id facere neglexerit, minor modus deinde inventus ipſius damno eſt. 87. *a.*
—— cujus certus modus dictus non eſt, cum eodem pacto, ſi modus intra certum tempus renunciatus fuerit, tantum debetur pretium pro modo renunciato, ſed emtor, eo poſtea minore deprehenſo, repetere poteſt, quanto minor eſt. *ibid.*
Venditor liberi hominis in crimen plagii incidebat, ut & olim emtor, ſi *ſciens dolo malo* emiſſet. 355. *b.*
Venditori an competat vindicatio, ſi, re vendita, ſolutio non ſequatur. II. 421.
—— an, & ſi fides habita de pretio. *ibid. a.*
Veneti an ſint Domini Adriatici maris. 132.
—— poſſident eas maris partes, quibus ex continenti imperant. *ibid. b.*
—— eorum dicis cauſa deſponſatio cum mari, ad ejus dominium non ſufficit. *ibid.*
Venter pars mulieris. I. 357. *a.*
—— ad maritum jure proprio pertinet, & hinc poſt divortium, vel eo mortuo, inſpicitur. *ibid.*
Verba & *verbera* ſæpe confunduntur in MSS. 38. *a.*
Verba legum antiquarum cum diverſe referunt JCti eadem ſententia, alter locus ex altero emendandus non eſt. 90. 91.
Verba deponentia tam ſignificatione paſſiva, quam activa apud Auctores, cum noſtros, tum exteros accipiuntur. 143. *b.*
Verba Legis & Irnerii quo ſenſu diſtinguant interpretes. II. 85. 86. 87. *b.*
Verba *rogavit ille*, *ſpoſpondit ille* ſtipulationem inferunt, non pactum. 15. *b.*
—— niſi aliunde probentur inſtrumento per errorem adjecta eſſe. 17. *b.*
Verborum proprietas in formulis Legum quam maxime obſervatur. I. 335. *b.*
Verſus ſunt ſingulæ lineæ, per quos Veteres libros ſuos diviſerunt. 162. *a.*
Verſus pro *periodis* ſeu *ſententiis* & *capitibus*, a ſe invicem, quamvis non metro, diſtinctis. 326. *b.*
Veſtium legato jure Romano udones & calceamenta non continebantur, nunc continentur. 89. *a.*
Veſtis ſuæ legatum, & *veſtis* legatum, ſimpliciter, diverſa. 62.
inter Veſtis muliebris legatum & ſtipulationem diſcrimen 64.
Veſtes olim Legatis pro muneribus datæ. II. 253. *b.*
Via eſt jus *vehendi*, ſive vehiculum jumentis junctis ducendi. Vid. Actus.
Viæ latitudo, quæ. I. 108 *b.*
Viaticum non ſolum pro ſumtu viæ, ſed etiam pro facultate & apparatu aliarum rerum. 52.
Victori in victum omnia licent. II. 195. *b.*
—— competit jus ſervitutis. 196. *a.*
—— —— jus vitæ & necis. 195. *a.*
Videre, pro *noſcere* ex *hiſtoria* vel *narrationibus.* I. 79. *a.*

 Vi-

Videri verbum non raro apud Veteres pro ſimplici asſertione occurrit. II. 25. *b.*
Vidua intra annum luctus nubens infamia notatur. I. 158. *a.* 160. *b.*
Vide Luctus.
Viduæ, inſpecto ventre & renunciatæ vacuæ, a Principe ſæpe & a Senatu impetrabant, ut ſibi intra legitimum tempus nubere liceret. 158. *b.*
Viduarum forum apud Hollandos. II. 306.
Viduitatis & minoris ætatis privilegium quando ceſſat quod ad forum. 308.
Vigilax. I. 42. *b.*
Vinculorum verberatio apud Calliſtratum, quid. 38.
Vincula etiam de *inclusis* dicuntur ut in lautumias. 39. *a.*
—— pro his, qui ſunt in vinculis. *ibid.*
Vindex Vitelliorum, non Aquiliorum ſervus. 315. *b.*
Vindicatio. V. rei vindicatio.
Vindiciarum lis. 340. *a.*
Vinea pro agro. 214. *a.*
ob Vinearum vetuſtatem cur remiſſio non detur Colono. 56. *b.*
Vineæ cur nunc βραχύβιοι nunc μακρόβιοι dicantur. 57.
Virgæ ad fuſtigationem, an ad flagellationem pertineant. 39. *b.*
Vis atque injuria pro *vis injuſta.* 144. *b.*
Vis injuſta jure naturæ repellitur, quatenus vis, Jure Gentium quatenus injuſta. *ibid.* 145. *a.*
Vis propulſio jure naturæ, ex inſtinctu naturali & ſui amore, juſta eſt, ſed ut vim iniquam propellamus, ratio, juris Gentium magiſtra, permittit duntaxat. 145. *b.*
Vim inferre, quomodocunque profuturam, Jus naturæ permittit: ſine juſta ratione inferre jus Gentium prohibet. *ibid.*
Vi ipſa aliquando pro *ex natura rei*, aliquando pro *ipſo effectu*; ſed an *vi* ſolum & ſimpliciter occurrat, pro *effectu*, dubitatur. 246. *a.*
Vis omnis in bello eſt licita, II. 192. *a.*
Vim non fieri cautio. 15. *b.*
Viſio, *inſpectio*, *caſus*, *ſpecies*, eadem. I. 84. *a.*
Vitii & morbi diſcrimen. 70. *b.*
Vivicomburium fuit pœna hoſtium & perduellium, non tamen ſemper in veros perduelles igne ſævitum eſt. 173. *a.*
Ulpianus loquutus fuit latine, ſed ita ut ætas ferebat ſub Alexandro Severo. 268. *a.*
—— ſæpe uſurpavit vocabula quæ Latinis auribus placere non poterant, quorum multa ſunt in Pandectis. *ibid. b.*
—— quod Græciſmis fuerit uſus, non eſt, quod miremur, ſi ad ejus Patriam attendamus 268. *b.*
—— ſæpe ſententiis & verbis ludit, & hinc ſæpe diverſis elogiis laudatur. *ibid.*
—— & Paulus æmuli. II. 32. *b.*
—— in Papiniani aſſeſſorio fuit. *ibid.*
—— opus ſuum de *Cenſibus* ſcripſit poſt mortem Severi imperante Antonino Caracalla. I. 170. *b.*
—— integris libris ſeptem non collegit Reſcripta Principum contra Chriſtianos. 174. *b.*
—— *Librum* VIII. de omnibus Tribunalibus ſcripſit poſt mortem Divi Pii. 180. *a.*
—— Deipnoſophiſta an idem fuerit cum Ulpiano JCto. 268. *b.*
Vid. Domitius.
Uls pro ultra. 317. *a.*
Ulterior & *ultimus* pro *interior*, *intimus.* 161. *a.*
Univerſitas, ſocietas, collegium pro eodem accipiuntur. 230. *b.*
Univerſitas, non tenetur ob delictum membri illius. II. 262. *b.*
ob Univerſitatis debitum ſingula membra non poſſunt conveniri & condemnari. *ibid. a.*
—— contrarium tamen ſæpe obtinuit, & ferri poteſt; ſi fiat ob ſalutem publicam. *ibid. b.*
—— variis privilegiis ei injuriæ occurſum 263. *a.*
—— poſſunt conveniri & condemnari ſingula membra, ſi Princeps ex dominio eminenti, vel magiſtratus ex privilegio Principis, vel adhibito omnium membrorum conſenſu, cives ſuos nominatim obligaverit. II. 263. *a.*
—— —— tale quid pactum §. 23. Fœderis Utrecht. *ibid.*
—— —— idem placuit Conſtitutione ſpeciali 13. Jul. 1579. ſi Ordines tributa, in quæ conſenſere, non ſufferant. *ibid.*
—— —— d. Conſtit. hodie non ſervatur. *ibid.*
—— —— Magiſtratus non ita ut Princeps ſingulorum bona poteſt obligare. *ibid.*
ad Univerſitatem non pertinet quod debent ſinguli. 262. *a.*
Vocabulis Græcis interdum Latini, & Latinis quandoque Græci uſi ſunt. 101. *b.* 102. *a.*
Vocare ad Curiam ſtatim poſſunt imbecilliores partem ſuam. 298. *b.*
Voluntas effectu deſtituta jure Civili tantum punitur in quibusdam criminibus, de quibus id ſpecialibus Legibus conſtitutum eſt, & quæ illa ſint. I. 80. *a.*
—— non in omnibus atrocibus criminibus punitur. 81. *b.*
—— quæ in criminibus punitur, non eſt ſola tacita cogitatio animi, ſed jam ulterius progreſſa, & ſe exerens. 82. *b.*
Voluſius JCtus an exſtiterit. 324. *a.*
Vota per eminentiam pollicitationes appellari obtinuit, quamvis multa inter ea fuerint diſcrimina. 191. 192.
—— Ex iis non obligantur filiifamilias ſine auctoritate patris. 192. *b.*
Ὑποζυγίων quid. 108. *b.*
Ὑπόχαλκον quid. 75. *b.*
Urbana prædia. V. prædia.
Urbane dictorum libri tres a Cicerone conſcripti. 324. *b.*
Urbs ſimpliciter *Romanam* ſignificat. 199. *a.* 308. *b.*
—— pro *Metropoli Provinciæ.* 199. *b.*
Urbe ab hoſte capta, an etiam ager captus ſit cenſendus. II. 202. *a.*
—— —— varia circa hanc rem Ordinum Generalium Edicta. 203. *b.*
Urbium & Oppidorum mœnia extendere Magiſtratibus non licet ſine conſenſu Principis. 265.
—— —— variis Hollandiæ urbibus, impetratis privilegiis, id fuit conceſſum *ibid. a.*
Urbibus obſeſſis nihil quicquam licet advehere, ſive contrabandum ſit, ſive non. 212. *a.*
—— —— quæ advehuntur, ad minimum publicantur, pœna capitis vel minori animadvertitur. *ibid. b.*
Urbes, Arces, Ditiones alienas invadere vel retinere non licet. 237. *a.*
—— munire inconſulto & invito Principe non licet. 265. *b.*
—— —— qui muniunt vel extendunt, tenentur pretium ſolvere fundorum, quos occupaverunt, ex arbitrio boni viri. 266. *a.*
Urbium magnarum in Hollandia Cives, eorumque bona etiam in agro arreſtari poſſunt. 333.
—— —— privilegia, quæ immunitatem arreſti habent. 334. *a.*
Vrybuyters. 224. *b.*
Uſucapere poteſt paterfamilias, filiusfamilias, & *maxime* miles in caſtris adquiſitum uſucapiet. I. 241. *a.*
in Uſucapione acceſſio temporis, quo res fuit apud teſtatorem, & quo fuit apud heredem, prodeſt legatario, ſi legatum vere fuit, vel fideicommiſſum. 241. *a.*
Uſucapio rerum mobilium olim fuit anni, immobilium biennii. 340. *a.*
—— rerum mancipi dabat jus Quiritarium. *ibid.*
—— ſi procederet, fruſtra laborabatur de præſcriptione. *ibid.*
—— varia poterant incidere, quæ eam prohibebant, etiam in rebus Italicis. *ibid. b.*
Uſucapionem non habebant, qui Juris Civilis non erant participes. *ibid.*
Uſuras majores pro minoribus licet ſtipulari, ſi ad diem ſors non fuerit ſoluta, non tantum in præteri-

ritum, ſed & in futurum, modo ne excedatur centeſima. I. 200. *a.* II. 369. *a.*
Uſura quid. 36. *b.*
——— maledicta herba a quo vocata. 28. *b.*
Uſura Centeſima quid & unde dicta. 20. *a.*
——— vetus, nova, noviſſima. *ibid. b.*
Uſuræ ex mora promiſſæ, eodem quo ſors tempore non debentur. 23. *a.*
——— integræ ſortis utrum committantur, an vero tantum pro rata penſionum, quas menſtruatim ſolutum iri convenerat. 24. *a* 26. *b.*
——— quomodo creſcant. 28. *a. b.*
——— earum incrementa quomodo computanda. *ibid. a.*
——— ſortis non debitæ non debentur. 32. *a.*
——— differuntur ſorte dilata. *ibid.*
——— num ipſo jure committantur. 33. *b.*
——— in contractibus ſtricti juris ſimpliciter ex mora non debentur. 35. *a.*
——— eas ſtipulari licet non tantum in caſum moræ, ſed & retro a die contractus initi. *ibid.*
Uſuras *ipſo jure non committi* quid denotat. 33. *b.*
——— ſemiſſes num ſtipulari liceat ſub conditione non ſolutarum ſuo die quincuncium. 36. *a.*
Uſuræ uſurarum de quibus uſuris intelligantur. *ibid.*
——— fructuum nomine quandoque occurrunt. *ibid.*
——— in mutuo an debeantur ex pacto. 50. *b.*
——— aſſecurationum. 433. 442.
Uſurarum modum legitimum excedertes pœnales ſtipulationes decreto ſupremi Senatus vindicatæ. 370. *b.* 371. *b.*
Uſus antiqui ſermo. I. 326. *b.*
Uſus, optimus interpres rerum, quæ juris Gentium ſunt. II. 158. *b.*
ad Uſusfructuarium fundi proximi non pertinent fructus Inſulæ in flumine natæ. I. 151. *b.*
ad Uſusfructuarium pertinet acceſſio fructus ex alluvione, vel ex eo, quod vis fluminis adjecit. *ibid.*
Uſusfructus bonorum, & uſusfructus rerum legatum, idem. 65. *a.*
——— tertiæ partis bonorum legatum frequens. *ibid.*
Uſufructu certarum rerum legato, nec æris alieni, nec actionum, habetur ratio. *ibid.*
Uti poſſidetis, ita poſſideatis, in cauſis publicis expedit. II. 244. *a.*
Utrechtani & Friſii ſæpe diſputarunt de prærogativa ordinis. 288. *a.*
Utrechtana Curia quo jure facinoroſos ſuos deportet ex tota Hollandia. 287.
Utrechtanum Fœdus. V. Fœdus.
Vulpes pro heredipetis. I. 431. *a.*
Vultures pro heredipetis. *ibid.*
Uxorem ducere filius poteſt patre captivo vel peregre abſente, ſi patris reditus per triennium exſpectetur. 244. *a.*
Uxor ſi, marito ab hoſtibus capto, aut aliter abſente, auctoritate Magiſtratus ſecundas nuptias contrahat, an marito revertente, primus an ſecundus maritus cedere debeat. II. 373. *b.*

W.

Wernerius. V. Irnerius.
Wicquefortius juris publici ignorantiam Hollandiæ Ordinibus quare exprobraverit. II. 157. 162. *a.*
Wisbuycenſis juris nautici uſus apud Amſterdammenſes. 114. *a.*

Z.

Zachæus ἀρχιτελώνης. II. 103. *b.*
Zeebrieven. V. Dobbele.

INDEX AUCTORUM,

Qui in his operibus laudantur, illuſtrantur, emendantur.

A.

Abbas Urſpergenſis. II. 84. b. 86. b.
Accurſius. I. 21. a. 35. a. 38. b. 74. b. 84. a. 89. b. 91. a. 92. b. 95. b. 105. b. 110. b. 116. b. 120. b. 124. b. 125. a. 127. b. 148. a. 167. a. 168. b. 175. b. 176. a. 177. a. 179. a. 183. b. 190. b. 202. b. 204. a. 213. a. 215. a. 221. b. 230. b. 241. a. 244. a. 250. a. 251. a. 252. a. 254. b. 263. a. 266. a. 267. b. 271. b. 275. b. 280. a. 281. a. 316. b. 336. a. 338. b. 361 a. 364. a. 430. a. 435. b. 437. a. 440. a. b 441. b. 447. a. 448. b. 453. a.
Achilles Tatius. I. 166. a.
Acro. I. 431. a.
Adduenſis. I. 164. a. 187. a.
Aelianus. I. 356. b. II. 175. b.
Aitzema. I. 413. a. II. 130. b. 148. b. 150. b. 151. a. 152. a. 156. b. 157. a. 160. a. 161. b. 162. b. 164. a. b. 167. a. 168. a. 169. b. 170. a. b. 172. a. 173. a. b. 175. a. 176. b. 177. b. 178. b. 179 a. b. 180. a. b. 181. b.
Albericus. I. 146. a.
Alciatus. I. 34. a. 40. a. 57. a. 58. b. 69. a. 74. b. 78. a. 85. b. 102. b. 105. a. 106. a. b. 114. a. 126. a. 146. a. 154. b. 165. a. 170. a. 179. a. 186. b. 187. b. 192. a. 205. a. 210. a. 235. a. 237. a. 246. a. 282. b. 415. b. 441. a. II. 13. a. 14. a. 19. a. 20. a. 36. a. 45. b. 51. a. 65. a. 109. a. 112. a.
Aleander. I. 333. a.
Alexander. I. 440. a. 441. a.
Almeloveen. I. 318. b. 319. b. 320. a.
Alvarottus. II. 68. a.
Amaya. I. 20. b. II. 112. a.
Ambroſius. I. 309. b. 313. a. 366. a. 379. a. 385. a. 422. b. II. 21. b.
Ammianus Marcellinus. I. 85. b. 92. b. 103. a. 120. b. 157. a. 161. a. 168. b. 170. b. 323. a. 422. b. 431. b. II. 108. b.
Anaſtaſius Bibliothecarius. I. 202. a. 203. a.
Angelus Aretinus. I. 47. a. 447. a. 455. b.
Anonymus. I. 186. b. 210. b.
Anianus. I. 361. b. II. 20. a. 21. b.
Ἀιθολογία. II. 135. a.
Appianus Alexandrinus. I. 171. a.
Apulejus. I. 71. a. b. 81. b. 90. a. 93. b. 163. a. 273. b. 324. b. 367. b.
Argentraeus. I. 101. b.
Ariſtoteles. I. 34. a. 71. a. 88. b. 148. a. 180. a. 282. a. II. 103. a.
Arnobius. I. 72. a. 366. a. 416. a.
Arrianus. II. 110. b.
Arumæus. II. 182. b. 183. a.
Aſconius. I. 42. b. 66. b. 93. a. 165. a. 243. b. 249. a. 309. b. 311. b. 321. a. II. 11. a.
Athanaſius. I. 426. b.
Athenæus. I. 143. b. 168. b. 268. b. 327. b.
Auctor incertus defenſæ Latinitatis Pandectarum. I. 42. b. 49. b. 122. a. 245. a. 267. a. 268. b. 273. a.
Auctor de cauſis corruptæ eloquentiæ. I. 324. b.
Auguſtinus. (*S.*). I. 31. a. 104. a. 145. a. 178. b. 186. b. 207. b. 252. a. 262. a. 327. b. 414. b. 415. a. 416. a. 417. b. 422. a.
——— (*Ant.*) I. 29. b. 35. a. 40. a. 71. a. 79. b. 87. 102. a. 103. a. 115. a. 118. b. 149. b. 171. b. 174. b. 186. a. 187. b. 195. a. 196. a. 202. b. 205. a. 210. a. 233. b. 235. b. 245. a. 248. a. 251. b. 259. a. 319. a. b. 320. b. 321. a. 322. b. 323. a. 324. a. 325. a. 328. a. 431. a. 433. b. II. 16. a. 19. b. 20. a. 113. a.
Auratus. I. 356. b.
Auſonius. I. 326. b. 431. a.
Autumnus. I. 274. b.
Ayala. I. 34. b.
Aytzema. Vid. Aitzema.
Azo. I. 36. b. 100. a. 149. a. 156. b. 167. a. 208. b. 220. a. 252. a. 254. b. 263. a. 448. b. 453. b.

B.

Bachovius. I. 64. b. 68. a. 147. b. 151. a. 163. b. 212. b. 235. a. 280. a. 281. b 283. b. 311. a. 312. a. 322. a. 324. b. 325. a. 327. a. 350. a. 361. a. 412. a. II. 12. a. 17. a. 49. a. 57. a. 58. a.
Balduinus. I. 63. b. 95. b. 275. a. 310. a. 315. b. 321. b. 324. a. 353. a. 354. b. 361. a. 415. b. 416. a. b. 447. a. 455. b. II. 11. a.
Baldus. I. 146. a. II. 51. a. 68. a.
Baptiſta a Jeſu Chriſto. I. 161. b.
Barbeyrac. II. 183. b.
Barclajus. II. 18. a. 54. b.
Baro. I. 58. b. 113. a. b. 235. b. 451. b. II. 46. b.
Barthius. I. 425. a. b.
Bartolus I. 63. a. 146. a. 208. a. 236. b. 441. a. 447. a. II. 29. b. 51. a.
Baſilius. I. 360. a.
Bayle. I. 247. b.
Bayſius. I. 89. a.
Beatus Rhenanus. I. 250. a.
Bellonus. I. 146. a.
Bellus. (*Petrinus*) II. 181. a.
Berlichius. II. 158. a.
Bertrachinus. II. 159. b. 165. a. 169. b. 170. b. 179. a.
Bertrandus. I. 24. a. 55. a. 77. b. 173. a. 174. a. 209. b. 218. b. 247. b. 248. b. 321. a. 322. a. 324. a. 327. b. 328. a. b. II. 10. a.
Beſoldus. II. 153. a. 183. a.
Beſt. I. 245. b.
Bodinus. II. 127. a. 167. a.
Boëkelmannus. II. 57. a.
Boëthius. I. 324. b. 332. a. 336. b.
Bort. II. 156. b. 158. a. 166. a. 167. a. 169. b. 170. a. b. 183. b.
Boſianus. Vid. Joannes Gloſſator.
Boudoza. I. 35. b. 199. a. 204. b. 208. b.
Boxhornius. I. 165. b.
Brenkman. I. 312. b. 316. a. 317. a. 318. a. 323. a. b. 327. a.
Briſſonius. I. 38. a. 48. a. 49. b. 66. b. 149. b. 161. b. 172. b. 174. b. 197. a. 243. a. 245. a. 250. a. 260. a. 268. b. 412. b. 418. a. II. 12. b. 14. b. 23. a.
Britannicus. I. 125. b. 281. b.
Brodæus. I. 124. a. 310. b.
Broëus. I. 150. b. 179. b.
Brummerus. I. 234. a. 333. a. 334. b.
Budæus. I. 26. a. 78. b. 79. b. 80. a. 90. a. 91. a. 154. a. b. 163. a. 176. a. 177. a. 181. b. 194. a. 210. a. 252. a. 256. a. 261. b.
Burgius. I. 49. b. 180. b. 223. a. 234. a.
Burgus. II. 110. b. 133. b. 135. a.
Burmannus. I. 152. a. 154. a. 214. b. 252. a.
Busbequius. I. 105. a. II. 109. b.
Buſius. II. 149. a.

C.

C.

Cæcilius Natalis. I. 390. *b.*
Cepola. II 134 *a.*
Cæsar. (*Julius*) I. 324. *b.* II. 45 *b.* 130. *b.*
Callieres. II. 161. *a.* 183. *b.*
Camdenus. II. 151. *a.* 155. *b.* 174. *b.*
Canterus. I. 366. *b*
Capitolinus. I. 79. *b.* 124. *a. b.* 154. *a.* 174. *a.* 181. *b.* 182. *a.* 202. *b.* 309. *b.* 314. *a.* 415. *b.* 446. *a.*
Capitularia Caroli M. & Ludov. Pii. I. 89. *a.* 359. *a.* 425. *a.*
Caranza. (*Alphonſus a*) I. 352. *a.* 361. *a.* 362 *a.* 365. *a.*
Caroli V. Edictum. I. 420. *a.*
Caſaubonus. I. 77. *a.* 79. *b.* 124. *a* 180. *a.* 197 *a.* 202. *a.* 318 *a.* 362. *a.* 416 *a.* II. 136. *b.*
Caſſiodorus. I. 86. *b.* 160. *a.* 214. *b.* 308 *b.* II. 108 *b.*
Caſtro. (*Paulus de*) I. 282 *a.* 440. *a. b.* II. 54. *b.* 55. *a.*
Catellianus Cotta. I. 32. *a.* 89. *b.*
Cato. I. 71. *b.* 80. *a. b* 214. *a.* 418. *b.* II. 18 *a.* 19. *b.*
Catullus. I. 101. *a.* 122. *b.* 194. *b.* 199. *a.* 210. *b.* II. 138. *a.*
Celſus. I. 71. *a. b.*
Cenſorinus. I. 96. *b.* II. 23. *a.*
Charondas. I. 48. *b.* 102. *a.* 145. *b.* 169. *a.* 170. *a.* 209. *b.* 236 *a.* 243 *a.* 251. *a.* 259. *b.* 261. *a.* 271. *a.* 282. *b.* 310. *a.* 311. *a.* 316. *b.* 317. *b.* 333. *a.* 435. *b.*
Chaſſaneus. (*Alex.*) I. 61. *a.* 363 *b.*
Chiffletius. I. 31. *b* 32. *a.*
Chryſoſtomus. II. 108. *b.* 134. *a.*
Cicero. I. 19. *a.* 26. *b.* 27. *b* 34 *b.* 38. *a.* 39. *b.* 85. *b.* 117. *a.* 144 *a.* 150. *a* 158. *a.* 163. *b.* 165. *a.* 175. *b.* 177. *a.* 178. *b* 182 *a.* 187. *b.* 188. *a.* 230. *b.* 233 *b.* 243 *b* 249 *a.* 253 *a.* 259. *a.* 262. *a.* 268. *a.* 280. *a. b* 282. *a.* 309 *b.* 317 *b* 318. *b* 320. *a.* 321. *a. b.* 322 *a.* 324 *b.* 325. *a. b.* 326. *a. b.* 332. *a.* 333. *b.* 334 *a.* 335. *b.* 337 *a.* 338. *a. b.* 339. *a. b.* 347. *a. b.* 355 *a* 357. *a* 366 *b.* 367. *a* 412. *b.* 414. *b.* 425. *b.* 432. *b.* 448. *b.* 450 *b.* II. 12. *b.* 18. *a.* 44. *b.* 46 *b.* 106. *b.* 108 *b.* 125. *a.* 133. *a.* 161. *b.* 167. *a.* 174 *a.*
Cironius. II. 103 *b*
Clarus. I. 309. *a.* II. 176. *b.*
Claudianus. II. 135. *b.*
Clericus. (*Joannes*) I. 417. *b.* 420. *b.*
Cluverius. I. 202. *a.* 203. *a.*
Coccejus. (*Gerard.*) I. 312. *a.* 313. *a.* 318. *a.*
——— (*Henr.*) II. 183. *a.*
Coccus. I. 309. *b.* 317. *b.*
Colerus. I. 322. *a.* 415. *a.*
Columella. I. 186. *b.* 202. *a.*
Concilium Agathenſe. I. 89. *a.*
Connanus. I. 19. *a.* 22. *a.* 24. *a.* 63. *b.* 107. *b.* 144. *a.* 159. *b.* 169. *a* 176. *b.* 192. *a.* 193. *a.* 194. *a.* 208. *b.* 250. *b.* 258. *a.* 260 *a.* 355. *a.* 432. *b.* 441. *a.* II. 19. *a.* 22. *a* 29. *a.* 44. *a.* 45. *b* 53. *b.*
Conſtantinæus. I. 172. *a.* 194 *b.*
Conſtantinus. I. 199. *a.* 273. *b.*
Conſuetudines Middelburgenſes. II. 134. *a.*
Contius. I. 88. *a.* 169. *a.* 175. *b.* 235. *a.* 238. *b.* II. 20. *b.* 65. *a.* 68. *a.* 72 *a.*
Coraſius. I. 208. *a.* 235. *a.* 311. *b* 317. *a.* 318. *a.* 319. *b.* 322. *a.* 323. *a.* 324. *a.* 327. *b.* 441. *a.*
Corradus. I. 326. *b.*
Cortius. I. 273. *b.*
Cotta. (*Cæſar*) I. 22. *a.* 206 *b.*
——— (*Janus a*) I. 97. *b.* 108. *a.* 121. *b.* 151. *a.* 189. *b.* 222. *a.* 244. *a.* 264. *a.* 271. *b.* 334. *b.* 340. *b.* II. 57. *b.*
Cotta. Vid. Catellianus.
Covarruvias. I. 146. *a.* 150. *a.* 172. *a.* 252. *a.* 361. *a.* 410. *a.* 411. *a.* II. 109. *a.*
Cruſius. I 40. *a. b.* 121. *b* II. 104. *a.* 115. *b.*
Cujacius. I. 20. *a.* 21. *a.* 24. *a. b.* 26. *a.* 27. *a.* 31. *a.* 32. *b.* 34. *a.* 35. *b.* 36. *a.* 37. *a* 38. *b.* 39. *a.* 40. *b.* 41. *a. b.* 42. *a.* 45. *b.* 48 *b.* 49. *a.* 52 *a. b.* 53 *b.* 55. *a.* 57. *b.* 60. *a.* 61. *a.* 62. *b.* 64. *b.* 65. *a. b* 68. *b.* 73. *a. b.* 75. *a. b.* 76. *a.* 78. *a b.* 80 *a.* 81. *b.* 83. *a b.* 86 *a. b.* 89. *b.* 93. *a.* 95. *a* 96 *b* 97. *a* 98. *a. b.* 100 *a b.* 101. *b.* 102. *a.* 103. *a.* 104. *a* 106. *b.* 107. *b.* 108. *a.* 109. *b.* 110. *b.* 112. *a.* 113. *a. b.* 114. *a.* 115. *a.* 116. *b.* 117. *a. b.* 118. *a b.* 119. *a.* 120. *b.* 121. *b.* 123. *b.* 124. *b.* 127 *b.* 128. *b.* 145. *b.* 147. *a.* 150 *b.* 152. *a* 154 *a.* 155. *a.* 157. *b.* 158 *a. b.* 159. *a. b.* 160. *a. b.* 162. *a b.* 163. *a.* 165. *a. b.* 168. *a.* 169. *a.* 170. *a.* 171. *a. b.* 172. *a* 174. *b* 176. *a.* 177. *a. b.* 180. *a. b* 183. *b.* 186. *a. b.* 187. *b.* 188 *b.* 189. *b.* 190 *a. b.* 191. *a* 192. *a.* 194 *a.* 195. *a. b.* 197. *a. b.* 198. *b.* 199. *a. b* 200. *b* 203. *a.* 205. *a.* 206. *a* 207. *a.* 208. *a* 210. *a.* 212. *b.* 214. *a.* 215. *b.* 216. *a.* 217. *a. b.* 219. *a.* 221. *b.* 222. *a.* 223. *b.* 225 *b.* 226. *a.* 127. *a.* 229. *a.* 230. *a. b.* 231. *b.* 232. *b* 234. *a. b.* 235. *b* 237. *a.* 238. *b.* 240 *a.* 241. *a* 242. *a.* 243. *a. b.* 244. *a. b.* 245. *a* 250. *b.* 252. *a b.* 253. *b.* 256 *a.* 257. *a* 260. *a.* 261. *a.* 262. *a.* 263. *a.* 264. *a.* 265. *b.* 266 *a b* 267. *a.* 268. *b.* 269. *a.* 270. *a.* 271. *a.* 272. *b.* 274 *a.* 275. *a.* 277. *a.* 278. *a.* 280. *a. b.* 281. *a.* 282 *b.* 283. *a. b.* 309. *a. b.* 310 *b.* 311. *a. b.* 313. *a* 314. *a.* 317. *a.* 319. *b.* 320. *a. b.* 323 *b.* 327. *b.* 333 *a b.* 334. *a.* 335. *a* 338. *b.* 340. *a. b.* 348. *a.* 350. *a.* 352. *b.* 357. *a.* 359. *b.* 363 *a b.* 364. *b.* 414. *a.* 420. *a.* 423. *a.* 432. *b.* 433. *a.* 434 *b.* 435. *a.* 436. *b.* 437. *a.* 438. *b* 440. *a.* 441. *a.* 447. *a.* 449. *a.* 451. *b.* 453. *b.* 454. *a.* 456. *b.* 458. *a.* II. 10. *a. b.* 13. *a.* 14. *a.* 15 *b.* 18. *a.* 19. *b.* 20. *a.* 23 *b.* 24. *b.* 35. *b.* 36. *a. b.* 46. *a. b.* 48. *a.* 49. *a.* 50. *b.* 51. *b.* 52. *b* 54. *a. b* 55. *b* 57. *a.* 65. *a.* 69. *a.* 99. *a.* 103. *b.* 113 *a. b.* 129. *a.* 140 *b.* 152. *b.* 155 *b.* 163. *b.*
Curtius. (*Jac.*) I. 39. *b.* 40. *b.* 114. *b.* 155. *b* 163. *b.* 194 *a.* 230. *a.* 323. *b.* II. 11. *a.* 13. *a.* 19. *a.*
——— (*Quintus*) I. 324. *b.* 326. *b.*
Cuſpinianus. I. 328. *a.*
Cynus. I. 332. *b.* 446. *b.* II. 51. *a.*

D.

Dallæus. I. 381. *b.*
Dattius. I. 379. *a.* 403. *b.*
Decius. II. 51. *a.*
Dekherus. I. 439 *a.*
Democritus. I. 268. *b.*
Demoſthenes. I. 152. *b.* 261. *b.* II 110. *a.*
Dio Caſſius. I. 147. *b.* 181. *b.* 317. *b* 325 *a.* 349. *b.* 353. *a.* 414. *a.* 423 *b.*
Diogenes Laërtius. I. 52. *b.*
Diomedes Gram. I. 77. *b.*
Dion. Coccej. I. 98. *b.* 113 *b.*
Dionyſius Afer. II. 134 *b.*
Dionyſius Halicarn. I. 49. *a.* 147. *b.* 205 *b* 308 *b.* 310. *a. b.* 315. *a.* 346. *b.* 347. *a.* 348 *a.* 349 *a.* 354. *a. b.* 362. *a.* 367. *a.* 412. *b.* 414. *b.* 415 *a.* II. 136 *a.*
Donatus. I. 99. *b.* 209. *b.* 261 *b.* II 14 *b.*
Donellus. I. 29. *a. b.* 67. *a.* 76 *a* 107. *b* 161. *b.* 170. *a.* 192. *a.* 194. *a.* 235. *a. b.* 254 *a* 263. *a.* 267. *a.* 434. *b.* 440. *a.* 441. *a.* 449 *a b* 452. *a.* II. 19. *a.* 22. *b.* 53 *a.* 54. *b.* 56. *b.*
Doſitheus. II 11. *b.*
Douza. I. 214. *b.*
Duarenus. I. 29. *a.* 38. *a.* 55. *a.* 69. *a.* 80 *a.* 88. *a.* 102. *a.* 108. *a.* 127. *b.* 156. *a.* 162 *a* 167. *b.* 176. *b.* 186. *b.* 194. *a.* 208. *a.* 213. *a.* 220. *b.* 227. *a.* 235. *a.* 236. *b.* 238. *b* 264. *a.* 325. *a.* 355. *a.* II. 10. *b.* 16. *a.* 17. *a* 20. *a.* 22. *a.* 25. *b.* 51. *a.* 52. *b.* 72. *a.* 112. *b.* 113. *b.*
Duck. II 149. *a.*
Dukerus. I. 143. *b.* 232. *b.* 233. *b.* 245. *a.* 267. *b.* 273. *b.*
Dynus. I. 146. *a.* 447. *a.*
Du Pin. (*El.*) I. 384. *a.*

E.

Eberlinus. I. 315. b. 319. b. 324. a.
Eck. (*Corn. van*) I. 30. b. II. 85. a.
Elenus. I. 281. b.
Ennius. I. 172. b.
Ennodius. I. 37. a. 359. a. 424. b.
Epictetus. I. 179. b.
Epiphanius. I. 422. a. b. 426. a.
Eugraphius. II. 13. a.
Eunapius. I. 50. a. 162. b. 268. b.
Euripides. I. 99. b. 282. b. 350. b. 423. b. 425. a. II. 171. a.
Euſebius. I. 66. a. 88. a. 366. b. 414. b. 415. b. 421. a. 423. b. 424. b. 426. a. b.
Exea. (*Andr. ab*) II. 45. a.
Eyndius. II. 131. b.

F.

Faber. (*Ant.*) I. 22. b. 25. a. 32. b. 57. a. 59. a. 64. b. 67. b. 68. b. 73. a. 74. b. 83. a. 84. a. 85. a. 93. a. 108. a. 113. a. b. 148. b. 149. a. b. 163. b. 166. b. 167. b. 179. b. 183. b. 189. b. 194. a. 202. b. 208. a. 210. a. 220. b. 236. a. 245. a. 250. a. 256. b. 257. a. 260. a. 263. a. 264. a. 265. a. 266. b. 273. a. 274. a. 311. a. 313. b. 314. a. 315. a. 316. b. 317. b. 318. b. 319. a. 321. a. 322. b. 324. b. 325. a. II. 22. a. 27. a. 54. a. 57. a.
——— (*Joannes*) I. 447. a.
——— (*Petr.*) I. 23. a. 37. a. 59. b. 67. b. 75. a. 90. b. 93. a. 102. a. 113. a. 114. a. 124. b. 163. b. 165. b. 197. a. 198. b. 199. a. 229. a. 236. a. 261. b. 317. b. 351. b. 435. a. 437. a. II. 27. a. 116. a.
——— (*Tanaq.*) I. 268. b.
——— (*Tim.*) I. 113. a.
Fabrettus. I. 416. b. 417. b. 418. b. 419. a. b. 420. b.
Fabrotus. I. 78. a. 79. b. 128. b. 157. a. 160. a. 188. b. 213. b. 243. b. 256. a. 436. a. II. 24. b.
Ferretus. II. 45. b. 51. a.
Feſtus. I. 23. b. 39. b. 57. b. 80. a. 89. a. 98. a. 108. b. 113. b. 123. b. 125. b. 157. a. b. 164. b. 169. b. 180. a. 192. b. 202. a. 210. a. 217. b. 220. a. 249. b. 261. a. 315. a. 317. a. 327. b. 337. a. 412. b. II. 125. a. 153. a.
Fichardus. II. 73. b.
Florus. I. 144. b.
Folieta. I. 335. a.
Forcatulus. I. 74. b. 145. a. 146. a. 223. b. 441. b. II. 112. a.
Fornerius. I. 70. b. 156. b. 170. b. 175. a. 209. b. 211. a. 282. b. 349. b. 352. b.
Forſterus. I. 163. b. 170. b. 236. a. 261. b. II. 12. a. 66. a.
Freherus. I. 112. a. 170. b. 177. a. 277. a. 324. a. 423. a.
Frontinus. I. 202. a. 319. a.
Fulgentius. I. 327. b.
Fulgoſius. I. 99. a. II. 10. b. 52. a. 54. b.

G.

Gailius. II. 180. b.
Gallus. (*Jac.*) I. 32. a. 35. b. 52. b. 53. a. b. 75. b. 205. b.
Galvanus. I. 151. a.
Garro. I. 309. a. 313. b. 317. a. 328. b.
Garſias. II. 54. b. 57. a.
Gelenius. I. 346. b.
Gellius. I. 17. a. 18. b. 42. b. 52. b. 70. a. 79. b. 88. a. 99. b. 143. b. 155. a. 157. b. 160. a. 162. b. 163. a. 174. a. 175. b. 198. b. 209. b. 230. a. 232. b. 243. a. 246. a. 247. b. 249. a. 252. b. 280. a. 311. b. 317. a. 323. a. 326. a. b. 338. a. 347. a. 412. b. 418. b. II. 12. b. 14. b. 18. a. 36. b. 100. b. 125. b.
Gentilis. (*Albericus*) II. 65. a. 71. b. 72. a. 73. b. 152. b. 156. a. 159. b. 167. a. 170. b. 172. a.
Gentilis. (*Scipio*) I. 147. a. 164. a. 171. a. 249. a. 261. a. 268. b. 324. a.
Giphanius. I. 144. a. 201. b. 221. b. 223. a. 228. a. b. 229. b. 233. a. 235. a. 236. b. 237. b. 238. b. 241. a. 266. a. 267. a. 348. a. 353. a. 354. a. 355. a. b. 364. b. 452. a. II. 50. b. 54. b.
Gloſſa. I. 25. a. 26. a. 29. a. 42. b. 45. b. 52. a. 56. b. 58. a. 61. a. b. 71. a. 101. b. 102. a. 146. a. 155. b. 156. b. 161. a. b. 163. a. 164. a. 166. b. 168. a. 177. a. b. 179. a. 194. a. 199. a. 207. a. 215. b. 216. b. 227. a. 235. a. 238. a. b. 239. b. 244. a. 251. b. 252. a. 256. b. 264. b. 276. a. 308. b. 310. a. 314. a. 319. b. 433. b. 434. b. 437. b. 438. a. 441. b. 446. b. 449. a. 455. b. 457. b. II. 28. a. 35. b. 36. a. 65. b. 68. a. b. 69. a. b. 70. a. b. 71. b.
Gloſſa Gr. Lat. I. 43. b. 71. b. 113. b. 118. b. 154. a. 177. b. 179. b. 187. a. 204. b. 217. a. 234. a. 462. b.
Gloſſæ Juris. I. 90. b. 179. a.
Gloſſa Juris Canonici. II. 163. b.
Gloſſæ nomicæ. I. 339. a.
Gloſſarium Petronii. I. 154. b. 155. b. 164. a. 431. a.
Goeddæus. I. 70. a. 102. b. II. 33. a. 46. a. 49. b. 51. a. 57. a.
Gomeſius. I. 441. b.
Goris. I. 161. a.
Gothofredus. (*Dion.*) I. 36. a. 57. b. 115. a. 154. b. 155. b. 159. b. 165. a. 192. a. 205. b. 210. b. 212. b. 252. a. 253. a. 254. b. 311. a. 432. a. 437. b. II. 24. b. 111. a.
——— (*Jac.*) I. 20. a. b. 23. a. 24. a. 29. b. 30. b. 36. a. 38. b. 66. a. 69. a. 85. a. 115. a. 121. b. 128. a. 161. b. 163. a. 185. b. 186. a. 204. b. 232. a. 236. a. 238. b. 242. a. b. 26[illegible]. b. 272. a. 281. a. 310. b. 347. b. 348. b. 350. a. 351. a. b. 353. a. b. 358. a. 359. b. 360. b. 361. a. 364. b. 365. a. 366. a. b. 367. b. 422. a. b. 424. b. 426. a. II. 11. a. 12. b. 15. a. 21. a. 99. a. b. 101. b. 104. a. 106. a. 107. b. 110. b. 111. a. 112. b. 115. a. 116. a. 135. a. 161. b. 163. b.
Goveanus. I. 144. a. 206. b. 235. a. 265. b.
Grævius. I. 43. a. 120. b.
Graswinckel. II. 132. a.
Gravina. I. 324. a.
Gregorius M. II. 73. a.
Groenewegen. II. 149. a.
Gronovius. I. 38. b. 43. b. 332. b. 417. b. 418. b. 419. b. 420. b.
Grotius. (*Guil.*) I. 248. b. 324. b. 325. a. b. 328. a. b.
——— (*Hugo*) I. 29. b. 34. a. 37. a. 38. b. 40. b. 44. a. 55. b. 68. b. 76. a. 91. a. 92. a. 93. b. 101. b. 102. b. 104. a. 105. a. 107. b. 116. b. 120. b. 125. a. b. 168. a. 173. b. 208. b. 218. a. 328. b. 348. b. 452. a. II. 33. a. 44. a. 104. a. 106. a. 108. b. 109. a. 116. a. 125. b. 128. a. 129. b. 133. a. 134. a. 135. a. 137. a. 150. a. 152. b. 153. b. 157. a. b. 158. a. 159. b. 160. a. 167. b. 168. b. 171. a. 172. a. 173. b. 174. a. 175. a. 176. a. 177. a. 179. a.
Gruterus. I. 78. b. 171. b. 249. a. 366. b.
Gryphiander. II. 127. b.
Gudius. I. 78. b.
Guibertus. I. 431. a. 439. b.
Gutherius. I. 26. b.

H.

Haloander. I. 29. b. 157. b. 186. a. 187. a. 308. b. 309. a. 312. a. 314. b. 315. a. 316. a. b. 317. a. 318. a. b. 319. b. 321. a. 322. b. 324. b. 327. a. 358. b. 361. a. 432. a. 435. b. 452. a. 454. a. II. 12. a. 13. b. 18. a. 27. b. 35 b. 47. b. 52. a. 65. b. 72. a. 83. a. 100. a.
Harmenopulus. I. 27. a. 76. b. 159. a. 197. b. 223. b. 245. a. 432. a. 433. b. 434. b. 436. a. II. 20. a b. 46. b. 112. a. 114. a.
Heineccius. I. 221. b. 272. a.
Hein-

Heinſius. I. 214. b. II. 105. b.
Heraclides. I. 282. a.
Heraldus. I. 19. a. 34. a. 66. a. 68. b. 78. a. b. 92. a. 93. a. 101. b. 108. b. 124. b. 194. a. 274. b. 414. b.
Herodianus. II. 135. a.
Hervagius. I. 321. b. 322. b.
Hervetus. I. 157. a.
Heſychius. I. 52. b. 179. b. 256. a.
Hieronymus. I. 21. a. 148. b. 230. b. 385. a.
Hilliger. I. 161. b. 192. a. II. 149. a. 151. b. 181. a.
Hoffmannus. I. 203. b.
Hogerbeetſius. II. 180. b.
Hollandſche Mercurius. II. 159. b. 164. a. 165. b. 166. b. 173. a. b. 178. b. 179. a.
Holſtenius. I. 77. b. 170. b. 171. a. 200. b. II. 104. a. 105. b.
Hombergh. I. 148. a.
Homerus. I. 120. b. II. 102. b. 104. a.
Horatius. I. 43. b. 56. a. 84. b. 128. a. 152. b. 166. b. 185. a. 209. a. 269. a. 431. a. II. 13. a. 18. a. 111. b.
Hottomanus. I. 23. a. 28. a. 40. b. 54. b. 64. a. 67. b. 71. a. 75. a. 82. b. 88. b. 121. b. 123. a. b. 146. a. 150. b. 161. a. 165. a. 204. a. 264. a. 283. a. b. 321. a. 324. a. 328. a. 351. b. 451. a. 457. b. II. 15. b. 17. a. 18. a. 19. b. 20. a. b. 29. b. 36. b. 49. a. 51. a. 52. b. 54. a. b. 58. b.
Hotman (*Job.*) II. 153. a. 177. b. 182. b.
Huber. I. 160. a. 229. b. 273. a. 274. b. 347. b. 354. a. 361. a. II. 17. b. 151. b. 158. b. 159. b. 162. a. 167. a. b. 176. b. 177. b. 183. b.
Hugolinus. I. 177. a.

I.

Jaſon. I. 45. b. 237. a. 439. a. 440. b. 441. a. II. 51. a.
Inſcriptiones. I. 78. b. 162. b. 171. b.
Joannes Gloſſator. I. 437. a. 448. b. 453. a. b. II. 65. a. 66. b. 68. a. 71. b. 74. b.
Jornandes. I. 356. b. 421. b. II. 107. b.
Joſephus. I. 66. a. 349. b.
Irnerius. II. 74. b. 75. a. 83. a.
Iſidorus. I. 19. b. 39. a. 43. a. 108. b. 210. a. 220. a. 308. b. 337. b.
Julianus Imp. I. 125. a.
Junius. I. 43. b. 52. b. 78. b.
Juretus. I. 42. b.
Juſtinus. I. 309. b. II. 45. b.
Juſtinus Martyr. I. 366. a. 377. a. 382. b.
Juvenalis. I. 33. a. 36. b. 114. a. 145. b. 162. b. 165. b. 178. b. 209. b. 218. a. 256. a. 281. b. 413. a. 415. a. 431. a. II. 106. a.
Ivo. I. 193. b. II. 74. a. 88. a.

K.

Kirchnerus. II. 159. b. 167. a. 172. a. 174. b. 179. b.
Kuhnius. I. 57. b.

L.

Lactantius. I. 37. b. 145. b. 174. b. 178. a. 192. a. 366. a. 374. b. 378. a. 381. b. 383. a. 413. b. 414. a. 416. b. II. 23. a.
Lampridius. I. 77. a. 89. a. 116. b. 165. b. 218. a. 415. b. II. 21. b.
Landus. I. 145. b. 217. b. 252. a.
Langebek. I. 259. b.
Lectius. I. 42. b. 183. b.
Leeuwen (*Van*) II. 181. a.
Leges Friſicæ. II. 180. a.
Leges Nauticæ Phil. II. II. 127. b. 130. b.
Leoninus. I. 38. a. 122. b. 296. a. 258. a. 277. a. II. 45. b. 69. a.
Leunclavius. I. 64. b. 100. a. 125. a. 177. a. b. 184. a. 196. b. 261. a. 282. a.
Libanius. I. 178. b. 414. a. 419. a.
Lichtenau. (*Conr. A*) II. 69. a.
Lindebrogius. I. 96. b.
Lipſius. I. 21. a. 60. a. 64. b. 65. a. b. 115. a. 123. a. 155. a. 158. a. 162. a. b. 182. a. 183. a. 214. b. 310. b. 317. b. 328. a. 348. a. 349. b. 357. b. 359. b. 362. a. 363. b. 374. b. 376. a.
Livius. I. 95. a. 182. a. 192. b. 198. a. 201. a. 309. a. 310. b. 313. b. 314. a. b. 315. b. 317. a. b. 320. a. 412. b. 413. a. 415. a. 417. a. 418. a. b. 419. b. 420. a. II. 105. b. 106. a. 134. b. 173. a. 174. a. 181. b.
Loiſellus. I. 128. b.
Longovallius. I. 65. a.
Longus. I. 210. a.
Lopez. I. 145. b. 225. b.
Lucanus. I. 36. b. 144. b. 165. a. 413. a. II. 135. b.
S. Lucas. I. 60. a.
Lucianus. I. 22. a. 148. b. 183. a. b. 192. a. 282. b. 431. b. 432. a. 434. b.
Lucretius. II. 27. a.
Lyclama. I. 164. a. 236. b. 422. b. II. 124. b. 125. b.

M.

Macrobius. I. 324. b.
Mæſtertius. II. 44. a. 53. b.
Mævius. II. 158. a.
Magno. I. 36. b. 163. b.
Mamertinus. II. 12. a.
Marcilius. I. 43. a. 221. b. 309. b. 346. b. 347. a. b. 348. a. 349. b. 353. a. 354. a. b. 355. a. b. 356. b.
Marculphus. I. 36. b.
Marſelaar. II. 153. a. 168. b. 176. a. 182. a.
Martialis. I. 89. a. 127. b. 178. b. 366. a. 431. a.
Martinius. I. 256. a.
Maſſon. II. 13. a.
Maſvicius. I. 336. b.
S. Matthæus. I. 66. a.
Matthæus. (*Ant.*) I. 102. b. II. 150. a. 163. b.
Maurus. (*Marc. Vertran.*) I. 152. b. 168. b.
Menagius. I. 41. a. 56. b. 57. a. 78. b. 108. a. b. 113. b. 114. a. 146. b. 173. b. 179. b. 324. a. 327. b. 328. a. b. II. 99. a. b.
Mercerus. (*Jo.*) I. 117. a.
Mercerius. I. 226. a.
Mercur. V. Hollandſche Mercur.
Merenda. I. 276. b.
Merillius. I. 151. a. 176. a. 207. b. 208. a. 226. a. 227. a. 230. a. 233. a. 239. a. 244. a. 269. a. 283. b.
Meurſius. II. 112. a. 136. a.
Minutius Felix. I. 192. b. 366. a. 377. b. 381. b. 382. b. 383. a. 385. a. b. 390. a. 414. b. II. 27. a.
Molinæus. I. 252. a. II. 36. a. 66. a. 69. b. 73. a.
Mollerus. II. 149. a.
Morhoffius. I. 249. b. 268. b.
Mornacius I. 56. b. 113. b. 199. b. 322. b. 324. a. 326. b. II. 45. b. 99. a. 100. a. 113. a. 160. a. 176. b. 177. b. 178. b. 180. a.
Moſes. I. 88. b. 182. a. 192. b.
Muretus. I. 54. b. 78. a. 144. a. 176. b. 281. a. 309. b. 310. b. 311. a. b. 313. a. 316. b. 317. b. 318. b. 319. b. 320. b. 321. b. 322. b. 323. a. b. 324. b. 327. a. b. 419. b.
Mycillus. I. 214. b.

N.

Neoſtadius. II. 149. a.
Nepos. (*Corn.*) II. 173. a.
Nerius. I. 175. b.
Nicæus. I. 158. b. 159. a.
Nicolaus Damaſcenus. I. 88. b.
Niellius. II. 28. a. 74. a.
Nonius Marcel. I. 38. a. 42. a. 71. b. 79. b. 80. a. 89. b. 112. b. 145. b. 154. a. 180. a. 262. a. 283. b. 352. b. 359. a.

Noodt. I. 51. a. 68. b. 152. b. 206. b. 207. b. 259. a. 266. a. 348. b. 357. b. 361. a. 362. a. 364. a. 366. a. b. 367. b. 373. ad 408. 414. b. II. 21. b. 105. b.

O.

Odofredus. II. 36. b. 69. a. 84. b. 86. a.
Oiſelius. I. 333. a.
Oliva. (*Felicianus de*) II. 182. b.
Onuphrius. V. Panvinus.
Oroſius. I. 88. b.
Oſius ſive Orius. I. 207. b. 226. b.
Otto. I. 147. a.
Ovidius. I. 151. a. 160. b. 214. b. 223. b. 413. a. 450. b. II. 23. a. 105. b.

P.

Pachymeres. I. 205. b.
Pacius. II. 127. a. 133. a.
Pagenſtecher. II. 69. b. 74. b. 77. ad 88.
Palmerius. I. 202. b.
Pamelius. I. 78. b.
Pancirolus. I. 48. b. 50. a. 55. a. 78. a. 79. a. b. 84. b. 89. b. 95. b. 105. a. 114. b. 124. b. 125. a. 126. a. 127. a. 164. b. 165. b. 170. a. b. 171. a. b. 172. a. 186. b. 187. a. b. 194. a. 202. b. 247. a. 249. a. 250. a. 251. a. b. 328. a. 421. a. II. 66. a.
Pantoja de Ajala. I. 206. b.
Panvinus. (*Onuphrius*) I. 77. b. 317. b.
Papianus. I. 334. b.
Papinius Statius. I. 179. a.
Paſchalius. II. 153. a. 171. b. 177. b. 182. a.
Pauſanias. I. 202. b. II. 180. a.
Peckius. II. 149. a. 158. a.
Pelzhoffer. II. 153. a. 183. b.
Perezius. II. 54. b.
Perizonius. II. 102. b.
Perrenonius. I. 206. b.
Perſius. I. 43. a. 180. b. 327. b.
Petit. I. 34. b. 79. b. 214. a. II. 103. a. 110. b
Petronius. I. 178. b. 262. b. 431. a.
Phædrus. I. 165. b.
Philo Judæus. I. 145. b. 153. a. 182. a. 231. a. 359. a. 360. a. 374. a. 415. a. 416. b. II. 116. a. 135. a.
Philoxenus in Gloſſis. I. 308. b.
Phlegon Trallianus. I. 312. a.
Pighius. I. 77. b. 177. b. 317. b. 321. a. 322. a.
Pignorius. I. 168. a. b.
Pithœus. I. 48. a. 65. b. 77. a. 90. a. 92. a. 93. b. 94. b. 152. a. 163. a. 175. a. 224. b. 281. b. 348. a. 350. a. b. 353. a. b. 354. a. 417. a. 423. a. 424. a. 425. a. 426. b.
Pius Anton. Bartolinus. I. 52. b. 105. a.
Plato. I. 88. a. b. 210. b.
Plautus, I. 113. a. 217. b. 249. b. 262. a. 318. a. 335. b. 388. a. 419. b. 431. a.
Plinius. I. 31. a. 71. a. 75. a. 85. b. 120. a. 148. a. 149. b. 157. b. 160. a. 170. a. 171. a. 172. a. 180. a. 186. b. 197. a. 200. b. 217. b. 264. a. 324. a. 328. a. 334. a. 336. a. b. 337. b. 363. a. 414. a. 416. b. 431. a. b. II. 11. b. 104. a. 105. a. 115. a.
Plutarchus. I. 33. b. 34. b. 49. b. 96. a. 98. b. 160. b. 166. a. 182. a. 218. a. b. 261. b. 282. b. 323. b. 335. b. 354. b. 412. a. II. 136. a. 155. b. 175. b. 182. a.
Politianus. II. 10. a.
Polybius. I. 413. a. II. 105. a. 135. a.
Pomponius Mela. I. 172. b. 178. b. 256. a.
Popma. I. 258. b. 259. a.
Porphyrion. I. 413. a. II. 13. a.
Porta. (*Hug. a*) I. 63. b. 316. b.
Pratejus. I. 187. b. 225. b. 269. b.
Procopius. II. 171. b.
Propertius. I. 414. a.
Prudentius. I. 383. a.
Puteanus. I. 366. b. 367. a.

Q.

Quintilianus. I. 17. a. 18. b. 19. b. 27. a. 33. a. 55. b. 88. a. 97. b. 147. a. 152. a. b. 153. b. 162. a. 230. a. 252. b. 268. a. 324. b. 325. b. 349. a. 350. b. 352. a. 431. b. 434. a. II. 111. b.

R.

Rævardus. I. 102. a. 158. a. 169. a. 231. a. 236. a. 243. a. 261. a. 262. a. 281. a. 333. a. 335. a. 347. b. 348. a. b. 349. a. 354. a. 357. a. 359. b. 414. a. II. 48. a.
Ranchinus. I. 69. b.
Ravani. (*Petr. Jac. de*) I. 332. b.
Regius. I. 165. a.
Reineſius. I. 147. a.
Relandus. I. 170. b. 171. a.
Repertorium Curiæ Holland. II. 159. b. 180. a.
Rittershuſius. I. 98. a. 160. a. 264. a. 347. b. 348. a. 353. a. II. 10. a.
Robertus. (*Ann.*) I. 19. a.
——— (*Job.*) I. 53. b. 54. a. 66. a. 75. b. 102. b. 169. a. 235. b. 268. b. II. 15. b. 51. a.
Rogerius. I. 63. a. 453. a.
Roſate. (*Alber. de*) I. 146. a. 273. b.
Rupertus. I. 308. b. 309. a. 310. a. 312. a. 317. b. 318. a. 320. a. 321. a. b. 322. a. 324. a. 327. a. 328. a.
Ruſſardus. I. 35. b. 65. a. 67. b. 80. a. 116. b. 122. b. 156. b. 160. a. 184. a. 187. b. 204. b. 246. a. 266. a. 316. b. 323. b. 435. b. 452. a. II. 10. a. 18. a. 26. b.
Rutgerſius. I. 259. a. II. 105. b.
Ryckius. I. 122. b. 171. b.

S.

Sacra Scriptura. I. 356. b. 416. a. 422. b.
Salicetus. II. 72. b.
Salluſtius. I. 172. b. 233. b. 250. a. 309. b. 349. b. II. 173. b.
Salmaſius. I. 19. a. 20. b. 27. b. 28. a. 34. a. 37. a. 38. b. 43. a. b. 48. a. 78. b. 80. a. 89. b. 90. a. 92. b. 93. a. 94. a. 101. b. 105. b. 107. b. 116. a. 120. b. 124. a. b. 127. a. 154. a. 166. b. 179. a. 184. b. 186. a. 193. b. 202. a. 205. a. 213. b. 214. b. 215. a. 246. a. 248. a. 250. a. 253. a. b. 282. a. 332. a. 333. a. 339. a. b. II. 18. a. 103. a. 106. a. 107. a. 110. a.
Salmuth. I. 194. a.
Salomonius. I. 144. a. b. 310. b.
Sanctius. I. 144. a. 149. b.
Sancto Egidio. (*Alexand. de*) II. 68. a. 70. b.
Sarmientus. I. 439. a.
Sarpius (*Paulus*) II. 173. b.
Scaliger. I. 19. a. 20. a. 40. a. 64. a. 71. b. 79. a. 89. b. 96. b. 98. a. 106. b. 113. b. 145. b. 155. a. 192. b. 214. b. 249. b. 252. a. 282. a. 310. b. 335. b. 423. b. 424. b. II. 11. b. 12. a. 13. a. 21. a. 128. b. 163. b.
Schefferus. I. 375. a.
Schifordegherus. I. 167. b.
Scholiaſtes Juvenalis. I. 43. b. 145. b. 155. a. 166. b. 175. a. 218. a. 281. b.
——— Perſii. I. 42. b.
Schottus. I. 104. a. 165. b. 419. b.
Schulting. I. 152. b. 155. a. 160. a. 162. a. 163. a. b. 175. a. 182. b. 186. b. 188. b. 189. a. b. 229. a. 231. a. 238. b. 266. b. 267. a. 271. b. 275. a. 332. b. 334. a. b. 335. a. 338. b. 347. a. b. 349. a. 350. a. 353. a. 376. a. 423. a. b. 425. a. b. 426. b. 447. b.
Seldenus. II. 99. a. 101. b. 103. a. 110. b. 127. a. 131. a. 132. a. 134. a. b. 135. a. 136. a. 137. b. 138. a. 139. a.
Seneca. I. 38. a. 56. b. 81. a. 84. b. 95. a. 101. a. 117. a. b. 125. b. 145. a. 155. a. b. 158. a. 160. b.

b. 162. *a.* 166. *a.* 172. *b.* 178. *a.* 185. *a.* 201. *a.* 209. *a.* 262. *a.* 310. *b.* 349. *b.* 351. *a.* 412. *a.* 431. *a.* II. 12. *b.* 14. *a.* 29. *a.* 46. *a.* 109. *a.* 129. *b.* 150. *a.*
Seneca Tragicus. I. 79. *a.*
Senſtlebius. I. 322. *a.*
Septuaginta. I. 268. *a.*
Serenus Sammonicus. I. 56. *b.* 70. *b.*
Servius. I. 54. *a.* 80. *a.* 88. *a.* 97. *b.* 98. *b.* 149. *b.* 192. *b.* 283. *b.* 327. *b.* 336. *b.* 346. *b.* II. 102. *b.*
Sextus Empyricus. I. 346. *b.*
Siccama. I. 422. *b.*
Sidonius Apollinaris. I. 243. *a.* II. 21. *a.*
Sigonius. I. 170. *a.* 197. *a.* 218. *a.*
Silius Italicus. I. 202. *a.*
Simplicius ad Epictetum. I. 327. *b.* 353. *a.*
Socinus Junior. (*Marianus*) I. 440. *a.*
Solinus. I. 214. *b.* 130. *b.*
Solorzanus. I. 348. *b.* 350. *a.* 352. *b.* 356. *b.*
Sopater. I. 27. *a.* 348. *b.*
Souterius. I. 322. *a.*
Spanhemius. (*Ezech.*) II. 115. *a.* 116. *a.*
Spartianus. I. 56. *a.* 313. *a.* 351. *a.* 415. *b.* II. 12. *a.* 100. *a.*
Sponius. I. 50. *a.*
Statius. II. 135. *b.*
Stephanus. I. 52. *b.* 181. *b.* 200. *b.* 204. *b.* 311. *a.* 319. *a.* 321. *a.* 322. *b.* 454. *a.* II. 54. *b.* 104. *a.* 105. *a.*
Stobæus. II. 135. *a.*
Strabo. I. 122. *b.* II. 104. *a.* 105. *a.* 107. *b.* 113. *b.*
Strauchius. I. 232. *b.* II. 12. *a.* 49. *a.* 69. *b.* 73. *a.* 74. *b.* 83. *b.* 84. *a. b.* 85. *a.* 86. *a.* 87. *b.*
Suallembergus. I. 159. *a.*
Suetonius. 39. *a.* 89. *a.* 90. *b.* 113. *a. b.* 158. *b.* 163. *a.* 170. *a.* 173. *a.* 180. *a.* 185. *a.* 197. *a.* 200. *b.* 238. *a.* 281. *a.* 311. *b.* 327. *a.* 388. *a.* 400. *a.* II. 13. *a.* 113. *b.*
Suidas. I. 23. *a.* 180. *a.* 218. *b.* 268. *b.* 424. *b.* II. 11. *b.* 106. *b.*
Sulpicius Severus. I. 91. *b.* 230. *b.* 324. *b.* 424. *b.*
Suſarius. II. 36. *b.*
Sylburgius. I. 346. *b.*
Sylvius. (*Ant. Clar.*) I. 309. *a.*
Symmachus. I. 33. *b.* 173. *b.* 186. *b.* 218. *a.* 328. *a.* 414. *b.* 422. *b.* 423. *b.* II. 104. *b.*

T.

Tabernarius. II. 109. *b.*
Tacitus. I. 29. *b.* 33. *b.* 49. *a.* 65. *b.* 66. *a.* 79. *a.* 112. *b.* 113. *a.* 120. *b.* 147. *b.* 161. *a.* 162. *b.* 173. *a.* 178. *b.* 182. *b.* 183. *a.* 218. *a.* 245. *a.* 249. *a.* 281. *a.* II. 11. *b.* 110. *b.* 178. *a.* 179. *a.*
Taurellius. I. 23. *a.* 171. *b.* II. 27. *b.* 34. *a.*
Temple. II. 131. *a.*
Terentius. I. 54. *b.* 153. *a.* 209. *b.* 365. *a.* 388. *a. b.*
Tertullianus. I. 17. *a.* 19. *b.* 20. *b.* 37. *b.* 43. *b.* 66. *a.* 79. *a.* 113. *a.* 173. *a.* 178. *b.* 182. *b.* 209. *b.* 214. *b.* 230. *b.* 250. *a.* 252. *a.* 257. *b.* 281. *b.* 366. *a. b.* 367. *a. b.* 376. *b.* 377. *b.* 379. *b.* 381. *b.* 389. *a.* 405. *a.* 415. *a.* 417. *a.* 422. *b.* 423. *b.* II. 45. *b.*
Tesmarus. II. 173. *b.* 174. *a.* 176. *a.*
Theodoretus. I. 426. *a.*
Theophilus. I. 21. *a.* 40. *a.* 88. *a.* 108. *b.* 230. *a.* 265. *a.* 279. *b.* 338. *a.* 339. *a. b.* 447. *b.* 448. *a.* 449. *a.* 451. *a.* 453. *a.* 454. *b.* 455. *a.* 457. *a.* 458. *b.* II. 48. *a.*
Theophraſtus. I. 57. *b.*
Tholoſanus. I. 47. *a.*
Thomaſius. I. 174. *b.* II. 126. *a. b.* 179. *b.*
Titius. II. 126. *b.*
Trebellius Pollio. I. 193. *b.* 205. *a.*
Turaminus. I. 236. *b.*
Turnebus. I. 80. *a. b.* 89. *b.* 113. *b.* 124. *a.* 165. *a.* 166. *b.* 170. *a.* 179. *b.* 186. *a.* 246. *a.* 256. *a.* 366. *b.* II. 18. *a.*

V.

Vaconius a Vacuna. II. 44. *b.*
Valerius Flaccus. I. 179. *a.*
Valerius Maximus. I. 55. *a.* 114. *a.* I. 148. *a.* 149. *a.* 152. *b.* 161. *b.* 162. *b.* 173. *a.* 177. *b.* 205. *b.* 318. *b.* 322. *a.* 323. *b.* 349. *a. b.* 352. *a.* 415. *a.* 416. *b.* 452. *b.*
Valla. I. 245. *a.* 268. *a.*
Vallius. I. 277. *a.*
Van Eck. V. Eck.
Varro. I. 71. *a.* 95. *b.* 108. *b.* 145. *b.* 154. *b.* 165. *b.* 172. *b.* 180. *a.* 191. *a.* 209. *a. b.* 214. *a.* 217. *b.* 230. *b.* 249. *b.* 250. *a.* 252. *a.* 315. *a.* 317. *a.* 335. *b.* 336. *a.* 337. *a. b.* 340. *a.* 365. *a.* 345. *b.* II. 27. *a.*
Varſevicius. II. 153. *a.*
Vaſquius. II. 134. *a.*
Velſchius. I. 337. *b.*
Vera. (*Ant. de*) II. 174. *a. b.* 175. *b.* 178. *b.* 182. *b.*
Victor. (*Aurel.*) I. 328. *b.* 422. *a.*
Victorius. I. 154. *b.*
Viglius. (*Zuichem.*) I. 55. *b.* 100. *b.* 170. *a.* 207. *a.* 208. *a.* 279. *a.* II. 33. *a.*
Vindicianus. I. 105. *a.*
Vinnius. I. 228. *a.*
Virgilius. I. 38. *a.* 41. *a.* 54. *a. b.* 144. *b.* 149. *b.* 165. *a.* 192. *b.* 249. *a.* II. 111. *b.*
Viſigothorum Leges. II. 21. *a.*
Vitruvius. I. 155. *a. b.*
Vivianus. I. 63. *b.* 167. *a.* 250. *b.* 277. *a.*
Voetius. II. 149. *b.* 156. *a.*
Vopiſcus. I. 179. *a.* 184. *b.*
Vorſtius. I. 143. *b.*
Voſſius. (*Ger. Joh.*) I. 328. *a.* 416. *a.*
——— (*Iſac.*) I. 43. *b.* 75. *b.* 84. *b.* 89. *b.* 105. *a.* 106. *a.* 170. *b.* 178. *b.* 180. *a.* 194. *b.* 210. *b.* 217. *b.* 256. *a.* 425. *a.* II. 104. *a.* 105. *a.* 138. *b.*
Urſinus (*Fulv.*) I. 420. *a.*
Vulcatius Gallicanus. I. 173. *b.* 181. *b.* 182. *a. b.*

W.

Welwod. II. 137. *b.*
Wheler. II. 135. *b.*
Wicquefort. II. 148. *b.* 153. *a. b.* 155. *b.* 156. *b.* 157. *a.* 158. *b.* 159. *b.* 161. *a. b.* 162. *a.* 164. *a.* 168. *a.* 170. *a.* 171. *b.* 173. *b.* 174. *b.* 175. *a. b.* 176. *a. b.* 177. *a.* 178. *b.*
Wiſſenbachius. I. 160. *a.* 221. *b.* 223. *a. b.* 224. *b.* 230. *a.* 231. *a.* 234. *a.* 235. *a.* 240. *a.* 243. *a.* 244. *a.* 267. *b.* 271. *a.* 273. *a.* 353. *a.* 451. *b.* II. 12. *a.* 163. *b.*
Wybo. I. 223. *b.* 228. *b.* 233. *a.* 239. *a.* 243. *a.*

X.

Xenophon. I. 192. *b.* II. 102. *b.*
Xylander. I. 64. *b.* 218. *a.*

Z.

Zamoſcius. I. 19. *a.*
Zaſius. I. 22. *a.* 308. *b.* 309. *a.* 310. *a.* 311. *b.* 316. *a.* 319. *a.* 321. *b.* 322. *b.* 324. *a.* 327. *b.* II. 22. *a.* 28. *a.* 51. *a.*
Zoanettus. I. 32. *b.* 35. *b.* 53. *a.* 85. *b.* 86. *b.* 295. *b.*
Zoſimus. II. 100. *b.* 131. *b.*
Zouchæus. II. 149. *a. b.* 150. *b.* 158. *a.* 159. *b.* 161. *b.* 168. *a.* 171. *b.* 178. *a. b.* 183. *b.*
Zuichemius. Vide Viglius.

INDEX LEGUM,

Quæ in his Operibus explicantur & emendantur.

EX INSTITUTIONIBUS.

§. 3. *Proœm.* I. 320. *b.*
§. 2. *de Jure N. & G.* II. 34. *a.*
§. *ult. de Nupt.* I. 54.
Quib. mod. tut. fin. I. 97. *a.*
§. 40. *de Rer. diviſ.* 338. *a.* 339. *b.*
§. 10 *de Teſtam. Ordinand.* 279. *a.*
§ *ult. de militar Teſtam.* 242. *a.*
§. 1. *de exhered liberor.* 278. *a.*
§ 1. *de Inoff. Teſt.* 149. *a.*
§. *ult. de Legat.* Verſic. Pœnæ quoque nomine. 447. *b.*
——— *Verſic.* Veluti ſi quis. 453.
——— *Verſic.* Aut ſi ita. 455.
——— *Verſic.* Et in tantum. 456.
——— *Verſic.* Sed hujusmodi. 457.
§ 1. *de Codicillis.* 264. *b.*
§. *pen. de SCto Tertylliano.* 270. *a.*
§. 3. *ſive pen. de ſucceſſione libertor.* *ibid.* 272. *b.*
§. *ult. de Adſignand. libert.* 77. *b.*
§. 17. *de Inutil. Stipul.* II. 16. *a.*
§. 1. *Quib. mod. tollitur oblig.* 48. *b.*
§. 10. *de Actionib.* 34. *a.*
§. 3. *de Exception.* 48. *b.*
pr. de Replicat. 49. *a.*
§. 9. *de Publ. Judic.* I. 20. *b.*

E PANDECTIS.

l. 2. *de Juſtit. & Jur.* I. 178. *a.*
l. 3. *eod.* 144. *a.*
l. 5. *eod.* 125. *a.*
l. 2. *de Origine Juris.* §. 1. 86. *b.* 308. *b.*
——— ——— ——— §. 2. 309. *a.*
——— ——— ——— §. 3. *ibid.*
——— ——— ——— §. 4. 310. *a.*
——— ——— ——— §. 5. 311. *a.*
——— ——— ——— §. 6. 229. *a.* 311. *a.*
——— ——— ——— §. 7. 311. *b.*
——— ——— ——— §. 8. 312. *a.*
——— ——— ——— §. 9. *ibid.*
——— ——— ——— §. 10 & 11. *ibid. a. b.*
——— ——— ——— §. 12. 313 *a.*
——— ——— ——— §. 15 & 16. *ibid.*
——— ——— ——— §. 17. *ibid. b.*
——— ——— ——— §. 19. *ibid.*
——— ——— ——— §. 20 & 21. 314. *b.* 315. *a.*
——— ——— ——— §. 22. 315. *a.*
——— ——— ——— §. 24. *ibid.*
——— ——— ——— §. 25. 316. *a.*
——— ——— ——— §. 26. *ibid. b.*
——— ——— ——— §. 29. *ibid.*
——— ——— ——— §. 30, 31 & 32. *ibid.* 317. *a.*
——— ——— ——— §. 33. 317. *b.* 318. *a.*
——— ——— ——— §. 35 & 36. 318. *a. b.*
——— ——— ——— §. 37 & 38. 320.
——— ——— ——— §. 39. 320. *b.* 321. *a.*
——— ——— ——— §. 40. 321. *a. b.*
——— ——— ——— §. 42. 322.
——— ——— ——— §. 43. 322. *b.* 323. *a.*
——— ——— ——— §. 44. 247. *b.* 323.
——— ——— ——— §. 45. 323. *a.* 324.
——— ——— ——— §. 47. 179. *b.* 218. *b.* 327. 328.
l. 1. *de Legibus.* 92. *b.*
l. 22. *eod.* 281. *a.*
l. 5. §. 1. *de Statu hom.* 223.
l. 24. *eod.* 227. *b.*
l. 5. §. 1. *de rer. diviſ.* II. 124. *b.*
l. 6. *pr. eod.* 124. *b.*
l. 6. §. *ult. l.* 7. *eod.* I. 23. *b.*
l. 9. §. 4. *eod.* II. 264. *b.*
l. 1. §. 1. *de Senator.* 245.
l. 12. *pr. eod.* 170. *b.*
l. ult. §. 1. *eod.* 223. *b.*
l. 3. *de Offic. Præt.* II. 241. *a.* 287. *b.*
l. 3. §. 3. *de Offic. Præf. Vigil.* I. 281.
l. 4. §. 3. *de Offic. Proconſ.* 113. *a.*
l. 4. §. 5. *de Offic. Proconſ. & Legat.* 199. *b.*
l. 7. *pr. eod.* 49.
l. 8. *eod.* 281. *b.*
l. 9. §. 2. *eod.* 159. *b.*
l. 11. *eod.* 146. *a.*
l. 13. *eod.* 206. *a.*
l. 3. *de Offic. Præſid.* II. 148. *b.*
l. 4. *eod.* I. 281. *b.*
l. 6. §. 5. *eod.* 32. 85. *b.*
l. 19. *pr. eod.* 161. 162. *a.*
——— § 1. *eod.* 162. *b.*
l. 3. *pr.* & §. 1. *de Offic. Procur. Cæſ. vel Ration.* 64. 65. *a.*
l. 1. § 1. *de Offic. ejus cui mand. eſt Jurisd.* 206. *a.*
l. 1. *de Offic. Adſeſſor.* 180. *a.*
l. 2. *eod.* 24. *a.*
l. 5 *eod.* 42. *b.*
l. 3 *de Jurisdict.* 282. *a.*
l. 13. §. 1. *eod.* 243. *a. b.*
l. 2. *de in jus voc.* II. 153. *b.*
l. 20. *eod.* I. 214.
l. ult. eod. 274.
l. 8 §. 5. *Qui ſatisd. cog.* 222. *a.*
l. 2. *pr. Si quis caution. in jud. ſiſt. ca. fact. non obtemp.* 75.
l. 2. §. 4. *eod.* 99.
l. 6. §. 2. *de Edendo.* 222. *a.*
l. 9. §. 3. *eod.* *ibid.*
l. 1. *de Pactis.* 258.
——— §. 3. *eod.* II. 21. *b.*
l. 4. §. *ult. eod.* 52. *a.*
l. 7. §. 5. *eod.* I. 238. II. 49. *a.*
——— §. 6. I. 176. *b.* II. 47. *b.*
——— §. 12. II. 15. *a.*
l. 17. *pr. eod.* 55. *a.* 56. *a.*
l. 27. §. 2. *eod.* 48. *b.* 49. *b.*
——— §. 6. I. 260.
l. 33. *eod.* 283. *a.*
l. 48. *eod.* II. 56. *a.*
l. 5. *de Transaction.* I. 101.
l. 8. §. 12 & 14. *eod.* 89. *a.*
l. ult. eod. 204. *b.*
l. 1. §. 3. *de Poſtul.* 112.
l. 6. §. *ult. de His qui not. infam.* 25.
l. 11. §. 1. *eod.* 158 *a.*
——— §. 2. *eod.* *ibid. b.*
l. 23. *eod.* 159. *a.*
l. ult. eod. 161. *a.*
l. 64. §. 4 *de Procuratorib.* 48. *a.*
l. 13. *de Negot. Geſt.* II. 13. *b.*
l. 47. §. 1. *eod.* I. 229. *b.*
l. 1. §. 3. *de Calumniat.* 318. *a.*
l. 9. §. 1. *Quod met. cauſ.* 95. *a.*
l. 9. § *ult. de dolo mal.* 224. *b.*
l. 10. *eod.* *ibid.*
l. 11. *eod.* 22. *b.* 224. *b.*
l. 18. §. 4. *eod.* 243. *a.*
l. 1. §. 2. *de Minorib.* 197. *a.*
l. 3. §. 5. *eod.* 227. *a.*
——— §. 6. *ibid. b.*
l. 18. §. 1 & 2. *eod.* II. 11. *a.*
l. 22. *eod.* I. 230. *b.*

l. 27. §. ult. eod. I. 227.
l. 29. eod. ibid. b.
l. 28. §. 5. ex quib. cauſ. maj. in integr. reſt. 281. a.
l. 32. eod. 199.
l. 41. de Recept. qui arbitr. recept. 197. a.
l. 51. eod. 245. b.
l. 1. §. 3. Nautæ Caupon. Stabul. 57.
l. 3. §. 1. eod. 251. b.
l. 1. de Judic. II. 180. a.
l. 2. §. 2. eod. I. 243. a.
—— §. 3. eod. II. 154. a.
—— §. 4. eod. ibid.
—— §. 6. eod. I. 273. a.
—— §. pen. eod. ibid.
l. 12. §. 2. eod. 198. b.
l. 19. §. 2. eod. II. 149. b.
l. 28. §. 4. eod. I. 273. a.
—— §. ult. eod. 117. a.
l. 32. eod. 71. b. 242.
l. 48. eod. 273. a.
l. 49. §. 1. eod. 243. b.
l. 57. eod. 67.
l. 1. de inofficioſ. Teſtam. 148.
l. 4. eod. 55. a.
l. 8. pr. eod. 162. b.
—— —— §. 11. 271. b.
l. 17. §. 1. eod. 55. b.
l. 20. §. 6. de hered. pet. 262. a.
—— §. 11. eod. ibid. b.
l. 25. §. 4. eod. 262. a.
—— §. 7. eod. ibid. b.
l. 36. §. 1. eod. 249. b.
—— §. 4. eod. 262.
l. 40. §. 1. eod. ibid. a.
l. 55. eod. 220. b.
l. 3. Si pars hered. pet. 78. 117. b.
l. 5. §. 1. de Rei vindicat. 230. b.
l. 28. eod. 282. b.
l. 39. eod. 253. b.
l. 68. eod. 85.
l. 76. §. 1. eod. 219. a.
l. 1. §. 2. de Publician. in rem actione. ibid. b.
l. 2. eod. ibid.
l. 7. §. 8. eod. 237. b.
l. 15. §. 1. de Uſufruct. 85. b.
l. 15. §. ult. l. 16. l. 17. pr. eod. 30.
l. 34. eod. 209. a.
l. 58. §. 1. eod. 43. a.
l. 5. §. 3. Si uſusfruct. petat. 230. b.
l. 12. §. 1. de Uſu & habit. 174. a.
l. 15. de Servitut. Præd. Urb. 209. a.
l. 1. pr. de Servit. Præd. Ruſt. 107. a.
l. 17. Commun. Prædior. 149. b.
l. 8. §. 5. Si ſervit. vindic. ibid.
l. ult. Si Quadrup. pauper. fec. dic. 248. a.
l. 2. pr. ad Leg. Aquil. 121. b. 335.
—— §. 2. eod. 336. a.
l. 27. §. 4. eod. 31. a.
—— §. 10. eod. 224. b.
—— §. ult. eod. 252. a.
l. 29. §. 1. & 2. eod. 118.
—— §. 3. & 4. eod. 119.
—— §. 5. & 6. eod. 120.
l. 31. eod. 32. a.
l. 49. §. 1. eod. II. 267. b.
l. 5. §. 4. de His, qui effud. vel dejec. I. 32. b.
—— §. 12. eod. 165. b.
l. 6. §. 1. eod. 32. a.
l. 14. pr. de Noxal. action. 261. a.
l. 15. eod. 67. b.
l. 12. Fin. regund. 157. a.
l. 8. §. 1. Famil. Erciſc. 22. b.
l. 36. eod. II. 32. b.
l. 44. §. 4. eod. I. 221.
l. 6. pr. Commun. divid. 189. a.
l. 7. §. 12. eod. 230. b.
l. 14. §. 1. eod. 189. a.
l. 20. eod. 162. b.
l. 7. §. 5. ad Exhibend. II. 45. b.
l. 12. §. 2. eod. I. 90. b.
l. 15. eod. 212. b. 222. a.
l. 9. §. 4. de Interrogat. in jur. fac. 176. a.
l. 5. §. 2. de Servo corrupto. 31. b.
l. 13. eod. ibid. 245. b.
l. 16. eod. 32. a.
l. 1. §. 1. de Fugitiv. 281. a.
l. 5. pr. Si menſor falſ. mod. dix. 86. b.
l. 14. §. 4. de Religioſ. & ſumt. fun. 245. a.
—— §. 7. eod. 124.
l. 35. eod. 282. b.
l. 37. eod. II. 281. a.
l. 44. pr. eod. I. 23.
—— §. 1. eod. 24. b.
l. 1. de Rebus credit. II. 9. a.
l. 2. §. 1. eod. I. 28.
l. 17. eod. 52. b.
l. 40. eod. 200. a.
l. 5. §. 1. de Jurejur. 178.
—— §. 3. eod. 179. b.
l. 34. §. 4. eod. 41. a. 221.
l. 6. de Condict. cauſ. dat. cauſ. non ſequut. 59. a.
l. 15. eod. 50. b.
l. ult. eod. 206.
l. 46. de Condict. indeb. 249. b.
l. ult. §. ult. eod. 40. b.
l. 1. §. 4. de Pecun. conſtitut. II. 57. a.
l. 5. §. 7. Commodati vel contr. I. 252. a.
l. 11. §. 5. de Pignorat. action. 209. b.
l. 39. eod. 40. b.
l. 9. de Leg. Rhod. de jact. I. 77. b. II. 98.
l. 10. §. 1. eod. I. 83. a.
l. 1. ad SCtum Macedon. 210. b.
l. 4. pr. de Pecul. 145. a.
l. 23. eod. 221. b.
l. 24. Depoſit. 254. b.
l. 25. §. 1. eod. 255. a.
l. 26. eod. 254. b.
—— §. 1. 2. eod. 77. b. 255. a.
l. 28. eod. 41. b. 255. a.
l. 29. eod. 255. b.
—— §. 1. eod. ibid. a.
l. 20. §. 1. Mandati. 210. b.
l. 58. §. 1. eod. 24. a.
l. 23. §. 1. pro ſocio. 127. b.
l. 52. §. 2. eod. 79.
l. 52. §. 3. eod. 53.
l. 65. eod. 170. a.
l. 81. eod. 175. b.
l. 83. eod. 59. a.
l. 9. §. 2. de Contrah. emtion. 193. a.
l. 11. §. 1. eod. ibid.
l. 14. eod. 193. 275. a.
l. 19. eod. II. 421. a.
l. 21. §. 2. eod. I. 274. b.
l. 34. §. 1. eod. 355. a.
l. 35. §. 8. eod. 157. a.
l. 40. pr. eod. 86.
l. 41. §. 1. eod. 193. b.
l. 57. pr. eod. II. 30. b.
l. 58. eod. I. 274.
l. 65. eod. 253. b.
l. 69. eod. 202.
l. 72. eod. II. 47. b.
l. 24. de Hered. vel act. vend. I. 183.
l. 2. de Reſcind. vendit. 176. b.
l. 3. eod. II. 48. a.
l. 1. §. 1. de Peric. & comm. rei vend. I. 245. b.
—— §. 4. eod. 209. a.
l. 11. eod. 248. b.
l. 13. §. 31. de Action. emt. 154. a.
l. 14. eod. ibid.
l. 17. §. 8. eod. ibid.
—— §. 9. eod. 155. b.
l. 21. §. 2. eod. 274.
l. 22. eod. 275. a.
l. 2. §. 1. Locat. conduct. 253. a.

l. 13. §. 6. eod. I. 256. b.
l. 15. §. 2. eod. 43. a.
—— §. 5. eod. 56.
l. 22. §. 2. eod. 253. b.
l. 27. eod. 248. b.
l. 31. eod. 247. 249. 250. 252. 254. 256. 257. 258.
l. 39. eod. 252. b.
l. 5. §. 1. de Præſcript. verb. 207. a. b.
l. 1. §. 3. de Pignor. & hypothec. 200. a.
l. ult. Quæ res pignor. vel. hyp. dat. oblig. non poſ. 355. b.
l. 5. Qui potior in pign. 95. a.
l. 12. §. ult. de Ædil. Edict. 96.
l. 17. §. 4. eod. 176. a.
l. 19. §. 2. eod. II. 16. b.
l. 23. §. 3. eod. I. 104. b.
l. 20. de Eviction. 82.
l. 46. §. 2. & 3. eod. 215.
l. 74. §. ult. eod. 110. b.
l. 1. pr. de Uſur. 209. a. 235. a.
l. 3. §. 3. eod. II. 11. b.
l. 9. §. 1. eod. I. 200. a.
l. 17. pr. eod. ibid. b. II. 35. b.
l. 24. pr. eod. I. 263. b.
l. 33. pr. eod. 180.
l. 8. de Probation. & præſumt. 221. a.
l. 22. eod. II. 87. a.
l. 25. §. 1. eod. I. 283. b.
—— §. ult. eod. 233. b.
l. 26. eod. 221. a.
l. 27. eod. 234. a.
l. 28. eod. 221. a.
l. 3. §. 1. de Teſtib. 174. a.
—— §. 5. eod. 209. a.
l. 4. eod. 23. a.
l. 21. §. ult. eod. 162. b.
l. 17. de Sponſal. 161. a.
l. 10. de Ritu nuptiar. 244.
l. 11. eod. ibid.
l. 19. eod. 115.
l. 38. eod. 231.
l. 48. §. 2. eod. 430. b.
l. 60. §. 5. eod. 231. a.
l. 9. §. 1. de Jure dot. 149. b.
l. 43. §. 1. eod. 170. a.
l. 62. eod. 283. b.
l. 79. eod. 221. b.
—— §. 1. eod. 283. a.
l. 8. de Pact. dotal. 244. a.
l. 17. eod. 238. a.
l. 3. §. 12. de Donat. int. vir. & uxor. 169. b.
l. 23. eod. 166.
l. 33. pr. & §. 2. eod. ibid.
l. 66. pr. eod. II. 52. b.
l. 6. de Divort. & repud. I. 223. b.
l. 2. §. 1. Solut. matrim. 265.
l. 22. §. 7. eod. 267.
—— §. 8. eod. 245. a. 267.
—— §. 9. eod. 267.
l. 24. §. 3. eod. 237.
l. 31. §. 1. eod. 283. a.
l. 43. eod. 212.
l. 44. §. 1. eod. 283. a.
l. 45. eod. II. 57. a.
l. 66. pr. eod. I. 95. a.
l. 1. §. 4. de Agnoſc. & alend. lib. 364. a.
—— §. 14. eod. 41. a.
l. 4. eod. 358. b.
l. 1. pr. de Tutel. 258. b.
l. 3. pr. §. 2. 3. & 4. eod. 228.
l. 4. pr. & §. 1. eod. ibid.
l. 5. pr. & §. 1. eod. ibid.
l. 4. de Teſtam. tut. 61.
l. 24. eod. 228.
l. 2. pr. §. 1. & 2. Qui pet. tut. vel cur. 269. b.
—— §. 5. eod. 245. a.
l. 7. §. 11. de Adminiſtr. & peric. tut. ibid.
l. 34. eod. 127. a.
l. 43. eod. 185. a.
l. 46. §. 1. eod. I. 230. b.
l. 55. §. 1. eod. 185. b.
l. 5. §. 4. de Auctor. & conſenſ. tut. 210. a.
l. 18. eod. 229. a.
l. 19. eod. ibid.
l. 1. pr. de Suſpect. tutor. 69. a.
l. 6. §. 9. de Excuſ. tut. 187. b.
l. 3. §. 3. Ubi pupill. educ. vel morar. deb. 246. b.
l. 1. §. 12. de Tutelæ & rat. diſtrah. 185. b.
l. 2. §. 1. eod. ibid.
l. 9. §. 4. eod. 228.
l. 24. eod. 186. b.
l. 1. §. 2. de Reb. eor. qui ſub tut. ibid. a.
l. 5. §. 11. eod. 205. a.
l. 5. de Curat. furioſ. & al. extra min. dand. 230. b.
l. 9. eod. 230.
l. 20. pr. Qui teſt. fac. poſſ. 279.
l. 32. §. ult. eod. 40. a.
l. 10. de Liber. & poſt. hered. inſt. 276.
l. 11. eod. 352. b.
l. 29. §. 6. eod. II. 29. b.
l. 2. de Injuſt. rupt. & irrit. fact. teſt. I. 46.
l. 3. pr. eod. 278.
l. 6. §. 7. eod. 204. a.
l. 3. de His quæ in teſtam. del. 159. b. 160. a. II. 101. a.
l. 1. §. 3. de Hered. inſtit. I. 143.
—— §. 5. eod. ibid. b.
l. 3. §. 4. eod. 245. b.
l. 17. §. 5. eod. 174. a.
l. 23. §. 2. eod. 64. b.
l. 29. eod. 438.
l. 40. eod. 40. 121.
l. 44. eod. 248. b.
l. 59. eod. 40. b.
l. 85. eod. 52. a.
l. 70. eod. 433.
l. 71. pr. eod. 434.
—— §. 1. eod. 436.
l. 81. §. 1. eod. 437.
l. ult. inſcr. eod. II. 10. a.
l. 18. pr. de Vulg. & pupil. ſubſtit. I. 225. b. 226. b.
l. 8. §. 2. de Condit. inſtitut. 236. b.
l. 11. eod. 455. a.
l. 20. §. ult. 438.
l. 6. de Teſtam. milit. 46. a.
l. 20. pr. de Acquir. vel omit. hered. 29. b.
l. 30. §. 6. eod. 117. b.
l. 86. eod. 77. b.
l. 97. eod. II. 10. b. 11. a.
l. ult. eod. I. 77. a.
l. 3. pr. de SCto Sylan. 222. b.
l. 16. eod. 225. b. 226. a.
l. 5. de Jure Codicillor. 26. b. 264.
l. 18. eod. 265. a.
l. 1. de Leg. I. 235.
l. 30. §. 6. eod. 207. a.
l. 33. eod. 245. a.
l. 41. §. 6. eod. 199. b.
l. 51. eod. 207. a.
l. 54. eod. 20. b.
l. 8. §. 1. de Leg. II. 127. a.
l. 34. §. 1. eod. 186.
l. 77. §. 7. eod. 204. b.
l. 80. eod. 219. a.
l. 88. eod. II. 13. b.
l. 1. §. 3. de Legat. III. I. 204. a. 205. b.
—— §. 6. eod. 127. a.
l. 21. pr. eod. 275.
l. 23. eod. 258. b.
l. 35. §. 1. eod. 187. a.
l. 39. §. 1. eod. 45.
l. 41. §. 8. eod. 455. a.
l. 49. pr. eod. 167.
l. 60. pr. §. 1, 2 & 3. eod. 249 b.
l. 80. eod. 47. a.
l. 89. eod. 46. b.
l. 100. §. 2. eod. 62. b.
l. ult. §. ult. eod. 176. a.

l. 7.

l. 7. *de Ann. legat.* 449. *a.*
l. 20. §. 1 *eod.* II. 13. *b.*
—— §. *ult. eod.* I. 50. *b.*
l. 22. *eod.* 175. *b.*
l. 23. *eod.* 50. *b.*
l. pen. *eod.* 50.
l. ult. de Uſu & Uſufr. leg. 68.
l. 1. §. 2. *de dot. prælegat.* 237.
l. 3. *eod.* 245. *a.*
l. 6. *eod.* 248. *a.*
l. 19. *de Opt. vel elect. leg.* 452. *b.*
l. 5. §. 1. *de Tritic. vin. vel ol. legat.* 184.
l. 2. §. 1. *de Inſtruct. vel inſtrum. leg.* 186
l. 8. *eod.* 246. *b.*
l. 12. *eod.* 248. *a.*
—— §. 15 & 25. *eod.* 184. *b.*
—— §. 40. *eod.* 78. *a.*
—— §. 46. *eod.* 72.
l. 16. §. 1. *eod.* 248. *b.*
l. 18. *pr. eod.* 281. *b.*
—— §. 11. *eod.* 72. *a.*
—— §. 13. *eod.* 74.
l. 20. *pr. eod.* 73. *a.*
—— §. 1 & 2. *eod.* 187. *a.*
—— §. *ult. eod.* 74. *b.*
l. 14. *de Pecul. legat.* 248. *b.*
l. pen de Penu legat. 217. *b.*
l. 3. § 2. *de ſupellect. legat.* 106.
l. 7. §. 1. *eod.* 282. *a.*
l. 9. *pr. eod.* 72. *b.*
l. 21. *de Aliment. & cib. leg.* 89. *a.*
l. 8. *de Aur. argent. leg.* 61.
l. 13. *eod.* II. 168. *a.*
l. 19. §. 12. *eod.* I. 216.
l. 25. §. 4. *eod.* 89.
—— §. 10. *eod.* 164. *a.*
l. 32. *pr. eod.* 125.
—— §. 3. *eod.* 216. *b.*
—— §. 7. *eod.* 165.
l. 33. *eod.* 63.
l. 34. *eod.* 253. *a.*
l. 38 §. 1. *eod.* 199. *a.*
l. 20. *pr. de Liberat. legat.* 187. *b.*
l. 25. *eod.* 209. *b.*
l. 3. *de Adimend. vel transf. leg.* 40. *b.*
—— §. 7 *eod.* 58.
l. 30 § 1. *eod.* 187. *a.*
l. 10. *de Reb. dub.* 58.
l. 1. *de His quæ pœn. nom. relinq.* 450.
l. 2. *eod.* 448. *a.* 449. *a.*
l. 6. *pr. de Condit. & demonſtr.* 449. *a.*
l. 10. *eod.* 191.
l. 27. *eod.* 127. *a.* 175. *a.* 248. *b.* 449. *a.*
l. 43. *eod.* 246. *a.*
l. 49. *eod.* 86. *a.*
l. 63. §. 1. *eod.* 454. *a.*
l. 64. §. 1. *eod.* *ibid. b.*
l. 102. *eod.* II. 373. *a.*
l. 1. *pr. ad Leg. Falcid.* I. 219. *a.*
—— §. 11. *eod.* *ibid. b.*
l. 11. §. 6. *eod.* 40. *b.*
l. 26. *eod.* 219. *b.*
l. 30. §. 7. *eod.* 162. *b.*
l. 45. §. 1. *eod.* 246. *a.*
l. 68. *pr. eod.* 112. *a.*
l. 73. §. *ult. eod.* 219. *b.*
l. 1. §. 2. *ad SCtum Trebell.* 174.
—— §. 6. *eod.* 242. *b.*
l. 14. *pr. eod.* 35.
—— §. 2. *eod.* 203.
l. 16. *eod.* 209. *b.*
—— §. 10. *eod.* 204. *b.*
l. 19. *pr. eod.* 454. *a.*
l. 43. *eod.* 163. *a.*
l. 44. *eod.* 204. *b.*
—— §. 1. *eod.* 199. *a.* 204. *b.*
l. 45. *eod.* 204. *b.*
l. 58. *eod.* 454. *a.*
l. 67. §. 1. *eod.* 204. *b.*
l. 78. §. 12. *eod.* 209. *b.*
l. ult. inſcr. eod. II. 10. *a.*
l. 5. §. 27. *Ut in poſſeſſ. legat.* I. 86. *a.*
l. 3. §. 5. *de Bonor. poſſeſſ.* 242. *b.*
l. 7. *eod.* 280. *b.*
—— §. 1. *eod.* 60. *b.*
l. 8. *pr. de Bonor. poſſeſſ. contr. tab.* 55. *a.*
l. 12. §. 1. *eod.* 46. *b.*
l. 3. *pr. de Conjung. cum emanc. lib.* 41. *a.*
l. 4. *de Carbon. Edict.* 5.
l. 12. *eod.* *ibid. b.*
l. 1. §. 1. *de Bonor. poſſeſſ. ſec. tab.* 40.
l. 3. *Si a Parent. quis manum.* 77. *b.*
l. ult. eod. 451. *b.*
l. 10. *de Jure Patronat.* 173.
l. 16. *eod.* 272. *a.*
l. 21. §. 1. & 2. *eod.* 270.
l. ult. eod. II. 10. *a.*
l. un. pr. de Bon. poſſeſſ. ex teſt. milit. I. 122. & *ſeq.*
l. 26. *de Oper. libertor.* 78. *a.*
l. 14. §. 8. *de Bon. libert.* 128. *a.*
l. 26. *eod.* 271.
l. 45. *eod.* *ibid. a.*
l. 1. *de Adſign. libert.* 77. *b.*
l. 1. *Si Tab. teſt. null. ext.* 41. *a.*
l. 9. *de Gradib. & adfin.* 155.
l. 2. §. 25. *ad SCtum Tertullian.* 223. *b.*
—— §. 43. *eod.* 269.
—— §. 44. *eod.* 209. *a.*
l. 5. §. 14. *de Oper. nov. nunc.* 222. *a.*
l. 4. *de Dam. infect.* 273. *b.*
—— §. 9. *eod.* 199. *b.*
l. 6. *eod.* 110. *a.*
l. 7. *pr.* §. 1. & 2. *eod.* 110.
l. 8. *eod.* 111. *b.*
l. 9. *pr.* §. 1. 2. *eod.* 210.
—— §. 2. & 3. *eod.* 111.
l. 13. §. 3. *eod.* 222. *a.*
l. 40. §. 1. *eod.* 111.
l. 43. §. 1. *eod.* 248. *b.*
l. 45. *eod.* 115. *b.*
l. 1. §. 6. *de Aq. & Aq. pluv. arc.* 248. *a.*
l. 1. *pr. de Public. & vectig.* 177.
l. 8. §. 1. *eod.* 161.
l. 10. *pr. eod.* 64. *b.*
l. 11. §. 1. *eod.* *ibid.*
—— §. 2. *eod.* II. 215. *b.* 218. *a.*
l. 16. §. 4. *eod.* I 208. *a.*
—— §. 7. *eod.* 105.
l. 11. *de Donat.* 234. *a.*
l. 20. *eod.* 271. *a.*
—— §. 1. *eod.* 223. *b.* 232.
l. 24. *eod.* 234.
l. 37. *pr. de Mort. cauſ. donat.* 237. *b.*
l. 6. *de Manumiſſion.* 248. *a.*
l. 7. *eod.* *ibid. b.*
l. 29. *de Manumiſſ. teſtam.* 362. *b.* 387. *a.*
l. 41. §. 2. *eod.* 86. *a.*
l. 59. *pr. eod.* 127. *a.*
—— §. 2. *eod.* 145.
l. 26. §. 11. *de Fideicomm. libert.* 239. *a.*
l. 27. *eod.* 239.
l. 41. §. 15. *eod.* 86. *a.*
l. 4. §. 5. *de ſtatu liber.* 196.
l. 14. *eod.* 248. *a.*
l. 21. §. 1. *eod.* 77. *a.*
l. 39. §. 3. *eod.* 196. *b.*
l. 3. *Qui & a quib. manum.* 452. *b.*
l. 8. *eod.* 261. *a.*
l. 14. §. 4. *eod.* 175. *b.*
l. 16. §. 2. *de Liberal. cauſ.* [illegible]5. *b.*
l. 30. *eod.* 225.
l. 14. §. 1. *de Adquir. rer. domin.* II. 124. *b.*
l. 31. *eod.* I. 175. *a.*
l. 50. *eod.* 147. *b.* II. 139. *b.*
l. 55. *eod.* I. 126. *b.*
l. 56. *eod.* 23. *a.*
—— §. 1. *eod.* 249. *b.*
l. 65. *pr. eod.* 164. *a.*

l. 1 §. 1. de Adquir. vel amitt. poſſeſſ. II. 124. a.
l. 3. §. 1. eod. I. 211. b. II. 202. b.
—— §. 3. eod. I. 211.
l. 13. §. 10. eod. 210. a. 240.
l. 18. §. 4. eod. II. 203. a.
l. 30. eod. I. 211. b.
l. 36. eod. 145. b.
l. 44. eod. 212. b.
l. 1. de Uſurpat. & uſucap. 238. b.
l. 3. eod. ibid.
l. 4. § 1. eod. 241.
l. 23. eod. 211. b.
l. 42. eod. 127. b.
l. 44. §. 6. eod. 245. a.
l. 45. eod. II. 140.
l. 2. §. 6. pro emtore. I. 211. b.
l. 2 de Re judicata. 109. b.
l. 14. eod. 176. b.
l. 31. eod. 109. b. 128. a.
l. 33. eod. 188. a.
l. 57. eod. 197. b.
l. 60. eod. 99 a.
l. 4. de Curator. bon. dand. 230 b.
l. ult. eod. ibid a.
l. 9. §. 3. de Reb. auctorit. Judic. poſſid. ibid. b.
l. 15. §. 1. eod. 222. b.
l. 25. eod. 149. b.
l. 31. §. 1. eod. 42. b.
l. 1. §. 2. Quod legator. 219. b.
—— §. 5. eod. 220 a.
—— § 6. eod. ibid.
l. 3. pr. Ne vis fiat ei, qui in poſſeſſ. miſſ. 86. a.
l. 3. §. 1. Ne quid in loc. publ. II. 139. b.
l. 4. eod. ibid
l. 1. §. 17. de Flumin. 140. a.
l. 1. §. ult Quod vi aut clam. I. 249. b.
l. 9. §. 2. eod. ibid. 250. a.
l. 1. § 5 de Remiſſionib. 176. a.
l. 3. de Lib. exhibend. 53. b
l. 1. de Salvian. interd. 41. b.
l. 29. de Except. rei judic. 225. b.
l. 2. de Diverſ. tempor. præſcript. 109. a. 243. a.
l. 3. & 9. eod. 340.
l. 4. §. 16. de dol. mal. & met. except. 210. b.
l. 5. §. 5. eod. 234. a.
—— §. ult. eod. II. 27. a.
l. 20. de Obligat. & action. I. 41. a.
l. 44. § 2. eod. II. 50. a.
l. 55. eod. I. 254. b.
l. 5. pr. de Verb. obligat. 259. a.
l. 29. eod. 260. a.
l. 35. §. ult. eod. 75. b.
l. 64. eod. 200. a.
l. 75. §. 4. eod. 117. b.
l. 99. eod. II. 49. b.
l. 100. §. 1. eod. I. 117. b.
l. 121. §. ult. eod. II. 15. b.
l. 134. §. 1. & ult. eod. 52. a.
l. 135. §. 2. eod. 26. a. 53. a.
l. 137. pr. eod. I. 67. a.
l. 2. de duob. reis conſtit. 260. b.
l. 12. pr. eod. 36. a.
l. 25. de Fidejuſſor. 168.
l. 52. §. 2. eod. 187. a.
l. 68. §. 1. eod. II. 10. b.
l. 6. de Solution. I. 164. b.
l. 44. §. 1. eod. 28. a.
l. 72. pr. eod. 75. b.
l. 80. eod. II. 47. a.
l. 82. eod. I. 283. b.
l. 99. eod. 28. a.
l. 102. pr. eod. 74.
l. 13. §. 4. de Acceptilat. 42. b.
l. 19. § ult. Judicat. ſolvi. II. 18. b.
l. 9. Ratam rem hab. I. 230. b.
l. 21. pr. de Furtis. 22. b.
l. 27. §. 1. eod. 171. a.
l. 43. §. 3. eod. 245. a.
l. 52. §. 1. 4. 5. 6. eod. 22. b.
l. 56. §. 1. eod. 50.
l. 61. §. 8. eod. 122.
l. 81. eod. 101. b. 102. a.
l. 1. §. 1. Si is, qui teſtam. liber. 164. a.
l. 5. pr. Arbor. furt. cæſ. 123. b.
l. 3. §. 6. de Incend. ruin. naufr. 210. a.
l. 7. eod. 282. a.
l. 9. eod. 39. b.
l. 1. §. 1. de Injur. 168. b.
l. 13. §. ult. eod. II. 139. b.
l. 14. eod. ibid. a.
l. 15. §. 15. eod. I. 168. b.
—— §. 16. eod. ibid.
l. 1. § 2. de Extraord. crim. 81. a.
l. 2. eod. 416. b.
l. 4. eod. 357. a.
l. 2. de Concuſſion. 92. a. 93. b.
l. 3. pr. de Termino moto. 155. a.
l. 1. pr. & §. 1. de Colleg. & corpor. 414. a.
l. 4. eod. 33. II. 224. a.
l. 2. de Popular. action. I. 43. a.
l. 7. de Public. judiciis. 170. a.
l. 8. ad Leg. Jul. Majeſt 25. b.
l. 7. ad Leg. Jul. de vi publ. II. 147. b.
l. 1. pr. & §. 1. ad Leg. Jul. de vi priv. I. 195.
l. 1. ad Leg. Cornel. de Sicar. 26. a.
—— §. 3. eod. 249. b.
l. 2. eod. 352. b.
l. 7. eod. 91. a.
l. 8. eod. 357. b.
l. 14. eod. 81. b.
l. 1. de Leg. Pomp. de parricid. 349. b.
l. 3. eod. 23.
l. 4. eod. ibid. b.
l. 5. eod. 351. b.
l. 1. pr. de Leg. Cornel. de falſ. 90. a.
—— §. 1 eod. 91.
—— §. 2. eod. 93.
—— §. 3. & 4. eod. 94.
l. 8. eod. 123.
l. 9. §. 3. eod. 90. a.
l. 16 §. 1. eod. 95. a.
l. 20. eod. 91. b.
l. 22. §. 9. eod. 274. a.
l. 24. eod. 77. b.
l. 4. §. ult. ad Leg. Jul. peculat. 101.
l. 5. eod. 27.
l. 6. pr. eod. ibid.
l. 9. §. ult. eod. II. 148 b.
l. 1. §. 13. ad Sc. Turpil. I. 176. b.
l. 1. de Quæſtion. 93. b.
l. 15. §. 1. eod. 77. a.
l. 5. §. ult. de Pœnis. 49. b.
l. 7. eod. 38.
l. 8. §. 2. eod. 172.
—— §. 3. eod. 173. a.
l. 9. §. 4. & 5. eod. 179. a.
l. 10. eod. 39. b.
l. 16. pr. eod. 80. b. 81. a.
—— §. 4. eod. 27.
l. 18. eod. 80. a.
l. 20. eod. 163.
l. 30. eod. 181.
l. 38. §. 1. eod. 172. b.
—— §. 10. eod. 113. a.
—— §. ult. eod. 103. b.
l. 39. eod. 357. a.
l. 7. §. 3. de Bon. damnat. 60.
l. 1. de Bon. eor. qui ante ſent. 145. a.
l. 3. pr. eod. 104. a.
—— §. 3. eod. 92. a.
—— §. 6. eod. 103. a.
l. 5. de Interd. & relegat. 281. a.
l. 6. §. 1. eod. 204.
l. 10. §. 1. de Appellat. & relat. 146.
l. 17. §. 1. eod. 228. b.
l. 25. eod. 171. a.
Rubr. Quis & a quo appell. 205.
l. 2. eod. 206. b.

l. 1.

l. 1. *pr. Quando appell. ſit.* I. 204. *b.*
l. 1. *pr. de Jure Fiſci.* 175. *b.* 282. *a.*
l. 5. *eod.* 64. *b.*
l. 18. §. 9. 24. *a.*
l. 34. *eod.* 176. *b.*
l. 5. §. 1. *de Captiv. & poſtlim. reverſ.* II. 219. *a.*
—— §. 2. *eod.* 124. *b.* 125. *a.*
l. 6. *eod.* 224. *b.*
l. 7. *eod.* 124. *b.* 148. *b.*
—— §. 2. *eod.* *ibid.*
l. 12. *pr. eod.* I. 37. 116.
—— §. 3. *eod.* 244. *a.*
—— §. 9. *eod.* 84. *a.*
l. 19. §. 3. *eod.* II. 219.
l. 28. *eod.* I. 76.
l. 6. §. 7. *de Re militari.* 103. *b.*
l. 2. §. 5. *ad Municipal.* I. 245. *b.*
l. 36. *eod.* 40. *b.* 51.
l. 3. §. 3. *de Decurion.* 415. *b.*
l. 8. §. 1. *de Vacat. & excuſ. mun.* II. 103. *b.*
l. 3. §. 4. *de Munerib. & honor.* I. 149. *b.*
l. 6 §. 1. *eod.* 78. *a.*
l. 18. §. 19. *eod.* 171. *a.*
Rubr. de Jure immunit. 261. *b.*
l. 5. §. 2. & 5. *eod.* *ibid.*
l. ult. de Legation. II. 180. *a.*
l. 2. §. 11. *de Admin. rer. ad Civit. pert.* I. 145. *b.*
l. 1. *de Decret ab Ord faciend.* 33.
Rubr. de Pollicitationibus. 191. 192.
l. 2. §. 1 *eod.* 192. *b.*
—— §. 2. *eod.* *ibid.*
—— §. 3. *eod.* *ibid.*
l. 4. *eod.* *ibid. a.*
l. 5. *eod.* *ibid.*
l. 9. *eod.* *ibid.* 193. *a.*
l. 14 *eod.* 193. *a.*
l. 1. § 6. *de Extraord. cognit.* 180. *b.*
l. 4. *eod.* 179. *b.*
l. 3. *de Proxenet.* II. 351. *a.*
l. 1. *pr. de Cenſib.* I. 170. *a.* 268. *b.*
—— §. 2. *eod.* 170. *b.*
—— §. 3. *eod.* 171. *a.*
—— §. 5. *eod.* *ibid.*
—— §. 6. *eod.* 170. *a.* 171. *a.*
—— §. 11. *eod.* 171. *b.*
l. 5. §. 2. *eod.* 21. *b.*
l. 7. *eod.* 171. *b.*
l. 8. *eod.* 170. *a.* 171. *b.*
—— §. 7. *eod.* 171. *b.*
l. 7. *de Verb. ſignif.* II. 16. *b.*
l. 15. *eod.* I. 101. *a.*
l. 16. *eod.* *ibid.*
l. 18. *eod.* 261. *b.*
l. 48. *eod.* 115. *b.*
l. 71. §. *ult. eod.* II. 14. *b.*
l. 86. *eod.* I. 209. *b.*
l. 93. *eod.* 76. *b.*
l. 101. §. 2. *eod.* 70.
l. 113. *eod.* 99. *a.*
l. 120. *eod.* 55. *b.*
l. 195. §. 2. *eod.* 258. *b.*
—— §. 3. *eod.* 85. *b.*
l. 221. *eod.* 84. *a.*
l. 225. *eod.* 81. *a.*
l. 2. *pr. de Reg. jur.* II. 247. *b.*
—— §. 1. *eod.* I. 198. *a.*
l. 7. *eod.* 46. *a.*
l. 29. *eod.* II. 28. *a.*
l. 35. *eod.* 47. *a.*
l. 151. *eod.* I. 149. *b.*

E CODICE JUSTINIANEO.

l. 23. *de SS. Eccleſ.* II. 67. *b.*
l. 10. *de Epiſcop. & Cleric.* I. 85. *b.*
Authent. Statuimus, de Epiſcop. aud. 20. *b.*
l. 4. *pr. de Hæretic. & Manich.* 31.
l. 1. §. 5. *de Veter. jur. enucl.* 69. *a.*
l. 1. §. 6. *eod.* 246. *a.*
l. 2. §. 1. *eod.* 69. *a.*
—— §. 5. *eod.* *ibid. b.*
—— §. 12. *eod.* 246. *b.*
l. 3. §. 9. *eod.* 69. *a.*
l. 1. *pr. de Offic. Præf. Præt. Afr.* 79. *a.*
l. ult. de Offic. Magiſtr. milit. 171. *a.*
l. 1. *de Offic. Vicarii.* II. 11. *a.*
l. 1. *de Offic. milit. judic.* I. 85. *a.* 86. *a.*
l. 1. *de in jus vocand.* 77. *b.*
l. 13. *de Pact.* II. 49. *a.*
l. 27. *eod.* 51. *a.*
l. 4. §. 1. *de Advoc. diverſ. judic.* I. 26. *b.*
l. 22. *de Negot. geſt.* *ibid.*
l. 1. *Si tut. vel cur interven.* 64. *b.*
l. 2. *Si major fact. rat. hab.* 77. *b.*
l. 13. §. 1. *in fin. de judic.* 273. *b.*
l. 1. *Qui pro ſua jurisd. dar. poſſ.* 159. *b.*
l. ult. de Inoffic. teſtam. 242. *b.*
l. 8. *de Petit. Heredit.* 77. *b.*
l. 20. *Famil. erciſc.* *ibid. a.*
l. 3. *Depoſiti.* *ibid. b.*
l. ult. eod. 255. *b.*
l. 1. *de Patr. qui fil. ſuos diſtrax.* 354.
l. 12. *de Reſcind. vendit.* 261. *b.*
l. 4. *de Commerc. & Mercator.* II. 166. *b.*
l. 16. *de Nupt.* I. 363. *a.* 387. *a.*
l. 1. *de Secund. nupt.* 159. *a.*
l. 6. *eod.* II. 340. 346. *b.*
l. 7. *de Repud.* I. 26. *b.*
l. 4. *de Teſtam. tut.* 61.
l. 1. *Quand. Mul. tut. offic. fung. poſſ.* 77. *a.*
Rubr. de in lit. dand. tut. 229. *b.*
l. 1. *l.* 2. *l.* 3. *l. ult. eod.* 228.
l. ult. Quand. tut. vel cur. eſſe deſin. 97. *a.*
l. 9. *de Oper. libertor.* 40. *a.*
l. 10. *Qui teſtam. fac. poſſ.* 275. *a.* 276. *b.*
l. 29. *de Jure deliber.* 273. *b.*
l. un. de his quæ pœn. nom. relinq. 456.
l. ult. Commun. de legat. & fideic. 452. *b.*
l. 2. *ad Leg. Falcid.* 77. *a.*
l. un. §. 10. *de Caduc. toll.* 46. *b.*
l. 4. *ad SCtum Tertyllian.* 159. *a.*
l. 10. *de Legit. hered.* 269. *b.*
l. 14. *eod.* 209. *a.*
l. 4. *Comm. de Succeſſ.* 77. *b.*
l. 7. *eod.* 149. *a.*
l. 1. *de Liberal. cauſ.* I. 355. *b.*
l. 27. *eod.* 77. *b.*
l. 39. §. *ult. de Præſcr.* 30. *vel* 40. *annor.* II. 372.
l. 2. *de Sentent. ex pericul. recit.* I. 85. *b.*
l. 1. *de Uſur. rei judic.* 64. *b.*
l. 16. *de bon. auctorit. jud. poſſid.* II. 373. *b.*
l. 14. *de Operib. publ.* 267. *b.*
l. 9. *de Diſtract. pignor.* I. 179. *a.*
l. 3. *de Patria poteſt.* 352. *b.*
l. 1. *de Infant. expoſit.* 363. *b.*
l. 2 *eod.* *ibid.*
l. 7. *ad Leg. Jul. Majeſt.* 182. *b.*
l. 4. *ad Leg. Jul. de Adulter.* 252. *b.*
l. 8. *ad Leg. Cornel. de Sicar.* 359. *b.* 363. *b.*
l. un. de His, qui par. vel lib. occid. 353. *b.* 354. *b.* 358. *a.*
l. 1. *de His, qui ſibi adſcrib. in teſtam.* 36.
l. 4. *de Crim. expil. hered.* 128. *b.*
l. 1. *de Quæſtion.* 93. *b.*
l. 8. *pr. eod.* 176. *b.*
l. ult. de General. abolit. 145. *b.*
l. 2. *de Exact. tribut.* 20.
l. 8. *eod.* 21. *b.*
l. 2. *de Veter. numism. poteſt.* 66.
l. un. de Claſſic. II. 138. *b.*
l. 4. *de Aquæ duct.* I. 77. *b.*
l. 14. *de Fund. Patrim.* 187. *b.*
l. 5. *de Diverſ. præd.* *ibid.*
Rubr. de Lucr. Advocat. & concuſſ. offic. ſive apparit. 85. *b.*

E NOVELLIS.

Nov. Juſtiniani XXXII. II. 20. *b.*
——— ——— XXXIV. *ibid.*
——— ——— CVI. *ibid.*
——— ——— CXV. *cap.* 3. §. 2. I. 148. *a.*
——— ——— CXVIII. *præfat.* 55. *a.*
——— ——— CXXXVI. II. 46. *b.*
——— ——— CLIII. I. 363. *a.* 364. *b.*
Novell. Leonis. LXXIII. II. 20. *a.*
Novell. Theod. V. *quæ eſt de Tutorib.* I. 269. *a.*
Novell. Valent. L. I. *Tit.* IV. 432. *b.*
Novell. Valentin. L. I. *Tit.* XI. 361. *b.*

E CODICE THEODOSIANO.

l. un. de Reſponſ. Prud. II. 12. *a.*
l. 3. *de Exact.* I. 20. *b.*
l. 8. *l.* 9. *l.* 11. *de Adpellat.* 205. *a.*
l. 16. *eod.* *ibid.* II. 11. *a.*
l. 64. *eod.* I. 421. *b.*
l. 20. *Quor. appell. non recip.* II. 163. *b.*
l. 13. *de Infirm. his quæ ſub Tyran.* 287. *b.*
l. 3. *de Hæretic.* I. 422. *b.*
l. 18. *eod.* *ibid.* 424. *b.*
l. 35. *eod.* 422. *a.*
l. 40. *eod.* 31. *b.*
l. 41. *eod.* 422. *a.*
l. 54. & 55. *eod.* 421. *b.*
l. 1. *Ne ſanct. baptism. iteret.* *ibid.*
l. 20. *de Pagan. Sacrif.* 424. *b.*

E PAULI SENTENTIIS.

Lib. I. *Tit.* VII. §. 1. 169. *b.*
——— *Tit.* X. 221. *b.*
——— *Tit.* XIII. §. 4. 334. *b.*
——— *Tit. ult.* 160. *a.*
Lib. II. *Tit.* XVII. §. 2. & 3. 332. *a.*
——— *Tit.* XXX. 185. *b.*
Lib. III. *Tit.* VI. §. 51. 106. *a.*
Lib. IV. *Tit.* VIII. §. 3. 311. *b.*
Lib. V. *Tit.* I. §. 1. & 2. 347. *b.* 355. *b.* 356. *a.* *b.* 360. *a.* 361. *b.*
——— *Tit* V. 188. *a.*
——— *Tit.* VII. *in pr.* II. 51. *b.*
——— *Tit.* VII. §. 2. 16. *a.*
——— *Tit.* XII. §. 2. I. 149.
——— *Tit.* XV. §. 5. 113. *a.*
——— *Tit.* XX. *ibid.* 186. *b.*
——— *Tit.* XXI. §. 2. 182. *a.* 183. *a.* 416. *a.*
——— *Tit.* XXII. §. 3. & 4. 415. *b.*
——— *Tit.* XXIV. 349. *b.*
——— *Tit.* XXV. §. 2. 94. *a.*
——— §. 2. & 3 *ibid.*
——— *Tit.* XXVIII. §. 1. 113 *a.*
Anianus Lib. I. *Tit.* 1. §. 4. 34. *b.*
——— *Tit.* XIII. §. 11. 12. 32. *b.*
——— *Tit.* XIX. §. 1. *ibid.*

E FRAGMENTIS ULPIANI.

Tit. I. §. 16. I. 334. *b.* 339. *a.* 340. *a.*
Tit. IV. §. 1. 346. *b.*
Tit. VI. §. 1. 283. *a.*
——— §. 6. 266. *a.*
——— §. 13. 238. *a.*
Tit. X. §. 1. 347. *a.*
Tit. XI. §. 2. 335. *a.*
——— §. 20. 283. *b.*
——— §. 24. 229. *a.*
——— §. *ult.* 97. *a.*
Tit. XIX. §. 1. 333. *a.* 336. *a.* 338. *a.* 346. *a.*
——— §. 3. 332. *a.* 333. *b.* 336. *b.*
——— §. 6. 334. *a.* 340. *a.*
——— §. 7. 332. *a.* 336. *a.* 339. *a.*
——— §. 9. 336. *b.*
Tit. XX §. 8. 338. *a.*
——— ——— §. 9. 94. *b.*
Tit. XXII. §. 22. 278. *b.*
Tit. XXIII. §. 6. 280. *b.*
Tit. XXIV. §. 12. 47. *a.*
——— ——— §. 17. 447. *a.* 453. *a.*
Tit. XX . §. 13. 447. *b.*
Tit. XXVIII. §. 6. 280. *b.*

E FRAGMENTIS GAJI.

Lib. I. *Tit.* VI. §. 3. I. 333. *a.* 346. *a.*
Lib. II. *Tit.* I. §. 1. 246. *b.*
Lib. III. *Tit.* II. §. 1. 27.

E COLLATIONE LL. MOSAICAR. ET ROMANAR.

Tit. I. §. 2. I. 118. *b.*
——— §. 11. 48.
Tit. III. §. 3. 351. *b.*
Tit. IV. §. 2. 350. *b.*
——— §. 8. 348. *a.* 350. *a.* 353. *a.*
Tit. V. §. 8. 347. *a.*
Tit. VI. §. 3. 425. *a.*
Tit. VIII. §. 6. 90. *a.* 93 *b.*
Tit. XIV. §. 2. 65. *b.*
Tit. XV. II. 108. *b.*
——— §. 3. I. 413. *b.* 420. *b.* 425. *b.*

BASILICA, EORUMVE SCHOLIA.

I. 21. *b.* 22. *a* 25. *a.* 27. *a.* 30. *b.* 31. *b.* 32. *a. b.* 34. *a.* 35. *b.* 36. *a.* 38. *a.* 42. *a. b.* 50. *b.* 51. *a. b.* 52. *b.* 53. *a.* 54 *a.* 55. *a.* 60. *a.* 67. *b.* 76. *b.* 80. *b.* 81. *b.* 90. *a.* 92. *a.* 95. *a. b.* 99. *a.* 100. *a.* 102. *a.* 107. *a.* 109. *b.* 115. *b.* 119. *a.* 121. *b.* 122. *b.* 123. *b.* 124. *b.* 143. *a.* 144. *a. b.* 145. *a.* 147. *a.* 148. *b.* 150. *a.* 155. *b.* 156. *a.* 157. *a.* 158. *b.* 159. *a.* 160. *a.* 162. *b.* 164. *b.* 165. *a.* 169. *a. b.* 172. *a.* 177. *a.* 178. *a.* 181. *a.* 184. *a.* 185. *a.* 189. *a.* 195. *a.* 196. *a. b.* 197. *a.* 199. *b.* 200. *b.* 201. *b.* 205. *a.* 206. *b.* 207. *a.* 209. *b.* 213. *a.* 214. *a.* 219. *a.* 221. *a.* 225. *a.* 230. *b.* 243. *b.* 245. *a.* 248. *b.* 255. *a.* 256. *a.* 261. *a. b.* 264. *b.* 266. *a.* 267. *b.* 270. *b.* 273. *a.* 279. *a.* 281. *a.* 282. *b.* 313. *a.* 335. *b.* 336. *a.* 340. *b.* 351. *a.* 352. *b.* 355. *b.* 358. *b.* 361. *a.* 364. *a.* 412. *a.* 432. *a.* 433. *b.* 434. *b.* 436. *a.* 449. *b.*
II. 13. *b.* 14. *b.* 15. *b.* 16. *b.* 20. *a.* 24. *b.* 35. *a.* 48. *b.* 51. *b.* 55. *b.* 56 *b.* 140. *a.* 154. *b.*

E JURE FEUDORUM.

Lib. II. *Tit.* XXVII. §. *ult.* I. 88. *b.*

E JURE CANONICO.

Cauſ. I. *Diſt.* VIII. II. 124. *b.*
Cauſ. II. *Quæſt.* III. *C.* 7. I. 159. *a.* II. 346. *a.*
——— ——— *Quæſt.* IV. *C.* 2. & 3. II. 163. *a.*
——— ——— *Quæſt.* XXXII. *C.* 2. I. 192. *b.*
Cauſ. XI. *Quæſt.* II. *C.* 38. II. 73. *b.*
Cauſ. XII. *Quæſt.* I. *C.* 10. §. 1. 186. *a.*
Cauſ. XIV. *Quæſt.* IV. *C.* 4. II. 21. *b.*
Cauſ. XXIII. *Quæſt.* VII. *C.* 1. 124. *b.*
de Pœnitent. Diſtinct. I. I. 27. *b.* 359. *b.*
——— ——— *C.* 20. *eod.* 81. *b.*
C. 2. X. *de Conſuetud.* 192. *a.*
C. 5. X. *de Cler. conjug.* II. 12. *b.*
C. 7. X. *de Pignor.* 27. *a.*
C. 4. & 5. X. *de Secund. Nupt.* I. 159. *b.*
C. pen. & *ult. eod.* II. 346. *a.*
C. 1. X. *de Regul. Jul.* II. 47. *a.*
C. 10. X. *de Hæret.* I. 425. *a.*
C. 8. X. *de Conſecret. Eccleſ. vel Altar.* 192. *a.*
C. pen. & *ult. eod.* II. 346. *a.*

EX LEGIBUS ZELAND.

Legum Zeland. Cap. II. II. 410. *b.* 416. *a.*
——— ——— §. 22. 416. *a.*
——— ——— §. 26. *mendo liberatus.* 410. *b.*

I N-

INDEX EDICTORUM

Quæ allegantur & explicantur in Tomo. II.

EDICTUM *Philippi* II. 20. *Jan.* 1570. 222. *b.*
Ejusd. 9. *Mart.* 1580. *ibid.*
Ordinum Holl. 1. *April.* 1580. 240. *a. b.*
Gener. 26. *Jul.* 1581. *ibid. a.* 243. *a.* 288. *a.*
Holl. 27. *Jul.* 1584. 197. *a.*
Holl. 17. *Apr.* 1585. 272. *a.*
Comitis Leyceſtrani 4. *Apr.* } 1586. 194. *a.* 197. *a.* 213. *b.* 226. *a.*
Ejusd. 9. *Jul.* 205. *a.*
Ejusd. 18. *Jul.* 194. *a.*
Ejusd. 4. *Aug.* *ibid.* 197. *a.* 213. *b.*
Ordinum Holl. ult. Mart. 1588. 262. *b.*
Gener. 1. *Oct.* 1589. 195. *b.*
Gener. 26. *Sept.* 1590. 210. *b.*
Holl. 29. *Jan.* 1591. 204. *b.*
Holl. 16. *Dec.* 1595. 272. *a.*
Gener. 2. *Apr.* 1599. 204. *a.* 230. *b.*
Holl. 4. *Mart.* 1600. 193. *b.* 194. *b.* 200. *b.*
Zeland. 19. *Jul.* 1607. 172. *a.*
Gener. 9. *April.* } 1609. 203. *b.*
Gener. 20. *Aug.* *ibid.*
Gener. 22. *Dec.* 1610. 204. *b.*
Gener. 25. *Aug.* 1611. 224. *b.*
Gener. 1. *Aug.* } 1612. 352. *b.*
Gener. 15. *Aug.* 284. *a.*
Holl. 19. *Mart.* } 1614. 269. *b.* 272. *a.*
Zeland. 16 & 17. *Sept.* 272. *a.*
Gener. 26. *Febr.* } 1622. 277. *a.*
Gener. 1. *Apr.* 227. *a.* 230. *b.*
Gener. 13. *Mai.* 230. *b.*
Gener. 4. *Jun.* 226. *a.*
Gener. Conſil. 9. *Aug.* 213. *a.*
Gener. 16. *Dec.* 232. *b.*
Gener. Conſil. 2. *Sept.* 1624. 213. *a.*
Gener. 4 & 22. *Jul.* 1625. 201. *a.*
Gener. 3. *Mart.* } 1627. 232. *a.*
Gener. 27. *Jul.* 222. *a.*
Gener. 8. *Sept.* 1629. 277. *a.*
Gener. 30. *Jan.* } 1630. 203. *b.*
Holl. 4. *Mart.* 272. *a.*
Gener. 3. *Aug.* 203. *b.*
Gener. 13. *Mai.* } 1631. *ibid.*
Gener. 23. *Mai.* 210. *a.*
Gener. 11. *Mart.* 1632. 201. *a.*
Gener. 8. *Mart.* } 1634. 203. *b.*
Gener. 20. *Jun.* *ibid.*
Gener. 2. *Febr.* } 1636. *ibid.*
Gener. Conſil. 23. *Febr.* 210. *a.*
Gener. Conſil. 21. *Mart.* } 1636. 213. *a.*
Gener. 2. *Dec.* 203. *b.*
Gener. 3. *Mart.* 1640. 208. *a.*
Gener. Conſil. 17. *Mart.* } 1641. 209. *b.*
Gener. 30. *Aug.* 277. *a.*
Gener. 24. *Dec.* 1642. 203. *b.*
Gener. 1. *Sept.* 1643. 201. *a.*
Gener. 8. *Febr.* } 1645. *ibid.*
Gener. Conſil. 14. *Aug.* 210. *a.*
Gener. 30. *Mart.* } 1646. 232. *b.*
Gener. Conſil. 18. *Jul.* 210. *a.*
Gener. 21. *Jul.* 1648. 232. *b.*
Edictum Ordinum *Gener.* 14. *Apr.* } 1649. 277. *a.*
Holl. 12. *Mai.* 272. *a.*
Gener. 27. *Mai.* 1650. 232. *b.*
Gener. 10. *Aug.* 1651. 252. *b.*
Gener. 20. *Jan.* } 1652. 232. *b.*
Holl. 27. *Mart.* *ibid.*
Gener. 5. *Dec.* 210. *a.* 211. *a. b.* 213. *b.*
Gener. 26. *Apr.* 1653. 222. *a.*
Holl. 16. *Mart.* 1656. 232. *b.*
Holl. 26. *Apr.* } 1657. 195. *a.* 205. *a.*
Gener. 31. *Dec.* 210. *a.* 222. *b.* 231. *a.*
Gener. 29. *Jan.* } 1658. 222. *a.*
Gener. 18. *Mart.* 232. *b.*
Gener. 9. *Aug.* 220. *b.*
Gener. 7. *Nov.* *ibid.*
Gener. 19. *Apr.* 1659. 201. *a.*
Gener. 17. *Jan.* } 1665. 192. *b.*
Gener. 9. *Mart.* 231. *a.*
Gener. 19. *Mart.* 210. *a.* 213. *b.* 215. *a.*
Gener. 29. *Nov.* 1666. 199. *b.*
Holl. 28. *Mai.* 1669. 258. *a.*
Gener. 14. *Apr.* } 1672. 210. *a.* 213. *b.*
Gener. 15. *Dec.* 210. *b.*
Gener. 11. *Apr.* } 1673. 210. *a.* 213. *b.*
Gener. 6. *Jul.* 204. *b.*
Gener. 4. *Apr.* } 1674. 196. *b.*
Gener. 23. *Jul.* 232. *a.*
Gener. 4. *Apr.* 1676. *ibid.*
Gener. 13. *Apr.* 1677. 201. *a.*
Holl. 22. *Jul.* 1677. 202. *a.*
Gener. 9. *Mart.* 1689. 211. *b.* 231. *a.*
Gener. 24. *Febr.* 1696. 195. *b.* 222. *b.*
Gener. 28. *Jul.* 1705. 211. *a.*
Holl. 31. *Jul.* } 1730. 272. *b.*
Holl. 21. *Sept.* 278. *b.*

INDEX DECRETORUM

Quæ allegantur & explicantur in Tomo II.

DECRETUM Ord. Hollandiæ 9. Apr. 1582. 241. *a.*
Holl. 14. Jun. 1583. 273. *a.*
Holl. 17. Jul. 1584. 238. *a.*
Gener. 2. Oct. 1590. 205. *a.*
Holl. 29. Oct. 1590. *ibid.*
Holl. 5. Aug. 1617. 273. *a.*
Friſiæ 10. Jul. 1622. *ibid. b.*
Gener. 9. Aug. 1624. 227. *a.*
Gener. 22. Oct. 1627. *ibid. a. b.*

Gener. 26. Jun. 1630. 198. *b.* 213.
Gener. 28. Jan. 1631. 225. *b.*
Holl. 19. Apr. 1631. 259. *b.*
Gener. 7. Oct. 1636. 253. *b.*
Gener. 21. & 30. Sept. } 1639. 206. *b.*
Gener. 26. Nov. } 1639. 249. *a.*
Gener. 9. Nov. 1640. 263. *a.*
Gener. 18. Aug. 1650. 286. *a.*
Gener. 27. Jan. } 1651. 274. *a.* 277. *a.*
Gener. 2. Febr. } 1651. 253. *b.*
Holl. 10. Aug. } 1651. 251. *a.* 252. *b.* 253. *a.*
Gener. 10. Oct. 1652. 207. *a.*
Holl. 2. Aug. 1653. 245. *b.*
Holl. 4. Mai. } 1654. 245. *a.*
Friſiæ 24. Jun. } 1654. *ibid. b.*
Holl. 18. Sept. } 1654. 284. *a.*
Gener. 7. Febr. } 1657. 249. *a.*
Gener. 6. Mai. } 1657. 195. *a.*
Holl. 12. Jul. } 1657. 278 *b.*
Holl. 16. Jul. } 1657. 262. *b.*
Holl. 21. Sept. } 1657. 284. *a.*
Holl. 1. Apr. } 1658. 281. *b.*
Holl. 14. Mai. } 1658. 259. *a.*
Gener. 19. Aug. } 1658. 248. *a.*
Zeland. 21. Mart. } 1659. 236. *b.*
Gener. 19. Apr. } 1659. 221. *b.*
Holl. 24. Mai. } 1660. 289. *a.*
Holl. 9. Oct. } 1660. 252. *a.*
Holl. 9. Dec. } 1660. 253. *a.*
Holl. 3. Mart. 1661. 269. *b.*
Holl. 17. Jul. } 1662. 260. *b.*
Holl. 28. Sept. } 1662. 247. *b.*
Holl. 9. Dec. } 1662. 243. *b.*
Holl. 13. Mart. } 1663. 275. *a.*
Holl. 2. Mai. } 1663. 263. *b.* 286. *a.*
Gener. 12. Mai. } 1663. 254. *a.*
Friſiæ 23. Mai. } 1663. 275. *b.*
Holl. 17. Jul. } 1663. *ibid.* 276. *b.*
Holl. 19. Jul. } 1663. 242. *a.*
Holl. 5. Aug. } 1663. *ibid.*
Holl. 18. Sept. } 1663. 276. *a.*
Holl. 9. Oct. } 1663. 233. *b.*
Holl. 20. Dec. } 1663. 243. *b.*
Holl. 14. Mart. 1664. 276. *a.*
Gener. 5. Febr. } 1666. 221. *b.*
Holl. 7. Oct. } 1666. 276. *b.*
Gener. 27. Nov. } 1666. 198.
Holl. 11. Dec. } 1666. 289. *b.*
Holl. 25. Febr. } 1667. 281. *b.*
Holl. 5. Aug. } 1667. *ibid.*
Holl. 27. Sept. 1668. 269. *a.*
Holl. 16. Mai. } 1670. 278. *b.*
Holl. 25. Sept. } 1670. 274. *b.*
Gener. 3. Jan. 1671. 278. *b.*
Holl. 14. Apr. 1673. 226. *b.*
Gener. 20. Apr. 1674. 221. *b.* 288. *a.*
Holl. 22. Jan. } 1675. 281. *a.*
Gener. 29. Apr. } 1675. 253. *a.*
Gener. 23. Oct. 1676. 200. *b.* 222. *a.*
Gener. 13. Mart. 1688. 288. *b.*
Holl. 15. Mart. 1724. 270. *a.*
Holl. 28. Jan. 1725. *ibid. b.*
Holl. 14. Mai. 1727. *ibid.*
Holl. 22. Jul. 1729. *ibid.*
Holl. 28. Nov. 1733. 269. *b.*
Gener. 18. Mart. 1735. 252. *a.*
Holl. 1. Jul. 1735. 269. *b.*

INDEX PACTORUM

Quæ allegantur & explicantur in Tomo II.

PACTUM inter Henricum VII. Angliæ Regem & Philippum Archid. Auſtriæ 24. *Febr.* 1495. II. 287. *a.*
—— inter Hiſpanos & Belgas Fœderatos 9. *Apr.* 1609. 235. *a.*
—— inter Imperat. Maroci & Ordines General. 24. *Sept.* 1610. 220. *a.* 235. *b.*
Inter Regem Luſitaniæ & Ordines General. 12. *Jun.* 1641. 222. *a.*
De Navigatione inter Regem Hiſp. & Ord. General. 4. *Febr.* 1648. 215. *a.*
Inter Reg. Hiſpan. & Ordin. General. 30. *Jan.* 1648. 235 *a.* 276. 288. *b.*
Marinum inter Regem Hiſp. & Ordines Gener. 17. *Dec.* 1650. 211. *a.* 212. *b.* 215. *a.* 217. *a.*
Inter Rempub. Angliæ & Ordines General. 5. *April.* 1654. 206. *a.* 235. *b.* 279. *a.*
Inter Anglos & Luſitanos 1654. 210. *b.*
Marinum inter Regem Franciæ & Civitates Hanſeaticas 10. *Maj.* 1655. 218. *a.*
Inter Regem Luſitaniæ & Ordines Gener. 6. *Aug.* 1661. 194. *a.* 211. *a.* 220. *a.* 222. *b.*
Commercii inter Regem Franciæ & Ordines Gener. 27. *April.* 1662. 194. *a.* 206. 211. *a.* 213. *a.* 215. *a.* 217. *a.* 218. *b.* 220. *a.* 229. *a.* 235. *b.*
Inter Regem Angliæ & Ordines Gener. 14. *Sept.* 1662. 206. *a.* 220. *a.* 279. *b.*
Pactum inter Electorem Brandenburg. & Ordines Gener. 16. *Febr.* 1666. II. 289. *a.*
Inter Regem Sueciæ & Ordines Gener. 28. *Jul.* 1667. 251. *b.*
Inter Reges Angliæ & Daniæ 31 *Jul.* 1667. 205. *b.*
Inter Reges Angliæ & Hiſpaniæ 21. *Sept.* 1667. *ibid.*
Inter Angliæ & Sueciæ Reges & Ordin. Gener. 23. *Jan.* 1668. 238 *b.*
Inter Regem Angliæ & Ordines Gener. 19. *Febr.* 1674. 280. *a.*
Marinum inter Regem Angliæ & Ordines Gener. 1. *Dec.* 1674. 211. *a. b.* 212. *a.* 213. *a.* 215. *a.* 217. *a.*
Commercii inter Regem Sueciæ & Ordines Generales 26. *Nov.* 1675. *ibid.*
Commercii inter Regem Franciæ & Ordines Generales 10. *Aug.* 1678. 194. *a.* 206. *b.* 211. *a.* 213. *a.* 215. *a.* 217. *a.* 218. *b.*
Inter Reges Hiſpaniæ & Franciæ 17. *Sept.* 1678. 204. *b.* 205. *b.*
Marinum inter Regem Sueciæ & Ordines General. 12. *Oct.* 1679. 211. *a. b.* 213. *a.* 215. *a.* 217. *a.*
Commercii inter Regem Franciæ & Ordines General. 20. *Sept.* 1697. 194. *a.* 206. *b.* 215. *a.* 217. *a.* 218. *b.*
Commercii inter Regem Franciæ & Ordines Gener. 11. *April.* 1713. 218. *b.*

FINIS TOMI SECUNDI.